CORNELII A LAPIDE

COMMENTARIA

IN

SACRAM SCRIPTURAM.

COMMENTARIA

IN

SACRAM SCRIPTURAM

AUCTORE R. P.

CORNELIO CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE IESU

SACRÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII POSTEA ROMÆ PROFESSORE

EDITIO

XYSTO RIARIO SFORTIÆ

CARDINALI ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

DICATA

TOMUS II.

COMPLECTENS COMMENTARIA IN IOSUE, IUDICUM, RUTH, IV. LIBROS REGUM, II. PARALIPOMENON, ESDRAM, NEHEMIAM, TOBIAM, IUDITH, ESTHER, ET MACHABÆOS.

NEAPOLI

APUD I. NAGAR EDITOREM.

IN VIA TRINITA' DE' SPAGNOLI N.° 33.

M. D. CCC. LIV.

COMMENTARIA
IN IOSUE.

PROLOGUS ET ARGUMENTUM.

Iesus Nave, *ait S. Hieron. Epist. ad Paulinum.* typum Domini non tantum gestis, sed et nomine præfert: Iordanem transit, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia (*Allegorice*) Ecclesiæ (*Anagogice*) cælestisque Ierusalem spiritualia regna describit.

Ab Evangeliis (quibus toti novo Testamento coronidem imposui) redeo Auspice Deo ad vetus Testamentum, ab antitypo ad typum, a Iesu inquam ad Iosue, qui Mosi eiusque Deuteronomio (ubi Pentateuchum finivi) successit. Ubi ergo manum de tabula amovi, illic rursum admoveo, ac a Iosue usque ad Psalmos veterem historiam, psalmosque pertexo, itaque pariter toti veteri Testamento duobus tomis (si Deus vitam viresque dederit) coronidem imponam. Olim ante 40. annos hæc ipsa Lovanii in publicis prælectionibus dictavi et docui. More meo solito brevis, imo solito brevior ero, ne tomi in S. Scripturam nimis excrescant, et quia libri hi sunt historici, qui planam, facilem et iucundam a Iosue usque ad Davidem prisci ævi historiam enarrant, ideoque commentatione tanta non egent, quanta Prophetæ, Evangelia et Epistolæ. Sensui litterali moralem subiungam, quoties eum in S. Hieron. August. Origen. Theod. Rabano, Ruperto, ceterisque Patribus reperero litterali insistentem et accommodum.

Quæritur ergo primo: Cur liber hic inscribitur Iosue? Resp. quia gesta Iosue describit, quibus ille Chananæam bello subegit, illamque duodecim tribubus divisit, ac Rempub. Israelis in eadem constituit, eandemque tam in pace quam in bello prudentissime gubernavit. Voluit enim Deus in Iosue dare exemplar optimi Imperatoris, Ducis et Principis, multo excellentius quam Xenophon descripserit in Cyro, Plato in Repub. Aristot. in Politicis: quod proinde merito omnes Christiani Principes sibi ob oculos ponere, ac iugiter intueri et imitari debeant. Adde Iosue videri libri huius auctorem, de quo mox plura.

Quæritur secundo: An liber hic sit Canonicus S. Scrip. Resp. non tantum esse Canonicum, sed proto (primo) canonicum, adeoque inter primos S. Scripturæ libros, de quorum auctoritate nemo unquam orthodoxus dubitavit, censeri. Porro Hebræi hunc librum in suo canone collocant inter Prophetas primum. Hebræi enim, teste S. Hieron. in Prologo Galeato (qui quasi galea S. Scripturæ præfigitur) S. Script. tripliciter partiuntur, illamque dividunt in *Thora*, id est legem sive Pentateuchum Mosis; in *Nebiim*, id est Prophetas, et *Ketubim*, id est Hagiographa. Prophetas autem alios nuncupant priores, alios posteriores. Inter priores primum statuunt Iosue; secundum, librum Iudicum; tertium, Samuelis, sive librum primum et secundum Regum; quartum, Regum nimirum librum tertium et quartum eorumdem. Posteriores recensent Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, et duodecim Minores Prophetas: priores vero illos, licet historici sint, Prophetarum tamen ordine et nomine numerant, sive quia a Prophetis conscripti sunt, sive quia omnis ista illorum historia, futura Messiæ tempora muto quodam vaticinio adumbrabat.

Quæritur tertio: Quis sit libri Auctor? Resp. Theodor. hic quæst. 13. Abulens. quæst. 5. et Andreas Masius, il-
A lum longe post mortem Iosue ex antiquis diariis et annalibus (qui cap. 10. vers. 13. vocantur *liber iustorum*) ab aliquo spiritu Dei afflato sive Propheta fuisse collectum, puta ab Esdra, ut sentit Masius; a Samuele, ut Abulen. idque verisimilius esse patebit ex libri decursu; maxime cap. 10. vers. 12. et 13. cap. 19. 47. cap. 11. 16. atque ex fine libri. Porro diaria hæc ab ipso Iosue primitus fuisse conscripta censent Hebræi, qui ipsum Iosue huius sui libri faciunt Auctorem, idque satis significatur cap. ult. vers. 26. *Scripsit*, inquit, *omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Sicut enim Moses sua gesta scripsit in Pentateucho, sic et Iosue Mosis discipulus et successor sua hic describit; perinde ac Iulius Cæsar sua acta et bella in ipsis castris sigillatim conscripsit, indeque librum vocavit Commentarium de bello Gallico, etc. Diariis autem hisce a Iosue vel eius Amanuensi conscriptis, nonnulla in hoc libro addita sunt ab eorum collectore, quæ post mortem Iosue contigerunt, uti sunt ea quæ cap. 15. de Axa filia Caleb, et cap. 19. 47. de filiis Dan narrantur, ipsa denique mors
B Iosue cap. ult.

Porro quis, qualis et quantus fuerit Iosue patebit ex libri decursu. Audi Ecclesiasticum cap. 46. 1. eius velut Heroum Herois elogia et magnalia recensentem. *Fortis in bello Iesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et iactando contra civitates rhomphæas? Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit. An non in iracundia eius impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo? Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, et audivit illum magnus et sanctus Deus in saxis grandinis virtute valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, et in descensu perdidit contrarios: Ut cognoscant gentes potentiam eius, quia contra Deum pugnare non est facile.* Vide ibi dicta. Fuit ergo Iosue Dux, Princeps et
C Imperator Israelis; fuit Propheta Deo familiaris, zelator legis cultusque divini; fuit victor et triumphator, qui expulsis Chananæis populum fidelem in terram promissam reduxit, ideoque expressus fuit typus Iesu Christi, qui suos fideles facit triumphare de carne, mundo et dæmone, itaque eos in terram viventium et in cælis regnantium reducit. Hinc et Iosue præter morem illius ævi fuisse cælibem et virginem, imo ante Eliam ceterosque omnes primum vexillum virginitatis erexisse docet S. Ignatius Epist. ad Philadelph. S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. et S. Crysost. serm. de Martyribus, quem audi: *Ab origine mundi Innocens Abel occiditur, Henoch Deo placens transfertur, iustus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur, Moses mansuetus dignoscitur, Iesus castus, David lenis, Helias acceptus, Daniel Sanctus, tres pueri victores redduntur.*

Denique Hebr. *Iehova*, et crasi *Iosua*, sive *Iesua*, Græce Ἰησοῦς, Latine *Iesus*, idem est quod *Salvator*. Hæc ergo omnia unum idemque sunt nomen, quo primum Iosue noster, deinde eius antitypus Iesus Christus appellatus est. De hoc nomine multa habet hic noster Serarius, ego quoque plura de eodem dixi Num. 13. v. 17. Matth. 1. 21. et Philipp. 2. 10. Narrat B. Gregor. Turon. lib. de gloria Confess. c. 40. Florentium patrem suum gravibus febribus et doloribus afflictum, cælesti monitu nomen Iesu Nave hastulæ inscriptum capiti supposuisse, itaque illico omni morbo et dolore liberatum.

Porro ad hæc omnia Iosue a Mose, iubente Deo electus, et impositione manuum ordinatus, auctoratus, et quasi consecratus est dux populi, Num. 27. vers. 18. ac rursum ab eodem ad tam heroica opera animatus est, Deuteron. 31. 7. *Confortare*, ait, *et esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram*, etc. *Dominus ipse erit tecum*.

Quæritur quarto: Quæ sit libri huius materia et argumentum? Resp. Argumentum est prosequi historiam Mosis, eamque pertexere usque ad finem vitæ Iosue. Moses enim in Genesi conscribit historiam mundi incipiens ab eius creatione, illamque pertexit usque ad mortem Ioseph Patriarchæ, ubi Genesim finit. Deinde in Exodo, Levit. Num. et Deuteron. prosequitur historiam Israelis a morte Iosephi, ac præsertim gesta sua usque ad mortem, Iosue vero hic Mosi succedens, sua et Israelis post mortem Mosis heroica facta recenset, ac præcipue bella quibus Chananæam devicit, eamque inter Israelitas possidendam distribuit. In hoc ergo libro clarissimum divinæ providentiæ, et fidei in promissis servandis exemplum resplendet; utpote in quo liquet, quod Deus post promissionem Abrahæ de Chananæa possidenda datam anno 470. qui fuit annus a creatione mundi 2494. et ab egressu Hebræorum ex Ægypto 40. omnes duodecim tribus a Iacob, Isaac et Abraham progenitas salvas in terram promissam eiusque possessionem induxerit. Hoc est quod dicitur Exodi 12. 40. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit* 430. *annorum*. Adde nunc num. 40. annos peregrinationis in deserto, qui fluxerunt ab egressu ex Ægypto usque ad ingressum in terram Chanaan, habebis 470. annos iam dictos.

Itaque causa litteralis scribendi huius libri fuit, ut creationis mundi historia a Mose cœpta, ut Ecclesiæ veteris continua propagatio ordine temporum non interrupto pertexeretur; utque divinæ providentiæ fides in promissis præstandis toti mundo testata fieret.

Moralis causa fuit, ut in Iosue daretur idea perfecti Principis, optime tam in bello quam in pace Rempublicam gubernantis. Cicero Pompeium laudans quatuor dotes in Imperatore requirit, scilicet scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, et felicitatem. Hæ omnes in Iosue mirifice elucent. Unde Tertul. lib. 3. contra Marcion. cap. 16. censet Iosue esse Angelum illum ac ducem, quem promisit Deus Exodi 23. dicens: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui te custodiat in via, et introducat in terram, quam paravi tibi: intende illi et exaudi eum, ne inobaudieris eum: Non enim celavit te, quoniam nomen meum super illum est. Angelum quidem eum dixit, ob magnitudinem virtutum quas erat editurus, et ob officium Prophetæ, nuntiantis scilicet divinam voluntatem: Iesum autem, ob nominis sui futuri Sacramentum*.

Allegorica, ut in Iosue pingeretur Iesus Christus debellans peccatum et omnem inferorum potestatem. Unde de Iosue ita canit Tertul. lib. 3. contra Marcion. in carm. cap. 3.

Spiritus hunc sanctus socium sibi nomine iunxit, etc.
Nominis exemplum, Christi virtutis imago.

Vide nostrum Salianum tomo 2. anno mundi 2600. ubi omnia Iosue facta Christo adaptat.

Tropologica et anagogica, ut in eodem repræsentaretur, qua ratione fidelis quisque ceu miles septem non gentibus, sed vitiis capitalibus animæ debellatis, victor in terram viventium vincentibus promissam contendere debeat. Ita Origen. Theodor. Rupertus. Hac de causa Iosue, uti fide sua Iordanem divisit siccavitque, ac solem stitit, sic innocentia sua Mosen superavit. Moses enim Deum offendit ad aquas contradictionis, adeoque a terra promissa exclusus fuit, ut in eam Israelem induceret innocens Iosue Num. 20. nil enim in Iosue culpatum fuit, sed laudata omnia, ac præsertim eius erga Deum fides, fiducia, obedientia, religio, charitas, zelus, fortitudo, integritas, iustitia, politia, paupertas, etc. quibus ipse meruit in Sanctorum catalogum referri in Martyrol. Romano ad diem primum Septembris, quo hæc scribo. Denique audi S. August. lib. 18. civit. c. 11. *Moysi successit Iesus Nave: et in terra promissionis introductum populum collocavit ex auctoritate divina, debellatis gentibus, a quibus eadem loca tenebantur. Qui cum populum rexisset post mortem Moysi viginti et septem annos, etiam ipse defunctus est: Regnante apud Assyrios octavodecimo Amynta, apud Sicyonios sextodecimo Corace, apud Argivos decimo Danao, apud Athenienses quarto Ericthonio*.

Quinto quæritur: Quot annorum gesta complectatur hic liber? Resp. Omnes fere consentiunt Iosue per septem annos gessisse bella ad subigendam Chananæam, quæ omnia hic describuntur. Inde secuta est pax, in qua quot annis superstes fuerit, et populum gubernarit Iosue, non omnino constat. Variant enim Interpretes et Chronologi. Rabbi Moses enim censet Iosue mox post bella obiisse; alii Iosue post bella, pacis annos dant decem vel undecim, ita ut universim præfuerit populo annos septemdecim, vel octodecim. Ita Genebrard. lib. 1. Chronol. Salianus, Torniellus, Adrichom. Arias et Lucidus: Iosephus vero lib. 5. antiquitatum c. 1. in fine, Iosue universim attribuit annos viginti quinque; Beda et Bellarminus 26. Hebræi autem, quos sequuntur Patres, ut Eusebius lib. 10. Præpar. Clemens Alex. lib. 1. Strom. S. August. lib. 18. de civit. c. 11. Sulpitius lib. 1. sacræ histor. Magalianus et Masius in cap. ult. Iosue eidem dant annos viginti septem. Quare cum Iosue mortuus sit anno ætatis 110. ut patet c. ult. v. 29. sequitur eum Ducatum populi suscepisse anno ætatis 83. Deme enim annos 27. Ducatus eius ab annis 110. vitæ eiusdem, incides in annum initi Ducatus 83. Quæ harum sententiarum sit verior, indicabo cap. ultimo.

Porro Moses Genesim orditur a creatione Adæ et mundi, finit vero eam in morte Ioseph, quæ contigit anno mundi 2310. a diluvio 633. ab Abraham 361. A morte vero Ioseph usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, et Ducatum Mosis fluxere anni 144. Moses autem præfuit populo 40. annis. Ergo Iosue ei immediate succedens cœpit imperare anno a creatione mundi 2494. a diluvio anno 837. ab Abraham 545. a Repromissione 470. a morte Ioseph 184. qui fuit ante nativitatem Christi annus 1436. Vide Chronotaxim quam præfixi Pentateucho.

INTERPRETES.

Scripsit in Iosue Origenes homilias 26. qui more suo moralis est. Ad litteram scripsit Theodoretus, Procopius et S. August. quæstiones triginta. Extant tomo 4. post quæstiones in Genesim totumque Pentateuchum.

Posteriori sæculo scripsit Rupertus, Lyran. Hugo Cardinalis, Dion. Carth. Caietanus, ac fuse et exacte Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis. Nostro sæculo docte ac pie scripsit Andreas Masius Consiliarius Ducis Cliviæ, et linguarum apprime peritus; sed hoc habet quod subinde vulgatum interpretem carpat, licet fere in rebus minutis. Habet etiam nonnulla minus sana vel sane sonantia, ut de cruce non adoranda, et de imaginibus in altari non collocandis, quæ caute legenda et intelligenda sunt. Notavit ea D. Ioannes Molanus in limine operis posteriori editione. Masius excellit in Geographia, et locis singulis terræ sanctæ graphice describendis.

Masium secutus est Arias Montanus, qui in elegantia styli excellit. E nostris copiose commentatus est Cosmus Magalianus, docte et recondite Nicolaus Serarius, accurate Iacobus Bonfrerius.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Deus apparet Iosue, eumque corroborat ad invadendam Chananæam. Secundo, vers. 10. Iosue iubet populum parari in tertium diem ut Iordanem transeat, ac Rubenitis, et Gaditis præcipit, ut ceteras tribus armati præeant, uti se facturos promiserant.

1. Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Iosue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei: 2. Moyses servus meus mortuus est: Surge, et transi Iordanem istum tu, et omnis populus tecum, in Terram, quam ego dabo filiis Israel. 3. Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. 4. A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. 5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te. 6. Confortare, et esto robustus: tu enim sorte divides populo huic Terram, pro qua iuravi patribus suis, ut traderem eam illis. 7. Confortare igitur, et esto robustus valde: ut custodias, et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus: ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. 8. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. 9. Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus. Noli metuere, et noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. 10. Præcepitque Iosue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite: 11. Præparate vobis cibaria: quoniam post diem tertium transibitis Iordanem, et intrabitis ad possidendam Terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. 12. Rubenitis quoque et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse ait: 13. Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram. 14. Uxores vestræ, et filii, ac iumenta manebunt in Terra, quam tradidit vobis Moyses trans Iordanem: vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis, 15. Donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque Terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis: et sic revertemini in Terram possessionis vestræ, et habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Iordanem contra solis ortum. 16. Responderuntque ad Iosue, atque dixerunt: Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus: et quocumque miseris, ibimus. 17. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi: tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. 18. Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur. Tu tantum confortare, et viriliter age.

Vers. 1. Et factum est, etc. Ut loqueretur.) Hebr. *Et factum est et locutus est*, hoc est: *et locutus est*. τὸ enim *factum est* redundat more Hebræo. Unde Noster clare vertit: *Et factum est ut loqueretur*. τὸ *et* copulat hunc librum cum fine Deuteronomii: illius enim acta ordine prosequitur, licet alioqui Hebræis *vau* sive *et* sit initiale, tantumque notet libri exordium, uti dixi Ezech. 1. 1. ad illa: *Et factum est in trigesimo anno.*

Post mortem Moysi.) Post expletos triginta dies luctus, quibus Hebræi planxerunt mortem Mosis. Deut. ult. 8. illis enim lugendum et quiescendum erat. Ita Abulen. Serarius et Caietanus, licet contrarium autumet Lyran. Salianus et Masius Talmudicos secuti, de quo c. 3. Quare cum Moses mortuus sit sub diem tertiam Februarii, ac deinde eum planxerint Hebræi per 30. dies, uti patet Deuter. ult. vers. 1. et 8. ac statim post planctum Iosue sumpserit imperium populi vice Mosis, auctoratus et roboratus hic a Deo, hinc sequitur hanc apparitionem et confortationem ei factam sub diem tertium mensis primi Nisan, cuius decimo die Hebræi transierunt Iordanem, ut patet cap. 4. 19. ac 14. die celebrarunt Pascha, ut patet cap. 5. 10.

Ut loqueretur Dominus.) Per Angelum vices Dei gerentem, sicut et per Angelum locutus erat Mosi, eique legem dederat in Sina, ut patet Galat. 3. vers. 19. Angeli enim sunt administratorii Dei spiritus. Hebr. 1. 14. Quocirca quoties in veteri Testamento Deus dicitur apparuisse vel locutus esse, non ipse per se, sed per Angelum id præstitit, uti in Pentateucho ostendi. Porro Angelus hic locutus est Iosue, vel locutione spiritali obiiciendo menti eius notiones verborum horum, eo modo ac si Iosue Deum ipsum præsentem loquentem audiisset; aut locutione corporali in assumpto corpore apparens et oretenus loquens

A ad Iosue: utrumlibet enim est probabile. Iosue ergo hic immediate a Deo per Angelum constituitur et auctoratur dux populi, ideoque ab eo per omnia eruditur, dirigitur, prosperatur victoriis, decoratur spoliis, et regnis locupletatur; cum ceteri Reges et Principes a Deo non immediate, sed mediante electione populi vel optimatum constituantur.

S. Hieron. in illud Apostoli: *Constituas per civitates presbyteros sicut et disposui tibi.* Ad Tit. 1. 5. *Moyses*, inquit, *amicus Dei potuit utique successores principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere; ut non quærant eos, qui possunt. Ecclesiæ plus prodesse, et in Ecclesia erigere columnas: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti; vel*
B *pro quibus maiorum quispiam rogaverit: et ut deterius taceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt.*

Surge.) Id est, eia age. Est enim vox hortantis, exci- Vers. 2.
tantis et animantis, non autem iubentis, ut in pedes se erigat.

Quam ego dabo.) Hebr. *do*, q. d. ita certo dabo ac si iam darem, imo iam hoc ipso momento dare incipio.

Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis Vers. 3.
vestri, vobis tradam. (Hebr. נתתי *natatti*, id est dedi, tradidi, hoc est iamiam certissime tradam) sicut locutus sum Moysi.) *Omnem locum*, id est totam Chananæam, in quem pergebant Hebræi, promisit Abrahæ, Mosi et Hebræis Genes. 15. 18. Exodi 23. 31. Deuter. 11. 9. et alibi sæpe. Nunc Deus promissa præstat, ac per Iosue Calcare
Hebræis eam possidendam tradit, quia summus illius mun- terram
dique totius est Dominus: *Domini enim est terra et ple-* quid?

nitudo eius, orbis terrarum et universi qui habitant in eo. Psal. 23. 1.

Tropol. 1. Tropol. Origen. hom. 1. Chananæa nostra est concupiscentia, puta motus superbiæ, iræ, libidinis, gulæ, impatientiæ, acediæ, avaritiæ: quos si generose pugnando calcaverimus, nobisque subiecerimus, eis dominabimur duce Iosue, id est per gratiam Iesu Christi.

2. Rupertus vero hic cap. 6. Omnis locus, ait, est omne cor, vel omnis conscientia, quam calcat pes Iesu, id est quæ se calcandam subiicit pedibus Iesu instar Magdalenæ; hæc ergo est ipsius Iesu, hæc est Salvatoris et sempiternæ salvationis, ut eam Iesus, id est Salvator et salus possideat. E contrario quos non calcavit vestigium pedis Iesu, id est, qui non sunt ei traditi et subditi, hi diabolo dati sunt, ac proinde non populus acquisitionis, sed perditionis filii sunt.

3. S. Bernardus autem subtiliter et pie ser. 15. in Psalm. *Qui habitat: Sperate*, ait, *in Domino omnis congregatio populi: quemcumque enim locum calcaverit pes vester, vester erit: pes vester utique spes vestra est, et quantumcumque illa processerit, obtinebit; si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit et non titubet.* Qui ergo sperat in Deum, omnia ab eo obtinebit, quia Deus id passim in Script. et Evangeliis promisit: quare cum ipse sit fidelissimus promissa præstabit, cumque sit clementissimus et liberalissimus non patietur vinci se spe nostra, sed eam superare sataget. Unde idem S. Bernardus serm. 3. de Annuntiat. *Sola*, ait, *spes apud te* (Domine) *miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponis.*

Anagog. Anagog. Origen. per omnem locum accipit cælum, cælique gloriam et felicitatem: *Lucifer*, ait, *sedem habebat in cœlis, postea vero quam factus est Angelus refuga, si eum vincere potero et subiicere pedibus meis, si meruero ut Dominus meus Iesus conterat Satanam sub pedibus meis, consequenter locum Luciferi accipere merebor in cœlis.*

Symbol. Denique S. Franciscus: Calcare, ait, est contemnere: contemnit autem omnia, calcatque paupertas spiritus. Ipsa ergo est omnium Domina et mundi Regina, iuxta illud: *Fideli totus mundus divitiarum est.* Ita refert Lucas Waddingus in dictis et scriptis S. Francisci: Avarus enim, ait S. Bernard. Terrena esurit ut mendicus, pauper spiritu contemnit ut Dominus. Causam dat S. Cyprian. in orat. Domin. dicens: *Qui renuntiavit iam sæculo, maior est honoribus eius et regno, et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena sed cælestia regna desiderat.* Et S. Chrysost. homil. 15. ad populum: *Sicut*, inquit, *e summo montis vertice prospectantibus omnia pusilla, ac non solum homines et arbores, sed etiam urbes integræ et magni exercitus, formicarum instar super terram ire videntur: sic qui animo erecto in cælestia quasi in sublimi commorantur, iis omnia humana, potentia, gloria, opes ita minuta et exigua apparent, ut ne digna quidem iudicent, quibus hanc immortalis animi nobilitatem applicent.*

Talis igitur est aquila, quæ ut ait Iob. c. 39. 27. *In arduis ponit nidum suum, etc. Inde contemplatur escam, et de longe oculi eius prospiciunt*: Nimirum *mens fixa in cælo mundi ludibria ridet.* Talem se fuisse fatetur S. Gregor. cum religiosam vitam in monasterio ageret. Scribens enim ad Theoctistem sororem Imperatoris lib. 1. epist. 5. *Nihil*, inquit, *in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ. Super enim altitudinem terræ sustollitur, qui et ipsa quæ alta et gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat.*

4. A DESERTO ET LIBANO USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEN, OMNIS TERRA HETHÆORUM USQUE AD MARE MAGNUM CONTRA SOLIS OCCASUM, ERIT TERMINUS VESTER.) Circumscribit hic Deus terram promissam trans Iordanem a tribus mundi plagis, indeque ternos ei

A assignat terminos: ipsa enim Arabiam desertam habet ad Meridiem; Libanum et Euphraten ad Septentrionem; mare magnum, id est Mediterraneum ad Occidentem. Omittitur quartus Orientalis plagæ terminus, videlicet Iordanis, quia non longe ab eo consistebat Iosue, indeque Deus terram hanc ipsi ostendebat.

LIBANO.) Septuag. *Antilibano:* sed idem est mons, qui versus mare Mediterraneum velut laxiore valle dividitur, et apud Tripolim Libanus, apud Sidonem Antilibanus dicitur, ait Strabo lib. 16. Græce Ἀντιλίβανος proprie idem est quod, *mons Libano oppositus:* Antilibanus enim apud Sidonem ita curvatur, ut Libano opponi videatur. Unde S. Hieron. in locis Hebr. Omnis regio, ait, quæ est supra Libanum ad Orientem respiciens circa regionem Damasci, quæ cecidit in sorte tribus Manasse, Antilibanus appellatur.

Porro Libanus Hebr. dicitur a לבן *Laban*, id est *albus*, quod nive semper albeat in summitate; Item a לבנון *lebanon*, id est *thus*, quod Libanus cedrorum, pinorum, B cypressorum, aliarumque resinosarum et thuriferarum arborum ferax sit, ait Masius et Adrichom. Libanus enim est omnium Syriæ montium maximus, altissimus, fertilissimus, amœnissimus, pulcherrimus. Hinc patet cur Ecclesiasticus c. 39. 18. dixerit, *Quasi Libanus odorem suavitatis habete, florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam*, id est ad gratiam gratis et amœnis frondibus: *Et collaudate Dominum, et benedicite Dominum in operibus suis.* Item cur gloria Ecclesiæ decori vel odori Libani comparetur Isaiæ 60. 13. *Gloria Libani*, ait, *ad te veniet, abies et pinus et buxus.* Et cap. 35. 2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.* Et Osee 14. 7. *Germinabit sicut lilium, erumpet radix eius ut Libani, erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani.* Et Cant. 4. 8. *Veni de Libano sponsa mea.* Libani etymon.

OMNIS TERRA HETHÆORUM.) Id est Chananæorum. Est synecdoche. Ex una enim gente ceteras sex terram promissam incolentes intelligit, sicut alibi easdem vocat C Amorrhæos, qui ex hisce septem gentibus una tantum gens erat. Sic Genes. 27. ult. Rebecca non vult ut Iacob filius suus accipiat uxorem de filiabus Heth, sive Hethæam, id est Chananæam, uti explicatur cap. 28. vers. 1. ita Abulens. Hethæi qui?

Porro Hethæi progeniti et appellati sunt ab Hethæo, filio Chanaan, filii Cham, filii Noe, Genes. 10. 15. et incoluerunt locum, qui ab ipsis dictus est Heth in regione Hebronis. Unde ab Hethæis hisce Abraham emit speluncam duplicem in Heth ad sepeliendam Saram. Genes. 22. 26. Erant autem Hethæi viri fortes, bellicosi et formidabiles, ut et nomen ipsorum indicat. Hethæi enim Hebr. dicuntur חתים *Chittim*, id est conterentes et pavorem incutientes. Unde apud Hethæos erant gigantes terribiles dicti Enacim, incolæ Hebronis. Numer. 13. 34. Hethæus quoque erat Urias miles fortissimus, quem David occidit gladio filiorum Ammon, ut uxore eius potiretur. 2. Reg. 12. 9. Hethæos ergo hic præ ceteris gentibus D Chananæis nuncupat, quia hi ob robur suum erant formidabiles Iosue et Hebræis. q. d. Ne timeas Hethæos, licet giganteos et pugnacissimos: ego enim illos domabo, tibique subigam. Ita Masius.

USQUE AD MARE MAGNUM, etc. ERIT TERMINUS VESTER.) Nota Hi fuere ampli et vasti limites Chananææ a Deo Hebræis promissi, sed eos omnes reipsa non obtinuere Hebræi, partim ob suam ignaviam; partim quia Deum suis sceleribus offenderunt, seque eius promissis indignos reddiderunt, ut patebit Iudic. 2. vers. 20.

SICUT FUI CUM MOYSE, ITA ERO TECUM.) Te adiuvans, pro te pugnans, Chananæos percellens, tibique subigens, ac dividens, siccansque Iordanem, sicut Moses divisit siccavitque mare rubrum. Chald. vertit: *Sicut verbum meum fuit auxilio Mosi, sic erit verbum meum auxilio tibi.* Itaque passim ipse vertit, quando in Script. dicitur Deum mortalium rebus interesse, ad easve descendere, ut eis opituletur, idque facit ad insinuandam, ut videtur, generationem verbi a Patre æterno. Unde et Pa- Vers. 5.

tres, ut S. Iustin. dialog. contra Triphon. Tertul. lib. 2. contra Marcion. et alii quos in Genesi citavi, docent in Apparitionibus Dei quæ narrantur in veteri Testamento, semper apparuisse Filium, non Patrem, nec Spiritum sanctum, hoc est Angelum in illis apparentem gessisse personam Filii, ut significaret eum quandoque in terram descensurum, et carnem assumpturum ad salvandum homines.

Non dimittam, nec derelinquam te.) Nisi tu vel tui me prius derelinquant, uti dereliquit me Achan rapiens spolia e Ierichunte contra meum præceptum, ideoque vos dereliqui ad tempus, ac cædendos tradidi Chananæis incolentibus urbem Hai cap. 7. Porro quod Iosue, hoc omnibus fidelibus, iustisque Iesu Christi filiis promittitur. Unde Apostolus Hebr. 13. 5. *Sint mores*, ait, *sine avaritia, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram neque derelinquam.* Hinc etiam S. August. et Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. docent hunc esse stimulum iustis, *Ut magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant; Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.*

Vers. 6 Tu enim armis subiges, et subactam sorte divides populo huic terram.) Ut sis typus Iesu Christi, qui cælum aperuit, illudque electis suis distribuit.

Audi S. Chrysost. homil. 8. in Acta sub finem : *Educite,* inquit, *in bellum centum myriades, et unum sanctum; scimus quia plura operetur. Exiit Iesus Nave in bellum, et solus omnia operatus est strenue, et ita alii nihil proficiunt : multitudo quando voluntatem Domini non facit, nihil differt ab his, qui non sunt.* Et post pauca : *Vellem :* inquit, *ut multitudine ornetur Ecclesia; sed multitudine probata : si autem hoc fieri nequit, saltem pauci illi probati sint: non videtis quod melius sit habere unum lapidem pretiosum, quam mille obolos.*

Vers. 7. Confortare igitur, et esto robustus valde.) Hebr. מאד *meod*, id est nimis, hoc est valde, oportet enim pro lege et Deo ultra naturæ vires conari, ut legem Dei supernaturalem impleamus: quod ergo nimis est naturæ, hoc satis est gratiæ et charitati. Ingenti ergo et cælesti robore opus est, ut concupiscentias, tentationes, omniaque legi Dei adversantia vincamus, itaque totam Dei legem exequamur. Qua de causa ter hic repetit Deus τὸ *Confortare et esto robustus,* ut patet v. 6. 7. 9. ut indicet eum trino summoque robore sanctissimæ Trinitatis indigere.

Ut custodias mente, et facias opere, omnem legem quam præcepit tibi Moyses.) Intelligit legem generatim latam, datamque toti populo a Mose in Sina, quæ Deuteronomio ceterisque quatuor Pentateuchi libris continetur; non autem legem aliquam specialem Iosue traditam, ut patet vers. 8. Dicit tamen speciatim : *Quam præcepit tibi*, ut sciat Iosue legem communem sibi præcipue, ut duci esse impositam et commendatam a Deo, ac proinde illam sibi præ ceteris cordi et curæ esse debere, ut eam ipse primus servet, ac deinde ab aliis servandam curet, idque faciat non tam verbis et minis, quam vita et gestis, ut videlicet ipse dux populo animata et oculata sit lex, uti Cyrus ait apud Xenophontem.

Ne declines ab ea ad dexteram vel sinistram.) Primo, declinare ad dexteram, est addere aliquid legi, ad sinistram vero, est aliquid ab ea demere, aiunt Hebræi et Vatabl. Secundo, Serarius : declinare ad dexteram, inquit, est legem ob spes et commoda prævaricari; ad sinistram vero, ob metum et minas eandem transgredi.

Verum dico esse Hebraismum, qui non aliud significat quam recta legis via incedendum esse, ut ab ea neutram in partem quis declinet, si ad cælum pertingere velit; sicut viatores rectam regiamque viam tenent, ut ad terminum viæ perveniant, ne semitis vel diverticulis in speciem planioribus et brevioribus se ab ea abduci sinant, ne in avia abducantur, ac a termino aberrent, ut volentes tendere in Ierusalem eant in Iericho. Sic enim peccatores volentes pergere in cælum, a via legis aberrantes, in fine vitæ inveniunt se in gehenna et tartaro. Pro *ab ea* Hebr. est ממנו *mimmennu*, id est *ab eo*, quod scilicet lex præcipit : sed *mimmennu* ponitur pro ממנה *mimmenna*, id est, *ab ea*, scilicet תורה *thora*, hoc est lege. Est enallage generis.

Ut intelligas cuncta quæ agis.) Hebr. *Ut intelligas omnia in quibus incedis*, id est omnia quæ agis. Actiones enim et opera Hebr. vocantur viæ, quia per illas quasi per vias tendimus ad felicitatem, cælum et Deum : *Ut intelligas*, id est ut prudenter agas; hoc enim est Hebr. השכיל *haskil:* sic sæpe in Proverbiis prudentia vocatur intellectus, scientia, doctrina, sapientia practica, scilicet quæ hominem ducit ad salutem, ideoque beat.

Hinc patet Iosue a Deo electum in successorem Mosi: et ducem populi ob suam fidelitatem, probitatem et obedientiam, qua tum legi Dei, tum Mosi Domino suo obedierat. Unde S. Ephrem tract. de virtut. cap. 2. *Iesus*, ait, *filius Nave perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, ut Moysis successor fieret;* Nimirum qui bene suo superiori paret, rite aliis imperat, ideoque imperare meretur.

Non recedat volumen legis huius (Deuteronomii et Pentateuchi, quæ dedi Mosi) ab ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo.) q. d. Legem Dei assidue animo oreque versato: Hebr. enim הגה *haga*, significat meditari ita sæpe et fervide, ut ex fervida meditatione verba legis quasi susurrando in ore nascantur et ebulliant, utque illa populum tibi subditum doceas. Hinc illud *Os iusti meditabitur* (id est meditato vel ex meditatione) *loquetur sapientiam.* Innuit Principis esse populum docere legem Dei, uti fecit Moses in Deuteronomio, ac Iagello princeps Poloniæ, qui ore suo catechisando et concionando Polonos docuit fidem legemque Christi. Sane hæc pietas, et hoc legis studium Iosue ad tot tantasque victorias viam stravit, ut vere dixerit Rab. Simeon : *Exemplum legis fuit vexillum Iosue.* Vers. 8.

Diebus ac noctibus.) Scilicet per vices interpolatas, hoc est frequenter, diligenter, assidue : continuo enim et semper meditari in lege Dei homini in hac vita est impossibile, utpote qui dormire, comedere, laborare debet. Quare nimis stricte R. Ismael rogatus a sororis suæ filio, num post Mosen evolutum liceret sibi Græcorum scripta legere, respondit licere, dummodo id non faceret die vel nocte : Omne enim diei et noctis tempus dandum esse legi, iuxta hoc Dei præceptum.

Tunc diriges, Hebr. תצליח *tatsliach*, id est prosperabis, fortunabis, felicem facies viam tuam, id est vitæ tuæ actiones; et intelliges eam.) Hebr. תשכיל *taskil*, id est prudenter dispones eam, sive intelligens et prudens eris, uti dixi vers. 7. Nota hic iunctam esse prudentiam cum prosperitate et felicitate, quasi matrem cum filia : prudentia enim actiones prosperat sæpe in hac vita, et semper in futura; nam eas semper dirigit ad felicitatem æternam.

Noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.) Quis enim timeat Deo comite, imo duce? Quare hoc singulis imitandum est, ut satagant in omnibus quæ agunt et destinant, Deum habere studii operisque sui ducem, ideoque eius opem initio operis humili prece efflagitent, uti sæpe monui. *Si enim Deus pro nobis quis contra nos?* Roman. 8. Præclare S. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 1. *Vitam beatam efficiunt*, inquit, *tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentiæ.* Idem l. 2. de Iacob et vita beata cap. 6. *Perfecta*, ait, *virtus habet mentis tranquillitatem, et stabilitatem. Perfectorum est enim non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo, adversus insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare.* Vers. 9.

Præparate vobis cibaria.) Non manna; hoc enim quotidie cadebat a cælo, et quotidie colligendum erat, nec in alterum diem servari poterat : si enim servabatur putrescebat, Exodi 16. Sed pulmenta et carnes ex præda re- Vers. 11.

gnorum Og et Basan, v. g. oves et boves ibidem captos mactate, coquite, salite, et in vasa condite.

Hebræi cum manna comedebant carnes. Nota: adhuc pluebat Hebræis manna e cælo, nam manna defecit demum 15. die mensis, cum fruges novas Chananææ gustarunt, et possederunt Hebræi, ut patet c. 5. vers. 12. Hinc ergo patet Hebræos in deserto præter manna (quod multi gulosiores fastidiebant, præsertim cum per 38. annos assidue illud comedissent) aliis quoque cibis, ut carnibus, quibus deliciosa illa gens inhiabat, ut patet Numer. 11. 13. usos fuisse, quos manna velut pani quasi obsonium adhibebant. Id patet ex eo quod cibos hosce emerint a vicinis Idumæis et Moabitis. Audi Deum Deuter. 2. 6. *Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis:* Et vers. 27. Hebræi aiunt Sehon Regi petentes ab eo transitum: *Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via*, etc. *Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur.* Hinc et Deuter. 29. 6. non de carne, sed de pane dumtaxat et vino dicitur: *Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis.* Pientiores vero ex Hebræis, æque ac pauperiores in deserto ex solo manna vivebant, atque in eo gustabant carnes, pisces, ova, et quicquid gustare vellent, iuxta illud Sapient. 16. 20. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cælo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

Quoniam post diem tertium transibitis Iordanem.) Quæritur quomodo hoc sit verum? nam cap. sequenti Iosue misit exploratores in Iericho, qui præter tempus itus et reditus per triduum latuerunt in montanis, ut dicetur cap. sequent. vers. 22. quibus ad Iosue regressis, eius iussu Hebræi moverunt castra ad Iordanem, ibique hæserunt tres alios dies, ut patet cap. 3. 1. Unde ut minimum sex dies antecesserunt transitum Iordanis. Quomodo ergo dicitur: *post tertium diem?*

S. August. hic quæst. 1. putat Iosue tempus tridui hic præstituisse non ex revelatione et certitudine divina, sed ex spe humana; sperabat enim eo tempore transitum fieri posse, si exploratores cito revertissent; sed eis tardantibus et non redeuntibus, mutata fuisse Iosue consilia.

Verum facilior et commodior responsio est, si dicamus hic esse Hysteron proteron, missionemque exploratorum, adeoque totum caput secundum anteponendum esse huic præcepto Iosue: voluit enim Script. promptam obedientiam et executionem Iosue verbis iussuique Domini proxime subnectere; quomodo videlicet ipse mox totum populum ad transitum Iordanis a Domino præceptum et prædictum comparare se iusserit: ac deinde cap. secundo redit ad ea quæ præcesserunt, quibus scilicet Iosue transitum hunc particulari ratione præmunivit. Igitur hi tres dies, de quibus hic fit mentio, iidem sunt cum illis c. 3. vers. 1. ubi dicitur Iosue commoratus cum Hebræis apud Iordanem per tres dies, ac postero die transisse Iordanem. Ita Abulensis. Et sane hæc sententia novo duci Iosue maiorem conciliat auctoritatem et gratiam apud suos populares, quæ multum imminuta fuisset, si in primo ductu eum falsum, vel spe sua frustratum vidissent; ac melius respondet promissioni Dei hic vers. 9. et ceteris.

Hic ergo fuit rei gestæ ordo: Iosue peracto tricenario luctu mortis Mosis, die tertia mensis primi Nisan, id est Martii, excitatus roboratusque a Deo, capessit populi ducatum. Unde eodem die ex Setim, ubi degebat, mittit duos exploratores, qui explorent Iericho, quæ a Setim, teste Iosepho, distabat sexaginta stadiis, id est septem milliaribus Italicis, quæ faciunt duas leucas Gallicas cum dimidia. Milliare faciunt mille passus: Leuca est iter unius horæ. Exploratores in Iericho excepti a Rahab, proditi, et quæsiti ab incolis, a Rahab occulte dimissi latuerunt in montanis per triduum: quare reversi sunt ad Iosue sub finem diei sextæ eiusdem mensis Nisan; quibus auditis Iosue nocte proxime sequente movet castra ex Setim ad Iordanem, ubi tres dies commorans iubet populum parare cibaria, ceteraque ad transitum Iordanis; unde postero die qui fuit decimus Nisan, divisum a Deo Iordanem sicco pede cum Hebræis transit, ut patet toto cap. 3. et cap. 4. 19. sequenti vero undecimo Nisan, Iosue populum circumcidit in Galgalis, cap. 5. vers. 2. Mox 14. die ad vesperam ibidem celebrant Pascha cap. 5. v. 10. cumque iam fruges terræ sufficerent alendo populo, deficit manna ningere, ibidem vers. 12. die 15. Nisan, Iosue iussus a Deo circuit muros Iericho per septem dies, ac tandem die septimo, qui fuit 22. Nisan, clangentibus tubis corruunt muri Iericho. Hebræi eam ingressi succendunt, statuuntque æternum anathema, salvant Rahab, quam Salmon filius Nahasson princeps tribus Iuda sibi in uxorem adsciscit cap. 6. vers. 20. et sequent.

Mystice, S. August. serm. 106. de Temp. *Quid est aliud,* inquit, *dicere: parate vobis cibum ad diem tertium, nisi Trinitatis suscipite sacramentum? Post hæc Iordane transito, quasi Baptismi completo mysterio, populus Israel terram repromissionis ingreditur.*

Et Rupertus hic c. 8. censet hæc allegor. impleta esse in Iesu Christo, quando die tertia resurgens Apostolis dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* q. d. *Ego die tertia resurrexi a mortuis: idcirco vos in morte mea terna mersione baptizate in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quomodo ego surrexi a mortuis per gloriam Patris, ita et vos in novitate vitæ ambuletis.*

Et intrabitis ad possidendam terram.) Hebr. לרשת *larescet*, id est *ad hereditandum*, velut avita prædia et hereditatem suam, ut scilicet terram Chanaan a Deo vobis datam iure quasi hereditario possideatis. Addit S. August. serm. 105 de Temp. Deum reddidisse Hebræis Chananæam quasi iure debitam, eo quod illa, ut habet traditio, in divisione orbis obtigerit Sem filio Noe; sed eius posteros ex illa expulerunt Chananæi. Unde Hebræi ex Sem prognati rursus eam hic repetunt, quasi sibi ex proavo suo debitam.

Rubenitis quoque et Gaditis, et dimidiæ tribui Vers. 12.
Manasse, ait:) Hæ tres tribus petierant a Mose portionem terræ cis Iordanem sitæ, illamque ab eo obtinuerunt ea lege, ut ipsi cum ceteris tribubus pergerent trans Iordanem, easque armati præirent ad debellandam Chananæam reliquam, ut eam inter se ceteræ tribus dividerent. Promiserunt id tres tribus Mosi; Iosue ergo hic promissum ab eis reposcit. Vide dicta Numer. 32.

Mementote.) Hebr. זכיר *zachor*, id est *memento*, Vers. 13.
o trina tribus, vel *meminisse*, scilicet vos oportet. Est enallage, vel temporis vel numeri.

Et omnem terram.) Hanc scilicet cis Iordanem, in qua consistimus, quæ fuit Og et Sehon Regum Amorrhæorum, quam vobis Moses possidendam dedit.

Iumenta,) Pecora et pecudes. Hæc enim Hebr. vocant Vers. 14.
מקנה *micne*, Septuag. κτῆσις, id est possessio, opes, substantia, quæ olim consistebat fere in pecoribus.

Transite armati ante fratres vestros.) *Ante*, id est coram aliis tribubus, ait Masius. Simplicius alii *ante*, scilicet ut ceteras tribus præcedatis, ut vertit Noster cap. 4. vers. 12. Sic enim eis animum addetis ad invadendam et possidendam terram trans Iordanem, sicut vos eam iam possidetis cis Iordanem.

Omnes fortes manu.) Licet enim Moses ab omnibus viris harum trium tribuum, exegerit promissionem præcedendi ceteras tribus trans Iordanem; tamen permisit Iosue successori suo libertatem evocandi ex eis quos vellet, et quotquot forent utiles, vel necessarii. Iosue ergo ex eis fortiores dumtaxat evocavit, quia ceteris non indigebat, ac ceteri relinquendi erant domi, ad tutelam terræ cis Iordanem sitæ, ne a Chananæis aliisque vicinis invaderetur.

Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obedie- Vers. 17.
mus et tibi.) Patres horum sæpe rebelles fuerant Mosi, ideoque exclusi fuere terra promissa, ac mortui in deserto; filii vero eorum obedientiores fuere Mosi, ideoque in terram hanc inducti sunt. Aut certe id dixerunt illi, qui in cunctis obedierant Mosi; si alii idem dixerint, qui subinde Mosi rebellarant, mentiuntur quidem, sed fatentur tamen se in cunctis Mosi obedire debuisse ac simili

modo sese deinceps obedituros Iosue quasi novo duci spondent.

Tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.) Hæc vota sunt populi, fausta novo suo imperatori succlamantis, non vero conditiones imperii. q. d. quod ad nos attinet, obediemus tibi in omnibus: ceterum optamus ut Deus, qui te Mosis successorem delegit, omnia tua secundet, sicut cum Mose eum fecisse scimus. Ita factum. Unde Iosue Hebræis fuit quasi alter Moses.

Dux ergo et præses uni Deo nitatur, eique per orationem et pietatem, innocentiam, obedientiam sit gratus et familiaris. Audi Leonem Imper. aurea suo duci hac de re præcepta dantem in Tacticis, in Epilogo: *Primum, quicquid dicturus facturusve es, a Deo principium habeat, nihilque sine illius commemoratione ac deprecatione agatur. Cur enim non principium rerum agendarum a Deo capiendum sit, cum Deus Pater noster, factor, et inspector dictorum factorumque omnium, iudex cogitationum omnium notionumque cordis, nullaque creatura abdita co-* A *ram eo sit, sed omnia nudata et explicata ante oculos eius sint, quemadmodum divinissimus Paulus loquitur? Itaque præter sententiam eius nihil a nobis agendum est.*

Aliam deinde causam diviniorem subiicit: *Cognatio enim quædam nobis cum illo est, talisque affectus qualis erga patrem esse debet. Nam illius munere in lucem aspectumque venimus, pro illo et vivere et mori debemus, benignitate illius alimur, in ipso vivimus, movemur et sumus, tantum illi obedimus, quantum subiecti præfecto, servi Domino, magistratus regi: omnes illius sumus, qui omnium habet imperium, nobis per illum omnia subiecta sunt, tum animata, tum inanima, nos vero illum colimus: universa bestiarum natura a nobis gubernatur, nos vero ab illo pascimur principe pastorum, qui nostra causa nostram naturam induit.* Vide plura, quibus idem stabilit et inculcat, ac demum sua Tactica ita de Deo et cum Deo concludit: *Unde par est te Imperator supplici mente semper Deo preces adhibere, et in omnibus auctori salutis, pro iis quæ maxime salutaria sunt, supplicare.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue mittit exploratores in Iericho: illos excipit, abscondit, dirigitque Rahab: Ierichuntini rem odorati illos persequuntur: illi vers. 9. cum Rahab supplice pacti fidem silentii, eius domui salutem promittunt, eiusque signum dant funiculum coccineum. Dimissi ergo ab ea per funem fugiunt, v. 15. latentque in montibus tres dies, ac demum vers. 27. ad Iosue redeunt, narrant pavorem Ierichuntinorum, ac spondent de eis victoriam.

1. Misit igitur Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito: et dixit eis: Ite, et considerate Terram, urbemque Iericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam. 2. Nuntiatumque est regi Iericho, et dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent Terram. 3. Misitque Rex Iericho ad Rahab dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam: exploratores quippe sunt, et omnem Terram considerare venerunt. 4. Tollensque mulier viros, abscondit, et ait: Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent: 5. Cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt: persequimini cito, et comprehendetis eos. 6. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat. 7. Hi autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Iordanis: illisque egressis statim porta clausa est. 8. Necdum obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait: 9. Novi quod Dominus tradiderit vobis Terram: etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores Terræ. 10. Audivimus quod siccaverit Dominus aquas Maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto: et quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Iordanem, Sehon et Og, quos interfecistis. 11. Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum, et in terra deorsum. 12. Nunc ergo iurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei: detisque mihi verum signum, 13. Ut salvetis patrem meum, et matrem, fratres ac sorores meas, et omnia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras a morte. 14. Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos. Cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem. 15. Demisit ergo eos per funem de fenestra: domus enim eius hærebat muro. 16. Dixitque ad eos: Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram. 17. Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a iuramento hoc, quo adiurasti nos. 18. Si ingredientibus nobis Terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos: et patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam, congregaveris in domum tuam. 19. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius, et nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit. 20. Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento, quo adiurasti nos. 21. Et illa respondit, Sicut locuti estis, ita fiat. Dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra. 22. Illi vero ambulantes pervenenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti: quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos. 23. Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte: et, transmisso Iordane, venerunt ad Iosue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi. 24. Atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores eius.

Vers. 1. Misit igitur Iosue filius Nun (Septuag. *Nave*, sed corrupte: ex affinitate enim litteræ Græcæ ν cum η, pro νεν corruptum est ναυη) de Se- B tim duos viros exploratores.) Hæc verba nectenda sunt versui 9. cap. 1. ac ponenda ante vers. 10. Est enim hic hysteron proteron, ut ibi dixi. Iosue enim excitatus

*

et corroboratus a Deo ad invadendam Chananæam, illico id fecit, misitque exploratores in Iericho Iordani vicinam, ad eam primo subigendam. Quare: *Misit igitur*, hoc est *miserat igitur*, scilicet antequam iuberet Hebræos parare se ad transitum Iordanis post tres dies cap. 1. vers. 10. Ponitur enim præteritum perfectum pro plusquam perfecto.

Mystice S. August. serm. 106. de Temp. *Iesus*, ait, *duos exploratores mittit, quia verus Iesus daturus erat duo præcepta dilectionis. Quia et revera quid nobis aliud quos mittit verus Iesus nisi ut diligamus Deum, diligamus et proximum? Dixit ergo Iesus: Præparate vobis cibum, et estote parati ad diem tertium. Sicut enim tunc præparatis cibis die tertio ventum est ad Iordanem fluvium, ita et nunc in Ecclesia Catholica assumptis spiritualibus cibis fidei, spei et charitatis, pervenitur ad Trinitatis mysterium, et ad Baptismi sacramentum.*

De Setim.) Setim erat in campestribus Moab iuxta Iordanem et montem Nebo, ubi ante mensem mortuus erat Moses. Deuter. 34. In Setim fornicatus est populus cum filiabus Moab et Madian, ibique Phinees Israelitam cum Madianitide fornicantem pugione confodit. Num. 25. Ex hoc loco dictæ sunt arbores Setim, quarum ligna sunt omnium levissima, nitidissima et pulcherrima, et quæ putredinem non sentiunt: unde ex iis cunctæ tabulæ arcæ, tabernaculi et templi factæ sunt.

Duos.) Rabbini dicunt, vel potius fabulantur hos duos fuisse Phinees et Caleb; sed quis credat Phinees iam Pontificem a Deo designatum, et Caleb auctoritate et annis gravem, ad tantum periculum electos? Præsertim cum Septuag. Romæ correcti eos vocent νεανίσκους, id est iuvenes, et ita vocantur cap. 6. v. 23. in Hebræo.

In abscondito.) Hebr. חרש *Cheres*, id est tacite, occulte; ita Chald. tum ne eos incarcerarent et occiderent hostes Ierichuntini; tum ne id scirent sui Hebræi, qui uti ante 38. ob missos exploratores murmurarant; ita nunc rursum facile murmurare potuissent. Adde in rebus arduis, præsertim bellicis, summa expeditionis sæpe consistit in secreto arctissimo. Facile enim a civibus res secreta ad hostes emanat. Ita Caiet. Masius et Serarius.

Rabbini τὸ *cheres* interpretantur *mutum* vel *surdum* aut *figulum*, quasi iusserit Iosue exploratoribus ut se simularent surdos et mutos, utpote linguæ Chananæorum ignaros, vel ut alii figulos, quodque ferrent vasa fictilia, quasi ea venditurí in Iericho. Sed hæc sunt Rabbinorum commenta et fabulæ. Verisimilius dicerent eos simulasse se esse rusticos. Sic enim exploratores solent ut rustici, qui libere urbes ingrediuntur, incedere, ac machinationes suas simulatione rusticitatis obtegere. Nam radix חרש *charas* per *scin* significat non tantum tacere et obsurdescere, sed etiam arare et fabricare: חרש *cheres* vero per *sin* significat testam et vas fictile.

Considerate terram.) Non totam Chananæam, sed Iordani vicinam, quam proxime transito Iordane invadere destino; an scilicet munita sit, an incolæ sint bellicosi, an animati et parati ad prælium nobiscum ineundum, etc. Sic Leo Imper. suo belli duci ita præscribit in Tacticis cap. 13. num. 2. *Exploratoribus et speculatoribus sedulo hostium statum exquires, qui motus illorum, quanta multitudo, qualis acies: itaque te adversum eos præparabis, ut ne subito ac de improviso invadare ab illis.* Et cap. 20. num. 178. *Si quid clam hostes facere volueris, vel castra movere, vel aliquid aliud gerere, nulli hoc consilium, nisi uni alicui ex præfectis credas: Talibus enim temporibus permulti sunt, qui remunerandi cupiditate consilia tua hostibus prodituri sunt.* Eodemque cap. n. 216. *Quoniam venator bonus lupos et vulpes artificio venatur, sic et tu hostium speculatores solertia capies. Si enim extra vallum tuum custodias locaveris, deinde iusseris, ut unumquemque ignotum teneant et interrogent, neque dimittant priusquam præfecti nomen et contubernii unde sit, et tesseram eius contubernii commemoraverit, et eos qui hæc facere nequiverint exploraveris quinam sint, facile speculatores illorum invenies.*

Solerter quoque Vegetius lib. 3. de re milit. cap. ult. hunc exploratores deprehendendi modum suggerit: *Cum explorator hostium*, inquit, *latenter oberrat in castris, omnes per diem ad tentoria sua redire iubeantur, et statim deprehenditur explorator;* quia non habet tentorium.

Urbemque Iericho.) q. d. Præcipue et præ aliis locis lustrate urbem Iericho. Id iubet, quia Iericho in regione illa erat urbs primaria, Iordani vicinissima, et munitissima. Similes phrases sunt 3. Regum 11. 1. *Rex Salomon amavit mulieres alienigenas, et* (id est, sed præcipue) *filiam Pharaonis.* Psal. 17. 2. *Eripuit eum de manu hostium, et de manu Saul*, scilicet præcipui et acerrimi sui persecutoris. 2. Reg. 2. 30. *Defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaele*, omnium primario. Marci. 16. vers. 7. *Dicite, discipulis, et* (id est, præcipue) *Petro.*

Porro Iericho olim urbs fuit magna, populosa (unde et suum Regem habuit, ut patet vers. sequenti) sita in regione campestri et pinguissima. Ibi balsamum, qui est liquor odoratissimus, præstantissimum provenit, nusquam alibi. Abundat rosetis, cannis mellis, palmetis, unde et civitas palmarum appellata est: ut videatur fuisse mundi paradisus. Distat teste Iosepho lib. 5. belli cap. 4. a Iordane sexaginta stadiis, hoc est septem milliaribus Italicis cum dimidio, quæ leucas Gallicas unius horæ duas cum media efficiunt: distat a Ierusalem stadiis 150. hoc est milliaribus Italicis octodecim cum dimidio, quæ faciunt leucas Gallicas sex cum quadrante. In Iericho hospitatus est et habitavit Elisæus 4. Reg. 2. Ibidem Christus Zacchæum e Sycomoro vocavit. Lucæ 19. *Ierichuntis descriptio.*

Dicta est Iericho vel a ירח *iareach*, id est Luna, quod Lunæ nascentis formam habeat planities illa, quæ ambit Ierichuntem; ita Arias Montanus; vel a רוח *ravach*, id est dilatare, quod in latissimo sita sit campo; vel a ריח *reach*, id est odor, quod suavissimum balsami, mellis, rosarum, etc. expiret odorem. Ita Iosephus, Masius, Pagnin.

Symbolice: Iericho typus est mundi, qui instabilis est, et mutatur ut Luna; ac latissimus est, et odoratas delicias suis amatoribus exhibet, sed quæ illico instar odorum et vaporum evanescunt. Unde Iesus ex ea Zacchæum ad se advocavit, docens contemnere mundana, et ambire cælestia utpote præstantissima, et in æternum duratura. Ita S. Gregor. Rupert. et alii.

Qui pergentes, (vel natatu, vel vado, ut innuitur vers. 7. vel scapha Iordanem transmittentes) **ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab.**) Pro *meretricis* Hebr. est זונה *zona*, quod et cauponariam sive tabernariam, ut vertit Chald. et Rabbini, et meretricem significat. Meretricem hic vertunt Septuag. et cum talem eam nuncupet S. Paulus Hebr. 11. 30. fieri potest ut Rahab et cauponaria et meretrix fuerit. Sæpe enim feminæ marito carentes, quæ publicis hospitiis dant operam, fornicationis subeunt periculum, aut certe suspicionem: licet noster Serarius in Tobiæ 6. cap. 1. q. 3. multis contendat illo ævo non fuisse in usu cauponas, nec hospitia publica. Quare certum est Rahab meretricem fuisse, incertum an fuerit cauponaria. Prudenti sane consilio, Deique ductu exploratores hi domum Rahab adierunt, ubi occultissime latitarent, utpote portæ vicinam, et muro urbis adhærentem. Erat ergo illa eis ad quiescendum et latendum, æque ac ad effugiendum, si res posceret, opportunissima. Ita Arias, Vatabl. Masius, et alii.

Nomine Rahab.) *Rahab* Hebr. idem est quod *dilatatio*, vel *se dilatavit*, uti fecit hæc, cum nupta Salmon, Davidis Salomonis, Regum omnium, ipsiusque Christi effecta est mater, de quo paulo post plura. Porro Rahab hoc tempore fuisse inquit Torniellus 14. vel 15. annorum, æque ac eius maritum Salmonem: nam sub annum ætatis centesimum genuerunt Boos proavum Davidis, ut patebit in fine libri Ruth, sed hoc difficile est creditu, unde illud examinabo cap. 6. 25. Notat S. Hieron. in cap. 1. Matth. in genealogia Christi non nisi infidelitate, vel luxuria infames nominari feminas, scilicet Ruth, Thamar et Rahab,

ut qui, inquit, propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret. Ita quoque S. Ambros. Chrysost. Euthym. et alii.

Excepit Rahab exploratores Hebræorum, illuminata et impulsa a Deo, quasi divini consilii in Chananæa fideli populo subigenda procuratores. Intellexit enim Deum in hac re velle uti sua opera, ac proinde velle ut ipsa eos exciperet, absconderet et dirigeret: quare ipsa debuit parere Deo, et cives impios, patriamque suam Dei populo tradere, et ut ita dicam prodere; sicut Abraham debuit Deo iubenti immolare suum Isaac.

[Vers. 3.] MISITQUE REX IERICHO AD RAHAB.) *Rex*, id est regulus, Dux, princeps urbis Iericho. Tunc enim singulæ urbes suos habebant Reges, id est Rectores et Duces. Unde cap. 12. 9. triginta urbium triginta nominantur Reges, quos Iosue devicit. Rex ergo hos duos peregrinos censuit esse Hebræos et exploratores: pavidis enim tempore belli omnes sunt suspecti; suspicionem auxit peregrina illorum vestis, lingua et mores.

[Vers. 4.] TOLLENSQUE MULIER VIROS ABSCONDIT.) Ex Hebræo clare cum Vatablo sic vertas: *Acceperat autem mulier duos illos viros, et abdiderat illum*, (id est unumquemque illorum seorsim, ait Arias) abdiderat autem illos Rahab, antequam Regii nuntii eos quæsituri advenirent, cum audiit mussitare vicinos, duos illos peregrinos ad se divertentes esse exploratores, aut alio indicio, vel certe probabili suspicione coniecit, duorum horum ad se adventum Regi nuntiandum fore. Quare coniiciens delationem hanc, metuensque inquisitionem et scrutinium domus suæ, prudenter illud prævenit, et exploratores abscondit: ac forte regiis nuntiis ad scrutinium adventantibus, ipsa adhuc occultandis exploratoribus occupabatur, idque insinuat Noster dum vertit: *Tollensque mulier viros abscondit.*

Porro Rabbini quod est in Hebræo, *Abdidit illum*, in singulari, sic explicant, quod Rahab unum dumtaxat absconderit, scilicet Caleb; Phinees enim ei responderit: *Ego sum sacerdos: sacerdotes vero, quippe Angelorum similes, si volunt, aspectabiles sunt, si nolunt, cerni nequeunt:* Itaque solum Caleb, non vero Phinees a Rahab fuisse absconditum arbitrantur. Sed hæc Rabbinorum commenta, solita sunt fabulonum istorum figmenta. Probabilius Philo, non ille celebris, sed Biblicarum antiquitatum scriptor obscurus (Hebræus tamen) ait hos exploratores fuisse duos filios Caleb, scilicet Cenez et Seeniamian. Unde id habeat ignoro.

[Vers. 5.] NESCIO QUO ABIERUNT.) Mentitur vafra mulier. Calvinus hic ei id vitio tribuit, sed ita ut virtuti hospitalitatis admistum, ei non fuerit ad culpam imputatum. Sed hic est error in Deum blasphemus. Facit enim Deum quasi cæcum, qui sinat sibi obduci velarique oculos, ut vitium non videat; aut malorum Symmysten et socium, qui vitia non censeat esse vitia, neque ea vitio vertat. Fuit tamen mendacium hoc non perniciosum, sed officiosum, ideoque veniale, præsertim in femina rudi et pagana, quæ sibi persuadebat mendacium hoc casu esse licitum, imo honestum, utpote necessarium ad salvandos hospites. Nec id mirum; cum olim Plato, Origen. S. Hieron. Chrysost. Theodor. Theoph. Cassian. Aliique plures tam Christiani, quam Gentiles censuerint mendacium subinde esse licitum, illoque utendum esse quasi helleboro, uti ostendi in mendacio obstetricum Exodi 1. [Aliquorum veterum opinio de mendacio.]

[Abulensis opinio de Deo movente hominem ad peccatum veniale.] Porro Abulen. hic quæst. 30. censet Rahab a Deo motam fuisse ad peccatum veniale, scilicet ad mendacium hoc officiosum. Deus enim, inquit, potest movere hominem ad peccandum venialiter, propter magnum bonum, quod inde sequitur, et ne in maiora peccata incidat. Simili modo, inquit, si quis alterum quærat ad mortem iniustam, et alius simplici mendacio eius vitam conservare possit, debet conservare, et si mentiri recusaverit, alius iniuste peribit.

[Reprobatur.] Verum hæc sunt falsa et paradoxa. Deus enim nullius peccati potest esse auctor, cum sit summa puritas, veritas, et sanctitas. Rursum mentiri non licet, etiamsi inde totius mundi salus sequeretur. Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona, ait Apost. nec mendacium necessarium est ad salvandam alterius vitam; potest enim quis in tali casu uti amphibologia: et si necessarium esset, non tamen mentiri liceret, quia mendacium intrinsece malum et peccatum est, quod nullo casu facere licet.

Dices: Hoc mendacium erat in exitium suæ gentis, quam prodebat Hebræis hostibus; ergo erat perniciosum. Resp. mendacium hoc fuisse quidem damnosum Chananæis et Ierichuntinis; tamen quia Rahab Dei instinctu certo sciebat, illos ob sua scelera a Deo esse proscriptos et exitio addictos, adeoque Hebræis cum suis possessionibus deditos, non debuit illa, nec potuit nisi improbe patrocinari causæ iniustæ Ierichuntinorum, et causæ, belloque iusto et pio Hebræorum adversari, ac Deo ipsi reluctari. Quin vero ut Deo obediret, cordata admodum fide et pietate, mortis discrimini fortissime et sanctissime se obiecit, ut ab ea merito eam laudet Apostolus Hebr. 11. 31. et operibus hisce iustificatam esse asserat S. Iacobus c. 2. 25. Quare ipsa illuminata tactaque a Deo, a libidine sua per pœnitentiam et castitatis propositum ad Deum sese convertit, factaque est Hebræa et sancta, adeoque hoc generoso hospitalitatis actu; quo Hebræis ingressum in Chananæam patefecit, se nobilitavit, Hebræosque sibi adeo devinxit, ut ob hanc eius beneficentiam Salmon princeps tribus Iuda eam in coniugem acceperit, ex eaque prognati sint omnes Principes et Reges Iuda, ac tandem Christus ipse, ut patet Matth. 1. ubi ipsa nominatur, et præ aliis feminis ponitur in Genealogia Christi; quia videlicet fuit alienigena et meretrix, et quia de populo Dei optime merita. Licet enim esset alienigena, tamen iam conversa ad Iudaismum duci potuit in uxorem a Iudæo Principe. Talium enim connubia non vetantur Deuter. 7. v. 3. sed alienigenarum dumtaxat persistentium in idololatria, ut patet ibidem vers. 4.

Hebræi tradunt Rahab hac fide et pietate promeruisse, ut octo Prophetæ et Sacerdotes ex eius stirpe procrearentur, scilicet Ieremias, Helcias, Suraias, Maasias, Baruch filius Nerie, Hanameel, Sellum, Ezechiel et Huldam. Fuit Hanameel filius Sellum patruelis Ieremiæ. Rursum iidem numerant novem feminas gentiles, quæ maritis Hebræis nubentes, vel Hebræis adhærentes, ab iis conversæ fidelem magnamque sobolem procrearunt; scilicet Agar Ægyptiam uxorem Abrahæ, Aseneth uxorem Ioseph, Sephoram Madianitidem uxorem Mosis, Sephoram et Phuâm obstetrices, quæ infantes Hebræorum a cæde Pharaonis servarunt. Exodi 1. 15. Pharaonis filiam, Rahab, Ruth et Iahel. Porro S. August. lib. contra mendacium c. 15. *Quod scriptum est*, inquit, *Deum benefecisse cum Hebræis obstetricibus, et cum Rahab Ierichuntina meretrice, non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis.*

IN SOLARIUM.) Hebr. גג *gag*, id est tectum, ut vertit Chald. et Septuag. quod in Iudæa erat planum, ut in eo ambulare, cubare, sedere liceret. Vide dicta Deuter. 22. 8. Dictum solarium, quia soli expositum. Tropolog. Origen. homil. 3. in Iosue: *Hoc*, inquit, *susceptos eos in superioribus collocat, atque in editis et excelsis fidei constituit sacramentis. Nemo enim qui a Iesu mittitur, invenitur deorsum et humi iacens, sed in superioribus permanet.* [Vers. 6.]

OPERUITQUE EOS STIPULA LINI.) Hebr. *in linis ligni*, sed Hebræi lina ligni vocant lina lignea, sive quæ lignescunt, puta lina, quæ integra canna constant, quod Latine Latinus interpres clare expressit, vertens *stipula lini.* Nam ligni nomen Hebræi tribuunt etiam plantis, ut iunco, hyssopo, lino, quæ calamo suo sensim durescunt et lignescunt, ut patet 3. Reg. 4. 33. Temere ergo Masius hic carpit nostrum Interpretem. Illi enim favent Chald. et Iosephus, qui vertunt *lini fasciculos;* Et Pagnin. vertens *culmos lini*, et Tigur. vertens *cauliculos lini.* Hic versus explicat vers. 4.

Vers. 9 NOVI QUOD DOMINUS TRADIDERIT VOBIS TERRAM.) *Tradiderit*, id est tradere decreverit, assignarit, donarit, ac reipsa mox traditurus sit. Noverat hoc Rahab partim ex miraculis et portentis, quæ Deus pro Hebræis pugnans operatus erat, partim ex Dei ipsius instinctu et revelatione.

Quæres, qua lingua Rahab cum Hebræis exploratoribus collocuta sit? Resp. sua, id est Chananæa. Hanc enim calluisse videntur exploratores; imo hæc ipsa Hebraicæ erat affinis et vicina, ut patet ex nominibus, quibus Chananæi suas urbes et homines vocitarunt, qualia sunt Salem, Sichem, Ierícho, Cariatharbe, Bethlehem, Melchisedec, Adonisedec, Rahab, Abimelech, etc. Hæc enim Hebræa sunt. Pluribus id probat Serarius hic q. 25.

ELANGUERUNT.) Hebr. נמגו *namoggum*, id est instar ceræ *liquefacti sunt*, dissoluti et tabefacti sunt: pavor enim ingens liquat, enervat et dissolvit omne robur, omnesque animæ et corporis vires. Chald. *fracti sunt*. Vatabl. *Consternati sunt metu vestri*, hoc est panico terrore acti quasi colliquescunt. Septuag. vers. 11. vertunt ἐξεστημεν, id est obstupuimus, extatici facti sumus, extra nos rapti defecimus, emoti sumus e mente nostra. Pavor enim facit inopes consilii, emotæ mentis, et quasi amentes.

Vers. 10. QUOS INTERFECISTIS.) Hebr. החרמתם *hecheramthem*, id est anathema fecistis, anathematizastis. id est, velut anathema, id est hostiam Deo et iustitiæ vindictæque divinæ consecratam immolastis et occidistis. Vide dicta Levit. 27. 28.

Vers. 11. DOMINUS ENIM DEUS VESTER IPSE EST DEUS IN CÆLO SURSUM, ET IN TERRA DEORSUM.) q. d. Deus vester solus est Deus verus, qui cælum et terram æternis regit imperiis, et ubivis locorum operatur ea quæ voluerit. Hebr. enim est *Elohim*, quæ vox significat Deum qua gubernatorem rerum omnium. Sensus est q. d. Cum Deus verus pro vobis pugnet, nec Chananæi, nec quis alius illi vobisque obsistere poterit, aut vos possessione terræ huius arcere, uti sat arguit illis iniectus a Deo pavor, qui eos alioqui fortissimos, imbelles et enerves reddidit. Chald. vertit: *Et quod Dominus Deus vester sit Deus, cuius divinitas est in cælo supra, et dominatur super terram subter*. Hoc est quod ait Moses Deut. 33. 26. *Ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, et subter brachia sempiterna: eiiciet a facie tua inimicum, dicetque: Contere*; ubi plura hac de re dixi. Rahab ergo partim ex miraculis et prodigiis, partim ex Dei illustratione, cognovit idola Chananæorum esse deos falsos fictosque, solum autem Deum Hebræorum esse Deum verum (Hebr. enim est *Iehova*) ideoque in eum credidit, speravit, dilexit, ac pœnitens peccatorum suorum veniam ab eo flagitavit, itaque iustificata est, uti docet Apostolus Hebr. c. 11. 31. et Iacob. c. 2. 25.

Vers. 14. ANIMA NOSTRA SIT PRO VOBIS IN MORTEM.) Hoc est pereat anima nostra, id est, pereamus nos, Deus nos perdat, vel terra nobis dehiscat, si vobis Hebræi nocuerint. Iurant enim, uti petierat Rahab, iuramento execratorio, ut patet vers. 17. Sciebant enim id Iosue et Hebræos ratum habituros. imo illi pro tanto hospitalitatis, qua aditus in terram promissam pandebatur, officio, gratias acturos, ac maiora beneficia illi relaturos. Sciebant pariter legem Dei iubentis omnes Chananæos occidi, non intelligi de ea quæ tam amice Hebræos exceperat, eisque viam in Chananæam ad tot victorias aperuerat. Hoc enim eis epiikia dictabat. Chald. vertit: *Animæ nostræ traditæ sunt pro animabus vestris*. Clare Vatabl. *Animas nostras pro vobis morti devovemus præstituros nos beneficium et fidem tibi*; quod sic explicat. q. d. *Servabimus vos, etiam si nobis sit moriendum*. Sed prior explicatio est germanior.

FACIEMUS IN TE MISERICORDIAM ET VERITATEM.) *Veritatem*, id est æquitatem et fidelitatem, ut vertit Vatabl. officium scilicet officio reddendo, et fidem salutis quam tibi dedimus reipsa præstando. Est enim veritas iustitiæ, uti est loquelæ, ut bonum quod vere promisimus vere præstemus, de qua ait Ioannes in Evang. cap. 8. *Ille*

A (diabolus) *in veritate*, id est in fide et obedientia Deo promissa *non stetit*. Et in epist. 3. *In veritate ambulas*. Et alibi: *Dominus aspiciet veritatem*. Et: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*.

DEMISIT ERGO EOS PER FUNEM DE FENESTRA.) Sicut Paulus Damasci e fenestra demissus est in sporta, cuius hi exploratores fuere typus et figura. Actor. 9. 25. Vers. 15.

DOMUS ENIM EIUS HÆREBAT MURO.) Septuag. *Quoniam domus illius erat in muro, et in muro ipsa habitabat*. Quod Romæ quoque et alibi fit, ubi summa est pax: nam tempore belli id periculosum est: per domos enim muro hærentes exploratores, hostesque ipsi secure in urbem ingredi et egredi possunt.

AD MONTANA CONSCENDITE.) Quasi ad avia et semota. Mystice Origen. Apostolis, ait iussit Christus cælestia prædicare, quasi dicat: Nolite per valles incedere, humilia et deiecta refugite, excelsa et sublimia docete. Vers. 16.

INNOXII ERIMUS A IURAMENTO HOC QUO ADIURASTI Vers. 17.
B (ita iurare fecisti, sive ad quod nos adegisti. Ita Pagnin. et Vatabl.) NOS.

SI INGREDIENTIBUS NOBIS TERRAM, SIGNUM FUERIT Vers. 18.
FUNICULUS ISTE COCCINEUS.) Ita legunt Hebræa, Chald. Septuag. et Roman. sine negatione. Complut. tamen et alii legunt cum negatione: *Signum non fuerit*. Sensus ergo est. q. d. Innoxios nos præstabimus, fidemque nostram liberabimus ab hoc iuramento, quo iuravimus te tuosque servare, si funiculum istum alligaris ad fenestram, ut ex eo quasi signo domum tuam omnes Hebræi a ceteris internoscant, sciantque illam esse, quam servaturos nos iuravimus. Ita Vatab.

Verum quia Hebr. נקיים *nekiim*, id est innoxii, potius significat immunes, et obligatione iuramenti solutos, sive ut vulgo dicunt deobligatos, ut patet vers. 19. et 20. hinc ex Hebræo hic videtur esse sensus, q. d. iuramento nostro liberi solutique erimus, si duo quæ iure exigimus
C non servaveris. Exigimus enim primo, ut funiculum istum nobis pro signo des, tuam esse domum; Secundo, ut tuos cognatos omnes in tuam domum congreges, itaque sciamus esse tuos non alienos; si hæc duo non servaveris, iuramento nostro nos soluti erimus: Sin servaveris, eo obligatos nos censebimus, illudque sancte servabimus. Unde Complut. aliique ut dixi per negationem legunt: *Innoxii erimus*, etc. *si signum non fuerit funiculus iste*.

FUNICULUS (Hebr. funis) COCCINEUS:) *Iste*, scilicet qui hic se oculis nostris offert. Alii: *Iste*, scilicet quo nos per murum demisisti, ut idem funis crassior, quo exploratores e manu Chananæorum liberat, Rahab quoque eorum liberatricem de manu Hebræorum liberaret. Exploratores dant signum funis, quod petierat Rahab vers. 12. quodque antequam e muro demitterentur dare debuissent, sed id eis ob periculum turbatis animis tum non occurrebat, cum omnes ad periculi fugam per securam e fenestra demissionem toti intenderent.

COCCINEUS.) Dei providentia id factum, ut per eum, utpote rubeum Christi sanguis repræsentaretur. Unde S. Ambros. lib. 5. de fide cap. 5. censet Rahab hoc coccineo
D fune significare voluisse passionem Christi, cuius fide et meritis liberabatur a morte animæ et corporis. Audi eum lib. 5. de fide c. 4. sub finem: *Vidit hoc meretrix, et quæ in excidio civitatis remedia desperaret salutis, quia fides vicerat, signa fidei atque vexilla Dominicæ Passionis attollens, coccum in fenestra ligavit, ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura vernaret. Ita foris* IESU *nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus species Dominicæ Passionis periclitantibus ad salutem. Unde quia intellexit Rahab cæleste mysterium, dicit Dominus in Psalmo: Memor ero Rahab et Babylonis scientium me*.

Sic et S. August. in Psal. 86. *Memor ero*, inquit, *Rahab. Quæ est ista? Meretrix illa in Iericho, meretrix quæ suscepit nuntios, et alia via eiecit, quæ præsumpsit in promissione, quæ timuit Deum, cui dictum est ut per fenestram mitteret coccum, id est, ut in fronte haberet signum sanguinis Christi. Salvata est ibi, et Ecclesiam gentium significavit. Unde Dominus superbientibus Pha-*

risæis dixit: Amen dico vobis publicani et meretrices præcedunt vos in regno cælorum. Præcedunt, quia vim faciunt. Impellunt credendo, et ceditur fidei, nec obsistere potest quisquam, quia qui vim faciunt diripiunt illud. Sic et S. Hieron. epist. 2. ad Nepotian. multis docet coccinum esse symbolum sanguinis Christi, æque ac charitatis ignitæ, qua ardebat Rahab. Et Origen. hic homil. 4. sanguis Christi est signum redemptionis, inquit, in domo Rahab, id est in Ecclesia.

Et omnem cognationem tuam.) Puta non solum parentes, sed avunculos, materteras, patrueles, imo et affines, scilicet cognatorum uxores et cognatorum maritos; hi enim per uxores et maritos pertinebant ad Rahab, eiusque censebantur cognati. Negat hoc Abul. quæst. 55. eo quod vers. 13. Rahab solos fratres suos et sorores petierit liberari. Sed immerito, nam nomine fratrum et sororum nepotes et cognati apud Hebr. intelliguntur, quos enim ibi fratres vocavit, hic cognatos vocat.

Vers. 19. Sanguis ipsius erit in caput eius.) *Sanguis*, id est culpa sanguinis sui effusi in ipsummet recidet. q. d. ipse sua culpa peribit, non nostra, quia pacta non servavit.

Vers. 20. Mundi.) Id est liberi, et iuramenti obligatione soluti.

Vers. 21. Dimittensque.) Puta valedicens eis v. g. dicendo: *Ite in pace*, vel *Pax vobiscum:* iam enim funiculo eos per murum dimiserat: hic ergo dimissis valedicit.

Vers. 22. Pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies.) Non integros, sed dimidiatos vel inchoatos. Nam die tertio mensis Nisan, sive Martii, missi a Iosue lustrarunt Iericho, et hospitati sunt apud Rahab, sed cum illico eorum adventus nuntiatus esset regi, illeque eos inquiri iuberet, Rahab eadem nocte eos per murum demisit: Demissi et dimissi latuerunt in montanis ad tres dies, scilicet die quarta, quinta et sexta Nisan, sed inchoata; nam die sexto ad vesperam redierunt ad Iosue. Quare non videtur verum, quod scribit Iosephus: eos post ingressum suum in Iericho sequentem diem totum insumpsisse in explorando Iericho: sic enim proditi et capti fuissent, et satis ex Rahab intellexerunt metum statumque urbis, ut tanta lustratione non esset opus, præsertim in tanto periculo, omnium oculis in eos intentis. Nam ob viciniam Hebræorum omnes Ierichuntini erant consternati, et quasi exanimati, ut ait Rahab: quare urbem suam clauserunt et arctissime custodierunt, singulos ingredientes exacte inspiciendo et examinando, ac nominatim peregrinos, eorumque nomina ad regem deferendo, uti fieri solet, singulis diebus ad vesperam in urbibus, quæ vicinum hostem metuunt. Si quis nolit hisce temporis angustiis arctari, malitque tres dies integros latebrarum accipere, dicat exploratores a Iosue fuisse missos, venisseque in Iericho non tertio die Nisan, post expletos 30. dies luctus ob mortem Mosis: sed ante eos expletos die primo Nisan, ita ut secundo die Ierichuntem explorarint, tertio die redierint, latuerintque in montibus tres integros dies, ac die sexto reversi sint ad Iosue. Ita ex Lyrano et Masio Salianus.

Et timore prostrati.) Hebr. *Timore liquefacti*. Vide dicta vers. 9. Vers. 24.

Allegorice S. Augustin. Origen. Rupertus: Rahab, inquiunt, repræsentat Ecclesiam Gentium. Primo, quia sicut ipsa, ait Rupert. cap. 10. prius erat prostibulum dæmoniorum et lupanar idolorum, sed ex infideli et incesta per receptionem exploratorum Hebræorum facta est fidelis et casta; sic gentes idololatræ et impuræ per receptionem Apostolorum, factæ sunt Christianæ et sanctæ. Secundo, sicut Rahab per funiculum coccineum, sic Ecclesia per sanguinem Christi salvata est. Tertio, Rahab servavit omnes cognatos, itaque, ut videtur, omnes ad fidem et cultum veri Dei Hebræorum adduxit; unde et Rahab Hebr. idem est quod dilatatio: sic Ecclesia per omnes gentes se dilatavit: Quarto, extra domum Rahab omnes occisi sunt: sic extra Ecclesiam omnes pereunt, nullique salus conceditur. Quinto, Rahab iustificata est per fidem et hospitalitatem, sic et Ecclesia per fidem et charitatem.

Rahab typus Ecclesiæ. 1. 2. 3. 4. 5.

Tropol. Rahab est omnis peccatrix et pœnitens instar Magdalenæ, quæ per Iosue et exploratores, id est per Iesum et viros Apostolicos, ex luxuriosa fit casta et sancta, ideoque ab excidio gehennæ servatur, imo et alios servat, dum eisdem pœnitentiam et puritatem suo verbo et exemplo persuadet.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iordanem miraculose divisum, duce arca fœderis præeunte, sicco pede transeunt Hebræi.

1. Igitur Iosue de nocte consurgens movit castra; egredientesque de Setim, venerunt ad Iordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies. 2. Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium, 3. Et clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam: vos quoque consurgite, et sequimini præcedentes: 4. Sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium: ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam: et cavete ne appropinquetis ad arcam. 5. Dixitque Iosue ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. 6. Et ait ad sacerdotes: Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui iussa complentes, tulerunt, et ambulaverunt ante eos. 7. Dixitque Dominus ad Iosue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel: ut sciant, quod sicut cum Moyse fui, ita et tecum sim. 8. Tu autem præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, et dic eis: Cum ingressi fueritis partem aquæ Iordanis, state in ea. 9. Dixitque Iosue ad filios Israel: Accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri. 10. Et rursum: In hoc, inquit, scietis quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum et Hethæum, Hevæum et Pherezæum, Gergesæum quoque et Iebusæum, et Amorrhæum. 11. Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem. 12. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus. 13. Et cum posuerint vestigia pedum suorum, sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ, in aquis Iordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient: quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent. 14. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Iordanem. et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. 15. Ingressisque eis Iordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Iordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat). 16. Steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in Mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent. 17. Populus autem incedebat contra Iericho: et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Iordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.

Vers. 1. **I**GITUR IOSUE DE NOCTE CONSURGENS MOVIT CASTRA.) Scilicet finiente, puta in crepusculo matutino. Hebr. enim est: *Manicavit mane.* Ita Septuag. vel ut Chald. *in aurora.* Ita Noster quoque accipit noctem c. 6. v. 12. Non enim nox obscura, sed aurora lucifera apta est movendis castris et expeditionibus bellicis. Discat hic princeps et belli dux, non stertere in multam lucem, sed ante solem in aurora surgere, iuxta illud Homeri:

Ου δει παννυχιον ευδειν βουληφορον ανδρα

Non decet noctem totam dormire virum consiliarium.

Hebræi censent hanc noctem sive auroram fuisse nona die Nisan, sive Martii. Asserunt enim Mosen mortuum fuisse die septima Februarii, et die septima Martii sequentis, nempe sub finem triginta dierum luctus, Dominum allocutum Iosue, et eodem die promulgationem factam populo de parandis cibis: quinta vero die eiusdem mensis missos fuisse exploratores, et octavo die ipsos reversos: nona autem die filios Israel profectos a Setim venisse ad ripam Iordanis, ac decima die Iordanem transisse.

Verum aptior est ordo, si dicamus Mosen mortuum sub diem tertiam Februarii, inde post 30. dies luctus, sub diem tertiam Martii Deum excitasse Iosue ad Chananæam invadendam. Quare Iosue eodem die misisse exploratores, qui post triduum, die sexto Martii, ad vesperam redeuntes ad Iosue, illum animarunt ad Chananæos perculsos aggrediendum. Iosue ergo postero mane diei septimæ castra movit ad Iordanem, ac per præconem edixit, ut omnes pararent se ad transitum Iordanis, post tres dies futurum. Pararunt se ergo per dies tres, scilicet septimum, octavum et nonum, ac decimo die Iordanem transierunt, uti dixi c. 1. v. 11.

ET MORATI SUNT IBI TRES DIES.) Iam dictos parantes se ad transitum. Hæc verba non sunt in Hebr. Septuag. et Chald. hoc versu, sed sequenti, ex quo noster Interpres ea huc transtulit claritatis causa.

Vers. 2. QUIBUS EVOLUTIS.) Id est, ad finem tendentibus, puta sub vesperam diei nonæ.

Vers. 3. QUANDO VIDERITIS ARCAM FOEDERIS.) In qua Deus residebat super propitiatorium et Cherubim, indeque dabat oracula Exodi 25. 10. Deus ergo hic in arca residens præibat castra, et Iordanem divisit, ac populum sicco pede per eum traduxit.

ET SACERDOTES STIRPIS LEVITICÆ (ex Levi Patriarcha prognatos) PORTANTES EAM.) Licet enim in peregrinatione per desertum arcam portarent Levitæ, puta Caathitæ, uti iusserat Deus Num. 4. 15. tamen in re gravi et miraculosa portabant eam sacerdotes, uti hic ad findendum Iordanem, et c. 6. ad prosternendos muros Iericho, et ad inferendum eam cum maiestate in magnificum Salomonis templum recens ab eo ædificatum. 3. Regum 8. Perperam ergo Sigonius lib. 5. de Repub. Hebr. cap. 4. per sacerdotes stirpis Leviticæ hic intelligit Levitas. Minus recte quoque Chald. vertit *Sacerdotes et Levitas.*

VOS QUOQUE CONSURGITE ET SEQUIMINI PRÆCEDENTES.) Hebr. Chald. et Sept. *ibitis post eam,* scilicet arcam, sed arca portabatur a sacerdotibus: eos ergo sequendo sequebantur pariter arcam.

Vers. 4. SITQUE INTER VOS ET ARCAM SPATIUM CUBITORUM DUUM MILLIUM.) Seu pedum trium millium, qui efficiunt quinque stadia, hoc est medium milliare Italicum, et insuper 125. passus, quod est iter Sabbathi, ait Iosephus lib. 20. Antiq. c. 6. stadium enim est octava pars milliaris: milliare autem faciunt mille passus; quare quinque stadia continent 625. passus.

Cur post arcam bis mille cubitis? Resp. 1. 2.

Quæres: Cur tantum interstitium inter arcam et populum præcepit Deus? Resp. primo, religionis et reverentiæ causa: arca enim Deum repræsentabat; imo eum quasi gestabat qui iter in terram promissam Hebræis pandebat, ac quasi dux præibat. Secundo, ut omnes commodius arcam, et miraculum divisi per eam Iordanis eminus cum admiratione, exultatione, et gratiarum actione Deum glorificantes conspicerent, quomodo scilicet a sacerdotalibus pedibus aquæ diffugerent, exaresceret alveus, medias per undas via sterneretur, ait Serarius: atque ut ait

A S. August. quæst. 3. ne si tam grande populi agmen post arcam proximum pergeret, non eam omnes præeuntem viderent, neque nossent qua sequerentur. Utramque hanc causam assignat Iosue dum statim subdit: *Ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini,* etc. *Et cavete ne appropinquetis ad arcam.* Ex hoc autem præcepto factoque intelligendum relinquitur, quod columna illa nubis, quæ movendis castris solebat signum dare, illaque motu suo præire, iterque ostendere, iam evanuerat, nec amplius apparebat: alioqui enim ipsa more suo castra hic præivisset, non arca. Ita S. August. Abul. Hugo, Lyran. Caietan. Arias, Dion. et alii. Mystice in Iosue, id est Iesu Christi ducatu nulla est nubes, nulla caligo umbratica, sed aperta veritas, quam attulit arca fœderis, id est lex nova.

Columna nubis quæ solebat castra præcedere, evanuit.

Alias causas addit Masius, nimirum quod Alveus Iordanis esset duorum millium cubitorum, ut arca alveum hunc in adversa ripa egrederetur, cum Iudæi eundem in citima ripa ingrederentur. Verum Geographi terræ B sanctæ asserunt, Iordanem circiter triginta cubitos dumtaxat in latitudine continere.

Aliæ causæ.

Rursum, ut significaretur duo millia annorum effluxura ab hoc Iordanis transitu usque ad nativitatem Christi; sed errat in computu: nam fluxere tantum anni 1456. ut patet ex Tabula Chronographica, quam Genesi præfixi.

Porro R. Salomon censet hic duas fuisse arcas; scilicet arcam fœderis, et arcam continentem ossa Ioseph, eo quod Hebr. sit בינו *benau,* plurale; sed errat; tum quia in Hebræo legendum est alio puncto בינו *beno,* in singulari, id est *inter eam,* scilicet arcam, uti legit Noster, Septuag. et Chald. tum quia etiamsi legas *benau,* illud quidem est affixum nominis pluralis, sed significans rem singularem; alioqui enim dicendum fuisset ביניהם *benehem,* id est, *inter eas,* scilicet arcas, uti norunt Hebræi. Mystice arca significat humanitatem Christi a cuius præstantia et perfectione nos peccatores longissime distamus.

DIXITQUE IOSUE AD POPULUM: SANCTIFICAMINI.) Lotione vestium et secubitu. q. d. lavando vestes, et abstiC nendo ab uxoribus mundate vos, et religiose comparate ad traiectionem Iordanis tam admirabilem et divinam. Hæc enim sanctificatio, sive lustratio corporalis fuit rudis illius sæculi priscique populi, quæ typus fuit lustrationis spiritualis per contritionem et pœnitentiam a Christo inducendæ. Hinc eadem lustratio præcepta fuit Hebræis, cum eis Deus daturus esset legem in Sina. Exodi 19. 10. et cum prostraturus esset muros Iericho hic cap. 7. 13. et cum David a Samuele in Regem deligendus foret. 1. Regum 16. 5. et alibi. Interius vero *sanctificamini,* excitando firmam fidem, et spem obtinendi a Deo ea quæ ipse promiserat. Unde subdit: *Cras enim Dominus faciet mirabilia.* Vers. 5.

Disce hic continentiam et castitatem vocari sanctitatem, quia ipsa purificat animam et corpus. Hinc Apostolus ait 1. Thess. 4. 4. *Ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione.* Et 1. Corinth. 7. ait de Virgine: *Ut sit sancta corpoD re et spiritu.*

CRAS ENIM FACIET DOMINUS MIRABILIA.) Scilicet Iordanem dividet, siccabit, sistet, attollet, ut vos traducat. Loquitur Iosue æque ac Moses instinctu et iussu Dei, non ut princeps, sed ut Propheta, ac ut talis a Deo auctoratus imperat sacerdotibus res sacras vers. sequenti, ut scilicet arcam tali ritu transferant, quod ut merus princeps licite facere non potuisset. Nam, ut docet S. Ambros. epist. 13. ad Marcellinam sororem, Imperatori cura murorum, Episcopo cura sacrorum a Deo commissa est. Sed audi eum generose Valentiniano Imperatori, Ecclesiam pro Arrianis petenti intonantem: *Noli te gravare Imperator. ut putes te in ea quæ divina sunt imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est; non sacrorum.*

Iosue ut Propheta sacerdotibus imperat, non ut princeps.

Vers. 8. Cum ingressi fueritis partem aquæ Iordanis, state in ea.) Pro *partem*, Hebr. est קצה *katse*, id est finem, extremitatem, per quam Masius intelligit ulteriorem ripam. q. d. Cum transgressi fueritis Iordanem, consistite in eius extremitate iuxta adversam ripam, donec populus transeat, et seniores lapides e Iordane tollant, ponantque in monumentum huius transitus. Unde et Pagnin. vertit: *Cum veneritis ad finem aquæ Iorden, in Iarden stabitis.*

Serarius vero accipit citeriorem (hanc enim significat קץ *kets*, vers. 12.) ripam. q. d. Cum primum attigeritis aquas Iordanis, ibi subsistite, donec diviso Iordane sensim defluat aqua, ac relinquat alveum siccum, per quem transeatis ad adversam ripam, ut dicitur vers. 13.

Ego inter utrumque medius incedo, ac cum Serario citeriorem quidem ripam accipio, verum ita ut non in ea, sed in medio Iordanis subsistere sacerdotes iubeantur. Nam non in ripa, sed medio Iordanis constitisse sacerdotes, diserte asseritur v. ult. et c. 4. vers. 10, Hebr. enim *katse*, proprie significat sectionem et partem a toto præcisam; hæc enim iam est totius finis et extremitas, atque hac de causa Noster, et Sept. semper hic *katse* vertunt *partem*, nam radix קצה *katsa* significat præcidere, abscindere, detruncare, extrema succidere. Sensus ergo est. q. d. Cum veneritis ad *katse*, id est ad sectionem Iordanis, ubi scilicet Iordanis sectus iam finitur, atque utrimque sua extremitate iam secta terminatur, ingredimini hanc eius sectionem, sive partem iam sectam, atque in medio eius subsistite, tum ut populus fidenter transeat, videns arcam et sacerdotes in medio Iordane iam fisso siccoque intrepidos consistere, nec metuat aquarum post arcæ transitum in alveum suum reditum et revolutionem; tum ut ibidem lapides 12. erigantur, et alii 12. tollantur erigendi in Galgalis, ad monumentum perpetuum miraculosi huius transitus. Unde Hebr. ad verbum est: *Cum veneritis ad sectionem Iordanis, in Iordane* (medio) *subsistite.* Rationem dat noster Serarius: Congruum erat, inquit, ut arca eo loco subsisteret, ubi maximum erat periculum, ut tanto fidentius totus populus pertransiret. Si enim arca in alterutra ripa substitisset, vereri potuissent timidiores, ne salva arca, ipsi in medio alveo aquis in suum locum redeuntibus obruerentur.

In medio Iordanis stetit arca.

Hic igitur rei gestæ fuit ordo: Sacerdotes cum arca præcesserunt agmen populi per duo cubitorum millia versus Iordanem, cumque ipsi ad eum pervenissent, aquasque pedibus tangerent, illico aquæ quasi arcam, vel potius Deum in arca residentem venerantes fugerunt; Angelus enim eas illico dissecuit, alveumque siccavit: per eum ergo perrexere sacerdotes usque ad medium alvei iam siccati, ibique constiterunt, donec totus populus transiret, et lapides iam dicti tollerentur, et in monumentum erigerentur: populus enim per alveum tuto secureque transibat, non dubitans se fore ab aquis immunem, ubi ab iisdem immunes esse videbat sacerdotes et arcam.

Comparatio divisionis Iordanis et maris rubri.

Divisio ergo Iordanis facta per Iosue, partim similis fuit divisioni maris rubri factæ per Mosen Exodi 14. 22. ut ibi ostendi, partim dissimilis et maior. Nam primo, illa facta est per virgam Mosi super mare extensam. hæc vero per arcam Deum vehentem, quæ proinde nobilior erat virga Mosis.
1.
2. Secundo, ibi Angelus divisit mare sub initium noctis; sed ventus ab eodem inductus, illius iam divisi alveum tota nocte flando siccavit, ut sub auroram illud sicco pede transirent Hebræi: hic vero Angelus dividens Iordanem, illico eundem siccavit, præsertim quia
3. is exiguus erat et arenosus. Tertio, ibi aquæ maris ab Angelo divisæ, in montes quasi erectæ constiterunt immotæ, quia mare ipsum non fluit, sed in eodem loco immotum consistit: hic vero Iordanis fluens assidue aquas in Iordanem divisum defluebat: quare Angelus illas colligere, et in montes altiores erigere debebat, ne alveum iam siccatum invaderent et obruerent.

State in ea.) Intrepidi, quia Deum in arca præsentem habetis protectorem, ut hac animositate reliquum populum animetis, et corroboretis ad transitum: state ergo,

A quia vobiscum stat Deus.

In hoc scietis quod Dominus Deus vivens (Hebr. אל חי *el chai*, id est, *fortis vivens*,) in medio vestri est.) Qui scilicet vivus, agilis, vegetus, omnia vivificans, vegetans et roborans, divina sua industria, providentia et omnipotentia vos per Iordanem transvehet, traducetque illæsos, salvos et incolumes. Vers. 10.

Et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes, qui portant arcam Domini Dei universæ terræ in aquis Iordanis, aquæ quæ inferiores sunt decurrent, atque deficient. (Hebr. יכרתון *iiccaretun*, id est *excindentur*, hoc est ita defluent et deficient, ac si funditus excisæ essent) quæ autem desuper veniunt (de novo affluunt) in una mole consistent.) Hebr. *In uno acervo stabunt*, hoc est in unum acervum, et quasi montem sensim ex novæ semper aquæ affluxu crescentem, et intumescentem attollentur. Hinc patet sacerdotum pedibus quasi repulsas Iordanis aquas sese dissecuisse, ut iis aditum panderent. Sacerdotibus Vers. 13.

B autem hæc vis data fuit a Deo, propter arcam quam portabant: arca enim erat scabellum pedum Dei sedentis super Cherubim et propitiatorium, quod erat quasi operculum arcæ, super illam instar sedis et throni expansum, ita ut arca subiecta esset quasi scabellum pedum eius, iuxta illud: *Adorate scabellum pedum eius:* id est adorate et veneramini arcam. Psal. 98. vers. 5. Vide dicta Exodi 25. 10. ubi dixi arcam allegorice significasse humanitatem Christi, propitiatorium vero eius divinitatem: Symbolice vero arcam repræsentare B. Virginem et Sanctos. Hi enim sunt quasi arca Deum in se continens, ac proinde ab eis fugiunt aquæ tum deliciarum, tum tribulationum huius mundi.

Iordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat.) Hebr. *Tempore novarum frugum.* Erat enim tunc dies decimus mensis primi Nisan, qui partim Martio, partim Aprili respondet, quo in Palæstina, utpote regione calida maturescunt segetes aliquæ, præsertim hor- Vers. 15.

C deaceæ, adeoque tempus messis ibidem a Nisan incipere, patet Levit. 23. 10. Exodi 13. 4. Deut. 16. 1. Iosue 5. 11.

Ripas suas impleverat.) Septuag. *Iordanis autem implebatur secundum totam ripam suam.* Verum quia Hebr. על *al*, et *secundum* et *supra* significat; hinc secundo vertas: *Et Iordanis implebatur*, id est, *exundabat super omnes ripas suas*, uti vertit Masius et Vatabl. et ita vertit Noster 1. Paral. 12. 15. q. d. Iordanis tunc erat maximus, nec poterat capi alveo suo. Solet enim Iordanis tempore messis exundare, sive quod ea singularis fluminis istius sit natura, sive quod ut communis habet opinio, e montibus Iordani vicinis nives per æstum solis liquatæ, copiosam in eum aquam effundant. Ita Abulens. Masius, Arias. Idem accidere Tigri æque ac Nilo docet Eccles. c. 24. 35.

Tempus hoc exundationis Iordanis elegit Deus huic traiectui Hebræorum, ut tanto singularius esset beneficium, quanto admirabilius erat miraculum.

Steterunt aquæ descendentes in loco uno (Heb. Vers. 16.

D *in acervo uno.* Chald. *in utre uno.* Septuag. πῆγμα ἕν, id est, *concretio vel congelatio una.* Aquæ enim stabant quasi conglaciatæ instar montis crystallini) et ad instar montis intumescentes apparebant procul ab urbe quæ vocatur Adom (ita Hebr. Septuag. Roman. male ergo Complut. et alii legunt *Edom*) usque Sarthan.) Id est ab Adom (quæ *usque ad Sarthan*, scilicet pertingit et fines suos extendit) usque ad Bethbabara, ubi Hebræi Iordanem transibant. Nam Hebr. est *ab Adom vel in Adom* (Hebr. enim quædam legunt באדום *beadom*, id est in Adom, quædam מאדום *meadom*, id est ab Adom) *urbe, quæ est a latere vel ad latus Sarthan.* Sic et Septuag. in Regiis et Complut. Unde mirum est in Roman. pro *Sarthan* legi *Cariathiarim*, id est urbs sylvarum; nisi dicas ita dictam quoque fuisse Sarthan ob vicinas sylvas. Sensus ergo est, q. d. Aquæ Iordanis arcæ Dei præsentia repulsæ, cum continuo novæ affluerent, adeo intumuerunt et quasi in montem excreverunt, ut

mons ille in altum sublatus a loco traiectus, qui inde dictus est *Bethabara*, id est domus transitus, remote et procul apparuerit illorum locorum incolis usque ad urbem Adom ignobilem, sive usque ad locum Sarthan tam celebrem (Sarthan enim est ad latus urbis Adom) hoc est usque ad lacum Genesareth, sive mare Galilææ, quod et Tiberiadis dicitur, ut fuse probat hic Masius ex 3. Regum 4. 12. ubi Sarthan dicitur opposita esse Iezrahel, quæ vicina erat civitati Bethsan, sive Scytopoli: mare autem Galilææ terminabat Scytopolim.

Apparuit ergo hic aquarum mons ex Bethabara usque ad Sarthan et mare Galilææ, quod est spatium viginti leucarum sive horarum.

Imo ex Hebræo videtur hic esse sensus, quod aquæ hæ Iordanis intumescentes non tantum apparuerint, sed et continua serie intumuerint a Bethabara usque ad Sarthan, q. d. Aquæ Iordanis arcæ Dei aspectu repulsæ, cum assidue novæ affluerent, et hæ rursum mox ab Angelo retrorsum repellerentur, ipsa hac repulsa refluxerunt, atque hoc refluxu suo tam longo tractu intumuerunt, quantus est a Bethabara usque ad Sarthan, puta per viginti leucas, sive quantus fere est a mari mortuo, hoc est a lacu Asphaltite (iuxta illum enim est Bethabara) usque ad mare Tiberiadis. Unde Hebr. et Chald. habent: *Steterunt aquæ usque ad Sarthan:* Ita Masius. Nimirum Deus omnium opifex, qui terminum ponit aquis, easdem quovis muro adamantino fortius hic retinebat.

Minus recte Adrichom. hic fingit aliud Sarthan iuxta Bethabara, in quo scilicet Hebræi Iordanem traiecerunt, indeque mons ille aquarum Iordanis visus intumuerit usque ad Adom.

Symbol. Rupertus censet hic repræsentari spatium temporis, quo Hebræi possessuri erant terram promissam, scilicet a traiectu Iordanis sub Iosue in Bethabara, usque ad Adom et Sarthan, id est usque ad Titum et Romanos, qui eos ob occisum Iesum Christum mactarunt, afflixerunt, expulerunt; *Adom* enim Hebr. idem est quod *rubra*, *Sarthan* vero idem, quod *tribulatio eorum*.

Tropol. Fidelis a transitu Iordanis, id est a baptismo, debet intumescere, id est crescere in patientia et virtute usque ad *Adom*, id est effusionem sanguinis et martyrium, ac *Sarthan*, id est arctationem et tribulationem extremam. Cum ergo tribularis, o Christiane, animos sume ac dilata: nondum enim usque ad Adom, id est usque ad sanguinem restitisti, ut fecit Christus et Martyres. Cogita quanta passi sint S. Laurentius, S. Vincentius, S. Euphemia, S. Febronia, ceterique Martyres, et parum tibi videbitur quicquid pateris.

Quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (in lacum Asphaltitem, in quem conversa fuit Sodoma et Pentapolis post cæleste incendium) quod nunc vocatur mortuum (eo quod nullum animal vivum alat, sed omnia viventia in illud illata illico moriantur) descenderunt.) Iordanis enim recte labitur in hoc mare, eoque absorbetur et quasi evanescit.

Vers. 17. Populus autem incedebat contra Iericho.) (male nonnulli legunt *contra Iordanem:* nam *contra Iericho* habent Hebr. Chald. Septuag. et Roman.) Hic locus, in quo Hebræi sicco pede transierunt Iordanem a Deo divisum, Hebr. dictus est *Bethabara*, id est *domus*, hoc est locus *transitus*, ubi S. Ioannes Baptista baptizabat, ibique Christus ab eo baptizatus est Ioannis 1. 28. (vide ibi dicta) nimirum ut quo loco Baptismus primum isto Hebræorum traiectu fuerat adumbratus, eodem quoque primum perficeretur a Ioanne. Transitum enim Iordanis Baptismum præfigurasse docet S. August. serm. 106. de Temp. sicut enim Iosue Hebræos per Iordanem traduxit in terram promissam; sic Iesus suos fideles per baptismum traducit in cælum. Hinc et S. Hieron. in locis Hebr. litt. B. *Bethabara*, inquit, *ubi Ioannes in pœnitentiam baptizabat: unde et usque hodie plurimi de fratribus, hoc est de numero credentium ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur*, uti S. Basilius ex Cappadocia profectus est ad Iordanem, in eoque baptizatus.

Porro Arias pag. 265. censet *Bethabara* eundem esse locum cum *Bethbera* (de quo Iudic. 7. 24.) id est domus frumenti vel comestionis, id est locus fertilis ob aquarum Iordanis viciniam et irrigationem, unde iuxta illum Hebræi fruges terræ comederunt cessante manna. Iosue 5. vers. 11. et 12.

Et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Iordanis accincti.) Donec totus populus secure et sine metu transiret, ut ostenderetur populo miraculum hoc transitus fieri virtute Dei, qui Dominus et princeps erat fœderis (tabularum duarum Decalogi) arca contenti, cuius fœderis compos populus, non tantum pervio, sed et sicco omnino uteretur Iordanis alveo. Hoc est quod canit Psaltes Psalm. 114. vers. 7. *Quid est tibi mare quod fugisti, et tu Iordanis quia conversus es retrorsum: A facie Domini* (supra arcam residentis) *mota est terra, a facie Dei Iacob.*

Moral. Origen. hom. 4. *Sacerdotum ministerio*, inquit, *deducitur populus ad terram repromissionis. Et quis hodie in sacerdotibus tantus ac talis est, qui in illo ordine mereatur adscribi? Si enim sit aliquis talis, cedent ei flumina Iordanis, et ipsa elementa verebuntur; pars aquarum fluminis retrorsum resiliet; pars vero in mare salsum rapido cursu effugiet.* Et inferius: *Beati qui appropinquant arcæ, id est Deo: sed memento quod scriptum est: Qui approximant mihi, approximant igni pios illuminanti, impios adurenti.*

Accincti.) Hebr. הָכֵן *hachen*, id est *firmando*, scilicet se in eodem vestigio, hoc est firmiter, pede fixo. Chald. *fixi.* Aut *recte*, et sic uti cœperant. Ita Arias. Tigur. *de industria.* Septuag. Aquila et Symmach. *parate*, ad transeundum, Masius: *parando*, scilicet populo transitum: Licet enim *hachen*, sit verbum infinitivi Hiphil, tamen apud Hebræos hæc verba sæpe capiuntur pro adverbiis, ut patet Osee 5. vers. 2. et cap. 9. 9. Ionæ 4. 4. Isaiæ 31. 6. in Hebræo.

Omnisque populus per arentem alveum transibat.) Hebr. *Et omnis Israel transibat per aridum, usque dum absolvisset omnis populus transire Iordanem.* Sic et Septuag. Chald. Vatabl. Masius et alii.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iubet Iosue duodecim lapides erigi, tum intra, tum extra Iordanem, ad perpetuam transitus Hebræorum memoriam.

1. Quibus transgressis, dixit Dominus ad Iosue: 2. Elige duodecim viros singulos per singulas tribus: 3. Et præcipe eis, ut tollant de medio Iordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria. 4. Vocavitque Iosue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus, 5. Et ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei vestri

ad Iordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, iuxta numerum filiorum Israel, 6. Ut sit signum inter vos: et quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides? 7. Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in æternum. 8. Fecerunt ergo filii Israel sicut præcepit eis Iosue, portantes de medio Iordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, iuxta numerum filiorum Israel, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. 9. Alios quoque duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis: et sunt ibi usque in præsentem diem. 10. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Iordanis medio donec omnia complerentur, quæ Iosue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, et dixerat ei Moyses. Festinavitque populus, et transiit. 11. Cumque transissent omnes, transivit et arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum. 12. Filii quoque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israel, sicut eis præceperat Moyses: 13. Et quadraginta pugnatorum millia per turmas, et cuneos, incedebant per plana atque campestria urbis Iericho. 14. In die illo magnificavit Dominus Iosue coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret. 15. Dixitque ad eum: 16. Præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Iordane. 17. Qui præcepit eis, dicens: Ascendite de Iordane. 18. Cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant. 19. Populus autem ascendit de Iordane, decimo die mensis primi, et castrametati sunt in Galgalis contra Orientalem plagam urbis Iericho. 20. Duodecim quoque lapides, quos de Iordanis alveo sumpserant, posuit Iosue in Galgalis, 21. Et dixit ad filios Israel: Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti? 22. Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israel Iordanem istum, 23. Siccante Domino Deo vestro aquas eius in conspectu vestro, donec transiretis: 24. Sicut fecerat prius in mari rubro, quod siccavit donec transiremus: 25. Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

Vers. 3. PRÆCIPE EIS UT TOLLANT DE MEDIO IORDANIS ALVEO, UBI STETERUNT PEDES SACERDOTUM.) Non præcise ex loco pedum, sed ex loco vicino. Nam vers. 4. dicitur: *Ite ante arcam*, etc. *et portate inde singuli singulos lapides*, nimirum duodecim, ut significent duodecim tribus Israel iuxta eos Iordanem siccum transisse. Hebr. addunt הכין *hachen*, id est *firmando*, sive stato fixoque pede, ut dixi cap. 3. v. ult. Septuag. τὸ *hachen* referunt ad lapides. Unde vertunt *parietes*, scilicet *durissimos*, qui durent ad multa sæcula, ut Noster transtulit.

QUOS PONETIS IN LOCO CASTRORUM.) In Galgalis, ut patet vers. 19. et 20.

UT SIT SIGNUM.) Et trophæum victi a vobis vinctique quasi Iordanis, indeque totius Chananææ, quod scilicet 12. tribus Deo duce flumen hoc, indeque totam terram promissam miraculose superarint. Secundo, ut hoc sit signum easdem tribus a Deo conscriptas esse cives et incolas, adeoque heredes eiusdem terræ. Tertiam causam dat vers. 25. *Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Dei manum.* Quartam ibidem; *Ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore*, ac posteros vestros doceatis Deum timere, amare et colere, qui tanto prodigio vos in hanc terram induxit, et inductos conservabit, quamdiu in eius fide et cultu perstiteritis: quando autem ab eo defeceritis, ab ea expellet, uti illos expulit per Babylonios, ac deinde per Titum et Romanos. Disce hic quam rigide Deus exigat beneficiorum suorum memoriam, et gratos iis præmiet, ingratos iis privet et puniat.

CRAS,) id est deinceps futuris sæculis. Hebræi enim per *cras* significant tempus futurum, sicut per heri et nudiustertius præteritum. Est synecdoche et Catachresis.

Vers. 9. ALIOS QUOQUE DUODECIM LAPIDES POSUIT IOSUE IN MEDIO IORDANIS ALVEO.) Hinc patet hos lapides non fuisse positos in ulteriori ripa Iordanis, ut contendit Masius, sed in medio Iordane. Ita enim constanter vertit Noster et Septuag. Positi autem sunt iisdem de causis, quibus priores extra Iordanem in Galgalis, ut scilicet Dei gloria et rei gestæ veritas omnibus sæculis testata fieret, ac lapides hi ferientes assidue oculos Hebræorum, mentibus eorum Dei beneficentiam, omnipotentiam, timorem et reverentiam iugiter repræsentarent. Positi autem videntur Dei si non iussu, ut priores in Galgalis, certe instinctu, licet id Scrip. non exprimat. Poterant vero lapides isti esse monumentum, ac conspici notarique ab iis qui in ripa consisterent, præsertim decrescentibus aquis, quia erant lapides grandes, et Iordanis aquæ purissimæ maximeque perspicuæ esse perhibentur, ait Abul. et Arias.

A Denique non videntur lapides hi præcise in medio Iordanis collocati; ibi enim ægre videri potuissent, sed versus ripam, ubi conspici poterant. Nam τὸ *in medio* idem est quod sub medium, versus medium, non longe a medio.

Hos lapides designasse videtur S. Ioannes Baptista, dicens Matth. 3. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ioannes enim baptizabat in Bethabara, ubi Iordanem transierant Hebræi. Erant enim hi lapides figura gentium, ignorantia Dei et errorum fluctibus obrutarum; sed tandem de imo vitiorum et tenebrarum alveo ad Ecclesiam, et filiorum Dei gloriam, a Ioanne et Christo per baptismum suscitandarum. Ita Rupertus, Abul. Magalianes hic, ac Remigius, Anselm. et alii in cap. 3. Matth. et Pineda in Iob 1. ver. 1. n. 38.

Denique Caietan. opinatur hos 12. lapides in unum acervum fuisse congestos. Verisimilius. Abul. Serarius, et B Magalianes censent seorsim singulos fuisse erectos, ut innuit hic Script. idque ad repræsentandum 12. tribus Israel, quæ per Iordanis alveum sicco pede transierant.

Porro iussit Deus statui hoc monumentum divisi Iordanis, quia fuit opus admirabile et divinum. Celebrant historici Euphratis divisionem, quam primo fecit Semiramis; secundo, Cyrus; tertio, Alexander Magnus. Cyrus enim Babylonem expugnavit, Euphraten, qui eam interluit, in fossas plurimas derivando, ac per siccum Euphratis alveum in urbem milites immittendo, teste Herodoto lib. 1. et Xenophonte lib. 7. At quot mensibus in his fossis effodiendis laboratum est? quantis impendiis? a quot hominum millibus? Iosue vero Iordanem, inferendo dumtaxat in eum arcam fœderis, illico divisit, siccavitque, ac per eum tricies centena millia hominum, cum tot millenis gregibus ovium, boum, asinorum, camelorum, equorum, curruum, etc. paucis horis traduxit, ac eodem die cum o- C mnibus perrexit in Galgala; qui locus distat a Iordane quinquaginta stadiis, teste Iosepho lib. 5. Antiq. c. 1. hoc est sex milliaribus Italicis, id est sex millibus passuum, et insuper 250. passibus.

Simili modo Elias pallio suo percutiens Iordanem eum divisit, ac per divisum sicco pede transiit: idem fecit Eliseus 4. Reg. 2. 8. 14. Vide hic quanti Deus faciat suos fideles et sanctos, utpote qui in eorum gratiam flumina secet, et elementa cetera commutet. Simili modo sub finem mundi Angelus siccabit Euphraten, ut reges per eum transeant. Apocal. 16. 12.

Allegorice, transitum Iordanis apposite Origen. Rupert. et Theodor. ac S. Greg. hom. 26. in Evang. applicant Sacramento Baptismi et Pœnitentiæ, ac morti cuius-

*

que fidelis, de quo plura in fine capitis. Hinc et 12. lapides in Iordane positos 12. Patriarchas repræsentasse, alios vero in Galgalis locatos figuram gessisse 12. Apostolorum asserit Rupertus. Sic et S. August. serm. 106. de Tempor. qui et causam addit: *Post mortem enim Moysis sepultis Patriarchis Apostoli surrexerunt: sic et in Psalmo legimus: Pro patribus, inquit, tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Sic sepultis Patriarchis Apostoli nascuntur, quomodo sepulto seniore populo, iunior populus Iesu duce in terram repromissionis inducitur.*

Quin et Tertul. lib. 4. contra Marc. c. 13. *Deprehendo*, inquit, 12. *lapides ab Iesu de Iordane electos, et in arcam testamenti conditos. Totidem enim Apostoli portendebantur, proinde ut fontes et amnes, rigaturi aridum retro et desertum a notitia orbem nationum, sicut et per Isaiam: Ponam in terra inaquosa flumina. Proinde ut gemmæ illuminaturi sacram Ecclesiæ vestem, quam induit Christus Pontifex patris. Proinde ut et lapides solidi fide, quos de lavacro Iordanis Iesus verus elegit, et in sacrarum testamenti sui recepit.* Ubi adverte Tertul. lapsum videri memoria, cum ait, 12. hos lapides conditos in arcam testamenti: nil enim tale habet hic Iosue, imo hoc erat impossibile; arca enim parva tot tantosque lapides capere non poterat. Forte Tertul. per *in arcam* intellexit *ante arcam*, vel *coram arca*, licet hoc non sat respondeat eius antitypo de Apostolis, dum typum explicans subdit: per 12. lapides in arca significatum esse, 12. Apostolos in sacrarium Ecclesiæ a Christo fore recipiendos.

Vers. 10. SACERDOTES AUTEM QUI PORTABANT ARCAM STABANT IN IORDANIS MEDIO, DONEC OMNIA COMPLERENTUR, QUÆ IOSUE, UT LOQUERETUR AD POPULUM, PRÆCEPERAT DOMINUS, ET DIXERAT EI, MOYSES. FESTINAVITQUE POPULUS ET TRANSIIT.) *Quæ Iosue ut loqueretur ad populum præceperat Dominus*, scilicet ut tollerent 12. lapides, eosque secum deferrent in Galgala, in perpetuum transitus monumentum, utque secure transirent per Iordanem in terram promissam, memores se Deum habere in arca præsentem et ductorem. Videtur ergo Iosue Mosis imitatione et iussu, intra alveum Iordanis iuxta arcam et sacerdotes consistens, transeunti et circumfuso populo beneficii illius memoriam inculcasse, legisque et præceptorum Dei summam repetiisse, ac eorum custodiam acri exhortatione commendasse. Iosue enim quasi ducem præcessisse populum cum arca, patet Deuter. 3. vers. penult. ubi id ei Deus per Mosen præcepit, ac mox cap. 4. vers. 1. et sequ. mandata sua populo inculcat. Idem ergo hic videtur fecisse Iosue. Ita Arias et alii. Est autem hoc versu Anacephalæosis sive recapitulatio iam dictorum, sternens viam sequenti narrationi.

FESTINAVITQUE POPULUS ET TRANSIIT.) Tum quia omnes eodem die paucis horis transire debebant Iordanem, et pergere in Galgala, ipsamque Chananæam. Erat autem populi turba copiosa et quasi innumera; tum quia infirma erat eorum fides, et pro se quisque verebatur ne horribilem illum aquarum Iordanis montem a dextris extantem, et in aere quasi pendulum non sat cito effugeret. Festinabat ergo quilibet et alius alium prævertere conabatur.

Vers. 11. CUMQUE TRANSISSENT OMNES, TRANSIVIT ET ARCA DOMINI, SACERDOTESQUE PERGEBANT ANTE POPULUM.) Hæc fuit rei gestæ series et ordo. Sacerdotes cum arca præcesserunt populum per bis mille cubitos, primique ingressi Iordanem, deinde in medio eius constiterunt, ac populus iuxta arcam transiit; interim Iosue eum exhortante ad Dei cultum et obedientiam stetit arca, donec totus populus cum omnibus armentis et impedimentis transiret, ut eis fiduciam transeundi daret. Cumque omnis populus transisset, arca quoque reliquum Iordanis transiit, ac rursum tota Hebræorum agmina præivit per bis mille cubitos usque ad Galgala, ubi figenda erant castra, ut esset itineris dux, populi propugnatrix, et hostium terror. Ita Abul. Serarius et Salianus. Arcam sequebantur tribus Ruben, Gad, et dimidia Manasse, deinde ceteræ novem tribus. Arca ergo quæ prima transitum Iordanis cœperat, eoque fisso iter siccum patefecerat, ultima absolvit, rursumque populum præcedens illi se ducem præbuit, illi antelata velut solium regis Dei, vectaque humeris sacerdotum, quorum officium est exemplo suo aliis anteire. Audi Leonem Imper. in Tacticis duci belli in itineribus præcepta dantem cap. 9. num. 12. *Sin admodum lubrica et difficilia loca fuerint, teipsum oportet primum eo transire, deinde ibi consistere et commorari, donec omnes sine offensione transierint.* Et num. 13. *Hoc enim patrem nostrum Regem Basilium fecisse cognovimus, quando contra Germanicam Syriæ civitatem copias duxerat, et Paradisum fluvium anticiparat, qui lampadibus in medio constitutis, ipse sua ipsius præsentia atque ope universum exercitum facile et sine offensione traduxit, qui sæpe manum illis afflictis porrexerat, et quosdam ex periculis eripuit.*

Vers. 13. ET QUADRAGINTA PUGNATORUM MILLIA.) Τὸ *et* significat, *id est.* q. d. Ex Rubenitis, Gaditis et Manassenibus 40. millia præcesserunt castra Hebræorum in Chanaan. Unde Hebr. et Chald. carent τὸ *et;* sic enim habent. *Circiter* 40. *millia transierunt ante Dominum* (id est ante arcam, vel potius coram arca consistente in medio Iordanis. Chald. *Ante populum Domini*) *ad bellum versus campos Iericho.* Sic alibi quoque accipi τὸ *et* ostendi Levit. 6. 1.

Vers. 15. DIXITQUE AD EUM.) Scilicet Deus ad Iosue. Ex Hebræo clarius vertas cum Masio: *Dixerat enim*, vel *dixerat autem ad eum.* Est enim hic repetitio, sive enarratio clarior versus undecimi qui præcessit, ut quomodo in suum alveum revolutus sit Iordanis, apte recenseat, scilicet cum ultima arca, quæ suspenderat, suspensumque detinuerat Iordanem, donec populus transiret, Iordanem transiit, illico aquæ quasi officio suo circa arcam venerandam perfunctæ, in alveum suum redierunt.

Vers. 18. ET FLUEBANT SICUT ANTE CONSUEVERANT.) Hebr. addunt *per omnes ripas suas*, hoc est alveo pleno, imo exundante. Vide dicta cap 3. 15. Fluxit autem Iordanis uti prius, quia Deus molem illam aquarum in alto suspensam sensim demisit, ut per alveum suum deflueret suo cursu in mare mortuum, sive in lacum Asphaltitem. Nam si Deus totam aquarum molem simul laxasset, illa omnia longe lateque obruisset, quin et castra Hebræorum saltem ultima mersisset.

Vers. 19. POPULUS AUTEM ASCENDIT DE IORDANE DECIMO DIE MENSIS PRIMI.) Hinc patet Hebræos integros 40. annos peregrinatos fuisse in deserto, ac finiente anno quadragesimo transiisse Iordanem, et ingressos esse terram promissam, detractis quinque diebus. Exierunt enim ex Ægypto 15. die mensis primi, quo Pascha celebrarant, et agnum Paschalem immolarant; ingressi vero sunt terram promissam decimo die eiusdem mensis, eo quod ibidem circumcidi deberent ad celebrandum Pascha 15. die. Porro fallitur Torniellus, qui in Annal. scribit Hebræos transisse Iordanem nona die mensis primi, ac in ripa Iordanis pernoctasse, mox sequenti mane diei decimæ perrexisse in Galgala. Nam ascendere de Iordane hic idem est quod transire Iordanem, et pergere in Galgala. Utrumque ergo factum est eadem die decima, non nona mensis primi. Porro fuit hic annus a creatione mundi 2494. a diluvio 837. ab Abraham 543. quo Hebræi transmisso Iordane ingressi sunt Chananæam, uti dixi in fine procemii, iuxta chronotaxim quam Genesi præfixi.

CASTRAMETATI SUNT IN GALGALIS.) Id est in loco, qui postea dictus est Galgala. Est Prolepsis sive anticipatio; necdum enim huic loco inditum erat nomen Galgal, sed paulo post cap. 5.

Porro in Galgalis ob loci opportunitatem diutissime mansere Hebræorum castra, ibique depositi fixique sunt 12. lapides sublati e Iordane. Hinc patet lapides hos non fuisse positos in arca, uti ait Tertul lib. 4. contra Marcion. c. 12.

Minus recte quoque R. Levi censet eos iuxta arcam collocatos, cum eaque transferri solitos: depositi enim fixique sunt in Galgalis, ibique perpetuo manserunt, ut pa-

tet ex hoc versu, et ex versu 3. imo S Hieron. in Epitaphio Paulæ, asserit lapides hos a S. Paula visos in Galgalis. Quare falsum quoque videtur quod ait Iosephus, ex lapidibus hisce erectum fuisse altare, in eoque Iosue sacrificasse.

Vers. 23. SICCANTE DOMINO DEO VESTRO AQUAS.) Eas scilicet dividendo et suspendendo, ut siccus vobis ad transeundum maneret alveus : vel siccavit aquas Iordanis, id est siccavit Iordanem ipsum, alveumque Iordanis. Nam aquæ proprie non fuerunt siccatæ, sed pars defluxit, pars altera in altum erecta fuit, suspensaque.

Vers. 25. UT ET VOS TIMEATIS DOMINUM.) Id est, Deum quasi Dominum vestrum rerumque omnium agnoscatis, ametis, veneremini, omnique reverentia et studio colatis. Hoc enim est σεβησθε, ut vertunt Septuag. Recte enim advertit Masius timoris nomine omnem religionem et cultum, piumque affectum erga Deum significari in veteri Testamento. Erat enim lex illa vetus timoris, sicut nova est amoris; nimirum ut ille ait, *Primus in orbe Deus fecit timor*. Sic Levit. 19. 14. dicitur: *Non maledices surdo, sed timebis Dominum Deum tuum*, id est obedies Deo præcipienti ne maledicas surdo. Deuter. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies*, illum amando, reverendo, colendo, laudando, gratias agendo, etc. Deut. 10. 12. *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum? ut timeas*, id est, ut illum ames et colas. 1. Reg. 12. 14. *Si timueritis Dominum et servieritis ei.* Timet ergo Deum, qui illi debitam servitutem, id est latriam, obedientiam, cultumque omnem exhibet. Tobiæ 4. ult. *Multa bona habebis, si timueris*, id est colueris *Deum*. Psalm. 2. 11. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Psalm. 33. 10. *Timete Dominum omnes sancti eius*, timore non servili, sed filiali, sicut filii timent offendere parentes, ne eis displiceant, scilicet ex amore, non ex timore; *Quoniam non est inopia timentibus eum.* Psal. 118. 38. *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Ibidem vers. 120. *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui.*

Allegorice, sicut transitus prior Hebræorum, quo duce Mose transierunt mare rubrum, repræsentat Baptismum, in quo sanguine Christi candidamur a peccatis ante commissis, sic transitus posterior Hebræorum, quo duce Iosue transierunt Iordanem, figurat pœnitentiam eiusque sacramentum, quo abluimus peccata post Baptismum admissa. *Iordanis typus pœnitentiæ.*
1. Primo, Iordanis est fluvius populi fidelis, qui ad radices Libani oritur, crescitque ex confluxu duorum fluviorum scilicet Ior et Dan (unde Iordanis est dictus) indeque per amœnissimos campos labitur, ac tandem efficit lacum Genesareth, sive mare Galilææ, ex quo rursum egrediens fertur in mare mortuum, eoque absorbetur: quare Iordanis Iudæam et Iudæos disterminabat ab Arabibus, Moabitis, ceterisque Gentilibus. Sic Baptismus suscipitur ab infideli, eumque facit fidelem; pœnitentia vero suscipitur a fideli, eumque perficit facitque sanctum.
2. Secundo, sicut Hebræi post transitum Iordanis, celebrarunt Pascha; sic post pœnitentiam sumitur Eucharistia, in qua Christum quasi Agnum Paschalem manducamus.
3. Tertio, sicut per Iordanem Hebræi ingressi sunt terram promissam, sic per pœnitentiam ingredimur vitam sanctam, quæ nos ducit in cælum.
4. Quarto, *Iordanis*, Hebr. idem est quod *fluvius iudicii:* talis est pœnitentia, in qua pœnitens est accusator sui, et sacerdos iudex iuxta illud Pauli: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur: dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* 1. Corinth. 11. 31.
5. Quinto, per Iordanem ibatur in desertum, uti per eum in eremum ivit Ioannes Baptista pœnitentiæ dux et præco, ac Christus postquam baptizatus fuit a Ioanne, ivit in desertum, ibique ieiunavit 40. diebus orationi et contemplationi vacans. Sic S. Maria Ægyptiaca transito Iordane ivit in solitudinem, ibique in summa abstinentia, sanctitate et oratione vixit per 47. annos. Hinc ibidem frequentia magna extitit Monasteriorum, sanctorumque Monachorum, Ascetarum et Anachoretarum, quorum duces et primipili fuere Elias, Eliseus, et filii Prophetarum.
6. Sexto, sicut Iordanis hic a Deo actus intumuit, et conversus est retrorsum, sic pœnitens vitam commutat, ut qui prius terrena ambiebat, iam ambiat cælestia (uti explicat S. August. illud Psal. 113. *Iordanis conversus est retrorsum*) quæ reipsa, si perseveret, consequetur, ac tum dicet cum Iacob: *In baculo meo transivi Iordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior.* Genes. 32. 10.
7. Septimo, Naaman leprosus lavans septies in Iordane lepram abluit. 4. Reg. 5. sic peccator per pœnitentiam expurgat lepram peccati. Rursum hic adapta septem mirabilia Iordanis, quæ recensui Num. 34. 12.

8. Denique Iordanis fluvius nos tacite admonet omnia vitæ huius, tam prospera quam adversa fluere, et illico præterfluere: quare illa humiliter, hæc fortiter esse superanda, ut utraque generose calcantes in cælum contendamus, ac mentem in beata æternitate figamus; alioqui enim si fluxum Iordanis, id est huius mundi sequamur, illa nos secum vehet in mare mortuum, ubi fuit Sodoma, id est in Tartara. Rursum, sicut Hebræi transito Iordane cum Chananæis assidue bella gesserunt, donec iis expulsis terram possederunt; sic et nos post pœnitentiam et mutationem vitæ, assidue cum septem vitiis capitalibus confligamus oportet, donec quietem terræ, id est animæ nostræ hic in terris, ac tandem in cælis obtineamus.

Quocirca Origen. hic homil. 5. Transire Iordanem, inquit, est omnia implere, quæ mandantur in Evangelio, ut omnibus terrenis nudati ad terram viventium in cælis tendamus, ac præsertim servemus illa, quæ octo beatitudinibus continentur, scilicet: *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent*, etc. Hinc S. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 6. explicans illud Iob 40. *Et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius*, illud attribuit sanctis, quos diabolus devorare conatur: *Iordanis*, ait, *Hebræo vocabulo descensio eorum dicitur. Et sunt nonnulli qui viam veritatis appetentes, semetipsos abiiciunt, atque a vitæ veteris elatione descendunt: cumque æterna cupiunt, valde se ab hoc mundo alienos reddunt, dum non solum aliena non appetunt, sed etiam aliena derelinquunt, et non solum in eo gloriam non quærunt, sed hanc cum se obtulerit etiam contemnunt.* Claudat agmen S. Bernard. qui serm. ad milites templi c. 9. ait: *Quid in fluminibus isto* (Iordane) *eminentius, quod ipsa Trinitas sibi quadam evidenti præsentia dedicavit. Pater auditus, visus Spiritus sanctus, Filius est baptizatus*, Matth. 3.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Circumciduntur Hebræi in Galgalis. Mox vers. 10. celebrant Phase. Deficit manna, cum fruges terræ comederunt. Denique vers. 13. Angelus armatus apparens Iosue eum animat, iubetque ut solvat calceos, eo quod in terra sancta consistat.

1. POSTQUAM ergo audierunt omnes Reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentalem plagam, et cuncti Reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Iordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis

spiritus, timentium introitum filiorum Israel. 2. Eo tempore ait Dominus ad Iosue: Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel. 3. Fecit quod iusserat Dominus, et circumcidit filios Israel in colle præputiorum. 4. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis: Omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, 5. Qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto, 6. Per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit: donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante iuraverat ut non ostenderet eis Terram lacte et melle manantem. 7. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Iosue: quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. 8. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur. 9. Dixitque Dominus ad Iosue: Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem. 10. Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt Phase, quarta decima die mensis ad vesperum, in campestribus Iericho: 11. Et comederunt de frugibus Terræ die altero, azymos panes, et polentam eiusdem anni. 12. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus Terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni Terræ Chanaan. 13. Cum autem esset Iosue in agro urbis Iericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum? 14. Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. 15. Cecidit Iosue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? 16. Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Iosue ut sibi fuerat imperatum.

Vers. 1. REGES AMORRHÆORUM, etc. ET REGES CHANAAN.) Septuag. *et Reges Phœniciæ*. Sub his duobus populis omnes septem gentes habitantes in terra promissa intelliguntur per synecdochen, scilicet Hevæi, Iebusæi, Hethæi, Pherezæi et Gergezæi. Deuter. 7. 1. Porro Amorrhæi vocabantur, qui versus Iordanem habitabant; Chananæi, qui versus mare Mediterraneum, quos Septuag. hic vocant Phœnices, alibi passim vocantur Palæstini sive Philisthini: imo subinde non solum Philisthini, uti sunt Gazæi, Azotii, Accaronitæ, sed et omnes Iudæi et Idumæi vocantur Phœnices, uti ex Dion. Afro, et Strabone lib. 16. docet Masius. Hinc mulier quæ a Matthæo cap. 15. 22. vocatur Chananæa, a Marco vocatur Syrophœnissa. Et sane Tyrum et Sidonem, quæ erant Phœniciæ metropoles, olim ad Chananæam, sive ad terram Iudæis a Deo promissam pertinuisse omnes consentiunt, etsi Hebræi ob suam ignaviam numquam iis potiti sint. Pulchre et fuse idipsum confirmat hic Masius et Arias, et Pererius in Exodum pag. 186. in fine.

Chananæi vocantur Phœnices.

DISSOLUTUM EST COR EORUM, ET NON REMANSIT IN EIS SPIRITUS.) Est hyperbole q. d. ita Chananæi et ceteri, ob Hebræorum per Iordanem sicco pede transitum animo sunt perculsi, ac si vita et spiritus eos exanimes defecisset. Septuag. *Liquefactæ sunt mentes eorum, et consternati sunt, et non erat in eis prudentia ulla*, suggerens consilium conveniens ad resistendum Hebræis.

Porro cor vocata est ea pars animi, in qua fortitudo et constantia est posita: spiritus vero illa animi vis, qua sapimus, et quid agendum sit despicimus et deliberamus: nam corde liquescente et fatiscente, scilicet cum per metum labascit fortitudo, perturbari simul ac fatiscere sapiendi facultatem necessum est.

Vers. 2. EO TEMPORE AIT DOMINUS AD IOSUE: FAC TIBI CULTROS LAPIDEOS, ET CIRCUMCIDE SECUNDO FILIOS ISRAEL.) *Lapideos*, Septuag. *petrinos*. Masius, *saxeos*. Hebr. est צֻרִים *tsurim*, quod Chald. Caietan. Arias, Pagnin. et Vatabl. vertunt *acutos*. Alii *cote exacutos*. Melius Noster, Septuag. S. Augustin. Theod. Origen. Rupert. Masius et alii vertunt *lapideos*. Hebr. enim צור *tsur* passim petram, lapidem et saxum significat. Unde et *tsor* (indeque *Tor et Tyrus*) dicta est urbs illa potens Phœniciæ, eo quod in rupe maris esset ædificata, ideoque inexpugnabilis. Sic et Sephora uxor Mosis, cultro lapideo filios circumcidit. Exodi 4. Et multi censent Christum circumcisum fuisse cultro petrino.

Cur cultro lapideo circumcidi jusserit? Causa litteralis.

Quæres: Cur Iosue iusserit Hebræos circumcidi cultro petrino? Respond. literalis causa fuit, quam dat Theodor. quod eo loci petrarum erat copia, ferri vero et chalybis inopia. Versabantur enim Hebræi circa Arabiam, quæ a copia petrarum dicta est Petræa, ubi petras exacuunt instar ferri, ex eisque cultros faciunt acutissimos. Sic et alibi olim ferrum erat rarum, ideoque carum magnique pretii. Unde Lycurgus apud Spartanos monetam cudi iussit ex ferro, ut eius gravitate et pondere furta arceret, teste Plutarc. in eius vita. Et Catullus Atyn castratum scribit silice:

Devolvit, ait, *ipse acuto sibi pondera silice.*

Quin et Græcos olim silice calamos acuisse scribit Iulianus lib. 6. Epigr. *lapidem*, ait, *qui obtusam acuit genam calami*

Allegor. causa fuit, ut hi cultri petrini essent, typus et figura Christi, qui spiritualis est petra, et spirituali circumcisione non carnem a præputio, sed mentem a vitiis circumcidit, et corpus a morbis et morte circumcidet in colle præputiorum, id est in resurrectione mortuorum, ait Rupert. hic cap. 16. sic et Theod. quæst. 3. Origen. Procopius et alii. Allegor.

Porro S. August. ser. 141. de Temp. S. Bern. ser. 1. de Circumcis. et Magister sent. in 4. agens de circumcisione, censent circumcisionem debuisse fieri cultro lapideo, eo quod idipsum hic iubeat Deus: sed hoc preceptum soli Iosue datum est, non ceteris. Unde Genes. 17. 10. ubi circumcisionis institutio et præceptum a Deo sancitur, nulla lapidei cultri fit mentio. Quocirca etiamnum Iudæi se suosque circumcidunt cultro ferreo, non lapideo. Ita Abulen. Hugo Victor, S. Thomas, Lyran. et diserte S. Iustinus (qui fuit Iudæus puta Samaritanus) dial. contra Triphonem: *Prima*, ait, *illa vestra circumcisio olim fiebat ferro, et etiamnum fit, ideoque permanet in vobis cordis duritia; at nostra quæ est secunda, fit per acutos lapides, puta per Christum et Apostolos, qui vitia cordis circumcidunt.*

CIRCUMCIDE SECUNDO FILIOS ISRAEL.) Cur secundo? An semel circumcisi recrescente, vel attracto præputio (quod olim fecit Symmachus S. Script. Interpres, et alii a Iudæis ad Samaritas transfugientes, uti ostendi 1. Corinth. 7. vers. 18) secundo illud circumcidere iubentur? Minime gentium. Circumcisio secunda quæ?

Primo ergo Theodor. quæst. 3. et Masius putant hanc circumcisionem dici secundam, respectu primæ, quæ facta est ab Abraham, qui iussu Dei primus se cum tota familia circumcidit Genes. 17. Verum respectu Abrahæ hæc non secunda, sed plusquam decima, imo centesima erat circumcisio: nam post Abraham per 400. annos usque ad Mosen omnes eius posteri fuere circumcisi. Resp. I.

Secundo, Vatabl. secundam dici censet respectu primæ, quæ facta est a Mose, qui populum ex Ægypto eductum in Sina circumcidit. Sed de hac Mosis circumcisione nec Script. nec Philo, nec Iosephus, nec alius quis meminit. II.

Tertio, R. David Kimchi et Caiet. τὸ *secundo* interpretantur vicissim, sive per vices. q. d. Non simul omnes circumcide, ne circumcisi omnes langueant, sintque invalidi ad resistendum Chananæis; sed duabus vicibus eos III.

circumcide, ut dum hi circumciduntur, alii adhuc incircumcisi sint validi ad pugnandum cum Chananæis. Verum hoc remotum et alienum est.

4. genuine. Dico ergo cum S. August. hic quæst. 6. et Abulensi non iuberi hic eundem hominem secundo circumcidi, sed eundem populum, qui primo in parentibus suis circumcisus fuerat in Ægypto, idque nutu et hortatu Mosis, uti sentit Tertul. lib. contra Iudæos, R. Levi et alii: Idem vero populus secundo iubetur circumcidi in filiis, qui incircumcisi manserant per 40. annos, quibus peregrinati fuerant in deserto; hi ergo intermissam tot annis circumcisionem resumpserunt in Chanaan. Hunc genuinum esse sensum patet ex iis quæ sequuntur, præsertim v. 4. 5. et 6. Idem enim hic fuit populus, qui a Mose eductus ex Ægypto, et a Iosue inductus fuit in terram promissam, qui primo fuit circumcisus in Ægypto tempore Mosis, imo omnes necdum circumcisi, fuere circumcisi paulo ante exitum ex Ægypto. In exitu enim celebrarunt Phase, et comederunt Agnum Paschalem; hunc enim nemo comedere poterat nisi circumcisus. Exodi 12. Cessavit deinde populi circumcisio ob peregrinationem in deserto per 40. annos; finita vero hac peregrinatione, cum iam Israel ingressus esset in Chanaan, omnes eousque incircumcisi fuere a Iosue circumcisi; ideoque vocatur hæc secunda populi circumcisio. Ita Masius, Lyran. Pererius, Serarius, et alii.

Tropol. Tropol. Noster Iacobus Alvarez tract. de mortificatione. Prima, ait circumcisio in Ægypto facta externam mortificationem designat; secunda vero in transitu Iordanis effecta internam mortificationem significat, quæ merito fit in colle præputiorum, quoniam qui interiora mortificare audet, iam collem, id est aliquem gradum perfectionis ascendit. Harum prima exterior, si sola accipiatur nulla habita ratione secundæ, non multi momenti est, quippe quæ animum incircumcisum ac vitiis subiectum relinquit.

Vers. 3. Circumcidit eos in colle præputiorum,) id est in loco et colle ita dicto a circumcisione præputiorum ibidem fac a a Iosue sicut idem eadem causa dictus est Galgala v. 9.

Vers. 5. Qui omnes circumcisi erant.) Hinc verisimiliter a contrario nonnulli colligunt, aliorum qui circumcisi non erant, neque murmurando rebelles Deo fuerant, neminem in deserto mortuum esse; idque insinuat Psaltes, Ps. 105. vers. 37. et Moses Deuter. 29. 5.

Vers. 6. Populus autem qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit.) Quæritur qua de causa in deserto omissa fuit circumcisio, cum a Deo esset præcepta? Genes. 17.

Cur Hebræi incircumcisi in deserto? Resp. 1. Primo, Thalmudici Tract. de iure Leviri, et ex eis R. David hic asserunt per 40. annos, quibus Hebræi peregrinati sunt in deserto, non spirasse Aquilonem, sive Boream ventum nubibus inimicum, idque ne columnam nubis ducem itineris dissiparet. Atque hac de causa Hebræos abstinuisse a circumcisione, eo quod illum ventum sibi putent observandum, quod plagis medeatur. Verum hæc sunt fabulonum istorum commenta, imo meræ nugæ et nœniæ.

II. Secundo, Theodor. hic quæst. 2. S. Hieron. lib. 1. in Epist. ad Galat. Damasc. lib. 4. de fide c. 27. et alii hanc dant causam, quod in deserto populus Israel per se et loci natura sat distinctus, et separatus erat a ceteris gentibus, ideoque non opus erat eum circumcidi. Circumcisio enim ea de causa fuit instituta, ut per eam Israel distingueretur a ceteris. Hæc ratio congrua est, sed insufficiens. Nam et in Iudæa divisi erant Iudæi a ceteris gentibus, et tamen debebant circumcidi ob alios fines potiores, scilicet ob præceptum Dei, atque ut hac ratione nomen darent Synagogæ, fierentque filii Abrahæ et populus Dei, sicut nunc fit per baptismum.

III. Tertio, S. August. hic quæst. 6. censet omissam fuisse circumcisionem, per populi inobedientiam, quare illum eam omittendo peccasse; verum hoc peccatum in populo suo redarguisset Moses et Script. quod tamen nusquam facit.

A Quarto, Gabriel Vasquez in 3. p. disp. 164. cap. 2. suspicatur filios hosce mansisse in deserto incircumcisos ob culpam et murmur parentum: ob hoc enim Deum ipsos parentes punivisse morte, eorum vero filios incircumcisione. Idem hic suspicatur Masius et Perer. in cap. 17. Gen. Sed nil tale innuit Script. imo contrarium insinuat, scilicet Deum patribus rebellibus reiectos surrogasse filios, cum iisque novum fœdus (cuius symbolum erat circumcisio) pepigisse, eosque induxisse in terram promissam, a qua parentes ob rebellionem excluserat. IV.

Dico ergo vera omissæ in deserto circumcisionis causa fuit, quod Hebræi ab ea excusarentur per assiduam peregrinationem: quia in eo nullam stabilem certamque habebant quietem, sed quoties movebatur columna nubis viæ dux, toties eam sequi et castra movere debebant Hebræi. Hoc autem facere nequivissent, si eo die, vel paulo ante fuissent circumcisi. Circumcisio enim grave vulnus infligebat corpori acremque dolorem, ut nec pugnare nec ambulare posset, ut patet in Sichimitis, idcirco a B Simeone et Levi cæsis ad vindicandum Dinæ stuprum. Genes. 34. Quare ob crebrum incertumque motum castrorum Hebræi fuere excusati a circumcisione, ne per eam in vitæ periculum incurrerent. Ita Abulens. Lyran. Masius, Serarius, et S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. V. genuine.

In Chanaan vero, ubi figenda erat sedes, circumcisi fuere, mox in ipso eius ingressu, puta in Galgalis; idque primo, quia lex erat conditio fœderis inter Deum et Abraham eiusque posteros initi de danda eis Chananæa: legis autem inchoatio et quasi ianua erat circumcisio, uti Christianismi est Baptismus: per circumcisionem ergo eos capessere terram promissam par erat. Secundo, quia paulo post, scilicet 14. die mensis ad vesperam iussu Dei comedendus erat Agnus Paschalis vers. 10. hunc autem nemini comedere fas erat, nisi prius circumciso, itaque in familiam Abrahæ et Synagogam Israelis cooptato. Tertio. quia in ipso limine Chananææ, Resp. Hebræorum tum civilis, tum sacra statim instituenda erat, ac consequenter C omnes leges Dei etiam ceremoniales (inter quas prima erat circumcisio) et iudiciales ab Hebræis erant observandæ. Unde statim celebrarunt Phase, ut sancte et religiose auspicarentur possessionem terræ promissæ. Decimo ergo die mensis primi Nisan transiere Iordanem, et castra fixerunt in Galgalis, ac sequenti die undecimo ibidem circumcisi ob plagam vulneris quievere tres dies, atque quarto demum die, qui fuit 14. Nisan, ad vesperam celebravere Pascha.

Moraliter discant hic fundatores et gubernatores Rerumpubl. suum regimen ordiri a Deo eiusque lege et cultu, uti orditur hic Iosue: Deus enim propitiatus illud secundabit. Discat et quisque fidelis sua officia et actiones inchoare cum Deo, et a Deo, iuxta illud: *A Deo incipe.*

Porro mendose hic et Num. 14. 33. Septuag. pro 40. annis peregrinationis deserti habent 42. annos. Constat enim præcise tantum fuisse 40. Rursum mendose habent μαϐδαριτιδι pro quo per Metathesin litteræ δ cum β legendum μαδβαριτιδι, quod nomen ex Hebr. מדבר *midbar*, D id est desertum mutuati ad Græcum idiotismum inflexerunt. Eremum ergo madbaritidem vocant eremum Hebræorum, sive quam Hebræi vocitarunt suum *midbar*, id est desertum.

Denique potuit hæc populi circumcisio uno die, scilicet undecimo Nisan peragi, quia circumcidere poterat quivis circumcisus, etiamsi non esset sacerdos vel Levita, sed laicus: unus autem poterat per diem multos circumcidere. Circumcisi autem tunc erant et superstites vivebant, qui circumcisi egressi fuerant ex Ægypto, cum necdum attigissent annum vigesimum: qui enim eum attigerant, hi omnes ob murmur mortui sunt in deserto. Rursum qui primi die undecimo hic circumcidebantur, hi mox alios plures circumcidere poterant.

Ut ostenderet eis terram lacte et melle manantem.) Corrige cum Roman. Hebr. et Septuag. *Ut non ostenderet.* Iuraverat enim Deus se omnes murmuratores occisurum in deserto. Numer. 13.

Vers. 9. HODIE ABSTULI OPPROBRIUM ÆGYPTI A VOBIS, quia A hodie a vita et moribus incircumcisorum per circumcisionem in gentem, Synagogam, legem et religionem meam sanctam transtuli. Idcirco VOCATUM EST NOMEN LOCI ILLIUS GALGALA.) Id est *amotio*, scilicet præputii, et consequenter opprobrii Ægyptiorum : גלל *galal* enim significat volvere, devolvere, removere, auferre : a *galal* geminata prima syllaba fit *gilgal* et *galgala*. Unde hic locus dictus est *Gilgal, Galgal, Galgala*, a S. Hieron. *Golgal*, quæ olim fuit civitas inclyta in recto itinere a Iordane in Iericho ; a Iordane distans stadiis quinquaginta, a Iericho decem : in Galgalis Saul a Samuele unctus est in primum Regem. 1. Regum 7. 10. Ibidem fixi sunt 12. lapides, testes transitus Hebræorum per Iordanem divisum. In Galgala quoque versatus fuit Eliseus Propheta. 4. Reg. 4. 38. Rursum S. Hieron. Beda et Lyran. *Galgala* vertunt *rotam, revolutionem, circulationem*. Unde a *galal* et *gilgal* formatum est *gulgolet*, et Chald. *gulgolta*, indeque *Golgotha*, id est Calvaria sive cranium, ita dictum a convolutione, quia rotundum. Hinc mons Calvariæ, ita B dictus a craniis reorum ibi plexorum, in quo crucifixus est Christus. Quare Iosephus *Galgala* interpretans *libertatem*, consulere voluit pudori Hebræorum more suo, ac Vespasiani et Romanorum auribus blandiri, si non adulari.

Galgala unde dicta?

Et Golgotha.

Trop. Orig. hom. 5. *Si*, inquit, *post remissionem* (quasi circumcisionem) *peccatorum, ultra non pecces, vere ablatum est a te opprobrium Ægypti. Si vero iterum peccaveris, iterum in te vetera revolvuntur opprobria, idque eo magis, quo multo maioris criminis est filium Dei conculcare, et sanguinem testamenti pollutum ducere, quam legem Moysi negligere.* Ægyptii enim tempore Iosue erant incircumcisi, gentiles, idolis et vitiis addicti. Postea tamen circumcisionem acceptarunt, ut docet Ierem. cap. 9. vers. ult. vide ibi dicta. Illam eos acceptasse nonnulli autumant tempore Salomonis, cum is duxit uxorem filiam Pharaonis Regis Ægypti, 3. Reg. 10.

Rursum, noster Alvarez tract. de mortificatione, opprobrium accipit active; quo scilicet Ægyptii Hebræis ex Ægypto exeuntibus improperabant illos ire ad famem et mortem, q. d. certe vidistis quia siccato Iordane in hanc regionem transivistis, et terram vobis promissam occupastis, et in ea tanquam in terra vobis pacifica circumcisi estis, et per tres dies sine ullo timore donec sanaremini quievistis; non ergo ad mortem eduxi vos ex Ægypto, ut vestri oppressores dicebant, sed ut liberi et securi viveretis. Ita et a nobis spiritalem circumcisionem, id est mortificationem colentibus, mundi opprobrium auferetur ; quia mundani videbunt nos per abnegationem nullo modo vitam perdidisse, sed vitam carnalem et Deo invisam pro vita spiritali et Deo grata commutasse.

Vers. 10. ET FECERUNT PHASE QUARTADECIMA DIE MENSIS (primi Nisan) AD VESPERUM.) Ob causas datas vers. 6. fuit hoc tertium Pascha Hebræorum. Primum enim celebrarunt pridie quam egrederentur ex Ægypto Exodi 12. Secundum anno sequenti, post acceptam legem, et erectum Tabernaculum in Sina. Numer. 9. 2. Tertium hic. Alleg. Iosue hic novum primumque in terra sancta Pascha cele- D brans, repræsentat Iesum Christum novum Pascha, id est Eucharistiam in ultima cœna instituentem.

Vers. 11. ET COMEDERUNT DE FRUGIBUS (de frumento) TERRÆ DIE ALTERO AZYMOS PANES, ET POLENTAM EIUSDEM ANNI.) *De frugibus*, sive hornis et præteriti anni, ut vult R. David et Vatab. eoque alludit vox Hebr. עבור *abur*, a rad. עבר *abar*, id est transivit, præteriit, sive potius novis præsentis anni, uti exprimunt Septuag. Porro Hebr. *abur*, et Chald. *ibbura*, quaslibet fruges significat anni tam præsentis, quam præteriti. Ita Masius.

DIE ALTERO.) Hebr. *crastino Paschæ*, id est postridie primæ diei azymorum, puta secundo die azymorum, sive die 16. mensis Nisan ; illo enim primum Deo offerre debebant manipulum spicarum, antequam vescerentur frugibus præsentis anni, iuxta legem Levit. 23. 14.

R. David vero per crastinum Paschæ accipit primum diem azymorum, sive 15. Nisan. Pridie enim illius, puta 14. ad vesperam comederunt Agnum Paschalem. Ipse enim ut dixi fruges accipit hornas, id est anni præteriti, quibus vesci licebat ante oblatum manipulum spicarum die secundo azymorum ; hic enim offerebatur quasi primitiæ novarum frugum anni præsentis, non præteriti.

POLENTAM.) Hebr. קלוי *kalui*, id est tostas fruges. Vide Levit. 2. 14.

DEFECIT MANNA.) Scilicet pluere vel ningere e cælo. Vers. 12. Deus enim qui Hebræis ob alimenti inopiam manna fuerat largitus, oblata alterius cibi copia manna subtraxit, perinde ut aves afferunt cibum pullis in nido dum teneri sunt, at cum crescendo validiores facti sibi sufficere possunt, eos sibi relinquunt, ut sibi annonam parent: Deus enim uti non deest in necessariis, sic nec redundat in superfluis.

Manna defecit cur?

Illustre exemplum est apud Theodor. in Philotheo c. 10. Theodosius Abbas, inquit instar Mosis orans, et virga petram percutiens, ex ea fontem aquæ perennis elicuit, qui monasterium a se in loco arido ædificatum irrigaret. Hic fons extructo postea in monasterio lavacro exaruit, sed eo destructo rursus fluere cœpit, quasi necessitati succurrens, et cum ea cessante cessans.

Tropol. qui voluptates terræ ambiunt et gustant, privantur cælestibus : Deus enim spiritum orationis et contemplationis in deserto manentibus tribuit, carnis nimirum voluptates et sæculi ambitionem relinquentibus, et ab illis qui corde in sæculum redeunt abscondit. Hi paulatim ex spiritualibus carnales fiunt, et huius mannæ suavitatem gustare desinunt: illi vero quotidie magis puri et spirituales evadunt : gustato enim spiritu desipit omnis caro. Et vice versa, cui sapit caro, huic desipit spiritus. Audi S. Bernard. epist. 3. ad Fulconem: *Quomodo ignis et aqua simul esse non possunt ; sic spirituales et carnales deliciæ in eodem se non patiuntur. Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus ; vina sua dulciora super mel et favum menti propinare non dignatur. Ubi curiosa ciborum diversitas, ubi divitis supellectilis discolor varietas oculos pariter pascit et ventrem, cælestis panis* C *ieiunam deserit mentem.* Idem serm. 6. de Ascens. *Errat omnino*, inquit, *si quis cælestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitretur.* Audi et S. Hieron. Epist. 34. ad Iulianum: *Difficile, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut hic ventrem et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut in cælo et terra appareat gloriosus.*

Tropol.

Anagogice Rupertus hic cap. 17. manna, ait, terrestre, Anagog. id est Eucharistia deficiet, cum fruges solidas cæli nobis exhibebit Christus. Ibi enim ipse seipso, quasi pane vitæ nos pascet, et quasi vino divino inebriabit, iuxta illud : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psal. 35. 9.

Audi Rupertus. *Pascimur mente legendo vel audiendo verbum Dei, pascimur et ore manducando de mensa Domini panem vitæ æternæ, et bibendo calicem salutis perpetuæ. At ubi venerimus ad illam terram viventium, in illam beatam Sion, ubi in sua specie videbitur Deus deorum, neque verbo doctrinæ indigebimus, neque in istis speciebus panis et vini, sed in propria substantia videndo panem Angelorum manducabimus. Igitur postquam comederunt terræ fruges defecit manna, quia videlicet postquam venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Allegorice manna defecit, id est bona legis veteris de- Allegor. fecerunt, cum IESUS eis substituit Eucharistiam, qui vere est panis Angelorum, et manna cælorum. Ita Nyssenus in vita Mosis.

CUM AUTEM ESSET IOSUE IN AGRO URBIS IERICHO.) Vers. 13. Hebr. *Cum esset in Iericho*, id est in ditione vel agro urbis Iericho, nisi malis propositionem *in* pro *apud* per Enallagen Hebræis usitatam sumi. Simile est cap. 10. 10.

Sive ergo ex Galgalis Iosue castra moverit in agrum Iericho, sive castris manentibus in Galgalis (Galgala enim a Iericho tantum decem stadiis, id est vix media leuca

distabant) Iosue dux pervigil de Ierichunte primo obvia excidenda sollicitus, deque excidii ejus ratione et modo consilia animo versans, Deumque orans, in agrum Ierichuntis exierit, aut etiam locum oppugnandæ urbi opportunum speculatum iverit; ibidem hæc ei obiecta est visio, quæ illi ad rem peragendam animos adderet: Ita dum magna sanctaque animo machinamur, Deus se consiliis nostris insinuat, viresque et modos ea exequendi demonstrat.

Vidit virum stantem contra se.) Hebr. כנגדו *chenegdo*, id est coram se, e regione, et ex adverso sui. Erat hic Angelus specie גבור *ghebir*, id est, viri. Unde nonnulli eum Gabrielem fuisse putant.

Evaginatum tenentem gladium.) Instar præliantis, ideoque galea quoque, thorace et baltheo accinctus, uti opinatur Serarius. Solet Deus vel Angelus congruam personæ et rei de qua agitur, et ob quam apparet, formam, speciemque et habitum assumere. Strictus ergo fulminansque gladius in viri fortis manu, Dei potentiam et vindictam repræsentat Iosue quasi militi ducique suo assistere, eique præsentem et paratam esse ad bellum tam cruentum contra Ierichuntem conficiendum. Ita Rupert. Sic Christus apparuit Magdalenæ in horto ut hortulanus, duobus discipulis peregrinantibus ut peregrinus, Stephano stanti certantique stans. Act. 7. 55.

Perrexitque ad eum.) Septuag. *Aggressus est eum.* Nota hic intrepidos Iosue animos, quibus solus solo armato occurrit, iisque verbis salutat, quæ plane aut duellum aut amicitiam decernant.

Et ait ei: Noster es, an adversariorum?) Putant aliqui Iosue putasse virum hunc esse hominem, non Angelum, eique dixisse: Ex nostrisne es an ex Chananæis? Unde Angelus subiicit:

Vers. 14. Nequaquam.) Non sum vester, vel ex vestris castris egressus, neque ex adversariorum, sed sum Angelus Dei. Ita Abulens. Serarius et alii. Ex adverso videtur Iosue ex tam augusta viri forma cognovisse, vel certe suspicatus esse eum esse Angelum tutelarem vel Hebræorum, vel Chananæorum, ideoque rogasse: *Noster es, an adversariorum?* Ita Origen. hic hom. 4. qui ait Iosue dubitasse an bonus, an malus esset hic Angelus. Sic et S. Gregor. Arias Montanus et alii. Favet Chald. qui vertit: *Opitulatum nobis venisti, an hostibus nostris?*

Porro a Iosue Angelum quidem cognitum fuisse, et an ipse custos esset amicorum, an hostium, internoscere voluisse, Iobius Monachus apud Photium in sua Bibliotheca cum multis aliis, in hunc fere modum scribit. Multa enim Iosue docebant neque aliquem esse hunc ex hostili acie, ac neque ex proprio exercitu, ut quod subito astitisset, quod nemo adversariorum auderet vel per medias hostium copias transire, vel in conspectum Imperatoris venire; quin et quod tanta usus audacia, nihil omnino hostile fecisset; alioqui nec sapientissimi Imperatoris erat ignorare, qualis contribulium esset habitus atque apparatus, qnalis item alienigenarum. Verum noverat quidem Iosue visum illud, unum intelligentium spirituum esse; sed hoc cognoscere avebat, utrum quod apparuisset ex hostibus esset, an de illo exercitu qui protegebat Israel.

Tropol. Simili modo cum instinctibus et impulsibus animæ agendum, rogandumque: *Nostri estis an adversariorum?* ut si ab Angelo bono immittantur, admittantur; si a malo, repellantur.

Hinc et S. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 22. ait Iosue timuisse hic illusionem diaboli: Ipse enim *Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* 2. Corinth. 11. *Hanc transfigurationem,* inquit, *Iosue timuit, quando videns Angelum, cuius esset partis inquisivit dicens: Noster es an adversariorum? ut videlicet si adversæ virtutis esset, eo ipso quo se suspectum cognosceret, ab illusione resiliret.*

Idem habet B. Petrus Damiani lib. 2. epist. 7. quæ ordine est 28.

Moral. S. Antonius apud S. Athanasium ex hoc dicto factoque Iosue docebat, nos idem facere debere in quovis timore, tentatione, horrore, præsertim cum spectra vel phantasmata nos percellunt, ut audacter ea invadamus, rogemusque qui sint, et unde veniant? Hac enim audacia metum omnem et dolos diaboli discutiemus. Audi S. Antonium: *Cum aliqua se vobis obtulerit visio, audacter requirite, quis sit ille, et unde venerit, ac sine mora si sanctorum fuerit revelatio, angelica consolatione timor vertetur in gaudium. Si vero diaboli fuerit tentatio, fidelis animæ percunctationibus evanescit: quia maximum est securitatis indicium, interrogare quisnam est et unde? Sic et Nave filius auxiliatorem suum interrogando cognovit: nec Danielem percunctantem latere potuit inimicus.*

Qui respondit: Nequaquam (sum adversariorum) sed sum princeps exercitus Domini.) Tam cælestis (q. d. sum princeps omnium Angelorum) quam terrestris, puta fidelis populi sive Israelitarum, hoc est: Ego sum Michael, qui præsum Ecclesiæ tam Angelicæ in cælis triumphanti, quam vestræ hic in Chananæa militanti. Ita Theod. Lyran. Abul. qui addit hunc Angelum fuisse eundem cum illo, qui castra Hebræorum in columna nubis quasi dux viæ præibat; et alii passim. Nam Michael Daniel. 10. vocatur Princeps gentis Iudæorum, et confligit cum Angelo Persarum, ut Iudæos fideles e captivitate Babylonica liberet. Vide ibi dicta. Audi nostrum Franciscum Suarez tract. de Angelis lib. 6. cap. 19. num. 22. *Hinc nonnulli putant illum Angelum fuisse Michaelem, qui princeps populi Israel dicitur, Daniel.* 10. *Abul. vero qu.* 71. *credit fuisse Gabrielem, qui etiam curam habebat populi Iudaici, ut ex Daniele c.* 8. 9. *et* 10 *constat: et fortasse Michael habebat superiorem curam, et Gabriel propriam totius exercitus bellatorum. In quo sensu etiam probatur inde, dari Angelos custodes exercituum, præsertim fidelium, et qui causam Dei agunt. Quod etiam confirmari potest ex illo. Psal.* 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Quo etiam testimonio ad hoc Patres communiter utuntur.* Hucusque Suarez.

Michael ergo fuit olim præses synagogæ Iudæorum, sicut nunc est præses Ecclesiæ Christianorum, ac ut talis ab ea invocatur, ut eam contra dæmones, contra infideles, et quoslibet impios tueatur et propugnet. Sic quælibet regna et Provinciæ suum habent Angelum præsidem, æque ac singuli exercitus fidelium, uti habuit Iudas Machabæus Angelum equitem in veste candida hastam auream vibrantem, qui castra præibat. 2. Machab. 11. 8. et Ezechias rex, cuius Angelus occidit una nocte 185. millia Assyriorum. Hoc est quod canit Psaltes Psalm. 33. 8. *Immittet* (Hebr. חונה *chone*, id est castra metabitur) *Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Quare dux et milites in præliis assidue suum hunc Angelum invocent, orentque cum Iuda Machabæo: *Dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore et tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum.* 2. Machab. 1. 15. 23. Ad hoc Deo militant Virtutes, Potestates, Principatus et Dominationes. Sic Angelus in columna nubis præivit castra Hebræorum in deserto per 40. annos, eisque plurimas victorias contra Amalec, Og, Sehon, etc. dedit.

Et nunc venio.) Uti singulari mea præsentia, licet invisibili vobis assistam, ac pro vobis muros Ierichuntis prosternam; itaque vos in urbem inducam, indeque ceteros Chananæos debellem, ac eorum civitates et arces vobis tradam.

Et adorans.) Non latria ut Deum, sed dulia ut Angelum Præsidem. Adoratio enim sive ut Hebr. השתחוה *histachave,* id est incurvari, et incurvatio in Script. non soli Deo datur, sed Angelis quoque et hominibus, quomodo Iapones, Sinæ, aliique Orientales se incurvantes, et fronte humum ferientes suos Reges adorant, id est venerantur. Et hoc significat Græcum προσκυνεῖν. Vers. 15.

Moral. notanda hic prompta et demissa animi Iosue religio, et devotio erga Angelum.

Solve calceamentum.) q. d. memineris te coram Deo, cuius vices ego gero, quemque ut legatus repræsento, stare, iisque quæ vides, et deinceps audies voluntatem consiliumque summi numinis tibi declarari, cui proinde reveren- Vers. 16.

tiam exhibere par est depositione calceorum; locus enim hic Dei per me apparentis præsentia sanctus sacerque est. Idem iussit dixitque Angelus Mosi in rubo ardente apparens, ac forte idem fuit utrobique. Vide dicta Exodi 3. 5. Porro plura hic Angelus dixit Iosue de modo expugnandi Ierichuntem, quæ audiemus cap. sequenti vers. 2.

A Disce hic qua religione et reverentia in templis versandum sit, ut non fabulis, sed orationi vaces, quamque Deus non tantum interiorem, sed et exteriorem cultum ceremoniamque requirat. Unde pro *locus in quo stas sanctus est*, Hebr. est *sanctitas est*, id est sanctissimus est ob Dei præsentiam.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue arcæ per septem dies circumductu, Ierichuntem ruentibus muris expugnat, statuitque anathema, et delet funditus, solam Rahab cum suis servat, ac eius reædificatori Dei maledictionem imprecatur.

1. IERICHO autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi. 2. Dixitque Dominus ad Iosue: Ecce dedi in manu tua Iericho, et regem eius, omnesque fortes viros. 3. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. 4. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in iubilæo, et præcedant arcam fœderis: septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. 5. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint. 6. Vocavit ergo Iosue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: et septem alii sacerdotes tollant septem iubilæorum buccinas, et incedant ante arcam Domini. 7. Ad populum quoque ait: Ite, et circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini. 8. Cumque Iosue verba finisset, et septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini, 9. Omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. 10. Præceperat autem Iosue populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur: donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, et vociferamini. 11. Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra, mansit ibi. 12. Igitur Iosue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini, 13. Et septem ex eis septem buccinas, quarum in iubilæo usus est: præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes: et armatus populus ibat ante eos: vulgus autem reliquum sequebatur arcam, et buccinis personabat. 14. Circuieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. 15. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies. 16. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel: Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus civitatem: 17. Sitque civitas hæc anathema: et omnia quæ in ea sunt, Domino. Sola Rahab meretrix vivat, cum universis qui cum ea in domo sunt: abscondit enim nuntios quos direximus: 18. Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur. 19. Quidquid autem auri et argenti fuerit et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris eius. 20. Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: et ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat: ceperuntque civitatem, 21. Et interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii percusserunt. 22. Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Iosue: Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia quæ illius sunt, sicut illi iuramento firmastis. 23. Ingressique iuvenes, eduxerunt Rahab, et parentes eius, fratres quoque, et cunctam supellectilem ac cognationem illius, et extra castra Israel manere fecerunt. 24. Urbem autem, et omnia quæ erant in ea, succenderunt; absque auro et argento, et vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt. 25. Rahab vero meretricem, et domum patris eius, et omnia quæ habebat, fecit Iosue vivere, et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem: eo quod absconderit nuntios, quos miserat ut explorarent Iericho. In tempore illo, imprecatus est Iosue, dicens: 26. Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, et in novissimo liberorum ponat portas eius. Fuit ergo Dominus cum Iosue, et nomen eius vulgatum est in omni terra.

Vers. 1. IERICHO AUTEM ERAT CLAUSA ET MUNITA.) Hebr. סיגרת ומסגרת *sogheret, umsugheret*, quod Masius, Vatab. Pagnin. vertunt: *Iericho erat claudens se et clausa*, id est diligentissime erat clausa, plane obserata et occlusa. Unde Noster et Septuag. id explicantes vertunt: *Iericho erat clausa et munita*. Et clare Chaldæus: *Erat autem Iericho occlusa foribus ferreis, et munita vectibus æneis ante filios Israel. Non erat qui exiret ex ea, neque qui intraret in eam. Non erat qui exiret ex ea ad pugnandum, neque qui intraret in eam ad pacificandum.*

Hic versus inseritur quasi per Parenthesin, ut melius intelligantur mira illa, quæ deinceps Angelus præcipit

B Duci Iosue ad urbis tam munitæ expugnationem. Unde Pagninus versum hunc collocat ultimum capitis præcedentis.

DIXITQUE DOMINUS AD IOSUE: ECCE DEDI IN MANU TUA IERICHO.) *Dominus*, id est Angelus legatus Dei, eiusque personam repræsentans. Unde Hebr. vocatur IEHOVA, quod est nomen Deo proprium. Deus enim per Angelum loquitur, sicut Rex loquitur per legatum. Sic Angelus vice Dei promulgans eius legem in Sina vocatur IEHOVA, Exodi 19. 20. Pergit enim hic loqui Angelus, qui in fine capitis præcedentis Iosue iusserat, ut se excalcearet, et excalceatus audiret iussa Dei; hic ergo illa pandit et promit, docetque modum quo Deus velit expugna- Vers. 2.

ri Ierichuntem, scilicet non fragore armorum, sed clangore tubarum.

Vers. 3. Circuite urbem (ita remote ab ea, ut sitis extra teli iactum, ne quis ex ea illud in vos iaciat) cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus.) Hebr. addunt: *Et sacerdotes tollant buccinas, quarum usus est in Iubilæo, et præcedant arcam fœderis;* quæ Noster reiecit in versum sequentem. Unde liquet primis quoque sex diebus sacerdotes clanxisse buccinis, sed semel dumtaxat per dies singulos: septimo autem die septies.

Vers. 4. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in Iubilæo.) Scilicet in anno quinquagesimo, qui totus erat festus et lætus. Erant hæ buccinæ ex cornu, non arietum, ut habet Chald. sed boum, ut ex S. Hieron. et aliis ostendi Levit. 25. vers. 10.

Septiesque circuibitis civitatem et sacerdotes clangent buccinis.) Scilicet septies; cum ceteris sex diebus semel tantum circuirent, ideoque semel tantum clangerent, ut dixi vers. 1. itaque reipsa factum esse patet ex ipsa præcepti huius executione, quæ narratur vers. 13. Ita Abulens.

Sed cur iubet Deus Sacerdotes clangere buccinis Iubilæi; iisque expugnari Ierichuntem? Resp. ut significaretur tempus instare, quo terra sancta a Chananæis, tamquam iniquis et iniustis possessoribus, ad Deum quasi communem verumque Dominum et Principem vindicata, aliis iisque iustis et fidelibus traderetur colonis, puta Hebræis Abrahæ posteris, quibus a Deo erat addicta. In Iubilæo enim prædia et possessiones venditæ, vel quovis modo alienatæ, ad primos redibant heros et dominos, Levit. 25. Iudæi autem in patre suo Sem, filio Noe possederant Palæstinam, sed posteri eius ex illa a Chananæis fuere expulsi. Iure ergo hic quasi in Iubilæo eorum posteros, scilicet Hebræos, quasi primos pristinosque heros in illam reduxit Deus, ideoque buccinis Iubilæi eos clangere iussit.

Aliam causam dat Procopius: *Cur*, inquit, *tubis corneis ac Iubilæis classicum canere iussit? Eo quod animalibus cornigeris cornua murorum vice sunt, adeoque nobis loco cornu Dominus esse debet, iuxta illud: Protector meus cornu salutis meæ.* Psal. 17. 3.

Tertiam causam dat S. Ambros. in cap. 10. Lucæ vers. 30. dicens: *Religionis insignia arma sunt sacerdotis.* q. d. Sacerdotum arma sunt non galeæ capitis, sed buccinæ Iubilæi, quia his suam religionem et sacerdotium testantur, quo prostravere Ierichuntem.

Porro hæc ceremonia pompaque per septem dies circumeundi Ierichuntem et buccinis clangendi, speciem habebat obsidionis et oppugnationis, sed umbratilem, videlicet, ut Hebræorum fides exerceretur, et a timore excitaretur clangore tubarum, ac ut manifestissime pateret non humana arte, sed Dei unius voluntate et potentia urbem superari. Ita Abulens. Arias, Masius et alii.

Hoc est quod ait Apostolus Hebr. 11. 30. *Fide muri Iericho corruerunt circuitu septem dierum. Fide*, qua scilicet Iosue et Hebræi crediderunt Deo idipsum promittenti, ideoque ei obedierunt urbem circumeundo et clangendo.

Hic autem fuit ordo totius pompæ. Hebræi bellatores armati præibant circumeuntes urbem, quasi se ostentantes urbi ad eam invadendam: illam mox sequebatur arca fœderis cum sacerdotibus baiulis et Duce Iosue. Claudebat agmen vulgus imbelle. Arca ergo erat in medio, et anterius armatis, posterius cetero populo cingebatur, ne a Ierichuntinis erumpentibus intercipi posset. Unde arca hic non præcessit, nec ab armatis distabat duobus millibus passuum, uti factum erat in transitu Iordanis, sed eos immediate sequebatur. Primis sex diebus semel circuiere urbem clangendo; septimo vero die septies, ac tum ultimo circuitu, et clangore ac clamore horrisono totius populi corruerunt muri Ierichuntis, atque Hebræi eam cingentes suo quisque loco ingressi illam vastarunt et concremarunt, feceruntque anathema.

A Huc pertinet præceptum Leonis Imper. datum ab eo suis ducibus et militibus in Tacticis cap. 20. num. 188. *Quando*, inquit, *in acie, sole contra lucente cum hostibus conflicturus es, priusquam prælium committatur, iube milites sursum arma, nudos gladios, ferrea scuta et illustria, et hastarum cuspides tollere: hæc enim si admodum fulgeant, in aliquam perturbationem hostes coniicient. Quando vero iam manus conserturus es, magno cum clamore vocis et armorum contra hostes contendant, itaque prælium cum hostibus ineant.*

Moral. discant hic Duces et Præsides suos subditos semper labore aliquo occupare, ne marcescant otio. Unde Leo Imperator ducibus suis ita præcipit in Tacticis cap. 20. num. 175. *Si exercitum tuum ad labores assuefacias, paratos et obedientes eos tibi semper habebis, et aciem servantes, et corpore robustos. Otium enim languida et infirma facit corpora, timidas effeminatasque mentes reddit: exercitatio autem et labores corpora strenua ac robusta, mentes viriles atque alacres facit. Ante tempus igi-* B *tur omnia ad res agendas idonea præparentur, ut necessariis temporibus omnia in promptu sint.*

Anagog. *Ierico*, id est *Luna*, typus est mundi mutabilis et perpetuo sese mutantis, qui in die iudicii canente tuba Archangeli evertetur, et igne conflagrationis comburetur. Ita Origen. hic hom. 7.

Tropol. sicut tunc clangentibus buccinis muri Ierichuntis corruerunt, ita nunc in lege nova, personante prædicatione Apostolorum et successorum, cadit mundi superbia cum suis turribus et vitiis. Unde S. Chrysost. hom. 21. in Epist. ad Ephes. Israelitæ, ait, Ierichuntem everterunt, choreas agentium et cantantium more potius, quam bellatorum. Audi Origen. *In adventu* Iesu (Iosue) inquit, *muri Iericho subversi sunt, in adventu Domini mei* Iesu *mundus vincitur: si tubam prædicationis eius audis et sequeris, tibi destructus est mundus.* Subditque Iesum destruxisse mundi muros, id est firmamenta, scilicet idolorum cultum, divinationem dæmonum, C commenta augurum, aruspicum et magorum, ac oratorum eloquentiam, et Philosophorum sapientiam, rationes et argumenta. Clanxit autem Christus tubis quatuor Evangeliorum, ac Epistolarum S. Petri, Pauli, Iacobi, Ioannis et Iudæ.

Audi S. August. serm. 106 de Temp. *Sicut tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita et nunc oportet ut civitas mundi, id est superbia cum suis turribus, avaritia scilicet, invidia atque luxuria, simul cum populis, id est omnibus concupiscentiis malis, assidua sacerdotum prædicatione destruatur atque dispereat. Non ergo oportet ut sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem, Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum.* Isaiæ 58. Et post nonnulla: *Tuba itaque peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures eorum penetret, sed et cor concutiat, nec delectet cantu, sed castiget auditu, et strenuos quosque hortetur in bonis, et remissos terreat pro delictis. Nam sicut in prælio tuba formidolosi* D *militis mentem deiicit, et animum fortis accendit; ita et sacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat, animos viri sancti corroborat, nec parcit voci, ut parcat saluti, et uno eodemque sono isti adhortationem dat, quemadmodum sit fortior ad vincendum, illi terrorem incutit, quemadmodum sit tardior ad peccandum.* Causam inferius subiicit: *Nam sacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfigurasse credimus, quam huius temporis sacerdotum prædicationes, per quas non cessant peccatoribus terribili sono austerum iudicium nuntiare, tristem gehennæ interitum prædicare, et quodam comminationis strepitu aures delinquentium verberare? Sicut enim tunc tubarum clangor destructis cæmentorum muris ad populi interiora pervenit; ita nunc prædicatio sacerdotum destructis pravis cogitationibus ad animæ nuda pertransit: Et sicut sacræ vocis sonus contumacem populum destruxit et captivavit, ita et nunc sacerdotalis prædicatio populum peccatorem subiugat.*

Sed cur septenario circuitu et clangore ruit Iericho? A Resp. quia septenarius in Script. sacer est ob festum septimæ diei sive sabbathum, atque significat universitatem, quia sex diebus Deus Creavit mundum, et septimo quievit. Hinc septem hic fuere buccinæ, septem sacerdotes, septem clangores, septem dies circuitus et clangoris. Vide dicta Levit. 23. 24. et Num. 10. vers. 3. Audi S. August. loco citato: *Septenario numero nunc per sacerdotes Dei non tam una civitas destruitur, quam totius mundi iniquitas dissipatur. Nam sicut in singularis urbis nuncupatione universi mundi habitus figuratur; ita septem dierum circulo totius mundi spatia distinguuntur, per quæ sacerdotalium prædicationum tubæ ipsi sæculo excidium annuntiant, et iudicium comminantur, sicut scriptum est: Quoniam mundus peribit, et omnia quæ in mundo sunt. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut et Christus in æternum manet.* Mysticam septenarii circuitus significationem et causam assignabo, vers. 15.

Denique S. Chrysost. homil. 5. de pœnitentia, et Pro- B copius hic notant septem dierum circuitum præcepisse Deum, ut Ierichuntinos percelleret, et ad pœnitentiam peccatorum induceret. Hoc enim spatium pœnitendi ex sua clementia iis dedisse, ut excidium evaderent, sicut tres dies dedit Ninivitis prædicante Iona cap. 4. qui et per eam excidium evaserunt.

Vers. 5. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior.) Hebr. *Cum trahent in cornu iubilæi.* Masius: *Cum cornu iubili inflabunt sono productiore*, ideoque concisiore, ut recte addit Noster, tum quia trahere vocem est vocem concidere et frangere. Sic enim dum terram trahis, eam serrando incidis: tum quia diei halitus hominis tubam inflare nequit, quin inflationem hanc retrahat, infringat et incidat, ut respiret, et halitum spiritumque ad inflandum resumat.

Vers. 7. Armati præcedentes arcam Domini.) S. Chrysost. in Psal. 43. quærit: Si muri erant casuri, cur armis induuntur? Ac respondet, ut facilius Hebræi crederent ur- C bem a se expugnandam: armantur ergo quasi revera bellaturi. Planius dicas, velle Deum ut nos sibi in miraculis cooperemur, ac faciamus id quod est ex parte nostra; tunc enim faciet Deus id quod suum est. Deus enim ab otiosis abest, negotiosis adest, et tonans iuvat conantem. q.d. Armate vos, o Hebræi, et cum armis circuite urbem; tunc ego vobis adero, ac muros prosternam, ut armati urbem ingredientes, armis vestris cives omnes mactetis, et civitatem evertatis.

Porro Iosue hic accurate servat præcepta militaria, quæ assignat Vegetius lib. 3. de re militari cap. ult. dicens: *Exercitus labore proficit, otio consenescit. Numquam ad certamen publicum producas militem, nisi cum eum videris sperare victoriam. Subita conterrent hostem, usitata vilescunt. Nulla consilia meliora, quam illa quæ ignoraverit adversarius, antequam facias. Quid facturus tracta cum paucissimis et fidelissimis, vel potius ipse tecum.*

Vers. 8. Buccinis clangerent.) Harum ergo clangore, sine D balistis, sine arietibus, corruere muri Iericho.

Disce hic Tropologice quam infirma, exilis et vana sit Iericho, id est, mundi gloria, utpote quæ solis tubarum flatibus ruit et evanescit. Audi S. Gregor. 20. Moral. 24. *Præsentis vitæ gloria quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur.* Audi et S. Chrysost. hom. 1. in Epist. 1. ad Corinth. *Non videtis pueros, quando ludentes struxerint aciem, et ordinarint milites; et eos præcedunt lictores, et præcones, et puer incedit in medio, loco Imperatoris, quam sint ea quæ fiunt puerilia? tales sunt res humanæ, iisque viliores et abiectiores, ut quæ sint hodie, cras non sint.*

Vers. 9. Reliquum vulgus arcam sequebatur.) Hebr. est מאסף *measseph*, proprie idem est quod *congregans* sive *colligens*, scilicet præeuntem turbam, hoc est *claudens agmen*, ut vertit Masius, Vatabl. Pagnin. et alii. Septuag. *extremum agmen*, scilicet senum, famulorum, proselytorum, puerorum, feminarum, reliquique imbellis vulgi, quod arcam sequebatur. Prima enim acie præibant bellatores, in media erant sacerdotes cum arca et buccinis, in ultima erat reliquum hoc vulgus. Porro Chald. vertit: *Et tribus stirpis Dan ibat post arcam.* Quin et Masius vertens, *Claudentes agmen;* per hos intelligit Danitas, Aseritas, et Nephtalianos: hæ enim tres tribus solebant claudere agmen castrorum in deserto. Verum in deserto arca erat in medio castrorum et duodecim tribuum, nam sex tribus antecedebant arcam, scilicet Iuda, Issachar, Zabulon, Ruben, Simeon et Gad: sex vero sequebantur arcam, scilicet Ephraim, Manasse, Beniamin Dan, Aser et Nephtali, ut patet Num. 10. vers. 13. 21. et sequ. Hic vero omnium tribuum bellatores armati præibant arcam, ut patet hoc versu; vulgus vero imbelle sequebatur arcam. Quare minus recte Caiet. censet tribum Ruben, Gad et dimidiam Manasse præcessisse arcam, reliquas vero novem tribus post arcam incessisse.

Ac buccinis omnia concrepabant.) Hinc collige non solum sacerdotes, sed et reliquum populum buccinas suas inflasse: sed hæ diversæ erant a buccinis sacerdotum, quæ erant iubilæi; populi vero erant vulgares et populares. Voluit enim Deus populum non esse otiosum, sed Deo et sacerdotibus in clangendo consentire et cooperari, ut horrisono omnium clangore Ierichuntini percellerentur. Negat id Masius, Lyranus et alii; sed clare id significat Noster, et Septuag. hic; et clarius vers. 13. ubi dicitur: *Vulgus autem reliquum sequebatur, et buccinis personabat,* quæ verba ita manifesta sunt, ut sine violentia ad sacerdotes torqueri nequeant. Quod ergo vers. sequenti Iosue populo imperat silentium, fuit hoc vocis et clamoris, non buccinarum et clangoris. Ait enim:

Non clamabitis, nec audietur vox vestra, nec ullus sermo ex ore vestro egredietur.) Vers. 10. Ecce hic nulla clangoris et buccinarum fit mentio, aut vetatio. Causam dat Procopius et Chrysost. hom. 5. de Pœnitentia. Iussit, inquit, vulgus in cauda consequi, ut doceret neminem Dei aciem deserere debere, verum pro virili adversis copiis resistere, sive in eadem stent acie, sive decertantes sequantur.

Donec veniat dies (septimus) in quo dicam vobis: Clamate et vociferamini.) Hebr. et Septuag. *Clamate, et tunc clamabitis.* Masius: *Ululate et ululabitis*, quod Noster significantius eodem sensu vertit, *Clamate et vociferamini*, quasi communi omnium voce vos invicem cohortantes ad prælium, ac quasi communibus animis armisque Ierichuntem invasuri. Hebr. est תריעו *tariu*, quod Noster et alii in Psalmis vertunt *iubilate.* Unde Vatabl. hic vertit: *Vociferamini, tum iubilum edite,* hoc est triumphum canite, quasi certi de victoria et urbis expugnatione. Et Origen. hic hom. 7. vertit: *Iubilate: Beatus populus*, inquit, *qui scit iubilationem. Quare vociferatio populi concors et unanimis iubilatio quædam fuit, et victoriæ acclamatio per modum hymni aut gratiarum actionis, ut merito dici beatus hic populus valeat, quippe qui sciat iubilare.* Et inferius: Si iubilationis consensum de teipso exigas, id est si cogitationum et sensuum tuorum populus concordem semper et consonam proferat vocem, ut in verbis et factis verax sis et constans, ac spiritus carni dominetur, iubilationis emitte vocem, quia tibi victus est mundus. Hæc Origen. fusius, sed ego brevitatis studio plura eius verba in pauca contraxi.

Circuivit ergo arca.) Hebr. יסב *iasseb* in Hiphil, Vers. 11. hoc est *circumduxit.* Sed Hiphil sæpe pro Cal sumitur: unde omnes hic vertunt *circuivit.*

Igitur Iosue de nocte consurgente.) Hebr. בבקר Vers. 12. *babboker*, id est in aurora, mane, sive in crepusculo matutino cum diesceret, quando finitur nox, et incipit lux cum die.

Die autem septimo.) Tradunt Hebræi ex Thalmud Vers. 15. Babylonico tract. de Sabbato cap. 1. Septimum hunc diem fuisse sabbathum, eoque muros Iericho corruisse (ad religionem cultumque sabbathi populo persuadendum) septima urbis circuitione septimoque clangore. Ita ut pri-

mus dies circuitus fuerit Dominicus. Sic et Lyran. Serarius et alii. Hinc Marcion blasphemabat Deum veteris Testamenti fuisse sibi contrarium, utpote qui sabbati quietem Iudæis præcepisset, et tamen hic illos in sabbato urbem circuire iuberet. Sed respondet Tertull. lib. 2. contra Marcionem c. 21. Deum in sabbato prohibuisse opera humana dumtaxat, non divina, seu quæ Dei iussu fiunt, quale hic erat circuire urbem: Deus enim erat Dominus sabbati, nec tantum in eo dispensare, sed et illud abolere poterat, uti prius illud instituerat. Iudæis ergo fixit legem sabbati Deus, non sibi ipsi, quia ipse semper etiam sabbato operatur in cælo et in terra omnia, quæcumque generantur et fiunt.

Porro, Iosephus scribit primum diem circuitus Ierichuntis fuisse diem Paschatis, sive 15. Nisan, *Seder Olam rabba*, id est Chron. Hebr. magnum, et Serarius censent fuisse primum diem post octavam Paschæ; qui erat 22. Nisan. Verum nihil hic certo statui potest, cum Script. nil de eo tradat.

Circuitus septem Ierichuntis ad quid? Mystice Ambrosiaster (nam S. Ambrosium non esse auctorem, patet ex eo quod meminit Longobardorum Italiam invadentium, quæ invasio diu post mortem S. Ambrosii contigit) in cap. 1. Apocal. hos septem Ierichuntis circuitus, ad septem Ecclesiæ et iustorum sæcula refert: *Iericho namque*, inquit, *omne corpus reproborum, quod est civitas diaboli, significat: per filios vero Israel electi significantur: per sacerdotes prædicatores: per tubas doctrina prædicationis: per populum vero qui eos sequebatur omnes iusti designantur, qui eorum doctrinam sequebantur, et actus imitabantur: per aream autem quam ferebant, Christus intelligitur, qui in sanctis cordibus eorum habitans portabatur.*

Et paulo inferius: *Prima igitur circuitio ad eos iustos, qui ante diluvium fuerunt, pertinet, qui et Filii Dei dicti sunt: Civitatem igitur Iericho tamdiu circuierunt, quamdiu a societate reproborum se sequestraverunt.*

Secundæ diei circuitus ad eos, qui post diluvium usque ad Moysen fuerunt, pertinet: Qui et ipsi civitatem Iericho circumierunt, quia ab iniquitatibus reproborum se separaverunt.

Tertius vero circuitus ad eos, qui sub lege fuerunt pertinet, qui quanta sollicitudine a societate iniquorum se secernere deberent, ipsa lex manifestat. Prophetæ vero, ad quos quartus circuitus pertinet, in tantum peccata principum hominumque impiorum spreverunt atque reprehenderunt, ut pro hoc quidam eorum lapidati, quidam interfecti, quidam vero in occisione gladii mortui sunt, Apostoli vero et hi qui ex Iudæis crediderunt, ad quos quintus circuitus pertinet, quanto studio se ab infidelium Iudæorum consilio atque operibus segregaverint, Lucas in Actibus Apostolorum narrat. Gentes vero, ad quas sextus circuitus pertinet quanto ardore se a societate impiorum disiunxerint, martyres requisiti dicant. Septimo vero circuitus ad eos, qui temporibus Antichristi futuri sunt, pertinet. Sed et illi quomodo Antichristi ministrorumque eius refutabunt perfidiam, hic liber manifestat. Septimo ergo die circumeuntibus sacerdotibus cum arca Iericho, atque vociferantibus, muri Ierico ceciderunt, omnisque populus cum rege suo interfectus est, quia prædicantibus in fine mundi prædicatoribus veritatis, finemque mundi annuntiantibus subito finis mundi adveniet, omnisque civitas diaboli destruetur, atque cum ipso capite suo diabolo perpetua morte damnabitur.

Vers. 16. Dixit Iosue ad omnem Israel: Vociferamini.) Vox Iosue non poterat audiri a toto populo, utpote qui constabat tribus hominum millionibus. *Dixit* ergo id iis qui sibi vicini erant, et hi idem dixerunt proximis, et hi sequentibus, et ita deinceps usque ad ultimos. Aut certe *dixit*, id est per præcones edixit, uti solet fieri in castris. Aut denique *dixit*, duodecim principibus duodecim tribuum, quisque ex eis idem dixit singulis capitibus familiarum in sua tribu, et hi vicissim singulis patribus, et hi omnibus suis filiis et famulis.

Vers. 17. Sitque civitas hæc anathema.) Hebr. חרם *cherem*, A id est res Deo soli devota, et in eius honorem (ut de sceleratis qui eum læserunt, iusta sumatur vindicta, itaque per eam divinæ iustitiæ hoc piaculum litetur, quo honos Deo ablatus quasi restituatur) morti et excidio, vel reali, vel civili addicta. Tam enim *cherem* et anathemata sunt quæ Deo in perpetuum dicantur, et ad profanos usus redire nequeant, uti hic erat aurum, argentum, æs, ferrum, etc. quam quæ Deo in holocaustum adolentur, aut per ferrum ignemque abolentur. Vide dicta Levit 27. v. 28. et Num. 21. v. 2. et 3.

Quod vero præter legem Deuter. 20. 16. qua solum iubetur ne ulli Chananæorum parcant, sed omnes occidant, hic insuper iubetur ipsa urbs Iericho concremari, quod in aliis Chananæorum urbibus deinceps a Iosue expugnatis factum non legimus, causæ fuerunt tres. Cur Iericho combusta? Prima, quod Deus Ierichuntem primam hostilem urbem, sibi quasi primitias Chananææ deposceret: primitiæ autem integræ Deo persolvi debebant. Ita Ioseph. Theodor. qu. 6. et Hebræi. Secunda, quod solius Dei vi hic parta esset victoria B et Iericho expugnata, cum in ceteris urbibus subigendis Hebræi acriter decertarint, et eas insultu militari superarint. Tertia, quod Deus voluerit exemplum severæ vindictæ ceteris Chananææ urbibus in prima Ierichunte statuere, eisque terrorem incutere, et simul ad pœnitentiam sceleratissimæ vitæ provocare.

Porro hæc Iosue gessisse Dei instinctu, vel Angeli monitu, licet Script. non exprimat, par est credere ex dictis cap. 1. et cap. 5. in fine, et cap. 6. vers. 2. Sic Romani urbes hostiles diris et anathemati, certa verborum formula devovebant. Livius lib. 8. narrat Decium consulem in bello contra Latinos se una cum hostibus anathemati devovisse, hac prece: *Iane, Iuppiter, Marspiter, Quirine, Bellona, Lares, vos precor uti populo Romano vim victoriamque prosperetis; hostesque populi Romani terrore, morteque afficiatis; sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica, populoque Romano, legiones auxiliaque hostium mecum diis manibus tellurique devoveo.*

C Vos autem cavete ne de his quæ præcepta sunt quippiam contingatis, et sitis prævaricationis rei.) Vers. 18. Hebr. *Tantum servate vos ab anathemate, ne forte anathematizetis* (anathematis culpam et pœnam vobis imponatis) *et capiatis de anathemate* (clarius vertit Masius: *Ne forte anathematizetis*, id est *capiatis de anathemate*: τὸ enim *et* est ἐξηγητικόν, id est explicativum, idemque valet quod *id est*) *et ponatis castra Israel in anathema*, ut propter anathema per sacrilegium Deo sublatum, castra ipsa fiant anathema, id est excidio a Deo per iustam vindictam addicantur, quod Noster vertit: *Et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur*; ne scilicet unus qui aliquid ex Iericho suffurabitur, peccati et anathematis sui contagio et communione, omnia castra involvat et contaminet peccato, æque ac pœna peccati furtique sui. Castra enim censebantur esse unum corpus politicum, sive unus populus; quare quæ unus ex eis peccasset, Deus occulto iudicio in omnes vindicare, omnesque anathemati, id est excidio subiicere decreverat. Sen- D sus est q. d. cavete ne ex Ierichunte anathemati addicta quicquam sufferemini, ne sitis causa anathematis et perditionis non tantum vestræ, sed et totorum castrorum Israel. Similis phrasis est cap. sequ. vers. 1. et 11. Matth. 26. 8. Ioannis 12. 4. Deuter. 21. 8. Hac quoque de causa toties in Scrip. ingeminatur: *Auferte malum de medio vestri*, de quo plura cap. sequenti.

Porro pro תחרימו *tacharimu*, id est *anathematizetis*, Septuag. vertunt ἐνθυμηθέντες, id est in animum inducentes, *cogitantes*, quasi pro ר legentes affine ד puta pro *tacharimu*, legerint תחמודו *tachmodu*, id est desideretis, concupiscatis, ait Masius, aut certe ut Serarius, Sept. nove acceperunt τὸ ἐνθυμηθέντες pro ἐν θυμῷ θέντες, id est in ira ponentes, scilicet iræ et vindictæ Dei subiicientes, eamque in vos accersentes: θυμὸς enim non tantum animum, sed et iram significat.

Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri Domino consecretur.) Vers. 19.

Hebr. *Sanctitas est ipsi Domino*, id est quasi res sancta et sacra Deo consecretur : unde ut talis sit *repositum in thesauris eius.* Chald. *In thesaurum domus sacrarii Domini inferatur*, puta in Tabernaculum, quod erat quasi templum mobile Hebræorum, ad eius usum et ornatum. Iericho enim facta erat *cherem*, id est anathema: tota ergo Deo soli cedere debebat, scilicet urbs per incendium, aurum vero, argentum et æs (sub quibus stannum, chalybem, plumbum ceteraque metalla, quorum rarior erat usus in Tabernaculo, intellige) per oblationem in Tabernaculo: nil vero ex ea in privatos vel profanos usus converti poterat.

Tropol. Procopius: Viros Dei, inquit, non divitiarum, non gloriæ, non potentiæ, non sapientiæ sæcularis cupidos esse decet. Est autem aurum divitiarum figura seu imago: argentum gloriam repræsentat, æs sapientiæ loquacitatem, ferrum robur et potentiam. Deus simul cum Achan propinquos ipsius perdidit, quod facinoris ipsius conscii fuissent. Ipse quidem pœnas dat, populus autem ad pietatem redditur instructior, cautione sacrilegii tanquam rei pestiferæ eis subeunte.

Vers. 20. IGITUR OMNI POPULO VOCIFERANTE ET CLANGENTIBUS TUBIS.) Hebr. est, *Et clamavit populus, et clamaverunt tubis.* Prius sacerdotes clanxerunt tubis, deinde populus hoc clangore excitatus clamorem suum clangori iunxit. Unde Vatabl. vertit: *Conclamavit igitur populus, postquam clanxerunt cornibus.* Sic et Masius. Ac clare Septuag. in edit. Roman. *Et clanxerunt tubis Sacerdotes: ut vero audivit populus tubas, iubilavit universus populus iubilatione magna.* Hebr. enim תריעו *tariu*, quod Noster vertit, *Clamaverunt, vociferati sunt*, Septuag. vertunt ἠλάλαξε, id est iubilavit: ἀλαλάζω, enim est iubilo, vociferor, clamo, ululo. Vide dicta vers. 10. ubi adverte ἀλαλάζειν, duo significare: Primo, clamorem edere militarem ad congrediendum, qualem edunt milites ante pugnam instructa acie conflicturi, ut animos iramque in hostes exacuant. Unde Masius vertit: *Ululate.* Secundo, iubilare, sive exultare et canere triumphum parta iam victoria; quanquam Varro asserat iubilare proprie significare querelam, sive quiritationem rusticorum aliorum opem implorantium. Utrumque huic loco congruit. Nam Hebræi clamabant ante pugnam, quasi invasuri Ierichuntem; et simul iubilabant, quasi ex Dei promissione certi de victoria et eius excidio. Porro Leo Imper. in Tacticis cap. 20. num. 204. de clamore militum ita sancit; *Ut robur exercitui inseras, præcipe ut si hostes cum clamore contra tuos veniant, tui statim cum silentio et taciturnitate præcedant: sin illi silentes ac taciti ambulaverint, tum clamore ac stridore armorum tui illos invadant.*

MURI CORRUERUNT.) Hebr. *Ceciderunt mœnia subter se*, Chald. Labebatur murus urbis, et absorptus est subter se. Audi Caiet. *Dicendo sub ea, manifestat quod vel in fossam circumcirca, vel maiori miraculo sub terram casurus erat murus, ut Israelitæ non impedirentur a ruinis muri, sed liberum haberent ingressum circumcirca in civitatem.* Septuag. *Cecidit murus circumquaque*, impellentibus scilicet ad hoc signum sonumque murum Angelis, vel Deo concursum suum muro stanti ad standum subtrahente. Sicut enim sole subtrahente radios suos lux evanescit, sic Deo subtrahente concursum suum res corruit et evanescit. Porro potest Deus subtrahere concursum suum rei ad consistendum erectæ, itaque facere ut res erecta non consistat, sed corruat, et non subtrahere ad existendum, sed rem in sua existentia conservare. Ita fecit hic: Subtrahendo enim concursum erectioni muri, fecit eum labi et ruere, conservando vero eundem existentiæ muri, fecit ut lapides muri ruentis in suo esse permanerent, et non abirent in nihilum, utique in nihilum abituri, si Deus ab existentia eorum concursum suum subduxisset. Præter hunc Dei concursum necessarius fuit alius, quo Deus concurrit cum muri casu, ut scilicet is ex alto in terram caderet et rueret.

Omnis enim res sicut in sui creatione, sic et in sui conservatione intime pendet a Deo; conservatio enim est quasi

A continua creatio. Sic Christi vox deiecit armatam cohortem in monte Oliveti, et Paulum in campo Damasci: vox Domini confregit cedros Libani, vox Petri deiecit Ananiam et Saphiram, et Britannos hæreticos iussu S. Germani decantatum Alleluja, ut Beda testatur lib. 1. histor. cap. 20. Et Albigenses illud ex Hymno, *Hostem repellas longius*, uti narrat historia Simonis Montisfortii.

Quin et Robertus Franciæ Rex psallens cum sacerdotibus, urbis Avellonis quam obsidebat muros deiecit, suisque in eam aditum patefecit, uti narrat Lipsius in exem. polit. c. 2.

ET INTERFECERUNT OMNIA QUÆ IN EA ERANT.) Hebr. החרימו *hacherimu*, id est anathematizarunt, perdiderunt, exciderunt. Iericho enim erat *cherem*, id est anathema et excidio addicta. Vers. 21.

Mystice Lyran. « Iericho, ait, significat civitatem culpæ, quam fecit amor sui usque ad contemptum Dei. Hæc civitas triplici muro clauditur, muro scilicet carnalis concupiscentiæ, temporalis affluentiæ, et mundialis excellentiæ ». Et paulo post: « Triplex hic murus subvertitur sonitu sanctæ prædicationis, clamore devotæ orationis, circuitu propriæ discussionis; qui circuitus debet fieri septem vicibus, id est perfecte, quia perfectio numero septenario designatur. Qui enim convertitur de culpa ad gratiam, debet diligenter et perfecte discutere propriam conscientiam. Quidquid autem in hac civitate reperitur saluti contrarium, debet interimi. Quod autem ibi invenitur auri philosophicæ sapientiæ, argenti eloquentiæ, vasorum æneorum, id est naturalis industriæ, quæ valet ad multa, sicut et vasa ferri, id est corporalis et temporalis potentiæ, debet Domino consecrari, id est de cetero bonis actibus applicari. Rahab cum suis propter opus pietatis salvatur, quia secundum dictum Salvatoris. Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

PRODUCITE EAM (Rahab) ET OMNIA QUÆ ILLIUS SUNT.) Hebr. הוציאו *hotsiu*, id est *educite* illam, scilicet extra domum suam. Hæc enim tota urbe conflagrante pariter conflagravit. Tota enim Iericho erat anathemati et incendio addicta. Aliqui tamen ex vers. 25. censent domum Rahab ab incendio communi servatam, ac Rahab eductam extra castra, de quo vers. sequenti. Notet hic dux belli fidem hosti datam a suis servare, sicut Iosue servavit fidem datam Rahab ab exploratoribus. Unde S. Ambros. in cap. 10. Lucæ vers. 30. *Iste* (Iosue) ait, *sollicitus magis fidem servare quam excidium vincere, meretricis prius mandat salutem quam excidium civitatis.* Vers. 22.

Porro perperam Masius, Rahab hanc censet esse diversam a Rahab, quæ ponitur in genealogia Christi. Matth. 1. eodem inclinat ibidem Theoph. Nam S. Hieron. et alii passim docent esse eamdem.

INGRESSIQUE IUVENES.) Hebr. *iuvenes exploratores.* Unde patet eos fuisse non senes, sed iuvenes, utpote ad tale facinus aptissimos. Perperam ergo Rabbini censent exploratores hos fuisse Caleb et Phinees, qui (aiunt ipsi) licet ætate essent senes, robore tamen et vigore erant iuvenes. Vers. 23.

EXTRA CASTRA ISRAEL.) Quia illa sancta erant per circumcisionem, per publicum Dei veri cultum, per arcam fœderis, per Iosue, sacerdotes, etc. Rahab vero erat e gente infideli et impia, ac necdum publice Iudaismo nomen dederat: cognati quoque eius et affines erant adhuc infideles et idololatræ, sed paulo post a Iosue et Hebræis ad fidem cultumque unius Dei, et ad Iudaismum fuere conversi, ideoque inter castra Israelis admissi. Ita Abulens. Masius. Salianus, et alii.

ET DOMUM PATRIS EIUS.) Per *domum*, non materialem, sed familiam intellige, puta fratres, cognatos et affines Rahab. Unde R. Simeon: Rahab, ait, sua fide tantam apud Deum consecuta est gratiam, ut etiamsi ducentos homines cognatos sibi coniunctos habuisset, atque illi cum ducentis alienis prosapiis affinitatem contraxissent, omnes illius gratia salvati fuissent. Vers. 25.

Porro nupsit postea Rahab Salmon Principi tribus Iuda, si non ut primaria, certe ut secundaria uxor, erat enim polygamia tunc licita. Torniellus et Salmeron putant

Rahab nupsisse Salmon anno ætatis suæ 44. Hebræi quinquagesimo; verisimilius Salianus censet Rahab fuisse 25. vel 20. annorum (fuerat enim meretrix) Salmonem vero fere 40. annorum extitisse.

Fecit Iosue vivere.) Id est sanam et incolumem cum omnibus suis præstitit, in vita conservavit, hoc enim significat Hebr. החיה *hecheie.* Minus recte ergo Hebræi exponunt; alimenta ad vitam necessaria ei suppeditavit, licet et hoc fecisse Iosue non sit dubium.

Vers. 26. Imprecatus est Iosue, dicens: Maledictus vir, etc. qui ædificaverit Iericho.) Dira hæc imprecatio Iosue facta est Dei instinctu, ut par est credere, idque eo fine, ut æternum in ruderibus Ierichuntis extaret monumentum divinæ potentiæ, et vindictæ in impios eius cives; ac benignitatis, veritatis et fidelitatis in pios Israelitas, quod omnibus sæculis terrorem incuteret, omnesque ad Dei timorem et cultum provocaret. Ita Masius, Arias et ceteri.

In primogenito suo.) Masius. *In primogenitum suum iaciat ipsius fundamentum, et in minimum suum collocet illius valvas,* quasi lapides iaciendo in fundamentum Ierichuntis, eosdem iaceret in suos, iisque eos lapidaret et occideret. Sensus est q. d. ait Masius, quisquis unquam per futura sæcula ausus fuerit instaurare Ierichuntem a Deo statutam anathema, hic cum prima urbis fundamenta iecerit, maximum natu ex filiis suis amittat, deinde inter ædificandum ceteros omnes ex ordine, postremo autem minimum omnium, cum iam opere absoluto ad ianuarum locationem devenerit. Ita Rupert. hic cap. 16. qui et culpæ congruam hanc fuisse pœnam ostendit, dicens: *Ut ambiendo conditoris nomen, totum cum effectu perderet genitoris honorem.* q. d. iustum est ut conditor vetitæ urbis desinat esse genitor sobolis. Ita has diras reipsa incurrit inobediens Hiel, qui Ierichuntem reædificans filios amisit, ut patet 3. Reg. 16. 34. ubi dicitur: *In diebus eius ædificavit Hiel de Bethel Iericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas eius: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filii Nun.*

Tropol. destruit Iericho, qui abrenuntiat Satanæ et mundi pompis: reædificat vero qui vertitur ad vitia: hic amittit primogenitum in fundatione, et novissimum in portarum positione, quia et fundamenta fidei, a quibus bona virtutum ædificia inchoantur, et claustra bonæ actionis perdit. Ita Beda, et ex eo Angelomus, et Eucherius in 3. Reg. 16. 34.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achan furatur ex spoliis Ierichuntis, ideo cæduntur Hebræi ab Haiensibus; mox vers. 7. orante Iosue Deus furtum Achan sortitione detegit, ideoque ipse furtum confessus vers. 20. cum suis igne consumitur.

1. Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate: iratusque est Dominus contra filios Israel. 2. Cumque mitteret Iosue de Ierico viros contra Hai, quæ est iuxta Bethaven, ad Orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Ascendite, et explorate Terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai. 3. Et reversi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, et deleant civitatem: quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos? 4. Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes, 5. Percussi sunt a viris urbis Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines: persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est. 6. Iosue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel: miseruntque pulverem super capita sua, 7. Et dixit Iosue: Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes; utinam ut cœpimus, mansissemus trans Iordanem. 8. Mi Domine Deus quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem? 9. Audient Chananæi, et omnes habitatores Terræ, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: et quid facies magno nomini tuo? 10. Dixitque Dominus ad Iosue: Surge, cur iaces pronus in terra? 11. Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate, et furati sunt, atque mentiti, ed absconderunt inter vasa sua. 12. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet: quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum qui huius sceleris reus est. 13. Surge, sanctifica populum, et dic eis: Sanctificamini in crastinum: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Anathema in medio tui est Israel: non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere. 14. Accedetisque mane singuli per tribus vestras, et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros. 15. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua: quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel. 16. Surgens itaque Iosue mane, applicuit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Iuda. 17. Quæ cum iuxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi: 18. Cuius domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Iuda. 19. Et ait Iosue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. 20. Responditque Achan Iosue, et dixit ei: Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic, et sic feci. 21. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum: et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui, 22. Misit ergo Iosue ministros: qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum simul. 23. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Iosue, et ad omnes filios Israel, proieceruntque ante Dominum. 24. Tollens itaque Iosue Achan filium Zare, argentumque, et pallium, et auream regulam, filios quoque et filias eius, boves et asinos, et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam supellectilem: (et omnis Israel cum eo) duxerunt eos ad Vallem Achor: 25.

Ubi dixit Iosue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel: et cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt. 26. Congregaveruntque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, Vallis Achor, usque hodie.

Vers. 1. FILII AUTEM ISRAEL PRÆVARICATI SUNT MANDATUM, ET USURPAVERUNT DE ANATHEMATE.) Id est de spoliis Ierichuntis, quæ anathemati, id est exitio et incendio a Deo erat addicta. Nota: Unus Achan id fecerat; illius tamen unius peccatum per Synecdochen toti societati et corpori, puta populo Israel, cuius ipse pars erat, tribuitur, ut ostendatur primo, quam Deo res exosa et invisa sit peccatum, utpote quod ab uno admissum tam multos iræ et vindictæ Dei subiecerit. Secundo, quantum valeat bona vel mala societas, utpote in qua sit ut communis vitæ et conditionis, sic et vitiorum virtutumque et actionum omnium communio. Tertio, quam præsides et superiores debeant singulis in congregatione sua, cui præsunt invigilare, ne unius peccatum in totam congregationem redundet, imo suo contagio proserpat. Sicut enim ovis ovi affricat suam scabiem; sic vicinus vicino affricat suum scelus. Ita Origen. hic hom. 17. Audi S. Chrysost. hom. 1. in verba Isaiæ: Vidi Dominum: *Lues quædam*, inquit, *est peccatum, per ultionem evulgetur ac traducatur apud omnes, ne corrumpat omnes, ut ubi cognorint quantas minas una peperit transgressio, fugiant ultionem; de multis alioqui sumendam æternam vindictam.* Quarto, quam singuli de locis suis ex charitate debeant esse solliciti; utpote quorum virtus vel vitium non solum in ipsos, sed et in totam congregationem a Deo præmietur vel vindicetur. Quocirca Sanctus Mathias Apostolus, teste Clemente Alex. lib. 3. Strom. dicere solebat: *Si electo vicinus peccavit, peccavit electus. Nam si ita se gessisset, ut iubet verbum vel ratio, eius vitam ita vicinus esset reveritus, ut non peccasset.* Hinc toties ingeminat Script. *Auferte malum de medio vestri.*

NAM ACHAN, etc. TULIT ALIQUID DE ANATHEMATE.) Septuag. *Achan*, vocant *Achar*, et ita ab omnibus vocatur 1. Paral. 2. 7. *Achan* ergo fuit *Achar*, id est turbator, quia suo furto turbavit tota castra Israel, ut ab Haiensibus hostibus cæderentur. Unde 1. Paral. 2. 7. causa cur vocetur *Achar* additur, dum dicitur, *qui turbavit Israel.* Radix enim עכר *achar* significat turbare. Unde locus supplicii Achar vocatus est vallis *Achor*, id est vallis turbationis, ut patet vers. ult. Porro hæc Achan tentatio fuit humana; difficile est enim militem victorem a spoliis hostium cohiberi; unde idem sæpe victoriam quam peperit perdit. Audi S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 39. *Frequenter pulsis hostibus inclinata in fugam adversariorum acie, dum exuviis cæsorum capitur præliator, inter ipsos quos stravit, miserandus occubuit, et triumphis suis allectæ legiones, dum spoliis occupantur, hostem in se revocarunt qui fugerat.* Quoties id vidimus in Christianis Turcas sternentibus?

FILII ZABDI.) 1. Paralip. 2. 7. vocatur filius Zamri. Avus ergo Achan fuit binomius, tamque Zabdi quam Zamri vocabatur. Hæc ergo fuit eius genealogia: Iudas genuit Phares et Zare de Thamar, Zare genuit Zabdi, Zabdi genuit Charmi, Charmi genuit hunc Achan, qui proinde fuit quartus a Iuda; a Iuda autem usque ad furtum Achan fuere anni ut minimum 260. quare quisque eorum generare debuit anno ut minimum 65. nam quater 65. faciunt 260. sed hoc illa ætate erat frequens.

Vers. 2. CUMQUE MITTERET IOSUE VIROS CONTRA HAI.) Urbem hanc ex S. Hieron. Iosepho et aliis ita describit Adrichom. in descript. terræ sanctæ: *Hai quæ et Chai et Iosepho Ada vel Aina, Hieronymo Agai et Ai, civitas quondam pulcherrima, et in montanis, ut ait Breidenb. capta a Iosue succensa, Rege suspenso et cæso populo. In Isaia Aiach appellatur, ut notat Benedictus, per quam Sennacherib Rex transiit oppugnaturus Ierusalem. Isaiæ 10. fit eiusdem mentio.* Ierem. 49. 1. Esdr. 2. 2. Esdr. 7. *Eius Hieronymi tempore vix parvæ ruinæ* A *residebant, et locus tantummodo monstrabatur. Est ad Occidentalem plagam Bethelis, non multum ab ea distans.*

QUÆ EST IUXTA BETHAVEN, AD ORIENTALEM PLAGAM OPPIDI BETHEL.) Hinc patet Bethaven distinctum fuisse locum a Bethel. Ipsa tamen Bethel, id est domus Dei, dicta est quoque Bethaven ab Osee. c. 4. et seq. id est domus idoli et iniquitatis, ob collocatos in ea a Ieroboam vitulos aureos, quos quasi idola Israel adoravit.

ET CORRUERUNT EX EIS TRIGINTA SEX HOMINES.) Vers. 5. Ecce unius Achan furtum punit Deus cæde 36. hominum, et fuga trium millium, qui quoniam, ait Procopius, deteriores forte aliis fuerunt, opportune suorum delictorum luerunt supplicium.

PERSECUTIQUE SUNT EOS ADVERSARII DE PORTA (urbis Hai) USQUE AD SABARIM.) Masius censet hunc locum dictum fuisse Sabarim ab hac strage et contritione Hebræorum: שבר *sciabar* enim significat frangere, conterere. Porro Septuag. et Chald. pro *Sabarim* aliis punB ctis legentes השבירים *hisbirum* vertunt: *usque dum contriverunt eos.* Caiet. *Saburim* interpretatur *saxa fracta*, quod locus esset saxosus, confragrosus et præruptus.

PERTIMUITQUE COR POPULI) Hebr. *Liquefiebat cor populi, et evadebat in aquam*, fiebat fluidum, solutum, trepidans et languidum instar aquæ.

IOSUE VERO SCIDIT VESTIMENTA SUA.) ex publico ca- Vers. 6. lamitatis sensu et dolore, quem ipse velut Dux præ omnibus, imo pro omnibus acerrimum sentiebat.

Porro scissio vestium erat ceremonia olim usitata in luctu, vel in rei et sceleris alicuius atrocitate. Sic Iacob ob filium Ioseph amissum scidit vestes suas. Genes. 37. 34. Idem fecit Caiphas ob speciem blasphemiæ, ut ipse putabat. Matth. 26. 65.

MISERUNTQUE PULVEREM SUPER CAPITA SUA.) Hoc alterum est signum luctus, humilitatis et pœnitentiæ, datum primitus Adæ post lapsum: *Memento quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Genes. 3. 19. sic Iob cap. ult. v. 6. *Ago pœnitentiam*, ait, *in favilla et cinere.* Et David: C *Quia cinerem tamquam panem manducabam*, Psal. 36. Et Daniel c. 9. 2. cœpit Deum *deprecari in ieiuniis, sacco et cinere.* Sic Rex Ninive prædicante Iona cap. 3. 6. pœnitens *indutus est sacco, et sedit in cinere.* Iudith quoque cap. 9. 1. itura ad Holophernem, *induens se cilicio posuit cinerem super caput suum.* Idem fecit Esther itura ad Assuerum c. 14. 2. et Mardochæus cap. 4, v. 1. Hinc multi Sanctorum, ut sanctus Martinus, sanctus Carolus Borromæus, sanctus Franciscus morientes, cilicio et cinere aspersi animam Deo reddiderunt. Idem etiamnum faciunt multi fideles et religiosi.

ET DIXIT IOSUE: HEU DOMINE DEUS.) Iosue, quia dux Vers. 7. populi, eius cladem in se suscipit, pro eoque plangit coram Domino, ut veniam obtineat, et toti populo salutem victoriamque impetret. Idem faciat Princeps et Prælatus in publica calamitate: hæc enim a publica persona et Principe deprecanda et amolienda est.

UTINAM UT COEPIMUS MANSISSEMUS TRANS IORDANEM.) Videlicet in Galaad commorantes, puta in regnis Regum D Og, et Basan. Sic enim evasissemus cladem hanc, quam transitio Iordane apud urbem Hai accepimus.

MI DOMINE.) Hebr בי יהוה *bi Adonai*, id est *in me* Vers. 8. *Domine*, scilicet respice, ut benignis misericordiæ oculis me totumque populum intuearis, nobisque reconcilieris. Est placida et fidens Dei compellatio, quam Noster optime vertit: *Mi Domine.*

DELEBUNT NOMEN NOSTRUM DE TERRA, ET QUID FACIES Vers. 9 MAGNO NOMINI TUO?) q. d. parvi momenti est nostrum (qui viles homunciones et peccatores sumus) nomen exile deleri de terra, sed eo deleto delebitur quoque de terra

nomen tuum Domine, quod magnum est. Nos enim fere soli illud novimus et colimus. Ratio est, quia tu promisisti te terram hanc nobis liciturum: Iam autem cum permittis nos ab eius incolis cædi, dicent gentes te promissa tua præstare non potuisse, itaque adiment tibi nomen et titulum omnipotentis, vel certe noluisse, itaque tibi tollent nomen sancti et fidelis in promissis. Rursus cum nomen tuum magnum (IEHOVA) ceteris Gentibus non indicaris, illudque soli Mosi et Israelitis revelaris ut ab illis solis adoretur, si Israelem perdis, quis nomen tuum celebrabit et colet? si nobis iuste irasceris ob scelera nostra, nosque vis castigare, consule saltem gloriæ tuæ et sanctificationi nominis tui, ut nos non perdas, sed more tuo protegas, ac in Chananææ possessionem uti pollicitus es inducas, ut omnes gentes nomen tuum glorificent, teque omnipotentem, fidelem et benignum erga tuos fideles agnoscant, timeant et venerentur. Efficax est hæc oratio, quæ Deum quasi stringit et cogit ad miserendum, ne nomen eius sanctum a gentibus rideatur et blasphemetur.

Vers. 10. SURGE, CUR IACES PRONUS IN TERRA?) Prostraverat ergo totum se Iosue pronum in terra, ut summe coram Deo se humiliaret, summamque ei reverentiam æque ac pœnitentiam exhiberet. Iacens enim pronus quasi dorsum suum Deo ad verbera offerebat. q. d. En ego pro populo reum me tibi offero: quod ille peccavit ego exolvam. Amove ergo ab eo flagella tua, illaque in dorsum meum converte et reciproca quantum lubet. Unde Deus exoratus: *Surge*, ait, *quid iaces?* quasi dicat, Surge, noli te diutius affligere, scio quid velis, faciamque ut scias quid facto sit opus, ad cladem a tuis acceptam resarciendam: Ego enim cor tuum contritum et humiliatum despicere nequeo, sed benigne aspicere a mea pietate quasi cogor.

Vers. 11. PECCAVIT ISRAEL.) Unus ex Israel, scilicet Achan, qui noxam dedecusque suum toti Israeli afflavit.

MENTITI SUNT.) Mentitus est Achan: professus est enim se servaturum pactum meum, legemque et sententiam anathematis in Ierichuntem a me fulminatam: porro non verbo, sed facto mentitus est, anathemata mea sibi suffurans et rapiens.

Vers. 13. SURGE, SANCTIFICA POPULUM.) Id est iube, ut populus se sanctificet, hoc est lustret et purificet lotione vestium præsertim et secubitu, ut scilicet lavet vestes, et ab uxoribus abstineat, itaque excitetur ad luctum et pœnitentiam. Vide dicta c. 3. v. 5. et Exodi 19. 10. ut hac lustratione comparetur ad anathema hoc occultum deprehendendum et vindicandum, itaque mihi reconcilietur.

ANATHEMA IN MEDIO TUI EST ISRAEL.) Quasi dicat: O Israel tu officii tui pactique es proditor, utpote qui anathemata mea fureris, habeasque et abscondas in medio tui. Quare *non poteris stare coram hostibus tuis; donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.* Audiant hoc Principes et Prælati, ut anathemata, hoc est sacrilegia et scelera, auferant e populo, si Deum placare, publicasque bellorum, famis et pestis clades ab eo immissas avertere satagunt. Audiant Leonem Imperat. suo duci de die belli mandantem in Tacticis cap. 14. n. 1. *Hoc ante omnia præcipiendum est, ut purus ac sanctus exercitus tuus sit, et pridie vesperi preces efficaces ac diuturnæ adhibeantur, omnesque Deo consecrentur, verbis factisque persuadeantur se Deum adiutorem habere, atque hoc modo ad bellum puros, sinceros, alacresque procedere.*

Vers. 14. ACCEDETISQUE MANE SINGULI PER TRIBUS VESTRAS, ET QUAMCUMQUE TRIBUM SORS INVENERIT, ACCEDET (illa tribus inventa rea) PER COGNATIONES SUAS, ET COGNATIO PER DOMOS, DOMUSQUE PER VIROS.) Primo ergo iacta fuit sors per 12. tribus, ac inventa est rea tribus Iuda. Secundo, iacta fuit per omnes cognationes descendentes a Iuda, et inventa est rea cognatio Zare. Tertio, iacta fuit per omnes domos et familias progenitas a Zare, et inventa fuit domus sive familia Zabdi. Quarto, iacta fuit sors inter omnes qui erant e familia Zabdi, et deprehensus est Achan reus anathematis, sive furti et sacrilegii, ut patet vers. 16. et sequent.

QUEM SORS INVENERIT.) Id est qui sorte data vel iacta fuerit deprehensus. Hebr. est *quem ceperit Dominus;* quod primo Hebræi explicant de Arca fœderis: Talmudici enim affirmant omnes Israelitas iuxta Arcam transire iussos; et reliquis impune ac libere abeuntibus, solum criminis reum veluti iniecta manu ab Arca ita retentum, ut ne pedem quidem ulterius movere potuerit. Ac si ante sanctitatem illius arcæ clarissime radiantem, occultari non posset illius furti ac sacrilegii turpitudo: et quod de Deo cecinit David: *Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Psal. 5. vers. 6. hoc ipsum de arca dici possit, quæ nemini apud se maligno patrocinetur.

Secundo, R. Salomon censet Achan fuisse deprehensum per Rationale Pontificis, in quo erant duodecim gemmæ, inscriptæ duodecim nominibus duodecim tribuum Israel; putat enim omnes tribus transisse iuxta Rationale, et cum transiret tribus Iuda, gemmam smaragdi (ut dixi Exodi 28. vers. 17.) in qua scriptum erat nomen Iudæ, offuscatam fuisse, suaque fuscedine et nigredine tribum Iuda ream esse denotasse, sed deinceps quæ cognatio, et quæ domus, quæ persona in tribu Iuda rea foret, per sortes fuisse exploratum. Verum tunc dici solet Deum consultum per Ephod, vel per *Urim et Tummim* respondisse, quod hic non dicitur.

Tertio, vere Achan deprehensus fuit per sortem, quæ hoc vel simili modo peracta est, ut chartulis singulis singula nomina eorum qui erant in domo Zabdi inscriberentur, illaque in urnam imponerentur, ut cuius chartula primo educeretur, ille haberetur reus, ac deinde Iosue educens chartulam primam, invenit in ea nomen Achan, qui proinde reus est habitus. Probatur id primo, quia Noster diserte ait eum sorte fuisse deprehensum. Secundo, idem asserit Iosephus, R. Levi Ben. Gerson et Interpretes.

Tertio, quia capi a Domino, est capi a sorte imperata et directa a Domino, ut patet 1. Reg. 10. 20. ubi Saul sorte electus est in Regem, ibidem cap. 14. 42. sorte deprehensus est Ionathas violasse iuramentum Patris de ieiunio: atque utroque loco Hebr. est idem verbum quod hic, scilicet נלכד *nilcad*, id est *captus est,* Ionathas et Saul. Sane utrobique Hebræa expendenti, et cum hoc loco conferenti, liquet idem utrobique dici. Ergo cum ibi capi a Domino sit capi a sorte, ut vertit Noster, Septuag. et alii, idem hic quoque de sorte accipiendum est. Nam *sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Proverb. 16. ult. Denique eo tempore communis usus erat sortium, et per illas rem conficere erat facillimum et expeditissimum. Hinc Ionas cap. 1. captus est sorte, S. Matthias in Apostolum electus est per sortem. Act. 1.

Nota ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 95. art. 8. triplicem esse sortem. Prima, est divisoria, qua res aliqua, v. g. hæreditas inter hæredes sorte dividitur: sic milites inter se diviserunt vestes CHRISTI per sortem. Ioannis 19. 24. Secunda sors est consultoria, cum per illam in dubiis quid faciendum sit deciditur, v. g. utri subvenias, si uterque æque indigeat, et uterque tibi æque sit proximus, nec utrique subvenire valeas. Tertia sors est divinatoria, qua quæritur veritas rei arcanæ vel futuræ. Duæ primæ sortes licitæ sunt, ut docet S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 28. et Epist. 180. ad Honoratum. Tertia sors, scilicet divinatoria, illicita est et superstitiosa, nisi Deo palam iubente, vel interius instigante mittatur, uti hic factum; tuncque non tantum est licita, sed et certa ac divina: Deus enim iubens vel instigans ad sortem, hoc ipso promittit se sortem directurum, ut in eum vere cadat qui quæritur. Vide dicta Ionæ 1. et Actor. 1. in sorte Ionæ et Matthiæ, et Proverb. 16.

SURGENS ITAQUE IOSUE MANE APPLICUIT ISRAEL PER TRIBUS SUAS.) *Applicuit,* id est admovit sorti, sive sortes eis dedit, idque coram Domino, id est coram arca fœderis, quia Dei iussu fiebat hæc sortitio, et quia a Deo expectabatur promissa sortis directio in eum, qui sacrilegii occulti commissi vere erat reus. Vers. 16

ET AIT IOSUE AD ACHAN: FILI MI DA GLORIAM DOMI- Vers. 19.

no Deo Israel.) Q. d. Da veritatis sive veracitatis honorem primæ et æternæ veritati, id est iudicio divino sorte hac ostenso, confitendo scilicet rectum verumque esse hoc Dei de te iudicium, teque vere esse sontem, nocentem, et reum sacrilegii, ut tam nobis totique Israeli, quam tibi tuæque saluti æternæ per pœnitentiam et confessionem consulas et prosis: confitere ergo veritatem, quæ Deum minime latet, ac mihi Dei vices gerenti, teque iuridice interroganti et constringenti indica quid feceris. Sic enim, si veritatem verumque tuum sacrilegium, quod latet, confitendo manifestaris, Deum glorificabis: ostendes enim Deum vere te per sortem reum designasse, ac ab eo facile veniam culpæ et pœnæ æternæ impetrabis. Ostendes pariter Deum vere esse iustum et sanctum, ideoque sacrilegiorum et scelerum vindicem, æque ac fidelem in promissis, quæ omnia cedent in magnam Dei gloriam, facientque ut omnes eum metuant et revereantur. Confessio ergo rei glorificat Deum quem offendit. Audi S. Bernard. epist. 113. ad Virginem Sophiam: « Ama, inquit, confessionem, si affectas decorem. Confessioni iungitur decor, iungitur pulchritudo. Confessionem et decorem induisti. Psalm. 103. 2. Revera ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lavantur: si bona opera, confessione commendantur. Bonum animæ ornamentum, confessio, quæ et peccatorem purgat, et iustum reddit purgatiorem. Absque confessione iustus iudicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur. Confessio igitur, peccatoris est vita, iusti gloria. » Audi et S. August. in Psal. 94. « Quare maxime pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Quia tanto plus laudatur medicus, quanto plus desperatur ægrotus. Confitere itaque peccata tua: tanto enim maior est laus ignoscentis: quanto maior exaggeratio est peccata confitentis. »

Vers. 20. Vere ego peccavi Domino, in Dominum, eius mandatum de cavendo anathemate violando, et sic, et sic feci.) Enarrando ea quæ ex Iericho suffuratus erat ut sequitur. Videtur ergo Achan pœnituisse, ac per pœnitentiam et satisfactionem lapidationis, evasisse pœnam æternam, et ad salutem pervenisse: incendio enim corporali et temporali redemit æternum animæ incendium in gehenna, instar Ananiæ et Sapphiræ. Actor. 5. Noluit enim se occultare, et incendium hoc effugere, sed ad illud animose se obtulit. Quare licet eum damnatum asserat Cassianus, et Concil. Aquisgran. sub Pipino; salvatum tamen eum censent Rabbini. Caiet. Masius, Serarius, Magalianes et Abulens. quæst. 55. quem audi: *Non videtur, inquit, quod iste fuerit æternaliter damnatus, quia pro peccato suo condignam pœnam hic tulit, non ergo videbatur quod post mortem puniendus foret, potissime quia videtur de peccato suo doluisse Achan, et illud confessus est humiliter dicens: Vere ego peccavi Domino Deo Israel.* (Achan salvus.)

Dubitat tamen S. August. cuius verba citabo vers. 25.

(Vis pœnitentiæ.) Moral. disce hic quanta sit vis pœnitentiæ, de qua Tertul. lib. de Pœnit. cap. 9. *Tantum, ait, relevat confessio delictum quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis, disciplina est conversationem iniungens misericordiæ illicem.*

S. Ambros. in Psalm. 37. *Plurimum, ait, suffragatur reo verecunda confessio; et pœnam quam evitare non possumus, pudore sublevamus.*

S. August. in Psalm. 66. *Ut nobis peccatorum vulnera numquam deesse possunt, sic et confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus ut confiteamur peccata nostra, quod ea ipse scire non possit: sed quia diabolus hoc desiderat, ut inveniat quod nobis ante tribunal Iudicis æterni obiiciat. Ideo vult ut magis defendere, quam accusare peccata nostra velimus. E contrario autem Deus noster, quia misericors est, vult ut ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit: si nos agnoscimus, ille ignoscit.*

S. Chrysost. serm. de Pœnit. et Confess. *In externis, ait, iudiciis post confessionem confusio et pœna: in divino virtus, iustitia, merces et absolutio; idcirco Psaltes suspirans istud ipsum, ne quis veritus pœnam post confessionem neget peccata, Confitemini, ait, Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Et* Psal. 117.
Propheta, Dic tu prior iniquitates tuas ut iustificeris.

Origen. homil. 2. in Psalm. 37. *Sicut hi, inquit, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut copiam humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste imminentem, si vomuerint relevantur: ita etiam hi qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam.* Sic Serapion confessione expiavit non tantum furtum suum, sed et furandi cupiditatem, uti narrat Cassian. coll. 2. ca. 11.

Vidi enim inter spolia pallium coccineum.) Hebr. Vers. 21.
Pallium Sennaar, id est Babylonium. Babylon enim erat in terra Sennaar. Genes. 10. 2. Ita Chald. Masius, Caietan. Vatabl. et alii. Noster et nonnulli Hebræi coccineum vel purpureum vertunt. Nam Persarum, finitimarumque gentium luxum eo se ostentare solere vel ex eo constat, quod captis ab Alexandro Magno Susis, illic inventa fuerint 10. millia pondo, sive talenta purpuræ Hermionicæ, teste Plutarcho in Alexandro: Iosephus vocat chlamydem regiam, totam auro contextam. Vestis enim Regum erat purpura.

Regulamque auream quinquaginta siclorum.) Hebr. *Linguam auream* 50. *siclorum*, hoc est laminam auream, in linguæ formam fusam vel extensam, quæ ponderabat et valebat ducentos aureos. Siclus enim aureus appendebat quatuor drachmas Atticas, hoc est quatuor aureos, sive dimidiam unciam auri; sicut siclus argenteus appendebat quatuor drachmas argenti, sive quatuor Iulios Romanos, vel quatuor regales Hispanicos. Quare siclus aureus valebat duodecim siclos argenteos, ut colligitur 1. Paralipom. 21. 25. collato cum 2. Reg. ult. 24. Nam aurum argenti esse duodecuplum, sive unam unciam auri valere 12. uncias argenti docet Plato in Hipparcho. Ergo tota sacrilegii Achan materia quadringentorum aureorum non excedebat pretium, et tamen tantam Deo offensionem et iram, tantamque publicis rebus calamitatem attulit.

Porro quod noster Vilalpando in Apparatu, parte 2. lib. 2. disp. 4. cap. 23. opinatur, et multis contendit regulam sive laminam hanc fuisse gladium idoli cuiusdam, v. g. Martis; ideoque Deum tam acriter punivisse Achan eum suffurantem, coniectura est levibus et incertis subnixa indiciis.

Moral. disce hic quam cupida, avidaque et effrænis sit avaritia, adeoque quam Iosue facilius fuerit sistere Solem et Lunam, quam cohibere avaritiam. Audi S. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 26. *Iesus Nave, inquit, qui potuit solem sistere, ne procederet, avaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem eius sol stetit, avaritia non stetit. Sole itaque stante confecit Iesus triumphum; avaritia procedente pene amisit victoriam.*

Contra medium tabernaculi mei.) Hebr. *In medio tabernaculi mei.*

Proiecerun tque ante Dominum.) Id est ante arcam Vers. 23.
et tabernaculum, quod erat quasi domus et solium Dei inter Hebræos habitantis. Ibi ergo proiecerunt hæc sacrilegia, ut Domino redderentur, quæ Achan sacrilege abstulerat, sibique vendicarat.

Ad vallem Achor.) Quæ scilicet paulo post dicta Vers. 24.
est *Achor*, id est turbationis, eo quod Achan turbator Israelis ibi e vita exturbatus sit, ut patet vers. ult.

Quia turbasti nos, exturbet (Hebr. *exturbabit*) Vers. 25.
te Dominus.) E castris Israel, æque ac e vita, hoc est te reum plectat, lapidet et comburat. Loquitur Iosue ut Iudex sententiam in Achan reum et confessum pronuntians, non ut exitium imprecans. Unde videtur limitare

eam ad mortem præsentis vitæ, ut vitet æternam in gehenna.

Lapidavitque eum omnis Israel.) Quæres, quomodo Hebræi lapidarunt sacrilegum Achan, cum eum Deus vers. 15. iusserit igne comburi velut anathema? S. August. hic quæst. 9. per ignem intelligit lapidationem, quod per illam velut ignem expiaretur omnis sacrilegii culpa. *Duæ*, ait, *causæ mihi occurrunt, propter quarum alteram Iosue non combussit hunc Achan. Aut enim vere pœnituit, et ita dignus non erat igne gehennæ, idcirco nec igne voluit eum Iesus comburere; aut non pœnituit vere, et ita fuit æterno igne torquendus. Ideo illam pœnam ignis reservavit Iosue Domino, et ipse aliam pœnam, scilicet lapidationem inflixit.*

Verum facilior et planior responsio est, Achan et lapidatum fuisse et combustum. Dum enim rogus ille iussu Dei struitur, inceditur, conscenditur, populus sceleri et scelesto indignans, ac placandi numinis avidus, ut Achan quasi catharma, et communem Israelis perniciem a se propelleret, a lapidibus manus continere non potuit, quin eum ut sacrilegum et anathemati addictum lapidaret, lapidatum deinde igni tradiderunt (licet noster Serarius censeat Achan prius vivum combustum, deinde cineres eius lapidibus obrutos fuisse.) Unde sequitur:

Et cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.) *Cuncta*, scilicet boves, oves, asini, tabernaculum, supellex, quin et filii et filiæ; hos omnes enim nominavit vers. 24. Unde patet cum Achan filios quoque et filias; Adde et uxorem (licet id neget Abulens.) hæc enim cum marito censetur esse una caro, unaque persona (sic enim factum est uxoribus Core, Dathan, et Abiron, Numer. 16. 27.) fuisse combustos. Achan enim erat Israelis anathema, quod totum cum omnibus suis perimendum erat. Ita Abulens. hic quæst. 68 licet ipse eos non igne, sed lapidibus obrutos putet.

Dices: quo iure peccante patre cum eo plectuntur filii et filiæ? Nam Deus Ezech. 18. sanxit: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Resp. verisimile est filios et filias Achan grandiores furto paterno consensisse et cooperatos esse, abscondendo res ab eo furto sublatas ex cupiditate et avaritia. Ita Procopius. Si qui eius filii et filiæ parvuli fuerunt et infantes, adeoque a furto immunes et innocentes, hi tamen iuste quoque a Deo cum patre nocente occidi iussi sunt, quia Deus est absolutus vitæ necisque omnium, etiam innocentum Dominus, atque ob culpam saltem originalem, mortis reatu et debito quandocumque et quomodocumque (id est quocumque mortis genere) Deus volet, solvendo, omnes etiam infantes illi obstringuntur; sic igitur hic quoque Deus filios Achan paterni criminis non conscios pari cum patre pœna damnavit, ut eo gravior esset patris pœna, quo ipse ob suam culpam videbat infantes quoque suos secum plecti; ac ut tali supplicio, talique anathemate omnia castra metu Dei percellerentur, ne quis deinceps tale quid attentare auderet. Vide Deuter. 13. 15. ubi iubetur urbs tota perimi, statuique anathema, ex qua egressi sunt idololatræ dicentes et docentes: *Serviamus diis alienis.* Sic Num. 31. 17. iubet Deus omnes Madianitas masculos, etiam parvulos interfici, eo quod ipsi Hebræos impulerint ad cultum Beelphegor. Sic 2. Reg. 21. Nepotes Saulis ob eius scelus vivi fuere crucifixi.

Porro notat Abulen. quæst. 31. Deum nusquam iubere filios occidi ob culpam parentum post eorum necem, sed ipsis adhuc viventibus, ut scilicet parentes viventes filiorum cædem sentiant et doleant, itaque in filiis puniantur. *Solum*, inquit Abulen. *puniuntur peccata patrum in filios, eis viventibus, post mortem autem patrum quicquid accidat filiis, iam non est pro peccatis patrum, sed pro suis; quia pater non posset puniri in filiis post mortem, cum pœnam illorum non agnoscat, cum nesciat an nobiles, an ignobiles sint, ut dicitur* Iob 14. de mortuo: *sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget.*

Moraliter: Disce hic quam grave et tetrum sit peccatum, quamque Dei oculos offendat, utpote quod morte etiam innocentum expiandum fuit, ac morte ignis: verisimile est enim eos omnes non prius strangulatos, sed vivos fuisse combustos.

Audi S. August. hic quæst. 8. alia hic Dei iudicia expendentem, et tres huius supplicii causas assignantem. Prima est: *Non enim aliquid, quantum attinet ad universi mundi administrationem, contingit mortalibus, cum moriuntur quandoque morituri: et tamen apud eos qui talia metuunt disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, et tanquam unius corporis, et unius hominis, alia pro aliis sint membra sollicita.* Et nonnullis interiectis secundam causam assignat: *Simul etiam ostenditur, quanta connexa sit in populi societate ipsa universitas, ut non in seipsis singuli, sed etiam tanquam partes in toto existimentur: per unius igitur peccatum, mortemque paucorum admonitus est populus universus, tanquam in corpore universo quærere quod amissum est.* Tertiam denique subiicit: *Simul etiam significatum est quantum mali fieret, si universa illa congregatio peccasset, quando ne unus quidem ita potuit iudicari, ut ab eo possent ceteri esse securi.* Subdit deinde August. id Iosue vel alteri homini iudici non licere, sed soli Deo, *Qui potens est etiam post mortem, quod homo non potest, liberare vel perdere;* sed tamen Deum post mortem neminem perdere ob patris, sed solum ob propriam eius culpam. Gravitas peccati.

Moral. disce hic, quam acriter Deus vindicare soleat sacrilegia. Sic Heliodorus templi pecuniam auferre satagens ab Angelis flagellatus, vix precibus Oniæ Pontificis mortem evasit. 2. Machab. 3. 26. lege horrendam Antiochi Epiphanis sacrilegi mortem. 2. Machab. 9. vers. 5. et seq. Et sacrilegii.

Leo Constantini Copronymi filius, religiosus quidem Imperator et pius ab initio; verum ubi coronam Ecclesiæ a Mauritio donatam gestasset, carbunculi morbo percussus, ardenti febre tandem extinctus est, teste Zonara tom. 3. et Glyca 4. p. Annal.

Petrus Aragonum Rex Tarraconensem Ecclesiam invadens, a S. Thecla eius protectrice sibi apparente alapa percussus sensim extabuit, ac moriens facti pœnitens iussit Tarraconæ Episcopum in pristinas possessiones restitui. Ita habet vita S. Theclæ, et S. Hieron. Surit. lib. 10. Annal. cap. 39. Exempla sæcularium.

Princeps Capuanus direptor bonorum Ecclesiæ cœnobii montis Cassini, anno Domini 1078. cæcitate percussus fuit, uti narrat Leo Ostien. lib 3. histor. montis Cassini c. 45.

Iulianus avunculus Iuliani Imper. Apostatæ, cum suis Quæstoribus Felice et Elpidio inauditis morbis lethalibus ictus, ob direptum magnum Antiochiæ templum miserrime interiit, uti narrat Niceph. lib. 10. cap. 29.

Magis horrendum est quod ex B. Petro Damiani narrat Baron. tom 11. ad annum Christi 1055. Comitem quendam Germaniæ ob occupata et distracta bona Ecclesiastica, ad inferos cum heredibus damnatum, ibi crepitantibus flammis exuri.

Porro eiusdem anathematis et sacrilegii rei sunt Religiosi, qui contra votum paupertatis bona monasterio communia surripiunt, et sibi appropriant: Religioso enim proprium habere non licet, talesque ut anathemata exterminandi sunt. Sic S. Petrus Ananiam et Sapphiram, quod contra votum partem pretii ex agro vendito sibi retinuissent, morte punivit. Actor. 5. Narrat S. Hieron. Epist. 22. ad Eustoch. Monachum quendam morientem reliquisse centum solidos, quos texendo lino acquisierat, quos Macarius, Pambo et Isidorus, ceterique seniores decreverunt infodiendos esse cum eodem dicentes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Unde tantus, inquit, cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis. S. Gregor. l. 4. dial. cap. 55. narrat se, cum Abbas esset, copiosum monachum, qui tres aureos occultaverat, morientem a nemine visitari, sed ab omnibus vitari iussisse, ac mortuum in sterquilinio sepeliri, eique ab omnibus acclamari: *Pecunia tua sit tecum in perditionem.* Auctor sermonum ad fratres in Eremo apud S. Augustin. Religiosorum.

tomo 10. serm. 5. iussit Ianuarium monachum, cum centum et undecim siclis, quos in cella absconderat, sepeliri; omnesque flendo ei intonare: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Plura vide apud nostrum Iacobum Alvarez tract. de paupertate lib. 5. p. 1. c. 5.

A Congregaverunt super eum acervum magnum lapidum.) Alia est hæc lapidatio ab illa, de qua vers. 25. illa enim facta est vivo Achan, hæc mortuo; ut scilicet per eam acervus lapidum erigeretur, in perpetuum lapidationis prioris et vindicati sacrilegii monumentum. Vers. 26.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue metum fugamque simulans, Haienses ex urbe Hai ad se insequendum elicit, quibus egressis, a tergo latentes in insidiis, in urbem civibus vacuam immittit. Quare in Haienses egressos conversus, eos trucidat, urbemque concremat, ac spolia inter suos dividit. Secundo vers. 30. fœdus populi cum Deo instaurat, ac benedictiones legis observatoribus promissas, et maledictiones eius transgressoribus comminatas in montibus Garizim et Hebal proclamari iubet, iuxta iussa Mosis, Deuteron. 27.

1. Dixit autem Dominus ad Iosue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens ascende in oppidum Hai. Ecce tradidi in manu tua Regem eius, et populum, urbemque et terram. 2. Faciesque urbi Hai, et Regi eius, sicut fecisti Iericho, et Regi illius: prædam vero, et omnia animantia diripietis vobis: pone insidias urbi post eam. 3. Surrexitque Iosue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai: et electa triginta millia virorum fortium misit nocte, 4. Præcepitque eis, dicens: Ponite insidias post civitatem: nec longius recedatis: et eritis omnes parati. 5. Ego autem, et reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, et terga vertemus: 6. Donec persequentes ab urbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere sicut prius. 7. Nobis ergo fugientibus, et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. 8. Cumque ceperitis, succendite eam, et sic omnia facietis, ut iussi. 9. Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel et Hai, ad Occidentalem plagam urbis Hai: Iosue autem nocte illa in medio mansit populi, 10. Surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. 11. Cumque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad Septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media. 12. Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai, ex Occidentali parte eiusdem civitatis: 13. Omnis vero reliquus exercitus ad Aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis Occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Iosue nocte illa et stetit in vallis medio. 14. Quod cum vidisset Rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiæ. 15. Iosue vero et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam. 16. At illi vociferantes pariter et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate, 17. Et ne unus quidem in urbe Hai et Bethel remansisset qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquentes,) 18. Dixit Dominus ad Iosue: Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. 19. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: et pergentes ad civitatem, ceperunt, et succenderunt eam. 20. Viri autem civitatis, qui persequebantur Iosue, respicientes et videntes fumum urbis ad cælum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere: præsertim cum hi qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent. 21. Vidensque Iosue et omnis Israel quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai. 22. Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur, 23. Regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Iosue. 24. Igitur omnibus interfectis, qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus reversi filii Israel percusserunt civitatem. 25. Erant autem qui in eodem die conciderant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai. 26. Iosue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai. 27. Iumenta autem et prædam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Iosue. 28. Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum: 29. Regem quoque eius suspendit in patibulo usque ad vesperam et solis occasum. Præcepitque Iosue, et deposuerunt cadaver eius de cruce: proieceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. 30. Tunc ædificavit Iosue altare Domino Deo Israel in monte Hebal: 31. Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Moysi: Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas. 32. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel. 33. Omnis autem populus, et maiores natu, ducesque ac iudices stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita et indigena. Media pars eorum iuxta montem Garizim, et media iuxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israel. 34. Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine. 35. Nihil ex his quæ Moyses iusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis et advenis, qui inter eos morabantur.

Vers. 1. **TOLLE TECUM OMNEM MULTITUDINEM PUGNATORUM.**) Ut totis viribus adoriaris Hai, et inde reliquas Chananææ urbes, utque Hebræis priore suorum clade consternatis animos addas, ne putent se ob paucitatem fuisse cæsos, ac denique ut omnes prædæ et spoliorum Haiensium participes efficias.

Vers. 2. FACIESQUE URBI HAI ET REGI EIUS, SICUT FECISTI IERICHO ET REGI ILLIUS.) Ut omnes domos urbis comburas, et cives omnes occidas una cum Rege, uti fecisti in Iericho.

Vers. 3. ET ELECTA TRIGINTA MILLIA VIRORUM FORTIUM MISIT NOCTE.)

Vers. 4. PRÆCEPITQUE EIS DICENS: PONITE INSIDIAS POST CIVITATEM.) Dices, vers. 12. dicitur Iosue posuisse in insidiis quinque millia virorum dumtaxat, quomodo ergo hic insidiis dantur triginta millia? Resp. cum Abulensi insidias hasce universim fuisse triginta millium, uti hic dicitur, sed ex iis deputata fuisse quinque millia dumtaxat, quæ Haiensibus urbem egressis ad Hebræos persequendum, urbem a tergo ingrederentur, eamque succenderent: B reliqua vero 25. millia ad hoc destinata fuisse, ut se cum Iosue contra Haienses aperto iam marte pugnante lateraliter coniungerent, et ut insidiis quinque millium urbem invasuris, si illæ detegerentur, aut invaderentur, essent auxilio: unde iis præcepit dicens:

NEC LONGIUS RECEDATIS, ET ERITIS OMNES PARATI.) Ad insidias quinque millium, si invadantur, defendendum, vel si id non fiat, ad mecum contra Haienses pugnandum. Denique ut Haienses undique cingatis, et fugientes excipiatis et occidatis, ne quis effugiat.

Vers. 5. CUMQUE EXIERINT CONTRA NOS, SICUT ANTE FECIMUS (revera fugiendo) FUGIEMUS ET TERGA VERTEMUS.) Fugam simulando.

Vers. 6. DONEC PERSEQUENTES AB URBE LONGIUS PROTRAHANTUR.) Fuga ergo hæc materialis erat dumtaxat, non formalis, uti fuerat prior ob stragem ab Haiensibus editam. C *Fugiemus* ergo, hoc est ut sequitur *terga vertemus*, et retrorsum curremus, quasi territi, et cædi metuentes uti prius. Quare erat hic simulatio fugæ potius, quam fuga. Estque hoc stratagema familiare militibus in præliis. Simulant enim fugam ut hostem ex urbe extrahant, ac extractum cingant et cædant.

An simulatio fugæ sit mendacium?

Quærit hic S. August. An hæc simulatio sit licita? Videtur enim esse mendacium, quod semper est turpe et illicitum: sicut enim mendacium fit verbis, sic et factis, ac tum dicitur simulatio, quæ non est aliud quam mendacium in actionibus vitæ; scilicet cum quis per has intendit aliud significare, quam interius in animo sentit, uti faciunt hypocritæ, qui simulant sanctitatem, ut alios decipiant, eorumque gratiam sibi concilient. Resp. esse licitam, quia ut recte notat Caietan. mendacium non tam facile committitur factis, quam verbis: Verba enim proprie instituta sunt ad significandum mentis conceptus, non facta; unde verba determinatam et præcisam habent significationem, quæ si mentis conceptui adversetur est mendacium; facta autem latam et indeterminatam, imo dubiam et ambiguam sæpe habent significationem: Quare D etiamsi videantur mentis conceptui adversari, revera tamen non adversantur, ac proinde nec continent mendacium. v. g. Si Iosue hic verbis dixisset Haiensibus: Nos metu vestri fugimus, quia timemus a vobis cædi; mentitus fuisset. Iam autem hoc non dixit verbis, sed factis hoc visus est dicere, sed revera non dixit. Fugit enim, hoc est retrocessit, non ut significaret se metuere Haienses, ideoque fugere, sed ut eos ex urbe eliceret ad se insequendum, ac insequentes cingeret et mactaret. Hoc enim vere intendebat, non aliud, et hoc vere significabat hæc materialis eius fuga, id est retrocessio: non ergo mentiebatur, quia quod facto significabat, hoc corde intendebat. Sciebat tamen Haienses aliter suam hanc fugam interpretaturos, scilicet se fugere metu cædis, itaque decipiendos; sed hanc eorum deceptionem ipse facto suo non significavit, nec formaliter intendit, sed tantum fieri permisit ob suum commodum, ut scilicet eos ex se deceptos ipse caperet et oc-A cideret. Idem quotidie fit in præliis: unde communis militum hominumque est sensus in huiusmodi stratagematibus bellicis nil esse vitiosum, nullumque mendacium, sed ingeniosam industriam ad hostes superandum, parandamque victoriam. Quare talis fuga communi militum æstimatione non censetur esse fuga, sed simulatio fugæ, atque simulationem facto ipso præ se ferre et significare, non autem veram fugam. Nullum ergo in fuga hac est mendacium, quia ipsa ex communi hominum usu et æstimatione non fugam, sed simulationem fugæ dumtaxat indicat et significat. Simulatam enim fugam aliter significare nequeunt milites, quam simulate fugiendo, quod dum faciunt significant id quod in corde intendunt, ac proinde non mentiuntur, licet hostes putantes eos vere fugere fallantur et decipiantur; sed id fit non ex significatione militum, sed ex suspicione et imprudenti temerarioque iudicio hostium, cuius culpam et pœnam ipsi sibi imputent, non aliis. Celebre est Platonis dictum: *Hostes industria magis et arte vinci, quam viribus*, quorum alterum Ducis est, alterum militum.

Audi Leonem Imper. in Tacticis cap. 20. num. 185. *Insidiæ omnes vehementiores habent impetus, quam cæteræ incursiones: eæ tamen quæ a tergo fiunt, longe vehementissimæ. Nam huiusmodi insidias aliquando si comparaveris, longe meliores efficacioresque videbis esse iis quæ a latere fiunt.* Et num. 8. *Alia*, inquit, *inimicis dicito, alia ipse facito. Res graves atque secretas cum multis ne communices, sed paucis iisque fidelioribus amicis tuis. Ita enim hostes decipere sæpe necessarium esse diximus.* Et num. 53. *Ad omnes vitæ partes, præterquam in bello, incallidum te esse præcipimus, ibi autem, et in iis te imperatoriis consiliis dolus adiuvat, ubi hostes eo decepturus es.* Iuxta illud:

Dolus, an virtus quis in hoste requirat?

Ratio est, quod hic nulla iniustitia intervenit, nec fides data hosti frangitur, sed solertia et prudentia militari res geritur, qua fit ut et hostibus belli consilia occultentur, ac victoria certior securiorque sit, et minori militum iactura comparetur. Quocirca Xenophon in Hipparcho, *Nihil*, ait, *in bello utilius dolis.* Antigonus rogatus quomodo essent hostes aggrediendi, dixit: *Aut dolo, aut vi; aut aperte, aut insidiis.* Lysander: *Si*, inquit, *in præliis leonina pellis sufficere non possit, induenda certe vulpina est.* Ammianus lib. 17. refert ex Rege Sapore, *Esse quosdam qui prosperos belli eventus, seu viribus, seu insidiis contigissent, maxime laudabant.* Agesilaus apud Plutarch. *Hostes*, dicebat, *in bello fallere, non iustum solummodo valdeque gloriosum, sed etiam suave et lucrosum esse.* Brasidas insignis Dux, apud Thucydidem lib. 5. asserebat: *Illa belli furta pulcherrimam laudem habere, per quæ hostes maxime decipiuntur, et amici plurimum iuvantur.* Generosior tamen est pugna et victoria, si aperto marte confligatur et hostis superetur. Unde cum Alexandro Magno Dux quidam suaderet, ut noctis occasione contra Darium uteretur: *Absit*, inquit, *meum non est suffuratas quærere victorias.* In eadem sententia erat virgilianus ille Turnus, Æneid. 9. ubi detestatus veteres Græcorum insidias, et apertas Latinorum pugnas Troianis comminatus, sic inculcat:

Tenebras et inertia furta
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cæca condemur in alvo.
Luce palam certum est igni circumdare muros.

Antiochus illustrem victoriam de Galatis per insidias consecutus, illacrymavit dicens, ut habet Alciatus, Embl. 123.

Ut superasse iuvat, sic superasse pudet.
Nemo, inquit, *mentis altæ clanculum velit occidere hostem.*

IOSUE MANSIT IN MEDIO POPULI.) Rex ergo sit in medio regni, quasi centrum in circulo, ut omnia circumcirca æque circumlustret, curet, dirigat, administret, sicut cor est in medio hominis, et sol in medio mundi. Vide Iulium Frontonem libris quatuor quos scripsit de strata- Vers. 9.

Insidiarum exempla. gematibus; ac lib. 2. c. 5. multa insidiarum exempla recenset. Accipe pauca e multis. Tomiris Scytarum Regina Cyrum Persarum ducem æquo marte certantem, simulato metu elicuit, ad notas militi suo angustias, atque ibi repente converso agmine natura loci adiuta devicit.

Ægyptii conflicturi acie in eis campis, quibus iunctæ paludes erant, alga eas contexerunt, commissoque prælio fugam simulantes, hostes in insidias sevocaverunt, qui rapidius vecti per ignota loca, limo inhæserunt, circumventique sunt.

Maharbal vinum infecit mandragora, quæ soporem infert; nocte deinde intempesta, relictis intra castra quibusdam sarcinis, et omni vino infecto, fugam simulavit: cumque barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum avide merum hausissent, et in modum defunctorum strati iacerent, reversus cepit eos ac trucidavit.

Hannibal cum sciret sua et Romanorum castra in eis locis esse quæ lignis deficiebantur, ex industria in regione deserta plurimos armentorum greges intra vallum reliquit: qua velut præda Romani potiti, in summis lignationis angustiis insalubribus se cibis onerarunt: Hannibal reducto nocte exercitu, securos eos et semicruda graves carne maiorem in modum vexavit.

Alexander Macedo, cum hostis in saltu editiore castra communisset, seducta parte copiarum, præcepit his, quos relinquebat, ut ex more ignes excitarent, speciemque præberent totius exercitus: ipse per avias regiones circumducta manu, hostem superiore aggressus loco depulit.

Iapyges P. Lycinio Proconsuli pagos quoque sub specie deditionis obtulerunt, qui recepti, et in postrema acie collocati terga Romanorum ceciderunt.

Scipio Africanus cum adversa haberet bina hostium castra, Syphacis et Carthaginensium, statuit Syphacis, ubi multa alimenta erant, aggredi nocte, ignemque iniicere, ut ex ea re Numidas quidem ex suis castris trepidantes cæderet. Pœnos autem, quos certum erat ad succurrendum sociis procursuros, insidiis dispositis exciperet. Utrumque ex sententia cessit. Hæc omnia hisce Iosuanis insidiis sunt persimilia, ac ducum magnorum stratagemata.

Vers. 10. Recensuit socios;) tum ut ex eis ordinaret aciem per centurias militum contra Haienses pugnaturas; tum ut ex inito numero postea constaret, num quis in pugna futura occubuisset, et quot illi forent; tum denique ut paucas militum turmas præmitteret, maiorem vero partem exercitus longiuscule subsequi iuberet, ne ab Haiensibus conspici posset. Si enim Haienses totum exercitum Hebræorum, qui erat sexcentorum millium vidissent, consternati fuissent, nec ausi urbe egredi: iam autem videntes paucitatem eorum, qui præmittebantur, ausi fuere eos invadere, uti fecerant prius.

Vers. 12. Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai.) Eo ordine et fine, quo dixi vers. 3. scilicet ad urbem civibus egressis vacuatam invadendam et occupandam. Pro *Bethel* perperam Septuag. habent *Bethaven. Bethel* enim legendum cum Hebr. Chald. et Roman. æque ac v. 9.

Vers. 13. Omnis vero reliquus exercitus ad Aquilonem (urbis Hai) aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis Occidentalem plagam urbis attingerent.) Pro *novissimi*, Hebr. est עקבי *icbe*, quod Chald. Masius, Pagnin. et Vatabl. vertunt *insidias*. Radix enim עקב *ekeb*, significat calcaneum, inde עקב *akab*, est supplantare, insidiari, decipere: unde *Iacob* idem est quod *supplantator*. Verum Noster, Septuag. Arias et alii melius vertunt *extremi* vel *novissimi*. Hebr. enim עקב *ekeb*, quia significat calcaneum, quæ extrema hominis est pars, hinc significat rei extremum et novissimum. Sensus ergo est, q. d. Iosue direxit aciem exercitus sui ad Aquilonarem urbis Hai partem, ita tamen ut ultimum agmen, sive novissimi ad Occidentalem urbis partem, ubi latebant insidiæ, se dilatarent, ut scilicet insidiis se iungere, et si opus esset auxilium ferre possent. Eodem ergo redit sensus, sive vertas insidias, sive vertas novissimos; insidiæ enim erant ad Occidentem, ibi pariter erant novissimi eo se dilatantes.

Abiit ergo Iosue nocte illa (cum toto reliquo exercitu) et stetit in vallis medio.) Videtur hic versus pugnare cum v. 9. ubi dicitur: *Iosue autem nocte illa mansit in medio populi.* Sed resp. non pugnare. Est enim hic Anacephalæosis, sive recapitulatio. Hic ergo fuit rei gestæ ordo: Iosue noctu præmissis insidiis, eas cum toto populo eadem (non sequenti, ut vult Masius) nocte subsecutus est ad dimidium vallis, quæ media erat inter ipsum et urbem Hai; sed ita ut maior exercitus sui pars non ita foret conspicua, ac vel colle, vel fossis, curribus aut sylvis tegeretur, ne Haienses tantam multitudinem cernentes terrerentur, nec urbe egredi auderent. Mansit ergo Iosue nocte illa in medio populi sive castrorum, sed sub finem noctis, puta summo mane paucis secum delectis sociis versus urbem contendit, ut Haienses foras pelliceret. Quod ergo hic ait, *Nocte illa*, intellige finiente, hoc est in aurora, sive summo mane in crepusculo. Haienses igitur videntes eum cum paucis, illico in eum ex urbe eruperunt, ac a multitudine Hebræorum sensim se aperiente circumventi, omnes ad unum cæsi sunt.

Discat hic dux belli a Iosue esse vigil et matutinus, atque audiat Leonem Imper. in Tacticis cap. 2. num. 4. *Sobrium autem et vigilantem esse decet, ut in maximo acierum apparatu animo quasi excubet. Nocte enim quando animus maxime requiescit, Imperatoris sæpe sententia versando mutatur, sæpe cogitando confirmatur.*

Contra desertum,) id est contra aciem Iosue, quæ veniebat ab Aquilonari urbis parte, ubi pariter erat desertum, vel ut alii vertunt locus campestris: utrumque enim significat Hebr. ערבה *araba*, Hebr. addunt למועד *lammoed*, id est ad tempus constitutum, scilicet illa hora quæ eruptioni a Rege erat indicta. Vers. 14.

Iosue vero et omnis Israel cesserunt loco simulantes metum,) id est fugam ex metu, quasi fingerent metuentes cædi ab Haiensibus uti prius ab eis cæsi fuerant. Hebr. est ויגנעו *vainagheu*, id est *percussi sunt*, hoc est simularunt se percuti, vel ita se gesserunt ac si percuterentur et fugarentur. Sic enim Hebræi sua verba sæpe per videri vel apparere exponunt. Vers. 15.

At illi vociferantes pariter, et se mutuo exhortantes persecuti sunt eos.) Fideliter Interpres reddit sensum, etsi non verbum verbo. Ad verbum enim Hebr. est: *Et evocati vel exciti sunt omnis populus in civitate, persequendo eos.* q. d. Haienses urbe egressi, videntes Hebræos fugere, suo clamore exciverunt omnes qui in urbe manserunt, ad persequendum eos, ita ut nullus in urbe remaneret. Vers. 16.

Et ne unus quidem in urbe Hai et Bethel remansisset.) Vide hic temeritatem et stoliditatem Haiensium, ortam ex præfidentia prioris victoriæ. Debuerant enim ad urbis tutelam aliquos relinquere, ac portas eius claudere, ne per insidias Hebræi illam occuparent; sed excæcati a Deo volente eos tradere Hebræis, neutrum fecerunt. Vers. 17.

Dixit Dominus ad Iosue: Leva clypeum, qui in manu tua est contra urbem Hai.) Pro *clypeum*, Hebr. est כידון *kidon*, quod Iosephus quoque, Symmach. et Theodor. vertunt *clypeum*. Septuag. vero Chald. et recentiores vertunt *loricam*, vel *telum*, aut *hastam*, aut *vexillum*. Verisimile est Iosue clypeum hasta in altum sustulisse, ut ab insidiis a tergo urbis a se dispositis conspici posset; illudque eis signum a Iosue fuisse datum (licet Script. id non exprimat) quo admonerentur, urbem civibus egressis vacuam a tergo invadere. Vers. 18.

Erat secundo hæc clypei a Iosue elevatio, signum præsentis opis, virtutis et ultionis divinæ, sicut et elevatio manuum Mosis contra Amalec, dum Iosue cum eo pugnaret; unde et altare a se in victoriam erectum vocavit: *Dominus exaltatio mea*, vel *Dominus vexillum meum.* Exodi 17. 12. et sequenti. Vide ibi dicta. Hinc clypeum eousque in altum elevatum tenuit Iosue, quousque

omnes Haienses cæderentur, ut dicitur vers. 26.

Porro S. Hieron. (si tamen ipse est auctor) quæst. in libros Regum, asserit locum hunc in quo clypeum extulit Iosue, esse aream illam, in qua arcam nutantem tangens tenensque Oza a Deo percussus occubuit. 2. Reg. 6. unde. 1. Paral. 13. 9. vocatur area *Chidon.*

Elevatio clypei fuit signum Christi crucifixi. Allegor. Origen. Iosue sive Iesus protendit manus versus Hai, id est mundum a dæmone vastatum, ac vastationi (hanc enim significat Hebr. Hai) et excidio ob scelera a Deo addictum, quando IESUS CHRISTUS manus suas cruci affixit, et affixas tenuit, donec omnis contra dæmonem et mundum victoria consummaretur.

Audi S. August. serm. 93. de Temp. extensionem manuum Mosis contra Amalec (quod multo magis Iosuanæ hic elevationi hastæ competit) extensioni manuum CHRISTI in cruce contra diabolum allegorice adaptantem: *Advertite fratres: Moyses manus quidem levat, non tamen extendit; Cui ergo servabatur ut manus extenderet, nisi Domino nostro* IESU CHRISTO, *qui extentus in cruce universum orbem complexurus, brachia pietatis expandit? Moyses ergo levavit manus, et licet non expandit, tamen ista elevatione mysterium crucis ostendit. Videte, fratres, iam tunc per sacramentum crucis superatas esse adversarias gentes. Et nos fratres dilectissimi, si adiuvante Domino manus erigimus, diabolum superamus. In manibus opera debemus accipere. Si ergo talia sunt opera tua, ut illa possis in altum in conspectu Domini levare, potes etiam et tu in teipso adversarios tuos extinguere. Quis bene manus levat, nisi qui per eleemosynam iugiter in cælo thesaurizat?*

Porro apte clypeus in hasta repræsentat crucem CHRISTI, quia crux nobis est clypeus et hasta: ipsa enim omnia arma tam defensiva quam offensiva subministrat. Ipsa enim est clypeus nobis ad repellendum omnes tentationes carnis et dæmonis. Ipsa est hasta ad carnem configendam et domandam.

Vers. 19. SUCCENDERUNT EAM.) Ignem iniicientes in aliquas Haiensium domos, ut fumum excitarent, quo signum darent Iosue et Hebræis a se captam iam esse urbem. Nam postea Iosue rursum totam urbem iussit cremari vers. 28.

Vers. 20. VIDENTES FUMUM URBIS AD CÆLUM USQUE CONSCENDERE.) *Ad cælum*, id est altissime. Est hyperbole. Sic Poeta ait: *It clamor cælo.* Et: *Aurea fœmineus perstringit sidera clamor.*

NON POTUERUNT ULTRA HUC ILLUCQUE DIFFUGERE.) Habebant enim a tergo urbem suam Hai iam ab hoste incensam, a sinistra alteram insidiarum triginta millium partem, a fronte vero et a dextera totum reliquum Israelitarum exercitum, qui ab ortu ad meridiem se distendentes fugam paulo ante simularant, iam vero conversi eos invadentes undique cingebant, quod fuit consilium Iosue, ut nemo hostium evaderet.

Hebr. habent. *Non erant eis ad fugiendum*, ידים *iadaim*, id est *manus*, id est *locus;* ita Masius et Pagnin. vel *facultas;* ita Chald. et Vatabl. Utrumque enim significat *iadaim*, scilicet et locum, et vires sive facultatem.

Vers. 27. PRÆDAM CIVITATIS DIVISERUNT SIBI FILII ISRAEL.) In Iericho præda omnis fuit combusta, quia Deus eam statuerat anathema ad terrorem ceterarum urbium. In Hai vero Deus prædam dedit Hebræis, ut eos pauperes ditaret, et animaret ad secutura prælia.

Vers. 28. QUI SUCCENDIT URBEM, ET FECIT EAM TUMULUM SEMPITERNUM.) Hebr. *Excussit Iosue Hai, redegitque eam in acervum perpetuum, et in desolationem usque ad diem hanc;* Chald. *Fecit eam cumulum desolatum in perpetuum ad vastitatem.* Pro *sempiternum.* Hebr. est עולם *olam*, quæ vox sæpe non æternum nec perpetuum significat, sed longum tempus, quod tamen insigni quapiam rerum conversione interrumpatur. Sic Hai hic iuxta nomen suum a Iosue vastata et vasta, rursum post mille annos ædificata et habitata fuit tempore Esdræ et Nehemiæ cap. 11. 31. quando videlicet nova post captivitatem Babylonicam videbatur esse ætas, novumque sæculum.

In Hai ergo impletum fuit illud Isaiæ 24. 10. *Attrita est civitas vanitatis, deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ.* Vide ibi dicta.

Vers. 29. REGEM QUOQUE EIUS SUSPENDIT IN PATIBULO.) Sept. *In ligno gemino.* In cruce enim et patibulo duo sint ligna oportet, unum erectum, alterum transversum, sive instar crucis, sive instar litteræ Græcæ τ aut Hebrææ ד. quod Origen. hic homil. 8. Alleg. de CHRISTI cruce interpretatur. CHRISTI crux, ait, gemina fuit, hoc est gemina et duplici ratione constat: quia visibiliter in cruce crucifixus est CHRISTUS, invisibiliter vero ipse diabolus, iuxta illud Coloss. 2. *Chirographum quod erat nobis contrarium, tulit illud de medio affigens cruci suæ, exuens principatus et potestates traduxit, libere eas triumphans in ligno crucis.* Sic enim habet Græcus. Pro quo Latini habent *in semetipso.* Crux ergo fuit trophæum diaboli, in qua ipse crucifixus est et triumphatus. Hinc aiebat Paulus: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* IESU CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Galat. 6. Nos enim mundo crucifigimur tunc, cum veniens princeps mundi in nobis non invenit quicquam, et nobis mundus crucifigitur, cum peccati concupiscentias non recipimus. Huc usque Origen.

Porro Iosephus more suo hæc omnia narrat ad pompam, ut gratiora sint auribus Vespasiani et Romanorum, utque apud eos famæ et honori gentis suæ, puta Iudæorum, consulat. Unde plura habet S. Script. dissona, imo contraria, ut quod ait Hebræos cepisse et servasse parvulos, feminas et servos urbis Hai, cum diserte Script. cap. 8. vers. 25. asserat omnes eius incolas a viro ad mulierem fuisse occisos.

Vers. 30. TUNC ÆDIFICAVIT IOSUE ALTARE DOMINO DEO ISRAEL IN MONTE HEBAL.) *Tunc*, scilicet sub illud tempus, quo devicta Iericho et Hai secure poterat Iosue cum Hebræis pergere in Sichem, ad montes Garizim et Hebal, ut cum iam terra a Deo promissa potirentur, confirmarent fœdus olim cum Mose initum cum Deo in monte Sina, idque in eodem loco, in quo Patriarcha Abraham, cum primum relicta Chaldæa terra sua, vocante Deo, Chananæam esset ingressus, altare Deo erexerat, Genes. 12. 7. Vide dicta Levit. 11. 30. Porro hos montes Garizim et Hebal sitos esse iuxta Sichem, non iuxta Iericho, ut vult Euseb. sive Hieron. in locis Hebræis, diserte docet Ioseph lib. 4. Antiq. cap. ult. S. Hieron. in Epitaph. S. Paulæ, Adrichom. et alii.

Vers. 33. ET PRIMUM BENEDIXIT.) Clare Noster seiungit ac dividit, quæ in Hebræo commiscentur hoc modo: *Sicut præcepit Dominus Mosi ad benedicendum populum Israel.* Subaudi; sic fecit Iosue iuxta formam benedicendi a Deo præscriptam Numer. 6.

Vers. 34. POST HÆC LEGIT.) Hoc est legi iussit a Levitis. Ita enim præceperat Deus per Mosen, Deuter. 27. ubi totum hunc ritum benedicendi et maledicendi explicui; quare hic ea non repetam.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gabaonitæ simulantes se exteros et remotos, pacem a Iosue et Hebræis dolose impetrant, Quare incaute eis iurantes Hebræi, dolo licet cognito, parcunt; sed ob fraudem lignationi et aquationi eos addicunt.

1. QUIBUS auditis, cuncti Reges trans Iordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant iuxta Libanum, Hethæus, et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, et Hevæus, et Iebusæus, 2. Congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Iosue et Israel uno animo, eademque sententia. 3. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Iosue, Iericho et Hai: 4. Et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos. 5. Calceamentaque perantiqua quæ ad iudicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frusta comminuti: 6. Perrexeruntque ad Iosue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei, atque simul omni Israeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt: 7. Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum. 8. At illi ad Iosue: Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Iosue ait: Quinam estis vos? et unde venistis? 9. Responderunt: De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in Ægypto, 10. Et duobus Regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Iordanem, Sehon Regi Hesebon, et Og Regi Basan, qui erat in Astaroth: 11. Dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores Terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite: Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum. 12. En, panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt, et vetustate nimia comminuti. 13. Utres vini novos implevimus. nunc rupti sunt et soluti: vestes et calceamenta quibus induimur, et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, et pene consumpta. 14. Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt. 15. Fecitque Iosue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur: principes quoque multitudinis iuraverunt eis. 16. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent. 17. Moveruntque castra filii Israel, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim. 18. Et non percusserunt eos, eo quod iurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes. 19. Qui responderunt eis: Iuravimus illis in nomine Domini Dei Israel, et idcirco non possumus eos contingere. 20. Sed hoc faciemus eis: Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si peieraverimus: 21. Sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus: 22. Vocavit Gabaonitas Iosue, et dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis? 23. Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei. 24. Qui responderunt: Nuntiatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo, ut traderet vobis omnem Terram, et disperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus. 25. Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis. 26. Fecit ergo Iosue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur. 27. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini, cædentes ligna, et aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

Vers. 1. QUIBUS AUDITIS.) Refer ad stragem ab Hebræis editam in Iericho et Hai, non ad fœdus in Hebal cum Deo initum, quod proxime præcessit: Illud enim obiter tantum inseritur; nam posterius contigit post expugnatas urbes intermedias, ut secure omnes pergere possent in Sichem et Hebal, uti iam dixi.

LITTORE MAGNI MARIS.) Puta maris mediterranei, quod erat magnum respectu maris Galilææ et maris mortui, quorum utrumque est in Iudæa. Porro iuxta mare mediterraneum habitabant Tyrii, Sidonii aliique Phœnices, qui gente et genere erant Chananæi, item Philistini; qui Chananæis expulsis eorum urbes occuparant. Quare hi omnes (eorumque regiones) traditi erant Hebræis, etsi ipsi sua ignavia eas reipsa non occuparint.

Vers. 3. AT HI QUI HABITABANT IN GABAON.) Gabaon urbs erat magna et potens, habebatque incolas robustissimos, ut dicitur cap. 10. 2. distabat a Ierusalem itinere duarum circiter horarum versus Occidentem, sita erat in tribu Beniamin in monte, unde dicta Gabaon, id est mons vel collis. Audi Adrichom. in descript. terræ sanctæ pag. 17. « Gabaon metropolis olim et regia urbs Hevæorum, qui orti ab Hevæo filio Chanaan, distat ab Ierusalem stadiis

A plus minus quinquaginta, in monte Silo sita, ut auctor est Broc. Unde et ibi dicitur fuisse excelsum maximum. Habuit sub se civitates Caphira, Beroth et Cariathiarim: post vero attributa est filiis Aaron Levitis. Nunc vero, ait Hieron. ostenditur villa eodem nomine in quarto milliario Bethelis contra Orientalem plagam, iuxta Rama et Remmon, ubi Salomon obtulit victimas. Huius incolæ Gabaonitæ induti vestibus tritis et vetustatem præ se ferentibus, in dolo supplices ad Iosue venerunt in Galgala, et callide fœdus inierunt: deprehensa fraude in aquarios et lignarios templi perpetuo mancipati sunt, dicti Nathinæi, id est dati vel donati ad serviendum templo: quos cum Saul postea delere voluisset, ob hoc tota terra tribus annis fame afflicta est. Hic Salomon in tabernaculo Moysi (erat quippe hic tabernaculum 1. Paral. 16. 21. et 2. Paral. 1.) immolatis super altare æneum mille hostiis sapientiam a Deo petiit et obtinuit. 3. Reg. 3. 9. »

ET CALLIDE COGITANTES.) Hebr. *Fecerunt etiam ipsi in calliditate,* vel astutia astutaque prudentia; videlicet callide et prudenter cogitantes quomodo sibi prospicerent, uti faciebant alii Amorrhæi: sed hi belli inibant consilia, unde victi cæsique sunt, at Gabaonitæ prudentio- Ve

res, simulatione remotioris habitationis vitam ab Hebræis petierunt, et impetrarunt. Videbant enim se licet bellicosos et fortissimos, Deo pro Hebræis pugnante resistere non posse. Quare hac in re non peccarunt, sed pie et prudenter egerunt. Videbant enim se excidium evadere non posse, nisi per hanc simulationem supplices fierent Hebræis, in qua licet mendacia nonnulla miscuerint, tamen bona fide putarunt in articulo tantæ necessitatis licitum esse mentiri, quod olim putavit Plato, Cassianus, aliique viri sapientes.

Tulerunt sibi cibaria.) Sic quoque vertit Chald. quin et Septuag. si apud eos, uti ex Syro vult Masius, legatur επισιτισαντο, non autem επεςησαντο, id est *instituerunt*, uti legunt Complut. sic et Hebræa, si pro ר legatur affine ד scilicet יצטידו *iitstaiadu*, pro יצטירו *iitstaiaru*. Radix enim צידה *tseda* significat victum vel annonam. Masius vero, Caiet. ceterique recentiores quia per ר legunt *hitstaiaru*, hinc vertunt *legatos egerunt*, vel *legatos se simularunt*. ציר *tsir* enim significat legatum, inde in Hitpael הצטיר *hitstaier* significat legatum agere vel simulare. Ita Marinus in Lexico.

Saccos (cibariis, aliisque rebus ad iter necessariis plenos) veteres asinis imponentes.) Ita legendum cum Hebr. Chald. Rom. et ceteris. Irrepsit ergo mendum in Septuag. qui pro ονων, id est asinis, habent ομων, id est humeris.

Vers. 5. Quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant.) *Pittaciis*, id est variis frustis resarta. Hebr. enim טלאו *talu* significat varium vellus diversis particulis consutum, quod S. Franciscus dicere solebat, vestes et calceos rappeciatos paupertatis esse indices, ideoque eos suis asseclis commendabat. Hinc Masius vertit: *Quorum sola frustis suppacta erant.*

Panes quoque, etc. duri erant, et in frusta comminuti.) Hebr. vocantur *panes* נקדים *nickudim*, id est *punctorum*, scilicet qui præ ariditate in frusta et micas, ceu puncta comminuerentur, aut comminui facile possunt. Unde Arias vertit, *panes punctatos;* Vatabl. *mucidos;* Septuag. *situ obsitos et corrosos;* Masius mucore *maculosos:* mucidus enim habet mucoris maculas quasi puncta. Chald. *crustulas.* Alii *adustos*, a rad. יקד *iacad*, id est urere.

Vers. 6. Perrexeruntque ad Iosue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ.) Verisimile est enim Iosue post eversam Ierichuntem et Hai, rediisse ad prima castra in Galgalis, adeoque in Galgalis fixisse et munivisse castra contra incursus Chananæorum. Galgala enim erat iuxta Iordanem, trans quem morabantur in urbibus munitis tribus Gad, Ruben et dimidia Manasse, quas ad se evocare, vel ad eorum urbes se recipere poterat, si a Chananæis premeretur. Quare ex Galgalis processit ad expugnationem Ierichuntis, Hai et cæterarum urbium, relictis impedimentis et imbelli turba in Galgalis, utpote loco et natura et arte munitissimo, præsertim ob viciniam Iordanis, atque expugnatis eversisque urbibus redibat ad castra in Galgalis, ibique manebat, donec Dei monitu in alias expeditiones evocaretur, ut colligitur ex cap. 10. 7. et 43. c. 14. 6.

Modus figendi castra. Audi Leonem Imper. de loco castrorum præcepta suis ducibus dantem in Tacticis, sive de ordinanda acie c. 11. n. 1. *Aplicta igitur sive fossatum* (nam aplictum proprie fossatum totius exercitus est) *valide quantum potes munies. Si in locis spatiosis, laxisque commode castra ponere potueris, ita facias: sin minus non negligenter, sed sedulo, firmiter et dense castra pones. Illa autem loca imprimis fugies, quæ aliquid prope celsius ac eminentius habent, ne illud inimici noctu et confertim anticipantes, multa mala vobis ex eo loco inferant.* Et cap. 20. num. 27. *Castra munire semper tutum est et amicitiæ pacisque tempore. Si prope hostes fueris, fossatum circumducito vel ex lapidibus, vel ex lateribus circumvallatum, et ita castra tua in tuto ponas. Si enim aliquid adversum contingat, minus imperatorium erit dicere aliquando: Non putaram.* Idem præceptum dat Vegetius, Ælianus, Cyllenius, Lipsius, Valtrinus et alii, qui de re militari scripserunt. Subiungit Leo non expedire ut castra diu eodem loco consistant, ob sordes et immunditias, quæ a singulis quotidie in loco arcto egeruntur, ideoque aerem inficiunt, ac morbos et pestem generant, uti in Italia et alibi experti sumus, et in dies experimur per adventum exterorum pestem invehentium.

De terra longinqua venimus.) Mentiuntur, sed id sibi licitum putant ad salvandam suam suorumque vitam, et licet mendacium hoc mox ab Hebræis deprehendendum scirent, tamen ob religionem iuramenti quod extorserunt sibi parcendum sperabant.

Ne forte in terra quæ nobis sorte debetur habitetis.) Hebr. tantum est: *Forte in medio mei* (id est terræ meæ, mihi scilicet a Deo promissæ, et inter nos sorte dividendæ) *tu habitas.* Tangunt rei punctum et veritatem q. d. Si terra vestra nobis a Deo promissa est, nolumus eam a vobis occupari et nobis adimi. Unde Deus vetuerat Hebræis ne cum incolis Chananææ fœdus inirent, sed omnes mactarent. Deut. 7. 2. Exodi 34. 12. et alibi. Vers. 7.

At illi ad Iosue: Servi, inquiunt, tui sumus.) Dicunt hoc non tantum per aulicismum, uti aulici dicere solent sibi invicem: Servus tuus sum; sed vere et sincere. Sciebant enim sibi ab Hebræis parcitum non iri, nisi eis se subiicerent et servos efficerent. Cupiebant ergo servitute vitam redimere. Unde et Iosue mortem naturalem eis in civilem, id est in servitutem convertit. Ita Serarius et alii. Id magis patebit ex eorum dictis v. 9. et seq. Vers. 8.

Responderunt.) Hebr. *Et dixerunt vir Israel*, id est quisque Israelita *ad Hevæum* (Gabaonitæ ergo erant Hevæi) *forsitan in medio mei tu sedes* (habitas) *et quomodo feriam tecum fœdus?* Hoc enim vetuerat Deus, Deut. 7. 2. Vers. 9.

De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui.) Hebr. *Ad nomen Domini Dei tui*, hoc est exciti fama potentiæ et prodigiorum Dei tui, quibus ipse in deserto Og et Sehon Reges, vestros hostes percussit. Tacent excidium Ierichuntis et Hai, quia illud novum et recens erat, nec poterat ad longinquos (quales se fingunt) tam cito pervolare. Vide hic eorum astutiam artemque fallendi. Unde nonnulli censent a Gabaon et Gabaonitæ derivatum Italicum *gabare* et *gabatore*, id est decipere et deceptor. Hinc patet Gabaonitas, metu potentis Dei vindictæ in hostes Hebræorum exercitæ perculsos, eius maiestatem, potentiam et divinitatem agnovisse, ac in eum ut solum Deum verum credidisse, vel ut in eum credant eumque colant promptos et paratos se offerre: Ideoque Deus eos præ cæteris Chananæis in sua idololatria obstinatis servavit, ac Iosue et Hebræos impulit ut eis parcerent, proselytos facerent, et suæ Ecclesiæ unirent. Aiunt ergo: *Venimus in nomine Domini.* Hebr. *Ad nomen Domini*, q. d. Venimus excitati per nomen et famam gestorum admirandorum Dei tui, ut vobiscum in eandem societatem coniungamur. Ita S. August. Lyran. Caiet. Arias. Alibi venire in nomine Domini est venire Dei ope, potentia et virtute, ut Psal. 117. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et Ioan. 17. *Pater sancte serva eos in nomine tuo*, id est virtute tua. *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo*, id est virtute a te mihi data, sed *ambulare in nomine Domini*, est eum colere, invocare, et in eum sperare, ac rem quampiam aggredi.

Susceperunt igitur de cibariis eorum.) Non ut ex eis ederent; habebant enim recentes ex frugibus terræ panes; sed vel in symbolum amicitiæ et fœderis, ut volunt Lyran. Arias, Vatab. et Caiet. cibos enim accipere, et prægustatos ab aliis degustare antiquum et vulgatissimum fuit mutuæ communicationis, fidei, amicitiæ, hospitalitatis symbolum apud omnes olim nationes, et hodie quoque ab Orientalibus, æque ac ab Hibernis observatur; vel ut Masius explorandi causa, ut nimirum explorarent an vera dicerent; an scilicet vere panes essent vetustate aridi et mucidi, uti ipsi asserebant. Opponit enim hoc ei quod sequitur. Vers. 14

Et os Domini non interrogarunt.) q d. Veracitatem legatorum ac longinquitatem explorarunt suis oculis et manibus, non autem consulendo Dominum per Pontificem Rationali, in quo erant Urim et Tummim induto. Vide dicta Exodi 28. 30. ideoque errarunt et decepti fuere. Fuit ergo hic aliquod Hebræorum peccatum: Primo, inconsiderationis, quod cum Deum haberent præsentem, dirigentem et respondentem, eum in re tam gravi non consuluerint. Secundo, temeritatis et præcipitationis, quod tam cito cum peregrinis et incognitis, imo de mendacio suspectis fœdus inierint, illudque iuramento firmarint, nec prius rem tantam magis examinarint, an quis dolus in ea lateret, uti vere latebat; sed Deus id permisit, lumenque suum eis subduxit, ut Gabaonitas iam se agnoscentes et metuentes tam in vita, quam in sui agnitione metuque et cultu servaret et promoveret. Quocirca Leo Imp. suo belli Duci ita præcipit in Tacticis c. 20. num. 9. *Tarde ac circumspecte deliberare, et ea quæ deliberata constitutaque sunt aliqua cunctatione aut formidine non reiicere, necessarium cum primis est: timor enim non solum tuta res non est, sed etiam rebus bonis inventis adversissima est.*

Moraliter disce hic in rebus dubiis et arduis Deum consulere, eiusque lumen implorare, ac viros doctos et religiosos, præsertim Confessarios ac Superiores, qui locum Dei tenent adire et audire. Si sapis ergo nil magnum inchoato, nisi prius Deo consulto et propitiato. Ita Iudas Machabæus semper ante prælium legitur Deum invocasse, ideoque eius ope tot tantasque victorias obtinuisse, excepto ultimo prælio, in quo non legitur orasse, ideoque licet fortiter pugnans occubuit.

Vers. 15. Fecitque Iosue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur.) Hebr. *Ad vivificandum eos*, id est quod vitam eis conservaret, nec eos occideret. Hic enim erat finis pacis et fœderis a Gabaonitis expetiti. Audi S. Ambrosium lib. 3. de officiis. *Iosue* inquit quia adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inscius, non cognovit fraudes eorum, neque Dominum interrogavit, sed cito credidit. Adeo sancta erat illis temporibus fides, ut fallere aliquos posse non videretur, quis hoc reprehendat in sanctis, qui ceteros de suo affectu æstimant? Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit ignorant. Libenter credunt quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere quod non sunt.

Fœdus cum Gabaonitis licitum. Quæres: an Iosue licite potuerit fœdus inire cum Gabaonitis, eisque vitam dare, cum Deus vetuisset Hebræis fœdus cum Chananæis (quales erant Gabaonitæ) inire, iussissetque eos omnes occidi? Exodi 23. 32. Resp. licite potuisse Iosue fœdus cum eis inire positis duabus conditionibus. Prior erat, ut Gabaonitæ suas urbes, agros et ditiones cederent Hebræis: ipsis enim a Deo datæ erant; ac proinde eis se ut servos subiicerent: Posterior, ut fierent proselyti, ac relictis idolis suis, fidem cultumque veri Dei susciperent, itaque in unam cum Hebræis Ecclesiam ac Rempubl. transirent. Causa enim cur Deus eos iusserat occidi erat, quod ipsi essent idololatræ et scelerati, ac periculum erat, ne Hebræos ad sua idola et scelera pertraherent. Hanc enim causam dat Deus Exodi 23. 32. et 33. et Deuter. 7. v. 4. Hoc autem periculo cessante permittebat Deus, ut eis parceretur et vita condonaretur, utrumque autem præstitere Gabaonitæ; nam et servos se obtulere Hebræis, et eorum Deum agnovere, paratosque se obtulere ad eius religionem capessendam; ergo Iosue eis

Prob. I. parcere poterat. Id ita esse patet primo, quia simili modo Hebræi dedere fidem Rahab Chananææ, quod ipsam omnesque eius cognatos et affines servarent, ac fidem datam præstiterunt: quia scilicet Rahab cum suis se subiecerat Hebræis, ac parata erat fidem et religionem eorum capessere. Cur non simili modo poterat Iosue vitam condonare Gabaonitis?

II. Secundo, quia Iosue de facto pepercit Gabaonitis, postquam dolo eorum detecto cognovit eos esse Chananæos, voluitque fidem eis datam et iuratam servari. Hoc autem facere non potuisset, si hoc fœdus fuisset illicitum et a Deo vetitum. Nulla enim promissio, etiam iurata rata est et valida, quæ Deo Deique legi et iussui adversatur. Nemo enim potest se obligare aut promittere se legem Dei violaturum, vel contra eam facturum.

Tertio, quia Deus severe punivit posteros Saul, eosque iussit crucifigi 2. Reg. 21. 1. et seq. eo quod Saul Gabaonitas contra fidem a Iosue datam occidisset. Voluit ergo Deus fidem eis datam esse ratam, ac sancte servari. III.

Quarto, quia Deus Deuter. 20. 10. iubet Hebræis ut hostibus offerant pacem, ac si eam acceptent, cum eis fœdus ineant. Sub his autem etiam Chananæos comprehendi censent Interpretes. Nam quod Deus ibidem vers. 15. et 18. differentiam facit inter Chananæos prope, et alias gentes longinque habitantes, in eo tantum facere videtur, quod velit Chananæos omnes omnino occidi, ne Hebræos ad idola sua pertrahant, in ceteris autem gentibus velit parci mulieribus et infantibus. Magis idipsum patebit ex dicendis vers. 19. IV

Gabaon et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim.) Videntur illis Chananæorum urbibus nomina indicta variis de causis, petitis a loci situ, natura et ingenio, item a commodis et incommodis, quæ illis certæ res vicinæ afferebant. Sic *Gabaon* Chananæum vocabulum *culmen* significat, quia urbs hæc sita erat in monte; *Caphira* significat *leunculum*, quia fortes instar leonum habebat incolas; *Beroth* significat *puteos*, qui ibi erant excellentes et copiosi: *Cariathiarim* idem est quod *urbs sylvarum*, ob earum ibidem copiam. Ita Arias. Proprie Gabaon idem est quod collis iniquitatis et doloris, ait S. Hieron. in nomin. Hebr. quia Gabaon ante Iosue erat urbs scelerata, ideoque doloribus plena, donec eam servavit et salvavit Iesus. Vers. 17.

Iuravimus illis in nomine (per nomen) Domini Dei Israel, et idcirco non possumus eos contingere.) Quæritur, an iuramentum hoc Principum datum Gabaonitis de vita eis servanda, illos obligavit ad fidem quam eis dederant præstandam? Obligasse negant Abulens. Masius, Arias, Magalianes, Serarius et S. August. hic quæst. 13. Vers. 19. An iuramentum obligavit?

Ratio est prima, quia hoc fœdus et iuramentum fraude et dolo Gabaonitarum fuit extortum. Secundo, quia in eo intervenit error personæ: putabant enim Iosue et Principes se non cum vicinis Chananæis, sed extraneis et remotis, puta Arabibus vel Syris, quales se mentiebantur Gabaonitæ, fœdus inire et iurare, iisque tantum se obligare intendebant. Iuramentum enim, ut docet Sylvester, Lessius et ceteri, sequitur naturam sui actus vel contractus, atque intelligi debet, secundum conditiones et restrictiones quæ in tali actu vel contractu intelliguntur. Hic autem intelligitur illa conditio: *Si non estis Chananæi* Quare cum Gabaonitæ essent Chananæi, Hebræi intendebant quod cum illis nollent pacisci, nec fœdus inire, ac consequenter illis iuramento se non obligare. Tertio, quia ipsum factum erat contra legem Dei, iubentem omnes omnino Chananæos deleri. Num. 33. 52. Deut. 20. 16. Putarunt tamen Principes se hoc iuramento obligari: ex quo errore colligas, quanta ea ætate fuerit nominis divini reverentia et religio: permisitque Deus quem consulere neglexerant eos errare, ut inde Gabaonitarum salutem eliceret, in eosque suam clementiam ostenderet. Fuerunt tamen obligati Israelitæ renovata pactione, quia fraudem paulo post cognoscentes, prius pactum fidemque eis datam ratam habuerunt, ad hoc Deo eos impellente; nam Deo placuisse ut illis pacem ultro petentibus parceretur, fidesque data servaretur, connivendo in lege mortis contra Chananæos lata, patet ex eo quod fœdus hoc a Saule violatum gravissime Deus sit ultus, 2. Reg. 21. 1. Hæc sententia est probabilis. Negant nonnulli.

Probabilior tamen est contraria, scilicet hoc fœdus et iuramentum obligasse Iosue et Hebræos ad fidem, et vitam Gabaonitis datam præstandam, uti censent Lyran. Hugo, Dionys. Caiet. S. Ambros. lib. 3. Offic. c. 10. Gratianus 22. q. 4. cap finali, ac fuse solideque Suarez l. 2. Melius alii affirmant.

de iuramento cap. 18. qui citat S. Thomam, Bonav. Richard. Ratio est prima, quia Deus permiserat, imo quasi iusserat parci Chananæis, si ipsi pacem peterent, ac suas urbes cederent Hebræis, eorumque religionem capesserent, uti ostendi vers. 15. Omnia autem hæc præstitere Gabaonitæ. Ergo poterat, imo ex charitate debebat eis parci, fœdusque cum eis iniri. Idipsum satis significat Script. cap. 11. ver. 19. ubi ait: *Non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent sicut præceperat Dominus Moysi.* q. d. Ideo iussit Deus deleri Chananæos, quia ipsi obstinate restiterunt Hebræis, quia vero id non fecere Gabaonitæ, qui erant Hevæi, sed pacem petierunt, idcirco illam eis dari voluit Deus.

Prob. I.

II. Secunda, quia dolus hic Gabaonitarum non erat circa substantiam rei, aut circa id quod iuramentum requirebat ut esset validum, sed circa accidens dumtaxat, scilicet circa proximitatem vel longinquitatem habitationis eorum; Ergo non vitiabat nec irritabat iuramentum, nec fœdus iuratum. Fuisset circa substantiam, si ipsi voluissent suas urbes suamque idololatriam retinere, itaque fœdus inire cum Hebræis; hoc enim erat a Deo vetitum, ideoque Hebræi nullo ad hoc iuramento se obligare poterant: iam autem cum offerant sua prædia Hebræis, et eorum religionem cupiant amplecti; substantiam fœderis a Deo permissi, imo iussi præstant: nec dolus illam violat aut elidit. Quare non fuit hic error personæ, sed alicuius accidentis personæ. Volebant enim Hebræi cum præsentibus Gabaonitis contrahere fœdus, sed errabant in accidente, putantes eos remote, non propinque habitare, quod fœdus non vitiat: sicut si quis contrahat matrimonium cum fœmina præsente, valide contrahit; esto erret, putetque eam esse Italam, cum sit Germana.

Dices: Iosue non intendebat contrahere cum Gabaonitis, nisi hac conditione, quod non essent Chananæi. Resp. adde, vel non manerent Chananæi, si scilicet vellent persistere in hostilitate, infidelitate et impietate Chananæorum. Iam autem Gabaonitæ hæc tria a se abdicarunt, cupieruntque in amicitiam, religionem et pietatem Hebræorum transire. Quare iam non Chananæi, sed potius Hebræi et proselyti censendi sunt, cum qualibus Iosue optabat fœdus inire.

III. Tertia, quia dolus hic non erat noxius, sed commodus Hebræis. Quid enim profuisset eis cædes et mors Gabaonitarum, nisi ad opinionem et infamiam crudelitatis barbaræ, quod petentes pacem mactassent, apud omnes gentes conciliandam. Vita autem eorum multum Hebræis profuit, quia eis usi sunt quasi servis ad lignationem et aquationem. Ergo dolus hic non vitiabat fœdus, nec faciebat Hebræos involuntarios; nam paulo post cognito dolo voluntarie fœdus initum approbarunt.

IV. Quarta, Gabaonitæ supplices petebant vitam dumtaxat, offerentes se ad omnem servitutem; quis nisi barbarus id eis negasset, eosque trucidasset? Sane id non fecit Tamerlanes, nec Amurathes, nec Ottomannus, nec quis alius quantumlibet crudelis et tyrannus.

V. Quinta, Iosue potuisset et debuisset, ac proinde voluisset eis parcere, si ipsi sine dolo fatendo se Chananæos se ipsi subiecissent, et in servos addixissent. Hæc enim erat mens Dei, uti iam ostendi. Ergo cum ipsi idem nunc faciant, eis parcere debuit, esto dolus aliquis interveniat: unde et de facto dolo cognito eis pepercit.

VI. Sexta, id diserte ipsi hic fatentur et asserunt: *Iuravimus*, inquiunt, *illis in nomine Domini Dei Israel* (cuius fidem et cultum ipsi agnoscunt et suscipere cupiunt) *et idcirco non possumus eos contingere.* Et mox: *Ne contra nos ira Dei concitetur si peieraverimus.* Nota τὸ *iuravimus*, scilicet in præterito: loquuntur ergo de iuramento non post dolum agnitum renovato, sed primitus ante doli cognitionem præstito, eoque se obligari asserunt. Idem patet ex violatione huius iuramenti, quam Deus ultus est crucifixione posterorum Saulis. 2. Reg. 21. Hinc patet responsio ad argumenta contrariæ sententiæ. Denique verisimile est Eleazarum Pontificem cognito dolo Deum consuluisse, (hoc enim iusserat Deus Num. 27. 21.) quid in re tam gravi et perplexa facto foret opus, aut certe Iosue Deum orasse, et ab eo audisse ut Gabaonitis parceret, eorumque tam corpora quam animas per veræ religionis professionem servaret.

Dices: Chananæi erant homines sceleratissimi et corruptissimi, ideoque Deus omnes deleri iusserat, ne sua vitia affricarent Hebræis. Ergo licet Gabaonitæ metu mortis promitterent morum et vitiorum emendationem, tamen eis Hebræi credere non debebant, sed metuere ne paulo post in pristina scelera relaberentur, ideoque illos omnes deleri, uti iusserat Deus. Resp. communiter id verum erat, at non in Gabaonitis, qui tam serio se in servos ad omnia paratos et ad veri Dei cultum offerebant. Adde eorum mentem et constantiam fuisse probandam, eisque adhibendos fuisse religionis magistros, æque ac inspectores et custodes, qui si deprehenderent eos ad sua idola relabi, ad Iosue idipsum referrent cuius erat eos castigare et exterminare, uti iam fit Maranis et Iudæis ad CHRISTUM conversis: nec dubium Iosue idipsum præstitisse. Verum eventus docuit Gabaonitas in fide et Iudaismo fuisse constantes, ideoque Deus eorum cædem in Saulis posteris adeo graviter vindicavit. Rebellionis hic non erat periculum, quia Gabaonitæ erant pauci, exarmati, et inter Hebræos distributi, ut inter se coire, et contra eos conspirare non possent.

Disce hic, quam sancte fides, præsertim iurata, sit servanda hosti, etiam impio et infideli, quales erant Gabaonitæ. Idem diserte docet sancitque Leo Imper. in Tacticis, sive de acie ordinanda. Fide enim sublata evertitur omnis hominum contractus et societas, quæ fide quasi basi innititur, ut homines iam non homines, sed leones, tygrides et feræ esse videantur.

SED SIC VIVANT, UT IN USUS UNIVERSÆ MULTITUDINIS LIGNA CÆDANT, AQUASQUE COMPORTENT.) Principes hic Gabaonitas vita donant, sed servitute damnant, idque iuste; tum quia vitam dumtaxat eis promiserant et iurarant; tum quia Gabaonitæ dolum fecerant, et fraude iuramentum extorserant; tum quia ipsi erant Chananæi, quos Deus volebat occidi, et si quibus ob deditionem parceretur, eos servituti addici. Mitis ergo fuit hæc eorum pœna, quæ tandem facta est honorata sors et conditio serviendi templo, uti patebit vers. ult. Vers. 21.

QUIBUS HÆC LOQUENTIBUS VOCAVIT GABAONITAS IOSUE.) Ut Principum sententiam approbans, eandem quasi summus Princeps et Iudex promulgaret Gabaonitis. Recte quoad sensum vertit Interpres, quod in Hebræo sic ad verbum sonat: *Cum locuti essent de illis Principes, vocavit eos Iosue.* etc. Hebr. enim כאשר *caascer* non tantum *sicut* sed et *cum*, vel *quando* significat.

ITAQUE SUB MALEDICTIONE ERITIS.) Puta sub servitute et onere lignandi et aquandi. Servitus enim onerosa est species quædam maledictionis, id est maleficentiæ et castigationis. Vers. 23.

DECREVITQUE IN ILLO DIE EOS ESSE IN MINISTERIO CUNCTI POPULI, ET ALTARIS DOMINI.) Duplex ergo fuit onus et officium Gabaonitarum. Prius, comportare ligna et aquam totis Hebræorum castris. Unde a Iosepho lib. 11. Antiq. c. 4. et 5. vocantur δημόσιοι, id est publici servi. Vers. 27.

Posterius, eadem comportare tabernaculo, et postea templo, cui fere soli addicti fuere post divisionem castrorum et tribuum, terræque promissæ possessionem, præsertim tempore Salomonis, idque ex præscripto et distributione exactiore officiorum templi facta a Davide, quem verisimile est eos vocasse Nathinæos, quorum crebra est mentio Esdræ c. 2. 43. et 50. c. 8. 20. Nehem. 3. 26. et 31. 1. Paral. 9. 2. Nam Gabaonitas hos esse Nathinæos non tantum recentiores docent, ut Lyran. Masius, R. Salomon, Sigonius de Repub. Hebræorum lib. 5. cap. 7. Ribera lib. 3. de Templo cap. 4. Vilalpando in Apparatu part. 1. lib. 2. c. 7. sed et S. Hieron. (si tamen ipse est Auctor) in Tra-

*

dition. Hebr. in libr. 1. Paralipom. *Nathinæi*, inquit, *id est donati* (a rad. נתן *nathan*, id est dedit) *sunt Gabaonitæ, eo quod ad serviendum dati sint ad templum Domini:* donati, scilicet primum a Iosue hic. Unde Hebr. est יתנם *ittenem*, id est *dedit eos* (unde Nathinæi nomen) *Tabernaculo;* deinde a Davide; donati inquam, ut subservirent Sacerdotibus et Levitis, non proxime tanquam Subdiaconi Diaconis, ut vult Sigon. sed remote, ut laici, et exteri personis sacris ex Levi oriundis, idque indicat Script. Esdræ 8. 20. et 1. Paral. 9. 2. Unde et valde verisimile est Gabaonitas sacris Iudaicis fuisse initiatos, ac per Circumcisionem in Iudaismum transisse, uti bene probat Abulens. Atque hac de causa Iosephus eos vocat sacros servos, id est servos sacri templi: *Nathinæus*, ergo Hebr. idem est quod *Deodatus*. Sic apud Carthusianos et alios Religiosos fratres laici vocantur donati vel oblati, scilicet ordini et Deo. Hi ergo Nathinæis priscis sunt similes, ac recte Nathinæi vocari queunt.

Dices: Salomon in templo fabricavit mare æneum aquis refertum, item aquæ-ductus plures, quibus aqua influeret in templum. Erat insuper probatica Piscina iuxta templum ad abluendas victimas Deo sacrificandas. Hebræi quoque ligna offerebant templo, et ad illud convehebant: Ergo ad neutrum munus opus erat Nathinæis. Resp. negando conseq. Nam Salomon tot aquæductibus alleviavit quidem onus Nathinæorum, non tamen omnino sustulit: A Nam ex aquæ-ductibus Nathinæi aquam deportare debebant, non tantum ad altare, sed etiam ad omnes sacerdotum culinas altari vicinas. Idem dico de lignis. Insuper sacerdotes Nathinæis utebantur ad quoslibet templi usus, uti nos utimur sacristanis eorumque ministris. Templum enim erat vastissimum instar urbis, ac quotidie plurimæ, et subinde millenæ (uti fecit Salomon) in eo oves, vituli, et boves sacrificabantur, ad quorum ablutionem, coctionem et cremationem ingens vis aquarum requirebatur. Quare sicut Sacerdotes et Levitæ per vices serviebant templo, tumque habitabant in templo, sic et Nathinæi: alioqui verisimile est eos sparsim habitasse in urbibus sacerdotibus assignatis, eisque serviisse. Denique Salomon in fabricando templo inter alios operarios usus fuit Nathinæis, uti docet Vilalpando et alii.

In loco quem Dominus elegisset,) ad collocandum in eo Tabernaculum cum arca fœderis, Cherubim et Propitiatorio, et consequenter ad sui venerationem, cultum, sacrificia et adorationem. Hic locus primo fuit in Galgalis, deinde in Silo, tertio in Nobe, quarto in Gabaa, denique in templo, cum illud Salomon extruxit. Porro arca mansit in Galgalis toto septennio, quo Iosue Chananæos debellavit: arca enim erat in castris, castra autem erant in Galgalis, ut patet cap. 10. vers. ult. Bellis septennalibus finitis, octavo anno ducatus sui, Iosue transtulit arcam e Galgalis in Silo, ut patebit cap. 18. v. 1.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quinque Reges Chananæi oppugnant Gabaonitas quasi transfugas; sed eis Iosue succurrit, hostes fugat, qui lapidibus e cælo pluentibus conteruntur. Mox vers. 12. Iosue sistit Solem et Lunam, donec hostes omnes profliget. Deinde vers. 22. quinque Reges in spelunca latentes pedibus calcari et suspendi iubet. Denique vers. 28. plures urbes expugnat, quo facto revertitur ad castra in Galgalis

1. Quæ cum audisset Adonisedec Rex Ierusalem, quod scilicet cepisset Iosue Hai, et subvertisset eam (sicut enim fecerat Iericho et Regi eius, sic fecit Hai et Regi illius) et quod transfugissent Gabaonitæ ad Israel, et essent fœderati eorum, 2. Timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una civitatum regalium, et maior oppido Hai, omnesque bellatores eius fortissimi. 3. Misit ergo Adonisedec Rex Ierusalem ad Oham Regem Hebron, et ad Pharam Regem Ierimoth, ad Iaphia quoque Regem Lachis, et ad Dabir Regem Eglon, dicens: 4. Ad me ascendite, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Iosue, et ad filios Israel. 5. Congregati igitur ascenderunt quinque Reges Amorrhæorum, Rex Ierusalem, Rex Hebron, Rex Ierimoth, Rex Lachis, Rex Eglon, simul cum exercitibus suis, et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. 6. Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ miserunt ad Iosue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende cito, et libera nos, ferque præsidium: convenerunt enim adversum nos omnes Reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. 7. Ascenditque Iosue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi. 8. Dixitque Dominus ad Iosue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit. 9. Irruit itaque Iosue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis. 10. Et conturbavit eos Dominus a facie Israel: contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Beth horon, et percussit usque Azeca et Maceda. 11. Cumque fugerent filios Israel, et essent in descensu Beth horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque ad Azeca: et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel. 12. Tunc locutus est Iosue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Aialon. 13. Steteruntque Sol et Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro iustorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. 14. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel. 15. Reversusque est Iosue cum omni Israel in castra Galgalæ. 16. Fugerant enim quinque Reges, et se absconderant in spelunca urbis Maceda. 17. Nuntiatumque est Iosue, quod inventi essent quinque Reges latentes in spelunca urbis Maceda. 18. Qui præcepit sociis, et ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant: 19. Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite: nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras. 20. Cæsis ergo adversariis plaga magna, et usque ad internecionem pene consumptis, hi qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas. 21. Reversusque est omnis exercitus ad Iosue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani et integro numero: nullusque contra filios Israel mutire ausus est. 22. Præcepitque Iosue dicens: Aperite os speluncæ, et producite ad me quinque Reges qui in ea latitant. 23. Feceruntque ministri ut

sibi fuerat imperatum: et eduxerunt ad eum quinque Reges de spelunca, Regem Ierusalem, Regem Hebron, Regem Ierimoth, Regem Lachis, Regem Eglon. 24. Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus qui secum erant: Ite, et ponite pedes super colla Regum istorum. Qui cum perrexissent, et subiectorum colla pedibus calcarent. 25. Rursum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini et estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis. 26. Percussitque Iosue, et interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi usque ad vesperum. 27. Cumque occumberet sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos proiecerunt in speluncam, in qua latuerant, et posuerunt super os eius saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens. 28. Eodem quoque die Macedam cepit Iosue, et percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, et omnes habitatores eius: non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque Regi Maceda, sicut fecerat Regi Iericho. 29. Transivit autem cum omni Israel de Maceda in Lebna, et pugnabat contra eam: 30. Quam tradidit Dominus cum Rege suo in manus Israel: percusseruntque urbem in ore gladii, et omnes habitatores eius. Non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque Regi Lebna, sicut fecerant Regi Iericho. 31. De Lebna, transivit in Lachis cum omni Israel: et exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam. 32. Tradiditque Dominus Lachis in manus Israel, et cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii, omnemque animam quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna. 33. Eo tempore ascendit Horam Rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem percussit Iosue cum omni populo eius usque ad internecionem. 34. Transivitque de Lachis in Eglon, et circumdedit, 35. Atque expugnavit eam eadem die: percussitque in ore gladii omnes animas quæ erant in ea, iuxta omnia quæ fecerat Lachis. 36. Ascendit quoque cum omni Israel de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam: 37. Cepit eam, et percussit in ore gladii, regem quoque eius, et omnia oppida regionis illius, universasque animas quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Eglon, sic fecit et Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio. 38. Inde reversus in Dabir, 39. Cepit eam atque vastavit: Regem quoque eius atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii: non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron et Lebna et regibus earum, sic fecit Dabir et regi illius. 40. Percussit itaque Iosue omnem Terram montanam et meridianam atque campestrem, et Asedoth, cum Regibus suis: non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat, interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel, 41. A Cadesbarne usque Gazam. Omnem Terram Gosen usque Gabaon, 42. Universosque Reges, et regiones eorum, uno impetu cepit atque vastavit: Dominus enim Deus Israel pugnavit pro eo. 43. Reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala.

Vers. 1. QUÆ CUM AUDISSET ADONISEDEC REX IERUSALEM.) Quæ a Gabaon tantum distabat duabus leucis sive horis; ideoque eius Rex invasit Gabaonitas, quod ad Hebræos transissent, quodque sibi vicini panderent Hebræis iter ad suam Ierusalem expugnandam. Videtur Adonisedec hoc nomen assumpsisse a Melchisedec, qui in eadem ante 400. annos regnarat, eamque iustis suis legibus, moribus, et exemplis fecerat sedem צדק *tsedec*, id est iustitiæ, ut scilicet in ea vigeret iustitia, Dei cultus, veraque religio. Audi Masium: Vocabantur priscis illis temporibus omnes Reges Ierosolymæ (ut autumant Iudæi) vel Melchisedec, vel Adonisedec, quorum illud Regem Iustitiæ, hoc dominum Iustitiæ significat. Unde coniicitur urbem illam primum *tsedec*, id est iustitiam (quam in ea plantarat primus iustus sanctusque eius Rex Melchisedec) fuisse nominatam: postea vero *salem*, id est pacem, quod in ea secure et pacifice habitaretur (nam nomen Iebus, quod aliquando illi a vulgo attributum est 1. Paralipomen. 11. 4. incolarum, non urbis proprium erat) ac deinde Ierusalem, idque factum est sive a Davide, ut innuit Iosephus lib. 7. Antiq. cap. 3. sive ab aliquo alio, per coniunctionem sive combinationem duarum vocum. Nam cum Abraham eodem loco sacrificaturus filium suum, loco nomen dedisset אדני יראה *Adonai ire*, id est videbit vel providebit Dominus sibi victimam, ex illo *ire*, id est providebit, et vetustiore nomine *salem*, conflatum est nomen *Ierusalem*, id est providebit, aut videbit pacem, sive visio pacis. Hæc Masius. Vide dicta Genes. 22. 14. Falluntur ergo Iosephus lib. 7. belli cap. 18. et Hegesippus lib. 3. cap. 9. dicentes Melchisedec urbis conditorem posuisse hoc nomen Ierusalem, eo quod ipse ad vetus nomen *salem* addiderit *τὸ ἱερὸν*, id est *sacrum*, propter ædificatum ibidem a se templum, quasi Ierusalem idem sit quod *ἱερὸν*, id est sacrum templum urbis *salem*. Alii cum Euseb. lib. 9. Præpar. cap. 4. Salomoni id tribuunt, quasi Ierusalem idem sit quod *ἱερὸν*, id est sacrum templum Salomonis. Verum nec Melchisedec, nec Salomon Græce locutus est, sed Hebraice.

Errat pariter Stephanus Byzantius lib. de urbibus asserens a Solymis montibus Solymos dici et salem, quæ postea dicta est Ælia ab Ælio Adriano Imper. eius restauratore. A vero quoque alienum videtur quod scribit noster Christoph. a Castro in cap. 4. Baruch sub finem, Ierusalem dictam a Iebusæis incolis, q. d. *Ierusalem*, id est *timete* urbem nostram *salem*, ut vel ipso urbis nomine vicinis civitatibus terrorem incuterent. Alienum pariter videtur quod indicat S. Hieron. de locis Hebr. litt. I. Ierusalem dictam a *Iebus* filio Chanaan et pronepote Noe, ac salem (Iebusæi enim incoluere Ierusalem) commutata scilicet littera s in r, euphoniæ causa, quasi Ierusalem idem sit quod Iebussalem.

Divinitus autem hæc nomina urbi data sunt, propter œconomiæ Passionis, crucis et mortis mysterium in ea peragendum, in quo mysterio iustitia, pax, et felicitas totius orbis posita fuit, iuxta illud Thren. 2. *Hæccine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ?* Et illud Psal. 73. *Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* Et illud Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Et Apocal. 21. 2. *Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de cælo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Vide Tobiam cap. 13. 11. et sequent. in elogiis Ierusalem exultantem. Audi Adrichom. in descript. Ierusalem: *Ierusalem civitas Dei electa, sancta et gloriosa, fundata in montibus sanctis, loci eminentia, cæli solique felicitate cunctas mundi urbes superans, in totius orbis et Iudææ medio, ceu centrum et umbilicus terræ sita est: et tanquam regia inter omnes accolas, velut caput in corpore eminet, splendidisque ædificiis sicut sol præ cæteris lucet. Tantaque gloria illustratur, ut singulari quodam privilegio unicus olim electus a Deo locus: ac non tantum fidelis cuiusque animæ, verum etiam militantis Christi in terris Ecclesiæ, denique et beatæ illius in cælo triumphantis extiterit figura. Urbs perfecti decoris, gaudium et exultatio universæ terræ. Hæc circa annum a mundo creato* 2023. *tempore Abrahami a Melchisedec Rege condita, Hebraice Salem, Græce vero Solyma vocata est: atque ab eo quinquaginta annis possessa videtur. Quam deinde Iebusæi a Iebusæo filio Chanaan prognati occupaverunt: a quibus Iebus et Iebusæum aliquando dicta est: quo tempore eius Regem Iosue occidit. Tenuerunt autem eam Iebusæi annis octingentos et vi-*

Ierusalem qualis et quanta.

ginti quatuor, tantumque urbis fidebant firmitati, ut Davide Rege ipsam oppugnaturo per contemptum cæcos, claudos et mutilos in mœnibus collocarint, dictitantes hos ad arcendum hostem sufficere. Hucusque Adrichom.

Denique S. Hieron. epist. 17. ad Marcellam, invitans eam ut Roma migret Ierusalem: *In tribus nominibus*, ait. *Trinitatis demonstrat fidem. Iebus, Salem, et Hierusalem appellatur. Primum nomen calcata, secundum pax, tertium visio pacis. Paulatim quippe pervenimus ad fidem, et post conculcationem ad pacis visionem erigimur: ex quo Salomon, id est pacificus in ea natus est, et factus est in pace locus eius. Et in figura Christi sub etymologia urbis, Dominus dominantium et Rex Regum nomen accepit.*

Vers. 2. Urbs enim magna erat Gabaon, et una civitatum regalium.) Hebr. *Sicut una civitatum Regni.* q. d. Gabaon erat una ex præcipuis regni Chananæorum civitatibus. Septuag. *Una præcipuarum civitatum Regum.* Masius: *Quanta ulla urbium regni.* Chald. *Regnorum.*

Vers. 4. Quare transfugerit.) Impune scilicet *ad Iosue.* q. d. Quare permittemus impunitum hoc Gabaonitarum a nobis ad Hebræos transfugium? q. d. Puniamus hanc eorum a nobis apostasiam, et excindamus eos, ne quis audeat eos imitari, et ad Hebræos transfugere, *quia pacem fecit cum Iosue.*

Vers. 9. Irruit itaque Iosue super eos repente tota nocte ascendens de Galgalis.) q. d. Iosue tota nocte proficiscens de Galgalis, summo mane pervenit ad Gabaon, ac subito et ex improviso in castra hostium eam obsidentium irruit, itaque eos somno sopitos, turbatos, pavidosque oppressit. Nota hic novum stratagema Iosue, quo celeritate et matutina irruptione hostium castra turbavit et superavit. Prudenter enim, ait Themistocles magnus Græcorum in præliis dux, *Amicos patientia, hostes celeritate superandos esse.* Et Iulius Cæsar: *Veni, vidi, vici:* quod imitatus Carolus V. pientius dixit: *Veni, vidi, vicit Christus.* Celer et pervigil fuit Hannibal, æque ac Vespasianus Imper. Vide dicta Apoc. 3. v. 3. Sic Troia a Græcis capta est, qui ut ait Virgil. Æneid. 2.

Invadunt urbem somno vinoque sepultam.

Noctu ergo summe contra hostes tam corporis quam animæ excubandum est. Noctu enim dæmones parambulant ut turpia, scelesta et infanda concitent. Quare contra eos sub noctem, ut opem Dei et Angelorum imploremus, recitamus Psal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* etc. *Non timebis a timore nocturno*, etc. *A negotio perambulante in tenebris.* Chald. *Non timebis a timore dæmonum, qui ambulant in nocte, a morte in tenebris ambulante.*

Vers. 10. In Gabaon.) In agro Gabaon, obsidebant enim Gabaon. Vide simile cap. 5. 3.

Persecutus est eos.) Scilicet Israel Amorrhæos, vel Deus per Israelem quasi militem suum: Hebræi enim sæpe subticent verbi suppositum, illudque ex circumstantiis, quasi obvium lectori intelligendum supplendumque relinquunt.

Vers. 11. Dominus misit super eos lapides magnos de cælo.) Lapides grandinis intellige. Addit Iosephus lib. 5. Antiq. c. 2. tonitrua et fulmina; quare non solum lapidosa et inusitatæ magnitudinis grandine, sed etiam tonitru et fulminibus terribilem fuisse hanc tempestatem, æque ac fuerat illa Ægyptiaca, Exodi 9. 23. Similia fulminum auxilia a Deo fuisse immissa legioni Christianæ (quæ inde fulminatrix est appellata) sub Marco Aurelio Imperat. narrat Euseb. lib. 5. Histor. c. 5. ac Teodosio Imper. contra Eugenium prælianti narrat Claudianus, dum ita canit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Sic ad Samuelis preces Deus Philisthæos per tonitrua perculit, et Hebræis percutiendos obiecit. 1. Reg. 7. 10.

Vers. 12. Tunc locutus est Iosue Domino.) Chald. *Tunc Iosue laudavit Dominum*, et laudando eum rogavit fiducia plenus, ut sisteret solem, donec plenam de hostibus cæsis obtineret victoriam: qua prece ad Deum præmissa, Iosue fidens omnino divinæ virtuti opique, imperavit soli quietem et solstitium. Ecclesiast. c. 46. 4. docet Iosue id fecisse ex zelo et iusta ira contra hostes populi Dei, utique impellente eum Spiritu sancto. Vide hic, quam potens sit fides magna in Deum; sed hanc nobis suggerat et inspiret Deus oportet, uti eam inspiravit Iosue; alioqui enim temerarius fuisset imperando soli stationem. Hoc est quod Christus promisit Matth. 21. 22. dicens: *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Quantum ergo credis et speras, tantum a Deo accipies. Quis ergo non summa speret a Deo, ut summa accipiat?

Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Aialon.) Hebr. est: *Sol tace,* quod R. Salomon intelligit de Pythagorico cælorum concentu. q. d. Sol ne canas uti soles, sed tace et audi vocem iussumque meum, ac siste gradum. Verum hoc ridiculum est et futile: *Sol tace*, ergo idem est quod *Sol quiesce*, ne loco movearis. Septuag. *Sol apud Gabaon stato, et Luna apud vallem Ælonis.* Sensus ergo est. q. d. Tibi, o Sol, in virtute Dei omnipotentis iubeo, imperoque ut non movearis, sed immotus fixusque ex adverso urbium Gabaon et Aialon consistas, ut lucem nobis præbeas, donec hostes nostros persequamur, omnesque ad internecionem deleamus. Nam urbs Aialon vicina erat urbi Gabaon, et inter eas vallis erat media, in qua prælium hoc gerebatur. Unde apparet illo die fuisse circa novilunium, lunamque soli fuisse coniunctam. Quod vero lunam nominet Iosue, facit hoc, non quasi id necessarium esset ad præbendum suis lumen (hoc enim aliunde præstabat solus sol) sed quia poetica copia ludit in Sole et Luna, sicut in Gabaon et Aialon: hic enim versus æque ac duo sequentes sunt Hebraici rythmi, deprompti ut videtur ex libro Iustorum. Unde apparet eos non esse compositos a Iosue, sed hic inseri ex lib. Iustorum, sive Esdras restaurator librorum sacrorum, sive quis alius eos hic inseruerit, nisi quis dicat librum Iustorum hic vocari annales publicos, in quibus quolibet anno vel ævo iustorum, præsertim Heroum illustria facta scribebantur, quasi eos citat hic Iosue.

Secundo, nominat Lunam, ut innuat non tantum Solem, sed et Lunam, omnesque cælorum orbes iussos fuisse gradum sistere: Sol enim et Luna, quæ astra sunt nobilissima, ac diei et nocti præsunt, omnia reliqua cælestia astra et corpora significant: alioqui enim statio Lunæ ad lumen et ad victoriam hic non requirebatur: significat ergo Deum tunc omnes cælorum orbes cohibuisse, ne videlicet constitutus ab eo a mundi creatione perpetuus inter orbes hos ordo, tenor et consensus unius aut duorum inæquabili progressione perturbaretur, uti fuse docet Abulen. et Masius, ac Conimbricenses in lib. 2. de cælo qu. 2. art. 3. in fine. Simile accidit Isaiæ cap. 38. 8. ubi Isaias ad preces Ezechiæ Regis solem decem gradibus retrocedere iussit.

Hoc ergo Iosuano die non fuit tempus, cuius mensura est motus primi mobilis (hic enim motus illo die cessabat) sed fuit duratio quæ rem quamvis existentem et perdurantem naturaliter comitatur, et cuius mensura poterat esse duratio primi mobilis, etiam dum ipsum quiescit. Atque hæc duratio mensurari poterat per horologia non solaria, sed arenaria vel ferrea, quæ suis temporibus librata stato tempore decurrunt, singulasque horas suo indice vel sono pulsuque indicant. Simili modo cessante motu Solis et Lunæ cessavit reciprocatio sive fluxus et refluxus maris; hic enim a motu Lunæ causatur. Ita Conimbr.

Nonne scriptum est hoc in libro iustorum)? Fuit hic liber quasi sanctorum Catalogus, in quo præclara virorum fide et religione illustrium facta erant descripta. Quis et qualis fuerit nescitur; nam plane intercidit. Ita Theodor. et alii. Vide Sixtum Senensem in Catalogo sacrorum librorum, varias de hoc libro virorum sententias referentem. Vers. 13.

Stetit itaque Sol in medio cæli.) Id est in ipso cæ-

lo magno et vasto: Est Hebraismus frequens; vel in hemisphærio nostro, quod dimidium est respectu alterius hemisphærii, quod respicit Antipodes.

Et non festinavit occumbere spatio unius diei.) Hinc videtur quod Iosue imperarit stationem soli sub vesperam, cum is occumberet, ideoque vereretur Iosue ne hostes per tenebras imminentes effugerent. Iustinus Martyr dialog. contra Tryphonem opinatur diem hunc Iosuanum fuisse 36. horarum. Nam præter duodecim horas naturales, addit illi 24. horas supernaturales, quibus Solem stetisse putat; nam dicitur hic Sol stetisse spatio unius diei, quod ipse de die naturali viginti quatuor horarum accipit. Verius id accipias de die artificiali; hæc enim sola lucem præbet, idque innuit Ecclesiasticus cap. 46. 5. dicens: *Una dies facta est quasi duo.* q. d. Dies quæ solet esse duodecim vel 14. horarum, facta est 24. vel 28. horarum. Stetit ergo hic sol per 12. vel potius 14. horas. Hæc enim pugna contigit sub solstitium æstivum, quando in Iudæa dies est 14. horarum.

Stetit Sol quamdiu?

Plura de hac statione solis litteralia et mystica dixi Ecclesiastici 46. 5. quibus adde Tropol. In Luna cognitionem intellectus, quæ in hac vita semper minus clara est, et in sole ardorem affectus considera. Hæc interdum in uno summo bono intuendo et diligendo absque varietate subsistunt, donec ulciscatur se homo de inimicis suis. Nihil enim ita imperfectiones nostras domat et absumit, ac donum istud perfectissimæ contemplationis, qua homo beneficio Domini novit angelicos spiritus æmulari.

Physice. Physice et bellice Leo Imper. in Tacticis in Epilogo num. 51. *In acie instruenda, ait, solem a tergo et ventum habeas, et in hostium oculis utrumque collocabis.* Idem dicas de pulvere, ut eum a tergo, et a fronte hostium colloces, ut in eorum oculos involet, eosque excæcet, ut præliari nequeant; nimirum pulvis sequitur ventum.

Anagog. Anagog. Rupertus: in hac statione solis, ait, est figura iudicii extremi: quando enim Christus iudicaturus adveniet, tunc stante sole longus erit dies, donec ulciscatur se de inimicis suis: *Iuxta est*, ait Sophon. cap. 1. *dies Domini magnus, dies iræ, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis, et miseriæ.* Imo post diem iudicii cessabit omnis cælorum motus, ac sol, luna et stellæ consistent eodem loco in æternum, uti docent Theologi.

Allegor. Allegorice Iosue hic typus fuit Iesu Christi: *Sicut enim pugnante Propheta* (Iosue) *sol stetit, ita dum Salvator noster morte sua mortem dissolveret, sol meridie continuit radios suos, et tenebris replevit terram*, ait Theod. quæst. 15.

Denique Hebræi, ob impetratam hanc a Iosue solis stationem, sepulchro eius insculpserunt solem, ad perennem tanti miraculi memoriam, quod ipse fuisset solis stator, ac instar solis nocte et die fuisset pervigil: nam *vigili stant bella magistro*, de qua re rursum dicam c. ult. 30.

Vers. 14. Non fuit antea, nec postea tam longa dies.) Nam dies Ezechiæ ab Isaia prolongatus fuit dumtaxat 15. horarum. Decem enim horis diei Isaias adiecit quinque; hic vero Iosuanus dies fuit 28. horarum. Nam 14. horis diei Iosue adiecit alias horas 14. Vide dicta Eccles. 45. 5. et Isaiæ 38. 8.

Obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.) Portentum est quod Deus obediat homini, sicut Deus obedivit Iosue petenti ut sisteret solem, quia Iosue in omnibus obediebat Deo. Vis ut Deus te audiat? audi tu Deum, eique obedi; sic faciet tibi obedire omnia a se creata, tibique quasi omnipotentiam suam communicabit. Scriptum est enim: *Voluntatem timentium se faciet.* Ita S. Dominicus dicebat se a Deo impetrare quicquid ab eo postularet. Idem etiamnum experiuntur viri sancti: *Ex quo intelligitur Deum servorum suorum precibus obedire, et ad eorum necessitatem creaturas suas opportune gubernare*, ait Auctor de mirabil. S. Script. apud S. August. tom. 3. lib. 2. cap. 4.

Miratur S. Bernard. Deum natum ex Virgine illi quasi filium obedivisse; at magis mirum Deum obedire Iosue. Christus enim matri obedivit, non qua Deus, sed qua homo et filius; hic vero Deus ut Deus obedivit Iosue. O prodigium, o stupor, o dignatio numquam in cælis vel terris audita, quod Creator creaturæ, Deus homini obedit! Exclamat S. Bern. Erubesce cinis, Deus se humiliat, et tu te exaltas; Erubesce pulvis, Deus obedit homini, et tu nec homini, nec Deo obedis?

Sanctus ergo Iosue imperat cælis, ac quasi rex illis leges figit, atque Solem et Lunam in medio cursu sola voce et imperio, tanquam habenis mirabiliter detinet et frænat. Sic sancti imperant vitæ et morti, cælo et inferno, dum mortuos suscitant, et animas gehennæ addictas convertendo in cælum transferunt. Cui enim Creator obedit, illi et Angeli, et dæmones, et homines, omnesque creaturæ obediant oportet. Vide hic quanta sit vis orationis, quæ Deum nobis facit obedire. Unde Iacob in oratione luctans cum Deo, illumque volentem vincens vocatus est *Israël*, id est *dominans Deo.* Genes. 32. 28. Orans ergo Deum fit Israel, Deoque prævalet. Vide dicta Iacob. 5. vers. 16. et seq. Unde Chald. hic vertit: *Ut exaudiretur coram Deo oratio hominis, quia per verbum suum pugnabat Dominus pro Israele.* Sic et Masius, Pagnin. Arias et Vatabl. Audiatur S. Hieron. in cap. 28. Isaiæ: *Fiducia habitantis in se Dei, locutus est* Iesus: *Stet Sol.* S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 40. Iesus *Nave cum adversum Gabaonitas surgeret prælium, et vereretur ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis et fidei clamavit: stet Sol; et stetit dum hæc victoria consummaretur.* D. Bernardus apud eius vitæ auctorem lib 2. cap. 7. cum adversus Leoninos schismaticos constanter agendum, ardenterque precandum suaderet: *Iosue*, ait, *pugnat, et ut ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata, Soli ut stet non tam orat quam imperat, et meretur fides tam Solis obedientiam, quam de hoste prostrato victoriam*

Reversusque est Iosue cum omni Israel in castra (in locum pro castris munitum) Galgalæ.) *Reversus est*, scilicet confecto prorsus bello, quo Deus miraculose pugnabat pro Israele solem sistendo, donec omnes hostes cæderentur, uti præcessit. Hic ergo versus per anticipationem hic ponitur, et quasi per parenthesin interiicitur; nam proprio loco collocandus esset in vers. ultimo capitis. Ita Masius: aut planius et magis connexe cum vers. sequenti q. d. *Reversus est*, hoc est reverti incipiebat Iosue, quia fugerant quinque Reges hostium duces, et videbantur effugisse; absconderant enim sese in spelunca Maceda: quod cum audisset Iosue, reflexit iter, ac speluncam custodiri iussit, donec sui cæteros eorum asseclas persequerentur et cæderent, uti sequitur. Unde Vatabl. vertit: *Et Iosue adornabat reditum.* Vers. 15.

Fugerant enim.) Iuxta sensum iam datum. Masius et alii vertunt: *Fugerant autem*, ut hic versus nectatur cum vers. 13. et vers. 14. per parenthesin inseratur. Vers. 16.

Persequimini hostes.) Audi quid de hostes fugientes insequendo sanciat Leo Imper. in Tacticis cap. 20. num. 202. *Victoria tibi a Deo concessa, ne statim turbulente et confuse illos insequaris, sed inter insequendum ne conversi te rursus adoriantur providebis: nam effusa et intemperans insectatio opportunos ad offensionem facit eos, qui insequuntur.* Vers. 19.

Et Vegetius lib. 3. cap. ult. *Qui dispersis suis, inquit, inconsulte insequitur, quam acceperat, adversario vult dare victoriam.* Unde Iosue hic iubet, ut totus Hebræorum cuneus hostes persequatur.

In Maceda ubi tunc erant castra.) Iusserat enim Iosue suos custodire quinque Reges absconditos in Maceda, ibique castra figere, donec pars una exercitus fugientes persequeretur et cæderet: quæ hoc peracto ad ceteros in Maceda rediit. Castra ergo hic vocantur potior et munitior exercitus portio. Ex Maceda deinde cæsis quinque Regibus, rediere ad pristina plenaque castra sita in Galgalis, ut patet vers. ultim. Vers. 21.

Nullusque contra filios Israel mutire ausus est.) Hebr. *Nemo contra filios Israel acuit linguam suam.* Masius: *Nec canis acuisset linguam suam in quemquam filiorum Israel.* q. d. Israel nil passus est mali, fuit-

que omnibus circumcirca gentibus formidabilis: quare nemo ausus fuit ipsum allatrare, ne canis quidem, animal alioqui cumprimis irritabile, sed dentibus, non lingua metuendum: canes enim multum lingua latrantes, vix dentibus mordent. Est Proverbium.

Vers. 24. Ponite pedes super colla Regum istorum.) Non fuit hoc insolentis animi, aut victoria elati. Iosue enim optime callebat illud Aristidis tomo 2. Orat. 2. de pace: *Usus victoriæ honestus, non minorem quam victoria laudem affert.* Iussit ergo suis colla Regum calcare: Primo, ut suis fiduciam, et animos ad ceteros Chananæorum reges debellandos adderet, ostenderetque Deum implere promissa per Mosen. Deuter. 33. ult. ubi dicitur: *Negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.*

Secundo, ut meritas de impiissimis tyrannis sumeret pœnas.

Tertio, ut suos longius ab infandis eorum sceleribus et communione cum scelestis Chananæis abdicaret, utpote quos tam Dei vindicta, quam Iosue sententia calcari, necari, necatosque in crucem agi ostentarique viderent. Allegor. *Fuit hæc non crudelitas, sed humanitas,* ait Origen. homil. 11. *Christi sacramentum designans, quod Dominus* Iesus *adumbratum prius a filio Nave per singulas civitates, nunc in veritate per singulas animas credentium complet: ut quæ possidebantur a pessimis regibus, secundum principem mundi huius, expulsis iis et peremptis, facere eas dignetur habitaculum fidei et sancti Spiritus templum.*

Symbol S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. per quinque Reges accipit quinque sensus, qui in homine regnant, sed a Iesu pugnante superantur. *Significatur,* inquit, *quod antequam Dominus populum suum educeret de Ægypto, et circumcideret eum, visus, odoratus, gustus, auditus tactusque regnaverint, et his quasi principibus fuerint universa subiecta, quos* Iesus *ad speluncam corporis confugientes, et ad tenebrosum locum, id est ipsum ingredientes corpus interfecit, ut per id occiderentur, per quod ante regnabant.*

Vers. 31. De Lebna transivit in Lachis.) Vide ut Iosue sapienter utatur victoria, ac regibus cæsis urbes omnes consternatas capiat, et instar fulminis pervadat. Peccavit ea in re Hannibal; si enim cæsis Romanis ad lacum Thrasimenum Romam perrexisset, eam cepisset: Unde de eo dictum: *Vincere scit Hannibal, sed victoria uti nescit.*

Vers. 37. Cepit eam.) Iosue ergo cepit Hebron, sed pervolando. Unde nonnulli gigantes eam rursus occuparunt quos in eadem postea delevit Caleb, ut patet cap. 15. 14. de quo cap. sequ. vers. 21.

Et percussit in ore gladii.) Id est in acie gladii, quod Galli dicunt *au fil de l'épée.* Hac phrasi significatur omnes gladio fuisse trucidatos; quod enim homini est os, hoc gladio est acies. Sicut enim homo cibum quem ore contingit, devorat; sic gladius quicquid acie sua ferit, consumit.

Regem quoque eius.) Scilicet iam ante percusserat gladio, ac percussum suspenderat in patibulo, uti dixit vers. 26. Repetit enim Regis cædem, quia recenset stragem communem urbi eius Hebron illatam, cum Rex cæsus sit non in Hebron, sed in Maceda.

Percussit, etc. Asedoth.) Ita legendum cum Roman. non *Aseoth.* Sic et Septuag. Hebræum nomen ut proprium regionis retinuerunt, tam hic quam cap. 12. 8. et cap. 13. 20. sed et Euseb. in locis Hebr. asserit, *Asedoth* esse nomen proprium urbis. Masius tamen et alii hoc nomen accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum, vertuntque *effusiones*, sive loca devia et convalles; ubi scilicet montes collesve in valles camposque se porrigunt et effundunt. Noster Deuter. 4. 27. vertit *radices montis*, ac Numer. 21. 15. vertit *scopulos,* qui in flumine se protendunt et effundunt. Vers. 40.

Omne quod spirare poterat interfecit.) Hebr. *Omnem animam*, id est omnem hominem, qui spiritu et halitu vitaque fruebatur, *interfecit:* nam pecora non esse cæsa, sed in prædam abacta patet cap. sequenti 14. Nusquam enim Deus iussit pecora occidi, nisi in Iericho c. 6. 21. quia ipsa statuta fuit anathema. Ita Abul. quæst. 98.

A Cadesbarne usque Gazam.) Vide hic fortitudinem, Vers. 41. felicitatem, celeritatem, victorias Iosue, quibus quasi fulmen transvolando omnia stravit et subegit, licet munitissima, qualis erat Gaza urbs Philisthinorum fortissima, adeo ut Alexander Magnus spatio bimestri eam oppugnarit antequam caperet, teste Diodoro lib. 17. Hinc et a robore nomen accepit. Gaza enim Hebr. עזה *Azza,* vel Gaza (nam litteram *Ain* sæpe pronuntiant ut g. sic עמרה pronuntiant *Gomorrha* עמר *gomor*, etc.) Hoc tamen nomen alia de causa eidem urbi confirmatum est postea a Cambyse filio Cyri, quam recenset Pomponius Mela lib. 1. cap. 11. *In Palæstina,* ait, *est ingens et munita admodum Gaza. Sic Persæ ærarium vocant. Et inde nomen est, quod cum Cambyses armis Ægyptum peteret, huc belli opes et pecuniam intulerat,* ut illa in Gaza, utpote munitissima, esset tutissima. Hinc et paulo post Iosue transitum, gigantes receperunt Gazam, eamque munitiorem effecerunt, uti narratur cap. seq. ver. 22.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue prælio superat Iabin Regem Asor præpotentem cum Regibus sibi fœderatis, ac Chananæam pene totam subiugat, itaque a præliis cessat. Huc usque audivimus bellum Australe Iosue, nunc audiemus Aquilonare: ipse enim subacta Chananæa Australi, arma iam vertit ad Aquilonarem.

1. Quæ cum audisset Iabin rex Asor, misit ad Iobab regem Madon, et ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph: 2. Ad reges quoque Aquilonis, qui habitabant in montanis et in planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque et in regionibus Dor iuxta mare: 3. Chananæum quoque ab Oriente et Occidente, et Amorrhæum atque Hethæum ac Pherezæum et Iebusæum in montanis: Hevæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in Terra Maspha. 4. Egressique sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena quæ est in littore maris, equi quoque et currus immensæ multitudinis: 5. Conveneruntque omnes reges isti in unum ad Aquas Merom, ut pugnarent contra Israel. 6. Dixitque Dominus ad Iosue: Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel: equos eorum subnervabis, et currus igne combures. 7. Venitque Iosue, et omnis exercitus cum eo, adversus illos ad Aquas Merom subito, et irruerunt super eos, 8. Tradiditque illos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et Aquas Maserephoth, campumque Masphe, qui est ad Orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias: 9. Fecitque sicut præceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit,

currusque combussit igni. 10. Reversusque statim cepit Asor: et regem eius percussit gladio: Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. 11. Percussitque omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsamque urbem peremit incendio. 12. Et omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit, percussit atque delevit, sicut præceperat ei Moyses famulus Domini. 13. Absque urbibus, quæ erant in collibus et in tumulis sitæ, ceteras succendit Israel: unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit. 14. Omnemque prædam istarum urbium ac iumenta diviserunt sibi filii Israel, cunctis hominibus interfectis. 15. Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Iosue, et ille universa complevit: non præteriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum quod iusserat Dominus Moysi. 16. Cepit itaque Iosue omnem Terram montanam, et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et Occidentalem plagam, montemque Israel, et campestria eius: 17. Et partem montis quæ ascendit Seir usque Baalgad, per planitiem Libani subter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percussit, et occidit, 18. Multo tempore pugnavit Iosue contra reges istos. 19. Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. 20. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. 21. In illo tempore venit Iosue, et interfecit Enacim de montanis, Hebron, et Dabir, et Anab, et de omni monte Iuda et Israel, urbesque eorum delevit. 22. Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in Terra filiorum Israel: absque civitatibus Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relicti sunt. 23. Cepit ergo Iosue omnem Terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, et tradidit eam in possessionem filiis Israel secundum partes et tribus suas, quievitque Terra a præliis.

Vers. 1. **I**ABIN REX ASOR:) Asor erat totius Chananææ metropolis, inter omnia eius regna tenens principatum: cessit tribui Nephtali, distat a Cæsarea Philippi sex milliaribus, a mari mediterraneo novem. Ita ex Iosepho et aliis Adrichom.

Vers. 2. CONTRA MERIDIEM CENEROTH,) hoc est ad meridiem stagni Genesareth, quod alio nomine mare Tiberiadis sive Galilææ dicitur.

Vers. 4. POPULUS MULTUS NIMIS, SICUT ARENA QUÆ EST IN LITTORE MARIS,) id est magna et innumerabilis hominum multitudo. Est enim hyperbole in Script. usitata, pertinens ad amplificandam victoriam, ac simul terræ promissæ fœcunditatem (utpote quæ tantam multitudinem alere potuerit) commendandam. Iosephus lib. 5. Antiq. c. 2. asserit fuisse trecenta millia peditum, decem equitum, et duo millia curruum.

Vers. 6. VULNERANDOS.) Alii vertunt *occidendos*: utrumque significat Hebr. חללים *chalalim*, et utrumque hic factum: iusserat enim Deus omnes Chananæos occidi.

EQUOS EORUM SUBNERVABIS,) hoc est equis nervos vel suffragines aut crura incides, ut videlicet inutiles reddantur, ne posthac illis utaris in bello, et fiduciam ponas in eis me neglecto. Hac enim de causa equorum copia a Deo fuit improbata, et vetita Hebræis Deuter. 17. 16. Psal. 147. 10. Psal. 20. 8. Vide dicta Exodi 13. 13. Eadem de causa iussit et currus comburi: reliqua vero præda camelorum, asinorum, boum, ovium, etc. Hebræis frui permisit. Ita Abul. Masius, Arias, Vatabl. Vide dicta Exodi 13. 13.

Tropol. Origen. cum dæmone pugnantes, inquit, arma ei eripiamus necesse est: equum ergo enervamus, cum lascivum corpus ieiunio frangimus: corpus enim est quasi equus lasciviens, cui animus quasi eques insidet et præsidet, ut illud domet, et flagello disciplinæ quasi auriga moderetur et regat.

Vers. 8. USQUE AD SIDONEM MAGNAM,) non quod alia fuerit Sidon minor, sed quod Sidon vicina Tyro cognomen habuerit *magna*. Sidon enim artificum industria, navium nautarumque copia, et maxima portus commoditate ab omnibus celebrata fuit. Dicta est Sidon a Sidone filio Chanaan conditore, ut vult Iosephus 1. Antiq. cap. 6. et S. Hieron. in quæst. in Genes. vel ut Iustinus historicus lib. 18. Strabo lib. 12. et alii a piscium copia. Phœnices enim piscem vocant *said* (quod Hebr significat venari) unde et hodie Sidon vulgo a Turcis et Syris vocatur *said*, vel *saida*. Est autem hæc urbs in Phœnicia, adeoque videtur olim fuisse Metropolis Phœniciæ. Unde Isaiæ 23. 12. Tyrus illa mercibus opibusque et viribus inclyta vocatur filia Sidonis. Sita est in littore maris mediterranei sub Antilibano. Ita Masius.

ET AQUAS MASEREPHOTH.) Hebr. *Et* משרפות *misrephot aquarum*, hoc est, *Et ustrinas aquarum*, ut vertit Masius, vel ut alii *adustiones vel incendia aquarum*. Tigur. *Calefactiones aquarum:* per quas Vatabl. et R. David intelligunt aquas calidas, quales sunt Aquisgrani ad balnea. Alii salinas intelligunt, quod scilicet ibidem aqua ex mari per canales deducta, solis radiis excocta, et quasi exusta in salem durabatur. Ita Chald. Lyran. R. Salomon, Adrichom. et alii. Tertio, Masius fornaces vitrarias intelligit: arenam enim vi ignis excoctam et liquatam, ex qua conflatur vitrum; hic vocari aquam: omne enim liquidum subinde aqua vocatur.

ASOR ENIM ANTIQUITUS INTER OMNIA REGNA HÆC PRINCIPATUM TENEBAT.) Hinc liquet Asor fuisse Metropolim Chananææ, ut dixi vers. 1. ideoque Iabin Regem Asor hos omnes Reges et urbes Chananææ, quæ hic nominantur, non tantum habuisse fœderatas, sed etiam sibi quasi principi subditas. Vers. 10.

NON DIMISIT RELIQUIAS.) Nonnullos tamen fuga, vel tum, vel antea evasisse qui paulo post mortem Iosue vires receperint, urbesque restaurarint, ac novos Reges sibi crearint, qui Hebræos vexarunt et afflixerunt, patet Iudic. 4. 2. ubi post 130. annos Iabin Rex Asor dicitur per viginti annos dominatus Hebræis. Unde verisimile est, Iabin fuisse commune nomen Regum Asor, uti Regum Ægypti commune nomen fuit Pharao, deinde Ptolemæus; ac Regum Syriæ nomen erat Antiochus. Ita Masius. Simile accidit in Madianitis, qui excisi a Mose, Num. 31. rursum succreverunt, ac iterum bella moverunt Israelitis. Unde a Gedeone prostrati sunt Iudic. 6. Sic et Hebronitæ a Iosue succisi, rursum vires, urbemque Hebron receperunt, ac a Caleb devicti sunt, ut patet vers. 21. conferendo cum Iudic. 1. vers. 10. Vers. 11.

Porro Procopius lib. 4. de bello Wandalorum, et ex eo Evagrius lib. 4. histor. cap. 18. asserunt multos Chananæorum cernentes se Iosue non posse resistere, ex Chananæa profugisse in Ægyptum, Libyam et Africam, ibique novas ædificasse urbes, nonnullos quoque in Germaniam, aliasque Europæ provincias pervenisse tradunt Rabbini, ac imprimis Aben Ezra, et ex iis Genebr. in Chronol.

ABSQUE URBIBUS QUÆ ERANT IN COLLIBUS ET IN TUMULIS SITÆ, CETERAS SUCCENDIT ISRAEL.) Hebr. *Tantum urbes quæ erant in tumulis suis non succendit.* Unde recte infert noster Interpres, asseritque ceteras urbes, quæ non erant in collibus, a Iosue fuisse succensas. Dicuntur vero urbes in tumulis sitæ, quæ eminentiore sunt loco, vel in collibus, ideoque loci natura munitæ. Unde Theod. Chal. et Vatab. vertunt *urbes fortes*. Masius, *Aggeribus munitas*. Sensus est. q. d. Iosue urbes non munitas succendit, eo quod timeret ne illæ se abeunte rursum a Chananæis hostibus occuparentur, cum ipse Vers. 13.

pauciores haberet milites, quam ut omnes urbes quas capiebat valido præsidio firmare posset: urbes vero in collibus munitas non succendit, utpote quas facile parvo præsidio tenere et tutari poterat: excepta tamen urbe Asor, quæ caput erat et metropolis aliarum: hanc enim exussit: quia si illa mansisset integra, fuisset continua belli materia, Chananæis ad regiam hanc urbem repetendam, et sibi vindicandam perpetuo intentis et excubantibus. Ita Abulens.

Vers. 16. MONTEMQUE ISRAEL.) Quæres quis sit hic mons. Masius et Arias censent montem hic vocari loca montosa circa Samariam. Mons enim Samariæ dictus est mons Israelis, postquam decem tribus facientes schisma a Iuda et Roboam Rege, nomen Israelis sibi appropriarunt, regnique sui caput fecerunt Samariam, ac Regem sibi crearunt Ieroboam. Hinc colligit Masius hunc librum non a Iosue, sed diu post eum ex Diariis a Iosue relictis fuisse conscriptum.

Alii per montem Israelis accipiunt montem Sion, in quo ædificatum fuit templum, ut ille ob templum antonomastice vocetur mons Israelis. Alii accipiunt montem Bethel, ubi Iacob, qui alio nomine dictus est Israel, vidit scalam e terra in cælum porrectam, Deumque scalæ innixum, ac ab eo promissionem Chananææ a posteris suis possidendæ accepit. Genes. 28. 12. Alii cum Caiet. et Saliano intelligunt montem Garizim, vel similem iuxta Sichem, situm in agro, quem Iacob ibidem emerat. Genes. 33. 19.

Vers. 17. ET PARTEM MONTIS QUÆ ASCENDIT SEIR,) id est in Idumæam. Recte vertit noster Interpres, si in Hebræo moderna puncta a Rabbinis substituta commutes, ac loco החלק *hechalac* legas, החלק *hachelec*, id est istam partem. Aquila quoque Chald. et Vatabl. vertunt *montem divisionis*, id est divisum et dividentem, quia Chananæam dividit et disterminat ab Idumæa. Recentiores cum Symmacho et Masio vertunt λειον, id est levem, politum, glabrum, id est nudum et arboribus vacuum. Septuag. retinuerunt nomen Hebræum quasi proprium.

Vers. 18. MULTO TEMPORE PUGNAVIT IOSUE CONTRA REGES ISTOS.) Ioseph. lib. 5. Antiq. cap. 2. asserit Iosue quinquennio subegisse Chananæam. Verius est eum id fecisse septennio, saltem inchoato. Id enim diserte tradunt Chronologi Hebræorum in Seder Olam, ac Theodor. Abul. Masius, Serarius, Torniellus et alii, idque satis colligitur ex annis Caleb. 14. 7. ut ibi ostendam.

Vers. 19. NON FUIT CIVITAS QUÆ SE NON TRADERET.) Corrige cum Roman. *Quæ se traderet*. Hebr. enim est *quæ pacem faceret*, vel offerret, aut oblatam acceptaret. Tradunt enim Rabbini, quos sequitur Masius, Iosue obtulisse pacem singulis urbibus Chananææ, sed omnes pacem abnuisse, quod nollent conditionem pacis, scilicet subiectionem et servitutem Hebræorum subire. Alii tamen negant Iosue obtulisse eis pacem, eo quod Deus vellet omnes occidi. Locus enim Deuter. 20. 10. ubi iubetur ut pax offeratur urbibus hostilibus, ambiguus est et dubius, an ad exteros dumtaxat, an vero etiam ad Chananæos pertineat.

Vers. 20. DOMINI ENIM SENTENTIA FUERAT, UT INDURARENTUR CORDA EORUM.) Hebr. *A Domino erat ut indurarent cor suum*. Ita Masius. Ipsi ergo Chananæi, se indurabant, ut nollent cum Hebræis pacisci, non vero, ut ait Calvinus hic, ipse Deus qui veniam Chananæis negari iusserat, eos in cæcum furorem impulit, ne locum darent misericordiæ. Id tamen Domini sententia et iudicio factum est, ob nefaria eorum scelera: factum inquam, non active et impulsive, sed permissive et obiective; illa nimirum providentia, quam circa peccata, sanctissima Dei maiestas habet: quæ qualis et quanta sit explicui Exodi 7. 3.

Hinc elicitur, quod si Chananæi pacem a Iosue et Hebræis petiissent, ac pœnitentes in unius veri Dei castum cultum cum Hebræis transire voluissent, Deum decretum suum de illis occidendis revocaturum fuisse, aut potius declaraturum illud non comprehendere Chananæos pœnitentes, sed tantum impœnitentes, et in sua impietate obduratos. Ita Abulens. Masius et alii.

INTERFECIT ENACIM.) Id est gigantes posteros Enac gigantis. Vers. 21.

Quæritur: quomodo Iosue gigantes, eorumque urbes Hebron, Dabir et Anab deleverit, cum post mortem Iosue id fecerit Caleb et Othoniel, ut dicitur cap. 14. 12. et Iudic. 1. vers. 10. 11. et 12. Abulens. quæst. 85. respondet esse hic Anticipationem, tribuique hic Iosue illa quæ ipse inchoavit, sed posteri eius perfecerunt. Melius respondet Masius utrumque contigisse: gigantes enim a Iosue partim cæsos, partim pulsos esse ex Hebron, Dabir et Anab, cum ipse illas urbes victor percurreret, pulsos vero ac profugos, qui scilicet Iosue manus evaserunt, fugisse, et sese recepisse in Gazam, Geth et Azotum, quæ erant urbes Philistinorum. Unde post mortem Iosue viribus resumptis, maiorum suorum sedes, scilicet Hebron, Dabir et Anab recuperarunt, rursumque occuparunt, donec tandem a Caleb et Othoniele funditus fuere deleti. Id insinuat versus sequens.

Porro *Enacim*, Hebr. idem est quod *Torquati*, torque ornati. Sic Manlius apud Romanos cognominatus est Torquatus, quod Gallo in prælio torquem ademisset. Porro torques aurei militibus ob rem strenue gestam donari ab Imperatoribus solebant: unde torquati dicti, qui duorum generum erant, simplares duplaresque. Vegetius lib. 2. Torquati, inquit, duplares, torquati simplares erant, quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit: quem qui meruisset, præter laudem interdum duas consequebatur annonas, duplares duas, simplares unam. Torquati tamen hodie vocitari debent equites, qui vulgo cochleati dicuntur, quos Rex noster gestamine suo regioque insignivit, quique ordinem regium gestare dicuntur. Ita Budæus. Sic tradunt Rabbini gigantes hosce bellipotentes, vasta sua corpora torquibus implesse et ornasse. Enacim enim erant Colossæi gigantes et monstra hominum.

CEPIT ERGO IOSUE OMNEM TERRAM.) Chananææ. *Omnem*, id est potiorem et quasi omnem; pauca enim intacta reliquit; vel *omnem*, scilicet quam bello tentavit, quam adire et expugnare voluit; nullam enim adiit, quam non expugnarit, uti Deus illi promiserat c. 1. 3. Aliquas tamen in Chananæa urbes non adiit, intactasque reliquit æque ac Gazam, Geth, Azotum, et ceteras urbes Philistinorum perinde ac Tyrum, Sidonem, ceterasque Phœniciæ urbes, quæ tamen ambitu terræ a Deo Hebræis promissæ continebantur. Cur id fecerit causas afferam Iudic. 2. 21. Vers. 23.

SECUNDUM PARTES ET TRIBUS.) *Et* significat *id est*. q. d. Secundum partes, id est secundum tribus. Hebr. *iuxta partitiones eorum, ad tribus eorum*, id est prout Hebræi per suas tribus erant divisi et dispertiti.

QUIEVITQUE TERRA.) Id est habitatores terræ a Iosue vel occisi vel suppressi subactique, nullum Israeli bellum moverunt. Ita Arias, Vatabl. et alii.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Numerantur 31. Reges a Iosue in Chananæa cæsi. Vide hic ut Iosue Regum omnium fuerit terror, imo Iudex et vindex.

1. Hi sunt reges, quos percusserunt filii Israel, et possederunt Terram eorum trans Iordanem ad solis ortum, a torrente Arnon usque ad montem Hermon, et omnem Orientalem plagam quæ respicit solitudinem. 2. Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, et mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad torrentem Iaboc, qui est terminus filiorum Ammon. 3. Et a solitudine usque ad mare Ceneroth contra Orientem, et usque ad Mare deserti, quod est mare salsissimum, ad Orientalem plagam per viam quæ ducit Bethsimoth: et ab australi parte, quæ subiacet Asedoth, Phasga. 4. Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon, et in Salecha, atque in universa Basan, usque ad terminos, 5. Gessuri, et Machati, et dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Hesebon. 6. Moyses famulus Domini, et filii Israel percusserunt eos, tradiditque Terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse. 7. Hi sunt reges Terræ, quos percussit Iosue, et filii Israel, trans Iordanem ad Occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani, usque ad montem cuius pars ascendit in Seir: tradiditque eam Iosue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas, 8. Tam in montanis quam in planis atque campestribus. In Asedoth, et in solitudine, ac in meridie Hethæus fuit et Amorrhæus, Chananæus et Pherezæus, Hevæus, et Iebusæus. 9. Rex Iericho unus: rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus: 10. Rex Ierusalem unus, rex Hebron unus, 11. Rex Ierimoth unus, rex Lachis unus, 12. Rex Eglon unus, rex Gazer unus, 13. Rex Dabir unus, rex Gader unus, 14. Rex Herma unus, rex Hered unus, 15. Rex Lebna unus, rex Odullam unus, 16. Rex Maceda unus, rex Bethel unus, 17. Rex Taphua unus, rex Opher unus, 18. Rex Aphec unus, rex Saron unus, 19. Rex Madon unus, rex Asor unus, 20. Rex Semeron unus, rex Achsaph unus, 21. Rex Thenac unus, rex Mageddo unus, 22. Rex Cades unus, rex Iachanan Carmeli unus. 23. Rex Dor, et provinciæ Dor unus, rex Gentium Galgal unus, 24. Rex Thersa unus: omnes reges triginta unus.

Vers. 2. DOMINATUS EST, etc. MEDIÆ PARTIS IN VALLE.) Hebr. *Dominatus est in medio vallis.* Ita et Sept. quasi dicat, Dominatus est per dimidiam vallem, quæ dividitur fluvio Arnon, ita ut medietas fluvii et vallis adiacentis esset Sehon Regis Amorrhæorum, altera vero dimidia pars esset Moabitarum. Vide Deuter. 3. 16.

Vers. 4. RAPHAIM.) Ita vocabantur gigantes prognati ex Rapha, sicut Enakim prognati ex Enac. Vide dicta Genes. 14. 5.

QUI HABITAVIT IN ASTAROTH.) Ita dicta est hæc urbs et regia Og regis Basan, ab Astarte idolo Dianæ sive Iunonis, hoc est lunæ quæ ibi colebatur; unde et cognominabatur *carnaim,* id est duorum cornuum, quia luna dum nascitur bicornis est. Vide dicta Genes. 14. 5. sic et *Baalgad,* ait Arias, ex numine Fortunæ, quæ ibi colebatur nomen accepit: *Gad* enim est fortuna, ut dixi Genes. 30. 11. *Baal est Deus.*

Vers. 9. REX IERICHO UNUS.) *Rex,* id est regulus, sive princeps. Singulæ enim urbes cum suis municipiis suos habebant Reges, id est Rectores et Principes, ut patet ex seq. olim enim singularum urbium Domini vocabantur Reges, teste Aristot. lib. 3. Polit. Strabone lib. 16. et Plinio lib. 6. cap. 9. Hinc collige quanta fuerit illius ævi simplicitas, cum Reges suis contenti urbibus alias non ambirent, sed cum eis contra communes hostes, v. g. Hebræos conspirarent. Iam autem non raro videmus tantam esse hominum ambitionem, ut ei satiandæ totus mundus non sufficiat. Unde de Alexandro Magno cecinit Poeta:

Unus Pellæo iuveni non sufficit orbis,
Sarcophago contentus erit.

Quid miseri mortales terram ambitis? Quid agros agris, urbes urbibus, regna regnis adiicere satagitis? Quid tota vita vosmetipsos in fundorum dilatatione excruciatis cras morituri? Deo iudici vindicique ambitionis, iniustitiæ et tyrannidis exactam rationem reddituri? in tumulo terræ octopedali sepeliendi? in gehenna per omnem æternitatem arsuri? Hoc est terræ punctum, quod inter mortales

A ferro et igni dividitur. O quam angusti sunt mortalium termini! O quam angusti cæcique mortalium animi! Itane terræ punctum vastissimis, pulcherrimis, opulentissimis cælorum orbibus regnisque antefertis?

Vers. 23. REX GENTIUM GALGAL UNUS.) Hebr. ad *Galgal* additur articulus *Lamed.* q. d. *Rex Gentium Galgala,* vel in Galgala *unus.* Certum est Galgal hic non esse Galgala, ubi Iosue transito Iordane fixit castra: ibi enim nulla erat civitas, nullus rex. Quare verisimiliter Masius et alii censent Galgal esse Galilæam. Hæc enim Hebr. dicitur גליל *Galil. Galgal* autem idem est quod *Galil,* geminata dumtaxat littera *Ghimel,* quod frequens est Hebræis. Unde Septuag. in editione Romana *Galgal* vertunt *Galilæam,* nec usquam aliam invenimus *Galgal* quam Galilæam. Hæc vocatur *Gentium,* tum quia vicinos habebat Tyrios, Sidonios, aliosque Gentiles; tum quia in ea habitabant, et permistæ erant variæ Chananæorum aliorumque populorum Gentes, inquit Abul. tum quia ad illam ob maris emporia et mercimonia magnus erat aliarum gentium concursus, ait Masius. Accessit postea quarta causa, quod Salomon
B Hiram regi Tyri Gentili, ob præstitam in fabrica templi operam, in Galilæa dederit viginti urbes, ut notat S. Hieron. Verum hæc donatio Galilææ primitus non indidit cognomen *Gentium,* sed iam inditum roboravit et confirmavit. De Galilæa plura dicam cap. seq. vers. 2.

Vers. 24. OMNES REGES TRIGINTA UNUS.) Notat S. Hieron. epist. ad Dardanum, terram Hebræis a Deo promissam datamque in longitudine a Dan usque ad Bersabee continere tantum 160. millia passuum, sive 160. milliaria Italica, latitudinem vero, quam a Ioppe ad Iordanem metimur, complecti sexaginta passuum millia; ergo angustior erat Italia, imo et Belgio. Quare tot in terra tam angusta dominari regulos, totque alios in ea superesse populos, de quibus cap. sequenti, arguit admirabilem olim fuisse soli illius ubertatem, meritoque vocari terram lacte et melle manantem.

*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iubet Deus Iosue, ut reliquis novem tribubus Chananæam trans Iordanem, tam bello subactam quam subigendam distribuat, sicut Moses distribuerat eandem cis Iordanem sitam tribus tribubus, scilicet, Ruben, Gad et dimidiæ Manasse. Unde vers. 15. recenset et repetit sortem et terminos a Mose datos tribui Ruben, ac vers. 24. datos tribui Gad, et vers. 29. datos tribui Manasse.

1. IOSUE senex, provectæque ætatis erat, et dixit Dominus ad eum: Senuisti, et longævus es, terraque latissi-
ma derelicta est, 2. Quæ necdum sorte divisa est: omnis videlicet Galilæa, Philistiim, et universa Gessuri.
3. A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra Aquilonem: Terra Chanaan,
quæ in quinque regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, et Azotios, Ascalonitas, Gethæos, et Accaronitas. 4. Ad
meridiem vero sunt Hevæi, omnis Terra Chanaan, et Maara Sidoniorum, usque Apheca et terminos Amorrhæi,
eiusque confinia. 5. Libani quoque regio contra Orientem, a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.
6. Omnium qui habitant in monte, a Libano usque ad Aquas Maserephoth, universique Sidonii. Ego sum qui de-
lebo eos a facie filiorum Israel. Veniat ergo in partem hereditatis Israel, sicut præcepi tibi. 7. Et nunc divide
terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse, 8. Cum qua Ruben et Gad possederunt ter-
ram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini, trans fluenta Iordanis ad Orientalem plagam. 9. Ab Aroer quæ
sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, universaque campestria Medaba, usque Dibon, 10. Et cunctas
civitates Sehon, Regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, usque ad terminos filiorum Ammon. 11. Et Galaad,
ac terminum Gessuri et Machati, et omnem montem Hermon, et universam Basan, usque ad Salecha, 12. Omne
regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth et Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim: percussitque eos Moyses,
atque delevit. 13. Nolueruntque disperdere filii Israel Gessuri et Machati: et habitaverunt in medio Israel usque
in præsentem diem. 14. Tribui autem Levi non dedit possessionem: sed sacrificia et victimæ Domini Dei Israel,
ipsa est eius hereditas, sicut locutus est illi. 15. Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben iuxta co-
gnationes suas. 16. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle eiusdem
torrentis media: universam planitiem, quæ ducit Medaba, 17. Et Hesebon, cunctosque viculos earum, qui sunt
in campestribus: Dibon quoque, et Bamothbaal, et oppidum Baalmaon, 18. Et Iassa, et Cedimoth, et Mephaath,
19. Et Cariathaim, et Sabama, et Sarathasar in monte convallis. 20. Bethphogor et Asedoth, Phasga et Bethies-
moth, 21. Et omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon,
quem percussit Moyses cum principibus Madian: Hevæum, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe duces Sehon habi-
tatores Terræ. 22. Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Israel gladio cum ceteris interfectis. 23. Fa-
ctusque est terminus filiorum Ruben Iordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium
et viculorum. 24. Deditque Moyses tribui Gad et filiis eius per cognationes suas possessionem, cuius hæc divi-
sio est: 25. Terminus Iaser, et omnes civitates Galaad, et dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroer,
quæ est contra Rabba. 26. Et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe et Betonim: et a Manaim usque ad terminos
Dabir. 27. Et in valle quoque Betharam, et Bethnemra, et Socoth, et Saphon reliquam partem regni Sehon re-
gis Hesebon: huius quoque finis, Iordanis est, usque ad extremam partem maris Cenereth trans Iordanem ad
Orientalem plagam. 28. Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates et villæ earum. 29. Dedit et
dimidiæ tribui Manasse, filiisque eius iuxta cognationes suas possessionem, 30. Cuius hoc principium est: a Ma-
naim universam Basan, et cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Iair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida.
31. Et dimidiam partem Galaad, et et Astaroth, et Edrai, urbes regni Og in Basan: filiis Machir, filii Manasse,
dimidiæ parti filiorum Machir iuxta cognationes suas. 32. Hanc possessionem divisit Moyses in campestribus Moab
trans Iordanem contra Iericho ad Orientalem plagam. 33. Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Do-
minus Deus Israel ipse est possessio eius, ut locutus est illi.

Vers. 1. QUÆ NECDUM SORTE DIVISA EST.) Hebr. *Superest terra ad possidendum eam,* videlicet per sortis iaciendæ divisionem a te, o Iosue, faciendam, ut Noster clare exprimit, idque sive ea iam a te occupata sit, ut Galilæa, sive occupanda restet, ut terra Philistina.

Vers. 2. OMNIS VIDELICET GALILÆA.) Chald. Septuag. Recentiores Hebr. nomen גלילות *Ghelilot,* accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum, vertuntque *limites vel littora Philistinorum* (simile dixi Ioelis 3. 4.) indeque Galilææ nomen est inditum, ait Masius, vel propter sinuosos littorum et riparum recessus, vel quia fluctus illic ventis aut æstu reciprocantur volutatimque ludunt (גלל *galal*, enim significat volvere, revolvere, convolvere,) vel denique a congestis convolutisque ibidem passim arenarum tumulis.

Galilæa duplex. Duplex enim est Galilæa, et utraque mari adiacet, ideoque in Hebr. est nomen plurale גלילות *Ghelilot*, q. d. *Galilæas.* Galilæa enim alia est inferior circa Tyberiadem et stagnum Genesareth, quam occuparunt

A tribus Zabulon et Issachar: alia est superior circa Capharnaum, Tyrum et Ptolemaida, quam occuparunt tribus Aser et Nephtali: hæc enim dicta est Gentium, quod a Gentilibus circumquaque vicinis frequentaretur; uti dixi cap. 12. utraque opima erat et fertilis, fontibus aquæ perennis, ac torrentibus irrigua, totaque frumenti, vini, olei, et cunctorum fructuum ferax, ideoque universa erat habitata et exculta: hinc in ea erat magna civitatum et vicorum multitudo, ac incolæ plurimi, illique fortes et pugnaces. Iosephus Dux Galilæorum contra Romanos, in vita sua narrat, in Galilæa fuisse 204. urbes et vicos, quorum minimus continebat quindecim hominum millia.

Denique Galilæam nobilitavit: tum Iosue, tum potius eius antitypus IESUS CHRISTUS. Hic enim ipse conceptus et educatus est: hic ut plurimum habitavit et versatus est; hic Evangelicæ prædicationis semen primum spargere cœpit, ac promulgandi Evangelii gratia, una cum Apostolis qui plerique Galilæi erant, Galilæam

totam bis circumivit, singulasque eius civitates et vicos A peragravit, docens ubique in Synagogis, eiiciens dæmonia, et curans omnem morbum et omnem languorem in populo. Atque ob hanc educationem et conversationem suam, quam in Galilæa duxit, Christus Galilæus vocatus fuit. Præter quam rationem, Apostoli, quod plerique hic nati essent, etiam Galilæi appellati fuere. Quapropter et Imperatori Iuliano Apostatæ, ut Eusebius et alii sæpe memorant, solemne erat, ut Christum Galilæum, et tum a Christo, tum ab Apostolis Christianos omnes Galilæos nominaret. Ita Adrichom. in descript. Galilææ.

Tropol. Galilæus princeps est, et cum Iosue Galilæam subiugat, qui carnem domans, passionesque fortiter subiugans, regnorumque et regum statuumque circulationes, revolutiones, mutationes, procellas et turbines despicit et quasi pede calcat. Galilæa enim Hebr. idem est quod tornatilis, volubilis, ait Pagnin. in nomin. Hebr. Hoc est quod orat Ecclesia Dominica quarta post Pascha: *Ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi* B *vera sunt gaudia.* Nam ut ait Paulus: *Nostra conversatio in cælis est.* Philipp. 3. 20. ideoque non sumus *hospites et advenæ, sed cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Ephes. 2. 19.

Vers. 3. A FLUVIO TURBIDO.) Is est Nilus, hic enim Hebr. vocatur שִׁיחוֹר *scichor*, id est turbidus, quia aqua eius limo quem vehit est turbida et nigra. Unde et a Græcis μελας, id est niger cognominatur. Hinc et Ægyptus μελαμβωλος, id est *nigrigleba* dicitur, ideoque pinguis et fertilis. Quapropter *Nilus* dicitur νεα ἰλυς, id est *novus limus.* Unde Mantuanus.

Limifer Ægyptum toto semel irrigat anno.

Videlicet in æstate, dum Sol est in Cancro: tunc enim Nilus exundans agros Ægypti oblimat, impinguat et fœcundat. Audi Tibullum.

Fertilis æstiva Nilus abundat aqua.

Ita Lyran. Vatabl. Arias et S. Hieron. epist. ad Dardan. C Vide dicta Ierem. 2. 18.

Dices: terra promissa non extendebatur usque ad Ægyptum, nec eius terminus meridionalis erat Nilus, sed rivus quidam Nili, sive torrens de eremo veniens, qui inter Rinocoluram et Pelusium urbem Ægypti in mare ingreditur. Unde alibi in Script. vocatur torrens Ægypti, alibi torrens deserti. Resp. ita est, uti recte ostendit Ribera Amos 6. num. 43. Hic tamen Nilus ponitur quasi limes et terminus terræ promissæ, tum quia torrens ille deserti, qui terræ est limes, est rivus Nili. Unde multi per Nilum hic accipiunt rivum istum Nili, qui torrens deserti dicitur: tum quia inter torrentem hunc usque ad Rinocoluram et Pelusium est desertum, terraque inutilis et inhabitata, quæ proinde non computatur, nec illius habetur ratio: quare recte dicitur Nilus, iuxta quem terra est culta et fertilis, esse terminus terræ promissæ. Porro Rinocoluram versus meridiem esse terminum Iudææ docet Plinius lib. 5. c. 13. et Strabo lib. 16. et S. August. lib. 16. de civit. c. 24. Dicta est urbs hæc Rinocolura a D naribus reorum amputatis (ῥιν enim est nasus) quod scilicet, ut ait Strabo, homines malefici præcisis ob scelera naribus a Rege quodam Æthiopum qui in Ægyptum venerat, in ea collocati sint quasi in exilio ad terrorem ceterorum. Hodie Pharamicam dici nonnulli asserunt.

Porro Nilus sua exundatione ita fœcundat Ægyptum, ut pluvia non egeat, sitque omnium regionum fertilissima. Audi Ciceronem lib. 2. de natura deorum. *Irrigat Ægyptum Nilus, et cum tota æstate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit.* Augetur enim Nilus certis diebus mirum in modum, et per totam spatiatus Ægyptum, fœcundissimus innatat. Unde unica spes Ægyptiis in Nilo, ait Seneca lib. 4. Natur. quæst. cap. 2. Audi Claudianum, qui Epigram. 61. de Nilo ita canit.

Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis quas ipsa vehit Niloque redundat.

Quocirca Pharao superbiens æstimabat se non tam Regem, quam Deum Ægypti, ideoque audivit a Deo: *Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum: et ponam frœnum in maxillis tuis,* etc. Ezech. 29. 3.

Meminit ergo Nili hic Script. ut indicet Iudæam illi vicinam, illoque limitatam, eius fertilitatem participare, ut sit terra fœcunda, lacte et melle manans.

TERRA CHANAAN, QUÆ IN QUINQUE REGULOS PHILISTHIIM DIVIDITUR, GAZÆOS ET AZOTIOS, ASCALONITAS, GETHÆOS ET ACCARONITAS.) Pro *terra Chanaan*, Hebr. est *Chananæo censebitur.* Chald. *Chananæorum terræ annumerari debet.* q. d. Licet Philistini nunc has quinque Palæstinæ urbes et satrapias occupent, illæ tamen sunt Chananæorum, qui ibi primi habitarunt, indeque sedibus suis pulsi sunt a Philistinis, sive a Caphtorim, id est Cappadocibus. Deuter. 2. 23. ideoque urbes hæ limitibus Chananææ Hebræis a Deo promissæ continentur: quamquam Hebræi sua segnitie, sceleribus et culpa illas, uti et plures alias, nunquam vel certe exiguo tempore sub Davide et Salomone occuparint. Ita S. Hieron. ad Dardanum.

QUINQUE REGULOS.) Hebr. *Quinque Sarnim.* Est vox Palæstina significans Satrapas, Præfectos, Principes: consentit cum Hebr. רוזנים *rozenim*, per Methathesin litteræ r cum s. Chald. vertit *turnaia* (Chald. enim litteram z in t commutant) unde tyranni nomen quo olim censebantur Reges, deductum videtur, ait Arias: Nam ut ait Iustinus lib. 1. Histor. *Quæque civitas et gens Rerumpublicarum imperium ab initio penes Reges* (quasi rectores) *habebat quos ad huiusmodi fastigium maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat, qui et tyranni ob fortitudinem vocabantur.* Unde Virg. 7. Æneid.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Qui ergo Hebr. *rozenim*, Palæstine *sarnim*, hi Persice *Satrapæ*, id est Præfecti, (unde Satrapia est regio sive præfectura) Chald. *turnaia* dicebantur. Quinque igitur erant Philistinorum urbes, quarum quælibet suam habebat Satrapiam sive præfecturam, suumque satrapam sive præfectum quasi regulum, nimirum Gaza, Azotus, Ascalon, Geth et Accaron, quæ perpetua cum Hebræis gessere bella.

AD MERIDIEM VERO SUNT HEVÆI, OMNIS TERRA Vers. 4. CHANAAN.) Id est Phœnicia, ait Masius. Vide dicta c. 5. initio.

ET MAARA SIDONIORUM.) Recentiores τὸ *Maara* accipiunt non ut nomen proprium, sed ut appellativum, vertuntque cum Masio, *usque ad prata* vel campos *Sidoniorum.* Hinc et ex vers. 6. clare patet, Sidonem, æque ac Tyrum, terminis Chananææ comprehensam fuisse, ac ad terram Iudæis promissam pertinuisse, etsi Iudæi sua segnitie nunquam eam occuparint. Melius noster τὸ *Maara* retinuit ut nomen proprium. *Maara* enim Hebr. speluncam significat, uti vertit hic Chald. Pagnin. et alii, quæ apud Sidonem extat, estque municipium admirabile et inexpugnabile, quod postea *cavea Tyri* dictum est, quod post CHRISTUM anno 1167. præsidiarii milites Christiani pecunia corrupti Saracenis tradiderunt, ait Tyrius lib. 19. Belli sacri cap. 11. et ex eo Adrichom.

EIUSQUE CONFINIA.) Hebr. והארץ הגבלי *vehaarets* Vers. 5. *haghibli*, quod recentiores cum Masio et Vatabl. accipiunt ut nomen proprium, vertuntque, *Et terra Gebalenorum*, id est Bybliorum. Byblus enim urbs est in Phœnicia non procul a Sidone. Unde Septuag. vertunt, *Et omnem terram Gabli.* Verum Noster propter articulum aliis punctis legit הגבולי *haghebuli*, id est terminalis terra, puta terræ fines sive confinia. Articulus enim apud Hebræos crebrius apponi solet nominibus communibus quam propriis: quanquam utraque versio eodem redeat. Byblus enim erat confinis Sidoni, uti dixi.

DONEC INGREDIARIS EMATH.) Duplex, ait S. Hie-

ron. in cap. 6. Amos sub initium, erat Emath; scilicet maior, quæ postea ab Antiocho dicta est Antiochia; et minor, quæ Epiphania est appellata, utraque est in Syria. Posterior in Scrip. ponitur terminos terræ sanctæ Iudæis promissæ versus Syriam, sed exclusive, unde additur, *ad introitum Emath*. Iudæa enim pertingebat fere usque ad Epiphaniam.

Vers. 7. Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse.) Nam alteri parti dimidiæ tribus Manasse, æque ac duabus cæteris tribubus Ruben et Gad, Moses iam dedit suam sortem et partem Chananææ cis Iordanem. Restant ergo novem tribus cum dimidia tribu Manasse, quibus tu, o Iosue; Chananæam trans Iordanem sitam dividas. Unde sequitur.

Vers. 8. Cum qua Ruben et Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses.) *Cum qua*, scilicet dimidia tribu Manasse, non illa, quæ cum novem tribubus trans Iordanem suas sedes te sortiente accipiet, sed altera, quæ iuncta est Rubenitis et Gaditis cis Iordanem. Sunt enim verba hæc non Dei, sed auctoris libri historiam suam prosequentis. Hic enim finiuntur verba Dei iubentis, novem tribubus cum dimidia Manasse a Iosue distribui Chananæam trans Iordanem, atque incipiunt verba auctoris historice narrantis, quomodo Moses alteri parti tribus Manasse, una cum Rubenitis et Gaditis suas terræ portiones cis Iordanem iam ante distribuerit, ut simili modo de ceteris tribubus a Iosue distributis narret; unde pro *cum qua*, Hebr. est עמו *immo*, id est, ut Vatabl. exponit, *cum alia dimidia tribu Manasse*. q. d. Tu, o Iosue, divide terram trans-Iordaninam novem tribubus et dimidiæ tribui Manasse, quia Moses alteri dimidiæ tribui Manasse et duabus reliquis tribubus (omnes enim tribus numero sunt duodecim) scilicet Ruben et Gad iam divisit terram cis-Iordaninam; sic fiet ut omnes duodecim tribus suam in Chananæa partem sortemque occupent. Hebræi enim confuse loquuntur, multaque simul convolvunt, quæ lectori ex circumstantiis, vel alibi dictis, aut aliunde notis evolvenda, secernenda et distinguenda relinquunt. Porro sortes hæ a Mose distributæ Gaditis, Rubenitis et Manassensibus recensentur, Numer. 32. 32. hic vero eadem repetuntur et minutius explicantur.

Vers. 13. Nolueruntque disperdere filii Israel Gessuri.) Non quasi Moses cum suis a Deo jussus eos disperdere, id facere renuerit, cum ipse Deo fuerit obedientissimus; sed quod ad collocandas primum in cis-Iordanina regione duas tribus cum dimidia, satis tunc agrorum oppidorumque erat, ac cum toto exercitu traiiciendum erat in terram promissam trans Iordanem ad eam expugnandam. Hac de causa duæ illæ gentes Chananææ, scilicet Gessuri et Machati, relictæ fuere posteris expugnandæ.

Vers. 21. Et omnes urbes campestres, universaque regna Sehon.) q. d. Hæ campestres et montanæ urbes universæ pertinebant ad regna Sehon; non ergo vult dicere quod soli Rubenitæ universæ regna Sehon occuparint.

Quem percussit Moyses cum principibus Madian: Hevæum, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe duces Sehon habitatores terræ.) Moses primo percussit Sehon Regem Amorrhæorum, Numer. 21. 21. deinde percussit quinque hos Principes, Hevæum, Recem, Sur, Hur, et Rebe in bello Madianitico, Numer. 31. Erant enim ipsi Madianitæ, hic tamen dicuntur Duces Sehon, eo quod eius fuerint vectigales vel stipendiarii, ideoque illi suppetias tulerint contra Hebræos, sed ipso cæso redierunt in Madian, ubi paulo post ipsi quoque a Mose occisi sunt.

Dimidiam partem terræ filiorum Ammon.) Videtur hoc pugnare cum Deuter. 2. vers. 19. ubi dicitur: *Non dabo tibi de terra filiorum Ammon*. Resp. cum Abulens. Sehon Regem bellicosum Ammonitis partem ditionis Sur bello ademisse, quam profligato Sehon cum aliis eius urbibus, iure belli sibi vendicarunt Israelitæ; ideoque Iudic. 11. 13. Rex Ammonitarum expostulavit cum Iephte, volens eam sibi restitui, sed immerito; Deus enim concesserat dederatque Hebræis omnia regna quæ parebant Amorrhæis, inter quæ erant et hæc. Nam illo loco Deuter. tantum excipit illa loca, quibus tunc dominabantur Ammonitæ: hæc enim eis vult relinqui. Tantum enim vetat Hebræis ne Ammonitas invadant, et cum eis bello decertent, idque in gratiam Lot eorum parentis, virique iusti, qui erat nepos Abrahæ Hebræorum Patriarchæ. Hanc ergo Ammonitarum regionem Sehon subegerat, cuius ditionem dimidia ex parte possederunt Gaditæ, alteram vero dimidiam tenuerunt Rubenitæ. Vers. 25.

Quæ est contra Rabba.) Id est, quæ est e regione sive opposita civitati Rabbæ, quæ postea a Philadelpho dicta est Philadelphia.

Et cuncta regna Og Regis Basan.) Quæ fuere tria, Argob, Basan, et pars Galaad. Sæpius tamen Og vocatur Rex Basan, et sub Basan cætera duo intelliguntur. Vide Deuter. 3. vers. 13. et sequent. Vers. 30.

Et dimidiam partem Galaad.) Scilicet dedit Moses Manassensibus, nam alteram dimidiam dedit Gaditis. Porro τὸ *et* est διηγητικὸν, sive explicativum; explicat enim quæ fuerint regna Og Regis Basan, aitque inter ea fuisse potiora dimidiam partem Galaad, Astaroth et Edrai. Vers. 31.

Dimidiæ parti filiorum Machir.) Solus Machir filius Manasse fuit patri superstes, quare idem est tribus Machir, quod tribus Manasse: Machir enim, utpote solus filius, ex asse fuit heres patris sui Manasse, Machiro tamen additus fuit Iair eius ex filia nepos, cum alioqui Iair ob patrem esset de tribu Iuda: unde posteri Iair in Galaad cum posteris Machir habitarunt. 1. Paral. 2. v. 21. et seq.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præparatur divisio Chananææ per sortes in duodecim tribus; unde ei quædam præmittit, nimirum debere tribum Levi ab ea excipi, ac tribum Ioseph in duas dividi, scilicet in Ephraim et Manasse, atque Calebo extra sortem dandam esse illam terræ portionem, quam ipsi ob merita olim Deus per Mosen assignarat.

1. Hoc est quod possederunt filii Israel in Terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos et Iosue filius Nun, et principes familiarum per tribus Israel: 2. Sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem tribubus, et dimidiæ tribui. 3. Duabus enim tribubus, et dimidiæ, dederat Moyses trans Iordanem possessionem: absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos: 4. Sed in eorum successerunt locum filii Ioseph in duas divisi tribus, Manasse et Ephraim: nec acceperunt Levitæ aliam in Terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda iumenta et pecora sua. 5. Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filii Israel, et diviserunt Terram. 6. Accesserunt itaque filii Iuda ad Iosue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb, filius Iephone Cenezæus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne. 7. Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses famulus Domini

de Cadesbarne, ut considerarem Terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur. 8. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. 9. Iuravitque Moyses in die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum. 10. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum. 11. Sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum. 12. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, et urbes magnæ atque munitæ: si forte sit Dominus, mecum, et potuero delere eos, sicut promisit mihi. 13. Benedixitque ei Iosue: et tradidit ei Hebron in possessionem. 14. Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo usque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel. 15. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est: et Terra cessavit a præliis.

Vers. 1. QUAM DEDERUNT EIS ELEAZAR SACERDOS (summus scilicet Pontifex) ET IOSUE FILIUS NUN, ET PRINCIPES FAMILIARUM (id est tribuum) PER TRIBUS ISRAEL.) q. d. Et duodecim principes iuxta duodecim tribus Israel: quæque enim tribus suum habebat principem. Hebr. *Capita Patrum* (id est principes) *tribuum filiorum Israel.* Igitur tres hic ponuntur divisionis et sortitionis præsides et executores, scilicet primus Eleazar Pontifex, secundus Iosue populi princeps, tertium ordinem faciunt duodecim principes tribuum, quorum quisque suam tribum repræsentabat, eiusque curam gerebat, ne quæ eis iniuria aut sortis imminutio fieret, ut principibus tribuum contentis, omnes tribus contentæ, sortioni acquiescerent.

Porro præponitur hic Eleazar Iosue, quia dignior: dignior enim est Pontifex Principe et Rege. Negat id Abulensis, censetque Iosue digniorem fuisse Eleazaro, sed contrarium ostendi ex ipsis Script. verbis Num. 27. 21.

Vers. 3. ABSQUE LEVITIS, QUI NIHIL TERRÆ ACCEPERUNT INTER FRATRES SUOS.) Quia Levitarum portio erat Dominus, id est oblationes; oblationes enim et victimarum Deo immolatarum pars cedebat Levitis.

Vers. 4. SED IN EORUM SUCCESSERUNT LOCUM FILII IOSEPH IN DUAS DIVISI TRIBUS, MANASSE ET EPHRAIM.) Carpit hic Masius vulgatum Interpretem, quod Hebræo nonnulla adiungat. Nam in Hebr. tantum est: *Quia filii Ioseph fuerunt duæ tribus, Manasse et Ephraim.* Verum Resp. Nostrum id clarius interpretari vertendo: *Sed in eorum locum successerunt filii Ioseph.* q. d. Quia seclusa tribu Levi tantum restabant undecim tribus Chananæam divisuræ, hac de causa tribus Ioseph divisa est in duas, ut numerum duodenarium tribuum Israel expleret, itaque acciperet duas terræ promissæ portiones, unam pro tribu Ioseph, alteram pro tribu Levi, quam scilicet illa acceptura fuisset, si inter duodecim fuisset computata: iam autem ea exclusa, successit illi altera pars tribus Ioseph, ac duodecimam tribum constituit, itaque duodecimam partem terræ promissæ obtinuit. Volebat enim Deus duodecim tribubus distribui Chananæam, ideoque eam in duodecim portiones dividi: atque hac ratione tribus Ioseph successit quoque tribui Ruben in iure primogenituræ, quod erat ut primogenitus (qualis erat Ruben) duplicem portionem hereditatis paternæ obtineret, ceteri vero fratres simplicem. Hoc iure excidit Ruben propter incestum cum Bala noverca sua commissum, ideoque illud datum est casto Ioseph. Unde ipse per duos filios suos, scilicet Ephraim et Manasse, duas tribus constituit, et duplicem sortem terræ sanctæ adeptus est.

Vers. 6. AD IOSUE IN GALGALA.) Ibi enim erant castra et stativa Iosue et Hebræorum, quare ibidem hæc omnia gesta sunt, factaque hæc prima divisio Chananææ in quinque tribus, nam posterior divisio in septem reliquas tribus facta est in Silo cap. 18. v. 1.

LOCUTUSQUE EST AD EUM CALEB FILIUS IEPHONE CENEZÆUS.) Caleb hic exploraverat terram sanctam, missus a Mose cum Iosue et ceteris decem exploratoribus, hisque illam calumniantibus et murmur populi excitantibus, Caleb cum Iosue restitit, murmurque repressit, terram promissam laudando, eamque Dei ope facilem ex-

A pugnatu ostendendo. Quare Deus illi in præmium iussit dari extra sortem, Hebronem eiusque confinia. Numer. c. 13. et 14. quæ proinde ipse hic a Iosue sibi assignari deposcit. Quocirca alius est hic Caleb a Caleb, qui fuit atavus Beseleel, et filius immediatus Esron filii Phares, filii Iuda, de quo 1. Paral. 2. 18. uti contra R. Salomonem probavi Exodi 31. 1. Esto hic quoque Caleb descendat de Iuda et forte a Phares et Esron, sed mediantibus avis et abavis, *Caleb*, Hebr. idem est quod canis, idque apposite, quia ipse ut canis allatravit exploratores terræ sanctæ detrahentes, murmurque populi repressit. Rursum *Caleb* idem est quod quasi cor, quia ipse corde generoso et magnanimo tuitus est causam fidemque Dei, contra ceteros exploratores et populum murmurantem.

FILIUS IEPHONE.) Nonnulli *Iephone* accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum significans oculatum, sagacem פנה *pana*, quod significat aspicere, inspicere, perspicere. Verum certum est Iephone esse nomen proprium patris Caleb, cuius tamen etymon uni datum apprime convenit Calebo, utpote oculatissimo et prudentissimo.

B CENEZÆUS.) Cur Caleb vocatur Cenezæus? Numerantur Cenezæi inter ceteros Chananææ populos Genes. 15. v. 19. Sed certum est Caleb inde non vocari Cenezæum: fuit enim ipse gente et genere Hebræus, non Chananæus. Rursum fuit alius Cenez ab Esau progenitus (unde teste S. Hieron. in locis Hebr. Idumæi nonnulli dicti sunt Cenezæi) de quo Genes. 36. 15. et 42. sed certum pariter est nec ab eo Caleb dici Cenezæum: constat enim eum fuisse Iudæum, non Idumæum, atque a Iacob, non ab Esau progenitum.

Dico ergo Caleb vocari Cenezæum ab avo vel proavo, qui fuit Cenez, fuitque vir eximius, ideoque nomen suum posteris communicavit, ut ab eo vocarentur Cenezæi; id ita esse colligimus ex eo quod nomen hoc Cenez frequens et celebre fuerit in familia Caleb: nam et frater Calebi, qui fuit pater Othonielis iudicis, vocatus est Cenez: nepos quoque Calebi ex filio nuncupatus est Cenez, ut patet cap. seq. vers. 13. Iudic. 1. 13. 1. Paral. 4. 13. et 15. idque ex avo vel proavo suo viro illustri, qui dictus erat Cenez, ut
C videtur. Quare non est verisimile Cenez hunc fuisse vitricum vel patruum Calebi, uti nonnulli volunt. Cenez ergo genuit Iephone. Iephone genuit Caleb, inde Caleb dictus est Cenezæus. Unde Cenezæus Hebr. idem est quod *possessio mea iste*, vel *nidus meus iste*, ait Pagnin. in nomin. Hebr. q. d. Caleb fuit vere nepos et heres avi sui Cenez viri illustris, ac cum possessione et hereditate simul eius virtutes heroicas possedit et hereditavit: quare vere fuit, dicique potuit Cenezæus, æque ac Israelita et filius Abrahæ.

TERRA QUAM CALCAVIT PES TUUS ERIT POSSESSIO Vers. 9
TUA.) Quæ fuerit hæc terra non explicuit Moses, Numer. 14. v. 24. sed hinc liquet fuisse Hebronem quam adiit Caleb, dum terram cum aliis exploratoribus lustraret, cum illi eam adire non auderent ob metum gigantum eam incolentium.

QUADRAGINTA ET QUINQUE ANNI SUNT, EX QUO LO- Vers. 10.
CUTUS EST DOMINUS VERBUM ISTUD AD MOSEN, QUANDO AMBULABAT ISRAEL PER SOLITUDINEM: HODIE OCTOGINTA QUINQUE ANNORUM SUM.) Hic locus magnam lucem affert toti huic libro. Caleb enim hisce verbis totam

istius temporis Chronologiam complectitur, ex quo certo colligitur bellasse Iosue cum Chananæis per sex annos, iisque subactis anno septimo divisisse eorum terram per duodecim tribus Israel. Hæc ergo est Periocha et Sinopsis gestorum Iosue.

Chronolog. gestorum Iosue. Iosue anno sui ducatus suæque gubernationis primo, die decima mensis primi, traduxit populum Israel per Iordanem cedentibus aquis, in terram Chanaan, ut audivimus cap. 3. et 4. Pascha vero celebravit in Galgalis die 14. mensis primi in planitie Hierichuntis, sequenti die populus comedit de frumento terræ, quo facto, mox postero die manna desiit, ut dictum est cap. 5. Hinc patet Iosue et Hebræos mox ab obitu Mosis, anno scilicet ineunte 41. ab exitu ex Ægypto, ingressos esse Chananæam, et eversa Ierìcho cum ceteris gentibus bellum gessisse, idque per sex annos. Septimo enim anno omnibus subactis, divisit Iosue Chananæam Hebræis. Id ita esse patet ex collatione historiæ recensitæ hoc cap. cum iis quæ narrantur Num. 13. et Deut. 2. Nam cum Iosue inchoaret hanc divisionem, Caleb ait ei hoc versu, se cum inter alios ad explorandam terram Chanaan de Cades Barne, Numer. 13. emitteretur, fuisse 40. annorum, et ab eo tempore ad præsens fluxisse 45. annos, seque iam 85. esse annorum. Certum est autem eum cum aliis exploratoribus fuisse missum anno secundo ab exitu ex Ægypto. Num. 10. et 13. et Iosue 14. a quo anno usque ad annum 40. ab exitu ex Ægypto, quo mortuus est Moses, et Iosue dux constitutus, fluxerunt anni 38. iam computa ab anno 38. ad 45. habebis septem annos, quibus sex prioribus bello domitis et cæsis Chananæis, septimo eorum terram diviserunt; cum scilicet iam Caleb esset 85. annorum. Divisio ergo hæc terræ facta est anno 47. ab exitu ex Ægypto, qui fuit ducatus Iosue septimus, saltem inchoatus. Ita Theodor. hic quæst. 16. Abulens. in cap. 13. quæst. 3. et in cap. 22. q. 2. ubi refutat Iosephum quinquennio, et Lyranum sexennio tempus belli definientem. Sic et Masius Magalianes et alii hic. Denique hæc est communis Hebræorum sententia.

Vers. 11. Sic valens.) Deus Calebi servavit in senecta robur pristinum, tum in præmium suæ fidelitatis, ut terra promissa, pro qua contra murmuratores steterat, vigens valensque potiretur et frueretur; tum ut testis esset oculatus omnium quæ gesta erant a Mose in deserto, eaque narraret iunioribus Hebræis: omnes enim murmuratores a Deo morte puniti fuere in deserto, eorum ergo filii iuvenes, qui non murmuraverant, ingressi sunt terram promissam. His igitur Caleb senex testatus est et prædicavit mira, quæ Deus Patribus præstiterat in deserto. Sic mox post Christum longævi fuere S. Joannes, S. Simeon, S. Dionysius Areopagita, S. Polycarpus aliique plures, ut posteris essent oculati vel auriti testes gestorum Christi. Similis fuit Paulus Concordiensis, cuius validam senectam, ita describit S. Hieron. Epist. 21. ad eumdem: *Ecce*, inquit, *centenus ætatis circulus volvitur, et tu semper præcepta Domini custodiens, futuræ beatitudinem vitæ per præsentia exempla meditaris. Oculi lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum et succi plenum, cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt: non memoriæ tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior senecta dissolvit; non callidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit; non contractam rugis faciem arata frons asperat; non denique tremula manus per curvos ceræ tramites errantem stylum ducit: futuræ nobis resurrectionis virorem in te Dominus ostendit: ut peccati sciamus esse, quod ceteri adhuc viventes præmoriuntur in carne; iustitiæ, quod tu adolescentiam in aliena ætate mentiris.*

Tam ad bellandum,) cum gigantibus in Hebrone, mihi a Deo data degentibus, ut eos expellam et Hebronem expugnem mihique vendicem. Unde sequitur:

Vers. 12. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente, in quo Enacim sunt. *Montem istum*; in quo sita est Hebron, Dabir et Anab urbes: has enim Deus promisit Calebo Num. 14. 24. licet enim Script. eas ibi nominatim non exprimat; tamen Moses viva voce idipsum declaravit; ut patet ex hoc loco scilicet terram eo loco a Deo promissam Calebo, esse montana Hebron. Causa, cur Deus hæc præ aliis assignarit Calebo fuit: Prima, invicta et excelsa virtus ac fortitudo Calebi, qua paulo ante dixit se iam 85. annorum tam esse validum animo et corpore, quam cum esset 40. annorum. Secunda, quia montana Hebronis ab Enacim, id est gigantibus insidebantur, quos ceteri Hebræi mire formidabant, nec ausi fuissent eos aggredi, uti aggressus est Caleb. Tertia, quia ante annos 40. Caleb ingressus fuerat hæc montana, eaque cum gigantibus lustrarat, populoque dixerat illa facile per Deum posse expugnari, cum ceteri exploratores meticulosi id negarent, populumque metu gigantum ab ingressu in terram promissam absterrerent. Voluit ergo Deus ostendere verum esse quod dixerat Caleb, ac per eum gigantes debellare. Ita Deo duce fortissimos quosque et quæque ardua superamus, si Deo nixi rem fidenter et animose aggrediamur. Deus enim opem quam promisit præstat, et incipientes adiuvat, roborat, promovet, ut rem alias difficilem facile expediant. Sic David carneam illam turrim, ut ait Chrysost. puta Goliath lapillo prostravit, quia Deo confisus magno animo cum eo duellum iniit. S. Antonius, teste S. Athanas. vidit quandoque diabolum specie gigantis caput inter nubila attollere et condere, sed eius fraudem agnoscens: Frustra, inquit, me tentare conaris ista mole corporis. Age, si quid habes in me potestatis et virium: exere: *Dominus illuminatio mea, et salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Quo dicto larva illa gigantea evanuit. Tales difficultatum larvas singulis obiicit dæmon, sed si Deo nixi eas spernamus, ac contra eas conemur, in fumum ibunt.

In quo Enacim sunt,) Puta gigantes prognati ab Enac gigante: licet enim gigantes hos Hebrone expulerit Iosue cap. 11. 12. tamen hinc liquet nonnullos cladem istam evasisse, ac profugisse ad Philistinos, indeque reparatis viribus rediisse Hebronem, eamque quasi avorum sedem insedisse, ideoque Calebum rursus eos expulisse.

Si forte.) Non quod Caleb dubitet de promissis Dei, sed quod modeste de se sentiat, vereaturque ne Dei opem sibi promissam sua culpa vel socordia avertat.

Benedixitque ei Iosue.) q. d. Iosue prospera omnia apprecatus est Calebo, ac præsertim felicem expugnationis montanarum urbium, quas insidebant gigantes, exitum. q. d. Deus te fortunet, Deus tibi benedicat, Deus gigantes tibi subiiciat. Ita Abulens. Aliter Arias et Vatabl. Benedixit, inquiunt, id est collaudavit animos et virtutem Calebi. Masius vero: *concessit* (Calebo) *ea quæ audiebat.* Vers. 13.

Quia secutus est Dominum Deum Israel.) Hebr. *Quia complevit post Dominum Deum Israel*, id est, quia plene secutus est Deum, sicut eundem olim secutus fuerat Israel. sive Iacob Pater et Patriarcha suus. Septuag. *Eo quod ipse secutus esset mandatum Dei Israelis.* Iidem vero vers. 8. vertunt: *Ego vero adhæsi Domino Deo meo.* Sensus est q. d. Caleb non solum privatim pie sancteque vixit, sed Dei etiam gloriam, ac proximorum, puta Hebræorum prosperitatem et salutem quibus fieri poterat modis, ad ultimum usque vitæ actum sedulo et constanter procuravit, et omnino munere illo, cui eum Deus præfecerat, graviter, attente et constanter perfunctus est. Ita Masius. Vers. 14.

Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est) Ostendit Enacim, id est gigantes fuisse in Hebron, uti dixit v. 12. ex eo quod Hebron olim sit dicta Cariath, id est civitas *Arbe* gigantis. Vers. 15.

Nota: Primo, hæc civitas dicta est Hebron: nam de ea dicitur Num. 13. 23. *Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est.* Deinde Hebron occupata fuit ab Arbe gigante cum suis posteris, indeque cognominata est *Cariath* id est civitas *Arbe*, qui fuit *Adam*, id est ho-

mo *maximus inter Enacim*, vel qui Antonomastice cognominatus est *Adam*, quia homo erat maximus inter gigantes, ac in Hebron sibi sedem sepulchrumque delegerat. Unde ex Hebræo sic proprie clareque vertas: ***Hebron antea vocata est Cariath-Arbe; is homo maximus fuerat inter Enacim.*** Ita Chaldæus, Masius, Caietan. Vatabl. Arias, Pagnin. et alii. Hunc genuinum huius loci esse sensum, patet ex Hebræo, et ex eo quod hic Arbe fuerit pater Enac, ut dicitur cap. 15. 13. et cap. 21. vers. 11. Ab Enac autem prognati sunt Enacim gigantes. Hinc Arbe hic vocatur maximus, tum vastitate corporis, tum principatu et imperio, tum rerum gestarum gloria, tum dignitate, ut qui fuerit pater, imo Patriarcha Enacim, a quo scilicet omnis hæc gigantum soboles est proseminata, ideoque nomen eius inditum fuit Hebroni, in qua gigantes hi habitavere. Idem liquet ex Septuag. qui vertunt: *Nomen Hebronis olim urbs Arbe* (perperam nonnulli legunt Argob) *Metropolis ipsorum Enacim ista.*

Aliter hæc interpretatur S. Hieron. in cap. 27. Matth. et quæst. in Paralipom. ac Hebræi in Berescit Rabba, id est in Genesi maiori, atque eos secuti Lyran. Hugo, Dion. Carthus. Abulens. videlicet q. d. Hebron prius vocata est *Cariath-Arbe*, id est *civitas quatuor*, scilicet virorum illustrium, quia in ea sepulti sunt quatuor Patriarchæ, nimirum Adam, Abraham, Isaac et Iacob cum uxoribus suis. De tribus ultimis patet ex Genesi 47. 30. et alibi, de Adamo patet ex hoc loco. Idcirco enim S. Hieron. hic nomen Adam protoplasto proprium retinuisse videtur, ut indicaret eum in Hebron esse sepultum, ideoque expressit τὸ *situs*, id est sepultus est, quod in Hebræo non extat, sed subintelligi potest. Porro S. Hieron. licet in hanc sententiam videatur pronior, tamen eam non plane pleneque astruit. Audi eum in Epitah. S. Paulæ: ***Ascendit Hebron, hæc est Cariath-Arbe, id est oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob et Adam magni, quem ibi conditum iuxta librum Iesu Nave Hebræi autumant: licet plerique Caleb quartum putent, cuius ex latere memoria monstratur.*** S. Hieron. sequuntur Isidorus, Rupertus, Marianus, Scotus, et alii iam citati. Favet nomen ***Hebron***, quod Hebr. significat societatem, coniunctionem, copulationem; nimirum in ea sepulturæ societatem acceperunt quatuor summi Patriarchæ.

Porro quod Ioannes Lucidus lib. 1. de Emendat. temp. cap. 4. censeat Adamum fuisse gigantem, ex eo quod hic vocatur ***Adam maximus inter Enacim***, improbabile est: sic enim fuisset homo monstrosus a Deo conditus, ac naturæ monstrum. Dicitur ergo *maximus inter Enacim* non proceritate, sed dignitate, quia fuit primus homo creatus a Deo, et parens cæterorum omnium, item dotatus magna scientia, sapientia, gratia, positusque in paradiso. Illud autem *inter Enacim*, tantum significat eum in Hebrone inter Enacim esse sepultum. Rursum S. Hieron. suam sententiam accepit ab Hebræis, qui in Berescit Rabba scribunt, ideo nomen *Arba*, quod significat quatuor, illi urbi esse impositum, quia priscis sæculis quatuor illic viri habitaverunt, Aner, Escol, Mamre et Abraam; iidem illic sint circumcisi, quatuor idem matronæ celeberrimæ ibidem sepultæ fuerunt, Heva, Sara, Rebecca et Lia: et quatuor Patriarchæ Adam, Abraham, Isaac et Iacob: et quod ex eo loco Abraam quatuor Reges insecutus percusserit. Verum ut plurima quæ sunt in illis Commentariis fictitia esse constat, sic hæc parum firma et probabilia esse debent.

Audi nunc Abulensem: Iste est verior et communior sensus quem omnes fere Catholici tenent. Nam Adam vixisse perhibetur apud urbem Hebron, et ibi finivisse dies suos, ibique sepultus est cum Eva coniuge: ibi quoque eum a Deo formatum esse perhibent. Nam extra paradisum eum plasmatum constat. Eva autem formata est in paradiso ex costa Adæ, Genes. 2. sic quoque testantur Gentes, quæ nunc habitant apud urbem Hebron: quæ ab incolis Vallis lachrymarum dicitur, eo quod Adam ibi A-
A belem a Caino occisum luxerit centum annis. Hæc Abulens. Eadem tradunt Saligniacus, Bredenbachius, Borchardus, et ex iis Adrichom. in descript. tribus Iuda n. 7. 90. 91. 100. et 145. Hinc et David rex inauguratus est et regnavit in Hebron, quasi in avita patrum et avorum urbe. 2. Regum 2. 3. Ibi quoque fuit domus Zachariæ, in qua natus et educatus est S. Ioannes Baptista. Hinc et Masius in cap. 15. 13. asserit vicinas Hebroni urbes fuisse nuncupatas *Dabir*, id est sacrum penetrale, et quasi oraculum; ac *Cariath-sepher*, id est civitas litterarum, quod in illa quasi in archivo servarentur monumenta Patrum antiquorum.

Verum hæc omnia accepta videntur ex S. Hieron. cuius auctoritatem posteri Latini vulgo secuti sunt. Nam cæteri antiquiores et doctiores asserunt Adamum habitasse in Iudæa ac Ierosolymis, ibique mortuum et sepultum esse, non in Hebron, sed in Golgotha, sive monte Calvariæ, ubi crucifixus est Christus, imo a calvaria Adæ nomen accepisse montem Calvariæ. Ita Origen. hom. B 35. in Matth. S. Epiphan. hæresi 46. quæ est Tatianorum S. Athanas. tract. de Passione Domini, S. Cyprian. serm. de Resurrectione, S. Ambros. lib. 5. epist. 19. et in Lucæ cap. 23. Theoph. et Euthym. in cap. 27. Matth. quin et ipse S. Hieron. epist. 17. ad Marcell. S. Cyrillus, Moses Bar-Cepha lib. de Paradiso, S. Germanus Patriarcha Constant. Anastasius Sinaita lib. 6. Hexam. et alii quos citant et sequuntur Suarez 3. p. quæst. 46. art. 10. et Sixtus Senen. lib. 6. Biblioth. Annotat. 132. Hos priscos sequuntur recentiores, scilicet Baronius, Pererius, Torniellius, Fevard. qui ait hanc esse constantem Ecclesiæ sententiam, Salianus, et alii.

Conantur nonnulli utramque sententiam conciliare, dicendo Adamum primo fuisse sepultum in Hebron, deinde in Golgotha. Ita Honorius Augustodun. in Chron. Vilalpandus in Appar. lib. 1. cap. 9. Delrio, et favet Serarius, idque ob traditionem incolarum Terræ sanctæ, quam recenset Borchardus, Adrichom. et alii. Genebrard. vero l. C 1. Chronol. ait Adamum iuxta Hebræos sepultum in Hebron, iuxta Patres vero in Golgotha. Utut est, mihi certum est id de Hebron hoc loco non significari. Nam *Adam* hic non est nomen proprium, sed appellativum, significans hominem; nec protoplastum, sed Arbe gigantem denotat. Sic 2. Reg. 7. 19. dicitur: *Ista est lex Adam* (id est hominis) *Domine Deus.* Et Osee 11. 4. *In funiculis Adam traham eos. Adam*, id est hominis quibus scilicet trahi solent homines. Et sæpe alibi, præsertim in Hebræo. *Adam* enim dicitur ab אדמה *Adama*, quæ vox significat terram rubram, sicut *homo* ab *humo*, Genes. 2. Explicat enim quis fuerit *Arbe*, scilicet Adam, id est homo *maximus*, tum mole corporis, tum potentia, dignitate et auctoritate. Unde videtur quod *Arbe* idem sit quod רב ***Rab*** id est magnus, potens, princeps, a radice רבה *raba* id est multus, id est magnus fuit, ut Aleph in Arbe non sit radicale, sed Heermanticum, sive formativum nominis; nisi malis *Arbe* proprie accipere, ut signicet quatuor, et quartum vel quadratum, quasi Arbe hic fuerit D quartus primorum gigantum et principum, aut unus ipse quatuor aliis par et æquipollens extiterit.

Porro Deus propter Caleb, cui dedit Hebronem, ita in sortitione tribuum sortem direxit, ut sors tribus Iuda caderet iuxta Hebronem, ne Caleb eam possidens a sua tribu Iudæ divelleretur. Denique Calebi sepulchrum iuxta Hebronem assignat S. Hieron. Adrichom. et alii.

Et terra cessavit a præliis.) Clausula hæc more Hebræo referenda est ad antecedentia, non proxime, sed remote, scilicet ad bella a Iosue confecta, de quibus actum est superioribus capitibus. q. d. Bellis confectis, suppressisque Chananæis, cum sorte dividenda esset eorum terra duodecim tribubus Israel, cumque suam in ea sortem a Iosue petiisset et impetrasset Caleb, terra ista quievit a præliis, utpote victoribus Hebræis iam subdita.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue per sortes dividit Chananæam duodecim tribubus. Igitur hoc cap. primo, narrantur regiones quæ sorte obtigere tribui Iudæ. Deinde vers. 13. quomodo Caleb armis obtinuerit Hebronem locaque vicina. Tertio, vers. 21. numerantur civitates quæ in hac sortitione tribui Iudæ obvenerunt.

Porro sors tribus Iudæ maior fuit sortibus aliarum tribuum; tum quia tribus Iuda erat maior et numerosior ceteris omnibus, ut patet Numer. 2. 3. et seq. tum quia Caleb extra sortem in tribu Iuda iussu Dei obtinuit confinia Hebronis.

1. IGITUR sors filiorum Iudæ per cognationes suas ista fuit: A termino Edom, desertum Sin contra Meridiem, et usque ad extremam partem Australis plagæ. 2. Initium eius a summitate maris salsissimi, et a lingua eius, quæ respicit Meridiem. 3. Egrediturque contra ascensum Scorpionis, et pertransit in Sina: ascenditque in Cadesbarne, et pervenit in Esron, ascendens ad Addar, et circuiens Carcaa. 4. Atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti: eruntque termini eius mare magnum. Hic erit finis meridianæ plagæ. 5. Ab Oriente vero erit initium, mare salsissimum usque ad extrema Iordanis: et ea quæ respiciunt ad Aquilonem, a lingua maris usque ad eundem Iordanis fluvium. 6. Ascenditque terminus in Beth-Hagla, et transit ab Aquilone in Beth-Araba: ascendens ad lapidem Boen filii Ruben. 7. Et tendens usque ad terminos Debera de Valle Achor, contra Aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommim, ab Australi parte torrentis: transitque aquas, quæ vocantur Fons solis: et erunt exitus eius ad Fontem Rogel. 8. Ascenditque per convallem filii Ennom ex latere Iebusæi ad Meridiem, hæc est Ierusalem: et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad Occidentem in summitate vallis Raphaim contra Aquilonem. 9. Pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Nephthoa: et pervenit usque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est, urbs silvarum. 10. Et circuit de Baala contra Occidentem, usque ad montem Seir: transitque iuxta latus montis Iarim ad Aquilonem in Cheslon: et descendit in Bethsames, transitque in Thamna. 11. Et pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, et transit montem Baala: pervenitque in Iebneel, et magni maris contra Occidentem fine concluditur. 12. Hi sunt termini filiorum Iuda per circuitum in cognationibus suis. 13. Caleb vero filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, sicut præceperat ei Dominus: Cariath-Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. 14. Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai et Ahiman et Tholmai de stirpe Enac. 15. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est, civitas litterarum. 16. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, et ceperit eam dabo ei Axam filiam meam uxorem. 17. Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior: deditque ei Axam filiam suam uxorem. 18. Quæ, cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut peteret a patre suo agrum, suspiravitque ut sedebat in asino. Cui Caleb: Quid habes, inquit? 19. At illa respondit: Da mihi benedictionem: Terram australem et arentem dedisti mihi, iunge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et inferius. 20. Hæc est possessio tribus filiorum Iuda per cognationes suas. 21. Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Iuda iuxta terminos Edom a Meridie: Cabseel et Eder et Iagur. 22. Et Cyna et Dimona et Adada. 23. Et Cades et Asor et Iethnam. 24. Ziph et Telem et Baloth. 25. Asor nova et Carioth, Hesron, hæc est Asor. 26. Amam, Sama, et Molada. 27. Et Asergadda et Hassemon et Bethphelet. 28. Et Hasersual et Bersabee et Baziothia. 29. Et Baala et Iim et Esem. 30. Et Eltholad et Cesil et Harma. 31. Et Siceleg et Medemena et Sensenna. 32. Lebaoth et Selim et Aen et Remmon. Omnes civitates viginti novem, et villæ earum. 33. In campestribus vero: Estaol et Sarea et Asena. 34. Et Zanoe et Engannim et Taphua et Enaim. 35. Et Ierimoth et Adullam, Socho et Azeca. 36. Et Saraim et Adithaim et Gedera et Gederothaim: urbes quatuordecim, et villæ earum. 37. Sanan et Hadassa et Magdalgad. 38. Delean et Masepha et Iecthel. 39. Lachis et Bascath et Eglon. 40. Chebbon et Leheman et Cethlis. 41. Et Gideroth et Bethdagon et Naama et Maceda: civitates sedecim, et villæ earum. 42. Labana et Ether et Asan. 43. Iephtha et Esna et Nesib. 44. Et Ceila et Achzib et Maresa: civitates novem, et villæ earum. 45. Accaron cum vicis et villulis suis. 46. Ab Accaron usque ad mare omnia quæ vergunt ad Azotum et viculos eius. 47. Azotus cum vicis et villulis suis. Gaza cum vicis et villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, et mare magnum terminus eius. 48. Et in monte: Samir et Iether et Socoth. 49. Et Danna et Cariathsenna, hæc est Dabir: 50. Anab et Istemo et Anim. 51. Gosen et Olon et Gilo: civitates undecim et villæ earum. 52. Arab et Ruma et Esaan. 53. Et Ianum et Beththaphua et Apheca. 54. Athmatha, et Cariath Arbe, hæc est Hebron, et Sior: civitates novem, et villæ earum. 55. Maon et Carmel et Ziph et Iota. 56. Iezrael et Iucadam et Zanoe. 57. Accain, Gabaa, et Thamna: civitates decem, et villæ earum. 58. Halhul, et Bessur, et Gedor. 59. Mareth, et Behanoth, et Eltecon: civitates sex et villæ earum. 60. Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, et Arebba: civitates duæ, et villæ earum. 61. In deserto Betharaba, Meddin, et Sachacha. 62. Et Nebsan, et civitates salis, et Engaddi: civitates sex, et villæ earum. 63. Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filii Iuda delere: habitavitque Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem usque in præsentem diem.

Vers. 1. Quali sorte divisa sit terra? Resp. 1.

IGITUR SORS FILIORUM IUDÆ PER COGNATIONES (familias) SUAS ISTA FUIT.) Quæres: quis fuerit modus harum sortium, et quali sortitione Chananæa per 12. tribus earumque familias sit divisa. Primo, Arias Montanus censet, sortitionem hanc factam per Urim et Tummim, et quæ erant in Rationali Pontificis: Pontificis enim illis amicti, Deumque consulentis animo, inquit, atque oculis a Deo imago obiiciebatur eius rei de qua responsum quærebatur. Exod. 28. v. 30. Verum hoc erat oraculum, non sors, quare non sor-

titione, ut ait Scrip. sed prophetia et responso Dei facta fuisset hæc divisio.

II. Secundo, Andreas Masius opinatur, Chananæam in duodecim æquales partes fuisse descriptam, et schedulis ex urna casu eductis, similive sortiendi modo cuique tribui suam terræ portionem, alteri cuivis tribui æqualem obtigisse. Verum hoc recte refellit Abulens. quæst. 5. in cap. 18. qui cum Lyrano inæquales fuisse putat regionis portiones. Et merito: nam tribus valde erant inæquales: aliquæ enim erant numerosissimæ, uti tribus Iuda erat dupla ad tribum Manasse et Beniamin, ut patet Numer. 2. Quare iniquum fuisset tribum Dan æquari tribui Iuda in portione possessionis.

III. Tertio, Abulens. censet, lustratores et descriptores Chananææ illam in duodecim partes inæquales divisisse, ac cuique tribui suam partem maiorem vel minorem pro sui amplitudine vel exiguitate assignasse: ivisse deinde ad sortes, ac sortes divisionem iam ab eis factam confirmasse et approbasse. Verum hoc non satis congruit cum Script. quæ hic et Numer. 26. 55. et 56. ac Num. 33. 54. diserte iubet sorte dividi terram, ut quod sortitione cuique obtigerit, hoc illi cedat, ac quisque illud capiat quod sorte ei ceciderit. Unde liquet, quod sors primo divisionem hanc peregerit, non vero descriptorum partitio.

IV. Quarto, Iosephus lib. 5. Antiq. c. 2. tradit, sorte educta esse ex urna nomina singularum tribuum, ac illam, quæ primo educta fuit, primam optione elegisse sibi illam Chananææ partem, quam præ aliis optabat. Simili modo et optione illam quæ secundo loco educta fuit partem Chananææ sibi delegisse, ac deinde illam quæ tertio loco educta fuit, et ita de cæteris. Verum hæc mutila et manca est sortitio, scilicet solarum tribuum, non autem regionum; nec tam sortitio est, quam optio et electio: Script. autem dicit, terram ipsam sorte fuisse dividendam, ac reipsa divisam, atque cuique tribuendam portionem prout sors ceciderit, non quam optio cuiusque elegerit.

V. Germana. Quinto, verisimilius Rabbini lib. de Pactis seu contract. p. 1. c. 3. tradunt, duas fuisse sortium urnas, ac in unam coniecta fuisse nomina duodecim tribuum sortientium, in alteram vero nomina descriptarum regionum, ac deinde Eleazarum Pontificem urnam coram omnibus quassasse, sursumque et deorsum agitasse, deinde ex una extraxisse nomen tribus sorte casuque occurrentis, ex altera vero nomen regionis primo in manum incidentis, atque hanc regionem tribui isti sortitione hac attribuisse.

Dico ergo, probabilius videri, totam Chananæam descriptam fuisse in duodecim partes, non tam magnitudine quam æstimatione, puta bonitate et fertilitate (huius enim maximam habitam fuisse rationem in æstimatione harum sortium, tradit Iosephus) æquales, illasque rursum in alias minores fuisse subdivisas, ut satis colligitur ex oppidorum per singulas regiones descriptione hoc cap. vers. 31. 41. 44. 57. 62. deinde descriptores hosce dispexisse magnitudinem vel parvitatem singularum tribuum, earumque inter se proportionem iniisse, quædam quarta parte, quædam media, quædam tertia, etc. aliis tribubus erant maiores, quædam minores, quædam æquales, ac proinde minores ex duodecim Chananææ portionibus iam distributis vel quartam portionis unius partem, vel dimidiam, vel tertiam dumtaxat pro sua parvitate sibi deposcebant. Aliæ vero maiores pro sui amplitudine præter unam integramque duodecimam Chananææ portionem, insuper aliam quartam alterius portionis partem, vel dimidiam, vel tertiam sibi adiungi suo iure postulabant: quod enim uni minori demebatur, hoc alteri maiori accedebat, et vice versa. Hoc facto, chartulas nominum duodecim tribuum in unam urnam, duodecim vero portionum regionis cum suis subdivisionibus iam dictis in alteram urnam coniecerunt, tumque primo ex urna una eduxerunt nomen tribus, ac ex altera nomen portionis terræ primo occurrentis, illamque tribui eductæ assignarunt; sed proportione Geometrica, iuxta cuiuslibet tribus magnitudinem vel exiguitatem; ita scilicet ut iuxta eam educerent chartulas regionis, quæ ad integram, vel dimidiam, vel sesquialteram, aut aliam portionis proportionem cuique tribui debitam continerent. v. g. Si ponamus tribum Iuda fuisse duplam ad ceteras, dicendum est per sortes datam illi fuisse duplam terræ portionem, sed vicinam et contiguam, ut tota tribus simul in eadem regione habitaret, nec una pars ab alia seorsim habitando divelleretur. Rursus simili sorte portio tribus cuiusque subdivisa fuit in singulas eius familias. Hunc fuisse sortis et sortitionis modum, indicat Script. Numer. c. 26. et c. 37. et hic cap. 18. et c. 19. ubi pariter clare significatur, illam tribum, cuius nomen primo ex urna sorte educebatur, primam ex altera urna regionis et portionis sibi cessuræ sortem eduxisse, ac deinde illam quæ secundo, tertio, quarto, etc. educebatur, quamque scilicet ordine sortis et vicis suæ. Unde c. 19. v. 1. dicitur: *Et egressa est sors secunda filiorum Simeon.* Et v. 10. *Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon.* Et v. 17. *Issachar egressa est sors quarta.* Et v. 24. *Ceciditque sors quinta tribus filiorum Aser*, etc.

Porro videntur descriptores regionum Chananææ in prima eius descriptione errorem commisisse, in designatione portionis quæ Iudæ obvenit, aut certe in magnitudine et proportione tribus Iuda præ ceteris tribubus æstimanda: nam nimis magnam tribui Iuda partem obvenisse, liquet ex eo, quod hæc tribus aliquam suæ regionis partem postea cesserit tribui Simeonis, ut patet cap. 19. v. 1. imo et tribui Dan, ut patet de Saraa et Estaol, quæ hoc cap. v. 33. Iudæ assignantur, cum tamen c. 19. 41. tribui Dan attribuantur, indeque ortus sit Samson, qui fuit Danita. Atque hac de causa, scilicet de errore commisso subdubitans Iosue, ut eum corrigeret cap. 18. misit novos descriptores, qui secundo et certius septem tribubus in indivisa adhuc terra, vel si ea iusto sit minor, etiam in terra iam divisa septem sortes describant.

Denique adverte: plures in Chananæa fuere urbes idem habentes nomen, ut non mirum sit idem nomen urbis diversis tribubus adscribi. Sic una fuit Bethlehem Iudæ, in qua natus est Christus, altera Bethlehem data Zabulonitis c. 19. 15. Sic una Samaria attributa fuit tribui Ephraim, quæ postea Sebaste dicta est, fuitque metropolis regum Israel, altera data tribui Zabulon c. 19. 15. Sic Bethoron alia fuit in tribu Ephraim, dicta superior c. 16. 5. alia inferior in tribu Beniamin c. 18. 3.

INITIUM EIUS A SUMMITATE MARIS SALSISSIMI.) Id est, ab extremitate maris mortui sive lacus Asphaltitis, in quem conversa est Sodoma et Pentapolis. Vers. 2.

ET A LINGUA EIUS.) Lingua maris mortui, ait Masius, est sinus maris, quo scilicet eius pars angustior in continentem excurrit in speciem linguæ, ubi videlicet hoc mare desinit iuxta Idumæam. Graphice hoc repræsentat Adrichom. in suis tabulis Geographicis terræ sanctæ. Sic Isaiæ 11. lingua maris Ægypti vocatur pars sinus Arabici, quæ linguæ figura Ægyptum alluit.

MARE MAGNUM.) Id est mediterraneum, quod magnum est respectu maris Galilææ et maris mortui. Alioqui absolute mare magnum est Oceanus. Vers. 4

ASCENDITQUE TERMINUS IN BETH HAGLA.) Beth Hagla nunc, qui olim dicebatur Area Athad, locus est trans Iordanem, ubi Ioseph et filii Israel planxerunt Iacob patrem suum, quando eum tulerunt de Ægypto, unde etiam *Bethagla*, hoc est *locus gyri* dictus est, eo quod ibi more plangentium circumierunt in funere Iacob. Ita S. Hieron. in locis Hebr. Borchardus, Adrichom. et alii. *Hagla* enim Hebr. circulum et gyrum significat. Vide dicta Genes. 50. v. 10. Vers. 6

RESPICIENS GALGALA, QUÆ EST EX ADVERSO ASCENSIONIS ADOMMIM.) Alia est hæc, ut videtur, Galgala a Galgala iuxta Iordanem, ubi Iosue sua habuit castra. Nam hæc longe distabant ab Adommim. Galgala huius versus cap. 18. 18. in Hebr. vocantur גלילות *Ghelilot*, ubi S. Hieron. vertit *tumulos*. Masius opinatur Galgala huius versus esse eadem cum Galgalis, in quibus erant idola tempore Aod Iudicis, Iudic. 3. 19. Porro *Adommim* locus erat in via Ierichuntis infestus latronibus. Unde dictus est *Adommim*, id est *rubedines*, ob crebram sanguinis ef- Vers. 7.

*

fusionem, quæ ibi fiebat, huncque locum notat Christus in Parabola Samaritani, cum ait: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones,* Lucæ 10. 30.

Ab Australi parte torrentis.) Non Carith, ut vult quidam, sed Cedron, qui per vallem Iosaphat iuxta Ierusalem fluit, et tandem labitur in mare mortuum. Ita Adrichom.

Et erunt exitus eius ad fontem Rogel) q. d. Idemque exit et terminatur *ad fontem Rogel,* id est ad fontem Fullonis, qui Hebr. dicitur *rogel* a רגל *reghel,* id est pes, eo quod Fullo pedibus suis calcans pannos abluat. Erat hic fons iuxta Ierusalem, hortosque regios irrigabat, iuxta quem Isaias, Achaz regi Christum ex Virgine nasciturum prædixit. Isaiæ 7. 36.

Vers. 8. Gehennom quid? Ascenditque per convallem filii Ennom.) Puta per Gehennom: גיא *ghe* enim vallem significat. Porro Gehennom, ait Adrichom. quæ et Benhennom, id est vallis filiorum Ennom, locus erat in suburbanis Ierusalem, contra Orientem sub monte Offensionis, iuxta piscinam Fullonis, ut Tempe amœnissimus, fontibus Siloe, ac fluxu torrentis Cedron irriguus, viridariis et hortis consitus, totusque nemorosus ac deliciis plenus.

In hac valle parentes immolabant et cremabant suos infantes idolo Moloch, et ne eiulatus eorum audirentur, pulsabant תוף *toph,* id est tympanum. Unde locus dictus est *Tophet.* Fuit hoc præludium et viva species inferni, qui inde dictus est gehenna. Vide dicta Lev. 18. 21.

Hæc est Ierusalem.) Dices quomodo Ierusalem hic numeratur in sorte tribus Iuda, cum alibi dicatur esse in tribu Beniamin? Resp. Abulen. cap. 18. in fine, Ierusalem proprie pertinuisse ad sortem Beniamin, ut patet c. 18. ult. et Iudic. 1. v. 21. fuisse tamen tribui Iudæ confinem, ut hoc loco significatur: unde factum est sequentibus annis, ut conniventibus Beniamitis, vel etiam eis invitantibus Iudæi ex Iuda oriundi Iebusæos validissimos, Ierusalem occupantes, ex ea expulerint, urbemque iure belli sibi vendicarint, ac caput regni effecerint. Sicut David urbem Siceleg. quæ hic Simeonitis annumeratur, Philistinis extorsit, suæque tribui Iuda adiunxit. 1. Reg. 27. 6. Sic et Iosephus Ierusalem Beniamitis attribuit lib. 5. Antiq. c. 1. et 2. Hinc et Moses Deuter. 33. 12. prædicit in sorte Beniamin, id est in Ierusalem ædificandum fore templum, in quo Deus habitet. Aliqua tamen Ierusalem pars pertinuit ad tribum Iuda, ut patebit ex verbis proxime sequentibus.

Et inde se erigens ad verticem montis (Sion sive Moria, in quo Salomon ædificavit templum) qui est contra Gehennom ad Aquilonem in summitate vallis Raphaim (id est gigantum, qui a Rapha oriundi dicti sunt Raphaim) contra Aquilonem.) Sensus est q. d. Sors tribus Iudæ Aquilonaris, postquam a valle Ennom pertigit ad sedes Iebusæi, in radice montis Moria sese attollit, indeque protenditur usque ad verticem montis eiusdem, qui mons est e regione vallis Ennom, eamque habet ad Orientem; idem deinde mons flectitur ad occidentem Ierosolymæ, ibique desinit in extremitate vallis Raphaim, quæ respicit Aquilonem. Hinc patet aliquam partem urbis Ierusalem pertinuisse ad tribum Iuda, aliam et potiorem ad tribum Beniamin. Unde Esdræ 11. 4. tam filii Iuda quam Beniamin dicuntur habitasse in Ierusalem; nimirum, ut hic dicitur, funiculus Iuda ducebatur per verticem montis Moria ad latus Iebusæi, qui arcem occupabat, ita ut eum relinqueret ad Austrum: quare Australior pars modica montis Moria ad Iuda pertinebat, ita ut reliquam montis partem Borealem, in quo ædificatum est templum, reliquamque urbem inferiorem Beniamitis relinqueret. Consentiunt enim Hebræi et Christiani templum fuisse in sorte tribus Beniamin, non Iudæ.

Vers. 11. Et pervenit contra Aquilonem partis Accaron.) Hinc et magis ex v. 45. 46. et 47. patet Accaron et cæteras quatuor Satrapias Philistinorum; puta, Azotum, Ascalonem, Geth et Gazam primitus pertinuisse ad tribum Iuda, postea tamen partem eorum cessisse tribui Dan, ut patet c. 19. 43. quæ enim ibi Acron vocatur, est Accaron, ut manifestum est in Hebræo; licet enim eam deinde expugnarint bellatores tribus Iuda Iudic. 1. tamen id fecerunt non quod Accaron ad se pertineret, sed quod eius incolæ sibi essent infesti, utpote vicini. Denique Philistini omnes hasce quinque Satrapias tandem occuparunt, et perpetua cum Iudæis bella gesserunt.

Caleb vero filio Iephone dedit (Iosue) etc. Cariath Arbe patris Enac.) Id est civitatem Arbe, qui fuit pater Enaci gigantis, ex quo prognati sunt Enacim gigantes. *Ipsa est Hebron.* Vers. 13.

Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est civitas litterarum.) Videtur ergo hæc fuisse Academia Chananæorum, in qua litterati litteras librosque quoslibet docebant. Porro hæc urbs tria habuit nomina, nam primo, dicta est דביר *Dabir,* quasi oraculum sapientiæ; aut a דבר *dabar,* id est loqui, quod in ea eloquentia recteque loquendi ars doceretur. Secundo, dicta est *Cariath Sepher,* id est civitas litterarum. Tertio, eadem, ut patet ex vers. 49. dicta est *Cariath Senna,* id est urbs acuminis, in qua scilicet acute de rebus singulis disserebatur: שנן *Scianan* enim (littera *Samech* in vicinam *Scin* commutata) est acuere. Unde *Scenina* apud Chald. significat *acumen ingenii,* et *Scinan* acute disserere. Hinc Septuag. ibidem vertunt: *civitas litterarum.* Hæc ergo fuit antiquissima et prima orbis academia, quam in Script. legimus. Vide hic antiquitatem Academiarum. Hæc enim Academia erat celebris et vetus tempore Iosue, qui Christum præcessit annis 1456. Vide Middendorpium lib. de Academiarum origine. Ita Lyran. Abulens. Serarius, Arias et alii hic ac Driedo lib. 4. de Dogmat. variis pag. 238. Sic Metropolis Hispaniæ olim Mantua nuncupata, a Mauris occupata Africane vocata est *Madrid,* id est *mater scientiæ,* quod Mauri in ea Scholas et Academiam suam erexerint, uti ex Hispan. archivis refert Serarius in c. 1. Iudic v. 12. Talis quoque posteriore ævo fuit Thecua, unde sapiens illa mulier Thecuitis vocat eam matrem in Israel, ideoque rogat Davidem ut ei parcat. 2. Reg. 14. 2. Talis quoque fuit urbs Theman apud Idumæos, ex qua prodiit Eliphaz Themanites amicus Iob. Unde Themanitici Sophi et Sapientes celebrantur. Baruch 3. 23. Tales quoque fuere Athenæ in Græcia, Memphis et Heliopolis in Ægypto. Masius ex Chal. *Cariath Sepher* vertit urbem archiorum sive tabulariorum, quod in ea esset Archium, quod scilicet in ea multa vetustatis monumenta post orbis diluvium reposita fuerint. Arias vocat *Bibliothecam publicam.* Vers. 15.

Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior.) *Frater,* id est cognatus, puta fratris filius, sive nepos Calebi: nam Caleb non fuit filius Cenez, sed Iephone, ac proinde non potuit esse frater germanus Othonielis, qui fuit filius Cenez. Cenez ergo fuit frater Calebi, et pater Othonielis. Unde Septuag. Vatican. et Roman. habent ἀδελφοῦ (Regia tamen habent ἀδελφὸς) id est *fratris* Chald. quoque et Vatab. vertunt in genitivo: *Filius Cenez fratris Caleb,* sive filius Cenez, qui fuit frater Caleb iunior. Hebræi enim sæpe subticent pronomina relativa et verbum *est.* Itaque hic videtur genuinus sensus: filius Cenez. Qui (Cenez) fuit frater Caleb iunior.

Masius tamen et alii censent Caleb vere fuisse fratrem germanum Othonielis, sed uterinum dumtaxat, quod uterque eandem habuerit matrem, ex qua Iephone genuerit Caleb, Cenez vero genuerit Othonielem. Poterat autem licite Othoniel, licet patruus ducere neptem suam ex fratre, puta Axam, quia Levit. 18. v. 9. vetatur dumtaxat coniugium amitæ cum nepote, non autem neptis cum patruo. Hæc sententia est probabilis, valdeque conformis versioni vulgatæ.

Porro Deus rem hanc totam direxit, quia destinabat Othonielem successorem Iosue in principatu. Dedit ergo ei animos et vires, ut Cariath Sepher a viris fortissimis et giganteis insessam expugnaret, ut eximiæ suæ virtutis et fortitudinis specimen daret, ob quam mereretur fieri princeps, et auctoritatem Principe dignam apud populum

nancisceretur, ideoque Caleb ei filiam suam Axam uxorem promisit, utpote conscius eius virtutis, et præscius non alium quam ipsum rem tantam attentaturum.

Vers. 18. QUÆ CUM PERGERENT SIMUL.) q. d. Cum Axa quasi sponsa deduceretur in domum Othonielis sponsi sui. Moris enim tunc erat (uti etiamnum est multis in locis) ut sponsæ nuptæ ex parentum domo ad ædes mariti magna cognatorum turba comitante deducerentur, quæ si longius abessent, asinis vel mulis, vel equis vel camelis (uti Rebecca Genes. 24. 64.) pro regionis consuetudine honoris causa vehebantur. Atque adeo, ait Arias, apud montanos illos viros qui rupi nostræ in Aracenæ agro (in Hispania) vicina colunt, novam nuptam ad templi usque limen asello vehi honestum putatur.

Porro Rabbini hoc dant etymon Azæ. Axa, inquiunt Hebr. idem est quod ira vel irascens, eo quod Axa adeo esset pulchra, ut quicumque intueretur eam irasceretur uxori, eo quod præ Axa videretur esse deformis. Hæc illi carnales et crassi. Longe melius Pagnin. et alii: Axa, inquiunt, idem est quod eleganter calceata, adornata, et composito gradu incedens. Isaiæ 3. 16. iuxta illud Cant. 7. 1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?* vide ibi dicta. Talis Tropol. est anima modesta, quieta, composita, et passionibus suis dominans.

SUASA EST A VIRO SUO.) Hebr. contrarie habent: *impulit ipsa eum*, scilicet Axa virum suum: sed Resp. Axam impulisse maritum, ut vel ipse peteret a patre suo Caleb terram irriguam, vel sibi permitteret eandem ab eo petere, ac suaderet quid in ea re foret melius: maritum autem annuendo respondisse et suasisse ut ipsa peteret. Suasu ergo mariti ipsa illam petiit, ut sagaciter et breviter vertit noster Interpres; idque innuunt Septuag. dum vertunt: *Consuluitque cum eo, petam a Patre meo agrum.*

SUSPIRAVITQUE.) Hebr. *tisnach*, quod Masius, Vatab. Pagnin. et passim Hebraizantes vertunt: *dimisit se*, vel *defixit se in terram.* Nam et Noster Iudic. 4. 21. vertit *defixit;* Septuag. et alii *infixit.*

Verum Nostro consentiunt Sept. qui hic vertunt ἐβόησεν, id est *clamavit*, et Iudic. 1. 14. ἐγόγγυσεν, id est *murmuravit;* sive quia tam Noster quam Septuag. pro תצנח *tisnach* legerunt תאנח *teenach*, id est ingemuit, suspiravit; nam א et צ sunt litteræ vicinæ: sive quia צנח *tsanach*, subinde pro affini אנח *anach* capi sciebant, quod nos iam scire non possumus, eo quod verbum *tsanoch* nusquam alibi reperiatur. Et sane suspirasse Axam, ac suspirio permovisse patrem ad concedendum ea quæ postulabat, valde est verisimile. Hic enim est feminarum mos, hæc earum est ars.

Vers. 19. AT ILLA RESPONDIT: DA MIHI BENEDICTIONEM.) Acute et apposite, ait Arias; prudens sagaxque puella usa est voce Hebr. ברכה *berecha*, quæ et benedictionem, et faustitatem, et bonas preces, et singulare beneficium, privilegium, fertilitatem, atque etiam aquæ copia significat. Omnia enim hæc unica voce *berecha* postulabat Axa.

Alleg. Ruper. in lib. Iudicum c. 2. *Othoniel*, ait, *est Christus, Salvator noster et iudex, qui Cariath Sepher,* id est *civitatem litterarum percussit, quæ prius Dabir,* id *est loquens sive loquela vocabatur, quando manifestata veritate Evangelii loquacem scribarum et Pharisæorum Synagogam in littera legis gloriantem redarguit* etc. Et paulo inferius: *Proposito sibi præmio ut acciperet Axam coniugem, id est novam de gentibus Ecclesiam: cuius pater per fidem factus est Caleph, quod interpretatur quasi cor, scilicet Deus qui nobis factus est quasi cor dicendo: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Hinc ipse qui factus est ei vir Salvator mundi, suasit ut peteret a patre suo agrum. Docuit enim Ecclesiam suam orare, et petere a Deo Patre regnum cælorum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleph. Quid habes? Axa sedens asino suspirat, quando conversa ad Christum Ecclesia, prima iam gratia, id est peccatorum remissione percepta secundam gratiam, id est Sancti Spiritus illustratione regni cælestis desiderium postulat.*

TERRAM AUSTRALEM ET ARENTEM DEDISTI MIHI, A IUNGE ET IRRIGUAM.) Licet enim Auster in Europa sit pluvius et fœcundus, ideoque terra Australis sit fœcunda: Iudæis tamen Auster, utpote a vasta Arabiæ solitudine spirans, est calidus, urens et siccus, ideoque humorem terræ exsugens, eam facit aridam et sterilem, ventus vero Occidentalis, utpote e mari veniens, Iudæis est pluvius et fœcundus, ut patet 3. Reg. 18. 44. Amos. 5. 8. Lucæ 12. 54.

DEDIT ITAQUE EI CALEB IRRIGUUM SUPERIUS ET INFERIUS.) Hebr. גלות מים *gulloth maim*, id est, ait Masius, vortices aquarum, sive scatebras vel scaturigines, quibus quasi terræ venis ebullientes aquæ volutatim (גלל *galal* enim significat volvere, convolvere) protrudi videntur, easque duplices; scilicet superiores quibus clivosa; et inferiores, quibus planiora loca et campi irrigari, itaque fœcundari possint. Cum scatebris: fundos quoque earum accipe, uti mox dicam. Ita quoque Theodor. quæst. 2. in lib. Iudic. et Procopius, qui addit Symmachum vertisse *possessionem in superioribus, et possessionem in inferioribus.* Per quæ Tropol. ait Procop. innuit facultatem B cælestis ac sublimis cogitationis, æque ac humiliationis. quare possessio superior est oratio et meditatio, inferior humiliatio et mortificatio.

Planius et pressius S. Gregor. (quem sequitur Rupert.) lib. 3. Dial. c. 34. et lib. 6. Registri Epist. 23. ad Theoctisten, docet duplicem hic notari compunctionem: *Axa*, inquit, *super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram irriguam petit: quia a creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli, qui iam in dono perceperunt libere pro iustitia loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere, sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram australem et arentem habent, sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, oportet nimis, ut timore supplicii, aut amore regni cælestis mala etiam quæ antea perpetraverunt deplorent.* Quocirca mox C subiungit: *Sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, Dedit ei pater suus irriguum superius et irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sese in lacrymis cælestis regni desiderio affligit: irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et post irriguum inferius commemorari debuisset.* Unde paulo ante dixit: *Sicque fit ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis.* Audi S. August. lib. Medit. c. 36. *Da mihi,* inquit, *evidens signum amoris tui: irriguum lacrymarum fontem, iugiter emanantem, ut ipsæ quoque lacrymæ tuum in me testentur amorem: ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se a lacrymis continere.*

IRRIGUUM.) Perperam in Septuag. legitur λύτρωσιν, id est, *redemptionem*, uti legunt Theodor. S. August. Pro- D cop. pro λουτρωσιν, id est, *ablutionem*, irrigationem, ut vertit Theodotion. Caiet. per irriguum superius accipit fontes in montibus erumpentes, per inferius puteos. Alii per irriguum superius accipiunt agrum pluviis irriguum, sive qui pluviis rigari solet, per inferius fontes. Alii melius intelligunt agros et fundos montanos, et declives fontibus aquisque irriguos: poterant enim filiæ fundorum esse hæredes, si nuberent viro suæ tribus et familiæ; tunc enim non transferebantur ad aliam tribum et familiam, quod tantum vetatur Numer. 36. 6.

OMNES CIVITATES VIGINTI NOVEM.) Sunt 37. si singula Vers. 32. nomina numeres, sed inter eas vici quidem celebriores commemorati sunt, ut proprie urbes fuerint 29. dumtaxat. Ita Masius.

ET CIVITAS SALIS.) Ita dicta, eo quod vicina sit mari Vers. 62. mortuo sive salso; aut quod iuxta eam uxor Lot respiciens retro versa sit in statuam salis; aut quod in ea essent salinæ, in quibus aquæ e vicino mari mortuo sive sal-

so calore solis decoquebantur, ex iisque fiebat sal. Nonnulli suspicantur hanc esse Segor, in quam fugit Lot, Genes. 19. 23. Adrichom. tamen et alii illam a Segor distinguunt, et propriam per se civitatem salis constituunt.

Vers. 63. IEBUSÆUM AUTEM HABITATOREM IERUSALEM NON POTUERUNT FILII IUDA DELERE.) Ob suam socordiam et peccata, quibus irritatus Deus opem suam eis subtraxit, ut dicitur Iudic. 2. 20.

Quin et Davidis tempore Iebusæos habitasse inter Israelitas, adeoque Davidem eis eripuisse arcem Sion, nec tamen eos omnino eliminasse, sed subiugasse dumtaxat, ac Iebusæos ut in ius ditionemque, sic et in sacra religionemque Israelitarum transisse, colligitur ex 2. Reg. 24. 22. ubi David ab Areuna Iebusæo emit aream in qua Deo immolaret. Ita Masius. Est Prolepsis. Nam hæc post felicia Iosue tempora sub Iudicibus contigerunt: Igitur Iosue cepit Ierusalem, eiusque regem Adonisedec cum aliis quatuor regibus occidit, ut audivimus cap. 10. arcem tamen Ierusalem non cepit, sed eam tenuere Iebusæi: inde factum, ut iidem post obitum Iosue sensim urbem totam A rursum occuparint, uti occuparunt Hebron et Dabir a Iosue ante expugnatas; hinc necesse fuit ut filii Iuda Ierosolymam expugnarent, quod fecerunt post mortem Iosue, ut audiemus Iudic. 1. Perperam ergo R. David ait non licuisse Iudæis expugnare Ierusalem, eo quod eam tenerent Iebusæi oriundi ex Abimelech, cum quo Abraham fœdus inierat Genes. 21. sed id fecisse Davidem, cum fœdus hoc longinquitate temporis esset extinctum. Hæc enim mera sunt figmenta.

Tropol. Iebusæus Hebr. idem est quod calcator (בוס *bus* enim significat calcare) hic significat nostram concupiscentiam, eiusque motus, qui Iudæum, id est rationem et mentem, fidei et pietatis erga Deum professorem, quotidie exagitant, vexant, proculcant, nec viribus nostris expelli possunt, sed Davide opus est, is est Christus ex Davidis sanguine ortus; sed neque hic illos prorsus exterminat, sed subigit, ut assidue cum eis luctando, eosque supprimendo, perpetuum habeamus bellandi et vincendi exercitium.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur fines limitesque regionis, quæ sorte tribui Ephraim obvenit.

1. CECIDIT quoque sors filiorum Ioseph, ab Iordane contra Iericho et aquas eius ab Oriente: solitudo quæ ascendit de Iericho ad montem Bethel: 2. Et egreditur de Bethel Luza: transitque terminum Archi, Atharoth, 3. Et descendit ad Occidentem iuxta terminum Iephleti, usque ad terminos Beth horon inferioris, et Gazer: finiunturque regiones eius mari magno: 4. Possederuntque filii Ioseph Manasses et Ephraim. 5. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas: et possessio eorum contra Orientem Ataroth Addar usque Beth horon superiorem. 6. Egrediunturque confinia in mare: Machmethath vero Aquilonem respicit, et circuit terminos contra Orientem in Thanathselo: et pertransit ab Oriente Ianoe. 7. Descenditque de Ianoe in Atharoth et Naaratha: et pervenit in Iericho, egrediturque ad Iordanem. 8. De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti, suntque egressus eius in mare salsissimum, hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas. 9. Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, et villæ earum. 10. Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

Vers. 1. CECIDIT QUOQUE SORS FILIORUM IOSEPH.) Scilicet Ephraim et Manasse, qui, ut audivimus cap. 14. v. 4. duas tribus constituerunt. Iam dimidia tribus Manasse portionem regionis suæ a Mose acceperat cis Iordanem; restabat ergo altera dimidia cum tota tribu Ephraim, quæ hic a Iosue trans Iordanem partem suam sorte accipiunt, sed ita ut sors Manasse vicina esset et contigua sorti Ephraim. Hoc capite ergo describitur sors Ephraim, sequenti vero cap. sors dimidiæ tribus Manasse: utrique deinde lateralis et contigua erat sors tribus Beniamin. Graphice singularum tribuum sortes, urbes, montes et fluvios describunt S. Hieron. et Euseb. in locis Hebr. Masius hic, et Arias in Apparatu Biblior. Regior. libro Caleb, atque eadem in tabulis Geographicis oculatim spectanda exhibet Adrichom. etsi nonnulla in eis desiderentur. Eas adeat Lector: spinosum enim esset et operosum, ac Lectori tædiosum parumque utile, si ea hic commentando persequerer.

Vers. 8. IN VALLEM ARUNDINETI.) Masius et alii: *In torrentem arundinis.* Valles enim, per quas labuntur torrentes et aquæ, fertiles sunt arundinum, hæ enim nascuntur in locis paludosis et humectis.

SUNTQUE EGRESSUS EIUS IN MARE SALSISSIMUM.) Id est in mare quod natura sua est salsum. Hebr. *mare salis*, quod Noster vertere solet *mare salsissimum.* Significat mare mortuum, sive lacum Asphaltitem, ut patet c. 18. 19. Numer. 34. v. 3. et alibi. Verum hic illud accipi nequit: ab eo enim longe abest tribus Ephraim: quare hic B accipi debet mare Mediterraneum. Unde Serarius opinatur, τὸ *salsissimum* hic irrepsisse: nam eo carent Hebr. Chald. et Græca, illudque Noster omittit c. seq. v. 9. ubi mare (scilicet Mediterraneum) assignat terminum tribus Manasse, quæ contermina erat tribui Ephraim.

URBESQUE SEPARATÆ SUNT FILIIS EPHRAIM IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM MANASSE, ET VILLÆ (id est pagi vel vici suburbani, ait Masius) EARUM.) Q. d. Cum sors urbium quæ ceciderat tribui Ephraim, non sufficeret tantæ multitudini Ephraimitarum, adiunctæ sunt eis aliquæ urbes ex tribu Manasse, quæ tribui Ephraim erat cognata et contermina. Vers. 9.

HABITAVITQUE CHANANÆUS IN MEDIO EPHRAIM USQUE IN DIEM HANC TRIBUTARIUS.) Factum hoc ex ignavia Ephraimitarum. Iusserat enim Deus Chananæos exterminari, nec fœdus cum eis iniri etiam sub pacto tributi.

Tropol. S. Gregor. lib. 4. Moral. c. 22. *Quid Chananæus,* inquit, *gentilis videlicet populus, nisi vitium significat? Et sæpe magnis virtutibus terram repromissionis ingredimur, quia spe intima de æternitate roboramur: sed dum inter acta sublimia, vitia quædam parva retinemus, quasi Chananæum vivere in terra nostra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de se mens et in summis vilia sentiat, quo suis viribus etiam parva quæ appetit non expugnat.*

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur fines dimidiæ tribus Manasse cis Iordanem, et alterius dimidiæ trans Iordanem v. 5. quæ pariter reliquit in sua sorte nonnullos Chananæos, eosque fecit sibi tributarios. Denique v. 14. conquerentibus filiis Ioseph de habitatione angusta, Iosue respondit ut armis sibi spatia laxent, eiiciendo Chananæos ex montibus.

1. CECIDIT autem sors tribui Manasse: (ipse enim est primogenitus Ioseph) Machir primogenito Manasse
patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad et Basan: 2. Et reliquis filiorum
Manasse iuxta familias suas, filiis Abiezer, et filiis Helec, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis He-
pher, et filiis Semida: isti sunt filii Manasse filii Ioseph, mares, per cognationes suas. 3. Salphaad vero filio He-
pher filii Galaad filii Machir filii Manasse, non erant filii, sed solæ filiæ: quarum ista sunt nomina : Maala et Noa
et Hegla et Melcha et Thersa. 4. Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, et Iosue filii Nun, et principum,
dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque
eis iuxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum. 5. Et ceciderunt funiculi Manasse, de-
cem, absque Terra Galaad et Basan trans Iordanem. 6. Filiæ enim Manasse possederunt hereditatem in medio fi-
liorum eius. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant. 7. Fuitque terminus Ma-
nasse ab Aser, Machmethath quæ respicit Sichem: et egreditur ad dexteram iuxta habitatores Fontis Taphuæ. 8.
Etenim in sorte Manasse ceciderat Terra Taphuæ, quæ est iuxta terminos Manasse filiorum Ephraim. 9. Descen-
ditque terminus Vallis arundineti in Meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse:
terminus Manasse ab Aquilone torrentis, et exitus eius pergit ad mare: 10. Ita ut possessio Ephraim sit ab Au-
stro, et ab Aquilone Manasse, et utramque claudat mare, et coniungantur sibi in tribu Aser ab Aquilone, et in
tribu Issachar ab Oriente. 11. Fuitque hereditas Manasse in Issachar et in Aser, Bethsan et viculi eius, et Ieb-
laam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis : similiter-
que habitatores Thenac cum viculis suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Nopheth.
12. Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua. 13. Post-
quam autem convaluerunt filii Israel, subiecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.
14. Locutique sunt filii Ioseph ad Iosue, et dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum
sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus? 15. Ad quos Iosue ait: Si populus multus es, ascende in sil-
vam, et succide tibi spatia in Terra Pherezæi et Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. 16.
Cui responderunt filii Ioseph: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi,
qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, et Iezrael mediam possidens vallem.
17. Dixitque Iosue ad domum Ioseph, Ephraim et Manasse: Populus multus es, et magnæ fortitudinis, non ha-
bebis sortem unam, 18. Sed transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia : et pote-
ris ultra procedere cum subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus: et esse fortissimum.

Vers. 1. IPSE ENIM EST PRIMOGENITUS IOSEPH.) Dat causam cur tribus Manasse fuerit una e tribubus quæ Chananæam sorte diviserunt, nimirum quia licet Manasse non esset filius Iacobi Patriarchæ, sed nepos, tamen quia filius erat Iosephi, Iacob eum sibi in filium adoptarat, et pari iure cum cæteris filiis suis immediate Chananæam dividere et hereditare iusserat. Genes. 48.

MACHIR PRIMOGENITO (imo unigenito) MANASSE.) Hic enim non alium reliquit filium quam Machir, qui fuit pater Galaad. *Qui* (Galaad) *fuit vir pugnator*, non in Chananæa, sed in Ægypto sub Pharaone in bellis Ephraimitarum, qui cæsi narrantur 1. Paral. 7. 21. Galaad enim natus est in Ægypto vivente adhuc Iosepho avo: quare Pharaoni in bellis servire potuit ante cœptam eius in Hebræos persecutionem. Exodi 1. Videtur Galaad mortuus in Ægypto, vel certe in deserto, nam in egressu Mosis et Hebræorum ex Ægypto, ipse si adhuc vixit fuit 140. annorum, in ingressu vero Hebræorum in Chanaan fuisset 180. annorum, quæ ætas nulli illo ævo contigit.

Vers. 4. DOMINUS PRÆCEPIT.) Numer. 27. Vide ibi dicta.

Vers. 5. ET CECIDERUNT FUNICULI MANASSE DECEM, ABSQUE TERRA GALAAD ET BASAN TRANS IORDANEM.) *Funiculi*, id est portiones, sive sortes hereditariæ: olim enim funiculis dimetiebantur limites et hereditates, sicut iam metiuntur virgis vel baculis mensoriis, esto hæc tantæ terræ dimensio non sit facta funiculis (hoc enim nimis longum et operosum fuisset) sed oculari inspectione et spatii æstimatione. Est ergo Catachresis.

Porro tribus Manasse divisa fuit in duas partes. Dimi- A dia enim tribus obtinuit Galaad et Basan cis Iordanem, altera dimidia obtinuit suas sortes trans Iordanem, easque decem, quia decem familiis Manasse dandæ erant decem sortes, nimirum quinque filiis, scilicet Abiezer, Helec, Esriel, Sichem et Semida v. 2. et quinque filiabus Salphaad, scilicet Maala, Noa, Hegla, Melcha et Thersa: nam sextus filius Hepher nullos genuit filios nisi Salphaad, qui hasce quinque filias dumtaxat post se reliquit, sibique substituit, v. 3.

ETENIM IN SORTE MANASSE CECIDERAT TERRA TAPHUÆ, QUÆ (terra Taphuæ) EST IUXTA TERMINOS MANASSE, estque FILIORUM EPHRAIM.) Unde ex Hebræo sic clare vertas: *Ipsius Manasse fuit terra Taphuæ, Taphua vero in termino Manasse*, fuit *filiorum Ephraim*. Vers. 8. Sensus est, q. d. Terra vicina urbi Taphuæ fuit filiorum Ephraim: unde v. sequenti dicitur, civitates aliquas Ephraim (uti erat Taphua) fuisse in medio urbium Manasse. B Idem dixit cap. 6. vers. 9. Causa erat, quod tribus Ephraim esset copiosior et numerosior, quam in regione, quæ sorte sibi obtigerat, tota commode habitare posset; quare terminos eius nimis arctos laxare oportuit, ut aliquas in sorte Manasse urbes occuparet et incoleret, relictis tamen agris vicinis ipsi tribui Manasse, eo quod agri, qui tribui Ephraim obtigerant, adeo fertiles essent, ut toti tribui alendæ sufficerent. Ita Masius, et alii.

FUITQUE HEREDITAS MANASSE IN ISSACHAR ET IN ASER.) *In*, id est iuxta, vel in confinio et quasi complexu tribuum Issachar et Aser, quomodo Hebr. dicitur urna aurea habens manna, et virga Aaron fuisse in arca, Vers. 11.

id est iuxta arcam; nam in arca erant dumtaxat tabulæ legis. Hebr. 9. 4. vide ibi dicta.

Bethsan, quæ postea dicta et Scytopolis, id est Scytarum civitas, quod a Scytis habitata sit, uti indicat S. August. quæst. 8. in lib. Iudic. Iosephus lib. 5. Antiq. c. 1. Herodotus lib. 1. et alii.

Vers. 14. Loquutique sunt filii Ioseph (puta Manassenses et Ephraimitæ) ad Iosue, et dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus?) q. d. Cur nobis qui facimus duas tribus, scilicet Ephraim et Manasse, tam angustos dedisti limites, ut unius funiculi, id est unius sortis et tribus esse videatur, quia vix uni soli tribui sufficiunt; cum tamen Deo nobis benedicente in magnam multitudinem excreverimus. Dicunt hoc, non quod regiones eis sorte assignatæ utrique tribui non sufficerent, sed quod pleræque possiderentur a Chananæis, quos ipsi expellere se posse diffidebant, eo quod arces et urbes in montibus et rupibus occuparent situ et arte munitas. Sperabant ipsi se a Iosue, utpote suo contribuli (erat enim Iosue ex tribu Ephraim) obtenturos ut ex aliis tribubus regiones aliquæ pacificæ sibi assignarentur. Sed stetit Iosue fortis, noluitque aliis tribubus quidquam adimere, quod suæ tribueret. Nihil ergo dedit carni et sanguini, sed totum iustitiæ, iustamque distributionem iam factam confirmavit. Unde ait:

Vers. 15. Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim.) q. d. Si abundas hominibus, et quæris laxiora ad habitandum spatia; noli ea postulare in aliis tribubus cum illorum iniuria, sed spatia tibi assignata in terra Pherezæi et Raphaim, iis expulsis, et instar silvæ excisis, occupa, excole, ædifica. Est Metaphora: terram enim a Chananæis occupatam vocat silvam, eo quod sicut silva excindi debet, ut locus arari possit; sic excindendi erant Pherezæi, ut eorum terram occuparent Iosephitæ.

Non poterimus ad montana conscendere, cum Vers. 16.
ferreis curribus utantur Chananæi.) Erant hi falcati currus, qui falcibus et gladiis armati, in hostes immissi, homines et obvia quæque secabant, et quasi demetebant. Talibus usus est Darius Rex Persarum pugnans contra Alexandrum Magnum. Audi Curtium lib. 4. *Ipse ante se falcatos currus habebat, quos signo dato universos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nondum satis proviso impetu obtererent. Alios ergo hastæ multum ultra temonem eminentes, alios ab utroque latere dimissæ falces laceravere.*

Xenophon lib. 6. Cyropædiæ, Cyrum horum curruum facit inventorem; sed hinc liquet, tempore Iosue, qui Cyrum nongentis annis antecessit, talibus curribus usos fuisse Chananæos. Porro terror iste curruum mox evanuit: nam iis opposuere milites longis hastis densatos, qui equorum ventres suffoderent, itaque iis occisis vel cæsis currus eorum inutiles redderent. Adinvenit hoc Alexander Magnus, teste Curtio lib. 4. et Diodoro Siculo lib. 17. *Pedites*, inquit, *omnes phalangis commonuit, quando propius impulsi fuissent currus, ut clypeos coniungerent, sarissisque eos vehementer pulsarent, eo strepitu consternatos equos quadrigas retrorsum rapturos, quod ita accidit.*

Dixitque Iosue.) Iosue nil Manassensium replica mo- Vers. 17.
tus stat firmus, nec aliud eis responsum dat, quam id quod iam dedit, scilicet ut armis sibi spatia laxent.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sortitio tribuum cœpta in Galgalis, sed intermissa, iussu Iosue restituitur in Silo. Mittit ergo ipse mensores, qui reliquam Chananæam adhuc indivisam exactius dimetiantur, et in septem regiones pro septem reliquis tribubus partiantur. Quocirca tribus Beniamin prima unam ex septem sorte occupat, v. 11. cuius deinde urbes et limites describuntur.

1. Congregatique sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, et fuit eis Terra
subiecta. 2. Remanserant autem filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas
3. Ad quos Iosue ait: Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam Terram, quam Domi-
nus Deus patrum vestrorum dedit vobis? 4. Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, et pergant
atque circumeant Terram, et describant eam iuxta numerum uniuscuiusque multitudinis: referantque ad me quod
descripserint. 5. Dividite vobis Terram in septem partes: Iudas sit in terminis suis ab Australi plaga, et domus
Ioseph ab Aquilone. 6. Mediam inter hos Terram in septem partes describite: et huc venietis ad me, ut coram
Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem: 7. Quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini
est eorum hereditas. Gad autem et Ruben, et dimidia tribus Manasse, iam acceperant possessiones suas trans Ior-
danem ad Orientalem plagam: quas dedit eis Moyses famulus Domini. 8. Cumque surrexissent viri, ut pergerent
ad describendam Terram, præcepit eis Iosue, dicens: Circuite Terram, et describite eam, ac revertimini ad me:
ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis sortem. 9. Itaque perrexerunt: et lustrantes eam, in septem partes
diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Iosue in castra Silo. 10. Qui misit sortes coram Domino
in Silo, divisitque Terram filiis Israel in septem partes. 11. Et ascendit sors prima filiorum Beniamin per familias
suas, ut possiderent Terram inter filios Iuda et filios Ioseph. 12. Fuitque terminus eorum contra Aquilonem a Ior-
dane: pergens iuxta latus Iericho Septemtrionalis plagæ, et inde contra Occidentem ad montana conscendens, et
perveniens ad solitudinem Bethaven 13. Atque pertransiens iuxta Luzam ad Meridiem, ipsa est Bethel: descen-
ditque in Atharoth addar, in montem qui est ad Meridiem Beth horon inferioris: 14. Et inclinatur circuiens con-
tra mare ad Meridiem montis qui respicit Beth horon contra Africum: suntque exitus eius in Cariath baal, quæ
vocatur et Cariathiarim, urbem filiorum Iuda. Hæc est plaga contra mare, ad Occidentem. 15. A Meridie autem
ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, et pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa. 16. De-
scenditque in partem montis, qui respicit Vallem filiorum Ennom: et est contra Septemtrionalem plagam in ex-
trema parte Vallis Raphaim. Descenditque in Geennom (id est, Vallem Ennom) iuxta latus Iebusæi ad Austrum:
et pervenit ad Fontem Rogel. 17. Transiens ad Aquilonem, et egrediens ad Ensemes, id est Fontem solis: 18. Et
pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione Ascensus Adommim: descenditque ad Abenboen, id est, lapidem

Bocn filii Ruben: et pertransit ex latere Aquilonis ad campestria: descenditque in planitiem. 19. Et prætergreditur contra Aquilonem Beth hagla: suntque exitus eius contra linguam maris salsissimi ab Aquilone in fine Iordanis ad Australem plagam: 20. Qui est terminus illius ab Oriente. Hæc est possessio filiorum Beniamin per terminos suos in circuitu, et familias suas. 21. Fueruntque civitates eius, Iericho et Beth hagla et Vallis Casis. 22. Beth Araba et Samaraim et Bethel. 23. Et Avim et Aphara et Ophera. 24. Villa Emona et Ophni et Gabee: civitates duodecim, et villæ earum. 25. Gabaon et Rama et Beroth. 26. Et Mesphe et Caphara, et Amosa. 27. Et Recem, Iarephel et Tharela. 28. Et Sela, Eleph, et Iebus, quæ est Ierusalem, Gabaath et Cariath: civitates quatuordecim, et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Beniamin iuxta familias suas.

Vers. 1. CONGREGATI SUNT OMNES FILII ISRAEL IN SILO, (Silo est mons altissimus, et civitas in monte) IBIQUE FIXERUNT TABERNACULUM TESTIMONII;) in quo scilicet erat testimonium, id est tabulæ legis cum Arca et Cherubim. Hinc patet, Arcam, et cum Arca castra Hebræorum e Galgalis fuisse translata in Silo, quæ erat in tribu Ephraim, ex qua erat dux Iosue. Par enim erat ut Arca esset in tribu Ducis, ac Ducem populus sequeretur, præsertim quia Silo erat iuxta Ierusalem (ab ea enim distabat duabus leucis sive horis dumtaxat) in qua Deus sibi sedem templumque statuere decreverat. Mansit Arca in Silo 350. annis et amplius, puta a Iosue usque ad Samuelem, 1. Reg. 14. 3. Rabbini putant hanc Arcæ e Galgalis translationem factam anno 14. Ducatus Iosue, indeque computant annos Iubilæos, quos ipsi numerant 17. puta 850. annos, quibus Hebræos terram promissam occupasse ipsi asserunt; sed hallucinantur in multis. Verius Torniellus et alii censent, hanc Arcæ translationem factam post septem annorum bella, puta anno octavo ducatus Iosue.

Tunc enim Iosue Chananæam a se debellatam pacifice possedit, eamque inter 12. tribus distribuit; quare tunc singuli domos incolere, vineasque et agros excolere cœperunt. Tunc ergo pariter leges et ceremoniæ a Deo præscriptæ per Mosen in praxin inductæ sunt, ac consequenter ritus anni septimi, pariter et quinquagesimi, sive Iubilæi.

Igitur annus octavus Iosue (non primus, quo ingressus Chananæam expugnavit Ierichuntem, uti nonnulli volunt) fuit exordium horum annorum. Ab illo enim numerari cœperunt anni tam Sabbathici, quam Iubilæi, iuxta legem a Deo sancitam Levit. 25. 2. et seq. uti ibidem ostendi.

Vers. 2. REMANSERANT AUTEM FILIORUM ISRAEL SEPTEM TRIBUS, QUÆ NECDUM ACCEPERANT POSSESSIONES SUAS.) Id factum est partim ex torpore et ignavia septem tribuum, hanc enim eis obiicit Iosue v. sequenti: partim quod eis oborta fuerit suspicio priorem terræ sanctæ dimensionem non satis æque esse factam, in eaque a mensoribus commissum esse errorem: nam ut is emendetur. Iosue denuo mittit novos descriptores, qui septem tribubus exactius restantem terram dimetiantur, et in septem regiones distribuant.

Vers. 3. AD QUOS IOSUE AIT: USQUEQUO MARCETIS IGNAVIA? etc.) Solet labore fessos corripere sopor et torpor: sic hic Israelitas bello septennali fatigatos invasit ignavia ad mittendum Geometras, qui Chananæam reliquam in septem partes æque septem tribubus partirentur. Non ergo significat hic Iosue, multum temporis, scilicet septem annos inter priorem et posteriorem hanc Chananææ divisionem intercessisse, ut volunt Rabbini, et eos secuti Masius et Magalianes. Tantam enim moram et ignaviam nec tulisset Iosue, nec Hebræi. Quis enim eos tam numerosos (erant enim plusquam decies centena millia hominum in septem hisce tribubus) aluisset, nisi ipsi singuli terram, quæ sortitione sibi obvenerat, arassent, seminassent, coluissent? Tantum ergo urget eos, ut illico missis agrimensoribus terram dividant, ut divisa septem tribubus, sortitione distribuatur; ipsæ cæteris tribubus, quæ iam suas sortes possidebant, litem moveant, aut eorum limites invadant et deprædentur. Otium enim est causa indigentiæ, indigentia est causa furti et rapinæ.

DESCRIBANT EAM IUXTA NUMERUM UNIUSCUIUSQUE MULTITUDINIS.) Id est iuxta numerum tribuum, ut scilicet pro septem tribubus terram describant et dividant in totidem portiones sive regiones, sed ita ut numerosiori tribui maior vel fortior terræ portio assignari queat. Ita se explicat v. sequenti. Iaciebantur enim sortes pro quantitate tribus, ut si illa esset magna, regio sorte dilatari; si parva, regio sorte arctari posset. Vers. 4.

MEDIAM INTER HOS TERRAM IN SEPTEM PARTES DISTRIBUITE:) τό *mediam inter hos* non est in Hebræo, Chald. et Septuag. nam etiam ultra sortem tribuum Ephraim et Manasse, sors septem tribuum extendebatur usque ad Libanum. Unde aliqui suspicantur hic esse mendum, et corrigendum sic, *reliquam inter vos.* Et sane τό *mediam* exponendum est *reliquam.* Reliqua enim terræ pars erat media vel inter Iudæos et Iosephitas, vel inter Iosephitas et Libanum, vel inter Iudæos et Idumæos. Hi enim erant limites terræ Hebræis promissæ, a Deo statuti. Vers. 6.

SED SACERDOTIUM DOMINI EST EORUM HEREDITAS.) *Sacerdotium*, id est Sacerdotalis proventus, puta oblationes, victimæ, primitiæ, vota, quæ sacerdotibus, ex lege dari debebant, erant quasi hereditas Levitarum; inde enim vivebant, quia non habebant portionem terræ, uti ceteræ tribus. Vers. 7.

REVERSIQUE SUNT AD IOSUE IN CASTRA SILO.) Iosephus ait eos septem mensibus occupatos fuisse in hac terræ descriptione, ac septimo mense ad Iosue in Siluntem reversos. Vers. 9.

ET INCLINATUR.) Hebr. תאר *taar*, id est delineatur, figuratur cum aliqua inclinatione et flexu. Unde Masius vertit, *gyrabat;* Tigur. *reflectit* Vers. 14.

DESCENDITQUE IN PARTEM MONTIS, QUI RESPICIT VALLEM FILIORUM ENNOM.) *Montis*, scilicet Moria, ut dixi cap. 15. 8. Vers. 16.

ET PERTRANSIT USQUE AD TUMULOS.) Hebr. *Usque ad Gheliloth*, quod Noster vertit *Tumulos.* τό *Tumulos* ergo hic est nomen proprium urbis, vel loci ita dicti ab acervis vel tumulis arenarum vel lapidum, etc. Vide dicta supra cap. decimoquinto, versu septimo. Vers. 18.

VALLIS CASIS.) Hebr. קציץ *katsis*, quæ vox significat excisionem vel finem. Est nomen proprium vallis et urbis in ea sitæ, quod illa divisa et quasi discissa foret. Unde Masius vertit, *vallis abrupta*, vel *planities discissa.* Alii vertunt, *vallis incisionis*, quod in ea balsamum non ferro, sed acuto vitro, osse vel lapide incideretur; si ferro enim incidatur, frutex emoritur, ait Plinius lib. 12. 25. et Iosephus lib. decimoquarto Antiq. c. 7. Erat enim vallis hæc non procul a Ierichunte, quæ sola ferebat balsamum, ut docet Iosephus ibidem. Vers. 21.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sorte datur v. 1. tribui Simeon sua Chananææ portio, ac tribui Zabulon v. 10. mox Issachar v. 17. deinde Aser v. 24. ac Nephthali v. 31. et Dan v. 40. Denique v. 49. ipsi Iosue datur Tamnath Sare, quam petierat.

1. ET egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuitque hereditas: 2. Eorum in medio possessionis filiorum Iuda: Bethsabee et Sabee et Molada: 3. Et Hasersual, Bala et Asem: 4. Et Eltholad, Bethul et Harma: 5. Et Siceleg et Bethmarchaboth et Hasersusa: 6. Et Bethlebaoth et Sarohen: civitates tredecim, et villæ earum. 7. Ain et Remmon et Athar et Asan: civitates quatuor, et villæ earum: 8. Omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baalath Beer Ramath contra Australem plagam. Hæc est hereditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas, 9. In possessione et funiculo filiorum Iuda: quia maior erat, et idcirco filii Simeon possederunt in medio hereditatis eorum. 10. Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas: et factus est terminus possessionis eorum usque Sarid. 11. Ascenditque de Mari et Merala, et pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Ieconam. 12. Et revertitur de Sared contra Orientem in fines Ceseleththabor: et egreditur ad Dabereth, ascenditque contra Iaphie. 13. Et inde pertransit usque ad Orientalem plagam Gethhepher et Thacasin: et egreditur in Remmon, Amthar et Noa. 14. Et circuit ad Aquilonem Hanathon: suntque egressus eius Vallis Iephtahel, 15. Et Cateth et Naalol et Semeron et Ierala et Bethlehem: civitates duodecim, et villæ earum. 16. Hæc est hereditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes et viculi earum. 17. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas. 18. Fuitque eius hereditas, Iezrael et Casaloth et Sunem: 19. Et Hapharaim et Seon, et Anaharath: 20. Et Rabboth et Cesion, Abes, 21. Et Rameth, et Engannim, et Enhadda, et Bethpheses. 22. Et pervenit terminus eius usque Thabor et Sehesima et Bethsames: eruntque exitus eius Iordanis: civitates sedecim, et villæ earum. 23. Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes et viculi earum. 24. Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas: 25. Fuitque terminus eorum Halcath et Chali et Beten et Axaph: 26. et Elmelech et Amaad et Messal: et pervenit usque ad Carmelum maris et Sihor et Labanath. 27. Ac revertitur contra Orientem Bethdagon: et pertransit usque Zabulon et Vallem Iephthael contra Aquilonem in Bethemec et Nehiel. Egrediturque ad lævam Cabul, 28. Et Abran et Rohob et Hamon et Cana, usque ad Sidonem magnam. 29. Revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, et usque Hosa: eruntque exitus eius in mare de funiculo Achziba: 30. Et Amma et Aphec et Rohob, civitates vigintiduæ, et villæ earum. 31. Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque et viculi earum. 32. Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas: 33. Et cœpit terminus de Heleph et Elon in Saananim, et Adami, quæ est Neceb, et Iebnael usque Lecum: et egressus eorum usque ad Iordanem: 34. Revertiturque terminus contra Occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, et pertransit in Zabulon contra Meridiem, et in Aser contra Occidentem, et in Iuda ad Iordanem contra ortum solis. 35. Civitates munitissimæ, Assedim, Ser, et Emath, et Reccath et Cenereth, 36. Et Edema et Arama, Asor: 37. Et Cedes et Edrai, Enhasor: 38. Et Ieron et Magdalel, Horem et Bethanath et Bethsames: civitates decem et novem, et villæ earum. 39. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes et viculi earum. 40. Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima. 41. Et fuit terminus possessionis eius Saraa et Esthaol, et Hirsemes, id est, Civitas solis. 42. Selebin et Aialon et Iethela, 43. Elon et Temna et Acron. 44. Elthece, Gebbethon et Balaath, 45. Et Iud et Bane et Barach et Gethremmon: 46. Et Meiarcon et Arecon, cum termino qui respicit Ioppen, 47. Et ipso fine concluditur. Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem: ceperuntque eam: et percusserunt eam in ore gladii, et possederunt, et habitaverunt in ea, vocantes nomen eius Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui. 48. Hæc est possessio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes et viculi earum. 49. Cumque complesset sorte dividere Terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui, 50. Iuxta præceptum Domini, urbem quam postulavit, Thamnath Saraa in monte Ephraim: et ædificavit civitatem, habitavitque in ea. 51. Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos et Iosue filius Nun, et principes familiarum ac tribuum filiorum Israel, in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii, partitique sunt Terram.

Vers. 1. FUITQUE HÆREDITAS EORUM (Simeonitarum) IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM IUDA.) R. Salomon asserit, Simeonitas in sortitione 12. tribuum fuisse præteritos, eo quod Iacob maledicens Simeoni dixerit de eo et Levi: *Dividam eos in Iacob, et dispergam eos in Israel*, Genes. 49. 7. quare Simeonitas fuisse exortes hereditatis, sed reliquas tribus iecisse sortem, quænam illos in se reciperet, ac sortem cecidisse super tribum Iuda: hanc ergo eos intra se recepisse, sed ægre et coacte, ideoque eos a se expulisse sub Davide. Idque colligit ex 1. Paral. 4. 31. Verum hæc sunt mera commenta, imo errores S. Script. repugnantes, quæ hic expresse asserit, Simeonitis æque ac aliis tribubus sorte portionem suam in Chananæa obtigisse. Quod ergo hic dicuntur ipsi sortem recepisse in medio filiorum Iuda, sic accipe, quod sors eorum contermina fuerit sorti tribus Iuda, illique immissa; quodque tribus Iuda, cum nimis laxa haberet terrarum spatia, quam ut omnia excolere, et contra feras tueri posset, partem eorum cesserit tribui Simeonis. Hæc enim cæteris tribubus erat minor, minusque numerosa. Nam in ultimo censu in ea dumtaxat numerati sunt 22200. Porro oraculum Iacob non favet R. Salomoni, sed aliud intendit, uti ostendi Genes. 49. 7. Ita Masius, et alii.

AD TORRENTEM QUI EST CONTRA IECONAM.) Verisimiliter Masius opinatur torrentem hunc esse iuxta limites Sidoniorum, quem Pagida vel Belum Historici nominant, qui arenam vehit, ex qua optima conflantur vitra, teste Plinio lib. 5. cap. 19. et lib. 36. cap. 26. Iosepho lib. 2. Belli Vers. 11.

cap. 9. Tacito lib. 5. Strabo. lib. 16. et Guiliel. Tyrio lib. decimo tertio Belli sacri, cap. 3.

Vers. 13. AMTHAR.) Sic et Septuag. vocem Hebr. המתאר *hammetoar*, ut nomen proprium urbis accipiunt. Symmach. vero accipit ut nomen appellativum, et epithetum *Remnon*, unde vertit *Remnon inclytam*. Chald. Masius, Vatab. Pagnin. Arias, R. David, et Rabi Salomon vertunt: *Quæ gyratur vel circumflectitur in Noa.*

Vers. 26. ET PERVENIT USQUE AD CARMELUM MARIS.) Additur τὸ *maris*, quia duo erant montes Carmeli in terra Sancta, unus in tribu Aser adiacens mari mediterraneo, alter in tribu Iuda, cuius incola fuit Nabal maritus Abigail.

Vers. 27. BETH DAGON.) Id est domus Dagon, quia scilicet in hac urbe colebatur Dagon forma piscis, vel potius Sirenis. Unde Serarius in Iudic. cap. 16. q. 23. opinatur Dagon fuisse Venerem, de quo plura 1. Reg. 5. 2.

Vers. 35. CENERETH.) Ab hac urbe nomen accepit lacus Genesareth, sive mare Galilææ illi adiacens. Masius et Arias censent Cenereth esse illam, quæ postea in gratiam Tiberii Cæsaris dicta est Tiberias. Alii volunt esse Capharnaum.

Vers. 47. ASCENDERUNTQUE FILII DAN, ET PUGNAVERUNT CONTRA LESEM.) Id post mortem Iosue factum, ut fuse narratur Iudic. 18. 1. et sequen. Hinc patet, hunc librum non esse scriptum a Iosue; vel potius, ab eo qui illum digessit et edidit, multa illi fuisse inserta et addita, uti sunt illa cap. 15. vers. 14. et ultim. et cap. 17. vers. 12. et. 13. etc.

Vers. 49. DEDERUNT FILII ISRAEL POSSESSIONEM IOSUE.) Nota hic et mirare modestiam Ducis Iosue, nam qui primo omnibus aliis sortes divisit, suam ultimus accepit. Rursum ipse noluit sortem sibi iaci uti aliis, sed datum a populo suscepit. Nimirum Iosue fuit typus Iesu Christi, qui cum primus esset omnium, imo α et ω, pro nobis factus est virorum novissimus. Isaiæ 53. 3.

Vers. 50. IUXTA PRÆCEPTUM DOMINI.) Hoc præceptum Num. 14. 24. non exprimitur, sed hic suppletur. Hinc ergo liquet, Deum præcepisse, ut Iosue daretur illa portio terræ, quam ipse optaret. Si enim Deus ibidem iussit dari Calebo Hebronem, cur non et socio eius Iosue, qui Calebum superavit, fuitque dux et princeps populi: idque satis insinuat Caleb, cum hic c. 14. v. 6. ait ad Iosue: *Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne.*

A URBEM QUAM POSTULAVIT, THAMNATH SARAA IN MONTE EPHRAIM.) Petiit Iosue hanc urbem, tum ut inter contribules suos in tribu sua Ephraim habitaret, tum modestiæ causa. Nam urbs hæc Thamnath cognominata est *Saraa*, ab ariditudine et inutilitate loci: *Thamnath Saraa* enim Hebr. idem est quod *figura diffluens* vel *inutilis*; vel ut alii, *imago superfluitatis* aut *fœtoris*; vel ut Pagnin. *numerabis residuum*; quasi Iosue occuparit id, quod aliis omnibus erat residuum et inutile; sicut S. Ludovicus, S. Hedwygis, S. Elisabeth humilitatis et devotionis studio, sæpe comedebant reliquias mensæ pauperum, quos alebant. Elegit ergo Iosue ultimus omnium urbem deteriorem et incultam, inter montana et aspera loca sitam, ducibusque ac magistratibus insigne continentiæ et paupertatis exemplum reliquit, fecitque illud monitum Ecclesiastici c. 32. 1. *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto unus in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, et sic confide, et omni cura tua explicita* (id est finita) *recumbe.* Sane S. Hieron. in Epitaph. S. Paulæ, B scribit ipsam, cum Iosue monumentum viseret, demiratam fuisse, quod ipse possessionum omnium distributor, sibi montosa et saxosa loca delegisset. Atque hac in re Iosue fuit typus Iesu Christi, qui cum dives esset, et Rex gloriæ, pro nobis minor et pauperior fieri voluit, ut nos sua paupertate ditaret, et sua vilitate exaltaret. Ita Origen. Hom. 24. Theodor. quæst. 17. Masius, Arias, et alii.

Notent et imitentur hoc Iosue exemplum Principes, Principumque consiliarii, Præfecti et Præsides, uti nostro ævo fecit Thomas Morus Angliæ Cancellarius, qui a prima ætate magnis in Republica muneribus perfunctus, cum familiam haberet amplam, tamen tota vita annuum censum non auxit ultra septuaginta aureos, uti narrat Stapleton. in eius vita c. 3. et 8.

ET ÆDIFICAVIT CIVITATEM.) Id est, iam ædificatam instauravit, auxit, ornavit.

PARTITIQUE SUNT TERRAM.) Id est, partiri desierunt, Vers. 51. partitionem finierunt. Hebr. enim est: *Et finierunt a dividenda terra*, Septuag. pro ויכלו *vaiccalu*, id est, *et finierunt*, aliis punctis, per Metathesin legentes וילכו *vaielechu*, vertunt, *Et abierunt a dividenda terra*, ad eam incolendam et excolendam. Omnia ergo eodem redeunt.

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue designat sex urbes refugii, tres cis, et tres ultra Iordanem.

1. ET locutus est Dominus ad Iosue, dicens: Loquere filiis Israel, et dic eis: 2. Separate urbes fugitivorum de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi; 3. Ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius: et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis: 4. Cum ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem: sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum. 5. Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus eius: quia ignorans percussit proximum eius, nec ante biduum, triduumve, eius probatur inimicus. 6. Et habitabit in civitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, et ingredietur civitatem et domum suam de qua fugerat. 7. Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, et Sichem in monte Ephraim, et Cariatharbe, ipsa est Hebron, in monte Iuda. 8. Et trans Iordanem contra Orientalem plagam Iericho, statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine, de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse. 9. Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israel, et advenis qui habitabant inter eos: ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, et non moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

Vers. 2. SEPARATE URBES FUGITIVORUM.) Hebr. *urbes refugii*, ad quas scilicet confugiat, qui involuntarie et fortuito aliquem occidit, ut iussit Dominus Numer. 35. et seq. ubi fuse hæc explicui.

Vers. 6. DONEC STET ANTE IUDICIUM CAUSAM REDDENS FACTI A SUI.) Ut si probet suam innocentiam, scilicet se casu et inscium occidisse, reducatur ad civitatem refugii, ibique maneat donec Pontifex moriatur; sin autem pateat eum voluntarie et studio occidisse, occidatur et ipse.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assignantur Levitis triginta octo civitates in variis tribubus ad habitandum.

1. ACCESSERUNTQUE principes familiarum Levi ad Eliazarum sacerdotem, et Iosue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel: 2. Locutique sunt ad eos in Silo Terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda iumenta. 3. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini, civitates et suburbana earum. 4. Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis, de tribubus Iuda, et Simeon, et Beniamin, civitates tredecim: 5. Et reliquis filiorum Caath, id est, Levitis qui superfuerant, de tribubus Ephraim, et Dan, et dimidia tribu Manasse, civitates decem. 6. Porro filiis Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar et Aser et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan, civitates numero tredecim. 7. Et filiis Merari per cognationes suas, de tribubus Ruben et Gad et Zabulon, urbes duodecim. 8. Dederuntque filii Israel Levitis civitates et suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sorte tribuentes. 9. De tribubus filiorum Iuda et Simeon dedit Iosue civitates: quarum ista sunt nomina, 10. Filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est) 11. Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Iuda, et suburbana eius per circuitum. 12. Agros vero et villas eius, dederat Caleb filio Iephone ad possidendum. 13. Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem, ac suburbana eius: et Lobnam cum suburbanis suis: 14. Et Iether, et Esthemo, 15. Et Holon, et Dabir, 16. Et Ain, et Ieta, et Bethsames, cum suburbanis suis: civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus. 17. De tribu autem filiorum Beniamin, Gabaon, et Gabae, 18. Et Anathoth et Almon, cum suburbanis suis: civitates quatuor. 19. Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis. 20. Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc est data possessio. 21. De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis, in monte Ephraim, et Gazer. 22. Et Cibsaim et Beth-horon, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 23. De tribu quoque Dan, Eltheco et Gabathon, 24. Et Aialon et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 25. Porro de dimidia tribu Manasse, Thanach et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates duæ. 26. Omnes civitates decem, et suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris gradus. 27. Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan, et Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas. 28. Porro de tribu Issachar, Cesion, et Dabereth, 29. Et Iaramoth, et Engannim, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 30. De tribu autem Aser, Masal et Abdon, 31. et Helcath et Roob, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 32. De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in Galilæa, et Hammoth Dor, et Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres. 33. Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis. 34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Iecnam et Cartha. 35. Et Damna et Naalol, civitates quatuor cum suburbanis suis. De tribu Ruben ultra Iordanem contra Iericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor et Iaser et Iethtson et Mephaath. civitates quatuor cum suburbanis suis. 37. De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, et Manaim et Hesebon et Iazer, civitates quatuor cum suburbanis suis. 38. Omnes urbes filiorum Merari per familias et cognationes suas, duodecim. 39. Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo. 40. Cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ. 51. Deditque Dominus Deus Israeli omnem Terram, quam traditurum se patribus eorum iuraverat: et possederunt illam, atque habitaverunt in ea. 42. Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. 43. Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

Vers. 1. ACCESSERUNTQUE PRINCIPES FAMILIARUM LEVI.) Nota, Iacob Patriarcham morientem Genes. 49. 7. filio suo Levi, eiusque posteris Levitis in castigationem cædis Sichimitarum irrogasse pœnam dispersionis inter fratres suos: sed Deus, qui dives est in temperanda vindicta et in clementia, pœnam hanc ob merita posterorum in laudem et gloriam convertit, voluitque ut Levitarum ac sacerdotum cœtus et collegia per omnes tribus spargerentur, ut omnes ex sacerdotio tam dignitatem quam utilitatem sanæ doctrinæ legisque divinæ cognoscendæ acciperent. Erant enim hæc collegia quasi seminaria religionis et pietatis, ex quibus civitates vicinæ cælestis disciplinæ semina, sanctiorisque vitæ exempla petere possent. Sic pollicetur Deus Osee 2. 23. quod per universam terram seminabit *Iezrael*, id est *semen Dei*, scilicet sacerdotes, quasi Apostolos et viros Apostolicos. Sic S. Basil. teste S. Greg. Nazianz. orat. 20. monasteria construxit iuxta urbes, ut utrorumque incolæ commoda sua inter se communicarent, uti faciunt terra et mare terræ idcirco immixtum; ut scilicet monasteria ab urbibus alerentur, urbes vero a monasteriis, quasi gymnasiis pietatis, sanctiorem vitam addiscerent. Hac de causa passim in Germania, aliisque in locis iuxta urbes celebriores ædificata sunt monasteria antiquissima, imo urbibus ipsis antiquiora, ac quæ urbibus ipsis occasionem et initium dederunt, ut recte advertit Thomas Bozius in signis Ecclesiæ.

Sacerdotes sparsi per duodecim tribus, ut omnes docerent Dei cultum.

Quocirca S. Chrisost. hom. 59. ad Populum, eum hortatur ut crebro monasteria et monachos invisat. *Sunt enim*, inquit, *omnia ibi illecebris vacua, et ab omni interpellatione et inquietudine libera: insuper sunt portus tranquillissimi, quos qui inhabitant, veluti ignes sunt, qui cum e loco editiori emicent, lucem eminus exhibent adventantibus, cumque in portu resederint, cæteros ad suam alliciunt tranquillitatem: neque eos qui se intuentur pati naufragium sinunt; vel in tenebris esse, qui ad se oculos intenderint. Adi igitur viros tales, utere eorum contubernio; accede, inquam, sanctos tange pedes; multo enim honestius est illorum pedes amplexari, quam aliorum caput. Dic enim mihi, si quidam statuarum pe-*

des apprehendunt, quoniam regis tantum imaginem habent, tu si eum tenueris, qui in seipso Christum habet, non salvus eris? Sancti igitur sunt pedes tales, vel si vilissimi fuerint.

Vers. 3. DEDERUNTQUE FILII ISRAEL.) Nota; hæc urbium distributio a duodecim tribubus facta Levitis, contigit paulo post sortitionem et divisionem terræ, antequam singulæ tribus sortis suæ possessionem adirent; idque ne primi possessores suis sedibus a Levitis exturbarentur. Reliqua dixi Num. 35. 1. et seq.

Porro plures urbes datæ Levitis hic numerantur, quam cæteris tribubus, idque tum ad honorem sacerdotii, ut sacerdotes et Levitæ de domibus non soliciti, totos se darent Dei cultui, ait Philo lib. de sacerd. honor. tum quia cæteræ tribus præter urbes habebant multos pagos et vicos; Levitæ autem non, sed tantum suburbana ad mille passus. Ita Abulens. Denique Levitis per totam Iudæam sparsis sacerdotibus obtigerunt urbes Ierosolymæ et templo futuro vicinæ, ut illud, æque ac illius cives et principes, facilius adire possent, ac cum tribu Iuda coniugia contrahere, quia has duas tribus voluit Deus permisceri, *eo quod Christus, qui ex tribu Iuda nasci debebat, non rex solum futurus erat, sed et Pontifex,* ait Theodor.

Vers. 11. CARIATH-ARBE PATRIS ENOC,) Hoc est, urbs Arbe gigantis, qui fuit pater Enac, a quo prognati sunt Enacim gigantes.

Vers. 21. URBES CONFUGII SICHEM.) Hebr. Chald. et multa Latina manuscripta cum Abulensi legunt *urbem* in singulari. Nam una dumtaxat fuit hic civitas refugii, scilicet Sichem, cæteræ vero, scilicet Gazer, Cibsaim et Bethoron, cessere Levitis ad habitandum dumtaxat, non homicidis ad confugiendum. Idem est v. 26. 31. 35. 36. omnibus enim hisce versibus pro *civitates refugii,* Hebr. Chald. et manuscripta cum Abul. legunt in singulari *civitatem refugii*, ob causam iam dictam. Vide Franc. Lucam hic Annot. 36.

A DE TRIBU RUBEN, etc.) Totus hic versus in Hebræo iam deest: Noster videtur eum ex Septuag. transtulisse. Vide Franciscum Lucam Annot. 37. Olim videtur extitisse in Hebræo; nam nonnulli Codices Hebraici eum habent, æque ac Chaldæus, qui pro *Iaser* et *Iethson* legunt *Iassa* et *Cademoth*. Ita quoque legit Noster 1. Paral. 6. 78. et 79. quare videntur hæ urbes duo habuisse nomina. Vers. 36.

DEDITQUE DOMINUS DEUS ISRAEL OMNEM TERRAM QUAM TRADITURUM SE PATRIBUS EORUM IURAVERAT, ET POSSEDERUNT ILLAM, ATQUE HABITAVERUNT IN EA.) Vers. 41. Dices: Videtur hoc repugnare iis quæ dicta sunt hic versu 4. et quæ dicentur Iudic. 1. ubi asseritur Hebræos multis in locis non potuisse exterminare Iebusæos et Chananæos: quare multa adhuc ab Hebræis necdum possessa, sed possidenda supererant. Resp. primo, Deum dedisse Hebræis omnem Chananæam, quoad ius et dominium, quod ipsi in eam totam habebant, unde et eam vel eis per sortes distribuit. Rursum quoad eius possessionem, sed cum limitatione, quam ipse expressit Exodi 23. B 19. dicens: *Non eiiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiæ: paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis et possideas terram.* Hoc enim commodius et utilius erat Hebræis. Dedit ergo Deus omnem terram a se promissam, non totam simul et semel, sed sensim et pedetentim, expellendo ex ea Chananæos, ne illa iaceret inculta, feræque eam occuparent, donec Hebræi eam totam incolere et excolere possent. Hæc enim est conditio, quam promissioni suæ addiderat, quæ conditio non onerosa, sed commoda erat Hebræis. Ita Abulens. Masius, et alii. Similem phrasim audivimus cap. 11. vers. ult.

Subtilius respondet S. August. quæst. 21. totam terram promissam Hebræis a Deo esse datam, quia etiam illæ portiones quas ipsi non possederunt datæ sunt eis ad quandam exercitationis utilitatem, ut scilicet discerent cum hostibus confligere.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue Rubenitas, Gaditas, et dimidiam tribum Manasse ad sedes suas cis Iordanem benedicendo remittit. Illi altare ibidem ædificant: unde ceteræ tribus concitantur ad bellum, sed missis legatis excusationem eorum accipiunt, quod scilicet altare ædificarint, non ad sacrificium, sed ad monumentum societatis.

1. EODEM tempore vocavit Iosue Rubenitas, et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse, 2. Dixitque ad eos: Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis, 3. Nec reliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri. 4. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem et pacem, sicut pollicitus est: revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Iordanem: 5. Ita dumtaxat, ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis eius, et observetis, mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. 6. Benedixitque eis Iosue et dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua. 7. Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan: et idcirco mediæ quæ superfuit, dedit Iosue sortem inter ceteros fratres suos trans Iordanem ad Occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis, 8. Dixit ad eos: In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento et auro, ære ac ferro, et veste multiplici: dividite prædam hostium cum fratribus vestris. 9. Reversique sunt, et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse, a filiis Israel de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad Terram possessionis suæ, quam obtinuerant iuxta imperium Domini in manu Moysi. 10. Cumque venissent ad tumulos Iordanis in Terram Chanaan, ædificaverunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis. 11. Quod cum audissent filii Israel, et ad eos certi nuntii detulissent, ædificasse filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, altare in Terra Chanaan, super Iordanis tumulos, contra filios Israel: 12. Convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent et dimicarent contra eos. 13. Et interim miserunt ad illos in Terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis, 14. Et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus. 15. Qui venerunt ad filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, in Terram Galaad, dixeruntque ad eos: 16. Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio? Cur re-

liquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum, et a cultu illius recedentes? 17. An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt. 18. Et vos hodie reliquistis Dominum, et cras in universum Israel ira eius desæviet. 19. Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos: tantum ut a Domino, et a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri. 20. Nonne Acan filius Zare præteriit mandatum Domini, et super omnem populum Israel ira eius incubuit? Et ille erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelere suo. 21. Responderuntque filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israel: 22. Fortissimus Deus Dominus, Fortissimus Deus Dominus, ipse novit, et Israel simul intelliget: si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti: 23. Et si ea mente fecimus, ut holocausta, et sacrificium, et pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat et iudicet. 24. Et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus: Cras dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis et Domino Deo Israel? 25. Terminum posuit Dominus inter nos et vos, o filii Ruben, et filii Gad, Iordanem fluvium: et idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius, 26. Et diximus: Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, 27. Sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et iuris nostri sit offerre, et holocausta, et victimas, et pacificas hostias: et nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino. 28. Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum. 29. Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et eius vestigia relinquamus, extructo altari ad holocausta, et sacrificia, et victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum eius. 30. Quibus auditis, Phinees sacerdos, et principes legationis Israel, qui erant cum eo, placati sunt: et verba filiorum Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt, 31. Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, et liberastis filios Israel de manu Domini. 32. Reversusque est cum principibus a filiis Ruben et Gad, de Terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Israel, et retulit eis. 33. Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Israel, et nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos, atque pugnarent, et delerent terram possessionis eorum. 34. Vocaveruntque filii Ruben, et filii Gad, altare quod extruxerant, Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.

Vers. 3. NEC RELIQUISTIS FRATRES VESTROS LONGO TEMPORE.) Hebræi in Seder Olam dicunt fuisse duo septennia sive 14. annos: septem enim annis pugnatum esse ante primam sortitionem, ut colligitur cap. 14. 10. ac totidem exactos a prima sortitione usque ad secundam, qua completa est divisio terræ promissæ cap. 15. et sequ. Hebræos sequitur Masius, Magalianes et alii. Sed verius est unum dumtaxat fuisse septennium, quo scilicet bellatum est: hæ enim tres tribus non nisi ad bellandum venerant: bellis ergo septennio confectis domum redierunt, uti dixi cap. 18. 1. et seq.

Magnam sane fidem, obedientiam et patientiam hæ tres tribus præstiterunt, dum per septem annos a domo, liberis, uxoribus abfuerunt, ut fratribus bellando præirent, eosque in Chananæa trans Iordanem collocarent.

Vers. 4. IN TABERNACULA VESTRA.) In domos vestras: militum enim domus castrenses sunt tabernacula: hi autem fuerant, erantque milites.

Vers. 6. BENEDIXITQUE EIS IOSUE.) Hoc est, bona et fausta eis apprecatus est.

Vers. 8. IN (id est cum) MULTA SUBSTANTIA ATQUE DIVITIIS REVERTIMINI.) Est imperativus, non indicativus, ut patet ex Hebræo שׁוּבוּ *sciubu*, pro quo Septuag. alio puncto legentes שָׁבוּ *sciabu*, vertunt, *reversi sunt.*

DIVIDITE PRÆDAM HOSTIUM CUM FRATRIBUS VESTRIS.) Non consulit, sed præcipit, ait Abulens. Serarius et Masius. *Dividite,* scilicet in duas partes æquales, ut dimidium prædæ cedat vobis qui ad pugnam existis, dimidium vero fratribus vestris, qui in Galaadite, ad sarcinas manserunt, illasque tutati sunt: sed in hoc dimidio plus cessit iis qui ad pugnam exierunt, quam iis qui in Galaadite remanserunt; nam pauci erant qui exierant, multi qui remanserant: exierant enim dumtaxat quadraginta millia, manserant ad octoginta millia. Secutus est Iosue exemplum et mandatum Mosis, qui Num. 31. iussit spolia Madianitarum ex æquo dividi inter pugnantes et restantes ad sarcinas. Unde idipsum postea secutus David lege perpetua firmavit, sanxitque: *Æqua pars enim descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident.* 1. Reg. 30. 24.

DE SILO, QUÆ SITA EST IN CHANAAN, UT INTRARENT GALAAD TERRAM POSSESSIONIS SUÆ.) Chanaan hic significat terram trans Iordanem sitam usque ad mare mediterraneum, quam occuparunt novem tribus: Galaad vero terram cis Iordanem, quam possederunt tres tribus, scilicet Ruben, Gad, et dimidia Manasse, quæ proinde iam confectis bellis ex Silo et Chanaan revertuntur ad sedes suas in Galaad. Alias tota terra duodecim tribuum alibi sæpe vocatur Chanaan.

CUMQUE VENISSENT AD TUMULOS IORDANIS IN TERRAM CHANAAN.) Id est, cum venissent ad fines Chanaan, puta ad tumulos Iordanis, ubi scilicet Iordanis arenarum cumulis et tumulis coercetur, ne alveum suum egrediens exundet. Unde Iosephus lib. 5. Antiq. vertit, *ripam Iordanis;* Symmachus, *limites;* Masius, *aggeres Iordanis.* Septuag. Hebr. vocem *Galiloth* retinuerunt, quasi nomen proprium loci. Hinc ergo patet, tres tribus hoc altare erexisse non in Galaadite, sed in Chanaan, hoc est in ripa citeriore Iordanis, quæ pertinebat ad Chanaan, non vero in ripa ulteriore quæ spectabat ad Galaaditem. Ratio erat, quia hoc altari testari volebant ius suum pristinum, quod habebant in Chanaan, præsertim ad sacrificandum in altari templi cæteris novem tribubus communi. Vers. 10.

ALTARE INFINITÆ MAGNITUDINIS,) hoc est vastissimum et maximum. Est hyperbole.

CONTRA FILIOS ISRAEL.) Non quasi contra novem tribus habentes suum altare in Silo, novum sibi altare in ripa Iordanis erecturi; hoc enim erat lege vetitum, ideoque schismatis initium, uti interpretabantur novem tribus: sed *contra*, id est e regione, ex opposito; ita scilicet ut altare hoc medium esset inter Galaaditas et Chananæos, sive inter tres tribus et ceteras novem, ac has illis sociaret, et in religione iureque sacrificandi connecteret.

UT DIMICARENT CONTRA EOS.) Quasi apostatas et schismaticos, qui scilicet a lege et tabernaculo, altarique Mosaico desciscerent, et novam sibi legem cum novo altari conderent. Vide hic zelum Phinees et novem tribuum in propugnanda avita lege et fide, ne diversa religio in unam suam Synagogam et Rempublicam irreperet, itaque in universum populum, omnesque tribus id permittentes ira Dei desæviret. Omnes enim duodecim tribus fa- Vers. 12.

ciebant unam Rempubl. unamque Ecclesiam : quare potior pars, scilicet novem tribus, tenebantur curare ut reliquæ tres in eadem permanerent, nec schisma facerent, novamque Ecclesiam sibi conderent.

Vers. 17. An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor?) Idolum hoc adorantes, et fornicantes cum filiabus Moab. Num. 25.

Et usque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet.) Macula tum infamiæ, tum culpæ; erant enim multi, qui eam pœnitentia necdum deleverant, imo fornicationem istam adhuc desiderabant: tum pœnæ; Deus enim adhuc tam enormis idololatriæ et fornicationis pœnas ab Hebræis exigebat.

Vers. 18. Et cras in universum Israel ira eius desæviet.) *Cras*, id est mox. Deus enim tam enorme et publicum sacrilegium indignans, illico acerrime vindicabit, tam in vos velut eius auctores, quam in nos velut eius permissores.

Vers. 19. Quod si putatis immundam esse terram.) Ob idola et scelera priorum incolarum, quæ per sacrificia vobis expiare non liceat, uti licet nobis qui altare Dei habemus in Silo. Septuag. pro *immunda* habent μικρα, id est *parva*, sed legendum μιαρα, id est *immunda*. *Habitate inter nos*, partem terræ nostræ vobis cedemus, nostro dispendio vobis locum in terra nostra dabimus, nosque coarctabimus ut vos a scelere avocemus, et in avita fide servemus. Vide hic veram charitatem.

Vers. 20. Atque utinam.) Legit Interpres לוא *lu*, id est *utinam*, iam alio puncto legunt לוא *lo*, id est *non*; unde vertunt: *Et ipse unus homo non mortuus est in scelere suo* (sicque legunt Septuag. in Complut. etsi in Roman. desit τὸ *non*) sed cum eo plures alii, qui ob scelus eius cæsi sunt ab Haiensibus, cap. 7.

Vers. 22. Fortissimus Deus Dominus, etc. ipse novit.) Contestantur Deum se innocenti pioque animo altare erexisse; unde dant ei tria nomina huic loco congrua, eaque repetunt. Primum est אל *el*, id est, fortis: secundum אלהים *elohim*, id est Deus omnium gubernator, iudex et vindex. Tertium, *Iehova*, id est ὁ ὤν, id est *qui est*, sive *ipsum ens*. Sed quia Hebræi ex reverentia pro *Iehova*, quod est nomen Dei proprium, legunt *Adonai*, hinc Noster eos secutus vertit *Dominus*. Contestantur ergo tria præcipua Dei attributa, scilicet potentiam, iustitiam et maiestatem. q. d. Contestamur Deum, Deique fortissimi robur et omnipotentiam, ut ipse illam in nos exerceat, si idipsum machinati sumus. Contestamur tertio Dei essentiam et maiestatem immensam, a qua omne nostrum esse ceu radius a sole pendet, ut illud a nobis adimat, nosque annihilet, si ab eo, sine quo esse non possumus, separare nos volumus. Ex hisce verbis Hebræi prisci opinati sunt Phinees esse Eliam; eosque sequitur B. Petrus Damiani

An Phinees sit Elias? epist. 12. vel ut alii dividunt 11. cap. 2. ad Nicolaum II. Pont. quem audi: *Elias interpretatur Dominus Deus, quod ex hac occasione ei impositum creditur, quia cum legatus a populo ad Ruben et Gad, qui novum altare construxerant, mitteretur, hoc ab eis responsum excusationis accepit: Fortissimus Deus Dominus ipse novit, si prævaricationis animo hoc altare construximus. Inde ergo Phinees vocatus est Elias; ut illorum responsum eius videatur esse vocabulum.*

Quare censet ipse quod Phinees, utpote Elias, adhuc vivat, et victurus sit usque ad finem mundi, quando prædicans contra Antichristum ab eo occidetur, et martyr occumbet. Verum hanc sententiam ut paradoxam confutavi Num. 25. vers. 13.

Vers. 23. Et sacrificium.) Hebr. מנחה *mincha*, id est sacrificium farris et farinæ, de quo Levit. 2. unde distinguitur hic ab holocaustis et victimis pacificis, quæ carnea erant, non farrea.

Ipse quærat et iudicet.) q. d. Ipse ut iudex inquirat, et si nos reos sacrilegii invenerit, *iudicet*, id est damnet, puniat et vindicet.

Vers. 24. Atque tractatu.) Hebr. דאגה *deaga*, id est cura, solicitudine, quæ animum multa versare, secumque et cum

A sociis tractare et volvere cogit.

Cras dicent filii vestri filiis nostris, etc. partem non habetis in Domino.) Id est, Vos non estis populus Domini particularis, ut ipsius peculiaris cultus participes, ac promissionum Abrahæ et Iacobo patribus nostris de Messia, deque cura populi Israelitici a Deo factarum hæredes sitis, quia Iordane a nobis divisi estis: quare ad vos non pertinet Deus noster, nec noster Deus est vester Deus; abite ergo ad vestros gentium deos. Sic. 2. Reg. 20. 8. aiunt decem tribus ad Roboam: *Non est nobis pars in Isai.* q. d. Nolumus tecum participare, qui es filius Isai sive Iesse, ex eo per Davidem et Salomonem progenitus, nolumus te tam crudelem nobis dominari, nolumus tibi esse subiecti. Sic et Christus ait Ioan. 13. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Sensus est, q. d. Nolumus desciscere a Domino nec a vobis; altare autem a nobis fabricatum non ereximus ad proprium altaris usum, scilicet ad sacrificandum in eo, quale solum in

B lege vetitum est a Domino, sed tantum ad æternum avitæ religionis et professionis nostræ monumentum, utque omnibus testatum maneat, nos ad cultum, altare et sacrificia, quæ trans Iordanem in Silo et Ierusalem apud vos peragentur, pertinere, ac ius habere cum reliquis novem tribubus trans Iordanem, victimas nostras Deo in templo vestro offerendi. Esto ergo Iordanis nos a vobis dividat, religio tamen, Ecclesia et Respubl. non dividet, sed vobis socii et contribules in omnibus erimus, uti hactenus fuimus. Ita Abulens. Masius, et alii.

Nota hic modestiam, æque ac zelum trium tribuum, quo plane sedarunt novem tribuum animos contra se ira accensos.

Zelus ergo religionis impulit eos ad ædificandum hoc altare potius quam aliud quodvis monumentum, quia altari hoc in Chanaan finibus erecto testabantur se velle colere Deum quem colebant ceteræ tribus habitantes in Chanaan, adeoque secum illis conspirare in unam eandemque

C religionem: hæc enim maxime consistit in sacrificio quod fit in altari. Quare altare est symbolum sacrificii, æque ac fidei et religionis. Ita Abulen.

Sed in testimonium inter nos et vos;) Quod scilicet nos ius habeamus in altari vestro sacrificandi, et vos non habeatis ius nos impediendi. Vers. 27.

Et liberastis filios Israel de manu Domini) Abstinendo a schismate et nova religione, ob quam Deus universum Israel acriter castigasset. Vers. 31.

De terra Galaad finium Chanaan.) Ita legunt Roman. q. d. De terra Galaad, quæ est in finibus Chanaan, sive quæ finit et terminat Chananæam, inquit Hugo et Abulens. Verum Biblia, Complut. Regia, aliaque legunt sic: *De terra Galaad in terram Chanaan.* Sic enim habent Hebr. Chald. et Septuag. quæ lectio planum clarumque exhibet sensum. Vers. 32.

Vocaveruntque filii Ruben et filii Gad altare quod exstruxerant, testimonium nostrum quod ipse sit Deus.) Septuag. Rom. asserunt, ipsum Iosue hoc nomen imposuisse altari. Sed Latina, Hebr. et Chald. asserunt Rubenitas et Gaditas id fecisse. Quare videtur in Se- Vers. 34.

D ptuag. irrepsisse mendum, nisi dicas Iosue nomen hoc a Rubenitis altari impositum confirmasse, eique suum calculum addidisse. Nomen ergo altaris erat hoc: *Testimonium nostrum quod ipse sit Deus.* q. d. Ereximus hoc altare, ut testemur Deum verum Israelis tam esse nostrum quam ceterarum novem tribuum Deum, ideoque nos nullo modo ab eo velle recedere, et alium Deum invocare, sed illi firmiter adhærere, illum solum colere, et ab eo promissa Abrahæ et posteris eius bona sperare: testamur igitur hoc altari illum æque esse Deum nostrum ac vestrum, o novem tribus: nos enim sumus filii Abrahæ, et Israel sive Iacob, æque ac vos. Quare Deus ipsorum tam est Deus noster quam vester, ac promissa eius ipsis facta tam ad nos quam ad vos pertinent. Quocirca altare hoc vocamus isto nomine; *Testimonium nostrum quod ipse sit Deus.* Sic cum Iosue debellasset Amalec, *ædificavit Moses altare, et vocavit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens:*

Quia manus solii Domini, et bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem. Exodi 17. 15.

Simili modo Iacob altare Deo erexit in titulum Genes. 28. 18. Unde colligit Bellarm. tract. de Imag. Vasquez lib. de Adoratione, et Serarius hic, recte et sancte imagines, titulos, statuas fabricari, quæ Dei, Christi, et Sanctorum memoriam nobis renovent, ac eorum beneficia refricent, itaque devotionem et pietatem exacuant.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue hortatur Israelitas ad Dei veri cultum, et ad legis eius custodiam, utque gentilium societatem et connubia vitent; id si fecerint, promittit eis omnem Dei benedictionem; si non fecerint, sed ad Chananæorum idola et vitia deflexerint, comminatur eis Dei maledictionem, omneque malum.

1. EVOLUTO autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subiectis in gyro nationibus universis, et Iosue iam longævo, et persenilis ætatis: 2. Vocavit Iosue omnem Israelem, maioresque natu, et principes ac duces, et magistros, dixitque ad eos: Ego senui, et progressioris ætatis sum: 3. Vosque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro vobis ipse pugnaverit: 4. Et nunc quia vobis sorte divisit omnem Terram, ab Orientali parte Iordanis usque ad mare magnum, multæque adhuc supersunt nationes: 5. Dominus Deus vester disperdet eas et auferet a facie vestra, et possidebitis Terram, sicut vobis pollicitus est. 6. Tantum confortamini, et estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi: et non declinetis ab eis neque ad dextram neque ad sinistram: 7. Ne postquam intraveritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos: 8. Sed adhæreatis Domino Deo vestro: quod fecistis usque in diem hanc. 9. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas, et nullus vobis resistere poterit. 10. Unus e vobis persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. 11. Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum. 12. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare: 13. Iam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis. 14. En ego hodie ingredior viam universæ terræ, et toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. 15. Sicut ergo implevit opere quod promisit, et prospera cuncta venerunt: sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis. 16. Eo quod prætericritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, et servieritis diis alienis, et adoraveritis eos: cito atque velociter consurget in vos furor Domini, et auferemini ab hac Terra optima, quam tradidit vobis.

Vers. 1. VOCAVIT IOSUE OMNEM ISRAELEM.) Principes scilicet et primores omnium tribuum, ac ceteros qui commode venire poterant. Vocavit autem eos in Thamnath Sare, ait Serarius, aut potius in Silo, ut censet Masius. In Silo enim erat tabernaculum cum arca, in qua residebat Deus.

Vers. 7. NE, etc. IURETIS IN NOMINE DEORUM EARUM.) Per iuramentum hic et alibi Scriptura intelligit cæterum Dei cultum: quem enim quisque colit Deum, per hunc et iurat, idque crebro: multi enim proni sunt ad iurandum per nomen Dei sui. Hebr. præmittunt: *Et nomen deorum eorum non commemoretis,* quod etiamnum Iudæi religiosiores tam stricte observant, ut nunquam idola vel deos, Iovem, Venerem, Martem, etc. nominare audeant. Audiant et imitentur hoc Christiani, in quorum ore crebro sonat Hercules, Iupiter, Venus, etc. sentiant hoc esse piaculum.

Vers. 13. SED SINT VOBIS IN FOVEAM.) Legit S. Hieron. פחת *pachat*, id est foveam, iam legunt פח *pach*, id est laqueum, sic enim habent Hebr. *Erunt vobis in laqueum, offendiculum, et flagellum ex latere vestro, et spinæ in oculis vestris:* quæ omnia non tantum de scandalo pœnæ et vindictæ divinæ, sed et culpæ accipi possunt. Laqueis enim, ait Masius, et retibus societatis cum impiis, præsertim idololatris, ac illecebris blandæ voluptatis peccati primo impeditur cultus Dei; secundo, ubi illa semel devinctus est animus, facile ad omne flagitium ab ea velut flagro impellitur: mox vero usque eo occæcatur, ut veritatis splendorem deinde intueri amplius nequeat.

EN EGO HODIE INGREDIOR VIAM UNIVERSÆ TERRÆ.) Vers. 14. Id est, universorum mortalium in terra degentium. Est Metonymia; quod alibi per synecdochen dicitur, *ingredior viam universæ carnis*, id est viam mortis; ad eam enim tendit omnis caro, id est omnis homo. q. d. En propero ad mortem, en sensim emorior, mors mihi imminet; spiritus enim et vita me destituunt. Pro *ingredior* Septuag. vertunt ἀποτρέχω, id est percurro, excurro. Vita enim nostra continuus est ad mortem cursus, præsertim in senio et ætate ultima.

ET TOTO ANIMO COGNOSCETIS.) Id est, plene et plane cognoscetis, vel q. d. Toto animo advertite et recognoscite.

CAPUT VICESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosue in Sichem ardenti concione populum ad Dei timorem extimulat, mox vers. 25. eumdem novo fœdere Deo astringit, ac tandem vers. 29. moritur, et sepelitur in Thamnathsare.

1. Congregavitque Iosue omnes tribus Israel in Sichem, et vocavit maiores natu, ac principes, et iudices, et magistros: steteruntque in conspectu Domini: 2. Et ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor: servieruntque diis alienis. 3. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus: et adduxi eum in Terram Chanaan: multiplicavique semen eius, 4. Et dedi ei Isaac: illique rursum dedi Iacob et Esau. E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum: Iacob vero, et filii eius descenderunt in Ægyptum. 5. Misique Moysen et Aaron, et percussi Ægyptum multis signis atque portentis. 6. Eduxique vos et patres vestros de Ægypto, et venistis ad mare: persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus et equitatu, usque ad mare rubrum. 7. Clamaverunt autem ad Dominum filii Israel: qui posuit tenebras inter vos et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, et habitastis in solitudine multo tempore: 8. Et introduxi vos in Terram Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem. Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, et possedistis Terram eorum, atque interfecistis eos. 9. Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit contra Israelem. Misitque et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis: 10. Et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum benedixi vobis, et liberavi vos de manu eius. 11. Transistisque Iordanem, et venistis ad Iericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis eius, Amorrhæus, et Pherezæus, et Chananæus, et Hethæus, et Gergezæus, et Hevæus, et Iebusæus: et tradidi illos in manus vestras. 12. Misique ante vos crabrones: et eieci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. 13. Dedique vobis Terram, in qua non laborastis, et urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis: vineas et oliveta, quæ non plantastis. 14. Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo: et auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto, ac servite Domino. 15. Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum Terra habitatis: ego autem et domus mea serviemus Domino. 16. Responditque populus, et ait: Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis. 17. Dominus Deus noster ipse eduxit nos, et patres nostros, de Terra Ægypti, de domo servitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus, et in cunctis populis, per quos transivimus. 18. Et eiecit universas gentes, Amorrhæorum habitatorem Terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster. 19. Dixitque Iosue ad populum. Non poteritis servire Domino, Deus enim sanctus, et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. 20. Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos, atque subvertet postquam vobis præstiterit bona. 21. Dixitque populus ad Iosue: Nequaquam ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus. 22. Et Iosue ad populum, Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque: Testes. 23. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel. 24. Dixitque populus ad Iosue: Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus præceptis eius. 25. Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, et proposuit populo præcepta atque iudicia in Sichem. 26. Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: et tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini: 27. Et dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini quæ locutus est vobis: ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro. 28. Dimisitque populum, singulos in possessionem suam. 29. Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun servus Domini, centum et decem annorum: 30. Sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, quæ est sita in monte Ephraim, a septemtrionali parte montis Gaas. 31. Servivitque Israel Domino cunctis diebus Iosue, et seniorum qui longo vixerunt tempore post Iosue, et qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israel. 32. Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Ioseph. 33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est: et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii eius, quæ data est ei in monte Ephraim.

Vers. 1. In Sichem.) Ita Hebr. Chald. Roman. Dices: Septuag. habent *in Silo:* ibi enim erat sanctuarium, puta tabernaculum repræsentans Deum, coram quo Iosue fœdus hoc iniit. Resp. Serar. hæc contigisse in Silo, sed Silo fuisse in agro Sichem. Verum Sichem decem milliaribus distabat a Silo, teste S. Hieron. in locis Hebr. Dico ergo, in LXX, legendum esse *in Sichem,* uti legunt LXX. in Bibliis Compl. et Reg.

Causa, cur Iosue in Sichem potius quam in Silo hac concione fœdus renovaverit, fuit, quod Deus per Mosen iusserat in Sichem ad Garizim et Hebal montes sanciri hoc fœdus, repetique primum fœdus initum in Sina, Exod. 19. idque Iosue executus erat c. 8. 30. Ibidem ergo hoc A fœdus iam renovat, ut prius fœdus ibidem, æque ac in Sina initum populo in memoriam revocet, ad illudque eum prorsus astringat. In Sichem enim Abraham Chananæam ingrediens primum Deo sacrificium obtulit, Gen. 12. v. 6. et 7. In Sichem quoque Ioseph, cæterique Patriarchæ eius fratres sepulti sunt, ut patet hic vers. 32. et Actor. 7. 16. Voluit ergo Iosue eodem loco, paulo ante mortem, legis et fœderis cum Deo repetitione suis Israelitis ultimum valedicere: qua in re imitatus est suum magistrum Mosen, qui idem fecerat toto Deuter. maxime cap. 32. idque in Sichem, ut ibi Abraham hæres Chananææ a Deo institutus est Genes. 12. ibi posteri eius, hereditate eius adita, in Dei legem solemniter iurarent, ibique æternum

religionis et iuramenti sui haberent monumentum, de quo plura v. 26.

In conspectu Domini.) Id est coram arca, quæ erat quasi scabellum Dei sedentis supra alas Cherubim in Propitiatorio. Arcam enim Iosue ex Silo transferri fecit in Sichem, ut coram eo fœdus hoc sanciret, ut patebit v. 23.

Vers. 2. Trans fluvium (Euphratem in Mesopotamia) habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor (frater Abrahæ) servieruntque diis alienis.) Scilicet Thare et Nachor; hi enim coluerunt idola, non vero Abraham, qui semper extitit verus unius Dei cultor, uti ex S. August. Abulens. Pererio et aliis ostendi Genes. 11. 31.

Vers. 4. Esau dedi montem Seir.) Puta Idumæam.

Vers. 6. Et venistis ad mare.) Rubrum, sive ad Sinum Arabicum, qui Arabiam ab Ægypto dividit.

Vers. 9. Surrexit autem Balac filius Sephor Rex Moab, et pugnavit contra Israelem.) *Pugnavit,* non effectu et armis, utpote qui se videns Hebræis inferiorem et imparem, bello abstinuit; sed affectu, conatu, et consiliis, magicisque artibus Hebræis exitium per Balaam ariolum intentando. Nam Balaam, rogante Balac, maledicere volebat Hebræis, quæ maledictio si eventum suum sortita fuisset, Balac eos invasisset et delevisset; sed videns Deum maledictiones Balaam in benedictiones convertere, exterritus Hebræos aggredi non est ausus. Vide Num. 22. 11. Paulo aliter S. August. *Pugna,* ait, *fuit armata defensio.*

Vide hic ut Hebræorum verba sæpe significent actum non perfectum, sed inchoatum, imo affectum et conatum dumtaxat, non effectum. Sic v. 11. dicuntur Ierichuntini pugnasse, id est parasse se ad pugnam contra Hebræos. Sic Amos 9. 3. dicitur: *Si se celaverint ab oculis meis,* id est, si se celare tentarint. Nam reipsa nemo ab oculis Dei lucidissimis se abscondere potest. Psal. 33. 4. *Magnificate Dominum mecum.* Lucæ 1. 47. *Magnificat anima mea Dominum,* id est magnificare gestit et optat; nam revera Deum magnificare vel exaltare non possumus.

Vers. 12. Misique ante vos crabrones, et eieci eos de locis suis, duos (Septuag. Roman. habent δώδεκα, id est duodecim, sed Complut. et Regia habent δύο, id est duos, puta Sehon et Og) reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo.) Id est, non viribus et virtute gladii et arcus tui, sed crabronum a me præmissorum. Crabrones enim ita attriverunt Amorrhæos, ut eos sequentes Hebræi facile ipsos suis gladiis trucidarint, et sagittis confixerint. Vide dicta Exodi 23. 28. et Sapien. 12. 8.

Vers. 15. Optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis.) q. d. In vestro arbitrio est eligere Deum verum, vel deos falsos gentium: sed si hos eligatis, certa acrisque vos excipiet Dei ultio et vindicta; sin autem Deum eligatis, omnibus bonis ipse vos cumulabit. Quare non veram optionem eligendi Deum vel deos hic Iosue concedit Hebræis, qui cap. præcedenti eos adegit ad verum unius Dei cultum, sed artificio Rhethorico utitur, ac tot commoda affert cultus veri Dei, tot incommoda vero cultus idolorum, ut non nisi amens sit, qui neglecto Deo vero deos falsos sibi colendos eligat.

Vers. 19. Non poteritis servire Domino.) Aggravat difficultatem serviendi Deo, ut magis Hebræos incitet ad ei serviendum. q. d. Deus vult solus coli, sibique serviri exacte et constanter ex toto corde; vos autem propensi estis in idola ac vitia, estisque animo vario et inconstanti; quare non poteritis ei servire, nisi novos, magnosque et constantes animos induatis ad idola vitiaque respuendum, ac ad Deum toto corde sancte amandum, iugiterque colendum; illos ergo induite. Id patet ex ratione quam subdit:

Deus enim sanctus.) Hebr. כי אלהים קדשים הוא *ki elohim kedoscim hu,* id est, *quia Dii sancti ipse.* τὸ *sancti* est numeri pluralis. Utitur autem plurali adiectivo, tum ad innuendam personarum in Deo et SS. Trinitate pluralitatem, ut multi volunt: tum quia nomen Dei *elohim* apud Hebræos est plurale; tum quia numeris pluralis hoc loco ad comparationem cum multis diis gentium est opportunior; q. d. Dii gentium sunt impuri et scelerati, at nostri sunt puri et sancti (amat enim Deus noster, puta Pater, Filius, et Spiritus sanctus sanctitatem, odit scelera;) tum denique ad omnigenam et absolutissimam Dei sanctitatem significandam. Sanctitas enim Dei omnem sanctitatem omnium Angelorum et hominum complectitur, et in immensum transcendit. Vide Riberam Michææ 5. num. 37.

Auferte deos alienos de medio vestri.) S. Au- Vers. 23.
gust. quæst. 24. putat nulla tunc fuisse idola inter Hebræos, idque colligit ex vers 31. ubi dicitur: *Servivitque Israel Domino:* quare per deos alienos sive idola S. August. accipit cogitationes a Deo Deique maiestate alienas, puta vana phantasmata, quæ quis sibi de Deo fingit, cum Deum alium esse imaginatur, quam revera sit. Sic Tropol. idolum avari est aurum, superbi honor, gulosi deliciæ, luxuriosi Venus. Verum Iosue omnino videtur loqui de idolis proprie dictis, sive quæ tum in populo fuerint, sive quæ paulo post posteri erecturi erant: nam ad posteros quoque sua hæc verba dirigit Iosue. Denique licet tempore Iosue nullum publicum fuerit idolum, quod significatur vers. 31. verbis iam citatis, tamen privatim Hebræos idola coluisse etiam in deserto, patet Amos 5. 26. et Actor. 7. 45. Vide ibi dicta. Ita Masius, Serarius, et alii.

Percussit ergo Iosue in die illo foedus.) Fœdus Vers. 25.
hoc erat, quod populus promitteret se unum Deum culturum, eiusque leges a Mose latas servaturum, uti audivimus v. 21. Iosue vero vicissim ex parte Dei promitteret populo, quod Dominus ipsi foret Deus. Id est protector, provisor, promotor, eumque in terra promissa conservaret, aleret, exaltaret.

Porro ritum sanciendi fœderis recensui Gen. 15. vers. 17. et 18. Exodi 24. v. 6. et seq. Sanciebatur enim fœdus per victimas fœderales, quæ tunc cædebantur et immolabantur, indeque dicebantur icere vel percutere fœdus, quia percutiebant victimam, tacite imprecantes similem percussionem illi qui fœdus violaret. Unde illud:

Stabant, et cæsa firmabant fœdera porca.

Quare omnino videntur in hoc fœdere victimæ illæ fuisse immolatæ; erat enim hoc solemne fœdus, quo Iosue moriturus populum universum Deo astrinxit.

Et proposuit populo præcepta atque iudicia.) Id est, curavit per sacerdotes legi ex Deuteronomio præcepta Dei tam moralia et ceremonialia, quam iudicialia, ut eorum memoriam pupulo refricaret et inculcaret.

Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine Vers. 26.
legis Domini.) q. d. Ad perpetuam memoriam Iosue scripsit ritum et rationem huius fœderis verbis conceptis utrimque sanciti, in libro Deuteronomii, puta ad calcem libri: hunc enim librum Moses iusserat in latere arcæ collocari. Deuter. 31. v. 24. et 26. eo quod hic liber contineat omnia Dei præcepta, quæ sunt conditio fœderis inter Deum et populum per Mosen initi, et per Iosue hic renovati.

Et tulit lapidem pergrandem.) Ut eum erigeret in signum et perenne monumentum fœderis initi, quod Hebræos iugiter moneret, eorumque oculos verberaret, ut sancte hoc fœdus colerent, et præcepta Dei observarent.

Posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini,) quæ erat in atrio Tabernaculi, quod cum arca Iosue ex Silo in Sichem per Sacerdotes et Levitas transferri curaverat, ut coram eo, quasi coram Deo in eo residente, fœdus hoc sanciretur. Hebræi, quos sequitur Masius, putant hanc ilicem sive quercum esse eandem cum illa, sub qua Iacob defodit idola, Genes. 35. 4. imo eandem esse cum ea, iuxta quam Deus primo apparuit Abrahæ, eique terram istam promisit Genes. 12. 6. ut ubi Abraham hæres terræ a Deo fuerat institutus, ibi Hebræi iam terram possidentes fœdus cum Deo renovarent, ideoque locum hunc hic vocari sacrarium, sive sanctuarium Domini; quia scilicet in eo Abraham primus Deo arcam sacraverat, in quo Iacob et alii postea Deum invocarunt.

Dices: Quercus illa non poterat tamdiu vivere et esse superstes; nam ab Abraham usque ad Iosue fluxere anni 545. quercus autem communiter tantum trecentos annos vivunt: primis enim centum annis crescunt in iustam altitudinem et crassitiem, secundis centum annis in ea et robore suo se firmant et durant, tertiis centum annis sensim deficiunt et emoriuntur. Resp. Hoc communiter verum est, sed tamen nonnullæ quercus sunt annosiores, et diutius vivunt: lignum enim habent durissimum, unde et robora appellantur. Adde quercum hanc fuisse quercetum, ut vertit Chald. quod semper durat, dum una quercus emoriens per glandes in terram decidentes sese proseminat, ut ex iis alia quercus enascatur, et ex hac alia et alia, ita ut semper perennent.

Septuag. pro *quercum* vertunt *terebinthum*, quia Hebr. vox אלה *allà*, vel אלון *elon*, quamvis arborem glandiferam significat. Unde S. August. per eam accipit crucem Christi, per quam novum Testamentum et fœdus sancitum est. Audi eum hic quæst. ult. *Iam vero quod sub terebintho statutus est lapis, hoc significat quod virga ad petram ut aqua proflueret, quia neque hic sine ligno statutus est lapis. Ideo autem subter, quia non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subiectus: vel quod illo tempore, quo illud agebat Iesus Nave, adhuc obumbrandum mysterium fuit. Terebinthi enim lignum medicinalem lacrymam exsudat, quæ arbor a Septuag. Interpretibus hoc loco posita est, quamvis secundum alios interpretes quercus legatur.*

Dices: Deus iussit Deut. 16. 21. dicens: *Non plantabis lucum et omnem arborem iuxta altare*, quomodo ergo hæc quercus fuit in tabernaculo iuxta altare? Resp. vetat Deus plantari arborem, non autem erigi tabernaculum et arcam iuxta arborem iam ante plantatam. Adde, vetari arborem, id est arbores quæ faciunt lucum sive sylvam more Gentilium. Unde Hebr. et Septuag. habent: *Non facies ex omni arbore*, id est ex omni arborum genere.

Vers. 27. ET LAPIS ISTE ERIT VOBIS IN TESTIMONIUM, QUOD AUDIERIT OMNIA VERBA DOMINI, QUÆ LOCUTUS EST VOBIS.) *Audierit.* Ita legendum cum Hebr. Septuag. et Roman. Male ergo quidam scioli scripserunt *audieritis*. Est prosopopœia: tribuitur enim lapidi insensibili, quasi testi propter inscriptionem, auditus ad nervum orationis: revera autem non aliud significatur, quam lapidem, coram quo hæc acta sunt, esse testem et memoriale fœderis initi. Sensus ergo est, q. d. Si lapis sensum haberet, fœdus hoc audisset et testari posset, nunc cum sensum non habeat, testis erit inanimis. q. d. Si vos non audieritis verba Dei, hic lapis erit testis mutus, vos hæc pacta audisse et violasse. Unde Chald. vertit: *Ecce lapis iste erit nobis, ut duæ tabulæ lapidis fœderis; nam eum fecimus ad testimonium: nam verba quæ scripta sunt super ipsum, ex oculo omnium verborum Domini, quæ locutus est nobiscum, et erit vobis in memoriale.* Hinc patet, lapidi inscripta sive incisa fuisse verba vel signa huius fœderis.

Simili modo ad pathos, ut Iudæos duros et insensibiles confundat, pungat et extimulet Moses Deuter. 32 1. invocat cælum et terram, ut ipsa, licet insensibilia, sentiant et audiant verba Dei, quæ populus sensu et ratione præditus audire non vult. *Audite cœli*, inquit, *quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Et Isaias c. 1. 2. *Audite cœli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Et Ierem. c. 2. 12. *Obstupescite cœli super hoc, et portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*, etc.

Vers. 29. ET POST HÆC MORTUUS EST IOSUE FILIUS NUN, SERVUS DOMINI, CENTUM ET DECEM ANNORUM.) Quoto anno principatus sui mortuus sit Iosue, incertum est; variant enim Chronologi. Serarius hic duodecim eorum sententias recenset, e quibus duæ sunt probabiliores et probatiores, pluresque habent Auctores. Prior dat Iosue ducatui 17. vel 18. annos, posterior 27. et utraque conciliari potest, si quis dicat Iosue præcise præfuisse annis 18. dumtaxat, illoque anno mortuum, sed librum Iosue extendi ad gesta post mortem ipsius, scilicet hic vers. 31. narrare quod Israel multis annis servierit Domino, quamdiu scilicet vixit Eleazar, et seniores qui viderant opera et prodigia Dei pugnantis pro Israele, ac tandem mortuum esse Eleazarum, quod forte contigit sub annum 27. ab inchoato principatu Iosue: quamquam hi anni seniorum post mortem Iosue excurrentes contineantur in annis Othonielis, qui successit Iosue, ut patebit Iudic. c. 1. et seq.

CENTUM ET DECEM ANNORUM.) Hinc patet Chronologia gestorum Iosue. Si enim ponamus eum præfuisse populo 18. annis, hæc erit annorum series. Moses mortuus est ab exitu Hebræorum ex Ægypto anno 40. qui fuit mundi 2494. Eodem anno Mosi successit Iosue, populumque deduxit in terram promissam, ac deinde septem annis bellando Chananæam subiugavit: vixit posthæc adhuc undecim annos, scilicet ad annum 18. sui ducatus. Mortuus est ergo ab exitu Hebræorum ex Ægypto anno 58. mundi 2512. post mortem Ioseph (cui fuit ætate par: nam et Ioseph vixit 110. annos) 184. *Chronologia ætatis Iosue.*

Hinc sequitur, Iosue natum esse anno mundi 2402. qui fuit post mortem Ioseph 92. quare Mose fuit iunior 27. annis. Nam in exitu Hebræorum ex Ægypto Moses erat 80. annorum, Iosue vero 53. Calebo vero Iosue fuit senior 15. annis: nam Caleb post septennium belli, quo subacta est Chananæa, erat 85. annorum, ut ipse ait c. 14. 10. tunc autem Iosue erat centum annorum.

Nota tres partes, totidemque status annorum vitæque Iosue. Ipse enim in Ægypto natus, ibidem vixit annos 53. deinde in deserto annos 40. ubi anno secundo debellavit Amalec, Exodi 17. 10. item Og, Sehon, cæterosque hostes Israelis. Denique terram promissam ingrediens subiugansque, in ea vixit annos 17. vel 18. Primos egit in servitute, secundos in peregrinatione, tertios in principatu, e quibus priores septem in bellis, ultimos decem in pace et ordinanda Republica exegit, in quo diem obiit anno ætatis 110. qui fuit ante Christi natalem annus 1448.

SEPELIERUNTQUE EUM IN FINIBUS POSSESSIONIS SUÆ IN THAMNATH SARE.) Hebr. *in Thamnath-sarach*, sed ultimum *chet*, quia asperæ pronunciationis, Septuag. et Noster solent omittere, unde pro *Noach* vertunt *Noe*, pro *Corach Core*, pro *Therach Thare*. Vers. 30.

Iam Hebræi in Seder Olam tradunt, *Thamnat serach*, per Metathesin poni pro *Thamnath cheres*, id est תמונת חרס *temunat cheres*, id est *imago* vel *statua solis*, eo quod illam Israelitæ collocarint super sepulchrum Iosue, ad conservandam memoriam illius prodigii, quo solem stiterat. Idem asserunt R. Salomon, Masius, Arias, Caiet. Magalianes, Serarius, Adrichom. et alii. *Iosue sepulchro imposita imago solis.*

Unde et Iudic. 2. 8. *Tamnatserach*, in Hebr. Septuag. et Latinis nonnullis vocatur *Tamnat chares*, id est imago solis. Plinius lib. 34. cap. 7. præ omnibus colossis celebrat colossum solis. *Ante omnes*, inquit, *in admiratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi supradicti discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulachrum post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, sed iacens quoque miraculo est. Pauci pollicem eius amplectuntur. Maiores sunt digiti quam pleræque statuæ. Vasti specus hiant de fractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens. Duodecim annis tradunt effectum CCC. talentis, quæ contulerant ex apparatu Regis Demetrii, relicto more regio.*

Sed hic colossus nihil est, si comparetur cum statione solis et colosso hoc Iosuano.

Addunt Septuag. in edit. Romana: *Illic posuerunt cum eo in monumento, in quo sepelierunt eum, gladiolos saxeos, quibus circumciderat filios Israel in Galgalis Iesus, cum educeret eos ex Ægypto, sicut mandarat Dominus; et illic sunt usque ad hodiernam diem.* Quam narrationem expendens Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem cap. 5. *Non absque causa*, inquit, *cultri cum illo*

eodem in loco positi sunt; verum ut nos discamus circumcisionis spiritualis gratiam (*quæ bonorum cœlestium nobis est pronuba*) *Salvatoris morti esse affixam.*

Duo miracula Iosue defuncti.

Addit Gregor. Turon. lib. 1. Mirac. sive de gloria Martyrum, c. 18. duo alia mira, imo miracula Iosue. *Primo sunt*, ait, *ad Levidam civitatem aquæ calidæ, in quibus Iesus Nave lavare solitus, ubi similiter leprosi mundantur. Est autem ab Hiericho 12. millibus. Secundo, prope Hiericho habentur arbores, quæ lanas gignunt. Exhibent enim poma in modum cucurbitarum, testas in circuitu habentia duras, intrinsecus autem plena sunt lanæ. Et de his enim ferunt ipsi Iesu Nave solere fieri indumenta. Sed et hodie tales exhibent lanas: ex quibus nos a quibusdam delatas vidimus, et admirati sumus vel candorem, vel subtilitatem earum.*

A Septemtrionali parte montis Gaas.) S. Hieron. Masius, Adrichom. et alii asserunt montem Gaas esse partem vel appendicem montis Ephraim. Hinc et Hebræi in Seder Olam tradunt Iosue defunctum esse die 26. Nisan, quæ quasi coincidit cum die 25. Martii, qua Iesus Christus eius antitypus in cruce pro mundi salute mortem obiit: quanquam in Romano Martyrologio Iesus Sanctis adscriptus legatur die prima Septembris.

Tradunt Hebræi in Seder Olam, et in Midras Ruth, magnum, cum sepeliretur Iosue in monte Ephraim, extitisse terræ motum, ex eoque montem vocatum *Gaas*, id est commotionis ac tremoris: געש *gaas* enim commoveri et tremere significat. Ridet hoc Masius ut fabulam, sed ut historiam defendit Serarius, aitque hac in re Iosue fuisse typum Iesu Christi, in cuius morte *terra mota est, et petræ scissæ*. Matth. 27. 51.

Porro Hebræos mortem Iosue æque ac Mosis planxisse solemni pompa, non est dubium, nulla tamen hic planctus fit mentio, quod ad mysterium referunt Patres; scilicet eo significari, in veteri lege sub Mose plangendos fuisse defunctos, eo quod in infernum ad limbum patrum descenderent; in nova vero lege in morte fidelium esse gaudendum, quod Iesus moriendo eis cælum reserarit, ut ipsi eo conscendant, quo ipse primus introivit, viamque præivit.

Denique liberorum Iosue nulla fit mentio, quia ipse fuit cælebs et virgo, ut ex S. Ignatio, Chrysost. et aliis dixi in procemio. Audi S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. *Iesus*, ait, *sepelitur in Thamnat Sare, id est in perfectissimo principatu, sive in numero operimenti novi, ut virginum significaret greges Salvatoris auxilio coopertos: in monte Ephraim, hoc est in monte frugifero, ab Aquilone montis Gaas, qui interpretatur commotio. Mons enim Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni, quæ opposita semper invidiæ est, per singulas tentationes dicit: Mei vero pene moti sunt pedes.* Et inferius: *Quamobrem et Moyses moriens plangitur a populo Israel, Iesus autem quasi victurus non plangitur. Nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas post mortem incipit coronari.*

Porro mira et lepida narrant Rabbini in libro suo *Iuchasin*, de bello quod Iosue gesserit cum 45. regibus Armeniæ, Persidis et Mediæ, quæ hic ad longum recenset Serarius, ac deinde ut fabulosa confutat quæst. 13. pag. 474.

Vers. 31 Servivitque Israel Domino cunctis diebus Iosue) Quia scilicet Iosue eum verbo et exemplo in Dei cultu et pietate continebat. Audi Tullium lib. 1. epist. ad Lentulum: *Sunt hæc apud Platonem nostrum scripta divinitus: Quales in Republ. Principes essent, tales reliquos solere esse cives.*

Et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue.) Seniores hi erant Eleazar Pontifex, Caleb, cæterique qui tempore exploratorum terræ sanctæ necdum annum vigesimum ætatis attigerant, nec murmurarant: cæteri enim omnes ob murmur in deserto mortui sunt, nec Chananæam viderunt, Num. 13. et 14.

Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem.) Id enim iusserat Ioseph, ut non in Ægypto inter infideles et impios, sed in Chanaan inter fideles et pios, cum avis et abavis suis Patriarchis sepeliretur; præsertim quia sciebat Christum in Chanaan nasciturum, passurum, resurrecturum, ac se cum eo et per eum resurrecturum sperabat, quod et contigisse est verisimile. Fuit et alia causa; ut scilicet Ioseph animaret Hebræos ad exitum ex Ægypto, et ad ingressum in terram a Deo promissam. Vide dicta Gen. 23. in fine, et Genes. 50. 23. et Exodi 13. 19. ubi Moses votis ultimis Ioseph satisfaciens, eius ossa egrediens ex Ægypto secum extulit. Vers. 32.

Simili modo Noe ossa Adami in arcam religiose suscepit, et post diluvium illa inter tres filios suos distribuit; ac Sem, quem cæteris duobus anteferebat, dedit Adæ cranium, cum eoque Iudæam, uti narrat Iacobus Orro Haita, sive Edessenus, qui fuit magister S. Ephrem, et ex eo Masius, qui eius librum in Latinum transtulit. Tanta in priscis fuit cura honorque sepulchri, ob fidem quam habebant de animæ immortalitate, et ob spem Resurrectionis ex meritis Christi, in Chanaan victuri et morituri.

In parte agri quem emerat.) Vide dicta Genes. 33. 19.

Et fuit in possessionem filiorum Ioseph.) Id est cessit Ephraimitis, qui ex Ephraim filio Ioseph prognati sunt. Vide dicta Genes. 48. 22.

Eleazar quoque filius Aaron mortuus est, et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii eius, quæ data est ei in monte Ephraim.) An Gabaa primitus sit data Eleazaro, ut vult Masius et Abulens. an vero eius filio Phinees, ut vult Vatab. et insinuat S. Hieron. in Epitaph. S. Paulæ, incertum est. Certum est, *Gabaa* cognominatam esse *Phinees*, sive quod is diutissime in ea habitarit, sive alia de causa. Porro Eleazar Pontifex dirigebat Iosue, pro eoque Deum in rebus ambiguis consulebat, ut iusserat Deus per Mosen Numer. 27. 21. unde *Eleazar* Hebr. idem est quod *Dei auxilium;* hoc enim ipse exhibuit Principi Iosue, totisque Castris Hebræorum. Successit Eleazaro patri in Pontificatu Phinees, filius, magni vir zeli, ut patet Numer. 25. 11. Vers. 33.

In monte Ephraim.) Hinc patet, Gabaa fuisse in tribu Ephraim; mirum ergo est, quod S. Hieron. vel potius Euseb. in locis Hebr. eam ponat in tribu Beniamin: licet enim pleræque urbes Levitis assignatæ cap. 21. essent in tribu Iuda vel Beniamin; tamen Gabaa extra ordinem data est Eleazaro et Phinees, tum ob eorum merita, tum ut Eleazar Pontifex vicinus esset Principi Iosue in sua tribu Ephraim habitanti, ac eum consiliis omnique ope adiuvaret et dirigeret.

Denique Septuag. in editione Romana nonnulla addunt, quæ etiam agnoscit Theodor. et Syrus (unde colligas Syrum ex Græco Septuag. translatum esse, non ex Hebræo, uti alias monui) teste Masio. Ea sunt hæc: *In illa die sumentes filii Israel arcam Dei circumdederunt in seipsis* (Syrus, *in Israele*) *et Phinees functus est sacerdotio pro Eleazaro patre suo quoadusque mortuus est, et defossus in Gabaa, quæ ipsius. Filii autem Israel abierunt unusquisque ad locum suum, et ad suam civitatem. Et coluerunt filii Israel Astarten et Astaroth, et deos gentium quæ in circuitu ipsorum. Et tradidit eos Dominus in manus Eglon regis Moab, et dominatus est eorum annos decem et octo.*

Verum hæc huc transcripta videntur ex libro Iudicum, ubi ea audiemus. Unde et Syrus ait, hæc notari obelisco, quasi addititia. Nam in Hebr. Chald. Latino, Septuag. Complut. et Regio desunt hoc loco.

COMMENTARIA

IN

LIBRUM IUDICUM.

ARGUMENTUM.

Dicitur hic Liber Iudicum, populi Israel, qui scilicet eum a Philisthinis, Moabitis, Ammonitis, Madianitis, etc. afflictum, et servitute oppressum, ab eorum iniuriis vindicarent, et in libertatem assererent. Deus enim ob idololatriam aliaque scelera populum his gentibus castigandum tradebat, ut is ad cor et ad Deum rediret: quod dum faceret, submittebat eis Iudicem qui eos a tyrannide et tyrannis opprimentibus liberaret. Unde c. 3. 9. dicitur: *Suscitavit salvatorem eis, et liberavit eos, Othoniel videlicet.* Quocirca iudicare in hoc libro, uti et alibi sæpe significat punire, defendere, vindicare. Hebraice hic liber dicitur שופטים *sciophetim*, id est Iudices. Inde magistratus summus apud Pœnos nomen accepit, qui *Suffetes* dicitur, ut ait Livius lib. 8. Decade 3. Pœnos enim et Phœnices multas ab Hebræis voces accepisse, docet S. August. lib. contra Epist. Petiliani c. 104. Fuit vero inter Iudices et Reges differentia, quam assignat Lactant. lib. 4. de Sapientia c. 10. *Primo*, ait, *non dominio regum subiecti fuerunt Iudæi, sed populo ac legi civiles Iudices præsederunt. Non tamen in annum constituti sunt, sicut Romani consules, sed perpetua iurisdictione subnixi.*

Iudices populi vindices.

Horum ergo populi Iudicum, id est vindicum gesta liber hic prosequitur, idque hoc fine, ut pateat Dei liberalitas in fideles et pios, ac eiusdem vindicta in infideles et impios. Unde notat Procopius, ex hoc libro clare perspici, quod e vera fide ac religione retenta, diligenterque culta, omnis Rerumpublicarum salus et amplitudo pendeat: contra vero quemadmodum ex ea deserta et neglecta fœdum earumdem sequatur exitium, ruina et dedecus. D. August. lib. 16. de Civ. c. 43. *Temporibus*, ait, *Iudicum sicut se habebant peccata populi ex misericordia Dei, alternarunt prospera et adversa bellorum.* Et lib. 18. c. 13. *Post mortem Iesu Nave, populus Dei Iudices habuit, quibus temporibus alternaverunt apud eos et humilitates laborum pro eorum peccatis, et prosperitates consolationum propter miserationem Dei.* S. Cælestinus Epist. ad Theodos. Imper. *Maior*, ait, *vobis fidei causa esse debet, quam regni; ampliusque pro pace Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam pro securitate omnium terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo sunt chariora serventur.*

Quæres primo: Quænam Iudicum horum fuerunt officia? Resp. Primum fuit, populum e servitute liberare, uti iam dixi. Secundum, bellis præesse; erant enim hi Iudices quasi belli Duces et Imperatores. Unde Iosephus eos vocat στρατηγὃς, id est Imperatores, et ὑποστρατηγὃς, id A est subimperatores, sub Deo videlicet summo populi bellique Duce. Tertium, proprie iudicare, id est ius populo dicere, eorumque lites iusta sententia dirimere, uti fecit Samuel et Heli. Unde nonnulli Iudices, ut Thola, Abesan, Ahialon, Abdon, nulla leguntur gessisse bella, sed tantum populo præfuisse et ius dixisse. Hinc licet ipsi non haberent absolutum ius necis et vitæ, reos tamen iuxta legem morti adiudicabant et plectebant.

Officia.

Quæres secundo: Quale fuit horum Iudicum regimen? Scitum est, triplex esse Reipubl. regimen, scilicet Democraticum, cum δῆμος, id est populus, seipsum regit, in quo pluralitas vocum prævalet, remque dubiam definit, uti fit apud Helvetios; Aristocraticum, in quo ἄριστοι, id est optimates imperant, uti erant olim Romæ Consules et Senatores, ac etiamnum sunt Venetiis, Genuæ, et aliis in locis; Monarchicum, in quo μόνος, id est unus solus imperat, uti Monarchæ in regnis suis sunt Reges et Principes absoluti, ac Cæsares.

Dico ergo, Iudices hos habuisse regimen non Democra-
B ticum, nec Aristocraticum, sed Monarchicum. Unus enim solus Iudex suo tempore præerat populo: Monarchiam ergo obtinebat, at non regiam regum: nam nec novas leges condere, nec tributa populo imponere poterat, uti possunt reges, nec diademate et sceptro utebatur, nec satellitio regio utebatur, nec ungebatur uti unguntur reges, nec hereditario iure succedebat, ut faciunt filii regum, sed electione Dei vel populi creabatur. Electus tamen per omnem vitam manebat Iudex, id est princeps: quare non erat dominus, sed conservator dumtaxat et curator Reipub. Ita Abulens. Erat ergo potestas Iudicum valde limitata et restricta. Fuit igitur hic magistratus apud Hebræos similis magistratui Dictatorum apud Romanos; in eo tamen dissimilis, quod hic temporaneus esset, ille vero perpetuus. Porro monarchia hæc Iudicum mixta erat Aristocratiæ. Nam Iudices in rebus difficilioribus supremi Consilii, quod Sanhedrim dicebatur, senten-
C tiam exquirere, eiusque decretis stare debebant: in ceteris vero legem Dei sequi, ac iuxta eam populum gubernare: unde non tam ipsi, quam Deus Deique lex populum regebat. Hoc est quod Deus dixit Samueli Iudici: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*, 1. Reg. 8. Iudicibus similes erant ἄρχοντες apud Athenienses, et nunc sunt Duces apud Venetos.

Quæres tertio: Quot fuerunt Iudices, quot annis regnarunt? Resp. fuisse quindecim, ac imperasse per annos 356. si Samueli demus annos 18. dumtaxat, iuxta chronologiam quam Pentateucho præfixi, sin cum Saliano et

Anni Iudicum 356. vel 360.

aliis Samueli des annos 22. fient anni Iudicum 360. Primus enim, Iudex fuit Othoniel, qui imperavit annis quadraginta: secundus Aod annis 80. tertius Samgar per paucos menses: quartus Barac cum Debbora annis 40. quintus Gedeon pariter 40. sextus Abimelech annos 3. septimus Thola annis 23. octavus Iair annis 22. nonus Iephte annis 6. decimus Abesan annis 7. undecimus Ahialon annis 10. duodecimus Abdon annis 8. decimus tertius Samson annis 20. decimus quartus Heli annis 40. decimus quintus Samuel annis 22. Ultimus ergo Iudex fuit Samuel; nam post eum populus petiit regem, ac Dei iussu Samuel Saulem eis regem creavit. Hoc tamen libro duorum ultimorum, scilicet Heli et Samuelis acta non narrantur, sed in libro primo Regum, eo quod filii Heli petendi regis et regni occasionem sua improbitate populo dederint, ac Samuel reipsa regem ei dederit. Quare restant tredecim priores quorum gesta hoc libro narrantur. Complectitur ergo hic liber Chronologiam gestorum ipsorum per 298. annos, scilicet ab anno mundi 2512. quo mortuus est Iosue, et mox successit ei Othoniel Iudicum primus, usque ad annum mundi 2810. quo mortuus est Samson, cui successit Heli et Samuel, quorum duorum gesta non hoc libro, sed in primo Regum recensentur.

Iudices Sancti. Quæres quarto: An omnes hi Iudices fuerunt Sancti? Resp. fuisse, excepto Abimelech, qui non fuit Iudex, sed tyrannus: ipse enim principatum vi invasit, occisis fratribus omnibus qui erant filii Gedeonis. Iudex enim constituebatur a Deo, quod si id non fieret, populus sibi eligebat et creabat Iudicem, modo ex una, modo ex alia tribu. Porro Iudices hos esse Sanctos, patet ex S. Paulo, qui eos ut Sanctos celebrat Hebr. 11. *Deficiet me tempus*, inquit, *enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, David, Samuel, et Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Et Ecclesiasticus cap. 46. v. 13. *Et Iudices*, inquit, *singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor: qui non aversi sunt a Domino, ut sit memoria eorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum virorum sanctorum gloria.*

Quæres quinto: Quis hunc librum conscripsit? Resp. Id incertum est. Verisimile est, Esdram, vel Prophetam aliquem posteriorem, aut potius Samuelem, eum ex antiquis diariis et annalibus, quæ Iudex quisque aut alius eius tempore conscribebat, collegisse, et in hunc librum scribendo redegisse. Ita Theodor. hic quæst. 1. Idem dico de libro Ruth, et simile dixi de libro Iosue. Auctor.

Denique Auctores qui in librum Iudicum commentaria scripserunt, sunt hi: Origen. S. August. Theod. Procopius, Isidor. Hugo de S. Victor. Lyra. Hugo Card. Dion. Carth. Abul. Caiet. Ioannes Ferus, Arias Montanus, et e nostra Societate Nicolaus Serarius, et Cosmas Magalianes, et Iacobus Bonfrerius.

CANONES

LIBRO IUDICUM PROPRII.

Primus. Crebro hic numerantur variis temporibus varii servitutis et oppressionis Hebræorum anni, quibus scilicet ipsi ab Eglon, Iabin, Madianitis, Philisthinis, aliisque regibus et gentibus vexati et oppressi fuere. Verum omnes hi anni non seorsim in Chronologia ponendi computandi sunt, sed intra tempora et annos proxime præcedentium vel sequentium iudicum includuntur. Id ita esse, ostendam c. 4. v. 3.

Secundus. S. Script. annorum numerum consignans subinde intelligit eorum terminum, non quod integre in tali loco vel actione exacti sint, sed quod actio ibidem sit terminata. Sic Exodi 12. 40. dicitur: *Habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit 430. annorum*, id est 430. anno terminata est, ait S. August. lib. 16. de Civit. cap. 24. in Ægypto enim habitarunt tantum 215. annos. Sic Iudith cap. ult. 28. dicitur permansisse in domo viri sui 105. annos, id est usque ad annum vitæ suæ 105. nam puellares annos egit in domo parentum, non viri. Sic Iudic. 14. 17. dicitur Dalila septem dies convivii flevisse, id est usque ad septimum diem: nam flere cœpit post tertium convivii diem.

Tertius. Respubl. Hebræorum (ut et multæ aliæ) post singulos 400. annos mutavit suum statum et formam ex Aristocratia in Monarchiam vel Democratiam; hæc enim est periodus multarum Rerumpubl. Id liquet ex tabula Chronol. quam Pentateucho præfixi.

Quartus. In hoc libro nonnulla narrantur, quæ a Iudicibus non sunt gesta, sed tempore Iudicum contigerunt. Quocirca duæ sunt libri huius partes. Priore gesta Iudicum narrantur, additis initio eorumdem præambulis. Id fit a cap. 1. usque ad cap. 16. inclusive: posteriore recensentur historiæ quædam, quæ sub Iudice quopiam, qui non nominatur, evenerunt. Id fit a cap. 16. ad finem libri. Nam cap. 17. et 18. narratur historia Michæ et idoli collocati in Dan; tribus vero ultimis capitibus recensetur historia uxoris Levitæ ob cuius violationem tota tribus Beniamin pene ad internecionem cæsa est.

Quintus. Omnes hi Iudices fuere typi et figura Christi. Sicut enim ipsi fuere salvatores Israelis, sic Iesus Christus est Salvator mundi, de quo plura c. 3. 9.

Sextus. Spiritus Domini dicitur induisse Gedeonem, et irruisse in Samsonem, quoties aliquid ardui aggressurus erat: qua phrasi significatur primo, Spiritum Dei illum prævenisse, et ad tantum opus impulisse: secundo significatur copia et abundantia spiritus et fortitudinis illi indita, qua rem omnem supra vires naturæ facile et feliciter confecit.

Septimus. Sunt in hoc libro nonnulla insignia symbola et hieroglyphica, uti est ros in vellere Gedeonis c. 6. et stratagema militum Gedeonis lagenas complodentium facibus emicantibus, quo perculsi et prostrati fuere Madianitæ c. 7. et septem cincinni Samsonis c. 16.

Item Apologi, uti est ille arborum in regem sibi rhamnum eligentium cap. 9. 8.

Item Ænigmata, quale est illud Samsonis de leone habente favum mellis: *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo*, c. 14. v. 14.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post Iosue, tribus Iuda prima bellum init, et reliquas Chananæorum urbes expugnat. Secundo, v. 12. Caleb Othonieli ob captam Cariath sepher uxorem dat Axam filiam suam, eique postulanti dat irriguum superius et inferius. Tertio, v. 21. et seq. ceteræ tribus non exterminant Chananæos, uti iusserat Deus, sed eos faciunt tributarios, ideoque ab eis afflictæ fuere.

1. Post mortem Iosue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli? 2. Dixitque Dominus: Iudas ascendet: ecce tradidi Terram in manus eius. 3. Et ait Iudas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, et pugna contra Chananæum, ut et ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon. 4. Ascenditque Iudas, et tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum: et percusserunt in Bezec decem millia virorum. 5. Inveneruntque Adonibezec in Bezec, et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananæum et Pherezæum. 6. Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum eius ac pedum. 7. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Ierusalem, et ibi mortuus est. 8. Oppugnantes ergo filii Iuda Ierusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem. 9. Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus. 10. Pergensque Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron, (cuius nomen fuit antiquitus Cariath Arbe) percussit Sesai, et Ahiman, et Tholmai: 11. Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, id est, civitas litterarum. 12. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. 13. Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor dedit ei Axam filiam suam coniugem. 14. Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret a patre suo agrum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb. Quid habes? 15. At illa respondit: Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi: da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, et irriguum inferius. 16. Filii autem Cinæi cognati Moysi, ascenderunt de civitate palmarum, cum filiis Iuda, in desertum sortis eius, quod est ad Meridiem Arad, et habitaverunt cum eo. 17. Abiit autem Iudas cum Simeone fratre suo, et percusserunt simul Chananæum qui habitabat in Sephaath, et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis, Horma, id est anathema. 18. Cepitque Iudas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis. 19. Fuitque Dominus cum Iuda, et montana possedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. 20. Dederuntque Caleb Hebron, sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac. 21. Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non deleverunt filii Beniamin: habitavitque Iebusæus cum filiis Beniamin in Ierusalem, usque in præsentem diem. 22. Domus quoque Ioseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis. 23. Nam cum obsiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur, 24. Viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam. 25. Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, et omnem cognationem eius, dimiserunt. 26. Qui dimissus, abiit in Terram Hetthim, et ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur usque in præsentem diem. 27. Manasses quoque non delevit Bethsan, et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor, et Ieblaam, et Mageddo cum viculis suis, cœpitque Chananæus habitare cum eis. 28. Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, et delere noluit. 29. Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo. 30. Zabulon non delevit habitatores Cetron, et Naalol: sed habitavit Chananæus in medio eius, factusque est ei tributarius. 31. Aser quoque non delevit habitatores Accho, et Sidonis, Ahalab, et Achazib, et Helba, et Aphec, et Rohob: 32. Habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. 33. Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames, et Bethanath: et habitavit inter Chananæum habitatorem Terræ, fueruntque ei Behsamitæ et Bethanitæ tributarii. 34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent: 35. Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Aialon et Salebim. Et aggravata est manus domus Ioseph, factusque est ei tributarius. 36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab Ascensu Scorpionis, petra, et superiora loca.

Vers. 1. Post mortem Iosue consuluerunt filii Israel Dominum, etc. quis erit dux belli?) q. d. Cum mortuo Iosue Duce nostro nullum habeamus, qui ei in ducatu succedat, sed principes tribuum et concilium Sanedrim Rempublicam administrent, iamque tribus omnes succreverint, ut sufficiant reliquam Chananæam expugnare, incolere et excolere, quod antea eis ob paucitatem non licuit, iuxta decretum Domini Exodi 23. 29. quis nobis erit dux belli, hoc est, quæ tribus prima bellum a Iosue contra Chananæos cœptum prosequetur, ut eos qui in sorte sua reliqui sunt expugnet, ac ceteris tribubus exemplum, et initium det Chananæos in sorte sua residuos exterminandi? Patet ex Hebræo. Non enim quærunt A ducem, qui toti exercitui omnibusque tribubus præsit, sed qui partiale bellum inchoet in sua tribu cuius victoria, fama et gloria ceteros Chananæos consternet, ut ceteræ tribus singulæ partiali bello Chananæos in terra et sorte sua adhuc residentes, similiter adorientes facilius superent et extrudant.

Consuluerunt.) Dei oraculum et responsum per Pontificem, sive Eleazarum, sive, si is mortuus erat, per Phinees, ut ait Iosephus lib. 5. c. 1. filium et successorem eius, Rationali ac *Urim* et *Tummim* indutum, uti iusserat Deus Numer. 27. 21. Id factum est in Silo, ibi enim adhuc residebat Tabernaculum cum arca. Ita Iosephus, qui et addit post Iosue Israelem caruisse principe per octodecim

annos, post quos ob invasionem Regis Mesopotamiæ, Deus principem designavit Othonielem. Tunc ergo maiores, scilicet Principes tribuum, et Concilium Sanedrim gubernabat Rempub. Idem tradunt Hebræi in Seder Olam. Hi tamen 18. anni interregni in annis 40. Othonielis includuntur, ut ostendam c. 4. 9. Ita Salianus et alii.

Tropol. Discant hic Principes ceterique, nec bellum, nec quid aliud arduum aggredi, nisi prius consulto Deo, uti fecere David, Iosaphat, Iudas Machabæus, ac imprimis Moses et Iosue, uti dixi Iosue c. 2. 2. et 9. a Deo enim pendet victoria, felixque rei cuiuslibet progressus et exitus.

Vers. 2. DIXITQUE DOMINUS: IUDAS ASCENDET.) *Iudas* hic est nomen proprium non viri et ducis, uti nonnulli autumant, sed tribus. q. d. Tribus Iuda incipiet præliari. Ipsa enim erat omnium fortissima, generosissima, nobilissima et famosissima, ac in castris Israel primam tenebat aciem: unde Iacob ei promiserat sceptrum et regnum. Genes. 49. 10. idque quia ex ea nasciturus erat Christus Dux, Rex, triumphator et debellator dæmonum, peccatorum, mortis et inferni. Porro tribus Iuda sibi ducem belli creavit Caleb, ut videtur, cuius nota erat fortitudo, prudentia, virtus, auctoritas.

Vers. 3. ET AIT IUDAS SIMEONI FRATRI SUO.) Id est, Iudæi dixere Simeonitis, sive, tribus Iuda dixit tribui Simeonis. Vocantur autem hic fratres, peculiari ratione; quia scilicet tribus Simeon intra tribum et sinum Iuda sortem acceperat, Iosue 19. v. 1. alioqui omnes duodecim tribus erant fratres, quia prognatæ ex duodecim Patriarchis filiis Iacob, qui inter se erant fratres.

Vers. 5. ADONIBEZEC.) Alius est hic ab Adonisedec: hic enim erat rex Ierusalem, ille rex Bezec urbis in tribu Iuda; hic cæsus a Iosue, ille a Iudæis; hic Hebr. significat dominum iustitiæ, ille dominum fulguris: בזק *bezec* enim est fulgur, coruscatio. Apposite ergo Adonibezec instar fulguris omnes præcellebat suo robore et sævitia, adeoque 70. regibus summitates manuum et pedum truncarat. Sic Poeta ait de utroque Scipione:

Duo fulmina belli Scipiadas.

Sic Iacobus et Ioannes a Christo vocantur *Boanerges*, id est filii tonitrui, puta fulmina, hæc enim ex tonitru, quasi filii ex patre, nascendo prosiliunt.

Vers. 6. CÆSIS SUMMITATIBUS MANUUM EIUS AC PEDUM.) Pro *summitatibus* Hebr. est בהונות *beonoth*, id est *pollicibus*, ut vertunt Chald. Lyran. Vatab. Pagnin. Caiet. et Noster Exodi 29. 20. et alibi passim. Noster et Septuag. hic vertunt summitates, quod pollices in manu summi et potissimi sint. Unde pollex dictus a pollendo, *quod inter ceteros digitos virtute polleat*, ait Isidor. Hinc et Græce ἀντίχειρ dicitur, quod oppositus ceteris manus digitis, illis quasi æquipolleat. Iudæi ergo pollices manuum pedumque amputarunt Adonibezec, iusto Dei iudicio et instinctu, ad pœnam talionis eius superbiæ et crudelitati reddendam, ipse enim 70. regibus pollices amputarat.

Porro in hoc supplicio præter dolorem duo inerant, ait Serarius. Primum, ut qui mutilati sic erant, neque arma deinceps tractare possent, neque pedibus effugere, quemadmodum ostendit in Augusto c. 24. Svetonius, dum refert: *Equitem Romanum duobus adolescentibus, causa detrectati sacramenti, pollices amputasse.* Cicer. lib. 3. Offic. dum ait, Athenienses Æginetis pollices præcidisse: *Ut classe,* inquit Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. *potens populus in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret,* atque, ut adiicit lib. 2 historiæ variæ Ælianus, *ne hastam ferre posset.*

Secundum, ut iis ignaviæ quædam velut exprobratio esset, quod manu ignavi, pedibus vero fugaces extitissent. Unde poltroni apud Italos, Gallos, et Belgas vocantur homines viles, desides, ignavi, quasi pollice trunci sive truncati. Audi Pierium Hierogl. 36. c. 10. *Id potius referemus, robur validasque vires per pollicem significari, si surrigatur quatuor reliquis ad volam oppressis. Nam ea de causa ἀντίχειρ a Græcis dicitur, quod pari cum reliqua tota manu robore contendat, alteriusque manus vice fungatur, ut Galenus interpretatur. Apud Latinos autem,*

A *quod præcipue polleat, nomen habet: is enim dominatur in manu, nec in sinistra cessat, quamvis ea tota sit ignavia, neque minus quam tota manus semper in officio est. Quin et veteres hunc præstare aliis intelligentes, Hallum eum appellabant, quod in reliquorum dorsa unus omnium insiliret: aspirationem* h *enim loco* s *litteræ positam ab antiquis invenias, et vice versa* s *pro* h. *Sed simplicius est hallum ab* ἄλλω *vel* ἄλλομαι *deducere, id enim salire est. Hominem bello inutilem ostendere qui volunt, manum abscisso pollice faciunt: digitus enim hic summotus, hominem actionibus, et præsertim bello inutilem reddit. Eaque de causa legas graviter animadversum in nonnullos, qui bellum detrectandi causa sponte sibi pollices amputassent, ut a Senatu in C. Voctienum, vel ut alibi loquitur Votienum.* Hos prisci murcos vocabant, ait Ammian. lib. 15. Itali poltronos. Sic Marcus Eremita (non Evangelista, ut quidam falso putant) pollicem sibi amputavit, ne cogeretur fieri Sacerdos, uti legimus in Vitis Patrum.

B Notant Thalmudici in Sutha c. 10. quinque viros, qui in illa re qua excellebant, plexi punitique sunt; scilicet primus Samson in suo robore; secundus, Saul in collo altiori; tertius, Absalon in capillo; quartus, Sedecias rex in oculis; quintus, Asa rex in pedibus. Sic dives epulo arsit in lingua, quæ arserat gula.

Simili modo fœdifragis et falsariis, qui litteras Regias aut monetam manibus suis vitiant, manus præciduntur. Unde Tertul. libro quinto contra Marcion. *De manibus*, ait, *hæretici præcidendis, non miror si syllabas subtrahat, cum paginas totas subducit.* S. Valerianus serm. de bono disciplinæ, cum ait: *Nemo cum sanam dexteram videt falsitatis reo, debito iure supplicia iudicet fuisse concessa.* In militia desertores eadem abscissione mulctati. Nam de Anidio Cassio Vulcatius Galliganus: *Multis*, ait, *desertoribus manus excidit: aliis crura incidit ac poplites, dicens maius exemplum esse viventis miserabiliter criminosi, quam occisi.* Et postea ex Æmilio Partheniano: *Manus multis amputavit.*

C SEPTUAGINTA REGES, (reguli, id est Principes; quæ- Vers. 7.
que enim urbs suum habebat Regem, ut vidimus Iosue c. 12. v. 9. et seq.) AMPUTATIS MANUUM AC PEDUM SUMMITATIBUS COLLIGEBANT SUB MENSA MEA CIBORUM RELIQUIAS. Scilicet pollices eis amputarat, ne rebellare vel effugere possent: ex fastu vero eis quasi canibus ciborum reliquias sub mensa proiiciebat, ideoque ei pœnam talionis irrogarunt Hebræi. Sic Valerianus Imper. dum Christiana sacra conculcat, a Sapore Persa comprehensus, et quoties in equum ascenderet conculcatus fuit, teste Eusebio libro 7. Histor. c. 9. Idem contigit Baiazeto Turcarum Imperatori, qui Tamerlani sella canisque fuit. Cum enim eum iam captum interrogaret Tamerlanes: Si in tuam potestatem venissem, quomodo tu in meam venisti, quid fecisses mihi? Ille fecissem, inquit, caveam ferream, et in ea te posuissem. Tu adversus teipsum sententiam pronuntiasti, inquit Tamerlanes. Itaque illi accidit quod ipse fecisset, et in cavea fuit ad diem usque mortis.

Alexander Imperator, teste Lampridio, quendam im-
D postorem fumo ex stipulis ustulari iussit, præcone clamante: *Fumo punitur qui vendidit fumum.*

SICUT FECI, ITA REDDIDIT MIHI DEUS.) Hoc est quod sancitur Sap. 11. 7. *Per quæ peccat quis, per hæc etiam torquetur.* Eo pertinet illa Christi sententia Matth. 26. 52. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et Apocal. 13. 10. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Et Genes. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, etc. Et Habacuc 2. 8. alloquitur Deus regem Babylonis: *Quia*, inquit, *spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis Israel.* Denique lex talionis extat Exodi 21. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede*, etc. Sic Constantino Imperat. ab Irene matre oculi eruti sunt eadem die, qua ipse ante quinquennium Nicephorum patruum quasi imperium affectantem excæcaverat, uti narrat Zonaras tomo 3. qui et simile addit de Leontio Imper.

ipsum scilicet naso fuisse truncatum et Imperio depulsum ab Absimaro, eo quod ipse Iustinianum Rhinotmetum truncato naso Imperio exuisset.

Porro videtur Adonibezec hac pœna humiliatus in se reversus animum mentemque mutasse, nam et priorem suam crudelitatem confessus est, et Dei æquitatem prædicavit. Agnovit ergo pœnitens iustam Dei in se vindictam, ideoque vocat eum Elohim, id est iustum iudicem et vindicem, eumque unum et solum, non plures, unde et ductus fuit in Ierusalem, id est in agrum suburbanum Ierusalem, ait Iosephus, ideoque in ipsam urbem Ierusalem, postquam eam expugnarunt Iudæi, ait Hugo Victor. ibique mortuus: idque apto symbolo, quasi a peccatis ad pœnitentiam, ab impietate ad veri Dei cultum, ex idololatriæ cæcitate ad fidei pacisque visionem, a fastu ad demissionem, a blasphemia ad Dei laudem traductus fuerit, ideoque Hebræi ei vitam condonarunt, ait Magalianes. Quare Adonibezec, id est dominus fulguris, iræque fulgureæ factus est Adonisedec, id est dominus iustitiæ, iustæque patientiæ et pœnitentiæ.

Symbolice dæmon, ait Serarius, est vere Adonibezec, seu fulguris dominus: primo, quia de eo Salvator Luc. 10. 18. *Videbam, ait, satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Secundo, quia fulgur recte superbiam vanamque gloriam significat, quæ claritatis aliquantulum spargit, sed ita ut subito pertranseat, momento evanescat, sæpeque fulminum et gravissimarum tempestatum initium sit. Est vero *satan rex super universos filios superbiæ*, Iob. 41. 25. Iste Adonibezec reges capit, et quidem 70. id est quam plurimos. Ii vero sunt qui aliis potentia, dignitate, auctoritate, doctrina præstant.

Vers. 8. Oppugnantes ergo filii Iuda Ierusalem, ceperunt eam.) Prius Ierusalem capta fuerat a Iosue c. 10. 1. qui et regem eius Adonisedec occiderat: sed postea Iebusæi arcem Sion tenentes urbem recuperarunt. Unde hic rursum eam expugnavere Iudæi, excepta arce Sion, quam diu post primus Iebusæis extorsit David, 2. Regum 5. 7.

Porro Ierusalem proprie pertinebat ad tribum Beniamin, hic tamen dicitur expugnata a tribu Iuda, quia hæc in urbe partem habebat, et quia Beniaminitæ viribus suis diffidentes eam expugnandam tradiderunt Iudæis, uti dixi Iosue cap. 10.

Tradentes cunctam incendio civitatem.) Eo quod a Iosue et Iudæis subacta eis rebellasset, et quia Deus incendio volebat ab idololatria et sceleribus purgari urbem, totamque renovari, in qua templum, et Reipubl. æque ac Ecclesiæ caput collocare statuerat. Sic iussit incendi Iericho, Hai, aliasque nonnullas Chananæorum urbes.

Vers. 11. Cariatharbe.) Hæc et sequentia usque ad v. 16. audivimus Iosue 14. 12. et c. 15. 13. et seq. ubi ea explicui.

Vers. 16. Filii autem Cinæi cognati Moysi, ascenderunt de civitate palmarum, cum filiis Iuda in desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arad, et habitaverunt cum eo.) *Filii Cinæi,* id est filii Hobab, qui erat filius Iethro soceri Mosis: Moses enim Sephoram filiam Iethro duxerat uxorem, inde Hobab Sephoræ frater (alio nomine dictus Cin et Cinæus, ait Hugo Victor. et Serarius) eiusque posteri Cinæi, cognati, id est affines Mosis, Mosi quasi cognato adhæserunt, factique proselyti secuti sunt castra Hebræorum per desertum, et cum eis ingressi sunt in terram promissam. Ad hoc enim eos invitarat Moses, promittens eis id quod in ea erat optimum. Num. 10. 32. Quocirca Cinæis data est ab Hebræis civitas palmarum, id est Iericho, palmis et palmetis, æque ac balsamo omniumque rerum copia abundans, non quasi Iericho a Iosue solo æquata tam cito reædificata fuerit, sed quod civitas hic æque ac c. 3. capiatur pro area civitatis et agro civitati vicino.

Cinæi qui?

Sed cur Cinæi relicta Ierichunte adeo amœna et fertili, inde migrarunt in sterile desertum Iuda? Rabbini causam dant, ut iungerent se tribui Iuda et Othonieli Principi, ac ab eo legem discerent; sed hæc discenda potius erat a Phinees Pontifice et Levitis. Quare verisimilius credit Serarius, et ex eo Salianus, eos divinitus solitudinis desiderio monasticæ vitæ atque anachoreticæ rudia quædam fundamenta iecisse, quæ deinde in Rechabitis aliquo modo propagata sit Ierem. 35. ubi inter alia sine domo in tabernaculis dicuntur habitasse. Quod de Haber Cinæo cap. quarto Iudicum etiam dicitur. Cinæi ergo fuere viri pii et religiosi, unde eorum posteri fuere Rechabitæ. Adeo laudati a Ieremia c. 35. ac deinde Esseni, primi fere monastices professores, tantopere celebrati a Philone, Iosepho, Eusebio et S. Hieronymo, uti docui Num. 10. 29. Hi ergo delicias carnis in Ierichunte, quasi mentis spiritusque rigorem et vigorem enervantes aspernati, paupertatis amantes loca deserta et solitaria captarunt, ubi liberius et commodius contemplationi, virtutum exercitio, et rebus divinis vacarent. Hinc Cinæi Hebr. קִינִים *Kinim* sunt *lamentantes,* scilicet ab hoc exilio ad cælum suspirantes. Unde Threni Ieremiæ Hebr. vocantur *Kinoth.* Præluserunt ergo ipsi Eliæ, Elisæo et filiis Prophetarum, qui ante Christum; Anachoretis et Monachis, qui post Christum iisdem in locis vitam solitariam vel monasticam egerunt, versantes cum Deo et Angelis, velut Angeli terrestres et homines cælestes.

Fuere viri religiosi.

Vers. 18. Cepitque Iudas (tribus Iuda) Gazam cum finibus suis, et Ascalonem atque Accaron.) Sic quoque habent Hebr. et Septuag. Complut. habent *Azotum.* Quare mirum est in Septuag. Romæ emendatis contrarie legi, *Et non possedit Iudas Gazam, neque Ascalonem, neque Accaron.* Peius Iosephus lib. 5. Antiq. ait Iudæos cepisse Ascalonem et Azotum, non vero Gazam et Accaron, eo quod hæ duæ in planitie sitæ curribus bellicis pollerent; contrarium enim hic asserit Script. Quare Iudæi hic urbes has et satrapias Philistinorum ceperunt, sed mox Philisthini eas recuperarunt, et perpetua cum Iudæis bella gesserunt, ut audiemus c. 3. Porro Accaron pertinebat ad tribum Dan, Iudas tamen hic illam expugnavit conniventibus Danitis, eo quod sorti suæ contermina esset ac infesta, ut nisi eam caperet, quiete in sua sorte habitare non posset.

Vers. 19. Quia falcatis curribus abundabant.) Qui scilicet falcibus armati obvios et obvia quæque demetebant, ut dixi Iosue 17. 16. Sic quoque habent Septuag. Complut. Unde mirum in Roman. legi, *quia Rachab obstitit eis;* itaque legit Theodor. qui sic explicat, q. d. Hobab filius Iethro, alio nomine dictus Rechab, persuasit Iudæis ne vallis huius mari adiacentis incolas bello appeterent, eo quod timeret, Iudæos, si maritima possiderent, per commercium navale cum gentibus ab eis perversum iri. Nimirum legit ipse pro רכב *recheb*, id est currus, alio puncto רכב *Rachab*, quasi nomen proprium viri. Porro non peccarunt Iudæi sic Chananæos hos permittendo, quia eos ita videbant armatos, ut eos debellare se posse diffiderent; ceteræ vero tribus peccarunt, quod cum Chananæos debellassent, eos non occiderent, uti iusserat Dominus, sed tributarios facerent.

Vers. 21. Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non deleverunt filii Beniamin, habitavitque Iebusæus cum filiis Beniamin in Ierusalem.) q. d. Beniaminitæ cum Iudæis sociis et ducibus suis urbem Ierusalem ceperunt quidem et incenderunt, uti dictum est v. 8. excepta arce Sion, quam tenuerunt Iebusæi usque ad Davidem, 2. Reg. 5. sed Iebusæi ex arce descendentes, urbem quoque una cum Beniaminitis, ipsis permittentibus, sopito iam bello incolere cœperunt.

Tropol. S. Bernard. serm. 58. in Cant. *Quantumlibet,* inquit, *in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus, subiugari potest, sed non exterminari.* Mox remedium suggerit: *Unum,* inquit, *in tanto discrimine consilium est, observare diligenter, et mox ut renascentium capita apparebunt, prompta severitate succidere. Non potest virtus cum vitiis pariter crescere; ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, et salubria surgunt; utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi. Putetur cupiditas, ut virtus roboretur. Nobis, fratres, pu-*

tationis semper est tempus, sicut semper est opus.

Vers. 22. Domus quoque Ioseph (puta tribus Ephraim, qui fuit filius Ioseph) ascendit in Bethel.) Putat Adrichom. duas fuisse Bethel; unam in tribu Ephraim, alteram in tribu Beniamin, uti dicitur Iosue 18. vers. 13. et 22. Melius Masius et alii censent unam eamdemque esse Bethel, eo quod illa quæ hic vers. 23. prius vocata dicitur Luza, Luza quoque appellata dicatur Iosue 18. 13. Fuit sita in confinio tribus Ephraim et Beniamin, ideoque nunc uni nunc alteri tribuitur. Adde: videntur fuisse hæc duo loca vicina, scilicet Luza urbs, quæ postea Bethel, vel Bethel Luza dicta est a visione scalæ quam ibidem habuit Iacob, et locus ipse visionis Iacob, quæ nomen dedit Luzæ urbi vicinæ; hic enim locus erat in tribu Beniamin, urbs vero ipsa erat in tribu Ephraim. Hæc ergo est Bethel, ubi Iacob vidit Deum scalæ innixum, ideoque Ieroboam postea in ea vitulum aureum quasi idolum collocavit. Unde Bethel, id est domus Dei dicta est Bethaven, id est domus idoli. Vide dicta Genes. 28. 19.

Vers. 24. Viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis.) Rabbini tradunt, Luzam non habuisse portam, sed introitum quemdam occultum: fuisse enim ipsam instar nucis undique clausam: לוז *luz* enim Hebr. nucem significat: sed hæ sunt fabulonum næniæ; dicta est enim Luza, quod *nux*, id est nucibus et amygdalis abundaret, ait S. Hieron. Per *introitum* hic ergo non portam, sed aditum in urbem facilem, ob muros humiliores vel disruptos, intellige.

Et faciemus tecum misericordiam.) Id est, vitam tibi condonabimus. Poterant id licite facere Hebræi: etsi enim Deus iussisset Chananæos omnes occidi, tamen ob tantum beneficium patefacti introitus in urbem parcere ei poterant, uti pepercerunt Rahab excipienti exploratores Iosue c. 2. Adde, Hebræos non permisisse ut hic proditor urbis in ea remaneret, hoc enim dumtaxat vetuerat Deus, ne Chananæi inficerent Hebræos suis idolis et vitiis.

Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore (in acie) gladii.) Peccavit hic proditor ostendendo Hebræis aditum in urbem, quia patriam suam eis prodidit; hoc enim est contra pietatem: licet enim patriam impiam et noxiam in bello iniusto propugnare non liceat, tamen eam hosti prodere pietas vetat; sicut patrem meum iuste a magistratu invasum armis defendere nequeo, sed tradere et prodere non possum sine insigni nota impietatis. Minuit tamen proditionis crimen hic metus mortis illi ab Hebræis intentata. Quocirca Aurelianus Imperator, audiens eum qui sibi locum capiendæ Thyanæ urbis indicarat, ea capta cum aliis incolis cæsum esse, lætatus est, dixitque: *Ego enim proditorem amare non potui, et libenter tuli quod eum milites occiderent; neque enim mihi fidem servare potuisset, qui patriæ non pepercit.* Ita Vopiscus in Aureliano.

Vers. 26. Abiit in terram Hetthim.) Id est in Cyprum, ait Procop. Cyprus enim Hebr. dicitur Cethim, Isaiæ 23. 1. Verum tunc Cethim scribitur per *Caph*, hic autem scribitur per *Chet*; quare alius est locus Hetthim a Cethim: quis autem ille sit, ignoratur.

Manasses quoque non delevit Bethsan.) Septuag. addunt, *quæ est Scytharum urbs*, unde et Scythopolis dicta est. Vers. 27.

Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora descenderent.) Danitæ præ aliis tribubus ab Amorrhæis fuere arctati, ut sortis suæ montes steriles dumtaxat occuparent, non vero valles frugiferas: qua de causa alias terras quærere sunt coacti, uti audiemus capite decimo octavo. Vers. 34.

Habitavitque (non Dan, sed Amorrhæus, ut patet ex Hebr. et Septuag.) in monte Hares quod interpretatur testaceo, in Aialon et Salebim.) q. d. Amorrhæus Danitis non tantum ademit urbes vallium, sed et tres in monte sitas, scilicet Hares, Aialon et Salebim. Vers. 35.

Testaceo.) Sic legendum, non *testatio*, ut legunt nonnulli; nam *Hares* Hebr. est *testa:* mons ergo hic vocatus est testaceus, vel quod in eo vasa testacea a figulis formarentur, vel quod illorum ruptorum fragmenta ibidem proiicerentur, uti Romæ factum videmus in monte ad portam S. Pauli, qui inde mons testaceus nominatur. Sept. vertunt: *In monte Hares, ubi ursæ et vulpes*, scilicet abundant; quare pro Aialon nonnulli videntur legisse דבים *dubbim*, id est ursi; et pro *sahalbim* sive *salebim* legisse שועלים *sciualim*, id est vulpes. Licet enim ursi maiores et plures sint in regionibus frigidis et Septentrionalibus, tamen reperiuntur quoque in calidis et Meridionalibus, ut in Iudæa; nam ibi David occidit ursum 1. Reg. 17. 34. et Elisæus per duos ursos occidit 42. pueros sibi illudentes in Bethel, 4. Reg. 2. 24. Forte Samson, qui fuit Danita, ex hoc loco tribus suæ, scilicet ex *Salebim* vulpibus abundante, trecentas suas vulpes collegit, ad quarum caudas alligans faces, Philisthinorum segetes succendit, ut audiemus c. 15. 4.

Et aggravata est manus domus Ioseph, factusque est ei tributarius.) q. d. Ephraimitæ posteri Ioseph vicini Danitis, graviter oppresserunt Amorrhæos in sorte tribus Dan habitantes, eosque iure belli quasi a se subactos sibi fecerunt tributarios. Igitur omnes fere tribus peccarunt in hoc, quod Chananæos a se subiugatos non occiderint, uti iusserat Dominus, sed fecerint sibi vectigales, uti patebit initio cap. sequentis.

Ab ascensu Scorpionis.) Septuag. et alii *super acrabbim*, id est, super locum scorpionum. Est nomen loci ita dicti, quod *acrabbim*, id est scorpionibus abundaret, ait Lyran. Abulen. Dionys. Arias, et alii. Ab hoc *acrabbim*, id est loco scorpionum, dicta est Acrabatena urbs, et Acrabatenæ regio, quæ fuit una ex undecim Iudææ toparchiis, eratque terminus Samariæ, et confinium Amorrhæorum. Vide de ea S. Hieron. in locis Hebr. Iosephum lib. 2. belli c. 11. Adrichom. et alios Chorographos Terræ sanctæ. Vers. 36.

Petra.) Est nomen urbis in petra sitæ, in confinio Iudææ et Amalec. Alia fuit Petra in Arabia, quæ inde petræa est cognominata.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arguuntur Hebræi ab Angelo, quod idola colant. Inde vers. 11. recensetur causa institutionis Iudicum, scilicet quod Hebræi post mortem Iosue coluerint idola, ideoque Deus eos tradiderit Idumæis aliisque hostibus: unde ipsi pœnitentes ad Deum redierint, eiusque opem implorarint: qui proinde misit eis Iudices, ut ipsi Hebræos a servitute et tyrannide gentium liberarent.

1. Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad Locum flentium, et ait: Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in Terram, pro qua iuravi patribus vestris: et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum: 2. Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus Terræ huius, sed
aras eorum subverteretis: et noluistis audire vocem meam: cur hoc fecistis? 3. Quam ob rem nolui delere eos a

facie vestra: ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam. 4. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel: elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. 5. Et vocatum est nomen loci illius: Locus flentium, sive lacrymarum: immolaveruntque ibi hostias Domino 6. Dimisit ergo Iosue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: 7. Servieruntque Domino cunctis diebus eius, et seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini quæ fecerat cum Israel. 8. Mortuus est autem Iosue filius Nun, famulus Domini, centum et decem annorum, 9. Et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim, a Septemtrionali plaga montis Gaas. 10. Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat cum Israel. 11. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim. 12. Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de Terra Ægypti: et secuti sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos: et ad iracundiam concitaverunt Dominum, 13. Dimittentes eum, et servientes Baal et Astaroth. 14. Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere adversariis suis; 15. Sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, et iuravit eis: et vehementer afflicti sunt. 16. Suscitavitque Dominus iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt, 17. Fornicantes cum diis alienis, et adorantes eos. Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum: et audientes mandata Domini, omnia fecere contraria. 18. Cumque Dominus iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium. 19. Postquam autem mortuus esset iudex, revertebantur, et multo faciebant peiora quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, et viam durissimam, per quam ambulare consueverunt. 20. Iratusque est furor Domini in Israel, et ait: Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, et vocem meam audire contempsit: 21. Et ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, et mortuus est: 22. Ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, et ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. 23. Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, et cito subvertere noluit, nec tradidit in manus Iosue.

Vers. 1. **Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad Locum flentium.**) Primo ergo Angelus hic apparuit in Galgalis, ut ex loco Hebræos memores redderet professionis et obedientiæ Deo præstandæ, a se susceptæ et promissæ. In Galgalis enim se sacro Circumcisionis ritu initiaverant, et professi erant se legem Dei a Mose latam servaturos, sicut nos in Baptismo profitemur legem Christi. Ex Galgalis vero transtulit se Angelus ad locum, qui postea v. 5. ab eventu dictus est flentium, quo Israelitæ, hostium et miseriarum suarum sensu pressi, suam calamitatem deplorantes convenisse videntur, vel communi consilio, ut ibi de remedio inter se consultarent, vel potius monitu Angeli, qui apparens in Galgalis videtur monuisse Hebræos, ut ad Locum flentium se conferrent: habere enim se quod eis ibidem diceret, quodque calamitatis remedium suggereret.

Porro Rabbini censent hunc Angelum fuisse Phinees Pontificem; sed certum est fuisse proprie dictum Angelum: probabile est fuisse S. Michaelem, tum quia ipse erat præses et tutor Synagogæ, uti iam est Ecclesiæ; tum quia idem apparuit Iosue c. 5. v. 13. initio gubernationis suæ docens et dirigens eum. Unde videtur idem hic apparuisse, modumque suggessisse Hebræis impetrandi a Deo Iudices, qui eos a servitute liberarent. Quocirca hic Angelus loquitur in persona Dei, sicut legatus loquitur in persona sui Regis, ac populus putabat eum esse Deum, non Angelum. Ait enim: *Eduxi vos de Ægypto*, etc. Denique apparuit hic Angelus, atque hæc Hebræis dixit, non vivente adhuc Iosue, ut volunt Abulen. et Torniellus; nam vivente Iosue Hebræi coluerunt Deum verum, sed post eius mortem, cum nova progenies succrescens, ac cum vicinis gentibus, præsertim Tyriis et Sidoniis, conversans, ab iis utpote divitibus didicit colere eorum idola, Baalim et Astaroth. Ita Procop. Caiet. Serarius, et favet S. August.

Vers. 2. **Ita dumtaxat, ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ.**) Ne ipsi vos ad sua idola et scelera conversando pellicerent. Vetuit ergo Deus hæc fœdera: quare illa Hebræis fuere illicita, at non statim irrita. Hebræi enim ineuntes fœdus cum Chananæis, licet illicite, post contractum tamen de eo initum tenebantur illud servare, præsertim si iuramento id confirmassent: tum quia hoc exigit ius naturæ et gentium, alioqui enim tolleretur omne commercium, omnisque hominum societas, si fœdera et pacta violare liceret; tum quia hoc exigebat reverentia nominis divini in iuramento invocati, ne peierare viderentur si illud violarent: tum denique quia Chananæi nesciebant Deum vetuisse, multo minus irritasse hæc cum eis fœdera: quare valde scandalizati fuissent, si Hebræi ea violassent, ac tam ipsos quam Deum et religionem eorum blasphemassent. Postquam tamen eis palam constitit Deum hæc fœdera vetuisse, scandalizari non potuerunt, si Hebræi Deo obedientes illa rescinderent. Unde Esdras lib. 1. cap. 9. irritavit et separavit matrimonia Hebræorum cum gentibus contra legem Dei contracta. Etsi enim vera erant, rataque, tamen in ea lege erant solubilia per libellum repudii a Deo eis concessum, si iusta subesset causa, uti hic erat disparitas cultus, et periculum perversionis ab infideli, quod subibat coniux fidelis.

Quamobrem nolui (et etiamnum nolo, itaque statuo et decerno) **delere eos a facie vestra, ut habeatis hostes** (qui vos puniant, affligant, et ad Deum redire compellant) **et dii eorum sint vobis in ruinam.**) Tó *ut* in hac posteriore parte consecutive accipiendum est, non causaliter. Nec enim Deus santissimus poterat intendere hanc Hebræorum ruinam, lapsumque in idololatriam, sed tantum permittere ad puniendum præcedentia eorum peccata. q. d. Permisi vos a gentibus, quas contra meum iussum tolerastis, deduci ad colendos eorum deos, ut deinde vos castigarem et exterminarem: ruinam enim in culpam permittit Deus ob ruinam in pœnam: hac enim culpam castigare intendit. Non enim permittit Deus malum culpæ, nisi hoc fine, ut ex eo eliciat bonum, vel miserendi, vel si nolint uti misericordia, puniendi, puta ostendendi suam clementiam in condonando, vel iustitiam et vindictam in castigando, ut docet S. August. S. Thomas, ceterique Theologi. Vers. 3.

Ad omnes filios Israel.) Ad totum cætum Israelitarum, sive ad omnes qui convenerant. Vers. 4.

Et vocatum est nomen loci illius Locus flentium sive lacrymarum.) Septuag. κλαυθμών, id est *locus plangentium*, ab eventu iam dicto, quia, ut dixi v. 4. filii Israel audita comminatione Dei per Angelum, *levaverunt voces suas et fleverunt.* Vers. 5.

Quæres, Quis, et ubi fuit hic locus flentium, sive κλαυθμών? Resp. Adrichom. fuisse iuxta Galgala, inde enim ascenderat Angelus. Alii putant fuisse Silo, ibi enim erat Arca, unde eo confluebat populus ad sacrificandum, quod et hic fecit. Hinc sequitur: *Immolaveruntque ibi hostias Domino.*

*

Verum dico, locum flentium fuisse in tribu Iuda, iuxta Ierusalem a parte Occidentali, in sylva, sita ultra vallem Raphaim, quæ a tergo habebat Philisthinos. Id ita esse, liquet ex eo, quod David in hac eadem sylva latuerit, cum Philisthæos in valle Raphaim, ad motum cacuminum arborum sylvæ, aggressus cecidit, 2. Reg. 5. 24. Hunc enim locum fuisse *in sylvis, quæ loca flentium appellata sunt,* diserte ait Iosephus lib. 7. Antiq. 4. et clare Septuag. 2. Reg. 5. v. 23. *Accedes*, inquiunt, *ad eos propè Clauthmona*, id est locum flentium: *et erit cum audieris vocem collisionis a sylva Clauthmonis, tunc descendes ad eos.*

Nimirum voluit Deus hunc locum flentium esse exemplum perpetuum Hebræis, ad agendam pœnitentiam in fletu et lacrymis, quoties ipsi ex lege quotannis Ierosolymam ad templum oraturi et sacrificaturi pergerent.

Tropol. κλαυθμῶν, sive locus flentium est terra et vita hæc hominum, a Deo ob Adæ peccatum exulantium. Adam enim, et nos in eo, e paradiso eiecti sumus in hanc vallem lacrymarum, ut pœnitentia peccatum omne expiemus, ideoque damnati sumus ad mille labores, dolores, ipsamque mortem Genes. 3. et Psal. 83. 6.

Locus flentium est pœnitentia. Rursum locus flentium est pœnitentia et compunctio, ad quam concionator instar Angeli huius populum excitare debet, *ut moveat planctum, non plausum*, ait S. Bernard. nam ut idem ait serm. 39. in Cant. *lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum, quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis iucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ.* Vide Climacum Gradu 5. de pœnitentia, ubi miram priscorum compunctionem et lacrymas recenset in loco flentium, quem carcerem vocabant. B. Antiochus hom. 107. *Rorulentæ*, ait. *adspergines lacrymarum, ut dulcor mellis sunt cordi, aut suave fragrans thymiama apud Deum.* S. Chrysost. hom. 6. in Matth. *Sicut*, inquit, *post vehementes imbres mundus aer ac purus efficitur; ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissolvitur. Et sicut ex aqua et spiritu, sic rursus ex lacrymis et confessione purgamur.*

Immolaveruntque ibi hostias Domino.) Licet enim proprius immolandi locus esset in Templo, et ante Templum in Tabernaculo, quod tunc erat in Silo; tamen graves ob causas Iudæi subinde alibi immolabant, uti fecit Samuel in Bethlehem, 1. Reg. 16. v. 4. et 5. ac David in area Areuna Iebusæi, 2. Reg. 24. 25. Nam eo ipso quod ibi apparebat Angelus, et populum ad Deum propitiandum hortabatur, videbatur locum sanctum indicare, simulque potestatem ibi sacrificia offerendi facere. Addunt correcti Septuag. ascendisse Angelum istum etiam ad Bethel et domum Israel: quo significatur, eum varias Israelitarum urbes pervolasse, et incolas Siluntem coegisse; vel per Bethel et domum Israel intelligendi Bethelitæ et Israelitæ, qui eo loci convenerant. Ita Serarius.

Vers. 6. Dimisit ergo Iosue populum.) Est hic Hysteron proteron: repetit enim ex fine præcedentis libri Iosue, gesta eius quædam, ut inde commode et ordinate ad Iudicum, qui ei successere, institutionem et originem transeat. Hic enim liber connexus est libro Iosue, et historia Iudicum pendet ex historia Iosue, quasi a sui principio. Altius ergo a primo sui exordio, puta a Iosue, accersit hic Iudicum primordia.

Vers. 9. In Thamnath sare.) Hebr. et Septuag. *In Thamnat cheres*, id est in imagine solis, quæ sepulchro Iosue insculpta est, eo quod ipse stiterit solem, ideoque urbs eius *Thamnat sare* per Metathesin dicta est *Thamnat cheres.* Vide dicta Iosue 24. 30.

Vers. 10. Et servierunt Baalim.) Id est idolis, sive diis Gentium; nam per *Baalim* significantur omnes dii masculi, sicut per *Astaroth* omnes deæ feminæ. Porro *Baal* in singulari Hebr. significat Dominum. Unde Antonomastice deum suum vocarunt *Baal*, id est Dominum absolute. Primus autem Baal fuit Nemrod, quem coluere Assyrii: Nemrod autem fuit Baal, sive Belus pater Nini mariti Semiramidis. Idem ergo sunt Baal, Bal, Beel, Bel, Belus, etc. Ab Assyriis idolum et cultus Beli transiit ad Babylonios, ut patet Danielis cap. 14. v. 2. a Babyloniis ad Sidonios et Phœnices: inde omnia idola et dii Gentium, nomine dilatato, dicti sunt Baal, Bel, Baalim. Unde a Deorum, vel a locorum et eventuum varietate dicti Beelphegor, id est Priapus; Beelzebub, id est Deus musca; Beelsephon, id est Deus Aquilonis, vel Deus absconditus, puta Mercurius; Baal gad, id est Deus fortuna; Baal scemes, id est Deus sol, etc. Vide dicta Genes. 10. 10. Inde a Baal composita sunt nomina Punica (hæc enim lingua affinis est Hebrææ) Hannibal, id est Castrorum dominus; Hasdrubal, id est villarum vel atriorum dominus; Muthumbal, id est, mortis dominus, Adherbal, Maharbal, Ithobal, Ierobaal, etc. Ita S. August. hic quæst. 16.

Vers. 13. Astaroth quæ? Servientes Baal et Astaroth.) *Astaroth.* Quæres primo, cuius linguæ sit hæc vox, undeque dicta. Suidas in Astarte censet esse vocem Græcam, dictam ab astro: *Ab astro*, inquit, *cognomen fecerunt: ipsi enim esse luciferum fabulantur.* Et Phavorinus in Astarte: *Astarte*, ait, *astri simulachrum; ipsum astrum Lucifer*, quod Venerem nuncupant. Sic et Etymologicus, qui et causam addit: Præses enim astrorum est Dea hæc. Unde nonnulli censent Astartem esse Asteriam Deam, filiam Phœbi et Cei, quam Perses in uxorem duxit, de qua Hesiodus in Theogonia.

Verum errant: Astaroth enim est vox Syra, non Græca, significans oves, præsertim feminas, cum mammis turgent, et agnos suos lactant, ita dicta ab עתר *athar*, id est multiplicare, quod sint fœcundæ, et in Syria multos per annum pariunt agnos; atque ab עשר *asciar*, id est ditare, quod caseo, lana, lacte, fœtu heros suos ditent; unde veterum opes erant in ovibus, non in auro et argento.

Venus est. Quocirca multi censent Astartem esse *Venerem* cognomento πολυμαςου, id est *multimammeam*, vel potius μεγαλομαςου, id est *magnimammeam*, quod magnas haberet mammas, quod symbolum erat fœcunditatis, qualis est in ovibus feminis. Inde ergo hæc Dea ab ovibus effecta est a Tyriis et a Sidoniis, ut ab ea ovium fœcunditatem impetrarent, itaque ditarentur et bearentur. Hebr. enim אשר *asar* tam beare quam ditare significat, quia dives a mundo æstimatur beatus. Unde Cicero lib. 3. de Natura Deorum, *Quarta*, inquit, *Venus Syria, Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.* Sic et Herodot. libro primo. Diodor lib. 2. cap. 2. Theodor. lib. 1. Reg. 4. 14. ibique Procopius, Aquila et Scholiastes Græcus capite septimo. Audi et S. Hieron. in vita S. Hilarionis: *Cum infinito agmine monachorum pervenit Elusam eo forte die, quo anniversaria solemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cuius cultui Saracenorum natio dedita est.* Scribit Epiphan. hæresi 55. matrem Melchisedech dictam Astaroth sive Asteriam. Quid si hæc a posteris culta fuerit ut Dea, indeque Deæ dictæ sint Astaroth?

Porro *Astaroth* est numeri pluralis, tum ad emphasim, et honoris causa, ut hanc Deam plurium, imo omnium rerum dominam esse, significarent, quod rebus omnibus homines ditare possit, indeque Deus Hebraice vocatur Adonai, et Adomin, Elohim in plurali; tum quia Astartes nomen ad quaslibet Deas feminas translatum est. Erat enim Astarte Babyloniorum, quam S. Epiphan. hæresi decima nona, Dianam vocat: alia Carthaginensium, quam S. August. hic quæst. decima sexta, asserit fuisse Iunonem: alia Edessenorum, quam Lucianus ait fuisse Lunam. Hæc enim fœtus piscium, avium, ovium, dum plena est multiplicat, itaque homines ditat. Primitus enim prisci gentiles ignorantes Deum verum adorabant Solem et Lunam, a quibus omnis in terra fertilitas manat; unde eos Romani vocabant Iovem et Iunonem; Ægyptii Osiridem et Isidem; Syri Baalim et Astaroth. Quia enim ipsi videbant in terra fœcunditatem provenire præsertim a Sole et Luna, per calorem et pluviam, quibus terram humectant et fœcundant, hinc eos ut Deos coluere: hæc enim

sunt duo primaria astra in terram influentia. Accessit et tertium, scilicet stella Veneris sive Luciferi, quæ post Lunam ceteris stellis clarius emicat. Unde veteres dixere Venerem esse Lunam minorem. Lunam vero esse Venerem maiorem. Quocirca Herodianus libro 5. Astartem vocat Ἀςροαρχήν, *Astroarchen*, id est astrorum primatem et principem. Et Philo Bibliensis, Astarte, ait, imposuit proprio capiti regni insigne tauri caput, ut corniculatam Lunam significaret. Hinc et *Astaroh*, urbs in qua Astarte colebatur, cognominatur קרנים *carnaim*, id est *bicornis*, ob duo Lunæ cornua, quare nonnulli suspicantur hanc esse illam urbem, quam Plinius libro quinto, capite vigesimo, *Carne* nominat. Alludit quoque hoc nomen *Carnaim* ad cornua arietum et ovium, ut significetur cornuti gregis copia, ait Marinus in Lexico. Hebr. enim קרן *Keren*, id est *cornu* æque ac שק *sac*, id est *saccus*, in plurimas gentium linguas manavit.

Porro *Astaroth* proprie quidem significat oves, ut dixi; si tamen per diæresim legas עש תורת *as toroth*, significat *tineam legum*, ait Pagnin. quia idola et idololatria instar tineæ consumunt omnes hominis facultates, leges, virtutes, opes et vires. Diabolus enim ita sui cultores ludificat, ut eis temporalia promittat, æterna adimat, sed temporalia modica quibus eos lactavit auferat. Ipse enim est tyrannus, ac sicut Deum odit pessime, sic et Dei creaturas, præsertim homines, ut non nisi eorum damnum, noxam, exitium tam corporis quam animæ sitiat.

Tropol. *Astaroth* cuique est sua concupiscentia, nam ut ait Origen. hom. 2. *Unusquisque quod præ ceteris colit, quod super omnia miratur et diligit, hoc ei Deus est.* Sic guloso *Deus venter est*, ait Paulus Philip. 3. 19. et Virgil. 9. Æneid.

Sua cuique Deus sit dira cupido.

Et alter:

Ambitiosus honos, et opes, et blanda voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Vers. 14. Et vendiderunt hostibus.) Hebr. et Septuag. *Et vendidit*, scilicet Deus. q. d. Deus Israelitas quasi idololatras vendidit, id est tradidit hostibus, ut eos vexarent, spoliarent, in servitutem redigerent, occiderent. Noster pro וימכרם *vaimkerem*, id est *vendidit eos*, legit וימכרם *vaimkerum*, id est *vendiderunt eos*.

Vers. 15. Manus Domini super eos erat.) *Manus*, scilicet vindex, vindicans et flagellans, q. d. Vindicta Dei ubique eos insequebatur, exagitabat et male mulctabat.

Vers. 16. Viam durissimam.) Quia erant inobedientes et duræ cervicis: via ergo durissima erat eorum impia et obstinata, colendi idola, aliaque scelera patrandi, consuetudo.

Vers. 22. Ut in ipsis experiar Israel.) Ut scilicet per experientiam ostendam et palam faciam, an Israelitæ me colant, meamque legem custodiant, an vero Chananæorum Idola. Nam Deus ipse, utpote cui omnia sunt præsentia, quique omnia, etiam futura una mentis cernit in ictu, non eget experientia, quia ipse omnia præscit et prænoscit antequam fiant. Porro hæc Dei experientia consistebat in permissione occasionis et tentationis, quæ hic Hebræis obiiciebatur. Nam Iudæi simul viventes cum Chananæis vicinis, cum eisque conversantes, ab eis sollicitabantur, ut secum sua idola colerent. Ita Abulen. Secundo, *ut experiar*, hoc est ut omnibus notum fiat, Israelitas me colere, quando subtrahentes se a communione et vita Chananæorum, me opitulante eos superabunt: et vice versa quod me non colant, quando eis adhærentes, ab eis superabuntur et dire affligentur. Ita Lyran. et Dion. Tertio et germanius, *ut experiar*, Hebr. נסות *nassot*, id est, *ut tentem eos*, hoc est ut eos stimulem, pungam, affligam, atque hoc stimulo et afflictione probem et experiar (hoc est ita me geram ac si vellem experiri, et per experientiam ignoti alicuius cognitionem exquirere. Est Catachresis. Deus enim omnia novit ab æterno, sed experiri dicitur anthropopathos. cum rem occultam probando vel tentando manifestam facit) *utrum ipsi custodiant*, hoc est utrum ipsi custodire velint *viam* (legem) *Domini*: hactenus enim custodierunt viam, id est legem Baalim, id est

A idolorum quæ coluerunt, uti paulo ante dixit. Τὸ *custodiant* ergo significat actum non perfectum vel proficientem, sed inchoantem, ac mutata mente destinatum et incipientem. q. d. Israelitæ hactenus me relicto coluerunt idola, permittam ergo eos a Chananæis affligi, ut experiar an per hanc afflictionem ad cor redeant, et ad me meique cultum revertantur, itaque incipiant custodire meas leges a Mose sancitas. Quod si fecerint, ego eos a Chananæorum tyrannide et oppressione liberabo: si non fecerint, permittam eos gravius ab illis affligi, contundi et opprimi. Porro multi inter Israelitas erant sani in fide, nec deflexerant ad colendum Baal, sed persistebant in avita patrum religione, veroque unius Dei cultu: hos Deus per Chananæos probare et experiri voluit, *utrum custodiant*, id est custodire pergant *viam* (id est legem) *Domini*; utrum scilicet minis et plagis Chananæorum territi, vel prosperitate, opibus et commodis eorumdem allecti, a Deo vero ad eorum idola desciscerent, cum eisque commercia et connubia contraherent; an vero constan-B ter hæc omnia contemnerent, solique Deo suo fideliter firmiterque adhærerent: quod si facerent, a iugo Chananæorum eos liberarem; sin autem, eos illo durius premi permitterem; sicque eos erudirem, doceremque mihi servire, non idolis. Unde Noster Hebr. *nassot* mox cap. sequenti v. 1. vertit, *ut erudiret in eis Israelem*: per Chananæos enim Iudæi experti sunt, quam Deus flagellet apostatas a Deo ad idola desciscentes, quamque liberet et tueatur, prosperetque eos, qui in sui cultu firmiter persistunt, aut ab idolorum cultu pœnitentes ad Deum redeunt.

Huic sensui apte insistit Tropologia, quam affert S. Gregor. lib. 3. Dialog. c. 14. in fine. *Dominus*, inquit, *Chananæos diutius reservavit, ut in eis experiretur Israel: quia nonnumquam, ut dictum est, eis etiam quibus magna dona tribuit, parva quædam reprehensibilia relinquit: ut semper habeant contra quod bellum gerant, et devictis magnis hostibus mentem non erigant, quando eos adhuc adversarii etiam minimi fatigant. Fit itaque ut mi-*C *ro modo una eademque mens et virtute polleat, et ex infirmitate lassescat, quatenus et ex parte constructa sit, et ex parte conspiciat esse destructam: ut per bonum quod quærit et habere non valet, illud servet humiliter quod habet.* Hinc et S. Bernard. *Iebusæus*, inquit, *velis nolis in terra tua habitat* (scilicet concupiscentia in carne) *subiugari potest, exterminari non potest.*

Permisit ergo Deus Chananæos nonnullos, noluitque omnes a Iosue exscindi a Chananæa variis de causis. Primo, ut ipsi Hebræorum apostasiam et idololatriam sua oppressione castigarent. Secundo, ut Deus experiretur an hac afflictione ad se redirent, imo eos redire quasi compelleret. Erant enim Chananæi quasi stimuli pungentes Hebræos, cogentesque ad Deum colendum, eiusque opem implorandam, ut hostium oppressione ipsos liberaret. Tertio, quia non sufficiebant Hebræi ad omnem terram Chananæorum incolendam et excolendam. Chananæis ergo eius partem permisit, ut ipsi eam colerent, ne a lupis et feris illa occuparetur cum damno et noxa Hebræorum. D Hanc rationem dat Deus Exodi 23. 29. *Non eiiciam*, inquit, *eos a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiæ.* Quartam causam dat cap. sequenti v. 2. *Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi*, ut scilicet vitarent otium, quod ignaviæ omnisque malitiæ est causa, utque bellis assuescerent, quæ crebra habituri erant cum vicinis gentibus, uti habuit David.

(Chananæi aliqui relicti. Cur? Causa. 1. 2. 3. 4.)

Simili de causa olim cum ventilaretur Romæ in Senatu, an delenda esset Carthago iam quasi subacta, ac Cato suaderet, urgeretque delendam, utpote Romanis tam periculosam et infestam; Scipio Nasica suasit et persuasit non esse delendam ob belli et bellandi exercitium, ut scilicet Carthago esset cos iuventutis Romanæ, qua Romani discerent bella gerere, militiæ assuescerent, corda et corpora ad frigoris, æstus, famis, omnisque incommodi tolerantiam obdurarent, idque recte et sapienter: nam deleta Carthagine virtus Romanorum otio, inertia et luxu

elanguit et defluxit. Unde Iuvenalis Satyra sexta causam cur prisci Romani fuerint casti, sobrii, vigiles, hanc dat:

Proximus urbi
Hannibal, et stantes collina in rupe mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala, sævior armis
Luxuria incubuit, totumque ulciscitur orbem.

Hinc et Spartani non permiserunt suo regi delere urbem hostilem, dicentes: *Noli abolere cotem iuventutis nostræ.*

Hinc vicissim Lycurgus, teste Plutarch. in eius Vita, sanxit ne Lacedæmones cum iisdem hostibus diu sæpeque bellarent; ne videlicet docerent eos arma tractare, itaque sua militari arte et industria tandem Lacedæmones superarent et subiugarent. Idem principium et militare et politicum habet et observat Turca. Quocirca Agesilao Spartæ Regi assidue cum Thebanis bella gerenti, et in A pugna quadam vulnerato salse dixit Antalcidas: *Pulchram a Thebanis mercedem reportas, quos invitos et nescientes pugnare docuisti*: nam nunquam bellicosiores fuere Thebani, quam dum a Spartanis sive Lacedæmoniis bello crebro fuere impetiti.

Tropologicam causam dat Abbas Daniel apud Cassian. collat. 4. c. 6. dicens: *Quam utique pugnam non invidens Deus quieti Israelis, nec male eidem consulens, sed sciens esse utilissimam, reservavit, ut dum gentium semper istarum impugnatione deprimeretur, nunquam se sentiret auxilio Domini non egere, et ob id semper in eius meditatione et invocatione persistens, nec inertia solveretur, nec bellandi usum et exercitia virtutis amitteret. Frequenter enim quos superare non potuerunt adversa, securitas et prosperitas deiecerunt.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi ob coniugia cum Chananæis inita, indeque secutum idolorum cultum, tyrannorum servitute pressi, pœnitentes invocant Dominum, qui eos liberat primo a Chusan Rege Mesopotamiæ per Othonielem, qui proinde fuit primus eorum Iudex et Princeps. Secundo, vers. 12. ab Eglon Rege Moab per Aod, qui fuit secundus Iudex. Tertio, vers. 31. a Philisthinis per Samgar, qui fuit tertius Iudex.

1. HÆ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et omnes qui non noverant bella
Chananæorum: 2. Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem
præliandi: 3. Quinque satrapas Philisthinorum, omnemque Chananæum, et Sidonium, atque Hevæum,
qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath. 4. Dimisitque eos, ut in ipsis
experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.
5. Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Iebusæi:
6. Et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum 7.
Feceruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, servientes Baalim et Astaroth. 8. Iratusque
contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis.
9. Et clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium
Cenez, fratrem Caleb minorem: 10. Fuitque in eo Spiritus Domini, et iudicavit Israel. Egressusque est ad pugnam,
et tradidit Dominus in manus eius Chusan Rasathaim, regem Syriæ, et oppressit eum. 11. Quievitque terra
quadraginta annis, et mortuus est Othoniel filius Cenez. 12. Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu
Domini: qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu eius. 13. Et
copulavit ei filios Ammon, et Amalec: abiitque et percussit Israel, atque possedit Urbem palmarum. 14. Servieruntque
filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis: 15. Et postea clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit
eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Iemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filii
Israel per illum munera Eglon regi Moab. 16. Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum
longitudinis palmæ manus, et accinctus est eo subter sagum in dextro femore. 17. Obtulitque munera Eglon regi
Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. 18. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerant.
19. Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad Regem: Verbum secretum habeo ad te, o Rex. Et
ille imperavit silentium: egressisque omnibus qui circa eum erant, 20. Ingressus est Aod ad eum: sedebat autem
in æstivo cœnaculo solus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. 21. Extenditque
Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventre eius. 22. Tam valide, ut
capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat,
reliquit in corpore: statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt. 23. Aod autem clausis diligentissime
ostiis cœnaculi, et obfirmatis sera, 24. Per posticum egressus est. Servique regis ingressi viderunt clausas
fores cœnaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo 25 Expectantesque diu donec erubescerent,
et videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: et aperientes invenerunt dominum suum in terra iacentem
mortuum. 26. Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, et pertransiit locum idolorum, unde reversus fuerat.
Venitque in Seirath: 27. Et statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderuntque cum eo filii Israel,
ipso in fronte gradiente. 28. Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas
in manus nostras. Descenderuntque post eum, et occupaverunt vada Iordanis quæ transmittunt in Moab: et non
dimiserunt transire quemquam: 29. Sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos
et fortes viros. Nullus eorum evadere potuit. 30. Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel: Et
quievit Terra octoginta annis. 31. Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros
vomere: et ipse quoque defendit Israel.

Vers. 1. UT ERUDIRET.) Ut scilicet doceret eos tractare arma, modumque pugnandi cum hostibus, per assiduum cum Chananæis bellandi exercitium. Rursum, ut doceret colere Deum, non idola; ob hæc enim traditi sunt Chananæis, a quibus eos Deus liberavit. Heb. est נַסּוֹת *nassot*, id est, *ut tentaret*, de quo dixi cap. præcedenti v. 22. ubi Noster vertit, *ut experiar*. Porro addit: *ut erudiret Israelem, et omnes qui non noverant bella Chananæorum*. Ubi τὸ *et* est exegeticum, significans, id est. q. d. Voluit Deus per Chananæos erudire Israelem, hoc est omnes iuniores Israelitas, qui non noverant bella, quæ patres eorum Duce Iosue gesserant contra Chananæos, itaque bellorum erant inexperti: quare ut per experientiam discerent pugnare cum hostibus, idcirco Deus reliquit Chananæos quasi antagonistas, cum quibus assidue bellarent. Unde explicans subdit:

Vers. 2. UT POSTEA DISCERENT FILII EORUM CERTARE CUM HOSTIBUS, ET HABERE CONSUETUDINEM PRÆLIANDI.) Iuxta sensum iam datum, qui clarus est et obvius, quem proinde tradunt Latini plerique, licet Rabbini aliter explicent. q. d. Ut discerent iuniores Israelitæ bellorum inexperti quid sit præliari cum Chananæis; quam scilicet noxia sint bella, utpote per quæ suis opibus, libertate, et sæpe vita ab eis spoliabantur, ideoque caverent peccata, ob quæ Deus hæc cum eis bella permittebat. Scilicet dulce bellum inexpertis, expertis autem amarum. Sic Adam comedendo pomum vetitum, per experientiam didicit bonum et malum, quam scilicet bonum sit obedire Deo, et quam malum non obedire, utpote per quod mortem et tot ærumnas ipse cum omnibus posteris incurrit.

Vers. 3. QUINQUE SATRAPAS PHILISTHINORUM.) Id est, quinque Præfectos sive Principes Philisthinorum. Erant enim quinque urbes eorum, scilicet Ascalon, Accaron, Azotus, Geth et Gaza, quæ cum suis vicis et pagis singulas constituebant satrapias sive præfecturas, quibus totidem præerant satrapæ sive præfecti. Repete ex vers. 1. τὸ, *Dominus dereliquit*, etc. *quinque satrapas Philisthinorum omnemque Chananæum*. Iosue plurimos Chananæos deleverat. Hic ergo per Chananæum accipe Phœnices: hi enim ex Chanaan oriundi sæpe etiam a profanis scriptoribus vocantur Chananæi, uti dixi in Iosue, et Proverb. 31. 24. Unde et mulier Chananæa, Matth. 15. 22. a Marco vocatur Syrophœnissa, qui oriunda ex Phœnicia puta ex finibus Tyri et Sidonis: Phœnices enim nunquam ab Hebræis fuere subacti, multo minus exacti, etsi eorum regio comprehenderetur terminis terræ promissæ. Unde explicans subdit: *Et Sidonium*. Sidon enim erat caput Phœniciæ: hæc autem urbs nomen accepit a Sidone filio Chanaan, Genes. 10. 15.

Vers. 7. SERVIENTES BAALIM ET ASTAROTH.) Ita legit Noster in Hebr. Alii cum Septuag. legunt אשרות *ascerot*, id est *lucis*. Luci erant sylvæ diis dicatæ, in quibus erexerant aras ad iis sacrificandum. Serviebant ergo *lucis*, id est idolis quæ colebant in lucis. Est metonymia.

Vers. 8. TRADIDIT (Hebr. וימכרם *imcherem*, id est vendidit eos. *Vendidit*, id est tradidit, perinde ac si eos ipsis vendidisset. Est catachresis, significans plenam traditionem, talis enim est rei venditæ,) EOS IN MANUS CHUSAN RASATHAIM REGIS MESOPOTAMIÆ, SERVIERUNTQUE EI OCTO ANNIS.) Hæc prima Hebræorum fuit servitus, primaque idolalatriæ eorum in Terra sancta castigatio, qua traditi sunt Regi Mesopotamiæ. Ita dicitur regio, quæ in medio duorum ποταμῶν, id est fluminum, scilicet Tigris et Euphratis, sita est, iisque ambitur et circumdatur. Unde Hebr. vocatur ארם נהרים *Aram naharaim*, id est Syria duorum fluminum, sive duobus fluminibus iam dictis intercepta, erat enim multiplex Syria.

Porro *Chusan Rasathaim* Hebr. idem est quod *Æthiops* (Chusim enim sunt Æthiopes, ita dicti a Chus filio Cham, Genes. 10.) *duarum impietatum*, ait Pagnin. qualis erat hic tyrannus, quia Hebræos tyrannide opprimebat, et quia eos ad suos deos colendos alliciebat.

Talis Tropol. est diabolus, ait Origen. cui Deus vexandos tradit homines, dum contra eum superbiunt, ut eos

A humiliet, affligat et conterat, donec resipiscant, et sub Deo se humilient. Talis quoque est Turca, et quilibet hostis, ait Serarius. Dupliciter vero improbus est, qui nec Deum timet, nec homines veretur; qui et in animam et in corpus suum peccat; qui iuxta superbus est et libidinosus, qui susque deque fert mortales et veniales culpas. Duplici nos malo afficit, qui animum religione, corpus libertate solitisque commodis spoliat: qui spiritalia et temporalia eripit, qui a timore Dei nos abducit, et vitiis nos servire facit, qui et in præsentis sæculi ærumnas, et in æterna futuri sæculi supplicia nos coniicit.

Audi Anastasium Nicænum post quæst. 92. p. 268. *Quomodo*, ait, *civitates nutriunt lictores, ut homicidas et sepulchrorum effossores, et qui alia huiusmodi scelera admittunt, per eos puniant, non laudantes quidem, sed valde etiam odio habentes eorum instituta, ferentes tamen propter usum eorum ministerii: ita etiam mundi administrator concedit ut sint tyranni tanquam quidam lictores, ut per eos pœnas sumat de impiis et sceleratis.*
B *Postea autem eos quoque exactissimo tradit supplicio, quoniam non tanquam Deo ministrantes, sed suæ improbitati servientes, gravia illa et intoleranda fecerunt. Sic Israelem, cum peccasset, Assyriorum tradidit crudelitati; postquam autem isti ne agnoverunt quidem fructum supplicii, vel potius scopum et institutum, tunc eorum quoque fracta potentia coegit eos servire aliis, ut docent etiam Prophetæ. A quibus Plato, ut arbitror, suffuratus occasionem, dicit eos qui sunt incurabiles castigare ad aliorum utilitatem.*

ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM, QUI SUSCITAVIT EIS SALVATOREM, ET LIBERAVIT EOS, OTHONIEL VIDELICET.) Advertendum, ait S. August. quæst. 18. *Salvatorem etiam dici hominem, per quem Deus salvos faciat.* Simile est 4. Reg. 13. 5. *Dedit*, ait, *Dominus salvatorem Israeli*. Et 2. Esdræ 9. 27. Sic Plato lib. 5. de Republ. Principes vocari vult *Reipubl. Salvatores*.

Fuere ergo Iudices Israelis salvatores, ideoque figuræ Vers. 9.
C et typi Iesu Christi Salvatoris mundi. Unde S. Hieron. ad Paulinum epist. 103. *In Iudicum libro*, ait, *quot principes populi, tot figuræ sunt.* Iudices salvarunt populum in corpore, Iesus sanat fideles in anima; Iudices profligarunt tyrannos, Iesus dæmones mundum opprimentes. Quocirca nomen Iesus formidabile est dæmonibus, adeo ut eo audito diffugiant. Audi S. Chrysost. Homil. 8. in Epist. ad Rom. *Sunt nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini Iesu Christi: tum ipsius crucis potentia. Huiusmodi incantatio non solum draconem de speluncis abigit, atque ita in ignem coniicit, sed et vulneribus quoque medetur. Hoc tamen et dæmonibus terribile est, et perturbationibus et ægritudinibus salutare. Hoc igitur ornemur ipsi: hoc tanquam muro nos muniamus.* Et Origen. lib. 1. contra Celsum, *Tanta*, ait, *vis nomini Iesu inest contra dæmones, ut nonnumquam a nobis nominatum sit efficax: Quod docens Iesus dicebat: Multi mihi dicent in die illa: In nomine tuo dæmonia eiecimus.* Et Theodor. in Epist. ad Philemonem, *Sufficit*,
D ait, *nobis nominis mentio ad efficiendum ut revereatur vel maxime adversarius*, etc. Mirum, sed multis comprobatum exemplis, quod Thyreus noster ait in libro de Dæmoniacis cap. 42. num. 22. *Sagis*, inquit, *et iis qui se diabolo devoverunt mandari et serio præcipi scimus, ut si quando nocturnos conventus habent, prorsus a nomine Iesu abstineant, quamquam Iesum abiuraverint. Scimus subito et diabolum et præsentem turbam disparuisse, si quando collegarum alicui etiam præter intentionem nomen Iesu excidisset*, etc.

Tropol. Salvatores Iesum Salvatorem imitantes sunt ii, qui animas in viam salutis dirigere satagunt. Audi Rupertum: *Si ergo illos dixit Salvatores*, nempe Scriptura, *per quos Deus temporaliter liberavit Israel; quanto magis recte illi dicuntur salvatores, quorum labor Salvatori nostro Deo ad nostram æternam salutem cooperatus est*, etc.

Idcirco S. Ignatius fundator Societatis nostræ noluit

nos vocari Ignatianos, sed Societatis Iesu, ut hoc nomine nos extimularet ad strenue procurandam animarum salutem. Valentinianus Imper. teste Vopisco, laudavit Probum (qui et postea Imperator extitit) quod esset *vir sui nominis*, scilicet bonus et probus. Simus et nos viri nominis nostri, ut quasi socii Iesu salvare omnes contendamus. Militi adolescentulo, qui Alexander vocabatur, dicebat magnus Alexander in Tyri expugnatione: *Animose o commilito, fac facinus nomine quod geris dignum*, etc. Huc spectat quod de Diadumeno puero narratur, cum et imperio et Antonini nomine donaretur: *Ego*, inquit, *elaborabo ne desim nomini Antoninorum. Scio enim me Pii, me Marci, me Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile est.*

Præclare S. Aug. tract. 5. in Epist. 1. S. Ioannis: *Quomodo*, inquit, *te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, et facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisque paganum, tu factis te ostende Christianum: nam si factis non ostendis te Christianum, quid prodest nomen, ubi res non invenitur?*

Denique audi S. Hieron. in Abdiam sub finem: *Ipsa*, inquit, *Petra Petro donavit ut petra sit. Pastor quoque bonus Apostolis pastorum largitus est nomina, et quodcumque dicitur de eo, servis tribuit ut dicantur. Sic ipse Salvator Apostolos suos mundi esse voluit salvatores.*

Fratrem Caleb.) Vide dicta Iosue 15. 17. Porro Philo Biblicus asserit Iosue morienti in principatu successisse Cenez, eumque præfuisse Israeli 57. annis, et multa miraque eius gesta dictaque enarrat. Post Cenez vero præfuisse Israeli Zebul per 25. annos, post hunc Debboram et Barac. Verum hæc repugnant S. Script. quæ post Iosue primum Iudicem assignat Othoniel, secundum Aod, tertium Samgar, quartum Barac. Quare Philo iste non Biblicus est, sed errorum et nugarum Bibulus.

Vers. 10. Fuitque in eo spiritus Domini, et iudicavit (id est vindicavit et ab oppressione Chusan Rasathaim liberavit) Israel.) *Spiritus Domini*, id est fortitudo, prudentia, et maxime impetus ad bellandum, ardorque et zelus ad vindicandum suos populares in libertatem, a Deo Othonieli aspiratus et inspiratus. Omnis enim virtus et qualitas, sive naturalis sive supernaturalis, omnisque gratia, tam gratum faciens quam gratis data, uti est fortitudo bellica, in Script. vocatur spiritus, ut recte advertit Abul. Sic peritia fabricandi tabernaculum a Deo indita Beseleeli, vocatur spiritus, Exodi 31. 3. Vide ibi dicta. Unde sequitur: *Et iudicavit Israel*, tum moribus et legibus bellicis Israelitas instruendo, tum potius sumendo de hostibus Mesopotamis vindictam, eosque supprimendo. Simili phrasi dicitur spiritus Domini induisse Gedeonem, id est eum incitasse et direxisse ad bellum Madianiticum. Sic sæpe dicitur spiritus irruisse in Samson cap. 14. 6. et seq. quotiescumque eum impulit ad heroica fortitudinis opera generose aggrediendum. Sic spiritus Domini dicitur insiliisse in Saul, cum eum incitavit ad liberandum Hebræos a tyrannide Naas Regis Ammon, 1. Reg. 11. 6.

Vers. 11. Quievitque terra quadraginta annis, et mortuus est Othoniel.) *Quadraginta annis*, id est usque ad annum quadragesimum, quo officio Iudæis perfunctus et defunctus est Othoniel, primus Israelis post Iosue Princeps. Hebræi enim sæpe numeros cardinales pro ordinalibus sumunt, uti ostendi Canone 1. et 2. ac Exodi 12. 40. Adde, terram Israel quievisse (id est cessasse a præliis, uti explicatur Iosue 14. 15.) per 40. annos, quia videlicet sub Othoniele pauca fuerunt bella: nam initio Hebræi a Chusan fuere suppressi; deinde post victoriam de eo ab Othoniele habitam ita erecti et elevati, ut hostes eorum omnino quiescerent, nec eos invadere auderent. Ita Ribera lib. 1. de Templo c. 1.

Porro Othonielis 40. in imperio annos ita probabiliter coniectando distribuit noster Salianus, ut primis 17. eius annis, quibus adhuc post Iosue vixere seniores, Israel Deo vero servierit, inde deflexerit ad colendum Baalim et Astaroth per annos circiter quinque: quo-

A circa traditus Regi Mesopotamiæ ei servierit per annos octo, scilicet ad annum trigesimum Othonielis, qui ultimis decem vitæ suæ annis eum debellavit, pacemque et quietem Israeli reddidit. Unde apposite *Othoniel* Hebr. significat *tempus Dei*, vel *tempus meum Deus*, ait Pagnin. fuitque typus Christi Salvatoris, ait Rupert. qui tempore a Deo præfixo in mundum per incarnationem descendit, ut eum a Chusan, id est Æthiope, puta diabolo oppressum liberaret et redimeret.

Qui confortavit adversum eos Eglon Regem Moab.) Vers. 12. Dices: Ergone Deus excitavit Eglon ad bellum iniustum contra Hebræos, ut tyrannice eos opprimeret, ac consequenter ad peccatum et tyrannidem? Resp. Deus dicitur excitasse Eglon, Nabuchodonosor, Cyrum, Alexandrum, etc. ad bellandum contra Iudæos, aliasque gentes, quia ipsorum scelera per illos gastigare destinabat. *Deus confortat tyrannos.*
Fecit autem idipsum primo, augendo Eglon, Cyro, etc. 1.
vires et animos, consilium et dexteritatem præliandi, item socios fœderatos, arma, milites, quibus confortati in-
B vaserunt Iudæos vel alias gentes. Secundo, ex adverso 2.
infirmando vires, milites, arma Hebræorum, eisque animum eripiendo, ac terrorem et pavorem immittendo. Ita S. August. de gratia et lib. arbitr. c. 20. idque probat ex illo Iosue cap. 7. 12. *Non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet.* Tertio, immittendo Eglon Regi 3.
cogitationem quod terra Israel fertilis foret et dives, æque ac inermis et a Deo deserta, Deumque velle gravia eorum scelera punire. Quarto, omnia belli impedimenta 4.
submovendo, dandoque ei prosperos præliorum successus et victorias, quibus omnibus bene vel male uti poterat Eglon. Sunt enim hæc bona adiaphora sive indifferentia, quibus quis bene vel male uti potest pro suo arbitrio: prævidebat tamen Deus Eglon Regem ex mala sua voluntate, et imperii ambitu dominandique cupidine iis male usurum, bellumque imperandi libidine Hebræis iniuste illaturum et prosecuturum, quod ipse permittere decrevit ut per eum Hebræos peccantes castigaret. Vide
C dicta Exodi cap. 7. v. 3. et c. 11. 2.

Ulterius non poterat Deus directe Eglon Regem incitare ad bellum Hebræis inferendum, nisi iustam belli causam haberet Rex, quæ nulla hic liquet; vel nisi ipse Regi suam indicaret voluntatem, scilicet velle se punire scelera Hebræorum, ac ad hoc Rege uti quasi administro et castigatore, quod Nabuchodonosori Deum indicasse opinatur Abul. ex illo Isaiæ 5. 26. *Elevabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ:* cui Dei voluntati et instinctui si Eglon se conformasset, utique bellum iustum auctoritate divina contra Hebræos gessisset; fuisset enim quasi lictor, carnifex, et executor vindictæ et iustæ sententiæ a Deo contra Hebræos latæ. Verum quia Tyrannorum animi magis ad opes, gloriam, dominatum, quam ad Dei voluntatem attendunt, hinc bella eorum plerumque sunt iniusta; nec Deus eis suam voluntatem revelat, ut eis tribuat potestatem fideles invadendi, sed eorum superbia et tyrrannide utitur, permittendo illam ad fidelium castigationem.

D Et copulavit (scilicet Deus vindex, ut patet ex Heb. Vers. 13.
et Septuag.) ei filios Ammon.)

Possedit urbem palmarum.) Puta Iericho: hæc enim erat fertilissima et opulentissima, eratque iuxta Iordanem, ut ex Moab, sita trans Iordanem, facilis in Iericho esset transitus; utque occupato Iordane separaret tres tribus trans Iordanem sitas a ceteris novem cis Iordanem sitis, ne sibi mutuo opem ferre possent.

Servieruntque filii Israel Eglon Regi Moab Vers. 14.
decem et octo annis.) Nota: in hoc libro sæpius recensentur plures oppressionis et servitutis Hebræorum anni; sed hi omnes intra præcedentium vel sequentium Iudicum annos includuntur. Negat id Melchior Canus l. 1. de locis ad 12. argum. sed constanter uno ore affirmant Hebræi, Græci, Latini, ac nominatim Eusebius, S. August. Orosius, Isidor. Beda in Chron. Lyran. Abulen. Dionys. Adrichom. Genebrard. Salianus, Torniellus, Ribera lib. 1. de Templo cap. 1. et alii passim; idque satis *Anni servitutis intra annos Iudicum includi.*

Prob. I. colligitur ex cap. 15. vers. ult. ubi Samson dicitur iudicasse Israel viginti annis in diebus Philisthiim, quibus scilicet Philisthini oppresserunt Hebræos per 40. annos, uti dictum est cap. 13. 1. Ergo eodem tempore quo Hebræi a Deo traditi sunt Philisthinis, saltem posterioribus annis Samson fuit excitatus a Deo, ut eos ab illis liberaret uti cap. 13. vers. 2. et seq. narratur. Quare ex 40. illis annis viginti posteriores continentur intra viginti annos Samsonis, viginti autem priores inter annos Iudicum, qui Samsonem præcesserunt.

II. Secundo, idipsum liquet ex 3. Reg. 6. v. 1. ubi ab ingressu Hebræorum ex Ægypto usque ad annum quartum Salomonis, quo ipse cœpit fabricare templum, numerantur præcise anni 480. ergo servitutis anni non sunt computandi. Si enim illos computes, invenies centum et undecim plures, puta 591. non 480. et licet id concedat Melchior Canus, ac noster Serarius eodem inclinet, quasi 480. illi anni tantum sint anni quibus præfuerunt Iudices, non quibus oppressi a tyrannis Hebræi eis servierunt; hos enim fuisse 591. tamen hoc directe adversatur Scrip. quæ totum tempus ab exitu ex Ægypto usque ad annum quartum Salomonis numerans, præcise consignat annos 480. Audi eius verba: *Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zib (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino.* Sic enim uniformiter habent Hebr. Chal. Græca et Latina. Quare errat Iosephus, vel certe mendum est in Iosepho, dum ipse numerat annos 592.

Porro hos 480. annos licet varii varie numerent, verisimillimus tamen est computus Ariæ Montani in Daniele, quem fere sequuntur Adrichom. Salianus, Torniellus et alii: nimirum Hebræi ab egressu ex Ægypto tendentes in Chanaan peregrinati sunt in deserto annis 40.

Inde a Iosue usque ad Othonielem primum Iudicem fluxere anni 17.

Othonieli Script. hic assignat annos 40.

Aod qui successit Othonieli hic v. 30. attribuit annos 80.

Samgar qui Aod secutus est omnes dant pauculos menses, idque vers. 31. sat indicatur.

Barac et Debboræ cap. 5 ult. memorantur anni 40.
Gedeonis pariter cap. 8. vers. 28. recensentur anni 40.
Abimelech Gedeonis filio cap. 9. 22. dantur anni 3.
Tholæ cap. 10. vers. 2. dantur anni 23.
Iair cap. 10. vers. 3. anni 22.
Iephte cap. 12. vers. 7. anni 6.
Abesan cap. 12. vers. 9. anni 7.
Ahialon cap. 12. vers. 11. anni 10.
Abdon cap. 12. vers. 14. anni 8.
Samson cap. 15. ult. anni 20.
Heli 1. Reg. 4. 18. anni 40.
Samueli et Sauli Actor. 13. v. 21. tribuuntur anni 40.
Davidi 3. Reg. 2. 11. anni 40.
Salomoni 4.

Adde omnes hos annos, et invenies præcise numerum prædictum 480. annorum.

Porro de omnibus his res certa est, accepto Iosue cui nonnulli dant annos non 17. sed 27. et Samsone, cuius annos viginti aliqui includunt in 40. annis Heli, sed perperam, constat enim Samsonem fuisse Iudicem (dicitur enim cap. 15. 20. iudicasse Israel) distinctum ab Heli qui ei successit. Quare cum Script. Samsoni assignat annos 20. cap. 15. ult. et cap. 16. ult. hi utique ei seorsim ab Heli dandi sunt. Ex hoc computu collige, Iosue dandos esse annos 17. non 27.

Quæres, Quotnam sunt servitutis Hebræorum anni hoc libro recensiti, sive quoties, quando, et quamdiu Hebræi servierunt aliis gentibus? Resp. servivisse annis centum et undecim, ut patet ex enumeratione quam subiungo.
Hebræi servierunt Chusan Regi Mesopotamiæ, ut patet c. 3. 8. annis 8.
Eglon Regi Moab, ut patet cap. 3. 14. annis 18.
Iabin Regi Chanaan, ut patet c. 4. 3. annis 20.

A Madianitis, ut patet cap. 6. 1. annis 7.
Philisthæis et Ammonitis, ut patet c. 10. 18. annis 18.
Rursum Philisthæis, ut patet cap. 13. 1. annis 40.

Adde hos omnes annos, invenies annos servitutis centum et undecim, qui in Chronologia non sunt computandi, quia in annis Iudicum includuntur, uti dixi.

Et postea clamaverunt ad Dominum.) Vide hic quam afflictio sit utilis: docet enim, imo cogit Deum pro ope invocare, ideoque Deus illam immittit, ut compellat nos per creaturas vagantes ad se redire. Rursum tribulationes et flagella, sicut bonis et rectis corde sunt consolationes et materia cælestium præmiorum, sic malis sunt primitiæ gehennalium tormentorum, ait B. Petrus Damiani lib. 8. epist. 6. qui proinde addit: *Dum ergo verberibus cingeris, dum castigaris, non mentem desperatio deprimat, non querela murmurationis erumpat, non tristitiæ mœror absorbeat, non impatientem pusillanimitas reddat, sed semper serenitas in vultu, hilaritas in mente, gratiarum actio resultet in ore.* Quia sicut signum est B amoris et prædestinationis divinæ si peccatorem castiget quod scilicet velit eum salvare: sic vice versa signum iræ et reprobationis divinæ est, quod eum impune agere sinat; quia scilicet vult eum perdere et cruciare in gehenna ut ostendi Proverb. 3. vers. 11. et seq. Vers. 15.

Qui suscitavit eis Salvatorem vocabulo Aod.) Fuit hic secundus Israelis Iudex; primus enim fuit Othoniel. *Aod* Hebr. idem est quod *gloriabor* vel *gloriosus*: הוד *hod* enim est *gloria*: talis fuit Aod, quia Eglon, id est de vitulo (hunc enim Hebr. significat *Eglon*) hoc est de vitulante et petulante Rege cum gloria triumphavit.

Filii Iemini.) Hugo Victor. per Iemini accipit Beniamin. Melius alii accipiunt virum illustrem oriundum ex Beniamin: nam et Semei, qui maledixit Davidi, fuit filius Iemini de tribu Beniamin æque ac Saul, ut patet 1. Regum 16. 5. et cap. 19. 18. et lib. 3. Regum 3. 8.

Qui utraque manu pro dextera utebatur.) Quem proinde Septuag. tam hic quam cap. 20. 16. vocant ἀμφοτεροδέξιον, id est ambidextrum. Hebr. enim est אטר C יד ימינו *itter iad iemino*, quod Vatabl. Arias, Pagnin. Caiet. et alii Hebraizantes vertunt, *clausum* sive *captum manu dextra*, qui scilicet manum dexteram habebant mancam, vel contractam et impotentem, ideoque sinistra pro dextra utebatur, qualem Latini vocant scævam, id est sinistram (σκαιὰ enim est sinistra.) Unde Mutius ille Romanus, qui dexteram coram Porsena rege Hetruriæ animose exussit, ideoque deinceps sinistra usus est pro dextera, cognominatus est Scævola, id est sinister, quem Itali appellant *mancino*, Franci *gaucher*, Flandri *slinks*.

Verum S. Hieron. et Septuag. tam hic quam cap. 20. 16. constanter vertunt *ambidextrum*, quibus utique magis credendum est. Ambidexter ergo dicitur clausus, id est septus, conclusus, et cinctus manu dextera, quia utraque manu utens pro dextra, undique ab utroque latere, dextra quasi propugnatrice cingitur et protegitur. Unde S. Hieronym. illud Psalm. 68. 16. *Neque urgeat super me puteus os suum*, vertit, *Non coronet super me* D *puteus os suum;* os enim putei rotundi dum operculo circulari tegitur, eo quasi coronatur, ut Hebr. אטר *atar*, per *aleph* affine sit et cognatum cum עטר *atar* per *ain*, id est *coronavit.* Chald. vero, et ex eo Marinus contrarie vertunt: *Non aperiat super me puteus os suum*, ut scilicet me absorbeat. Sic hoc loco iuxta illos *apertus dextera* dicitur, qui dexteram ex utroque latere habet apertam et expeditam ad pugnam, sive quia tam sinistra quam dextera operatur et præliatur. Unde Syrus vertit, *theri iemino*, id est *qui duas habet dexteras;* Iosephus vero, *manu sinistra melior, et ab ea omnem virtutem habens.* Sæpe enim ambidextri, qui sinistra pollent, minus pollent dextera. Porro magna commoditas æque ac laus, præsertim militi, est, esse ambidextrum: utraque enim manu pugnat in hostem, qui una dumtaxat præliatur. Unde ab Homero Iliade 2. laudatur Asteropæus, quod esset ambidexter; signum enim est magnæ virilitatis et fortitudinis. Nam ut ait Galenus in Aphoris. 7. Hippocra- Ambidextri sunt fortes.

tis, *viri quidem ambabus manibus ut dextris utentes sæpe visi sunt, femina vero hactenus nulla.* Et Plinius lib. 7. c. 17. *Observatum est,* inquit, *vires dextra parte* (ob calorem cordis et iecoris) *maiores, quibusdam æquas utraque, aliquibus læva manu præcipuas, nec id unquam in feminis.* Unde documentum fuit Platonis, quod recitat Aristot. lib. 2. Polit. in fine, in Politica viros debere studere ut ambidextri evadant, quo aptiores reddantur bello. Id fit assuetudine: si quis enim sinistram exerceat, aptabit eam quasi dexteram. Vidi Romæ Patrem Societatis nostræ, qui sinistra assueverat scribere, idque tam commode quam dextra. Hinc est illud Hipponactis apud Galenum: *Ambidexter sum, nec aberro percutiens,* sicut sæpe aberrant qui sola dextra feriunt. Unde optimi milites utraque manu digladiantur, et in orbem præliantur.

Tropol. vir sanctus est ambidexter: novit enim uti tam adversis quam prosperis, tam desolatione quam consolatione, tam tentatione et humiliatione, quam honore et exaltatione, ad suum commodum, uti fecit Iob, David, et Paulus, dicens: *Per arma iustitiæ a dextris et a sinistris.* 1. Corinth. 6. Vide Cassian. coll. 6. v. 10. ubi post multa hac de re dicta ita concludit: *Erimus igitur ambidextri, quando nos quoque rerum præsentium copia vel inopia non mutarit, et nec illa nos ad voluptatis noxiæ remissionem impulerit, nec ista ad desperationem attraxerit et querelam, sed similiter Deo grates in utroque referentes, parem fructum de secundis adversisque capiemus, qualem se ille verus ambidexter doctor gentium fuisse testatur, dicens: Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse, scio et humiliari, scio et abundare: ubique et in omnibus institutus sum, et saturari et esurire, et abundare et penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat.*

Vers. 16.

QUI FECIT SIBI GLADIUM ANCIPITEM.) Hebr. *Habentem duo ora*, id est duas acies, quem Septuag. vocant δίστομον, id est utrimque acutum, ut utrimque secare queat. Qualis hic fuerit, iam dicam.

HABENTEM IN MEDIO CAPULUM.) Nil de hoc capulo habent Hebr. Chald. et Septuag. nec tamen id finxit aut temere addidit S. Hieron. sed, ut advertit Abulens. solerter vidit hoc includi in τὸ *ancipitem,* sive *duorum orum*, hoc est acierum. Habuit enim hic gladius sive pugio duas acies sive mucrones, ut utrimque Regem quomodocumque situm ferire posset; volebat enim eum ferire non aperte et cæsim, sed occulte et punctim, ut ictum declinare non posset. Quare necesse fuit ut gladius hic haberet capulum in medio, quo utrimque, si opus esset, sua acie et mucrone Regem pungere et transfigere valeret.

Aliter Serarius: Fuit, ait, gladius iste latior, et in latitudinis huius medio fuit capulus, scilicet in longitudinis extremo, uti alias esse consuevit: sed si erat latior, ergo ad cædendum erat, hic autem fuit ad pungendum: erat ergo strictior, et acutus instar cuspidis et pugionis. Unde Noster vers. 21. vocat *sicam,* a qua dicti sicarii. Fuit ergo hæc nova species et forma gladii, id est gladioli sive pugionis, ideoque forte Aod ipse fuit faber, eumque sibi fabricavit. Sic Marius Romanus Dux fuit faber, unde cum ex insidiis interimeretur, dixit interemptor: *Hic est gladius quem ipse fecisti,* uti narrat Trebellius Pollio libro de triginta tyrannis cap. 7.

Palmus et palma quomodo differant?

LONGITUDINIS PALMÆ.) Refer hoc non ad *capulum*, sed ad *gladium,* ut patet ex Hebr. Chald. et Septuag. Per palmam accipe palmum sive spithamam, ut vertunt Septuag. alioqui palma proprie est mensura exigua quatuor digitorum transversim positorum, palmus vero sive spithama est spatium quod distenta manu inter pollicem et ultimum digitum interiacet, continetque duodecim digitos transversos. Hebr. est גומד *gomed,* quod passim Hebraizantes vertunt cubitum. Unde *gammadim,* id est cubitales vocantur pygmæi, Ezech. 27. 11. Cubitus est sesquipes, continet vigintiquatuor digitos, sive duas spithamas: quare hic cubitus minor debet intelligi, qui æquatur spithamæ, continetque duodecim digitos. Ita Serarius. Sed sicut olim digiti erant maiores modernis, sic et spithamæ: nisi quis dicat, palmum hic non simplicem, sed

A duplicem accipi; hic enim æquatur cubito, et solent gladioli sive pugiones esse cubitales, alioqui cultri sunt potius quam gladii.

ET ACCINCTUS EST EO SUBTER SAGUM (nota est hæc militum vestis) SUB DEXTRO FEMORE;) Tum ut gladium sive gladiolum et machinationem cædis occultaret: gladio enim solemus ad sinistrum femur accingi, non ad dextrum; tum ut eum facilius educeret manu sinistra, qua percussurus erat Regem incautum.

Vers. 17.

ERAT AUTEM EGLON CRASSUS NIMIS.) Instar vituli; *Eglon* enim Hebr. vitulum significat. Dicit hoc, ut eum ex multo adipe suo oppressum et suffocatum significet, ut explicat vers. 22. Septuag. vertunt ἄσειος, id est festivus, quia pingues solent esse festivi, hilares et ioviales. Forte pro ἄσειος, Septuag. verterunt στατικος, id est pinguis, obesus, vel στατικος, id est ponderosus, gravis. Vide hic ut gulosis obsit sua gula; gula enim occidit gulosum et obesum Eglon. Obesus enim nec se ab ictu surripere, nec eum inhibere potest, ictusque suo adipe suffocatur: ma-
B cilentus vero sua gracilitate et agilitate ictum declinare vel infringere potest, ac læsus facile curatur. Porro, ut ait S. Hieron. epist. 2. ad Nepotian. *Pulchre dicitur apud Græcos, et nescio an apud nos æque resonet: Pinguis venter non gignit mentem tenuem.* His ait Amos Propheta cap. 4. 1. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes; quæ dicitis dominis vestris, Afferte, et bibemus.* De his Moses Deuter. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus et recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.*

Vers. 19.

ET REVERSUS DE GALGALIS, UBI ERANT IDOLA) Aod post oblata Eglon regi munera, ut facinus tegeret, ab eo et aula regia discessit cum sociis, eosque comitatus est usque ad Galgala: inde solus reversus est ad Regem; idque tum ut solus subiret discrimen vitæ, sociosque ab illo eximeret; tum ut secretior esset cædes, et minus suspi-
C cioni obnoxia; quod non fuisset, si statim oblatis muneribus eam attentasset, ait Abulens. Unde legati Cæsaris et Regum ad Turcam, dum ei munera offerunt, a Bassis honoris specie ducuntur, itaque brachiis constringuntur, ut gladium ferrumve stringere, Turcamque ferire nequeant: adeo tyrannis est formidolosa, et omnia tuta timet.

DE GALGALIS UBI ERANT IDOLA.) Masius, ut dixi in libro Iosue, opinatur alia hæc esse Galgala a Galgalis in quibus circumcisi sunt filii Israel, Iosue 5. eo quod ibi non essent idola. Dici tamen potest, illa a Moabitis ibi posita fuisse, tum ut Galgala et Circumcisionem Iudæorum profanarent, tum ut ipsi ibi deos suos invocarent ad Terram promissam sibi subigendam: in eius enim ingressu erant Galgala: tum ut Iudæos initiari suis sacris idololatricis cogerent eo loci, ubi olim patres eorum initiati fuerant sacris Iudaicis.

VERBUM SECRETUM HABEO AD TE, O REX.) Fingit se habere oraculum a Deo sive diis acceptum in Galgala ad
D Regem perferendum, vel certe secretum aliquod in itinere a se cognitum, quod Regi indicandum foret. Mentitur ergo; sed olim tali casu et necessitate mentiri licitum esse censebant non tantum plebeii, sed et Philosophi ac Theologi, uti iam sæpe monui. S. August. tamen Aod excusat a mendacio, quod per verbum intellexerit factum phrasi Hebræa. q. d. Habeo quod tibi dicam, hoc est faciam, scilicet ut te occidam, hoc enim mihi suggerit iubetque Deus. Ita loquitur, ut Rex ex Galgalis idolorum suorum sibi ab Aod oraculum afferri putet, itaque consurgat, accedatque ad reverentiam verbo Dei exhibendam, ut stans stantem et vicinum silentissime transfigat.

Hinc Anast. Nicænus quæst. 71. in S. Script. docet, licere subinde uti artificiose simulatione, non tamen mendacio, atque id probat Sanctorum exemplis. *Primum,* inquit, *exemplum sit Moyses: quoniam iussu Dei apud Regem præ se tulit, quod viam trium dierum abducturus esset populum ad Deum colendum,* Exod. 3. 18. et Exod.

5. 3. *quanquam eius esset propositum omnino Israeliticum populum liberare, et traducere ex Ægypto in Iudæam. Tale est et quod fecit, qui ad ungendum Davidem in Regem missus est a Deo præseferre quod esset sacrificaturus, ne Saul cognosceret, quod Regem pro se constituit, et ne periculum veniret Samueli.* 1. Regum 16. 1. Et paulo post aliis exemplis commemoratis, *Iam vero,* inquit, *ad sumendum iustam de inimicis ultionem sæpe doli sunt probati; cuiusmodi fuit Aod, qui interfecit Eglon; et Iahel, quæ occidit Sisaram; et Iudith, quæ interemit Holofernem. Propter hos ergo dolos non sunt sancti appellandi mendaces, sed sapientes quidem ad bonum, sinceri autem ad malum.* Nec aliud vult S. Thom. 2. 2. quæst. 40. art. 1. dicens omnem dissimulationem esse peccatum; quia loquitur de illa simulatione, quæ ex intentione ipsius dissimulantis falsum significat, non autem de illa, quæ ex acceptione audientium tantum ad falsum significandum detorquetur.

Et ille imperavit silentium.) Non famulis vel aulicis, sed ipsi Aod. Hebr. enim est, *tace.* q. d. tace secretum quod habes, ne illud aulici audiant, sed expecta donec omnes astantes emittam, itaque solus illud a te excipiam. Ita Interpretes. Abulensis tamen per silentium accipit secessum stipatorum.

Vers. 20. Verbum Dei habeo ad te.) Quia scilicet iubet mihi Deus, ut te Israelis oppressorem occidam. Ita S. August. Dicit hoc ut rex e throno surgat, quasi reverenter excepturus Dei oraculum et mandatum, itaque facilius et occultius eum lethaliter ferire et occidere possit, ut dixi. Itaque factum: nam Eglon *statim surrexit de throno*, ut reverentiam exhiberet Deo, eiusque legato Aod, sicut nos assurgimus Evangelio dum legitur. Sic Balaam ait Balac Regi: *Sta Balac, et ausculta,* Numer. 23. 22. Sic *viator,* ait Plinius lib. 18. c. 3. *Cincinnato nudo et aranti* dixit: *Vela corpus, ut proferam Senatus populique Romani mandata.* Porro Deus castigavit Valentinianum Imperatorem, quod Arrianæ uxoris improbitate ac suasu S. Martino non assurrexisset venienti. *Regiam* enim *sellam operuit ignis, ipsumque Regem ea parte corporis, qua sedebat, afflavit incendium. Ita,* inquit Sulpitius Dialog. 2. cap. 6. *solio suo superbus excutitur, et Martino invitus assurgit: multumque complexus, quem spernere ante decreverat, virtutem sensisse divinam emendatior fatebatur.*

Vers. 21. Infixitque eam in ventre eius.) Punctim ergo eum feriit, non cæsim, ut dixi. Fecit hoc Aod Dei instinctu, eoque hostem potius interemit, quam populi rectorem tyrannum, ait S. Thom. lib. 1. de regim. Principum, c. 6.

Troia condita sub Aod. Eusebius in Chron. tradit, tempore Aod Troem condidisse Troiam, regnasse Athenis Erichthonium, in Creta Minoem, in Lycia Rhadamanthum, apud Argos Pelopem, Thebis Cadmum, eiusque nepotem Bacchum in India. Quare tunc fuit deorum ætas; tunc enim floruere duodecim viri et feminæ illustres, ideoque inter deos relatæ, quos Cicero Tuscul. 1. ex Ennio his versibus comprehendit:

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars.
Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Tunc quoque floruit *Xamolxis* Gothorum in Scythia Legislator et deus: Elysa Sibylla Lybica, ex Iove et Lamia Neptuni filia. Danaus quinquaginta suarum filiarum opera totidem Ægypti fratris filios interfecit, solo Lynceo, qui post eum regnavit, evadente. Crassus Argivorum Rex, sub quo sacerdotio primum functus est Calipias Pyrantis primi filius. Apud eosdem Hypermnestra, Danai filia sacerdotio fungitur.

Vers. 22. Stercora proruperunt.) Naturale enim est, ut dum violenter mors infertur, ex angore anima fugiente venter solvatur, et sordes per alvum vel vesicam egerantur, ut patet in iis qui suspenduntur.

Vers. 24. Per posticum egressus est.) Perperam Lyran. legit, *per porticum;* Septuag. vertunt, *ordinatos;* S. August, quæst. 22. *milites observantes,* qui scilicet excubare solent ante Regis cubiculum. Chald. vertit *exedram*, quales esse solent in Anticamera Regum et Principum, quo conveniunt aulici ceteri Regem adituri, expectantes donec a Rege evocentur. Verum sequentia plane indicant, Aod non per Anticameram, ibi enim ab omnibus visus, notatus et captus fuisset, sed per posticum latenter fuisse egressum.

Vers. 28. Occupaverunt vada Iordanis quæ transmittunt in Moab.) Ut scilicet præsidium Regis Moab, quod erat cis Iordanem in Iericho, trucidarent, ne per Iordanem in Moab effugere posset.

Vers. 30. Et quievit terra octoginta annis.) Id est, usque ad octogesimum annum a morte Othonielis, quo mortuus est Aod eius successor. Quare in his 80. annis includuntur 18. anni, quibus Hebræi subacti servierunt Moabitis. Quis enim credat Aod 80. annis præfuisse Israeli, totidemque annis nullum in Israele fuisse bellum? Vide dicta vers. 11.

Vers. 31. Post hunc fuit Samgar.) Hic ordine tertius fuit Iudex, sed modici temporis, et paucorum mensium. Hinc *Samgar* Hebr. idem est quod *peregrinatus est*, ait Origen. vel *admiratio peregrinantis*, ait Pagnin. Unde in eo liquet, quod verum sit illud Eccles. 10. 11. *Omnis potentatus vita brevis.* Sic de Mario Imper. ait Trebellius: *Una die factus est Imperator, alia die visus est imperare, tertia die interemptus est:* nimirum *Rex hodie est, et cras morietur,* ait Eccles. ibidem vers. 12. Idem Marius Viconsul, sex pomeridianis horis consulatum suffectum tenuit. Unde a Cicerone tali aspersus est ioco: *Consulem habuimus tam severum, tamque censorium, ut in eius magistratu nemo pranderit, nemo cœnaverit, nemo dormierit.* Ita Trebellius lib. de 30. Tyrannis cap. 7.

Qui percussit (per se solus, ait Abulens. non per socios, ut vult Lyran.) de Philisthiim sexcentos viros vomere.) Sic et Septuag. Origen. et S. August. vertunt *vomere,* Chald. vero, Pagnin. Vatabl. et Rabbini vertunt *stimulo boum.* Vomer est ferrum sive cuspis aratri, quo terra finditur et proscinditur, quodque liras facit, et utrimque terram subruendo quasi vomit, indeque dicitur vomer vel vomis. Videtur ergo Samgar fuisse agricola, et irruentibus Philisthæis ab aratro arrepto vomere subito prosiliisse ad pugnam, uti etiamnum faciunt Hungari irruentibus Turcis, et olim fecerunt Hispani ingruentibus Mauris: in cuius rei signum etiamnum rustici Hispani, dum arant gladiati incedunt, quasi parati ad resistendum hosti repente invadenti. Sic Samson maxilla asini occidit mille Philisthæos cap. 15. v. 16. nimirum in re subitanea, obvia quæque arripiuntur, cum furor arma ministrat, iuxta illud Claudiani:

Pro telo geritur quidquid suggesserit ira.

Simili modo ab aratro ad Dictaturam vocati fuere prisci Romanorum Heroes, ut Camillus, Curius, Cincinnatus, Fabricius, etc. qui Romam a Gallis, Samnitibus, aliisque hostibus liberarunt. *Fortissimi,* ait Plinius lib. 18. cap. 5. *viri et milites strenuissimi ex agricolis gignuntur, minimeque male cogitantes. Agricola,* inquit Maximus Tyrius orat. 24. *continuo labore exercetur, sub dio degit, amicus soli, domesticus nivibus, compactis membris discalceatus; manu promptus, pervigil, pedibus pernix, ad ferendum robustus: quem si pugnare oporteat, militem videas exercitatum in laboribus veris, quales expertus est Darius in Marathonia pugna.*

Hinc vetus proverbium: *Inflige plagam ab aratro,* sive *impinge vomerem,* dici solitum, cum quis iubet strenue pugnare, licet sine arte. Cuius originem recenset Pausan. lib. Eliæ 2. Glaucus, inquit, quidam Caristius, cum terram aratro proscindenti vomer forte fortuna excidisset ab aratro, sublatum aptavit manu vice mallei. Quod ubi conspexisset pater Demylus, iuvenem produxit in Olympia ad pugilum certamen. Verum ubi iam artis imperitus plagis afflictus pene deficeret, pater acclamavit: *Impinge vomerem,* admonens ut sic peteret hostem, sicut vomere solebat vulnerare terram. Hac voce rediit animus iuveni, vicitque. Idem postea bis vicit Pythia, octies Nemenia, item octies Isthmia: nimirum validi et duri sunt rusticorum ictus; olim enim non sclopetis, sed lacertis certabatur.

*

Vomeris symbola. Tropolog. Glossa : Vomer, inquit, est Confessio; quia sicut vomere aperitur scinditurque terra, ut semen recipiat et fructificet; sic confessione rescinditur terra cordis nostri, ut semen verbi et gratiæ Dei recipiat, per illudque fructus bonorum operum producat. Hac ergo percutiuntur Philisthæi, id est cadentes, id est peccata et vitia, quæ nos cadere faciunt in profundum inferni. Origen. per vomerem accipit simplicem monitionem, quæ etiam convertit animas. Vomer quoque significat vim verbi Dei in anima, quo eradicantur spinæ vitiorum, et cordis duritia mollitur. Ita S. Hieron. in Isaiæ cap. 2. Vomer tertio designat linguam prædicantium, Isaiæ 2. 4. Vomeres ergo Dei sunt prædicatores virique zelosi, qui agrum Domini operibus charitatis verboque et exemplo scindunt et arant, quique, ut ait Tertull. mox citandus, sunt bonæ frugis operarii. Vomer denique significat affectum geminæ charitatis, vel sensum et animum probum. Ita Tertullian. lib. 4. contra Marc. cap. 1. Item studium pacis, modestiæ, concordiæ. Vomere enim terra aratur tempore pacis, non belli. Ita Tertull. lib. 3. contra Marc. c. 21.

Allegor. Samgar fuit typus Christi, qui vomere Evangelicæ prædicationis percussit Philisthæos, id est dæmones, idololatras et impios, dum idololatriam et impietatem ex mentibus hominum sustulit.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Debbora et Barac Sisaram Ducem Iabin Regis profligant in monte Thabor. Sisara fugit, ac dormiens clavo per tempora adacto a Iahel occiditur. Quartus ergo Israelis Iudex fuit Barac, cuius gesta hic recensentur.

1. ADDIDERUNTQUE filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod, 2. Et tradidit illos Dominus in manus Iabin Regis Chanaan, qui regnavit in Asor : habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Haroseth gentium. 3. Clamaveruntque filii Israel ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos. 4. Erat autem Debbora prophetis uxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore. 5. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filii Israel in omne iudicium. 6. Quæ misit et vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nepthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, et de filiis Zabulon: 7. Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison Sisaram principem exercitus Iabin, et currus eius, atque omnem multitudinem, et tradam eos in manu tua. 8. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam. 9. Quæ dixit ad eum : Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, et perrexit cum Barac in Cedes. 10. Qui, accitis Zabulon et Nephthali, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo. 11. Haber autem Cinæus recesserat quondam a ceteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab, cognati Moysi: et tetenderat tabernacula usque ad vallem, quæ vocatur Sennim, et erat iuxta Cedes. 12. Nuntiatumque est Sisaræ, quod ascendisset Barac filius Abinoem in montem Thabor: 13. Et congregavit nongentos falcatos currus, et omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison. 14. Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo. 15. Perterruitque Dominus Sisaram, et omnes currus eius, universamque multitudinem, in ore gladii, ad conspectum Barac: in tantum, ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, 16. Et Barac persequeretur fugientes currus, et exercitum, usque ad Haroseth gentium, et omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet. 17. Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Iahel uxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Iabin Regem Azor, et domum Haber Cinæi. 18. Egressa igitur Iahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius, et opertus ab ea pallio, 19. Dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, et operuit illum. 20. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi: et cum venerit aliquis interrogans te, et dicens: Numquid hic est aliquis? Respondebis: Nullus est. 21. Tulit itaque Iahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter et malleum: et ingressa abscondite et cum silentio, posuit supra tempus capitis eius clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, et mortuus est. 22. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaque Iahel in occursum eius, dixit ei: Veni, et ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram iacentem mortuum, et clavum infixum in tempore eius. 23. Humiliavit ergo Deus in die illo Iabin Regem Chanaan coram filiis Israel: 24. Qui crescebant quotidie, et forti manu opprimebant Iabin Regem Chanaan, donec delerent eum.

Vers. 2. IABIN REGIS CHANAAN, QUI REGNAVIT IN ASOR.) Iosue c. 12. v. 11. et seq. cepit et succendit Asor, sed mox Chananæi eam restaurarunt, adeoque in ea regnavit Iabin.

HABUITQUE DUCEM EXERCITUS SUI NOMINE SISARAM.) Iosephus lib. 5. Antiq. c. 6. eum vocat Susares et Sisares. *Susares* Hebr. idem est quod *equum videns.* סוס *Sus* enim est *equus, Sisares* est *tineam videns.* Græce enim σὴς est *tinea.* Alcinius lib. 6. cap. 15. asserit Sisaram fuisse gigantem, ac Regem, id est regulum sive principem.

Tropol. Origen. hom. 4. Sisara, inquit, interpretatur Visio equi; iste est enim animalis, non spiritualis, qui non videt nisi ea quæ animalis sunt: ipse est eius visio, ipse eius intuitus, donec animæ Deum invocanti suscitetur Debbora, ut secundum prophetiæ gratiam gubernetur, discatque sapere non ea quæ carnis, sed quæ spiritus sunt.

IPSE (Sisara potius quam Iabin) AUTEM HABITABAT IN HAROSETH GENTIUM.) Ubi scilicet erat concursus et confluxus gentium, tum illarum quæ a Iosue sedibus suis pulsæ fuerant, ait Arias; tum aliarum quarumlibet, ait Se-

rarius, חרשת *Haroseth*, Hebr. fabricam vel sylvam (uti vertit Noster 1. Reg. 23. 15. et 2. Paral. 27. 4.) significat. Unde Adrichom. eam censet a sylva vicina ita dictam, eamque collocat ad Samochinitem lacum, qui valde sylvosus et amœnus erat. Alii verisimilius ita dictam censent a fabris et fabrefactione (חרש *charos* enim fabricare significat) quod in ea fabricati fuerint nongenti currus falcati Sisaræ, illeque in ea suum habuerit armamentarium. Unde Chald. vertit, *in munitione arcium gentium.*

Vers. 3. NONGENTOS ENIM HABEBAT FALCATOS CURRUS.) De quibus dixi Iosue 17. 16.

Vers. 4. ERAT AUTEM DEBBORA PROPHETIS UXOR LAPIDOTH, QUÆ IUDICABAT POPULUM IN ILLO TEMPORE.) Debbora Hebr. idem est quod *apis*, quia ipsa ut apis erat casta, industria, operosa, divina. Sic de S. Cæcilia canit Ecclesia: *Cæcilia famula tua Domine tibi quasi apis argumentosa deservit:* fudit enim mella piorum sermonum, quibus Valerianum sponsum, Tiburtium, Maximum, aliosque 400. infideles ad Christum convertit. Porro apis symbolum est sapientiæ, ut ostendi Proverb. 24. v. 14. et seq.

Audi S. Hieron. epist. 10. ad Furiam: *Nobis ad hoc nominabitur quod Prophetissa fuerit, et in ordine iudicum supputetur. Et quia dicere poterat: Quam dulcia gutturi meo eloquia tua: super mel et favum ori meo, apis nomen accepit, scripturarum floribus pasta, Spiritus sancti odore perfusa, et dulces ambrosiæ succos prophetali ore componens.*

Porro Debbora fuit apis suis mellea, sed hostibus aculeata et fulminea, quia per Barac quasi fulmen in eos insiliens occidit. Sic S. Iacobus Episc. Nisibis, Persas Nisibin obsidentes oratione sua, immissis a Deo apibus, fugavit et perdidit, ut refert Theodor. in Philotheo: apes enim irritatæ in furorem aguntur, et instar fulminis in hostes involant; suis ergo bombis quasi tonant, alis vero et aculeis fulminant. Ita hic Debbora fulmineos belli ardores indidit Barac, quibus ipse fulminaret in Sisaram, nimirum, *Accendit faculas æmula solis apis.*

PROPHETIS.) *Præstat hoc*, ait Origen. hom. 5. *consolationem mulierum sexui, ut non desperent prophetiæ gratiæ capaces se fieri posse: sed intelligant et credant, quod meretur hanc gratiam puritas mentis, non diversitas sexus.* Sic prophetiæ spiritum habuit Holda uxor Sellum, 4. Reg. 22. 14. Maria soror Mosis, Exodi 15. Elisabeth uxor Zachariæ et mater S. Ioannis Baptistæ, Lucæ 1. Anna filia Phanuel, Lucæ 2. S. Brigida, S. Hildegardis, S. Machtildis, et plures aliæ. *Existimo*, inquit quæst. 11. Theod. *Debboram in contumeliam virorum prophetiæ donum adeptam esse. Nam cum ex viris nullus inveniretur dignus, qui Spiritum sanctum promereretur, hæc donum sanctissimi Spiritus est consecuta. In probris*, inquit Cicero lib. 1. Offic. *maxime in promptu est, si quid tale dici potest:*

Vos etenim iuvenes animum geritis muliebrem,
Illaque virgo viri.

UXOR LAPIDOTH.) Hoc erat nomen mariti Debboræ. Rabbini et Arias vertunt, *mulier Lychnaria*, quæ scilicet concinnabat elychnia tabernaculi. לפידות *Lapidoth* enim et לפידים *lappidim*, Hebr. significat lampades, faces, tædas: indeque deducta est Græca et Latina vox lampas, ait Arias, qui vertit, *mulier lampadarum*, sive *splendorum*, eo quod Debbora divinis illuminaretur splendoribus et oraculis. Alii putant Lapidoth fuisse ipsum *Barac* Iudicem. Verius Serarius et alii censent, Lapidoth fuisse maritum Debboræ, eumque alium a Barac: si enim idem fuisset, hoc non tacuisset hic Script.

Porro S. Ambros. lib. de Viduis, censet Debboram fuisse viduam. *Vidua*, ait, *populos regit, vidua ducit exercitum, vidua duces eligit, vidua bella ipsa disponit, mandat triumphos.* Negat hoc S. Hieron. Epist. 10. quia hic vocatur uxor. Utrumque conciliant Abul. Arias, et Serarius, dicendo, Debboram eo tempore quo gratiam prophetiæ accepit separasse se a thoro mariti, sicque fuisse uxorem quoad vinculum coniugii, viduam vero quoad continentiam et thori separationem.

QUÆ IUDICABAT POPULUM.) Ius dicebat populo. Quæres, An ergo Debbora fuerit iudex, et princeps populi. Affirmant S. Ambros. et S. Hieron. locis iam citatis. Melius Abulens. Arias, Genebrard. Caiet. Serarius et Rabbini censent eam abusive vocari iudicem, proprie tamen non fuisse, nec enim id permisisset Iabin et Sisara dominantes Hebræis. Iudicavit ergo, id est ius dixit Debbora, ait Serarius, litesque nonnullas composuit absque iurisdictione ulla, sed ex prophetia tantum, et auctoritate quam hæc illi pariebat, sicut Deiocles initio, antequam Rex fieret, ex sola sapientia, et auctoritate hinc subsecuta, Iudicem apud Medos egit, ut narrat libro primo Herodotus: et sicuti de occultis dubiisque rebus iis qui eum consulerent respondebat Samuel 1. Regum 9. Et sic quod Scriptura, quod Patres dicunt eam iudicasse, rexisse, populumque gubernasse, intelligendum. *Iudicabat*, inquit S. August. lib. 18. Civitatis cap. 15. *apud Hebræos femina Debbora, sed per illam Dei spiritus id agebat. Nam et Prophetissa erat.* Iudex ergo tunc iussi Dei per Debboram factus est Barac, non vero ipsa Debbora.

ET SEDEBAT (habitabat) SUB PALMA, QUÆ NOMINE ILLIUS VOCABATUR.) Palma Debboræ. Apposite, quia ipsa palmam victoriæ de Sisara suis oraculis plectebat Barac et Hebræis: et quia *iustus ut palma florebit*, ait Origen.

INTER RAMA ET BETHEL.) » Rama, ait Origen. homil. 5. interpretatur excelsa, Bethel, domus Dei. Videte Vers. 5.
in quibus locis residere dicitur prophetia, inter excelsa et domum Dei. Nihil enim humile, nihil deiectum, nihil vile erga prophetiæ sedem reperiri potest. Prophetia quæ nunc in Debbora describitur, inter excelsa et domum Dei dicitur habitare: non enim nos docet quæ super terram sunt quærere, sed quæ in cælis sunt et in excelsis, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Illuc nos prophetia hortatur ascendere, illuc discipulos molitur traducere. »

IN OMNE IUDICIUM.) Ad omnes lites Debboræ sententia et iudicio decidendas et terminandas.

QUÆ MISIT ET VOCAVIT BARAC FILIUM ABINOEM.) Vers. 6.
S. Ambros. libr. de Viduis opinatur, Barac fuisse filium Debboræ. בר *bar* enim filium significat, quia Debbora cap. 5. vers. 7. vocatur mater in Israel. Genebr. censet Barac fuisse patrem, Rabbini nonnulli fuisse maritum Debboræ. Sed plane hic innuit Script. eum fuisse exterum, non consanguineum Debboræ. Nam Debbora fuit ex tribu Ephraim, Barac vero ex tribu Nephthali, ut patet vers. 5. et 6. Barac Hebr. significat fulmen, quia ipse instar fulminis insiliens, cælesti vi prostravit Sisaram eiusque castra validissima, ut patebit vers. 15. iuxta illud de utroque Scipione Asiano et Africano dictum: *Duo fulmina belli Scipiadæ.*

Pater Barac fuit *Abinoem*, qui Hebr. idem est quod *pater pulchritudinis*, aut *pater pulcher*, amœnus, gloriosus. Audi Rupertum cap. 4. *Barac idem qui et Lapidoth* (quod iam refutavi) *vir Debboræ prophetes fuisse traditur. Interpretatur autem Lapidoth fulgur. Barach quoque fulmen. Fulgur idcirco, quia antequam ulcisceretur Israel de Chananæis, quasi fulgur splendebat in populo, meritis scilicet et prærogativis operum. Postquam vero ultus est Israel de Chananæis, fulmen, id est percutiens vocatus est.*

DUC EXERCITUM IN MONTE THABOR.) Thabor mons est altissimus et amœnissimus, in quo transfiguratus est Christus, cuius Barac, id est fulgur fuit typus: visa enim est tunc Christi facies fulgurea, et vestis eius fulgens. Græce ἐξαστράπτων, id est effulgurans, ait Lucas c. 9. 29. Hinc *Thabor* Hebr. idem est quod *puritas*, vel *electio*, vel *lumen veniens*, sive *adventus luminis.*

DIXITQUE AD EAM BARAC: SI VENIS MECUM, VADAM: Vers. 8.
SI NOLUERIS VENIRE MECUM, NON PERGAM.) Causam addunt Septuag. qui ex se addunt, uti legimus apud S. August. quæst. 26. *Nescio diem in qua prosperat Dominus Angelum mecum.* Apud S. Ambr. lib. de Viduis: *Non novi diem, in qua dirigit Dominus Angelum suum mecum.* Quod explicat S. August. q. d. *Nescio an Dominus faciet mecum prospera per Angelum.* Nescio an Dominus

Angelorum mecum die tali fortunet, seu, an per eum mihi affuturus cœptumque fortunaturus sit.

Fuit Barac initio, audiens sibi a Deo tantum tamque arduum munus debellandi Sisaram imponi, tardus in credendo et obediendo; unde Debboram comitem poposcit: mox tamen resumens animos, et a Debbora confortatus; magna fide et spe rem aggressus est, et feliciter confecit. Unde eius fidem celebrat Apost. Hebr. 11. 32.

Vers. 9. QUÆ DIXIT AD EUM: IBO QUIDEM TECUM, SED IN HAC VICE VICTORIA NON REPUTABITUR TIBI, QUIA IN MANU MULIERIS (Debboræ, vel potius Iahel, ut patet v. 21.) TRADETUR SISARA.) Hebr. *Eundo ibo tecum: verumtamen non erit gloria tua in via*, seu *ob viam qua graderis. In manu enim feminæ vendet Dominus Sisaram,* pro *victoria* enim Hebr. est תפארתך *tiphartecha,* id est decus, laus, gloria tua, Septuag. vertunt προτερημα, id est *præstantiam* sive *primas.* q. d. Quia non statim credidisti, nec obedisti Deo, sed instar feminæ trepidasti, hinc gloriam victoriæ futuræ transferet a te Deus, facietque ut non tu, sed Iahel femina occidat Sisaram. Vide quam cito et fortiter sibi obediri velit Deus, in rebus etiam arduis et naturam superantibus. Audi S. Ambros. lib. de Viduis: Debbora ducem Barac *quasi mater erudiit, quasi Iudex præposuit, quasi fortis instituit, quasi Prophetes victoriæ certa transmisit. Denique in mulieris manu summam fuisse victoriæ docet Barac filius, dicens: Nisi tu veneris mecum, non ibo, quia non novi diem, in qua dirigit Dominus Angelum suum mecum. Quanta ergo feminæ istius virtus, cui dux dicit exercitus: Nisi tu veneris, non ibo?*

Vers. 14. EN IPSE DUCTOR EST TUUS.) Chald. *Nonne Angelus Domini exiens ad prosperandum ante te?* Septuag. *Nonne Dominus ibit ante te?* Sic Angelus præcessit Iudam Machabæum, eumque fecit victorem.

Vers. 15. PERTERRUITQUE (Hebr. המם *hamam*, id est conturbavit, contrivit, perdidit) DOMINUS SISARAM, ET OMNES CURRUS EIUS, UNIVERSAMQUE MULTITUDINEM.) Iosephus, et ex eo Abulens. asserit fuisse trecenta millia peditum et decem millia equitum; Sisaram enim omnes Regis non tantum subditos, sed et socios amicosque ad hoc prælium coegisse et conflasse. Favet Chald. qui cap. 5. 8. numerat 250. millia militum Sisaræ, præter nongentos currus falcatos. Addit Iosephus, partem eorum telis gladiisque Israeliticis cæsam, partem a suomet ipsorum equitatu et peditatu terrore panico in eum a Deo immisso protritam, partem a Deo procellis, tonitribus et fulminibus sideratam, ita interiisse, ut ne unus quidem cladi superfuerit, ut habent Hebræa vers. 16. Hoc est dicitur cap. seq. vers. 20. *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Addit Iosephus, Barac ducentem exercitum ad Asor urbem Iabin Regis, ipsum Regem obvium factum interfecisse, ipsamque urbem solo æquasse.

Simili modo Deus Pharaonem procellis, tonitribus et fulminibus perculit et sideravit in mari rubro, Exodi 14. 24. et Chananæos, Iosue 10. 10. et Philisthæos sub Samuele, 1. Reg. 7. 10. hi enim sunt currus, hæc arma quibus impios ferit, uti docet Psaltes Psalm. 17. 14. *Et intonuit de cœlo Dominus.* Et Psal. 143. 6. *Fulgura*, inquit, *coruscationem, et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.* Sic exercitu M. Aurelii Imper. ab hostibus circumsesso, Christiani milites oratione sua a Deo impetrarunt pluviam, fulgura et tonitrua cum grandinibus, quibus hostes perculsi in fugam versi sunt. Unde legio illa dicta est κεραυνοβολος, id est fulminatrix, teste Tertul. Apolog. cap. 5. et Eusebio lib. 5. histor. cap. 5. Idem accidit Theodosio Imperatori contra Eugenium tyrannum pugnanti, quod pulchre hisce versibus describit Claudianus in Panegyr. de tertio Consolatu Honorii:

Legio fulminatrix.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Idem recitat et celebrat S. August. lib. 5. de Civit. c. 26.

Vers. 16. OMNIS HOSTIUM MULTITUDO USQUE AD INTERNECIONEM CADERET.) Hebr. *Ut ne unus quidem superesset.* Rara ergo, et novo miraculo prodigiosa fuit hæc victoria. Philo Biblicus asserit e castris Sisaræ cæsa esse 997. millia, quod vix videtur credibile.

Vers. 17. SISARA AUTEM FUGIENS PERVENIT AD TENTORIUM IAHEL UXORIS HABER CINÆI. ERAT ENIM PAX INTER IABIN REGEM AZOR ET DOMUM HABER CINÆI.) *Erat enim pax*, vel coacta, metu videlicet potentissimi tyranni Iabin vicini, ut vult Abulens. quæst. 24. unde non obstante hac pace, Iahel iuste occidit Sisaram velut hostem Reipublicæ. Vel certe erat pax non pacto certo inita, nec iuramento confirmata, sed quia Iabin Rex vexans Hebræos sinebat Cinæos intactos in pace vivere, eo quod ipsi a bellis rebusque politicis abstinerent, sibique et Deo vacantes vacarent orationi et contemplationi: quare Iabin Regi fuere in veneratione, amore et honore. Fecit id Deus, ut Hebræi discerent quantum valeat pietas, cum viderent Cinæos pios pace frui, adeoque apud tyrannum auctoritate pollere, se vero ob idololatriam assidue ab eo vexari et affligi.

Dices: Si pax erat inter Haber et Iabin, ergo Iahel occidens Sisaram Ducem Iabin violavit pacem, fuitque fœdifraga. Resp. Arias, pacem inter viros sanciri, quare ea non comprehendi feminas. Solidius alii respondent, pacem hanc vel fuisse coactam, vel liberam, ut utrique parti pro suo commodo liberum esset eam violare. Adde, etiamsi fuisset pacta et iurata, potuisse tamen a Iahel violari, tum quia Deus per Debboram vers. 6. iusserat id fieri, bellumque contra Sisaram a Barac et Hebræis capessi. Cinæi autem, qualis erat Iahel, esto non essent Hebræi sanguine, erant tamen affinitate, quia Iethro filiam suam dederat uxorem Mosi. Quocirca Iahel cum aliis Cinæis in Hebræorum coloniam, hæreditatem et Rempubl. ac ut verisimile est, fidem et religionem transierat, uti dixi Numer. 10. 29. Poterat ergo imo debebat ipsa quasi membrum Reipublicæ Hebræorum Sisaram, velut communem et publicum eorum hostem, imo iam actu invasorem populi sui, prodere aut perdere. Quisque enim tenetur patriam et Rempubl. defendere, eiusque invasorem publicum, talemque vel a Deo vel a Republica proclamatum et proscriptum arcere et tollere, vel aperto marte si potest, vel occulta arte, dolo et stratagemate, uti fecit Iahel simulans amicitiam cum Sisara, eique pallium et lac porrigens. Denique non est dubium, quin Iahel femina arcano Dei instinctu ad tantum facinus audendum acta et impulsa sit, ut populum suum tyrannide Sisaræ oppressum liberaret. Ita Abulen. Arias, et alii, quin et Iosephus.

Vers. 18. NE TIMEAS.) q. d. Nulli hic sunt armati, nulli hostes, quorum gladios extimescas. Non mentitur, quia hoc erat verum.

OPERTUS AB EA PALLIO.) Veste longiore, vel stragulo, ut eum absconderet, ne si quis Hebræorum domum ingrederetur, eum inveniret et occideret. Fecit astute id Iahel, ut suspicionem fraudis, quam ipsa machinabatur, Sisaræ adimeret, utque facilius eum sub stragulo iacentem occideret.

Vers. 19. QUÆ APERUIT UTREM LACTIS, ET DEDIT EI BIBERE.) Iahel Sisaræ poscenti aquam præbuit lac, tum urbanitatis causa, tum ut Sisara facilius obdormiret, itaque secreto et secure ab ea necari posset: lac enim si a sitibundo large bibatur, vapores et fumos excitat, qui ad caput ascendentes illi gravedinem somnumque conciliant, ut videre est in infantibus, qui lac sugentes vel comedentes crebro dormiunt, atque idcirco biliosis et febre laborantibus lac a Medicis negari solet, uti docet Hippocrates, et ex eo Arias et Abul. quin et Origen. Homil. 8. Unde Iosephus ait: *Cum Sisara lac avidius ingurgitasset, in somnum solutus est.* Hinc et c. 5. 25. Iahel benedicitur, *quia aquam petenti lac dedit.* Forte etiam ipsa lacti miscuit opium, mandragoram, vel aliam herbam succumve soporiferum, uti olim, et hoc etiam sæculo factum scimus ab iis, qui hostem somno vinoque vel lacte sepultum perdere destinabant.

Vers. 21. TULIT ITAQUE IAHEL UXOR HABER CLAVUM TABERNACULI.) Unum scilicet e paxillis ferreis, quibus in terra tabernaculum funibus extentum figitur, eumque malleo per tempora et cerebrum Sisaræ adegit, itaque dormientem occidit: in temporibus enim et cerebro est vitalitas sensus et motus: quare illa si vulnerentur et transfigantur, statim homo deficit et emoritur. Vere S. Ambr. lib. de Viduis, *Debbora*, ait, *prælii prophetavit eventum, Barac iustus produxit exercitum, Iahel cepit triumphum.*

Dices: Cur Iahel manu sua occidit Sisaram, et non expectavit Barac ut eum illi traderet? Resp. quia periculum erat in mora, ne scilicet Sisara, si viveret, experrectus fugeret et effugeret, rursumque bellum renovaret. Prudenter ergo occasionem cædis arripuit, ne illa elapsa frustra eam requireret. *Sæpe in bello parvis momentis magni,* ait Cæsar lib. 1. Belli civil. *casus intercedunt. Itaque armatus intentusque sis,* ait lib. 22. Livius, *ut neque tuæ occasioni desis, neque suam hosti des.*

QUI SOPOREM MORTI CONSOCIANS DEFECIT ET MORTUUS EST.) Septuag. Et ipse stupefactus, (Basileens. Codex habet *palpitavit*) *obtenebratus et mortuus est.* Philo, vel potius Pseudophilo, quem aliqui putant Ioannem Annium Viterbiensem, in Tradit. Biblicis addit: *Et cum moreretur dixit Sisara ad Iahel: Ecce dolor accepit me Iahel, et morior tanquam mulier. Et dixit ad eum Iahel: Vade gloriare apud patrem tuum in inferis, et dicito, quoniam incideris in manus mulieris.* Sed hæc ad verisimilitudinem dicta effictaque, potius quam a priscis historicis accepta videntur, imo repugnant Hebræo et versioni vulgatæ quæ ait: *Soporem morti consocians:* dormiens ergo Sisara in sopore suo mortuus est.

Allegor. Debbora et Iahel repræsentat Dei Ecclesiam, et Tropol. animam sanctam, fortem et pro Deo zelantem, Barac Synagogam, Sisara diabolum, lac orationem, qua diabolus quasi consopitur et enervatur. Audi S. Ambros. lib. de Viduis post medium: *Et ideo Sisaræ sitis, lactis poculo restinguitur, quia oratione superatur. Quod enim nobis salutare ad escam, hoc adersariæ potestati lethale ad infirmitatem. Arma Ecclesiæ fides, arma Ecclesiæ oratio est, quæ adversarium vincit. Ergo secundum historiam ad provocandos animos feminarum, femina iudicavit, femina disposuit, femina prophetavit, femina triumphavit, et prœliaribus intermixta copiis, imperio viros docuit militare femineo. Secundum mysterium vero fidei militia, Ecclesiæ victoria est. Non ergo habetis quod per naturam vos excusetis feminæ. Non habetis viduæ quod ad infirmitatem sexus, aut ad amissionem subsidii maritalis nobilitatem vestram referre possitis. Satis unicuique præsidii est, si virtus animi non desit.* Et S. August. lib. 12. contra Faustum cap. 33. *Quæ*, inquit, *est illa mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ cruce Christi regna diaboli perimens?*

Audi et Origen. Homil. 5. *Iahel interpretatur ascensio* (a rad. עלה *ala*, id est ascendit, alioqui *Iahel* Hebr. idem est quod *damula* aut *cervus*, ait Pagnin.) *quia revera non est alia ascensio qua ascendatur ad cælum, nisi per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei. Ipsa est ergo, quæ dum a corporalibus ad spiritualia, et a terrenis ascendit ad cælestia, interfecit Sisaram, qui carnalium vitiorum, et animalis vel stolidi hominis tenet figuram: quia Sisara interpretatur visio equi, de quo ait Psalm.* 31. 9. *Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus. Palo* (Paxillo sive clavo ferreo) *ergo eum interfecit, id est ligni crucis acumine et virtute eum prosternit, idque in maxilla, quia illud os quod de carnalibus loquebatur, ligno crucis confoditur et terebratur.* Crux enim docet carnis mortificationem æque ac linguæ.

Denique Iahel fuit typus B. Virginis: de ipsa enim dicitur Cant. 8. 5. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Ipsa est damula gratiosa, imo omni gratia plena, ipsa est quæ contrivit caput serpentis, hoc est diaboli, Genes. 3. Audi S. Bernard. serm. 2. *Super missus est: Cui hæc servata victoria, nisi Mariæ? ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum.* Et post pauca: *Hanc requirebat Salomon, cum vehementer admirans dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? et ita videbatur congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam.*

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Debbora cum Barac de prostrato Sisara canit Epinicium.

Canticum hoc non tantum poeticum, sed et propheticum spiritum redolet; quare a Debbora prophetissa compositum videtur, quæ deinde cum Barac illud publice cecinit. Ita Abulens. Dion. Arias, Caiet. Serarius, Salianus, et alii.

Quinque eius sunt partes. Prima v. 3, laudat Deum velut primum tantæ victoriæ auctorem. Secunda, v. 9. laudat Nephthalitas, Zabulonitas, Issacharitas et alios, omnesque creaturas, quæ Deo victori cooperatæ sunt. Tertia, v. 17. culpat Galaaditas, Danitas et ceteros, qui a bello hoc metu Sisaræ se subduxerunt. Quarta, v. 24. benedicit Iahel, quæ Sisaram occidit. Quinta, v. 28. poetice repræsentat ululatum matris Sisaræ.

1. CECINERUNTQUE Debbora et Barac filius Abinoem in illo die, dicentes: 2. Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. 3. Audite Reges, auribus percipite principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel. 4. Domine cum exires de Seir: et transires per regiones Edom, terra mota est, cælique ac nubes distillaverunt aquis. 5. Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israel. 6. In diebus Samgar filii Anath, in diebus Iahel, quieverunt semitæ: et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios. 7. Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt: donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel. 8. Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit: clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel. 9. Cor meum diligit principes Israel: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. 10. Qui ascendistis super nitentes asinos, et sedetis in iudicio, et ambulatis in via, loquimini. 11. Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur iustitiæ Domini et clementia in fortes Israel: tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum. 12. Surge, surge Debbora, surge, surge, et loquere canticum: Surge Barac, et apprehende captivos

tuos fili Abinoem. 13. Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit. 14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum ex Beniamin in populos tuos o Amalec: de Machir principes descenderunt, et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum. 15. Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit: diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 16. Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 17. Galaad trans Iordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus: Aser habitabat in littore maris, et in portubus morabatur. 18. Zabulon vero et Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome. 19. Venerunt reges et pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulere prædantes. 20. De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. 21. Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca anima mea robustos. 22. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium. 23. Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum eius. 24. Benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo. 25. Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum. 26. Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans. 27. Inter pedes eius ruit: defecit, et mortuus est: volvebatur ante pedes eius, et iacebat exanimis et miserabilis. 28. Per fenestram respiciens, ululabat mater eius: et de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius? 29. Una sapientior ceteris uxoribus eius, hæc socrui verba respondit: 30. Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur. 31. Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. 32. Quievitque Terra per quadraginta annos.

Vers. 2. QUI SPONTE OBTULISTIS DE ISRAEL ANIMAS VESTRAS AD PERICULUM (eundo ad prælium formidolosum contra Sisaram potentissimum) BENEDICITE DOMINO.) Qui nobis illustrem hanc de Sisara dedit victoriam. Hebr. est בפרע פרעת *biphraa perahot*, quod Primo Pagnin. Caiet. Arias, et alii vertunt, *dum ulciscitur ultiones in Israel, dum sponte se offert populus, benedicite Domino.* Ita Complut. Verum Romani Codices Septuag. habent: *Revelata est revelatio in Israel dum sponte offerret se populus, benedicite Dominum.*

Chaldæus more suo paraphrastice: *Quando rebellarunt domus Israel, venerunt super eos gentes, et expulerunt eos de urbibus suis: et quando redierunt ad faciendum legem, fortificati sunt super eas: ita super ultione fractus est Zizzara, et super signum et liberationem, quæ facta est Israeli,* etc.

Genuine tamen sic ex Hebræo vertas: *In liberando libertates in Israel, in spontanee offerendo se populum,* hoc est, qui liberastis et plene libertati restituistis Israel, spontanee vos offerendo certamini cum Sisara, *Benedicite Dominum,* qui vos de eo triumphare fecit. Hebr. enim פרע *para* significat nudare, solvere, liberare.

Vers. 3. AUDITE REGES) Mirabilia hæc Dei prælia, ut eum agnoscatis, timeatis, et colatis.

Tropol. Origen. hom. 6. *Exulta popule Dei audiens tuæ nobilitatis insignia. Tu vocaris ad audiendum verbum Dei, et non ut plebs, sed ut rex vocaris. Tibi enim dictum est: Genus regale et sacerdotale, populus in acquisitionem. Ideo quia vos reges estis, merito Rex noster Christus Dominus Rex dicitur regum, et Dominus dominantium.* Modum deinde quo rex fias docet: *Regem te omnium esse facit, si regnet Christus in te. Rex namque a regendo dictus est. Si ergo et in te animus regnat et corpus obtemperat, si concupiscentias carnis sub iugum imperii tui mittas, si vitiorum gentes sobrietatis tuæ frænis arctioribus premas, merito rex diceris, qui te recte regere noveris. Cum ergo talis fueris effectus, digne ut rex ad audienda divina verba vocaberis.*

Vers. 4. DOMINE CUM EXIRES DE SEIR, ET TRANSIRES PER REGIONES EDOM, TERRA MOTA EST, CÆLIQUE AC NUBES DISTILLAVERUNT AQUIS.) Seir idem est quod Edom. puta Esau, qui habitans in Idumæa illi nomen suum indidit.

Vers. 5. MONTES FLUXERUNT A FACIE DOMINI, ET SINAI A FACIE DOMINI DEI ISRAEL.) *Et Sinai.* Tò *et* significat *id est*. tantum enim in Sina legimus visa fulgetra, tonitrua, pluvias, terræ motus. Vide dicta Exodi 19. 18. Unde et Poetica elegantia montes fluxisse dicuntur, quia mons Sina fumans, et quasi tremens ex reverentia et metu Dei ibidem legem dantis, Mosi et Hebræis videbatur quasi fugere, solvi et colliquescere. Est Catachresis. Eadem phrasis est Psal. 67. 8. quæ ex hoc loco sumpta est.

Alludit ad Numer. 10. 35. ubi Moses, cum movenda essent castra, orabat Dominum supra arcam in propitiatorio residentem: *Surge Domine, et dissipentur inimici tui.* et Deuteron. 32. 2. *Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis.* Vide ibi dicta.

Sensus ergo est, q. d. Quando nobiscum o Domine, cum arca, super eam quasi solium tuum præsidens, perambulabas in deserto, cui adiacet Seir sive Edom, hoc est Idumæa, ac præsertim in monte Sina, tunc ibidem tuam Mosi et Hebræis patribus nostris præsentiam, potentiam, providentiam et magnificentiam ostendisti per procellas, tonitrua, terræ motus et fulmina, quibus Idumæos, aliasque gentes vicinas ita perculisti, ut non auderent nobis resistere, eo quod cernerent te pro nobis pugnasse contra Pharaonem in mari rubro, ac in dies pro nobis pugnare et nos protegere. Refricat Debbora pristina Dei beneficia, et portenta Israeli per Mosen exhibita, ut ostendat Deum illa nunc in hac victoria portentosa renovasse, ideoque continuare suam erga Israelem curam et beneficentiam; quare dignum esse, ut ipse a se et a ceteris Israelitis omni ævo laudetur et glorificetur. Ita Lyran. Serarius, et alii. Abulens. tamen quæst. 2. hæc proprie ut sonant accipit, censetque illa ita prorsus ut hic dicitur contigisse, licet in Pentateucho non sint scripta. Vide dicta Num. 21. vers. 14.

IN DIEBUS SAMGAR FILII ANATH, IN DIEBUS IAHEL QUIEVERUNT SEMITÆ, ET QUI INGREDIUNTUR PER EAS AMBULAVERUNT COLLES DEVIOS.) q. d. Ante hoc bellum cum Sisara feliciter confectum, omnia itinera erant ab hostibus insessa et infesta, ideoque per obliquas, invias et occultas semitas proficisci oportebat, ne quis in eorum manus incideret. Licet enim Samgar dicatur fuisse Iudex, tamen exiguo is fuit tempore, et liberationem Israelis tantum orsus est, sed eam perfecerunt Debbora et Barac hoc prælio et victoria. Unde et tempus quo præfuit Samgar sub annis Barac complectitur hic v. ult. Vers. 6.

Sed cur Iahel iungitur cum Samgar? Suspicantur aliqui Iahelem fuisse uxorem Samgar, qui idem sit cum Haber: unde eo mortuo Iahelem fuisse viduam, et præfuisse toti domui. Samgar enim videtur fuisse Cinæus, qualis erat Iahel. Unde *Samgar* Hebr. idem est quod *advena illic,* quales erant Cinæi.

Verum hoc plane incertum est. Unde certius dicas, Iahelem hic induci, eo quod primaria inter Cinæos erat femina, ad quam proinde Cinæi confluerent, sed difficulter et occulte ob vias ab hostibus insessas, ut dixi. Significat ergo, Iahelem non potuisse vias securas facere, et mala populi avertere, donec Debbora Prophetissa instinctu Dei Barac et Hebræos, ac consequenter Iahelem ad bellum hoc, et ad occidendum Sisaram excitavit. Ita Hebræi, Serarius, et alii.

Vers. 7. CESSAVERUNT FORTES.) Recentiores vertunt, *cessaverunt villæ* scilicet rusticorum, ob grassationem hostium desertæ.

DONEC SURGERET DEBBORA, SURGERET MATER IN ISRAEL.) Hinc S. Ambros. lib. de Viduis censet Debboram fuisse matrem Barac Iudicis. *Quem*, inquit, *quasi mater erudiit, quasi iudex præposuit, quasi fortis instituit, quasi prophetes victoriæ serta transmisit.*

Verum dico, Debboram hic vocari matrem Israelis ob charitatem maternam, qua quasi mater populum tanquam prophetissa curabat, dirigebat, tutabatur et liberabat, uti mater solet facere filio.

Vers. 8. NOVA BELLA ELEGIT DOMINUS.) Τὸ *bella* non est in Hebræo. Unde Septuag. Theodor. August. Caiet. et alii vertunt, *Novos deos elegit Israel*, ideoque a Deo traditus fuit Sisaræ. Hebr. enim *Elohim* tam Deum quam deos significat: est enim plurale. Verum hic non est locus commemorandi deos, ubi Deo vero canitur epinicium. Quare melius et aptius Noster, subaudiens *bella*, vertit, *Nova bella elegit Dominus;* quia scilicet ipse per Hebræos paucos et inermes, ut sequitur, plurimas et armatissimas profligavit Sisaræ copias, et quia de cælo pro eis pugnavit, ut dicitur v. 20. Denique quia non per viros, sed per imbelles feminas Debboram et Iahelem bellum hoc confecit.

Debbora typus B. Virginis. Allegor. Debbora fuit typus B. Mariæ Virginis. Primo,
I. quia *Debbora* Hebr. idem est quod *apis*, ita dicta a דבר *dabar*, id est *verbum sermo*, eo quod apis continue susurrum quasi sermonem edat, ait Marinus in Lexico, q. d. *Apis* est *debora*, id est *eloquens*. Sic B. Virgo edidit nobis Verbum divinum, dum illud in visceribus suis carne humana corporavit peperitque. Rursum ipsa est Debbora, quia edidit illud Canticum sanctissimum, sonantissimum, suavissimum: *Magnificat anima mea Dominum*, etc. cui Debbora hoc suo Cantico prælusit. Ad hæc ipsa quasi prophetissa assidue eructabat Dei verba et oracula. Hinc licet Hebræi moderni vocent eam Deboram per simplex b. Septuag. tamen et S. Hieron. vocant eam Debboram per duplex b. Dicitur ergo ipsa non Debora (ut quidam volunt) sed Debbora, quasi *debbera*, id est loquens et eructans continuo magnalia Dei, quod præ illa fecit B. Virgo.

Insuper *apis* dicitur *Debora* a דברה *dibra*, id est consuetudo, series, ordo, eo quod ipsa suos favos ordine pulcherrimo, mira arte et industria componat. Quid ordinatius B. Virgine, de qua ait Sapiens Proverb. 8. 23. *Ab æterno ordinata sum?* Unde tota eius vita fuit speculum ordinatissimæ virtutis, charitatis, omnisque perfectionis, adeoque ipsa, ut ait S. Ambros. fuit *norma probitatis, forma virtutis.*

II. Secundo, apis est castissima, manensque virgo generat suas apiculas. Sic B. Maria est Virgo virginum, quæ proinde non hominem, sed Deum generare meruit. Id de ape tradit Aristot. lib. 9. Histor. anim. c. 4. et S. Ambros. lib. 1. de Virgin. *Digna*, ait, *Virginitas quæ apibus comparetur; sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur, nescit concubitus, mella componit.*

III. Tertio, apis est sedula et operaria, conficitque duas res præstantissimas, ceram qua ad lumina in Ecclesia ad Deum colendum utimur, et mel quod est suavissimum et sanissimum. Unde *Debbora*, id est apis alludit ad דבש *debas*, id est *mel*, quod producit. Quocirca Proverb. 6. 6. et seq. *Vade ad formicam o piger*, etc. Septuag. addunt, *Vade ad apim, et disce quomodo operaria est, operationem quoque quam venerabilem facit.* Vide ibi dicta. Sic B. Virgo operatur assidue opera religionis, pietatis, cha-

A ritatis: unde ab Ecclesia vocatur et invocatur *mater misericordiæ, mater pulchræ dilectionis, vita, spes, et dulcedo nostra.* Nam, ut ait S. Bernard. nullus, quantumvis miser vel sceleratus, ad eam confugit, qui non dulcissima eius misericordiæ viscera experiatur.

Quarto, Debbora fuit prophetissa. Sic et B. Virgo Prophetarum est regina. Rursum Debbora peperit victoriam de Sisara: B. Virgo de diabolo. Unde Isaias c. 8. 3. *Accessi*, ait, *ad prophetissam* (B. Virginem) *et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera, spolia detrahe, festina prædari.* IV.

Quinto, Debbora iussit Barac ire in montem Thabor, id est puritatis, ibique confligendo prostravit Sisaræ copias. Sic B. Virgo genuit Christum, qui quasi Barac, id est fulmen in eodem monte Thabor transfiguratus devicit impietatem et impuritatem, hominesque docuit non carnales et spurcas, sed puras et cœlestes voluptates ambire. V.

Sexto, Barac noluit ire ad conflictum nisi comite, imo B duce Debbora. Unde S. Alcimus lib. 6. c. 15. ait ipsam castra præivisse: sic enim de ea canit: VI.

Et memori nunc mente tenes, ut Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros: quos ipsa ferocem
Exemplo, verboque monens accendit in hostem.
Quas postquam ducens Princeps animosa catervas
Impulit, accendens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus.

Sic B. Virgo quasi Virginum, Apostolorum, Martyrum. Sanctorumque omnium antesignana omnes præit, verboque et exemplo hortatur ad generose cum carne, mundo et dæmone certandum. Quare illa longe præstantior est *Victorina*, sive *Victoria*, quæ olim mater castrorum dicebatur, ut ait Trebellius Pollio lib. de 30. Tyrannis. Hæc sunt nova bella, quæ elegit Dominus.

Septimo, Debbora fuit missa ad tutandum legis Docto- VII.
C res, uti ex Chaldæo audiemus v. 9. Sic B. Virgo est patrona, imo doctrix Apostolorum et Doctorum omnium.

PORTAS HOSTIUM IPSE SUBVERTIT.) *Portas*, id est omne robur, hoc enim solet esse in portis. Hebr. est אז לחם שערים *az lacham scearim*, id est *tunc comedit* vel *devoravit portas* Septuag. vertunt: *tunc pugnaverunt civitates Principum*, quia *lacham* significat devorare et pugnare: sicut enim os devorat panem, sic gladius devorat hominem. Rursum Septuag. τὸ *scearim* acceperunt, ut τὸ *sce* sit relativum significans, *qui*, deinde, *arim* significet urbes. q. d. *Pugnarunt qui erant urbium*, scilicet Principes. Porro S. August. quæst. 30. et Theodor. ex alia versione Septuag. legunt: *Elegerunt Deos novos ut panem hordeaceum*, id est deteriorem; hordeum enim deterius est tritico: sic Dii novi deteriores sunt Deo vero: quia *lachem* quoque est nomen significans panem; et si pro *scearim* aliis punctis legas שערים *seorim*, significat hordeum. Unde *lachem seorim* significat *panem hordei* sive hordeaceum.

D CLYPEUS ET HASTA SI APPARUERINT IN QUADRAGINTA MILLIBUS ISRAEL.) *Si*, id est *non* q. d. Non erant in 40. millibus, id est in universo (numerus enim certus ponitur pro incerto) exercitu Israel clypei et hastæ, sed fundis, fustibus, vomeribus (ut Samgar) ligonibus armati ceterique inermes Israelitæ, hostes armatissimos Deo duce profligarunt. Nimirum Chananæi æque ac Philisthæi astute eripuerant Hebræis arma, imo curabant ut non esset faber ferrarius in Israel qui ea fabricare posset, ut patet 1. Reg. 13. 19. Porro Septuag. hic uti et in seq. variant et sunt corrupti; habent enim contrarium delendo τὸ *si*, sed illud restituerunt Romani in correct. Septuag.

COR MEUM DILIGIT PRINCIPES (Hebr. חוקקי *chokeke* Vers. 9.
id est Principes, Legislatores, Doctores, Scribas) ISRAEL, quia eum regunt docentque legem Dei, præsertim eos qui ut sequitur PROPRIA VOLUNTATE OBTULISTIS VOS DISCRIMINI, ideoque iam triumphantes BENEDICITE DOMINO.)

Disce hic pro Deo nullum detrectare periculum, cum ipse ad illud vocat: nam ut ait S. Leo, *iuste instat præcepto, qui prævenit auxilio*: tunc enim Deus tacite spondet felicem exitum et victoriam, si periculum ultro et generose capessamus. Porro Chald. more suo paraphrastice hæc accipit de doctoribus et Scribis. *Dixit*, inquit, *Debbora in prophetia: Ego missa sum ad laudandum Scribas Israel, qui quando fuit tribulatio illa, non cessarunt ab interpretanda lege: et sic pulchrum illis, quod sedentes in domo congregationis in capite aperto, et docentes populum verba legis, et benedicentes et confitentes populum.*

Vers. 10. Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in iudicio, et ambulatis in via, loquimini.) Est Periphrasis virorum honoratorum, et magistratuum et iudicum. Hi enim apud Iudæos vehebantur asinis vice equorum, ut patet c. 10. 4. tum quia Deus eis vetuerat copiam equorum, tum quia asini ibidem sunt fortes, eximii et *nitentes*. Hebr. צחורות *tsechorot*, ἐπιλαμπόντων, id est *fulgentes*. Sensus est q. d. Vos o primores et iudices æque ac plebeii, qui per vias Israelis olim periculosas, nunc securas inceditis, loquimini magnalia Dei, quæ ipse nobis exhibuit in hoc prælio.

Tropol. Origen. ascendit super asinam, qui corporis sui motus et desideria fræno rationis moderatur, ut veniant sub iugum verbi Dei, tuncque asina, id est caro refulgere dicitur, cum castitatis et pudicitiæ splendore fuerit decorata.

Vers. 11. Ubi collisi sunt currus, nongenti falcati Sisaræ, et hostium suffocatus est exercitus, in torrente Cison. Clare vertit interpres Hebræa, quæ obscura sunt, et ad verbum sic habent: *A voce sagittantium inter haurientes aquas*, cum scilicet Sisariani sagittarii præcipitati in aquas Cison eas hauserunt, et ab eis hausti suffocatique sunt. Ita Arias, Caiet. Vatab. et alii: ibi narrentur iustitiæ, id est iusta vindicta, quam Deus sumpsit de tyranno Sisara, et clementia in fortes Israel.) Quibus victoriam de eo dedit.

Tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum.) q. d. Quando occisus est Sisara, Israel obtinuit portas et urbes hostium.

Vers. 12. Surge.) Hebr. עורי *uri*, id est expergiscere, evigila Barac; et apprehende captivos quos in prælio cepisti, eosque et eorum spolia diripe, et inter commilitones distribue. Tu inquam o Barac.

Fili Abinoem,) *Abinoem*, Hebr. idem est quod *pater decoris* vel *pulchritudinis*, aut *pater meus pulchritudo vel decor*, aut *pater meus delectatio vel iucunditas*. *Noam* enim est decor, pulchritudo, delectatio, iucunditas. Huius ergo filius fuit victor et triumphator Barac.

Vers. 13. Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus (cum fortibus, vel per fortes Israelitas) dimicavit.) Hebr. nervosius ad verbum sic habent: *Tunc dominabitur reliquus, vel residuus illustribus populi, dominus dominabitur mihi in fortibus.*

Vers. 14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum ex Beniamin in populos tuos o Amalec.) Hebr. *De Ephraim radix eorum in Amalec, post te Beniamin in populis tuis.* Sed Noster melius pro שרשם *scioresciam* id est *radix eorum*, quæ nullum hic habet sensum, alio puncto legit שרשם *scerescem* id est *eradicavit*, sive *delevit eos*. Nam et Septuag. vertunt ἐξερρίζωσεν, id est *eradicavit*. Rursum Noster subaudit τὸ o *Amalech* ex eo quod præcessit, ac pro אחריך *acharecha* id est *post te*, legit אחריו *acharau* id est *post eum*.

Sensus hic est difficilis et obscurus ob historiæ tum peractæ ignorantiam, ac ob phrasis et styli poetici involutam obscuritatem. Primo, communiter exponunt de bello, quo Iosue prostravit Amalec, Exodi 17. q. d. Iosue qui erat ex tribu Ephraim prostravit Amalecitas, et futuro tempore surget alius dux ex tribu Beniamin, puta Saul, qui amplius populos tuos affliget, o Amalec. Vide historiam 1. Regum 15. Ita Chald. Rabbini, Hugo de S. Victore, Abulens. Lyran. Dionys. Caietan. Arias, Vatab. et alii. Verum quid Iosue facit ad Barac, et Amalec ad Sisaram, de quo hic epinicium canitur?

Secundo ergo magis apposite, q. d. Barac cum suis fugientes Sisaræ copias ex monte Thabor, persecutus est usque ad tribum Ephraim, et ei vicinam Beniamin: quare id videntes Ephraimitæ, et post eos Beniaminitæ, iunxerunt se Barac, et Sisarianos cum eo persecuti sunt usque ad ultimos Iudææ fines, imo usque ad Amalec illis contiguum, itaque plane omnes ceciderunt et deleverunt, ut nemo superesset.

Tertio et plane, q. d. Amalecitæ quasi veteres Iudæorum hostes, audientes Sisaram tantis copiis Iudæos invadere, decreverunt ei mittere suppetias, quod intelligentes Ephraimitæ, et Beniaminitæ eis vicini, eos invaserunt et trucidarunt. Hoc exigere videtur τὸ *in Amalec*, et τὸ *in populos tuos o Amalec.*

Porro Septuag. hic variant: Complut. enim et Regii Codices habent: *Ex Ephraim ulti sunt eos in valle* (pro *Amalec* enim videntur legisse עמק *emec*, id est valle) *frater tuus* (pro אחריך *acharecha*, id est, *post te*, legerunt אחיך *achicha*, id est, *frater tuus*) *Beniamin in populis tuis.* Verum Codices Romæ emendati habent ut Vulgatus: *Ex Ephraim eradicavit eos in Amalec, post te Beniamin in populis tuis.*

De Machir principes descenderunt.) Machir fuit filius unicus Manasse. Sensus ergo, q. d. Manassensium priores cum suis popularibus vicini monti Thabor, audientes in eo a sociis confligi contra Sisaram, accurrerunt, eisque opem tulerunt. Laudat enim hic Manassenses Zabulonitas et Issacharianos, quod Nephthalitis opem contra Sisaram animose tulerint, cum id Rubenitæ, Galaaditæ et Gaditæ sibi metuentes facere detrectarent, quos proinde carpit et perstringit.

Septuag. pro *principes* vertunt *perscrutantes*, quod Procopius sic explicat, q. d. Manassenses fugientes Sisarianos, seseque in speluncis et cavernis abscondentes perscrutati sunt, eosque extraxerunt et mactarunt.

Et de Zabulon (repete, *principes descenderunt*) qui exercitum ducerent ad bellandum.) Cum Barac contra Sisaram. Septuag. vertunt, *Et de Zabulon potentes in sceptro scribas;* Hebr. *trahentes in virga* vel *sceptro*, per quos significantur magistratus, primores et principes. Alii intelligunt Scribas et Doctores, quasi tantus fuerit fervor concurrentium ad bellum, ut etiam Doctores suos calamos et stylos scriptorios in arma et gladios commutarint, et ad prælium descenderint.

Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barac vestigia sunt secuti.) Laudantur Issachariani, quod cum Barac et Debbora aleam prælii tam ardui et formidolosi generose subierint. Vers. 15.

Qui (Barac) quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit.) Videbatur enim cum paucis et inermibus ruere in innumeras et armatissimas Sisaræ copias, quasi in certum exitium, sed Deus eius fidem et fortitudinem remuneratus, exitium vertit in triumphum. Hebr. *In vallem missus cum fortibus suis.* Septuag. *in valle misit pedites suos*. q. d. Barac dans se suosque prælii periculo, se cum eis videbatur præcipitare in vallem, et profundam exitii sepulchrique fossam.

Diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.) Hebr. *In divisionibus Ruben magnorum*, vel *magnæ cogitationes cordis*. Vatabl. *discrepationes cordis*. Videtur laudari Ruben, ait Serarius, quod gregum bonorumque suorum omissa cura, bello interfuerit. Verum alii passim censent vituperari hic Rubenitas, quod studiis propriis et commodis vacantes inter se divisi fuerint, nec consentientes in illo bello, sed inter ovium suarum balatus et caulas desidere maluerint: vel quod belli eventum expectarint, ut si vinceret Sisara, ei dicerent, Tui sumus; sin vinceret Barac, ei se iungerent, ait Chald. Sensus ergo est, q. d. Cum Rubenitæ inter se disceptant, an bello Barac socios se iungere velint, an vero domi se continere, ac proinde nullas Baraco suppetias mittunt; magnanimi illi milites, qui se Baraco ad discrimen socios obtulerunt, id videntes mirati sunt, ac in-

ter se disceptarunt, dixeruntque: Cur Rubenitæ domi se continent? cur nobis auxiliares copias non mittunt? cur periculum commune, quod nos subimus, ipsi detrectant? Id magis patebit ex vers. sequenti. q. d. Rubenitæ ob suam desidiam facti sunt fabula et probrum Nephthalitis militibus et victoribus.

Vers. 16. QUARE HABITAS INTER DUOS TERMINOS, UT AUDIAS SIBILOS GREGUM?) q. d. Cur, o Ruben, habitas et desides in terra tua, quæ sita est inter duos terminos, id est inter Moab et Chanaan cis Iordanem? Vel potius ut Chald. Quare, o Ruben, tam mecum quam cum Sisara pacem habere voluisti, ac, ut vulgo dicitur, cur inter duas aquas natas, ut audias sibilos gregum, q. d. mavis greges tuos pascere, eorumque balatus et pastorum sibilos audire, quam buccinæ meæ sonitum: mavis quietem prædii, quam laborem et discrimen prælii. Culpat ergo eorum inertiam, timorem et pusillanimitatem, quod maluerint vacare rusticationi quam præliationi.

DIVISO CONTRA SE RUBEN, MAGNANIMORUM REPERTA EST CONTENTIO.) Iam explicata v. 15. Repetitur hoc hemistichium velut carmen intercalare, ad elegantiam, mutata una dumtaxat littera, nam v. 15. habetur חקקי לב *chicke leb*, id est cogitationes, vel disceptationes cordis, hic vero dicitur חקרי לב *chicre leb*, id est investigationes vel perscrutationes cordis. Sed eodem redit sensus.

Vers. 17. GALAAD TRANS IORDANEM QUIESCEBAT, ET DAN VACABAT NAVIBUS, ASER HABITABAT IN LITTORE MARIS.) Taxantur Galaaditæ, Danitæ, et Aseritæ, quod sua privata commoda sectantes in terra sua desidere maluerint, in eaque quiete vacare agriculturæ, navigationi et mercimoniis, quam commune belli periculum pro patria contra Sisaram subire; ignavia enim hæc erat non ferenda.

Vers. 18. ZABULON VERO ET NEPHTHALI OBTULERUNT ANIMAS (vitas) SUAS MORTI, mortis periculo, IN REGIONE MEROME.) Quæ adiacet monti Thabor, ubi commissum est prælium contra Sisaram. Ita Adrichom. Septuag. appellative accipiunt τὸ *Merome*, vertuntque *super altitudines agri;* quia scilicet in alta lataque planitie montis Thabor gestum est hoc bellum.

Vers. 19. VENERUNT REGES (reguli et principes confœderati Sisaræ et Iabin regi Asor) ET PUGNAVERUNT: PUGNAVERUNT REGES CHANAAN IN THANACH IUXTA AQUAS MACEDDO.) Hæc enim loca vicina sunt Thabor, sive loco prælii.

Vers. 20. DE CÆLO DIMICATUM EST CONTRA EOS: STELLÆ MANENTES IN ORDINE ET CURSU SUO ADVERSUS SISARAM PUGNAVERUNT.) Rupert. Glossa, Vatabl. et alii per stellas accipiunt Angelos, quasi hæc poetice dicantur, nilque aliud significent, quam quod Deo et Angelis pro Hebræis pugnante etiam stellæ Deo obedientes et lucentes cum eo et pro eo pugnasse videantur. Sic et Franciscus Valesius sacræ Philos. c. 31. per stellas accipit Angelos, quorum cursus dicitur assidua illa et continens operatio, qua homines custodiunt et gubernant. Sic Apocal. 12. 4. dicitur draco cauda sua traxisse tertiam partem stellarum, id est Angelorum, et misisse eas in terram. Planius accipias ipsas stellas, sed a suis Angelis motas, impulsas et directas. Sensus est, q. d. Stellæ e cælis pro Hebræis contra Sisarianos pugnaverunt, eiaculando in eos grandinem, ventos, procellas, fulgetra, tonitrua, ignes, et stellas cadentes, quæ eos perculerunt et interemerunt, uti contigit Iosue contra Chananæos pugnanti c. 10. 11. Angeli enim per stellas in nubes per se congregatas et rite dispositas more suo influentes, causarunt procellas et fulmina, quæ Angeli ita direxerunt, ut non in Hebræos, sed in Sisarianos ferrentur. Philo Biblicus ait Deum orante Debbora præcepisse astris: *Descendite astra, et incendite inimicos meos, ut sciant virtutem meam. Et descenderunt astra, et expugnaverunt castra eorum.* Et anterius: *Cum*, inquit, *Debbora et Barac iverunt ad præliandum cum hostibus, Deus conturbavit motum stellarum suarum, et dixit ad eas: Festinate et ite, et conturbate brachia hostium, et conterite virtutem cordis eorum, quoniam veni ut dominetur populus meus; et profecta sunt astra sicut præceptum erat eis, et incenderunt inimicos eorum.* Intellige astra non descendisse de cælo motu locali, sed virtute et efficientia sua, quia scilicet e cælis ignes et fulgura vibrarunt in Sisarianos.

Pulchre hic alludit nomen Ducis. Barac enim Hebr. fulgur significat: fulmineo ergo Barac Deus fulminans subministrabat sua fulmina. Sic Mars a Poetis dicitur fulminare, et Ptolomæus vocatus est Ceraunus, id est fulmineus. Consentit Iosephus lib. 5. c. 6. *Commissa*, ait, *pugna vehemens imber mixtus grandine supervenit, quem ventus in adversos Chananæorum vultus inferens, et prospectum adimens, inutiles eorum iaculatores et funditores reddidit, atque etiam scutati manibus rigentibus præ frigore gladios vix retinebant.*

Sic de Clodoveo multa reperies similia apud Gregorium Turonicum lib. 2. histor. Francor. c. 30. Honorii exercitum divino miraculo victoriam incredibilem de Gothis retulisse scribit S. August. lib. 5. de Civit. Dei cap. 23. Ariulphum ducem S. Sabinus martyr prope Spoletum suo clypeo munivit, et in bello protexit, ait Paulus Diaconus lib. 4. cap. 17. Robertus Monachus lib. 6. et 7. de Bello sacro refert sæpe S. Georgium, Mauritium, et Demetrium, visos sub nostris castris militasse. S. Georgius Aragonensibus in bello Ostensi maximum Agarenorum exercitum prostravit, ut narrat Carbonellius lib. 1. et in bello Valentino sæpe nostris auxilium tulit. S. Iacobus Apostolus Hispaniarum patronus, Ramiro Regi Legionis, prope victo atque prostrato eius exercitu, in colle, qui Clailinus nominatur, Hispanice Claviio, apparuit, et victoriam pollicitus est, quam postero die a Mauris obtinuit, ut constat ex Regio privilegio eiusdem Ramiri 9. Kal. Iunii, Era 972. et refert Calixtus II. lib. de Miraculis D. Iacobi, et Vincentius Bellovacensis lib. 27. Speculi historialis, cap. 31. Plura vide apud Thomam Bozium tom. 2. de signis Ecclesiæ lib. 17. Signo 79.

STELLÆ MANENTES IN ORDINE ET CURSU SUO, ADVERSUS SISARAM PUGNAVERUNT.) q. d. Stellæ, quæ imperante Iosue cum sole et luna steterunt immotæ, ut ad exitum Israelitarum victoria perduceretur, nunc iuverunt Barac cursu non intermisso. Stellæ pugnant pro Israele. I.

At quomodo pugnaverunt contra Sisaram? Respondet Rabbi Salomon, stellas de cælo incanduisse, lutumque itinerum ita calefecisse, ut ungulæ equorum Sisaræ nimio calore deciderent solutæ, quo ille incommodo affectus, pugnare haud potuit.

Secundo, Rab. David Kimki ait, stellas ita calefecisse milites Sisaræ, ut cum refrigerari vellent in torrente Cison, in eo perierint, quod significari putat illis verbis: *Torrens Cison traxit cadavera eorum.* II.

Tertio, Abulens. putat stellas manentes in ordine suo propterea dici contra Sisaram pugnare, quia forte sidera videbantur inflammata cadere super Sisaræ exercitum, cometis nimirum et fulguribus in eum iactatis. Sic enim et currus turbati in prærupta ferebantur, et militibus de cælo tactis mors Chananæorum oculis oberrabat, Hebræis nullo interim læsis detrimento. III.

Quarto, plene et germane, q. d. *Stellæ manentes in ordine suo.* Hebr. *in semitis suis.* Vatabl. *e stationibus suis*, hoc est ordinata acie incedentes pugnaverunt contra Sisaram, quia in eum eiusque castra iaculatæ sunt ventos, procellas, fulgetra quibus ea afflarunt et prostrarunt. Τὸ ergo *manentes in ordine et cursu suo*, significat Primo stellas ordinate more suo incessisse, uti incedit acies militum. Nam in Script. stellæ vocantur militia sive acies Dei: in acie autem maxime spectatur ordo militum: hic enim si servetur, vincit; si turbetur, vincitur. Secundo, stellas non cominus, sed eminus e cælo pugnasse contra Sisaram. Tertio, Angelos qui ordinem et cursum stellarum moderantur, per eas contra Sisaram certasse. Quarto, solem et stellas hic non constitisse, uti constiterunt sub Iosue, Soli stationem imperante cap. 10. 12. sed motum suum ordinarium continuasse, itaque produxisse procellas et fulmina, eaque in Sisarianos vibrasse. Ita Lyran. Caiet.

*

et alii. Quinto, stellas e suis stationibus in cælo facile perdidisse Sisarianos in terra; quia ex alto facile est perdere hostem infra in valle consistentem. Facilius enim, fortius et certius tela ex alto in imum, quam ex imo in altum iaciuntur. Unde Duces præliaturi solent captare locum excelsum, illudque est omen et causa victoriæ: tum quia hostis ex imo in eum magno nisu scandere debet, itaque vires exhaurit, antequam cum antagonistis suis, qui quieti integris sunt viribus, confligat; tum quia efficacius tela ex monte in vallem, quam ex valle in montem vibrantur; tum denique quia ex alto omnes hostium acies, vires, machinationes, etc. conspiciuntur, ut eis occurratur. Addunt Rabbini in Seder Olam: *Omnia quæ in cælis et quæ in terris sunt pugnasse contra Sisaram* pro Barac et Hebræis.

Vers. 21. TORRENS CISON TRAXIT CADAVERA EORUM.) Pro *traxit*, Hebr. est גרף *garaph*, id est *volvit, devolvit, convolvit volutavit.* Septuag. *eiecit.* Chald. *fregit.* Vatabl. *scopavit*, id est instar scopæ everrit. Torrens Cison fluit ad radices montis Thabor, ubi contritus est Sisara: quare milites eius fugientes per torrentem Cison, eo per Dei providentiam aquis redundante et tumido hausti mersique sunt; quare torrens devolvit eorum cadavera. Unde Iosephus ait Deum tunc ingentem immisisse imbrem, quo utique auctus valde intumuit torrens Cison. Festive R. Eliezer c. 42. narrat voluisse Deum, ut in mari rubro submersi Ægyptii, sepelirentur: sed deprecatam hoc terram, quod qui ab aquis interempti essent, ab aquis etiam absorberi deberent: Deum vero dixisse: *O terra hac vice suscipe istos; alia vice eos qui super te interfecti fuerint proiiciam in mare. Dicitur enim: Torrens Cison traxit cadavera eorum.* Ethopœia est Rabbinica, qua significatur omnes res etiam inanimas Deo ad nutum morem gerere, omnesque ab illo suaviter et ipsarum naturis convenienter gubernari. Ita Serarius.

Cadumim quid? TORRENS CADUMIM, TORRENS CISON.) Torrens Cadumim idem est cum torrente Cison, ut habet Chald. *Ipse*, inquit, *est torrens Cison:* sed cur dictus est *Cadumim?*

Resp. I. Primo Septuag. in Codice Roman. Pro *torrens Cadumim* vertunt, *torrens antiquitatum:* קדם *kedem* enim significat antiquum, priscum, primum, quod Marinus simpliciter explicat. q. d. Cison est torrens antiquus, licet enim sit torrens, tamen ab antiquo fluit, nec fluere cessat, uti alii torrentes sæpe siccantur in æstate, et fluere desinunt. Sublimius Chald. sic explicat: *Fluvius in quo facta sunt signa et fortitudines Israeli ab antiquo.* R. Ralbag vero: Dicitur Cison, inquit, Cadumim, id est antiquus, quod in eo renovatum sit antiquum prodigium maris rubri; quia sicut Deus illo mersit Pharaonem, sic in Cison mersit copias Sisaræ. Sic et Rupertus, qui censet Cadumim esse mare rubrum, itaque vocari ob antiquum mersi in eo Pharaonis prodigium.

Optime Arias et Vatab. sic explicant, q. d. ab antiquo, ab olim, ab initio torrens Cison a Deo factus et ordinatus est ad hoc, ut in eo pugnante Barac mergerentur Sisariani.

II Secundo, Serarius torrentem *Cadumim* vertit *torrentem Orientalium: kedem* enim Orientem quoque significat. Torrens enim Cison labitur partim versus mare Mediterraneum, quod est ad Occidentem; partim in mare Galilææ, quod est ad Orientem: quare *Cadumim* hic notare partem hanc Orientalem torrentis, qua mersi fuere Chananæi.

III Tertio alii *Cadumim*, quod est participium passivum, proprie vertunt *præventorum, præoccupatorum;* ubi scilicet Sisariani ex inopinato aquis præventi et suffocati. קדם *kadem* enim significat prævenire, præoccupare. Omnes hæ expositiones probabiles sunt coniecturæ, nil enim certi hic statui potest. Unde S. Hieron. in locis Hebr. *Cadomi*, inquit, *torrens, iuxta quem Debbora bellum gessit.* Addit Adrichom. rivulum quemdam procedentem ex torrente Cison vocari *Cadumim*, sed an ab urbe quapiam ita dictus sit, an aliunde, non explicat.

Allegor. B. Petrus Damiani serm. 40. qui est de S. Casiano martyre, totum hoc prælium applicans Ecclesiæ, per torrentem Cison accipit Baptismum. *Nam cum Catechumenus*, inquit, *lavacro sacri fontis immergitur, tanquam Sisara cum suo exercitu, sic nequissimus spiritus cum his quæ sibi militant vitiis omnibus necesse est perimatur.*

Porro huius victoriæ, utpote illustris et cælestis, subinde fit mentio in Script. ut Psal. 82. 10. *Fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cison.* id est, perde nostros hostes, sicut perdidisti Madianitas per Gedeonem, ac copias Sisaræ Ducis et Iabin regis in torrente Cison. Nec enim ipse Sisara periit in Cison, utpote occisus a Iahel; multo minus eo periit Iabin rex, qui prælio non interfuit. Rursum Elias sacerdotes Baal iussit occidi ad torrentem Cison, 3. Reg. 18. 40. idque apposite, ut scilicet ubi Sisariani gentiles mersi fuerant, ibi et Baalitæ idololatræ mergerentur. Hinc *Cison* Hebr. idem est quod duritia, vel induratus, vel stipula: torrens enim hic eos quasi stipulas dure abripuit, eo quod ipsi in suo scelere et idololatria essent obdurati.

CONCULCA ANIMA MEA ROBUSTOS.) Poetice hoc ait Debbora. q. d. gaude, exulta, triumpha o anima mea, quia Deus Sisarianos quantumlibet armatos et robustos cecidit, tibique calcandos subiecit.

Aliqui vertunt: *calcabas anima mea fortiter.* q. d. torrentem qui mersit Sisarianos, tu o Debbora forti siccoque pede calcasti, sicut mare rubrum quod hausit Pharaonem se dividens, siccum dedit alveum et transitum Hebræis. Favent Septuag. Roman. qui habent: *Conculcavit eum* (torrentem Cison) *anima mea potens.* Ita Serarius. Quod si verum est, novum est et prodigiosum miraculum. Verum Complut. Regii et alii pro *eum* habent *eos*, scilicet milites Sisaræ. Unde et Chald. vertit: *Ibi conculcavit anima mea occisos eorum in robore.*

Alio prorsus abit Caietan. qui vertit: *Anima mea*, id est populi mei, *diriget fortitudinem,* hoc est in Deo fortitudinem suam locabit.

UNGULÆ EQUORUM CECIDERUNT FUGIENTIBUS IMPETU, Vers. 22.
ET PER PRÆCEPS RUENTIBUS FORTISSIMIS HOSTIUM.) Solent enim ungulæ in vehementi cursu, ex collisione ad saxa, equis ex pedibus excidere. Significatur ergo hac phrasi ingens hostium pavor, indeque impetus in fuga. Septuag. Roman. vertunt: *Quando impediti sunt calcanei equi, festinatione festinaverunt.* Complut. vero et Regii habent: *Tunc abscissa sunt crura equorum hinnitibus potentium illius.*

FORTES EIUS.) Aquila, inquit Procopius, Hebr. מדהרת *midaroth, exposuit Decus irruentium, hoc est ungulæ equorum in acie agillimorum inutiles factæ sunt.* Chald. *Tunc eductæ sunt ungulæ equorum a fremitu.*

MALEDICITE TERRÆ MEROZ, DIXIT ANGELUS DOMINI.) Vers. 23.
Quæ sit terra *Meroz* ignoratur. Probabiliter Pagnin. in Nom. Hebr. opinatur *Meroz* esse *Merom,* tum quia litteræ pene sunt eædem; tum quia Iosue, c. 11. 7. ante annos 120. ibi cecidit Iabin regem Azor, antecessorem huius Iabin, cuius Dux Sisara cæsus fuit a Barac. Porro *Merom*, inquit Adrichom. ex S. Hieron. lacus est triginta stadiis latus et sexaginta longus, qui inter Cæsaream Philippi et Mare Galilææ quasi in medio situs est, quem Iordanis fluvius medius perfluit. Qui quidem lacus tempore resolutionis nivium a Libano monte defluentium valde accrescit ac dilatatur, ac æstivo tempore ex maiori parte exsiccatur. Quo fit, ut diversi generis herbæ, arbusta et arbores in sylvam eo loci accrescant, quæ leonibus, ursis, pardis, aliisque feris maxime abundat, ac Regibus Principibusque viris gratam et iucundam præbet venationem.

Maledicuntur ergo hic præ ceteris accolæ lacus Merom, quod suppetias non tulerint Nephthalitis contra Sisaram, sed potius occulte faverint Sisaræ, ideoque pro terra *Merom,* id est excelsa, hic vocatur *Meroz*, id est secretum, quod secreta contra Hebræos cum Sisara consilia agitarint; alioqui enim ob negatas suppetias dumtaxat non eis malediceret Angelus, cum easdem negarint Rubenitæ, Da-

nitæ, Aseritæ v. 16. 17. quibus tamen idcirco non maledicit: Quocirca maledicit terræ *Merom*, ut fiat terra *Meroz*, id est macilenta et sterilis (רש *ras* enim maciem significat) utque hoc ipsa voce innuat pro *Merom*, id est celsitudo, vocat eam *Meroz*, id est maciem et sterilitatem, quam hac maledictione ei induxit, sicut David eandem imprecatus est montibus Gelboe, ob cæsum in iis Saulem et Ionatham. 2. Reg. 1. 21. Unde Septuag. hic vertunt: *Maledictus omnis inhabitans eam.*

Dixit Angelus Domini.) Quæres, quis hic Angelus? Primo, Chald. censet esse Barac, qui dicatur Angelus, quod a Deo sit missus ad parandam Israeli de Sisara victoriam. Secundo, Procopius censet esse Pontificem. Sacerdos enim, præsertim summus, Angelus Domini exercituum est, ut ait Malach. c. 2. Tertio, Caiet. censet esse Debboram. Quarto, plane et genuine Abulen. censet fuisse verum Angelum, scilicet Michaelem, qui bello huic præfuit tanquam Israelis princeps ac protector. Daniel 10. Sic et Rupert. Arias vero censet fuisse Angelum, qui hoc Canticum Debboræ suggessit et dictavit: sed hunc verisimile est fuisse eundem qui bello præfuit puta S. Michaelem.

Quia non venerunt in auxilium Domini.) Per suos fideles Hebræos pugnantis contra impios Chananæos. Unde explicans subdit: *in adiutorium fortissimorum eius*, militum Hebræorum. Septuag. in Codice Regio habent: *Quia non venerant in auxilium; Dominus auxiliator noster; Dominus in pugnatoribus potens.*

Benedicta inter mulieres Iahel.) Hebr. מנשים *minascim*, id est *ex mulieribus*, vel *præ mulieribus Iahel.*
Vers. 24. Hinc Gabriel Archangelus sumpsit suam salutationem, qua B. Virginem salutavit Lucæ. 1. dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Iahel enim fuit typus B. Virginis, uti dixi c. 4. 28.

Aquam petenti (Sisaræ) lac dedit, ad eum somno consopiendum, ut dormientem occideret, et in phiala
Vers. 25. principum, hoc est in phiala præclara et præstanti, ex quali bibere solent principes, uti erat Sisara, obtulit butyrum.) Hoc est lac pingue et spissum: ex hac enim lactis pinguedine agitata coagulatur et fit butyrum. Nec enim Iahel butyrum sed lac dedit sitienti, potumque petenti Sisaræ. Est Catachresis.

Sinistram manum misit ad clavum.) Quasi ad instrumentum in tabernaculo suo obvium. Videtur hic clavus fu-
Vers. 26. isse ferreus; hic enim acutior est faciliusque incutitur et penetrat usque ad terram. Aliqui tamen censent clavum fuisse ligneum, ut fuerit typus crucis Christi, quæ fuit ex ligno. Verum aptius clavus hic fuit typus, imo idæa clavorum ferreorum, quibus Christus fixus in cruce in eadem confixit Sisaram, id est diabolum, omnes ei vires adimendo, ut superius dixi ex Origene. Audi Rupertum hic cap. 7. *Clavus tabernaculi ipsum est stigma passionis Christi, Clavum tulit, quæ iussa mortificare membra sua super terram crucem suam baiulavit, crucifigens carnem suam cum vitiis et concupiscentiis. Hoc tunc valide fit, quando non pro vanitate humanæ laudis, sed pro gloria assumitur Dei, afflictio carnis, non inquam in ambitione auræ popularis, sed in timore Domini Idcirco Psalmista postulat: Confige timore tuo carnes meas.* Psal. 118.

Vers. 27. Volvebatur ante pedes eius) Non capite, utpote quod Iahel clavo iam terræ affixerat, sed motitando et agitando pedes et latera, cum expiraret Sisara. Ita Abulen.

Vers. 28. Ululabat mater eius.) Sisaræ. Vatab. *eiulabat*, scilicet quod Sisara filius more suo ad se triumphans et spoliis onustus non reverteretur. Unde ex hac eius mora et tarditate suspicans quid sinistri ei contigisse, auguransque eius cædem (hanc enim ei mens pavida præsagiebat) lamentabatur. Poetice hic inducitur matris lamentum, uti fit in tragœdia, ut tragicus Sisaræ interitus melius repræsentetur.

Una sapientior ceteris uxoribus eius (scilicet Si- Vers. 29.
saræ) hæc socrui (matri Sisaræ eiulanti quod Sisara non rediret) verba respondit.) Ut eius dolorem leniret, et suspicionem sinistram in opinionem meliorem converteret, quod scilicet spolia hostium ampla diriperet, ideoque redire tardaret.

Sic pereant omnes inimici tui Domine.) Uti periit Vers. 31.
Sisara impius cum omnibus suis, licet plurimis et fortissimis.

Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.) Sol oriens spargit iubar suum aureum, splendoremque suum pulcherrimum et gratissimum, qui sensim usque ad meridiem crescit, et pulchrior fit ac robustior: Sic pariter Israelitæ ceterique diligentes te o Domine, omni decore, gratia, robore, lætitia, viribus, prosperitate, victoria, felicitate et triumpho resplendeant, iisque semper te benedicente increscant et proficiant, ut nemo eis ausit vel possit resistere, donec iisdem donis plane impleantur et abundent, quod fiet in cælo cum videbunt Deum Deorum in Sion, ac eius gloriam, omneque bonum participabunt, iuxta illud Prover. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Vide ibi dicta.

Pro *in ortu suo*, Hebr. est בגבורתו *bigburatho*, id est *in virilitate sua*, hoc est *in fortitudine sua.* Ita Chald. *Misericordiæ*, inquit, *eius* (Dei) *splendescent sicut exire solet sol in fortitudine sua.* Septuag. εν δυναςεια αυτȣ, id est *in potentatu suo*, cum scilicet sol claro mane exoriens apparet auricomus, ac fortiter suos splendoris radios longe lateque totis quasi viribus eiaculatur, iisque omnes tenebras dispellit, omniaque suis fulgoribus superat et collustrat, ut nil ei obsistere valeat. Hoc est quod ait Malachias cap. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ.* Et Sapient. 3. 7. *Fulgebunt iusti sicut sol.* Et Eccles. c. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol.* Vide quæ illis locis annotavi, æque ac Isaiæ 45. 1. ad illa: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Cyrus enim Persice idem est quod sol.

Quievitque terra per quadraginta annos.) Sub Vers. 32.
his 40. annis continentur viginti anni quibus Iabin oppressit Hebræos c. 4. v. 3. Vide dicta c. 3. v. 11. et 30. Minus ergo recte Iosephus. *Postquam*, inquit, *solo tenus urbem Asor æquasset* (Barac) *ducem Israelitarum agit ad annos* 40.

Addit Philo Biblicus in Antiquit. Debboram morientem convocasse populum, eique hæc ultima dedisse monita: « Ecce ego moneo vos tamquam mulier Dei, et illumino vos tanquam ex femineo genere, et obaudite mihi quasi matri vestræ, et intendite verbis meis tanquam morituri et ipsi. Ecce ego proficiscor mori viam totius carnis, quo venietis et vos: tantum cor vestrum dirigite ad Deum Dominum vestrum in tempore vitæ vestræ, quoniam post mortem vestram in his in quibus vivitis, pœnitere non poteritis. Nunc ergo filii mei vos obaudite voci meæ, donec habetis tempus vitæ et legis lumen, dirigite vias vestras. Et dum loqueretur Debbora verba hæc, levaverunt omnes populi vocem unanimiter et plorantes dixerunt: Ecce nunc mater moreris, et relinquens filios tuos, cui commendas eos? Ora itaque pro nobis, et post recessum tuum erit anima tua memor nostri in sempiternum. »

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræos rursus idololatrantes opprimunt Madianitæ: quare pœnitentes Deum invocant. qui liberatorem eis per Angelum designat Gedeonem. Unde Angelus v. 18. Deo sacrificat. Mox Gedeon v. 25. iussu Dei aram Baal subvertit, ideoque Ierobaal, id est ultor Baal vocatur: inde v. 34. classico milites convocat, ac signum victoriæ a Deo petens accipit rorem in solo vellere, et mox siccitatem in solo vellere. Quintus ergo Israelis Iudex fuit Gedeon, cuius acta hic enarrantur.

1. FECERUNT autem filii Israel malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis, 2. Et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loca. 3. Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, ceterique Orientalium nationum: 4. Et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. 5. Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum, et camelorum, quidquid tetigerant devastantes. 6. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian. 7. Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas. 8. Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi vos de domo servitutis, 9. Et liberavi de manu Ægyptiorum, et omnium inimicorum, qui affligebant vos: eiecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis Terram eorum. 10. Et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam. 11. Venit autem Angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, et pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, 12. Apparuit ei Angelus Domini, et ait: Dominus tecum, virorum fortissime. 13. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia eius, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian. 14. Respexitque ad eum Dominus, et ait: Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian: scito quod miserim te. 15. Qui respondens ait: Obsecro, mi domine, in quo liberabo Israel: ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei. 16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: et percuties Madian quasi unum virum. 17. Et ille, Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me. 18. Nec recedas hinc donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. Qui respondit: Ego præstolabor adventum tuum. 19. Ingressus est itaque Gedeon et coxit hœdum, et de farinæ modio azymos panes: carnesque ponens in canistro, et ius carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei. 20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam, et ius desuper funde. Cumque fecisset ita, 21. Extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, et tetigit carnes et panes azymos, ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit: Angelus autem Domini evanuit ex oculis eius. 22. Vidensque Gedeon quod esset Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. 23. Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris. 24. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri, 25. Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui: et nemus, quod circa aram est, succide: 26. Et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ huius, super quam ante sacrificium posuisti: tollesque taurum secundum, et offeres holocaustum super struem lignorum quæ de nemore succideris. 27. Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit. 28. Cumque surrexissent viri oppidi eius mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat. 29. Dixeruntque adinvicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia. 30. Et dixerunt ad Ioas: Produc filium tuum huc, ut moriatur: quia destruxit aram Baal, et succidit nemus. 31. Quibus ille respondit: Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius est eius, moriatur antequam lux crastina veniat: si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius. 32. Ex illo die vocatus est Gedeon, Ierobaal, eo quod dixisset Ioas: Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram eius. 33. Igitur omnis Madian, et Amalec, et Orientales populi congregati sunt simul: et transeuntes Iordanem, castrametati sunt in valle Iezrael. 34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se. 35. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum: et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephthali, qui occurrerunt ei. 36. Dixitque Gedeon ad Deum: Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, 37. Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. 38. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit. 39. Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. 40. Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat: et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.

Vers. 1. **F**ECERUNT AUTEM FILII ISRAEL MALUM IN CONSPECTU DOMINI.) Id est fecerunt idola et idololatriam. Hæc enim antonomastice dicitur malum, quia summum scelus, idque in conspectu Domini, quia Deo videnti et indignanti opponit alium Deum, eumque creatum, et sæpe factum fictumque ex lapide, auro, argento vel ære, quæ summa Dei iniuria, vilipensio et offensio.

QUI (iratus, iusteque tantum scelus, tantamque sui iniuriam vindicans) TRADIDIT ILLOS IN MANU MADIAN SEPTEM ANNIS.) Madian fuit filius Abrahæ ex Cethura. Genes. 25. 2. a quo eius posteri dicti sunt Madianitæ, et regio eorum Madian. Duplex autem fuit regio Madian, una iuxta mare rubrum ad Orientem, in quam fugit Moses, pavitque oves Iethro, eiusque filiam Sephoram uxorem duxit. Exodi 2. Altera vicina Moabitis iuxta Arnon et Areopolim, cuius incolæ masculi omnes occisi et excisi sunt a Mose Numer. 31. 7. eo quod Hebræos provocassent ad fornicationem et cultum Beelphegor. Numer. 25. Verum plures tunc hanc cladem metuentes, iam ante ad vicinas gentes profugerunt, qui postea in Madian redierunt: alii quoque vicini, in Madian incolis hac cæde vacuatam, ingressi, illam occuparunt, qui pariter dicti sunt Madianitæ. Hi ergo Iudæam invaserunt, et a Gedeone cæsi sunt. Porro Madian abundat camelis, ovibus et capris. Philo Biblicus asserit Israelitas traditos Madianitis sub Gedeone, eo quod incitati a quodam Madianita mago, cui nomen Aod, consuluissent deos Madianitarum.

MADIAN.) Hebr. *Midian* idem est quod litigium, iurgium, contentio, ait Pagnin. Quia licet Madianitæ fratres essent Hebræorum, æque ac Ismaelitæ sive Saraceni, atque Idumæi posteri Esau, utpote ex eodem Patre Abraham et Iacob respective prognati, tamen eorum perpetui fuere hostes. Rursum *Madian* Hebr. *Midian* idem est quod *Middin*, id est ex iudicio, ait Pagnin. quia iusto Dei iudicio invaserunt Hebræos ad castigandum eorum scelera. Origen. vero *Madian* interpretatur *extra iudicium;* quia Madianitæ iniuste, quantum est ex parte ipsorum, licet iuste ex parte Dei, expilarunt Hebræos: hi enim nullam eis iniuriam intulerant. Unde.

Tropol. Madianitæ sunt Turcæ, Hæretici, Tyranni, cæterique impii, qui pios iniuste affligunt, sed Deo id permittente vel ad peccatorum castigationem, vel ad patientiæ probationem.

Vers. 3. CUMQUE SEVISSET (seminasset triticum, hordeum, avenam, pisa, fabas, etc) ISRAEL, ASCENDEBAT MADIAN ET AMALEC (id est *populus lingens* Hebr.) CETERIQUE ORIENTALIUM NATIONUM.) Hebr. *Filii Orientis*, ex Abraham et Cethura progeniti, habitantes ad Orientem, qui proinde vocantur filii Orientis. Genes. 25. 6. Tales quoque dici possunt Ismaelitæ, Moabitæ, Ammonitæ, etc.

Vers. 4. ET APUD EOS (filios Israel) FIGENTES TENTORIA, SICUT ERANT IN HERBIS CUNCTA VASTABANT,) pascentes in eis suos camelos, boves, oves, nec permittentes ut sata in grana et messem crescerent et maturescerent, quare omne frumentum omnemque annonam succidebant, ut Israelitæ fame perirent.

Tropol. Madianita est dæmon, eiusque asseclæ, qui bona virtutis semina vel a Deo, vel a concionatore aliove simili mentibus hominum immissa disturbant, suffocant et auferunt, ne in opus bonum adolescant.

Vers. 5. INSTAR LOCUSTARUM.) Hæ enim innumera sua copia, æque ac edendi rodendique aviditate omnia germina radicitus succidunt et depascuntur, ut nihil frugis succrescere et nasci queat. Unde grandis hæc fuit plaga octava Ægypti. Exodi 10. 13.

Vers. 6. HUMILIATUSQUE EST ISRAEL.) Hebr. *attenuatus est.* Septuag. *depauperatus et ad mendicitatem redactus.*

Vers. 7. ET (id est idcirco, quia scilicet fames cogebat) CLAMAVIT AD DOMINUM.) Nimirum fames docet homines Dei oblitos illius recordari, imo ad eum clamare ut eam levet. Sic sæpe superiores qui subditos habent rebelles, adimendo eis cibum humiliant, et ad obedientiam officiumque reducunt. Qui enim alium pascit, ius in eum acquirit iubendi quæ velit. Homines enim sunt animales, et instar animalium esca ducuntur. Venter enim latrans quidvis subit, ut se satiet.

QUI MISIT AD EOS VIRUM PROPHETAM.) S. August. suspicatur fuisse Angelum illum, qui mox v. 11. apparuit Gedeoni. Verum alii passim censent fuisse hominem prophetiæ spiritu a Deo dotatum, missumque ad Hebræos more ceterorum prophetarum. Quisnam hic fuerit ignoratur, quia Script. eum non nominat. Rabbini divinant fuisse Phinees Pontificem, sed temere; ille enim iam pridem erat vita functus. Si enim hoc tempore vixisset, fuisset ducentorum annorum, quæ ætas illo ævo erat insolens et insueta. Porro Deus volens exaudire clamorem Hebræorum eosque a Madianitis liberare per Gedeonem, præmisit hunc prophetam, qui eorum ingratitudinem, idola et scelera acriter perstringeret, ut ad cor redirent, ac deinceps soli Deo servirent. Deum imitetur Prælatus, qui subditis offensas condonare statuit, ut prius aceto correctionis eos perfundat et compungat, ne ad vomitum redeant. Vers. 9.

NE TIMEATIS DEOS AMORRHÆORUM.) Id est ne colatis eos, ne eos revereamini. Timor enim in Script. omnem cultum Dei significat, tum quia *primus in orbe Deos fecit timor;* tum quia Deus maxime colitur metu et reverentia, iuxta illud: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Malach. 1. 6. Dominus enim a servo poscit timorem, ab eoque timeri et coli vult. Vers. 10.

VENIT AUTEM ANGELUS DOMINI, ET SEDIT SUB QUERCU QUÆ ERAT IN EPHRA.) Urbe ita dicta, quæ fuit patria Gedeonis, ad quem hic Angelus mittebatur. Alia est ergo Ephra ab Ephrata; hæc enim erat in tribu Manasse, ex qua erat Gedeon, ut patet vers. 15. Rursum Ephrata Hebr. scribitur per *Aleph:* Ephra vero per *Ain.* Ad hæc *Ephrata* Hebr. idem est quod *incrementum; Ephra* vero idem quod *pulverulenta,* vel *damula,* vel *cerva.* Porro Angelus hic sedit sub quercu apposite, quasi Gedeoni robur ad bellandum contra Madian additurus. Quercus enim robusta symbolum est roboris. Unde eum salutans ait: *Dominus tecum virorum fortissime.* Sic Debbora sedebat sub palma, quia suis oraculis texebat palmam victoriæ Barac et Hebræis contra Sisaram. Vers. 11.

ET PERTINEBAT (quercus sub qua degebat Angelus) AD IOAS PATREM FAMILIÆ EZRI.) Ex qua erat Gedeon. Ioas enim erat pater, id est princeps, sive primus et caput familiæ Ezri, ex qua prognatus est Gedeon. Tales alibi vocantur principes domorum, id est familiarum. Hebr. est אבי עזרי *abi ezri,* quod Vatab. et alii ut nomen proprium accipiunt, vertuntque *ad Ioas* oriundum ex *Abi ezri*: fuit enim familia *Abiezri* celebris, ut patet vers. 34. Porro *Abi ezri* Hebr. idem est quod *pater auxilii:* ex hoc ortus est Gedeon, qui destinabatur a Deo in auxilium Israelis, ad liberandum eum a Madianitis.

CUMQUE GEDEON FILIUS EIUS (Ioas) EXCUTERET ATQUE PURGARET FRUMENTA IN TORCULARI, UT FUGERET MADIAN.) *Excuteret*, scilicet flagello, uti Belgæ et alii flagellando segetes excutiunt grana ex aristis. Alioqui in Palæstina (uti etiamnum fit in Italia) boves triturabant segetes eas ungulis calcando, itaque grana excutiendo: unde illud: *Non alligabis os bovi trituranti.* Deut. 25. 4. Sed et Gedeon hic flagello trituravit, quia secreto et festinanter id fecit, ne a Madianitis appropinquantibus comprehenderetur: eademque de causa id fecit in torculari, ubi uvæ solent exprimi, ex eisque vinum elici: torcular enim hoc erat in loco plano, et forte in horreo, ut vult Vatabl. ubi solent segetes flagellari et triturari.

Tropol. S. Greg. 3. Moral. 47. « Quid est, inquit, frumentum virga cædere, nisi rectitudine iudicii a vitiorum paleis virtutum grana separare? sed hæc agentibus Angelus apparet: quia tanto magis Dominus interiora denuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. »

Allegor. S. August. serm. 108. de Tempor. » Torcular, inquit, ubi messem terebat, propter assiduas tribulationes Ecclesiæ typum gessit. Messis quæ cædebatur Christianum populum significavit, quem adveniens Christus virga disciplinæ, vel baculo crucis suæ, a paleis, id est a

peccatis omnibus separavit. Nam et Angelus ille qui venit ad eum, et ipse in typum Domini Salvatoris accipitur. Arborem sub qua stetit, et virgam quam tenuit crucem significasse manifestum est. Petra illa super quam Gedeon obtulit holocaustum, Christus erat. Sic enim ait Apostolus: Petra autem erat Christus. Hœdus ille qui oblatus est, humanum genus peccatis obnoxium designavit. Quod Angelus virga sua tetigit petram, et exiit ignis, et consumpsit hœdum illum; crux tetigit Christum, et de petra quæ erat Christus, ignis exiit charitatis qui humani generis peccata consumpsit. De ipso enim verus Gedeon Christus in Evangelio dixit: Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? »

Et S. Ambros. prooem. libr. 1. de Spiritu Sancto. « Non otiose, ait, vellus non in campo posuit, vel in prato, sed in area, ubi messis est tritici (messis enim multa, operarii autem pauci) eo quod per fidem Domini futura esset messis fœcunda virtutum. »

Vers. 12. Et ait (Angelus) Dominus tecum (sit) virorum fortissime.) Hebr. גבור החיל *ghibbor hechail,* id est, *fortis robore vel strenuitate.* Septuag. *Potens fortitudine.* Chald. *Vir virtutis.* Vatabl. *Vir fortissime: Ghibbor* enim significat virum fortem, potentem, robustum, quales erant gigantes: *chail* vero significat robur, industriam, strenuitatem, vires. Unde Serarius suspicatur pro *virorum* legendum *virium*, sed nil cogit hoc dicere: nam *τὸ virorum* respondet Hebr. *ghibbor*: *ghibbor* autem et fortem et virum significat: viri enim sunt fortes. Unde *Gabriel* dictus est quasi *fortis Dei,* vel *vir Dei.* Adde qui viribus est fortissimus, hic virorum est fortissimus.

Porro Gedeon fuit fortis non tantum corpore, sed magis animo, quo tantum bellum generose aggressus est. Rursum fuit fortis non solum naturali, sed et supernaturali, quam Deus hic illi indebat, et deinceps illi inditurus erat ad opus tam arduum capessendum, fortitudine. Cum enim Deus cuipiam nomen aliquod attribuit, simul et rem dotemque nomine significatam illi indit. Sic cum B. Virgo salutata est a Gabriele Dei legato, *gratia plena,* tunc simul Deus novam gratiæ copiam et plenitudinem illi indidit: Salutatio enim Dei (et sanctorum eius, ut S. Pauli, ait Chrysost.) est efficax, ac Dei dicere est facere. Sic Deus Simoni nomen commutans, eumque vocans *Kepha* (Cephas) id est *Petrum*, petrinam fortitudinem, qua foret Ecclesiæ basis, illi indidit. Idem dicendum de Ioanne et Iacobo, cum eos vocavit Boanerges, id est filios tonitrui; et de Abram, cum eum vocavit Abraham, id est patrem multarum gentium, etc.

Dicitur ergo Gedeon virorum fortissimus, ait Serarius, quia corporis viribus excellebat, animique robore præstabat. Secundo, quia ob Dei præsentiam et opem multo magis deinceps iisdem corporis animique viribus valiturus, magnaque ad populi sui salutem gesturus erat, eaque ipsi tam corporis quam animi, tam præsens quam futura ideo proponebatur fortitudo, ut magna cum fiducia et alacritate ad Israelitici populi vindicias aggrederetur, neque sese nimium despiceret, imparemque oneri et operi huic duceret. Sic enim et lucta mirabili ac diuturna confirmatus est Iacob, dum in præferocis ac perirati Esau conspectum venire deberet. Genes. 32.

Porro Septuag. vertunt in nominativo δυνατος τῃ ισχυι, ut habent Complut. id est, *potens vi*, vel ισχυρος των δυναμεων, id est *fortis virtutum:* ut habent Roman. Unde S. August. hic quæst. 32. censet hoc esse Epithetum non Gedeonis, sed Dei. q. d. Dominus tecum est, o Gedeon, Dominus inquam, qui est fortis virtutum. Verum melius Noster, Chald. et alii vertunt in vocativo, ut Gedeon ab Angelo salutetur, voceturque virorum fortissimus. Nam causam huius tituli dat Angelus v. 14. cum ait: *Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian.*

Vers. 14. Respexitque ad eum Dominus.) Puta Angelus legatus Domini, eiusque personam repræsentans. *Respexit* oculis benignis, sed acribus, Gedeonem timidum erigens ad fiduciam, eique suam opem blando vultu nutuque promittens, ideoque eum extimulans ad capessendum munus

A Iudicis et Ducis contra Madianitas, quod ipse illi offerebat. Recte *τὸ respexit* respondet *τὸ obsecro*, Hebr. בי *bi*, id est *in me*, scilicet obsecro ut respicias, hoc est mihi meisque sis propitius, quod dixerat Gedeon vers. præced. Respiciendo ergo in eum Angelus petitioni et votis eius satisfecit.

Vade in hac fortitudine tua.) Hebr. בכוחך *becochacha*, id est in robore quod tibi olim indidi, et nunc adauxi, ac deinceps magis augebo et amplificabo. Unde Abul. sic exponit: *Vade in fortitudine tua,* hoc est *in fortitudine adiutorii, quod tibi iam promisi.* Audi Theod. quæst. 12. *Memor erat Gedeon mirabilium Dei firmamque de Deo tenebat opinionem, etc. Et meruit ut audiret ab Angelo: proficiscere in robore fidei huius et vinces.*

Ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum.) q. d. Ne timeas o Gedeon tot millia Madianitarum; ego enim te ita roborabo, adeoque eis potentiorem efficiam, ut omnes tam facile cædas, perinde ac si omnes essent unus dumtaxat vir; sive quam facile cæditur unus vir, tam facile tu mea ope cædes tota castra Madian. Sic enim unus Angelus pro Ezechia pugnans cecidit una nocte in castris Sennacherib 185. millia Assyriorum, 4. Reg. 19. 35. Tam potens est Deus, imo unus Dei Angelus. Vers. 16.

Da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me.) Vers. 17. Non peccavit Gedeon petendo signum, quia nesciebat an is qui secum loquebatur esset homo propheta, an Angelus Dei vel diaboli. Satanas enim se transfigurat in Angelum lucis. Ita Abul. Ait ergo: *Da mihi signum quod tu sis,* scilicet talis, cui divinam opem victoriamque tam admirabilem de Madian pollicenti fidem habere possim et debeam. Videbat Gedeon Angelum instar iuvenis pulcherrimi, vultu, habitu et moribus elegantissimum, ac miram ex eius præsentia et alloquio sentiebat consolationem, alacritatem et lætitiam; sed necdum certo quis esset, et unde veniret, ei constabat. Idipsum ergo signo petit sibi declarari et confirmari. Porro signum hoc poscenti Gedeoni dedit Angelus v. 21. cum virga tangens panem et C carnes, illico ex eis ignem elicuit, quo illa Deo in sacrificium obtulit, eoque facto disparuit. Licet aliqui putent Gedeonem pro signo postulasse id quod proxime subiicit: *Ne recedas hinc donec revertar ad te:* quibus favent Septuag. sed planius dicemus duo petiisse Gedeonem, primo, signum iam dictum, secundo, ne Angelus abiret antequam munus aliquod ei honoris ergo attulisset.

Ne recedas hinc donec revertar ad te, portans sacrificium et offerens tibi.) Vers. 18. Quæres, an vere Gedeon hic obtulerit sacrificium? Affirmat S. August. quæst. 31. Voluit, inquit, Gedeon coram Angelo sacrificium offerre, velut adiuvandus præsentia eius sanctitatis. Sic et Theod. quæst. 12. et Abul. quæst. 16. Probant primo, quia id diserte asserit Noster dicens; *Portans sacrificium, offerensque tibi.* Secundo, quia Sept. vertunt: εξοισω θυσιαν, και θυσω ενωπιον σου, id est, *Feram sacrificium, et sacrificabo coram te.* Sic et Vatab. Tertio, quia hoc signum petiit Gedeon ab Angelo, ut ipse se a Deo missum ostenderet per ignem a se miraculose productum, quo panem et car- *An Gedeon sacrificarit? Asserunt nonnulli.*

D nes a Gedeone allatos cremaret et sacrificaret: qua ratione Elias se verum Dei esse Prophetam contra sacerdotes Baal demonstravit, ignem e cælo eliciendo, qui bovem suum inflammaret, et quasi holocaustum Deo adoleret. 3. Reg. 18. Et Manue Pater Samsonis iubente Angelo c. 13. 16. holocaustum obtulit. Non ergo Gedeon, qui sacerdos non erat, obtulit sacrificium, sed materiam sacrificii detulit Angelo sine igne, ut is igne miraculoso illud consummaret, itaque sacrificaret, atque hoc signo ostenderet se a Deo cui sacrificabat esse missum. Unde pro eo quod Noster vertit: *Offerens tibi,* Hebr. est *dimittam,* vel *deponam coram te,* ut scilicet tu ea inflammes, et per ignem cœlestem Deo in sacrificium offeras et consumas. Coxit vero Gedeon carnes sacrificii, quia simul volebat prandium ferre vel Angelo in corpore humano apparenti quasi homini, vel Prophetæ (nesciebat enim an esset Propheta, an Angelus, sed de eo dubitabat, et alterutrum esse suspicabatur) ut pars illi in cibum cederet, si esset Propheta, pars vero altera

in sacrificium Dei. Angelus vero ut ostenderet se esse Angelum, nec cibo vesci, utque evidentius esset miraculum, omnia etiam ius ipsum Deo concremavit, et concremando sacrificavit. Nec enim Angelus legibus sacrificiorum in Levitico latis, quæ non permittunt carnem coctam sacrificari, tenebatur. Ita Abulens. Hæc sententia est probabilis, illique favent Septuag. qui signum hoc Gedeonis in hoc sacrificio Angeli constituere videntur.

Melius negant alii. Verum contrarium est verius, scilicet Gedeonem panem et carnes attulisse Angelo, non ad sacrificium, sed ad prandium; ut videlicet Angelus specie humana apparens quasi homo ea comederet: nesciebat enim Gedeon esse Angelum, sed dubitabat an homo esset, an Angelus.

Prob. 1. Prob. Primo, quia nullus hic erat sacerdos qui sacrificaret. Gedeon enim non erat ex tribu sacerdotali, puta ex Levi, sed ex Manasse. Angeli etiam non solent sacrificare. Et Gedeon nesciebat eum qui apparebat esse Angelum.

II. Secundo, quia hœdus ex lege non poterat sacrificari, nisi pro peccato Principis. Levit. 4. 2.

III. Tertio, Gedeon coxit panes et carnes; ergo ad prandium. Nam ad sacrificium debebant afferri carnes crudæ, imo animal vivum, quod a sacerdote mactabatur, coquebatur, et comburebatur in honorem Dei.

IV. Quarto, extra tabernaculum sacrificare non licebat: ergo nec in area Gedeonis.

V. Quinto, quia Angelus hic apparebat specie viatoris, ideoque virgam sive scipionem viatorium manu gestabat, iamque quasi de via fessus, et umbram quietemque captans sedebat sub quercu. Videtur ergo Gedeon hospitale officium ei exhibere voluisse, ac panes et carnes ad eum refocillandum attulisse. Sic enim fecit Abraham, Angelis quasi peregrinis de via ad se divertentibus prandium parando, Genes. 18. et Manue c. 14. v. 15.

VI. Sexto, quia pro *sacrificium*, Hebr. est מנחה *mincha*, id est munus vel donum, ut vertit Chald. Sic Aod obtulit Regi *mincha*, id est munus c. 3. 15. Fateor *mincha*, speciatim quoque significare munus, quod ex farre vel pane Deo offertur, puta sacrificium farreum, Levit. 2. Verum *mincha* numquam significat sacrificium carneum: carnes autem hic attulit Gedeon.

Ad primum ergo respondeo: pro *sacrificium*, Hebr. est *mincha*, id est donum. Noster tamen vertit *sacrificium*, quia Angelus paulo post donum Gedeonis noluit sibi usurpare, sed illud convertit in sacrificium, quod Deo obtulit: et quia epulæ per catachresin sæpe vocantur θυσία id est sacrificium et victimæ, ut patet Prov. 9. 2. 1. Reg. 25. in Septuag. Matth. 22. 4. θυσία enim dicitur a θύω, id est occido, unde *tuer* Gallicum. Idem dico ad secundum. Addo pro θύσω, id est *occidam*, in Septuag. legendum videri θήσω, per η, id est *ponam*; ita enim legit S. Aug. q. 35. Ad tertium patet responsio ex iam dictis. Adde nescisse Gedeonem an is qui apparebat esset sacerdos, qui posset sacrificare. Denique Gedeonem non cogitasse de sacrificio patet ex eo, quod non erexit altare, non attulit ligna et ignem, quibus hostia cremaretur: unde nullam Angelo sacrificii fecit mentionem; multo minus præscivit Angelum virga sua ignem eliciturum, quo carnes ab eo allatæ sacrificarentur. Ita Theod. Procopius, Caiet. Arias, Serarius. Audi Procopium: *Sacrificium id dicit, quod ad epulum destinatum erat. Victima enim non coquebatur iuxta legem. Ceterum sub quercu ponit Abrahamum imitatus, ac ratus hunc fercula absumpturum.*

Vers. 19. AZYMOS PANES.) non quod esset tempus Paschale, quo Iudæis non nisi azymo vesci licebat, sed quod Gedeon festinaret, metueretque ne Angelus ob moram abiret: quare cum non haberet tempus farinam fermentandi, ex ea infermentata azymos panes festinanter coxit.

Vers. 20. PONE SUPRA PETRAM ILLAM.) Petram ergo illam Angelus statuit pro altari, in quo omnia hæc Deo per ignem sacrificare destinabat. Petra hæc erat typus Christi. 1. Corinth. 10. 4. qui simul est altare, sacerdos et victima, quam Deo in Eucharistia offerimus. Aliud signum enarrat Philo Biblicus, scilicet Angelum iussisse Gedeoni, ut

A aquam super petram effunderet, ac Gedeonem ab Angelo petiisse hoc signum, dixisseque: *Fiat medium sanguis et medium ignis. Et effudit Gedeon aquam super petram et factum est cum effudisset, ut fieret media pars flamma, media autem pars sanguis, et commixta sunt utraque, id est ignis et sanguis, et non extinxit ignem sanguis, nec sanguinem ignis exussit.* Addit Philo per Gedeonem cæsa esse centum et viginti Madianitarum millia, et ceteros fugisse. Verum hic Philo est suspectæ fidei.

EXTENDIT SUMMITATEM VIRGÆ, etc. ET TETIGIT Vers. 21.
CARNES ET PANES AZYMOS, ASCENDITQUE IGNIS DE PETRA, ET CARNES AZYMOSQUE PANES CONSUMPSIT.) Ecce hoc est signum quod Gedeoni poscenti Angelus exhibuit, quo primo ostendit se esse Angelum a Deo missum; Secundo, se non vesci cibo. Tertio, se hæc omnia a Gedeone allata, sibique oblata Deo per ignem sacrificare. Ignem autem produxit ex valida collisione petræ per virgam cuspide ferrea, ut videtur armatam; sicut silicem collidendo ad ferrum, ex eo elicimus ignem, aut alio si-
B mili modo applicando activa passivis, eo modo, quo ex secretis naturæ causis sciebat producendum ignem. Angelus ergo hic sacerdotis officio functus est. Gedeon vero ministri. Ita Theodor. Abul. Lyran. Dion. et alii.

Mystice, caro hœdi est culpa, ius sunt illecebræ cupiditatum. Quod ergo Angelus extendit virgam, et tetigit petram, de qua exivit ignis, ostendit quod caro Christi repleta spiritu cælesti igneque divino, peccata omnia hominum exureret. Ita S. Ambros. proœmio lib. 1. de Spiritu sancto, quem audi: « Iam tunc igitur in mysterio declaratum est: quia Dominus Iesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec solum delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum: caro enim hœdi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum sicut scriptum est: quia concupivit populus cupiditatem pessimam: et dixerunt quis nos cibabit carne? Quod igitur extendit Angelus virgam et tetigit petram, de qua ignis exivit, ostendit quod caro Domini spiritu repleta
C divino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Unde et Dominus ait: Ignem veni mittere in terram.

Eadem ad verbum extant in S. August. serm. 108. de Temp. Quare ex alterutro in alterum transcripta sunt. Audi et S. Gregor. 3. Moral. 17. « Angelus occidi hœdum præcipit, id est omnem appetitum carnis nostræ immolari, carnesque supra petram poni, et ius carnium desuper fundi. Quem alium signat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur: Petra autem erat Christus? carnes ergo super petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Ius etiam carnium desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas etiam a se carnales delectationes exinanit. Quasi enim ius ex carne liquidum in petram funditur, quando mens a cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox Angelus virga tangit, quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adiutorii deserit. De petra autem ignis exit, et ius carnesque consumit, qui afflatus a redemptore spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat, ut omne
D quod in eo illicitum est et operis et cogitationis exurat.

ANGELUS AUTEM DOMINI EVANUIT EX OCULIS EIUS.) Ascendens in cælum, ait Caiet. unde venerat. Unde Chald. vertit: *Ascendit e regione oculorum eius.* Inde quoque agnovit Gedeon hunc esse Angelum Dei: Unde sequitur.

VIDENSQUE GEDEON, QUOD ESSET ANGELUS DOMINI Vers. 22.
AIT: HEU MI DOMINE DEUS (moriendum mihi est) QUIA VIDI ANGELUM DOMINI FACIE AD FACIEM.)

DIXITQUE EI DOMINUS (Angelus legatus Dei) PAX Vers. 23.
TECUM, NE TIMEAS, NON MORIERIS.) Ex hoc Gedeonis dicto, et ex illo Manue cap. 13. 22. *Moriemur, quia vidimus Deum*, liquet communem vulgi opinionem tunc fuisse moriturum eum, qui Deum vel Angelum vidisset. Unde Iudæi hanc colligunt regulam: *Quicumque manifeste Angelum viderit, hunc statim consequetur mors.* Orta videtur ista opinio ex eo quod Angeli sint subtilissimi spiritus ac familiares Deo: quare cum hominibus apparent, videntur eos velle a carne ad spiritum secum tra- Opinio moriturum eum qui viderit Angelum. Unde?

ducere ad Deum, ac subinde citare eos ad iudicem Deum. Adde quod Angeli subinde morituris apparent, ut eos ad aliam vitam traducant. Unde Iacob viso Angelo admirans se non mori ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Genes. 32. 30. Tanta enim est Angelorum lux, gloria, maiestas, ut hominem exanimare videatur. Aucta est hæc opinio ex illo Dei ad Mosen oraculo. Exodi 32. 20. *Non videbit me homo et vivet,* ait S. August. hic quæst. 54. Item ex aliquorum punitione, qui ob scelera ab Angelis occisi sunt, uti ab eis cæsi sunt primogeniti Ægyptiorum. Exodi 12. et Sodomitæ Genes. 19. Her et Onan Genes. 36. Sic etiamnum de spiritibus eorumque apparitionibus multi multa imaginantur et narrant, quæ vana et fabulosa sunt.

Verum hunc eorum timorem vanum fuisse, liquet ex visionibus Angelorum factis Abrahæ, Iacob, Mosi, Iosue, Gedeoni, et aliis. Hi enim viderunt Angelos, nec tamen mortui sunt. Unde Angelus hic ait Gedeoni: *Ne timeas, non morieris.* Etsi enim hic Angelus iam evanuisset ex oculis Gedeonis, tamen hanc vocem formavit in aere vicino auribus Gedeonis, ut ipsi metum mortis adimeret, ait Abulens.

Vers. 24. ÆDIFICAVIT ERGO IBI GEDEON ALTARE DOMINO, VOCAVITQUE ILLUD: DOMINI PAX.) Eo quod Angelus ei dixerat: *Pax tecum, ne timeas, non morieris.* Erexit ergo hoc altare non ad sacrificandum; hoc enim vetitum erat erigi extra Tabernaculum sive templum. Levit. 17. 4. sed in monumentum incolumitatis et pacis sibi ab Angelo viso præstitæ, salutisque et liberationis Israelis a Madianitis ab eodem sibi promissæ. Unde vocavit illud: *Domini pax.* Simile altare ædificarunt Rubenitæ, Iosue 22. vers. 10. Ita Abul. nisi malis cum Caiet. Lyrano, Aria, et Serario, hoc altare idem esse cum eo quod iussu Dei ædificavit Gedeon v. 26. idque pariter est probabile.

Vers. 25. DIXIT DOMINUS AD EUM: TOLLE TAURUM PATRIS TUI, ET ALTERUM TAURUM ANNORUM SEPTEM, DESTRUESQUE ARAM BAAL, etc.) Chald. *Taurum qui pinguefactus sit annos septem.* Unde Arias et Rabbini, quin et Theodor. putant hunc taurum vel a civitate, vel a patre Gedeonis Deo dicatum fuisse in sacrificium ab initio persecutionis Madianitarum, ut ea cessante Deo in sacrificium offerretur, ideoque tot annis quot durarat persecutio fuisse saginatum, ac pluribus saginandum fuisse, si persecutio diutius durasset.

Vers. 26. ET ÆDIFICABIS ALTARE DOMINO DEO TUO IN SUMMITATE PETRÆ HUIUS, SUPER QUAM ANTE SACRIFICIUM (victimam panum et carnium) POSUISTI: TOLLESQUE TAURUM SECUNDUM, ET OFFERES HOLOCAUSTUM.) Unde Arias putat utrumque taurum fuisse immolatum, et sub secundo priorem intelligi. Fieri tamen potest, ait Serarius ut e duobus unus hic tantum luce oriente, ut Abulensi videtur quæst. 40. vel alia quapiam de causa immolari potuerit, et hic prius immolatus sit, quia septennis pinguissimus, servitutique finiendæ accommodatissimus, ideoque vel altero iam cremato penitus, vel adhuc postea cremando, hunc solum aræ superpositum, et adhuc ardentem invenerunt Ephræi, vers. 28.

Hic ergo Gedeonem, licet non ex tribu sacerdotali, scilicet Levi, sed ex Manasse Deus creavit sacerdotem, iussitque ei sacrificare sibi, ut esset typus Christi, qui fuit sacerdos.

Allegor. S. Ambros. procemio in lib. 1. de Spiritu. *S. Gedeon,* inquit, *occidit vitulum a patre suo idolis deputatum, et ipse septennem alium vitulum immolavit Deo. Quo facto manifestissime revelavit, post adventum Domini omnia gentilitatis abolenda sacrificia, solumque sacrificium Deo Dominicæ Passionis pro redemptione populi deferendum. Etenim vitulus ille erat in typo Christus, in quo septem spiritualium plenitudo virtutum, sicut Isaias dixit, habitabat. Hunc vitulum et Abraham obtulit, quando diem Domini vidit, et gavisus est. Hic est qui nunc in hædi typo, nunc in ovis, nunc in vituli offerebatur. Hædi, quod sacrificium pro delictis sit; ovis, quod voluntaria hostia; vituli, quod immaculata sit victima. Prævidit ergo mysterium S. Gedeon.* Eadem habet August. serm. 108. de Temp. sed phrasis magis redolet stylum S. Ambros.

NUNQUID ULTORES ESTIS BAAL, UT PUGNETIS PRO EO? QUI ADVERSARIUS EST EIUS, MORIATUR ANTEQUAM LUX CRASTINA VENIAT. SI DEUS EST, VINDICET SE DE EO, QUI SUFFODIT ARAM EIUS.) Vers. 31. Significantius habent Hebr. *Num vos litigabitis pro Baal? num vos eum servabitis?* Apparenti argumento Ioas pater liberat filium Gedeonem, aræ Baal eversorem a morte. q. d. Si Baal Deus est, sentit utique hanc iniuriam in succisione aræ suæ sibi irrogatam: quare si ipse Deus est omnipotens et impietatis vindex, servet se suumque cultum, ac vindicet se de eo, qui evertit aram eius ante crastinum diem ut omnibus appareat eum esse Deum, ab omnibus timendum colendumque.

EX ILLO DIE VOCATUS EST GEDEON IEROBAAL, EO QUOD DIXISSET IOAS: ULCISCATUR SE DE EO BAAL, QUI SUFFODIT ARAM EIUS.) Vers. 32. *Gedeon,* Hebr. idem est quod *succisor iniquitatis et idoli,* item *succisor doloris:* hic enim comitatur iniquitatem, sicut lictor reum. Idem dictus est *Ierobaal,* quasi ירוב בעל *iarub baal,* id est litigans, contendens, certans cum Baal. Unde pro *ulciscatur se de eo.* Hebr. est ירב בו *iareb bo,* id est litiget cum eo, litem illi intendat, contendat et certet cum eo, ac si potentior est ulciscatur se de eo, eumque castiget et puniat. q. d. Ut quid vos litigatis cum Gedeone filio meo, eo quod everterit aram Baal? litiget ipse Baal si Deus est, cum eo. Si enim Deus est, potens est et iustus, ut iniuriam hanc suam puniat: quare non eget vobis actoribus et litigatoribus. Est argumentum in speciem probabile, et ad hominem. Cives enim et incolæ Ephra cultores Baal, hanc de suo Baal opinionem et sensum habebant: sed revera ipsum in se est imbecillum et invalidum. Simili enim modo liceret dicere Hæreticis iconoclastis: Si Deus et sancti ægre ferunt imaginum suarum confractionem, vindicet se de nobis, nosque castiget. At hoc dicere non licet, nec sufficit ad facti excusationem: tum quia Deus ultionem suæ iniuriæ sæpe in hac vita dissimulat, differtque in alteram vitam, ut sit acrior et æterna; tum quia constituit Reges et Magistratus, qui iniurias sibi illatas iudicent et vindicent; quare illi ex officio idipsum facere obligantur.

Porro pro *Ierobaal,* per crasin Gedeon vocatus est *Arbel,* ut patet Osee 10. 14. Vide ibi dicta.

Tropol. Vis esse Gedeon, id est succisor iniquitatis? Succide ex corde tuo et proximorum omnes cupiditates noxias; hæc enim sunt idola et aræ Baal, quæ quisque sibi in mente pingit et fingit, quæ si succidat, facile Madianitas, id est dæmones superabit.

Aliter nomen Gedeon (nescio a qua radice Hebræa) interpretatur explicatque S. Gregor. 30. Moral. 17. « Gedeon, inquit, interpretatur circumiens in utero. Dominus enim noster per maiestatis potentiam omnia complectitur, et tamen per dispensationis gratiam intra uterum Virginis humilitatem sumens venit. Quis est ergo circumiens in utero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, et humanitatem intra uterum sumens? In quo utero et incarnatus est, et clausus non est, quia et intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, et extra mundum per potentiam maiestatis. Madian vero interpretatur de iudicio. Ut enim hostes eius repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de iudicio iuste iudicantis fuit. »

SPIRITUS AUTEM DOMINI INDUIT GEDEON.) Septuag. Vers. 34. *Et Spiritus Domini fortificavit Gedeonem.* Chald. *Et Spiritus fortitudinis ante Dominum vestivit Gedeon.* q. d. Gedeon a Deo plenitudinem, et abundantiam spiritus et fortitudinis accepit, ad instruendum prælium contra Madianitas innumeros. Hoc enim significat verbum *induo,* ut patet Iob. 7. 5. *Induta est caro mea putredine,* hoc est plena est putredine, et tota quasi putida et putrida. Et cap. 8. 22. *Qui oderunt te induentur* (id est replebuntur) *confusione.* Psalm. 34. 26. *Induantur* (repleantur) *confu-*

sione et reverentia qui magna loquuntur super me. Psal. 108. *Induit maledictionem sicut vestimentum*, quo undique ambitur et cingitur. *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona qua semper præcingitur. Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.* 1. Corinth. 15. oportet *corruptibile hoc induere incorruptionem.* Ephes. 6. *Induite* IESUM CHRISTUM, ut eius spiritus pleni, undique eo quasi ambiamini, ipsumque intuentibus repræsentetis, ut qui vos viderit et audierit, ipsum Christum in vobis se videre et audire existimet.

Vers. 36. DIXITQUE GEDEON AD DEUM: SI SALVUM FACIS ISRAEL PER MANUM MEAM SICUT LOCUTUS ES,)

Vers. 37. PONAM HOC VELLUS LANÆ IN AREA: SI ROS IN SOLO VELLERE FUERIT, ET IN OMNI TERRA SICCITAS, SCIAM QUOD PER MANUM MEAM, SICUT LOCUTUS ES, LIBERABIS ISRAEL.) Gedeon iam certa habuerat indicia Angelum Dei sibi apparuisse, per ignem miraculose ab eo e petra elicitum, Deumque velle ut ipse prælium contra Madian capesseret; cur ergo de novo petit eius rei signum, puta rorem in vellere? S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 2. ad 3. Abul. hic, et nonnulli alii censent Gedeonem peccasse infidelitate, vel mortali, vel saltem veniali, eo quod dubitarit de promissis Dei, ac ab eo ex debilitate fidei novum signum petierit.

Mitius meliusque Origen. hom. 8. S. Ambros. loco citato, Isidorus, Lyran. Caiet. Arias, Serarius et alii asserunt eum non peccasse, quia Apostolus Hebr. 11. Gedeonem inter sanctos veteris Testamenti annumerat, eumque a fide eximia collaudat; et quia Deus hic tam facile petitioni utrique Gedeonis obsecutus est.

Videtur ergo Gedeon ex magna in Deum fiducia, animoque lætitia gestiente (iam enim spiritus Domini eum induerat) ad Dei gloriam hæc duo signa petiisse, non tam ad suam, quam ad suorum commilitonum, quos ad se et prælium hocce suum iussu Dei convocabat fidem et spem erigendam; ut scilicet ipsos sensim ad se confluentes his signis divinis confirmaret, et in certam victoriæ spem accenderet, unde et coacto iam exercitu signum hoc petiit. Ita Caiet. Salianus et Suarez. Rursum videtur Gedeon a Deo motus et instinctus hæc signa petiisse, ad mysterii, quod iis de Christo figurabatur, significationem, de quo mox plura. Simili de causa Moses petiit a Deo signum missionis suæ ad Pharaonem. Exodi 3. et Ezechias sanationis suæ e morbo. Isaiæ 38. 22. Ita Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. de irreligiositate cap. 2. et Lessius lib. 2. de virtut. Card. c. 45. dub. 1. Tertiam excusationem Gedeonis affert Suarez, eamque præ ceteris probat, ipse æque ac Serarius; quod scilicet Gedeon petierit hoc signum, ut omnem dubitationis motum etiam involuntarium ex animo tolleret; licet enim ipse firmiter crederet Deo promittenti victoriam, tamen sentiebat in re tam ardua aliquos dubitationis motus et diffidentiæ tentationes, quas ut eximeret, fidemque omnino solidaret et augeret, petiit hoc signum. Quartam affert Dion. Carth. quod scilicet crederet quidem Deo promittenti victoriam, sed metueret ne promissio hæc esset conditionata. si scilicet Hebræi toto corde Deo servirent, non absoluta: quare petit hoc signum, quo Deus declaret promissionem hanc esse absolutam: petiit ergo Gedeon geminum signum, sive unum idemque inversum. Prius enim petiit, ut ros solum esset in vellere ovis, in reliqua vero terra esset siccitas: posterius vero petiit, ut solum vellus esset siccum, reliqua vero terra esset rorulenta et humida.

Ros in vellere ad litteram quid? Sed cur hoc signum potius quam aliud quodvis postulavit Gedeon? Ad litteram Arias censet, quod ipse per vellus indicarit suam vilitatem et abiectionem, ac ineptitudinem ad bellum hoc conficiendum; unde petierit rorem, id est gratiam, misericordiam, spiritum et fortitudinem a Deo sibi ad hoc infundi. Hebr. enim גזה *ghizza* id est *vellus*, alludit ad גזז *gazaz* (littera enim *zain* continet *ds*, ideoque continet *dalet*, quæ est in nomine *Gedeon*) id est detondere, succidere, excidere. q. d. Ego o Domine sum quasi vellus ovile detonsum, et omni robore

A viribusque succisum; tu ergo rore tuæ gratiæ et fortitudinis illud imple, ut illo roboratus tantum prælium capessere audeam, illudque feliciter conficiam.

E contrario in posteriore signo Arias opinatur, rorem in terra fuisse sudoris et anxietatis symbolum, quasi Gedeon per hoc edoceri voluerit, an sine labore magno magnaque suorum cæde, ingens futura esset Madianitarum hostium strages et excidium, quasi sic orarit: Esto o Domine velleri, id est mihi siccitas, quies et amplitudo (Huc enim Hebr. חורב *choreb*, id est *siccitas*, per Metathesin in symbolis usitatam alludit, ut *choreb* sit רוחב *rocheb*, id est dilatans et dilatatio) terræ autem omni hostili reliquæ, puta Madianitis, esto sollicitudo, anxietas, pavor, commotio, deiectio. Et huc alludit Hebr. טל *tal*, id est ros, quod alludit ad טיל *til* et טלל *talal*, id est *proiicere, deiicere.* Arias ergo censet Gedeonem per vellus intellexisse se ac suos, per terram circumiacentem Madianitas, et in priori signo per rorem victoriam; in posteriori vero, sudorem, lacrymas et calamitatem portendi.

B Verum durum videtur eundem rorem hic duo contraria significare, scilicet victoriam et calamitatem. Quare congruentius tum ad sensum litteralem, tum mysticum, dicemus rorem utrobique idem significare, nimirum Dei gratiam et misericordiam, opem, victoriam; ut scilicet Gedeon in priori signo velleri, id est sibi petierit rorem divinæ opis et fortitudinis ad Madianitas superandos, cum reliqua Iudæa esset illius expers, sicca, afflicta et sterilis: in posteriori petierit eundem rorem fortitudinis sibi in priori signo postulatum, etiam ceteris Iudæis suis popularibus, præsertim suis commilitonibus infundi, ut ipsi se socios Gedeoni ad pugnam cum Madianitis tam arduam animose offerrent.

Porro in vellere hoc signum petiit. Primo quia vellus hoc velut ovium pastor habebat obvium et ad manum. Secundo, quia vellus aptum erat symbolum huius victoriæ. Vellus enim est lana ab ovibus evulsa et detonsa. Olim enim lanam ab ovibus vellebant, cui vulsioni postea

C successit detonsio. Hæc ergo, ut ait Varro lib. 2. de re rustica c. 11. *Vellera alii vellumina appellant, ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanæ vulsuram quam tonsuram inventam. Qui etiam nunc vellunt; ante triduo habent ieiunas, quod languidæ minus radices lanæ retinent.* Idem lib. 4. de lingua Latina: *Veliæ*, inquit *unde essent plures accipi causas, in queis quod ibi pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam vellere lanam sint soliti: ex quo vellera dicuntur.* Varroni consentit Isidor. lib. 19. Originum cap. 27. *Lana*, inquit, *a laniendo, id est vellendo dicta. Hinc et vellus dictum, quod prius lanæ vellerentur, non tonderentur.*

Velleris symbolo ergo tacite innuit Gedeon, Madianitas totondisse omnia sata et germina Iudææ, sicut vellus hoc detonsum erat ab ove, ac proinde petere se ut vicissim ipse simili modo Dei ope detondeat, et ab Israele abradat Madianitas. Hinc nomen *Gedeon* Hebr. significat succisorem, excisorem, detonsorem, ac alludit ad גזה *ghizza*, id est vellus ab ove detonsum.

D Quæres secundo; quid mystice significet ros in vellere et mox in terra?

Resp. Allegor. ros in vellere est Christus in Virgine. Ros enim significat Verbi in Virginem illapsum et incarnationem instar roris fore secretum, tranquillum, castum, suavem, spiritalem, fœcundum, sine virginitatis corruptione, et sine partus dolore. Vellus enim est tam uterus Virginis, quam humanitas Christi Virginis utero concepta, in quam divinitas se ut ros cælestis insinuavit. Unde S. Ambros. S. Ephrem, S. Sophronius, Proclus et alii, B. Virginem vocant et invocant: *Vellus Gedeonis.* Audi S. Ambros. serm. 9. *Maria*, ait, *recte velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, ut toto eum corpore hauriret, nec eius discissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam.* Et S. Hieron. in Epitaph. Paulæ: *Pastores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, et super terram pax hominibus bonæ voluntatis, dumque servant oves, inve-*

Ros in vellere est Christus in Virgine.

*

nerunt Agnum Dei puro et mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ cælesti rore compluium est. Hinc S. Bern. serm. 2. super Missus est: *Quid,* ait, *Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur; et nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis absque detrimento virginitatis? cui utique distillantibus cælis tota se infudit plenitudo divinitatis: adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui vere sine illa non aliud quam terra arida sumus: Huic quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulchre satis convenire videtur, ubi legitur: descendet sicut pluvia in vellus.*

Idem serm. in Nativit. Mariæ: *Intuere o homo consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cælesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit; redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam.* Ecclesia denique in ipsa primarum Circumcisionis vesperarum Antiphona secunda, ita canit: *Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum.*

Denique B. Petrus Chrysol. ser. 3. de Annunt. *Cælestis imber,* ait, *Virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et tota divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere; donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus in pluviam salutis se effunderet,* etc.

Plura hac de re dixi Isaiæ 45. 8. ad illa: *Rorate cæli desuper,* ubi novem analogias roris et Christi recensui.

Porro prius signum impletum est in Conceptione Virginis; tunc enim ipsa sola rorem cælestem, id est Verbum divinum utero suo concepit, reliqua terra, id est feminis ceteris manentibus siccis, et huius roris expertibus: posterius in eiusdem partu, tunc enim pariens Christum rorem hunc in terram effudit, ipsaque mansit quasi vacua et quasi sicca.

Mystice. Mystice; Ros fidei et gratiæ Dei primo depluit in vellus Gedeonis, id est in Iudæos Gedeonis contribules usque ad Christum: at eo prædicante hic ros apud Iudæos ob eorum incredulitatem in Christum, exaruit, et derivatus est ad reliquam terram, id est ad omnes gentes, quæ fidem et gratiam Christi avide susceperunt. Ita Origen. Theod. Procop. Rupert. hic, et S. August. serm. 108. de Temp. S. Ambros. lib. de Viduis et proœm. lib. 1. de Spiritu S. ac Chrysost. in Psal. 71. ad illa: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Significatur ergo hic electio Gentium, et reprobatio Iudæorum, qui prius rore divinæ legis et electionis irrigati fuerant: *Inde est quod nunc fidei rore totus orbis humescit,* ait S. Ambros. Audi S. Hieron. ad Paulinum: « Postquam siccato vellere universus orbis cælesti rore perfusus est, et multi de Oriente et Occidente venientes recubuerunt in sinu Abrahæ, desiit esse notus tantum in Iudæa Deus et in Israel magnum nomen eius, sed in omnem terram exivit sonus Apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Uberius D. August. lib. de unitate Ecclesiæ cap. 5. « Non video, inquit, quid hic aliud figuratum et prænuntiatum sit, nisi ut aream intelligamus orbem terrarum, locum velleris populum Israel. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, id est in velamine, et quasi in nube secreti, quia nondum fuerat revelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum iam revelato rore saginari per Evangelium Domini nostri, quod tunc in illo tegmine figurabatur; illam vero gentem amisso sacerdotio quod habebat, quia in scripturis non intelligit Christum, tanquam in sicco vellere remansisse. »

Symbol. Symbol. S. Ambros. lib. de Viduis post initium, per vellus accipiens humanitatem Christi, quæ rorem vitæ divinæ in Incarnatione excepit: *Vellus hoc,* inquit, *in morte desiccatum expresso sanguine ceu rore, eodem per gratiam suam totum mundum irrigavit.* Idem proœm. lib. 1. de Spiritu S. *Venit* ergo, inquit, *iam Dominus, venit et pluvia. Venit Dominus stillicidia secum cælestia deferens, et ideo iam nos bibimus, qui ante sitiebamus, et divinum illum spiritum haustu interiore potamus. Hoc ergo prævidit S. Gedeon, quia verum et spiritualem rorem etiam gentes nationesque erant fidei perceptione biituræ, et ideo diligentius exploravit.*

Et S. Iren. lib. 3. c. 19. *Quapropter,* ait, *necessarius est nobis ros Dei, ut non comburamur* (igne tentationis et concupiscentiæ) *neque infructuosi efficiamur.* Rorem hunc verbi divini specialiter excipimus per conciones, lectiones, orationes, inspirationes Dei, realiter vero per Eucharistiam, in qua ipsam carnem Christi agni immaculati manducamus, nobisque unimus, eaque quasi vellere purissimo vestimur, inde rorem omnem gratiæ cælestis exugimus, ac præsertim eius humilitatem et mansuetudinem (cuius symbolum est vellus laneum et molle) induimus.

Tropol. P. Berthonius, et ex eo Serarius: *Ecclesiastici,* ait, *qui more velleris Domino sunt coniuncti, et esse debent molles, humiles, et benigni, solebant esse rore divinæ gratiæ præ ceteris madefacti, area vero, id est populi sæculares, respectu eorum erant indevoti aridi et duri, sed vere hodie videmus contrarium; area magis est rorida quam vellus, sæculares devotiores sunt quam regulares, laici quam clerici, subditi quam Prælati, ut compertum est.* Tropol.

Mimetice, velleris ab humore circumfuso defensi miraculum renovatum fuit in S. Bernardo, qui scribens primam Epistolam ad Robertum Nepotem sub dio, cum circumcirca plueret, chartam tamen non madefecit, ait Baron. tom. 12. anno Christi 1125.

Nuper superior cuiusdam prisci et numerosi Ordinis, suos ad primævum virtutis fervorem exhortans, argute sic orsus est: *Primitus in nobis vigebat conscientia: ex conscientia decurtata secuta est scientia, inde utraque præcisa mera facti sumus* entia, *hoc est stipites et lapides. Redeundum ergo nobis est ad pristinam conscientiam, ut eam primo patrum nostrorum spiritu et sanctitate repleamus.* Vitium hoc est commune rerum creatarum, ut sensim degenerent, arescant, deficiant, et senescentes in suum nihilum ex quo venerunt redeant: quare viri Ecclesiastici et religiosi crebro se renovent oportet, ut primævum vocationis suæ spiritum fugientem revocent, conservent et adaugeant, uti eos facere conspicimus. Sane hoc sæculo, quo Lutherus quasi novus Madianita, imo Madianitarum Dux Ecclesiam Dei, sua hæresi, crapula et luxuria deformavit, atque quasi *Zeb,* id est lupus oves agnosque Christi diripuit et laniavit, Deus quoque illi S. Ignatium de Loyola fundatorem Societatis IESU, quasi novum Gedeonem opposuit, per gratiam Christi magno omnium gaudio cernimus, omnes Ecclesiæ ordines magno studio sese reformare, et ad primævum instituti sui vigorem rigoremque ingentibus animi passibus contendere. Deo sit laus et gloria. Pergamus omnes strenue hac via qua cœpimus, ut quisque suæ religionis vellus exarescens rore divinæ sapientiæ et gratiæ imbuere satagat, ut vitam Angelorum, ad quam vocati sumus, æmulemur, simusque homines cælestes et Angeli terrestres; ut nimirum ardeamus amore cum Seraphim; divinorum scientia fulgeamus cum Cherubim: spirituales facti omnia iudicemus cum Thronis: nobis ipsis dominemur cum Dominationibus: fortiter resistamus inordinatis motibus nostris, malignorumque spirituum suggestionibus cum Virtutibus: regnum animæ in iustitia et pace gubernemus cum Potestatibus: subditis nostris debite provideamus cum Principatibus; magna, si habemus, proximis nostris communicemus cum Archangelis: minora subsidia indigentibus impertiamur cum Angelis.

Secundo, idem roris vellerisque miraculum quasi renovatum fuit in S. Arnulpho Metensi Episcopo, a quo omnis familiæ Pipini et Caroli Magni prosapia, æque ac nobilitas et sanctitas, quasi a fonte derivata descendit. Hic enim anno Christi 485. peccatorum veniam a Deo poscens, annulum proiecit in Mosellam dicens: *Tunc me putabo culparum nexibus absolutum, quando istum quem proiicio recepero annulum,* ac post aliquod tempus annulum hunc in pisce sibi a piscatore allato inveniens, peccata sibi remissa cognovit, Deoque gratias egit. Ita narrat Paulus

Diaconus in eius vita, idque ex Caroli Magni ore se accepisse profitetur, additque: *Nec dissimiliter pater hic venerabilis, cum Gedeone illo signum a Domino poposcit; ille etenim indicium per vellus in area positum capere voluit, utrum in bello victoriam de inimicis habere potuisset; iste annulum in profundissimum fluminis gurgitem proiiciens, experiri cupit utrum de inimicis iam victoriam cepisset. Fortes quidem erant quos ille devicerat, sed hi quos iste superaverat, fortiores.*

Denique ex hoc Gedeonis vellere orta est historia vel fabula Argonautarum, qui sexaginta annis post Gedeonem sub Abesan Iudice floruisse dicuntur ab Eusebio, Geneb. et aliis in Chron. Hi enim fuere 54. Heroes, qui in navi dicta Argo navigarunt in Colchum, ut vellus aureum auferrent: quorum duces et primores fuere Iason, Castor, Pollux, Hercules, Orpheus, de quibus Virgil. Eclog. 4.

Alter erit tum Tiphys et altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas.

Vide Diodorum lib. 5. cap. 3. et Hyginium Fab. 14.

Rursum ad utrumque hoc vellus, scilicet Gedeonis et Iasonis respiciens Philippus cognomento *Bonus* Burgundiæ Dux, Caroli audacis pater, anno Domini 1430. die tertia Idus Ianuarii instituit Ordinem celeberrimum equitum aurei velleris, constantem heroibus nobilissimis ac fortissimis, qui collapsam Christianæ fidei dignitatem erigerent, ac Baalis aras, id est Turcicas, Mosqueas, ait Serarius, atque Hæreticorum conventicula quasi novi Gedeones disiicerent et succiderent. Ita Pontus Heuterus lib. 4. Burgund. Guilielmus Mennens. lib. 1. de Aureo vellere c. 1. et 2. Hadrianus Barlandus, Alvarus Gometicus, Iacobus Meyerus, et alii qui res Belgicas et Burgundicas scripserunt.

Vers. 38. EXPRESSO VELLERE CONCHAM RORE IMPLEVIT.) Ut certo sciret vellus esse rorulentum, imo rore turgidum; hoc enim signum sibi a Deo dari petierat. Mystice, quomodo mens nostra debeat esse concha, primo seipsam implens rore et aqua gratiæ et virtutis, antequam illam in alios derivet, non canalis, qui omnem aquam, quam recipit emittit, nihil sibi retinens, pulchre docet S. Bernard. serm. 18. in Cant. *Disce*, inquit, *et tu non nisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitatur fontem: non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis*, etc. *Implere prius, et sic curato effundere. Benigna prudensque charitas affluere solet, non effluere.* Unde S. Ambros. procem. lib. 1. de Spiritu sancto. *Aqua*, inquit, *est ros gratiæ cœlestis. Veniat igitur Domine Iesu hæc aqua in meam animam, in meam carnem, ut huius humore pluviæ nostrarum convalles mentium, atque intimi cordis arva viridescant. Veniant in me stillicidia tua, gratiam immortalitatemque rorantia. Dilue gressus mentis meæ, ne iterum peccem. Ablue animi mei calcaneum, ut possim abolere maledictum, ne morsum serpentis interiore pede sentiam, sed sicut ipse iussisti sequentibus te, ut serpentes et scorpiones illæso possim calcare vestigio.*

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gedeon iussu Dei e triginta duo millibus militum formidolosos dimittit ad viginti duo millia, mox eos qui prono ore biberant aquam fluminis; quare solos trecentos sibi reservat. Secundo, v. 9. descendens in castra Madian audit Madianitæ somnium de pane subvertente castra Madian, illumque panem esse gladium Gedeonis. Unde certam victoriæ spem concipit. Tertio, v. 16. cum trecentis irruit in Madianitas innumeros, ac clangens tubis, lagenarum complosione, et inde lampadibus effulgurantibus, Madianitas percellit, ut ipsi mutua se cæde trucident.

1. IGITUR Ierobaal qui et Gedeon, de nocte consurgens, et omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad; erant autem castra Madian in valle ad Septemtrionalem plagam collis excelsi. 2. Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius: ne glorietur contra me Israel, et dicat: Meis viribus liberatus sum. 3. Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica: Qui formidolosus et timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt. 4. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos: et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, revertatur. 5. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. 6. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. 7. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum. 8. Sumptis itaque pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua: et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle. 9. Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, et descende in castra: quia tradidi eos in manu tua. 10. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. 11. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse et Phara puer eius in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ. 12. Madian autem et Amalec, et omnes Orientales populi, fusi iacebant in valle, ut locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ iacet in littore maris. 13. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo: et in hunc modum referebat quod viderat: Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere: cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit. 14. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Ioas viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, et omnia castra eius. 15. Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem eius, adoravit: et reversus est ad castra Israel, et ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. 16. Divisitque trecentos viros in tres partes, et

dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. 17. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, et quod fecero sectamini. 18. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite et conclamate, Domino et Gedeoni. 19. Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, et custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas. 20. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini et Gedeonis: 21. Stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes, ululantesque fugerunt: 22. Et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris et mutua se cæde truncabant. 23. Fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephthali, et Aser, et omni Manasse persequebantur Madian. 24. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Bethbera atque Iordanem. Clamavitque omnis Ephraim, et præoccupavit aquas atque Iordanem usque Bethbera. 25. Apprehensosque duos viros Madian, Oreb, et Zeb, interfecit Oreb in Petra Oreb, Zeb vero in Torculari Zeb. Et persecuti sunt Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Iordanis.

Vers. 1. AD FONTEM QUI VOCATUR HARAD.) *Harad*, Hebr. significat timorem, ut discamus quod *initium sapientiæ sit timor Domini.* Nam *beatus homo qui semper est pavidus.* Proverb. 28. 14. Fons hic typus est Baptismi et pœnitentiæ quam milites prælio præmittere debent, uti fecere iussu Constantini Imper. pugnaturi contra Maxentium, qui idcirco de eo victoriam retulere, uti narrat Theodor. lib. 3. cap. 3.

Vers. 2. NE GLORIETUR CONTRA ME ISRAEL ET DICAT: MEIS VIRIBUS LIBERATUS SUM.) *Ne opus cœlestis dexteræ virtuti assignetur humanæ*, etc. *Ut sibi de patrato divinitus belli opere paucitas usurpare nihil posset*, ait Salvian. lib. 7. de Providentia. q. d. Volo ut trecentos tantum, eosque inermes ad prælium hoc adhibeas, ut omnibus constet victoriam non militum, sed meis viribus esse partam. Hac de causa Deus elegit infirma mundi, ut confundat fortia, 1. Corinth. 1. scilicet viles et indoctos piscatores, ut per eos quasi Apostolos orbem converteret: horum enim typus fuere hi Gedeonis milites.

Vers. 3. QUI FORMIDOLOSUS ET TIMIDUS EST REVERTATUR.) Ne aliis militibus hanc suam formidinem affricet, idque iuxta legem Deuter. 20. 8. Sic Christus timidos a sua militia reiicit, dicens: *Qui non accipit Crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10. 38. Dicat ergo animosus Christi miles: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ a quo trepidabo?* Psal. 26.

RECESSERUNTQUE DE MONTE GALAAD.) Alius est hic mons Galaad a Galaad, in quo Iacob cum Laban fœdus iniit Genes. 31. 48. qui erat trans Iordanem: hic enim erat cis Iordanem, ibi enim castra sua habebat Gedeon. Serarius putat montem Gelboe hic vocari montem Galaad. Favet Adrichom.

Vers. 5. QUI LINGUA LAMBUERINT AQUAS, SICUT SOLENT CANES LAMBERE (ut manu aquam ex flumine haustam in os iniiciant, uti explicat vers. sequenti, sicut canes lingua lambentes aquam in os iniiciunt, non autem os aquæ applicant, ut aquam sugant, sicut faciunt equi et boves) SEPARABIS EOS SEORSUM, ut eos in militiam et expeditionem tuam contra Madian cooptes: QUI AUTEM CURVATIS GENIBUS BIBERINT IN ALTERA PARTE ERUNT.) Ut eos a castris tuis domum ableges. Iosephus putat a Gedeone hic electos eos, qui erant ignavi, fortes vero reiectos. Audi eum: *Ut ergo sciant rem totam pendere a Dei auxilio, iussit ut circa meridiem, cum æstus fervet maxime, exercitum ducat ad fluvium, et quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet: quotquot autem trepide et tumultuarie potum sumerent, sic existimaret eos metu hostium hoc facere, et cum his iussit hostem invadere.* Unde Abulensis colligit lambentes aquas, tanquam timidiores, ignavos et contemptibiles fuisse a Gedeone et Deo electos, ut maior Dei virtus in hac victoria eluceret. Sic et Theod. qu. 15. et S. August. q. 37.

Verisimilius Lyran. Arias. Serarius et alii censent electos qui lambuerant aquas præ illis, qui curvato genu biberant, quasi temperantiores, tolerantiores sitis, et expeditiores, utpote qui toti ad certamen imminens intenti, obiter et cursim more canum aquam lambendo sitim restinguerent, ideoque ad prælium aptiores. Nam primo, hi stantes bibebant, ceteri vero genu flexi vel proni in terram. Secundo, hi aquam modicam ad os manu iniiciebant, ceteri vero ore flumen sorbebant, ut totum ventrem implerent, quod magnæ gulæ erat indicium.

Tropol. qui ad res terrenas et corporeas flecti nescit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati sitim sternitur pronus, ille probabilis, ille electus est. Hoc tandem desiderium nos a possessione Dei, boni in infinitum melioris excludit. Egregie namque Prosper ait: *Qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. Nec renuntiat mundo is, quem terrenæ possessionis adhuc delectat ambitio; quia quamdiu sua non relinquit, mundo, cuius bona retinet, servit. Et utique non potest mundo servire simul et Deo: ac sic propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare, propter quæ diligitur mundus, ut exclusa cupiditate mundi, divina in eis charitas possit augeri vel perfici.* Huc usque Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap. 16. Rursum S. Gregor. 30. Moral. 33. *Aquis*, inquit, *doctrina sapientiæ, stante autem genu recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt genuflexisse perhibentur; a bellorum certamine prohibiti recesserunt: quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt.*

FUIT ITAQUE NUMERUS EORUM, QUI MANU AD OS PROIICIENTE LAMBUERANT AQUAS, TRECENTI VIRI.) Ecce hic Vers. 6.
explicat quid sit lambere aquas more canum, scilicet manu aquam in os iniicere, sicut canis iniicit lingua. Nam alioqui stantes non poterant lingua aquam contingere, uti faciunt lambendo canes: in eo ergo erant canibus, qui manus non habent, sed lingua pro manu utuntur, dissimiles: *Manu* ait S. August. quæst. 27. *Aquam raptam in os proiiciebant, et hoc erat simile bibentibus canibus, qui non ore apposito, sicut boves, aquam ducunt, aquam bibunt, sed lingua in os rapiunt, sicut etiam isti intelliguntur fecisse, sed cum manu in os aquam proiicerent, quam lingua exciperent.*

Nimirum ait Origen. homil. 9. « Ille probabilis, ille electus est, qui posteaquam ad aquas baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas et corporeas nescit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati sitim sternitur pronus. » Addit deinde Origen. « Sed et quod dicit eos manu vel lingua aquam lambere, non absque sacramenti quadam significantia hoc mihi videtur scriptum, scilicet quod et manu et lingua operari debent milites Christi, hoc est opere et verbo; quia qui docet et facit hic magnus vocabitur in regno cælorum. Quod autem etiam similitudinem canis lambentis Script. posuit, videtur mihi istud animal hoc in loco propterea nominatum, quod super omnia cætera animalia amorem dicitur proprii domini servare, nec tempore nec iniuriis obliterari in eo fertur affectus. »

Vers. 10. Descendat tecum Phara puer tuus.) Id est famulus tuus. Puer hic animosus Gedeonis metum dispellens fuit typus Christi, ait Leo Castrius in Isaiæ, cap. 10. *Phara* enim idem est quod *frugifer*, vel *ramificatus*, et exaltatus in arbore crucis; hac enim Christus martyribus fidelibusque metum ademit.

Mystice S. Gregor. 30. Moral. capit. 33. Trecenti repræsentant mysterium SS. Trinitatis, inquit, additque. « Iste trecentorum numerus in Tau littera continetur, quæ crucis speciem tenet. Cui si super transversam lineam, id quod in cruce eminet adderetur, non iam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in Tau littera continetur, et per Tau litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt, quibus dictum est: (Lucæ 9.) Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui sequentes Dominum tanto verius crucem tollunt, quanto acrius et se edomant, et erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Unde et per Ezechielem (cap. 9.) Prophetam dicitur: signa Tau super frontes virorum gementium et dolentium. » Sic et S. August. serm. 108. de Temp.

Vers. 13. Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere.) Pro *subcinericius*, Hebr. est צליל *tselil*, quod R. David et similes vertunt *strepitum*, vel *tinnitum edens*, a צלל *tsalal*, id est strepere, tinnire, Melius Noster, Septuag. Chald. et alii vertunt tostum vel assatum sub cinere, hoc est subcinericium a rad צלה *tsala*, id est assavit, torruit: sic ab הגה *haga*, id est meditari, loqui, fit הגיון *higgaion*, id est meditatio.

Congrue Deus in somnio hoc Madianitæ militi primario immisso, per panem hunc hordeaceum et subcinericium significabat Gedeonem in speciem abiectum et contemptibilem, qui tumultuarie et subito, quasi ex cinere hunc exercitum exiguum trecentorum militum collegerat. Ita S. August. q. 37. Lyran. Abulen. Arias et alii, idque allusione pulchra. Hebræi enim bellum vocant מלחמה *milchama*. id est comestionem, sive devorationem hominum, ducto nomine a לחם *lechem*, id est panis. Unde ad hoc apposite dicitur Num. 14. 9. *Sicut panem devorare eos possumus*; significat ergo hæc visio Gedeonem et Hebræos, qui hactenus fuerant panis Madianitarum, utpote ab eis devorati, uti devoratur panis, deinceps fore gladios, percussores et occisores Madianitarum se devorantium.

Coniectavit igitur optime Madianita hic ex ambigua nominis significatione; nam לחם *lechem* et panem et bellum significat. Ex hac ergo coniunctione et affinitate, non naturæ (quæ enim est affinitas panis ad gladium?) sed significationis, coniecit per panem significari gladium et bellum, quod a Gedeone iam imminente Madianitarum castris imminebat. Ita Arias, et noster Gaspar Sanchez in Isaiæ cap. 14. num. 29. Apposite Gedeoni in area grana ad panem excutienti, et panes Angelo liberaliter offerenti, in præmium hospitalitatis Deus panem dedit omen et signum victoriæ, ut ostenderet quam efficax sit beneficentia et hospitalitas, utpote quæ panes vertat in gladios, quibus hostes quoslibet prosternat.

Alleg. hic panis fuit typus Eucharistiæ, quæ Madianitas, id est dæmones, ceterosque hostes quasi gladius ferit et deiicit; hic enim est panis, qui de cælo descendit, et castra hostium subvertit, sicut panis hic videbatur ex alto descendere in castra Madian, quasi a Deo in illa demissus ut eadem disturbaret.

Cumque pervenisset ad tabernaculum percussit illud.) *Tabernaculum* intellige Principis, sive ducis, indeque ceterorum militum. Tabernaculum ergo, id est tabernacula, quæ in medio castrorum esse solent, ut sint tutiora ab hoste. Unde mox vers. sequenti tabernaculum hoc interpretatur omnia castra Madian. Ita Caiet. Arias et alii.

Vers. 14. Respondit is cui loquebatur,) puta commilito, sive socius Madianitæ, qui somnium quod viderat sibi narrarat: *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis*, ob analogias iam recensitas. Dixit hoc utique instinctus a Deo, unde subdit: *Tradidit enim Dominus in manus eius Madian et omnia castra eius*. Ita Abul.

Vers. 15. Cumque audisset Gedeon somnium (linguam enim Madianiticam intelligebat, sive quia illa vicina erat Hebrææ, sive quod a Madianitis Iudæam iam per septennium occupantibus eam didicisset) adoravit) Deum, quod sibi hoc omen divinum victoriæ prænuntium præbuisset.

Vers. 16. Divisitque trecentos viros in tres partes (quasi in tres acies, ut ternis turmis Madianitas cingeret) et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum.) Vox *lampades*, Hebr. לפדים *lappadim*, in genere significat lucentem flammam, in quacumque re vel materia illa sit. Chald. vertit *beguraca*, id est *incensa* vel *ignita*. Unde non est verisimile lampades has fuisse nostrates vulgares, quæ oleo ardent et aluntur: hæ enim inclusæ lagenis iis complosis fuissent extinctæ, sed ut ait Arias, lignei erant torres ex pino, cupresso, cedro aut simili oleaginosa et pingui arbore; qui ignem accipere, fovere, ac diutius servare possent, vento obluctante excitandum augendumque potius quam extinguendum; præsertim si insuper pice, cera, oleo, bitumine, etc. obliti unctique fuerint. Itaque omnia hic ad terrorem comparata percelluerunt Madianitas, quia inopinata et nocturna, scilicet multitudo trecentarum tubarum clangentium ad prælium, fragor lagenarum, quarum quisque suam commilitonis lagenæ allidebat, indeque subito emicantes vicinæ circumquaque lampadum, id est torrium sive titionum flammæ, hostem insequentes. Simili stratagemate Hannibal a Q. Fabio Max. ad Casilinium obsessus, eum elusit et evasit: Nam duobus boum millibus ad cornua singulorum faces accensas alligavit, itaque eos stimulando impulit in montes a Romanis insessos, « ac metus ipse relucentis flamma ex capite, » ait Livius Decade 3. lib. 2. « calorque iam ad vivum ad imaque cornuum adveniens, velut stimulatos furore agebat boves, quo repente discursu haud secus quam sylvis montibusque accensis omnia circum virgulta ardere; capitumque inquietatio excitans flammam hominum passim discurrentium speciem præbebat. Qui ad transitus saltus insidendos locati erant: ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumventos se esse rati præsidio excessere: qua ingens emicabat flamma velut tutissimum iter petentes summa montium iuga tum in quosdam boves palantes a suis gregibus inciderunt: et primo cum procul cernerent, veluti flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt, deinde ut humana apparuit fraus, tum vero insidias rati esse cum multo maximoque strepitu concitant se in fugam, levique armaturæ hostium incurrere. »

Hannibalis stratagema.

Huic similia sunt quæ recenset Iulius Frontius lib. 2. de stratagem. cap. 4. « Hispani, inquit, contra Hamilcarem boves vehiculis adiunctos in prima fronte constituerunt, vehiculaque tædæ et sebi et sulphuris plena signo pugnæ dato incenderunt, actis deinde in hostem bobus consternatam aciem perruperunt. »

Et aliorum

« Phalisci et Tarquinienses compluribus suorum in habitu sacerdotum subornatis, faces et angues furiali habitu præferentibus aciem Romanorum turbaverunt. Idem Veienses et Fidenates facibus arreptis fecerunt. »

« Atheas rex Scytharum cum adversus ampliorem Triballorum exercitum confligeret, iussit a feminis et pueris omnique imbelli turba, greges asinorum ac boum ad postremam hostium aciem admoveri, et erectas hastas præferre: famam deinde diffudit, tanquam auxilia sibi ab ulterioribus Scythis adventarent, qua asseveratione avertit hostem. »

« Idem lib. 3. cap. 8. Cyrus, inquit, rex Persarum incluso Sardibus Cræso, qua præruptus mons nullum aditum præstabat, ad mœnia malos exæquantes altitudinem iugi subrexit: quibus simulachra hominum armata Persici habitus imposuerat, noctuque eos monti admovit. Tum prima luce ex altera parte muros aggressus est; ubi orto sole simulachra illa armatorum referentia habitum refulserunt. Oppidani captam urbem a tergo credentes, et ob

hoc in fugam dilapsi, victoriam hostibus concesserunt. »

« Idem lib. 2. cap. 5. Alexander Macedo, inquit, cum hostis in saltu editiore castra communisset, seducta parte copiarum, præcepit his quos relinquebat, ut ex more ignes excitarent, speciemque præberent totius exercitus: ipse per avias regiones circumducta manu hostem superiore aggressus loco depulit. »

Alleg. Procop. et S. Aug. serm. 108. de Temp. Milites Gedeonis, inquit, sunt discipuli Christi, qui miraculorum faces præ se tulerunt et prædicationis tubam, quibus Madian, id est gentilismum et idolorum cultum prostravere.

Tropol. de Martyribus. Tropol. Rupert. Lagenæ, ait, sunt fragilia et quasi testea martyrum corpora, quibus per mortem fractis cœperunt coruscare miracula, per quæ in fugam acti sunt persecutores, et conversi ad Christum infideles. Sic fere et S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 16. ac fuse sanctus Gregor. 30. Moral. cap. 33. quem audi: « Designatur in tubis clamor prædicantium: in lampadibus claritas miraculorum: in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe secum dux noster ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri; sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis dum prædicant; confregerunt lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis supponunt; resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum, miraculis coruscarunt. Moxque hostes in fugam conversi sunt; quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt. »

Idipsum clarius explicat dum subdit: « Cecinerunt ergo tubis, ut lagenæ frangerentur: lagenæ fractæ sunt, ut lampades apparerent: apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur: id est prædicaverunt martyres, donec eorum corpora in morte solverentur: corpora eorum in morte soluta sunt ut miraculis coruscarent: coruscaverunt miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent: quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent. » Eadem ad verbum habet, et ex S. Greg. transcripsit Beda.

Rursum Origen. hic hom. 9. sub finem: « Vide, ait, quia electi milites Dei cum lampadibus pugnant. Sic enim eos Christus armaverat dicens: Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ vestræ ardentes. Et iterum: Sic fulgeat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Talibus ergo lampadibus accensis, pugnare decet milites Christi, luce operum refulgentes et splendore gestorum. Quæ sunt autem buccinæ corneæ, in quibus tuba canunt? Qui de cælestibus loquitur, qui de spiritalibus disserit, qui mysteria regni cælorum revelat, ille buccina concinit, ille de tuba loquitur, qui de magnis et maximis loquitur, qui scientiam Christi humanis auribus pandit. Sed cur et cornea dicitur buccina? Quia et de sancto dicitur, cornu eius exaltabitur in gloria. Unde et uniuscuiusque buccina dicitur cornea, in eo quod multiplicem scientiam Christi, et crucis eius, quæ in cornu designatur, disserit sacramenta. Cum hac ergo buccina militantes, et cum hac pugnantes vincimus alienigenas, et hostes in fugam vertimus etiamsi fuerit multitudo eorum sicut locustæ. Locustis enim comparata est dæmonum multitudo, quibus neque in cælo neque in terris est sedes. Præcedat ergo et nos hoc bello operum lux, scientiæ virtus, divini verbi prædicatio. »

Vers. 17. Quod me facere videritis hoc facite.) Nimirum hæc sex ait Serarius: » Primo, me tuba clangente, clangitote et vos; secundo, me clamante, Domino et Gedeoni; clamatote et vos: tertio, me lagenam meam frangente, frangitote et vos vestras: quarto, me læva manu lampadem tenente, tenetote et vos: quinto, me manu dextera tubam tenente, eamque porro inflante, tenetote similiter et inflatote etiam vos: sexto, me meo in loco stante, state et vos in vestro singuli. »

Tropol. discat hic prælatus subditos præire exemplo, eoque illos magis docere, quam verbo. Exempla enim fortiora sunt verbis, magisque persuadent. Pudet enim militem cessare, ubi imperatorem laborare et certare videt. Ita fecit Christus, de quo Lucas Act. 1. 1. *Cœpit Iesus facere* primo, *et* secundo *docere: Discite*, ait ipse, *a me quia mitis sum et humilis corde.* Matth. c. 11. v. 29. Unde S. Ephrem epist. ad Ioannem Monachum: *Recte*, inquit, *agis exemplum bonorum operum teipsum præbens, et potissimum fratribus, qui tecum habitant, secundum eum qui habet: A me videbitis, et sic facietis.*

Moraliter igitur disce hic, ducem militibus, patrem filiis, superiorem inferioribus ad ardua præcedere debere, primumque manum rei difficili admovere, si illam cito recteque confectam velit. Ita fecit Cato, qui apud Lucanum l. 9. sui exemplo milites ad omne discrimen impellit, dicens:

Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.
Me calor æthereus feriat: mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vestra
Prætentate meo: sitiat quicumque bibentem
Viderit, aut umbras nemorum quicumque petentem
Æstuet, aut equitem peditum præcedere turmas
Deficiat, si quo fuerit discrimine notum
Dux aut miles eam, etc.

Vers. 18. Conclamate Domino et Gedeoni.) Scilicet sit hoc prælium et victoria. Unde v. 20. dicitur eos conclamasse: *Gladius Domini et Gedeonis;* scilicet hic est qui vos o Madianitæ persequitur, cædit et sternit. Unde Chald. *Gladius a facie Domini procedit, et victoria per Gedeonis manus est*, quem vos o Madianitæ velut antagonistam formidatis, ac per somnium de vobis triumphaturum iam cognovistis. q. d. Deus est, Deus inquam est, qui Madianitas ulciscitur, suum in eos gladium vibrat, ipsos neci dat; Gedeon vero hac in re illius minister est, ab illo ultorem accipit gladium, suisque ipsum in hostes defigit manibus. Audi S. August. q. 40. *Hoc significat quod gladius id erat operaturus, quod Domino placeret et Gedeoni.*

Hinc laudandi Poloni et Hungari, qui instar Gedeonis prælium adoriuntur inclamato nomine Iesu, et Hispani nomine S. Iacobi, ideoque sæpe victoriam de hostibus reportant.

Vers. 19. Incipientibus vigiliis noctis mediæ et custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere.) Nox ipsa et tot tubarum clangor perculit Madianitas, ut putarent maximum Israelitarum exercitum in se irruere, cui se posse resistere diffiderent. Unde in fugam versi se invicem protrivere et confecere. Hoc stratagema imitantur callidi belli duces: cum enim paucos habent milites, multas tubas inflari curant, ut ex iis hostes suspicentur, maximas contra se venire copias, itaque de fuga cogitent. Sic fecit Pompeius contra Mithridatem pugnaturus. Audi Dionem lib. 36. *Primum, ait, tubicines omnes ex composito simul bellicum cecinerunt, tum milites et reliqua omnis turba conclamarunt: et illi quidem hastas aut pila ad scuta concutiebant: isti* (calones et lixæ) *lapides etiam ad ærea vasa.* Stratagema Pompeii. Simile fecit Fredegundis Regina Franciæ, pro Clothario filiolo suo pugnans: nam iussu Landerici Ducis, milites eius singuli præcisis arborum ramis septi, et tintinnabula pulsantes intempesta nocte hostes perterrefecerunt, et in fugam compulerunt, uti narrat Aimoinus lib. 3. c. 81.

Et complodere inter se lagenas.) Ut partim fragore huius complosionis, partim coruscatione tot tædarum sive titionum inde emicantium et effulgurantium, Madianitæ consternerentur. Simili stratagemate Octavium Cæsarem, postea Augustum, Salonas obsidentem fugarunt Salonitani, uti narrat Dio lib. 42. « Mulieres, inquit, demissis capillis, vestitu nigro indutæ, acceptis facibus, denique quam maxime terribili habitu compositæ, media nocte ad castra oppugnantium accesserunt: metuque exanimatis excubitoribus (quippe dæmonum speciem illis exhibebant) omnibus simul locis castrorum ignem

iniecerunt, eas subsecuti viri multos eo tumultu excitatos, multos etiam dormientes occiderunt: ita et castra et stationem navium, quam Octavius tenebat, confestim occupavere. »

Tropol. Auctor homil. de Virgin. apud S. Bernard. « Exierunt, ait, cum lampadibus, lumbos habentes præcinctos, et lucernas in manibus ardentes, ut et castitatis cingulum astringatur in corpore, et ad utilitatem proximi et gloriam patris lux exempli clareat in operatione. Sic Gedeon in lagunculis lampades occultans, sed in hora certaminis fractis vasculis demonstrans, repentina luce hostes terruit et vertit in fugam: terrentur enim principes tenebrarum visa luce bonorum operum, quia stare ante lucem tenebræ non possunt. » Et Isaias Abbas orat. 17. « Qui corporis, ait, timet infirmitatem, ad id quod secundum naturam est non perveniet; qui supplex ad Deum confugit, in eo quietem inveniet: ni Gedeon hydrias confregisset, non aspexisset lampadum splendorem. Itidem homo nisi corpus contempserit, divinitatis lumen non intuebitur. Etenim Iahel uxor Aber Cinæi nisi tulisset clavum Tabernaculi, Sisaræ superbiam non oppressisset. Si mens igitur se confirmaverit, decreveritque charitatem sequi, omnia carnis vitia superabit. »

Vers. 20. TENUERUNT SINISTRIS MANIBUS LAMPADES, ET DEXTRIS SONANTES TUBAS.) Ut firmius tenerent, ideoque maiori vi sonoque eas inflarent: maior enim vis est in dextera. Mysticam significationem et causam dat S. Greg. 30. Moral. c. 34. « Pro dextero, inquit, habere dicimur quidquid pro magno pensamus: pro sinistro vero quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est, quod in dextera tubas, lagenas autem in sinistra tenuerunt: quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis quam gratiam prædicationis, in sinistra tubam atque in dextera lagenam tenet. Si enim priori loco gratia prædicationis attenditur, et posteriori utilitas corporis, certum est quia in dextris tubæ, et sinistris lagenæ teneantur. »

Vers. 21. STANTES SINGULI IN LOCO SUO PER CIRCUITUM CASTRORUM HOSTILIUM.) *Stantes*, ut scilicet stando fingerent se transitum dare copiis suis maximis Madianitas invadentibus, quasi quælibet tuba, et quilibet tubicen suam duxisset armatorum cohortem; quælibet enim turma equitum suum habet tubicinem: Erat enim nox cum nihil videtur, ideoque multa, quæ non sunt videri videntur, præsertim pavidis et consternatis

OMNIA ITAQUE CASTRA TURBATA SUNT.) Non tam ob linguarum diversitatem, ut vult Iosephus, quam quod in castris suis putarent esse Israelitas, seque mutuo non agnoscerent, et divina quadam cæcitate ac rabie per obvios omnes grasserentur. Sic Tropol. Hæretici, qui sunt nostri Madianitæ, contra se invicem digladiantur, seseque conficiunt. Vere S. Hieron. in Ezech. *Hæreticorum compugnatio*, inquit, *nostra victoria est.* Et S. Hilar. lib. 7. de Trinitate: *Bellum Hæreticorum*, ait, *pax est Ecclesiæ.*

IMMISITQUE DOMINUS GLADIUM IN OMNIBUS CASTRIS, ET MUTUA SE CÆDE TRUNCABANT:) Nimirum immisit Deus in Madianitas terrorem et cæcitatem, ut putantes Hebræos in mediis castris stragem edere, præ pavore, præ somni impotentia, præ mœrore et ira quisque sibi vicinum hostem esse existimans gladio feriret, quique fugiebant sequentes se pariterque fugientes, crederent esse Israelitas hostes insecutoresque suos; quare dum eos putant ferire et cædere, ceciderunt se mutuo, eo quod Israelitæ continuo clangore tubarum et fulgore lampadarum, sive titionum ardentium eos insequerentur. Hoc meruit fides et spes excelsa Gedeonis, qua Deo obediens cum trecentis militibus, qui ludicris armis lagenarum et lampadarum armabantur, animose invasit innumeros Madianitas armatissimos, ideoque eos prostravit, et ut ait Sidonius Apollin. in Panegyr. Vers. 22.

Solo venit victoria cantu.

Simili modo perculit et percussit Deus hostes Iosaphat regis Israel. 2. Paral. 20. Ex Gentilibus Gedeonem imitatus est Leonidas, qui cum trecentis Lacedæmoniis animose ad Thermopylas obiecit se Xerxi eiusque copiis innumeris, easque cecidit et fugavit, qui proinde ab omnibus Historiis celebratur.

In his omnibus Gedeon fuit typus Christi, uti per sedecim analogias ostendi Isaiæ 9. 4. ad illa prædicta de Christo: *Sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian.*

Denique exercitus Madian erat ut minimum 135. millium, e quibus hic cæsa sunt 120. millia, reliqua quindecim millia fugientia persecutus Gedeon cecidit trans Iordanem, ut audiemus c. seq. v. 10. Atque hæc omnia perfecit cum trecentis dumtaxat militibus, sed per stratagemata Deo pro eo pugnante et hostes percellente. Vere Iudas Machabæus alter Gedeon: *Non in multitudine exercitus, ait, victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.* 1. Machab. 3. 19.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gedeon Ephraimitas iurgantes, quod ad bellum vocati non essent, leni responso placat. Secundo, v. 10. cædit reliquias Madian. Inde v. 15. cives Soccoth et Phanuel, eo quod superbe panes sibi negassent, conterit. Tertio, v. 21. Principes Madian trucidat. Quarto, v. 22. regnum sibi ab Hebræis oblatum recusat. Quinto, v. 27. ex manubiis hostium fabricat Ephod, quod eius posteris fuit in ruinam idololatriæ et excidii. Denique v. 30. eius filii mors, et sepulturæ locus recensetur, ac eo mortuo relapsus Hebræorum ad cultum Baal.

1. DIXERUNTQUE ad eum viri Ephraim: Quid est hoc quod facere voluisti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? iurgantes fortiter, et prope vim inferentes, 2. Quibus ille respondit, Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Abiezer? 3. In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb et Zeb: quid tale facere potui, quale vos fecistis? quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum, 4. Cumque venisset Gedeon ad Iordanem, transivit eum cum trecentis viris qui secum erant: et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant. 5. Dixitque ad viros Soccoth: Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt: ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian: 6. Responderunt principes Soccoth: Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes. 7. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. 8. Et inde conscendens, venit in Phanuel: locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt, sicut

responderant viri Soccoth. 9. Dixit itaque et eis: Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc. 10. Zebee autem et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis Orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. 11. Ascendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur, ad Orientalem partem Nobe et Iegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, et nihil adversi suspicabantur, 12. Fugeruntque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. 13. Revertensque de bello ante solis ortum. 14. Apprehendit puerum de viris Soccoth: interrogavitque eum nomina principum et seniorum Soccoth, et descripsit septuaginta septem viros. 15. Venitque ad Soccoth, et dixit eis: En Zebee et Salmana, super quibus exprobrastis mihi dicentes: Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas ut demus viris, qui lassi sunt et defecerunt, panes. 16. Tulit ergo seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. 17. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. 18. Dixitque ad Zebee et Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Qui responderunt: Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis. 19. Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt, filii matris meæ, vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem. 20. Dixitque Iether primogenito suo: Surge, et interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat. 21. Dixeruntque Zebee et Salmana: Tu surge, et irrue in nos: quia iuxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon, et interfecit Zebee et Salmana: et tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent. 22. Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeon: Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui: quia liberasti nos de manu Madian. 23. Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. 24. Dixitque ad eos. Unam petitionem postulo a vobis: Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueverant. 25. Qui responderunt: Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda: 26. Et fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, et monilibus, et veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant, et præter torques aureas camelorum. 27. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam. 28. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra cervices elevare: sed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. 29. Abiit itaque Ierobaal filius Ioas, et habitavit in domo sua: 30. Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius: eo quod plures haberet uxores. 31. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. 32. Mortuusque est Gedeon filius Ioas in senectute bona, et sepultus est in sepulchro Ioas patris sui in Ephra de familia Ezri. 33. Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in Deum: 34. Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum. 35. Nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon, iuxta omnia bona quæ fecerat Israeli.

Vers. 1. DIXERUNT AD EUM VIRI EPHRAIM, etc. IURGANTES FORTITER.) Erant enim Ephraimitæ arrogantes, ut patet Isaiæ 11. 13. ob numerosam et potentem suam tribum, quodque illa a Iacob prælata esset tribui Manasse, ex qua erat Gedeon. Iurgantur ergo contra eum, quod ipsos ad bellum non vocarit, præsertim quia Ephraimitæ arctiori cognationis vinculo coniuncti erant Manassensibus, quam ceteris tribubus, eo quod Ephraim et Manasse patres harum tribuum fuissent immediati filii Ioseph, qui frater erat Iudæ, Ruben, Gad, etc. e quibus prognatæ sunt ceteræ undecim tribus. Ioseph enim unus e duodecim patriarchis non unam, ut ceteri eius fratres, sed duas tribus constituit.

Vers. 2. QUIBUS ILLE RESPONDIT: QUID ENIM TALE FACERE POTUI QUALE VOS FECISTIS?) qui fugientes Madianitas ad Iordanem cecidistis plurimos et quasi innumeros, eorumque Principes Oreb et Zeb, ut dictum est cap. præcedenti vers. 24. Sapienter id dixit Gedeon, ut iurgium modesto placidoque responso sopiret, iuxta illud: *Responsio mollis frangit iram.* Prov. 15. 1.

Docet ergo hic Gedeon, superbiam et litem adversarii nulla re magis placari, quam si te sub eo humilies, eumque laudes et tibi præferas. Qui hoc facit sapiens est et magnanimus. Vere enim Philemon in Ecdicazomeno: *Nihil*, ait, *neque iucundius, neque docto viro dignius est, quam posse conviciantem ferre.* Et Ovidius lib. 3. Tristium:

Quo quisque est maior, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.

Quocirca Iosephus lib. 5. c. 8. *Plus*, ait, *profuit hæc mansueta Gedeonis responsio, quam Madianitica victoria.*

NONNE MELIOR EST RACEMUS EPHRAIM VINDEMIIS ABIEZER?) Est proverbium idem significans, q. d. ut explicat Chald. Infirmissimi tribus Ephraim præstantiores sunt robustissimis familiæ meæ Abiezer. Aut melius, q. d. paucæ personæ cæsæ ab Ephraimitis, scilicet Oreb et Zeb

A Principes Madian, pluris æstimandæ sunt, quam omnes Madianitæ, quos nos Manassenses cecidimus. Tertio et optime, Gedeon Metaphorice suam victoriam vocat vindemiam, reliquias vero victoriæ racemationem, qua uvæ post vindemiam reliquæ colliguntur. q. d. mea victoria fuit quasi vindemia colligens uvas ex vinea plena: sic enim ego cecidi et turbavi omnia castra Madian: vestra vero persecutio, qua turbatos a me fugientes insecuti estis et cecidistis, fuit quasi racematio post vindemiam, id est victoriam, sed hæc vestra racematio pluris est mea victoria; tum quia cecidistis ipsos principes Madian; tum quia plurimos gregarios trucidastis. Ita Arias, Abulen. et alii.

Posset quoque nervose ex Hebræo sic verti: *Pueriles conatus Ephraim maiores sunt forti irruptione Abiezer*, hoc est mea. Hebr. enim עוללות *Oleloth* significat pueriles cogitationes, conatus, opera, ab *Oleb*, id est puer. Porro Gedeon ortus erat ex familia Abiezer, qui erat pronepos Manasse.

B CUMQUE VENISSET GEDEON AD IORDANEM, TRANSIVIT EUM CUM TRECENTIS VIRIS.) Est Hysterologia: iam ante enim Gedeon transierat Iordanem, ibi enim delata sunt ad eum capita Oreb et Zeb, ut dictum est v. ult. cap. præcedenti. Hic tamen eius transitum per Iordanem enarrat, ut recenseat ubi, et qua ratione persecutus sit fugientes, eosque ceciderit, nimirum trans Iordanem. Vers. 4.

DIXITQUE AD VIROS SOCCOTH.) Locus, sive urbs ita dicta, quod ibi Iacob veniens e Mesopotamia fixisset tabernacula. Hæc enim Hebr. significat *Soccoth.* Genes. 33. 17. Hinc patet Gedeonem transivisse Iordanem iuxta mare Galilææ, eo loci ubi Iordanis e mari illo emergit, ideoque est maior, quam sit anterius ubi in mare hoc primum influit: ibi enim ad egressum Iordanis ex mari sita est Soccoth in tribu Gad. Vers. 5.

FORSITAN PALMÆ MANUUM ZEBEE ET SALMANA IN MANU TUA SUNT, ET IDCIRCO POSTULAS UT DEMUS EX- Vers. 6.

EXERCITUI TUO PANES.) *Palmæ*, id est volæ manuum, hoc est manus ipsæ. Est Sarcasmus. q. d. Videris o Gedeon imperiose nobis loqui, quasi iam victor de Zebee et Salmana evaseris, eosque manibus post terga revinctis captivos ante te abducas: at nondum illos vicisti, ut audeas a nobis panes petere. Nimirum frustra præsumis te cum trecentis dumtaxat, quindecim millia, quæ ipsi secum ducunt, cæsurum. Vide hic ut opera heroica subeant calumniam et invidiam ab iis, qui illa laudare et promovere deberent. Hanc enim subit hic Gedeon a Gaditis, sicut paulo ante subivit ab Ephraimitis. Fuit hæc barbara Gaditarum inhumanitas, qua Gedeoni Iudici, principi et liberatori suo, pro se contra Madianitas pugnanti, ideoque postulanti non carnes, sed panes, denegarunt, unde ipse eam acriter castigavit

Vers. 7. CONTERAM (דשתי *dasti* id est *triturabo*) CARNES VESTRAS CUM SPINIS TRIBULISQUE.) Pro *tribulis* Hebr. est ברקנים *barkanim*, quod significat spinas sive tribulos acerrimos, qui ut fulgur oculos penetrant ac lædunt, ita illi corpus ברק *barac* enim significat fulgur. Rursus *barkanim* per Metathesin alludit ad עקרבים *acrabbim*, id est Scorpiones. Ita sunt dictæ spinæ magnæ et acutæ, quæ martyrum carnes discerpebant et laniabant instar Scorpionum, animalium venenatorum. Audi Isidorum lib. 6. Etymol. c. ult. *Virgæ sunt extremitates frondium arborumque: si lenis, virga est; si autem nodosa vel aculeata, Scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur.*

His ergo tribulis sive Scorpionibus percutiebant reos usque ad necem, ideoque subinde eos humi sternebant, ibique flagellando quasi triturabant, sicut trituratur frumentum. Aliqui hanc triturationem censent factam, quod ferrata carpenta (his quoque triturabant, et grana excutiebant) super eos induxerint, uti fecit David Ammonitis 2. Reg. 12. v. ult. sed nulla carpentorum horum fit hic mentio. Dicitur enim dumtaxat quod tribulis eos trituraverit, sicut flagellis triticum triturant Belgæ.

Vers. 8. VENIT IN PHANUEL.) Locus iuxta Soccoth, ita dictus a Iacob, eo quod ibi luctans cum Angelo dixisset: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Genes. 32. 30. *Phanuel* enim Hebr. idem est quod *facies fortis*, hoc est *Dei.*

Vers. 9. DESTRUAM TURRIM HANC.) Quam Phanuelitæ ædificarant, ut ad eam confugerent ingruente hoste, putantes in ea se fore tutos, ideoque superbe Gedeoni respondentes, negabant ei panem pro alimonia exercitus. Addit Abul. quæst. 11. Phanuelitas Gedeoni mortem minitanti respondisse se ipsius minas nihili facere, sibi adversus illas turrim istam stare, tum Gedeonem subiunxisse, se non ipsos tantum, sed et turrim excisurum.

Vers. 10. ZEBEE AUTEM ET SALMANA (DUCES Madian) REQUIESCEBANT CUM OMNI EXERCITU TRANS IORDANEM.) Ideoque Gedeonem, a quo cis Iordanem cæsi erant, non formidantes, sed securi, ideoque securos et imparatos ex inopinato adortus Gedeon cecidit. Addunt Septuag. Hebr. et Chald. eos requievisse in *Carcar*, de quo ita scribit S. Hieron. in locis Hebr. *Carcar ubi erant filii* (τὸ *filii* irrepsisse videtur, ideoque delendum) *Zebee et Salmana, et est usque hodie castellum cognomento Carcaria, unius diei itinere a Petra distans.* Petra est civitas Arabiæ, a qua cognominata est Arabia Petræa in Moabitica regione, cui confinis erat tribus Ruben.

QUINDECIM ENIM MILLIA VIRI REMANSERANT, qui effugerant stragem Madianitarum editam a Gedeone cap. præcedenti, CÆSIS CENTUM VIGINTI MILLIBUS BELLATORUM.) Hinc patet castra Madian habuisse 135. millia bellatorum, præter calones, lixas, famulos, ceteramque imbellem turbam, e quibus a Gedeone et sociis cæsa fuere 120. millia, quindecim vero millia effugerunt, quæ hic ab eodem trucidata sunt. Perperam Iosephus pro *quindecim* habet *octodecim millia.*

Vers. 11. ASCENDENSQUE GEDEON PER VIAM EORUM, QUI IN TABERNACULIS MORABANTUR.) Hoc est Arabum, qui exinde Scenitæ vocantur: nam σκηνή est tabernaculum, ita A dictum ab Hebr. שכן *sciachan*, id est habitavit; quia Arabes hi non habent domos fixas, sed vagantes ex una regione, quam depasti sunt, transeunt cum suis tabernaculis in aliam vicinam, illamque similiter depascuntur; abundant enim camelis, equis et vaccis. Unde et Nomades (νέμειν enim est pascere) appellantur, de quibus Plinius lib. 6. c. 28. et Strabo lib. 16. Unde Gedeon non recta via, sed a tergo per Arabes hosce Scenitas invasit castra Zebee et Salmana, ut eos nil tale cogitantes ex improviso invaderet et opprimeret, qua in re se rei bellicæ et stratagematum egregie peritum ostendit.

ANTE SOLIS ORTUM.) Hebr. ad verbum est: *ab ascensu solis*, ut vertit Pagnin. in Lexico, hoc est *ante ascensum* (id est ortum) *solis*, ut vertit Vatab. quare minus recte Lyran. Arias, Caiet. et alii vertunt: *desuper existente sole*, quasi iam ortus fuerit sol, ut vult Arias, aut quasi fuerit meridies, quo completur ascensus solis, uti putat Caiet. aut quasi fuerit vespera ante occasum solis, ut conIicit R. David et Lyran. Licet enim Daniel 6. 20. *Ascensio* B *solis* vocetur *occasus solis*, tamen hæc est phrasis Chaldaica, qua lingua scriptus est liber Danielis. Nam Hebræa, Græca et Latina phrasi ascensus solis significat ortum solis, quo scilicet sol ascendit super horizontem, ait Vatab. Nota hic rursum stratagema Gedeonis, quo nocte ante ortum solis hostes somno vinoque sepultos adoritur et trucidat. Vers. 13.

CONTRIVIT.) Hebr. est ידע *ioda*, id est *scire fecit* scilicet per flagella et verbera, hoc est castigavit, punivit. Sic Magister discipulo petulanti minans virgas ait: Hisce docebo te, id est castigabo te, quamquam Serarius putet pro *ioda* legendum ידוש *iadus*, id est trituravit. Sic enim legitur v. 9. Vers. 16.

DIXITQUE (GEDEON) AD ZEBEE ET SALMANA: QUALES FUERUNT VIRI QUOS OCCIDISTIS IN THABOR.) Audierat Gedeon fratres suos uterinos ex eadem matre natos, imminentibus Madianitis de more fugisse in montem Thabor; audierat pariter ibidem nonnullos cæsos esse a Ma- C dianitis; suspicatus est ergo cæsos esse suos fratres. Et vera fuit eius suspicio, ut patet v. 19. Vers. 18.

QUI RESPONDERUNT: SIMILES TUI: fratres enim non raro fratribus, æque ac parentibus assimilantur. ET UNUS EX EIS QUASI FILIUS REGIS.) Sensus planus est et clarus, scilicet unum ex eis insigniorem, habuisse vultum eximium et regium. Nonnulli tamen sic explicant: *unus*, id est quilibet *ex eis* erat forma tam eleganti, ut videretur esse filius regis. Unde Septuag. in Codice Romano habent: *Sicut tu, sic illi, in similitudinem filii regis.* Complut. et Regii: *Sicut tu, sic illi, similis tu similis illis, qualis species filiorum regum.*

DOMINARE NOSTRI TU, ET FILIUS TUUS, ET FILIUS FILII TUI, QUIA LIBERASTI NOS DE MANU MADIAN.) Erat Gedeon iam populi iudex et princeps a Deo constitutus: non ergo Israelitæ hic eum Iudicem creare volunt, sed plenum imperium, hoc est regnum illi offerunt, illudque hereditarium usque ad secundam generationem. Hoc enim significat τὸ *dominare*, scilicet mero et pleno iure, quasi rex. Iudex enim illo ævo populo Israel dominari non D poterat, sed iuxta leges eum iudicare et regere debebat. Rex enim est absolutus omnium dominus, ideoque quasi Deus terrestris; unde et multi reges voluerunt haberi colique ut Dii, ut Caligula, et Domitianus, quem proinde Martialis sive adulando sive corripiendo vocat Dominum Deumque: *Edictum*, inquit, *Domini Deique nostri.* Porro Augustus Cæsar audiens natum regem Messiam, puta Christum, noluit vocari Dominus. Vers. 22.

QUIBUS ILLE AIT: NON DOMINABOR VESTRI, etc. SED DOMINABITUR VOBIS DOMINUS.) Modeste titulum Domini, regisque ius recusat Gedeon, illudque in Deum transcribit, qui proprie erat Israelitarum rex et dominus, ideoque postea ægre tulit eos a Samuele petere regem: instantibus tamen dedit Saulem: quia rex videbatur decerpere aliquid tum nomini, tum iuri Dei in suum populum, poteratque impune leges et iussa Dei violare, imo novos deos inducere, uti fecit Ieroboam, Manasses, Salomon, aliique Reges Israelis. Vers. 23.

*

Vers. 26. MILLE SEPTINGENTI AURI SICLI.) Qui faciunt 6800. coronatos Francicos, sive libras auri fere 70. Siclus enim est semuncia. Quare non est verisimile totum hoc aurum expensum fuisse in solum Ephod. Quis enim Pontifex, imo quis homo ferret Ephod, sive vestem ponderantem 70. libras? Quare pars huius auri in alia ornamenta fuit expensa. Simili modo dicitur David 1. Paral. 20. 2. fecisse sibi diadema ex corona imposita Idolo Melchom, quod ponderabat talentum auri 2. Reg. 12. 30. Quia scilicet partem coronæ aptavit in diadema, non vero totam. Quis enim talentum auri capite suo gestare posset?

Vers. 27. FECITQUE EX EO GEDEON EPHOD.) Id est super-humerale. Exodi 28. 6. Quæritur, quale hoc fuit Ephod, et an Gedeon illud faciendo peccarit?

Ephod Gedeonis quid? Resp. I. Primo, Procopius et alii apud Abulen. censent Ephod hoc fuisse idolum, unde pro *posuit*, Hebr. est יצב *iatseb*, id est *statuit*, sicut solent statui idolorum statuæ. Hinc et Israel *fornicatus est*, id est idololatravit in eo: *Hinc quoque factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam.* Verum quis credat virum sanctum, imo Deo familiarem, et ab eo dilectum et electum, qualis fuit Gedeon, post tantam victoriam a Deo acceptam, a Deo ad idola deflexisse, et idololatriæ fuisse auctorem, sicut fuit Ierobaam primus rex Israel conflando vitulos aureos, eosque quasi Deos colendos statuendo in Dan et Bethel?

II. Secundo, Arias censet hoc Ephod, utpote aureum, diversum fuisse ab Ephod Pontificis factum ex cocco, purpura, bysso et hyacintho, Exodi 28. 6. ac factum a Gedeone hoc fine dumtaxat, ut esset perpetuum victoriæ tam admirabilis monumentum. Unde Caiet. censet Ephod hoc fuisse loricam ex auro ductilem, ut esset signum militiæ, pugnæ et victoriæ. Lorica enim humeros et pectus tegit munitque, æque ac Ephod sive super-humerale. Huic sententiæ satis favent Hebræa, quæ habent: *Et fecit illud in Ephod, et statuit illud in Ephra;* quæ verba innunt ex auro spoliorum factum esse hoc Ephod, ideoque fuisse quasi loricam auream, quam proinde posteri quasi idolum coluerunt. Hæc expositio valde est accommoda.

III. Tertio, Lyran. per Ephod proprie accipit Ephod Pontificale, et sub eo intelligit ceteras vestes sacerdotales, quasi Gedeon illas fecerit, ut ipse iis sacrificaret domi suæ, ideoque *peccarit mortaliter*, sed de eo ante mortem pœnituerit. Verum nec hic, nec alibi quidquam legimus de hac eius pœnitentia.

IV. Quarto, verisimilius S. August. q. 41. Theodor. q. 16. Dionys. Serarius et alii censent Gedeonem fecisse Ephod Pontificale, ceterasque Pontificis vestes: hæ enim sub Ephod quasi veste primaria intelliguntur, ait S. August. tam hic quam c. 17. 5. et c. 18. 14. et 18. Unde Osee 3. 4. Septuag. *Ephod* vertunt τὴν ἱερατείαν, id est sacerdotium omneque instrumentum sacerdotale. Sic ergo per Ephod hic accipe omnem supellectilem ad sacrificium necessariam. Hoc igitur Ephod fecit Gedeon primo, ad perenne victoriæ monumentum: hanc enim consecutus erat per sacrificium, in altari a se iussu Dei erecto oblatum. Unde et postquam recusasset regnum sibi ab Hebræis oblatum, illudque in Deum resignasset, fecit hoc Ephod, ut se profiteretur religiosum esse Dei ministrum, eiusque iussa æque ac curam populi se in humeros suos excipere, ut ea eorumque infirmitates humeris suis portet, ac mediator et sequester sit inter Deum et populum. Hoc enim repræsentabat Ephod sive super-humerale. Hinc et ex spoliis hostium efficit hoc Ephod. Unde Hebr. est: *Fecitque illud* (scilicet totum hoc spoliorum ex auro donum) *in Ephod*, id est ex eo eiusque pretio confecit Ephod.

Secundo, fecit hoc Ephod Pontificale splendidum auroque fulgens, quia in eo erant Rationale Urim et Tummim, per quæ Deus a Pontifice consultus dabat oracula Principi et Reipubl. Exodi 28. non ut ipse Gedeon eo uteretur, sed ut Pontifex, qui non longe a sua urbe Ephra habitabat in Silo, ubi erat tabernaculum cum arca, ab eo in Ephra evocatus, hoc Ephod indutus pro se consuleret Dominum, sicut eum consulebat David per Abiathar Pontificem. Gedeon enim erat Iudex populi, ac in rebus dubiis et perplexis sæpe occurrentibus responso et oraculo Dei indigebat.

Tertio, videtur Gedeon Ephod hoc fecisse, ut Pontifex eo indutus pro se et populo sacrificaret in altari, a se iussu Dei erecto in Ephra c. 6. v. 26. Ad quid enim altare, nisi ut in eo sacrificetur? Addit Serarius, Gedeonem ipsum per se in eo sacrificasse. Cum enim ipse iussu Dei in eo immolasset taurum c. 6. 26. existimasse videtur quod Deus secum dispensasset, ut licet non esset sacerdos ex tribu Levi, tamen quasi præter ordinem auctoratus a Deo in eo sacrificaret. Idcirco enim videtur Deus iussisse illi ut hoc altare erigeret. Altare enim essentialiter respicit sacrificium, nam ut ait Aristot. 1. de cælo c. 4. *Frustra est calceus, cuius non est usus.*

Igitur non peccavit Gedeon faciendo hoc Ephod. Probatur primo, quia dicitur hic quievisse in senectute bona. Secundo, quia a S. Paulo Hebr. 11. collocatur in Catalogo Sanctorum et heroum veteris testamenti, qui fide eximia et operibus fidei heroicis excelluerunt. Tertio, quia vivente Gedeone eius ductu Israel servivit Deo, post mortem vero eius deflexit ad Baalim, ut dicitur v. 33. Non peccavit Gedeon faciendo Ephod.

Favet S. August. q. 41. dum ait: *Deus illud factum Gedeonis patienter tulit, ut pax in terra perseveraret, quia licet factum erat quod prohibuerat, non tamen longe recessum ab eo, qui tale aliquid in Tabernaculo in suum honorem fieri iusserat:* imo non prohibuerat Deus uspiam fieri tale Ephod, uti nec tale Tabernaculum simile illi Mosaico, ut recte advertit Serarius. Nam tale Tabernaculum fecit Salomon 2. Paral. 1. v. 4 et 5.

Peccarunt tamen posteri Gedeonis, qui memoria miraculosæ victoriæ, tanquam persplendidum hoc Ephod adeptæ, impulsi divinos ei honores detulerunt. Unde sequitur.

FORNICATUSQUE EST OMNIS ISRAEL IN EO.) Hebr. אחריו *acharau* id est *post eum*, scilicet post mortem Gedeonis. ita Septuag. Chald. et alii. Noster tamen τὸ *post eum* refert ad Ephod, quod in illo et cum illo Israel fornicatus sit mystice, id est idololatriam commiserit, illud ut idolum et Deum adorando, vel certe illo ad cultum Baalim abutendo; scilicet quod sacerdos Baal illi sacrificaret, hoc Ephod indutus et ornatus. Gaudet enim dæmon si Deo res suas surripiat, ac illa quibus colitur Deus ad sui cultum traducat.

ET FACTUM EST GEDEONI ET DOMUI EIUS IN RUINAM.) Hebr. למוקש *lemokes*, id est in laqueum, tum culpæ idololatriæ, tum pœnæ eiusdem: ob illam enim culpam tota posteritas Gedeonis excisa est, ut audiemus cap. sequenti. Atque pœnam hanc subiit etiam Gedeon ipse, qui incaute Ephod hoc, quod posteris in idola adeo proclivibus futurum erat occasio idololatriæ, fabricavit. Gedeon enim ob hoc perdidit omnem suam posteritatem. Culpam vero idololatriæ commisit non ipse Gedeon, sed eius posteri. Id non prævidit Gedeon; unde a culpa saltem mortali excusandus est: venialis enim imprudentia et inadvertentia in eo admitti potest. Unde hoc sensu cum dicitur: *Gedeoni et domui eius*, τὸ *et* accipiendum est expositive per Exegesin, ut significet *id est*, q. d. *Gedeoni*, hoc est domui sive posteritati eius: hæc enim Ephod hoc adoravit, æque ac Israelitæ adorarunt serpentem æneum a Mose erectum, Num. 21. qui proinde ab Ezechia rege confractus est, 4. Reg. c. 18. 4.

Moraliter hic discant Principes, quam periculosum et exitiale sit immiscere se rebus sacris. Ecce tibi Gedeon faciens Ephod bona licet mente, perdidit omnem suam progeniem. Sic Ozias rex volens thus adolere Deo, lepra percussus est. 2. Paral. 26. 17. Idem tentantes Core, Dathan et Abiron vivi a terra absorpti sunt. Num. 16.

QUIEVIT TERRA PER QUADRAGINTA ANNOS,) id est usque ad annum 40. Gedeonis; unde sub his 40. annis complectitur Script. septem annos, quibus Israel servivit Madianitis, ut dixi c. 3. Vers. 28.

ADIIT ITAQUE IEROBAAL.) id est litigator et excisor Baal falsi Dei, puta Gedeon. Vers. 29.

Vers. 30. Habuitque septuaginta filios,) præcise incluso quoque Abimelech, de quo vers. sequenti, inquit Serarius, licet alii 70. filios accipiant quos habuit ex uxoribus excluso quem habuit ex concubina, ita ut cum Abimelech habuerit 71. filios.

Porro hi filii mortuo Gedeone videntur coluisse idola, ac præsertim Ephod a Gedeone fabricatum, ideoque Deo vindice occisi et excisi. Hoc enim est quod iam dixit: *Et factum est domui* (id est familiæ, puta filiis) *eius in ruinam*. Disce hic quam vana sit in filiis parentum spes et gloria: nemo enim ex tot filiis Patri Gedeoni in principatu successit, imo omnes mox interempti sunt, nimirum *Heroum filii noxæ*. Sic *Artaxerxi*, ait Iustin. lib. 10. *Regi Persarum ex Pellicibus centum quindecim filii fuere, sed tres tantum iusto matrimonio suscepti, Darius, Ariaretes et Ochus, qui omnes inglorii periere.*

Vers. 31. Concubina autem illius,) nomine *Druma*, ait Iosephus lib. 5. c. 9. Concubina erat secundaria uxor, quæ erat quasi ancilla, ac proinde eius filius non succedebat cum filiis uxorum in hereditatem patris. Quare Abimelech non fuit nothus sive spurius, uti eum vocat Iosephus sed legitimus Gedeonis filius.

In Sichem.) Id dicit ut indicet occasionem, qua Abimelech affectavit regnum; quia scilicet a suis civibus Sichimitis ad illud fuit provectus.

Genuit ei filium nomine Abimelech.) *Abimelech* Hebr. idem est quod *pater rex*, vel *pater regis*, vel *pater regius*. Indidit hoc ei nomen mater, ad dignitatem sibi et filio suo conciliandam, utpote quod esset filius Gedeonis, qui erat iudex et quasi rex Israelis: forte etiam hoc nomen voluit esse omen regni, quod scilicet ipse aliquando regnaret uti ipsa optabat. Sic Agrippina consulens divinos, an Nero filius suus esset futurus Rex et Imperator, audiensque fore, sed eum matrem suam occisurum; regni filii sui avida respondit: *Occidat dum imperet* ac vere ab eo occisa, temerarii sui voti meritas dedit pœnas.

Audi quid de Regilliano lib. de Tyrannis scribat Trebellius: « Mirabile fortasse videatur, si, quæ origo imperii eius fuerit, declaretur. Militari enim ioco regna promeruit. Nam cum milites cum eo quidam cænarent, adstitit Valerianus Tribunus, qui diceret: Regilliani nomen unde credimus dictum? Alius continuo: credimus quod a regno. Tum is qui aderat Scholasticus, cœpit quasi grammaticaliter declinare et dicere, Rex, regis, regi, Regillianus. Milites ut est hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt: Ergo potest rex esse. Item alius: Ergo potest nos regere. Item alius: Deus tibi regis nomen imposuit. Quid multa? His dictis cum alia die mane processisset, a principibus Imperator est salutatus. Ita quod aliis vel audacia vel iudicium detulit, huic iocularis astutia. »

Vers. 32. Mortuusque est Gedeon filius Ioas in senectute bona.) *Bona*, id est primo provecta, grandi, annosa. Secundo, *bona*, id est quieta et tranquilla. Tertio, *bona*, id est gloriosa, quam omnes venerarentur, colerent et suspicerent. Quarto, *bona* bonitate virtutis ex bona con-

A scientia, probitate et sanctitate: hæc enim ceterarum bonitatum omnium est fons et origo. Vidit hoc quoque Cicero, qui lib. de Senect. « Aptissima, inquit, omnino sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cum diu multumque vixeris, mirificos afferunt fructus, non solum nunquam deserunt, ne extremo quidem tempore ætatis (quamquam id quidem maximum est) verum etiam quia conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundissima est.»

Sic in senectute bona mortuus est Abraham. Genes. 25. 8. David 1. Paral. 29. 28. Tobias c. 14. 15. Nam *senectus non annis, sed moribus veneranda, superioris vitæ portus debet esse, non vitæ superioris naufragium*, ait S. Ambros. lib. de Iacob et vita beata cap. 10. Idem lib. 2. de Abel. cap. 1. *Cogitationes nostræ*, inquit, *bonorum operum processibus explicentur, ut nihili imperfectum finis noster inveniat, nihil inexplicatum terminus vitæ nostræ offendat, nihil tanquam incude positum usus nostri operis derelinquat.* Et paulo post: *Partus noster fides* B *sit, nutrimenta nostra præcepta doctrinæ sint. His quædam cordis nostri imbuatur infantia, instituatur pueritia, iuvenculescat adolescentia, senecta canescat. Ætas enim senectutis vita est immaculata. Itaque ea demum bona est animæ senectus, quam nulla perfidiæ inquinamenta macularint.*

Idem lib. 1. Hexam. c. 8. « Sed senectus, inquit, ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior. Infirmitas quoque corporis sobrietas mentis est. Unde ait Apostolus: Cum infirmor tunc potens sum. Itaque non in virtutibus, sed infirmitatibus gloriabatur. Responsum quoque divinum refulsit oraculo salutari: quia virtus in infirmitate consummatur. »

Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, a Deo Deique cultu, et fornicati sunt cum Baalim (idolis, Diis gentium) percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in Deum.) Hebr. Vers. 33.
C *Præfecerunt sibi Baalem fœdere in Deum*, id est fœdus inierunt cum Baal, ut esset eis in Deum: Chald. *Posuerunt sibi fœdere ad errorem*. Septuag. *Posuerunt sibi Baal berith in fœdus, ut esset eis ipse in Deum*. Sic quoque legit S. August. Unde ex Hebr. et Septuag. liquet Hebræos pro Deo coluisse *Baal berith*, id est *Baalem fœderis*, quem scilicet quasi præsidem fœderum, hoc fœdere sibi quasi Deum confœderarunt ברית *berith* enim est fœdus.

Nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Vers. 35.
(qui proprio nomine dictus) Gedeon) quia permiserunt eius domum, id est filios omnes occidi a tyranno Abimelech, imo in occidendo iuverunt, ut patebit c. sequenti. *Misericordia*, Hebr. חסד *chesed* significat omnem virtutem, quæ in proximum se exserit, scilicet beneficentiam, pietatem, gratitudinem, iustitiam, fidelitatem, etc. Israelitæ ergo Deo infideles in Gedeonem quoque fuere infideles, malefici, impii, ingrati, iniusti, ut patebit ex cap. 9.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abimelech filius Gedeonis cæsis 70. fratribus, imperium Israelis per Sichimitas cognatos suos invadit et obtinet. Quare Ioatham eius frater v. 8. et seq. per Apologum rhamni ipsi, æque ac Sichimitis exitium intentat et pronuntiat, quod deinde rei eventus combrobavit, uti narratur vers. 23. et seq. per spiritum dissensionis, quem Deus inter utrosque immisit. Abimelech ergo fuit sextus Israelis non tam Iudex quam tyrannus.

1. Abiit autem Abimelech filius Ierobaal in Sichem ad fratres matris suæ, et locutus est ad eos, et ad omnem cognationem domus patris matrisque suæ, dicens: 2. Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Ierobaal, an ut dominetur unus vir? simulque

considerate, quod os vestrum et caro vestra sum. 3. Locutique sunt fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, et inclinaverunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est 4. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberit. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes et vagos, secutique sunt eum. 5. Et venit in domum patris sui in Ephra, et occidit fratres suos filios Ierobaal septuaginta viros, super lapidem unum: remansitque Ioatham filius Ierobaal minimus, et absconditus est. 6. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, et universæ familiæ urbis Mello: abieruntque et constituerunt regem Abimelech, iuxta quercum quæ stabat in Sichem. 7. Quod cum nuntiatum esset Ioatham, ivit, et stetit in vertice montis Garizim: elevataque voce, clamavit, et dixit: Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus. 8. Ierunt ligna, ut ungerent super se regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis. 9. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? 10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni et super nos regnum accipe. 11. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cetera ligna promovear? 12. Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, et impera nobis. 13. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cetera promoveri? 14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, et impera super nos. 15. Quæ respondit eis: Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani. 16. Nunc igitur, si recte et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, et bene egistis cum Ierobaal, et cum domo eius, et reddidistis vicem beneficiis eius, qui pugnavit pro vobis, 17. Et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian, 18. Qui nunc surrexistis contra domum patris mei, et interfecistis filios eius septuaginta viros super unum lapidem, et constituistis regem Abimelech filium ancillæ eius super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit: 19. Si ergo recte, et absque vitio egistis cum Ierobaal, et domo eius, hodie lætamini in Abimelech, et ille lætetur in vobis. 20. Sin autem perversæ: egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem, et oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, et de oppido Mello, et devoret Abimelech. 21. Quæ cum dixisset, fugit, et abiit in Bera: habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui. 22. Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis. 23. Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem: qui cœperunt eum detestari, 24. Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobaal, et effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, et in ceteros Sichimorum principes, qui eum adiuverant. 25. Posueruntque insidias adversus eum in summitate montium: et dum illius præstolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nuntiatumque est Abimelech. 26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, et transivit in Sichimam. Ad cuius adventum erecti habitatores Sichem, 27. Egressi sunt in agros, vastantes vineas, uvasque calcantes: et factis cantantium choris ingressi sunt fanum dei sui, et inter epulas et pocula maledicebant Abimelech, 28. Clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech, et quæ est Sichem, ut serviamus ei? numquid non est filius Ierobaal, et constituit principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo serviemus ei? 29. Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque est Abimelec: Congrega exercitus multitudinem, et veni. 30. Zebul enim princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde, 31. Et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce, Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, et oppugnat adversum te civitatem. 32. Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, et latita in agro: 33. Et primo mane oriente sole, irrue super civitatem. Illo autem egrediente adversum te cum populo suo, fac ei quod potueris. 34. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, et tetendit insidias iuxta Sichimam in quatuor locis. 35. Egressusque est Gaal filius Obed, et stetit in introitu portæ civitatis. Surrexit autem Abimelech, et omnis exercitus cum eo de insidiarum loco, 36. Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Umbras montium vides quasi capita hominum, et hoc errore deciperis. 37. Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ descendit, et unus cuneus venit per viam quæ respicit quercum. 38. Cui dixit Zebul: Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris: Quis est Abimelech ut serviamus ei? Nonne hic populus est, quem despiciebas? Egredere, et pugna contra eum. 39. Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, et pugnavit contra Abimelech, 40. Qui persecutus est eum fugientem, et in urbem compulit: cecideruntque ex parte eius plurimi, usque ad portam civitatis: 41. Et Abimelech sedit in Ruma: Zebul autem, Gaal et socios eius expulit de urbe, nec in ea passus est commorari. 42. Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech, 43. Tulit exercitum suum, et divisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Vidensque quod egrederetur populus de civitate, surrexit, et irruit in eos. 44. Cum cuneo suo, oppugnans, et obsidens civitatem: duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequebantur. 45. Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem: quam cepit, interfectis habitatoribus eius ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret. 46. Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, et ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde. 47. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, 48. Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: et arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, cito facite. 49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt: atque ita factum est, ut fumo et igne mille homines necarentur, viri pariter et mulieres, habitatorum turris Sichem. 50. Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu. 51. Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, et omnes principes civitatis, clausa firmissime ianua, et super turris tectum stantes per propugnacula. 52. Accedensque Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter: et appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur: 53. Et ecce una mulier fragmen molæ desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum eius. 54. Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: Evagina gladium tuum, et percute me: ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui iussa perficiens interfecit eum. 55. Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israel, reversi sunt in sedes suas: 56. Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. 57. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, et venit super eos maledictio Ioatham filii Ierobaal.

Vers. 2. **Q**UID VOBIS EST MELIUS UT DOMINENTUR VESTRI SEPTUAGINTA VIRI OMNES FILII IEROBAAL.) Fingit tyrannus omnes 70. fratres suos ambire regnum, ac fore inter eos de regno continuam concertationem, ut sibi uni illud attribuant. Nam filii Iudicum parentibus in Principatu non succedebant, sed uno moriente alius ex alia familia et tribu a Deo vel populo eligebatur. Et esto aliquis filiorum hic Gedeoni successisset, is fuisset unicus, videlicet primogenitus, non 70. Unde patet Abimelech hæc confingere et mentiri, ut sibi uni regnum deferatur.

Vers. 4. DEDERUNTQUE ILLI SEPTUAGINTA PONDO ARGENTI DE FANO BAALBERIT,) ut iis milites conscriberet, per quos regnum Israelis invaderet, et occuparet. Hebr. non habent τὸ *pondo*, sed tantum 70. *argenti*, scilicet siclos, inquiunt Vatab. Arias et alii. Verum 70. sicli argentei sunt 70. floreni Brabantici, quorum quisque continet quatuor Iulios Romanos sive quatuor regales Hispanicos, quibus vix unum alterumve militem conscribere potuisset. Quare Arias ex Rabbinis asserit nomine argenteorum in Pentateucho intelligi siclum, in Prophetis (qualis apud Heb. est hic liber Iudicum) libras, in Hagiographis talenta. Hoc etsi ubique non sit verum, huic tamen loco congruere potest. Nam libra argenti continet 24. siclos sive florenos Brabanticos: quare 70. libræ argenti faciunt 1680. siclos sive florenos Brabanticos, hoc est coronatos Francicos 560. quibus illo ævo plures conscribi poterant milites, saltem ad inchoandum bellum. Alii minas intelligunt: mina autem continebat 60. siclos. Ezech. 42. 12. quare 70. minæ continent 4200. siclos. Alii talenta subaudiunt: talentum autem Hebræum continebat tria millia siclorum, hoc est uncias 1500. Atticum vero siclos 1500. hoc est uncias 750. quare 70. talenta ingentem faciunt argenti vim. Noster vertit *pondo*, quæ vox proprie libram significat, licet pondo subinde idem sit quod pondus sive sicli, sive unciæ seu alterius rei, quæ pondere mensuratur.

DE FANO BAALBERIT,) hoc est *Baal*, qui præerat *berit*, id est fœderi, quale iam Sichimitæ cum Abimelech inierant. Sic enim Romani, teste Dion. Halicarnasseo l. 4. colebant Deum Pistium et Fidium, quasi fidei et fœderum tutorem et vindicem, ac Iovem fulmen manu continentem, quod scilicet in eos, qui fidem et fœdus violarent torqueret; et Iovem lapidem: nam fœdus ineuntes illud sanciebant mactando porcum, dicendo: *Si fidem fallam, Iuppiter me feriat, sicut ego lapide porcum hunc feriam et immolabo*. Ita Livius lib. 1. Vide quomodo tyranni Sichimitæ tyrannicum suum imperium ordiantur a scelere et sacrilegio. Expilant enim ærarium Dei sui, ut illud tyranno suo tribuant. Mox sacrilegio addunt parricidium. Unde sequitur:

QUI CONDUXIT EX EO SIBI VIROS INOPES ET VAGOS.) Hebr. *vacuos et leves*, Arias. *perditos et vagos*. Pagnin. *cerebro vacuos et instabiles*, Lyran. *cervicosos*. Chald. *vacuos et libertinos*. Septuag. *vacuos et stolidos*.

Vers. 5. ET OCCIDIT FRATRES SUOS FILIOS IEROBAAL (Gedeonis) SEPTUAGINTA VIROS SUPER LAPIDEM UNUM.) Erant præcise tantum 69. nam Ioatham septuagesimus effugerat, imo tantum 68. si Abimelechum inter 70. filios Gedeonis annumeres. Sed Script. more suo rotundum perfectumque numerum assignat, etiamsi illi aliquid desit vel supersit; computat enim per denarios, centenarios et millenarios. Ita Serarius et alii.

SUPER LAPIDEM UNUM.) Arias censet lapidem hunc fuisse altare, ab Abimelech tyranno dicatum idolo suo Baalberit, erectumque eodem loco, quo ante Gedeon pater eius aram Baal destruxerat c. 6. ideoque dictus est Ierobaal, quasi ipse ulcisci voluerit iniuriam a patre factam Deo Baal, ideoque ad sarciendam hanc iniuriam illi eodem loco occiderit, et quasi immolarit 70. Gedeonis filios et fratres suos. Hinc et Sichimitæ pro restituto eis suo Baal, videntur in singula cæsorum fratrum capita numerasse ei pondo argenti, scilicet 70. pondo pro 70. filiis Gedeonis ab eo cæsis.

Simili barbarie et parricidio Phraartes Herodis Par-

A thorum regis ex pellice filius, ut regnaret, patrem senem et 30. fratres occidit, teste Iustino lib. 42. qui et lib. 10. narrat Ochum Persarum regem 80. fratres interemisse: sic Amurathes, Selimus, Baiazetes et alii Turcarum Imper. fratres suos occidunt, ne ab eis imperio priventur. Patrum memoria ad Carolum Quintum confugit Muleasses rex Tunetanus a proprio filio nomine Amida regno pulsus, et ferro candenti exoculatus, idque iusto Dei iudicio, eo quod ipse Muleasses prius 18. fratres partim mactasset, partim exoculasset. Ecce quo agit homines cæca et furens dominandi libido. Fratricidarum exempla.

Hinc patet Abimelech non fuisse vere Israelis Iudicem et Principem, utpote nec a Deo, nec a populo, sed a paucis Sichimitis civibus suis electum et vi intrusum, sed tyrannum. Unde nec tribus Iuda, nec ceteræ eum acceptasse leguntur. Hinc et ipse fere in Sichem dumtaxat regnavit, ut patet ex v. 6. et seq.

CONSTITUERUNT (Sichimitæ) REGEM ABIMELECH IUXTA QUERCUM QUÆ STABAT IN SICHEM.) Andreas Masius in Iosue c. ult. v. 26. et Serarius hic opinantur et probabiliter coniectant hanc quercum esse *Elam more*, ubi Abraham veniens ex Chaldæa in Chanaan primum altare Deo erexit. Genes. 12. 6. et sub qua Iacob idola domus suæ defodit. Genes. 35. 4. indeque vocari hic *ela mutsab*, id est *quercum statam*, ubi scilicet patriarchæ stato more solebant Deum invocare. Quercus ergo hæc annosa fuit, Vers. 6.

B

Religione patrum multos servata per annos.

scilicet quingentorum annorum: tot enim fluxerunt ab Abraham usque ad Abimelech. Verum ut dixi Iosue ult. 26. hæc res incerta est, et communem quercuum (quæ communiter ad trecentos annos vivunt) ætatem superat.

Porro vocatur hæc quercus מצב *mutsab*, id est stationis, ut vertunt Septuag. quod ad eamdem convenire solerent Sichimitæ, ibique stationes et conventus suos agere.

URBIS MELLO.) Hæc urbs Mello diversa est a voragine Mello quæ erat inter Sion et Ierusalem. Hæc enim erat urbs sita iuxta Sichem, eique subiecta quasi eius colonia vel municipium.

C

QUOD CUM NUNTIATUM ESSET IOATHAM (qui erat minimus Gedeonis filius, et cædem fratrum effugerat) IVIT ET STETIT IN VERTICE MONTIS GARIZIM (qui imminet urbi Sichem) ELEVATAQUE VOCE CLAMAVIT ET DIXIT: AUDITE ME VIRI SICHEM, ITA AUDIAT VOS DEUS.) q. d. Adiuro vos o Sichimitæ per Deum, ut me audiatis. Aut q. d. audite me recta iustaque loquentem, ut et Deus vos exaudiat. Ex adverso Caiet. Hæc verba, inquit, sunt imprecatio ultionis divinæ in impios Sichimitas. q.d. Opto et imprecor vobis ut ad vestram iniquitatem attendat, eamque audiat et videat, ac puniat et vindicet Deus iustus iudex, et scelerum vindex. Vers. 7.

IERUNT LIGNA UT UNGERENT SUPER SE REGEM, DIXERUNTQUE OLIVÆ: IMPERA NOBIS.) etc. Hic est primus, elegantissimus, et ceterorum omnium antiquissimus Apologus. Gedeon enim et Ioatham, multis sæculis antecesserunt Phædrum, Anienum, Æsopum, aliosque fabularum et apologorum scriptores. De Apologorum origine, elegantia, usu, etc. multa dixi in Ecclesiastico. Vers. 8.

D

Porro ut Apologum hunc totum paucis explicem et oculis subiiciam, notandum est primo, illum hic induci a Ioatham, ut ostendat Sichimitis, quam inique et impie egerint tyrannum Abimelech in Regem extollendo, cæsis 70. eius fratribus, ipsosque dignos esse, ut qui parricidam, quia cognatum, sibi Ducem constituerint, ipsum pariter parricidam sentiant. Unde diras illis non tantum imprecatur, sed et ex solita Dei in tales vindicta denuntiat.

Nota secundo, in Apologis, Parabolis et similitudinibus quædam ad decorem et elegantiam Apologi vel parabolæ adiici, quæ rei per illum significatæ adaptare non est necesse, imo subinde est impossibile. Quare hic non est necesse, quæ de oliva, ficu et vite iterantur, sigillatim applicare: pleraque tamen applicari possunt. Unde.

Nota tertio, arborem hic esse hominem, sed inversam

[Apologi arborum explicatio.] (arbor enim habet radices deorsum, ramos sursum; homo vero radices sensus et motus habet in capite sursum, pedes vero quasi ramos deorsum) ac consilii rationisque capacem. Oliva, ficus et vitis quæ recusant oblatum sibi [Olivæ, ficus, vitis, rhamnus qui?] ab arboribus regnum, sunt Othoniel, Debbora et Gedeon, ait Lyran. qui priores fuere Iudices, iique optimi, quia invite et coacti quasi a Deo principatum capessiverunt. Audi Lyran. Dicunt Hebræi, quod per olivam significatur [Explic. 1.] Othoniel, qui fuit de tribu Iuda, ut dictum fuit supra c. 1. Tribus autem Iuda vocatur oliva Ierem. 11. 16. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Per ficum, quæ habet fructum dulcem, intelligitur Debbora: quæ in Hebræo scribitur Debbora, et interpretatur apis quæ facit mel dulce, et sicut ficus fructum dulcem, ita quod proprietas huius arboris respondet interpretationi nominis. Per vitem vero intelligitur Gedeon; qui erat de filiis Ioseph, eo quod Ioseph vocatus est filius accrescens Genes. 49. vitis autem ramus crescit notabiliter in una æstate. Hucusque Lyran.

2. Rursum aptius idem Lyran. per olivam, inquit, de qua exprimitur oleum; et ficum, quæ habet dulcem fructum; et vitem, quæ facit fructum plurimum, intelliguntur alii filii Gedeonis, qui erant pingues in divitiis, dulces in mansuetudine, et multiplicati in prole. Per rhamnum autem, quæ est arbor vilis, intelligitur Abimelech, qui erat de ignobili matre, qui regnavit aliis occisis.

3. Plenius et universalius: oliva, ficus et vitis denotant homines qualibet ratione ad imperandum idoneos et aptos: et Arias quidem per olivam sapientes, per ficum divites, per vitem lenes modestosque accipit: Rhamnum vero (qui licet adeo inter arbores non excellat, ut ne arbor vel lignum quidem sit, sed frutex, sed spinæ tantum exiles, acutæ et pungentes, statim tamen imperium inter ligna oblatum capessit) significare imperio ineptos et tyrannos.

[4 genuina.] Rursum aptius per ficum accipias viros mites, blandos, suaves; per vitem ferventes, acres et efficaces in agendo: hi enim apti sunt ad regendum: imitantur enim Dei sapientiam omnia gubernantem, quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Sapien. 8. 1. Rege ergo suaviter, sed fortiter, et sapienter reges. Oliva notat viros misericordes et bonitate pingues, ac charitate quasi adipatos. Charitas enim uti est regina virtutum, sic est hominum. Qui ergo charitate sunt copiosa, optime regunt. Obiurga, puni, castiga; sed ostende te id facere non ex odio, sed ex amore, et placebis iis quos obiurgas et castigas. Unde Christus Petrum præfecturus Ecclesiæ: *Simon Ioannis,* inquit, *diligis me plus his?* eoque respondente: *Domine tu scis quia amo te*, subiecit: *pasce oves meas.* Ioan. 21. v. 15. qui igitur regit, sit ficus per suavitatem, sit vitis et vinum per fortitudinem, sit oliva et oleum per compassionem et charitatem.

Nota quarto: quod oliva, ficus et vitis uno ore consone respondent, non convenire sibi ut deserant pinguedinem, dulcedinem et vinum suum, quibus tribus et homines in epulis, et Dii in sacrificiis delectantur, ut in reges promoveantur, hoc tantum significare, quod personæ privatæ sibi suæque perfectioni et commodis vacare possint: at publicæ quæ aliis præsunt, ita publicis rebus et curis distineantur; si quidem ut par est rebus non potiri, sed consulere velint, ut sibi suisque vix vacare liceat; quod qui amet, imperio abstineat. Rursum reges et principes debere omnem suam pinguedinem, dulcedinem et lætitiam transfundere in subditos, ac se quasi depauperare, ut eos ditent, si vere reges boni et evergetæ, hoc est benefici esse velint. Causam aliam dat Arias: *Nulla*, inquit, *ex omni plantarum genere avaritiæ studium aptius refert, quam ficus: cuius ad exugendum undique humorem et frequentissimæ radices, et nonnullæ adeo longæ deprehenduntur, ut ad puteos et fontes ac paludes longo intervallo distantes pertineant, adeo etiam sagaces, ut intra domos loca quærere, subire atque obtinere didicerint, in quibus lagena, hydriæ, ceteraque aquaria vasa statuuntur, ibique soleant diutius hærere.* Non aliter et reges avari, alienas opes ardentes sitiunt, ad easque corripiendas in

A mille manus et brachia dilatantur, in publicas et privatas ædes se insinuant; loculos, crumenas, thesauros, quidquid abditum et repositum est tentant, palpant, adoriuntur. Verum hæc causa hoc loco impertinens est.

Quod vero rhamnus insolenter respondet: *sub umbra mea requiescite,* tantundem est ac si dicat Tyrannus: sub meam protectionem, quæ nulla, vel non nisi aculeata, pungens, affligens et periculosa est (quia si semel ignem concipit, ille totum pervadet, omniaque vicina comburet) concedite, totosque vos mihi regendos tradite. Rhamnus enim exilis est, unde vix umbram iacit quæ protegat, ac sub se delitescentes pungit et stimulat: Sin autem, *egrediatur ignis de rhamno et comburat cedros Libani.* Sensus est q. d. Tyrannus in suos etiam nobilissimos, si qua in re ei adversentur litemque moveant, exitium per suos lictores et milites immittet, quo tamen ipse quoque affletur et intereat, uti in plerisque tyrannis contigisse narrant historiæ. Utcumque ergo res cadat, a tyranno nulla utilitas, maxima vero pernicies expectanda est. Æquum ergo et

B in promptu est, ut et ipsum vobis o Sichimitæ eveniat, utpote qui non viros aptos imperium detrectantes, sed Abimelech tyrannum illud ambientem elegistis, ut idem inquam, eodem modo vobiscum et cum rege vestro Abimelech sacrilego et parricida agatur, utque discordia, lis et bellum inter vos concitetur, quo utrique pereatis. Ita fere Arias.

Allegoriam habet Beda in quæst. hic: ligna sylvæ, ait, [Allegor.] sunt homines: his merito noluit imperare oliva, ficus et vitis, quia minime id merebantur: oliva enim gratiam Spiritus sancti, et unctionem pacis significat: ficus sacræ legis habet imaginem; unde Paterfamilias in vinea plantat ficum, id est legem: vitis significat Christum, ut ait Christus Ioan. 15. 1. rhamnus notat Antichristum, qui omni asperitate et feritate humanum genus vastabit, sed exibit ignis de rhamno, id est iniquitas de Antichristo, et omnes qui in eo confidunt pariter devorabit.

Rursum S. Hieron. in c. 2. Aggæi, per ligna accipit ho-

C mines impios, per olivam, ficum et vitem tres personas SS. Trinitatis, per rhamnum vero diabolum.

Symbol. S. Methodius tract. de Castitate apud Photium [Symbol.] in Bibliotheca p. 345. per ficum accipit legem status innocentiæ in paradiso: ibi enim ficum comedit Adam quæ nos omnes perdidit; per vitem accipit legem naturæ sub Noe: hic enim invenit vitem et vinum: per olivam, legem Mosis et prophetarum: hi enim ungebantur oleo: per rhamnum, legem Christi; hæc enim pungit instar rhamni, quia ipsa est lex mortificationis, castitatis et crucis (unde et spinas, quibus coronatus est Christus, fuisse e rhamno censet Gretserus, Bellonius et alii primæ notæ tract. de cruce) quæ sola potuit vulnera nostræ concupiscentiæ sanare, ac iis qui sanari nolunt, eo quod ad crucem nolint accedere, minatur ignem æternum. Unde S. Methodius ibidem censet Eliam fugientem Iezabelem quievisse *sub rhamno,* pro quo nos habemus *sub Iunipero.* 3. Reg. 19. 4. Sic ergo hunc Apologum symbolice explicat, q. d. postquam ficus, id est lex naturæ in paradiso, et vitis, id

D est lex naturæ data Noe post diluvium, et olea, id est lex Mosis fœtentia humanæ naturæ vulnera curare non potuissent, *misit quarto Deus rhamnum*, id est crucem *et castitatem, quæ illis imperaret, quæque voluptatibus superatis, etiam in reliquum tempus illis interminata est, quod nisi sibi parerent omnes, et sincere ad se accederent, futurum ut omnes flammis gehennæ absumerentur.* Hæc ingeniose dicta sunt, sed minus huic loco apposite ad litteram. Rhamnus enim hic notat tyrannum Abimelech, ac proinde apte repræsentare nequit Christum, Christique crucem et castitatem, sed potius Antichristum. Noster tamen Gretserus lib. 1. de cruce c. 12. censet ideo dici hic delatum fuisse regnum Israelis rhamno, ut significaretur Christum regem Iudæorum coronandum rhamno, sub quo fideles placide conquiescunt, ibique quietem inter medias spinas inveniunt: *Hoc diadema ex rhamno,* inquit Clemens Alex. *inimicum iis qui insidiantur, eos prohibet, iis autem qui in Ecclesia simul versantur amicum, eos*

circumsepit et munit. Hæc corona est flos eorum qui crediderunt in eum, qui fuit glorificatus: cruentat autem et castigat eos qui non crediderunt. Nam iuxta votum rhamni, ignis e rhamno, hoc est Christo coronato egreditur, qui omnes cedros Libani consumit, et tunc maxime consumet cum audient illud: Ite in ignem æternum. De spinis coronæ Domini hæc refert Gregor. Turonensis: *Ferunt ipsas coronæ sentes quasi virides apparere, quæ tamen si videantur aruisse foliis, quotidie tamen revirescere virtute divina.* Hucusque Gretserus.

Tropol. Tropol. Glossa: per olivam, ficum, vitem, significantur tria genera hominum dignitatem regiminis refugientium. Primi sunt devoti, quærentes in oratione et divino obsequio occupari, a quibus retrahit cura regiminis, quæ causat distractionem mentis; et isti significantur per olivam. Psal. 15. 10. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Secundi sunt homines in Sacra Script. studiosi, de qua dicitur Eccles. 24. 27. *Spiritus meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum.* Et ideo in ea studiosi refugiunt per curam regiminis, a dulcedine eius separati, et isti signantur per arborem ficum, quæ respondit: *Nunquid possum deserere dulcedinem meam, etc.?* Tertii sunt homines vere humiles, qui non reputant se dignos promotione ad regimen aliorum, propter quod hæc refugiunt quantum possunt, et isti signantur per vitem; quæ licet non possit se sustinere, sed ab alio fulcitur, tamen ex ea fructus optimus producitur: sic vere humilis per alium regi et sustentari quærit, et fructum optimum facit dicens: *Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter cetera ligna,* etc. Humilitatis enim fructus est valde placens Deo et hominibus: propter quod beata Virgo Maria propter humilitatem ad concipiendum Dei filium fuit electa, sicut ipsa dicit Lucæ 1. 48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ,* etc. Hucusque Glossa.

Rursum S. Clemens lib. 8. Const. Apost. c. 46. Apologum rhamni Episcopis, qui a spiritualibus ad sæcularia curanda animum deflectunt, accommodat. Audi eum: *Ierunt ligna ut ungerent super se regem,* etc. *Hactenus parabola, quæ in Episcopos plane convenit: hi enim sunt qui relicto verbo Dei dulci, vitali et illuminante, ad spineta litium sive rerum sæcularium, ut in earum iudiciis regnent, se transferri patiuntur, ex arbore fici, oleæ et vitis facti arbores rhamni, id est infrugiferæ et spinosæ: sive potius dicendum est, in arborem fici, oleæ et vitis rhamnum inserentes, non intelligentes cum utrumque facere volunt, alterum eorum, quod præcipuum est, plane deserere, sicut sancti Apostoli docuerunt, cum aiunt in Actis Apostolorum: Non est æquum nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis.*

Vers. 9. Quæ (oliva) respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines?) Oleum enim hominibus est cibus, medicina, lux; Deo vero quotidie accendebatur in septem lampadibus Candelabri. Exodi 25. Insuper oleum erat libamen in sacrificio mincha, sive farinæ et farris. Levit. 2. Oleo quoque ungebantur Sacerdotes, Pontifices et vasa Tabernaculi.

Vers. 10. Ficum.) Ficus non floret, nec ulla se speciosa ornamentorum luxurie ostentat, sed fructum edit dulcissimum. Unde repræsentat eos, qui pauca dicunt, sed multa magnaque faciunt, iuxta illud Pythagoræ: *Magna noli promittere, sed facere.*

Vers. 13. Numquid possum deserere vinum meum, quod Deum lætificat et homines?) Quod scilicet est res optima, ait Valesius S. Phil. c. 27. Nam Deus Gen. 1. creans omnia vidit bona, sed quædam optima, uti est vinum, quod ipsum et homines lætificat; quo enim res quæque in se est melior, eo illius intuitu magis delectatur Deus: vinum ergo quod est optimum mire lætificat tam Deum, quam homines. Hoc verius est in vino consecrato Eucharistiæ quod Ioatham ignorabat, qui forte etiam putabat Deum esse corporeum, ac vere delectari vino, uti Gentiles putabant Deos vesci nectare et ambrosia. Vinum enim Deum lætificat; quia vinum erat libamen quod cum hostia libabatur, id est effundebatur Deo ad cornu altaris. Sacrificium enim erat quasi convivium, quo cum hominibus epulabatur Deus. Unde in eo erat farina loco panis, carnes loco epularum, sal pro condimento, vinum vice potus, oleum pro unctione. Porro vinum, ait Valesius, lætificat, quia citissime abit in vitales spiritus, ac satis cito in sanguinem calidum; quæ enim cito nutriunt, præstant alacritatem refectione illa facili spirituum, ac revocant ab exolutione et deliquio, itaque exhilarant; robur vero ad sustinendos labores non ita præstant, quia facile dissipantur. Quare vinum facit hominem oblivisci dolorum et molestiarum, ut curas omnes deponat. Vide dicta Eccles. 31. ad illa, *Vinum in iucunditatem creatum est, et non in ebrietatem.* Iucunditatem enim hanc parit cita, ut dixi, spirituum vitalium refectio, quorum penuria quia laborant melancholici, hinc tristes sunt. Rursum vinum calefacit, laxat, funditque cor, ideoque lætificat: lætitia enim est cordis laxatio et diffusio, quam facit calor; tristitia vero eiusdem contractio et torpor, quam causat frigus. Quare indicibilem sympathiam vinum habet cum corde.

Porro in Apologo hoc regni arborum proponi poterat palma, cedrus, laurus, quercus, cypressus, etc. Sed maluit Ioatham proponere olivam, ficum, et vitem, quia hæc magis sunt in hominum usu; ac apud plures gentes, ut Syros, Indos, Italos sunt communia, atque fructus ferunt omnibus communes, obvios et utilissimos.

Ad Rhamnum.) *Rhamnus,* ait S. Hieron. in Aggæi c. 2. *spinosus frutex, et arbuscula sentibus uncinisque contexta, quæ teneat quidquid attigerit, et retentum vulneret, et vulneratorum sanguine delectetur.* Isidor. 17. Origin. c. 7. *Rhamnus,* inquit, *genus est rubi quam vulgo senticem ursinam appellant, asperum nimis et spinosum.* Vers. 14.

Egrediatur ignis de rhamno.) Rhamnus enim facile concipit ignem, ait Abul. Non ex agitatione, collisione et attritu ramorum, uti fit in silice alliso ad ferrum; sed ex stipula similive materia illi subiecta, quæ facile ardente sole, aut aliquo accendente ignem concipiens eodem rhamnum succendit.

Ignis hic notat discordiam: hæc enim exardescens inter tyrannum et subditos, utrosque flagranti bello quasi incendio consumit. Sic Valens Imper. Arrianus a Gothis, quos Arrianos fecerat, concrematus est: *Iusto quippe Dei iudicio,* inquit lib. 2. Epist. 3. Petrus Damianus, *ab eisdem consumptus est flamma vindictæ, quos ipse percusserat igne perfidiæ. Sic enim iuxta Scripturæ sententiam Egressus est ignis de rhamno, et devoravit cedrum Libani.*

Allegoriam deinde subiungens Damianus, asserit Gedeonem esse typum Christi Salvatoris: *Per plurimas eius uxores diversas debere nationes intelligi, quæ sibi cohæsere per fidem: Per septuaginta filios, totidem linguarum populos: Per concubinam, synagogam: Per Abimelech, Antichristum qui synagogæ filius erit. Unde et in Apocalypsi his qui credituri sunt dicitur: Qui dicunt se Iudæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga satanæ. Et sicut ille peremit septuaginta fratres; sic iste persecuturus est omnes quæ sibi non consentient nationes.*

Idem deinde Tropologiam subnectens ait: *Quid per Ioatham, qui interpretatur consummatus sive perfectus, nisi sanctum et doctum quempiam prædicatorem debemus accipere? Hic in montem Garizim ascendit, et voce magna clamavit. Prius ascendit, et postmodum clamavit. Ante consurgit in montem, et sic elevat vocem, quia nisi Doctor virtutum prius culmen ascendat, inaniter clamat.* Pergit Damianus cetera enodando, cuius verba fusa in pauca contraham: *Per Garizim sancta designatur Ecclesia, quæ est virtutum omnium schola, et cælestium segetum ubertate fœcunda. Per olivam significantur ii, qui Spiritus S. pinguedine delibuti, evangelizando pacem reconciliant homines Creatori. Per ficus, qui sanctæ legis eruditione sunt sufficienter instructi. Per vitem, qui triumphum Dominicæ Passionis prædicare non cessant, itaque per doctrinæ suæ botros arentia corda nostra vino beati cruoris inebriant. Cum igitur oliva, ficus ac vitis, hoc est*

spirituales viri lignis præesse sylvestribus, id est terrenis hominibus atque carnalibus nullatenus acquiescant, offert se rhamnus, et ab eis consumendus; et eosdem vel pravæ conversationis exemplo, vel erronei dogmatis incendio consumpturus. Rhamnus enim spinis crebrescentibus horret, per quem scilicet quilibet perversus innuitur, qui sic peccatorum tanquam veprium asperitate densatur. Ex quibus tandem concludit: *Lignis itaque petentibus regem, id est pravis quibusque carnaliter eligentibus præsulem; rhamnus accedit in medium, quilibet videlicet reprobus, qui et ignem damnationis in se ex eorum pravitatibus augeat, et eos perverse vivendi vel docendi reciproca combustione consumat.*

Vers. 20. Egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem.) *Ignis*, scilicet iræ, vindictæ et furoris egrediatur ex Abimelech, et consumat Sichimitas. Est hæc proprie execratio et imprecatio, qua Ioatham impiis Sichimitis imprecatur diras, puta iustam Dei vindictam et exitium, illaque fuit efficax; nam revera excisi sunt. Sic efficax fuit maledictio Iosue c. 6. 26. qua ipse diras imprecatus est ei qui reædificaret Iericho. Et Elisæi, qua maledixit pueris sibi per ludibrium inclamantibus: *Calve, Calve*, nam mox ab ursis lacerati fuere. 4. Reg. 2. 24. Deus enim ulciscitur impiorum in pios iniurias, eorumque gemitus, preces et imprecationes exaudit.

Egrediatur ignis de viris Sichem, etc. et devoret Abimelech.) Ita factum est, ut patet v. 57. licet enim mulier, quæ tegula occidit Abimelech, non fuerit ex Sichem, sed ex Thebes: tamen Thebes erat in finibus Sichem, ait S. Hieron. in locis Hebr. Adde Sichimitas fuisse occasionem cur a muliere occisus sit Abimelech. Denique Thebes videtur fuisse Sichimorum colonia æque ac Mello,

Vers. 21. Et abiit in Bera.) Audi S. Hieron. in locis Hebr. Distat vicus Bera ab Eleutheropoli octo millibus ad Aquilonem. Eleutheropolis urbs erat tunc celebris in tribu Iuda non longe dissita a Ierusalem.

Vers. 23. Misitque Dominus Spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores (Hebr. בעלי *baale*, id est viros vel dominos et principes) Sichem.) *Spiritum*, odii scilicet et discordiæ, qua se mutuo exitio confecerunt. Fecit hoc Deus non tantum permissive, sed et positive, obiiciendo eis occasionem discordiæ; nimirum iniiciendo scrupulum Sichimitis de parricidiis Abimelech, quorum ipsi causa fuerant, quodque ipsi hominem tam impium et fratricidam sibi regem creassent: inde enim eum detestari cœperunt; quod sentiens Abimelech vicissim eos detestatus est; atque hic fuit fons belli mutui, quo utrique se confecerunt. Ita Abulens. Licet enim Deus positive nequeat esse causa peccati, v. g. odii et discordiæ, sed ad illud se habeat permissive dumtaxat; tamen potest positive aliquid indifferens facere bono fine ex quo præscit multa peccata secutura. Scrupuli ergo iam dicti Deus positive fuit causa: peccatum vero et odium inde secutum permisit dumtaxat. Secundo, S. August. quæst. 44. Caiet. et Arias per spiritum hunc pessimum accipiunt diabolum; huic enim volenti turbare eorum pacem et bellum concitare, Deus non tantum permisit id facere, sed et positive eum quasi tortorem immisit, ad ipsos tam impios divexandum et castigandum, ut sui sceleris et parricidii, ob quod castigabantur, recordarentur et pœnitentiam agerent: turbare ergo pacem impiorum pios unanimi vi opprimentium, ob finem iam dictum, est virtus, non vitium: in diabolo vero est vitium, quia ipse malo fine id facit; ut scilicet odia, cædes, aliaque peccata suscitet. Sic Deus spiritum exitii immisit in impium Achab ad eum in bello occidendum. 3. Reg. ult. Hinc Poetæ dicunt Iovem id facere per Alecto ceterasque furias, de qua ita canit Virgil. 7. Æneid.

Deus quomodo immittat spiritum discordiæ?

Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum
Infernique ciet tenebris, cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, et crimina noxia cordi.

Et mox.

Disiice compositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit, poscatque simul rapiatque iuventus.

Denique iuste hæc omnia direxit Deus ad castigandum parricidia Abimelech, et idololatriam Sichimitarum.

Sapienter S. August. lib. 22. de Civit. c. 1. *Multa quidem*, inquit, *fiunt a malis contra voluntatem Dei: sed tantæ est illæ sapientiæ virtutis, ut in eos exitus sive fines, quos bonos et iustos ipse præscivit, tendant omnia, quæ voluntati eius videntur adversa.* Et Enchirid. c. 100. *Non sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.*

Nota hunc locum pro pœna vermis conscientiæ, qua castigavit hic Sichimitas, et castigat in æternum improbos in gehenna, qui sane magnum eis est tormentum. Torquet enim eos acerrime hæc cogitatio: Tu tua culpa et stultitia te coniecisti in has pœnas! tu facillime poteras culpam et tormenta hæc vitare. Cur tam demens fuisti ut ob modicam voluptatem in æterna hæc incendia te coniiceres? o stoliditas! o malitia! o cupiditas quo me duxisti! o irrevocabilis error meus:

—— *Manet, æternumque manebit*
Supplicium sceleris, sprætæque iniuria legis.

Qui cœperunt eum detestari.) Sic et Septuag. Hebræa vero habent יבגדו *ibghedu*, id est *prævaricati sunt, rebellarunt.* Chald. *mentiti sunt.*

Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobaal, etc. conferre in Abimelech.) Hebr. Septuag. et Chald. hæc recensent ut ad Deum pertinentia: sic enim habent: *Et immisit spiritum malum inter Abimelech et habitatores Sichem, qui rebellarunt ei, ut veniret iniuria 70. filiorum Ierobaal, et sanguis eorum, ut poneret super Abimelech fratrem illorum, qui occiderat eos, et super Dominos Sichem, qui fortificaverunt manus eius ut necaret fratres suos* Noster tamen Interpres hæc tribuit Sichimitis, non Deo, quia solerter et profunde vidit Deum hunc discordiæ spiritum immisisse in Sichimitas, per immissam a se conscientiam et remorsum parricidii, cuius auctorem faciebant ipsum Abimelech, ideoque eum ut parricidam et patriæ perditorem aversabantur, ac contra eum bellum parabant. Nulla enim alia hic odii causa probabilis afferri potest.

Venit autem Gaal.) Fuit hic Gaal hostis et æmulus Vers. 26.
Abimelech, qui eo velut vili et indigno deiecto ambiebat fieri Princeps Sichimitarum, ut colligitur ex v. 28.

Vastantes vineas.) Uvas colligendo, et in torculari Vers. 27.
exprimendo. Vineæ hæ erant principum Sichem, qui Abimelech in regem evexerant: forte etiam erant vineæ ipsius Abimelech. Ita Abul.

Ingressi sunt fanum Dei sui.) Puta Baalberit v. 4.

Clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech, Vers. 28.
et quæ est Sichem, ut serviamus ei? Numquid non est filius Ierobaal, et constituit Principem Zebul servum suum super viros Emur patris Sichem? Cur ergo serviemus ei?

Quatuor rationibus Gaal concitat Sichimitas ad rebellandum regi Abimelech a se electo. Prima est: *Quis est Abimelech?* q. d. Abimelech est vilissimus Sichimitarum, utpote filius concubinæ, parricida, tyrannus. Ergo indignum est pati, ut ipse Sichimitis et Israeli dominetur. Secunda: *Quæ est Sichem?* q. d. Sichem est nobilis, antiqua, potens divesque civitas, in qua sunt multi sapientes et præstantes viri digni imperio. Quis ergo ferat infamem Abimelech illis dominari? Tertia: *Numquid non est filius Ierobaal,* id est Gedeonis, qui vestrum Deum Baal profanavit, eiusque aram evertit? q.d. Gedeon vestrum Deum Baal evertit, Abimelech autem est filius Gedeonis. Quid ergo a filio hoc expectandum, nisi similia paternæ audaciæ exempla, ut Baalem et numina vestra pessumdet? Quarta: *Et constituit Principem Zebul servum suum super viros Emur patris Sichem.* Quasi dicat: Abimelech super Sichimitas Principem et Vicarium suum constituit Zebul, ignobilem et exosum servum: indignum ergo est ut ei pareamus. Quis enim patiatur vilem servum liberis et nobilibus capitibus dominari? Sichimitas appellat *viros Emur patris Sichem*, eo quod cives essent urbis Sichem, in qua ante 500. annos regnarat celebris ille in Genesi princeps Emur,

pater Sichem, qui nomen suum dedit urbi. Genes. 33. et A 34. Unde Sichimæ antiquitas et dignitas æstimari potest, ut non ferendum sit Zebul vile mancipium illam regere et gubernare. Hisce rationibus Gaal persuasit Sichimitis, ut rebellare pergant regi Abimelech, eumque regno expellant, ac ad illud ipse se eis Ducem obtulit, unde subdit:

Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech!) ut ego ipse pro eo regnarem.

Porro Septuag. Zebul vocant *Episcopum*, id est superintendentem et præsidem Sichem. Sic Cicero vocat se Episcopum, id est Præsidem Campaniæ.

Denique Hebræa ex aliis punctis, quæ substituerunt Massaretæ, iam aliter habent: Nimirum sic: *Numquid filius Ierobaal et Zebul præpositus eius? Servite viris Emur patris Sichem; et cur serviemus ei nos?* Quæ verba obscura sunt, et vix apertum habent sensum. Quare interpunctio et versio S. Hieron. uti planior, ita est et verior, præsertim quia ei consentiunt Septuag.

Vers. 31. Et oppugnat adversum te civitatem.) *Oppugnat*, B id est obsidet, occupat, opprimit cives et civitatem. Erat enim Gaal in ipsa civitate Sichem sollicitans cives ad rebellandum Abimelech, ac in ea contra ipsum se armans et fortificans: Hebr. est צרים *tsarim*, id est ut Chald. *arctat*. Septuag. *obsidet*. Vatab. *occupat*.

Vers. 37. Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ descendit.) *De umbilico*, id est de summitate

Montes terræ umbilici. Cur?

montium, ut dixit vers. præced. Sicut enim umbilicus in homine extat, sic montes eminent in terra. Ita Abulen. Arias, Vatab. Rursum sicut umbilicus est quasi centrum sive medium in homine, ut si circini pedem unum figas in umbilico quasi in centro, indeque alterum pedem per extensas hominis manus æque ac pedes circumagas, perfectum circulum circa hominem sis descripturus: Sic pariter montes sunt quasi in medio terræ circumcirca adiacentis et aspectabilis, ut homo in monte quasi in centro consistens, circumcirca terram subiacentem in orbem quasi oculis aspicere et circumlustrare possit. Sic Ierusalem Ezech. 38. v. 12. vocatur umbilicus terræ, quia ipsa C erat medium et quasi centrum terræ tunc habitatæ et cognitæ. Sic Plinius lib. 3. c. 12. lacum Reatinum appellat umbilicum Italiæ; Livius Ætolorum regionem vocat umbilicum Græciæ; Cicero Act. 6. in Verrem Ennensem sylvam nuncupat umbilicum Siciliæ.

Et unus cuneus venit per viam quæ respicit quercum.) Hebr. additur, *quercum* מעננים *meonenim*, id est *præstigiatorum*. Septuag. *aspicientium*. Vatab. *augurum*. Chald. et Pagnin. nomen Hebr. *Meonenim* ut proprium retinent. Certa ergo hic quercus designatur ex voce *Meonenim* tunc nota, nunc ignota.

Vers. 42. Sequenti ergo die egressus est populus in campum.) non ad reliquum vindemiæ peragendum, ut volunt Iosephus et Procopius, sed ad pugnandum contra Abimelech. Unde sequitur:

Quod cum nuntiatum esset Abimelech, tulit exercitum suum et divisit in tres turmas;) nimirum unam turmam sibi ascivit, eaque civitatem Sichem civibus in campum egressis vacuam oppugnavit et cepit, duabus vero ceteris iussit prosequi Sichimitas urbe egressos omnesque mactare, atque hac ratione universos cives cum civitate disperdidit. Ita Abul. et Arias.

Vers. 45. Ipsaque destructa ut sal in ea dispergeret;) non tam ut urbem desiccaret redderetque sterilem: sal enim quia igneum omnia germina erodit, adurit et siccat. Psal. 106. v. 33. et 34. Deuter. 29. v. 22. et 23. Ierem. 17. 6. Sophon. 2. 9. Sic Vesuvius mons iuxta Neapolim nuper eructans cineres, omnes circumcirca agros siccavit, sed ad tempus dumtaxat: cineres enim sunt salsi. Verum hoc in agris fieri subinde solet ab hostibus, non in urbe, utpote quæ non colitur, nec seritur, sed incolitur et habitatur. Fecit id ergo Abimelech ad significandam summam suam in Sichem iram et indignationem. Putat Abul. veterem illum morem fuisse puniendi urbes per aspersum in iis sal, in crimine læsæ maiestatis.

Addit Abul. Abimelech iuste sic Sichimitas punivisse, eo quod ipsi sponte eum in regem susceperant, et paulo post gravissimas ei iniurias intulerant. Sic enim iuste punit rex subditos sibi rebellantes. Verum Abimelech non fuit legitimus rex, sed tyrannus et invasor regni: nec enim Deus, nec ceteræ tribus eum regem crearant, sed pauci Sichimitæ, qui non habebant potestatem et ius creandi regem totius Israelis.

In turre Sichimorum.) Verisimiliter Serarius et alii Vers. 46. censent turrim hanc esse oppidum Mello, quod cum Sichimitis rebellarat regi Abimelech. Hoc dicitur turris, quia in eo erat arx excelsa et munita instar turris. Dicitur *Sichimorum*, quia erat eorum colonia. Mellonitæ enim audita clade Sichimorum, male sibi conscii, eamdem sibi metuentes, confugerunt ad hanc turrim, ut in ea contra Abimelech se tutarentur.

Dei sui Berith.) Decurtate; nam integre vocabatur *Baalberith*, ut patet v. 4.

Ascendit in montem Selmon.) Sichimæ et Mello Vers. 48. vicinum, de quo Psal. 67. 15.

Thebes.) Urbs erat in Iudæa, *in finibus Neapoleos per-* Vers. 50. *gentibus Scythopolin, quasi in decimotertio eius lapide quam oppugnans Abimelech fragmine molæ ictus interiit*, ait S. Hieron. in locis Hebr. Euseb. Adrichom. et alii. Quare alia hæc est ab urbe Thebes in Ægypto, ex qua oriundi fuere milites et martyres Thebæi, quorum dux fuit S. Mauritius: alia quoque fuit Thebe in Græcia, a qua dicti fuere Thebani, quorum Dux fuit Epaminondas. Porro Thebes hæc Iudææ alia est a Thesba, ex qua oriundus Elias Propheta cognominatus est Thesbites, uti contra Lyran. docent S. Hieron. Euseb. Adrichom. Borchard. et alii. Porro *Thebes* Hebr. idem est quod *ovalis*, vel *cœnosus*, ait Pagnin. idque hic est appositum: ibi enim Abimelech capite, quod ovalis est figuræ, confracto, in cœnum et terram prolapsus occubuit.

Fragmen molæ;) fragmen lapidis molaris. Vers. 53.

Ne forte dicatur quod a femina interfectus Vers. 54. sim.) Ita Abimelech, qui tota vita gloriam regni quæsierat, iuste ingloria morte punitus est, occisus a femina. Iuste lapide percussus interiit, qui super lapidem 70. fratres occiderat. Sic tegula a muliere deiecta misere Argis Reges occisi a feminis. periit Pyrrhus rex Epirotarum teste Plutar. Et orbis terror, flagellum Dei Attila Hunnorum rex a femina percussus cultro est, ait Marcellinus. Et Hermannus Saxonum rex arcem unam mutato habitu oppugnans, saxo a femina deiecto interemptus est, teste Aventino lib. 5. Quocirca Gentilis ille apud Virgil. Æneid. 10. ita cadentem solatur:

D *Hoc tamen infelix miseram solabere mortem;*
Æneæ magni dextra cadis.

Moral. Theodor. q. 16. *Ex his*, ait, *quæ contigerunt Abimelech et Sichimitis, discimus improbam consensionem interitum afferre utentibus ea, et tandem in dissensionem desinere; siquidem qui liberos Gedeonis interfecerant mutuis plagis perierunt.*

Denique in Abimelech verum fuit illud: *Ingressus est ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis*, non baculo, sed lapide a femina percussus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Septimus Iudex Thola eligitur: octavus Iair v. 3. mox v. 6. Hebræi ad sua idola redeuntes castigantur a Deo per Philistæos et Ammonitas octodecim annis. Unde v. 10. serio pœnitentes Deum invocant, qui eos increpans tandem v. 16. eorum miseretur.

1. Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim: 2. Et iudicavit Israelem viginti et tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir. 3. Huic successit Iair Galaadites, qui iudicavit Israelem per viginti et duos annos 4. Habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quæ ex nomine eius sunt appellatæ Havoth Iair, id est, oppida Iair, usque in præsentem diem, in Terra Galaad. 5. Mortuusque est Iair ac sepultus in loco cui est vocabulum Camon. 6. Filii autem Israel peccatis veteribus iungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis, Baalim et Astaroth, et diis Siriæ ac Sidonis et Moab et filiorum Ammon et Philisthiim: dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum. 7. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim et filiorum Ammon. 8. Afflictique sunt, et vehementer oppressi per annos decem et octo, omnes qui habitabant trans Iordanem in Terra Amorrhæi, qui est in Galaad. 9. In tantum, ut filii Ammon, Iordane transmisso, vastarent Iudam et Beniamin et Ephraim: afflictusque est Israel nimis. 10. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim. 11. Quibus locutus est Dominus: Numquid non Ægyptii et Amorrhæi, filiique Ammon et Philisthiim, 12. Sidonii quoque et Amalech et Chanaan, oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum? 13. Et tamen reliquistis me, et coluistis deos alienos: idcirco non addam ut ultra vos liberem: 14. Ite, et invocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ. 15. Dixeruntque filii Israel ad Dominum: Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos. 16. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, et servierunt Domino Deo: qui doluit super miseriis eorum. 17. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria: contra quos congregati filii Israel, in Maspha castrametati sunt 18. Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare erit dux populi Galaad.

Vers. 1. Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola, filius Phua patrui Abimelech.) Erat ergo Thola consobrinus Abimelech, utpote filius Phua, qui erat frater Gedeonis patris Abimelech. Videtur Thola electione populi creatus Iudex, nam Dei hic nulla fit mentio. Ita Abul. Sic a populo Iudices electi fuere Iephte, Abesan, Ahialon et Abdon. c. 12. 8. *Surrexit* ergo electus a populo ad corrigendum scandalum, et abolendum tyrannidem Abimelech, ne quis deinceps illam imitaretur, et simile quid attentaret. Unde Hebr. et Septuag. addunt, *Surrexit ad salvandum Israel*, scilicet ut liberaret Rempubl. a tyrannide et idolatria Baal berith inducta ab Abimelech, utque eam ab hostibus vicinis, si more suo Israelem invaderent, defenderet: et forte reipsa defendit, etiamsi Script. factum non commemoret. Erant enim Iudices Israelis salvatores, ut dictum est cap. 2. 16. et c. 3. 9.

Pro *patrui Abimelech* Hebr. est בן דודו *ben dodo*, id est filius patrui eius, scilicet Abimelech, supple: erat Thola novus hic Iudex. Sic et Septuag. quin et Chald. nisi quod hic vertat in genitivo *filii patrui eius;* quasi non Thola, sed pater eius Phua fuerit filius patrui Abimelech. Rabbini vero, et ex iis Pagnin. Arias, Vatabl. Caiet. τό *dodo* retinent ut nomen proprium, vertuntque: *Thola filius Phua, filii Dodo;* quasi Dodo fuerit pater Phua, et Avus Thola Iudicis. Sed magis credendum S. Hieronymo Septuag. et Chald. qui *dodo* vertunt *patrui eius*. Nimirum Hebræi ob merita Gedeonis voluerunt ex eius prosapia creare Iudicem, qui ei succederet; cumque filii Gedeonis omnes ab Abimelech essent occisi, acceperunt filium fratris eius, scilicet Thola, eumque crearunt Iudicem.

Vir de Issachar.) Dices, Gedeon fuit de tribu Manasse, quomodo ergo frater eius Phua, eiusque filius Thola fuit de tribu Issachar? Resp. S. August. et alii Gedeonem et Phua fuisse fratres uterinos dumtaxat, ita ut mater eorum nupserit primo Ioas Manassensi, ex eoque genuerit Gedeonem, deinde nupserit alteri viro e tribu Issachar, ex eoque genuerit Phua patrem Thola. Poterant enim feminæ extra tribum suam viris alterius tribus nubere, quando illæ habebant fratres, qui patrum suorum erant heredes, eorumque hereditatem in tribu eorum servabant, ne illa ad virum alterius tribus per feminam (si deficiente prole mascula ipsa foret heres) illi nubentem transiret. Numer. ult.

Qui habitavit in Samir (urbe) montis Ephraim.) Licet ergo esset ex tribu Issachar, tamen habitavit in tribu Ephraim, ut habitans quasi in medio magis numerosarum tribuum, eas velut Iudex facilius regeret. Regem enim decet esse in centro regni, ut facile ab omnibus regni partibus adiri et conveniri possit.

Alleg. *Thola* Hebr. idem est quod *vermiculus* vel *coccineus*. Unde typus fuit Christi, qui ait: *Ego sum vermis et non homo*. Psalm. 21. 7. idem sanguine æque ac charitate fuit coccineus, quia sanguine suo pro nobis purpuratus, et charitate ignea flagrans fuit filius *Phua*, id est Anguli, quia ipse est lapis angularis Ecclesiæ. Sedes eius fuit *Samir*, id est custodia, fæx, sentes, adamas. Magna enim nobis in tot periculis et insidiis opus custodia, magna fæcis nostræ cognitione atque contemptu, magna carnis animique compunctione, magna denique constantia et adamantino robore.

Huic successit Iair Galaadites.) Ac proinde e tribu Manasse: hæc enim habitabat trans Iordanem in Galaadite iuxta montem Galaad unde et oppida, quibus filii eius 30. præ fuerunt, erant in tribu Manasse. Fuit hic octavus Iudex Israelis. Vers. 3.

Iair Hebr. idem est quod *illuminans*, quia Israelem sua iustitia, virtute et religione illustravit. Omnes Iudices ad hoc a Deo dati sunt Israeli, ut eum in vera Dei fide et cultu continerent, ideoque omnes sancti fuere, atque ut tales laudantur ab Ecclesiastico cap. 46. 13. et ab Apostolo Hebr. 11. 32. Hinc Iair typus fuit Christi, qui quasi lux mundi

illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. 9. A

Tropol. Prælatus et fidelis quisque sit *Iair*, id est illustrator aliorum, iuxta illud Christi: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Matth. 5. 16.

Vers. 4. HABENS TRIGINTA FILIOS SEDENTES (Hebr. *equitantes.* Septuag. *conscendentes;* Iosephus equitandi peritissimos) SUPER TRIGINTA PULLOS ASINARUM.) Caiet. vult pullos hos fuisse equinos, non asinos; quia, inquit, hoc affertur hic ad ostendendam principum horum gloriam: gloria autem est equitare super equum, non asinum: sed errat Caiet. Hebr. עירים *aiarim* pullos asini, non equi, significat hic et alibi, teste S. Hieron. Sept. Pagnino et aliis passim. Sic et Lyran. Arias, Vatab. et Abul. qui per pullos asini accipiunt mulos, qui ex asino et equa gignuntur: nobiles enim mulis vehuntur. Simplicius accipias meros asinos, quia hos significat Hebr. *aiarim,* atque hi in Palæstina vegetiores et fortiores sunt nostris: unde ibi asinis pro equis utebantur, præsertim quia Deus Hebræis vetuerat usum et copiam equorum, uti ostendi in Pentateucho Deuter. 17. 16. ad illa: *Non multiplicabit sibi equos.* B Huc facit etymon asini, de quo S. Isidor. lib. 12. Etymol. *Asinus* inquit, *et asellus a sedendo dictus quasi assedus: sed hoc nomen, quod magis equis conveniebat, ideo hoc animal sumpsit, quia priusquam equos caperent homines, huic præsidere cœperunt. Animal quippe tardum et nulla ratione retinens, statim ut voluit sibi homo substravit.*

ET PRINCIPES TRIGINTA CIVITATUM.) In Hebr. est pulchra Paranomasia in voce *aiarim,* quæ et pullos et civitates significat. Similis est in Græco Πωλ8ς et Πολεις.

QUÆ EX NOMINE EIUS SUNT APPELLATÆ HAVOTH IAIR, ID EST OPPIDA IAIR.) Iam pridem hæ triginta civitates, et insuper aliæ triginta, hoc est sexaginta, ab alio antiquiore Iair nuncupatæ erant civitates Iair, ut patet Numer. 32. 41. hic tamen illud nomen eis confirmatum est, et quasi de novo inditum ob novam rationem; quia scilicet 30. his urbibus præerant 30. principes filii Iair Iudicis, ceterarum vero 30. hic non fit mentio, quia illæ ad C hos 30. Principes non spectabant.

Vers. 8. OPPRESSI PER ANNOS DECEM ET OCTO.) Hi 18. anni comprehendi nequeunt annis Iudicis sequentis, puta Iephte; hic enim tantum sex annis præfuit. Quocirca Serarius vult eos omnino addendos in Chronologia annis ceterorum Iudicum. Verum c. 3. ostendi id fieri non posse. Quare hi 18. anni comprehendi debent annis præcedentis Iudicis, scilicet Iair qui præfuit 22. annis. Licet enim Iair omni studio contenderet Israelitas continere in cultu unius veri Dei; tamen ipsi partim ex innata malitia et proclivitate ad idola, partim ex commercio et connubiis vicinarum Gentium idololatrarum, partim ex continua 23. annorum pace sub Thola Iudice opibus epulisque abundantes et lascivientes deflexerunt ad idola et vitia Gentium: quare Deus iustus perfidiæ vindex statim illos castigavit, immittendo in eos Philisthæos et Ammonitas, qui eos spoliarent et opprimerent, idque per 18. annos, donec ipsi tot flagellis fracti, serio idolis abiectis pœnitentes ad Deum redirent, qui proinde hac pœnitentia reconciliatus liberavit eos per Iephte, ut patet ex sequent. Hoc est quod prædixit Script. c. 2. 16. *Suscitavitque Dominus Iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus, sed nec eos audire voluerunt, fornicantes cum Diis alienis.*

Vers. 12. ET CHANAAN.) Sic quoque vertunt Septuag. Hebr. מעון *maon,* quod alii retinent quasi nomen proprium loci. Vide S. Hieron. in locis Hebr. *Maon,* ait, *regio Moabitarum iuxta Ieremiam* c. 48. 23. iuxta Septuag. Marinus in Lexico et alii putant Maon idem esse cum Bethmaon et Balmaon, quæ erat urbs Moabitarum iuxta torrentem Arnon in tribu Ruben. Hinc incolæ Maon 1. Paral. 4. 41. et 2. Paral. 26. 7. vocantur *Meonenim,* ubi Septuag. vertunt *Minœos.* Unde et Septuag. Iob. cap. 2. vers. 11. Sophar amicum Iob constituunt regem *Minœorum.* S. Hieron. vero 2. Paral. 26. 7. vertit *Ammonitas.* Unde videtur ipse *Meonenim* per *Methathesin* accepisse pro *Ammonim,* id est Ammonitis. Priore vero loco 1. Paral. 4. 41. vertit *habitatore,* hoc enim significat *τὸ meonenim.* Ut ut est, certum est hos fuisse Chananæos. Sic enim vertunt Septuag. et Noster, qui commune Chananæorum nomen eis appropriant, quasi ipsi illo ævo præ ceteris vocati sint Chanaan et Chananæi.

Vers. 14. ITE ET INVOCATE DEOS QUOS ELEGISTIS.) Est Sarcasmus similis illi Deuter. 32. *Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* etc. *Surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.*

Vers. 16. IDOLA PROIECERUNT.) Ecce hoc est signum serii doloris et pœnitentiæ, idola et vitia sua abiicere: ideoque mox Deus eorum misertus est.

QUI DOLUIT SUPER MISERIIS EORUM.) Hebr. קצר *Katsar;* id est, *angustata est anima eius in labore Israelis* Septuag. ὠλιγώθη, id est *imminuta* vel *contracta est.* Dicitur hoc Anthropopathos: nec enim angustia cadit in Deum, sed figurate significat magnum in Deo commiserationis affectum. Sic Deus ait Ierem. 18. 7. *Repente loquar adversus gentem et adversum regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud.* Videatur S. Chrysost. hom. 5. ad populum, et 25. in Genes. ac 65. Matth.

Vers. 17. ITAQUE FILII AMMON CONCLAMANTES, id est suos ad bellum convocantes, IN GALAAD FIXERE TENTORIA.) Nam regio Ammon vicina est Galaad et Galaaditis, puta Manassensibus, qui proinde primi eis irruentibus se opposuere.

CONTRA QUOS CONGREGATI FILII ISRAEL IN MASPHA CASTRA-METATI SUNT.) Duplex est Maspha, una in Tribu Gad, altera in tribu Manasse, quæ hic intelligitur; tum quia Ammonitæ tribum Manasse sibi vicinam invaserant; tum quia eis quasi dux appositus fuit Iephte, qui erat ex Manasse, ut audiemus cap. sequenti. Porro *Maspha* Hebr. idem est quod *specula,* quia erat loco alto, ex quo Ammonitarum aliorumque vicinorum hostium adventum speculabantur, ut contra eum sibi prospicerent.

Vers. 18. QUI PRIMUS EX NOBIS CONTRA FILIOS AMMON CŒPERIT DIMICARE, ERIT DUX POPULI GALAAD.) Ita tum quidem tumultuario consilio decreverunt, sed non satis recto. Unde paulo post sanius consilium eis in mentem venit, de accersendo Iephte viro bellicoso, ut audiemus cap. sequenti. Ita Abul.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iephte Iudex nonus Israelis a populo constituitur, qui primum ratione agit cum rege Ammon, ut ab invasione Israelis cesset, sed frustra: quare v. 29. irruente in eum Spiritu Dei Israelitas ad bellum convocat, facitque votum, ut si ipse victor redeat, eum qui primus sibi e domo sua occursurus sit, Deo immolet: victori redeunti occurrit filia: quare illam quasi voti reus Deo sacrificat.

1. FUIT illo tempore Iephte Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus
est de Galaad. 2. Habuit autem Galaad uxorem de qua suscepit filios: qui postquam creverant, eiece-
runt Iephte, dicentes: Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es. 3.
Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in Terra Tob: congregatique sunt ad eum viri inopes, et latrocinan-
tes, et quasi principem sequebantur. 4. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel. 5. Quibus acriter in-
stantibus, perrexerunt maiores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Iephte de Terra Tob. 6. Dixeruntque
ad eum: Veni et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon. 7. Quibus ille respondit: Nonne vos estis,
qui odistis me, et eiecistis de domo patris mei, et nunc venistis ad me necessitate compulsi? 8. Dixeruntque prin-
cipes Galaad ad Iephte: Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, et pugnes contra
filios Ammon, sisque dux omnium qui habitant in Galaad. 9. Iephte quoque dixit eis: Si vere venistis ad me, ut
pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps? 10.
Qui responderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa faciemus. 11.
Abiit itaque Iephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. Locutusque est Iephte
omnes sermones suos coram Domino in Maspha. 12. Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona
sua dicerent: Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam? 13. Quibus ille respondit:
Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon usque Iaboc atque Iordanem: nunc
ergo cum pace redde mihi eam. 14. Per quos rursum mandavit Iephte, et imperavit eis ut dicerent regi Ammon.
15. Hæc dicit Iephte: Non tulit Israel Terram Moab, nec Terram filiorum Ammon: 16. Sed quando de Ægypto
conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad Mare rubrum, et venit in Cades. 17. Misitque nuntios ad re-
gem Edom, dicens: Dimitte me ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus eius. Misit quo-
que ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, 18. Et circuivit ex la-
tere Terram Edom, et Terram Moab: venitque contra Orientalem plagam Terræ Moab, et castrametatus est trans
Arnon: nec voluit intrare terminos Moab: Arnon quippe confinium est Terræ Moab. 19. Misit itaque Israel nun-
tios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, et dixerunt ei: Dimitte ut transeam per terram
tuam usque ad fluvium. 20. Qui et ipse Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos: sed
infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Iasa, et fortiter resistebat. 21. Tradiditque eum Do-
minus in manus Israel cum omni exercitu suo, qui percussit eum, et possedit omnem Terram Amorrhæi habitato-
ris regionis illius, 22. Et universos fines eius, de Arnon usque Iaboc, et de solitudine usque ad Iordanem. 23. Do-
minus ergo Deus Israel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israel, et tu nunc vis possidere
terram eius? 24. Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quæ autem Dominus Deus no-
ster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem: 25. Nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab: aut
docere potes, quod iurgatus sit contra Israel, et pugnaverit contra eum, 26. Quando habitavit in Hesebon, et vi-
culis eius, et in Aroer, et villis illius, vel in cunctis civitatibus iuxta Iordanem, per trecentos annos. Quare tanto
tempore nihil super hac repetitione tentastis? 27. Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indi-
cens mihi bella non iusta. Iudicet Dominus arbiter huius diei, inter Israel, et inter filios Ammon. 28. Noluitque
acquiescere rex filiorum Ammon verbis Iephte, quæ per nuntios mandaverat. 29. Factus est ergo super Iephte
Spiritus Domini, et circuiens Galaad, et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon, 30.
Votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, 31. Quicumque primus fuerit egressus
de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.
32. Transivitque Iephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus eius. 33.
Percussitque ab Aroer usque dum venias in Mennith, viginti civitates, et usque ad Abel, quæ est vineis consita,
plaga magna nimis: humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel. 34. Revertente autem Iephte in Maspha domum
suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris: non enim habebat alios liberos. 35. Qua visa scidit
vestimenta sua, et ait: Heu me, filia mea, decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum,
et aliud facere non potero. 36. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quod-
cumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis. 37. Dixitque ad patrem: Hoc solum
mihi præsta quod deprecor: Dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam
cum sodalibus meis. 38. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis
ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. 39. Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem
suum, et fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Israel, et consuetudo servata est:
40. Ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, et plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.

Vers. 1. FUIT ILLO TEMPORE IEPHTE GALAADITES (ideoque ex tribu Manasse, non Gad, ut vult Caiet. Manassenses enim passim vocantur Galaaditæ, non A Gaditæ, etsi et ipsi partem regionis Galaad occuparent) VIR FORTISSIMUS.) Hebr. גִּבּוֹר חַיִל *ghibbor chail*, id est *vir virtutis, vel roboris, vel strenuitatis.*

Filius mulieris meretricis.) Non publice expositæ, sed concubinæ privatæ. Hebr. est זונה *zona*, quæ vox et meretricem, ut vertunt Septuag. et Noster, et tabernariam, ut vertit hic Chald. significat. Fuit ergo Iephte spurius, quales nunc legibus arcentur a principatu, æque ac a sacerdotio, ob infamiam et mores subinde minus honestos, eo quod neglectim educentur. Verum Iephte hæc omnia abolevit sua fortitudine et virtute, quare Deo dispensante in lege Deuter. 23. 2. quæ sancit ne mamzer, id est spurius admittatur in Ecclesiam Dei ad iura populi Israel, Iephte admissus factus est dux populi. Similia spuriorum ad principatus evectorum exempla recenset Plutar. Athenæus et Serarius hic.

Qui natus est de Galaad.) Pater ergo Iephte vocabatur Galaad. Ita Septuag. idque patet ex v. sequenti.

Vers. 2. Eiecerunt Iephte dicentes: Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es.) Id est quæ esset alterius tribus, scilicet diversæ a sua, inquit Matthæus Galenus Cancellarius Duacensis scribens in c. 11. ad Hebr. Nemo enim, inquit ipse, poterat uxorem non suæ tribus honeste ducere: si quis tamen illectus forma id tentasset, mulier *zona* vocabatur. Unde Septuag. eam vocant εταιραν, id est amicam: defuncto autem marito hæc sine dote et hereditate ad propriam tribum redibat: filius tamen si quis natus fuisset in patris tribu sortiebatur hereditatem, quod modo fratres Iephte negabant, ut ipse iis exprobrat v. 7. non ausurus hiscere, si scorto natus fuisset. Ita Galenus. Verum falsum est, quod Israelitides feminæ sine nota et infamia non possent nubere in alia tribu. Nam principes Iuda sæpe ducebant filias Sacerdotum ex tribu Levi, idque sibi honori ducebant, uti Aaron duxit Elizabeth filiam Aminadab, Principis tribus Iuda. Exod. 6. 23. Et Zacharias duxit Elizabeth cognatam B. Virginis, quæ erat ex tribu Iuda. Lucæ 1.

Porro *mulier altera* hic non intelligitur ea quæ sit alterius tribus, sed quæ sit alia a legitima uxore, id est quæ sit meretrix et concubina, quam Septuag. honeste vocant εταιρας, uti nos vocamus amicam: vel quæ sit uxor alterius viri, ideoque adultera, qualem matrem Iephte fuisse insinuat Iosephus.

Eiecerunt.) Iniuste: spurio enim a patre et domo iure communi debentur alimenta, non tamen hereditas, uti docet Sylvester et alii Doctores Casuum.

Vers. 3. Habitavit in terra Tob.) Quæ sita erat in terra Galaad, ait Iosephus et Adrichom. Serarius putat esse Tubin, de quo 1. Machab. 6. 13. Porro *Tob* significat bonum: sane terra hæc Iephte fuit bona eminenter, id est optima, quia benigne fugientem excepit et aluit.

Congregatique sunt ad eum viri inopes et latrocinantes.) Τό *latrocinantes* non est in Hebræo, Græco et Chald. quare videtur ex margine in textum irrepsisse, intrusum ab aliquo volente explicare τό *inopes*: inopes enim milites sæpe rapinis et latrociniis vivunt. Porro rapinæ hæ iustæ sunt, si rapiantur ab hoste bello iusto: iniustæ, si ab amicis, vel ab hostibus in bello iniusto. Quare latrones hi, quibus præfuit Iephte, fuere milites et prædones, qui forte antea iniuste rapiebant aliena, sed postquam Iephte secuti sunt, non nisi iustas, puta ab Ammonitis et Philisthæis prædas egerant, uti fecere illi qui Davidem a Saule profugum secuti sunt. 1. Regum 22. 2.

Latro enim priscis idem erat quod miles, qui dictus est latro quasi latero, quod lateri Ducis adhæreret, eumque stiparet; vel a latendo, quod latenter et ex insidiis ad prædandum irrueret. Ita Varro, Festus, Nonius, Marcellus et alii.

Vers. 8. Sisque dux omnium qui habitant in Galaad.) Sed post victoriam de Ammonitis ceteræ quoque tribus Iephte in ducem suum acceptarunt.

Vers. 11. Locutusque est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha.) *Coram*, id est publice, pro concione et audiente populo, in cuius medio censebatur esse Deus, ait Vatab. Secundo, *coram Domino*, id est invocando Deum in testem pacti, quod cum legatis de Ducatu inibat. Ita Abul. Tertio, *coram Domino*, id est coram Pontifice, Ephod et Rationali, in quo erant Urim et Tummim, induto: hic enim repræsentabat Deum, eumque consulens pro Principe oracula accipiebat. Quarto, *coram Domino*, id est coram altari, quod ibi ut videtur erexerunt, ut sancte hoc fœdus sancirent. Porro sermones quos ibi locutus est Iephte, fuit promissio, qua promittebat legatis se fideliter et strenue bellum populi administraturum, ac vicissim illi promittebant se constanter eius quasi Ducis sui imperium et iussa secuturos. Atque ad hoc invocavit Deum, tum in testem, tum in auxilium, ut imperium hocce suum et bellum secundaret, uti fecit Iosue, Iudas Machabæus, Constantinus, Teodosius, aliique Duces, qui proinde Dei ope victoriam adepti de hostibus triumpharunt.

Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon usque Iaboc atque Iordanem.) Casus hic est: Sehon rex bello occupavit urbes aliquas Moab et Ammon: Moses vero et Hebræi Sehon regem occiderunt, omniaque quæ eius erant occuparunt. Queritur ergo nunc rex Ammon de iniuria sibi facta, terramque suam a Sehon occupatam ab Hebræis, qui Sehoni illam bello extorserunt, repetit et reposcit. Vers. 13.

Tulit, scilicet iniuste per vim et bellum iniustum, terram meam:) Hanc enim iniuste invasit et occupavit Sehon rex Amorrhæorum; vos vero o Hebræi Sehon invadentes et occidentes, omnia, quæ ipse tam iuste quam iniuste occupabat, vobis usurpastis, excluso me, qui eram primus et iustus heres, cui proinde ea reddere debebatis, non vero ea vobis vindicare. Historia narratur Numer. 21. 25. et seq. et licet ibi tantum terræ Moabitarum a Sehon subactæ, ac eo occiso a Iudæis occupatæ, fiat mentio; tamen Ammonitidis quoque partem tunc fuisse ab eis occupatam liquet ex hoc loco. Aut certe dicendum cum Lyrano, Caiet. Dionys. et aliis eundem fuisse olim, vel tunc regem Moabitarum et Ammonitarum: Moabitæ enim Ammonitis erant coniuncti, utpote a duobus fratribus Moab et Ammon a Lot progeniti, Genes. 19. Rex ergo Ammon agit pro Moabitis, vel ut subditis, vel ut sociis et fœderatis, qui ius suum per eum ab Hebræis repetunt.

Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon.) Quam scilicet actu tunc possidebant Moabitæ et Ammonitæ; vetuerat enim Deus Hebræis, ne eos quasi sibi ex Lot et Abraham cognatos invaderent. Numer. 21. et Deuter. 2. et 3. illam vero Moabitidis et Ammonitidis partem quam bello sive iusto sive iniusto (res enim hæc incerta est et dubia) occupavit Sehon rex Amorrhæorum, Hebræi eo prostrato iussu Dei occuparunt, ut in sequenti narrat Iephte, quia illa iam non erat Moabitarum, sed Sehonis regis hostis Hebræorum, quam ab eo recipere et bello repetere nequiverant Moabitæ: quare illam ut Sehonis, non ut Moabitarum, iure belli annuente Deo occuparunt Hebræi. Est hæc prima ratio, qua Iephte probat regem Ammonitarum falso queri de terra sua ab Hebræis sub Mose occupata, ideoque iniuste eum Ammonitas in Iudæam immisisse ad eam opprimendam. Verum hæc ratio sola non sufficiebat, nec satisfaciebat regi Ammon, hinc alias subiungit Iephte, quibus eam corroborat. Vers. 15.

Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tuus tibi iure debentur? quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.) Est hæc secunda ratio. q. d. Tu occupas regiones illas, quas Deus tuus Chamos tibi dedit: ergo pari iure nos occupamus terram Sehon regis (in qua erant aliquæ urbes ab eo Moabitis et Ammonitis ereptæ) quam pro nobis pugnans victor Deus nobis dedit. Hæc ratio Iephte non quaquaversum est solida. Deus enim Turcis aliisque tyrannis dat victorias, et regiones Christianorum subiugat; et tamen Turcæ et Tyranni iniuste eas invadunt et detinent ex ambitione et cupidine dominandi. Impia enim est Alberici Gentilis lib. 1. de iure belli c. 22. sententia, iuste a Turca possideri omnia quæ ipse Christianis eripuit, eo quod ipse ex voluntate Dei volentis castigare Christianos Vers. 24.

id faciat: Neque verùm erat Chamos dedisse terram illam Moabitis.

Erat tamen hæc ratio apposite ad hominem, q. d. Tu o rex Ammon edicito a quo, et quo iure obtineas omnes tuas regiones et urbes. Sane nihil splendidius dixeris dederisque, quam Dei tui Chamos voluntatem et voluntariam donationem. At ego similiter assero Deum nostrum terram illam, quam repetis, nobis per victoriam suam nobis concessam donasse: Deus autem est omnium regnorum Dominus, qui proinde transfert regna de gente una in aliam prout ei libuerit.

Verus autem titulus iuris Hebræorum ad occupandas hasce regiones erat, quod ipsi e Dei mandato invaserant regna Sehon et Og regum Amorrhæorum, eodemque mandato occupabant et possidebant omnia, quæ eis fuerant subiecta, ut patet Numer. 21. et Deuter. 2. Hunc titulum insinuat, sed expresse non allegat Iephte, quia illum Gentili regi Ammon vix probare potuisset. Ita Abul.

Vers. 25. NISI FORTE MELIOR ES BALAC FILIO SEPHOR REGE MOAB.) q. d. cum Hebræi cæso Sehon occuparunt eius ditiones, tunc Balac erat rex Moab, isque sapiens et potens. Atqui hic tunc ne verbulo quidem ditiones hasce ab Hebræis repetiit. Ergo nec tu, qui illo trecentis fere annis posterior es, illas repetere debes aut potes. Est hæc ratio tertia. Sequitur quarta.

Vers. 26. PER TRECENTOS ANNOS.) q. d. trecentis annis occupavimus has regiones, quas nunc postliminio repetis. Ergo longissima temporis præscriptione eas occupamus, præsertim cum per tot annos nullus illas a nobis repetierit.

QUARE TANTO TEMPORE NIHIL SUPER HAC REPETITIONE TENTASTIS?) Sed siluistis, ac silentio vestro vos contentos significastis: et ut eas possideremus tacite consensistis? Nota hic a Mose ad Iephte præcise non fluxisse trecentos annos, sed 266. dumtaxat; sed Iephte more vulgi annos adauxit ad magis roborandam præscriptionem, atque usus est numeris rotundis et perfectis, scilicet centenariis. q. d. iam agitur tertius annorum centenarius, agitur tertium præscriptionis et possessionis sæculum: Ergo frustra laboras ut nos ea tam sero deturbes. Porro Melchior Canus et Serarius, qui annos oppressionis Hebræorum ab annis Iudicum separant et separatim numerant, computant a Mose ad Iephte annos 340. ut minimum. Abulensis opinatur illo ævo præscriptionem per longum tempus, etiam cum mala fide, iure gentium valuisse, et rem tamdiu possessam confirmasse possidenti: alioqui enim, inquit, replicasset rex Ammon hanc Hebræorum possessionem initam fuisse cum mala fide, ideoque præscriptionis tempus hic non valere. Verum hoc ei probandum fuisset. In dubio enim melior est conditio possidentis. Et actori si possessorem e sua possessione deturbare velit, incumbit malæ fidei probatio. Quisque enim præsumitur esse bonus et bonæ fidei possessor, nisi contrarium probetur.

Solymani male fundata ambitio. Sic nuper Solymanus Turcarum Imper. post annos mille omnia sibi iura reddi volebat, quæ olim Magni Constantini fuissent, teste Iovio lib. 30. Hoc est Turcicum.

Porro simili modo quo Iephte, responderunt olim Lacedæmonii apud Isocratem in Archid. *Hanc colimus terram ab Herculis posteritate datam, Delphico oraculo confirmatam, et incolis eius bello superatis. Non vos latet possessiones sive privatas, sive publicas præscriptione longi temporis confirmari. Messanam tenuimus amplius 400. annos.*

Vers. 27. IUDICET DOMINUS ARBITER HUIUS DIEI.) Id est huius litis, quam hoc die agimus. Sic dies pro iudicio sumitur 1. Corinth. 4. 3. et Ierem. 17. 16. Est Metonymia.

Vers. 29. FACTUS EST ERGO SUPER IEPHTE SPIRITUS DOMINI.) Hoc est, immisit Deus Iephte Spiritum fortitudinis, ardoris, et zeli ad capessendum bellum contra iniquum regem Ammon: eoque impulsus convocavit ad illud incolas Galaad, et tribus Manasse, et *Maspha Galaad,* id est Maspha, quæ est in extremis terminis Galaad versus montes Libanum et Hermon: hisce enim maxime et proxime imminebant vicini hostes Ammonitæ.

A VOTUM VOVIT DOMINO DICENS: SI TRADIDERIS FILIOS AMMON IN MANUS MEAS, QUICUMQUE PRIMUS FUERIT EGRESSUS DE FORIBUS DOMUS MEÆ, MIHIQUE OCCURRERIT REVERTENTI CUM PACE A FILIIS AMMON, EUM HOLOCAUSTUM OFFERAM DOMINO.) Huic simile est quod scribit Aldrovandus in Asino: Alexandro Macedoni, inquit, cum reddita sors esset: eum qui primus occurrisset interimeret; ubi quemdam præ se agentem asellum vidit, arripi hominem confestim ex oraculo imperavisse tradunt. At eum iamiam iugulandum intellecta mortis ratione proclamavisse: anteambulonem suum, non se peti ex responso, quando is obviam occurrisset prior, puta asinum suum. Vers. 30.

Quæres primo: Quam victimam hic voverit Iephte? Primo, aliqui censent eum vovisse primum hominem sibi e domo sua occursurum Deo immolare. Ita S. August. Quid vovit Iephte? Resp. 1.

Secundo, Rabbini et Abul. putant eum vovisse pecus immolabile primo occurrens, sive is bos esset, sive vitulus, sive hircus, sive aries, Deo sacrificare, sed postea Iephte de mente et materia hac voti sui dubitasse, quia verba eius erant generalia: quare primo occurrente filia, censuisse se ad illam immolandam obligari. II.

B

Tertio et optime intendit Iephte primum vivens, sive primum animal e domo sua sibi occursurum Deo mactare. Unde ex Hebræo verti potest in genere neutro: *quodcumque*, scilicet animal primo mihi e domo obvium immolabo. Ita Chald. Vatab. Pagnin. et alii. Id patet ex eventu: nam cum prima ei e domo occurreret filia, putavit se voto ad illam immolandam obligari et cogi. III.

Quæres secundo: An hoc votum fuerit licitum, an illicitum? Primo, multi censent illud fuisse impium, stultum et parricidale. Ita S. Ambros. 1. Offic. c. ult. S. August. q. 49. Tertul. lib. 3. contra Marcion. Nazian. orat. de Machabæis, Theod. et Procop. hic Chrysost. hom. de Iephte. Et S. Thomas citans S. Hieron. 2. 2. q. 88. art. 2. *In vovendo*, ait, *fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius.* Impium enim est filiam occidere, impium est Deo homines immolare, et humano sanguine litare. Unde S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. ante medium: *Reprehenditur pater voti temerarii,* etc. *Si enim canis, inquiunt, si asinus occurrisset, quid faceret?* Lege enim vetitum erat offerre canem vel asinum. Pergit S. Hieron. *Ex quo volunt* (Hebræi) *Dei dispensatione esse factum, ut qui improspecte voverat, errorem votorum in filiæ morte sentiret,* ut temeritas voventis castigaretur, ait S. August. quæst. 49. Votum Iephte multi censent impium.

C

Si dicas Iephte laudari ab Apostolo Hebr. 11. respondet Abul. eum laudari ex merito fidei; quod scilicet ipse confidens Deo exposuit se periculo mortis in prælio, pugnans contra tam potentes Ammonitas, non autem a voto; satis autem constat quod Iephte, et quilibet virorum illorum, quos in illo suo fidei Catalogo posuit Apostolus, graviter peccarit, ait Abul. Unde et Gentiles vituperarunt et damnarunt eos, qui homines Saturno immolarunt. Quis Creonti, ait Serarius, vitio non dat, quod Menœceum filium Thebis Erichtheo, quod Praxitheam filiam Athenis D immolarit? Nonne suum regem expulerunt Idomeneum Cretenses, quod a Troiano bello reversus, nostri huius Iephte instar, Deorum aris obvium filium ex voto imponere voluerit? De Agamemnonis Iphigenia quam Poetæ multa? et in Suasoria Seneca: Nonne et hoc nomine infames olim Scythæ, Tauri, Pontici et Afri? de quibus in Scorpiaco Tertull. in octavio Minucius, in Protreptico Clemens et Euripides.

Quocirca Procopius ait victoriam hanc a Deo concessam fuisse Iephte non ob votum, sed ut iniurias Israeli ab Ammonitis factas esse, manifestum fieret.

Secundo, alii ex adverso censent hoc votum Iephte fuisse pium et sanctum, eo quod factum sit ex impulsu Spiritus S. Ita S. Anselm. et Ambrosiaster in c. 11. ad Hebr. Serarius et Salianus hic, ac favet hic S. August. et S. Hieron. Epist. ad Iulian. ubi ait Iephte obtulisse virginem filiam, et idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apostolo collocari. Alii pium.

Probant. I. Probant primo, quia hic dicitur irruisse in eum Spiritus Dei, quod licet ad pugnam referri debeat, tamen ad votum quoque, quod pugnæ et victoriæ fuit medium, imo principium, referendum videtur.

II. Secundo, quia Ecclesiasticus c. 46. et Apostolus Hebr. 11. Iephte ponit in Catalogo Sanctorum quare non videtur peccasse hic: aut certe si peccavit mox pœnituit.

III. Tertio, quia Deus per votum hoc videtur ei concessisse tantam victoriam. Ergo illud ratum gratumque habuit.

IV. Quarto, quia filia eius offerens se immolandam ad satisfaciendum voto patris, a Patribus mire laudatur, et Isaaco comparatur.

V. Quinto, quia immolatio hæc filiæ fuit typus immolationis filii Dei in cruce, ut docent Patres: nullus enim illius expressior fuit typus et figura, quam hæc filia immolata a patre pro salute Israelis. Videtur ergo Deus voluisse hunc typum dare, qui præluderet, et præsignificaret immolationem Christi.

Tertii sunt medii. Tertia sententia est media et verisimilior; scilicet votum hoc quidem in se fuisse illicitum et impium, eo quod per hoc hominem, imo filiam Deo mactarit, quod omni iure naturæ, divino et humano est vetitum. Iephte tamen excusari vel a toto, vel a parte per ignorantiam et religionis zelum, quod simplici, candido et pio animo putaret se hoc voto obligari ad filiam immolandam, eo quod ipsa prima sibi occurrisset. Erat enim rude hoc sæculum, et casuum conscientiæ ignarum. Ac Iephte erat homo militaris; milites autem putant se suis iuramentis et votis, etiamsi perperam factis, obligari ex religione et veneratione, quam Deo debent. Ita S. Hieron. in c. 7. Ierem. sub finem excusat Iephte per ignorantiam invincibilem, quod intentio offerentis esset bona, etiamsi oblatio mala, eo quod illo ævo rudi non esset propheta, imo nec summus sacerdos, ait Abul. hic 48. qui sciret hunc casum resolvere. Audi Serarium. Extenuatur Iephte factum primo, quia cum Dei veri cultus tam sæpe et tam diu collapsus esset, ea iam apud Israelitas, obtinuerat opinio e Gentilium erroribus petita, Deo istiusmodi sacrificium gratum esse. Secundo, exemplum Abrahami aspiciebat, sicque illum recte imitari putabat, et fortasse, ut indicat D. August. sperabat si sacrificium Deo gratum non esset, impeditum iri instar illius Abrahami. Genes. 22. Tertio, magna etiam in eo fidei laus fuit, quod ut idem notat August. quantumvis molestum sibi esset, maluerit votum reddere, quam suo ipsius dolori obsequi. Quarto, credebat, inquit idem August. bonæ virginis animam bene recipi, seu in cælum evolare, quæ non seipsam voverat immolandam, sed voto et voluntati non restiterat patris, et Dei secuta fuerat iudicium. Quinto, boni communis publicæque salutis erat peramans; ideoque verebatur ne, si votum non expleret, indignaretur Dominus, ac se populumque totum calamitate afficeret aliqua. Sexto, valde ipsum movebat, quod tam nobilem de tam ferocibus ac superbis hostibus, statim post votum adeptus esset victoriam, ut certo sibi persuaderet suum Deo haud displicuisse votum, ideoque ipsi a se iam satisfaciendum.

Hinc Iephte a nullo propheta vel Pontifice legitur reprehensus, sed ab Apostolo et Ecclesiastico laudatus. Cur ergo nos eum damnemus?

Porro S. Iustinus quæst. 99. ad Orthodoxos, ait diabolum fecisse, ut filia cum cythara gratulans patri victoriam prima occurreret, hoc fine, ut Iephte filiæ unicæ amantissimus votum violaret. Iephte vero tentationem hanc vicisse, ac filiam votam immolasse ad testandam suam erga Deum pietatem, ideoque eum Catalogo Sanctorum esse adscriptum.

Mysteria filiæ Iephte. Quocirca Patres in hac immolatione filiæ Iephte magna agnoscunt mysteria.

Nam primo, S. August. quæst. 49. ait per illam significatum fuisse humano sanguine litandum esse Deo Patri.

Secundo, S. Chrysost. hom. de Iephte tom. 1. ait hic adumbratum fuisse, quod Christus filiam suam, id est Ecclesiam quasi virginem Deo esset oblaturus in holocaustum, præsertim per immolationem martyrum tempore persecutionis. Audi S. Chrysost. « Iephte existimo esse Dominum nostrum Iesum Christum victorem mundi, qui obtulit filiam suam unicam ipsam Ecclesiam tempore persecutionis malis Pontificibus, non agnorum, sed luporum, dicente ipso: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Obtulit ergo Ecclesiam per immolationem martyrum tempore persecutionis, et victima unica oblata est Deo, ut sacrificium acceptabile esset patri ex lucris unigeniti. Offert unicus unam, sponsus sponsam, pater filiam. Quid enim inveniri potest fortius integritate et virginitate Ecclesiæ, quæ concipit in corruptione, creat in integritate? Virgo est ista quæ virum non novit. »

Anagog. S. August. significabatur, inquit, nos per immolationem mortis transituros ad beatam immortalitatem, uti transiit filia Iephte.

Tropol. Innuebatur quemque suam filiam, id est animam debere Deo offerre per mortificationem cupiditatum et passionum, *occidendam in malis, vivificandam in bonis*, ait S. Chrysost. et S. August.

Filia mea decepisti me, et ipsa decepta es.) *Decepisti*, quia cum tu unica mihi sis proles et heres, sperabam ex te posteritatem; at iam omnem eius spem mihi tuo occursu sustulisti. *Decepisti* ergo *me*, quia meam spem fefellisti. *Decepta es*, quia putabas mihi lætitiam, tibi gloriam mihi victori occurrendo afferre; at iam mihi tristitiam, tibi mortem peperisti. Hebr. est: *Incurvando incurvasti me*, vel *humiliando humiliasti me, et tu fuisti inter turbantes me*. Est pulchra allusio per Metathesin inter קרע *cara*, id est humiliare, et עכר *achar*, id est turbare. q.d. turbasti me, quia me measque spes humiliasti et prostravisti. Septuag. Roman. *Perturbatione perturbasti me, et tu fuisti in perturbatione mea*. Videntur Septuag. utroque modo legisse עכר *achar*, id est turbare. Complut. vero et Regii habent: *Implevisti me, et scandalum facta es in oculis meis*. S. Ambr. lib. 1. Offic. c. 12. legit: *Heu mea filia impedisti mihi, in stimulum dolorum facta es mihi*. Idem lib. de Virgin. *Heu me filia perdidisti me*. Vers. 35.

Aperui enim os meum ad Dominum, vovendo me eum qui primo occurreret illi immolaturum, et aliud facere non potero.) q. d. votum iam editum retractare nequeo, quare ex illo te, utpote primo occurrentem Deo immolare debeo. Hinc patet Iephte non intendisse vovere solum animal immolabile, sed et hominem, imo filiam, si primo occurreret. Sic enim ipse illud hic interpretatur. Nemo autem melior est mentis et voti sui interpres, quam ipse vovens. Hinc et apte vocatur *Iephte*, id est aperiens, scilicet os ad vovendum, aperiens inquam nimis ample et improvide.

Cui illa respondit: Pater mi si aperuisti os tuum ad Dominum (id est, si vovisti me immolare Deo) fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis.) Vide et admirare in hac filia animos, obedientiam, religionem et amorem patriæ, quibus se morti et immolationi generose et alacriter offert. Potuisset enim ipsa patri replicare: Ego non vovi me Deo immolare: nec tu o pater es vitæ meæ Dominus, ut me invitam devovere et mactare possis. Nolo ergo adolescentula et illiberis mori, volo florem iuventutis meæ læta peragere: volo stirpem meam et tuam propagare. Quare votum tuum irrito et dissolvo: atque ita se morte, patrem voto et mœrore liberasset. Sed noluit, ut suam erga Deum religionem, erga patrem obedientiam, erga Rempubl. charitatem testaretur. Fecit ergo seipsam victimam, imo holocaustum Deo pro patre et patria. Timebat enim, ne si ipsa mortem recusaret, pœna violati voti in patrem et patriam recideret, ac victoria accepta in cladem converteretur. Audi S. Ambros. *Quod in spectatis et eruditis viris plenum miraculi est, hoc in virgine multo magnificentius, multoque illustrius deprehenditur*. Et paulo post: *Nec fletus*, inquit, *æqualium movit puellam, nec dolor inflexit, nec gemitus retardavit, nec dies præteriit, nec fefellit hora. Rediit ad patrem quasi ad votum rediret, et voluntate propria cunctantem impulit,* Vers. 36.

facitque arbitratu spontaneo, ut quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.

Porro Deus id fieri permisit, ait Serarius, gravibus de causis. Prima est, ut mortis, quam Christus Dominus causa nostra, non voluntate tantum ac desiderio, sed effectu etiam ac reipsa perlaturus erat, figura esset clarissima. Deinde, ut splendesceret magis Iephte fides, et summa erga Deum religio; a qua eum neque rei tam caræ amissio, neque posteritatis amor, neque præsentis futurique temporis tam acerbum vulnus deducere potuissent. Tertio, ut similiter eximia tenerrimæ virgunculæ fides, erga Deum religio, erga patrem patriamque totam pietas et præcellens animi magnitudo, velut speculum, in quod orbis terrarum totus posset intueri, publice statueretur. Quarto, ut intelligeret mundus universus, quam accurate, diligenter et inviolate, quæcumque vel consilio bono, vel divino monitu ac instinctu vota essent, Deo reddi deberent, etiamsi mille gravissimæ occurrerent difficultates.

Vers. 37. DIMITTE ME UT DUOBUS MENSIBUS CIRCUMEAM MONTES, ET PLANGAM VIRGINITATEM MEAM CUM SODALIBUS MEIS.) Quod scilicet virgo sine prole et herede moriar; hoc enim illo ævo erat triste ac dedecorosum, iam autem per Christum virginitas summæ laudi et gloriæ ducitur, quasi cælestis conversatio et imitatio vitæ Angelicæ.

Flevit ergo hæc filia virginitatem suam, id est ætatem suam virginalem nuptiis opportunam, sed sterilitate ex voto patris damnatam. Huiusmodi denicales feriæ (ita a nece appellatæ) fuere quoque apud Romanos, inquit Arias.

Threnus filiæ Iephte. Formulam planctus, sive threnum filiæ Iephte Philo Biblicus asserit hunc fuisse: *Audite montes threnum meum, et intendite colles lacrymas oculorum meorum, et testes estote petræ in planctu animæ meæ. Ecce quomodo accusor, sed non in vano recipiatur anima mea. Proficiscantur verba mea in cœlis, et scribantur lacrymæ meæ ante conspectum firmamenti, ut pater non expugnet filiam, quam devovit sacrificare, ut princeps illius unigenitam audiat in sacrificio promissam. Ego autem non sum saturata thalamo meo, nec repleta sum coronis nuptiarum mearum.* Et post nonnulla: *Inclinate arbores ramos vestros, et plangite iuventutem meam; venite feræ sylvarum, et conculcate supra virginitatem meam, quoniam abscissi sunt anni mei, et tempus vitæ meæ in tenebris inveteravit,* etc. Hæc ipse more suo.

Porro Iephte imitati sunt Gentiles. Ita enim Erichteus bellum contra Eumolphum gerens, doctus victorem se fore, si filiam victimæ loco immolasset, re cum uxore communicata, filiam hostiæ in morem mactavit. Ita Plutarch. in parallelis. Idem ibidem sub finem: *Pestilentia*, inquit, *Lacedæmonem urgente, divinitus significatum est cessaturam luem, si pro more generosam immolarent virginem. Helena autem cum esset aliquando sorte ducta, et ornata, produceretur, aquila devolans gladium abripuit, et in armentum deferens buculæ imposuit, quo factum est ut cæde virginis abstineretur.* Idem prorsus contigit Valeriæ Lupercæ, quæ aræ destinata, cum aquila gladium rapuisset, et buculæ cuidam iniecisset, Valeria bucula mactata rem sacram fecit, inquit Plutar.

Cur filia Iephte circumiit montes? Resp. 1. Quæritur, Cur cupit circumire montes in hoc suo planctu? Causas tres dat Arias. Prima est, *ut clamor et lamentatio in sublimi loco edita longius ac latius ad circumvicinorum aures pertingeret. Namque hæc est vocis natura et vis.* Ieremiæ 31. *Vox in Rama audita est, ploratus atque ululatus multus.* Altera, *ut longius montium prospectus monumentum rei tam incolis, quam hospitibus et viatoribus frequentius repræsentaret.* Tertia, *ut e solitariis a se visis et peragratis locis pluribus, unum aliquem ubi intra claustri parietes inclusa vitam perageret solitariam, optaret.* Sed hanc causam superius confutavi, et mox plenius confutabo.

Causa litteralis et proxima fuit, quod tota illa regio montosa sit. Habitabat enim in Maspha, id est in alta montis specula, ex qua in subiectos montes descenditur, ut habent Hebræa.

ET FECIT EI SICUT VOVERAT.) Rabbini, et ex eis Lyran. Pagnin. Vatab. tradunt Scribas et Sapientes Hebræorum, intellecto hoc Iephte voto consultos respondisse, posse mortem filiæ naturalem a patre voto promissam commutari in mortem civilem, videlicet in vitam religiosam et castam: itaque factum esse. Quare filiam hanc non fuisse occisam a patre, sed fecisse se Nazaræam, id est religiosam et quasi monialem. Sicut S. Bern. occurrens reis a Prætore ob delicta suspendendis, eos liberavit, monachosque effecit dicens: Vos brevi morte vultis eos occidere, ego longa morte mortificationis assiduæ in monasterio eos consumam et perimam. Vers. 39. Rabbini dicunt eam factam religiosam.

Verum hæc sententia falsa est, et plane repugnat huic versui: *Fecit ei*, inquit, *sicut voverat.* Atqui voverat eam Deo non tantum mactare, sed et in holocaustum offerre, id est iugulatam totam cremare et comburere in honorem Dei (hoc enim exigebat holocaustum) ergo revera eam iugulavit et cremavit. Hic est communis Patrum sensus, ut Theodor. S. August. Bedæ, Procopii, Rupert. Abul. Hugonis Victor. Dionysii, Serarii, Saliani, Tornielli hic, et S. Ambros. lib. 1. Offic. c. ult. Tertul. lib. 3. contra Marcion. c. 4. S. Hieron. epist. 34. ad Iulian. S. Chrysost. hom. de Iephte, Origen. tom. 9. in Ioan. Nazian. Orat. de Machabæis, D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 2. Suarez, Lessii, Azor. et aliorum passim. Confutantur.

Denique Philo ait nomen huius filiæ fuisse Seilam, utique æterna memoria dignum.

ET PLANGANT FILIAM IEPHTE.) Hebr. לתנות *letannot*, quod Septuag. vertunt *ad plorandum.* Chald. *ad lamentandum* filiam Iephte. Alii *ad enarrandum.* Alii *ad donandum*, scilicet laudem filiæ Iephte. Porro Rabbini, Pagnin. et Vatab. vertunt: *ad alloquendum vel consolandum filiam Iephte,* quod ex voto patris debeat manere innupta. Putant enim ipsi mortem naturalem in civilem, sive in cœlibatum fuisse commutatam. Unde quatuor diebus in anno patebat ad eam accessus, ait Vatab. ut eam alloquerentur et solarentur, sicut ad moniales in claustro reclusas subinde in anno patet aditus. Verum hoc iam refutavi. Vers. 40.

Denique S. August. quæst. 49. et ex eo Hugo Victor. ostendit Iephte per omnia fuisse typum Christi. Nam primo, inquit *Iephte*, Hebr. idem est quod *ianua* quæ aperitur. Et sic Christus ait: *ego sum ostium* Ioan. 10. per quod patet aditus ad cælum: *ipse enim aperit, et nemo claudit.* Apoc. 3. 7. Iephte typus Christi. I.

Secundo, fratres Iephte domo eiecerunt quasi filium fornicariæ: Sic Christum e Synagoga sua eiecerunt Scribæ quasi violatorem legis, nec legitimum Synagogæ filium. II.

Tertio, Iephte exulans habitavit in terra Tob, id est bonitatis, hoc est optima: sic Christus a Iudæis vita expulsus, ivit ad vitam beatam in cælum. III.

Quarto, Ad Iephte colligebantur inopes et latrones: sic ad Christum meretrices et publicani, ac inter eos latro in Cruce, atque mystici prædones, qui sua pœnitentia et virtute vim faciunt cælo, rapiuntque regnum cælorum. IV

Quinto, Galaaditæ requisierunt exulem Iephte ut eis esset dux belli contra Ammonitas: sic Gentiles requisierunt Christum a Iudæis spretum, ut a peccati et diaboli iugo liberarentur. Hucusque S. August. V.

Sexto, Iephte ante prælium votum vovit Domino: sic Christus ante passionis et mortis duellum oravit in horto, seque hostiam Deo devovit dicens: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* VI.

Septimo, Iephte immolavit filiam suam; Christus carnem et humanitatem suam. VII.

Octavo, Israelitæ planxerunt quotannis mortem filiæ Iephte: Sic Christiani quotannis in hebdomada sancta plangunt mortem Christi, eique Threnos Ieremiæ lamentando decantant: tum quoque Ecclesia quasi virgo plangit fidelium suorum peccata. Audi S. August. q. 49. *Per sex mundi ætates, tanquam per 60. dies flevit, sancta Virgo Ecclesia virginalia sua, quia licet virginalia, ta-* VIII.

men fuerunt peccata deflenda, propter quæ universa ipsa virgo toto orbe diffusa quotidie dicit: dimitte nobis debita nostra. Eosdem autem sexaginta dies duos menses maluit appellare, quantum existimo, propter duos homines, unum per quem mors; alterum per quem resurrectio mortuorum, propter quos etiam duo testamenta dicuntur.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iephte Ephrathæos ob rebellionem et convicium cædit. Mox vers. 7. Sexto anno sui principatus moritur, eique succedit decimus Iudex Abesan, ac post eum undecimus Ahialon, quo vita functo suffectus est duodecimus Abdon.

1. Ecce autem in Ephraim orta est seditio, nam transeuntes contra aquilonem, dixerunt ad Iephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam. 2. Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi et populo meo contra filios Ammon, vehemens: vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium, et facere noluistis. 3. Quod cernens posui animam meam in manibus meis, transivique ad filios Ammon, et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium? 4. Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse. 5. Occupaveruntque Galaaditæ vada Iordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro ut me transire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? quod dicente: Non sum, 6. Interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat, Sibboleth: eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia. 7. Iudicavit itaque Iephte Galaadites Israel sex annis: et mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad. 8. Post hunc iudicavit Israel Abesan de Bethlehem: 9. Qui habuit triginta filios, et totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, et eiusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis iudicavit Israel, 10. Mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem. 11. Cui successit Ahialon Zabulonites: Et iudicavit Israel decem annis: 12. Mortuusque est, ac sepultus in Zabulon. 13. Post hunc iudicavit Israel Abdon, filius Illel, Pharathonites: 14. Qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum, et iudicavit Israel octo annis: 15. Mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim in monte Amalec.

Vers. 1. Ecce autem in Ephraim orta est seditio.) Similis illi, qua iidem eadem de causa murmurarunt contra Gedeonem cap. 8. vers. 1. Erant enim Ephraimitæ sive Ephrathæi homines arrogantes, ac se Manassensibus (qualis erat Iephte) superbe præferebant, ut dixi cap. 8. vers. 1.

Nam transeuntes (Iordanem) contra Aquilonem dixerunt ad Iephte.) Ephraimitæ cum dimidia tribu Manasse habitabant cis Iordanem: hic ergo transeunt Iordanem ad alteram dimidiam tribum Manasse habitantem versus Aquilonem, puta versus montem Libanum et Hermon, ut cum Iephte ibidem in Maspha habitante expostulent, quod ipsos ad belli societatem non vocarit.

Igitur incendemus domum tuam.) Ac te in ea. Hebr. enim et Septuag. addunt *tecum* vel *super te*.

Vers. 3. Posui animam meam in manibus meis.) Hoc est, exposui vitam meam periculo et discrimini in pugna ancipiti contra Ammonitas. q. d. Ego vobis ad belli aleam vocatis, sed periculum detrectantibus, illud solus pro vobis subivi, illudque a vobis et toto Israele victor depuli. Mihi ergo non obstrepere, sed gratias agere debetis. Sic Iob ait cap. 13. 14. *Animam meam porto in manibus meis.* Et David: *Anima mea in manibus meis semper.* Psal. 118. 109. *Et posui animam meam in manu mea.* 1. Reg. 28. 21. Qui enim aurum, oleum, vinum similemve rem pretiosam non recondit ut servet, sed in manu portat, certo periculo, ne illa ei eripiatur, vel in terram cadat et dilabatur, eandem exponit.

Vers. 4. Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse.) Hæc est vis et significatio huius convicii, q. d. Tu o Iephte, æque ac tui Manassenses trans Iordanem in Galaadite habitantes, es homo ignobilis et vilis, quia quasi spurius e domo patris eiectus fugisti in Galaad, æque ac tui Manassenses exclusi a communi habitatione tribus Ephraim et dimidiæ tribus Manasse, commorantium cis Iordanem cum ceteris omnibus tribubus Israel: quare ab iis videmini quasi expulsi et reiecti tanquam fugitivi, in extremitatem et angulum istum Galaaditis trans Iordanem retrusi, velut indigni qui cum ceteris tribubus in terra cis Iordanem promissa habitetis. q. d. Vos estis meri miserique Galaaditæ, vos estis quisquiliæ Israelis: vos estis fæx Ephraim et Manasse cis Iordanem habitantis: quare esto iactetis vos in medio duarum harum nobilissimarum tribuum habitare et ad eas pertinere, eo quod iuxta eas habitetis, tamen revera estis earum reiectamentum, quia non inter eas, sed quasi fugitivi ab eis expulsi habitatis in Galaad semota, quasi in extremo terræ promissæ termino, talesque ab Ephraimitis et ceteris Manassensibus cis Iordanem habemini et æstimamini. Secundo, proprie: *Fugitivus est Galaad de Ephraim*, q. d. Nos Ephraimitas subito et inopinato invadentes vastantesque Galaaditem, fugerunt e pagis ad suas urbes Galaaditæ: Fugitivi ergo sunt, nec nobis resistere valent vel audent. Ita ipsi superbe. Verum mox vires suas colligentes Galaaditæ ostenderunt se non esse fugitivos, sed ipsos Ephraimitas ciciderunt et fugere compulerunt. Vide hic petulantiam et damna linguæ intemperantis. Ob hoc enim verbum et convicium cæsa sunt ex Ephraim a Iephte 42. millia vers. 6.

Nunquid Ephrathæus es?) Hoc est, oriundus ex tribu Ephraim, quæ nobis hanc litem et pugnam movit. Vers. 5.

Dic ergo Scibboleth, etc. qui respondebat Sibboleth) Galaaditæ fugientes Ephrathæos hostes persecuti, cum illi se Ephrathæos negarent, ne ab eis occiderentur, veritatem explorant per pronuntiationem vocis *Scibboleth*. Ephrathæi enim *Scibboleth* aspirate pronuntiare ne- Vers. 6.

*

quibant, sed pro ea leniter et quasi blæse sibilando dicebant *Sibboleth*; nimirum non valentes pronuntiare litteram *schin*, sed pro ea dicentes *sin*, indeque agnoscebantur esse Ephrathæi et hostes, ideoque iugulabantur. Simili prorsus modo in pronuntiatione eiusdem aspirationis, Flandri explorant an quis Gallus sit necne: Pronuntia, inquiunt *acht en tachtentich* (id est 88.) Galli enim aspirationem *ch* efferre non valentes, dicunt leniter *act en tacentic*, indeque Galli esse dignoscuntur.

Quod interpretatur spica.) Potest quoque *Scibboleth* verti *fluminis fluxus, alveus* vel *inundatio*, uti vertunt Pagnin. Vatabl. et alii, idque apposite ad locum. Fiebat enim hoc examen Ephrathæorum ad vada fluxumque Iordanis, quasi inde e re præsenti hoc nomen præ aliis, velut nationis et gentis indicium tesseramque acceperint.

Septuag. vertunt: *Dicite iam spica tesseram*, id est pronuntiate tesseram, scilicet vocem *Scibboleth*, id est *spica*. Milites enim habent suam tesseram noctu, ex qua cognoscant an quis amicus sit an hostis: amici enim illam norunt, hostes eandem ignorant.

Vers. 7. Sepultus in civitate sua Galaad.) Hoc est in Maspha, quæ erat civitas Galaaditis regionis: patet ex Hebræo: in eo enim Galaad est genitivi casus. Ita Serarius et alii.

Ver. 8. Abesan de Bethlehem.) Maldon. in cap. 2. Matth. vers. 1. accipit Bethlehem, quæ erat in tribu Zabulon, A ideoque censet Abesan fuisse Zabulonitam; sed alii passim accipiunt Bethlehem, quæ est in tribu Iuda, asseruntque ex ea oriundum fuisse Abesan. Porro Rabbini coniectant Abesan esse Booz maritum Ruth, sed non probant; esto temporum series fere consentiat.

Cui successit Ahialon.) Septuag. *Ælom*. Mirum est hunc omitti ab Eusebio in Chronico. Tempore Ahialon eversa a Græcis est Troia, occisus Priamus, Æneas fugit in Latium ibique regnavit; cum ante eum ibidem regnassent Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus annis 150. Æneæ successit Ascanius, et post eum alii, a quibus tandem prognati Romulus et Remus Romam condidere sub tempora Achaz Regis Iuda. Tunc etiam contigere errores Ulyssis, gesta Pyladis et Orestis, ceterorumque Troianorum et Græcorum Principum qui post Troiæ excidium floruere, vel floruisse a Poetis finguntur. Ita Euseb. Bellarm. Salianus, Torniellus et alii in Chron. Vers. 11.

Abdon filius Illel Pharathonites.) Hinc patet Abdon fuisse e tribu Ephraim: in hac enim erat Pharathon, ut patet vers. 15. et ex Iosepho lib. 13. Antiq. qui et addit sepulturam eius fuisse splendidam. Vers. 13.

In monte Amalec.) Mons hic, ait Abul. nominatus fuit Amalec, sive a viro, cuius nomen proprium erat Amalec, cuius hic mons fuerit, ut vult Dion. sive quod olim ad Amalecitas pertinuerit. Vers. 15.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nova Hebræorum idololatria nova Philisthinorum oppressione a Deo castigatur. Quare Angelus matri et patri Manue prænuntiat ortum Samsonis, qui eos liberet, iubetque eum fieri Nazaræum. Mox Manue vers. 14. immolat hædum, in cuius flamma Angelus in cælum redit. Denique vers. 24. nascitur Samson, et Spiritu Dei imbuitur, fitque decimus tertius Israelis Iudex et vindex.

1. Rursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini: qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis. 2. Erat autem quidam vir de Saraa, et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem. 3. Cui apparuit Angelus Domini, et dixit ad eam: Sterilis es et absque liberis: sed concipies et paries filium: 4. Cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas: 5. Quia concipies et paries filium, cuius non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum. 6. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem, quis esset, et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere: 7. Sed hoc respondit: Ecce concipies et paries filium: cave ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ. 8. Oravit itaque Manue Dominum, et ait: Obsecro Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est. 9. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, et apparuit rursum Angelus Dei uxori eius sedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Quæ cum vidisset Angelum, 10. Festinavit, et cucurrit ad virum suum: nuntiavitque ei dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram. 11. Qui surrexit, et secutus est uxorem suam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum. 12. Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut a quo se observare debebit? 13. Dixitque Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se: 14. Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum et siceram non bibat, nullo vescatur immundo: et quod ei præcepi, impleat atque custodiat. 15. Dixitque Manue ad Angelum Domini: Obsecro te, ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hædum de capris. 16. Cui respondit Angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos, si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quod Angelus Domini esset. 17. Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen, ut si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te? 18. Cui ille respondit: Cur quæris nomen meum quod est mirabile? 19. Tulit itaque Manue hædum de capris, et libamenta, et posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia: ipse autem et uxor eius intuebantur. 20. Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor eius, proni ceciderunt in terram, 21. Et ultra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum Domini esse, 22. Et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum. 23. Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset. 24. Peperit itaque filium, et vocavit nomen eius Samson. Crevitque puer, et benedixit ei Dominus. 25. Cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa et Esthaol.

Vers. 1. Anni 40. servitutis cœperunt ante Sampsonem, et in eius morte finiuntur.

TRADIDIT EOS IN MANUS PHILISTHINORUM QUADRAGINTA ANNIS.) Hos quadraginta ut et ceteros servitutis Hebræorum annos, ab annis Iudicum separant Melchior Canus et Serarius. Verum in illis istos includi ostendi c. 3. Idem liquet ex hoc cap. et sequenti, ubi narratur quod tempore Samsonis Iudicis Philisthæi oppresserint Hebræos. Ergo cum annis Samsonis concurrunt, in iisque includuntur anni oppressionis Hebræorum. Licet enim Samson in vita sæpius Philisthæos ceciderit; non tamen eorum iugum ab Hebræis prorsus abstulit nisi in morte, cum principes eorum secum ruina domus occidit et sepelivit. Unde Angelus signanter de eo hic ait v. 5. *incipient liberare Israel de manu Philisthinorum.* Et rursum c. 15. 30. de eo dicitur: *Iudicavitque Israel in diebus Philisthiim* (quibus scilicet Philisthini dominabantur Israeli) *viginti annis.*

Ex dictis liquet hos 40. annos cœpisse viginti annis antequam Samson esset Iudex, ac durasse per 20. annos, quibus Samson fuit Iudex, atque finiri in eius morte. Moriens enim secum oppressit omnes Philisthinorum Principes cum tribus Philisthinorum millibus: quare tunc plane vires eorum infregit, ac iugum eorum ab Israele abstulit. Cœperunt ergo hi 40. servitutis anni anno sexto Abesan, ac sequenti anno septimo eiusdem natus est Samson; nam post cœptam, imo propter cœptam servitutem natum esse Samsonem liquet ex verbis Angeli v. 5. *Ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.* Ergo Samson factus est Iudex anno decimo nono servitutis, ac viginti annis fuit Iudex: quare mortuus est anno ætatis 39. qui servitutis Hebræorum fuit quadragesimus et ultimus. Ita Salianus, Torniellus et alii, licet Serarius Samsoni det annos vitæ dumtaxat 34. vel 35. scilicet totidem quot vixit Christus, cuius ipse erat figura et typus.

Quare minus vere Eusebius in Chron. Lyran. Abul. et Genebr. hos 40. annos ita numerant, ut cœperint cum principatu Samsonis, ac toto eius tempore durarint per 20. annos, atque deinde per alios viginti annos durarint sub Heli Pontifice et Iudice, qui Samsoni successit. Nam ut dixi hi quadraginta anni cœperunt ante nativitatem Samsonis. Ideo enim ipse natus est ut servitutem hanc excuteret. Adde annos vitæ eius 19. exactos antequam ipse fieret Iudex, et 20. quibus fuit Iudex, habebis annos 40. servitutis, quos quærimus.

Vers. 2. DE STIRPE DAN.) Hæc enim tribus contermina erat Philisthæis invasoribus, ideoque prima eorum rapinas sentiebat: quare ex ea a Deo electus fuit Iudex et vindex Samson: fuit ergo ipse Danita. Unde de eo vaticinans Iacob Genes. 49. 17. ait: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro.* Vide ibi dicta.

MANUE.) Hic fuit pater Samsonis Iudicis, ad hoc a Deo electus ob suam et uxoris virtutem, religionem et pietatem; unde meruit cum Angelo colloqui, atque ex sterili uxore hunc filium Israelis liberatorem virtute divina procreare. Sic alii Prophetæ virique magni nati sunt ex parentibus sterilibus, ut Isaac, Ioseph, Samuel, Ioannes Baptista, etc. ut ostenderetur eos a Deo datos mundo ad ipsius salutem; ac essent typus Christi ex Virgine nascituri: quare hi non tam parentum, quam Dei fuere proles et filii: Hinc *Manue* Hebr. מנוח *Manoach*, idem est quod *Noach* sive *Noe*, id est requies: sicut enim Noe requiem dedit mundo ab universali cataclysimo sive diluvio, iuxta illud Genes. 6. 29. *Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Sic Manue per Samsonem filium consolatus est Israelem, dans ei quietem a vexatione Philisthinorum. Ex nomine ergo videtur Manue fuisse vir quietus, placidus, bonus et benignus. Audi Iosephum lib. 5. c. 10. *Manoches quidam vir inter Danitas optimus, et patriæ suæ sine controversia princeps, uxorem habuit eximia pulchritudine suspiciendam supra omnes eius ætatis feminas: ex qua cum nihil liberorum susciperet, ægre ferens orbitatem in suburbanum suum, quod erat in campo magno, cum uxore ventitans, crebris precibus sollicitabat Deum, ut daret sibi liberos.* Falsum ergo est quod idem subdit, Manue fuisse uxoris suæ valde zelotypum.

Viri magni ex sterilibus nati, cur?

Manue idem quod Noe.

Et S. Ambros. epist. 70. *Pater*, inquit, illi (Samsoni) *erat de tribu Dan, timens Deum, haud ignobili genitus loco, præstans ceteris. Mater vero sterilis, sed virtutibus animi haud infœcunda, quæ propriæ hospitio mentis recipere meruit visionem Angeli.* R. Abraham in lib. Iuchasin ait, nomen matris fuisse *Hatseli cophunith*, eamque prognatam ex tribu Iuda.

CAVE ERGO NE BIBAS VINUM AC SICERAM.) Id est omne quod inebriare potest. Causam subdit: Vers. 4.

QUIA CONCIPIES ET PARIES FILIUM, CUIUS NON TANGET CAPUT NOVACULA: ERIT ENIM NAZARÆUS (id est separatus et consecratus) DEI AB INFANTIA SUA, ET EX MATRIS UTERO, ET IPSE INCIPIET LIBERARE ISRAEL.) q. d. Deus destinat Samsonem filium ex te nasciturum liberatorem Israelis, ideoque vult iubetque eum esse Nazaræum, id est sibi dicatum ab utero per omnem vitam: quare pariter iubet tibi, quæ es mater eius futura, ut vino et sicera abstineas quamdiu eum utero gestabis, et iam natum lactabis; ne scilicet ipsum alas et lactes, inficiasque vino et sicera a te hausto, cum velit ipsum esse Nazaræum, qui iis omnino abstinere debet. Vide dicta Numer. 6. Samson ergo fuit Nazaræus per omnem vitam, mater vero eius non fuit Nazaræa, sed tantum vino et sicera abstinere debuit toto tempore conceptionis et lactationis eius, ne Nazaræatum eius infringeret. *Samuel et Samson*, inquit S. Hieron. lib. 2. contra Iovin. *vinum et siceram non bibunt. Erant enim filii repromissionis, et per abstinentiam ieiuniumque concepti.* S. Basil. homil. de ieiunio: *Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? Nonne ieiunium, per quod in matris utero conceptus est? Ieiunium concepit, ieiunium nutrivit, ieiunium fortem effecit: Quod sane Angelus matri præcepit, monens, quæcumque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non siceram biberet.* Vers. 5.

CUIUS NON TANGET CAPUT NOVACULA.) Dices id non videtur verum, nam Dalila totondit capillos Samsonis mariti sui. Respondeo hoc fecit Samsoni dormienti et invito fraudulenter et hostiliter, ut eum capillis æque ac viribus spoliatum proderet et traderet Philisthæis: hic autem iubet Angelus, ut nec Samson, nec parentes tondeant vel radant caput Samsonis, eo quod Deus velit eum esse Nazaræum, cuius consecratio et sanctitas consistebat in coma integra et intonsa. Mandatum ergo hoc est rei faciendæ, non oraculum rei futuræ. Causa fuit, quod prolixi capilli signum sint pulchritudinis, maiestatis, venerationis, terroris, austeritatis, consecrationis, uti hic in Samsone liquet.

ERIT ENIM NAZARÆUS DEI AB INFANTIA SUA, ET EX MATRIS UTERO.) Hinc nonnulli putant Samsonem fuisse sanctificatum in utero. Nazaræus enim idem est quod separatus et consecratus Deo. Sed perperam. Nam iubetur Samson esse Nazaræus ab utero, ita ut in utero non sugat succum ex vino et sicera a matre haustum ac proinde ut mater iis abstineat, ut hac ratione Deo dicetur quasi Nazaræus legis veteris, non autem sanctificatur in utero. Fuit ergo Samson Nazaræus, hoc est primo separatus a ceteris Iudæis. Secundo, coronatus coma sua. Tertio, consecratus Deo; unde fuit typus Christi et religiosorum novi testamenti, uti fuse ostendit Hieron. Platus lib. 2. de bono status religiosi cap. 19. Tropol. discant hic parentes filios quos a Deo acceperunt ipsi reddere: *Fidens*, ait ad Lætam S. Hieron. *loquor accepturam te filios, quæ primum fœtum Domino reddidisti. Ista sunt primogenita, quæ offeruntur in lege. Sic natus est Samuel: Sic ortus Samson est: Sic Ioannes Baptista ad introitum Mariæ exultavit et lusit.*

Sampson Nazaræus tripliciter.

ET (id est *quia*) IPSE INCIPIET LIBERARE ISRAEL DE MANU PHILISTHINORUM.) Ideo volo eum esse Nazaræum, id est mihi dicatum, quia per eum quasi meum volo liberare Israel, a servitute Philisthinorum. Hinc disce abstinentiam a vino et sicera facere homines non tantum sanctos, sed et sanos et robustos, uti fecit Samsonem; hic

enim robur suum hausit a Nazaræatu, cuius præcipua lex erat abstinere vino, et alere comam. Quocirca Samson fuit typus Christi, de quo scriptum est: *Quoniam Nazaræus vocabitur.* Unde et Christi ortus ab Angelo Gabriele fuit prænuntiatus, sicut et ortus Samsonis. Nota τὸ *incipiet*, quia plene et perfecte Samson in vita non liberavit Israelitas, sed tantum inchoate: Nam non uno prælio Philisthæos plane prostravit, uti fecere alii Iudices, sed pluribus minutis cladibus eos cecidit et debilitavit, donec in morte Principes eorum secum ruina domus oppressit; tunc enim plene videtur eos enervasse, sed ita ut paulo post resumptis viribus rursus sub Samuele Hebræos affiixerint.

Vers. 6. VIR DEI VENIT AD ME.) Nesciebat esse Angelum, sed putabat esse Prophetam. Porro sicut Angelus hic primo apparuit matri Samsonis, deinde patri; sic Gabriel Archangelus primo apparuit B. Virgini, nuntians ei Verbi Incarnationem, utpote quæ virgo paritura erat, deinde Iosepho eius coniugi.

QUEM CUM INTERROGASSEM.) Chald. et Recentiores contrarie vertunt: *Non interrogavi eum*, quia legunt לוא *lo* per *Aleph*, id est *non*, Noster autem melius cum Septuag. legit לו *lo* per *vau*; idque notatur in margine, quod Hebræi vocant *Keri ukelib*, id est *lectio et scriptio*, scilicet differens et diversa. Nam matrem interrogasse Angelum de nomine patet ex eo quod subdit: *Noluit mihi dicere.*

Vers. 15. FACIAMUS TIBI HÆDUM DE CAPRIS.) Progenitum, id est hædum caprinum tenerum et iuvenculum. τὸ *faciamus* est ambiguum: significat enim et cibos epulasque parare, et sacris operari, sive hostiam Deo cædere et incendere. Quare Manue per τὸ *faciamus* explorare volebat quis esset qui secum loquebatur, homone an Deus, vel Angelus Dei. Si enim permitteret sibi sacrificium offerri, certum erat ipsum esse Deum; sin id abnueret, et cibum tantum sibi apponi cuperet, certum erat eum esse hominem. Unde Angelus utrumque recusans respondit: *Si me cogis*, invitando et urgendo, *non comedam panes tuos*, quia sum Angelus, qui cibo non visibili, sed invisibili vescor, ut aiebat Raphael Tobiæ c. 12. 19. *Si autem vis holocaustum facere, offer illud Deo*, non mihi, qui Dei sum Angelus.

Vers. 18. CUR QUÆRIS NOMEN MEUM, QUOD EST MIRABILE?) Hebr. פלאי *peli*, quod et *mirabile* significat, et *arcanum*, ut vertit Chald.

Nonnulli putant nomen Angeli huius fuisse *pele*, id est admirabilis. Verum falluntur: Angelus enim recusat nomen suum edicere, eo quod sit admirabile et dictu ineffabile. Ita Noster, Septuag. et alii.

Porro S. August. hic quæst. 52. 53. 54. opinatur Angelum hunc dictum *pele*, hoc est admirabilem, esse Christum. Hic enim est *magni consilii Angelus*, ut vertunt Septuag. Isaiæ 9. v. 6. ideoque *admirabilis*, ut ait ibidem Isaias: hinc in flamma cum victima sacrificii ascendit in cælum, quia significabat Christum hominem factum non accepturum sacrificium, sed ipsummet fore victimam, et sacrificium. Verum certum est Angelum hunc proprie fuisse Angelum, typice autem repræsentasse Christum. Unde et in *pele* additur *Iod*, diciturque *peli*, ut significetur Christi nomen fore *Iesus* cuius prima littera est *iod*, ait Leo Castrius in Isaiæ c. 9.

Nomen Angeli mirabile. Quæres, Cur Angelus hic ait suum nomen esse *pele*, id est admirabile? Resp. primo, quia Angeli cum sint puri spiritus non habent nomina vocalia et corporalia, sed mentalia et spiritualia, quæ homini sunt incognita et nova, ideoque admirabilia. Loquuntur enim Angeli sibi invicem, et se mutuo compellant appellantque per signa spiritualia, puta per conceptus mentis, quos ei cui loqui volunt ostendunt et patefaciunt. Quare Angeli dum apparent et nomina assumunt, ut vocentur Michael, Gabriel, Raphael, non ea assumunt quasi ea sint ipsis propria, quibus in cælo vocentur et compellentur, sed ut per ea innotescant hominibus, eisque suggerant nomen, quo ab eis vocari et invocari possint. Hinc *Raphael* vocatur quasi medicus Dei, quia Tobiam curavit a cæcitate: *Gabriel* quasi fortitudo Dei, quia pro populo Dei fortiter pugnavit Daniel. 10.

Secundo, nomen Angeli est admirabile significatione, quia significat Angeli naturam ac dotes, præsertim gratiæ et gloriæ, quæ hominum captum superant; ideoque eis sunt admirabilia.

Tertio, nomen Angeli huius fuit admirabile efficacitate, quia ipse efficax fuit in operando magna, stupenda et admirabilia; unde explicans subdit, *qui facit mirabilia.* Angelus enim hic mira vi et quasi miraculo ex petra elicuit ignem, quo hœdus Manue Deo sacrificaretur. Rursum mira nuntiavit de Samsone ex sterili matre nascituro, quodque ipse futurus esset Nazaræus, ideoque iudex et vindex Israelis: ipse quoque admirandam istam fortitudinem procuravit Samsoni ad patrandum opera heroica, quæ mox audiemus. Denique ipse in flamma illæsus ascendit in cælum, et corpore suo in elementa (e quibus illud compegerat et assumpserat) resoluto evanuit, quæ omnia Manue et uxori eius erant admiranda. Quarto, nomen Angeli fuit admirabile repræsentatione. Angelus enim hic primo repræsentabat Deum, cuius erat nuntius; sicut legatus repræsentat personam sui Principis, a quo mittitur. Deus autem, Deique nomen est admirabile, utpote significans admirabilem eius Deitatem, virtutem, potentiam et gloriam, iuxta illud Psal. 8. 1. *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Mirabilis enim est, omnemque Angelorum et hominum intellectum superat Dei essentia, maiestas, sapientia, bonitas, operatio, ceteraque eius attributa, utpote immensa et infinita.

Secundo, Angelus hic repræsentat Christum, cuius admirabilis fuit incarnatio, nativitas, vita, sanctitas, doctrina, opera, miracula, mors, resurrectio, ascensio, missio Spiritus sancti, qui proinde admiranda per Apostolos operatus est, adeoque totum mundum ad se convertit, ac in dies per fideles suos similia operatur. Quare qui magna et mira ad Dei gloriam animo destinat, invocet Angelum *pele*, invocet Christum, cujus nomen est *admirabilis*, ut per se operetur magna et mirabilia. Ita S. Aug. vide dicta Isaiæ 9. 6. Hinc et B. Virgo Christi genitrix vocatur et invocatur a fidelibus *Mater admirabilis*, hicque titulus ipsi est gratissimus, uti ipsamet cuidam viro sancto revelavit: quia ipsa fuit mater et virgo, mater Dei et hominis, mater creatoris, adeoque mater sui Patris, quia genuit eum, a quo genita est, etc. Quæ omnia sunt stupenda et admirabilia. In Christo omnia mira.

Porro David Chytræus opinatur quod a *Pele* dicta sit *Pallas* Dea sapientiæ apud Gentiles. A Peli, inquit, *Græcorum Palladem Deam sapientiæ et doctrinæ, ex cerebro Iovis natam, nomen accepisse magis consentaneum est, quam a* παλλειν *seu vibranda hasta. Non enim dubium est, doctrinam Ecclesiæ de filio Dei, æterna sapientia, ex Iehovæ mente ab æterno genita, et caput Gorgonis seu draconis diaboli a se contritum ostentante. Coloss. 2. ab Ethnicis depravatam et in Palladis idolum conversam esse.* Verum hæc nova Novatoris sunt commenta, si non figmenta; esto enim res in se non sit absona, nomen tamen dissonat. A *Peli* enim dicenda fuisset *Pelia*, non Pallas.

Denique probabiliter opinatur Serarius hunc Angelum Pele, id est admirabilem fuisse S. Michaelem (hic enim olim erat Protector Synagogæ Hebræorum, cui præfuit Samson, sicut nunc est Ecclesiæ Christianorum) qui cum superbo Lucifero confligens, Dei maiestatem et nomen admirans, humiliter dixit מי כ אל *mi ca el*, id est, *quis sicut Deus?* ideoque eum cælo deturbans eius locum occupavit, sua humilitate factus omnium Angelorum Princeps, sicut Lucifer sua superbia factus est dæmonum caput, et imus in inferno, nec tantum Angelorum, sed et hominum. Audi Serarium docentem Michaelis nomen et invocationem mire valere contra omnes tentationes. Age, inquit, proponatur tibi flagitium quodlibet, statimque animo succurrat, Deum illud vetare: Numquid tu illud admittes? Nonne te ab eo statim hæc abducet cogitatio: *Quis sicut Deus?* Titillet te voluptas et illecebra quæ- Angelus hic initS. Michael.

libet. *At quis sicut Deus?* Terreat te potens ac formidabilis quispiam. *At quis sicut Deus?* Tibi parentes, propinqui, et sodales cordi sint. At *quis sicut Deus?* in omnibus denique peccatorum occasionibus, invitamentis ac lenociniis prodest semper plurimum Michaelis nomen, id est *Dei* prohibentis, benignitate tanta nos prosequentis, præmia æterna promittentis, gehennam perpetuam minitantis, omnia semper et ubique intuentis, omnium ab omnibus rationem reposcentis, comparatio cum fructu et delectatione quæ inanis et fallax et peccato quæritur; et cum quolibet, aut dæmone aut homine, nos ad ambitionem, superbiam, iracundiam, vindictam, ebrietatem aliudve quodcumque scelus aut flagitium hortante ac pelliciente.

Vers. 19. Tulit itaque Manue hædum de capris,) id est hædum tenerum, adhuc lactentem et sugentem ubera capræ matris suæ (hoc enim significat τὸ de capris) eumque mactavit, excoriavit, coxit, et ad Angelum attulit, ut is si Propheta esset inde comederet; sin esset Angelus Deo offerret, ut ipse dixerat v. 16.

Angelus hic sacrificat. Et libamenta.) Hebr. מנחה *Mincha* (quod alludit ad nomen *Manoach*, id est Manue: omnes enim utrobique litteræ sunt eædem: Manue enim hic obtulit Deo *Mincha*) id est vinum, oleum, panem vel farinam, quæ homini in convivio, æque ac Deo in sacrificio libari, id est ad cornu altaris effundi vel cremari solebant.

Et posuit super petram offerens Deo qui facit mirabilia.) *Offerens*, non tam per se, quam per Angelum. Angelus enim hic functus est officio sacerdotis, et sacrificavit dum ignem e petra elicuit, quo hædi caro Deo sacrificaretur et combureretur Unde Vatab. et Rabbini pro *qui facit mirabilia*, vertunt *mirificabit facere*, scilicet Angelus, hoc est fecit miraculum, quia ex petra elicuit ignem. Manue vero fuit quasi eius minister, et diaconus, dum hædum mactavit, coxit, et cum libamentis in petra posuit, ut ab Angelo Deo cremarentur. Unde sequitur:

Ipse autem et uxor eius intuebantur.) Simile prorsus fecit Angelus cum Gedeone, carnes ab eo allatas et petræ impositas miraculoso igne a se producto consumens, Deoque sacrificans, uti audivimus cap. 6. Deo enim dispensante non tantum Angelus, sed et Manue laicus ex tribu Dan, non Levi, sacrificare poterat etiam extra Tabernaculum.

Vers. 20. Cumque ascenderet flamma altaris (ab Angelo e petra, quæ erat hic loco altaris, tactu baculi sive scipionis, quem manu gerebat, elicita ad comburendum holocaustum) in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit,) ut se non hominem Prophetam, sed Angelum esse ostenderet, ideoque a flamma illæsum in cælum, e quo venerat, redire, seque mystice repræsentare Christum, qui immolans se in ara crucis per flammam tum amoris, tum doloris tertio die a morte surrecturus, et 40. die in cælum gloriose erat ascensurus. Ita S. Augustin. Rursum quod ipse in sacrificio Eucharistiæ per flammam charitatis iugiter incruente immolandus, et manducandus foret sub speciebus panis et vini, sed ita ut speciebus in stomacho consumptis, ipse vivus et illæsus evanescat, et in cælum quasi ascendat. Unde S. Andreas Apostolus ad Ægeam Tyrannum: *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cuius carnem postquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est integer perseverat et vivus.*

Vers. 22. Morte moriemur quia vidimus Deum,) id est Angelum Domini, ut præcessit. Angelus enim repræsentabat Dominum, sicut legatus repræsentat Principem, a quo mittitur, videbant ergo Deum in Angelo, vel certe Angelum esse Deum putabant, ait S. Aug. Hebr. enim *Elohim* et Angelum et Deum significat. Porro illo ævo communis hominum sensus et timor (licet inanis et vanus) erat, eum qui vidisset Deum vel Angelum illico moriturum, ob causas, quas recensui cap. 6. 22.

Et vocavit nomen eius Samson,) *Vocavit*, scilicet mater pariens, ut patet ex Hebræo, sed inspirata a Deo: Nam Samsoni nomen hoc inditum fuisse a Deo docet S. Chrysost. hom. 18. in Ioannem. *Samson* Hebr. idem est quod *Sol lætitiæ*, שמש *scemos*, id est Sol, et ששון *Sason*, id est gaudium, lætitia; vel potius *Samson*, id est parvus sol, soliculus, solillus. Est enim nomen diminutivum a *Scemes*, id est sol, sicut ab איש *isch*, id est vir, diminutive dicitur אישון *iscion*, id est viruneulus, et a שבת *sciabbat*, שבתון sciabbathon, id est sabbatulum, hoc est parvum sabbatum. Vocavit ergo filium *Samson*, id est soliculum, ut hoc nomine quasi omine qualis futurus esset indicaret. q. d. Israeli in tenebris luctus et mœroris ob servitutem et oppressionem Philisthinorum constituto Deus oriri fecit novum solem, puta Samsonem, qui sua virtute et fortitudine has tenebras dispellat, et nova nos libertatis, lætitiæ et felicitatis luce perfundat et recreet. Hinc Samson fuit typus Christi, qui est sol iustitiæ iuxta illud Zachariæ: *Visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.* Lucæ 1. et illud Malach. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ et sanitas in pennis eius.* Et Isaias c. 9. 2. ac ex eo Matth. c. 4. *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Ita S. Aug. Beda, Arias, Serarius, et alii. Porro Arias: Samson, ait, idem est quod sol diruens, vastans et populans, scilicet Philisthæos: שמם *sciamam* enim est diruere, populari. Denique Talmudici in Suta c. 1. asserunt Samsonem a Deo nominatum, illum siquidem Psalmo 83. vers. 12. vocari *Schemes et magen*; id est *solem et scutum.* Nam liquet Samsonem etiam in generatione temporeque suo fuisse Israeli scutum. Vers. 24. Sampson idem quod parvus sol.

Sic Cyrus fuit sol Persidis, uti ostendi Isaiæ 41. 1. Et S. Columbani matri visum est se parere solem, cum ex eo esset gravida.

Chaldaice vero *Samson* idem est quod *ministerium* vel *minister*, scilicet Dei ad magna miraque opera patrandum: *scemes* enim est *ministrare*, ait Pagnin.

Et benedixit ei Dominus,) suis bonis et donis eum cumulando, ac præsertim heroica animi et corporis fortitudine eum donando, ut quotidie in ea cresceret ad Philisthæos profligandos.

Vers. 25. Cœpitque spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa et Esthaol,) id est in loco, qui postea c. 18. v. 12. ab eventu vocatus est *Castra Dan* situsque erat inter Saraa et Esthaol, nam Hebræi tunc non habebant castra, utpote oppressi a Philisthæis. Heb. est. *Cœpit spiritus Dei* לפעמו *lepaamo*, id est per vices eum agitare, excitare et impellere, scilicet ad ardua audenda et molienda, Unde deinceps quotiescumque narratur Samson aliquid eximium aggredi, præmittitur: *Spiritus Domini irruit in Samson.* Hinc notat S. Ambros. in illud Lucæ 1. 17. *Ipse præibit in spiritu et virtute Eliæ*, hæc duo, scilicet spiritum et virtutem sive fortitudinem semper esse coniuncta. Nam omnis fortitudo tam ad ardua agendum et aggrediendum, quam ad dura patiendum est a spiritu, quem nobis aspirat, Spiritus S. Ille ergo assidue nobis invocandus est. Sic Ioannes Baptista dicitur habuisse spiritum et virtutem Eliæ; et Gabriel dixit B. Virgini: *Spiritus S. superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi*, Lucæ 1. et Christus Apostolis Actor. 1. ait: *Accipietis virtutem Spiritus S. supervenientis in vos.* Ubi vides semper virtutem iungi et tribui Spiritui S. Quocirca Septuag. hoc loco vertunt: *Cœpit cum eo spiritus proficisci*, eum comitari, et quasi pædagogus deducere, atque ad actus heroicos extimulare. Chald. *Mansit spiritus fortitudinis a Domino ad roborandum eum* R. Rad. *Incepit prophetia illi venire vice prima.* Idem rursum sic: *Cœpit prophetiæ spiritus eum pulsare, et quasi tinnitum ei facere, quasi ante ipsum aliquod foret tintinnabulum.* Caiet. *Cœpit eum spiritus agitare signo aliquo sensibili, quod tamen quale fuerit scriptum non est.* Arias: *Cœpit spiritus Domini impellere eum, ita scilicet ut feliciorum*

temporum fortasse memor, et præsentium pertæsus, animo divinitus excitato, de Israeliticarum rerum correctione et restitutione, deque hostium damno e labefactione cogitare cœperit.

Denique audi S. Ambros. epist. 24. ad Vigilium: « Cum diuturna iniuria longæ subiectionis ita essent depressa Hebræorum pectora, ut nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Samson divino oraculo prædestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantissimus et quod sine ulla controversia sit, viribus corporis omnium facile primus; eoque ingenti admiratione nobis spectandus a principio; non illa quæ temperantiæ et sobrietatis iam inde a pueritia vini abstemius præclara insignia dedit; nec illa quæ intonso capite Nazaræus sacra diu servavit custodia; sed ab adolescentia, quæ in aliis ætas mollior, in hoc egregia atque supra humanum modum perfectæ virtutis stupenda facinora effecit, quibus divini oraculi mox aperuit fidem quod non perfunctorie tanta eum anteisset gratia, ut descenderet Angelus, per quem ortus eius præter spem parentibus annuntiaretur, futuri regimen et præsidium suis. Nam gravibus iam diu Palæstinorum imperiis afflictabantur. » Et initio lib. de Spiritu Sancto. « Samson divina promissione generatus spiritum comitantem habebat. Sic enim legimus: Quia benedixit eum Dominus, et cœpit Spiritus Domini comitari cum eo in castra. » Sic vero Aug. de Temp. serm. 107. « Ubi erat potentissima illa fortitudo nisi in eo quod Scriptura dixit: Incedebat cum illo spiritus Domini. Ad Domini spiritum pertinebat illa fortitudo. In Samson vas erat. In spiritu plenitudo erat. Vas impleri et exinaniri potest. »

Porro Samson, ait Euseb. in Chronico, similia vel eadem fecit quæ Hercules, imo non alium fuisse Gentilium Herculem, quam Hebræorum Samsonem docet noster Gaspar Sanchez in Minores Prophetas pag. 805. ac fabulas de heroicis gestis Herculis ex Samsonis historia esse petitas, de quo plura capite decimosexto in fine.

Inter Saraa et Esthaol.) R. Ase in tract. Sutah. c. 1. asserit hos duos esse magnos montes, quos Samson evulserit, et manibus suis contriverit instar molæ, sed hæc ridicula sunt Rabbini figmenta: Sunt enim hæ duæ urbes (non montes) terminales, quæ tribum Dan a tribu Iuda disterminant, ut patet Iosue 15. 33. 2. Esdræ 11. 29. ac inter eas natus et sepultus est Samson.

Porro *Saraa*, Hebr. idem est quod *lepra*, *Esthaol*, idem quod *postulatus*, aut *ignis*, vel *uxor stultitiæ*, ait Pagnin. in nomin. Hebr.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson impulsu Dei postulat uxorem Philisthæam, ad quam vadens leonem obvium discerpit, in cuius ore post aliquot dies reperit examen apum et favum mellis. Inde vers. 10. in nuptiali suo convivio, sodalibus proponit hoc ænigma: De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. *Quod cum illi solvere nequirent, per uxorem a Samsone solutionem extorquent, eamque Samsoni edicunt. Quare illa triginta sindones triginta Ascalonitis occisis ereptas eis ex pacto persolvit, ac iratus domum redit.*

1. Descendit ergo Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim. 2. Ascendit, et nuntiavit patri suo, et matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum: quam quæso ut mihi accipiatis uxorem. 3. Cui dixerunt pater et mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis. 4. Parentes autem eius nesciebant quod res a Domino fieret, et quæreret occasionem contra Philisthiim, eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israeli. 5. Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus, et rugiens, et occurrit ei. 6. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu: et hoc patri et matri noluit indicare. 7. Descenditque et locutus est mulieri, quæ placuerat oculis eius. 8. Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis. 9. Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via: veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem, qui et ipsi comederunt, nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat. 10. Descendit itaque pater eius ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium. Sic enim iuvenes facere consueverant. 11. Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo. 12. Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas: 13. Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, et eiusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, ut audiamus. 14. Dixitque eis: De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. 15. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: Blandire viro tuo, et suade ei ut indicet tibi quid significet problema, quod si facere nolueris, incendemus te, et domum patris tui. An idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis? 16. Quæ fundebat apud Samson lacrymas, et querebatur, dicens: Odisti me, et non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo et matri nolui dicere: et tibi indicare potero? 17. Septem igitur diebus convivii flebat ante eum: tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis. 18. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum: Quid dulcius melle, et quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. 19. Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Ascalonem, et percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui: 20. Uxor autem eius accepit maritum unum de amicis eius et pronubis.

Vers. 1. **D**ESCENDIT ERGO SAMSON IN THAMNATA.) *Thamna*, inquit Adrichomius pag. 24. Thamnas, Thamnata, et Thenina est in via inter Ptolemaidam et Gazam, et eadem via progrediendo venitur in Accaron et Geth. Hic oves suas totondit Iudas. Civitas Philisthinorum, iuxta quam Samson discerpsit et laceravit leonem, atque inibi duxit uxorem ex Philistæis, quam ceperunt Philisthæi, munita est postea hæc urbs a Bacchide.

Thamnata ergo erat oppidum in confinio trium tribuum, scilicet Iuda, Dan et Ephraim, versus mare Mediterraneum, inter Ptolemaidem et Gazam in finibus Diospoleos, ait S. Hieron. quod in sortem suam accepit tribus Iuda. Iosue 15. 17. sed Iudæis eripuerunt Philisthæi, ut patet ex hoc capite, idque diserte asserit Iosephus: recuperarunt illud postea Iudæi, ut patet 2. Paral. 29. et 18. Iudæis iterum illud extorserunt Philisthæi tempore Achaz Regis Iuda, ut ibidem dicitur.

Vers. 3. HANC MIHI ACCIPE, QUIA PLACUIT OCULIS MEIS.) Non tantum quia pulchra, sed et quia occasio mihi erit invadendi Philisthæos, itaque ordiendi meum liberatoris Hebræorum officium, ad quod me Deus destinat, ut patet ex seqq.

Vers. 4. QUOD RES A DOMINO FIERET.) Hinc patet Samsonem non peccasse, quod contra legem petierit uxorem Philisthinam, quia id fecit Deo impellente, ac proinde in lege sua dispensante: alioqui matrimonia hæc cum infidelibus, æque ac cum hæreticis communiter sunt periculosa et noxia, uti fuse docet S. Ambros. epist. 24. idque suo malo expertus est Samson qui hic, uti et in aliis, fuit typus Christi, qui Ecclesiam ex Gentibus sibi despondit repudiatis Iudæis. Unde S. Ambros. epist. 70. iuxta editionem veterem, quæ in editione Romana extat lib. 3. epist. 24. ad Vigilium, et lib. 1. de Abraham cap. ult. habet perinsignia axiomata hæc: *Primo, in connubio religio quæritur. Secundo, non potest congruere charitas, si discrepet fides. Tertio, sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere.* Unde concludit: *Cave Christiane gentili aut Iudæo filiam tuam tradere: Cave gentilem, aut Iudæam aut alienigenam, hoc est hæreticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi.*

Vide Apostolum 2. Cor. 6. 14. ubi multis hæc matrimonia cum infidelibus dissuadet. Unde S. Iuliana Gentili diviti eam coniugem ambienti generose respondit: *Tuum matrimonium est societas cum inferis, et sepulchrum positum in oculis.* Quocirca Ecclesia matrimonia disparis cultus irritavit, et nulla decrevit.

ET QUÆRERET OCCASIONEM CONTRA PHILISTHIIM.) Samson enim faciebat hoc dilemma. Philisthæi vel mihi dabunt Philisthinam uxorem, quam peto, vel negabunt: si negent arripiam occasionem invadendi eos, eo quod uxorem negando dedecore me afficiant. Si dent, debebunt mihi meisque Hebræis esse benigniores, utpote iam eis affinitate coniuncto; quod si non præstent, erit mihi hæc occasio novæ litis; occasio inquam, eos persequendi et damnis afficiendi. Ita S. Ambros. ep. 24. *Ignorantes*, inquit, *parentes, quod in eo intentio vergeret, ut Palæsthinis aut negantibus infestior foret, aut acquiescentibus affectus inferendæ in subditos iniuriæ demeretur, cum ex coniunctione æqualitas par, et gratia consortii iure accresceret; aut si quid offensum esset, longius ultionis studia procederent, quasi alienigenam declinandam arbitrabantur.*

Addit S. Ambros. Samsonem ineunte iuventute duxisse uxorem, ut periculum fornicationis, quod iuvenes ob fervorem ætatis subeunt, effugeret. *Talibus*, inquit, *commendatus insignibus, ubi primum adolevit, coniugio intendit mentem, sive quod vagam ac familiarem adolescentulis abhorreret animo lubricæ libidinis consuetudinem; sive quia iam causa quærebatur, quemadmodum a cervicibus plebis suæ averteret Palæsthinorum potentiam, duraque imperia.*

Vers. 5. APPARUIT CATULUS LEONIS SÆVUS ET RUGIENS.) Catuli enim leonis grandibus sunt sæviores; tum quia magis fament latrante stomacho; tum quia iuventus facit eos petulantiores, animosiores et ferociores. Ita Plinius libr. 8. cap. 16. *Leoni, ait, præcipua generositas tunc cum colla armosque vestiunt iubæ. Id enim ætate contingit e leone conceptis.*

Vers. 6. IRRUIT (Septuag. *insiluit*) AUTEM SPIRITUS DOMINI IN SAMSON.) Eum animans et roborans ad invadendum et occidendum leonem. Unde sequitur: *Et dilaceravit leonem.* Audi S. Ambros. epist. 24. *Occurrit ei leo ferus de sylva, agresti libertate sævior. Comes nullus, telum in manibus haudquaquam suppeditabat: cedere pudor, et conscia virtus fiduciam dare. Tunc irruentem in se brachiis amplexus necat, et lacertorum nodo exanimatum præter aggerem supra sylvestria germina proiecit, ac dereliquit. Locus erat lætus pabuli herboso gramine, vinetis consitus.*

Hinc patet robur et vires Samsonis non fuisse naturales, sed supernaturaliter illi a Deo inditas: unde et a capillis eius, Deo ita ordinante, pendebant, uti audiemus cap. sequenti.

Leo est res ardua quam invade, ut Samson leonem.

Tropol. Leo est res ardua, ut gravis tentatio, quam instar Samsonis invocato Dei spiritu animose invadere et superare debemus: occide hunc terroris leonem, occisus amplius te non vexabit: sicque fiet ut qui prius videbatur leo invincibilis, iam videatur formica debilis. Talis enim animosis est dæmon. Unde a Iob c. 4. v. 10. et 11. iuxta Septuag. vocatur *myrmicoleon*, id est formica leo; si enim eum timeas, sæviet ut leo; sin contemnas, erit debilior formica. Hinc Salomon ait Prov. 22. 13. *Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Ex adverso dicebat Alexandro Magno festive Craterus: *Macte Alexander, pro regno cum leone pugna.* Id ipsum quisque sibi cum dæmone pro regno cælesti pugnanti, a Deo dici putet. Sæpe, ait Seneca, nos terrent non res ipsæ, sed rerum umbræ et phantasmata, scilicet nimia difficultatis apprehensio et ponderatio. Quare cæcis quasi oculis invadenda sunt ista imaginationis terriculamenta, uti facit leæna, de qua Plinius lib. 8. cap. 16. *Cum pro catulis*, inquit, *fœta dimicat leæna, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat.*

Porro primus hic fuit fortitudinis Samsonis actus, quo ceteris maioribus prælusit, ac Philisthæis terrorem incussit: qui enim leonem animalium fortissimum laceraverat, quem non laceraret? Tradit Plinius et alii, leonis animos viresque infringi, si quis in oculos vultumque eius pallium vestemque aliam iniiciat. Ardor enim et vis eius consistit in oculis, qui si velo obducantur, ipse se cæcum et captum putat, itaque se capi et feriri permittit: atque hoc modo nonnulli leones superarunt et mactarunt. At Samson nil tale hic fecit, sed leonem videntem et oculatissimum sine gladio vel fuste inermis aggressus, sola manu apprehensum laceravit, ut ostenderet se esse leonibus fortiorem, ac plusquam leonem irruiturum in Philisthæos.

ET HOC PATRI ET MATRI NOLUIT INDICERE.) Tum modestiæ causa; tum quia Dei destinatione et instinctu, ex leone hoc occiso, et melle in eius ore reperto facturus erat ænigma, quod propositurus erat Philisthæis, cuius solutionem illi facile invenissent, si leonem ab eo occisum, et favum in eo repertum inaudissent ab eius parentibus. Docet hic Samson, quod qui secretum servare vult, illud nulli, nec amicissimo vel parenti indicet, dicatque cum Isaia c. 24. 16. *Secretum meum mihi.* Aristoteles interrogatus, *quid omnium esset difficillimum?* respondit: *Tacere quæ loqui non oportet.* Facilius enim ignitum carbonem ore continuerit quis, quam arcani quidpiam, ut olim dixit Socrates, quem in iocis imitatus libr. 2. de Oratore Tullius: Magno igitur opere laudandum ac imitandum Samsonis in leonina cæde, mellificiique novi monstratione silentium.

Vers. 8. ET ECCE EXAMEN APUM IN ORE LEONIS ERAT AC FAVUS MELLIS.) Chald. *In corpore.* Melius Noster in Sept. et alii: *in ore.* Solent enim apes ore animalium sive vivorum sive mortuorum delectari; ita tamen ut aliquibus in ore sedentibus ceteræ corpori leonis insiderent, vel illud circumvolitarent. Hinc apes visæ sunt insidere ori Pindari, Pla-

Apes hominum ori insidentes.

tonis et S. Antonii et S. Ambrosii, ut melleam eorum facundiam præsignificarent. Quin et ad Iovem puerum, qui postea factus est Rex Cretæ, ac post mortem Deus et Deorum Princeps, apes advolasse, eiusque os melle implesse, itaque eum nutrivisse narrat, vel potius fabulatur Virgil. in fine Georg. Porro solent apes, teste Plinio, Virgilio, Plutarcho, Columella et aliis, quos citat et sequitur Ulysses Aldrovandus tract. de apibus, e corpore boum mortuorum naturaliter nasci, ac Rex apum ex ipso bovis capite, ceteræ ex reliquo corpore. Cur non et nasci possint ex cadavere leonis? Quamquam hic non dicuntur natæ ex leone, sed ori eius insedisse, nimirum circumvolitantes per flores campi, in quo erat cadaver leonis, os eius ingressæ in eodem favum construxere, in eoque mel suum de more condiderunt. Denique Deus per Angelum dirigens Samsonem effecit, ut apes ex cadavere leonis nascerentur, vel alibi natæ in os leonis involarent, ibique mellificarent, ob gesta Samsonis, quæ exinde secuta sunt, et ob mysteria, quæ per hoc Deus repræsentare volebat, de quibus mox. Sic Hippocratis Medicorum Principis (ut habet eius vita) sepulchro inventum est examen apum ad multum tempus mellificantium, item in capite Onesili iam exinanito teste Herodoto.

Alleg. Leo significabat Christum, ipse enim est Leo de tribu Iuda Genes. 49. et Apocal. 4. et 5. qui sua morte devicit mortem, peccatum, dæmonem et gehennam. Unde ex eo post mortem prodiit mel Eucharistiæ, et examen apum, id est innumera fidelium et sanctorum copia. Ita S. August. cuius verba mox citabo.

Porro Abul. et Lyran. has apes e leone natas censent fuisse sordidiores et viliores, quia leonis gravis est odor et halitus, quem apes mundæ fugiunt. Sicut in Sardinia mel est amarum, eo quod ibi apes pascantur absinthio, quod est amarum, teste Plinio lib. 21. 13. Verum contrarium censet Serarius et alii: vivi enim leonis gravis est halitus, non mortui. Num vile famulo suo mel dedit Dominus? Num suis Samson parentibus, suæque, ut Iosephus vult sponsæ? in animalium generosissimo generosissimas quoque apes fuisse arbitror, et generosissimum a Deo Samsoni datum mel, quod non falso laudarit infra vers. 14.

Vers. 12. **Proponam vobis problema.**) Hebr. חידה *chidda*, id est ænigma; proprie enim fuit hoc ænigma, id est obscura, arcana et involuta propositio.

Vers. 14. **De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo.**) Ecce hoc est problema, id est ænigma a Samsone propositum Philisthæis iuvenibus in convivio. Veterum enim mos erat ænigmata et gryphos similes convivis in convivio, promisso solventi præmio, proponere, uti ostendi Ecclesiastici 32. v. 4. et 5. Idem patet ex Plutarc. et Athenæo de cænis sapientum: *Non minus*, ait lib. 7. saturn. c. 1. Macrobius, *quam dulcedo vini, hilarant verba convivium: Et crateri liquoris ad lætitiam nati adhibenda non modo Nympharum, sed musarum quoque admistione, temperies.*

In Hebræo est pulchra Paranomasia: sic enim habet: *De comedente exivit comestibile.* Sensus est q. d. De leonis ore, qui alia animalia vorare solet, prodiit favus, qui est cibus suavissimus, ac de forti, id est de eodem leone, qui animalium est fortissimus, egressa est dulcedo, id est mel dulcissimum; nimirum leo a me occisus præbuit mihi mel ut significetur actus heroicos meæ fortitudinis parituros mihi et cuilibet alteri mirificam voluptatem, gaudium, felicitatem et gloriam.

Alleg. S. Augustin. serm. 107. de Temp. » De edente, ait, exivit cibus, et de forti est egressa dulcedo. Quid aliud significat, quam Christum a mortuis resurgentem? De edente utique, id est de morte, quæ cuncta devorat atque consumit, exivit cibus ille qui dixit: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, quem humana exacerbavit iniquitas, eique aceti et fellis amaritudinem propinavit, atque ab eo plebs gentium vitæ dulcedinem conversa suscepit, ac sic de mortui leonis ore, id est de Christi morte, qui accubans dormivit ut leo, apum, id est Christianorum processit examen. »

A Tropol. S. Ambros. lib. de Elia et ieiunio c. 11. legens cum nonnullis codicibus Græcis (qui pro ἰσχυροῦ habent πικροῦ) *de tristi exiit dulce*, subdit, *sed et forte laboriosum est, exit enim dulcedo de tristitia vel labore* unde et Hebr. עז *az* significat durum, acerbum) nam in tentationibus et laboribus superatis, quasi in leonibus interfectis, suavissimi consolationum, gaudiorum et præmiorum favi inveniuntur: quo circa *Christus favos post fella gustavit*, ait Tertull. Idem fecere Martyres, quorum expressum hic typum exhibet Samson. Sic Paulus gaudet se liberatum de ore leonis, id est Neronis. 2. Timoth. 4. 17. Nimirum *bonorum laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ.* 3. 15. Hoc est *sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Quocirca S. Ambros. loco iam citato docet amara esse præoptanda dulcibus, iisque dulcia esse temperanda, ac præsertim epulas ieiunio. *Ipsa*, ait, *corpora dulcibus frequenter inflantur, et melle iecur tenditur: idem tamen escæ amaritudine temperatur. Ideo non mediocris, sed laudata quæstio: De man-*
B *ducante exivit esca, et de forti dulcedo. Alii habent: Et de tristi dulce, Græci Codices maxime: sed et forte laboriosum est. Exit enim dulce de tristitia vel labore.*

Idem Ambros. libr. de Tobia cap. 15. hoc ænigma explicat de eleemosyna: *De manducante*, inquit, *exivit esca, et de forte exivit dulce. Græcus et de tristi habet. Sic invenimus. Tamen de forti hoc intelligitur, quia leo fortis est feritate: et qui ferus tristis. Et de vobis, qui pecuniam devorastis et avaritiam, exeat misericordia. Hæc est enim esca egenorum. Et de tristi exeat dulce, ut dimittatis ei, qui non habet unde solvat.*

Porro inter leonem et apem multæ sunt analogiæ. Prima, in colore, qui utrique est fulvus, et in complexione, Analogiæ apis et leonis.
quæ utrique est ardens et cholerica. Secundo, in fortitudine; apis enim licet parva suo aculeo omnes fugat. Tertio, in generositate: apis enim generosa est, nec quid impurum patitur. Quarto, in industria, qua apis superat leonem: assidue enim laborat conficitque favos, et in iis mel
C ac ceram. Quinto, in pariendo: Leo enim primo parit quinque catulos, deinde pauciores, ac tandem unum, inde nullum: sic et apis initio plures parit apiculas, deinde pauciores et minores, ac tandem nullas. Ita Aldovrandus in ape.

1. 2. 3. 4. 5.

Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere.) Vers. 14.

Cumque adesset dies septimus.) Videntur hi Philisthæi sodales Samsonis prima die submisisse uxorem Samsonis, quæ ab eo ænigmatis solutionem exquireret, interim et ipsi cogitarunt, sperantes se eius solutionem inventuros: sed cum per tres dies cogitando illam non invenissent, rursum urserunt uxorem cum minis, ut a Samsone solutionem eliceret: quod cum Samson facere abnueret, tandem die septimo et ultimo totis viribus aggressi sunt uxorem, ut a Samsone rem expiscaretur, quod ni faceret, minabantur se eam cum domo combusturos. Fecit uxor suorum civium postulata per septem dies flens, ac tandem die septimo lacrymis et lamentis omnia miscens Samsonis animum expugnavit, uti dicitur vers. 17. Vers. 15.

D **An idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis?**) Sindonibus et tunicis nostris, quas Samson tollet, nisi ænigma eius solverimus. Pro *ut spoliaretis*, Septuag. et Vatabl. vertunt: *ut pauperes faciatis.* Chald. *Ut possideatis nos*, id est ut nostras vestes aucupemini et occupetis.

Septem igitur diebus convivii flebat ante eum: tandemque die septimo, cum ei esset molesta, exposuit.) Hunc versum exposui v. 15. quibus adde alteram expositionem solidiorem, scilicet *septem diebus*, hoc est durantibus septem diebus in certamine hoc propositis, puta die septimo antequam is finiretur, flebat ante eum assiduo: unde tandem victus Samson eodem die septimo ante solis occasum, ei rem totam exposuit. Non enim primis huius septenarii diebus, sed ultimo et septimo urserunt eam Philisthæi cum minis incendii, ut solutionem ænigmatis a Samsone expiscaretur: nam ante diem septimum sperabant ipsi se cogitando solutionem illius inventuros, et adveniente Vers. 17.

die septimo, quo mulcta indicta solvenda erat si ante vesperam ænigma non exponerent, desperantes de eius solutione uxorem stimularunt, ut omni ratione et modo illam a Samsone extorqueret. Hoc est enim quod paulo ante dictum est v. 15. *Cumque adesset dies septimus dixerunt ad uxorem*, etc. *Septem diebus* ergo *flebat*, id est in fine septem dierum, sive die septimo et ultimo flebat. Cum enim spatium temporis nominatur, cuius nulla pars designatur, significatur eius plenitudo sive complementum, uti dixi in Canonibus proœmii. Idipsum docet noster Gaspar Sanchez in Habacuc pag. 1202. litt. B. et Vatab. *Septem diebus*, inquit, *id est usque ad septimum diem: nam incœperat in quarta die flere*. Vide hic quam insidiosæ sint lacrymæ mulieris. Vere Cato:

Coniugis iratæ noli tu verba timere,
Instruit insidias lacrymis, dum femina plorat.

Quæ statim indicavit civibus suis.) Vide hic ut uxor prodat maritum Samsonem. Vere Menander: *Mulier*, ait, *etiam cum dicit optima et suavissima, formidanda est vel maxime*. Et Antiphanes: *Unum hoc se dicebat mulieri credere; fore ut mortua cum fuerit non reviviscat: in aliis omnibus, quamdiu vivit, ei nihil credere*. R. Iose celebris illius Antigoni discipulus in Pirke Avoth c. 1. *Ne*, inquit, *sermonis multum cum muliere habeas: nequidem, ut dixerunt Rabbini, cum uxore propria, quanto minus cum aliena? Unde et dixerunt sapientes: Quotiescumque cum femina sermonis plus habet vir, sibi ipsi malum accersit, et a studio legis impeditur, tandemque in gehennam descendit.*

Vers. 18. Quid dulcius melle? et quid fortius leone?) q. d. Ænigmatis tui, *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo*, hæc est solutio, quod tu in ore leonis voracis et fortis inveneris favum mellis: *Quid enim dulcius melle, et quid fortius leone?* S. Ambros. epist. 24. quæ in veteri editione est 70. ex Iosepho addit Samsonem tum illico subiecisse: *Quid muliere perfidiosius?* (Quid dulcius melle?)

(Allegor.) Alleg. hæc omnia Christo eleganter et multipliciter applicat S. Paulinus epist. 4. Primo: » Christus, inquit, ipse nobis leo est, in cuius mortui ore cibum mellis invenimus. Quid enim dulcius Dei verbo? Et quid fortius Dei dextera? Aut in cuius mortui ore favus et apes, nisi in cuius verbo salutis nostræ bonum et congregatio gentium? »

Secundo: » Quarum (Gentium) potius figuram plerique in hoc leone posuerunt, quia populus gentium, qui credidit corpus feritatis erat ante, nunc Christi est, in quo Apostoli velut apes, a rore cæli et divinarum floribus gratiarum mella sapientiæ condiderunt, ac sic esca ab ore edentis exierit, quia prius efferæ a Deo nationes receptum Dei verbum fideli corde sumentes fructum salutis ediderint. »

Tertio: » Qui vero Christum magis in eodem sibi leone proponunt, Samsonem Iudæorum figuram accipiunt, videlicet ut illum leonem quasi Christum Iudæus occideret, id quoque assignantes mysticæ præparationi, quod eo potissimum tempore, quo coniugium petebat optatam potentis belluæ egerit cædem: quia videlicet non posset firmari coniugium, quod in Christo et Ecclesia pactum est, nisi occiso leone de tribu Iuda. Idem enim Dominus et Leo ille qui vicit et catulus leonis est, sua sponte sopitus, et a semetipso resuscitatus, de quo scriptum est: Quis suscitabit eum? Voluntarie enim sacrificans pro nobis Patri hostiam sui corporis; Idem summus in æternum sacerdos animam suam, sicut ipse testatur, eadem resumpsit potestate qua posuit. »

Quarto: » Hic leonis catulus, quia Filius Dei, et idem Leo, quia æqualis patri, quare ut mihi videtur, huic aptius est leoni: De edente exivit esca, et de potente dulcedo. A quo enim nisi a Salvatore nostro, cuius sermo vita est, et qui hanc nobis escam simul et ruminavit docens, et prompsit impertiens; et si placet aliter, ut de edente esca sic exeat, quia hic leo de tribu Iuda pro nobis victor, ex ore nos adversi leonis eripiens, ideo venatur ut servet, capit ut absolvat, frangit ut solidet, mandit ut integret, hoc in nobis edens, quo corrumpimur. Quamobrem optemus huius leonis præda fieri, ne simus præda leonis inimici; efficiamur esca Dei, ne simus esca serpentis; edat nos Christus, ne diabolus voret. »

Anagog. « Edente enim Christo in nobis absumitur, quo consumimur. Christus etenim vita est, et mortale hoc non poterimus deponere nisi absorbeamur, quia mortem nostram devorat Christus. » (Anagog.)

Tropol. « Cibus enim Christi esse non possumus, nisi faciamus voluntatem eius, ut vicissim et ipse cibus nobis fiat, in quo semper vivimus, si ad eius præcepta vivamus. Sic ergo de potente exit dulce, cum amaritudine malitiæ nostræ per ipsum in dulcedinem bonitatis commutata, dulcis a verbo eius esca procedimus, qui nos edendo consumpsit peccato reparavit ad vitam. Solus hic potens, dulciter potens, qui liberavit pauperem ab avaro potente, qui feritatem mei corporis per mysterium pietatis suæ in mortem sui corporis perimens; ibi cibum vitæ edit, ubi miseræ fames mortis arebat, qui mihi offensionem gratia, peccatum iustitia, infirmitatem virtute, mortem vita, confusionem gloria, regno mutavit exilium, quia audiebamus: Terra es, et in terram ibis: Nunc iam audimus: Conversatio vestra in cælis est. » (Tropol.)

Quid dulcius melle?) Resp. saccharum; sed saccharum illo ævo et pluribus sequentibus fuit incognitum. Unde in Scriptura nulla eius fit mentio. Legi totam S. Scrip. et nusquam inveni vocem *saccharum;* imo primi qui sacchari mentionem faciunt fuere Dioscorides, Plinius et Galenus, qui tamen tantum cannarum sacchari meminerunt, modum vero illud per ignem liquandi, ac ad candorem, spissitudinem, et eximium dulcorem miro modo excoquendi non attingunt, ita ex Matthiolo et Cardano nostri Conimbr. in Meteora lib. 7. cap. 10. Audi Plinium lib. 12. cap. 8. *Saccharum et Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile. Amplissimum nucis avellanæ magnitudine ad medicinæ tantum usum.* Hæc Plinius, nec plura habet de saccharo. (Saccharum priscis incognitum.)

Mystice: *Quid dulcius melle?* Audi Sapientiam: *Spiritus meus super mel dulcis et hereditas mea super mel et favum:* Ecclesiast. 24. 27.

Quid fortius leone?) Audi Zorobabel: *Forte est vinum, fortior Rex, fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas.* 3. Esdræ 3. 10. Veritas ergo est fortior leone, adeoque rerum omnium fortissima. Tropologiam dedi v. 13. et 14. cui adde in leonum ore inveniri mel, cum in ore superborum, in quo prius erat putor arrogantiæ et blasphemiæ postea pœnitentium et humilium invenitur dulcedo laudis et gratiæ Dei.

Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea non invenissetis propositionem (ænigma) meam.) Nonnulli per arationem intelligunt fornicationem Philisthinorum cum uxore Samsonis, utpote pariter Philisthæa: τὸ enim *vitula* notat eam fuisse petulantem, procacem et lascivam. Verum nulla hic fornicationis facta est mentio, sed potius minarum, quibus Philisthæi coegerunt illam a Samsone exquirere ænigmatis solutionem. Dico ergo Hebr. חרש *charas* significat excogitare, vestigare et insuper arare: itaque arare hic ponitur pro vestigare scrutari, rimari, quia sicut arando aperitur terra tecta, sic rimando aperitur et invenitur rei occultæ veritas. Sensus ergo est q. d. nisi fraudulenter per uxorem meam perfidam exquisissetis solutionem mei ænigmatis, nunquam illud vestro acumine invenissetis. Porro uxorem vocat vitulam ob iuvenilem eius levitatem, imprudentiam et inconstantiam, qua marito Samsoni hoc onus solvendi triginta sindones sua perfidia imposuit, ac suos Philisthæos licet nec consanguineos, nec affines illi antetulit. (Decem formæ mulierum.)
Decem mulierum formas, ait Serarius, depinxit olim Simonides. Alias enim dixit sues, alias vulpes, alias canes, quasdam vero terræ similes, quasdam mari, nonnullas cineri asinoque clitellario, mustellæ, iubato equo, simiæ, demum vero apibus etiam: hasque unas, sicuti et Phocylides, laudavit. Samson vero noster monstrat quasdam etiam esse vitulas, quæ lascivæ, loquaces, infidæ, iugique

impatientes, ac Domino coniugato suo molestæ ac noxiæ.

Mystice S. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto in proœmio. docet per uxorem Samsonis, hoc est per Ecclesiam e Gentibus collectam, quærendam a Christo revelationem arcanorum Dei, fidei et salutis: « Quid dulcius melle, quid fortius leone? Ad quæ ille respondit: Si non domuissetis vitulam meam, non invenissetis quæstionem meam. O divinum mysterium, o evidens Sacramentum! Evasimus interemptorem, potentem vicimus. Ibi nunc cibus vitæ est, ubi erat ante miseræ fames mortis. In salutem pericula, in suavitatem amaritudo convertitur. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte. Sunt tamen qui e contrario putent fundari non potuisse coniugium, nisi occiso leone de tribu Iuda. Et ideo in corpore eius, hoc est Ecclesia apes reperias, quæ condunt mella sapientiæ, quia post Domini Passionem magis Apostoli crediderunt. Hunc igitur leonem Samson, quasi Iudæus occidit, et in eo mel in figura redimendæ hereditatis invenit, ut reliquiæ salvæ fierent secundum electionem gratiæ. »

Vers. 19. IRRUIT ITAQUE IN EUM SPIRITUS DOMINI, impellens eum ad heroicam Ascalonitarum hostium Israelis stragem; DESCENDITQUE ASCALONEM, ET PERCUSSIT IBI TRIGINTA VIROS, QUORUM ABLATAS VESTES DEDIT IIS QUI PROBLEMA SOLVERANT.) Ita nimirum hostibus promissum hosticum præmium ex hostium eorumdem cæde et spoliis persolvit. Iuste ergo hoc fecit Samson; tum quia iustum erat Israeli cum Philisthæis bellum; tum quia ad hoc eum agebat irruens Spiritus Domini, qui pariter effecit, ut Thamnatenses Philisthæi et Oedipi, qui ænigma hoc solverant, vel nescirent Ascalonitas hos sibi confœderatos a Samsone cæsos; vel si scirent, in eum insurgere, et sociorum necem ulcisci non auderent.

A Dices, Num. 6. vetitum erat ne Nazaræi tangerent quid immundi, v. g. cadaver; quomodo ergo Samson, qui erat Nazaræus, cadavera occisorum a se tetigit, ut eis tunicas adimeret? Resp. a peccato, æque ac ab immunditia legali excusat eum necessitas solvendi debitum paranymphis promissum. Adde Samsonem, hæc omnia fecisse impulsu irruentis in se Spiritus Dei, uti hic dicitur. Deus enim eum quasi magister dirigebat, ac proinde in lege cum eo dispensabat. Id patet ex eo, quod Deus paraverit ei cibum favi et mellis in ore leonis mortui, ac potum in maxilla asini pariter mortui c. 15. Quis autem non utatur escis et potibus sibi a Deo paratis?

IRATUSQUE NIMIS ASCENDIT IN DOMUM PATRIS SUI.) *Iratus*, tum uxori suæ, quæ secretam ænigmatis solutionem a Samsone acceptam revelaverat et prodiderat Philisthæis, ideoque causa fuerat cur ipse iisdem pendere deberet triginta tunicas et sindones, quæque magis amabat iuvenes Philisthæos, quam sponsum suum Samsonem. Unde et ipsa a Samsone fecit divortium, alteri, scilicet B Philisthæo cuidam e pronubis Samsonis nubens; indeque Samson novam malefaciendi Philisthæis sumpsit ansam.

IRATUS) quoque paranymphis suis Philisthæis, qui fraude per uxorem Philisthæam ænigmatis solutionem, indeque præmium triginta sindonum a se extorserint. Iratus denique toti urbi Philisthinæ, quæ tam fraudulentos paranymphos sibi assignaverat.

UXOR AUTEM EIUS ACCEPIT MARITUM UNUM DE AMI- Vers. 20.
CIS EIUS ET PRONUBIS.) Septuag. eum vocant *nymphagogum* alii *paranymphum*. Christus Matth 9 vocat eos *amicos sponsi:* alibi vocantur *filii sponsi*, vel *filii nuptiarum*, qualis Christo fuit Ioannes Baptista, dum eius cum Ecclesia nuptias sua prædicatione honestavit, et quasi conciliavit.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson, ob uxorem sibi ademptam et alteri traditam, per 150. faces ad caudas trecentarum vulpium alligatas segetes Philisthinorum succendit: quare Philisthæi eius uxorem cum patre comburunt. Mox v. 8. Samson ingenti plaga eos percutit. Quare ipsi conflato exercitu Samsonem sibi a Iudæis dedi poscunt: hi illum ligatum dedunt, sed ille ruptis funibus mille Philisthæos maxilla asini occidit v. 15. Deinde sitiens orando ex eadem maxilla aquam elicit, sitimque restinguit v. 18.

1. POST aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei hœdum de capris. Cumque cubiculum eius solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: 2. Putavi quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ iunior et pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor. 3. Cui Samson respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos: faciam enim vobis mala 4. Perrexitque et cepit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, et faces ligavit in medio: 5. Quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, et comportatæ iam fruges, et adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret. 6. Dixeruntque Philisthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi: quia tulit uxorem eius, et alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philisthiim: et combusserunt tam mulierem quam patrem eius. 7. Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam 8. Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitavit in spelunca petræ Etam. 9. Igitur ascendentes Philisthiim in terram Iuda, castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est maxilla, ubi eorum effusus est exercitus. 10. Dixeruntque ad eos de tribu Iuda: Cur ascendistis adversum nos? Qui responderunt: ut ligemus Samson, venimus, et reddamus ei quæ in nos operatus est. 11. Descenderunt ergo tria millia virorum de Iuda, ad specum silicis Etam dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philisthiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis. 12. Ligare, inquiunt, te venimus, et tradere in manus Philisthinorum. Quibus Samson, Iurate, ait, et spondete mihi, quod non occidatis me. 13. Dixerunt: Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, et tulerunt eum de petra Etam 14. Qui cum venisset ad locum Maxillæ, et Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum: et sicut solent ad odorem ignis lina consumi. ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt et soluta. 15. Inventamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.

16. Et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevi eos, et percussi mille viros. 17. Cumque hæc verba canens complesset, proiecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius, Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ. 18. Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, et ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam: en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum. 19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem. 20. Iudicavitque Israel in diebus Philisthiim viginti annis.

Vers. 1. AB HAC DIE NON ERIT CULPA IN ME CONTRA PHILISTHÆOS; FACIAM ENIM VOBIS MALA.) q. d. Ulciscar iniuriam in uxoris meæ ablatione mihi illatam: quare vobis imputate clades a me inferendas, non mihi. Ego enim vobis iniuriam non intuli, sed vos mihi intulistis. Vestra ergo est culpa, vestra erit et pœna. Porro Samson maxime intendebat ulcisci publicas iniurias toti populo a Philisthæis illatas, sed iis tacitis suas privatas eis obiicit ne Philisthæi iras et arma in totum populum, sed in se solum convertant. Ipse enim omnes quasi ad duellum provocabat, quod erat opus heroicæ fortitudinis, æque ac prudentiæ et charitatis in suos populares et cives, ut eos a Philisthæorum vindicta faceret immunes.

Vers. 4. CEPIT TRECENTAS VULPES.) Hinc patet Samsonem æque callidum ac fortem fuisse, utpote qui vulpes adeo dolosas dolo superarit et ceperit. Tritum est illud: *Annosa vulpes non capitur laqueo*, sed norat ipse vulpinari cum vulpibus, fecitque quod Lysander aiebat: *Si leonis exuviæ non sufficiunt, vulpis pellem eis assue*, hoc est quod robore conficere nequis, confice astutia. Et illud Pindari de Melisso Ode 4. *Ille animositate similis audaciæ graviter frementium leonum, ad venandum cum labore: solertia autem est vulpes, quæ supina cohibet impetum Aquilæ; oportet autem quodlibet faciendo labefactare adversarium.* Adde Deum per Angelum secundantem actus Samsonis, has vulpes collegisse eo loco et modo, quo sciebat illas facile a Samsone capiendas, sicut animalia omnia adduxit ad Noe tempore diluvii, ut ipse ea eorumque stirpem servaret in arca, aut certe artem et rationem has vulpes capiendi Samsoni suggessisse. Porro Iudæa, ac præsertim tribus Dan abundat vulpibus, unde in tribu Dan erat locus *Salebim, in quo erant vulpes* c. 1. 35. ut vertunt Septuag. Hinc et illud Cant. 1. *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas.* Sic Iulius Cæsar Romæ spectaculum dedit leonum 400. Probus Imper. mille, item mille leopardorum, mille cervorum, mille aprorum, mille ibicum, mille struthionum; Heliogabalus collegit mille mustelas, totidem sorices, decem millia murium, decem millia pondo aranearum et muscarum, teste Lampridio et Vopisco in eorum vita, ac Plinio l. 8. c. 16. Quid mirum si Samson trecentas collegerit vulpes? Collegit autem eas, tum ne vineas civium suorum vastarent, tum ut segetes Philisthinorum succenderent. Ita civibus suis tantum profuit, quantum hostibus nocuit.

CAUDASQUE EARUM IUNXIT AD CAUDAS.) Noluit Samson singulis vulpibus alligare faces, licet id opinetur Abul. ne singulæ in antra sua se abderent, et faces extinguerent, sed binis vulpium caudis singulas faces alligavit, ut dum una huc, altera illuc conatur faces effugere, in campos segetum plenos profugiant, illasque succendant. Rursum ut moram ad succendendum segetes omnes necessariam eis iniiceret, dum una vulpe fugiente altera sistit, vel alio se proripere satagit.

ET FACES LIGAVIT IN MEDIO.) Pro *faces* Hebr. est לפדים *lappidim*, id est torres, tædas, titiones ex pino, cedro, cupresso aliaque pingui materia, qui facile ignem concipiunt, diuque fovent et retinent. Hebr. est: *Convertit caudam ad caudam, et facem posuit in medio duarum caudarum.* Non ergo implexæ vel astrictæ a Samsone fuere vulpium caudæ; hoc enim difficile fuisset, et impedimento vulpium cursui, sed utriusque vulpis caudæ fortiter adnexo, quin et longius tracto fune Samson medium titionem vel facem alligavit, ut a binis fortius traheretur, minusque obiectis stipulis vel impedimentis retineretur: sicubi vero implicaretur, acuto astutoque vulpium ingenio expediretur. Porro vulpes hæ ignem ad caudas se insequentem continuo fugientes (valde enim ignem horrent vulpes) ad segetes, ut in iis latitarent, putantes se ignem effugere posse, receperunt: illasque succensas a se rursum fugientes, in alias et alias segetes profugerunt, eisque pariter ignem immiserunt, quocirca plurimas non tantum segetes, sed et vineas et oliveta succenderunt. Ingens ergo damnum hic Philisthæis intulit Samson.

Serarius opinatur ex hoc facto Samsonis orta esse vulpinalia Romæ. Romani enim quotannis Aprili mense, quando in Circo celebrabant Equiria, id est ludos equestres, simul solebant vulpem ardenti tæda exurere, cuius ritus originem Ovidius lib. 4. Fastor. refert rusticum quemdam, qui Carseolis vulpem, eo quod gallinas suas comedisset, exurere cœpit; sed vulpes ex rogo elapsa in vicinas segetes, eas succendit. Verum hoc videtur esse fabula, vera autem est hæc vulpium historia a Samsone edita. Unde videntur Romani illam, ut et multa alia ab Hebræis accepisse. Omnium enim gentium ritus et superstitiones Roma in se transtulit. Vulpinalia a Sampsone.

Tropol. S. Ambros. in Psal. 118. serm. 11. in fine, S. August. serm. 107. de Temp. hom. 4. in Cantica, per vulpes accipiunt hæreticos: primo, quia utrisque ingens inest dolus et ars fallendi. Hinc S. Isidor. lib. 12. Etymol. c. 2. vulpi hoc dat etymon: *Vulpes*, inquit, *dicitur quasi volupes; est enim volubilis pedibus, et nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit fraudulentum animal, insidiisque decipiens. Nam dum non habuerit escam, fingit mortem; sicque descendentes quasi ad cadaver volucres rapit et devorat.* Vulpes sunt hæretici. I.

Audi S. Ambros. loco iam citato: *Per hanc figuram* (vulpium) *significans quod improbi ac fraudulenti homines, et maxime hæretici liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitus impeditos: aut religiosa principia, finem vero fraudis suæ incendio deputatum. Ideoque et trecentas vulpes dimisit; eo quod perfidi crucis quidem se prædicatione commendare desiderant, sed mysterium eius tenere non possunt, qui hac prædicatione composita et falsa atque simulata, urere magis conantur fructus alienos: cum utique vera crux Domini non exurat aliena merita, sed fæcundet.* Idem in cap. 9. 5. Lucæ: *Hæretici*, inquit, *fructus succendere conantur alienos. Ad præsens ore liberi, sed in futurum ignem iam vincti, cauda facibus significantes sui finis incendium.*

Secundo, vulpes hæ capitibus dissociantur, sed caudis sociantur; quia apud Hæreticos tot sunt sententiæ, quot capita, omnes tamen in fine conspirant ad fidem orthodoxam impugnandam. II.

Tertio, hæretici instar vulpium Samsonis suis litibus, bellis, cædibus, incendiis omnia devastant. III.

Quarto, Philisthæis, id est aliena dogmata sectantibus nocent, non fidelibus in fide constantibus. IV.

Quinto, *quid sibi volunt caudæ vulpium*, ait S. August. *nisi posteriora Hæreticorum, qui prima habent blanda, magna deceptoria opera*, quasi capita; *posteriora vero ligata, id est damnata, et ignem in fine trahentia, ut eorum fructus et acta consumant, qui suis seductionibus acquiescunt.* V.

Sexto, vulpes cicurari nequit, nec ulla arte mores et dolosam indolem mutat; sic nec Hæretici. Unde nullus hæresiarcha (excepto Berengario, cuius dubia est salus) legitur ad fidem Orthodoxam rediisse. Vidi Lovanii vulpeculam recens natam, quæ iuncta catulis felis cum iis lacte felis alebatur, sed ipsa illico catulos felis occidit: vidi aliam cum catulo canis grandiore educari, sed ita ut vul- VI.

pes non caninos, sed canis vulpinos a socio vulpe mores indueret.

VII. Septimo, vulpes cum vult imitatur latratum canis et ululatum lupi; sic Hæretici alios se simulant, et Orthodoxam vocem fidemque imitari se iactant.

VIII. Octavo, vulpes nunquam rectis itineribus, sed tortuosis semper anfractibus currit. Sic apud Hæreticos omnia sunt prava, vafra, distorta, nec aliud nisi dolos, cædes, proditiones Catholicorum machinantur.

IX. Nono, vulpes in spelæum una via intrat, alia exit, ait S. August. in Psal. 80. Sic hæretici dum una ratione premuntur, alia elabuntur. Rursum per blanditias irrepunt, at cum dominium assecuti sunt, feroces evadunt, exeuntque per rapinas, strages et funera civium.

X. Decimo, vulpes callida est, quia calida, indeque fœtens: sic Hæretici ardent invidia, ira et libidine, indeque putent.

XI. Undecimo, vulpes ubi minxerit, illico terram efficit sterilem, ut germinare nequeat: sic ubi Hæretici suam hæresim effuderint, omnia virtutum germina exarescunt. Ipsi igitur

Astutam vafro gestant sub pectore vulpem.

Samson ergo capiens vulpes, est doctor revincens hæreticos, ac per eos hæresum libros et Synagogas comburens. Ita Orig. hom. 4. in Cant. et S. August. in Psal. 70.

Vers. 5. ET COMPORTATÆ IAM FRUGES, ET ADHUC STANTES IN STIPULA.) Id est segetes tam demessas et in acervum comportatas, quam non demessas et in agro adhuc stantes. Hebr. *Succendit ab acervo usque ad segetem.* Sept. *arserunt ab area usque ad spicas rectas.*

Vers. 6. ET COMBUSSERUNT TAM MULIEREM QUAM PATREM EIUS.) Eo quod secundis suis nuptiis occasionem dederit Samsoni succendendi suas segetes. Addit Ioseph. cognatos quoque eius fuisse exustos. Ecce mulier hæc volens effugere cremationem a Philisthæis sibi comminatam, sua perfidia in eundem ignem recurrit. Rursum disce hic adulteras (qualis erat hæc mulier) olim punitas morte, eaque ignis et incendii. Unde et Iudas Thamar nurum suam ob adulterium iussit comburi. Genes. 38. 24. vide ibi dicta. Audi S. Bonifacium Epist. 19. ad Ethibaldum Merciorum Regem: *Saxones adulteram cogunt per laqueum suspensam vitam finire, et super bustum illius incensæ et concrematæ corruptorem eius suspendunt.*

Vers. 8. PERCUSSITQUE EOS INGENTI PLAGA, (obvios quosque passim feriendo, sternendo et mactando) ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT.) Quod intensæ et anxiæ cogitationis signum est: tunc enim quasi stupentes solemus suram pedis unius alteri femori imponere. Ita Sanctus Augustinus. Et Hugo Victor. Hebr. *Percussit eos tibia super femur plaga magna.* Vatabl. *Percussit eos in crure una cum tibia;* hoc est percussit eos in cruribus simul et femoribus. Chaldæus. *Percussit equites cum peditibus.* Rabbi David: *Percussit eos circumagendo se super pedes,* id est circumgyrando omnes circumcirca occidebat, ne a tergo lædi posset. Sic Lusitani pauci in India contra multos barbaros pugnantes, circumgyrando se, pugnant in orbem. Hebræi et Burgensis: *Percussit eos sura id est calcibus femora Philisthinorum.* q. d. Non armis feriendo, sed calcibus calcitrando eorum femora illisit. Ita varii varie. Verum optime et plenissime vertit Noster iuxta sensum quem dedi, cui consentiunt Septuag. qui vertunt: *Percussit eos tibiam super femur* (præ stupore ponentes) *plagam magnam.*

Est hæc secunda huius capitis plaga a Samsone Philisthæis inflicta, tertiam per maxillam irrogatam audiemus v. 15.

HABITAVIT IN SPELUNCA PETRÆ ETAM.) Quæ sita erat in tribu Iuda, habebatque vicinum torrentem, ait Adrichom. Innuit hic Script. præcedentem Samsonis pugnam in vicinis Iuda montibus contigisse, indeque victorem Samsonem ad speluncam Etam demigrasse: ubi propter locorum angustias, unus aliquis miles plurimis bellatoribus par esse posset, tantoque magis Samson, qui solus in medio campo pluribus centuriis præstabat. Neque tamen eo secessit metu, sed ut ait Dionys. quo ibi quietius vacaret Deo, quo impulsore ista patrabat. Et ne urbs, quam adiisset, ipsius causa periclitaretur; cum ille vellet suo se tantum periculo ac virtute tutari. Ita Salianus.

LIGAVERUNTQUE EUM.) Potuisset Samson civibus suis Vers. 13.
resistere ac dicere: Ego vestri causa percussi Philisthæos, ut eorum vires infringam ne vobis dominentur, cur ergo me liberatorem vestrum eis traditis? sed noluit, ut eos immunes et indemnes a Philisthæis redderet, qua in re illustre dedit exemplum iustitiæ legalis, æque ac civicæ charitatis, quia ipse vitam suam pro publica civium et Reipub. salute periculo mortis exposuit. Audi S. Ambrosium paraphrastice hunc locum et sensa Samsonis graphice describentem epist. 24. quæ in veteri edit. est 70. » Et quæ iustitiæ forma est genus Abrahamidarum, ut circumscriptæ primo coniugis, deinde abductæ perniciosa mihi vindicta sit, et sine periculo domesticam iniuriam non licuerit ulcisci? Tantumne inclinatis animos ad turpe vernularum obsequium, ut executores vos alienæ præbeatis insolentiæ, atque in vosmetipsos vertatis manus? Si pereundum est, quia dolorem habui, liberum iuvat perire manibus Palæstinorum. Tentata domus, sollicitata uxor. Si non licuit mihi vivere sine eorum fraude, saltem liceat mori sine meorum scelere. Retuli ego acceptam iniuriam, non intuli. Vos æstimate an digna vicissitudo fuerit. Ille de damno fructuum queruntur; ego de coniugis amissione. Conferte manipulos messis et sociam thori. Dolorem meum ipsi probarunt, cuius iniurias vindicaverunt. Videte quo vos ministerio dignos putant. A vobis eum morte affici volunt, quem ipsi ultione dignum, de iis qui me læserant, iudicaverunt, et qui vindictæ præbuere ministerium. Sed si adeo subdita superbis colla geritis, tradite me hostium manibus, vos nolite occidere. Non mortem abnuo, sed vestrum fugio contagium. Verum si formidine ceditis, insolentibus alligate vinculis manus: inermes licet invenient sibi arma nodis soluta. Certe conditioni impositæ satis futurum arbitrati sunt, si viventem in potestatem daretis.»

Allegor. Samson hic fuit typus Christi, qui a civibus suis Iudæis ligatus et traditus est Pilato et Romanis, ut ab eis crucifigeretur. Ita S. August.

ET SICUT SOLENT AD ODOREM IGNIS LINA CONSUMI.) Id est facillime Samson rupit funes, perinde ac lina, quæ sicca, mox ut calorem ignis senserint, comburuntur. Metaphorice sensus caloris vocatur odor. Unde Septuag. *Sicut stuppa cum olfecerit ignem.* Perperam ergo nonnulli Codices pro *odorem* legunt *ardorem,* et pro *lina ligna.*

INVENTAMQUE MAXILLAM, ID EST MANDIBULAM ASINI, QUÆ IACEBAT.) Hebr. maxillam טְרִיָּה *teria*, id est virentem, id est humentem et tabo adhuc fluentem. Ita Chald.

INTERFECIT IN EA MILLE VIROS.) Asini enim uti ma- Vers. 14.
gna habent duraque capita, sic et maxillas, præsertim in Syria, ubi sunt grandiores et fortiores nostratibus; quamquam naturaliter vix fieri poterat, ut una maxilla occideret mille viros; nam percutiendo tot viros maxillam sæpius confregisset; sed Dei virtus ei adfuit, quæ et maxillam in suo robore conservavit, ut tot ictibus allisa duris corporibus non rumperetur, ac Samsoni vires dedit, ut per illam mille viros necaret. Hic impletum illud Psal. 3. 8. *Percussisti omnes adversantes mihi sine causa,* ubi pro *sine causa* Hebr. est לְחִי *lechi,* id est *maxilla.*

Symbol. in maxilla asini Samson percussit mille Philisthæos. Homo enim carni, gulæ et luxuriæ deditus (uti erant Philisthæi) nihil est aliud quam bucca aut maxilla, ait Clemens Alexand. libr. 2. Pædag. cap. 1. sub initium. Mala ergo sive maxilla asini percussit asinos, id est, Philisthæos asininos et carnales. Sicut ergo Hercules non telo, sed clava tot monstra cecidit, sic Samson maxillam vertit in clavam, eaque hostes prostravit.

Mystice S. Ambr. lib. 2. de Spiritu S. in Procemio per maxillam accipit patientiam, quæ omnium est victrix: » Invictus Samson, inquit, atque ita insuperabilis, ut in maxilla asini viros mille percuteret: ita plenus gratiæ cælestis, ut etiam aquam in maxilla asini sitiens reperiret:

sive hoc ad miraculum conferas, sive ad miraculum vertas, quod in populi foret humilitate gentilis et requies et
Matth. 5. triumphus, iuxta quod scriptum est: Qui te percusserit in maxillam, præbe ei et alteram. Per hanc enim iniuriarum patientiam, quam erudiunt sacramenta baptismatis, et de quibusdam stimulis iracundiæ triumphamus, ut morte obita resurrectionis requiem consequamur. »

Hinc Cabalistæ tradunt חמור *chamor*, id est asinus, per Anastrophen idem esse quod רחם *rechem*, id est misericordia, qua Christus pro nobis pugnans dæmones, omnesque nostros hostes profligarit.

Vers. 16. ET AIT: IN MAXILLA ASINI, IN MANDIBULA PULLI ASINARUM DELEVI EOS.) In Hebræo pulchra est Paranomasia: בלחי חמור חמרתים *Bilchi chamor chamorataim*, quod Pagnin. Caiet. Vatabl. et Rabbini vertunt: *In maxilla asini acervum acervorum duorum percussi.* q. d. Duos acervos vel cumulos Philisthinorum cecidi. Ludit in voce *chamor*, id est asini, quæ deducta est a *chomer*, id est acervus sive mensura, quæ corus dicitur, continetque triginta modios; hæc enim erat asinarium onus, quod asinus in Palæstina baiulabat. Ita Vilalpando parte 2. de templo lib. 3. c. 9.

Porro Iosephus et S. Ambros. epist. 70. opinatur Samsonem hæc ex arrogantia dixisse, ideoque siti a Deo afflictum. Audi S. Ambros. » Utinam quam fortis in hostem, tam moderatus in victoria fuisset. Verum, quod facile usu venit, insolens rerum secundarum animus, qui debuit eventum pugnæ divino favori et præsidio deferre, sibi arrogavit dicens: In maxilla asini delevi mille viros. Nec aram statuit Deo, nec hostiam immolavit, sed negligens sacrificii, assumptor gloriæ, ut triumphum suum perpetuo consecraret nomine vocavit locum maxillæ interfectionem. »

Verum melius Abulens. Serarius et alii censent Samsonem hoc cantico gratias Deo egisse, quod eius ope solus per unam maxillam ceciderit exercitum Philisthinorum. Addunt Lyran. Abul. Caiet. et Arias (idque colligitur ex v. sequenti) Samsonem prolixius carmen hic Deo cecinisse: v. g. illud quod postea cecinit David Psal. 143. *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum,* etc. ac post singulos versus iterasse: *In maxilla asini, mandibula pulli asinarum delevi eos,* quasi carmen intercalare.

Vers. 18. SITIENSQUE VALDE.) Ex labore tum itineris tum mactandi tot Philisthæos.

Vers. 19. APERUIT ITAQUE DOMINUS MOLAREM DENTEM (Septuag. *lacum qui in maxilla.* Perperam Chald. *petram quæ in maxilla*; nisi per petram accipias os dentis durum ut petram. Hebr. enim מכתש *machtes*, dentem molarem significat) IN MAXILLA ASINI, ET EGRESSÆ SUNT EX EO AQUÆ.) S. Ambros. epist. 70. *Dei misericordia*, inquit, *cum proiecisset ille maxillam, aperuit scissuram eius, et fons erupit ex ea.* D. Hieron. in Epitaph. Paulæ: *Fontem de molari maxillæ dente produxit.* Prudentius in Enchiridio:

ab ore leonis
Mella fluunt: maxilla asini fontem vomit ultro,
Stultitia exundat lymphis: dulcedine virtus.

Et S. Ephrem tom. 1. pag. 128. *Tantæ*, inquit, *erat Samson sanctimoniæ, ut etiam quandoque sitiente eo, et in inopia aquæ orantes, ex arrepta mandibula asini emortua aquæ scaturirent.* S. Chrysost. hom. 15. ex variis in Matthæum locis: *Sanctus erat Samson, atque in tantum sanctus, ut cum sitisset post laborem pugnæ, in loco*
A *sicco deprecatus in defectu animæ suæ Dominum, statim ex ipsa maxilla, quam in manu tenebat, erumpente aqua biberit, atque inde sitis æstum ex eodem mortui pecoris osse, quo vicerat, refectus extinxerit.*

Nota quod ait Chrysost. *quam in manu tenebat,* hoc est manu tenuerat; nam iam ante eam in terram proiecerat, ibique eo orante ex illa fons erupit. Porro erupit hic fons ex terra in maxillam, indeque scaturiit, ut maius appareret miraculum, idque congrue ad meritum Samsonis et præmium: quia enim ipse per mandibulam fortissime pugnans et cædens Philisthæos ingentem contraxit sitim; hinc Deus per eamdem maxillam sitis remedium præbuit, eliciens ex illa fontem aquæ perennem. Disce hic quam magnus Deus per res viles et parvas, uti per maxillam, magna operetur, quare nemo desperet se eius ope magna facturum, dummodo ei strenue cooperetur.

IDCIRCO APPELLATUM EST NOMEN LOCI ILLIUS: FONS INVOCANTIS DE MAXILLA.) Τὸ *de maxilla* refer ad τὸ *fons*, non ad τὸ *invocantis*, ut patet ex Hebræo. q. d. Fons in-
B vocantis (Samsonis) qui est in *lechi*, hoc est in loco dicto *Ramath lechi*, id est elevatio maxillæ, eo quod ibidem Samson orans ex maxilla fontem hunc elicuerit.

USQUE IN PRÆSENTEM DIEM.) Fontem hunc perdurasse ad sua tempora tradit S. Hieron. in Epitaph. Paulæ, imo et Glycas par. 2. annalium diserte: *Hic fons*, inquit, *in hodiernum usque diem in Eleutheropolis suburbio conspicitur, et fons maxillæ nuncupatur.* Unde Serarius fontem istum adhuc extare, et aquas fundere opinatur. Nam Glycas, inquit, vix 500. annis nostrum sæculum antecessit, cum usque ad Ioannem Comnenum Imperatoris Alexii filium suos protulerit annales. Nam quis ex eo tempore illum vel arefecisset æstus, vel obstruxisset lutum, vel dissipasset manus?

Tropol. S. Gregor. libr. 13. Moral. cap. 6. « Maxilla, inquit, Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, sicut sub Iudææ specie per Ieremiam dicitur: plorans ploravit in nocte, et lacrymæ eius in maxillis eius: quia in adversitate Eccle- Maxilla Ecclesiæ est prædicator,
C siæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt. Per ipsos quippe sancta Ecclesia iniquos a vitiis conterit, et quasi glutiens in sua membra convertit. Unde ipsi quoque primo prædicatori, velut maxillæ Ecclesiæ dicitur: Occide et manduca. Hinc est etiam quod Samson maxillam asini tenuit, et hostes peremit; quia redemptor noster simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitiis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram proiecta postmodum aquas fudit; quia data morti prædicatorum corpora magna populis monstravere miracula. » Apposite in Martyrol. die 24. Febr. Baronius: « S. Babylas, inquit mortuus velut redivivus contra Gentiles pugnas aggressus est maiores. Nam more Samsonis, ossibus pugnans in fugam vertit Philisthæos. »

IUDICAVITQUE ISRAEL IN DIEBUS PHILISTHIIM VIGINTI ANNIS.) Quibus scilicet Philisthini opprimebant Vers. 20.
Hebræos. Hinc patet primo, annos Samsonis concurrere cum 40. annis servitutis, quibus Hebræi servierunt Phi-
D listhæis, ut dixi c. 13. 1. Patet secundo, Samsonem vere fuisse Iudicem Israelis, quia *iudicavit*, id est vindicavit et liberavit eum a servitute Philisthinorum. Fuit tamen ipse dispar et dissimilis ceteris Iudicibus, qui per exercitus pugnarunt: ipse enim solus contra exercitus præliatus est, eosque fudit et occidit. Patet tertio, eum iudicasse per 20. annos.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson Gazæ a Philistæis circumsessus ablatis urbis portis egreditur: Mox v. 4. amans Dalilam, ab ea urgentibus Philisthinis varie tentatur, ut aperiat in quo sita sit sua fortitudo, cuius assidua importunitate victus v. 17. indicat eam sitam in capillis; hos ergo ei dormienti abscindit Dalila, itaque eum Philisthæis prodit et tradit. Hi eum vinciunt, exoculant, incarcerant, diesque festos et ludos agunt. Tandem v. 26. Samson recrescentibus capillis et viribus, concutiens duas columnas domus, eius ruina Principes et tria millia Philisthinorum, secum obruit et sepelit, pluresque occidit moriens quam vivens.

1. ABIIT quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam. 2. Quod cum audissent Philisthiim, et percrebuisset apud eos, intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus: et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent. 3. Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: et inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron. 4. Post hæc amavit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila. 5. Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, et disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, et quo modo eum superare valeamus, et vinctum affligere, quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos. 6. Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit quo ligatus erumpere nequeas? 7. Cui respondit Samson: Si septem nerviceis funibus, necdum siccis et adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines. 8. Attuleruntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum. 9. Latentibus apud se insidiis, et in cubiculo finem rei expectantibus, clamavitque ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: et non est cognitum in quo esset fortitudo eius. 10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illusisti mihi, et falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari debeas. 11. Cui ille respondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, et aliorum hominum similis. 12. Quibus rursum Dalila vinxit eum, et clamavit: Philisthiim super te Samson, in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum. 13. Dixitque Dalila rursum ad eum: Usquequo decipis me, et falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, et clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. 14. Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus et licio. 15. Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, et noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua. 16. Cumque molesta esset ei, et per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, et ad mortem usque lassata est. 17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines. 18. Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum ac mandavit: Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant. 19. At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines eius, et cœpit abigere eum; et a se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit: 20. Dixitque Philisthiim super te Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, et excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus. 21. Quem cum apprehendisset Philisthiim, statim eruerunt oculos eius, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt. 22. Iamque capilli eius renasci cœperant. 23. Et principes Philisthinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo et epularentur, dicentes: Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. 24. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat; Tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, et occidit plurimos. 25. Lætantesque per convivia, sumptis iam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas. 26. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et recliner super eas, et paululum requiescam. 27. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson. 28. At ille invocato Domino, ait: Domine Deus memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. 29. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, et alteram læva tenens. 30. Ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim, concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, et ceteram multitudinem quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. 31. Descendentes autem fratres eius et universa cognatio tulerunt corpus eius, et sepelierunt inter Saraa et Esthaol in sepulcro patris sui Manue: iudicavitque Israel viginti annis.

Vers. 1. VIDIT IBI MULIEREM MERETRICEM, INGRESSUSQUE EST AD EAM.) Non ut cum ea fornicaretur, sed alterius negotii vel mysterii causa, ait S. Augustin. serm. 107. de Temp. Verum ingredi ad meretricem in Script. significat fornicari et meretricari. Quare fornicatus est hic Samson.

Vers. 3. IMPOSITASQUE (portas Gazæ) HUMERIS SUIS PORTAVIT AD VERTICEM MONTIS.) Peccavit mortaliter Samson fornicando cum meretrice, et tamen retinuit suam fortitudinem supernaturalem, qua portas urbis impositas humeris tulit in montem; quia fortitudo hæc erat gratia gratis data, non gratum faciens, ac consistebat cum peccato mortali. Sita enim erat in eius Nazaræatu, id est in coma intonsa, ac abstinentia a vino et sicera: fornicatio autem non tollebat eius Nazaræatum, ac consequenter nec eius fortitudinem.

Sampson tollens portas est Christus resurgens e limbo. Allegor. Samson media nocte tollens portas Gazæ repræsentat Christum, post mediam noctem e sepulchro resurgentem, ac lapidem sepulchri amoventem, insuper portas mortis et gehennæ auferentem, indeque patriarchas et prophetas sanctosque omnes cum triumpho educentem. Ita S. Augustin. serm. 107. de Temp. S. Hieron. in c. 1. ad Ephes. S. Gregor. hom. 21. in Evangel. quem audi: « Quem nisi redemptorem Samson ille significat? Quid Gaza civitas nisi infernum designat? Quid per Philisthæos nisi Iudæorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, eiusque corpus in sepulchro iam positum, custodes illico deputaverunt, et eum, qui auctor vitæ claruerat, in inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza, se deprehendisse lætati sunt. Samson vero media nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit: quia videlicet redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed et ipsa etiam inferni claustra destruxit. Portas tulit, et montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, et ascendendo cælorum regna penetravit. Hanc ergo resurrectionis eius gloriam fratres charissimi, quæ et prius demonstrabatur ex signo, et post patuit ex facto, tota mente diligamus, pro eius amore moriamur. »

HUMERIS SUIS.) R. Simeon Hacchasid in Suta cap. 1. fol. 10. censet humeros Samsonis tam fuisse latos, ut unus ab altero distaret sexaginta cubitis: quare eum fuisse gigantem. Verum omnes refutant utrumque. Nec enim fortitudo Samsonis in gigantea corporis mole; sed in capillis sita erat.

Vers. 4. Dalila Sampsonis uxor. POST HÆC AMAVIT MULIEREM, QUÆ HABITABAT IN VALLE SOREC (ubi erant vites uvæ et vina præstantissima) ET VOCABATUR DALILA.

Quæres, an hæc fuerit Samsonis uxor, an concubina et meretrix? Uxorem fuisse censet S. Chrysost. hom. 17. ex variis in Matth. locis: *Hunc tantum*, inquit, *et talem virum et pulchritudine, et veritate, et sanctitate, uxor sua sicut inimicum decipiens, alligans Allophylis tradidit.* Et postea: *Subdola irrepsit in præcordia mariti.* Et S. Ephrem serm. adversus improbas mulieres tom. 1. *Tantæ sanctitatis, pulchritudinis et fortitudinis virum propria mulier deturbavit, et velut hostem vinctum in alienigenarum manus tradidit, et cui neque leones, neque alienigenæ resistere quibant, hunc propria coniux deiecit.*

Idem sentit Abbas Ioseph apud Cassian. Collat. 17. c. 20. et Rabbini nonnulli, ac S. Prosper lib. de promiss. c. 22. et Pererius in c. 31. Genes. disp. 1.

Verius eius concubina. Verum alii passim opinantur Dalilam non fuisse uxorem Samsonis, sed concubinam; tum quia ipsa domi suæ Philisthæos Samsonem capturos abscondit inscio Samsone: si enim ipse eius fuisset maritus, perviam habuisset totam domum, nec quis eo inscio in ea celari potuisset; tum quia si fuisset maritus Dalilæ, duxisset eam in domum suam, non autem ad domum eius divertisset: ac habuisset cognatos, famulos et ancillas, qui ei dolos Dalilæ, æque ac Philisthæos ab ea domi absconditos detexissent.

Unde Iosephus Dalilam vocat meretricem, æque ac S. Ambros. epist. 70. S. Hieron. epist. 126. ad Evagrium, Abul. quæst. 7. Serarius et alii, qui propter easdem rationes autumant Dalilam Philisthæam fuisse, non Iudæam.

Hinc apposite Hebr. vocatur *Dalila*, id est paupertas, tenuitas, infirmitas, exhaustio, ait Pagnin. in nomin. Hebr. quia talis solet esse meretrix: et quia *debilitavit et infirmavit* tum aliorum, tum *Samsonis* robur, ait, Elias in Thibi, *cor et opera.*

A Vere Comicus in Truculento: *Nec omnis ætas*, inquit, *ad perdiscendum sat est amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis, quot ludificetur exemplis, quotque exoretur exorabilis. Ita disciplina in ædibus est lenoniis. Priusquam unum dederis, centum quæ poscat, parat.* Et vere ibidem Geta: *Meretricem*, inquit, *esse reor, mare ut est, quod des devorat, nec unquam abundat. Meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit in pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atque amicis.*

Vide hic quam perniciosa sit mulier. Quid fortius Samsone? quid sanctius Davide? quid sapientius Salomone? et tamen hos viros perdidit mulier, æque ac Eva Adamum omnesque eius posteros. Vide S. Chrysost. hom. 17. ex diversis in Matth. et S. Ephrem sermone contra improbas mulieres. Audi S. Hieron. epist. 22. ad Eustoch. *Samson leone fortior et saxo durior, qui et unus, et nudus mille persecutus est armatos, in Dalilæ mollescit amplexibus.* Et S. Ambros. Apologia 2. David c. 3. *Samson*, inquit, *validus et fortis leonem suffocavit: sed amorem suum suf-* B *focare non potuit. Vincula solvit hostium: sed suarum non solvit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas: et unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit.* Mulier quam perniciosa.

Denique Dalila prodens Samsonem per capillos, fuit typus Iudæ prodentis Christum per osculum, uti docent Patres.

DABIMUS TIBI SINGULI MILLE ET CENTUM ARGENTEOS.) Argenteus, supple siclus, erat Florenus Brabanticus continens quatuor regales Hispanicos, sive quatuor Iulios Romanos, mille ergo et centum argentei faciunt totidem Florenos Brabanticos. Multiplica hos per quinque (quinque enim erant Satrapiæ, et Satrapæ sive Principes Philisthinorum, scilicet Accaron, Ascalon, Azotus, Gaza, et Geth) habebis quinque millia et quingentos Florenos Brabanticos, quibus Dalila Samsonem vendidit. Vers. 5.

SI SEPTEM NERVICEIS FUNIBUS.) Hoc est funibus confectis et contortis ex nervis boum, taurorum, vel aliorum C animalium. Hebr. enim. יתר *iether* et nervum et funem significat. Pagnin. hic vertit *virgas*. Arias *vimina*. Ioseph. *palmites vitis*. Sept. Chald. et alii *funes*. Mentitur Samson ut Dalilam deludat et a se ableget, ne secretum fortitudinis suæ ei revelet. Vers. 7.

QUI RUPIT VINCULA, QUOMODO SI RUMPAT QUIS FILUM DE STUPPÆ TORTUM PUTAMINE.) Hoc est de stuppæ quisquiliis, quæ putari et abiici solent, hoc est filum vilissimum et debilissimum; putamen enim est omne id, quod non tantum a nucibus, sed ab aliis etiam rebus excutitur ac proiicitur, ait Nonius. Abulen. et Lyran. pro putamine legunt *sputamine*, id est sputo, puta filum sputaticium: nentes enim et nectentes funes solent crebro conspuere stuppam, ut tanto facilius eam stringant et torqueant. Vers. 9.

DEFECIT ANIMA EIUS, ET AD MORTEM USQUE LASSATA EST.) Id est, in maximos angores animique angustias redactus est, ut fere mortem mallet quam contentissimam illam cum sua Dalila pugnam et importunitatem: ita multos vincit dæmon et caro continuatione et prolixitate ten- D tationis, qui primo fortissime ei restiterant: sensim enim hac duratione animi cum viribus languescunt et enervantur, tandemque vinci se sinunt, cedunt et succumbunt, ni Dei auxilium assidue imploratum adsit, et constantiam homini tribuat. Vers. 16.

SI RASUM FUERIT CAPUT MEUM, RECEDET A ME FORTITUDO MEA.) Hinc patet fortitudinem hanc admirabilem, et vires naturæ superantem, fuisse qualitatem supernaturaliter Samsoni inditam, sed cum pacto; si videlicet ipse Nazaræus esse perseveraret, et comam non tonderet, sed iugiter aleret. Unde quia ipse sua culpa, indicando scilicet Dalilæ suæ hosti et proditrici causam fortitudinis suæ, comam furtiva detonsione perdidit, idcirco fortitudinem hanc subduxit illi Deus: non subducturus illam, si sine culpa, alopecia, aliove morbo aut incendio, aliove casu, aut vi illata illam perdidisset, ut recte advertit Abul. et Auctor de Mirabil. S. Script. apud S. August. lib. 2. c. 6. *Mandati*: ait, *Dominici observatio donum fortitudinis* Vers. 17. Fortitudo Samsonis sita in capillis.

conservabat. Fuit ergo donum hoc qualitas non transiens, sed permanens quamdiu ipse Nazaræus et coma coronatus permaneret, non quod coma hanc fortitudinem causaret, nec quod in capillis fortitudo hæc consisteret (sita enim erat in lacertis, nervis, totoque corpore, ac magis in animo) sed quod servata coma esset conditio et signum Nazaræatus, pactique divini conservatio, ideoque causa moralis huius fortitudinis ex Dei ordinatione. Quod ergo Samsone opus aliquod heroicum aggrediente dicitur: *Irruit in eum Spiritus Domini*, non significat fortitudinem hanc in illo non fuisse permanentem, ac per singulos actus inditam, sed indicat novum Dei instinctum, novosque animos ad hoc illudve machinandum illi a Deo fuisse immissos. Spiritus enim notat inspirationem, instinctum, animos et impetum ad quippiam audendum. Ita Sanctus Paulinus epistola 4. ad Severum, et Sanctus Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto in Prooemio, quem audi: *Non ita est, ut tantam vim corporalium capillorum putemus. Sunt quidem crines religionis et fidei: crines Nazaræi in lege, perfecti in parsimonia, et abstinentia consecrati: quibus illa in typo Ecclesiæ, quæ Domini pedes oleo perfuderat, verbi cœlestis vestigia detergebat. Tunc enim et secundum carnem noverat Christum. Isti videlicet crines, de quibus dicitur capillatura tua ut greges caprarum: ex illo capite pullulantes, de quo dictum est Caput viri Christus. Et alibi: caput eius aurum Cephas et crines eius abietes nigræ.*

Causa litteralis roboris Sampsonis. Causa ergo litteralis cur durante coma Samsoni duraret et fortitudo fuit, quod durante coma permaneret ipse Nazaræus, hoc est Deo consecratus. Nazaræi enim consecratio maxime consistebat in coma, ut dixi Numer. 6. Deus enim Nazaræatui Samsonis hoc fortitudinis donum quasi præmium assignabat.

Allegor. Alleg. causa erat, quod per comam Nazaræi repræsentabat Christum Nazaræum et Nazarenum, a quo omnis fortitudo procedit: Christus enim est caput nostrum, et velamentum ac ornamentum capitis nostri. Unde S. August. serm. 107. de Temp. Fortitudinem, ait, non in pede, non in manu habebat, sed in coma, id est velamento: et in velamento Christus habebat virtutem, quando umbræ legis veteris eum tegebant. Coma ergo Samson in velamento erat quia in Christo aliud videbatur, aliud intelligebatur.

Trop. Tropol. causa erat quod capillus notat cogitationes et intentiones hominis; sicut enim a capite sano germinant sani capilli, sic ex mente bona oriuntur bonæ cogitationes, a quibus omnium virtutum fortitudo germinat.

Symbol. Symbolica causa fuit, ut indicaret Deus hoc esse donum suum: qua ratione enim vilis et exilis capillus, id est capitis pilus, per se tantam fortitudinem causare potuisset? Rursum ut Deus moneret capillorum, id est rerum minimarum nobis exactam curam esse habendam. A minimis enim pendent maxima. Minima ergo da Deo, et ab eo obtinebis maxima; sin illa Deo neges et des rebus terrenis, perdes maxima. Audi S. Ephrem in serm. ascetico de vita Religiosa. « O miraculum ingens, o obstupescendum: sicut namque leo animal generosissimum unico saltem capillo in terra vinctum tenetur, atque humiliatur, ita profecto et ista virtus (quæ leoni comparatur) terrena qualibet cura, veluti capillo uno colligatur, et in terra marcescit atque vilescit. Quamobrem sobrium ac vigilem carissime te præbe, et teipsum vincens, manusque admovens, capillum in te illum exiguum ac vilem abscinde: ut non in derisum venias, quemadmodum Samson ille fortissimus, qui in uno momento et ictu oculi, sola asini maxilla armatus mille viros occidit, et quasi unum capillum septenos validissimos funes amputavit; et seipsum a vinculis liberans, inimicos occidit, et Deo victoriam dedicavit: oratioque eius maxillam asini in fontem aquæ convertit. Hic autem licet tantus ac talis esset, adeoque multa præclara præstitisset, semetipsum tamen per imprudentiam hostibus vinctum tradidit: humiliatusque valde est postquam crines ei ablati sunt, terribilesque illas suas et admirabiles vires colligavit ac perdidit. Quare et tu tibi ipsi attende, etc. »

Hinc S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 26. capillos Samsonis vocat *invicti crinis ornatum, prærogativam virtutis.* Et S. Paulinus ad Cytherium: *Samson*, ait, *vi capillorum potens, virtute crinitus sacra.* Et: *ille recepit robur recretis crinibus.* S. Chrysost. ex variis in Matth. locis hom. 17. capillos Samsonis appellat *arcanum virtutis suæ martyrium*, id est testimonium.

Quæres, an Samsonis fortitudo in solis capillis, an etiam in reliquis ceremoniis Nazaræatus, ac præsertim in abstinentia a vino et sicera sita fuerit, ut si vinum biberet, fortitudinem amitteret, esto capillum intonsum servaret? *An in solis capillis fortitudo Sampsonis?* Affirmat Abul. S. Basil. et alii mox citandi, et ratio est, quia ob Nazaræatum datum fuit ei hoc robur. Atqui Nazaræatus tam consistebat in abstinentia vini et siceræ, quam in coma intonsa, ideoque Deus abstinentiam hanc tam severe præceperat non tantum Samsoni, sed et matri eius cap. 13. 4. idque ut doceret nos sanitatem et robur non consistere in vino, sed esse donum Dei, qui statuit ut abstinentia sit mater tam roboris et sanitatis, quam sapientiæ et sanctitatis, ut patet in priscis Anachoretis. Negat Serarius et alii. Ratio est quod Samson hic solum capillorum meminerit, in iisque suam fortitudinem sitam asseveret. Porro scivit hoc Samson, indicante hoc matre, vel revelante Angelo, vel inspirante Deo. Utraque sententia est probabilis, sed prior probabilior.

AT ILLA DORMIRE EUM FECIT SUPER GENUA SUA.) Putat noster Delrio lib. 3. Disquis. Magic. p. 1. q. 2. Dalilam papaver aliaque soporifera Samsoni in cibo vel potu dedisse, ut fortius dormiret, nec expergisceretur in detonsione capillorum, idque a similibus mulierculis factitatum docet ex Virgilio, Apuleio et Cæsario. Addunt alii propinasse ei vinum, quod in Sorec, ubi ipsa habitabat, erat præstantissimum; nam *sine Cerere et Baccho friget Venus, et in vino luxuria*, ait Apost. Ephes. 5. 18. *Et Venus in vinis, ignis in igne furit.* Unde et Iosephus Samsonem vocat ebrium; idem insinuant S. Ambros. Epist. 70. S. Basil. Orat. 1. et 2. de Ieiunio, et Theodor. quæst. 50. in lib. 3. Reg. Quod si verum est, iure meritoque Samson permissus est a Deo incidere in somnum, in eoque perdere comam, et cum ea fortitudinem, quia contra legem Nazaræatus vinum bibit, et contra legem temperantiæ plus æquo bibit. Negat tamen idipsum Abul. quia Script. nullam vini vel temulentiæ facit mentionem, factura utique, si ipse per eam Nazaræatum suum adeo a Deo commendatum infregisset. Sed audi S. Basil. hom. 1. de ieiunio: *Quæ res fortissimum virum Samsonem inexpugnabilem reddidit? An non ieiunium? Cum ieiunio in utero matris conceptus est, cum ieiunio educatus est, ieiunio in virum adolevit, quod ieiunium Angelus matri indixerat? Quidquid sequitur e vinea ne edat, vinumque et siceram ne bibat. Ieiunium prophetas generat, potentibus addit robur. Ieiunium legum latoribus subministrat sapientiam, bona animæ custodia, corpori tutus convictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium.* Et hom. 2. exaggerat dicens: *Ieiunium magnum illum Samsonem educavit, idque quamdiu viro adfuit singulis conflictibus milleni hostes prostrati sunt, urbium portæ subruptæ sunt, leones robur manuum illius non sustinuerunt. At simul atque ebrietas ac scortatio corripuit hominem, captus est ab hostibus atque exoculatus, pro ludo expositus est pueris alienigenarum.* Ex quibus concludit S. Hieron. lib. 2. contra Iovinian. *Quam pulchra res quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret.* Vers. 19.

ET RASIT SEPTEM CRINES EIUS.) Hoc est septem cincinnos, quibus constabat, et in quos distincta erat Samsonis cæsaries, ne si tota sparsa diffueret, oculos eius totamque faciem velaret. Ita Abulens. Alii per septem crines accipiunt omnes crines. Septenarius enim est symbolum universitatis.

Allegor. Sicut Dalila totondit crines Samsonis, sic Iudæi per noctem Passionis Christi illudentes ei, eius capillos vulserunt, vel raserunt, iuxta illud Isaiæ 50. v. 6. *Genas meas dedi vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Idem cum milites co-

rona spinea comam eius lacerarent.

Mystice S. Ephrem tom. 1. serm. adversus improbas mulieres: « Septem crines in capite gestabat Samson, qui septiforme lumen designabant gratiæ. Et postea: Mysterium fortitudinis ipsius inter dormiendum noctu per dolum deprædans mulier, illum iam nudum atque inermem circumvenit. « Et pluribus interiectis, hæc mulieri malæ dat epitheta et malitiæ elogia: « Quid est mulier? Naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ et malitiæ, mortifera conversatio atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, iuvenum perditio, sceptrum inferni et concupiscentia præceps. Quid est mulier? causa diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, eorum qui salvantur offensio, malitia incurabilis, diurna confabulatio, hospitium lascivorum et officina dæmonum. Quid est mulier? amor flagitiosus, bestia impudens, incontinentissimus impetus, effrænatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis concupiscentia, nequitiæ et æterni supplicii conciliatrix. Quid mulier? prudentia terrena, vini socordia, concumbens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diversorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors, ut non immerito dictum sit a Sapiente: Brevis omnis malitia super malitiam mulieris. »

Epitheta mulieris malæ.

Et cœpit abigere eum, et a se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.) Tale est meretricum ingenium, ut virorum opes viresque exhauriant, mox inopes pauperesque repellant. En tibi ut tanta Samsonis virtus ab imbelli muliercula prosternitur, et prostrata illuditur?

Ex hoc facto Samsonis et Dalilæ orta est historia, vel potius fabula Gentilium de Nisi Megarorum regis, sub idem hoc tempus regnantis, coma adeo cælesti, ut quamdiu eam servaret, nec vinci, nec regno pelli posset; sed Scylla Nisi filia amore Minois urbem obsidentis dementata, patri dormienti comam resecuit, itaque patrem et patriam hosti prodidit. Verum Minos Scyllam utpote tam infamem parricidam exhorruit, eamque pedibus colligatis in mare præcipitem dedit dicens:

Nisi coma et coma Sampsonis.

Dii te submoveant, o nostri infamia sæcli
Orbe suo, tellusque tibi pontusque negetur.

Ita ex Pausania, Servio, Apollidoro et aliis Martinus de Roa lib. 5. Singul. c. 7. et Serarius q. 16. qui et addit: Alii, ut Ovidius, tradunt eam furiis correptam et agitatam seipsam in pelagus præcipitem dedisse, ac ob Minois imprecationem, in avem migrasse, qua quia Græcis κείρειν est tondere, suo sibi perpetuum dedecus ac infamiam nomine conflaret.

Pluma fuit, plumis in avem mutata vocatur
Ciris, et a tonso est hoc nomen adepta capillo.

Quibus omnibus quid significatur aliud, quam funestus facinorum omnium exitus, propudiosum scelerum dedecus, infamis libidinum merces? Et nostra quidem Ciris Dalila est, cuius etsi extrema ignoramus, imo et depensas ei a Satrapis pecunias videmus vers. 18. nihil tamen dubitandum, quin et diris conscientiæ agitata furiis suorum pœnas dederit flagitiorum.

Vers. 21. Quem cum apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos eius.) Ut si fortitudo ipsi rediret, illam ei inutilem redderent, cum non videret quem feriret, itaque immunes et securi ab eo forent. Samson excæcatus a Philisthæis fuit typus Christi, oculis velati in Passione a Iudæis illi illudentibus, æque ac excæcationis Iudæorum, quæ inde secuta est. Ita S. August. serm. 107. de Temp.

Iuste, congruaque pœna Samson privatur oculis, quia eis lascive aspexerat et concupierat Dalilam, quæ proinde iusto Dei iudicio eius captivitatis et cæcitatis fuit causa. *Visu,* ait S. Hieron. in c. 28. Ezech. *quia male fuerant abusi, Samson et Sedecias privantur;* nimirum libido excæcat oculos tum corporis; quia spiritus visivos exhaurit; tum potius mentis. Fuit tamen hæc pœna ei salubris: nam per cæcitatem oculorum corporis, aperti sunt oculi mentis, ut ex pœna agnosceret culpam, de eaque pœniteret, pœnitensque Deum invocaret, itaque cum eo in gratiam rediens fortitudinem suam ab eo reciperet.

Tropol. audi S. Gregor. lib. 7. Moral. cap. 13. *Plerumque,* ait, *prius oculus contemplationis amittitur, et post, per carnis desideria, huius mundi laboribus animus subiugatur, prout testatur Samson ab Allophylis captus, qui postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est: quia nimirum maligni spiritus postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt.* Et S. Brigitta lib. 4. c. 126. a tribus hostibus Episcopo cavendum monet. *Quorum secundus pungit oculos, ut est,* inquit, *pulchritudo mundi et possessiones terræ: apparatus rerum et vestium: favores hominum et honores. Cum enim omnia ista appetuntur et offeruntur, sic excæcant oculos animæ et rationis, quod dulcius videatur stare cum Samsone ad molam curæ mundialis, quam cum sponsa Ecclesia ad dispensationem curæ Pastoralis.*

Audi et S. Paulinum Epist. 4. *Cæcitate Samsonis, quam corporeis tantum captus oculis, spiritales non amisit, illuminor ad intellectum bonum, ut exemplo illius sciam, quos magis debeam oculos habere. Non enim invocasset ille vir Dominum in suæ virtutis auxilium, nisi mentis oculos habuisset incolumes, quibus lumen est Christus; in cuius lumine videbimus lumen.* Et postea: *Et mortem mihi Samsonis et cæcitatem volo, ut vivam et videam Deo: Nam forsitan ille receptis propter futurum mysterium in coma viribus, recipere simul, ut amiserat, oculos ideo non desideravit, quia virtus illa cælestis gratiæ internis sana luminibus corporeo non egebat obtutu.* Unde ex cæcitate hoc morale elicit documentum: *Hoc igitur exemplo et nos contentis ad Dominum sensibus, carnales oculos sæcularium rerum aversione cæcemus, quibus orbari propheta desiderabat cum diceret: Averte oculos meos ne videant vanitatem. Et Dominus ipse oculis Iudæorum cæcitatem præferens dicit: Si cæci essetis, peccatum non haberetis. Reminiscamur qua pernicie illis in paradiso oculi sint aperti; quos tamdiu habuerunt illuminatos Deo, quamdiu clausos habuere peccato. Nam tum demum pubertatis ut ætatis suæ hauserunt pudorem, cum bonæ conscientiæ castitatem, cuius lumine vestiebantur, prævaricationis crimine perdiderunt. Et ideo veri luminis damnum est ad usum tenebrarum uti luminibus, et oculos in terrena defixos cæcare cælestibus. Illuminatur autem anima tali cæcitate, qua despicit mundum, ut conspiciat Deum.*

Vinctum catenis et clausum (Hebr. *ligarunt eum* נְחֻשְׁתַּיִם *nechustaim,* id est *duobus æneis* aut *chalybeis vinculis*) in carcere molere fecerunt.) *Molere,* id est molas trusatiles (quibus olim frumentum commolebant mancipia in pistrino) eum versare circumagere coegerunt.

Tropol. S. Paulin. epist. 4. ad Severum: *Qui peccatum operatur,* ait, *de mola vitæ suæ hostile triticum molit, ut Zabolum* (id est diabolum) *pascat, cui panis fit anima, quæ sibi fames est.*

Rabbini moderni et prisci, teste S. Hieron. in c. 47. Isaiæ v. 1. pro molere accipiunt actum venereum, quasi ad eum coegerint Philisthini Samsonem, ut ex eo simile semen, id est proles fortes elicerent, ut scilicet ipse eis gigneret novos Samsones, qui Hebræis talionem redderent, eosque opprimerent, sicut Samson oppresserat Philisthæos.

Verum apage hanc obscœnitatem: illa se pascant Rabbini obscœni, æque ac Gentiles, qui teste Apollidoro lib. 2. Biblioth. tradunt Thestium Regem filias suas quinquaginta Herculi dormienti supposuisse, *summa ope adnitens, ut Herculis semine repletæ omnes sibi nepotes procrearent.* Idem tentarunt Saracenæ feminæ apud Patrem Gasparem Barzeum, Armuzii Samsonem, sed frustra, uti refert noster Trigautius in eius vita.

Iamque capilli eius renasci cœperant.) Verisimile est, ait Abul. quod tunc Samson ad cor reversus, suæ fornicationis et imprudentiæ pœnitentiam egerit, ac rur- Vers. 22.

*

sum servaverit regulam vitamque Nazaræorum, itaque se Deo reconciliarit, ac crescentibus capillis paulatim donum fortitudinis recuperarit et a Deo receperit. Idem asserit Auctor de Mirabil. S. Script. apud S. Aug. l. 2. c. 6. Arias, Serarius, et alii. Hinc etiam colligitur Samsonem non diu fuisse detentum captivum, nam capilli resecti illico recrescunt.

Tropol. S. Paulinus epist. 4. « Illam, ait, speciem, quæ in illo Samsone vel recrinito vel moriente retexitur, et in omnem Christi famulum convenire arbitror: homo enim, qui præventus fuerit in aliquo peccato, et salubriter pœnitendo ad instaurationem gratiæ quasi capillis renascentibus revertitur, ponens ut arcum æreum brachia sua, id est fidem spei veræ, et spem fidei non fictam, exercens idem ad prælium manus suas operibus pietatis, cuius exercitatio ad omnia utilis est: tum ut quibusdam bonæ conscientiæ et fidei firmæ lacertis valens audebit invadere, et poterit vertere inimicorum columnas: quæ quidem sunt columnæ hostilis domus quibus nititur, in qua velut nostri victor epulatur, illudens capiti, si membris nostris, ut armis suæ iniquitatis utatur. »

Vers. 23. Ut immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo.) Quis et qualis fuerit Dagon dicam 1. Reg. 5. 2.

Vers. 25. Et ante eos luderet.) Saltando murum et motionem agendo. Ecce Philisthæi hic illudunt Samsoni quasi scurræ, uti Iudæi Christo patienti, dicentes: *Prophetiza, quis est qui te percussit?* Vide ad quam indigna deductus sit Samson Israelis Iudex et princeps. Unde Abul. eius sortem miserans quæst. 35. exclamat: *O admiranda Samsonis calamitas: o Iudaici populi gravissima infelicitas et opprobrium! fortissimus ille virorum, atque toti populo stupendus, ipsoque nomine terribilis Samson, qui leones sævissimos facili manus ictu domuerat; magnos hostilis exercitus cuneos fundens inauditam omnibus sæculis stragem egerat, et quod mirabilius est tanta facilitate, ut facilius sibi agere quam nobis cogitare foret. O nimis plangende vir, imo virorum flos, qui omnes viribus superans sola prudentia caruisti, et miserabilis mulierculæ pulchritudine tractus, et fallacibus lacrymis deceptus in extremam decidisti sortem; ita ut cunctorum, quos legerim, miserior factus, turpiter ab hostibus utroque privatus lumine, in æternum totius populi Hebræorum opprobrium ad molam asinariam molere cogaris.*

Porro quomodo Samson fuerit typus Christi, audi docentem S. August. serm. 107. de Temp. *Samson Christum significabat. Verum mihi videor dicere, sed continuo occurrit cogitantibus: Et Christus vincitur blanditiis muliebribus? Et Christus quomodo dicitur ad meretricem intrare potuisse? Deinde et Christus capite nudatur, capillo raditur, virtute spoliatur, alligatur, excæcatur, illuditur. Evigila fides, attende quid sit Christus; non solum quid fecerit, sed etiam quid passus est Christus. Quid fecit? Operatus est ut fortis; passus ut infirmus. In uno intelligo utrumque, video fortitudinem filii Dei: video infirmitatem filii hominis.* Et paucis interiectis: *Quædam fecit Samson ex persona capitis, quædam ex persona corporis: totum tamen ex persona Christi. In eo enim quod virtutes et mirabilia operatus est Samson, caput Ecclesiæ Christum significabat: in eo autem quod prudenter fecit, illorum qui in Ecclesia iuste vivunt imaginem gessit. Ubi forte præventus est et incaute egit, eos qui in Ecclesia peccatores sunt figuravit.*

Vers. 26. Ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus.) Samson hic typus fuit Christi manus extendentis ad duo crucis extrema, quibus collisit et oppressit dæmones, peccatum et gehennam. Sic ergo ipse suos interemptores interemptus oppressit, et illius passio facta est interfectio persequentium, ait S. August. serm. 107. de Temp.

Sampson moriens typus Christi in cruce.

Domus.) Multi censent domum hanc fuisse sacram, sive Templum Dagon. Nam v. 23. dicuntur Philisthæi immolasse hostias Deo suo Dagon, ibidemque epulati ob captum Samsonem: hostiæ autem immolabantur in domo sacra, puta in templo. Ita Suidas, Abul. Dion. Serarius, Salianus et alii. Hinc Philo lib. de plantat. Noe, docet olim convivari solitos in templo, ut cum Deo modeste et religiose convesci viderentur: Additque: *ex hoc more* natam aiunt vocem μεθοειν (id est exhilarari, inebriari) *quasi* μετα το θυειν (post sacrificium) *quia post sacra prisci demum indulgebant poculis.* Sic c. 9. 27. Sichimitæ in fano Dei Berith inter epula et pocula maledicebant Abimelech; Ibi ergo idolis suis immolabant, ibidemque idolothyta, id est idolis immolata comedebant, ut docet Apost. 1. Cor. 8. 10. Ibi quoque laudes Diis suis canebant, et deinde omni luxus et luxuriæ genere lasciviebant, uti fecere Hebræi adorantes vitulum aureum. Exodi 32. et 2. Machab. 6. v. 4. Daniel 5. 4. Idem testatur Virgil. Æneid.

Accedit quod domus privatæ non sint tam amplæ, ut capiant tria millia spectantium, nec habeant aulas tam amplas, ubi Samson ludens a tribus millibus conspici potuisset: templa vero ad hoc capacia permulta sunt.

Ac de tecto et solario circiter tria millia.) Vers. 27.
Tecta enim in Palæstina erant plana, habebantque fenestras ita dispositas, ut per eas spectantes videre possent quidquid erat in infima domus parte, ut Samsonem hic saltantem. Ita Abul.

Moriatur anima mea cum Philisthiim.) Est Sy- Vers. 30.
necdoche. Anima enim mori nequit, cum sit immortalis. Anima ergo quasi pars præcipua ponitur pro toto homine. q. d. moriar ego. Aut certe anima mori dicitur non in se, sed in corpore. q. d. moriatur anima corpori, ut illud deserat, nec amplius vivificet. q. d. moriar ego, dummodo moriantur Philisthæi. Opprimam ruina domus Philisthæos hostes Israelis, etsi ego eadem opprimendus sim. Morte mea emam mortem hostium et vitam civium.

Sampson non peccavit se occidendo.

Dices, Samson hic occidit seipsum, ergo fuit sui homicida; Ergo peccavit mortaliter, cumque in hoc peccato obierit, est damnatus. Resp. S. Aug. hic et lib. 1. de Civit. c. 21. Samsonem non peccasse, quia se occidit ex Dei instinctu: Spiritus, inquit, latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat, adeoque hic preces eius exaudivit, et pristinam fortitudinem ad id faciendum restituit. 1.

Resp. secundo: non peccavit hic Samson, quia columnas domus concussit hoc fine, ut eius ruina omnes Principes Philisthinorum, plurimosque e populo opprimeret, itaque insignem hostibus suis cladem inferret. Licet enim ipse hic privatam tantum excæcationis suæ ultionem a Deo flagitet; tamen quia ipse publicus erat populi sui iudex vindexque, et quia Apostolus Hebr. 11. eum a fide et fortitudine commendat, et quia Deus hic supernaturaliter eum ad hanc ruinam adiuvit; hinc omnino verisimile est ipsum omnem hanc ultionem retulisse ad Dei honorem et Reipub. suæ bonum, utque laudes Idolo Dagon a Philisthæis ob se captum attributas adimeret, et Deo vero restitueret. 2.

Itaque Samson hic proprie et Physice seipsum non occidit, uti fecisset si gladio se transfodisset, vel caput ad columnam allisisset; sed permisit tantum se communi cum hostibus ruina opprimi, sicut Eleazar videns Elephantem regium illi se supposuit, eumque occidit, ac eius ruentis mole obrui se permisit, ut populum liberaret 1. Machab. 6. 46.

Nec etiam se occidit morali imputatione, quia directe intendebat Philisthæos occidere, se vero indirecte et permissive tantum eadem clade, quam evadere non poterat, involvere, quod sicut magnæ fortitudinis fuit, sic et magna pro præteritis culpis fuit pœna et satisfactio. *Non eligitur,* inquit Caiet. *in huiusmodi casibus mors propria in seipsa, sed per se eligitur mors hostium, et concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum ultionis. Sic Princeps exercitus prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit.* Sic et Lyran. et Franc. Victoria Relect. 10. de Homicid. in fine, Dom. Soto lib. 2. de Iust. q. 9. art. 8. Lessius lib. 2. de Iustit. c. 9. dub. 6. n. 33. Quin et S. Ambr. epist. 70. ait Samsonem in morte seipsum vicisse: *Etsi incomparabilis,* inquit, *in hac vita fuerit, tamen in morte seipsum vicit, et insuperabilem gessit animum, ut contemneret, et quasi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Virtu-*

tis igitur fuit quod victoriarum numero diem clausit, nec captivum exitum, sed triumphalem invenit. Denique non telis, sed cadaveribus hostium pressus humatus est, proprio tectus triumpho. Hæc Ambr. et S. Paulin. ad Cytherium: *Qui servus gloriante vixerat hoste, obruto victor cadit.* Denique Bachiarius epist ad Ianuar. de recipiendis lapsis, Samsonem vocat martyrem, quod pro Dei religione et honore ultro occubuerit, sed abusive. Sic enim milites contra hæreticos et Turcas pugnando occumbentes essent martyres, quod nemo dicet; martyr enim non pugnat, sed patitur.

Sampson non fuit martyr.

Symbol. Disce hic quam vanæ sint vires, æque ac opes omnesque res mundi. En tibi lacertosus Samson viribus suis periit. Sic et Milo Crotoniates, qui pugno ferocem taurum occidebat, eumque humeris ferebat per milliare, suis viribus occubuit. Nam senex effectus per sylvas vadens, volens experiri pristinas vires, cum quercum diffringeret, partibus distractis vi sua rursus coeuntibus captus et collisus est. Sic pugnacissimi milites pugnando, peritissimi natatores natando occumbunt.

Denique multi censent ex historia Samsonis Gentiles mutuatos esse gesta fabulasque sui Herculis; cum revera alius non fuerit Hercules, quam Samson. Ita Philastrius lib. de Hæres. cap. 8. *Pagani, ait, fortes viros ex Samsonis figura usurpantes, Hercules nuncuparunt.* D. August. lib. 18. Civit. cap. 19. *Hebræorum Iudex Samson, cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules.* Otho Frisingensis lib. 1. cap. 25. *Fortissimum Samsonem, ob incredibilem fortitudinem Herculem putabant.*

Hercules est Sampson.

Pererius in Genes. cap. 49. prophetia 6. *Fuit talis revera Samson robore corporis ac fortitudine animi, qualem fuisse Herculem ambitioso mendacio finxerunt Græci.* Martinus de Roa lib. 5. Singularium c. 7. *Herculis labores, vires et ærumnas ex Samsonis historia veteres depinxere.*

Prob. I. Probant primo, quia pleræque Gentilium fabulæ acceptæ sunt a S. Script. ut fabulæ Titanum ex historia gigantum: diluvium Deucalionis ex diluvio Noe: incendium Phaetontis ex incendio Sodomæ: campi hortique Elysii ex paradiso terrestri, etc. uti docet Origin. lib. 4. contra Celsum, S. Iustin. Apol. 1. Clemens Alex. 1. Strom. Tertul. in Apologet. Nazian. orat. 20. S. Hieron. in cap. 5. Amos, S. August. 2. doctr. Christ. c. 28.

II. Secundo, quia Hercules dicitur vixisse eodem sæculo quo Samson. Unde Euseb. Præfat. in Chron. *Mihi, ait, videnter Hercules et Samson non multum inter se distare tempore: siquidem ambo circa Troiæ captivitatem fuerunt.* Sic et S. August. l. 18. de Civit. c. 12. *His, ait, temporibus Hercules in Tyria alias Syria clarus habebatur.*

III. Tertio, quia Hercules celebris erat, et colebatur quasi heros et Deus magnus a Tyriis et Palæsthinis, teste Herodoto lib. 1. c. 20. Cicerone lib. 3. de Natura Deorum, Plinio lib. 37. c. 5. et S. August. loco iam citato. Atqui ibidem, puta in Iudæa, quæ Philisthinis Tyriisque contermina est, floruit Samson. Rursum Hercules non gladio, sed clava pugnabat, unde cum clava pingitur. Sic et Samson non ense, sed maxilla asini, quasi clava Philisthæos mactavit.

IV. Quarto, quia Hercules Græce ἡρακλῆς fuit symbolum solis; Samson autem Hebr. idem est quod parvus sol, uti dixi cap. 13. 24. Audi Macrobium lib. 1. Saturn. c. 20. *Et revera Herculem solem esse vel ex nomine claret. Heracles enim quid aliud est nisi heras, id est aeris cleos, quæ porro alia aeris gloria est, nisi solis illuminatio; cuius recessu profunditate occulitur tenebrarum? Præterea sacrorum administrationes apud Ægyptios multiplici actu multiplicem Dei asserunt potestatem, significantes Herculem hunc esse.* Duodecim labores Herculis sunt duodecim signa Zodiaci, quæ sol quotannis percurrit et conficit.

V. Quinto, et maxime, quia gesta Herculis similia et quasi eadem sunt cum gestis Samsonis. Hercules enim leonem interfecit, unde et pingitur cum Leonis exuviis, sic et Samson. Hercules ut se suosque liberaret, maximos subiit labores et agones; sic et Samson. Audi Serarium q. 36. Herculis Nemæus leo, nonne Samsonis Thamnathæus leo est? Hydræ, Centauri, Stymphalides aves, aliaque id genus commentitia, nonne Ascalonitarum, Gazæorum, Philisthinorumque aliorum impetus innuunt, maioribusque omnia mendaciis cumulant? Quid duæ Herculis columnæ, nonne illæ duæ sunt, quas concussit, et per quas quemdam velut malorum Oceanum in Philisthæos immisit Samson? Fœda item Herculis apud Omphalem servitus et effeminatio, de qua lib. 3. et 7. contra Celsum Origenes; ceteraque eius vitæ impuritas, ac libido, nonne Samsonis in Gazæa meretrice ac Dalila petulantiam acerbamque servitutem clamat? Eiusdem vero Herculis post homicidia libidinesque pœnitentia, de qua idem Origenes, lib. 3. contra eundem Celsum, et Plinius lib. 35. c. 11. iterataque per Thestium et Eumolphum expiationes, ac Eleusiniorum sacrorum initiationes, quid nisi Samsonis pœnitudinem, sacrique Nazaræatus religionem ac renovationem indicant? Mors in Oeta monte ultro ac sponte suscepta, de voluntario etiam Samsonis interitu non omnino nihil significat.

Denique in Samsonis vita plane cernitur illud Herculeum: *Melior mihi dextera lingua est.*

MULTOQUE PLURES INTERFECIT MORIENS, QUAM ANTE VIVUS OCCIDERAT.) Vers. 30. Occidit enim moriens omnes Principes Philisthinorum, et tria millia e populo. Minus vere ergo Philo Biblicus asserit eum moriendo oppressisse 40. millia hostium. Hoc est quod intendebat Samson, scilicet Philisthinis ingentem cladem inferre, per quam Hebræos ab eorum servitute liberaret, etiamsi sciret se eadem ruina opprimendum. Morte ergo sua peperit vitam et libertatem populi sui. Atque hac in re fuit typus Christi, qui plures occidit moriens quam vivens; quia morte sua enervavit vires dæmonum, peccati, mortis, gehennæ, nosque ab eorum iugo liberavit. Nam ut ait S. Paulinus Epist. 4. *In Christi passione Zabuli* (id est diaboli) *domus cecidit et regnum mortis solutum est. Itaque mortem ipsam moriendo destruxit, solvens inimicitias in carne sua et faciens utrumque unum, id est hominem et Deum, quem in seipso connexuit Deus et homo Christus Iesus.*

Sic Iudas Machabæus in ultima pugna cum paucis contra plurimos confligens, et occumbens, plures occidit moriens quam vivens. Ita noster Edmundus Campianus Angliæ Samson, qui primus e Societate Iesu pro Orthodoxa fide generose occubuit, plures convertit moriendo sua pietate, modestia, fortitudine, hilaritate, quam vivens prædicando, uti mihi narrarunt oculati testes, imo tunc ab eo conversi. Ita Martyres plures occiderunt, imo vivificarunt moriendo quam vivendo, quia plures converterunt, sua patientia, constantia alacritate in morte, quam viventes suis exhortationibus, unde in vitis Martyrum legimus iam centum, iam trecentos, iam mille, iam tria vel quinque millia fuisse ad Christum conversa: nimirum *sanguis martyrum semen est Christianorum,* ait Tertul. in Apologet.

Huic simile est quod narrant Græci de suo Achille. Achilles enim ab Apolline telis confixus et lethaliter sauciatus acrius invasit Troianos, pluresque cecidit, alios in fugam egit, ita ut Troiani etiam ad eius occisi cadaver, quasi adhuc spiraret cædes, non auderent accedere. Quin et moriens fugientes Troianos compellans: *Heu meticulosi Troiani,* inquit, *ne mortui quidem meæ hastæ vos fuga subtrahere poteritis, sed morte pœnas luetis vestris furiis. Ut dixit, illi exhorruerunt, perinde ac ut in montibus hinnuli vocem rugientis leonis expavescunt formidolosi,* ait Q. Calaber lib. 3. Paralipom.

Denique noster Salianus in Epitaphio Mausolæi Samsonis inter alia hæc ei dat elogia: *Samson heros mille prodigiis inclytus, imo totus ipse prodigium etc. Columnas ingentes multorum millium sedem quassat et concutit, et cum universo Dagonis templo deiicit ac devolvit in præceps, et suis moriens oppressus Trophæis, hostem ac servitutem populi sui eodem sepulchro concludit, in quo sol rutilans (Samson enim Hebr. idem est quod Sol) et orbitam suam nullo remorante decurrens, et cursum amisit et lucem. Anno mundi* CIϽ CIϽ IC CCC IC. *ætatis* XXXIX. *ante veri Samsonis ortum* CIϽ CLIV.

ALTERA PARS LIBRI.

In qua post gesta Samsonis et Iudicum, aliæ quædam historiæ, quæ sub idem tempus contigerunt, attexuntur; nimirum cap. 17 scelesta in tribu Ephraim idololatria; cap. 18. Danitarum expeditio, urbisque Lais expugnatio, ac lapsus in idololatriam, cap. 19. tribus Beniamin stuprum, cap. 20. eiusdem excidium, cap. 21. eiusdem restauratio.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mater Michæ dat ducentos argenteos ad conficiendum idolum: quare Michas fecit Ephod et Theraphim, unumque e filiis Sacerdotem creavit. Mox v. 7. Levitam peregrinantem in domum recipiens, eumdem sui idoli sacerdotem constituit.

1. FUIT eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, 2. Qui dixit matri suæ: Mille et centum argenteos, quos separaveras tibi, et super quibus me audiente iuraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino. 3. Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecravi et vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile atque conflatile: et nunc trado illud tibi. 4. Reddidit igitur eos matri suæ: quæ tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ. 5. Qui ædiculam quoque in ea Deo separavit, et fecit ephod, et theraphim, id est, vestem sacerdotalem, et idola: implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos. 6. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. 7. Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Iuda, ex cognatione eius: eratque ipse Levites, et habitabat ibi. 8. Egressusque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicumque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, et declinasset parumper in domum Michæ, 9. Interrogatus est ab eo unde venisset. Qui respondit: Levita sum de Bethlehem Iuda, et vado ut habitem ubi potuero, et utile mihi esse perspexero. 10. Dixitque Michas: Mane apud me, et esto mihi parens ac sacerdos: daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, et quæ ad victum sunt necessaria. 11. Acquievit, et mansit apud hominem, fuitque illi quasi unus de filiis. 12. Implevitque Michas manum eius, et habuit puerum sacerdotem apud se, 13. Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis Sacerdotem.

Vers. 1. FUIT EO TEMPORE VIR QUIDAM DE MONTE EPHRAIM NOMINE MICHAS) *Eo tempore*, quo videlicet gesta sunt quæ hoc libro Iudicum continentur, quæ quia potissimum erant huius libri argumentum, Auctor prius ordine enarrare voluit, et tam longam quinque sequentium capitum narrationem in finem libri reiicere. Ita Lyran. Abulen. Salianus, Carthus. Et alii.

Quando contigit idololatria Michæ? Quæres, Quando contigerunt ea quæ hisce capitibus sequen. recensentur? Resp. Serarius q. 14. contigisse paulo post mortem Samsonis, antequam Heli ei succederet, uti hic collocantur. Verum alii passim censent contigisse ante tempora Iudicum, paulo post mortem Iosue, vivente Caleb, et maioribus illi coævis, ut colligitur ex c. 20. 27. ubi dicitur hæc contigisse vivente Phinees Pontifice, qui fuit filius Eleazari filii Aaron, ac pene coævus Iosue. Et c. 18. 30. consecratus dicitur sacerdos Ionathan filius Gersam filii Mosis: et ex eo quod tunc ab Hebræis necdum expugnata esset Ierusalem, quæ tamen expugnata legitur Iudic. 1. 8. ut patet c. 19. 11. ita Abulens. q. 1. et 16. Lyranus, Masius in Iosue c. 19. v. 47. Ribera in Osee c. 10. et alii. Rabbini vero hic inter se dissentiunt. Alii enim putant hæc accidisse sub Iosue adhuc vivente, sed præ senio languente, nec idololatris obsistente: alii ut Raschi et Seder Olam hæc collocant sub Othoniele; Alii sub Aod secundo Iudice: sed verius est hæc paulo ante Othonielem contigisse, nimirum paulo post mortem Calebi et Seniorum, qui Iosue ult. v. 31. post Iosue dicuntur multo vixisse tempore, puta quindecim, vel ut Salianus, 17. annis: hi enim si vixissent, non permisissent idololatriam publicam in Israelem induci. Unde sub iis Israel ibidem dicitur serviisse Deo: iis autem mortuis subintroivit idololatria, cuius origo et ingressus hic describitur, ob quam Deus illico in Israelem misit Chusan regem Mesopotamiæ, qui eum affligeret. Unde Israel afflictus, pœnitens ab idolis ad Deum rediit, Deusque misit Othonielem primum Iudicem, qui eum a servitute Chusan liberavit, uti dictum est cap. 3. v. 8. Accedit, quod Danitæ ideo quæsiverunt novas sedes in Lais c. 18. quia ab Amorrhæis arctabantur in montibus, cum tribus Iuda duce Caleb, ac cæteræ tribus Chananæos suos debellassent, uti narratum est c. 1. 34. Unde Iosephus lib. 5. Antiq. c. 2. post mortem Iosue et bella Calebi, ac pacem a ceteris tribubus cum Chananæis initam, statim subiunxit hanc Danitarum contra Lais expeditionem. Quare historia quinque sequentium capitum recto temporis ordine ponenda fuisset ante caput secundum, scilicet immediate ante v. 35. capitis primi. Ita Salianus, et alii, qui urgent quoque illud, quod hic dicitur, tunc non fuisse rex, id est Iudex et Princeps, ideoque quemlibet fecisse id quod ei libebat.

Obiicit Abulens. Hæc contigere ante Ierusalem ab Hebræis expugnatam, ut patet c. 17. 11. Atqui Ierusalem expugnata est Caleb adhuc vivente, imo ab ipso Caleb, ut dixi c. 1. 8. ergo hæc contigerunt ante mortem Caleb. Resp. Ierusalem a Caleb quidem expugnatam, sed paulo

post rursum a Iebusæis fuisse receptam; uti et aliæ urbes a Iosue expugnatæ rursum a Chananæis fuere occupatæ; æque ac Gaza, Accaron et Ascalon a Philisthæis, ut patet c. 18. Aliam responsionem adiungam c. 19. 11.

Hunc Micham videtur significare Sulpitius in Chron. cum post Samsonem ponit Iudicem *Simmichar*, quasi ab Hebræo aliquo audiverit שְׁמוֹ מִיכָה *Scemo Michah*, id est *cuius nomen Michab*. Et huc Samsonis etiam apud Cedrenum successor trahi posset *Sciamanes*, vel potius *Scemanes*, vel *Sciamades*. Nam שָׁמַם *Sciamam* Hebr. vastare ac desolari est, *Sciamad* perdere ac evertere. Quis vero Israelitarum vastator, desolator, perditor eversorque maior et perniciosior, quam qui a vera illos fide abstrahit, ad idola pertrahit? Verum errat uterque; nam Michas non fuit Iudex, sed potius hostis populi Dei; nec Samsoni alius successit quam Heli.

Qui (Michas) dixit matri suæ.) Fuit hæc mater vidua et vetula, utpote habens nepotem sacerdotem, ac cum filio suo Micha superstitiosa, et idolorum cultui addicta. Rabbini nonnulli asserunt vel potius fingunt illam fuisse Dalilam, quæ mille et centum argenteos, quos pro proditione Samsonis a Philisthæis acceperat, ad idoli fabricam contulerit. Verum hæc longe ante Samsonem et Dalilam contigerunt, ut dixi.

Vers. 2. Mille et centum argenteos (scilicet siclos, id est totidem florenos Brabanticos) quos separaveras tibi, et super quibus me audiente iuraveras, ecce ego habeo et apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino.) *Quos separaveras tibi* id est quos seposueras ad futuros casus, vel necessitates aut commoditates occursuras. Hebr. est: *Qui accepti erant tibi*, quod Vatab. Pagnin. Arias, Caiet. et alii exponunt: *Qui tibi furto erant sublati*. Melius Noster vertit: *Quos acceperas* ut seponeres, id est *quos separaveras tibi*.

Iuraveras.) id est iurando voveras te iis fabricaturum idolum. Secundo, *iuraveras*, id est diris devoveras eum, qui tibi mille et centum argenteos furto subduxerat. Tertio, et planius: *iuraveras*, id est adiuraveras me, ut si quid scirem de hisce argenteis quos perdideras, id tibi edicerem. Casus est hic. Mulier hæc seposuerat ad futuros usus mille et centum argenteos: invenit eos et accepit; imo ut multi iam citati volunt, furto surripuit filius eius Michas: mater non inveniens suos argenteos, adiuravit filium, ut diceret, numquid de his argenteis sciret. Filius ingenue confessus est se eos invenisse, accepisse et habere. Unde mater eius veracitatem collaudans ait:

Benedictus filius meus Domino) Per *Dominum* intelligit Deum, non Israelis verum, sed falsum fictumque, cui mox paravit idolum, ut sequitur. Hic enim in ipsius sensu erat *Iehova*, ut habetur in Hebræo. Nomen enim *Iehova* datur non tantum Deo vero, sed et falso; quem scilicet idololatræ habent, coluntque ut suum Deum, ideoque nuncupant *Iehova*, id est Deum verum, ut patet ex multis Script. locis. Nisi quis dicat mulierem hanc simul coluisse Deum verum Israelis, et idolum gentium, uti fuere Cuthæi sive Samaritæ 3. Reg. 17. Aut in honorem Dei veri fabricasse suum idolum, quasi minorem Deum; nimirum reipsa iungens Deum dæmoni, volensque per cultum dæmonis honorare Deum: qui crassus et blasphemus fuit error; sed prius quod dixi est verius. En tibi origo idololatriæ in Israele fuit mulier. Sic hæreses omnes a mulieribus vel cœperunt, vel propagatæ sunt, uti ex S. Hieron. ostendi 2. Timoth. 3. v. 6.

Vers. 3. Consecravi et vovi hoc argentum Domino,) id est vel Deo meo Baal, vel Astaroth, etc. ut illi ex argento hoc statuam sive idolum conflari vel sculpi curem. Sic Græci et Romani colebant Iovem, Martem, Venerem, Mercurium, Saturnum, illisque multa idola statuebant, in quibus eos adorabant et consulebant, uti ostendi Baruch. cap. 6.

Et faciat sculptile atque conflatile.) Abulens. putat sculptile, idem esse quod conflatile. Melius alii hæc distinguunt, censentque ex hoc argento facta esse duo idola, unum arte fusoria conflatum, alterum sculpendo effigiatum, ideoque illud conflatile, hoc sculptile dictum: nam hæc duo distinguuntur cap. 18. 18.

Et nunc trado illud tibi.) *Trado*, id est mox tradam, ut patet ex Hebr. Mater ut filium ad reddendos 1100. argenteos, quos invenerat et abstulerat, alliciat adigatque, asserit se illos vovisse Domino, ita tamen ut ipsa sua manu eosdem tradat filio, qui idolum, quod voverat, fieri curet: sed mater argenteis omnibus a filio receptis, ducentos tantum idolo fabricando impendit, reliquos omnes sibi servavit. Unde filius Michas e suis opibus Ephod, id est vestes sacerdotales, aliaque idola sibi fieri curavit. Ita Arias.

Et fecit Ephod et theraphim,) id est vestem sacerdotalem et idola. Nam per *Ephod*, id est superhumerale cum Rationali; velut præcipuam vestem sacerdotalem, ceteræ omnes significantur. *Theraphim* vero erant idola. Unde Aquila vertit: μορφωματα, id est, *Figuras* vel figurationes: iam in his figuris vel figurationibus varia opera intellige opere sculptorio vel fusorio effigiata, sicut *opus Cherubim*. Hebr. vocatur *varium* varieque pictum. Ita S. Hieron. Epist. ad Marcellum de Ephod et theraphim tom. 3. Porro Septuag. *Theraphim* nunc vertunt Ειδωλα, nunc κενοταφια, nunc τα γλυπτα, nunc τα δηλα, nunc αποφθεγγομενους. Chald. Genes. 31. vertit *Silmænaia*, hic *demain*, id est *imagines et similitudines*. Erant ergo *theraphim* idola domestica, quæ domi colebant, et quasi oracula consulebant de rebus arcanis vel futuris, quos Romani Deos Penates et Lares vocabant. Audi quid de Alexandro Severo scribat Lampridius: « Si facultas esset, id est si non cum uxore cubuisset, matutinis horis in Lario suo (in quo et divos Principes, sed optimos, electos et animas sanctiores, in queis et Apollonium, et quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham et Orpheum, et huiusmodi Deos habebat, ac maiorum effigies) rem divinam faciebat. »

Vers. 5.

Theraphim quid?

Addunt Arias, Caiet. Oleaster et Rabbini *theraphim* fuisse hominum imagines ad hoc factas, ut superiorum virtutum sive cælorum influxum reciperent, itaque futura pronuntiarent. Audi R. Eleazar: « Quare vocantur Hatteraphim? adducebant hominem primogenitum et mactabant, eique caput abscindebant, atque hoc sale et aromate condiebant, ac inscribebant super Laminam auream nomen cuiusdam spiritus immundi. Supponebant porro nomen illud sub lingua ipsius, eamque reponebant in pariete, atque coram eo accendebant lucernas, et adorabant eum: ipse vero alloquebatur eos: » Mussitando.

Citat hæc Elias in Thisbi, et Lyran. Verum hæc incerta sunt, et locis Script. incongrua. Porro dicuntur *theraphim* quasi *Seraphim*. Chaldæi enim Hebræam litteram s convertunt in t, aut ut R. Eleazar *theraphim* vocantur imagines probrosæ, turpes, putidæ, quales sunt idololatricæ, quia *theraph* Chaldæis significat *putrescere* et *probris afficere*. Unde *beth hatthurpa* est *domus turpitudinis*, indeque Latinum *turpe et turpitudo*. Vide quæ de theraphim fuse dixi Osee 3. 4.

Porro Philo Biblicus asserit theraphim Michæ non unum, sed multa fuisse idola, per quæ pro variis varie ederentur oracula: Audi eum: « Fecit sibi effigies tres puerorum et vitulorum, et Leonem, aquilam et draconem et columbam. Et factum est, ut omnes qui seducebantur, venirent ad eum, et si quid voluissent pro uxore interrogare, per columbam interrogarent eum: si quis autem pro filiis, per effigies puerorum. Qui vero pro divitiis, per speciem aquilæ. Qui pro fortitudine, per Leonis effigiem consulebant eum. Si autem pro pueris et pro puellis, per species vitulorum interrogabant: Nam si pro longitudine dierum, per draconis effigiem interrogabant. Et erat iniquitas eius multiformis, et irreligiositas eius astuta. » Verum hæc incerta sunt; nam Philo hic, qui scripsit antiquitates Biblicas est pseudophilo, multaque incerta et fabulosa continet.

Implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos.) q. d. Michas unum e filiis suis

v. g. primogenitum (huic enim olim competebat ius sacerdotii) consecravit Sacerdotem idoli a se fabricati. Implere enim manus alicuius, phrasi Hebræa significat consecrare eum sacerdotem: hoc enim fiebat implendo manus eius tum donis et victimis, tum unctione olei, ut dixi Num. 3. 3.

Vers. 7. Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Iuda (est enim alia Bethlehem in tribu Zabulon) ex cognatione eius (scilicet Iuda q. d. oriundus ex Iuda) eratque ipse Levites,) scilicet pater eius erat ex tribu Levi, mater vero ex tribu Iuda: poterant enim Hebræi, præsertim Levitæ, ex alia tribu uxorem ducere. Porro Levites hic fuit Ionathan ex patre Gersam nepos Moysis, uti audiemus cap. 18. v. 30. Peccavit graviter tam Michas, quam Levites, quod passus sit se a profano Micha sacerdotem consecrari (Levitæ enim erant dumtaxat ministri Sacerdotum, uti sunt iam Diaconi) idque idoli: sed huc eum adduxit inopia, et spes alimoniæ ac honoris a Micha sibi promissi. Unde sequitur.

Vers. 10. Esto mihi parens ac sacerdos.) Sacerdos enim vocabatur *Pater* reverentiæ causa: ipse enim laicis erat quasi Pater spiritualis, id est sacrorum et salutis eorum curator, instructor, director, præpositus: simili modo discipulis *Patres* sunt præceptores, civibus senatores, iuvenibus senes, Reipubl. Principes, Principibus consiliarii, religiosis superiores, pœnitentibus confessarii, populo prædicatores. Unde S. August. vel potius Gennadius lib. de Ecclesia moribus c. 31. *Hi* inquit, *patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibusque rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis, quos filios suos vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.*

Hinc disce quanta apud idololatras quoque fuerit sacerdotum reverentia. Audi quid de Tartaris feris et barbaris scribat Alexander Guaginus in sua Tartaria. *Seiid supremus sacerdos dicitur, qui apud Tartaros in tanta auctoritate et reverentia habetur, ut reges ei advenienti occurrant, stantesque equo insidenti manus porrigant, capiteque inclinato manum illius osculentur, idque ipsis regibus permissum est. Duces vero non manuum, sed genua. Nobiles pedes deosculantur. Plebei autem vestes tantum aut equum manibus attingunt.*

Vestem duplicem.) Chald. et Septuag. *Par vestium* Hebr. *ordinem vestium*, id est duas vestes, quibus ex ordine uteretur, scilicet unam æstivam, alteram hybernam. Aut unam ferialem, alteram festam. Aut unam domesticam, alteram forensem. Ita Rabbini, Vatab. Pagnin. Et alii.

Et habuit puerum Sacerdotem;) scilicet Levitam Vers. 12.
illum, de quo v. 7. qui puer, id est adolescens erat, sacerdotem constituit, et apud se detinuit. Patet ex Hebr.

Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus Vers. 13.
habenti Levitici generis sacerdotem.) Imo maledicet tibi Deus; primo, eo quod idolum fabricaris. Secundo, quod Levitam ad idololatriam tuo pretio illexeris. Tertio, quod idololatriæ in Israele sis fons et origo, quæ per multa durabit sæcula. Quarto, quod tu cum sis laicus ex tribu Ephraim, ausus sis Levitam consecrare sacerdotem. En quot ibi sacrilegia?

Hinc tamen disce, quanta olim fuerit opinio, et religio status Levitici et Ecclesiastici. Vide S. Chrysost. hom. 18. in Acta Apost. ubi suadet ut fideles domi sacerdotem alant: sic enim Deum benedicturum eis in bonis tam temporalibus quam spiritualibus.

Vere Tertul. lib. de Præscript. cap. 41. *Ordinationes*, ait, Hæreticorum *temerariæ, leves, incostantes*, etc. *Apostatas nostros hæretici collocant, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est.* Et S. Hieron. l. 6. in c. 16. Isaiæ: *falsa doctrina pro lucro cuncta facit.*

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Danitæ idola Michæ surripiunt, et Ionathan sacerdotem abducunt: inde ex inopinato irruentes in urbem Lais, eam capiunt et succendunt; ibique sedes figunt, vocantes nomine suo Dan, atque in ea idola collocant.

1. In diebus illis non erat rex in Israel, et tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea: usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat. 2. Miserunt ergo filii Dan, stirpis et familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa et Estahol, ut explorarent terram, et diligenter inspicerent: dixeruntque eis: Ite, et considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, et intrassent domum Michæ, requieverunt ibi: 3. Et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ, utentesque illius diversorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti? 4. Qui respondit eis: Hæc et hæc præstitit mihi Michas, et me mercede conduxit, ut sim ei sacerdos. 5. Rogaverunt, autem eum, ut consuleret Dominum, ut scire possent an prospero itinere pergerent, et res haberet effectum. 6. Qui respondit eis: Ite in pace; Dominus respicit viam vestram, et iter quo pergitis. 7. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, iuxta consuetudinem Sidoniorum, securum et quietum, nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone atque a cunctis hominibus separatum. 8. Reversique ad fratres suos in Saraa et Esthaol, et quid egissent sciscitantibus responderunt: 9. Surgite, ascendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam et uberem: nolite negligere, nolite cessare. Eamus et possideamus eam, nullus erit labor. 10. Intrabimus ad securos, in regionem latissimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria, eorum quæ gignuntur in terra. 11. Profecti igitur sunt de cognatione Dan, id est, de Saraa et Esthaol sexcenti viri accincti armis bellicis. 12. Ascendentesque manserunt in Cariathiarim Iudæ: qui locus, ex eo tempore, Castrorum Dan nomen accepit, et est post tergum Cariathiarim. 13. Inde transierunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Michæ. 14. Dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam Terram Lais, ceteris fratribus suis: Nostis quod in domibus istis sit ephod, et teraphim, et sculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat. 15. Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Levitæ, qui erat in domo Michæ: salutaveruntque eum verbis pacificis. 16. Sexcenti autem viri ita ut erant armati, stabant ante ostium. 17. At illi qui ingressi fuerant domum iuvenis, sculptile, et ephod, et theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, et sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul expe-

ctantibus. 18. Tulerunt igitur qui intraverant, sculptile, ephod, et idola: atque conflatile. Quibus dixit sacerdos: Quid facitis? 19. Cui responderunt: Tace, et pone digitum super os tuum: Venique nobiscum, ut habeamus te patrem, ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu et familia in Israel? 20. Quod cum audisset, acquievit sermonibus eorum, et tulit ephod, et idola, ac sculptile, et profectus est cum eis. 21. Qui cum pergerent, et ante se ire fecissent parvulos ac iumenta, et omne quod erat pretiosum, 22. Et iam a domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt, 23. Et post tergum clamare cœperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas. 24. Qui respondit: Deos meos, quos mihi feci, tulistis et sacerdotem, et omnia quæ habeo, et dicitis: Quid tibi est? 25. Dixeruntque ei filii Dan: Cave ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas. 26. Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores se essent, reversus est in domum suam. 27. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, et quæ supra diximus: veneruntque in Lais, ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii: urbemque incendio tradiderunt. 28. Nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii. Erat autem civitas sita in regione Rohob: quam rursum extruentes habitaverunt in ea. 29. Vocato nomine civitatis Dan, iuxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur. 30. Posueruntque sibi sculptile, et Ionathan filium Gersam filii Moysi, ac filios eius sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ 31. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel.

Vers. 1. TRIBUS DAN QUÆREBAT POSSESSIONEM SIBI.) Tribus Dan, æque ac ceteræ possessionem suam sorte acceperat a Iosue c. 19. v. 40. versus mare et Philisthinos; sed his acriter resistentibus, et Amorrhæis alia ex parte eos coarctantibus, ut dictum est c. 1. 34. non potuerunt Danitæ totam sortem sibi a Iosue attributam occupare: quare videntes se in ea nimis anguste habitare, novas sedes quæsierunt, ac coloniam duxerunt in Lais; hoc est quod hic dicitur: *Sortem non acceperat*, id est armis capere et occupare non potuerat.

Vers. 6. DOMINUS RESPICIT VIAM VESTRAM.) *Dominum* vocat suum idolum, sive theraphim: huius enim erat sacerdos: unde illud consulens hoc ab eo responsum accepit, vel certe accepisse se finxit.

Vers. 7. VENERUNT LAIS.) Quæ Iosue 19. 49. (ubi per Prolepsin sive Anticipationem hæc historia narratur, cum posterius contigerit) vocatur *Lesem*, alibi *Laysa*: postea a Danitis vocata est *Dan*, factaque caput tribus Dan, et iuncto utroque nomine *Lesem-Dan*; deinde *Paneas* est dicta a Paneade fonte, qui eam alluit. Denique a Philippo Tetrarcha in honorem Tiberii Cæsaris instaurata et ornata, appellata est *Cæsarea Philippi*, ubi Christus Petro se filium Dei confitenti dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. Erat urbs hæc loco amœnissimo sita, inter duos rivos Ior et Dan, ad radices fere montis Libani. Unde Ieroboam in ea, æque ac in Bethel posuit suos vitulos aureos. Erat enim ipsa terminus terræ Israel versus Septentrionem, sicut Bersabee versus Austrum; unde dicitur *a Dan usque Bersabee*, id est per totum Israel. Hic oritur *Iordanis* fluvius, ita dictus, quod confletur ex confluxu duorum rivorum, scilicet *Ior et Dan*, aut quasi יורד מדן *iored middan*, id est *descendens ex Dan*. Ex hac urbe oriunda fuit mulier illa sanguinis fluxum patiens, quam Christus tactu fimbriæ sanavit. Math. 9. 20. quæ ibidem proinde statuam Christo erexit, ad cuius basin herba quædam nascebatur, quæ sensim crescens ubi Christi fimbriam attigisset, quoslibet morbos curabat, teste Eusebio lib. 7. Histor. c. 14. ita Christus urbem Dan, quæ tantorum monstrorum et multiplicis idololatriæ fuerat sedes, fidei quasi cathedram thronumque suum effecit.

Urbs Dan est Cæsarea Philippi.

VIDERUNTQUE POPULUM HABITANTEM IN EA ABSQUE ULLO TIMORE.) Tres hic dantur illecebræ et causæ, cur Danitæ Lais invaserint. Primo, quod cives in ea habitarent securi, ideoque inermes; secundo, quod essent opulenti; tertio, quod separati a cunctis hominibus, qui eis auxiliari potuissent.

ET PROCUL A SIDONE.) Itinere scilicet unius diei, ait Iosephus.

Tropol. disce hic quam periculosa sit nimia securitas: hæc enim allexit Hebræos ut perderent Lais. Rursum noctu maxime esse excubandum contra hostes. Hinc Græci noctu ceperunt Troiam. Audi Virgilium 2. Æneid.

Invadunt urbem somno vinoque sepultam.

Sic Cyrus Babylonios, eorumque regem Baltasarem noctu invasit et occidit. Daniel. 5. 30. sic Abraham super hostes irruit nocte, eosque percussit, Genes. 14. 15. sic Nisus noctu cum Eurialo invadens castra hostium, ait apud Virgil. Æneid. 9.

Euriale audendum dextra: nunc ipsa vocat res.

Ita quondam et Romani apud Athenæum lib. 5. noctem illunem observantes, ebrios Athenienses consopitosque invadunt et obtruncant. Ita denique et Gracchus apud Livium lib. 23. silenti profectus agmine, castra campana ut in pervigilio neglecta, simul omnibus portis invadit, diripit et evertit.

MANSERUNT IN (id est iuxta, ut patet ex sequentibus) CARIATHIARIM (id est urbe sylvarum; erat enim locus sylvosus) IUDÆ) Erat ergo hæc urbs non in tribu Iuda, sed in confinio tribus Dan et Beniamin. Minus recte ergo Adrichom. eam collocat in tribu Dan. Vers. 12.

THERAPHIM, ET (id est) SCULPTILE ATQUE CONFLATILE.) *Theraphim* enim erant idola sculpta, vel conflata ex auro, argento, vel ære. Adde *Theraphim* id est idola non solum fuisse sculpta vel conflata, sed picta quoque, malleo deducta, ex argilla a figulo efficta, aliave arte et modo effigiata et efformata. q. d. erant in domo Michæ *theraphim*, id est idola varia varie effecta, sed præsertim arte fusoria conflata, et sculptoria exsculpta; hoc enim videtur exigere v. 18. ubi dicitur: *Tulerunt sculptile, Ephod, et idola atque conflatile.* Et v. 20. *idola ac sculptile.* Denique *theraphim* proprie erant idola, a quibus divinatio petebatur, ut dixi superius. Vers. 14.

VIDETE QUID VOBIS PLACEAT;) Super hac re scilicet; an idola hæc Michæ accipere, an ei salva relinquere velitis.

PONE DIGITUM SUPER OS TUUM. q. d. *Digito compesce labellum,* sile: symbolum enim silentii est digitus ori superpositus. Unde Harpocrates Deus silentii pingebatur quasi puer nudus, imberbis, indicem digitum dextræ manus ori imponens, sinistra vero cornu-copiæ gestans, mythra redimitus. Vide Pierium. Vers. 19.

Harpocrates Deus silentii.

POSUERUNTQUE SIBI SCULPTILE, ET IONATHAN FILIUM GERSAM FILII MOYSI, AC FILIOS EIUS SACERDOTES IN TRIBU DAN.) *Filii Moysi.* Ita constanter legunt Latina Romana, et cetera. Sed Septuag. Chald. et Hebræa moderna legunt: *filii Manasse.* Vers. 30.

Verum germana lectio est: *filii Moysi*, itaque habent vetera Hebræa, ut notarunt Rabbini, Caiet. et Vatab. *Gersam* enim fuit filius Mosi, ut patet Exodi 2. v. 22. Ceterum Hebræi olim ut consulerent honori Mosi, ne infamia tam gravis a nepote Ionathan, utpote sacerdote idolorum, illi quasi avo inureretur, ad marginem *Moysi* posuerunt *Manasse,* littera ס in vicinam נ conversa, et

mutatis punctis itaque legere cœperunt: *filii Manasse*, quasi significantes quod Ionathan, qui natura erat *filius*, id est nepos Mosis, tanto et tam sancto patre, hoc est avo indignus, potius dicendus esset filius Manassis regis idololatræ: filius inquam non natura, sed imitatione, aut potius impietatis similitudine. Nam alioqui Ionathan hic aliquot sæculis præcessit Manassen: quæ lectio marginalis tandem in textum Hebræum irrepsit, sed ita ut notetur circulo, et littera נ elevata et suspensa; nimirum ut alia vetus lectio, quæ habet *Moysi*, vera et germana esse indicetur. Hinc patet hæc non diu post mortem Iosue contigisse: nam idoli huius sacerdos erat Ionathan nepos Mosi, qui tum erat adolescens. Ita Ioseph, et alii citati c. 17. v. 1.

Vide hic quam *Herοum filii noxæ*, quamque a parentum virtute degenerent, fiantque perditissimi, ut merito parentibus optandum sit mori illiberes, quam tam infames post se liberos relinquere. En tibi Moses legislator, dux, et propheta populi, fundator synagogæ et avitæ fidei, post se reliquit nepotem Ionathan, qui factus est idolorum sacerdos primus, et princeps ceterorum, qui eum in Israele deinde plurimi secuti sunt. En tibi tam sancti avi tam sacrilegus nepos. Sic Adam pius post se genuit parricidam Cain, Ezechias Manassen, Iosias Ioachim, Salomon Roboam, Abraham Ismaelem, Heli Ophni et Phinees, Samuel degeneres filios, ob quos populus petiit regem, quem Deus per Samuelem dedit Saulem.

Captivitas Danitarum quando. USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS SUÆ.) Hebr. *Usque ad diem migrationis terræ.* Sic et Septuag. Quæres, quænam fuit hæc Danitarum captivitas, in qua finita fuit eorum idololatria? Sunt tres sententiæ. Prima accipit captivitatem Assyriacam, qua decem tribus, inter quas una erat Dan a Salmanasar abductæ sunt in Assyriam anno sexto Ezechiæ regis. 4. Reg. 17. 2. Ita Seder Olam et Raschi.

Secunda censet peculiarem hanc fuisse tribus Dan captivitatem, quam alibi Script. non narrat: ita Caiet.

Tertia asserit fuisse eo tempore, quo arca Dei sub Heli Pontifice capta est, et Hebræi ingenti strage cæsi, et magna clade affecti fuere a Philisthæis; tunc enim multi ab eis bello capti in captivitatem fuere abducti, tam ex tribu Dan, quam ex ceteris tribubus. Ita Lyran. Abul. Vatab. Arias, Serarius, Geneb. in Chronol. Ribera in Osee c. 10. Probatur primo, quia id significant verba sequentia, quibus ait: *Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.* Atqui hæc fuit in Silo usque ad Heli et Samuelem. Ubi nota Iosue arcam cum tabernaculo collocasse in Silo, quia Silo erat in tribu Ephraim, ex qua erat et Iosue, ut sic facilius in sua præsens tribu Iosue servaret purum Dei cultum. Addit Iosephus lib. 5. Antiq. c. 10. id factum ob loci pulchritudinem. Mansit in Silo arca a sexto anno Iosue usque ad ultimum Heli per annos 350.

Secundo, quia idolum hoc non fuit in tribu Dan, usque ad Salmanasar. Quomodo enim publicam hanc idololatriam in regno suo permisisset David rex piissimus et potentissimus? quomodo Samuel? quomodo Iosaphat, Asa, Ezechias?

Tertio, si in Dan fuisset idolum Michæ, Ieroboam ibidem non collocasset suos vitulos aureos quasi idola; suffecisset enim ipsi idolum Michæ ad populum a Ierusalem in Dan abstrahendum. Porro vituli aurei ipsius substituti fuere huic idolo Michæ, ut facilius a populo reciperentur, utpote qui iam pridem ibidem idolum Michæ, auctoritate Ionathan sacerdotis, qui erat nepos Mosi et posterorum eius, roboratum coluisset.

Minus recte ergo Caiet. putat hic duo tempora vocari. Unum, quo Ionathæ sacerdotis durarit posteritas; et hoc esse usque ad Daniticam captivitatem, de qua dictum. Alterum, quo steterit Michæ idolum; et hoc fuisse ad Philisthæam arcæ captivitatem, Helique mortem, uti iam dixi. Nam unum idemque tempus notari hic satis indicant ipsa verba textus, præsertim Hebraici, qui sic habet: ***Et constituerunt sibi filii Dan sculptile et Iehonathanem filium Gersam, filii Mosis. Ipse*** (Iehonathan) ***et filii eius fuerunt sacerdotes tribus Dan usque ad diem migrationis terræ.***

Idem ergo fuit terminus et finis Danitarum, ac sacerdotis et sacerdotii idololatrici, ac consequenter idololatriæ apud eosdem Danitas; nimirum clades Israelis, et captivitas arcæ sub Heli; tunc enim plurimi ex Danitis et ceteris tribubus a Philisthæis fuere in captivitatem abducti, ac inter alios idola hæc Michæ, cum suo sacerdote, ut satis colligitur ex 1. Regum 4. 10. et Psal. 77. v. 61. ubi de hac strage agens ait: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem* (arcam) *eorum in manus inimici.*

IN DIEBUS ILLIS NON ERAT REX IN ISRAEL.) Qui suo Vers. 31.
imperio et potentia idololatriam hanc punire et evertere posset. Impune ergo illa grassata est, et duravit per tempora Iudicum usque ad Heli, quia Iudices non habebant tantam auctoritatem et imperium, quanta ad hoc malum tollendum requirebatur. Hinc videtur quod Samuel sanctissimus et zelotissimus propheta, creato rege Saule, omnibus modis apud eum egerit, ut ipse reliquias idololatriæ e domo Michæ ac toto Israele cum suis sacerdotibus tolleret; quod ipsum fecisse non est dubium, et satis significat Script. 1. Reg. 28. v. 9.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Uxore Levitæ ab incolis urbis Gabaa, qui erant e tribu Beniamin, infanda libidine occisa, maritus Levita, cadavere uxoris in duodecim partes dissecto, et ad duodecim tribus misso, omnes concitat ad tantum scelus vindicandum. Est hæc secunda appendix ad librum Iudicum, in qua recensetur historia stupri et belli Beniaminitici, quæ contigit eodem tempore quo præcedens Michæ, paulo post mortem Iosue et Seniorum illius ævi. Nam ut dicitur cap. 20. 28. contigit tempore Phinees, qui patri Eleazaro (hic enim pro Iosue, consulebat Deum ex iussu Dei et Mosis Num. c. 27. v. 21.) in Pontificatu successit sub idem tempus, quo Othoniel successit Iosue. Videtur enim Eleazarus Iosue coævus paulo post illum obiisse. Unde Iosue cap. ult. v. ult. eius mors statim post mortem Iosue recensetur. Sicut ergo idololatria Michæ et Danitarum accidit sub Ionathan nepote Mosis, ut audivimus c. 18. 30. sic hæc historia excidii tribus Beniamin accidit sub Phinees nepote Aaronis: Aaron autem fuit frater Mosis. Ita Rabbini, Iosephus, Abul. Lyran. Serar. et Genebr. in Chronol. Minus recte ergo Sulpitius et Arias censent hanc historiam contigisse tempore Heli Pontificis; Suidas sub Samsone; et Masius sub Aod secundo Iudice; et alii sub Othoniele, qui fuit primus Iudex.

1. FUIT quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Iuda: 2. Quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus. 3. Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, et secum reducere, habens

in comitatu puerum et duos asinos: quæ suscepit eum, et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer eius, eumque vidisset, occurrit ei lætus. 4. Et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter. 5. Die autem quarto de nocte consurgens; proficisci voluit, quem tenuit socer, et ait ad eum: Gusta prius pauxillum panis, et conforta stomachum, et sic proficisceris. 6. Sederuntque simul, ac comederunt et biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum: Quæso te ut hodie hic maneas, pariterque lætemur. 7. At ille consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixe eum socer tenuit, et apud se fecit manere. 8. Mane autem facto, parabat Levites iter. Cui socer rursum: Oro te, inquit, ut paululum cibi capias. Et assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul. 9. Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua et puero. Cui rursum locutus est socer: Considera quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, et duc lætum diem, et cras proficisceris, ut vadas in domum tuam. 10. Noluit gener acquiescere sermonibus eius: sed statim perrexit, et venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ierusalem, ducens secum duos asinos onustos, et concubinam. 11. Iamque erant iuxta Iebus, et dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad dominum suum: Veni, obsecro, declinemus ad urbem Iebusæorum, et maneamus in ea. 12. Cui respondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa: 13. Et cum illuc pervenero, manebimus, in ea, aut certe in urbe Rama. 14. Transierunt ergo Iebus, et cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol iuxta Gabaa, quæ est in tribu Beniamin: 15. Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere voluit hospitio. 16. Et ecce, apparuit homo senex, revertens de agro et de opere suo vesperi, qui et ipse de monte erat Ephraim, et peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filii Iemini 17. Elevatisque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis: et dixit ad eum: Unde venis? et quo vadis? 18. Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethlehem Iuda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem: et nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere. 19. Habentes paleas et fœnum in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos et ancillæ tuæ usus, et pueri qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio. 20. Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum, quæso, ne in platea maneas. 21. Introduxitque eum in domum suam, et pabulum asinis præbuit: ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium. 22. Illis epulantibus, et post laborem itineris, cibo et potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial, (id est, absque iugo) et circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. 23. Egressusque est ad eos senex, et ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingressus est homo hospitium meum, et cessate ab hac stultitia. 24. Habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis: tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. 25. Nolebant acquiescere sermonibus illius. Quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, et eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane. 26. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, et ibi corruit. 27. Mane facto, surrexit homo, et aperuit ostium, ut cœptam expleret viam: et ecce concubina eius iacebat ante ostium, sparsis in limine manibus. 28. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur: Surge et ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua, tulit eam, et imposuit asino, reversusque est in domum suam. 29. Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel. 30. Quod cum vidissent singuli, conclamabant: Numquam res talis facta est in Israel, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus: ferte sententiam, et in commune decernite quid facto opus sit.

Vers. 2. QUÆ RELIQUIT EUM.) Noster Interpres תזנח *tiznach*, id est *reliquit*, elongavit se, iam legunt תזנה *tizna* per ה, id est *fornicata est*. Unde censent Rabbini eam a Levita dimissam fuisse ob adulterium. Verum huius criminis nec Septuag. nec Chald. nec Iosephus meminerunt. Septuag. vertunt: *irata est ei*. Chald. *contempsit eum*. Iosephus ait eam discessisse a marito ob eius zelotypiam. Verisimile est inter eos fuisse mores diversos, indeque simultates, lites et iurgia, qualia inter coniuges crebra sunt, ideoque uxorem a marito secessisse ad suos parentes. Id colligitur ex illo v. 3. *secutusque est eam vir suus volens reconciliari ei*.

Vers. 10. ET CONCUBINAM,) Id est uxorem secundariam.

Vers. 12. NON INGREDIAR OPPIDUM GENTIS ALIENÆ.) puta Ierusalem, quæ tunc occupabatur a Iebusæis; licet enim illa expugnata sit a Caleb Iudic. 1. 8. tamen postea eam recuperarunt Iebusæi. Aut potius Caleb urbem Ierusalem quidem expugnavit, sed non arcem Sion; hanc enim diu post expugnavit David. Quare Iebusæi tenentes arcem dominabantur urbi, in qua mixtim habitabant Iudæi et Iebusæi, puta Beniaminitæ, uti diserte dictum est c. 1. 21. et Iosue c. 15. v. ult. Hac ergo de causa Levita hic noluit pernoctare in Ierusalem, ne cum Iebusæis idololatris versari cogeretur.

Vers. 15. ET NULLUS EOS RECIPERE VOLUIT HOSPITIO.) *Mentior*, inquit S. Ambros. lib. 5. Hexam. c. 16. *si non Sodomitis hæc fuit causa supplicii, inhospitalitas*: imo Ezechiel c. 16. 49. *Hæc*, ait, *fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis et abundantia et otium, et manum egeno et pauperi non porrigebant.*

FILII IEMINI.) Id est *filii Beniamin*, hic enim per Aphæresin primæ syllabæ *ben*, vocatur *Iemini*. Vers. 16.

VADIMUS AD DOMUM DEI.) Ad tabernaculum et arcam fœderis in Silo, devotionis gratia, ut ibidem invocato et adorato Deo, inde incolumes redeamus domum in montem Ephraim. Vers. 18.

HABENTES PALEAS ET FŒNUM.) Hinc liquet tum in Iudæa non fuisse publica hospitia, sed proficiscentes rerum annonam detulisse, ac apud amicum vel civem aliquem hospitium quæsivisse, uti etiamnum fit in Turcia, Tartaria, Scythia, etc. Vers. 19.

FILII BELIAL, ID EST ABSQUE IUGO.) Scilicet homines effrænes, impii, scelesti. Vide quæ de Belial dixi 2. Corinth. 6. 15. Vers. 22.

HABEO FILIAM VIRGINEM, ET HIC HOMO HABET CONCUBINAM, EDUCAM EAS AD VOS.) Quæres, an peccarit hic vir offerendo libidini Gabaonorum filiam suam, et maritus Levita educendo uxorem suam ad evadendam Sodomiam? Resp. licite eos potuisse volentibus inferre graviorem iniuriam, offerre minorem ad redimendam graviorem. Minor autem iniuria erat violari filiam vel uxorem, quam virum libidine nefanda, eumque hospitem, violando simul Vers. 24.

ius hospitii, quod tum temporis sanctissimum erat et inviolabile: sic volenti committere adulterium licet suadere fornicationem cum meretrice, ac volenti committere maius peccatum suadere minus. Hoc enim consilium prudens est et honestum; non enim suadetur hic minus malum absolute, sed sub conditione hac: si vis plane committere maius peccatum, committe potius minus; quod est obiectum huius consilii prudens, et viro cordato dignum. Ita S. Chrysost hom. 27. ad populum, et homil. 43. in Genes. illi qui assuetus est iurare per Deum, suadet ut iuret potius per caput suum. Et S. August. lib. 2. de Adulter. coniug. c. 15. *si facturus est*, ait, *quod non licet, iam faciat adulterium, et non homicidium*, id est faciat minus peccatum, potius quam maius. Idem docet S. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 6. S. Gregor. lib. 32. Moral. c. 20. ac diserte Caiet. hic Barth. Fumus in Summula Casuum, Verbo Tyrannus, D. Soto lib. 6. de iustitia quæst. 1. art. 5, Adrian. quodlibet 1. q. 2. S. Thomas quæst. de Malo. Vide Navarrum c. 14. n. 40. in fine. Hoc in genere, iam in particulari.

Resp. Secundo, videri virum hunc peccasse contra pietatem. Hæc enim dictat patri ut filiæ suæ pudori et bono consulat, potius quam hospitis externi, etiamsi gravior iniuria ei inferenda sit; et contra iustitiam, si ea invita et repugnante (uti fieri solet) violandam obtulit: et contra charitatem, si in filia erat periculum consensus in delectationem veneream. Ita Lyran. Abul. Dion. et Pererius in cap. 19. Genes. v. 5. ubi simile dixi de Lot offerente filias Sodomitis ad liberandos hospites. Quod si periculum consensus non erat in filia, ipsaque sponte patri sese submiserat, aut ad tantum nefas evitandum etiam obtulerat, et

A hoc probrum sustinendum, nullum omnino fuit peccatum.

Denique animi perturbatio, incogitantia, et inopia consilii culpam viri huius valde imminuerunt.

Magis excusandus est Levita, qui ut propriam iniuriam infandam evaderet, obtulit uxorem ad stuprum, si ipsa ad hanc sui oblationem (ad quam non obligabatur) consensit. Quisque enim potius a se prohibere debet iniuriam, præsertim tam nefariam, quam ab alio, puta ab uxore. Charitas enim incipit a seipso.

Quod cernens eduxit.) Ut obiecti præsentia et fe- Vers. 25.
minæ pulchritudine illecti abstinerent a viro, nec ulterius quid peterent, uti reipsa factum est. Ita Abulen. et forte incolæ Gabaa petebant virum simulate, ut femina, quam appetebant, et cuius per forum transeuntis miram pulchritudinem viderant, eis offerretur, uti asserit Iosephus.

Fuit hoc ingens scelus, quod proinde totius pene tribus excidio Deus vindicavit. Unde de eo dicitur. Oseæ 9. 9. *Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa. Recordabitur* (Dominus) *iniquitatis eorum, et visitabit peccata* B *eorum.*

In duodecim partes ac frusta concidens, misit Vers. 29.
in omnes terminos Israel.) Puta ad duodecim tribus, cuique tribui unam partem. Non peccavit hic maritus, quia non concidit uxorem ad dehonestationem corporis ipsius, sed potius ad honorem illi restituendum per vindictam tanti flagitii, quæ paulo post reipsa secuta est; nam hac concisione omnes excitavit ad ultionem. Ita Abul.

Hoc Levitæ factum exemplumque citat S. Athanas. ep. ad Orthodoxos; similique modo Arrianorum nefanda scelera contra Catholicos commissa recensens, eosdem excitat, ut Arrianos detestentur.

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Undecim tribus bellum inferentes Beniaminitis ad vindicandam nefandam eorum libidinem, secundo ab eis cæduntur, tertio tandem aggressu eosdem cædunt usque ad internecionem, sexcentis dumtaxat fuga in solitudinem elapsis.

1. Egressi itaque sunt omnes filii Israel, et pariter congregati, quasi vir unus, de Dan usque Bersabee, et
Terra Galaad, ad Dominum in Maspha; 2. Omnesque anguli populorum, et cunctæ tribus Israel in Ec-
clesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum. (3. Nec latuit filios Benia-
min, quod ascendissent filii Israel in Maspha.) Interrogatusque Levita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tan-
tum scelus perpetratum esset, 4. Respondit: Veni in Gabaa Beniamin, cum uxore mea, illucque diverti: 5. Et ec-
ce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, et uxorem meam
incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est. 6. Quam arreptam, in frusta concidi, misique partes in
omnes terminos possessionis vestræ: quia nunquam tantum nefas, et tam grande piaculum factum est in Israel.
7. Adestis omnes filii Israel, decernite quid facere debeatis. 8. Stansque omnis populus, quasi unius hominis ser-
mone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum: 9. Sed hoc contra
Gabaa in commune faciamus: 10. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille,
et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Beniamin, et red-
dere ei pro scelere, quod meretur. 11. Convenitque universus Israel ad civitatem, quasi homo unus, eadem men-
te, unoque consilio. 12. Et miserunt nuntios ad omnem tribum Beniamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vo-
bis repertum est? 13. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur ma-
lum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum: 14. Sed ex cunctis urbibus, quæ
sortis suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israel dimicarent.
15. Inventique sunt viginti quinque millia de Beniamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa, 16. Qui
septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra, ut dextra præliantes: et sic fundis lapides ad certum iacientes, ut ca-
pillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. 17. Virorum quoque
Israel, absque filiis Beniamin, inventa sunt quadringenta millia educentium gladios, et paratorum ad pugnam.
18. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo: consuluerunt que Deum: atque dixerunt: Quis erit
in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus respondit Dominus: Iudas sit dux vester.
19. Statimque filii Israel surgentes mane, castrametati sunt iuxta Gabaa: 20. Et inde procedentes ad pugnam con-
tra Beniamin, urbem oppugnare cœperunt. 21. Egressique filii Beniamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel die

illo viginti duo millia virorum. 22. Rursum filii Israel et fortitudine et numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt: 23. Ita tamen ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem: consulerentque eum, et dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, et inite certamen. 24. Cumque filii Israel altera die contra filios Beniamin ad prælium processissent, 25. Eruperunt filii Beniamin de portis Gabaa: et occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent. 26. Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino: ieiunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, 27. Et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, 28. Et Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras. 29. Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa: 30. Et tertia vice, sicut semel et bis, contra Beniamin exercitum produxerunt. 31. Sed et filii Beniamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo, et cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros: 32. Putaverunt enim solito eos more cædere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent. 33. Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt, 34. Et ab Occidentali urbis parte procedere. Sed et alia decem millia virorum de universo Israel, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Beniamin: et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus. 35. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium. 36. Filii autem Beniamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias devenirent, quas iuxta urbem posuerant. 37. Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Beniamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii. 38. Signum autem dederant filii Israel his quos in insidiis collocaverant, ut postquam urbem cepissent, ignem accenderent: ut ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent. 39. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi (putaverunt enim filii Beniamin eos fugere, et instantius persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris) 40. Et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere; Beniamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, et flammas in sublime ferri: 41. Qui prius simulaverant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Beniamin, in fugam versi sunt, 42. Et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus, sed et hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis. 43. Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt atque prostrati sunt ad Orientalem plagam urbis Gabaa. 44. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum. omnes robustissimi pugnatores. 45. Quod cum vidissent qui remanserant de Beniamin, fugerunt in solitudinem: et pergebant ad Petram, cuius vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia. 46. Et sic factum est, ut omnes qui ceciderant de Beniamin in diversis locis, essent vigintiquinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. 47. Remanserunt itaque de omni numero Beniamin, qui evadere, et fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: sederuntque in Petra Remmon mensibus quatuor. 48. Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis a viris usque ad iumenta, gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Beniamin vorax flamma consumpsit.

Vers. 1. EGRESSI ITAQUE SUNT OMNES (id est plurimi omnes qui commode domo abesse egredique poterant) AD DOMINUM IN MASPHA.) Quatuor erant urbes in Iudæa dictæ *Maspha,* id est *specula,* ait Abul. qui Galaaditicam hic intelligit. Melius alii accipiunt illam, quæ erat in confinio tribus Iudæ et Beniamin; hæc enim erat vicina Gabaæ, quam punire volebant, æque ac urbi Silo, ubi erat Tabernaculum fœderis cum arca, quod ex Maspha videri poterat. Erat enim Maspha in loco alto quasi specula, unde ibidem dicuntur *congregati ad Dominum,* eminus in Tabernaculo supra arcam residentem. Adde in tota Synagoga simul collecta ad causam piam, uti hic erat, Deus aderat, illique præerat. Unde ad eam convenientes dicebantur *congregati ad Dominum.* Hinc et alias sæpius Hebræi comitia celebrarunt in Maspha, ut patet 1. Reg. 7. 10. Ierem. 40. 1. Machab. 3. 47. ubi et causa additur cum dicitur: *locus orationis erat in Maspha ante in Israel.* q. d. Esto in Silo esset Tabernaculum cum arca, tamen in Maspha erat Synagoga, sive locus orationis, ideoque eo quasi ad Synagogam sive proseucham convenerunt Israelitæ. Unde Rabbini Synagogarum originem referunt ad Synagogam celebrem et principem, quæ erat in Maspha.

Vers. 2. OMNESQUE ANGULI POPULORUM.) Hoc est omnes populi habitantes in suis locis, quasi angulis. Sic hodie vocantur *Cantones,* id est Anguli Helvetiorum. Rursum et potius *omnes anguli,* id est omnes primores, Præfecti et Duces populorum, omnes Principes tribuum, ait noster Salazar in Proverb. c. 1. v. 21. n. 229. hi enim populum in unione et officio continent, sicut anguli stringunt continentque totam domum. Hinc Angulus pro Principe sumitur, ut cum Christus dicitur *factus in caput anguli,* et esse *lapis angularis,* id est columna, basis et princeps Ecclesiæ. Psal. 117. 22. Et Matth. 21. 42. et cum Isaias ait c. 19. v. 13. *Deceperunt Ægyptum angulum* (id est Principem) *populorum.* Et Zachar. c. 10. v. 4. *Ex ipso angulus,* hoc est ex Iuda prodibit princeps, puta Iudas Machabæus. Similia sunt Sophon. 3. 6. et 1. Reg. 14. 38.

ET MISERUNT NUNTIOS AD OMNEM TRIBUM BENIAMIN.) Per universas urbes et cognationes Beniaminitarum. Vers. 12.

INVENTIQUE SUNT VIGINTI QUINQUE MILLIA DE BENIAMIN.) Hebr. et Chald. habent 26. *millia,* quibus consentit Lyran. et Abul. Sed Septuag. æque ac Latina Romana constanter legunt 25. *millia:* atque his plane consentit numerus cæsorum et superstitum v. 35. et 47. Denique facile חמשה *chamiscià,* id est *quinque,* depravari potuit in וששה *vesciscià,* id est *et sex.* Vers. 15.

QUI (incolæ Gabaa) SEPTINGENTI ERANT VIRI FORTISSIMI, ITA SINISTRA UT DEXTRA PRÆLIANTES, ET Vers. 16.

SIC FUNDIS LAPIDES AD CERTUM IACIENTES, UT CAPILLUM QUOQUE POSSENT PERCUTERE.) Est hyperbole q. d. peritissimi erant fundæ, ut ea iacientes lapidem, certo scopum configerent. Ita Lyran. Abul. Caiet. Tales quoque erant incolæ Balearium insularum, qui a teneris exercebantur in iactu fundæ, adeo ut pueri ientare non possent, nisi ientaculum eminus positum funda deiecissent, teste Strabone. Audi quid de Commodo Imper. scribat Herodianus: *Cervos et damas, item cornigera alia præter tauros, currens pariter ipse atque insequens impetebat, ac præventa fuga certissimis ictibus prosternebat. Leones vero et Pantheras, aliaque id genus nobilissima animalia, currens in orbem superne iaculis confodiebat, sic ut nec telum quisquam secundum, nec vulnus viderit nisi lethiferum. Nam ut primum se fera concitaverat, statim illam vel in fronte vel in corde sauciabat, nullo præterea usus scopo, neque ad aliam corporis partem telo destinato, sic ut pariter cum vulnere ipso conficeretur.* Plura tam peritorum sagittariorum exempla recensui Thren. 3. v. 12.

Vers. 18. IUDAS SIT DUX VESTER.) *Iudas*, id est tribus Iuda, eiusque Princeps.

Vers. 23. FRATRES MEOS.) Hostes vocant fratres, ut ostendant quod licet vitia sint punienda, natura tamen est diligenda, ait Lyran. hinc hostis olim erat hospes; unde Italicum *oste.*

QUIBUS ILLE RESPONDIT, ASCENDITE AD EOS ET INITE CERTAMEN.) Mira Dei ordinatio: iubet enim undecim tribus semel cæsas a Beniaminitis ad 22. millia v. 21. iterum eos aggredi, et ab eis rursum cædi ad 18. millia v. 25. et tamen illæ bellum iustum piumque agebant.

Probi in bello cæduntur ob tres causas.

Cur hoc? Prima causa fuit, ut præterita eorum peccata castigaret, ac nominatim quod permisissent idolum Michæ: item cultum Baalim et Astaroth. c. 2. et 3. ita Hebræi, Lyran. et Abul.

Secunda innuitur v. 22. quod scilicet nimis in sua fortitudine et numero confiderent: ut discerent Dei esse victoriam, eamque ab eo dari sæpe paucis et debilioribus contra plures et potentes.

Tertia, ut castra undecim tribuum, in quibus multi erant scelerati, a fæce expurgaret; itaque digna redderet, quibus victoriam largiretur: utque probaret et excitaret eorum fidem et obedientiam, quæ sane hic magna fuit; nam licet secundo cæsi, tertio tamen bellum Dei iussu instaurarunt, ideoque victores evaserunt. Audi S. Gregor. 14. Moral. c. 13. *Quid est quod in ultionem sceleris inflammatur Israel; et tamen prius ipse prosternitur: nisi quod prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur: ut ipsi iam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant?* Confirmat exemplo adulteræ, cuius accusatoribus ait Christus Dominus: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Ioan. 8. 7. De quibus S. Greg. *Ad aliena*, inquit, *punienda peccata ibant, et sua reliquerant. Revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, et tunc aliena reprehendant.*

Denique ut ostenderet se supremum esse necis et vitæ omnium Dominum, itaque omnes sacro sui metu et reverentia percelleret, uti et factum est. Vide Origin. hom. 14. in Numer. S. August. lib. 5. de Civit. c. 21. et 22. Salvian. lib. de Providentia. S. Gregor. 21. Mor. c. 3. S. Ephrem tom. 1. serm. de patientia.

Similibus de causis Deus permisit in bello contra Pharaonem infidelem inito, occidi Iosiam piissimum regem Iuda; et Ladislaum regem Hungarorum ab Amurathe Imper. Turcarum in clade Varnensi; ac S. Ludovicum Regem Franciæ volentem recuperare terram sanctam a Soldano Ægypti capi, et in secunda expeditione peste mori, ut miram eius patientiam acueret, eamque toti mundo ostenderet, et mox in cælis coronaret: quam sane præ aliis heroicis eius virtutibus ego admiror et veneror. Sic S. Bernard. ante S. Ludovicum, iussu Dei incitavit Christianos ad capessendam eandem in terram sanctam expeditionem, quæ tamen male cessit cæsis Christianis. Unde S. Bernard. a multis impostor audivit: sed ipse se tutatus est, ostenditque per miracula hanc fuisse Dei voluntatem, uti ipse citans hanc Israelitarum geminam cladem narrat lib. 2. de Consid. ad Eugenium sub initium.

IEIUNAVERUNTQUE DIE ILLO USQUE AD VESPERAM.) Ex Vers. 26.
hoc loco, et ex 2. Regum c. 1. et 9. liquet Hebræos in ieiunio solitos ieiunare usque ad vesperam. Ex qua consuetudine fluxit superstitiosa observatio Saracenorum, Turcarum et Iudæorum posteriorum, qui cum ieiunant, non ante cibum sumere solent, quam stellam Veneris sive Hesperum (hanc enim colunt Saraceni) conspexerint; ut de Iudæis refert S. Hier. l. 2. contra Iovin. et Tertul. lib. contra Psychicos sub finem. De Saracenis idem liquet ex c. 2. Alcorani.

Ad vesperam quoque olim ieiunabant Christiani: unde in huius rei memoriam etiamnum vesperæ in ieiunio quadragesimæ ante prandium recitantur; quasi prandium, quod deinde sequitur, non tam prandium quam cœna sit.

QUI CUM REPENTE.) Intricatus est hic ordo et series hi- Vers. 37.
storiæ, sed eum sic extrices et digeras cum Lyrano et Abul. Israelitæ se diviserunt in tres turmas sive partes, inæquales tamen: una fuit insidiarum, quæ positæ erant a tergo urbis Gabaa, ut Beniaminitis ad Israelitas insequendum egressis, urbem ipsam ingrederetur et succenderet. Altera turma erat decem millium, quæ Beniaminitas urbe elicuit, ut prior turma insidiarum iam dicta urbem intercipere posset, quæque eos ad tertiam turmam, sive aciem numerosissimam totius reliqui exercitus ad duas semitas consistentem, simulate fugiendo deduxit, dum urbis captæ signum a prima turma per fumum daretur: quo facto converterunt se, et omnes turmæ sive acies Beniaminitas aggressæ sunt, ex eisque interemerunt 25. millia, et insuper centum viros.

A VIRIS USQUE AD IUMENTA.) Hinc patet parvulos o- Vers. 48.
mnes feminasque fuisse occisos, tam in Gabaa, quam in omnibus aliis urbibus et viculis Beniamin, idque clarius liquet in Hebræo. Fecerunt ergo tribum Beniamin anathema, quale præcipitur faciendum in crimine publicæ idololatriæ Deuter. 13. 15. Et quanquam hic legis illius et vindictæ metas modumque undecim tribus excesserint, occidendo mulieres et parvulos innocentes; divina tamen providentia id permissum est, ad puniendam Sodomiticam, et effrænem Gabaanorum libidinem, simul et rebellionem audacem et temerariam unius tribus Beniamin contra ceteras undecim.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iurant undecim tribus se non daturas Beniaminitis filias suas in uxores: Unde mox dolentes de tribus illius interitu, sexcentis viris ex illa reliquis uxores dant. 400. virgines ex clade Iabes Galaad reservatas, et ducentas Siluntinas ex raptu.

1. IURAVERUNT quoque filii Israel in Maspha et dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Beniamin de filiabus suis
uxorem. 2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, et in conspectu eius sedentes usque ad vesperam,
levaverunt vocem, et magno ululatu cœperunt flere, dicentes: 3. Quare Dominus Deus Israel factum est

hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis? 4. Altera autem die diluculo consurgentes, extruxerunt altare: obtuleruntque ibi holocausta. et pacificas victimas, et dixerunt: 5. Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim iuramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent. 6. Ductique pœnitentia filii Israel super fratre suo Beniamin, cœperunt dicere: Ablata est tribus una de Israel. 7. Unde uxores accipient? omnes enim in commune iuravimus, non daturos nos his filias nostras. 8. Idcirco dixerunt: Quis est de universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuisse. (9. Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.) 10. Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, et præceperunt eis: Ite, et percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum. 11. Et hoc erit quod observare debebitis: Omne generis masculini, et mulieres quæ cognoverunt viros interficite: virgines autem reservate. 12. Inventæque sunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri thorum, et adduxerunt eas ad castra in Silo, in Terram Chanaan. 13. Miseruntque nuntios ad filios Beniamin: qui erant in Petra Remmon, et præceperunt eis, ut eos susciperent in pace. 14. Veneruntque filii Beniamin in illo tempore, et datæ sunt eis uxores de filiabus Iabes Galaad: alias antem non repererunt, quas simili modo traderent. 15. Universusque Israel valde doluit, et egit pœnitentiam super interfectione unius tribus ex Israel. 16. Dixeruntque maiores natu: Quid faciemus reliquis qui non acceperunt uxores? omnes in Beniamin feminæ conciderunt. 17. Et magna nobis cura, ingentique studio providendum est, nę una tribus deleatur ex Israel. 18. Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti iuramento et maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Beniamin. 19. Ceperuntque consilium, atque dixerunt: Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad Septentrionem urbis Bethel et ad Orientalem plagam viæ quæ de Bethel tendit ad Sichimam, et ad Meridiem oppidi Lebona. 20. Præceperuntque filiis Beniamin, atque dixerunt: Ite, et latitate in vineis. 21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, et rapite ex eis singuli uxores singulas, et pergite in Terram Beniamin. 22. Cumque venerint patres earum, ac fratres, et adversum vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis: Miseremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium atque victorum, sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est. 23. Feceruntque filii Beniamin, ut sibi fuerat imperatum: et iuxta numerum suum, rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas: abieruntque in possessionem suam, ædificantes urbes, et habitantes in eis. 24. Filii quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel: sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

Vers. 4. Altare hoc an licitum? ALTARE.) Non peccarunt quia in sanctuario altare hoc erexerunt. Iam autem Deuter. 16. 2. tantum vetatur ne extra sanctuarium hostias in altari immolent. Adde, illud præceptum latum esse a Deo ob periculum idololatriæ; hic autem nullum eius erat periculum, Unde videtur hic in illa lege fuisse dispensatum. Ita Abul. Tertio, Caiet. censet eos non aliud novum altare fabricasse; sed istud, quod erat in tabernaculo, restaurasse. Quarto et optime dicas, hoc novum altare erectum ob necessitatem. Cum enim omnes tribus congregatæ essent, ac singulæ plures vellent Deo offerre hostias, unum altare Tabernaculi ad eas capiendas non sufficiebat. Quare necessum fuit aliud altare erigi, ut omnibus satisfieri posset. Hic autem casus necessitatis censebatur exceptus a lege illa communi unius altaris. Unde Salomon in simili necessitate aliud altare erexit 3. Reg. 8. 64. Alias vero ad hoc opus fuit peculiari Dei instinctu et dispensatione, per quam Samueli in Rama, Galgala et Bethlehem sacrificare licuit 2. Reg. 7. 11. et 16. Davidi in Area Ornan. 2. Reg. 24. Eliæ in monte Carmelo. 3. Reg. 18.

Vers. 6. DUCTIQUE POENITENTIA.) Non proprie dicta: nec enim peccarant occidendo Beniaminitas, sed *pœnitentia*, id est dolore. q. d. dolentes unam tribum Beniamin pene extinctam in Israel: Deus enim volebat omnes duodecim tribus conservari, tum ad honorem Abrahæ, Isaac et Iacob Patriarcharum; tum ad robur et plenitudinem Synagogæ, æque ac Reipubl. Israelis; tum ob mysteria numeri duodenarii, præsertim quia duodecim tribus, et Patriarchæ earum capita et principes fuere typus duodecim Apostolorum; tum denique quia ex Beniamin nasciturus erat Saul, quem Deus destinaverat primum regem Israelis, et S. Paulus Doctor Gentium, ac duodecim millia signati, qui tempore Antichristi convertentur, eique resistent Apocal. 7. 8. In *Gabaa*, inquit S. Hieron. in Epitaph. Paulæ, *urbe ad solum diruta paululum substitit Paula recordata peccati eius, et concubinæ in frusta divisæ, et tribus Beniamin sexcentos viros propter Paulum Apostolum reservatos, de quo prædixerat Iacob.* Genes. 49. 27. *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.* De Paulo ergo recte hic dicas, id quod de Fabio Maximo cecinit Ovid. lib. 1. de Ponto Eleg. 2.

Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti (Fabii cæsi ab Hannibale)

Non omnes Fabios abstulit una dies.

MISERUNT ITAQUE DECEM MILLIA.) Hebr. Chald. et Septuag. constanter habent: *duodecim millia.* Sic et Iosephus lib. 5. Antiq. cap. 2. unde nonnulli suspicantur hic esse mendum. Vers. 10.

ET PERCUTITE HABITATORES IABES GALAAD.) Iuste, quia a communi undecim tribuum prælio et sceleris vindicta soli se subduxerunt: unde ab undecim tribubus, hoc est a toto populo iustam mortis sententiam acceperunt. Debebant enim ipsi in publica Reipubl. causa, conventu et prælio comparere ut ceteri, ac Rempubl. adiuvare, et propugnare ut ceteri. Hoc enim iustitia legalis et aurea exigit.

VIRGINES AUTEM RESERVATE.) Virgines enim magis amant primos sponsos, quam corruptæ. Virgines autem dignoscebant, non per explorationem matronarum, ut vult Abul. sed ex communi fama, quod numquam fuissent nuptæ. Vide dicta Numer. 13. Porro videntur hic undecim tribus ex zelo nimio modum iustæ vindictæ excessisse, eo quod parvulos quoque et mulieres innocentes occidi iusserunt. Vers. 11.

FILIAS ENIM NOSTRAS EIS DARE NON POSSUMUS CONSTRICTI IURAMENTO.) Iuramentum hoc obligabat eo casu, quo Beniaminitis reliquis, de uxoribus, quæ essent Israelitides, alia ratione provideri potuisset, ut ipsi non cogerentur ducere gentiles et alienigenas; vel cogerentur manere cælibes cum interitu totius tribus. Tunc enim non obligabat hoc eorum iuramentum, eo casu scilicet, quo una tribus perire debuisset, vel mulieres alienigenæ ex vicinis assumendæ fuissent, quod periculosum, et lege vetitum erat; tum quia sicut votum, ita et iuramentum factum de minori bono, quod maius bonum impediat, non obligat quatenus illud impedit; et iurans censetur tacite maius bonum excipere voluisse cum iuraret; nam alioqui illicitum fuisset iuramentum; quia promissio, licet iuramento firmata, non censetur infringi, quando in melius commutatur; hic autem melius erat non perire unam tribum, quam non dare illi filias suas uxores. Vide Silvest. Vers. 18. An iuramentum hoc obligabat?

verbo iuramentum. Quocirca peccassent Israelitæ, si iurassent se in tali necessitate et periculo non daturos uxores Beniaminitis, ait Abul. Putarunt tamen ipsi, cum essent simplices et rudes, se hoc iuramento teneri, unde rationes quærunt, quibus et iuramento et conservationi tribus caveatur: et quamvis Abul. fucatas eas fuisse putet, et in fraudem iuramenti: melius tamen Lyran. Hugo, Caiet. Arias censent legitimas fuisse, et quoad Galaadites mulieres eis datas patet, quia Galaaditæ bello non interfuerant (unde et merito excisi sunt; debuerant enim, ut recte Abul. vocati ad communem vindictam tanti sceleris venire) iuramentum autem præsentes tantum, qui scilicet iurarant, concernebat, non absentes.

Vers. 19. Ecce solemnitas.) Non nundinarum, ut vult Abul. sed festi alicuius. Videtur autem hoc festum fuisse Tabernaculorum, quod celebratur in Septembri: tunc enim collectis uvis, vites abundant foliis et pampinis, sub quibus hi virginum raptores latitare potuerunt, ut dicitur v. 20. Ita Arias, Serarius et alii.

Vers. 21. Raptus hic fuit licitus, cur? Rapite ex eis singuli uxores.) Quæres: An licite raptum hunc consulere potuerunt, et an Beniaminitæ, consilium hoc exequendo, virgines Siluntinas rapere? Resp. affirmative; unde dico nec maiores natu raptum hunc consulentes fuisse periuros; quia singuli tantum particulatim iurarant se eis proprias filias non daturos, non autem non daturos aliorum filias communi decreto. Similiter nec parentes filiarum fuisse periuros, quia ipsi consilii raptus non erant conscii, nec dederunt filias suas, sed hæ illis abreptæ sunt; immo, ut textus innuit, parentes prius Beniaminitis petentibus illas negarant. Unde peccatum, sive inæqualitas ab eorum parte fuisse dicitur; quia scilicet eas petentibus iure suo Beniaminitis, in tali necessitate negarant ob iurisiurandi religionem.

Denique non fuit hic peccatum raptus, ut recte Lyran. Caiet. Dion. Arias, quia is tantum misericordialis fuit non valde invitis filiabus, nec etiam parentibus, nisi ob periurii periculum, quod hic nullum erat, et quia raptus hic factus est mandato illorum, ad quos spectabat cura totius populi, et communis boni, quorum erat in tali necessitate et providere iuramento, et determinare uxores, modumque eas accipiendi salvo iuramento; quas quivis eorum alioqui Beniaminitis dare debuisset, ne tribus illa interiret, vel tarde nimis succresceret.

Simili modo Romulus et Romani instituerunt ludos, et adventantes ad eas rapuerunt virgines Sabinas, ut eas haberent uxores. Id factum est post annos 700. tot enim Phinees, æque ac Othoniel, antecessit Romam et Romulum. Romanorum raptus contigit 14. Kal. Septembris, ait Plutarch. Beniaminitarum vero eodem mense Septembris. Romani rapuerunt virgines 527. vel ut Halicarnassæus 689. Beniaminitæ vero 200. Beniaminitas ad raptum coegit necessitas; Romanos libertas, uti docet S. August. lib. 2. de Civitate, cap. 17. et lib. 3. cap. 13. Unde Romanorum raptus concivit bella et strages, Beniaminitarum vero pacem et lætitiam. Raptus Sabinarum.

Hic finitur Historia duodecim Iudicum Israelis, qui fuere typus 12. Apostolorum, ac præfuere populo a Iosue usque ad Heli, per annos 299. nimirum Othoniel annis 40. Aod 80. Barac 40. Gedeon 40. Abimelech tres, Thola 23. Iair 22. Iephte sex, Abesan septem, Ahialon decem, Abdon octo, Samson viginti. De quibus ita scribit Rupertus lib. 4. de Victoria verbi Dei c. 6. « Erant unici et veri Salvatoris (Iesu Christi) vicarii. Salvatio per illos duplici modo, videlicet iudicando, et præliando administrabatur; iudicando quippe populum ab idolorum servitute prohibebant: præliando ipsi in fronte gradientes, de hostibus, quibus servierant, fortiter vindicabant. Erant ergo in disciplina Iudices, in prælio Duces, in utroque Salvatores, Sacramenta victoriasque Salvatoris æterni, gestis præclaris et victoriis mysticis præfigurantes. Sicut enim speculum oppositum soli, similem reddit immaginem; ita et Salvatorum et Iudicum illorum lucida fides, Salvatori et Iudici æterno, cuius erant Vicarii, similem prætulit in gestis suis pulchritudinem. »

COMMENTARIA

IN

LIBRUM RUTH.

ARGUMENTUM.

Pertexitur hic Genealogia Iudæ Patriarchæ a Phares filio eius usque ad Davidem, ex quo prognatus est Christus, hoc fine ut Christus (quem quasi scopum et finem tota S. Script. respicit) ostendatur natus ex Iuda, uti promiserat et prædixerat Iacob Iudæ filio suo benedicens, Genes. 49. 10. Inducitur autem hic in hanc genealogiam Ruth Moabitis et Gentilis, sed mox facta fidelis et proselyta, quia miro casu vel potius Dei providentia in eam subintroivit, æque ac Rahab Chananæa: *ut ostenderet*, ait S. Hieron. *non dedignatum ex peccatoribus nasci, qui venerat ut omnium peccata deleret, utque gentium vocatio et electio Iudæis exclusis a Christo facienda, in Ruth gentili et avia Christi præsignificaretur.* Tropol. ut in Ruth idæa et exemplar piæ, modestæ et sanctæ uxoris daretur. Symbol. ut indicaretur nobilitatem generis dari a Deo, utpote qui Ruth gentilem, vilem et pauperem ascivit in familiam Abrahæ et Iudæ, eamque fecit genitricem Davidis et posterorum, quin et ipsius Christi. Unde Ruth a Rabbinis et a S. Chrysost. et B. Petro Damiani vocatur *mater regni et regum.* Omnes enim reges Iuda ab ea descenderunt.

Est hic liber appendix libri Iudicum; unde et ab Hebræis illi annectitur: eius enim historia contigit sub Iudicibus, ut patet c. 1. v. 1. Estque præludium et quasi manuductio ad librum Regum: in eo enim gesta Davidis et ceterorum regum ex Ruth prognatorum describuntur. Quocirca recto ordine interiicitur hic liber inter lib. Iudicum et Regum. Porro hic liber ab omnibus tam Catholicis quam hæreticis (excipio Manichæos, qui totum vetus Testamentum, ac consequenter et librum Ruth, velut a Deo malo profectum reiiciebant et blasphemabant, teste S. August. in libris contra Faustum) habitus fuit Canonicus S. Script. esto in nonnullis Arabicis, utpote manuscriptis dumtaxat, non extet.

Auctor libri est incertus, a nonnullis enim censetur fuisse Ezechias rex, ab aliis Esdras, a pluribus vero Samuel; idque verisimilius videtur; tum quia Samuel sub hoc tempus vixit; tum quia ipse lib. primum Regum conscripsit, ad quem hic liber dirigitur.

Scripserunt in Ruth, Ruper. Abul. Lyran. Hugo Dion. Caiet. Serarius, ac Fevardentius, qui pulchra et plurima morum documenta ex hoc libro elicit.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elimelech Bethlehemites urgente fame, cum uxore Noemi et duobus filiis peregrinatur in Moab: ibi omnibus defunctis, sola Noemi vidua cum Ruth nuru sua in Bethlehem revertitur.

1. In diebus unius iudicis, quando iudices præerant, facta est fames in Terra. Abiitque homo de Bethlehem
Iuda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore sua ac duobus liberis. 2. Ipse vocabatur Elime-
lech, et uxor eius Noemi: et duo filii, alter Mahalon, et alter Chelion, Ephratæi de Bethlehem Iuda. In-
gressique regionem Moabitidem, morabantur ibi. 3. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi: remansitque ipsa
cum filiis. 4. Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque
ibi decem annis. 5. Et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet et Chelion: remansitque mulier orbata duobus libe-
ris ac marito. 6. Et surrexit ut in patriam pergeret, cum utraque nuru sua de regione Moabitide: audierat enim
quod respexisset Dominus populum suum, et dedisset eis escas. 7. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ,
cum utraque nuru: et iam in via revertendi posita in Terram Iuda. 8. Dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ,
faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum. 9. Det vobis invenire requiem in
domibus virorum, quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ elevata voce flere cœperunt. 10. Et dicere: Te-
cum pergemus ad populum tuum. 11. Quibus illa respondit: Revertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? num
ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis? 12. Revertimini filiæ meæ, et abite: iam enim

senectute confecta sum, nec apta vinculo coniugali, etiam si possem hac nocte concipere, et parere filios. 13. Si eos expectare velitis, donec crescant, et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit, et egressa est manus Domini contra me. 14. Elevata igitur voce, rursum flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reversa est: Ruth adhæsit socrui suæ. 15. Cui dixit Noemi: En reversa est cognata tua ad populum suum, et ad deos suos, vade cum ea. 16. Quæ respondit: Ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus, et Deus tuus Deus meus. 17. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit. 18. Videns ergo Noemi, quod obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persuadere: 19. Profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebruit: dicebantque mulieres: Hæc est illa Noemi. 20. Quibus ait: Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. 21. Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens? 22. Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ: ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.

Vers. 1. Quando vixit Ruth? Resp. I. IN DIEBUS UNIUS IUDICIS.) Quæres, quis fuit hic Iudex, sub quo hæc fames, et coniugium Ruth cum Booz contigit? Primo, Iosephus, Zonaras, et Magister Histor. Scholasticæ censent fuisse Heli Pontificem. Verum id dici nequit; nam Heli iudicavit 40. annis, deinde Samuel et Saul annis totidem; his successit statim David anno ætatis trigesimo. Iam David genitus fuit a Iesse, hic ab Obed, hic a Booz, quæ omnes generationes tam paucis annis, scilicet octoginta, quibus præfuere Heli, Saul et Samuel fieri non potuere.

II. Secundo, Rabbini et Lyran. censent Iudicem hunc fuisse Abesan, de quo Iudic. 12. adeoque Abesan esse Booz. Litteræ enim utriusque nominis fere sunt eædem. Verum obstat ratio temporis; nam Abesan factus est Iudex anno 272. a capta Ierichunte per Iosue c. 6. quando Salmon duxit Rahab, quæ exploratores Iosue exceperat, ex eaque genuit Booz, qui fuit maritus Ruth: quare Booz, si est idem cum Abesan, fuit circiter 272. annorum, quod illo ævo erat insuetum et impossibile; tunc enim nemo tamdiu vixit.

III. Tertio, Seder Olam censet fuisse Aod secundum Iudicem.

IV. Quarto, Abul. in c. 4. Ruth q. 90. censet fuisse Barac, sub cuius ultimis annis contigerit hæc fames. Accedit Torniellus, nisi quod hic sub annum vigesimum Barac eam accidisse arbitretur.

V. Et vere. Quinto valde apposite Noster Salianus censet famem hanc contigisse sub Abimelech filio Gedeonis, coniugium vero Booz cum Ruth sub eius successore Thola, de quo plura c. 4. 21.

FACTA EST FAMES IN TERRA,) non universa, sed Israel, ut habet Chald. ad illam enim evitandam Elimelech concessit in Moab, eo quod ibi non esset fames. Verisimile est famem hanc ob peccata populi a Deo fuisse immissam; Deus enim solet publica scelera publica fame vel peste castigare. Talia autem fuere parricidia et idololatria ab Abimelech et Sichimitis commissa.

Fabulantur Rabbini stationem aliam solis, qualis fuit sub Iosue, præivisse hanc famem, eiusque causam extitisse, atque hanc stationem Elimelech utpote virum sanctum precibus a Deo impetrasse; ideoque ipsum esse, de quo dicitur 1. Paral. 4. 22. *Qui stare fecit solem.* Ubi fuse hac de re agam.

Vers. 2. IPSE VOCABATUR ELIMELECH.) Perperam Iosephus, Zonaras, et Theodor. eum vocant *Abimelech. Elimelech* Hebr. idem est quod *Deus meus rex*, vel *Dei mei rex*, aut *fortis mei rex.* Fuit hic vir primarius et dives, utpote ex familia Salmon Principis tribus Iuda, eiusque filio Boos propinquus.

EPHRATÆI) id est oriundi ex Bethlehem, quæ alio nomine dicebatur *Ephrata.* Sic et David dicitur filius viri *Ephratæi,* id est Bethlehemitæ 1. Reg. 12. 12.

Alibi vero *Ephratæus* vocatur is, qui erat ex tribu Ephraim, ut Iudic. 12. 5. et 1. Regum 1. vers. 2. et 3.

ET UXOR EIUS NOEMI) *Noemi* Hebr. idem est quod *pulchra, suavis, amœna,* qualis hæc fuit tam dictis quam factis. R. Simeon ait eam dictam *Noemi*, propter illud Psalm. 89. 17. *Sit splendor Domini Dei nostri super nos;* nam ibi pro *splendor*, Hebr. est *noam.*

Rabbini tradunt hanc fuisse filiam fratris Salmonis, ideoque neptem Nahassonis, qui fuit princeps tribus Iuda. Nahasson enim genuit Salmon eiusque fratrem, qui fuit pater Noemi. Porro heroicas Noemi virtutes has ex hoc libro colligit Serarius. Primo enim elucet hic eius in vero Dei cultu, etiam cum in idololatrarum regionem extrusa esset, constantia. Secundo, zelus, dum ad eundem cultum nurum suam Ruth adduxit. Tertio, prudentia, dum tam perite huius exploravit animum et confirmavit. Quarto, in adversis asperisque rebus tolerantia, maxime in fame, inopia, et quodam veluti exilio. Quinto, patriæ amor: dum ad illam vetula iam et decrepita redire voluit. Sexto, sapientia in Ruth conservanda, dirigenda, et ad felicissimum tandem connubium provehenda, e quo salus mundi, terræ gaudium, cælorum lætitia Christus Iesus prognatus est. Quinque virtutes Noemi.

ET DUO FILII, ALTER MAHALON, ET ALTER CHELION.) *Mahalon* Hebr. idem est quod *infirmitas,* vel *chorus: Chelion* vero *defectus,* vel *deficientia.* Apposite, quia uterque præmature in Moab diem obiit. Rabbini tradunt hos duos esse eos, qui 1. Paral. 4. in Hebræo vocantur *Ioas* et *Saraph,* quod Noster vertit *securus* et *incendens,* quia desperantes de Israelis a fame liberatione, secure nimis et remisse in Moab, id est, terra idololatrarum degebant, ibique duxerunt uxores Moabitides; ideoque aiunt eos a Deo addictos exitio et incendio. Sed hæc eorum de more sunt commenta, aut potius figmenta.

QUI ACCEPERUNT UXORES MOABITIDAS.) Rabbini, ut dixi, aiunt eos graviter hac in re peccasse. Nec est quod cogat eos a peccato excusare, ait Abul. Excusari tamen possunt partim necessitate, quod in Moab non invenirent feminas Israelitides, quas ducerent; ac ipsis, utpote iuvenibus, in fervore ætatis difficilis et periculosus esset cælibatus. Rursum quod Noemi eorum mater pia femina videtur eos ad hoc coniugium direxisse ex Dei instinctu, qui per Ruth destinabat nasci Davidem, et ex eo Christum. Addunt aliqui Orpham et Ruth fuisse ab idolis conversas ad Deum verum, quare licite potuisse duci a Mahalon et Chelion Hebræis, uti Salmon duxit Rahab Chananæam ad Iudaismum conversam Iosue c. 2. licitum enim Hebræis erat Chananæas ducere, si illæ ad Iudaismum converterentur. Vers. 4.

Verum hæc responsio hic non habet locum: nam Orpha ad idola sua rediit, et Ruth tunc demum conversa est cum secuta Noemi, cum ea ex Moab migravit in Bethlehem ut patet ex sequen.

QUARUM UNA VOCABATUR ORPHA.) Hanc Goliath Gigantis, quem David prostravit, fuisse matrem asserunt Thalmudici, et Philo, seu potius Pseudophilo in Antiquit. Biblicis ac prudentius in Hamartigenia, dum ait, eam præ Noemi sequela maluisse *semiferi stirpem nutrire Goliæ.*

An Orpha mater Goliath? Ratio eorum est, quod mater Goliath vocetur *Rapha* vel *Harapha*. 1. Reg. 21. v. 19. et 22. ac 1. Paral. 20. v. 6. et 7. *Harapha* autem idem videtur quod *Orpha*. Verum errant; nam primo, Harapha erat Philisthæa, Orpha vero Moabitis. Secundo, Harapha erat ex Geth urbe Palæstinæ, Orpha vero ex urbe Petra. Tertio, Harapha fuit tempore Saulis et Davidis; Orpha vero longe anterius; scilicet tempore Ruth et Booz, qui fuit proavus Davidis. Quarto, Orpha Hebr. per ע *Ain*, Harapha vero per ה *He* scribitur. Porro *Orpha* Hebr. idem est quod *cervicosa*, vel *ore nudata*. Unde R. Samuel in Sutha c. 8. ait matrem Goliath fuisse meretricem, ideoque dictam *Horpham*, quia eam omnes decervicabant, deprimebant, dedecore veluti scortum afficiebant: *Harapham* vero; quia eam omnes granorum ac triticorum, quæ 2. Reg. 29. et Proverb. 27. et 21. *harpihoth* vocantur, instar contundebant.

Verum alia est Orpha hæc ab Harapha mater Goliath uti iam ostendi: imo non mater, sed pater Goliath, 1. Paral. 20. v. 6. et 7. vocatur *Rapha* vel *Harapha*; ab eo enim posteri Gigantes dicti sunt Raphaim, ut ibi dicitur v. 4. de quo plura 1. Reg. 21. v. 19. et 22.

Altera vero Ruth.) Thalmudici tradunt Ruth fuisse filiam Eglon regis Moab, quem occidit Aod, Iudic. 3. ut sic Davidi suo prosapiam regiam ex Moab concilient: sed nugantur. Quomodo enim rex Moab filiam suam dedisset exteris pauperibus, et pene fame pereuntibus?

Porro Ruth erat ex Moab, quæ est pars Arabiæ Petreæ cuius metropolis erat urbs dicta *Petra*, eo quod in rupe esset sita (quam Bellonius lib. 2. c. 53. opinatur esse *Mecham*, ubi extat sepulchrum Mahometis: sed errat) Id patet ex illo Isaiæ 16. *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Et intelligebatur de Messia qui futurus erat de filiis David: et ipse David futurus erat de stirpe Ruth, qui venturus erat de urbe Moab, quæ vocatur petra deserti,* ait Abul. hic quæst. 16. Vide dicta Isaiæ 16. v. 1.

Porro Ruth Hebr. idem est quod *irrigua* vel *ebria*, a rad. רוה *rava*, id est *irrigare*. Aut potius *visio* vel *prophetia*, a rad. ראה *raa*, id est *vidit*; quasi *Ruth* idem sit quod *Rauth*. Aut *inspiratio* ait Auctor Imperfect. in Matth. c. 1. a rad. רוח *ravach*, id est *spiravit*, inspiravit; quasi Ruth sit idem quod *Rachut*, quia sine Dei inspiratione nec dixisset, nec fecisset ea quæ dixit et fecit. Unde in ea, ait idem Auctor, laudatur dilectio generis Israel, simplicitas, obedientia, fides. Cabalistæ aiunt *Ruth* per Anastrophen esse *Tur*, id est, *turtur*, quia ipsa ut turtur gemendo maritum suum defunctum luxit. Thalmudici dicunt eam vocatam *Ruth*, eo quod ex ea prognatus sit David, quem Deus præviderat fore בשירות *besciroth*, id est in canticis, psalmis et laudationibus.

Denique non videtur Ruth fuisse soror Orphæ, nec consanguinea in gradu propinquo, sed per affinitatem cognata, ut dicam v. 15.

Vers. 8. Ite in domum matris vestræ.) Hebr. et Septuag. *Ite, redite, unaquæque in domum matris suæ*. Hinc liquet eas non fuisse sorores, nec eandem habuisse matrem sed diversam. Suadet Noemi nuribus suis Orphæ et Ruth reditum ad suos Moabitas, ut commodius apud suos vivant, utque ipsa earum cura exoneretur; ac ut ipsas adhuc infideles non deducat ad populum fidelem in Israel: hoc enim fuisset scandalum. Quare tacite (quod alias sæpe aperte fecerat) eas adhortatur, ut convertant se ad fidem et religionem Israelitarum. q. d. Si vultis mecum pergere in Israel, Israelitice in fide et cultu unius veri Dei vobis vivendum est. Si id facere non vultis, redite ad vestros Moabitas infideles.

Faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis, et mecum:) Mortuos enim maritos vestros (qui mei erant filii) dum viverent, coluistis ea observantia et amore, qua par est; mortuos vero decenter sepelistis, luxistis, memoria conservastis, celebrastis et in eorum gratiam viduæ huc usque mecum permansistis, me alendo, fovendo, iuvando. Unde Chald. vertit: *Faciet Dominus bonum vobiscum sicut id quod fecistis cum maritis vestris dormientibus; quod renuistis viros accipere post mortem eorum; et mecum, quod aluistis et sustentastis me.*

Multo magis fideles amicis defunctis exhibent misericordiam, cum pro animabus eorum orant et sacrificant, uti fecit S. Ambros. Theodosio Imper. Sicut ipse narrat Orat. de obitu eius: *Dilexi*, inquit, *et prosequor eum usque ad regionem vivorum, donec fletu et precibus inducam virum, quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita, ubi corruptelæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla consortia mortuorum, vera regio viventium, ubi mortale hoc induat immortalitatem, et corruptile hoc induat incorruptionem. Magna requies, quæ votum impleat diligentis, magna promissio.*

Num ultra habeo filios in utero meo, ut maritos ex me sperare possitis?) Hinc colligitur præter legem Deuter. 20. quæ iubet Iudæis suscitari semen (id est prolem) fratri sine liberis defuncto, idipsum in usu fuisse apud Gentiles. Unde Thamar Chananæa ante legem et Mosen, suscitavit semen filiis Iudæ ipsique Iudæ. Genes. 38. Cum enim femina in aliqua familia nupsisset, marito mortuo eidem familiæ adhærebat, ex eaque alium maritum expectabat, nec transibat ad aliam; idque honestatis et affinitatis iam cum ea contractæ causa. Vers. 11.

Porro Caiet. et Serarius hinc colligunt suscitationem hanc seminis fratri defuncto, usitatam in fratribus quoque uterinis dumtaxat. Nam si Noemi vidua rursum alteri nupsisset, indeque natos filios dedisset maritos Orphæ et Ruth, illi mariti utique fratres tantum uterini fuissent Mahalon et Chelion, qui eorum priores fuerant mariti; quod intellige si fratres illi uterini patres habuissent quidem diversos, sed ex eadem tamen tribu et familia, tunc enim uxor, marito suo sine prole defuncto, suscitabat semen ex eius fratre vel consanguineo eiusdem familiæ; ad quod faciendum non videtur fuisse obligata, si posterior frater uterinus ex patre alterius tribus vel familiæ fuisset progenitus.

Ante eritis vetulæ quam nubatis.) Hebr. est תעגנה *teaghena*, quod alii עוג *og*, id est *uri*, *ustulari* derivantes vertunt: *Num aduremini absque marito?* quasi Apostolus huc alludat, dum ait: *Melius est nubere quam uri*. 1. Corint. 7. Germanius, Septuag. Chal. Vatab. Pagnin. Marinus et passim recentiores vertunt: *Num detinebimini* vel *retardabimini, ut maneatis viduæ donec ego novos vobis gignam?* q. d. Num vos obligabitis (hoc enim significat κατασχεθῆναι, ut vertunt Septuag.) ad manendum in viduitate, donec ego novos filios procreem, qui vestri fiant mariti? Hebræa hic sunt obscura, sed ea plane et clare sic vertas: *Si dicerem: Est mihi spes: etiam fui hac nocte cum viro: et genui etiam filios: An propterea expectaretis quousque magni fierent, an propterea differetis, ut non essetis cum viro?* iuxta hunc sensum explicandi sunt Septuag. pariter obscuri. Vers. 13

En reversa est.) Quia Orpha minus amabat Noemi quam Ruth; hinc Ruth adhæsit Noemi, Orpha vero ab ea ad suos recessit. Vers. 15.

Cognata tua.) Orpha fratria tua; quæ scilicet maritum habuit fratrem mariti tui: vos enim duæ nupsistis duobus fratribus, ac proinde per nuptias cum iis factas, estis cognatæ, hoc est affines. Hoc enim significat Hebr. יבמה *iebama*.

Ad populum suum et ad Deos suos.) Non quasi Noemi hortetur nurum suam Ruth, ut instar Orphæ redeat ad Deos Gentium, quos hactenus in terra Moab coluerat: illud enim suadere fuisset peccatum; sed volens eam consolari, hortatur ut redeat ad populum suum, ibique rursum nubat: permittit vero, ut pergat Deos suos colere (quod connexum erat, quodque ipsam facturam sciebat si ad suos, qui erant idololatræ, rediret) idque facit ut sincerum et constantem Ruth nurus suæ animum exploret, qui necessarius erat ad religionem cum patria mutandam, constanterque retinendam; ne ipsa postea quereretur se Noemi socrus suæ artibus vel fraudibus impulsam, transisse in alienam ac minus sibi gratam religionem. Ita Abul.

*

Et ad Deos suos.) Hinc patet Orpham non fuisse ad Deum conversam, sed patriæ religioni et idolis eiusdem semper adhæsisse; Ruth vero quia patriam cum Noemi mutavit, mutavit et religionem, ac in Israelitarum coloniam et synagogam transiit. Disce hic quam noxium sit, inter infideles hæreticos et impios degere; quam bonum vero inter fideles et pios: illi enim manent vel fiunt infideles, hæretici, impii; hi vero fideles, orthodoxi et pii, iuxta illud Psal. 17. *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris.* Sic Orpha rediens ad suos infideles, mansit infidelis; Ruth, vero transiens ad fideles, facta est fidelis.

Vers. 16. Ne adverseris mihi ut relinquam te.) Chald. *Ne me irrites, ne me cogas.* Hinc patet Ruth initiatam fuisse sacris Iudaicis per baptismum, non qui esset Sacramentum, sed qui esset ablutio corporis, sicut masculi initiabantur per circumcisionem. Audi Thalmudicos ritum huius initiationis describentes: Qui proselytus esse vult, tria ei, siquidem mas sit, necessaria; ut nimirum circumcidatur, baptizetur, et in holocaustum offerat vel pecudem, vel par turturum aut columbarum; si femina vero fuerit, duo tantum posteriora faciat, baptizetur nimirum, et holocausti offerat victimam.

Populus tuus, populus meus: Deus tuus, Deus meus.) Magnus fuit hic Ruth amor, observantia et fidelitas erga Noemi socrum suam, qua patriam cum extera regione, et domesticam fidem cum peregrina Iudæorum religione commutare constanter decrevit: quia videbat eam tam sapientem et probam, totque virtutibus et gratiis præditam ut certo sibi persuaderet illam veram habere fidem et religionem, ac Deum eius esse Deum verum. Unde hoc exemplum nuribus imitandum proponit Orig. lib. 1. in Iob, dicens: « Beata Ruth tantum detulit socrui suæ veteranæ, ut usque ad mortem non sit passa eam relinquere. Idcirco sane in Scriptura perpetuo magnificatur: apud Deum vero in infinita sæcula beatificatur. Iudicabit nihilominus atque condemnabit in resurrectione omnes malignas et impias nurus, quæ soceris vel socribus suis contumeliam vel iniuriam ingesserint: non reminiscentes, quod ipsi eis viros genuerint atque nutrierint: et pro substantia et pro victu illis laborem acquisierint. » Ex quibus hanc conclusionem elicit: « Si igitur diligis virum tuum o mulier, dilige et eos qui genuerunt eum, et nutrierunt sibi filium, tibi vero maritum. Noli separare filium a patre vel matre. Noli compellere filium patrem, aut matrem inhonorare, ne in condemnationem incidas apud Dominum Deum in die terribilis inquisitionis atque iudicii. Sufficiat tibi o mulier, quia possides virum, quem non nutristi, et substantiam tuam quam non acquisivisti, quia venis in domum, quam non ædificasti, et eris domina atque potestatem habens laborum alienorum, pro quibus tu nullatenus laborasti. Noli ergo retribuere mala his, qui tibi præparaverunt, atque suo labore acquisierunt omnia, sive virum, sive substantiam. O mulier ne ascendat super te maledictio a Domino Deo. »

Rursum S. Hieron. (vel quisquis est auctor, stylus enim dissonat, esto sit grandiloquus) tomo 9. tract. de vera Circumcisione, asserit Ruth hoc tam animoso pioque responso meruisse, ut fieret mater, id est avia Christi; unde exclamat: » O virtutem viris etiam præferendam, Abrahæ fidem incircumcisæ gentis mulier imitatur, quam virilis circumcisio dereliquit, et per aliena vestigia meritum iustificationis ingreditur, a quibus maiorum cæca hereditas deviavit. Deos suos Moabita contemnit, cum tu Israel desideres alienos: illa in unum Deum, suorum iam oblita coniurat; et tu post multitudinem fornicaris idolorum: hinc eligitur a Domino, hinc fit Israelita mente, non genere; fide, non sanguine; virtute, non tribu: hinc usque adeo benedicitur, ut prophetarum tuorum mater vocetur et regum.»

Hæc mihi faciat Dominus et hæc addat.) Scilicet immittat mihi morbum, paupertatem, persecutiones, et his peiora addat. Hæc enim in iuramento hoc Hebræorum subintelliguntur; ipsi enim per Euphemismum illa subticent boni ominis causa; ne scilicet illa quæ sibi imprecantur, revera eveniant. Tale erat iuramentum Romanorum in fœdere, quod recenset Festus lib 11. *Iovem*, inquit, *lapidem iuraturi, silicem tenentes, his verbis utuntur: Si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe arceque bonis eiiciat, ut ego hunc lapidem. Et lapidem tunc manu excutiebant.*

Alleg. Ruth hic typum gessit Ecclesiæ e Gentibus ad Christum transeuntis. Audi S. Chrysost. hom. 3. in Matth. » Considera ea quæ in Ruth facta sunt, nostris quadrare. Hæc enim erat et alienigena, et in extremam delapsa pauperiem: sed videns eam Booz, nec ipsius paupertatem despexit, nec generis ignobilitatem abominatus est: sicut et Christus Ecclesiam suscipiens et alienigenam, et magnorum laborantem penuria bonorum, accepit eam consortem. » Subdit deinde modum. « Sed quemadmodum Ruth illa nisi prius reliquisset parentes, nisi domum contempsisset, et gentem, et patriam atque cognatos, nunquam tali fuisset iuncta connubio, ita Ecclesia etiam non ante amabilis efficitur sponso, quam patrios mores ritusque reliquerit. Quod propheta quoque ad ipsam loquens ait Psal. 44. Obliviscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum. Hoc Ruth etiam fecit, et idcirco æque ac Ecclesia mater regum effecta est. Ipsius enim ex stirpe est David. »

Audi et S. Ambrosium libr. 3. in Lucam post medium: » Quomodo intravit (Ruth) in Ecclesiam, nisi quia sancta et immaculata moribus supra legem facta est? si enim lex impiis et peccatoribus posita est; utique Ruth, quæ definitionem legis excessit, et intravit in Ecclesiam, et facta est Israelitis; et meruit inter maiores dominici gregis computari, propter cognationem mentis electa, non corporis, magnum nobis exemplum est; quia in illa nostrum omnium, qui collecti ex gentibus sumus, ingrediendi in Ecclesiam Domini figura præcessit. Hanc igitur æmulemur, ut quia hæc moribus hanc prærogativam meruit adsciscendæ societatis suæ, sicut historia docet; nos quoque propter morum electionem in Ecclesiam Domini, meritis suffragantibus adlegamur. »

Ne me vocetis Noemi (id est pulchram, item decoram, iucundam, suavem, hilarem) sed vocate me Mara (id est amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.) Privavit enim me marito et utroque filio, fecitque viduam et orbam. Idem dicere poterat B. Virgo, videns filium suum crucifixum et mortuum. Vers. 19.

Tropol. cum ob dotes aliquas laudamur, defectus nostros inspiciamus, itaque laudes in lamenta vertamus, uti Noemi exemplo fecit S. Gregor. libr. 2. epist. 64. cum a Narse laudatus fuisset: *Multa mihi,* inquit, *dulcissima charitas vestra per epistolas suas in bonæ operationis laudibus est locuta; ad quæ omnia breviter ego respondeo. Nolite me vocare Noemi, id est pulchrum, sed vocate me mara, id est amarum, quia amaritudine plenus sum.* Et libr. 1. epist. 6. ad eundem, dolens se e quiete monasterii evectum ad curam Pontificalem: *Simiam*, inquit, *Leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspicimus, quo nos scabiosos sæpe catulos, pardos vel tygres vocamus. Ego enim, bone vir, quasi filios perdidi: quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noemi, id est pulchrum, sed vocate me Mara, quia amaritudine plenus sum.*

Idem respondit S. Leandro lib. 7. epist. 125. Idem fecit S. Digna virgo et martyr in Hispania anno Domini 853. sub Mahomad Saraceno, de qua ita scribit S. Eulogius illi coævus, et in eadem persecutione martyr in Memor. Sanct. lib. 3. c. 7. *Hæc puella cum pro summa humilitate atque obedientia inter convirginales ultimam se iudicaret, essetque incomparabili apparatu obsecundatrix, nunquam tamen appellari se dignam patiebatur, dicebatque cum lacrymis: Nolite me dignam vocare, sed magis indignam, quia cuius meriti sum, etiam nomine debeo insigniri.*

Pro, *omnipotens* Hebr. est *Saddai*, quod et cornucopiam, sive Deum omnibus bonis abundantem, mammosum, æque ac castigantem et vastantem significat: utrumque huic loco competit. q. d. Deus qui quasi *Saddai*, id est *Mammosus*, olim me coniugio honorato et prolibus opi-

busque comularat, nunc quasi *Saddai*, id est *vastans*, iisdem me spoliavit et vastavit. Idem tamen, ut spero, misertus mei, rursum ut prior *Saddai* benigne solabitur, ditabit et beabit. Ipse enim suos *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.* Vide quæ de *Saddai* dixi Genes. 17. 1.

Vers. 22. REVERSA EST IN BETHLEHEM, QUANDO PRIMUM HORDEA METEBANTUR.) Scilicet in Paschate. Die enim secunda Paschatis Hebræi offerebant Deo primitias spicarum, ac deinde die tertia eas demetebant. Unde Chald. vertit: *Illæ* (Noemi et Ruth) *ascenderunt in Bethlehem in ipsis Paschæ ascensionibus*, seu cum adesset Paschalis dies, *et in illo die cœperunt filii Israel metere gomer seu manipulum, qui elevari, seu coram Domino offerri solebat, et erat ex hordeis.*

Simili modo Iosue reducens Hebræos ex Ægyptia servitute, ingressus est in terram promissam in Paschate. Iosue c. 3.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ruth in agro Booz spicas colligit, ac benigne a Booz excipitur et pascitur, domum reversa Noemi socrui suæ reliquias affert, ab eaque audit Booz sibi esse affinem.

1. ERAT autem viro Elimelech consanguineus, homo potens, et magnarum opum, nomine Booz. 2. Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: Si iubes, vadam in agrum, et colligam spicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade filia mea. 3. Abiit itaque et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. 4. Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus. 5. Dixitque Booz iuveni, qui messoribus præerat: Cuius est hæc puella? 6. Cui respondit: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi, de regione Moabitide, 7. Et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia: et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est. 8. Et ait Booz ad Ruth: Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis: 9. Et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi: sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus et pueri bibunt. 10. Quæ cadens in faciem suam et adorans super terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem? 11. Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: et quod reliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es, et veneris ad populum, quem antea nesciebas. 12. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cuius confugisti alas. 13. Quæ ait: Inveni gratiam apud oculos tuos domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum. 14. Dixitque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, et congessit polentam sibi, comeditque et saturata est, et tulit reliquias. 15. Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: 16. Et de vestris quoque manipulis proiicite de industria, et remanere permittite, ut absque rubore colligat, et colligentem nemo corripiat. 17. Collegit ergo in agro usque ad vesperam: et quæ collegerat virga cædens et excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios. 18. Quos portans reversa est in civitatem, et ostendit socrui suæ: insuper protulit, et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat. 19. Dixitque ei socrus sua: Ubi hodie collegisti, et ubi fecisti opus? sit benedictus qui misertus est tui. Indicavitque ei apud quem fuisset operata: et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur. 20. Cui respondit Noemi: Benedictus sit a Domino: quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo. 21. Et Ruth, Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messoribus eius iungerer, donec omnes segetes meterentur. 22. Cui dixit socrus: Melius est, filia mea, ut cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi. 23. Iuncta est itaque puellis Booz: et tamdiu cum eis messuit, donec hordea et triticum in hordeis conderentur.

Vers. 1. HOMO POTENS ET MAGNARUM OPUM.) Hebr. איש גבור חיל *is ghibbor chail*, id est vir potens vel fortis robore. Ita Septuag. hoc est robustus tam corpore, quam animo: aut vir potens opibus: has enim *chail* quoque significat, idque hic est aptius: Booz enim parabatur maritus ad coniugium cum Ruth, in quo maxime spectari solent opes.

Vers. 2 COLLIGEBAT SPICAS POST TERGA METENTIUM.) Uti faciunt pauperes et famelici, qui post segetem demessam et in acervos collectam, deciduas et reliquas spicas legendo faciunt spicilegium: quod lege veteri non tantum licitum erat, sed et commendatum a Deo, imo messoribus iussum, ut de industria spicas aliquas pauperibus colligendas relinquerent. Levit. cap. 19. 9. et cap. 23. 22. Sic Antigonus succedens Alexandro Magno aiebat: *Alexander messuit. ego spicas lego.* Sic et nos post messem tot Patrum et Doctorum, facimus Sapientiæ spicilegium.

NOMINE BOOZ.) Hebr. בעז *Booz*, ait Pagnin in Nom. Hebr. idem est quod *in fortitudine*, vel *in eo fortitudo*, hoc est *fortis*. Talis hic fuit, ut patet v. 1. Hinc Auctor Imperfecti hom. 1. in Matth. *Booz* interpretatur, *prævalens.* Hinc et duæ columnæ in templo Salomonis vocabantur *Iachin et Booz* 3. Reg. 7. 21. id est *directio et fortitudo*, ut exponunt Septuag. 2. Paral. 3. 17. Vers. 3.

DIXITQUE (BOOZ) MESSORIBUS: DOMINUS VOBISCUM.) Vers. 4.
q. d. Dominus vobis adsit, cooperetur, benedicat, vosque roboret et prosperet. A Deo enim bonitas messis et cuiuslibet rei expectanda et postulanda est. Hinc Varro lib. 1. de re rustica: *Quia Dii*, ait, *facientes adiuvant, prius invocari vult XII. Deos Consentes, non urbanos, sed agre-*

stes, qui agricolarum Duces sunt, Iovem, Tellurem, Solem, Lunam, Cererem, Liberum, Rodigum, Floram, Minervam, Venerem, Lympham ac bonum Eventum.

Dominus vobiscum quid? Hic primum illa salutandi formula: *Dominus vobiscum,* invenitur, quam post Booz alii usurparunt; ut propheta missus a Deo ad Asa regem Iuda, dum victor cum exercitu reverteretur; *Dominus vobiscum,* inquit, *quia fuistis cum Domino.* 2. Paralip. 15. et postea Gabriel salutans B. Virginem dicendo: *Dominus tecum:* ac tandem Ecclesia eandem induxit in Missæ sacrificium et officium Ecclesiasticum: de quo vide Bellarm. lib. 2. de Missa c. 16. et Ioannem Durantum de ritibus Ecclesiæ lib. 2. c. 15. et B. Petrum Damiani Opusc. 11. Unde lib. 4. Ration. cap. de salute ad populum, Guillelmus Minatensis Episcopus: *Huiusmodi,* ait, *mutuæ salutationes notant, quod sacerdotis et populi unus debet esse affectus. Et est sensus: Tu pro nobis facturus es preces ad Dominum; et quia Dominus Deus illas tantum preces approbat et exaudit, quæ ex bono corde procedunt, oramus et nos similiter pro te, ut ille sine quo nullum est bonum, sit cum Spiritu tuo, ut qui tecum est in ore, sit et in corde et maneat.* Et pergit: *Potest etiam dici, quod in hac responsione populus se refert solum ad actionem immolationis, ad quam sacerdos procedit, in qua per spiritum totaliter elevatus, et ab omni terrenitate prorsus abstractus esset debet.*

Et Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 22. *Illud autem quod a plebe respondetur: Et cum Spiritu tuo, hanc habet sententiam; Pacem quidem nobis tribuisti Domine, hoc est mutuam inter nos concordiam, Pacem autem nobis da, hoc est eiusmodi tecum coniunctionem, quæ nullo modo divelli possit; ut cum Spiritu tuo pacati, quem nobis in creationis initio indidisti, a tua charitate nequeamus divelli.*

Denique in Con. Braccarensi can. vigesimo primo. *Placuit,* inquit, *ut non aliter Episcopi et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur.*

Herus visitat operas. Oeconomice Booz visitans agrum et messores docet heros, ut sua sæpe prædia et operarios visitent: *Sub hoc enim metu, cum familia villicus erit in officio,* ait Cato de re rustica cap. 2. Unde Plinius lib. 8. cap. 6. *Maiores,* ait, *fertilissimum in agro oculum Domini esse dixerunt.* Et Aristot. lib. 1. Oeconom. *Optimum agrorum stercus,* inquit, *sunt Domini vestigia.*

Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus.) Disce hic priscam piamque salutandi et resalutandi formulam. Herus enim prior comiter salutans operarios ait: *Dominus vobiscum;* illi aliis verbis, sed idem significantibus officiose eum resalutant: *Benedicat tibi Dominus,* hoc est Dominus pariter tecum sit, tibique benefaciat, bonisque suis te cumulet et fortunet.

Vers. 7. Et rogavit (Ruth præfectum messorum) ut spicas colligeret.) Ex lege spicæ hæ erant pauperum; quare Ruth eas legere poterat sine rogatu; maluit tamen rogare, ut messores sibi magis devinceret, et liberaliores faceret ad plures sibi spicas relinquendum.

Vers. 10. Et adorans.) Id est reverentiam ei exhibens corporis demissione, vel capitis curvatione.

Vers. 12. Ad quem venisti et sub cuius confugisti alas.) *Alas,* id est, curam, protectionem, providentiam; sic enim pulli confugiunt sub alas gallinæ, ut ab ea ab iniuriis aeris, æque ac a milvis rapacibus protegantur. Simili enim modo *ad alas*, id est ad protectionem Dei confugere debemus, ut ab eo a malis omnibus corporis et animi, ac a dæmonibus defendamur, iuxta illud Davidis: *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Psal. 16. 8. Et: *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis.* Psalm. 90. 4. Hinc et Christus ait Ierosolymæ: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Matth. 23. 37. Vide ibi dicta. Hinc Chald. hoc loco vertit: *Quia venisti ut proselyta fieres, et teipsam absconderes* (vel separares) *sub umbra maiestatis gloriæ ipsius.*

Vers. 13. Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi:) Quod tam benigne me exceperis paverisque. Hebr. et Sept. habent in Optativo: *Inveniam gratiam,* idque appositum est: Optat enim petitque, ut Booz gratiam sibi exhibitam continuare et prorogare pergat.

Qui (Hebr. et Septuag. *quia*) consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ.) Idem, vel quasi idem sunt *consolari*, et *loqui ad cor*, scilicet loqui placentia, grata, iucunda, solari, blandiri.

Quæ non sum similis unius puellarum (Hebr. שפחות *sephacoth*, id est ancillarum) tuarum.) Ecce mira humilitas Ruth, quæ se facit ancillis omnibus Booz inferiorem, et ancillarum ancillam, ideoque meruit fieri eius uxor. Sic B. Virgo dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* meruit fieri mater Dei. Hinc Ordo Virginum, quæ vulgo Annuntiatæ vocantur, quem instituit B. Ioanna, filia Ludovici XI. et uxor Ludovici XII. Regum Franciæ, illam quæ præest ceteris monialibus nuncupat *Matrem Ancillam*, æque ac S. Franciscus sui Ordinis superiores appellari voluit *Ministros,* ut impleant illud Christi: *Qui maior est vestrum, erit minister vester* Matth. 23. 11.

Intinge buccellam tuam in aceto.) Nota hic frugalitatem illius ævi, qua operarii non aliud habebant embamma vel obsonium quam acetum, quo intingentes panem faciebant offam. Acetum enim in æstu laborantes refrigerat, nervos astringit, vires corroborat, putredinem tollit. Unde etiamnum in Italia rustici panem aceto aqua diluto intinctum, quasi offam manducant. *Vini,* ait Plinius lib. 23. cap. 1. *etiam vitium transit in remedia, Aceto summa vis est in refrigerando: non tamen minor in discutiendo.* Et postea: *Per se haustum fastidia discutit, singultus cohibet, sternutamenta olfactu,* Et Raschi: *Acetum,* ait, *iucundum in æstu.* Vers. 14.

Et congessit.) Ipsa Ruth, dante et in sinum eius congerente ipso Booz, ut habent Septuag. et Hebr. Quod enim ipse vel eius Vicarius dabat affatim, hoc ipsa congerebat.

Polentam sibi.) *Polenta.* Hebr. קלי *cali*, ἄλφιτον, est tostum far sive hordeum. Fiebat autem sic, ait Cato lib. de re rustica cap. 108. *Perfusum aqua hordeum siccabant nocte una, postero die fringebant, deinde molis frangebant, servabantque in multos dies.* Audi Senecam epist. 111. *Disce parvo esse contentus, et illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam. Iovi ipsi de felicitate controversiam faciamus,* Idem epist. 18. *Non iniucunda, ait, res est aqua et polenta, aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem.*

Et tulit reliquias.) Cibi et polentæ domum ad Noemi socrum suam, ut eam pasceret v. 18. Vide quam officiosa sit Ruth, ideoque a Booz amata, evecta, et in coniugem ascita. Ita videmus eos qui officiosi sunt amari, evehique ad magna.

Quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis.) q. d. Booz sicut benefecit Elimelech marito meo, eiusque filiis Mahalon et Chelion, quasi sibi consanguineis, dum viverent; ita nunc pergit benefacere iis mortuis, dum eorum uxoribus, quæ superstites sunt, scilicet mihi Noemi, et tibi Ruth beneficus est, nosque alit et pascit. Vers. 20.

Propinquus noster est homo.) Additur in Hebræo: *e redemptoribus nostris ipse est*, seu e vindicibus, id est ex iis ad quos pertinet ius liberandi nos ab orbitate, redimendi facultates nostras, vindicandi nomen filiorum meorum maritique tui ab interitu et oblivione, semen iis ac posteritatem erigendo, ut habetur Levit 25. 25.

Ubi nota: *propinquus* vocatur Hebr. גואל *goel*, id est *redemptor*, tripliciter; scilicet agri, uxoris et hereditatis, famæ et iniuriæ. *Agri,* quia si a quopiam ager esset venditus alicui externo, propinquus venditoris habebat ius redimendi agrum, reddendo pretium eius emptori, qui agrum emerat. *Uxoris,* quia si quis sine liberis esset defunctus, propinquus eius habebat ius, imo debitum ducendi eius uxorem, ut ei liberos suscitaret, sicque eam cum sua hereditate quasi redimebat, sibique vindicabat. *Famæ et iniuriæ*, quia si quis ab alio fuisset occisus, ad

propinquum occisi spectabat cædem eius vindicare, et occisorem ad necem deposcere, eumque apud Iudices reum mortis peragere, ut hac ratione occiso quasi suum ius, id est suam famam et innocentiam restitueret.

Vers. 22. MELIUS EST, etc. UT CUM PUELLIS EIUS EXEAS AD METENDUM.) Non ut tu metas, sed ut iungas te metentibus, ut spicas deciduas colligas, uti dictum est vers. 15.

A et seq. Unde in Hebræo non est τὸ *ad metendum.* Caret ergo fundamento expositio Abulens. qui sic explicat, q. d. Noemi: suadeo tibi o Ruth mea nurus dilecta, ut operam tuam impendas Booz, demetendo eius segetes, idque gratis et sine pretio; ut hoc officio facilius eum tibi concilies, et viam ad matrimonium cum eo ineundum sternas.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ruth suasu Noemi matrimonium Booz iure affinitatis postulat; ille se eam ducturum promittit, ideoque hordeo onustam ad Noemi remittit.

1. POSTQUAM autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, et providebo ut bene sit tibi. 2. Booz iste, cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noster est, et hac nocte aream hordei ventilat. 3. Lavare igitur, et ungere, et induere cultioribus vestimentis, et descende in aream. Non te videat homo, donec esum potumque finierit. 4. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat: veniesque et discooperies pallium, quo operitur a parte pedum, et proiicies te, et ibi iacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas. 5. Quæ respondit: Quidquid præceperis faciam. 6. Descenditque in aream: et fecit omnia quæ sibi imperaverat socrus. 7. Cumque comedisset Booz, et bibisset, et factus esset hilarior, issetque ad dormiendum iuxta acervum manipulorum, venit abscondite, et discooperto pallio a pedibus eius se proiecit 8. Et ecce, nocte iam media expavit homo, et conturbatus est: viditque mulierem iacentem ad pedes suos. 9. Et ait illi: Quæ es? illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. 10. Et ille, benedicta, inquit, es a Domino filia, et priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuvenes, pauperes sive divites. 11. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. 12. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. 13. Quiesce hac nocte: et facto mane, si te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus. Dormi usque mane. 14. Dormivit itaque ad pedes eius usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit Booz: Cave ne quis noverit quod huc veneris. 15. Et rursum, expande, inquit, pallium tuum quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente, et tenente mensus est sex modios hordei, et posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem. 16. Et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti filia? Narravitque ei omnia, quæ sibi fecisset homo. 17. Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait: Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam. 18. Dixitque Noemi: Expecta filia donec videamus quem res exitum habeat. Neque enim cessabit homo nisi compleverit quod locutus est.

Vers. 1. POSTQUAM AUTEM REVERSA EST peracta messe, AD SOCRUM SUAM.) Noemi. Legit interpres תָּשׁב *tasciab*, id est *reversa est:* iam aliis punctis legunt תֵּשֵׁב *tesceb*, id est *sedit,* commorata est.

QUÆRAM TIBI REQUIEM.) Id est quæram tibi honestum et opulentum coniugium, in quo a paupertatis famisque laboribus, ceterisque libera, in mariti divitis et placidi cura et providentia conquiescas, vitamque agas quietam, hilarem et iucundam, nimirum quæram tibi maritum divitem, æque ac benignum, cum quo concorditer et hilariter vivas: nam cum maritis asperis et rixosis non est quies uxori. Porro Aben Ezra: *non solent puellæ quiescere*, inquit, *donec nupserint.* Est enim coniugium *quasi iuventutis portus*, ait Plutar. ne per vagas libidines castitatis faciat naufragium.

Vers. 3. LAVARE ET UNGERE.) Oleo simplici, quasi pauper, sed honesta: tales enim tunc oleo ungebantur ad nitorem et lætitiam. Suadet Noemi nurui suæ Ruth ut ungatur oleo, non Nardino, aut simili bene olenti et illecebroso, sed naturali et simplici; nec ut stibio, cerussa, aliisque pigmentis et fucis faciem suam coloret et immutet, sed ut facie lota et nitida, et cultioribus vestibus induta compareat coram Booz; ut scilicet ornata modeste eum invitet ad matrimonium sibi quasi debitum. Ornatus enim modestus vestium, et magis morum et virtutum, decet matronam honestam et castam, uti docet S. Petrus epist. 1. c. 3. v. 4. Porro quod de Cleopatra dixit Lucanus lib. 10.

B *Vultus adest verbis, facies formosa perorat,*
in ceteris pariter verum est.

ET PROIICIES TE, ET IBI IACEBIS.) Non nuda; hoc Vers. 4.
enim inverecundum et illecebrosum fuisset, sed cultioribus vestibus induta, ut dixit v. 3. Quare licet Lyran. et Dion. imo S. Ambros. lib. 3. de fide c. 5. hoc consilium Noemi et factum Ruth accusent, quasi parum honestum et illecebrosum, tamen utramque excusant Theodor. Auctor Imperfecti, Abul. Salianus, Serarius et alii, tum quia totus hic ornatus et apparatus erat honestus et modestus; tum quia eo non aliud petebatur, quam matrimonium debitum; tum quia tam Booz quam Ruth erant grandævi, probatæ, et castæ vitæ, ut eis de fornicatione non esset metuendum, tum quia hæc res dirigebatur a Noemi, quæ sapiens et pia erat matrona, ac magis a Deo qui hoc coniugium contrahi volebat, ut ex eo nasceretur David, et ex eo Christus. Unde Auctor Imperfecti in c. 1. Matth. ait *Ruth* Hebr. idem esse quod *inspiratio,* eo quod inspirata a Deo hoc egerit: *Nisi*, inquit, *inspiratio Dei fuisset in Ruth, non dixisset quæ dixit, nec fecisset quæ fecit.* Nam aliis feminis et viris hoc factum Ruth non est imitandum, quia periculosum, et ad fornicationem illiciens. Pergit Auctor Imperfecti: « Quid primum laudatur in ea? dilectio generis Israel? aut simplicitas? aut obedientia? aut fides? Dilectio quidem generis Israel, quia sic desiderabat filios suscipere ex semine Israel, et una fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri desiderasset quasi puella la-

sciva, aliquem iuvenum potius appetisset. Quoniam autem non lasciviæ suæ, sed religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potius sanctam elegit, quam iuvenilem ætatem. Simplicitas autem, quia ultronea sub pallium eius ingressa est; nec cogitavit ne forte sperneret eam, quasi vir iustus lascivam puellam, aut ne deluderet eam, et quod gravius erat, contemneret delusam, sicut faciunt multi: sed obaudiens facta socrus suæ consiliis, fidenter credidit, quod prosperaturus fuerat Deus actum ipsius, sciens conscientiam suam, quia non libido ad hoc eam compulerat, sed religio erat hortata. »

Vers. 7. Et discooperto pallio, id est stragulo lecti, a pedibus eius se proiecit.) Scilicet vestitam, non ad latus Booz, sed transversim ad pedes eius; hoc enim honestas exigebat.

Vers. 8. Viditque mulierem.) Licet enim esset nox, tamen quia sub dio in area dormiebat, ac lucente luna vel stellis, facile videre poterat, Ruth esse mulierem, non virum, etiamsi quænam esset ex facie dignoscere nequiret ob noctis caliginem.

Vers. 9. Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.) hoc est duc me uxorem, quia ad hoc quasi propinquus teneris, ut suscites semen marito meo sine liberis defuncto. Unde Chald. vertit: *Accedat quæso nomen tuum ancillæ tuæ, ut me uxorem ducas*, habeasque thori consortem. Addit Lyran. sponsum solitum extremitatem pallii sui super sponsam ponere, ut hoc gestu significaret se eam in suam potestatem et tutelam accipere. Accusant nonnulli, ut dixi, hoc dictum factumque Ruth, quasi quæ nimis periculose Booz castitatem tentarit, et suam exposuerit. Verum alii passim excusant, quod confisa castitati Booz et suæ, utpote per tot annos probatæ, censeret nil esse periculi, uti revera ex eventu patuit nil fuisse.

Addit Abul. Ruth petiisse hac phrasi concubitum Booz. Verum hoc non est verisimile; si tamen eum petiit, petiit ut actum coniugalem, non ut fornicarium. Tunc enim clandestina matrimonia non erant vetita: quare per consensum mutuum, sive verbis expressum, sive copula carnali indicatum, contrahebatur matrimonium. Si ergo hoc petiit Ruth, non nisi debitum coniugale petiit, ac per illud petiit ipsum coniugium; idque fecit, tum ut suæ, ac socrus suæ Noemi viduitati et paupertati per opes mariti divitis prospiceret; tum ut nomini et memoriæ mariti sui sine liberis defuncti, suscitando ei semen ex alio marito, consuleret; qui erat actus charitatis et amoris coniugalis; tum ut Dei legi per consuetudinem extensæ, iubenti marito suscitare semen, satisfaceret, ipsumque Booz ad eidem satisfaciendum impelleret: qui erat actus obedientiæ et religionis.

Alleg. S. Hieron. procœmio in Osee, *Salmon*, ait, *virum iustum Booz de Raab meretrice generavit, qui Ruth Moabitem pinna pallii sui operiens. et iacentem ad pedes ad caput evangelii transtulit.* Et lib. 5. in Isaiæ cap. 16. *O Moab, in quam desæviturus est leo, et de qua ne reliquiæ quidem salvari poterunt, habeto solatium hoc: Egredietur de te agnus immaculatus, qui tollat peccata mundi, qui dominetur in orbe terrarum. De petra deserti, hoc est de Ruth, quæ mariti morte viduata, de Booz genuit Obed, et de Obed Iesse, et de Iesse David, et de David Christum.*

Vers. 10. Et priorem misericordiam posteriore superasti.) Hebr. *meliorem fecisti gratiam posteriorem priore.* Vatab. *Præstantiorem fecisti pietatem tuam posteriorem priore.* q. d. pia fuisti in virum tuum viventem, sed pientior nunc es in mortuum, dum allaboras ut illi sine liberis defuncto suscites semen per matrimonium cum illius propinquo. Audi B. Petrum Damiani lib. 8. epist. 14. ad sorores: *Ruth, socrui reverentiam dignam exhibuit, matronalem pudicitiam tenuit: defuncto viro fidem servavit: idolis deditam patriam parentesque deseruit, et ad cultum veri Dei sine ullo doctoris magisterio, nobilis proselyta transivit: Ecce igitur Iudith prospera, quibus in vita fulciebatur abiiciens; Ruth adversa, quibus premebatur amplectens. Utraque scilicet mente una, licet diversa fortuna, uni Deo non immerito placuit, quia nec adversis ita succubuit, nec in prospera suimet obliviscens, sese illa deiecit. Sed illa tolerabat quibus abundabat; ista fruebatur qua patiebatur, utraque nimirum de mundanæ inconstantiæ alternitatibus asserens: sicut tenebræ eius, ita et lumen eius.*

Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ.) Hebr. *scit omnis porta populi mei*, quod Vatab. et alii exponunt. q. d. Scit enim omnis Senatus populi mei. Iudices enim et Senatus olim in portis sedebant et iudicabant, ut a rusticis et exteris facile adiri et conveniri possent. Plenius noster *portam populi* explicat per conversionem *populum portæ*, hoc est populum intra portas habitantem. Vers. 11.

Mulierem te esse virtutis.) Hebr. חיל *Chail*, hoc est strenuitatis, fortitudinis, roboris. q. d. sciunt omnes te esse viraginem strenuam, sedulam, laboriosam. Unde Septuag. vertunt: γυνην δυναμεως, id est *mulierem potentem et* ανδρειαν, id est *virilem.* Chald. *Apertum est ante omnes, qui sedent in porta magna Sanhedrim* (id est Congregationis sive Concilii) *populi mei, te mulierem esse iustam, et in te robur sive vim esse ad aspiciendam præceptorum Dei lucernam.*

Sed est alius me propinquior.) Sciebat utique hoc Noemi, sed norat eius ingenium, quod nollet paupercu- Vers. 12.
lam et extraneam Ruth uxorem accipere, uti eventus ostendit, ideoque non eum, sed Booz modestiorem et pientiorem ad matrimonium eius honeste invitandum censuit. Ita Abul. Serarius et alii.

Bene res acta est.) טוב *tob*, id est *bonum est.* Vers. 13.
Rabbini nonnulli τὸ *tob* accipiunt, quasi nomen proprium propinqui, quasi ille nuncupatus fuerit *Tob*, id est *bonus*, sicut *Tobias* dictus est quasi *bonus Deo*, vel *bonitas Dei.* Unde Raschi: *Salmon*, inquit, *Elimelech et Tob fratres fuerunt.* Verum Septuag. Chald. Noster et alii τὸ *tob* accipiunt ut nomen appellativum, vertuntque in genere neutro; *bonum est.*

Ego te absque ulla dubitatione suscipiam.) In coniugem. Mirare hic insignem charitatem, æque ac castitatem Booz, utpote qui Ruth accubantem nec tangere voluerit, sed matrimonium præmiserit. Audi Auctorem Imperf. hom. 1. in Matth. *Quid in Booz prædicatur? humilitas, castitas et religio. Humilitas quidem et castitas, quia non contigit eam, quasi lascivus puellam: nec abhorruit eam quasi castus lascivam: sed mox ut verbum eius de lege proximitatis audivit, nihil horum omnium lasciviæ imputavit, sed universa religioni adscripsit. Nec despexit quasi dives pauperem: nec veritus est quasi maturus adolescentulam: sed paratior fide quam corpore mane processit ad portam, et provocavit quemdam ex genere, quem iure propinquitatis æstimabat propinquiorem; obtinuit, prævaluit non tantum iure proximitatis, quantum Dei eligentis favore. Idcirco forte prævalens dictus est. Booz* enim Hebr. idem est quod *fortis.* Hinc Thalmudici Booz conferunt cum castissimo Ioseph. Unde R. Eliezer c. 39. *Tres fuerunt*, ait, *qui coram creatore suo concupiscentiam domuerunt*, Ioseph, Booz et Phaltiel filius Lais, de quo 2. Reg. 3. v. 15. Audi et Abulen. *Profecto*, inquit, *admirandum est, etiamsi ferreus aut adamantinus esset, et ossa eius ænea, et caro lapidea. Tulit tamen ista incitamenta venerabilis Booz, virtutis desiderio seipsum temperans.* Et inferius. *Sola ergo reverentia honestatis, et iuris amor ipsum Booz tenuerunt, ne venereum expleret opus. Valde ergo laudabilis est vir ille, qui data tali opportunitate, tantis venereis flammis resistere potuit; ideo nec a nobis sub silentio prætereundus est, sed aliquali laude canendus. Iure ergo de talibus parentibus Christus nasci voluit, quia tantæ virtutis extiterunt.*

Castitas mira Booz.

Porro castitatem Booz multum adiuvit durities lecti et frigus; quod scilicet non in lecto plumeo, sed in area, sub dio in aere frigido cubaret, durities enim lecti et frigus valde infringunt ardorem concupiscentiæ: qua de causa

Pharisæi, ut alibi dixi, cubantes, laminam plumbi renibus (in quibus origo est seminis) admovebant ad eos refrigerandos, itaque evitandas nocturnas in somnis pollutiones. Hinc quoque multi Religiosi incedunt nudipedes. Nudi enim frigidique pedes valde restinguunt calorem naturæ æstumque luxuriæ; uti experientia constat. Hinc denique S. Antonius, S. Hilarion, et S. Macharius, ceterique Anachoretæ non in lectis, sed humi dormiebant. S. Franciscus teste S. Bonav. in domum Cardinalis cuiusdam invitatus, cum noctu in lecto molli decumberet, acres sensit dæmonum infestationes; quare mox ex ea profugit, dictitans: *mollibus dæmones ad tentandum allici, asperis vero deterreri et fugari.*

MENSUS EST SEX MODIOS HORDEI.) Poterat Ruth hos sex modios humeris portare: Nam siligo levior est tritico, hordeum siligine, et avena hordeo. Erat enim ipsa *mulier virtutis*, ut dixit v. 11. id est virilis, fortis et robusta. Vers. 15.

Symbol. R. Salomon apud Lyran. per sex modios accipit sex dona Spiritus S. quia tot sunt in Hebræo Isaiæ 11. v. 1. et seq. Aben Ezra vero per sex modios accipit sex iustos, qui ex Ruth progignendi erant, scilicet Davidem, Danielem, Ananiam, Misaelem, Azariam et Messiam.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Booz coram Iudicibus, propinquiore iuri suo cedente, adit possessionem Elimelech defuncti, eiusque nurum Ruth accipit uxorem, ex qua gignit Obed patrem Iesse, cuius filius fuit David rex.

1. ASCENDIT ergo Booz ad portam, et sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, et sede hic: vocans eum nomine suo. Qui divertit, et sedit. 2. Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hic. 3. Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noemi, quæ reversa est de regione Moabitide: 4. Quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus, et maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis, eme, et posside: sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam. Nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es; et me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam. 5. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere: ut suscites nomen propinqui tui in hereditate sua. 6. Qui respondit: Cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor. 7. Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo iuri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel. 8. Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo. 9. At ille maioribus natu, et universo populo. Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, et Chelion, et Mahalon, tradente Noemi: 10. Et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in coniugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in hereditate sua, ne vocabulum eius de familia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis. 11. Respondit omnis populus, qui erat in porta, et maiores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel: ut sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethlehem: 12. Fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iudæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. 13. Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem: ingressusque est ad eam, et dedit illi Dominus ut conciperet, et pareret filium. 14. Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen eius in Israel. 15. Et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem. De nuru enim tua natus est, quæ te diligit: et multo tibi melior est, quam si septem haberes filios. 16. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ fungebatur officio. 17. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, et dicentes: Natus est filius Noemi: vocaverunt nomen eius Obed: hic est pater Isai, patris David. 18. Hæ sunt generationes Phares: Phares genuit Esron, 19. Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, 20. Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon, 21. Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, 22. Obed genuit Isai, Isai genuit David.

Vers. 1. ASCENDIT ERGO BOOZ AD PORTAM.) In porta enim sedebant iudices, coram quibus hæc causa cessionis iuris proquinquitatis legitime agenda erat.

VOCANS EUM NOMINE SUO.) Hebr. vocans פלני אלמני *Peloni almoni*, quod Caietan. vertit: *sede hic talis*, viduæ scilicet Ruth propinquus. Septuag. *Declina huc abscondite.* Chald. *vir qui absconditor est viæ suæ*, id est qui videri non vult.

Verius est τὸ *peloni almoni*, ad verbum significare *talis singularis*, vel *certus quidam*, q. d. tu talis et talis veni huc, et audi me, habeo enim negotium quod tecum tractem. Sic enim solemus advocare exteros, quorum nomina non scimus, vel si scimus ea nominare nolumus. Unde a τὸ *peloni* videtur derivatum Hispanicum *Fulano.* Græci vocant δεῖνα, Itali *un tale*, Galli *un quidam.*

Porro videtur Booz eum nomine suo compellasse, sed noluit Script. eius nomen exprimere, eo quod indignus esset nominari; utpote qui nollet semen et nomen fratris sui defuncti suscitare. Ita Abul. iuste enim nomen eius æterna oblivione sepelitur, qui nomen fratris et propinqui sui eadem sepeliri permittit.

Denique אלמני *almoni* derivatur a נאלם *neelam*, id est obmutuit, quia cuius nomen reticetur, illud quasi mutum non auditur, et ut sic dicam, obmutescit; talis ergo dicitur *almoni:* idem dicitur פלני *peloni* a פלא *pele*, id est occultum et mirabile, quia ea quæ occulta miramur. Ita Serarius.

PARTEM AGRI FRATRIS NOSTRI ELIMELECH VENDET NOEMI.) Eius vivi uxor, nunc vidua defuncti, *vendet*, inquam, tam pro se, quam pro nuru sua Ruth alenda: ambæ enim erant pauperes. Licet enim uxores non succederent apud Iudæos in hereditatem maritorum, aut aliorum propinquorum vel affinium defunctorum; tamen ex hoc loco colligitur illas hereditatis maritorum usumfructum habuisse ad vitam, adeoque eandem vendere potuisse, sed ita ut ius emendi proxime spectaret ad propinquos mariti Vers. 3.

defuncti, ad quos post mortem uxoris viduæ devolvenda erat hereditas. Unde et qui e propinquis hereditatem hanc, v. g. agrum emere volebat, debebat defuncti viduam relictam, uxorem ducere, ut illi, cuius hereditatem nactus erat, semen suscitaret. Porro verisimile est agrum hunc Elimelech, eo tempore quo ipse peregrinabatur in Moab, alicui elocatum fuisse, qui quotannis ex eius fructibus annuum censum persolveret. Ita Abul. Lyranus, Fevardentius et alii.

Vers. 6. Cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere (Hebr. *corrumpere*. Sic et Septuag.) debeo:) q. d. Est mihi uxor, sunt filii et filiæ: illos alere debeo, ut meam familiam et nomen propagent: quare nolo secundam uxorem Ruth mihi accersere, ne et illam cum filiis alere, itaque meis, quos iam genui, alimoniam detrahere vel minuere debeam, atque filios, saltem primogenitum, ex Ruth procreandos non mihi, sed alteri gignam, ut scilicet eius marito, qui propinquus meus fuit, semen et nomen suscitem. Unde Chald. vertit: *Non possum mihi vindicare ob causam seu colorem hunc: quia uxor mihi est, ad quam assumere aliam mihi non facultas: ne forte oriatur in domo mea iurgium, et corrumpam hereditatem meam. Vindica tu tibi possessionem meam, quia tibi uxor nulla, et ego non potero mihi vindicare.*

Vers. 7. Solvebat homo calceamentum suum.) Erat hæc excalceatio, ceremonia politica; scilicet erat signum quod excalceans cederet iuri suo, ac sicut calceum, sic et ius suum tradebat alteri propinquo ad emendum agrum sui propinqui defuncti, et ad eius viduam ducendam in uxorem. Porro excalceatio hæc erat duplex; una in pœnam: si enim frater germanus nollet fratris sui sine liberis uxorem ducere, itaque ei suscitare semen, lex iubebat Deuter. 25. 9. eum etiam invitum excalceari, et in faciem eius conspui; quæ ingens erat pœna, contumelia et ignominia. Altera in signum cessionis iuris: Si enim quis non esset frater germanus defuncti, sed cognatus in secundo, tertio, vel quarto gradu, non tenebatur quidem ex lege Deuter. 25. (hæc enim solos fratres germanos tangit) uxorem defuncti ducere ad suscitandum illi semen; tenebatur tamen ad idipsum ex quadam honestate et consuetudine; si tamen id facere nollet, vel non posset, coram iudicibus excalceabat se, calceumque suum alteri propinquo tradebat; ut hoc signo significaret se ius suum illi resignare, tam ad agrum defuncti emendum, quam ad viduam eius accipiendam in uxorem.

Allegor. S. Ambros. lib. 3. de fide c. 5. « Designabatur, inquit, futurus ex Iudæis, ex quibus Christus secundum carnem, qui proximi sui, hoc est populi mortui semen doctrinæ cælestis semine suscitaret, cui calceamentum nuptiale Ecclesiæ copulandæ præscripta legis spiritalia deferebant. Non Moyses sponsus: illi enim dicitur Exodi 3. Solve calceamentum pedum tuorum ut Domino suo cedat. Non Iesus Nave filius sponsus. Nam et ipsi dicitur Ios. 5. Solve calceamentum pedum tuorum, ne ex similitudine nominis sponsus crederetur. Non alius sponsus, sed solus Christus est sponsus, de quo dixit Ioannes: Qui habet sponsam sponsus est. Illis igitur calceamentum solvitur, huic solvi non potest, sicut dixit Ioannes: Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius. Solus ergo Christus est sponsus, cui illa veniens ex gentibus sponsa, ante inops atque ieiuna, sed iam Christi messe dives innubat; quæ manipulos fœcundæ segetis, verbique reliquias gremio legat mentis interno, ut exhaustam illam viduam morte filii, atque inopem defuncti populi matrem novis pascat alimentis, non relinquens destitutam viduam, et novos quærens. Solus ergo Christus sponsus est, qui nec Synagogæ ipsi manipulos suæ messis invidebat. »

Porro pro *calceamentum suum* Chald. vertit: נרתקה *narteka*, id est *vaginam*, vel potius *chirothecam suam*. Forte utrumque fiebat; ut scilicet cedens suo iure et possessione exueret calceum, et simul chirothecam, eamque alteri traderet, significans hoc signo se ius suum illi resignare. Sic enim et nunc nonnullis in locis per chirothecam ius resignatur. Hoc enim signum resignationis appositum et quasi connaturale. Aut olim hæc resignatio fiebat per calceum, postea vero per chirothecam. Unde Iudæi nunc suos contractus et resignationes faciunt per resignationem lintei, quam ipsi vocant *emptionem sudar*, id est sudarii, teste R. Elia. Fuse de his agit Abul. et Serarius. Christiani vero hereditatem domus adeunt per clavium acceptionem, agri vero per pedum positionem.

Quæ ædificaverunt domum Israel.) Puta genuerunt filios posteros et nepotes Iacobi Patriarchæ, qui alio nomine a Deo vocatus est *Israel*, id est *dominans Deo*, eo quod luctans cum Angelo Dei illi prævaluisset. Genes. 28. Rachel enim et Lia uxores Iacobo genuerunt 12. filios, a quibus tota *domus*, id est stirps et familia Israelis propagata et mire multiplicata fuit. Unde Chald. addit: *in duodecim tribubus*, quia hi duodecim Iacobi filii fuere duodecim tribuum parentes, ideoque patriarchæ. Vers. 11.

Tulit itaque Booz Ruth et accepit uxorem.) Licite id fecit, quia ipsa iam erat proselyta et conversa ad Iudaismum. Nam lex illa Deuter. 23. iubens ne Moabites ingrediatur in Ecclesiam Dei, viros tantum concernit, non feminas, uti docet Abulensis. Aliter respondet S. August. in Deuter. q. 55. « Quæstio est, inquit, quomodo intraverit Ecclesiam Domini Ruth, quæ Moabitis fuerit, de qua etiam caro Domini originem ducit. Nisi forte istam mystice prophetaverit intraturam, quod ait usque ad decimam generationem. Computantur enim decem generationes ex Abraham quando fuit et Lot, qui genuit Moabitas et Ammonitas Genes. 19. et 37. » Sunt autem istæ generationes: « Abraham, Isaac, Iacob, Iudas, Phares, Esron, Aram, Aminadab, Naason, Salmon, cuius filius Booz. » Vers. 13.

Hæc responsio est ingeniosa, sed non genuina. Nam in Deuter. additur: *in æternum*. Moraliter audi Auctorem Imperfecti hom. 1. in Matth. « Ruth, ait, pro merito fidei suæ nupsit Booz, quia propriam gentem contempsit, et terram, et genus, et elegit Israel, et non despexit socrum, viduam simul et peregrinam, desiderio ducta generis eius magis quam sui, Deos patrum suorum repulit, et Deum viventem elegit. Rursus Booz pro merito suæ fidei illam accepit in uxorem, ut ex coniugio tali sanctificato genus nasceretur regale. Nam Booz senior constitutus non sibi uxorem accepit, sed Deo: non propter passionem corporis sui, sed propter iustitiam legis, ut suscitaret semen proximo suo: non magis amore quam religione ferventior: ætate senex, iuvenis autem fide: et ideo forsan nominatus est in virtute, vel virtus in ipso prævalens. Quoniam qui secundum ætatem ad ineundum coniugium est in virtute, nominabilis et laudandus, quia est in virtute, sed qui extra ætatem coniugalem iam factus, accepit ex religione virtutem ad coniugium ineundum, sicut iste Booz ille laudabilis et nominabilis est, quia existit in virtute: et illius talis viri virtus in ipso est. » D. Hieron. epist. 25. « Vide ait, quanti meriti sit desertæ præstitisse solatium. Ex eius semine Christus oritur.

Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ fungebatur officio.) Docens puerum ambulare, loqui, colere Deum, parentibus obedire, legem Dei audire, turpia fugere, honesta sequi, beneficentiam in omnes exercere, nulli nocere, cælum ambire, etc. A pueritia enim pendet adolescentia, virilis ætas, totaque hominis vita. Quare puerorum recta institutio summi est momenti ad eorum salutem, æque ac ad Reipubl. bonum. Quocirca S. Hieron. epist. ad Lætam, de filiola eius Paula, quæ neptis erat S. Paulæ, ita scribit: *Ipse, si Paulam miseris, et magistrum et nutricium spondeo: gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo; multo gloriosior mundi philosopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam regnis cælestibus offerendam.* Vers. 16.

Vocaverunt nomen eius Obed.) *Obed* Hebr. idem est quod serviens, sustentans, sublevans, ait Pagnin. Vocarunt ergo eum *Obed*, quasi optantes et augurantes ut hic filius parentibus iam labore et ætate grandævis, obsequiis suis serviret, eorumque senectam solaretur et sus- Vers. 17.

Obed etymon. tentaret. Unde vers. 15. dicunt de eo: *Qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem.* Ita Iosephus, Serarius, et alii: sic apud Romanos vocatus est *Scipio*, eo quod ipse iunior parenti seni et cæcutienti, instar scipionis, cui incedens incumberet, subserviret. *Obed* enim Hebr. idem est quod Latine *scipio* sive sustentaculum. Unde mater Tobiæ c. 5. 23. filium suum vocat *baculum senectutis.* Porro Cornelius cognomento *Scipio*, a quo Scipionum gens patritia initium habuit, patrem luminibus carentem pro baculo gerebat, quem Grammatici *scipionem* appellant: hinc illi cognomen *Scipionis* inditum, quod deinde posteris eius adhæsit, ait Macrob. lib. 1. c. 4. Rursum *Obed* Hebr. idem est quod *colens*, scilicet Deum, ut ex Chaldæo ait Fevardentius: fuit enim Obed pius tam in Deum, quam in parentes, æque ac Iesse eius filius, a quibus David suxit suam virtutem et pietatem.

Dices; filius hic potius vocandus erat *Mahalon*, quia ei suscitabatur semen. Resp. Abulen. q. 85. *Oportuisset filium, qui e posteriori matrimonio primus nascebatur, defuncti nomine affici, siquidem qui defuncti uxorem duceret, verus ac proprius illius frater esset, non autem, si frater improprie, id est cognatus tantum esset.*

Alleg. Booz repræsentat Christum; Ruth, Ecclesiam e gentibus convocatam. Lege Auctorem imperfecti hom. 1. in Matth.

Moraliter vide Hugonem, Dion. Fevardentium, Serarium, ac præsertim Ludovicum de Puente in priore parte Ducis sui spiritalis, ubi ex dictis factisque Ruth pulchra et singularia elicit morum documenta.

Vers. 21. Salmon genuit Booz; Booz autem genuit Obed.) Arias in Apparatu Bibl. Reg. tract. de nominibus Hebraicis censet *Salmon* idem esse quod *Salomon*, sed fallitur: *Salmon* enim scribitur per *sin*; *Salomon* vero per *scin.* Rursum *Salomon* Hebr. dicitur שְׁלֹמֹה *Scelomoh*, habetque ultimam litteram *He*, שַׂלְמוֹן *Salmon* vero habet ultimam *Nun.* Denique *Salmon* Hebr. idem est quod *vestitus* aut *vestiens*, *Salomon* vero idem est quod *pacificus.* Ita Serarius.

Vers. 22. Obed genuit Isai (qui est Iesse) Isai genuit David.) *Iesse* Hebr. idem est quod *munus*, vel *existens* aut *debitor.*

Nota: Salmon fuit maritus Rahab, quæ Ierichuntem prodidit Hebræis. Iosue 2. A Rahab autem et Salmon, id est ab ingressu Hebræorum in Chanaan usque ad annum quartum Salomonis fluxere anni 440. ut colligitur ex 3. Reg. 6. 2. ab annis enim 80. qui ibi numerantur demendi sunt 40. qui ab ingressu Hebræorum fluxere in peregrinatione per desertum, usque ad ingressum in Chanaan. Ergo his 440. annis tantum quinque fuere generationes. Salmon enim genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Iesse, Iesse genuit David, David genuit Salomonem. Unde nonnulli censent singulos quatuor primos, scilicet Salmon, Booz, Obed et Iesse, genuisse anno ætatis centesimo, ut conflent 440. annos iam dictos. Ita Abul. Serarius, Dion. Caiet. hic Salmeron, Baradius et Maldon. in Matt. c. 1. Verum hoc violentum videtur, et ex necessitate confictum. Series genealogiæ. Planius Lyran. R. Salomon, Genebrardus, Catharinus, Iansen. et Salianus tres ponunt Booz, qui omnes unico hoc nomine Booz contineantur; sicut Matth. 1. nomine Iechoniæ continetur tam Ioakim pater, quam Ioachim filius, de quo mox plura. Sic ergo has generationum series distribuit Salianus tom. 2. anno Debboræ et Barac 21. Salmon in ingressu Chananitidis, quando duxit Rahab in uxorem, quartum circiter et trigesimum agebat annum; ipsa vero ferme 25. Post alios ex ea susceptos liberos genuit anno ætatis sexagesimo primum huius nominis Booz; de summa ergo 440. annorum, qui numerantur ab ingressu in Chananæam, usque ad iacta templi fundamenta, tollendi erunt 26. anni. Booz autem primus ac secundus genuerunt 65. ætatis anno, tertius autem septuagesimo, Obed; item et Isai 70. quibus adde 70. annos vitæ Davidis, et quatuor de regno Salomonis, efficies omnino 440. annos.

Ex his autem probabiliter collectum vides primum Booz natum decimo Othonielis anno: secundum 35. Aodi: Tertium 20. Baraci, duxisseque Rutham, ac genuisse Obed, septimo anno Tholæ; Isai autem natum primo Samsonis, et genuisse Davidem anno undecimo Samuelis ineunte.

Si quis tamen malit dicere Salmon, Booz, Obed et Iesse genuisse anno centesimo, potius quam duos Booz uni Sacræ Script. adiungere audeat, dicat similia extare illius, imo posterioris ævi exempla. S. Servatius enim Traiectensis Episcopus et patronus vixit 373. annos, teste Sigeberto in Chron. Celebratur in Historiis Ioannes de temporibus, qui vixit 300. annos. Maffeius lib. 11. histor. Indicæ trecentos pariter annos cuidam Indo assignat. Verum hæc portenta sunt et quasi miracula, quæ in uno dumtaxat contigerunt; hic autem oportet asserere longævitatem hanc contigisse quatuor hominibus sibi invicem continua generatione succedentibus, quod est inauditum; præsertim cum David eorum filius vitam hominis sua ætate circumscribat 70. annis: *Dies annorum nostrorum*, inquit, *in ipsis septuaginta anni.* Psal. 89. Porro sæpe in Script. generationes et nomina aliquorum generantium subticentur, ut Matth. 1. v. 8. ubi dicitur: *Ioram autem genuit Oziam.* Ioram enim genuit Ochoziam, Ochozias genuit Ioas, Ioas genuit Amasiam, Amasias genuit Oziam. Ibidem v. 11. *Iosias autem genuit Iechoniam*, ubi Iechonias ponitur pro duobus, scilicet pro Ioakim sive Ieconia, et Ioachim sive Iechonia; scilicet Iosias genuit Ieconiam, Ieconias autem genuit Iechoniam. Accedit ratio: nam hisce 440. annis, qui fluxere a Salmon ad Salomonem, in ceteris tribubus non quinque, sed longe plures fuere generationes.

Exemplum unum e multis clarum accipe. 1. Paralip. 6. v. 33. ab Heman qui fuit Cantor tempore Davidis, ascendendo ad Core qui vixit tempore Mosis, eique rebellans a terra absorptus fuit Numer 16. numerantur octodecim generationes. Sic enim ait: *Heman Cantor filius Iohel, filii Samuel, filii Elcana, filii Ieroham, filii Eliel, filii Thohu, filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasahi, filii Elcana, filii Iohel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, filii Thahat, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core.* Numera τὸ *filii* decies octies repetitum, et videbis octodecim generationes hic recenseri.

Quare verisimile est hic pariter aliquas præteriri, et nonnullos filios intermedios quasi obscuriores omitti, nominari vero tantum illustriores, uti Naasson, quia ipse fuit princeps tribus Iuda in ingressu terræ sanctæ, duxitque Rahab uxorem; Booz, quia ipse fuit maritus Ruth, cuius historia hic texitur; Obed, quia ex eis natus est Isai, quia fuit pater Davidis regis.

Denique Rabbini in Iuchasin p. 10. tradunt, Ruth cum nupsit Booz fuisse annorum 40. ac deinde diu admodum vixisse. *Nam fuit*, inquiunt, *adhuc tempore Salomonis, et ad eius latus una cum Bethsabea sedebat in throno regio.* Sic et filium eius Obed aiunt vixisse 400. annos, sed hæc incredibilia, ideoque conficta videntur.

Tropol. S. Chrysost. hom. 1. in Matth. » Talis, inquit, Booz ex tali coniuge Ruth, qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur subditus. Nunc autem qui divitias eligunt, et non mores; pulchritudinem, et non fidem; et quod in meretricibus solet quæri, hoc in coniugibus optant; propterea non generant filios subditos vel sibi, vel Deo, sed contumaces et contra se et contra Deum, ut filii eorum non sint fructus iustæ coniunctionis eorum, sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum. Iste autem Obed qui subditus dicebatur, quid genuit? Iesse, id est refrigerium; Iesse enim latino sermone refrigerium appellatur. Nam vere quicumque subditus est Deo et parentibus suis, tales filios generat Deo præstante, a quibus refrigeretur: quoniam qui honorat patrem, honorabitur a filiis suis; qui autem contumaces existunt aut in Deum, aut in parentes, generantes, non refrigeria sibi generant, sed dolores; ut a filiis suis recipiant, quod fecerunt in parentibus. »

Addit Chrysost. forte *Obed* sic appellatum quod eo nascente Hebræi Philisthæis essent *subditi*, a quibus liberati fuere per Samuelem, sub quo vixit Iesse filius Obed; ideoque eum vocatum esse *Iesse*, id est *refrigerium.*

*

COMMENTARIA
IN LIBRUM
PRIMUM SAMUELIS,
SIVE REGUM.

ARGUMENTUM.

Ordo. LIBRI Regum recto temporum ordine proxime sequuntur librum Iudicum, cuius appendix est liber Ruth. Post Iudices enim in Israele regnarunt Reges, quorum gesta hic describuntur, ideoque libri Regum nuncupantur. Itaque liber Iudicum desinit in Samsone, qui ante Heli ultimus fuit Iudex, iudicavitque annis 20. Iudic. 16. ult. Samsoni proxime successit Heli Pontifex, qui quasi Iudex præfuit Israeli 40. annis. Heli successit Samuel et Saul totidem annis. Samuel ergo absolute ultimus fuit Iudex: nam sub eo populus petiit Regem, quem Samuel iussu Dei eidem primum dedit Saulem. Hic igitur mutavit statum Reip. ac Aristocratiam Iudicum convertit in Monarchiam Regum. Heli autem licet Iudicis gesta non in libro Iudicum, sed in hoc libro Regum præmittuntur, quia sub ipso floruit Samuel Propheta, qui principatum mutavit in regnum, de quo mox.

Materia. Hisce igitur quatuor Regum libris Spiritus Sanctus prosequitur historiam gentis Iudaicæ, et Ecclesiæ sive Synagogæ veteris proxime a Iudicum exitu, quorum ultimus fuit Samuel, cuius hic gesta præmittuntur, quia ab eo facta est mutatio regiminis aristocratici in monarchicum et regale. Unde Regum nomine hi libri inscribuntur. Nam in primo libro agitur de ortu, educatione et Principatu Samuelis, ac de regno, actis et morte Saulis; in secundo agitur de regno Davidis, qui Sauli a Deo ob inobedientiam reiecto a Samuele iussu Dei surrogatus est: quocirca hi duo primi Hebr. vocantur libri Samuelis, sive quia a Samuelis gestis incipiunt, sive quod gesta Saulis et Davidis gesta Samuelis censeantur, eo quod Samuel eos reges constituit.

Sectio. Porro hi duo primi libri complectuntur tempus quo Heli, Samuel, Saul et David præfuerunt Israeli, quod fuit 120. annorum. Nam ut dixi, Heli præfuit annis 40. totidem Samuel et totidem denique David.

Duo vero posteriores libri, scilicet tertius et quartus Regum enarrant acta Salomonis, qui Davidi patri successit, eiusque filiorum et nepotum, qui in Iuda a Salomone usque ad ultimum Sedeciam regnarunt; item gesta Ieroboam et posterorum eius, qui schisma facientes a Roboam et Iuda, in Israele, id est in decem tribubus regnarunt usque ad ultimum regem Osee, qui a Salmanasar captivus abductus est in Assyriam anno sexto Ezechiæ regis Iuda. Igitur hi duo libri historiam omnem Regum tam Iuda quam Israel a primo ad ultimum per annos 430. pertexunt. In qua ad litteram multa virtutum, multa etiam divinæ providentiæ, Deique iuste infideles et impios punientis, et fideles piosque præmiantis exempla passim describuntur; multa quoque prophetice dicta intexuntur, quæ ad institutionem fidelium et mores dirigendos multum conferunt. Audi S. Gregor, hic in Proœmio: *Historia Regum, quia eo Spiritu condita, quo et cetera Scripturæ sanctæ volumina cognoscuntur, non debet credi eis esse minor sacramentis, quibus non est inferior titulo auctoritatis. Nam omnes scriptores eius fuisse prophetæ referuntur, qui cum historica narrant, spiritalia signant; exteriora loquuntur, et intima innuunt; terrena proponunt, ut cœlestia exequantur*, etc. Et post nonnulla: *Suavis est historia Regum in superficie litteræ, altior in typis Allegoriæ, moribus instruendis utilis, lucida in exemplis exhibendis.* Et D. August. lib. 17. Civit. cap. 1. *Ipsa Scriptura quæ per ordinem Reges eorumque facta et eventa dirigens, videtur tamquam historica diligentia rebus gestis occupata esse narrandis, si adiuvante Spiritu Dei considerata tractetur, vel magis, vel certe non minus prænuntiandis futuris, quam præteritis enuntiandis invenietur intenta.*

Porro duo primi libri ab Hebræis vocantur libri Samuelis, imo ab eis æque ac Syris vocantur *Prophetia Samuelis;* duo vero posteriores soli ab eis vocantur libri *regum* vel *regnorum*, quod in eis plurium regum tam Iuda quam Israel regna, id est regnationes modique regnandi recenseantur.

Ubi nota quantum differat historia sacra a profana: Utilitas. illa enim cum spiritu divino conscripta sit, narrat res humanas ut a divina providentia gubernantur; hæc vero spiritu humano composita refert eas, ut hominum prudentia et industria proveniunt; itaque illa docet prudentiam divinam, qua mens pio cultu Deo adhæreat, eiusque ope et religione potissimum nitatur; hæc vero prudentiam humanam et minutas quasdam cautiunculas hominum industria inventas, quæ plerumque parum habent virium, et sæpe afferunt periculum. Quare nihil congruentius principum instructioni quam sacræ historiæ, præsertim libr. Regum explicatio. Inde enim clare intelligent fundamentum regni et politiæ, totiusque prosperitatis in vera religione et iustitia collocandum: extra hoc nihil Christiano principi fore firmum aut tranquillum. Profuit id plurimum Carolo V. Imper. cui adolescenti Adrianus (postea sextus eius nominis pontifex) institutor suasit lectitare libros Regum. Unde ille ea hausit gubernandi documenta et principia, quæ illum non solum Catholicum effecerunt, sed etiam in maximum et potentissimum principem successibus felicem evexerunt.

Pari modo refert Cicero ad Quintum fratrem, Scipionem Africanum assidue lectitasse pædiam Cyri, indeque tantum in bello æque ac pace Ducem et Principem evasisse. Lamprid. in Alex. Severo refert eum solitum legere Rempub. Platonis. Plutar. in Alex. Magno scribit eum sæpe ad manum habuisse Homerum, ex cuius lectione sentiebat sibi addi animos ad heroica facinora, quando in

eo tanta Achillem patrasse cernebat. Porro Religionem orthodoxam esse fundamentum imperii scribit, et inculcat Theodosio Imper. S. Cyril. lib. de recta fide sub initium. Denique S. Clemens libr. primo Apost. Const. cap. 6. docet Christiano lectitandos esse libros Regum: inde enim veras piasque historias petendas esse, non a libris Gentilium.

Allegor. Allegor. et Tropol. S. Hieron. epist. 103. ad Paulinum: « Samuel, inquit, in Heli mortuo et in occiso Saule veterem legem abolitam monstrat. Porro in Sadoch atque David, novi Sacerdotii novique imperii sacramenta testatur. Melachim, id est Regum tertius et quartus liber a Salomone usque ad Iechoniam; et ab Hieroboam filio Nabat usque ad Osee, qui ductus est in Assyrios, regnum Iuda et regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt. Si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, et hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur.

Omnes enim reges Iuda fuere typi Christi ex eis nascituri, qui est rex regum et Dominus dominantium, ut ait hic S. Gregor. Unde S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 24. *Dico,* inquit, *illorum hominum non tantum linguam, sed etiam vitam fuisse propheticam, totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quemdam, quia et magni cuiusdam, fuisse Prophetam.*

Auctor. Primum Regum librum scripsit Samuel Propheta (unde duo primi libri ab Hebræis Samuelis vocantur) usque ad mortem suam, quæ recensetur lib. 1. c. 25. Ita censent S. Gregor. Theod. Procopius, Eucher. Hugo, Lyran. Abul. Caiet. Vatab. Serarius, et alii passim; mortem vero Samuelis et gesta post eam usque ad finem libri secundi scripsit David, ait S. Isidorus lib. 6. orig. cap. 2. aut potius Nathan et Gad prophetæ, qui Davidi erant a secretis et commentariis, ut scilicet eius acta per singulos dies, quasi Diaria et Chronica sive Ephemerides conscriberent, uti diserte dicitur 1. Paralip. 29. in fine. Ita censet Bellar. et Sixtus Senensis lib. 1. licet Abulen. hic et quæst. 4. in cap. 17. libri Iudicum, eos ab Isaia vel Ieremia conscriptos putet, eo quod c. 27. v. 6. Siceleg dicatur facta Regum Iuda *usque ad diem hanc*: hoc enim non videtur dixisse David, sed aliquis eo posterior, ut Isaias vel Ieremias. Verum hæc particula libro iam composito addi potuit ab Isaia vel Ieremia, uti similia addita sunt in Pentateucho Mosis, Iosue, Iudicum, et aliis libris.

Duos posteriores Regum libros usque ad Ierosolymæ excidium, ex priscis singulorum Regum Annalibus a Ieremia scriptos esse censet Procopius, Isidorus, R. Moses Kimchi, quos citat Sixtus Senensis lib. 1. Item Abulen. Dion. et alii; idque confirmatur ex eo, quod caput ultimum Ieremiæ idem sit cum capite ultimo libri quarti Regum. Isaias enim diu ante posteriorum regum tempora et captivitatem Babylonicam, quæ hic enarrantur, mortuus fuit: ea vero vidit Ieremias. Ubi nota singuli reges suos habebant a commentariis, qui acta eorum sive Diaria quotidie conscriberent: sic enim gesta Salomonis scripsit Ahias Silonites et Addo Propheta, ut dicitur 2. Paralip. 9. quæ 3. Reg. 11. vocantur *liber verborum,* id est factorum *dierum Salomonis,* ait Theod: et Abulen. Sic acta Roboam filii Salomonis, æque ac Abiæ regis filii Roboam, scripsit idem Addo et Semeias propheta, ut dicitur 2. Paralip. 12. 15. et c. 13. 22. sic Oziæ regis gesta scripsit Isaias, ut ibidem dicitur c. 26. 22. æque ac Ezechiæ, ut ibidem dicitur c. 32. v. 32. unde putant nonnulli Isaiam gesta regum scripsisse, vel ex Diariis collegisse a Salomone usque ad Manassem a quo Isaias interfectus est; reliqua deinde usque ad captivitatem Babylonicam post Isaiam pertexuisse Ieremiam. Ita Sanchez. Favet quod quatuor capita Isaiæ, scilicet 36. 37. 38. 39. prorsus eadem sint cum 4. Regum cap. 18. 19. et 20. Addit Sanchez viros Ezechiæ qui collegerunt Proverbia Salomonis Prover. 25. forte Diaria quoque collegisse. Vide Sixtum Senen. verbo *Ezechias.* Sic pariter Iehu filius Hanani scripsit verba dierum, id est Diaria, sive Commentarios et Annales Iosaphat regis, ut patet 2. Paralip. c. 20. v. 34. Hinc etiam a Sept. vocatur *liber Paralipomenon,* qui Hebr. inscribitur *dibre haiamim,* id est *verba*, hoc est gesta *dierum,* q. d. hic liber continet ea quæ in libris Regum relicta et omissa sunt ex iis, quæ in priscis regum Diariis conscripta erant. Ergo hi Regum libri ex antiquis eorum Diariis collecti sunt, partim ab Isaia, ceterisque viris ab Ezechia ad hoc deputatis, partim a Ieremia, partim ab Esdra, uti sunt ea quæ post Ieremiam sub Cyro contigerunt.

Libris Regum attexuntur duo libri *Paralipomenon,* id est *relictorum,* sive *residuorum,* et ut S. Hieron. epist. ad Domnionem ait, *præteritorum,* quia hi supplent ea quæ in libris Regum de Regibus Iuda (nam gesta Regum Israel vix tanguntur in lib. Paralipomenon) prætermissa sunt, unde eos hic intexam, ubi eadem narrant; peculiaria vero quæ addunt, in illis ipsis explicabo. Paralipomenon auctor non fuit Ieremias, quia capite ultimo narratur solutio captivitatis Babylonicæ, ante quam mortuus est Ieremias (nisi quis dicat hanc illis postea additam, uti mors Mosis addita fuit Deuteronomio) unde Hebræi, Lyran. Abulen. et Ioann. Driedo lib. 1. de Script. Eccles. et Sixtus Senen. lib. 1. Biblioth. probabiliter opinantur eos conscriptos ab Esdra, quia idem est finis Paralipomenon, et initium Esdræ, ut patet intuenti; et quia cum eadem historia narratur in lib. Regum, Paralipomenon et Esdra, narratio Paralipomenon consentit cum Esdra, non cum lib. Regum. Rursum in fine Paralipomenon narrantur gesta Cyri, quæ narrare non potuit Ieremias, qui ante Cyrum, sed Esdras qui post Cyrum vixit.

Dices, 2. Paralip. 5. 9. dicitur: *Fuit arca ibi,* (in templo) *usque in præsentem diem.* Hoc autem de tempore Esdræ dici nequit: nam ante captivitatem Ieremias arcam extulerat et absconderat, ut patet 2. Machab. 2. vers. 5. Resp. Abulensis τὸ *usque in præsentem diem* intelligi de diebus Nathan, Addo et Ahiæ, qui primi Chronica et Diaria Paralip. conscripserunt, ex quibus Esdras ea descripsit et in ordinem redegit. Nam alioqui falsum esset quod in fine Paralip. de Cyro narratur. Constat enim diu ante Cyrum arcam ab Ieremia fuisse absconditam.

Porro *Paralipomenon liber,* ait S. Hier. epist. 103: ad Paulinum, id est *instrumenti veteris epitome, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Script. sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat.* Et Cassiodor. lib. de divin. lect. cap. 2. *In Paralip.* ait, *libris duobus, a patribus magna prædicatur utilitas, qui veram gestorum notitiam breviter quidem, sed plenissime continere noscuntur.*

INTERPRETES.

Ad litteram scripsit quæstiones in libros Regum et Paralip. S. Hieron. sed de iis merito dubitat Bellarm. et alii, an sint S. Hier. quia S. Hieron. lib. de Scriptura Eccles. testatur se scripsisse traditiones sive quæstiones Hebraicas in Genesim, loca Hebraica et nomina Hebraica, sed de traditionibus sive quæstionibus Hebraicis in libros Regum et in libros Paralip. nihil dicit: præterea in quæstionibus Hebraicis in Genesim adscribit idem Hieron. passim verba Hebraica; in quæstionibus autem in libros Regum et Paralip. non nisi semel aut iterum id facit. Denique gravior videtur scriptio illa in Genesim, quam ista in libros Regum et Paralipomenon; sed cuiuscumque sit hoc opus, non magni refert. Quare quæstiones has esse S. Hier. pernegat Serarius, sunt tamen antiqui auctoris; nam sæpe citantur ab Angelomo. 1.

S. Augustinus scripsit librum ad Simplicianum, in quo quinque quæstiones ex libris Regum resolvit. Item in Canticum Annæ lib. 17. de Civit. cap. 4. Ad hæc in varios Regum locos sermones decem, nimirum 196. 200. 201. 204. 206. 207. 210. 211. de tempore, et primum inter Homilias 50. 2.

S. Eucherius ex monacho Lugdunensis Episcopus, anno Domini 441. tempore Leonis primi Pont. et Theodosii iunioris Imperatoris, scripsit in libros Regum, quem hisce 3.

elogiis ornat Claudianus Mamertus Episcopus Viennensis illi coævus lib. de statu animarum: *Eucherius viridis ævi, maturi animi, terræ despuens, cœli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquio profluus, magnorum sui sæculi Pontificum longe maximus*, etc.

Verum, ut recte advertit Bellarm. de scrip. Eccles. in Eucherio, *Hi commentarii nequeunt esse Eucherii, eo quod auctor sæpe S. Gregorium citet, et ad finem expositionis libri primi Regum, lectorem invitet ad moralia Sancti Gregorii perlegenda, Sanctus autem Gregorius plus centum annis fuerit Eucherio posterior. Fortasse qui hos libros Eucherio tribuerunt, ex eo permoti sunt, quod Gennadius testatur scripsisse Eucherium ad Salonium et Uranium de obscuris Sanctarum Scripturarum capitulis.*

Porro auctor horum commentariorum videtur fuisse Anglus, et vixisse paulo post tempora S. Gregorii: *Nam in tertio libro Commentariorum in libros Regum cap. 22. sic loquitur: Nostris*, inquit, *nuper temporibus Sanctus Gregor. Papa Evangelicis roboratus eloquiis, Romanam rexit Ecclesiam, et reverendissimi Patres Augustinus, Paulus, et alii socii eorum iubente illo venerunt in Britanniam*, etc. *Atque ab hoc auctore multa iisdem pene verbis descripsit Beda in suis quæstionibus super libros Regum*, ait Bellarm. loco citato. Unde Doctores Lovanienses, et Sixtus Senensis suspicantur hos commentarios non esse Eucherii, sed Bedæ.

4. Venerabilis Beda, qui floruit anno Domini 730. scripsit quæstiones in librum Regum, quæ incipiunt: *Post librum Iudicum.*

5. Angelomus Gallus Monachus Ordin. D. Benedicti Congregationis Lexoviensis, vir in divinis scripturis nobile sortitus ingenium, iussu Drogonis Episcopi Metensis, filii Caroli Magni Imper. collegit e Commentariis veterum Patrum opus in 4. libros Regum. Claruit anno Domini 830. Porro Angelomus primo sensum litteralem, deinde allegoricum prosequitur, idque fere ex quæstion. S. Hieron. in lib. Regum.

6. Posterioribus sæculis scripsere in hos libros Lyran. Hu-
7. go, Dion. Abulen. fuse et exacte. Nuper Caiet. et Vatab.
8. Novissime nostri Franciscus Mendoza, Gaspar Sanchez,
et Nicolaus Serarius.

Mysticum sensum horum librorum tradit Commentarius Eucherii iam citatus. S. August. nonnulla variis in locis tetigit, quæ collegit Germanus quidam in opere lucubrationum S. August. in Biblia, collegit etiam Godefridus Tilmannus Carthusianus Parisiensis in hos libros, æque ac in ceteros biblicos sensus mysticos ex variis auctoribus, sed fere ignotis. S. Gregor. Tropol. scripsit in sedecim capita lib. 1. Regum. Origenes homiliam unam in prima capita. Extat V. Bedæ expositio allegorica in Samuelem Prophetam, in quatuor libros distincta ad Accam. Nonnulla quoque ex his libris Alleg. explicat S. Prosper lib. de promis. et prædict. Denique in libros Regum et Paralipom. scripsit Procopius Gazæus, sed eius comment. necdum vidi, et an impressi sint dubitat Bellarm. Noster Serarius hic testatur se eo manuscripto ex Bibliotheca Marci Velseri usum fuisse.

CHRONOLOGIA REGUM

SACRA ET PROFANA.

Post Mosen Iosue præfuit Israeli 17. annis, deinde Iudices usque ad Samsonem inclusive per annos 299. uti ostendi initio Iosue et Iudicum. Iudicibus, puta ultimo Samsoni immediate successit Heli per annos 40. mox Samuel et Saul per totidem annos, inde David per totidem annos, Davidi Salomon tot pariter annis. Quocirca a morte Mosis et ingressu Hebræorum in Chanaan usque ad Heli, a quo incipiunt libri Regum, fluxere anni 316. Quare cum Moses mortuus sit anno mundi 2495. eodemque anno Hebræi duce Iosue ingressi sint terram promissam, sequitur Heli Israeli præesse cœpisse anno mundi 2811. Illo enim mortuus est Samson, eique successit Heli, qui fuit annus ante Christi nativitatem 1357. Post captam Troiam (a qua Gentiles omnes suas computant historias) 29. Hæc omnia iuxta tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho digessi. Porro S. Cyrillus Alexand. Græcorum doctissimus, lib. 1. contra Iulianum hunc assignat synchronismum, sive combinationem historiæ sacræ cum profana: Troia, ait, expugnata est post Mosen anno 410. regnante apud Hebræos iudice Esebon, apud Ægyptios Vaphre, apud Assyrios Teutamo, apud Græcos Agamemnone.

Synchronismus.

Quinto anno post captam Troiam apud Latinos regnavit Æneas, apud Hebræos Iudex Samson.

Anno 65. post captam Troiam mortuus est Heli Pontifex, prophetat Samuel, regnat Saul.

Anno 165. post captam Troiam floruit Homerus et Hesiodus, apud Latinos Alba Sylvius.

Anno 268. post captam Troiam vixit Elias et Elisæus, regnante apud Hebræos Ioram.

Anno 265. post captam Troiam Lycurgus leges dedit Spartanis, Latinis rex Procas Sylvius.

Anno 280. post captam Troiam prophetarunt Osee, Amos, Isaias.

A capta ergo Troia usque ad primam Olympiadem anni 815.

Prima Olympiade nascitur Romulus et Remus, regnante apud Hebræos Ioathan, in Israel Phacee.

Olymp. 35 fuit Thales Milesius, vixitque usque ad Olympiadem 58.

Olymp. 36. prophetant Ieremias et Sophonias.

Olymp. 46. Solon leges dedit Atheniensibus, abrogatis Draconis legibus.

Olymp. 49. cum Iudæi essent in Babylone, prophetant Daniel et Ezechiel.

Olymp. 50. floruerunt septem Sapientes, et Anaximander.

Olymp. 56. regnat Cyrus, prophetant Aggæus, Zacharias. Hæc omnia S. Cyril. et plura.

Adverte in hoc S. Cyrilli computu Iudicem Esebon esse Abesan. Hunc enim Sept. vocant Ebesan, pro quo Cyrilli codex corrupte habet Esebon: sub quo captam Troiam censet Cyrillus, licet Eusebius, Salianus et alii putent præcise captam Troiam anno ultimo Ahialon Iudicis, qui proxime successit Abesan: sed hoc in tanto numero et computu priscorum annorum exigua est differentia, ac concordari potest dicendo, Troiam a Græcis obsessam fuisse per decem annos: quare sub Abesan cœpisse obsideri, et hoc velle Cyrillum; sub Ahialon vero fuisse expugnatam, et hoc velle Eusebium, Salianum et alios. Rursum Cyrillus a capta Troia usque ad Samsonem numerat annos quinque: quare pro Esebon in Cyrillo legendum videtur Abdon. Hic enim successit Iudici Ahialon, præfuitque per octo annos Iudic. 12. 8. et sequen. Abdoni autem successit Samson. Hic enim fuit ordo: Abesan præfuit Israeli septem annis, post hunc Ahialon, annis decem: post hunc Abdon annis octo, post hunc Samson annos 20. Cyrillus suo Esebon sive Abdon tantum tribuit annos quinque. Hinc rursum asserit anno 65. post captam Troiam mortuum esse Heli, eique successisse Samuelem, cum præcise id contigerit anno 69. post captam Troiam, ut patet ex dictis.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Annæ sterili ex voto nascitur filius, vocaturque Samuel, qui ablactatus ab ea offertur et dedicatur Deo per manus Heli Pontificis.

Samuel enim hoc libro est quasi choragus, et Regni Regumque institutor, unde ipse expressus fuit typus Christi.
Nam primo, sicut Samuel natus est ex Anna sterili; sic Christus ex B. Maria Virgine. Secundo, Anna nato Samuel
Samuele cecinit Canticum Eucharisticum Deo; sic B. Virgo concepto Christo cecinit Magnificat. *Tertio, Anna* typus Christi.
ex voto Samuelem obtulit Deo; sic B. Virgo eidem obtulit suum Iesum. Quarto, Annæ filius dictus est Samuel, *id est,* nomen eius Deus: *B. Mariæ Virginis vocatus est* Emmanuel, *id est* nobiscum Deus, *Matth. 1.* 1. 2. 3.
Quinto, Samuel fuit propheta magnus et sanctus; Christus fuit Prophetarum sanctissimus et maximus. Sexto. 4.
Samuel fuit Iudex et vindex Israelis contra Philisthæos; Christus fuit Iudex et vindex omnium fidelium et 5. 6.
Sanctorum, profligans dæmones, mortem et gehennam ceterosque eorum hostes. Septimo, Samuel instituit re- 7.
gnum ac primum regem Saulem, deinde Davidem auctoravit et creavit: Christus instituit regnum sacerdotale et sacerdotium regale, omnesque Christianos creavit reges, ut scilicet dominentur suis cupiditatibus, itaque fiant cives, imo reges cœli, iuxta illud 1. Petr. 2. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, *etc. Denique Samuel omnibus suis dictis et factis prælusit iis, quæ dicenda et facienda erant a Christo, æque ac ceteri Iudices et Reges. Unde S. Hieron. epist. 103. ad Paulinum:* In Iudicum libro, *inquit,* quot principes populi, tot figuræ sunt *Iesu Christi. Quocirca Clemens Alex. lib. 1. Strom. Iudices et Reges qui post Mosen Israeli præfuerunt, prophetas nuncupat, non quod omnes ore prophetarint, sed quod factis et regia dignitate Christum in æternum regnaturum præfigurarint. Idem asserit S. Gregor. et S. Augustinus, quorum verba in Proœmio recitavi. Finis enim et scopus legis, ut ait S. Paulus, et Prophetarum totiusque sacræ Script. est Christus. Ipse enim est rex, Salvator, redemptor mundi: ipse est honor, timor et amor noster, ipse salus nostra, ipse centrum cordis nostri, ipse portus, quies et saties nostrorum desideriorum; ipse vita, gloria, felicitas omneque bonum nostrum, ad quem proinde ut solem iustitiæ omnes reges, omnes Patriarchæ, omnes Prophetæ, omnes fideles et Sancti, ceu stellulæ ab eo lumen gratiæ et gloriæ emendicantes respiciunt, ipsumque demissis ad pedes eius coronis suis prostrati in terram reverenter adorant, Apoc. 4. et 5.*

1. Fuit vir unus de Ramathaim sophim, de monte Ephraim, et nomen eius Elcana, filius Ieroham, filii Eliu, filii Tholu, filii Suph: Ephratæus: 2. Et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi. 3. Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo: erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini. 4. Venit ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ et cunctis filiis eius, et filiabus partes: 5. Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam eius. 6. Affligebat quoque eam æmula eius, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam eius. 7. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: et sic provocabat eam. Porro illa flebat, et non capiebat cibum. 8. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? et quare non comedis? et quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii? 9. Surrexit autem Anna postquam comederat et biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini. 10. Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter. 11. Et votum vovit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, et novacula non ascendet super caput eius. 12. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os eius. 13. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam. 14. Dixitque ei: Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades. 15. Respondens Anna, Nequaquam, inquit, Domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. 16. Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris et mœroris mei, locuta sum usque in præsens. 17. Tunc Heli ait ei, Vade in pace: et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. 18. Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati. 19. Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino: reversique sunt et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam; et recordatus est eius Dominus. 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen eius Samuel: eo quod a Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir eius Elcana, et omnis domus eius, ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum. 22. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi iugiter 23. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec ablactes eum: precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte. 24. Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus: 25. Et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli. 26. Et ait Anna: Obsecro mi domine, vivit anima tua domine. Ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum. 27. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum. 28. Idcirco et ego commodavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, et ait.

Vers. 1. **FUIT VIR UNUS** (singularis, egregius, eximius, quasi unus e multis) **DE RAMATHAIM SOPHIM.**) Patria hæc Elcanæ et Samuelis dicta fuit *Rama*, id est *excelsa*, quia in monte sita, et Ramula, e Ramatha et Ramathaim, id est duæ Ramæ: est enim nomen duale, quia urbs hæc erat bipartita et bicollis, utpote in monte bicipiti sive bicolli sita. Ita Serarius, licet Sanchez putet Ramathaim in duali dici hanc urbem, eo quod vicina esset alteri Ramæ, quæ erat in tribu Beniamin, quasi duæ hæ urbes ob vicinitatem in unum corpus coaluisse videantur. Eadem addita littera A dicta est Arimathia, e qua oriundus fuit Ioseph nobilis Decurio, qui sepelivit Christum, Matth. 27. uti asserunt S. Hieron. in locis Hebr. Beda, Angelomus, Rabanus, Hugo, Dion. et alii.

Porro Ramatha sive Ramathaim cognominata est *Sophim*, id est *speculantium*, quod in ea, utpote in alto monte sitæ essent urbis et regionis totius speculares turres, et in iis excubiæ speculatorum. Ita Vatab. Caietan. Sanchez, et alii. S. Hieron. (vel quisquis est auctor) in quæst. Lyran. et R. Salomon censent Rama fuisse oppidum speculatorum, id est contemplativorum, quod in ea quasi Academia residerent Prophetæ, virique docti SS. Litterarum studio dediti. Unde Chald. vertit: *Fuit vir unus Ramathæus ex prophetarum discipulis.* Elias enim Elisæus, eorumque discipuli degebant in Carmelo aliisque montibus, tum ut turbas fugerent, tum ut in solitudine Deo soli vacarent, tum ut e montibus melius cælum suspicerent, ad illudque anhelarent.

Rama quintuplex.

DE MONTE EPHRAIM.) Tribus enim Ephraim habitabat in loco alto et montoso. Addit hoc, quia alia erat Rama in tribu Beniamin, alia in tribu Aser, alia in tribu Nephthalim; hæc vero sita erat in tribu Ephraim: imo Saligniacus, Adrichom. et alii numerant quinque urbes vel villas, quarum nomen erat Rama. Prima enim erat iuxta Thecuam, in via Hebron. Secunda, in Nephtalim, proxima castro Sephet. Tertia, iuxta Sephorim. Quarta in Silo. Quinta, iuxta Gabaa, quæ omnes vocantur Rama id est excelsa, quia in montibus sitæ.

Hinc S. Gregor putat Samuelem in Rama natum, fuisse prognatum e tribu Ephraim; sed certum est eum fuisse oriundum e tribu Levi, adeoque a Levi per Caath et Isaar, non vero per Amram et Aaron fuisse progenitum, ideoque fuisse Levitam, non Sacerdotem, ut patet 1. Paralip. 6. 33.

Samuel origine fuit Levita.

Dices: Si Samuel erat ex tribu Levi, quomodo natus est in Rama, quæ erat tribus Ephraim? Resp. Causa est quod tribus Levi in divisione Chananææ non acceperat sortem propriam, uti ceteræ tribus, sed per eas sparsa erat, adeoque in iis sua habebat oppida, inter quæ erat Rama. Cuius dispersionis causas quatuor dat Lyran. in c. 21. Iosue. *Primam, ne cultus Dei ad unam tantum tribum pertinere videretur. Secundam, ne una tribus vel duæ de sustentatione Levitarum nimis gravarentur. Tertiam, quia apud omnes gentes illi qui intendunt cultui divino a toto populo sustentantur. Quartam, quia Levitæ tenebantur docere populum de his quæ ad cultum divinum pertinebant; facilius autem docerent per omnes tribus dispersi, quam in unam congregati.*

Has Lyrani rationes ibidem oppugnat Abul. quæst. 8. sed frustra. Hinc patet Samuelem æque ac Elcana, fuisse Levitam, non Sacerdotem, quia ex Caath per Core, non per Aaron sacerdotem descendit, unde dicitur Psalm. 98. 6. *Moses et Aaron in sacerdotibus eius, et Samuel inter eos qui invocant nomen eius.* Samuel tamen ex Dei dispensatione Sacerdotis officio functus est, et ut Sacerdos sacrificium Deo obtulit, ut audiemus in seq. ita Abul. et alii. Hinc et Heman et Asaph cantores fuere filii Ioal, filii Samuel, filii Elcana, ut dicitur 1. Paralip. 6. 33. Cantores autem erant Levitæ, non sacerdotes. Ex citato Paralip. loco pariter patet, pium Samuelem ex impio Core, quem Mosi rebellantem terra dehiscens vivum absorpsit Numer. 16. fuisse progenitum. Ita Deus ex spina rosam produxit.

Ex Dei dispensatione sacerdos.

ET NOMEN EIUS ELCANA.) *Elcana* Hebr. idem est quod *Dei fortis possessio.* Talis est vir fidelis et iustus, qui per fidem, spem et charitatem in uno Deo recumbens fit *Elcana*, id est, Dei possessio, ut nec homines, nec dæmones, nec minas, nec tormenta, nec mortem quamlibet timere debeat.

FILIUS IEROHAM.) Ita legendum cum Roman. Hebr. Chald. Septuag. Perperam ergo in Bibliis Regiis pro *Ieroham* legitur *Ieroboam*.

Ephrathæus quid?

EPHRATHÆUS.) Cur Elcana vocatur Ephrathæus? Resp. Primo Caiet. quia *Ephrathæus* Hebr. idem est quod *augustus, opulentus, magnificus:* talis autem erat Elcana. Verum hæc ratio est symbolica, non litteralis: nam ad litteram *Ephrathi*, id est Ephrathæus, est nomen Patronymicum, notans patrem vel patriam Elcanæ.

Secundo S. Hier. in quæst. Hebr. Angelomus, Ruper. Hugo, Glossa, Dion. dicunt Elcana dici Ephrathæum, eo quod ab Ephrata uxore Caleb. 1. Paralip. 2. 19. prognatus sit, ita ut Elcana et Samuel per patrem descendant ex Levi, per matrem vero ex Caleb. et Iuda, sicut versa vice Christus eorum antytipus, ac B. Virgo eius mater per patrem descendunt a Iuda, per matrem a Levi, ut tam regalem quam sacerdotalem habeant prosapiæ suæ dignitatem.

Verum obstat, quod Script. non a matre, sed a patre soleat viris suum genus et nomen indere, indeque cognominare.

Tertio ergo, genuine S. Gregor. Beda, Lyran. Abul. Vatab. et alii censent Elcanam dici Ephrathæum, quia ex Rama quæ erat tribus Ephraim erat oriundus, non quod ex tribu Ephraim esset prognatus (fuit enim ipse ex tribu Levi, ut dixi) sed quod in ea habitaret. Ephrathæus ergo idem est quod Ephraimita, ut patet Iudic. 12. 5. sic Iudæi Actor. 2. vocantur Medi, Persæ, Arabes, etc. quod ex parentibus non Medis, Persis, Arabibus, sed Iudæis in Media, Persia, Arabia essent nati.

Symbol. *Ephrathæus* Hebr. idem est quod *frugifer.* Talis fuit Elcana, quia fructum nobilissimum, puta Samuelem prophetam celeberrimum produxit.

ET HABUIT DUAS UXORES, NOMEN UNI ANNA, ET NOMEN SECUNDÆ PHENENNA.) Id fuit more illius ævi, quo polygamia Dei permissione erat licita et usitata, ad citius magisque multiplicandum semen Israel populi fidelis. Porro primaria uxor Elcanæ erat Anna, secundaria Phenenna: unde hæc ab eo ducta videtur non ex concupiscentia, sed eo quod Anna esset sterilis et illiberis, ut ex ea proles suscitaret: sicut Abraham duxit Agar ancillam Saræ primariæ uxoris, ipsa assentiente, imo rogante, ut cum ipsa esset sterilis, saltem ex Agar ancilla filios marito daret. Phenenna Hebr. idem est quod *Margarita*, *Anna* idem quod *gratia.* Apte; Phenenna enim margaritis et liberis, Anna vero gratia Dei ornabatur. Sic et hodie nonnullæ feminæ vocantur *Gratia.* Ita nuper Iaponia illa virago, quæ cum omnibus filiis pro fide Christi constanter mortem oppetiit, vocabatur Gratia.

Phenennæ et Annæ etymon.

Allegor. *Phenenna* fœcunda significat synagogam Iudæorum, quæ olim fidelibus filiis abundabat. Anna sterilis significat Ecclesiam gentium, quæ olim sterilis erat, sed per Christum omnes gentes Deo peperit. Ita S. Greg. Ruper. Hugo, Beda, Lyran. et Diony.

Symbol. *Anna* significat vitam contemplativam Deo gratam: *Phenenna* vitam activam proximis utilem. Ita S. Gregor. Hugo, et Dion. utramque enim complecti debet Elcana, id est vir eximius possidens Deum.

ET ASCENDEBAT VIR ILLE DE CIVITATE SUA, Ramatha, STATUTIS DIEBUS, Paschæ, Pentecostis et Tabernaculorum. Exodi. 23. Deut. 16. v. 16. UT ADORARET IN SILO,) ubi erat arca, altare et Tabernaculum. Iosue enim hæc collocavit in Silo, quia Silo erat tribus Ephraim, ex qua erat Iosue: unde mansit arca in Silo toto tempore Iosue et Iudic. per annos trecentos et amplius, donec capta fuit a Philisthæis. 1. Regum 5. Porro dicitur Elcana ascendisse in Silo, quia licet Ramatha in qua habitabat sita esset in monte, tamen Silo eo erat altior, imo altissimus totius Iudææ, ait Adrichom. Vers. 3.

Adde in Script. ascendere vel descendere idem est quod venire.

ERANT AUTEM IBI DUO FILII HELI OPHNI ET PHINEES.) Heli primus fuit Pontifex ex stirpe Ithamar. Aaron enim duos habuit filios, seniorem Eleazarum, iuniorem Ithamar: quare Eleazar Aaroni ut senior in Pontificatu successit: Eleazaro successit filius Phinees, et ita consequenter usque ad Heli. Tunc enim posteri Phinees segniter administrabant Pontificatum, ideoque ille ex familia Eleazari translatus fuit ad familiam Ithamar, puta ad Heli, in eaque mansit per 120. annos, scilicet toto tempore Heli, Samuelis, Saulis et Davidis ad Salomonem, qui Abiatharo abnepoti Heli, eo quod conspirasset cum Adonia regni sui æmulo, Pontificatum ademit, illumque transtulit in Sadoc, qui erat ex familia Eleazari. Rursum Heli successit Samsoni, ac post eum fuit Iudex Israelis: quare utrumque gessit magistratum sive principatum, scilicet Ecclesiasticum et sæcularem. Gesta eius fuere communia. et nil singulare continentia, unde a Script. æque ac gesta Abesan, Ahialon et Abdon Iudicum c. 12. omittuntur.

Etymon Heli. Porro *Heli* Hebr. idem est quod *super me*, vel *ascensio mea*, vel *solium meum*. Apte quia ipse nimis lenis et lentus permisit filios sibi dominari, et impune impieque vivere, ideoque ipse cum filiis ceu folium vento raptum, cito Pontificatu et vita privatus est. Unde *Ophni* Hebr. idem est, quod *volans*, vel *avolans*, aut *tenebræ meæ*: *Phinees* idem est quod *os parcentis* vel *confidentis*.

Vers. 4. DEDITQUE PHENENNÆ UXORI SUÆ ET CUNCTIS FILIIS EIUS ET FILIABUS PARTES.) Intellige non vestium, ut volunt Hebræi teste Angelomo, sed carnium Deo sacrificatarum. Ita Orig. Angel. Lyran. Abul. Vatab. et alii: licet enim in holocausto tota victimæ caro cremaretur Deo, tamen in victima pacifica solus adeps cum renibus Deo adolebatur per ignem, reliqua caro cedebat offerenti, qui ex ea ante tabernaculum cum suis epulabatur, et ex ea quasi sacro epulo cuique suam dabat partem, ut patet Levit. 3. Deuter. 12. 27.

Nota hic et imitare religionem et pietatem Elcanæ, qui ter in anno cum uxoribus et filiis omnibus ex Ramatha pergebat in Silo (a quo distabat septem milliaribus) ibique hostias Deo immolabat, indeque religiose cum suis vescebatur. Addit Abul. q. 10. eum sæpius ventitasse, sed sine uxoribus, et alia de causa, scilicet ut quasi Levita per vices suas Levitarum ministerium obiret in tabernaculo.

Vers. 5. ANNÆ AUTEM DEDIT UNAM PARTEM TRISTIS.) Pro *tristis* Hebr. est אַפַּיִם *appaim*, id est *facies* vel *iras*. Unde Septuag. vertunt *secundum faciem*. Chald. *partem electam*. R. David *honorabilem*, quæ scilicet speciosa erat, et pulchram habebat faciem, *id est*, speciem. R. Ioseph. vertit *partem irarum et tristitiæ*. Pagnin. *Partem cum ira vel furore*, eo quod cum Annam diligeret, indignaretur, plures ei partes se dare non posse: quod secutus Noster vertit *tristis*. Hebr. enim *appaim* et faciem, et iram tristitiamque significat: utraque enim passio maxime in facie ostenditur et elucet, atque una alteri coniuncta et affinis est: tristis enim irascitur malo quod ipsum contristat: ac vicissim iratus tristatur de malo cui irascitur. Sic 2. Reg. 6. 8. pro eo quod Noster vertit *contristatus est David*, Hebr. est *iratus est David*. Et hic v. 18. facies sumitur pro tristitia in Hebr.

Hebr. Appaim quid?

Addit Pagnin. Dabat Elcana partem super faciem prostratus, precans pro sua uxore sterili, ut Deus eam fœcundaret et prole donaret, uti fecit Isaac pro Rebecca. Genes. 25. 21.

Vers. 7. PORRO ILLA FLEBAT ET NON CAPIEBAT CIBUM.) Dicitur Anna comedisse, sed adeo parum, ut non comedisse videretur, ait Lyran. aut potius initio ex mœrore nil comedebat; postea tamen mariti hortatu aliquid gustavit. Ita S. Gregor. lib. 1. c. 2. *Quæ afflicta*, inquit, *comedere noluit, a viro cohortata manducavit.* Addit Phil. lib. de ebrietate, Annam per omnem vitam vino et sicera abstinuisse, quasi Nazaræam. Hac continentia et patientia meruit fieri mater Samuelis, Prophetæ eximii. Nam Phenennæ æmulæ suæ se calumnianti et irridenti nil respondit, sed flebat. Unde S. Chrysost. hom. 62. ad populum: *Tribulatio*, ait, *mater est Philosophiæ* (moralis, puta virtutis et patientiæ) *Anna suam habens æmulam, contumelia eam persecuta non est.* Præclare S. Ambros. in Psal. 33. 15. citans illud Thren. 3. 29. de Christo patiente: *Ponet in pulvere os suum si forte sit spes*, pro eoque legens: *Dabit in sepulturam os suum: Ostendit*, inquit, *quamdam supra modum patientiæ taciturnitatem, ut tamquam sepeliat os proprium, ne loquatur: et velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat; tantum pondus afferens patientiæ, quam spes foveat; ut vocem ipsam velut busto quodam et tumulo sepeliat, ac includat, quam nulla extorquere, nulla excitare possit iniuria.*

Mor. de Patientia.

Idem Ambros. lib. 2. de Offic. c. 7. » Quantas, inquit, a populo illatas Moyses absorbebat contumelias? quam miti sermone post iniurias appellabat? quomodo consolabatur in laboribus, delinibat oraculis, fovebat operibus? merito æstimatus est super homines, et ut vultui eius non possent intendere. »

Appositam huic rei et loco similitudinem dat S. Chrys. hom. 11. in 1. ad Thessal. » Non vides, inquit, in ædibus quando ex adverso et directe steterint duæ ianuæ, sitque ventus vehemens, si alteram clauseris, nihil potest ventus, sed magna pars eius virium præciditur. Ita nunc quoque duæ sunt ianuæ, os tuum, et eius qui te contumeliis afficit et convitiis. Si tuam clauseris, extinguis totum spiritum; sin autem aperueris, non potest cohiberi. »

Aliam appositam dat Tertull. libr. de patientia cap. 8. « Omnis, inquit, iniuria seu lingua, seu manu incussa cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum et obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nonnumquam repercussum in eum qui emisit reciproco impetu sæviet; nempe idcirco quis te lædit, ut doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est, ergo cum fructum eius everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. »

NUMQUID NON EGO MELIOR TIBI SUM QUAM DECEM (id est multi) FILII?) Ego enim sum vir nobilis, opulentus, pacificus, tui amans, ut in me omnem consolationem omneque bonum habeas, quod ex multis filiis sperare potes. Tradunt Hebr. Phenennam genuisse decem filios, qui Elcanæ mensam circumdabant et ornabant, iuxta illud: *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Psal. 127. 3. Atque ad eos alludere hic Elcanam, ut soletur Annam sterilem ex aspectu tot filiorum Phenennæ gementem, suamque sterilitatem lugentem. Sed hoc incertum est: decem enim hic sumitur pro multis. Vers. 8.

SURREXIT AUTEM ANNA POSTQUAM COMEDERAT, etc. Vers. 9.

CUM ESSET ANNA AMARO ANIMO, ORAVIT AD DOMINUM FLENS LARGITER, ET VOTUM VOVIT.) Tempus meridianum erat, ait S. Chrysost. hom. de Anna, post prandium scilicet, quod omnes faciunt tempus recreationis, ipsa vero fecit orationis: quod imitantur Franciscani, aliique Religiosi, qui mox a prandio orant et psallunt. Hinc et S. Hieron. epist. 7. ad Lætam: *Sic*, ait, *comedat, ut statim a cibo possit legere, orare, psallere.* Et S. Chrysost. hom. 24. in epist. ad Ephes. *Vis*, ait, *discere vigiliam animæ, vade ad Annam.* Et hom. 79. ad populum: *Anna*, ait, *orare non potuisset, nisi circa mensam ieiunantibus fuisset similis, etc. Opus est itaque nos et mensam petentes et desistentes, Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus numquam in ebrietatem decidet aut insolentiam, numquam crapula disrumpetur, sed orationis expectationem pro fræno sensibus habens impositam, cum debita modestia ex omnibus appositis sumet, et multa quidem animam, multa vero benedictione corpus implebit. Mensa namque ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, numquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis afferet bona.* Vers. 10.

A mensa orandum.

Rursum Anna *flens* orabat, intimi cordis compunctione et profusis lacrymis preces armabat, uti observat S. Gregor. et Orig.

Tertio, *votum vovit*: talis sit nostra oratio, sic Deum expugnabit, et ab eo obtinebit quæcumque petit, ut obti-

nuit Anna. Porro votum hoc Annæ erat se filium, si ei daretur, facturum Nazaræum, id est Religiosum illius ævi, qui scilicet comam non tonderet, et vinum siceramque non biberet, idque per omnem vitam, uti de Samsone dictum est Iudic. c. 13. 5. quique omnibus diebus vitæ Deo in tabernaculo ministraret, cum ceteri Levitæ per vices tantum, quæ tarde ob eorum multitudinem in orbem ibant et redibant, ministrarent. Erant enim Levitæ æque ac Sacerdotes in suas ἐφημερίας, id est classes distributi.

Porro Anna vovendo Samuelem facere Nazaræum, vovit eum non iturum ad funera patris et matris, et reliquas ceremonias Nazaræorum observaturum, ait Abul. licet id neget Caiet. qui putat eam vovisse Nazaræatum Samuelis, quoad intonsum capillum et abstinentiam a vino et sicera dumtaxat. Idem dixi de Samsone Iudic. 13. 5.

Vers. 13. PORRO ANNA LOQUEBATUR IN CORDE SUO, TANTUMQUE LABIA ILLIUS MOVEBANTUR, ET VOX PENITUS NON AUDIEBATUR.) Nimirum orabat corde fervido, ita ut verba ex corde in os resultarent, sed adeo silenter et demisse, ut vox non audiretur. Unde S. Chrys. hom. 79. orationis Annæ fervorem exaggerat, quod non fuerit resonans foris, sed attenta, quod ex mente temperanti et pene ieiuna profecta, quod ante fores templi, quod contumeliam patienter tulerit, etc. Audi Cassian. collat. 9. c. 26. » Nonnumquam vero tanto silentio mens intra secretum profundæ taciturnitatis absconditur, ut omnem penitus sonum vocis stupor subita illuminationis includat, omnesque sensus attonitus spiritus vel contineat intrinsecus, vel emittat, ac desideria sua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. Interdum vero tanta compunctionis abundantia ac dolore suppletur, ut alias eam digerere nisi lacrymarum evaporatione non possit. »

Oratio silens ex intimo corde. Gnomæ.

Hinc S. Hieron. ad S. Eustochium: ***Esto**, inquit, cicada noctium:* cicadæ enim noctu non ore quo carent, sed corde et pectore canunt, eodemque cibum capiunt: Nam ut ait Plinius lib. 11. c. 26. *Unum hoc, ex his quæ vivunt, sine ore est. Pro eo quiddam aculeatum linguis simile, et hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipsum fistulosum, hoc canunt.*

Audi rursum Chrysost. homil. 2. de Anna: » Illa, inquit, potissima est deprecatio, cum ab intimis voces sursum feruntur, hoc præcipue mentis est exercitatæ, non intentione vocis, sed animi fervore precationem absolvere. Sic oravit et Moses: cui, cum nihil voce resonaret, Deus tamen, quid, inquit, clamas ad me? Homines quidem externam hanc vocem tantum audiunt; at Deus et ante hanc intus inclamantes audit. Itaque fieri potest, ut etiam qui non clamant audiantur, ut per forum ambulans oret accuratissime, ut in consessu amicorum aliorum quidvis aliud agens vehementi clamore invocet Deum. »

Audi denique S. Cyprian. lib. de Oratione Dominica; » Anna Ecclesiæ typum portans Dominum non clamosa petitione, sed tacite et modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur non voce sed corde: quia sic Deum sciebat audire, etc. »

ÆSTIMAVIT ERGO HELI EAM TEMULENTAM.) Puta ebriam. Ita Script. quia Anna ex ingenti mœrore afflictionis, æque ac fervore orationis labia ita motitabat, ut instar ebriæ os distorquere, nimiumque depravare videretur, ait S. Chrysost. hom. 79. ad populum. Animus enim mœrore et afflictione æstuans in gestus inconditos et indecoros, quales sunt ebriorum, erumpit. Heli vero nesciebat Annæ afflictionem, sed post prandium videns eam tales gestus edere, suspicatus est eam in prandio largius bibisse. Ad hæc Anna flebat: multi autem dum ebrii sunt, flere solent, vel ex gaudio, vel ex recordatione suarum ærumnarum: vinum enim facile lacrymas ciet, ipsumque in vapores et lacrymas resolvitur.

Vers. 14. DIXITQUE EI: USQUEQUO EBRIA ERIS?) Gravis fuit hæc obiurgatio, præsertim quia a Pontifice profecta, ad quam leniendam Septuag. vertunt. *Dixit ei puer Heli.* Unde S. Chrys. hom. 2. de Anna, et Philo lib. de ebrietate, censent Heli non per se, sed per servum hæc Annæ obiecisse, tum ne eam nimis pudefaceret, tum quod Pontificis dignitate indignum putaret cum femina ebria colloqui.

RESPONDENS ANNA: NEQUAQUAM, INQUIT, DOMINE MI.) Temulenta vel ebria sum, uti tu putas, mihique audacter nimis obiicis. Notat S. Chrysost. reverentiam, humilitatem et modestiam Annæ, quæ convitium ebrietatis, quod in femina est grave et pudendum, sibi ab Heli obiectum patienter tulit, et simplici negatione refellit, ac Heli Dominum vocat, eique ut sacerdoti afflictionem suam pandit, ideoque ab eo benedici, et voti filiique compos fieri meruit. Audi S. Gregor. *Dominum sacerdotem vocans ebriam se esse abnegat, ut superiori ordini ex humilitate se subderet, et falsæ obiectioni cum veritate contrairet.* Vers. 15.

SED EFFUDI ANIMAM MEAM IN CONSPECTU DOMINI.) Animam, id est animæ meæ angustias, mœrores, afflictiones, item desideria, vota, et spes concipiendi prolem; hæc enim omnia, et consequenter totum quasi cor totamque animam suam Anna orando Deo repræsentabat, et instar aquæ sincere et candide effundebat, nihil sibi reservans, nil latens vel occultum tenens, sed omnia pandens et in sinum Dei effundens. Unde S. Chrys. hom. de fide Annæ. *Nequaquam*, inquit, *aberraverit, qui hanc mulierem pueri simul et matrem et patrem appellarit; quamquam enim et vir addiderat semen; huius tamen deprecatio vim efficaciamque semini præbuit, effecitque ut Samuel auspicatioribus exordiis nasceretur.*

Nonnulli apud Abulens. sic exponunt: effudi animam, id est bilem et iram animæ meæ in conspectu Domini, repræsentans ei motus iræ, quos conceperam contra Phenennam me subsannantem, eorumque remedium et solatium ab eo postulans, ut effusa tota coram Deo cordis mei ira, cor hoc felle liberarem, ne quid in eo remaneret, quod in Phenennam æmulam meam per os et verba iracunda effunderem. Atque hoc præsens iræ et indignationis remedium esse, ut scilicet quis eam totam coram Deo per orationem effundat, docet Abulens. et alii.

NE REPUTES ANCILLAM TUAM QUASI UNAM DE FILIABUS BELIAL.) Puta ebriam, sceleratam et impiam. Vide quæ de Belial dixi 2. Corin. 6. Nota inquit S. Hier. in quæst. quod omnes qui ebrietatem sectantur filii Belial vocantur. Ita S. Hier. et ex eo Angelomus. Vers. 16.

TUNC HELI AIT EI: VADE IN PACE, ET DEUS ISRAEL DET TIBI PETITIONEM TUAM.) Ecce fructus reverentiæ et humilitatis est Pontificis benedictio et fausta precatio, quæ Annam voti compotem fœcundamque effecit. *Mulier*, ait S. Chrys. *ex accusatore fecit patronum, nacta est intercessorem quem habuerat obiurgatorem.* Notat Theod. coniugibus ambiendam esse sacerdotis benedictionem, ut prolem suscipiant probam et sanctam, uti contigit hic Annæ. Samuel enim non tam Annæ, quam Dei filius, Annæ ab eo per benedictionem Heli datus, censeri debet. Vers. 17.

ET ILLA AIT: UTINAM INVENIAT ANCILLA TUA GRATIAM IN OCULIS TUIS.) Primo S. Chrys. sic exponit: Utinam ex rei eventu discas me non ex ebrietate, sed afflictione et devotione orasse. Secundo et melius quasi dicat: Inveniam apud te hanc gratiam ut pro me orare velis, ut Deus hac afflictione me liberet, soletur, et matrem efficiat. Ita Hebr. Vatab. Caiet. et alii: nam invenire gratiam Hebræis idem est quod placere, gratum esse. Vers. 18.

VULTUSQUE ILLIUS NON SUNT AMPLIUS IN DIVERSA MUTATI.) Hebr. *Et non fuerunt ei amplius facies*, scilicet variæ et diversæ, ut nunc mœsta, nunc læta appareret, sed eadem semper facie gravi, modesta, serena lætaque apparuit. Aliqui vertunt: *et non fuit ei amplius facies*, scilicet mœsta; vel *facies*, id est tristitia faciei; quia scilicet per orationem se totam Deo resignans, ab eo donata fuit animi serenitate et confidentia, ut in Deo Deique providentia et voluntate conquiesceret. Deus enim tunc certam illi indidit fiduciam, quod oratio eius esset ab eo exaudita, quodque filium conciperet. Unde spei plena, ait R. Ioseph et ex eo Serarius, abiit primo in suum Silontinum hospitium, postero deinde die Ramatham, cibumque iam lætabunda sumpsit, nec tristi deiectoque vultu amplius fuit, sed æquali et constanti. *Vides*, inquit

S. Chrys. *mulieris fidem? priusquam acciperet quod postularat, perinde confisa est quasi iam accepisset: in causa erat, quod oraret multo cum fervore*, etc.

Vultus constans index animi constantis. Porro vultus serenus et constans animi sereni et constantis est index, ab eo enim promanat. Nam ut ait S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 18. *Habitus mentis in corporis statu cernitur; vox quædam est animi corporis motus.* Et lib. de Helia c. 10. *Vultus*, inquit, *quidam cogitationis arbiter, et tacitus cordis interpres. Facies index plerumque est conscientiæ et tacitus sermo mentis.*

Utrumque autem est fructus orationis. Audi S. Chrys. in Psal. 129. loquentem de oratione: *Qui*, inquit, *ita precatur, etiam antequam consequatur, quod postulat, ex oratione magna bona percipit, omnes animi perturbationes reprimens, iram sedans, invidiam expellens, cupiditatem extinguens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens et exsiccans, animum in magnam tranquillitatem redigens, in ipsum deinde cœlum ascendens.*

Symbolice Ruper. et S. Gregor. lib. 33. mor. c. 21. Anna non mutavit vultum, quia oculos mentis semel per orationem in Deo defixos ab eo deinceps non avertit, sed constanter in eo tenuit, et in oratione perstitit, ut semper Deum haberet in mente.

Vers. 19. ET SURREXERUNT MANE, ET ADORAVERUNT CORAM DEO.) Id est coram arca, Deum, super arcam in propitiatorio residentem adoraverunt. Tropolog. Disce hic mane Deum invocare, antequam itineri, vel operi te accingas, ut Deus illud secundet et prosperet. *Egredientes de hospitio*, ait S. Hieron. epist. 22. *armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat ante quam sessio.* Exaudita igitur est Anna, et magno miraculo natus ei filius. Tertul. lib. de Ieiunio c. 7. *Anna impetrat facile a Deo, inanem cibo ventrem implere, et quidem propheta.* Vide quæ de mane orando dixi Deuter. 6. 7.

Vers. 20. VOCAVITQUE NOMEN EIUS SAMUEL, EO QUOD A DEO POSTULASSET EUM.) Hinc patet *Samuel*, Hebr. idem esse quod *Saul meel*, id est *postulatus a Deo*. Ita Ioseph. Euseb. Serarius et alii: postulatus inquam, et postulatione matris impetratus; Hebræi enim in compositione nominum non servant ordinem Grammaticæ, sed quasdam litteras traiiciunt vel abiiciunt; vocatus est ergo Samuel hoc fine, ut quoties puer hoc suum nomen audiret, recordaretur se a Deo per miraculum matri voventi donatum, ideoque se totum quod esset et viveret debere Deo, quasi peculiarem Dei filium, ac proinde totum se ei traderet, imo redderet, ac Nazaræatus onera, quæ mater voverat, libens capesseret; huius enim voti reddebatur memor, dum a matre compelleretur *Samuel Samuel*.

Samuelis etyma. I.

II. Secundo, nonnulli apud Abulen. censent *Samuel* idem esse quod *Ismael*, ut *Samuel* dicatur quasi *Scama el*, id est exaudivit Deus Annæ matris orationem.

III. Tertio, S. Gregor. et Angelomus: *Samuel*, inquiunt, idem est quod *scemo el*, id est *nomen eius Deus*, ut *Samuel* sit fere idem, quod *Emmanuel*, id est *nobiscum Deus*. Huc alludit nomen *Samuel*, licet hæc non sit ratio et etymon nominis. Sicut Moses a Deo constitutus fuit Deus Pharaonis Exodi 7. 1. Sic et Samuel Saulis et Israelis.

IV. Quarto, Franc. Georg. tom. 1. Problem. 442. *Samuel*, ait, idem quod *scamo el*, id est, *posuit eum Deus*. Accedit Philo, qui lib. *Quod Deus*, etc. et lib. de ebrietate: *Samuel*, ait, idem est quod τεταγμένος θεῷ, id est, *positus vel ordinatus Deo*; quia scilicet Deus eum creavit, ut sibi esset dicatus et consecratus. Aliud Samuelis etymon postea addidit mater, de quo vers. ultimo.

Prima ratio maxime est propria et genuina, quam proinde sequuntur Ioseph. Theodor. Procopius, et alii passim. Sic *Teodorus*, et inverse *Dorotheus*, Græce idem est quod θεȣ δῶρον, id est, *Dei donum*; unde Theodoretus scribit in Philotheo c. 13. sibi hoc nomen esse impositum, eo quod mater precibus Macedonii Anachoretæ eum a Deo impetrasset. *Theodorus* ergo Græce idem est quod Latine *Adeodatus*, quo nomine S. Augustinus filium suum nuncupavit, vel *Deodatus* quo nomine appel-

A latus est Philippus II. Rex Franciæ, eo quod pater Ludovicus iam senior desperata pene generatione, eum precibus a Deo impetrasset. Sic Demaratus dictus est filius Aristonis regis Spartæ, eo quod omnis populus supplicasset, ut Aristoni Regi optimo filius similis nasceretur, teste Herodoto lib 6. *Demaratus* enim dicitur quasi δήμȣ ἀρὰ, id est, populi imprecatio, devotio, votum.

ASCENDIT AUTEM VIR EIUS ELCANA, ET OMNIS DOMUS (familia) EIUS, UT IMMOLARET DOMINO HOSTIAM SOLEMNEM (quam in tribus anni solemnitatibus, puta Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum offerre solebat, unde Hebr. est *hostiam dierum*, id est annuam) ET VOTUM SUUM.) Hinc patet quod vovente Anna uxore votum, etiam Elcana vir eius votum proprium Deo pro Annæ fœcunditate et Samuele nascituro nuncuparit, quod nunc eo obtento et nato persolvere velit. Nam mater repugnante patre non potest filium vovere Deo, quia filius magis pendet a patre quam a matre, et maritus est caput uxoris, totiusque familiæ. Ita docet Abulens. hic q. 22. et Sylvester verbo Relig. 2. q. 13. Sic S. Gregor. Nazianz. in carm. de vita sua, asserit se per votum natum, et a Deo datum matri, adeoque ei gravidæ obiectam fuisse physionomiam et nomen filii nascituri, ideoque se iam natum illico a matre fuisse Deo oblatum. Sic S. Nicolaus Tolentinus natus est per votum parentum, nuncupatum S. Nicolao Myrensi Episcopo, ab eoque Nicolai nomen accepit. Sic S. Franciscus Assisias parentibus voventibus obtinuit filium S. Franciscum de Paula, fundatorem Ordinis Minimorum, aliisque plures similes. Vers. 21. Elcanæ votum.

B

NON VADAM DONEC ABLACTETUR INFANS.) Dices, Anna hic videtur non servasse legem purificationis puerperæ, implendam 40. die a partu Levitic. 12. quando parentes primogenitum offerebant Deo, et redimebant quinque siclis, Exod. 13. Vers. 22.

Respondet Abulens. q. 27. et seq. Levitas (qualis erat Anna et Elcana) hac lege non fuisse obligatos, eo quod ipsi iam Deo erant dicati et consecrati, ac quod in ipsorum utilitatem sacrificia illa purificationis cederent; unde primogenitos suos non redimebant quinque siclis, nec hostias ceteris præscriptas offerebant.

C

PRECORQUE UT IMPLEAT DOMINUS VERBUM SUUM.) Hinc videtur, quod præcesserit aliqua revelatio de Samuele, quæ hic non sit expressa, uti dixi de voto Elcanæ. Solet enim Scriptura multa tacere, quæ postea suggerit et supplet. Ita Caietan. R. Nehemias asserit vocem in Silo auditam: *Puer nascetur nomine Samuel, qui liberabit Israel de manibus Philisthiim*: quare omnes matres tunc filios suos vocasse Samueles: cum autem Anna filium suum quoque nominasset Samuelem, dixisse Elcanam: *impleat Dominus votum suum*, scilicet ut per Samuelem meum liberet Israel a Philistinis. Verum hæc fabellam olent Rabbinicam, uti fuse hic ostendit Abulen. Nec enim Anna filium vocavit Samuelem, ex vocis oraculo, sed quia illum per votum et lacrymas postularat, et impetrarat a Deo. Vers. 23.

LACTAVIT FILIUM SUUM.) S. Chrys. hom. de Samuele: *Ex eo tempore*, ait, *aspiciebat puerum non tantum ut mater, sed ut rem Deo consecratam, eumque reverebatur. Si enim qui phialas poculaque aurea Deo dicaturi sunt, posteaquam ea iam confecta acceperint, domique reposuerint, nequaquam ea quasi profana vasa intuentur, sed tamquam Deo sacra, nec audent ea temere, citraque causam attingere quemadmodum alia; multo magis hæc mulier*, etc. Præsertim quia Samuel erat typus Christi, imo a nonnullis patribus nuncupatus *Novus Israelis Moses*. Porro matres debere filios non nutricum, sed suo lacte lactare, exemplo Saræ et Annæ docent S. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 7. S. Chrys. hom. 1. in psalm. 20. Clemens Alexan. lib. 3. Pædag. c. 4. sic enim pueri fiunt validiores, matribus similiores, earumque dotes et virtutes sugendo imbibunt.

D

ET ADDUXIT EUM.) Iam recens, a lacte amotum, quod apud Hebræos fiebat anno ætatis tertio, ut colligitur 2. Mach. 7. 27. Ita S. Greg. Chrys. Procop. Theodor. Abul. Vers. 24.

Caiet. Hugo, Dion. Porro tempus triennii aptum esse lactandis pueris docet Galenus, et ex eo Francis. Valesius sacræ phil. c. 83.

Tunc igitur Samuel infantulus ut vocatur v. 24. fuit Deo in templo oblatus. Perperam ergo Lyran. anno ætatis decimo, alii septimo, alii duodecimo Samuelem Deo oblatum censent. Sic B. Virgo trimula fuit Deo in templo præsentata, uti docent patres quos citat noster Canisius lib. 1. Marial. c. 12. et Christ. a Castro in histor. Deiparæ c. 3. Audi S. Chrys. hom. de Samuele: *A mamma* inquit, *divulsus.* Et inferius: *Prima statim pueritia, a mamma matris venit ad mammam spiritualem.* Et S. Hier. ad Ruth. *Quid tam pium quam sanctæ matri sanctum filium custodire? Anna Samuelem non sibi, sed tabernaculo genuit.* S. August. in psalm. 98. *Natus Samuel fuit apud matrem tempore lactis, mox ut eum ablactavit dedit in templum, ut ibi cresceret, ibi roboraretur in Spiritu, ibi Deo serviret.*

Mor. de educatione puerorum.

Hinc S. Gregor. Nazian. Orat. 40. exemplo Annæ docet matres debere suos filios ab infantia Deo consecrare. Audi S. Hieron. epist. 7. ad Lætam de instit. filiæ: « Samuel nutritur in templo, Ioannes in solitudine præparatur, ille sacro crine venerabilis est; vinum et siceram non bibit: adhuc parvulus cum Domino sermocinatur. Hic fugit urbes; zona pellicea cingitur; locustis alitur, ac melle sylvestri, et in typum pœnitentiæ prædicandæ tortuosissimi animalis vestitur exuviis. Sic erudienda est anima quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. » Et pluribus interiectis. « Nutriatur in Monasterio, sit inter Virginum choros: iurare non discat, mentiri sacrilegium putet: nesciat sæculum, vivat angelice: sit in carne sine carne; Omne hominum genus sui simile putet. »

Sic S. Maurus. S Placidus, aliique Senatorum et Principum filii a parentibus traditi sunt S. Benedicto, ut ab eo in pietate et timore Dei educarentur. In Monasterio S. Pachomii (ut habet eius vita) alebantur pueri adeo simplices, ut ne quidem suam dextram vel sinistram nossent. S. Thomas Aquinas educatus fuit a Monachis in monte Cassino, sic et plurimi alii principum filii.

Denique S. Paulinus Epist. 10. Melaniam comparat Annæ. Eidem Dorotheus aptius comparat S. Annam matrem beatæ Virginis, quæ non Samuelem, sed Christum ipsum genuit.

Et adduxit eum, etc. in vitulis tribus.) Ita Hebr. Chald. et alii. Mirum ergo Sept. vertisse in singulari: *in vitulo trimo sive trienni.* Iam *in,* id est cum vitulis tribus, quos scilicet cum Samuele suo offerret Deo.

Et tribus modiis farinæ.) Hebr. *in Epha farinæ,* id est in tribus modiis farinæ. Epha enim erat decima pars homer sive cori, qui triginta modios continebat. Erat ergo Epha magnus modius, tres minores modios continens. Id responsum sit Auctori Quæst. in lib. Regum apud S. Hieron. et Angelomo, qui putant hunc locum esse corruptum, leguntque: *et uno modio.* Causam huius oblationis dat B. Petrus Damiani lib. 6. epist. 37. quæ in ordine omnium est 105. *Samuel,* inquit, *puerulus tamquam tener agniculus cum tribus farinæ modiis et amphora vini, mensæ Domini, ut ita loquar, apponitur, dum Heli Sacerdoti et templo Dei a parentibus dedicatur.*

Puer autem erat adhuc infantulus.) Hebr. *Et puer erat adhuc puer,* id est erat parvulus infantulus, scilicet triennis.

Vers. 25. Et obtulerunt puerum Heli.) Ut iuxta votum suum eum quasi a sua domo abdicantes dedicarent Deo, ut ei iugiter serviret in tabernaculo. Audi S. Chrys. hom. 1. de Anna dubitantem an Annæ an Samuelis virtutem magis mirari debeat. *Cum soleant,* inquit, *indignari pueri, quoties a lacte depelluntur: nec ipse puer ægre tulit a matre divulsus, sed ad Dominum respexit, qui matrem creaverat: nec ipsa mater doluit a puero seiuncta, propterea quod naturalem affectum vicit interveniens gratia, et uterque se alteri convivere existimabat.*

Idipsum deinde apposita similitudine illustrat: *Sicut,* inquit, *eodem in loco fixa vitis in longum produxit palmites, et uva multo intervallo pendens cum radice habet commercium. Itidem et in hac accidit femina, quæ in urbe manens usque ad templum extendit suum palmitem: atque illic uvam suspendit maturam: nec intervallum illud ullum attulit impedimentum; cum charitas quæ secundum Deum est, puerum matri copularet.*

Addit Chrys. hom. 3. Annam se ipsam quoque cum Samuele Deo obtulisse, ubi enim erat Samuel ibi erat et Anna: Samuel enim secum viscera trahebat materna. *Dum talia,* inquit, *loquitur, se ipsam quoque dedicavit cum puero, quasi solido quodam naturæ affectu se ipsam templo alligans. Etenim si ubi est thesaurus hominis, illic est et cor eius; multo magis ubi puer mulieris, ibi et mens illius erit.*

Denique urget hoc Annæ exemplum S. Chrysost. lib. 3. contra vituper. vitæ Monasticæ, docetque debere parentes permittere, ut filii sui in cælesti ministerio famulentur, non in templum eos introducentes, ut Anna Samuelem; sed in ipsum cælum cum Angelis divino ministerio dedicandos, religiosos enim una cum Angelis Deo ministrare: ex quo etiam illud sequatur, ut multo magis ad parentum suorum gloriam ac felicitatem conferant, quam si in sæculo permanserint.

Vivit anima tua.) Id est iuro per animam et vitam tuam; vel tam verum est quod loquor quam verum te vivere, vel me vitam tuam optare. Vers. 26.

Idcirco et ego commodavi (minus recte S. Greg. legit *commendavi*) eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus (erit) Domino.) *Commodavi,* id est *tradidi,* ut vertit Chald. donavi, ut eum mihi Deus donavit, quasi dicat: Deus mihi eum dedit; quare ego illum Deo reddo et dedico, ut perpetim ministret illi in tabernaculo. Hebr. enim *scaal,* in Hiphil *hiscil,* significat non tantum rogare et postulare, sed et rogatum postulatumque commodare, dare, donare per Catachresim: verba enim Hebræorum actionem nunc inchoatam, nunc perfectam significant, præsertim in Hiphil. *Scaal* ergo significat et postulare, et postulationem exaudire, sive rem postulatam dare et donare. Unde *Samuel* hic in Hebr. vocatur quasi *Saul leel,* id est datus vel commodatus traditusque Deo. *Saul* quoque dictus est primus rex Israelis, quasi datus a Deo, vel postulatus a populo et vocatus a Deo. Unde a *Saule* qui erat ex tribu Beniamin, dictus est Saulus Paulus Apost. ex eadem tribu Beniamin oriundus: hinc ipse initio epist. hunc sibi dat titulum: *Paulus vocatus Apostolus,* etc. Vers. 28.

In Hebr. est pulchra Paronomasia. Ait enim Anna: Ego *scaalti,* id est postulavi Samuelem a Deo et impetravi; idcirco ego vicissim *hiscilti,* id est commodavi et tradidi eum Deo, ut sit *Saul,* id est commodatus, datus et dicatus Deo per omnem vitam. Alludit enim ad nomen Samuel, illique aliud dat etymon, quasi dicat: *Samuel* meus initio dictus est quasi *Saul meel,* id est postulatus a Deo; iam vero dicitur *Samuel,* quasi *Saul leel,* id est donatus et oblatus, imo redditus Domino. *Cunctis diebus quibus fuerit commodatus* (supple erit) *Domino,* quasi quamdiu fuerit superstes, erit commodatus, datus dicatusque Deo, ut is ipse eo utatur ad libitum. Unde Sept. vertunt χρῆσιν κυρίῳ, id est, *usum Domini,* quasi dicat: tradidi eum Domino utendum ad quemlibet eius usum. Vatab. *Ego quoque mancipavi eum Domino cunctis diebus, quibus ipse mancipatus erit Domino,* quasi dicat: Ego eum dedi Domino, ut per omnem vitam sit mancipatus et addictus Domino. Audi S. Chrys. hom. 2. de Anna: *Vide quam sit modesta:* Ne putes, inquit, *magnam rem aut admirandam facere, quod infantem dedico: non ego huius benefacti sum auctor, sed persolvo debitum: depositum accepi, et hoc ei restituo qui dedit.*

Parentes filios Deo offerant.

Idem hom. 21. in epist. ad Ephes. *Quoniam,* inquit, *primitias* (filiorum, scilicet Samuelem) *obtulit, alvus eius facta est fœcunda, et alios etiam fratres illi acquisivit.*

imitentur hoc parentes, ut filios ad Religionem aspirantes non avocent, sed potius incitent: sic enim a Deo et filiis et opibus ditabuntur. Audi et S. Ambros. Exhort. ad Virgines, laudantem Iulianam nobilissimam Romæ matronam, eo quod filium unicum Deo dicasset exemplo Annæ nostræ: *Tu*, inquit, *fili, impetratus meus et votivus meus, agnosce a quo donatus sis mihi. Ille tua ora plasmavit: ille tua membra distinxit: ille mea orata suscepit, cuius templo, cuius obsequio te antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es, cuius antequam de vulva matris exires, esse cœpisti. Et omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino, redderis, ego quasi Anna promisi ut omnibus vitæ tuæ diebus ac noctibus a conspectu Domini non recedas. Tu exequere.* Concludit D. Ambr. *Egregia*, inquit, *fœmina quæ sibi nihil reliquit, totum quod habuit Deo obtulit: cuius vita institutio disciplinæ est, et quædam formula castitatis, bono proposito et meliore magisterio.*

Audi et S. Bernard. epist. 110. parentes alloquentem, *Si filium vestrum Deus facit et suum, quid vos perditis? Aut ipse quid perdit? fit de divite ditior, de nobili generosior; clarior de illustri; et quod his omnibus maius est, sanctus de peccatore: sed vos non perditis eum; quin potius multos per eum acquiritis vobis filios; quotquot sumus in Claravalle, ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus.*

Cunctis diebus.) Lyran. censet Samuelem in templo ministrasse Deo usque ad annum ætatis quinquagesimum dumtaxat: illo enim Levitæ quasi emeriti libertate donabantur, nec amplius in tabernaculo servire tenebantur, ut patet Numer. 8. 25. Verum id repugnat huic loco: unde alii passim censent eum in templo serviisse Deo per omnem vitam. Ita Philo libr. de Somniis in fine, S. Aug. in Psal. 98. S. Hier. in c. 44. Ezech. B. Petrus Damiani lib. 5. epist. 9. S. Chrys. hom. 4. in Acta, quem audi: *Considera Samuelem, qui post quadraginta annos cum populi rem* A *administrasset, tamen adhuc nutriebatur in templo.*

Hinc Patres docent summam curam parentibus adhibendam esse in educatione puerorum, ipsosque pueros a teneris se virtuti Deoque dicare debere. Audi inter alios S. Chrys. in Psal. 14. quærentem cur is et alii inscribantur *in finem*, ac respondentem: *Quoniam*, inquit, *docet de iustitia ac reliquis virtutibus; qui autem de his docet, non debet in finem vitæ suadere hæc, sed ab initio et ab ipsis incunabulis.* Et paulo post: *Si*, inquit, *nullus vestrum vult possidere servum senem, quanto magis Deus vult adolescentiam, et tamquam intactam virginem eam sibi iungit: ut eius vitæ primitias ambiat; ne quis cum iuventutem peccato exhauserit, languidam et enervatam senectutem virtuti reservet; et vitæ fæcem temperet sapientia.*

Et Clemens Alexand. lib. 1. pædag. c. 5. *Quemadmodum*, inquit, *patres et matres lubentius vident equorum quidem pullos, boum vitulos, leonum catulos, cervorum hinnulos, hominis puellum; ita et universorum pater, eos recipit, diligit ac defendit.*

B Plura in hanc rem congerit hic noster Mendoza. Denique quod dixit Plato, eos qui arte aliqua vel scientia eximii evadere volunt, a puero eam exercere debere, id verius est in studio virtutis et sanctitatis. Unde Sancti eximii a puero sanctitati se dederunt, uti Samuel, S. Ioannes Baptista, S. Nicolaus, et alii.

Porro votum hoc matris non arctabat Samuelem, quin grandior factus libere posset e templo discedere, locumque alium et statum vitæ deligere, uti docet Lessius tract. de voto. Dub. 10. Voluit tamen Samuel matris votum servare, et ratum facere per omnem vitam.

Et oravit.) Gratias Deo agendo, et Canticum sequens c. 2. canendo: pars enim prima orationis debet esse Dei laus et gratiarum actio, ut docet Paulus. Hinc laus subinde sumitur pro oratione, ut Thren. 2. 19. *Consurge, lauda in nocte.* Et Ierem. 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eo laudem.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Anna ob natum Samuelem exultans Deo hymnum concinit, simulque prophetat de Christo. Mox. v. 12. narrantur peccata filiorum Heli. Inde v. 18. Samuelis ministerium, et Annæ ab Heli benedictæ partus quinque prolium. Denique v. 22. Heli corripit filios, sed nimis leniter: v. 27. a Deo reprehenditur per prophetam, qui idcirco obventuras, ei tam suas, quam filiorum et posterorum clades denuntiat.

1. Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo. 2. Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te et non est fortis sicut Deus noster. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum, Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. 4. Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. 5. Repleti prius; pro panibus se locaverunt: et famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: et quæ multos habebat filios infirmata est. 6. Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. 7. Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. 8. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. 9. Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir. 10. Dominum formidabunt adversarii eius: et super ipsos in cælis tonabit: Dominus iudicabit fines Terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 11. Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. 12. Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, 13. Neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua. 14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi; sic faciebant universo Israeli venientium in Silo. 15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti: non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. 16. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam nunc enim dabis: alioquin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant

homines a sacrificio Domini. 18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. 19. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. 20. Et benedixit Heli Elcanæ et uxori eius: dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. 21. Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios, et duas filias: et magnificatus est puer Samuel apud Dominum. 22. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli: et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi. 23. Et dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? 24. Nolite filii mei: non enim est bona fama, quam ego audio ut transgredi faciatis populum Domini. 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos. 26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus. 27. Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? 28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me: et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel 29. Quare calce abiecistis victimam meam, et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo: et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei? 30. Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui, ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me: sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. 32. Et videbis æmulum tuum in templo: in universis prosperis Israel: et non erit senex in domo tua omnibus diebus 33. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua: et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees: in die uno morientur ambo 35. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum et animam meam faciet, et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. 36. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque: Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

Vers. 1. EXULTAVIT COR MEUM IN DOMINO.) Est hoc Annæ canticum, vel ut S. August. vocat, *hymnus*, quo de præteritis et præsentibus beneficiis gratias agit, ac de futuris in Christo prophetat v. 5. et 10. Partim ergo est canticum Eucharisticum, partim prophetia, ait Theodor. Procopius, Abul. licet S. Augustinus 11. Civit. 4. velit totum esse prophetiam de Christo et Ecclesia, quod in sensu Allegorico verum est. Anna enim, inquit Theodor. et Procopius, quia prophetam concepit, prophetiæ quoque gratiam participavit, sicut et Elisabeth ac B. Virgo.

Unde Canticum Zachariæ ob natum Ioannem Baptistam, et canticum B. Virginis ob conceptum Christum, *Magnificat anima mea Dominum*, etc. huic Annæ cantico persimilia sunt, ac subinde ad verbum cum eo consonant, ut patet ea inter se conferenti.

Audi quid de Cantico scribat S. Bern. serm. 1. in Cant. *Non est strepitus oris, sed iubilus cordis; non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; voluntatum, non vocum consonantia; non auditur foris, nec enim in publico personat; sed sola quæ cantat audit, et cui cantatur, id est sponsus et sponsa.*

Ex dictis constat canticum hoc inspiratum fuisse Annæ a Spiritu S. esseque partem S. Scripturæ.

ET EXALTATUM EST CORNU MEUM IN DEO MEO.) *Cornu*, id est fortitudo et gloria mea: utriusque enim symbolum est cornu: boves enim, cervi et rhinocerotes in cornibus habent suum robur, decus et gloriam: hinc et coronæ regiæ earumque radii cornua vocantur, uti ostendit Pier. Hierogl. 7. Samuel enim coronam regiam dedit Sauli et Davidi. Sensus est q. d. Deus me imbecillem et abiectam, imo ob sterilitatem infamem et conviitiis Phenennæ expositam fecit robustam et gloriosam, per miraculum me fœcundando, dandoque filium Samuelem, qui erit robur et gloria tam mea, quam totius Israelis. Ita Abul. Vatab. et alii. Unde S. Hier. in Quæst. per cornu accipit filium Samuelem, qui ex Anna prodierat sicut cornu prodit ex capite rhinocerotis. Sicut enim rhinoceros suo cornu ventilat et configit feras, imo elephantes, sic Samuel ventilavit et dissipavit Philisthæos hostes Israelis. Unde S. Gregor. « Quia ergo, inquit, exaltatione, cornu in Deo sustollitur. Deum suum singulariter fatetur: quia summa illa infusio divinæ dulcedinis exaltatam mentem et sui susceptibilem, et valde familiarem facit. »

DILATATUM EST OS MEUM SUPER INIMICOS MEOS.) q. d. Nunc habeo quod ore meo respondeam Phenennæ, eiusque filiis et cognatis, qui mei sunt æmuli, mihique sterilitatem exprobrant: ostentans enim meum Samuelem eis silentium imponam.

QUIA LÆTATA SUM IN SALUTARI TUO.) Hebr. *in salute tua*, qua me salvasti et liberasti a malo et probro sterilitatis. Ita Chald. Vatab. Iansen. Caiet. Mystice *in Christo;* hic enim est salus nostra: Unde Sept. vertunt σωτήριον. Noster *salutare* vel *salutarem*, id est salvatorem mundi. Ita S. August. 17. Civit. 4. Hinc patet non esse verum gaudium in mundo, nisi in Deo et Christo. Audi S. Chrys. hom. 3. de Anna: *Non quoniam salvata sum, sed quoniam per te salvata sum, propterea lætor et exulto. Tales sanctorum animæ de Deo qui dedit, magis quam de donis gaudent; gratorum hoc est servorum, omnibus suis suum præponere Dominum: cum peccaverimus, non doleamus quia punimur, sed quoniam Dominum exacerbavimus; et si quid boni fecerimus, non gaudeamus propter regna cælorum, sed quoniam rem cælorum regi gratam gessimus; mentem enim habenti gehenna quoque formidolosius est Deum offendere: et omni regno desiderabilius Deo placere.* Et paulo post: *Talis erat et hæc mulier, ad Deum in omnibus confugiebat, et accepta gratia magis de Deo datore gaudebat.* Sic et David *Cor meum*, inquit, *et caro mea exultaverunt in Deum vivum*, Psalm. 83 v. 3.

Sancti in solo Deo gaudent.

Audi S. Bern. Epist. 115. « Illud, inquit, verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur: et quod cum possederis nemo tollet a te: cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce, amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare posset molestum. »

Addit Origenes de Elcana: *Quoties in Deo gaudemus, toties diabolum flagellamus.*

NON EST SANCTUS UT EST DOMINUS.) Celebrat Anna primo sanctitatem Dei, quia hæc est primum et nobilissimum attributum Dei, ob quod ipse adoratione, omnique veneratione, obsequio, victima et cultu dignissimus est. 2. Vers. 2.

quia Deus in Annæ partu suam sanctitatem declaravit; tum quia eius innocentiam et probitatem contra Phenennam invidam defendit; tum quia fidem ei omnium tacite datam de prole per miraculum nascitura sancte præstitit; tum quia ei dedit Samuelem, quem facturus erat prophetam sanctissimum et sanctificatorem Israelis: quæ omnia a Dei sanctitate manarunt, ceu radii a sole, eiusque fuerunt dona et beneficia.

Neque enim est alius extra te.) Deus verus, per essentiam sanctus, ipsaque increata et immensa sanctitas, de qua in hymno S. August. *Tu solus sanctus.* Sept. vertunt: *Non est iustus sicut Dominus,* ubi iustus accipi potest sanctus, vel potius iustus, quia iuste meam innocentiam a calumniantibus defendit.

Et non est fortis sicut Deus noster.) Pro *fortis,* Hebr. est *tsur,* id est, *petra,* in qua contra tempestates et venatores securi tutique consistimus, iuxta illud Psal. 103. 18. *petra refugium herinaciis.* A *tsur* dicta est *tor,* et Tyrus celeberrima urbs Phœniciæ et munitissima, quia undique mari circumdata, adeo ut a Nabuchodonosor fuerit obsessa per tredecim annos, et ab Alexandro Magno ægre expugnata. *Tyrus* enim Hebr. dicitur *tsur* vel *tsor,* eo quod in petra fuerit extructa, atque instar promontorii mari et tempestatibus maris fuerit opposita. Talis *petra,* talis *tsur,* talis Tyrus Annæ et piis est Deus, ut proinde iis nec homines, nec dæmones, nec leones, nec ignes, nec tormenta, nec mors metuenda sint. Audi S. Bern. serm. 61. in Cant. *Stat martyr tripudians et triumphans, toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi tunc anima martyris? Nempe in tuto: nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum, profecto sentiret: nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? neque mirum si exul e corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur.*

Vers. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.) Scilicet tu o Phenenna, tuique filii et cognati, qui de vestra fœcunditate et felicitate superbe gloriati estis, cum mei meorumque despectu et contemptu. Pro *sublimia* Hebr. est *geboha geboha.* Chald. *Magnalia Magnalia.* Regia: *altum altum.* Caiet. *Celsitudinem celsitudinem,* hoc est valde alta, celsa, magna et sublimia, quæ vestras vires transcendunt. Unde alii vertunt: *Nolite loqui excelsa eminentia.* Theod. *ne loquamini sublimia ad factum.* Orig. lib. 1. in Iob. *Nolite loqui superba in superbia.*

Recedant (Hebr. exeant) vetera de ore vestro.) Scilicet veteres superbi sermones iam dicti, quibus consueveratis gloriari, mihique sterili insultare. Chald. pro *vetera* vertit *blasphemias;* Septuag. *magniloquium;* alii *verbum durum* vel *superbum,* iuxta illud Prudentii in psychomachia:

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum.
Alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.

Et illud Nazianzeni: *utres vacuos ventus distendit, fatuos sui existimatio.* Causam subdit dicens.

Quia Deus scientiarum Dominus est.) q. d. Nolite superbe vos iactare et gloriari, quia Deus scit et prævidet omnia, tam futura quam præterita et præsentia, illaque cum his connectit; quare ipse scit vestram gloriam in ignominiam; vestram felicitatem in infelicitatem, vestram copiam in inopiam se decernente et puniente convertendam.

Et ipsi præparantur cogitationes.) q. d. Deo paratæ, id est apertæ, cognitæ et præsentes sunt vestræ insolentes, ambitiosæque cogitationes, ut illas ipse contrariis suis cogitationibus, id est consiliis, iudiciis et decretis deprimat, obruat et castiget. Sic Deus Nabuchodonosorem gloriantem in sua Babylone convertit in bestiam. Daniel. 4. ac Balthasarem eius filium in suo epulo gloriantem describens in pariete: *Mane tekel phares,* eadem nocte per Cyrum occidit. Daniel. 5.

A *Deus* ergo *scientiarum Dominus est,* q. d. Deus est scientissimus, *Deus omnia novit,* ait Chald. quare ipse scit tam futura quam præsentia; scilicet me antea sterilem fore fœcundam, et Phenennam fore sterilem; ideoque ipse est *arbiter conscientiarum,* ait S. Aug. lib. 17. Civit. 4. ut superbas earum cogitationes videat, damnet, premat sternatque. Deus est ipsius solis sol, illustrans sensibilem intelligibilis, ait Philo l. de offeren. vict. unde recte admonet S. Aug. ser. 46. de verb. Domini: *Ipse,* inquit, *timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis? videris: lucerna ardet? videt te: lucerna extincta est? videt te. In cubile intras? videt te. Ipsum time cui cura est ut videat te, et vel timendo castus esto, aut si peccaveris quære ubi te non videat, et fac.* Et Boetius lib. 5. de Consol. Phil. Prosa 6. *Aversamini igitur vitia, colite virtutes: magna vobis indicta est necessitas probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.*

Mystice S. Bernard. serm. 13. in Cant. « Origo, inquit, fontium et fluminum omnium, mare est, virtutum et scien-
B tiarum Dominus Iesus Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est rex gloriæ, sed et iuxta Annæ canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant, non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est: inde scientiæ, inde sapientiæ sermo; thesauri siquidem sapientiæ et scientiæ ibi omnes absconditi sunt. »

Porro Deus dicitur Græce Θεός a θεάσθαι, quod omnia videat; unde Ægyptii Deum appellabant oculum mundi. Audi S. August. epist. 3. ad Fortun. *Deus totus oculus est, totus manus, et totus pes, quia omnes videt, omnia operatur et ubique est.* Vide dicta Eccles. 16. v. 16. et seq. et c. 24. 19.

Et ipsi præparantur cogitationes.) q. d. Deo cogitationes omnes hominum et Angelorum patent, ab eoque diriguntur, temperantur, adimplentur, vel erumpuntur et eliduntur. Deus est qui ea quæ cogitamus, cupi-
C mus, iactamus, dirigit atque perficit, vel discutit et evertit, uti mea fœcunditatis desideria adimplevit, Phenennæ vero invidas et arrogantes cogitationes dissipavit et disperdidit. Hebr. pro *præparentur* est נתכנו *nitkenu,* id est ponderantur, numerantur, appenduntur, mensurantur, q. d. Deus mensurat cogitationes nostras, ac videt an nimis magnæ vel parvæ, æquæ vel iniquæ, sapientes vel stultæ sint, ut sciat cuius cogitationes, quando et quomodo explere debeat, cuius non explere, v. g. Annæ desideria perficere, non Phenennæ; q. d. laudo Deum qui perfecit ea quæ ego cogitavi et cupivi; in illo ergo glorior, non in me, quia sterilitatem, quam ego superare meis viribus non potui, ipse sua divina vi superavit et discussit. Hoc est quod ait Salomon Prover. 16. 2. *Omnes viæ hominis patent oculis eius: Spirituum ponderator est Dominus,* ubi multa hac de re dixi.

Possunt secundo hic cogitationes non tantum hominum accipi, sed et ipsius Dei, uti vertunt Sept. *Deus,* inquit, *præparans adinventiones suas;* et Chald. *Dominus,* in-
D quit, *super omne factum suum extendens iudicium,* q. d. Dei est perficere non tantum ea quæ nos cogitamus et cupimus, sed etiam quæ ipse de nobis cogitat et cupit; sæpe enim ipse alia cogitat et vult, quam nos cogitamus et volumus, tumque facit ea quæ ipse cogitat et vult, non quæ nos; sicut hic cogitavit fœcundare et exaltare Annam, non Phenennam. Unde Chald. vertit: *Ipse vobis retribuet culparum vestrarum ultionem.* Theodor. *Deus præparans exercitationes suas,* id est, complens sua consilia. Symmachus: *non sunt apud Deum prætextus et excusationes.* Vatab. *conatus eius perficiuntur.* Pagnin. *ipsi directa sunt opera,* id est, finem ad quem ab eo diriguntur attingunt. Deus enim suas cogitationes et voluntates mensurat sua omnipotentia, quæ tanta est quanta eius voluntas et intellectus: quare omnia quæ cogitat et vult perficere potest, et reipsa perficit; cum nos multa velimus quæ perficere nequimus. Sensus ergo est q. d. *Scientiarum Dominus est,* quia scit tam futura quam præsentia,

imo ipse omnia recte iusteque ordinat et disponit: ipse enim præparat cogitationes, ut scilicet insolentes et inflatos, qualis est Phenenna, deprimat; humiles vero et miseros, qualis ego fui, soletur et extollat, sicut extulit Saram sterilem depressa Agar insolenti: quare nemo superbus confidat rebus præsentibus secundis, nemo humilis et miser in adversis desperet, quia Deus utriusque vices et sortes commutabit, ut hos faciat felices, illos vero infelices.

Hinc nonnulli pro לו *lo*, id est *ei*, legentes לוא *lo* per *Aleph* vertunt: *non sunt* (hominibus vel Angelis) *mensurabiles cogitationes Dei*, iuxta illud Pauli Roman. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit?*

Tropol. Ruper. *Scientiarum*, inquit, *Domino cogitationes præparantur pro munere. Si vis ab illo promereri vel impetrare scientiæ donum, non multæ oblationes arietum et taurorum, sed sanctæ cogitationes eius rei præparatoriæ sunt.*

Hinc vide quid cogites. Deus enim non solum actiones et sermones, sed et intimas cogitationes et intentiones pervidet, easque in die iudicii toti mundo revelabit et iudicabit, iuxta illud Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.*

Denique aliqui sic exponunt: *Deus scientiarum Dominus est*, hoc est Deus est scientissimus, quia ipse scit omnium hominum cogitationes et conatus convertere ad id, quod ipse fieri voluerit; quare cogitationes hominum illi præparantur, sicut præparatur materia artifici, ut ex illa faciat id quod ipse voluerit. Sic cogitationes fratrum de Iosepho vendendo convertit in Iosephi bonum et exaltationem, ut scilicet fieret princeps in Ægypto: sic Phenennæ probra et maledicta convertit in laudem et decus patientis Annæ.

Vers. 4. Arcus fortium superatus est (Sept. *infirmatus est*) et infirmi accincti sunt robore.) Huic versui antistrophus est ille B. Virginis. *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

Prædicat Anna omnipotentiam Dei ex eo quod sæpe fortes fortitudine sua deiecerit, ac vice versa infirmos fortes effecerit. Unde Chald. vertit: *Et iis qui erant debiles factæ sunt virilitates*, q. d. Deus fortes quasi viros fecit debiles quasi feminas, et vice versa debiles quasi feminas fecit fortes quasi viros, uti iam Phenennam, quæ in pariendo tot filios videbatur fortis, fecit infirmam, ut amplius non pariat; et me Annam sterilem ad pariendum fecit validam, ut pepererim Samuelem, et quinque alias proles paritura sim: pendet enim hic versus a v. sequenti: *donec sterilis peperit*, etc. Arcum vocat robur, potentiam, fortitudinem, quia ante inventas bombardas pugnabant arcubus, uti etiamnum pugnant Indi et Tartari. Proprie vero arcum vocat linguam mordacem Phenennæ, quæ scommata et sannas quasi sagittas in Annam iaculabatur, quas Anna quasi infirma et sterilis tacita audiebat. Sed Deus hanc linguam et has sannas infregit, dum Annam fœcundavit, itaque Phenenna validiorem effecit. Ita Lyran. Hugo, Abul. et Glossa.

Vires fortium superatus quis? Resp. I. Porro sententia hæc generalis est; unde multis aptari potest. Primo ergo S. Greg. eam adaptat S. Michaeli eiusque Angelis, ac Lucifero eiusque asseclis dæmonibus, qui erant summi et potentissimi, præ quibus Michael et Angeli videbantur esse minores minusque potentes: *Quos Deus*, inquit D. Gregor. *de cælo præcipitavit, ut in lapsis Angelis disceret homo quid timeret. Nam quid de æreo vase fiet, si Deus nec aureis superbiæ fœtore plenis ignoscit?*

II. Secundo, Origen. hom. de Elcana, hanc gnomen accommodat dæmonibus, qui potentissimi sunt spiritus, et hominibus qui carnei sunt, ideoque infirmissimi. *Et tamen* A *tu*, inquit Origen. *si indutus sis armis Dei, si scuto fidei munitus, et galea salutis obtectus, et lorica charitatis, et gladio spiritus accinctus, arcus contra te potentium pro munimentis talibus infirmabitur.*

Tertio, Beda et Orig. eam attribuunt Philosophis gentilibus et fidelibus, plebeis ac simplicibus, de quibus ait Apost. 1. Cor. 1. *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* III.

Quarto, S. Hier. in Quæst. refert ad Pharaonem et Ægyptios, ac Mosen et Hebræos: Pharao enim potens in equis et curribus insequens Hebræos per mare rubrum eo mersus est, cum Hebræi salvi validique exirent. Simili modo attribuas Chananæis, quos licet gigantes et bellipotentes imbelles Hebræi duce Iosue profligarunt. IV.

Quinto, S. August. 17. Civit. 4. S. Greg. Theodor. Angelomus et Beda referunt ad Iudæos et gentiles. Iudæi enim in lege validi per Christum infirmati sunt, gentiles vero per eundem erecti, et Iudæis validiores effecti. V.

Sexto, Lyran. refert ad Pharisæos et Apostolos: illos VI. B enim nobiles, doctos et potentes per gratiam Dei deiecerunt rudes, pauperes et infirmi Apostoli: *Qui olim*, ait S. Greg. *mulierum verba timuerunt, postea auctoritatem principum libertate frangebant.*

Denique Euthym. Caiet. et Dion. illam adaptant superbis et humilibus: potentes enim et fortes in sua fortitudine superbiunt: infirmi vero in sua infirmitate se humiliant, Deique potentis opem invocant: unde hi a Domino, cuius ope et robore se indigere sentiunt, roborantur: illi vero robore suo privantur, quia non agnoscunt illud se a Deo accepisse, et ab eo pendere: *ut non glorietur coram Deo omnis caro*, sed omnem roboris gloriam Deo a quo datur attribuat. Atque hæc est causa, cur Deus per infirmos maiora sæpe quam per fortes operetur, ut qui *gloriatur, in Domino glorietur*, ait Apost. *Virtus* enim Dei *in* nostra *infirmitate perficitur.* 2. Corinth. 12. 9. Vide ibi dicta.

Repleti prius pro panibus se locaverunt, et fa- C melici saturati sunt.) Huic antistrophon est illud B. Virginis: *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Lucæ 1. Vide ibi dicta. Ad litteram Deus sæpe impios opibus et cibis repletos depauperat et fame affligit, ut cogantur operas suas pro panibus lucrandis elocare, et vires suas laborando exhaurire: Unde Aquila vertit, *attriverunt se;* uti fecit filio prodigo, qui præ fame coactus fuit pascere porcos, eorumque siliquas comedere. Lucæ 12. Sic Deus ob peccata sæpe sterilitatem et famem populis immittit, uti immisit Ægyptiis totique orbi tempore Abrahæ. Genes. 12. v. 10. et tempore Ioseph. Genes. 41. et tempore Mosis. Exodi 10. v. 14. et tempore Ruth. c. 1. pios vero famelicos Deus saturavit, imo alios per eosdem pavit, ut patet de Ioseph pascente Ægyptum totumque orbem; de Abraham. Genes. 12. de Hebræis quos per 40. annos aluit manna in deserto. Sic Iudæos a Tito obsessos fame confecit, adeo ut matres suos filios vorarent, cum Christiani urbe egressi cibis abundarent. Sic Anna hic ob mœrorem sterilitatis non comedens c. 1. v. 7. erat D famelica, sed iam mœrore per generationem depulso comedens, saturata et exhilarata est: Phenenna vero prius læta et saturata, nunc mœrens cœpit cibum fastidire, forte etiam ipsa cum filiis ad tantam egestatem redacta est, ut cogerentur se suasque operas pro panibus congerendis elocare: hoc enim innuit Anna.

Mystice: Deus fideles pios satiat sapientia, prædicatione Mystice. et doctrina verbi Dei, Eucharistia et Sacramentis, cum Iudæos aliosque impios iis privat. Ita S. Ambros. ser. 12. in Psal. 118. *Divites*, inquit, *eguerunt et esurierunt, quia qui antea abundabant gratia, postea tamen propter perfidiam suam egere cœperunt: Qui autem pauperes erant populi nationum, iam per fidem Christi satiantur et abundant: Sicut scriptum est: edent pauperes et satiabuntur.*

Anag. Sanctos Deus hic ieiunantes satiat deliciis æter- Anagog. nis in cælo, improbos hic se ingurgitantes torquet fame perenni in gehenna, iuxta illud Isaiæ 65. 13. *Ecce servi*

mei comedent, et vos esurietis: Ecce servi mei bibent, et vos sitietis: Ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini. Audi Tertul. lib. de spectac. cap. 28. *Vicibus res disposita est: nunc illi lætantur, nos conflictamur.* Et paulo post: *Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint gaudeamus.*

Idem lib. de Idolis cap. 13. *Sæculo*, inquit, *gaudente lugeamus, et sæculo postea lugente gaudebimus. Sic et Lazarus in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, contra dives in tormento ignis constitutus, alternas malorum et bonorum vices æmula retributione compensant.*

Et S. August. serm. 227. de Tempor. *Pauper*, ait, *beatitatem emit mendicitate, et dives supplicium facultate.*

Donec sterilis peperit plurimos.) Pendet hæc sententia a v. 4. celebrat enim nunc Dei fortes infirmantis et infirmos fortificantis potentiam, eiusque quid eximium et quasi summum assignat. Idque significat τὸ *donec*; pro eo enim Hebr. est עד *ad*, pro quo Sept. vertunt *quia* Chald. *etiam.* Vatab. *adeo ut.* Sensus ergo est quasi dicat: Deus potentissimus sæpe fortes infirmat, et infirmos corroborat, *donec*, id est *usque adeo*, ut faciat sterilem, qualis ego eram, parere septem, id est multos filios; fœcundæ vero et filiis abundanti, qualis erat Phenenna, deinceps partus sistat, ut fiat sterilis, imo proles iam genitas sensim auferat, aut pauperes miserasque et infirmas efficiat. Ita S. Hieron. in Quæst. Abul. Vatab. Iansen. Tradunt Hebræi, quod Phenennæ tot moriebantur filii, quot nascebantur Annæ, ita ut nato Annæ Samuele primogenito moreretur primogenitus Phenennæ, et ita deinceps; sed hoc refutat S. Hieron. et alii. Sic τὸ *donec* significat rei extremum et summum 1. Reg. 30. v. 4. *Planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.* Et 2. Reg. c. 23. v. 10. de Eleazaro: *Percussit Philisthæos donec deficeret manus eius.* Et 3. Reg. c. 18. 28. de Sacerdotibus Baal: *Incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Sap. c. 10. 13 de Ioseph. *Non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni.*

Anna peperit septem quo sensu?

Pro *plurimos* Hebr. est *septem.* Unde Iosephus ait Annam peperisse septem filios; verum v. 21. tantum numerantur quinque, ut addito Samuele sint sex. Rabbini nonnulli pro Samuele substituunt duos eius filios, ut fiant septem proles Annæ. Rursum Rabbi Salomon duos Phenennæ filios Annæ assignat, ut septem habeat, idque quia quoties ipsa pareret, toties duo semper Phenennæ filii morerentur. Cumque duo tantum superessent, hos illa rogata suis precibus conservavit: at hæ sunt illorum fabulæ, ut in hom. vocat Origen.

Dico ergo ad litteram: Anna peperit septem, id est multos filios. Septenarius enim est symbolum multitudinis. Prophetat Anna instincta a Spiritu sancto de filiis quos paritura erat v. 21.

Allegor.

Alleg. Phenenna significat synagogam Iudæorum, quæ iam parere Deo filios desiit; Anna Ecclesiam Christianorum, quæ plurimos ex omnibus gentibus filios Deo gignit. Unde Chald. vertit: *sterilis implebitur prole*, scilicet plurima. Ita Origen. Theod. Procop. et S. Aug. 17. Civit. c. 4.

Symbol.

Symbolice Cabalistæ: Anna, inquiunt, peperit septem, quia Samuel et שבע *Sceba*, id est *septem*, suis caracteribus eumdem exprimunt numerum, scilicet 377. Sublimius Philo lib. quod Deus sit immutabilis: Septenarius, inquit, est perfectissimæ quietis et Sabbati symbolum, unde significat animum in Deo recumbentem et quiescentem, qualis erat Samuelis: *Samuel enim*, inquit, *in solius Dei ministrorum ordinem adscitus, nemini præterea serviens, ab uno et ente honestatur: quia status est Septenarii animæ in Deo requiescentis, et nullis mortalibus occupatæ negotiis.*

Tropol.

Tropolog. Eucherius: *Vir sanctus*, ait, *qualis erat Samuel, est instar multorum, quia pluris est apud Deum, pluraque ab eo impetrat quam multi ceterorum*, iuxta illud Eccles. 16. 3. *Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii.* Vide ibi dicta. Audi S. Chrysost. hom. 40. ad pop. *Helias*, inquit, *unus erat; sed totus mundus non erat dignus qui rependeretur ei. Et mundus quidem innumera millia sunt, sed non sunt millia, cum nec ad unius mensuram perveniant.*

Et Philo lib. de Decalogo quærens, cur Deus in singulari dicat: *Non occides, non mœchaberis*, respondet: *Quia quicumque Deo paret ac legibus, æquatur frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus, imo mundo universo.* Rursum: *Apud homines*, inquit, *iniusta multitudo pluris quam unus iustus æstimatur; apud Deum vero bonitas rara præfertur iniquis innumeris.*

Insuper anima peccatrix, ideoque bonorum operum sterilis parit plurimos, cum pœnitens multos fidei, spei, pœnitentiæ, eleemosynæ, charitatis, aliarumque virtutum actus producit: ac vice versa anima sancta quæ bonis operibus abundabat, dum in peccatum mortale prolabitur, sterilescit adeo, ut non tantum nulla bona opera et merita pariat, sed et præterita dissipet et disperdat. Audi S. Basil. in cap. 1. Isaiæ ad illa: « Regionem vestram alieni comedunt. Vide, inquit, iuvenem quempiam a puero intra ædes educatum; alacriter et studiose ad orationem prodeuntem, nullum transmittentem beneficentiæ officium æterni illius iudicii memorem, iugiter acquiescentem sermoni doctrinæ: talem denique mihi considera in fornicationem prolapsum. Quonam pacto miserabilem illum e proximo consequitur omnimoda conversio priorum laborum. Conscientia commissi facinoris non iam eum comitatur, ut se conferat ad orationis locum: non idem in cætu consistit eorum qui in arcano secessu deflent. Fit hinc ad orationem cunctantior. Denique sensim illius menti se inserit meditatio, ut a proposito deficiat. Denique ad omnimodam perditionem per varios errorum anfractus adducitur. » Adhæc Orig. hom. de Elcana: « Sterilis, inquit, erat in me anima mea, non afferebat fructus iustitiæ, nunc autem ubi per fidem Christi meruit gratiam Spiritus sancti, et implevit eam spiritus timoris Domini, certum est quod sterilis peperit septem. » Et nonnullis interiectis: « Fœcunda, inquit, in propagine erat caro mea, habens plurimos carnis fructus, fornicationem, immunditiam, impudicitiam, idololatriam etc. Hæc erat carnis nostræ numerosa progenies: sed cum venimus ad fidem crucis Christi, et mortificationem Iesu cœpimus circumferre in corpore nostro, et mortificare membra nostra quæ sunt super terram, et exhibere ea servire iustitiæ et sobrietati; tunc fœcunditas probrosæ huius generationis exclusa est, et hoc modo fœcunda in filiis infirmata est. »

Denique, « Sterilis, ait S. Franciscus, est pauperculus humilis, sanctusque religiosus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in iudicio multos, quia quos nunc privatis orationibus et bonæ vitæ exemplo convertit ad Christum, illius gloriæ tunc iudex adscribet. Quæ multos habet filios infirmabitur, quia prædicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscit tunc se nihil proprii habere in eis. » Ita Annales Waddingi anno Christi 1220. n. 30. et S. Bonaven. in vita S. Francisci.

Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.) Primo, cum mortuos ad vitam resuscitat: item cum animas patrum ex inferis, id est ex limbo per Christum resurgentem eduxit, ait Theodor. ac dum animas plene purgatas e purgatorio ad cælum traducit: unde Chald. vertit: *ab inferis deducit ad vitas æternitatis.* Rursum cum sanis morbum lethalem immittit, ac deinde iis pœnitentibus et supplicantibus sanitatem vitamque restituit, uti fecit Ezechiæ regi, Isaiæ c. 38. Secundo, dum quem tot ærumnis affligi permittit, ut pene mori cogatur, ac deinde humiliatum iis liberat et prosperat. Tertio, cum sterilem, qualis Anna erat, fœcundat, et in prolibus quasi vivificat. Sterilis est quasi lignum aridum et emortuum, iuxta illud Isaiæ 56. 3. *Non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum.* Et Apostolus Rom. 4. 19. loquens de Abraham sene et Sara sterili: *Non*, inquit, *infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, et emortuam*

Vers. 6

Deus mortificat et vivificat.

vulvam Saræ. Et Ezechiel. c. 17. 24. *Siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum.* Sic enim Deus arbores in hyeme defrondans et siccans mortificare videtur in vere vero easdem frondere faciens rursus vivificare.

Alleg. Deus mortificat synagogam Iudæorum, vivificat Ecclesiam Christianorum, ait S. Gregor. Beda, Angelomus.

Tropol. S. August. lib. 17. Civit. c. 4. Dominus cum in nobis carnales affectus mortificat, spirituales spiritumque vivificat: mortificatio enim carnis est vivificatio spiritus, uti docet S. Paulus. Unde Orig. *Deus,* ait, *occidit Paulum persecutorem, eumque vivificavit ut fieret Apostolus Christi.* Audi S. Ambros. serm. de Ieiun. *Occidit Deus primum in nobis homicidia, adulteria, scelera, furta per baptismum, et sic nos tamquam novos homines æternitatis immortalitate vivificat. Morimur ergo peccatis per lavacrum, regeneramur autem vitæ per spiritum.* Et paulo post: « Occidimur, inquit, quodammodo cum desinimus esse, quod fuimus: novo enim pietatis genere in uno eodemque homine impius et adulter occiditur, ut misericors renascatur et castus. Interimitur idololatria, ut religio propagetur. Fornicator et ebriosus extinguitur, ut continens et sobrius procreetur. Sic ergo mortificat Dominus ut vivificare faciat: sic occidit ut prosit: sic verberat ut emendet. Hæc est igitur circa homines suos tota eius severitas, ut in his peccata puniantur, anima conservetur; auferantur detestanda vitia, virtutes optimæ nutriantur.

Audi S. Greg. hic: « Deum, inquit, ad inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere: reducere est territas pœnitentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippe peccare desinimus, cum futura tormenta formidamus.

Vers. 7. DOMINUS PAUPEREM FACIT ET DITAT, HUMILIAT ET SUBLEVAT.) Deus enim hunc pauperem facit, illum divitem; hunc humilem et abiectum, illum sublimem et elevatum, imo unum eumdemque pauperem et abiectum, mox divitem et sublimem efficit, præsertim cum superbum humiliat, et humiliatum exaltat.

Vers. 8. SUSCITAT DE PULVERE EGENUM, ET DE STERCORE ELEVAT PAUPEREM.) Pagnin. *Exaltat mendicum, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Sic Iob bonis omnibus ipsaque sanitate spoliatum, ac sedentem in sterquilinio elevavit, et ad pristinam regni gloriam reduxit, imo eamdem duplicavit. Sic Saulem ab asinis evexit ad sceptrum; sic David ab ovibus earumque fimo extulit ad gloriam regni Israelis. Sic Ioseph e carcere evexit ad principatum Ægypti. Mystice S. Greg. Deus peccatorem suscitat e pulvere, cum e veniali culpa; e stercore, cum e mortali eum per pœnitentiam elevat ad gratiam.

Celebrat hic Anna Dei potentiam per quinque antitheses, ut ostendat Deum posse quemlibet ex imo elevare ad summum, et vicissim ex summo in imum deiicere, ac proinde nec sublimi et felici vane gloriandum esse in sua sorte, nec humili et misero in sua infelici fortuna desperandum: Deum enim posse utriusque vices commutare, ac re ipsa sæpe commutare, cum superbos deprimit et humiles extollit, uti hic Annam extulit et Phenennam depressit.

DOMINI ENIM SUNT CARDINES (Vatab. *columnæ*) TERRÆ, ET POSUIT SUPER EOS ORBEM.) q. d. Deus mundi cardines in sua habet manu et potestate; quanto magis
Cardines terræ qui sint? ea quæ iam dixi efficere potest? Per cardines terræ Angelom. Hugo, Abul. Dion. et Iansenius accipiunt quatuor
[illegible] 1. terræ extremas partes sive climata, scilicet Orientem,
2. Occidentem, Aquilonem et Meridiem. Secundo, noster Sanchez accipit duos cæli polos; super hos enim gyrantur cæli, omnesque orbes planetarum et elementorum circa terram, quasi dicat: sicuti Deus duos polos mundi Arcticum et Antarcticum constituit, quasi duos cardines cæli et terræ, ut circa eos assidue moveantur et gyrentur omnes cæli et elementa, quo fit ut nunc eleventur, nunc deprimantur; sic pariter Deus gyrat omnes homines omnesque creaturas, ut eas nunc elevet et beet, nunc deprimat et affligat. Verum hi proprie sunt poli cæli, non cardines terræ, unde super eos positi sunt cæli, non terra. Tertio, alii per cardines accipiunt centrum terræ; 3.
huic enim quasi basi incumbit terra totusque orbis. Quarto, 4.
alii accipiunt mare dicentes cum Thalete terram quasi ratem innatare aquis, iuxta illud Psalm. 23. *Ipse super maria fundavit eam.* Verum hoc refellit Arist. et Philosophi lib. 3. de cælo c. 1. Quinto, ergo genuine pro *Car-* 5. genuine.
dines Hebr. est מצקי *Metsuke,* id est *fundamenta sive bases et columnæ terræ;* quare per Catachresin simpliciter per illa accipias ipsam terræ firmitatem et soliditatem, ipsi a Deo in creatione mundi inditam, et semper conservatam ac conservandam; in hac enim quasi in firmis cardinibus basibusque suffulta terra, stabilis, firma et immota consistit, ut non tantum se, sed et orbes omnes cælestes et elementares quasi basis et columna solidissima fulciat et sustentet. Terra enim nullos habet cardines vel bases, sed immutabilis Dei voluntas et potestas quæ eam semper fulcit et firmat, unica est eius basis, columna et cardo, ait S. Basil. hom. 1. Hexam. et Nazian. Orat. 34. Terra enim in aere est pendula, ibique Dei voluntate quasi cardine firma consistit.

Symbolice, cardines terræ sunt principes et prælati; hi enim sunt quasi bases et columnæ Reip. ita S. Hieron. in quæst. unde Cardinales sunt dicti, quod ipsi sua prudentia et sanctitate debeant esse cardines Ecclesiæ, et columnæ basesque fidelium. Ac Hebr. *Adon,* id est Dominus dicitur ab אדן *eden,* id est, basis, æque ac Græce βασιλεὺς, id est rex, a βασι-, quod rex, sit regni basis et fulcrum. Ita S. Gregor. Beda. Angelom. Iansen. et alii.

Rursum cardines Ecclesiæ, imo mundi sunt viri iusti et sancti, ait S. Hier. Nam ut ait Ruffin. Præfat. in vitas Pat. *Quis dubitat mundum precibus stare sanctorum?* unde pro *cardines terræ,* S. Hier. in quæst. vertit *afflicti* (Radix enim *tsuc* significat arctare, angustiare, affligere) *terræ,* id est humiles et pauperes spiritu, super quos aiunt Hebræi Deum posuisse orbem, quia eorum sanctitate et precibus stat et conservatur, ne sicut Sodoma igne cælesti ob scelera sideretur, vel aquis mergatur, uti mersus est in diluvio tempore Noe. Ita ex Hier. Rupert. lib. 1. de Sapientia cap. 28. quem audi: *Et afflicti terræ qui sunt, nisi humiles, et contriti corde? super illos plane qui huiusmodi sunt, Dominus orbem posuit: quia super eos qui præteritam infirmitatem memoriter tenentes, humilis apud se conscientiæ sunt, Dominus Ecclesiam suam collocavit; qui videlicet tanto clementius, tanto compatientius eumdem orbem portare possunt; quanto amplius clementis atque compatientis gratia se indiguisse meminerunt*

Symbol. Cardines orbis sunt sancti.

Gnomæ.

Idem Rupert. lib. 3. in Matth. cap. 4. *Afflictio hæc,* inquit, *humilitas est, quæ ad portandum orbem constantes eos facit et fortes.* Unde R. Ionathan apud Lyran. pro *afflicti terræ,* vertit *fortes terræ:* vir enim dum se suaque membra coarctat, fit fortior, sic et humilis. Talis erat Abraham, de quo S. Ambros. lib. de Abraham c. 6. *Unde discimus,* inquit Ambros. *quantus murus patriæ sit vir iustus, et quemadmodum non debeamus invidere Sanctis, nec temere derogare. Illorum etenim fides nos servat: illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoque, si habuisset viros decem iustos, potuit non perire.*

Et Philo lib. de migratione Abrahæ: *Nam revera,* inquit, *fulcrum generis humani iustus est, suas dotes communicans et in publicum usum conferens.* Et paulo post: *Oremus,* inquit, *ut ceu columna in domo, in humano genere homo iustus permaneat ad calamitatum remedium. Nam hoc incolumi de publica salute desperandum non est.*

Sic Deus ob S. Paulum in naufragio salvavit omnes qui cum eo erant in navi, numero 270. Actor. 27. 24. Sic Innocentius tertius Pontifex, cum S. Franciscum petentem Ordinis sui confirmationem repulisset, per visionem vidit Ecclesiam Lateranensem, quæ est sedes Pontificis, et mater matrixque omnium totius orbis Ecclesiarum, labantem et ruentem inniti et fulciri humeris pauperis S. Fran-

cisci : quare illico eum quæri et advocari iussit, eiusque regulam et ordinem confirmavit. Ita habent Chronica S. Francisci. Sicut ergo Atlas rex (et ab eo mons) Mauritaniæ, ob inventam Astrologiam dicitur humeris sustinere cælum : sic et S. Franciscus et Sancti sunt Atlantes orbis.

Anagog. Anagog. Chald. pro *Cardines orbis* accipit *cælum*, quod Deus piis; *et gehennam*, quam impiis præparavit. Sic enim vertit : *Ante Dominum revelata sunt filiorum hominis opera: ab inferiori parte apparavit gehennam improbis verborum suorum transgressoribus , et in iustis voluntatem suam facientibus fundavit orbem.*

Porro Sept. et ex eis S. Aug. 17. Civit. 4. hic addunt: *Deus votum voventi dat,* id quod per votum petit, ut hic Annæ dedit Samuelem.

Vers. 9. Pedes Sanctorum servat Deus. PEDES SANCTORUM SUORUM SERVABIT.) Hæc est posterior pars Cantici qua Anna prophetat de futuris, sicut priori hucusque de præteritis Dei beneficiis Deum celebravit. Prophetat autem promitque septem miracula. Primum est hoc: *Pedes Sanctorum suorum servabit,* ne scilicet in culpam , indeque in gehennam corruant , ita S. Gregor. Unde Chald. *Corpus servorum iustorum custodivit Deus a gehenna.* Per pedes significantur gressus , motus, actiones iustorum, quas Deus dirigit , nec ubi offendant, cespitent, corruant. Unde cum Psalte cuique fideli iugiter orandum , præsertim dum domo vel cubiculo egreditur : *Perfice gressus meos in semitis tuis , ut non moveantur vestigia mea.* Psal. 16. 13. Nam ut idem ait Psal. 90. 11. *Angelis suis mandavit de te , ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum :* quia ut ait hic Abul. *Nulla est pars in toto corpore humano , quæ magis lædi possit quam pedes :* Et quia super eos tota moles corporis sustentatur.

Mystice. Mystice, pedes animæ sunt eius affectus, quos ut dirigat fulciatque Deus, ne ad terrena labantur, iugiter invocandus est. Nam ut ait S. Aug. in Psal. 144. *Adimus Deum animo, non vehiculo; affectionibus, non pedibus,* passibus mentis, non corporis. Idem Præfat. in Psal. 121. *Ad Deum,* ait , *ascendit volando , qui ascendit amando* Porro duo animæ pedes , quibus ad Deum imus , sunt humilitas et fortitudo, ait S. Gregor. Denique S. Bonavent. in Psal. 118. v. 105. *Dictis pedibus , inquit , providere debemus , ne inquinentur , ne illaqueentur , ne subvertantur , sed puri, liberi et firmi serventur. Inquinantur autem per luxuriam: illaqueantur per avaritiam: subvertuntur per superbiam: sed servantur per sanctimoniam. De primo: Lavi pedes meos, scilicet per pœnitentiam. Quomodo inquinabo illos, scilicet per luxuriam? Ecce pedum inquinatio. De secundo: Laqueos absconderunt pedibus meis. Ecce pedum illaqueatio. De tertio: Calamitates meæ illico surrexerunt, pedes meos subverterunt. Ecce pedum subversio. De quarto : Pedes Sanctorum suorum servabit. Ecce pedum servatio.*

Nota Sept. pro *pedes* vertunt *annos: Benedixit* inquiunt *annis*, vel ut habent Sixtina: *annos iusti*, dum eorum dies, menses et annos dirigit , prosperat , bonis donisque suis cumulat ac promovet, ut ad annos beatæ æternitatis perveniant. Et ut explicat S August. 17. Civit. c. 4 *Ut cum illo sine fine vivat, cui dictum : et anni tui non deficient.* Psal. 101. v. 28. *ibi enim stant anni: hic autem transeunt;* imo pereunt; antequam enim veniant non sunt; cum autem venerint, non erunt, quia cum suo fine veniunt.

ET IMPII IN TENEBRIS , tum corporis (uti Sodomitæ Genes 19. 11. et Ægyptii Exod. 10. 21.) tum potius mentis , scilicet imprudentiæ , cæcæ concupiscentiæ peccatorum, ac tandem utrisque in gehenna CONTICESCENT.) Ex vehementi horrore, pavore et consternatione, ut se mutuo alloqui solarique nequeant. Audi. S. Greg. 1. par. Pastor. c. 11. *Cœcus,* inquit, *est qui supernæ contemplationis lumen ignorat ; qui præsentis vitæ tenebris pressus , dum veram lucem nequaquam diligendo conspicit , quo gressus operis porrigat nescit. Hinc etenim prophetante Anna dicitur: Impii in tenebris conticescent*

Porro *conticescent,* hoc est primo , obscuri erunt : sic enim lunam non lucentem et obscuram per Catachresin vocamus silentem , iuxta illud Virg. 2. Æneid. *tacitæ per amica silentia lunæ.* 2. *Conticescent,* id est immobiles erunt præ stupore, sicut Ægyptii in plaga tenebrarum pavidi et stupidi non audebant se loco movere, quasi *vinculis tenebrarum compediti.* Sapient. 17. 2. Nam ut ibidem dicitur v. 17. *Una catena tenebrarum omnes erant colligati.*

3. *Conticescent,* quia non habebunt quidquam excusationis, quod culpæ et gehennæ suæ obtendant (sed maledicent sibi, parentibus , omnibusque creaturis , quæ sibi peccati et damnationis fuere causa) hoc est *convincentur et convicti silebunt.* Unde Chald. vertit : *Improbi transgressores dicti sui in gehennam in tenebris iudicabuntur, ad ostendendum quod non quisquam sit in quo sit fortitudo puritatis ad diem iudicii.*

Hinc gehenna vocatur Hebr. דומה *duma,* id est silentium et locus silentii. Hinc et Virg. 6. Æneid.

Et chaos, et Phlegeton loca nocte silentia late.

Et Ovid. 5. Fastor.

Mox etiam Lemures, animam dixere silentum.

Et Seneca in Hyppolito.

Adiit silentem nocte perpetua domum.

Est hoc secundum Annæ oraculum.

Impii ergo in tenebris conticescent, id est damnabuntur ad æternas gehennæ tenebras, qui hic se et sua superbe iactabant , et ubique gloriose se magnificantes personabant.

QUIA NON IN FORTITUDINE SUA ROBORABITUR VIR.) Ut Deo fortissimo prævaleat, vel resistere valeat. Refert hæc ad id quod præcessit , quasi dicat : Ideo Deus pedes Sanctorum suorum servabit, quia ipsi cognoscentes infirmitatem suam confisi sunt in fortitudine non sua , sed Dei, eumque suppliciter invocarunt ; impios vero permisit labi in peccatum , et ruere in gehennam : quia ipsi in fortitudine sua confisi opem Dei invocare neglexerunt. Audi S. Aug. in Soliloquiis c. 25. « Sperabam aliquando in virtute mea , quæ tamen non erat virtus. Et cum sic volui currere, ubi magis stare credebam; ibi magis cecidi. Quod magis credidi posse per me , minus semper potui. Dicebam enim : hoc faciam, illud perficiam ; nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas. Aderat facultas , non erat voluntas , quam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi Domine Deus meus, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. Non est enim homini velle quod possit, aut posse quod velit , vel scire quod velit et possit: sed potius a te gressus hominis diriguntur. »

Causam dat idem S. August. 17. Civit. 4. *Cum enim , inquit, Dominus possidere nos cœperit; profecto adversarius qui noster fuerat, ipsius fit, et vincitur a nobis , sed non viribus nostris, quia non in virtute sua potens est vir.*

DOMINUM FORMIDABUNT ADVERSARII EIUS.) Tum tempore proximo, quo Philisthæi a Deo per meum Samuelem tonitruis et fulguribus exterriti diffugient , uti audiemus c. 4. 7. et c. 7. v. 10. tum quolibet alio , præsertim tempore Christi, qui tum in hac vita dæmones , Pharisæos , et infideles omnes vi spiritus sui percellet et prosternet ; tum maxime in die iudicii, quo eos adiget in tartara: tunc enim adeo formidabilis eis apparebit, ut dicant *montibus: cadite super nos ; et collibus : operite nos , et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare ?* Apoc. 6. 17. Osee. 10. 2. Lucæ 23. 30. ita S. Aug. S. Gregor. Lyran. Abul. et alii. Est hoc tertium Annæ vaticinium, sequitur quartum. Vers. 10

ET SUPER IPSOS IN CÆLIS TONABIT.) Hoc fecit Deus primo, cum per Samuelem oratione sua elicientem e cælo fulgura et tonitrua Philisthæos perculit , ut dicetur cap. 7. v. 10. et c. 12. 18. Secundo , cum super Christum intonuit in Baptismo, Transfiguratione, et alias, Ioan. 12. 28. *Hic est filius meus dilectus* , etc. ac rursum cum in Pentecoste per tonitru et linguas igneas misit Spiritum

Sanctum in Apostolos (unde Sept. vertunt: *ipse ascendit in cælos et tonuit*) ut ipsi pariter voce tonarent, et vita fulgurarent, itaque Iudæos et gentes percellerent, eosque Christo subiicerent. Unde S. Hier. S. Paulum vocat *tonitru gentium.* Et Christus Iacobum et Ioannem vocavit *Boanerges*, id est filios tonitrui.

Denique in die iudicii sententiam damnationis in impios detonabit et fulminabit dicens : *Ite maledicti in ignem æternum.*

Tonat Deus in peccatores. Mystice, tonat in anima peccatrice Deus, cum ei iniicit minas, metusque gehennæ , ut ex terrestri fiat cælestis , imo ex terra fiat cælum. Nam ut ait S. Ambros. in Psal. 118. serm. 12. *Cælum dicitur, qui vitam Angelorum custodia integritatis exercet, et corpus suum continenti sobrietate moderatur.* Audi S.Hier. in Psalm. 133. v.3. *Multi de terra cæli fiunt, et multi de cælo terra. Infelix Iudas cælum fuit, et factus est terra. Paulus Apostolus eo tempore quo persequebatur Ecclesiam, terra erat, confessus est, et cælum factus est.*

Et S. Bern. serm. 27. in Cant. « Habet, inquit, Ecclesia cælos suos, homines spirituales, vita et opinione conspicuos, fide puros, spe firmos , latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutarem tonant increpationibus, coruscant miraculis. »

DOMINUS IUDICABIT FINES TERRÆ, ET DABIT IMPERIUM REGI SUO, ET SUBLIMABIT CORNU CHRISTI SUI.) Hebr. et Chald. *Messiæ suo.* Est hoc quintum, sextum et septimum Annæ oraculum de Christo post mille et trecentos annos nascituro , quo illi eminus quasi applaudit et gratulatur ; ubi adverte Annam esse primam in Scrip. quæ hic exprimat nomen Messiæ sive Christi. Hucusque enim in Pentateucho, Iosue et Iudic. nomen Christi non audivimus.

Nota, hæc tria proxime referri posse ad tempus Annæ et Samuelis, ac Saulis et Davidis, quos Samuel reges constituit et consecravit ; unde Sept. pro מלכו *malcho* , id est *regi suo*, legentes in plurali מלכנו *melachenu*, id est *regibus nostris*, vertunt: *Ipse dabit fortitudinem regibus nostris:* sed sub his omnibus præcipue intelligit Christum, eorum antitypum : Christus enim solus iudicabit fines totius terræ. Simili modo Isaias c. 14. parabolice per casum Luciferi de cælo describit casum Nabuchodonosoris , vel potius Balthasaris: ac Ezechiel c. 28. per casum Cherubini describit casum et occasum Tyri.

Sensus ergo est quasi dicat : Deus per meum Samuelem *iudicabit fines terræ*, scilicet Sanctæ, sive Palæstinæ. Samuel enim iudex Israel obibat celebriores urbes iudicando , et lites quaslibet totius populi dirimendo , itaque totum Israelem in pace et religione conservabat , ut patebit c. 7. v. 10.

Rursum Dominus per meum Samuelem *dabit imperium* (Hebr. עז *oz*, id est *fortitudinem*) *regi suo*, primo, puta Sauli: Samuel enim unxit Saulem in regem, qui proinde unctus ab eo fortiter propugnavit Israelem, ac Philisthæos aliosque eius hostes prostravit. Denique Dominus per Samuelem sublimabit *cornu*, id est regnum, fortitudinem et gloriam *Christi sui*, puta Davidis, ut Sauli succedens eum superet, ac Israelis regnum longe lateque propaget. David ergo fuit Christus, id est unctus Domini, ac ab eo mire dilectus et electus, ut ex eo nasceretur Christus.

Quocirca hæc omnia magis spectant ad Christum: Deus enim per Christum iudicavit fines terræ , non tantum Sanctæ, sed totius mundi, cum omnes gentes per prædicationem Apostolorum Christi fidei et legi Evangelicæ subiecit, ut Christus omnium gentium sit princeps, rex et legislator, iuxta illud Psal. 2. *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terræ.* Et Psal. 71. 1. *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis, iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.* Quod proxime de Salomone Davidis filio , sed præcipue de Christo utriusque filio et antitypo dictum est. *Deus* ergo dedit fortitudinem et *imperium regi suo* , quando Christum omnium gentium regem et dominum constituit, illasque omnes per Apostolos illi subiecit: Quare tunc pariter *sublimabit cornu*, id est robur, regnum et gloriam *Christi sui.*

Rursum et magis id faciet Deus in die iudicii : tunc enim per Christum Iudicem iudicabit omnes omnium terrarum temporumque gentes et homines, ac fideles sibi obedientes cælo, infideles sibi rebelles inferno adiudicabit. Quare tunc ut rex cæli et terræ absolutus, omnibus omnino Angelis et hominibus imperabit, ac tunc Deus cornu regni et gloriæ eius sublimabit usque in cælum empyreum, ut ibi cum Sanctis suis in omni felicitate regnet et triumphet in æternum. Unde Chald. hæc referens ad tempora Antichristi, Gog et Magog sic vertit : *Favet ultimum de Gog et Magog et exercitu gentium raptorum qui venerunt ex finibus terræ , et dabit fortitudinem regi suo, et multiplicabit regnum Messiæ sui.*

Tropol. S. August. lib. 7. Civit. 4. hæc attribuit cuilibet fideli, sancto et beato : hic enim est Christus , id est unctus , scilicet chrismate Christi in Baptismo et Confirmatione, ideoque quasi athleta, victor , rex et triumphator mundi, carnis et diaboli, cum Christo regnabit in cælo per omnia sæcula.

Porro hæc aliter exponit R. Ionathan filius Uziel in translatione sua Chaldaica , eumque sequentes Rabbini posteriores , qui negant Christum venisse ; unde hæc a Christo detorquent ad Levitarum successum, potentiam, et victorias quas habituri erant sub Samuele , et deinde sub Machabæis, quasi illas Deo revelante Anna præscivерit, et hic prædixerit. Vide Abulen. hic q. ult. et Lyran.

PUER AUTEM ERAT MINISTER IN CONSPECTU DOMINI ANTE FACIEM HELI SACERDOTIS.) Nimirum discebat legis rudimenta, ac canere (hoc enim erat officium Levitarum; unde filii Samuelis fuere Cantores, imo eorum præfecti. 1. Paral. c. 6. et 25.) custodire tabernaculum , lucernas accendere , et cetera quæ ad officium Levitarum spectabant obire, ait Abul. ac ut ait S. Gregor. *erat fratribus utilis* , *Deo devotus.* Unde S. Chrysost. homil. de Samuele: *Quamquam, ait, in puero ætas erat immatura, virtus tamen erat matura ; omnibus enim in templum ascendentibus multæ pietatis ac religionis magister factus est.* Audi S. August. in Psalm. 98. *Samuel quid fecit infans ad templum datus? omnes ætates suas inter sancta Sacramenta Dei peregit, ab ineunte ætate famulus Dei. Ipsius coma promittebatur, et potus aqua erat*, inquit Iosephus, *et quidem usque ad eius mortem*, inquit Philo de Nazaræatu c. 1. 57. Audi S. Hieron. epist. ad Lætam de instit. filiæ: *Anna filium quem Deo voverat, postquam obtulit in tabernaculo, numquam recepit ; indecens arbitrata ut futurus propheta in eius domo cresceret, quæ adhuc alios filios habere cupiebat. Denique postquam concepit et peperit, non est ausa ad templum accedere, et vacua apparere coram Domino, nisi prius redderet quod debebat: talique immolato sacrificio reversa domum, quinque liberos sibi genuit, quia primogenitum Deo pepererat. Miraris felicitatem sanctæ mulieris? imitare fidem. Ipse, si Paulam miseris, et magistrum me, et nutricium spondeo: gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi philosopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum veneno sed ancillam et sponsam Christi erudiam regnis cælestibus offerendam.*

Vers. 11. Nota τὸ *ante faciem Heli.* Magnus enim ad virtutem stimulus est, si quis videat se in conspectu viri magni, ut Pontificis vel Principis versari, ab eoque videri et notari. Audi Senecam lib. 1. ad Lucilium Epist. 10. *Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat; sic vive cum Deo, tamquam homines audiant.* Et eodem lib. Epist. 11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus, et omnia tamquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem veneretur , cuius auctoritate secretum suum etiam sanctius faciat. O felicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet. Elige itaque Catonem.*

Vers. 12. **Porro filii Heli filii Belial.**) Id est erant improbissimi et impiissimi, ideoque Deus per Samuelem Heli cum filiis castigavit, et morte punivit, ut sequitur.

Vers. 13. **Nescientes Dominum.**) Practice, id est Domino non servientes, legi eius inobedientes, sacra profanantes, sacrificia sacrilege violantes, carnes victimarum Deo eripientes, et sibi arrogantes : quia ut ait S. Gregor. *pravitatem exercebant operis, sed non errabant in fide conditoris.* Talibus Sacerdotibus intentat Deus per Osee cap. 4. vers. 6. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* Præclare Nazian. Deum sic definit: *Deus est quem omnia nesciunt, omnia metuendo sciunt:* Porro Philo lib. de Sacerdotum præmiis, docet Sacerdotes debere semper Dei sui, utpote cuius Sacerdotes sunt meminisse, *dum enim,* inquit, *assuescunt semper alimenti partem Deo decidere, numquam in eius oblivionem veniunt: qua in re nihil in vita potest contingere homini felicius.* Idem de Essæis ita scribit lib. de vita contempl. *Perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur, quam imagines divinarum pulchritudinum. Et sunt in his qui somniando produnt præclaras sacræ philosophiæ sententias.*

Deus sit semper in memoria.

Imo de quolibet fideli ita scribit D. Gregor. Nazian. Orat. 33. sub initium: *Nec enim,* inquit, *tam sæpe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus. Imo, si dici hoc potest, aliud nihil quam hoc faciendum.*

Causam dat S. Bernard. lib. de inter. domo c. 9. *Nam sicut,* inquit, *nullum est momentum quo non fruamur Dei misericordia, sic nullum esse debet momentum, in quo illum præsentem non habeamus in memoriam.*

Neque officium Sacerdotum ad populum.) Hoc est primum filiorum Heli peccatum, quod scilicet nescientes Dominum, nescientes pariter officium suum, tum practice, tum speculative ; quia enim non curabant Deum, Deique legem et officium suum observare, hinc nec curabant eam legere et scire, ne hæc scientia pareret eis conscientiam et remorsum peccati ; atque hæc est causa cur multi suis libidinibus addicti fiant athei, ut scilicet eis libere indulgeant sine metu numinis et vindictæ: hic enim metus eorum cupiditates vel frænaret, vel morderet, ac sensum voluptatis eorum magno pavoris, dolorisque sensu mistum dilueret et infringeret : nolunt ergo scientiam et conscientiam suis cupediis oblatrantem et occlamantem.

Taxantur hic quatuor scelera filiorum Heli ex gula manantia. Primum, ignorantia officii sui iam dicta. Secundum, rapina victimarum, nimirum quod cum ex victima tantum pectusculum et armus dexter Sacerdoti deberetur, Levit. 7. v. 32. ipsi quaslibet victimæ partes, præsertim pinguiores et delicatiores sibi usurparent. Rursum, quod id facerent vi, rapientes eas invitis offerentibus. Denique quod id facerent antequam victima Deo per cremationem ab ipsis esset immolata, et caro cocta lixaque. Primum enim debebat Deo hostia pacifica offerri coquique, ac deinde pectusculum et armus dexter dabatur Sacerdoti, reliqua caro offerenti.

Sic et apud Gentiles non nisi peracto sacrificio eo vesci licebat. Unde proverbium : *haud immolata sacra sæpe devorat,* quod iactabatur in intemperantes et ventri deditos, quales erant filii Heli.

Vers. 17. **Erat ergo peccatum puerorum grande nimis, coram Domino, quia retrahebant homines a sacrificio Domini.**) Regia legunt: *quia detrahebant homines sacrificio Domini.* Hebr. est נאצו *niatsu,* id est ut Chald. et Sept. *Spernebant,* despectui habebant, abominabantur sacrificium Domini, videntes illam irreligiosam avaritiam et gulam Sacerdotum.

Peccatum Sacerdotis gravius.

Vide hic quam grave sit peccatum Sacerdotum, ob scandalum quod datur laicis. Unde Deus Osee c. 3. *Audite,* inquit, *hoc Sacerdotes,* etc. *quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor.* Audi S. Gregor. homil. 17. in Evang. *Nullum fratres charissimi ab aliis maius præiudicium quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerumque, quod est gravius, Sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerumque si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irrident. Considerate ergo quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt.* Et inferius : *Imploremus Hieremiæ lacrymas ; consideret mortem nostram, et deplorans dicat: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum ? Aurum quippe obscuratum est ; quia Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena et abiecta opera ad ignominiam despectionis venit.* Lege sequentia.

Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo.) Ephod polymitum et gemmatum continens Rationale cum 12. gemmis, in quibus insculpta erant nomina 12. tribuum Israel, erat proprium Pontifici: at Ephod lineum, erat vestis Levitarum, qualis erat Samuel, eratque simile superpelliceo, quali vestiuntur pueri choraules canentes in templo. Ita duplex hoc Ephod distinguunt Sanct. August. quæst. 41. in lib. Iudic. et S. Hieron. contra Iovin. Minus recte ergo Procop. et Theodor. censent hoc Ephod Samuelis fuisse Sacerdotum, illi ab Heli Pontifice concessum ob admirabilem Dei gratiam in ipso resplendentem. Vers. 18.

Ephod lineum vestis Levitarum.

Tropol. B. Petrus Damiani lib. 2. Epist. 10. *Linum,* ait, *laboriose pervenit ad candorem, et clerici modo litterarum studiis insudando, modo quibusdam gradibus ascendendo, difficile promoventur ad sacri ordinis dignitates.* Et S. Gregor. hic : *Bene,* inquit, *Samuelis vestis linea fuisse perhibetur, ut novi Sacerdotis gloria aperte ostenderet, quod novæ pudicitiæ moribus splenderet.*

Reddat tibi Dominus semen (prolem) **de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino.**) Vers. 20. Id est pro commodato vel dono quod obtulisti et dedisti Deo, puta pro tuo Samuele, quem mihi quasi Dei pontifici obtulisti.

Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit et peperit tres filios et duas filias.) Vers. 21. Ecce hic fuit fructus partim benedictionis Heli Pontificis, partim oblationis Annæ, quæ suum Samuelem Deo obtulerat : nam pro uno Samuele quinque proles ei reddidit Deus. Discant hic parentes aliquos filiorum dicare Deo ; hi enim eis benedictionem in bonis tam spiritualibus quam temporalibus impetrabunt.

Et magnificatus est puer Samuel apud Dominum.) Hoc est crevit ætate, sapientia et gratia, non tantum apud homines, sed et apud Deum, uti explicat. vers. 26. Unde Samuel fuit typus Christi, de quo ait Lucas c. 2. vers. ult. *Iesus proficiebat sapientia, et ætate et gratia apud Deum et apud homines.* Tropol. S. Gregor. *Notandum,* inquit, *est, quod puer Samuel dicitur, et magnificatus. Cur ergo puer, nisi quia humilis? Et cur magnificatus asseritur, nisi quia ad perfectionis celsitudinem erat sublimatus ?* Et ad novæ legis prædicatores idipsum adaptans: *Puer,* inquit, *et magnificatus in conspectu Domini Samuel dicitur, quia novus ordo prædicatorum etsi ad magnæ conversationis celsitudinem pervenit, humilitatis suæ virtutem non perdidit. Magnificari quippe non prodesset, si puer esse desisteret: quia humilitate amissa, placere omnipotenti Deo de conversationis altitudine non valeret.*

Dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium Tabernaculi.) Vers. 22. Chald. *Quæ veniebant ad orandum in tabernaculi porta.* Ioseph. *Quæ ad Dei religionem accedebant, et in ea perseverabant.* Erant enim hæ feminæ piæ, quæ se Deo ad ei in tabernaculo serviendum dicarant, inter quas educata fuit B. Virgo, uti sunt nostræ moniales, de quibus dixi Exod. 38. Hæc verba iam desiderantur in Sept. Est hoc tertium filiorum Heli scelus, scilicet luxuria, puta adulterium et sacrilegium, quod scilicet fœminas Deo dicatas violarent, idque in loco sa-

cro et tabernaculo: gulæ enim comes est luxuria, et venter vino æstuans despumat in libidines, ait S. Hier. etiam sacrilegas. Unde Chald. v. 32. ait eos peccasse in domo Sanctuarii. Et S. Hier. in quæst. *Locus tabernaculi*, ait, *subversus est, et propter vitia Sacerdotum Dei Sanctuarium destitutum est.* Idem Hier. in c. 8. Ezech. *In exemplum Ophni et Phinees*, inquit, *idolorum scelera operamur in tabernaculo Dei, et fornicamur cum his quæ se militiæ et ministerio Dei voverunt.* Hebræi apud S. Hieron. in Quæst. hoc peccatum extenuant, dicendo filios Heli non concubuisse cum mulieribus, sed tantum suasisse eis copulam cum maritis tempore menstrui; item ante tempus Purificationis 40. dierum a partu expletum; sed hæc sunt eorum figmenta, quibus verba S. Scripturæ invertunt. Denique hæc scelera Sacerdotum commemorat Scriptura, ut indicetur cur Deus suscitarit Samuelem ad ea corrigendum.

Rursum, ut indicetur sanctitas Samuelis, qui inter tam improbos educatus tam probus tamen evasit. Audi S. Cyprian. lib. de singularitate Clericorum: « Mala, inquit, conversatio corruptionem seminat, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, et catervatim in fascem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecora simplices mores invehit in perniciem perditorum.»

Et S. Bernard. Epist. 24. ad Hugon. *Inter bonos*, inquit, *bonum esse; salutem habet; inter malos vero, et laudem: illud tantæ facilitatis est quantæ et securitatis; hoc tantæ virtutis quantæ et difficultatis.* Quale nempe est illud *tangere picem et non inquinari ex ea? in igne sine læsione versari, et in tenebris absque caligine esse?* ubi alludit ad illa tria Scripturæ loca: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Eccles. 13. v. 1. *In medio ignis non sum æstuatus.* Eccles. 51.6. *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus; ubicumque autem habitabant filii Israel lux erat.* Exodi 10. 22.

Luxuria filia gulæ et inobedientiæ. Porro hæc filiorum Heli luxuria procedebat partim ex gula, partim ex inobedientia qua Deo et patri suo rebellabant. Nam ut ait S. Gregor. 35. Moral. cap. 13. *Adam quia auctori suo esse subditus noluit, ius carnis suæ, quam regebat, amisit, ut in se ipso inobedientiæ suæ confusio redundaret, et superatus disceret quid elatus amisisset.*

Et S. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctor. *Anima*, inquit, *si regnare desiderat super membra sua, necesse est, ut sit ipsa superiori suo subiecta, quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui iniuriam Creatoris. Et ideo noverit anima quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus quam oporteat superioribus potestatibus esse subiectam.* Causam dat S. Aug. in Psal. 143. *Agnosce*, inquit, *ordinem. Tu Deo: tibi caro* (scilicet obediat) *quid iustius, quid pulchrius? tu maiori, minor tibi. Servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, numquam efficies ut tibi caro: qui non obtemperas Domino, torqueris a servo.*

Vers. 24. NOLITE FILII MEI.) Reprehendit Heli filios, sed semel dumtaxat, et nimis leniter. Peccavit ergo primo, quia ob tanta flagitia debebat eos acriter et crebro obiurgare. Secundo, obiurgatos, si se non emendarent, a sacrificiis amovere, et sacerdotio privare, ait Theodor. 3. eos a se abdicare (exheredare) et verberibus afficere, ait S. Chrysost. lib. 3. de Monast. 4. et maxime peccavit, quod eos a puero non magis ad meliora flexerit, castigarit et correxerit: puerorum enim animi ad quidlibet flexiles sunt, grandævorum vero inflexiles, utpote in prava consuetudine radicati et obdurati. Tritum est illud:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Porro modum corrigendi, ut scilicet severitas condiatur lenitate, docet S. Greg. 2. part. Pastor. cap. 11. *Necesse*, inquit, *ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se solicitudine etiam districtior ipse moderetur: quatenus sic iura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat.* Et mox: *Curandum est*, inquit, *ut rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina.* Et paulo post: *Solicita circumspectionem providendum, ne ut districtio rigida, aut pietas sit remissa*, etc. *Erga subditos suos inesse rectoribus debet et iuste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina.* Exemplum dat Samaritanum, qui alligavit vulnera læsi infundens oleum et vinum. Luc. 10. vers. 34. *Ut per vinum*, inquit S. Gregor. *mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.* Modus corrigendi.

Vide de castigatione filiorum dicta Proverb. 23. 14.

NON ENIM EST BONA FAMA.) Hoc est pessima est fama. Est Miosis.

Vers. 25. SI PECCAVERIT VIR IN VIRUM, PLACARI EI POTEST DEUS: SI AUTEM IN DOMINUM PECCAVERIT VIR, QUIS ORABIT PRO EO?) *In Deum*, non tantum eius legem transgrediendo (sic enim omnis qui peccat, in Deum peccat) sed eius sacerdotium, sacra et sacrificia, itaque Dei sanctitatem violando et polluendo. Significat hoc peccatum non esse irremissibile, ut voluere Novatiani, sed difficulter remitti. Quis enim pro publico Dei ministro tam scelerato orare audeat? Sane Moses aliquis sit oportet. Audi S. Gregor. *Quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitet, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est?* Et Orig. hom. 10. in Numer. *Qui*, inquit, *meliores sunt, inferiorum semper culpas, et peccata suscipiunt: Sacerdos autem si delinquat aut Pontifex, ipsum suum potest purgare peccatum, si tamen non peccet in Deum: de huiusmodi enim peccatis non facile remissionem aliquam videmus in legis litteris designari.* Et Novella 123. Iustinianus: *Si*, ait, *illi quibus negotium datum est orandi pro populo, indigni ministerio Dei inventi fuerint, quomodo pro populi delictis placare Deum poterunt?* Hinc S. Leo epist. 90. ex Apostolica traditione probat, presbyteris aut diaconis pro crimine aliquo non esse per manus impositionem pœnitendi remedium concedendum, sed alia rigidiore ipsis satisfactione utendum.

Pro *placari ei potest*, Hebr. est פללו *pillelo*, id est *iudicabit*, vel *causam eius cognoscet, Deus* (ita Pagnin.) ut si videat eum ab alio in quem peccavit prius fuisse læsum, vel aliam peccati excusationem habeat, ei parcat.

Porro Chald. Vatabl. et R. David per Hebr. *Helohim* intelligentes non Deum, sed iudicem, sic vertunt et explicant; *Si peccaverit vir in virum, iudicabit illum iudex, litemque dirimet, et eum qui innocens est eripiet: Si autem in Deum; quis cum illo vel pro illo diiudicabitur? quis se iudicem interponet?*

ET NON AUDIVERUNT VOCEM PATRIS SUI.) Quartum est hoc filiorum Heli scelus, scilicet contumacia et obstinatio. Causam subdit:

QUIA VOLUIT DOMINUS OCCIDERE EOS.) Nota: prima causa, eaque directa et propria, cur filii Heli non audierint patrem monentem, fuit eorum prava et perversa voluntas in malo obstinata, ob quam noluerunt audire patris monita: S. tamen Script. hic more suo causam aliam indirectam assignat, scilicet in altissimam Dei providentiam et iudicium id refert; nimirum quod Deus noluerit eorum ob tanta scelera toties iterata misereri, eisque dare gratiam efficacem, qua pœniterent, et mortem evaderent, sed permiserit eos in suis criminibus volutari et obfirmari, ut eos iustissime toties merita morte puniret, ad reparandum scandalum toti populo ab eis datum, et ad exemplum terroremque aliorum Sacerdotum. Solet enim Scriptura passim inculcare Dei attributa, præsertim misericordiam et iudicium, ut significet Deum omnium om-

nino rerum, tam bonarum quam malarum exactam habere providentiam, ut illas præmiet, has castiget. Hoc enim facit homines Deum timere et colere, eosque a peccatis coercet. Nullum enim maius est peccatorum frænum, quam Numinis metus, et Dei vindicis seria cogitatio.

Vers. 27. VENIT AUTEM VIR DEI (Propheta) AD HELI.) Quis hic vir? Abul. q. 23. putat fuisse Angelum specie viri indutum: R. Salomon et Rabbini recentiores censent fuisse Elcanam patrem Samuelis. Rabbini antiquiores apud S. Hieron. in Quæst. arbitrantur fuisse Phinees Pontificem, qui vixit tempore Iosue et Othonielis: censent enim ipsi Phinees esse Eliam: quare ipsum adhuc vivere et victurum usque ad Antichristum, a quo occidetur. Sed hoc refutavi Num. 25. 13. Incertum est ergo quis fuerit hic propheta, eo quod Scriptura eius nomen, genus aut stirpem non exprimat.

Quando venerit ad Heli pariter incertum est. Videtur autem venisse cum Samuel adhuc esset puer; tum quia id hic eius pueritiæ subnectitur; tum quia cum Samuel factus est grandior, Deus eo usus est ad Heli rursum commonendum, imo condemnandum. Ita S. Hier. in Quæst.

Porro hæc prophetia continet primo, refricatque Dei beneficia in Heli collata; deinde vers. 29. eius et filiorum peccata exprobrat, demum v. 31. quintuplicem eis pœnam infligit.

NUMQUID NON APERTE REVELATUS SUM DOMUI (familiæ) PATRIS TUI (Aaronis) CUM ESSENT (ipse eiusque filii et frater Moses) IN ÆGYPTO IN DOMO PHARAONIS?) Tunc enim ex omnibus filiis Israel elegi Mosen in eorum ducem, ac Aaronem in eius socium ac interpretem, æque ac Pontificem, ut populum ex Ægypto educerent, ac per desertum deducerent in terram promissam.

Vers. 29. QUARE CALCE ABIECISTIS (Hebr. *quare calcitrastis*, non tam tu quam filii tui, ac tu per filios tuos) VICTIMAM MEAM?) q. d. Quare contempsistis mea sacra, proinde ac si calcibus ea abiecissetis?

ET MAGIS HONORASTI FILIOS TUOS QUAM ME.) Quia non ausus fuisti eos reprehendere et castigare, ne eos offenderes, itaque permisisti ut ipsi me offenderent, ideoque tu pariter offendisti me. Ita S. Gregor. *Magis*, ait, *Deum quam filios honoravit, quia dum aperta eorum peccata contemneret, lucra temporalia eisdem providebat.*

UT COMEDERETIS PRIMITIAS OMNIS SACRIFICII ISRAEL POPULI MEI?) Ut scilicet primo comederetis carnes victimarum pacificarum (quæ proprie erant populi, quia pro eius pace et salute offerebantur, et ab eo comedebantur) antequam mihi primitiæ adipis in altari adolerentur et cremarentur. v. 15. et 16. Rursum primitias vocat præcipuas victimarum partes: has enim fuscinulas Deo eripiebat, sibique arrogabat servus Sacerdotis v. 13.

Vers. 30. LOQUENS LOCUTUS SUM (certe locutus sum, q. d. firmiter decreveram) UT DOMUS TUA ET DOMUS PATRIS TUI MINISTRARET IN COSPECTU MEO.) Hinc patet Pontificatum a Deo datum fuisse Heli, ac ex familia Eleazar translatum fuisse ad familiam Ithamar, ex qua erat Heli, ut patet ex eo quod Heli abnepos Abiathar 3. Regum 2. ex Ithamar prognatus dicitur 1. Paral. 24. Quare falso aliqui censent Heli propria auctoritate invasisse Pontificatum. Causa translationis ignoratur, sed videtur fuisse ignavia vel peccatum aliquod Eleazaritarum.

Series Pontificum Synagogæ. Porro hæc fuit series et successio Pontificum per filios: Aaroni successit Eleazar, huic Phinees, huic Abisue, huic Bocci, huic Ozi, ut patet 1. Paral. 6. vers. 4. et ex Iosepho lib. 5. Antiq. ult. Ab Ozi translatus est Pontificatus ad Heli, qui erat ex Ithamar fratre Eleazari. Heli genuit Phinees, qui ante patrem occisus fuit in prælio, cum arca a Philisthæis caperetur: loco Phinees successit filius Achitob, huic filius Achias, huic filius Achimelech, huic filius Abiathar. Addit Iosephus quod Phinees patre Heli vivente functus sit pontificatu, eo quod Heli præ senio eo fungi non posset; quod intellige non quod Phinees fuerit Pontifex, ut videtur velle Iosephus; sed quod Heli senem manentem Pontificem, in administrando Pontificatu adiuverit.

Ex hoc versu patet, quod Deus Heli eiusque posteris promiserat continuam filiorum in Pontificatu successionem; si videlicet illi recte eo fungerentur: sed is male eo fungentibus, minatur et prædicit hic Deus se rursum illum eis ablaturum. Id fecit sub Salomone, qui Abiathar Pontificem descendentem ex Heli et Ithamar a Pontificatu amovit, eo quod contra se cum Adonia conspirasset, eumque in regem unxisset; ac Pontificem constituit Sadoc, qui oriundus erat ex Eleazar. Ita Abulens. Mansit ergo Pontificatus in familia Heli per quinque posteros, scilicet Heli, Phinees, Achitob, Achias, Achimelech, et Abiathar; inde rediit ad Sadoc et familiam Eleazari, in eaque mansit usque ad Christum.

USQUE IN SEMPITERNUM.) Non absolute ut patet, sed respective, scilicet toto tempore legis veteris, sive quamdiu duraret Iudaismus usque ad Christum.

PRÆCIDAM BRACHIUM TUUM.) Id est robur, dignitatem et auctoritatem tuam pontificiam, id est, auferam a te Pontificatum. Ita S. Gregor. Angelom. Ruper. Lyran. et Vatab. Porro Septuag. vertunt: *disperdam semen tuum.* Chald. *extirpabo fortitudinem seminis tui*, q. d. filios et nepotes tuos faciam imbecilles, invalidos, infirmos, ut non diu vivant, nec ad senium perveniant, ut sequitur, ac tandem delebo omnem posteritatem tuam. Est hæc prima pœna a Deo inflicta Heli. Vers. 31.

Symbol. nonnulli per fortitudinem intelligunt arcam testamenti, quæ capta fuit a Philisthæis sub Heli, iuxta illud Psal. 77. 61. *Tradidit in captivitatem virtutem* (Hebr. fortitudinem) *eorum*, id est, arcam, ait ibidem S. Augustin. Theod. Euch. et Hugo. Arca enim erat robur et firmamentum Israelis, quia Deum quasi vehebat.

UT NON SIT SENEX IN DOMO TUA.) *Senex*, id est Pontifex, ait S. Hieron. Angelom. et S. August. Simplicius accipe τὸ *Senex* ut sonat. Sic enim se explicat v. 33. dicens: *morietur cum ad virilem ætatem venerit.* Rursum aliqui apud Vatab. *Senex*, inquiunt, id est Sapiens. Senum enim est sapientia; unde a senibus dictus est Senatus, qui est cœtus sapientum Reipub. consulentium. Pœna ergo impiorum præsertim parentibus rebellium (uti fuere hi filii Heli) congrua est vitæ brevitas, ut ante senium moriantur, iuxta illud: *Antequam dies eius impleantur, peribit: et manus eius arescent.* Iob. 15. vers. 32. Et illud: *Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum.* Iob. 22. v. 16. Unde David: *Viri*, inquit, *sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* Psalm. 54. vers. 24. Et Salomon: *Noli*, inquit, *esse stultus*, *ne moriaris in tempore non tuo.* Eccles. 7. v. 18. Vere Seneca lib. de brevitate vitæ cap. 6. *Non accepimus*, ait, *brevem vitam*, *sed facimus: non inopes temporis*, *sed prodigi sumus.*

VERUMTAMEN NON AUFERAM PENITUS VIRUM EX TE AB ALTARI MEO.) q. d. Auferam quidem a tuis posteris pontificatum, permittam tamen ut sint minores Sacerdotes vel Levitæ, sed in augmentum pœnæ tuæ et ipsorum; ut scilicet ipsi videntes se Pontificatu, tantisque eius opibus et emolumentis spoliatos, ingemiscant, ac præ amaritudine et dolore deficiant et tabescant. Hæc enim dicuntur Heli, non in persona sua, sed posterorum. Hæc est tertia pœna, sequitur quarta. Vers. 33.

ET PARS MAGNA DOMUS (familiæ, puta posterorum) TUÆ MORIETUR CUM AD VIRILEM ÆTATEM VENERIT.) q. d. Morientur iuvenes, non senes, idque violenta morte, scilicet *romphæa sive framea*, id est gladio, ut addunt Sept. et Chald. *Omnis*, inquit, *multitudo domus tuæ occidentur iuvenes.* Id factum audiemus c. 22. 12. et seq. ubi Saul occidit Abimelech Pontificem, ac nepotem Heli cum tota sua familia, eo quod panes dedisset Davidi. Porro τὸ *omnis multitudo*, ut habent Hebr. et Chald. idem est quod plerique, multi: nam aliquos servatus fuisse et mortem evasisse patet ex sequen.

HOC AUTEM ERIT TIBI SIGNUM.) Omnes has clades posteris tuis obventuras; illas enim non vidit Heli, utpote iam mortuus: unde earum signum et certitudinem dat ei Deus, cædem Ophni et Phinees: hanc enim ipse vivens au- Vers. 34.

divit et ingemuit. Hæc est quarta Heli pœna : sequitur quinta.

Vers. 35. ET SUSCITABO MIHI SACERDOTEM FIDELEM.) Quis hic? nonnulli putant esse Samuelem, quem putant successisse Heli, non tantum in principatu, quasi iudicem populi, sed et in Pontificatu. Ita S. August. l. 17. Civ. c. 4. et in Psal. 98. v. 2. Retract. c. 55. et contra Faust. c. 33. Gregor. Eucher. Angel. hic, Hieron. ad illud 1. Corinth. 1. *Cum omnibus qui invocant nomen Domini*, ubi sic de Samuele : *Quem Sacerdotem fuisse illa res probat, quia et Sacerdoti successit, et hostias offerebat. De quo etiam secundum historiam dictum est: Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Quin et S. Ignat. Epist. ad Magnesianos: *Saul*, ait, *privatur honore regio, non expectans summum Sacerdotem Samuelem.*

Samuel non fuit Pontifex.

Ratio est, quia Samuel cap. 7. vers. 6. dicitur sacrificasse et orasse pro populo, ac Saulem in Regem unxisse, ac post eum, Davidem. Hæc autem sunt munia Pontificis. Favet Iosephus lib. 6. cap. ultim. dicens Samuelem a Pythonissa suscitatum esse cum Sacerdotali amictu. Nazian. quoque orat. 40. Ephod Samuelis vocat stolam Sacerdotalem, sic et Theodor. et Procop. hic.

Prob. 1. Verum contrarium videtur longe verius, scilicet Samuelem non fuisse Pontificem. Ratio est, quia Pontificatus a Deo addictus erat Aaroni eiusque posteris, ex quibus non erat Samuel.

2. Rursum, Heli moriente Samuel erat iuvenis, ac iuvenis post Heli iudicare cœpit Israel, uti ipse indicat c. 12. v. 2. At Pontifex nemo creari poterat antequam esset vir triginta annorum, ut docet S. Hieron. in c. 1. Ezech. Sed hæc ratio non evincit, uti ostendam cap. 12. 2.

Tertio, quia tempore Samuelis Pontifex erat Achias abnepos Heli, ut patet c. 14. 3.

Denique in serie Pontificum, quam texit Iosephus et alii, non ponitur Samuel, nec Script. usquam eum vocat sacerdotem, imo David Psal. 98. *Moses*, inquit, *et Aaron in Sacerdotibus eius, et Samuel inter eos qui invocant nomen eius.* Ita censent Beda, Rabanus, Abulen. hic in c. 7. q. 30. Hugo, Lyran. Caiet. Dio. Geneb. ac S. Hieron. l. 1. contra Iovin. *Samuel*, ait, *Lævita, non Sacerdos, non Pontifex fuit.* Et S. August. fuse in quæstion. veteris et novi testamenti c. 46. (vel quisquis est earum auctor, non enim videtur esse S. August.) Et S. Thom. in cap. 7. ad Hebr. sect. 3. Serarius, Mendoza, Sanchez, Torniellus et alii.

Ad argumentum adversæ sententiæ respondeo: Samuelem, etsi ex genere et prosapia dumtaxat esset Levita, subinde tamen ex dispensatione Dei sacrificasse, ut cum Saulem et Davidem unxit in reges, ideoque Sacerdotem a multis (ut a Chrysost. Ambros. August. Bernard. Damiano et aliis, quos fuse citat hic Mendoza p. 395.) vocari; ac eos unxisse in reges, non ut Pontificem, sed ut Prophetam, æque ac Elias (qui non erat Pontifex) Propheta Azaelem unxit in regem Syriæ. 3. Reg. 19. ac Elisæus per unum e suis unxit Iehu in regem Israel. 4. Reg. cap. 9. Porro Ephod Samuelis lineum et Leviticum erat, non polymitum et Sacerdotale. Unde S. Hieron. in Psal. 98. 6. *Samuel*, inquit, *Levitici ordinis regulam tenet: quod Ephod illud lineum atque candidum figuravit, ostendens candidum effici posse, qui per pœnitentiam nomen Domini invocans, nigredinem peccati diluerit.*

Cum ergo hic dicitur : *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem*, intelligitur Sadoc, quem Salomon loco Abiathar creavit Pontificem, qui fideliter Deo in templo, et Christo, id est Davidi et Salomoni regi a se uncto ministravit.

Alleg. Significatur hic translatio Sacerdotii ab Heli et Aarone ad Christum ; hic enim est Sacerdos fidelis Deo. Ita S. Gregor. Theod. Angel. Procopius et S. August. 17. Civit. c. 4. Videmus vero hodie Iudæos absque sacerdotio esse ; *et inter eos*, inquit August. *quicumque est ex Aaronico genere, cum videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum esse subtractum, deficiunt oculi eius, et defluit anima eius tabe mœroris ; mors vero illa filiorum significavit mortem ipsius Sacerdotii de filiis Aaron,* inquit August. *et Sacerdos ille fidelis v. 35. maxime et principaliter Christus Dominus,* inquit Procop. Theodor. et alii.

Porro Christus non tantum est Sacerdos et Pontifex, sed et Christianos quoslibet efficit sacerdotes et reges mysticos, iuxta illud Apoc. 1. 11. *Fecit nos regnum et Sacerdotes.* Unde S. Leo serm. 3. in die anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum : *Omnes*, inquit, *in Christo regeneratos crucis signum efficit reges, Sancti vero Spiritus unctio consecrat Sacerdotes.* Et mox ostendit qua in re hoc regnum et sacerdotium consistat. *Quid enim*, inquit, *tam regium quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem : Et quid tam Sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram ; et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre ?*

ET ÆDIFICABO EI DOMUM (familiam, posteritatem) FIDELEM.) Quæ scilicet fideliter mihi ministrans in Pontificatu, fideliter, id est firmiter et constanter in eo perduret. Hoc de Samuele dici nequit ; eius enim filii æque ac Heli fuere degeneres et improbi, ut patet cap. 8. vers. 3. *Declinaverunt*, inquit, *post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt iudicium.* Posteri vero Sadoc fideles firmique perstiterunt in Pontificatu usque ad captivitatem Babylonicam, et eversum templum, imo et post eam, ut patet Ezech. 40. 46. et ex serie Pontificum, quam texit Iosephus lib. 10. c. 11. Et ex eo Sigonius de Repub. Hebr. lib. 5. c. 1.

FUTURUM EST AUTEM UT QUICUMQUE MANSERIT IN DOMO TUA, VENIAT UT ORETUR PRO EO.) Minores enim Sacerdotes ac Levitæ, cum quid peccassent, ex lege debebant, ut laici, offerre victimas pro peccato, et Pontifex debebat orare pro illis. Vers. 36.

ET OFFERAT NUMMUM ARGENTEUM, ET TORTAM PANIS.) Sacerdoti sive Pontifici ut gratiam eius captet, hoc fine ut ab eo ad partem Sacerdotalem admittatur. Ex Hebræo verti potest clarius : *veniet ad orandum pro nummo argenti et torta panis*, orando scilicet ut detur sibi quasi pauperi et famelico nummus exiguus, et fragmen panis, quo latrantem ventrem satiet. Ita Caiet. et Vatab. Unde noster Serarius pro *offerat*, vel, ut alii legunt *afferat*, legendum putat, *auferat*, id est, accipiat *nummum et tortam panis* ; verum Rom. habent, *offerat.*

DIMITTE ME OBSECRO AD UNAM PARTEM SACERDOTALEM, tum victimæ a me oblatæ, tum quarumlibet aliarum victimarum a populo Sacerdotibus oblatarum, UT COMEDAM BUCCELLAM PANIS.) Magna fuit hæc abiectio, vilitas et mendicitas posterorum Heli.

Allegor. *Buccella panis* significat sacrificium Eucharistiæ, quod e pane fit. Ita S. Gregor. Eucher. Theod. Procop. Audi S. August. 17. Civ. 4. *Quod ergo addidit manducare panem, etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit, de quo dicit Sacerdos ipse : Panis quem ego dedero caro mea est pro sæculi vita : ipsum est sacrificium non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech ; qui legit intelligat.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus rursum per Samuelem prædicit exitium Heli: idque Samuel Heli, ab eodem adiuratus v. 16. candide edicit.

1. PUER autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. 2. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, et oculi eius caligaverant, nec poterat videre: 3. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. 4. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, et dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocavi: revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit. 6. Et adiecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: Non vocavi te fili mi: revertere, et dormi. 7. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. 8. Et adiecit Dominus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli. 9. Et ait: Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum: et ait ad Samuelem: Vade, et dormi: et si deinceps vocaverit te, dices: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo. 10. Et venit Dominus, et stetit, et vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere Domine, quia audit servus tuus. 11. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. 12. In die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius: incipiam, et complebo. 13. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. 14. Idcirco iuravi Domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis et muneribus usque in æternum. 15 Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. 16. Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Præsto sum 17. Et interrogavit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaveris me. Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. 18. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. 19. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. 20. Et cognovit universus Israel, a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini. 21. Et addidit Dominus, ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et evenit sermo Samuelis universo Israeli.

Vers. 1. PUER AUTEM SAMUEL.) Ioseph. l. 5. c. 11. ait eum explesse annum duodecimum. Perperam Rabbini in Seder Olam, aiunt eum fuisse annorum 40. Iosephum sequuntur Suidas, Zonaras, Cedrenus, Abulens. Torniellus, Serarius, Salianus, Mendoza et alii. Porro quot annorum tunc fuerit Heli incertum est. S. Ignatius epist. ad Magnesian. ait eum fuisse 90. annorum. Theod. 86. Serarius, 98. Salianus 72. ita ut deinde adhuc vixerit 26. annos. Mortuus est enim cum esset 98. annorum, quando Samuel ei successit, agens annum 39. verum nil certi de Heli anno hic statui potest.

CORAM HELI.) Id est instruente et dirigente eum Heli, cui Samuel ad nutum obediebat. Chal. *vivente Heli.*

ET SERMO DOMINI ERAT PRETIOSUS.) Id est ratus: quæ enim rara, sunt cara et pretiosa, q. d. Rari tunc erant prophetæ, per quos Deus loqueretur, idque ob scelera filiorum Heli Sacerdotum, æque ac laicorum. Qualis enim est sacerdos, talis est et populus. Sic Proverb. 25. 17. ubi dicitur: *Substrahe pedem tuum;* Hebr. est *pretiosum* (Sept. *rarum*) *fac pedem tuum in domo amici tui.*

NON ERAT VISIO (prophetia) MANIFESTA.) Hebr. נפרץ *niphrates*, id est rupta, id est late diffusa vel sparsa. Vatabl. *vulgaris.* Chald. *quæ publice innotesceret.* Sept. *distinguens*, id est distincta et clara. Hæc dicuntur ad laudem Samuelis, quod ipse in mediis scelerum et ignorantiæ tenebris propheta emicuerit, quasi novus quidam sol Israelis.

Vers. 2. HELI IACEBAT IN LOCO SUO.) Hoc est dormiebat in illa atrii parte, quæ vicina erat tabernaculo: cum in remotiore atrii parte dormiret Samuel, ceterique Levitæ; ita Chald.

Vers. 3. LUCERNA DEI ANTEQUAM EXTINGUERETUR, SAMUEL DORMIEBAT.) Ita lege cum Roman. Hebr. Chald. Sept. Aquila et Symmacho. Est periphrasis noctis. Lucernæ e- A nim Tabernaculi nocte ardebant, mane extinguebantur. Sensus est q. d. cum adhuc lucernæ Tabernaculi arderent, id est cum adhuc esset nox, vel certe aurora incipiens et obscura, ideoque Samuel adhuc dormiret; apparuit ei Dominus. Ita S. Hier. Porro Sept. vertunt: *Antequam lucerna Dei esset instructa*, quod aliqui exponunt q. d. antequam esset media nox: tunc enim lucernæ concinnabantur, ut reliqua nocte dimidia arderent. Planius exponas de noctis fine, q. d. antequam diesceret: summo mane, ante solis ortum, quo lucernæ noctu consumptæ oleo affuso instaurari solent, apparuit Samueli Dominus. Hinc disce mane et in aurora, cum primum evigilas orare, ut Dei vocem et instinctus haurias et audias. Nam summo mane apparuit hic Deus Samueli, non vero vespere, uti opinantur Theod. et Procop.

Porro Raban. Angelom. Eucher. Abulen. et Caiet. aliter legunt et dispungunt, nimirum sic: *Heli videre non poterat Lucernam Dei antequam extingueretur*, q. d. Heli B cæcutiens videre non poterat in aurora, cum adhuc lucernæ arderent, sed videre poterat clara die cum lucernæ essent extinctæ; verum legendum est cum Roman. ut paulo ante dixi.

ET CUCURRIT AD HELI ET DIXIT: ECCE EGO: VOCASTI Vers. 5 ENIM ME.) Hinc videtur quod Samuel solitus mane a somno excitari ab Heli, putaverit se vocatum ab Heli, non a Deo, utpote cuius vocem huc usque non audierat. Videtur autem hæc Dei, sive Angeli vox fuisse similis voci Heli, ideoque ea audita ad Heli cucurrit Samuel. Ita S. Gregor. Caiet. et Mendoza. Vide hic prophetæ Samuelis obedientiam, ob quam meruit a Deo eligi in prophetam et principem populi. Rursum disce hic Deum loquentem Samueli remittere eum ad Heli, tum ut Heli oraculum hoc Dei diligentius consideraret et crederet; tum ut doceret ora-

Samuel per obedientiam meruit prophetiam.

cula Dei examinanda et dirigenda esse a superioribus, ut servetur debitus ordo et subditorum subordinatio, ac ne locus sit illusioni diabolicæ. Ita Cassian. collat. 2. c. 14. « Ut puerum Samuelem, inquit, iudicio præelectum suo, nollet per semetipsum divini colloquii disciplina Dominus erudire; sed recurrere semel et iterum pateretur ad senem; eumque, quem ad suum vocabat alloquium, etiam illius qui offenderat Deum, dummodo senioris, doctrina vellet instirui; et quem sua vocatione dignissimum iudicarat, senioris mallet institutione formari; ut scilicet et illius, qui ad divinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas; et iunioribus forma subiectionis huius proponeretur exemplo. » Audi S. Greg. promptam et constantem Samuelis obedientiam dilaudantem: « Puer, inquit, humiliter homini subiectus atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, iussus rediit; quid aliud nobis præbet nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec præceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; nescit enim iudicare quisquis perfecte didicerit obedire ». Et paulo post: « Quis, inquit, nostrum sese a murmuratione compesceret? Quis ab ira temperet, si vocatum bis aut ter audiret; et tamen ex vocantis responso perciperet, quia, vocatus minime fuisset; nec repulsus offenditur, quia vocantis aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere noverat, quod obedivit. »

Vers. 7. PORRO SAMUEL NECDUM SCIEBAT DOMINUM) Id est necdum expertus erat Dei vocem, necdum assuetus erat audire Dominum loquentem, ut eius vocem a voce Heli distingueret, Deumque ex sua voce agnosceret. Ita S. Hier. in Quæst. vel quisquis est auctor: puto enim non esse S. Hier. sed passim putatur et citatur nomine S. Hier. ideoque et ego sic cito. Loquendum enim ut multi, sapiendum ut pauci.

Vers. 9. INTELLEXIT ERGO HELI (vel instinctu Dei, ut vult Salianus, vel ratiocinatione humana; quia scilicet nemo alius eo loci erat, qui Samuelem vocaret; et quia Samuel Deo erat gratissimus ob suam virtutem et pietatem) QUIA DOMINUS VOCARET PUERUM).

LOQUERE DOMINE, QUIA AUDIT SERVUS TUUS.) Ut iussa tua excipiat et exequatur. Hoc cuilibet fideli dicendum, cum Deum quid interius menti suggerentem vel inspirantem audit. Hinc ait S. Bern. sub finem serm. de septem spirit. *Felix, ait, et beata anima, quæ venas divini susurri percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis: Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Audi S. Ephrem lib. de virt. c. 2. tom. 2. f. 42. *Samuel per obedientiam quam Heli sacerdoti præstitit, dignus est qui vocem Dei audiret.* Et paræn. 13. f. 115. *Exemplum humilitatis in Samuele propheta habetis; non enim exaltatum est cor eius adversus Heli sacerdotem, quamvis etiam a Deo audisset de viro isto.* Et Paræn. 21. *Vide frater ne negligas te sobrium ac vigilantem præbere in omnibus; nonne audistis quod sæpius vocatus Propheta Samuel neque semel cunctatus sit surgere, quantumvis adhuc puer esset.*

Audi et Origen. hom. 1. in Cant. *Beatæ sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant sessorem Verbum Dei super se; et fræna eius patiuntur, ut quocumque ipse voluerit flectat, et agat habenis præceptorum suorum; quia iam non propria voluntate incedunt, sed ad omnia ducuntur et reducuntur voluntate sessoris.*

Vers. 10. ET VENIT DOMINUS, ET STETIT.) Hinc patet Deum, id est Angelum Dei vicarium hic non tantum menti Samuelis hæc inspirasse, sed in corpore assumpto, corporali voce illi esse locutum. Unde Chald. hic vertit: *Et revelata est ei gloria Domini,* q. d. Samuel vidit Angelum, Dei legatum in corpore splendido et glorioso, sed confuse, ita ut splendorem videret, sed corpus Angeli distincte non videret; vocem tamen eius distincte auribus audiret. Unde cognovit tandem se non ab Heli, sed a Deo vocari. Ita S. Greg. Abulen. Dion. Caiet et alii.

Porro quod Samuelem puerum ob puritatem et sanctitatem alloquitur Deus neglecto seniore Heli, ostendit *quanto canitie melior sit iuventus, quæ virtute ornatur,* ait Theodor. quæst. 12. Nimirum *cum simplicibus* (Hebr. *cum rectis*) *sermocinatio eius.* Proverb. 1. 3.

SAMUEL, SAMUEL.) Audi S. Gregor. *Nomen iteratur, cum in magnam familiaritatem internæ maiestatis, mens videntis excipitur, et ferventibus desideriis ad amorem se vocantis elevatur; ut præter id quod audit, nihil libeat, atque in lætitia auditus sui immorari perpetuo concupiscat.* Talis fuit illa eiusdem Dei vocatio: *Saule, Saule,* Actor. 9. v. 4. et illa: *Moyses Moyses.* Exodi 3. v. 4. et illa: *Abraham Abraham.* Genes. 22. v. 1. de qua D. Chrys. hom. 47. in Genes. *Quid, inquit, vult verbi duplicatio? Magnæ benevolentiæ erga Patriarcham argumentum est, et monstrabat ei, vocatione ipsa, quod magnum aliquid ostensurus esset. Ut igitur attentiorem redderet, vocationem geminabat.*

FACIO VERBUM, id est rem et supplicium Heli comminatum, adeo dirum et horrendum, QUOD QUICUMQUE AUDIERIT, TINNIENT AMBÆ AURES EIUS.) Scilicet ut totus percellatur et exhorrescat; puta arcæ captionem, ait Lyran. et filiorum cædem, ait Abul. et cetera recensita c. 2. ita Angelom. et S. Hier. in Quæst. Metaphora est, ducta ab eo qui repente audit cymbalum tinniens, vel boatum bombardæ magnæ, vel tonitrui ingentis, cuius vehemens sonus percellit, et tinnitum diu durantem in auribus audientium excitat. Vers. 11.

PRÆDIXI ENIM EI, QUOD IUDICATURUS (id est iuste puniturus) ESSEM DOMUM (familiam et posteritatem) EIUS, EO QUOD NOVERAT INDIGNE AGERE FILIOS SUOS, ET NON CORRIPUERIT EOS.) Corripuerat eos Heli, sed nimia lenitate paterna, non auctoritate et severitate Pontificia, ait Angelo. Idcirco morte punitur: luit ergo filiorum scelus sua nece. Sic Deus populo fornicante cum filiabus Moab, iussit principes suspendi. Numer 25. Causam dat B. Petrus Damiani. lib. 4. epist. 15. « Quid est, inquit, quod populus in luxuriæ voraginem labitur; et in eorum præpositos vindicatur? Subditi delinquunt, et Principes in patibulis suspenduntur? Scilicet alius est qui peccat: alius ille qui vapulat. Cur hoc, nisi quia culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium: et quod ab ovibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur, et vide quam formidolosa sit conditio præsidentium, ut non modo pro suis, sed etiam subditorum puniantur offensis. » Vers. 13.

IDCIRCO IURAVI DOMUI HELI, QUOD NON EXPIETUR INIQUITAS DOMUS EIUS VICTIMIS ET MUNERIBUS USQUE IN ÆTERNUM.) Hinc multi putant Heli esse damnatum, ut dicam c. 4. Verum id locus hic non evincit. Agit enim de domo Heli, non de ipso Heli, q. d. supplicia quæ domui Heli ob eius peccatum prædixi et intentavi c. 2. nullis victimis revocabuntur, sed certa et fixa me decernente perstabunt, certoque posteris eius obvenient; e quibus tamen multi probi fuere, et salvati videntur, ut Achias, Achimelech, Abiathar. Vers. 14.

HÆC FACIAT.) Est formula adiurandi Hebr. q. d. puniat te Deus, vel male tibi cedat, si hæc me celaveris. Vers. 17.

DOMINUS EST, QUOD BONUM EST IN OCULIS SUIS, FACIAT.) Vide hic responsum Heli dignum Pontifice pœnitente, æquanimi, et resignato ad omnem Dei voluntatem, et castigationem tam horrendam, ob quod Heli salvatus videtur. Ita Theodor. Procop. Lyran. Abulen. Dion. Caiet. Serarius. Mendoza hic et S. Chrys. lib. 3. contra vituper. vitæ monast. Vers. 18.

Minus apte ergo S. Ephrem in Apologia de Heli, hoc responsum Heli tribuit eius pervicaciæ, q. d. Dominus quod bonum est in oculis suis faciat: Ego vero filiis meis molestiam inferre non possum. Et S. Gregor. *Ista, inquit, responsionis humilitas si subtiliter inspiciatur, vera humilitas non est; vere esset humilis, si se ad emendationem culpæ, pro qua arguebatur obtulisset. Dum ergo dicit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat; potius elegit minarum Dei causas incurrere, quam de perpetratis iniquitatibus filios condemnare.* Sic et Ruper.

Moral. hinc discamus adversitates et afflictiones quasli-

bet a Deo immissas, vel permissas ad nostrum bonum æquanimiter tolerare, ac Deo flagellanti dorsum humiliter subiicere. Ita fecit David fugiens Absalonem et Saulem: *Iustus es*, inquit, *Domine et rectum iudicium tuum*. Psalm. 118. v. 137. Ubi Ambrosius citat simile Ieremiæ exemplum, qui cum in luti voragine turpi necandus illuvie mergeretur, clamabat: *Iustus es Domine*; esto hæc verba iam in Ieremia c. 38. et 45. non reperiantur. Idem tamen Thren. 118. *Iustus*, inquit, *est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi*. Sic tres pueri in fornace Babylonica, humili exultatione canebant: *Iustus es Domine in omnibus quæ fecisti nobis*. Daniel. 3. 27. ideoque ab Angelo in igne servati sunt illæsi. Idem fecit Daniel in lacu leonum c. 6. 16. et c. 14. 30. Ac Ionas in ventre ceti c. 2. 10. *Ego*, inquit, *in voce laudis immolabo tibi*. Et Iob c. 1. v. 21. *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.*

Deo flagellanti dorsum subjice.

Exempla.

Sic Mauritius Imperator, qui S. Gregorium vexarat, cum a Deo puniretur morte tam sua, quam uxoris et filiorum suorum omnium, quos in sua præsentia cernebat a Phoca æmulo et successore imperii iugulari, pœnitens clamabat: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum*, uti habent eius Acta, et ex eis Baron.

Causam dat S. Ambr. loco citato, *quia cum nostra amittimus, Deo illa reddimus, non amittimus: Iustus ergo Dominus in periculis, iustus in damnis, iustus in ultionibus est, non solum quia unusquisque iustæ pœnæ suæ culpas luit, verum etiam quia dum unus punitur, plurimi corriguntur.*

Et Tertul. lib. de fuga in persecutione c. 10. *Ubicumque*, inquit, *fuero, in manu eius sum: faciat quod vult, non discedo, et si perire me volet, ipse me perdat, dum me ego servo illi.*

Vers. 19. CREVIT AUTEM SAMUEL.) Sept. ἐμεγαλύνθη, id est *magnificatus est*, tum ætate, tum potius sapientia, virtute, fama et gloria apud Deum et homines. Nam ut ait S. Greg. *Crescit, qui in virum perfectum mentis ætate proficit*. Deinde subdit: *Nonnulli sunt qui dum virtutibus crescunt, elatione corruunt. Hi nimirum crescere videntur; sed tamen cum eis Dominus non est: quia a se eum, alta sentiendo de se eiiciunt: quem in profectu virtutum positi per humilitatem secum habere potuerunt.* Mox invectus in eos qui ex dignitate evanescunt: *Plerique*, inquit, *in humiliori Ordine Religiosi sunt, sed cum subito ad culmen sanctitatis pervenerint prima opera cum humilitate derelinquunt. Samuel igitur profecit, et proficiens Dominum secum habuit. Ut profecto electorum prædicatorum morem præferret, qui cum dona et dignitates quibus prosint aliis assequuntur, de semetipsis placere Deo non negligunt.*

ET NON CECIDIT EX OMNIBUS VERBIS EIUS IN TERRAM.) Primo, q. d. nihil a Samuele dictum fuit irritum, sed omnia ab eo dicta et prædicta, reipsa fuere impleta. Est Metaphora a casu et ruina domorum, vel rerum pretiosarum liquidarum, in qua multa diffluunt, dissipantur, franguntur, perduntur, ut colligi nequeant. Ita Eucher. Abulen. Lyran. Dion. Caiet. Vatab. et alii.

Secundo, q. d. Sermo Samuelis non erat contemptibilis, sed apud omnes in magno honore et pretio: quæ enim contemnimus, in terram abiicimus. *In terram*, ait S. Greg. *verbum prædicatoris cadit cum reproba eius conversatione vilescit.*

Symbol. Hugo q. d. Samuel non loquebatur de terra, terrena; sed de cælo, cælestia; quia ipse erat cælestis, et velut Angelus inter homines. Unde S. Dion. Cælest. Hier.

A c. 2. *Tu autem*, inquit, *o fili divina loquendo divinus efficere*. Nam ut ait S. Bernar. de inter. domo. c. 43. *Vanus sermo vanæ conscientiæ est index:* Sicut enim Hispanus est, qui Hispanice loquitur; Germanus, qui Germanice; Polonus, qui Polonice; sic cælestis est, qui cælestia promit; terrestris, qui terrestria. Nam ut ait Christus Matt. 15. *Ex abundantia cordis os loquitur.*

ET COGNOVIT UNIVERSUS ISRAEL A DAN USQUE BERSABEE.) Hoc est per totam Iudæam; illius enim limes et terminus ad Aquilonem est Dan sive Cæsarea Philippi, ad Austrum vero limes est Bersabee. *Cognovit* inquam, Samuelem esse *fidelem*, id est veracem prophetam, *non in ambitione vanitatis, sed in spiritu Dei, et sermonis Domini veritate iudicantem*, ait Ruper. non enim hominum plausum spectabat, nec eorum minas metuebat, quia in uno Deo solidatus ei soli placere satagebat. Quare idipsum quod ore docebat, opere monstrabat. Nam ut ait S. Gregor. hom. 11. in Ezech. *Cui aliena cura committitur, speculator vocatur, ut in mentis altitudine, sedeat,*
B *atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est: Speculator quippe in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. Nihil enim*, inquit D. Chrysostom. homil. 1. in Act. *Doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philosophatur. Neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis et hypocritæ; ideoque Apostoli prius vitæ exemplis docebant quam verbis. Quin potius nec verbis erat opus, cum clamarent opera.*

ET ADDIDIT DOMINUS UT APPARERET IN SILO. Sept. addunt: *ei*, scilicet Samueli, q. d. Deus iterum apparuit Samueli in Silo: QUONIAM REVELATUS FUERAT DOMINUS SAMUELI IN SILO.) q. d. quia Dominus cœperat apparere Samueli in Silo: hinc eidem ibidem apparere perrexit ob sanctitatem tum Samuelis, tum arcæ fœderis, quæ erat in Silo. Deus enim est constans, ideoque constanter sua cœpta promovet et prosequitur: Quare unius beneficii a Deo collatio, est ratio et stimulus alterius conferendi. Se-
C cus fit apud homines, qui cum sint arctæ mentis, cum unum beneficium dederint, alterum negant. Quid hic Samueli Deus dixerit Script. tacet; verisimile est iterasse et confirmasse prius oraculum de supplicio Heli, deque Israelis strage, ac addidisse salutem eidem per Samuelem, post mortem Heli, afferendam: solet enim Deus tristibus læta subiungere, et ultimum hoc proprie tangebat Samuelem. Vers. 21.

Tropol. Philo de migratione Abrahæ: « Fons, inquit, unde bona promanant est, cum benigno Deo familiaritas: Ideo quasi obsignans sua beneficia dicit: Ero tecum. Quid igitur boni defuerit præsente omnipotente Deo? Tunc proveniunt acervatim cuncta commoda. »

Et S. Chrys. hom. 46. in Gen. « Quando, inquit, amicum et benevolum habemus Deum, etiamsi in deserto fuerimus, multo securiores vivemus quam ii, qui in civitatibus versantur, divina gratia nobis omnia suppeditante. »

Idem Chrys. hom. 26. in Epist. ad Hebr. « Si, inquit,
D semper mente videmus Deum, si semper in recordationem eius convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia, omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur. » Et paulo post a minori idipsum confirmans: « Si quisquam, inquit, recordatus amici erigit animam suam delicians ex memoria illius; qui in mente habuerit eum qui nos diligere vere dignatus est, quando poterit aliquam sentire tristitiam, aut terribile aliquid, aut periculosum timere. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat clades a Samuele prædictas reipsa evenisse tam Heli et filiis, quam toti Israeli, scilicet a Philisthæis cæsa fuisse 34. millia, captam arcam, Ophni et Phinees trucidatos: unde Heli hæc audiens e sella corruens expiravit; et uxor Phinees partu ex dolore accelerato peperit Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israel.

1. Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam: et egressus est Israel obviam Philisthiim in prælium, et castrametatus est iuxta Lapidem adiutorii. Porro Philisthiim venerunt in Aphec. 2. Et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis: et cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. 3. Et reversus est populus ad castra: dixeruntque maiores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. 4. Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim: erantque duo filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni et Phinees. 5. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra. 6. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra. 7. Timueruntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes: 8. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius: væ nobis. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto. 9. Confortamini, et estote viri, Philisthiim: ne serviatis Hebræis, sicut et illi servierunt vobis: confortamini, et bellate. 10. Pugnaverunt ergo Philisthiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum: et facta est plaga magna nimis: et ceciderunt de Israel triginta millia peditum. 11. Et arca Dei capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees. 12. Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, et conspersus pulvere caput. 13. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pavens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit urbi; et ululavit omnis civitas. 14. Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinavit, et venit, et nuntiavit Heli. 15. Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi eius caligaverant, et videre non poterat. 16. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, et ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est fili mi? 17. Respondens autem ille, qui nuntiabat, Fugit, inquit, Israel coram Philisthiim, et ruina magna facta est in populo: insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees: et arca Dei capta est. 18. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir et grandævus: et ipse iudicavit Israel quadraginta annis. 19. Nurus autem eius, uxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui: et audito nuntio quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus, et vir suus, incurvavit se et peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. 20. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit. 21. Et vocavit puerum, Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, et pro socero suo, et pro viro suo; 22. Et ait: Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei.

Vers. 1. Et factum est in diebus illis.) Ecce hic expletur prophetia Samuelis ac minæ Dei, et clades ab eo intentatæ Heli et filiis, totique Israeli. Quantum temporis intercesserit a prophetia Samuelis, ad hanc eius expletionem, incertum est. Serar. et Abulen. putant eodem anno expletam; editam enim esse anno 98. et ultimo vitæ Heli, quo ipse audita arcæ captura, expirans corruit. Verius est aliquot annos intercessisse. Nam prædixit cladem hanc Samuel cum esset puer, ut dictum est c. 3. 1. clades autem hæc contigit cum ipse esset vir, vel certe iuvenis: nam mortuo Heli illico successit Samuel in præfecturam populi: erat ergo grandior et maturæ ætatis. Salianus, ut dixi, putat intercessisse annos 26. ut Samuel factus sit iudex post Heli anno ætatis 39. Mendoza censet intercessisse annos 18. vel 28. alii plures, alii pauciores.

Et castrametatus est iuxta Lapidem adiutorii.) Erat locus ita postea appellatus a Samuele, quod in eo Hebræi in prælio Dei adiutorium sensissent, et victoriam obtinuissent, ut patet c. 7. 12. Porro *castra dicta sunt quasi casta, eo quod ibi castraretur libido, quia nullæ eis mulieres intererant,* ait Isidor. lib. 9. Origen. c. 2. Notent hoc Duces, et milites, sic enim erunt fortiores, et victoria potientur.

Vers. 3. Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini.) Dei enim super arcam residentis, et ex propitia-

A torio responsa dantis præsentiam et opem crebro experti erant Hebræi, ut in transitu Iordanis, in expugnatione Ierichuntis, etc. multo maiorem fiduciam habent Christiani in Sacramento Eucharistiæ, et reliquiis Sanctorum; quas proinde in periculo belli, famis, pestis cum litaniis in supplicationibus solemni pompa circumferunt, ac sæpe miram exinde opem experiuntur. Vide Abulen. hic q. 5. Audi S. Athan. de Interpr. Psalm. ad Marcellinum: « Si bellum, ait, populo ingrueral, arca, in qua erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat, et hoc sufficiebat illis pro quavis acie in subsidium: nisi in baiulis arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæreret. Fide siquidem et sana affectione opus est, ut lex nostris precibus cooperetur. »

Venit Deus in castra.) Quia arca erat quasi so- Vers. 7.
lium Dei. Adde Philisthæos idolorum et simulachrorum adoratione et cultu assuetos, putasse arcam esse Deum, sive idolum Hebræorum; vel certe sapientiores ex eis existimasse Dei virtutem, ac divinum quid arcæ esse inclusum: tale enim quid opinabantur de suis idolis. Ita Abulen. præsertim quia videbant Deum per arcam tam mira operari. Unde c. 6. 19. Deus percussit quinquaginta millia plebis, eo quod vidissent arcam.

Allegor. arca fœderis est humanitas Christi, præsertim in Eucharistia, ob plures utrimque analogias, quas recen-

set S. Bonavent. Serm. 2. in Dominica 4. Adventus: *Arca*, inquit, *Dei velo involvi iubetur Numer. 4. v. 5. in velo ergo Arca, in Arca urna, in urna manna fuit. Per velum species sacramentales, per Arcam corpus Christi, per urnam anima, per manna Deitas significatur. Hanc Arcam timent Philisthini, id est dæmones, imo etiam guttam sanguinis Christi timent.* Et citat D. Chrys. qui ait: *Ubicumque viderint sanguinem, fugiunt quidem dæmones, accurrunt autem Angeli,*

Vers. 8. Hi sunt Dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.) Id est in mari rubro, quod vicinum est deserto Arabiæ, ait Vatab. Nam in mari hoc Deus mersit Pharaonem cum totis Ægyptiorum castris.

Serarius et alii subaudiunt copulam *et*. Unde Sept. habent: *et in deserto*. Et Chald. *Percussit Ægyptios omni percussione, et populo suo fecit multa miracula in deserto.*

Et ceciderunt de Israel triginta millia peditum.) Hebræi enim pedites pugnabant, vix equites, eo quod Deus Deuter. 17. eis si non usum, certe copiam equorum vetuisset, ne in eis, non in Deo spem victoriæ reponerent. Ex hac communi tot millium strage patet, non solos Heli filios sacerdotes, sed et populum, Deum offendisse neglectu templi, victimarum, oblationum, aliisque sceleribus. Sacerdotes enim imitatur populus. Ita Abul. q. 5. Audi S. Hier. epist. 3. ad Heliodor. post clades Romani Imperii recensitas, earum causam suggerentem: *Nostris peccatis barbari fortes sunt: nostris vitiis Romanus superatur exercitus.* Et paulo post: *Infelices nos qui tantum displicemus Deo, ut per rabiem Barbarorum illius in nos ira desæviat.*

Vers. 11. Et arca Dei capta est.) Cur permisit id Deus? Procop. duas dat causas. Prior est, ut doceret Hebræos recte viventes Dei providentiæ confidere; peccantes vero neque arcæ, nec ipsi Deo fidere. *Legis transgressores*, ait Auctor mirab. S. Script. lib. 2. cap. 7. (extat tom. 3. S. August.) *nequaquam legis arca tuetur; sed quæ in ea lex erat, arguit*, ait Theod. Posterior, ut Philisthæi arcam capientes eius vim et potestatem agnoscerent ex plagis ab ea immissis, quas audiemus c. seq. itaque Deum Hebræorum timerent et colerent.

Tertiam causam adde, ut Deus castigaret impietatem filiorum Heli, qui arca et altari ad suas rapinas et scelera abutebantur.

Sic Deus permisit terram Sanctam capi a Chaldæis, et postea Romanis, ac demum a Turcis, ut ostenderet se *non propter locum, gentem; sed propter gentem, locum elegisse.* 2. Machab. 5. 19. ita Theod. quæst. 1. in Daniel.

Tropol. arca ab alienigenis capta indicabat testamentum Dei transiturum ad gentes, ait Eucher. et S. Greg.

Hæc clades Israelis, mors Heli, et captura arcæ contigit anno mundi 2850. ab exitu Hebræorum ex Ægypto anno 397. Id patet ex eo, quod ab hoc exitu usque ad ædificationem templi, quæ contigit anno quarto Salomonis, fluxerunt anni 480. uti dicitur 3. Reg. 6. v. 1. Annus autem hic 480. conditi templi incidit in annum mundi 2933. inde ascende et tolle tres annos regni Salomonis; 40. Davidis, et 40. Samuelis et Saulis, invenies Heli, qui immediate præcessit et iudicavit populum ante Samuelem, mortuum esse anno mundi 2850. hoc est ante templum conditum anno 83. iam cum mortuus sit Heli anno ætatis 98. ut dicetur v. 15. hinc sequitur eum natum esse anno mundi 2752. ab exitu ex Ægypto anno 299. ante templum 181. cumque ipse iudicavit Israel 40. annis, sequitur illum principatum hunc iniisse anno mundi 2810. ab exitu ex Ægypto 357. ante templum 123. cum ageret annum ætatis 58. Hæc iuxta chronologiam quam præfixi Pentateucho.

Nota: Magis puniti sunt Hebræi post adductam in castra arcam, quam ante adductam: nam ante, cæsa sunt dumtaxat quatuor millia, post adductam vero triginta millia; quia scilicet propter arcæ et templi a Sacerdotibus et populo violati scelus, a Deo irato et iam in arca præsente acrius puniebantur; præsertim quia scelus hoc aliaque plura seria pœnitentia non corrigebant. Allegor. significabatur plures Iudæos a Deo damnandos fore post Christum, quam ante Christum, quia scilicet ipsi Christum spreverunt, eumque occiderunt, et eorum posteri parentum Christicidium defendentes in Christum credere nolunt. Ita Beda. Sic acrius a Deo puniuntur qui coram eo in templo peccant, quam qui foris: sacra enim sacrilegos non tuentur, sed vindicant et castigant.

Cumque ille nominasset arcam Dei cecidit de sella retrorsum iuxta ostium (*Templi*, ait Tertul. lib. de ieiuniis c. 10. et S. Chrysost. lib. 3. contra vituper. vitæ monast. *vel urbis Silo:* in portis enim sedebant iudices, qualis erat Heli, præsertim quia ipse avide expectabat ab adventantibus ad portam urbis, cognoscere eventum prælii) et fractis cervicibus mortuus est.) Hinc notat Abulen. Caiet. et alii virum pium fuisse Heli, utpote quem non filiorum, nec populi, ita tangeret cura, ut arcæ et sacrorum religio. Cecidit ergo retrorsum, eo quod plane consternatus, ac præ angore, pavore et stupore, spiritu deficiente iam se in alta sede continere non posset. Retrorsum autem, quia cathedra hæc erat vacua, et carens fulcris quibus nostræ sedes dorsum sedentis suffulciunt. Ita Abulen. Monet ergo nos Heli, ait Dion. quam nos de terræ sanctæ, ac tot Ecclesiarum et animarum captione ab hostibus dolere debeamus.

Audi B. Petrum Damiani libr. 1. epist. 6. ad Nicolaum Pontificem Prælatos percellentem: « Si Heli propter duos dumtaxat filios, quos non ea qua digni erant invectione corripuit, cum eis simul et cum tot hominum multitudine periit; qua arbitramur dignos esse sententia, qui in aula Ecclesiastica et in soliis iudicantium præsident, et super non ignotis pravorum hominum criminibus tacent? Qui dum dehonestare homines in publico metuunt, ad contumeliam superni Iudicis divinæ legis mandata confundunt; et dum perditis hominibus amittendi honoris officium servant, ipsum Ecclesiasticæ dignitatis auctorem crudeliter inhonorant. »

Quæres, an Heli sit damnatus? Affirmat S. Gregor. hic et 2. parte Past. 6. « Quia, inquit, falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit: hinc namque divina voce ei dicitur: Honorasti filios tuos magis quam me. » Nonnulli putant Heli damnatum.

Et Eucherius; » Heli sacerdos, inquit, pro filiorum iniquitate damnatus est, quod eos peccantes minus severa animadversione plectebat. Equidem coercuit, equidem corripuit, sed lenitate et mansuetudine patris, non severitate et auctoritate Pontificis. Qua sententia discant sacerdotes quomodo filiorum etiam propter scelera puniantur quique; et quamvis sancti sint, culpa tamen subditorum eisdem, si non coerceant, imputetur. »

Sic et Beda. Idem videtur sentire S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. S. Chrysost. hom. 59. in Genes. et alibi sæpius, et S. Cæsarius Arelat. hom. 15. B. Petrus Damiani tom. 3. epist. 16. cap. 18. Quin et S. Augustin. lib. Civit. 4. ait Heli reprobatum eodem modo quo Saul.

Contrarium censent Theod. Lyran. Dion. Abulen. Caiet. Serarius, Sanchez, Mendoza. Idque probatur Primo, quia Heli fuit vir probus et pius, ideoque ad eum translatus fuit Pontificatus æque ac principatus; rursum audita arca expirans maximum dolorem, ex eoque maximum religionis zelum ostendit. Verius est eum esse salvatum. Prob. 1. Secundo, quia licet peccarit nimia lenitate et indulgentia erga filios, tamen ex parte eum excusat, quod præ senio non ita poterat eos severe corrigere, præsertim cum illi iam essent viri, et patris senis iussa dictaque contemnerent. 2. Tertio, quia esto demus eum lethaliter peccasse: tamen videtur pœnituisse, ac duram pœnitentiam a Deo iniunctam humiliter acceptasse, cum dixit c. 3. 18. *Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat.* Quid amplius pœnitens dicere posset? 3. Quarto, quia Deus ideo tam dure eum punivit in hac vita, ut ei parceret in futura: ideo enim ultimus mortuus est, ut tam multas suorum mortes audiendo multoties moreretur. 4. *Deus*, enim *non punit bis in idipsum*, ut ait Sophon. Porro quo sensu dicatur c. 3. *iniquitas eius non delenda in æternum,*

ibidem explicui. Denique Heli culpam omnem residuam in purgatorio luisse et expiasse videtur, ait Dion. et ex eo Mendoza. Porro multi Patrum iam citatorum asserentium Heli damnatum, exponi possunt de damnatione ad mortem temporalem, aliasque pœnas illi, id est posteris eius inflictas.

Et ipse iudicavit Israel quadraginta annis.) Ita Hebr. Chald. Ioseph. Theod. perperam ergo Sept. pro 40. habent viginti. Porro S. Chrysost. lib. 3. de Providentia ante medium: *Samuel*, inquit, *cum intueretur magistrum in mortem miserabilem devectum, ita confusus atque turbatus est, ut decebat gratum amabilemque discipulum.*

Vers. 19. Incurvavit se et peperit.) Quia dolor et angor acceleraruntei partum, adeoque peperit fœtum septimestrem, ait Iosephus, cum communiter gravidæ parere soleant nono vel decimo mense a conceptu. Porro partus septimestres esse vitales docet Galenus lib. Isagogico de definit. medicis, et alii quos citat et sequitur Pineda libr. 4. de rebus Salom. c. 10. imo Philo, vel potius Pseudophilo in Antiq. Biblicis, ait Isaac natum septimo mense, ideoque diu vixisse: sed hoc videtur fictitium. Denique matrem hanc paulo post reipsa expirasse, docent Iosephus, S. Gregor. Eucher. Angelom. Dion. et alii passim.

Vers. 21. Et vocavit puerum Ichabod, dicens: Translata est (Hebr. *gala*, id est migravit, transmigravit ab Israele ad Philisthæos) gloria de Israel.) *Ichabod* Hebr. dicitur quasi אִיכָּבוֹד *e chabod*, id est *ubi gloria?* scilicet evanuit. Iosephus vertit ἀδοξία, id est *ingloria, ignobilitas, vilitas*; q. d. vocetur hic puer Hebr. Ichabod, Græce ἄδοξος, Latine inglorius: quia eo nascente occidit Israelis gloria, q. d.

Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum, etc.
Nunc tantum cinis, et statio male fida carinis.

Licet enim Ichabod successurus videatur patri suo Phinees et avo Heli in Pontificatu; tamen capta iam arca et translata in Philisthæam, omnis eius, æque ac totius Israelis gloria concidit et corruit.

Nota: Heli morienti in principatu successit Samuel, in Pontificatu non Phinees vel Ophni, utpote iam occisi, nec Ichabod utpote infans; sed Achitob nepos Heli ex filio, ut patebit c. 14. 3. ita Mendoza. *Samuel succedit in principatu Heli; Achitob in Pontificatu.*

Et pro socero suo et pro viro suo.) Primo, *pro*, id est *de*, q. d. translata gloria regni de Israel, et gloria Pontificatus de socero suo Heli, et marito Phinees.

Secundo, id referri potest ad τὸ *vocavit*, q. d. vocavit mater filium Ichabod, tum ex se, tum pro socero et viro suo, cuius erat nomen filio imponere. Aut ad τὸ *dicens*, q. d. *pro*, id est propter virum suum cæsum, et socerum suum mortuum dixit: *Translata est gloria de Israel*, quia Israelis Principes et Pontifices, scilicet Heli et Phinees occubuere cum arca capta. Ita Chald. et Vatab.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arca a Philisthæis capta et collocata in templo Dagon, prosternit et mutilat Dagonem. Mox Deus v. 6. pudendis morbis et muribus affligit Azotios; inde v. 9. Gethæos, et v. 10. Accaronitas: quare decernunt ipsi arcam in Israel esse remittendam.

1. Philisthiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a Lapide adiutorii in Azotum. 2. Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam iuxta Dagon. 3. Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in locum suum. 4. Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen: 5. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem. 6. Aggravata est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos: et percussit in secretiori parte natium Azotum, et fines eius. Et ebullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnæ in civitate. 7. Videntes autem viri Azotii huiuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, et super Dagon Deum nostrum. 8. Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, et dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel. 9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis: et percutiebat viros uniuscuiusque urbis, a parvo usque ad maiorem, et computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, et fecerunt sibi sedes pelliceas. 10. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum. 11. Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum; qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro. 12. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Dei, viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium, et ascendebat ululatus uniuscuiusque civitatis in cælum.

Vers. 2. Statuerunt eam iuxta Dagon.) Idolum, sive Deum suum; tum ut eum hoc dono honorarent, ait S. August. 17. Civit. c. 4. tum ut ei quasi victoriæ auctori nobilissima hæc spolia deferrent, ait Ioseph. lib. 6. c. 1. Theod. et Procop. q. d. ecce Dagon noster vicit Deum Hebræorum, nosque eorum victores effecit. Subdatur ergo arca Dei pedibus Dagonis. Hac de causa iniuriam suam tantam ulciscens Deus Dagonem deiecit, ac Philisthæos plurimos morte mactavit. Audi Theod. et Procop. *Dum Philisthini arca apparente et Hebræis vociferantibus extimuissent, utilitatem et auxilium acceperunt, cum vero post victoriam, arcam eamdem contempsissent, ipsa experientia, quanta Dei virtus esset, didicerunt.*

Quæres: Quis et qualis fuit Dagon? Resp. fuisse præcipuum Philisthinorum Deum. Lilius Gyraldus de Diis Gentium Syntag. 2. p. 109. censet Dagon fuisse Iovem *Dagon quid?*

Aratrium, quem colebant Phœnices, ut frumenti et ara-
Resp. 1. tri inventorem; ideoque dictum Dagon a דָּגָן *dagan*, id est *frumentum*. Sic quoque Eusebius lib. 1. de præparat. Arias, Pagnin. et alii qui censent Dagon fuisse Deum frumentarium, sive frumenti præsidem, qui scilicet messis copiam, et frumenti abundantiam suis cultoribus daret.

Alii passim *Dagon* derivant a דָּגָה *Daga*, id est *piscis*, quod idolum hoc piscis formam haberet. Cum enim Philisthæi essent accolæ maris, piscationi dabant operam, ideoque fabricarunt et coluerunt Dagon, quasi piscium et piscationis præsidem. Unde S. Hieron. in Quæst. *Dagon*, inquit, *idem est Hebr. quod piscis tristitiæ*. Porro idolum hoc erat quidem specie piscis, sed homine misti. Erat ergo compositum ex homine et pisce, ita ut caput (licet Lyran. Abulens. Adrichom. et alii censent Dagon habuisse caput piscis) et manus essent hominis, ceteris deinde membris ab umbilico deorsum, in piscem piscisque caudam desineret. Id patet ex eo, quod manus illi coram arca præcisæ fuerint v. 4. ita Vatab. Caiet. et alii mox citandi. Dagon ergo fuit instar Nereidum, Tritonum et Sirenum, quæ faciem habent muliebrem, et in piscem desinunt; de quibus Horat. in arte Poet.

Desinit in piscem mulier formosa superne.

Confirmatur, quia Syri et Palæsthini pisces coluerunt quasi Deos et numina. *Syri*, inquit Xenophon lib. 1. expedit. Cyri, *pisces habent sacrosanctos*. Cicero lib. 3. de nat. Deorum: *Syri*, inquit, *piscem venerantur*. Clemens Alexandrinus in exhortatione ad gentes: *Qui Phœniciam incolunt Syri, columbas et pisces impense colunt*. Diodorus Siculus lib. 3. c. 2. *Unde et Syri*, inquit, *ad hæc usque tempora his piscibus abstinentes eos pro Diis colunt.*

Insuper Iosephus et alii asserunt Dagon esse Dercetem (quam alii Atergatim vocant) sive Deam Syriam, quæ a Syris creditur in piscem mutata, ideoque specie piscis colitur, ita ut inferne habeat caudam piscis, superne faciem hominis, puta feminæ.

Quocirca Diodorus Siculus loco iam citato, Anton. Nebrissen. in quinquag. c. 6. Sanchez, Lyran, Abulen. Scaliger, Serarius et alii censent Dagon sive Dercetem esse Venerem. Pisces enim instar veneris luxuriant et mire prolificant. Unde Venus dicitur nata e mari, indeque nuncupatur Aphrodite, ac a Poetis fingitur in piscem transformata.

Fuit Venus. Audi Ovid. 4. Metamor.

Dercete quam versa squamis velantibus artus,
Stagna Palæsthini credunt coluisse figura.

Et Manil. libr. 4.

In piscem sese Cytheræa novavit,
Cum Babylonicas submersa profugit in undas.

Favet quod Herodot. lib. 1. tradat Venerem ab Ascalonitis mire coli in templo suo antiquissimo, indeque Cyprios eidem simile templum dicasse.

Porro Gentes suos Deos nominabant et colebant tam specie feminea, uti erat Venus et Dercete, quam virili, imo unum eundemque nunc pingebant ut virum, nunc ut feminam, teste Macrobio lib. 3. Satur. 8. Horat. lib. 1. Apol. 12. et Ammon. lib. de Interpret. Vide Serarium in c. 16. Iudic. q. 23. Audi et Rhodiginum lib. 25. c. 5. « Semiramidem, inquit, deæ cuiusdam Dercetus fuisse filiam fabulosa prodit historia. Eius templum fuerat ad Ascalonem Syriæ civitatem apud stagnum piscibus plenum. Eamdem Plinius vocat prodigiosam Atergatim, quod esset facie hominis, et corporis reliqua in piscem desinerent, ferunt Venerem factam deæ illi obviam, quandoque adolescentis speciosi amorem iniecisse, cui permixta Derceto filiam conceperit, etc. At dolore percita Derceto ex facti turpitudine in lacum se præcipitem dedit, deformataque in piscem est. »

Tropol. *Philisthiim* Hebr. idem est quod *conspersi* aut *conspergentes*, aut *ruinam ponentes*, aut *ruinam potantes*, ait Pagnin. hi sunt homines animales, terreni et carnales, qui colunt Dagon, id est Venerem et ventrem, de quibus ait Apostolus Philipp. 3. *Quorum Deus venter est:* hi sordibus gulæ et luxuriæ, se aliosque conspergunt, ac ruinam potant, quia mortem præsentem ac æternam sibi ac-
A cersunt, iuxta illud Pauli: *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem*, 1. Gal. 6. 18. Unde S. Bonavent. in Psalm. 28. 1. *Dagonem* vocans *idolum Veneris*. *Philisthæi*, ait, *posuerunt arcam Domini iuxta idolum Veneris Dagonem: sic mali Sacerdotes, quando ponunt filium Virginis iuxta filium Veneris in altari.* Quam atrociter ergo puniet eos Deus, cum tam atrociter punierit Philisthæos?

Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante ar- Vers. 3.
cam Domini.) Quasi ab illa prostratus, illi subiectus, illamque adorans. Nota: Deus hic iniuriam arcæ, id est sibi super arcam residenti illatam gravi pœna ulciscitur, eaque triplici. Prima, in Dagonem, qui arcam quasi devictam sibi subditam habebat, posternendo ante arcam, ut illam adorare videretur. Secunda, in Philisthæos, eos partim morte, partim morbo ani pudendo mulctando. Tertia, in ipsam regionem, mures immittendo, qui omnia sata et germina depascerent. Unde prudenter Theodor. serm. 10. de Provident. *Deus*, inquit, *traditæ arcæ ma-*
B *iestatem tuetur, allophylos docens quod non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem.* Tropol. S. Chrysost. citatus a Glossa Exodi 23. v. 23. *Non possunt*, inquit, *virtutes cum vitiis morari, sed cum a virtutibus vitia fuerint superata, locum quem concupiscentiæ spiritus possidebat, charitas obtinebit; quem furor ceperat, patientia vindicabit: quem tristitia mortem operans occupaverat, salutaris et plena gaudio lætitia possidebit: quem acedia vastavit, excolet fortitudo; quem superbia conculcabat, humilitas honestabit; singulis vitiis expulsis eorum loco virtutes contraria possidebunt.* q. d. Non possunt simul habitare arca et Dagon, id est virtus et vitium, Deus et diabolus. Rursum arca est Eucharistia, quæ ab energumenis expellit dæmones. Audi Cassian. Collat. 7. c. 30. *Communionem*, inquit, *eis sacrosanctam a senioribus nostris numquam meminimus interdictam: quin imo si possibile esset, etiam quotidie eis impartiri eam debere censebant.* Et paulo post: *Quæ ab homine percepta, eum, qui in mem-*
C *bris eius insidet spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium.*

Caput autem Dagon et duæ palmæ manuum (hoc Vers. 4.
est ambæ manus extensæ: hæ enim vocantur volæ sive palmæ: hoc signo Dagon fatebatur se victum ab arca, nam si manus in pugnum contraxisset, visus fuisset arcæ minari, illamque velle percutere) eius abscissæ erant super limen.)

Priori plaga v. 3. Dagon sua sede et solio erat deiectus in terram dumtaxat: at cum illum in suum solium restituere Philisthæi, peius mulctatus est, capite scilicet et pedibus, ut quasi truncus iaceret in pavimento. Lucifer pro εκαϛου, id est unaquæque, legens εκατου, id est centum in Sept. vertit: *et ambo vestigia manus eius ablata erant per partes centum.*

Porro videntur alii etiam Philisthæorum Dii in ceteris eorum urbibus eadem vel simili qua Dagon, pœna mulctati, uti insinuatur c. 6. 5. per quod mystice significabatur idololatriæ interitus per arcæ dominicæ, id est Christi
D et Apostolorum eius adventum, ait S. Gregor. Angelom. et Beda. Rursum Hugo Victor. lib. 5. Allegor. c. 8. *Caput*, ait, *Dagon significat superbiam diaboli: duæ palmæ operationem idololatriæ, limen finem impiæ culturæ.*

Propter hanc causam non calcant sacerdotes Vers. 5.
Dagon, etc. super limen.) Tropol. S. Gregor. « Sacerdotes Dagon, ait, usque in hodiernum diem remanent, quia qui per immunda desideria antiquo hosti sacrificet, adhuc est. Qui profecto super templi limen calcare refugiunt, quia neque immundis suggestionibus, nec malis operibus resistunt. Dagon itaque Sacerdotes sunt, quia etsi manufactis se idolis non humiliant, concupiscentiarum tamen simulacris per nefaria opera se incurvant. »

Porro Gentiles limina templorum Deorum suorum osculatos esse, ex historiis clarum est. Audi Tertul. lib. de corona militis cap. 13. *Christianus*, inquit, *nec ianuam suam laureis infamabit: si norit quantos Deos etiam ostiis diabolus affinxerit, Ianum a ianua, Limentium a li-*

mine, Forculum et Cardam a foribus et cardinibus.

Sic Christiani limina templorum olim osculabantur, et limina S. Petri etiamnum Romæ osculantur.

Vers. 6. Et demolitus est eos.) Id est excidit, occidit, perdidit eos, ut patet v. 9. et sequentibus. Prima Dei plaga fuit in Deum Dagonem: hæc vero secunda fuit in ipsos Philisthæos: multos enim ex eis Deus subita morte percussit, alios morbo fœtido afflixit. Nam,

Percussit in secretiore parte natium Azotum.)

Marisca quid? Fuit hic morbus alvi et ani, ita ut intestina eorum computrescerent et per anum foras prominerent. Unde Vatab. vertit vocatque *mariscas.* Est enim marisca ficus insipida, quæ hiando aperitur, et sua interna rubendo ostentat, de quibus Martial. lib. 11. *Purpureæque Chelidoniæ, vilesque mariscæ.* Inde morbus hic animarisca dicitur, quia fici iam dictæ habet similitudinem. Unde Iuvenal. Satyra 2. *Cæduntur tumidæ medico vidente mariscæ.* Congrua est hæc pœna ventri deditorum, quales erant Philisthæi, quorum, ut ait S. Bern. *non alia est cura, quam cibum ingerere, digerere et egerere.* Nam ut ait Christus Matth. 15. 17. *Omne quod in os intrat in ventrem vadit, et in secessum emittitur.*

Iosephus, et ex eo Theodor. Procop. Dion. Lyran. hunc morbum vocant dysenteriam, non vulgarem, sed propriam et peculiarem. Theodor. ex Aquila vertit phagedænam, id est cancrum, sive ulcus exedens. Alii apud Franc. Lucam in notis hic vocant cirinnium vel fratigium. Alii luem veneream, Rabbini, Abul. et Genebr. vocant hæmorrhoidas. Sidonius p. 592. *Obscœnum turgenti podice morbum.* Videtur hic morbus fuisse peculiaris et novus, adeoque non unus, sed multiplex, singulariter a Deo vindice Philisthæis immissus: nam præter dolores acres, pariebat intestinorum putrefactionem et egestionem.

Porro hic morbus grassabatur per omnes Philisthæorum urbes, pagos et villas; ut patet v. 6. nec ulli dignitati, ætati vel sexui parcebat; nec ullo remedio curari poterat v. 9. duravitque per septem menses c. 6. v. 1. Meminit Herodotus lib. 1. sub medium, huius morbi, sed more Gentilium res Iudaicas depravantium vera falsis admiscet, ut notat Iosephus lib. 10. Antiq. c. 1. ait enim, Ascalone esse templum Veneris, quod nonnulli expilarint, ideoque mariscis percussi sint.

Et nati sunt mures.) Tertia fuit hæc plaga mu-

Plaga murium quanta? rium, qui, ut ait Iosephus, hortos, agros, vineas, omnesque segetes, fruges et fructus depascebantur, uti fecit plaga ranarum in Ægypto, Exodi 8. Hebræi nonnulli addunt, mures hos et mariscis sanguinem suxisse. Addit S. Gregorius lib. 3. cap. 3. momordisse ventrem Philisthinorum, cum eum in secessu exonerare vellent. Causam dat Auctor mirab. sacræ Script. apud S. Augustinum lib. 2. cap. 7. *Qui misera,* inquit, *animalia divino cultu venerabuntur, per miserrima animalia in adventu dominicæ legis castigantur; qui tabernaculi Domini interiora, id est arcam extra limites suos protraxerunt, hi interiorum suorum foras prominentium fœda affliguntur clade.*

Alia causa erit, si cum Eusebio, Gyraldo et aliis iam citatis dicamus Dagonem fuisse Deum frumenti: quia ergo hunc colebant Philisthæi, hinc iuste a Deo muribus puniuntur, ut illi frumentum Dagonis rodant et vorent.

Porro hinc nota est hæresis eorum qui a muribus dicti sunt Musoritæ, de quibus Philastrius lib. de Hæres. *Musoritæ,* ait, *sunt quidam nomine qui sorices colunt: qui sub Belo* (ego sub Helo seu Heli lego) *Sacerdote, cum fuisset capta arca testamenti ab Allophylis, atque ex ira Dei produxisset terra sorices ut eorum fruges deperirent, admoniti a suis fecerunt aureos mures.*

Porro mures hos Philisthinorum supernaturales fuere, ait Abulen. quia nulla causa naturalis eos tam subito et in tanto numero producere potuisset.

Denique audi S. Anton. Magirum in Palæstina fol. 241. *Nonnullis,* ait, *in locis Palestinæ agri sunt pene deserti ob murium et soricum abundantiam, quos nisi quædam aves devorarent, nullam sementem possent facere incolæ.*

Similes clades a muribus sæpius illatæ sunt. Unde *M. Varro,* ait Plinius lib. 8. cap. 29. *auctor est a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia, ab ranis civitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa, ex Gyaro Cycladum insula incolas a muribus fugatos.* Idem libr. 10. c. 68. ait mures e Troade fugasse accolas, ac rationem addit quod mus sit fœcundissimus adeo ut ex uno geniti sint 120. Sic Popielus Poloniæ princeps a muribus est comestus, quod patruos suos veneno necasset; ex eorum enim cadaveribus mures enati ipsum cum uxore et filiis corroserunt, uti narrat lib. 2. rerum Polonic. Martinus Cromerus.

Idem Harroni Archiepiscopo Moguntiæ contigisse scribit Trithemius Chron. Hirsaug. ad annum 967. et Genebr. anno Domini 970. sed id refutat Serarius in sua Moguntia.

Omnes Satrapas.) Id est præfectos et principes. *Satrapæ,* ait S. Thom. lib. 3. de regim. Princip. c. 22. *dicti quasi sat parati ad munus suum et ab bellum,* vel quasi *sat rapientes,* hoc est diripientes subditos: ingeniosa est hæc allusio et lusus ingenii. Nam constat *Satrapas* esse nomen Persicum. Esther. 3. 12. Daniel. 3. 2. Hinc et Herodotus lib. 3. ait Darium regem Persarum Babylonem divisisse in 28. Satrapias sive præfecturas. Vers. 8.

Circumducatur arca.) Hoc consilium dant Gethæi, quia putabant cladem hanc Azotiis accidisse, non ex arca, sed ex natura loci, v. g. ex infecto et pestilenti aere, vel influxu maligno astrorum, ait Theod. et Procop. unde et capite sequenti post circumductæ arcæ plagas, adhuc explorant per sortes vaccarum an ab arca, an casu hæ plagæ eis obvenerint. Hinc et Sept. vertunt: *Transeat arca ad nos,* q. d. Non timemus arcam arcæque vindictam, veniat illa ergo ad nos.

Pravum et infidele fuit hoc Gethæorum consilium, quod proinde Deus in ipsos eorumque stragem retorsit. Sic Iudæi occiderunt Christum, ut eius nomen delerent, et correptiones effugerent; sed per hoc magis eius nomen auxerunt, et ultimum per Titum excidium incurrerunt. Præclare Nazian. Orat. 1. de fuga sua sub finem: *Solus,* inquit, *ex omnibus rebus Deus est, qui nec fuga vitari nec superari potest; cum aliquem arripere ac sub manum et potestatem redigere voluerit, celeres antevertit, prudentes decipit, fortes subvertit, sublimes contrahit, audaciam mitigat, potentiam premit.*

Manus Domini.) Id est plaga et percussio Dei, hæc Vers. 9.
enim apud homines fit manu: manus autem Dei est immensa eius potentia.

Et computrescebant prominentes extales eorum.) Id est exta sive intestina et viscera putida per anum defluebant, uti contigit Arrio Hæresiarchæ.

Hebr. est *latuerunt ipsis* עפלים *ophelim,* id est morbi occulti ani q. d. percussi sunt occultis et pudendis hisce morbis. Sept. *percussi sunt in natibus.* Chald. *in constrictionibus.* Huc respexit David canens Psalm. 77. 66. *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.*

Porro Abulen. quæst. 15. ait nonnullos censere, non tantum Philisthæos percussos fuisse in secretiori parte natium, sed etiam Hebræos recentiores, qui frequentem sanguinis fluxum seu hæmorrhoidem patiuntur in pœnam illius sacrilegii, quo postularunt Christi Domini mortem, exclamantes: *Sanguis eius super nos et super filios nostros.* Et in hunc sensum interpretantur illud: *Percussit inimicos suos in posteriora.* Psalm. 77. v. 66. sed prudenter opinatur illos errare, cum nullo Scripturæ testimonio fulciantur.

Et fecerunt sibi sedes pelliceas.) Biblia Regia, item Hebr. et Chald. S. Greg. Lyran. et alii hæc omittunt (vide Franc. Lucam in notis hic) habent tamen Sept. correcti, nisi quod τὸ *pelliceas* omittant; sed morbus hic sedes molles exigebat: tales autem sunt pelliceæ. Unde et Theodor. id videtur legisse. Ait enim eos fecisse sibi *sedes* χρυσᾶς, id est *aureas;* sed pro χρυσᾶς, legendum videtur βυρσᾶς, id est *pelliceas.* Ad quid enim aureæ hoc loco, nisi ad mali et doloris augmentum? Porro Lyran.

Dion. Caiet. Mendoza et alii sedes hic proprie dictas accipiunt, has enim aiunt fecisse pelliceas, ut mollius sederent. Verum noster Sanchez per *sedes* apposite per Metonymiam intelligit *vestes*, ad partes illas male affectas fovendum, ac ad viscera defluentia et emplastra eis imposita continendum. Palæstini enim femoralibus non utebantur. *Sedes* ergo, inquit, sumitur pro *vestes*, id est natium integumenta, sicut pes sumitur pro calceo, et corpus pro corporis veste. Sic et Abulen. qui et tertiam causam addit, ne mures partes illas invaderent et roderent. Huc facit quod Sept. et Aquila hoc versu vertant: *Percussit eos in sedibus eorum: in sedibus*, id est in natibus quibus sedetur: pari enim modo hic natium tegumenta vocari possunt sedes.

Porro congrua hæc fuit culpæ Philisthæorum pœna; quia enim ipsi suum Dagonem ab arca, solio, sedeque sua deiectum in illud restituerant, iuste ipsi morbo puniti sunt in eo membro quo sedere solebant, ut sedere non possent, nisi in sedibus pelliceis, eo quod Deo vero solium divinitatis abnegassent, illudque suo Dagoni assignassent. Ita Theodor. *Sedes*, inquit, *morbum passi sunt, qui arcam divinam impie locaverunt; nempe apud Deum falso appellatum*. Sic et Procop. Huic simile est quod de Arriano quodam scribit S. Athanas. in epist. ad Solitar. *Ut olim*, inquit, *Azoti incolæ ausi arcam attingere, quam illis vel oculis conspicere nefas fuit, sedium tormentis excruciati peribant: sic Arrianus quidam iuvenis ausus sellam ligneam templi Alexandrini* (ex qua docebat S. Athanasius) *convellere, fragmento ligni inde in ventrem resiliente intestina sua perforavit, et eadem vi qua solium disrumpere conabatur, rupta alvo intestina effudit, celeriusque quam ipse thronum auferret, thronus ei vitam sustulit.*

Aliam rationem dat Auctor de mirabil. S. Script. l. 2. c. 7. *Quatenus*, inquit, *qui tabernaculi Domini interiora, id est Arcam extra limites suos protraxere, intraneorum suorum* (alias *interiorum suorum*) *foras prominentium fœda affligerentur clade.*

Simili viscerum dolore punitus fuit Antiochus ob direpta vasa templi 2. Machab. 9.

Tertiam causam dat Rupert. et Glossa, scilicet Philisthinos fuisse pæderastas et masculorum concubitores, ideoque eo membro quo peccarant fuisse punitos. Insinuat idipsum Isaias c. 2. 6. dicens: *Augures habuerunt ut Philisthiim, et pueris alienis adhæserunt.*

Simbol. Mendoza: *In posterioribus*, inquit, *Philisthini percutiuntur, ut in tota sua posteritate feriendi significentur; hoc est, non solum in hac vita, sed etiam in futura; nec solum in suis corporibus, sed etiam in suis filiis ac nepotibus.* Sic Petrus Blesensis epist. 48. comparans improbos Prælatos ac Principes cum Philisthinis: *Nonne*, inquit, *isti in posteriora percussi sunt, quorum finis interitus, quorum posteritas damnata est: ut successor eorum in Ecclesia Dei de cetero non resurgat*, iuxta illud Psalm. 77. 66. *Opprobrium sempiternum dedit illis.* Huc facit illud Amos. 1. 6. *Et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philisthinorum.*

Simili modo Deus punivit irrisores S. Thomæ Cantuariensis, qui amputata equi quo vehebatur, cauda eum subsannabant; sed Deus caudam eis rependit. Nam omnes in posterioribus caudati effecti sunt, nec tantum ipsi, sed omnes eorum posteri usque in hodiernum diem: uti refert Polydor. Virgil. lib. 13. Histor. Anglicanæ.

Gravissima valde manus Dei.) *Manus*, id est ultio, percussio, interfectio. Philo in Antiq. Biblicis numerum cæsorum ita distinctim assignat: *Mulierum in utero habentium septuaginta quinque millia. Puerorum adhuc infantium et lactentium sexaginta quinque millia. Mulierum nutrientium et lactantium quinquaginta quinque millia. Virorum iam adultorum viginti quinque millia. Omnium simul collectorum ducenta et viginti millia.* Verum hic non est Philo, sed Pseudophilo. Vers. 12

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Philisthæi remittunt arcam in Israel cum quinque anis et totidem muribus aureis, ut supplicium anorum et murium evadant. Plaustro ergo eam imponunt, non ab equis, sed a duabus vaccis protracto, explorantes an vaccæ recta tendant in Israel, an alio deflectant, ut sciant an a Deo Israel, an casu hæc plaga eis acciderit Vaccæ cum arca recta pergunt in Israel ad terminos Bethsames. Bethsamitæ eam excipiunt, et vaccas in holocaustum offerunt: sed ex eis Deus percussit 50. millia, eo quod curiosius arcam aspexissent. Quare Bethsamitæ arcam in Cariathiarim mittere destinant.

1. Fuit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus. 2. Et vocaverunt Philisthiim sacerdotes et divinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt: 3. Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, et tunc curabimini: et scietis quare non recedat manus eius a vobis. 4. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi: 5. Iuxta numerum provinciarum Philisthinorum quinque anos aureos facietis, et quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, et satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, et similitudines murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israel gloriam: si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra. 6. Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus, et Pharao cor suum? nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, et abierunt? 7. Nunc ergo arripite et facite plaustrum novum unum: et duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi. 8. Tolletisque arcam Domini, et ponetis in plaustro, et vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius: et dimittite eam ut vadat. 9. Et aspicietis: et si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minime: sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit. 10. Fecerunt ergo illi hoc modo: et tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi. 11. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam, quæ habebat mures aureos et similitudines anorum. 12. Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur pergentes et mugientes: et non declinabant neque ad dextram, neque ad sinistram: sed et satrapæ

Philisthiím sequebantur usque ad terminos Bethsames. 13. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle: et elevantes oculos suos, viderunt arcam, et gavisi sunt cum vidissent. 14. Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. 15. Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, et capsellam quæ erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, et immolaverunt victimas in die illa Domino. 16. Et quinque satrapæ Philisthinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa 17. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Domino. Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum: 18. Et mures aureos secundum numerum urbium Philisthiim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro, et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in illum diem in agro Iosue Bethsamitis. 19. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini: et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna. 20. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? et ad quem ascendet a nobis? 21. Miseruntque nuntios ad habitatores Chariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim arcam Domini, descendite, et reducite eam ad vos.

Vers. 1. SEPTEM MENSIBUS.) Ita Hebr. Chald. et ceteri. Perperam ergo Iosephus habet *quatuor mensibus*. *In regione Philisth.* Sept. *in agro*, quod Theodor. sic explicat: *Cum*, inquit, *nulla civitas auderet arcam excipere, eam foris reliquerunt sub dio; sic enim docuit Historiographus*: *Fuit enim*, inquit, *Arca Domini in agro alienigenarum menses septem; postquam autem existimarunt foris manente Arca se esse liberos a plagis a Deo immissis; intulit Deus supplicia etiam rebus inanimis. Immisit enim murium multitudinem in vites et segetes, qui omnes eorum fructus perdiderunt.*

Sic et Procopius: quod sic intellige, non quod plaga murium tum cœperit, sed quod tum confirmata sit et aucta. Hinc colligitur arcam a Philisthæis fuisse captam in Septembri, qui mensis apud Hebræos erat solemnis et magna ex parte sacer. Eo enim præter festum Neomeniæ, celebrabant festum Tubarum, et Tabernaculorum per octo dies, item festum Expiationis, ac Cœtus sive Collectæ, ut patet Levit. 23. Quare illo mense omnia erant plena oblationibus et victimis, quas, quia violarant et profanarant filii Heli, ac multi e populo eos imitantes; hinc eodem mense voluit Deus capi arcam, ut eodem mense punirentur quo gravius in eam peccarunt. Id ita esse liquet ex eo quod arca capta fuerit in Philisthæa per septem menses, quibus exactis remissa in Bethsames cum meteretur triticum, ut dicitur v. 13. Hæc autem messis in Palæstina fit in fine Aprilis: iam computa retrogrado ordine septem menses ab Aprili, et incides in Septembrem iam dictum.

Vers. 3. QUOD DEBETIS REDDITE EI PRO PECCATO.) Peccatum intellige ablatæ arcæ, ideoque irreverentiæ Deo Hebræorum illatæ, præsertim in Philisthinorum opinione et conscientia, ait Abul. Nam alioqui si Philisthini iustum contra Hebræos gerebant bellum, non erat grave peccatum, cum reliquis spoliis arcam quoque religiose transferre. Peccatum autem verum et grave, ob quod a Deo flagellabantur, erat, quod ipsi arcam cum suo idolo Dagon collocassent, imo eam Dagoni subiecissent, et quasi trophæum dicassent: sed ipsi, utpote idololatræ, et cultores Dagon non æstimabant hoc esse peccatum; ideoque Deus eos percussit, ut inde discerent hoc peccatum æstimare, arcamque esse maiorem Dagone.

Vers. 5. QUINQUE ANOS AUREOS, ET QUINQUE MURES AUREOS.) Quasi piaculum plagæ anorum et murium, quo Deus Israel vos percussit. Sic solent offerri sanctis effigies membrorum, quorum sanitatem ab eis recepimus, quasi anathemata

Tropol. docemur hic peccata nostra licet pudenda coram Deo confiteri, ut hac confessione quasi deaurentur. Audi S. Greg. *Quia ad pretium æternæ salutis peccatorum turpitudines atteruntur, flendo deaurantur.* Et post pauca: *Dum*, inquit, *commissa attentius lugemus, in iustitiæ splendorem membra deauramus.* Et mox: *Membra*, inquit, *deaurantur, cum corpus terrena et cœnosa concupiscentiarum fœditate deforme in splendorem commutatur æternæ vitæ; cum videlicet per sanctæ conversationis pulchritudinem radiat, quod in appetitum mundanæ delectationis peccatorum fœtore sordebat*, iuxta illud Apostoli. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.*

SI FORTE RELEVET MANUM SUAM A VOBIS, ET A DIIS VESTRIS.) Hinc patet non solum Dagonem, sed et ceteros Philisthinorum Deos a Deo per arcam fuisse prostratos et afflictos.

ET RECLUDITE VITULOS (adhuc lactantes) EARUM DOMI.) Retrahentes eos a matribus, scilicet a vaccis in itinere, ac in stabulum recludentes, ut indicant Hebr. et Sept. ut videatis an vaccæ ad vitulos suos lactentes recurrant, an vero cum arca pergant in Israel. Hinc vaccæ erant *mugientes*, eo quod a vitulis suis avellerentur. Vers. 7.

ET POSUERUNT ARCAM DEI SUPER PLAUSTRUM.) In trivio, ait Iosephus, absque auriga, quinque Satrapis Philisthinorum spectantibus, et considerantibus, quam viam sponte sua vaccæ inirent; an eam quæ ducebat in Israel, an aliam. Erant hæ sortes divinatoriæ, nec a Deo suggestæ, ideoque superstitiosæ et illicitæ (Philisthini enim vacabant auguriis et sortilegiis, ut patet ex illo Isaiæ 2. 6. *Augures habuerunt ut Philisthiim*) sed Deus eas direxit, vel per Angelos, vel per diabolos, ut ex Orig. vult Mendoza, sortilegii huius instigatores, incitavit vaccas ut viam in Israel capesserent, ut Philisthæi ex suis sortibus cognoscerent a Deo Israel sibi has plagas fuisse immissas. Sic Deus direxit Necromantiam Pythonissæ suscitantis Samuelem; fecitque ut non dæmon ab ea invocatus, sed Samuel prodiret, et Sauli mortem meritam prænuntiaret, 1. Reg. 28. Vers. 11.

Peccarunt ergo hic Philisthæi, tum quia tentarunt Deum Israelis, quem ex tot plagis agnoscere et revereri debebant; tum quia utuntur augurio vaccarum, ut explorent an a Deo, an a casu hæ plagæ acciderint. Prius negat Abul. q. 18. posterius silet; sed utrumque asserit Suarez de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 10. §. 11. Legimus in Sanctorum historiis, eorum reliquias ab equis devectas certo quopiam loco constitisse, ut hoc signo indicarent se ibidem humari et coli velle; sed illa fiebant Dei ductu et instinctu.

Mystice vaccæ mugientes et vitulos suos relinquentes, ac portantes arcam recta versus Bethsames, id est domum solis, significant prædicatores et Sanctos, qui spiritu Dei acti recta per mortificationem carnalis affectus erga filios et parentes, et bona opera in cælum concorditer contendunt. Ita S. Greg. Eucher. Raban. Ruper. Hugo, Lyran. Dion. et alii. Audi S. Greg. *Pergunt vaccæ quia sancti viri bona incessanter faciunt: mugiunt vero, quia carnalia desideria in seipsis extinguere sine magna quotidie tribulatione non possunt. Mugire namque ad laborem edomandæ carnis pertinet: pergere autem ad perseverantiam bonæ voluntatis. Nam dum contra naturam caro carnales motus comprimere cogitur, velut mugit, dum graditur, quia propria desideria adimplere prohibetur.* Et mox: *Bene*, inquit, *duo hæc in Sanctorum profectione describuntur, pergere, et mugire, quia etsi eis ad supernam patriam festinantibus magna est instantia desiderii, est nihilominus invincibilis patientia laboris.* Pro-

bat id exemplo Apostoli dicentis: *Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Phil. 3. 14. Et tamen mugiebat dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. v. 23. et 24. Sic igitur ait S. Greg. *Mugiunt vaccæ, sed pergunt, quia sancti viri, etsi magna sunt tentamenta, quæ perferunt, viam tamen supernæ patriæ non relinquunt.* Plura in hanc rem congerit hic noster Mendoza.

Vers. 12. Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames.) Voluit Deus arcam Bethsames potius quam ad aliam urbem a vaccis duci, quia Bethsames erat vicina Philisthææ, ex qua reducebatur arca (ut patet ex Chorographia Adrichomii) eratque urbs Sacerdotalis: Sacerdotes autem decebat arcam custodire et curare. *Bethsames* Hebr. idem est quod *domus*, id est sedes et civitas *Solis*. Fuit a Iudæis ædificata instar Heliopolis Ægypti. Sicut enim vitulos aureos quasi Deos ab Ægyptiis, ita et cultum solis Iudæi acceperunt, ait noster Sanchez Ierem. 43. in fine capitis. Porro Bethsames hæc non erat in tribu Beniamin, uti scribit S. Hieron. in locis Hebr. nec in tribu Dan, ut vult Adrichom. sed in tribu Iuda, uti diserte dicitur 4. Reg. c. 14. v. 11. Erat alia quoque Bethsames in tribu Nephtalim, ut patet Iosue 19. v. 38. Et alia in tribu Issachar, ut liquet Iosue 19. 22. Vide dicta Ierem. 43. v. 13.

Vers. 14. Et plaustrum venit in agrum Iosue.) Sive Iesu, qui erat typus Iesu Christi; hic enim est Bethsamita, id est incola domus solis, quia ipse ut sol divinus radios suæ sapientiæ et gratiæ in fideles suos circumquaque diffundit. Audi S. Iust. Dial. contra Tryphon. *Non ad eum venere locum, unde arca abrepta fuerat: sed in agrum hominis cuiusdam Iesu, seu Iosue dicti, illi cognominis, qui Iesu nomine transnominatus fuerat: quique populum in terram introduxit, et hereditario iure ipsis eam divisit: in quem agrum cum venissent, constiterunt. Quo facto indicatur, virtute nominis ductas esse: haud aliter quam prior populus per eum qui nomen Iesu recepit, in terram est deductus.*

Vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.) Disputat hic Abul. an hæc immolatio fuerit licita; multaque affert, quæ probant fuisse illicitam: scilicet, Primo quod vaccas feminas sacrificarint, cum ex lege victima deberet esse mascula. Secundo quod extra tabernaculum, et sine altari. Tertio quod a laicis: verum extraordinarius hic casus tam mirabilis reductionis arcæ extraordinarium poscebat sacrificium et gaudium, ait Beda, ut vaccas arcæ baiulas Deo immolarent, idque coram arca, quæ tabernaculo erat sanctior; verum non nisi a Sacerdotibus: erat enim *Bethsames* civitas Sacerdotalis. Porro altare, erat hic lapis in quo sacrificasse Abrahamum tradunt Hebræi. Lapis autem erat typus Christi, qui est lapis angularis Ecclesiæ.

Vers. 17. Hi sunt ani aurei.) Hos aureos anos et mures, ait Abulens. q. 13. Hebræi vel in vasa quædam sacra conflaverunt; vel quasi anathemata, ad divinæ huius potentiæ, iustæque vindictæ memoriam conservarunt in tabernaculo, æque ac serpentem æneum, Num. 21. et thuribula Core, Dathan, et Abiron, Num. 16.

Vers. 18. Et mures aureos secundum numerum urbium Philisthiim quinque provinciarum (quinque Satrapiarum Philisthinorum quæ porriguntur, seseque extendunt) ab urbe murata, usque ad villam quæ erat absque muro, et usque ad Abel magnum.) Sicut ergo quinque fuerunt dumtaxat ani aurei, sic et totidem mures aurei dumtaxat a Philisthæis oblati; quia tot erant eorum Satrapæ, et Satrapiæ. Minus recte ergo Hebræi apud S. Hier. Caiet. et Magister hist. scholast. sic interpretantur: quasi tot mures aureos obtulerint quot erant urbes et vici in Philisthæa. Unde Isidor. Clarius. *Aliarum*, inquit, *civitatum et locorum homines, audientes consilium Sacerdotum, voluerunt et ipsi offerre Deo Israel anos et mures aureos, timentes quinque præcipuarum civitatum oblationem, sibi minime suffragaturam.*

Et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam.) *Abel magnus* erat lapis magnus, ut vertit Chald. et Sept. et patet ex v. 14. et 15. Hic lapis dictus est *Abel*, id est luctus, ex luctu Philisthinorum, sicut *area Atad* cognominata est *Abel* ob luctum, quem ob mortem Iacob in ea fecerunt Hebræi Genes. 50. 11. ita Beda, Lyran. Abulen. Hugo, Dion. Vatab. Serar. Mariana, Salianus et alii. Secundo Caiet. ex R. David *Abel magnum* interpretatur planitiem magnam, sic enim *Abel* pro valle et planitie capitur Iudic. 7. v. 23. Tertio S. Hieron. in Quæst. Procop. Angelom. Ruper. per *Abel magnum* intelligunt civitatem magnam, puta *Bethsames*, de qua paulo ante actum est: hæc enim dicta est *Abel*, inquiunt ob luctum cæsorum civium qui arcam inspexerant. Prima sententia uti communior, ita et verior est.

Percussit (id est occidit) autem de viris Bethsamitibus eo quod vidissent arcam Domini,) intectam et nudam: hoc enim sub pœna capitis vetitum erat Num. 4. ita Abul. q. 26. imo quod introspexissent, ut viderent num Philisthæi tabulas legis ex ea sustulissent, vel quid aliud ei imposuissent: unde ex Hebræo vertas, *eo quod inspexissent in arcam.* Ita Serar. Vatab. Clarius, R. Salomon asserit *Bethsamitas arcam sprevisse:* Hugo Victor. *in agro reliquisse, nec in urbem invexisse.* Lyran. tres alias causas addit: *Prima: quod inani lætitia gestierint. Secunda: femellas sacrificarint. Tertia: nullis arcam luminibus ante ipsam ardentibus venerati sint.* Sed harum prima ficta est. Secunda, eorum tantum Sacerdotum fuisset qui sacrificarunt. Tertia nulla est, cum nec in deserto lumina huiusmodi prælata sint, tantumque in tabernaculo candelabrum fuerit. Exod. 26. 27. Vers. 19.

Vera ergo causa percussionis fuit, quod Bethsamitæ arcam quæ ex Philisthæa redierat velamentis suis cooperta, iis nudarint, nudamque intuiti sint; quod ne Levitis quidem licebat sub pœna mortis, ut patet Num. 4. v. 5. et 20. Tanta erat arcæ religio, quia ipsa erat Dei quasi sedes et solium, qui in ea quasi invisibilis degere, et occultari volebat. Bethsamitæ occisi. Cur?

Alleg. Arca continens manna repræsentabat Eucharistiam, quam qui irreverenter aspiciunt et indigni sumunt, morte præsenti sæpe puniti, et semper æterna punientur, uti docet Apost. 1. Corinth. 11. 30. ita Dion. Hac de causa Sacerdos in Missa extremos digitorum partes abluit: *Ut qui iam antea lotus est*, ait S. Dion. Eccles. hier. cap. 3. *nullam aliam nisi tantum summitatum extremitatumque suarum lotionem adhibeat. Per quam profecto supremam munditiam illud consequitur, ut castissimo in habitu divinæ speciei constitutus, ad divinæ bonitatis imaginem prodeat, vinculis omnibus mortalium affectionum liber atque expeditus.* Et paulo post: *Eos*, inquit, *qui ad sacramenta cœlestia conficienda accedunt, ea oportet esse munditia, ut ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant.*

Audi Chrysost. hom. 60. ad popul. » Quo non oportet esse puriorem, tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os quod igne spirituali repletur? Linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore; quali mensa fruaris: quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri, propter emicantem inde splendorem; hoc nos pascimur; huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. »

Denique B. Petrus Damiani libr. 1. Epist. 6. « Si, inquit, Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgine tractaretur; et hoc, cum adhuc puerulus vagiret in cunis; a quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum cum iam immensus regnat in cælis? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio, positus; quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam, iam in paternæ maiestatis gloria sublimatus? »

Et percussit de populo septuaginta viros.) Primarios, eo quod septem mensibus reliquissent arcam in potestate hostium, nec quid periculi bellici, ait Theodor.

*

et Procop. pro ea suscipere voluissent. Hoc incertum est: certiorem causam iam dedi. S.Greg. Angelom. et Rabbini dicunt eos fuisse Iudices, vel nobiles, Chald. *Senes populi.*

Et quinquaginta millia plebis.) Ita et Septuag. Chald. Sed cur ob tam levem aspectum et culpam, tot millia percussa? Iosephus, Hebræi, S. Hieron. in Quæst. Ruper. Dion. Isidor. Clarius, Lyran. et Abulen. aiunt 70. tantum fuisse percussos: quare hic mendum irrepsisse; ac tollendum τὸ *et* 50. *millia plebis*, ait Abulen. vel ita exponendum q. d. Illos septuaginta viros adeo eximios fuisset, ut æquipararentur 50. millibus plebis, ait Lyran. Sicut libr. 2. 18. unus David dicitur esse instar decem millium. Denique ex Hebr. sic vertas: *Et percussit de populo* 70. *viros ex quinquaginta millibus virorum*, qui præsentes erant, ut quod Noster vertit, *et* 50. *millia plebis*, explices in nominativo, q. d. et 50. millia plebis aderant, videbantque hanc 70. stragem. Ita Serarius.

Verum 50. millia plebis percussa fuisse a Deo, clare indicat nostra versio, æque ac Septuag. et Chal. Fuit enim

A plaga hæc magna, ut dicitur vers. 19. Quare mirare et admirare hinc iudiciorum Dei severitatem, æque ac in clade Sodomæ, et diluvii sub Noe. Ita S.Greg. Theod. Eucher. Angelom.Ruper.Dion.Mariana,Mendoza et Salianus.Arca enim repræsentabat Deum, eiusque erat thronus et solium.

Mystice S. Greg. « Qui sunt, ait, Bethsamitæ percussi, nisi falsa contemplatione decepti hæretici? dum arcam videre in lapide præsumerent, percussi sunt: qui cum Domini ac Redemptoris nostri sacramenta indigni discuterent, æternæ damnationis laqueis, per fallaciam sunt depressi erroris. »

Rursum disce hic qua veneratione et cautela sacra vasa tractare debeamus.

Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim.) Sive quia erant viciniores ad quos proinde citius posset Arca transferri: sive quia fortiores, qui proinde Arcam a Philisthinis, si eam repetere vellent, facilius tuerentur: sive quia nobiliores, apud quos proinde Arca maiori cultu ac veneratione servaretur. Ita Mendoza. Vers. 21.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arca Bethsames transfertur in Cariathiarim: anno a translatione vigesimo, Samuel Israelem renovato fœdere plane ab idolis purgat, et uni Deo astringit. Inde ingruentibus Philisthinis orans et sacrificans per tonitru eos percellit: unde perculsos cædunt Hebræi, adeo ut toto tempore Samuelis fuerint humiliati. Quare Samuel quiete iudicavit Israelem per omnem vitam suam.

1. Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab
in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini. 2. Et factum est,
ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe iam annus vigesimus)
et requievit omnis domus Israel post Dominum. 3. Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: Si in
toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth: et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. 4. Abstulerunt ergo filii Israel
Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli. 5. Dixit autem Samuel: Congregate universum Israel in Masphath,
ut orem pro vobis Dominum. 6. Et convenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu
Domini, et ieiunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Iudicavitque Samuel filios Israel in
Masphath. 7. Et audierunt Philisthiim quod congregati essent filii Israel, in Masphath, et ascenderunt Satrapæ
Philisthinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philisthinorum. 8. Dixeruntque ad
Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. 9.
Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino: et clamavit Samuel
ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. 10. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum,
Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno, in die illa super Philisthiim,
et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel. 11. Egressique viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos,
et percusserunt eos, usque ad locum qui erat subter Bethchar. 12. Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit
eum inter Masphath et inter Sen: et vocavit nomen loci illius, Lapis adiutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus
est nobis Dominus. 13. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta
est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis. 14. Et redditæ sunt urbes, quas tulerant
Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth, et terminos suos: liberavitque Israel de manu Philisthinorum, eratque pax inter Israel et Amorrhæum. 15. Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ:
16. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel et Galgala et Masphath, et iudicabat Israelem in supradictis locis. 17. Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus eius, et ibi iudicabat Israelem: ædificavit etiam ibi
altare Domino.

Vers. 1. Venerunt ergo viri Cariathiarim et reduxerunt arcam.) Audi Adrichom. pag. 22. « Cariathiarim. 1. urbs Sylvarum, quæ, et Cariath baal, et Bala, Baala, interdum Baal et Pharasim, et coniunctim Baalpharasim. Hieronymo etiam Iarim. Est de Ierusalem ad quatuor milliaria, et dimidium contra Occidentem euntibus Diospolim. Hieron. ait milliario uno. Urbs prius Gabaonitarum, postea tribus Iudæ, estque terminus tribus Iudæ et Beniamin, sita in colle. In hac mansit Arca Domini annis 20. in domo Abinadab, quæ erat in Gabaa, id est

B in excelso, donec a Davide transferretur Hierosolymam. De hac fuit Zacharias F. Ioiadæ, quem occiderunt inter templum et altare. De hac fuit Urias propheta, quem interfecit Ioachim rex in Ierusalem. »

In domum Abinadab in Gabaa.) *Gabaa.* Hæc non erat urbs Gabaa in tribu Beniamin. Iosue 18. ut vult Angelom. Rupert. Lyran. et Rabbini: sed erat collis sive locus excelsior in urbe Cariathiarim (in qua sita erat domus Abinadab) ad illam enim arcam translatam patet v. 1. et 2. Gabaa enim Hebr. collem sive locum altum significat; unde

Noster et Sept. 1. Paralip. 13. collem vertunt. Ita Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 1. Beda, Dion. Caiet. Vatab. Torniellus, Serarius; Salianus, et alii. Addit Beda illum collem fuisse arcem totius civitatis: Ille ergo locus, utpote celsus, honoratus, munitus, congruebat arcæ, quæ erat quasi arx totius Israelis. Hinc arca erat typus B. Virginis, quæ super omnes cælos exaltata omnibus se invocantibus patrocinatur.

Eleazarum autem filium eius sanctificaverunt.) Id est consecraverunt per Achitob Pontificem in urbe Silo degentem; vel in Levitam, ut vult Abulens. Theod. Procop. et Caiet. vel in Sacerdotem, ut censet Angelom. Hugo et Dion. Erat enim vir iustus, ait Iosephus: Aut sanctificarunt, id est elegerunt, destinarunt, aptarunt, et præfecerunt eum custodiæ Arcæ: ita et Chald. Ioseph. Abulen. Clarius, Vatab.

Vers. 2. Arca quoties et quo translata? Erat quippe iam annus vigesimus.) Translationis, et commorationis arcæ in Cariathiarim; et consequenter erat annus vigesimus a morte Heli, et a principatu Samuelis, qui Heli successit. Nam eodem circiter anno quo capta est arca, et reducta, ac a Bethsames translata in Cariathiarim, mortuus est Heli, ac Samuel ei suffectus est: ita Lyran. Abulen. Salianus, Mendoza, et alii; licet Caiet. Genebr. et Melchior Canus lib. 11. de locis c. 5. et ex eis Serarius, censeant Samuelem post hos 20. annos exactos demum cœpisse iudicare Israelem, et concionabundum obire provinciam ut omnes ab idolis ad Dei cultum traduceret. Unde et S. Hieronym. (vel quisquis est Auctor) in Quæst. *A tempore*, inquit, *quo reprobatum est sacerdotium Heli, usque ad Samuelis ducatum, viginti fuerunt anni miseriarum et servitutis.* Verum Samuelem statim a morte Heli iniisse principatum, patet ex Chronologia quam assignavi Iudic. 3. et 4. Porro mansit deinceps arca in Cariathiarim usque ad septimum annum regni Davidis, qui illam inde, ut dicitur. 1. Par. 13. v. 5. clare et expresse, transtulit in domum Obededom; inde in montem Sion; inde traducta est in templum a Salomone fabricatum. Licet S. Hieron. Angelom. et Lyran. arbitrentur arcam e Cariathiarim post annum vigesimum translatam fuisse in Maspha; inde in Galgala; inde in Nobe; inde in Gabaa; inde in domum Obededom; eo quod hisce in locis sacrificatum legamus. Verum hoc non evincit arcam ibidem fuisse. Nam extra locum Tabernaculi et arcæ, sæpe ob causas extraordinarias et peculiares sacrificarunt Hebræi. Ita Abulen. alias ordinarie sacrificia immolabant non ubi erat arca, sed ubi erat Tabernaculum; in eo enim erat altare holocaustorum sacrificii deputatum. Tabernaculum ergo fuit separatum ab arca, ac a Silo translatum in Nobe, et inde in Gabaa ante tempora Saulis, cum arca esset in Cariathiarim. Unde arca educta fuit a Saule ad prælium c. 14. et post prælium reducta.

Et requievit omnis Israel post Dominum.) Legit Interpres cum Chald. *ianuchis* a נוח *noach*, id est quiescere. Iam legunt *iinnahu* a נהה *naha*, id est lamentari. Unde Vatab. vertit: *Et lamentatione quadam post Dominum universa domus Israel anhela fuit.* Abulen. *Et festinavit post Dominum*, Idem est sensus, sed nervosior, q. d. Totus populus Israel territus clade Heli et plagis a Deo per arcam illatis, per 20. annos quievit in vero cultu unius Dei, idque hortante et instigante Samuele, ut sequitur: etiamsi nonnulli adhuc non publice, sed privatim colerent Baalim et Astaroth, hæc enim v. seq. abstulit Samuel, ut simul auferret ab eis iugum Philisthinorum, quod a tempore Heli hucusque subierant in cultu idolorum, ut miseriis fatigati, ab iis ad Dei veri fidem cultumque redirent. Ita Liran. Caiet. Dion. Salian. Torniellus, Mendoza, et alii. Audi Iosephum 6. Antiq. c. 2. *Cum populus toto hoc vicennio votis et sacrificiis operam daret, magnamque religionis et cultus divini curam præ se ferret, Samuel animadversa eorum promptitudine, putans se nactum occasionem adhortandi ad libertatem, et bona quæ illam consequantur, orationem et tempori accommodans, et negotio, verba in hanc ferme sententiam ad eos fecit.*

Contrarium tamen censent Hebræi apud S. Hier. scilicet hos 20. annos fuisse idololatriæ, miseriæ et servitutis, qua Hebræi ob idola oppressi fuerunt a Philisthinis: Sic et Abulen. et Serarius.

Tropol. Disce hic in orbe universo non esse veram quietem, nisi in Deo Deique amore et cultu. Hic enim parit quietem conscientiæ, quietem cum proximis, quietem ab hostibus, quietem a tentationibus. Audi Dion. Carthus. *Conquiescere studeamus in Deo, ipse est enim finis noster, ad quem semper respicere et adspirare debemus; in quo solo vera et salutaris quies consistit, et in ipso per fidem, sapientiam et virtutes defigimur. Optimum est enim gratia stabilire cor*, Hebr. 13. v. 9. *Impii autem in circuitu ambulant.* Psal. 11. v. 9. *Quoniam rebus vanis, caducis et variabilibus, magis quam summo et incommutabili bono inhærent. Et hæc ipsa inhæsio tam inordinata peccatum est, et agitatio mentis. Nam sicut virtutes mentem in Deo stabiliunt et quietant, sic passiones et vitia inquietam et nutantem et gyrovagam reddunt.*

Præparate corda vestra Domino.) Audi S. Greg. Vers. 3. *Cor Domino præparat qui mentem non solum ab immunda cogitatione separat; sed etiam cogitationum sanctarum ac virtutum fulgoribus illustrat, ut velut abiectis et comminutis idolis, se Dei templum efficiat; dum illic divinæ gratiæ sedem erigit, ubi reprobos spiritus manere per prava desideria non permisit.*

Et Theodor. in Psalm. 9. 1. *Proprium*, inquit, *est perfectorum hominum totum cor Deo dedicare et omnem mentem ipsi consecrare. Qui enim partitur cogitationes in mammonam, et Deum; in Christum, et in aurum, in præsentem vitam, et in futuram, non potest vere dicere: Confitebor tibi Domine in toto corde meo.*

Congregate universum Israel in Masphath, ut Vers. 5. orem pro vobis Dominum.) Erat enim Maspha locus editus, regni sedes, utpote in quo Samuel iudicabat, id est ius dicebat, ideoque conventu hominum celebris, ac proinde comitiis, concioni et orationi aptus. Unde *Maspha* Hebr. idem est quod, *specula*, qualis solet esse in monte vel turri. Hic ergo Samuel renovat et instaurat fœdus populi cum Deo.

Hauserunt aquam et effuderunt in conspectu Vers. 6. Domini.) In signum pœnitentiæ qua perfecte idololatriæ et peccatis renuntiabant, q. d. Sicut aquam hanc, sic et cor nostrum, omniaque eius vitia effundimus coram Domino, profitentes, nos ea detestari, pœnitere, et aquam hanc vice lacrymarum fundere. Unde Chal. *Effuderunt cor suum in pœnitentia.* Rabbini. *Hauserunt lacrymas e puteo cordis sui. Quid est*, ait S. Greg. *aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione, lacrymarum fluenta producere? velut enim aquam haurimus, dum, quam profunda iniquitate cecidimus, considerantes plangimus.* Aquam ergo pro lacrymis effundebant q. d. optaremus pro peccatis tot lacrymas fundere, quot sunt guttæ in situla: sed quia id facere nequimus, nec lacrymas in manu habemus, hinc pro eis aquas effundimus.

Sic et Abulen. Caiet. Vatab. Sanchez et alii, qui sic exponunt q. d. Sumus coram te quasi aqua effusa. Fuit ergo hæc aquæ effusio, signum candidæ et sinceræ contritionis, q. d. Nos terram totam nostris sceleribus maculavimus; optamus ergo illam hac aqua abluere, significantes nos optare tantam vim lacrymarum e corde contrito profundere, quæ toti terræ humectandæ et purgandæ sufficiat. Sic David ait Psal. 6. 7. *Lavabo* (Hebr. אשחה *asche*, id est *natare faciam*) *per singulas noctes lectum meum: et lacrymis meis stratum meum rigabo.* Aquæ effusio quid notat?

Rursum aquæ huius effusione significat se optare, ut peccata ipsorum plane deleantur et pereant, sicut perit aqua effusa, ita ut ne gutta quidem culpæ vel pœnæ in iis remaneat.

Perperam ergo Rabbini nonnulli censent Hebræos aquam hanc libasse, id est sacrificasse Deo. Alii, hanc aquam fuisse certis execrationibus maledictam, ut ea hausta, labia idololatrarum sibi adhærescerent, nec divelli possent; indeque Samuelem agnovisse idololatras, eosque

morte punivisse; ut hæc aqua fuerit similis aquæ Zelotypiæ. Numer. 5. Alii censent Hebræos aqua hac abluisse cinerem capiti inspersum in signum luctus et pœnitentiæ.

Et ieiunaverunt.) Ecce hic tres actus pœnitentiæ, scilicet *contritio* significata in effusione aquæ: *Confessio*, cum dicunt, *peccavimus Domino: Satisfactio*, cum ieiunant. Hoc enim ieiunium non erat *Onasin* id est coactionum, sive a lege præceptum, sed *Conasin*, id est voluntarium et sponte a pœnitentibus susceptum. Nam ut ait S. Gregor. *Dum mens flendo compungitur, necesse est etiam ut caro, quæ delectationibus subiacuit, affligatur.* Audi S. Hier. lib. 2. contra Iovin. *Congregatum*, inquit, *Samuel populum in Masphath indicto ieiunio roboravit, et fecit*
Ieiunii commoda. *hostibus fortiorem.* Et S. Leo. serm. 1. de Quadragesima, ubi agens de Hebræis hoc loco ieiunantibus: *Ut superare*, inquit, *hostes suos possent, vires animi et corporis indicto sibi superavere ieiunio.* Et post pauca: *Abstinentes ergo a cibo et potu, severæ sibi castigationis adhibuere censuram, et ut hostes suos vincerent, gulæ illecebram in se ipsis ante vicerunt.*

Et Tertul. lib. de Ieiunio c. 7. *In aquatione apud Maspham*, inquit, *congregatus a Samuele populus ita statim ieiunio delictum delevit, ut periculum prœlii simul fugerit*, imo victoriam obtinuerit. Nam ut subdit Tertul. *Ceciderunt pastos impasti, armatos inermes: hæ erant vires ieiunantium Deo, cœlum pro huiusmodi militat: habes formam prœlii etiam spiritualibus bellis necessariam.* Audi rursum S. Leonem serm. de Ieiunio decimi mensis: *Ieiunia*, inquit, *nos contra peccata faciunt fortiores, concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, et omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt*

Porro S. Athanas. lib. de Virgin. « Vide, inquit, quid faciat ieiunium: morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, malasque cogitationes expellit, et mentem nitidiorem reddit, et cor purgatius, et corpus salubrius, et ad thronum Dei hominem sistit ».

Denique S. Ambros. de Elia et Ieiunio cap. 3. « Quid est, inquit, ieiunium, nisi substantia et imago cælestis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est: Ieiunium vita est Angelorum: Ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis. »

Peccavimus Domino.) Præclare S. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 8. « Novit, ait, omnia Dominus, sed expectat vocem tuam, non ut puniat, sed ut ignoscat: non vult ut insultet tibi diabolus, et celantem te peccata tua arguat. Præveni accusatorem tuum; si te ipse accusaveris, accusatorem nullum timebis: si te detuleris, ipse etsi mortuus fueris, reviv sces. »

Idem lib. 2. de Abel. cap. 9. *Confessio*, ait, *pœnarum compendium est.* Idem in Psal. 35. *Iustus*, inquit, *novit quemadmodum peccatorum suorum vincula dissolvat, nec expectat accusatorem, sed prævenit; ut confitendo suum allevet omne delictum, nec habeat quod adversarius criminetur. Vocem enim eripit adversario, et quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ, peccatorum suorum confessione constringit.*

Iudicavit Samuel filios Israel in Masphath.) *Iudicavit*, id est iudicandi potestatem exercuit; lites iuridice definiendo, dissolutos arguendo, reos puniendo, dissidia componendo, dubia resolvendo, etc. Unde Hebræi apud S. Hier. *Iudicavit*, inquiunt, id est, *idololatras morte punivit.*

Quatuor [illegible] Porro urbes dictæ Masphath, fuere quatuor. Prima in tribu Gad. Iosue 13. 26. Secunda in dimidia tribu Manasse ad radices Hermon, quæ fuit patria Iephte. Iudic. 11. Tertia trans Iordanem in terra Moab, de qua 1. Reg. 22. 3. Quarta hæc nostra in confinio tribus Iuda et Beniamin, in qua erat orationis locus, ideoque ad eam crebro conveniebant Hebræi. Alibi *Maspha* vel *Masphe* vocatur. Hanc postea ædificiis munivit Asa rex Iuda, et in ea habitavit Godolias. 4. Reg. 25. Et Ieremias propheta c. 40. 41. Nota: arca non erat in Masphath uti nonnulli coniiciunt ex hisce Samuelis comitiis ibidem peractis, sed in Cariathiarim, uti ostendi initio Capitis.

Mystice S. Gregor. *In Maspha*, ait, *Sacerdos iudicat, cum non humanum arbitrium sequitur sed divinum*, etc. Et anterius: *Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tum demum idonea est, cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus ei decernitur afflictionis.*

Ascenderunt Satrapæ Philisthinorum ad Israel.) Vers. 7.
id est *contra* Israel, nimirum cum valido exercitu ad eum profligandum, et comitia dissipandum: quia suspicabantur Hebræos sibi velle rebellare, et iugum excutere; uti re vera per Samuelem excusserunt. Ita Dion. et Caiet.

Tropol. S. Gregor. *Ablatis* inquit, *Diis alienis, peracto ieiunio exhibita a Prædicatore censura examinis, ad Israel Philisthinorum Principes ascendunt; quia cum altiori vita proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt.* Quocirca S. Bernar. in serm. de Convers. ad Clericos c. 18. *Quotidianis*, inquit, *discimus experimentis, eos qui converti ad Deum deliberant, tentari acrius a concupiscentia carnis; et urgeri gravius in operibus luti, et laterum, qui Ægypto egredi, et Pharaonis imperium effugere moliuntur.*

Tulit autem Samuel agnum lactentem, et obtulit illum in holocaustum integrum Domino.) Vers. 9.
Hinc patet Samuelem, licet ex stirpe dumtaxat esset Levita, ex Dei tamen dispensatione extraordinarium fuisse Sacerdotem, non tamen summum Pontificem, licet id velit Serarius. Vide dicta c. 2. 35. Eodem modo dispensavit cum Samuele Deus, ut extra Tabernaculum et altare holocaustorum, sacrificare in Maspha.

Sed cur dicitur hoc *holocaustum integrum?* Resp. *integrum*, id est indissectum: solebat enim victima in partes dissecari, itaque in altari comburi: hoc vero ob ingruentes hostes Philisthinos dissecari non potuit: sed integrum fuit aræ impositum. Alioqui in omni holocausto tota et integra hostia debebat Deo comburi. Ita Salianus.

Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim (et principes Tyriorum, uti addit Vers. 10.
Eccles. c. 46. 21.) inire prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos;) *cum adhuc agni victima arderet*, inquit Ioseph. *perterruit Dominus hostes fulmine, tonitru et terræ motu.* Sic Deus per fulmina contrivit exercitum Pharaonis in mari rubro, ut dixi Exodi 14. Et Chananæos per Iosue cap. 18. 11. et barbaros, per legionem fulminatricem sub Antonino Imper. teste Euseb. lib. histor. 5. c. 5. Et Eugenium tyrannum, per Theodos. Imper. de quo audi Orosium lib. 7. histor. c. 35. *Dominum Christum solus solum corpore humi fusus, mente cœlo fixus orabat: Dehinc, postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, et testes propemodum, quas in pretium præsidii cœlestis appenderat, lacrymarum lacunas reliquit, fiducialiter arma corripuit.* Hinc felix pugnæ successus. *Continuo*, inquit, *magnus ille et ineffabilis turbo ventorum, in ora hostium ruit: ferebantur per aerem spicula missa nostrorum, atque ultra mensuram humani iactus, manu in aere portata nusquam propemodum cadere, priusquam impingerent, sinebantur. Tela etiam, quæ hostes vehementer intorserant, excepta ventis, impetu supinata ac retrorsum coacta, infeliciter configebant.*

Tropol. S. Gregor. « Tonitrua nubium, ait, sunt ferventia electorum desideria, quibus suggestiones maligni spiritus expellunt. Imperfecta enim Christianorum desideria dæmonibus terribilia non sunt. Fragor magnus ergo tonitrui perfectum est uniuscuiusque desiderium electi. Cum igitur fragore magno super Philisthæos Dominus intonat, tunc a filiis Israel cæduntur; quia dum electorum mentem perfecta devotio ad superna gaudia erigit, omne quod adversæ parti militat, a se penitus abscindit. Bene quoque prius territi Philisthæi, deinde a filiis Israel cædi memorantur: nam terrentur electorum devotione, cæduntur opere: et quia opere devotio prior

est, terreri prius, postea vero cædi recte perhibentur. Nam prius donum bonæ voluntatis a Domino accipimus, ut consilia malorum spirituum postmodum confutare valeamus. Bene etiam Dominus super Philisthæos intonare et exterrere eos dicitur, filii autem Israel illos cædere perhibentur; quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur, sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. »

Vers. 11. Percusserunt eos usque ad locum qui erat subter Bethchar.) *Bethchar* erat vicus ita dictus a copia agnorum, *Car* enim agnum significat: nisi dicas ab agno a Samuele hic immolato locum ita nominatum: agnus enim hic fuit causa victoriæ.

Porro *Bethchar* erat in tribu Iuda, vicinus Bethsames ait S. Hier. in Abeneser, nec longe ab Aphese, et lapide adiutorii.

Mystice S. Greg. *Bethchar*, id est domus agni, notat vitam et conversationem Christi, ad quam omnes contendere debemus, etiamsi ad illam pertingere non possimus: « Quia, inquit, per indesinentem conatum certaminis, contendere debemus ad arcem perfectionis, ubi iam tanto simus hostibus nostris terribiliores, quanto Redemptori nostro viciniores. »

Vers. 12. Lapis adiutorii.) S. Cypr. l. 2. Testimon. vertit *lapis auxiliator*. Hic lapis fuit perenne monumentum victoriæ, Hebræis per preces Samuelis a Deo concessæ. Sic locus cælestis victoriæ a Deo Carolo Magno datæ appellatus fuit *Mons adiutorii*, teste Crantzio l. 2. Saxoniæ c.4.

Vers. 14. Eratque pax inter Israel et Amorrhæum,) hoc est inter Iudæos et Philisthinos: hi enim vocantur hic Amorrhæi, quia ipsi occupaverant ista loca Amorrhæorum, unde censebantur Amorrhæi, hoc est esse e septem gentibus incolentibus terram Iudæis a Deo promissam.

Vers. 15. Iudicabat quoque Israelem cunctis diebus vitæ suæ.)

Vers. 16. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel et Galgala et Masphath.) Ideam hic perfecti Iudicis et Principis exhibet Samuel circumeundo urbes Israelis, totumque se subditorum commodis impendendo, nec ulli labori parcendo, sed continue iudicando, id est lites decidendo, dissidia componendo, pacem et concordiam inter omnes redintegrando firmandoque, regendo, iubendo, castigando malos, bonos præmiando toto tempore vitæ suæ ita tamen ut in senio filii eum adiuvarent, ac tandem ipse Saul cum a Samuele rex creatus est. Nam quamdiu Saul fuit probus et Deo obediens, Samuelem quasi in principatu socium, imo prophetam coluit, ut patet c. 11. vers. 7. Improbus vero et inobediens effectus, permisit tamen Samuelem in sua urbe Ramatha degere, et omnium qui ad eum recurrerent, ibidem lites dirimere. Hinc patet Samuelem tempore Saulis regis iudiciariam potestatem retinuisse, ac cum Saule iudicasse populum, usque ad finem vitæ. Porro Samuel et Saul simul præfuerunt populo per annos 40. Actor. 13. Quos annos varii varie distribuunt. Noster Salianus censet Samuelem solum iudicasse populum per annos 23. deinde anno 24. regem creasse Saulem, ac cum eo perrexisse iudicare per annos sedecim, tumque vita functum; ita ut Saul post mortem Samuelis solus regnarit annos dumtaxat duos, de quo rursum inferius agendum. Denique quomodo Princeps recte Rempubl. iudicare et gubernare debeat, paucis, sed nervosis indicat Politicus: « Curet, inquit, ut in foro sit fides, in civitate iustitia, æquitas in iudiciis, auctoritas in magistratibus, in senatu maiestas, et in iudiciis gravitas. Discordiam a curia summoveat, omnibus recte faciendi aut incutiat voluntatem, aut imponat necessitatem; dominium a latrociniorum metu servet immune, fortuita non civium tantummodo, sed urbium damna munificentia vindicet, honor dignis paratissimus fit. »

Tropol. S. Gregor. « Qui sunt, inquit, dies uniuscuiusque Doctoris, nisi virtutum spiritualium claritates? Omnibus namque diebus vitæ suæ Israelem iudicat, qui lucem iustitiæ, quam loquendo asserit, ad subditorum fidelium exemplum perfectione repræsentat bonæ conversationis. Qui autem virtutum spiritualium lucem non habet, quia ad docendum assumit bona conversationis extraneæ, diebus profecto iudicat vitæ alienæ. »

Denique Samuelem imitentur Principes et Prælati, ut provincias obeant et visitent. Unde Concil. Trident. Sess. 24. cap. 3. de reformat. ita sancit: « Patriarchæ, Primates, Metropolitani, et Episcopi propriam Diœcesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut visitatorem si quot annis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem; ita tamen ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur; visitare non prætermittant.»

Sic Iosaphat rex obibat urbes Iuda, omnes adhortans ad pietatem, et ubique incorruptos Iudices constituens, maxime vero in Ierusalem. *Dicebat enim*, inquit Ioseph lib. 9. Antiq. c. 1. *rectum iudicium constitutum esse debere in ea civitate, in qua et templum Dei, et habitaculum erat regis.* Sic Paulus cum Barnaba visitabat Eccle. Actor. 13. v. 36.

Ædificavit etiam ibi (in Ramatha ubi habitabat) Vers. 17.
altare Domino,) ut in eo crebro sacrificaret, Deumque toti Israeli placaret. Licet enim Samuel non ex stirpe, sed ex Dei dispensatione extraordinarius esset Sacerdos, tamen potestas hæc Sacerdotii fuit in eo, non ad unum alterumve dumtaxat sacrificandi actum, sed constans, stabilis et perpetua per omnem vitam, ut quoties vellet, et ubilibet sacrificaret: unde a multis Patribus Samuel vocatur Sacerdos, ut dixi c. 2. v. 35.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi a Samuele sene ob filiorum eius improbitatem postulant Regem. Hæc postulatio displicuit Deo, et Samueli; unde Samuel iura et onera Regalia iussu Dei eis enarrat, et prænuntiat v. 11. Sed Hebræis in postulatione regis persistentibus v. 19. iubet Deus, ut eis acquiescat, regemque constituat.

1. Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel. 2. Fuitque nomen filii eius primogeniti Ioel: et nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee. 3. Et non ambulaverunt filii illius in viis eius: sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt iudicium. 4. Congregati ergo universi maiores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha. 5. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem, ut iudicet nos, sicut et universæ habent nationes. 6. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, ut iudicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. 7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim

te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. 8. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. 9. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, et prædic eis ius regis, qui regnaturus est super eos. 10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem. 11. Et ait: Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum. 12. Et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum et curruum suorum. 13. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias et focarias, et panificas. 14. Agros quoque vestros, et vineas et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. 15. Sed et segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. 16. Servos etiam vestros, et ancillas, et iuvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo. 17. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. 18. Et clamabitis in die illa, a facie regis vestri quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa; quia petistis vobis regem. 19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: rex enim erit super nos. 20. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: et iudicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis. 21. Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini. 22. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat unusquisque in civitatem suam.

Vers. 1. FACTUM EST AUTEM CUM SENUISSET SAMUEL, POSUIT FILIOS SUOS IUDICES ISRAEL.) Hebræi tradunt Samuelem fuisse 52. annorum, tumque mortuum: sed errant. Erat enim senex, et post hæc multos adhuc annos vixit cum Saule. Quare melius Abulen. Salianus et alii, censent Samuelem fuisse hoc tempore, circiter 60. annorum, ac post hæc primum regem Saulem creasse, cum eoque adhuc sedecim annis vixisse, et Israelem iudicasse, ac defunctum esse anno ætatis 77. atque eo vita functo, Saulem solum regnasse per biennium dumtaxat.

POSUIT FILIOS SUOS IUDICES,) quasi vicarios suos, ait Abulens. ita tamen, ut ipse Samuel summus esset iudex, et princeps populi, ac præcipua per se definiret, cetera filiis definienda committeret. Constituit autem Iudices filios suos non ex carnali affectu, sed quia eos optime erudierat, et præ ceteris dignos iudicabat, ait Dion. et forte initio tales erant, sed postea dignitate nova superbientes et muneribus corrupti, pravi evaserunt. Honores enim mutant mores, sed raro in meliores. Audi nunc S. Gregor. « Ecce qui prophetiæ spiritu plenus fuerat quos Iudices Israeli ponebat, non cognovit. Quid ergo mirum, si falli in disponendis ordinibus possunt, qui prophetiæ gratiam non accipiunt; si ii qui prophetiæ spiritum habent, eumdem spiritum ad disponenda cuncta non habent? »

Vers. 2. IUDICUM IN BERSABEE.) Erat hic terminus Australis Iudææ, quem filiis suis regendum tradidit Samuel; partem vero Septemtrionalem gubernandam sibi reservavit, ita Abulen. Perperam ergo Ioseph. addit filios Samuelis iudicasse tam in Bethel, quam in Bersabee.

Vers. 3. ACCEPERUNT (filii Samuelis) MUNERA, ET PERVERTERUNT IUDICIUM.) Munera enim excæcant oculos etiam sapientum, uti alibi sæpe ostendi.

Filii sæpe degeneres.

Vide hic quam filii Samuelis a patris probitate degenerarint, æque ac filii Heli, nimirum: *Heroum filii noxæ.* Sed cur Deus propter filios impios non punivit Samuelem, sicut punivit Heli? Respondent Theodor. et Procop. scelera filiorum Samuelis, fuisse minora et Samueli incognita: occulte enim accipiebant munera, idque modico tempore. Nam populus id advertens illico a Samuele pro iis petiit Regem.

Moral. Disce hic non esse gloriandum in filiis, quia hi sæpe sunt degeneres. Sic enim Abraham genuit Ismaelem; Isaac, Esau; Moses, Gersam; Heli, Ophni, et Phinees; Samuel, Ioel, et Abia impios; David, Absalonem; Salomon, Roboam; Ezechias, Manassem; Iosias, Ioachim: nam dignitas imperandi fuit eis occasio delinquendi: *Steterunt subditi,* ait S. Gregor. *Sed in culmine prælationis positi, prophetæ filii ceciderunt,* nimirum, sicut fumus in altum ascendit, ibique evanescit, sic et homo. Audi S. Basilium hom. 7. in divites avaros. *Velut flumina,* inquit, *ex parvis initiis exeuntia, deinde paulatim incrementum intolerabile in processu accipientia, impetu demum violento quidquid obiicitur, secum trahunt; sic et ii qui in magnam provehuntur potestatem, eo quod iam aliquos oppresserunt, ad maiora continuo facinora, maioresque iniurias progrediuntur. Potentiæ incrementum, fit eis sceleris occasio maioris.*

CONSTITUE NOBIS REGEM, UT IUDICET NOS, SICUT ET UNIVERSÆ HABENT NATIONES.) Causa ergo stimulans Hebræos ad petendum regem prima, fuit senectus Samuelis, et iniquitas filiorum eius. Secunda, ut regni regumque splendorem haberent, quam videbant apud vicinas gentes. Tertia, quia sperabant se a rege melius defensum iri contra Philisthæos, ait Ioseph. Quarta, quia metuebant regem Ammonitarum, qui contra Israel grave parabat bellum, ut patet cap. 12. 12. Vers. 5.

DISPLICUIT SERMO IN OCULIS SAMUELIS.) Tum quia displicebat ei filiorum improbitas quam audiebat, et huc usque ignorarat, ita Lyran. et Abulen. tum quia iustitiam et aristocratiam diligebat, ait Ioseph. Licet enim Monarchia sive regnum sit regimen optimum, teste Arist. in Polit. illudque Deus concesserit Hebræis Deut. 17. imo fore prædixit Genes. 17. 49. Peccaverunt tamen Hebræi hic regem petendo. Primo, quia petunt eum inconsulto, imo invito Deo. Deus enim instituerat Iudicum Aristocratiam, hanc ergo ipsi in Monarchiam mutare non debebant, nisi volente, et mutante Deo. Quare Deus novitatem hanc (studiumque novandi regiminis) habuit exosam, ait S. Gregor. Peccarunt ergo, quia magistratum Iudicum a Deo institutum repudiarunt, aliumque Regem postularunt, cum potius debuissent petere a Samuele, ut filios suos corrigeret, aut eorum loco alios æquos Iudices Israeli præficeret. Vers. 6.

Secundo, quia volebat Deus esse proprius rex et immediatus Dominus Hebræorum, qui eos partim per se, partim per Iudices a se excitatos gubernaret, unde ægre tulit, quod pro se alium regem peterent, quasi Deum suo Israelis regno spoliare vellent; ipse enim dixerat Exodi 19. 5. *Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus;* et mox: *Eritis mihi in regnum sacerdotale;* unde Ioseph. lib. 2. contra Appionem significanter ait, Deum in Israele, non tam *monarchiam* quam θεοκρατιαν, id est, *Deiarchiam,* instituisse. Videbantur ergo Hebræi petitione hac regem suum abiicere; unde Deus indignans ait Samueli v. 7. *Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ita Theodor. Procop. Ruper. Lyran. Abulen. Dion. Caiet. et alii. Unde David: *Lætetur,* inquit, *Israel in eo qui fecit eum; et filiæ Sion exultent in rege suo.* Psalm. 149. v. 2. ubi Theodoretus: *Omnium quidem Deus universitatis est Deus; proprie autem Israelitarum Rex nuncupabatur; cum primum igitur ingrati animi morbo laborarunt, alium regem, ut esset eis, petierunt.*

Hebræi perperam petunt Regem. Cur?

Tertio, quia hac petitione abiiciebant Samuelem suum iudicem, quasi is principatu indignus esset, nec posset aut vellet pro filiis improbis alios Iudices probos surrogare: quæ insignis erat iniuria et ingratitudo in prophetam tam bene de eis meritum, utpote qui totam vitam ipsorum commodis impenderat.

Quarto, quod peterent Regem talem qualem habebant

Gentiles, puta Persæ, Ægyptii, Medi, Chaldæi, qui, ut ait Aristot. 3. Polit. potestatem regiam tyrannidi proximam obtinebant, ideoque eorum regnum vocat *barbaricum*, et παμβασιλειαν. Duplex enim, ait Serarius, est regia potestas. *Una finita certisque legum et conventorum vinculis astricta: altera vera absoluta et quodammodo infinita, ubi pro arbitrio pene suo quidlibet Reges faciunt in subditos, et leges ipsas; sic volo, sic iubeo, etc. Est deinde magna satellitii copia, rerum omnium luxuria, successio continua, tributorum impositio*, etc. Et hanc apud Asiaticos istos populos maxime viguisse docet ibidem Aristot. de qua Christus Luc. 22. Matt. 20. Marc. 10. *Reges gentium dominantur*, etc.

Denique Reges excluso Dei cultu, in Israelem invexerunt cultum idolorum; uti fecit Salomon, Manasses, Ieroboam ceterique reges Israel. Unde S. Gregor. *Illi quidem*, inquit, *contra Domini voluntatem Regem petierunt; sed a regia dignitate postea actum est, ut populus qui Deum abiecerat, idola coleret, simulacra adoraret. Quam reverenda ergo sint maiorum consilia cernimus, si hoc solicite consideramus! quia qui ea despicere ausi sunt, hoc se non providerunt agere, unde tam profundo erroris pelago demergi potuissent.*

Quocirca ipsimet Hebræi hoc agnoscentes postea dixerunt c. 12. 19. *Addidimus universis peccatis nostris, ut peteremus nobis Regem.*

Vers. 7. Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.) Sicut hactenus regnavi, ita particulatim, solicite et exacte eos regens, eorumque curam gerens, ac si proprius et immediatus fuissem eorum rex. Cur ergo alium regem quasi meliorem me postulant?

Moral. disce hic quod qui Prælatum spernit, Deum spernit; et qui illum honorat, Deum honorat. Audi S. Ignatium Epist. 6. ad Magnes. *Decet*, inquit, *et vos obedire Episcopo, et in nullo illi refragari. Terribile namque est tali contradicere. Nec enim hunc fallit, qui videtur; sed invisibilem fallere nititur qui non potest a quoquam falli. Nam, si id fit; non ad hominem, sed ad Deum redit contumelia. Samueli namque dicit Dominus: non te spreverunt, sed me.*

Et S. Cyprian. Epist. 18. *Quomodo*, inquit, *possunt, censuram Dei ultoris evadere, qui talia ingerunt non solum fratribus, sed et Sacerdotibus, quibus honos tantus de Dei dignitate conceditur, ut in ipsis contemptis, Deus ipse contemptus censeatur*, iuxta hunc locum: *Non te abiecerunt, sed me.* Porro S. Cyrillus Alexand. lib. 10. in Ioann.cap.30. *Apostolorum*, inquit, *vexatio in eum ascendit qui illos in Apostolatus apicem evexit. Sic enim etiam ad Samuelem de filiis Israel dictum esse didicimus: Non te, inquit, sed me contempserunt. Periculosum igitur nimium est, convenientem honorem sanctis non attribuere, cum eorum contemptus in illum transeat, a quo missi sunt.* Præclare Salvianus lib. 8. de providentia: *Sacrilegii*, inquit, *genus est Dei odisse cultores. Sicut enim si servos nostros quispiam cædat, in nos servorum nostrorum cedit iniuria; et si a quoquam filius verberetur alienus; in supplicio filii, pietas paterna torquetur; ita et cum servus Dei a quocumque læditur, Maiestas divina violatur: dicente idipsum ad Apostolos suos Domino: Qui vos spernit, me spernit.*

Allegor. Angelomus: Sicut Iudæi hic abiecerunt Samuelem Iudicem, sic postea abiecerunt Christum Samuelis antitypum, regem et Messiam suum, clamantes coram Pilato: *Non habemus regem nisi Cæsarem.*

Vers. 9. Prædic eis ius regis.) Deus ut dissuadeat et deterreat Hebræos a sua postulatione Regis, recenset onera gravia quæ sub eo subituri sunt. Audi S. Gregor. *Iura hominum proponuntur contemnentibus iura Dei: et his qui mitia et salubria divinitatis consilia spreverunt, dura et importabilia humanæ servitutis onera prædicuntur: ut ex his secum rationem facerent, quam intolerabilia essent imperia hominis eis, qui non tam imperantis, quam monentis Dei consiliis obedire noluissent.*

Vers. 11. Hoc erit ius Regis, etc. filios vestros tollet, etc.

Quæres, An ius hoc æquum et iustum sit, an vero inique et quasi tyrannice a regibus usurpatum? Primo S. Gregor. lib. 4. cap. 2. et S. Thomas lib. 3. de regim. Princip. c. 11. et lib. 2. c. 9. censent hoc ius esse iustum non absolute, sed respectu hominum, adeo ad mala proclivium ut non tam politice, quam despotice et tyrannice eos regi iustum sit; ut hoc regimen sit iugum eorum, frænum, ac cupiditatis pœna et castigatio.

Secundo, alii plures melius censent ius hoc non esse iustum, sed inique a Regibus usurpatum. Iniquum enim est, ut rex filios subditorum, et filios a parentibus ad libitum abripiat, eosque sua faciat mancipia, ut eorum vineas, agros et oliveta optima auferat, illaque det servis suis: ut servos, ancillas, asinos, et iuvenes optimos heris adimat, eosque operi suo admoveat. Unde culpantur et morte puniuntur Achab et Iezabel, quod vineam Naboth usurparint, lib. 3. Regum capite 21. versicul. 19. Quare Deus hoc ius non sancit nec approbat; sed tantum prædicit, eiusque acerbitatem proponit graphiceque coram oculis Hebræorum depingit, ut eos a petitione regis avellat. Describit ergo ius regale, non quale est apud fideles, sed quale est apud Ethnicos, verbi gratia Chaldæos, Turcas, Tartaros, ubi Reges subditis utuntur quasi servis et mancipiis. Hoc enim ius sibi ipsi usurpant. Audi S. Augustinum libro quarto de Civitate capite 4. *Remota*, inquit, *iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia, quia ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna?* Scitum est illud: *Regum est dimidium totius, tyrannorum vero totum auferre*, quia ignorant illud Platonis lib. 3. de Legibus: *dimidium plus toto.* Et illud: *Ut serves totum, dimidium, sive dividuum facito.* Hebr. enim משפט *mispat*, id est, iudicium sive ius, significat non ius proprium, sed usurpatum, puta morem, et consuetudinem, licet iniquam, ut patet Num. 9. 14. et 29. 6. et Exodi 21. 9. et alibi. Denique nonnullos reges Israel hac regia potestate usos, vel potius abusos esse, patet ex magnificentia curruum, equorum et mensæ Salomonis, unde de tributis ab eo impositis, questus apud Roboam eius filium populus peius ab eo acceptus est, ideoque fecit schisma. 3. Reg. 12.

Ius Regis iniquum.

Porro verum æquumque ius Regis fidelibus imperaturi describit Deus per Samuelem inferius cap. 10. 25. et per Mosen. Deuter. 17. ubi sancit, quid rex Deo, quid populo, quid sibi ipsi præstare debet. Vide S. Thomam, Bellarmin. Lipsium, Scribanium et alios qui de Principe Christiano scripserunt.

Unde Clemens Alexandrinus: *Deus*, ait, *petenti Regem populo, non humanum pollicetur Dominum, sed se insolentem daturum minatur tyrannum, libidini et voluptatibus deditum.* Ita Clemens pag. 261. Sic et Abulen. Caiet. Serarius, Mendoza, Salianus et alii. Quin et Philosophi idem censent; unde Xenophon in memorabil. Socratis lib. 3. *Rex*, inquit, *eligitur non ut se molliter curet, sed ut per ipsum ii qui elegerunt bene beateque agant.* Seneca Phil. lib. 1. De Clement. cap. 18. docet, *non civium servitutem Regi traditam, sed tutelam.* Et cap. 19. addit *Rempublicam non esse Principis, sed principem esse Reipublicæ.* Hinc Homerus Regem appellavit *Pastorem populorum.* Et Claudianus ad suum Honorium:

Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
Non tibi; nec tua te moveant, sed publica damna.

Denique Romani non ferentes Tarquinii superbi insolens regnum, Reges urbe expulerunt. Audi S. August. lib. 5. de Civit. cap. 12. *Romani*, inquit, *regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque Imperatores sibi fecerunt: qui Consules appellati sunt a consulendo, non Reges, aut Domini a regnando, atque dominando.* Et paulo post: *Fastus*, inquit, *regius non disciplina putata est regentis, vel benevolentia consulentis; sed superbia dominantis.*

Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias (unguentorum, id est odorum et pigmentorum confectrices) et focarias (id est *coquas*, ait Chald. quæ circa focum versantur. Vatab. *cupedinarias*, feminæ enim præ viris norunt ad delicias coquere) et panificas.) Id est, Vers. 13.

ut Chald. *pistrices*, quæ panem delicatum pinsent. Præclare Clemens Alexand. lib. 2. Pædagogi. cap. 8. *Oportet*, inquit, *viros imprimis apud nos unguenta non olere; sed vitæ probitatem. Spiret autem femina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta.* Ita ille. Et S. Hier. lib. 2. adversus Iovinian. *Odores*, inquit, *et diversa thymiamata et amomum, et muscus et peregrini muris pellicula, quod dissolutis et amatoribus conveniant, nemo, nisi dissolutus negat.* Suffragatur D. Ambros. lib. de Helia et ieiunio cap. 10. *Unguento*, inquit, *se ungunt, qui corpori odoris gratiam quærunt, sed et illa unguenta, libidinis illecebras movere consueverunt.* Nervosius S. Chrysost. Concione 1. de Lazaro. *Te*, inquit, *non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac vestium fragrantia arguit intus latera animum graveolentem atque immundum. Cum enim diabolus aggressus deliciis eviraverit animam, omnique vitiorum genere compleverit, tum in corpore suæ corruptionis lectum oblinit unguentis.* Denique Diogenes Cynicus: *Cave*, ait, *ne capitis odor sit vitæ fætor.* Porro de focariis et panificis ita disserit Clemens Alexand. lib. 3. Pædagog. cap. 7. *Quin etiam facilem et parabilem cibum, nempe panem effeminant: quod frumenti est nutriens, excribrantes: ut quod est alimenti necessarium, sit probrum voluptatis.* Et paucis interiectis: *Nullum*, inquit, *habet terminum delicata ingluvies. In liba enim et placentas et bellaria provecta est: merendarum et cœnæ appendicum multitudinem inveniens. At mihi quidem videtur homo qui est huiusmodi, nihil esse aliud, quam bucca et maxilla.*

Vers. 15. EUNUCHIS.) Audi de his S. Basilium epist. 87. *Ignominiosum*, inquit, *illud, ac modis omnibus perniciosum Eunuchorum genus, nec femineum, nec masculinum, insaniens in mulieres, invidiosum, vilis pretii, animo feroci effeminatum, ventri deditum, auri cupidum, sævum, inconstans, illiberale, stabularium, insatiabile, furiosum, et quod amplius dicendum est, cum ipsa statim generatione ferro damnandum.* Et paulo post fictam eorum continentiam, et apertam lasciviam exprimens: *Ibi*, inquit, *frustra quidem casti manent per ferrum: insaniunt vero absque fructu propter suam turpitudinem.* Hinc illud Claudiani in Eutropium Eunuchum et Consulem:

Omnia cesserunt Eunucho Consule monstra.

Et:

Tu telas, non tela pati potes.

Et:

Eunuchi quis sceptra ferat?

Vers. 19. NOLUIT AUTEM POPULUS AUDIRE VOCEM SAMUELIS.) Novum est hic populi peccatum contumaciæ; cuius proinde postea pœnas luit, ait S. Gregor. *Magna*, inquit, *temeritas extitit, contra Dei voluntatem, Regem petere; magnæ duritiæ consiliis prophetæ vinci non posse.* Et paulo post loquens de hac iterata Regis petitione: *In eo*, inquit, *mali propositi consummatio est et inconvertibilitas voluntatis.*

Vers. 21. LOCUTUS EST EA IN AURIBUS DOMINI.) Audi S. Gregor. « In eorum auribus loquimur, apud quos magnæ familiaritatis gratiam habemus. Sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magni amoris vinculo coniuncti sunt, et in auribus loquuntur: quia divinæ propitiationis eius auditum tanto fiducialius exposcunt; quanto apud eius miseri- A cordiam impetrandi locum sublimius acceperunt. »

AUDI VOCEM EORUM, ET CONSTITUE SUPER EOS REGEM.) Vers. 22. Sed non talem qualem ipsi petunt, qualemque eis depinxisti, sed qualem ego descripsi Deuter. 17. qui scilicet fidelibus subditis politice imperet, non despotice; quique non suis, sed Reip. commodis studeat. Deus enim iniquam Hebræorum petitionem regis ita resecat, ut quod in ea æquum est, concedat; quod iniquum, neget, id est, non concedat, sed fieri permittat, et fore prædicat.

Quærit S. Gregor. lib. 4. cap. 1. Cur Deus concedat id quod male petitur? Resp. quia petenti irascitur, eumque vult sua petitione, quasi iusta congruaque vindicta plectere, et castigare. Sic et S. August. in Psal. 51. *Rex*, ait, *non ad permanendum electus est a Domino, sed secundum populi cor durum et malum datus ad eorum correptionem, non ad utilitatem: secundum illam sententiam: qui regnare fecit hominem hypocritam, propter perversitatem populi.* Iob. 34. v. 30. Idem August. lib. 5. contra Iulianum cap. 3. vocat Saulem *pœnam peccantium.* Et S. Cyprian. epist. 38. ad Rogatianum: *Ut hoc*, inquit, *ulcisceretur Dominus, excitavit eis Saul regem, qui eos* B *iniuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et pœnas, superbum populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo, ultione divina vindicaretur.*

Id duobus exemplis confirmat Anastasius Nicenus quæst. 15. in Script. Prius est Phocæ Imperatoris et tyranni, qui cum innocentes opprimeret, vir quidam pius Deo conquestus: *Cur*, inquit, *Domine eum fecisti Imperatorem?* ab eo hoc responsum tulit: *quia non inveni peiorem.* Alterum monachi cuiusdam, qui sceleratæ civitatis creatus Episcopus, cum hoc honore insolesceret; ab Angelo correptus audivit: *Cur superbis et magnifice tibi places, o infelix? Non es creatus Episcopus quod dignus Sacerdotio sis, sed quod civitas talis tali digna erat Episcopo.* Denique audi S. Gregor. *Petitus rex pro vindicta conceditur; magna etenim vindicta est, quæ ex districtione procedit interni examinis, quando reproba mens sic proiicitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. Qui ergo in petendo rege Dominum abiecisse convicti sunt, dum id eis permitteretur agere, per quod a se Dominum* C *abiicerent, gravior pœna non erat, qua hic plecti debuissent.*

ET CONSTITUE SUPER EOS REGEM.) Hinc patet Saulem in regem fuisse electum, et evectum non a Repub. nec ab optimatibus, sed immediate a Deo per Samuelem; ac proinde potestatem regiam non a Repub. sed a Deo immediate accepisse: (perinde ac Pontifex, licet eligatur a Cardinalibus, tamen non ab ipsis nec ab Ecclesia, sed immediate a Christo potestatem pontificum accipit.) Quare eum hac potestate Resp. nulla ratione privare poterat, sed solus Deus: uti de facto ipse eum ob inobedientiam regno et vita privavit, eique suffecit Davidem. Idem dico de Davide. Hic enim non a Rep. sed a Deo per Samuelem creatus est rex, ab eoque omnem regendi potestatem accepit. Secus est de posteris Davidis. Hi enim non a Deo, sed a Repub. creati sunt reges. David enim consentiente Republ. ex filiis unum, puta Salomonem ex Dei voluntate successorem in regno sibi delegit, regemque constituit. Salomoni deinde successit Roboam, quasi primogenitus; huic Abia, huic Asa eodem iure.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul quærens asinas, reperit regnum. De iis enim consulens Samuelem, ab eo convivio excipitur, poniturque in capite mensæ, qui postero mane Sauli oraculum regni a Deo acceptum annuntiat.
Hic igitur finiuntur gesta Iudicum (nam Heli et Samuel fuere Iudices, iique ultimi) et incipiunt gesta Regum: Hic enim status Reip. Aristocraticus mutatur in Monarchicum; quare hæc est secunda pars libri, adeoque hic proprie incipiunt libri Regum.

1. Et erat vir de Beniamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Iemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus: et non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero et sursum eminebat super omnem populum. 3. Perierant autem asinæ Cis patris Saul: et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade, et quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim. 4. Et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per Terram Salim, et non erant: sed et per terram Iemini, et minime repererunt. 5. Cum autem venissent in Terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis. 6. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. 7. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris: et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8. Rursum puer respondit Sauli, et ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram. 9. (Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum; Venite et eamus ad videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.) 10. Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei. 11. Cumque ascenderent clivium civitatis invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis: Num hic est Videns? 12. Quæ respondentes, dixerunt illis: Hic est: ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso. 13. Ingredientes urbem, statim invenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum; neque enim comesturus est populus donec ille veniat, quia ipse benedicit hostiæ, et deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum. 14. Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. 15. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quam veniret Saul dicens: 16. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de Terra Beniamin, et unges eum ducem super populum meum Israel, et salvabit populum meum de manu Philisthinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. 17. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. 18. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis. 19. Et respondit Samuel Sauli dicens: Ego sum Videns, ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, et dimittam te mane: et omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. 20. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israel, nonne tibi et omni domui patris tui? 21. Respondens autem Saul, ait: Nunquid non filius Iemini ego sum: de minima tribu Israel: et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum? 22. Assumens itaque Samuel Saulem, et puerum eius, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati. Erant enim quasi triginta viri. 23. Dixitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, et præcepi ut reponeres seorsum apud te. 24. Levavit autem cocus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, et comede: quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. 25. Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est cum Saule in solario: stravitque Saul in solario, et dormivit. 26. Cumque mane surrexissent, et iam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario dicens: Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet, et Samuel. 27. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos, et transeat: tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini.

Vers. 1. Nomine Cis.) Hic fuit pater Saul. *Cis*, Hebr. significat *durum*; quod licet initio S. Gregor. in malam partem de duritia cordis Saulis interpretetur, postea tamen in bonam partem accipit. « *Pater*, inquit, Regis, Cis, id est, durus, dicitur: quia profecto ii quorum sancti Prædicatores imitatores sunt, vita et zelo remissi non sunt; duri namque sunt, quia peccatoribus mollia non loquuntur; duri etiam sunt, quia ut alios bene corrigant, dura quæ illis præcipiunt, in sua conversatione demonstrant.

Viri Iemini,) id est de tribu Beniamin, ait Vatab. *Beniamin* enim per aphæresin decurtatum est *Iamin*, et *Iemini*. Simili enim modo ex *Ben-ammi* deductum et decurtatum est nomen Ammon. Gen. 19. 38. Ita Chald. Caietan. Mariana, Salianus. Aut potius quia paulo ante dixit: *Erat vir de Beniamin.* Hic *Iemini* fuit vir celebris ex tribu Benianim, cuius posteri dicti sunt viri Iemini; unde ad hunc Iemini; quasi virum famosum deducitur hic Genealogia Saulis, in eoque sistit quasi per illum sat nota et clara. Ita Abulen. Mendoza et alii.

Fortis robore.) Sept. *potens robore*. Vatab. *heros fortis*, id est bellicus et disciplina militari clarus. Talis ergo fuit *Cis* pater Saulis, et consequenter ipse Saul: talem enim decebat eligi in regem Israelis, ut eum contra Philisthæos aliosque hostes propugnaret, uti reipsa fecit Saul.

Tropol. *fortis robore* est, ait S. Gregor. qui virtutem

*

quam monstrat in opere bono, habet a Spiritu S. Unde Apostolis ait Christus: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Lucæ 24. 49.

Vers. 2. ET ERAT EI FILIUS VOCABULO SAUL.) Hebr. *Saul* idem est quod *postulatus*. Nomen ergo hoc ei inditum videtur omine divino, et quasi præsagio; quod ipse populo postulante regem a Deo evocandus foret ad regnum.

A Saule quasi primo Israelis rege ex tribu Beniamin creato, nomen accepit *Saul* sive *Saulus (eo quod ad vexandam Ecclesiam a diabolo esset postulatus*, ait S. Hier. in epist. ad Philem.) qui erat ex eadem tribu, sed ex Saulo a Deo factus est Paulus, id est ex Iudæo, Christianus; ex persecutore, prædicator; ex Pharisæo, Apostolus; ex Iudæorum fiscali, doctor gentium.

Minus genuine ergo Ambrosiaster in c. 1. ad Roman. *Saul*, vel *Saulus*, derivat a Græco σάλος, id est maris commotio, et inquietudo; ut *Saulus* sit idem, quod inquietus et turbator, qualis initio fuit Paulus.

Minus quoque apte alii *Saul* derivant a שׁוּעָל *scival*, id est vulpes: *Saul* enim per א scribitur, *Scival* per ע. Allusio pariter est non etymon, quod recenset Georgius Venetus sect.8. Problem.453. *Saul* dici, quasi שׁאוֹל *Sceel* id est infernus; nam sicut infernus nullis malis satiatur, sic Saulus erat barathrum vitiorum.

Alleg. Saul fuit typus Christi regis regum. Nam, ut ait Beda, nomen *Saul* quod dicitur *expetitio*, Christo aptissime congruit, qui fuit desiderium gentium, et magno desiderio semper imploratur et adesse rogatur. Unde Christus a Iacob Genes. 49.26. vocatur *desiderium collium æternorum;* et a sponsa Cant. 5. 16. *totus desiderabilis.* Hebr. *totus desideria.* S. Hier. lib. 1. contra Iovin. *totus concupiscentia.*

ELECTUS ET BONUS,) tum physice, q. d. Saul erat insigni corporis forma et specie: quæ, ut ait Euripides, digna est imperio. Unde Chald. vertit, *iuvenis pulcher.* Ita Procopius et Serarius. Unde Severus Sulpitius lib. 1. Sacræ Hist. *Saul,* inquit, *modestus animi, forma excellenti erat, ut merito dignitas corporis dignitati regiæ conveniret:* tum Ethice et moraliter, quia erat vir probus et virtute præditus. Ita Ioseph. S. Gregor. Abulen. et alii.

Porro « bonitas Saulis, ait Abulen. maxime erat circa humilitatem: quod erat valde in eo admirabile: nam ipse erat vir in virtutibus excellens, corporis statura admirabilis; quod solet homines superbos efficere: ipse autem hæc omnia habens, erat valde humilis. »

Tropol. S. Gregor. « Quid, inquit, in Saul electo, et bono significatur, nisi Sanctorum Patrum electi imitatores, qui per doctrinam aliis utiles sunt, et per conversationem sibi? qui sic alios possunt regere, ut sibimetipsis nequaquam desinant providere? Electi namque et boni sunt: quia sic lucra aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur. Pleni quippe in se ipsis sunt, affluentes aliis, et de abundantia sui, sic aliis tribuunt, ut suæ plenitudinis aliquid non amittant. »

ET NON ERAT VIR DE FILIIS ISRAEL MELIOR ILLO.) Puta e populo; nam Samuel Iudex et propheta utique melior et sanctior erat Saule. Hinc c. 13. 1. dicitur: *Filius unius anni erat Saul,* id est erat tam innocens et purus, ac si fuisset infans unius anni. Unde Chald. *Unius anni,* ait, *in quo non sunt peccata.* Sic et S. Gregor. Angelom. Procop. Theodor. Ruper. Abulen. et alii.

Causam dat S. Gregor. 2. p. Pastoralis c. 1. *Tantum,* ait, *debet actionem populi, actio transcendere præsulis quantum distare solet a grege vita pastoris: ut scilicet tantum præcellat subditis, quantum homo præcellit brutis,* ait S. Chrys. lib. 2. de Sacerd.

Vide iam, et miserare lapsum Saulis, qui ex tam bono tam malus evasit, ut a Deo reprobatus, vita sit spoliatus et regno. Audi S. Gregor. Nazian. Oration. 7. *Quid de Saule existimamus? Nam et unctus, et Spiritus factus est particeps, ac tunc spiritualis erat: non enim de eo secus dixerim.* S. Hieron. in c. 20. Ezech. *Eliguntur,* inquit, *præsentia: nec statim qui eligitur tentari non potest, nec perire: quia et Saul electus in Regem, et Iudas in Apo-*A *stolum suo postea vitio corruerunt.*

Causam lapsus assignat S. Cyprian. epist. 7. *Salomon,* inquit, *et Saul quamdiu in viis Domini ambularunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: Recedente ab eis disciplina dominica, recessit et gratia.* Cyrillus Alexan. in Ioann. c. 21. probat quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* exemplo Saulis. *Saul,* inquit, *cum parvus esset in oculis suis, dux super Israel constitutus est; cum vero in superbiam elatus est, a Deo abiectus et reprobatus: cum David vilis in oculis suis saltaret coram arca ludens cythara, mirum in modum Deo placuit; cum vero tumore animi inflatus populum iussit numerari; vindicem manum Dei sensit.*

QUÆRE ASINAS) Asini in Syria sunt præstantiores Europæis; unde filii Principum vehebantur asinis. Iudic. c. 10. 4. et cap. 12. 14. Asinus ergo apud Hebræos erat iumentum regale. Hebræi enim equis vix utebantur, idque ex Dei monitu Deuter. 17. 16. Hoc ergo Sauli fuit quasi omen regni, ut quærens asinas, reperiret regnum, iisque Vers. 3.
B rex insideret. Hinc et Christus dum quasi Messias rex Israelis inaugurandus, cum ramis palmarum perrexit Ierosolymam, vehebatur asina. Matth. 21. 5.

Moral. Vide hic quam omnis nobilitas ex vilitate sit orta. Nam ab asinis Saul evectus est ad regnum, et ex Agasone factus est Rex. Sic David ex opilione creatus est rex. Unde S. Chrys. hom. 59. in Matth. *Tu,* inquit, *qui magna de nobilitate maiorum iactas, ultra proavos atque atavos tuos si progrediaris, invenies multos e genere tuo Agasones, forsan aut Caupones fuisse.*

PER TERRAM SALISA,) quæ et *Bale*, et *Segor*, dicta est. Audi S. Hier. in trad. Hebr. in Genes. « Bale, inquit, lingua Hebræa, devoratio dicitur. Tradunt igitur Hebræi hanc eamdem in alio scripturarum loco Salisam nominari, dicique rursum vitulam conternantem; quod scilicet tertio motu terræ absorpta est, et ex eo tempore quo Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim divino igne subversæ sunt, illa parvula nuncupetur; siquidem Segor Vers. 4.
C transfertur in parvam. »

Allegor. Saul est Christus, ait Beda ob quinque analogias et typos. *Primus quia Saul dicitur electus: sic et Christus Isai.* 42. *Ecce puer meus, quem elegi. Secundus, quia Saul super omnes eminebat: et ita Christus, de quo Sponsa.* Can. 2. v. 3. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Tertius, quia Saul missus est a patre ad quærendas asinas, Christus ad quærendas animas. Quartus, quia Saul secum duxit puerum; Christus chorum Apostolorum. Quintus, quia Saul quærens asinas, invenit Regnum; Christus quærens animas, constitutus est Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Psalm. 2. 6.

IN SITARCIIS NOSTRIS) *Sitarcia,* sunt peræ vel sacculi Vers. 7.
quibus panes reliquique cibi ad viaticum imponuntur. Sitarcia quid?
Græce enim σιταρχια vocatur annona militaris, quasi σιτος αρκετος, id est frumentum, vel cibus sufficiens. Inde metonymice peræ hunc cibum continentes vocantur sitarcia. Male ergo nonnulli legunt *cistartiis,* quod nomen derivant a Latino *cista,* et Greco αρθος, q. d. cista vel
D sporta panis.

ET SPORTULAM NON HABEMUS, UT DEMUS HOMINI DEI.) Sportulæ vocantur munuscula cibaria, vel etiam nummaria, ait Budæus in Pand. Hæc enim sportulis, id est parvis sportis ad asportandum imponi solebant, uti fieri videmus Romæ in sportulis, quarum frequens est usus ad cibaria transmittenda. Hebr. enim est תְּשׁוּרָה *tesciura,* id est munus, xenium, donum: hæc enim in iure vocantur sportulæ, eo quod in sportulis offerrentur Iudicibus a litigatoribus. Hæc igitur Saul volebat offerre Samueli pro oraculo asinorum, non ut mercedem, hoc enim fuisset peccatum simoniæ, scilicet emere et vendere prophetiam, quæ est res spiritualis, pretio temporali; sed ut munus gratitudinis, vel sustentationis causa, ultro oblatum: putabat enim Saul ex honestate prophetæ deberi, sed ignorabat virtutem Samuelis, munera quælibet respuentis. Ita Ioseph. Procop. Theodor.

QUI ENIM PROPHETA DICITUR HODIE, VOCABATUR O- Vers. 9.

LIM VIDENS,) a visione prophetica, quam a Deo accipiebat. Prophetia enim dicitur *visio*, unde *visio Isaiæ* inscribitur eius prophetia, æque ac aliorum prophetarum.

Vers. 13. ANTEQUAM ASCENDAT EXCELSUM AD VESCENDUM,) nimirum Samuel quasi Sacerdos obtulit hic sacrificium: hoc enim loco excelso, v. g. in colle, aut monte offerri solebat. Fuit autem hoc sacrificium pacificum: ex tali enim instruebatur convivium, quale hic instruxit Samuel, cum eodem excepit Saulem.

Tropol. S. Gregor. 2. part. Pastor. « Quicumque, inquit, ad celsitudinem curæ pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet et vitæ propriæ altitudinem, et alienæ infirmitatis compassionem. » Et paulo post. « Samuel ergo Saul ad excelsum tulit, et in oppidum deposuit: quia summi viri cum sanctæ Ecclesiæ culmen ordinant, illos quos in eodem culmine ponunt, docent sublimiter vivere, plana prædicare; sibi esse rigidos sed subditis temperatos; sic attendere propriæ saluti, ut cum infirmis possint infirmari: infirmari dixerim, per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis, nam si per mentis languorem Doctor iacet, curare ægros et iacentes erigere non potest. »

Vers. 15. DOMINUS AUTEM REVELAVERAT AURICULAM SAMUELIS, q. d. Dominus occulte revelaverat Samueli postridie ad eum venturum Saulem, quem ipse regem designarat, perinde ac si id in aurem ei dixisset. Sic enim in aurem dicimus, quod occultum esse volumus.

Vers. 19. ASCENDE ANTE ME.) Quare, inquit, Dion. Carthus. « Non dixit: sequere me: vel perge mecum in excelsum: sed ascende ante me? an ad præfigurandum, quod Saul erat sibi et aliis præficiendus in Regem? Samuel quoque erat senex: nec potuit pariter illud montuosum celeriter ascendere. »

Tres alias causas dat noster Mendoza, « Mihi, inquit, videtur Samuel hac in re et humilitatis, et obedientiæ, et temperantiæ exemplum præbuisse. Humilitatis quidem, quia potiores partes cessit Sauli, pone sequens præeuntem. Obedientiæ vero: quia non solum Regi electo, sed etiam eligendo debitam reverentiam deferebat. Temperantiæ denique: quia qui ad labores ocyor prævolabat, ad prandium tardior sequebatur. »

ET OMNIA QUÆ SUNT IN CORDE TUO, INDICABO TIBI.) Id est; quidquid scire volueris, *indicabo tibi*. Hebræi teste S. Hier. tradunt Saulem habuisse omen regni per visionem, qua vidit se in summitate palmæ collocari; quæ visio regalis erat; ac de hac voluisse consulere Samuelem. Verum sequentia Saulis verba, quibus Samueli ei regnum denuntianti adeo se humiliat, et quasi obstupescit, significant eum plane huius rei fuisse inscium, nec quidquam de regno cogitasse.

Vers. 20. ET CUIUS ERUNT OPTIMA QUÆQUE ISRAEL, NONNE TIBI.) *Optima*, id est Regnum sive potestas et dignitas regia: hac enim in Rep. nihil est præstantius. Hebr. est כל חמ דה *col chem da*, id est *omne desiderabile*, sive quod omnes desiderant, regnum; sive quod Hebræi desiderabant, regem; q. d. ait Isidor. Clarius. *Totus Israel desiderat habere regem, et tu es ille in quem omnium vota nutu divino conspirant.*

Vers. 21. NUMQUID NON FILIUS IEMINI EGO SUM, DE MINIMA TRIBU ISRAEL?) *minima*, tum quia tribus Beniamin ob stuprum pene fuit excisa, et ad sexcentos viros redacta. Iudic. 20. 35. Ita Abulen. Lyran. Dion. tum quia ob stuprum hoc valde fuit diffamata, et deformata, ideoque videbatur principatu et regno Israelis ob tantam infamiam indigna, æque ac fuit Ruben, licet primogenitus Iacobi.

QUARE ERGO MIHI LOCUTUS ES SERMONEM ISTUM?) Intellexit Saul quod Samuel per optima sibi promitteret regnum, quo ipse per humilitatem se indignum censebat, præsertim quia tunc communis omnium erat rumor et expectatio de novo rege creando. Ita Angelom. et Abulen. Somnium est ergo Hebræorum, quod Saul per palmæ somnium cognoverit se fore regem.

Porro Saul humilitate hac sua meruit exaltari evehi-

A que ad regnum, quod postea per superbiam perdidit. Audi S. Hier. epist. ad Heliodorum, de eius nepote Nepotiano, qui se sacerdotio indignum asserebat: *Quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, et merebatur negando quod esse nolebat; eoque dignior erat, quo magis se clamabat indignum.*

Idem humilitatem S. Paulæ in eius Epitaphio ita celebrat: *Fugiendo gloriam, merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores.*

INTRODUXIT EOS IN TRICLINIUM.) Ad convivium hoc sacrum, puta instructum ex sacrificio pacifico, ut dixi v. 13. Unde Hebr. Græca, et Noster illud vocant *sacrificium*. Chald. *oblationem sanctam*, ideoque non in urbe et in domo Samuelis, sed foris in excelso monte celebratum est. Vers. 22.

Pro *triclinium* Hebr. לשכתה *lisciata*, id est *cœnaculum*: necdum enim erat usus accumbendi mensæ, sed prisci ei assidebant, uti nunc facimus; unde fratres Ioseph mensæ eius assedisse dicuntur. Genes. 43. 33. sic in de-

B serto *sedit populus manducare, et bibere*. Exodi 32. v. 6. imo etiam multo post David: *Ego*, inquit, *ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum*. 1. Reg. 20. v. 5. et Salomon: *Quando sederis ut comedas cum Principe*, etc. Proverb. 23. v. 1.

TRICLINIUM.) Autem proprie significat tres ordines lectulorum (κλίνη enim est lectus) mensalium, in quibus convivæ semiiacentes et semisedentes accumbebant mensæ. Ergo hoc proprie non erat triclinium, sed cœnaculum: vocatur tamen a nostro interprete triclinium, quia posteri usi hisce lectulis, cœnaculum quodlibet vocarunt triclinium, uti etiamnum vocatur, etsi usus accumbendi in lectulis cessarit, et usus priscus sedendi in mensa sit reductus.

DEDIT EIS LOCUM IN CAPITE.) Ut indicaret Saulem ex Dei decreto fore caput et Principem Israelis. Porro Deus elegit Saulem in regem, quia tum erat optimus, etsi postea superbiens reciderit. Præsciebat Deus hunc casum,

C sed eum permittere decrevit; tum quia eum suæ libertati permittere voluit; tum ut puniret Hebræos, qui regem se invito petierant; tum ut daret nobis exemplum eligendi Præpositos pro tempore dignissimos, ac tolerandi eorum lapsus, si postea a primæva bonitate desciscant.

Aliam causam dat S. Gregor. *Et fortasse*, inquit, *idcirco reprobus Rex eligitur, ut electus successor eius Rex David in eo cognosceret, quid cavere debuisset. Sic nimirum et de illa Angelorum curia legimus; quia de apostata primo Angelo scribitur: Ipse est principium viarum Dei*. Iob. 40. v. 14. *Sed quia ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, et in eius ruina sancti Angeli didicerunt, qua virtute stare potuissent*, etc.

LEVAVIT AUTEM COCUS ARMUM, ET POSUIT ANTE SAUL.) Dices; Armus dexter victimæ pacificæ (qualis hæc erat) cedebat Sacerdoti, puta Samueli; nec nisi ab eo eiusque servo comedi poterat, uti sancitur Levit. 22. 11. Quomodo ergo eum Samuel tradit Sauli? Resp. Abulen. armum hunc fuisse non dextrum, sed sinistrum, qui Vers. 24.

D a laicis comedi poterat. Si malis fuisse dextrum, dicito armum hunc non fuisse victimæ, sed animalis communis. Cum victimis enim, si illæ numero convivarum non sufficerent, poterant comedi aliæ carnes communes, quæ non erant Deo sacrificatæ.

Moral. Disce hic frugalitatem prisci ævi. En Samuel Sauli regi non perdices, non phasianos, non varia fercula, sed unum armum apponit. Audi qualia fuerint primorum Christianorum convivia, describentem Tertul. in Apol. c. 39: « Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem, et lumina, ut quisquis de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit. Inde disceditur ad eamdem curam mode- Frugalitas priscorum.

stiæ et pudicitiæ; ut qui non tam cænam cænaverint, quam disciplinam. »

S. Antonius teste S. Athan. solo pane, sale et aqua vixit ad annum ætatis 105. S. Paulus primus Eremita teste S. Hieron. pane et aqua ad annum ætatis 113. S. Hilarion. herbarum succo et paucis carycis post triduum ad annum 80. Idem fecere ceteri Anachoretæ teste Theodor. Palladio, Cassiano. Audi S. Bern. epist. 1. ad Robertum. « Prudenti, inquit, sobrieque conversanti satis est ad omne condimentum, sal cum fame. Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, excitare in aliquo, et statim senties sola te appetere quæ famem tollant, non fauces demulceant. Reddet quippe sapores rebus exercitium, quos tulit inertia: fames miro modo dulcia reddit, quæ fastidium facit insipida. Olus, faba, pultes, panisque cibarius cum aqua, quiescenti quidem fastidio sunt, sed exercitato magnæ videntur deliciæ. »

Denique prisci Romani pultibus pro pane vescebantur, teste Valer. Max. lib. 2. c. 5. Unde et pultiphagi sunt appellati, erantque sani et validi; ut totum fere orbem sibi bello subiecerint. Medici enim, docent multum ad sanitatem et vires conferre, si quis uno dumtaxat, eoque simplici cibo vescatur, cruditatis enim, indeque febrium et morborum causam esse ciborum varietatem. Idem docet experientia.

Quia de industria servatum est tibi.) Causam dant Sept. dum vertunt: *In testimonium positum est tibi a populo*, id est, *præter alios*, ut habent Roman. *e populo:* q. d. hic armus tibi servatus est, ut te quasi futurum regem discriminet a cetero populo. *Armus*, inquit Theod. et Procop. *servatur Sauli, quasi regnaturo, et pro populo periculum adituro, ideoque vocatur testimonium.* Unde Iosephus lib. 6. c. 4. hunc armum vocat *regalem.* Armus enim symbolum est fortitudinis bellicæ, quæ in rege, præsertim Saule hoc tempore pro Israele a Philisthæis oppresso, pugnaturo requirebatur. Audi S. Gregor. *Quid in armo pectoris nisi fortitudo signatur actionis?* Hæc autem in quovis Rege, sed maxime in Saule ad subigendos hostes requirebatur.

Hac de causa sacerdoti ex victima cedebat armus dexter; separatus, ait S. Gregor. 2. par. Pastor. c. 3. « Ut non solum sit eius operatio utilis, sed etiam singularis. Nec inter malos tantummodo quæ recta sunt, faciat; sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, ut quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso, auctori discat immolare; et non solum pectore, quæ recta sunt, cogitet; sed spectatores suos ad sublimia, armo operis invitet. » Hinc armus hic a Iosepho vocatur *portio regalis*: voluit enim eo facto insinuare Samuel, Reges ac Duces præcipue eminere debere in fortitudine et magnanimitate, quam armus significat, quem comedere debent, ut in ipsam animam fortitudinem traiiciant, non magni facientes illam quæ est corporis.

Sed Sauli cessit armus sine pectusculo, quia fuit in eo armus fortitudinis, sed defuit ei pectus sapientiæ, compassionis et charitatis in Davidem, aliosque suos cives.

Duas alias causas dat Auctor Antiq. Convival. lib. 1. cap. 33. Primam. « Quod, inquit, armus in sacrificiis pars esset sacerdotum propria, Samuel hoc symbolo id admonere voluit, ut Rex factus cum sacerdotibus coniuncte viveret: ita enim beatum et florens futurum ipsius regnum. Secundam, quod cum armus maxime valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret, se non ad iocum, ad lusum, ad voluptates, sed ad maxima onera ferenda atque sustinenda vocari. »

Et locutus est cum Saule in solario.) Quid? Vers. 25. Rabbini apud Lyranum et Abulensem: *De timore*, inquiunt, *Dei et custodia legis.* Carthusianus: *De pertinentibus*, inquit, *ad salutem*, *admonendo eum ad meliora.* Abulens. *De pertinentibus ad instructionem Regis*, *qualiter iste se deberet habere ad subditos*, *et qualiter ad Deum.*

Stravitque (Samuel lectum, puta culcitram, aut saccum stramineum, uti faciunt Hungari et Poloni) Saul (Sauli, vel ut Gregor. stravit Saul sibi ipsi) in solario.) Puta in tecto soli exposito. In Palæsthina enim tecta sunt plana, ut in iis ambulare, cœnare, dormire queant, uti dixi Deuter. 22. 8. Audi S. Hieron. ad Suniam et Fretelam in Psal. 101. *In Palæsthina et Ægypto, ubi, vel scripti sunt divini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel solaria vel mœniana vocant, id est plana tecta quæ transversis trabibus sustentantur.*

Hæc verba desunt in Hebræo et Chald. et Latinis Regiis, verum habent Septuag. *Straverunt*, inquit, *Sauli in solario.* Vide Franc. Lucam in notis hic.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samuel secreto ungit Saulem in Regem, idque Dei iussu se facere triplici signo Sauli dato confirmat. Primo, Est repertarum asinarum. Secundo, Trium virorum euntium in Bethel. Tertio, Chori prophetarum, cum quibus et Saul actus Dei spiritu prophetat. Mox v. 17. Samuel palam in Maspha coram toto populo Saulem per sortem Regem a Deo electum designat.

1. Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput eius, et deosculatus est eum, et ait: Ecce,
unxit te Dominus super hereditatem suam in principem, et liberabis populum suum de manibus inimi-
corum eius, qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem.
2. Cum abieris
hodie a me, invenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in Meridie, dicentque tibi: In-
ventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: et intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, et dicit:
Quid faciam de filio meo?
3. Cumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient
te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, et alius tres tortas panis, et alius por-
tans lagenam vini.
4. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum.
5. Post hæc
venies in collem Dei, ubi est statio Philisthinorum: et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem
prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque
prophetantes.
6. Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium.
7. Quan-
do ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.
8. Et de-
scendens ante me in Galgala, (ego quippe descendam ad te) ut offeras oblationem, et immoles victimas pacifi-

cas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias 9. Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa hæc in die illa. 10. Veneruntque ad prædictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei: et insiluit super eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum. 11. Videntes autem omnes qui noverant eum heri, et nudiustertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis? num et Saul inter prophetas? 12. Responditque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? propterea versum est in proverbium: Num et Saul inter prophetas? 13. Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum. 14. Dixitque patruus Saul ad eum, et ad puerum eius: Quo abistis? Qui responderunt: Quærere asinas: quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. 15. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. 16. Et ait Saul ad patruum suum: Indicavit nobis, quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei, quem locutus fuerat ei Samuel. 17. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha: 18. Et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos. 19. Vos autem hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris: et dixistis: Nequaquam: sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, et per familias: 20. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors tribus Beniamin. 21. Et applicuit tribum Beniamin et cognationes eius, et cecidit cognatio Metri: et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, et non est inventus. 22. Et consuluerunt post hæc Dominum, utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus: Ecce absconditus est domi. 23. Cucurrerunt itaque et tulerunt eum inde; stetitque in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum. 24. Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait: Vivat Rex. 25. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino: et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. 26. Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa, et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 27. Filii vero Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera: ille vero dissimulabat se audire.

Vers. 1. Unctionis regum antiquitas.

Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput eius.) Hic primus est Rex Israelis qui unctione consecratur: nam apud gentes ungi iam erat in usu, ut colligitur ex illo Iudic. 9. 8. *Ierunt ligna ut ungerent super se Regem.* Sic Cyrus vocatur *Christus*, id est unctus, Isaiæ 45. 1. Unctio hæc ordinarie fiebat a Pontifice; subinde tamen a propheta, uti hic. Causæ cur ungerentur erant variæ. Prima, ut significaretur summa regis dignitas in temporalibus, æque ac Pontificis in spiritualibus. Hac enim de causa ungebatur, ait Abul. Audi S. Cyprian. (vel quisquis est Auctor.) de Cardinal. Christi operibus, tract. de Chrismate: *Sicut oleum*, inquit, *fluitat et humidis quibuslibet superfertur, ita excellentia sacerdotalis et regiæ dignitatis, secundum formam Dei et Christi sub se omnia continens, regimen et munimen tam activæ quam contemplativæ vitæ obtinet.*

Causa 1.

II. Secunda, ut significaretur novo regi a Deo infundi novas vires et spiritum, ad populum Dei in vero eius cultu continendum, et contra infideles defendendum.

III. Tertia, ut admonerent reges lenitatis, benignitatis, clementiæ, misericordiæ, charitatis et beneficentiæ (horum enim symbolum est oleum) exercendæ in subditos. Ita S. Gregor. « Oleum, inquit, liquoribus aliis superfertur: oleum ignem fovet: oleum vulnera curare consuevit. Ungatur ergo caput Regis, quia spirituali gratia mens est replenda Doctoris. Habeat in unctione sua oleum: habeat misericordiam abundantem, quæ virtutibus aliis præferatur. Habeat oleum, ut dum ardorem sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat oleum medicinæ, ut sapienter disponat, qualiter peccatorum fœtores tergat, et ægras mentes saluti restituat. » Ita S. Gregor. Tropol. adaptans Doctori, quod ad litteram dicitur de rege.

IV. Quarta, ut esset typus Christi qui est summus sacerdos, rex et propheta. Christus enim unctus est a Deo oleo gratiæ, tum habitualis copiosissimæ, tum unionis hypostaticæ, quæ in se est eminentissima. Quocirca reges uncti in Script. vocantur *sancti*, imo *Christi* sive *Messiæ*, ut patet c. 24. 26. et lib. 2. c. 1. 1.

Hinc mos hic ad Christianos derivatus est, ut eorum Imperatores et Reges ungantur, imo de iure Canonico sancitum est, ut patet ex cap. *Venerabilem. Extra de electione.* Et cap. *Cum venisset, extra de sacra unctione*, quem morem Deus miraculo confirmavit. Nam cum S. Remigius Clodovæum in Regem Franciæ ungeret, columba e cælo detulit ampullam olei, quo eum unxit; quæ etiamnum Rhemis asservatur, indeque Reges Franciæ uncti a Deo nanciscuntur facultatem curandi strumas, sive scrophulas; uti asserunt rerum Gallicarum scriptores, et testantur qui præsentes fuerunt, et idipsum viderunt.

Porro hæ ceremoniæ non ex lege, sed ex consuetudine, apud Hebræos in unctione regis adhibebantur, ait Serarius. « Prima, Rex inaugurandus in sede collocabatur. Secunda, diademate ornabatur, 2. Paral. 23. 4. Reg. 11. Tertia, ungebatur. Quarta, ei dabatur in manus liber legis, id est Deuteron. Quinta, iurabat in ipsius observationem. Sexta, sacrificia fiebant omnis generis 3. Reg. 1. et hic infra c. 11. quemadmodum apud Herodianum l. 2. Septima, edebantur varia lætitiæ et approbationis signa, 3. Reg. et hic v. 25. 27. »

Lenticulam olei.) Oleo sacro ungebantur Pontifices; reges vero nunc sacro, ut cum a Pontifice ungebantur; nunc communi, ut cum a propheta quopiam. An Saul unctus sit oleo sacro ex tabernaculo accepto, an communi; incertum est. Hebræi teste Vatab. tradunt, solos reges descendentes ex Iuda et Davide, sacro oleo unctos fuisse; Saulem vero communi, eo quod reprobandus foret.

Porro, *lenticula*, erat vasculum sive laguncula lenticulari figura, sive instar lentis, qualem habet cornu (unde et cornu vocatur.) Minus apte ergo Abulens. putat *lenticulam*, a liniendo dictam. Idem vasculum Festo et Varroni guttur sive gutturnium, eo quod propter colli angustiam liquor ex eo guttatim effluat. Parvum erat hoc, tum quia parum olei in caput regis effunditur, tum quia secreta et privata erat hæc unctio.

Symbol. S. Gregor. *Lenticula*, ait, *est parvum vas: quid ergo est, quod lenticula Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur? velut enim lenticula, olei parum habuit, qui spiritualem gratiam proiiciendus accepit.* Et inferius: *e contra autem, cum electus rex* (David) *ungi præcipitur, eidem prophetæ Dominus ait, imple cornu tuum oleo.* 1. Reg. 16. 1. Et Rupert. lib. 2. in Ioannem cap. 1. *Deus*, inquit, *cum Samuelem misit, ut in Regem ungeret electum suum David, non lenticulam, sicut ad inungendum Saul, sed cornu olei tollere iussit; verisimiliter significans, doni sui magnitudinem, simul et fortitudinem, id est throni eius firmitatem, et prophetalis gratiæ celsitudinem.*

Et deosculatus est eum.) Osculum hoc significabat gratiæ communicationem, inquit Procop. ac regalis

et sacerdotalis officii mutuam concordiam et operam, scilicet Reges debere cum sacerdotibus et Pontificibus esse concordes, ac mutuo se invicem adiuvare, protegere et propugnare. Osculum enim amicitiæ et pacis est symbolum. Tunc enim optimum est regimen, cum potestas civilis Ecclesiasticæ, sive cum regnum Ecclesiæ, et rex pontifici subservit et opitulatur. Audi Theodor. q. 16. causam huius osculi litteralem et allegoricam assignantem: « Gratia, inquit, quæ sibi inerat, eum impertiit. Nam Deus quoque cum insufflasset in Apostolos, dixit: Accipite Spiritum sanctum. Etenim ex plenitudine eius omnes accepimus. Sic Propheta deosculatus est Regem, cui impositæ erant manus. »

Addit Abulens. Osculum æque ac unctionem fuisse ceremoniam, qua Saul constitutus fuit rex. Sicut enim cum quis creatur Doctor, inter alios ritus solet accipere osculum a Doctore qui ipsum creat, et quasi osculo sibi æquat, et in ceterorum Doctorum numerum asciscit: sic Samuel Iudex et Princeps osculatur Saulem, quasi illum sibi æquans, et inter Principes constituens, imo Regem efficiens. Sic Isaac osculatus est Iacob conferens ei benedictionem primogenituræ, et ex ea principatum super fratres. Genes. 27. 27. Osculum ergo erat signum primogenituræ et delati principatus.

Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam.) Id est super populum suum, uti explicans subdit iuxta illud: *Hereditas mea Israel;* Israel enim erat quasi synagoga. Resp. et Regnum Deo peculiare et proprium, iuxta illud Exodi 19. 5. *Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus.*

Moral. S. Gregor. *Doctor,* inquit, *eligitur, ut de prælatione sua non suum, sed Domini lucrum quærat. Unctionis fructus, est cultus divinæ hereditatis.*

Et hoc tibi signum, quia (quod) unxit te Deus in principem.) Dat Samuel signum, quod iussu Dei eum unxerit, ac Deus per eum liberaturus sit Israelem de manu hostium, ut Saulis humilis et trepidantis, tam novum arduumque opus et onus subire, animum elevet, roboret et confirmet. Ita Theod. Procop. Hugo, Dion. et alii. Hinc S. Gregor. « Cum, inquit, sancti viri ad primatum sanctæ Ecclesiæ sustolluntur, vehementer expavescunt; ne onus tanti ordinis sibi iudicio hominum sit impositum, non ordinatione conditoris. Ad robur ergo humilium dantur signa, quibus se a Deo, non ab hominibus electos sciant. »

Vers. 2. Invenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Beniamin.) Hoc sepulchrum erat in Bethlehem, ideoque in tribu Iuda. Genes. 35. 19. sed tribus Beniamin erat confinis tribui Iudæ. Ita Lyran. Abulen. et Serarius. Alienum enim est sic cum nonnullis dispungere, q. d. *duos viros* qui nunc, dum hæc loquor, sunt *iuxta sepulchrum Rachel, invenies in finibus Beniamin,* cum eo veneris.

Tropol. Rachel, ait S. Gregor. monet regem debere vacare contemplationi, præsertim de sepulchro et morte sua, indeque progredi ad actiones suas, et functiones regias.

In meridie.) Refer hoc non ad locum, sed ad tempus, quasi dicat: Invenies eos in tempore meridiano. Hoc enim significat Hebr. צלצח *tseltsach,* id est *clara umbra*: talis enim est in meridie. Sept. vertunt; *salientes grande,* sive *granditer,* a rad. צלח *tsalach*, id est saltare. q. d. Invenies duos viros saltantes, id est alacres et lætos, ac præ lætitia exilientes. S. Gregor. Dion. Hugo, Abulen. legunt: *Salientes magnas*, vel *claras foveas*: per quos S. Gregor. Tropol. prædicatores accipit: *In meridie,* inquit, *magnas foveas saliunt; quia per fervorem perfectæ charitatis, cuncta quæ videntur sæculi, alta despiciunt. Quidquid enim in hoc sæculo altum cernitur, non est vera altitudo, sed fovea, quæ omnes quos in sua ambitione recipit, ad inferna deponit.* Aliter S. Bonav. *In meridie,* inquit, *id est in spirituali prosperitate magnas foveas saliunt, qui lætitiam magnam quam habent in corde, exterius ostendunt, quia inventæ sunt asinæ, id est animæ Christi sanguine redemptæ.*

Et veneris ad quercum Thabor.) Montis in quo transfiguratus est Christus. Ita Abul. licet Hugo putet *τὸ Thabor,* esse nomen viri cuius erat hæc quercus. Mystice, *Thabor,* Hebr. idem est quod *veniens lumen,* unde typus est vitæ contemplativæ, ita S. Gregor. « Huius, inquit, conversationis viri, dum ad exteriora opera activæ vitæ non exeunt, quasi in umbra sunt: quia incendia tentationum sentire non possunt. Quia enim in cælesti desiderio requiescunt, quo longius amoti sunt ab amore mundi, eo quietiores manent in umbra refrigerii. Vers. 3.

Invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel. Unus portans tres hoedos.) Deo sacrificandos in Bethel. *In Bethel,* id est, ubi Iacob vidit Deum innixum scalæ, per quam ascendebant et descendebant Angeli. Genes. 28. inde locus dictus est, *Bethel,* id est *domus Dei.* Hinc Bethel quasi hac visione Dei consecratus fuit locus orationis, æque ac immolationis: tum quia necdum fabricatum erat templum, extra quod sacrificare Iudæis vetuerat Deus; tum quia tabernaculum, quod erat quasi templum mobile et portatile, iam erat separatum ab arca, quæ Deum repræsentabat, et arca a tabernaculo, qui erat proprius arcæ locus. Tabernaculum enim erat in Silo, Iudic. 18. 1. Arca in Cariathiarim, ut audivimus c. 7. 2. Quare tunc licitum erat alio loco, præsertim a Patriarchis culto, qualis erat *Bethel*, sacrificare, Deo id permittente. Hinc et Ieroboam in Bethel collocavit vitulum aureum, quasi idolum; ideoque ex *Bethel,* id est *domo Dei,* fecit *Betaven*, id est *domum idoli*, uti eam vocant Prophetæ.

Post hæc venies in collem Dei.) Id est in Cariathiarim, ubi erat arca Dei, ait R. Salomon. Unde Chald. vertit: *Ad collem in quo arca Domini.* Sic et Isidor. Clarius, Vatab. et alii: sed errant; nam Cariathiarim erat in tribu Iuda. Saul autem iam egressus erat limites Iuda, eratque in tribu Beniamin. Lyran. Glossa, Hugo, Dion. per collem Dei accipiunt locum in quo degebant Prophetæ Dei, de quibus sequitur. Melius Abulen. Sanchez, et alii accipiunt Gabaa, quæ erat patria Saulis, eratque in colle: unde et Gabaa est dicta. *Gabaa* enim Hebr. est collis. Adde, in Gabaa erat statio Philisthinorum, de qua sequitur, et patet cap. 23. 18. Philisthini enim, ut Israelitas sub iugo suo continerent, et ab eis tributa exigerent; certis locis munitis, uti erant colles, habebant sua castra et præsidia. Ita Abulen. Lyran. Hugo, et Caiet. *Gabaa* autem vocatur *collis Dei*, quia in ea Prophetæ divinas laudes concinentes morabantur. Vers. 5.

Obvium habebis gregem Prophetarum.) Prophetæ hi non erant proprie dicti, qui futura prædicerent, sed erant viri religiosi, qui a turba secedentes vacabant Deo, illique hymnos et laudes concinebant, tum voce, tum instrumentis musicis: unde secum ducebant psalterium, cytharam, tympanum et tibiam, ut sequitur. Hos videtur instituisse Samuel, qui multis annis Eliam et Elisæum antecessit. Unde c. 19. 20. Chald. vertit: *Et Samuelem stantem, docentem super eos.* Hi igitur sunt quasi primi Religiosi, quos in sacra Scriptura invenimus. Pro quibus postea David Psalmos composuit. Unde Chaldæus hos prophetas vocat *scribas,* qui scilicet sacræ Scripturæ describendæ, legendæ, discendæ et meditandæ vacabant, uti tempore Christi fecere Essæi. Ita Lyran. Abulen. Hugo, Caiet. Sanchez, Serarius, Torniellus, Magister Hist. Schol. Genebr. in Chronico, et alii. Hi ergo sunt Prophetæ, qui in sequent. vocantur *filii,* id est, *discipuli Prophetarum*, scilicet Samuelis, Eliæ, Elisæi, etc. Erant tamen inter eos aliqui veri Prophetæ, qui futura prænuntiarent; ut patet ex eo, quod illi ipsi prænuntiarint Elisæo raptum Eliæ in cælum, 4. Regum 2. 3. Pluribus id probat Abulen. c. 19. q. 31.

Prophetæ erant Religiosi Dei laudes canentes.

Ipsosque prophetantes.) Id est hymnos Deo canentes. Cantores ergo hic vocantur prophetæ, præsertim ii qui ex afflatu Dei hymnos hos eructabant; uti fecit Saul, de quo sequitur. Sic filii Asaph dicuntur prophetasse, id est Dei laudes cecinisse in cytharis, 1. Paral. 25. 1. Vide quæ de significatis nominis prophetæ dixi 1. Corinth. 14.

Causam et fructus huius cantus dat S. Iustin. quæst. 107. « Excitat, inquit, Ecclesiasticus cantus cum voluptate quadam animam, ad flagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium. Affectiones et concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes amolitur: pietatis decertatores, generosos et fortes per constantiam in rebus adversis efficit: omnium rerum, quæ in vita tristes et luctuosæ accidunt, piis affert medicinam. »

Et S. Isidorus lib. 7. Sentent. c. 7. « Psallendi, inquit, utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam, quamvis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit. » Et paulo post: « Nescio quo pacto modulatione canentis, maior nascitur compunctio cordis: multi enim reperiuntur, qui cantus suavitate commoti, crimina plangunt; atque ex ea parte magis flectuntur ad lacrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suavissima. »

Vers. 6. Et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis.) Hoc est afflatus Dei spiritu, et quasi enthusiasmo actus hymnos dictabis et canes Deo. *Hoc verbo* (*insiliet*) *tamquam ex abdito divinitatis secreto repentinus significatur afflatus*, ait S. August. lib. 2. ad Simplician. q. 2.

Et mutaberis in virum alium.) Maiorem a Deo infusam accipies sapientiam et magnanimitatem, ex rusticano agasone fies civilis, politicus, regalis, quia indues animum liberalem et regium. Fies ex rudi sapiens, ex duro mitis, ex agrestri urbanus, ex privato regius. Addit Nazian. dubitandum non esse, quin Saul per inhabitantem Spiritum sanctum fuerit in spiritualem virum commutatus.

Vers. 7. Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua.) q. d. Ex hisce signis intellige certissime te esse regem a Deo electum, et facultatem regiam adeptum cum ope Dei tibi assistente, ut possis perficere quæ velis, quæcumque in regimine agenda tibi occurrent. Regaliter ergo age et pugna intrepide pro populo Dei et tuo.

Quia Dominus tecum est.) Tamquam tuus director et gubernator. Ita Angelom. Abul. et alii. Audi S. Hier. in quæst. *His signis noscere poteris, quia Deus te regem fore voluit: et idcirco ad omnia quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Dominus tecum est.* Et Chald. *Quando venient hæc signa tibi, parato tibi vasa* (instrumenta) *regni, quia dictum* (verbum) *Domini in auxilio tuo.* Lyran. *Dispone*, inquit, *te quantum potueris ad decenter et potenter regnandum.*

Vers. 8. Et descendens ante me in Galgala.) Videtur Samuel vel rumore populi, vel instinctu Dei præcognovisse machinationes bellicas Naas regis Ammon contra Iabes Galaad. Hac de causa præmittit Saulem in Galgala, quæ vicina erat Iabes Galaad, seque eo secuturum promittit, ut voluntatem Dei de hoc bello illi indicet; sed cum urgeret hostis Samuelem, expectare Sauli non licuit, ait Caiet. et Lyran.

Aliter Abulen. qui generalem hic regulam dari Sauli a Samuele censet, ut quandocumque in periculis belli et hostium sit constitutus, se recipiat in Galgala, eoque se evocet, et expectet quasi de voluntate Dei ibidem sciscitaturum; idque innuitur c. 13. 8. sic quoque Angel. et Mendoza. *Optime*, inquit Serarius, *iungeretur expositio Lyrani et Abulens. ut et tunc temporis id factum sit, et postea semper de compacto fieri debuerit in difficilioribus negotiis; uti ex Iosepho intelligitur, et infra c. 23. v. 8. et 13.*

Porro in Galgala iubet descendere Saulem; tum quia Galgala erat vicina Iordani, ad eum contra hostes, ne per eum transirent in Iudæam, defendendum; tum quia Galgala erat locus dicatus orationi et sacrificio, ex quo Hebræi transeuntes Iordanem sicco pede, prima in Galgala posuissent castra, Iosue 4. 20. tum ut huius beneficii et transitus memorem redderet Saulem, eumque magis Deo obligaret.

Ut offeras oblationem, et immoles victimas.) q. d. Afferes victimas per sacerdotem immolandas. Nam eas per se Sauli immolare non licebat, quia ipse non erat Sacerdos.

Vers. 9. Immutavit ei Deus cor aliud.) q. d. Deus cor Saulis, quod, cum esset privatus, erat pusillum, abiectum, agreste, servile; iam eo rege facto fecit magnanimum, sublime, amplum et regale, ut nullis periculis cederet, nullos hostes metueret, nullum onus sibi difficile arbitraretur. Sic S. Catharina Senensis petiit a Christo aliud cor conforme cordi Christi, et obtinuit. Ita Abulen. *Mutavit*, inquit, *ei cor quod antea erat parvum et servile, in cor Regale.* Hugo Cardin. *Altius*, inquit, *et audacius cor habuit.* Carthusianus: *Dedit Sauli cor virtuosius et specialiter magnanimius.* Vatab. Immisit illi mentem aliam, et cor regium sive regios spiritus. Theodor. *Quoniam*, inquit, *erat rusticus solum sciens terram colere, cum ei manus imposuisset, dedit ei spiritum regium.* D. Gregor. *Cor*, inquit, *immutatum habebat: quia qui asinas quæsierat, iam de regni dispositione cogitabat.*

Deus dedit cor aliud Sauli.

Idem tamen Greg. rursum in malam partem hæc verba explicat. *Si*, inquit, *aliud cor tunc recepisse cognoscitur, coram propheta humilis fuit; sed ut cœpit discedere, pariter et cœpit superbire. In mente sua iam non esse parvulum; sed regem se cogitabat: adhuc non erat sublimis ordine, sed erat sublimis æstimatione.*

Proprie tamen hic mutavit Deus cor Saulis, quia fecit *prophetare*, id est Deo laudes canere, uti præcessit. Ita Tertull. lib. de anima c. 11. *Saulem*, inquit, *tam Dei Spiritus antea vertit in alium virum, id est in prophetam, quam et malus spiritus postea evertit in alium virum, in apostatam scilicet.* Sic et alii interpretes exponunt.

Et prophetavit in medio eorum.) Id est, afflatus numine easdem laudes Deo cecinit, quas ceteri prophetæ canebant. Modum explicat Auctor de mirabil. S. Script. lib. 1. c. 11. agens de cantico Hebræorum post transitum maris rubri, Exodi 15. « Admiratione, inquit, dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, et omnes ætates, eodem inspirati Flamine, uno quasi ex ore, nulla præmonitione edocti, easdem continenter litteras decantarent in unum. Ubi non consuetudine humani ingenii, sed divino spiritu cantorum pectora et ora inspirantur. Dominus qui paulo ante in profundo coram eis apparuerat, ipse postmodum in tali cantico, eorum linguas et ingenia gubernabat. » Vers. 10.

Addunt Hebræi apud S. Hier. Saulem vere prophetasse de futuro sæculo, de præmiis iustorum, et pœnis improborum.

Num et Saul inter Prophetas?) Ex subita mutatione tanta Saulis hæc vox astantium erupit quæ versa est in proverbium simile illi quo dicimus: *anser inter olores, asinus inter apes: corvus inter Musas* Simili modo dixere tempore Christi de Saulo facto Paulo: *Numquid Saulus inter Apostolos?* Numquid ille Iesum prædicat, qui Iesum persequi solebat? ait S. Gregor. Hoc proverbium quoque usurpes, cum promiscue quilibet sibi magnificam aliquam functionem solitis suis viribus maiorem usurpat; ut hoc ævo nemo non tractat sacras litteras, de iisque disputat. Ita S. Gregor. Nazian. Apolog. de fuga sua ad Pontum: *Pro eo*, inquit, *quod deberent esse dociles Dei, prophetant omnes, adeo ut et Saul sit inter Prophetas iuxta priscam historiam et proverbium.* Acute Epictetus c. 20. can. 20. *Philosophari*, inquit, *desideras? para te ipsum, quasi irridendus sis, quasi te subsannaturi multi sint, quasi dicturi: de repente hic nobis philosophus evasit? et unde nobis hoc supercilium?* Vers. 11.

Moral. Disce hic quam utilis sit societas bonorum; hæc enim aliis suam bonitatem affricat. En tibi Saul in societate Prophetarum, fit propheta et prophetat. Deus enim suum spiritum afflans prophetis, etiam Sauli inter eos constituto eum afflabat.

Mystice S. Bernard. serm. 2. ad fratres, de altitudine cordis: » Magnum, inquit, prophetandi genus, cui vos deditos esse conspicio: magnum prophetiæ studium, cui vos conspicio mancipatos. Quod illud? Nempe iuxta Apostolum

non considerare quæ videntur, sed quæ non videntur, sine dubio prophetare est. Ambulare in spiritu; ex fide vivere; quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram; oblivisci quæ retro sunt, et extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. »

Vers. 12. Et quis pater eorum?) Ita legunt Rom. quod primo aliqui sic explicant, q. d. Mirum non est Saulem prophetare, quia Prophetæ donum prophetiæ non habent a parentibus, quasi ex traduce, sed a Deo: sicut ergo Deus illis idipsum gratis communicavit, sic et Sauli. Ita Lyran. Hugo, Dion. Vatab. Sanchez, et alii.

Aliter explicant nonnulli per Auxesin, q. d. Quomodo Saul subito factus est propheta? imo pater eorum, scilicet et ceterorum prophetarum? illis enim Saul canendo eminet, quasi pater, id est magister discipulis. Quomodo tam subito factus est prophetarum magister, qui paulo ante necdum eorum erat discipulus? Ita Hebræi apud S. Hieron. in Quæst.

Porro Sept. legunt, *et quis pater eius?* q. d. Nonne Cis est pater Saulis? Cis autem est homo amusos; quomodo ergo filius eius Saul illico tam canorus evasit Musicus? Quis eum docuit adeo melodice canere? utique non pater Cis, nec quis alius præter Deum. Verum legendum cum Hebr. Chald. et Roman. *Et quis pater eorum?*

Vers. 13. Et venit ad excelsum.) Scilicet collem unde prophetæ descenderant v. 5. in excelso enim erat locus orationis et sacrificii. Eo ergo ascendit Saul antequam ad suos rediret, ut animum colligeret, et Deo pro tot donis sibi collatis gratias ageret, ait Abulens. Hugo, et Dion. Mystice S. Gregor. « Ad excelsum, inquit, post prophetiæ ministerium venit, qui ad cælestia gaudia, quæ prædicat mentem erigit, et ad ea amando se sublevat, quæ loquendo monstrat. Doctores quidem cum minoribus plana prædicant, quasi in plano sunt: et quia post verba prædicationis, ad promerenda ea quæ prædicant, se bonis operibus præparant, ad excelsum venire perhibentur. »

Vers. 14. Dixitque patruus Saul.) Patruus hic Saulis fuit Ner pater Abner principis militiæ Saulis, inquiunt Beda, Hugo, Abul. Dion. et alii. Ner ergo fuit frater Cis patris Saulis.

Vers. 16. De sermone autem regni non indicavit ei.) Cur tam altum de regno suo Saul tenuit silentium? Respon. Lyran. *Ut evitaret iactantiam, et humilitatem servaret.* Vatabl. *Hoc tribuitur*, inquit, *modestiæ Saulis.* Abulens. *Erubuit*, inquit, *de se hoc dicere, ne videretur se iactare, si hoc crederet esse verum.* Addit Carthus. *Quo exemplo*, inquit, *quorumdam iactantia, vanitas, insipientia arguuntur, qui nihil norunt celare; et præsertim, si quid et honoris eis exhibitum fuerit, aut exhibendum, silere non valent, et propriam pandunt stoliditatem.* Porro S. Gregor. *Verbum*, inquit, *non indicat, qui magnitudinem sanctitatis per vanam gloriam non revelat. Nam qui magna dignitate, magnaque sanctitate radiat, multa vivendo ostendit, quæ loquendo non dicit.*

Secunda causa fuit, ne secretum propalaret: ita Lyran. *Nam Samuel*, inquit, *unxerat eum secreto, propter quod puerum Saulis fecit præire, ne audiret verba eius, ut supra dictum est: et ideo voluit tenere secretum, et debuit quousque Samuel negotium publicaret.* Regi enim ad regia negotia summe opus est secreto.

Tertia, ne patrui invidiam sibi concitaret, uti concitavit Ioseph narrans somnium fratribus de suo principatu: ita Ioseph. 6. Antiq. cap. 4. Hugo, Abulen. et alii.

Vers. 17. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha.) Non quod *in Maspha* esset arca Domini, ut vult Lyran. sed *ad Dominum*, id est ad comitia Domini, ad conventum et Ecclesiam Domini, ad Synagogam Domini, ubi enim est Ecclesia Dei, ibi est, præestque ipse Deus. Rursum *ad Dominum*, id est ad Domini sortes et iudicium: quo scilicet Dominus publice erat designaturus regem Israelis a se electum: ita Caiet. vide dicta de *Maspha.* c. 7. v. 5. et Iudic. 20. v. 1. Noluit enim Deus suspectum populo esse Samuelem, quasi humano non divino iudicio rem tantam peregisset.

Ego eduxi Israel, etc.) Vere S. Bernar. Serm. de septem misericordiis, de se ipso fatebatur: *Sic*, inquit, *onerat me miserationibus suis Deus, sic obruit beneficiis, ut onus aliud sentire non possim.* Vers. 18.

Nunc ergo state coram Domino.) *Religiosus*, inquit Caiet. *sortium usus significatur, per stare coram summo Deo: ut non ex casu, sed ex divina providentia expectarent effectum sortis, elevatis mentibus in Deum, et devote commendando causam Deo.* Vers. 19.

Et applicuit (Hebr. יקרב *iacreb*, id est appropinquare vel accedere fecit) omnes tribus Israel.) Ad sortem, hoc est: dedit vel iecit sortem duodecim tribubus, ut per eam videret, quam ex illis Deus eligeret, ut ex ea regem designaret. *Applicuit* eas Samuel, ait Abulens. ponendo sortes pro illis, vel Deum interrogando pro singulis. Quales fuerint hæ sortes, nescimus, quia eas Scriptura non explicat. Vers. 20.

Nota, Samuel iam ante ex Dei iussu Saulem unxerat in regem, sed secreto; nunc ut eumdem a Deo electum toti populo ostendat, sortem iacit instinctu Dei, qui Samueli suggessit, se ita sortes has directurum, ut non in alium quam in Saulem caderent. Prudenti consilio id fecit Deus, ne quis a Samuele non a Deo electum Saulem ob privatam amicitiam, spes et commoda arbitraretur; aut se vel alios e Iuda, vel aliis nobilioribus tribubus, ait Lyran. regno digniores esse iudicaret. Sors hæc fuit divinatoria, sed a Deo suggesta, ideoque licita. Vide quæ de sorte triplici partim licita, partim illicita, dixi Actor. 1. Et Ionæ 1.

Et cecidit cognatio Metri.) Inter filios Beniamin qui exacte numerantur 1. Paral. 8. v. 1. et seq. nominatur *Metri.* Quare Hebræi, Lyran. Abulens. Hugo, Dion. et alii censent aliquem ex posteris Beniamin, qui nominantur 1. Paralip. 8. cognominatum fuisse *Metri*, id est *iaculatorem*, quod in arte sagittandi, scopum scilicet configendi excelleret; in hac enim eminuisse Beniaminitas patet Iudic. 20. 16. Vers. 21.

Et consuluerunt post hæc Dominum.) Per Pontificem indutum Rationali in quo erant Urim et Tummim, uti dixi Exodi 28. 30. Vers. 22.

Ecce absconditus est domi.) In vasis quibusdam, ut habent Hebr. et Græca; puta in populi qui convenerat, sarcinis, ait Vatab. vel in latebram aliquam fugerat, ut ait Iosephus, idque ex humilitate qua se regno indignum iudicabat, et onus regendi formidabat, ait Lyran. Hugo, Abulen. et Caiet. Vide hic quomodo honor sequitur fugientes, sequentes fugit, uti secutus est Saulem.

Altior fuit universo populo ab humero et sursum.) Ut sicut corpore, sic et mente, virtute et dignitate regia subditis omnibus emineret. Fuit ergo Saul procerus, et quasi gigas. Sic Anchises Æneid. 8. ait Virgil. *cunctis altior ibat*, et Turnus lib. 7. *toto vertice supra est.* Sic procerus fuit Salomon Cant. 5. 15. Carolus Magnus, Iulius Cæsar, Romulus. Suum Traianum laudat Plinius in Panegyrico. « Quod non humeris hominum, ut alii superbi Imperatores, veheretur: sed sola corporis proceritate elatior et excelsior, non de patientia civium, sed de superbia Principum triumphasset. » Vers. 23.

Audi Theod. *Ideo Deus elegit omnium maximum, quia Hebræi non animi virtutem, sed corporis magnitudinem mirabantur.*

Tropol. S. Gregor. *Rex*, inquit, *præcellit collo, præcellit et capite. Quid enim in collo, nisi loquutio? quid in capite, nisi mentis contemplatio designatur? Capite ergo et collo subditorum omnium capita excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, et sublimitate doctrinæ.* Et paulo inferius: *Emineat*, inquit, *Rex collo, emineat capite, sit humero sublimis, ut conversatione perfectus sit, eloquio mirabilis, præ ceteris arduus in arce contemplationis.*

Alleg. Saul fuit typus Christi, idque ob tres analogias, quas recenset Beda libr. 2. in Samuel c. 3. *Primo*, inquit, *quia Saul de tribu Beniamin, id est filii dexteræ, descendit: ita Christi Domini familia, quæ ab eo pascitur ac regitur, tota dextera est: nam eius charitas in eis so-* Saul typus Christi tripliciter.

lum, qui ad dexteram regni partem pertinent, perfecte generatur. Secundo, quia Saul altior fuit universo populo, seu eminebat super omnem populum: ita Christus Dominus suæ sanctitatis et potestatis gloria cunctos facile superabat. Quis enim similis erit Deo, inter filios Dei? Et iterum: *Qui de cœlo venit: super omnes est. Tertio, quia Saul in Regem ungendus absconditus est domi; ita et Christus Dominus cum venturi essent ut raperent eum et constituerent sibi Regem, fugit.* Nec sine mysterio Saul domi absconditur: *quia Christus Dominus*, inquit Beda, *intus se quæri debere, intus inveniri posse, intus esse quæ docet, intus, quo ducit, ostendit.*

Vers. 25. Locutus est autem Samuel legem regni.) Id est, præscripsit leges servandas tam Regi circa populum, quam populo circa Regem; quid scilicet Rex populo, ac vicissim quid populus Regi præstare deberet. Hinc liquet ius regis a Samuele recensitum c. 8. v. 11. non esse legitimum, sed inique usurpatum.

Vers. 26. Et exposuit coram Domino.) Puta coram arca Domini. Hic ergo Samuel publice coram toto populo Saulem ex Dei iussu pronuntiavit Regem, ideoque publice rursum eum unxit, et diademate ceterisque regiis insignibus decoravit. Ita Abulen. et sat colligitur ex innovatione regni quæ facta dicitur cap. sequen. v. 14.

Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa.) Mystice S. Gregor. « Domus, inquit, Regis in Gabaa sita perhibetur. Gabaa quippe sublimis dicitur. Domus ergo Regis in Gabaa esse ostenditur, quia electus Doctor non ima et terrena cogitando incolere; sed alta et cælestia meditari studet. »

Vers. 27. Filii vero Belial (homines indomiti, superbi, protervi, inobedientes, rebelles) dixerunt: Num salvare nos poterit iste?) *Iste*, scilicet vilis, plebeius, ignobilis, incognitus, inexpertus; Quid faciet hic longolius? Quid præstabit turris hæc carnea? *Non est in tanto corpore mica salis.* Ad quid tantum gigantis supercilium, nisi ut capta nostra despiciat, eaque suis brachiis premat, et tundat? Hic erit noster Cacus, de quo Ovidius:

Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande: pater monstri, Mulciber huius erat.

Ille vero dissimulabat se audire.) Hebr. *obsurdescebat*, gerebat se quasi surdum: *Noluit enim*, ait Dion. *regnum suum a turbatione, lite et sanguine inchoare. Si enim ostendisset se verba illa audire, nec vindicasset; pusillanimis videretur: si vero ulcisceretur, ferocitati, et arrogantiæ adscriptum fuisset.* Ergo recte dissimulavit, finxitque se non audire, iuxta illud Eccles. 32. 12. *In multis esto quasi inscius.* Sapienter S. Isidor. libr. 3. Sentent. c. 50. *Plerumque*, inquit, *Princeps iustus etiam malorum*

Sapiens multa dissimulat.

A *errores dissimulare novit; non quod iniquitati eorum consentiat: sed quod aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire.* Et Seneca lib. 1. de Clementia: *Regibus*, inquit, *certior est ex mansuetudine securitas: quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* Et paulo inferius: *Clementia ergo non tantum honestiores; sed tutiores præstat; ornamentumque imperiorum est, simul certissima salus.* S. Bernard. ad Eugenium Pontificem: *Pauca*, inquit, *castiges, multa dissimules.* Theodosii Imper. in iniuriis clementiam ita dilaudat S. Ambros. epist. 17. *Antiochenis*, inquit, *iam donasti iniuriam: inimici tui filias revocasti; nutriendas apud affinem dedisti: matri hostis tui misisti de ærario tuo sumptus.* Et August. libr. 5. de Civit. c. 26. *Inimicorum suorum*, inquit, *filios, quos non ipsius iussus, sed belli abstulerat impetus, Christiana charitate dilexit; nec privavit rebus, sed auxit honoribus.*

B Causam dat S. Ambros. Serm. 20. *Quo enim quis fuerit ad iniuriam patientior, eo potentior constituitur in regno.* Sapienter S. Ambros. libr. 2. de Interpellat. Iob. cap. 3. *Tacere*, inquit, *debet, qui recognoscit obiectum, ne vulnus exasperet et scindatur cicatrix: tacere, et qui non recognoscit: audit enim alterius non suum crimen: quod si referat, suum facit: si tacet, retorquet, et convitiantem vulnerat.*

Sapientius Tertul. lib. de patientia c. 8. docet, claudendas esse aures ne iniurias audiant. « Si parum, inquit, æquanimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem, necesse est; aut cruciabor impatientia muta. At qui huiusmodi dictis aures obstruxerit, ab utroque incommodo eripietur: neque loquens maledicet, neque tacens affligetur. Ita David suas aures obstruebat. Ego autem, inquit, sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. »

C Fructum huius patientiæ subiicit Tertul. « Omnis, inquit, iniuria seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum, et obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera et infructuosa: et nonnumquam repercussum in eum, qui emisit reciproco impetu sæviet. Nempe idcirco quis te lædit, ut doleas: qui fructus lædentis, in dolore læsi est. Ergo cum fructum eius everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. »

Regium ergo, imo divinum est, iniurias contemnere, despicere, indulgere, et beneficiis obruere.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Naas rex Ammon vult viris Iabes Galaad eruere oculos dextros. Audit id Saul, cogitque exercitum, quo cædit castra Naas ad internecionem. Quare v. 12. Hebræi applaudunt, eique regnum confirmant in Galgala.

1. Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare cœpit adversum Iabes Galaad.
Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. 2. Et respondit ad eos
Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque
vos opprobrium in universo Israel. 3. Et dixerunt ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel: et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. 4. Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis: et locuti sunt verba hæc, audiente populo: et levavit omnis populus vocem suam, et
flevit. 5. Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, et ait: Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt
ei verba virorum Iabes. 6. Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, et iratus est furor eius
nimis. 7. Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum dicens: Quicumque non exierit, et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus eius. Invasit ergo timor

*

Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus. 8. Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia. 9. Et dixerunt nuntiis, qui venerant: sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntii, et annuntiaverunt viris Iabes: qui lætati sunt. 10. Et dixerunt: Mane exibimus ad vos: et facietis nobis omne quod placuerit vobis. 11. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes, et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. 12. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, et interficiemus eos. 13. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. 14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum: 15. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israel nimis.

Vers. 1. HABETO NOS FOEDERATOS,) q. d. *Pange nobiscum fœdus*, ut vertunt Sept. Chaldæus vero: *Decerne nobis pactum, et serviemus tibi;* q. d. subditi et servi tui erimus, sed fœderati, non bello victi et manu capti, quasi mancipia.

Vers. 2. IN HOC FERIAM VOBISCUM FOEDUS, UT ERUAM OMNIUM VESTRUM OCULOS DEXTROS,) tum ad ignominiam et opprobrium, ut sequitur; tum ut vos semicæcos et bello inutiles reddam. *Milites enim oculum sinistrum scuto tegunt, dextro vero in pugna rem gerunt.* Ita Abul. Audi Iosephum lib. 6. Antiq. cap. 5. *Hic* (Naas) *Iudæis ultra Iordanem habitantibus infestus, cum magno et forti exercitu regionem ingressus, urbes eorum subiugare cœpit: nec contentus libertatem in præsens abstulisse, ut omnem rebellandi materiam in futurum adimeret, tam ultro deditis, quam vi subactis, dextrum oculum eruebat: ut quoniam scutum sinistro prospectum negat, omnino inutiles bello fierent.*

Tertiam causam addit Dion. scilicet voluisse Naas hac exoculatione Iabesitarum, terrorem sui omnibus Hebræis incutere, ne quis deinceps similis supplicii metu, sibi rebellare auderet.

Tropol. *Naas* Hebr. idem est quod *serpens*, puta diabolus, *qui dextros oculos suorum eruit, quando abstinentibus a se devictis, sic per gulam prævalet, ut carnalia sola cupiant, et spiritualia, quæ amare solebant, non attendant*, ait S. Gregor. Beda et Angelom. spiritualia enim sunt dextra, id est potiora et meliora; ideoque dextro et meliori oculo intuenda: carnalia vero sunt sinistra, id est viliora; ideoque sinistro et viliori oculo obiter aspicienda. Dextro ergo suspicimus cælum et cælestia; sinistro despicimus terram et terrestria.

Audi S. Nilum in Ascetico: « Naas Ammonites, qui serpentem significat, Israeli perspicaci omnem oculum dextrum effossurum se minitatur, ut nulla dextera cogitatio, ad ullam dexteram actionem dirigatur: eos enim qui a contemplatione ad actionem se conferunt, valde proficere non ignorat. nam illi in actionibus suis sine reprehensione se gerunt, qui mentis oculis acutissimis, quid agendum sit, antea meditati sunt. »

Vers. 3. CONCEDE NOBIS SEPTEM DIES.) Ad petendum a ceteris Hebræis consilium et auxilium. Concessit eis hoc Naas superbus non ex pietate, sed ex animositate, ait Dion. æstimans neminem ausurum eis succurrere, vel sibi in prælium occurrere. Putabat enim tam paucis diebus, tantum exercitum, qui suo par foret, cogi non posse.

Vers. 4. VENERUNT ERGO NUNTII IN GABAA SAULIS.) Gabaa enim erat patria Saulis, ideoque in ea rex factus residebat.

Vers. 5. ET ECCE SAUL VENIEBAT SEQUENS BOVES DE AGRO.) *Veniebat*, inquit Hugo, *sequens boves de agro; non ut custos boum, quia hoc esset inconveniens, ut Rex esset bubulcus: sed casu accidit, ut cum rediret Saul de agro, boves præcederent eum in via.* Sic et Lyran. et Dion.

Verum hic sensus contortus videtur et violentus: sequi enim boves de agro, est aratorum, boves ab aratro reducentium ad stabulum. Fuit ergo Saul arator, ait Abulen. et licet iam foret rex creatus, ad solitam tamen agriculturam, cum alia regni negotia non occurrerent, rediit. Sic et David postquam a Samuele unctus esset in Regem, rediit ad pascendum suas oves. Unde v. 7. utrumque hunc

Saul rex et bubulcus.

A bovem suum quo arabat Saul, concidit in frusta. Erant ergo hi proprii eius boves, non alieni. Ita Abulen. Caiet. Sanchez. Mendoza, et alii. Causam dat S. Gregor. lib. 19. mor. c. 17. quia *perit omne quod agitur, nisi solicite in humilitate custodiatur.* Et *hoc*, ait Hugo Card. *est contra Religiosos, qui quando fiunt Episcopi, dimittunt regulam suam.* Vide et mirare hic simplicitatem et modestiam primorum Regum, Saulis et Davidis, ac agriculturæ dignitatem et præstantiam; utpote quam olim Reges, et Principes exercuerint. Sic Romulus, Remus, Curius, Fabritius, primique Romani; Senatores et principes erant aratores et agricolæ. Audi Propert. lib. 4.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu.
Pellitos habuit, rustica corda, Patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.

Sic et prisci Senatores Romani.

Plinius lib. 18. histor. c. 3. *Ipsorum*, inquit, *manibus Imperatorum colebantur agri; gaudente terra vomere laureato, et triumphali aratore.* Valerius Maximus lib. 4. c. 4. *Illi*, inquit, *prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent, voluptatis causa solum versabant;* B *imo quos pericula Reipub. Imperatores accersebant, angustiæ rei familiaris, bubulcos fieri cogebant.* Causam dat S. Chrys. hom. 15. in 2. ad Corinth. Quod Deus primis parentibus agriculturam ut necessariam, artemque innocentissimam et præstantissimam indixerit, iuxta illud Genes. 2. 15. *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.* Et mox a diluvio cœpit. *Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam.* Genes. 9. 20. Audi Philonem lib. de Abel et Cain: *Moyses*, inquit, *præclaram existimans artem pastorum, ipse tractavit hoc negotium.* Et lib. de Agricultura: *Tanta*, inquit, *curæ pastoralis honestas creditur et utilitas, ut Poetarum gens reges soleat vocare pastores populi.* Et lib. de Ioseph. agens de cura pastoritia: *Quæ disciplina*, inquit, *cum civili convenit. Et hoc est, opinor, cur Poetæ reges vocant pastores populi. Nam qui summus est in arte pecuaria, facile bonus rex evadet, pulcherrimo hominum gregi præpositus, approbata industria in minore negotio.* Denique C libr. 1. de vita Mosis tom. 2. de Mose: *Præfuit*, inquit, *gregibus, ad principatum se præparans. Nam pastoralis ars ad regnum est præludium, hoc est ad regimen hominum, gregis mansuetissimi.* Clemens Alexand. 1. Strom. *Moyses*, inquit, *oves pascit, ut qui ad principatum pastoralem prius erudiretur. Ei enim qui hominum gregi est præfuturus, est præexercitatio, ovium pascendarum scientia. Ab ea autem ducit Deus, ut esset Dux Hebræorum exercitus.* Et D. Ambros. eleganter idipsum notat lib. 1. Epist. epist. 4. *Abraham*, inquit, *et Iacob, et postea Moyses et David pastores fuerunt, regalem quamdam in hoc munere disciplinam induentes.* Denique S. Basil. hom. 26. de Martyre Mamante: *Ne contemnas*, inquit, *virum, ubi pastorem audis. Qui Deo primus placuit, Abel pastor fuit. Moyses magnus ille Legislator, pecudes pavit in monte Horeb: et per pasturam, ad colloquium Dei pervenit. Iacob Patriarcha, pecudes pascendo, pro veritate patientiam ostendit, et in modica imagine universam vitam suam, quasi quodam charactere obsignavit: David a pecudum pastura pervenit ad regnum. Sorores quædam sunt pastura et regni administratio. Quapropter Domi-*

Cur? Agriculturæ laus.

nus utraque complexus, et pastor est et rex.

Vers. 6. ET IRATUS EST FUROR EIUS NIMIS.) Acuit Saul iram iustam in Naas idololatram et tyrannum tam indigna poscentem ab Israelitis, Deo et sibi quasi Regi iam subditis, ut illa ipsi esset cos virtutis, eumque stimularet ad iustam de eo vindictam, et subditorum defensionem, ad hoc enim opus erat animo heroico et excelso, præsertim in re tam subita, cum nullum haberet militem, et hostis tempusque angustum urgerent. Audi S. Basil. hom. 10. de ira: « Nervus, inquit, est animæ indignatio, fortitudinem constantiamque præbens ad res bene gerendas; quæ animam voluptate delinitam ac lascivientem, veluti ferro quodam cohibens, austeriorem, fortioremque ex molli ac remissa dedit. » Et paulo post: « Ira, inquit, velut armis utamur. Ideo Moyses omnium hominum mansuetissimus vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Quid Phinees iustum reddidit? Nonne contra fornicantes ira, qui alioqui mitis ac mansuetus existens, protinus utrumque trucidavit? Samuel autem, Regem Amalec nonne iusta ira in medium trahens occidit? Sic itaque fit ira sæpenumero bonarum actionum administra. Helias vero Zelotes turpitudinis Sacerdotes iusta indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte mulctarentur, effecit. »

Ira cos virtutis.

Quocirca S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 21. « Irascimini, ait, ubi est culpa, cui irasci debeatis: non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur: alioqui non virtus, sed lentitudo et remissio iudicatur. Irascimini ergo; ita ut a culpa abstineatis. »

Tropol. S. Greg. « Ecce, inquit, Saul ut irasci nimis potuerit, prius in eum spiritus Domini insiliit. Quam metuenda sit ergo Sanctorum ira cernimus, si insilientem in eos Domini Spiritum cogitamus: si dum illos foris irascentes aspicimus, commoventem spiritum intus pariter attendamus. Quoties ergo maiorum zelo corrigimur, sub eorum indignatione vehementer possumus pavere, si eorum impetum, motum sancti Spiritus credimus. »

Vers. 7. ET ASSUMENS UTRUMQUE BOVEM, CONCIDIT IN FRUSTA.) Imitatus est Saul exemplum Levitæ, qui uxorem stupro occisam conscindens in frusta, illa per totum Israelem dispersit; itaque omnes ad stupri vindictam accendit. Iudic. 19. 29. Sic novitas concisionis, novi regis minantis, se idem facturum bobus eius, qui se a bello subduxisset, omnes impulit, ad commune periculum communibus animis armisque propulsandum. Timebant enim Tyrannum Naas, ne subiugatis et exoculatis Galaaditis, victoria insolescens, pergeret trans Iordanem, ibique pari ceteros feritate omnes Hebræos sub iugum mitteret et exocularet. Timebant quoque iras et minas sui Regis Saulis. Timebant denique Deum vindicem, ne si regem suum ab eo constitutum desererent, ab eo in manus Naas traderentur.

QUICUMQUE NON EXIERIT ET SECUTUS FUERIT SAUL ET SAMUEL, SIC FIET BOBUS EIUS.) Hinc patet Samuelem Dei monitu adfuisse Sauli, et interfuisse castris et prælio, ut omnes ad illud animaret, et suis precibus meritisque, eis a Deo victoriam impetraret. Unde et ea parta v. 12. ait populus ad Samuelem. *Quis est iste qui dixit, Saul non regnabit super nos?* Et v. 14. *Dixit Samuel ad populum,* etc. toti ergo huic belli tam periculosi negotio interfuit, imo præfuit cum Saule Samuel, quasi iudex vindexque Israelis. Nota hic: tamdiu bonus fuit Saul, quamdiu Samuelem directorem secutus est: quando vero eius monita iussaque neglexit, factus est malus et reprobus. Rursus Saul præponit se hic Samueli, quasi Rex totius Israelis, ideoque dignior; licet Samuel eo esset sanctior.

SIC FIET BOBUS EIUS.) Sed cur idipsum hominibus ipsis non comminatur? Respondet R. Salomon apud Lyranum et Abulens. *Noluit,* inquit, *comminari pœnam mortis, vel detruncationis membri, ne in principio regni sui, a magno rigore incipere videretur.* Astipulatur Dionysius: *Comminabatur,* inquit, *Saul pecorum ablationem, non hominum trucidationem; ut temperate inciperet suam exercere iurisdictionem.*

Novelli ergo Principes, si sapiunt, sequantur illud Claudiani: *Mitissima sors est regnorum, sub rege novo.*

FUERUNTQUE FILIORUM ISRAEL TRECENTA MILLIA, VIRORUM AUTEM IUDA TRIGINTA MILLIA.) Mendaciter Iosephus, ut vires suorum Israelitarum, Vespasiano et Romanis ostentet, ait, ex Israele fuisse septingenta millia, ex Iuda vero septuaginta. Quamquam Sept hic numerant sexcenta millia Israelis, et septuaginta ex tribu Iuda. Porro Saul *recensuit eos in Besec,* qui erat locus iuxta Iordanem, cuius rex erat Adoni-Besec, Iudic. 1. 5. quam Iosephus *Balam* vocat, Sept. *Bama.* Vers. 8.

Mystice, *Besec* Hebr. idem est quod *fulgur* vel *egestas,* quod Beda ad mysterium traducens asserit, *fideles omnes, æternæ patriæ cives, in Christo Domino, qui fulguri comparatur,* Lucæ 17. vers. 24. *numerandos esse et colligendos* Et rursus, *qui relictis omnibus sequuntur Dominum, describendos esse et recensendos, ut regno cælorum potiantur, quod pauperes spiritu consequuntur.* Matth. 5. v. 3.

Porro numeris 300. et 30. millium, idem Beda hoc mysterium assignat: *Ternarius,* inquit, *propter confessionem sanctæ Trinitatis ad fidem: denarius, et centenarius, propter dextræ mercedis electionem, et denarium diurnum bonis vinitoribus dandum, referuntur ad spem. Porro millenarius ad immobilem stabilemque perfectæ dilectionis respicit operationem.* Et statim: *In filiis Israel, qui est videns Deum,* intelligit *speculantium perfectionem: in viris autem Iuda, qui interpretatur confessio, confitentium fortitudinem:* suo utrisque nomine optime accommodato. Nam *contemplatores* mitiori vocabulo *filii: Confessores,* solidiori nomine *viri* nuncupantur.

CRAS ERIT VOBIS SALUS.) Mirare hic prudentiam et celeritatem Saulis, qui uno die tantas copias conflavit, disposuit, magnis itineribus in hostem contendit, pugnavit, vicit, triumphavit: ut cum Iulio Cæsare dicere posset: *Veni, vidi, vici.* Hinc patet minus vere Iosephum, et ex eo Magistrum hist. schol. pro *cras,* supponere, *tertio die. Credibile est,* ait Dion. *quod Samuel divina revelatione cognovit, quod Saul cum suis triumpharet.* Vers. 9.

CUM INCALUERIT SOL.) Mystice B. Petrus Damiani lib. 6. epist. 5. « Cum, inquit, mens per desidiam primitus tabefacta, iam in se reversa, ad Conditoris sui desiderium recalescit; cum torporem negligentiæ deserit, et frigus insensibilitatis pristinæ flamma sancti amoris accendit: tunc velut incalescente sole, victoria de hostibus sumitur, et obsessa civitas de superbi Regis manibus liberatur. Hinc est quod de Abraham scriptum est: quia apparuit ei Dominus in convalle Mambre, in ipso fervore diei, *Genes.* 18. *v.* 1. Hinc est, quod de Lot dicitur: Sol ortus est super terram, et Lot ingressus est Segor. *Genes.* 19. *v.* 23. Recte igitur mundi, sive principis eius amicitias dedignamur, et cum eis simul societatis fœdus habere contemnimus, ne dum tenebris iungimur, luce privemur. »

MANE EXIBIMUS.) Audi S. Gregor. « Qui, inquit, iam de vicino auxilio securi sunt, quamdam spem hostibus tribuunt, quos promittendo illudunt. Voce quidem debilitatem simulant; sed fortitudinem promissi auxilii intus servant. Aliud ergo promittunt, aliud credunt. » Et paulo post: « Dabant, inquit, hostibus credere, quod sic se in eorum manibus traderent, ut facere de eis possent quæcumque voluissent. Sed qui in diem sequentem venturum Regem in suum auxilium noverant; exire cum eo non ad hostium manus, sed ad interfectionem cogitabant. » Vers. 10.

CONSTITUIT (divisit) SAUL POPULUM IN TRES PARTES.) Ut tribus ordinibus et locis, in hostium castra ex inopinato irruerent; itaque eos percellerent et occuparent, ne quis eorum evaderet. Rursum, ut si una turma deficeret vel succumberet, altera ei succurreret. Vers. 11.

Mystice, B. Petrus Damiani lib. 6. Epistolarum Epist. 5. « Quid est, inquit, quod populum in tres constituit partes, nisi quia tres sunt principales animæ virtutes, fides scilicet, spes et charitas? In trifariis itaque bellatorum partibus, victoria certaminis obtinetur; quia tribus his virtutibus, duce Christo, omnis diabolica tentatio vincitur. »

ET INGRESSUS EST MEDIA CASTRA IN VIGILIA MATUTINA,) ut somno sopitos vel semisomnes invaderet et opprimeret. Simili stratagemate usus Iosue c. 10. 9. cecidit

Amorrh. vide ibi dicta.

Et percussit Ammon.) Puta Ammonitas. Addit Iosephus ipsum eorum regem Naas fuisse occisum.

Vers. 13. Et ait Saul: non occidetur quisquam in die hac:) quia hæc dies est gaudii, victoriæ et triumphi, quam non decet cæde luctuque civium funestare, fœdare, maculare, ait Ioseph. Abul. et Dion.

Vers. 14. Eamus in Galgala, et innovemus regnum.) Elegit Samuel Galgala, tum quia hic locus erat vicinus Iordani, iuxta quem commissum erat prælium, et victoria parta: tum quia Galgala locus erat celebris ob castra Iosue c. 5. tum quia Samuel in Galgala populum iudicare solebat. Ibi ergo fiebat conventus populi et comitia publica: in quibus proinde Samuel voluit innovare regnum Saulis, id est nova populi de tanta eius victoria gratulatione confirmari. Unde verisimile est Samuelem hic rursum unxisse Saulem in regem, ceterisque regis insigni-

A bus eum ornasse. Hinc Ioseph l. 6. c. 4. asserit Saulem unctum *in Maspha et in Galgala*. Ter ergo unctus est Saul; a Samuele primo secreto, et privatim cap. 10. 1. Secundo, publice *in Masphat*. Tertio post victoriam publice pariter *in Galgalis*. Ita Abulen. Sanchez, Serar. et alii. Sic et David ter fuit unctus in regem, primo, privatim in domo patris cap. 16. 13. Secundo, publice in Hebron *super tribum Iuda*, 2. Reg. 2. 4. Tertio, cap. 5. 3. ibidem *super totum Israel*.

Et obtulerunt ibi victimas pacificas.) In gratiarum actionem pro pace Israeli per victoriam Saulis partam; et in postulationem, ut illa pax tam Israeli quam Sauli foret firma et constans. In nova enim tantæ victoriæ exultatione, ac novi regis et triumphatoris Saulis inauguratione, par erat, hæc sacrificia ad publicam gratulationem offerri *in Galgalis;* esto ibi non esset arca fœderis, nec tabernaculum, vel altare holocaustorum. Vers. 15.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samuel sui principatus iuste sancteque gesti testimonium poscit a plebe: Mox v. 7. refricans Dei in populum beneficia ac populi ingratitudinem, graviter eum contestatur, ut soli Deo serviat; alioqui Dei vindictam experturum: in cuius rei signum, Dei quasi e cælo dicta sua confirmantis vocem elicit per tonitruum, v. 18. Igitur hoc capite populus Samuelis innocentiam probat, sapientiam audit, patientiam videt, potentiam admiratur.

1. Dixit autem Samuel ad universum Israel: Ecce audivi vocem vestram, iuxta omnia quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem. 2. Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, et incanui: porro filii mei vobiscum sunt: itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum. 3. Loquimini de me coram Domino, et coram Christo eius, utrum bovem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: et contemnam illud hodie, restituamque vobis. 4. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. 5. Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, et testis Christus eius in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. 6. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Ægypti. 7. Nunc ergo state, ut iudicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, et cum patribus vestris: 8. Quo modo Iacob ingressus est in Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum: et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto: et collocavit eos in loco hoc. 9. Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos. 10. Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi. 11. Et misit Dominus Ierobaal, et Badan, et Iephte, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter. 12. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. 13. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. 14. Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem eius, et non exasperaveritis os Domini: eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum: 15. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones eius, erit manus Domini super vos, et super patres vestros. 16. Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. 17. Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias: et scietis, et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. 18. Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluvias in illa die. 19. Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, et dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur, addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem. 20. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc: verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro. 21. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 22. Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia iuravit Dominus facere vos sibi populum. 23. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam. 24. Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro: vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit. 25. Quod si perseveraveritis in malitia: et vos et rex vester pariter peribitis.

Vers. 2. Rex graditur ante vos.) Chald. *Ecce rex ductor in capite vestro*. Hoc enim petierat populus c. 8. 20. Rursum Samuel hic quasi se abdicat principatu, q. d. ego officio meo perfunctus sum, regem quem

A petistis dedi vobis Saulem: ille ergo deinceps erit rex, dux et princeps vester. Unde mox v. 3. Samuel coram Saule toti populo administrationis suæ rationem reddit, uti solent facere ii, qui magistratu abeunt, vel eo se ab-

dicant: qua in re tum reverentiam et obedientiam Sauli detulit, tum suam integritatem ostendit, dum Saulis et totius populi iudicio se supposuit, si quis aliquid adversus eum haberet, ait Caiet.

Ego senui et incanui; porro filii mei vobiscum sunt.) Ut me mortuo iniuriam vel damnum, si quod alicui vestrum intuli; ex bonis meis præstent et sarciant; dummodo læsus illud nunc palam edicat, et de eo me convincat: ita Lyran. Secundo, Dion. q. d. Ego abeo, sed filii mei pro me, si qua in re opus erit, vobis, novoque regi servient. Tertio, Mendoza, q. d. « Filii mei vobiscum sunt. Optime illos nostis; et ab illis in meam vitam facile inquiretis, an ego illorum malitiam foverim, aut iuverim, aut aliquo patrocinio ad iniustitiam exercendam incitarim. Quare cum hæc inquisitio facilis sit, omnes quæso ad hoc indicium concurramus. »

Ex τό *senui et incanui*, patet Samuelem hoc tempore fuisse valde senem; scilicet sexaginta annorum; ita ut natus anno 2. Heli, qui 40. annis præfuit, cum ei morienti successit, fuerit 38. annorum, ac deinde 22. præfuerit Israeli. Sic enim hisce annis additis conflabuntur anni sexaginta senectutis eius, quæ in eo citior et gravior fuit, ob labores assiduos, quos in iudicando subierat. Dices, quomodo ergo subdit Samuel: *Conversatus coram vobis ab adolescentia mea?* Nam qui 38. est annorum, non est adolescens, sed vir. Respon. Samuel adhuc vivente Heli, cum iunior esset, multa loco Heli iam grandævi administrabat; exercebat enim eum Deus per Heli, ut idoneus fieret eius successor: huc enim eum ipse destinabat.

Vers. 3 Coram Christo eius.) Id est coram Saule, qui est *Christus*, id est *unctus Dei*; eo quod Deus eum per me regem creari, et unxerit. Samuel ergo coram Saule et coram Deo suam integritatem enuntiat, ad Saulis et populi exemplum, ut illud imitentur; simul tacite innuens, se Deo illam acceptam referre. Nam ut ait D. August. lib. 9. Confess. c. 13. *Quisquis*, inquit, *tibi Domine, enumerat vera merita sua; quid tibi enumerat nisi munera tua?* Et Epist. 105. ad Sixtum: *Cum*, inquit, *Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.*

Utrum bovem cuiusquam tulerim.) Sic et S. Paulus: *Argentum*, inquit, *et aurum, aut vestem nullius concupivi: ipsi scitis.* Actor. 20. v. 33. Et iterum: *Capite*, inquit, *nos: neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus*, et c. 2. Cor. 7. v. 22.

Hinc B. Petrus Damiani lib. 1. Epist. 12. coarguit Episcopos, qui nolunt se suosque actus a civibus examinari. *Quis*, inquit, *est hic arrogantiæ tumor? quis elationis fastus? Quæ denique tanta superbia? ut liceat Episcopum ad propriæ voluntatis arbitrium vivere, et quod insolenter excessum est, a subiectis suis dignetur audire.* Et paulo post, hunc fastum per exempla proborum contraria exaggerans: *Beatus*, inquit, *Iob dicit: Si contempsi subire iudicium cum servo meo. Iob. 31. v. 13. Et tu dicis: Absit, ut digner ad examen venire cum Clerico meo. Deus omnipotens per Isaiam clamat: venite et arguite me. Isai. 1. v. 18. Is qui iudicat omnia, non dedignatur a servis argui: tu servus utique cum servo in iudicium venire fastidis? Samuel ultro se arguendum nullis accusantibus obtulit; et utrum eos in aliquo violenter oppresserit, inquisivit. Ecce præsto sum*, inquit, *loquimini de me*, etc.

Si oppressi aliquem.) Samuelis iustitiam et modestiam affectatus S. Greg. Nazian. Orat. 32. se populi iudicio submittit. *Quid*, inquit, *populum hunc per avaritiam circumvenimus? numquid privatis utilitatibus consuluimus? numquid Ecclesiam molestia affecimus? Nihil profecto, quantum mihi conscius sum. Purum minimeque adulterinum sacerdotium custodivi.* Mox gravi contentione idipsum perurget dicens: *Quod si Principatus, aut sublimium thronorum studio ductus sum, aut Imperatorum aulas calcare appetii, numquam aliud quidquam splendoris consequi mihi contingat; aut si consequutus fuero, statim illud proiiciam, atque amittam.*

Porro Samuel hæc de se recenset coram novo rege Saule, ut eum suo exemplo doceat subditos non opprimere, sed sublevare. Ita S. Chrysost. hom. 24. in Epist. 2. ad Corinth. qua in re vide et imitare prudentiam Samuelis.

Si de manu cuiusquam munus accepi.) Etiam ultro et sponte oblatum. Magnæ integritatis, magnanimitatis et sanctitatis indicium est, munera refutare. Sic Daniel ad Baltasar c. 5. 17. *Rex*, inquit, *munera tua alteri da.* Quærit S. Chrysost. in Psal. 95. « Et quod erit interpretationis suæ Danieli præmium? ac respondet: A Deo merces veniet: quin potius hoc ipsum mihi veritatis præmium, interpretari veritatem, ac puritatem, quæ infamatur, vindicare. » Sic Abraham respuit munera regis Sodomæ, quem ab hostibus liberarat. Genes. 14. 22. et Elisæus munera Naaman, quem a lepra curarat. 4. Reg. 5. 14. Et Moses Num. 16. 15. et Iob. c. 31. 7. S. Hilarion Orionis, a quo legionem dæmonum expulerat, ampla dona refutans, cum ille instaret, ut saltem illa accipiens erogaret in pauperes, respondit: « Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes: Ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum occasio avaritiæ est: misericordia vero artem non habet. Melius nemo erogat, quam qui sibi nihil reservat. Tristi autem et in terra iacenti: Noli, inquit, contristari fili: quod facio, pro me et pro te facio. Si enim hæc accepero, et ego offendam Deum, et ad te legio revertetur. » (Prælati respuant munera.)

Hinc S. Bernard. lib. 4. de Consid. mire laudat Gaufridum Legatum Apostolicum, quod omnia omnino etiam exigua munera spreverit. *Non fuerunt*, inquit, qui possent Legato dicere: *Ditavimus Abraham. Ipse vero cum Samuele libere concionabatur ad omnes; loquimini de me*, etc. Addit S. Bern. exemplum Cardinalis Martini, cui cum Episcopus quidam equum donasset, ac mox eius quadam in re suffragium flagitasset, ab eo hoc responsi tulit: *Decepisti me, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum; ecce in stabulo est.*

Tropol. Quisque debet quotidie iudicium hoc sui peragere per rigidum conscientiæ examen. Audi S. Bern. ad fratres de monte Dei: « Discito tibi præesse, vitam ordinare, mores componere, te ipsum iudicare, et te apud te ipsum accusare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat accusans iustitia, stet rea et temetipsum accusans conscientia; nemo te plus diligit, nemo fidelius iudicabit. Pete a te ipso rationem præteritæ noctis et venturæ diei tu tibi canonem præscribito, et supervenientis noctis regimen indicito. Sic districto numquam aliunde lascivire vacabit. »

Non es calumniatus nos, etc. neque tulisti de manu alicuius quippiam.) Vers. 4. Magnum hoc est et mirabile totius populi de integritate Samuelis testimonium pariter et iudicium. Quocirca S. Gregor. Nyssen. Meletium Episcopum Antioch. virum integerrimum confert Samueli in Orat. habita in eius funere: « Cum primum, inquit, illa Ecclesia Meletium vidit; vide mansuetudinem atque clementiam qualis in Davide fuit; qualis in Salomone, intelligentiam atque prudentiam; qualis in Moyse, bonitatem; qualis in Iosepho continentiam pudicitiamque; qualis in Davide, sapientiam; qualis in Samuele perfectionem. »

Porro Samuel suæ integritatis testimonium poscit a populo, ut deinde liberius eum de suis sceleribus redarguat. Nam ut ait S. Gregor. lib. 7. mor. c. 16. « Mundus esse a vitiis debet, qui curat aliena corrigere: quia nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat: et superpositas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. David vir sanguinum, templum Deo ædificare prohibetur. 1. Paral. 22. vers. 8. Quia qui adhuc actibus carnalibus incumbit, necesse est, ut instruere spiritualiter mentes proximorum erubescat. » Et Tertull. lib. de Patientia c. 1. « Oportet, ait, constantiam commonendi, propriæ conversationis auctoritate dirigere; ne dicta factis deficientibus erubescant. » Et S. Ambros. lib. 5. in Lucam c. 6. « Nisi tu, inquit, prius interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe, ut cum (Integritas Samuelis.)

fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim potes aliorum corda mundare, nisi tuum ante mundaveris?»

Quocirca Ferrandus Diaconus Carthag. hoc Samuelis exemplum, Belli Ducibus imitandum proponit. Sic enim scribit Regula 1. Innocentiæ militaris: « Dux, ait, in sua administratione, non præesse diligat, sed prodesse: imitetur bonis actibus Samuelem; comparet sibi liberam fiduciam verecundæ et honestæ libertatis, ut ingenua fronte dicere valeat subiectis sibi, sicut dixit Samuel: Ecce adsum ego, etc. aut de manu alicuius accepit pro exhortatione vel calceamentum, etc. Et respondeatur etiam ei, quod dixerunt ad Samuel: Nemini nostri nocuisti, etc. O quam gloriosus dux erit ante faciem principis, qui ista audire meruerit, » etc.

Vers. 11. Et misit Dominus Ierobaal.) Hic est *Gedeon* succisor aræ Baal. Iudic. 6. 32.

Et Badan:) hic est *Samson*, ut vertit Chald. Sic et S. Hier. in quæst. Hebr. Angelom. Lyran. Abulen. Caiet. Vatab. et passim Interpretes. Nam *Samson* dictus est *Badan*, quasi בדן *bedan*, hoc est *in Dan habitans*. Fuit enim ipse ex tribu Dan: vel quasi *bendan*, id est *filius Dan* sive *Danita*, ait Clarius, Pagnin. Abulen. et alii. Unde nonnulli codices addunt *Samson*, quod explicationis *Badan* causa additum in margine, postea irrepsit in textum; unde ex eo illud delevere Romani. Rursum *Badan* Hebr. idem est, quod *vestis et fortitudo eorum*, ait Pagnin. talis enim Hebræis fuit Samson. Denique per Anagramma et Alphabetariam revolutionem quam Hebræi vocant *Atbas*, qua ultimæ litteræ cum primis retrogrado ordine commutantur, v. g. Aleph prima commutatur cum ultima Tau; ac Beth secunda a principio, cum Scin quæ secunda est a fine; ac Daleth quarta a principio, commutatur cum Mem, quæ quarta est a media Iod: hac inquam litterarum commutatione *Badan* est *Samson*, sic enim per idem Anagramma, *Sesach* est *Babel*, Ierem. c. 25. vers. 26. vide ibi dicta. Utitur Scriptura hac litterarum revolutione, ut significet fortis Samsonis commutationem, qua vir fortissimus post capillorum resectionem factus est infirmissimus, ac captus a Philisthæis exoculatus est.

Vers. 12. Videntes autem quod Naas, etc. dixistis: Rex imperabit nobis.) Hinc patet, causam cur Hebræi petierint regem, fuisse metum imminentis Naas, ut superius dixi.

Vers. 14. Si timueritis Dominum.) Eum reverendo, amando, colendo, obediendo, et cavendo ne qua in re legem eius transgrediendo eum offendatis. Nam ut ait S. Chrysost. Psal. 127. « Nullum est malum quod non extinguat Dei metus. Quemadmodum ignis, quodcumque ferrum ceperit contortum vel rubigine confectum, id clarum reddit ac pulchrum, ferruginem abstergens, et quod in eo erat perversum et inflexum, perfectissime corrigit: ita Dei metus vel exiguo tempore facit omnia, et eos qui ab ipso tincti sunt, nulla re humana frangi sinit.»

Eleganter et nervose Tertul. lib. de Præscript. 43. « Ubi, inquit, Dei metus, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura solicita, et adiectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subiectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia. »

Eritis etc. sequentes Dominum.) q. d. Ostendetis re ipsa vos ex toto corde sequi Dominum, sicut filii sequuntur per omnia patrem, milites Ducem, subditi Regem. Atque hinc consequemini magnum decus: *Gloria enim magna est, sequi Dominum*, ut ait Eccles. c. 22. 38. ac magnum pariter emolumentum. Deus enim vos quasi sequaces cultoresque suos proteget, prosperabit et beabit. Unde Sept. addunt: *et liberabit vos.*

Vers. 15. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones eius) Primo aliqui cum Hugone sic exponunt: *Si præcepta Dei æstimaveritis esse aspera et difficilia, vel impossibilia servatu.* Nam ut ait S. Gregor. *Bona opera in dilectione suavitatis habenda sunt, non in æstimatione asperitatis: nam quibus semper*

A *dura et aspera videntur, quæ a Domino precipiuntur, paulatim decidunt et deficiunt.* Et paulo post: *Si non exasperaveritis*, inquit, *os Domini, q. d. si ea quæ carnalibus aspera sunt præcepta charitatis, usque ad vitæ finem cum iucunditate deducitis.* Piger enim et nequam servus est, *qui fingit laborem in præcepto.* Psal. 93. 20. Secundo, idem Hugo; q. d. *si feceritis Deum aspere loqui propter peccata vestra*, ut scilicet dicat: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Tertio et genuine, Hebr. est. *Sed amaricaveritis*, vel *amarum feceritis os Domini*, hoc est si irritaveritis, et ad iram provocaveritis Dominum: ira enim ostendi solet amaro ore et vultu, ideoque prodeuntibus sermonibus amaris et asperis: unde Chaldæus vertit: *Et rebellaveritis dictis Domini.* Rursum per *os et sermones Domini*, possunt accipi leges et præcepta Dei, quæ ipse ore suo edixit; q. d. *si offenderitis legem, eamque ad iram provocaveritis.* Est prosopopœia; tribuitur enim legi inanimæ anima, sensus et ira: Lex enim videtur irasci impiis, dum B ab iis violatur et contemnitur; ideoque ipsa quasi irata sui violatoribus minas et pœnas in se sancitas intentat. Verum per legem intelligitur Deus legislator, qui prævaricatoribus irascitur, eisque pœnas in lege statutas infligit. Hic ergo sensus in idem cum priore redit.

Erit manus Domini super vos, et super patres vestros.) Primo, Chaldæus sic exponit: *Erit plaga Domini in vobis, ut hæc quæ fuit in patribus vestris, cum in deserto Deo rebellarunt.* Sic et Vatab. *Affliget*, inquit, *vos ut afflixit maiores vestros, quando fuerunt inobedientes.* Accedit Lyran. *Manus*, inquit, *Domini erit super vos de futuro, sicut fuit super patres vestros de præterito.* Et Carthusianus: *Quidam*, inquit, *sic exponunt: Ita erit super vos in posterum. sicque puniemini, sicut iam ante fuit, et sicut puniti fuerunt patres vestri transgressores.* τὸ enim *et*, quando copulat similia, idem valet quod *sicut*, ut patet in Proverbiis.

Secundo, Dion. q. d. « Tam vos, inquit, quam patres vestri, qui vos ad mala inducunt, seu a vitiis non refrænant, C incurretis debitas pœnas Dei: vel super patres vestros defunctos condemnatos, quorum damnatio seu tormentum augebitur ex iniquitatibus et condemnationibus vestris; in quantum præbuerunt vobis occasionem et exemplum peccandi: et pœna unius damnati redundat in alium.» Hic sensus si de vivis accipiatur planissimus est; si de mortuis, remotior videtur, et altius quam Hebræorum crassa mens se porrigeret, longiusque petitus.

Tertio, *Erit manus Domini super vos, et super patres*, id est principes vestros: princeps enim est pater patriæ teste Aristotele lib. 8. Ethic. c. 11. unde Homerus Agamemnonem regem vocat *patrem et pastorem populorum.* Et Romani, Senatores suos qui omnia regebant vocabant, *patres conscriptos:* ac sæpe in Scriptura principes vocantur *patres.* Ita S. Gregor. Abulen. Caiet. unde Sept. vertunt: *super vos, et super Regem vestrum.* Audi Senecam lib. 1. de Clementia cap. 14. *Hoc*, inquit, *quod parenti etiam Principi faciendum est: quem appel-* D *lavimus patrem patriæ, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens. Tarde sibi pater membra sua abscindat, et cum absciderit reponere cupiat, et in abscindendo gemat, cunctatus multum diuque.*

Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, et dabit voces (tonitrua) et pluvias.) Vers. 17.
Fuit hoc miraculum, ut docet S. Gregor. Lyran. Hugo, Abulen. Vatab. Dion. Caiet. et ceteri: Nam ut scribit S. Hier. testis oculatus in Amos 4. v. 7. « Numquid in fine mensis Iunii, sive in mense Iulio in his provinciis, maximeque in Iudæa, pluvias vidimus? Denique in Regum libris, pro signo magno atque portento, diebus æstatis et messis orante Samuele pluviæ concitatæ sunt. »

Rursum, quia cum serenum esset cælum, Samuel per preces suas subito hæc tonitrua et pluvias e cælo elicuit, et a Deo miraculose fieri impetravit. Audi Auctorem de mirabil. S. Script. lib. 2. c. 9. apud S. Aug. tom. 3. « Sa- Tonitru miraculosum.

muele invocante Dominum, cum populus sibi Regem peteret, Dominus per pluvias et horribiles voces intonuit, quibus plebs quæ audierat, se Dominum repulisse, ne regnaret sibi, intelligeret. Quos fragores per Samuelis iterum Dominus deprecationem compescuit, postquam populi de hac re pœnitudinem intus aspexit. »

Addit idem Auctor Samuelem pœnitenti populo mox stitisse pluvias, et cælum serenasse; quod novum fuit miraculum. Hinc Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. culpat Græcos, quod hanc Samuelis historiam detorserint ad Æacum, fingentes ipsum suis precibus a Deo impetrasse pluviam, qua segetes siccitate emortuæ reviviscerent.

Tropol. S. Gregor. « Dominus, inquit, vocem dat (hoc est, tonitruum) quia peccatorum corda excitat, ut pravitatis suæ nequitiam recognoscant. Dat pluvias, quia excitata corda per infusionem supernæ gratiæ adiuvat, ut non solum deserat mala quisque, quæ fecit; sed etiam bona fortiter agat, quæ appetit. » Et paulo post: « Non est, inquit, minus miraculum immutatio cordis, quam perturbatio aeris. Non minus miraculum est, arentia corda B reviviscere, quam æstivis ardoribus, inusitato more, pluvias inundare. Maius quippe miraculum est, intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quam collisis per ventum nubibus tonitruum insonare ».

Et videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem:) tum quia Deus per tonitru, iratum se fuisse vobis testabitur: ipse enim in peccata et peccatores detonat: tum quia, ut ex R. Salomone ait Lyran. « Deus excitavit ista tonitrua, ut confutaret pervicaciam populi: nam si tantæ erant vires Samuelis, ut posset cælum commovere, et tonitrua devocare; quomodo non potuit hostem profligare et Reipublicæ præesse? ».

Vers. 18. Et Dominus dedit voces,) tonitrua mixta fulguribus et grandinibus, ait Iosephus l. 6. Ant. 6.

Porro S. Gregor. hom. 27. in Evang. citans illud Ierem. 15. 1. « Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Quid est, inquit, quod Moyses et Samuel ceteris Patribus in postulatione præ- C feruntur; nisi quod hi duo tantummodo, in cuncta Testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Unus a populo lapidibus impetitur, Exod. 17. v. 4, et tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur. Alter ex principatu eiicitur; et tamen petitus, ut exoraret, fatetur dicens: Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis ».

Vers. 20. Nolite recedere a tergo Domini.) Hebr. *de post Dominum*. Chald. *de post cultum eius*, quasi dicat: Ne destiteritis sequi Dominum, eumque amare et colere. Moral. S. Greg. *Pœnitentis*, inquit, *mens tunc bene dirigitur, si divina iudicia metuat, et de Dei omnipotentis miseratione confidat. Timor quidem sine spe, in desperationem præcipitat: sed cum spei coniungitur, salutem mentis operatur. Quare summo studio optimus Doctor invigilare debet, ut peccantes terreat, et territum ad veniæ spem reducat. Quatenus per metum peccare desinat, et per spem impetrandæ indulgentiæ, divinæ misericordiæ portum quærat.*

Tropol. idem S. Gregor. « Iusti, inquit, stant in conspectu Domini, quia testimonio bonæ conscientiæ de amore Conditoris præsumunt. Peccatores autem cum mala committunt, a facie Domini fugiunt: cum vero redire pœnitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt; quia et discedere longius nolunt, et tamen præsumere de Deo quasi amici non possunt. Hinc est quod peccatrix mulier retro stetisse dicitur, Luc. 7. v. 38. Retro etiam illa stetit, quæ fimbrias eius tetigit, Matt. 9. v. 20. Retro quidem stat pro verecundia peccati; sed tangit per virtutem spei. Quia ergo pro commissis iniquitatibus semper erubescere debemus, et in quibus confundimur, devitare; Samuel peccatoribus imperat, ut a tergo Domini non recedant ».

Vers. 21. Nolite declinare post vana.) hoc est *idola*, quæ falsa sunt Numina, ideoque vanissima et mendacissima, quæ A opem se invocanti præstare non possunt. Porro vanitatem idolorum argute ostendit et irrisit Dionysius Tyrannus, qui, ut ait S. Ambros. lib. 2. de Virgin. « Cum venisset in templum, Iovis amictum aureum, quo operiebatur simulacrum eius, detrahi iussit, et imponi laneum dicens; aurum hyeme frigidum, æstate onerosum esse. Sic Deum irrisit suum, ut nec onus ferre posse, nec frigus putaret. Item, cum Æsculapii barbam vidisset auream, tolli imperavit, incongruum esse appellans, ut filius barbam haberet, cum Apollo pater eius adhuc non haberet. Item simulacris tenentibus aureas pateras ademit allegans; accipere se debere, quod Dii darent. Ita ludibrio habiti sunt, ut neque Iupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Æsculapius, neque omnes qui dicuntur Dii, retrahere potuerint pateras, quas tenebant, non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes ». Idolorum vanitas.

Tropol. S. Gregor. « In comparatione, inquit, æternorum bonorum vana sunt omnia etiam bona temporalia. Quidquid enim in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto est: quia difficile habetur, et cito amittitur. Repente quidem alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta et prospera evanescunt. Nam cum stare in his floribus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina, et omnia deturbante morte concluditur. Vana ergo sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blandiuntur: sed amatores suos cito transeundo decipiunt. » Et inferius: « Declinare post, est in eorum appetitum defluere: amorem illorum divino amori præferre. Merito ergo his vana non proderunt; quia ea, eo ordine, quo condita sunt, habere noluere. »

Et non derelinquet populum suum, propter nomen suum magnum.) Primo, *nomen Dei*, est fama Dei, quæ magna erat apud omnes gentes: quod scilicet Deus Israelem suum populum a Pharaone, aliisque hostibus, per tot prodigia liberasset et propugnasset. Ita Abulens. Vatab. Dion. Vers. 22.

Secundo, *nomen Dei*, est eius omnipotentia, misericordia et fidelitas.

Tertio, *nomen Dei*, est ipse Deus nominatus et invocatus. Deus enim est optimus et maximus.

Mystice, *propter nomen suum magnum*, id est propter *Christum*; hic enim est *nomen Patris*; quia loquitur, id est manifestat ipsum mundo, ait Hugo. Hic quoque, *Iesus*, id est *salvator mundi. Nomen magnum*, ergo est *Iesus*. Audi S. Bernar. serm. 15. in Cant. *Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infundatur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum: si disputes, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Et paulo post huius nominis fructus eximios demonstrans: *Iræ*, inquit, *impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius dedecoris fugat pruriginem.*

Absit a me hoc peccatum in (id est contra) Dominum, ut cessem orare pro vobis.) Prælati enim et prophetæ (qualis erat Samuel) officium et debitum est, D orare pro populo sibi subdito, præsertim in periculo offensæ, iræque Dei constituto; qualis erat hic Israel. Addit S. Gregor. « Si secundum legis præceptum hoc discutitur, peccatum non esset, si pro abiicientibus se, non oraret: nam lex Moysis præcipit, dicens: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Quid est ergo, quod dicit: Absit a me peccatum; nisi quia vir sanctus ad charitatis verticem sublimatus, non solum diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos? legis quidem veteris mandato instructus; sed novæ gratiæ fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis, evangelica perfectione reprehendit. » Vers. 23 Prælatus oret pro populo sibi subiecto.

Porro Patres hanc Samuelis vocem, ut charitate in sibi adversos æstuantem miris laudibus extollunt: imo ut benignitatis et charitatis speculum, omnibus imitandum proponunt. Audi S. Gregor. hom. 15. in Ezech. « Cupimus animum in benignitate dilatare? Samuel in cogitationem deducatur, qui de principatu deiectus a populo, Charitatis speculum Samuel.

cum idem populus peteret, ut pro eo Domino preces effunderet, respondit, dicens : Absit a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis. Culpam quippe vir sanctus perpetrare se credidit, si eis, quos adversarios pertulerat usque ad eiectionem, benignitatem gratiæ non reddidisset in prece. »

S. Chrysost. homil. 1. de cruce et latrone : « Samuel, inquit, qui exordinatus fuerat, qui contemptus, ait : Mihi absit peccare, intermittendo orare pro vobis Dominum. Peccatum arbitratur, minus pro inimicis orare. »

B. Antiochus hom. 72. Samuelem vocat virum admirabilem, quod pro iis, qui eum principatu deiecerant, oraverit. Hinc infert S. Greg. homil. 27. in Evang. « Virtus ergo veræ orationis est, celsitudo charitatis. Et tunc quisque, quod recte petit, adipiscitur, cum eius animus in oratione nec inimici odio fuscatur. »

Vers. 25. QUOD SI PERSEVERAVERITIS IN MALITIA, ET VOS, ET REX VESTER PARITER PERIBITIS.) Quia rex et populus politice sunt quasi una persona : quare sicut unum quid fiunt in culpa, sic et unum quid fient in pœna.

Rex et populus sunt quasi una persona.

Porro sagaciter S. Gregor. lib. 6. « Ita, inquit, sibi regentium merita connectuntur et plebium, ut sæpe ex culpa præsidentium, deterior fiat vita subiectorum ; et sæpe ex merito plebium, delinquat vita Pastorum. »

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul adsciscit sibi et Ionatæ filio tria millia militum : Ionathas percutit stationem Philisthinorum. Illi ingentem redintegrant exercitum, parantque prælium. Saul pavidus offert sacrificium, ut Dei opem imploret. Intervenit v. 10. Samuel, eumque obiurgat, quod se, uti iusserat, non expectarit; ideoque v. 14. Deum, regnum ab eo quasi inobediente ad Davidem traducturum edicit. Philisthini v. 19. ut arma Hebræis eripiant, cavent ne apud eos sit faber ferrarius.

1. FILIUS unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel. 2. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel : et erant cum Saul duo millia in Machmas, et in monte Bethel : mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin: porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua. 3. Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens : Audiant Hebræi. 4. Et universus Israel audivit huiuscemodi famam : Percussit Saul stationem Philisthinorum : et erexit se Israel adversus Philisthiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala. 5. Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethaven. 6. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos, (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, et in abditis, in petris quoque, et in antris, et in cisternis. 7. Hebræi autem transierunt Iordanem in terram Gad et Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum. 8. Et exspectavit septem diebus iuxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. 9. Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum, et pacifica. Et obtulit holocaustum. 10. Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat : et egressus est Saul obviam ei ut salutaret eum. 11. Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti ? Respondit Saul : Quia vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras iuxta placitos dies, porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas, 12. Dixi : Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum. 13. Dixitque Samuel ad Saul : Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum : 14. Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum iuxta cor suum : et præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus. 15. Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin. Et recensuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo, quasi sexcentos viros. 16. Et Saul et Ionathas filius eius, populusque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin : porro Philisthiim consederant in Machmas. 17. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Ephra ad Terram Sual. 18. Porro alius ingrediebatur per viam Beth horon : tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum. 19. Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni Terra Israel, caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. 20. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, et ligonem, et securim, et sarculum. 21. Retusæ itaque erant acies vomerum, et ligonum, et tridentum, et securium, usque ad stimulum corrigendum. 22. Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule et Ionatha, excepto Saul et Ionatha filio eius. 23. Egressa est autem statio Philisthiim, ut transcenderet in Machmas.

Vers. 1. FILIUS UNIUS ANNI ERAT SAUL CUM REGNARE COEPISSET, DUOBUS AUTEM ANNIS REGNAVIT SUPER ISRAEL.) Impossibile videtur, quod Saul filius unius anni, creatus sit rex, et reipsa regnarit. Quocirca Melchior Canus lib. 11. de locis c. 5. ad argum. 12. legendum vult. *Filius viginti et unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset.* Scholiastes Græcus vero legit : *Filius triginta annorum erat Saul, cum regnare cœpisset.* Verum huic lectioni repugnant Hebræi, Chald. Septuag. Roman. Aquila, Symmach. Theod. et ceteri, qui constanter legunt : *Filius unius anni erat Saul.* Adde, Saul hoc tempore plurium quam 20. aut 30. erat annorum : iam enim genuerat

Isboseth, qui hoc tempore erat 20. annorum; et Ionatham eo seniorem, utpote qui esset Dux belli contra Philisthæos, ut patet cap. seq. At quo sensu ergo dicitur hic fuisse *filius unius anni?*

Saul filius unius anni. Expos. I. Primo, Rabanus in Glossa τὸ *Saul* accipit in casu Dativo, q. d. *Sauli initio regni sui natus erat filius unius anni*, puta Isboseth: verum hoc tam violentum est, quam falsum. Violentum, quia *Saul* est hic Nominativi casus, ut patet ex eo quod sequitur: *et duobus annis regnavit super Israel:* quod licet Rabanus referat pariter ad Isboseth, qui mortuo Saule patre, duobus annis regnavit, ut patet 2. Reg. 2. 10. tamen ad Saulem referendum esse, patet ex anteced. et sequent. quæ omnia ad Saulem spectant, non ad Isboseth. Falsum, quia Isboseth hoc tempore non erat unius, sed viginti annorum, ut minimum. Nam Saul post Samuelem regnavit dumtaxat viginti vel 18. annis, quibus exactis mortuus est; successitque ei filius Isboseth, qui tum erat 40. annorum ut patet 2. Reg. 2. 10. Deme a 40. annis, 20. remanebunt 20.

II. Secundo, alii passim sic exponunt, q. d. Saul cum regnare cœpit adeo erat simplex et innocens, ac si fuisset puer unius anni: et in hac innocentia persistens regnavit duos annos, quibus exactis ab ea defecit per inobedientiam, ideoque a Deo et Samuele reprobatus est. Unde Chald. vertit: *Sicut filius unius anni, in quo non sunt culpæ, Saul erat quando regnavit.* Ita S. Gregor. Angel. Eucher. S. Hieron. in Quæst. (vel quisquis est Auctor) Theod. Rupert. Procop. Hugo, Lyran. Abul. Dion. Caiet. et S. August. lib. 7. Locutionum in Iudices. Audi S. Petrum Damiani libr. 2. epist. 20. *Sic erat innocens, tamquam puer unius anni cum regnare cœpit; et duobus annis in eiusdem innocentiæ simplicitate permansit: sed qui tunc erat ex humilitate filius, postmodum per superbiam factus est servus.* Audi et Rupertum in c. 2. Apoc. pag. 21. *Saul duobus annis eadem humilitate regnavit: ab hac excidit, quando contra legem holocaustum obtulit, cum non esset Sacerdos de stirpe Aaron, pepercit Agag*, etc.

Porro dicit hoc Script. Primo, ut demonstret optimam fuisse Dei electionem; utpote qui non nisi Saulem virum optimum et dignissimum ad regnum evexerit: ut idem nos facere docet: ita S. Gregor. Secundo, *ut ostendatur*, ait Dionys. *Providentia Dei ita semper se habentis, nisi nostra iniquitas obsistat, ut quo maiorem confert dignitatem, maiorem etiam conferat sanctitatem: et propterea in Saule cum suprema præsidentia, supremam innocentiam coniunxisse.*

Tertio, ut omnes metu sacro percellat, ne quis sibi præfidat, et in sua sanctitate sit securus, videns ex ea excidisse Saulem adeo innocentem, ait Abulens. Quartam causam dat Lyran. ut indicet quam teter et profundus fuerit lapsus Saulis: sicut enim lutum bysso candidæ, ita peccatum animo innocenti fœdius adhærescit. Hinc Tropol. S. Gregor. *Licet*, inquit, *multis annis regnaverit, illis solis regnasse dicitur, in quibus innocens ac humilis fuisse perhibetur.* Et paulo post: *Illo ergo*, inquit, *solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter et humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate, et fluxa carnis vita consumpsimus quasi perdita, minime memorantur.*

Quocirca Iosaphat Barlaamum suum Catechistam interrogans; quot annorum esset? ab eo audivit: *Natus sum annos* 45. miranti Iosaphat, quod eum canum videret, respondit: *Si annos meos ab ipso vitæ ortu nosse quæris, recte sane eos plusquam septuaginta esse coniecisti. At mihi quidem nullo omnino modo inter vitæ annos censentur, qui in huius mundi vanitate consumpti sunt.* Præclare Philo lib. de præmiis et pœnis, sub finem: *Eorum*, inquit, *qui nec disciplinis instituti sunt, nec legibus, nec numerus initur, nec habetur ratio.* Et paulo post: *Virtus*, inquit, *et honestas in qualitate consistit, non in quantitate: unde vel unus dies sine culpa transactus, integræ vitæ sapientis æquiparatur.* Quamobrem cordate et nervose Eusebius Emissenus (vel potius Gallicanus) homil. 9, ad Monach. *Illum*, inquit, *diem tantum vixisse te computa, in quo*

A *voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti; quem sine ulla regulæ transgressione duxisti: illum diem vixisse te computa, qui puritatis, et sanctæ meditationis habuit lucem.*

Hic sensus communis est et commodus; sed tropologicus potius videtur, quam litteralis. Nam sicut duo anni, quibus dicitur regnasse Saul, simpliciter pro annis proprie dictis accipiendi sunt; sic et unus ille annus, de quo immediate ante dicitur: *Filius unius anni erat Saul.*

Tertio, ergo nonnulli sic exponunt, q. d. « Saul electus in regem uno anno quievit, et domi privatam vitam egit, sed exacto hoc anno regnare cœpit. » Ita Eucher. « Uno, inquit, anno postquam Rex electus est a Samuele, in domestica domo sedens, dissimulavit se esse Regem: reliquis duobus annis publice iudicavit omnem Israelem; tenens obedientiam cum humilitate. » Et Beda: « Postquam, inquit, electus est Saul, et oleo sancto perunctus in Regem, toto anno primo humilis et privato similis mansit, nec regio habitu indui, ceteraque regni insignia curavit. » Sic quoque Genebr. in Chronol. Verum hoc non videtur verum: nam mox ab electione sua Saul, quasi rex, gessit bellum contra Naas, regem Ammon, ut audivimus cap. præced. Adde Iosephum asserere, quod Saul electus rex, uno tantum mense a regio munere abstinuerit. Denique aliud est esse filium unius anni, aliud privatam vitam agere. III.

B

Quarto ergo et planissime, sensus est, q. d. Saul parta victoria de Naas, ideoque comparata sibi auctoritate et gratia populi, rursum in regem a Samuele unctus c. 11. v. ult. agebat, et forte exigebat primum regni sui annum, ac inchoabat secundum; quo exacto elegit tria millia militum præsidiariorum, ut sequitur. Ita R. David, Vatabl. Brixianus, Serarius et alii. IV. Optime.

Hunc sensum exigit phrasis Hebr. quæ ad verbum sic habet: *Filius unius anni Saul in regnare ipsum*, q. d. Iam regnabat Saul unum annum: iam agebat primum regni sui annum. Secundo, ex eo quod Naas septimo mense a creatione Saulis invasit Galaaditas, ac tum Saul ei occur-

C rens eum cecidit, et regnum suum confirmavit et innovavit, ut patet ex dictis cap. 11. unde hæc omnia fuere acta anni primi regni Saulis.

Est Hebraismus, Hebræi enim tempori, diei, mensi ex anno tribuunt nomen *filius*, ut *filius huius anni, diei, vel temporis* dicatur, qui hoc anno, die vel tempore natus est. Tempus enim, annus et dies dicuntur, quasi patres, generare eos, qui illo tempore, anno et die nascuntur: quia scilicet annus et dies adducit causas secundas, puta parentes, qui hunc filium generant. Est Metonym. Sic Ionæ 4. 10. hedera in Hebr. vocatur *filia noctis*, quia illa nocte orta et nata erat. Sic *filius auroræ* est Lucifer, sive stella Veneris, quæ in aurora nascitur. Isaiæ 14. 12. Sic *filii prunæ* sunt scintillæ, quæ ex prunis eliciuntur. Iob. 5. 7 Sic *filii Orientis* vocantur in Oriente nati. Iudic. 6. 33. Sic *filii terræ* vocantur terrigenæ. Sic *filii arcus* sunt sagittæ. Iob. 41. 20. quia ex arcu violenter emittuntur, et quasi parturiuntur. Sic *filius areæ* est frumentum, vel palea. Isaiæ 21. 10. Sic Exodi 12. 3. sancitur ut agnus Paschalis sit *anniculus*,

D Hebr. בן שנה *ben sciana*, id est *filius anni.* Sic quoties in Levit. et Numer. iubetur immolari ovis vel agnus *anniculus*, Hebr. est *ben sciana*, id est *filius anni.* Simili tropo dicitur veritas *filia temporis*, quia tempus latentem veritatem sensim educit et aperit.

Duobus autem annis regnavit super Israel.) Præter expositiones iam recensitas, nonnulli ex hisce verbis censent, Saulem per biennium dumtaxat fuisse regem, ac in finem biennii in prælio occubuisse. Ita Hebræi in Seder Olam cap. 13. Arias apud Lorinum cap. 13. Actor. Adrichom. et Gerardus Mercator in sua Chronol. verum difficile creditu est Saulem biennio gessisse omnia, quæ deinceps usque ad finem libri, ac præsertim c. 14. sub finem narrantur: illa enim plures annos exigunt. Adde S. Paulum asserere Saulem regnasse 40. annis Actor. 13. 21.

Secundo, alii sic exponunt, q. d. *Saul post mortem Samuelis tantum regnavit duobus annis.* Id verum esse patet ex Iosepho lib. 6. Antiq. c. ult. et Clemente Alexand. lib.

*

1. Strom. Abulense et aliis passim. Verum cur huius biennii dumtaxat meminit hic Script. cum per plura capita sequentia recenseat acta Saulis vivente adhuc Samuele?

Tertio, alii sic explicant, q. d. *Saul per biennium dumtaxat regnavit, quia post biennium a Samuele exauctoratus, regium eius imperium abiit in tyrannicum.* Ita Lyran. Hugo, Abulen. Vatabl. et Pineda lib. 8. in prooemio Salom. cap. 2. Verum plures quam duos hic intercessisse annos, liquet ex sequent. et demonstrat Mendoza.

Quarto ergo genuine, τὸ *duobus annis regnavit,* iunge cum sequentibus, *et elegit tria millia*, q. d. ait Genebr. anno mundi 3106. » Cum, inquit, Saul regnasset duobus annis, elegit sibi tria millia: nempe duobus primis regni annis, sat habuit vitare invidiam; et se adversus malignas linguas modestia et auctoritate Samuelis tueri. Postea, dum se satis confirmasset, cœpit more regio, sese stipare satellitibus. Non quod alioqui duobus tantum annis regnarit. » Sic et Torniellus, Baradas, Abulen. Hugo, Dion. et Mendoza.

Quot annis regnavit Saul?

Quæres, quot annis regnarit Saul? Respondent aliqui per 40. annos: hoc enim videtur asserere Paulus Actor. 13. 21. ita Auctor apud S. Hieron. in Quæst. Hebr. Serarius in lib. 3. Reg. 6. Propos. 2. et Melchior Canus loco superius citato. Verum ceteri omnes censent, Paulum illis 40. annis quos assignat Sauli, complecti quoque annos Samuelis, quibus ipse præfuit. Ita Eusebius, Iosephus, Severus Sulpitius, Beda, Freculphus, Bellarminus, Gordonus, Genebr. Gerardus Mercator et alii in suis Chronicis, Lyran. Abulen. hic, S. August. lib. de Civit. c. 7. Ribera lib. 1. de Templo cap. 1. Pineda lib. 8. de rebus Salom. c. 2. n. 2. Lorinus in cap. 13. Actor. Porro hos 40. annos varii varie inter Saulem et Samuelem partiuntur. Nam Clemens Alexand. lib. 1. Strom. cap. 11. Sauli cum Samuele tribuit annos 27. deinde mortuo Samuele, soli Sauli alios viginti: sic universim fierent anni 47. cum Apostolus dumtaxat 40. assignet. Rursum Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 14. ait: *Samuelem solum præfuisse Reipublicæ annis 12. deinde cum Saule annis 18. Saulem vero post mortem Samuelis annis 20.* ut habet idem Iosephus in fine eiusdem libri sexti, et iterum lib. 10. c. 11. In textu tamen Græco libri sexti habet annos viginti duos, sicut et Zonaras qui Iosephum de more sequitur. Verum sic fierent anni 52. cum fuerint tantum 40. ut dixi. Alii Samueli dant annos 30. Sauli decem. Alii aliter. Verius Salianus et alii censent Samuelem solum præfuisse Israeli per annos 22. deinde creato rege Saule cum eo præfuisse annis sedecim, mortuo vero Samuele, solum Saulem regnasse biennio dumtaxat. Iunge enim hos annos, et invenies 40. Hic computus confirmatur ex eo quod Arca capta a Philisthæis in morte Heli, indeque post septem menses reducta in Cariathiarim, ibi manserit per 20. annos, quibus iam mortuo Heli præerat eius successor Samuel, ut patet cap. 7. 2. ac deinde nonnulla Samuelis et filiorum eius gesta recensentur usque ad creationem regis Saulis, quæ biennium facile requirunt.

Adde, quod Scriptura cap. 8. ait, Samuelem valde senem, pro se filios suos constituisse Iudices. Atqui natus est, inquiunt nonnulli, Samuel iudicante Heli sub annum eius quartum; Heli autem iudicavit 40. annis. Adde 20. annos Samuelis, quibus arca fuit in Cariathiarim; ac deme 4. annos Heli ante natum Samuelem, habebis annos Samuelis 50. quæ non est tanta senectus, quanta a Script. tribuitur Samueli. Ergo pluribus annis iudicavit Samuel; ac facile fuit sexaginta annorum, cum præ senio filios constituit Iudices. Quare ipse tunc 22. annos videtur explesse in principatu, ac natus anno Heli secundo; sic enim additis hisce quatuor annis, conflabuntur Samuelis anno 60. quæ iusta est eius senectus: ita Salianus.

Vers. 2. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel.) Quæres, quando illa elegit? Resp. Abulen. et Caiet. anno primo regni sui, postquam cecidit Naas, et regnum innovavit in Galgalis, c. 11. 15. Melius Beda, Hugo, Dionys. Genebrard. Pineda loco citato, Mendoza, et alii, id Saulem fecisse censent anno secundo regni scilicet postquam *duobus annis regnavit,* uti præcessit; eo enim hæc verba pertinent: unde Vatab. vertit: *tum elegit.* Causam cur elegerit dedi vers. 1. cui adde, Saulem elegisse hæc tria millia, ut irruentibus more suo repente Philisthinis, Ammonitis, aliisque hostibus vicinis, haberet ea ad manum, quæ illis statim opponeret, ne Israelis agros urbesque vastarent.

Addunt nonnulli, Saulem post biennium regni, a primaria innocentia et fiducia in Deum defecisse; ideoque ad humana præsidia respexisse, et hæc tria millia conscripsisse: verum defectus et lapsus Saulis postea contigit, ut audiemus vers. 10.

Mystice, Beda per *tria millia*, accipit tres virtutes Theologicas, quæ nos contra omnes tentationes et hostes defendunt. « Populus fidelium, inquit, sibi de Israel tria millia elegit, quia dum unitati fidei, sociandam spem et dilectionem cognoverit, mox sibi Doctores, qui eamdem fidem, spem et charitatem diligentius se suosque doceant, atque ab hostis irruptione tutentur, elegit. » S. Gregor. refert ad tres Ecclesiæ status: « Tria, inquit, millia esse perhibentur: quia in summa perfectionis facie, virgines proferunt, iuxta quos, et continentes, et veritatis defensores ponunt: dum enim exemplo virginum ad summam incorruptionis alios accendunt; dum continentium vitæ alios a sæculi corruptionibus auferunt; dum humilium debilitatem per auxilia potentium defendunt; contra hostes sanctæ Ecclesiæ boni Doctores, quasi cum tribus electorum virorum millibus veniunt. »

Porro solerter S. Gregor. urget τὸ *tria millia virorum*, quod habent Sept. *Quia prædicatores*, inquit, *veritatis, ad defensionem sanctæ Ecclesiæ, non infirmos et debiles, sed robustos et validos bellatores ducunt.* Et paulo post: *Viri*, inquit, *dicuntur pro fortitudine: de Israel esse referuntur, pro divina contemplatione. Israel,* enim Hebr. idem est quod *videns Deum,* aut potius, *prævalens Deo.*

Cum Saul duo millia in Machmas.) » Machmas, ait Adrichom. Magmas, et Megmas, civitas magna satis, cuius multa in Scripturis mentio, terminus tribus Ephraim contra Austrum. In hac Ionathas Machabæus habitavit: atque hic B. Virgo percepit, puerum Iesum non esse in comitatu, sed remansisse in Ierusalem: quamobrem regressa est in Ierusalem ad quærendum eum. Usque hodie, ait Hieronymus, ostenditur vicus grandis, in finibus Æliæ, antiquum nomen retinens, ab ea novem millibus distans, iuxta villam Rama. Nunc Byra dicitur, et est in dominio fratrum militiæ templi, ut Brocar. et Breid. tradunt.

Mystice S. Greg. » Machmas, inquit, id est humilitas, quid aliud, quam continentium ruborem significat? Nam dum præterita carnis oblectamenta recolunt, erubescunt. » Et paulo post: « Dum recolunt quales fuerunt in sæculo, superbire non possunt de eo, quod magnos se vident esse in Deo. »

Iam *Bethel,* id est *domus Dei,* est Ecclesia, quam Sancti præsules et prædicatores, contra dæmonum et tyrannorum incursus, quasi validi bellatores propugnant, ait S. Gregor.

Mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin.) *Ionathas* Hebr. idem est, quod *columbæ donum;* unde puritatem, purosque denotat, qui in Gabaa, id est in colle sanctitatis degunt. Audi Bedam: « Ionathas, columbæ donum, institutor virginum dicitur: quia incomparabili gratia Spiritus sancti efficitur, ut a manentibus in carne, carnis corruptio nesciatur. Bene, et in sublimi virgines esse dicuntur, quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Unde et virgo ille dilectus Iesu, locum virginum insinuans ait: Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, etc. Virgines enim sunt. Apoc. 14. v. 1. In monte quidem esse cum Agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis, quo a terrenis et carnalibus delectationibus se dividunt, in suprema Redemptoris gloria sublimantur. »

Porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua.) Mystice S. Greg. « In taber-

nacula, inquit, sua cetera plebs remittitur, ne de altioris vitæ temeritate damnetur, et velut debilis, et infirma in bello pereat, dum altæ conversationis fidem spondet, quæ altæ virtutis robur non habet. »

Vers. 3. ET PERCUSSIT IONATHAS STATIONEM PHILISTHINORUM, QUÆ ERAT IN GABAA.) *Gabaa,* erat patria et sedes Saulis ac Ionathæ, ideoque Ionathas iuvenis animosus et audax illico ex ea exturbavit Philisthinorum stationem, id est, ut Sept. Aquila et Theod. vertunt, ὑπόστημα, id est, *præsidium.* Philisthæi enim tempore Samsonis et postea dominantes Hebræis, ut eos sub iugo continerent, ne rebellare auderent; locis Iudææ altioribus et munitioribus (qualis erat Gabaa) erigebant arces, sive loca munita, quæ vallo cingebant (Itali vocant *fortezze*) in quibus constituebant milites præsidiarios; ideoque illa vocabant *stationes*, sive *præsidia militum.* Ita Ioseph. Theodor. Procop. Abulens. Caiet. Dion. et alii. Chald. vertit: ***Percussit Ionathas plantationem Philisthinorum:*** hæ enim stationes erant quasi *plantationes* non arborum, sed hominum et militum: unde etiamnum Angli, dum Anglorum suorum colonias in Hyberniam traducunt, dicunt se in ea facere plantationem.

Quæres, Quibus armis Ionathas percussit Philisthæos? Nam ferrea eis ademerant Philisthæi, ut patet v. 19. Resp. arma priscorum erant brachia: *Nam pugnis rem agebant, a quibus pugna dicitur. Inter ipsos adversarios*, inquit Cassiodorus l. 1. c. 30. *non erant prius armata certamina, sed pugnis se, quamvis fervida, lacessebat intentio, unde et pugna nomen accepit.* Hinc Lucret. l. 4. p. 188.

Arma priscorum quæ?

Arma antiqua, manus, ungues, etc.

Postea Belus ferreum gladium primus produxit, a quo et bellum placuit nominari. Ante Belum utebantur fundis, arcubus, baculis, fustibus, perticis, sudibus præustis. Audi Virgil. 7. Æneid.

Hic torre armatus obusto;
Stipitis hic gravidi nodis, quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit.

Et paulo post:

Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis.

Potuit quoque Ionathas ignem in stationem iniicere, itaque eam comburere: potuit insuper incautos, vel dormientes Philisthæos noctu invadere, eorumque arma occupare, iisque ipsosmet obtruncare.

Mystice, S. Gregor. « Ionathas, inquit, stationem Philisthinorum percutit, quia electa virginitas de carne, continentiæ arce sublimata, motus turpes extinguit. Bene autem statio Philisthinorum dicitur; quia in corpore virginali, carnales motus non habent requiem delectationis, sed statum certaminis. Stant quippe; quia impugnant: sed requiescere non possunt, quia mentem sanctam minime oblectant. »

QUOD CUM AUDISSENT PHILISTHIIM.) Id est Philisthini non iam cæsi a Ionatha, sed ceteri qui in Iudæa degebant. Aliqui subaudiunt: *conturbati sunt:* ita S. Hieron. Hugo et Caiet. sed id licet verum sit, non tamen est necesse hic supplere; nam sensus expletur per id quod subditur: *Saul cecinit,* q. d. Cum audissent Philisthini suorum stragem factam a Ionatha, ideoque consternarentur; Saul misit circumquaque buccinatores, qui insonantes buccina, undique convocarent Hebræos, ut Philisthæos hac clade consternatos invaderent et mactarent: ita Abulen. Dion. et alii. Audi S. Hieron. in Quæst. *Hæc buccina signum victoriæ et exhortationis fuit: ut audirent et noscerent Hebræi, conturbatos et superatos esse Philisthæos.* D. Gregor. *Buccina,* inquit, *canere, est et victoriam nuntiare, et exemplo victorum, aliorum mentes ad spiritualis belli propositum excitare.*

Mystice, S. Gregor. « Ionathas stationem Philisthinorum percussit; sed Saul tuba canens, se percussisse perhibuit: quia, nimirum, electorum Prædicatorum triumphis adscribitur, quod a subditis occulti adversarii superantur.

Vers. 4. AUDIANT HEBRÆI.) Cæsa esse castra Philisthinorum, seque hac buccina evocari ad cœptam victoriam prose-

A quendam, ut plane Philisthæos e nostra Iudæa eiiciamus. Sept. pro עברים *ibrim*, id est *Hebræi*, legentes, עבדים *Abadim*, id est *servi*, vertunt: *inobedientes fuerunt servi.*

ET EREXIT SE ISRAEL ADVERSUS PHILISTHIIM.) Hebr. *et fœtidus* (id est odibilis, exosus) *factus est Israel in Philisthiim.* Vatabl. ***Palæsthini abhorrebant ab Israelitis, tamquam a re male olente et putida.*** Caiet. ***Fastidierunt Israelem Palæsthini.*** Noster sensum reddidit. Ideo enim *fœtidus*, id est odibilis, *Palæsthinis erat Israel;* quia contra eos *se erexerat*, eisque rebellaverat. Unde Sept. vertunt: ***Et contempsit Israel Philisthiim.***

Porro, Septuaginta Romæ correcti habent: ***Et puduit Israel in alienigenas;*** unde aptius ex Hebræis vertas: *Et fœtorem contraxit Israel a Philisthiim*, hoc est fœtuere Palæsthini Israelitis; Palæsthini fuerunt Israelitis fœtori, id est pudori, et abominationi; fœtuit et puduit Israelitas, quod tam imbellibus et vilibus Philisthinis servirent; quodque iugum eorum tam inerme et vile non excuterent. Quare indignitate hac et pudore excitati, animos erexe-

B runt, ut eos e finibus suis eiicerent.

Denique mihi magna suspicio est, Nostrum pro נבאש *nibas*, id est *fætuit*, putidus fuit, legisse נבעש *nichas* (litteræ enim utrimque sunt similes) id est *iratus est*, excanduit, sprevit, abominatus est: sic enim videtur legisse Chald. nam vertit: *Et concitatus est Israel in Philisthæos.* Et Sept. *Contempsit*, inquiunt, *Israel Philisthiim.* Irati enim sunt, et excanduerunt Israelitæ, quod tam diu tolerassent iugum et tyrannidem Philisthinorum; cum viderent eos tam facile a Ionatha cæsos. Quare ira hac excitati erexerunt animos, et in prælium contra eos convolarunt. Ira enim est cos fortitudinis. Unde milites præliaturi acuunt iras in hostem, ut contra eum generose decertent, eumque prosternant.

CLAMAVIT ERGO POPULUS POST SAUL IN GALGALA.) Dicendo: sequamur Saulem regem nostrum ad prælium contra Philisthæos; cœptam eius de illis victoriam, cum eo communibus animis et viribus prosequamur; elimi-

C nemus Philisthæos e terra Israel. Sic enim milites Gedeoni, in prælio contra Madianitas acclamarunt: *Gladius Domini et Gedeonis.* Iudic. 7. 20. Porro *in Galgala*, id factum, quia *Galgala* locus erat religiosus, ob circumcisionem a Iosue c. 5. ibidem peractam, ut pie et religiose in eodem loco invocata Dei ope ad prælium animose pergerent.

Moraliter, disce hic illud Iob. c. 7. 1. *Militia est vita hominis super terram:* id de corporali militia sæpe verum, de spirituali semper. Nam Hebræi victo Naas, illico a Philisthæis lacessiti acrius cum eis bellum gesserunt. Unde S. Greg. *Quoties*, inquit, *alios hostes vincimus, necesse est, ut ad aliorum devincenda certamina præparemur. Omnipotens enim Deus, quia electos suos copiosius remunerat, eos semper vult in pugna consistere, ut ipsi semper possint sibi æterni muneris dona præparare.* Et inferius: *Deus,* inquit, *magna prælia permittit, quæ vincant: levia excitat, in quibus cadant: ut victoria fortium magna sit, casus innoxius: ut cadentes, se facile erigant:*

D *et eos fortia, in quibus victores steterant, non extollant.*

ET PHILISTHIIM CONGREGATI SUNT TRIGINTA MILLIA Vers. 5.
CURRUUM.) Olim enim Syri, Arabes et Asiatici e curribus depugnabant. Mystice, Beda: « Crescente, inquit, in bonis ardore virtutis agendæ, crescit et in immundis spiritibus ardor eiusdem impediendæ ac refringendæ virtutis; qui videntes fidelium contra se amicos erectos, hos colles, insidiarum deceptionumque variarum copiis expugnare contendunt. »

ABSCONDERUNT SE IN SPELUNCIS.) Quibus abundat Vers. 6.
Iudæa, teste Iosepho libr. 1. de bello c. 12. Unde et David fugiens Saulem, abdidit se in spelunca. 1. Reg. 24. et Iosue c. 10. occidit quinque reges latentes in spelunca.

IN ABDITIS.) Hebr. Chald. *in munitionibus.* Vatablus: *inter spineta.* Caietanus: *in scissuris montium.* Abulensis explicat, hæc *abdita*, esse loca secreta tam urbium, quam domorum. Tales sunt Romæ criptæ et cœmeteria S. Priscillæ, S. Sebastiani, S. Laurentii, etc. in quibus tempore

persecutionum se abdebant Christiani, quæ ego sæpius subintrans, vidi subterraneam civitatem et Romam, vidi, et obstupui. Mystice Dion. Carth. « Sic, inquit, aliqui Christiani cernentes se undique a diabolo, mundo et carne tentari, in foramine petræ, in fossa humo, id est in Christi vulneribus, et in Dominicæ passionis memoria salubriter se occultant: et in proprio humiliationis profundo se celant, atque in tantum parvi pendunt, et quasi nihil se reputant quod a dæmonibus nequeunt tangi. « Et Beda: » Cum viderint, inquit, fideles, antiqui hostis insidias, etc. Præsidia mox necesse est lectionum spiritualium, ieiuniorum, eleemosynarum, orationum, ceterarumque virtutum, quibus defendantur, adeant, abscondanturque in eis a contradictione linguarum; ut Pater, qui videt in abscondito, misereatur et adiuvet. »

Vers. 7. HEBRÆI AUTEM TRANSIERUNT IORDANEM.) Est Paranomasia in Hebr. עברים *ibrim;* id est *Hebræi*, et עברו *aberu*, id est *transierunt:* עברי *ibri* enim, id est *Hebræus*, dicitur ab עבר *abar*, id est *transivit*, eo quod Abraham veniens ex Chaldæa in Palæsthinam transierit Euphratem; ut dixi Genes. 14. 13. ubi Abraham vocatur *Hebræus*, id est *transitor* Euphratis, indeque eius posteri vocati sunt *Hebræi*. Sicut Romæ omnes Germani, Galli, Hispani, etc. vocantur *Transmontani*, sive *Transalpini*.

Probabiliter censet Abulen. hos Hebræos qui transierunt Iordanem, fuisse Rubenitas, Gaditas et Manassenses, qui trans Iordanem habitabant; q. d. hi audito adventu Philisthinorum ex Galgalis, transito Iordane domum redierunt, quasi suo Iordane tuti, et a Palæsthina separati.

Addit Auctor Quæst. apud S. Hieron. ac S. Greg. Rabanus, Hugo Victorin. et alii, eos ad Philisthæos transfugisse: id enim innui videtur v. 21. c. 14. licet id negent Lyran. Abulen. et Dion.

Vers. 8. ET EXPECTAVIT SEPTEM DIEBUS IUXTA PLACITUM (id est constitutum et decretum) SAMUELIS.) Iusserat Samuel Sauli c. 10. ut ingruente hoste vel periculo, iret in Galgala, ibique nuntio ad se misso, suum adventum præstolaretur per septem dies integros; ut invocato Deo, ab ipso audiret, quid agendum foret. Paruit Saul, misitque nuntium ad Samuelem, eiusque adventum expectavit per septem dies; sed septimo die inchoato, et necdum exacto, videns populum metu Philisthæorum diffluere; non expectato ulterius Samuele, sacrificium obtulit, ut Deo propitiato, ab eo disceret quid facto foret opus, ab eoque robur ad præliandum acciperet. Atque hac in re peccavit, quod scilicet non expectarit finem diei septimæ

Saul peccavit, quia Samuelem non expectavit

uti iusserat Samuel. Nam ante eius finem Samuel advenit, qui videns Saulem sacrificasse, acriter eum de inobedientia reprehendit. Ita S. Greg. Lyran. Abulen. Caiet. Serarius. Audi S. Gregor. « Idcirco per inobedientiam cecidit quia integris septem diebus, sicut iussus fuerat, non expectavit. » Et postea: « Ecce septem diebus prophetam sustinuit; sed dum præstolari eum in fine diei desiit, gloriam tantæ dignitatis amisit. »

Minus recte ergo nonnulli Saulem excusant, quod integros septem dies Samuelem expectarit; sed quod non recte eos computarit: computasse enim eos a die, qua misit nuntium ad Samuelem accersendum, cum a postero die eos computare debuisset.

Vers. 9. ET OBTULIT HOLOCAUSTUM.) Putant aliqui Saulem per se sacrificasse, ideoque regno privatum esse. Graviter ergo peccavit, quod cum esset laicus, sacerdotalem functionem usurpare præsumpserit; sicut fecit Ozias rex thurificando, ideoque a Deo percussus est lepra. 2. Paral. 26. 16. ita Ruper. Lyran. Dion. et favet Iosephus. Addit R. Levi, Saulem hæc sacrificia obtulisse, ut a Deo spiritum prophetiæ impetraret, quo deinceps sine Samuele regeretur. Unde et a Tertul. lib. 2. contra Marc. c. 23. vocatur, *despector Samuelis prophetæ*.

Verum nil tale indicat Script. alioqui enim hoc illi exprobrasset Samuel acerrime; atque habebat Saul sacerdotes in castris, per quos sacrificia offerre poterat: cur ergo illud sibi vindicaret, sciens id a Deo vetitum? ita Abulen. Serarius, Sanchez, et alii.

CUMQUE COMPLESSET OFFERRE HOLOCAUSTUM, ECCE SAMUEL VENIEBAT.) Vide quid faciat præcipitatio et impatientia. Si vel ad horam expectasset Saul, ecce Samuel aderat pro eo sacrificaturus, et Deum consulturus. Iam autem defectu patientiæ et perseverantiæ horariæ, temporale regnum amisit, ac paulatim eo decidit, ut tandem amitteret quoque æternum. Volebat enim Deus, ut Saul dirigeretur a Samuele, ac rex a Sacerdote et propheta; ut doceret temporalem potestatem et principatum debere dirigi a spirituali et Ecclesiastica. Unde S. Ignatius epist. 6. ad Magnes. « Saul, inquit, honore privatur regio, non expectans summum sacerdotem Samuelem: oportet itaque et nos revereri præstantiores; decetque non modo vocari Christianos, sed esse. Nec enim dici, sed esse, beatos facit. Si qui Episcopum appellant, et sine eo omnia faciunt; huiusmodi dicet ipse, qui verus et primus Episcopus est: Quid me vocatis, Domine, et non facitis, quæ dico? Tales enim non bona conscientia mihi præditi esse videntur, sed esse simulatores et personati. » Vers. 10.

ET EGRESSUS EST SAUL OBVIAM EI.) Causas dat Dion. « Honoravit, inquit, Samuelem propter eius senectutem et sanctitatem, prophetalemque gratiam; et quoniam ante eum Iudex fuerat populi, et suis orationibus ac meritis multa bona a Deo obtinuit populo: sed et hac vice speravit iuvari per Samuelem. »

ET TU NON VENERAS IUXTA PLACITOS DIES.) Hebr. *ad statutos dies*, quibus scilicet te venturum promiseras et constitueras, sive *ad constitutum diem*, quem nimirum constituere tibi placuit. Hinc putant aliqui Saulem expectasse Samuelem per septem dies integros, sed male eos computasse, ut dixi v. 8. Melius alii dicunt, hanc excusationem ab eo obtendi, quod expectarit usque ad septimum diem inchoatum, sed non perfectum, q. d. expectavi te usque ad septimum diem, et videns te non venire iuxta tua promissa, putabam te non venturum, ideoque instante hoste, et dilabente exercitu, obtuli holocaustum, ut Deum mihi facerem propitium. Auxit peccatum Saul, quod culpam non agnoverit et veniam petierit, sed illam excusarit, et quasi in ipsum Samuelem retorserit. Causam dat S. Greg. « Quia, inquit, ex radice superbiæ, ipsa culpa inobedientiæ nascitur; solent inobedientes reatus sui magnitudinem audire, sed non humiliter confitendo satisfacere. Nam, cum sublimes videri appetunt, lapsus suos ostendere dedignantur; et ideo dum excusationes proferunt, iustitiam prætendunt, quia apparere peccatores erubescunt. » Vers. 11.

Auget peccatum suum Saul excusando.

Porro quam grave sit et exosum Deo, culpam excusare, docet S. Bern. tract. de præcepto et dispens. loquens de Adæ peccato et excusatione: « Antiqua illa, inquit, tam nota, et tam noxia prævaricatio, facile ut creditur, indulgentiam consequeretur; dummodo confessio, et non defensio sequeretur. Neque enim tantum nocuit simplicis actionis, quamvis ex deliberatione, transgressio: quantum adiunctæ excusationis, cum præmeditatione obstinatio. »

NECESSITATE COMPULSUS.) *Saul*, inquit Dion. *mendose se excusavit: quia non erat necessitas vera, absoluta, sufficiens; talisque usurpata oblatio, fuit magis offensiva Dei, quam placativa.* De hoc enim sacrificio dici potest, quod D. Bernard. Serm. 24. in Cant. dixit de sacrificio Caini: *Munus*, inquit, *mortuum offers Deo, sed peccas.* Vers. 12.

DIXITQUE SAMUEL AD SAUL: STULTE EGISTI (Hebr. נסכלת *niscalta*, id est *stultus factus es*) NEC CUSTODISTI MANDATA DOMINI DEI TUI, QUÆ PRÆCEPIT TIBI.) Ut scilicet expectares meum adventum per septem integros dies; ac per me sacrificares, et consuleres Deum, uti tibi Deus per me præceperat. Ita Angelom. Abulen. Caiet. et alii. Stultissimum enim est mandatis Dei non obedire; itaque eius offensam, iram et vindictam in se provocare. Singula verba habent auxesim et emphasim, peccatum Saulis aggravantem. Nam et solerter expendit S. Greg. *Ausus magnæ transgressionis esset, si ille, cuius mandata despicis, tantum Dominus tuus, non etiam Deus existeret. Quantum ergo est, quod committitur, cum Dei, ac Domini mandata negliguntur.* Vers. 13.

Secundo urget S. Gregor. « τὸ Dei tui, q. d. Eius præceptum contempsisti, qui, dum te de imo extulit; dum super alios te constituit; dum Regem fecit; per impositionem tantorum munerum velut specialiter tuus fuit. »

Tertio premit τὸ *quæ præcepit*, non omnibus generatim, sed *tibi* specialim, q. d. *Illa Dei, et Domini tui mandata contempsisti, quæ non velut communia omnibus; sed velut propria, et soli tibi singulariter credita, observare debuisti.*

Tropol. S. Chrysost. ostendit peccatorem esse *stultum*, quia ex homine rationali se facit quasi bestiam irrationalem. Audi eum hom. 12. in Genes. « Homo, mansuetum animal et rationale, mores suos in ferinos vertit. Idcirco Scriptura interdum canes vocat, ob impudentiam. Isai. 59. ver. 10. equos, ob libidinem. Ierem. 5. vers. 8. asinos, ob stupiditatem et ruditatem. Psal. 48. vers. 13. Leones et pardos, ob rapacitatem et habendi aviditatem. Oseæ 13. ver. 7. et 8. aspides ob fraudulentiam. Psal. 13. ver. 3. Serpentes et viperas, ob latens venenum et malitiam. Psal. 139. ver. 4. et Matth. 3. ver. 7. et alia affectionibus respondentia nomina imponit, ut sic vel tandem confusi, ad suam aliquando redeant nobilitatem, et suo generi confœderentur. »

Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.) *Præparasset*, Hebr. הֵכִין *hechin*, id est *firmasset, stabilivisset.* Sic sæpe in Script. *præparare*, sumitur pro *confirmare*, ut Psal. 88. *In æternum præparabo semen tuum*, id est confirmabo posteris tuis regnum, ut in eo, continua generationum serie tibi succedant. *In sempiternum*, non absolute, sed respective; quamdiu scilicet durabit Respubl. et regnum Israelis. Dices, quomodo hæc sententia concordat cum illa Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda*: ibi enim Deus promittit regnum perpetuum Iudæ; hic vero Sauli, qui non erat e tribu Iuda, sed Beniamin? Respon. Deus primo decreverat Sauli et posteris eius perpetuare regnum, si illi per omnia sibi fuissent obedientes. Verum quia prævidebat id Saulem non facturum, hinc decrevit ab eo transferre Sceptrum ad Iudam, et Davidem. Prophetia ergo illa Iacobi de regno Iudæ, præsupponit prævisionem culpæ et reiectionis Saulis, licet post aliquot sæcula futuræ. Hoc enim evincit hæc Samuelis de regno Saulis continuando assertio.

Vers. 14. Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget.) Ut post te in filios tuos transeat: transibit enim ad Davidem. Nam alioqui Saul non fuit privatus regno: imo tota vita sua mansit rex, sed eo moriente Deus regnum a filiis Saulis transtulit ad Davidem. Unde ex hoc loco evinci non potest, Saulem hic peccasse mortaliter, eo quod privatus sit regno: poterat enim Deus sine omni eius culpa regnum ab eius posteris transferre ad Davidem. Ergo multo magis id facere poterat ob venialem eius culpam; quia scilicet non plene obediebat Deo et Samueli. Sic *Angelus*, id est Episcopus *Ephesi*, puta S. Timotheus audivit a Christo, Apoc. 2. 4. *Charitatem tuam primam reliquisti, etc. Prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo*, hoc est amovebo te a tuo candelabro, id est privabo te tuo Episcopatu. Vide ibi dicta.

Apposite ergo privatur Saul regno; quia Deo regi suo, a quo rex erat constitutus, non obedivit. Sic Vice-rex officio spoliatur, si regi suo non obtemperet. Homo ergo, *ut possit imperare, debet Deo esse subiectus*, ait S. Ambr. in Psalm. 118. serm. 10. Et S. August. in Psal. 143. ad illa: *Qui docet manus meas ad prælium. Expedit*, inquit, *ut ille, qui sibi subiici vult quod est inferius, se subiiciat superiori suo. Agnosce ordinem. Tu Deo, tibi caro; quid iustius? Quid pulchrius? Tu maiori, minor tibi; servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat, quod factum est propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, numquam efficies ut tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo.*

Saul regno privatur ob inobedientiam.

Et S. Gregor. lib. 1. Dialog. c. 1. *Usus quidem*, inquit, *rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit: nec obedientiam subiectis imperet, quam Prælatis non novit exhibere.*

Quæsivit Dominus sibi virum iuxta cor suum.) Scilicet iuxta suum gustum et votum; iuxta suum placitum et desiderium; qui scilicet *cor*, id est *mentem et voluntatem suam*, plane et plene conformet *cordi*, id est *menti et voluntati suæ*; *qui* scilicet *faciat omnes voluntates meas*, ut explicat S. Paulus Actor. 13. 22. Hic est David: quod enim vult cor meum, hoc vult et cor Davidis; ac proinde in eo *cor*, id est *mens mea* se plane oblectat et conquiescit: cum in te, o Saul, non conquieverit; eo quod mea præcepta non plene, sed ex parte dumtaxat expleveris. Ita S. Gregor. *Per Dei cor*, inquit, *in sacro eloquio, intima eius voluntas designatur. Iuxta eam vero sumus, quando hanc et per intellectum agnoscimus, et per amorem custodimus.* Et paulo post: *Potest*, inquit, *intelligi vir, pro fortitudine; secundum cor Dei, pro interna charitate. Quando igitur necessitas exigit, ad curam sanctæ Ecclesiæ quæratur vir; ut sit conversatione fortis: quæratur secundum cor Dei; ut per affectum magni amoris quasi unitus sit divinæ voluntati.* Et inferius: *Ideo eum quæsivit, quia tu iuxta cor suum esse noluisti.* Unde merito exclamat S. Chrys. hom. de Davide et Goliat: *O beatum Davidis sanctissimi meritum, quod laudat Deus, prædicat Dominus, Iudex præfert summus, dum enim David sanctissimus, homo secundum cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit; quidquid mente concepit, perficit. Dum, inquam, David cordi Dei, cor proprium iungit, et menti eius, mentem suam adnectit; hoc est, ut quæ vult Deus, velit; et quæ non vult, similiter nolit: sic eum Dominus individuo amore et coniuncta charitate dilexit.*

Vir secundum cor Dei, quis?

Hinc morale dogma utilissimum et sanctissimum elicit B. Petrus Damiani lib. 5. epist. 3. quæ in ordine est 72. « Unum, inquit, est, quod mens cuiusque fidelis debet solerter attendere, et intra semetipsam solicita semper inquisitione versare, scilicet, utrum placeat Deo, quod agit; et an eius vita Deus, vel operibus delectetur. Quid enim prodest, quidquid homo faciat, si hoc non placeat Deo? sic de Davide dicitur: Quæsivit sibi Deus virum iuxta cor suum. Nam, si nunc Conditor non delectatur in homine, homo postmodum delectari non poterit in Conditore. »

Porro S. Hilar. in Psalm. 53. et S. Bern. Serm. 34. in Cant. docent Davidem maxime fuisse *virum secundum cor Dei*, eo quod in inimicos fuerit adeo benevolus. Sic et S. Dion. epist. 8. ad Demophilum: *Quid*, inquit, *Davidem illum Dei parentem, fecit divina amicitia dignum? Nempe, cum esset bonus atque in hostes benignus. Inveni, inquit, ille summe bonus ac benignitatis amator, hominem secundum cor meum.*

Et præcepit ei Dominus ut esset Dux super populum suum.) *Præcepit*, id est ordinavit, apud se constituit, in corde suo edixit et quasi præceptum sanxit; sed illud necdum promulgavit. Sic Deus ait Eliæ; *Corvis præcepi*, id est statui, ordinavi, *ut pascant te*. 3. Reg. 17. 4. Causam dat S. Gregor. *Ille*, inquit, *aliis utiliter præcipit, qui obedire Deo perfecte iam novit: qui solum hoc præcipit, quod ex consilio procedit intimæ veritatis.*

Addit S. Gregor. Prælatum non debere ambire imperium, sed ad illud præcepto quasi cogi. *Quia* inquit, *electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt, sed coacti perducuntur; bene dictum: Et præcepit ei ut esset dux, quasi dicat: In honorem prælationis, non per ambitionem subiit, sed coactus ascendit.* Deinde iubens, ut ad publicum honorem perfectissimus quisque diligenter quæratur, subiicit: *Præcipiatur ei, ut sit dux: quatenus sublimitatis ordinem conscendere ex cupiditate non ambiat; sed ex humilitate pertimescat, sicque sibi humilis metuat, ut subdi præcepto Dei devotius agnoscat.*

Eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus.) Tota ergo causa, cur Deus a Saulis stirpe abstulerit regnum, fuit, quod Saul non plane et plene accommodasset cor et voluntatem suam, cordi et voluntati Dei, quam ei explicuerat Samuel; ut scilicet se expectaret, et per se sacrificaret, Deumque consuleret. Volebat enim Deus, ut Saul honoraret Samuelem, quasi suum sacerdo-

tem et prophetam; ut is internuntius esset inter Saulem et Deum: sicut Deus iusserat Iosue nil agere, nisi ex Eleazari pontificis consilio, et oraculo. Num. 34. 13.

Moraliter, disce hic primo, quam plene et perfecte Deus, ut omnium Dominus, sibi suisque velit obediri ad litteram, sine excusatione et interpretatione. Unde tam graviter punivit Saulem, qui id non fecit; eo quod ipse esset primus Rex Israelis a se constitutus, privando eum regno: ut David et ceteri deinde reges eius exemplo saperent, discerentque Deo et Pontifici per omnia plene obedire.

In primis Deus statuit exempla. Sic primus homo, Adam, comedens pomum vetitum, punitus fuit morte sua et posterorum; ut illi eius exemplo discerent, Deo plane obtemperare. Sic primus Angelus Lucifer, nolens Deo se humiliare et obedire, cecidit in tartara. Vide ergo hic quam primatus sit periculosus; disceque eum non ambire. In primis enim Deus statuit exempla posterorum: quare primos vult esse exactos, ut sint speculum sequentibus; speculum, inquam, virtutis, aut castigationis suæ. Nam ut ait Poeta.

Principiis obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Non ergo primo loco, at *medio tutissimus ibis.* Primogenitus Abrahæ Ismael, vexans iuniorem Isaac, domo Abrahæ expulsus fuit. Primogenitus Isaac fuit Esau, qui iure primogenituræ spoliatus est a fratre Iacobo. Primogenitus Iacobi fuit Ruben, qui ob incestum, gradu suo deiectus est. Primogenitus Adæ fuit Cain, qui Abelem fratrem occidens, factus est vagus et profugus. Primogenitus Davidis fuit Ammon, qui ob incestum cum sorore sua Thamar, ab Absalone fratre occisus occubuit, 2. Reg. 23. 21. et sequent.

Pontificatus est onus onerum. Sic primatus Ecclesiasticus, sive pontificatus, est *onus onerum*, ait S. Leo, et ex eo B. Petrus Damiani lib. 1. epist. 20. qui scribens ad Cadolaum ambientem Papatum, imo Antipapam (qui se Honorium II. vocabat) *Enimvero*, inquit, *cum religiosus quisque vir, subire tam laboriosæ Sedis onus abhorreat, illicque vix ullis hominum precibus constitui acquiescat; cur tu onus onerum, ut sanctus Leo Papa dicebat, non modo non paras aufugere, sed ultro etiam preces et pretium offerendo, anxie te conaris intrudere?*

S. Gregorius hic lib. 4. cap. 4. loquens de Saule electo in regem, et se domi abscondente: *Videat*, inquit, *sacerdos, qua mente fugiendum sit culmen sanctæ Ecclesiæ, si culmen sæculi conscendere, tam caute Reges fugerunt.* Ita fugit ipse S. Gregorius, seseque abscondit, donec columna ignea cælitus proditus, raptus fuit ad Pontificatum. Sic de S. Cornelio Pontifice scribit S. Cyprian. lib. 4. epist. 2. *Qui episcopatum ipsum, nec postulavit, nec voluit; nec vi, ut ceteri, quos arrogantiæ et superbiæ suæ tumor inflat, invasit, sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet.*

Porro *onus onerum*, quod subit Pontifex, ita declarat S. Bernard. lib. 2. de Consid. ad Eugen. Pontif. *Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cæli ianitores, et gregum Pastores. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, non uni, unus. Nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Quod si ita est, quanta erit sarcina, quantum onus, totum, ut ita dicam, orbem terrarum humeris sustinere!*

Idem lib. 4. « Te ipsum, inquit, considera; formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, Cleri ordinatorem, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, spem miserorum, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi. Quis non timeat et tremat hæc audiens, » ut Pontificatus onus Angelicis humeris formidabile ambire audeat?

Denique S. Chrysost. (vel quisquis est Auctor) in opere imperfecto in Matth. homil. 35. « Primatum, inquit, Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa; quia neque iustum est, neque utile. Quis enim sapiens ultro se subiicere festinat servituti, labori, dolori, et quod maius est periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia, apud iustum iudicem, nisi forte qui nec credit iudicium Dei, nec timet uti, abutens primatu suo Ecclesiastico, ut sæculari, et convertat eum in sæcularem? »

SURREXIT AUTEM SAMUEL, ET ASCENDIT DE GALGALIS, IN GABAA BENIAMIN.) Eodem pergebat Saul cum exercitu, ut sequitur; sed Samuel præcessit, et se a Saule ob culpam admissam separavit, ut se iratum ostenderet, et Saulem ad culpæ agnitionem et pœnitentiam flecteret. *Quia* scilicet, ut ait S. Gregorius, *in rege quem arguerat, humilitatem pœnitentiæ, qua manere cogeretur, minime cognovit*, etc. *Rex in ministerio relinquitur, ut ipsa Prophetæ separatione corrigatur: quia plerumque quos Prædicatoris verba non corrigunt, dividi a Prædicatorum familiaritate, vel a sanctæ Ecclesiæ unitate, pertimescunt. Iuxta Prædicatores, duri sunt, sed separati resipiscunt.* Vers. 15.

Ivit autem Samuel in Gabaa, ut se iungeret Prophetis ibidem habitantibus, ut dictum est cap. 10. 5. cum iisque Dei laudibus vacaret, ac pro Israele oraret, ac populum cum Saule eodem pergentem ad prælium contra Philisthæos, sua saltem præsentia ad fortiter pugnandum animaret. Mystice, S. Gregor. « Quid est, inquit, quod de Samuele dicitur: surrexit et ascendit, nisi quod in perfectioribus viris aspicimus, qui sic nostra inquinamenta respiciunt, ut ab eis nequaquam sordidentur? sic nobis irascuntur, ut quieti intus, secreti sui alta conscendere velociter possint. Fortes namque et potentes sunt, et qui magna et fortia sua leviter ferunt, nostris infirmitatibus non gravantur ».

ET RELIQUI POPULI,) id est e populo reliqui: τὸ enim *populi*, non est nominativus pluralis, sed genitivus singularis, ait Abulens. Hæc verba desunt in Hebr. Chald. et Septuag. Regiis et Comp. suntque obscura et implexa: sensus tamen eorum hic esse videtur, quasi dicat: Reliqui, qui ceteris metu Philisthinorum diffugientibus manserant in castris, hi cum Saule ascenderunt de Galgalis in Gabaa, quæ erat urbs sita in colle tribus Beniamin.

OBVIAM POPULO, Philisthinorum hostium, qui e vicino oppido *Machmas* (ut dicitur v. sequenti) excursiones faciebant, et EXPUGNABANT EOS,) scilicet Hebræos, venientes de Galgala in Gabaa. Ionathas enim expugnaverat stationem Philisthinorum in Gabaa, ut dictum est v. 3. Quare multi Hebræorum e Galgalis pergebant in Gabaa: hos e latere invadebant et cædebant Philisthini, degentes in vicina urbe, *Machmas*: ut ergo hoc iter suis securum redderet Saul, cum suis contra eos ascendit; ae simul ut se cum Ionatha degente in Gabaa coniungeret; uti de facto ibi se coniunxit, ut sequitur.

ET EGRESSI SUNT AD PRÆDANDUM DE CASTRIS PHILI- Vers. 17.
STHINORUM TRES CUNEI.) Hebr. *tria capita*. Chald. *tres turmæ*. Septuag. *tria principia*. Vatabl. *tria agmina*. *Cuneus*, proprie est ferrum acutum, quod sensim crassescit, quo in fissuras inserto ligna finduntur. Unde illud: *malo nodo, malus quærendus est cuneus.* Hinc per Metaphoram, cuneus significat peditum multitudinem in cunei formam redactam, quæ in acie angustior et quasi acutior, deinde latior densiorque procedit, ait Vegetius lib. 2. de re milit. Unde Virgil. 12. Æneid.

Densi, cuneis se quisque coactis,
Agglomerant.

PORRO FABER FERRARIUS NON INVENIEBATUR IN OMNI Vers. 19.
TERRA ISRAEL: CAVERANT ENIM PHILISTHIIM, NE FORTE FACERENT HEBRÆI GLADIUM AUT LANCEAM.) ut eos sub suo iugo continerent, ne rebellare possent. Sic servis a

Romanis olim vetita fuere arma, ne heros suos invaderent; nisi in extrema necessitate, qualis fuit post Cannensem cladem: tunc enim contra Hannibalem armarunt servos, teste Valer. Max. lib. 7. cap. 6. Sic adimenda esse servis arma docet Arist. 2. Polit. 2. Sic Cyrus Lydis contra se rebellantibus ademit arma, teste Iustino lib. 1.

Verum Deus elusit cautionem et prudentiam Philisthinorum, dum per Samuelem, Hebræis dedit victoriam sine ferro et armis ferreis. Unde S. Gregor. *Armati, inquit, ab inermibus victi sunt, ut totum quod vincitur, omnipotentis Dei laudibus tribuatur.*

Faber est meditans mystice. Mystice *faber*, est orans et meditans: qui folle discursus sui in officina ferraria, id est in meditatione excitat ignem devotionis, et charitatis, iuxta illud: *In meditatione mea exardescet ignis.* Audi F. Barthol. de Martyr. Archiep. Braccarensem in insigni suo doctrinæ spiritalis compendio cap. 27. p. 285. *Faber ferrarius ignitum ferrum de igne extrahens, ictibus mollire satagit, sed antequam penitus frigescat, ad ignem reducit, ut iterum faciliter ignescat: sic etiam spiritus noster a fervore devotionis extractus et occupationis terrenæ ictibus percussus ne omnino frigescat atque induretur, ad fornacem devotionis est reducendus. Nam qui studiose curant devotionem nutrire quotidie, facile conservant ac tuentur: si vero, licet paucissimis diebus, ab officio recedant, difficulter ad exercitii interioris fervorem redire solent. Quapropter illud maxime curandum est, ut orationis assiduitate cor semper Deo pateat.*

Tropol. faber est prædicator. Tropol. *Faber ferrarius*, est prædicator, præceptor, et quivis alius castigator vitiorum: hunc tollere conantur, *Philisthæi*, id est dæmones; ut homines inermes, eorum tentationibus resistere nequeant. Audi Beat. Petrum Damiani lib. 1. Epistol. 18. quæ ordine est 106. *Spiritualis quisquis conventus, si fraterni Zeli frequenti correptione non utitur, Israeliticæ plebis mystica laborat inopia; quæ videlicet incipiente Saul Regis imperio, Fabrum ferrarium non habebat.* Et paulo post: *Philisthæi*, inquit, *de terra Israel Fabros ferrarios tollunt, cum maligni spiritus, falsæ pietatis obtentu Zelum correptionis de fratrum labiis auferunt.* Causam subiicit: *Sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat, ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimit, et quasi cudendo rigidæ mentis duritiam frangit.* Ex quibus concludit: *si de sacro conventu, correptionum censura subtrahitur, disciplinæ vigor funditus enervatur, et Religio tota destruitur: quia dum unusquisque propriæ sequitur voluntatis arbitrium, ad sæcularia rediens spiritualis observantiæ violat institutum.* Deinde ad praxim cuique hoc pium dat monitum: *Unde quisquis est, cui regularis vitæ fervor inæstuat, correptiones libenter amplectitur: et tunc etiam, cum innocens est, suis reprehensionibus delectatur: non ut eum conscientia peccasse remordeat, sed quoniam hoc prodesse ceteris audientibus sperat: ut unde ipse innocens, et mundus arguitur, alii qui vel lapsi, vel lapsuri forte sunt, corrigantur.*

Nam ut ait Eccles. c. 12. v. 11. *Verba sapientum, sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.* Hinc et illud Ieremiæ 23. 29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis et quasi malleus conterens petram?* Sic et S. Greg. Eucher. Beda, Hugo: qui et addunt, dæmonem adimere fidelibus *Fabros ferrarios*, id est bonos prædicatores, vitiorum castigatores, cum facit ut ipsi subtilia, philosophica, poetica, vana, elegantia et placentia populo prædicent, ac plausum populi quærant, non planctum, ut ait S. Bern.

Rursum *Fabri ferrarii*, sunt magistri et doctores qui docent Philosophiam, Rhetoricam, Mathesin, Poesin, etc. quæ fidei et doctrinæ sacræ subserviunt, ut eam contra Hæreticos, Gentiles et impios defendant. Hos aufert Sathanas, dum satagit ut Religiosi, Clerici et Sacerdotes iis non studeant; sed indocti otio torpeant: inde enim orta fuit hæresis Lutheri et posterorum eius, æque ac priscorum Hæreticorum. Ita S. Gregor. et Cyril. Alex. lib. 7. contra Iulian.

Denique, *arma ferrea*, sunt mortificationes et pœnitentiæ, quibus concupiscentia carnis retunditur et contunditur.

Retusæ itaque erant acies vomerum;) quia conti- Vers. 21
nua aratione sulcando terram, eius resistentia et renitentia retundebantur et hebetabantur; ac Hebræis difficile erat, ad eas acuendas; toties ire in Philisthiim.

Usque ad stimulum corrigendum,) quasi dicat: adeo retusæ erant acies instrumentorum ruralium, ut ne exiguus quidem stimulus, quo boves pungerentur, superesset, qui non esset hebetatus; ideoque corrigi et acui deberet. Ita Lyran. Aut cum Abulensi refer hæc superius ad v. 20. *Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut acueret unusquisque vomerem suum et ligonem*, etc. *usque ad stimulum corrigendum*, quasi dicat: non tantum ad maiora instrumenta acuenda, sed etiam ad minimos stimulos corrigendos et acuendos, oportebat ire in Philisthæam, quia in Israel non erat faber, qui eos acueret.

Cumque venisset dies prælii, non est inventus en- Vers. 22
sis.) Populus ergo et milites sequentes Saulem, armabantur arcubus, fundis (Gabaasitæ enim erant optimi fundibularii, ut patet Iudic. 20. 16.) perticis, fustibus, ut dixi v. 3. hæc enim sunt arma rusticana et prisca: item ligonibus, falcibus, tridentibus, stimulis, malleis, securibus, serris, baculis sive flagellis, quibus triturantur et excutiuntur frumenta, ceterisque instrumentis rusticanis: ac forte ea igne liquando conflabant in perticas, pugiones et gladios, sed rudes et impolitos; iuxta illud Virgil. *Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.* Sic Samgar Iudex vomere aratri, occidit sexcentos Philisthæos. Iudic. 3. 31. Et Samson carens ense, mandibula asini occidit mille viros. Iudic. 15. 15. Ex quibus liquet, antiquam fuisse hanc Philisthinorum cautionem, ne Israelitæ haberent arma et fabros ferrarios.

Excepto Saul et Ionatha.) Mystice, Dion. Cartus. «Prælati, inquit, et eius Vicarii, debent tantæ esse perfectionis, quod quantumcumque subditi spiritualibus armis priventur, et passionum immoderantiis agitentur; ipsi tamen in omni virtute, in rationis splendore, in luce sapientiæ perseverent firmissime et mala vincant in bono, suaque probitate, aliorum defectuositates reprimant, ac reforment: quoniam ipsi sunt velut mensura et regula subditorum».

Porro Hebræi dicunt vel fingunt, Sauli et Ionathæ allatos esse hos enses cælitus ab Angelis. Planius dicas, ipsos hos enses occultasse, vel occulte sibi e locis vicinis comparasse.

Egressa est autem statio Philisthinorum, ut Vers. 23.
transcenderet in Machmas.) Iam ipsa erat *in Machmas*, ut dictum est v. 5. τὸ ergo *in Machmas*, vel referendum est ad *statio*, non ad *transcenderet*, quasi dicat: statio Philisthinorum, quæ erat in Machmas, trascendit Machmas, ivitque ulterius obviam Sauli et Hebræis ad præliandum cum eis: vel certe *in Machmas*, id est *ultra Machmas*, ut vertunt Sept. Hebr. *Egressa est statio Philisthinorum ad transitum* (Chald. *vadum*) *Machmas.* Vatab. *in ulteriorem partem, quæ erat inter Machmas et Gabaa, stationem sive præsidium transtulerunt.*

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ionathas solus cum armigero invadit castra Philisthinorum: Deus illis terrorem et perturbationem iniicit; unde ipsi mutua se cæde trucidant. Audit eorum tumultum Saul v. 19. edicitque, ne quis usque ad vesperam comedat, donec hostes fugientes persequatur, et conficiat. Ionathas edictum ignorans, mel in sylva repertum comedit. Milites defatigati et esurientes v. 32. contra legem comedunt carnem cum sanguine. Unde Saul statuta petra, iubet ut in ea sanguinem effundant. Mox v. 36. Saul noctu irrupturus in castra ostium, consulit Dominum: sed Dominus non respondet. Quare Saul iacit sortem, ut cuius culpa iratus sit Deus, exquirat. Sors denotat Ionatham v. 42. Ille fatetur se mel comedisse. Quare a patre morti addicitur, sed populus eum liberat, Inde v. 47. Saul debellat Ammonitas, Moabitas, Idumæos, aliosque per circuitum hostes. Denique v. 49. filii Saul recensentur.

1. Et accidit quadam die ut diceret Ionathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, et transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit. 2. Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato, quæ erat in Magron: et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. 3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed et populus ignorabat quo isset Ionathas. 4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde prærupti, nomen uni Boses, et nomen alteri Sene: 5. Unus scopulus prominens ad Aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad Meridiem contra Gabaa. 6. Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. 7. Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris. 8. Et ait Ionathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis. 9. Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. 10. Si autem dixerint; Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum. 11. Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum: dixeruntque Philisthiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant. 12. Et locuti sunt viri de statione ad Ionatham, et ad armigerum eius, dixeruntque: Ascendite ad nos: et ostendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Israel. 13. Ascendit autem Ionathas manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum. Itaque alii cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum. 14. Et facta est plaga prima, qua percussit Ionathas et armiger eius, quasi viginti virorum, in media parte iugeri: quam par boum in die arare consuevit. 15. Et factum est miraculum in castris, per agros: sed et omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit: et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum a Deo. 16. Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens. 17. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Ionatham, et armigerum eius. 18. Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel.) 19. Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum: crescebatque paulatim, et clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam. 20. Conclamavit ergo Saul, et omnis populus qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certaminis: et ecce versus fuerat gladius uniuscuiusque ad proximum suum, et cædes magna nimis. 21. Sed et Hebræi qui fuerant cum Philisthiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Ionatha. 22. Omnes quoque Israelitæ qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthæi, sociaverunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum. 23. Et salvavit Dominus in die illa Israel. Pugna autem pervenit usque ad Bethaven. 24. Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa: adiuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus popolus panem: 25. Omneque terræ vulgus venit in saltum in quo erat mel super faciem agri. 26. Ingressusque est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum. Timebat enim populus iuramentum. 27. Porro Ionathas non audierat, cum adiuraret pater eius populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis: et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi eius. 28. Respondensque unus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie. (Defecerat autem populus.) 29. Dixitque Ionathas: Turbavit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto: 30. Quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nonne maior plaga facta fuisset in Philisthiim? 31. Percusserunt ergo in die illa Philisthæos a Machmis usque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis: 32. Et versus ad prædam, tulit oves, et boves, et vitulos, et mactaverunt in terra: comeditque populus cum sanguine. 33. Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis: volvite ad me iam nunc saxum grande. 34. Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem: et occiderunt ibi. 35. Ædificavit autem Saul altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino. 36. Et dixit Saul: Irruamus super Phili-

sthæos nocte, et vastemus eos usquedum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum. 37. Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthiim? si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa. 38. Dixitque Saul: Applicate huc universos angulos populi: et scitote, et videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie. 39. Vivit Dominus salvator Israel, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. 40. Et ait ad universum Israel: Separamini vos in partem unam, et ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. 41. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel da indicium: quid est quod non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo, est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas et Saul, populus autem exivit. 42. Et ait Saul: Mittite sortem inter me, et inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas. 43. Dixit autem Saul ad Ionatham: Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Ionathas, et ait: Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior. 44. Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris Ionatha. 45. Dixitque populus ad Saul: Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est: vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Ionatham, ut non moreretur. 46. Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim: porro Philisthiim abierunt in loca sua. 47. Et Saul, confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos eius, contra Moab, et filios Ammon, et Edom et reges Soba, et Philisthæos: et quocumque se verterat, superabat. 48. Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum eius. 49. Fuerunt autem filii Saul, Ionathas, et Iessui et Melchisua: et nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, et nomen minoris Michol. 50. Et nomen uxoris Saul, Achinoam filia Achimaas: et nomen principis militiæ eius Abner, filius Ner, patruelis Saul. 51. Porro Cis fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel. 52. Erat autem bellum potens adversum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, et aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

Vers. 1. *Ionathas Dei instinctu invasit castra Philisthiim.*

VENI, ET TRANSEAMUS AD STATIONEM PHILISTHINORUM.) Dixit hoc, et fecit ea quæ sequuntur Ionathas peculiari instinctu Dei, ut patet ex victoria miraculosa, quam ab eo obtinuit: alioqui temerarius fuisset, si solus cum uno armigero, invasisset tota hostium castra. Deus ergo illi, ut id faceret, suggessit, animosque illi addidit ac fiduciam victoriæ tam miræ consequendæ. Ideoque id Ionathas patri non indicavit, ne is illud impediret. Qui enim a Deo regitur, regis alterius regimine non eget. Ita Theod. Procop. Abulen. Caiet. et alii.

Mira eius fortitudo.

Mira ergo hic celebratur Ionathæ fortitudo, qui Deo nixus, tantum periculum solus adiit, certus aut vincere, aut vinci et pro patria mori gloriose. Unde S. Bern. Serm. ad Milites templi cap. 1. eos comparat cum Martyribus, ut si vincant, coronentur corona triumphantis; si vincantur, martyrii laurea. « Quam gloriosi, ait, revertuntur victores de prælio, quam beati moriuntur martyres in prælio! Et c. 3. Secum, inquit, præliantur, nequaquam metuentes, aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum. Miles Christi securus interimit, securior interit, sibi præstat, cum interit; Christo, cum interimit. Cum occidit malefactorem, non homicida; sed ut ita dixerim, malicida reputatur. Cum occiditur ipse, non periisse, sed pervenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum, quam excipit, suum. » Et c. 4. eorum armis recensitis: « Imminente bello, ait, fide intus, foris ferro, non auro muniuntur: quatenus armati, et non ornati, hostibus metum incutiant, non provocent avaritiam. Equos habere cupiunt fortes et veloces, non coloratos, aut phaleratos; pugnam quippe non pompam; victoriam non gloriam cogitantes; et studentes magis esse formidini, quam admirationi ».

Vers. 2. PORRO SAUL MORABATUR IN EXTREMA PARTE GABAA SUB MALOGRANATO, QUÆ ERAT IN MAGRON.) Ita Hebr. Chald. et alii: sed Sept. pro ר legentes affine ד vertunt in *Magdon*. Erat locus hic iuxta Gabaa, quæ erat patria et sedes Saulis; cuius meminit et Isaias c. 10. 28. non ergo erat in ipsa urbe Gabaa, sed *in agro Gabaa*, uti hic legunt Biblia Regia, Glossa, Hugo, Abulen. Dion. Vatab.

Pro *malogranato*, Hebr. est *Remmon*, quod, ut nomen proprium loci, retinet Vatab. qui alibi vocatur *collis*, vel *petra Remmon*; in quem, ut locum munitum et tutum, se receperunt sexcenti e clade tribus Beniamin superstites, et reliqui. Iudic. 20. 27. ideoque et Saul ibidem castra locavit. Sic nobilis illa Hispaniæ civitas, regnique

A caput, dicta est *Granata*, a malogranatorum copia vel figura. Sic hic locus Hebr. dictus est *Remmon*, a malogranatorum præstantia et abundantia. Sic Iericho dicta est, *civitas palmarum*, ab earum fertilitate; pluresque aliæ civitates dictæ sunt, *Thamar*, id est *palma*, a palmetis quibus abundant. Sic Bethel prius dicta est *Luza*, a nucibus, corylis et amygdalis. Genes. 28. 19.

Malogranatum speciem habet regis.

Apposite Saul rex consedit sub malogranato; quia hoc speciem habet regis et regni. Nam ut advertit Mendoza, primo, malogranatum in suo flore elegantem purpuream coronam; in pomo autem, purpuram; in granis, coronam in vertice ostentat; ut plane videatur regem purpuratum et coronatum repræsentare. Secundo, *quia dum multa grana sub uno cortice complectitur; vel significat multitudinem negotiorum et consiliorum, quæ a Regibus fido silentio occultantur*, ut S. Ambrosius lib. 3. Hexam. c. 13. insinuat; *vel significat concentum omnium virtutum, quibus*
B *bus æquum est, ut Regum animi exornentur*, ut S. Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum explicat; *vel significat prudentiam gubernatricem, qua Reges suos subditos, et moribus et honoribus dissidentes, in officio continent, et in gyrum rationis circumversant*, ut Theodoretus lib. 3. in Cant. indicat; *vel significat animorum charitatem, quam Reges suo in regno curare et conservare debent*, ut idem Theodoretus clarius significat. Qua de re multa dixi Cantic. 4. v. 3. et 13.

Tertio. « Quia sicut malumgranatum pulchrius apparet, cum fatiscit; nam tunc interna grana, quæ sub vili cortice latebant, Pyropos imitata expanduntur: ita Reges quo maioribus difficultatibus scinduntur ac distrahuntur in suorum præsidium ac tutamen populorum: eo clariora præbent omnium oculis, suarum spectacula virtutum ».

Quocirca Henricus IV. Hispaniæ Rex malogranatum
C pro insigni regio delegit cum epigraphe: « Acredulce: ut significaret in optimo Rege ita severitatem et humanitatem temperandas, ut numquam Rex, aut sine severitate ignavus, aut sine humanitate crudelis videretur. Non immerito igitur Saul sub malogranato morabatur, ut ab ipsa arbore admoneretur regiæ dignitatis et potestatis, aut sanctitatis quam in rebus arduis, difficilibusque temporibus exercere oportebat ».

ET ERAT CUM EO POPULUS, QUASI SEXCENTORUM VIRORUM.) Præter mille qui erant cum Ionatha: nam duo millia, quæ sibi delegerat Saul c. 13. 2. metu Philisthinorum defluxerant et fugerant; ita ut cum Saule ex iis tantum

*

remanserint sexcenti, iique viri fortes et constantes, qui proinde licet pauci, tantas tamen victorias contra Philisthæos plurimos obtinuerunt, quantæ in sequent. narrantur.

Moraliter, Disce hic quantum valeat virtus paucorum generosorum. Sic Gedeon cum trecentis prostravit numerosissima castra Madian. Causam dat Iosephus lib. 5. Antiq. c. 8. vel iuxta aliam editionem 10. *Imbellem*, inquit, *naturam hominum sibi Dominus placere declaravit, ut populus victoriam non sibi, sed Deo deputaret.* Iudas Machabæus cum paucis superavit copias Antiochi David superavit Goliath, omnesque Philisthæos. Duodecim Apostoli sua virtute subiugarunt Christo totum orbem. S. Bern. S. Dominicus, S. Franciscus, et nuper S. Ignatius fundator Societatis Iesu cum paucis sociis, quanta ubique terrarum effecere? virtus ergo non in numero, sed in paucitate generosa consistit. Nam ut ait Isaias c. 9. 3. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Vide ibi dicta. Tritum est illud: *Virtus unita fortior divisa.* Et illud: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* 1. Corinth. 1. Et illud; *Virtus Dei in nostra infirmitate perficitur.* 2. Corin. 11.

Vers. 3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli Sacerdote (Pontifice) Domini in Silo, portabat Ephod,) id est pontificalem amictum quasi Pontifex, secum deferebat ad pontificatu fungendum; ut per Urim et Tummim, quæ erant in Rationali et Ephod, pro Saule consuleret Dominum, quid in bello tam ancipiti et periculoso agendum foret. Hinc patet Samuelem non fuisse Pontificem, ut vult Serarius et alii, sed Achiam: hic enim portabat vestem pontificalem, et recta linea descendebat ab Heli pontifice. Heli enim genuit Phinees, Phinees genuit Achitob et Ichabod, Achitob genuit Achiam. Ita Iosephus.

Achias fuit Summus Pontifex, non Samuel.

Dices, Cap. 21. v. 9. Dicitur Achimelech filius Achitob, fuisse Pontifex; ergo Achias non fuit Pontifex. Resp. Achiam fuisse binomium, et alio nomine dictum *Achimelech*. *Achias* enim Hebr. idem est, quod *frater Dei*. *Achimelech* idem, quod *frater Regis*. Deus autem est *Rex Regum;* vel certe Achiæ seniori sine liberis mortuo, in Pontificatu successit Achimelech, qui erat frater Achiæ iunior.

Vers. 4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ, etc. Nomen uni Boses, et nomen alteri Sene.) Chald. *Nomen unius lucubratio, et nomen alterius conculcatio.* Philisthini, ait Ioseph. posuerunt castra in rupe prærupta et quasi inaccessa, ideoque in ea securi degebant, neminem metuentes: idcirco Ionathas eos hac via invasit. Sic Alexander Magnus hostes in rupe altissima commorantes, ideoque eum deridentes, rogantesque, an volare posset? a tergo per saxa invia immittens trecentos iuvenes generosos, rupem insciis hostibus occupavit, eosque trucidavit: *En*, inquit, *ostendi me posse volare.* Ita Curtius.

Porro, *Boses* Hebr. idem est, quod *humescens*, vel *florescens*, vel *oviparus*, ait Pagnin. *Sene* idem est, quod *rubus:* quæ mystice explicans Beda: *Quia*, inquit, *non minus florente, quam adversante et pungente mundo, Sanctorum ascensus impeditur; et ut vel corpore vel corde deficiat, ab infatigabili hoste pulsatur.*

Hoc est quod aiunt Sancti Psalm. 65. 12. *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Nam ut ait S. Bern. Serm. de S. Malachia: *Transivit per ignem et aquam, quem nec tristia frangere, nec detinere mollia potuerunt.*

Vers. 6. Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum.) Dixit hoc impulsus a Deo, tacite promittente suam opem et victoriam, ut patet ex eventu, et victoria tam mira et felici.

Quia non est Domino difficile salvare vel in multis vel in paucis.) Hebr. *non est* מעצור *matsor*, id est *restrictio*, detentio, vel prohibitio, quasi dicat: nil est quod Deum arctet, detineat, restringat ad paucos vel multos, ut vincant. Nam ut ait S. Aug. Serm. 119. de tempore. « Omnipotens est Deus ad facienda maiora, et minora: Omnipotens ad facienda cælestia, et terrestria: Omnipotens ad facienda immortalia, et mortalia: Omnipotens ad facienda spiritualia, et corporalia: Omnipotens ad facienda visibilia, et invisibilia; magnus in magnis, nec parvus in minimis ».

Hoc Ionathæ exemplum imitatus Iudas Machabæus, cum paucis contra plurimos decertans: « Facile, inquit, est concludi multos in manus paucorum: et non est differentia in conspectu Dei cæli, liberare in multis et in paucis.» 1. Mach. 3. 18. Et c. 4. 30. « Benedictus, inquit, Salvator Israel, qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David; et tradidisti castra alienigenarum; in manu Ionathæ filii Saul, et armigeri eius. » 1. Mach. 4. v. 30. Idem dixit Asa rex Iuda, pugnans contra decies centena millia Æthiopum. 2. Paral. 14. 11.

Si taliter locuti fuerint.) Omen hoc captat Ionathas, instinctu et inspiratione Dei, ut patet ex tanta animositate Ionathæ potius divina quam humana, et ex tam felici eventu eius; quare non superstitiosum fuit, nec Dei tentativum, sed religiosum æque ac animosum; eo quod solus ipse cum armigero præruptam hostium arcem conscenderit, hostes invaserit, fugarit, occiderit. Ita Lyran. Hugo, Abul. Dion. Caiet. Serarius, et alii. Vide Sanchez lib. 2. de superstitione c. 10. n. 10. qui et addit cum Serario et Abulen. Ionatham huic omini orationem ad Deum præmisisse, in eaque a Deo animatum ad hoc audendum. Simile omen de Rebecca, in uxorem Isaaco accipienda, accepit Eliezer Genes. 24. Vers. 9.

Omen cepit Ionathas instinctu Dei.

Omini Ionathæ simile fuit omen Pazonum, de quo ita scribit Herodot. initio lib. 5. « Pazones, qui sunt a Strymone, admoniti divino responso, ut bellum Perinthiis inferrent: et si quidem a Perinthiis ex adverso considentibus provocarentur, nominatim compellantibus, eos invaderent: sin minus, ab invadendo abstinerent. Ita fecerunt, et vicerunt ».

Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem,) Quam vos per præruptas has rupes scandendo quærere videmini. Est sarcasmus sive hostilis irrisio, quasi dicant: Ascendite ad nos, et ostendemus vobis viam non ad vitam et victoriam, quam vos quæritis, sed ad mortem, hoc est mactabimus vos. Ita Lyran. Abulen. Salian. et alii. Unde Iosephus libr. 6. Antiq. c. 7. *Venite huc*, inquit, *daturi pœnas audaciæ.* Vers. 12.

Ascendamus.) Apposite hoc omen Ionathæ dedit Deus; quia signum fortitudinis et victoriæ est, prævenire et invadere hostem licet potentiorem, itaque eum metu percellere et fugare, uti fecit hic Ionathas. Sic Moses Iosue contra Amalec ituro: *Elige*, inquit, *viros, et egressus pugna contra Amalec.* Sic Timotheus cum Iuda Machabæo dimicaturus suis ita præcipit: *Cum*, inquit, *appropinquaverit Iudas, et exercitus eius ad torrentem aquæ; si transierit ad nos prior; non poterimus sustinere eum; quia potens poterit adversum nos: si vero timuerit transire, et posuerit castra extra flumen; transfretemus ad eos, et poterimus adversum illum.* 1. Mach. 5. v. 40. Sic Achab cum paucis invadens ampla castra Benadad regis Syriæ, ea fudit, fugavit, prostravit. 3. Reg. 20. 13. Sic experti Duces, ut animos ostentent, primi hostem invadunt, itaque eum sæpe percellunt et sternunt.

Ascendit autem Ionathas manibus et pedibus reptans,) per prærupta rupis saxa. Vers. 13.

Mystice, S. Gregor. « In manibus, inquit, opera solent significari. Reptat manibus pastor, quando peccatoribus viam non profert sapientia verbi, sed exemplo conversationis. » Et inferius: « Bene, inquit, reptans ascendere ad stationem Philisthinorum dicitur: quia ad destruenda vitia pervenire ille Doctor potest, qui peccatores magna humilitatis ostensione, et magna charitatis affectione demulcet ».

Itaque alii cadebant ante Ionatham,) quasi dicat: Pavore panico a Deo eis iniecto, ut patebit v. 15. corruebant ante Ionatham, ut ab eo mactarentur: unde Vatabl.

Glossa et alii legunt: *Itaque cum vidissent faciem Ionathæ* (quasi ea perculsi) *alii cadebant ante Ionatham.* Quod acceptum videtur ex Sept. qui vertunt: *Et videntes Philisthini contra faciem Ionathæ, et percussit in eis.* Sic ergo Ionathas fuit typus Christi, qui solo aspectu perculit et fugavit ementes et vendentes in templo. Nam, ut ait S. Hieron. in Matth. 9. *Fulgor ipse et maiestas divinitatis occultæ, in humana facie relucebat.* Et in c. 21. *Igneum quiddam et sidereum radiabat ex oculis eius.*

Quare fictitium videtur quod ait Ioseph. Ionatham irruisse in Philisthæos dormientes: sic enim scribit lib. 6. c. 7. « Quam vocem Sauli filius cupide arripiens ut omen victoriæ, tunc quidem recessit e loco in quo conspecti fuerant, sed ex alia parte ad rupem accedentes propter situm incustoditam, magno labore, difficultate loci superata, erepserunt ad hostem: aggressique sopitos, viginti ex his interfecerunt, et eos stupore ac consternatione repleverunt, ut abiectis armis in fugam se darent. Plerique vero non noscitantes inter se, quod ex multis gentibus conflati essent, pro hostibus se invicem invadebant; et cum non putarent, duos tantum Hebræos in castra penetrasse, mutuo marte cadebant quidam in præcipitia; aut ipsi ruebant, aut alii ab aliis protrudebantur. »

Vers. 14. IN MEDIA PARTE IUGERI.) Hoc est brevissimo terræ spatio occidit Ionathas viginti, q. d. Unitos occidit, non palantes et sparsos: dicit hoc ut augeat miraculum Dei, et fortitudinem Ionathæ; utpote qui non divisos, uti cæsis duobus Horatiis, ultimus Horatius fugiens tribus diversis locis, tres Curiatios iam fessos occidit; itaque Albanos Romanis subiecit, teste Livio; sed unitos trucidavit.

Vers. 15. ET FACTUM EST MIRACULUM IN CASTRIS.) Scilicet mirus et inusitatus terræ motus, indeque pavor, terror et perturbatio a Deo immissa Philisthinis, tam iis qui erant in castris, quam iis, qui e castris prædatum per tres cuneos exierant cap. præced. v. 17. *Miraculum* ergo, hoc est miraculosus terræ motus, ac hostium *stupor*, ut vertunt Sept. et *conturbatio*, ut Chald. *Et pavor*, ut Vatab. et *tremor*, ut alii. Hoc enim significat Hebr. חרדה *charada*; adeo enim obstupefacti, pavidi, excæcati et perturbati fuerunt Philisthini, ut socios æstimarent esse hostes, ac in eos arma converterent, itaque se mutua cæde trucidarent, ut patet v. 20. Idem fecere Madianitæ, clangentibus buccinis et lagenas flammeas complodentibus trecentis Hebræis, Gedeonis militibus. Iudic. 7. 22. Facile enim Deo fuit perturbare eorum phantasiam, ut amicos putarent inimicos: sicut naturaliter id fieri videmus in melancholicis et maniacis, qui per melancholiam velut atram nubem omnia intuentes, putant cuncta esse atra, tetra, inimica et noxia.

Terræ motu territi sunt Philisthini.

Porro Hebræa ad verbum sic habent: *Et fuit tremor in castris in agro, et in toto populo* (Philisthinorum) *tum statio, tum qui grassabantur, tremuerunt etiam ipsi, et tremuit terra, et fuit in tremorem Elohim*, id est magnum et validum; quæ enim Dei sunt, magna sunt. Unde *cedri* et *montes Dei* vocantur altissimi et maximi. Ita Vatabl. Caietan. Pagnin. et alii. Unde cum Romanis legendum; *conturbata est terra*, non autem: *conturbata sunt castra*, uti legunt alii.

In arduis Deo parendum.

Moral. Disce hic, cum Deus vocat ad ardua, quæ vires superant, non trepidare, nec subterfugere, sed Deo parere, remque animose aggredi: mox enim Deus aderit, difficultates complanabit, intricata explicabit, remque omnem facile conficiet; uti hic Ionatha solo cum armigero castra hostium integra invadente, illa perturbavit et cecidit per ipsosmet hostes.

Legimus in vitis Patrum, Angelum cuidam Anachoretæ ostendisse vastum gigantem, eique dixisse, cum hoc te luctari oportet. Cumque ille tremeret: *Ne timeas*, inquit, *incipe dumtaxat; ego mox adero, et gigantem tecum prosternam. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 18. *Tonans* enim, *iuvat conantem.*

Vers. 18. ET AIT SAUL AD ACHIAM: APPLICA ARCAM DEI.) Hoc est admove, vel affer huc ad me arcam, ut Hieraticam stolam, ait Iosephus et Theod. hoc est Ephod, quod positum est iuxta arcam, accipias et induas quasi Pontifex, eoque per Urim et Tummim quæ sunt in Ephod, coram arca consulas Deum, super arcam in Propitiatorio residentem; ut per te revelet nobis, quid in re tam ancipiti, et in hoc tumultu agere debeamus.

Fuge ad Eucharistiam in periculis.

Mystice, in periculis Christiani fugiant ad arcam, id est ad Eucharistiam: item ad B. Virginem, quæ Christum quasi manna, in arca ventris sui continuit et peperit pro cibo et salute mundi. Audi B. Petrum Damiani Serm. 1. de Nativitate virginis; « Numquid, inquit, quia ita deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam, Domina. Scis, in quo discrimine nos reliqueris; ubi iaceant, quantum delinquunt servi tui. Non enim convenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam oblivisci: quia etsi subtrahit gloria; revocat natura: neque ita es impassibilis, ut sis incompassibilis. »

ERAT ENIM IBI ARCA DEI IN DIE ILLA.) Quia eo e Cariathiarim fuit translata, petente Saule et Hebræis, ob belli periculum; ut Deum super arcam residentem consulerent, eumque haberent comitem, imo ducem belli.

Vers. 19. ET AIT SAUL AD SACERDOTEM: CONTRAHE MANUM TUAM;) Desine explicare Ephod; imo illud manu tua contrahe, et repone in arcam. Nam urgente hoc tumultu, non est mihi otium consulere Dominum; sed illico involandum in hostes. Putabat enim Saul filium suum Ionatham a Philisthinis circumdatum opprimi: unde ad illos accurrit, ut eum eriperet. Ita Lyran. Abulen. Vatab. licet Chald. sic vertit: *Affer Ephod*, q. d. Festina induere Ephod, et consulere Dominum. Unde et Iosephus asserit Deum consultum respondisse, ac promisisse Hebræis victoriam et hostium stragem.

Vers. 20. ET ECCE VERSUS FUERAT GLADIUS UNIUSCUIUSQUE AD PROXIMUM SUUM,) q. d. Excæcati et perturbati mutua se cæde truncarunt, æstimantes socios esse hostes.

ET CÆDES MAGNA NIMIS.) Ioseph. lib. 6. c. 7. ait, cæsa sexaginta Philisthinorum millia.

Vers. 24. ADIURAVIT AUTEM SAUL POPULUM DICENS: MALEDICTUS VIR QUI COMEDERIT PANEM USQUE AD VESPERAM, DONEC ULCISCAR DE INIMICIS MEIS.) *Panem*, id est cibum quemlibet: hunc enim Hebræi vocant panem. Unde Ionathas non panem, sed mel comedens, iudicatus fuit hoc patris mandatum violasse.

Saul indicens ieiunium a multis laudatur.

Porro Saul suis hic hanc legem ieiunii indixit, ex recto fervore et zelo, ut hostes fugientes insequeretur; ne si sui milites ad cibos defluerent, et in mensa desiderent, hostes fuga elaberentur; atque ut hoc ieiunio Deo gratias ageret, pro victoria tam miraculosa, eumque provocaret ad illam plane pleneque perficiendam: censebat enim cum Deo tam liberali in se et suos liberaliter esse agendum. Ita Abulens. Serarius, Salianus ac S. Ambr. et Hier. mox citandi. Atque hanc legem sanxit cum execratione, dicens: *Maledictus vir*, q. d. Malefaciat ipsi Deus, ac ego malefaciam ei, id est puniam et occidam eum.

Ab aliquibus arguitur.

Lyranus vero putat Saulem mala id sanxisse et iurasse, ac peius implesse: eo quod non esset tanta necessitas hostis insequendi, ac in lege hac sua, necessitatis casum excipere debuisset, qualis fuit in Ionatha, et aliis pluribus, præ inedia deficientibus; qui utique maiorem hostium stragem edidissent, si eos prosequendo; simul aliquid cibi raptim sumpsissent; v. g. mel obvium in sylva, uti fecit Ionathas; ut valentiores ad gradiendum et pugnandum evaderent. Denique, quod lex hæc dederit occasionem Ionatham occidendi, et populo sanguinem lege vetitum comedendi, v. 33. Favet Lyrano Iosephus, S. Gregor. hic et S. Chrysost. homil. 14. ad popul. et noster Sanchez, qui hoc præceptum Saulis, ut nimis severum et stultum damnant. Verum esto ferventior fuerit militaris duraque hæc Saulis sanctio, et aliquid discretionis in ea desideretur: tamen in se iusta sanctaque fuit, ob causas iam dictas. Unde populus totus eam probavit et acceptavit: quibus adde, si peccasset Saul, debuisset eum sors v. 41. indicare, aut certe silere: ibi autem sors non indicavit Saulem præcipientem, sed Ionatham præceptum transgredientem. Unde Saulem dilaudat Tertull.

Sed etsi lex ieiunii fuerit dura, fuit tamen iusta.

lib. de Ieiunio c. 10. ubi Saulis ieiunio, ait *a Deo præstitam auctoritatem.* Ac S. Ambros. serm. 36. (in veteri editione est 25.) post Dominicam primam Quadragesimæ: *Bonus plane rex, qui hostes suos non tam armis, quam devotione vincebat; et plus dimicabat religione, quam telis. Cum ergo Saul abstinentiam diei suis omnibus indixisset, et Ionathas eius filius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens, favum mellis intincta sceptri summitate gustasset, tanta indignatio repente commota est, ut et differretur victoria, et divinitas læderetur.*

Hinc et Ionathas culpam suam fatetur v. 43. *Gustavi,* inquit, *paululum mellis, et ecce ego morior.* Chald. *morti obnoxius sum.* Et S. Hieron. lib. 2. contra Iovin. post medium: *in Exodo,* inquit, *adversus Amalec oratione Moysi, et totius populi, usque ad vesperam ieiunio dimicatum est. Iesus, filius Nave, stationem imperavit soli et lunæ, et inediam plus quam unius diei victoris exercitus protelavit. Saul, sicut in Regnorum primo libro scribitur, Maledictus, inquit, qui ederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis: et non gustavit omnis populus eius, et tota terra prandebat. Tantique fuit auctoritas stationis semel Domino destinatæ, ut Ionathas, qui causa victoriæ exstiterat, deprehenderetur sorte, et ignorantiæ crimen declinare non posset, patrisque in se concitaret manum, et vix populi precibus salvaretur. Stationis,* id est ieiunii. *Stationes* enim a Tertull. Cassiano et S. Ambros. vocantur, *stati orationis et ieiunii dies;* quod in eis stantes et commorantes inimicos repellimus; et sicut Hebræi per 40. mansiones, sive stationes, pervenerunt in terram promissam; sic Christiani per 40. dies Quadragesimæ, perveniunt ad Pascha et resurrectionem Christi. Ita Baron. anno Christi 57. c. 155. et Pamelius in Tertul. ad finem libri de oratione: imo ipse S. Ambros. initio serm. 36. iam citati.

Moraliter, disce hic ieiunium parere victoriam hostium corporalium, æque ac spiritualium.

Septuaginta hic aliquid addunt.

Dices: Septuag. hic addunt: *Et ignoravit Saul ignorantiam magnam.* Ergo peccavit. Resp. *ignorantiam* intelligunt, qua Saul ignorabat futurum, ut ex hac sanctione Ionathas periculum capitis adiret: sed ignorantia hæc in Saule fuit invincibilis et inculpata: unde enim scire poterat Ionatham comesturum mel?

Saul vir pius et fortis hactenus: sed post hæc peccavit graviter inobedientia.

Hinc apparet Saulem fuisse virum pium, æque ac fortem, ac Deum ei favisse, dedisseque ei victorias, ut omnes per circuitum hostes superaret, ut dicetur v. 47. Quare esto Deus cap. praeced. ob non expectatum Samuelem, eius quasi minus perfecte obedientis posteros regno privarit; tamen eum non abiecit, sed direxit et adiuvit, donec gravius inobedientiæ crimen, non cædendo plane pleneque Amalecitas, uti Deus iusserat, committens, a Deo abiectus fuit, ac David in eius locum a Samuele in regem unctus, de quo c. 15. et 16.

Vers. 25. Apes in sylvis mellificant.

VULGUS VENIT IN SALTUM, IN QUO ERAT MEL.) Apes enim sylvestres in sylvis mellificant, uti videre est in Polonia et Moscovia; ubi proinde cum ursis sylvestribus depugnant: ursi enim melli inhiant, itaque arbores in quibus sunt favi scandere nituntur; sed apes in nares ursorum involantes, aculeisque suis pungentes, eos facile deturbant: ursi enim debili sunt capite in naso.

Mel est mundi voluptas.

Mystice, S. Ambr. Serm. 36. *Nec in abstinentia positi,* inquit, *declinemus ad favum. Favus enim quædam mundi est voluptas, seu vitia quæ, ut scriptum est Proverb. 5. ad tempus quidem impinguant fauces, sed novissima amariora sunt felle.*

NULLUSQUE MANUM AD OS APPLICUIT. TIMEBAT ENIM POPULUS IURAMENTUM.) Id est adiurationem et execrationem regis dicentis: *Maledictus vir, qui comederit,* etc. v. 24. Mystice S. Gregor. *Mel,* inquit, *fluit, quia dulcis fama sanctorum, dulciter velociterque currit, sed manus ad os nullus ducit, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Manum quidem cum melle ad os applicare, est laudem operis sui gratanter accipere. Decurrat ergo mel, et nemo ad os manum applicet: ut sanctorum fama dulciter fluat; et ipsos a quibus defluit, non extollat. Fluat, ut alios satiet, sed non sumatur, ne mortem propinet.*

Vers. 27. ET ILLUMINATI SUNT OCULI EIUS.) Qui scilicet prius præ inedia, labore et fame, deficientibus spiritibus opticis caligabant: iam autem sumpto melle restauratis spiritibus, illuminari, refocillari et reviviscere videbantur, ut fortior et promptior esset, ad hostes insequendum. Hinc ieiunantium visus caligat, qui sumpto cibo restauratur. Ita Angelom. Caiet. Vatab. et alii. Aliter Beda, qui illuminatos oculos ait Ionathæ, uti fuere aperti oculi Adæ, cum se nudum vidit, et culpam agnovit. Genes. 3.

Vers. 28. DEFECERAT AUTEM POPULUS.) Heb. et Chald. *defatigatus est,* scilicet labore insequendi, ac inedia, ut deficientibus viribus ægre insequi posset.

Vers. 29. TURBAVIT PATER MEUS TERRAM.) Iuveniliter hoc dixit Ionathas; verumque fuisset, nisi mora comedendi, impedimento fuisset præsentaneæ persecutioni hostium. Ita Abulens. et Caiet. Non peccavit ergo Ionathas mel comedendo, quia prohibitionem patris ignorabat: peccavit tamen, patris prohibitionem publice reprehendendo, ideoque sors culpæ eum attigit v. 41. Quia etsi indiscreta fuisset hæc sanctio patris, tamen Ionathæ erat eam non culpare, sed potius excusare, ne populus contra suum regem concitaretur, et tumultuaretur: quod in castris summum solet creare periculum.

Ionathas non peccavit comedendo mel, sed peccavit prohibitionem patris reprehendendo.

Vers. 31. DEFATIGATUS EST AUTEM POPULUS NIMIS.) Tum ex ieiunio, tum ex labore continuo insequendi et cædendi Philisthæos.

Vers. 32. COMEDITQUE POPULUS CUM SANGUINE.) Quia præ fame non expectabat, donec sanguis e bobus mactatis effiueret; sed illico mactatorum carnes sanguine conspersas coquebat; imo crudas vel semicrudas, non tam comedebat, quam vorabat instar luporum, præ fame et aviditate comedendi. Vetuerat Deus edi sanguinem, ob causas quas recensui, Genes. 9. 4. et passim in Levitico; sed famis vehementia valde hoc eorum peccatum imminuit. Ita Abulens.

Vers. 33. VOLVITE AD ME NUNC SAXUM GRANDE.) Iussit Saul, ait Abulens. ut elevaretur magnus lapis, super quem occiderentur omnia animalia, a militibus comedenda; ut ex eo pendente capite cuiuscumque iugulati pecoris, sanguis universus statim efflueret: prius autem in terra plana illa iugulabant, ubi sanguis ægre, nec nisi lente tardeque effluere poterat; quod ipsi præ festinatione et fame exspectare nequibant. Ita Caiet.

Vers. 35. ÆDIFICAVIT AUTEM SAUL ALTARE DOMINO.) Tum ut hoc esset quasi monumentum victoriæ de Philisthinis adeptæ; uti fuit altare a Mose erectum, ob partam de Amalec victoriam, Exodi 17. 15. tum ut in eo offerret hostias pacificas, in gratiarum actionem pro victoria accepta, ac in propitiationem: ut scilicet Deum sibi suisque redderet propitium, ad bella plura quæ supererant, simili felicitate conficienda.

TUNCQUE PRIMUM COEPIT ÆDIFICARE ALTARE DOMINO.) Dices, iam ante Saul ædificarat altare c. 13. v. 9. cum ante adventum Samuelis in eo sacrificavit, ideoque a Samuele fuit reprehensus. Respond. Primo, S. Hieron. in Tradit. Angelom. Glossa, Lyran. et Hugo, hoc primum fuisse altare Deo gratum, quod Saul erexit. Nam illud c. 13. fuit Deo ingratum, ex culpa inobedientiæ. Secundo, Abulens. Caiet. Hugo, Lyran et Sanchez respondent, altare illud c. 13. 9. aliena manu, et opera populi fuisse erectum; hoc proprie iussu et opera Saulis. Nam, ut recte advertit Lyran. illud in Galgalis, diu ante fuit erectum a Gaditis, Rubenitis et Manassensibus tempore Iosue c. 22. 10.

Vers. 36. ACCEDAMUS HUC AD DEUM.) Id est ad arcam, in qua residet Deus; ut eum consulamus, an hac nocte in castra hostium irruere debeamus. Trop. S. Gregor. « Ad Dominum, inquit, accedere, est eius voluntatem secreta contemplatione cognoscere. Et bene accessus dicitur; quia ab exterioribus ad interna tendimus, quando operis nostri exitum in divina voluntate cognoscere tentamus. Nam qui

occulta et intima quærit, et exteriora non deserit, ea quæ nescit adire, non invenit. Quando ergo a nobis de occultis rebus consilium quæritur, ad Dominum accedamus; ut tunc demum quod agendum est, proponatur, cum in divina voluntate cognoscitur. Multa enim videntur bona esse, et non sunt. Pleraque etiam facienda sunt, sed utilius fiunt si congruo tempori reserventur. Quædam quoque alii facere debent, alii vero non debent. Quæ nimirum si electus quilibet in secreto meditationis videre negligit, ea utique recto ordine non disponit. »

Et consuluit Saul Dominum.) Per Achiam Pontificem indutum Ephod, in quo erant Urim et Tummim; qui nomine Saulis, Deum in arca residentem interrogavit, quid hic facto foret opus. « Antiquitus, ait S. Chrysost. hom. 14. ad popul. Deus dux erat bellorum, et absque illius sententia numquam attingere pugnam ausi fuissent, et bellum ipsis pietatis materia fiebat: nec enim ex corporis infirmitate, sed a peccato vincebantur, si quando et victi fuissent: nec potentia et fortitudine, sed superna benevolentia vincebant, quandocumque vincebant. » Audiant hoc et imitentur nostri castrorum Duces, si obtinere volunt victoriam. Hæc enim proprie datur a Deo, ut alibi ostendi.

Et non respondit ei in die illa.) Tacuit Deus consultus, ut se subiratum ostenderet. At cui et cur? Respondet S. Chrysost. hom. 14. iam citata, Deum Sauli fuisse offensum, ob temeritatem qua legem de ieiunio nimis rigidam et stultam sanxerat. S. Gregor. vero germanius ob eius hypocrisin: « Nam Deus, inquit, in simili cogitationis luce non cernitur, qui semper in claritate virtutis invenitur. » Addit deinde aliam causam: quia Saul « ita volebat Philisthæos perimere, ut eorum nullus ultra movere bella potuisset. Magna quidem hæc dies mentis est, qua sic æterna quæruntur, ut temporalis hostis nullus a cæde relinquatur; sed quia nulli conceditur sic temporaliter vincere, ut non debeat omni tempore pugnare, merito dicitur: Non respondit ei Dominus in die illa. »

Abulens. Caietan. Serarius et alii censent Deum tacuisse ut indicaret ieiunium a Saule sancitum, non fuisse a Ionatha servatum. Esto enim Ionathas sanctionem patris ignorasset, ideoque non violasset eam formaliter, sed tantum materialiter; tamen multi hoc e populo nesciebant, qui potuissent scandalizari: idcirco Deus voluit hoc suo silentio, inquiri prodique Ionatham; ut ipse patefaciendo suam legis ignorantiam, se excusaret: ne videretur Deus, vel Saul esse personarum acceptor, ait Abulens. Addit Caiet. Deum voluisse Ionatham, non propter factum, hoc est violatum ieiunium; sed propter defensionem facti sui, quæ ad factum erat impertinens, qua scilicet Patris, in lege ieiunii sancienda indiscretionem culpavit, publice voluisse hac nota humiliare; ut deinceps in loquendo de edictis regiis esset modestior et cautior.

Respub. tota ob unius peccatum punitur. Vide hic, ut Deus puniat totam Rempub. ob unius civis peccatum: sicut punivit tota castra Iosue c. 6. et 7. ob furtum unius Achan. Unde in orthodoxorum Archimandritarum libello Syn. Constant. apud Bar. t. 7. an. 536. legitur: *Communicant anathemati, habentes in medio anathema sicut ostendit nobis antiqua scriptura in Achan et Ionathan, qui scienter et ignoranter inciderunt in anathema,* etc. Nam, ut ait S. Ambros. loco citato: *Unius culpa cunctis confertur ignavia; unius delicto cunctis generatur infirmitas.* Sic et S. Gregor. Angelom. et alii.

Vers. 38. Applicate huc universos angulos populi.) *Angulos,* id est præfectos vicorum vel platearum: sic Helvetii suos pagos vocant *Cantones,* id est *angulos.* Nam *quod sunt anguli in domo, hoc sunt principes in populo,* ait Vatab. *quia sicut angulis domus, sic populus principibus innititur.* Igitur sicut Græci urbis partes, pagos, Latini vicos appellant; sic Hebræi *angulos* vocant: ac sicut a Græcis Præfecti pagorum, *pagitæ* nuncupabantur; sic et apud Hebræos, qui *angulis,* id est vicis præerant, *Anguli* quoque appellabantur: simile est Iudic. 20. v. 2.

Vers. 39. Vivit Dominus salvator Israel: quia si per Ionatham filium meum factum est (hoc Dei irati silentium) absque retractatione morietur.) Ita Rom. licet S. Gregor. legat: *sine retractione morietur.* Hebr. est, *morte morietur,* id est certo et infallibiliter morietur. Chald. *occidendo occidetur,* id est sine remissione certo occidetur. Culpat hoc Saulis iuramentum S. Chrysost. hom. 14. citata, ut temerarium et parricidale, ideoque a diabolo suggestum, utpote qui eum in filii tanti tamque innocentis cædem impelleret. *Et pater,* inquit, *factus est filii carnifex, et ante examinationem damnationis protulit sententiam.* Addit Saulem sua hac temeraria ieiunii sanctione, multorum periuriorum fuisse causam: *Eia igitur,* inquit, *numeremus commissa periuria. Temeratum est primum Saulis iuramentum a filio: secundum rursus, et tertium ipsius Saulis de filii cæde. Et visus est populus vere iurasse: sed si quis diligenter rem examinet, et hi rursus omnes periurii criminibus obnoxii facti sunt. Ipsius enim Ionathæ patrem peierare coegerunt, patri filium non dedentes: vides quot homines, tum volentes, tum invitos periurio obnoxios unum fecit iuramentum, quot mala molitum est, quot cædes patravit?* *Iuramentum Saulis.*

Verum S. Ambros. S. Hieron. Abulens. Caiet. Salianus, Serarius et alii hoc iuramentum Saulis ut religiosum laudant; et sacrificio Abrahæ volentis suum filium Isaac immolare, comparant. Fuit enim profectum ex magno offensi Dei placandi studio et zelo.

Incautum. Fuit tamen incautum. Nam primo, Ionathas comedens mel contra sanctionem patris, nullam admiserat culpam, quia sanctionem ignorabat. Ergo iuste occidi non poterat; utpote immunis a culpa et innocens. Neque silentium Dei arguebat culpam esse in Ionatha, sed alias ob causas, quas recensui, contigit. Secundo, etiamsi Ionathas sanctionem patris scivisset; tamen transgressio eius erat levis et exilis; utpote gustus exigui mellis, in gravi vel extrema necessitate famis; idque sine gravi scandalo: quare ipse hoc gustatu non merebatur mortem. Tertio, licet daremus Ionatham mortaliter in hac comestione peccasse, tamen adhuc melius erat peccanti parcere, quam eum ut reum punire et occidere. Erat enim Ionathas miles fortissimus, qui causa victoriæ partæ extiterat. Erat filius regis, illi in regnum successurus. Erat regia indole et moribus; quare longe utilior et pene necessaria erat eius vita toti Israeli, quam mors ad sanciendam disciplinam militarem. Unde iuramentum hoc Saulis de occidendo non obligabat, quia vergebat in deteriorem partem, ac in nocumentum damnumque grave totius regni. Quocirca merito populus Sauli regi contradixit, nec permisit Ionatham occidi, illique tandem Saul assensus est.

Da sanctitatem.) Id est, Revela nobis sanctam veritatem, scilicet culpam esse in certa persona e populo. Vers. 41. Pro toto hoc versu Hebr. habent dumtaxat: *Domine Deus Israel, da Tummim,* id est, per Urim et Tummim, occultum reum nobis indica. Sept. Compl. *da manifestationes:* Chald. *venire fac sortem pro veritate,* id est, fac ut sors cadat super peccatorem. Vatab. *da perfectionem,* id est sortem veram et perfectam. Habent tamen Sept. Romani hæc omnia, quæ habet hic editio vulgata; sed videntur esse congesta ex variis interpretationibus rei eiusdem, ut advertunt Card. Caraffa, Franc. Lucas in Notis et Serarius hic.

Quæres, Cur veritas vocatur *sanctitas?* Resp. Quia sanctitas, ut ait S. Dionys. est ipsa puritas. Veritas autem est purissima et sincerissima, ipsaque puritas et sinceritas. Unde de sapientia sive veritate æterna dicitur Sapien. 7. 25. *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula,* etc. *Veritas est sanctitas.*

I. Secundo, quia futurorum contingentium et arcanorum cognitio (quæ hic a Saule quærebatur) adeo sublimis est, ut hominum et Angelorum intellectum transcendat, solique Deo, qui Sanctus Sanctorum est, sit propria. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum; et sciemus quia Dii estis vos,* ait Isaias c. 41. 23. Tertio, Quia oraculum veritatis hic a Saule quærebatur a sacra persona; puta a Pontifice sacris vestibus, in quibus erant *Urim* et *Tummim,* id est *illuminationes et perfectiones,* sive ut Noster II. III.

vertit Exodi 28. 28. *Doctrina et veritas*, induto. Veritas ergo hic quærebatur a sanctitate, id est a Deo sanctissimo, per sanctum eius Pontificem: iure ergo ipsa vocatur *sanctitas*, q. d. Da Domine *Tummim*, id est per sacrum Pontificem, perque sacrum Ephod et tummim, da sanctum sanctæ veritatis oraculum.

IV. Quarto, Quia veritas auctoris, qui crimen commiserat, hic quærebatur, ut Deo offenso per eius castigationem iustamque vindictam satisfieret; itaque sanctitas Dei, quasi læsa exterius, redintegraretur. Quærebatur enim hic veritas iustitiæ, iustitia autem est sanctitas. Sensus ergo est q. d. *Da sanctitatem*, id est indica nobis Domine reum qui te offendit; ut eum iuste castigemus et emendemus, itaque tuæ sanctitati offensæ, per sanctam vindictam satisfaciamus. Hinc patet indicare reum Superiori, ut is eum corrigat, esse actum sanctitatis, id est iustitiæ et charitatis. Unde in nonnullis Religionibus sancitur, ut Religiosi suorum sociorum errata et lapsus ad superiorem deferant, ut is eos emendet. Hic enim est actus sanctitatis, puta correctionis fraternæ, imo paternæ. Tria enim opera sancta in ea peraguntur. 1. Satisfit Deo offenso; qui est actus pœnitentiæ et iustitiæ vindicativæ. Secunda lapsus corrigitur et sanctificatur; qui est actus charitatis. Tertio tollitur scandalum, caveturque ne culpa ad alios proserpat, ne scilicet illi vitium, quod a superiore vident non castigari, sed tolerari, sequantur et imitentur; qui est actus iustitiæ pariter et charitatis.

Reum indicare Superiori est actus sanctitatis.

Symbol. Symbolice, Deus qui est prima summaque sanctitas, est pariter prima summaque veritas. Ac Filius Dei ex vi suæ originis et generationis, est *verbum*, id est vera notio et intellectio Patris. Unde a S. Ioanne sæpe ipse vocatur, *veritas*, ut cap. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*

Ethice. Ethice, ipsa virtus et sanctitas, est ipsa prudentia et veritas practica. Nam quid aliud sunt virtutes nisi lumina veritatis? Hoc enim honestum et sanctum est, quod practice verum est; sive quod conforme est veritati et legi æternæ, quæ est in mente; quodque ipsa recta ratio vere faciendum esse dictat. Hinc S. Ioannes in Evangel. c. 8. de diabolo ait: *ille in veritate*, id est sanctitate *non stetit.* Et passim ipse, æque ac S. Paulus, et David in Psalmis, iubet ut faciamus *veritatem*, id est opera virtutis et sanctitatis.

Rursum, quid est veritas, nisi vera fides, spes et charitas: et quid hæc tria sunt, nisi ipsa sanctitas?

Denique Christus ait Pilato, se venisse in hunc mundum, ut doceret *veritatem*, scilicet fidei, et morum, id est veram fidem et sanctitatem. Ioann. 18. 37. Veritas ergo est ipsa sanctitas. Unde qui confitetur veritatem, dicitur Deum sanctificare et glorificare. Sic Iosue cap. 7. v. 19. dixit Achan: *Da gloriam Deo*, id est confitere tuum furtum, Deumque esse veracem, qui te furti reum per sortem significavit; ut ipsi sanctitas, laus et decus veritatis ab omnibus tribuatur.

Et deprehensus est (per sortem de qua sequitur) Ionathas et Saul, esse in culpa, dedisseque Deo causam silendi et non respondendi: populus autem exivit.) Liber et immunis a culpa, q. d. Sors non tetigit populum; sed eum quasi insontem præteriit: tetigit autem Saul et Ionatham, ac tandem Ionatham: qua in re esto solus Ionathas ultimo deprehensus sit, et notatus directe: indirecte tamen et Saul notatus est, castigatusque in suo dilectissimo Ionatha; taciteque monitus, ut mitiora deinceps, utiliora et observatu faciliora edicta ederet; nec suis imperiose dominaretur, sed modeste consuleret ut pater: alioqui in iis ipsis, quasi suis filiis puniendus et castigandus.

Vers. 42. Et ait Saul mittite sortem inter me et Ionatham.) Nonnulli censent has sortes, utpote divinatorias, fuisse superstitiosas et illicitas, quia earum divinatio expectabatur a dæmone. Unde S. Chrysost. hom. 14. ad populum ait, dæmonem instigasse Saulem ad captandas has sortes; ut is peccatum peccato adderet, ac iuramentum male conceptum, peius impleret; atque parricidium Ionathæ, mente destinatum re ipsa patraret. Verum mitius meliusque censent alii, scilicet Saulem has sortes captasse a Deo: nam paulo ante v. 41. Deum invocavit, ut sortem dirigeret, ac per eam reum manifestaret. Quare Deus videtur eum movisse ad has sortes capessendas, easque direxisse, ut reum indicarent Ionatham. Hac enim de causa Deus Sauli, Deum per Pontificem consulenti non respondit, ut daretur occasio sortibus, ut per eas Ionathas deprehenderetur. Ita Abulens. Serarius et alii. Audi S. Ambros. serm. 36. iam citato: « Denique nec bello finis imponitur, nec regi responsum propheticum datur. Unde intelligimus, quod Saul hostes non tam virtute militum, quam abstinentia superabat. Denique unius culpa cunctis confertur ignavia, et unius delicto omnibus generatur infirmitas. Deficit enim virtus in exercitu, ut deficit in observatione ieiunium. Quod ut peccatum Saul, ex ipsa divinitatis offensione cognovit, statim Ionathæ dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione eius sanguinis expiandum. »

Et captus est Ionathas.) Ob causas quas superius recensui. Quibus adde, licet nesciret Ionathas patris legem, scire tamen aliquo modo potuit; cum enim videret tam multos quos secum habebat, nihil omnino, etsi valde famentes et fatigatos obvii mellis gustasse; facile suspicari potuit, causam aliquam subesse quam interrogando facillime intellexisset. v. 27. et 28. Indicat enim textus ipsius ordo, populum ante ipsum ivisse. Ita Serarius. Adiunge, in Ionatha hic voluisse Deum ostendere, quam subditi Superiorum mandata, licet rigidiora et severiora revereri debeant, nec eis obloqui, uti oblocutus erat Ionathas, sed iis humiliter et animose se subdere, ac fortiter illa capessere et exequi. Si quid enim temeritate peccabat Saul Ionathæ erat non illum traducere apud populum; sed Samuelem certiorem facere, ut eum secreto admoneret et instrueret; sicut in Religionibus, Provincialium et Visitatorum est admonere Rectores, si quid in subditos nimia austeritate vel lenitate peccent; cum subditorum sit tacere et obedire, ac dicere cum Psalmista: *Propter te mortificamur tota die.*

Rursum, voluit Deus ostendere, quam metuendæ sint Saulis, id est Superiorum execrationes, et ut Theod. ait, *anathemata*, licet leviori de causa irrogata. Ita Theod. Procop. et alii.

Et ecce ego morior.) Hebr. *Ego moriar*, id est occidar a patre. Chald. *Ecce ego obligatus ad mortem*, quasi dicat, Ego gustavi tantillum mellis; sumne propterea reus mortis? An pro gutta mellis occidar? Miserabili hac voce et lamentatione Ionathas populo movit compassionem, ut se morti eriperet. Aliter Ionathæ animum verbaque explicat Iosephus lib. 6. Antiq. c. 7. scilicet, Ionatham id dixisse ex constantia et mortis contemptu: *Saul*, inquit, *iurat eum se occisurum; pluris quam genus, aut naturam, aut affectus, iusiurandum faciens. Ille mortis minis non territus, magno ac generoso animo se præbuit. Nihil, inquam, deprecor, Pater; libenter enim hanc mortem fero, quæ te religione solvat; dum prius tam magnificam victoriam videre contigit. Maximum enim mihi fuerit solatium, Palæsthinorum insolentiam ab Hebræis esse perdomitam. His omnis multitudo ad dolorem et miserationem flexa est, iurantque non laturos se ut occidatur Ionathas auctor victoriæ: atque ita eum diris patris eripiunt, et vota Deo pro iuvene faciunt, ut ipsum immunem a peccato faciat.* Verum solet Iosephus suorum Hebræorum gesta dictaque ornare et phalerare, ut ea Vespasiano et Romanis ad pompam ostentet. Vers. 43.

Morte morieris Ionatha.) Accusat S. Chrys. hom. 14. citata Saulem, quasi parricidam: excusant Abulen. Serarius et alii, ut religiosum Abrahæ imitatorem, qui filium morti pro iustitia, et disciplina militari sancienda devoverit; uti Titus Manlius apud Romanos filium iniussu suo pugnantem occidit. « Unde ab hoc Manlio, ait Gellius lib. 9. c. 13. imperia aspera et immitia, Manliana dicta sunt: quoniam bello postea adversus Latinos, cum es- Vers. 44.

set Consul, filium suum securi percussit, qui speculatum ab eo missus, ne pugnaret interdictus, hostem a quo provocatus fuerat, occidit. » Sed Manlio religiosior fuit Saul, qui Deo offenso filium reum pro victima immolare destinavit. Audi S. Ambros. serm. 36. « Videte quanta apud Saul regem fuerit religionis observantia, qui offensum Deum optavit etiam parricidio mitigare: et quanta sit resoluti culpa ieiunii, quæ non nisi sanguinis effusione punitur. Et si ignorans Ionathas indictum a Patre ieiunium, quia resolverit, morti addicitur, qui sciens indictum a Christo resolvit, quid meretur? Ergo fratres statutum nobis custodiamus omni observatione ieiunium, ut hostes nostros spirituales carnalesque vincamus ».

Vers. 45. DIXITQUE POPULUS AD SAUL: ERGONE IONATHAS MORIETUR, QUI FECIT SALUTEM HANC MAGNAM IN ISRAEL?) Merito populus Ionatham patris iræ et mortis decreto eripuit, ob causas superius recensitas. Erat enim Ionathas robur, æque ac amor populi.

QUIA CUM DEO OPERATUS EST HODIE,) Id est quia per miram Dei opem hodie tantam hostium stragem edidit. Sept. Rom. pro עם, *im*, id est *cum*, alio puncto legentes עם *am*, id est *populus*, vertunt: *Populus Dei fecit diem hanc*. Pro quo Compl. pro λαοῦ, id est *populus*, corrupte legentes ἐλέους, id est *misericordia*, vertunt: *Quia misericordiam Dei fecit in hac die*. Porro alio deflectit Chald. *Quia ante Dominum manifestum est*, inquit, *quod in ignorantia fecit hodie*.

Vers. 47. ET SAUL CONFIRMATO REGNO SUPER ISRAEL PUGNABAT PER CIRCUITUM, ADVERSUS OMNES INIMICOS, etc. ET QUOCUMQUE SE VERTERAT, SUPERABAT.) Vide hic fortitudinem Saulis, et felicitatem illi a Deo datam. Unde patet eum nondum omnino Dei favore et gratia excidisse, etsi posteris eius Deus regnum iam abstulerat.

FUERUNT AUTEM FILII SAUL IONATHAS ET IESSUI ET MELCHISUA.) *Iessui* c. 31. 2. et 1. Paral. 8. 33. vocatur *Aminadab*. (a Iosepho, *Iesus*) ubi et additur quartus eius filius *Esbaal*, qui alio nomine dictus est *Isboseth*. 2. Reg. 2. 8. Forte is hic omittitur, quia Sauli fuit superstes, cum ceteri tres cum Saule occubuerint. c. 31. Vers. 49.

ET NOMEN UXORIS SAUL ACHINOAM.) Hæc erat primaria uxor et Regina. Præter hanc Saul habuit concubinam, id est secundariam uxorem, nomine *Respha*, ex qua genuit *Armoni et Miphiboseth*. 2. Reg. 21. Vers. 50

ABNER FILIUS NER, PATRUELIS SAUL:) Erat ergo *Cis* pater Saulis frater *Ner* patris *Abner*; ideoque Saul elegit *Abner* patruelem suum in principem militiæ. Porro *Cis* et *Ner* utpote fratres eumdem habebant patrem nomine *Abiel*, ut patet de *Ner* hoc loco, de *Cis* vero c. 1.

NAM QUEMCUMQUE VIDERAT SAUL VIRUM FORTEM ET APTUM AD PRÆLIUM, SOCIABAT EUM SIBI.) Idem faciunt magni Castrorum Duces. Tropol. Idem faciat Episcopus et Prælatus. Unde S. Gregor. « Eligat, inquit, doctor milites Christi, eligat fortes; ut dum carnem fortiter domant, immundos spiritus potenter vincant. Eligat ergo aptos ad prælium; ut dum inter dona fortitudinis non superbiunt, triumphi gloria in cælestibus sublimentur. » Vers. 52

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul iussus delere Amalec, parcit Agag regi, et melioribus iumentis: quare a Samuele increpatur, et regno privatur. Ille v. 20. se excusat, ac tandem frigide ait, peccavi; *ut Samuel honorem regium illi coram populo deferat. Samuel vers. 32. iubet Agag regem in frusta concidi: ac iugiter usque ad mortem luget Saulis casum.*

1. ET dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum eius Israel, nunc ergo audi vocem Domini: 2. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. 3. Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa eius: non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum. 4. Præcepit itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, et decem millia virorum Iuda. 5. Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. 6. Dixitque Saul Cinæo: Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne forte involvam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. 7. Percussitque Saul Amalec, ab Hevila, donec venias ad Sur, quæ est e regione Ægypti. 8. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii. 9. Et pepercit Saul, et populus, Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt. 10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: 11. Pœnitet me quod constituerim Saul regem: quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte. 12. Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec. 13. Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini. 14. Dixitque Samuel: et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio? 15. Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus. 16. Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, et indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere. 17. Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus in regem super Israel, 18. Et misit te Dominus in viam, et ait: Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum. 19. Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini? 20. Et ait Saul ad Samuelem: Immo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci. 21. Tulit autem de præda populus oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis. 22. Et ait Samuel. Numquid vult Dominus holocausta et victimas,

et non potius ut obediatur voci Domini? MELIOR est enim obedientia quam victimæ: et auscultare magis quam offerre adipem arietum. 23. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. 24. Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. 25. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum. 26. Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, et proiecit te Dominus ne sis rex super Israel. 27. Et conversus est Samuel ut abiret: ille autem apprehendit summitatem pallii eius, quæ et scissa est. 28. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te. 29. Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam. 30. At ille ait: Peccavi: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. 31. Reversus ergo Samuel secutus est Saulem: et adoravit Saul Dominum. 32. Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, et tremens. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors? 33. Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. 34. Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa. 35. Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ: verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel.

Vers. 1. DOMINUS MISIT ME, non tam per motum localem (non enim Samuel ivit ad Saulem, sed Saul venit ad Samuelem, eum consulturus de asinis) quam per instinctum internum; UT UNGEREM TE IN REGEM.) Causas unctionis superius dedi; quibus adde S. Chrys. hom. 4. in Epist. ad Philip. in moral. *Idcirco*, ait, *Sacerdotes, reges et prophetæ ungebantur, quia divinæ benignitatis symbolum habebat oleum*: quanta autem debeat esse benignitas hæc in regibus subiungit dicens: *Si quis Principem laudare velit, nihil illi adeo decorum adscribet, atque misericordiam. Principatus enim proprium est misereri.* Et post multa: *Pretiosum*, inquit, *vir misericors: imo misereri, est Deum esse.*

Porro S. Gregor. *Rex Saul*, inquit, *demoliri Amalecitas præcipitur, ut si mandatum Domini, eiusdem cæde gentis, perfecerit, prioris inobedientiæ nexus enodaret.*

NUNC ERGO AUDI VOCEM DOMINI.) Deus iusserat ter delere omnino Amalec. Primo, Exodi 17. 14. Secundo, Deuter. 25. 17. Tertio, hic; ut ostenderet quam ex animo et omnino id vellet fieri: quocirca gravis fuit culpa Saulis, hoc Dei præceptum prævaricantis. Unde Rupert. lib. 1. in Deuter. c. 4. « Non igitur mirum, inquit, aut iniustum, quod talem ob culpam irrecuperabiliter proiectus est Saul, quia prævaricari ausus est quod ex lege semel atque iterum, imo et tertio, tanta cum gravitate præceptum est. »

Superiori inobedienti non obeditur. Tropol. Rex et Rector obediat Deo, suisque Superioribus si velit sibi a subditis obediri. Innuit τὸ *ergo*, q. d. Deus te fecit regem et rectorem: Ergo Deo tuo gratus et obediens esto, ac rege iuxta eius voluntatem. Nam ut ait S. August. Deum alloquens Soliloq. cap. 18. *Sicut nulla est hora vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos, in mea memoria; et te non diligam ex omni fortitudine mea.* Audi S. Bern. epist. 42. *Ut secure præesse possitis, subesse et vos, si cui debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe subiectionis, prælatione reddit indignum. Videant in vobis subditi, quod redhibeant.* Hoc est quod David Salomoni filio, novo regi præcepit: *Observa*, inquit, *custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis eius, ut custodias ceremonias eius, et præcepta eius et iudicia et testimonia.* 3. Reg. 2. v. 3. Quocirca sapienter S. Gregor. lib. 1. Dialog. c. 1. *Usus quidem*, inquit, *rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit: nec obedientiam subiectis imperet, quam Prælatis non novit exhibere.*

Vers. 2 RECENSUI QUÆCUMQUE FECIT AMALEC ISRAELI.) Chald. *Recordatus sum.* Orig. homil. 19. in Numer. *recogitavi.* Hebr. *visitavi.* Sept. *nunc ego ulciscar.* Deus enim in memoria sua tenacissima recondit peccata hominum, ut suo tempore ulciscatur; nisi ab homine per pœnitentiam deleantur. Audi Ierem. c. 17. 1. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super*

A *latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum.* Vide ibi dicta. Sapienter S. August. in Psal. 102. ver. 8. *Non sic*, ait, *tibi videatur Deus misericors, ut non videatur et iustus.* Et mox: *Cum tibi thesaurizaveris iram in die iræ, nonne experieris iustum, quem contempsisti benignum?* S. Hier. vel quisquis est Auctor (multi enim tribuunt Rabano) in illud Thren. 3. 12. *Tetendit arcum suum. In arcu*, ait, *quanto longius trahitur chorda, tanto de eo districtior exibit sagitta: sic extremi iudicii dies quanto longius differtur ut veniat, tanto cum venerit, de illo districtior sententia procedet.*

Causam dat S. Laurent. Iustinian. in ligno vitæ, cap. 4. dicens: « Lento gradu ad vindictam tui procedit ira divina, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Altissimus enim est patiens redditor; quia quos diu, ut convertantur, tolerat; non conversos durius damnat: et quanto diutius expectat, ut emendentur; tanto gravius iudicabit, si neglexerint. » Quocirca Psaltes: « Misericordiam, inquit, et iudicium cantabo tibi Domine: » Psal. 101. 1.

B AMALEC,) id est Amalecitæ prognati ab Amalec nepote Esau qui Hebræorum iter in terram sanctam impedire omnibus modis sunt conati; ideoque cæsi fuere a Iosue Exodi 17. vide ibi dicta. Mystice, ex Origene et S. Gregor. Beda: « Amalec, inquit, qui transito mari rubro restitit Israeli, ea peccata demonstrat, quæ nobis post undam Baptismi, ne ad promissa cælestis patriæ regna perveniamus, obsistunt: quæ omnia demoliri, neque eis parcere iubemur. » Vers. 3.

Porro *Amalec* Hebr. idem est, quod *populus lingens*; unde notat gulosos et carnales: item dæmones, ait S. Greg. « Nam eorum, inquit, est lambere, id est mentem ad peccandum carnis blandimento delinire: velut enim linguæ tactu lambere ambiunt, cum levibus suggestionibus mentem tangunt. »

INTERFICE A VIRO USQUE AD MULIEREM ET PARVULUM ET LACTENTEM.) Iusserat Deus, qui est necis vitæque omnium Dominus, deleri plane Amalecitas, non solum homines, sed et iumenta; adeoque eorum memoriam
C aboleri: hæc autem memoria in posteris (esto ipsi iniuriam non fecissent) perdurabat, quare iussit eos funditus exscindi; præsertim quia ipsi parentum odia in Iudæos induerant, aliaque eorum peccata imitabantur. Idcirco enim Samuel occidit Agag regem Amalec, dicens v. 33. *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.* Parvuli quoque ob peccatum originale rei erant mortis, eisque cita mors erat beneficium potius, quam supplicium; ne si adolescerent, gravius peccarent, ideoque acrius in gehenna punirentur. Unde S. Ambros. lib. 2. de Cain c. 9. *Longævitas Caino indulta*, inquit, *vindicta est.* Satius est enim peccatores cito mori, ne culpam et gehennam sibi adaugeant. Unde idem S. Ambros. lib. de Interpel. David: *Vivendo*, inquit, *damna contrahimus innocentiæ: morte fi-* Cita mors beneficium peccatoris.

nem erroris adipiscimur. Lucrum ergo morte acquiritur vitæ, autem usu, tamquam miseris debitoribus usurarii nominis, ad reatum fœnus augetur.

Hoc est quod apud Balaam vaticinatus est: *Principium gentium Amalec, cuius extrema perdentur.* Num. 24. 20. vide ibi dicta. Quocirca S. Chrys. homil. 25. in Genes. quærens cur Deus ætatem hominum ad 120. annos coarctaverit. Resp. id fecisse ex misericordia; ne diutius vivendo, diutius miserias huius vitæ sentirent, ac cupiditates sectando, gravius peccarent; ideoque acrius punirentur. Et Orig. homil. 1. in Num. *Bonitatis Dei indicium est,* inquit, *inimica scelestis regna destruere, et bellando cum sua gente evertere nationes.*

Deus iussit deleri Amalec, cur? Propria autem et potissima causa, cur Deus tam severe iusserit deleri Amalecitas; fuit quod ipsi populum Hebræorum, iam recenter Deo in Sina copulatum, et velut in fide et religione novitium, ac Deum in columna nubis, quasi ducem præeuntem, per omnia sequentem in terram promissam, ab eo avertere; imo totum hoc Dei opus evertere sint conati. Erant enim ipsi posteri Esau, qui proinde videntes tantum Hebræorum exercitum, timebant ne iam impleretur prophetia illa Genes. 25. 23. *Maior serviet minori*, id est posteri Esau maioris, servient posteris Iacob minoris: quare timebant, ne ab Hebræis sub iugum mitterentur, eisque servire cogerentur. Idcirco quasi pro libertate pugnantes, extrema quæque contra Hebræos tentarunt. Hinc disce, quam graviter ferat, puniatque Deus eos, qui novitios in fide vel religione scandalizant, et ab ea avertere satagunt. Hi enim in eis nascentem quasi Deum Christumque occidunt; ac proinde sunt quasi Deicidæ et Christicidæ. Ob hoc ergo scelus iussit Deus Amalecitas cum omnibus suis stirpitus exscindi, ac fieri חרם *cherem,* id est *anathema,* imo statui sæculis omnibus futuris vivum et perennæ acris iræ et vindictæ Dei exemplum, instar Sodomæ et Gomorrhæ. Ita Abulens.

Huc facit terribilis Prætextatæ pœna, quam recenset S. Hier. epist. 7. ad Lætam. « Prætextata, inquit, nobilissima quondam femina, iubente viro Hymettio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum eius cultumque mutavit; et neglectum crimen mundano more texuit; sibi, vincere cupiens et virginis propositum, et matris desiderium: et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum, terribili voce minitantem pœnas, et hæc verba frangentem: Tune ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ iam nunc arescent; ut sentias excruciata, quid feceris; et finito mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseveraveris in scelere, et marito simul orbaberis et filiis. Omnia per ordinem expleta sunt; et seram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. Sic ulciscitur Christus violatores templi sui; sic gemmas et pretiosissima ornamenta defendit. »

Audi S. Anselm. epist. ad Goffridum: « Si quis separat pretiosum a vili, nempe animam a sæculo, erit tamquam os Dei; ille cuius os, et manus extrahat, animam adhærentem Deo ad sæculum, quid erit? Nonne super eum cadet, quod Dominus dicit: Qui non colligit mecum dispergit, et qui non est mecum, contra me est. »

Audi et S. Bern. ep. 111. parentes filium Eliam a Religione avocantes, acriter obiurgantem: « O durum patrem! o sævam matrem! o parentes crudeles et impios! imo non parentes, sed peremptores, quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filii est. Qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. Mira abusio. Domus ardet, ignis instat a tergo, et fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi. Et hæc ab iis, qui in incendio positi sunt, et obstinatissima dementia, et dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. Proh furor! Si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? Si inquam negligitis salutem vestram, quid iuvat etiam persequi meam? » Denique hoc crimen valde exaggerat S. Chrysost. lib. 3. contra vituperat. Vitæ monast.

A Et recensuit eos quasi agnos,) q. d. Saul recensuit suos milites, sicut pastor recensere et numerare solet suos agnos. Legit Interpres כטלאים *cattelaim;* iam legunt בטלאים *battelaim,* quod Vatab. accipit ut nomen proprium loci; vertitque: *in Thelaim.* Unde et Sept. et Ioseph. vertunt: *in Galgalis*, quasi *Thelaim* fuerit locus vicinus Galgalis, sed iis obscurior. Verum alii accipiunt *telaim,* ut nomen commune significans *agnos.* Unde Chald. vertit: *in agnis paschalibus.* Rabbini: *Recensuit eos in agnis;* quod sic explicant, quasi quisque miles adduxerit agnum, ut ex agnorum numero, constaret numerus militum. Rationem addunt, quod a Deo vetitum erat, populum secundum se numerare: quare numeratos hic esse milites non viritim per se, sed per agnos, quos singuli sigillatim adducebant. Sed hoc frivolum est, æque ac falsum de militibus; hi enim passim in Scriptura numerantur. Sensus ergo est, quem initio dedi. Vers. 4.

Porro, apposite milites comparat agnis, ut notet militum tum simplicitatem, facilitatem et obedientiam, quod ut B agni sequantur suum regem; tum mansuetudinem, unionem et concordiam, quod sicut agni mansueti gregatim incedunt, et quo unus præit, eo sequuntur et ceteri, sic unirentur et milites Saulis, ut quo ipse præcederet, eo omnes sequerentur. Præclare Tertul. lib. ad Martyres cum diabolo decertantes: *Vos,* inquit, *inveniat munitos et concordia armatos; quia pax vestra, bellum est illi.*

Ducenta millia.) Minus vero Iosephus habet, *Quadraginta millia.* Sept. Correcti, *Quadringenta millia.*

Et decem millia virorum Iuda.) Hi seorsim numerantur, quia validiores et bellicosiores erant, inquit Hugo, Abulens. et Dion.

Dixitque Saul Cinæo.) Cinæi erant posteri Iethro soceri Mosis; ideoque eius et Hebræorum amici: erantque viri religiosi et pii: quocirca eos ab Amalecitis evocat Saul, ne cum eis, communi gentis excidio involvantur. Vide dicta Exodi 18. Iudic. 1. 16. et Num. 29. 21. Vers. 6.

Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus fi- C liis Israel, cum ascenderent de Ægypto.) Quam, quando et ubi? Resp. nonnulli, quando Iethro suscepit Mosen fugientem ex Ægypto in Madian, eumque aluit, et filiam Sephoram ei uxorem despondit. Exodi 2. 20. ita Rabanus, Hugo et Auctor tradit. apud S. Hier. Verum hæc misericordia facta est soli Mosi, non omnibus filiis Israel; cum ipsi adhuc degerent in Ægypto, ante egressum ex ea: hæc autem dicitur facta, *Cum* ipsi *ascenderent,* id est, exirent *de Ægypto.* Secundo, alii aiunt respici hic ad Iahel Cinæam, quæ occidit Sisaram hostem Iudæorum. Iudic. 4. 21. Verum hoc factum est non in *ascensu*, id est exitu Hebræorum ex Ægypto, sed diu post ingressum eorum in Chanaan.

Tertio, ergo et genuine, id factum est quando Hobab filius Iethro, Cinæus venit ad Mosen et Hebræos in deserto peregrinantes, eosque suo consilio direxit, et per omnia adiuvit. Unde Moses ei volenti in Madian ad suos redire, ait Num. 10. v. 29. et 31. *Noli nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere de-* D *beamus, et eris ductor noster;* non ut nobis ostendas viam in Chanaan: hanc enim ostendit Angelus in columna nubis castra præcedens, et viæ dux; sed ut demonstres nobis, ubi in hoc deserto sint fontes ad bibendum, pascua ad pascendum pecora nostra, ligna ad ignem et fabricam. Erat enim desertum hoc vicinum Madian, e qua oriundus erat Hobab. Unde desertum hoc eiusque fontes, pascua et sylvas sat norat. Ita Abulen. Hugo, Dion. Mendoza et alii.

Et pepercit Saul et populus Agag.) Vel ex superbia; ut de eo triumpharet, ait Serarius; vel potius ex avaritia, ut ingens ab eo lytrum, et thesauros asconditos extorqueret, ait Lyran. Uti Hispani ante centum annos, ab Atabaliba rege Americæ capto, pro lytro extorserunt cubiculum auro plenum; sed cum illud eo usque plenum quousque promiserat, præstare non posset, ab eis occisus est: vel denique ex humana erga regem commiseratione, ait Abul. Unde Ioseph. ait, Saulem regi Agag vitam con- Vers. 9.

donasse, ob corporis eius præstantiam, et ob fortunæ regiæ similitudinem: sed præpostere: Nam Deus v. 3. iusserat eum cum omnibus suis occidi. Inobediens ergo fuit Deo Saul, qui suam cupiditatem vel commiserationem prætulit Dei iudicio et præcepto. Unde in eo impleta est prophetia Balaam. Num. 24. 7. *Tolletur propter Agag rex eius*, (Saul) *et auferetur regnum illius*. Vide ibi dicta.

Et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus et universis quæ pulchra erant (repete pepercit) nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt.) Ecce hic nova Saulis et populi inobedientia, profecta ex cupiditate et avaritia, quæ excæcabat eorum iudicium, ut iudicarent satius esse ea servari ad humanos usus, quam comburi vel demoliri; esto Deus id præcepisset. Iudicium ergo suum Saul, Dei iudicio et decreto prætulit; ideoque graviter eum offendit, eiusque iram in se concitavit, ut regno et tandem vita privaretur. Deus enim clare v. 3. præceperat dicens: *Demolire universa eius: non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum.* Quid expressius dici iuberique poterat? Nullus ergo hic tergiversationi vel excusationi erat locus; sed mera elucet cupiditas et inobedientia. Cupiditas ergo spoliorum et prædæ tam opimæ excæcavit Saulem et populum, ut peiora mactaret, meliora sibi reservaret; æque ac Caïn peiora Deo obtulit, meliora sibi arrogavit, ideoque a Deo cum donis suis reiectus est. Genes. 4. Deus enim volebat Amalecitas statui *Cherem*, id est *anathema*, ac funditus exscindi, æque ac fecerat Ierichunti Iosue. c. 6. v. 7. Quare sicut Achan ex ea suffurans nonnulla, fuit sacrilegus, ideoque ipse factus est anathema; sic et Saul immemor ipsius Achan, ait Theod. et Procop. Vide hic miserabilem lapsum Saulis, qui reprobationis eius causa extitit: quia scilicet bene cœperat, sed in cœptis non perseveravit, ideoque perit, cunctaque perdidit. Pathetice S. Bern. ep. 112. iuvenem a bene cœptis, fervidisque suis desideriis dilabentem, ita deplorat et coarguit: *Doleo super te fili mi Gaufride, doleo super te: et merito. Quis enim non doleat florem iuventutis tuæ, quem lætantibus Angelis Deo illibatum obtuleras in odorem suavitatis, nunc a dæmonibus conculcari, vitiorum spurcitiis et sæculi sordibus inquinari? Quomodo qui vocatus eras a Deo, revocantem diabolum sequeris? et quem Christus trahere cœperat post se, repente pedem ab ipso introitu gloriæ retraxisti?*

Saulis secunda inobedientia.

Et vestibus.) Hebr. משנים *misnim*. quod Pagnin. vertit: *pinguibus*, quasi, *misnim* per Metathesin idem sit, quod משמנים *miscemanim*, id est *pinguibus*. R. Salomon vertit: *duplicatorum*, id est qui sunt duplicati carne et pinguedine, id est *pinguium*. Alii vertunt: *anniculorum*, *a Scana*, id est *annus*: Noster recte vertit: *duplicium*, scilicet vestium: hæ enim erant meliores et pulchriores.

Vers. 11. Pœnitet me, quod constituerim Saul regem.) Loquitur antropopathos, sive humano more: nam proprie in Deum, cum ipse sit immutabilis, sapientissimus, futurorum omnium conscius et præscius, æque ac beatissimus, nullus cadit dolor, nulla pœnitentia. Unde v. 29. de eo dicitur: *Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Pœnitet ergo Deum, cum decreta sua ob hominum culpam mutat; cum beneficia sua retractat, cum dona sua ab ingratis et indignis revocat, v. g. cum Saulem hic regno, quod ei contulerat, ob inobedientiam eius spoliat et privat. Ita S. Greg. Theod. Procop. et alii. Unde S. Hier. in Ezech. c. 2. *Electio Iudæ, et Saulis unctio*, inquit, *non arguunt Deum ignorantiæ futurorum, sed præsentium monstrant esse Iudicem.* Sic cum Deus diluvio vindicaturus esset peccata hominum, dicitur de eo Genes. 6. 6. *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo*, inquit, *hominem quem creavi a facie terræ.* Vide ibi dicta. Præclare S. Aug. l. 1. Conf. c. 4. Deum alloquens: *Amas*, inquit, *nec æstuas; zelas, et securus es; pœnitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es, opera mutas, nec mutas consilium;* uti mutat homo facti pœnitens. Et Tertul. docens quæ et qualis sit in Deo pœnitentia lib. 2. contra Marc. c. 24. *Nihil*, inquit, *aliud intelligitur, quam simplex conversio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione eius possit admitti etiam in homine, nedum in Deo, cuius omnis sententia caret culpa. Nam et in Græco sono pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Hanc enim significat Græce μετάνοια, id est *pœnitentia*.

Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte.) Ut Sauli veniam impetraret: sed frustra, tum quia Saul manebat in suo scelere obstinatus, eratque impœnitens, imo illud excusabat et defendebat, ut patet v. 20. et seq. tum quia licet Saulem vere sceleris pœnituisset; Deus quidem illi suam gratiam, sed non regnum restituisset. Iam enim ob secundam eius inobedientiam tam claram, omnino et irrevocabiliter decreverat eum regno privare, illudque ad Davidem transferre. Hoc enim Deum hac nocte respondisse Samueli, narrat ipse Samuel v. 16. et 17.

Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane.) Vide hic et imitare celerem obedientiam, vigilantiam, strenuitatem Samuelis nocte surgentis, ut mane rem peragat. Hæc enim duo tempora, scilicet nox sive vespera, et mane, maxime observanda et ordinanda sunt. Audi F. Barth. de Martyr. Archiep. Braccarensem in insigni suo Doctrinæ spiritualis Compendio c. 27. « Doce sæculares cum cubitum eunt hæc meditari: vitam in morte terminari, sicut dies declinavit in noctem: et corpus exclusa anima in sepulchro collocandum, sicut exuta veste in lecto te collocas: cum autem mane expergisceris, recogita quam acute vigilare oporteat in die iudicii, ubi huius sæculi nox terminabitur: accerseris a sepulchro, rursum indues animam, ut coram Deo in iudicio stes, operum tuorum omnium rationem redditurus. Hæc consideratio assidue versetur ob oculos, nempe quo pacto te Dominus ab æterno elegerit, quasi quam plurium bonarum actionum instrumentum, ut tuis potentiis, sensibus, ac membris, beneplacitum eius in multis bonis operibus adimpleres: post creationem se tibi altius insinuavit, expetitque in te ac per te opera, quibus gloria eius innotescat exercere: tu vero quasi refractarium instrumentum, tanto beneficiorum ponderi non cedis, imo resistis, idque curare videris, ne voluntas Domini in te perficiatur. » Vers. 12.

Nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, etc.) Clare Hebræa: *Nuntiatum est Samueli dicendo: Venit Saul in Carmelum: et statuit sibi manum, et conversus transiit ivitque in Galgala.* Ita Sept. Chald. Vatab. et alii. Porro *manus* metonymice vocatur insigne opus manus, sive manufactum, puta arcus triumphalis. Vatab. *trophæum*, de relata ab Amalecitis victoria.

Benedictus tu Domino.) Hoc est, a Domino vel apud Dominum. Chald. *ante Dominum*, q. d. Deus te plurimum diligit, teque magno favore prosequitur, ac suis benedictionibus, id est donis et beneficiis cumulat. Adulatur Saul Samueli, eum laudando, ut inobedientiam suam abscondat, vel certe os Samueli claudat, ne eum redarguat. Vers. 13.

Pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino.) Velat Saul suam inobedientiam per speciem religionis et sacrificii; cum revera eius causa fuerit avaritia. Nam ut dictum est v. 9. meliora sibi servavit, deteriora occidit: partem tamen aliquam et prædæ primitias obtulit et immolavit Deo: sed etsi omnia Deo immolasset, inobedientiæ crimen, Deique offensam non evasisset, uti ei in sequent. exprobrat Samuel. Vers. 15.

Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput (rex) in tribubus Israel factus es?) Nota hic fructum humilitatis. Deus enim ob eam Saulem evexit ad regnum. Ipse enim *humiles exaltat, superbos humiliat*, uti Vers. 17.

crebro clamat S. Script. Urget S. Gregor. τὸ *in oculis tuis*, q. d. qui se clare cognoscit, sibi vilescit: superbia enim oritur ex cæcitate et sui ignorantia. Idem Greg. hom. 7. in Evang. sic clare et nervose explicat, q. d. *Cum tu te parvulum aspiceres, ego te præ ceteris magnum feci, quia vero tu te magnum conspicis, a me parvus æstimaris.* Unde concludit: *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat.*

Vers. 19. QUARE ERGO NON AUDISTI VOCEM DOMINI?) q. d. cur non perstitisti in primæva tua humilitate? sic enim pariter perstitisses in primæva tua obedientia: sed quia elatus ad regnum, defecisti ab humilitate; defecisti pariter ab obedientia; hoc est, superbus indeque inobediens evasisti. Præclare S. Bern. epist. 253. « Vera, ait, virtus finem nescit, tempore non clauditur, charitas numquam excidit. Numquam iustus arbitratur se comprehendisse: numquam dicit: Satis est; sed semper esurit, sititque iustitiam: ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur: non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui, iuxta illud; inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum. » Psal. 118. v. 112.

Saul nimis sui iudicii tenax. Radix ergo lapsus Saulis fuit, quod ipse nimis sui iudicii esset tenax, nec illud Dei iudicio et voluntati submitteret. Iudicabat enim satius esse, servare prædam Amalec, ad suos suorumque usus, quam illam disperdere sine fructu. Deus autem iudicabat et volebat contrarium. Accessit, imo præcessit avaritia et cupiditas spoliorum tam opimorum ex Amalec. Quare S. Chrysost. ait Saulem esse lapsum, eo quod totum cor suum non tradidisset Deo; sed partim Deo, partim suis affectionibus et cupiditatibus: cum e contrario David cor suum totum tradidisset Deo; ideoque esset vir secundum cor Dei: quare eum Deus amoto Saule regem creavit.

Vers. 20. ET AIT SAUL AD SAMUELEM: IMO AUDIVI VOCEM DOMINI.) Inobedientiæ crimen hic excusat et defendit Saul; qua excusatione valde illud adauget, iramque Dei in se confirmat, magisque accendit: quod si scelus agnovisset et pœnituisset, veniam consecutus fuisset, licet non regnum, ut dixi.

Non omnes Amalecitæ cæsi a Saul. ET AMALEC (Amalecitas) INTERFECI.) Porro, non omnes Amalecitas fuisse interfectos, sed nonnullos absentes vel fuga lapsos, qui rursum excreverint, patet ex eo quod postea David eosdem invaserit, ut dicitur c.29. et 30.

Vers. 22. MELIOR EST OBEDIENTIA QUAM VICTIMÆ.) q. d. Melius est facere quod Deus iussit, omissis victimis quas non iussit; quam omisso eo quod iussit, offerre victimas voluntarias, aut etiam prohibitas, uti fecit offerens oves et boves Amalecitarum, quos omnes iusserat Deus in bello mactari, non in templo immolari. Illos enim execrabatur quasi anathemata.

Dices, Religio, cuius officium est offerre victimas Deo, præstantior est omnibus virtutibus moralibus: Ergo etiam præstat obedientia. Religio enim proxime circa Deum versatur, illique debitum cultum, adorationem et sacrificium defert: Obedientia vero versatur circa præcepta Dei et Superiorum, ac illa adimplet. Resp. Religio in se melior maiorque est virtus, quam sit obedientia. Obedientia tamen dicitur melior, quia magis necessaria, et in praxi præponenda religioni. Quod enim Deus iussit, hoc absolute faciendum est, eique obebiendum: actus vero religionis, ut victimæ et sacrificia, sunt liberi: quare obedientiæ cedant oportet. Nam liberum debet cedere necessario, et consilium præcepto. *Melior* ergo *est obedientia quam victimæ*, hoc est, ut habent Hebr. *Melius est obedire, quam victimas offerre*: obedire enim est necessarium et præceptum; victimas vero offerre, est liberum et spontaneum. Ita S. Greg. Theod. Angel. Beda et alii.

Obedientia melior victimis. I.

Adde, licet ratione obiecti, religio sit virtus præstantior quam obedientia; tamen obedientia etiam libere assumpta, præsertim continua et perpetua, uti fit in monasteriis, in multis præstat Religioni. Primo, quia ut ait S. Gregor. 35 Moral. 10. *Per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur.* Quare quantum voluntas hominis excellit oves et boves, tantum obedientia præcellit victimis. Unde S. Bern. lib. de ordine vitæ: *Tanto quisque Deum*, inquit, *citius placat, quanto ante oculos eius repressa arbitrii superbia, gladio præcepti se immolat.*

Secundo, quia per obedientiam voluntas nostra conformatur voluntati divinæ, quæ est sanctissima, ac norma et regula omnis virtutis et sanctitatis. Quare illi proprie competit id, quod Deus ait per Isaiam cap. 62. 4. *Vocaberis voluntas mea in ea.* II.

Tertio, quia obedientia facit voluntatem quasi vivum et perenne Dei sacrificium: in victimis vero mortua animalium caro Deo offertur. Quocirca obedientia mysticum quidem, sed nobilissimum est holocaustum, quod totum hominem Deo devovet. Unde S. Hieron. in Isaiæ c. 43. « Non exegi, inquit, a te oblationes, nec thura quæsivi, etc. Sed obedientiam, quæ est sacrificium, de quo David Psalm. 50. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus. » Quare in hoc sacrificio, voluntas quasi victima immolatur et moritur: sed tamen vivit, ideoque est mortua, simul et viva; nimirum mortua sibi, et vivens Deo divinæque voluntati. Hæc enim in ea vivit et operatur. Audi S. August. lib. 10. de Civit. c. 6. « Ipse homo Dei nomini consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat; sacrificium est, etc. corpus etiam nostrum cum temperantia castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo, sacrificium est. Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo vel instrumento utitur anima, cum eius bonus et rectus usus ad Dominum refertur; sacrificium est: quanto magis, anima ipsa cum se refert in Deum, ut igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur: hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium. » III.

Pressius S. Gregor. hom. 12. in Ezech. « Qui, inquit, sic operantur ea quæ Dei sunt, ut tamen et quædam, quæ sunt sæculi, non relinquant, nimirum sacrificium et non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt, deserunt, et totam mentem igne divini amoris accendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium et holocaustum fiunt. »

Quocirca S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. docet statum religiosum non aliud esse, quam holocaustum; eo quod omnia suo Deo tradat: et qui se huic statui dicarit, is tum interiora, tum exteriora omnia Creatori suo obtulerit. D. Thom. sequitur Thomas Waldensis insignis Theologus de Sacrament. tit. 9. c. 89. ubi vitam religiosam non tantum sacrificium, sed altum sacrificium esse demonstrat; eo quod actus omnes carnis et mentis, per religionis ingressum perenniter Deo consecret. Religionis status est holocaustum.

Denique obedientiam, fidem, spem, charitatem, religionem, ceterasque virtutes secum adducit, uti recte ostendit Hier. Platus lib. 3. de bono status religios. c. 9. Simili de causa ait Deus: *Misericordiam volo, et non sacrificium.* Hinc S. Gregor. et ex eo S. Bern. tract. de ordine vitæ: *Sola*, inquit, *obedientia virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit.* Quocirca ut idem alibi ait, *Christus perdidit vitam, ne perderet obedientiam, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Mystice, S. Gregor. « Victimæ, inquit, ad magnæ conversationis austeritatem; holocausta ad compunctionem vitæ secretioris referenda sunt. Melior est enim obedientia quam victimæ; et auscultare magis quam offerre arietum adipem: quia longe altioris est meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati subiicere, quam magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est enim adeps arietum, nisi pinguis et interna devotio? Melior est tamen obedientia; quia qui perfecte voluntatem præceptoris sui implere didicit, in cælesti regno et abstinentibus et flentibus excellit. »

Vers. 23. QUONIAM QUASI PECCATUM ARIOLANDI EST REPUGNARE; ET QUASI SCELUS IDOLOLATRIÆ, NOLLE ACQUIESCERE.) Hebr. *Quia peccatum divinationis est rebellio, et iniquitas Theraphim abrumpere*, vel avellere se a Dei voluntate et mandato. Vatab. *Quoniam contumacia est peccatum magiæ; et obfirmare animum, est peccatum idololatriæ.* Nota, loquitur Samuel de inobedientia, non subitanea et transeunte, cuius paulo post hominem pœnitet, ut obediat; sed de obfirmata et obstinata, ut sit rebellio, qualis erat Saulis. Secundo, proprie loquitur de inobedientia, non generali, qua quis aliquod Decalogi præceptum, similemve legem transgreditur; sed speciali, qua quis Deo particulatim aliquid per se vel per prophetam a se missum cuipiam iubenti, non vult obedire; uti fecit Saul nolens occidere oves et boves Amalec, quod ei per Samuelem præceperat Deus. Hæc enim inobedientia est propria et præcisa, qua quis Deo non vult obedire, sed iussionem eius spernit, transgreditur et violat; quæ gravis est iniuria et contemptus Dei. Unde Chald. vertit: *Attendere loquelis Prophetarum eius, bonum est præ pinguedine saginatorum. Nam ut culpæ virorum qui petunt ab ariolo; sic culpa omnis viri, qui rebellat super verba legis Domini; et sicut culpa populi qui errat post errores* (idola) *sic culpa omnis hominis, qui addit super loquelas prophetarum.*

Inobediens similis idololatræ.

Porro, non dicitur hic quod inobedientia sit magia, vel idololatria, vel illis æqualis culpa; sed quod utrique sit similis. Nam in se gravius crimen est magia vel idololatria qua quis dæmonem vel idolum, ut Deum consulit et adorat in Dei veri iniuriam, quam sit inobebientia, qua quis iussis Dei dumtaxat non obedit. Hæc tamen utrique illi est similis. Nam, ut ait S. Gregor. « Quasi peccatum ariolandi, est repugnare; quia velut contempto divino altari, ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt, et salubribus Prælatorum consiliis, contraria sentiendo refragantur. Nolle autem acquiescere, idololatriæ sceleri simile dicitur: quia nimirum in inobedientia sua obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde, quasi idolum non gestaret. Dum enim agenda in corde concipit, quasi idolum facit. Et dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulachrum se inclinat. Quasi ergo scelus idololatriæ est, nolle acquiescere: quia quisquis in propria deliberatione obstinatus est, idcirco foris in maiorum contemptum erigitur; quia intus eis quæ fingendo statuit propositi sui simulachris incurvatur. »

Et Ariolo.

Inobediens ergo est similis ariolo, quia coniectat de voluntate Dei, ex mendacibus rationis et iudicii sui conceptibus et figmentis; sicut ariolus coniectat de futuris, ex garritu et volatu avium. Imo voluntati Dei sibi revelatæ et cognitæ suam anteponit, quasi illa sit sapientior et melior divina; ideoque Deo se sapientiorem, prudentiorem et meliorem æstimat. Quare negat Dei omniscientiam, omniprudentiam, omnibonitatem; ideoque tacite negat Deum esse Deum, ac se suumque iudicium et volitum facit Deum, suumque idolum.

ET QUASI SCELUS IDOLOLATRIÆ, NOLLE ACQUIESCERE.) Hebr. און ותרפים הפצר *aven uteraphim haptsar*, id est, *iniquitas vel idolum, et theraphim est reniti et repugnare:* sicut enim *idolum* est mendax Deus, *Theraphim* est mendax oraculum; sic inobediens suum iudicium et voluntatem præferens divinæ, illud quasi fidum suum idolum colit, illudque quasi suum prudentiæ oraculum, sed falsum et mendax, consulit et sequitur. Porro τὸ *haptsar*, varii varie vertunt. Caiet. Marinus et alii vertunt: *cogere, compellere, vim facere*, q. d. Scelus idololatriæ est, cogere mandatum Domini, illique vim facere, ac illud ad sui cerebri figmentum detorquere, uti fecit Saul, ac facit omnis inobediens. Chald. vertit: *rebellare*, q. d. inobediens Deo rebellans, similis est idololatræ. Sept. vertunt: *dolorem et labores inducere:* hos enim sibi suisque creat inobediens. Pagnin. vertit: *transgredi*, q. d. inobediens transgreditur Dei iussa, sicut idololatra. Alii magis præcise vertunt: *abrumpere, vi avellere*, q. d. inobediens pugnans cum Deo, est similis gigantibus cum Deo; et Titanibus cum Iove pugnantibus, ut eo de cælo et solio divinitatis deiecto, se ipsos facerent Deos: qui enim spreta Dei voluntate suam illi adversam sequitur, cum Deo pugnat, et seipsum quasi facit Deum. Sicut enim guloso Deus est venter, luxurioso Venus, ambitioso honor, avaro aurum; sic inobedienti Deus est proprium iudicium et propria voluntas; ad hanc enim omnes suas actiones refert, ut huic satisfaciat totis viribus laborat; hanc omnium suorum laborum finem metamque statuit: hanc summum suum esse bonum æstimat, huic se suaque omnia dicat et tradit. Quid hoc est aliud quam illam suum facere Deum?

Unde moral. S. Bern. lib. de Ordine vitæ: « Cernis, inquit, quantum malum, quod idololatriæ magicisque comparatur artibus. Adolescentes, qui tali repleti sunt malo, subdi senioribus dedignantur, facta vero eorum aut dicta, tumida et erecta cervice non observant, sed diiudicant; non venerando exaltant, sed spernendo subsannant: sed non impune. Inde enim evidenter deficiunt, unde miseri proficere debuerunt. » Causam deinde subiicit: « Hoc autem vult Deus, ut homo per hominem doceatur, et minor maiori subdatur. Si enim Angelus Angelo imperat, et inter iubentem et obedientem summa manet semper concordia: videat ille quam graviter peccat, qui debitam exhibere suis maioribus reverentiam non curat. » Et pluribus interiectis, hanc obedientiæ palmam assignat: « Sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis convincitur, et si fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem dicitur in ostensione obedientiæ: Vir obediens loquetur victorias. Vir quippe obediens victorias loquitur; quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. »

Plura de obedientiæ præstantia dixi alibi, ac præsertim Proverb. 21. v. 28 iam citato.

PRO EO ERGO QUOD ABIECISTI SERMONEM DOMINI, ABIECIT TE DOMINUS, NE SIS REX.) Quia sprevisti, vel reprobasti verbum Domini, sprevit, vel reprobavit te Dominus, ne sis rex. Iusta et congrua est hæc pœna Saulis, ut qui Deo suo subesse noluit, privetur regno ab eo dato, ne quis subditorum ei subsit, sed illi ei rebellent, sicut ipse rebellavit Deo: perinde ac Adam inobediens Deo comedendo pomum vetitum, sensit animalia, imo membra sua sensusque omnes sibi inobedientes et rebellantes.

NE SIS REX.) Putant nonnulli Saulem hic a Deo privari regno, ut amplius non fuerit rex, sed Israelis rex fuerit David: nam ipse cap. sequenti a Samuele unctus fuit in regem. Favet S. Chrysost. hom. de David cum Goliath, dicens: *Saulem regem putari, Davidem vero esse.*

Melius alii censent Saulem hic privari regno, quasi in actu primo non secundo, hoc est potestate regia illum deiici, sed permitti tamen ei illius usum et administrationem ad vitam. Aut potius denuntiari ei privationem regni, cuius privationis realis executio paulo post facienda erat in eius clade et morte: sicut Hæretici aliique similes, lege Ecclesiastica privantur suis bonis, sed tamen iis uti permittuntur, donec huius pœnæ et sententiæ executio fiat a principe; ut per eius Fiscalem reipsa confiscentur et fisco addicantur.

Saul an regno privatus a Samuele?

Nam Saulem mansisse regem usque ad mortem, patet primo, quia ipse eo usque regnum continuo gubernavit, perinde ut fecerat ante. Secundo, quia populus eum ut regem suum habuit et coluit. Tertio, quia David semper professus Saulem esse regem, se vero ad regnum ius non habere, nisi post eius mortem. Nec aliud voluit Chrys. dicens, Davidem regem esse, scilicet a Deo designatum ut Sauli abdicato morienti succederet, ac regnum ad posteros transmitteret, in iisque perpetuaret. Denique ipse Samuel post hanc regni privationem, Sauli honorem regium detulit, eumque ut regem secutus est v. 32. alioqui enim Israel caruisset rege et principe: nec enim David rexit ante mortem Saulis. Quod ergo ait Samuel: *abiecit te, ne sis rex,* hoc est abiecit te, ne diu in regno perseveres: decrevit enim tibi regnum cum vita, brevi auferre, illud-

que in Davidem transferre: quare non tui, sed Davidis posteri in regnum succedent, eruntque reges continuo Israelis.

Vers. 24. Pœnitentia Saulis non fuit seria. DIXITQUE SAUL AD SAMUELEM: PECCAVI.) Pœnitentia hæc Saulis non fuit vera et seria, ex vero cordis dolore ob Deum offensum profecta, sed labialis dumtaxat et oralis ex metu perdendi regni, et infamiæ publicæ promanans. Hoc enim est quod ipse mentem suam explicans ait vers. 30. *Peccavi; sed nunc honora me coram Senioribus populi mei et coram Israel;* ne illi me quasi a Deo per te reprobatum reprobent, et reipsa regno deiiciant. Ita Rupert. in Apocal. cap. 2. *Humilitatem primam*, inquit, *reliquit Saul, neque pœnitentiam egit, dixit quidem: peccavi; sed non humiliter dixit aut sensit. Addit enim: sed nunc honora me: honorem ergo vel gloriam non Dei, sed suam ista confessione mercari voluit, dicendo: Peccavi.*

Et S. Bern. serm. 16. in Cant. « Numquid, ait, profuit Sauli, quod se ad increpationem Samuelis peccasse confessus est? Culpabilis procul dubio fuit illa confessio, quæ culpam non diluit. Quomodo enim humilem contemneret confessionem humilitatis magister? Et cui humilibus dare gratiam certe ingenitum est, omnino non poterat non placari; si quæ in ore sonuit, in corde radiasset humilitas. »

Vers. 25. SED NUNC PORTA QUÆSO PECCATUM MEUM. *Porta*, id est suffer, tolera, dissimula, ignosce, parce, condona. Ita Ioseph. Chald. Pagnin. Vatab. et alii.

ET REVERTERE MECUM in Galgala v. 12. UT ADOREM DOMINUM.) Ut coram te et per te sacrificem Domino; itaque populus videat, me non proiectum a Deo, sed illi tibique esse reconciliatum.

Vers. 27. ILLE AUTEM APPREHENDIT SUMMITATEM PALLII EIUS, QUÆ SCISSA EST.) *Ille*, scilicet Samuel, inquiunt Rabbini nonnulli, apprehendit pallium suum, vel certe pallium Saulis, illudque scidit; ut significaret scissum et separatum ab eo esse regnum. Verum dico, *ille*, scilicet Saul apprehendit pallium Samuelis, illudque renitente Samuele scissum est, ut significaretur scissio et separatio regni a Saule eiusque posteritate. Ita Sept. Ioseph. et S. Aug. 17. Civit. 7. ubi contendit ex Sept. hic prædici regnum a Iudæis transferendum ad Christum et Christianos. Sic enim habent Sept. *Scidit Dominus regnum tuum ab Israel de manu tua hodie; et dabit illud proximo tuo magis bono quam tu. Et scindetur Israel in duo, et non revertetur, neque pœnitentiam aget Sanctus Israel.* Nam regnum non est scissum ab Israele, nisi in Christo et per Christum, ait S. August. qui fuit melior Saule, id est Iudæis, quorum rex erat Saul: tuncque *scissum est in duo:* quia pars una Iudæorum conversa est ad Christum; altera vero mansit obstinata in sua incredulitate et Iudaismo. Et hoc Dei decretum erit æternum, ut amplius Iudæi non habeant regem et regnum, quia in Deum non cadit facti pœnitentia. Hæc S. August. et recte in sensu allegorico, non litterali. Nam ad litteram, scissum est hic regnum a Saule, cum datum fuit Davidi, qui erat obedientior et melior Saule: tuncque *regnum scissum est in duo;* quia sola tribus Iuda adhæsit Davidi, quasi regi suo, reliquis tribubus Abner dux militiæ, regem constituit Isboseth filium Saulis, idque per septem annos, donec occiso Isboseth, omnes tribus Davidem in regem acceptarunt, ut patet 2. Reg. 2. 4. et seq.

Simili modo Ahias propheta pallium suum scidit in duodecim partes, ac decem partes dedit Ieroboam; hoc symbolo significans eum fore regem decem tribuum, duas vero tribus reliquas, scilicet Iuda et Beniamin, adhæsuras Salomoni eiusque filio Roboam. 3. Reg. 11. v. 30. Scissio ergo hæc pallii, repræsentabat scissionem regni Salomonis ob eius idololatriam.

Vers. 28. ET TRADIDIT.) Id est tradere decrevit: significatur enim actus inchoatus et destinatus, non perfectus. Sic, *scidit*, id est scindere decrevit, *regnum Israel a te*, ut tradat illud *meliori te* scilicet Davidi.

Vers. 29. PORRO TRIUMPHATOR IN ISRAEL NON PARCET.) Chald. *Decretum est super te a Domino victoriarum Israel*, q. d. Lata est absoluta et irrevocabilis Dei sententia super te, ut priveris regno. Vocat Deum *triumphatorem in Israel*, ut pungat Saulem, q. d. Tu tuis victoriis contra Amalec aliosque hostes superbis et triumphas, ideoque Deo rebellas: sed scito illas victorias non esse tuas, nec tuis viribus partas, sed a Deo tibi concessas. Ipse enim est rex et *triumphator in Israel*, qui pro Israele fideli populo suo pugnans, eum vincere et triumphare facit de hostibus. Hebr. *Et etiam victoria Israel non mentietur*, id est, Deus qui fuit causa huius victoriæ et ceterarum Israelis, non retractabit suum dictum de auferendo tibi regno. Ita Noster. Alii: *non mentietur*, ut scilicet promissionem regni Davidi decretam, revocet ac fallat. Vatab. vero q. d. Deus virtutem Israeli datam non faciet irritam; Deus non destituet Israelem pristina virtute.

AT ILLE AIT: PECCAVI, SED NUNC HONORA ME (quasi regem) CORAM SENIORIBUS POPULI MEI, ET CORAM ISRAEL,) id est, coram reliquo Israelis populo, ne ille me a te spretum spernat et regno spoliet. Vides hic pœnitentiam Saulis fuisse humanam, et metu regni perdendi extortam. Unde S. Bern. in Declamat. vers. finem: « Ad quid, inquit, tibi hæc honoratio, miser? Hæccine tota erat illa supplicatio, Peccavi, ora Dominum pro me? Merito sane non pepercit, qui intuebatur cor falsa non poterat supplicatione moveri. Vix adhuc dixerat David: Peccavi; et responsum illi est: Dominus transtulit peccatum tuum a te. Sic nimirum, sic usque hodie dilectissimi, cuius ad alias consolationes mens inhiat, et pœnitus in caducis et transitoriis non renuit consolari, ipse sibi profecto cælestis subtrahit gratiam consolationis. Quam si digna devotione, pleno affectu, desiderio vehementi, petere, quærere, pulsare satageret; sine dubio petens acciperet, quærens inveniret, pulsanti aperiretur. » Vers. 30. Pœnitentia Saulis humana.

Audi S. Greg. hic lib. 6. c. 2. « Liquet quam pœnitudinem gerat, qui adhuc honorari desiderat. Nam si sui peccati hunc veraciter pœniteret; inhonorari potius, quam honorari concupisceret, » etc. Angelomus quoque. « In eo quod ait: Honora me coram Senioribus populi mei; verecundiam passus, ac superbia detentus locutus est: quia timebat honores amittere, et ideo non obtinuit quod petiit, dicens: Peccavi. Quisquis enim sub specie confessionis humanos adhuc honores amittere timet, iste indulgentiam, quam ficta humilitas postulat, a Deo adipisci non valet, » etc.

REVERSUS ERGO SAMUEL SECUTUS EST SAULEM.) Cessit Samuel Saulis petitioni, ne eum in desperationem vel furorem adigeret; ac ut eius honorem coram populo tueretur, ne is eum sperneret et regno pelleret. Hoc modicum consolationis Sauli indulsit, ut regni privationem lenius ferret, et ne ad peiora delaberetur. Nam, ut ait S. Gregor. « Fortasse si abiectus rex secum ad adorandum Dominum, revertentem prophetam non cerneret, dæmonum simulachra adoraret. Et proiicit ergo eum, et cum eo revertitur; quia in potentibus huius sæculi sic est damnanda iniquitas, ut bonum quod habent, exasperati non perdant. » Unde colligit: « Bene ergo Samuel cum abiecto rege revertitur; quia electi prædicatores, sæculi potentes, et pro iniquitate percutiunt, et pro exemplo bona agere quædam sinunt. » Vers. 31.

Addunt Hebræi apud S. Hier. Samuelem primum locum Sauli, quasi regi honoris causa dedisse: sed Iosephus ait in eo tantum Sauli detulisse honorem, quod eum non deseruerit.

Quæres, quando miserabilis hic Saulis casus contigerit? Nonnulli censent eum contigisse anno 3. regni Saulis, ex eo quod c. 13. v. 1. dicitur ipse duobus annis regnasse super Israel: quod multi intelligunt sic, ut innocenter, iuste et probe regnarit per biennium, ac consequenter tertio anno sit lapsus. Verum alius illius loci magis genuinus est sensus, ut ibi dixi.

Alii aliter: probabilis est sententia nostri Saliani: Saulem esse lapsum anno septimo regni sui, ita ut octavo regni eius anno, David a Samuele unctus sit in regem, ut dicitur c. sequenti; ac deinde Saul adhuc regnarit decem Lapsus Saul anno septimo regni.

annos. Universim enim regnavit annis octodecim, cum Samuel ante eum iudicarit Israel per annos 22. Sic enim anni Saulis et Samuelis simul iuncti conflant 40. quos ei tribuit Paulus Actor. 13. Unde sequitur lapsum hunc Saulis accidisse anno 29. a morte Heli, et ab initio principatus Samuelis, qui immediate successit Heli. Sic enim apposite gesta tam præcedentia, quam sequentia Saulis per hos annos octodecim compartiemur, etsi ex Scriptura nil certi definiri possit, quid quolibet anno gestum sit. Coniectura ergo hic opus est.

Vers. 32. DIXITQUE SAMUEL: ADDUCITE AD ME AGAG REGEM,) ut quem Saul noluit occidere, ego occidam, itaque Dei voluntatem expleam in vindicta et anathemate Amalecitarum.

ET OBLATUS EST EI AGAG PINGUISSIMUS ET TREMENS) præ pinguedine, q. d. Adeo pinguis ut tremulo et vacillanti gressu incederet: Nam Hebr. est *Agag* מעדנות *Maadannoth*, quod Chald vertit: *Agag deliciosus*. Pagnin. Vatab. et alii: *Agag deliciarum*, id est Agag deliciis saginatus et impinguatus, ideoque tremulus. Minus recte ergo nonnulli sic exponunt, q. d. Oblatus est Samueli *Agag cum deliciis*, hoc est gradiens deliciose incessu regio et superbo. Alii: *gaudens de morte*, eo quod mortem servituti præferret: vel ut R. Kimchi quod a Samuele benigno vitam speraret. Alii vertunt: *cum vinculis*. Ita qui a vulgata discedunt, abeunt in diversa.

Aman ex stirpe Agag. Porro Aman, hostis Iudæorum ab Assuero suspensus Esther 3. v. 1. et 10. dicitur fuisse *de stirpe Agag*. Unde ab hoc Agag rege Amalec eum prognatum fuisse censent Ioseph. lib. 10. Ant. c. 6. Hebræi, Chaldæus, Lyran. Caiet. Serarius et Ruper. lib. 8. de Victor. Verbi Dei c. 4. Hinc et Aman Esther cap. 12. vocatur *Bugæus*, quasi *Benagagæus*, vel *Bengogæus*, id est *filius Agag*, vel *Gog*. Nam Sept. Num. 24. 7. *Agag* per Aphæresin vocant, *Gog*, aut *Bugæus*, quasi *Gogæus*: subinde enim littera B. mutatur in G. Ezech. 27. 9. *Senes Giblii* vertunt Sept. Biblios, et ipsa civitas vocatur Giblus et Beblus teste S. Hieron. de locis Hebraicis, ita etiam I. in B. cum duellum bellum, duellius bellius, ait Cicero in Oratore. Vide Angelum Caninium in Hellenismis. Esto enim Aman fuerit Macedo, tamen fieri potuit, ut aliquis ex Amalec et stirpe Agag migrarit in Macedoniam, ex quo ibidem prognatus sit Aman. Verum potuit alius esse Agag pater vel Avus Amani diversus ab Agag rege Amalec: unde nil certi in hac re statui potest. Verisimile tamen est hunc eumdem fuisse, tum quia hic fuit celebris, nec alius hoc nomine in Scriptura reperitur; tum quia hic fuit superbus, deliciosus et crudelis, æque ac fuit Aman, ut in eum hosce suos mores cum semine transfudisse videatur. Et hoc innuit τὸ *Aman de stirpe Agag*.

ET DIXIT AGAG: SICCINE SEPARAT AMARA MORS?) q. d. O quam amara est mihi delicato et in deliciis enutrito ista mors imminens, et quam statu meo regali, opibus, honoribus et deliciis abundanti indigna. Sperabam enim in iisdem quibus assueveram, vitam concludere. Ita Abulens. Hoc est quod ait Eccles. 41. 1. *O mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, et cuius viæ directæ sunt in omnibus.* Vide ibi dicta.

Minus apte ergo Vatab. Pagnin. et alii vertunt: *Recessit a me amaritudo mortis;* quasi Agag generoso et regali animo contemnens mortem id dixerit; aut viso Samuele, ab eo vitam sperarit.

Hebr. enim סר *sar*, id est *recessit*, in *Cal*, more Hebr. sumitur pro *Hiphil*, id est pro *recedere facit;* sive ut Noster vertit, *separat*. Sensus ergo est: Itane mihi moriendum est, tam amara, misera et violenta morte? Itane separanda est anima a corpore; sensus a deliciis suis, Agag a regno suo? aut ut Serarius vertit: *Declinavit ad me amaritudo mortis*, q. d. actum est de vita mea: imminet mihi amara et acerba mors.

Tropol. S. Gregor. *Recens conversi*, ait, *dum a solitis suis voluptatibus separantur, dolorem instar mortis sentiunt:* unde hac tentatione pulsantur: siccine me separat a meis deliciis amara mors pœnitentiæ et sanctæ vitæ? *Quia in eis*, inquit, *carnalitas sine magna tribulatione minime necatur. Quasi enim visis austeritatibus, quibus subdenda est, dicit menti sensualitas sua: Læta pro tam tristibus spernis?*

ET AIT SAMUEL: SICUT FECIT ABSQUE LIBERIS MULIERES GLADIUS TUUS, SIC ABSQUE LIBERIS ERIT INTER MULIERES MATER TUA,) q. d. Ego matrem tuam te occidendo faciam viduam sine liberis, quia tu multas fecisti viduas, necando eorum filios. Nimirum iuste occideris, quia iniuste alios occidisti. Æterna enim Dei lege sancitum est, ut homicida occidatur. Nota, deliciosos qualis erat Agag, sæpe esse crudeles: quia omnem amorem quem habent, sibi ipsis impendunt, ac proinde in alios non nisi odia expromunt; imo alios fraudant et spoliant, ut plura habeant, quibus delicientur. Omnia enim sibi appetunt, aliis nihil. Vers. 33. *Delicioi sæpe crudeles.*

Figmenta sunt quæ scribit Philo Biblicus: scilicet Deum iussisse Samueli, ut Agag regi daret vitæ inducias per sequentem noctem; qua proinde Agag uxorem suam gravidam effecerit, indeque natus sit filius nomine *Edab* qui fuerit Amalecites ille, qui Saulem se occidisse asseruit Davidi c. 31. ut per filium Agag iusto Dei iudicio occisus sit Saul; eo quod ipse Agag non occidisset, ut iusserat Deus. Hæc enim est talionis pœna.

ET IN FRUSTA CONCIDIT EUM SAMUEL, non per se, ut vult Serarius; sed per suos, ait Iosephus. CORAM DOMINO,) quasi sceleratum in victimam anathematis iustitiæ divinæ sacrificans; idque non ex sævitia, sed ex zelo iustæ vindictæ; qualem habuit Phinees occidens principem fornicantem. Num. 25. et Elias occidens Sacerdotes Baal. 3. Reg. 18. *Samuel ex zelo occidit Agag.*

Tropolog. cum superbia et vitiis dimicantes, debemus ea frustatim concidere, et nihil ex eis relinquere, quod novum nobis bellum moveat. Ita Beda.

ET NON VIDIT SAMUEL ULTRA SAUL,) id est, non invisit Samuel Saulem amplius, non eum adiit honoris causa, uti fecerat prius, non collocutus est cum eo, non eum direxit, admonuit, reprehendit, uti facere solebat. Hunc esse sensum patet ex Hebræo: nam alioqui postea Samuel vidit Saulem inter prophetas prophetantem. c. 19. 24. Vers. 35.

LUGEBAT SAMUEL SAULEM,) quia dolebat Saulem a se unctum, regno; ac Israelem, rege tam forti et felici privari: atque nesciebat, quis et qualis ei successurus esset. Adde, timebat Saulem non tantum regno, sed et vita ac salute æterna privandum: licet enim hic tantum a Deo regno spolietur; tamen τὸ *abiecit*, et Hebr. *reprobavit te Deus*, innuit eum a Deo derelictum, in maiora scelera ruiturum, in iisque moriturum ac damnandum, uti reipsa contigisse videtur. Lugebat autem, et simul lugens orabat pro Saule, ut vel regno restitueretur, vel certe in ulteriora mala non decideret. Sperabat enim Dei decretum de abiectione Saulis non esse omnino absolutum et irrevocabile, sed comminatorium, ac precibus flecti mutarique posse. Unde Deus cap. seq. v. 1. asserit id esse absolutum; vetatque ne amplius lugeat Saulem, sed eius loco in regem ungat Davidem.

Nota hic et imitare misericordiam et charitatem Samuelis erga Saulem sibi Deoque inobedientem. Audi S. Gregor. « Quid est quod luget quem cernere dedignatur; nisi quia et cum zelo rectitudinis, sancti Doctores habent affectum magnæ charitatis, ipsa autem charitatis magnitudo ostenditur, quia proiectum regem plangere perhibetur. Quo ergo affectu electorum subditorum peccata plangunt, qui pro proiectis reprobis plangere tam affectuose didicerunt? instantia namque luctus ostenditur, quia subiunctum est: Usquequo tu luges Saul? » *Charitas Samuelis.*

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samuel ungit Davidem in regem, ut Sauli mortuo succedat. Mox v. 14. Spiritus Dei a Saul transit ad Davidem, ac Saulem exagitat spiritus malus, quem David pellit pulsando citharam. Unde v. 21. eum diligit Saul, facitque suum armigerum.

1. Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis eius mihi regem. 2. Et ait Samuel: Quo modo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni. 3. Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque monstravero tibi. 4. Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? 5. Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, sanctificamini et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios eius, et vocavit eos ad sacrificium. 6. Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Domino est Christus eius? 7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 8. Et vocavit Isai Abinadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus. 9. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. 10. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis. 11. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid iam completi sunt filii? Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, et adduc eum: nec enim discumbemus prius quam huc ille veniat. 12. Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoraque facie, et ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim. 13. Tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum eius: et directus est Spiritus Domini a die illa in David, et deinceps: surgensque Samuel abiit in Ramatha. 14. Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino. 15. Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. 16. Iubeat dominus noster, et servi tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras. 17. Et ait Saul ad servos suos: Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me. 8. Et respondens unus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum: et Dominus est cum eo. 19. Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. 20. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, et lagenam vini, et hœdum de capris unum, et misit per manum David filii sui Sauli. 21. Et venit David ad Saul, et stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, et factus est eius armiger. 22. Misitque Saul ad Isai dicens: Stet David in conspectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis. 23. Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.

Vers. 1. Usquequo tu luges Saul (et lugendo oras pro eo restituendo) cum ego proiecerim eum, utpote inobedientem, obstinatum et impœnitentem, ne regnet super Israel?) *Cur enim*, ut ait S. Gregor. *proiecti persona plangitur, cum melior subrogatur?* Audi S. Chrys. hom. 5. de pœnitentia: *Multum exhausit temporis beatus Samuel pro Saule deprecans, noctesque multas transegit insomnes pro delinquentis salute. Deus autem tempus repudians (non enim cum prophetæ oratione peccatoris convenit pœnitentia) dicit ad prophetam; Usquequo tu ploras? usquequo, ostendit tempus, ac perseverantiam deprecantis. Et repulit Deus tempus deprecationis prophetæ. Non enim cum iusti interventu, regis pœnitentia stetit.* Et S. Bernard. Serm. 12. in Cant. *Samuel*, ait, *lugebat Saul, qui se quærebat occidere, ad ignem charitatis incalescente pectore, liquefactus intus pietatis adeps foras emanabat per oculos.* Subiicit Chrys. secus fuisse in Davide, qui a Nathan correptus de adulterio et homicidio, serio pœnituit, ideoque ab eo illico audivit: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* 2. Reg. 12.

Providi enim in filiis eius mihi regem,) id est destinavi unum e filiis Isai creare regem, qui Sauli succedat. Sed cur eum non designat nec nominat? Causam dat S. Chrys. in Psalm. 50. *Attende*, inquit, *diligenter. Non dixit ad Samuelem, vade ac Davidem mihi unge: sed vade, unge mihi unum ex filiis Iesse. Ne, videlicet, idem Davidi accideret, quod prius Iosepho, ut enim fratres,* (Cur Deus non nominarit regem ungendum?)

A *cum regem eum fore intellexissent, insidias ipsi struxerunt, eodem modo periculum erat, ne isti quoque idem facinus perpetrarent.* Idem etiam Theod. expressit q. 37. in Reg. *Nam*, inquit, *cum etiam sic facta electione, aperuerunt fratres suam invidiam, fratrem conspicati in acie; quid non fecissent, si non facta esset hoc modo?*

Admirati sunt Seniores,) et simul perterriti; quod insolitum erat tantum prophetam et Iudicem solum venire; tum quia ex inopinato, nullo præmonito aderat: unde timebant, ne iratum Saulem fugeret, eiusque iram in Bethlehemitas, quasi Samuelem recipientes devolveret; aut ne triste aliquid prænuntiaret. Tropol. S. Greg. *Electi Doctores*, inquit, *vix aliquando videri in publico debent, esse frequentes in secreto, negotiis civilibus vacui, spiritualibus pleni.* Vers. 4.

Sanctificamini;) id est sancte vos præparate ad sanctum sacrificium, ad quod vos invito, ut ei intersitis: licet solum Isai cum filiis vocarit Samuel ad prandium sacrificii, ut secreto ungeret unum e filiis eius in regem; unde sequitur:

Sanctificavit ergo Isai et filios eius, et vocavit eos ad sacrificium.) *Sanctificavit*, id est iussit eos sanctificari, sive purificari per secubitum, id est abstinentiam, perque sparsionem aquæ lustralis; ut si quam irregularitatem legalem contraxissent, illam hac lustratione expiarent. Vide dicta Num. 19. Idem imitati sunt Gentiles, iuxta illud: *Casta placent Superis, pura cum* Vers. 5.

veste venite, Et: *Donec me flumine vivo abluero.*

Unde illa lex apud Ciceronem lib. 2. de legibus: *Caste Deos adeunto.* Hinc argumento a minori ad maius colligit S. Gregor. aitque: *Si interesse sacrificiis non audent, nisi sanctificati; quid de sacrificantibus censendum? sanctificare enim, purgare est. Quantum ergo puros decet esse Pontifices, ubi invitatæ ad sacrificium, non nisi sanctificatæ admittendæ sunt plebes? sanctificatio quippe corporis, pudicitia est; sanctificatio mentis, charitas et humilitas.*

Vers. 6. CUMQUE INGRESSI ESSENT,) ad prandium ex peracto Samuelis sacrificio instructum: non enim in sacrificio, utpote publico coram senioribus, sed in prandio coram Isai et fratribus, Samuel secreto unxit Davidem in regem; ne Saul rem intelligeret, et utrique, scilicet tam Samueli quam Davidi necem machinaretur.

VIDIT ELIAB, ET AIT: NUM CORAM DOMINO EST CHRISTUS EIUS?) quasi dicat: Samuel Eliab primogenitum Isai stitit et obtulit Domino, eumque interrogavit: Hiccine est Domine quem elegisti in regem, ut iubeas eum a me ungi; itaque ipse fiat *Christus*, id est unctus Domini?

Ver. 7. ET DIXIT DOMINUS AD SAMUELEM: NE RESPICIAS VULTUM EIUS (virilem, grandem et elegantem) NEQUE ALTITUDINEM STATURÆ EIUS (uti Saul rex ab humero sursum eminebat toti populo) QUONIAM ABIECI EUM,) Hebr. מאסתיהו *meastihu*, id est, *reprobavi eum.* Sept. *Quoniam contempsi eum.* Chald. *elongavi*, scilicet a regno, quasi dicat: abieci Eliab, licet primogenitum, pulchrum et procerum, ne sit rex. Ita S. Gregor. Abulen. Hugo, Lyran. et Dion. Alii, quasi dicat: *abieci eum*, id est *Christum meum*, quem scilicet a te ungi volo in regem, puta Davidem feci abiectum, id est iuvenem et minimum natu inter filios Isai.

HOMO ENIM VIDET EA QUÆ PARENT, DOMINUS AUTEM INTUETUR COR.) Hebr. *Homo videt* (et videndo iudicat) *secundum oculos* (iuxta apparentiam externorum oculorum) *Deus autem videt* (et videndo iudicat) *secundum cor.* Quare homines sæpe falluntur. *Oculi* enim *et vultus sæpe mentiuntur*, et indicant mentem sapientem vel probam, quæ insipiens est et improba. *Cor* autem; id est mens et voluntas mentiri et fallere nequit; quia aliud se esse quam revera sit fingere nequit. Deus ergo est *Cardiagnostes*, id est cordis inspector; imo Dominus et possessor. Sensus est quasi dicat: Deus videt cor Davidis, melius esse corde Eliab; esto vultus et forma Eliab melior et grandior sit, quam vultus et forma Davidis: hac de causa non Eliab, sed Davidi regnum assignabit. Hinc Sept. vertunt. *Quoniam homo videbit in faciem; Deus autem in cor*, puta arcana et intima cordis. Et Chald. *Quia filii hominis vident in oculis suis, et ante Dominum manifestæ sunt cogitationes cordis.*

Vers. 10. ADDUXIT ITAQUE ISAI SEPTEM FILIOS SUOS.) Habuit ergo Isai, sive Iesse (Hæc enim duo nomina apud Hebræos unum idemque sunt) universim octo filios. Nam David absens, erat octavus. Dices, 1. Paral. 3. cum Davide numerantur septem dumtaxat filii Isai sive Iesse. Resp. ibi non omnes numerari, sed unum prætermitti ob causam nobis incognitam: forte eo quod octavus genitus sit ex concubina, vel uxore secundaria; sicut c. 14. 49. Saulis filii numerantur tres, et omittitur quartus, scilicet Isboseth. de quo 2. Reg. 2.

Isai habuit octo filios.

Aliter Lyran. Caiet. et Dion. dicunt enim nomen tertii filii fuisse *Nahan*, sive *Ionathan*; eumque omitti, eo quod filius esset adoptivus, non naturalis. Verum de hac eius adoptione nil uspiam legimus Hinc liquet, Samuelem revelasse Isai Dei consilium de eligendo uno ex filiis eius in regem, eoque ungendo. Ideo enim Isai omnes filios ordine nativitatis adduxit ad Samuelem, ut videret quem ex eis unum Deus eligeret.

Vers. 11. ADHUC RELIQUUS EST PARVULUS.) Vide hic, quam diversa sunt iudicia Dei et hominum. Isai enim Davidem ut iuvenem et minimum, ideoque oves pascentem parvi æstimabat, nec dignum conspectu Samuelis; unde eum non adduxit: Deus autem eum fratribus omnibus prætulit, regemque creavit. Unde S. Ambros. Serm. 18. in Psalm. 118. *Patris*, ait, *oves pascebat vili ablegatus obsequio, non est oblatus sacerdoti* (Samueli) *quasi indignus, qui ungeretur in regnum.*

Alia iudicia Dei, alia hominum.

PARVULUS.) Hinc et magis ex cap. 17. v. 23. 42. 58. multi censent Davidem, cum unctus fuit in regem, ætate puerum extitisse, imo puerulum, ut ait S. Chrys. in Psal. 50. sic et Iosephus, Serarius, et alii.

Ex adverso Hebræi in Seder olam c. 13. censent Davidem hoc tempore fuisse 29. annorum; eo quod putent Saulem duos dumtaxat annos regnasse et vixisse; quo mortuo statim ei successit David, cum esset triginta annorum, ut dicitur 2. Reg. 5. v. 4.

Media sententia est verior, scilicet Davidem, cum unctus fuit, fuisse viginti circiter annorum. Hæc enim ætas apta est regno, et media inter pueritiam et virilem ætatem. Probatur primo, quia David v. 18. vocatur *fortissimus robore, vir bellicosus et prudens in verbis.* Ergo facile erat viginti annorum. Secundo, quia ut dixi cap. præced. Saul per inobedientiam parcendo Agag anno septimo regni sui, eo a Samuele privatus est: mox autem anno sequenti, puta octavo Saulis, pro eo iam reiecto unxit Davidem: Saul autem posthæc regnavit adhuc decem annis: universim enim regnavit 18. annis. Quare cum post decem annos mortuus sit Saul, eique in regnum succedens David, fuerit tunc triginta annorum; dicere oportet eum hoc anno quo primum secreto unctus est, fuisse 20. annorum. Ita Abulens. Dion. Salianus, et alii. Adde, quod Saul v. 21. Davidem fecit suum armigerum: armigeri autem solent esse iuvenes, non pueri.

David unctus rex anno vigesimo.

Dices, Quomodo ergo David hic vocatur parvulus? Respon. quia respectu fratrum omnium erat parvulus, id est minimus natu, ideoque opilio. Unde pro *parvulus* Hebr. est קטן *katan*, id est, *parvus*, ut vertit Chald. Hinc Sept. vertunt: *minor*, id est *minimus fratrum.* Sic Beniamin vocatur *parvulus*, id est natu minimus filiorum Iacob, Genes. 43. 29. cum tamen iam tunc genuisset decem filios, ut patet Genes. 46. 21.

ET PASCIT OVES.) Sic olim Patriarchæ et Principes fuere agricolæ et pastores ovium, et ex ovibus didicerunt pascere, regereque homines. Tales fuere Adam, Abel, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses. Tales quoque fuere Romani, de quibus Ovid. libr. 1. Fastor.

Principes olim agricolæ et pastores.

Iura dabat populis posito modo Prætor aratro,
Pascebatque suas ipse Senator oves.

Vide dicta cap. 11. v. 5.

MITTE ET ADDUC EUM: NEC ENIM DISCUMBEMUS PRIUS QUAM HUC ILLE VENIAT.) Hinc patet ante prandium unctum fuisse Davidem, tum quia ante prandium res arduæ tractari solent; tum quia prophetæ zelosi, qualis erat Samuel, Dei præcepta urgent, illaque illico ante res alias exequuntur; tum quia, ut ait S. Gregor. *In observatione ieiunii celebranda sunt sacramenta unctionis.* Unde et sancitum est, ut non nisi ieiuni sacrum Chrisma in Confirmatione accipiant.

ERAT AUTEM RUFUS,) Hebr. אדמוני *admoni*, id est *rubicundus*, sanguineus, rufus, quasi esset alter *Adam*, ait Theod. ideoque typus et figura Christi. Rufi enim sunt pulchri et sæpe insigni indole. Unde Cedrenus scribit Valentinianum Imperatorem habitum Davidi similem, eo quod rubicundus esset, rufis capillis, oculis cæsiis et pulchris. Rufus enim color accedit ad fulvum, qualis est Leonis, qui fortitudine superat omnia animalia, eorumque est rex. Addit Aristoteles in Physiognom. c. 10. *Quibus color ruber est, acuti sunt: quoniam omnia quæ secundum corpus sunt, a motu calefacta rubescunt.* Vers. 12.

Rufocum laus.

SURGE, UNGE EUM: IPSE EST ENIM,) quem in regem elegi, et a te ungi volo. Porro S. Athanas. in vita S. Antonii ait, Davidem a Samuele agnitum fuisse ex lætitia vultus, æque ac ex eadem ab omnibus agnoscebatur Antonius inter mille Monachos: *Si quis enim ignarus eius, inter multitudinem Monachorum eum videre desiderasset, nullo indicante ceteris prætermissis ad Antonium currebat, et animæ puritatem agnoscebat ex vultu, et per spe-*

David agnitus ex lætitia vultus.

culum corporis, gratiam sanctæ mentis intuebatur. Nam semper hilarem faciem gerens, liquido ostendebat se de cœlestibus cogitare, sicut Scriptura ait: Corde lætante vultus floret, sed in mœrore continuo tristatur, ait S. Athanas. Sic Samuel, inquit, agnovit Davidem: *Lætificatos enim habebat oculos, et dentes sicut lac candidos.*

David typus Christi. Alleg. David fuit typus Christi, qui fuit « rufus, ait S. Greg. quia lancea vulneratus: rufus quia ex passione rubicundus. Unde et per prophetam ei dicitur: Quare rubrum est indumentum tuum? Rufus quippe extitit, qui candorem tantæ innocentiæ pretiosi sanguinis rubore coloravit. Pulcher etiam aspectu fuit, quia et resurgendo immortalitatis pulchritudinem induit, et mortales nos ex magna charitate respexit. » Et inferius: « Rufus ergo in sæculo fuit, pulcher in paradiso, decora facie perennis in cælo: potest et omnis hæc trina pulchritudo in hac præsentis vitæ eius conversatione cognosci. Rufus quippe extitit; quia ferventer amavit eos, pro quibus animam posuit: pulcher aspectu fuit; quia omnia novit; decora facie, quia omnia bona fecit. »

Vers. 13. Tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum eius.) *Non*, ut ait Iosephus, *quasi in ipsius aurem insusurrarit Samuel: sed ut fratres omnes unctionem viderent et intelligerent; idque ut pluris ipsum deinceps facerent, minoreque invidia laborarent, cum sibi eum præferri viderent,* ait Theodor. q. 37.

Porro unctus est, non ut statim regnaret, sed ut Sauli morienti in regno succederet. Hinc patet patrem et fratres Davidis cognovisse eum a Samuele ungi in regem. Ita Abulens. licet id neget Caietanus. Ter unctus fuit David: Primo, hic privatim; Secundo, publice, cum factus est rex tribus Iuda. Tertio, cum factus est rex omnium tribuum 2. Reg. c. 2. et 5. In Græcis codicibus Psalterii additur Psalm. 151. qui de hac unctione agit, ubi David de se sic canit; « Parvus eram in fratribus meis; et iunior in domo patris mei: pascebam oves patris mei, etc. Ipse emisit Angelum suum, et tulit me de ovibus patris mei: et unxit me oleo unctionis suæ. Fratres mei pulchri et magni; et non bene sensit in eis Dominus. » Tropol. S. Greg. « Cornu olei tollitur, inquit, ut in excellenti liquore, magister Ecclesiæ vir esse studeat magnæ misericordiæ. Oleo ungitur caput regis, quia lucere super candelabrum debet per flammam verbi. Cornu oleum recipit, ut increpando purget; et miserando per blandimentum trahat. Cornu etiam recipit in sublimitate ordinis oleum ad fomenta virtutis. Sed pleno cornu ungitur, ut virtus Pontificis plena doceatur. Cornu namque plenum in unctione sua habet, si tam in virtute misericordiæ, quam charitatis et verbi perfectus est: plenum etiam cornu in unctione sua habere cognoscitur, cuius omnis potestas per misericordiam dispensatur. » Et post plura: « Oleo quippe in medio aliorum ungitur; quia qui in aliorum exemplum positus est, nullam sui partem habere obscuram debet, ut hunc omnes aspiciant et ab eo lucis exemplum sumant. » Et paucis interiectis: « Vel in medio fratrum ungitur, ut unctum et medium se esse semper arbitretur. Agnoscat ergo dignitatem suam, et vim dignitatis exerceat: quia unctus est; videat se medium, et communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos quibus eminet, recognoscat. In medio ergo fratrum ungitur, ut sit humilis et sublimis, sublimis ordine, humilis æstimatione. In medio idem ungitur, ut se privato amore non diligat, sed ex omni quod præeminet, lucra aliorum quærat. » Atque hic finit S. Gregor. suam expositionem moralem in lib. Regum.

Et directus est spiritus Domini a die illa in Davide) Quæres, Quis fuit hic spiritus? R. Primo, fuit spiritus fortitudinis tum animi, tum corporis, qui eum bellicosum et victoriosum effecit: unde post hanc unctionem David tam Leonem et ursum, quam Goliath gigantem interfecit. Hinc Sept. vertunt; *Insiliit in eum spiritus Domini*, sicut insiliit in Samsonem, irruitque, quoties is aliquod heroicum fortitudinis opus aggrediebatur. Ita Lyran. Abulens. et Vatab. qui vertit: *Agitare eum cœpit spiritus Domini.* Chald. *Mansit spiritus fortitudinis a Deo super David.*

Spiritus Domini in David quis? Resp. I.

II. Secundo, fuit spiritus animi magni et regii. Sicut enim Deus Saulem ab asinis vocans ad regnum, ei cor rusticanum mutavit in magnanimum et regium; sic iam eumdem spiritum a Saule transtulit in Davidem; ut qui prius non nisi de ovibus pascendis cogitarat, iam de toto Israele gubernando et propugnando cogitaret: magnos ergo novosque animos, novos spiritus, novas cogitationes, nova consilia, nova desideria, et vota illi indidit: hoc enim significat Hebr. תצלח *titslach.*

III. Tertio, fuit spiritus Poeticæ et Musicæ, puta psallendi psalmosque dictandi et canendi: nam ab unctione cœpit psallere et psalmos componere. Ita Abulens. Dion. et alii.

IV. Quarto fuit spiritus prudentiæ, ut in omnibus dictis factisque mire esset prudens, discretus, providus, illaque non se suamque familiam dumtaxat, sed et totum regnum sapientissime gubernaret. Unde eamdem a Deo postulavit et obtinuit Salomon Davidis filius 3. Reg. 3. 12. Denique Hebr. *titslach*, quod Noster vertit: *directus est*, cum Marino et aliis vertas: *prosperavit*, fortunavit, ad felicem effectum direxit; ut scilicet David omnia prudenter et feliciter conficeret, ac ad optatum finem perduceret.

V. Quinto, fuit spiritus prophetiæ: David enim fuit propheta, ac in Psalmis non tantum psallit, sed et prophetat de Christo, Christique vita, morte, Apostolis, Ecclesia, etc. Ita S. Hieron. Ioseph. et alii.

Spiritus Domini mansit in Davide. Porro spiritus hic non pertransiit, sed constanter mansit in David; saltem quoad aliquas eius operationes. Hoc enim significat *τὸ a die illa et deinceps.* Ita S. Gregor.

Subita Davidis mutatio. Subito ergo David per unctionem Dei et Samuelis hic ex abiecto pastorculo ovium, factus est rex fortissimus et prudentissimus, ac Psaltes et propheta divinus: nam si antea aliquid horum habuisset: utique pater et fratres eum non ita abiecissent ad oves, sed pluris fecissent.

Etymon Davidis. In David.) David ab amore nominatus est quasi *amabilis.* David enim Hebr. idem est quod דוד *dod*, id est *dilectus*, vel *amor et dilectio*, iuxta illud Cant. 1. *Meliores sunt amores tui* (Hebr. דודיך *dodecha*) *vino.* Hinc et Salomon filius eius idem nomen a Deo accepit, vocatusque est *Iedidia*, id est *amabilis Domino.* 2. Reg. 12. 25. Porro S. August. lib. 22. contra Faust. c. 87. et in Psalm. 34. *David*, ait, *idem est quod, manu fortis vel desiderabilis*, ut *David* dicatur quasi די יד *dai, iad*, id est *sufficiens* (hoc est validus, potens) *manu.*

Audi S. Chrys. hom. de David et Goliath, Davidem cum Saule conferentem et præferentem: « Inveni mihi David, virum secundum cor meum qui faciet omnem voluntatem meam. O beatum David sanctissimi meritum, quod laudat Deus, prædicat Dominus, iudex præfert summus! Dum enim David sanctissimus, homo est secundum cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit; quidquid mente concipit, perficit. Dum enim, inquam, David cordi Dei cor proprium iungit, et menti eius mentem suam annectit; hoc est, ut quæ vult Deus, velit; et quæ non vult, similiter nolit; sic eum Dominus individuo amore et coniuncta charitate dilexit. » Et paucis interiectis. « Hic ab ovibus ad regnum deligitur; ille a regno ad gladium destinatur. Hunc sancta vita promovit; illum mandatorum despectio reprobavit. David adhuc pastor debellat leonem, interficit ursum; Saul contemnendo Dominum, malum in se provocat spiritum. Regnat David sanctissimus sed latenter; Saul reprobus efficitur evidenter. Hic iam rex est; ille putatur: hic iam obtinet; illa tantummodo dicitur: hic occultam possidet dignitatem; ille habet publicam regni imaginem. A Deo David sancto Spiritu inundatur, Saul vero spiritu isto deseritur. Denique Saul David persequitur innocentem; David vero traditum sibi, illæsum exhibet peccatorem: ut et in David Spiritus sanctus mitesceret; et in Saule malus spiritus in innocentem sæviret, ut vitæ diversitas, diversa iam merita demonstraret, , et causæ istæ hominibus deputarentur non Deo, qui male vel bene gerentibus regnum, aut tollerent, aut conferrent. »

Spiritus agitans Saulem quis? Resp. I. Spiritus autem Domini recessit a Saul,) puta spiritus fortitudinis, bonitatis, prudentiæ, magnanimitatis,

animi liberalis et regis, etc. *recessit a Saul*, ac recidit ipse in primævam suam animi parvitatem, deiectionem, imprudentiam, vilitatem, pusillanimitatem: Unde qui prius in bellis erat acer et victor, deinceps extitit imbellis, ignavus, iners, nec quidquam præclare gessit.

Et exagitabat eum spiritus nequam a Domino.) Quæres, Quis fuit hic *spiritus nequam exagitans Saulem?* Primo, Hebræi, Iosephus, Caiet. Genebr. in Chron. anno mundi 3066. Delrio lib. 3. Magic. c. 4. censent fuisse atram bilem, sive melancholiam et maniam, quæ Sauli tristes creabat imagines, suspiciones, invidias, mœrores, anxietates, desperationes, furores, deliria, amentias: hæc enim concepit ex eo, quod vidit se a Deo reiectum, et a Samuele regno privatum. Primo probatur, quia Sept. vertunt: *Suffocabat eum spritus malus.* Chald. *terruit eum.* Vatab. *turbavit eum.* Secundo, quia a Iosepho spiritus hic vocatur *perturbatio et morbus a demone inflictus, qui suffocationes et strangulationes illi creabat.* Tertio, quia hoc spiritu agitatus invidit Davidi successionem in regnum, ideoque eum voluit occidere c. 18. 19. Quarto, quia morbus hic Saulis levabatur per Musicam Davidis pulsantis citharam; quia scilicet Musica exhilarat, itaque fugat tristitiam.

Melancholicorum miraphantasmata quomodo curentur? Porro, quam malignus sit humor melancholicus, docent Galenus, Fernelius et Levinus Lemnius Medic. lib. de Complexionibus sub finem pag. 162. ubi mira melancholicorum phantasmata et curationes recenset. « Primus enim, inquit, sibi persuaserat nasum sibi excrevisse instar proboscidis elephantis. Medicus farcimen naribus eius admovit, illudque et tandem ultimam nasi pelliculam cultro abscidit: itaque imaginarium illi nasum avulsit. Secundus credebat ranas et bufones intestina sua perterebrare. Medicus clystere per alvum eum purgavit, ac excrementa pelvi excipiens, in eamdem ranas et bufones coniecit. En, inquit, ranæ et bufones ventris tui: scito te iam iis liberatum: itaque phantasma hoc suum illi excussit. Tertius imaginabatur sibi femora esse ex vitro, quare nec sedere, nec quid tangere audebat, ne illa collisa dissilirent. Quartus opinabatur se esse mortuum, ideoque cibum sumere nolebat: iamque ad septem dies ieiunus persistebat (diem autem septimum inediæ Medici lethalem autumant) Medicus personatos quosdam, linteaminibus obvolutos in eius cubiculum immisit, qui se dicerent mortuos, et tamen coram eo laute epularentur. Invitatus ille et voce epulantium et nidore deliciarum, cœpit gustare et tandem comedere affluentius: peracta autem cœna somnus illi salutaris obrepsit, in eum usum confecto liquamine: itaque ad vitam et mentem rediit. » Hic sensus verus est: sed hoc loco non sufficit.

II. Secundo, alii censent fuisse Angelum bonum, a Deo Sauli immissum, ad eum affligendum, ut iustas ab eo inobedientiæ pœnas exigeret.

III. Tertio, et verius alii censent fuisse diabolum, qui non tantum exterius vexavit Saulem, uti vexavit S. Iob; sed etiam interius eum possederit, eumque diris phantasmatibus, tristitiis, mœroribus, anxietatibus, doloribus afflixerit, et per vices exagitarit; hic enim proprie est et vocatur *spiritus nequam:* ab eo ergo possessus fuit Saul, factusque energumenus et dæmoniacus, ita ut per vices ab eo exagitatus deliraret, insaniret, fureret, uti audiemus c. seq. v. 10. et seq. ita censent Iosephus, Ruper. Isidor. Eucher. Lyran. Hugo, Abulens. Dion. Vatab. Serarius, Sanchez hic, et S. Gregor. lib. 2. Moral. c. 6. ac Theod. hic q. 38. *Cum divinus*, inquit, *recessisset spiritus, locum est sortitus malignus spiritus; sic cum Apostolica gratia Iudam reliquisset, in eum ingressus est diabolus.*

Porro, *spiritus* hic vocatur *Domini,* quia a Deo Sauli fuit immissus vel permissus ad castiganda eius peccata. Sic Paulus 2. Corin. 2. fornicarium tradidit Satanæ. Audi S. Gregor. *Ideo idem spiritus, et Domini appellatur, et malus: Domini, per licentiam iustæ potestatis: malus, per desiderium iniustæ potestatis.* Hæc enim potestas ex parte Dei punientis Saulem per diabolum, erat iusta; ex parte vero diaboli tyranni et tyrannice Saulem excruciantis, erat iniusta. Diabolus autem in Saulem nil poterat, nisi potestate a Deo accepta, qui illam limitarat, ut tantum et non amplius eum affligere posset; uti fecit in S. Iob.

Psallat manu sua, et levius feras.) Quomodo psallendo fugetur dæmon, dicam v. 23. Vers. 16.

Fortissimum robore et virum bellicosum.) Rabbini apud S. Hier. in Quæst. et Lyran. censent *Doeg* Idumæum infensum Davidi, hoc dixisse et finxisse, scilicet hostiliter Davidem laudasse, ut illi, dum ante furentem Saulem staret, vitæ periculum crearet; sed necdum Davidis virtus et fama adeo increbuerat, ut eum nosse et odisse posset Doeg. Hinc ergo patet Davidem accepto in unctione sua spiritu fortitudinis, illico fortitudinem suam eximiam exeruisse ad intuentium stuporem, ac insignia quædam fortitudinis bellicæ opera edidisse; quæ qui viderunt, ad Saulem detulerunt, eique Davidem commendarunt. Vers. 18.

Qui est in pascuis.) Vide hic modestiam Davidis, qui licet iam unctus esset in regem, ac destinatus Saulis successor, tamen illico rediit ad oves suas, factusque est Opilio, æque ac Saul unctus licet in regem, rediit tamen ad suos boves et aratra c. 11. 5. Vers. 19.

David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat.) Quia scilicet exhilarabatur musica, itaque minuebatur eius melancholia, indeque sequentes angores et pravæ animæ passiones. Ad has enim mitigandas vel pellendas mire valet Musica. Cassiodorus lib. 2. variarum c. 40. « Musica, inquit, tristitiam noxiam iucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam soporantemque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum. » Vers. 23.

S. August. lib. 10. Confess. c. 33. asserit: *Omnes affectus spiritus nostri pro sui diversitate habere proprios modos in voce et cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur.*

Musica excitat animi affectus. Quin et Seneca ex Pythagora lib. 3. de ira cap. 9. « Pythagoras, inquit, perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat lituos et tubas, concitamenta esse; sicut quosdam cantus, blandimenta quibus mens resolvatur. »

Asclepiades Medicus πάθη, id est passiones morbosque animi Musica lenire ac sedare consuevit. Timotheus excellens fidicen, fides pulsando Alexandrum Magnum ita concitabat, ut ad arma procurreret. Vide Alexand. ab Alexandro l. 2. Genial. c. 17. « Græcorum civitates, ait Martianus Capella, sanxerunt ut animorum corporumque morbi ad lyræ modulos curarentur. Unde qui ægris remedia præstabant, olim dicebantur præcinere, inquit Macrobius, et Xenocrates lymphatos carminum modulis a dementia liberavit. Paracelsus ait Ischiaticorum dolores lenibus tibiarum Phrygiæ modulis sedari, tibicinemque modulate canentem viperarum morsibus mederi. »

Stupor ex tarantulæ morsu musica curatur. Atque ut cetera sileam, illud quod Saulis per citharæ pulsum curationi affine est, commemorabo. Experientia continua et quotidiana Italos, præsertim in Apulia docuit et docet, eos quos momordit tarantula et stupefecit, ut lethargo correpti somnum lethalem dormiant, ni evigilent, nulla medicorum arte excitari posse, nisi carmine modulato, quod in varios numeros et harmoniam flectunt, donec illam inveniant, quæ morbo et stupori huic, quasi medela respondeat: illi deinde canendo insistunt: excitatur æger in vigilium et tripudium; saltu sudorem elicit, itaque venenum omne dispellit, ac sibi mentique et sanitati restituitur. Miraculum hoc Musicæ et carminis quis non admiretur?

David cithara pellit dæmonem qua vi? Resp. I. Sed quid potuit Musica et cithara Davidis in dæmonem agitantem Saulem? Respondent Platonici, ac eos secuti Caiet. in c. 2. ad Ephes. Aug. Niphus lib. 3. de Dæmon. c. 5. et sequen. Eugubinus lib. 8. de perenni Phil. c. 26. dæmones habere corpus aliquod subtile, ideoque Musicam audire, eaque commoveri. Verum hic iam est error. Certum est enim Angelos ac dæmones esse plane incorporeos, ac puros merosque spiritus.

II. Secundo, aliqui censent Deum posse subiicere, imo de

facto subinde subiicere dæmones nonnullis rebus corporeis, v.g. melodiæ, fumo iecoris. Tob. c. 6. hyperico, rosmarino, etc. Ita Levinus Lemnius, et Franciscus Valesius sacræ Philos. c. 28. « Iecori piscis Tobiæ, inquit, virtus supernaturalis tributa est, illuminandi oculos Tobiæ; uti igni inferni tributa est vis torquendi dæmones; et aquæ benedictæ data est vis eosdem fugandi, et animam a culpis abluendi.» Addit Valesius, aitque: « Dicunt Exorcistæ nonnulli, pelli dæmones suffitu cornu cervini, et cuiusvis stercoris, præsertim humani; item ruta et hyperico: duobus prioribus, eo quod se contemni non ferat dæmon utpote superbissimus. Ego vero, inquit ipse, eos venisse in hanc opinionem puto, eo quod Medici omnes testentur, illarum rerum suffitu epilepsiam manifestari. Statim ergo ut Epilepticus illarum suffitum sentit, Epilepsiæ paroxysmo, membrorumque omnium agitatione et iactatione corripitur, aut si eius paroxysmo iam laborat, ingravescit: Exorcistæ vero illi hoc dæmoni tribuunt, eumque irritari autumant. Rutam vero et hypericum salutares esse Epilepsiæ curandæ, patet ex eo quod flatus abigant, qui cerebrum Epilepticorum agitant. » Verum licet certum sit Deum posse subiicere dæmones rei corporeæ, ut Musicæ; tamen incertum est, an de facto eos illi subiecerit.

III. Tertio ergo, verius est, Davidem psallendo fugasse dæmonem, Saulis vi partim naturali, partim supernaturali. Naturali, quia Musica exhilarat, itaque pellit melancholiam, qua dæmon utebatur ad Saulem cruciandum. Nullus enim humor magis quam hic, opportunus est diabolo, ut homines vexet, tentet, incitetque ad mœrorem, invidiam, iram, desperationem. Quare dæmon qui agit per causas naturales, maxime utitur humore melancholico ad homines adigendum in angores, scrupulos, diffidentias, dissensiones, aversiones, odia, rixas, cædes, etc. Talis fuit Lunaticus ille a Christo curatus, qui cum Luna crescente melancholia et mania, magis agitabatur a dæmone. Matt. 17. 14.

Melancholia valde utitur diabolus.

Hinc Franc. Valesius S. Phil. c. 28. *Dæmones*, ait, *melancholicos invadunt, aut melancholicos morbos hominibus inferunt; quia melancholicus succus maxime omnium paratus est, hominem in insaniam et desperationem adigere: quod maxime nequam illi spiritus exoptant. Humor enim melancholicus cor deprimit, gravat, contristat, ac cerebrum atra fuligine, quasi caligine obnubilat; ut per eam omnia atra, tristia, noxia, inimica, horrida videantur.* Quocirca qui tentationes diaboli evadere cupit, caveat a melancholia; si a natura vel casu tristitiam habet, contra eam pugnet, omnibusque eius imaginationibus et suggestionibus, viriliter et constanter resistat. v. g. cum suspiciones, timores, angores, scrupulos ingerit, dicat: non credo vobis; vos enim proceditis a meo hoste, scilicet a dæmone et melancholia: falsa sunt, inepta, stulta, quæ mihi repræsentatis; contraria ergo, quæ vera sunt, apta, et prudentia amplectar. Sic enim dicimus illi, qui laborans vertigine putat omnia verti et gyrare: falleris amice, nihil gyratur nisi tuum cerebrum, eiusque vertigine quæ te gyrat, fit ut omnia quæ quiescunt, tibi gyris agitato gyrari videantur Hinc S. Antonius teste S. Athanasio aiebat, *nihil efficacius esse ad vincendos dæmones, quam lætitiam spiritualem.* Et S. Iacobus ep. c. 5. v. 3. *Tristatur aliquis vestrum? oret; Æquo animo est? psallat.* Hac de causa in officio divino utitur Ecclesia cantu et musica, ut fideles excitet ad devotionem, alacritatem, lætitiam, quibus Deo serviant, diabolo resistant, et ad omne opus virtutis alacres procedant. Id in se expertus S. Aug. initio conversionis suæ sic ait lib. 9. Confess. c. 6. *Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum, et ex ea æstuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis.*

Et S. Basilius in Procemio Psalmorum: « Psalmus, inquit, est profligandis dæmonibus ac depellendis quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, consistentium in ætatis flore decus, et ornamentum, senum solamen. Denique mundus est mulieribus exornandis appositissimus. » Et nonnullis interiectis: « Psalmus, est animarum tranquillitas, arbiter ineundæ pacis, cuius annutu exundantes ac tumultuariæ cogitationes se contrahunt et conquiescunt, etc. Psalmus, est opus Angelorum, spirituale thymiama: » Atque ut alios plures prætercam; S. Ambr. Præfat. in Psalm. « Psalmus, inquit, benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor iucunditatis, lætitiæ resultatio. Iracundiam mitigat, solicitudinem abdicat, mœrorem allevat. Nocturna arma, diurna magisteria. Scutum in timore, festum in sanctitate. Imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiæ; citharæ modo ex diversis et disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus psalmum resultat, Psalmum resonat occasus. »

Hac da causa Elisæus parans se ad excipiendam a Deo prophetiam, iussit adduci Psaltem, ut eius psalmodia mens sua in Deum elevaretur, aptareturque ad illuminationem divinam 4. Reg. 3.

Vis ergo naturalis musices et citharæ Davidis leniens melancholiam Saulis, consistebat in duobus. Primo, quod diverteret eius phantasiam a tristium rerum cogitatione, ad attendendum lætis musices sonis et canticis. Secundo quod ipsa voluptas cantus eum exhilararet, itaque melancholiam abigeret vel minueret. Ita Lyran. Abulens. Valesius, Sanchez, Serarius, et alii.

Vis supernaturalis citharæ.

Verum potior vis huius citharæ erat supernaturalis, nimirum quod David citharæ pulsu mentem suam excitabat (æque ac fuit Elisæus, ut dixi) ut ferventius oraret Deum pro Saulis salute: unde Deus eum exaudiens, ob Davidis ferventes preces et merita abigebat dæmonem a Saule, et Saulem sibi mentique restituebat. Ita Iosephus (qui addit Davidem citharizando, psalmos recitasse) Theod. Lyran. Abulen. Serarius. Simili modo S. Franciscus Senensium animos in mutua odia a dæmone excitatos, per canticum solis (quod recensui Eccles. 43. v. 2.) sedavit et ad pristinam concordiam redegit.

Citharæ typus crucis Christi.

Allegor. Cithara repræsentat crucem Christi: sicut enim chordæ in cithara distenduntur; sic Christus distensus fuit in cruce. Audi Angelom. *Non enim illius tanta virtus erat, sed mysterium crucis Christi per lignum extensione nervorum mystice gerebatur, in qua etiam passio cantabatur.* Sic et Prosper parte 2. Prædic. c. 25. Imo Angelomus, Eucherius et Beda censent, malum spiritum pulsum a Saule virtute crucis Christi futuræ, cuius typus erat cithara Davidis; sicut Hebræi liberati sunt ab Angelo percutiente et Ægypto per sanguinem Agni Paschalis, qui erat typus sanguinis Christi in cruce immolandi.

Hinc S. August. Serm. 3. de Tempor. docet citharam repræsentare carnem Christi. Audi eum: « Adhuc citharam respice, ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, ars, manus, et chorda; et tamen unus sonus auditur: ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur, sed sola chorda personat quod audiatur: nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur: sic nec Pater, nec Spiritus sanctus susceperunt carnem; et tamen cum Filio pariter operantur, sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit; operatio in tribus constat: sed quoniam ad solam pertinet chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. »

Idem S. August. in Psalm. 36. ad illa: « Exurge Psalterium et cithara: In Psalterio, ait, chordæ desuper sonum accipiunt, in cithara autem ex inferiore parte: sic per carnem suam duo genera factorum operatus est, miracula et passiones. Miracula desuper fuerunt; passiones de inferiori fuerunt. Illa enim quæ fecit miracula, divina fuerunt, sed per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergo

divina operans, Psalterium est: Caro humana patiens, cithara est. Sonet Psalterium, illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudi, surgant ægroti, resurgant mortui; iste est sonus Psalterii. Sonet et cithara, esuriat, sitiat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. »

Hinc et sancti, qui vel martyrium subierunt, vel carnem mortificarunt et vitiis crucifixerunt, citharizant Deo in citharis suis Apocal. 14. 2. Vide ibi dicta.

Symbol. Rupert. Per citharam accipit dulcedinem prædicationis Evangelii: hæc enim sua suavitate ad se rapuit omnes gentes. *Movit Amphion lapides canendo:* multo magis saxea corda fregit Christus prædicando.

Tropol. citharæ.

Tropol. Spiritualis cithara est sermo lenis et blandus: item docta et pia concio vel exhortatio: ad hæc psalmodia et oratio, quibus leniuntur et flectuntur ad pietatem duræ, superbæ, iratæ et avaræ hominum mentes, iuxta illud Prov. 15. v. 1. et 4. *Responsio mollis frangit iram: lingua placabilis, lignum vitæ.* Vir mansuetus medicus est cordis. Et Eccl. 1. 6. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos.* Sic de Iudæis Christum audientibus ait Lucas c. 4. 22. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Ita Angelomus: *Cum sensus potentium*, inquit, *per elationem in furorem vertitur, dignum est, ut ad salutem mentis, locutionis nostræ tranquillitate, quasi dulcedine citharæ revocetur.* Idem iisdem verbis habet Eucherius.

Denique qui tam in adversis, quam prosperis Deum laudat, eique gratias agit, hic Deo et hominibus citharizat. Audi S. Aug. in Psalm. 32. « Confitere Domino in cithara: sive tibi abundet aliquid, gratias age illi, qui dedit: sive tibi desit, sive forte damno tibi auferatur aliquid, cithariza securus. Non est enim ille tibi ablatus qui dedit, quamvis tibi ablatum fuerit quod dedit. Etiam sic, inquam, cithariza securus, certus in Deo tuo, tange chordas in corde tuo, et dic tamquam in cithara in inferiore parte bene sonante: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. »

Saul liberatus a dæmone per citharam Davidis.

Recedebat enim ab eo Spiritus malus.) Videtur ergo dæmon, qui prius ad pulsum citharæ Davidis, remiserat de sua sævitia vexandi Saulem, eodem pulsu sæpius iterato et continuato tandem plane victus, a Saule recessisse. Pro *recedebat* enim Hebr. et Græca habent; *recessit*, ideoque Saul iam sanatus, Davidem ad Patrem Iesse domum remisit. Unde cap. sequenti Saul Davidem ad se redeuntem non agnovit; sed parta a Davide contra Goliath victoria, audiens populum illi acclamare: *Percussit Saul mille, et David decem millia;* invidia et odio in eum exardescens, rursum a dæmone agitari cœpit, ut patet c. 18. 10. nec deinceps ab eo liberatus legitur; quia Davidem, quasi æmulum, eiusque citharam amplius non ferebat.

Sed postea iterum possessus.

Porro, David a Saule dimissus, ad patrem et oves suas rediit; non eo quod immineret bellum Sauli a Philisthæis, ut ait Ioseph. et Abulens. sed quia Saul iam curatus, Davide non egebat; ac David magis caulam, quam aulam, id est vitam privatam, quam aulicam diligebat. Tunc vero, ait Chrys. hom. in Psalm. 50. « David adolescens civitates quidem ac turbas aufugiens, per eremum vero philosophatus nihil commune sæcularium habens, non negotiationes, non fœnerationes, non aliquid difficile mundi huius, sed et parva ætate in deserto silentii habitabat; et sicut in portu tranquillo, in eremo sedens et ovium curam habens, regnum cæleste meditabatur: ac non robore corporis, sed virtute fidei ursos et leones gregem suum invadentes occidebat, » ut ipse ait c. seq. v. 35. et 36.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duellum Davidis cum Goliath, in quo David eum funda v. 49. prostravit, et gladio proprio caput amputavit. Unde fugiunt v. 52. Philisthæi, ac cædunt eos insequentes Hebræi. Denique v. 57. Abner Davidem triumphantem et manu gestantem caput Goliath ad Saulem deducit.

1. Congregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Iudæ: et castrametati sunt inter Socho et Azeca, in finibus Dommim. 2. Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in Vallem Terebinthi, et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim. 3. Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex altera parte: vallisque erat inter eos. 4. Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmi: 5. Et cassis ærea super caput eius, et lorica squamata induebatur. Porro pondus loricæ eius, quinque millia siclorum æris erat: 6. Et ocreas æreas habebat in cruribus: et clypeus æreus tegebat humeros eius. 7. Hastile autem hastæ eius, erat quasi liciatorium texentium; ipsum autem ferrum hastæ eius, sexcentos siclos habebat ferri: et armiger eius antecedebat eum. 8. Stansque clamabat adversum phalangas Israel, et dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen. 9. Si quiverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis. 10. Et aiebat Philisthæus: Ego exprobravi agminibus Israel hodie: Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. 11. Audiens autem Saul, et omnes Israelitæ, sermones Philisthæi huiuscemodi, stupebant, et metuebant nimis. 12. David autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandævus inter viros. 13. Abierunt autem tres filii eius maiores post Saul in prælium: et nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertiusque Samma. 14. David autem erat minimus. Tribus ergo maioribus secutis Saulem. 15. Abiit David, et reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem. 16. Procedebat vero Philisthæus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus. 17. Dixit autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos. 18. Et decem formellas casei has deferes ad tribunum: et fratres tuos visitabis, si recte agant: et cum quibus ordinati sunt, disce: 19. Saul autem, et illi, et omnes filii Israel in Valle terebinthi pugnabant adversum Philisthiim. 20. Surrexit itaque David mane et commendavit gregem custodi: et onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in

certamine. 21. Direxerat enim aciem Israel, sed et Philisthiim ex adverso fuerant præparati. 22. Derelinquens ergo David vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos. 23. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum: et loquente eo hæc eadem verba audivit David. 24. Omnes autem Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt a facie eius, timentes eum valde. 25. Et dixit unus quispiam de Israel: Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum enim Israel ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei, et domum patris eius faciet absque tributo in Israel. 26. Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, et tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis? 27. Referebat autem ei populus eumdem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum. 28. Quod cum audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, et ait: Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui: quia ut videres prælium, descendisti. 29. Et dixit David: Quid feci? numquid non verbum est? 30. Et declinavit paululum ab eo ad alium: dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius. 31. Audita sunt autem verba, quæ locutus est David, et annuntiata in conspectu Saul. 32. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo: ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philisthæum. 33. Et ait Saul ad David: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. 34. Dixitque David ad Saul: Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis: 35. Et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum: et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. 36. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur et Philisthæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam, et auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis? 37. Et ait David: Dominus qui eripuit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad David: Vade, et Dominus tecum sit. 38. Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput eius, et vestivit eum lorica. 39. Accinctus ergo David gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere, quia non usum habeo. Et deposuit ea, 40. Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, et fundam manu tulit: et processit adversum Philisthæum. 41. Ibat autem Philisthæus incedens, et appropinquans adversum David, et armiger eius ante eum. 42. Cumque inspexisset Philisthæus, et vidisset David, despexit eum. Erat enim adolescens rufus, et pulcher aspectu. 43. Et dixit Philisthæus ad David: Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus David in diis suis: 44. Dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cæli et bestiis terræ. 45. Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti 46. Hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te: et dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cæli, et bestiis terræ: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, 47. Et noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras. 48. Cum ergo surrexisset Philisthæus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi. 49. Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda iecit, et circumducens percussit Philisthæum in fronte: et infixus est lapis in fronte eius, et cecidit in faciem suam super terram. 50. Prævaluitque David adversum Philisthæum in funda et lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David, 51. Cucurrit, et stetit super Philisthæum, et tulit gladium eius, et eduxit eum de vagina sua; et interfecit eum, præciditque caput eius. Videntes autem Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. 52. Et consurgentes viri Israel et Iuda vociferati sunt, et persecuti sunt Philisthæos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accaron, cecideruntque vulnerati de Philisthiim in via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron. 53. Et revertentes filii Israel postquam persecuti fuerant Philisthæos, invaserunt castra eorum. 54. Assumens autem David caput Philisthæi, attulit illud in Ierusalem: arma vero eius posuit in tabernaculo suo. 55. Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, si novi. 56. Et ait rex: Interroga tu, cuius filius sit iste puer. 57. Cumque regressus esset David, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, et introduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu. 58. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, o adolescens? Dixitque David: Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

Vers. 4. Et egressus est vir Spurius,) Pro *Spurius* Hebr. est בנים *benaim*, quod primo Vatab. Pagnin. Marinus et Rabbini vertunt: *inter duas acies*, q. d. *intermedius*, sequester, duellio; qui scilicet inter duas acies Hebræorum et Philisthinorum, medium se interponeret, ac Hebræos provocaret ad duellum secum ineundum.

Secundo, alii *benaim* vertunt: *instar duorum;* Goliath enim tam magnitudine quam robore par erat duobus: Unde Sept. vertunt: δυνατος, id est, *potens.*

Tertio, recte Noster vertit: *Spurius.* Nam *benaim*, cum sit duale, ad verbum idem est quod, *inter duos*, scilicet patres conceptus, cuius scilicet pater est incertus; qui olim S. P. id est, *sine patre,* scilicet certo dicebatur; ideoque *spurius,* ait ex Plutar. Sigonius in nomin. Roman. Quia enim furtivi fornicariorum amores solent esse vehementes et ardentes, idcirco totos se suaque in generatione effundunt, ac procreant gigantes et monstra. Hæc enim originis gigantum fuit causa, ut dixi Genes. 6. Audi S. Isidor. lib. 9. origin. cap. 5. hæc spurio etyma dantem. *Nothus dicitur, qui de patre nobili et matre ignobili gignitur, sicut ex concubina. Est autem hoc nomen Græcum, et in latinitate deficit. Huic contrarius est spurius, qui de matre nobili et patre ignobili nascitur. Idem spurius*

patre incerto, matre vidua genitus: velut, tantum spurii filius, quia muliebrem naturam veteres spurium vocabant, velut ἀπὸ τῆς σπορᾶς, hoc est seminis non patris nomine. Eosdem et favonios appellabant: quia quædam animalia favonio spiritu hausto concipere existimantur. Unde et ii qui non sunt de legitimo matrimonio matrem potius quam patrem sequuntur. Latine autem spurii, quasi extra puritatem, id est quasi immundi.

Spurius ergo a σπείρειν, id est seminare dicitur, eo quod e patre nil habeat nisi semen.

Porro Rabbini aiunt vel potius fingunt Goliath ex Orpha prognatum. Davidem ex Ruth. Idem asserit Philo in Antiq. Biblicis, sed hic est Pseudophilo, et Prudent. in Hammartig. Vide dicta Ruth 1.

Etymon Goliath. NOMINE GOLIATH.) *Goliath* Hebr. idem est quod *captivitas, transmigratio, revolutio,* ait Pagnin. Apte: nam ipse captus et cæsus a Davide, causa fuit quod Philisthæi socii sui caperentur et cæderentur ab Hebræis, itaque victoria et imperium a Philisthæis transmigraret et revolveretur ad Hebræos, primos Philisthæorum dominos.

ALTITUDINIS SEX CUBITORUM ET PALMI.) Erat enim de stirpe gigantum, ait Nazianz. Orat. 30. et Philastr. Hæresi. 39.

Vers. 5. Lorica squamata quæ? ET LORICA SQUAMATA INDUEBATUR.) Regia legunt: *hamata*, sed legendum cum Roman. Chald. Vatablo et Pagnino, *squamata*, id est squamis æreis operta et tecta, ait Vatab. Sept. tamen vertunt: *hamata*, id est hamis, id est catenulis contexta, de qua Virgil. 3. Æneid.

Loricam consertam hamis, auroque trilicem.

Porro 2. Reg. v. 19. dicitur Adeodatus Bethlehemites percussisse Goliath Gethæum, *cuius hastile erat quasi liciatorium texentium.* Ubi Chald. Raban. Lyran. Glossa et Rabbini per Adeodatum accipiunt Davidem, ut sit eadem historia et pugna cum hac quæ hoc capite describitur.

Adeodatus qui Goliath percussit, non fuit David. Melius Iosephus, Abul. Serarius et alii censent esse diversam, eo quod 1. Paral. 20. 5. Adeodatus dicatur percussisse fratrem Goliath: quare sicut David percussit Goliath, sic Adeodatus unus ex fortibus militibus Davidis percussit fratrem eius, qui pariter vocabatur *Goliath;* aut certe dicebatur Goliath, quia proceritate et robore, æque ac superbia et audacia similis erat Goliatho Davidis. Sic vulgo dicimus de viro forti: Iste est alter Samson, vel alter Hercules.

Vers. 7. HASTILE AUTEM HASTÆ EIUS ERAT QUASI LICIATORIUM (Chald. et Vatab. *quasi iugum*) TEXENTIUM.) *Licia* vocantur fila quibus in pannis textores implicant et intexunt stamina, idque circa lignum crassum, quod ab iis *liciatorium* dicitur vel *iugum*, eo quod textores telam illi iungant et circa illud convolvant. Unde Ovid. 6. Metam. *Tela iugo est iuncta.*

Vers. 8. Duellum aliquando licitum. ELIGITE EX VOBIS VIRUM, ET DESCENDAT AD SINGULARE CERTAMEN.) Subinde licet bellum vertere in duellum: cum id publica auctoritate fit, ut unius cæde multorum strages redimantur. Sicut Romani bellum cum Albanis verterunt in duellum trium Horatiorum cum tribus Curiatiis, utrimque tergeminis fratribus. Vide Theologos de bello et duello disserentes. Verum Goliath hic inique et ex fastu duellum hoc ambivit, et ad illud singulos Hebræos provocavit, confisus sua proceritate, robore et armatura, putans neminem sibi posse æquari vel resistere; quare merito Deus eius fastum stravit per Davidem: uti sæpe in duellis provocantes iusto Dei vindicis iudicio succumbunt et cæduntur. Sic Radislaus Dux Curmiensis, iniuste invadens Boemiam, eius regem S. Wenceslaum provocavit ad duellum: acceptavit illud rex sanctus, ut bellum duello, et populi periculum suo unius redimeret. Dum ergo equum conscendit, vidit eius adversarius illi ab Angelo hastam porrigi, se vero hac voce cælesti moneri: *Noli ferire:* quo viso perterritus, ex equo Duellum S. Wenceslai Boemiæ Regis. desiliit, ad pedes S. Wenceslai procidit, veniam petiit, quam ei rex mitis, ad parcendum quam ad ulciscendum pronior illico indulsit. Ita habet eius vita et Æneas Sylvius c. 15. Boemiæ. Audi S. Ambros. lib. 1. offic. c. 35. « Numquam David nisi lacessitus bellum intulit. Itaque prudentiam, fortitudinis comitem habuit in prælio. Nam et adversus Goliam, immani mole corporis virum singulari certamine dimicaturus, arma quibus oneraretur respuit. Virtus enim suis lacertis magis quam alienis integumentis nititur. Deinde eminus, quo gravius feriret, ictu lapidis hostem interemit: postea numquam nisi consulto Domino bellum adorsus est. Ideo in omnibus victor præliis usque ad summam senectam manu promptus, bello adversum Titanas suscepto, ferocibus bellator miscebatur agminibus, gloriæ cupidus, incuriosus salutis.

ABIERUNT AUTEM TRES FILII EIUS MAIORES POST SAUL Vers. 13. IN PRÆLIUM.) Ergo Saul iam per Davidem citharizantem liberatus erat a spiritu malo: alioqui enim nec ivisset ad prælium, nec Davidem a se dimisisset.

ACCIPE FRATRIBUS TUIS EPHI POLENTÆ, etc. Vers. 17.

ET DECEM FORMELLAS CASEI.) Id est ut Chald. et Vatab. *Et decem caseos lactis;* ex lacte enim coagulantur casei in formas rotundas vel quadratas, quæ *formellæ* vocantur. Vers. 18.

Allegor. S. Aug. Serm. 197. qui est de Davide et Goliath, totum hoc caput et duellum explicat de Christo duellante cum diabolo: « Isai, inquit, gessit typum Dei Patris. Isai misit David ut requireret fratres suos; et Deus Pater misit unigenitum suum, ex cuius persona scriptum est: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Ad requirendos enim fratres suos venerat Christus, quando dicebat: Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel. » Et paulo post: « Venit ergo David cum tribus mensuris, et decem formellis casei, ut fratres suos in prælio positos visitaret; quia venturus erat Christus cum Decalogo legis et mysterio Trinitatis, ut genus humanum de potestate Diaboli liberaret. »

ET CUM QUIBUS ORDINATI SUNT, DISCE.) Hebr. ערבתם *arubbatam*, id est *mistionem eorum accipe*, hoc est cognosce cum quibus misti et sociati sunt. Forte Noster pro ערבתם *arubbatam*, legit vicinum ערכתם *arecatam*, id est *ordinem eorum.* Unde vertit: *Cum quibus ordinati sunt disce.* Septuag. *Quibus indigeant cognosce.* Chald. *bonitatem eorum affer.* Pagn. *Pignus eorum tolle*, id est redime. Vatab. *Affer quædam diversi generis* (quasi mista) *quæ illis tradas.*

ET VENIT AD LOCUM MAGALA.) Locus ita dictus quasi: Vers. 20. *Castrorum vallum* a circulari forma; עגול *agol*, enim significat rotundum sive circulum; vel a curruum ambitu: hisce enim vallare solent castra, ac currus rotundis sive circularibus aguntur rotis. Unde Sept. vertunt: *Et venit in rotunditatem.* Chald. *venit in castra*, Vatab. *venit in vallum castrorum.*

QUIS ENIM EST HIC PHILISTHÆUS INCIRCUMCISUS, Vers. 26. QUI EXPROBRAVIT ACIES DEI VIVENTIS?) Ecce iam spiritu Dei impellente David parturit monomachiam cum Golia, ut honorem tum Dei, tum Israelis tueatur. Unde S. Ambros. in Psalm. 118. Serm. 17. « David, inquit, perterritis omnibus, allophyli impetum lusit, et singulari certamine summam belli et totius prælii pondus excepit, virtute sua solus commune crimen refellens, et totius retorquens in hostem plebis opprobrium. » Et Serm. 18. docet Davidem hic prælusisse Christo: « Gerebat enim typum eius, inquit, qui quasi despectus venturus esset in terras, et sine legato, sine adiutore, sine nuntio totum populum mundi huius, crucis suæ prælio liberaret: cui applauderent animæ sanctorum per baptismatis Sacramenta renovatæ, quod verum illum Goliam revelatum nobis ac proditum, verbi sui gladio trucidasset. Iacet igitur verus Golias humilitate filii Dei stratus, amisit caput quod in multas artes vertebat et fraudes. Psallunt securæ iam animæ, quæ ante peccatorum suorum tormenta deflebant. Dicunt tympanis, hoc est corporibus suis peccato mortuis resultantes: Saul triumphavit in millibus, David in decem millibus. Rex ille durus indignatur, et irascitur diabolus, eo quod canerent iuvenculæ: quia duritiæ filius paucos decepit, Christus totum mundum redemit. »

QUOD CUM AUDISSET ELIAB FRATER EIUS MAIOR, etc. Vers. 28. IRATUS EST CONTRA DAVID etc.) Vel ex prudentia hu-

mana arguens Davidis iuvenis curiositatem, superbiam et temeritatem, quasi qui monomachiam cum gigante ambiret; vel idipsum faciens ex quadam æmulatione vel invidiola, ait Theodor. Unde Allegor. S. August. Serm. 197. iam citato: « Frater iste senior, inquit, qui David typum Christi gerentem per malitiam increpavit, significavit populum Iudæorum qui per invidiam Christo Domino, qui pro salute humani generis venerat, detraxerunt, et multis frequenter iniuriis affecerunt. Quare, inquit, dimisisti oves illas et venisti ad prælium? Quasi non tibi videtur per os eius saluti hominum invidens diabolus loqui: tamquam si diceret Christo: Quare dimisisti nonaginta et novem oves quæ non erraverunt, et venisti ut unam requireres quæ perierat, et eam de manu spiritalis Goliæ, id est de potestate diaboli per crucis baculum liberatam ad ovile proprium revocares: Quare, inquit, dimisisti oves paucas illas? »

Vers. 29. Numquid non verbum est?) q. d. Non quæro bellare, uti me videris arguere quod ea de causa oves deseruerim, sed tantum sermocinor de communi rumore et loquela, quæ in omnium ore circa hunc gigantem versatur. Ita S. Chrys. hom. 46. in Genes. « Vide, ait, huius prudentiam et mansuetudinem. Nihil temerarium vel asperum iis loquitur, sed reprimens eorum flammam et demulcens invidiam inquit: Numquid, inquit, vidistis me arma arripere? Numquid vidistis me adordinari ceteris in acie? Tantum videre volui et interrogare, unde tantum huic insaniæ? »

Vers. 31. Audita sunt autem verba quæ locutus est David.) Inquirens de præmio vincentis Goliam; unde illa audientes cognoscebant eius animositatem et desiderium duellandi cum Goliath illi a Deo immissum; ideoque rem totam annuntiarunt Sauli, qui Davidem videns et audiens tanto animo ad duellum cum gigante se offerentem, agnovit in eo aliquid inesse cæleste et divinum. Nam ut ait S. Chrys. hom. de Davide et Saule, David non ex superbia vel temeritate, sed accensus zelo et patriæ charitate ad barbarum cucurrit.

Vers. 36. Nam et leonem et ursum interfeci.) Allegor. S. August. serm. 197. « David, id est Christus tunc leonem et ursum strangulavit, quando ad inferna descendens omnes de eorum faucibus liberavit. Denique audi prophetam ex persona Domini supplicantem: Erue a framea animam meam, et de manu canis unicam meam: libera me ex ore leonis. Et quia ursus in manu fortitudinem habet, et leo in ore, in istis duabus bestiis idem diabolus figuratus est. Hoc ergo ex persona Christi dictum est, ut unica eius Ecclesia de manu, id est de potestate, vel de ore diaboli tolleretur. »

Tropol. Abbas Pæmen rogatus a quodam tentato spiritu fornicationis, ut daret sibi remedium, respondit illud David 1. Reg. 17. « Quia leonem quidem percutiebam, nam et ursum frequens suffocabam. Hoc autem ita intelligitur, quia furorem ab animo meo abscindebam, fornicationem autem in laboribus affligebam. » Ita Ruffinus in vitis Patr. libr. 3. num. 16.

Vers. 38. Et induit Saul David vestimentis suis.) Videbat enim tantos Davidis animos non posse esse nisi a Deo: illum ergo a Deo agi ad hoc duellum censebat. Hinc patet Davidem procero fuisse corpore; alioqui enim proceri Saulis vestes et arma illi aptari nequivissent. Minus enim congruum est quod ait Lyran. Serarius et alii, vestes has dici Saulis non quod essent ipsius, sed quod ex vestiario eius essent depromptæ. Peius Rabbini fingunt Deum vestes Saulis adaptasse corpori Davidis. Fecit hoc Saul, ut Davidem honoraret et animaret ad duellum.

David fuit procerus corpore.

Vers. 40. Et tulit baculum suum, etc. et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem.) Quali uti solent pastores, ut in ea reculas suas recondant. Minus apte ergo S. Chrysost. S. August. et Rupert. pro *peram* vertunt *situlam* sive *mulctram lactis*, in qua pastores solent mulgere lac ex ovibus. Ad quid enim *mulctra* in hoc duello?

Et processit adversum Philisthæum.) *David hominibus videbatur inermis, sed gladio divinitatis erat armatus*, ait S. Ambr. ser. 88.

Allegor. S. August. serm. 197. « David, inquit, gessit typum Christi. Quis enim contra Goliath, id est diabolum pugnare poterat, antequam Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? David enim interpretatur manu fortis. Quid eo fortius, fratres, qui universum mundum vicit armatus non ferro sed ligno? Stabant ergo filii Israel contra adversarios quadraginta diebus. Quadraginta dies propter quatuor tempora et quatuor partes orbis terræ, vitam præsentem significant, in qua contra Goliath et exercitum eius, id est contra diabolum et angelos Christianorum populus pugnare non desinit. Nec tamen vincere, posset, nisi verus David Christus cum baculo, id est cum Crucis mysterio descendisset. » Et post nonnulla: « Venit ergo Christus et alligavit diabolum. Sed dicit aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est fratres charissimi, quia multum prævalet, sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur: alligatus est enim tamquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam videte fratres, quam stultus est homo ille quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluntates et cupiditates sæculi noli coniungere, et ille ad te non præsumet accedere: latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet a nobis consensum, sed petit. » Et mox: « David tulit baculum, Christus portat crucem. »

Tropol. S. Bernard. serm. in Domin. 4. post Pentecosten: per quinque lapides Davidis accipit quinque virtutes, quibus prosternimus Goliath, id est mentis elationem, nimirum comminationem pœnarum, promissionem præmiorum, dilectionem Dei, imitationem sanctorum, et orationem.

Hinc rursum S. August. in Psalm. 33. Conc. 1. « Quod David, ait, prostravit Goliam, Christus est qui occidit diabolum. Quid est autem Christus, qui diabolum occidit? humilitas occidit superbiam. » Et mox: « Viam enim nobis fecit per humilitatem quia per superbiam recesseramus a Deo, redire ad Deum, nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis præponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem. Deus factus est humilis: ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. »

Despexit eum: erat enim adolescens rufus et Vers 42
pulcher aspectu.) *Despexit* Goliath Davidem, quia ipse erat adolescens, ac pene inermis et pulcher. Despexit ergo eius ætatem, arma et pulchritudinem. Æstimabat eum imbellem, eo quod esset tam pulcher. Bellicosi enim solent esse vultu martio et feroci, non eleganti et pulchro. Unde Isidorus Clarius: « Despexit, inquit, eum, quod non esset vir bellicosus, et pugnis assuetus: nam cernebat eum iuvenem rubicundum, et pulchro aspectu; quales Martiales homines esse non solent, quos radii solares et assidua defatigatio deformes reddunt. »

Hinc Tertul. bellum Messiæ de quo dicitur Psalm. 44. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, lib. 4. contra Iudæos c. 9. probat fore spirituale non corporale, eo quod præcessit v. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum. Valde autem*, ait Tertul. *absurdum est, si quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestivitate decoris et labiorum gratia blandiebatur.* Unde Seneca in Hippolyto: *Quam grata est*, inquit, *species torva viriliter.* Aristot. in Ethicis, ait primam pulchritudinis partem esse, *ut corpus aptum sit ad ferendos labores*: additque requiri quandam *in vultu ferociam, ut hostibus terribilis videatur*, qualem in Alexandro Magno fuisse docet Rhodiginus lib. 9. c. 24. qualem Cicero lib. 1. de officiis vocat, *dignitatem virilem*: ac talem in Davide fuisse, et cum æ-

Pulchritudo martia quæ?

tate bellisque quæ assidue gessit, crevisse non est dubium, ut patet ex hoc conflictu cum Goliath, et magis patebit ex sequent. *Præstantissima forma*, ait Euripides, *digna est imperio.* Sicut enim deformitas in Iuliano Apostata, ut refert D. Greg. Nazian. orat. 4. contra illum; et in Caligula, Othone, Galba et similibus, ut refert Tranquillus, non obscure prodidit illos pessimos fore Imperatores, ita plane dignitas et liberalitas formæ eos optime imperaturos præmonstravit. Nam de Iulio Cæsare, *Colore fuisse candido, teretibus membris, ore pleniore, vegetisque oculis*: De Augusto, *Forma fuisse eximia et per omnes ætatis gradus venustissima:* De Tito Vespasiano, *Forma egregia, et cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ*, testatur Svetonius in eorum vitis. Idem de Alexandro scribit Plutarch. Polybius lib. 4. laudat Philippum Macedoniæ regem, Alexandri parentem ab specie atque egregio aspectu, addens, non facile fuisse regem reperire pluribus naturæ dotibus ornatum. Et de Scipione Plutarch. in eius vita: « Erat, inquit, Scipio animo aliisque virtutibus vehementer excellens, sed præstantiori etiam pulchritudine oris, totiusque corporis forma conspicuus, læta atque hilari fronte: quæ plurimum valent ad gratiam conciliandam. » Pacatus in Panegyr. ad Theodosium: « Augustissima, inquit, quæque species plurimum creditur habere e cælo. » Et subdit: « Virtus tua meruit imperium; sed virtuti addidit forma suffragium: illa præstitit, ut oporteret te Principem fieri; hæc ut deceret.

Vers. 43. NUMQUID CANIS EGO SUM?) q. d. ait S. Chrysost. hom. 46. in Genes. « Putasti te adhuc apud oves esse, et canes quosdam persequi? et ita contra me, quasi contra canem istrumentis illis instructus in pugnam venisti? statim experientia disces non tibi cum homine vulgari bellum esse. »

Goliath erat canis. Sed vere Goliath impudentia, infidelitate, spurcitia erat canis; ideoque ut canis lapide percussus est a Davide. Audi S. Paulin. natali 5.

Ille gigas pueri funda pastoris obivit
Ut canis.

ET MALEDIXIT PHILISTHÆUS DAVID IN DIIS SUIS.) Dicendo v. g. perdant te Dii nostri, percutiat te noster Dagon. Porro David, ait Basil. Seleu. Orat. 15. hinc animos et omen victoriæ capiebat dicens: *Maledicam inimici linguam victoriæ pignus teneo:* tum quia maledicos punire, tum quia Deos gentium humiliare solet Deus cum suis cultoribus.

Vers. 45. DIXIT AUTEM DAVID AD PHILISTHÆUM: TU VENIS AD ME CUM GLADIO, ET HASTA ET CLYPEO; EGO AUTEM VENIO AD TE IN NOMINE DOMINI EXERCITUUM) Hinc patet Davidem a Deo impulsum suscepisse hoc duellum; alioqui enim temere iuvenis giganti, inermis armato, imbellis bellicoso se opposuisset. Ita Ioseph. Theodor. et alii. Deus ergo illi animos æque ac vires indidit, ac spem certam victoriæ. Unde subdit David.

Vers. 46. ET DABIT TE DOMINUS IN MANU MEA.) q. d. Idcirco plane inermis tibi armato occurro, ut ostendam me uno Deo niti, et in eo omnem victoriæ spem reponere, quod scilicet ipse te adeo elatum mea manu percutiet et occidet. *Sic, sic*, ait S. August. serm. 5. de verbis Apostoli: *aliter non, omnino aliter non prosternitur inimicus. Qui pugnat viribus suis, antequam pugnet ipse prosternitur.* Hæ voces Davidi inermi victoriam et regnum pepererunt. Unde Basil. Seleuc. orat. 15. exclamat: *O plenas amoris divini voces, vel ante victoriam potitas victoria! O qui palam fecisti fidem ad pugnam armis non indigere! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim! tales animas legere novit gratia*: *quare et cura gregis distentum vocavit ad regnum.*

Audi S. Chrysost. hom. de David et Goliath: « David dixit ad eum: Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo; tu terrenis dimicas, ego cælestibus pugno; tu in lancea, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace; tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma vertentur, in te tuus gladius exeretur. Dei est enim hæc pugna, Dei erit et ipsa victoria. »

Porro Iosephus 6. Antiq. c. 10. Davidem Goliæ dixisse ait: « Tu me invadis hasta tua confisus, et thorace et gladio: mihi vero pro armatura Deus est, qui te ac tuum exercitum hodie nostris manibus deleturus est. Nota τό mihi vero pro armatura Deus est. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? » Rom. 8.

PERCUSSIT PHILISTHÆUM IN FRONTE: ET INFIXUS EST LAPIS IN FRONTE EIUS, ET CECIDIT IN FACIEM SUAM SUPER TERRAM.) Chald. *Percussit Philisthæum super domum oculorum eius, et infixus est lapis in domo oculorum eius, et cecidit super nasum suum in terram.* Ergo Goliath galea sua texerat caput, sed non frontem, præsertim quia Davidem quasi inermem despiciebat; aut si eam texerat, tam valide David roboratus a Deo lapidem vibravit, ut galeam perfringeret. Vers. 49.

David frontem Goliæ terebravit. Hinc patet primo, Davidem fuisse insignem fundibularium: petiit autem frontem Goliæ, quia ea perfracta lædebat cerebrum Goliæ, a quo omnis spiritus, motus et sensus manat: itaque fecit eum quasi exanimem et stupidum in terram corruere. Patet secundo, ictum hunc Davidis adeo fuisse validum, ut lapis frontem Goliæ terebraret et cerebrum feriret: inde enim quasi motu et sensu destitutus concidit. Ita Abulens. Et Prudentius in Psychomachia.

Traiectumque cavo, terebravit vulnere frontem.

Patet tertio, primo unius lapidis ictu Goliam corruisse. Minus ergo bene Glossa et Hugo censent, Goliam ternis lapidibus et ictibus a Davide prostratum fuisse, ut trinam Christi a diabolo tentati repulsam et victoriam repræsentaret. Addit Chald. Rabbini et Philo, vel potius Pseudophilo in Antiq. Biblicis Davidem lapidi quo percussit Goliath, inscripsisse nomen Dei et Patriarcharum. Verius Panthaleon Chartophylax Ecclesiæ Chonensis hom. de S. Michaele (extat apud Surium in festo S. Michaelis) asserit Archangelum Michaelem quasi præsidem Synagogæ et protectorem Israelis, æque ac Davidis regis, per eum percussisse Goliam.

Mystice S. August. serm. 197. de Tempore: « Videte, ait, fratres, ubi David Goliath percusserit, in fronte utique ubi crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus, crucis typum habuit, ita etiam et lapis ille de quo percussus est, Christum Dominum figurabat. Ipse est enim lapis vivus, de quo scriptum est: lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.» Et inferius Tropologiam afferens: « Quod vero, inquit, in fronte percussus est, hoc significat, quod modo in nostris competentibus exercetur, quia quando Cathecumenus in fronte signatur, spiritalis Goliath percutitur, et diabolus effugatur. »

Idem August. hom. 31. inter 50. in fine: « Golias, inquit, de viribus suis superbus, elatus, inflatus, primo totam victoriam universæ partis suæ in se uno constituit. Et quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide veniente deiectus est. Evacuata est frons, quæ habebat impudentiam superbiæ suæ, et vicit frons quæ habebat humilitatem crucis Christi. Propterea et nos signum ipsum crucis in fronte portamus, quia illud intelligimus » Ita S. August. in ista homil. cuius titulus est: « de Monomachia Davidis et Goliæ. »

Tropol. Duellum Davidis cum Golia repræsentat luctam spiritus cum carne, qui scilicet carnem suam lapide austeritatis deiicit, et gladio mortificationis caput illi abscindit ne præsit, sed subsit. Unde S. Chrysost. Goliath vocat, *turrim carneam.* Rursum subigit sibi frontem, quia in fronte animi indoles et passiones, ac præsertim superbia, impudentia et feritas cernitur. Unde Aristot. lib. 1. de hist. anim. c. 8. *Quibus*, ait, *frons magna est, sunt segnes: quibus parva, mobiles: quibus lata, mente moveri idonei; quibus rotunda, iracundi.* Eadem pene ad verbum habet Plinius lib. 11. c. 52. qui et c. 37. addit: *Frons et aliis* (animalibus) *sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index.* Denique spiritus validus subigit sibi cerebrum sub fronte latens, quod est officina omnis pravæ cogitationis et concupiscentiæ.

ET TULIT GLADIUM EIUS, etc. PRÆCIDITQUE CAPUT Vers. 51.

EIUS.) David ergo Goliam suo ipsius gladio peremit. Eo gloriosior fuit eius victoria: licet enim Goliath lapide ictus corruerit in terram, non tamen illico mortuus occubuit, sed tunc demum, cum David illi caput amputavit. Porro Philo vel potius, Pseudophilo in Antiq. Biblicis, narrat vel potius fingit Goliam, cum Davidem suum in se gladium stringentem videret dixisse: « Festina et interfice me, et exulta. Et dixit ei David: Antequam moriaris aperi oculos tuos, et vide interfectorem tuum, qui te interfecit. Et respiciens Allophylus vidit Angelum, et dixit: Non solus occidisti me, sed qui tecum aderat, cuius species non est sicut species hominis. Et tunc David abstulit caput eius ab eo.»

Allegorice D. August. serm. 197. de Tempore: « Quod, inquit, David non habens gladium ascendit super Goliath, et eum proprio interfecit gladio; designatum est, quod in adventu Christi suo gladio diabolus victus est, qui per nequitiam suam et iniustam persecutionem, quam exercuit in Christum, omnium in eum credentium perdidit principatum. »

Denique unctio Samuelis hic operabatur: hoc enim duello et victoria David stravit sibi viam ad regnum, ad quod a Deo destinatus, et a Samuele unctus erat. Unde Salianus et alii censent duellum hoc paulo post unctionem contigisse, scilicet unctum fuisse Davidem anno ætatis 20. qui regni Saulis erat octavus, duellum vero hoc iniisse anno ætatis 21. qui fuit Saulis decimus.

Vers. 54. ASSUMENS AUTEM DAVID CAPUT PHILISTHÆI ATTULIT ILLUD IN IERUSALEM.) Prius illud in castra intulit, deinde per urbes circumtulit, ac tandem in Ierusalem velut regni Israelis caput detulit. Quare merito S. Chrysost. hom. de David cum Goliam devicit, ei congratulans hoc Epinicium cecinit: « Quibus ego te laudibus, quibusque gloriis præferam sancte ac religiose puer, qui innocentia pares, virtute fortes, senes merito prævenisti: qui potuisti, desistentibus cunctis, immanem belluam vincere, hostem prosternere, inimicum populi detruncare? Tu enim deficiente rege, rex ipse et dignitate et merito extitisti. In desistentibus fortibus fortiter in prælium prosiliisti. Tu formidanti populo et Goliæ sævitiam molienti, dum fortissime geris, victoriam de hoste Dei populo tradidisti. »

ARMA VERO EIUS POSUIT IN TABERNACULO SUO,) puta in domo patris sui Iesse, quæ erat in Bethlehem; ac post Saulem rex factus, in regiam suam transtulit. Excipe gladium Goliæ: hunc enim David sacravit Deo, et in eius tabernaculo reposuit, ut esset perenne victoriæ huius a Deo acceptæ monumentum: inde enim David fugiens Saulem gladium hunc a Pontifice recepit in urbe Nobe, uti audiemus c. 21. 8. Basil. Seleuc. orat. 15. *Sectum caput*, ait, *cum sectore gladio, victoriæ parenti donatum offert, et cum quæ devicerat, Deo offert, ei victoriam arrogat. O qui palam egisti, fidem ad pugnam nullis egere armis! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim!*

Porro de gladio hoc ait David Psal. 143. 11. *De gladio maligno eripe me.* Nam Psalmus hic a Septuag. inscribitur. *Psalmus contra Goliath:* unde et Chald. vertit: *A gladio Goliath eripe me.* Quare David ante duellum Psalmum hunc composuisse, eoque Dei opem implorasse videtur: unde mox a Deo animatus, duellum iniit, vicit, triumphavit. Aut potius Psalmum hunc parta victoria quasi Epinicium Deo cecinit. Sic enim orditur: *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Simile Epinicium Davidi cecinit Eccles. c. 47. 4. et seq. ubi et causam victoriæ assignat dicens: *Nam invocavit Dominum omnipotentem.*

DE QUA STIRPE DESCENDIT HIC ADOLESCENS?) Videtur Saul non agnovisse Davidem qui paulo ante fuerat ei familiaris, imo eius armiger et citharœdus. Unde hoc? Respondet Pseudophilo paulo ante citatus: *Angelus*, inquit, *Domini erexit faciem David, et nemo agnoscebat eum. Et videns Saul David, interrogavit eum, quis esset? et non erat qui cognosceret eum.* Sed hoc est fabulosum. Vers. 55. Davidem Saul non agnovit. Cur? Resp. I.

II. Secundo, Caiet. et Torniellus respondent inter duellum hoc et citharizationem Davidis multos intercessisse annos, quibus vultus Davidis crescentis ita fuerit immutatus, factusque virilis, ut nec a Saule nec ab Abner fuerit agnitus. Verum contrarium innuit hic series historiæ, in qua citharizationi illico duellum hoc subiungitur: unde Salianus asserit inter utrumque octodecim menses dumtaxat intercessisse.

III. Tertio Theodor. et ex eo Procopius respondent Saulem non agnovisse Davidem, vel quia furibundus cithara ludentem non sentiebat, vel quod invidia stimulante diligenter et accurate cognoscere noluit, cuias, et quisnam esset. Verum necdum audierat Saul voces populi: *Percussit Saul mille, et David decem millia,* quæ fuit origo invidiæ; atque a Davide citharizante curatus cessantibus furiis non poterat non eum agnoscere et diligere, uti dictum est c. præced. v. 21.

IV. Quarto Magister histor. Scholast. respondet, Saulem propter exagitationem spiritus maligni factum esse labilis memoriæ, ideoque Davidis fuisse oblitum. Idem videtur velle Lyran. Verum etiamsi hoc non sit improbabile, non tamen omnino satisfacit.

V. Genuine. Dico ergo varias huius ignorationis in Saule fuisse causas. Prima, quod David iam grandescens barba vestiebatur, quam prius non habuerat, ait S. August. adeoque vultu erat iam magis virili quam iuvenili: solent enim iuvenes cum ad virilem ætatem accedunt, paucis mensibus valde in vultu mutari. Secunda, quod David iam vestiebatur habitu pastoritio: veniebat enim ab ovibus; cum in aula Saulis veste usus fuisset aulica. Tertia, quod reges tot habeant aulicos et famulos, totque regni negotia, ut multorum obliviscantur. Abner quoque militiæ præfectus sæpius ab aula aberat et in castris versabatur; unde Davidem vix videre et nosse poterat.

Addunt Lyran. Dion. et Vatab. Saulem hic non quærere, quisnam sit David, sed ex qua stirpe et quo patre oriundus, ut sciat an dignus sit cui filiam suam det uxorem, in præmium victoriæ cæsori Goliæ a se promissum v. 25. ideoque Davidem respondere, se esse filium Isai Bethlehemitæ, id est se esse e tribu Iuda, quæ erat regalis: Iudæ enim Iacob promiserat regnum, sicut Levi Sacerdotium, Genes. 49. Sed iam sciebat Saul Davidem esse filium Iesse Bethlehemitæ, ab eo enim eum sibi mitti poposcerat c. 16. 22.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Davidi ob Goliam cæsum populus acclamat: Percussit Saul mille, et David decem millia: *quare Saul illi invidens, dolensque eum sibi præferri, cogitat eum occidere: Primo vibrans in eum lanceam, vers. 11. Secundo per Philisthæos in bello, cui eum præfecit, vers. 17. Tertio vers 25. per filiam suam, quam ipsi despondit poscens ab eo pro illa centum præputia Philisthinorum, sperans illum ab eis tandem aliquando occidendum.*

1. ET factum est cum complesset loqui ad Saul: anima Ionathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Ionathas quasi animam suam. 2. Tulitque eum Saul in die illa, et non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui. 3. Inierunt autem David et Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam

suam. 4. Nam expoliavit se Ionathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua, usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum. 5. Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat: posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul. 6. Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris. 7. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia. 8. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis eius sermo iste: dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum? 9. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa, et deinceps. 10. Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ: David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies: tenebatque Saul lanceam. 11. Et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete: et declinavit David a facie eius secundo. 12. Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset. 13. Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros: et egrediebatur et intrabat in conspectu populi. 14. In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. 15. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum. 16. Omnis autem Israel et Iuda diligebat David: ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos. 17. Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi uxorem: tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum. 18. Ait autem David ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis? 19. Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor. 20. Dilexit autem David Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, et placuit ei. 21. Dixitque Saul: Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad David: In duabus rebus gener meus eris hodie. 22. Et mandavit Saul servis suis: Loquimini ad David clam me, dicentes: Ecce places regi, et omnes servi eius diligunt te. Nunc ergo esto gener regis. 23. Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David: Num parum videtur vobis, generum esse regis? ego autem sum vir pauper et tenuis. 24. Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes: Huiuscemodi verba locutus est David. 25. Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum. 26. Cumque renuntiassent servi eius David, verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis. 27. Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthiim ducentos viros, et attulit eorum præputia, et annumeravit ea regi, ut esset gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem. 28. Et vidit Saul, et intellexit quod Dominus esset cum David: Michol autem filia Saul diligebat eum. 29. Et Saul magis cœpit timere David: factusque est Saul inimicus David cunctis diebus. 30. Et egressi sunt principes Philisthinorum: a principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen eius nimis.

Vers. 1. ANIMA IONATHÆ CONGLUTINATA EST ANIMÆ DAVID.) q. d. Ionathas intime et tenerrime Davidem dilexit, ita ut videretur anima ipsius glutino affixa, et quasi in unum compacta cum anima Davidis. Amantis enim anima magis est in amato quam in amante, adeoque amantes unam eamdemque videntur habere animam, mentem et voluntatem. Tales fuere S. August. et amicus ille eius, quem non nominat, sed ita describit lib. 4. Confess. c. 6. « Mirabar enim ceteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat; et me magis quia ille alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo, dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, et ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. »

Amantium anima una.

Tales quoque fuere S. Basilius, et S. Gregor. Nazian. Audi Nazian. orat. 20. in funere S. Basilii: « Una utrique anima videbatur duo corpora ferens. Quod si minor fides iis habenda est, qui omnia in omnibus posita esse dicunt: at nobis certe credendum est, quod uterque in altero, et apud alterum positi eramus. »

Causa amoris fuit similitudo morum et amorum. Ionathas enim æque ac David, erat candidus, probus, bellicosus et triumphans de Philisthæis, uti iam triumpharat David de Golia. Quare Ionathas cum Davide fœdus amicitiæ perpetuæ iniit, et iuramento (addit Abulen. immolatione quoque victimarum) firmavit. Idque bis renovavit c. 20. et 23.

Ionathas ergo valde dissimilis fuit patri suo Sauli: huic enim Davidis virtus et victoria movit invidiam et odium internecinum, Ionathæ vero movit summum amorem.

Vers. 7. PERCUSSIT SAUL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA.) Quia David cæso Golia cecidit tota castra Philisthinorum, in quibus erant plusquam decem millia: hæc enim videndo cæsum esse Goliam, in quo omne suum robur omnemque victoriæ spem collocarant, illico fugerunt, ac fugiendo cæsa sunt ab Hebræis insequentibus c. 17. v. 52. Porro canticum hoc in proverbium abiit, quo utimur cum duos ab insigni virtute laudamus, sed unum alteri præferimus.

Allegor. S. August. serm. 197. de temp. et ex eo Ruper. lib. 2. in lib. Reg. c. 6. « David, ait, id est Christus, maledicti hostis (peccati et diaboli) caput amputavit, id est principatum abstulit, et exinde resurgens ex mortuis in Hierusalem cælestem victor ascendit. Hoc auditu excitatæ per fidem occurrunt animæ nostræ, victori publice et privatim cantantes et ducentes choros lætitiæ. Quid canimus, quid confitemur? Percussit Saul mille, et David decem millia in millibus suis, id est universitatem peccati destruxit in suis virtutibus: suis, inquam, quia non aliunde petitis. »

PERCUSSIT SAUL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA.) Sic Aureliano Imper. qui suamet manu Sarmatas 48. interfecerat, et diversis diebus ultra nongentos et quinquaginta, acclamatum est a pueris die festo saltitantibus militariter: *Mille, mille, mille, mille, mille, mille decolavimus; unus homo mille, mille, mille decolavimus, mille, mille, mille vivat, qui mille, mille occidit: tantum vini habet nemo, quantum fundit sanguinis.* Ita refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor apud Vopiscum in Aureliano. Addit Vopiscus: Idem (Aurelianus) apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ cum Francos per Galliam vagantes valde afflixisset, iterum de eo facta est cantilena: *mille Francos, mille Sarmatas occidimus: Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Similis est illa ad Sponsam acclamatio. Cant. 4. 8. *Veni de Libano, sponsa mea, veni coronaberis de capite Amana, de ver-*

tice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

Vers. 8. Iratus est autem Saul nimis.) Tum populo sic acclamanti, tum Davidi acclamato; in eumque invidiam et odium lethale concepit, præsertim quia videbat populum magis favere Davidi quam sibi, ac Davidem se meliorem, fortiorem et feliciorem a Deo dirigi: unde coniiciebat, in illum transferendum esse regnum, quod Samuel sibi abstulerat. Quare ut regnum sibi suisque posteris assecuraret, omnino statuit occidere Davidem quasi regni sui æmulum; unde ait:

Quid ei superest nisi solum regnum?) q. d. Video Deo gratiam, populi favorem, virtutem et felicitatem bellicam a me transiisse in Davidem: quid superest, nisi ut regnum meum in illum transferatur? Cupido autem regni in regibus est ardentissima: regnum enim est omnis eorum dignitas, gloria, opulentia et felicitas. Qui ergo illud ambit vel aufert, tangit eorum pupillam; imo cor transfigit. Hæc fuit causa odii immanis et perpetui Saulis in Davidem: ideoque pœna culpæ socia mox eum secuta est. Nam rursus invasit eum spiritus malus, a quo David per citharam eum liberarat.

Cupido regni in regibus ardentissima.

Verum ab hoc odio retrahere Saulem debuisset, ait S. Chrysost. hom. de David et Saule: Primo, quod vera dicebat populus: vere enim David occidendo Goliam percusserat decem millia hostium, et amplius. Secundo, quod partem victoriæ daret Sauli dicendo: *Percussit Saul mille*, cum illa tota deberetur David. Tertio, quod David ab hac voce populi erat innocens: nec enim eam procurarat; aut sciverat futuram. Quarto, Davidis modestia, qua semper Sauli se obsequentem, subditum et fidelem in bellis præstitit.

Vers. 9. Non rectis ergo oculis, sed limis, acerbis, torvis, invidis, Saul aspiciebat David a die illa et deinceps.)

Vers. 10. Post diem autem alteram invasit Spiritus Dei malus Saul et prophetabat.) Eo modo quo energumeni, epileptici, furiosi et abreptitii dicuntur prophetare et divinare: quia scilicet non loquuntur ex se, sed potius loquitur per eos mania et furia, scilicet diabolus qui eos corripit et exagitat: et quia tales subinde quædam occulta et abdita homini (sed dæmoni nota) pandunt et revelant. Ita Theodor. Procop. Abulens. et Auctor Quæst. apud S. Hieron. qui, *prophetabat*, interpretatur, *aliena referebat*. Chald. *insaniebat*, Vatab. *desipiebat*, id est insana et stulta loquebatur, uti faciunt insani et furiosi. Est Catachresis: quia enim prophetæ sæpe videbantur populo insanire, ac delira et absurda agere vel loqui, hinc et insani ac energumeni, qui emotæ sunt mentis, ac furiis vel dæmonibus aguntur, cum insana et delira agunt dicuntque, prophetare dicuntur: imo Turcæ Epilepticos et lunaticos, ut veros prophetas habent et venerantur, eo quod Mahomet eorum propheta, laborans epilepsia, cum ea correptus fureret, ut morbum hunc apud suos tegeret, dicebat se corripi tunc a Spiritu divino, ab eoque revelationes accipere et prophetare. *Prophetabat* ergo Saul, id est furebat, bacchabatur, insana agebat et dicebat. Quin et Plato in Timæo, et Plutarchus lib. de oraculis, Enthusiastas, qui spiritu malo acti mira dicunt faciuntque, vocant *Prophetas:* ac Cicero orat. pro Sextio *vaticinari et insanire*, dixit. Ita Theodor. *Pseudoprophetæ*, inquit, *agitati a malo spiritu sunt similes furore percitis Corybantibus. Hoc passus est etiam Saul vexatus a dæmone.* Sic Seneca ait in Medæa:

Incerta qualis entheos (id est Dei spiritu instincta) *cursus tulit.*

Cum iam recepto Mænas insanit Deo.

Et Virgil. lib. 6. Æneid. de Sybilla Æneæ:

Bacchatur vates, inquit, *magnum si pectore possit*
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Porro Philo Biblicus Saulem hæc de se vere ex spiritu malo prophetasse narrat. *Mansit*, inquit, *spiritus in Saul, et prophetavit dicens: Quid seduceris Saul? aut quem persequeris in vanum? Completum est tempus regni tui. Perge in locum tuum: tu enim morieris, et David regnabit. Nonne tu et filius tuus simul moriemini, et tunc apparebit David regnum?* Atque post hæc subiicit: *Et abiit Saul, et nescivit quæ prophetavit.*

Moral. Disce hic diabolicum scelus esse invidiam, ac invidos possideri ac torqueri a diabolo, uti contigit Sauli. Invidia enim propria est diabolo: unde *Invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum.* Sapien. 2.

Invidia est scelus diabolicum.

David autem psallebat manu sua.) Psalterium aut citharam pulsando, ut malum spiritum a Saule abigeret: sed frustra: quia Saule persistente in sua invidia et odio Davidis, perstitit pariter in eo spiritus malus.

Tenebatque Saul lanceam.) Qua in bellis utebatur, quamque ut regni sui insigne ubique secum circumferebat, vel circumferri curabat, ut alibi regibus præfertur gladius.

Et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete.) Vide hic quam invidia Saulem fecit ingratum, ferum et barbarum in Davidem, cui vitam et regnum debebat ob cæsum Goliam et ob citharizationem. Audi S. Chrysost. homil. de David et Saule: « Per illum vicit rex ac principatum obtinuit; et quam reposuit gratiam? Nam si quis perpendat præclare gestorum magnitudinem, etiamsi rex a suo capite detractam coronam David capiti imposuisset, numquam parem retulisset gratiam, sed ampliorem debuisset. Hic enim et vitam et regnum illi donavit; ille vero huic regnum tantum erat cessurus. » Vers. 11.

Alleg. Sicut David lancea Saulis, sic Christus in cruce lancea militis fuit appetitus: sed David illæsus aufugit, Christus vero ea transfixus ad regnum perrexit. Ita Rupert. lib. 2. in lib. Reg. cap. 7. *Nam iste quidem*, inquit, *in figura patiens, non confixus fugiendo evasit: ille autem, cuius passiones præfigurantur, lancea clavisque confixus quidem est, sed resurgendo evasit.*

Hæc est prima persecutio Saulis contra Davidem, quam multæ aliæ, sed præcipuæ sex consecutæ sunt, quas hoc ordine recenset hic Ruper. l. 2. c. 8. « Prima est, inquit, ubi nunc mittente Saul lanceam, ut configeret eum cum pariete, declinavit et fugit. Secunda, ubi postquam percussit Philisthæos plaga magna, itidem psallentem nisus est Saul configere; et eo declinante, lancea casso vulnere perlata est in parietem. Tertia, ubi cum fugisset David, et venisset ad Achis regem Geth, interfecit Saul propter illum Sacerdotes Domini. Quarta, ubi nuntiaverunt Ziphei, dicentes: Ecce David latitat apud nos; et surrexit Saul, et persecutus est David in desertum Maon. Cumque desperaret David se posse evadere, nuntius venit ad Saul, dicens: Festina et veni, quoniam infuderunt se Philisthæi super terram. Quinta in deserto Engaddi, ubi cum ingressus speluncam fuisset Saul, ut purgaret ventrem, surrexit David et præcidit oram chlamydis eius silenter. Sexta, ubi iterum nuntiaverunt Ziphei, dicentes: Ecce David absconditus est in colle Achile, et surrexit David, et descendit in desertum Ziph, ubi cum dormiente illo dixisset Abisai: conclusit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. Dixit David: Ne interficias eum. Ac deinceps propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput eius, et scyphum aquæ, etc. Septima quæ et ultima, ubi ait David in corde suo: Aliquando incidam in una die in manus Saul. Nonne melius est ut fugiam, et salver in terra Philisthinorum, et desperet Saul cessetque me quærere in cunctis finibus Israel? Fugiam ego manus eius. Et surrexit David, et abiit ipse et sexcenti viri cum eo ad Achis filium Mahog regem Geth. »

Septem persecutiones Davidis.

Prima persecutio recensetur hic. Secunda c. 19. 10. Tertia c. 21. 1. et seq. Quarta c. 23. 19. Quinta c. 24. 3. Sexta c. 26. 1. Septima c. 27. 1. Porro idem Ruper. lib. 2. c. 10. ostendit Deum singulas persecutiones in Davidis bonum convertisse, ut ex singulis ipse fortior et gloriosior

evaserit, ut patet hic ea quæ singulas persecutiones consecuta sunt legenti: passionis enim comes et assecla est gloria.

Passionis comes est gloria.

Allegor. vero Ruper. c. 8. iam dicto ostendit has septem Davidis persecutiones repræsentasse septem persecutiones, quas diabolus excitavit contra Christum. Prima fuit, cum Herodes eum cum ceteris infantibus in Bethlehem quæsivit ad necem. Matth. 2. Secunda, cum David citharizans, id est Christus prædicare incipiens in Nazareth cives offendit, qui eum eiecerunt extra civitatem in montem, ut præcipitarent. Lucæ 4. 29. Tertia cum Iudæis commendans esum carnis suæ, ab eis audivit: *Durus est hic sermo*, ideoque ab eis desertus fuit. Ioann. 6. 67. Quarta, cum Principes miserunt suos ministros, ut eum apprehenderent. At illi eo intacto revertentes dixerunt: *Numquam locutus est homo sicut hic homo*, Ioann.7. 46. Quinta, cum Christo dicente: *Antequam Abraham fieret ego sum*, Iudæi tulerunt lapides ut iacerent in eum. Ioann. 8. 58. Sexta, cum Christo asserente: *Ego et pater unum sumus;* Iudæi iterum voluerunt eum ut blasphemum lapidare. Ioann.10. 30. Septima, cum eum ceperunt et crucifixerunt. Matth. 26. et 27.

Et declinavit David a facie eius,) lanceæ, ait Rupert. aut potius Saulis vibrantis lanceam, ait Lyran. Abulens. Hugo, Dion. Caiet. et alii. τὸ enim, *eius*, in Hebræo est masculinum non fœmininum, ac proinde Sauli non lanceæ congruit.

Vers. 13. Amovit ergo eum Saul a se,) tamquam æmulum sibi exosum, ne eius aspectu doleret: Sauli enim invido, David, quasi regni æmulus et successor, erat dolor oculorum: ac ne David in aula gratiam sibi aulicorum conciliaret, itaque sensim crescendo se exturbato regnum invaderet.

Et fecit eum tribunum super mille viros.) Creavit eum Chiliarcham, quem vulgo iam *Colonellum* vocant: fecit hoc Saul tum ut onus bellandi a se iam fesso, ignavo et spiritu malo agitato in Davidem reiiceret tum ut eum hostibus occidendum obiiceret, ut patet versu 17.

Et egrediebatur et intrabat in conspectu populi,) q. d. David ubique populo aderat, quasi Dux eum præcedens ad prælium, illoque finito eum victorem domum reducens. Sapienter Velleius libr. 2. Hist. *Ipse*, (Dux) inquit, *primus faciat: nam facere recte cives suos princeps optimus faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo maior est.*

Vers. 14. In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat.) Cavens ne Saulem offenderet, et simul ne in manus hostium incideret, sed ab eis victoriam referret.

Et Dominus erat cum eo.) Omnes eius actiones et conatus dirigens, prosperans, et ad felicem exitum perducens.

Vers. 17. Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi uxorem.) Promisit eam Saul Davidi; sed non præstitit: vel quia ficte promisit, vel quia eum pœnituit: timuit enim ne per filiam regiam uxorem David ad regnum evaderet.

Symbolicam causam dat S. Gregor. lib. 5. in lib. 1. Reg. cap. 1. *Quid est*, inquit, *quod Iacob utramque sororem habere licuit; David autem ad maioris thalamum non pervenit? nisi quia David rex fuit, Iacob vero rex non fuit? Qui ergo regimen animarum suscipit, hunc censura Ecclesiastica gregem deserere, et remotæ vitæ otiis vacare non sinit. Merob* enim Hebr. idem est quod, *a magistro*, ait Pagnin. unde notat vitam contemplativam, cuius magister est Deus et Spiritus Sanctus. *Michol* idem est quod, *rivus*, vel, *decursus aquarum;* unde notat vitam communem, qualis est activa: utramque egit David, unde contemplans edidit prophetias et psalmos tam divinos: sed ut significaretur, reges alios et ordinarios debere potius activæ vitæ intendere quam contemplativæ, hinc Davidi Michol obtigit, non Merob.

Saul autem reputabat dicens: non sit manus mea in eum (non occidam Davidem manu mea; ne infamiam et indignationem populi mihi conflem: populo enim David erat charissimus) sed sit super eum manus Philisthinorum.) Ut assidue cum eis præliando tandem aliquando ab eis occidatur; uti optimi Duces et milites pereunt pugnando in bello, sicut nautæ et natatores in aqua natando.

Vide hic malignitatem et calliditatem invidiæ Saulis qui semper in peiora dilabitur: per inobedientiam enim cecidit in tristitiam, per tristitiam in invidiam, per invidiam in odium implacabile Davidis, quo usque ad mortem vitæ eius perpetuo insidiatus est, eumque miris modis afflixit. Per odium hoc incidit in Dei derelictionem et desperationem, inde in magiam, consulens diabolum per Pythonissam, inde in sui ipsius homicidium, ut eadem manu qua voluerat occidere Davidem, occideret seipsum.

Saul proficit in peius.

Nimirum agebat eum suis furiis spiritus malus, sed ita ut post agitationis et furoris paroxismos, Saulem sibi suæque invidiæ et libero arbitrio relinqueret; ad hoc ut liberius, ideoque gravius peccaret. Poetæ ut idipsum pulchro claroque schemate hominibus repræsentent, fingunt Furias esse Deas infernales, invidiæ et scelerum ultrices, quæ assidue sceleratos insectentur et crucient: unde aiunt eas esse filias Acherontis et noctis: utpote quæ secum omnia mala cum cæcitate adducant. Dicunt illas esse tres, scilicet Alecto, Megæram et Thisiphonem. Audi Claudian. libro primo in Ruffi.

Invidiæ quondam stimulis incanduit atrox
Alecto, placidas late cum cerneret urbes:
Protinus infernas ad limina tetra sorores,
Concilium deforme vocat, glomerantur in unum
Innumeræ pestes Erebi, livorque secundis
Anxius, et scisso mœrens velamine luctus,
Et timor, et cœco præceps Audacia vultu.

Vide hic ut David continua et implacabili Saulis invidia fuerit exagitatus, et assidue ad necem destinatus: idque duravit toto reliquo vitæ Saulis tempore, puta per integros octo annos; tot enim sunt a decimo Saulis anno, quo David Goliam superavit, usque ad annum Saulis 18. quo ipse in prælio misere occubuit.

Quæres, Cur hoc permisit Deus? Resp. ut Davidis patientiam et virtutem exerceret, acueret, solidaret, perficeret, itaque eum ad regnum disponeret. Audi Basil. Seleuc. Orat. 15. « Ne tibi paradoxum videatur, si David tantæ cum esset gratiæ, Deoque in deliciis, invidiæ iaculis fuerit expositus. Nam cum invidiam perimere Deus potuisset, invidente perempto, sentiendum non est, nullam iusti rationem, nullam Davidis curam Deum habuisse. Sic enim et Nabal sustulit Deus, Davidi gratificaturus, dum eius iniurias morte vindicavit. Sic ab Absalone commotæ mentis in patrem pœnas exegit Deus. Davidem tamen Saulis motibus obluctari permittit Deus, ut athleta ope divina invidentiæ victor evadat. Ut infirmos Deus non permittit invidiæ, sic fortes et strenuos vocat in stadium, quo possint de invidia ipsa triumphare. Aufert infirmum ab invidorum rabie, at fortissimos eo deducit ubi invidentiæ victores evadant. Hinc Iacob extollit præstantiam Iosephi c. 49. Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum; sed exasperaverunt eum, et iurgati sunt, inviderunt que illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, etc. »

Simili modo Deus exercuit, promovit et perfecit Iacobum per Esau, Mosen per Pharaonem, Isaiam per Manassen, Machabæos per Antiochum, S. Athanasium per Constantium, S. Chrysost. per Eudoxiam, S. Ambr. per Iustinam Imper.

Ait autem David: Quis ego sum, aut quæ est vita mea (quid in vita præclare gessi) etc. ut fiam gener regis?) Mira hic elucet humilitas Davidis: utpote qui iam reiecto Saule unctus in regem, Goliam prostraverat, eratque dux præliorum, assidue triumphans de Philisthæis; ac tamen indignum se æstimat matrimonio filiæ Saulis, ut eius fiat gener. Nimirum certat ipse sua humilitate cum fastu et invidia Saulis, ut illam frangat et superet, ac præsertim ut illi extundat istum aculeum populi acclamantis: *Percussit Saul mille, et David decem millia*, q. d. Sauli: Mi Domine rex, non est quod te Vers. 18.

Davidis humilitas.

hæc vox moveat vulgi imprudentis; adeo enim me non movet nec extollit, ut ego me minimum servorum tuorum æstimem, et indignum qui fiam tuus gener. Audi S. Chrys. hom. in hæc Davidis verba: « Quis ego sum? Quis sum ego, Domine mi, quod talem gratiam invenerim ante faciem tuam? Ego enim minimus fui in tribu mea, et elegisti me ex ovibus, et assumpsisti me. Videte quomodo subiunxit humilitati innocentiam, ut cum esset homo, diceret, elegisti me ex ovibus. Demonstravit quia hoc genus pecudis innocens est: significabat enim illum pastorem bonum, qui animam suam ponit pro ovibus suis: illum agnum Dei qui venturus erat, ut tolleret peccatum mundi. Electus ergo ex ovibus ut pastorem ostenderet, et innocentiam non negaret, dicit: Ego enim minimus fui in tribu mea. Quam suave est, quam dulce in auditione veræ confessionis, ut diceret se minimum in tribu sua: non erubuit quod erat, ut esset quod non erat. Confessio eius adduxit ei non peccatum, sed gloriam et misericordiam. » Subdit deinde Davidem hic gessisse typum Christi: « Quod dixit; Minimus fui in tribu mea, significabat perfectam Domini humilitatem in mundum venientis, qui formam non ingenui, sed servi assumere voluit. Quid humilius servo? Tamen hoc Dominus esse dignatus est, ut ex servis liberos faceret, ut servitus ipsius nobis ingenuitatem donaret. Hoc significabat quod dixit: Minimus fui in tribu mea. Eia nunc erigite mentes genus electum, et nolite esse pigri, neque superbi ».

Vers. 21. DIXITQUE SAUL AD DAVID: IN DUABUS REBUS GENER MEUS ERIS HODIE.) Hebr. et Sept. habent: *in duabus*, unde Hebræi subaudiunt: *uxoribus*, q. d. duas filias meas tibi addixi, itaque duplici titulo eris meus gener. Nam Merob seniorem filiam meam tibi despondi (esto ob casum occurrentem illa postea tradita sit alteri) ac Michol iuniorem nunc tibi despondeo et trado. Pagnin. vero sic explicat: *In duabus*, id est in una duarum, scilicet in Michol eris meus gener. Sic et Hugo, Dion. Vatab. et alii.

Verum Noster aptius τὸ *in duabus* interpretatur, *rebus:* nam Hebræi genus femininum usurpant pro neutro quo carent. *In duabus*, hoc est *in duobus*, puta in duobus punctis, sive in duabus conditionibus et rebus. Duæ hæ res sunt, prior, cædes Goliæ: illum enim occidenti filiam suam promiserat Saul c. 17. v. 25. posterior, centum præputia Philisthinorum, quæ nunc exegit Saul, ut patet v. 25. ita Angelom. Sanch. et alii. Sic ait Psaltes: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. Unam*, hoc est unum, sive unam rem.

Aliter Auctor Quæst. apud S. Hieron. Ruper. Hugo, Glossa, Abulen. Dion. et alii. *Duæ res*, inquit, *sunt ducenta præputia Philisthinorum:* hæc enim numeravit David Sauli vers. 27. Quare cum Saul pro Michol tantum exegerit centum præputia, videtur pariter pro Merob priore exegisse centum, quasi dicat Saul: præstitisti mihi o David centum præputia pro Merob; præsta mihi alia centum, et dabo tibi Michol: sic Laban pro septem annis servitutis Iacobi substituens Liam, voluit, ut alios septem annos sibi serviret pro Rachele. Genes. 29. v. 20. et 27.

Porro olim mariti coemebant uxores, dando pro eis pretium aut dotem vel dona sponsalia, uti ostendi Exodi 4. vers. 26. Sic Saul ait hic Davidi: Non est quod solicitus sis de dote et pretio, quo Michol uxorem emas: ista enim cum sit filia regis magno pretio æstimanda foret. Nam ego cum sim rex opulentus, a te paupere pretium non requiro.

NON HABET REX SPONSALIA NECESSE.) *Sponsalia* vocat dotem, sive pretium sponsæ iam dictum, ut patet ex Hebr. Vers. 25.

NISI TANTUM CENTUM PRÆPUTIA PHILISTHINORUM.) Cur Saul potius petiit præputia quam capita Philisthinorum? Respon. ne David afferret capita Hebræorum, fingens illa esse capita Philisthinorum: nam præputia Hebræi in Circumcisione deposuerant: quare si David Sauli præputia afferret, certum erat illa non esse Hebræorum utpote quibus illa resecta et circumcisa erant, sed Philisthinorum. Ita Theod. et Procop. Adde capita tot asportare fuisse valde difficile, ac regi ea offerre fuisset spectaculum horridum et crudele.

Porro insidiosæ fuere hæ nuptiæ, et hæc conditio. Ideo enim præputia hæc centum petiit Saul, ut David cum centum Philisthæis confligens, ab aliquo eorum occideretur. Ita S. Chrysost. homil. de Davide et Saule, S. August. in Psalmum 33. S. Ambros. serm. 18. in Psalm. 118. Rursum Saul dedit suam Michol Davidi, ut illa Davidem vel perderet, vel sibi proderet. Sed Deus Davidi favens utrumque discussit, et in Davidis bonum gloriamque convertit. Nam et David cecidit ducentos Philisthæos magna fortitudine et gloria, ac Michol magis Davidem quam Saulem dilexit, eumque Saulis manibus eripuit, ut audiemus capite sequenti.

ET PERCUSSIT (occidit) EX PHILISTHIIM DUCENTOS Vers. 27.
VIROS.) Ut eorum ducenta præputia offerret Sauli. Saul tantum petierat centum: David vero obtulit ducenta, ut liberalitatem et generositatem suam Sauli ostenderet.

ET EGRESSI SUNT PRINCIPES PHILISTHINORUM.) Ad Vers. 30.
præliandum contra Hebræos. Sed cur egressi? Respon. ex antiquo et innato in Hebræos dissidio et odio: illud enim ad continua eos bella excitabat. Adde recentem odii bellique novi causam extitisse, quod ignominiam in cæde Golia contractam, restauratis viribus et copiis delere voluerint. Recentior causa fuit, quod David ducentos eorum occidisset, et præputia eorum Sauli obtulisset: quod ingens æstimabant ipsi suum esse probrum et ludibrium. Aliam causam dant Rabbini, scilicet quod David, utpote novus sponsus, primo anno nuptiarum abstenturus esset bello, ac uxori et familiæ vacaturus: ac proinde putabant Philisthæi iam tempus esse invadendi Hebræos, utpote quiescente Davide, quem solum timebant. Sic enim sancit Deus Deuteronom. 24. vers. 5. *Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidquam necessitatis iniungetur publicæ: sed vacabit absque culpa domus sua, ut uno anno lætetur cum uxore sua.* Verum hæc lex non vetat novum sponsum ire ad bellum; sed tantum iubet ne quis eum ad bellum, aliudve onus publicum cogat: hoc enim significat τὸ *iniungetur*. Quare timere poterant Philisthæi, si arma moverent, illico Davidem utpote Chiliarcham generosum eis occursurum, uti de facto eis occurrit, ut hic dicitur: sed ipsi Martem solitum cum Hebræis tentare voluerunt, sperantes se Davidem tandem aliquando superaturos.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Ionathas Davidem Sauli reconciliat. Secundo, vers. 8. David cædit Philisthæos: unde Saul invidia et spiritu malo agitatus lancea conatur eum configere, sed ictum declinans evasit David. Tertio, vers. 11. Saul mittit satellites qui Davidem domi capiant ad cædem; sed Michol uxor Davidem monet, et dimittit posito in lecto eius simulachro. Quarto, vers. 18. David fugit ad Samuelem: mox mittit Sau' satellites suos eodem, qui omnes cum Samuele prophetant, ac tandem ipse quoque Saul suos sequens, cum Samuele eiusque sociis prophetat, unde proverbium: Num et Saul inter prophetas?

1. Locutus est autem Saul ad Ionatham filium suum, et ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Ionathas filius Saul diligebat David valde. 2. Et indicavit Ionathas David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te quæso, mane, et manebis clam, et absconderis. 3. Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum, in agro ubicumque fueris: et ego loquar de te ad patrem meum: et quodcumque videro, nuntiabo tibi. 4. Locutus est ergo Ionathas de David bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et opera eius bona sunt tibi valde. 5. Et posuit animam suam in manu sua, et percussit Philisthæum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israeli: vidisti, et lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa? 6. Quod cum audisset Saul, placatus voce Ionathæ, iuravit: Vivit Dominus, quia non occidetur. 7. Vocavit itaque Ionathas David, et indicavit ei omnia verba hæc: et introduxit Ionathas David ad Saul, et fuit ante eum, sicut fuerat heri et nudiustertius. 8. Motum est autem rursum bellum: et egressus David, pugnavit adversum Philisthiim, percussitque eos plaga magna, et fugerunt a facie eius. 9. Et factus est spiritus Domini malus in Saul; sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam: porro David psallebat manu sua. 10. Nisusque est Saul configere David lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, et David fugit, et salvatus est nocte illa. 11. Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane. Quod cum annuntiasset David Michol uxor sua, dicens: Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris: 12. Deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est. 13. Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, et operuit eam vestimentis. 14. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David: et responsum est quod ægrotaret. 15. Rursumque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur. 16. Cumque venissent nuntii, inventum est simulachrum super lectum, et pellis caprarum ad caput eius. 17. Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, et dimisisti inimicum meum ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te. 18. David autem fugiens, salvatus est, et venit ad Samuel in Ramatha, et nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Naioth. 19. Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus: Ecce David in Naioth in Ramatha. 20. Misit ergo Saul lictores, ut raperent David: qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, et prophetare cœperunt etiam ipsi. 21 Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios: prophetaverunt autem et illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios: qui et ipsi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul, 22. Abiit etiam ipse in Ramatha: et venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, et interrogavit, et dixit: In quo loco sunt Samuel et David? Dictumque est ei: Ecce in Naioth sunt in Ramatha. 23. Et abiit in Naioth in Ramatha, et factus est etiam super eum Spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Naioth in Ramatha. 24. Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum ceteris coram Samuele, et cecidit nudus tota die illa et nocte. Unde et exivit proverbium: Num et Saul inter prophetas?

Vers. 1. LOCUTUS EST AUTEM SAUL AD IONATHAM FILIUM SUUM, ET AD OMNES SERVOS SUOS, UT OCCIDERENT DAVID.) Crescente virtute et victoriis Davidis crescit in eum invidia et odium Saulis. Virtutis enim comes invidia. Quare quem per se non potuit configere, eum per filium Ionatham et servos suos fidissimos, ait Iosephus, occidi iubet. Sed omnia superavit Dei providentia protegens Davidem, ac invicta Davidis patientia et prudentia, quæ eum omnibus superiorem, indeque ubique gloriosiorem effecit. Nam Ionathas magis dilexit Davidem quam patris impium mandatum: imo Sauli mandanti restitit, eique sua efficaci eloquentia Davidis odium eximens, illud in amorem convertit.

Vers. 5. ET POSUIT ANIMAM SUAM IN MANU SUA.) Hoc est, exposuit se suamque vitam evidenti mortis periculo pro te tuoque regno, dum duellum tam impar et formidabile cum gigante Golia iniit. Tunc enim Hebræis videbatur David animam, id est vitam suam in manu gestare, eamque offerre Goliæ ut eam auferret.

A QUARE ERGO PECCAS IN SANGUINE INNOXIO?) q. d. Cur peccare proponis? cur destinas et decernis effundere innoxium, imo adeo tibi beneficum sanguinem Davidis; τό ergo, *peccas*, significat actum destinatum et inchoatum, sed necdum perfectum.

QUOD CUM AUDISSET SAUL, PLACATUS VOCE IONATHÆ IURAVIT: VIVIT DOMINUS QUIA NON OCCIDETUR.) Vers. 6. Vide hic quam efficax fuerit sermo Ionathæ, æque ac patientia, modestia, oratio et virtus Davidis, quæ tam immane odium Sauli excussit, illudque in amorem transtulit. Hæc est Christi et Sanctorum illustris victoria, qua vincendo in bono malum, adversarios vincunt, non eos occidendo, sed ex inimicis amicos efficiendo; quod longe difficilius, gloriosius, et divinius est. Occiditur enim in homine vivo odium et inimicitia, fitque ut in eo vivat amicitia et charitas. Et hoc satagebat peragere David, scilicet non tam ut ipse cædem Saulis evaderet, quam ut Saulem suæ menti, rationi, amori pristino, et gratiæ Dei restitueret. Quare David fuit hic typus et præcursor Chri-

sti: sicut enim David maleficia Saulis ultus est per beneficia, ideoque eadem sua tolerantia et beneficentia superavit, et in sui amorem convertit: sic et Christus cum Pharisæorum et Iudæorum odiis certavit incensa sua charitate, ut cum crescerent odia, crescerent pariter eius miracula, curationes et beneficia: quare odiis hisce eorum et persecutionibus se vinci non permisit, sed ipse illa divina sua patientia et charitate absorpsit, sustulit, et in se suique amorem convertit. Hic est apex virtutis et charitatis Christi: quem ipse S. Stephano, Sancto Paulo, aliisque Sanctis illustribus inspiravit. Unde S. Chrysostomus homil. de David et Saule adducens exemplum Medici, qui pro ægroto contra ægritudinem pugnat; ideoque phrenetico etiam eum convicianti et verberanti non irascitur, sed condolens satagit ut ei phrenesim eximat, ita concludit: « Tu quoque igitur medicus esto ei, qui te læsit; unum hoc quære, quo pacto illi morbum adimas. Id quod fecit hic beatus, egestatem præ divitiis, solitudinem præ patria, labores periculaque præ deliciis ac securitate, perpetuum exilium præ terrarum orbe elegit; ut Saulem ab illo in ipsum odio malevolentiaque liberaret. At ne sic quidem melior factus est Saul, sed persequebatur, sed ubique circumibat quærens eum, qui non solum nihil læserat, sed quum esset læsus, tum maxima, tum innumerabilia pro iniuriis bona rependerat. Ac Saul imprudens post incidit in retia Davidis. »

Vers. 8. Percussitque eos plaga magna.) Vide ut Deus Davidis patientiam nova de Philisthæis victoria remuneret: sed hæc novam Sauli concitavit invidiam: unde sequitur:

Vers. 9. Et factus est Spiritus Domini malus in Saul,) q. d. Deus immisit, vel permisit dæmonem invadere Saulem, ut eius invidiam cruciando castigaret.

Vers. 10. Nisusque est Saul configere David lancea.) Conatus est lancea transfigere Davidem. Vide quam varium et inconstans sit cor hominis, præsertim impii et invidi qualis erat Saul: hoc enim cum felle rancoris et odii plane sit imbutum, esto ad tempus melle amoris oblinatur, illico eo evaporante ad felleas suas iras, invidias et noxas inolitas revertitur.

Vers. 11. Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum (nocte ne per tenebras elaberetur) et interficeretur mane.) Ut scilicet mane Davidem domo sua egredientem comprehenderent, et ad Saulem adducerent, ac coram eo ipsum occiderent, ut Saul certo videns occisum Davidem, eum amplius non timeret, quod regnum sibi auferret. Addit Iosephus libr. 5. c. 14. et eum secutus Abulens. quæst. 11. et 12. Saulem constituisse Iudices, qui Davidem mane ad iudicium evocatum capite damnarent: ut scilicet videretur non ex privato Saulis odio, sed iusta iudicum sententia damnatus et occisus: idque satis S. Script. et rationi videtur consonum. Verum prior expositio planior et facilior est.

Vers. 12. Deposuit eum per fenestram.) Quia satellites Saulis custodiebant ostia, ut Davidem comprehenderent et necarent; hinc Michol eum per fenestram dimisit. Sic S. Paulus Damasci ab Aretha obsessus, per sportam e muro dimissus evasit. 2. Corinth. 11. Nota hic fidelitatem, prudentiam et amorem Michol in Davidem maritum. Nam Primo, insidias patris ei detexit. Secundo, consilium prudens dedit ut noctu aufugeret ne mane occideretur. Tertio, operam addidit demittens eum per fenestram. Quarto, eius simulachrum posuit in lecto, de quo mox.

Vers. 13. Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, et operuit eam vestimentis.) Fecit hoc Michol eo fine, ut David haberet spatium fugiendi et evadendi. Simulavit enim Davidem ægrotare et iacere in lecto, ideoque non fugisse. Si enim satellites scivissent eum fugisse, illico fugientem persecuti fuissent, et comprehendissent. Dum autem putant eum domi in lecto iacere, tempus commodum ad eum honeste, modeste, sine strepitu et inopinate comprehendendum, cum scilicet David domo egrederetur, expectant. Dixit ergo eis Michol Davidem iacere in lecto et ægrotare: hoc enim repræsentabat statua A Davidis ab ea in lecto collocata; quam ipsi in cubiculo obscuro eminus intuentes, non statuam sed Davidem ipsum esse putarunt. Interim Saul misit novos apparitores ad Davidem capiendum, quibus idipsum dixit Michol, scilicet Davidem ægrotare. Quare illi idipsum Sauli renuntiant: atque in hoc itu et reditu, item in deliberatione et consiliis multum temporis insumptum est, quo Davidi fugere licuit.

Pro, *statuam* Hebr. est תרפים *theraphim*, quod Abulens. vertit: *lignum informe rotundum;* alii vertunt, *idolum*, vel, *oraculum;* alii, *astrolabium* ad cæli influxus recipiendum compositum: sed certum est *theraphim* significare *statuam*, ut vertit Noster, scilicet effigiem hominis, puta Davidis, ut censet Theodor. Procop. vide quæ de theraphim dixi Osee 3. vers. 4. Iud. 18. vers. 4. et 17. Septuag. vertunt, κενοταφια id est, *sepulchra inania. Quomodo enim*, ut ait Theodoret. *inane sepulchrum videtur quidem habere mortuum, sed non habet; ita etiam quod per vestes erat compositum, videbatur quidem esse David* B *agens animam, sed non erat.*

Pro Hebr. כביר *kebir*, id est, *pellem pilosam*, Ioseph. Procop. Theodor. et alii multi legentes כבר *caber*, vertunt: *hepar capræ*, quod occisa capra adhuc palpitare et se motitare solet; ait Theod. et Procop. ut videretur non esse statua, sed verus vivusque homo, puta David respirans, quasi ille videretur ægrotare sub stragulis ibique trahere et agere animam.

Noster cum Septuag. et Chald. melius vertit: *pellem pilosam:* hanc enim posuit Michol, ut per hosce pilos rufos (in Galaadite enim quæ vicina est Ierosolymæ oves et capræ sunt rufi et fulvi coloris, ut dixi Cant. c. 4. v. 1.) Davidis capillos rufos repræsentaret. Ita Theod. et Abul. Aut certe ut molli hac pelle ægroti Davidis caput confovere videretur: unde Vatabl. vertit: *cervical*, vel *pulvinar ex pellibus caprarum.* Audi S. Hieron. Epist. 103. ad Marcel. *Venerunt nuntii, et ecce* κενοταφια, *in lecto, pro cenotaphiis in Hebræo Theraphim, id est* μορφωματα, C (*iuxta Aquilæ interpretationem*) *posita sunt, et non iecur caprarum, ut nostri codices habent, sed pulvillus de caprarum pelle consutus, qui intonsis pilis, caput involuti in lectulo hominis mentiretur.*

Misit autem Saul apparitores qui raperent David.) Vers. 14. Saul videtur iussisse custodibus, ut Davidem noctu domi suæ custodirent, mane vero domo egredientem comprehenderent et ad se deducerent occidendum. Verum videns custodes tardare, eo quod, ut ipse putabat, David domi se contineret, nec egrederetur, moræ impatiens timensque ne David elaberetur, aut (ut suspicax est invidia) ne custodes muneribus vel promissis corrumperet, novos misit apparitores, qui domum Davidis invaderent, indeque Davidem violenta manu ad se abriperent, quod si resisteret, occiderent.

Porro David in hisce angustiis constitutus composuit recitavitque Psalm. 58. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.* Id patet ex eius inscriptione, quæ sic habet in versione S. Hieron. D *Victori, ut non disperdat David humilem et simplicem, quando misit Saul ut custodirent domum, ut occiderent eum.* Orando ergo et psallendo Dei opem invocavit: qui proinde Saulis consilia discussit, et Davidem salvavit. Idem faciamus nos in periculis et ærumnis, atque simile Dei auxilium experiemur.

Et responsum est (a Michol vel eius ancillis et famulis) quod David ægrotaret.) Ac simul Michol apparitoribus Saulis non credentibus vel dubitantibus, eminus simulachrum Davidis in obscuro angulo lectoque decumbens ostendit, quod illi ipsum Davidem esse rati, rem totam ad Saulem detulerunt. Mentitur hic Michol, sed putabat in tali casu ad salvandam Davidis mariti sui vitam, non tantum licitum, sed et honestum, imo necessarium esse mendacium, uti putarunt obstetrices Ægyptiæ Exodi 1. et Raab Iosue 2. aliique permulti etiamnum putant: quia in re errant.

Audi Iosephum lib. 6. cap. 14. « Parato lecto tamquam

ægrotanti, stragulis iecur capræ recens exemptum subiecit, diluculoque venientibus, quos pater ad Davidem miserat, ostendit lectum opertum, et quod palpitatione iecoris stragula moveri viderent, maritum ægrum anhelare persuasit, addens totam noctem inquietam eum egisse. » Sed hepar hoc capræ superius ex S. Hier. reieci.

Vers. 18. ECCE DAVID IN NAIOTH IN RAMATHA.) *Naioth*, ait Adrichomius, locus est in urbe (iuxta urbem) Ramatha sive Rama, tribus Beniamin, sex milliaribus distans ab Ierusalem versus Bethel, ubi David et Samuel manserunt, ac Saul prophetavit. Chald. pro *Naioth* vertit: *domus doctrinæ.* Hic enim erat *Ecclesia,* ut aiunt Septuag. et Ioseph. hoc est cœtus et Collegium prophetarum, id est virorum religiosorum Deo vacantium.

Vers. 20. QUI CUM VIDISSENT CUNEUM PROPHETARUM VATICINANTIUM.) Id est laudantium Deum solitis hymnis et Psalmis. *Prophetare* enim subinde est quod laudare et psallere. Sic 1. Paral. 25. vers. 1. David constituisse dicitur Asaph et Heman qui *prophetarent* (id est psallerent) *in Citharis et psalteriis.* Simile habetur 2. Paral. 35. 15. vide quæ de his prophetis dixi cap. 10.

ET SAMUELEM STANTEM SUPER EOS.) q. d. Samuel præsidebat eis quasi eorum præcentor et Choragus. Dices, Quomodo ergo dictum est cap. 11. vers. ultim. quod Samuel ultra non viderit Saulem usque ad diem mortis suæ? Respondent Hebræi apud S. Hieron. Samuelem veniente Saule se abscondisse, aut certe Samuelem non vidisse Saulem in habitu regio, uti ante viderat: Saul enim hic prophetans eo se nudaverat. Sed planius dicimus Samuelem non vidisse, id est invisisse Saulem uti dixi c. 15.

FACTUS EST ETIAM SPIRITUS DOMINI IN ILLIS, ET PROPHETARE (psallere) COEPERUNT ETIAM IPSI.) Spiritus hic Dei dictavit eis hymnos quos canerent, puta eosdem quos canebat Samuel cum suis, et simul indidit eis affectum canendi, ac modulos vocis ad scite canendum. Fecit hoc Deus in gratiam Davidis, ut is haberet tempus effugiendi.

Moral. Disce quantum valeat bonorum societas, æque ac Sanctorum virtus et merita. Nam hi nebulones vel ministri impii Saulis inter prophetas facti sunt prophetæ, Deumque laudarunt quasi Samuel et David eis suum spiritum afflassent.

Vers. 24. ET EXPOLIAVIT ETIAM IPSE SE VESTIMENTIS SUIS.) Ita ut esset omnino nudus, aiunt nonnulli. Honestius Angelomus, Lyran. et Abulens. censent Saulem nudasse se exterioribus dumtaxat vestimentis regiis, non vero intimis; quia spiritus Dei omnem adimit pudorem, ait Vatab. ut libere Dei laudes deprædicentur : imo spiritus Dei ita Saulem extra se rapuit, ut nesciret quid ageret, ait Aben Ezra. Addit Lyran. quod Saul vestem regiam deposuit, et pro ea vestem religiosam seu divinis laudibus, accommodatam, qualem habebat Samuel et prophetæ, induit; uti faciunt subinde Principes, qui S. Francisci habitum, pietatis ergo assumunt.

ET CECIDIT (ita lege cum Roman. Sept. non *cecinit,* uti legunt nonnulli) NUDUS (eo modo quo iam dixi) TOTA DIE ILLA ET NOCTE.) Ut David haberet tempus sufficiens ad fugiendum. Vide hic quam miram Deus Davidis sui habuerit providentiam, et quam miris modis eum servarit : hoc merebatur Davidis patientia, confidentia, sanctitas. *Cecidit* ergo Saul quia viribus et sensibus destitutus erat, ait Abulens. Aben Ezra et Vatabl. vel potius, quia Deum prosternens se in terram cum ceteris prophetis adorabat. 1. Corint. 14. ita Serarius.

NUM ET SAUL INTER PROPHETAS?) Idem de Saule dictum audivimus c. 10. sed ibi novitas; hic autem contrarietas fuit ratio et causa proverbii. Mirabantur enim omnes Saulem Davidi prophetæ tam infestum invidumque, subito ita mutatum, ut inter socios eius prophetaret et ipse, psalleretque.

Addit Auctor mirabilium S. Script. apud S. August. l. 2. c. 10. Saulem stricto arcu famulos suos insecutum. Porro S. August. in Psalm. 103. ex hoc loco docet etiam improbis (qualis erat Saul) in ipso subinde actu et æstu improbitatis dari spiritum prophetiæ: hic enim est gratia gratis data, non gratum faciens uti est charitas. « Saul, inquit, non cum persecutus fuisset, sed cum actu persequeretur Davidem, prophetavit, etc. Impleti sunt spiritu prophetiæ, qui missi sunt, et prophetaverunt. Sed forte bono illi animo venerant vel ob necessitatem officii sui, vel non facturi quod iussum est. Misit et alios; hoc in eis factum est, et eorum hoc modo animum interpretemur. Cum illi tardarent, venit ipse furens, anhelans cædem, sanguinem sitiens innocentis sancti, qui etiam ingratus erat, et ipse impletus est spiritu prophetandi et prophetavit. Non ergo se iactent, qui forte sine charitate habuerint hoc munus Dei sanctum, sicut sanctum baptismum; sed videant qualem rationem habituri sint cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur. Ex his erunt qui dicturi sunt; in nomine tuo prophetavimus: non illis dicetur: mentimini, sed dicetur: Non novi vos; Recedite a me qui operamini iniquitatem: quia si habeam omnem prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Prophetavit autem et Saul, sed operabatur iniquitatem. »

Sic Balaam prophetavit in ipso actu impietatis, quo persequebatur Hebræos. Numer. c. 22. et seq. æque ac Caiphas persequens adigensque Christum ad necem, prophetavit oportere eum mori pro populo, Ioann. 11. v. 50.

Moral. Vide et mirare hic Dei in impios etiam obstinatos potentiam, æque ac clementiam et beneficentiam: utpote quæ eorum cor ita immutet et elevet, ut prophetent; itaque eos immutat, ut ad se per pœnitentiam redeant; sed illi in sua pervicacia se obdurantes, cum Dei clementia sua duritie pugnant et certant. Sic enim fecit hic in Saule. Simile et longe amplius fecit in Saulo; dum eum adhuc *spirantem minarum et cædis in discipulos Domini,* in ipso persecutionis itinere et fervore, cælesti luce et voce siderans illico immutavit, ex Saulo Paulum, ex persecutore Apostolum, ex Pharisæo Doctorem Gentium effecit. Actor. 9. ut de eo, æque ac Saule diceretur: *Num et Saulus inter prophetas;* imo inter Apostolos? Hæc mutatio dexteræ Excelsi; sed maior in Saulo, quam in Saule. Nam in Saule mansit cor pravum, invidia et odio Davidis occæcatum cum prophetia; in Saulo vero cor ferreum, odio Christi et Christianorum accensum, illo a Deo per miraculum exempto, factum est cor sanctum, cæleste et divinum, insatiabili Christi et Christianorum amore æstuans et flagrans.

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David cum Ionatha de iniquo patris in se odio expostulans, cum eo fœdus initum certis pactis renovat et confirmat: quare Ionathas v. 18. promittit ei, se patris erga eum animum exploraturum, ac per sagittas eius amorem vel odium, significaturum. Ergo v. 27. Davidem apud patrem excusat: sed pater in eum exardescens lanceam parat. Unde v. 36. Ionathas ex condicto odium implacabile patris per sagittas Davidi significat, ac mox eum lacrymis amplexans in pace dimittit.

1. Fugit autem David de Naioth, quæ est in Ramatha, veniensque locutus est coram Ionatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? 2. Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi: hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud. 3. Et iuravit rursum Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicet: Nesciat hoc Ionathas, ne forte tristetur. Quinimmo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur. 4. Et ait Ionathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. 5. Dixit autem David ad Ionatham: Ecce calendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum: dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ. 6. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam: quia victimæ solemnes ibi sunt universis contribulibus suis. 7. Si dixerit, Bene: pax erit servo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius. 8. Fac ergo misericordiam in servum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me. 9. Et ait Ionathas: Absit hoc a te: neque enim fieri potest, ut si certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi. 10. Responditque David ad Ionatham: Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me? 11. Et ait Ionathas ad David: Veni, et egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum. 12. Ait Ionathas ad David: Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie, et aliquid boni fuerit super David, et non statim misero ad te, et notum tibi fecero. 13. Hæc faciat Dominus Ionathæ, et hæc addat. Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, et dimittam te, ut vadas in pace: et sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. 14. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si vero mortuus fuero. 15. Non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David unumquemque de terra: auferat Ionatham de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David. 16. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo David: et requisivit Dominus de manu inimicorum David. 17. Et addidit Ionathas deierare David, eo quod diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum. 18. Dixitque ad eum Ionathas: Cras calendæ sunt, et requireris: 19. Requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, et venies in locum ubi celandus es in die qua operari licet, et sedebis iuxta lapidem, cum nomen est Ezel. 20. Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, et iaciam quasi exercens me ad signum. 21. Mittam quoque et puerum, dicens ei: Vade et affer mihi sagittas. 22. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas; tu veni ad me quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ ultra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus. 23. De verbo autem quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum. 24. Absconditus est ergo David in agro, et venerunt calendæ, et sedit rex ad comedendum panem. 25. Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundum consuetudinem) quæ erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, et sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus David. 26. Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus. 27. Cumque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Ionatham filium suum: Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie, ad vescendum? 28. Responditque Ionathas Sauli: Rogavit me obnixe, ut iret in Bethlehem. 29. Et ait: dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate, unus de fratribus meis accersivit me: nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis. 30. Iratus autem Saul adversum Ionatham, dixit ei: Fili mulieris virum ultro rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ? 31. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, et adduc eum ad me: quia filius mortis est. 32. Respondens autem Ionathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit? 33. Et arripuit Saul lanceam ut percuteret eum. Et intellexit Ionathas quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David. 34. Surrexit ergo Ionathas a mensa in ira furoris, et non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater suus. 35. Cumque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum David, et puer parvulus cum eo. 36. Et ait ad puerum suum: Vade, et affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum. 37. Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas: et clamavit Ionathas post tergum pueri, et ait: Ecce ibi est sagitta porro ultra te. 38. Clamavitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, et attulit ad dominum suum: 39. Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodo enim Ionathas et David rem noverant. 40. Dedit ergo Ionathas arma sua puero, et dixit ei: Vade et defer in civitatem. 41. Cumque abiisset puer, surrexit David de loco, qui vergebat ad Austrum, et cadens pronus

in terram, adoravit tertio: et osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius. 42. Dixit ergo Ionathas ad David. Vade in pace: quæcumque iuravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum usque in sempiternum. 43. Et surrexit David, et abiit: sed et Ionathas ingressus est civitatem.

Vers. 3. UNO TANTUM (UT ITA DICAM) GRADU EGO MORSQUE DIVIDIMUR.) Quasi dicat, vicinus sum morti, instat mihi mors parata a patre tuo: tantum deest illi occasio necis meæ patrandæ, illam quærit, illaque data certo me occidet. Sic ægris et senibus instat mors, ut ab ea uno tantum gradu vel passu distare videantur. (Caducitas vitæ humanæ.) Sic navigantes in mari uno tantum palmo, et ut poeta ait, *quatuor digitis*, distant a morte: palmo enim dumtaxat limbus navis super mare eminet, quem si mare fluctuans trascendat, eam cum rectoribus submerget. Sic quilibet homo uno gradu distat a morte: si enim vel febri vel peste corripiatur, morietur: imo gutta una aquæ sive catharri nocte in fauces defluens eum suffocabit, uti multis accidere vidimus. Et hæc est vita tam caduca, tam incerta, tam brevis, cui mortales inhiant, et quasi semper duraturæ incumbunt, ut ei opes, honores, delicias sine fine comparent. O quam exigui sunt mortalium termini! o quam exigui sunt mortalium animi! *Filii hominum ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Cur non vitam præsentem tam fallacem contemnitis, ac futuram beatam et æternam ambitis?

Vers. 5. ECCE CALENDÆ SUNT CRASTINO, ET EGO EX MORE SEDERE SOLEO IUXTA REGEM AD VESCENDUM: DIMITTE ERGO ME, UT ABSCONDAR IN AGRO USQUE AD VESPERAM DIEI TERTIÆ.) *Calendæ* erat primus dies mensis, qui apud Hebræos non quidem proprie erat festus, sed tamen sacrificiis celebris: vocabaturque Hebr. חֹדֶשׁ *Chodes*, id est innovatio Lunæ et mensis, Græce νεομενια, Latine, *novilunium*. Hebræi enim habebant menses lunares, adeoque novilunium, sive prima dies novæ lunæ et lunationis, erat primus dies mensis, ut dixi Numer. 28. 11. ubi causas huius rei dedi; quare illo die sacrificium, indeque convivium cum amicis agitabant. Hac de causa David, quasi gener regis, eo die solebat mensæ Saulis accumbere: sed quia eum sibi adeo infensum expertus erat, non fuit ausus ad eum accedere, ne rursus ab eo lancea feriretur. Ait ergo Ionathæ, ut animum patris erga se exploret; se interim mutato habitu latitaturum in agro vicino, ut a Ionatha responsum expectet usque ad diem tertium; ut si primo die Calendarum Ionathas non habeat occasionem agendi cum patre de Davide, aucupetur illam secundo, ac tertio die eamdem sibi significet, ut si videat patrem mitigatum et odium deposuisse, ad mensam eius accedat; sin autem, fuga saluti suæ consulat.

Chaldæus ait fuisse calendas mensis secundi, puta Aprilis, et embolismi diem, quo proinde celebrabatur pascha: ut David sic in eo a Saule quæsitus ad necem, fuerit typus Christi in Paschate a Iudæis occisi, sed a morte die tertia gloriose resurgentis.

Sic et Romani celebres habebant mensium suorum calendas. (Calendæ unde dictæ?) *Calendæ* enim, ait Macrobius lib. 1. Saturn. c. 16. in fine, *inde sunt dictæ, quod in illis Pontifex calata, id est vocata in Capitolium plebe, quot numero dies a Calendis ad Nonas superessent pronuntiabat, et quintanas quidem, dicto quinquies verbo* καλω, *septimanas, repetito septies prædicabat.* Græci quoque celebrabant festa επιμηνια teste Turnebo lib. 3. c. 4.

Vers. 8. QUIA FOEDUS DOMINI ME FAMULUM TUUM TECUM INIRE FECISTI.) *Fœdus Domini* vocat fœdus coram Domino, et interposito Domini in iuramento fœderali nomine initum. Item Dei respectu, veneratione et amore sancitum. Dicit hoc David, ut acrius pungat animum Ionathæ ad fœdus servandum, et iuxta illud præstandum sibi opem apud patrem; utpote quam non tantum sibi, sed et Deo quasi promissam præstiturus sit.

SI AUTEM EST INIQUITAS ALIQUA IN ME, TU ME INTERFICE, ET AD PATREM TUUM NE INTRODUCAS ME.) Ne ille odio suo inveterato ardens in me sæviat, meque A crudeliter excruciet, q. d. Moriar potius manu amica, quam inimica. Sic Phædra apud Senecam ait Hippolyto suo: *Nimis opto amantis immori manibus.* Similiter ait hic David: si mortem evadere nequeo, si moriendum mihi sit; malo amica tua manu amice occumbere, quam inimici hostili et crudeli vindicta discruciari. Sciebat David Ionatham, utpote amicum, id nequaquam facturum: sed utitur hac phrasi ad Pathos, ut cor Ionathæ cruciet, ipsumque adigat ad suam causam apud patrem serio et efficaciter peragendam. Ita Abulens. Sic enim solent amantes amorem amantium stimulando acuere. Similiter Iapones suos cognatos vel amicos a rege ad mortem damnatos sua manu obtruncant: ne id fiat per inimicum vel carnificem: hoc enim ipsi infame et probrosum putant.

COMPLETAM ESSE PATRIS MEI MALITIAM CONTRA TE.) Vers. 9.
Ut plene planeque decreverit, te ad necem persequi et occidere.

DOMINE DEUS ISRAEL.) Subaudi, castiga et vindica Vers. 12.
me, si fidem Davidi meo datam fefellero. Ionathas enim B ex æstu amoris perturbate, interrupte et incise loquitur, uti solent facere amantes. Nam invocat Deum, nec sensum explet, sed per Enallagen personæ, mentem et os a Deo ad Davidem adeo a se amatum convertit, dicens.

ET NON STATIM MISERO AD TE, o David mi! Deinde sensum explet dicens: HÆC FACIAT DOMINUS IONATHÆ ET HÆC ADDAT.) q. d. hisce et hisce pœnis me afficiat, et plures addat, pœnasque pœnis accumulet.

REVELABO AUREM TUAM.) q. d. secreto, sed certo Vers. 13.
tibi quasi in aurem ingeram et indicabo.

ET SIT DOMINUS TECUM, SICUT FUIT CUM PATRE MEO.) Ut sicut illum ex humili vilique ad regnum evexit, et tot victoriis cumulavit; ita faciat et tibi. Tacite enim Ionathas hic Davidi regnum vaticinatur. Audi S. Hieron. hic in Tradit. « Sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo, id est, sublime faciat regnum tuum, sicut sublime fecit patris mei regnum. Et si vixero, facias mihi misericordiam Domini; ut scilicet sim secundus in regno tuo; C et si mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum. »

Sic et Angelomus, Lyran. Abulen. et Vatab. idque ita esse, patet ex eo quod Ionathas ait Davidi c. 23. 17. *Et tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus, sed et pater meus Saul scit hoc.*

ET SI VIXERO, FACIES MIHI MISERICORDIAM DOMI- Vers. 14.
NI.) Id est coram Domino, Dominique nomine interposito mihi a te in fœdere promissam c. 18. 3. sic enim vocavit *fœdus Domini* v. 8. Alii *Domini*, id est *Domino gratam et placitam*, ait Pagnin. Aut potius *Domini*, id est *magnam et insignem*, qualem scilicet solet Dominus suis fidelibus et amicis exhibere: quæ enim Domini sunt, magna sunt. Sic dicuntur *Cedri Dei et montes Dei*, id est magni et excelsi. Ita Vatab. Sanchez et alii.

Porro Hebræa hic implexa sunt et obscura, et a variis varie vertuntur: sed sic optime vertas, ut τὸ ולא *velo*, id est, *et non*, quod ter repetitur, legas non assertive sed interrogative, hoc modo: *Et non*, id est, *Et nonne cum* D *adhuc fuero vivens, nonne inquam facies mecum misericordiam Domini? Et nonne si moriar non exscindes misericordiam a domo mea?* q. d. omnino facies, et non exscindes, ut clare vertit Noster. Sic videntur interpretari Septuag. qui pro τὸ *et non*, vertunt: *et si*, hoc est *nonne?* si tamen assertive malis legere post τὸ *et non*, subaudiendo *tantum*, sic ad verbum verte cum Pagnin. et Vatab. *Et non tantum adhuc me vivente facies mecum misericordiam Domini, et non moriar: sed etiam non abscindes misericordiam tuam a domo mea usque in sæculum, nec* (tum quidem) *cum absciderit Dominus inimicus David:* qui sensus in re idem est cum priori: et utrumque

clare reddit vulgatus Interpres.

Vers. 15. Auferat Ionhatham de domo sua.) Hæc verba non sunt in Hebræo, sed in Sept. et Latinis Roman. Sensus est q. d. si ego Ionathas tibi o David fuerim infidus et fœdifragus, precor ut Deus me puniat, et meam familiam posteritatemque auferat et subvertat, utque Deus requirat, ut iudicet, vindicet et ulciscatur inimicos Davidis, et per consequens me meosque, si contra fœdus cum eo initum me eius hostem ostendero: Ita Abulen. Iurat enim Ionathas iuramento execratorio se fidem Davidi datam servaturum.

Vers. 16. Et requisivit Dominus de manu inimicorum David.) Interrumpit hic Auctor libri seriem historiæ et pacti, ut significet ita reipsa evenisse postea, sicut imprecatus fuerat Ionathas: scilicet Deum *requisivisse*, id est exegisse vindictam de Saule ceterisque inimicis Davidis, qui eum iniuste persecuti fuerant et afflixerant. Ita Angelomus, qui et alium sensum affert nimirum hunc: *Deus requisivit*, id est, rationem exegit ab iis, qui noluerunt cum Davide inire fœdus; sicut inierat Ionathas: utpote cum viderent Dominum stare et pugnare cum Davide.

Porro Sept. Chald. Vatab. ex Hebræo sic apposite vertunt: ***Et requirat Dominus de manu inimicorum David:*** sicque exponunt, ut hæc verba sint quasi materia fœderis, quod Ionathas cum Davide iniit. q. d. ***Pepigit Ionathas*** *fœdus cum domo David* dicendo: *requirat*, id est castiget et ulciscatur ***Dominus*** inimicos Davidis, qui eum inique vexant et insectantur, ac consequenter castiget quoque et puniat me meosque, si fidem fallam, eique ex amico fiam inimicus.

Vers. 19. Requiretur enim sessio tua.) Id est locus sessionis tuæ in mensa, q. d. quæret Saul cur vacuus sit locus sessionis tuæ, id est cur tu absis a mensa præter solitum. Solebat enim David sæpe, præsertim diebus festis vel celebribus, quales erant calendæ, quasi gener regis illi in mensa assidere tertio loco, aiunt Septuag. et Iosephus. Nam in mensa primus sedebat Saul, secundus a dextris sedebat Ionathas filius, tertius David gener: Abner vero patruelis Saulis et princeps militiæ sedebat secundus a sinistris ex adverso Ionathæ.

Usque perendie.) Primo enim die Calendarum Saul faciebat solemne epulum ex victimis pacificis a se Deo immolatis: secundo vero die reliquias consumebat iuxta legem Levit. 7. Quare usque ad tertium diem locus Davidis in mensa Saulis futurus erat vacuus, et causam absentiæ Davidis ex Ionatha quæsiturus erat Saul.

Descendes ergo festinus, et venies in locum ubi celandus es in die qua operari licet.) q. d. primo die post Calendas venies *in Ezel*, ut ibi lateas: nam ipso die Calendarum *operari*, et consequenter proficisci et magnum iter facere non licet. Licet enim Calendæ sive Neomenia non esset proprie festum a lege indictum, ut eo operari et proficisci vetaret; tamen populus ex devotione et consuetudine Neomeniam ut festum colebat, illoque die ab opere cessabat, ac sacrificiis epulisque vacabat. Ita Abul. qui citat S. Augustinum dicentem: *Melius facerent Iudææ mulieres, si in Neomeniis nerent, quam in his impudice saltarent.* Forte etiam Ionathas non loquitur de Calendis, sed de Sabbato, quod tum occurrebat, quo operari non licebat.

Et sedebis iuxta lapidem cui nomen est Ezel.) Hebr. Hacyel, hoc est, sedebis iuxta certum lapidem qui vocatur ***Ezel***, id est *itinerarius*, ait Pagnin. eo quod itinerantibus in bivio demonstret utriusque viæ exitum; qualis fuit lapis Mercurii, hic enim erat Deus et index viarum. Ita Lyran. et Vatab. Aut dictus est *itinerarius*, eo quod viatoribus milliaria et distantiam locorum ostendat. Sic enim postea Romani omnis politiæ æmuli, in celebrioribus viis statuerunt lapides milliarios. Unde illæ phrases *primo ab urbe lapide, secundo vel tertio ab urbe lapide:* hoc est primo, secundo vel tertio ab urbe milliario. Lapides hi etiamnum Romæ nonnullis in locis extant. Et talis fuisse videtur lapis hic ***Ezel***. Audi Adrichomium: Lapis Ezel dicitur a viatoribus seu de ambulatione: distat a Ierusalem 150. stadiis, et ab Iordane stadiis sexaginta, teste Iosepho libr. 5. Antiq. c. 4. Idem lapis vel locus a Septuag dicitur *Ergab:* Causam dicam v. 41.

Vers. 20. Et iaciam quasi exercens me ad signum.) Ut scopum sagitta configam. Ita Sept. Chald. Aquila, Symmach. Theodor. et alii.

Vers. 22. Dimisit te Dominus.) Liberum scilicet; liberavit te Deus de manu Saulis, fecitque ut cognito per me eius in te odio liber aufugeres et abires.

Vers. 23. De verbo autem quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te.) Testis scilicet, q. d. soli nos duo hoc fœdus inivimus; quare nullus eius est testis nisi Deus, qui unus pro omnibus sufficit, ut iugiter memores nos reddat huius fœderis coram se initi, adigatque ad illud exacte servandum.

Vers. 25. Cumque sedisset rex super cathedram suam.) Hinc videtur Saul sedisse ad mensam, non discubuisse: quare mos discumbendi apud Hebræos posterius introductus videtur.

Surrexit Ionathas.) Id est assurrexit venienti Abner honoris causa, ait Vatab. Porro Chald. vertit: *stetit Ionathas*. Sept. *prævenit eum Ionathas:* quia enim cathedra Saulis adhærebat parieti, hinc prius transire debebat Ionathas ad locum suum, quam Saul sessione sua locum illi ad transeundum occluderet. Aut *surrexit Ionathas*, scilicet ut ad locum suum in mensa pergeret, illumque sedendo occuparet.

Vers. 26. Nec purificatus.) Hinc videtur, quod convivium hoc regis Saulis in Calendis instructum fuerit ex victimis pacificis, hoc est pro pace, prosperitate, et felicitate totius mensis Deo oblatis; ut scilicet Deus hunc mensem sibi suoque regno faceret faustum et salutarem. Nam immundi poterant vesci communibus cibis, et mensæ regiæ accumbere: nec enim arcebantur a communicatione hominum, sed sacrorum, puta ingressu templi. Congitabat ergo Saul Davidem ex cæde alicuius Philisthæi, aliave simili re contraxisse immunditiem legalem, nec ab ea se adhuc purificasse, ideoque absentare a mensa regis, in qua carnes Deo oblatæ apponebantur, quibus immundi vesci non poterant.

Vers. 27. Cur non venit filius Isai?) Ecce hic fel Saulis se exerit: non enim Davidem nomine suo nuncupat, sed contemptim eum vocat *filium Isai,* hominis plebei.

Vers. 28. Rogavit me obnixe ut iret in Bethlehem.) Mentitur Ionathas, sed officiose, putans id sibi licere ad excusandum Davidem amicum suum.

Vers. 30. Fili mulieris virum ultro rapientis.) Id est fili meretricis: hæc enim viros ambit et ad scelus allicit. Sic et Septuag. *Fili*, inquiunt, *puellarum sponte venientium;* unde videntur legisse נערות *naaroth*, id est, *puellarum*, per ר; iam legunt per נעות *naavath*: Unde cum Pagnin. vertunt: ***Fili perversæ rebellionis;*** hanc enim significat מרדות, pro quo Noster cum Septuag. aliis punctis legit מרדות *moredoth*, id est *descendentium ad viros, et ultro se iis ingerentium*: ירד *iarad* enim significat, descendere. Aut Noster legit מרדות *mardot*, id est *dominantium*, quæ scilicet viris sua illecebra et forma dominantur, a radice *rada*, id est dominari. Sensus ergo est q. d. Saul: Videris mihi o Ionatha non esse filius meus, sed matris adulteræ, eo quod non pareas nec faveas mihi, sed Davidem magis ames quam me, quasi ille vel aliquis eius cognatus sit pater tuus, non ego; et quasi mater tua non ex me, sed ex Davide te conceperit et genuerit; ideoque non mei, sed Davidis amorem tibi ingenerarit. Unde sequitur.

In confusionem matris tuæ,) q. d. hoc ipso quod adeo amas Davidem, confundis te et matrem tuam: ostendis enim ipsam non ex me, sed ex amico aliquo Davidis concepisse.

Vers. 31. Filius mortis est.) Id est reus mortis est, dignus est morte, ideoque a me morti destinatus.

Allegor. Angelomus: « David, inquit, absconditus in agro est, Christus celatus. In mundo (inquit Ioannes) erat, et mundus eum non cognovit. Iuxta lapidem sedebat, quia in tabulis legis scriptus erat. Eum Saul odio

habens, et inter epulas sedens, filium mortis iudicabat: et Iudaica plebs, in Paschæ epulis convivans, de nece Christi tractabat. »

Vers. 41. DE LOCO (lapidis Ezel) QUI VERGEBAT AD AUSTRUM.) Hebr: נגב *negheb*, id est *ad Meridiem, sive Austrum.* Porro Sept. retinuerunt nomen *negab*, quasi proprium, sed illud a descriptoribus depravatum est, ut pro *negab*, legatur: *Ergab* vel *Argag*, vel *Argaph*, vel *Annegab.* Audi S. Hieron. in locis Hebr. *Ergab, ad quem locum Ionathas filius Saul veru direxit, militaribus iaculis se exercens. Pro quo Aquila et Symmachus intrepretati sunt lapidem, licet Symmachus in alio loco pro hoc* περίμετρον, *id est ambitum dixerit.*

Porro *veru* S. Hieron. vocat telum vel iaculum, ad veru similitudinem factum æque ac Virgil. 7. Æneid. dicens: *Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.*

PRONUS IN TERRAM ADORAVIT TERTIO,) id est tertio se in terram prostravit, itaque reverentiam Ionathæ exhibuit.

QUÆCUMQUE IURAVIMUS, IN NOMINE DOMINI,) scilicet Vers. 42.
rata firmaque sint; vel eorum simus semper memores. Est Ellipsis et Reticentia mire congruens dolentibus: hi enim ex dolore multa subticent: dolor enim eis os faucesque occludit, ut verba frangant, et sententiam dimidient vel incidant. Tale est illud Christi deflentis excidium Ierusalem: *Si cognovisses et tu.* Lucæ 19. 42.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit ad Achimelech Pontificem in Nobe, ab eoque petit et accipit panes propositionis, et gladium Goliæ. Inde v. 10. videns in Iudæa, utpote Sauli subiecta, se latere non posse, fugit ad Achis regem Geth, apud quem proditus et accusatus, simulat se stultum, itaque liber evadit.

1. VENIT autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem: et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David. Et dixit ei: Quare tu solus, et nullus est tecum? 2. Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermonem, et dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, et cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam et pueris condixi in illum et illum locum. 3. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris. 4. Et respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? 5. Et respondit David sacerdoti, et dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri et nudiustertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 6. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi. 7. Erat autem ibi vir quidam de servis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini et nomen eius Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul. 8. Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, et arma mea non tuli mecum. Sermo enim regis urgebat. 9. Et dixit sacerdos: Ecce hic Gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est involutus pallio post Ephod: si istum vis tollere, tolle. Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum. 10. Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul: et venit ad Achis regem Geth: 11. Dixeruntque servi Achis ad eum, cum vidissent David: Numquid non iste est David rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia? 12. Posuit autem David sermones istos in corde suo, et extimuit valde a facie Achis regis Geth. 13. Et immutavit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ eius in barbam. 14. Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? 15. An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam?

Vers. 1. VENIT AUTEM DAVID IN NOBE AD ACHIMELECH SACERDOTEM.) summum sive Pontificem. Erat enim *Achimelech* filius Achiæ, filii Achitob, filii Phinees, filii Heli, Pontificis. S. Marcus cap. 2. v. 26. ait Davidem venisse ad *Abiathar;* sive qui *Abiathar* filius Achimelechi patre absente vel ægrotante, vices eius obibat; sive quia nomen utrumque tam filio quam patri erat commune, uti ibidem ostendi. David initio persecutionis Saulis fugiens, secundo, et tertio ad eum rediit, sperans eum sibi reconciliare. At ubi a Ionatha cognovit implacabile eius contra se odium, fugit, nec amplius ad Saulem rediit.

IN NOBE.) Civitas hæc cessit sacerdotibus occasione, ut videtur, Tabernaculi fœderis eo translati. Nam Iosue cap. 21. inter urbes sacerdotales non recensetur *Nobe.* Post Iosue ergo data fuit sacerdotibus, cum Tabernaculum in illam fuit delatum. Tabernaculo enim deservire debebant sacerdotes. Porro duæ erant urbes dictæ *Nobe:* una in confinio tribus Iuda et Beniamin cis Iordanem, altera trans Iordanem in dimidia tribu Manasse. Num. 32. 42. et Iudic. 8. 11. Multi priorem *Nobe* hic accipiunt: Serarius vero posteriorem, eo quod prior illa vicina esset Gabaa Saulis, David vero hic v. 4. dicat se illinc egressum non eodem die. sed ab heri et nudiustertius: ergo intelligit *Nobe* trans Iordanem sitam: hæc enim longius distabat a Gabaa, ubi habitabant Saul et David.

Nota, Tabernaculum fœderis continens arcam, quod Moses fabricavit, fuit in Silo, ibique mansit usque dum caperetur Arca a Philisthæis, a quibus post septem menses remissa, collocata fuit Arca in Cariathiarim: inde translata fuit in domum Obededom: inde a Davide in Sion: inde a Salomone in templum ab eo erectum. Tabernaculum vero Mosaicum capta arca videtur delatum in Nobe; qua a Saule subversa, ut audiemus cap. sequenti, translatum fuit in Gabaon: inde a Salomone traductum in templum. 3. Reg. 8.

Porro Sacerdotes et Pontifices sacrificia offerebant eo loci ubi erat Tabernaculum; quia in eo erat altare holocaustorum, in quo offerendæ erant victimæ. 1. Paralip. 21. 29. subinde tamen Samuel aliique ob graves causas dispensante Deo aliis in locis sacrificarunt; donec Deus elegit sibi stabilem locum in templo Salomonis.

Dices, David dicitur tetendisse arcæ Tabernaculum in

Sion. 2. Reg. 6. 17. Resp. hoc Tabernaculum non fuit illud priscum a Mose fabricatum, sed novum a David in Sion ad honorem Arcæ erectum.

Et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David;) quia videbat eum solum et inermem, velut vagum et profugum, ac causam, scilicet iram Saulis ignorabat.

Quare tu solus, et nullus est tecum?) solus enim David fuerat cum Ionatha, ab eoque cognito decreto Saulis de se occidendo, illico solus famelicus et inermis profugerat ad Achimelech, quasi Pontificem. Aliter respondent Lyran. Dion. et S. Athanas. hom. de Semente; scilicet Davidem dici solum venisse, quia non veniebat comitatus solita frequentia famulorum et militum, sed paucis dumtaxat stipatus.

Vers. 2. Rex præcepit mihi sermonem.) Mentitur David officiose ad tutandam vitam suam: ne scilicet si diceret se fugere Saulem sibi infensum, Achimelech metuens iram Saulis, non auderet panes sibi dare. Rursum ne ipsi Achimelech crearet periculum vitæ apud Saulem. Erat enim ibi Doeg, Sauli addictus, qui nihilominus Achimelech apud Saulem accusavit, ideoque causa fuit cur ab eo tot Sacerdotes occiderentur, ut audiemus cap. sequenti.

Et pueris (famulis) condixi in illum et illum locum.) Hinc videtur quod David solus tecta facie ne agnosceretur a Doeg, ingressus sit ad Achimelech, famulos vero suos iam ante cum a Ionatha discederet, vel per se adiens, vel per Ionatham, ait Abul. evocans iusserit se in loco condicto iuxta Nobe expectare: quare ab Achimelech accepisse panes: eosque ad famulos et socios in locum condictum expectantes detulisse: omnes enim laborabant ex bidui itinere, inedia et fame: quare omnes ex panibus sanctificatis famem expleverunt, ut ait Christus Matth. 12. 3. quia aliunde panes communes ob metum Saulis habere non poterant. Necessitas enim non habet legem. Ita S. Hier. Hilar. S. Thom. Maldon. in Matth. 12. S. Ambros. et Toletus in Lucæ c. 6. Lyran. Dion. Abul. et alii hic. Allegor. Angelomus: « David, ait, ad Achimelech solus venit; et Christus in passione sua, solus relictus est. Quod autem ait David, illo et illo in loco condixi pueris meis, hoc indicabat, quod Dominus Apostolos suos ante passionem suam informans ait: Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. David ab Achimelech, quinque panes quæsivit, sed unum accepit: quia in quinque libris Mosaicæ legis unitas retinetur. »

Vers. 4. Si mundi sunt pueri maxime a mulieribus?) quanto magis in lege nova maritos ab usu uxorum abstinere decet eo die, quo panem non propositionis, sed divinum, puta Eucharistiam sumere volunt? ita Theologi.

Vers. 5. Et fuerunt vasa puerorum sancta.) *Vasa*, id est corpora fuerunt munda a mulieribus et impolluta. Sic Apostolus 1. Thess. 4. 4. iubet ut quisque *vas*, id est corpus *suum possideat in honore et sanctitate*, id est puritate. Ita Abulen. Aliter Vatab. qui per *vasa*, accipit vestes, q. d. vestes habemus puras et mundas, quibus sanctum propositionis panem excipiamus.

Porro via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis.) Hebr. דרך *derech*, id est, *via*, sæpe sumitur pro more, usu et consuetudine: hac enim res teritur, perinde ac pedibus teritur via sæpius repetita. Est Metaphora, q. d. *via hæc*, id est mos hic laicus, immundus et pollutus est; quod scilicet laici vescantur panibus propositionis, quos non nisi Sacerdotibus ex lege comedere licet: *sed sanctificabitur in vasis*, q. d. Panis hic sanctus non polluetur, sed sancte, id est pure recipietur in sanctis, id est puris corporibus nostris; in hac gravi necessitate famis, qua etiam laicis licet panibus sanctis vesci: quare panis hic mundus non polluetur nec profanabitur, sed a mundis famentibus munde comedetur. Ita S. Hieron. Lyran. Abulen. Secundo Vatab. pro *via hæc*, mallet legi, *panis hic*, q. d. panis hic pollutus est profanus, eo quod a conspectu Domini et Tabernaculo sit remotus: quare nobis laicis eum comedere licet. Tertio alii, q. d. *Via hæc polluta est* aliis quibusdam inconvenientiis, sed excusabitur propter munditiam a mulieribus. Quarto alii, q. d. licet *via hæc polluta*, et laica sit, id est laici negotii causa suscepta; propter tamen vestium corporumque sanctitatem sanctificabitur, id est in necessitate ista instar sanctæ habebitur; panis iste quasi a mundis comedetur. Quinto Angelom. q. d. mentiendo via et iter polluitur, dum a rege missum me fingo, et hoc necessitate mortis, sed sanctificabitur in illis, quorum causa etiam fugio, quia illorum non solum mei periculi causa mentior: nam ipsi huius rei causa salvabuntur. Prima explicatio uti simplicior, sic et congruentior videtur.

Allegor. Idem Angelomus: « David, ait, per viam pollutam se venisse ad Achimelech professus est, quia et Christus Dominus inter immundas Iudæorum actiones, impollutus pertransivit. Quod autem ait: Sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis meis, hoc indicabat, quod sancti Apostoli, qui Domini vasa erant, a contagione Iudæorum, fide purgante corda, sanctificabuntur. »

Porro Chaldæus in Bibliis Regiis habet contrarie: *Et ipse non in via polluta fuit ambulans. Ipse*, scilicet panis, q. d. licet via, id est consuetudo hæc comedendi, scilicet panem sanctum, a laicis sit polluta; tamen hic et nunc apud nos non erit polluta, ob causam iam dictam. Verum Codices Veneti et Basileenses delent, *τὸ non*, et sic plane consentit Chaldæus cum Hebræo, Sept. et Latina vulgata.

Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis.) Quomodo Achimelech Pontifex in domo sua non habuit panes communes? Resp. Abulen. Causam fuisse quod ipse iam posuerat in mensa panum propositionis panes recentes, ideoque iuxta legem veteres sustulerat ad victum suum et suorum; neque coxerat alios, eo quod illi sufficerent. Verum panes propositionis comedere poterant soli (uti dixi Levit. 24.) sacerdotes eorumque filii masculi, non vero feminæ et filiæ: quare pro iis Achimelech debebat habere panes communes, quos Davidi dare poterat et debebat. Quare planius dicas Davidem hic rem suam egisse cum Achimelech non in domo sed in Tabernaculo, ubi alii non erant panes quam propositionis. David enim simulabat festinationem et urgens negotium, ne fuga ipsius percrebresceret, itaque ipse caperetur vel occideretur a ministris Saulis. Symb. S. Aug. in Psalm. 51. docet, Davidem hic non tantum regis, sed et sacerdotis personam figurare, dum panes sanctos sacerdotibus propositos comedit, itaque repræsentare Christum, qui fuit sacerdos æque ac rex. Vers. 6.

David cum Achimelech egit, non in eius domo, sed in Tabernaculo.

Erat autem ibi vir quidam de servis Saul in die illa, intus in Tabernaculo.) Pro *intus*, Serarius vult legendum *tentus*, hoc est detentus. Sic enim habent Hebræi, Sept. Chald. S. Hier. Vatab. et alii: nimirum obligatus erat voto, quo voverat se per aliquot dies in Tabernaculo mansurum, ut orationi et legi Dei legendæ et audiendæ vacaret. Ita Rabanus et ex eo Glossa. Aut ut Theod. tenebatur in Tabernaculo, quia torquebatur a quodam dæmone: aut tenebatur morbo, et ideo in tabernaculo orabat, ut eo liberaretur. Vers. 7.

Et nomen eius Doeg Idumæus.) Quia in Idumæa habitarat, nam Iosephus ait eum fuisse Syrum. Hebræi apud S. Hieron. tradunt eum fuisse armigerum Saulis: qui Saule se occidente etiam ipse se occidit c. 31. sed hoc incertum, et a Rabbinis confictum videtur. Prodidit hic Doeg Davidem et Achimelech Sauli, ut audiemus c. sequenti: ideoque fuit typus Iudæ proditoris prodentis Christum Iudæis. Ita S. August. in Psal. 51.

Potentissimus Pastorum Saul.) Id est ut Chald. *Præfectus Pastorum Saulis*, Sept. vertunt: *Pascens mulas Saulis:* unde hoc ex Sept. traductum in nonnullis codicibus Latinis legitur, æque ac apud Iosephum. Verum id recte sustulere Romani, ut ostendit hic Franc. Lucas in Notationibus.

Ecce hic gladius Goliath, etc. est involutus pallio post Ephod.) Nimirum David gladium hunc quo Goliam truncarat, obtulerat et consecraverat Deo, quasi victoriæ auctori in Tabernaculo. Ita Abul. Serarius et alii; licet id neget Lyran. Vers. 9.

Post Ephod.) Id est post locum sive post vestiarium, in quo Ephod et vestes sacerdotales asservabantur, ait Vatab. Aliter Chal. *Gladius Goliæ,* inquit, *opertus pallio, postquam quæsivit illi in Ephod*, q. d. Gladius hic oblatus fuit Deo per oraculum, quo David consulens Deum per Pontificem indutum Ephod, in quo erant Urim et Tummim, ubi vellet reponi hunc gladium; ab eo audivit illum sibi dicandum in Tabernaculo. Sic et Serarius qui id colligit ex cap. 22. v. 10. 13. 15.

Anathemata in templis Deo dicanda. Hinc colligit Abulens. recte in templis dicari Deo gladios, arma, vexilla, similiaque anathemata in memoriam et gratitudinem sanitatum, victoriarum, aliorumque beneficiorum a Deo et Sanctis receptorum.

Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum.) Hinc patet Davidem procero vastoque fuisse corpore; utpote qui gladio Goliæ uteretur et pugnaret.

Alleg. Angelomus: *David, ait, Goliæ gladium sustulit, quia et Christus Dominus diaboli arma abstulit. Fortis enim ipse spolia diripuit.*

Vers. 10. Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul, et venit ad Achis regem Geth.) David dimissis alio famulis solus fugit, et venit ad Achis, ut melius lateret incognitus; ne si cognosceretur tot stragum auctor occideretur; ut patet ex sequen. Nam Goliath occisus a Davide erat ex *Geth,* cuius rex erat *Achis.* Porro *Achis* hic in titulo Psalm. 33. vocatur *Abimelech,* aut potius *Achimelech,* id est *Achis rex,* uti vertunt Theodotion, Symmachus, sicque explicat ibidem S. August.

Vers. 11. Numquid non iste est David rex terræ?) Qui ubique præliatur, vincit et dominatur: aut ut Vatablus *rex terræ,* id est huius regionis nostræ: ad eum enim regnum terræ nostræ pertinere videtur propter devictum Goliath: ea enim lege pugnatum erat, ut victor possideret regionem victi, q. d. Cum ad Davidem regnum tuum videatur pertinere o Achis, cur eum in illud admittis?

Vers. 12. Posuit autem David sermones istos in corde suo.) Cogitans modum et rationem accusationem hanc refellendi vel declinandi, et evadendi tam præsens vitæ periculum. Unde tunc oravit et composuit Psalm. 55. in quo petit ab hostibus maledicis liberari, et paulo post dictavit Psalm. 33. illius enim hic est titulus: *Davidi cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit*, 1. Reg. 21. Unde videtur David Psalmum hunc dictasse non initio accusationis et periculi, sed postquam ab Achis dimissus liber evasit. Nam Deo pro liberatione gratias agens cecinit: *Benedicam Dominum in omni tempore,* David enim Goliath Gethæum, multosque alios Gethæos et Philisthinos occiderat, unde eis erat odio ac terrori: Geth enim erat una ex quinque Satrapiis Philisthinorum, cuius Satrapa sive rex, id est regulus erat Achis. *Geth* Hebr. idem est quod torcular, idque hic appositum est. David enim metu Saulis coactus fuit fugere ad Philisthæos coniuratos Israelis et suos hostes; unde ibi quasi in torculari pavoris et angoris pressus fuit: Geth tempore S. Hieron. Diocæsarea dicebatur. Sita est iuxta Gazam et Accaron. Ita Adrichom.

David hoc tempore composuit Psal. 55. et 33.

Vers. 13. Et immutavit os suum coram eis.) Pro, *os suum,* Hebr. est טעמו *taamo,* id est *gustum suum,* hoc est sensum suum, puta mentem suam, hoc est: David qui prius erat sensatus, finxit se insanum. Ita Vatab. Secundo Pagnin. vertit: *sermonem suum,* q. d. David immutabat sermonem, maxime quoad pronuntiationem et accentum; ac ne Iudæus videretur, alia dialecto et pronuntiatione utebatur. Ita Serarius. Tertio et plane, *gustum,* id est habitum oris et faciei suæ: ore enim et facie ostenditur gustus tum corporis tum mentis; quid scilicet homo gustet, quid ei placeat, quid eum oblectet, quidve ei displiceat, eumque contristet. David ergo *mutavit gustum*, id est habitum oris et vultus sui, illum detorquendo, contrahendo, dilatando, et in varias formas gestusque os, oculos, nares et labia transformando, uti faciunt stulti, cum quid eis placet vel displicet.

Alleg. Angelom: « David, ait, id est Christus mutavit os suum, dum aliam legem, aliud testamentum, alia præcepta et Sacramenta quam fuerant legis veteris, in lege nova instituit; præsertim Eucharistiam: mutavit enim ipse sacrificia boum et taurorum in sacrificium Eucharisticum corporis et sanguinis sui. » Ita et S. Aug. in titulo Psal. 33. qui et addit: « Insanire Christus videbatur Iudæis, dum diceret: Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Unde dicebant: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » Ioann. 6.

Et collabebatur inter manus eorum.) Hebr. יתהולל *itholel,* quod Pagnin. vertit: *insaniebat.* Vatab. *simulabat se stultum.* Chald. *Et stupidus factus est in manu eorum,* scilicet David iactando brachia, divaricando tibias, titubando, et cadendo in terram fingebat se insanum vel epilepticum.

Allegor. Christus collapsus est in manibus Iudæorum, quando ab eis crucifixus fuit. Ita Angelom. Glossa, et ex ea S. Thom. 2. 2. q. 111. art. 1. ad 2. Sept. vertunt: παρεφερετο εν ταις χερσιν αυτου, id est *delirabat*, id est, *delira faciebat et delirum se fingebat in manibus suis:* παραφορα enim est, mentis error et deliratio, teste Galeno et Suida, qui παραφορα quoque appellat Dæmoniacum; ut David hic repræsentet Christum, qui a Iudæis habitus est ut delirus et dæmoniacus, ac ab Herode veste alba, quasi stultus, indutus est. Unde et S. Augustin. in Psalm. 33. qui est de hac re: *Psalmus,* inquit, *ostendit sanam et sobriam ebrietatem.* Idem tamen ibidem vertit: *ferebatur in manibus suis,* idque aptat Christo, qui in ultima cœna instituens Eucharistiam, eam gestans manibus suis portabat. τό enim παρεφερετο proprie dicitur de ferculis, cum in triclinium mensamque inferuntur: *Ferebatur,* ait S. Aug. *Christus in manibus suis, quando comedens ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.*

Et impingebat in ostia portæ.) Hebr. יתו *ietau,* quod Chald. vertit; *lineans super vacuas portæ,* q. d. Recta linea in ostia ferebatur et arietabat uti faciunt arietes; aut lineas formabat in ostio. Pagnin. *designabat in ostiis portæ.* Vatab. *Exaravit unguibus in valvis portarum:* vel *pingebat sive scribebat in ostiis portæ,* sicut fatui in ostiis solent digitis suis pingere, et varias lineas describere.

Porro S. August. in titulo Psal. 33. ex Sept. legit: *affectabat et tympanizabat ad ostia civitatis*, hoc est tam crebro et fortiter in ostia impingebat, ut tympanum pulsare videretur, aut tympana et alia ludicra in ostio pingebat.

Allegor. vero S. August. idipsum de Christo crucifixo explicans: « Affectavit, inquit, id est compassus et miseratus est nos e supremis; et quoniam qui crucifigitur, in ligno extenditur; ut autem tympanum fiat, caro, id est corium in ligno extenditur; dictum est: et tympanizabat, id est crucifigebatur, in ligno extendebatur. Affectabat, id est affectum in nos habebat, ut animam suam poneret pro ovibus suis. Tympanizabat, Quomodo? ad ostium civitatis. Ostium nobis est, quod aperitur ut credamus in Deum. Clauseramus ostia contra Christum, et aperueramus diabolo, contra vitam æternam: clausum cor habebamus, ille autem Dominus Deus noster, quia clausum cor habebamus homines adversus vitam æternam, nec poteramus videre verbum quod vident Angeli, cruce aperiebat corda mortalium, hoc est, tympanizabat ad ostium Civitatis. »

Hinc Hebr. *ietau,* verti potest: *delineabat litteram tau,* id est formabat figuram crucis: hanc enim exhibet littera *tau.* Denique Septuag. pro *ietau,* videntur legisse: *iatof,* id est *tympanizabat;* תוף *toph* enim est *tympanum:* ita dictum a sono tympani per Onomatopæiam.

Defluebantque salivæ eius in barbam.) Uti fit in Epilepticis, phreneticis, stupidis et stultis.

Alleg. id de Christo explicat S. August. in titulo Psal. 33. in fine: « Quid, inquit, sunt? salivæ enim currunt infantibus. Nonne erant tamquam infantilia verba, manducate carnem meam et bibite sanguinem meum? sed ista infantilia verba tegebant virtutem ipsius. Virtus enim in

barba intelligitur. Salivæ igitur decurrentes super barbam eius, quid sunt, nisi verba infirma virtutem eius tegentia? » Sic quoque Beda, Eucherius, Angelom. et Rabanus, qui more suo S. Augustinum sequuntur.

An fictio Davidis fuerit peccatum. Quæres, An David peccarit fingendo se stultum? Affirmant nonnulli: ratio est, quia ut docet S. Thom. 2. 2. q. 111. ar. 1. ad 2. Fictio est mendacium non verbi, sed facti; mendacium autem est peccatum. Unde D. Thom. ibidem ad 2. Davidem non aliter excusat, quam quod fictio hæc fuerit figuralis; fuit enim figura Christi, qui cum esset Deus alium se esse quasi simulavit, cum carnem nostram assumpsit, et in ea tot labores et dolores ipsamque crucem subiit.

Resp. negative. Mitius, veriusque Abulen. et alii censent, Davidem non peccasse; tum quia videtur ad hoc motus a Deo: unde et paulo post recedens ab Achis, Dei instinctu composuit elegantem psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore:* tum quia David impingens in ostia, aliasque actiones deliras faciens ipso facto non dicebat se esse stultum, sed se id dumtaxat simulare ob instans periculum; hoc autem erat verum. Porro sic simulare non est mendacium, sed silentium dumtaxat veritatis, sive dissimulatio qua quis aliam quasi personam, alios gestus moresque induit iusta de causa, ut tegat veritatem ad evadendum periculum. Sic Samuel finxit se ire ad immolandum in Bethlehem, cum iret ad ungendum Davidem in regem c. 16. 2. sic Iosue cap. 8. 5. finxit se pavidum fugere cives Hai, ut eos ex urbe eliceret et mactaret. Sic Gedeon Iudic. 7. 20. cum trecentis complosione lagenarum et effulA guratione lampadarum finxit se magnum habere militum numerum, ut Madianitas innumeros consternaret. Idem sensere et fecere Gentiles. Unde Horatius libr. 4. Carm. Ode 12. *Misce, ait, stultitiam consiliis brevem. Dulce est desipere in loco.* Et Cato.

Insipiens esto, cum tempus postulat aut res.
Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Et Ausonius libr. 2. Distichorum. Sic Solon unus e septem Græcorum sapientibus, et Atheniensium legislator finxit se delirum, ut Atheniensibus persuaderet recuperare Salaminam Insulam. Capitale enim erat ea de re loqui. Ita Plutar. in Solone. Denique S. Simeon cognomento *salus*, id est stultus; S. Franciscus (qui se nominabat fatuellum mundi) multique alii Sancti simularunt se stultos; tum ad insignem humilitatem; tum ut docerent honoris mundique contemptum, ac mundi sapientiam meram esse stultitiam. Unde S. Paulus 1. Corint. 4. *Nos*, inquit, *stulti propter Christum.* Et noster S. Ignatius: *Sis*, ait, *mundo demens, ut sapias Domino*: quia *quod* B *stultum est Dei, sapientius est hominibus*. 1. Corin. 1. 25. Vide ibi dicta. — Multi Sancti simularunt stultitiam.

Vers. 1... An desunt nobis furiosi?) Quia sicut nusquam desunt ægrotantes corpore, sic nec ægri mente: præsertim quia mentis ægritudo et delirium pendet ex ægritudine corporis et cerebri; quod si minimum lædatur, minuatur, vel distorqueatur, creat epilepsias, phræneses, deliria, furores, etc. Fabulantur Rabbini uxorem et filiam regis Achis laborasse delirio.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit in speluncam Odollam, inde v. 5. monente Gad propheta redit in terram Iuda. Audit id Saul suosque incitat ut eum prosequantur, sibique prodant et tradant. Mox v. 9. Doeg accusat Achimelech Pontificem, quod Davidi dederit panes et gladium Goliæ. Quare v. 18. eum cum 85. sociis Doeg iussu Saulis occidit.

1. Abiit ergo David inde, et fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres ejus, et omnis do-
mus patris eius, descenderunt ad eum illuc. 2. Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia
constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo: et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo
quasi quadringenti viri. 3. Et profectus est David inde in Maspha, quæ est Moab, et dixit ad regem Moab: Ma-
neat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. 4. Et reliquit eos ante faciem
regis Moab: manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio. 5. Dixitque Gad propheta ad
David: Noli manere in præsidio, proficiscere, et vade in terram Iuda. Et profectus est David, et venit in saltum
Haret. 6. Et audivit Saul quod apparuisset David, et viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Ga-
baa, et esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi eius circumstarent eum, 7. Ait
ad servos suos qui assistebant ei: Audite nunc filii Iemini: numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vi-
neas, et universos vos faciet tribunos, et centuriones: 8. Quoniam coniurastis omnes adversum me, et non est
qui mihi renuntiet, maxime cum et filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex
vobis, nec qui annuntiet mihi: eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi us-
que hodie. 9. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, et erat primus inter servos Saul: Vidi, inquit,
filium Isai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob sacerdotem. 10. Qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria
dedit ei: sed et gladium Goliath Philisthæi dedit illi. 11. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem
filium Achitob, et omnem domum patris eius, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem,
12. Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum Domine. 13. Dixitque ad eum Saul:
Quare coniurastis adversum me, tu et filius Isai, et dedisti ei panes et gladium, et consuluisti pro eo Deum, ut
consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens? 14. Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis
in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua?
15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? absit hoc a me: ne suspicetur rex adversus servum suum rem hu-
iuscemodi, in universa domo patris mei: non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum
vel grande. 16. Dixitque rex: Morte morieris Achimelech, tu, et omnis domus patris tui. 17. Et ait rex emis-
sariis, qui circumstabant eum: Convertimini, et interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum David est:
scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdo-
tes Domini. 18. Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, et irrue in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumæus, irruit
in sacerdotes, et trucidavit in die illa octogintaquinque viros vestitos ephod lineo. 19. Nobe autem civitatem sa-

cerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres, et parvulos, et lactantes, bovemque et asinum, et ovem in ore gladii. 20. Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad David, 21. Et annuntiavit ei quod occidisset Saul sacerdotes Domini. 22. Et ait David ad Abiathar: Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui. 23. Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, mecumque servaberis.

Vers. 1. ABIIT ERGO DAVID INDE, ET FUGIT IN SPELUNCAM ODOLLAM.) *Odollam* erat vicus in tribu Iuda, ad dexteram euntibus ex Ierusalem in Hebron. Audi ex S. Hieron. Guilielmo Tyrio et aliis Adrichomium in tribu Iuda num. 201. « Spelunca Odollam in ipsa petra fuit, locus natura tutus, communitus, in quam cum David fugisset a facie Saul, ibique multos angustia et ære alieno oppressos ad se confugientes susciperet, factus est princeps quadringentorum virorum. Habuit eumdem usum spelunca hæc tempore Christianorum: nam Turcæ cum ad ea loca populabundi devenissent, fugerunt habitatores vicinorum locorum, et sese cum uxoribus, liberis, armentis et gregibus huc contulerunt. »

Descriptio speluncæ Odollam.

Unde apposite *Odollam*, vel ut Hebr. est *Adulain*, idem est quod congregatio, transitus vel præda eorum, ait Pagnin. in nomin. Hebr.

Symbol. Angelomus et Eucherius: Spelunca hæc, inquiunt, repræsentat carnem Christi, in qua quasi in spelunca abscondita delituit divinitas Christi. Aut sepulchrum Christi, quod testimonium (hoc enim Hebr. significat *Odollam*, ait Beda) fuit Christum esse Deum, cum ipse tertio die ex illo corpus suum redivivum et gloriosum suscitavit.

Vers. 2. ET CONVENERUNT AD EUM OMNES, QUI ERANT IN ANGUSTIA CONSTITUTI, ET OPPRESSI ÆRE ALIENO.) Dices, Quomodo illos admisit David in præiudicium creditorum, ne eos cogere possent ad solvendum sibi debita? Respon. Caietanus illos cessisse bonis, vel impotentes fuisse ad solvendum: unde ipsa impotentia excusabantur a solvendo, usque dum ad pinguiorem fortunam evaderent, quod futurum erat per societatem et prudentiam Davidis, qui hostium spoliis omnes suos ditavit, ut patet 2. Reg. 2. et 15.

David ad se confugientes optime instruxit. Quod enim David omnes ad se confugientes optime ad omnem iustitiam et honestatem instruxerit, patet ex Psalm. 33. quem tum composuit. Hic enim Psalmus ad litteram continet doctrinam, quam David ibidem dedit suis sociis et militibus: unde eos alloquens v. 12. ait: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Item ex eo quod David secum habebat Gad prophetam et virum sanctum.

Allegor. David fuit typus Christi, ad quem confugiebant omnes ægri, afflicti, pœnitentes. Unde ipse eos advocans ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. 11. ait Angelomus.

Vers. 3. ET PROFECTUS EST DAVID IN MASPHA, QUÆ EST MOAB.) Id est quæ est urbs regionis Moabitidis ad Moabitas non ad Iudæos pertinens. Fugit enim David ex Iudæa, utpote Sauli subdita, in terram Moab, in quam nil poterat Saul. Porro alia erat *Maspha* in Iudæa, ubi Samuel conventum populi egit c. 7. 6.

MANEAT, ORO, PATER MEUS ET MATER MEA VOBISCUM.) Hinc collige Saulem non solum Davidem, sed et eius parentes et cognatos persecutum fuisse; vel certe illos persecutionem Saulis metuentes extra Iudæam in Moabitidem profugisse.

Vers. 4. QUIBUS DAVID FUIT IN PRÆSIDIO.) Id est in arce vel loco munito terræ Moab. Hunc enim significat Hebr. מצודה *metsuda.*

Vers. 5. DIXITQUE GAD PROPHETA, etc. VADE IN TERRAM IUDA.) Quia mansio Davidis in Iuda multis fuit utilis, et plurimum Davidi attulit auctoritatis, ut ad regnum illico a tribu Iuda promoveretur, uti re ipsa evenisse audiemus in sequenti: ita Caietan.

ET VENIT IN SALTUM HARET.) Qui locus desertus erat, invius et incultus, non nisi sentibus, et vepribus perhorrescens. *Nihilominus*, inquit Rabbi Salomon, *divina virtute factus est idem locus abundans fructibus, et animalibus, et irriguus fontibus, ut Davidem et viros eius non solum sustentaret; sed etiam mirifice recrearet.* Quo alludens David: *Dominus*, inquit, *regit me*, seu ut est in Hebræo, *pascit me: in loco pascuæ ibi me collocavit: super aquam refectionis educavit me.* Psalm. 22. v. 1. ubi vides aridas et spinosas vias amantibus commutari in floridas et amœnas.

AUDITE NUNC FILII IEMINI.) Id est filii Beniamin, contribules, et cognati mei, agite, certate pro me æque ac pro vobis, ne regnum a me vestraque tribu ad tribum Iuda et Davidem transferatur. Vers. 7.

QUI CONSULUIT PRO EO DOMINUM.) Per Ephod in quo erant Urim et Tummim, de quibus dixi Exodi 28. 30. Hinc patet Achimelech pro Davide petiisse et accepisse a Deo oraculum, qua via pergere, et quid agere deberet David; et quis rerum suarum futurus esset exitus, prosper, an adversus; licet Hugo putet Doeg id fingere, et mentiri ut maiorem iram Sauli contra Davidem et Achimelech concitet: nec enim eum pro Davide consuluisse Deum. Vers. 10.

Achimelech pro Davide oraculum accepit a Deo.

Moraliter, Nota hic varias, continuas et acres persecutiones, errores, fugas, pericula, quibus per decem annos assidue a Saule exagitatus fuit David: idque ob suam virtutem qua Goliath occiderat, et Israelem liberarat. Nam primo, Saul Davidem pulsantem citharam, itaque se liberantem a spiritu malo bis lancea vibrata configere voluit c. 18. 11. c. 19. 10. Secundo, eumdem contra Philisthæos misit, ut ab eis occideretur, ibidem v. 17. et 25. Tertio, submisit satellites, qui Davidem domi caperent ad necem; sed Michol eum per fenestram dimisit c. 19. 11. Quarto, David fugit ad Samuelem in Ramatha, ibidem v. 18. Quinto, c. 20. abiit ad Ionatham qui eum Sauli reconciliare conatus est, sed frustra. Sexto, fugit in Nobe ad Achimelech Pontificem c. 21. v. 2. Septimo, ex Nobe fugit in Geth ad Achis regem, ibidem v. 10. Octavo, latuit in spelunca Odollam c. 22. 1. Nono, inde secessit in Maspha urbem Moab, ibidem v. 3. Decimo, inde transiit in saltum Haret, ibidem v. 5. Undecimo, perrexit in Ceilam, eamque a Philisthæis liberavit c. 23. 1. Duodecimo, abscondit se in monte Ziph, colle Hachila, et deserto Maon, c. 23. v. 14. 19 et 24. Decimotertio, delituit in deserto Engaddi c. 24. 1. ubi oram chlamydis Saulis abscidit eo illæso. Decimoquarto, abdidit se in desertum Ziph, ubi scyphum et hastam Sauli dormienti abstulit eo intacto c. 26. 2. Decimoquinto, fugit ad Achis regem Geth c. 27. 2. Hi sunt omnes errores et fugæ Davidis, quas ordine suo digessi.

Fugæ 15. Davidis.

Verum has omnes invicta sua patientia et magnanimitate toleravit et superavit David; ideoque ex singulis fortior et gloriosior evasit; adeoque per has omnes, quasi per totidem gradus ad apicem gloriæ regnumque conscendit.

Davidis patientia.

Alleg. ergo David repræsentavit Christum, qui prædicans, hominesque a morbis animæ et corporis liberans, assiduas persecutiones, contradictiones, convicia, blasphemias Scribarum, Pharisæorum, Pontificum, invicta constantia, æque ac benignitate sustinuit usque ad mortem Crucis; ideoque gloriam et regnum æternum in cælis non tantum sibi, sed et omnibus fidelibus sanctisque suis peperit et acquisivit.

Tropol. Christum et Davidem imitetur Christianus, ut sibi pesuadeat eadem via, scilicet persecutionis et crucis sibi incedendum, si ad culmen sanctitatis, gloriæ et felicitatis æternæ pervenire velit. Æterna enim Dei lege sancitum est: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu persecutionem patientur.* 2. Timoth. 3. 12. Sic S. Atha-

Tropol. de utilitate persecutionis.

nasius per 46. annos persecutiones assiduas ab Arrianis passus, vagus et erro totum quasi orbem fugiendo obivit; sed sua heroica virtute de omnibus victor triumphavit. Si ergo ob fidem, pietatem, virtutem, pateris; cogita te esse Davidem, et cum eo animos non demitte, sed attolle, sciens tuum Saulem, tuum persecutorem tibi fabricare coronam gloriæ et diadema regni æterni. Si innocentia es Abel, necesse est ut eam probet et exerceat invidus Cain. Si simplicitate es Iacob, oportet ut hirsutus Esau te stimulet. Si castitate es Ioseph, oportet ut impudica hera te tentet. Si mansuetudine et generositate es Moses, convenit ut tuus te Pharao exagitet, attollat, perficiat. Audi S. Ioann. Apoc. 7. 14. Martyrum sub Antichristo agones et coronas describentem: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo eius, et qui sedet in throno, habitabit super illos*, etc.

De noxa invidiæ. Denique vide hic quantum malum sit invidia, quæ Saulem assidue torsit, et in tot cædes et scelera adegit, ut tandem ipse sibi mortem conscisceret. Audi S. Cyprianum Saulis et cuiuslibet invidi noxas et damna recensentem serm. de Zelo et livore: « Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente. Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicii dies non providetur. Inflatur superbia, exacerbatur sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutitur, furit discordia, ira fervescit, nec se iam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur. » Et paucis interiectis invidiam graphice depingens: « Qualis, inquit, est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem eius, vel felicitatem, id est, odisse in eo, vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ ungulis pulsent, non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus, suspiratur semper et ingemiscitur et doletur. »

Vers. 15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum?) q. d. iam ante sæpe pro eo, tuo consensu et iussu consului Dominum, cum scilicet David educturus esset tuas copias in prælium, an id futurum esset felici successu, an adverso? non ergo iam primum pro Davide nunc tibi suspecto et exoso, uti ex verbis tuis colligo, cœpi consulere Dominum q. d. nesciebam te iram et odium gerere contra Davidem paulo ante tibi adeo amicum et fidelem: quare noli ad culpam et pœnam mihi meæque domui imputare, quod panes et gladium ei dederim: non enim illa dedi ipsi, nisi ut iis ad tuum servitium (quod ipse se exequi afferebat) uteretur. Nam de tua in eum offensa hucusque nil omnino scivi nec parvum, nec magnum.

Vers. 16. Dixitque rex: Morte morieris Achimelech tu et omnis domus patris tui.) Vide hic summam crudelitatem, impietatem et barbariem Saulis in insontem Pontificem et Sacerdotes, imo in omnes cives Nobe, quos innoxios trucidari iussit cum omnibus parvulis, feminis et armentis, v. 19. Hæc, inquit Theodor. q. 53. et Cedrenus, Saulis cædes fuit omnibus aliis eius peccatis magis impia. Unde et Iosephus lib. 6. c. ult. inter Saulis mortis causas hanc etiam reponit, et copiose Auth. Trad. apud S. Hier. lib. 2. Reg. c. 1.

Saulis summa crudelitas.

Maior aliis eius peccatis.

Saul typus Herodis. Quare Saul fuit hic typus et præcursor Herodis, occidentis parvulos in Bethlehem propter Christum. Hic expletum fuit oraculum Dei contra Heli editum c. 2. v. 33. Omnes enim hi Sacerdotes erant posteri vel cognati Heli.

Vers. 17. Et ait rex emissariis,) id est cursoribus, qui quasi satellites Saulis Achimelech et Sacerdotes ex Nobe ad Saulem in Gabaa evocarant et adduxerant.

Nam manus eorum cum David est,) quasi dicat: fovent iuvantque Davidem meum hostem et regni æmulum.

Noluerunt autem servi.) Laudandi sunt hi servi, quod Sauli obedire, et manus suas sanguine Sacerdotum fœdare noluerint. Ita Theod. S. Chris. tamen in Psal. 134. reprehendit eos, quod positive et efficaciter non egerint causam Sacerdotum apud Saulem, ut eorum cædem impedirent; sicut c. 14 intercesserant pro Ionatha, eiusque necem discusserant. Sed alia erat causa Ionathæ filii Saulis, alia Sacerdotum, quos quasi Davidi faventes certo mactare decreverat Saul.

Conversusque Doeg (*Doeg* Hebr. idem est quod *solicitans*, scilicet Saulem ad necem Davidis et Sacerdotum) Idumæus, irruit in Sacerdotes et trucidavit in die illa octoginta quinque (ita Hebr. Chald. Roman. Septuag. Compl. Minus recte ergo Septuag. Vaticani numerant 305. Theodor. vero peius numerat 350.) viros vestitos Ephod lineo,) id est Sacerdotes et Levitas: hi enim gestabant *Ephod lineum*, cum Pontifex gestaret Ephod gemmeum et polymitum. Vers. 18.

Ecce Doeg accusator et calumniator Davidis et Achimelech in scelere profecit, fitque eius et Sacerdotum sacrilegus carnifex, ut crimen quod cœpit perficiat. Ita scelestus ex uno crimine in aliud, ex minori ad maius prolabitur. Porro Angelomus in l. 2. c. 21. tradit duos Saulis filios parvulos Armoni et Miphiboseth ex Respha concubina, cum Doego manus illis attulisse, ideoque etiam propterea a Gabaonitis crucifixos.

Quocirca Philo Biblicus asserit Doeg hoc triste a Deo accepisse oraculum: *Ad Doeg Syrum hæc dicit Dominus: Ecce dies veniunt cito, et ascendet vermis igneus in linguam eius, et tabescere faciet eum, et erit habitatio eius cum Cain in igne inextinguibili semper.* Verius est Davidem tunc composuisse psalmum 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate: tota die iniustitiam cogitavit lingua tua, etc. Propterea Deus destruet te in finem.* Titulus enim illius Psalmi est hic: *In finem intellectus David, cum venit Doeg Idumæus, et nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech.* Hinc Doeg, ait Eucherius et Angelomus, fuit typus et præcursor tum Iudæ proditoris, tum Antichristi, qui Sacerdotes Christi maxime persequetur, eosque martyrio afficiet. Hoc tempore compositus. Psal. 51.

Trucidavit in die illa octoginta quinque viros.) Asserunt vel potius fabulantur Rabbini, et ex iis Philo Biblicus, hos Sacerdotes et Levitas posteros vel cognatos Heli Pontificis scelera filiorum Heli imitatos esse, ac sacrificia violasse, ideoque neci huic a Deo destinatos.

Verius est Heli eiusque filios sceleratos in hisce suis nepotibus innoxiis fuisse punitos, hicque impletum esse illud oraculum Dei contra eos c. 2 33. *Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.* Nam hi Sacerdotes et Levitæ a Saule per Doeg interfecti, videntur evasisse martyres; quia occisi sunt pro virtute misericordiæ et charitatis, quam exhibuerant sancto, sed misero, profugo et famelico Davidi, dando ei panes. Sicut enim qui pro castitate occiditur, fit martyr; sic et qui pro charitate aliaque virtute trucidatur, martyr est. Unde S. Bachiarius tomo 1. Biblioth. SS. Patrum, Sacerdotes hos pro innocenti Davide occisos in martyrum Catalogum refert, et Beda in Allegoriis non tantum Sacerdotes, sed et omnes cives Nobe ob Davidem trucidatos inter martyres collocat: *Nobe civitas*, inquit, *propter susceptum Davidem cum suis omnibus martyrium passa est.* Sacerdotes et alii cives Nobe, fuerunt Martyres.

Nobe autem civitatem Sacerdotum percussit (id est percuti et occidi iussit, scilicet impius Saul in odium Davidis) in ore (in acie) gladii, viros et mulieres, et parvulos et lactentes, bovemque et asinum et ovem.) Statuit ergo eam in *Cherem*, sive *anathema*, quia eam plane exitio excidioque addixit, et rabie et furore in Davidem, quo exagitabat spiritus malus, sive diabolus a quo possidebatur et regebatur. Vers. 19.

Evadens autem unus filius Achimelech, etc. cuius nomen Abiathar, fugit ad David.) Hic *Abia-* Vers. 20.

*

thar patri Achimelech successit in Pontificatu, quo functus est toto tempore Davidis; sed eo privatus a Salomone, eo quod contra ipsum favisset Adoniæ regnum invadenti: ideoque Salomon Pontificatum ab Abiathar, qui erat de familia et posteris Heli et Ichamar, transtulit et reduxit ad Sadoc, qui erat ex posteris Eleazar. 3. Reg. 2.

Vers. 22. EGO SUM REUS OMNIUM ANIMARUM PATRIS TUI.) quasi dicat: Ego non causa sed occasio (ita Chald. Hebr. et Sept.) fui mortis filiorum et cognatorum patris tui; cum scilicet anima, id est vita singulis a Saule sit adempta. Occasio, inquam, sed involuntaria et contra meam intentionem, ideoque sine mea culpa: Nam cavi eis eorumque vitæ quantum potui, simulando coram eis me non profugum, sed a Saule missum: unde licet scirem Doeg id Sauli renuntiaturum, tamen probabiliter credebam vel sperabam Saulem Sacerdotibus innoxiis non irasciturum, aut certe tam crudele facinus cædis Sacerdotum non attentaturum. Reus ergo fuit David non formaliter, sed materialiter; quia materiam et occasionem dedit Sauli occidendi eos, sed præter, imo contra mentem suam, necessitate famis adactus. Mortis enim eorum causa propria et directa fuit improbitas Saulis.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David liberat Ceilam a Philisthæis. Saul id audiens destinat eum ibidem cingere et capere. Quare David vers. 12. consulens Dominum, audit se a Ceilanis tradendum Sauli: quocirca fugit ipse in montem Ziph, ubi eum visitat et confortat Ionathas. Mox vers. 19. Ziphæi indicant Sauli Davidem apud se latere: sequitur ergo eos Saul cum copiis: cingitque Davidem, cumque iam eum capturus esset, nuntius occurrit dicens, Philisthæos invasisse Iudæam: unde Saul ut eis resistat, Davidem persequi desinit.

1. ET annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam et diripiunt areas. 2. Consuluit ergo David Dominum, dicens: Num vadam; et percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad David: Vade, et percuties Philisthæos, et Ceilam salvabis. 3. Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum: Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus: quanto magis si ierimus in Ceilam adversum agmina Philisthinorum? 4. Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, et vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua. 5. Abiit ergo David, et viri eius in Ceilam: et pugnavit adversum Philisthæos, et abegit iumenta eorum, et percussit eos plaga magna: et salvavit David habitatores Ceilæ. 6. Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David in Ceilam, ephod secum habens descenderat. 7. Nuntiatum est autem Sauli quod venisset David in Ceilam: et ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, ingressus urbem, in qua portæ et seræ sunt. 8. Et præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderet in Ceilam, et obsideret David, et viros eius. 9. Quod cum David rescisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica ephod. 10. Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me: 11. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. 12. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. 13. Surrexit ergo David et viri eius quasi sexcenti, et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatumque est Sauli quod fugisset David de Ceila, et salvatus esset: quam ob rem dissimulavit exire. 14. Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus, et non tradidit eum Deus in manus eius. 15. Et vidit David quod egressus esset Saul, ut quæreret animam eius. Porro David erat in deserto Ziph in silva. 16. Et surrexit Ionathas filius Saul, et abiit ad David in silvam, et confortavit manus eius in Deo: dixitque ei: 17. Ne timeas: neque enim inveniet te manus Saul patris mei, et tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus, sed et Saul pater meus scit hoc. 18. Percussit ergo uterque fœdus coram Domino: mansitque David in silva: Ionathas autem reversus est in domum suam. 19. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in Colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? 20. Nunc ergo, sicut desideravit anima tua ut descenderes, descende: nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis. 21. Dixitque Saul: Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam. 22. Abite ergo, oro, et diligentius præparate, et curiosius agite, et considerate locum ubi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callide insidier ei. 23. Considerate et videte omnia latibula eius, in quibus absconditur: et revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum: quod si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda. 24. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: David autem et viri eius erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Iesimon. 25. Ivit ergo Saul et socii eius ad quærendum eum: et nuntiatum est David, statimque descendit ad petram, et versabatur in deserto Maon: quod cum audisset Saul; persecutus est David in deserto Maon. 26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte una: David autem et viri eius erant in latere montis ex parte altera: porro David desperabat se posse evadere a facie Saul: itaque Saul et viri eius, in modum coronæ cingebant David et viros eius, ut caperent eos. 27. Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. 28. Reversus est ergo Saul desistens persequi David, et perrexit in occursum Philisthinorum: propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem.

Vers. 1. PHILISTHIIM OPPUGNANT CEILAM.) *Ceilam*, ait S. Hieron. Eusebius et Adrichom. in locis Hebr. *Civitas est in tribu Iuda, quondam sedes David: Et nunc villula Ceila ad Orientalem plagam Eleutheropolios pergentibus Hebron, quasi octavo milliario: in qua sepulchrum Habacuc prophetæ demonstratur.*

Et diripiunt areas.) Vatab. *Horrea*, id est diripiunt messem et frumenta in areis et horreis reposita.

Vers. 2. Consuluit ergo David Dominum.) Per Abiathar Pontificem ad se profugum, ut patet v. 6.

Vers. 5. Et salvavit David habitatores Ceilæ.) Quasi contribules et cives suos, erant enim utrique ex tribu Iuda. Meruit ergo hic David coronam civicam liberando cives suos a Philisthæis, ideoque paulo post mortuo Saule David e tribu Iuda evectus est ad regnum 2. Reg. 2.

Vers. 6. Ephod secum habens.) q. d. Abiathar fugiens Saulem venit ad Davidem portans vestem Pontificiam, in qua erat *Ephod* cum Urim et Tummim, ut patre Achimelech iam occiso a Saule, eius loco in Pontificatum succederet, ac Deum pro Davide per Ephod consuleret.

Vers. 9. Dixit (David) ad Abiathar sacerdotem: applica Ephod.) Id est explica et indue te Ephod, ut per eius Urim et Tummim consulas Dominum, quid in tanto periculo et tam arcta Saulis persecutione mihi facto sit opus. Hinc *Abiathar* Hebr. idem est quod, *pater explorationis vel contemplationis;* quia ipse orando consuluit Dominum, eiusque voluntatem et consilium exploravit pro Davidis salute. Vide hic pietatem Davidis erga Deum, utpote qui in arctis confugit ad Deum: Item erga cives suos Ceilanos, utpote eos liberans a Philisthæis: adhuc erga Saulem, utpote fugiens eius furorem quasi subditus, nec ei resistens, sed ei parcens cum eum haberet in manibus cap. 24. 5. Quocirca recte Davidi in virtutibus omnibus consummato hoc tribuas elogium, quod nuper Stephano Battoreo insigni Poloniæ regni assignavit Bonifacius Vannotius in Miscellaneis Epist.

Pietas Davidis.

In templo fuit plusquam Sacerdos.
In Republica plusquam Rex.
In sententia dicenda, plusquam Senator.
In iudicio, plusquam Iurisconsultus.
In exercitu, plusquam Imperator.
In acie, plusquam Miles.
In adversis perferendis iniuriisque condonandis, plusquam vir.
In publica libertate tuenda, plusquam Civis,
In amicitia colenda, plusquam amicus.
In convictu, plusquam familiaris.
In venatione ferisque domandis, plusquam Leo.
In tota reliqua vita, plusquam Philosophus.

Vers. 12. Si tradent me viri Ceilæ, etc. in manus Saul? et dixit Dominus: Tradent.) Certo et infallibiliter. Talis enim est Dei scientia et præscientia, cum hominum sit incerta et fallibilis; ideoque reipsa sæpe fallat. Hinc colligunt Suarez, Vasquez, Molina, et alii insignes Theologi, Deum cognoscere futura contingentia non tantum absoluta, sed etiam conditionata, v. g. quid ego facturus essem si forem Ierosolymis, Alexandriæ, Antiochiæ etc. positis talibus et talibus circumstantiis et conditionibus, etiamsi illæ nusquam ponendæ sint reipsa. Sic enim hic præscivit et prædixit Deus, quod Ceilani údituri essent Davidem, licet contribulem et liberatorem suum, Sauli ex metu ne ab eo occiderentur, uti occisi fuerant cives Nobe: etsi de facto eum non tradiderint, quia David audiens a Deo se ab eis tradendum, traditionem prævenit et aufugit. Vide dicta Ierem. 38. 17. et Matt. 11. 12.

Scientia Dei conditionata.

Vers. 13. Porro David erat in deserto Ziph in silva.) *Ziph* erat civitas in tribu Iuda, sita in monte nemoroso et opaco, dumis et arboribus infructuosis consito: iuxta urbem ergo erat *desertum Ziph* nemorosum, saltuosum, feris et ibicibus pervium, antris et speluncis plenum, et plurimum cavernosum, in quibus David vagabundus et fugitivus a facie Saul latitavit, seseque abscondit. Ita Brocar. Bredenb et Adrichomius.

Descriptio civitatis et deserti Ziph.

Vers. 16. Et surrexit Ionathas filius Saul, et abiit ad David in silvam, et confortavit manus eius in Deo.) Chald. *in dicto Domini,* quia scilicet Deus dixerat et prædixerat Davidem successurum Sauli in regno, cum eum per Samuelem unxit in regem, q. d. Ionathas iussit Davidem esse bono fortique animo, eo quod Deum haberet tutorem, contra quem Saul nihil poterat. *Manus* ergo hic significant robur et fortitudinem tum animi, tum corporis: hæc enim manibus exeritur et ostenditur.

Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul.) Nuntiantes ei Davidem apud se latere, seque illum in manus eius tradituros. Vide hic ut omnes Iudæi persequantur Davidem, æque ac persecuti sunt Christum eius antitypum. Unde tunc David ad Deum, unicum desolatorum asylum confugiens, composuit Psalm. 53. *Deus in nomine tuo salvum me fac,* etc. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam.* Id ita esse patet ex titulo Psalmi qui sic habet: *In carminibus intellectus David, cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?* Vers. 19.

Hoc tempore compositus. Psal. 53.

Revertimini ad me ad rem certam.) Re certo comperta, quam mihi nuntiare possitis, ubi scilicet lateat David, et quomodo a me capi possit: ne incertus vager, et copias frustra educam magno sumptuum impendio, et famæ meæ dispendio. Vers. 23.

Saul persecutus est David in deserto Maon.) *Maon*, ut ait S. Hieron. in locis Hebr. et ex eo Adrichom. erat civitas in tribu Iuda, sita in campestribus ad dexteram Iesimon, contra solis ortum Daromæ: iuxta urbem desertum erat nemorosum et cavernis plenum, in quo delituit David: confine est deserto Carmeli, et deserto Pharan. Quare minus recte nonnulli putant Maon fuisse in Arabia, et Davidem relicta Iudæa ob Saulis metum fugisse ad Arabes, idque significare Psal. 119. vers. 3. cum ait: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar*, id est cum Cedarenis sive Agarenis, hoc est, Arabibus. Vers. 25.

Vers. 26.

David desperabat se posse evadere a facie Saul.) Sua virtute et sapientia, sperabat tamen se Dei ope evasurum. Sciebat enim se, a Deo unctum in regem, ut Sauli in regno succederet.

David desperavit de virtute sua, non de ope Dei.

Et nuntius venit ad Saul dicens: Festina et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram.) Vide hic quam opportune Deus in arctis, suis fidelibus opituletur, et e periculis liberet, quod vulgo dicitur: *Deus ex machina.* Unde Philo missus a Iudæis ad Caium Imper. ne Iudæos cogeret se adorare ut Deum, cum a Caio sperneretur, conversus ad suos dixit: *Confidite socii: nam tunc vicinum est Dei auxilium, cum deest humanum,* itaque factum: nam paulo post Caius interiit, ita refert ipse in Legat. ad Caium. Ecce tibi hic David undique cinctus a Saule, et iam iam ab eo capiendus, a Deo liberatur miro modo, nimirum immittendo Sauli nuntium et cogitationem de Philisthinis arcendis, itaque eum a Davide divertendo, et ad Philisthinos persequendos convertendo. Fecit ergo Deus, perinde ac faciunt Hispani in agitatione tauri: dum enim taurus aliquem furibundus insequitur ut eum laniet, illico a tergo alius taurum stimulo pungit, cogitque taurum retrorsum converti. Ita fecit hic Deus Sauli, qui quasi taurus furebat in Davidem. Audi S. Chrys. hom. 46. in Genes. *Maxima securitas et inexpugnabilis murus est gratia Dei. Videamus quomodo David de loco in locum transiens, et quasi erraticus vagans, manu superna munitus fuerit: Saul autem cum esset in mediis civitatibus, et tantum secum duceret exercitum; et satellites habens et armigeros, quotidie timebat et tremebat inimicorum insidias.* 1. Reg. 18. vers. 12. et 29. *Et ille quidem, qui solus erat, non indigebat humano præsidio: hic vero coronatus et purpura indutus, illius auxilio indigebat; et regi opus erat pastoris opera; et diademate redimito, privati adiumentum.* Vers. 27.

Deus suos opportune iuvat in arduis.

CAPUT VICESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit in desertum Engaddi: insequitur eum Saul, cumque in spelunca purgaret ventrem, David in ea latens oram chlamydis eius abscindit: mox vers. 9. eam Sauli ostentans, cum illo expostulat, quod se innoxium iniuste persequatur: si enim ei nocere voluisset, in spelunca eum occidisset. Quare vers. 17. Saul compunctus et flens: iustior, *inquit,* tu es, quam ego; *asseritque ipsum post se regnaturum: quare ab eo iuramentum exigit, quod non delebit suam stirpem, itaque eum liberum dimittit.*

1. ASCENDIT ergo David inde: et habitavit in locis tutissimis Engaddi. 2. Cumque reversus esset Saul, post-
quam persecutus est Philisthæos, nuntiaverunt ei, dicentes: Ecce, David in deserto est Engaddi. 3. As-
sumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David et vi-
ros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt. 4. Et venit ad caulas ovium, quæ se
offerebant vianti; eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem: porro David et viri eius in
interiore parte speluncæ latebant. 5. Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad
te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, et præcidit o-
ram chlamydis Saul silenter. 6. Post hæc percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. 7.
Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, ut mittam
manum meam in eum, quia Christus Domini est. 8. Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit
eos ut consurgerent in Saul: porro Saul exurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere. 9. Surrexit autem et David
post eum: et egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex: Et respexit Saul post se: et
inclinans se David pronus in terram, adoravit, 10. Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, David
quærit malum adversum te? 11. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca:
et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus; dixi enim: Non extendam manum meam in dominum
meum quia Christus Domini est. 12. Quin potius pater mi, vide, et cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quo-
niam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animadverte, et vide,
quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem insidiaris animæ meæ ut au-
feras eam. 13. Iudicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.
14. Sicut et in proverbio antiquo dicitur: AB IMPIIS egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te. 15. Quem
persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, et pulicem unum. 16. Sit Dominus iudex,
et iudicet inter me et te: et videat, et iudicet causam meam, et eruat me de manu tua. 17. Cum autem complesset
David loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua est, fili mi David? Et levavit Saul
vocem suam, et flevit: 18. Dixitque ad David: Iustior tu es quam ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem red-
didi tibi mala. 19. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam,
et non occideris me. 20. Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat
tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. 21. Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis,
et habiturus in manu tua regnum Israel: 22. Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas
nomen meum de domo patris mei. 23. Et iuravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: et David et viri
eius ascenderunt ad tutiora loca.

Vers. 3. SUPER ABRUPTISSIMAS PETRAS QUÆ SOLIS IBICIBUS PERVIÆ SUNT.) *Ibex* est species caprarum sylvestrium, quæ in rupes præruptas aufugit: unde tales venando insectans Maximilianus primus Imperator, in rupes invias deductus cum descendere nequiret, ductu Angeli, ut creditur, descensum reperit: ideoque crucem eo loci in perenne monumentum erigi iussit. Extat hæc crux iuxta OEnipontum, ubi cum Romam pergerem, illa mihi ostensa fuit. Audi Plinium libr. 8. cap. 53. « Capræ in plurimas species transfigurantur. Sunt capræ, sunt rupicapræ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quamquam onerato capite, vastis cornibus, gladiorumque vaginis, in hæc se librant, ut tormento aliquo rotati, in petras potissimum e monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu pernicius quo libuerit exultant. »

Maximilianus I. ab Angelo in viam reducitur.

Vers. 4. ET VENIT AD CAULAS OVIUM QUÆ SE OFFEREBANT VIANTI) Id est, viam facienti, itineranti, per viam eunti. Unde Hebr. Chald. et Sept. habent; *quæ erant in via.*

PORRO DAVID ET VIRI EIUS IN INTERIORE PARTE SPELUNCÆ LATEBANT.) *Clamabo*, inquit David, *ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi.* Psalm. 56. v. 3. Chaldæus transfert: *Ad Deum, qui accersivit araneam, ut conficeret in ore speluncæ telam propter me:* quasi sic interpretatur, ut David fugiens Saulem, in speluncam

A

se abdiderit, cuius aditum subitis aranearum telis ita Deus pertexuerit, ut Saul nullum ibi latibulum suspicatus, irritus præterierit. Quemadmodum et aliquando in lege gratiæ Martyrem Felicem in angusto loco latitantem, aranearum tela divinitus expansa ab insequentibus hostibus occultavit:

Et aerio cessit vis ferrea filo.

Ait S. Paulinus Natali 5. S. Felicis, qui et apposite concludit:

Sic ubi Christus adest nobis, et aranea muro est:
At cui Christus abest, et murus aranea fiet.

Verum huius telæ araneæ speluncam Davidis obtegentis fides sit penes Chaldæum. Nam huic telæ Rabbini sua attexunt commenta de musca et insano, quæ refert, et ut fabulosa confutat Abulensis quæst. 6.

ECCE DIES DE QUA LOCUTUS EST DOMINUS AD TE: Vers. 5.
EGO TRADAM TIBI INIMICUM TUUM.) Ubi et quando ei locutus sit Deus, Script. nusquam exprimit. Nonnulli censent Deum id dixisse Davidi per Gad prophetam, alii per Nathan, alii per Samuelem, alii ipsimet Davidi id a Deo revelatum ob eius patientiam arbitrantur, ut ipse animaretur ad maiora certamina. Abulens. censet per Nathan id dictum; Serarius per Gad. Sanchez per Samuelem.

SURREXIT ERGO DAVID ET PRÆCIDIT ORAM CHLA-

MYDIS SAUL SILENTER.) Abulensis putat a Deo levitatem inditam Davidi, et surditatem Sauli, ne audiret et Davidem incedentem et scindentem. Addit Abulens. Davidem surrexisse et ivisse ad Saulem eo animo, ut eum occideret, non autem ut oram chlamydis eius dumtaxat præcideret: sed in hac præcisione Deum illi cor immutasse, ut de voluntate hac, licet non plane deliberata, doleret et pœniteret, et hoc significari illis verbis: *Percussit cor suum David.* Verum Script. ibidem statim addit, *eo quod abscidisset oram chlamydis eius.* De hac ergo abscissione pœnituit David, non autem de voluntate occidendi Saulem, quam absolute numquam habuit. Nam semper eam detestatus est, imo capite vigesimosexto, versu decimo et undecimo, iurat David se numquam manum extensurum contra Saulem per omnem eius vitam. Quare hic fuit ordo rei gestæ: Cum socii Davidem incitarent, ut Saulem quem in manu habebat occideret, ille sensit quidem primos motus et inclinationem appetitus irascibilis ad eum occidendum, sed appetitu rationali et voluntate deliberata in eos non consensit. Surrexit ergo et ivit ad Saulem, non ea mente determinata ut eum occideret, vel ut oram chlamydis abscinderet, sed anceps animi in itinere deliberaturus et capturus consilium quid facturus esset cum ad Saulem venisset: quo cum venit videns oram chlamydis, eam quasi rem levem et primo obviam abscidit. Illico vero eius conscientia ipsum remordet, quod oram hanc chlamydis regis sui abscidisset, quare mentis oculos Deo illustrante aperiens, vidensque quam turpe foret regem occidere, firmiter proposuit nec eum occidere, nec in alio quopiam lædere: unde sociis volentibus Saulem occidere fortiter restitit, eosque omnino a cæde et vulnere cohibuit. Hinc vers. 11. ait se cogitasse quidem eum occidere, non autem statuisse, vel decrevisse: τό enim *cogitavi* significat simplicem cogitationem et inclinationem appetitus sensitivi, qualem nobis suggerit tentatio iræ et vindictæ, ante eius examen et deliberatum consensum.

David numquam absolute voluit occidere Saulem.

Vers. 6. POST HÆC PERCUSSIT COR SUUM DAVID, EO QUOD ABSCIDISSET ORAM CHLAMYDIS SAUL.) q. d. Conscientia Davidem remordit, quod ausus fuisset regis et domini sui Saulis vestem conscindere, itaque maiestatem regiam temerare. *Cor* enim hic est idem quod conscientia. Unde *cor* est nominativi casus, *David* vero est accusativi, q. d. *Cor suum,* id est cor eius, scilicet Davidis *percussit* ipsum *Davidem,* id est, conscientia pupugit Davidem. Id ita esse patet ex Hebr. et Septuag. *Bonarum enim mentium,* ait S. Bernardus, *est agnoscere culpam, ubi culpa non est:* absciderat enim David oram chlamydis, non ut Saulem occideret, sed ut benevolentiam suam erga eum demonstraret, qua eum habens in manu sua, ei pepercerat; itaque frangeret pertinax odium Saulis, eumque sibi placatum devinciret, uti de facto fecit. Fabulantur ergo Rabbini dum aiunt, Davidem peccasse abscindendo oram chlamydis Saulis: unde in pœnam ei datum fuisse, ut cum senuisset non posset vestibus calefieri. Mitius Abulensis censet Davidem hic pœnitere de voluntate occidendi Saulem, quæ illi obrepserat ut audiemus vers. 11. minus tamen recte, causa enim percussionis subditur, dum dicitur, *Eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.*

Allegor. Eucherius: *David,* inquit, *abscindens oram chlamydis Saulis, significat Christum Iudæos non occidisse, sed eis gloriam regni abstulisse: chlamydis enim abscissio, regni est amputatio.*

Tropolog. S. Gregor. 3. parte Pastor. Admon. 5. « Quid, inquit, per Saul nisi mali rectores, quid per David nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam, usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui et si quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, ut extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxie et latenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant; sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. » Sic et Eucherius et Angelomus.

Vers. 7. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS, NE FACIAM HANC REM.) Vide hic et mirare clementiam et reverentiam Davidis erga Saulem regem, quem licet infensissimum persecutorem habens in manibus, lædere non vult. Unde gloriosior fuit hæc Davidis de Saule victoria, illa quam retulit de Golia. Audi S. Chrysostomum homil. 2. de Davide et Saule: *Saul egressus est e spelunca, egressus est autem post illum et David, liberis oculis cœlum intuens, ac tunc temporis magis exultans, quam cum Goliath deiecisset, ac barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa munificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum.* Cuius rei rationem reddit quod illa victoria armis constiterit, hæc virtutibus; et concludit: *Itaque rediit non Barbari illius caput gestans; sed animi commotionem mortificatam; sed iram enervatam: neque hæc spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cœlo, inque superna illa civitate: nunc haudquaquam in choris obviam veniebant feminæ, excipientes illum cum laudibus: sed angelicus populus e sublimi applaudebat, admirans eius philosophiam et humanitatem.* Et paulo post: *Illustriorem tulit victoriam servato Saule, quam si illum mactasset. Quod enim tanti pretii lucrifecisset præmium occiso hoste, quantum nunc tulit illi parcendo?*

Clementia Davidis et reverentia erga Saul.

Porro τό, *propitius sit mihi Dominus,* aliqui putant esse iuramentum, et esse Antiphrasin, q. d. *propitius,* id est adversus mihi sit Deus, omniaque mea disturbet, si manus in regem meum iniecero Planius alii explicant, q. d. Deus mihi sit propitius, ut sua gratia me coerceat et prohibeat, ne tantum facinus in meum regem committam. Patet ex Hebræo qui habet: *Prohibitio sit mihi a Domino,* id est, ut Chald. *Absit a me per Dominum,* Pagnin. *Absit mihi a Domino.* Vatabl. *Prohibeat Dominus, ne id faciam:* non permittat, ut id designem.

Vers. 8. ET CONFREGIT DAVID VIROS SUOS SERMONIBUS, ET NON PERMISIT EOS UT CONSURGERENT IN SAUL.) Nota, τό *confregit,* significat socios Davidis plane animatos et resolutos fuisse ad occidendum Saulem; ita ut David vim eis adhibere debuerit, ut hos eorum animos infringeret. Hebr. enim שׂסע *sciasa* significat rumpere, findere, frangere, discerpere; unde Vatab. vertit, *avulsit.* Hinc disce, quam mitis fuerit David et pius in Saulem, ut pro eius a quo assidue impugnabatur vita, tanta vi et virtute pugnaret; nimirum hoc signum erat animi placidi, excelsi et regii.

Eleganter Seneca libro primo de Clementia cap. 5. « Magni, inquit, animi est proprium, placidum esse, tranquillum, et iniurias atque offensiones semper despicere. Muliebre est furere in ira. Ferarum vero, nec generosarum quidem præmordere et urgere proiectos. Elephantes, leonesque transeunt quem impulerunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet Regem sæva, nec inexorabilis ira, non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo adæquat. At si dat vitam meritis amittere: facit quod nulli, nisi rerum potienti licet: vita enim etiam superiori eripitur, numquam nisi inferiori datur: servare proprium excellentis fortunæ, quæ numquam magis suscipi debet, quam cum illi contingit idem posse quod Deo, cuius beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali. »

Regius Davidis animus.

Quæres, An David licite potuisset occidere Saulem? Respondet Abulens. q. 11. negative. Ratio eius est prima, quia David ab hac cæde quasi turpi abhorruit. Secunda, quia Saul erat rex, David subditus; cui non licet regem licet sævum occidere. Tertia, quia David needum erat rex, sed privata persona; nemini autem privato licet privata auctoritate aliquem reum occidere: ad hoc enim requiritur auctoritas publica. Esto enim David a Samuele unctus esset in regem; id tamen erat ad hoc dumtaxat, ut regnaret post mortem Saulis, non autem ipso vivo. Sic et Dionys.

An licuisset Davidi occidere Saulem? Aliqui negant.

Alii affirmant. Alii censent licuisse Davidi Saulem occidere ex eo quod S. Thom. Franc. Victoria, Covarruvias, S. Antonin. Sylvester, Corduba, Navarrus, et ex iis Lessius lib. 2. de iustitia cap. 9. dub. 8. num. 45. docent, invasum posse prævenire invadentem, etiamsi is nondum accedat, sed instructus sit ad invadendum, si aliter non possit mortem evadere, nisi eum præveniendo: talis autem erat hæc invasio quam assidue David sustinebat a Saule, ut naturaliter non posset mortem effugere nisi eum præveniret. Ut ut est, dico non decuisse, tum quia non decebat Davidem privatum occidere regem Israelis; tum quia sciebat David se Deo esse curæ, ac Deum præstiturum promissum sibi regnum, ideoque se ab omnibus insidiis Saulis liberaturum; tum quia decebat eum perfectæ patientiæ et mansuetudinis dare exemplum, ut ea sibi conciliaret animos Hebræorum, itaque sibi pararet viam ad regnum; atque ut esset typus et præcursor Christi, qui noluit Pilato et Caiphæ resistere, sed ab eis permisit se occidi. Ex his patet responsio ad argumenta Abulensis.

Dicendum est, non decuisse.

Vers. 9. Et inclinans se David pronus in terram adoravit.) Saulem, q. d. David prosternendo se in terram summam demissionem, honorem et reverentiam Sauli quasi regi exhibuit. Disce hic, quomodo Prælatos et superiores, licet impios et infensos colere et revereri oporteat. Sic enim flectentur ad pietatem et æquitatem, uti hic flexus fuit Saul a Davide ut fleret, et odium in amorem converteret. Quocirca David tunc dictavit Psalm. 56. in quo Deo gratias agit de sui liberatione, et hostium confusione. Unde ait vers. 4. *Misit de cœlo et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.* Et versu septimo: *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam. Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara.* Titulus enim huius Psalmi est: *In finem cum fugeret David a facie Saul in speluncam.*

Superiores etiam impios revereri oportet.

Vers. 11. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: et cogitavi ut occiderem te.) id est surrepsit, vel potius suggesta est mihi a sociis hæc cogitatio de te occidendo. Unde Chald. vertit: *Et dixerunt alii ut occiderem te.* Nam David ipse voluntate deliberata constanter restitit huic cogitationi, et suggestioni sociorum, adeoque vim eis intulit, eosque confregit, ut dixi v. 8.

Dixi enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia christus Domini est.) *Christus*, id est unctus in regem a Deo per Samuelem. Duas causas affert David cur non læserit Saulem: prior, quod ipse sit *Dominus* suus: posterior, quod sit *Christus*, id est unctus Domini, q. d. mihi religio fuit tangere eum, quem unctio Dei sibi sacravit. Recte S. August. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 48. *David Saulem*, inquit, *propter sacrosanctam unctionem et honoravit vivum, et vindicavit occisum. Et quia vel panniculum ex eius veste præscidit, percusso corde trepidavit.*

Vers. 12. Tu autem insidiaris animæ meæ, ut auferas eam.) Singula verba Davidis magnam habent emphasim, eiusque clementiam et virtutem adaugent. Ostendit enim se sua beneficentia certare cum insidiis et maleficentia Saulis, tamque se in ipsum esse beneficum, quam ipse in se erat sævus et maleficus. S. Chrysost. præter homil. de Davide et Saule scripsit homiliam insignem, cuius titulus est: *Quod David magnificentius erexerit trophæum parcendo Sauli, quam occidendo Goliath;* ubi repetens illa quæ citavi vers. 7. addit Davidem hic insignem plagam diabolo, qui non nisi cædes sitit et suscitat, inflixisse. *Ascendit*, inquit, *hoste vulneribus innumeris sauciato, ut qui licet servasset Saulem, tamen illum revera hostem diabolum multis plagis confixit. Egressus est ergo David e spelunca dextram illam totius orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gestans corona iustitiæ et mansuetudinis*, etc.

David martyr. Idem Chrysost. homil. proxime sequenti, docet Davidem hic martyrii lauream non simplicem, sed multiplicem meruisse: « Illud, inquit, considera, quod ex insidiis Saulis tripla quadruplaque martyrii corona redimitus est. Etenim qui, servavit hostem, eum, qui semel, atque iterum, imo frequenter lanceam in caput illius vibrarat, cum esset occidendi potestatem nactus, tamen pepercit. Idque cum sciret post eam præstitam clementiam fore, ut denuo ab illo impeteretur: perspicuum est, quod millies coronam meruit animi proposito, millies autem interfectus propter Deum, plurimas tulerit martyrii coronas: qui quemadmodum et Paulus ait: Quotidie mortuus est propter Deum. Cum enim posset hostem sibi insidiantem e medio tollere, propter Deum noluit, maluit quotidie periclitari, quam iusta cæde a tot mortibus liberari. »

Vers. 13. Iudicet Dominus inter me et te.) Appellat David ad Dei iudicium, quia humanum non habebat. Nam Saul qui debebat esse iudex, erat eius hostis et persecutor. Facit hoc, ut acriter cum Saule expostulet, ostendens persecutionis summam iniustitiam; utque eum terreat et a persequendo avertat, minando Dei iudicium et vindictam. Sic S. Athanasius Constantino Imperatori ab Arrianis seducto, iubentique ut iret in exilium, dixit: *Iudicet Dominus inter me et te, o Imperator, quia calumniis inimicorum meorum credidisti.* Ita Socrates libr. 1. Histor. cap. 25. et Baron. tom. 3. pag. 426.

David appellat ad Dei iudicium.

Et ulciscatur me Dominus ex te.) Videtur David commotior ex passione petere a Deo vindictam de Saule, sed ex primo animi impetu et actu indeliberato, ideoque leviter peccat, ait Abulens. Nam deliberate noluit Dei vindictam de Saule: unde audita eius morte, serio graviterque indoluit. Adde, Davidem videri ultionem hanc petere ex recto iustitiæ zelo, ut Deus tantum Saulis scelus castiget ad aliorum exemplum, ne pios persequi audeant, ut satisfiat scandalo quod Israeli dederat Saul. Sic enim Moses Num. 16. Ieremias cap. 17. et David in Psalmis, subinde recte sancteque petunt a Deo iustam de impiis vindictam.

Ex zelo iustitiæ petit vindictam.

Vers. 14. Sicut et in proverbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas.) Impietas hic accipi potest simpliciter. Primo, proprie pro ipsa culpa; secundo, metonymice pro eius pœna; si pro culpa accipias, sensus erit, q. d. impietas occidendi non egreditur nisi ab impio homicida, qualis es tu o Saul, non vero a me, qui me et hic et alibi semper pium et observantem erga te ceterosque omnes ostendi: ut hæc gnome pertineat ad illud versu duodecimo. *Vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem insidiaris animæ meæ.*

Si pro pœna, sensus est q. d. Impios sequitur pœna impietatis suæ, culpam enim comitatur pœna, sicut reum carnifex. Non est ergo opus ut ego manum meam in te o Saul extendam, teque occidam, quia tua impietas vindicante Deo te occidet. Occideris enim ab impio, non a me qui pius sum. Nam impius Saul impia sua manu seipsum occidit, fuitque suæ impietatis ultor et carnifex, ut patebit cap. 31.

Proverbium hoc ex usu et ore vulgi petitum directe servit ad hæc tria, ait Caietan. manifestanda. Primo, pietatem Davidis abstinentis a cæde Saulis omnique specie impietatis. Secundo, impietatem adulatorum illorum, qui David detrahebant apud Saulem, eumque instigabant ad illius cædem. Tertio, ad confutandum ipsum Saulem, qui impie Davidem pium persequebatur.

Vers. 15. Quem persequeris rex Israel? canem mortuum persequeris et pulicem unum,) q. d. Hominem vilissimum, abiectissimum, debilissimum, instar canis et pulicis qualis sum ego, persequeris. Ut quid ergo me persequeris? Indignum est rege cum pulice pugnare, sicut indignum fuit Domitiano muscas venari.

Vers. 17. Dixit Saul: Numquid vox hæc tua est fili mi David? Et levavit Saul vocem suam et flevit.) Vide hic quam efficax fuerit vox Davidis; vide pariter quam potens fuerit eius profunda humilitas, et incensa charitas, quæ adamantinum Saulis cor confregit, ac mite placidumque reddidit, ut in lacrymas amoris difflueret. Unde S. Chrysost. homil. iam citata. « Quanta, inquit, subito facta est mutatio? Qui numquam sustinuerat illum; vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens exo-

Charitas Davidis fregit duritiam Saulis.

sam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. Quid igitur Davide felicius, qui ex homicida fecit patrem, e lupo ovem? Qui fornacem iracundiæ multo implevit rore, quique tempestatem vertit in tranquillitatem, quique tumorem omnem iræ exæstuantis animi restinxit? Verba quippe Davidis ingressa in animum istius efferati, totam hanc perfecerunt immutationem. » Ecce hos carbones ignis iuxta monitum S. Pauli Roman. 12. 20. congessit David super caput Saulis, quibus eum ad se redamandum accendit. Subdit deinde Chrys. exempla quibus ostendat, quam potens sit vox piorum. « Vox Sanctorum frequenter, et elementa stare fecit, et potestates illorum immutavit. Locutus est tantum Iesu Nave, et constitit sol et luna. Sic et Moyses mare ingressus est, et cessit: sic tres illi pueri ignis vim extinxerunt hymnis illis suis ac voce. Itidem et Saul ad eamdem vocem incaluit, dicens: Vox tua ista, fili David? Quid igitur David? Servus tuus domine, mi rex. Posthæc certamen oritur, et contentio uter alterum maiore prosequatur honore. Saul quidem ad cognationem ascivit, filium appellans. David autem dominum eum appellat. Quod autem dicit tale est. Unum inquit, unum illud quæro, salutem tuam, ac virtutis profectum: filium me appellasti, mihi vero satis est, si me pro famulo habeas, tantum ut iram ponas, tantum ut ne quid de me suspicere mali, neve me ducas hostem aut insidiatorem. »

In nostra est potestate, inimicum reconciliare.

Inde colligit Chrysost. in nostra potestate esse inimicum nobis reconciliare, si cum Davide nos coram eo humiliemus, et charitatem in eum ostendamus, iuxta illud Proverb. 15. 1. *Responsio mollis frangit iram. In nobis ergo*, ait Chrys. *situm est, ut vel extinguatur ira inimicorum, vel ad maius irritetur incendium, si verbis asperis eum invadamus.* Probat id exemplo ignis quod subiicit, si enim *infles in scintillam ignis, excitas incendium, contra si inspuas, extinguis, et utrumque tibi in manu est: quoniam utrumque, inquit, ex ore tuo proficiscitur. Idem fit et in inimicitia proximi: si inflatos ac vecordes ingeras sermones; excitas ignem illius, accendis carbones; sin mites ac moderatos admoveas sermones priusquam exardescat, iram omnem extinxeris.*

Vers. 18.

IUSTIOR TU ES QUAM EGO.) Pergit S. Chrys. « Vides ut suam ipsius damnat malitiam, ac iusti virtutem prædicet, nulloque cogente sese purgat. Idem tu facito cum hostis inciderit in manus tuas, noli accusare illum, sed teipsum purga, ut illum perpellas ad sui ipsius condemnationem. Nam si nos accusamus, exasperatur; si nos excusaverimus, ille reveritus nostram humanitatem, mox seipsum condemnabit. » Et nonnullis interiectis: « Neque enim simpliciter dixit: fecisti mihi bona; sed retribuisti mihi bona. Hoc est pro insidiis, pro cæde, pro malis illis innumerabilibus, magna mihi rependisti beneficia. At ego ne sic quidem factus sum melior, sed post illa tua beneficia perseveravi in malitia: tu vero nec sic quidem es immutatus, sed constanter tuum obtinuisti morem, nos iterum atque iterum tibi insidiantes beneficiis prosequens. In hisce singulis verbis, quot coronis dignus apparuit David? »

Vers. 20.

QUIS ENIM CUM INVENERIT INIMICUM SUUM, DIMITTET EUM IN VIA BONA?) Sinet eum abire salvum et incolumem: *via* enim *bona* est, quæ ducit ad vitam, mala vero, quæ ducit ad mortem. Loquitur Saul ex suo et similium hominum mundanorum ingenio, qui inimicos suos data occasione occidunt. Nam sancti contrarium faciunt, et vincunt in bono malum, uti fecit hic David. Quem præ aliis imitatus est S. Ioannes Gualbertus; qui armatus occurrens inimico inermi, cum ille vitam sibi donari posceret per amorem Christi pro inimicis suis crucifixi, eidem pepercit. Unde ingrediens Ecclesiam oransque ante imaginem crucifixi, vidit Crucifixum ad se caput inclinare, ac quasi applaudere et gratias agere, quod hosti sui amore pepercisset. Quo viso commotus Ioannes sæculo renuntiavit, et Ordinem Vallis umbrosæ instituit sub annum Domini 1020.

Mali inimicos suos occidunt: sancti parcunt.

SED DOMINUS REDDAT TIBI VICISSITUDINEM HANC: PRO EO QUOD HODIE OPERATUS ES IN ME,) q. d. ego non possum tibi retribuere par; retribuat ergo illud tibi Deus. Causam dat S. Chrys. homil. iam citata, dicens: « Quid enim poterat Saul reponere dignum meritis, etiamsi regnum dedisset cum omnibus oppidis? Neque enim oppida modo, et regnum, verum et vitam ipsam donarat illi David: ille vero non habebat alteram vitam, quam rependeret; eoque illum relegat ad Deum, et ab illo manaturis præmiis honorat, pariter et hunc laudans et universos erudiens, quod tum maiora nobis apud Deum præmia reposita sunt, cum pro innumeris beneficiis in hostem collatis diversa recepimus. »

Magnanimitas vera est iniuriæ condonatio.

Igitur David hic subditus licet, maior fuit Saule rege: nil enim ita magnum et magnanimum facit, ut amor inimicorum et iniuriæ condonatio. Audi Martinum Dumensem Abbatem, et postea Braccarensem Episcopum anno Domini 572. lib. de quatuor virtutibus cap. 2. « Nil aliud magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens, si magnanimus fueris, numquam iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit; et cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse; scito enim honestum et magnum vindictæ genus esse, ignoscere. »

Vers. 21.

Ex Dei erga Davidem cura, colligit Saul eum regnaturum.

ET NUNC QUIA SCIO QUOD CERTISSIME REGNATURUS SIS.) *Scio*, ex singulari illa Dei erga te cura et providentia, qua te tutatur, measque insidias eludit, ac te in omnibus prosperat facitque hostibus omnibus superiorem, æque ac Israelitis omnibus amabilem et admirabilem ob tuam divinam patientiam et mansuetudinem, qua etiam mihi hosti tuo infensissimo vitam condonasti. Ita Abulens. Audi S. Chrys. homil. iam citata: « Dic obsecro unde istud scis? Penes te sunt pecunia, arma, civitates, equi, milites, breviter universa vis apparatus regii: hic contra desertus ac nudus, nec civitatem, nec domum, nec familiam habens. Unde igitur, te quæso, ista loqueris? Nimirum ex ipsis Davidis moribus. Neque enim nudus, et inermis ac desertus me armatum, tantaque circumvallatum potentia superasset, nisi Deum haberet adiutorem. Porro qui Deum habet faventem, omnibus est potentior. Vides ad quantam philosophiam Saul post insidias deductus sit? Vides qui fieri possit ut inimicus omnem expuat malitiam, immutatusque ad meliora sese recipiat? Ne velimus itaque nostram ipsorum salutem per iracundiam devorare. »

Vers. 22.

Saul submittit se Davidi.

IURA MIHI IN DOMINO, NE DELEAS SEMEN MEUM.) Vide quam Saul rex hic se submittat Davidi, eique fiat supplex. Unica ergo ratio expugnandi inimicos, eosque amicandi, est humilis et incensa in eos charitas. Audi S. Chrysost. homil. iam citata. « Rex privatum rogat: qui diademate cinctus est, supplicem agit, pro filiis suis obsecrat exulem. Et hoc ipsum arguit virtutem Davidis, quod hostis ausus sit hæc ab hoste petere. Nam quod iusiurandum exigit, non eo facit, quod diffidat Davidis moribus, sed quod reputet, quot malis illum affecisset. Iura mihi te non aboliturum semen meum post me. Hostem filiis suis relinquit tutorem, suasque proles in illius deponit manus; dum his verbis filiorum ac Davidis manus apprehendens, Deum sequestrum inducit. »

Vers. 23.

David plura Sauli præstitit quam iuravit.

ET IURAVIT DAVID SAULI:) Nec tantum iuravit, sed et plura quam iuraverat, præstitit. Ita S. Chrysost. « Quid igitur, inquit, David? Num vel leviter dissimulatione et ironia ad hæc usus est? Nequaquam, sed protinus annuit, quodque petebatur, concessit: ac mortuo Saule non modo non occidit illius posteros, sed tum plura præstitit quam erat pollicitus; siquidem filium eius, cum esset claudus ac debilis cruribus, in suam ipsius domum induxit, suæque mensæ fecit participem, summo illum honore dignatus, nec erubuit, nec occultavit, nec arbitratus est regiam mensam claudicatione pueri dehonestari, sed decorari potius ac lautiorem fieri. Quotquot enim cum illo discumbebant, abibant magnam philosophiæ doctrinam consecuti. »

Subditi patiantur superiorum asperitatem.

Moral. David docet hic subditos, quam modeste, humiliter, reverenter, amanter se gerere debeant erga suos principes et prælatos tam sæculares quam Ecclesiasticos, etiam rigidos et molestos, imo iniquos, sævos et tyran-

nos, ut eos quasi Christos Domini, et in eis quasi vicariis suis Deum ipsum colant et venerentur. In eis enim quasi vivis imaginibus potestas et maiestas divina relucet. Sic Moses veneratus est Pharaonem, Isaias Manassen, Daniel Cyrum, Ieremias Nabuchodonosorem, Iaddo Alexandrum, S. Paulus Neronem, S. Ioannes Domitianum, S. Ignatius Traianum, S. Cornelius et Cyprianus Valerianum, S. Sixtus et Laurentius Decium, S. Sebastianus Diocletianum, adeoque omnes Romani Pontifices ac Sacerdotes et Christiani a S. Petro usque ad S. Sylvestrum per trecentos annos modeste, et patienter toleravere perpetuas persecutiones et martyria ab Imperatoribus Gentilibus, nec eis restiterunt umquam, vel quidquam mali intulerunt; sed fugerunt et abdiderunt se in speluncis et cryptis, quas hodie Romæ cernimus, et veneramur. Hoc est, quod ait Apost. Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et cavernis terræ.* Hoc est, quod Christianos docet S. Petrus Epist. 1. cap. 2. 17. *Deum*, inquit, *timete, regem* (Neronem) *honorificate. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste*, etc. *In hoc enim vocati estis; quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*, etc. *qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste.* Atque hac sua patientia Christiani meruerunt apud Deum, ut ipse Imperatores ad Christum converteret, sicut per sanctum Sylvestrum convertit Constantinum Imper. adeoque Romam, totumque orbem effecit Christianum.

Exempla. Abba-Cyri monachi patientia in mortificationibus.

Idem faciunt Religiosi suis Superioribus et Rectoribus. Climachus gradu 4. de obedientia, narrat Religiosum quemdam nomine Abba-Cyrum a Superioribus suis valde exercitum, adeo ut quotidie expelleretur ex mensa, et sæpe incœnatus dormire cogeretur: quæ omnia ille valde patienter tulit, ac roganti Climacho, quomodo illa toleraret, respondit: « Crede mihi Pater, probant me Patres mei, utrum monachus esse cupiam, non autem vere id faciunt, quam ego Patris aliorumque intentionem non ignorans, levissime ac sine ulla molestia omnia tolero. Et ecce decimum quintum iam annum ago istud cogitans, sicut et ipsi, quando monasterium intravi, dixerunt mihi quod usque ad trigesimum annum renuntiantes probare solerent. Et recte quidem Pater Ioannes. Sine probatione enim aurum non perficitur. Hic igitur egregius Abba-Cyrus secundo anno postquam adveneram, migravit ad Dominum in monasterio hoc, patribus cum deficeret dicens; Gratias ago Domino et vobis Patres, quod me ad salutem meam tentastis iugiter. Hac enim ex causa immunis a tentationibus dæmonum hactenus mansi. Quem etiam tamquam confessorem, et cum his, qui illic obierunt sanctis dignissime æquissimus pastor sepeliri iussit. »

Item Achatii.

Ibidem magis mirabilem patientiam et obedientiam recenset cuiusdam Achatii, qui a suo sene directore non tantum aspere, sed et crudeliter tractabatur: quotidie enim non solum contumeliis, sed et verberibus afficiebatur: « Ego igitur, inquit Climachus, obvians illi sæpissime dicebam: Quid est frater Achati? Quomodo tibi est hodie? Ille vero continuo nunc quidem liventem tumidumque oculum, aliquando vero faciem fractam et cervicem, sæpe ictum caput ostendebat. Ego itaque sciens eum patientiæ operarium, aiebam illi: Bone sustine viriliter et proderit tibi. Cum igitur egisset annos novem, sub immiti et acerbo sene, migravit ad Dominum, sepultusque est in Patrum cœmeterio. Post quinque autem dies abiit ad magnum quemdam illic senem Achatii magister, dixitque illi: Frater Achatius mortuus est. Quod cum audisset senior respondit: Vere senex non id mihi persuades. Qui ait, Veni et vide. Continuo surrexit senex, venitque cum beati pugilis magistro ad cœmeterium. Clamavit tamquam viveret ad eum, qui vere in beata requie vivebat. Dicens, frater Achati: Putasne mortuus est? Tum vero gratus ille obediens, etiam post mortem obedientiam ostendens magno illi ita de Sepulchro respondit: Et fieri quomodo potest Pater, ut moriatur homo obedientiæ deditus? »

In Vitis Patrum lib. 7. 43. Pimenius Abbas rogans Nesteronem, quomodo tam leniter iniurias in monasterio toleraret? ab eo audivit: *In principio, quando ingressus sum, dixi cogitationi meæ: Ecce tu et hic asinus estis pares, sicut enim hic asinus vapulat, et non loquitur; iniuriatur et nihil respondet: ita ergo esto et tu, nam sic dicit et psalmus: Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.*

Ibidem Abbas Agathon dixit: *Si vis vivere inter monachos; esto sicut statua lapidea, quæ si iniuria afficitur, non irascitur: si laudatur, non extollitur.* Ibidem libr. 3. num. 84. ex Ruffino narratur hæc sancti vox: *Porta cœli est iniuriarum perpessio.* Ibidem libr. 5. cap. 8. num. 2. *Laudatus est*, inquit, *quidam frater a monachis apud Abbatem Antonium: ille autem cum venisset ad eum, tentavit si portaret iniuriam, et cum cognovisset, quia non posset ferre, dixit eis: Similis est domui quæ a facie quidem ornata est, de retro vero a latronibus despoliata.*

CAPUT VICESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moritur Samuel. David a Nabal tondente oves petit annonam; ille in eum convicia et contumelias iacit. Quare David iratus iurat se eum cum omnibus suis occisurum. Audit hoc Abigail uxor Nabal, suaque blandiloquentia et munificentia Davidem placat. Post decem dies Deus occidit Nabal vers. 38. David Deo gratias agit, ac duas uxores ducit, Abigail et Achinoam, pro Michol quam Saul ei abstulit, tradiditque Phalti.

1. MORTUUS est autem Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum, et sepelierunt eum
in domo sua in Ramatha. Consurgensque David descendit in desertum Pharan. 2. Erat autem vir
quispiam in solitudine Maon, et possessio eius in Carmelo, et homo ille magnus nimis: erantque ei
oves tria millia, et mille capræ: et accidit ut tonderetur grex eius in Carmelo. 3. Nomen autem viri illius erat
Nabal: et nomen uxoris eius Abigail; eratque mulier illa prudentissima et speciosa: porro vir eius durus, et pessimus, et malitiosus: erat autem de genere Caleb. 4. Cum ergo audisset David in deserto quod tonderet Nabal
gregem suum, 5. Misit decem iuvenes, et dixit eis: Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis
eum ex nomine meo pacifice. 6. Et dicetis: Sit fratribus meis, et tibi pax, et domui tuæ pax, et omnibus, quæ-

cumque habes, sit pax. 7. Audivi quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: numquam eis mo-
lesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. 8. In-
terroga pueros tuos, et indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona
venimus; quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, et filio tuo David. 9. Cumque venissent pueri David,
locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David: et siluerunt. 10. Respondens autem Nabal pueris David,
ait: Quis est David? et quis est filius Isai? hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos. 11. Tollam ergo pa-
nes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint?
12. Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, et reversi venerunt, et nuntiaverunt ei omnia verba quæ
dixerat. 13. Tunc ait David pueris suis: Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis,
accinctusque est et David ense suo: et secuti sunt David quasi quadringenti viri: porro ducenti remanserunt ad
sarcinas. 14. Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis, dicens: Ecce David misit nuntios de de-
serto, ut benedicerent domino nostro: et aversatus est eos. 15. Homines isti, boni satis fuerunt nobis, et non
molesti: nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis in deserto: 16. Pro muro
erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges. 17. Quam ob rem con-
sidera, et recogita quid facias: quoniam completa est malitia adversum virum tuum, et adversum domum tuam,
et ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui. 18. Festinavit igitur Abigail, et tulit ducentos panes, et duos
utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentæ, et centum ligaturas uvæ passæ, et ducentas mas-
sas caricarum, et posuit super asinos: 19. Dixitque pueris suis: Præcedite me: ecce, ego post tergum sequar vos:
viro autem suo Nabal non indicavit. 20. Cum ergo ascendisset asinum, et descenderet ad radices montis, David
et viri eius descendebant in occursum eius: quibus et illa occurrit. 21. Et ait David: Vere frustra servavi omnia
quæ huius erant in deserto, et non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: et reddidit mihi malum
pro bono. 22. Hæc faciat Deus inimicis David, et hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent
usque mane, mingentem ad parietem. 23. Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino,
et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, 2 . Et cecidit ad pedes eius, et dixit: In
me sit, domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis: et audi verba famulæ. 25. Ne
ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stul-
tus est, et stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti. 26. Nunc
ergo, domine mi, vivit Dominus, et vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, et salvavit manum
tuam tibi, et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quærunt domino meo malum. 27. Quapropter suscipe bene-
dictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: et da pueris qui sequuntur te dominum meum. 28. Aufer
iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, do-
mine mi, tu præliaris: malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. 29. Si enim surrexerit ali-
quando homo persequens te, et quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viven-
tium, apud Dominum Deum tuum: porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ.
30. Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, et constituerit te ducem su-
per Israel, 31. Non erit tibi hoc in singultum, et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem
innoxium, aut ipse te ultus fueris: et cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. 32. Et
ait David ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, et benedictum elo-
quium tuum, 33. Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea.
34. Alioquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum
mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem. 35. Suscepit ergo David de manu
eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, et honoravi fa-
ciem tuam. 36. Venit autem Abigail ad Nabal: et ecce erat ei convivium in domo eius, quasi convivium regis,
et cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: et non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane.
37. Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc, et emortuum est cor eius in-
trinsecus, et factus est quasi lapis. 38. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus
est. 39. Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicavit causam opprobrii mei
de manu Nabal, et servum suum custodivit a malo, et malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Misit er-
go David, et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem. 40. Et venerunt pueri David ad Abigail in
Carmelum, et locuti sunt ad eam, dicentes: David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem. 41. Quæ con-
surgens adoravit prona in terram, et ait: Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.
42. Et festinavit, et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ e-
ius, et secuta est nuntios David: et facta est illi uxor. 43. Sed et Achinoam accepit David de Iezrael: et fuit u-
traque uxor eius. 44. Saul autem dedit Michol filiam suam uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

Vers. 1. Quando mortuus Samuel, incertum.

MORTUUS EST AUTEM SAMUEL.) Quoto anno regni Saulis mortuus sit, non satis liquet. Nam Samuel et Saul iunctim præfuerunt Israeli 40. annis: nonnulli hos annos ita distribuunt, ut ex eis 20. dent Samueli et 20. Sauli: alii duos dumtaxat ex c. 13. 1. dant Sauli, alii decem, alii octodecim, ceteros Samueli. Alii verisimilius cum Saliano, Samueli dant annos 22. ceteros octodecim Sauli.

Rursum quot annis post creatum regem Saulem supervixerit Samuel non constat. Probabiliter Salianus opinatur eum supervixisse sedecim annis; ac biennio ante Saulem obiisse anno ætatis suæ 77. cui favent Clemens

A

Alexand. Ruffinus, Beda, Abulens. et Ioseph. quos ipse citat. Obiit enim Saul anno regni sui 18.

ET CONGREGATUS EST UNIVERSUS ISRAEL, ET PLANXERUNT EUM, ET SEPELIERUNT EUM IN DOMO SUA IN RAMATHA.) Vide hic amorem et observantiam totius populi erga Samuelem quasi suum Iudicem, prophetam et omnis boni auctorem. Vide pariter luctus pompam, et mortui venerationem. Porro ossa Samuelis sub Arcadio Imper. anno Domini 406. ex Iudæa, magna et Imper. et populi pompa et devotione, translata sunt Constantinopolim. Unde S. Hier. scribens contra Vigilantium (quem nostri Hæretici sequuntur) docet eius et ceterorum San-

Translatio ossium Samuelis.

*

ctorum lipsana sive reliquias fidelibus esse venerandas. Audi S. Hier. « Sacrilegus dicendus est nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui iudicandi, qui rem vilissimam et dissolutos cineres in serico et vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta lætitia sunt incundati, quasi præsentem viventemque prophetam cernerent atque susciperent, ut de Palæstina usque ad Chalcedonem iungerentur populorum examina, et in Christi laude una voce resonarent? »

Duo montes Carmeli in Israel. ET POSSESSIO EIUS IN CARMELO.) Duo erant montes in Israel dicti *Carmelus*. Unus celebris in tribu Issachar iuxta mare, distans a Ptolemaide stadiis 120. vineis, oleis, aliisque arboribus odoriferis abundans, adeo ut in proverbium abierit, ut cum locum fertilem significare velint, dicant eum esse *Carmel* vel *Carmelum*: in hoc versati sunt Elias et Elisæus: ibique Carmelitarum fuit origo 3. Reg. 18. Alter mons, et in monte urbs fuit in tribu Iuda, fertilis in pascuis, fructibus et herbis, feraxque vini delicatissimi. In hoc Saul victoria potitus de Amalecitis, fornicem triumphalem erexit. 1. Reg. 15. In hoc pariter habitavit et suas possessiones habuit Nabal. Ita S. Hieron. Borchar. Bredenb. Adrichomius in descript. terræ sanctæ.

Vers. 2. ET HOMO ILLE MAGNUS NIMIS.) q. d. erat præpotens et ditissimus; unde explicans subdit: *Erantque ei oves tria millia et mille capræ.* Olim enim opes sitæ erant in pecudibus et pecoribus: unde ab iis nomen accepit peculium et pecunia, quia *omnis pecuniæ pecus fuit fundamentum*, ait Columella lib. 6.

Vers. 6. OMNIBUS QUÆCUMQUE HABES SIT PAX.) Fuit illo ævo hæc usitata salutatio, qua dicendo: *pax tibi et tuis*, omne bonum salutato apprecabantur: Pax enim vehit secum omnem prosperitatem, fertilitatem, rerum copiam, omneque bonum; sicut his adversa omnia invehit bellum. *Pax omnia bona adducit: bellum omnia mala.*

Vers. 8. IN DIE BONA VENIMUS,) q. d. ad diem lætam venimus, qua tondes oves, ac liberalitatem erga tonsores exerces dando eis splendidum epulum: oramus ergo ut nos egenos et famelicos, quasi tuos vicinos, amicos et defensores, huius tuæ lætitiæ et epuli facias esse participes. Hilaria celebras, illarum ergo particulam in nos deriva, nosque tecum exhilara.

Bonum enim sæpe sumitur pro læto, hilari, iucundo: sicut *malum* pro tristi et funesto. Unde illud: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.* Psalm. 132. 1. Et illud: *Sufficit diei malitia sua*, id est miseria et tristitia sua. Matth. 6.

QUODCUMQUE INVENERIT MANUS TUA, id est, quod habes in promptu, quod commode dare potes, DA nobis SERVIS TUIS.)

Vers. 10. HODIE INCREVERUNT SERVI QUI FUGIUNT DOMINOS SUOS.) q. d. hodie increvit David, qui est servus Saulis, ut audeat se regi suo opponere, et contra eum exercitum ducere ac regnum eius ambire. Atrox fuit hæc calumnia et iniuria quam Nabal iecit in Davidem. *Calumnia atrox Nabalis in Davidem.*

Vers. 14. UT BENEDICERENT.) Ut salutarent, ut bene et fausta precarentur.

Vers. 16. PRO MURO ERANT NOBIS.) Id est nos defendebant ab incursu hostium. Iure ergo annonam ab eis poscebat David: cives enim alere debent milites præsidiarios, qui eos eorumque bona contra hostes tutantur et propugnant.

Vers. 17. COMPLETA EST MALITIA.) Id est, malum et vindicta acris a Davide decreta, et plene certoque ab eo concepta imminet tuo viro et domui tuæ.

IPSE EST FILIUS BELIAL.) Id est, avarus, ingratus, durus, malitiosus et pessimus, ut dictum est v. 3. *Belial* proprie idem est quod *sine iugo*, effrænis, indomitus; q. d. Nabal cervicosus renuit audire bonas nostras suggestiones de cavenda Davidis vindicta illi parata. Quare idipsum tibi quæ mulier es sapiens et docilis, suggerimus, ut illam a te tuaque domo avertas.

Vers. 18. FESTINAVIT IGITUR ABIGAIL.) Ut Davidem iratum adventantem et exitium minitantem sua beneficentia præveniret, et eloquentia leniret: itaque Nabal mariti sui inhumanitatem expiaret. Hinc apte dicta est *Abigail*, id est, *pater exultationis*, ait Pagnin. quia ipsa exiliens, exultationem peperit tam Davidi, quam toti domui suæ, idque fecit virili prudentia et fortitudine quasi virago; ut non tam mater, quam pater esse videretur. *Etymon Abigail ipsi appropriatum.*

QUINQUE SATA POLENTÆ.) *Satum* erat genus mensuræ, continens libras 26. hoc est uncias 320. Vers. 18.

ET CENTUM LIGATURAS UVÆ PASSÆ.) Id est, centum fasciculos uvarum siccatarum in furno vel in sole. Alii tamen per, *ligaturas uvæ*, accipiunt certas uvarum massas certi ponderis vel mensuræ. Unde Sept. vertunt; *Gomor unum uvæ passæ.* Aquila vertit: *Ephi.* Quare Theodoretus hic asserit, *Gomor* idem esse quod *Ephi*, et *satum*, citatque Ezechielem, sed falso. Nam Ezechielis 45. 11. dicitur: *Ephi et batus æqualia sunt:* non autem, *gomor*. Nam ex Exodi 16. 16. constat *Gomor* fuisse decimam partem *Ephi: gomor* ergo continebat octo libras, hoc est uncias 96. *Satum* autem continebat 26. libras, hoc est uncias 320. *Ephi* vero continebat libras 80. hoc est uncias 960. Vide dicta de ponderibus et mensuris in fine Pentateuchi. Aliud ergo est *gomor*, aliud *homer*, sive corus; hic enim continebat libras 800. hoc est uncias 9600. *Gomor* igitur *uvæ passæ* continebat 96. uncias uvæ passæ. Unde alii Hebr. צמוקים *simuchim*, id est *ligaturas*, vertunt *botros*, quod in iis colliguntur grana, aut quod botri sicci colligentur in massam. Ita Pagnin. Arias, Marinus et alii. Centum enim botri facile ponderant 96. uncias: quisque enim botrus fere ponderat unciam. Huc facit quod 1. Paral. 30. 17. Hebræi dederint illi Ægyptio duo *simmuhim*, id est duos botros ut videtur: nam *uvæ passæ*, et botri sunt quasi bellaria, quæ in fine mensæ pauca apponuntur. Aut potius dicendum est *Gomor* apud Septuag. non significare determinatam mensuram, sed vas quodlibet commune, quale erat gomor. Sic enim Itali *Barile* vocant omne vas minus. Hic sensus valde planus et appositus est. Nam *ligatura* significat colligationem plurium botrorum; ut in regno Neapolitano duos pluresve botros colligant simul ad siccandum. Nam pro sexcentis Davidis militibus, valde parum fuissent centum botri. *Unum* ergo *gomor*, vocatur hic unum vas, una massa, una mensura communis uvarum passarum.

ET DUCENTAS MASSAS CARICARUM.) Id est ficuum aridarum vel siccatarum ad solem, ex quibus fiunt massæ ficuum, et formæ quasi caseorum. Vers. 22.

HÆC FACIAT DEUS INIMICIS DAVID.) Id est ipsi Davidi, alioqui enim ridicula esset hæc imprecatio. Est Euphenismus. David enim hic iurat iuramento execratorio more vulgi: vulgus autem non audet iurando imprecari mala sibi ipsi, quia anxie timet quod si aliquod malum sibi imprecetur, illud revera sibi eveniet: iurat ergo imprecando malum aliis, sed per alios intelligit se ipsum. Sic ergo David imprecatur malum *inimicis suis*, id est sibi ipsi. Ita Abulens. Simili Euphenismo ait Daniel c. 4. 16. regi Nabuchodonosori: *Domine mi, somnium his qui te oderunt, et interpretatio eius, hostibus tuis sit;* cum tamen sit de ipsomet rege. *Iurat David execratorio iuramento contra seipsum.*

SI RELIQUERO DE OMNIBUS QUÆ AD IPSUM PERTINENT USQUE MANE, MINGENTEM AD PARIETEM.) q. d. David: Iuro quod omnes in domo Nabal occidam ante auroram; ita ut nec canem vivum in ea relinquam. Canes enim elevata tibia commingunt parietem, cum cetera animalia mingant in terram. Sic vulgo dicimus: adeo omnes occidit, ut nec felem nec canem vivum reliquerit. Ita Lyran. Caiet. Vatab. Alii per *mingentem ad parietem*, intelligunt hominem masculum sive magnum sive parvum. Unde Chald. vertit, *cognoscentem cognitionem*, id est hominem sive virum cognitione et iudicio præditum. Peccavit sine dubio David sic iurando, ut patet v. 31. et magis peccasset si iuramentum reipsa explesset: nam in domo Nabal erant multi, imo omnes excepto ipso innocentes. Solus enim Nabal contumeliam fecerat Davidi: nam servis eius ipsius responsum displicuerat. Unde illud Abigail retulerunt, ut ipsa illud corrigeret: Nabal tamen merebatur castigari. *Peccavit David hoc iuramento.*

Unde Theodor. q. 57. ait Davidem iuste voluisse Nabalum occidere propter indignissima convicia et contumelias, quibus Davidem actu impetebat. Verum poterat David aliter hæc refutare et compescere: quare non videtur potuisse licite Nabalum occidere: quia ipse necdum erat Rex, ut publica auctoritate posset Nabalum damnare ad mortem. Iuravit ergo ex impetu et fervore iuvenili et militari, ab ira et cholera abreptus ob iniuriæ atrocitatem, sed rediens ad se, sedataque ira pœnituit, manumque a cæde cohibuit, ut patet ex sequen.

Non poterat licite occidere Nabalum.

Sic Aurelianus Imp. Tyanensibus sibi portas occludentibus, iratus dixit: *Canem in hoc oppido non relinquam.* Urbe capta militibus ex promisso direptionem oppidi flagitantibus, respondit: *Agite, canem negavi me relicturum, canes omnes occidite.* Et sic suæ promissioni satisfecit, et clementer hostes suos tractavit, ait Flavius Vopiscus in Aureliano.

Aureliani imper. ira mitigata.

Vers. 24. IN ME SIT DOMINE MI, HÆC INIQUITAS.) q. d. Mihi imputa iniquitatem mariti mei Nabal, non ipsi: ipse enim stultus est, et nescit quid faciat: me ergo quæ uxor eius sum, culpa, me puni; ego luam quod ipse peccavit. Hebr. enim est *In me, ego* (subaudi peccavi) *domine mi sit hæc iniquitas.* Aut q. d. Esto peccarim, audi tamen benigne verba, quæ ad mei excusationem et ad tuum commodum eloquar. Ita Vatab.

Vers. 25. NE PONAT ORO DOMINUS MEUS REX (a Samuele unctus in regem, etsi necdum regni possessionem adieris) COR SUUM SUPER VIRUM ISTUM INIQUUM (*Belial* Hebr. id est indomitum, effrænem, improbum) NABAL, QUONIAM SECUNDUM NOMEN SUUM STULTUS EST.) *Nabal* enim Hebr. idem est, quod *stultus*, seu malus et malignus, sive *nebulo*, q. d. Ne apprehendas, ne cures, ne te affligas, ne irascaris Nabal ob eius inhumanitatem et convicia quæ in te iecit, quia ipse vere est *Nabal*, id est stultus: nemo autem curat dicteria et probra stulti et amentis; quia stultus caret ratione instar bruti, et ignorat quid agat et loquatur. *Hebr. Nabal,* ait S. Ambros. Ep. 35. *Latine insipiens, durus, inhospitalis, inhumanus, ingratus, qui officia nesciret referre.*

Stulti dicteria nemo curat.

Tropol. τὸ *rex*, urget S. Ambr. in Psalm. 118. serm. 14. q. d. Tu o David, rex es: rege ergo tuas passiones, fræna iram, doma vindictam. Nam ut ait S. Ambr. « Quicumque proprium corpus subegerit, nec eius passionibus turbari animam suam rector sui congrua vivacitate permiserit; is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur; quod regere se noverit, arbiter sui iuris sit; ne non captivus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. Huius anima non perit in æternum; nec quisquam rapit eam de manu patris omnipotentis aut filii. Manus enim Dei quæ solidavit cælum, quos tenuerit, non amittit. »

Vers. 26. VIVIT DOMINUS ET VIVIT ANIMA TUA.) q. d. Iuro per vitam Dei et per vitam tuam, quod verum dicam, quodque res ita gesta sit ut dixi; scilicet, quod non viderim pueros tuos, nec conscia fuerim inhumanitatis a Nabal in te exercitæ.

ET SALVAVIT MANUM TUAM TIBI,) q. d. Deus continuit manum tuam, ne tu per illam te ipsum fœdares cæde et sanguine innocentium filiorum et famulorum meorum.

ET NUNC FIANT SICUT NABAL INIMICI TUI,) q. d. Sicut Nabal est in tua potestate et misericordia, sic omnes inimici tui tibi subdantur, tuamque gratiam et misericordiam implorare cogantur, uti ego eamdem pro Nabal imploro. Ita Caietan. Aut q. d. Omnes inimici tui æstimentur ut Nabal, stulti et fatui, de quibus quid dicant vel agant, nemo sapiens curat vel considerat. Ita Abulens.

Vers. 27. SUSCIPE BENEDICTIONEM.) Id est beneficium: sive donum annonæ, quod tibi tuisque attuli.

Vers. 28. AUFER INIQUITATEM FAMULÆ TUÆ,) q. d. Remitte et condona iniquitatem Nabal mariti mei, quam ego in me transferri cupio, ut illius culpæ pœnam exolvam.

DOMUM FIDELEM.) Id est familiam, stirpem et posteritatem firmam et stabilem; ut scilicet filii et nepotes ex te progignendi continua serie regnent in Israel, exclusa Saulis posteritate, ob eius iniquitatem.

MALITIA ERGO NON INVENIATUR IN TE.) *Malitia,* id est peccatum, et ultio quæ dedecet personam regiam, ad quam a Deo destinatus es, quæque te a regno impediret: omnes enim cupiunt regem clementem et iniuriæ immemorem, non memorem et vindictæ cupidum.

Vindicta Reges dedecet.

Vers. 29. SI ENIM SURREXERIT ALIQUANDO HOMO PERSEQUENS TE, ET QUÆRENS ANIMAM TUAM, ERIT ANIMA DOMINI MEI CUSTODITA QUASI IN FASCICULO VIVENTIUM APUD DOMINUM DEUM TUUM: PORRO INIMICORUM TUORUM ANIMA ROTABITUR QUASI IN IMPETU ET CIRCULO FUNDÆ.) q. d. Si vitam Nabalo hosti tuo condonas, cum ipse suis in te probris mortem mereatur; Deus congruam tibi mercedem rependet, ut vicissim vitam tuam, contra omnes te persequentes, ac præsertim contra Saulem tueatur, illamque inter tot pericula securam et longævam diutissime conservet: nam res recondita *in fasciculo*, sive in ligamine *viventium*, quo scilicet ligantur vitæ, seu vivi, ad hoc reconditur ut illæsa servetur inter vivos; res vero quæ ponitur in funda, ad hoc in ea ponitur, ut funda illud eiiciat et eiaculetur: simili ergo modo Deus rotet quasi in funda, vitam inimicorum tuorum, ut animam e corpore eorum expellet et evibret, eosque mori cogat. Ita Caietan. *Fasciculus* ergo *viventium apud Deum,* est Dei providentia et cura, in qua ipse eos, quorum vitam conservat, quasi colligatos habet, nequis pereat.

Alleg. et Tropol. *Fasciculus viventium*, est catalogus vel potius cœtus et concilium Sanctorum Dei amicorum, et electorum ad vitam æternam (vice versa *fasciculus morientium,* est catalogus damnatorum ad mortem æternam: Hi enim ait Isaias cap. 24. 22. *congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum*) lapis vero in funda rotatus, sunt impii et reprobi eiiciendi in gehennam et mortem æternam. Ita Eucherius, Angelomus, Glossa, idque propter quinque analogias. Prima est, quia ut ait Eucherius, *fasciculus astringitur ut conservetur: sic enim electi pressuris tribulationum constringuntur, ut iis admoniti per manus redemptoris in perpetuum conserventur; quia vero reprobi, quo lautiores in vita sunt, eo longius a divinæ visionis gloria proiiciuntur; idcirco lapidi fundæ comparantur: quo videtur allusisse regius vates Psalm. 87. Ipsi vero de manu tua repulsi sunt. Secunda, quæ est eiusdem: Quia sicut fasciculus vinculo quodam et nexu colligatur, ita sanctorum cœtus eadem fide, eadem spe, eodem charitatis vinculo constringitur, et uno, eodemque divino præsidio undique cingitur. Tertia, quia sicut fasciculus florum in manu ad oblectationem gestatur, ita electos omnes Deus in manu sua gestat, et virtutum odore, qui ex illis afflatur, continuo delectatur, iuxta illud Sapientiæ 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt. Quamvis sit ibi proprie sermo de protectione, qua Deus sanctos tuetur, unde subditur: Non tanget illos tormentum mortis. Quarta, quia sicut fasciculus non nisi ex certis iisque lectissimis floribus conficitur, ita prædestinatorum numerus ex certis, iisque charitatis virtutumque ceterarum odore ac suavitate redolentibus existit.* Quinto, fasciculus notat ordinem gradusque gloriæ Sanctorum: sicut enim in fasce flos unus alteri ordinate inseritur, et unus præ alio emicat; sic et in cælo sancti pro meritis suum tenent locum et ordinem, unusque præ alio dotibus gratiæ et gloriæ resplendet: *Stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum.* 1. Corint. 15. 41. Hæc et plura dixi Amos 9. vers. 5. ad illa: *Fasciculum suum super terram fundavit. Fasciculus* ergo *viventium,* idem est quod *liber vitæ.*

Catalogus electorum est fasciculus viventium.

1. 2. 3. 4. 5.

Porro Sebast. Munsterus licet hæreticus, hic quippiam notatu dignum affert pro suffragiis defunctorum, veterique ritu orandi pro mortuis: Per *fasciculum*, inquit, *viventium* intelligunt Hebræi solium maiestatis, sub quo aiunt iustorum animas in sæculo alio quiescere. Hinc etiam est, ut in tumbis suis passim insculpant hanc sententiam; *Anima eius sit in fasciculo viventium;* sicuti, *requiescat anima eius*, etc. de quibus liber qui inscribitur: *Precationes Iudæorum pro defunctis*, quem vertit Genebrardus.

Munsterus hæreticus suffragia pro defunctis probat ex hoc loco.

Modi placandi iratos. Moral. Nota hic modos quibus Abigail infregit iram accensam Davidis, eumque a cæde cohibuit, quos imitemur, ut furorem furentium quasi iniecta aqua restinguamus et sopiamus. Primo enim obtulit Davidi multa et ampla dona quæ negarat Nabal, ideoque Davidi bilem moverat: dona enim iram sopiunt et amorem conciliant. Secundo, summe se humiliavit prosternendo se in terram coram Davide, qua humiliatione extersit superbum Nabal responsum, quo Davidem irritarat. Tertio, rationes affert sapientes et blandas, quibus ostendit Davidi quam noxia ei futura sit ira et vindicta, quamque salutaris et commoda eius oblivio et condonatio, scilicet 1. quod Nabal sit stultus: stulti autem dicta et probra sapienti non sunt curanda, sed contemnenda. 2. quod ipsa se offerat pro Nabal ad luendam pœnam. 3. quod ipsa non viderit servos a Davide ad Nabal missos, nec maledicta Nabal audierit: quare rogat ut sibi domuique suæ innocenti parcat. 4. quod si vitam Nabalo condonarit, Deus vicissim vitam Davidis contra Saulem ceterosque hostes tutabitur. 5. quod David prælietur prælia Domini, scilicet ad defendendum Israelem, qui erat populus Dei: quare hoc suum decus non inquinet malitia et ultione privata, nec maculet conscientiam suam puram cæde tot innocentium qui erant in domo Nabal. 6. quod si iræ suæ indulgeat, populum a se avertet, ne eum in regem acceptet. 7. quod hæc vindicta erit ei in singultum et cordolium per omnem vitam, quodque Dei iram provocabit, ut eum puniat pœna talionis, ac domum eius excindat: sin autem eam condonet et vitam tot innocentium servet, Deum pariter daturum ei domum fidelem, ac posteros eius in vita et in regno perpetuo servaturum.

Vers. 31. Et cum benefecerit Dominus Domino meo, scilicet tibi, ut te ad regnum evehat, recordaberis ancillæ tuæ,) ut scilicet mihi benefacias; videtur præsagire et tacite petere Abigail ut adsciscatur in uxorem Davidis, eique regi fiat regina.

Vers. 37. Indicavit ei uxor sua verba hæc, et emortuum est cor eius,) q. d. timore Davidis attonitus fuit Nabal, et quasi emortuus: ipse enim male sibi conscius audiens iustam Davidis contra se iram, metuit ne illam totam in se solum effunderet: putavit enim hac de causa eum pepercisse Abigail et familiæ suæ innocenti, ut caput nocens, id est Nabal peteret. Simili modo ait Ovidius lib. 1. Tristium Eleg. 3.

Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus
Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ.

Percussit Dominus Nabal;) Morbum lethalem ei immisit, qui subitaneam ei mortem afferret. Vers. 38.

Ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem.) Vers. 39. David ducens Abigail, repræsentavit Christum, qui sibi Ecclesiam ex gentibus despondit. *Hæc enim amisso viro, cui ante iuncta fuerat, transivit ad Christum, censu pio dives, humilitatis et fidei, misericordiæ quoque dotata patrimonio*, etc. *cui sponsus iucunditatem confert et gratiam, emundans eam ab omnibus pulchritudinis eius impedimentis*, ait S. Ambros. Epist. 35. ad Iren. Qui et subdit, Achinoam alteram Davidis uxorem significasse synagogam Iudæorum. *Achinoam enim*, inquit Ambros. *Hebr. idem est, quod fratris mei commotio: talis autem fuit synagoga: quam nutantem inveniens diabolus, sicut leo diruit, et iucunditatem eius abstulit: et arescere fecit fructus eius iuxta illud Psalm. 45. Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis.* Aptius tamen Pagnin. in nom. Hebr. *Achinoam*, inquit, *Hebr. idem est, quod frater iucunditatis sive pulchritudinis: aut, frater meus decor sive iucunditas*: quod Iudæis ad Christum conversis apte congruit.

Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei.) Vers. 41. Abigail absentem Davidem, quasi præsentem in legatis ab eo missis alloquitur, eiusque se vocat famulam et ancillam: atque hac sua humilitate meruit fieri eius uxor, et regina Israelis. Unde ipsa typus fuit B. Virginis, quæ electa a Deo in sponsam, et a Verbo in ea incarnando in matrem, dixit Gabrieli Archangelo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ideoque ipsa ancilla Dei facta est mater Dei. Vere Ecclesi. c. 26. v. 1. *Mulieris bonæ*, inquit, *beatus vir, numerus enim annorum illius duplex: mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit, pars bona, mulier bona*, etc. Et v. 16. *Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata.* Talis enim fuit Abigail. (Humilitas Abigail. — Fuit typus B. Virginis.)

Saul autem dedit Michol filiam suam uxorem David Phalti filio Lais.) Vers. 44. Tradunt, vel potius more suo fabulantur Rabbini, Phalti non cognovisse Michol, eo quod gladius inter ipsum et Michol interiaceret, ideoque ipsum mansisse illiberem sine filiis. Alii asserunt id eum fecisse ex studio pietatis et castitatis. Alii alia comminiscuntur: sunt enim ipsi non vasorum, sed opinionum et somniorum figuli. (Fabula Rabbinica de castitate Phalti et Michol.)

CAPUT VICESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David dormienti Sauli parcens, tollensque eius hastam et scyphum, illaque ostendens Sauli, ac suam innocentiam et clementiam allegans, eius iram odiumque expugnat, ut dicat: Benedictus tu fili mi David.

1. Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce, David absconditus est in colle Hachila, quæ est
ex adverso solitudinis. 2. Et surrexit Saul, et descendit in desertum Ziph, et cum eo tria millia vi-
rorum de electis Israel, ut quæreret David in deserto Ziph. 3. Et castrametatus est Saul in Gabaa Ha-
chila, quæ erat ex adverso solitudinis in via: David autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul
post se in desertum, 4. Misit exploratores, et didicit quod illuc venisset certissime. 5. Et surrexit David clam,
et venit ad locum ubi erat Saul: cumque vidisset locum, in quo dormiebat Saul, et Abner filius Ner, princeps mi-
litiæ eius, et Saulem dormientem in tentorio, et reliquum vulgus per circuitum eius, 6. Ait David ad Achime-
lech Hethæum, et Abisai filium Sarviæ, fratrem Ioab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixit-
que Abisai: Ego descendam tecum. 7. Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul ia-
centem, et dormientem in tentorio, et hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem et populum dormientes
in circuitu eius. 8. Dixitque Abisai ad David: Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo per-
fodiam eum lancea in terra, semel, et secundo opus non erit. 9. Et dixit David ad Abisai: Ne interficias eum: quis
enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit? 10. Et dixit David: Vivit Dominus, quia ni-
si Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit: 11. Propi-

tius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in christum Domini. Nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput eius, et scyphum aquæ, et abeamus. 12. Tulit igitur David hastam, et scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, et abierunt: et non erat quisquam, qui videret, et intelligeret, et evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos. 13. Cumque transisset David ex adverso, et stetisset in vertice montis de longe, et esset grande intervallum inter eos, 14. Clamavit David ad populum, et ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, et inquietas regem? 15. Et ait David ad Abner: Numquid non vir tu es? et quis alius similis tui in Israel? Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? ingressus est enim unus de turba, ut interficeret regem, dominum tuum. 16. Non est bonum hoc, quod fecisti: vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum Domini. Nunc ergo vide ubi sit hasta regis, et ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius? 17. Cognovit autem Saul vocem David, et dixit; Numquid vox hæc tua, fili mi David? et ait David: Vox mea, domine mi rex. 18. Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea? 19. Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui: Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium: si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui eiecerunt me hodie, ut non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis. 20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israel ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus. 21. Et ait Saul: Peccavi revertere fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stulte egerim, et ignoraverim multa nimis. 22. Et respondens David, ait: Ecce hasta regis: transeat unus de pueris regis, et tollat eam. 23. Dominus autem retribuet unicuique, secundum iustitiam suam et fidem, tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, et nolui extendere manum meam in christum Domini. 24. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, et liberet me de omni angustia. 25. Ait ergo Saul ad David: Benedictus tu fili mi David: et quidem faciens facies, et potens poteris. Abiit autem David in viam suam, et Saul reversus est in locum suum.

Vers. 9. Abhorruit David a cæde Saulis.

QUIS ENIM EXTENDET MANUM SUAM IN CHRISTUM DOMINI (in Saulem, qui a Deo per Samuelem unctus erat in regem) ET INNOCENS ERIT?) David ab hac cæde abhorruit, eo quod indecens et indignum ei videretur, occidere regem suum a Deo constitutum et unctum: religioni ergo sibi duxit Saulem lædere, ne Deum in eo lædere videretur: ita piæ mentes, ut ait S. Bern. agnoscunt culpam, ubi non est culpa, eiusque umbram horrescunt.

Prælati etiam improbi, honorandi. Deus exercet eos quos ad magna destinat.

Moraliter, disce hic a Davide, quam prælatos et principes etiam improbos et nobis adversantes revereri debeamus, quasi *christos Domini*, nec eos verbo, multo minus verbere lædere. Rursum, quantopere Deus eos quos parat ad magna, ut alios regant, exerceat adversitatibus et persecutionibus. Sic enim per Saulem exercuit Davidem, ut eius virtutem acueret, dignumque regno efficeret: quare hæ persecutiones Saulis non fuerunt aliud Davidi, quam exercitationes, præparationes et dispositiones ad regnum, idque Saul agnovit dicens v. 25. *Faciens facies et potens poteris*. Simili modo solent Principes, Episcopi, Rectores, subditos quos ad regimen parant, variis gravibusque imperiis, oneribus, increpationibus, mortificationibus exercere, ut eorum virtutem probent, augeant, perficiant, utque ipsi discant in regimine subditis compati. Nemo enim recte imperat, nisi qui recte paret. Nemo sentit iugum obedientiæ quod aliis imponit, nisi qui prius illud subiit et expertus est; qui enim illud non subiit, imperiose regit et *dominatur in cleris*, ait S. Petrus. *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti*, inquit Amos c. 6. 6. *et nihil patiebantur super contritione Ioseph.*

Vers. 11. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS, NE EXTENDAM MANUM MEAM IN CHRISTUM DOMINI.) Quasi dicat: Precor Deum ut det mihi gratiam et constantiam, ne victus persecutionibus Saulis, eum aliquando velim occidere. Unde Hebr. est: *Prohibeat Dominus ne extendam*, etc. Chald. *Nefas mihi ab ante Dominum*, etc, Oratio est, et ut nonnulli volunt, simul iuramentum; quo David iurat se non occisurum Saulem, ut per illud se in bono hoc proposito confirmet, utque Abisai et alios volentes occidere Saulem prorsus ab eius cæde avertat.

Scyphus aquæ Saulis quis? Resp. 1.

ET SCYPHUM AQUÆ.) Perperam Castalion et Calvinistæ vertunt: *matulam*. Quæres, quis fuerit hic *aquæ scyphus?* Primo, Serarius putat fuisse clepsydram horariam, ad vigilias noctis Sauli indicandas. Nam Iulius Cæsar et prisci Duces olim in castris ad illum finem clepsydris utebantur, teste Vegetio lib. 3. Veterum enim clepsydræ indicabant horas ex fluxu non arenæ (ut faciunt nostræ) sed aquæ, ut nomen ipsum indicat: Clepsydra enim dicitur quasi κλεπτσα υδωρ, id est suffurans aquam. Erat ergo clepsydra, horologium aquarum, horas aquæ fluxu dimetiens. Secundo, Auctor Antiq. Convival. lib. 1. Verisimile est, inquit, Iudæorum potum in militia fuisse aquam, non vinum. Unde 1. Samuel. scyphus aquæ ad caput Saulis stetisse dicitur, non vini, ut hodie sæpenumero magni viri noctu quoque ad lectum solent habere vini cantharos atque pocula ad potandum, et inexplebili illi suæ siti, quam sibi assidua, immoderataque vini ingurgitatione compararunt, satisfaciendum.

Clepsydræ etymon.

2.

Tertio, planius Iosephus: hic aquæ scyphus, ait, erat ad lavandum: mane enim et subinde per diem aqua manus et faciem abluere solemus. Iudæi vero etiam noctu non raro se lavabant, præsertim si quæ iis pollutio accidisset. Unde Clemens Alexan. lib. 4. Strom. c. 7. *Iudæi*, inquit, *etiam in lecto purgantur.* Idem Exhort. ad Gentes: *Semper*, inquit, *a cubili lavantur Hebræi.* Idem factitant etiamnum Iudæi, adeoque ex eis religiosiores crebro totum corpus abluunt.

QUIA SOPOR DOMINI IRRUERAT SUPER EOS.) *Sopor Domini*, id est sopor magnus et gravis. Ita Chald. sic vocantur *montes Dei et Cedri Dei*, id est magni et excelsi. Aut melius, *sopor Domini*, est sopor a Domino immissus. Naturaliter enim vix fieri poterat, ut in castris tam numerosis omnes omnino etiam vigiles dormirent. Deus ergo fuit qui omnibus soporem immisit in gratiam Davidis. Similem soporem immisit Deus Adæ, cum ex eius dormientis latere accepit costam, ex eaque formavit Hevam. Genes. 2. Vide hic, mirare, et reverere providentiam Dei, qua Davidem et suos contra tot hostium millia tuetur, immittendo omnibus soporem, ut David Saulem omnesque eius milites mactare posset si voluisset; atque eius insignis bonitas et clementia, parcendo Sauli, tam ipsi quam toti populo pateficret, itaque ab eo in regem eligeretur.

Vers. 12.

Sopor a Deo immissus Sauli cum suis.

CUMQUE TRANSISSET DAVID EX ADVERSO, ET STETISSET IN VERTICE MONTIS DE LONGE.) Prudenter id fecit David, ne si in castris Saulis mansisset, ab aliquo militum eius occideretur. Secessit ergo in montem, ut fugere posset, si quis eum insecutus fuisset, ut eminus e monte clamans per tota Saulis castra monti subiecta audiretur. Vide hic ut David in omnes formas se transformet, ad Saulem placandum, sanandum et salvandum. Vere Comicus: *Illud nimirum est sapere, si ubicumque opus sit, animum possis flectere.*

Vers. 13.

Allegor. Eucherius: *Venit*, inquit, *David, id est Christus ad Iudæos hostes suos dormientes in sua infidelitate; non eos occidit, sed tulit ab eis scyphum aquæ, id est gratiam legis: tulit et sceptrum regale, regni scilicet potestatem, quam pro magno habebant, et unde se protegebant temporaliter, et quam adversus Deum per incredulitatem gerebant. Deinde victor noster David de castris eorum regressus, transcendit in altitudinem montis cœlorum.*

Vers. 16. FILII MORTIS ESTIS VOS, QUI NON CUSTODISTIS DOMINUM VESTRUM.) Erant custodes hi dormientes excusabiles et extra culpam, quia vigilare non erat in eorum potestate et libertate. Nam Deus sopore immisso cogebat eos dormire, ut dictum est v. 12. David autem vocat eos *filios*, id est reos *mortis*, quia actus hic dormiendi secundum se spectatus damnabilis erat, dignusque morte: unde vigiles qui in castris noctu excubant, si a Capitaneo dormientes inveniantur, trucidantur; quia illorum somnus creat periculum evidens totis castris, ne ab hoste invadantur et evertantur.

Custodes non peccabant dormiendo.

Vers. 19. SI DOMINUS INCITAT TE ADVERSUM ME, ODORETUR SACRIFICIUM.) Hoc est, præsto sum ut occidar, et Deo immoler quasi victima, quæ ipsi placeat velut odor suavitatis sacrificii. Loquitur Antropopathos, Deus enim cum non habeat corpus et nares, proprie non odoratur nidorem sacrificii, sed dicitur odorari metaphorice, quia sicut odor suavis delectat odoratum hominis, sic suavitas sacrificii oblectat Deum. Alii sic exponunt, q. d. *Odoretur sacrificium*, id est offeram sacrificium pro peccato, si aliquod contra Deum, vel contra te o Saul commisi.

SI AUTEM FILII HOMINUM incitant te adversum me, MALEDICTI SUNT IN CONSPECTU DOMINI; utpote qui me A innocentem, et a Deo in regem unctum inique persequuntur, DICENTES: VADE, SERVI DIIS ALIENIS.) *Dicentes*, non verbis sed factis, ait Theodor. et Procop. fugando enim Davidem ex Iudæa, cogebant eum fugere ad Philisthæos, aliasque gentes, a quibus David solicitabatur ad colendum eorum Deos et idola.

ET NUNC NON EFFUNDATUR SANGUIS MEUS.) q. d. Quia non habes iustam causam me persequendi, sed solum te incitant filii hominum in me malevoli et maligni; idcirco tibi supplico ne meum sanguinem innocentem effundas. Vers. 20.

SICUT PERSEQUITUR PERDIX.) *Persequitur*, passive, hoc est persecutionem patitur. Comparat enim David se pulici et perdici, quæ a venatore quæritur ad necem.

ET IGNORAVERIM MULTA NIMIS.) Id est non cogitarim tuam innocentiam et benevolentiam erga me. Vers. 21.

ET SICUT MAGNIFICATA EST ANIMA TUA HODIE IN OCULIS MEIS. q. d. Sicut vita tua magno æstimata fuit mihi, ut illam tangere et lædere noluerim, cum illam haberem in manu et potestate mea: SIC MAGNIFICETUR ANIMA MEA IN OCULIS DOMINI, ut Deus hanc meæ clementiæ congruam mercedem et talionem rependat, ut vitam B meam contra tuos tuorumque et hostium ceterorum insidias illæsam conservet, itaque ostendat se eam valde æstimare et magnificare, ET LIBERET ME DE OMNI ANGUSTIA.) Vers. 24.

FACIENS FACIES, ET POTENS POTERIS.) q. d. Præclara facies opera et res præclaras geres ac valde potens evades, præsertim cum mihi in regnum succedes. Unde Chald. vertit: *Regnando regnabis, et prosperando prosperabis.* Tigurin. *Facies et omnino perficies;* Vatab. *Valendo valebis*, id est magnis viribus pollebis. Vers. 25.

CAPUT VICESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit ad regem Geth, ab eoque obtinet urbem Siceleg, ex qua assidue prædatum excurrit in hostes Israelis, omnes occidendo, ne quis eum apud regem accuset.

1. ET ait David in corde suo: Aliquando incidam una die in manu Saul: nonne melius est ut fugiam, et salver in Terra Philisthinorum, ut desperet Saul, cesset que me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus eius. 2. Et surrexit David, et abiit ipse, et sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth. 3. Et habitavit David cum Achis in Geth, ipse et viri eius; vir et domus eius; et David, et duæ uxores eius, Achinoam Iezrahelitis, et Abigail uxor Nabal Carmeli. 4. Et nuntiatum est Sauli quod fugisset David in Geth, et non addidit ultra quærere eum. 5. Dixit autem David ad Achis: Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis huius, ut habitem ibi: cur enim manet servus tuus in civitate regis tecum? 6. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda, usque in diem hanc. 7. Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philisthinorum, quatuor mensium. 8. Et ascendit David, et viri eius, et agebant prædas de Gessuri, et de Gerzi, et de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad Terram Ægypti. 9. Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum et mulierem: tollensque oves, et boves, et asinos, et camelos, et vestes, revertebatur, et veniebat ad Achis. 10. Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat David: Contra meridiem Iudæ, et contra meridiem Ierameel, et contra meridiem Ceni. 11. Virum et mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur adversum nos: Hæc fecit David: et hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitavit in regione Philisthinorum. 12. Credidit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israel: erit igitur mihi servus sempiternus.

Vers. 1. ALIQUANDO INCIDAM UNO DIE IN MANUS SAUL:) Licet enim ipse a Deo per Samuelem unctus esset in regem, tamen id erat eo casu dumtaxat, quo ipse superviveret regi Sauli. Aut putabat David se hac unctione et promissione Dei posse excidere per peccata sua, ut permissu Dei in manus Saul incideret, regnoque et vita excideret, uti exciderat Saul. Ita Abulens.

David post unctionem non erat omnino certus de regno possidendo.

Vers. 2. ET SURREXIT DAVID ET ABIIT IPSE, ET SEXCENTI VIRI CUM EO AD ACHIS FILIUM MAOCH REGEM GETH,) D quæ erat una ex quinque urbibus et satrapiis Philisthinorum. Hic est *Achis*, ad quem antea fugerat David c. 21. ac accusationes Philisthinorum metuens, coram eo simulans se stultum, liber evaserat. Iam vero idipsum non timuit, eo quod nunc ubique etiam in Philisthæa constaret inveteratum et continuum odium Saulis in Davidem: quare a Davide licet iam cognito nihil sibi metuebat Achis, imo sperabat eo se duce fideli contra Saulem hostem suum usurum.

Achis hic, idem qui supra c. 21.

Vers. 3. Gethæi Davidis milites, sic dicti non a loco nativitatis, sed ab habitatione.

ET HABITAVIT DAVID CUM ACHIS IN GETH; IPSE ET VIRI EIUS; VIR ET DOMUS EIUS,) id est quisque cum sua uxore et familia. A *Geth* dicti sunt *Gethæi*, fidissimi et fortissimi milites Davidis, quia scilicet eum fugientem in Geth secuti erant, ibique cum eo habitabant, indeque prædatum excurrebant, nam expresse v. 2. dictum est, sexcentos hosce viros ex Iudæa cum Davide profugisse in Geth. Erant ergo ipsi origine Iudæi, non Gethæi et Philisthini, ut vult Abulens. Quis enim credat Davidem regem fidelem et sanctum ad sui custodiam accivisse Gethæos Philisthinos, qui erant infideles et iurati Israelis hostes? Hi ergo Iudæi dicuntur *Gethæi*, quia ex Iudæa fugientem Davidem secuti sunt in Geth, ibique cum eo habitarunt usque ad mortem Saulis, post quam cum Davide ex Geth redierunt in Iudæam, eumque ad regnum promoverunt ac bella eius gesserunt, uti satis indicatur 2. Reg. 15. 18.

Vers. 5. Cur David noluerit manere in Geth?

CUR ENIM MANET SERVUS TUUS IN CIVITATE REGIS TECUM?) Cupiebat David ab Achis eiusque aula separari multis de causis. Prima erat, ut liberius excurrere posset in Philisthæos et Amalecitas, ex eisque agere prædas, quibus se et suos sexcentos milites cum uxoribus sustentaret: has enim agere non poterat in Geth: id enim rescivisse Achis, ideoque Davidem ut gentis suæ hostem expulisset, vel occidisset. Secunda, ut pudori uxorum suarum, militumque suorum consuleret: illi enim insidiantur sæpe aulici infideles et luxuriosi, quales erant Philisthini. Tertia, ne milites sui aulicorum fastu invidiaque, gula, luxuria, ceterisque vitiis, ac præsertim infidelitate et idololatria inficerentur.

Verum has causas David non fuit ausus allegare Achis regi; aliam ergo prætexuit; scilicet quod non conveniret exterum et peregrinum, imo oriundum ex gente Iudæorum, quæ Philisthæis et Gethæis erat summe infensa et exosa, in regia Gethæorum urbe commorari; præsertim quia facile lites et pugnæ inter milites regis et Davidis exoriri potuissent, atque difficile fuisset Davidi sibi suisque victum comparare in Geth, ubi aula regis omnem annonam ad se trahebat. His rationibus motus Achis dedit Davidi Siceleg, quæ exinde tribui Iudæ cessit in possessionem hereditariam et perpetuam.

Vers. 6. Sicelech urbs est tribui Iudæ debita.

DEDIT EI ITAQUE ACHIS IN DIE ILLA SICELEG.) *Siceleg*, sive *Sicelech* urbs primo sorte obtigit tribui Iudæ Iosue 15. 31. deinde ei adempta est, et data tribui Simeonis, Iosue 19. 5. postea cum in Philisthæorum esset confinio, ab eis fuit occupata, puta a Gethæis et Achis eorum rege, qui proinde eam hic rursum Davidi cessit, et concessit. Porro *Siceleg* Hebr. idem est quod *angustia sextarii*, ait Pagnin. in Nomin. Hebr. idque congrue ad hunc locum. In ea enim resedit David cum suis militibus, laborans angustia victus et potus.

Vers. 7.

FUIT AUTEM NUMERUS DIERUM QUIBUS HABITAVIT DAVID IN REGIONE PHILISTHINORUM, QUATUOR MENSIUM.) Hebr. dicitur mansisse *dies et quatuor menses*: hoc est, per annum et quatuor menses. Hebr. enim *iamim*, id est *dies*, in plurali, sæpe annum significat, inquit Lyran. Pagnin. Caietan. et Novatores. Verum alii passim dicunt Davidem tantum mansisse apud Achis quatuor mensibus et aliquot diebus. Hoc enim exigit versio Latina vulgata, itaque censent Abulens. Serarius, Salianus, Adrichom. Sanchez, Torniellus, et alii, qua de re rursum dicam c. 29. v. 3.

David in Geth fuit quatuor tantum mensibus et aliquot diebus.

Vers. 8.

ET AGEBAT PRÆDAS DE GESSURI ET DE GERZI ET DE AMALECITIS.) *Gessur* urbs erat in valle (*ge* enim est vallis) trans Iordanem, a qua tota vicina regio dicta est *Gessuri* vel *Iessuri*: quæ quidem regio Israeliticæ terræ, quæ trans Iordanem est, versus Septemtrionem terminus fuit, atque licet dimidiæ tribui filiorum Manasse in possessionem fuerit data, pristini tamen terræ habitatores numquam inde expulsi fuisse videntur. Iosue 13. 13. Erant ergo incolæ *Gessuri*, æque ac *Gerzi* et *Amalecitæ* hostes Israelis, ac proinde David de iis iuste agebat prædas. Porro noster Salianus aliam hanc esse censet *Gessuri* a *Gessuri* Manassensium: hæc enim, inquit, erat vicina Amalec, et extra terminos Israelitarum Meridiem versus, cuius nulla in Scriptura, nisi hoc loco fit mentio, sicut nec de *Gerzi*.

Vers. 9. Legitima auctoritate David occidit Gessuritas, Gerzitas et Amalecitas: etiam parvulos et feminas.

NEC RELINQUEBAT VIVENTEM VIRUM ET MULIEREM.) Quæres, Quo iure fecit id David? Nam ipse non erat absolutus princeps nec rex, ac per consequens non habebat ius indicendi vel movendi belli. Resp. Davidem a Samuele unctum fuisse in regem, ac a Saule creatum belli contra hostes Israelis ducem; quare auctoritatem bellandi habuisse. Licet enim Saul iam Davidem ex odio privato persequeretur, gratum tamen et ratum habebat tum ipse, tum totus populus, quod David supprimeret et opprimeret Philisthinos, aliosque hostes suos, quos ipse magno labore et periculo subiugare debuisset. Sed quo iure omnes omnino occidit? Resp. eum ius habuisse ex lege Deut. 20. v. 17. et 25. quæ iubet omnes incolas terræ Hebræis a Deo promissæ, etiam parvulos et feminas occidi, eorumque bona diripi: Gessuræi autem et Gerzæi (qui Iosue 13. v. 13. vocantur *Machati*, ait Abulens. licet id neget Salianus) habitabant in terra Iudæis promissa, ut patet Iosue 13. 13. Amalecitæ autem licet extra eam degerent, tamen eos omnes iusserat Deus occidi, ut audivimus c. 15. David ergo quasi belli Israelis dux a Saule auctoratus, publicam auctoritatem habuit hæc omnia faciendi, Deique iussa exequendi. Ita Abul. Caiet. et alii.

Vers. 10. Mendacium Davidis.

IN QUEM IRRUISTI HODIE? RESPONDEBAT DAVID, CONTRA MERIDIEM IUDÆ.) Hoc est contra Iudæos meridionales, sive qui habitabant versus meridiem. Mentitur David se in Iudæos hostes Achis regis irruisse, cum irruisset in Philisthæos, Chananæos et Amalecitas socios Achis. Nisi sic exponas, q. d. David: Irrui contra Philisthæos, qui erant ad meridiem Iudæ. Mendacium hoc officiosum erat, quod David necessarium putabat ad tuendam vitam.

IERAMEEL.) Urbs erat in tribu Iuda spectans meridiem.

Vers. 11.

VIRUM ET MULIEREM NON VIVIFICABAT DAVID.) Id est in vita non conservabat, vivere non sinebat, sed omnes occidebat, ne quis superstes eum quasi hostem apud Achis et Gethæos accusaret.

Vers. 12. Deus inadvertentiam immisit in Achis, ne sciret quos David occiderat.

CREDIDIT ERGO ACHIS DAVID.) Mirum fuit ex tot cladibus et cædibus Philisthinorum a Davide editis, nullam permanasse ad aures Achis regis: humanitus vix fieri id poterat: sed Deus qui omnia Davidis opera dirigebat, ita hæc pariter direxit, ut nil resciret Achis. Sicut enim soporem immisit in tota castra Saulis ad salvandum Davidem cap. 26. 12. sic hic immisit quasi inadvertentiam et cæcitatem in Achis, omnesque aulicos, ne scirent Davidem in socios sibi fœderatos irruisse.

CAPUT VICESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul instante prœlio de eius eventu sciscitatur Deum; sed eo non respondente consulit Pythonissam, quæ ei suscitat Samuelem, qui v. 16. Sauli eiusque castris perniciem cædemque prædicit.

1. FACTUM est autem in diebus illis, congregaverunt Philisthiim agmina sua, ut præpararentur ad bellum
contra Israel: dixitque Achis ad David: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, et
viri tui. 2. Dixitque David ad Achis: Nunc scies quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad Da-
vid: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus. 3. Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis
Israel, et sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. Et Saul abstulit magos et hariolos de terra. 4. Congregatique
sunt Philisthiim, et venerunt, et castrametati sunt in Sunam: congregavit autem et Saul universum Israel, et ve-
nit in Gelboe. 5. Et vidit Saul castra Philisthiim, et timuit, et expavit cor eius nimis. 6. Consuluitque Domi-
num, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. 7. Dixitque Saul servis
suis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, et vadam ad eam, et sciscitabor per illam. Et dixerunt servi
eius ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor. 8. Mutavit ergo habitum suum: vestitusque est aliis vesti-
mentis, et abiit ipse, et duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, et ait illi: Divina mihi in pythone,
et suscita mihi quem dixero tibi. 9. Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, et quo modo eraserit
magos et hariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar? 10. Et iuravit ei Saul in Domino, di-
cens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. 11. Dixitque ei mulier: Quem sus-
citabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita. 12. Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna,
et dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. 13. Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait
mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra. 14. Dixitque ei: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascen-
dit, et ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra,
et adoravit. 15. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me ut suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: si-
quidem Philisthiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in manu prophe-
tarum, neque per somnia; vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. 16. Et ait Samuel: Quid interrogas
me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad æmulum tuum? 17 Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est
in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David: 18. Quia non obedisti
voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalech. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. 19. Et
dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: cras autem tu et filii tui mecum eritis: sed et castra
Israel tradet Dominus in manus Philisthiim. 20. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim
verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. 21. Ingressa est itaque mulier
illa ad Saul, (conturbatus enim erat valde) dixitque ad eum: Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, et posui animam
meam in manu mea: et audivi sermones tuos, quos locutus es ad me. 22. Nunc igitur audi et tu vocem ancillæ
tuæ, et ponam coram te buccellam panis, ut comedens convalescas, et possis iter agere. 23. Qui renuit, et ait:
Non comedam. Coegerunt autem eum servi sui et mulier, et tandem audita voce eorum surrexit de terra, et se-
dit super lectum. 24. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, et festinavit, et occidit eum: tol-
lensque farinam, miscuit eam, et coxit azyma, 25 Et posuit ante Saul et ante servos eius. Qui cum comedis-
sent, surrexerunt, et ambulaverunt per totam noctem illam.

Vers. 2. NUNC SCIES QUÆ FACTURUS EST SERVUS TUUS.) David hic ambigue loquitur, ne Achis regem offendat, et se in vitæ periculum inducat. Nam non intendebat (licet id putet Lyran.) ipse vere pugnare cum Achis contra suos Israelitas; impium enim fuisset præliari contra patriam suam, Deique populum: neque se voluit ulcisci de Saule, ut patet ex præced. et seq. unde eo cæso valde de eius morte indoluit. Ita Abul.

David non intendit pro Achis pugnare contra Israelem.

Vers. 3. ET SAUL ABSTULIT MAGOS.) Quia id iusserat Deus Levit. c. 19. et 20. Fecit id Saul initio regni sui, ait Abul. Licet Serarius velit id eum fecisse post peccatum suum.

Vers. 6. ET NON RESPONDIT EI NEQUE PER SOMNIA, NEQUE PER SACERDOTES.) Hebr. *neque per Urim*, id est per Pontificem indutum rationali in quo erant *Urim*, id est *illuminationes*, quibus Deus eius interrogationibus respondebat, et futura de quibus consulebatur prædicebat. Vide dicta Exodi 28. 30. Licet enim Abiathar fugisset ad Davidem cum Ephod, quando Saul eius patrem Achimelech ob datos Davidi panes occidit, c. 22. 20. tamen alius erat Pontifex cum Ephod in Tabernaculo apud Saulem, per quem ipse Deum consulebat; alioquin enim caruissent Hebræi Pontifice et sacris: nam David cum Abiathar Pontifice ob metum Saulis, ex Iudæa profugerat in Philisthæam ad Achis regem Geth. Noluit Deus respondere Sauli ob eius inobedientiam et impietatem, qua occiderat Sacerdotes et Davidem persequebatur. Quare Saul videns se a Deo sperni, confugit ad *Pythonem*, id est ad diabolum, iuxta illud athei:

Fugiente S[illegible] Achimelech, alius fuit Pontifex constitutus.

Flectere si nequeas superos, Acheronta movebo.

Saulem imitatus est Oedipus apud Senecam, qui oraculis aliis frustra tentatis, tandem necromantiam tentavit.

DIXITQUE SAUL SERVIS SUIS: QUÆRITE MIHI MULIEREM HABENTEM PYTHONEM.) Hoc est dæmonem familiarem, quem Sept. vocant ἐγγαστρίμυθον, id est, ventriloquum, qui scilicet ex ventre mulieris quasi ex utre (hunc enim significat Hebr. אוב *ob*, unde Latinum *obba*) loquebatur, dabatque oracula de futuris, cum de iis consuleretur. Hinc Apollo vocatus est *Pythius*, eo quod ederet oracula, eiusque ministri et ministræ vocati sunt *Pythiæ* et *Pythonissæ*. Hinc rursum omnes magi et divini vocati sunt *Pythii*, adeoque *Python* quodlibet divinationis genus significat, sive fiat per necromantiam et suscitationem mortuorum, uti hic fiebat per suscitationem Samuelis; sive per sortilegia; sive per incantationes; sive quo alio modo. Vide dicta Isaiæ 8. 19. et Actor. 16. 16. Vers. 7.

MULIEREM) Fabulantur R. Eliezer, R Kimchi, aliique

Rabbini mulierem hanc fuisse matrem Abner, cui Saul ob cognationem pepercerit. Sed errant: nam mater Abner habitabat in sua tribu Beniamin, hæc vero in *Endor*, quæ erat in tribu Issachar. Rursum mater Abner erat matrona nobilis, hæc vero vilis operaria, ait Iosephus.

Pythonissa vilis fuit non nobilis mulier.

Dices Saul Pythonissam, id est magam consuluit, cur ergo v. 3. tales interfecit? Iustin. Mart. q. 57. ad Orthodoxos: *Sustulit,* inquit, *divinatrices, quod hoc facto Deum placaturum se esse ita speraret, ut sententiam suam, quæ eum regno privaret, abrogaret: non quod divinatricum scelus odisset; sed quod regnum amaret.* Quæ ratio vera est, et Saulis ambitioni consentanea. Sed illa est ad rem præsentem congruentior quam Hebræi apud Lyranum tradiderunt. *Saul,* inquiunt, *ea causa sustulit hariolos, quod illi prædicerent eius familiam evertendam, et regnum transferendum ad Davidem.*

Vers. 11. Verus Samuel suscitatus.

Samuelem mihi suscita.) Quæres, an verus fuerit Samuel quem Pythonissa suscitavit? Multi negant, censentque fuisse dæmonem, sive phantasma, larvam et umbram Samuelis effictam a dæmone. Ita Procop. Theodor. Rupert. Tertul. Cyrill. Beda, et alii. Verius alii plures et potiores affirmant; quia sequentia clare id significant, et clarius Ecclesiast. cap. 46. 23. ubi inter laudes Samuelis assignant hanc quod post mortem prophetarit: *Exaltavit,* inquit, *de terra vocem suam in prophetia, ad cessare faciendum peccata.* Pluribus idipsum probavi ibidem, et argumenta in contrarium dissolvi. Estque hæc sententia Abulens. Lyran. Caiet. Dion. Serarii hic, et S. Augustin. lib. de cura pro mortuis cap. 15. 5. Basil. Epist. 80. Nazianz. orat. 3. Iosephi libr. 6. Antiq. c. 15. Iustin. Dial. contra Tryphonem, S. Ambros. in c. 1. Lucæ, S. Hieron. in c. 7. Isaiæ, S. Thomæ 1. part. q. 89. art. 8. ad 2. Suarez 3. part. tom. 2. disp. 42. sect. 2. Bellarm. libr. 2. de Purgat. c. 6.

Porro non per somnia, sacerdotes et prophetas, sed per Samuelem Deus respondit Sauli, ut tanto magis ille commoveretur et percelleretur, inquit Cyrill. et Abulen. dum eum cuius præcepta contempsisset, prædictiones de regno amittendo hactenus non maximi fecisset; sibi iam extrema minitantem audiret.

Vers. 12. Samuel a Deo suscitatus, non autem per incantationes Phythonissæ.

Cum autem vidisset mulier Samuelem.) Prævenit Deus incantationes Pythonissæ, quæ morosæ et longæ esse solent, ne vi earum suscitatus videretur Samuel: statim ergo roganti Sauli stitit Samuelem, qui eum puniret tum ob alia crimina, tum ob hoc magiæ, denuntiatione cladis secuturæ. Ita Abulen. Caiet. et alii. Hac de causa turbata mulier, *exclamavit,* ut sequitur. Quæres, cur id fecerit? Primo, Rabbini quia, inquiunt, ceteri mortui per magiam et necromantiam evocati, solebant erectis in cælum pedibus ascendere: Samuel vero capite in cælum erecto ascendit: sed hæc sunt eorum figmenta. Dico ergo eam turbatam exclamasse, eo quod videret Samuelem suas incantationes prævenisse, et necdum vocatum se sistere: sua enim veneranda et augusta specie perculit Pythonissam; Saul tamen putabat eam exclamare, eo quod agnosceret ipsum esse Saulem, ac ab eo sibi de vita ob magiam metueret: unde iussit eam metum hunc deponere.

Tu es enim Saul.) Quo indicio id Pythonissa cognoverit incertum est. Abul. putat Samuelem id ei indicasse.

Vers. 13.

Deos vidi ascendentes de terra.) *Deos*, id est *Deum.* Hebr. enim est *Elohim,* id est *Deum,* id est hominem quemdam divinum, puta Samuelem: hunc enim dumtaxat vidit, ut patet ex sequent. Fabulatur ergo R. Kimchi, dum ait illam duos vidisse, scilicet Mosen et Samuelem; sic et alii Rabbini docent cum Samuele ascendisse Mosen, qui in eodem carcere clausus morabatur; unde in libro Ialcut sic dicitur: *Deos vidi ascendentes de terra. Hinc habetur non fuisse solum Samuelem qui ascendit, sed duos fuisse, unum Samuelem, alterum Mosen, cui Samuel dixit: Forsitan ad iudicium vocor: veni ergo mecum, ut testificeris nullum esse verbum in lege scriptum, quod non servaverim.* Verum hic est Iudaismus. Iam enim in morte sua Samuel ut ceteri homines iudicatus acceperat suam sententiam, certusque erat de sua felicitate, sicut et alii Patres qui cum eo in limbo versabantur. Rursum in libro *Midras Samuel* dicitur: *Multi iusti ascenderunt cum illo.*

Quare inquietasti me ut suscitarer?) Id est, cur fuisti non causa, sed occasio ut suscitarer: nam propria causa, eaque efficax suscitationis Samuelis erat Deus Porro Samuel ait se inquietatum a Saule, quia commotus fuit et iratus indignitate modi, quo Saul per magiam eum suscitare conabatur. *Vers. 15. Samuel indignatus Sauli ob suscitationis modum.*

Cras autem tu et filii tui mecum eritis.) In altero sæculo et vita, puta apud inferos, sed non in eadem inferni parte et loco, q. d. Tu et filii tui moriemini et apponemini ad mortuos, ac mecum eritis in loco statuque mortuorum, puta apud inferos; sed dispari sorte et receptaculo: ego enim in limbo sum, tu descendes ad gehennam: *Nec enim ibi Saul malus, ubi Ionathan bonus meruit recipi*, ait Beda. Et S. August. loco cit. ad Simplic. τὸ *mecum eris*, inquit, *non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, iamque mortuus mortem vivo prænuntiabat.* *Vers. 19. Mortem parem Samuel Sauli prædicit, non eundem statum post mortem.*

Ingressa est itaque mulier.) Hinc probabiliter opinatur Abulens. Pythonissam non fuisse præsentem eo loco et tempore, quo Saul cum Samuele loquebatur, eo quod nollet Saul, ut quis se cum eo loquentem audiret: volebat enim secreto cum eo agere, et secreta sua cum eo solo communicare. Recedente ergo Samuele, et finito eius cum Saule colloquio, ingressa est Pythonissa ad locum in quo erat Saul. *Vers. 21. Saul cum Samuele locutus præsente nemine, ne Pythonissa quidem.*

Et posui animam meam in manu mea.) Id est, exposui me periculo mortis, quasi maga suscitando Samuelem; sciebam enim Saulem omnes magos occidisse.

CAPUT VICESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achis ducit secum Davidem ad prælium contra Saulem, sed sociis eius Philisthinis de Davidis fide dubitantibus, ideoque contradicentibus, eum domum remittit.

1. Congregata sunt ergo Philisthiim universa agmina in Aphec: sed et Israel castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrahel. 2. Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis et millibus: David autem et viri eius erant in novissimo agmine cum Achis. 3. Dixeruntque principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim: Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israel, et est apud me multis diebus, vel annis, et non inveni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, usque ad diem hanc? 4. Irati sunt autem adversus eum principes Philisthiim, et dixerunt ei: Revertatur vir iste, et sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, et non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? 5. Nonne

iste est David, cui cantabant in choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, et David in decem millibus suis? 6. Vocavit ergo Achis David, et ait ei: Vivit Dominus, quia rectus es tu, et bonus in conspectu meo: et exitus tuus, et introitus tuus mecum est in castris: et non inveni in te quidquam mali, ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc: sed satrapis non places. 7. Revertere ergo, et vade in pace, et non offendas oculos satraparum Philisthiim. 8. Dixitque David ad Achis: Quid enim feci, et quid invenisti in me servo tuo, a die qua fui in conspectu tuo usque in diem hanc, ut non veniam, et pugnem contra inimicos domini mei regis? 9. Respondens autem Achis, locutus est ad David: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium. 10. Igitur consurge mane tu, et servi domini tui, qui venerunt tecum: et cum de nocte surrexeritis, et cœperit dilucescere, pergite. 11. Surrexit itaque de nocte David ipse et viri eius, ut proficiscerentur mane, et reverterentur ad terram Philisthiim: Philisthiim autem ascenderunt in Iezrahel.

Vers. 3. ET EST APUD ME MULTIS DIEBUS VEL ANNIS.) Hebr. *iam diebus vel iam annis*, hoc est, dies aliquot, imo vero annos aliquot. Unde Lyran. Pagnin. et Novatores putant Davidem pluribus annis mansisse apud Achis. Favent Septuag. qui vertunt: *Mansit apud nos dies*, plurimos scilicet, hic quippe secundus annus est. Secundo, Vatab. et R. David sic exponunt: fuit apud me multis diebus, id est quatuor mensibus, quibus æque mihi notus est, ac si plures annos apud me mansisset. Tertio, Sanchez censet Achis hic esse mentitum, ad fidem faciendam Philisthæis; idque probabile censet Abulens. et Torniellus. Quarto, planius Salianus respondet Achis respexisse ad primam commorationem Davidis, quæ ante annos sex apud ipsum inchoata fuerat, ut dictum est c. 27. aut certe computasse finem anni elapsi quo ad se venerat David et initium anni sequentis sive currentis, quo adhuc secum manebat. Id enim exigunt Sept. dum vertunt: *hic quippe secundus annus est:* nam Davidem quatuor tantum menses et aliquot dies mansisse apud Achis, diserte dictum est cap. 27. 7. idque affirmat Ioseph. Abul. Serarius, Salian. Torniellus et alii. Videtur ergo David sub finem anni fugisse ad Achis v. g. in Novembri vel Decembri, ac deinde apud eum mansisse toto Ianuario et Februario.

Vers. 4. REVERTATUR VIR ISTE.) Nota hic miram Dei erga A suum Davidem providentiam. David enim hic erat in casu plane periculoso et implexo, ut cogeretur vel Achis regis esse proditor, si in prælio ad Saulem et Hebræos deficeret; vel patriæ et civium suorum esse hostis, si contra eos pugnaret. Sed Deus nodum hunc perplexum ense quasi abscidit. Immisit enim Philisthæis diffidentiam de Davidis fide, et periculi metum quod subibant, si David in prælio ad suos Hebræos terga verteret, cum eisque arma in Philisthæos converteret, uti ante fecerat. Quare iubent illum e prælio recedere, et domum remitti. Fecit id Achis magno cum honore et laude Davidis, æque ac eius utilitate, et commodo. David enim e prælio recedens persecutus est Amalecitas, eisque spolia quæ ex sua Siceleg rapuerant, abstulit cum opima ipsorummet præda; quod, si mansisset cum Achis, facere nequivisset. Providentia Dei erga Davidem.

SCIO QUIA BONUS ES TU IN OCULIS MEIS SICUT ANGELUS DEI.) q. d. summe mihi gratus es, summe mihi places, imo veneror te *quasi Angelum Dei.* Est comparatio et phrasis Hebræa, qua utuntur cum quempiam valde laudare et B extollere volunt. Sic Iacob, ut Esau fratrem sibi ob primogenituram ereptam infensum leniat, ei blanditur dicens: *Vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei.* Genes. 33. 10. Et mulier Thecuitis pro Absalone supplicans Davidi ait: *Sicut Angelus Domini, sic est dominus meus rex.* 2. Reg. 14. 17. Vers. 9.

CAPUT TRICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Amalecitæ succendunt Siceleg et prædas abigunt: eos David cum suis insequitur, et comessantes cædit spoliatque: mox spolia inter eos qui pugnarant, et eos qui ad sarcinas manserant, æqualiter dividit vers. 21. ac eorum partem ad alias Iudææ urbes transmittit.

1. CUMQUE venissent David et viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, et percusserant Siceleg, et succenderant eam igni. 2. Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum: et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, et pergebant itinere suo. 3. Cum ergo venissent David et viri eius ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, et uxores suas, et filios suos, et filias ductas esse captivas, 4. Levaverunt David et populus qui erat cum eo voces suas, et planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ. 5. Siquidem et duæ uxores David captivæ ductæ fuerant Achinoam Iezrahelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli. 6. Et contristatus est David valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscuiusque viri super filiis suis et filiabus: confortatus est autem David in Domino Deo suo. 7. Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicavit Abiathar ephod ad David, 8. Et consuluit David Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, et excuties prædam. 9. Abiit ergo David ipse, et sexcenti viri qui erant cum eo, et venerunt usque ad Torrentem Besor: et lassi quidam substiterunt. 10. Persecutus est autem David ipse, et quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant Torrentem Besor. 11. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, et adduxerunt eum ad David: dederuntque ei panem ut comederet, et biberet aquam, 12. Sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cum comedisset, reversus est spiritus eius, et refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam,

tribus diebus, et tribus noctibus. 13. Dixit itaque ei David: Cuius es tu? vel unde? et quo pergis? Qui ait: Puer
Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiuster-
tius. 14. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, et contra Iudam, et ad meridiem Caleb, et Sice-
leg succendimus igni. 15. Dixitque ei David: Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait: Iura mihi per Deum,
quod non occidas me, et non tradas me in manus domini mei, et ego ducam te ad cuneum istum. Et iuravit ei
David. 16. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes et bibentes,
et quasi festum celebrantes diem pro cuncta præda, et spoliis quæ ceperant de terra Philisthiim, et de terra Iu-
da. 17. Et percussit eos David a vespera usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi
quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, et fugerant. 18. Eruit ergo David omnia quæ tulerant
Amalecitæ, et duas uxores suas eruit. 19. Nec defuit quidquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de
filiabus, et de spoliis, et quæcumque rapuerant, omnia reduxit David. 20. Et tulit universos greges et armenta,
et minavit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda David. 21. Venit autem David ad ducentos viros, qui
lassi substiterant, nec sequi potuerant David, et residere eos iusserat in Torrente Besor: qui egressi sunt obviam
David, et populo qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice. 22. Respondensque
omnis vir pessimus et iniquus, de viris qui ierant cum David, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus
eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat unicuique uxor sua et filii: quos cum acceperint, recedant.
23. Dixit autem David: Non sic facietis fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, et custodivit nos, et de-
dit latrunculos, qui eruperant adversum nos, in manus nostras: 24. Nec audiet vos quisquam super sermone hoc,
æqua enim pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident. 25. Et factum est
hoc ex die illa, et deinceps constitutum et præfinitum, et quasi lex in Israel usque in diem hanc. 26. Venit ergo
David in Siceleg, et misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præ-
da hostium Domini. 27. His qui erant in Bethel, et qui in Ramoth ad Meridiem, et qui in Iether, 28. Et qui
in Aroer, et qui in Sephamoth, et qui in Esthamo, 29. Et qui in Rachal, et qui in urbibus Ierameel, et qui in
urbibus Ceni, 30. Et qui in Arama, et qui in lacu Asan, et qui in Athach, 31. Et qui in Hebron, et reliquis qui
erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David ipse, et viri eius.

Vers. 6. Roboratur David a Deo

CONFORTATUS EST DAVID IN DOMINO DEO SUO.) Id est resumpsit animum fretus spe ac fiducia in Deum, ait Vatab. Iniecit Deus hoc robur et hanc spem animo Davidis, ut sperans se Amalecitas cæsurum, eos insequeretur, eisque prædam ex Siceleg abactam extorqueret. Quare David animum tam suum quam sociorum, ad eos insequendum erexit. Unde ex Hebr. vertas: *Confortavit seipsum David in Domino Deo suo*, sperans scilicet in Dei ope se per illam hostes assecuturum et debellaturum. Ubi enim humana desunt præsidia, ad divina confugere oportet. Sapienter Seneca Epist. 88. *Ego*, inquit, *annum faustum et felicem reddo bonis cogitationibus, et animi magnitudine: qui numquam maior est, quam ubi aliena seposuit; et fecit sibi pacem, nihil timendo; fecit sibi divitias, nihil concupiscendo.* Et inferius: *Quare ergo sapiens magnus est? quia magnum animum habet.*

Vers. 7.

APPLICA AD ME EPHOD.) Hebr. *adduc ad me Ephod*, ut scilicet eo indutus, per illud ut Pontifex pro me consulas Deum, an Amalecitas persequi debeam, necne.

Vers. 13.

DERELIQUIT AUTEM ME DOMINUS MEUS, QUIA ÆGROTARE CŒPI.) Tropol. Eucher. « Quid est, inquit, quod Ægyptius Amalecita puer in itinere lassatus residet; nisi quod amator præsentis sæculi, peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem sæculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat? Hos ergo eligit Deus, quos despicit mundus; quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum: is enim qui patrem, reliquit, et partem substantiæ quam perceperat, prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit: Quam multi mercenarii patris mei abundant panibus! » Et pluribus interiectis: « Quem tamen David invenit, eique cibum et potum præbuit, quia manu fortis Dominus abiecta mundi non despicit, et plerumque eos, qui mundum sequi minime valentes quasi in via remanent, ad amoris sui gratiam convertit, eisque verbi sui cibum porrigit, et quasi duces sibi in via dirigit, dum suos etiam prædicatores facit: dum enim Christum peccatorum cordibus inserunt, quasi David super hostes ducunt; qui convivantes Amalecitas, velut David gladio feriunt, qui superbos quosque qui se in mundo despexerunt, Domini virtute prosternunt. »

Vers. 14.

ERUPIMUS AD AUSTRALEM PLAGAM CERETHI.) *Cerethi* erat certa Philisthinorum regio sita ad meridiem ex

A

Cerethi erat regio Philisthinorum.

qua David colligit legiones fortissimas, inde dictas *Cerethim* et *Pheletim*, id est interfectores et liberatores, quas proinde deinceps secum semper habuit, quasi milites prætorianos et regii corporis custodes, ut patebit 2. Reg. 14. Unde nonnulli censent ab hisce *Cerethim* ortos dictosque esse *Cretes* sive *Cretenses*, ac *Cretam* eorum insulam. Vide dicta Sophon. 2. v. 5.

Vers. 16.

COMEDENTES ET BIBENTES.) Nota stratagema Davidis, quo cum paucis ex inopinato aggressus plurimos Amalecitas convivantes, omnes cecidit. Simili modo Abraham cum trecentis servis insecutus quatuor reges, qui ceperant Lot, noctu eos aggressus, dormientes occidit. Genes. 14. 15. Sic Tomyris Regina Scytharum simulans fugam, cum in castris suis mensas opipare instructas reliquisset, sequentem Cyrum et Persas ac convivantes in mensis oppressit ad unum omnes, teste Iustino.

Vers. 24.

ÆQUA ENIM PARS ERIT DESCENDENTIS AD PRÆLIUM, ET REMANENTIS AD SARCINAS, ET SIMILITER DIVIDENT.) Quia æqualiter ad victoriam cooperati sunt: nisi enim ipsi

B

sarcinas præliantium custodiissent, præliantes non vicissent, sed metu perdendi sarcinas timidius pugnassent, et terga hosti vertissent. Hinc patet, ducentos qui lassi resederant ad torrentem Besor vers. 10. etiam sarcinas sociorum cum Davide ad prælium pergentium custodivisse. Si enim lassi dumtaxat substituissent, hæc ratio in eis locum non habuisset. Ita Abulen. Caiet. et alii. Simili modo narrat Polybius lib. 10. Romanos prædam bello acquisitam non iis solis qui prælio interfuerant, sed iis quoque qui castrorum præsidio relicti erant, qui ægroti, qui ministeria publica obibant, divisisse.

Vers. 25.

ET FACTUM EST HOC EX DIE ILLA ET DEINCEPS CONSTITUTUM.) Pro *deinceps* Hebr. est מעלה *maala*, id est, *supra*. Unde Vatab. sic vertit: *Fueratque ab eo die et supra, et posuit illud in statutum et consuetudinem*, idque sic explicat, q. d. Id observatum fuerat ab initio mundi usque in eum diem, et David constituit ab eo die eam legem, quæ consuetudo servatur et hodie quoque in Israel. Verum hanc legem a Davide, non ab Adamo cœpisse significat Noster, Sept. et Chald. qui 70. *mala*, id est, *supra*, interpretantur deinceps.

Lex dividendi spolia etiam custodientibus sarcinas, cœpit a David.

C

Vers. 26. David muneribus devincit

MISIT DONA DE PRÆDA SENIORIBUS IUDA.) Nota hic liberalitatem Davidis, quam illi iniecit Deus, ut hac munificentia sibi devinciret animos contribulium suorum, ut ipsi eum in regem sibi mox deligerent. Nam eodem die

quo David præliando vicit Amalecitas, et spolia distribuit, Saul prælium cum Philisthæis iniit, in eoque cæsus occubuit, cui proinde mox in regno Iudæ successit David Dei consilio, ne Philisthæi victoriam prosecuti totam Iudæam vastarent, et everterent; eis enim Deus opposuit Davidem in Iuda dominantem.

sibi animos contribulium.

CAPUT TRICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Philisthini cædunt Hebræos: unde Saul, ne in eorum manus incidat, gladio incumbens seipsum occidit. Mox v. 9. Philistini caput Saulis præcisum in Philisthæam mittunt, et arma in templo Astaroth, corpus vero in muro Bethsan suspendunt, sed illud inde auferunt viri Iabes Galaad, ac combustum sepeliunt.

1. PHILISTHIIM autem pugnabant adversum Israel: et fugerunt viri Israel ante faciem Philisthiim, et ceciderunt interfecti in monte Gelboe. 2. Irrueruntque Philisthiim in Saul, et in filios eius, et percusserunt Ionathan, et Abinadab, et Melchisua, filios Saul, 3. Totumque pondus prælii versum est in Saul: et consecuti sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis. 4. Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus, arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eum. 5. Quod cum vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. 6. Mortuus est ergo Saul, et tres filii eius, et armiger illius, et universi viri eius in die illa pariter. 7. Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem, et trans Iordanem, quod fugissent viri Israelitæ, et quod mortuus esset Saul, et filii eius, reliquerunt civitates suas, et fugerunt: veneruntque Philisthiim, et habitaverunt ibi. 8. Facta autem die altera, venerunt Philisthiim, ut spoliarent interfectos, et invenerunt Saul et tres filios eius iacentes in monte Gelboe. 9. Et præciderunt caput Saul, et spoliaverunt eum armis: et miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum, et in populis. 10. Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus vero eius suspenderunt in muro Bethsan. 11. Quod cum audissent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul, 12. Surrexerunt omnes viri fortissimi, et ambulaverunt tota nocte, et tulerunt cadaver Saul, et cadavera filiorum eius, de muro Bethsan: veneruntque Iabes Galaad, et combusserunt ea ibi: 13. Et tulerunt ossa eorum, et sepelierunt in nemore Iabes, et ieiunaverunt septem diebus.

Vers. 2. Dei consilio filii Saul occiderunt, in prælio.

PERCUSSERUNT IONATHAN ET ABINADAB, ET MELCHISUA FILIOS SAUL.) Id Dei consilio factum, ut omnibus filiis Saulis occisis, Davidi viam ad regnum complanaret et sterneret: nam Isboseth quartus Saulis filius, domi desidens minus videbatur bellicosus, et regno tot bellis implicito inidoneus.

Vers. 5. Saul seipsum occidit.

ET IRRUIT SUPER EUM.) Vatabl. *irruit in eum*, eum in pectus adigendo. Hinc patet Saulem seipsum occidisse. Negant hoc Iosephus et R. Levi dicentes, Saulem conatum quidem se occidere, sed non perfecisse; sive quod lorica armatus esset; sive quod gladium non satis firmasset: occisum ergo ab illo Amalecita, qui nuntium mortis Saulis Davidi attulit, dixitque se Saulem occidisse, de quo lib. 2. c. 1. Verum hæ sunt fabulæ in honorem Saulis, et gentis Iudaicæ a Iosepho Iudæo confictæ. Clare enim Hebr. Septuag. Chald. et Latina hoc v. 4. et 5. aiunt, Saulem irruendo in gladium mortuum fuisse, ac proinde armigerum id videntem, se quoque simili modo interemisse. Ita omnes interpretes; quin et ceteri Rabbini: unde R. Radak p. 46. in Psal. 7. v. 16. *Lacum aperuit et effodit eum: et incidit in foveam quam fecit*; sic explicat: *Prophetat David*, inquit, *moriturum Saulem in gladio suo.* Iustum fuit hoc Dei iudicium, ut Saul gladium quem iniuste strinxerat in Davidem, converteret in seipsum, uti fecit Nero eodem anno, quo SS. Petrum et Paulum occiderat, imo eodem mense Iunio recurrente occidens seipsum. *Gladio*, inquit Hugo, *quo Amalecitis contra præceptum Domini pepercerat, c. 15. merito seipsum occidit: sic, qui potestate pro communi utilitate accepta, aut non utitur, aut abutitur: suo se nimirum gladio confodit, quo ab hoste defendi debuerat, hostem potius iuvat.* Unde et coram Amalecita cui pepercerat, occidit se, et Amalecites ipsi diadema abstulit, tulitque ad Davidem, ut dicetur c. seq. v. 13. ita Tropol. in hora mortis passiones et vitia, quæ in vita occidere et mortificare negligis, te affligent, tibique decus, pacem, vitamque præsentem et æternam auferent; hi enim sunt nostri Amalecitæ.

Iusto Dei iudicio Saul iniusto suo se interfecit gladio.

An Saul licite se occidit? Affirmant Rabbini.

Quæres, an Saul peccarit se occidendo? Negant, imo Saulem ab animi magnitudine, mortisque contemptu, laudant Iosephus et Rabbini, quibus favet Lyran. Hinc R. Isaac Saulem vocat iustum: *Saul*, inquit, *David et Salomon iusti regnarunt.* Sic Cato se occidit, ne victus in manus Iulii Cæsaris veniret, eique fieri supplex cogeretur; quem idcirco laudat Seneca, lib. de divina Providentia. *Licet*, inquit, *omnia in unius conditionem concesserint, custodiantur legionibus terræ, classibus maria, et Cæsarianus portas miles obsideat, Cato, qua exeat, habet. Una manus latam nostram libertatem faciet. Ferrum istud etiam civili bello purum et innoxium, bonas tandem ac nobiles edet operas. Libertatem quam patriæ non potuit dare, Catoni dabit. Aggredere animo diu meditatum opus, eripe te rebus humanis.* Vide eundem Epist. 71. ubi inter cetera ait: *Ille vir magnus est, qui mortem sibi non tantum imperavit, sed invenit.* Quin et ipse Iulius Cæsar accepto nuntio de Catonis morte fertur dixisse: *Invideo Cato gloriæ tuæ, nam et tu invidisti meæ, ne inter mea præclara facinora numeraretur et illud, me Catonem servasse.* Sic Brutus et Cassius cæsores Iulii Cæsaris victi ab Augusto Iulii nepote, mucrone in viscera adacto morte spontanea redemerunt ignominiam, quam sibi a victore irrogandam prævidebant.

Resp. negative. Ratio 1.

Verum hanc sententiam damnat fides orthodoxa; quin et melioris notæ Philosophi, ut Plato in Phædone, Arist. 5. Ethic. c. ult. Vide Lactant. lib. 3. c. 18. et 6. c. 11. Ratio est, quia homo non est dominus vitæ suæ, sed Deus: ergo illam sibi, imo Deo eripere nequit. Secundo, quia 2.
Deus animam et vitam nobis dedit in custodiam, ut eius usura ad Dei obsequium et laudem utamur. Tertio, quia 3.

Deus cuique statuit diem et modum tam nascendi, quam moriendi: ergo illum accelerare vel præterire non licet. *Nam ipse solus vitæ et necis potestatem habet.* Sapient. 16. Ratio est, quia Deus solus nobis vitam donavit, quasi ingens et summum donum quod nulla industria comparare sibi potuit homo, nulloque modo ab ipsius consensu
4. pendet; Quare noluit Deus ut ipsa esset in hominis potestate et arbitrio, uti sunt res inferiores, sed illius ius et do-
5. minium ipse sibi reservavit. Quarto, quia quinto Decalogi præcepto: *Non occides*, tam, imo magis vetatur ne quis occidat seipsum, quam alium. Quinto, quia occidens se, facit iniuriam Reipub. nam illa invita, velut quoddam ipsius membrum abscindit. Peccat ergo contra iustitiam, si non commutativam, certe legalem. Vide S. August. lib. 1. de Civit. a c. 17. usque ad c. 28. Audi eum c. 26. *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum, Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit.*

Quin et Cicero Tuscul. 1. *Vetat*, inquit, *dominans ille in nobis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare.* Et Plato in Phædone: *Nefas esse*, dicit, *hominem sibimet manus afferre, nec aliter irasci Deum si id fiat, quam dominum si quod se mancipiorum occiderit:* aliisque multis in locis ait, *migrare ex hac vita nulli hominum licere iniussu Dei. Sumus enim hic omnes velut in acie, loco unicuique suo ab Imperatore Deo assignato: maiorique supplicio afficiendum desertorem vitæ, quam desertorem militiæ.*

Occidere se est pusillanimis.

Porro, quod Saul, Cato et similes se occiderint ad vitandam servitutem vel infamiam, indicium fuit animi non fortis et magni, sed mollis, pusillanimis, non valentis sustinere illusiones Philisthinorum. Id ipsum ex facto Catonis evincit S. August. lib. 1. de Civit. c. 23. « Amici eius, inquit, etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius dissuadebant, imbecillioris quam fortioris animi facinus esse censuerunt: quo demonstraretur non honestas turpia præcavens, sed infirmitas adversa non sustinens. Hoc et ipse Cato in suo carissimo filio iudicavit. Nam si turpe erat sub victoria Cæsaris vivere, cur auctor huius turpitudinis pater filio fuit, quem de Cæsaris benignitate omnia sperare præcepit? Cur non et illum secum coegit ad mortem? »

Neque dici potest, inquit Serarius, id Saulem fecisse, ne dedecore Deus afficeretur. Nam ait, *ne interficiant me illudentes mihi:* neque ullum in Deum dedecus redundare poterat, si divinorum præceptorum contemptor a Deo puniretur, hostiumque ludibriis dederetur. Adde quod Saul tanta vi et celeritate mortem sibi consciverit, ut pœ-

Saul non videtur habuisse tempus pœnitentiæ.

nitentiæ tempus habuisse non videatur. Denique ignominiam Philisthinorum non evasit Saul, nam mortuo eius cadaveri illuserunt, ut patet v. 9. et 10. imo caput Saulis præcisum in templo Dagon, quasi anathema suspenderunt et obtulerunt, ut dicitur 1. Paralip. 10. 10.

An Saul damnatus? Resp. affirmat.

Quæres, An Saul sit damnatus? Hebræi et Lyran. negant, censentque eum pœnituisse, et esse salvatum. Verum alii passim damnatum asserunt, ac nominatim Eucherius, Beda, Rupert. Abulen. Dion. Caietan. Burgens. Serarius, Salian. Sanchez hic, et S. Bernar. serm. 26. in Cant. S. Birgitta l. 5. Revel. interrog. 13. ad q. 1. S. August. lib. 2. ad Simpl. q. 2. Pineda lib. 8. de rebus Salomon. c. 1. n. 8.

Ratio.

Ratio est, quia mortuus est in peccato magiæ, qua paulo ante conflictum Pythonissam consuluerat; imo in flagranti delicto quo seipsum occidit, ut pœnitendi nec animum nec tempus habuerit. Quare cum Achitophel et Iuda damnatus videtur. Secus est de Ionatha, qui per omnem vitam

Ionathas salvatus.

præclare se gessit, pugnando pro Israelitis, et Davidem contra Saulem tuendo, ac mortuus est in actu meritorio, præliando scilicet pro patria: unde spoliatus vita et regno terreno, videtur adeptus cæleste et æternum, quare ipse salvatus videtur, et ad Lymbum Patrum in sinum Abrahæ descendisse. Ita S. August. Beda, Rabanus, Lyran. Salian. Abul. et alii.

Hæc omnia confirmantur ex 1. Paral. 10. 13. ubi dicitur: « Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, (Hebr. et Septuag. in iniquitatibus suis) eo quod prævaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, et non custodierit illud: sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino: propter quod interfecit eum, et transtulit regnum eius ad David filium Isai. »

Saul maxime occisus ob consultam Pythonissam.

Unde liquet Saulem maxime occisum fuisse, eo quod per Pythonissam dæmonem consuluisset, ideoque mortem ei accelerasse Deum, qui si id non fecisset, diutius victurus erat. Sic Deus mortem acceleravit Ochoziæ Regi ægrotanti, eo quod sanitate sua consuluisset Beelzebub Deum Accaron. 4. Reg. 1. Denique mortuus est Saul biennio post Samuelem, ait Clemens Alexand. Beda, Iosephus, Abulens. Salianus, et alii, ut dixi c. 25. 1. Pius et felix extitit initio Regni, sed impius et infelix in exitu: ut posteris esset in exemplum et speculum, quod omnes, sed præsertim Reges et Principes crebro intuerentur. Quare de Saule dicas quod cecinit Virgilius de Priamo capta Troia a Neoptolemo occiso:

Hic finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis, terrisque superbum
Regnatorem Asiæ: iacet ingens littore truncus,
Avulsumque humeris caput et sine nomine corpus.

QUOD CUM VIDISSET ARMIGER EIUS.) Fabulantur Hebræi armigerum hunc Saulis fuisse Doeg Idumæum, de quo cap. 22. 18. Vers. 5.

QUOD CUM AUDISSENT HABITATORES IABES GALAAD, etc. TULERUNT CADAVER SAUL.) Hoc fecerunt Sauli gratitudinis ergo: Saul enim eos liberarat a Naas rege Ammon. c. 11. v. 1. Unde et iuxta numerum dierum induciarum inter ipsos et Naas initarum, ieiunarunt, puta septem diebus. Vers. 11.

Hebræi cadavera regum comburebant.

ET COMBUSSERUNT EA.) Hebræi enim regum suorum cadavera comburebant, ne dum pompa funeris regii multis diebus paratur, illa insepulta in terra putrescerent, et a vermibus corroderentur; quod fœtidum et horridum videbatur. Hic ergo ea de causa cadaver Saulis ante triduum occisi, ideoque fœtentis combusserunt, ac deinde ossa reliqua in nemore sepelierunt. Sic cadaver Asa regis cum aromatibus combusserunt. 2. Paral. 16. 4. hoc vero honore combustionis caruit Ioram rex. 2. Paral. 21. 19. Idem ante Saulem fecit Æneas in funere Miseni, de quo Virgil. 6. Æneid.

Prisci comburebant cadavera.

Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, et ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.

Et inferius:

Aversi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres, et flamma quievit,
Relliquias vino, et bibulam lavere favillam:
Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.

Idem fecere Græci. Unde Lucian Dialog. de luctu. *Græcus*, inquit, *exurit, Persa defodit.* Et Silius Italic. lib. 13.

Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremptos,
Decrevere simul communibus urere flammis.

Idem secuti sunt Romani. Audi Servium in lib. 3. Æneid. *Romani contra faciebant comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam.* Respexit huc Ovidius 10. Trist. El. 4.

Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, et in tepido deseret ossa rogo:
Quam subeant animo meritorum oblivia nostro, etc.

Et Silius Italicus lib. 10. in funere Pauli.

Hæc Lybys: Atque recens crepitantibus undique flammis.
Æthereas anima exultans evasit in auras.

Causam dat Quintilianus declamat. 10. « Veteres, in- Causa.

quit, senserunt corpus in morte resolvi, animam vero flammei vigoris impetum perennitatemque non ex nostro igne sumentem, sed quo sidera volant, et quo sacri torquentur axes, inde venire, unde omnium rerum auctorem parentemque spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato: sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, et exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra. »

Rursum Servius in lib. 11. Æneid. *Heraclitus*, inquit, *qui omnia vult ex igne constare, dicit debere corpora in ignem resolvi: Thales vero qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora, ut possint humore resolvi.* Censebant ergo illi idcirco cadaver esse comburendum, ut anima hoc modo a corporis sordibus purgaretur, et ad igneam suam naturam rediret.

Vers. 13. ET IEIUNAVERUNT SEPTEM DIEBUS.) Non tantum ob A dolorem et luctum, sed etiam ut Saulis animæ suffragarentur: nesciebant enim ipsum se occidisse, et mortuum in peccato mortali, sed bene pieque de eius salute sperabant. Ita Beda, qui et addit: *Hoc etiam modo pium Christianorum genus deflet eos, qui repugnantes dæmonibus, labuntur in sæculo, quod est lubricum: Gelboe enim montes interpretantur lubrici montes.* Vide Bellarm. lib. 1. de Purg. c. 3. Ieiunarunt pro salute animæ Saulis.

Quoad Synchronismum historiæ profanæ, sub Samuele et Saule regnavit Athenis Codrus, qui ex oraculo audiens Athenienses in prælio fore victores, si ipse in eo occumberet; pro patria se morti cædique obtulit, itaque victoriam et imperium sua morte sancivit: tunc quoque desiit regnum Sicionium et Mycæneum, cœpitque Corinthium: ita Euseb. in Chron.

COMMENTARIA

IN LIBRUM

SECUNDUM SAMUELIS,

SIVE REGUM.

Liber primus descripsit gesta Samuelis, et Saulis regis; hic vero secundus describit gesta Davidis regis. Occasus enim Saulis fuit ortus Davidis. Eodem enim die, quo occidit Saul, exortus est David, quasi novus sol oriens Israeli, qui proinde mox Sauli in regno Iudæ successit.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David Saulis mortem, occiso nuntio qui eum se occidisse dicebat, ulciscitur: mox vers. 17. cum toto Israele solemni pompa et carmine funebri eius mortem luget.

1. Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, et maneret in Siceleg duos dies. 2. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, et pulvere conspersus caput: et ut venit ad David, cecidit super faciem suam, et adoravit. 3. Dixitque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israel fugi. 4. Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, et multi corruentes e populo mortui sunt: sed et Saul et Ionathas filius eius interierunt. 5. Dixitque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Unde scis quia mortuus est Saul, et Ionathas filius eius? 6. Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboe, et Saul incumbebat super hastam suam: porro currus et equites appropinquabant ei, 7. Et conversus post tergum suum, vidensque me vocavit. Cui cum respondissem: Adsum: 8. Dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites ego sum. 9. Et locutus est mihi: Sta super me, et interfice me: quoniam tenent me angustiæ, et adhuc tota anima mea in me est. 10. Stansque super eum, occidi illum: sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam: et tuli diadema quod erat in capite eius, et armillam de brachio illius, et attuli ad te dominum meum huc. 11, Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo. 12. Et planxerunt, et fleverunt, et ieiunaverunt usque ad vesperam, super Saul, et super Ionathan filium eius, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio. 13. Dixitque David ad iuvenem qui nuntiaverat ei: Unde es tu? Qui respondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum. 14. Et ait ad eum David: Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini? 15. Vocansque David unum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, et mortuus est. 16. Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci christum Domini. 17. Planxit autem David planctum huiuscemodi super Saul, et super Ionatham filium eius, 18. (Et præcepit ut docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum), Et ait: Considera Israel, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. 19. Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt: quo modo ceciderunt fortes? 20. Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum. 21. Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. 22. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Ionathæ numquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis. 23. Saul et Ionathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores. 24. Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. 25. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est? 26. Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam. 27. Quo modo ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica.

Vers. 2. IN DIE AUTEM TERTIA APPARUIT HOMO VENIENS DE CASTRIS SAUL.) Fabulantur Rabbini hunc hominem nuntiantem Davidi mortem Saulis fuisse filium Doeg Idumæi, sicut fingunt Doeg fuisse armigerum Saulis, qui se cum eo occidit, ut dixi lib. 1. c. 31. v. 4.

Vers. 8. AMALECITES EGO SUM) Philo, vel potius Pseudophilo, in Antiq. Biblicis ait, Amalecitæ huic nomen fuisse Edab, eumque fuisse filium Agag regis Amalecitarum, quem Samuel interfecerat; et Saulem, audito istum esse Amalecitam filium Agag, dixisse: *Ecce nunc venerunt super me verba Samuelis, quando dixit: Qui natus erit ex Agag, erit tibi in scandalum; vade autem et dic David: Ego occidi inimicum tuum; et dices ei: Hæc dicit Saul, ne memor sis odii mei, et iniustitiæ meæ.*

Vers. 9. STA SUPER ME, ET INTERFICE ME) q. d. Incumbe gladio super me, eumque mihi infige, itaque me interfice. Iosephus lib. 7. cap. 1. et 2. censet adolescentem hunc dicere verum, quasi Saul præ pavore et debilitate non valens gladio suo se ipsum occidere, advocarit hunc iuvenem qui eum occiderit. Sic et R. Levi. Verum potius S. Scripturæ quam huic iuveni, qui Davidi adulatur, credendum est, quæ lib. 1. c. 31. v. 2. et 31. diserte asserit, quod Saul se ipsum occiderit. Mentitur ergo hic iuvenis, dicens se Saulem occidisse, ut gratiam Davidis per hostem eius Saulem a se occisum aucupetur, inquiunt Theodor. Eucher. Procop. Angelom. Lyran. Abulens. Serarius. Torniel. Salianus et alii. Vere tamen ipse diadema Saulis detulit ad Davidem, quia peracto prælio, et cæso Saule, sponte vel casu venit in montem Gelboe, ibique Sauli diadema detraxit, inquit Abulens. et Caietan.

QUONIAM TENENT ME ANGUSTIÆ) Chald. *tremor;* Sept. *tenebræ;* Hebr. שָׁבָץ *sciabats*, id est conclusio, constrictio, angustia, tum cordis, tum hostium, qui me undique cingunt. Porro *sciabats*, significat quoque vestem ocellatam, quasi ocellis inclusam et conclusam, qualis est lorica reticulata militum, et Ephod pontificis, sicque hic accipiunt Rabbini; sed varie. Primo enim, R. Levi exponit de lorica reticulata Saulis, q. d. Saul: Occide me, quia ego me transfodere nequeo ob loricam reticulatam qua tegor. Secundo, alii exponunt de loricis hostium, q. d. Cingunt et constringunt me loricati hostium equites; unde et Tigur. vertit, *apprehendit me corona*, scilicet equitum. Tertio, alii in *Midras* explicant de Ephod pontificis q. d. Tenent et terrent me sacerdotes et pontifex Achimelech, quos iniuste c. 22 occidi: hi a me pœnas exigunt, quasi Saul ex sceleris conscientia cognoverit se adigi ad necem, ob cæsos sacerdotes. Addit Abulens. quæst. 5. Saulem vidisse umbras et spectra sacerdotum vestibus sacerdotalibus indutorum, quæ ipsum terrebant: verum planius Noster *sciabats*, vertit, *angustiæ*, unde ei consentit Chald. et Sept. Hinc et Vatab. vertit, *apprehendit me tremor*, vel, *trepidatio*.

ET ADHUC TOTA ANIMA MEA IN ME EST) q. d. Licet vehementer vulneratus sim a sagittariis, ut dictum est c. 31. 3. tamen adhuc totus vivo, metuoque ne vivus in manus hostium incidam, illique me probrose excrucient et necent: tu ergo cito transfode et occide me. Alludit ad morem mortuorum: hi enim sensim per partes emoriuntur. Primo enim anima recedit ab oculis, ut non videant; inde ab auribus, ut non audiant, et ita pedetentim recedit a cæteris partibus, donec ipsum cor deserat; quo facto homo plene moritur. Unde Arist. *Cor*, inquit, *in homine est primum vivens, et ultimum moriens.* Ex adverso oculi sunt ultimum vivens, et primum moriens: in embryone enim, ultimo formantur oculi. Hinc Seneca epist. 30. *Senilis, ait, anima in primis labris est, nec magna vi distrahitur a corpore.* Nam ut ait S. Ambros. *mors senibus præ foribus est, iuvenibus in insidiis.*

Vers. 14. UT OCCIDERES CHRISTUM DOMINI) puta Saulem, qui a Domino per Samuelem chrismate, sive oleo, unctus erat in regem Israelis, ideoque quasi sacer erat et inviolabilis.

Vers. 16. SANGUIS TUUS SUPER CAPUT TUUM) q. d. Sanguinis tui effusionem tibi tuoque capiti imputa, quia fassus es te occidisse Saulem regem: par enim est ut sanguinem Saulis, quem fudisti, tuo sanguine et morte luas. Hæc enim est lex talionis a Deo sancita. Dices, volenti non fit iniuria: Saul autem volebat et rogabat occidi. Resp. Primo, Saul non poterat hoc velle, nec poterat hic cedere iuri suo. Secundo, esto hic Sauli volenti occidi proprie non fieret iniuria; fiebat tamen iniuria Deo, qui erat dominus vitæ Saulis, et reip. cuius caput erat Saul. ita S. Thom. 3. p. q. 47. ar. 6. ad 3.

Quæres, an licite David Amalecitam hunc occidi iusserit, cum nondum esset rex, nec haberet auctoritatem regiam? Resp. affirmative. Habuit enim hanc potestatem, quia sciebat post mortem Saulis regnum ad se pertinere ex dispositione Dei. Ad hoc enim in regem unctus erat a Samuele, ut Sauli a Deo reiecto, vel adhuc vivo, ut volunt nonnulli, vel potius morienti, in regno succederet. Ita Abulens. Caiet. Serarius et alii. Adde, Davidem a Saule fuisse auctoratum belli ducem, ut contra hostes Israelis pugnaret, eosque occideret: hostis autem erat hic Amalecita, quia regem Israelis se occidisse fatebatur. Denique iusserat Deus omnes Amalecitas occidi, ut audivimus c. 15. ac reus ipse Davidem pro rege et iudice agnoscebat, utpote ad quem diadema, regiæ dignitatis insigne, detulerat.

ET PRÆCEPIT UT DOCERENT FILIOS IUDA ARCUM) Chald. *ad iaciendum arcum.* Unde Beda, Lyran. Abulens. Vatab. Salianus, et alii sic exponunt: Præcepit ut docerent filios Iuda artem militarem, sive artem sagittandi, quia multus erat tum sagittarum usus; et tribum Iuda hoc tempore præsidium esse oportebat totius populi contra victores Philisthæos, q. d. Hortatus est ne desponderent animos in adversis rebus, sed ad futura se bella instruerent, ne, quemadmodum nunc contigerat vinci a Philistæis arte sagittandi, cum Saul ipse iis vulneratus fuerit, totusque exercitus fusus ac fugatus, ita in posterum eveniret. Vers. 18.

Verum, aptius, cum Serario, Sanchez et Mariana, per *arcum*, accipias ipsum *planctum*, sive threnum, et carmen funebre Davidis: huius enim titulus erat *arcus*, eo quod in eo laudaretur arcus et fortitudo bellica Saulis et Ionathæ. Simili modo Psalmi suos habent titulos a quibus denominantur. Sic apud Græcos Ode quædam dicta est *Harmodium*, quia heroica facta Harmadii celebrat. Aliæ Odæ dictæ sunt *Daphnis* et *Niobe*, quia eos dilaudant. Aliæ vocantur *fistula* et *scutum*, apud Theocritum; sic Psalmos et hymnos in Ecclesia cani solitos vulgo vocamus, *Te Deum Laudamus*, *Magnificat*, *Benedictus*, *De profundis*, *Miserere*, ab eorum initio et titulo sive argumento. Id ita esse patet primo, quia alioqui nulla est hic connexio: quid enim arcus faciet ad planctum Davidis? Secundo, quia in LXX. habetur Davidem edidisse non simpliciter threnum, sed threnum hunc, seu, ut Noster, *huiusmodi:* deinde in iisdem nullum aliud nomen, quod arcui respondeat, præter threnum. Adhæc subiungitur David ideo dixisse, ut doceret filios Iuda; quam rem? ipsum scilicet, quem solum nominarunt, threnum. Tertio, tradit Iosephus Iudæos ita diligenter threnos istos didicisse, ut ad sua usque tempora hæserint. Quarto, quia simili modo Ieremias imminente excidio Hieros. iubet ut filios doceant threnum et modum plangendi. *Docete*, inquit c. 9. 20. *filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum.* Tales sunt threni Ieremiæ. Quinto, quia moris fuit huiusmodi carmina docere et discere, ut patet Deuter. 17. et 2. Paral. 35. 25. ubi dicitur Ieremias dictasse threnos de morte Iosiæ regis, *Cuius*, inquit, *omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem, lamentationem super Iosiam replicant.*

Tropolog. S. Hieron. et ex eo Rupert. David, inquit, dixit ut Dominus *doceret filios Iuda arcum;* id est reges Iuda doceret fortitudinem, ut fortes et intenti essent in timore Domini, et in præceptis Dei, ne per inobedientiam reges Iuda a fortitudine, et timore Domini, sicut Saul, recederent, et eo modo quo ipse perierat, pe- Tropol.

rirent. Fortitudo enim deest omnibus, qui tentationibus cedunt, et in peccata corruunt: si enim fortiter iis resisterent, non peccarent. Quare qui tentatur, maxime eget fortitudine quam precibus impetrare debet a Deo.

SICUT SCRIPTUM EST IN LIBRO IUSTORUM) *Liber iustorum*, ait S. Hieron. est *liber Samuelis*, ubi continentur Prophetæ iusti, Samuel videlicet, Gad, et Nathan: in quorum libro scriptum esse perhibetur, qualiter Saul recedens a timore per inobedientiam suam periit. Verum incongruum est, ut idem liber et auctor citet seipsum; quare alius hic liber esse videtur. Quis et qualis fuerit, dixi Iosue 10. 13. In hoc ergo libro totus hic Davidis threnus et Epicedium Saulis conscriptus fuit, cuius pars dumtaxat hic recensetur.

CONSIDERA ISRAEL PRO HIS QUI MORTUI SUNT SUPER EXCELSA (excelsum montem *Gelboe*) TUA VULNERATI)

Vers. 19. INCLYTI, ISRAEL, SUPER MONTES TUOS INTERFECTI SUNT: QUOMODO CECIDERUNT FORTES?) Hic versus in re et sensu idem est cum priore. Unde pro his duobus versibus, unus dumtaxat est in Hebræo, LXX. et Chald. Quare duplex hic versus ortus est ex duplici versione textus Hebraici. Prior ex versione Aquilæ (quam sequitur Procopius) ideoque eum nonnulli codices Vulgatæ editionis, ut Regii, omittunt: posterior ex versione S. Hieron. Hebræa ad verbum habent: *Decus Israelis in excelsis tuis vulneratum est, quomodo corruerunt Heroes?* ita Vatabl. Alloquitur David terram Israel, q. d. O inclyta terra Israel in tuo monte Gelboe vulneratus occubuit Saul cum Ionatha, qui erat decus, desiderium et gloria (hæc omnia enim significat צבי *tsebi*) tua: hi duo enim erant invicti tui heroes. Chald. vertit, *Steterunt super Israel, super domum fortitudinum vestrarum elevati sunt occisores, quomodo ceciderunt fortes?* LXX Romana habent *Sta Israel super mortuos tuos, in excelsis vulneratos; quomodo ceciderunt potentes?* Pro *sta*, græce est στήλωσον, q. d. insiste et incumbe fixe in hanc considerationem; Aquila ἀκρίβασον, id est diligenter expende. Est hoc carmen spiritu militari conscriptum, utpote a Davide milite de robustis militibus Saule et Ionatha.

Vers. 21. Montes Gelboe an maledicat David? MONTES GELBOE, NEC PLUVIA, NEC ROS VENIANT SUPER VOS, NEQUE (in vobis) SINT AGRI PRIMITIARUM) ex quibus fructus nascantur, quorum primitiæ Deo ex lege offerantur. *Montes Gelboe* in longum porrecti ab Occidente in Orientem per undecim leucas sunt in confinio dimidiæ tribus Manasse et tribus Issachar, quorum initium est ab urbe Iesrahel, et fere usque ad Iordanem pertingunt. Videtur David maledicere et sterilitatem imprecari montibus *Gelboe*, id est creaturæ irrationali, non quatenus creatura Dei est, sed quatenus illa fuit occasio, et locus tantæ cladis Saulis et Hebræorum; quod non est peccatum. Vide D. Thom. 2. 2. q. 76. a 2. Audi S. Ambr. lib. 2. de Cain c. 8. *Natura*, inquit, *ex innocentis soli damnatione, ostendit futura supplicia noxiorum; propter igitur hominum peccata, et ipsa elementa damnantur. Denique David montibus Gelboe perpetuæ sterilitatis pœnam optavit.*

Simili modo Iob c. 3. maledixit diei nativitatis suæ, æque ac Ieremias c. 20. v. 14. eo quod illa sibi tot malorum fuisset occasio et porta: vide ibi dicta. Addit S. Gregor. 4. Moral. c. 4. per montium sterilitatem, homines, puta Iudæos, puniri: hi enim sua iniquitate meruerunt, ut rex eorum ibidem occideretur.

Respond. negative. Verius tamen est, Davidem hic vere et serio montibus Gelboe non maledixisse, nec eis imprecatum fuisse sterilitatem; sed lusisse militariter, ut animi dolorem significaret, q. d. æquum et dignum esset, ut vos o montes Gelboe, in memoriam tantæ cladis privaremini semper rore et pluvia, ac frugibus et fructibus, eo quod in vobis hæc clades peracta sit. Ita Abulens. Caiet. et alii.

Porro Rabanus et Glossa dicunt, hanc execrationem fuisse quasi vaticinium, quod reipsa completum sit. Nam montes Gelboe fuisse antea valde fertiles, postea summe steriles; idque sentire videtur S. Ambros. 3. Offic. 9. Certum enim est montes Gelboe multis in locis esse petrosos, aridos et steriles, teste Bredenbachio, Adrich. et aliis terræ sanctæ Chorographis. Verum alii asserunt montes hos tales fuisse ante Davidem: alii censent sterilitatem hanc eis obtigisse a tempore Eliæ, qui toti Israeli sterilitatem et siccitatem sua imprecatione induxit 3. Reg. 17. 1. Ita Magister hist. Scholast. Porro Abulens. asserit se nosse viros, super quos in monte Gelboe pluvia ceciderit.

Allegor. S. Gregor. 4. Moral. c. 4. « Gelboe, inquit, interpretatur decursus; per Saul autem unctum et mortuum, mors nostri mediatoris exprimitur; non immerito per Gelboe montes superba Iudæorum corda signantur, quæ dum in huius mundi desideriis defluunt, in Christi, id est uncti, se morte miscuerunt. Et quia in eis unctus Rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur.» Allegor.

Porro Pagnin. in Nom. Hebr. *Gelboe*, inquit, Hebr. idem est quod *acervus tumoris*, vel, *inflationis:* ibi enim cadunt et ruunt impii, uti ruit superbus Lucifer e summo cælorum, ideoque in Gelboe cæsus est Saul.

Mystice, S. Bernar. serm. 54. in Cant. per *montes Gelboe*, accipit dæmones, item tepidos et irreligiosos: hi enim sunt aridi et steriles gratiæ et bonorum operum. Audi S. Bern. *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet. Quam miser cum suspicit cœlos, in quibus innumeros montes intuetur divina claritate fulgentes, divinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia. Quam miserior, cum respicit terram, montes nihilominus quamplurimos de populo acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, charitate spatiosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore cœli, tamquam de saltu sponsi quotidianam capientes benedictionem.* Mistice.

Pergit deinde S. Bernard. idque exaggerat. « Cum quanto putamus dolore et rancore aspiciat ille cupidissimus gloriæ, istos in circuitu suo tam gloriosos montes, cum se, et suos e regione incultos, tenebrosos, bonis omnibus infœcundos despiciat, ita ut se sentiat esse opprobrium hominum et Angelorum, qui omnibus exprobrat, secundum illud in Psalmis: Draco iste quem formasti ad illudendum ei. »

NEQUE SINT AGRI PRIMITIARUM) Id est fructuum, e quibus Deo seligantur et offerantur primitiæ. Chald. vertit, *challetha*, (pro quo interpres Latinus in Bibliis Regiis perperam posuit *Halcha*) id est, *placenta* vel collyrida quæ offerebatur quasi fructuum primitiæ.

QUASI NON ESSET UNCTUS OLEO) Supple, Saul, qui unctus fuit a Samuele in Regem. Aliqui τὸ *unctus*, referunt ad *clypeus:* unde R. Salomon et Vatab. censent in creatione regis, non solum regem, sed et clypeum eius, solere ungi oleo, ut ex hac unctione fieret lubricus ad excutiendum tela hostium; sed sic omnium militum clypei debuissent ungi, ut recte id confutans argumentatur Abulens. qui quoque clypeum regis ungi solitum asserit: sed alia de causa, scilicet ut eius dignitas æque ac fortitudo bellandi ac unctione repræsentaretur; q. d. Clypeus Saul olim unctus oleo, iam adeo sanguine hostium peruntus est, ut prior illa Dei unctio in eo non appareat; atque perinde ac si *non esset unctus oleo.* Favet Isaias cap. 21. 5. dicens: *Surgite principes, arripite* (Hebr. *ungite*) *clypeos*, ut scilicet sint politi, tersi et fulgentes. Unde Chald. vertit, *tergite et lucida facite arma.* Vide ibi dicta.

A SANGUINE INTERFECTORUM, AB ADIPE FORTIUM, SAGITTA IONATHÆ NUMQUAM REDIIT RETRORSUM.) Sed penetravit corpora hostium etiam fortissima et pinguissima, eosque sanguine suo cruentavit, transfixit et interemit, q. d. Ionathas et Saul suis sagittis et gladiis multum sanguinis eliciuerunt et fuderunt, multosque vulnerarunt et occiderunt. Minus recte ergo nonnulli τὸ, *a sanguine interfectorum, ab adipe fortium*, referunt nectuntque cum versu præcedenti, quasi hæc verba dent causam cur pluvia et ros super montes Gelboe descendere non debeant, scilicet ob effusum sanguinem Saulis, Ionathæ et Hebræorum, qui in eis interfecti sunt. Porro Saul facile erat septuaginta annorum, Ionathas plusquam quadraginta: nam Vers. 22.

mox frater eius iunior, scilicet Isboseth, Sauli in regno succedens erat quadraginta annorum, ut audiemus cap. 2. v. 10.

Vers. 23. In morte quoque non sunt divisi) q. d. Saulem et Ionatham sicut sociavit vita, ita et mors. Amici enim gaudent simul vivere, et simul mori, quia anima amantis magis est in amico amato, quam in amante. Sic apud Gallos celebrantur *Soldurii*, quasi fortissimi milites, qui sibi mutuo fidem iurabant in prælio, ut vel vincerent, vel simul occumberent: teste Cæsare lib. 3. de Bello Gallico.

Symbol. Ecclesia in officio Eccles. hæc verba adaptat SS. Apostolis Petro et Paulo,qui eodem die, mense et anno a Nerone martyrio laureati sunt: *Gloriosi*, inquit, *principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, sic et in morte non sunt separati.*

Aquilis velociores, leonibus fortiores. Est Hyperbole, q. d. Saul et Ionathas erant velocissimi et fortissimi. Simile epitaphium suo Daphnidi, id est Iulio Cæsari viginti tribus vulneribus in curia confosso, vel Quintilio Varo, cum tribus legionibus in Germania cæso, dat Virgilius Egloga 5. ubi inter cætera ita de eo canit:

Daphni tuum pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri, sylvæque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subiungere tigres
Instituit, etc.

Et inferius asserit eum in cælum inter Deos translatum:

Candidus insuetum miratur limen olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sydera Daphnis, etc.
Semper honos nomenque tuum, laudesque manebunt.

Vers. 26. Amabilis super amorem mulierum.) *Amorem* accipe vel active, q. d. Quantum mulieres amare solent suos sponsos et filios, tantum ego amavi te, o Ionatha; vel passive, q. d. Quantum mulieres amari solent a sponsis et filiis, tantum et amplius tu mihi eras amabilis in deliciis et dilectus. Ita Theodor.

Moral. Vide hic, mirare et imitare, quam David tot iniuriarum Saulis fuerit immemor, quamque de eius, licet sibi inimicissimi, morte non sit gavisus, sed eam tam serio luxerit, et tam eleganti Epicedio honestarit; ideoque meruit ei in regnum succedere, ac favorem tribus Iuda sibi conciliavit, quæ illico eum in regem suum unxit. Quocirca S. Chrysost. hom. de virtut. et vitiis docet, invidiam Saulis nocuisse ipsi Sauli, non Davidi: ipsa enim Sauli infamiam et necem, Davidi vero gloriam et regnum peperit: *Vulgus*, inquit, *nescit quanto cœteris miseriores habendi sunt, qui dum aliis nocere existimant, seipsos gladio transverberant: quod suprema prorsus amentia est, seipsum percutere, et hoc ipsum nescire; sed cum alium iniuria credat afficere, tum vero seipsum omnino iugulare.* Id deinde demonstrat exemplo et antithesi Saulis et Davidis: *Nonne hic molestia et iniquo dæmone angebatur: ille autem vel sole clarior erat in trophæis, et qua Deum præcipue colebat, ingenti pietate super æthera notus? Nonne hic tabescebat invidia: ille vero dum tacite omnia ferret, omnes sibi charitate vinciebat?* Causam subiicit: *Quia hic* (Saul) *milites tremendos armis, ille*, scilicet David, *vero iustitiam innumeris legionibus validiorem, sociam sibi et auxiliarem adsciverat.* Idem Chrysost. tom. 2. de Saule et Davide: *Si mille*, inquit, *habuissent vitas, an non prompte impendissent pro suo duce, tam ex reverentia, quam hosti præstitit, reipsa perspectum habentes, quam benevolum animum gereret erga suos? Ceterum, qui mitis, ac mansuetus est in eos, a quibus molestia affectus est, multo magis erit erga benevolos eum affectum gesturus. Quæ profecto res fuit illi maximum securitatis pignus.* Et paulo post: *Davidi*, inquit, *non iam ut homini, sed ut angelo parebant.* Denique S. Ambrosius in Apolog. Davidis cap. 6. *Inimici*, inquit, *ultus est mortem, flebiliter satis deploravit interitum: et debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo auctore deberi. Quo solo docuit omnes homines ad non præripiendum regnum etiamsi debeatur, sed exspectandum, ut suo tempore deferatur.* Utinam hunc virum imitati essent posteri, non tantas bellorum pertulissemus acerbitates.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David in Hebron ungitur rex super tribum Iuda, ceteris vero undecim tribubus Abner vers. 8. regem creat Isboseth Saulis filium. Mox vers. 14. Abner et Ioab per duodecim utrimque milites duellum, indeque bellum ineunt, in quo vincunt Ioabitæ: Asael persequens Abner vers. 19. ab eo hasta confoditur. Denique Ioab rogante Abner, ne se suosque ad desperationem, quæ victori periculosa est, adigat, canit receptui.

1. Igitur post hæc consuluit David Dominum, dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque David: Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron. 2. Ascendit ergo David, et duæ uxores eius, Achinoam Iezraelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli: 3. Sed et viros, qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua: et manserunt in oppidis Hebron. 4. Veneruntque viri Iuda, et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Iuda. Et nuntiatum est David, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul. 5 Misit ergo David nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum. 6. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem: sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. 7. Confortentur manus vestræ, et estote filii fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Iuda in regem sibi. 8. Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, et circumduxit eum per castra, 9. Regemque constituit super Galaad et super Gessuri, et super Iezrael, et super Ephraim, et super Beniamin, et super Israel universum. 10. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cum regnare cœpisset super Israel, et duobus annis regnavit: sola autem domus Iuda sequebatur David. 11. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Iuda, septem annorum, et sex mensium. 12. Egressusque est Abner filius Ner, et pueri Isboseth filii Saul, de castris in Gabaon. 13. Porro Ioab filius Sarviæ, et pueri David egressi sunt, et occurrerunt eis iuxta piscinam Gabaon. Et cum in unum convenissent, e regione sederunt: hi ex una parte piscinæ, et illi ex altera. 14. Dixitque Abner ad Ioab: Surgant pueri, et ludant coram nobis. Et respondit Ioab: Surgant. 15. Surrexerunt ergo, et transierunt numero duodecim de Beniamin, ex parte Isboseth filii Saul, et duodecim de pueris David. 16. Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius: Ager robustorum, in Gabaon.

17. Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatusque est Abner, et viri Israel, a pueris David. 18. Erant autem ibi tres filii Sarviæ, Ioab, et Abisai, et Asael: porro Asael cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis quæ morantur in silvis. 19. Persequebatur autem Asael Abner, et non declinavit ad dexteram neque ad sinistram omittens persequi Abner. 20. Respexit itaque Abner post tergum suum, et ait: Tune es Asael? Qui respondit: Ego sum. 21. Dixitque ei Abner: Vade ad dexteram, sive ad sinistram, et apprehende unum de adolescentibus, et tolle tibi spolia eius. Noluit autem Asael omittere quin urgeret eum. 22. Rursumque locutus est Abner ad Asael: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, et levare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum. 23. Qui audire contempsit, et noluit declinare: percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit, et mortuus est in eodem loco: omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, et mortuus erat, subsistebant. 24. Persequentibus autem Ioab et Abisai fugientem Abner, sol occubuit: et venerunt usque ad Collem aquæ ductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon. 25. Congregatique sunt filii Beniamin ad Abner: et conglobati in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius. 26. Et exclamavit Abner ad Ioab, et ait: Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? an ignoras quod periculosa sit desperatio? usquequo non dicis populo ut omittat persequi fratres suos? 27. Et ait Ioab: Vivit Dominus, si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum. 28. Insonuit ergo Ioab buccina, et stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen. 29. Abner autem, et viri eius abierunt per campestria, tota nocte illa: et transierunt Iordanem, et lustrata omni Beth-horon venerunt ad castra. 30. Porro Ioab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum: et defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaele. 31. Servi autem David percusserunt de Beniamin, et de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui et mortui sunt. 32. Tuleruntque Asael, et sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem: et ambulaverunt tota nocte Ioab et viri qui erant cum eo, et in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron.

Vers. 1. Consuluit David Dominum.) Per *Urim*, puta per Abiathar pontificem indutum Rationali, in quo erant *Urim* et *tummim*, ut sæpius dixi.

In Hebron.) Iubet Deus Davidi ut eat in Hebron, quia ibi, ait Procop. vixerant et sepulti erant patriarchæ, eratque tum Hebron metropolis tribus Iuda; ut scilicet in ea David consecraretur rex, in eaque consecratus a tota deinde tribu facile ut rex acceptaretur.

Vers. 3. Et manserunt in oppidis Hebron.) Puta in urbibus Hebroni vicinis, et ab Hebrone dependentibus, quæ alibi vocantur *filiæ*,

Vers. 4. Veneruntque viri Iuda, et unxerunt ibi David.) Quasi contribulem suum: maluerunt enim Davidem, utpote suæ tribus, regnare, quam Isboseth filium Saulis, qui erat ex tribu Beniamin. Sciebant enim Iacobum patriarcham tribui Iuda regnum assignasse, Genes. 49. 10. Sciebant insuper Davidem iam pridem a Samuele unctum fuisse in regem, tot tantasque de hostibus retulisse victorias: qua de causa multi ex aliis tribubus, deserto Isboseth, ad Davidem transierunt, quorum numerus recensetur 1. Paralip. c. 12.

Vers. 6. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem.) Hebr. *pietatem et fidelitatem*, ut scilicet sicut vos utramque exhibuistis Sauli regi vestro in auferendo et sepeliendo eius corpore; sic et utramque vobis rependat Deus, ac vobis se pium et misericordem æque ac fidelem in remuneranda vestra virtute exhibeat. Nota: *Misericordia et veritas* significant omne opus virtutis, tam liberale (qualis est *misericordia*;) quam debitum (qualis est *veritas*) id est æquitas, fidelitas et iustitia.

Vers. 8. Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul (eiusque consobrinus: nam *Ner* pater *Abner* erat frater Cis, qui erat pater Saulis,) tulit Isboseth filium Saul, et circumduxit eum per castra.) Hebr. est מחנים *Machanaim*, id est *castra*, ut vertit Noster et LXX. Verum Chald. Serarius et Vatab. *Machanaim*, accipiunt ut nomen proprium loci, in quo Iacob vidit castra Angelorum se contra Esau defendentium, ideoque locum vocavit *Machanaim*, id est *castra*; Genes. 32. 2. quasi in eodem loco, utpote tam celebri et sancto, in regem unctus sit Isboseth ab Abner, ad populi favorem illi conciliandum: unde et ibidem regiam sedem constituit: ait Iosephus.

Vers. 9. Regemque constituit super Galaad, et super Gessuri, etc. et super Israel universum.) Pro *Gessuri* Hebr. LXX. et Chald. legunt, *Asuri*. *Gessuri* erat regio trans Iordanem in Manassensium ditione, sed Manassenses Chananæis in Gessuri degentibus prævalere non potuerunt: unde ex Gessuri quasi Israelis hoste prædas egit David, ut audivimus lib. 1. c. 27. 8. indeque abduxit filiam regis, quam sibi in uxorem adscivit, et ex ea genuit Absalonem, qui proinde occiso Amnon fratre suo, Davidis patris iram fugiens, se contulit ad regem Gessuri quasi ad avum suum maternum, ut audiemus cap. 3. 3. et cap. 13. 37. Quare Isboseth nomine tenus factus fuit *rex Gessuri*, non reipsa.

Et super Israel.) Hoc est, super ceteras undecim tribus. Hic ergo facta est regni Israelis divisio et schisma. David enim creatus fuit rex tribus Iuda, Isboseth vero ceterarum undecim; unde et postea schisma hoc renovatum fuit sub Roboam nepote Davidis: huic enim adhæsit sola tribus Iuda, ceteræ vero tribus elegerunt sibi regem Ieroboam. Illud dictum est regnum Iuda, hoc regnum Israel, nomine communi scilicet maiori tribuum parti appropriato.

Porro Abul. Serarius et alii excusant Isboseth a tyrannide et invasione regni, eo quod illud ipsi hæreditario iure deberetur: licet enim David unctus esset a Samuele in regem, tamen illa unctio occulta erat, nec publicata authentice, ita ut Isboseth teneretur illi credere, et Davidi regnum paternum cedere. Unde et David c. 4. 11. eum vocat *virum innoxium*, et eius cædem ultus est. Similiter excusant Abner, cuius pariter necem vindicavit David morte Ioab: alioqui enim Abner graviter peccasset, procurando Isboseth regnum, si scivisset illud Davidi a Deo esse datum, imo si postea id rescivisset, licite non potuisset Isboseth regem fovere et defendere; sed debuisset eum monere ut Davidi cederet regnum. Porro fabula est R. Salomonis, quod, cum populus Davidem vellet regem, Abner probarit Isboseth deberi regnum ex Genes. 35. 18. ubi Iacob filium a Rachele in partu moriente vocatum *Benoni*, id est, filium doloris, nuncupat *Beniamin*, id est filium dexteræ. Dextera enim symbolum est regis et regni. Isboseth enim et Saul erant prognati ex Beniamin, David vero ex Iuda.

Et duobus annis regnavit.) Hinc R. Salomon et Hebræi in *Sederolam* cap. 13. censent Isboseth duobus tantum annis regnasse, ita ut iis exactis illo occiso, undecim tribus caruerint rege per annos quinque cum dimidio, quibus finitis Davidem sibi regem crearunt. Vers. 10.

Sed verius est, Isboseth totidem annis regnasse in Israel, quot annis David regnavit in Iuda, scilicet annos septem cum dimidio; nam mortuo Isboseth, statim in regnum illi successit David, tamque in Iuda quam in ceteris tribubus omnibus regnavit. Unde et Iosephus asserit, undecim tribus statim post cædem Isboseth sibi in regem elegisse Davidem. Quod ergo hic dicitur, Isboseth duobus annis regnasse, intellige, tranquille et pacifice antequam Davidem

bello lacesseret: hoc enim fecit post biennium, uti narratur v. 12. Porro bellum hoc utrimque duravit quinque annos cum dimidio usque ad mortem Isboseth: unde c. 3. 1. dicitur: *Facta est longa concertatio inter domum Saul, et inter domum David,* puta inter Isboseth et David.

Vers. 14. DIXITQUE ABNER AD IOAB: SURGANT PUERI (iuvenes bellicosi) ET LUDANT CORAM NOBIS.) *Ludant* lusu militari et duello, hoc est duellent inter se. Duellum enim speciem lusus et ludicri spectaculi curiosis spectantibus exhibet: ideoque Romæ populo pugnæ gladiatorum duellantium in amphitheatro quasi ludi exhibebantur. Rursum, duellum vocatur *lusus,* quia in eo duellantes ostendunt quam sint periti artis gladiatoriæ, quam nobiles quasi lusum exercent, et exercendo addiscunt. Ita Vatab. Tertio, quia Abner duellum hoc non tam ad victoriam, quam ad lusum militarem referebat, scilicet ut ostenderet suos milites esse fortiores militibus Davidis et Ioab. Ita Ioseph. Quarto, quia duellum hoc erat quasi velitatio et prolusio ad bellum et prælium generale, quod illico secutum est, ut patet ex seq. ac forte, inquit Serarius, et quasi divinatorium quoddam victoriæ indicium, quo Germani uti olim solebant, uti tradit Corn. Tacitus lib. de moribus Germanorum: *Est,* inquit, *et alia observatio auspiciorum, quæ gravium bellorum eventus explorant. Eius gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum patriis quemque armis committunt, victoria huius vel illius pro præiudicio accipitur.*

Porro peccavit Abner, tum quia volens fortitudinem suam ostentare æque ac regni Isboseth, primus provocavit Ioabum ad duellum et bellum, unde iusto Dei iudicio in eodem cæsus victusque est; peccavit et Ioab, sed minus, quia consensit duello et bello, ac morti iniustæ eorum, qui in eo occidendi erant: necdum enim præcesserat iusta belli causa, v. g., damna vel iniuriæ ab Abner vel Isboseth illatæ. Bellum enim capessere non licet, nisi iusta et gravi de causa. Ita Abul. Si tamen Abner prior invasisset Ioabum, licite potuisset, imo debuisset Ioab se ac regem suum Davidem defendere, ac vim vi repellere, sed id non fecit Abner.

Vers. 16. APPREHENSOQUE UNUSQUISQUE CAPITE COMPARIS SUI.) Iosephus, Rabanus et Angelomus, τὸ *unusquisque,* restringunt ad eos qui erant ex parte Ioab, hos enim singulos *apprehenso capite comparis sui,* id est sui antagonistæ ex parte Abner, eos transfodisse, ita ut salvi et victores fuerint Ioabitæ, cæsi vero omnes et soli Abneritæ. Verum alii passim τὸ, *unusquisque* generatim ut sonat accipiunt, tamque ad Abneritas, quam ad Ioabitas referunt, ita ut omnes ad unum cæsi sint, et utrimque mutuis vulneribus conciderint. Talis fuit Cadmæa pugna. Fabulantur enim poetæ Cadmum Agenoris filium et Thebarum conditorem, cum vidisset socios a dracone interfectos, draconis dentes seruisse, ex quibus orti se mutuis ictibus confoderent.

Vers. 17. ET ORTUM EST BELLUM.) Ecce hic duellum transit in acre bellum totale; unde ad illud fuit quasi ludus et prælusio ut dixi.

Vers. 18. PORRO ASAEL CURSOR VELOCISSIMUS FUIT.) Ioseph. ait Asaelem adeo fuisse velocem, ut non tantum homines, sed et equos cursu superaret, quales etiamnum sunt in Hibernia et India. S. Bachiarius epist. de lapsis: *Asael,* inquit, *velox sicut cervus a Scriptura esse perhibetur, ob hoc credo, quod incoinquinati corporis puritas donum ei velocitatis indulserat: corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam.* Sap. 9. 15. et colligit hanc Asaelis puritatem ex eo quod cum cervo, ut ipse legit, comparetur: *Velox,* inquit, *erat sicut cervus: id est, qui non solum perspicacia mentis, inimici laqueos evitabat, verum etiam serpentium, id est adversariarum virtutum, interfector existit.* Nam cervus et visus acumine excellit, et perpetuas cum serpentibus inimicitias exercet.

Tropol. *Asaeles* sunt, qui procurrunt alacres ad quævis charitatis officia, qualis fuit Cardamas, quem S. Paulinus epist. 5. ad Amandum, Asaeli comparans, ei dat pedes cervorum. *Nam positus est,* inquit, *in tantæ ministerio charitatis, ut in libertate serviat, in senectute discurrat, et requiem vacationis emeritæ malit in peregrinationis labore, quam in domestica sede consumere: quia pigrorum vias spinis stratas calcare declinat, ne convertatur in ærumnam, dum ei de inertiæ infructuoso otio miseræ solicitudinis spina configitur. Exultat itaque impiger ad currendam viam, ne illi segne otium conterenti, pedissequa pigrorum inopia tamquam bonus cursor occurrat.*

Vers. 23. PERCUSSIT ERGO EUM ABNER AVERSA HASTA IN INGUINE.) Hebr. in *quinta* scilicet costa ubi residet iecur et fel. Tropol. *Asael* repræsentat nimis ferventes, præcipitantes et furentes, qui non directe, sed indirecte, et ex obliquo reprimendi sunt, nam ut ait S. Gregor. 3. p. Pastor. Admonit. 17. et ex eo Angelomus et Eucherius: *Ex mucrone* (directe) *percutere est impetu apertæ increpationis obviare, aversa vero hasta persequentem ferire, est furentem tranquille ex quibusdam tangere et quasi parcendo superare. Asael autem protinus occubuit, quia commotæ mentes dum parci sibi sentiunt, et tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo, quod se erexerant, statim cadunt.* Unde *Abner* Hebr. idem est quod *patris lucerna,* qualis est prudentia lenis et mansueta corripientis.

Vers. 26. AN IGNORAS, QUOD PERICULOSA SIT DESPERATIO?) Milites enim desperati acerrime pugnant ut vel vincant, vel, si vincantur, ne inulti moriantur: sed care vitam suam hosti vendant: quare ex desperatione nascitur spes victoriæ, imo desperatio sæpe est causa victoriæ. Quocirca præclari duces hoc habent principium: *Cum desperato ne pugna. Fugienti hosti aureum sterne pontem.* Ita Tryphon (Vis desperationis.) occiso Ionatha non fuit ausus aggredi paucos eius socios desperatos. Nam *videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt,* 1. Machab. 12. 51. Nec Lysias cum multis, Iudam Machabæum cum paucis invadere sustinuit. Audi Script. ibidem c. 4. 35. *Videns autem Lysias fugam suorum, et Iudæorum audaciam, et quod parati sunt aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, et elegit milites, ut multiplicati rursus venirent in Iudæam.* Similia sæpe vidimus in bellis Belgicis. Causam dat Vegetius lib. 3. de re milit. c. 21. *Ex desperatione,* inquit, *crescit audacia; et cum spei nihil sit, sumit arma formido. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit: viam hostibus, qua fugiant, esse muniendam.* Bene Curtius lib. 4. *Effugit,* inquit, *mortem quisquis contempserit: timidissimum quemque consequitur.* Et rursus lib. 5. *Ignaviam,* inquit, *necessitas acuit, et sæpe desperatio spei causa est.* Adde Senecam Philosophum lib. 2. Natural. quæst. cap. 59. *Nullus,* inquit, *perniciosior hostis, quam quem audacem angustiæ faciunt: longeque violentius semper ex necessitate, quam ex virtute corripimur.* Narrat Iustinus lib. 20. hist. quindecim millia Locrensium cecidisse centum millia Crotoniensium, causamque subiicit: *Quia,* inquit, *omissa spe victoriæ, in destinatam mortem conspirarunt: tantusque ardor ex desperatione singulos cepit; ut victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quærunt, feliciter vicerunt.* Hinc est illud Maronis 2. Æneid.

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Et illud Salustianum:

Gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sex Davidis uxores, et totidem filii in Hebron geniti recensentur. Isboseth culpat Abner luxuriæ: ille deficit ad Davidem, cum eoque fœdus init, totumque Israelem illi subiicit. Mox vers. 23. Ioab Abnerum apud Davidem proditionis insimulat, eumque dolose occidit, sed David eum amare plangit.

1. FACTA est ergo longa concertatio inter domum Saul, et inter domum David: David proficiscens, et semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie. 2. Natique sunt filii David in Hebron: fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezraelitide. 3. Et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli: porro tertius Absalom, filius Maacha filiæ Tholmai regis Gessur. 4. Quartus autem Adonias, filius Haggith: et quintus Saphathia, filius Abithal. 5. Sextus quoque Iethraam, de Egla uxore David, hi nati sunt David in Hebron. 6. Cum ergo esset prælium inter domum Saul et domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul. 7. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aia. Dixitque Isboseth ad Abner: 8. Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversum Iudam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, et super fratres et proximos eius, et non tradidi te in manus David, et tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie? 9. Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi quomodo iuravit Dominus David, sic faciam cum eo, 10. Ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israel, et super Iudam, a Dan usque Bersabee. 11. Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum. 12. Misit ergo Abner nuntios ad David pro se dicentes: Cuius est terra? Et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel. 13. Qui ait: Optime: ego faciam tecum amicitias, sed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul: et sic venies, et videbis me. 14. Misit autem David nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens: Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philisthiim. 15. Misit ergo Isboseth, et tulit eam a viro suo Phaltiel, filio Lais. 16. Sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bahurim: et dixit ad eum Abner: Vade, et revertere. Qui reversus est. 17. Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens: Tam heri quam nudiustertius quærebatis David, ut regnaret super vos. 18. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad David, dicens: In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philisthiim, et omnium inimicorum eius. 19. Locutus est autem Abner etiam ad Beniamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron omnia quæ placuerant Israeli et universo Beniamin. 20. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris: et fecit David Abner, et viris eius qui venerant cum eo, convivium. 21. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israel, et ineam tecum fœdus, et imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David Abner, et ille isset in pace, 22. Statim pueri David et Ioab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum David in Hebron, quia iam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace. 23. Et Ioab, et omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerunt: nuntiatum est itaque Ioab a narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace. 24. Et ingressus est Ioab ad regem, et ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, et abiit et recessit? 25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, et sciret exitum tuum et introitum tuum, et nosset omnia quæ agis? 26. Egressus itaque Ioab a David, misit nuntios post Abner, et reduxit eum a cisterna Sira, ignorante David. 27. Cumque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Ioab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo: et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris eius. 28. Quod cum audisset David rem iam gestam, ait: Mundus ego sum, et regnum meum, apud Dominum, usque in sempiternum, a sanguine Abner filii Ner: 29. Et veniat super caput Ioab, et super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fusum, et cadens gladio, et indigens pane. 30. Igitur Ioab et Abisai frater eius interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio. 31. Dixit autem David ad Ioab, et ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner, porro rex David sequebatur feretrum. 32. Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner: flevit autem et omnis populus. 33. Plangensque rex et lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. 34. Manus tuæ ligatæ non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminansque omnis populus flevit super eum. 35. Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die iuravit David, dicens: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam. 36. Omnisque populus audivit, et placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi. 37. Et cognovit omne vulgus et universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege ut occideretur Abner filius Ner. 38. Dixit quoque rex ad servos suos: Num ignoratis quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel? 39. Ego autem adhuc delicatus, et unctus rex: porro viri isti filii Sarviæ duri sunt mihi, retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam.

Vers. 3. PORRO TERTIUS ABSALOM, FILIUS MAACHA FILIÆ THOLMAI REGIS GESSUR.) Vetuerat Deus Hebræis coniugium cum Chananæis, ne earum idololatriam sequerentur: David tamen duxit hic *Maacham filiam regis* A *Gessur* Chananæi, quia ipsa facta est proselyta, et ad Iudaismum se convertit, ut tradunt Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. Sic Salmon duxit Rahab Chananæam, et Booz Ruth Moabitidem, Matth. 1. Putant nonnulli Maacha a

Davide in prædatione ex Gessuri fuisse abductam; ac deinde in uxorem acceptam, iuxta ritum a Deo præscriptum Deuter. 21. 10. licet id neget Abulensis, qui cum Caietano, Saliano et aliis aliter Davidem excusat, dicendo: Deum non vetuisse Iudæis connubia cum gentibus omnibus, sed tantum cum illis quæ incolebant terram promissam. Extra eam autem fuisse Gessuri: quare hanc *Gessuri* esse aliam a *Gessuri*, quam tribui Manasse attribuit Iosue cap. 13. v. 11. et 13.

Vers. 5. Sextus quoque Iethraam de Egla uxore David,) præcipua scilicet et prima ac præ ceteris dilecta. Nam et aliæ iam recensitæ erant uxores Davidis; unde Sanchez *τὸ uxore* per Zeugma refert ad omnes præcedentes Davidis uxores. Hinc Rabbini, Angelom. Lyran. Caiet. Dion. putant *Eglam* esse *Michol*, quam David valde dilexit: ideoque dictam esse *Eglam*, id est *vitulam*, quod iuvencula esset et pulchra: sed errant: *Egla* enim fuit fœcunda: *Michol* vero sterilis, cap. 6. 23. adeo ut etiam ab ea adoptati, occisi fuerint 2. Reg. 21. ac de Michol reducta agitur inferius v. 14. Ita Ioseph. Abul. Vatab. Serarius, Sanchez et alii.

Vers. 8. Quare ingressus es ad concubinam patris mei?) vel libidinis causa, vel ut eam in uxorem ducas, itaque ad regnum aspires, illudque mihi eripias? Calumniam hanc fuisse, et Abner ab ea fuisse innoxium, tradit Iosephus in Græco et Vatab.

Numquid caput canis sum ego adversum Iudam hodie?) Nonnulli *τὸ caput canis*, sic exponunt, ut Abner non se sed Isboseth vocet canem, q. d. Numquid ego sum caput et dux hominis vilis et abiecti, qui instar canis est? puta Isbosethi qui cum suis vilibus asseclis quasi canibus, allatrat Davidem, eiusque regnum Iuda, ac impudenter quasi canis, obiicit mihi insonti tam infamem libidinem.

Melius alii censent Abner de se loqui, seseque vocare *caput canis* (nec enim caput a cane separari potest) idque ob libidinem et impudentiam, quam canes capite maxime præ se ferunt, q. d. Numquid ego tam luxuriosus et impudens sum, ut regis et consobrini mei Saulis uxorem vitiarim, cum totis viribus eius tuumque honorem et regnum propugnare satagam? Rursum q. d. Numquid ego sum tam vilis et rixosus, ut sim quasi tuus canis, qui pro tuo regno tuendo iugiter pugnando allatrem Davidem et Iudæos? Ita S. Hieron. in Tradit. Angelom. Abul. et Vatabl. Audi S. Hieron. *Propter te et propter domum patris tui, dicor caput canis esse contra Iudam, eo quod non reducam domum Israel ad David, quem scio unctum esse regem, et regnaturum super universum Israel. Caput canis,* se dicit esse, id est vilem, eo quod a domo Iuda sic haberetur, sicut latratus canis, eo quod princeps esset canum, id est stultorum hominum.

Vers. 14. Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis.) David repetiit Michol, tum quia illam diligebat, tum quia illa iniuste a Saule ab eo erat ablata, tum quia ipsa erat filia regis Saulis, quam ipse ab eo emerat cæde centum hostium, ut hac ratione per ipsam quasi filiam regis a se care emptam ab Israelitis eveheretur ad regnum, ac libentius ut rex susciperetur, utpote qui regiæ stirpi iam esset insertus.

Vers. 18. Quoniam Dominus locutus est ad David (de Davide) dicens: In manu (per manum) servi mei David salvabo populum meum Israel.) Verisimile est id Deum dixisse per Samuelem, cum ipse iussu Dei ipsum unxit in regem, etsi hæc verba superius in eius unctione non sint expressa. Scivit tamen Abner ea Deum dixisse, ex communi sermone et fama, quam sensim ipse inaudivit, præsertim cum vidit Deum ubique Davidem prosperare, ac victoriis contra se et Isboseth ornare: quare occasione huius contumeliæ ab Isboseth acceptæ, statuit Deo parere, ac regnum ab Isboseth ad Davidem transferre.

Vers. 27. In ultionem sanguinis Asael fratris eius) Hæc fuit vera causa, cur Ioab occiderit Abner, quia scilicet Abner occiderat Asaelem fratrem Ioab c. 2. 23. Aliam causam addunt Ioseph. Teodor. et Procop. Dionis. Lyran. Serarius et Salianus, scilicet, quia metuebat Ioab, ne Da-

A vid se amoto Abnerem sibi reconciliatum, utpote insignem belli ducem, castris suis præficeret, uti præfecerat Saul: ut hac ratione omnes milites et Israelitas, quibus charus erat Abner, magis sibi devinciret; sciebat enim fore, ait Theodor. ut ille præesset exercitui qui universum Israelem adducebat ad regem: hac enim de causa Ioab occidit Amasam cap. 20.

Fabulantur Hebræi, Ioab iussisse Abner, ut se doceret modum, quo se excalceare solebat is, qui nolebat ducere uxorem fratris sui sine liberis defuncti; cumque Abner ei obsequens caput ad calceum inclinaret, dolose a Ioab fuisse obtruncatum.

Nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis patiens, et leprosus, et tenens fusum, et cadens gladio, et indigens pane.) Videtur David, quasi propheta, prophetice maledicere Ioabo, eiusque posteris, ac prædicere vindictam, quam eis Deus ob cæsum Abner illaturus erat: nisi malis cum nonnullis, verba hæc non tam maledictionem sonare, quam meritum Ioab, eum sci- Vers. 29.
B licet mereri ut his pœnis castigetur, scilicet eum mereri morbum seminis et lepram, item ignominiam, cædem et pauperiem. Porro *fluxum seminis patiens*, est is, qui laborat gonorrhæa, qui morbus est fœdus, et apud Hebræos infamis, ac laborantem faciebat legaliter immundum et irregularem multipliciter, ut patet Levit. 10. Adde: fluxu seminis laborans inutilis est ad generandum, quia semen profundit. Punitur ergo Ioab hic sterilitate et *ατεκνια*, idque congrue et apposite, ut scilicet liberi eius nullis filiis suis dent vitam, quam ipse Abneri ademerat.

Et leprosus) Lepra apud Iudæos erat frequens, eratque morbus horridus, qui hominem faciebat immundum plane et irregularem. Vide dicta Levit. 13.

Et tenens fusum.) Sept. *σκυταλην*, id est scuticam, seu flagellum quale gestant bubulci et agasones, vel peram ex corio qualem ferunt mendici, vel virgam et baculum, quem tenent cæci et podagrici, qui morbo pedum laborant, ut in incessu non offendant ad lapides et muros;
C unde Aquila vertit: *cæcus*. Verum Proverb. 31. 19. Hebr. פלך *pelech;* Sept. Noster, Pagnin. Vatab. Marinus et alii passim vertunt: *fusum*, uti hic vertit Noster. Iam Hugo per *fusum*, accipit tympanum, quod subinde pulsat leprosus, ut a sui contactu transeuntes arceat, utque eleemosynam postulet. Magister Histor. Scholast. per *fusum*, accipit ventilabrum ad abigendas muscas, quæ leprosos infestant: muscæ enim ad carnes saniosas et putridas, quales sunt leprosorum, advolant, ut saniem sugant. Verum fusus est proprie instrumentum mulierum, quo nent et fila contorquent, q. d. quia Ioab non ut vir aperto marte, sed occulte et dolose, ut femina, occidit Abner; hinc posteri eius per ignominiam damnentur ad vilia feminarum ministeria, ut tractent fusum et colum, ac mulieribus in filando subserviant, uti fecit mulierosus Sardanapalus rex Assyriorum, teste Iustino libr. 1. ac subinde faciunt eunuchi, quibus feminarum regiarum cura committitur: imo ut fecit Hercules, qui a filia regis Ætoliæ, quam deperibat, ita effeminatus est, ut eius
D iussu fusum torqueret et filaret, uti tradunt vel fabulantur Poetæ. Porro David non occidit Ioabum, uti merebatur, quia Ioab in manu habebat exercitum, ac potuisset se defendere et rebellare Davidi, uti Abner rebellarat Isbosetho, eique regnum abstulerat. Distulit ergo vindictam, ac moriens Salomoni iussit ut Ioabum occideret 3. Reg. 2. 35. Ita Theodor. et Ioseph. qui asserit Ioab cum fratre suo plus potuisse in regno, quam poterat ipse David.

Plangensque rex et lugens Abner.) Licet antea Vers. 33.
sibi adversarium et ducem hostium suorum. *Quo facto*, ait S. Ambros. in Apolog. David. c. 7. *docuit etiam adversariis fidem promissam esse servandam, honorandamque et in hoste virtutem.*

Cumque venisset universa multitudo cibum ca- Vers. 35.
pere cum David.) Hebr. *ut cibaret Davidem pane*, id est, ut cogeret eum comedere, ita Vatab. sed melius vertit Noster, *cibum capere cum David*, quia tota civitas cum Davide luxit mortem Abner, ideoque funebre convivium

instituit, quod Sept. vocant παραδειπνεῖν, de quo vide Pollucem, Suidam et Athenæum lib. 7. de Dipnosophistis: Iudæos enim funebre epulum celebrasse, patet Tobiæ 4. 18. et ex Iosepho lib. 2. de bello: et idem factitasse gentiles, ex historiis notissimum est. De Christianis res est clarissima. Ita Hebræi, Serarius, Sanchez et alii. Idem liquet ex Ieremia c. 16. 15. et Ezech. c. 24. 17. Vide hic in Davide huius ritus, et convivii quo defunctis per alimoniam pauperum suffragabatur, antiquitatem. Huc faciunt Parentalia Romanorum, per quæ parentibus vita functis parentabant.

Vers. 39. EGO AUTEM ADHUC DELICATUS, ET UNCTUS REX.) A Scilicet ego rex sum tenellus et noviter unctus, ideoque debilis et infirmus in regno et potestate regia, nec in ea firmatus, q. d. Tu o Ioab occidendo Abner ducem belli Israelis, creasti mihi periculum, ne totus Israel me regem repudiaret, atque ob hanc cædem me quasi illius secreto conscium a regno in perpetuum excluderet. Alii cum Vatab. vertunt: Ego facilis et clemens sum, licet unctus sim factusque rex; at Ioab et Abisai qui sunt nepotes mei, inclementiores me sunt. Ego enim peperceram Abner, illi autem eum occiderunt: τό enim *clemens* directe opponitur τό *duri* quod sequitur.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Baana et Rechab dolose occidunt Isboseth, caputque eius deferunt ad Davidem, qui pro boni nuntii præmio illis mortem rependit.

1. AUDIVIT autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron: et dissolutæ sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est. 2. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, et nomen alteri Rechab, filii Remmon Berothitæ de filiis Beniamin: siquidem et Beroth reputata est in Beniamin, 3. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud. 4. Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit quando venit nuntius de Saul et Ionatha ex Iezrael. Tollens itaque eum nutrix sua, fugit: cumque festinaret ut fugeret, cecidit, et claudus effectus est: habuitque vocabulum Miphiboseth. 5. Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit. 6. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine Rechab et Baana frater eius, et fugerunt. 7. Cum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite eius, abierunt per viam deserti tota nocte, 8. Et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam: et dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul, et de semine eius. 9. Respondens autem David Rechab, et Baana fratri eius, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 10. Quoniam eum, qui annuntiaverat mihi, et dixerat: Mortuus est Saul: qui putabat se prospera nuntiare, tenui, et occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. 11. Quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem eius de manu vestra, et auferam vos de terra? 12. Præcepit itaque David pueris suis, et interfecerunt eos: præcidentesque manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.

Vers. 2. DUO AUTEM VIRI PRINCIPES LATRONUM ERANT FILIO SAUL.) LXX. *Duo viri principes turmarum erant Isboseth filio Saul;* Chald. *Duo viri principes capita duorum exercituum fuerunt cum filio Saulis;* Vatab. *præfecti copiarum. Latrones* ergo hic vocantur milites, qui huc illuc prædatum excurrere solent (latrones enim proprie dictos non tolerasset rex Isboseth) nam hi Hebr. vocantur גדודים *ghedudim:* sic olim Romani per *latrones* intelligebant milites mercenarios, eo quod ut latrones et ex insidiis ad prædandum excurrebant, ait Varro, Festus et Nonius Marcellus. Sic Iephte vocatur, *princeps latronum,* id est militum prædantium, Iudic. 11. 3. Forte hi duo fuere duces, sive capitanei, custodiæ regiæ, puta militum prætorianorum, qui Isbosethum stipabant et custodiebant, ut modo faciunt Helvetii: sic enim facilis eis fuit in domum ingressus, et ad Isboseth secretus accessus. Ita Salianus.

Vers. 3. ET FUGERUNT BEROTHITÆ.) Puta *Baana* et *Rechab* iam dicti. Fugerunt autem a facie Isboseth apud quem militarant, ob facinus aliquod commissum, quod Isboseth punire volebat. Ita Rabanus, Abul. Serarius et alii. Perperam ergo R. Salomon et Caiet. per *Berothitas* accipiunt omnes cives et incolas urbis *Beroth.* Cur enim omnes cives fugissent? Et quid fuga eorum facit ad historiam præsentem? Nam quod ait R. Salomon, et ex eo Lyran. eos fugisse mortuo Saule metu Philisthæorum, eo quod eis B vicina esset *Beroth,* ex eo refellitur, quod hi duo duces erant militum Isboseth post mortem Saulis, uti dictum est v. 2.

ERAT AUTEM IONATHÆ FILIO SAUL FILIUS DEBILIS PEDIBUS.) Nomine, *Miphiboseth,* ut sequitur. Cur hic inducitur mentio Miphiboseth? Resp. ut significetur ex stirpe Saulis nullum superfuisse masculum regno idoneum: nam *Miphiboseth,* qui solus supererat, erat claudus et deformis, ineptusque ad bella Israelis gerenda: quare mortuo Isboseth (cuius cædes hic narratur) necessario a stirpe Saulis regnum fuit transferendum ad Davidem. Ita Abul. Aliter Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. Raban. Caiet. R. Salomon, et alii respondent, scilicet, Baana et Rechab militasse non sub Isboseth, sed sub Ionatha, quare favisse eius filio Miphiboseth, et voluisse eum creare regem, ideoque conspirasse in necem Isboseth: sed Miphiboseth conspirationem eorum detulisse ad Isboseth, cuius vindictam illos metuentes fugisse, ac secreto redeuntes eum occidisse, ut Davidis gratiam inirent. C Sed hæc mera est coniectura, nullum in Script. habens fundamentum. Vers. 4.

QUI DORMIEBAT SUPER STRATUM SUUM MERIDIE.) Vers. 5.
Uti multi in Italia aliisque regionibus calidis meridiantur, et meridie levem somnum capiunt: nam alioqui sanctio medicorum est, *Somnum fuge meridianum.* Chaldæus hunc somnum vocat, somnum regum, dicens: *Et ille* (Isboseth)

dormiens somnum regum: reges enim vigilantes, qui noctu sæpe pro salute et negotiis regni excubare et noctes ducere insomnes coguntur, somnum captant a meridie. Sicut Epaminondas Dux Thebanorum, iis festa et convivia celebrantibus, indeque dormitantibus, excubare solebat, dicens: *Ego contra hostes pervigilo, ut vos secure conviveminí;* vere aurea principis sententia. Idem Epaminondas cum quemdam e vigilibus dormientem transfixisset, ideoque nimiæ severitatis argueretur: *Talem,* inquit, *eum reliqui, qualem inveni;* nimirum *vita, viventium vigilia, ideoque vita dormientium mors potius est, quam vita:* unde Christus in Evangelio crebro *vigilare* nos iubet.

Et ostiaria domus purgans triticum, (iam trituratum, eximendo lapillos, paleas etc. ac singula quasi grana seligendo, ut plane sint pura ad delicias) obdormivit) Scilicet ex labore purgandi, æque ac ex æstu fessa in somnum incidit. Pulchram et perutilem hac de re Tropologiam affert S. Gregor. lib. 1. Mor. cap. 18. *Ostiaria,* ait, *triticum purgat, cum mentis custodia discernendo, virtutes a vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprii domini insidiatores admittit: quia cum discretionis solicitudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt: quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, atque in inguine feriunt: quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire est vitam mentis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire est vitam mentis delectatione carnis perforare.* Damnum vero dormitantis huius custodiæ subiicit, dicens: *Nequaquam vero Isboseth iste hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est mollem custodiam ad mentis aditum deputasset. Fortis namque virilisque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Unde bene et Isboseth appellatus est, qui custode femina hostilibus gladiis nudatur: Isboseth quippe vir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est, quia dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Hinc Salomon ait: Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

Eadem ad verbum ex S. Gregor. transcripsit Angelomus, Rupertus et Eucherius: unde liquet, Eucherium hunc non esse S. Eucherium Lugdunensem Episcopum, qui centum et amplius annis S. Gregorium antecessit; sed Bedam, vel quem illius ævi.

Politice, discant hic principes, vel per se vel per fidos amicos excubare, præsertim iis temporibus queis ceteri dormiunt, ut meridie et noctu; hæc enim tempora captant hostes, ut incautos invadant et opprimant. Sic Philippus rex Macedonum, pater Alexandri Magni cum in exercitu dormivisset, experrectus: *Tuto,* ait, *dormivi, vigilavit enim Antipater.* Ita Plutarch. in Apopht. Idem cum interdiu dormiret, Græcique ad fores convenientes criminarentur illum, Parmenio eum defendens; *Nolite,* inquit, *admirari si nunc Philippus dormiat: nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat.* Vera est enim Platonis sententia, quam recenset Laertius lib. 3. *Nemo dormiens ulla re dignus est,* quia similis est mortuo. Somnus enim est imago mortis, uti aiebat Alexander Magnus, dictitans ex somno se colligere quod esset homo mortalis, non Iovis filius, uti nonnulli adulantes dicebant, teste Plutarch. Imo sæpe a somno itur in mortem. Unde Gorgias Leontinus sentiens soporem lethalem obrepere, amico percunctanti: *Quo pacto haberet? Somnus,* inquit, *iam incipit me fratri suo* (morti) *commendare.* Ita Ælian. lib. 2.

Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici.) Ut fraus et cædis Isboseth machinatio lateret, si cui vigili occurrerent: videbantur enim esse tritici messores, vel emptores et mercatores, ut vertit Chald. R. Salomon, et alii, unde ex Hebr. vertas. *ingressi sunt in medium domus accipientium frumenta:* licet Hebræi apud S. Hieron. putent eos gestasse spicas tritici, quod fingerent se eas quasi primitias et munera regi Isboseth oblaturos. Alii, ut spicis faciem tegerent, ne agnoscerentur. Alii censent, eos spicas virentes detulisse ostiariæ, ut illa solita purgare triticum, spicas exfollicularet et tereret, itaque faceret polentam, quæ priscis erat in deliciis: hoc enim feminarum erat opus. Unde Abigail polentam obtulit Davidi, ut eius iram leniret lib. 1. cap. 25. v. 18. ita Sanchez. Quæ coniectura est apposita et verosimilis. Vers. 6.

Et percusserunt eum in inguine.) Hebr. *sub quinta,* scilicet costa, quæ est ultima, sub qua nihil est osseum, sed venter mollis, ideoque ictui et perforationi lethali opportunus.

Quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium etc.) Isboseth erat hostis et noxius Davidi, cum eoque de regno digladians: David tamen eum vocat *innoxium,* quia censebat eum bona fide existimare, ad se, quasi ad Saulis regis defuncti filium, regnum pertinere: nec enim ei liquido constabat illud ex Dei dono ad Davidem esse translatum, licet enim forte audisset Davidem a Samuele unctum in regem, tamen ius Davidis ei non erat liquidum: nam excipere poterat ac dicere, Davidem unctum quidem in regem, sed suæ tribus Iudæ dumtaxat, ceteras ergo tribus ad se spectare. Aut, Davidem unctum quidem esse in regem, sed ut regnaret eo casu, quo stirps regia Saulis deficeret, ut illi succederet: iam autem hanc stirpem necdum defecisse, sed in se perdurare: quare Davidem non posse, exclusa stirpe regia, regnum suum invadere. Vers. 11.

Interfecerunt eos.) Fecit id David, ut amoliretur a se suspicionem populi, quod ipse secreto auctor vel conscius fuisset cædis Isboseth. Rursum ut amorem suum erga Saulem et Isboseth, licet sibi inimicos ostenderet, itaque clementiæ et beneficentiæ famam sibi apud omnes tribus conciliaret, quæ magnam regi apud subditos benevolentiam et auctoritatem conciliat. Tertio, ut quasi rex et iudex puniret tantum scelus, ac iniquam cædem regis ulcisceretur. Corpus enim regium omnibus inviolabile esse debet. Vers. 12.

Porro Theodor. et Abulen censent Davidem hos regicidas crucifixisse. Ioseph. lib. 7. c. 2. ait eos exquisitissimis tormentis fuisse affectos: sed nil tale habet Script. quæ innuit eos illico fuisse occisos, ideoque gladio vel lancea confossos, ac mox manus quibus cædem patrarant, et pedes, quibus ad eam contenderant, fuisse præcisos et suspensos ad perpetuam sceleris memoriam et vindictam.

Caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.) Quia Hebron erat locus quasi sanctus, consecratus sepulturæ Abrahæ, Isaac et Iacob, et ut multi volunt, Adæ. Vide dicta Iosue 14. 15.

Porro pompam funeris David non exhibuit Isboseth, quam exhibuerat Abner, tum quia Abner in ditione sua erat occisus iuxta Hebron; Isboseth vero extra limites regni sui: tum quia Isboseth perpetuo adversatus erat Davidi; Abner vero ab Isboseth transierat ad Davidem, ad eumque ceteras tribus traducere satagebat. Denique cum Abner occideretur, vehemens omnino erat multorum suspicio, Davidis iussu vel nutu eum fuisse occisum, quare ut hanc suspicionem eis demeret, opus fuit illi summe honorare Abnerem in funere. Ita Abulen. Salianus et alii.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Undecim tribus creant sibi unguntque Davidem regem in Hebron. Mox vers. 6. David Iebusæis cæsis extorquet arcem Sion, in qua Hiram curat ædificari domum Davidi : ubi David v. 13. multiplicat uxores et filios. Denique vers. 18. cædit Philisthæos primo, et secundo vers. 23. dante Deo signum Davidi sonitum gradientis in cacumine pyrorum.

1. Et venerunt universæ tribus Israel, ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum et caro tua sumus. 2. Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel : dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel. 3. Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino: unxeruntque David in regem super Israel. 4. Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset, et quadraginta annis regnavit. 5. In Hebron regnavit super Iudam septem annis et sex mensibus : in Ierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Iudam. 6. Et abiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Ierusalem, ad Iebusæum habitatorem terræ: dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos dicentes: Non ingredietur David huc. 7. Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David. 8. Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset cæcos et claudos odientes animam David, idcirco dicitur in proverbio: Cæcus et claudus non intrabunt in templum. 9. Habitavit autem David in arce, et vocavit eam, Civitatem David : et ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus. 10. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo. 11. Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes: et ædificaverunt domum David. 12. Et cognovit David quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel. 13. Accepit ergo David adhuc concubinas et uxores de Ierusalem, postquam venerat de Hebron: natique sunt David et alii filii et filiæ : 14. Et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Ierusalem, Samua, et Sobab, et Nathan, et Salomon, 15. Et Iebahar, et Elisua, et Nepheg, 16. Et Iaphia, et Elisama, et Elioda, et Eliphaleth. 17. Audierunt ergo Philisthiim quod unxissent David in regem super Israel: et ascenderunt universi ut quærerent David: quod cum audisset David, descendit in præsidium. 18. Philisthiim autem venientes diffusi sunt in Valle Raphaim. 19. Et consuluit David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthiim? et si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David : Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua. 20. Venit ergo David in Baal Pharasim : et percussit eos ibi, et dixit : Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius, Baal Pharasim. 21. Et reliquerunt ibi sculptilia sua: quæ tulit David, et viri eius. 22. Et addiderunt adhuc Philisthiim ut ascenderent, et diffusi sunt in Valle Raphaim. 23. Consuluit autem David Dominum: Si ascendam contra Philisthæos, et tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pyrorum. 24. Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim. 25. Fecit itaque David sicut præceperat ei Dominus, et percussit Philisthiim, de Gabaa, usque dum venias Gezer.

Vers. 1. Et venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron.) Ut eum sibi regem crearent communi omnium consensu, vide 1.Paral.12. v.23. et seq. ubi fuse hic tribuum adventus et ordo describitur.

Dicentes: Ecce nos os tuum, et caro tua sumus.) Hoc est nos cognati tui sumus, ita Chald. ne enim putaret quis David sanguine contingere tribum Iuda dumtaxat, ex qua oriundus erat, ideoque eum solius tribus Iuda esse regem, hac de causa ceteræ undecim tribus hic asserunt Davidem quoque suum esse consanguineum : omnes enim tribus erant consanguineæ, eo quod ex duodecim fratribus Patriarchis filiis Iacob prognatæ essent. Hæc est ergo prima ratio, cur David sibi in regem eligant, quod ex eis sit ortus, eisque sanguine iunctus, sequitur ratio secunda.

Vers. 2. Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel) q. d. Tu sub rege Saule magis rexisti populum, quam Saul, pro eoque feliciter semper pugnasti : par ergo est ut Saule mortuo quasi rex nos regere pergas. Sequitur tertia ratio petita ex Dei decreto et oraculo de Davidis regno per Samuelem edito.

Dixit autem Dominus ad te : Tu pasces populum meum Israel) *Pasces*, id est reges: hoc enim est Hebr. תרעה *tire* et græcum ποιμανεις. Unde sciant reges se debere regere pascendo populum, eo modo quo pastor pascit oves : quocirca Homerus Agamemnonem regem ποιμενα λαων, id est pastorem populorum.

Percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino) id est coram toto cœtu et synagoga populi fidelis, sive duodecim tribuum, cui præsidebat Deus: nam arca Dei non erat in Hebron; quare coram ea hoc fœdus sanciri non potuit. Hoc *fœdus* erat mutua promissio, qua David promittebat se fideliter regnum Israel administraturum iuxta leges a Deo sancitas Deuter. 17. 16. et seq. Israelitæ vero vicissim promittebant se illi obedientes et fideles fore. Vers. 3.

Unxeruntque David in regem super Israel) David ter unctus est in regem Israel : Primo, secreto in domo patris a Samuele : Secundo, publice a sola et tota tribu Iuda: Tertio, hic ab omnibus tribubus. David fuit typus Christi, qui tripliciter quoque unctus est : Primo gratia unionis personalis, propter quam ius adeptus est in omnes Dei electos, ut eorum princeps et caput: Secundo, gratia redemptionis in morte : propter quam *Deus exaltavit illum et donavit ei nomen, quod est super omne nomen*, et reipsa regnare cœpit super patres, quos e subterraneis locis eduxit, et paucos Apostolos atque discipulos : Tertio, gratia supremi triumphi, cum *data est ei omnis potestas in cælo et in terra*, et Spiritu sancto misso de cælo, omnes gentes servierunt ei : et impletur illud in dies iuxta Psalm. 2. *Postula a me, et dabo tibi*

gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Quin et rex triplici iure fuit. Primo ut Deus, *Rex regum, et Dominus dominantium.* Secundo, ut homo, filius et successor Davidis regis, unde Nathanael Ioan. 1. 49. *Rabbi tu es rex Israel:* et turbæ venturæ erant, Ioan. 6. 15. *ut raperent eum, et facerent eum regem,* quæ divinitatem eius non norant: eædemque ingredienti Hierosolymam succlamabant Ioan. 12. 13. *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Tertio, ut Homo-Deus, ex quo dicebat Matth. 28 *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Ita Noster, Salianus in Annalib. anno Salomonis 2. num. 98.

Vers. 4. Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset) *Filius triginta annorum,* id est vir triginta annorum. Est Hebraismus, quem explicui lib. 1. c. 11. 1. Hinc patet, Davidem fuisse iuniorem Ionatha, qui erat quadraginta annorum et amplius, uti ostendi c. 2. 10. Mirum ergo nonnullos censere Davidem fuisse seniorem Ionatha, quibus favet S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 32. dicens: *David cum esset prudentior, Ionathæ tamen iunioris consiliis acquiescebat.*

Allegorice David hic uti et in aliis omnibus, typus fuit Christi. Audi Angelomum: *Quod David triginta annorum regnare cœpit, præfigurabat quod Dominus noster triginta annorum venit ad baptismum, et incipiebat evangelium regni prædicare: cuius regnum sempiternum, et potestas eius alteri non dabitur. Quadragenarius enim numerus, qui ex quaterdenis constat, plenitudinem temporum, et rerum perfectionem significat.* Hoc repræsentavit regnum Davidis, quod fuit quadraginta annorum.

Et quadraginta annis regnavit.) Additis septem mensibus; nam septem annis et sex mensibus regnavit super Iudam, deinde triginta tribus annis super totum Israel: nisi dicas hos triginta tres annos non fuisse integros, et defuisse eis sex menses: sic enim præcise regnavit quadraginta annis, mortuusque est anno ætatis septuagesimo. Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. dicunt Davidem regnasse quadraginta annis et sex mensibus; sed hos menses non computari, eo quod David per sex menses Absalomum fugerit, vel morbo laborarit. Planius dicas Script. sæpe numeros integros consignare, et fractiones sive minutias numerorum omittere.

Vers. 6. Et abiit Rex et omnes viri qui erant cum eo, in Ierusalem) ut ex Hebron, sedem regni transferret in Ierusalem, eamque faceret regni et synagogæ metropolim, vide quæ de Ierusalem dixi Iudic. 1. et alibi.

Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos, dicentes: Non ingredietur David huc) Quæres, quinam hi cæci et claudi? Primo, nonnulli putant fuisse imagines et statuas cæcorum et claudorum effictas in muris, ut per eas significarent Iebusæi, arcem Sion ita esse celsam et munitam, ut ipsis nihil agentibus, a statuis istis defendi posset. Secundo, Aben Ezra, R. Salomon cæterique Rabbini censent fuisse duas imagines duorum patriarcharum, unam Isaaci cæci, alteram Iacobi claudi, ut per eas admonerentur Israelitæ fœderis, quod cum Isaac et Iacob eorum, pepigerat Abimelech ipsorum avus, Gen. 26. ac proinde abstinerent a bello et invasione suæ arcis in Sion. Tertio, Burgens. censet fuisse idola, quæ Iebusæi quasi Deos tutelares collocarint in muris. Quarto, Chald. cæcos et claudos accipit non corporales, sed spirituales: qui scilicet mente cæcutirent et claudicarent, unde vertit: *peccatores et culpatos.* Quinto, et genuine veri et proprie dicti hic intelliguntur cæci et claudi: tales enim milites, quibus in prælio effossi erant oculi, et tibiæ fractæ, Iebusæi collocarunt in muris et turribus altissimis arcis Sion, præfidentes loci munitioni, ad sarcasmum et hostilem irrisionem Davidis. q. d. Frustra tentas, o David, oppugnare nostram arcem, quæ ita loci natura munita est, ut a solis cæcis et claudis, quos in ea vides defendi possit. Age ergo, si tibi cor est, arcem oppugnare, vola in eius muros, et ex eis tolle cæcos et claudos, itaque arcem ingredere et occupa; sed scito, post cæcos et claudos, nos oculatos pedibusque et manibus valentes tibi occursuros, et te tuosque e muris deturbaturos. Ita Ioseph. lib. 7. Antiq. c. 2. Procop. Theodor. Angelomus, Abul. Serar. et alii. Sic Tyrii, ait Lyran. in muris Tyri munitissimis constituerunt pygmæos, quasi illi soli eos propugnare sufficerent Ezech. 27. 11. vide ibi dicta.

(Margin: Cæci et claudi Davidis qui? Resp. 1. — 2. — 3. — 4. — 5. genuine.)

Addunt Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. et Glossa, Iebusæos a Davide vocatos fuisse *cæcos et claudos,* id est debiles et inermes, ideoque ipsos hoc convicium in Davidem per sarcasmum retorsisse, eique suos cæcos et claudos obiecisse. q. d. Posuimus in muris nostris defensores cæcos et claudos, quia tu nos cæcos et claudos vocitas: age ergo, experire an tales simus, et cum cæcis et claudis hisce dimica, ac videbis non nos, sed tuos milites fieri claudos et cæcos: est hoc scomma militare. Addunt alii, Iebusæos vocasse Hebræos *cæcos et claudos.* Sic enim Manethon, Lysimachus et alii apud Ioseph. lib. 1. contra Appion. conviciantur Moysen et Hebræos ob lepram, scabiem, aliosque morbos a rege fuisse eiectos. Quare Mosen octoginta millia leprosorum, mancorum et mutilorum v. g. cæcorum et claudorum ex Ægypto eduxisse. Scomma ergo hoc in Hebræos detorserunt Iebusæi q. d. Vos Hebræi cum Moyse vestro estis leprosi, mutili, cæci et claudi, ideoque ab Ægyptiis eiecti: vultis ergo occupare arcem nostram Sion? sane nos experiemini valentiores Ægyptiis, qui vos quasi cæcos et claudos facile hinc propulsabimus. Insultarunt ergo Davidi q. d. Tu cum cæcis et claudis tuis Hebræis non ingredieris huc: facesse ergo hinc, et abi redique ad tuos Ægyptios.

Cepit autem David arcem Sion) Nota David conviciis Iebusæorum animum non demisit, sed extulit, ac propositis ingentibus præmiis milites incitavit ad arcem Sion invadendam, qui promissis illecti animose in arcem conscenderunt, eamque occuparunt, ac cæcos et claudos ibidem a Iebusæis positos deturbarunt. Porro David anno primo regni sui super totum Israel, qui fuit vitæ eius trigesimus octavus, cepit Sion et Ierusalem, ac sedem regni ex Hebron in illam transtulit, in illaque regnavit triginta tribus annis, ut dictum est v. 5. Vers. 7.

Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, et tetigisset domatum fistulas.) Id est tectorum imbrices vel canales, per quos aqua e tectis in terram defluebat. q. d. Proposuit David præmium ei qui primus summitates murorum et canalium Sionis apprehendisset, ac eos transiliens in arcem intrasset. Præmium erat ut is fieret dux et princeps militiæ Davidis. Fecit hoc Ioab, qui proinde licet ob cædem Abner mereretur hoc principatu privari, tamen ob superatam arcem Sion, quod scilicet primus in eam, non per cedrum ab Hebræis ad hoc excisam, ut nugantur Hebræi, sed per admotas arci scalas conscendisset, meruit a Davide in principatu hoc suo confirmari, ut patet 1. Paral. 11. v. 6. Cum enim undique scalæ ab Hebræis arci admoverentur, multique per eas in muros evadere contenderent, Ioab omnes superavit, primusque in muros ascendit; ut notam sceleris occisi a se Abner hac generositate et victoria deleret, atque Iebusæos arcis custodes occidit ad unum omnes, excepto unico Areuna, qui Iudæis erat amicissimus, ait Ioseph. Hic enim Davidi vendidit aream in monte Sion, ad fabricandum in ea templum, de quo cap. 24. Vers. 8.

Et abstulisset cæcos et claudos odientes animam David.) Hinc patet, veros cæcos et claudos, milites Iebusæos positos fuisse in muris Sionis, quos David per Ioab abstulit, et, ut aiunt LXX. Roman. *pugione occidit.* Obiiciebat Marcion Christum non esse filium Davidis, vel certe ab eo esse degenerem, eo quod David occidisset cæcos et claudos, quos Christus sanabat. Resp. Tertul. lib. 4. contra Marc. 36. Davidem occidisse Iebusæos cæcos et claudos *odientes animam David;* at cæci et claudi curati a Christo non odiebant, sed amabant Christum, ab eoque visum poscebant. Quare *cæci* illi et *claudi* Iebusæi resistentes Davidi repræsentabant ait Angelom. Scribas et Pharisæos, qui spiritualiter erant *cæci,* quia non

agnoscebant Christum; et *claudi*, quia ad bona opera erant tardi et inepti, quos proinde Christus redarguit et morte æterna punivit, de quibus ipse ait: *Cæci sunt, et duces cæcorum*, Matth. 15. 14. et c. 23.13. *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.*

Mystice ergo, *cæci et claudi* sunt infideles, hæretici et fideles prave viventes, qui factis negant, quæ se credere profitentur, quique in via Dei claudicant, nunc Deo, nunc mundo servire et placere conantes. Hi non ingrediuntur templum cæleste. Quocirca S. Paulus Hebr. 12. 13. dicit: *Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Oremus ergo cum Psalte Deum, *ut non infirmentur vestigia nostra*, psal. 17.17. *et ut ponat pedes nostros quasi cervorum:* ibidem v.34. *ut viam mandatorum Dei curramus*, Psal. 118. 32. Sapienter S. Ambrosius serm. 68. *Petrus*, ait, *petra est super quam ædificatur Ecclesia, ideoque sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine membrorum fundamenta confirmat, uti claudo gressum restituit*, Act. 3. 7. *et ut Christianus non iam trepidus et imbecillis possit super petram Ecclesiæ, sed robustus et fortis incedere.*

IDCIRCO DICITUR IN PROVERBIO: CÆCUS ET CLAUDUS NON INTRABUNT IN TEMPLUM.) Hebr. *in domum*, quod Salianus et alii accipiunt de domo, sive palatio Davidis: Vatab. de arce Sion. q. d. Quia cæci et claudi Iebusæi restiterunt Davidi in arce Sion, eumque irriserunt; hinc sanxit David, eisque hanc pœnam statuit, ut nemo eorum deinceps arcem Sion, et domum suam in arce sitam ingrederetur. Verum Noster et LXX. domum Dei intelligunt, scilicet *templum*. Porro poterant Hebræi cæci et claudi ingredi templum vetus, nam eos in illo curavit Christus, Matth. 21. v. 14. David ergo templi ingressu arcuit et prohibuit non Hebræos, sed Iebusæos cæcos et claudos, qui ipsum irriserant, q. d. Vos Iebusæi cæci et claudi superbe insultastis Davidi, quod ipse nequiret occupare arcem Sionis: idcirco ipse ea occupata vobis in congruam pœnam hoc scomma in vos retorquet, statuitque ne quis vestrum in arcem Sion, et multo minus in tabernaculum, vel templum in monte Sion ædificatum ingrediatur: quare vestrum dicterium in proverbium abiit, ut, cum quem stultæ suæ ostentationis meritas dare pœnas, illamque in caput ostentantis retorqueri homines vident, dicant: *Cæcus et claudus non intrabunt in templum*, q. d. Hic iactabundus donum suum, quod superbe ostentabat, perdidit, eoque in pœnam iactantiæ suæ spoliatus est. Idipsum tamen ad literam dicitur de sacerdotibus, qui si cæci essent vel claudi, arcebantur ministerio templi Levit. 21. 18. Alii putant hoc proverbium dici de re impossibili, ut, cum quid impossibile quis tentat, dicatur ei: *Cæcus et claudus non intrabunt in templum*, q. d. Rem impossibilem tentas eamque possibilem efficere satagis, sed frustra. Hic fuit primus actus regni Davidis super totum Israel, scilicet occupatio Sionis, ac regii throni translatio ex Hebron in Sion et Ierusalem. Volebat enim Deus in ea statuere caput regni et synagogæ, eo quod Christus Davidis antitypus in eadem erat prædicaturus et erecturus Ecclesiam, ibique regnum suum spirituale inchoaturus: iuxta illud Isaiæ c. 2. 3. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Ecclesia enim est *Sion*, id est *specula*, quia per fidem speculatur Deum in terris, et per visionem eumdem speculabitur in cælis. Et c. 62. 1. *Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et Salvator eius ut lampas accendatur.*

Vers. 9. ET ÆDIFICAVIT PER GYRUM A MELLO.) De *Mello* e totius Hierosolymæ situ et structura, vide Adrichom. Ariam et Villalpandum lib. 2. de Templo c. 2. in Apparatu præfectus huius ædificationis fuit Ioab 1. Paral. 11.

Porro Chald. Cant. 7. 4. vertit, *ædificavit arcem Sion, quæ vocatur Migdala de Libnan, id est turris Libani, quia omnis qui steterit in ea potest numerare omnes tur-*
A *res quæ sunt in Damasco.* Melius idem c. 4. 15. ait ipsam Ierusalem vocari *Libanum*.

MELLO.) Hebr. idem est quod plenitudo, unde Hebræi per *Mello* accipiunt locum comitiorum, quia illic congregabatur populus ad consultandum de rebus agendis. Alii intelligunt aggerem qui cingebat arcem. Alii putant fuisse fossam circa arcem, quæ dicta sit *Mello* quod aqua impleretur. Alii autumant *Mello* fuisse summitatem, sive verticem montis Sion. Verum dico cum Ioseph. Villalp. Saliano, Sanchez, Richardo, Adrichom. et aliis Chorographis: *Mello* erat vorago ac vallis profunda et lata valde, quæ montem Sion a civitate inferiori discernebat: atque a porta aquarum, Occidentem versus, usque ad portam piscium extendebatur. Ab hac voragine David montem Sion per gyrum ædificavit ac munivit. Huius concavitatem Salomon, ut commoda esset platea coæquavit (unde etiam *platea portæ aquarum vocatur*) eamque ædificiis ornavit, quæ collapsa ab Ezechia restaurata sunt. Hic Ioas rex Iuda a suis servis in descensu Sela occisus
B est. Iosephi autem ætate hæc vallis *Tyropœon* appellabatur, in quam, ut scribit, domus creberrimæ desinebant: eratque latissima, et habitationibus hominum frequentissima. Verum nunc vorago ipsa tota repleta est, relictis tamen prioris concavitatis vestigiis, indeque dicta est *Mello*, id est plenitudo, eo quod ruderibus, saxis et domibus impleta esset. Hic enim liber scriptus est post fabricam Sionis et templi, cum iam *Mello* esset *Mello*, id est plena.

ET CONCUBINAS.) *Concubinæ* non erant meretrices et Vers. 13.
pellices, sed secundariæ uxores, utpote inferioris sortis et status, uti iam sæpius monui. Quocirca harum filii non numerantur 1. Paral. 3. 9.

Porro 1. Paral. 3. v. 6. et 8. repetitur et bis ponitur *Elisama* unus Davidis filius, quia scilicet David duos habebat filios, quibus idem nomen *Elisamæ* indidit, vel quia priore mortuo, posteriori idem nomen imposuit, ait Vatabl.

AUDIERUNT AUTEM PHILISTHIIM, QUOD UNXISSENT DA- Vers. 17.
C VID IN REGEM SUPER ISRAEL, ET ASCENDERUNT UNIVERSI UT QUÆRERENT DAVID.) Ut eum initio regni adhuc invalidum et quasi inermem opprimerent, ne viribus auctis et regno confirmato ab eo opprimerentur, uti ab eo oppressi fuerant occiso Goliath 1. Reg. 17. et seq. Unde David videns se hostibus cinctum, ad Deum confugit, dictavitque psal. 2. *Quare fremuerunt gentes*, etc. ubi ab litteram Philisthæorum contra se conspirationem, Allegor. Iudæorum et gentium contra Christum et Apostolos coniurationem, suamque et Christi de iis victoriam describit.

QUOD CUM AUDISSET DAVID, DESCENDIT IN PRÆSIDIUM.) Id est locum munitum: ita LXX. puta *in arcem*, ut vertit Chald. et Vatabl. nimirum in arcem Sionis; hæc enim erat munitissima sedes Davidis, iuxta quam castrametabantur eius hostes Philisthæi in valle vicina dicta *Raphaim.* Sic Noster, *præsidium* passim sumit pro arce vel loco munito. Aut potius *præsidium* hoc erat arx munita iuxta speluncam Odollam, in quam se recipere solebat David persequente Saule: ita Vatab. et Salianus.

D PHILISTHIIM AUTEM VENIENTES DIFFUSI SUNT IN VAL- Vers. 18.
LE RAPHAIM.) Vallis quæ adiacet Hierosolymæ, dicta est *Raphaim*, id est Gigantum, a cæsis ibidem a Iosue vel quo alio, Gigantibus: LXX. vertunt, *in valle Titanum*, id est Gigantum. Alludunt enim ad fabulam Titanum, quam poetæ mutuati sunt a Gigantibus, Genes. 6. Fingunt enim ipsi Gigantes fuisse homines vastissimos et superbissimos, qui cum Iove bellarint, ideoque ab eo fulmine percussi sint.

DIVISIT DOMINUS INIMICOS MEOS SICUT DIVIDUNTUR Vers. 20.
(disperguntur) AQUÆ, vase rupto, vel rivis ex torrente in varias fossas deductis. PROPTEREA VOCATUM EST NOMEN LOCI ILLIUS, BAAL PHARASIM.) Id est habens rupturam vel fracturam q. d. Vallis fracturarum, vel planities divisionum: ita Chald. et alii, ubi scilicet Deus divisit et dispersit Philisthæos per arma et milites Davidis. Huius vallis divisionis meminit Isaias c. 28. 21.

ET RELIQUERUNT IBI SCULPTILIA SUA (idola, sive la- Vers. 21.

res, et deos Penates sive tutelares suos) QUÆ TULIT DAVID.) *Et combussit* ut addit Chald. idque diserte dicitur 1. Paral. 14. v. 12. Lex enim Deuter. 7. 25. idola iubebat comburi. Rependit David vicem Philisthæis : hi enim 1. Reg. 5. 2. ceperant arcam fœderis , eamque dicarant Deo suo Dagon.

Vers. 23. GYRA POST TERGUM EORUM , ET VENIES AD EOS EX ADVERSO PYRORUM.) Hebr. *bechaim* quod Aquila et Noster vertit, *pyrorum ;* Pagn. et Vatab. vertunt, *mororum* quæ cum stillant humorem quo turgent, flere videntur; Chald. *arborum ;* Septuag. κλαυθμῶνος, id est fletus et plorationis, a rad. בכה *bacha*, id est flevit, vagiit: unde Ioseph. 7. Antiq. 4. locum hunc vocat, *sylvam fletus :* quod Hebræi apud S. Hieron. sic explicant, ut locus hic dictus sit *plorationis*, eo quod in eo Pilisthæi deplorarint tam suam, quam suorum idolorum stragem, idola ergo suis cultoribus sunt omnis miseriæ et fletus causa, ait Angelom. Adduntque Davidem irrupsisse in castra Philisthæorum eo loci, ubi erant idola, in quibus Philisthæi maxime confidebant : quare iis illico disturbatis facile reliqua castra disturbasse. Alii censent Philisthæorum idola dici fletus , quod iis non nisi lacrymis sacrificari oporteret; alii quod arbores istæ cum oculis et lacrymis habeant sympathiam: liquorem enim quasi lacrymas distillant, unde et lacrymari dicuntur.

Porro *Clauthmon* nomen erat loci dicti a fletu, ut docet S. Hieron. Eusebius , Adrichom. in locis Hebr. et alii passim : locus hic erat iuxta Hierosolymam in valle Raphaim ad Occidentem, vel, ut S. Hieron. ad Septemtrionem. Unde hic videtur esse *locus flentium*, de quo Iudic. 2. v. 1. ibi enim Septuag. vertunt, κλαυθμῶνα, vide ibi dicta.

Vers. 24. ET CUM AUDIERIS SONITUM GRADIENTIS IN CACUMINE PYRORUM, TUNC INIBIS PRÆLIUM: QUIA TUNC EGREDIETUR DOMINUS ANTE FACIEM TUAM.) Per hunc gressum primo, Ioseph. et Theodor. intelligunt ipsarum arborum in cacuminibus agitationem , cum nullus flaret ventus. Secundo, Hebræi apud S. Hieron. compactionem et deletionem idolorum per Angelos. Tertio, et genuine : Angeli , quasi Dei legati, et duces belli, excitabant fragorem quemdam in verticibus arborum , perinde ac per eos incessissent et processissent ad prælium, pugnaturi cum Davide contra Philisthæos, ut ipsi percellerentur, cum a fronte tot et tantos hostes sibi imminere audirent , et a tergo instantem Davidem adverterent: unde Chald. vertit, *cum audieris vocem clamoris in capitibus arborum, tunc confortaberis , quia tunc exibit Angelus Domini ad prosperandum ante te, ut occidat castra Philisthæorum.*

Vide hic mirum Dei a Davide invocati in prælio auxilium et præsidium : voluit enim Deus pro suo Davide pugnans , ut Philisthæi concluderentur hinc pyretis , inde

Cur in pyris apparuit angelus? exercitu Davidis , ut ipsi strepitu Angelorum, quem ipsi quasi armati progredientes ex adverso Philisthæorum edebant, in pyrorum arboribus, quasi valida hostium manu eos invadente perculsi diffugerent , et in Davidis manus inciderent , ibique partim ab eo, partim ab Angelis Davidis tutelaribus cæderentur. Ita Abul. et alii. Sed cur Deus signum hoc dedit in sonitu pyrorum , potius quam amygdalorum, cerasorum, ficuum etc. Resp. primo, quia Resp. 1.
iuxta Ierusalem in valle Raphaim erat copia pyrorum , adeo ut pyretum hoc dictum sit *vallis pyri*, teste Adrichom. in Descript. Ierusalem, n. 238. ita Lyran. Secundo, 2.
quia pyri celsiores sunt ficubus, cerasis, amygdalis , etc: unde magis conveniebant angelis , qui ex celsis cælis in pyros descendebant , ut excelsum et cælestem strepitum in pyris excitarent, quo Philisthæi percellerentur, cogitantes Angelos e cælis contra se pugnare. Tertio , quia 3.
pyrus est mascula , et masculi saporis , ita ut pomus femina esse videatur : unde repræsentat eos qui masculo sunt animo et virtute , quales sunt Angeli et Apostoli. Quarto , quia *pyrus* dicta est quasi *pyra* , eo quod flam- 4.
mæ similitudinem reddit e lato in acutum tendens, ait Sipontinus. Sic flammei sunt Angeli et Apostoli, iuxta illud: *Qui facit Angelos suos spiritus , et ministros suos flammam ignis*, psalm. 103. 4. Hebr. 1. Quinto , in pyris est 5.
proprietas vini , ait Plinius lib. 14. 14. præsertim in falernis ita dictis a potu, quoniam tanta vis succi abundat. Sic Apostoli recepto Spiritu Sancto videbantur musto pleni, Actor. 2. æque ac Angeli. Sexto, pyra sunt densa, ideo- 6.
que ponderosa, adeo ut nonnulla dicantur libralia. Adhæc pyrorum multæ sunt species. Denique *serotina ad hiemem usque ad matrem pendent gelu maturescentia, græca, ampullacea, laurea,* ait Plinius ; sic graves , varii et perdurantes, imo æterni sunt Angeli.

Simili modo Angeli ex alto pugnarunt contra Pharaonem pro Mose, Exodi 14. 24. et contra Chananæos pro Iosue, c. 10. 14. et pro Barac contra Sisaram , Iudic. 5. 20. et pro Iuda Machabæo contra Lysiam, 2. Machab. 11. 8.

Tropol. Angelom. « per sonitum gradientis in cacumine pyrorum , inquit , adventum Domini significat super celsitudinem Prophetarum et Apostolorum , virtute divinitatis suæ supergradientem, sicut in Canticis canticorum scriptum est cap. 2. Ecce iste veniet saliens in montibus, transiliens colles. Pyrorum autem cacumina arborum significant summitates. Quid per arbores nisi sublimes patres intelliguntur ? in quorum cacuminibus dum sonitus auditur, id est, dum in sublimitate vitæ sonus, flante Spiritu sancto, prædicationis intonuit , David noster virtute suæ divinitatis, qua celsitudinem Sanctorum transcendit, Philisthæos, id est, immundos spiritus superavit. »

PERCUSSIT EOS DE GABAA.) Quæ alibi vocatur *Gabaon ;* vel certe Gabaa vicina erat Gabaon. Vers. 25.

USQUE DUM VENIAS GEZER.) Quæ erat urbs Philisthæorum, ait Ioseph. et patet 3. Reg. 9.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David arcam fœderis religiose solenni pompa ex domo Abinadab transfert in domum Obededom, inde vers. 14. in Sion ludens et saltans coram ea. unde ipsum irridet uxor Michol vers. 20. sed eam arguendo compescit David.

1. CONGREGAVIT autem rursum David omnes electos ex Israel triginta millia. 2. Surrexitque David, et abiit,
et universus populus qui erat cum eo de viris Iuda, ut adducerent arcam Dei , super quam invocatum
est nomen Domini exercituum, sedentis in cherubim super eam. 3. Et imposuerunt arcam Dei super
plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa : Oza autem et Ahio filii Abinadab ,
minabant plaustrum novum. 4. Cumque tulissent eam de domo Abinadab , qui erat in Gabaa ; custodiens arcam
Dei Ahio præcedebat arcam. 5. David autem et omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, et citharis et lyris et tympanis et sistris et cymbalis. 6. Postquam autem venerunt ad aream Nachon, exten-

dit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam. 7. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei. 8. Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam, et vocatum est nomen loci illius, Percussio Ozæ, usque in diem hanc. 9. Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? 10. Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David: sed divertit eam in domum Obededom Gethæi. 11. Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: et benedixit Dominus Obededom, et omnem domum eius. 12. Nuntiatumque est regi David quod benedixisset Dominus Obededom, et omnia eius, propter arcam Dei. Abiit ergo David, et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: et erant cum David septem chori, et victima vituli. 13. Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem et arietem, 14. Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porro David erat accinctus ephod lineo. 15. Et David et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in iubilo, et in clangore buccinæ. 16. Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino: et despexit eum in corde suo. 17. Et introduxerunt arcam Domini, et imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei David: et obtulit David holocausta, et pacifica coram Domino. 18. Cumque complesset offerens holocausta, et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. 19. Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam, et similam frixam oleo: et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam. 20. Reversusque est David ut benediceret domui suæ: et egressa Michol filia Saul in occursum David, ait: Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris. 21. Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, et quam omnem domum eius, et præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israel, 22. Et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum: et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. 23. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.

Vers. 2. UT ADDUCERENT ARCAM DEI.) Ex Gabaa in Sion, tum ut David haberet arcam apud se, et coram ea Deum religiose coleret et invocaret; tum ut magis honoraretur arca et Deus in ea, utpote in urbe regia, tum ut evaderet maximas calamitates, quas Deus Israeli immiserat ob neglecte habitam arcam in Gabaa, ait Ioseph. licet id neget Abulens.

SUPER QUAM INVOCATUM EST NOMEN DOMINI EXERCITUUM.) Est Hebraismus q. d. Quæ vocatur arca Domini, qui dicebatur sedere super alas Cherubim, sive super propitiatorium, ita ut haberet arcam pro scabello pedum suorum, quia inde Angelus in assumpto corpore de nube pro Deo dabat oracula et responsa. Ita Abulens. Vatab. et alii.

Vers. 3. ET IMPOSUERUNT ARCAM DEI SUPER PLAUSTRUM NOVUM.) Fuit error Davidis ex ignorantia, vel potius Levitarum peccatum: quia arca non debebat vehi plaustro, sed portari humeris sacerdotum vel Levitarum, ut patet Numer. 4. 15. et seq.

TULERUNTQUE EAM DE DOMO ABINADAB, QUI ERAT IN GABAA.) *Gabaa* erat locus vel collis in urbe Cariathiarim: ibi enim erat domus Abinadab et arca, ut patet 1. Reg. 7. 1.

MINABANT, agebant, ducebant, PLAUSTRUM.) Oza et Ahio fratres, quod Abinadab pater eorum iam erat mortuus, ut ex hoc loco colligitur.

Vers. 6. VENERUNT AD AREAM NACHON.) Ita Hebr. Aquila, Angelom. et alii, licet Septuag. Romæ correcti habeant *Machor*, pro quo 1. Paral. 13. 9. legitur *Chidon*, quia ibidem scutum suum, quo hostes profligavit, Iosue c. 8. v. 18. posuit, ait S. Hieron. in Tradit. sive quia Nachon erat nomen viri et heri areæ, qui alio nomine vocabatur *Chidon*.

EXTENDIT OZA MANUM AD ARCAM DEI, ET TENUIT EAM; QUONIAM CALCITRABANT BOVES.) Oza non erat sacerdos, ut vult Angelom. et Glossa; sed Levita, ut docet S. Hieron. Epist. ad Sabinianum, S. Gregor. 5. Mor. 10. Auctor Mirabilium S. Scripturæ l. 2. c. 12. Ioseph. Serarius et alii, idque satis liquet ex 1. Paral. 26. 15. Quare mirum est D. Soto in 4. dist. 13. q. 3. cui favet Sanchez, asserere Ozam non fuisse Levitam; sed laicum.

CALCITRABANT BOVES,) Id est, calcitrando videbantur deiecturi arcam in terram: Sept. *circumflectebat eam vitulus*, Chald. *propulerant eam boves;* Vatab. *declinabant eam.* R. Kimchi ex R. Iona, censet boves ob sanctimoniam arcæ viribus destitutos cœpisse deficere et fatiscere, ut membra et iuncturæ eorum viderentur luxari, dissolvi et dividi, eo quod non boves, sed Levitæ deberent humeris suis gestare arcam. Verum 1. Paral. 3. 9. alia causa datur, cum dicitur, *bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam.*

IRATUSQUE EST INDIGNATIONE (id est vehementer iratus et indignatus est) DOMINUS, ET PERCUSSIT EUM SUPER TEMERITATE.) Quæres, quare a Deo occisus sit Oza, cum arcam labantem sustentaret, quod erat officium religiosum? R. Salomon respondet eum percussum ob peccatum Davidis, qui arcam plaustro imposuerat. Sed hoc est improbabile. Rursum Theodor. ait eum occisum ob prævium aliquod peccatum nobis ignotum et occultum, præsertim quod in eo existens ausus sit tangere arcam, ait Auctor Mirabil. S. Script. l. 2. cap. 12. — Vers. 7. — Cur occisus Oza?

Verum alii certum peccatum assignant: sed varii varium. Primo, S. Hieron. epist. 48. dat hoc, quod Oza arcam humeris non portarit, sed plaustro vexerit. Addunt alii, quod id fecerit prava Philisthæorum imitatione, de quo lib. 1. c. 6. 7. Ita Theodor. Procop. Lyranus. Secundo, alii apud Abul. quod ipse arcam tangeret illo die, quo nocte præcedente cum uxore rem habuerat, ideoque immundus esset et irregularis: nam et Gentilium sacerdotes dum sacrificabant, debebant esse casti, teste Macrob. lib. 1. Satur. 23. Tertio, quod eam tangeret non examinata et expurgata prius conscientia, ait Pacianus in Parænesi. Quarto, alii cum Abul. censent eum percussum ob irreverentiam, quod irreverenter tetigerit arcam, idque sine necessitate: levis enim erat boum calcitratio: nam ut dicitur 1. Paral. 13. *bos*, etc. *paululum inclinaverat arcam.* Addunt, vel potius fingunt Rabbini, quod arca potius portaret quam portaretur. Quinto, alii quod arcam tetigerit, cum non esset indutus Ephod et vestibus sacris. Sexto et verius, quod Oza non erat sacerdos, sed Levita: solis autem sacerdotibus licebat tangere arcam, ut diserte asserit Iosephus, qui erat sacerdos, ideoque legis apprime peritus lib. 7. Antiq. c. 4. idque clare exprimitur Numer. c. 4. 15. et c. 18. 3. ubi iubentur sacerdotes arcam velo obvolvere; et vectes per angulos arcæ immittere, ne videlicet Levitæ arcam humeris portantes, eam contingerent, idque sub pœna mortis. Et hoc est quod dicitur: *Percussit eum super temeritate.* Ita Iosephus et Ribera lib. 3. de Templo c. 3. Addit Serarius Ozam tetigisse arcam nudam: licet enim ipsa obducta esset velis, tamen vela hæc non erant colligata, sed ita superposita, ut huc illuc vento aut plaustri agitatione agitarentur et ventilarentur. Cum ergo boves calcitrarent, inclinarunt in unam partem velamina, sicque accurrens Oza per imprudentiam et incau-

(Margin: Resp. 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6.)

tum zelum nudam arcæ partem tetigit. Ad hoc enim debuissent evocari et adhiberi sacerdotes, qui videntur non affuisse, quia nulli hic nominantur: idque satis insinuat David 1. Paral. 15. 13. unde Angelom. et Glossa aiunt eum præsumptuose et incaute tetigisse arcam. Salvian. lib. 6. de Providentia. *Oza*, inquit, *ille Levites Dei, ipso in officio inofficiosus fuit, qui iniussa præsumpsit.*

Porro Angelom. Abul. Dion. et alii censent Ozam ista temporali morte castigatum, æternam evasisse. Denique locus iste vocatus est *Percussio Ozæ* ut sequitur; vel *divisio Ozæ*, ut dicitur 1. Paral. 13. 11. *Divisio*, qua scilicet Deus divisit animam Ozæ a corpore, ac Ozam ab hominibus et huius sæculi vita; non autem quod eius brachium aruerit, et ab humeris, quibus arcam ferre debuerat, sit divisum, ut aiunt Rabbini nonnulli; Auctor Mirab. S. Script. eum suffocatum asserit.

Alleg. hinc disce quanta puritate et reverentia accedendum sit ad S. Eucharistiam, in qua non est manna terrestre, quod erat in arca, sed cæleste et divinum, imo ipse Christus Deus et homo. Audi S. Pacian. in Parænes. *Vos appello qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis, vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, quicum mala conscientia Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis, qui ad manus sacerdotis in conspectu Angelorum sub fiducia innocentiæ acceditis, etc. tanta infuit cura divinæ providentiæ, ut audaces manus nec ob auxilium sustineret.* Sic et Angelom.

Morales conclusiones. Tropol. varia hinc documenta eliciunt Patres. Primo,
S. Dionis. Areop. epist. 8. laicos non debere se miscere re-
1. bus sacris. Secundo, non esse tangendas virgines, quæ sunt
2. arca spiritalis Christi. Audi S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium de custodia virgin. *Obtestor te coram Deo et Christo Iesu, et electis angelis eius, ne vasa templi Domini, quæ solis sacerdotibus videre concessum est, facile in publicum proferas: ne sacrarium Dei quisquam profanus aspiciat. Oza arcam quam non licebat tangere, attingens, subita morte prostratus est: neque enim vas aureum et argenteum tam carum Deo fuit, quam templum corporis virginalis. Præcessit umbra, nunc veritas est.* Idem epist. 48. ad Sabinianum solicitatorem virginis: *Oza Levites*, ait, *arcam Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit, et percussus est: quid de te futurum putas, qui stantem arcam Domini præcipitare co-*
3. *natus es?* Tertio, sacra vasa temere non esse tangenda.
4. Ita S. Ephrem tract. de Sacerdot. tom. 1. Quarto, superiorum et sanctorum facta, licet nonnihil a recto declinare videantur, non esse a subditis aliisque iudicanda. Audi S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 10. *Quid est*, inquit, *mens iusti, nisi arca testamenti? Quæ gestata a bobus calcitrantibus inclinatur: quia nonnumquam etiam qui bene præest, dum subiectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione permovetur. Sed in hoc quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa fortitudinis casus putatur imperitis. Unde et nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt, sed a vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Levites ergo quasi adiuvans manum extendit, sed delinquens vitam perdidit: quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipsi a viventium sorte reprobantur.* Deinde sanctis idipsum applicans: *Quid est*, inquit, *iustum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam arcam superba reprehensionis manu relevare? Quid est iustum de incognita locutione reprehendere, nisi motum eius fortitudinis, erroris lapsum putare? Sed perdit vitam, qui arcam Dei tumide sublevat: quia nequaquam quis sanctorum corrigere recta præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Unde recte et Levites idem Oza dicitur, quod videlicet robustus Domini interpretatur: quia præsumptores, quique nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta velut infirma iudicarent.*

Symbolice arca est S. Scriptura. Symbolice, arca testamenti est S. Scriptura, quam reverenter tangere, id est legere et audire tenemur: et consequenter arca est anima viri in ea eruditi et sancti. Unde S. Antonius de Padua ob insignem citationem et explicationem S. Script. in prædicando, a Pontifice vocatus fuit *arca testamenti.* Sic et Gennadius in Catal. Honorati Episcopi Massiliensis os vocat *armarium Scripturarum.* Et Cassianus collat. 14. c. 10. *Continua*, inquit, *meditatio Scriptur. mentem facit arcam testamenti.* Et S. Hieron. in fine cap. 2. ad Ephes. *Condatur, ait, in nobis arca testamenti, custos legis Domini, et Cherubim scientiæ multitudo, et interiora pectoris nostri in novum vocabulum transeant, dicamurque debir, id est oraculum, sive λαλητήριον, id est locutorium.*

Denique arca testamenti est B. Virgo, quæ Christum novi Et B. Virgo.
fœderis et testamenti auctorem utero suo complexa mundo peperit: qui hanc irreverenter tangit, utique percutietur a Deo. Sic Nestorius negans illam esse Deiparam percussus fuit, cum lingua eius blasphema a vermibus erosa computruit. Sic Constantinus Copronymus illam comparans bursæ, quæ exempto auro non nisi vilis est bursa, carbunculo ictus vociferabatur vivum se inextinguibili igni traditum esse propter Mariam Deiparam, iubens exinde eam honorari ac celebrari ut Deiparam, ait Glycas ex Cedreno. Vide Paulum Diaconum lib. 21. et Zonaram lib. 3. Sic Caianus mimus blasphemans B. Virginem, ab eadem in somnis correptus, cum se non corrigeret, manibus et pedibus mane se truncatum reperit, uti refert Ioannes Moschus in Prato spirit. c. 4.

Divertit eam in domum Obededom Gethæi.) Vers. 10.
Erat hæc domus vel in ipsa urbe Ierusalem, vel in loco urbi vicino, ut ait Iosephus; qui et addit, Obededom initio fuisse pauperem, sed iustum, ac Levitam, idque liquet ex 1. Paral. 16. 3. et c. 16. v. 15. Dices: Quomodo ergo vocatur hic *Gethæus*, id est Philisthæus, hoc est, ut Theodor. et Procop. *Allophylus*, id est alienigena? Respond. gente erat Iudæus, sed domo fuit Gethæus, quod in Geth natus sit vel habitarit, sicut Elimelech Iudæus habitavit in Moab, Ruth 1. ita Serarius. Porro *Obededom* hebr. idem est quod *serviens, colens vel operans rubrum*, ait Pagnin. in nomin. Hebr. Idque apposite, ut rubea et ardens eius devotio, pietas et charitas denotetur.

Mystice, *Geth* hebr. idem est quod *torcular*, quod significat crucem, in qua Christus vitis vera, ait Eucher. calcari et exprimi dignata est, a qua cunctus gentium populus merito Gethæus, appellari potest, cum dicit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Arca Dei ergo, ipseque Deus requiescit in anima Gethæi, id est, fidelis qui amat crucem et mortificationem.

Et benedixit Dominus Obededom, et omnem do- Vers. 11.
mum eius.) Id est prosperavit, et magnis opibus rerumque copia subito eum cumulavit. Ita Ioseph. Tradunt Hebræi apud S. Hieron. omnes eius uxores, ancillas et nurus peperisse masculos, animalia vero gemellos.

Adduxit (illectus benedictione et felicitate, quam ab Vers. 12.
arca perceperat Obededom) arcam Dei de domo Obededom in civitatem David.) In Sion, hæc enim a Davide in urbem exstructa, dicta est civitas David, sicut a Romulo condita dictaque est Roma, a Nino Ninive, ab Alexandro Magno Alexandria, ab Antiocho Antiochia, a Seleuco Seleucia, a Ptolomæo Ptolemais, a Constantino Constantinopolis.

Et erant cum David septem chori.) Musicorum, qui describuntur 1. Paral. 15. scilicet primus v. 17. secundus v. 18. tertius v. 19. quartus v. 20. quintus v. 21. sextus v. 22. septimus v. 24. ubi *ianitores* vocantur Levitæ illi qui arcam antecedebant et sequebantur, ut turbam submoverent, et Levitis arcæ baiulis iter panderent, item ii qui postea in Sion ostiis tabernaculi et templi, in quo erat arca, præficiendi erant.

Et victima vituli.) Addunt Sept. *et agni.* Hæc verba desunt in Hebr. et Chald. Est enallage numeri: *victima vituli*, id est victimæ vitulorum: erant enim plures, ut patet ex seq.

Cumque transcendissent qui portabant arcam Vers. 13.
sex passus, immolabat bovem et arietem.) Ecce hic monitu sacerdotum, qui iam erant præsentes, arca non fuit vecta plaustro, uti factum erat per errorem v. 3. sed

portata humeris Levitarum, puta Caathitarum, uti Deus iusserat Numer. 4. 15.

Immolabat.) In gratiarum actionem sospitatis omnium, quod nemo a Deo percuteretur, uti percussus fuerat Oza, atque in supplicem precem, ut Deus continuaret istam suam erga arcam, presbyteros et comites protectionem et clementiam. Unde 1. Paralip. 15. 26. dicitur: *Cumque adiuvisset eum Deus ad ambulandum, immolarunt septem tauros, et septem arietes*, videlicet per singulos Levitarum psallentium choros unum taurum et unum arietem. Erant enim septem chori. Quatuordecim ergo victimas obtulerunt, ideoque plura altaria erexerunt, in quibus simul omnes immolarentur, cremato dumtaxat adipe, quod ex lege fiebat in hostiis pacificis, quales hæ erant: alioqui enim in tot victimis mactandis, excoriandis, secandis, cremandis nimis longa fuisset tantæ processionis mora. Ita Abul. Denique Serarius censet, ad singulos sex passus has victimas fuisse iteratas. Verum nil tale habet Script. ac sic processio hæc per totum diem, imo per plures dies durare debuisset: magna enim erat distantia a domo Obededom usque ad arcem Sion.

Porro loco citato Paralip. fusius describitur pompa et iubilus huius processionis et translationis arcæ. Lege illum. Hic tantum obscura quædam, quæ ibi dicuntur, explicabo. Ibidem ergo v. 20. dicitur de Levitis: *In nablis arcana cantabant*, quod Abulen. et alii accipiunt sic q. d. Cantabant arcana mysteria, ideoque voce submissa, ac verbis involutis et obscuris. Germanius noster Sanchez per *arcana* accipit psalmos, quorum titulus est עלמות *alamoth*, id est arcana et occulta, quales sunt 9. et 45. qui ita apte solemni huic arcæ translationi congruunt, ut tunc a Davide compositi videantur. Unde pro *arcana* in lib. Paral. Hebr. pariter est *alamoth*.

Rursum v. 21. dicitur *in citharis pro octava canebant epinicium*, id est carmen triumphale pro victoriis de Philisthæis a Davide adeptis. Tale carmen sunt psalmi, qui inscribuntur *victori*, scilicet Deo et Davidi dicatum, quales sunt psalm. 6. et 11. Horum enim tituli ex Sept. sunt: *In fine pro octava*, ubi Hebr. est למנצח *lamnatseach*, id est *victori* vel *vincenti*, ut vertit S. Hieron. et alii. Sed de his plura in psalmis. Videntur ergo tunc psalmos iam dictos quasi epinicium cecinisse Deo pro Davidis victoriis. Mox v. 22. dicitur: *Chonenias autem princeps Levitarum prophetiæ præerat. Prophetiæ*, id est melodiæ; unde explicans subdit, *Ad præcinendum melodiam:* nam prophetare sæpe idem est quod laudare et iubilare Deo. Sic enim Samuel et Saul dicuntur prophetasse lib. 1. c. 19. 24. Cogita quantus fuerit hic tot instrumentorum et cantorum concentus et armonia. Inde v. 26 dicitur: *Cumque adiuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri et septem arietes.* Hebræi τὸ *adiuvisset*, sic explicant, q. d. Deus elevavit arcam super humeros Levitarum, ut illi nullum eius sentirent onus, sed arca seipsam portare et movere videretur. Verum dico Deum adiuvisse Levitas in gestatione arcæ, quia arca tabulis Decalogi lapideis in se inclusis, æque ac auro quo tegebatur, erat gravis et ponderosa, ac ascensus in montem Sion erat arduus et difficilis: Deus ergo animavit et roboravit Levitas, ut hilariter et fortiter arcam in ipsam Sionis arcem sursum deferrent. Ita Abulen. Salianus, Sanchez et alii. Redeamus iam ad nostrum textum et versum.

Et arietem.) Hebr. est מריא *meri* quod æque ac בריא *bari* significat animal pingue et saginatum, sive bos, sive ovis sit: hic nequit esse bos, quia is præcessit. Igitur est ovis. Unde Septuag. hic et alibi sæpe vertunt, *agnum*, qui est aries iunior.

Vers. 14. Et David saltabat totis viribus.) Nonnulli codices addunt: Et *David percutiebat in organis armigatis*, id est ad armos sive humeros ligatis, q. d. In organis portatilibus: quia enim David simul saltabat, et simul organa pulsabat, debebant illa, utpote gravia ex humero suspendi, ne saltum vel pulsum impedirent. Verum hæc verba delenda sunt cum Hebr. Chald. Sept. Roman. Raban. A manuscriptis et aliis passim. Videtur τὸ *armigatis* irrepsisse ex Sept. qui habent in organis ἡρμοσμένοις, id est concinnis et concinne modulantibus.

Saltabat (Vatab. *tripudiabat*) totis viribus (Hebr. et Chald. *in omni fortitudine*) ante Dominum.) Id est ante arcam Domini. Quid fecisset David, si veram Dei arcam, puta S. Eucharistiam, ipsumque in ea Christum Dominum conspexisset? Et quid facere convenit Christianos, cum eandem in templis consecrari, et per plateas solenniter circumduci conspiciunt? Si David tanta pompa concrepantibus tot musicis instrumentis, concinentibus tot Levitarum choris, cum tot victimis totiusque populi concursu et plausu circumtulit arcam, quid nos facere convenit, cum ipse Christus in Eucharistia circumfertur?

Nota et imitare hic insignem Davidis humilitatem, æque ac devotionis fervorem quo meruit fieri pater Christi: quia in arca typica mentis oculis prospiciebat et honorabat Christum antitypum ex se nasciturum. Ita Eucher. « Hic, inquit, humilitas approbata, superbia damnata, B et temeritas vindicata monstratur; quia et ipse David coram arca Domini humiliter saltando non erubuit, mox promissionem filii Dei ex sua stirpe nascituri suscipere promeruit: et coniux quæ eamdem illius humilitatem despexit, eius semine fœcundari non merita, perpetuæ sterilitatis pœnam luit. »

Porro S. Ambr. lib. 1. Apolog. Davidis c. 6. « Docuit, ait, David contuitum regalis potentiæ non habendum, ubi religioni exhibetur officium. Honestum est enim pro religione facere, etsi incongruum sit potestati. » Idem lib. 4. Epist. 30. ad Sabinum, causam literalem huius saltus dat, dicens: « Ludebat enim Domino puer suus, et ideo amplius placuit: quia ita se humiliavit Deo, ut regale posthaberet fastigium, et ultimum exhiberet Deo quasi servulus ministerium. » Idem Ambros. serm. 25. de sanctis causam huius saltus sublimem, sed mysticam assignat. « Elatus gaudio, inquit, in saltationem prorupit. Prævidebat enim in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam. C Unde ait: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Ideo ipse præ ceteris prophetiarum auctoribus plus cantavit, quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros coniugabat: et ad propria vota solito dulcius invitans, docuit nos quid in ipsis nuptiis facere deberemus, cum ille ante nuptias tanta exultatione saltaverit ante arcam. Ergo saltavit Propheta David ante arcam. Arcam autem quid nisi sanctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem. Illa intra semet legem, hæc Evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc verbum. Verumtamen arca intus forisque auri nitore radiabat, sed et sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cælesti. » Audi S. Gregor. lib. 27. Moral. c. 27. (cuius dicta ad verbum more suo transcripserunt Angelomus et Eucherius) « Intueri libet quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quam forti se humilitate servabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, D ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam sternere, a rege proposita extinctis Allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere? Et tamen cum arcam Dei in Ierusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat: Rex se in divino obsequio per saltum rotat. » Et non ita multis interiectis subiicit: « Ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit: saltando autem coram Domino semetipsum vicit. »

Porro saltus hic Davidis fuit militaris, quasi militis pro arca Dei pugnantis, exultantis et triumphantis. Davidem imitati sunt Salii Romani, qui erant sacerdotes Martis, sic dicti, quod in portandis ancilibus saltare solerent: sal-

tus enim militem denotat vegetum, expeditum et animosum: unde Ovid. lib. 3. Fastor. *Iam dederint Saliis a saltu nomina dicta.* Hinc et a Virgil. 8. Æneid. *exultantes Salii* appellantur. Audi Livium lib. 1. *Numa item Salios duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, et super tunicam æneum pectori tegumen, cœlestiaque arma (quæ ancilia nuncupantur) ferre ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis solennique saltatu iussit.*

Denique noster Serarius hic: Qui hodie, ait, ad nos veniunt ex Syria, testantur Christianos, qui degunt in illis regionibus, die Resurrectionis Domini, nec non aliis celebribus festis, venire in templum cum lyris et citharis, et psalmos inter se cantare, ac una saltare, sobrie tamen et modeste; saltare illos aiunt seorsim viros, et seorsim mulieres. Sic in Hispania, et India pueri ante Ven. Sacramentum saltando choros et choreas sacras agunt.

Anagogice S. Ambr. pigri desidia torpent, fervidi exiliunt ad multa et magna virtutum opera, ut per ea in cælum transiliant: *Hæc gloriosa*, ait S. Ambros. lib. 4. epist. 30. ad Sabinum *sapientis saltatio, quam saltavit David, et ideo usque ad sedem Christi sublimitate spiritalis saltationis ascendit, ut videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo: Sede a dextris meis.* Idem Ambros. lib. 2. de Pœniten. c. 6. (tomo 3.) *Totum decet,* inquit, *quidquid defertur religioni, ut nullum obsequium quod proficiat ad cultum et observantiam Christi, erubescamus. Non ergo illa deliciarum comes, atque luxuriæ prædicatur saltatio: sed qua unusquisque corpus attollat impigrum, nec humi pigra iacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis. Saltabat spiritaliter Paulus, cum se pro nobis extenderet, et posteriora obliviscens, priora appetens, contenderet ad bravium Christi. Tu quoque cum ad Baptismum venis, manus elevare; pedes quibus ad æterna conscendas, velociores habere moneris. Hæc saltatio fidei socia, gratiæ comes. Hoc est ergo mysterium: Cantavimus vobis, novi utique canticum testamenti, et non saltastis: hoc est, non elevastis animam ad spiritalem gratiam,* Lucæ 7. Idem Ambr. lib. 6. in Lucam c. 7. docet hanc Davidis saltationem non fuisse lascivam, scenicam vel histrionicam; sed honestam, modestam et piam, *Est honesta,* ait, *saltatio, qua tripudiat animus, et bonis corpus operibus elevatur.*

Porro David erat accinctus ephod lineo) sive *byssino*, ut dicitur 1. Paral. 15. 27. byssus enim fit ex lino candidissimo et subtilissimo. Nam ephod polymitum vestis erat solius Pontificis Exodi 28. 30. Sacerdotes vero et Levitæ vestiebantur ephod lineo, a quo hoc Davidis, utpote laici, ephod erat diversum.

Vers. 15. Ducebant arcam testamenti Domini in iubilo, et in clangore buccinæ) Addit Ioseph. lib. 8. c. 2. aitque: « Ascenduntque illo cum victimis, tam rex quam universus populus ac Levitæ, libaminibus et multo hostiarum sanguine viam perfundentes, et infinitam vim odoramentorum adolentes, ut circumquaque totus aer suavitate repletus etiam longe remotis sentiretur, Additque divino auxilio ita roboratos omnes in hac supplicatione, ut nemo lassesceret, ex quo constans esset omnium opinio, adventare Deum ad inhabitandum recens extructum ac dicatum sibi locum: nam neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus lassitudo est oborta, dum ad templum pervenirent. »

Allegor. arca significabat Ecclesiam novi testamenti militantem, quam Christus in Sione instituit, ad eamque gentes omnes per Apostolos adduxit, et Iudæos in fine mundi adducet. Audi Eucherium. « David arcam in civitatem David inducit, quia Dominus Henoch et Helia prædicantibus, convertet corda patrum in filios. Boves et arietes immolans, hoc est eos, qui arcam Domini triturant, et ovium eius ducatum gerunt, martyrii sanguine coronans, et ipse quoque suæ incarnationis et passionis exemplum eatenus Iudæis non creditum palam manifestans: hoc enim significat, quod et ipse David accinctus erat ephod lineo, quod de terra procreatum multiplici labore, A ad candorem vestis pervenit, sicque veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis ostendit. »

Anagog. arca significabat Ecclesiam Beatorum triumphantem, quam Christus in Sionem cælestem cum triumpho deduxit, præsertim cum ipse illuc gloriose cum omnibus S. Patriarchis et Prophetis quadragesimo die post resurrectionem ascendit. Imo arca testamenti repræsentabat Christi humanitatem gloriosam; in qua quasi arca continebatur et abscondebatur eius divinitas. Rursum arca significabat B. Virginem, quam verus David, id est Christus, cum iubilo angelorum omnium et Sanctorum in cælum deduxit et assumpsit.

Et imposuerunt eam in loco suo in medio ta- Vers. 17.
bernaculi, quod tetenderat ei David.) Hoc tabernaculum Davidis novum erat, et diversum ab eo quod fabricarat Moyses Exodi 25. Hoc enim Mosaicum erat in Gabaon. Fuit ergo a Davide erectum in Sion, ut in eo arcam honorifice collocaret, simulque ante illud erexit altare holocaustorum, in quo victimas immolaret, nam altare B a Mose fabricatum cum tabernaculo mansit in Gabaon, indeque postea a Salomone translatum est in templum a se erectum, ut patet 1. Paral. 16. v. 36. et 40.

Et obtulit David holocausta et pacifica coram Domino); puta coram arca Domini. Porro David tunc dictavit et cani curavit Psal. 28. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum*, ut patet ex titulo Psalmi qui est: *In consummatione tabernaculi.* Tunc pariter constituit Levitas, qui coram arca canerent Psalmum, *Confitemini Domino, et invocate nomen eius,* qui recensetur 1. Paral. 16. 8. ac conflatus est ex Psalmo 104. et 95. ac insuper alios Psalmos.

Benedixit populo) puta, bene precatus est populo. Vers. 18.
Verisimile est Abiathar pontificem in tanta solennitate pariter benedixisse populo dicendo: *Benedicat tibi Dominus et custodiat te: Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem,* uti præscripserat Deus Numer. 6. 23.

C Et partitus est, etc: singulis collyridam panis Vers. 19.
unam) *Collyrida* erat torta panis vel placentæ, cui dulciaria erant mista ad gustus delicias. Audi Rhodiginum lib. 9. Antiq. c. 16. *Collyra dicta minuti panes, qui dari pueris consuevere. Alicubi tamen collyria dicuntur lalangia; unde et κολλυρίζειν verbum, quo in sartagine lalangiorum percoctio significatur.*

Et assaturam bubulæ (id est bovinæ; male ergo in Regiis legitur *bubalæ:* non enim de bubalis, sed de bobus hic est sermo) carnis unam.) Sic et Sept. hic æque ac 1. Paral. 10. 3. Hebr. est אשׁפר *espar*, quod compositum ex אשׁ *es*, id est igne (q. d. Assum igne) et פר *par*, id est iuvencus: vel, ut Marinus in Lexico, conflatum ex אחד *echad*, id est una, שׁשׁה *sciscia*, id est sex, et פר *par*, id est iuvencus. q. d. Una ex sex partibus iuvenci: Paguin. vertit, *frustum carnis pulchrum.*

Et similam frixam oleo) Hebr. אשׁישׁה *asciscia*, quod Vatab. Pagn. Arias et alii Hebraizantes vertunt, *lagenam vini;* hanc enim David pro potu eis dedit cum D cibo. Verum Noster hic æque ac Sept. tam hic quam 1. Paral. 16. 3. constanter vertunt, *similam frixam oleo*, quibus, utpote priscis et Hebraicæ linguæ peritissimis, magis credendum est, quam recentioribus coniectantibus. Vide dicta Cantic. 2. 5. et Osee 3. 1. Potum eis ergo non dedit David, sed sivit ut quisque eum domi ad libitum sumeret, vel si dedit, is hic non exprimitur.

Reversusque est David, ut benediceret domui Vers. 20.
suæ) ut sicut populo bene precatus fuerat, ita bene precaretur suis quoque domesticis qui custodiæ causa in arce remanserant. Rursum *ut benediceret,* id est benefaceret largiendo ipsis eadem vel plura munera, quæ largitus fuerat singulis e populo ob celebritatem et lætitiam translatæ arcæ: ita Serarius, Caiet. Abul. et alii.

Et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris) *Nudatus,* non quod David omnino esset nudus: hoc enim indecens et turpe fuisset, sed quod deposuisset extimam vestem regalem ut indueret ephod: perinde ac si

hodie rex deposito paludamento vestitus thorace et caligis dumtaxat, desuper indueret superhumeralem amictum lineum, itaque in processione vel sacrificio Missæ appareret, ac cum cantoribus superpelliceo vestitis caneret. Ita Caiet. Michol erat filia regis Saulis, et uxor regis Davidis: unde indignum putabat regia sua et Davidis maiestate, quod ipse saltaret ante arcam. *Nesciebat ipsa*, ait Theodor. et Procop. *divini amoris stimulos, qui magnos etiam ad parva excitat.*

Alleg. Angelomus: David transferens arcam, a Michol irrisus est. « Sic Dominus Iesus Christus, inquit, cum testamentum Dei in Ecclesiam suam transferre voluit, hoc est, ex veteri testamento Evangelica præceptat velut qui nova conderet, a plebe Iudaica comprehensus, atque in cruce suspensus, ludibrium eis fuit. In qua cruce velut nudus eis apparuit, dum potentiam divinitatis suæ illis abscondens, infirmitatem tantum carnis ostendit. »

Vers. 22. Et ludam et vilior fiam (S. Ambros. lib. 1. Apol. Davidis c. 6. legit, *ero nugax ante oculos tuos*) plus quam factus sum: et ero humilis in oculis meis; et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.) Vera enim gloria est humilitas, quæ Davidem et sanctos gloriosos effecit, dum per heroicam demissionis virtutem se inferioribus associant et quasi æquant, cum eisque abiecta et in speciem vilia obeunt ministeria ad Dei honorem et cultum. Audi S. Gregor. (cuius verba transcribunt Eucher. et Angelom.) lib. 27. Mor. c. ult. ubi Davidis sensa sic explicat: « Vilescere coram hominibus appeto, quia servare me coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli, qui de semetipsis humilia sentiunt quia in honoribus positi nil se esse, nisi pulverem favillamque perpendunt; sed tamen coram hominibus despecti apparere refugiunt, et contra hoc quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt, deiectos se exhibendo, contemnunt: sed tamen apud se introrsus quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elationem premunt. Quæ utraque unius elationis bella magna David circumspectione deprehendit, mira virtute superavit. » Probat idipsum dum subiicit: « Quia enim de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non quærit, insinuat dicens: Ludam et vilior fiam. Et quia per hoc quod vilem se exterius præbuit, nequaquam interius intumescit adiungit: Eroque humilis in oculis meis; ac si dicat: Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me et interius attendo. Quid ergo acturi sunt quos doctrina elevat, si David ex carne sua venturum Redemptorem noverat, eiusque gaudia prophetando nuntiabat, et tamen in semetipso cervicem cordis valida discretionis calce deprimebat, dicens: Eroque humilis in oculis meis? »

Tropol. S. Bernard. epist. 87. ad Ogerium: « Ludam, inquit, ut illudar. Bonus ludus quo Michol irascitur et Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus quo efficimur opprobrium abundantibus, et despectio superbis. Nam revera quid aliud sæcularibus, quam ludere videmur: cum quod ipsi appetant in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus: et quod ipsi fugiunt, nos appetimus? » Et nonnullis interiectis: « Non est hic ludus puerilis: non est de theatro: qui femineis fœdisque anfractibus provocet libidinem, actus sordidos repræsentet. Sed est ludus iucundus, honestus, gravis, spectabilis, qui cælestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto et religioso ludo ludebat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus Angelis et hominibus. Hoc ludo et nos interim ludamus, ut illudamur, confundamur, humiliemur: donec veniat, qui potentes deponit et exaltat humiles, qui nos lætificet, glorificet, in æternum exaltet. »

(Lusus sanctorum est mundo illudere)

Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.) Vers. 23. Michol, ait S. Ambr. lib. 4. epist. 30. ad Sabinum, *sterilitatis damnata non edidit sobolem regiam ne superbos crearet* sibi similes, utpote superba. Communiter docent Interpretes Michol nec ex Davide, nec ex Phalti, nec ex alio viro ullos procreasse liberos. Videtur Michol naturæ fuisse sterilis: nam per undecim annos, nupta Davidi hucusque nullos ei dedit filios, quod sterilitatis vitium Deus illi hic in pœnam irrisionis Davidis confirmavit. Addit Pineda lib. 7. de Rebus Salomonis c. 4. Davidem deinceps eius usu et copula maritali abstinuisse: sed hoc incertum est.

Dices, c. 21. v. 8. numerantur quinque filii Michol. Negantur Rabbini dicentes Michol tantum fuisse sterilem eo tempore quo irrisit Davidem. Verius Hebræi prisci apud S. Hieron. et Abulens. respondent illos filios fuisse ex ipsius sorore Merob, sed ab ipsa adoptatos: Iosephus vero non ex Davide, sed ex altero viro susceptos vult. Si enim, aiunt Theodor. et Procop. ex Davide et ipsa nati filii fuissent, facilius in reges postea fuissent adscripti, quia et patrem regem et matrem regis filiam habuissent. Sed prior Hebr. responsio est verior, ut patebit cap. 21. 8.

Symbol. Michol repræsentat Paganos, Iudæos, hæretichos, ceterosque impios qui Ecclesiæ fidem, ceremonias, piorumque hominum facta irrident et calumniantur: ita Eucher. Angelom. et S. Ambros. lib. 1. Apol. David. c. 6. unde *Michol* hebr. idem est quod *omnis aqua*, ait Eucher. aqua autem symbolum est persecutionis et persequentium, qui ut aqua in vitia carnalia diffluunt, ideoque vere pios et spirituales quasi sibi ex diametro adversos persequuntur.

Denique sensus Michol fuit sensus Gentilium, qui indignum regum æque ac deorum maiestate censebant canere, psallere, choros agere. Tritum est illud: *Iupiter non cantat, nec citharam pulsat.* Philippus rex filium suum Alexandrum Magnum reprehendit, eo quod cantasset. Nero quoque ob cantum male audivit teste Svetonio. At contrarius fuit in divinis fidelium etiam magnatum zelus et usus. Ut alios taceam, ante centum annos Thomas Morus Angliæ Cancellarius et Martyr Davidem imitatus est. Audi quid de eo scribat Thomas Stapletonius in eius Vita c. 6. pag. 87. *Sed et in ipsa sua ecclesia sacerdoti canenti indutus superpelliceum concinebat. Quod cum etiam regni Cancellarius faceret, monitus a Duce Northfolciæ, qui aliquando superveniens eum sic cum superpelliceo in choro canentem deprehenderat, hunc eius agendi morem Regi haud dubie displiciturum, ut nimis humilem, ac dignitati qua fungeretur minus congruum, respondit: Domino meo Regi displicere non potest, quod ipsius Regis Domino obsequium impendo. Iam vero sacerdoti sacrificanti (supplens locum idiotæ) ad altare ministrabat: et interdum in supplicationibus de more publicis, sed parochiæ suæ, crucem sacerdoti præferebat, vulgaris clerici vel æditui officium facere nihil recusans, nihil detrectans, nihil erubescens, imo vehementer gaudens: quasique cum David tripudians ante arcam Domini et dicens: Vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.* Hucusque Stapleton.

(Thomæ Mori pietas.)

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David destinat fabricare templum, idque probat Nathan Propheta; sed admonitus a Deo id revocat, asseritque non Davidem, sed filium eius Salomonem templum ædificaturum. Secundo, Deus Davidi vers. 16. promittit posteritatem continuam et regnum perpetuum.

1. FACTUM est autem cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, 2. Dixit ad Nathan prophetam: Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium? 3. Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est. 4. Factum est autem in illa nocte: et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: 5. Vade, et loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? 6. Neque enim habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de Terra Ægypti, usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, et in tentorio. 7. Per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? 8. Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel: 9. Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua: fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. 10. Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum, et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius: nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius, 11. Ex die qua constitui iudices super populum meum Israel: et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis; prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. 12. Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius; 13. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum. 14. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. 15. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. 16. Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter. 17. Secundum omnia verba hæc, et iuxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David: 18. Ingressus est autem rex David, et sedit coram Domino, et dixit: Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? 19. Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus. 20. Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim scis servum tuum Domine Deus. 21. Propter verbum tuum, et secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita ut notum faceres servo tuo. 22. Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audivimus auribus nostris. 23. Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum, et poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, et horribilia super terram, a facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, et deum eius. 24. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum: et tu Domine Deus factus es eis in Deum. 25. Nunc ergo Domine Deus, verbum quod locutus es super servum tuum, et super domum eius, suscita in sempiternum: et fac sicut locutus es, 26. Ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino, 27. Quia tu Domine exercituum Deus Israel revelasti aurem servi tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propterea invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac. 28. Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera: locutus es enim ad servum tuum bona hæc. 29. Incipe ergo, et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.

IDEM narratur et repetitur 1. Paral. c. 17. quod proinde totum huc pertinet.

Vers. 2. ET ARCA DEI POSITA SIT IN MEDIO PELLIUM.) Tabernaculum enim in quo erat arca tegebatur pellibus arietum rubricatis et ianthinis instar papilionis, Exodi 26. 14. q. d. Hoc indignum videtur, volo ergo ædificare templum magnificum, ut in eo honorifice collocem arcam Dei. Porro David fabricam templi non tantum voluit, sed et vovit, ut patet Psal. 131. v. 2. et seq. Iosephus asserit Davidem id voluisse ex Dei præcepto: sed errat: nusquam enim Deus præcepit ei ut templum fabricaret, imo volentem inhibuit, ut patet v 5. voluit ergo, vovitque David hanc fabricam ex mero ardentique devotionis Deique cultus zelo, qui eum adegerat ut ante arcam coram toto populo totis viribus saltaret, indeque in dies crevit in eo hic zelus, præsertim quia præsente arca ipsa maiora Dei in se in dies experiebatur beneficia. Quare indignum iudicabat ut ipse habitaret in domo cedrina, Deus vero Deique arca degeret in tabernaculo pelliceo et papilione.

Historiam hanc ita narrat Eupolemus apud Euseb. lib. 9. Præpar. Evang. sub finem. « Cum vellet David templum ædificare Deo, rogavit Deum ut locum ei altaris ostenderet. Ibi ei Angelus apparuit stans super locum ubi altare statuerat Hierosolymis, iussitque ei templum non statuere, quod humano sanguine pollutus esset, multaque bella gessisset. Nomen vero illi fuit Dianathan, eique imperavit ut filio ædificationem permitteret, ipse vero, quæ ad apparatum pertinerent, adornaret. »

DIXITQUE NATHAN AD REGEM: OMNE QUOD EST IN Vers. 3.
CORDE TUO, VADE, FAC.) Nathan erat propheta Davidi familiaris, et a consiliis, teste S. Epiph. Isidoro et Dorotheo in Vitis Prophetarum: sed quia hic Deum non consuluit, hinc nec a Deo fuit illustratus, sed erravit; errorem tamen illico admonitus a Deo correxit. Sic Prophetæ subinde loquuntur ex instinctu non Dei, sed iudicii et spiritus proprii, imo propter usum prophetiæ pu-

tant se loqui ex spiritu Dei, cum loquantur ex suo; tumque errare possunt, et quandoque errant, uti docet Theodor. hic, et S. Gregor. homil. 1. in Ezech. ac S. Thomas 2. 2. q. 171. art. 5. Causam dat Angelomus dicens: « Quod omnipotens Deus ex magna pietatis dispensatione disponit, quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit, prophetantium mentes et elevat in celsitudine, et custodit in humilitate: ut accipientes spiritum, inveniant quid de Deo sint: et rursum prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid de semetipsis sint. »

Vers. 5. Numquid tu ædificabis mihi domum?) Volitum votumque Davidis de fabricando templo quoad rem probavit laudavitque Deus, ut religiosum et pium sanctumque, sed non quoad personam. Noluit enim illud a Davide fabricari, sed a Salomone. Causa assignatur 1. Paral. 22. 8. scilicet quod David continuus in bellis multum effuderat sanguinis: quare indecens erat ut David tanto hominum sanguine cruentatis manibus fabricaret Deo purissimo, mansuetissimo, sanctissimo et clementissimo domum, sive templum. Idipsum ergo voluit fieri a Salomone, qui pace fruens fuit rex pacificus, ideoque typus Christi, qui venit in mundum totus mitis et benignus, ut Ecclesiam fidelium Deo extrueret, eamque in pace gubernaret, iuxta illud: *Factus est in pace locus eius.* Ita Eucher. Rupert. et Prosper. de Promis. par. 2. c. 27.

Tropol. significatur, ait ex S. Greg. lib. 7. Moral. cap. 16. Angelomus, quod « qui vir sanguinum est, hoc est, qui adhuc carnalibus actibus incubat, templum Deo, sanctam scilicet Ecclesiam, per prædicationis officium construere non debet: seu etiam moraliter innuitur, quod mundus in se esse a vitiis debet, qui aliena curat corrigere: terrena non cogitet ut desideriis infimis non succumbat, quatenus tanto perspicacius aliis fugienda prævideat, quanto hæc ipse per scientiam et vitam verius declinat. Nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat: et superiectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. »

Simili modo Deus Geizæ Duci Hungariæ, qui fuit pater S. Stephani primi Hungarorum regis, volenti ædificare templum idipsum per visionem inhibuit: *Habes*, enim, inquit, *manus sanguine pollutas, sed filius tuus Stephanus id faciet, ideoque in præmium primus Hungarorum rex coronabitur.* Idem confirmavit S. Stephanus Protomartyr apparens Geizæ iubensque ut filio nomen suum imponeret, eumque ex se Stephanum vocaret. Hic fuit rex sanctus, qui Hungaros ad Christum convertit. Unde Pontifex Romanus coronam ei regiam mittens: *Ego*, inquit, *sum Apostolicus, Stephanus vero est Hungariæ Apostolus.* Ita habet Vita S. Stephani apud Surium ad diem 20. Augusti.

S. Stephanus rex Hungar. Apostolus

Anagog. significatur Ecclesia triumphans in cælo gloriose ædificanda a Christo pacifico, in summa omnium Beatorum pace et securitate, unione et concordia, æque ac puritate, innocentia et sanctitate.

Vers. 7. Numquid loquens locutus sum, etc. quare non ædificastis mihi domum cedrinam?) Deus noluit ædificari templum a Iosue, Gedeone, vel aliquo alio Iudice, quia omnes versati in bellis multum sanguinis fuderunt, fuereque viri sanguinum. Ita Angelomus.

Vers. 10. Et ponam locum populo meo Israel) *locum*, scilicet stabilem et felicem; ut scilicet Israelitæ amplius non vagentur, non abducantur captivi, non miseram vitam agant, uti fecere hactenus vexati a Philisthæis, aliisque gentibus. Unde explicans subdit:

Et plantabo eum) q. d. Instar plantæ et arboris radicatæ firmabo Israelem in Iudæa, ut in ea firmiter et feliciter conquiescat, ac opulenter et hilariter vivat.

Et habitabit sub eo) id est in eo, scilicet loco suo, quasi in umbraculo, ut eo undequaque tectus, stabilis et securus permaneat.

Vers. 11. Prædicitque tibi Dominus, quod domum faciet tibi Dominus) *Domum*, id est prolem et familiam regiam: illa enim vocatur *domus* antonomastice. Caiet. per *domum* accipit Messiam sive Christum, quasi hic Deus

A promittat Davidi Christum ex se nasciturum. Hoc verum est, at in sensu non literali, ut vult Abul. sed allegorico, quem tamen Deus hic una cum literali videtur revelasse et patefecisse Davidi, ut patebit ex sequent.

Cumque completi fuerint dies tui, etc. suscitabo semen tuum post te) id est, suscitabo Salomonem ad regnum ut regnet post te: licet enim Salomon iussu Davidis viventis unctus sit in regem, non tamen plene regnavit Davide vivo, sed unctus est ad hoc ut post eum regnaret, eique mortuo in regno succederet. Vers. 12.

Ipse ædificabit domum nomini meo) Salomon scilicet, ut patet 2. Paral. 28. 6. David tamen Salomoni dedit ideam perfectissimam a Deo acceptam totius templi, item maximam auri argentique copiam ad fabricandum templum, ut patet 3. Reg. 8. v. 16. et seq. et 1. Paral. 22. v. 8. et seq. ac 2. Paral. 33. v. 7. Vers. 13.

Allegor. Salomon, id est Christus, ædificavit Ecclesiam, quasi regnum et thronum Dei sempiternum, illique Deus verus et proprius est pater, ut sequitur. Unde
B Angelom. Eucher. Rup. censent hæc per hyperbolem dici de Salomone, proprie vero et integre de Christo. Huius enim thronus absolute est sempiternus, cum Salomonis thronus respective tantum fuerit sempiternus, nimirum respectu suæ gentis dumtaxat, quia scilicet semper duravit, quamdiu duravit Israelis resp. et regnum.

Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium) Quæres, de quo ad literam hic Deus loquatur, an de Salomone, an de Christo: Primo, aliqui putant quædam ex hisce quæ hic dicuntur, ad literam competere Christo, quædam Salomoni. Ita Theodor. et Procop. Secundo, alii omnia ad literam attribuunt Christo: ille enim est solus verus Dei filius, et regnum eius æternum. Ita Angelom. et Glossa. Tertio, Lyran. et Abul. hæc ad literam accipiunt tam de Christo quam de Salomone. Vers. 14.

Quarto, Hebræi et multi ex Latinis, ad literam interpretantur de Salomone. Allegor. de Christo. Hæc sententia verior est, ut patet ex lib. 1. Paral. c. 28. v. 6. ubi
C hæc omnia Salomoni expresse attribuuntur, *Salomon*, inquit, *filius tuus ædificabit domum meam: ipsum enim elegi in filium, et ego ero ei in patrem, et firmabo regnum eius usque in æternum.* Et patet, quia Deus loquitur de eo qui post Davidem erat fabricaturus templum, quod ædificare volebat David, sed prohibitus fuit a Deo. Hic autem non alius fuit, quam Salomon. Verum, quia Salomon erat typus Christi, qui ædificaturus erat Ecclesiam novam Dei, quæ longe erat potior templo, idque in spiritu prævidebat Propheta, eoque aciem mentis et spiritus sui intendebat; hinc allegorico, sed potiore sensu hæc dicuntur de Christo; unde nonnulla, quæ hic dicuntur, tenuiter et inchoate dumtaxat competunt Salomoni, plene vero et perfecte Christo, ut τὸ *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Et: *firmabo thronum regni eius usque in sempiternum.* De fide ergo est, hunc locum intelligi de Christo. Nam de eo explicat illum S. Paulus Hebr. 1. 5. ubi fuse eumdem explicui. Unde S. August. lib. 17. de Civit. c. 8. et 9. asserit, hic quædam dici de Salomone uti erat privata persona; quædam vero uti erat typus Chri-
D sti. Vide hic quam tenere et ardenter dilexerit Deus Salomonem, ut illum præ omnibus sibi adsciscat in filium, velitque eius esse pater, ac paterna in eum officia exercere.

Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum.) Quibus scilicet homines solent castigare suos filios, ut eos non occidant, sed emendent, q. d. Castigabo Salomonem si peccet, paterne ut pater, non severe et rigide ut iudex. Rursum, castigabo eum sicut castigare soleo homines, scilicet humano more, pœna humana, temporaria et clementi, puta morbo, fame, bello: non autem sicut castigavi angelos, quos cælesti regno privavi, et gehennæ in æternum addixi: nec sicut castigavi Saulem, quem abieci et regno spoliavi irremissibiliter, et in æternum. Hinc Burgens. et alii colligunt, Salomonem non esse damnatum, sed salvatum; verum hic proprie non agitur de sa-

lute, sed de regno Salomonis perpetuando in posteros, quamdiu duratura erat Hebræorum resp. et regnum: unde explicans subdit:

Vers. 15. MISERICORDIAM AUTEM MEAM NON AUFERAM AB EO, SICUT ABSTULI A SAUL, QUEM AMOVI A FACIE MEA.

Vers. 16. ET FIDELIS ERIT DOMUS TUA, ET REGNUM TUUM USQUE IN ÆTERNUM) *Fidelis* hebr. נאמן *neeman*, id est firma, stabilis, perennans, æterna, iuxta sensum quem dedi v. 13. Et hoc significat Græcum πιςωθήσεται.

Allegor. de Christi persona hæc dici nequeunt; fuit enim ipsa impeccabilis, sed de eius membris, puta fidelibus, quos peccantes Deus clementer castigat quasi pater ut eos emendet.

Vers. 18. INGRESSUS EST AUTEM DAVID, ET SEDIT CORAM DOMINO, ET DIXIT: QUIS EGO SUM DOMINE?) Nimirum sedit in tabernaculo coram arca Dei, non ob desidiam, vel mollitiem, sed ut quietius, secretius, attentius et intentius oraret, totumque cor suum coram Deo effunderet. Ad hæc enim iuvat sessio. Ita S. August. loco mox citando, et ex eo Eucher. *Sedit*, inquit, *sive propter secre-* David sedendo oravit. Cur? *tum semotis arbitris, sive propter intimum cordis, ubi erat orantis affectus.* Sic S. Bernardus sedendo solebat meditari, tum quia corpore erat infirmo, lasso et debili; tum ut silentius, quietius, devotius et diutius meditaretur. Corpore enim quiescente, quiescit et spiritus, ut libere totus Deo attendat et intendat. Addunt Sanchez et alii Davidem sedisse non in solio aut sede, sed humi in terra et pulvere, idque studio humilitatis æque ac reverentiæ Dei, uti fecit Iob c. 2. v. 8. et 13. Et Ierusalem vastata a Chaldæis, ideoque lugens et pœnitens, iuxta illud Thren. 1. 1. *Quomodo sedet sola civitas.* Quocirca Iosephus ait Davidem in faciem suam procidisse, et stratum humi more supplicantis orasse Deum.

Aliam sessionis Davidis causam dat Vatab. dicens, *Nemini sedenti licebat orare Deum, nisi regi.* Sed hoc falsum est. Nam et Elias qui non erat rex, sedens sub iunipero oravit Deum 3. Reg. 19. 4. et Psalm. 136. 1. Hebræi in Babylone captivi plangentes et orantes dicunt: *Illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion.* Et Moses Exodi 17. 12. sedens orabat, vincebatque Amalech: sedit ergo David animo magis quam corpore, tacite et tranquille Dei in se beneficia meditando, et gratias agendo iuxta illud Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius, et tacebit; quia levavit super se.* Unde Angelom. *Sedere coram Domino,* inquit, *est beneficia eius in humilitate cordis confiteri.*

S. Simplicianus, qui S. Ambrosio in Episcopatu Mediolanensi successit, proposuit hanc quæstionem S. Augustino, cur David tam pius sedendo oraverit cum fideles genuflexi orare soleant, uti oravit Christus in horto Matt. 26. et Stephanus in martyrio Actor. 7. et S. Paulus in ergastulo Ephes. 3. 14. Cui respondet S. August. lib. 2. ad Simplician. quæst. 4. nullum gestum oranti in Lege fuisse præscriptum, sed liberum fuisse quolibet uti, qui cuiusque conditioni et devotioni foret accommodus: *Nam et stantes,* inquit, *oramus, sicut scriptum est. Publicanus autem de longinquo stabat, et fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus: et sedentes, sicut ecce David et Elias. Nisi autem iacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis; Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Cum enim quisque orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad movendum animum.* Idem fecere Gentiles: unde rex Ninive pœnitens prædicante Iona c. 3. 5. sedit in cinere. Plutarchus in vita Numæ Pompilii, qui Romulo Romæ in regno successit pag. 23. scribit Numam sanxisse, eos qui Deum adorant, in orbem se vertere oportere, deinde vero sedere: quo ritu, inquit, et ratas preces, et in bonis perseverantiam fere significant; vel non esse Deum interpellandum obiter, et cum aliis occupamur, sed cum adest tempus opportunum, quo quiescimus, et ab aliis negotiis, curisque feriamur. Denique Philosophus: *Anima,* in- Anima sedendo fit sapiens. quit, *sedendo fit sapiens:* Subsidentibus enim sessione humoribus, sedantur animæ affectiones, quæ rationem tur- A bant, quibus sedatis clarius mens videt id, quod verum sanctumque est. De vario orantium situ rituque fuse disserit Hieron. Mer. lib. 3. de Gymnastica c. 3. Denique rerum spiritualium magistri hanc dant orandi regulam. *In orando et meditando ille corporis habitus tenendus est, qui aptus videtur ad excitandam in nobis internam devotionem.*

QUIS EGO SUM, DOMINE DEUS, ET QUÆ DOMUS MEA, QUIA ADDUXISTI ME HUCUSQUE?) Vers. 18. Ut ex pastore ovium faceres regem populorum, ex paupere divitem, ex vili nobilem, ex incognito celebrem et famosum. Dicant hoc illi, quos Deus ex humili imoque loco ad fastigium dignitatis, v. g. ad Episcopatum, principatum, Apostolatum, extollit non ipsorum merito, sed gratuito Dei dono. Scripsit in hanc Davidis sententiam homil. S. Chrysost. (vel quisquis est auctor: stylus enim indicat fuisse Latinum, non Græcum, ac citat S. Cyprianum, quod insolens est apud S. Chrysost.) quæ extat tom. 1. ubi inter cætera ait: *Agnoverat iste sanctus, quod* Genes. 18. *dixit Abraham Deo:* B *Ego sum terra et cinis. Et singuli ita Deo dixerunt, ut forma esset perfectæ humilitatis. Ergo quis sum ego, Domine mi? Ecce se nihil esse dixit, et servum se esse non negavit: quia omnis qui confitetur servitutem, meretur gratiæ libertatem. Ergo dicit: Quis sum ego, Domine mi? Videtis ubique regnare gratiam, ubique pia viscera possidere, cor humile illustrare, benignos sibi redigere, confessores suos ditare.* Et paucis interiectis: *Noverat se pastorem esse ovium, et non genere nobilitatum. Sed quando factus est nobilis, agnovit se ex nihilo fuisse sublevatum; et quia non est oblitus, quis natus erat, perseveravit in culmine regali.* Vide quæ dixi Ioan. 1. v. 19. ad illa *Tu quis es?*

ISTA ENIM EST LEX ADAM, DOMINE DEUS) Primo, Vers. 19. Angelomus sic explicat q. d. *Ista est lex hominis, Domine Deus, ut tibi in simplicitate cordis et puritate serviat: et tu facias ei misericordiam tuam, sicut mihi dignatus es facere servo tuo.* Lex Adam quæ? Resp. 1. Secundo, Vatab. q. d. Ista 2.
C conditio et sors regalis est hominis præclari et excellentis, non vilis et abiecti, qualis ego sum. Unde Vatab Hebr. תורת *thorat* id est lex, vertit, *directio:* Chald. vero vertit, *visio*, a rad. ראה *raa*, id est, vidit. Tertio, alii q. d. 3.
Lex Adæ, id est hominis est ut sit mortalis et moriatur. Quid est ergo, o Domine, quod me meumque regnum velis esse æternum? *Lex Adæ* est ut sit miser, pauper et abiectus: quid est ergo quod me tantis opibus et honoribus cumulas? *Quid est homo, quia ita magnificas eum?*

Quarto, et genuine, q. d. Tu Domine votis meis obse- 4. verius. cundasti; imo ea prævenisti. *Lex*, enim, id est inclinatio, homini a natura insita ista est, iste communis hominum est mos et usus, ut non putent sibi omnino satisfactum, esto opulenti sint, honorati et felices, nisi etiam de posteris, eorumque felicitate et gloria prospectum sit, quod tu Domine mihi facere dignatus es, promittens posteros meos semper fore reges, et continua serie perpetim mihi in regno successuros. Ita Abul. Hugo, Caiet. Dion. et alii. Ratio est, quod homo naturaliter amet suos filios et posteros perpetim gloriosos, ut in iis semper superstes sit,
D et æternitatem quandam memoriæ, famæ et gloriæ assequatur. Filii enim sunt quasi pars et membra parentum, qui proinde filios amant ut seipsos, imo magis quam seipsos.

QUID ERGO ADDERE POTERIT ADHUC DAVID, UT LOQUATUR AD TE? TU ENIM SCIS SERVUM TUUM DOMINE) Vers. 20. *scis*, id est, cognoscis, curas, amas, dirigis, exaltas, glorificas. Sic enim explicatur 1. Paral. 17. v. 18. cum dicitur: *Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum et cognoveris eum?* Hæc enim Dei cognitio et scientia, non est speculativa et arida; sed practica et fœcunda, ac proinde Dei amorem et beneficentiam involvit. Sic Apostolus de prædestinatis et electis ad gloriam ait: *Cognovit Dominus, qui sunt eius* 2. Timoth. 2. 19. reprobis vero dicet Christus in die iudicii, *Nescio vos,* Matth. 25. 12.

PROPTER VERBUM TUUM) q. d. Hæc magnalia mihi Vers. 21.

præstitisti non propter merita mea, sed ut impleres promissiones tuas, quibus promisisti mihi benefacere, cum per Samuelem me instituisti et unxisti regem.

Ita ut notum faceres servo tuo) ut scilicet mihi exhiberes hæc magnalia promissa, ut ego illa cognoscerem, imo oculis cernerem et manibus palparem.

Vers. 23. Et poneret sibi nomen) ut Israel esset et vocaretur populus Dei, quæ est dignitas eximia, ac titulus summi honoris, æque ac utilitatis. Ita Vatab. Aut, *ut nomen*, id est famam et gloriam sibi pararet. Ita Abulens.

Tò gentem et Deum eius, quid? Resp. I. Quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, et Deum eius) ut scilicet Israel sit tua gens et populus, ac tu vicissim sis Deus eius. Unde explicans subdit: *Et tu Domine Deus factus es eis in Deum.* Secundo, alii referunt ad *τὸ faceretque eis magnalia et horribilia,* scilicet percutiendo Ægypti hostis eorum *gentem et Deum*, hoc est Deos, q. d. Tu o Domine, pro tuis Hebræis pugnans, percussisti Ægypti gentem, et deos qui Hebræis adversabantur. Unde recentiores passim cum Chald. ex Hebr. vertunt in ablativo, *gente et Deo eius* q. d. redemisti Israel ex Ægypto, ac consequenter ab Ægyptia gente et Deo, id est diis eiusdem gentis. Aut planius referas ad *τὸ, faceretque eis magnalia et horribilia super terram* q. d. Deus pro Hebræis magna et horribilia patravit miracula tum super terram Ægypti et Chanaan, tum super *gentem, et Deum*, id est deos eiusdem. Deus enim multis plagis per Mosen et Iosue afflixit tum ipsam terram Ægypti et Chanaan, tum ipsam gentem Ægyptiorum et Chananæorum, tum deos et idola eorum, ea evertendo et confringendo. Ita Sanchez. Hic sensus præ ceteris plenior videtur, et magis congruere Hebræo, Chald. et Sept. qui pro *gentem*, habent *gentes* in plurali, quod magis septem gentibus Chananæorum et Ægyptiorum, quam uni Hebræorum genti congruit.

III. Tertio, alii per *Deum*, hebr. *Elohim* intelligunt Mosen, qui a Deo constitutus est Deus Pharaonis æque ac Israelis, utpote eius legislator et dux vice Dei Exodi c. 4. 16. et cap. 7. 1. vide ibi dicta q. d. Redemisti ex Ægypto gentem Hebræam, et *Deum eius*, id est Mosen, qui eius erat princeps, dux ex ductor loco Dei.

IV. Quarto, nonnulli per *Deum* sive *Elohim*, intelligunt S. Michaelem, qui vice Dei erat dux, custos et præses Israelis. Hic enim dum Israelitæ captivi in Ægypto ex ea liberarentur et liberi exirent, cum eis egrediens ex Ægypto quasi liberari videbatur.

V. Quinto, Sept. pro אלהיו *Elohau* id est *Deum eius* per metathesin legentes אהליו *aholau* id est *tabernacula eius*, vertunt, *redemisti tibi ex Ægypto gentes et tabernacula eius.* Hebræi enim ex Ægypto exierunt cum supellectile non tantum sua, sed et Ægyptiorum, quam commodato, iussu Dei acceperant, ut spoliarent Ægyptum, Exodi 12.

Suscita) Hebr. הקם *hachem* id est statue, stabili, confirma. Vers. 25.

Revelasti aurem servi tui (hoc est, secreto et quasi in aurem ei dixisti:) Invenit servus tuus cor suum, scilicet paratum, gratum et alacre, ut oraret te oratione hac) et orando, pro tot magnalibus sibi præstitis gratias ageret non condignas, sed sibi possibiles. Alii, *invenit cor suum*, id est, invenit consilium, inquiunt, sibi deinceps usui futurum. Idem argumentum gratiarum actionis ob beneficia sibi præstita, præsertim ob promissa de domo et regno suo perpetuando, ac consequenter de Christo ex se nascituro, tractat David Psal. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo:* atque hac gratitudine meruit hæc promissa a Deo sibi confirmari et augeri. Vers. 27.

Benedicetur domus servi tui in sempiternum) ut semper ex domo et familia mea in regno succedant, ac super Israelem regnent posteri mei, quamdiu durabit Israelis regnum. Vers. 29.

Abul. hic quæst. ult. tractat quæstionem, An Salomon sit damnatus? et respondet affirmative, idque maxime probat ex eo quod ipse idola a se erecta moriens non destruxerit, quod utique facere debuisset, et reipsa fecisset, si vere pœnituisset: nam idola hæc trecentis fere post eum annis destruxit Iosias rex 4. Reg. 23. Si dicas etiam Asa, Iosaphat et Ezechiam pios reges hæc non destruxisse; respondet, id eos facere non potuisse, eo quod idololatria inducta per Salomonem, roborata et aucta fuerit per Ieroboam, qui schisma fecit erectis aureis vitulis quasi idolis in Dan et Bethel. Salomon vero ea destruere poterat et debebat, tum quia erat potentissimus, tum quia nullum habebat æmulum, sed in plena pace omnibus sibi obedientibus regnabat. Idem censent Angelomus et Eucherius 4. Reg. 23. Beda in Allegoriis lib. Regum sub finem, ac Prosper lib. parte 2. Prædict. cap. 27. *Salomon*, inquit, *elatus in senio, fornicatus mente et corpore, Domino ipsum deserente, male obiit, metuendum exemplum posteris relinquens, ne felicitate huius vitæ turbati Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas.* Verum moderni interpretes in Salomonem mitiores sunt, meliusque de eius salute sperant. Vide dicta Eccli. 47. 22.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David a Deo exclusus a fabrica templi, convertit se ad bella, quibus pacem et spolia paret Salomoni ad illud fabricandum. Quare hoc capite quinque eius bella recensentur, quibus totidem gentes vicinas subiugavit et tributarias fecit; scilicet primo, Philisthæos vers. 1. secundo, Moabitas vers. 2. tertio, Adarezer, regem Soba, vers. 3. quarto, Syriam Damasci, vers. 5. quinto, Idumæos vers. 14. eorumque spolia fecit anathemata, Deoque consecravit.

1. Factum est autem post hæc, percussit David Philisthiim, et humiliavit eos; et tulit David frænum tributi de manu Philisthiim. 2. Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo. 3. Et percussit David Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten. 4. Et captis David ex parte eius mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum, subnervavit omnes iugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus. 5. Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer regi Soba: et percussit David de Syria viginti duo millia virorum. 6. Et posuit David præsidium in Syria Damasci: factaque est Syria David serviens sub tributo: servavitque Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. 7. Et tulit David arma aurea, quæ habebant servi Adarezer,

et detulit ea in Ierusalem. 8. Et de Bete et de Beroth, civitatibus Adarezer, tulit rex David æs multum nimis. 9. Audivit autem Thou rex Emath, quod percussisset David omne robur Adarezer, 10. Et misit Thou Ioram filium suum ad regem David, ut salutaret eum congratulans, et gratias ageret: eo quod expugnasset Adarezer, et percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, et in manu eius erant vasa aurea, et vasa argentea, et vasa ærea: 11. Quæ et ipsa sanctificavit rex David Domino cum argento et auro, quæ sanctificaverat de universis gentibus quas subegerat, 12. De Syria, et Moab, et filiis Ammon, et Philisthiim, et Amalec, et de manubiis Adarezer filii Rohob regis Soba. 13. Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in Valle Salinarum, cæsis decem et octo millibus: 14. Et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium: et facta est universa Idumæa serviens David, et servavit Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. 15. Et regnavit David super omnem Israel: faciebat quoque David iudicium et iustitiam omni populo suo. 16. Ioab autem filius Sarviæ, erat super exercitum : porro Iosaphat filius Ahilud erat a commentariis: 17. Et Sadoc filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, erant sacerdotes : et Saraias, scriba: 18. Banaias autem filius Ioiadæ, super Cerethi et Phelethi: filii autem David sacerdotes erant.

Vers. 1. Frænum tributi quid? Resp. I. ET TULIT DAVID FRÆNUM TRIBUTI DE MANU PHILISTHIIM.) Hebr. est מתג האמה *meteg haamma* quod Vatab. Pagnin. et alii accipiunt, ut nomen proprium urbis, quæ fuit quasi *meteghaamma* id est *frænum* ceterarum urbium vicinarum in Philisthæa. Secundo,

II. alii accipiunt ut nomen appellativum significans *frænum cubiti* (*meteg* enim est frænum, *amma* est cubitus, *ha* est articulus *amma*) indeque *frænum tributi* quod pretium tributi limitatum et definitum sit instar cubiti: *amma* ergo certam pensionem tributi significat. Aquila vertit *frænum aquæductus*, quod per illam urbem aqua per canales et rivos deduceretur in totam Philisthæam, ad eam irrigandam et fœcundandam; canali enim aquam ducimus quo volumus, ceu fræno equum. Unde et Chald. vertit, *instauratio*, vel, *dispositio et commoditas rivi.*

III. Tertio, R. Eliezer in *Midras* proprie accipit *frænum* scilicet Isaac Patriarchæ: Isaac enim, inquit, feriens iuransque pactum cum Abimelech rege Palæstinorum de non invadenda Philisthæa, Genes. 26. 28. *incidit cubitum unum fræni* sive *chami*, id est capistri asini super quo equitabat, et dedit illis ut esset in manu illorum signum pacti iuramenti. Ceterum cum rex David vellet ingredi terram Philisthiim, non poterat propter vim pacti iuramenti Isaac. Sed cum ab illis capistrum hoc abstulit (quia scriptum est, *et tulit David frænum*, vel, *chamum cubiti*) tunc accepit terram Philisthinorum. Verum nemo non videt hanc fabellam esse et cerebri Rabbinici commentum.

IV. germane. Quarto et genuine *frænum tributi*, vocatur urbs Geth, quæ erat in confinio Iudææ et Philisthææ, ideoque per eam Philisthæi frænabant Iudæam: David vero illam occupans per eam frænavit Philisthæam. Abstulit ergo hoc frænum a Philisthæis, eodemque frænavit Philistæos, imponens illi militare præsidium, quod ipsos sub iugo et tributo contineret. Id ita esse liquet ex eo, quod sic hic locus explicatur 1. Paral. 18. 1. ubi dicitur. *Factum est autem post hæc ut percuteret David Philisthiim, et humiliaret eos, et tolleret Geth, et filias eius* (oppida subiecta) *de manu Philisthiim.* Ita S. Hier. in Tradit. Sanchez, Serarius et alii. Geth ergo a Davide et Hebræis vocata est, *metegamma*, id est *frænum tributi*, nomine non proprio, sed appropriato, quia ipsa fuit frænum Philisthæorum cogens illos ad pendendum Davidi tributum.

Denique nonnulli *metegamma*, proprie vertunt, *frænum cubiti*, et per illud accipiunt dominium et gubernationem : quia sicut nobis subiicimus id quod cubito imposito metimur et premimus; sic frænamus eos, quibus dominamur. Simili catachresi *aurigari* significat regere et imperare: sicut enim auriga fræno et flagello regit equos, sic rex imperio suo gubernat populos. Sic Elias ab Elisæo vocatur *auriga Israelis. Pater mi*, inquit, *currus Israel, et auriga eius* 4. Reg. 2. 12.

Vers. 2. ET PERCUSSIT MOAB.) Scilicet Moabitas, qui Iudææ erant ad Orientem, sicut Philisthæi ad Occidentem, Syri v. 4. et 5. ad Septemtrionem, Idumæi v. 14. ad Meridiem. Per omnes ergo mundi plagas, vicinas gentes subiugando David victricia arma circumtulit. Ubi nota, Davidem hisce omnibus præliis interfuisse, imo præfuisse, ideoque feliciter ea confecisse. Multum enim ad celerem dubiorum

A occurrentium resolutionem, ad facilem rerum decretarum executionem, ad milites animandos, et ad difficultates omnes superandas facit ipsa præsentia et præstantia principis: nam, ut ait Virgilius, *urget præsentia Turni.* Sane Carolus Quintus tot victoriis fuit illustris, quia ipse præliis pene omnibus interfuit et præfuit. Extat Synesii ad Arcadium Imp. insignis exhortatio, ut ipse bellis intersit, ubi inter alias rationes hanc affert: Onosander Strategetæus c. 42. *Si quid*, inquit, *subito confici optet imperator, primus ipse manu operi admota conspiciatur. Neque enim militum vulgus adeo potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus. Conspiciens enim aliquis ducem suum in re attrectanda, omnium principem, festinandum esse animadvertit, cessare erubescit, imperatisque non parere veretur: nec iam ut servus aut imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoque provocatus accedit.*

ET MENSUS EST EOS FUNICULO COÆQUANS TERRÆ.) Funiculus coæquans terræ quis? Resp. I.

B Primo Theodor. q. 23. ad litteram verba, ut sonant, accipit. *Tanta*, inquit, *erat vis victoriæ, et tanta erat multitudo eorum, qui capti erant vivi, ut eos numerare non permitteret. Quare iussit eos pronos dejici in terram divisos trifariam, et duas quidem partes occidit, unam vero vivam reservavit.* Secundo, Lyran. et Caiet. hæc accipit de turribus et arcibus Moabitarum quas David plane deiecit, itaque prostravit, ut eas plane terræ coæquaret. II.

Tertio, alii accipiunt de agris q. d. David agros, pagos, omniaque loca Moab quasi victor occupavit, et ad libitum suis distribuit perinde ac agros terræ coæquatos facile funiculo metimur et distribuimus. Aut q. d. David omnino subiugavit Moabitas sibi, adeo ut posset terram et regionem eorum tamquam suam libere funiculis dimetiri, distribuere, vertere et invertere ad libitum. Ita Angelomus : *Significat*, inquit, *quod tam libera dispositione David regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, divisit, quasi possessor quilibet agros proprios ad nutum suum ducto huc atque inde funiculo dirimit.* III.

C Quarto, et genuine, q. d. David plane Moabitas subegit, humiliavit et prostravit ita, ut ipsi ab eo viderentur deiecti in terram, terræque coæquati, adeo ut ipse eos in terra quasi stratos funiculo dimetiri, distribuere, occidere vel vivificare posset, ut sequitur. Ita Beda, Serarius, Sanchez et alii. Est metalepsis et metaphora petita ab agricolis, et mensoribus sive geometris, qui terram æquam funiculo demetiuntur, ut tot iugera sementi, tot pascuis, tot vineis, etc. destinent, idque ad libitum : terra enim nulli resistit, et cum sit æqua, facile se mensurari distribuique patitur. Simili enim modo Davidi, quasi victori, omnes Moabitæ subiecti fuere, ut de eis facere posset, quod liberet : unde ipse eos quasi funiculis dimensus est, hoc est; eos in duas sortes distribuit, una sors fuit eorum, quos morti addixit, altera eorum, quos in vita servavit. Hinc sequitur: IV. optime.

MENSUS AUTEM EST DUOS FUNICULOS, UNUM AD OCCIDENDUM, ET UNUM AD VIVIFICANDUM.) *Mensus est*, id est mensuram adhibuit duorum funiculorum, sive mensus est Moabitas duobus funiculis ; unus fuit funiculus

mortis, ut eo quasi mensi, hoc est a Davide designati et damnati, occiderentur; alter vero funiculus fuit vitæ, ut eo mensi, id est a Davide designati, vivificarentur, id est in vita servarentur. Est catachresis vel metalepsis: per *duos funiculos*, enim intelligit duas sortes: q. d. David fecit duas sortes Moabitarum, unam occidendorum, alteram servandorum in vita; fecit, inquam, pro libito suo quasi victor, sed cum mensura iustitiæ et æquitatis, quæ principem victorem decet, ut scilicet magis noxios sibique resistentes occideret; minus vero noxios, et sese subdentes, in vita servaret: ita Caiet. *Funiculus* enim significat hæreditatem et sortem, quia hæc olim non virgis et perticis, uti nunc fit, sed funibus mensurabatur et dividebatur, illisque mensores cuique hæredi suam sortem et portionem admetiebantur.

Tropol. Angelomus: David, id est Christus, in die iudicii Matth. 25. faciet duas sortes, unam salvandorum et beandorum, alteram damnandorum. Nam ut ait Psaltes psal. 30. 16. *In manibus tuis sortes meæ*.

Porro Hebræa hic obscura sunt. Sic enim ad verbum habent: *Mensus est duos funiculos ad occidendum, et plenitudinis funiculum ad vivificandum*. Quæ verba bifariam dispungi exponique possunt. Uno modo, ut ponatur comma post *occidendum*, fiantque tres sortes q. d. David Moabitas in tres funiculos, sive sortes partesque distribuit, duas addixit morti, tertiam vitæ: ita Chald. Sept. Theodor. Procop. Ioseph. et Græci. Altero, ut comma ponatur post *duos funiculos*, et subaudiatur τὸ *unum* q. d. David *mensus est duos funiculos*, unum *ad occidendum*, alterum *ad vivificandum*. Hunc sensum ut aptiorem secutus est Noster et Latini, eumque exigit τὸ *plenitudinis* q. d. David paucos Moabitas morti addixit, longe plures vero in vita servavit. Hoc enim sibi honorificum erat ac utile, ut a vivis tributa exigeret, quæ occisi et mortui præstare non potuissent. Funiculus ergo occidendorum fuit imminutus, et exiguus, vivificandorum vero plenus, magnus et integer, et hoc significat τὸ *plenitudinis*. Hoc enim decebat clementem victorem et principem, qualis erat David. Porro hac de causa *Moab* a Davide plane subacta, ab eo Psal. 59. v. 10. (tunc enim eum dictavit, ut patet ex eius titulo) vocatur, *olla spei meæ*, id est mancipium meum vilissimum, quasi ad res tantum culinarias et ollares aptum. Unde S. Hieron. et Aquila vertunt, *Moab olla lotionis meæ*, in qua scilicet quasi in olla laver; et Chald. *dum conculcarentur Moabitæ, fœdati sunt pedes mei sanguine procerum eius, sicut in olla lotionis.*

Vers. 3. ET PERCUSSIT DAVID ADAREZER FILIUM ROHOB, REGEM SOBA.) Additur 1. Paral. 18. 3. *regionis Hemath*, id est Syriæ. A Ioseph. lib. 7. c. 5. vocatur, *rex Sophonorum* quæ est Syria cis Euphratem, ait Strabo lib. 16. *Soba* sive *Suba* et *Subal* est pars Syriæ, quæ inter Libanum et Antilibanum ac Hermon interiacet, et græce Cælesyria, id est cava Syria dicitur ob demissam a declivitate montium planitiem, ait noster Christoph. a Castro in Amos c. 9. v. 17. Κοίλη enim est cavum, idemque Hebr. innuit *Soba*, quod Pagn. interpretatur *abscondens*, eo quod hæc planities inter montes se abscondat. Potius *Soba* hebr. idem est quod *tumida*, eo quod *Soba* montibus vicinis elevetur et intumescat, cum ipsa regio interiecta sit campestris, humilis, depressa et concava, utpote altissimis montibus quaquaversum vallata. Verum *Soba* non est tota Cœlesyria, sed pars eius dumtaxat. Nam Cœlesyria late sumpta multas regiones, imo omnes, quæ inter Libanum et Hermon montes interiacent, complectitur, ait Ptolemæus. *Soba* ergo erat trans Iordanem, confinis dimidiæ tribui Manasse, pergendo ad Euphratem fluvium. Vide Adrichom. in tabula cosmographica tribus Manasse n. 87. ubi *Soba* collocat iuxta Palmiram, ac Amana et Hermon montes, ac Trachonitidem regionem, non longe a Damasco. Unde et Salomon, cum ad Palmiram condendam pergeret, huc ducens exercitum, urbem et regionem hanc sibi ascivit. Sed cum in senio a Deo ad idola deflexit, Deus suscitavit Razon fugitivum servum regis *Soba* qui Israelem infestavit 3. Reg. 11. Postremo Holophernes Iudith, 5.

A populabundus per Syriam *Sobal* exercitum traduxit. Ex *Sobal* ortus est Igaal unus ex fortissimis militibus et heroibus Davidis, 2. Reg. 23. 36.

QUANDO PROFECTUS EST UT DOMINARETUR SUPER FLUMEN EUPHRATEM.) Hinc patet *Soba* fuisse mediam inter Iordanem et Euphratem, ideoque comprehensam fuisse inter limites terræ promissæ Iudæis a Deo assignatæ; huius enim limites erant, mare Mediterraneum ad Occidentem, et Euphrates ad Orientem, ut patet Deut. 1. 7. et c. 11. 24. Quare quidquid inter mare hoc et Euphratem interiacebat, iure divino ad Iudæos pertinebat. Hæc ergo iusta belli causa fuit Davidi invadendi *Soba*, tamquam ad se et Iudæos pertinentem.

Porro τὸ, *profectus est*, ambiguum est: potest enim referri ad Adarezer, uti referunt Dion. et Hugo: potest quoque referri ad Davidem, uti referunt Abul. Vatab. et Mariana.

Vers. 4. ET CAPTIS (a Davide) EX PARTE EIUS MILLE SEPTINGENTIS EQUITIBUS.) Tot fuere primarii et præcipui equi-
B tes: nam alioqui universim a Davide captæ fuere mille quadrigæ, et septem millia equitum, ut dicitur 1. Paral. 18. 4. Ita Abul. Aut certe cum Serario per *equites* intellige equitum decurias, multiplica enim septingentas decurias equitum per decem, habebis septem millia.

SUBNERVAVIT OMNES IUGALES CURRUUM.) Hoc est, ut explicatur 1. Paral. 18. 4. *subnervavit omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit sibi.* Porro *subnervare*, est nervos vel suffragines equorum incidere, ut progredi nequeant, et inutiles fiant tam ad bellandum, quam ad currus trahendum, quod alii, subpernare, vocant. Idem fecit Iosue c. 11.

Vers. 5. VENIT QUOQUE SYRIA DAMASCI.) Id est venerunt Syri qui Damascum inhabitabant, quorum rex erat Adad, ait Ioseph.

Vers. 9. AUDIVIT AUTEM THOU (a Iosepho vocatur *Thonus*) REX EMATH) *Emath* dicta est a conditore Amatho Genes. 10. Eratque duplex, scilicet maior, quæ est Antio-
C chia, et minor, quæ est Epiphania. Ita Ioseph. S. Hieron. in Locis. Procop. et alii.

Vers. 10. ET MISIT THOU IORAM FILIUM SUUM; qui 1. Paral. 18. 10. vocatur *Adoram*. ET IN MANU EIUS ERANT VASA AUREA.) q. d. Ioram ferebat secum vasa aurea, ut ea, quasi munera offerret Davidi; quæ David destinavit templo a Salomone ædificando, ut patet 3. Reg. 15. 15. 1. Paral. 26. 27. etc. et seq.

Vers. 13. FECIT QUOQUE DAVID SIBI NOMEN.) id est arcum triumphalem erexit, ait Abul. et Auctor Tradit. apud S. Hieron. Aut, ut Serarius, Sanchez et alii q. d. David hac victoria magnum sibi nomen et famam comparavit apud omnes gentes.

IN VALLE SALINARUM.) Audi Adrichom. in tribu Iuda n. 211. *Vallis Salinarum, seu salis, Hebraice Gemela, alias Mela dicta, in qua David percussit octodecim millia Idumæorum, et rediens erexit sibi fornicem triumphalem. Ibidem et Ioab duodecim millia delevit, et Amasias decem et viginti Idumæorum millia, atque alia decem millia*
D *præcipitavit de rupe et petra Iectehel.* 2. Paral. 25. 4. Reg. 14. Mystice S. Gregor. 3. Mor. 14. *David*, inquit, *valles salinarum percussit: quia videlicet Redemptor noster suæ districtionis examine, in his qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati saporis extinguit*, iuxta illud Roman. 12. *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Vallis ergo Salinarum repræsentat *calorem immoderatæ sapientiæ*. Verba S. Gregor. more suo transcripsere Eucherius et Angelomus.

Vers. 14. FACTA EST UNIVERSA IDUMÆA SERVIENS DAVID.) Hic impletum est oraculum et benedictio Isaaci dicta Iacobo 27. 29. *Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ.* Idumæi enim ex Esau fratre Iacobi prognati, hic servierunt Davidi ex Iacob descendenti. Ita Procop. et Theodor. Unde tunc David composuit Psalm. 59. ubi inter cetera ait: *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, Idumæam quasi victor possidebo, subiiciam et calcabo. Adibant enim possessionem impositio-

ne calcei, sive calceo calcando rem possessam; unde Chald. vertit, *super Edom proieci calceum meum.* R. Emmanuel vertit, *in Edom proieci chirothecam meam,* quia, inquit, mos erat regum cum urbem aliquam munitam obsidebant, ut chirothecam in urbem proiicerent, quo significabant se ab urbe non recessuros, nisi ea capta, et chirotheca recepta. Et hoc est, quod dixit Cicero in Philip. *Solet enim ipse cito accipere manicas* (chirothecas) *nec diutius obsidionis metum sustinere.* Hæc ille. Verum Hebr. נעל *naal,* calceum, non chirothecam significat.

Tropol. David, id est Christus, regnat in Idumæa, id est rubeis et carnalibus gentium cordibus, dum per gratiam ea efficit spiritualia et cælestia. Ita S. August. S. Hieron. et alii in Psalm. 59.

Vers. 16. Iosaphat filius Ahilud erat a commentariis.) Id est res gestas Davidis quotidie per diaria scribebat, erat commentator, vel commemorator factorum memorabilium Davidis: hoc enim significat Hebr. מזכיר *mazkir.*

Vers. 17. Et Sadoc filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar erant sacerdotes.) Scilicet summi, id est pontifices. Erant ergo tum ex dispensatione vel conniventia Dei, simul duo Israelis pontifices, scilicet Sadoc et Abiathar. Cum enim Abiathar abnepos Heli, descendens ex Ithamar, metuens iram Saulis 1. Reg. 22. 20. fugisset ad Davidem, Saul cum suis pontificem constituit Sadoc, qui descendebat ex Eleazar seniore filio Aaronis: Sadoc hic postea sub Salomone solus obtinuit pontificatum excluso Abiathar, eo quod ipse cum Adonia novo rege contra Salomonem conspirasset. Sub Davide ergo erant duo pontifices connivente Deo: nam ex lege et prima institutione unus tantum debebat esse pontifex. Ita Abul. et alii. Ministrabant autem in tabernaculo, et munia pontificia obibant successive sive alternis vicibus.

Sadoc filius Achitob.) Alius est hic *Achitob* ab *Achitob* filio Phinees, filii Heli. Hic enim ex Ithamar descendit: *Sadoc* vero ex Eleazar, ideoque Sadoc præcipuus et primarius erat pontifex, ut Abiathar videretur eius concessu pontificatu fungi, esseque quasi eius vicarius, ut colligitur ex 1. Paral. 16. 39. Hinc et Sadoc hic et alibi Abiatharo præponitur, licet eo ætate esset minor, ut patet 1. Paral. 12. 28. ubi *Sadoc* vocatur *puer egregiæ indolis.*

Achimelech filius Abiathar. Ipse *Abiathar* erat Pontifex, ut patet 2. Reg. 15. 35. sed *Achimelech filius* patris sui vices obibat; sive ob patris senium vel infirmitatem, sive ob alias graves eius occupationes, eratque ei proxime in pontificatu successurus. Ita Abul. Addunt Beda, Theoph. et Euthym. in c. 2. Marci, *Abiathar* fuisse nomen commune familiæ, proprium vero nomen huius pontificis fuisse *Achimelech.* Idem ergo pontifex ex familia vocabatur *Abiathar,* ex nomine proprio autem *Achimelech,* ut sensus sit, q. d. Achimelech, qui etiam dicitur Abiathar, filius Achimelech, qui etiam a familia communi nomine Abiathar dicebatur, erat sacerdos.

Vers. 18. Banaias autem filius Ioiadæ, super Cerethi et Pheletiii.) Erant hi fortissimi, fidissimi et prætoriani milites Davidis. Unde *Cerethi* hebr. idem est quod, *excindentes; Pheleti,* idem quod *liberantes.* Quocirca Ioseph. eos vocat σωματοφύλακες, id est, corporis regii custodes. Hinc forte a *Cerethis* dicti sunt *Cardaces,* qui erant fortissimi milites apud Persas teste Strabone lib. 15. Vide dicta Ezech. 25. 16. et Sophon. 2. 5.

Filii autem David sacerdotes erant.) *Sacerdotes,* id est principes et aulæ primarii. Vide 1. Paral. 18. 17. vocantur, *primi ad manum regis,* id est, primi ad latus regis, quia illud stipabant, erantque proximi Davidi, quasi filii ab eo educandi et instruendi. Nam primogenitus erat circiter 15. annorum. Ita Salianus. Quocirca sacerdotes hi a Sept. vocantur αὐλάρχαι, id est *aulæ principes,* Palatini, a Chaldæo, *magnates.* Filii enim Davidis, cum non ex Levi, cui addictum erat sacerdotium, sed ex Iuda descenderent, non poterant esse sacerdotes proprie dicti. *Sacerdos* ergo hic per catachresin, idem est quod princeps. Causam sive analogiam affert Forerius in c. 62. Isaiæ v. 6. quod sacerdos sit minister et familiaris Dei: rex autem est quasi quidam Deus in terra: eius ergo familiares vocantur sacerdotes. Sic et Pineda Iob. 12. v. 19. n. 1. Rex, inquit, est quidam Deus; qui ergo regi familiares, ii quidam sacerdotes eius sunt. Simile est 3. Reg. 4. 5. *Zabud,* inquit, *filius Nathan sacerdos* (id est Palatinus) *amicus regis.* Addit Glossa l. *sacra loca* ff. de dis. lib. 1. l. 8. regem David fuisse sacerdotem, quia scilicet erat propheta pius, qui Psalmos dictavit, et officia canendi inter Levitas distribuit. Sic Christiani omnes sunt sacerdotes, sed mystici, iuxta illud: *Vos genus electum, regale sacerdotium,* 1. Petr. 2. et illud: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes,* Apoc. 5. 10. Unde S. Hieron. dialogo contra Lucifer. *Sacerdotium laici,* inquit, *Baptisma est.* Quia et apud Romanos laici, qui aliquid sacri curabant, vocabantur sacerdotes, esto non sacrificarent. Erant enim apud eos varia sacerdotum genera, nimirum Flamines, Diales, Martiales, Salii, Quirinales, Pontifices, Reges sacrorum, sacrificuli, Galli. Unde Musarum sacerdos vocatur poeta ab Horat. lib. 3. Carm. Hinc et Ovidius lib. 3. Am. *purus musarum,* inquit, *Phœbique sacerdos.* Hinc quoque vates, augures, aruspices a Plutarcho et Homero Iliade α. vocantur ἱερεῖς, id est sacerdotes. Denique quia olim idem erat sacerdos et princeps, uti fuit Iob, Abraham, Moses, etc. hinc Hebr. כהן *cohen,* id est *sacerdos,* significat quoque principem.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David Miphiboseth filium Ionathæ mensæ suæ convivam facit, eique omnia prædia patris Ionathæ et avi Saulis restituit.

1. Et dixit David: Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Ionathan? 2. Erat autem de domo Saul, servus nomine Siba: quem cum vocasset rex ad se, dixit ei: Tune es Siba? et ille respondit: Ego sum servus tuus. 3. Et ait rex: Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Superest filius Ionathæ, debilis pedibus. 4. Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem, Ecce, ait, in domo est Machir filii Ammiel in Lodabar. 5. Misit ergo rex David, et tulit eum de domo Machir filii Ammiel de Lodabar. 6. Cum autem venisset Miphiboseth filius Ionathæ filii Saul ad David, corruit in faciem suam, et adoravit. Dixitque David: Miphiboseth? Qui respondit: Adsum servus tuus. 7. Et ait ei David: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionathan patrem tuum, et restituam tibi omnes agros Saul patris tui, et tu comedes panem in mensa mea semper. 8. Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? 9. Vo-

cavit itaque rex Sibam puerum Saul, et dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, et universam domum eius,
dedi filio domini tui. 10. Operare igitur ei terram tu, et filii tui, et servi tui: et inferes filio domini tui cibos
ut alatur: Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ
quindecim filii, et viginti servi. 11. Dixitque Siba ad regem: Sicut iussisti domine mi rex servo tuo, sic faciet
servus tuus: et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis. 12. Habebat autem Miphi-
boseth filium parvulum nomine Micha: omnis vero cognatio domus Sibæ serviebat Miphiboseth. 13. Porro Mi-
phiboseth habitabat in Ierusalem: quia de mensa regis iugiter vescebatur: et erat claudus utroque pede.

Vers. 1. **PROPTER IONATHAM.**) Ecce quam fidus et constans in amicitia Ionathæ fuit David, utpote qui non tantum vivo, sed et mortuo benefaciat, ditando eius filium. Nam ut ait Theodoret. *Qui in hostes benignus erat, amicorum nunquam obliviscebatur*, et, ut inquit Ioseph. *eorum qui bene unquam ipsi fecissent, memor erat maxime.*

Vers. 7. RESTITUAM TIBI OMNES AGROS SAUL PATRIS TUI.) Quos antequam fieret rex, habebat ex paterna hæreditate, vel sibi acquisierat: nam quos rex factus comparavit, quasi bona regia ad successorem regem, puta Davidem, iure communi devoluta sunt.

Vers. 8. RESPEXISTI SUPER CANEM MORTUUM SIMILEM MEI?) q. d. Respexisti super canem mortuum, qualis ego sum. Ita Vatab. se enim assimilat, vocatque canem mortuum, ut se humiliet suamque vilitatem indicet, utpote qui avo et patre mortuis orphanus, imo parvulus, claudus, miser et egens relictus, ac ab omnibus neglectus, spernebatur quasi canis mortuus. Sic nuper adolescens derelictus et miser rogatus, quis esset? Respondit se esse filium consiliarii mortui. Chald. vertit, *respexisti ad virum idiotam, qualis ego sum.* Videtur Miphiboseth hoc tempore fuisse circiter viginti annorum: nam moriente Saule et Ionatha, erat quinquennis; adde 15. circiter annos regni Davidis, quibus exactis David ad se Miphiboseth accivit, habebis annos viginti.

Vers. 9. DEDI FILIO DOMINI TUI) id est, dedi Miphiboseth, qui est filius Ionathæ olim domini tui.

Vers. 10. ET INFERES FILIO DOMINI TUI) Hic alius intelligitur dominus, scilicet præsens et vivus, puta Miphiboseth, cum prior, puta Ionathas, de quo v. 9. iam esset mortuus. Sensus ergo est q. d. colliges agrorum Saulis fruges *filio domini tui*, hoc est Michæ filio Miphiboseth: hic enim iam erat dominus Sibæ, *ut alatur*, scilicet Micha cum suis famulis. Nam Miphiboseth pater Michæ alebatur in mensa Davidis, non a Siba, ut sequitur. Ita Sanchez.

Vers. 11. DIXITQUE SIBA AD REGEM: SICUT IUSSISTI DOMINE MI REX SERVO TUO, (mihi) SIC FACIET SERVUS TUUS: ET MIPHIBOSETH COMEDET PANEM SUPER MENSAM MEAM, QUASI UNUS DE FILIIS REGIS.) Est hic Antilogia; quomodo enim Siba hic dicit, Miphiboseth comesturum super mensam suam, cum eum paulo ante mensæ suæ assignavit David? Varii varie hæc conciliant. Primo, Abul. et Auctor Tradit. apud S. Hier. pro *mensam meam*, legunt, *mensam tuam.* Sed Hebr. et Roman. habent, *mensam meam*. Secundo, Vatab. Caiet. Lyranus et alii interiiciunt et repetunt ex v. 9. *Dixit David*: sic ergo legunt, *Et dixit David: Miphiboseth comedet panem super mensam meam.* Verum τὸ *dixit David*, hic non est in Hebr. Chald. et Sept. Tertio, alii accipiunt ut verba Sibæ, sed ita conciliant: q. d. Siba: Miphiboseth cibos ex mensa regis allatos comedet super mensam meam. Verum hoc repugnat v. 13. ubi dicitur Miphiboseth habitasse in Ierusalem, *quia de mensa regis iugiter vescebatur.* Quarto, Sept. et Chald. vertunt, *Et Miphiboseth comedebat super mensam regis, sicut unus de filiis regis.* Hoc verum est; sed non respondet textui Hebræo et Latino. Quinto, Vatab. τὸ *et* explicans per *quamvis* sic vertit, *Sicut iussisti, sic faciet servus tuus* (ut scilicet alam Micham; et Miphiboseth quem hactenus alui, mittam ad mensam tuam) quamvis ego ipsum Miphiboseth hucusque in mensa mea aluerim tam splendide, ac si esset unus ex filiis regis: Verum hoc dissonat a Vulgata, quæ vertit, *Et Miphiboseth comedet panem super mensam meam.*

(Ubi comedit Miphiboseth? Resp. 1. — 2. — 3. — 4. — 5.)

6. germane. Dico ergo τὸ *et*, hic capi pro *imo*, uti et alibi per auxesim accipitur, q. d. Siba: Sicut iussisti rex, sic faciet servus tuus, ut alat Micham filium Miphiboseth, quin imo si voles, *Miphiboseth comedet super mensam meam*, q. d. si voles, ego pergam alere Miphiboseth ipsum tam magnifice, ac si esset filius regis. Ita Sanchez.

Alleg. David extollens abiectum et claudum Miphiboseth, repræsentat Christum, qui infirma et contemptibilia mundi eligit, ut confundat fortia. 1. Corinth. 1. cum scilicet ipse, ut ait Angelom. « Eum, quem ad sæculi ministeria, et mundana negotia exercenda, sermone et actione debilem conspicit, ad divinum ministerium eligit: quia quem mundus per fastum elationis spernit, hunc Deus propter devotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboseth, decor ignominiæ. Is ergo, cuius loquelam et præsentiam superbia mundi despicit, Dei dono utilis ad spiritale ministerium in Ecclesia apparebit. » Et pluribus interiectis: « Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem: ut sedeat cum principibus, et gloriæ solium teneat. Contemptibiles personas de mundo auferens, possessores virtutum efficit, et scientia spiritali super mensam Scripturarum sanctarum quotidie secum reficit. Unde evenit, ut tales sobolem gignant, qui vocetur Micha, Michæ enim, quis est, Latine resonat: quia frequenter et in admirationem populi tales veniunt: qui nuper e despectu mundi ablati, gloriosi in Ecclesia Dei dono apparebunt. »

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hanon rex Ammon legatos Davidis vestibus et barba mutilat: David hanc iniuriam bello ulciscitur, ac per Ioab, regem cum Syris profligat: Rex vers. 15. advocato Adarezer, bellum reparat: sed a Davide rursum, magis quam ante, cæditur.

1. FACTUM est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnavit Hanon filius eius pro eo.
2. Dixitque David: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum mise-
ricordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venis-
sent servi David in terram filiorum Ammon, 3. Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum:

Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, et non ideo ut investigaret, et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te? 4. Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, et præscidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos. 5. Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valde, et mandavit eis David: Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini. 6. Videntes autem filii Ammon quod iniuriam fecissent David, miserunt, et conduxerunt mercede Syrum Rohob, et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum. 7. Quod cum audisset David, misit Ioab et omnem exercitum bellatorum. 8. Egressi sunt ergo filii Ammon, et direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, et Rohob, et Istob, et Maacha, seorsum erant in campo. 9. Videns igitur Ioab quod præparatum esset adversum se prælium, et ex adverso et post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, et instruxit aciem contra Syrum: 10. Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon. 11. Et ait Ioab: Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi. 12. Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro, et civitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. 13. Iniit itaque Ioab, et populus qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui statim fugerunt a facie eius. 14. Filii autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem: reversusque est Ioab a filiis Ammon, et venit Ierusalem. 15. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israel, congregati sunt pariter. 16. Misitque Adarezer, et eduxit Syros qui erant trans fluvium, et adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum, 17. Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israelem, et transivit Iordanem, venitque in Helam: et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnaverunt contra eum. 18. Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum: et Sobach principem militiæ percussit: qui statim mortuus est. 19. Videntes autem universi reges, qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expaverunt et fugerunt quinquaginta et octo millia coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel: et servierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

Vers. 2. SICUT FECIT PATER EIUS (Naas) MECUM MISERICORDIAM) cum me fugientem Saulem benigne suscepit, et tutatus est. Res gesta in Script. non narratur, sed ex traditione eam recenset S. Hieron. in Tradit. (quem sequitur Angelom. Abul. Glossa, Lyran. Sanchez, et alii) « Quando fugit David a facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam, multa impertiens ei bona. De Naas itaque venit in speluncam Odollam, ubi venerunt ad eum pater eius, et mater, et omnis domus eius. Inde venit ad Moab, et dimisit apud eum, patrem et matrem, et omnem domum suam. » Alias Rabbinorum præsertim R. Salomonis solutiones affert Lyranus, sed ab eis confictas, uti ostendit Abulens.

Vers. 4. RASITQUE DIMIDIAM PARTEM BARBÆ) 1. Paral. 19. 4. additur: *Decalvavit, et rasit, et præcidit tunicas eorum.* Triplex ergo fuit hæc ignominia, quam Hanon contra ius gentium legatis Davidis ad se consolandum missis irrogavit. Prima, fuit capitis decalvatio: secunda, barbæ non totius sed dimidiæ ad ludibrium rasio. Tertia, vestium longarum et ad pedes (more Orientalium) promissarum usque ad nates præcisio, ideoque natium denudatio. Hebræi enim laici non utebantur femoralibus, nisi sacerdotes: quæ omnia tunc temporis erant valde fœda, ignominiosa et infamia, præsertim apud Hebræos; quia eis iusserat Deus *non radere caput nec barbam* Levit. 21. v. 5. idque sciebant Ammonitæ, utpote Hebræis vicini, ideoque ad maius dedecus apud suos, hanc eis insolentiam irrogarunt, imo apud omnes nationes probrosum est barbam vellere. Unde illud: *Leoni mortuo barbam vellis*, id est, mortuo insultas.

Alleg. Hanon repræsentat Iudæos, qui Christo in passione genas vulserunt, Isaiæ 50. 6.

Tropol. Hanon est diabolus, qui subinde benefacere volentibus, barbam abradit, id est, fortitudinem adimit: barba enim virilitatis et fortitudinis est symbolum. Audi Eucherium: « Sicut Hanon, ita et diabolus princeps huius mundi, plerosque religiosos et prædicantes per subrepentia vitia deturpare consuevit. Quidum eorum latentia mala, in aperta et flagitiosa perpetrataque luxuria detegit, quasi eorum indumenta usque ad nates abscissa, nudos a dignitate castitatis derelinquit: et in oculis hominum turpia facta, quæ ipse persuaserat, revelat. Et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit. Quos tamen verus David, Dominus scilicet et Salvator noster, clementi respectu, per pœnitentiam, ab indulgentia non excludit: quos et in Iericho, hoc est, sub anathemate pœnitentiæ, et opprobrio meliorum residere iubet: donec sacramenta spiritalia, et fortitudinem mentis, quam peccando perdiderant, satisfaciendo recipiant, et sic demum in conspectu eius stare valeant. » Hæc omnia ad verbum ex Eucherio (verius Beda) transcripsit Angelomus, qui et addit: « sed Christus vindicat suorum iniuriam, cum non solum adversarios suos, nunc per sanctorum suorum victoriam confundit, sed etiam in extremo iudicio per iustam sententiam, perpetuis ignibus cruciandos tradet. »

INSTRUXIT ACIEM CONTRA SYRUM: RELIQUAM AU- Vers. 9.
TEM PARTEM POPULI TRADIDIT ABISAI FRATRI SUO, Vers. 10.
QUI DIREXIT ACIEM ADVERSUS FILIOS AMMON) Ostendit Ioab in hac divisione exercitus insignem belli peritiam. Duces enim belli cum vident se cingi a fronte et a tergo, dividunt copias, unamque partem hostibus a fronte, aliam vero iis, qui a tergo imminent, opponunt. Nec enim iidem milites a fronte, et a tergo pugnare possunt: si enim cædant hostes a fronte, cædentur ab hostibus, qui tergo instant. Rursum quod selegerit fortissimos milites, quibus invasit, illicoque stravit Syros: illis enim prostratis, fugit altera acies Ammonitarum, quibus instabat Abisai frater Ioab. Idem fecit Iudas Machabæus, quin et Gentiles, ut Scipio, Hannibal, Alexander, etc. ac præ ceteris Claudius Nero, consul Romanus, qui Hannibali oppositus, cum audiret Asdrubalem cum novo exercitu 56. millium adventare, ut se cum copiis fratris Hannibalis coniungeret, secreto et celerrime Hannibale inscio profectus cum selecta suorum manu, se cum castris Livii Salinatoris socii Consulis coniunxit, itaque inopinato invadens Asdrubalem, cum 56. millibus cecidit, ac victor rediens caput occisi ante Hannibalis fratris stationes proiecit, itaque eum obstupefecit et perculit, ut de fortuna Carthaginis actum esse diceret, seque in extremum Italiæ angulum ad Brutios contraheret, uti narrat Livius decade 3. in fine lib. 7.

ET OCCIDIT DAVID DE SYRIS SEPTINGENTOS CURRUS, Vers. 18.
ET QUADRAGINTA MILLIA EQUITUM) Dices, 1. Paral. 19. v. 18. plures numerantur, sic enim habet: *Et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia peditum.* Resp. liber Paralipomenon, ut patet ex nomine, supplet ea quæ in libris Regum omissa sunt, illa vero quæ et ibi dicta sunt obscurius, explicat clarius. Ergo, quod dicuntur hic occisi 700. currus, intellige milites pugnantes e curribus: milites enim occiduntur, non currus: unde id confirmat liber Paralip. dicens: *interfecit septem millia curruum,* id est septem millia militum pu-

gnantium e curribus. Erant igitur currus septingenti, sed militum septem millia erant: quilibet enim currus continebat decem milites. Porro præter quadraginta *millia equitum*, quæ habet liber Regum, liber Paral. addit quadraginta *millia peditum*, ita ut universim tam peditum, A quam equitum cæsa sint 80. millia, præter septem millia pugnantium e curribus. Ita Abul. Sanchez, Serarius et alii. Denique Iosephus asserit bellum hoc Ammoniticum finitum esse ineunte hieme.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Lapsus Davidis in adulterium cum Bethsabee, et homicidium Uriæ.

1. **F**ACTUM est autem, vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Ioab, et servos suos cum eo, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba: David autem remansit in Ierusalem. 2. Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiæ: viditque mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valde. 3. Misit ergo rex, et requisivit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi. 4. Missis itaque David nuntiis, tulit eam. Quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea: statimque sanctificata est ab immunditia sua: 5. Et reversa est in domum suam conceptu fœtu. Mittensque nuntiavit David, et ait: Concepi. 6. Misit autem David ad Ioab, dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Misitque Ioab Uriam ad David. 7. Et venit Urias ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Ioab, et populus, et quomodo administraretur bellum. 8. Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius. 9. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam. 10. Nuntiatumque est David a dicentibus: Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? 11. Et ait Urias ad David: Arca Dei et Israel et Iuda habitant in papilionibus, et dominus meus Ioab, et servi domini mei super faciem terræ manent: et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. 12. Ait ergo David ad Uriam: Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te. Mansit Urias in Ierusalem in die illa et altera: 13. Et vocavit eum David ut comederet coram se et biberet, et inebriavit eum: qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit. 14. Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Ioab: misitque per manum Uriæ, 15. Scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium: et derelinquite eum, ut percussus intereat. 16. Igitur cum Ioab obsideret urbem, posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos. 17. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Ioab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethæus. 18. Misit itaque Ioab, et nuntiavit David omnia verba prælii: 19. Præcepitque nuntio, dicens: Cum compleveris universos sermones belli ad regem, 20. Si eum videris indignari, et dixerit: Quare accessistis ad murum, ut præliaremini? an ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur? 21. Quis percussit Abimelech filium Ierobaal? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes? quare iuxta murum accessistis? Dices: Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit. 22. Abiit ergo nuntius, et venit, et narravit David omnia quæ ei præceperat Ioab. 23. Et dixit nuntius ad David: Prævaluerunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad portam civitatis. 24. Et direxerunt iacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper: mortuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est. 25. Et dixit David ad nuntium: Hæc dices Ioab: Non te frangat ista res: varius enim eventus est belli; nunc hunc, et nunc illum consumit gladius, conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas eam, et exhortare eos. 26. Audivit autem uxor Uriæ, quod mortuus esset Urias vir suus, et planxit eum. 27. Transacto autem luctu, misit David, et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei filium: et displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram Domino.

Vers. 1. **F**ACTUM EST AUTEM, VERTENTE ANNO, EO TEMPORE, QUO SOLENT REGES AD BELLA PROCEDERE) scilicet exacta hieme, in vere sequentis anni, puta in Martio, quo Mars dominari solet, et reges ad bella procedere.

MISIT DAVID IOAB, etc.) David vero domi remansit, ideoque incidit in adulterium et homicidium, unde Theodor. q. 25. *David*, ait, *cum esset in acie, mentemque exerceret in belli cura, ex legibus divinis vitam suam administrabat: parvas autem assecutus inducias, passus est lapsum.* Vide hic quam bellum, ut negotium præstet otio: negotium Davidem fecit castum, otium adulterum.

OBSEDERUNT RABBA) Erat hæc urbs potens, regia, et metropolis Ammonitarum, ita dicta a magnitudine: *Rabba*, enim, vel *Rabbath*, hebr. id est quod, *multa*, id est B magna, per enallagen quantitatis discretæ pro continua: quanquam vere erat quoque *multa* in numero incolarum et civium. Eadem dicta quoque est *Ammon* vel *Amman*, et *urbs aquarum* c. 12. v. 27. eo quod Iaboc torrens eam circumfluat. Denique a Ptolemæo Philadelpho secundo Ægypti rege, qui Biblia ex Hebræo in Græcum per septuaginta interpretes transferri curavit, subiugata, dicta est, *Philadelphia*, quod nomen hucusque retinet.

ACCIDIT UT SURGERET DAVID DE STRATO SUO POST MERIDIEM.) Somno et cibo pastus distentusque, ideoque in venerem proclivis huius enim stimuli sunt deliciæ regales, desidia, et somnus: in somno enim fit cibi concoctio, cuius ultima pars est semen: quod enim corpori alendo superfluit, vertitur in semen. Quapropter somnus matutinus castis periculosus est: tunc enim peracta concoctione reliquum a- Vers. 2.

limenti in semen transit, quod venereas cogitationes motusque efficit. Qui ergo student castitati, non stertant in multam lucem, sed mane surgant, imo auroram cum philomelis Deum laudando præveniant: ac ituri cubitum, se B. Virgini et Angelo Custodi serio commendent, ut nocturnas carnis tentationes et diaboli illusiones impediant: denique cum primum evigilant, illico mentem ad Deum et Christum orando convertant, ut a carnalibus cogitationibus eam avertant, has enim et caro somno adhuc semisopita, et dæmon tentator suscitare solent.

Viditque mulierem se lavantem ex adverso (Domus enim Uriæ erat vicina, et ex adverso palatii Davidis, ut notat Adrichom. in Tabulis Geographicis) super solarium suum) refer hoc ad *vidit*. non ad *mulierem:* nec enim mulier erat super solarium, Davidis, sed David ambulans super solarium, vidit ex adverso palatii mulierem se lavantem, ut patet ex Hebræo. Minus recte ergo Abul. censet Davidem vidisse Bethsabee lavantem se super solarium domus Uriæ mariti sui: hoc enim indecorum et incommodum fuisset. Lavabat ergo se vel in domo, ut vult Vatab. vel in horto ad fontem, qui etiamnum ostenditur, ait Adrichom. et ex eo Serarius et Pineda. Unde Sept. habent, *vidit David a solario mulierem lavantem se;* Hebr. *e tecto vidit lavantem.* Hæc fuit nova causa lapsus Davidis, nimirum visio mulieris seminudæ: oculi enim sunt in amore duces: ac proinde impossibile est lascivam cogitationem arcere a mente, nisi ab oculis arceatur lascivus mulieris aspectus. Unde Iob c. 31. 1. *Pepigi,* ait, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

Oculi custodiendi Gnomæ. Audi Clement. Alex. lib. 3. Pædag. c. 11. sub medium: « *Lascivi autem aspectus, et versatilibus, et tamquam conniventibus oculis intueri, nihil est aliud quam oculis mœchari, cum per eos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia.* Quin et Cyrus apud Xenophon. lib. 5. Pædiæ, *Ignis,* ait, *tangentes urit, pulchri vero etiam eos qui procul aspiciunt, incendunt, ut amore ardeant.* Sigillatim vero de Davide S. Chrysost. in Psal. 50. *Aperuit,* ait, *in vano oculos, et suscepit ictum sagittæ: audiant curiosi, qui pulchritudines alienas considerant,* etc. Et S. August. hom. 21. inter 50. *Sit,* inquit, *casus maiorum, tremor minorum,* etc. *Boni viri, Ecclesiæ filii, et in Christi amore perfecti, audientes tam sancti viri ruinam, abstinent oculos, non eos defigunt in pulcritudine carnis alienæ,* etc. *de longe vidit illam David, de qua captus: mulier longe, libido prope: nunquid tu fortior Davide, Salomone sapientior? Si illos tam sanctos viros incauta familiaritas mulierum, et perniciosa blandimenta vicerunt: quid de se cogitant illi, qui cum extraneis mulieribus, non solum conversari, sed in eadem domo manere nec metuunt, nec erubescunt,* etc? Addit S. August. nimiam prosperitatem et abundantiam fuisse Davidi ruinæ causam; *Idcirco* inquit, *adversus felicitatem acrius vigilandum est.*

Denique Torniellus censet Davidem peccasse cum Bethsabee anno regni sui 15. Salianus vero et Pineda anno regni 19. ætatis vero 49. et hoc verius videtur, uti ostendam c. 12. 24. Hic enim annus est septimus climactericus, qui magnam inducit naturæ, indeque affectuum morumque mutationem, sicut novus climactericus est annus 63. qui multis magnam alterationem, ac non paucis mortem affert.

Bethsabee filia Eliam.) Tradunt Hebræi apud S. Hieron. hunc Eliam fuisse filium Achitophel, ideoque Achitophel postea coniurasse cum Absalomo contra Davidem, ut vitium nepti suæ a Davide illatum ulcisceretur. Id probabile esse censet ex Hugone Salianus. Poterat enim Achitophel avus 60. esse annorum, Eliam pater 40. Bethsabee filia 18. Idem censent Abulens. Dion. et alii. Porro *Eliam,* transpositis literis *Ammiel* vocatur 1. Paral. 3.5. *Ammiel* enim hebr. idem est quod, *populus meus Deus: Eliam,* vero idem quod, *Deus meus populus.* Denique *Eliam filius Achitophel* fuit unus ex triginta fortibus Davidis, æque ac Urias Hethæus, ut patet 2. Reg. 23. 34. et 39. fierique potest ut inde coaluerit affinitas Uriæ cum Eliam, ducta eius filia in uxorem, quod uterque esset in cohorte et domo fortium Davidis, eiusque pater Achitophel esset vir sapiens, celebris et consiliarius regis. Tandem Bethsabee (quæ corrupte a Græcis et multis Latinis nominatur *Bersabee*) hebr. dicitur *Bat sceba* id est, filia saturitatis, vel *Bat sciua,* id est filia divitiarum vel salutis, ait Pagnin. ac talis evasit, postquam pœnitens Davidis uxor facta, sanctam cum eo egit vitam, imo evasit prophetissa, et Salomonem filium ad omnem pietatem erudivit, uti ostendi Proverb. 31. v. 1. et seq.

Uxor Uriæ Hethæi.) Hoc est, Gethæi, inquiunt nonnulli, qui scilicet erat ex fortissimis et antiquissimis militibus Davidis qui eum in Geth fugientem secuti fuerant, ideoque dicebantur *Gethœi* vel *Hethœi. Geth* hebr. significat *torcular,* idque hic est appositum: nam ibi cum Davide torculari persecutionis Saulis pressus fuit Urias, ac simili, imo maiori torculari hic oppressus a Davide. Verius Adrichom. in descript. tribus Iuda, n. 128. *Eth,* inquit, sive *Heth* locus est in regione Hebronis, quem *Ethœi* sive *Hethœi* populi, ab *Ethœo* sive *Hethœo* filio Chanaan orti, incoluerunt: a quibus Abraham speluncam duplicem emit. Ex hoc etiam loco Urias, vir Bethsabee, fuit oriundus, qui Ethæus sive Hethæus teste Hieronymo, vocitatus est. Hoc, ut dixi, videtur verius: nam *Geth* et *Gethœus* hebr. scribitur per *ghimel; Heht* vero et *Hethœus* per *chet. Heht* autem hebr. idem est quod, *pavor, terror contritio*: unde *Hethœus,* idem est quod, *pavorem incutiens, terribilis, conterens,* qualis fuit Urias vir fortissimus. Ita sentiunt S. Hieron. Adrichom. Salianus et alii. Minus recte ergo Procopius et Theodor. censent Uriam dici Hethæum, quod oriundus esset ex Hethæis, qui erant una ex septem gentibus Chananæorum, quos Hebræi duce Iosue expulerunt; sed Uriam ad iudaismum fuisse conversum factumque proselytum: et Abul. qui putat Uriam dici Hethæum, non quod esset Hethæus, sed quod in terra Hethæorum habitasset. Serarius vero putat Uriam dici Hethæum, quod ipse aut ipsius pater contra Hethæos præclari quippiam gessisset, quemadmodum Archias dictus est Samius apud Herodotum lib. 3. cum esset alioqui Lacedæmonius. Denique Iosephus: *Urias,* inquit, *erat civis Hierosolymitanus magna ob fortitudinem tam apud regem, quam contribules gloria. Hierosolymitanus,* intellige habitatione, aut nativitate, quod ibi natus esset, licet oriundus ex *Heth,* uti dixi.

Dormivit cum ea.) Adulterium cum ea commisit. Mirus et profundus fuit hic sancti regis, Psaltis et Prophetæ Davidis lapsus, qui docet nos in timore et tremore operari salutem nostram. Nam S. Basil. hom. 22. de humilitate, et in Regulis brevior. respons. 81. docet causam lapsus et negationis S. Petri fuisse præsumptionem, qua dicebat: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* Sic et causam lapsus Davidis in homicidium et adulterium, fuisse eamdem præsumptionem, quod scilicet semel gratia singulari visitatus dixerit illud Psal. 29. 7. *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum.* Unde mox pœnam subdit: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Idem Psalm. 118. 67. *Priusquam,* inquit, *humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum custodivi.* Hinc S. Franciscus suis dabat hoc documentum: *Cum gratiam acceperis a Deo, dic: Domine custodi in me thesaurum tuum, quia ego illius latro sum.* Ita S. Bonav. in eius Vita cap. de studio orationis. Quocirca S. Columbano adolescenti (ut habetur in eius Vita cap. 2.) pia femina hoc dedit salutis et castitatis monitum: *Reminisceris suasu Evæ Adam dilapsum, Samsonem a Dalila seductum, David a pristina iustitia, pulchritudine Bethsabeæ corruptum, sapientissimum Salomonem,* etc. *Perge o iuvenis, perge, evade ruinam, per quam multos comperis corruisse, declina viam, quæ inferi ducit ad valvas.* Nugantur hic Rabbini in Thalmud, qui, ut Davidem excusent a peccato, dicunt Uriam æque ac ceteros milites ad bellum euntes, uxori dedisse libellum repudii; quare illam iam repudiatam et lege solutam potuisse nubere Davidi. Verum hoc falsum esse liquet ex

Vers 4.

Præsumptio causa lapsus David.

Contra eam monita.

eo, quod David Uriam e bello accitum, iusserit domum ad uxorem suam redire, idque se facturum neget Urias vers. 11.

Porro S. Epiphan. in vita Nathan Prophetæ, et ex eo Abulens. asserit, Nathan absentem in spiritu prævidisse concupiscentiam Davidis: quare ut eius peccatum impediret, festinanter perrexisse Hierosolymam: sed Beliar, vel potius Belial, id est diabolum ei obiecisse remoram, nimirum mortuum quemdam nudum, quem dum sepelit Nathan; David adulterium commisit. Cuius rei fides sit penes S. Epiphan.

Patres mystice adulterium Davidis explicant de Christo desponsante sibi gentiles.

Mystice (quod novum et mirum est) Patres plerique adulterium Davidis interpretantur de Christo Ecclesiam gentium sibi desponsante. Unde S. Ambros. lib. 3. in Lucam: *Mysterium* ait, *in figura, peccatum in historia: culpa per hominem, Sacramentum per Verbum.* Quasi totum mysterium in eo fuerit, ut Verbum alienam naturam ad suam hyposthasin, sicut David alienam uxorem ad suum thalamum, coniugarit: Deinde idem typum gesserit Christi Domini Ecclesiam sibi ex Gentibus in sponsam cooptantis. Ita quoque D. August. lib. 22. contra Faustum c. 87. *Iste,* inquit. *David graviter scelerateque peccavit: verumtamen ille desiderabilis omnibus gentibus, adamavit Ecclesiam super tectum se lavantem, id est mundantem se a sordibus sæculi, et domum luteam spiritali contemplatione transcendentem atque calcantem.* Ac si diceret, quamvis David alienam sibi uxorem assumendo graviter deliquerit; tamen Christum Dominum sibi Ecclesiam pro Synagoga desponsantem significavit. Addit S. August. et ex eo Beda, David occidisse Uriam, id est Christum occidisse diabolum, eique extorsisse sponsam, scilicet Ecclesiam gentium. Tertio, S. Gregor. lib. 3. Moral. c. 21. *David,* ait, est *Christus, Bethsabee est lex vetus, quam Christus ab Uria, id est a Iudæis abstulit sibique coniunxit, quia se per illam prædicari declaravit.* Idem ex S. Gregorio descripserunt Eucherius, Angelom. Rupert. et alii: ac similia habet S. Ambros. Apolog. 1. Davidis c. 3. Pergit S. Gregor. *Urias ad Ioab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur, quia idem ipse Iudaicus populus legem portat, qua convincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens, implere renititur, ipse defert iudicium, unde damnetur.* Unde concludit: *quid per factum istud Davide scelestius? quid Uria mundius dici potest? Sed rursum per mysterium, quid Davide sanctius, quid Uria infidelius invenitur? Quando et ille per vitæ culpam, prophetiæ signat innocentiam, et iste per vitæ innocentiam, in prophetia exprimit culpam.*

Hæc allegoria est impropria.

Verum hæ allegoriæ non sunt propriæ et primæ classis, sed secundæ et impropriæ, quia laxiores sunt, nec ex æquo respondent literæ et historiæ. Est enim in eis aliqua quidem proportio et analogia, at non per omnia similis, sed in multis dissimilis. Quod enim David fecit cum peccato, hoc Christus fecit ex sanctitate et misericordia. Quare in his allegoriis David non tam spectandus est, ut initio adulterans cum Bethsabee, quam ut postea eam sibi copulans matrimonio. Sic enim repræsentavit Christum despondentem sibi Ecclesiam ex Gentibus.

Rursum Urias vir fortis, fidelis et pius; non apte repræsentat diabolum, nisi quatenus ipse fuit Hethæus. Si enim per Hethæum accipias Gethæum, oriundum ex Geth urbe Philisthinorum; vel Hethæum, id est oriundum ex Hethæis, qui erant una ex septem gentibus Chananæorum, quas Deus deleri iusserat, uti nonnulli accipiunt; sic recte Urias repræsentat diabolum, utpote patrem impiorum et infidelium, quales erant Hethæi et Chananæi. Vide nostrum Salmeronem Prolegomeno 9. c. 10. et 11. Simili modo Osee iussu Dei c. 1. meretricem duxit in uxorem, ut repræsentaret Deum et Christum, qui in Ecclesia sibi copulavit idololatras, qui antea cum idolis mystice fornicabantur.

Statimque sanctificata est ab immunditia sua) q. d. Abluit corpus aqua lustrali, ritu legis veteris *sanctificata,* id est benedicta itaque emundavit se ab irregularitate legali, contracta ex congressu cum David, iuxta legem Levit. 15. 18. verum peccatum, sive culpam adulterii non abluit, hæc enim non aqua, sed pœnitentia et lacrymis abluenda est.

Vers. 5. Mittensque nuntiavit David, et ait: Concepi) q. d. ait S. Chrysost. in Psalm. 50. *O rex perii. Et ille ait: Quid habes? Prægnans, inquit, sum. Peccati mei pullulat fructus, accusatorem intrinsecus habeo, in ventre profero proditorem. Si venerit et viderit vir meus, quid dicam? quid loquar? quam excusationem prætendam? Inveniet me gravidam, et occidet me.* Unde moraliter infert Chrysost. *Videte et admiramini, Fratres, quantum mali sit delictis et peccatis obnoxium fieri. Rex militem timet; et formidat subditum. Imperator coronam capite gestabat, et confusionis opprobria metuebat.*

Vers. 6. Mitte ad me Uriam Hethæum.) Causa fuit, ait Abul. ut David liberaret se infamia adulterii, et Bethsabee a morte, ob idem adulterium ab ea perpetratum: vocavit ergo Uriam, ut is putaretur rem habuisse cum Bethsabee uxore sua, itaque infans quem ex Davide secreto conceperat Bethsabee, putaretur esse filius Uriæ mariti, non Davidis adulteri. Si enim Urias post longiorem temporis moram rediisset uxore gravida vel pariente, omnibus notum fuisset hunc filium non esse Uriæ, sed alicuius adulteri, ac tandem inquisitione facta deprehensus fuisset David adulter esse huius fœtus parens: ita S. Chrysost. in Psal. 50.

Vers. 11. Et ait Urias (vir robustior spiritu quam corpore) ad David: Arca Dei et Israel (milites et decem tribus obsidentes Rabba) et Iuda habitant in papilionibus.) Hinc patet arcam per Abiathar pontificem ductam fuisse ad castra, et obsidionem Rabba, ut Dei ductu et ope eam expugnarent.

Et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, etc. per salutem tuam et per salutem animæ tuæ (iuro quod) non faciam rem hanc.) O militem fortem et sanctum, qui tamen indignam sua fide et robore mercedem retulit a Davide, utpote ab eo morti destinatus. Ita pii hic opprimuntur, ut in futuro Christi iudicio exaltentur, beentur et glorificentur coram omnibus Angelis et hominibus. Idem quod Urias, dicat faciatque Christianus generose pro Deo et animarum salute laborans, ac labori succumbens et occumbens, sed oriens quieti et gloriæ beatæ æternitatis. Unde *Urias* hebr. idem est quod, *lux mea Deus,* vel *ignis meus Deus; Hethæus* idem est quod, *abscissus,* ait S. August. lib. 22. contra Faustum c. 87.

Vers. 13. Et inebriavit eum.) Ut ebrius domum rediret, et cum uxore dormiret; itaque ipsa ex eo, non ex Davide fœtum concepisse putaretur. Vide hic ut unum peccatum trahat aliud. En David ut adulterium tegat, procurat fœtum suum supponere Uriæ; quod erat crimen iniustitiæ. Sic hodie adulteræ filios ex adultero susceptos supponunt et arrogant suis maritis; itaque fraudem et iniustitiam committunt, dum hac suppositione efficiunt, ut maritus eos quasi suos alat, et hæredes instituat cum damno verorum filiorum: ad cuius damni restitutionem tenentur adulteræ, quia eius causam dederunt. Rursum David, ut hanc fœtus sui suppositionem adornet, Uriam inebriat, quod tertium fuit eius peccatum. Nam ut ait S. August. serm. 231. de Temp. *Qui alterum cogit, ut se plus quam opus est, bibendo inebriet; minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret, quam eius animæ per ebrietatem noceret.* Et inferius ait eum sacrificare diabolo. Et S. Ambros. Apol. 2. David c. 3. *Oculis,* ait, *excitatur libido, sed ebrietate succenditur; Noe ebriatus est, et qui non inebriatus est diluvio, inebriatus est vino.*

Vers. 14. Scripsit David epistolam ad Ioab, misitque per manum Uriæ.) David scribebat Ioab, ut curaret Uriam ab Ammonitis occidi. Unde *litteræ Uriæ* æque ac *Bellerophontis* apud Lucianum, abierunt in proverbium, ac de iis dicuntur, qui literas sui damni necisve causas perferunt. Opinatur noster Sanchez ex hisce literis Uriæ Gentiles finxisse fabulam Bellerophontis, quod scilicet ipse acceptis commendatitiis a Præto rege litteris ad Iobatan

(quod nomen alludit ad Ioab hic) in mortem præcipitatus sit. Sic ex Mose cum Deo loquente, acceperunt fabulam Minois cum Iove colloquentis; ex Samsone, fabulam Herculis, aliaque plura similia, teste Clemente Alexand. lib. 2. Strom. Fuit hoc quartum et gravissimum Davidis peccatum, quo ut celaret adulterium ac adultera secure et iugiter frueretur, curavit occidi Uriam militem fortissimum, sibique fidissimum, ne scilicet ipse post bellum domum rediens, vidensque uxorem gravidam vel parientem, sciens se cum ea rem non habuisse, eam ut adulteram traduceret, imo occideret, neve ipsa ad sui tutelam Davidem auctorem prolis conceptæ, Uriæ assignaret et proderet. Porro homicidium Davidis valde aggravavit modus hic, quo eum occidit, qui fuit fraudulentus et proditorius. *Sic ex vitio vitium gignitur*, ait Isidor. *Sicut David non evitavit adulterium, perpetravit et homicidium.* Vide hic rursum quam libido sibi blanda, aliis sit sæva et crudelis: ut enim suæ voluptati sola indulgeat, alios ea excludens, ablegat vel occidit. Mystice Rupert. lib. 11. de Divin. Offic. c. 1. *Tulit David uxorem*, inquit. *Uriæ Ethæi, ipsumque Uriam fecit occidi, ferentem in manu sua, scriptam mortis suæ sententiam: grave quidem committens piaculum secundum rem gestam, sed grande præsignans mysterium per Christum regem vitæ, manu fortem atque desiderabilem, suo tempore peragendum*, etc. Rursum D. Thom. præf. in epist. Canon. *Literas mortis suæ*, ait, *portant viri literati, qui sciunt et docent, et non faciunt. Istæ sunt literæ sine sigillo, id est scientia sine vita; et ideo non creditur eis.*

Vers. 16. POSUIT URIAM IN LOCO, UBI SCIEBAT VIROS ESSE FORTISSIMOS.) Addit Ioseph. Ioab Uriæ commendasse fidem et strenuitatem, ut usque ad mortem pro Davide et Israele pugnaret, ac socios Uriæ secreto monuisse, ut eum in pugna desererent, atque ab hostibus cingi cædique permitterent. Quid hac re magis proditorium aut scelestum dici fingique potest? Porro S. Hieron. lib. 1. contra Iovianum asserit Davidem propter homicidium Uriæ a Deo prohibitum ædificatione templi, sed graviores eius pœnas audiemus cap. sequent.

Vers. 17. ET MORTUUS EST ETIAM URIAS.) Ecce hic consummatum Davidis ingrati homicidium, cuius indignitatem graphice depingit et exaggerat Abul. hic quæst. 5. in cap. 12. Porro permisit Deus tam graviter labi Davidem: Primo, ut eum humiliaret, ut scilicet ipse sciret se, licet per gratiam esset sanctus Propheta, et Psalmographus; tamen per naturam esse hominem fragilem et proclivem in peccata, uti sunt ceteri. Unde ipse idipsum iam lapsus confitetur in Psal. 50. *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus concepitus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Secundo,

Causa prima ob quam Deus permisit labi Davidem.

2. ut in eius lapsu et erectione Deus suam iustitiam æque ac misericordiam ostenderet: iustitiam in peccati castigatione, misericordiam in culpæ condonatione: sicut quo maior est morbus vel vulnus, eo maior medici curantis peritia et efficacia ostenditur, ait S. Chrysost. in Psal. 50.
3. Tertio, ad aliorum exemplum, ut omnes a Davide lapso discant cavere lapsus occasiones, ac præsertim incautos feminarum aspectus. Audi S. Ambros. Apol. 2. David. c. 3. *Non te vincat concupiscentia formæ, si non vis vinci; non congrediare peccatis, ne de te vitia coronentur: neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris. Vilis tibi mulier videtur ad pretium, sed fortis ad vitium: quæ virorum pretiosas animas capit.* Probat id ex Prover. c. 6. *Ligabit quis ignem in sinu, vestimenta autem non comburet? Vel ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet? Cave ergo et tu, ne intra sinum tuæ mentis ignem libidinis et amorem accendas.* Et inferius: *si David infirmus, tu fortis? Si Salomon lapsus est, tu immobilis? Si Paulus primus peccatorum, tu potes pri-*
4. *mus esse sanctorum?* Quarto, ut, si nos labi contingat, non desperemus, sed cum Davide pœnitendo resurgamus; ac lapsus, sit nobis stimulus ad maiorem rigorem et virtutem. Unde S. August. hom. 21. inter 50. *Multi*, ait, *cadere volunt cum David, et nolunt surgere cum David*, etc. *Audiant, qui non ceciderunt, ne cadant; audiant, qui ceciderunt, ut surgant. Peccatum cum desperatione certa mors*, etc. Et S. Prosper lib. 2. Prædict. c. 26. *David*, ait, *positus est in exemplum fidelibus, ut discant magis timere prospera, quam formidare adversa. Periculosum enim est animæ dimitti in voluptatibus suis, dicente Domino: Ecce quem diligo, castigo*, Prover. 3. 10. Apocal. 3. 19.

Vide S. Ambros. in duabus Apologiis quas pro Davide conscripsit, ubi priore lib. c. 2. sic ait: « Sancti sicubi forte, ut homines, corruerunt, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine; acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina; ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. » Et nonnullis interiectis: « Propositi enim ad imitandum nobis sunt, et ideo curatum est, ut et ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum a vitiis inter tot lubrica huius sæculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi, cuiusdam superioris naturæ ac divinæ fuisse, ut delictum recipere, et culpæ consortium habere non possent. » Unde post pauca concludit: « Præteriit igitur paulisper illos Dei gratia, ut nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina, et, sicut innocentiæ, ita et pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco: dum credo consortes, imitandos esse præsumo. »

PLANXIT EUM.) Uriam maritum suum. Planctus hic a- Vers. 26.
pud Hebræos erat septem dierum ut ait Ecclesiast. c. 22. v. 13. Romani tamen, et postea Christiani Imper. ut Gratianus et Theodosius, statuerunt uxori annum ad lugendum mortem mariti, ita ut non nisi exacto anno luctus, posset alteri nubere. Causam dedi Eccles. 22. Verum nec David nec Hebræi exspectabant annum, unde mox a morte Uriæ duxit Bethsabee, sicut mox a morte Nabal duxit Abigail lib. 1. Reg. 25. 39.

FACTA EST EI UXOR, PEPERITQUE EI FILIUM.) Filius er- Vers. 27.
go hic conceptus fuit in adulterio, sed natus in matrimonio, cum scilicet David Bethsabee, mortuo Uria, duxisset in uxorem. Qua in re peccavit David, quod scilicet eam, cum qua adulterium commiserat, occiso marito illico duxerit in uxorem, tacite approbando prius adulterium et homicidium. Unde sequitur.

ET DISPLICUIT VERBUM HOC QUOD FECERAT DAVID, CORAM DOMINO) Fuit ergo hoc quintum Davidis peccatum: Iudæis enim vetitum erat ducere illam, quam adulterio polluissent; non tamen erat irritum cum ea matrimonium; uti iam est apud Christianos, ut patet Extr. *de eo, qui uxorem duxit, quam polluit per adulterium.* Unde cap. sequ. Nathan arguit Davidem, non tantum quod occiderit Uriam, sed etiam quod occisi uxorem a se adulterio maculatam duxerit; sic enim ait v. 9. *Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi.* Et v. 10. *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Hethæi, ut esset uxor tua.* Videtur enim David pulchritudine Bethsabee illectus, eam concupiisse in uxorem, ideoque occidisse Uriam. Nonnulli tamen cum Saliano Davidem excusant, quod illam duxerit, ut eius famæ, pudori et vitæ consuleret, ne ut adultera lapidaretur; atque ut iniuriam Uriæ illatam repararet, uxorem eius honorando, et sibi in reginam asciscendo, eiusque liberos, si quos reliquerat, sibi arrogando. Verum hos fines postea intendisse, sibique præfixisse videtur David, cum c. sequ. a Nathan hac de re reprehensus, pœnituit; animumque adulterinis Bethsabee amoribus imbutum in castum coniugii eius usum commutavit. Nam hucusque concupiscentiæ suæ obsecutus videtur: nec enim ullum dedit pœnitentiæ signum, nisi postquam correptus fuit a Nathan, ut audiemus c. sequ.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David a Nathan correptus pœnitet; Deus percutit eius filiolum vers. 15, cui vitam flendo et ieiunando flagitat David, sed frustra. Quare David ex Bethsabee generat Salomonem Deo dilectum. Denique v. 17. David expugnat Rabbath, eiusque cives atrociter trucidat.

1. MISIT ergo Dominus Nathan ad David: qui cum venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper. 2. Dives habebat oves, et boves plurimos valde. 3. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat et nutrierat, et quæ creverat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, et de calice eius bibens, et in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia. 4. Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus, et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini qui venerat ad se. 5. Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. 6. Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit. 7. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul, 8. Et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Iuda: et si parva sunt ista, adiiciam tibi multo maiora. 9. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. 10. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua. 11. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis huius. 12. Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu Solis. 13. Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. 14. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. 15. Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David, et desperatus est. 16. Deprecatusque est David Dominum pro parvulo: et ieiunavit David ieiunio, et ingressus seorsum, iacuit super terram. 17. Venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum ut surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum. 18. Accidit autem die septima ut moreretur infans: timueruntque servi David nuntiare ei quod mortuus esset parvulus, dixerunt enim: Ecce cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram; quanto magis si dixerimus, Mortuus est puer, se affliget? 19. Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus; dixitque ad servos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est. 20. Surrexit ergo David de terra, et lotus unctusque est, cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini, et adoravit, et venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, et comedit. 21. Dixerunt autem ei servi sui: Quis est sermo, quem fecisti? propter infantem, cum adhuc viveret, ieiunasti et flebas; mortuo autem puero, surrexisti, et comedisti panem. 22. Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viveret, ieiunavi, et flevi, dicebam enim: Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, et vivat infans? 23. Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunem? Nunquid potero revocare eum amplius? ego vadam magis ad eum, ille vero non revertetur ad me. 24. Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam, dormivit cum ea, quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon, et Dominus dilexit eum. 25. Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen eius Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. 26. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbat filiorum Ammon, et expugnabat urbem regiam. 27. Misitque Ioab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adversum Rabbath, et capienda est Urbs aquarum. 28. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam; ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria. 29. Congregavit itaque David omnem populum, et profectus est adversum Rabbath; cumque dimicasset, cepit eam. 30. Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, et impositum est super caput David. Sed et prædam civitatis asportavit multam valde; 31. Populum quoque eius adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum; sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Et reversus est David, et omnis exercitus in Ierusalem.

Vers. 1. MISIT ERGO DOMINUS NATHAN AD DAVID.) Vide quam cæcus per peccatum evaserit David. Nam per novem menses quibus Bethsabee ex eo conceptum fœtum utero gestavit et peperit, quasi Dei et sui oblitus, non cogitavit quanta scelera adulterii et homicidii commisisset; sed securus voluptatibus cum Bethsabee indulgebat. Idcirco Deus eius miserens, misit ad eum Nathan, qui scelerum gravitatem ei ostenderet, ac pœnas a Deo decretas denuntiaret.

Nathan hic alius fuit a Nathan filio Davidis, et fratre Salomonis, utpote parvulo, et forte necdum genito. Hic enim Nathan fuit Propheta familiaris Davidi, cum quo negotia sua tractare, eiusque consilia sequi solebat David: ideoque meruit hic ab eo corripi, et a via gehennæ in semitam salutis reduci. David enim ita diligebat Nathan, ut ab eo unum filiorum suorum vocarit Nathan, ait Genebrard.

DUO VIRI ERANT IN CIVITATE.) Nathan sapienter non aperte, sed per ambages orditur correptionem, ut regis animum amoribus sopitum et superbum a somno peccatorum excitet. Festivam ergo ei proponit parabolam, per quam gratiose ei sceleris sui enormitatem ostendit, ne si clare idipsum faceret, rex excandesceret, et correptionem sperneret, diceretque, ait S. August. hom. 24. inter 50.

Tu cum sis pauper et humilis, quomodo ausus es mihi loqui Regi? Quare sermonem inducit, quasi de alio aliquo, non de Davide ageret; ut David alium videretur damnare, non seipsum: unde Græci codices nonnulli hic præfigunt: *Renuntia*, vel *responde mihi iudicium.* Usus est ergo parabola, ut suo seipsum iudicio rex damnaret, neque ipsum irritaret: *ad secandum et sanandum vulnus cordis eius, ferramentum fecit Deus de lingua eius*, inquit August. hom. 21. *Sed velut prudens medicus ferrum tegebat*, parabolico scilicet velamento.

Porro hic est sensus, et hæc applicatio Parabolæ. *Duo viri*, sunt David et Urias; ille dives, hic pauper. David multas habebat oves, id est uxores; Urias unicam, scilicet Bethsabee: hanc ei ademit David per adulterium, itaque gravem ei intulit iniuriam, ac seipsum reum fecit mortis præsentis et æternæ. Ita Abul. et alii.

Vers. 5. FILIUS MORTIS EST VIR QUI HOC FECIT.) q. d. Reus est mortis. Vox enim *filius*, Hebræis cum iungitur genitivo pœnæ vel præmii, idem est quod *reus*, vel *dignus*. Sic filius mortis, iræ, gehennæ, est reus mortis, iræ, gehennæ: filius vitæ, gloriæ, resurrectionis, idem est quod, dignus vita, gloria, resurrectione.

Vers. 6. OVEM REDDET IN QUADRUPLUM.) Hæc enim restitutio furi ovis indicitur Exodi 22. 1. vide ibi dicta.

Vers. 8. ET DEDI TIBI DOMUM DOMINI TUI, ET UXORES DOMINI TUI IN SINU TUO.) Pro *uxores* hebr. est נשים *nascim*, quod non tantum uxores, sed et feminas quaslibet significat. *Feminæ* autem, id est, *filiæ* Saulis fuere Merob et Michol, quas Deus Davidi dedit uxores: Merob enim a Saule fuit desponsata Davidi, licet postea per fraudem Saul illi eamdem abstulerit. Rursus Hebræi tradunt Eglam uxorem Davidis, fuisse prius uxorem Saulis, æque ac Respham: sed hoc refutat Abul. hic quæst. 3. Denique hic non tam significatur actus, quam ius et potestas; quod scilicet David succedens Sauli in regno, habuerit ius in ancillas et uxores Saulis, ut posset eas, si vellet, sibi matrimonio copulare. Ita Lyran. Abul. et alii.

Vers. 10. QUAMOBREM NON RECEDET GLADIUS DE DOMO TUA USQUE IN SEMPITERNUM.) Non absolute, sed respective, scilicet respectu domus Davidis et Israelis, q. d. Quam diu durabit tua regia stirps, et quam diu durabit regnum Israelis, faciam ut gladius semper incumbat tibi, domuique tuæ, nec ab ea recedat, q. d. Tu gladio Ammonitarum Uriam occidisti, idcirco in pœnam non unus, sed multi e filiis et posteris tuis gladio occidentur. Ita factum: nam ex filiis Davidis occisi quatuor, scilicet hic parvulus v. 15. Ammon, Absalon, et Adonias, et forte plures alii. Deinde posteri Davidis, excepto Salomone, continua cum hostibus gessere bella, in quibus multi Israelitæ, et prognati ex Davide et fratribus eius occisi sunt. Ita Abul. Salian. et alii.

Vers. 11. ECCE EGO SUSCITABO SUPER TE MALUM DE DOMO TUA.) Ut scilicet Absalom filius tuus persequatur te. Nam, ut ait S. Chrysost. in Psal. 3. *Unde est fons peccati, illinc est plaga supplicii: quia ergo a præcepto Domini exul fugitivusque fuerat, propterea filium fugiebat.* Et mox: *Nisi peccatorum scintillas occultasset, domus non conflagraret.* Morale deinde documentum subdit, eos, qui in iuventute cum mulieribus peccarunt, postea incidere in uxores molestas et rixosas, a quibus præterita libido per Deum castigatur, iuxta illud Eccles. 7. 27. *Qui autem peccator est, capietur ab illa;* quasi ab amorum antidoto, quod peccatorum malos humores consumat. Audi Chrysost. *Uxor tecum bellum gerit, ingresso tamquam fera occurrit, linguam tamquam gladium acuit. Res quidem valde molesta ac difficilis, quod auxiliatrix, adversaria facta est: teipsum tamen examina, numquid in iuventute in mulierem novi quid attentaris, et quod mulieri a te vulnus inflictum est, curetur per mulierem, et alienum ulcus propria uxor chirurgi officio fungens, medicetur; et quamvis quæ secet ignores, novit tamen Deus medicus. Ipse enim ea tamquam ferro adversus te usus est; et quemadmodum ferrum nescit quid agat, futuram autem per ferrum medelam novit medicus; ita etiam licet ignoret uxor, quæ ferit, et maritus, qui feritur, causam ictus, Deus tamen ut medicus novit, quid conferat.*

Iuvenes fornicantes incidunt in uxores molestas.

EGO AUTEM FACIAM, etc. IN CONSPECTU SOLIS.) Absalom enim publice in solario coram toto Israel violavit uxores patris sui c. 16. 22. nimirum sic congrua talione solarium supplicii correspondit solario adulterii, unde David prospexit et concupivit Bethsabee. Atque parum hoc est. Insuper respondit sol solario, vel potius meridianus sol vespertino iam tempori, cum post meridiem David deambulavit in solario. Dictum enim est illi: *Tu fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu Israel, et in conspectu solis.* Ergo adulterio nullum est operimentum, sed Deus illud licet occultum in lucem educit et propalat, sicut propalavit hic omnibus non tantum Israelitis, sed et gentibus, adeoque sæculis futuris mœchiam et cædem Davidis. Quanta ergo erit confusio adulteris et sceleratis in die iudicii, ubi coram omnibus Angelis et hominibus Christus cuiusque crimina patefaciet, arguet et damnabit? Vers. 12.

ET DIXIT DAVID AD NATHAN: PECCAVI DOMINO.) In Dominum, contra Dominum, idque coram Domino, eo vidente et intuente, esto coram hominibus idipsum celarim et absconderim. Hoc verbum *peccavi*, breve est; sed ex intimo cordis sinu profectum, ac profundo humilitatis, compunctionis, pœnitentiæ, religionis et charitatis sensu refertum, uti liquet ex Psal. 50. quem tum dictavit; *Miserere mei Deus*, ubi inter cetera ait: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* Vers. 13.

Quocirca hanc Davidis vocem, *peccavi*, Patres examinantes, mirifice exaggerant et celebrant. Primo, S. Ambros. Apol. 1. David c. 2. « Ille, inquit, rex tantus et potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam: sed præmatura confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facile reperias honoratum ac divitem, qui, si arguatur alicuius culpæ reus, non moleste ferat? At ille regio clarus imperio, tot divinis probatus oraculis, cum a privato homine corriperetur, quod graviter deliquisset: non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit. « Idem S. Ambros. ibidem c. 4. » Peccavit David, inquit, quod solent reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, humi stratus deploravit ærumnam, ieiunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. Quod erubescunt facere privati, rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam; quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis. Quod peccavit, conditionis est; quod supplicavit, correctionis. Lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse, naturæ est: diluisse virtutis. » Idem rursus c. 9. sic ait: « Quidquid personuerit, quidquid increpuerit, culpa ei propria semper occurrit: quidquid fuerit dictum aut lectum, in se dictum putat: quidquid intenderit, se nutu, se oculis signari putat: si epuletur, si cogitet, si oret, ac deprecetur; ante oculos eius semper est error proprius: et momentis omnibus culpa pulsat conscientiam; nec quiescere, nec oblivisci sinit: velut gravis censor exagitat se terrore perpetuo. » Causam subdit Ambros. « Bonæ mentis est vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem: quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur: sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Ubi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ. » Denique S. Ambros. Exhort. ad pœnitent. « peccavi in tribus syllabis, ait, flamma sacrificii ad cœlum ascendit. »

Quanta pœnitentia Davidis ex S. Ambr.

Secundo, S. August. lib. 22. contra Faustum c. 66. *Hic est*, inquit, *pœnitentiæ sacrificium;* et c. 67. *Cordis eius*, ait, *profunda cernebat spiritus Dei, quando correptus per prophetam dixit: Peccavi, continuoque ad hoc verbum audire meruit, quod acceperit veniam: ad quam rem, nisi ad sempiternam salutem? Neque enim prætermissa est in illo secundum comminationem, flagelli paterni disciplina; ut et confessus in æternum liberaretur, et afflictus tem-*

Ex S. Augustino.

poraliter probaretur. Si dicas etiam Saulem et Iudam proditorem dixisse *peccavi;* nec tamen ita pœnituisse, ut veniam sint adepti. Resp. S. August. *in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod divinus oculus discernebat.* Idem August. hom. 21. inter 50. *Audi,* ait, *Davidem clamantem, et simul clama: audi gementem, et congemisce: audi flentem, et collacrymare.* Unde liquet, Davidem ex vehementia doloris interni prorupisse in profusas lacrymas, gemitus et singultus, qui vocem illi interciperent, ut non aliud effari posset, quam τὸ *peccavi Domino.* Id ita esse liquet ex psal. 6. 7. ubi ait: *Lavabo per singulas noctes lectum meum:* (in quo scelus commisi) *et lacrymis meis stratum meum rigabo.* Ubi pro, *Lavabo,* hebr. est אשחה *asche,* id est, *natare faciam,* q. d. Tot fundam lacrymas non tantum nunc, sed per omnem deinceps vitam, ut iis lectus sceleris conscius obruatur, imo innatet.

Ex S. Chrysost. Unde Tertio, S. Chrysost. in Psal. 6. et hom. 77. ad populum. « Ne consideres, ait, quod cecidit ut torpeas: sed quantum postea lacrymarum fuderit, quantum pœnitentiæ, noctes iungens diebus, fontes emittens lacrymarum, lectum lacrymis abluens, saccum indutus, » etc.

Ex Salviano. Quarto, Salvianus lib. 2. de Gubern. Dei. « Agnoscit, inquit, David reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exoneratur, corde et cultu mutatur, totum regem cum ornatibus suis abiicit, ieiunio exugitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur. »

Ex S. Hilario. Quinto, S. Hilarius in Psal. 118. lit. Pe. v. ult. « Exitus aquarum: David, inquit, tunc cum Nathan propheta arguente crimen suum recognovit et flevit: nunc quoque non desinit veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluere, dicens: Exitus aquarum transierunt oculi mei: fontes scilicet lacrymarum suarum fontes fluminum esse transgressos. Hæc enim pœnitentiæ vox est, lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, et per hanc confidentiam dicere: Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo. Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, et largo lacrymarum imbre madefieri. »

Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.) Pro *transtulit* hebr. est העביר *heibir,* id est transire fecit, id est, amovit, *abstulit,* ut vertunt Sept. hic, ac Noster, et alii passim. Zachar. 3. 4. et Psal. 118. v. 39. Hinc patet, quanta fuerit in Davide doloris vehementia, utpote cui dicenti: *peccavi,* Deus statim peccatum remiserit. Ita S. Ambros. Apol. 1. David. c. 2. *Maturitas veniæ,* inquit, *profundam fuisse regis pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit.* Idem docet S. August. lib. 22. contra Faustum c. 67. imo ipse David Psal. 50. dicens: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Unde liquet contritionem perfectam, quæ scilicet ex amore Dei super omnia procedit, delere peccata omnia quamvis gravissima, uti fuere adulterium et homicidium Davidis; ita nimirum ut Deus contrito illico omnem culpam et pœnam æternam condonet, eamque in pœnam temporariam commutet: hanc enim ad disciplinam et satisfactionem pœnitenti luendam esse, uti luit hic David, docent S. Ambros. et S. August. iam citati, ac S. Gregor. 9 Moral. 27. *Delinquenti,* ait, *Dominus nequaquam parcet, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc loco in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* Vide Bellarm. de Pœnit. lib. 4. c. 2. 3. 4.

Quocirca S. Ambros. Theodosium Imp. arguens, quod ex ira tot millia Thessalonicensium ob deiectam uxoris suæ statuam occidisset, cum ille diceret Davidem quoque peccasse cæde Uriæ, subiecit: *Quem secutus es errantem, sequere pœnitentem.* Et revera secutus est. Nam iniunctam sibi ab Ambrosio pœnitentiam humiliter suscepit et explevit. Vide S. Ambros. in orat. de funere Theodosii, ac Bellarm. lib. de Principe Christiano in vita Theodosii sub finem.

Non morieris.) Hinc videtur, quod Deus per Nathan intentans Davidis domui pœnam gladii usque in sempiternum, etiam in ipsum Davidem tulerit sententiam mortis, decreveritque ut ipse quoque gladio Ammonitarum vel Absalonis, etc. occideretur, sicut eodem occiderat Uriam: hæc enim est lex talionis, ut qui alium occidit, occidatur, Exodi 21. v. 23. sed ob eximiam eius pœnitentiam, pœnam hanc mitigarit, condonando scilicet ei vitam, dicendo: *Non morieris:* ac simul temperando et minuendo alias cædes, quas domui eius per gladium se immissurum comminatus fuerat. Ita Serar. Abul. Lyran. Caiet.

Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini.) Ut dicerent: Ecce quam scelesti sunt Israelitæ Dei cultores, ac imprimis eorum rex et propheta David; Hæccine est sanctitas populi Dei? hæccine pietas regum et Prophetarum? Certe nostri dii tales non sunt, nec nos tales esse patiuntur. Vers. 14.

Disce hic quam grave sit peccatum scandali, præsertim quo fideles infidelibus dant occasionem blasphemandi Deum. Audi Salvian. lib. 4. de Gubern. Dei sub finem, explicantem τὸ « quia blasphemare fecisti: Deposito diademate, proiectis gemmis, exutis purpuris, remota omni splendoris regii dignitate, cum pro his omnibus solitarius, gemens, clausus, sacco squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus, vitam parvuli sui tot lamentationum suffragiis peteret, et piissimum Deum tanta precum ambitione pulsaret: sic rogans et obsecrans, obtinere non potuit, cum tamen, quod fortissimum petentibus adiumentum est, impetraturum se, quod sic a Deo peteret, credidisset. Ex quo intelligi potest, quod nullum penitus maioris piaculi crimen est, quam blasphemandi causam gentibus dare. Quicumque enim sine blasphemia aliorum graviter erraverit, sibi tantum affert damnationem: qui autem alios blasphemare fecerit, multos secum præcipitat in mortem; et necesse erit, ut sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum » Et nonnullis interiectis: « Qui vero blasphemare alios peccans fecerit, necesse est peccatum huius supra criminis humani esse mensuram; quia per convitia plurimorum, inæstimabilem Deo facit iniuriam. Hoc autem, ut dixi, malum peculiariter tantum Christianorum est, quia per eos tantum blasphematur Deus, qui bona dicunt, et mala faciunt: qui ut scriptum est, Deum verbis confitentur, et factis negant. » Addunt S. Hieron. et Procop. Davidem dedisse occasionem Ammonitis, Philisthæis, etc. invadendi se suumque regnum, utpote qui iam se divina gratia et favore per tantum scelus privasset.

Filius, qui natus est tibi, morte morietur.) Id est certo et irremissibiliter morietur, ut sicut ipse sceleris tui fuit obiectum, sic et eiusdem sit piaculum. Fuit hæc pœna temperata clementia. Nam cessit in bonum infantis, utpote qui in innocentia mortuus, salvus evasit; alioqui forte instar patris peccaturus et damnandus; atque ipsius Davidis, utpote adulterium eius, morte infantis quasi obliterans et sepeliens, uti docet Theodor. sic enim consultum fuit famæ et honori Davidis; filium enim ex adulterio genitum, quasi dedecus ipsius Deus sustulit, ac pro eo alium legitimum et longe præstantiorem dedit scilicet Salomonem. Addunt nonnulli Davidem ipsum tunc gravi morbo ad castigandam eius libidinem fuisse percussum a Deo, id enim ipse significat Psalm. 6. qui est primus pœnitentialis, quem proinde mox a peccati pœnitentia composuisse videtur, dum ait: « Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea: » Et Psal. 37. « Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis. » Ita Salianus.

Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunem.) Vers. 23.
Nec enim eum a morte revocare potero, nec a pœnis Purgatorii liberare, utpote qui in innocentia mortuus nullas sustinet; secus est de Absalomo, cuius mortem planxit David inconsolabiliter, quia in peccato parricidii erat mortuus, ideoque damnatus ad gehennam: ita S. Hieron. Epist. 24.

Vers. 24. Et consolatus est David Bethsabee.) Tradunt Hebræi Bethsabee metuentem ne et aliæ proles similiter morerentur, statuisse abstinere consortio Davidis, sed Davidem hunc metum ei exemisse, promittendo ex Deo primum eius fœtum fore vitalem et felicissimum. Ita Pineda et Salianus.

Quæ genuit filium, et vocavit (non mater Bethsabee, ut vult Abul. sed ipse pater David, ait Serar. Caiet. et alii, ut patet ex masculino ויקרא *vaicra*, idque iussu Dei, et oraculo Dei edito per Nathan Prophetam 1. Paral. 22. 9.) nomen eius Salomon.) id est *pacificus*, quia scilicet iam David Deo per pœnitentiam reconciliatus, pacem et veniam sui peccati acceperat; unde in signum pacis Deus dederat ei hunc filium, qui toto tempore regni sui futurus erat pacificus, ideoque typus Christi, qui est *pax nostra*. Rursum *pacificus*, id est dives, felix omniumque rerum copia (hanc enim hebr. significat pax) abundans, ait Abul. Pineda et alii. Audi Deum 1. Paral. 22. 9. *Filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus, faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: et ob hanc causam* (Salomon, id est) *pacificus vocabitur, et pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus eius.* Notat S. Hieron. in Tradit. in Genes. c. 17. in veteri testamento quatuor, antequam nascerentur, a Deo nomen accepisse, scilicet Ismael, Isaac, Salomonem, et Iosiam.

Salomonis etymon.

Et Dominus dilexit eum.) Prævenit eum Deus sua gratia et donis, quia destinabat eum successorem Davidis, fabricatorem templi, et typum Christi. Unde pergit Deus loco Paral. iam citato: *Ipse ædificabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni eius super Israel in æternum.* Vide dicta c. 7.

Vers. 25. Misitque in manu Nathan (id est per Nathan: *manus* enim significat medium vel instrumentum) Prophetæ, et vocavit nomen eius, Amabilis Domino.) Hebr. ידידיה *Iedidia*, quod Aquila, teste Theodor. et Procop. vertit, *in Domino:* Symmachus vero, *segregatus ad regnum;* sed clarum est hebraice peritis significare, *amabilis Domino*, ut vertit Noster, Septuag. Vatab. Chald. Pagn. et alii. Abulens. censet hoc nomen esse appellativum, Pineda vero proprium, ita ut puer hic propria nomina habuerit duo, scilicet Salomon et Iedidia. Utrumque concilia dicendo, Iedidia esse nomen commune quidem, sed a Deo appropriatum Salomoni.

Apposite *Iedidia*, puta *Salomon*, fuit filius David, quasi dilectus dilecti. *David* enim *dilectum* significat, sed *Iedidia* amplius, scilicet *dilectum Dei* vel *a Deo*.

Nota primo, ex hoc loco v. 24. liquet quod Salomon paulo post mortem infantis ex adulterio concepti genitus sit, adeoque ei successerit, ut luctum matris leniret et aboleret. Unde sequitur, Salomonem fuisse primogenitum Davidis ex Bethsabee. Ita Pineda, Salianus. Serar et alii.

Dices, Salomon ultimo loco ponitur inter filios Bethsabee 1. Paral. 3. 5. ubi dicitur: *Nati sunt ei* (Davidi) *filii Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabee.* Respondent aliqui, tres priores, scilicet Simmaa, Sobab, et Nathan, non fuisse filios Davidis, sed Uriæ prioris mariti, quos ipse ex Bethsabee uxore sua genuerit. Ita Abul. Lyran. Vatab. Torniellus, Hugo et alii. Sed hoc repugnat textui, qui habet: *nati sunt ei*, scilicet Davidi, qui præcessit. Item quod Lucas genealogiam Christi c. 3. deducat ex Davide per Nathan; quod falsum esset, si Nathan foret filius Uriæ, non Davidis. Quare dicendum, ibi non servari ordinem temporis et nativitatis, uti nec alibi subinde. Sic enim Genes. 49. alio ordine recensentur et benedicuntur filii Iacob a patre, quam ab eo geniti sint, Genes. 29. et 30. Sic etiam in filiis Thare ordo generationis non servatur, ut dixi Genes. 11. 26. Ita Theodor. Procop. Caiet. Pineda, Salianus et alii.

Nota secundo, ex hoc loco patet, illico post mortem infantis conceptum fuisse Salomonem. Hoc enim exigit v. 24. Ubi dicitur: *Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam* (lugentem infantis sui mortem) *ingressusque ad eam, dormivit cum ea; quæ genuit filium, et vocavit nomen eius Salomon.* Quare perperam nonnulli inter mortem infantis et nativitatem Salomonis quadriennium interponunt.

Nota tertio, Hinc probabiliter colligitur Salomonem conceptum fuisse anno 50. ætatis Davidis, qui fuit regni eius vigesimus, natum vero anno 51. ætatis Davidis, qui fuit regni eius 21. Nam David mortuus est anno 40. regni sui. Tuncque successit ei Salomon, qui erat circiter viginti annorum, ut liquet ex eo, quod iam tum genuerat Roboam filium, qui ei in regno successit: quia mortuus est Salomon anno regni sui 40. tumque succedens ei Roboam erat 41. annorum, ut dicitur 3. Reg. 14. 21. Quare necesse est ut Roboam uno anno ante regnum Salomonis, ab eo genitus sit. Ita fere Pineda, Salianus et alii, licet alii aliter sentiant, et varii varie. Hæc magis patebunt. 3. Reg. 1.

Quocirca accipe verisimilem hanc de Davide chronotaxin Saliani et aliorum.

David anno ætatis 49. qui fuit regni 19. in æstate peccavit cum Bethsabee, ex qua anno sequenti in vere natus est filius: quo post paucos dies mortuo, mox Bethsabee de Davide concepit Salomonem, quem post novem menses peperit anno Davidis 51. qui fuit regni eius 21.

Chronotaxis gestorum Davidis.

Eodem anno quo natus est Salomon, paulo post eius natalem, Deus in pœnam adulterii Davidis, permisit eius filiam Thamar violari a fratre Ammon, ut audiemus cap. sequenti.

Post biennium ab hac violatione, scilicet anno Davidis 53. qui fuit regni 23. Ammon ab Absalomo fratre germano, et uterino Thamar, occisus est, ut patet cap. 13. v. 23.

Absalom ob fratrem Ammonem a se occisum fugit ad avum suum maternum regem Gessur, et apud eum mansit exul tribus annis, puta usque ad annum Davidis 56. qui fuit regni eius 26. ut patet c. 13. v. 38.

Finiente hoc anno Davidis 56. Ioab Absalomum Davidi reconciliavit per mulierem Thecuitem, sed ita ut Absalom non sit permissus videre faciem patris per biennium, ut patet c. 14. 28.

Post hoc biennium nimirum anno Davidis 58. qui fuit regni 28. Absalom per Ioab inductus est ad Davidem, qui osculando eum sibi reconciliavit.

Absalom cœpit anno sequente, qui fuit Davidis 59. ambire regnum, et patri machinari mortem; quare captavit, sibique devinxit animos plurium Hebræorum per omnes tribus: quo facto, anno proximo, qui fuit Davidis 60. regni 30. Absalom publicum bellum in patrem movit, in quo ipse cæsus est et suspensus, ac tribus lanceis a Ioab confossus occubuit, ut patebit c. 18. v. 14.

David deinde vixit adhuc et regnavit annis decem: mortuus est enim anno ætatis 70. regni 40. cui successit Salomon annum agens vigesimum, qui regnavit annis 40. mortuusque est agens annum sexagesimum: iunior cæteris illius ævi, quia libido eius corpus exhauserat, ut cito senesceret et deficeret.

Vers. 26. Expugnabat (id est expugnare satagebat, acriter oppugnabat: nam postea a Davide expugnata est v. 29. significatur ergo hic actus non perfectus, sed inchoatus) urbem regiam.) *Rabbath*, sive Philadelphiam; sic dicitur Psal. 128. v. 1. *sæpe expugnaverunt*, id est oppugnarunt, *me*, unde sequitur: *etenim non potuerunt*, id est, non prævaluerunt, *mihi*.

Vers. 27. Et capienda est urbs aquarum.) Sept. et Chald. *et cepi urbem aquarum.* Unde Caiet. et Serar. opinantur urbis Rabbath duas fuisse partes, unam interiorem, alteram exteriorem, quæ dicta sit *urbs aquarum*, quam ceperit Ioab; sed interiorem capiendam reservarit Davidi. Verum versio Vulgata, quæ habet, *capienda est* (et hoc exigit *vau* conversivum in hebr. quod est in וגם *vegam*, hoc enim vertit præteritum in futurum) contrarium indicat, scilicet Ioab non cepisse quidquam, sed totam urbem capiendam reservasse Davidi, quare *urbs aquarum*, non est alia quam *Rabbath*. Ita Ioseph. Lyran. Hugo, Abul. Dion. et alii.

Dices, 1. Paral. 20. 1. dicitur: *Percussit Ioab Rabba.*

Resp. *percussit*, quia, ut paulo ante ibidem præcessit, Ioab vastavit totam regionem circum circa, et multos civium Rabba occidit, ac tandem advocato Davide eam cepit. Tota enim virtus et laus expugnatæ et vastatæ urbis Rabba debebatur Ioab, licet ipse ex modestia laudem hanc dederit Davidi; sed cur *Rabbath* vocatur *urbs aquarum?* Resp. Abul. eo quod alluatur Tigri et Euphrate, sicut iisdem alluitur Haran sive Charræ in Mesopotamia, et Babylon in Chaldæa. Verum Tigris et Euphrates longe absunt a Philadelphia. Aliter respondent nonnulli cum Lyrano, scilicet, quod urbs hæc sita esset in locis palustribus, ideoque aquis abundaret. Verum dico cum Serario, Saliano, Adrich. et aliis, causam esse, quod Philadelphiam circumfluat torrens Iaboc, qui ortus ex Arabiæ montibus regionem Ammonitarum terminat, et in Iordanem influit, uti docet S. Hieron. in Locis Hebr. Porro Ammonitæ his aquis præfidentes putabant urbem esse inexpugnabilem, ideoque Ioab et Hebræos obsidentes contempserunt, eorumque obsidionem per annum sustinuerunt.

Vers. 28. NUNC IGITUR, etc. CAPE EAM, NE, CUM A ME VASTATA FUERIT URBS, NOMINI MEO ASCRIBATUR VICTORIA.) Mirare hic fidelitatem et modestiam ducis Ioab, qui refutans gloriam urbis mox capiendæ sibi debitam, quam belli duces adeo ambire solent, eam in solidum transcribit in regem suum Davidem.

Unde Tropol. discant Christiani gloriam suorum operum licet heroicorum totam resignare in Davidem verum, id est in Christum et Deum, quia ipse eorum est causa totalis: licet enim homo per naturam et liberum arbitrium ea libere operetur; tamen tota dignitas eorumdem est a gratia Christi. Opus enim charitatis v. g. libertatem habet ab homine, quod scilicet sit opus liberum, non coactum vel necessarium, sed a Christi gratia habet quod sit supernaturale; Deo gratum, et meritorium gloriæ æternæ. Soli Christo ergo debetur eius decus, laus et gloria. Hoc est quod ipse ait: *Gloriam meam alteri non dabo*, Isaiæ 48. 11. Ipse enim totam utilitatem, meritum et præmium operis boni liberaliter donat homini operanti, omnem vero eius gloriam sibi reservat. Unde 24. seniores *mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia.* Apoc. 4. 10. ac consequenter creasti ipsum liberum arbitrium nostrum, eique vim cooperandi gratiæ tribuisti, ac gratia tua præveniente illud et excitasti ad bene operandum, ac operanti per gratiam cooperantem cooperatus es. Dicamus ergo cum Psalte cum quid boni agimus: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Psal. 113. Unde Alleg. Angelom. *Dux David,* inquit, *contra hostes bellum agit, cum ordo sanctorum prædicatorum, contra mundi potentes, scutum fidei opponit. Sed finis certaminis et triumphus belli ad regem Christum solummodo defertur: quia ipsi omnis potestas et potentia regni ascribitur. Deus est enim* (*secundum Apostolum*) *qui operatur in nobis et velle et perficere, et ipse triumphat nos semper in Christo Iesu.*

Vers. 30. ET TULIT DIADEMA REGIS EORUM (hebr. *Melchom*, id est, *idoli*, sive Dei eorum, qui habebat formam מלך melech, id est *regis*) PONDO (habens in pondere, sive ponderans) AURI TALENTUM.) Audi 1. Paral. 20. 2. *Tulit David coronam Melchom de capite eius, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema*, puta ex parte eius, totum enim auri pondus, puta talentum David capite suo gestare non potuisset. Talentum enim Hebræorum continebat libras 125. uti ostendi Tract. de mensuris in fine Pentateuchi. Quis rex ferret in capite coronam 125. librarum? partem ergo talenti David impendit coronæ suæ, reliquum vero in alia templi vel palatii sui ornamenta distribuit. Nisi quis dicat Davidem hoc diadema non gestasse in capite, sed supra caput alligari vel affigi iussisse in throno et conopæo regio, ut capiti sedentis Davidis in throno iugiter immineret, quod sat est verisimile.

Alleg. Angelomus: « Coronam, inquit, regis populi hostilis David de capite tulit, et diadema inde sibi formavit: cum Redemptor noster ex contraria potestate regnum auferens, sibimet insigne decorum paravit. Quæ autem melius corona David intelligitur, quam conventus populi Catholici? quæ caput nostrum, regem videlicet Christum, corde credulo nobiliter ambit, et digne conversans decenter coronat? Omnis enim sanctorum labor, et certamen atque victoria, ad honorem cælestis regis refertur: quia ipse est, cui omne genuflectitur, cælestium et terrestrium atque infernorum: et omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. » Hucusque Angelomus.

POPULUM QUOQUE EIUS ADDUCENS SERRAVIT, ET CIRCUMEGIT SUPER EOS FERRATA CARPENTA.) Quæ scilicet rotis ferreis et dentatis ad frumentum e spicis excutiendum instructa erant, ait S. Hieron. in Amos c. 1. Unde 1. Paral. 20. 3. dicitur: *et fecit super eos tribulas, et trahas, et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur, et contererentur*, iuxta illud Virgil. Georg. 1. Vers. 31.

Tribulæque trahæque et iniquo pondere rastri.

Sic Damasceni *trituraverunt in plaustris ferreis Galaad*, Amos 1. 3.

ET TRADUXIT IN TYPO LATERUM.) Vatab. *coniecit eos in fornacem lateritiam*, vel *calcariam*, in qua scilicet coquuntur lateres vel calx, ut in ea ustularentur. Sic et Serarius, Sanchez et alii. Hebr. enim מלבן *malben* (pro quo perperam Caiet. legit מלכן *malchen*) significat *laterificinam*, hoc est locum ubi fiunt lateres. Verum quia duplex est hic locus, nam primo lateres formantur ex luto in area, deinde coquuntur in fornace, hinc incertum est, ait Marinus in Lexico, an *malben* priorem locum, an posteriorem significet: plures censent priorem significare, q. d. Sicut in loco ubi ex argilla formantur lateres, massa limosa cum paleis identidem a figulis finditur, ut fiat debita commistio, et diversæ materiæ unio, ex qua formentur lateres: ita David Ammonitas instar massæ limosæ dissecuit, et crebris gladiorum ictibus discidit et laceravit. Hoc exigit Vulgata vertens, *in typo laterum: typus* enim vel significat similitudinem (q. d. instar laterum) vel potius officinam, formam et formationem laterum. q. d. Sicut in officina lateritia formantur lateres, crebro massam limosam traducendo, id est volvendo, subigendo, calcando, adæquando, miscendo, findendo, scindendo; sic pariter David Ammonitas in area, et forte officina lateritia *traduxit*, id est volutavit, subegit, calcavit, discidit et dissecuit. Ita S. Hieron. in Tradit. *Divisit*, inquit, *eos cultris, sicut lateres dividi solent, qui ex paleis et luto conficiuntur.* Sic et Angelom. Lyran. et alii. Explicat enim τὸ *divisitque eos cultris*, et omnia præcedentia lacerationem significant, non ustionem. Accedit Chald. qui vertit, teste Pagn. in Lexico, *Serravit*, vel *raptavit*, vel *laceravit eos in plateis*, id est laterificinis: has enim Chald. vocat *plateas*, eo quod in eis ordinate ponantur strata laterum, uti ponuntur et ordinantur lapides in pavimento platearum: unde figuli suos lateres in quadrum dispositos ita ordinant, ut plateas facere videantur. Accedunt Sept. qui vertunt, *transire fecit* vel *traduxit eos*, δια τȣ πλινθιȣ. (perperam Compl. et alii legunt πληθιȣ, quod græce nihil significat, licet ipsi vertant, *aciem*) id est per laterificinam. Addit Theodor. in c. 21. πλιθιον significare quoque aciem quadratam, sicut quadrantur lateres; quasi David coegerit Ammonitas transire per hanc Hebræorum aciem, ut ab ea hastis et gladiis confoderentur, quod Galli dicunt, *Passer par les piques.*

Porro noster Sanchez censet Davidem hæc fecisse ante peccati sui pœnitentiam, quo tempore David in fermento erat, et in medio peccatorum æstu alius a seipso, quique libentius suis affectibus, quantumcumque immoderate profusis, quam Dei voluntati serviebat. Quare putat Davidem in hac suppliciorum acerbitate gravissimum commisisse peccatum. Verum alii censent Davidem hæc fecisse eo ordine, quo hic narratur, scilicet post pœnitentiam (in eius enim mercedem et præmium hanc Davidi victoriam dedisse videtur Deus) ideoque eum a peccato sævitiæ excusant, eo quod atrocibus hisce suppliciis castigare debuerit

atroces iniurias et opprobria; legatis suis ex amicitia missis contra omne ius gentium irrogata, item alia, quæ Naas pater Hanon Galaaditis erat comminatus, scilicet effossionem oculorum lib. 1. c. 11. quodque Ammonitæ crebro invasissent Iudæam, ac Hebræis sæpe bellum movissent, ac vicinas gentes et reges ad inferendum Davidi bellum concitassent. Ita Theodor. Caiet. et Salianus, qui et addit: Dicamus quoque cum Lyrano et Dion. hæc supplicia non toti populo, sed aliquibus de singulis civitatibus illata fuisse: iis videlicet qui auctores fautoresve fuerant iniuriæ et contumeliæ Davidis legatis illatæ; quorum quia vestes medias ignominiose dissecuerant, medii serris dissecari meruerunt; et quia cultris et novaculis eorum capita abraserant, iure cultris et gladiis capite aut aliis etiam membris truncati. Quod si curribus, ut fieri solet, vel trahis impositos legatos circumduxerant, et aulicis totique populo deridendos exhibuerant, ferratis curribus et carpentis merito substerni et conteri potuerunt. Et cum Ammonitæ in suis sacrificiis deo Moloch, sive Melchom, offerendis crudelissimi fuissent, ut qui suos infantes per ignem traducere, vel inter brachia candentis idoli concremare soliti essent, ut ait David Kimchius, merito et ipsi per incensam fornacem traducti, aut in eam etiam coniecti fuerunt.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Amnon vim infert Thamar: quare ab Absalomo fratre Thamar invitatus ad convivium v. 23. in eodem occiditur. Mox vers. 34. Absalom fugit ad avum suum maternum regem Gessur.

1. FACTUM est autem post hæc, ut Absalom filii David sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David. 2. Et deperiret eam valde, ita ut propter amorem eius ægrotaret: quia cum esset virgo, difficile ei videbatur ut quippiam inhoneste ageret cum ea. 3. Erat autem Amnon amicus, nomine Ionadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde. 4. Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo. 5. Cui respondit Ionadab: Cuba super lectum tuum, et languorem simula: cumqne venerit pater tuus ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, et faciat pulmentum ut comedam de manu eius. 6. Accubuit itaque Amnon, et quasi ægrotare cœpit: cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, et cibum capiam de manu eius. 7. Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, et fac ei pulmentum. 8. Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem iacebat: quæ tollens farinam commiscuit: et liquefaciens, in oculis eius coxit sorbitiunculas. 9. Tollensque quod coxerat, effudit, et posuit coram eo, et noluit comedere: dixitque Amnon: Eiicite universos a me. Cumque eiecissent omnes, 10. Dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas, quas fecerat, et intulit ad Amnon fratrem suum in conclave. 11. Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, et ait: Veni, cuba mecum soror mea. 12. Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel: noli facere stultitiam hanc. 13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, et tu eris quasi unus de insipientibus in Israel: quin potius loquere ad regem, et non negabit me tibi. 14 Noluit autem acquiescere precibus eius, sed prævalens viribus oppressit eam, et cubavit cum ea. 15. Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita ut maius esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, et vade. 16. Quæ respondit ei: Maius est hoc malum, quod nunc agis adversum me, quam quod ante fecisti, expellens me. Et noluit audire eam: 17. Sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit: Eiice hanc a me foras, et claude ostium post eam. 17. Quæ induta erat talari tunica: huiuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus utebantur. Eiecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam. 19 Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, et clamans. 20. Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror tace, frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui. 21. Cum autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valde, et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. 22. Porro non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam. 23. Factum est autem post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quæ est iuxta Ephraim: et vocavit Absalom omnes filios regis, 24. Venitque ad regem, et ait ad eum: Ecce tondentur oves servi tui: veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum. 25. Dixitque rex ad Absalom: Noli fili mi, noli rogare ut veniamus omnes, et gravemus te. Cum autem cogeret eum, et noluisset ire, benedixit ei. 26. Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse ut vadat tecum. 27. Coegit itaque Absalom eum, et dimisit cum eo Amnon et universos filios regis. Feceratque Absalom convivium quasi convivium regis. 28. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Observate cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis: Percutite eum, et interficite: nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, et estote viri fortes. 29. Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filii regis ascenderunt singuli mulas suas, et fugerunt. 30. Cumque adhuc pergerent in itinere fama pervenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus. 31. Surrexit itaque rex, et scidit vestimenta sua: et cecidit super terram, et omnes servi illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. 32. Respondens autem Ionadab filius Semmaa fratris David, dixit: Ne æstimet dominus meus rex, quod omnes pueri filii regis occisi sint. Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die qua oppressit Thamar sororem eius. 33. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filii regis occisi sunt, quoniam Amnon solus

mortuus est. 34. Fugit autem Absalom et elevavit puer speculator oculos suos, et aspexit: et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis. 35. Dixit autem Ionadab ad regem : Ecce filii regis adsunt : iuxta verbum servi tui, sic factum est. 36. Cumque cessasset loqui, apparuerunt et filii regis : et intrantres levaverunt vocem suam, et fleverunt : sed et rex et omnes servi eius fleverunt ploratu magno nimis. 37. Porro Absalom fugiens, abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus. 38. Absalom autem cum fugisset, et venisset in Gessur fuit ibi tribus annis. 39. Cessavitque rex David persequi Absalom, eo quod consolatus esset super Amnon interitu.

Vers. 1. FACTUM EST AUTEM POST HÆC, UT ABSALOM FILII DAVID SORORUM SPECIOSISSIMAM, VOCABULO THAMAR, ADAMARET AMNON FILIUS DAVID.) Ergo erat *Thamar* soror Amnon agnata, puta ex eodem patre Davide, sed ex alia matre; Amnon enim natus erat ex Achinoam Iezraelitide. Eadem Thamar soror erat germana Absalomi ex eodem patre Davide, et eadem matre, scilicet Tholmai filia regis Gessur, ut dictum est c. 3. v. 2. ideoque Absalom sororis suæ germanæ stuprum ultus est cæde Amnon fratris sui. Porro *Thamar* hebr. idem est quod, *palma : Absalom* (quem concise et corrupte multi nominant Absalon) *patris pax : Amnon , fidelis et stabilis :* quare hæc nomina non nisi per antiphrasin dictis personis competunt, sicut bellum dicitur, quasi minime bellum et pulchrum. Amnon enim fuit infidelis et instabilis : Absalom turbavit regnum Davidis. Thamar vitium passa est, quod palma invicta non patitur.

Vers. 2. ITA UT PROPTER AMOREM EIUS ÆGROTARET.) Hic morbus amoris a medicis vocatur ἔρως, id est amor, quo homo totus languescit, macrescit, marcescit, et contabescit ex amoris vehementia. Hoc morbo laborabat sponsa Cant. 2. 5. dicens : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo,* vide ibi dicta. Simili morbo, sed carnali laborabat Antiochus Seleuci regis filius ex amore Stratonices novercæ suæ contabescens, idque præ pudore exprimere non audens. Causam hanc morbi deprehendit Erasistratus medicus, cum ad introitum Stratonices videret Antiochum languentem rubore perfundi, et spiritu increbrescere, eaque egrediente pallere, et excitatiorem anhelitum reciprocare; protinusque rem Seleuco patri exposuit, qui Stratonicen concessit filio, ut eum in vita servaret, teste Appiano in Syriacis, et Valerio Max. lib. 5. c. 7. Eumdem morbum diabolus immisit sanctimoniali cuidam, ut se morituram clamaret, nisi ad eam veniret Benedictus Monachus, id est dæmon quidam, qui speciem monachi assumpserat, seque vocabat Benedictum; quam S. Equitius suis precibus et meritis sanitati, menti, et castitati restituit, uti narrat S. Gregor. lib. 1. Dialog. c. 4.

CUM ESSET VIRGO.) Quæ domi a patre Davide in Gynecæo, vel potius Parthenone inter ceteras virgines filiasque regis magna cura et custodia servabatur.

Vers. 13. LOQUERE AD REGEM, ET NON NEGABIT ME TIBI.) Existimabat puella simplex et ignara legis id posse fieri : licitum enim esse coniugium inter fratrem et sororem, si illa dumtaxat esset agnata, ex alia scilicet matre, uti erat Thamar : hoc enim licitum esse censuit R. Salomon apud Lyran. sed erravit. Lex enim Levit. 18. 17. expresse omne coniugium inter fratres et sorores, etiam ex altero dumtaxat parente, vetat sub pœna mortis. Certe si Thamar idipsum scivit, hanc excusationem suæ violationi prætexuit, ut tempus redimeret, et ex periculo tam evidenti elaberetur, ac manus Amnon amore furentis evaderet, ut innuit Ioseph. et asserit Serarius.

Vers. 14. OPPRESSIT EAM.) Ecce stuprum Amnonis vim inferentis sorori suæ. Permisit hoc Deus ad castigandum adulterium Davidis patris. Amnon enim fuit filius Davidis primogenitus, eique dilectissimus qui patris libidinem secutus, vitiavit suam sororem. Hinc discant parentes esse casti, ut filios exemplo magis quam verbo doceant castitatem. Si enim sint incesti, filii eorum incestus imitabuntur.

Vers. 15. ET EXOSAM EAM HABUIT AMNON ODIO MAGNO NIMIS.) Naturalis ratio huius odii, ait Caiet. a philosophis redditur, quod in tanto amore multa fiat seminis effusio, quæ valde alterat et immutat dispositionem et temperiem interiorum humorum, et consequenter affectus mutat in contrarium, puta amorem in odium; quia sentiunt damna ingentia sui amoris et libidinis effusæ. Audi Aristot. lib. 4. problem. 11. *Cur adolescentuli cum primo concumbere incipiunt, quibuscum fuerint congressi, eas re peracta odio habent? An quod mutatio summa extiterit, sequentis tristitiæ memores, eam fugiunt tamquam sontem, ad quam sese applicuerunt?* idem ibidem probl. 6. *Cur,* inquit, *omnium maxime animantium homo postquam concubuit, dissolvitur et languescit? An quod semen proportione sui corporis plurimum emittit.*

Addit Abul. ex peculiari Dei providentia et castigatione id factum esse, et fieri solitum, ut scilicet ad illum amorem, qui excessive irrationabilis est, excessivum odium consequatur; ut hac ratione peccanti pœna congrua detur per opposita. Dei enim statutum est, ut illi qui valde inique agunt, sibi ipsis nullo etiam puniente pœna sint. Unde S. August. in Confess. *Iussisti Domine, et sic est, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus.* Idem de Verbis Domini secundum Matth. serm. 14. *Unicuique sua cupiditas,* ait, *tempestas est.*

Similes amantium conversiones in odia extrema, necesque mutuas recensentur passim in Tragicis, uti apud Senecam in Medea, quæ amasium suum Iasonem postea ita odit, ut in eius vindictam communes filios ipso cernente, nec tamen impedire valente, iugularit. Atque has pœnas Poetæ vocant *Furias*, quia ex furentibus cogitationibus promanant. Sic Semiramis amasios suos, et inter eos filium suum atrociter occidit. Vide Abulensem in fine cap. fuse disserentem de vi et proprietatibus amoris. Aliam odii causam comminiscuntur Rabbini, scilicet quod Thamar stupro Amnon resistens, cum eo luctando eius genitalia ita læserit, ut ea debuerint abscindi; sed hæc cerebri Rabbinici crassæ sunt imaginationes et figmenta.

QUÆ RESPONDIT EI, MAIUS EST HOC MALUM QUOD NUNC Vers. 16.
AGIS ADVERSUM ME, QUAM QUOD ANTE FECISTI, EXPELLENS ME.) tum quia expulsio hæc erat publica et infamis, cum violatio fuisset secreta et occulta: tum quia probrosa expulsio augebat dolorem ex violatione conceptum. Cum enim Amnon debuisset eam a se violatam solari, eique blandiri, hostiliter et ignominiose expulit eam : tum quia Thamar sperabat, quod Amnon vitium sibi illatum tegeret, vel illud celando, vel se in uxorem ducendo: iam autem expulsa videbat et vitium publicari, et coniugium suum ab Amnone refutari: tum denique quia per hanc expulsionem cernebat se ab omnibus contemnendam et repudiandam, ut nullus eam sibi postularet uxorem. Putabant enim plerique Amnon vitium aliquod in ea deprehendisse, ob quod eam ita inhumaniter expulisset. Quare quisque hoc vitium fugiens, eam spernebat, unde ipsa domi mœsta et desolata contabuit, ut dicitur v. 20.

IMPOSITISQUE MANIBUS SUPER CAPUT SUUM.) Ut præ Vers. 19.
pudore manibus velaret faciem, in qua est sedes verecundiæ.

SED NUNC SOROR TACE: FRATER TUUS EST,) q. d. Gra- Vers. 20.
vior esset iniuria si ab extraneo, vel homine vili oppressa fuisses: iam autem violata es a filio regis primogenito, fratreque tuo, a quo cavere non debebas. Quare facile scient omnes te non consensisse, sed vi oppressam a filio regis, cui omnia licent. Hac ergo cogitatione solare et mitiga dolorem tuum. Ita Abul.

NOLUIT CONTRISTARE SPIRITUM AMNON FILII SUI.) Vers. 21.

Hæc verba non sunt in Hebr. Chald. et Sept. Peccavit David non corrigendo, nec castigando Amnon filium suum de hoc tam infami stupro, præsertim cum Lex Levit. 20. 17. id iubeat. Quare iusto Dei iudicio inde secuta sunt tot tantaque mala, damnaque tam Davidi quam Amnoni; nam hic occisus vitam perdidit, ille pene regnum cum vita amisit, ulciscente sororis suæ violationem Absalomo. Ita Abul. qui censet Davidem debuisse Amnonem ob stuprum morte punire, uti sancit lex; licet Caiet. eum excuset a tam gravi punitione, eo quod crimen esset occultum, nec ullo teste probari posset. Adde, quod Amnon erat primogenitus, heres et successor in regnum, ideoque in vita ob publicum reip. bonum servandus, et mitiori pœna castigandus.

Vers. 23. Factum est autem post tempus biennii.) Hinc patet, cædem Amnon contigisse biennio post stuprum ab eo illatum Thamar: tam cito Dei vindicta persecuta est scelestum et incestum, eumque vita et regno privavit. Erat enim primogenitus, et Davidi in deliciis, ideoque in eius regnum successurus.

Vers. 24. Ecce tondentur oves servi tui.) Absalom ergo filius regis erat pecorarius, curamque habebat ovium et pecorum, uti et ceteri principes illius ævi candidi e simplicis.

Benedixit ei.) q. d. David Absalomo bene precatus est, itaque eum dimisit dicendo v. g. Vade in pace. Unde Vatab. vertit, *Valedixit ei.* Vers. 25.

Fugerunt.) Timentes ne occiderentur, uti Amnon; quasi Absalom solus cuperet esse superstes, ut patri in regnum succederet, ne quis alius fratrum præferretur. Sicut Turca cum habet prolem, omnes fratres occidit, ne ipsi regnum invadant. Vers. 29.

Quoniam in ore Absalom erat.) q. d. Amnon erat in Absolomi oculis et ore, ut frequenter de ultione stupri ab eo sorori suæ illati loqueretur. Quod enim est in corde, hoc ebullit in os. Vers. 32.

Absalom fugiens abiit ad Tholomai filium Amiud regem Gessur.) Fugit ergo ad avum suum maternum: ipse enim erat filius filiæ Tholomai regis Gessur, uti dictum est c. 3. 3. Hic enim nepotem suum recepit, et tutatus est, eo quod ipse Thamar neptis pariter suæ stuprum ultus fuisset cæde Amnon stupratoris. Vers. 37.

Fuit ibi tribus annis.) Hinc patet chronotaxis rerum tunc gestarum, quam assignavi c. 12. 25. Vers. 38.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioab per Thecuitis blandiloquentiam Absalomum reconciliat Davidi, sed ita ut ipse eum ad conspectum non admittat. Deinde v. 25. describitur Absalomi pulchritudo, cæsaries, proles ac succensio segetum Ioab; qua re excitus Ioab eum ad Davidis osculum admitti procurat.

1. Intelligens autem Ioab filius Sarviæ, quod cor regis versum esset ad Absalom, 2. Misit Thecuam, et tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam: Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum: 3. Et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones huiuscemodi. Posuit autem Ioab verba in ore eius. 4. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit: Serva me rex. 5. Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus. 6. Et ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset: et percussit alter alterum, et interfecit eum. 7. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, et deleamus heredem: et quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquiæ super terram. 8. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, et ego jubebo pro te. 9. Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me domine mi rex, sit iniquitas, et in domum patris mei: rex autem et thronus eius sit innocens. 10. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te. 11. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. 12. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere. 13. Dixitque mulier: Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, et locutus est rex verbum istud, ut peccet, et non reducat eiectum suum? 14. Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est. 15. Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quomodo faciat rex verbum ancillæ suæ. 16. Et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium qui volebant de hereditate Dei delere me, et filium meum simul. 17. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde et Dominus Deus tuus est tecum. 18. Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere domine mi rex. 19. Et ait rex: Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, et ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex; servus enim tuus Ioab, ipse præcepit mihi, et ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. 20. Ut verterem figuram sermonis huius, servus tuus Ioab præcepit istud: tu autem domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram. 21. Et ait rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, et revoca puerum Absalom. 22. Cadensque Ioab super faciem suam in terram, adoravit et benedixit regi: et dixit Ioab: Hodie intellexit servus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex: fecisti enim sermonem servi tui. 23. Surrexit ergo Ioab et abiit in Gessur, et adduxit Absalom in Ierusalem. 24. Dixit autem rex: Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalom in domum suam, et faciem regis non vidit. 25. Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis: a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. 26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tonde-

batur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. 27. Nati sunt autem Absalom filii tres: et filia una nomine Thamar elegantis formæ: 28. Mansitque Absalom in Ierusalem duobus annis, et faciem regis non vidit. 29. Misit itaque ad Ioab, ut mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset, et ille noluisset venire ad eum, 30. Dixit servis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem messem hordei: ite igitur, et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni. Et venientes servi Ioab, scissis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt servi Absalom partem agri igni. 31. Surrexitque Ioab, et venit ad Absalom in domum eius, et dixit: Quare succenderunt servi tui segetem meam igni? 32. Et respondit Absalom ad Ioab: Misi ad te obsecrans ut venires ad me, et mitterem te ad regem, et diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo ut videam faciem regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me. 33. Ingressus itaque Ioab ad regem nuntiavit ei omnia, vocatusque est Absalom, et intravit ad regem, et adoravit super faciem terræ coram eo: osculatusque est rex Absalom.

Vers. 1. COR REGIS VERSUM ESSET AD ABSALOM.) Tum quia ipse erat tertius ab eo genitus filius, ideoque proximus fere ut succederet ei in regnum; tum quia ipse erat pulcher et specie regia, uti dicitur v. 25. tum quia iustam habuerat ex parte cædis occasionem, scilicet stuprum sorori suæ illatum, cuius pudicitiæ vindex extiterat. Hoc enim apud omnes magnæ ducebatur laudi, censebaturque opus heroicum. Unde Gentiles celebrant Lucretiam, quæ a Sexto Tarquinio Tarquinii Superbi regis filio per vim violata, ob dolorem et amorem pudicitiæ sese confodit. Qua de causa Tarquinius cum suis urbe pulsus est, et pro regibus consules surrogati sunt Iunius Brutus, et L. Collatinus Lucretiæ maritus: Vide Valer. Max. lib. 6. c. 1. ubi inter alia hoc memorabile recenset: *Virginius*, inquit, *plebeii generis, sed patritii vir spiritus, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cum Appius Claudius decemvir filiæ eius virgini stuprum, potestatis viribus fretus pertinacius expeteret, deductam in foro puellam occidit: pudicæque interemptor, quam corruptæ pater esse maluit.*

Virginius occidit filiam ne violaretur.

Vers. 2. MISIT THECUAM, ET TULIT INDE MULIEREM SAPIENTEM.) *Thecua* erat urbs in monte sita, uberrimis abundans pascuis, distans a Bethlehem sex millibus passuum, a Ierusalem vero novem. Ita S. Hieron. Adrich. et alii. Hinc fabulantur R. Salomon et R. David, mulieres et viros Thecuæ fuisse ceteris sapientiores, eo quod Thecua sit fertilis olearum et olivarum: regiones enim oleis fertiles gignere sapientes; uti eadem Thecua genuit Amos et Habacuc Prophetas: imo Rabbini asserunt Thecuitem hanc fuisse aviam Amos Prophetæ; sed nullo id argumento, nisi hoc quod uterque ortus sit ex Thecua, probant.

Vers. 6. ANCILLÆ TUÆ ERANT DUO FILII QUI RIXATI SUNT, etc. ET PERCUSSIT ALTER ALTERUM.) Hebræi, et ex eis Rabanus et Angelomus, censent hanc non esse fabulam, sed veram historiam, quæ mulieri huic, eiusque duobus filiis contigerit, quam ipsa ex pari applicarit Absalomo et Amnoni. Verum ceteri passim censent esse fabulam ad rem apposite confictam, idque satis indicat ipsa narratio.

Porro prudenter utitur parabola hac, qua rex contra seipsum sententiam proferret, ut, postquam iudicasset servandum esse filium mulieris, qui occiderat fratrem, ex hac lata a se sententia animadverteret, servandum quoque sibi esse Absalomum qui fratrem Amnonem occiderat. Simili parabola usus est Nathan c. 12. qua Davidi persuasit adulterii sui pœnitentiam. Disce hic, cum magnates, divites, potentes, superbos, sibique præfidentes de quopiam vitio corripere cupis, illis non loqui in secunda, sed in tertia persona; quasi non ipsos, sed tertium aliquem huius vitii reum arguere velis. Sic enim ipsi eam æquanimiter ferent, ac sagaciter coniicient id de se dici, sed corripientem ex modestia et verecundia non audere se nominare, quod vulgo dicitur: *Vapulet canis, ut leo metuat et sapiat.*

Vers. 7. ET QUÆRUNT EXTINGUERE SCINTILLAM MEAM, QUÆ RELICTA EST.) Id est filium unicum, qui mihi relictus est, ut sit scintilla, qua meam virique mei familiam pene extinctam reaccendam, redintegrem et propagem. Sicut enim consumpto igne relinquuntur favillæ et scintillæ sub cinere, ex quibus ignis per sulphurata reaccendi et resuscitari possit; sic extinctis filiis ceteris ultimus relinquitur, quasi scintilla, ex qua familiæ propago suscitetur, ac nomen et memoria conservetur. Sic Cicero *scintillas belli*, vocat belli reliquias. Nota appositam metaphoram. Anima enim et vita comparatur igni, quia ipsa in calore, qui igni est proprius, consistit. Rursus sicut ignis ignem inflammando, sic homo hominem gignendo propagat. Tertio, quia sicut ignis lucet et splendet, sic et vita. Quarto, sicut una lucerna deficiens accendit aliam, in qua quasi superstes lucet et fulget, sic et homo moriens, in filio quasi superstes manet et vivit: in filio enim videtur parens, sicut in imagine videtur exemplar, unde illud Psal. 131. 17. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.* Eadem metaphora usi sunt Gentiles, ut per lucernam vel lampadem quam in cursu alter alteri succedenti tradebat, significarent propaginem generationis et vitæ. Unde Lucretius.

Anima similis igni. 1. 2. 3. 4.

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Sic Plato lib. 6. de legibus ait, *oportere cives operam dare generandæ proli, ut vitam, quam ipsi a maioribus accepere, posteris tradant, quasi lampada ardentem, in qua ipsi luceant.*

VADE IN DOMUM TUAM, ET EGO IUBEBO PRO TE.) q. d. Curabo filium tuum servari, tibique reddi incolumem. Quæres, an iustum sit hoc Davidis iudicium? Quia lex Dei iubebat homicidam occidi, multo magis fratricidam, qualis erat hic. Resp. Lex iubebat occidi homicidam publicum, cuius scilicet homicidium publice in iudicio per testes probari poterat. Nam lex Deuter. 17. v. 6. iubet ne quis occidatur, nisi duobus testibus convictus. Hic autem erat fratricidium secretum, cui nullus interfuerat testis, ut dictum est v. 6. Quare hic iuridice damnari occidique non poterat. Ita Vatab. Rursum lex iubebat occidi homicidam voluntarium, non vero repentinum et casualem, qui scilicet absque ullo præcedente odio, casu aliquem occiderat, (uti erat hic) unde ad eum salvandum Num. 35. 11. Deus constituerat urbes refugii, ut ad illas confugiendo maneret illæsus et supplicii expers. Ita Caiet. et alii. Vers. 8.

IN ME, DOMINE MI REX, SIT INIQUITAS, ET IN DOMUM PATRIS MEI: REX AUTEM ET THRONUS EIUS SIT INNOCENS.) Dicit hoc Thecuitis amice blandiendo Davidi, ut illi omnem eximat scrupulum condonationis homicidii, ipsumque in ea plane confirmet ac reconciliet Absalomo fratricidæ, q. d. Si quid in hac condonatione peccatum est, opto ut peccati huius pœna non in te, o rex, sed in me meamque domum tota devolvatur. Nolim enim in te propter me quidquam mali recidere; sed oro Deum, ut illud omne in meum caput reflectat. Sic Rebecca filio suo Iacob timenti patris maledictionem, si se ipsi pro Esau fratre substitueret, respondit: *In me sit ista maledictio, fili mi.* Genes. 27. 13. Et Pilato trepidanti ad Christi condemnationem; Iudæi, ut eum ad illam animarent, succlamarunt: *Sanguis eius super nos, et super filios nostros.* Matth. 27. Vers. 9.

ET LOCUTUS EST REX VERBUM ISTUD UT PECCET.) Scilicet *contra populum Dei*, ut præcessit. Thecuitis hæc post parabolam descendit ad eius scopum, ut scilicet rex eam applicet Absalomo fratricidæ, eique cædem condonet: quare novas hic rationes affert et multiplicat, quibus Davidem ad ei parcendum impellat. Prima est hæc q. d. Absalom post Amnonem quasi proximus est ut tibi in regnum succedat, eumque populus amat, et optat ut succedat; con- Vers. 13.

sule ergo posteritati tuæ, consule regno tuo, consule populo tuo, ut scilicet ei idoneum hæredem tuum et successorem conserves, qualis est Absalom: alioqui peccabis et in te et in populum tuum, quod eum tanto principe, quantus est Absalom, privaris. Alii *τὸ ut peccet*, sic explicant. q. d. Nisi Absalomum illico revoces, idololatriæ et aliorum peccatorum eris ei occasio. Ipse enim exul degit apud avum suum maternum regem Gessur, qui est idololatra, æque ac eius aulici, qui Absalomum ad suam idololatriam cæteraque sua vitia pellicere satagunt,

Vers. 14. Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.) Est hæc secunda Thecuitis ratio, ut David Absalomo det veniam, q. d. Vita hominum fluxa est et evanida: Amnon etiamsi non esset occisus, æque tamen debuisset brevi mori, uti omnes morimur: Absalom quoque brevi morietur: non ergo quærenda est a te cædis vindicta et mors Absalomi, quam ipsa natura eidem brevi irrogabit, q. d. Quam o rex, de Absalomo ultionem quæris? Mortemne? At iam moritur. *Omnes enim morimur, et quasi aquæ dilabimur.* Hebr. habent: *Omnes morimur, et instar aquæ in terram effusæ, quæ rursum colligi et congregari nequit,* subaudi dilabimur et diffluimus in mortem, et terram ex qua plasmati sumus, q. d. Omnes quasi flumina præcipiti cursu devolvimur in mare mortis et sepulchri, quæ est *domus æternitatis* nostræ, Eccles. 12. 5. Rursum anima nostra brevi in morte exibit e corpore, nec in illud revertetur ante generalem resurrectionem, ait Vatab. aut potius *aquas* hic intellige non fluminis, sed pluviæ: hæ enim in terram delapsæ colligi nequeunt, q. d. Sicut terra absorbet pluviam, ut nil ex ea remaneat, quod rursum congregari et colligi possit: ita quoque vita nostra et corpus in mortem et terram, ex qua formatum est, redit, ut reverti et rursum colligi, animæque vitaliter uniri nequeat, nisi super naturam per Dei omnipotentiam, quam ipse ostendet in communi omnium resurrectione. Comparat ergo vitam nostram aquæ non fluminis pertranseunti, sed pluviæ delabenti in terram, ibique absorptæ et evanescenti, q. d. Amnon iam mortuus est, nec potest revocari ad vitam, sicut nec aqua effusa rursum colligi potest, ait Procopius: ut quid ergo Absalomum persequeris, nisi ut mortem morti, et dolorem dolori tuo addas? Brevi enim Absalom quoque morietur, et instar aquæ dilabetur in terram, nec ad vitam revocari poterit.

Nec vult Deus perire animam.) Est hæc tertia ratio petita ab imitatione clementiæ Dei, quæ sæpe ad preces vel peccatorum, vel sanctorum pro peccatoribus orantium mitigat, vel revocat sententiam mortis contra eos latam.

Vers. 17. Ut fiat verbum Domini mei regis, sicut sacrificium.) Quod in odorem suavitatis Deo offertur, q. d. Sicut sacrificium pro peccato oblatum, Deo est gratissimum; sic hoc votum meum pro Absalomi peccato condonando, tibi, o rex, oblatum sit, quæso, pariter gratissimum. Tu enim es quasi Deus noster terrestris, et quasi numen quoddam Israelis. Noster legit cum Sept. למנחה *lemincha*, id est, *in sacrificium;* iam cum Chaldæo aliis punctis legunt למנחה *limnucha*, id est, in requiem, unde vertunt, q. d. Iubeat rex Absalomum esse in quiete et salvum.

Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.) Thecuitis adulando captat Davidis benevolentiam, q. d. Libere loquar, quia humanitas tua, o rex instar Angeli omnia tranquille audit, tam mala quam bona, nec laudibus vel vituperiis minisque flectitur, sed sincere de omnibus iudicat, uti spero quod hic pro me iudicabit, scilicet decere clementiam tuam, ut Absalomo filio parcat.

Vers. 19. Numquid manus Ioab tecum est?) q. d. Numquid opera et directione Ioab hæc omnia agis et dicis?

Nec ad sinistram, nec ad dexteram est,) q. d. Non est aliud, quam quod sagacissime es odoratus, scilicet me hæc omnia agere instinctu Ioab.

Vers. 21. Ecce placatus feci verbum tuum.) Ut parcam Absalomo, eumque ab exilio ad me revocem. Quæres, an peccarit David parcendo Absalomo homicidæ, cum lex iubeat A homicidas occidi? Resp. Caiet. leges generatim decernere, quod communiter et regulariter agendum est, singulares autem casus prudentiæ Principis relinqui. Talis erat hic: erat enim fratricidium a filio regis commissum, qui fugerat ad avum suum regem Gessur Gentilem. Quare periculum erat ne avus iuvaret Absalomum quasi nepotem suum, itaque post mortem Davidis bella orirentur de successione in regnum inter filios Davidis, quæ ut vitaret David, sapienter pepercit Absalomo.

Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel.) q. d. Erat pulcherrimus omnium Israelitarum. Meminit hic Script. pulchritudinis Absalomi incidenter, ut innuat quam ob causam ipse omnibus fuerit acceptus et gratiosus, utque Tropol. indicet, quam vana sint omnia bona huius vitæ, et quam malis permista. Absalom enim pulcherrimus corpore erat, aterrimus mente, ideoque in mortem funestissimam incidit, nimirum, sicut ait S. August. lib. 22. de Civit. ut ostendatur huius vitæ dulcedinem amaritudinibus et ærumnis respersam esse, B ut alia vita quæratur, quæ nulla amaritudine perturbatur. Vide Abul. hic q. 20. aliis exemplis id illustrantem. Vers. 25.

Porro eximia hæc corporis pulchritudo arguebat animæ deformitatem. Natura enim omnem suam vim exeruerat in exornando corpore; unde animam inornatam reliquerat, ut patet ex eius ambitione. Et solet Deus sua bona partiri. Unde mulieribus dat pulchritudinem, viris iudicium, iuvenibus robur, senibus prudentiam. Audi S. Chrysost. hom. in illud: *Utinam tolerassetis*, 2. Corinth. 11. *Quid enim,* inquit, *ape utilius, quid pavone pulchrius. quid formica sapientius? Et apis dulcedinem in se habet, pavo vero solummodo in pennis est, non in fructu decorus; formica vero contemptibilis hominibus; sed magistra virtutum est.* Idem præclare hom. 37. in Genes. sub finem: *Hoc*, inquit, *studium in ornando corpore, internam indicat deformitatem: et huius deliciæ, illius manifestam faciunt famem: et huius vestium sumptus, illius indicat nuditatem. Impossibile enim est aliquam a-* C *gere curam animæ, et tanti facere corporis pulchritudinem et ornatum.* Et S. Hieron. epist. ad Furiam loquens de Magdalena: *Meretrix,* inquit, *illa in Evangelio baptizata lacrymis suis, non habuit crispantes mitras*, etc. *Quanto fœdior, tanto pulchrior.* Et paulo post: *Ornatus,* inquit, *iste non Domini est: velamen istud Antichristi est. Quæ fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoscit.*

Semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries.) Hebr. *A fine dierum in dies tondebatur*, id est quotannis, sive anno recurrente, tondebatur. Ita Caiet. Arias, Pagn. Vatab. et alii. Perperam ergo Hebræi apud S. Hieron. vertunt: *Tondebatur de triginta in triginta diebus,* id est singulis mensibus. Perperam quoque Ioseph. lib. 7. Antiq. c. 8. ait: *Cuius capitis tanta erat cæsaries, ut ex octo diebus tonderi potuisset.* Ut hanc absurditatem tegeret Gelenius Iosephi ex Græco in Latinum interpres, ex se hæc substituit: *Tanta fuit eius cæsaries. ut intra octavum quemque mensem ad du-* D *centos siclos, hoc est ad quinque pondo accresceret,* quod pariter falsum est, et Script. hoc loco repugnat. Porro Absalom gestabat comam per annum, non quod Nazaræus esset, ut volunt Rabbini; sed quod pulchritudinis et comæ esset studiosus. Unde et in pœnam ex ea suspensus occubuit c. 18. Vers. 26.

Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis.) Narratur hic capillorum multitudo, ad designandam Absalomi pulchritudinem, ad hanc enim non parum facit pulchra coma, et cæsaries densa. Porro siclus erat moneta ponderans quatuor drachmas, hoc est dimidiam unciam: quare siclus, si erat argenteus, erat eiusdem pretii et ponderis, cuius nunc sunt Romæ 4. Iulii, et in Hispania 4. Regales Hispanici: sin aureus esset, pendebat et valebat 4. coronatos Francicos quorum quisque valet duodecim Iulios, sive Regales. Ducenti ergo sicli ponderabant centum uncias, quæ faciunt octo libras cum quatuor unciis, si libram accipias communem duode-

cim unciarum. Unde nonnulli apud Abul. et Lyran. quos sequitur noster Sanchez et Salianus, censentes hoc pondus comæ esse nimium, pro pondere substituunt pretium, quasi coma Absalomi fuerit flava densa et rutilans, ideoque a feminis ad capillaturam sibi ex ea faciendam expetita, ac tanti æstimata, ut venderetur ducentis siclis argenti, qui faciunt octoginta aureos Romanos, quorum quisque continet decem Iulios. Verum hoc refutant Lyran. et Abul. quasi pretium iniustum, improbabile, et rem ineptam muliebribus ornamentis, nec Script. comam Absalomi commendat a colore, quod fuerit flava et rutila, sed a pondere. Et sane illa sententia videtur vim facere et torquere verba Script. nam Hebr. שָׁקַל *sciakal* non significat *appretiabatur*, vel *vendebatur*, sed *ponderabat*, uti vertit Noster, Sept. Chald. Ioseph. Vatab. Pagn. Caiet. et alii passim.

Neque hoc pondus comæ mirum videri debet, tum quia illud, ut rem raram et novam hic recenset Script. tum quia erat pondus comæ totius anni: coma autem Absalomi erat densa, gravis, crebra et promissa, quæ toto anno succrescens facile in fine anni ponderabat octo libras, quod pondus Absalom sentiebat quidem, ideoque gravabatur, et ut se onere levaret, tondebatur: minus tamen sentiebat, quam si pondus aliquod extrinsecum octo librarum capiti suo imposuisset: quia hæc coma erat capiti ei connaturalis, unde facile ab anima capitis sustentabatur. Sic enim non sentimus pondus corporis, quod est plus quam 50. librarum, quia anima illud informans, idipsum quasi suum, sibique intime unitum sustentat: unde cum anima separata est a corpore, sentitur ipsum pondus corporis sive cadaveris, ut vix ab homine robusto portari possit.

Vers. 27. NATI SUNT AUTEM ABSALOM FILII TRES.) Hi omnes statim ante patrem mortui sunt. Unde Absalom. c. 18. 18. sine liberis fuisse dicitur. Ita Theodor.

ET FILIA UNA NOMINE THAMAR ELEGANTIS FORMÆ.) A Verisimile est nomen hoc ei inditum a Thamar amita et sorore Absalomi: imo Sanchez opinatur filiam hanc aliud nomen proprium habuisse, scilicet *Maacha*, cognominatam vero fuisse *Thamar*, id est palmam, ab elegantia et pulchritudine. Tradunt enim Hebræi et Ioseph. lib. 7. c. 8. quos sequitur Sanchez hic, et Abul. c. 14. v. 20. hanc *Thamar* esse *Maacha*, quæ fuit uxor Roboam, et mater Abiæ. Hæc enim 2. Paral. 11. v. 20. vocatur filia Absalom. Videtur ergo Absalom natus ex Maacha filia regis Gessur, ut dictum est c. 3. 3. nomen matris suæ Maacha indidisse filiæ suæ, quæ ob speciem cognominata sit *Thamar*. Ioseph. tamen inferius agens de Roboam et Abia lib. 8. c. 3. asserit hanc Thamar filiam Absalomi fuisse non Maacha, sed matrem Maacha, quæ fuit uxor Roboam, et mater Abiæ. Alii tamen censent, quod Absalom qui 2. Paral. 11. 20. vocatur pater Maacha uxoris Roboam, alius et diversus sit ab hoc Absalomo filio Davidis: nam idem 2. Paral. 13. 2. vocatur *Uriel de Gabaa*, *Nomen matris eius* (Abiæ) inquit, *Michaia* (sive *Maacha*, vel, ut Iosephus B vocat *Micha*) *Filia Uriel de Gabaa.* Atqui Gabaa erat tribus Beniamin. Ergo Absalom hic pater Maacha, qui alio nomine dictus est *Uriel*, fuit ex tribu Beniamin. Hic autem Absalom pater Thamar, filius Davidis, fuit ex tribu Iuda. Ergo diversus est ab Absalomo, qui fuit pater Maacha, et alio nomine dictus est Uriel. Ita sentit Salianus et Abul. qui sententiam suam revocat 2. Paral. 11. q. 20. et in c. 13. q. 6. Si quis Iosephum libr. 8. c. 3. sequens, diceret Maacha non esse Thamar, sed filiam Thamar, ad hoc argumentum respondere posset, Thamar hanc fuisse filiam Absalomi filii Davidis, ac nupsisse Uriel Beniamitæ, ex eoque genuisse Maacha, quæ fuit uxor Roboam, et mater Abiæ: quare Maacha hanc 2. Paral. 11. 20. dici *filiam*, id est *neptem* Absalomi. Et hoc omnia adæquat, ideoque valde est verosimile, uti dicam lib. 3. c. 15. v. 2. et 10.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Absalom sollicitat populum, cum eoque coniurat contra Davidem in Hebron, quare David cum suis vers. 14. fugit, ac vers. 24. sacerdotes se sequentes cum Arca remittit in urbem. Denique vers. 30. ascendens montem Oliveti nudis pedibus flens et operto capite, Chusai remittit in urbem, ut dissipet consilium Achitophel.

1. IGITUR post hæc fecit sibi Absalom currus, et equites, et quinquaginta viros qui præcederent eum. 2. Et mane consurgens Absalom, stabat iuxta introitum portæ, et omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat: De qua civitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex una tribu Israel ego sum servus tuus. 3. Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni et iusti. Sed non est qui te audiat constitutus a rege: dicebatque Absalom: 4. Quis me constituat iudicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et iuste iudicem: 5. Sed et cum accederet ad eum homo ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens, osculabatur eum. 6. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad iudicium; ut audiretur a rege, et sollicitabat corda virorum Israel. 7. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem David: Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron. 8. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino. 9. Dixitque ei rex David: Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. 10. Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron. 11. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes. 12. Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. 13. Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israel sequitur Absalom. 14. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium a facie Absalom; festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii. 15. Dixeruntque servi regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit Dominus noster rex, libenter exequemur servi tui. 16. Egressus est ergo rex, et universa domus eius, pedibus suis: et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. 17. Egressusque rex et omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo: 18. Et universi servi eius ambulabant iuxta eum, et legiones Cerethi et Pheleti, et omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. 19. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? re-

vertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo. 20. Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam quo iturus sum: revertere, et reduc tecum fratres tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem. 21. Et respondit Ethai regi, dicens: Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. 22. Et ait David Ethai: Veni, et transi, et transivit Ethai Gethæus, et omnes viri, qui cum eo erant, et reliqua multitudo. 23. Omnesque flebant voce magna, et universus populus transibat: rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum. 24. Venit autem et Sadoc sacerdos et universi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, et deposuerunt arcam Dei: et ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate. 25. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam et tabernaculum suum. 26. Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat quod bonum est coram se. 27. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O videns revertere in civitatem in pace: et Achimaas filius tuus, et Ionathas filius Abiathar, duo filii vestri, sint vobiscum. 28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi. 29. Reportaverunt ergo Sadoc et Abiathar arcam Dei in Jerusalem: et manserunt ibi. 30. Porro David ascendebat Clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite, sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. 31. Nuntiatum est autem David, quod et Achitophel esset in coniuratione cum Absalom, dixitque David: Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel. 32. Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, et terra pleno capite. 33. Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri: 34. Si autem in civitatem revertaris, et dixeris Absalom; Servus tuus sum, rex: sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus: dissipabis consilium Achitophel. 35. Habes autem tecum Sadoc et Abiathar sacerdotes: et omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus. 36. Sunt autem cum eis duo filii eorum, Achimaas filius Sadoc, et Ionathas filius Abiathar, et mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis. 37. Veniente ergo Chusai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem.

Vers. 1. IGITUR POST HÆC FECIT SIBI ABSALOM CURRUS.) Quasi ambiens regnum, præsertim quia mortuo Amnone primogenito, secundo etiam Cheliab vel mortuo, vel minus apto ad regnum, ipse tertio loco genitus c. 3. 3. videbatur proximum habere ius ad regnum. Adde, Absalomum fuisse superbum: nam ambivit regnum vivente adhuc patre, illudque ipsi armis et vi extorquere conatus est: quæ fuit insignis eius tum arrogantia, tum iniustitia, tum impietas. Unde S. Chrysost. hom. de Absalom, tom. 1. *Perdidit,* ait, *consilium Absalom, dum parricidio cupit mercari imperium.* Et inferius ostendit eum fratricidio addidisse parricidium, saltem mente destinatum, atque hoc fuisse pœnam illius: *Dum,* inquit, *in Absalom fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur.* Nimirum hæc inter alias fuit pœna a Deo inflicta Davidi ad puniendum eius adulterium et homicidium. Prima enim pœna fuit mors infantis ex adulterio nati. Secunda, Amnonis incestus, et stuprum Thamar. Tertia, Amnonis cædes per Absalomum. Quarta, fuit Absalomi rebellio. Ambitio enim B hominem excæcat, illique rationem eripit, uti eripuit Lucifero, de quo S. Bern. serm. 2. de verbis Isaiæ: *Miser,* inquit, *ipse qui sine Deo esse maluit, quam sub Deo.* Idem fit iis qui ambiunt prælaturas. Unde S. Bern. Epist. 42. *Curritur,* inquit, *in clero passim ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad Ecclesiasticas Curas, tamquam sine curis iam quisque victurus sit, cum ad Curas pervenerit.*

Vers. 7. POST QUADRAGINTA AUTEM ANNOS DIXIT ABSALOM AD REGEM.) Nonnulli ex Iosepho pro *quadraginta* legunt, *quatuor.* Sic enim habet Iosephus lib. 7. Ant. c. 8. *Absalom quarto post reconciliationem anno oravit patrem ut Hebronem adiret.* Iosephum sequitur Theodor. Hugo, Abul. Adrichom. et alii, qui putant hanc rebellionem Absalomi contigisse quarto anno post eius reconciliationem, qui fuit regni Davidis 32. ut patet ex dictis c. 12. 24. Verum Hebræa, Chald. Sept. constanter habent *quadraginta,* non *quatuor,* itaque legunt S. Hieron. An- C gelom. Glossa, Lyran. Caiet. Dion. cæterique Interpretes prisci et moderni. Sed dissentiunt, unde hi 40. anni computandi sint. Nam Vatabl. numerat eos ab eo tempore, quo Hebræi a Samuele petierunt regem, quod ipse factum putat anno decimo principatus Samuelis. Sed errat in calculo; plures enim exinde fluxere anni. Secundo, S. Hieron. in Tradit. computat ab eo tempore, quo Saul occidit sacerdotes in Nobe, urbemque evertit. Alii numerant A a morte Saulis; alii a cæde Goliath, alii a nativitate Absalomi. Verum numerus annorum non respondet.

Dico ergo, hos 40. annos computandos esse a prima unctione Davidis in regem, facta a Samuele 1. Reg. 16. 13. Hæc enim facta est cum David ageret annum vigesimum, inde computa annos hos 40. pervenies ad annum ætatis Davidis sexagesimum, quo facta est Absalomi coniuratio, cum David in regno ageret annum trigesimum (regnum enim adiit agens annum trigesimum) post quam adhuc decem annis regnavit, mortuusque est anno ætatis 70. Ita Torniellus, Salianus, Emm. Sa, Paulus Burgens. Abul. et alii.

Unde opinantur nonnulli Absalomum hoc prætextu suam tyrannidem et rebellionem excusasse, quod sicut pater suus David Sauli socero suo Deo inobedienti, ideoque impie et tyrannice imperanti a Deo surrogatus esset, unctusque a Samuele in regem anno ætatis suæ 20. sic pariter iam ipse patri impie et tyrannice imperanti, ac B præsertim cum Bethsabee adulteranti, et Uriam occidenti, pari iure et modo succederet. Unde et Semei Davidi Absalomum fugienti idem improperavit.

Ex dictis sequitur Absalomum cum bellum movit Davidi, fuisse fere triginta annorum. Nam rebellavit, cum David in regno ageret annum trigesimum. Ipse autem sub initium regni Davidis ab eo genitus est, ut patet c. 3. 3.

REGNAVIT ABSALOM IN HEBRON.) Quia in Hebron natus erat Absalom c. 3. 3. ubi pariter pater David regnare cœperat et sacrificia obtulerat. Hebron enim ob sepultos in ea Patriarchas habebatur locus sanctissimus, et ab Israelitis frequentabatur: hic ergo Absalomi fuit prætextus, et hæc commoditas sceleris et coniurationis conflandæ: Ita Abul. Vide Absolomi scelus, tyrannidem et parricidium exaggerantem S. Chrysost. hom. de Absalomo tomo 1. vel quisquis eius est auctor, nam styli Latini elegantia, et vocum allusiones indicant auctorem fuisse Latinum, non Græcum. Vers. 10.

C TOTO CORDE UNIVERSUS ISRAEL SEQUITUR ABSALOM.) Causam dat Abul. q. 19. Primam, quod Absalom apud populum erat gratiosus, eiusque corda sollicitarat, suaque humanitate sibi devinxerat, ut patet ex dictis initio capitis. Secundam causam assignat, punitionem Dei: Deus enim hac ratione volebat implere pœnam Davidi intentatam c. 12. 11. Quare obiecit menti populi dotes et gratiam Absalomi, vitia vero Davidis, cæteraque quæ in eo displicebant vulgo: quo factum, ut vulgus novitatis appetens, Vers. 13.

Davidem fastidiret, et novum regem Absalomum ambiret. Obiecit hæc ei Deus ob bonos fines a se intentos, sed prævidebat populum iis abusurum ad rebellandum Davidi, idque permittere decrevit ad punienda Davidis peccata. Vide dicta Exodi 7. 3.

Vers. 14. Et ait David, etc. Surgite, fugiamus.) Causam fugæ dat S. Chrysost. in Psal. 3. quem tunc David dictavit invocans Deum in tanta persecutione, ut patet ex eius titulo: « Fugiebat, ait, David filium suum, quoniam castitatem fugerat: fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violaverat. Fugiebat filium quoniam legem Dei quæ dicit, Non occides, Non adulterabis, fugerat. Quoniam enim alienam agnam in domum suam introduxerat, et eius pastorem interfecerat, qui erat e domo sua agnus, pastorem cornu petebat. Alienæ domui bellum intulit, sed ex domo sua ipsum bellum incitatur, » etc.

Moraliter, disce hic, quam vanum sit, quod parentes glorientur in filiis suis, quamque verum illud, *Heroum filii, noxæ*. Nam sæpe filii sunt degeneres et parentum hostes. En tibi David tres genuit filios, quorum primus Amnon incestu sororem violavit; secundus Absalom fuit fratricida et parricida: tertius Salomon fuit idololatra, et plane mulierosus. Quod mystice Iudæis applicat S. Ambros. lib. 1. Apolog. David c. 3. *Genuit David, inquit, duos filios, unum incestum, alium parricidam, eo quod incestus et parricidalis populus* (Iudæorum) *affixo patibulo crucis, carnem proprii iugulaturus esset auctoris.*

Vers. 17. Et legiones Cerethi, et Phelethi.) Quænam istæ fuerint, dixi c. 8. v. 18.

Et omnes Gethæi.) Erant hi milites, non Philisthini, sed Iudæi, qui in omni persecutione Saulis Davidi adhæserant. Dicti sunt *Gethæi*, quod Davidem ex Iudæa in Geth urbem Philisthinorum fugientem secuti fuerant, ibique multo tempore cum eo habitarant: Ita Abul.

Vers. 20. Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi?) Hinc videtur, quod Ethai fuerit Philisthæus, scilicet Gethæus, atque paulo ante ex Geth migrarit Hierosolymam, factusque sit proselytus, ut Davidi se sociaret. Plura de eo disputat Abul. sed coniectando.

Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem (id est æquitatem, fidelitatem) quia ostendisti gratiam et fidem.) q. d. Opto oroque ut Deus tibi rependat gratiam et fidem quam mihi exhibuisti, ut scilicet sit in te misericors, et constans in benefaciendo, sicut tu mihi fuisti.

Vers. 23. Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron.) David hic fugiens Absalomum, transivit torrentem Cedron, ut per montem Oliveti fugeret in desertum, ibique se absconderet. Unde fuit typus Christi, qui fugiens Iudam proditorem et Iudæos, eumdem torrentem transivit. Absalom enim, ait Eucher. fuit typus Iudæ proditoris. Hinc et *Absalom* hebr. idem est quod, *patris pax*, scilicet simulata et ficta; quia pater Christus pacem habuit, quam Iudas non habuit sed simulavit, cum scilicet eum osculando ab eo proditus est Iudæis.

Vers. 25. Reporta arcam Dei in urbem.) Scilicet in locum suum honorificum, a me illi erectum et ornatum, ne cum me exule exulare cogatur.

Vers. 26. Si autem dixerit mihi: Non places, præsto sum.) Ad ei obsequendum ut regno eiiciar, et exul vagusque per orbem oberrem, ac fiam pauper et inops, ut etiam victum mendicare cogar. Vide hic miram Davidis humilitatem, obedientiam et resignationem, qua meruit in regnum restitui, magisque quam antea exaltari. Davidem imitatus Ferdinandus II. modernus Imperator, cum nuper undique ab hostibus cingeretur, et quasi ad manticam redigeretur, totum se Deo resignavit, et paratum ad imperium relinquendum, imo ad fortunam tenuissimam et paupertatem subeundam ultro se obtulit, ideoque sereno ac tranquillo semper animo æque ac vultu omnes hostium incursus sustinuit et superavit: quare a Deo tot victoriis ornari, ac tot beneficiis, donis et gratiis, quales cernimus et miramur, cumulari meruit.

Vers. 27. O Videns revertere.) q. d. O sacerdos, o pontifex revertere in urbem, ut ei æque ac mihi prosis. Pontifex enim vocatur *Videns*, id est Propheta, quia indutus rationali, in quo erat Urim et Tummim, Deum consulens excipiebat eius oracula, eaque edicebat et prophetabat.

Vers. 30. Porro David ascendebat Clivum olivarum.) Scilicet montem Oliveti, cuius pars erat hic clivus, sive collis. Eo ascendit, tum ut per eum fugiens Absalomum, iret in desertum, ibique lateret. Absalom enim veniebat in Ierusalem ex Ebron, quæ erat ad Meridiem, mons vero Oliveti, erat ad Orientem: tum ut in monte olivarum, id est oleis et olivis abundante, Deum adoraret, ut dicitur v. 32. Deique opem et misericordiam (cuius symbolum est oliva et oleum) in tanto discrimine imploraret. Solebant enim prisci ad Orientem versi adorare ob causas quas recensui Ezech. 8. 16. Mons olivarum autem erat ad Orientem Hierosolymæ; tum denique ut esset typus Christi, qui in eodem monte Oliveti patrem orans cum lacrymis, et sudans sanguinem, inchoavit passionem et redemptionem nostram, ideoque ex eodem monte post 40. dies a resurrectione gloriosus in cælum ascendit. Audi S. Cyrill. Hierosolym. catechesi 2. de pœnitentia: *Cum, inquit, Absalom adversus illum, id est Davidem, arma cepit; quamvis multæ illi ad fugam viæ paterent; per montem tamen olivarum fugere maluit, firma invocans mente liberatorem illum, qui isthinc cœlos ascensurus erat.*

Scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite.) Hebræi enim æque ac postea Romani nudo capite incedebant quasi liberi et expediti, in luctu vero caput operiebant et tegebant, ut patet c. 19. 4. et Ierem. c. 14. 2. et seq. *Luxit*, ait, *Iudæa* etc. *et afflicti operuerunt capita sua.* Vide hic miram Davidis humilitatem, pœnitentiam, patientiam, qua flens, nudipes et tecto capite lugens fugam capessit, itaque populum se sequentem ad idem faciendum, suo exemplo compellit; quia

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Nimirum sciebat David sibi non tam cum Absalomo, quam cum Deo rem esse: eum itaque prius hisce pœnitentiæ armis expugnare decrevit: Deo enim expugnato exarmatus erat Absalom. Audi Salvianum lib. 2. de Providentia: « Iam si addenda est et ipsius fugæ facies, quale illud fuit, cum tantus rex et tanti nominis cunctis regibus altior, mundo maior, omnes admodum suos, cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui egestuosus, in comparatione sui solus, fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu, operto, inquit Scriptura, capite, et nudis pedibus incedens; super istis prioris status a seipso exulans, pene iam post se vivens, deiectus usque in servorum suorum: vel, quod grave est, contumeliam, vel quod gravius misericordiam: ut vel Siba eum pasceret, vel maledicere Semei publice non timeret. Ita Dei iudicio a se aliter effectus, ut ei, quem timuerat totus orbis, unus in faciem insultaret inimicus. »

Addit S. Chrysost. hom. 3. in Matth. Davidem non tantum in tantis ærumnis patientem fuisse, sed et Deo gratias egisse: « Cum illum tyrannum, inquit, fratricidam et parricidam pro se regnantem videret; nec sic quidem scandalum mente concepit. Sed si, inquit, hoc visum fuerit Deo, me quidem errare semper, et exulare; illum vero regnare: amplector atque suscipio, et habeo pro innumeris, quæ mihi a Deo inferuntur tribulationibus gratiam. Longe aliter, quam plurimi impudentes pariter et arrogantes: qui, cum ne minimam quidem partem de illius virtute possideant, si quos videant prospere agentes, se vero parvam sufferre mœstitiam, animas suas non metuunt mille vulnerare blasphemiis. »

Vers. 31. Quod Achitophel esset in coniuratione.) Causam dant Hebræi, quod Achitophel ulcisci voluerit vitium nepti suæ a Davide illatum: Bethsabee enim erat filia Eliam filii Achitophel. Vide dicta c. 11. v. 3.

Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.) Erat enim ipse vir valde prudens et magni consilii. Porro Deus varios habet modos infatuandi prudentum consilia, idque sine peccato: v. g. obiiciendo alia consilia, alias cogitationes, alias rationes et modos, qui prima fronte vi-

deantur magis commodi et speciosi, ac tegendo eorundem incommoda, difficultates et pericula. Ex adverso vero obiiciendo alterius boni consilii, quod a prudentibus suggeritur, difficultates et incommoda, ac tegendo eius utilitatem et commoda. Sic fecit hic Deus. Effecit enim ut Chusai amicus secretus Davidis, opponeret se consilio prudenti Achitophelis, illudque suis rationibus everteret. Effecit enim ut Absalomo eiusque asseclis magis probaretur noxium consilium Chusai, quam utile Achitophelis, ut patebit c. seq. τὸ *infatua*, alludit ad nomen *Achitophel*, hoc enim hebr. idem est quod, *frater meus res insulsa*, ait Pagn. vel *frater meus ruina*, ait Angelom. et Pagnin.

Sic experimur in nobis, nos una re et ratione aliquando moveri, alias eadem non moveri; quia eius vis et efficacia aliquando nobis speciosa videtur, alias non videtur; vel ex alia et alia corporis mentisque dispositione, vel ex instinctu Angeli, dæmonis, vel alicuius socii et amici.

Plura tunc dixit David, si non ore, certe corde, quæ postea in Psal. 54. coniecta sunt. Huc enim spectant illa in eo: *Elongavi fugiens et mansi in solitudine.* Et: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero* (o Achitophel mihi domesticus et a consiliis) *homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, pro quo S. Hieron. vertit: *qui simul habuimus dulce secretum.* Deus ergo perfidiæ Achitophel fidem Chusai, quæ illam superavit, opposuit.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Siba occurrit Davidi fugienti cibos offerens. Mox vers. 5. Semei maledicit Davidi, unde Abisai eum ad necem deposcit, sed vetat David. Inde vers. 15. Absalom Ierusalem ingreditur, ac concubinas patris publice violat.

1. CUMQUE David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, et centum alligaturis uvæ passæ, et centum massis palatharum, et utre vini. 2. Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? Responditque Siba: Asini, domesticis regis ut sedeant: panes et palathæ, ad vescendum pueris tuis: vinum autem, ut bibat si quis defecerit in deserto. 3. Et ait rex: Ubi est filius domini tui? Responditque Siba regi: Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. 4. Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixitque Siba: Oro ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex. 5. Venit ergo rex David usque Bahurim: et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, et maledicebat, 6. Mittebatque lapides contra David, et contra universos servos regis David: omnis autem populus, et universi bellatores, a dextro et a sinistro latere regis incedebant. 7. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, et vir Belial. 8. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui: et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. 9. Dixit autem Abisai filius Sarviæ, regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, et amputabo caput eius. 10. Et ait rex: Quid mihi et vobis est filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? 11. Et ait rex Abisai, et universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum ut maledicat iuxta præceptum Domini: 12. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 13. Ambulabat itaque David et socii eius per viam cum eo. Semei autem, per iugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, et mittens lapides adversum eum, terramque spargens. 14. Venit itaque rex, et universus populus cum eo lassus, et refocillati sunt ibi. 15. Absalom autem et omnis populus eius ingressi sunt Ierusalem, sed et Achitophel cum eo. 16. Cum autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum: Salve rex, salve rex. 17. Ad quem Absalom, Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo? 18. Responditque Chusai ad Absalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, et omnis hic populus, et universus Israel, et cum eo manebo. 19. Sed ut et hoc inferam, cui ego serviturus sum, nonne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo et tibi. 20. Dixit autem Absalom ad Architophel: Inite consilium quid agere debeamus. 21. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: ut cum audierit omnis Israel quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. 22. Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel. 23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom.

Vers. 1. APPARUIT SIBA PUER MIPHIBOSETH.) *Puer*, id est servus et curator, qui omnia bona Miphiboseth curabat et administrabat. Improbus hic servus inhians heri sui claudi et miseri prædiis, ut ea a Davide obtineret, e Ierusalem egressus, imo antegressus Davidem fugientem, ex villa quapiam heri sui, occurrit Davidi cum annona copiosa, crimen falsum perduellionis hero suo imponens, ut patet c. 19. v. 26.

PALATHARUM. Id est carycarum, sive ficuum aridarum, Hebr. *fructuum æstivorum.*

Vers. 3. DICENS: HODIE RESTITUET MIHI DOMUS ISRAEL REGNUM PATRIS MEI.) Ionathæ et avi Saulis. Impudens et inepta fuit hæc Sibæ in herum suum Miphiboseth calumnia, tum quia ipse, utpote claudus et elumbis, ineptus erat ad regnum, tum quia de eo in regem evehendo nemo cogitabat: nam omnes Absalomum sequebantur ut eum regem crearent: quare iure servum hunc ut iniquum et mendacem apud Davidem accusat herus Miphiboseth c. 19. 26.

TUA SINT OMNIA, QUÆ FUERUNT MIPHIBOSETH.) Nimis cito David credidit Sibæ criminanti suum herum Miphiboseth: ideoque eum ut ingratum suis prædiis priva- Vers. 4.

vit, eaque dedit avaro Sibæ, qui illa ambiebat. Quare peccavit David, cum temere Miphiboseth innocentem et inauditum ac miserabilem, atque amantissimi Ionathæ sui filium bonis omnibus spoliavit, eaque in Sibam eius servum maledicum transtulit, ideoque permisit Deus, ut hanc iniustitiam gravissima ab alio servo iniuria compensaret; nimirum ut Semei servus malediceret Davidi suo principi. Postulabat enim divina iustitia, ut qui unum servum iniuste locupletarat, per alterum gravissime castigaretur. Discant hic principes non temere credere suis servis, dum alios criminantur, ut in eorum opes vel officium succedant. Credula est principum suspicio et ambitio, ubi de eorum honore agitur, uti hic agebatur de regno Davidis, cui nisi prudenter et fortiter ipsi principes resistant, facile se in falsitatem, et iniustitiam adduci sinent. Unde S. Bern. lib. 1. de Consider. in fine: *Cuius*, inquit, *callidissimæ vulpeculæ* (nimis facilis credulitatis, quæ datur calumniæ) *magnorum neminem comperi satis cavisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, indeque innocentium frequens addictio, inde præiudicia in* B *absentes.* Pressius et magis ad rem præsentem Auctor imperfecti apud S. Chrys. hom. 2. *Rex*, inquit, *quidquid adversus regnum suum putaverit, totum verum æstimat. Animus eius semper suspectus est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur; facile credit, quidquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelat uxorem, aut uxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit auditio digna et idonea ut credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat.*

Vers. 5. NOMINE SEMEI.) S. Hieron. in Tradit. ait hunc Semei esse Nabath patrem Ieroboam, qui schisma fecit a Roboam nepote Davidis, eique decem tribus abstulit, seque earum regem effecit 3. Reg. 11. et seq. Verum id falsum esse liquet ex eo, quod Semei fuerit filius Iemini, ideoque de tribu Beniamin, ac cognatus Saulis, ut hic dicitur. Ieroboam vero eiusque pater Nabath fuere ex tribu Ephraim ut patet 3. Reg. 11. 26. Ita Abul. et alii.

Dices, Semei c. 19. 20. ait se esse ex domo Ioseph: Iosephi autem filius erat Ephraim. Ergo Semei erat ex C tribu Ephraim. Resp. Ioseph. ibi significare omnes decem tribus quarum una erat Beniamin, ex qua prognatus erat Semei, de quo plura ibidem.

ET MALEDICEBAT MITTEBATQUE LAPIDES CONTRA DAVID) Hebræi tradunt Semei quinque atrocia maledicta et convicia in Davidem coniecisse: vocitasse enim eum primo adulterum, secundo Moabitam, tertio homicidam, quarto leprosum, quinto abominabilem; idque colligunt ex 3. Reg. cap. 1. v. 8. uti ibidem ostendam. Fuit magna hæc Semei protervia, impietas, impudentia, calumnia, audacia, maledicentia æque ac imprudentia et stultitia: poterat enim et debebat cogitare Davidem, vel quem ex eius asseclis tantam improbitatem cæde eius ulturum, uti eamdem ultus est Salomon: sed ira et furor eum excæcavit, ut malum hoc sibi obventurum non prospiceret, nec metueret, ideoque non caveret.

Vers. 10. ET AIT REX: QUID MIHI ET VOBIS EST FILII SARVIÆ?) q. d. quid mihi cum vestra indignatione et conten- D tione contra Semei? nolo illam mihi adscribi, nolo illius esse particeps.

DIMITTE EUM UT MALEDICAT) Mira hic Davidis tantæ iniuriæ tolerantia elucet. Audi S. Ambr. l. 1. de Davide c. 6. *Quam moraliter*, inquit, *docuit, quod iniuriarum tempora, examina probationum sint. Exercetur bonus athleta conviciis, exercetur laboribus et periculis; ut dignus sit cui deferatur corona iustitiæ.* Unde mox citans hæc Davidis verba: *Quid mihi et vobis*, etc. exclamat: *O altitudo prudentiæ! O altitudo patientiæ! O devorandæ contumeliæ grande inventum. Ecce verborum contumelia parricidii levavit ærumnam. Quis secum talem non compenset iniuriam, ut quem homo læsit; eum Deus meliorum retributione soletur?*

Mira patientia Davidis ad maledicta Semei.

Aurea est sententia S. Basilii serm. contra irascentes, in editione Basileensi: *Neque*, inquit, *in solitudinibus Echo sic integra ad eum, qui vocem emisit refracta est,* A *velut contumeliæ ad conviciatorem revertuntur.* Similis est Tertul. lib. de Patientia c. 8. *Si parum*, inquit, *æquanimiter audiam, dictum aliquod in me protervum aut nequam: reddam et ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientia muta. At qui huiusmodi dictis aures obstruxerit, ab utroque incommodo eripietur, neque loquens maledicet, neque tacens affligetur.* Ita David suas aures obstruebat: *Ego autem*, inquit, *sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.* Psal. 37. v. 14. et 15.

DOMINUS ENIM PRÆCEPIT EI, UT MALEDICERET DAVID.) David sui adulterii et homicidii conscius, ex humilitate et pœnitentia cogitabat Deum misisse Semei (etiamsi res se aliter haberet), eique iussisse ut hæc scelera sibi exprobraret, itaque eum pro meritis castigaret. Semei ergo fuisse quasi lictorem Dei; sed quod Deus volebat ex iusta vindicta, hoc Semei fecit ex iniusto odio et malevolentia, ac plura quam Deus iusserat, in eum scelera congessit per calumniam, quorum reus non erat David. Sic τὸ *præcepit* active et proprie accipitur.

Secundo, τὸ *præcepit* improprie et permissive accipi potest pro *permisit*, vel potius pro, *decrevit permittere* hanc maledictionem, *eamque positive ordinavit* ad meam pœnam et supplicium. Deus enim videns Semei offensum Davidi, quod a Saule cognato suo regnum ad se transtulisset, ideoque propensum ad ei expulso et fugitivo maledicendum, ex proposito voluit permittere, ut hæc eius malevolentia in opus maledicentiæ exiret, idque directe et positive ordinavit ad hunc finem, ut scilicet Davidis peccata per eam castigarentur et punirentur. Unde pro, *præcepit* Hebr. et Sept. habent, *dixit*, id est decrevit, statuit, ordinavit, scilicet permittere hanc malignitatem, ut per eam me pro peccatis affligat, q. d. Ego peccatis meis hæc et plura commerui; maledictio hæc est iusta scelerum meorum vindicta mihi a Deo decreta et irrogata: quare me eamdem patienter tolerare, et de manu Dei suscipere oportet, uti filius peccans patienter et amanter suscipit flagellationem patris: Deus enim utitur impiorum impietate, quasi tortore ad piorum errata puniendum. Sic *præcipere* vel *mandare* accipitur pro *ordinare* sive *iubendo sive permittendo*, Matth. 19. v. 7. *Moyses mandavit dare libellum repudii; mandavit*, id est permisit repudiare uxorem, sed id permittens, mandavit ut non repudietur nisi per libellum publica auctoritate iudicis conscriptum. Sic 1. Reg. 13. 14. dicitur Deus *præcepisse*, id est ordinasse, Davidi ut regeret Israel. Et corvis *mandasse*, id est ordinasse ut pascerent Eliam, 3. Reg. 17. 4. alioqui enim corvi, cum careant ratione, præcepti proprii sunt incapaces. Sic 3. Reg. 22. 22. Deus dæmoni volenti decipere regem Achab ait: *Egredere, et fac ita*, id est permitto ut ita facias. Impii enim ita pendent et reguntur a Dei providentia, ut non possint quidquam agere nisi habeant eius *placet*, hoc est permissionem non negativam, sed positivam. Sicut in Rep. non possunt degere usurarii et meretrices, nisi habeant *placet*, et permissionem positivam principis et Aulæ terrestris. Et hoc significat τὸ, *præcepit*, id est ordinavit. Ita S. Ambr. Apolog. David. c. 6. *Non accusat Dominum, inquit, quasi auctorem iniuriæ, sed magis laudat, quod patiatur nos minora perpeti, ut maiorem veniam peccatorum adipiscamur.* Et S. Bern. serm. 34. *Prorsus*, ait, *vir secundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, et ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. Numquid in ore blasphemi Deus? Absit; sed eo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta et occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus. Et ideo dicit: Bonum mihi quia humiliasti me.*

Præcepit, id est, decrevit permittere.

Tropol. imitemur Davidem qui cum malediceretur a Semei, cogitabat de peccatis suis, quibus id meritus erat, ideoque patienter idipsum tulit. Ita S. Gregor. 31. Moral. 17. *Tunc*, ait, *illata convitia bene toleramus, cum in se-*

In iniuria memento peccatorum tuorum.

creto mentis ad mala perpetrata recurrimus, et maiora nos meritos videmus. Dicat ergo patiens et pœnitens sibi: Ego Deum lethaliter offendi: ego meritus sum in æternum ardere in gehenna, subsannari et cruciari a dæmonibus. Non feram ergo verbulum hoc maledicum et mordax? Imo vero patiar verba quælibet et quantalibet, potius quam verbera. Verba enim aurem feriunt, verbera pulsant dorsum. Audi S. Chrysost. in Psalm. 38. 2. *Cum maledictis me incesseret Semei, peccatum a me commissum revocavi in memoriam, considerans quod propter ipsum maledictis appetor et punior, et regia expulsus, fuga cogor meæ saluti consulere.* Et Theodor. *Convitiis,* inquit, *affectus, peccati memini, et stimulis e peccato emissis configebar, reputans hanc esse causam, cur ego maledictis afficiar, et tyrannide opprimar, et a regiis domibus exactus fugere cogar.* Accedit S. Gregor. lib. 31. Mor. cap. 17. *David,* inquit, *exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetravit, et æquanimiter pertulit quod audivit, et contumeliosa verba non tam convitia, quam adiutoria credidit, quibus se purgari, sibique misereri posse iudicavit. Leve quippe videtur quod iniuria percutimur, dum in actione nostra perspicimus, quia peius est quod meremur; sicque fit, ut contumeliis gratia magis quam ira debeatur.* Hæc ad verbum ex S. Greg. transcripserunt Eucherius (verius Beda) et Angelomus. Audi denique S. Ambr. lib. 1. Offic. c. 6. *Ibat,* inquit, *tamquam mutus et humiliatus, ibat tacens: nec movebatur cum vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propriæ mansuetudinis. Non ergo movebatur convitiis, qui abundabat bonorum operum conscientia. Itaque is qui cito iniuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque qui contemnit iniuriam, quam qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit: qui autem dolet, quasi senserit, torquetur.*

Dices, S. Aug. lib. de gratia et lib. arb. cap. 20. ait: *Deus voluntatem Semei vitio suo malam in hoc peccatum maledicendi Davidi inclinavit.* Ergo positive fuit auctor maledictionis et peccati, quod absit. Resp. *inclinavit,* id est inclinatam ad maledicendum tenuit, direxit, frænavit et impedivit, ne in alium quam Davidem sese exsereret, ac permisit ut in eum omne rancoris virus sui effunderet. Sicut qui leonem ligatum catena, manu tenet cum obiectis variis canibus non permittit eum in illos insilire, sed tantum in certum aliquem molossum, tuncque funem laxat, eumque dimittit ut eum invadat, cum eoque duellet, hic dicitur leonem immisisse in molossum, etiamsi active et positive non immiserit, sed tantum laxato fune dimiserit et permiserit ut molossum aggrederetur: simili modo Deus hic egit cum Semei, agitque cum eius similibus. Unde subdit S. Aug. *dixit Deus Semei, ut malediceret Davidi, id est cor eius malum misit vel dimisit.* Tantum enim vult S. Aug. docere corda hominum etiam impiorum et malevolorum esse in manu Dei, eaque ita concludi et coerceri, ut non nisi ad id quod ipse voluerit convertantur, nec alio quam quo ei libuerit ferri et erumpere queant. Deum enim eis uti ad puniendos illos, quos ille punire voluerit. Hinc c. 23. S. August. τὸ *Deus obdurat,* exponit: *obdurari permittit* Pharaonem et similes reprobos, additque non Deum, sed liberum eorum arbitrium proprie et positive seipsum obdurare. Denique addit c. 20. Deum hæc operari in cordibus impiorum per Angelos bonos vel malos. Boni, hæc mala operantur indirecte et obiective, mali, directe et impulsive.

Vers. 11. ECCE FILIUS MEUS QUI EGRESSUS EST DE UTERO MEO, QUÆRIT ANIMAM MEAM) Tunc Psal. 3. composuit David, eoque Dei opem invocavit dicens: « Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? » Ubi S. Chrys. « Qui ex me genitus est, inquit, contra me est, sed tu es pro me. Mea mecum viscera bellum gerunt, meus populus. Post Absalomum meus contra me armatur exercitus. Oves meæ lupi facti sunt, et leones agni, et canes rabie perciti, agnelli, et cornu petentes tauri, arietes; non propter meipsum afficior tristitia, sed illorum doleo exitium. »

SI FORTE RESPICIAT DOMINUS.) S. Ambros. lib. 1. de officc. c. 48. notat hic tres rationes, quibus David probat sibi tolerandam esse hanc Semei maledicentiam. « Vide, inquit, quomodo et humilitatem et iustitiam et prudentiam emerendæ a Domino gratiæ reservaverit. Primo dicit: Ideo maledicit mihi, quia Dominus dixit illi ut maledicat. Habes humilitatem, quia ea quæ divinitus imperabantur, æquanimiter quasi servulus ferenda arbitrabatur. Iterum dixit: Ecce filius meus, qui exivit de ventre meo, quærit animam meam. Habes iustitiam; si enim a nostris graviora patimur, cur indigne ferimus quæ inferuntur ab alienis? Tertio ait: Dimitte illum ut maledicat, quoniam dixit illi Dominus; ut videat humiliationem meam et retribuat mihi Dominus pro maledicto hoc. Nec iam solum conviciantem pertulit, sed etiam lapidantem, et sequentem illæsum reliquit; quin etiam post victoriam petenti veniam, libenter ignovit. Quod eo inserui, ut Evangelico Spiritu sanctum David non solum inoffensum, sed etiam gratum fuisse convicianti docerem, et delectatum potius quam exasperatum iniuriis; pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur. » Vers. 12.

INGREDERE AD CONCUBINAS PATRIS TUI.) Quinta est hæc pœna Davidis, illaque congrua culpæ. Sicut enim ipse violaverat secreto Bethsabee; sic Absalom violavit eius concubinas, id est secundarias uxores, non secreto, sed publice in conspectu totius populi; quæ magna fuit impudentia, impietas et libido. Dedit Absalomo hoc consilium vafer, sed impius Achitophel, eiusque causam subiecit dicens. Vers. 21.

UT CUM AUDIERIT OMNIS ISRAEL, QUOD FOEDAVERIS PATREM TUUM, ROBORENTUR TECUM MANUS EORUM.) Ut scilicet sciant te implacabile contra patrem odium concepisse, itaque excludatur omnis spes et timor reconciliationis cum eo, atque hac ratione confirmentur et roborentur in conspiratione tua contra ipsum promovenda et perficienda. Multi enim prudentes metuebant se iungere Absalomo, eo quod cogitarent: Absalom quasi filius facile reconciliabitur patri, idque curabit pater; sed ipse tunc suam iram et vindictam in nos convertet et evomet. At iam videntes eum violasse uxores patris, iudicabant eum esse irreconciliabilem patri, ideoque roborabantur in sua cum eo contra patrem coniuratione. Ita Theodor. « Timens, inquit, Achitophel ne natura eos (Davidem et Absalomum) rursus coniungeret, deinde si fieret reconciliatio, pœnas daret proditionis, extremam illam suggerebat iniquitatem, ut reconciliationi nullus pateret aditus. Statim autem dedit pœnas illius impiæ et nefariæ suasionis: et quoniam in patrem armavit filium, ipse rursus in se armavit manus, et iis laqueum collo iniiciens miserrimum sustinuit finem. Nam cum ad rerum finem prævidendum esset idoneus, non admissa eius suasione Davidis futuram credidit victoriam; et timens proditionem sua manu de se sumpsit supplicium. »

TETENDERUNT ERGO ABSALOM (in Dativo) TABERNACULUM IN SOLARIO.) Hoc est in tabulato sive tecto (tecta enim in Iudæa erant plana quasi tabulata) ut a toto populo conspici posset: populus enim videbat concubinas ingredientes tabernaculum, et post eas sequentem Absalomum, uti faciunt, fornicatores sequentes suas pellices in fornicibus. Actum vero ipsum turpem non videbat, quia tabernaculum velabatur cortinis: alioqui enim res hæc fuisset nimis impudens et populo execrabilis, uti idcirco fuit Cynicorum secta, quorum parens fuit Diogenes, qui ob caninam hanc inverecundiam dictus est Cynicus, id est caninus. Vers. 22.

INGRESSUSQUE EST AD CONCUBINAS PATRIS SUI CORAM UNIVERSO ISRAEL.) Audi Salvianum lib. 2. de providentia: « Impurior nescias, an cruentior filius: quia interficere patrem non potest parricidio, fœdat incestu, et quidem incestu præter incesti nefas, per industriam accumulandi sceleris elato. Cum utique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis publice perpetraret: scilicet ut feralissimo crimine non pater tantum absconsus deformaretur, cum oculi etiam totius orbis publico fœdarentur incestu. »

Vers. 23. CONSILIUM AUTEM ACHITOPHEL, etc. QUASI SI QUIS CONSULERET DEUM) id est, habebatur ab omnibus prudentissimum et divinum. q. d. Consilium Achitophel æstimabatur quasi oraculum. Nimirum homo versipellis et impius accommodabat se tempori et personis, ac Davidi pio pia dabat consilia, Absalomo autem impio, impia: quæ prudentia erant secundum diabolum, at non secundum Deum. Erant enim apposita ad fovendam eius ambitionem et tyrannidem, sed opposita virtuti, pietati et obedientiæ, quam filius debet patri. Sic et hodie in aulis Principum non desunt consiliarii, qui ad omnem ventum auramque Principis se suaque consilia inflectant, ut cum probo sint probi, cum improbo improbi. Notus fuit nuper in Anglia Consiliarius magni nominis, qui cum Maria Regina Catholica erat Catholicus, fingebatque se mire devotum et pium; at succedente Elisabetha in fide heterodoxa, larvam detraxit, gessitque se ut hæreticum, et Catholicos persecutus est; idem tamen volebat haberi a Catholicis Catholicus. Cupiebat enim audire politicus, et omnibus placere, omniumque gratiam inire. Unde cum quidam e patribus Societatis nostræ (qui mihi hæc in Belgio olim narravit) in Anglia captus ab eo secreto rogaretur: Quid Transmarini et principes Catholici de se sentirent, argute, sed apposite vereque respondit: Domine ipsi asserunt te imitari orbes inferiores cælorum, qui sequuntur motum primi mobilis: sic enim te sequi nutum motumque Reginæ. Talis quoque fuit Volsæus ille, qui Henrico VIII. ut eius libidini assentaretur, repudii Catharinæ uxoris, indeque omnium Angliæ malorum fuit causa. Unde iusto Dei iudicio in Henrici VIII. indignationem incidit, misereque periit dicens: *Quia magis placere studui Regi quam Deo, hinc iuste Dei iram incurri, et regis gratiam amisi*, uti refert Sanderus in schismate Anglicano. Utinam nostri Achitopheles eius exitum intuentes, eiusdem mores et consilia politica detestarentur, ac eius suspendio saperent, ne similem mortem præsentem et æternam sibi consciscerent.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achitophel vafrum utileque consilium dat Absalomo, sed illud dissipat Chusai: qui illud v. 15. curat renuntiari Davidi, ut sibi fuga consulat, transeatque Iordanem. Quare v. 22. transit eum David, sequitur Absalom. Mox v. 27. Sobi, Machir et Berzellai annonam castris Davidis inferunt.

1. DIXIT ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte. 2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, et solutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum. 3. Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet: unum enim virum tu quæris: et omnis populus erit in pace. 4. Placuitque sermo eius Absalom, et cunctis maioribus natu Israel. 5. Ait autem Absalom: Vocate Chusai Arachiten, et audiamus quid etiam ipse dicat. 6. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Huiuscemodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium? 7. Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. 8. Et rursum intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, et viros qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat: sed et pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. 9. Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco: et cum ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, et dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom. 10. Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pavore solvetur: scit enim omnis populus Israel, fortem esse patrem tuum, et robustos omnes qui cum eo sunt. 11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: Congregetur ad te universus Israel, a Dan usque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: et tu eris in medio eorum, 12. Et irruemus super eum in quocumque loco inventus fuerit: et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: et non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne unum quidem. 13. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi funes, et trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea. 14. Dixitque Absalom, et omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum. 15. Et ait Chusai Sadoc et Abiathar sacerdotibus: Hoc et hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, et senioribus Israel: et ego tale et tale dedi consilium. 16. Nunc ergo mittite cito, et nuntiate David, dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne forte absorbeatur rex, et omnis populus qui cum eo est. 17. Ionathas autem et Achimaas stabant iuxta Fontem Rogel: abiit ancilla et nuntiavit eis: et illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium: non enim poterant videri, aut introire civitatem. 18. Vidit autem eos quidam puer, et indicavit Absalom: illi vero concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bagurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, et descenderunt in eum. 19. Tulit autem mulier, et expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: et sic latuit res. 20. Cumque venissent servi Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Ubi est Achimaas et Ionathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in Hierusalem. 21. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, et pergentes nuntiaverunt regi David, et dixerunt: Surgite, et transite cito fluvium: quoniam huiuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel. 22. Surrexit ergo David, et omnis populus qui cum eo erat, et transierunt Iordanem, donec dilucesceret: et ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium. 23. Porro Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque et abiit in domum suam et in civitatem suam: et disposita domo sua, suspendio interiit, et sepultus est in sepulchro patris sui. 24. David autem venit in Castra, et Absalom transivit Iordanem, ipse et omnes viri Israel cum eo. 25. Amasam vero constituit Absalom pro Ioab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Iezraeli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Ioab. 26.

Et castrametatus est Israel cum Absalom in Terra Galaad. 27. Cumque venisset David in Castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, et Machir filius Ammihel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim, 28. Obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum, et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum cicer, 29. Et mel, et butyrum, oves, et pingues vitulos, dederuntque David, et populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt, populum fame et siti fatigari in deserto.

Vers. 1. PERSEQUAR DAVID.) Erat hoc utile consilium. Si enim Achitophel fugientem Davidem e vestigio, cum lecto milite fuisset insecutus, utique eum inermem, desertum et imparatum oppressisset: at cum, suadente Chusai, interiecta fuit mora, David undique subditos ad se convocavit, armavit, in aciem disposuit, itaque confligens cum rudi populo Absalomi eum prostravit. Celeritas enim in bellis plurimum valet. Unde illud Iulii Cæsaris : *Veni, vidi, vici.* Et illud, Caroli V. *Veni, vidi, sed vicit Christus.* Audi ipsum Cæsarem contra Pompeium dimicantem, apud Lucanum lib. 1.

Dum trepidant nullo firmatæ robore partes,
Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Cum enim, ut narrat Plutarchus in Apopht. Rom. Pompeius instructam aciem apud Pharsalum inibi consistere, et hostem operiri iussisset ; Cæsar dixit illum errasse, qui vim, impetum ac divinum afflatum animorum ad incursionem paratorum mora relaxasset.

Vers. 9. FORSITAN NUNC LATITAT IN FOVEIS.) q. d. Etiamsi invadamus castra Davidis, ut suadet Achitophel: forte non inveniemus eum, quia ipse sese in antris absconderit: scit enim se a te quæri, nec tibi posse resistere. Differamus ergo, donec totum Israelem congregemus, qui eum distributis aciebus per omnes montes, valles, sylvas, antra et speluncas perscrutentur, obsideant et capiant.

Vers. 11. CONGREGETUR AD TE UNIVERSUS ISRAEL.) Non hoc volebat Chusai, sed id suæ sententiæ prætexuit, ut daretur mora Davidi ad fugiendum et comparandum prælium. Politice discant hic Principes rebellionem et seditionem omni ratione et modo esse præcavendam, curandumque ne oriatur ; si autem iam orta sit et conflata, iniiciendas ei esse moras et remoras; tum quia furor populi, et animorum ardor tempore languescit et subsidit ; tum quia princeps contra illam interim se munire et armare potest, ac consilia multa captare ad eam discutiendam. Multis id exemplis demonstrare possem. Unum tantum afferam Fabii Maximi, qui a mora quam tumultuantibus, ac præsertim Hannibali ad prælia ferventi et ardenti iniiciebat, cognominatus est *Cunctator,* de quo illud :

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Ipse enim, ut ait Plutarchus in eius Vita : *Cum hostes intelligeret difficultate laborare stipendii; cunctandum censuit Romanis, nec pugnandum cum homine qui exercitum haberet multis ad id ipsum duratum præliis ; cæterum submittenda sociis auxilia, oppidaque in potestate tenenda, dum vigor ille per se Hannibalis, sicut flamma exigua et levi excitata vi, marcesceret.* Audi rursum quid de eo scribat Iulius Frontinus lib. 6. Stratagem. c. 1. *Fabius Maximus non ignarus Gallos et Samnites primo impetu prævalere, suorum autem infatigabiles spiritus inter moras decertandi etiam incalescere, imperavit militibus ut contenti essent primo congressu sustinere, ut hostem mora fatigarent: quod ubi successit, admoto etiam subsidio suis, in prima acie universis viribus oppressum fudit hostem.* Sic Chusai hic iniiciens moras rebellioni Absalomi, eam dissipavit.

Vers. 13. CIRCUMDABIT OMNIS ISRAEL CIVITATI ILLI FUNES.) Est hyperbole significans magnitudinem virium et exercitus, q. d. Tantum populi numerum, tantas copias colligemus, ut possimus funibus civitatem circumdare (ut ita loquar) et trahere in ruinam.

Vers. 14. DOMINI AUTEM NUTU DISSIPATUM EST CONSILIUM ACHITOPHEL UTILE.) Qua ratione id fecerit Deus, dixi c. 14. v. 31.

Vers. 15. ET AIT CHUSAI SADOC ET ABIATHAR SACERDOTIBUS.) Scilicet summis, hoc est, pontificibus : erant ergo

A tunc duo Pontifices, scilicet Sadoc descendens ex Eleazar primogenito Aaronis filio, et Abiathar descendens ex Heli et Ithamar iuniore Aaronis filio: quare potior et dignior erat Sadoc, unde priore loco semper ponitur ante Abiathar. Causam dedi superius.

NON ENIM POTERANT VIDERI AUT INTROIRE CIVITATEM.) q. d. Achimaas et Ionathas exploratores Davidis, non audebant palam ingredi urbem, seque ostentare Ierosolymæ; quia portæ eius arcte a vigilibus custodiebantur, a quibus fuissent agniti captique; idcirco missa est ad eos ancilla; quæ ad eos dicta factaque Chusai deferret, ut ipsi eadem renuntiarent Davidi. Vers. 17.

VIDIT AUTEM EOS QUIDAM PUER.) Hebræi apud S. Hieron. tradunt, hunc puerum fuisse filium ancillæ, quæ nuntium a Pontificibus perferebat ad eorum filios Ionathan et Achimaas, ut ipsi idipsum referrent Davidi: verum incertum est quis fuerit hic puer : grandior enim fuit, utpote qui idipsum retulit Absalomo, ut eius gratiam iniret, nec verisimile est eum voluisse accusare matrem Vers. 18.
B suam, eamque in periculum vitæ coniicere.

QUASI SICCANS PTISANAS.) *Ptisana* vox Græca est, significans hordeum vel triticum decorticatum. πτισσω enim est purgo, decortico, tundo. Fit etiam ptisana ex aliis frugibus, ait Dioscor. lib. 2. Apud Columellam *ptisana* est pultis genus ex farina hordeacea, cui maxima restaurandarum virium vis inest et nutriendi ; eius cremor sive succus datur febricitantibus. Vulgo medici *ptisanam* vocant hordeum a gluma separatum in aqua decoctum, qui potus est saluberrimus, cuius laudes Hippocrates integro volumine conscripsit. Causas dat Plinius lib. 22. c. 25. *Quoniam ptisana,* inquit, *lubrica ex facili hauriretur, quoniam sitim arceret, quoniam in alvo non intumesceret, quoniam facile redderetur, et assuetis hic solus cibus in febri bis die posset dari.* Vers. 19.

SURGITE ET TRANSITE CITO FLUVIUM.) Iordanem. Hoc consilium Davidi dat Chusai, quia licet ipse evertisset consilium Achitophelis suadentis Absalomo, ut illico perse- Vers. 21.
C queretur Davidem, tamen verebatur ne Absalom urgente Achitophele et sociis mutaret mentem, et illico milites post Davidem submitteret ad eum capiendum.

PORRO ACHITOPHEL VIDENS QUOD NON FUISSET FACTUM CONSILIUM SUUM, etc. SUSPENDIO INTERIIT.) Ne scilicet a Davide caperetur, et quasi proditor suspenderetur : prævenit ergo et redemit suspendium infame et violentum suspendio spontaneo et voluntario. Ipse enim ut erat prudens et sagax, prævidebat Davidem bellicosum ex mora sibi data collecturum validas copias, ac rebellem Absalomum debellaturum. Ita Procop. Theodor et alii. Vide hic quam verum istud: *malum consilium consultori pessimum.* Vers. 23.

Symbol. Achitophel proditor Davidis, fuit typus Iudæ proditoris, qui pariter laqueo se suspendit, ait Angelom. et Rupert.

Porro Elias in Thisbi hebr. יחנק *iechanec* vertit, *suffocatus est,* unde putat catharro fuisse suffocatum. Verum Sept. Ioseph. Noster et alii constanter vertunt, asserunt-
D que eum se suspendisse: huc enim eum adegit mala conscientia, desperatio et iusta numinis vindicta, ut ipse sibi fauces strangularet, quibus impium consilium dederat, et dominum suum Davidem prodiderat. Unde videntur ipsi legisse in Cal active יחנק *iechanac,* id est, *strangulavit se*, licet iam legant passive in niphal יחנק *iechanec*, id est *strangulatus est.* Verum Chald. Vatab. Pagnin. Lyran. Abul. et alii legentes licet *iechanec*, vertunt tamen active, *strangulavit se,* sive, *strangulatus est a seipso,* significatur enim actio reciproca sive passio, quam agens sibi

ipsi infert. Audi Iosephum lib. 7. Ant. c. 9. *Convocatis omnibus domesticis exposuit eis, quæ Absalomo consuluerat, addens, quia non persuasisset, certo se brevi fore periturum. Davidem enim omnino superiorem hoc bello fore, et amissum regnum recepturum esse. Præstat igitur, inquit, magno animo, ut virum ingenuum decet, e vita exire, quam Davidi ob filio navatam contra eum operam excarnificandum se præbere.*

Ver. 24. DAVID AUTEM VENIT IN CASTRA) Hebr. et Sept. *venit in Mahanaim,* id est in urbem quæ dicta est, *Mahanaim,* id est *castra,* eo quod Iacob fugiens fratrem Esau ibidem vidisset duas acies, et quasi duo castra Angelorum pro se contra fratrem dimicantium. Genes. 32. 1. ideoque David fugiens Absalomum filiūm in eamdem urbem secessit, sperans Deum ibidem sibi affore, sicut affuerat avo suo Iacobo, uti reipsa affuisse audiemus cap. sequenti. Adde, *Mahanaim* erat urbs munitissima æque ac pulcherrima, ut docet Adrichom. in tribu Gad, sita in Galaadite.

Tropol. discant a Davide hic Duces in periculis et præliis niti Angelorum tutelarium et præsidum ope, eamque invocare: ipsi enim victoriam conciliant, uti hic conciliarunt Davidi: qua de re plura dixi Daniel. c. 10. Iosue c. 1. et 10. et Iudic. 5.

Vers. 25. ET ABSALOM TRANSIVIT IORDANEM.) Non statim, sed post aliquot dies, ut suaserat Chusai, quibus David paravit copias ad ei resistendum, unde tres validas acies instruxit, quibus debellavit Absalomum, ut audiemus c. 18. v. 1. et seq.

AMASA AUTEM ERAT FILIUS VIRI, QUI VOCABATUR IETRA (vel *Iether*) DE IEZRAHELI) 1. Paral. 2. 17. vocatur hic *Iether Ismahelites.* Unde noster Sanchez suspicatur in Hebr. hic pro ישראלי *israeli,* id est Israelites legendum ישמעלי *ismaeli*, id est Ismaelites: facile enim literæ ר altera vicina מ supponi potuit. Verum omnes Codices Hebræi, Chaldæi, Græci, Latini constanter hoc loco habent *Israelites* vel *Iesraelitis,* non *Ismaelites.* Quocirca aliter respondet Vatab. et alii, scilicet Iether fuisse Ismaelitem origine, Israelitem vero fide et religione, quod ab Ismaelitis transierit ad Israelitas, factusque sit proselytus per circumcisionem et professionem legis Mosaicæ. Aut Iether origine fuisse Israelitem, sed vocari Ismaelitem habitatione, quod in Arabia habitarit. Rursum Hebræi apud S. Hieron. censent Iether dici Ismaelitem, eo quod eius filius Amasa, opera Ismaelis imitatus, David fugientem nequaquam est comitatus; quod eius peccatum a Ioab Amasam occidente deletum est, ideoque Iether hoc loco vocatur Israelites. Verum hæc symbolica sunt figmenta.

Dico ergo Iether origine et genere fuisse Ismaelitem, sed migrasse in Iudæam, nimirum in Iesrael, ibique factum proselytum et circumcisum. Id patet ex versione Vulgata, quæ hoc loco eum vocat *Iethra de Iesraeli.* Ergo domus eius erat in Iesrael vel Iesraeli. Nam quod nonnulli cum Vatablo censent, eum hic vocari *Israelitem*, id nimis commune et generale est, nec eum a cæteris discriminat. Omnes enim qui hic nominantur, erant Israelitæ. Pro *Israel* ergo aliis punctis cum Nostro legendum *Iesrael* vel *Iesraeli*: ubinam hic locus vel urbs fuerit, non constat. Probaliter Adrichom. in Descript. tribus Iuda n. 169. eam ponit in tribu Iuda: *Iezrael*, inquit, *sive Iezraeli, de qua Iosue c. 15. 17. et 19. nomen accepit a Iezrael filio Ephrata aut Etham. Ex hac fuit Achinoam uxor Davidis, mater Amnon, quem ob stuprum cum Thamar occidit Absalom. Fuit etiam hæc patria fortissimi viri Amasa principis militiæ Absalom.* Hæc Adrichom. Tantum obstat, quod Iezrael hæc scribatur per *Zain* et *Ain*, hic vero *Iesraeli* scribatur per *Scin* et *Aleph.* Verum hæ litteræ affines sunt, et inter se commutabiles. Alia est ergo hæc *Iezrael* a *Iezrael* urbe regali et metropoli decem tribuum, quæ erat terminus tribus Manasse et Issachar, sita in pede montis Gelboe ad Occidentem, in qua Iezabel uxor Achab curavit lapidari Naboth, ut eius vineam occuparet, ideoque ibidem ipsa a Iehu occisa proiecta est canibus devoranda, 4. Reg. 8. 9. et seq.

QUI (*Iethra* vel *Iether*) INGRESSUS EST (quasi maritus vel concubinus) AD ABIGAIL FILIAM NAAS (ex eaque genuit Amasam) SOROREM SARVIÆ, QUÆ FUIT MATER IOAB.) *Sarvia* et *Abigail* erant sorores Davidis, Sarvia fuit mater Ioab, Abigail mater Amasæ: quare David erat avunculus tam Ioab, quam Amasæ: ipsi vero inter se erant consobrini, ut patet 1. Paral. 2. 13. Atque idcirco eorum matres hic nominantur, non patres, ut significetur eos per matres fuisse nepotes Davidis. *Abigail* ergo vocatur hic filia *Naas*, id est *Iesse* sive *Isai* qui fuit pater Davidis: hic enim alio nomine vocatus est *Naas*, cuius nominis causam symbolicam dant Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. Hic Iesse, inquiunt, vocatus est *Naas*, hebr. נחש *nachas*, id est *coluber*, eo quod nullum admisisse mortiferum perhibetur peccatum, nisi id quod originaliter de serpente antiquo contraxit. Talis ergo meruit esse pater Davidis Regis, indeque Christi.

CUMQUE VENISSET DAVID IN CASTRA (Hebr. et Sept. *in Mahanaim*) SOBI FILIUS NAAS DE RABBATH FILIORUM AMMON.) Audi S. Hieron. in Tradit. « Iste Sobi fuit filius Naas regis, cum quo pugnavit Saul. Ipse etiam Naas fecit misericordiam cum David, quando fugit a facie Saul: quo mortuo dixit David: faciam misericordiam cum Hanon, sicut fecit pater eius Naas mecum. Interempto vero a David Hanon, qui ei in decalvandis servis suis iniuriam fecerat, constitutus est, ab eodem David in loco fratris, iste Sobi, qui ad David legitur cum cæteris venisse, et stratoria et tapetia et vasa fictilia, et cætera, quæ dicuntur, ei obtulisse. » Atque hinc factum est, ut David suo filio Salomoni uxorem dederit Naaman Ammonitidem 3. Reg. 14. 21. quæ videtur soror aut filia fuisse huius Sobi, ex qua Salomon genuit Roboam anno Davidis ultimo, nimirum cum Naama prius facta esset proselyta, atque ad Iudaismum vel sincere vel ficte et simulate conversa, de quo 3. Reg. 14. Vers. 27.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David tres instruit acies, ac tres earum Duces, quibus confligit cum copiis Absalomi, easque prosternit. Fugit Absalom vers. 9. sed condensæ quercui capillis implicitus adhæsit, ibique suspensus a Ioab tribus lanceis confoditur, inde vers. 17. in fossam cadaver proiicitur, et lapidibus obruitur. Mox vers. 21. Ioab victoriæ nuntium mittit ad Davidem, ille audiens occisum Absalomum, inconsolabiliter lamentatur, et victoriam funestat.

1. IGITUR considerato David populo suo, constituit super eos tribunos et centuriones, 2. Et dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, et tertiam partem sub manu Abisai filii Sarviæ fratris Ioab, et tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque rex ad populum: Egrediar et ego vobiscum. 3. Et respondit populus: Non exibis: sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive media pars ce-

ciderit e nobis, non satis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris: melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio. 4. Ad quos rex ait : Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam : egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, et milleni. 5. Et præcepit rex Ioab, et Abisai , et Ethai , dicens: Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom. 6. Itaque egressus est populus in campum contra Israel, et factum est prælium in saltu Ephraim. 7. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. 8. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, et multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa. 9. Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo : cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhæsit caput eius quercui : et illo suspenso inter cælum et terram, mulus, cui insederat, pertransivit. 10. Vidit autem hoc quispiam, et nuntiavit Ioab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu. 11. Et ait Ioab viro, qui nuntiaverat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum ? 12. Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, et Abisai , et Ethai , dicens : Custodite mihi puerum Absalom. 13. Sed et si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, et tu stares ex adverso ? 14. Et ait Ioab : Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua , et infixit eas in corde Absalom : cumque adhuc palpitaret hærens in quercu , 15. Cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab , et percutientes interfecerunt eum. 16. Cecinit autem Ioab buccina, et retinuit populum , ne persequeretur fugientem Israel , volens parcere multitudini. 17. Et tulerunt Absalom , et proiecerunt eum in saltu , in foveam grandem , et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis: omnis autem Israel fugit in tabernacula sua. 18. Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum qui est in Valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, et hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur Manus Absâlom, usque ad hanc diem. 19. Achimaas autem filius Sadoc, ait : Curram , et nuntiabo regi , quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius ? 20. Ad quem Ioab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare, filius enim regis est mortuus. 21. Et ait Ioab Chusi: Vade, et nuntia regi quæ vidisti. Adoravit Chusi Ioab, et cucurrit. 22. Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab: Quid impedit si etiam ego curram post Chusi ? Dixitque ei Ioab: Quid vis currere fili mi ? non eris boni nuntii baiulus. 23. Qui respondit : Quid enim si cucurrero ? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii, transivit Chusi. 24. David autem sedebat inter duas portas: speculator vero, qui erat in fastigio portæ super murum, elevans oculos, vidit hominem currentem solum. 25. Et exclamans indicavit regi: dixitque rex: Si solus est, bonus est nuntius in ore eius. Properante autem illo, et accedente propius, 26. Vidit speculator hominem alterum currentem, et vociferans in culmine, ait : Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex: Et iste bonus est nuntius. 27. Speculator autem, Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex: Vir bonus est: et nuntium portans bonum , venit. 28. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salve rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus , qui conclusit homines qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem. 29. Et ait rex : Estne pax puero Absalom ? Dixitque Achimaas : Vidi tumultum magnum , cum mitteret Ioab servus tuus, o rex, me servum tuum: nescio aliud. 30. Ad quem rex: Transi, ait, et sta hic. Cumque ille transisset, et staret, 31. Apparuit Chusi : et veniens ait : Bonum apporto nuntium , domine mi rex: iudicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. 32. Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax puero Absalom ? Cui respondens Chusi, Fiant, inquit, sicut puer inimici domini mei regis , et universi qui consurgunt adversus eum in malum. 33. Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, et flevit. Et sic loquebatur, vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi , fili mi Absalom ?

Vers. 5. SERVATE MIHI PUERUM ABSALOM.) Certat hic Davidis pietas paterna cum impietate hostili Absalomi, in flagranti parricidali eius scelere et prælio. Audi S. Chrysost. hom. de Absalom tom. 1. « Inde dementia contra genitorem exurgit, hinc clementia, ut parricidæ parcatur, exposcit. Inde furor, hinc pietas operatur. Inde insania, hinc misericordia interponitur. Inde crudelitas, hinc bonitas ostentatur. Parricida non læsus insanit, David læditur et mitescit. Debellatur ab impietate pietas, nec movetur pietas patris, nec gladio vincitur, nec terrore mutatur. Parricida nec ratione frangitur, nec imminenti interitu deterretur. »

Vers. 6. ET FACTUM EST PRÆLIUM IN SALTU EPHRAIM.) Saltus hic non erat in tribu Ephraim, hæc enim habitabat cis Iordanem : exercitus autem uterque transierat Iordanem in Galaaditen, uti dictum est cap. præced. v. 24. Erat ergo hic saltus trans Iordanem, in tribu Gad iuxta urbem Mahanaim, in quam se receperat David, non longe a mari Galilææ: vide Adrichomii tabulas geographicas. Dictus est *Ephraim* ab aliquo eventu ; sive quod esset oppositus tribui Ephraim; sive quod tribus hæc eo pabulatum mitteret sua pecora ; sive quod prælium aliquod in eo commisisset. Ita Abul. Vatab. et alii.

Vers. 8. ET MULTO PLURES ERANT , QUOS SALTUS CONSUMPSERAT , *Saltus*, id est, feræ saltus : puta leones, lupi, tygri- A des in saltu latitantes, quod arguit divinam hanc fuisse vindictam, ait S. Hieron. Caiet. Angelom. Rursum, *saltus*, id est præcipitia et fossæ saltus occultæ, in quas corruerunt fugientes. Ita Abul. Vatab. et alii.

ADHÆSIT CAPUT EIUS QUERCUI.) Sept. *Implicatum est* Vers. 9. *caput eius in arbore ;* Chald. *Et apprehensum est caput eius in quercu ;* Vatab. *Detentum est caput eius a quercu;* Hebr. *Adhæsit cæsaries eius in ramis perplexis quercus.* Densi ergo et promissi capilli Absalomi, densis et implexis ramis quercus impliciti adhæserunt. Per crines ergo, in quibus gloriatus erat Absalom, punitur et suspenditur. Ita Abul. et Ioseph. Addit Caiet. caput eius detentum fuisse inter duos ramos, nimirum capite plectitur, qui illud superbe contra patrem efferre voluerat. Audi S. Chrysost. hom. de Absalom tom. 1. *Inseritur ramis , obligatur lignis, transfixo gutture colligatus. Pendens iam mortuus ab hominibus invenitur, quem iam nec cælum potuit conspicere vivum , nec terra ulterius sustinere. O nefandum meritum parricidæ! Iniuriam patris, non pugnantis gladius , non hostilis manus , non iaculantis ictus defendit , sed vindicant ligna, arbor ulciscitur , rami defendunt.*

ET ILLO SUSPENSO INTER CÆLUM ET TERRAM, MULUS, CUI INSEDERAT, PERTRANSIVIT.) Sept. *et suspensus est in arbore inter cælum et terram*, etc. Sic et Chald. Adverte hic supplicium iusta Dei vindicta sceleri Absalomi per o-

mnia commensum: patris solium affectavit; thronus ei datur patibulum. Diademate coronari ambivit, en corona eius fuit coma capitis arbori implexa. Sceptrum optavit, en sibi lanceæ tres pro triplici sceptro quibus confoditur. Satellitium regium concupivit, idipsum ei præstant armigeri Ioab. Supplicium ergo ei versum est in sepulchrum et criminis Epitaphium. Audi Chrysost. hom. in Psal. *Absalom Davidem aggressus est occisus a Ioab, et in alto ligno suspensus est, qui adversus patrem erigebatur: et ab arbore detinebatur, qui cum radice pugnabat: et vinctus erat a ramo ramus, qui erat a paterna affectione abruptus; et capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat: et tamquam fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat exscindere; et in corde iaculo confossus est, illic occisus, ubi cædem parabat. Et tunc videri poterat spectaculum admirabile. Mulo enim equitans, ex pilorum coma, a coma arboris tenebatur, et coma tenebat coma Tyrannum, illic eum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat.* Causam deinde cur suspensus sit Absalom, subiicit: *Poterat ergo videri Absalom suspensus in medio cœli et terræ. Cœlum eum non admittebat. Si enim primum insurrectorem eiecit diabolum, quomodo ipsum insurrectorem secundum admisisset? Terra eum aversabatur, non ferens pollui passibus parricidæ. Si enim Dathan devoravit, qui contra Mosen erat locutus, et os suum aperuit adversus eum, qui os improbe aperuerat; quomodo potuisset ferre pedes currentes adversus genitorem?*

Absalomi pœna congrua culpæ.

Vers. 11. Quare non confodisti eum cum terra?) Ut in terram decideret, ibique confossus exspiraret; patet ex Hebræo.

Vers. 14. Tulit ergo tres lanceas (breviores, unde Sept. vertunt, *tria iacula;* Chald. *tria tela;* Vatab. *tria spicula:* hæc enim significat Hebr. שבטים *scebatim*) et infixit eas in corde Absalom.) Ut cor fictum et duplex, imo triplex, quo coram patre exterius simularat obedientiam, interius vero foverat regni ambitionem et rebellionem; cor, inquam, proditorium triplici telo confoderet. Causam hanc dat S. Chrysost. loco iam citato dicens: *In cor excordis tres sagittas infixit, illic eum feriens, ubi erat receptaculum iniquitatis, et cum in arbore sublimis penderet, pulchrum epitaphium ei David cecinit: Vidi impium superexaltatum et elatum tanquam cedros Libani: et transivi, et ecce non erat.* Idem Chrysost. in Psal. 7. tom. 1. *Et ut scias quod factum est, non fuisse humanæ industriæ, sed totum fuisse divini iudicii, capilli et lignum eum alligarunt, et brutum eum animal tradidit, et pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit. Pro milite autem eum adduxit mulus. Considera autem (id quod est admirabile) cum hæc passus est, nemo suorum ad eum accedere ausus est, cum tantum fuisset spatium. Hoc autem Deus providerat, ut neque detraheretur, nec vinctus ad patrem afferretur, quoniam paterna viscera ei parci velle ultra modum indicaverant; et quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliavit, is ipsum interfecit, propemodum instans vehemens accusator: sed is quidem eum occidit, Deus autem tulit sententiam.* Probat id ex Psal. Davidis. *Quod enim e superis lata sit sententia, audi quomodo id ipse ostenderit. Cum enim dixisset: Et in verticem ipsius iniquitas eius descendet, dicit, (Confitebor Domino secundum iustitiam eius, et psallam nomini Domini altissimi) Gratias agam, inquit, non aliorum gaudens cædibus, sed Dei sententiam suscipiens.*

Mystice Glossa: *Arbor Absalomi, ait, significat patibulum gehennæ: tres lanceæ triplicem damnatorum pœnam scilicet, ignis, vermis et carentiæ visionis beatificæ.* Porro peccavit Ioab occidendo Absalom, quia eum occidit contra præceptum regis iubentis eum servari: quare non habebat auctoritatem et ius eum occidendi, ait Abul. qui opinatur hac de causa Davidem ei abstulisse ducatum et regimen exercitus, cap. 19. v. 13. Excusat tamen Ioab Caietan. quod ipse dictum Davidis de servando Absalomo acceperit non ut præceptum, sed ut monitum et desiderium aut pietatis paternæ iudicium. Rursum, quod eum occiderit ardore prælii ex zelo vindictæ tanti sceleris et parricidii. Denique quod metueret, si ei parceretur, eum redintegraturum bellum, vel alias patri suo insidias moliturum: timebat etiam Ioab sibi, ne ab Absalomo occideretur.

Quæres, an Absalom sit damnatus? Nonnulli negant: nam lanceis confossus non statim exspiravit: habuit ergo tempus pœnitendi. Verum in flagranti delicto confossus, nec animum, nec consilium, nec rationem de Deo et sua salute cogitandi videtur habuisse: sed vulneribus oppressus, sopita sepultaque mente videtur infelicem animam exhalasse, esseque damnatus. Ita censent S. August. lib. 3. de doctrin. Christ. c. 21. et lib. 22. contra Faustum c. 66. Salvian. lib. 2. de Provid. S. Chrisost. hom. 69. et 70. ad Popul. S. Bern. serm. 26. in Cant. Theodor. Procop. et alii hic. Nam ut ait S. August. *Iustum est hoc Dei iudicium, ut peccator qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscatur et sui.* Simile prorsus scelus fuit Chramni filii Clotharii regis Franciæ, qui patri rebellans simili vindicta occubuit, de quo audi Gregorium Turon. lib. 4. histor. Franc. c. 20. *Ibat Clotharius tamquam novus David contra Absalomum filium pugnaturus, plangens atque dicens; Respice Domine de cœlo, et iudica causam meam, quia iniuste a filio iniurias patior: respice et iudica iuste: illudque impone iudicium, quod quondam inter Absalomum et patrem eius David posuisti. Confligentibus igitur pariter; Britannorum comes terga vertit, ibique et cecidit: denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens: sed dum uxorem et filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cum Clothario regi nuntiatum fuisset, iussit eum cum uxore et filiabus igni consumi, inclusisque in tugurio cuiusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extensus orario suggillatus est, et sic postea super eos incensa casula, cum uxore et filiabus interiit.*

Absalom damnatus.

Retinuit populum ne persequeretur fugientem Israel.) Politicum enim præceptum est, ut in rebellione universali capita plectantur, parcatur vero multitudini, ne princeps suis subditis destituatur, ac rex sit sine regno. Ita Moses principes, qui populo fuerant duces ad cultum Beelphegor, suspendit; populo vero pepercit Num. 25. 4. Idem fecit Ioab in seditione Seba, ut audiemus c. 20. Sic et Elias occidit sacerdotes Baal, qui populum fovebant in idololatria 3. Reg. 18. 40. Vers. 16.

Idem fecere Gentiles (unde lex Lycurgi fuit: *Hostem fugientem noli trucidare,* testis est Polyan. lib. 1.) præsertim Romani. Ut alios taceam illustre est quod refert Livius Decade 1. de Tarquinio ultimo Roman. rege, a quo cum Sextus Tarquinius eius filius ad Gabinos transfugisset, misit filius ad patrem nuntium sciscitatum quid a se fieri vellet. At pater non verbo, sed facto respondit: nam inambulans per hortum summa papaverum capita discussit. Id a nuntio audiens filius, intellexit patrem velle ut primores Gabinorum e medio tolleret; quod cum reipsa fecisset, filius ceteram plebem facile sibi patrique subiecit. Ovidius l. 2. Fastor. eamdem referens historiam pro papaveribus ponit lilia.:

Et virga, inquit, *lilia summa metit.*

Proiecerunt eum in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum.) Ut hoc acervo eum eiusque scelus, nomen et memoriam obruerent, et æterna oblivione æque ac infamiæ nota sepelirent: quippe qui, ut ait S. Hieron. sceleratissimus erat, et geminæ neci obnoxius, scilicet qui et patrem contra legis præceptum valde dehonorarit, et turpitudinem eius revelarit, violando publice eius concubinas. Vers. 17.

Dixerat enim non habeo filium, et hoc erit monimentum nominis mei.) Audivimus c. 14. v. 27. Absalomum tres habuisse filios, et unam filiam. Ergo hi filii iam mortui erant, vel certe Absalom hoc monimentum erexit antequam eos genuisset. Ita Abul. Caiet. Dion. Unde Chald. vertit, *non habebat filium superstitem.* Aliter Rabbini et Lyran. qui censent Absolomum reliquisse filios post se, sed ineptos ad regnandum, vel mox moritu- Vers. 18.

ros ob patris rebellionem. Audi eorum historiam vel potius fabellam, quam refert S. Hieron. in Tradit. *Tradunt Hebræi, quod depositus de quercu, petierit sibi inducias, antequam perimeretur, ut faceret sibi titulum ob memoriam sui, eo quod non haberet filium talem, qui regno dignus esset: putabat enim filios suos non solum regno indignos, verum etiam ob peccatum suum, quod in patrem gesserat, præsenti vita indignos; in quo titulo manum dicitur defixisse, et figuram manus suæ expressisse, et ob hoc, titulum hoc modo vocari.*

Et hoc erit monimentum nominis mei.) Extat etiamnum hic Absalomi titulus, sive monimentum, *in valle regis* v. 18. id est in valle Iosaphat, cum nomine sepulchri eiusdem, quod floribus in summo sculptis exornatur, uti scribit testis oculatus Zuallardus lib. 3. peregrinationis suæ die secunda. Audi Adrichom. in Descript. Hierusalem. num. 227. Monumentum sive manus Absalom, columna erat et statua marmorea cum inscriptione, duobus ab Hierosolyma stadiis distans, quam Absalom vivus sibi in monumentum in valle regia erexerat. Ubi etiamnum turris et magnus lapidum extat acervus qui quotidie magis ac magis augetur. Nam Pagani et peregrini illac transeuntes pro more habent, ut quisque lapidem in eum proiiciat, et quasi iuxta legem vindicantes ipsius adversus David patrem suum rebellionem, huiusmodi maledictione illum execrentur: *Maledictus sit parricida Absalom: et quicumque iniuste parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum.* Hinc patet titulum sive monumentum Absalomi fuisse columnam marmoream, cui insistebat statua eiusdem: unde Iosephus ait fuisse statuam. Alii vocant ædificium. Vatab. nuncupat arcum triumphalem vel pyramidem, ex eaque colligit Absalomum fuisse superbum et ambitiosum, nimisque avidum laudis et gloriæ, ideoque pro monumento hoc superbo repensum ei fuisse vilem rudemque acervum lapidum.

Et appellatur manus Absalom.) *Manus,* id est monumentum manu operaque Absalomi excitatum. Est metonymia. Tropol. Ambitiosi, uti erat Absalom, erigunt sibi titulos et pyramides, ut nomen suum æternent, illosque vocant *manus* suas dicentes: *Manus nostra excelsa fecit hoc.* Ita Dion.

Simile sepulchrum habuit Ruffinus celebris ille Imperatoris Tutor, qui proinde ipsum, et per ipsum orbem totum regebat; sed postea ambiens imperium, a militibus periit, de quo Claudianus libro 2. contra Ruffinum ita canit:

Triviis calcandus spargitur ecce
Qui sibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura suos extruxit culmina Manes.
Et qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aves; iacet en, qui possidet orbem
Exiguæ telluris inops, et pulvere raro
Per partes tegitur, nusquam totusque sepultus.

Si solus est, bonus est nuntius.) Signum enim est meos esse victores, ac victos hostes persequi: si enim mei Vers. 25.
cæsi victique essent, utique iste non solus veniret, sed multi cum eo fugientes se reciperent in urbem, ut vitam salvarent.

Fili mi Absalom.) Flebat David mortem non tam Vers. 33.
præsentem, quam æternam Absalomi, quod in flagranti delicto parricidii occisus foret; unde metuebat, imo credebat eum esse damnatum. Porro S. Chrys. hom de Absalom Davidi respondet, eiusque lamenta inhibet dicendo: « Quid plangis, glosiose pater, quid lamentaris, quasi Absalom quod ausus est, comprobares? Quid fles scelestum, quasi eum parricidium perpetrare volueris? Plangis gloriam victoris exercitus, si fletur hostis interitus; nec lætitia esse poterit in victoria, si parricidæ plangitur pœna. Ille tuus non fuit filius, qui sic violavit paternos affectus. Ille tuus dici non meruit, qui ius patris sanctissimi violavit. Te non contempserunt exercitus, non duces, quibus parci scelesto mandasti; sed illa arbor, illa te primum ulta est: illa defendit, illa læsi patris iniuriam, quæ te non audierat, vindicavit. » Et paulo post, causam subiicit dicens: « Novo enim supplicio debuit interire, qui sæculo novum scelus per patris exitium voluit inferre. »

Denique paternus affectus in filium licet sceleratum urgebat Davidem. Nam ut ait Quinctil. declam. 322. *Pater erat; numquam hi affectus in tantum vincuntur, ut non ad naturam suam tandem revertantur.*

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David luget mortem Absalomi, mox v. 9. Israel et tribus Iuda Davidem in regnum reducit, occurrit ei Semei, v. 16. veniam maledicentiæ petens, eique parcit David. Et Miphiboseth v. 24. excusans suam tarditatem, et Siba servum suum accusans. Denique vers. 31. Berzellai invitatus a Davide se per servum excusat, et loco sui Chamaam filium substituit.

1. Nuntiatum est autem Ioab quod rex fleret et lugeret filium suum, 2. Et versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in die illa dici: Dolet rex super filio suo. 3. Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem, quomodo declinare solet populus versus et fugiens de prælio. 4. Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna: Fili mi Absalom: Absalom fili mi, fili mi. 5. Ingressus ergo Ioab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, et animam filiorum tuorum, et filiarum tuarum, et animam uxorum tuarum, et animam concubinarum tuarum. 6. Diligis odientes te, et odio habes diligentes te: et ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, et de servis tuis: et vere cognovi modo, quia si Absalom viveret, et omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. 7. Nunc igitur surge, et procede, et alloquens satisfac servis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac: et peius erit hoc tibi, quam omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens. 8. Surrexit ergo rex et sedit in porta: et omni populo nuntiatum est quod rex sederet in porta: venitque universa multitudo coram rege: Israel autem fugit in tabernacula sua. 9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel, dicens: Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse salvavit nos de manu Philisthinorum: et nunc fugit de terra propter Absalom. 10. Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bello: usquequo siletis, et non reducitis regem? 11. Rex vero David misit ad Sadoc et Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israel pervenerat ad regem in domo eius.) 12. Fratres

mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducitis regem? 13. Et Amasæ dicite: Nonne os meum, et caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab. 14. Et inclinavit cor omnium virorum Iuda, quasi viri unius: miseruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, et omnes servi tui. 15. Et reversus est rex: et venit usque ad Iordanem, et omnis Iuda venit usque in Galgalam, ut occurreret regi, et traduceret eum Iordanem. 16. Festinavit autem Semei filius Gera filii Iemini de Bahurim, et descendit cum viris Iuda in occursum regis David. 17. Cum mille viris de Beniamin, et Siba puer de domo Saul: et quindecim filii eius, ac viginti servi erant cum eo: et irrumpentes Iordanem, ante regem. 18. Transierunt vada, ut traducerent domum regis, et facerent iuxta iussionem eius. Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum iam transisset Iordanem, 19. Dixit ad eum: Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, neque memineris iniuriarum servi tui in die, qua egressus es domine mi rex de Ierusalem, neque ponas rex in corde tuo. 20. Agnosco enim servus tuus peccatum meum: et idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei regis. 21. Respondens vero Abisai filius Sarviæ dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini? 22. Et ait David: Quid mihi, et vobis filii Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in satan? ergo ne hodie interficietur vir in Israel? an ignoro hodie me factum regem super Israel? 23. Et ait rex Semei: Non morieris. Iuravitque ei. 24. Miphiboseth quoque filius Saul, descendit in occursum regis, illotis pedibus, et intonsa barba: vestesque suas non laverat a die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis eius in pace. 25. Cumque Ierusalem occurrisset regi, dixit ei rex: Quare non venisti mecum Miphiboseth? 26. Et respondens ait: Domine mi rex, servus meus contempsit me: dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, et ascendens abirem cum rege: claudus enim sum servus tuus. 27. Insuper et accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem: tu autem domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. 28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ. quid ergo habeo iustæ querelæ? aut quid possum ultra vociferari ad regem? 29. Ait ergo ei rex: Quid ultra loqueris? fixum est quod locutus sum: tu et Siba dividite possessiones, 30. Responditque Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam. 31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim traduxit regem Iordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. 32. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, et ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in Castris: fuit quippe vir dives nimis. 33. Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Ierusalem. 34. Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Ierusalem? 35. Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suave, aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus et potus? vel audire possum ultra vocem cantorum, atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi? 36. Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac vicissitudine, 37. Sed obsecro ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea, et sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, et matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, domine mi rex, et fac ei quidquid tibi bonum videtur. 38. Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, et ego faciam ei quidquid tibi placuerit, et omne, quod petieris a me, impetrabis. 39. Cumque transisset universus populus et rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai, et benedixit ei: et ille reversus est in locum suum. 40. Transivit ergo rex in Galgalam, et Chamaam cum eo, omnis autem populus Iuda traduxerat regem, et media tantum pars affuerat de populo Israel. 41. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, et traduxerunt regem et domum eius Iordanem, omnesque viros David cum eo? 42. Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israel: Quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt? 43. Et respondit vir Israel ad viros Iuda, et ait: Decem partibus maior ego sum apud regem, magisque ad me pertinet David quam ad te: cur fecisti mihi iniuriam, et non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Iuda viris Israel.

Vers. 3. ET DECLINAVIT POPULUS) etc. Hebr. et Chald. habent, *Et furatus est sese populus in die illa, ut intraret in urbem, sicut se furantur populi, qui pudefacti sunt, dum fugiunt in prælio*, et terga vertunt hosti. *Furatus est*, hoc est furtim se subduxit, furtim ingressus est urbem; non cum triumpho, ut victores solent, sed ut illi qui fuga elapsi sunt et victi.

Vers. 5. CONFUDISTI (Vatab. *pudefecisti*) HODIE VULTUS OMNIUM SERVORUM TUORUM QUI SALVAM FECERUNT ANIMAM TUAM) qui scilicet pugnando pro te, salvarunt vitam tuam, quam tibi eripere satagebat hostis et proditor Absalom, cuius tu mortem hodie luges, quasi malles nos omnes victos occubuisse, ut ille foret superstes et victor.

Vers. 11. SERMO AUTEM OMNIS ISRAEL (qui præcessit de reconciliatione et reductione regis) PERVENERAT AD REGEM IN DOMO EIUS) q. d. Ideo liberius David accersivit et per modum amicæ querelæ accusavit suos contribules et tribum Iuda, quod tarde venirent ad se reducendum in regnum, essentque hac in re novissimi, eo quod sciret ceteras tribus Israel communi consensu decrevisse se reducere. Quare hæc verba cum Romanis parenthesi includenda sunt. Subdunt Complut. *quia dixerat rex, sic dicitis ad populum:* sed hæc verba delenda sunt cum Hebr. Chald. et Romanis.

QUARE NOVISSIMI REDUCITIS REGEM?) Tribus Iuda, Vers. 12.
ac præsertim cives Hierosolymæ Davide fugiente Absalomum cum exercitu magno venientem acceptarant, eique urbem et arcem Sion tradiderant, quam ille firmo militum præsidio munierat; quare male sibi conscii, quod scilicet Davidem offendissent, ac metuentes præsidium Absalomi arcem Sionis occupans, non audebant Davidem revocare. David ergo omnes benigne ad se invitat, vocans eos suos consanguineos, et impunitatem pollicens, ut se in urbem et regnum reciperent.

ET AMASÆ DICITE: NONNE OS MEUM, ET CARO MEA Vers. 13.
ES?) Erat enim Amasa filius Abigail, quæ erat soror Davidis, uti dictum est c. 17. 25.

HÆC FACIAT MIHI DEUS, ET HÆC ADDAT, SI NON MAGISTER MILITIÆ FUERIS CORAM ME OMNI TEMPORE PRO IOAB.) Id est loco et vice Ioab, inquit Abul. Dion. et alii. Perperam Lyran. τὸ *pro Ioab* interpretatur *sub Ioab*, quasi Amasa Ioabo fuerit subditus. Erat Amasa dux exercitus Absalomi: quare eum ad se revocare satagit David, promittens ei ducatum exercitus sui loco Ioab, sciebat enim ab Amasa pendere exercitum Absalomi, et præsertim milites qui erant in arce Sion, indeque urbem Hierosolymam, omnesque eius cives, quare eum sibi promisso honoris amplissimo præmio devincire sategit Da-

vid, ut ipse ad se omnem Absalomi exercitum, Hierosolymam, totamque tribum Iuda reduceret; quod et reipsa Amasa præstitit. Amasa ergo finem rebellioni imposuit, omnesque Israelitas Davidi reconciliavit quod sine eo David tarde et difficile, nec nisi periculoso bello confecisset. Addunt Rabbini Davidem ducatu exercitus spoliasse Ioab, eo quod ipse Absalomum contra iussum suum occidisset, uti dixi c. 18. 14. Addit Theodor. aitque: *David audaciam Ioab perpetuo odio habuit: tolerabat autem propter eius ingenium et prudentiam, et suspectum eum habens ne quid novi in eum moliretur.*

Vers. 14. ET INCLINAVIT (scilicet Amasa, vel, ut alii, Sadoc pontifex) COR OMNIUM VIRORUM IUDA, QUASI VIRI UNIUS.) Ut unanimiter et communi omnium consensu revocarent regem suum Davidem.

Vers. 17. ET SIBA PUER DE DOMO SAUL.) Id est *Siba* servus Miphiboseth, qui ex Ionatha erat nepos Saulis. Prævenit Siba suum herum Miphiboseth, ut Davidis gratiam conservaret, ac ut David eum sibi fideliorem quam Miphiboseth existimaret, itaque donationem bonorum Miphiboseth sibi ab eo factam confirmaret.

Vers. 20. IDCIRCO HODIE PRIMUS VENI DE DOMO IOSEPH.) Id est, de decem tribubus Israelis, quarum caput erat tribus Ephraim, qui erat filius Ioseph. Nam alioqui Semei oriundus erat ex tribu Beniamin, non ex Ephraim vel Ioseph, uti dixi c. 16. 5. Opponit ergo domum Ioseph domui Iuda, hoc est Israel, sive decem tribus opponit tribui Iuda. Rursus *domus Ioseph* potest accipi domus Ephraim, Beniamin et Manasse: hæc enim unum habebant vexillum, unamque aciem in castris duodecim tribuum, ut patet Num. 7. v. 18. et 22.

Vers. 22. CUR EFFICIMINI MIHI HODIE IN SATAN?) q. d. Cur mihi meæque clementiæ, commodis et gloriæ adversamini? *Satan* enim Hebr. idem est quod, *adversarius.* Unde Christus Petro ait Matth. 16. 23. *Vade post me Satana.* Id est, noli mihi adversari, sed sequere me euntem ad mortem et crucem. Inde diabolus vocatus est *Satanas,* quia summus et iuratus est fidelium hostis.

Vers. 23. ET AIT REX SEMEI: NON MORIERIS.) Id est non occideris a me hodie, nec quamdiu ego vivam, ne lætum hunc reditus mei diem tua cæde funestem; utque hac clementiæ specie omnes Israelitas perduellionis reos, ideoque sibi pariter necem a me metuentes, ad me revocem. Respicit enim David ad Abisai, qui illico volebat occidere maledicum Semei: unde illum retundens ait: *Ergone hodie interficietur vir in Israel?* quare fidem Semei datam non fefellit David, cum moriens iussit Salomoni, ut eum commodo aliquo prætextu occideret 3. Reg. 2. Potuit enim David gratiam veniamque dans Semei, illam limitare ad libitum suum: nam gratiam magnam ei præstitit, quod non illico, ut urgebat Abisai, eum occiderit, imo per omnem vitam eum intactum reliquerit. Ergo quod in vita pepercerit Semei, opus fuit magnæ clementiæ: quod vero in morte iusserit eum occidi, opus fuit iustitiæ, et iustæ castigationis. Rex scelestos punire debet: nec enim tam effrons eius maledicentia, tamque atrox in regiam maiestatem iniuria relinqui debuit impunita ad aliorum exemplum; ne scilicet quis auderet deinceps tale quid in Salomonem et alios reges perpetrare. Ita Abul. q. 26. ubi fuse aliorum sententias refutat, ac præsertim illam Caietani dicentis, Semei a Salomone occisum esse non ob maledicentiam in Davidem, sed ob novum peccatum, quo Iordanem contra præceptum Salomonis transierat. Hoc enim falsum est: nam vera causa necis Semei fuit maledicentia, prætextus vero fuit transitus Iordanis a Salomone vetitus: hoc enim est quod David recensens maledicentiam Semei, mandat Salomoni dicens: *Iuravi per Dominum dicens: Non te interficiam gladio: tu noli pati eum esse innoxium* 3. Reg. 2. 9 Ecce hic clare explicat David quid iuraverit et promiserit Semei, nimirum quod ipse non interficeret eum gladio, non autem quod Salomon sibi succedens eum non interficeret; imo voluit, intendit et iussit, ut ipse eum morte puniret.

Vers. 24. MIPHIBOSETH QUOQUE FILIUS SAUL DESCENDIT IN OC-
A CURSUM REGIS, ILLOTIS PEDIBUS.) Sic et Chald. Sept. vero: *Non curavit pedes suos;* Hebr. est: *Non fecit pedes suos;* Pagn. *Non aptaverat pedes suos.* Solebant enim Iudæi, quia ex complexione olent æque ac Arabes instar hircorum (unde Iudæi a Poetis et vulgo *fœtentes* vocabantur) corpus, et præsertim pedes, utpote peius olentes crebro lavare, maxime quia multi in Iudæa, quasi regione calida, incedebant nudis pedibus, aut non nisi solea tectis, uti incessit Christus et Apostoli; pedes ergo, incedendo per lutum et pulverem, sordidabant: quare eos sæpe abluere oportebat.

Minus recte ergo Hebr. apud S. Hieron. et Angelom. pro *illotis,* vertentes: *infectis pedibus,* per eos intelligunt, *ligneos pedes,* quos sibi fecerit Miphiboseth pro veris quibus carebat, vel quibus ægre uti poterat, utpote debilibus et claudis. Sept. addunt: *Neque fecerat ungues,* id est non præsecuerat ungues in signum luctus ob exilium Davidis, ut squalidus et hirtus appareret.

VESTESQUE SUAS NON LAVERAT.) Interiores intellige,
B puta lineas, quæ carni adhærent, uti sunt camisiæ: hæ enim lavari solent, non vero extimæ et laneæ.

TU AUTEM DOMINE MI REX, SICUT ANGELUS DEI ES,) Vers. 27.
q. d. Tu sapientissimus es, et prudentissime iudicas et statuis: quare fac de me quod *placitum est tibi:* quidquid enim statueris, accipiam quasi de manu angeli ut sapientissime et optime factum.

TU ET SIBA DIVIDITE POSSESSIONES.) Nonnulli censent Vers. 29.
Davidem ob speciosas rationes Sibæ, dubitasse an illi, an Miphiboseth credere deberet, ideoque sententiam dimidiasse; sed videtur David cognovisse innocentiam Miphiboseth, tum ex eius sordibus et illuvie, quæ nullam habebant speciem affectati regni, quod ipsi impegerat servus Siba; tum quia Siba accusator qui erat præsens, ut patet vers. 17. nil ad obiecta sibi a Miphiboseth respondit. Unde multi putant Davidem hic peccasse iniustitia, quod innocenti Miphiboseth abstulerit dimidium bonorum, illudque dederit Sibæ eius criminatori: nimis enim facile
C et temere ei suum herum accusanti crediderat, eiusque donis illectus bona heri sui tradiderat cap. 16. v. 4. Quare ex verecundia, ne videretur errasse, noluit in totum revocare primam sententiam a se latam: sed eam æque ac bona dimidiavit; dimidium scilicet relinquendo Miphiboseth, dimidium vero dando Sibæ. Ita Abul. Caiet. et alii. Qua in re amicitiam et fidem datam Ionathæ patri Miphiboseth videtur violasse. Probabile tamen est, quod suspicatur Abul. q. 30. damnum hoc Miphiboseth Davidem alia donatione vel beneficio compensasse.

Porro Hebræi apud S. Hieronym. et ex eis Angelom. et Glossa censent in pœnam huius iniustitiæ Davidis Deum regnum ipsius paulo post divisisse in Roboam et Ieroboam, ei dando decem tribus, Roboam vero relinquendo solam tribum Iudæ: adeoque tradunt quod cum David dixit, *Tu et Siba dividite possessiones,* audita sit vox e cælo: *Roboam et Ieroboam regnum divident.* Verum alia huius divisionis et schismatis fuit causa, nimirum idololatria Salomonis, ut audiemus lib. 3. cap. 11. Imo ob merita Da-
D vidis Deus reliquit Roboamo tribum Iuda, alioqui eam cum ceteris illi ablaturus, ut patet 3. Regum cap. 11. v. 32.

ETIAM CUNCTA ACCIPIAT.) Dixit hoc Miphiboseth suboffenso in Davidem animo; unde S. Hieronym. et Angelom. Dixit hoc, inquiunt, non gratulanti animo, sed insultanti, et quasi contra Dominum murmuranti, quod Dominus Davidem in pace reduxisset; ideoque Miphiboseth 1. Paral. c. 9. v. 40. vocatur *Meribbaal,* id est litigans cum Domino: verum non videtur Miphiboseth voluisse insultare Davidi, et murmurare contra Deum; sed amariori corde hæc dixisse.

OCTOGENARIUS SUM HODIE, NUMQUID VIGENT SENSUS Vers. 35.
MEI?) In senio enim, ut ait Eccles. cap. 12. v. 3. *tenebrescunt videntes per foramina,* puta oculi, *et obsurdescunt omnes filiæ carminis,* scilicet aures, *et dissipatur capparis,* nimirum appetitus, in cuius locum succedit ciborum, voluptatum, et rerum omnium fastidium; unde Solon *senectutem,* aiebat esse *vitæ hyemem,* sicut eiusdem

ver est iuventus. Diogenes rogatus; *Quid est senectus? Est,* inquit, *vita brumalis, tempestatibus obnoxia:* Alexis poeta senex rogatus quid ageret? respondit: *Pedetentim, morior,* significans senes non tam vivere, quam lente mori. Vide dicta Eccles. 12.

Vers. 37. Est autem servus tuus Chamaam.) Scilicet filius meus. q. d. Meus filius Chamaam pro me senio confecto comitabitur te, et quæ mihi beneficia rependere cogitabas, in illum confer. Quod illi feceris, mihi feceris. Ita Abul. Caiet. et alii. Mystice S. Hieronym. et ex eo Angelom. *Chamaam, inquit, interpretatur suspirans: quamdiu enim cum patre permansit, suspirans vocatus est: postquam vero in doctrinam David regis transit, non Chamaam sed Chamaan, quod interpretatur fidelis, appellatus est.*

Decem partibus ego maior sum.) Quia in Israele erant decem tribus, in Iuda vero una dumtaxat, dando Iudæ tribum Beniamin, ait Theodor. et S. Hieronym. Ecce ex hoc iurgio cœpit dissensio inter Iuda et Israel, quæ sub Roboam in apertum schisma erupit, imo capite sequenti seditionem Sebæ concitavit. Unde hæc narratio sternit viam ad bellum, quod per Israel Seba movit contra Iudam et Davidem. Moral. disce in hac superba Iudæ cum Israel rixa, quam verum sit istud Proverb. cap. 15. v. 1. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Vers. 43.

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Seba seditionem movet contra Davidem, qui ei opponit Amasam, quem Ioab dolo occidit. Seba v. 14. Abelam occupat, obsidet eam Ioab, cives caput Sebæ præscindunt, traduntque Ioab, quare ille per cædem Sebæ sopita seditione victor ad Davidem redit.

1. Accidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Iemineus: et cecinit buccina, et ait: Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai: revertere in tabernacula tua, Israel. 2. Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri: viri autem Iuda adhæserunt regi suo a Iordane usque Ierusalem. 3. Cumque venisset rex in domum suam in Ierusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, et tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: et non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes. 4. Dixit autem rex Amasæ: Convoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, et tu adesto præsens. 5. Abiit ergo Amasa ut convocaret Iudam, et moratus est extra placitum quod ei constituerat rex. 6. Ait autem David ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom: tolle igitur servos domini tui, et persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, et effugiat nos. 7. Egressi sunt ergo cum eo viri Ioab, Cerethi quoque et Phelethi: et omnes robusti exierunt de Ierusalem ad persequendum Seba filium Bochri. 8. Cumque illi essent iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper accinctus gladio dependente usque ad ilia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, et percutere. 9. Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. 10. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, et effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, et mortuus est. Ioab autem, et Abisai frater eius, persecuti sunt Seba filium Bochri. 11. Interea quidam viri, cum stetissent iuxta cadaver Amasæ, de sociis Ioab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Ioab comes David. 12. Amasa autem conspersus sanguine, iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, et amovit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. 13. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Ioab ad persequendum Seba filium Bochri. 14. Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam, et Bethmaacha: omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. 15. Venerunt itaque et oppugnabant eum in Abela, et in Bethmaacha, et circumdederunt munitionibus civitatem, et obsessa est urbs: omnis autem turba, quæ erat cum Ioab, moliebatur destruere muros. 16. Et exclamavit mulier sapiens de civitate: Audite, audite, dicite Ioab: Appropinqua huc, et loquar tecum. 17. Qui cum accessisset ad eam, ait illi: Tu es Ioab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio. 18. Rursumque illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: et sic perficiebant. 19. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel, et tu quæris subvertere civitatem, et evertere matrem in Israel? Quare præcipitas hereditatem Domini? 20. Respondensque Ioab, ait: Absit, absit hoc a me: non præcipito, neque demolior. 21. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David: tradite illum solum, et recedemus a civitate. Et ait mulier ad Ioab: Ecce caput eius mittetur ad te per murum. 22. Ingressa est ergo ad omnem populum, et locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba filii Bochri proiecerunt ad Ioab. Et ille cecinit tuba, et recesserunt ab urbe, unusquisque in tabernacula sua: Ioab autem reversus est Ierusalem ad regem. 23. Fuit ergo Ioab super omnem exercitum Israel: Banaias autem filius Ioiadæ super Cerethæos et Phelethæos. 24. Aduram vero super tributa: porro Iosaphat filius Ahilud, a commentariis. 25. Siva autem, scriba: Sadoc vero et Abiathar, sacerdotes. 26. Ira autem Iairites erat sacerdos David.

Vers. 1. Seba filius Bochri vir Iemineus.) Scilicet de tribu Beniamin, qui ægre ferebat regnum a Saule et tribu sua Beniamin translatum ad Davidem et tribum Iuda, unde videtur hic Seba fuisse unus e ducibus Absalomi contra Davidem, ac forte primus post Amasam.

Non est nobis pars in David.) q. d. Tribus Iuda, in

fine capitis præcedentis, et dictis et factis luculenter ostendit Davidem, quasi contribulem, ad se, non ad nos, qui sumus Israel, sive decem tribus, pertinere, nullaque parte esse nostrum, sed totum esse suum. Abeamus ergo singuli in nostra tabernacula et domos, ac Davidem tamquam alienum, ad nos non pertinentem, abiiciamus. Sexta fuit hæc pœna Davidis, scilicet rebellio decem tribuum, concitata per Sebam, cuius initium et occasio fuit tum rebellio Absalomi, cum quo paulo ante conspirarant decem tribus, needum plane exstincta, tum iurgium decem tribuum cum tribu Iuda, eo quod ipsa sola ceteris non vocatis, Davidem Hierosolymam in regnum reduxisset. Contendebant enim de primatu, quia Iuda prætendebat se esse principem tribuum omnium, præsertim quia David rex oriundus erat ex Iuda: ceteræ vero tribus decem sese Iudæ præferebant, eo quod numero essent potiores, et decuplo plures. Ac pupugit illas quod David cap. præced. v. 11. Sadoc et Abiathar misisset ad solam tribum Iuda, ut se in regnum reduceret, non vero ad ceteras tribus, unde ipse eis videbatur in tribum Iudæ esse plus æquo propensior, illamque ceteris omnibus anteferre.

Politice hinc discant principes et reges, cavere et sopire æmulationem nationum diversarum quas regunt, ut omnibus similem affectum, curam et providentiam demonstrent, nec unam alteri præferant, sed eas pari benevolentia prosequantur, itaque eas et sibi et invicem uniant. Aristot. in politicis hæc duo principia rectæ gubernationis tradit. Primum, ut princeps omnium sibi subditorum diligentem habeat curam, omnibusque provideat, et neminem negligat. Secundum, ut sit omnibus par et æqualis, nec unam gentem alteri, aut principem unum alteri anteponat; sed se singulis indifferentem et æquum exhibeat. Si enim maiorem affectum uni quam alteri ostendat, alteri iram et invidiam movebit, imo schismata, seditiones et rebelliones concitabit. Exemplum quod imitetur, est Deus, de quo Plutarch. in Moral. *Ut Deus*, inquit, *in cælo pulcherrimum ac iucundissimum sui simulacrum constituit solem; sic in rep. principem, qui prudentia iustitia, benignitate se erga omnes repræsentet.* Sicut igitur sol non est alius pauperi, alius diviti, sed omnibus communis; ita princeps personam spectare non debet, sed omnibus se communem exhibere.

Princeps subditis omnibus se æqualem exhibeat.

Instar Dei et solis.

Exempla. Cyrus apud Xenophontem ait, similia esse boni pastoris et boni regis officia: Sicut ergo pastor æqualem omnium ovium habet curam, sic et rex eandem habeat omnium subditorum.

Alexander Magnus, ut Persas devictos sibi devinciret, eorum vestitum assumpsit, cum eisque matrimonia suorum instituit, ut scirent se sibi esse curæ et cordi æque ac Macedones.

Themistocli, teste Plutarcho, hoc vir sapiens dedit monitum: *Bene principatum geres Athenis, si cunctis communis esse velis et mansuetus.*

Singularis hac in re fuit Carolus V. qui cum tam diversis nationibus imperaret, singulis tamen se parem, imo patrem exhibebat, ut Hispanis videretur esse Hispanus, Italis Italus, Germanis Germanus, Gallis Gallus, Belgis Belga. Sane viri prudentes censent huius moniti neglectum, originem et occasionem dedisse bellis Belgicis, quæ iam 70. annis durant, imo flagrant magis quam umquam.

Vers. 5. ABIIT ERGO AMASA, UT CONVOCARET IUDAM.) Ut scilicet ipse quasi dux exercitus pro Ioab a Davide constitutus, per milites e tribu Iuda Davidi et sibi adhærentes rebellionem Sebæ in suo ortu comprimeret et suffocaret, ne si ei daretur tempus, adeo cresceret, ut superari non posset. Vidi ego in Belgio viginti duas militum regiorum rebelliones ob tardatam stipendii solutionem, quarum nonnullæ statim suppressæ sunt misso contra paucos rebellantes exercitu, et capitibus earum plexis: ceteræ vero pleræque data temporis mora ita crevere, ut urbem aliquam occupantes et munientes, factæ sint inexpugnabiles, et hostibus ipsis nocentiores et formidabiliores; adeo ut Princeps integrum stipendium illico eis exhibere, et omnia eorum postulata concedere coactus fuerit, cum magno Belgii damno.

Simili modo crevere hæreses: nam, ut ait S. Hieron. Arrius Alexandriæ scintilla fuit, quæ quia non statim extincta est, in flammam erupit, quæ totum orbem populata est. Unde *ingemuit totus orbis, et Arrianum se esse miratus est,* ait idem contra Lucifer.

AIT AUTEM DAVID AD ABISAI.) Quia Amasa, qui abierat convocaturus ex Iuda exercitum, ultra triduum sibi a Davide præscriptum morabatur, nec redibat, timens David ne Seba se roboraret contra eum, illico præmisit Abisai fratrem Ioab cum parte copiarum, quæ ad manum erat, ut illum persequeretur. Vers. 6.

QUI FABRICATUS LEVI MOTU EGREDI POTERAT ET PERCUTERE.) Hebr. *qui egrediebatur et cadebat,* hoc est qui ita fabricatus erat, ut levi motu e vagina educi posset, et quasi ex ea excidebat, ut scilicet Ioab dextra apprehendens mentum Amasæ, quasi eum osculaturus, sinistra gladium breviorem sive pugionem levi motu e vagina educeret, eoque Amasam inscium dolose confoderet. Hebræi varie hæc vertunt et explicant; sed sensum clare reddidit Noster. Causa cædis fuit, quod Ioab indigne ferret Amasam sibi a Davide prælatum, ac se amoto, creatum exercitus ducem: quam ipse magnam æstimabat ignominiam, æque ac iniuriam; ideoque Amasam licet consobrinum suum occidit. Discant hic principes caute duces suo loco movere, nec nisi specie honoris, quasi altius eos evecturi. Peccavit graviter Ioab occidendo Amasam, ideoque David moriens iussit Salomoni, ut eum occideret. Amasa tamen iustas quoque perfidiæ suæ pœnas dedit, quod in Davidem avunculum suum rebellasset, et rebellantium dux extitisset. Vers. 8.

ET TENUIT MANU DEXTRA MENTUM AMASÆ, QUASI OSCULANS EUM.) Hic enim priscus erat mos salutandi. Audi Plinium lib. 11. c. 5. *Antiquis Græcis in supplicando mentum attingere mos erat.* Hinc de Thebi quæ supplicabat Iovi, ait Homerus Iliade 1. *Dextra apprehendit mentum, et supplex allocuta est Iovem.* Mentum enim mentis est indicium; hinc mentum ab eminendo dicitur, quod gulæ colloque emineat: hinc et mentum soli homini datum, nulli alteri animali, teste Plinio lib. 11. c. 37. Vers. 9.

ECCE QUI ESSE VOLUIT PRO IOAB COMES DAVID) scilicet Davidis in bello vicarius et Capitaneus generalis. Aliter ex Hebr. vertit Vatab. et alii; nimirum, *qui favet ipsi Ioab, quique Davidi; sequatur ipsum Ioab,* et cum eo persequatur rebellem Seba. Vers. 11.

OPPUGNABANT EUM IN ABELA, ET IN BETHMAACHA) Vers. 15.
Et, significat *id est,* nam *Abela* alio nomine vocabatur *Beth,* id est domus, *Maacha:* nec enim Seba erat in duabus urbibus, sed in una quam obsedit Ioab. Audi Adrichom. pag. 101. num. 2. *Abela,* quæ et *Abel Bethmaacha,* sive, Abel Domus Maacha; Iosepho *Abelmachea;* Hieron. *Bethmacha,* aliis vero *Abelmaacha,* et *Machanedam* vocatur, insignis ac munita, superioris Galilææ urbs est, ac Israelitarum metropolis, sita in tribu Nephtalim, in planitie regionis Berim, non procul a Cæsarea Philippi, a Iordane autem sexaginta stadiis distans. Ad quam usque Davidici exercitus dux Ioab persecutus est perduellem Sebam.

SERMO, INQUIT, DICEBATUR IN VETERI PROVERBIO: Vers. 18.
QUI INTERROGANT, INTERROGENT IN ABELA: ET SIC PERFICIEBANT) ita Roman. licet Regia legant: *proficiebant.* Hebræa hic concisa sunt et obscura, ideoque varie a variis vertuntur.

Primo, Vatab. et Hebræi apud S. Hieron. vertunt, *interrogando interrogabant, et finiebant:* q. d. Olim oppugnantes aliquam urbem, interrogabant eam iuxta legem Deuter. 20. 10. an conditiones pacis accipere vellet, seseque dedere: si tu, o Ioab, nunc idem hic fecisses iam bellum finivisses: urbs enim hæc parata est conditiones pacis accipere; semper enim Davidi fuit fidelis et subdita. Alii aliter.

Verum Noster clare et germane vertit, q. d. Nostra urbs *Abela* ab olitanis temporibus habita fuit domicilium virorum sapientum, gymnasium et quasi oraculum sa-

pientiæ, ut, si quid in religione, in moribus, in rebus agendis esset ambiguum et difficile, id ad Abelanos sapientes resolvendum deferrent, et quidquid ipsi resolvissent, id exequebantur, et *perficiebant*, idque felici et optimo successu: hoc enim innuit et involvit τὸ *perficiebant.* q. d. Cur ergo tu o Ioab audes oppugnare hanc urbem, quæ est oraculum fidei et sapientiæ? patet ex sequent. ita Angel. Abul. Caiet. et alii.

Vers. 19. NONNE EGO SUM, QUÆ RESPONDEO VERITATEM IN ISRAEL?) Sept. Hebr. *Ego pacificans fideles Israel*, vel, ut vertunt Sept. *Ego sum pacifica de firmamentis Israel.* Loquitur mulier in persona suæ urbis et patriæ, scilicet *Abelæ*, q. d. Ego *Abela* sum quæ Israelitarum dubia et lites omnes decido, itaque litigantes pacifico, dum eis veritatem, veramque dubii resolutionem *respondeo.* q. d. *Ego Abela* abundo viris sapientibus et prudentibus sumque doctorum Academia, ideoque quasi mater et universitas, a qua omnis Israel documenta et consilia petat. Pete ergo tu quoque o Ioab, ab ea consilia, et illico bellum finies. Porro Vatab. et Pagn. vertunt, *Ego sum ex pacificis et fidelibus Israel.* q. d. Ego semper in fide Davidis perstiti, cum eoque fui pacifica: cur ergo me evertere conaris? Sic Sylla cognomento felix, hæc duo maxima fortunæ munera existimavit. Primum, amicitiam Metelli pii. Secundum, quod non delevisset Athenas, quas occuparat, sed urbi pepercisset, utpote Academiæ sapientiæ. Ita Plutarch. in Apoph. Roman.

Sic Attila, postulante S. Leone, pepercit Romæ, quasi gymnasio veræ fidei et religionis. Sic et Gensericus rex Gothorum ad preces eiusdem S. Leonis Romam occupans licet, ab incendio tamen, ignominiis et cædibus abstinuit, ut habet Vita S. Leonis.

ET TU QUÆRIS, etc. EVERTERE MATREM IN ISRAEL.) Matrem scilicet et altricem sapientiæ, religionis et virtutis. Tales enim sunt Academiæ orthodoxæ, qualis erat *Abela*, et qualis ante Davidem tempore Iosue fuit urbs *Dabir*, id est oraculum, et *Cariath Sepher*, id est urbs literarum, Iosue 15. 15.

Quare fabella est R. Salomonis et Rabbinorum priscorum apud S. Hieron. qui aiunt, vel potius fingunt, mulierem hanc fuisse *Saram* filiam Aser, de qua Genes. 46. 17. quæ fuerit prophetissa, et Iacob revelarit Ioseph filium vivere et regnare in Ægypto, quæque ostenderit Moysi locum, in quo condita erant ossa Ioseph in Ægypto, ut ea inde transferret in Chanaam, idque non aliunde probant quam ex his eius verbis: *Ego sum quæ respondeo veritatem in Israel*, quæ sane inanis et frivola est probatio, præsertim quia *Sara* iam dicta debuisset esse septingentorum annorum: tot enim fluxere ab Aser filio Iacob usque ad Davidem.

ET LOCUTA EST EIS SAPIENTER.) Dicendo, ut ait Iosephus: « Vultis mali male perire cum liberis ac coniugibus propter hominem malum et ignotum: eumque pro Davide, cuius tanta in vos extant beneficia, regnare? Speratis unam urbem tam valido exercitui resistere posse? » Vers. 22.

IRA AUTEM IAIRITES ERAT SACERDOS DAVID.) *Sacerdos*, scilicet proprie dictus, per quem David sua sacrificia Deo offerebat. Sicut hodie reges suos habent sacellanos, qui pro eis et coram eis Missas celebrent. Ita Theodor. et Abul. q. d. Sacellanorum Davidis primus et præcipuus erat *Ira*. Aut, *sacerdos*, id est intimus cubicularius et primus consiliarius Davidis, quomodo filii Davidis dicuntur fuisse *sacerdotes* 2. Reg. c. 8. v. 17. ita Vatab. et Lyran. unde Chald. pro *sacerdos*, vertit, *princeps*, scilicet familiaris et peculiaris amicus Davidis. Vers. 26.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Saulis ob occisos ab eo contra datam fidem Gabaonitas, iussu Dei crucifiguntur. Mox vers. 15. quatuor Davidis contra Philisthæos bella recensentur.

1. FACTA est quoque fames in diebus David tribus annis iugiter: et consuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, et domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas. 2. Vocatis ergo Gabaonitis rex, dixit ad eos: (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum: filii quippe Israel iuraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Iuda.) 3. Dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hæreditati Domini? 4. Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento et auro quæstio, sed contra Saul, et contra domum eius: neque volumus ut interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis ut faciam vobis? 5. Qui dixerunt regi: Virum, qui attrivit nos et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel. 6. Dentur nobis septem viri de filiis eius, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo. 7. Pepercitque rex Miphiboseth filio Ionathæ filii Saul, propter iusiurandum Domini, quod fuerat inter David et inter Ionathan filium Saul. 8. Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni, et Miphiboseth: et quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, 9. Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: et ceciderunt hi septem, simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. 10. Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. 11. Et nuntiata sunt David quæ fecerat Respha, filia Aia, concubina Saul. 12. Et abiit David, et tulit ossa Saul, et ossa Ionathæ filii eius a viris Iabes Galaad: qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philisthiim cum interfecissent Saul in Gelboe: 13. Et asportavit inde ossa Saul, et ossa Ionathæ filii eius: et colligentes ossa eorum qui affixi fuerant, 14. Sepelierunt ea cum ossibus Saul et Ionathæ filii eius in terra Beniamin, in latere, in sepulchro Cis patris eius: feceruntque omnia, quæ præceperat rex, et repropitiatus est Deus terræ post hæc. 15. Factum est autem rursum prælium Philisthinorum adversum Israel, et descendit David, et servi eius cum eo, et pugnabant contra Philisthiim. Deficiente autem David, 16. Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David. 17. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, et percussum Philisthæum interfecit. Tunc iuraverunt viri David, dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel. 18. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Phili-

*

sthæos: tunc percussit Sobocai de Husati, Saph de stirpe Arapha de genere gigantum. 19. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Getheum, cuius hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium. 20. Quartum bellum fuit in Geth, in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor, et erat de origine Arapha. 21. Et blasphemavit Israel: percussit autem eum Ionathan filius Samaa fratris David. 22. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ceciderunt in manu David, et servorum eius.

Vers. 1. FACTA EST QUOQUE FAMES IN DIEBUS DAVID TRIBUS ANNIS.) Immisit Deus hanc famem toti Israeli, quia rex eius Saul Gabaonitas inique occiderat. Rex autem est publica persona, et remp. repræsentat. Quod ergo rex peccat, hoc resp. peccat; ideoque publicum regis peccatum pubblica fame castigavit Deus.

ET CONSULUIT DAVID ORACULUM DOMINI.) Per Sadoc, vel Abiathar Pontificem, indutum Rationali, in quo erant Urim et Tummim quasi oraculum, ut dixi Exodi 28. 30.

DIXITQUE DOMINUS: PROPTER SAUL ET DOMUM EIUS SANGUINUM; QUIA OCCIDIT GABAONITAS) q. d. Fames hæc immissa est in pœnam peccati, eo quod Saul eiusque familia multum sanguinem iniuste effuderit. Hinc peccatum hoc sanguine expiandum erit, ac familia occidens erit occidenda.

Vers. 2. FILII QUIPPE ISRAEL (Iosue et principes Hebræorum, ut dictum est Iosue 9.) IURAVERANT EIS.) Se eos, licet Amorrhæos, non occisuros, sed in suam remp. admissuros ut aquatores et lignatores.

ET VOLUIT SAUL EOS PERCUTERE ZELO, QUASI PRO FILIIS ISRAEL ET IUDA.) Zelus hic Saul fuit, quod vellet Gabaonitarum domos, vicos et prædia adiicere tribui Iudæ ceterisque tribubus, quibus a Deo assignata erant; quasi Iosue contra legem et iussum Dei Gabaonitis pepercisset, itaque Iudæ et Iudæis hæreditatem eis a Deo datam ademisset. Sed insipiens et stultus fuit hic zelus, tum quia erat contra fidem Gabaonitis a Iosue et Hebræis datam; tum quia Gabaonitæ in coloniam æque ac religionem et fidem Hebræorum sponte transibant, quibus proinde Deus volebat parci; tum quia Gabaonitæ oppida et prædia sua cesserant Hebræis, eorumque erant servi, atque hac servitute vitam ab eis redemerant, ut dixi Iosue 9. Quare in hoc zelo Saulis verum fuit istud: *Summum ius, summa iniuria.* Porro cum Saul occideret Gabaonitas, David eum fugiens latebat in sylvis et antris, et si forte id postea rescivit, sibi persuasit iniuriæ huic morte Saulis et filiorum fuisse satisfactum: unde de ulteriore satisfactione non cogitavit; donec Deus pacato iam eius regno illam ab eo hoc loco exegit. Quare minus recte Lyran. et Abul. censent hanc famem in diebus Davidis contigisse, eo quod ipse iniustitiam hanc Saulis non castigasset.

Vers. 3. UT BENEDICATIS HÆREDITATI DOMINI.) Ut scilicet bene precemini Israeli; itaque Deus ab eo avertat famem triennalem, quam eidem propter vos induxit.

Vers. 5. VIRUM (Saulem) QUI ATTRIVIT NOS ET OPPRESSIT INIQUE, ITA DELERE DEBEMUS, UT NE UNUS QUIDEM RESIDUUS SIT DE STIRPE EIUS.) Novem supererant e stirpe Saulis, scilicet Miphiboseth eiusque filius, quinque filii Michol ex Hadriele, et duo filii Saul ex Respha concubina. Hos omnes sibi ad necem dedi initio postularunt Gabaonitæ; sed videntes Davidem intercedere pro Miphiboseth eiusque filio, utpote prognato ex Ionatha, cui David amicitiam et fidem iuraverat, idcirco utrique pepercerunt, et reliquos septem ad crucem postularunt.

Quæres, an æqua et iusta fuerit hæc eorum postulatio? Resp. partim fuisse iustam, eo quod nonnulli ex posteris Saulis cooperati fuissent ei in cæde Gabaonitarum: hoc enim significatur v. 1. ubi familia Saulis vocatur, *domus sanguinum:* partim iniquam, quia verisimile est aliquos ex posteris Saulis fuisse a cæde Gabaonitarum immunes et innocentes, qui proinde pro peccato patris vel cognatorum, iure humano non poterant occidi. Nam ut ait Ezechiel cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris,* sed *anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Nullus enim princeps vel rex potest filium condemnare ad mortem propter peccatum patris solius; unde in nullo fidelium tribunali filius pro patre occiditur. Dico fidelium, nam apud infideles et barbaros, uti apud Iapones patre peccante non solum ipse, sed et filii eius plectuntur. Quare postulatio hæc Gabaonitarum aliquid habet rancoris, vindictæ et furoris insolentis, barbari et Turcici: nisi dicas ipsos non ex se, sed ex Dei instinctu, id postulasse, idque innuitur v. 9. cum dicitur: *Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino,* et v. 6. ubi ipsi aiunt: *ut crucifigamus eos Domino.* Sept. *et placabimus in illis Dominum.* Chald. *et suspendemus illos ante Dominum,* quasi anathemata, catharmata et piacula Israelis. Nam ex parte Dei iusta et sancta fuit hæc postulatio. Deus enim idcirco famem hanc immiserat Israeli, ut pro peccati Saulis piaculo occiderentur eiusdem posteri; cum ipse Saul iam utpote mortuus plecti et occidi non posset. Deus enim omnium tam nocentum quam innocentum vitæ et mortis est Dominus, quare potest patres nocentes punire in filiis innocentibus, iuxta illud Deuter. 5. 9. *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator* (Sept. *Zelotes*) *reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem.* Vide ibi dicta.

Cur Deus iussit occidi Sauli posteros?

Deus ergo volebat hic plectere Saulem in filiis, multis de causis. Prima est, ut ostenderet quantum sibi displiceret oppressio pauperum Gabaonitarum facta a Saule, et violatio iuramenti eis a Iosue præstiti; ostenderet inquam per publicum et infame supplicium posterorum Saulis, nimirum eos crucifigendo. Resp. 1. Secunda, ut indicaret, quam profundum in Saulem odium concepisset, utpote cuius stirpem funditus vellet excindi; ut iure dixerit Miphiboseth: 2. *Neque enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia Domino Deo.* Tertia, ut daret exemplum futuris sæculis, 3. quo patres a sui offensa et sceleribus cohiberet; q. d. Quod feci Sauli hosti meo, eius familiam exscindendo, hoc faciam cuilibet regi, principi, et privato, ut, si ipse me offendat, non solum ipsum, sed eius filios posterosque omnes affligam et disperdam; uti hoc sæculo sæpe factum vidimus: Deum scilicet ob peccata parentum antiquissimas et nobilissimas familias plane evertisse et succidisse. Quarta, 4. ut consuleret quieti publicæ, ne inter Saulis et Davidis posteros bella civilia suscitarentur, qualia fuerant inter Davidem et Isboseth filium Saulis. Denique filiis innocentibus non fiebat iniuria, tum quia Deus vitæ eorum erat dominus, tum quia ob peccatum originale omnes sumus rei mortis; tum quia ipsi alia propria habebant peccata, ob quæ iuste morte et cruce puniri a Deo poterant; hanc enim apud ipsum merebantur.

TULIT ITAQUE REX DUOS FILIOS RESPHA) Non peccavit David tradendo filios Saulis, etiam innocentes, Gabaonitis ad crucem; quia videbat hanc esse Dei voluntatem, qui idcirco famem Israeli immiserat. Conformabat igitur se voluntati divinæ, quæ iustissima et sanctissima erat ob causas datas v. 5. Fecit ergo hoc David monitu Dei, et ut videtur, habito oraculo per pontificem et Urim, de quo v. 1. fecit, inquam, tamquam executor iustitiæ Dei, qui peccata punit in tertiam et quartam generationem. Saul enim mortuus non poterat puniri nisi in filiis; ac proinde hic iustitiæ Dei satisfieri non poterat, nisi occidendo eius filios. Sed hæc principibus, magistratibus, et iustitiæ humanæ imitari non licet, quia ipsum caput nocens, plectere debent, non vero eius filios et posteros. Ita Abul. Caiet. et alii. Vers. 8.

ET QUINQUE FILIOS MICHOL FILIÆ SAUL, QUOS GENUERAT HADRIELI.) Erant hi filii non Michol, sed Merob sororis Michol, quos Michol, utpote carens prolibus, in

filios adoptarat; Merob enim fuit uxor Hadrielis, Michol vero Davidis. Quare cum dicitur: *Quos genuerat Hadrieli*, intellige eius soror Merob, in cuius locum Michol eos adoptans successerat. Alii censent *Merob* alio nomine vocatam fuisse *Michol*. Caiet. vero putat esse mendum, et pro *Michol* substituendum, *Merob*. Verum omnes codices Hebræi, Græci, Latini, habent *Michol*, non *Merob*. Chald. tamen habet: *Et quinque filios Merob, quos educaverat Michol filia Saul*, quia eos adoptarat, ut dixi.

Vers. 9. Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.) Nimirum ad placandum Dominum, vel in honorem Domini, ut eius iustitiæ vindicativæ, et offensæ a Saule et familia eius factæ, per hanc familiæ eius crucifixionem, quasi per publicum piaculum, et hostiam pro peccato satisfieret. Ubi nota, honorari et glorificari Deum executione iustitiæ. Dum enim sontes plectuntur, elucet Dei plectentis iustitia et sanctitas, utpote qui peccata et peccatores odit, et impunitos esse non sinit. Hinc Deuter. 13. 16. iubet Deus idololatras sibi comburi cum tota urbe: *Consumes*, inquit, *omnia Domino Deo tuo*.

In monte.) Scilicet in colle Gabaa, quæ fuerat patria et sedes Saulis, ut eo loco puniretur peccatum, ubi a Saule fuerat commissum, omnesque idipsum ex loco supplicii colligerent.

Incipiente messione hordei.) id est sub initium veris in Paschate, ut indicetur eos in cruce, quasi piaculum mansisse per plures menses, ut patebit ex sequent.

Vers. 10. Tollens autem Respha (duorum crucifixorum mater, et ceterorum cognata) cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo.) Ut scilicet ipsa manens cubansque in cilicio, iugiter custodiret filiorum cadavera, ne ab avibus, canibus et feris laniarentur. Intellige ipsam non solam mansisse, sed cum famulis et famulabus, ait Caiet.

Donec stillaret.) Iusserat David corpora hæc famis et peccati expiatoria, manere in cruce, donec Deus ostenderet se placatum per pluviam, quam hactenus negando sterilitatem et famem Israeli immiserat, itaque se iratum ostenderat. Unde non comprehenditur hic casus lege Deuter. 21. 23. præcipiente ut crucifixi eadem die sepeliantur. Ibi enim agitur de eo, qui ob proprium scelus crucifigitur in pœnam; hic vero de iis qui ob alienam et publicam culpam, ideoque totius populi fiunt piaculum ad reducendam pluviam et fertilitatem. Ita Abul. et alii. Unde Ioseph. ait: *Confestimque pluente Deo terra posito squalore ad pristinam fertilitatem rediit.* Porro tradunt Hebræi corpora hæc mansisse in cruce per sex menses, scilicet a Martio ad Septembrem: tunc enim in Palæstina pluviæ incipiunt, quæ per æstatem cessarunt. Vide hic ergo et mirare pietatem et patientiam Resphæ, quæ tam diu sub dio immota perstitit perdia et pernox, ut filiorum corpora intacta servaret. Hæc sunt viscera pietatis maternæ.

Mystice: Respha est pia sollicitudo sanctorum Pastorum et patrum spiritualium, qui filios, quos Christo genuerunt, mundo crucifixos custodiunt, eisque succurrunt rigore ieiunii et instantia precum, donec misericordiam Dei impetrent super eos de cælo, compescendo pravos homines, nec non malignos spiritus, ne pravis suggestionibus eos de cruce rapiant, lacerent et devorent. Ita Angelom. Hinc *Respha* hebr. idem est quod *pruna*, vel *carbo ignitus*, qui ardentis amoris est symbolum: aut *pavimentum*, in quo ipsa se affligens pro filiis cilicio incubabat.

Vers. 12. Et abiit David, et tulit ossa Saul) David excitatus exemplo pietatis Resphæ, quæ tam sedulo corpora suorum filiorum custodivit, curavit eorum æque ac Saulis et Ionatæ ossa colligi, et honorifice sepeliri in sepulchro Cis patris eius. Ut ostenderet se iniuriarum sibi a Saule illatarum esse immemorem, ac illi pro tantis maleficiis eximia beneficia rependeret; qui est actus heroicæ charitatis.

Vers. 15. Factum est autem rursum prælium.) Deinceps recensentur quatuor Davidis contra Philisthæos prælia, quæ eo ordine, quo hic narrantur, contigisse videntur. Hoc enim exigit simplex historiæ narratio; licet alii putent hic non servari ordinem temporis, sed quædam anterius, quædam posterius accidisse, sed quod dixi, verius est, itaque censent Iosephus, Severus, Sulpitius, Sigonius, Lyran. Abul. Caiet. Serar. Vatab. Dionys. Adrich. Salianus.

Deficiente autem David.) Cum scilicet David iam senescens, pugnans in prælio, labore, æstu, fame et siti fatigatus deficeret viribus, nec posset vim hostium ingruentium sustinere amplius; tunc irruit in eum Iesbibenob gigas de stirpe Rapha, sive Raphaim, id est gigantum, prognatorum ex primo gigante Rapha (*Arapha* enim idem est quod *Rapha*. Hebr. enim הרפה *Harapha*, ubi prima litera ה *he* non est radicalis sed servilis, gerens vicem articuli sive pronominis demonstrativi) sed Davidi succurrit Abisai, et gigantem occidit. Audi Theodor. in manuscripto: « Qui factum est, ut David deficeret in acie? Senex erat, vincebat autem animi alacritate corpus. Cum autem in conflictu multum sustinuisset laborem, erat enim primus in acie pugnans, defessus est, ac defecit non ferens laborem. Cum autem in periculum venisset, ne occideretur ab eo qui primus pugnabat inter alienigenas, præter opinionem servatus est, cum eum protexisset Abisai, et maximum illum hostem interemisset».

Ne extinguas lucernam Israel) Hoc est, splendorem et gloriam Israelis, qualis erat rex David: Chald. *ne pereat tecum regnum Israel*. Vers. 17.

In quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum.) Per *Adeodatum* multi cum Chaldæo intelligunt Davidem, qui a Deo est datus Israeli ad eius salutem. (Sic S. Aug. filium suum vocavit *Adeodatum*.) David enim fuit Bethleemites, et occidit Goliath. Ita Hebræi apud S. Hieron. Angelom. Lyran. Glossa, Raban. Rupert. Hugo, Dion. et alii. Audi S. Hieron. *Adeodatus ipse est David. Idcirco dicitur Adeodatus, quia a Deo est electus in regnum. Filius Saltus, quia de saltu, ubi oves pascebat, est eductus. Polymitarius, quia de genere Beseleel mater eius fuit. Bethleemites, quia Noemi et Ruth tempore ubertatis reversæ sunt in Bethlehem.* Vers. 19. Adeodatus an David?

Verum melius Vatab. Abul. Pagn. Caiet. Serarius, Sanchez, Salianus et alii censent *Adeodatum*, Hebr. *Elchanan*, fuisse alium a Davide. Hic enim bella recensentur, quæ David post initum regnum, imo iam senex gessit: illa autem Davidis cum Goliath pugna, non bellum fuit, sed duellum ante regnum a Davide iuvene susceptum. *Adeodatus* hic fuit *filius Saltus*; Hebr. *filius Iare*, ubi *Iare* est nomen proprium patris Adeodati, ut vertunt Sept. Vatab. Chald. et alii. *Iare* autem Hebr. significat *saltum*, vel sylvam, unde Noster vertit *filius Saltus*. Pater enim Adeodati dictus est *Iare*, id est sylva, vel saltus, eo quod natus sit in sylva, vel quod in sylva versari et venari consueverit. τὸ igitur *Saltus*, est nomen proprium patris Adeodati, ideoque maiuscula littera scribendum, uti habent Roman. *Adeodatus* vocatur *polymitarius*, Hebr. *oregim*, id est *textorum*, quia scilicet oriundus erat ex textoribus, aut potius quia ipse unus erat ex textoribus, qui *polymita*, id est licia variegata contexunt, indeque faciunt pannos et vestes *polymitas*, hoc est variorum colorum et liciorum. Resp negative.

Idem occidit *Goliath Gethæum*, hoc est fratrem Goliath gigantis quem occidit David, ut expresse dicitur 1. Paral. 20. 5. Frater ergo Goliath, pariter vocatus est *Goliath*: aut potius vocatur *Goliath*, eo quod proceritate, robore et viribus similis esset Goliæ quem stravit David. Sic vulgo de viro eximie forti dicimus: Iste alter Hercules, vel alter Samson. Unde Iosephus eum vocat Palæstinorum robustissimum.

Percussit autem eum Ionathan filius Samaa fratris David.) Hebræi apud S. Hieron. censent hunc *Ionathan* esse Nathan prophetam. *Ionathan*, inquit S. Hieron. *ipse est Nathan propheta, qui habuit duos fratres Ioel et Ionadab. Idcirco ei hic nomen patris ponitur, quia* Vers. 21.

inter prœliatores describitur. Ubi vero de prophetia eius scribitur, non ei annotatur pater, eo quod pater eius propheta non fuerit. Verum longe verius, imo mihi certum est, *Ionathan* non fuisse Nathan prophetam, nec Adeodatum, de quo v. 19. ut volunt alii; sed ab utroque diversum. Addit Ioseph. *Hoc prœlium cum gente* (Philisthæa) *fuit ultimum, non ausa postea se contra Israelitas movere.*

Vers. 22. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth.) Multi censent *Arapham* esse *Orpham*, socrum Noemi et cognatam Ruth, ideoque Goliath, quem occidit David, fuisse filium Orphæ. Ita Hebr. Philo Biblicus et Prudent. in Hamartigenia; verum id refutavi Ruth cap. 1. v. 4. quibus adde *Arapha* non esse feminam, ut innuit Serar. et Sanchez, sed virum: nimirum *Rapha*, a quo orti dictique sunt *Raphaim* gigantes. q. d. Hi quatuor gigantes iam dicti nati sunt ex primo illo potenteque gigante *Rapha*, qui proinde per antonomasiam præposito articulo *He* dictus est *Harapha*, q. d. Ille gigas, ille Titan. Id ita esse patet,

A primo ex aliis Script. locis ubi *Raphaim* dicuntur nati ex Rapha gigante, ut Genes. 14. 5. Iosue 12. 4. et c. 13. 12. Secundo quia Script. in assignanda stirpe et familia filiorum assignat eorum patres, non matres: et hoc significat τὸ *de genere Arapha.* Tertio: quia Sept. Roman. vertunt, *qui erat de posteris* τȣ ῥαφαι, id est, *viri Raphæ:* τȣ, enim est masculinum, et virum significat. Regia habent των γιγαντων, id est *gigantum*, et τιτανων, id est *Titanum*: ita quoque Ioseph. Chald. et alii. Denique qui hic vocatur *Arapha*, 1. Paral. 20. v. 4. 6. et 7. vocatur *Rapha* a quo *Raphaim* sunt prognati.

Hi quatuor, etc. ceciderunt in manu (per manum, robur et pugnam) David et servorum eius.) Licet enim David neminem horum per se occiderit, occidit tamen omnes per suos servos et milites iam dictos. Quod enim miles facit, hoc dux fecit. Adde Davidem hos milites erudivisse, eisque exemplo præivisse occidendo Goliath gigantem. Ita Eucher. et alii. Hoc enim Davidis factum secuti eius milites, alios gigantes occiderunt.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput continet Hymnum, sive Psalmum Eucharisticum, quo David post tot bella, parta plena pace de tot victoriis Deo gratias agit. Porro hic Psalmus inter Psalmos ponitur, estque in ordine 17. Quare ibidem commodius loco suo, quasi Psalmus inter Psalmos explicabitur.

1. Locutus est autem David Domino verba carminis huius, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul.

2. Et ait: Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus.

3. Deus fortis meus, sperabo in eum: scutum meum, et cornu salutis meæ: elevator meus, et refugium meum: salvator meus, de iniquitate liberabis me.

4. Laudabilem invocabo Dominum: et ab inimicis meis salvus ero.

5. Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me.

6. Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis.

7. In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo: et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures eius.

8. Commota est et contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, et conquassata, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus de naribus eius, et ignis de ore eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo.

10. Inclinavit cælos, et descendit: et caligo sub pedibus eius.

11. Et ascendit super cherubim, et volavit: et lapsus est super pennas venti.

12. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum: cribrans aquas de nubibus cælorum.

13. Præ fulgore in conspectu eius, succensi sunt carbones ignis.

14. Tonabit de cælo Dominus: et excelsus dabit vocem suam.

15. Misit sagittas, et dissipavit eos; fulgur, et consumpsit eos.

16. Et apparuerunt effusiones maris, et revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris eius.

17. Misit de excelso, et assumpsit me: et extraxit me de aquis multis.

18. Liberavit me ab inimico meo potentissimo, et ab his qui oderant me: quoniam robustiores me erant.

19. Prævenit me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus firmamentum meum.

20. Et eduxit me in latitudinem: liberavit me, quia complacui ei.

21. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.

22. Quia custodivi vias Domini, et non egi impie, a Deo meo.

23. Omnia enim iudicia eius in conspectu meo: et præcepta eius non amovi a me.

24. Et ero perfectus cum eo: et custodiam me ab iniquitate mea.

25. Et restituet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum suorum.

26. Cum sancto sanctus eris: et cum robusto perfectus.

27. Cum electo electus eris: et cum perverso perverteris.

28. Et populum pauperem salvum facies: oculisque tuis excelsos humiliabis.

29. Quia tu lucerna mea Domine: et tu Domine illuminabis tenebras meas.

30. In te enim curram accinctus: in Deo meo transiliam murum.

31. Deus, immaculata via eius, eloquium Domini igne examinatum: scutum est omnium sperantium in se.

32. Quis est Deus præter Dominum: et quis fortis præter Deum nostrum?

33. Deus qui accinxit me fortitudine: et complanavit perfectam viam meam.
34. Coæquans pedes meos cervis, et super excelsa mea statuens me.
35. Docens manus meas ad prælium, et componens quasi arcum æreum brachia mea.
36. Dedisti mihi clypeum salutis tuæ: et mansuetudo tua multiplicavit me.
37. Dilatabis gressus meos subtus me: et non deficient tali mei.
38. Persequar inimicos meos, et conteram: et non convertar donec consumam eos.
39. Consumam eos et confringam, ut non consurgant: cadent sub pedibus meis.
40. Accinxisti me fortitudine ad prælium: incurvasti resistentes mihi subtus me.
41. Inimicos meos dedisti mihi dorsum: odientes me, et disperdam eos.
42. Clamabunt, et non erit qui salvet: ad Dominum, et non exaudiet eos.
43. Delebo eos ut pulverem terræ: quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam.
44. Salvabis me a contradictionibus populi mei: custodies me in caput Gentium: populus, quem ignoro, serviet mihi.
45. Filii alieni resistent mihi, auditu auris obedient mihi.
46. Filii alieni defluxerunt, et contrahentur in angustiis suis.
47. Vivit Dominus, et benedictus Deus meus: et exaltabitur Deus fortis salutis meæ.
48. Deus qui das vindictas mihi, et deiicis populos sub me,
49. Qui educis me ab inimicis meis, et a resistentibus mihi elevas me: a viro iniquo liberabis me.
50. Propterea confitebor tibi Domine in gentibus: et nomini tuo cantabo.
51. Magnificans salutes regis sui, et faciens misericordiam christo suo David, et semini eius in sempiternum.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ultima Davidis dicta, ac vers. 8. eius heroes, nimirum tres eius fortissimi milites, eorumque heroica facinora, ac vers. 24. cæteri eius triginta Fortes numerantur. Confer hoc caput cum 1. Paral. 11. ubi alio ordine et methodo idem catalogus Fortium Davidis texitur.

1. HÆC autem sunt verba David novissima. Dixit David filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de chri-
sto Dei Iacob, egregius psaltes Israel: 2. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per lin-
guam meam. 3. Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel, Dominator hominum, iustus do-
minator in timore Dei. 4. Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germi-
nat herba de terra. 5. Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omni-
bus atque munitum. Cuncta enim salus mea, et omnis voluntas: nec est quidquam ex ea quod non germinet. 6.
Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi: quæ non tolluntur manibus. 7. Et si quis tangere voluerit
eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum. 8. Hæc nomina fortium
David. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octin-
gentos interfecit impetu uno. 9. Post hunc, Eleazar filius patrui eius Ahohites inter tres fortes, qui erant cum
David quando exprobraverunt Philisthiim, et congregati sunt illuc in prælium. 10. Cumque ascendissent viri
Israel, ipse stetit et percussit Philisthæos, donec deficeret manus eius, et obrigesceret cum gladio: fecitque Domi-
nus salutem magnam in die illa: et populus qui fugerat, reversus est ad cæsorum spolia detrahenda. 11. Et post
hunc, Semma filius Age de Arari, et congregati sunt Philisthiim in statione: erat quippe ibi ager lente plenus.
Cumque fugisset populus a facie Philisthiim, 12. Stetit ille in medio agri, et tuitus est eum, percussitque Phili-
sthæos: et fecit Dominus salutem magnam. 13. Nec non et ante descenderant tres qui erant principes inter tri-
ginta, et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam: castra autem Philisthinorum erant posita in
Valle gigantum. 14. Et David erat in præsidio: porro statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem. 15. Desi-
deravit ergo David, et ait: O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta portam.
16. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta
portam, et attulerunt ad David: at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino, 17. Dicens: Propitius sit mihi Do-
minus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, et animarum periculum bibam? No-
luit ergo bibere. Hæc fecerunt tres robustissimi. 18. Abisai quoque frater Ioab filius Sarviæ, princeps erat de
tribus: ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus, 19. Et inter tres
nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat. 20. Et Banaias filius Ioiadæ viri for-
tissimi, magnorum operum, de Cabseel: ipse percussit duos leones Moab, et ipse descendit, et percussit leonem in
media cisterna in diebus nivis. 21. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem
in manu hastam: itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptii, et interfecit eum
hasta sua. 22. Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ. 23. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta
nobiliores: verumtamen usque ad tres non pervenerat: fecitque eum sibi David auricularium, a secreto. 24. Asael
frater Ioab inter triginta, Elehanan filius patrui eius in Bethlehem. 25. Semma de Harodi, Elica de Harodi, 26.
Heles de Phalthi, Hira filius Acces de Thecua, 27. Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Husati, 28. Selmon Aho-
hites, Maharai Netophathites, 29. Heled filius Baana, et ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filio-

rum Beniamin, 30. Banaia Pharathonites, Heddai de Torrente Gaas, 31. Abialbon Arbathites, Azmaveth de Beromi. 32. Eliaba de Salaboni. Filii Iassen, Ionathan, 33. Semma de Orori, Aiam filius Sarar Arorites, 34. Elipheleth filius Aasbai filii Machati, Eliam filius Achitophel Gelonites, 35. Hesrai de Carmelo, Pharai de Arbi, 36. Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi, 37. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Ioab filii Sarviæ, 38. Ira Iethrites, Gareb, et ipse Iethrites, 39. Urias Hethæus. Omnes triginta septem.

Vers. 1. HÆC AUTEM SUNT VERBA DAVID NOVISSIMA.) Quia ut ait S. Hieron. in Tradit. *post psalterium et cetera metra hoc metrum composuisse dicitur.* Addit Chald. dici *novissima*, quia prophetiam continent de Christo in novissima et ultima mundi ætate nasciluro, iuxta illud S. Ioannis Epist. 1. c. 2. v. 18. *Filioli novissima hora est*, et illud Pauli: *Novissime diebus istis locutus est nobis in filio*, Hebr. 1. 3. Addit tertio Lyran. dici *novissima* quia memoriæ maxime commendanda, uti sunt apud filios novissima parentum monita.

DIXIT VIR, CUI CONSTITUTUM EST DE CHRISTO DEI IACOB.) Primo plane sic de Christo exponas, q. d. Dixit David, cui facta est promissio de Messia, sive *Christo* ex se nasciluro, qui est *Christus Dei* veri, quem coluit *Iacob* Patriarcha, quia unctus a Deo in summum mundi regem et pontificem. Secundo, de ipso Davide, q. d. Dixit David, qui constitutus est, ut esset *Christus Dei*, id est rex a Deo unctus, qui regeret posteros *Iacob*, sive populum Israel. Unde Sept. vertunt, *Dixit vir, quem suscitavit Dominus in Christum Dei;* sic et Chald. Vatab. et alii. Tertio, Hebræi apud S. Hieron. in Trad. vertunt, *Dixit vir, cui constituta est scala Christo Dei Iacob*, idque sic explicant, q. d. *Scala eidem Christo Dei Iacob, id est Davidi constituta est, per quam conscenderet ad Deum; eo quod idem scilicet confessus sit se peccasse Domino.* Unde additur τὸ *Iacob*, q. d. scala Davidis similis est scalæ Iacob Genes. 28. per quam nimirum ipse vidit ascendentes Angelos ad Deum scalæ innixum, ut per eam repræsentaretur filii Dei descensus in terram et carnem per Iacob et Davidem, qui futuri erant eius parentes, ut eos ceterosque homines peccato Adæ aliisque propriis perditos redimeret, et per pœnitentiam salvaret. *Scala* ergo peccatoris est pœnitentia et confessio: per hanc enim ad Deum in cælum conscendit.

Primus sensus planissimus est, eumque exigit τὸ *de Christo*, vel, ut Hebr. est *super Christum*, et τὸ *dixit*, pro quo Hebr. est נאם *neum*, id est dictum, effatum, sermo certus et irrefragabilis, oraculum.

EGREGIUS PSALTES ISRAEL.) *Egregius*, Hebr. נעים *naim*, id est pulcher, speciosus, suavis, iucundus. Tales enim sunt Psalmi, quos David composuit, et cani iussit a Levitis in Israel; unde iidem canuntur in Ecclesia Christiana per omnia sæcula, loca et templa, ipsique sunt exultatio Ecclesiæ et fidelium.

Vers. 2. SPIRITUS DOMINI LOCUTUS EST PER ME, ET SERMO EIUS PER LINGUAM MEAM.) Supple, insonuit. q. d. Deus locutus est per me, ac per meam linguam, quasi organum et instrumentum, Psalmos dictavit, iuxta illud: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, Psalm. 44. q. d. Ego non ex me meoque ingenio et sensu, sed afflatu numinis, Deo psallere, Deumque hymnis et psalmis laudare didici, et docui.

Vers. 3. DIXIT DEUS, etc. IUSTUS DOMINATOR IN TIMORE DEI.) Pagn. *dominator timoris Dei.* q. d. Deus est *dominator* eorum qui timent Deum, sive eorum quos invenit fundatos *in timore Dei:* hos enim ita provide, benigne et amanter regit ac gubernat, ut ceterorum quasi immemor videatur.

Quæres, quid dixit Davidi Deus? Resp. ea quæ dicta sunt v. 1. et 2. ac quæ dicentur v. 4. et seq. ac præsertim oraculum de Christo ex eo nasciluro. Unde Chald. vertit. *Dixit, quod constitueret mihi regem: ipse est Messias, qui futurus est ut surgat, et dominetur in timore Dei.*

Aliter vertit Vatab. nimirum: *Dixit Deus: Dominator super homines iustus sit, dominator habeat timorem Dei.* q. d. Deus prædixit me Davidem fore dominatorem, id est

A regem, iustum et timentem Deum.

SICUT LUX AURORÆ, ORIENTE SOLE, MANE ABSQUE NUBIBUS RUTILAT.) Primo, Lyran. q. d. Sicut lux auroræ resplendet, sic Deus clare mihi Davidi locutus est, et revelavit futura. Secundo et melius, Chald. Abul. et alii. q. d. Sicut lux aurorae rutilat, subaudi, sic rutilabit regnum meum (Davidis) et, ut v. 5. sequitur, domus mea et aliorum iustorum, eritque splendida, fœcunda, et gloriosa instar Solis. Vers. 4.

ET SICUT PLUVIIS (irrigata) GERMINAT HERBA DE TERRA.) Subaudi, sic germinabit et fœcunda erit domus et posteritas mea, uti explicat v. seq. Ex quo liquet ad literam, Davidem hic de se suaque stirpe loqui; allegorice vero et præcipue de Christo ex stirpe sua nasciluro: Christi enim ortus fuit ex cælesti gratia Spiritus sancti, eoque irrorante B. Virgo concepit et peperit Christum iuxta illud: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et: *Visitavit nos oriens ex alto*, Lucæ 1.

Mystice, Angelomus: « Aurora, inquit, est Ecclesia,
B quæ oriente Sole, hoc est Christo resurgente a mortuis, absque nubibus rutilat, id est, absque peccato infidelitatis resplendet in miraculis. Pluvia est evangelica prædicatio: herba credentem significat populum, terra vero Ecclesiam. »

Tropol. idem Angelom. « Qui, inquit, in timore Domini dominationem in subditis exercet, lucis opera per solem iustitiæ illuminata profert: nec in eis aliquid remanebit obscurum, sed imbre cælestis gratiæ irrigatus, germina virtutum in carne vivens fructificat. »

NEC TANTA EST DOMUS MEA APUD DEUM, UT PACTUM Vers. 5.
ÆTERNUM INIRET MECUM,) q. d. Ego et domus mea non sumus tam magni, tantique meriti, ut ob illud Deus mecum iniret pactum, mihique promitteret *domum*, id est posteritatem et stirpem regiam perpetuandam usque ad Christum, indeque in æternum: Christus enim omnium hominum dignitatem et merita longe transcendit. Hoc ergo pactum iniit mecum Deus ex mera sua misericordia,
C gratia et liberalitate, qua me unum e toto mundo eligere voluit, ut Christi generationi subservirem.

CUNCTA ENIM SALUS MEA, ET OMNIS VOLUNTAS.) Repete, in omnibus firma est et munita; aut uti præcessit; aut, impletur et germinat, ut sequitur. q. d. Cuncta mihi ad salutem proficiunt, omniaque mihi ad votum et voluntatem Deo prosperante succedunt.

NEC EST QUIDQUAM EX EA (ita lege cum Romanis, non *eo*) QUOD NON GERMINET.) q. d. Quidquid ego volo, hoc Deus secundat, omnesque actiones, desideria et intentiones meæ prospere proficiunt et succrescunt instar germinis e terra pluviis irrigata frondose erumpentis: persistit enim in metaphora germinis, unde Chald. vertit, *Omnes indigentiæ meæ, et omnes petitiones meæ ante ipsum factæ sunt.* Sic S. Dominicus dictitabat se a Deo impetrare quidquid peteret. Idem dixere alii Sancti eximii: Deus enim, *voluntatem timentium se faciet*, Psal. 144. 19.

PRÆVARICATORES AUTEM QUASI SPINÆ EVELLENTUR Vers. 6.
UNIVERSI.) A Deo, vel in hac vita, vel in die iudicii, ubi
D eos e terra eiiciet in abyssum gehennæ.

QUÆ NON TOLLUNTUR MANIBUS. ET SI QUIS TOLLERE Vers. 7.
VOLUERIT EAS, ARMABITUR FERRO ET LIGNO LANCEATO, IGNEQUE SUCCENSÆ COMBURENTUR.) Significat impios, quasi spinas, mollis correctionis esse incapaces, et contactum eorum esse aculeatum; ac proinde non blande, sed rigide, cum eis agendum ut ferro succidantur, vel igne comburantur: sicut qui spinas vult tollere, non manibus eas evellit, ne iis pungatur; sed manus armat *ferro* quo eas succidat, vel *ligno lanceato;* Vatab. *hastili lancea*,

quo eas abigat et amoveat, ne ab iis lædatur: denique non tollet eas, sed igne comburet. Sic Deus succidet domos impiorum, easque igne gehennæ succendet; me autem, meamque et ceterorum iustorum domum prosperabit et perpetuabit.

Usque ad nihilum.) Hebr. *in habitaculo suo*, id est, in stirpe sua exurentur, et quasi ad nihilum redigentur, q. d. Omnino peribunt, si non in hac vita, saltem in futura. Paraphrastice et eleganter hæc omnia a versu 4. hucusque vertit Chald. iustisque et sanctis, qualis erat David, adaptat: *Beati,* inquit, *eritis vos iusti: fecistis vobis facta bona, quia vos futuri estis, ut luceatis in luce gloriæ vestræ sicut splendor auroræ, qui ambulat et constat; et sicut sol qui splendet absque nubibus in splendore gloriæ suæ. Ecce sicut ager qui exspectat in annis siccitatis, ut descendat pluvia super terram.* Deinde antithesin impiorum sanctis opponit: *Improbi,* ait, *factores peccati erunt similes spinis, quæ in ortu suo molles ad eruendum, et omnis filius hominis parcit super eis, et sinit eas: procedunt et invalescunt usquequo non sit possibile appropinquare ad eas manu: et sic omnis homo qui incipit appropinquare ad peccata progredientia, et se roborantia super se, usquequo operiant eum tanquam vestis ferrea; non* (quia Chaldæus putat negationem præcedentem hic esse repetendam) *prævalent illi in lignis hastarum et lancearum: ideo non est necesse ultio eorum in manu hominis, sed in igne incendendo incendetur, cum apparuerit domus iudicii magni, ut sedeat super solium iudicii ad iudicandum sæculum.*

Vers. 8. Hæc nomina fortium David.) Additur 1. Paralip. 11. 10. *qui adiuverunt eum, ut rex fieret super omnem Israel.* Porro hi fortes habitabant in domo una quæ Nehem. 3. 16. vocatur, *domus fortium,* ubi etiam quasi in palæstra athletæ et pugiles, exercitii causa digladiationibus certabant, ait ex Lyran. Adrichomius, qui eam sitam ait in monte Sion iuxta palatium Davidis, ibique eamdem graphice depingit. Texitur hic catalogus fortium militum sive heroum Davidis, primo, ad historiæ integritatem, ut scilicet constet qui fuerint milites et duces, per quos David prælia tanta confecit, et tot victorias obtinuit. Secundo, ut virtuti eorum hæc laus detur, quæ omnes ad fortitudinem eorum imitandam excitet. Allegor. ut hi fortes Davidis repræsentent Christi Apostolos, et viros Apostolicos, per quorum heroica facta ipse suæ fidei subegit totum orbem. Tropol. ut eorum exemplo animentur fideles ad fortiter certandum contra carnem, mundum et dæmones. *Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* Matth. 11. Cælum enim sublime est et forte, quare a fidelibus mente sublimioribus et fortioribus expugnandum est. Igitur cælum est civitas fortium, in qua nemo imbellis et imbecillis admittitur, iuxta illud Isaiæ 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, in ea ponetur murus, et antemurale.* In vita S. Astionis et Epicteti Martyrum, qui acerba pro Christo tormenta fortissime tolerarunt, nil aliud ingeminantes, quam: *Christiani sumus,* refertur, quod Vigilantius Astionis mortem parentibus adhuc infidelibus nuntiarit parabolice, dicens, eum in remotam regionem migrasse, in qua felicissime viveret. Rogavit mater, dixitque: *Quæ est regio illa, quo perrexit dulcissimus meus et unicus Astion?* Vigilantius respondit: *Regio robustorum,* seu *fortium virorum*, quam deinde ex Apoc. c. 21. graphice depingit, ac tandem explicans illam esse cælum, ad quod per martyrium transierit fortis Astion, parentes eius ad Christi fidem convertit. Abbas Athanasius in Prato spir. apud Ioannem Moschum c. 130. narrat se in extasi ab Angelo ductum ad cælum, cumque pulsans illud ingredi vellet, audisse ab ostiario: *Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens: sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi.* Hinc in cælo canunt Beati: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Duxit exempli via, quid inertes
Terga nudatis? superata tellus
Sidera donat.

Ait Boet. lib. 4. de Consol. metro 7. vide dicta Apoc. 3. v. 21.

Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres.) Quis hic? David rex, inquiunt Hebræi apud S. Hier. Chald. Eucher. Lyran. Ruper. Dion. Vatab. Alii putant esse Ioab ducem exercitus. Verum dico, hic sedens non est David, sed *Iesbaam* primus fortium Davidis. Id ita esse clare liquet, tam ex Sept. qui hic vertunt, *Iesbaab filius Thecmani, primus trium hic;* tum ex 1. Paral. 11. v. 11. ubi clare dicitur: *iste numerus robustorum David: Iesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta,* tum ex Iosepho, qui eum vocat *Issemum*, vel ut mendose legit Abul. *Eusebium* filium Achimac. Recensentur enim hic fortes Davidis, quorum princeps fuit *Iesbaam*, ita Beda, Angelom. Abul. q. 10. Hugo, Glossa, Caiet. Arias, Serar. Sanchez, Salianus. Ubi nota primo: *Iesbaam* Hebr. significat, *sedens in populo;* quod hic dicitur *sedens in cathedra,* quasi cæteris dignior, et fortium princeps. τὸ ergo ישֵׁב בַּשֶּׁבֶת *Iosceb bascebeth,* id est *sedens in cathedra* est nomen tam proprium, idemque quod *Iesbaam*, quam appellativum; quia vere Iesbaam erat sedens in cathedra quasi dux et princeps militum. Secundo, *Iesbaam* qui hic dicitur *sapientissimus,* 1. Paral. 11. 11. vocatur *filius Hachamoni*, id est *sapientis,* tum quia pater eius vocabatur *Hachamoni,* id est *sapiens* per excellentiam; tum quia ipse Iesbaam erat sapientissimus, ut vere filius sapientis et sapientiæ vocari posset; ideoque apposite pater eius vocatus fuit *Hachamoni,* id est *sapiens:* quare τὸ *filius sapientis*, hic tam ut nomen proprium, quam ut appellativum accipiendum est, æque ac τό, *sedens in cathedra.*

Iesbaam primus heroum Davidis.

Tertio *Iesbaam*, qui hic dicitur *princeps inter tres* nimirum primos et omnium fortissimos, 1. Paral. 11. dicitur, *princeps inter triginta*, quia ipse erat primus fortium omnium Davidis, qui erant triginta.

Ipse (Iesbaam sive sedens in cathedra) est quasi tenerrimus ligni vermiculus.) Hebr. *ipse Adino Haetsni,* quod Sept. Pagn. et Vatabl. retinent ut nomen proprium, vertuntque *Adino Hesnita*, vel *Adino Hasoneus*, ut *Iesbaam* nomine proprio vocatus sit *Adino*, ex patria vero, *Hesnita*, ex virtute et dignitate denique cognominatus sit *Iesbaam*, id est *sedens in cathedra.* Secundo, Noster τὸ *Adino Haetsni*, æque ac τὸ *sedens in cathedra*, accipit vertitque ut appellativum, significans ad verbum, *delicatus lignaceus*, hoc est *tenerrimus ligni vermiculus.* Laudatur enim *Iesbaam* hic a tribus egregiis animi corporisque dotibus. Scilicet primo a sapientia, secundo ab humilitate, et mansuetudine, qua se æstimabat et gerebat ut ligni vermiculum, id est ut teredinem, qui licet tener et vilis, tamen rodendo sensim durum terit exeditque lignum, indeque dictus est *teredo* ait Angelom. Tertio, a robore, quod 800. occiderit. q. d. *Iesbaam* amicis erat facilis, mitis et benignus, quasi vermiculus, sed idem hostibus erat terribilis ut leo. Ita Eucher. Lyran. Abul. et Beda in Allegoriis.

Tropol. Sancti qui in sapientia et virtute eminent, apud se et alios sunt humillimi et mansuetissimi, quasi vermiculi; iidem tamen contra vitia et dæmones sunt fortissimi instar leonum.

Qui octingentos interfecit impetu uno.) Ergo errat Iosephus, qui pro octingentis ponit nongentos. Dices, 1. Paral. 11. numerantur tantum trecenti. Resp. Iesbaam una vice occidisse 800. alia 300. sic ut universim occiderit 1100. Alleg. Iesbaam fuit typus Christi, *qui uno impetu,* id est sermonis imperio, legionem expulit dæmonum, Lucæ 8. 30. ait Angelom. imo in cruce superavit omnes dæmones, omnia peccata, mortem, et infernum. Audi Ruper. lib. 2. c. 38. *In Christo fuit spiritus humilitatis, quasi tenerrimus ligni vermiculus, quo duce quasi vermem, et non hominem se conteri perpessus est: in hoc Verbum Dei est in unam eamdemque personam unitum homini, quod et fortitudo eius est, in qua percussit octingentos impetu uno: mortuus enim semel spoliavit inferos; et nunc sedens in cathedra omnes iudicaturus est, vivos et mortuos. Quis omnium fortium angelorum aut homi-*

num hucusque pervenit? Fuerunt post eum tres fortissimi, videlicet Apostoli primi prædicatores Trinitatis, quorum fortitudinem, et nominibus propriis tres illi primi ordinis fortes pulchre exprimunt. Hi tres Apostoli sunt, S. Petrus, Iacobus et Ioannes.

Vers. 9. POST HUNC, ELEAZAR FILIUS PATRUI EIUS.) Hebr. *filius Dodo*, quod Vatab. Pagn. et alii accipiunt ut nomen proprium, quasi, *Dodo* fuerit pater Eleazari. Noster vero cum Sept. accipit ut appellativum, vertitque *patrui eius*, scilicet Iesbaam iam dicti, q. d. Iesbaam et Eleazar erant filii duorum fratrum, ideoque inter se consobrini. Primus ergo fortium fuit Iesbaam, secundus Eleazar, tertius Semma, de quo v. 11. Et hic fuit primus fortium ternio, de quo, cum de aliis minus fortibus est sermo dicitur: *Verumtamen usque ad tres non pervenerat*, ut patet v. 23. Fuit deinde secundus fortium ternio, de quo v. 18. Post hos duos fortium terniones v. 24. numerantur alii triginta fortes.

ET CONGREGATI SUNT ILLUC.) Ubi erat David, scilicet *in Phesdomin*, ut dicitur 1. Paral. 11. 13.

Vers. 10. CUMQUE ASCENDISSENT, (id est fugissent, ut patet ex 1. Paral. 11. nimirum ceteri milites,) TUNC IPSE, Eleazar, STETIT.) Una cum Iesbaam, et fugavit totum exercitum Philistinorum. Unde sequitur.

PERCUSSIT PHILISTHÆOS, DONEC DEFICERET MANUS EIUS, ET OBRIGESCERET CUM GLADIO.) *Obrigesceret* stupore et spasmo, ait Vatab. Experimur enim nimio labore et fatigatione manus contrahi ac stupere, ut explicari nequeant: stupor ergo manum Eleazar astrinxit gladio, ut ab eo amoveri non posset. Minus recte Iosephus lib. 7. c. 10. ait manus eius adhæsisse capulo ob sanguinem ab eo fusum in gladio concrescentem, manumque Eleazari sibi astringentem. Nec enim cruor ita concrescit, ut manum gladio astringat.

Vers. 11. ET POST HUNC SEMMA.) Tertius hic est in primo ternione fortium.

ERAT QUIPPE IBI AGER LENTE PLENUS.) Quem scilicet Philisthini succendere vel deprædari volebant, sed fugientibus ceteris, tutatus est eum Semma. Ita Abul.

Vers. 13 NECNON ET ANTE DESCENDERANT TRES, QUI ERANT PRINCIPES INTER TRIGINTA.) Putant nonnulli hos tres non esse tres fortes primi ternionis iam recensitos, sed tres proxime sequentes, qui secundum ternionem fortium constituebant, nimirum Abisai (hic enim ad Davidem venit in speluncam Odollam 1. Reg. 22.) Banaiam et Ionathan; ut sensus sit, q.d. Antequam tres primi fortes, scilicet Iesbaam, Eleazar et Semma, Philisthæos in agro sternerent, alii tres fortes, scilicet Abisai, Banaias et Ionathan Davidi sitienti aquam e cisterna Bethlehem per media hostium castra attulerunt. Ita Hebræi apud S. Hieron. Verum melius Iosephus lib. 7. c. 10. Serarius, Salianus et alii hoc factum referunt ad tres primos, sive primi ordinis fortes, q. d. Præter particularia horum trium heroum facta, quæ quisque eorum sigillatim gessit, uti iam recensui, hi tres heroes simul iuncti iam ante penetrarant castra Philistinorum, et hauserant aquam de cisterna Bethlehem, eamque sitienti Davidi attulerant.

Vers. 14. ET DAVID ERAT IN PRÆSIDIO.) Hoc est, in loco munito, puta in arce et spelunca *Odollam*, de qua sermo præcessit; licet Ioseph. et Abul. per *præsidium*, intelligunt Ierusalem, et arcem Sion, cui vicina est Bethlehem.

Vers. 15. O SI QUIS MIHI DARET POTUM AQUÆ, DE CISTERNA, QUÆ EST IN BETHLEHEM!) Audi Ioseph. « Dixit ad suos David: O quam bonam aquam habemus in patria mea, maxime in cisterna portæ vicina! O si quis eam mihi afferret! id certe mallem quam multum argenti accipere. » Omnes enim amant fontes et bona patriæ suæ: patria autem Davidis erat Bethlehem. Verum Davidis utpote cordati regis desiderium, magis ferebatur in ipsam Bethlehem, quam in aquam eius: nimirum optabat ipse patriam suam e manibus Philisthinorum extorqueri, et sibi ac Israeli reddi. Porro tres fortes audito hoc Davidis desiderio, ut suam in eum fidem et promptitudinem ostenderent, ipso inscio, et, ut mox patuit, invito, per medios hostes hanc aquam

A ei attulerunt.

AT ILLE NOLUIT BIBERE, SED LIBAVIT EAM DOMINO.) David sitiens recusat aquam.
Ne aquam libens videretur sudorem et sanguinem suorum heroum, quo comparata erat, bibere et haurire; ac ne militi sitienti eamdem aquam appetendi desiderium Cur?
iniiceret, sed ut sitiens doceret illos secum tolerare sitim. Idem fecit Iulius Cæsar et Alexander Magnus, teste Curtio lib. 7. qui in aquæ penuria, et communi militum siti, oblatam sibi aquam noluit bibere. *Tunc*, ait Curtius, *poculo pleno sicut oblatum est, reddito, Nec solus, inquit, bibere sustineo, nec tam exiguum dividere possum omnibus.* Sic et Cato ad suos milites ait apud Lucan. lib. 9.

Fatoque pericula vestra
Prætentate meo, sitiat quicumque bibentem
Viderit.

Et paulo ante:

O quibus una salus placuit mea castra secutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.

B Quare David hic heroicum actum elicuit non unius, sed Multorum virtutum actus elicuit.
multarum virtutum. Primo, mortificationis: nam, ut ait Angelom. *in sacrificium Domini effusa aqua conversa est, quia culpam concupiscentiæ mactavit per pœnam reprehensionis suæ.* Secundo, satisfactionis pro peccatis. Nam ut ait S. Gregor. lib. 9. Registri Epist. 39. *Licebat ei bibere, si voluisset: sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter et a licitis abstinebat. Et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum si aquam biberet, etiam viventium militum sanguinem se fudisse iudicavit, dicens: Num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt, et animarum periculum bibam?* Tertio, bonæ ædificationis et exempli. Nam ut ait Eucherius: *Vicit naturam, ut sitiens non biberet, et exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus disceret sitim tolerare.* Addit S. Ambros. Apol. 1. Davidis c. 7. *Exercuit etiam subditos ad virtutis officium, ut etiam per pericula regali imperio voluntarii milites obtemperarent. Quod autem noluit bibere, declaravit probandorum militum se imperasse gratia, non sitis victum necessitate; prospexisse etiam ne cui regum bibendi usus alienis periculis quæreretur. Postremo, piæ vulnus conscientiæ deprecatum, eo quod aqua tot virorum quæsita sanguine, suavitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret.*

C

Allegoricam causam S. Ambros. ibidem assignat: « Si- Allegor. causa.
tiebat, David, inquit, non aquam de lacu, qui est in Bethlehem; sed oriundum ex virgine Christum spiritu prævidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratia spiritualis: hoc est, non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi. Denique non bibit oblatam aquam, sed Domino libavit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum: illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum; illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena depelleret. » Eadem ex S. Ambros. habet et transcripsit Eucherius, Beda et Angelomus. Quocirca Methodius Orat. in Hypapantem, Deiparam ita alloquitur: « Tu Bethlehemitica illa Cisterna, quam velut vitæ refocillatricem David desideravit, ex qua immortalitatis poculum cunctis emanavit. »

D

ABISAI QUOQUE FRATER IOAB, FILIUS SARVIÆ, PRIN- Vers. 18.
CEPS ERAT E TRIBUS FORTIBUS.) Secundi gradus et ordinis. Nam in primo ordine et ternione, primique tres fortissimi erant Iesbaam, Eleazar et Semma. Ad quos nemo alius pervenit, ut sequitur. Hic ergo describuntur tres fortes secundi ordinis, et primis iam dictis proximi. Secundum ergo hunc fortium ternionem constituebant Abisai, Banaias et Ionathan. De Abisai constat hoc loco: de Banaia vero v. 20. et 23 et clare 1. Paral. 11. 24. Banaias enim pollebat robore, æque ac consilio; unde præerat legionibus Cerethi et Phelethi, eratque secretarius Davidis, ut patet v. 23. De tertio Ionathan, est dubium. Nam Abul. q. 26. censet tertium esse Asaelem fratrem Ioab, de quo v. 24. hic enim ibidem ponitur primus inter tri-

ginta, id est fortior et præstantior ceteris triginta fortibus. Serarius vero censet tertium esse Ioiadam patrem Banaiæ: Ioiada enim v. 20. vocatur *vir fortissimus*. Alii censent esse Sobochai de quo c. 21. v. 18. Alii esse Ioab ex v. 24. Melius noster Salianus et Sanchez censent tertium esse Ionathan filium Samaa fratris Davidis. Hic enim unum gigantem, imo duos interfecit, uti dictum est c. 21. v. 19. et 21. si credimus Hebræis, qui dicunt Ionathan eumdem esse cum Adeodato: sed verius est, esse diversum. Nam *Elehanan*, id est *Adeodatus*, ponitur non inter tres, sed inter triginta fortes, 1. Paral. 11. v. 26. æque ac Sobochai v. 29. quare superest solus Ionathan ex c. 21. 19. qui cum Abisai et Banaia constituat secundum ternionem fortium, ideoque diversus est a Ionathan filio Sage Ararithæ, qui pariter 1. Paral. 11. 34. inter triginta fortes numeratur. Porro Hebræi apud S. Hieron. in Trad. Ruper. lib. 2. c. 37. et Lyran. censent tres hosce fortes secundi ordinis esse tres illos, qui tres, imo quatuor gigantes interfecerunt c. 21. nimirum Abisai, Sobochai et Adeodatum, sive Ionathan, putant enim ipsi hos duos ultimos non fuisse duos, sed unum eumdemque. *Ionathan* enim Hebr. idem est quod Latine *Adeodatus*: quæ sententia est probabilis, sed prior probabilior; nam *Adeodatus* Hebr. vocatur *Elehanan*, non *Ionathan*, fuitque filius *Iaare*, id est *Saltus*, ut dicitur c. 21. 19. Ionathan vero fuit filius Samaa, ut ibidem dicitur v. 21.

Sed usque ad tres primos non pervenerat) q. d. Abisai non erat ex primo ternione fortium, sed ex secundo, in eoque erat primus.

Mystice: tres fortes Davidis sunt tres eius eximiæ virtutes, scilicet sapientia, humilitas, et fortitudo, quas celebratas audivimus v. 8. ita Angelomus. Unde Ruper. lib. 2. c. 37. τὸ, *usque ad tres primos non pervenerat*, sic exponit q. d. *Quamvis Abisai inter tres fortes Davidis nobilior, et eorum princeps fuerit, tamen nec fortitudo eius fortitudini Davidis, nec sapientia eius sapientiæ Davidis, nec humilitas eius humilitati Davidis coæquari potuit*: multo minus Sanctorum sanctitas sanctitati Christi, a quo dimanat, comparari potest.

Porro David hic non numeratur, quia rex; nec Ioab, quia militum et fortium dux, licet Ruper. lib. 2. c. 37. censeat Ioab, etsi fortissimum, non nominari, eo quod ipse inique occiderit Abner et Amasam. Ita et Abul.

Vers. 20. Ipse (Banaias) percussit duos leones Moab) Leones enim Moabitici fortiores et ferociores sunt Indicis, æque ac sunt Punici; uti ex Alberto et Avicenna docet Gesnerus Tractat. de leone lib. 1. Unde in Hebr. hi leones vocantur *Ariel*, id est *leones Dei*, id est magni, vasti et sævi, quæ enim Dei sunt, magna sunt. Nonnulli per *duos leones* accipiunt duos duces fortissimos, qui idcirco *leones Moab* vocentur, quod Moabitis opem tulerint, cum a Davide oppugnarentur 2. Reg. 8. 2. Ita Hebræi apud S. Hieron. Ioseph. Glossa, Lyran. Caiet.

Et percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.) Rem gestam ita narrat Iosephus: « Cum ningeret, leo in quendam puteum illapsus est, cuius os, quod angustum esset, videbat brevi fore, ut id nivibus oppleretur. Atque ideo deplorato exitu, et salute, rugire cœpit. Banaias autem forte fortuna iter faciens accurrit ad rugitum bestiæ, et cum descendisset in puteum, repugnantem ictu baculi, quem gerebat, exanimavit.

In diebus nivis.) Addit hoc ad commendandam Banaiæ fortitudinem, quod tempore nivis, quo maxime ob famem et prædæ defectum sævire etiam in homines solent leones, leonem occiderit. Leo enim cum sit calidissimus, et igneus, tempore nivis et frigoris robustissimus est, homo vero frigore contrahitur et obtorpescit.

Porro Hebr. apud S. Hieron. et ex iis Ruper. lib. 2. c. 37. per *leonem* intelligunt Ioab, quem iussu Salomonis occidit Banaias 3. Reg. 2. 29. idque inquit, « in media cisterna, id est, in domo Domini, ubi cornu altaris tenebat. Cisterna ideo dicitur, quia sicut aqua cisternæ immunditiam aufert, ita etiam nihilominus hæc cisterna, id est sanctuarium Domini peccata expiabat: in diebus nivis, quia per mortem peccatum expiavit. » Verum hoc symbolicum est.

Qui erant inter triginta (de quibus v. 24.) nobiliores) q. d. Banaias *inter triginta* fortes erat *primus*, ut dicitur 1. Paral. 11. 24 Vers. 23.

Asael frater Ioab inter triginta.) Præter duos terniones fortium iam recensitos, hic subiungit tertium, sed decuplo maiorem, continentem scilicet ceteros triginta fortes, qui tamen cum sex iam dictis non erant coæquandi, quorum primus erat Asael. *Triginta*: præcise sunt triginta duo ut patet numeranti, sed Script. numeros integros assignat, quales sunt denarii vel simplices, vel duplicati, aut triplicati, uti sunt triginta. Vers. 24.

Elehanan.) Hic videtur esse *Adeodatus* de quo c. 21. 19. ille enim ibidem in Hebr. vocatur *Elchanan*, fuitque Bethlehemites.

Filius patrui eius.) Scilicet Asaelis, q. d. Asael et Elehanan erant filii duorum fratrum, ideoque consobrini. Hebr. est *Dodo*, quod ut nomen proprium, retinent Septuag. 1. Paral. 11.

Mystice Rupert. lib. 2. c. 38. per primum ternionem fortium Davidis accipit Apostolos, qui fuerunt fortissimi; nam totum orbem subegerunt Christo: per secundum ternionem fortium accipit Martyres. Causam subdit; « Post Apostolos quippe, martyres incedunt pugnatores eiusdem Trinitatis, fortes quidem et ipsi, ut merito totum in illis glorietur regnum David, id est omnis Ecclesia Christi, verumtamen inferiores Apostolis. Post illos ordinantur et alii triginta fortes, omnes videlicet gloriosi eiusdem sanctæ et individuæ Trinitatis confessores, fideliter credendo, et præcepta Decalogi fortiter adimplendo, facti insignes, ac proinde nos infirmiores ac plebeios, magni David milites, meritis præcipuis protegere valentes. »

Filii Iassen, Ionathan) *Filii*, id est, ex filiis, ait Serarius; vel *filii*, id est *filius*. Est Enallage numeri. Sic Genes. 46. 23. dicitur, *filii Dan Husim*, quia Dan unicum tantum habebat filium, scilicet *Husim*, ita Caiet. Verius Emmanuel, et ex eo Serarius, censent τὸ בני ישן *Bene iscen*, id est *filii Iascen*, ut vertit Noster, esse nomen proprium huius viri et herois; unde aliud nomen proprium ei non datur sed tantum a patria cognominatur *Gezonites* 1. Paral. 11. 33. Nam *Ionathan*, qui sequitur, diversus est a *Bene Iascen*. Ibidem enim mox vocatur Ionathan, filius Sage, *Ararites*, non *Gezonites*. Vers. 32.

Eliam filius Achitophel.) Hic *Eliam* fuit pater Bethsabee uxoris Uriæ, et postea Davidis, uti tradunt Hebræi. Vers. 34.

Urias hethæus.) Audi Rupert. lib. 2. c. 39. *Triginta fortium ultimus positus erat Urias Ethæus, videlicet propter id, quod sequitur: et addidit furor Domini irasci contra Israel. Iam enim ultio facta fuit in David, et in domo eius: in populo vero, qui noluit resistere David in perimendo Uria Ethæo, necdum ultio divina facta fuerat.* Ex S. Hieron. hausit id Rupert. æque ac Angelomus, Hugo ac Abul. Verum aliam pestis causam afferam c. sequenti. Vers. 39.

Omnes triginta septem) Sunt enim triginta duo fortes, deinde quinque (nam sextus non nominatur) fortissimi, in primis duobus ternionibus iam recensitis, quibus additis fiunt universim triginta septem. Iosephus numerat 38. quia addit Davidem: Lyran. vero 39. quia insuper addit Ioab. Porro 1. Paral. 11. plures numerantur: nam post 37. hic recensitos, et ultimum Uriam, alios sedecim adiungit, quia liber Paral. supplet ea quæ in libris Regum subticentur. Præcipui ergo fortes Davidis fuere 37. qui hic recensentur; sed præter illos fuere alii fortitudine quoque præstantes, qui in Paral. adduntur. Hi enim socii fuere Davidis fidelissimi, ac venerunt ad eum a Saule profugum, eumque *adiuverunt*, ut fieret rex super totum Israel, ut ibi dicitur c. 11. v. 10. unde expleto horum 37. fortium numero dicitur ibidem 42. *Adina filius Siza Rubenites, princeps Rubenitarum, et cum eo triginta*, q. d. *Adina* princeps erat Rubenitarum non omnium, sed illorum triginta, quos secum ducebat, esto illi non essent e numero triginta fortium.

*

Allegor. Hi fortes Davidis repræsentant Heroes Christi, qui non tantum pro se, sed et pro aliis tuendis salvandisque fortiter decertant. Ita Eucher. *Domus fortium* ergo est Ecclesia Christi, tum militans, tum triumphans, ut dixi v. 8. Hinc eius caput est Roma, quæ Hebr. idem est quod *excelsa*, Græce vero idem quod ῥώμη, id est *robur* et fortitudo (unde et Roma primitus vocabatur *Valentia*) quia Romana Ecclesia fortiter semper cum suo Pontifice contra errores et hæreses omnes decertavit, easque profligavit iuxta promissum Christi, Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum*, etc. Via ergo ad cælum et felicitatem æternam est fides, doctrina et virtus Ecclesiæ Romanæ, per hanc enim pergimus ad Ierusalem et Romam cælestem. Unde in vita S. Dunstani Cantuar. Episcopi legimus, eum a Cherubinis et Seraphinis invitatum in cælum ipso die Ascensionis Christi, cum ipsi dicerent: *Elia paratus esto, præsto sis hinc nobiscum Romam venire, et coram summo Pontifice* (Christo) *sanctus, sanctus, sanctus, in æternum cantare.* Quare moriens sursum cum lecto e terra in altum elevatus est, ac ad circumstantes ait: *Vos videtis quo voco, si vultis mecum ire, ite via qua incessi;* via scilicet fortitudinis, generose certando contra cupiditates et tentationes universas.

Romæ etymon.

Symbol. Ab hisce Davidis fortibus Gentiles mutuati sunt suos heroes, quibus Poeta: *Salvete*, inquit, *Heroes Deum genus.* Qualis fuit Hercules, qui in Gadibus suis statuit columnas, cum hoc lemmate: *Nihil ultra.* De quo Propertius lib. 4.

Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem
Ille ego sum, Alciden terra recepta vocat.

Heroes unde?

Hinc finxerunt Argonautas, et heroica eorum facinora: scilicet quod Iason cum 54. heroibus in navi dicta Argo navigarit Colchos ad auferendum vellus aureum, quorum præcipui fuere Castor, Pollux, Typhis, Hercules, etc. de quibus Virgilius Ecloga 4.

Alter erit tum Typhis, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas.

Vide Diodor. lib. 4. et Hyginum Fabul. 14.

Porro tales futuros Christi discipulos prædixit Sybilla Cumana, cuius versus Virgil. loco citato ad Pollionem exercitus ducem adulando transtulit; sed revera illi non nisi Christo congruunt; sic enim de eo inter cetera canit:

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis.

Et inferius.

Chara Deum soboles, magnum Iovis incrementum.

CAPUT VICESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus ob numeratum a Davide populum iratus, trium pœnarum optionem Davidi offert, scilicet famis, belli et pestis. David pestem eligit: quare illa ingruens 70. millia occidit: mox vers. 17. David orat ut a populo in se pœna transferatur, ac in area Areuna sacrificat, itaque Deum sibi populoque reconciliat.

1. Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Israel et Iudam. 2. Dixitque rex ad Ioab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel a Dan usque Bersabee, et numerate populum, ut sciam numerum eius. 3. Dixitque Ioab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis: sed quid sibi dominus meus rex vult in re huiuscemodi? 4. Obtinuit autem sermo regis verba Ioab, et principum exercitus: egressusque est Ioab, et principes militum, a facie regis, ut numerarent populum Israel 5. Cumque pertransissent Iordanem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis, quæ est in Valle Gad: 6. Et per Iazer transierunt in Galaad, et in terram inferiorem Hodsi, et venerunt in Dan silvestria. Circumeuntesque iuxta Sidonem, 7. Transierunt prope mœnia Tyri, et omnem terram Hevæi et Chananæi, veneruntque ad meridiem Iuda in Bersabee: 8. Et lustrata universa terra, affuerunt post novem menses et viginti dies in Ierusalem. 9. Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi, et inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: et de Iuda quingenta millia pugnatorum. 10. Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus: et dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. 11. Surrexit itaque David mane, et sermo Domini factus est ad Gad prophetam et Videntem David, dicens: 12. Vade, et loquere ad David: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. 13. Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, et vide quem respondeam ei qui me misit, sermonem. 14. Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quam in manus hominum. 15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo, a Dan usque ad Bersabee, septuaginta millia virorum. 16. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi. 17. Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei. 18. Venit autem Gad ad David in die illa, et dixit ei: Ascende, et constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi. 19. Et ascendit David iuxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. 20. Conspiciensque Areuna, animadvertit regem et servos eius transire ad se: 21. Et egressus adoravit regem prono vultu in terram, et ait: Quid causæ est ut veniat dominus meus rex ad servum suum? Cui David ait: Ut emam a te aream, et ædificem altare Domino, et cesset interfectio quæ grassatur in populo. 22. Et ait Areuna ad David: Accipiat, et offerat dominus meus rex, sicut placet ei: habes boves in holocaustum, et plaustrum

et iuga boum in usum lignorum. 23. Omnia dedit Areuna rex regi: dixitque Areuna ad regem: Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum. 24. Cui respondens rex, ait: Nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream, et boves, argenti siclis quinquaginta: 25. Et ædificavit ibi David altare Domino, et obtulit holocausta et pacifica: et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel.

Vers. 1. **Et addidit furor Domini irasci contra Israel.**) Quæres, cur, et ob quod peccatum Israelis? Resp. Theodor. eo quod Israel cum Absalomo contra Davidem regem suum rebellasset. Sed ob hoc peccatum cæsa sunt viginti millia et amplius c. 18. licet forte hæc pœna tantæ culpæ non suffecerit, nec satisfecerit. Secundo, Lyran. et Caiet. respondent fuisse peccatum, quo Israel cum Seba conspiravit contra Davidem: in hac enim conspiratione solus Seba punitus est; populo ergo a Deo castigatio hæc fuit reservata. Tertio, Abul. censet insuper alia fuisse populi peccata, qualia sæpe grassari solent in Rep.

Commovitque David in eis dicentem (ut diceret et iuberet Ioabo) **Vade numera filios Israel et Iuda.**) *Commovit* Deus Davidem, non per se suggerendo ei, et dicendo: *Vade et numera populum* (sic enim incitasset eum ad peccatum, quod facere nequit) sed permittendo diabolo ad id parato, et anhelanti, ut Davidem ad superbam hanc populi numerationem incitaret. Deus ergo indirecte, diabolus vero directe excitavit Davidem ad hanc numerationem, uti expresse dicitur 1. Paral. 21. 1. *Consurrexit*, inquit, *Satan contra Israel, et concitavit David, ut numeraret Israel.* Tribuitur tamen hic idipsum Deo, ut ostendatur iusto Dei iudicio contigisse, ut permitteretur peccare David in numerando populum, hoc fine ut puniretur populus, Deus enim ita manu sua continet diabolos, et malos homines, ut, licet ardeant ad malefaciendum, tamen nusquam erumpere possint, nisi quo ipsos, ut eant, miserit, vel positive ipse permiserit ad peccatorum castigationem. Atque hæc positiva Dei permissio vocatur actio et commotio, ut dixi cap. 16. 10. ubi dicitur *Deus præcepisse Semei, ut malediceret Davidi.*

Hinc sapienter advertit S. Gregor. lib. 29. Mor. c. 14. subditos non debere irasci principibus, cum in aliquem errorem vel vitium labuntur, sed lapsus causam sibi suisque peccatis adscribere. « Ille, inquit, Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius David Propheta, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit; et tamen vindictam populus, David peccante, suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Iustus vero iudex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit. Sed quia ipse scilicet sua voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæviens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. » Unde concludit subiiciens: « Certum vero est, quod ita sibi invicem et rectorum merita, connectantur et plebium, ut sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, et sæpe ex plebium merito mutetur vita pastorum. Sed quia rectores habent iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temere vitam iudicare regentium. » Eadem ad verbum ex S. Gregor. transcripsit Angelomus et Eucherius, vel potius Beda. Nam S. Eucherius ætate antecessit S. Gregorium, Beda vero secutus est.

Numerate populum, ut sciam numerum eius.) Scriptura præcedenti c. 23. recensuerat fortes et heroes Davidis; nunc ipse David ceterum populum sibi subditum numerari iubet, ut sciat quot et quantos ipse habeat subditos, quotque ex iis apti sint ut in milites conscribantur, indeque sciat suum robur; quot scilicet milites in aciem educere possit. Peccavit tamen, quia id fecit ex vanitate et superbia. Audi S. August. lib. 22. contra Faust. c. 66. « Ibi in gregem sibi commissum tanta dilectio pastoralis, ut pro eis ipse vellet mori, quando populo numerato pec-

A catum elationis eius, sic punire placuit Deo, ut eundem numerum minueret morte multorum, cuius multitudine cor regis fuerat superbia pertentatum. In quo occulto iudicio Deus, apud quem non est iniquitas, et quos noverat indignos hac vita, subtraxit huic vitæ; et in illo qui de hominum copia se extulerat, tumorem animi humani, eiusdem copiæ diminutione sanavit. » Peccatum ergo Davidis fuit superbia. Aliud peccatum assignant Ioseph. Caiet. et Abul. scilicet quod in hac numeratione et censu neglecta fuit lex Exodi 30. 13. quæ iubet ut in censu quisque solvat dimidium siclum. Verum nulla huius neglectus fit hic mentio. Adde, licet David solvi iussisset dimidium siclum lege præscriptum, populusque eum solvisset, peccasset tamen David, cogens sua numeratione populum ad solvendum dimidium siclum hunc sine causa; secus fuisset si David iustam habuisset populi numerandi causam; v. g. si volens proficisci ad bellum, et scire numerum eorum qui militare vel arma ferre possent, censuisset populum: vel si tributum fuisset toti populo im-
B ponendum ob causam publicam, tunc enim non peccasset.

Simili modo Romani faciebant lustrum, et censum omnium provinciarum, singulaque hominum capita numerabant et describebant: tum ut scirent quam numerosæ essent provinciæ, quotque milites dare possent; tum ut censum ab eis exigerent, uti fecit Augustus, in plena orbis pace iubens describi totum orbem sibi subditum, eique censum indicens, in qua descriptione et censu natus est Christus, qui, ut ait S. Gregor. suos fideles numerat et scribit in beata æternitate, Lucæ 2. 1.

Et inventa sunt de Israel octingenta (perpe- Vers. 9.
ram Iosephus habet *nongenta*) **millia virorum fortium.**) Igitur pueri et feminæ non fuerunt numerati. Dices, 1. Paral. 21. 5. dicitur, *omnis numerus Israel mille millia et centum millia virorum.* Ergo fuere trecenta millia amplius. Resp. Hebræi apud S. Hieron. hic tantum recenseri vivos, in Paral. vero tam vivos quam mortuos,
C nimirum qui peste a Deo percussi mortui sunt, unde colligunt ipsi peste mortuorum numerum fuisse trecenta millia; sed repugnat Script. quæ hic v. 15. numerat dumtaxat 70. millia.

Secundo, alii respondent hic non numerari tribum Beniamin et Levi; in Paral. vero numerari, ideoque trecenta millia amplius recenseri. Verum in lib. Paral. post numerum undecim centenorum millium, illico subditur Levitas et Beniaminitas non fuisse numeratos. Ergo illi nec hic, nec in Paral. numerantur.

Dico igitur duplicem hic fuisse descriptionem, sive censum Israelis: prior fuit, qua principes exercitus per singula oppida et vicos in privatis libris singulorum nomina describebant; et iuxta hanc descriptionem fuere undecim centena millia populi numerata, ut habet liber Paral. posterior fuit qua ex privatis hisce catalogis sive libris singulorum nomina transcribebantur in librum maiorem, quem habebat Ioab, ut eum traderet regi, itaque in fastos et Annales publicos referrentur, et horum numerus
D fuit tantum octingentorum millium, ut hic dicitur. Causa fuit, partim quod Ioab invitus hanc descriptionem perageret, ideoque in ea regi transcribenda moras necteret, ut sedaret fastum regis: partim, quod sæviente peste a Deo immissa inhibita et incisa fuerit hæc transcriptio, quare omittuntur in ea trecenta millia iam dicta. Id liquet ex 1. Paral. 27. 24. *Ioab*, inquit, *cœperat numerare, nec complevit* (unde nec Beniamin nec Levi numeravit) *quia super hoc ira* (pestis) *irruerat in Israel, et idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est re-*

latus in fastos regis David. Scriptor vero Paral. ex privatis catalogis illa trecenta millia addidit et supplevit.

Et de Iuda quingenta millia pugnatorum.) Qui scilicet apti erant ad ferenda arma et pugnandum, ut præcessit, esto actu non essent milites et pugnatores. Dices, 1. Paral. 21. 5. numerantur dumtaxat 470. millia ex Iuda. Resp. Abul. ibi non numerari eos, qui ex Iuda familiæ et militiæ Davidis erant adscripti, eo quod illos David apud se iam haberet in numerato: hos autem fuisse triginta millia, quæ iuncta cum 470. millibus faciunt quingenta millia. Ita Abul. et Lyran. Aliter alii respondent nimirum: Primo, Hebræi apud S. Hieron. et ex eis Angelomus, aiunt noluisse Ioab summam integram, quæ erat 500. millium, tradere Davidi, ne ipse ex sua tribu Iuda tam numerosa superbiret; unde decerpsisse ex eis triginta millia.

Secundo, alii asserunt triginta hæc millia fuisse proselytorum, id est Gentilium ad Iudaismum conversorum, qui se tribui Iudæ aggregarunt, ideoque illa hic non numerari.

Tertio, Serarius respondet hic selectiores tantum numerari, eosque fuisse 470. millia: in Paral. vero omnes omnino, et eos fuisse 500. millia.

Quarto, Salianus: tribus Iuda, inquit, secundum antiquos suos terminos hic æstimatur; intra quos tribus Dan et Simeon, quasi in sinum Iudæ receptæ sunt; idque confirmatur ex eo, quod Ioab cum suis dicitur venisse ad meridiem Iuda, in Bersabee: cum tamen constet id oppidum fuisse in tribu Simeonis, non Iudæ.

Vers. 10. Percussit autem cor David eum,) q. d. Conscientia Davidem momordit, dictavitque ei quod male egisset numerando populum ex superbia et præsumptione. Iosephus addit, *Gad* prophetam aliosque Davidi ostendisse quod in hac numeratione peccasset, ac hunc conscientiæ scrupulum ei movisse.

Ut transferas iniquitatem.) Ut scilicet eam auferas, remittas et condones.

Vers. 12. Trium tibi datur optio.) *Trium*, scilicet cladium et calamitatum, nimirum pestis, famis et belli: quodcumque enim ex his tribus elegeris, demet et demetet numerum hunc ingentem Israelis, in quo tu quasi rex superbis et gloriaris, itaque sternet tuam superbiam. Ita S. August. lib. 22. contra Faustum c. 66.

Vers. 13. Aut septem annis veniet tibi fames.) Pro *septem* 1. Paral. 21. 12. dicitur *tribus*, quia prior propositio Dei et Gad prophetæ continebat *septem*: sed hanc deinde Deus petente Gad aut Davide mitigavit et redegit ad tres annos, sicut numerum 50. iustorum in Sodoma ob preces Abrahæ diminuit et redegit ad decem Genes. 18. Unde Ioseph. Origen. Ambros. Theodor. et alii tres tantum annos famis Davidi propositos asserunt.

Vers. 14. Melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quam in manus hominum.) Bellum ergo hominum, puta Philisthinorum, Syrorum et Ammonitarum deprecatur; de cetero David resignat se Deo, ut vel famem, vel pestem infligat. Sed urgente Gad propheta, ut alterum horum definite eligeret, elegit pestem, nam Sept. addunt: *Et elegit sibi David mortem*, id est pestem, quam vulgo *mortem*, sive mortalitatem, appellamus. Idem tradit Iosephus, qui et aliam causam huius electionis Davidis assignat, quem audi: *Rex cogitans quod si famem peteret, sui magis quam aliorum rationem habuisse videri posset, quandoquidem ipsi nihil periculi esset; multum frumenti in horreis habenti, illis non item. Quod si per tres menses ab hoste vinci elegisset, sic quoque sibi consuluisse, qui arces et fortissimam circa se cohortem haberet; optavit malum regnantibus æque ac regnatis commune, in quo omnibus par metus immineret, præfatus, melius esse incidere in manus Dei, quam in manus hominum.* Sic et Theodor. Abul. et Caiet. David ergo eligens *incidere in manus Dei*, videtur elegisse pestem: hæc enim est plaga qua homines percutit manus Dei, ait Lyran. et Vatab. nam fames sæpe non proxime a Deo, sed ab hostium deprædatione, vel terræ sic-

A citate, aut aeris intemperie oritur.

Dices, Daniel. 13. 23. contrarium Davidi elegit Susanna dicens: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Responsio est facilis: Susanna enim loquitur de eo qui incidit in manus hominum per pœnam, ut ab eis occidatur: hoc enim satius est, quam incidere in manus Dei per culpam, puta per fornicationem, ad quam ipsa a senibus urgebatur, q. d. Satius est occidi ab hominibus, quam peccare in Deum; cædes enim hominum temporalis est, offensa vero et vindicta Dei est æterna, quare præstat offendere homines, quam Deum. At vero David loquitur de pœna, non de culpa, q. d. Satius est puniri a Deo, quam ab homine, puta ab hoste: hic enim sæpe sævus est et implacabilis; Deus autem misericors, et pœnitentia placatur. Hinc S. Chrysost. hom. 29. in Epist. ad Roman. ostendit Davidem fuisse bonum pastorem, quia iuxta Christi Domini sententiam Ioan. 10. 11. animam suam dabat pro ovibus suis: *Propterea*, inquit, *in optione suppliciorum illorum non famem*
B *elegit, non hostilem persecutionem; sed immissam a Domino mortem, per quam sperabat alios quidem fore securos; se vero ante reliquos omnes e medio tollendum.* Unde ait: *Ego sum qui peccavi: ego inique egi: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me.* Nam, ut bene D. Chrysost. addit: *Vellicabantur viscera ipsius cadentibus illis, tamquam si genuini necarentur filii.* Unde S. Ambros. Apol. 1. David. c. 7. *Quo facto*, inquit, (id est oratione pro subditis) *statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus.* Et inferius: *Nec mirum*, inquit, *si tali oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam: cum Moyses, offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis peccata deleverit.*

Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum.) Sept. *a mane usque in horam prandii.* Chald. *a tempore quo mactatur iuge* (sacrificium) *usquequo adoleatur*, id est, usque- Vers. 15.
C quo adolendo plene comburatur, quod erat sub tempus prandii. Sic et Ioseph. Hinc multi putant pestem hanc durasse tantum per sex horas: tot enim sunt a mane ad prandium. Ita Theodor. *Trium dierum*, inquit, *mortem Deus minabatur, sex autem horis solum mortem intulit. Si dies numerentur cum noctibus, invenitur pars solum duodecima minarum illata esse populo. Ita Deus benignus et clemens maioribus quidem usus est minis peccatores terrens, minis autem longe minora infert supplicia.* Idem Ambr. in Psal. 37. *Qui proposuerat*, inquit, *mortem triduo exercere in terra: ne unum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandii libenter indulsit, et, ut verbo Scripturæ utar, habuit pœnitentiam super malitiam.* Et aliquanto post: *Vide*, inquit, *Domini gratiam, quod et ipse a proposita conditione deflexit. Numquid aliquod miserationis est crimen, quia plus minatur, et minus exigit, qui in remuneratione præmiorum sua promissa custodit, in exactione pœnarum præscriptum remordet?* Alii ut Lyran. Ruper. Vatab. Sanchez, per *tempus con-*
D *stitutum* accipiunt tempus statum sacrificii vespertini, quo scilicet vespere alter agnus Deo offerebatur in iuge sacrificium, quasi vi istius sacrificii cessarit pestis: Hebr. enim מועד *moed*, significat *tempus statum*, quale est festorum et sacrificiorum. Verum simplicius et aptius, per *tempus constitutum* accipias triduum a Deo constitutum plagæ pestis v. 13. Ita Abul. qui idipsum ratione confirmat: quia inquit, si nulla prius facta fuisset mentio temporis, quo durare deberet pestilentia, esset divinationi locus, et nominato mane quo cœpit pestis, posset intelligi durasse ad tempus vespertini sacrificii a lege definiti; præsertim cum eo tempore David sacrificasse videatur. At cum paulo ante dictum fuerit, triduo duraturam, moxque dicatur durasse ad tempus constitutum, vis utique affertur Scripturæ, si tempus constitutum, alio quam ad prædictum triduum referatur. Ita quoque Caiet. Dion. Salian. et alii, qui censent pestem hanc durasse per duos integros dies, et per partem diei tertiæ, donec Deus dixit

Angelo percutienti: *Sufficit* v. 16.

Et mortui sunt ex populo, etc. septuaginta millia virorum.) Perperam ergo Rabbini numerant trecenta millia, ut dixi v. 9.

Vers. 16. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini (hinc patet Angelum hunc infligentem pestem fuisse bonum, non malum. Sic bonus Angelus cremavit Sodomam Genes. 19. idem magis patet v. 17. ubi David ab Angelo veniam precatur) super Ierusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus.) Hinc patet, Angelum prius peste percussisse ceteras tribus, ex eisque occidisse 70. millia, ac tandem tertio die percussisse quoque Hierosolymam multosque in ea necasse: nam et Hierosolymitæ peccarant in Deum, conspirando cum Absalomo contra Davidem suum regem, aliisque pluribus peccatis.

Et ait Angelo percutienti populum: Sufficit.) Hic colligitur Deum, antequam oraret David, ex spontanea misericordia iussisse Angelo ut plagam pestemque sisteret. Porro Angelus hic infligebat Israelitis pestem *applicando eorum corpori et cordi aliquid valde pestiferum,* ait Abul. *quod subito corrumperet viscera, idque sine sensu, sicut non sentitur aer infectus cum attrahitur; et quia illud quod applicabat Angelus, erat magis corruptum quam aer, qui in tempore pestilentiæ attrahitur, velocius et insensibilius homines cadebant, tamquam nullum habuissent languorem.* Hinc vocatur pestis hæc *gladius*: tum quia qui percutiebantur peste ab Angelo, sentiebant quasi ictum gladii; tum quia in Script. omne quod pungit, cruciat, affligit, per catachresin vocatur *gladius.* Simile contigit in peste Romana, quæ Pelagium Pont. sustulit, ad quam sedandam S. Gregorius publicas Litanias ad basilicam S. Petri instituit, ipseque gestabat imaginem B. Mariæ a S. Luca depictam, de qua audi Baronium anno Christi 590. *Tunc vero et mirandum istud accidisse tradunt, ut cum pervenisset procedendo Gregorius ad molem Hadriani Tiberi adiacentem, in signum reconciliati numinis, visus fuit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoque symbolo morbum cessasse significare voluisse,* quemadmodum (ut superius ex eodem Gregorio Dialog. lib. 4. c. 36. dictum est) per sagittas visas cælitus lapsas idem fuerat divinitus præmonstratus.

Pestis cælitus missa.

Exempla.

Simile factum in peste illa universali per Orientem, imo per totum orbem, quæ contigit anno Christi 594. qui fuit 18. Iustiniani Imp. de qua ita scribit Procop. l. 2. de Bello Persico, et ex eo Baronius: « Phantasmata dæmonum multis humana specie visa sunt: quot enim in ipsa inciderent, percuti se ab aliquo viro putabant, morbusque subito irruebat. Nonnulli ab initio verbis sanctis ac aliis (ut poterant) supplicationibus eum avertere frustra quærebant: ac tamquam lymphati, seu spiritu maligno agitati, amicos vocantes audiebant: in locis quoque angustis coercebantur. Nonnullis vero in somnis hæc eadem accidebant. » Et inferius: « Tribus igitur mensibus huiuscemodi lues Constantinopoli prævaluit, et ab initio quidem pauci, deinde in singulos dies quinque, sæpius etiam decem millia efferebantur: adeo ut plures etiam divites, ministris iam omnibus extinctis, curatorum penuria magis, quam morbo perirent, et insepulti manerent. » Remedium fuit imploratum B. Virginis auxilium, quo lues extincta est, unde in memoriam tanti beneficii Græci instituerunt Festum ὑπαπαντῆς, id est occursus Domini, quod nos festum Purificationis B. Virginis nuncupamus, die 2. Febr. Vide Baron. in Martyrol. et in Annal. anno Christi 544. in fine. Similis pestis contigit Anno Domini 605. de qua ita Regino in Chronico: « Tunc, ait, visibiliter multis apparuit quod bonus et malus Angelus noctu per civitatem pergerent, et ex iussu boni Angeli malus Angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quoties de venabulo ostium domus cuiuscumque percussisset, tot de eadem domo sequenti die homines interirent. » Idem prorsus Romæ contigisse sub Agathone Pont. anno Domini 689. iisdem verbis, quibus utitur Regino (unde suspicio est unum idemque ab utroque narrari, sed alio anno consignari) scribit Paulus Diaconus lib. 6. c. 5. et Anastasius Bibliothec. in Agathone, atque ex iis Baron. anno Christi iam dicto, qui et addunt: « Tunc per revelationem cuidam dictum est, quod pestis ipsa prius non quiesceret, quam in basilica quæ B. Petri ad vincula dicitur, S. Sebastiani Martyris altarium poneretur. Factumque est, et delatis ad urbem Romam beati Sebastiani Martyris reliquiis, mox ut in iam dicta basilica altarium constitutum est, pestis ipsa quievit: » Hucusque Paulus. « Exstat adhuc integrum ipsum altare, nec non eiusdem sancti martyris imago inciso opere expressa. Sed ex hoc propagata ad posteros religio est, ut pestis tempore voti causa imago eiusdem sancti Sebastiani diversis in locis pingi soleret; sed et in eius memoriam altaria erigi, imo etiam et Ecclesias fabricari. Eadem de tempore et peste habet Anastasius in Agathone Pont. » Hæc Baronius.

Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum qui peccavi.) Vers. 17. Angelus iam iussu Dei stiterat plagam: quo facto, ostendit tamen se Davidi vultu truci et igneo, cum stricto gladio, quasi minans adhuc populum ferire: quare territus David cum suis supplex in terram procidit, petiitque populo veniam et impetravit. Ita Abul. Salian. et alii Hebræi tradunt Davidem ex hac visione et dolore populi percussi perculsum incurrisse morbum incurabilem. Quare ipsum ad Deum ingemuisse: « Miserere mei, quoniam infirmus sum, Psal. 6. 3. Infirmum se appellat, inquit Lyran. iuxta sententiam veterum Rabbinorum, quia ex visione Angeli percutientis populum pro numeratione prædicta, fuit ita perterritus, ut de cetero languidus remaneret: adeo ut nullis vestibus calefieret, ut 3. Reg. 1. v. 1. dicitur. Aiunt Hebræi, inquit Hieronymus, Sadoc sacerdotem infulatum Dominum deprecatum fuisse, et imitatum fuisse patrem suum Aaron, et illius preces et devotionem Dominum vidisse et misertum fuisse. »

Ego sum qui peccavi.) Scilicet numerando populum, a quo peccato immunis erat populus, qui tamen reus ob alia scelera ab eo commissa, quæ hic castigare volebat Deus. Considerent hic, admirentur et imitentur Principes, et Prælati profundam humilitatem, pœnitentiam et charitatem Davidis pro populo supplicantis, et pœnam ab eo in se transferri postulantis. Audiant S. Ambros. in Apol. David. c. 7. *Quam illud admirabile, quod Angelo ferienti plebem se obtulit. Hoc facto statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum, cum et Moyses offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis errata deleverit.* Eadem pene Theod. q. 37. *Digna,* ait, *sunt admiratione ipsa verba regis, ignorans causam, suum peccatum vocavit, quod fuerat factum; et ut in suum genus, iusta ferretur sententia, supplicavit; utens verbis boni pastoris, imitans filium suum et Dominum, qui animam suam posuit pro ovibus.* Additur 1. Paral. 21. 16. *Et ceciderunt tam ipse* (David) *quam maiores natu vestiti ciliciis, proni in terram.* Sic S. Carolus Borromeus ad avertendam pestem, aliasque clades in publica supplicatione nudis pedibus, fune in collum iniecto, baiulans crucem processit.

Ascende (in montem Moria qui est pars montis Sion) Vers. 18. et constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi.) Quia ob Angelum gladio minantem adhuc erat pestis metus, imo reliquiæ. Licet enim Deus dixisset Angelo: *sufficit,* ut neminem ulterius peste inficeret; tamen qui iam ab eo peste infecti fuerant, non erant sanati. Iubet ergo Gad Propheta Davidi Dei instinctu, ut altare erigat, ut libertatem a se concessam confirmet. Alii tamen ex hoc loco censent necdum cessasse Angelum a percussione et inflictione pestis, ideoque pestem necdum cessasse, nec Deum adhuc dixisse Angelo: *sufficit,* sed id dixisse post preces et sacrificium Davidis. Quamvis enim iam ante id narrarit Script. v. 16. tamen id fecisse videtur per anticipationem, qua voluit prius complere narrationem gestorum et dictorum inter Deum et Angelum; deinde subdere media prævia ad id a Deo ordinata, scilicet supplicationem et victimam Davidis, quibus placatus Deus dixit

Angelo: *sufficit*, stititque pestem. Hæc expositio est probabilis, eique favet quod ait David v. 21. *Et cesset interfectio, quæ grassatur in populo.* Et v. 25. *Et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel.* Ita Caiet.

In area Areuna Iebusæi.) Fuit *Areuna* princeps Iebusæorum unde v. 23. in Hebræo vocatur *rex*, fuitque amicus et familiaris Davidis, quare videtur factus proselytus, et ad Iudaismum Deumque verum conversus. Ita Abulens. Dion. Salian. Porro qui ab Hebræis vocabatur *Areuna*, id est, *collectio*, vel *arca*, a Iebusæis paululum inflexo nomine dictus est *Ornan*, ut patet 1. Paral. 21. 18. Hinc Vatab. putat eum fuisse regem Iebusæorum, antequam Ierusalem a Davide caperetur, qua capta factum Davidi tributarium. Idem docet S. Augustin. serm. 198. de Temp. Serar. et alii.

Quæres, cur aream hanc Areunæ præ aliis elegit Deus ad sacrificium? Resp. primo, quia hæc area erat in monte Moria, ubi olim ante 850. annos Abraham iussus fuit a Deo immolare filium suum, Genes. 22. Secundo, quia in eodem loco decreverat Deus a Salomone ædificari templum, cuius hic quasi specimen et præludium a Davide iaci darique voluit. Id patet 2. Paral. 3. 1. ubi dicitur: *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri eius, in loco quem paraverat David in area Ornan Iebusæi.* Symbol. significare voluit Deus in *area Iebusæi*, id est in regione Gentilium, a vero Davide et Salomone, id est Christo, templum, id est Ecclesiam Catholicam verorum Israelitarum et Abrahæ filiorum per fidem, ex vivis fidelium lapidibus ædificandam fore. Ita Angelom. et S. August. serm. 198. de Temp.

Area Ornan cur electa?

Tropol. idem Angelom. « Areuna, ait interpretatur arca, et Ornan Latine resonat lumen nobis. Bene ergo cum Deum pro offenso quo peccavit placare vellet, altare iubetur in area Areuna vel Ornan construere, ut inde unusquisque coniiciat, quia aliter divinitas ab homine placari non potest, nisi in arca cordis, per lumen rectæ fidei, et veræ dilectionis, altare illi devotæ humilitatis constituat, in quo sacrificium piæ Confessionis ac laudis Deo acceptabile offerat. Quod recte per eumdem Prophetam in Psalmis manifestatur, ubi dicitur ex persona Domini: Sacrificium laudis honorificabit me. Et iterum: Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit. »

Allegor. David hic sacrificans in area Areunæ, iramque Dei placans, et pestem sedans, typus erat Christi, qui in eodem loco (Calvariæ enim mons vicinus est monti Moriæ, eiusque quasi pars et iugum) seipsum in hostiam pro peccato Patri immolaturus, iram eius erat placaturus, mortemque præsentem et æternam a nobis ablaturus.

Vers. 21. Et cesset interfectio.) Nesciebat David Deum dixisse Angelo percutienti: *sufficit*, imo post hoc dictum Angelus apparuit Davidi stricto gladio quasi minans percutere, unde David putabat eum revera adhuc percutere, imo nonnulli putant eum revera adhuc percussisse, ut dixi v. 18. idque satis innuit Script. dicens ad preces et sacrificium Davidis Deum placatum sustulisse pestem hic v. ult. et 1. Paral. 21. ubi post sacrificium Davidis subditur v. 27. *Præcepitque Dominus Angelo, et convertit gladium in vaginam.* Ut ut est, certum est ante preces et sacrificium Davidis, necdum Deum fuisse reconciliatum, sed per Angelum stricto gladio adhuc minitatum populo, verum per preces et hostias Davidis plene fuisse placatum, ac iussisse Angelo ut gladium fulminantem in vaginam reconderet.

Vers. 24. Emit ergo David aream et boves argenti siclis quinquaginta.) Dices, 1. Paral. 21. 25. dicitur: *Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos.* Facilis et plana est communis responsio, Davidem pro area altaris et bobus dedisse siclos argenteos 50. ut hic dicitur: at vero postea pro tota area Areunæ, ut in ea a Salomone fabricaretur templum illud orbis miraculum, dedisse siclos aureos sexcentos: ita S. Hieron. Glossa, Lyran. Hugo, Dion. Caiet. Salian. Serar. et alii.

Aliter respondent Andr. Masius in Iosue c. 7. v. 24. Alcazar de Ponder. et mensuris propos. 22. pag. 60. Vilalpando to. 3. pag. 414. scilicet hos 50. siclos vocari *argenti*, id est pecuniæ (Hebræi enim æque ac Franci pecuniam vocant *argentum*) revera tamen fuisse aureos. Iam 50. sicli aurei valent 600. siclos argenti; una enim libra, drachma vel uncia auri valet duodecim argenteos, teste Platone in Hipparcho. Quare siclos sexcentos, quorum fit mentio in Paral. fuisse argenteos, eos tamen vocari auri, quia in auro persoluti sunt; nam ut dixi 50. sicli aurei dati a Davide, valent sexcentos siclos argenteos. Hic sensus subtilis est et profundus, eique favent Hebræi, Sept. et Chald. quæ hoc loco habent: *Emit boves, etc. in argento* (id est pecunia) *siclis quinquaginta*, scilicet aureis, qui valent 600. argenteos, uti fusius in fine Pentateuchi dixi tract. de Ponderibus. Verum hic sensus dure et difficulter, applicatur versioni Vulgatæ, quæ habet hoc loco: *Emit*, etc. *argenti siclis quinquaginta.* Quare prior sensus uti communior, ita simplicior et clarior est.

Et propitiatus est Dominus terræ.) Signum huius propitiationis fuit ignis a Deo e cælo missus, qui hostias Davidis consumpsit, et quasi ad Deum, cui offerebantur, assumpsit. Id patet ex 1. Paral. 21. 26. ubi dicitur: *Et exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti.* Sic Deus ostendit sibi placere sacrificia Abelis, non Caini; Aaronis, non Nadab; Eliæ, non sacerdotum Baal, per ignem e cælo in eorum victimas missum, Genes. 4. 4. Levit. 9. 24. 3. Reg. 18. 29. Vers. 25.

Simul hoc ignis signo ostendit Deus, velle se eodem loco erigi a Salomone templum, in quo hostiæ sibi offerentur, et igne cælesti cremarentur, idque David populo nuntiavit, cum, ut dicitur 1. Paral. 22. 1. ait: *Hæc est domus Dei, et hoc est altare in holocaustum Israel.* Unde mox latomos, ferrum, ligna, ceteramque materiam ad fabricam templi necessariam comparavit, ut ibidem subditur. Audi Iosephum lib. 7. c. 20. *David autem cum animadvertisset se exauditum, et gratum fuisse sacrificium, decrevit totum illum locum, altare universi populi appellare, et Deo templum ibi exædificari, Quam eius vocem Deus in futurum ratam esse voluit. Mox enim Propheta ad eum misso, illic templum extruendum prædixit a filio, quem regni successorem esset relicturus.* Iam autem idipsum Deus revelaverat Davidi volenti ædificare templum, ut dictum est c. 7. scilicet se velle in monte Moria et Sion ædificari templum, sed hoc ipsum David hic populo annuntiavit, et locum ab Areuna emit 600. siclis, ut patet ex loco Paral. iam citato: ita Pineda lib. de Salomone c. 5. n. 31. et ex eo Salianus.

Hic terminantur acta politica Davidis, quæ scilicet spectant bella et regimen populi. Acta enim Ecclesiastica, et spiritalia hic omittuntur, uti sunt compositio Psalmorum, distributio Levitarum et sacerdotum, ad sacrificandum et psallendum, præparatio auri, argenti, æris, ferri, operarum ad fabricam templi, quæ proinde supplentur et fuse enarrantur 1. Paral. c. 23. usque ad finem libri. Insuper in eodem libro c. 27. recensentur nomina præfectorum tum exercitus, tum tribuum, ac ceterorum officialium Davidis.

Hic ergo finitur liber secundus Regum, qui totus continet Acta et gesta politica Davidis, ab inito regno usque ad finem vitæ. Ea per singulos ipsius annos apposite et probabiliter (nil enim certi hic definiri potest) distribuunt noster Salian. Torniellus, Gardonus, ceterique Chronologi, ex quibus hæc pauca sed præcipua accipe.

Anni Davidis.	*Anni Samuelis.*	*Anni Saulis.*
Primus: Nascitur David	Undecimo anno Samuelis Iudicis qui fuit 23. annus Samuelis Iudicis,	Saul agros colit et pascit asinos. quo Hebræi petunt regem.
Anno ætatis 13. David pascit oves,		Saul creatur rex, et varia bella feliciter conficit.
Anno 20. a Samuele in regem privatim ungitur.	Samuel Saulem regno privat.	Saul a dæmone vexatur.
Anno 22. duellat cum Goliath eique caput amputat.	Samuel pergit iudicare.	Saul Davidi invidet.
Anno 23. fit tribunus et gener Saulis.		
Anno 24. fugit ad Samuelem in Naioth.	Samuel prophetat.	Saul prophetat.
Anno 25. fugit in Ceilam: latet in deserto Engaddi.	Samuel luget lapsum Saulis.	Saul occidit sacerdotes in Nobe.
Anno 28. parcit Nabalo, et ducit Abigail.	Samuel moritur.	Saul persequitur Davidem.
Anno 30. vindicat cladem Siceleg: audit mortem Saulis.		Saul se occidit in Gelboe.
Anno 31. David creatur ungiturque rex Iuda in Hebron.		Decem tribuum regem Abner constituit Isboseth Saulis filium.
Anno 38. ab omnibus tribubus rex creatur.		Isboseth dolose occiditur.
Anno 39. arcem Sionis expugnat, in eaque regni sedem locat.		
Anno 42. transfert Arcam in Sion, ante eam saltat, accipit oraculum de nascituro Salomone.		

Anno 43. et seq. bello superat Philisthæos, Ammonitas, Syros, Idumæos.
Anno 48. Hanon regem Ammon ob violatos legatos castigat, et subiugat.
Anno 50. Bethsabee violat, et Uriam occidit.
Anno 51. a Nathan correptus pœnitet.
Anno 52. nascitur Salomon. Amnon violat sororem suam Thamar.
Anno 54. Absalom occidit Amnon, fugitque in Gessur.
Anno 59. Absalom post quatuor annos exilii a regno, et duos ab aula patris, plane pleneque reconciliatur Davidi.
Anno 61. ætatis, qui fuit regni 31. Absalom regnum invadit, fugit David, prælium parat, cum Absalomo confligit et vincit; Absalom fugiens, capillis arbori implectitur, et tribus lanceis a Ioab configitur.
Anno 63. ætatis, qui fuit regni 33. ob famem a Deo immissam David Gabaonitis tradit septem Saulis filios crucifigendos.
Anno 64. ætatis, qui fuit regni 34. quatuor bella cum Philisthæis, cæsis totidem eorum gigantibus feliciter conficit. Narrantur. c. 21. v. 15. et seq.
Anno 67. ætatis, qui fuit regni 37. lustrum agit totius populi: quare Deus immissa peste 70. millia occidit. Sed David supplicans et sacrificans in area Areunæ Dei iram et pestem sedat.
Anno 69. ætatis, qui fuit regni 39. David Salomoni agenti annum ætatis 19. uxorem dat Naamam Ammonitidem, ex qua ipse eodem anno generat Roboam, qui ei post 40. annos in regno successit.
Anno 70. ætatis, qui fuit regni 40. David Salomonem regem constituit, ac paulo post moritur, qui fuit a mundo condito annus 2929. ante Romam conditam 270. ante Christi ortum 1021. iuxta tabulam chronologicam quam præfixi Pentateucho. Hanc annorum Davidicorum seriem digessimus ex Annalibus Saliani, Gordoni, et Tornielli, qui omnes eum anno ætatis 70. mortuum docent. Synchroni autem reges ei fuerunt: Codrus quidem apud Athenienses annis aliquot, inde Medon annis 20. postque eum Acastus: apud Assyrios Dercilus, ac post eum Eupales. Apud Latinos Silvius. Ixion apud Corinthios, ut ex Eusebio colligere est. Atque in his liber secundus Regum terminatur.

COMMENTARIA

IN LIBRUM

TERTIUM REGUM.

ARGUMENTUM.

Libro primo Regum audivimus acta duorum ultimorum Iudicum, scilicet Heli Pontificis et Samuelis Prophetæ, ac gesta Saulis primi regis Israelis. Continet ergo primus liber chronologiam octoginta annorum: nam Heli præfuit Israeli annis 40. totidem Samuel et Saul simul. Hisce Actis intexuntur gesta Davidis in adolescentia, antequam crearetur rex, nimirum unctio eius in regem facta a Samuele, duellum cum Goliath, bella cum Philisthæis, fugæ et latebræ cum eum persequeretur Saul.

Libro secundo Regum audivimus acta Davidis, ab inito regno usque ad eius finem et mortem, quod fuit spatium 40. annorum: tot annis enim regnavit David.

Sequuntur iam duo libri ultimi, scilicet tertius et quartus Regum, qui gesta Salomonis cœterorumque Davidis posterorum Regum omnium enarrant usque ad captivitatem Babylonicam, in qua a Nabuchodonosor et Chaldæis eversa est Ierusalem, Iudæique traducti sunt in Babylonem, quod fuit spatium 430. annorum. Tot ergo annorum historia Regum Israelis his duobus libris pertexitur, ideoque hi duo libri ab Hebræis proprie Regum, a Græcis regnorum vocantur, cum priores duo libri Samuelis appellentur.

Accipe horum regum Ordinem, æque ac temporis quo regnarunt seriem.

1. Salomon regnavit	40. annis	3. Regum 11. v. 42.
2. Roboam eius filius	17. annis	3. Reg. 14. v. 21.
3. Abia	3. annis	3. Reg. 15. v. 2.
4. Asa	41. annis	3. Reg. 15. v. 10.
5. Iosaphat	25. annis	3. Reg. 22. v. 42.
6. Ioram	8. annis, sed tribus cum patre, ac post eum solus quinque annis.	4. Reg. 8. v. 17.
7. Ochozias	uno anno partim cum patre, partim solus,	4. Reg. 8. v. 26.
8. Athalia	6. annis	4. Reg. 11. v. 4.
9. Ioas	40. annis	4. Reg. 12. v. 1.
10. Amasias	29. annis	4. Reg. 14. v. 2.
11. Azarias, sive Ozias	52. annis	4. Reg. 15. v. 2.
12. Ioatham	16. annis	4. Reg. 15. v. 33.
13. Achaz	16. annis	4. Reg. 16. v. 2.
14. Ezechias	29. annis	4. Reg. 18. v. 2.
15. Manasses	55. annis	4. Reg. 21. v. 1.
16. Amon	2. annis	4. Reg. 21. v. 19.
17. Iosias	31. annis	4. Reg. 22. v. 1.
18. Ioachaz	tribus mensibus	4. Reg. 23. v. 31.
19. Ioakim	11. annis	4. Reg. 23. v. 36.
20. Ioachin	tribus mensibus	4. Reg. 24. v. 8.
21 Sedecias	11. annis	4. Reg. 24. v. 18.

Collige hos omnes annos et invenies 430. quos dixi hisce duobus libris pertractari.

Porro plerique horum regum fuere impii, pauci tamen pii, scilicet Iosaphat, Ioatham, Ezechias, Iosias.

Rursum duodecim præcessere Romulum et Romam; hæc enim condi cœpit sub annum undecimum Ioatham. Unde sequitur primos undecim reges præcessisse initium Olympiadum. Olympiades enim celebrari et computari cœperunt sub annum 40. Azariæ sive Oziæ: quare Olympiades 23. annis præcedunt conditionem Romæ, uti omnes Chronologi fatentur. Vide tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho. Favet S. Hieronymus, qui in cap. 1. Isaiæ v. 1. asserit Ezechiam regnare cœpisse anno 12. Romuli. Ergo Romulus Romæ regnare cœpit anno 4. Achaz, qui fuit pater Ezechiæ. Illo igitur anno iam condita erat Roma; nimirum sub annum undecimum Ioatham illa condi cœpit, duravitque eius fabrica per septem vel octo annos, ita ut finita sit sub annum quartum Achaz, ac tum in ea regnare cœpit Romulus. Eusebius tamen paulo posterius hæc consignat, nimirum initium Olympiadum collocat anno 49. Azariæ, conditionem Romæ anno 5. Achaz. Alii aliter, sed exiguo paucorum annorum discrimine,

Auctorem libri tertii et quarti Regum fuisse Ieremiam, qui eos ex antiquis Annalibus, et Diariis collegerit, censent Procopius, Isidor. Abul. et R. Moyses Kimchi, quos citat Sixtus Senensis lib. 1. unde et caput ultimum Ieremiæ idem est cum cap. ultimo lib. 4. Regum. Verum hac de re dixi in proœmio lib. 1.

Denique quia sub Roboam regnum Israelis, sive duodecim tribuum, scissum et divisum est in duo, nam decem tribus constituerunt sibi regem Ieroboam; sola vero tribus Iuda cum Beniamin adhæsit regi Roboam: unde hoc regnum eiusque reges vocantur Iuda, ceteri vero vocantur reges Israel sive duodecim tribuum, quorum pariter gesta his duobus ultimis Regum libris recensentur; hinc eorum pariter ordinem et tempus quo regnarunt subiiciam. Præfuerunt ipsi decem tribubus per annos 256. Nam cœperunt anno 1. Roboam, et destiterunt anno 6. Ezechiæ, quo ut dicitur 4. Reg. 18. 10. Samaria et regnum Israel eversum est a Salmanasar rege Assyriorum, ac decem tribus abductæ sunt in Assyriam. Quare hæc decem tribuum captivitas Assyriaca præcessit captivitatem Babylonicam, in qua Iuda et Beniamin abductæ sunt in Babylonem anno ultimo Sedeciæ, annis 134.

Primus igitur rex Israel sive decem tribuum fuit.

1. Ieroboam, qui regnavit	22. annis	3. Regum. 14. v. 20.
2. Nadab	2. annis	3. Reg. 15. v. 25.
3. Baasa	24. annis	3. Reg. 15. v. 33.
4. Ela	2. annis	3. Reg. 16. v. 8.
5. Zambri	septem diebus	3. Reg. 16. v. 15.
6. Amri	12. annis	3. Reg. 16. v. 23.
7. Achab	22. annis	3. Reg. 16. v. 29.
8. Ochozias	2. annis	3. Reg. 22. v. 52.
9. Ioram	12. annis	4. Reg. 3. v. 1.
10. Iehu	28. annis	4. Reg. 10. v. 36.
11. Ioachaz	17. annis	4. Reg. 13. v. 1.
12. Ioas	16. annis	4. Reg. 13. v. 10.
13. Ieroboam	41. annis	4. Reg. 14. v. 23.
14. Zacharias	sex mensibus	4. Reg. 15. v. 8.
15. Sellum	uno mense	4. Reg. 15. v. 13.
16 Manahem	10. annis	4. Reg. 15. v. 17.
17. Phaceia	2. annis	4. Reg. 15. v. 23.
18. Phacee	20. annis	4. Reg. 15. v. 27.
19. Osee	9. annis	4. Reg. 17. v. 1.

Addendum est interregnum undecim annorum quod inter Zachariam et Ieroboam intercessit, uti ostendam lib. 4. Reg. c. 15. v. 8.

Denique hi reges Israel ad unum omnes impii fuere, utpote schismatici et idololatræ.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Davidi seni frigido quæritur uxor puella. Mox vers. 5. Adonias ambit invaditque regnum adiutus ab Abiathar Pontifice et Ioab militum duce. Verum David ad preces Bethsabee vers. 30. iubet per Sadoc Pontificem, Nathan Prophetam et Banaiam Ducem ungi et coronari regem Salomonem. Quare Adonias fugit ad altare, sed eum Salomon domum suam remittit.

1. Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat. 2.
Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram re-
ge, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem. 3. Quæsierunt igi-
tur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamitidem, et adduxerunt eam
ad regem. 4. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei: rex vero non cognovit
eam. 5. Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus et equites, et quin-
quaginta viros qui currerent ante eum. 6. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat
autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom. 7. Et sermo ei cum Ioab filio Sarviæ, et cum Abiathar
sacerdote, qui adiuvabant partes Adoniæ. 8. Sadoc vero sacerdos, et Banaias filius Ioiadæ, et Nathan propheta,
et Semei et Rei, et robur exercitus David, non erat cum Adonia. 9. Immolatis ergo Adonias arietibus et vitulis,
et universis pinguibus, iuxta Lapidem Zoheleth, qui erat vicinus Fonti Rogel, vocavit universos fratres suos filios
regis, et omnes viros Iuda servos regis. 10. Nathan autem prophetam, et Banaiam, et robustos quosque, et Sa-
lomonem fratrem suum, non vocavit. 11. Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti;
quod regnaverit Adonias filius Haggith, et dominus noster David hoc ignorat? 12. Nunc ergo veni, accipe consi-
lium a me, et salva animam tuam, filiique tui Salomonis. 13. Vade, et ingredere ad regem David, et dic ei: Non-
ne tu domine mi rex iurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in so-
lio meo? quare ergo regnat Adonias? 14. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo
sermones tuos. 15. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum: rex autem senuerat nimis, et Abisag
Sunamitis ministrabat ei. 16. Inclinavit se Bethsabee, et adoravit regem. Ad quam rex, Quid tibi, inquit, vis? 17.
Quæ respondens, ait: Domine mi, tu iurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit

post me, et ipse sedebit in solio meo, 18. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante. 19. Mactavit boves, et pinguia quæque, et arietes plurimos, et vocavit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, et Ioab principem militiæ: Salomonem autem servum tuum non vocavit. 20. Verumtamen domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, ut indices eis, quis sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te. 21. Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego et filius meus Salomon peccatores, 22. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. 23. Et nuntiaverunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis, et adorasset eum pronus in terram, 24. Dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, et ipse sedeat super thronum meum? 25. Quia descendit hodie, et immolavit boves, et pinguia, et arietes plurimos, et vocavit universos filios regis, et principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus, et bibentibus coram eo, et dicentibus: Vivat rex Adonias: 26. Me servum tuum, et Sadoc sacerdotem, et Banaiam filium Ioiadæ, et Salomonem famulum tuum, non vocavit. 27. Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum. 28. Et respondit rex David, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum, 29. Iuravit rex, et ait: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 30. Quia sicut iuravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie. 31. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens: Vivat dominus meus David in æternum. 32. Dixit quoque rex David: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaiam filium Ioiadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege, 33. Dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam: et ducite eum in Gihon. 34. Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, in regem super Israel: et canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon. 35. Et ascendetis post eum, et veniet, et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me: illique præcipiam ut sit dux super Israel, et super Iudam. 36. Et respondit Banaias filius Ioiadæ regi, dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis. 37, Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, et sublimius faciat solium eius a solio domini mei regis David. 38. Descendit ergo Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, et Banaias filius Ioiadæ, et Cerethi, et Phelethi: et imposuerunt Salomonem super mulam regis David, et adduxerunt eum in Gihon. 39. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem: et cecinerunt buccina, et dixit omnis populus: Vivat rex Salomon. 40. Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et lætantium gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum. 41. Audivit autem Adonias, et omnes qui invitati fuerant ab eo, iamque convivium finitum erat: sed et Ioab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis? 42. Adhuc illo loquente, Ionathas filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, et bona nuntians. 43. Responditque Ionathas Adoniæ: Nequaquam: Dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem: 44. Misitque cum eo Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaiam filium Ioiadæ, et Cerethi et Phelethi, et imposuerunt eum super mulam regis. 45. Unxeruntque eum Sadoc sacerdos et Nathan propheta regem in Gihon: et ascenderunt inde lætantes, et insonuit civitas: hæc est vox, quam audistis. 46. Sed et Salomon sedet super solium regni. 47. Et ingressi servi regis benedixerunt domino nostro regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronum eius super thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo suo: 48. Et locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. 49. Territi sunt ergo, et surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia, et ivit unusquisque in viam suam. 50. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, et abiit, tenuitque cornu altaris. 51. Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens: Iuret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat servum suum gladio. 52. Dixitque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus eius in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur. 53. Misit ergo rex Salomon, et eduxit eum ab altari: et ingressus adoravit regem Salomonem: dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam.

Vers. 1. **E**T REX DAVID SENUERAT.) Erat 70. annorum, quæ etiam tum erat periodus et terminus communis vitæ humanæ, ut ipse ait Psal. 89. 10. dicens: *Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni,* qui etiamnum est terminus vitæ hominis: quare ab ætate Davidis huc usque (quod est spatium 2600. annorum) vix decrevit hominum ætas et vita.

CUMQUE OPERIRETUR VESTIBUS NON CALEFIEBAT.) Fabulantur Rabbini hanc pœnam a Deo inflictam fuisse Davidi, eo quod ipse in spelunca clam resecuisset vestem Saulis regis sui se persequentis 1. Reg. 24. Alii causam frigiditatis assignant quod a parentibus senibus et frigidis ultimo loco esset genitus. Verum Script. hic causam dat ætatem senilem: *Habebat*, inquit, *ætatis plurimos dies*, atque illos in continuis ærumnis, bellis, laboribus expenderat, viresque exhauserat. Addit Abul. eum morbo fuisse afflictum.

Vers. 3. Cur Abisag data Davidi. QUÆSIERUNT IGITUR ADOLESCENTULAM.) Huius historiæ naturalem medicam causam dat Galenus et Franc. Valesius Medicus Philippi I. Regis Hispan. Causam moralem assignat S. Hieron. Tropologicam S. Prosper. Audi Valesium sacræ Philosophiæ c. 29. Suaserunt, inquit, Davidi adolescentulam potius quam vinum aut vestes pelliceas accipere, quia ille calor humanus in substantia est simillimus calori hominis naturali, eiusque gradum non superat. Unde Galenus lib. 7. Methodi, ubi imbecillitatem frigidi et sicci ventris curat, ait: *Ex iis vero quæ extrinsecus applicantur, boni habitus puellus una sit accubans, ut semper abdomen eius contingat:* quod, ut ait Valesius, in ea ætate Davidis effectum est, qua non potuerit virginem cognoscere: alioqui multo magis eum læsisset congressus et copula maritalis, quam contulisset admotio adolescentulæ. Sic Rodulphus Habspurgensis primus Austriacæ familiæ Imperator solebat, inquit Serarius ex Cuspin. filiolas nobilium et principum, etiam uxores, ipsis præsentibus caste osculari, quod hectica febre et senio confectus diceret se suaveolentes spiritus ex earum ore haurire. Hæc ergo est litteralis et communis expositio Abul. Dion. Lyran. Serarii, Saliani, Sanchez, etc. Causa litteralis.

Moralem causam dat S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum: « Nonne, inquit, tibi videtur, si occidentem sequaris litteram, vel figmentum esse de mimo vel Atellanarum ludicra? Frigidus senex obvolvitur vestimentis, et nisi complexu adolescentulæ non tepescit. Vivebat adhuc Bethsabee; supererat Abigail, et reliquæ uxores eius, et concubinæ, quas Script. commemorat: omnes quasi frigidæ Moralis.

repudiantur, et in unius tantum grandævus calescit amplexibus. Abraham multo David senior fuit, et tamen vivente Sara aliam non quæsivit uxorem: Isaac duplices David annos habuit, et cum Rebecca iam vetula numquam friguit. » Ubi adverte S. Hieronymum, æque ac Angelomum et alios, elevare hic, et quasi evertere sensum litteralem, qui omnino loco fundamenti statuendus est: quare hisce verbis tantum significant, litteralem ut minus utilem hic obiter prætereundum esse, ac morali, qui præcipuus est, inhærendum, quem sic assignat ibidem S. Hieron. « Quæ est igitur ista Sunamitis uxor et virgo, tam fervens ut frigidum calefaceret, tam sancta ut calentem ad libidinem non provocaret? Exponat Salomon sapientissimus patris sui delicias, et pacificus bellatoris viri narret amplexus. Posside sapientiam, posside intelligentiam. Ne obliviscaris ac ne declinaveris a verbis oris mei, neque derelinquas illam, et apprehendet te: ama illam et servabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam, et in omni possessione tua posside intelligentiam, circumda illam, et exaltabit te: honora illam, et amplexabitur te, ut det capiti tuo coronam gratiarum. Corona quoque deliciarum proteget te: omnes quoque virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia decrescunt cetera. »

Probat idipsum ex etymo nominis « Abisag, et Sunamitis, dum post plura subiicit: Sed et ipsius nominis Abisag sacramentum, sapientiam senum indicat ampliorem: interpretatur enim pater meus superfluus, vel patris mei rugitus. Verbum superflui ambiguum est, sed in præsenti loco virtutem sonat, quod amplior sit in senibus, et redundans ac larga sapientia. In alio autem loco superfluus, quasi non necessarius ponitur. Abisag autem, id est rugitus, proprie nuncupatur; quod ut maris fluctus resonat, et, ut ita dicam, de pelago veniens fremitus auditur. Ex quo ostenditur abundantissimum, et ultra humanam vocem divini sermonis in senibus tonitruum commorari. Porro Sunamitis in lingua nostra coccinea dicitur, ut significet calere sapientiam, et divina lectione fervere: quod licet Dominici sanguinis indicet Sacramentum, tamen et fervorem ostendit sapientiæ. » Unde optando concludit: « Amplexetur me modo sapientia: et Abisag nostra, quæ numquam senescit, in meo requiescat sinu. Impolluta est, virginitatisque perpetuæ, et quæ in similitudinem Mariæ, cum quotidie generet semperque parturiat, incorrupta est. Hinc reor dixisse Apostolum: Spiritu ferventes. »

Hæc omnia ad verbum ex S. Hieron. transcripsit Angelomus, qui et addit: Hinc Dominus ait Lucæ 12. « Ignem veni mittere in terram. et quid volo nisi ut ardeat? Qui discipulorum corda succendens cogebat dicere: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? Hanc siquidem puellam amplecti ac diligere debemus, quæ sapientiam significat senum ampliorem: non pueriles declamationes, et sapientium flosculos dialecticorum, ac verborum lenocinia. » Deinde idipsum probat exemplis Philosophorum: « Si enim Cato, inquit, Romani generis disertissimus, (ut quidam doctorum protulit) octogenarius iam et senex Græcas litteras nec erubuerit, nec discere desperaverit: et si certe, ut aiunt, Homerus refert, quod de lingua Nestoris iam vetuli et pene decrepiti dulcior melle oratio fluxerit: et sapiens quidam Græciæ, cum completis centum et septem annis se cerneret mori, dixisse fertur: dolere quod tunc egrederetur e vita, quando sapere cœpisset: Plato etiam octogesimo anno scribens mortuus est: Socrates septuaginta et novem annos in docendi scribendique labore complevit: quanto magis, calescente corporis iuventute inter bella corporis et inter incentiva vitiorum sapientiam ediscere debemus: ut in senectute etiam frigescentibus, in sinu mentis nostræ requiescat, et foveat dormiatque nobiscum, imo cibum spiritalis intelligentiæ nobis ministret? Potest nimirum etiam ista mulier contemplativæ vitæ gestare figuram, quam omnes perfecti incredibili amore complectentes in eius dilectione flammescunt. » David ergo ducit Abisag, quæ sapientiam senilis ætatis propriam repræsentat. Nam *Abisag*, interprete D. Hieronymo proxime citato, idem est quod *abundans*, et quod *rugitus. In senibus autem*, inquit, *abundantissimum et ultra humanam vocem divini sermonis tonitruum commoratur.*

Tropologicam causam dat S. Prosper lib. 2. Prædest. c. 27. Abisag, ait, significat animam Dei gratia castitatis calore succensam, quæ frigidas in fide potentias, ut membra regis magni suo accendit affectu. Tropol.

Symbolicam dat Angelomus et Rupertus: David, inquiunt, id est Christus, mortua et reiecta veteri Synagoga Iudæorum, despondit sibi adolescentulam Abisag, id est Ecclesiam novam Christianorum: *et tanto ardore fidei in eius dilectione caluit, ut propter illius amorem variis periculis se ultro committeret, et ad ultimum pro eius nomine mori non recusaret.* Symbol.

Erat autem puella pulchra nimis.) Physici tradunt, ait Dionys. puellas virgines calidiores esse corruptis quæ pepererunt, pulchras quoque plus movere appetitum, et adducendo hilaritatem calorem naturalem exsuscitare; etiam citra venereum congressum. Plura hac de re vide aqud Abulens. quæst. 4. et 5. Vers. 4.

Dormiebatque cum rege, et ministrabat ei.) Quæres, an Abisag fuerit uxor Davidis, an ancilla? uxorem fuisse negat Abulens: c. 2. q. 23. probatque primo, quia si fuisset uxor Davidis, Adonias eius filius non potuisset, nec ausus fuisset eam sibi poscere uxorem; hoc enim vetitum est Levit. 18. 7. quod tamen ipse fecit cap. 2. v. 17.

Secundo, quia David frigidus impotens erat ad copulam coniugalem; ergo inhabilis ad contrahendum matrimonium.

Verum Abisag fuisse uxorem Davidis passim docent ceteri interpretes, ut S. Hieron. Procop. Theodor. Angelom. Lyran. Dionys. Serarius, Caiet. Salianus et Pineda lib. 5. de Salomone c. 1. num. 4. Hoc enim insinuat Script. cum ait: *Dormiebatque cum rege*, etc. *et non cognovit eam.* q. d. poterat eam cognoscere ut maritus, sed reipsa non cognovit, utpote frigidus et inhabilis ad generandum. Adde, honestas hoc exigebat, ut non dormiret cum muliere, nisi quæ esset uxor; ut scilicet periculum tentationis et adulterii evitaret, si tentatio copulæ in præsentia virginis tam pulchræ eum invasisset. Abisag fuit uxor Davidis.

Ad primum argumentum Abul. respondet Caiet. legem illam Levitici, ut filius non ducat uxorem patris, intelligi de ea, quæ perfectæ fuit uxor, nimirum quæ per copulam matrimonium cum eo consummavit. Aut certe Adoniam fuisse legis huius ignarum, eo quod esset laicus, et iuvenis aulicus, regisque filius, qui non tam legem quam regnum spectabat, ideoque Abisag petiit uxorem ut per eam quasi patris uxorem et reginam in regnum evaderet, patrique succederet, quod non potuisset sperare, si Abisag Davidis fuisset ancilla dumtaxat, non uxor: verum hac de re plura dicam c. 2. v. 17.

Ad secundum resp. Davidem non fuisse natura frigidum aut impotentem ad copulam, imo potuisse uti actu coniugali: hoc enim insinuat Script. cum ait: *Et non cognovit eam.* q. d. potuit eam cognoscere, at reipsa non cognovit, ne ei virginitatem adimeret, sed conservaret. Multi enim frigidæ complexionis potentes sunt ad actum coniugii. Unde in senibus et sterilibus, non est impotentia impediens et irritans matrimonium.

Pro quo nota. In senibus, qui ita frigidi et exhausti sunt, ut nec natura nec arte iuvari possint ad emittendum semen, nullum est matrimonium si quod ineant: at vero in senibus, qui seminare possunt, licet non generare, eo quod semen eorum ineptum sit ad generandum, validum est matrimonium, uti docet Sylvester v. *matrimonium*, Scotus et Domin. de Soto in 4. tract. de matr. Sanchez et alii: sed hoc vitium et impotentia seminandi rara est. Unde Ecclesia ordinarie concedit senibus etiam decrepitis facultatem contrahendi matrimonium. Vide nostrum Thomam Sanchez tract. de Matrim. lib. 7. disput.

92. num. 19. et seq. imo Navarrus, Vega et alii opinantur semper in senibus valere contractum matrimonii, eo quod ipsi retineant potentiam intrinsecam seminandi, et per accidens sit, quod illa senio impediatur ne in actum exire queat. Sed verius est, quod ait Sanchez et alii, ad matrimonium requiri veram et propriam potentiam ad copulam coniugalem, quæ fit per seminationem.

Vers. 5. ADONIAS AUTEM FILIUS HAGGITH ELEVABATUR DICENS: EGO REGNABO.) Quia ipse licet esset quartus Davidis filius, mortuis tamen iam tribus primis Davidis filiis, erat eius primogenitus: unde iure primogenituræ videbatur ad eum regnum spectare; sed quia illud superbe ambivit et præpropere adiit, idcirco eodem excidit, illudque Salomon animi sui modestia meruit obtinere, ad se translata primogenituræ dignitate et honore. Unde S. Ambros. Apol. 1. David. c. 5. *Eousque, inquit, præcavit David, ut cum Adoniam filium regnum sibi usurpare comperisset, conventus, non eum qui præripere gestiebat, sed eum qui expectaret, eligeret.* Sciebat enim Salomoni deberi regnum ex Dei ordinatione et decreto: hoc enim ei Deus revelarat lib. 2. c. 7. v. 12. ideoque David Bethsabee iurarat quod eius filium Salomonem ad regnum eveheret.

Vers. 10. ET SALOMONEM FRATREM SUUM NON VOCAVIT.) Utpote suum in regno æmulum. Sciebat enim ei a Davide et a Deo promissum esse regnum, ideoque illud ei præripere satagebat.

Vers. 21. ERIMUS EGO ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES.) q. d. ego et Salomon habebimur, et ab Adonia puniemur ut peccatores et rebelles, eo quod ipsi regnum invadenti non consenserimus. Rursum peccatores ob adulterium, quod olim tecum commisi: huius enim peccati infamia ab Adonia renovabatur et exaggerabatur, ut Salomonem regno privaret, dicendo populo: Cavete ne Salomonem, utpote adulteræ filium, ideoque infamem vobis regem creetis. Ita Caiet. Unde S. Hieron. in Tradit. legit, *Erimus manzeres,* id est habebimur spurii et infames.

Vers. 36. SIC LOQUATUR DOMINUS DEUS.) q. d. Approbet et confirmet Deus id quod tu loqueris, scilicet ut Salomon tibi in regno succedat.

Vers. 39. SUMPSITQUE SADOC SACERDOS CORNU OLEI DE TABERNACULO (erat ergo oleum hoc sacrum, quo ungendus et consecrandus erat rex Salomon) ET UNXIT SALOMONEM.) Nota, unctio regum Iuda ordinarie videtur facta a Pontifice oleo sancto. Id probatur, quia de Davide dicitur: *Oleo sancto meo unxi eum,* Psal. 88. 21. Idem patet de Salomone, quem hic unxit Sadoc oleo Tabernaculi quod erat sanctum. Erant enim reges quasi Christi Domini, utpote vice Dei duces et rectores populi Dei fidelis et sancti. Extraordinarie tamen a Propheta aliqui uncti sunt, et tum subinde usi videntur oleo non Tabernaculi, sed alio communi, quod tamen a Propheta benedictum videtur, v. g. si a templo, ubi erat hoc oleum, longius abesset, uti Elias aberat agens in Samaria et monte Carmelo, cum misit Elisæum ut ungeret Hazael Damasci, et Iehu in Ramoth Galaad; imo communiter reges Israel, utpote schismatici et hostes Iuda videntur uncti oleo non Tabernaculi, quod erat in Ierusalem, sed alio. Sic Absalom 2. Reg. 19. 10. unctus est, sed non oleo sancto, utpote in rebellione, absente Pontifice, et fugiente cum David. Iosue quoque non fuit unctione, sed impositione manuum consecratus a Mose dux populi, Num. 27.

Reges Iuda oleo sancto uncti.

Porro David, ait Abulens. in prima unctione non fuit a Samuele unctus oleo sancto, quia privata fuit hæc unctio; et si Saul illam rescisset, omnes male mulctasset: nec in secunda, cum a tribu Iuda fuit unctus in Hebron; quia tunc tabernaculum, in quo erat oleum sanctum, erat in Gabaon; ubi regnabat Isboseth hostis Davidis: sed in tertia, cum a toto Israele fuit unctus, acceptusque in regem.

Denique alio oleo ungebantur reges, alio Pontifices et sacerdotes: reges enim oleo simplici, sacerdotes vero oleo composito ex aromatibus, scilicet ex myrrha, cinnamomo, casia, calamo, quæ oleo olivarum miscebantur, ut patet Exodi 30. v. 23. et 31. ac 32. ubi hoc oleum vocatur sanctum, vetaturque sub pœna capitis ne quis laicus eo ungatur. Quare rex eo ungi non poterat, sed oleo laico et vulgari, quod tamen dicebatur sanctum, quia e sancto tabernaculo acceptum, et certo aliquo ritu sanctificatum, ad ungendum regem fidelem, qui populo Dei imperaret, a Pontifice consecrato adhibebatur. Longe ergo sanctior erat consecratio Sacerdotum, quam regum, ut patet ex eius ritu, qui describitur toto capite 29. Exodi et 8. Levitici. Ita censent. Oleaster, Caiet. Ystella, et Lipoman. in Exodi 30 et favet S. August. q. 135. in Exodum ac Lorinus in Psal. 88. 21. Contrarium tamen opinantur Rabbini, quos citat et sequitur Genebrardus in Psal. 88. v. 21. Lyran. Dion. hic et Isidorus lib. 3. de Offic. cap. 25. qui censent eodem oleo unctos fuisse Davidem et Salomonem eorumque posteros, quo ungebantur Pontifices. Aiunt enim ex Samuelis et Prophetarum illius sæculi consilio dispensatum fuisse in lege id vetante Exodi 30. 31. et 32. cum regibus Davidicæ familiæ, in Christi Domini ex ea orituri gratiam, cuius spiritualis et divinæ unctionis illa exterior typus fuit, et cuius tum illi, tum postea etiam reges omnes cognoscerent se vicarios et ministros esse. Addit Isidorus eos idcirco cognominatos esse Christos, quia eodem chrismate quo Sacerdotes ungerentur, ut ideo nefas esset illos tangere, Psal. 104. 15. idem censet Pineda lib. 2. de Salomone c. 6. et Baradius tom. 2. lib. 3. cap. 41. Verum hi omnes nituntur traditione Hebræorum, quæ sæpe falsa est et fallax, præsertim hoc loco, ubi fingit dispensationem legi Dei directe contrariam. Quare prior sententia, uti S. Script. conformior, sic et verior est.

An sacerdotali?

Denique hac unctione significabatur regem debere induere misericordiam, ceterasque virtutes, quæ oleo repræsentantur, seque debere subditorum esse medicum, ut ait Isaias c. 3. 7. Vide de Christianorum Regum unctione nostrum Ioannem Azor tom. 2. Instit. mor. lib. 10. c. 5. q. 1. art. 3. et lib. 11. c. 5. q. 3.

Quæres, quot annorum erat Salomon cum unctus fuit in regem? Hebræi tradunt eum fuisse duodecim annorum. Hebræos secutus est S. Ignatius Epist. ad Magnesianos, S. Hieron. Epist. 132. ad Vitalem, Euseb. lib. 9. de Præpar. c. 4. Clemens Roman. lib. 2. Constit. Apost. c. 1. Cedrenus, Zonaras, Abulen. et Serarius. Rursum Iosephus ait Salomonem regem creatum anno ætatis 14. Severus Sulpitius vero anno 16. Iosephus enim lib. 8. c. 2. in fine ait Salomonem vixisse 94. annis, regnasse 80. cœpit ergo regnare anno ætatis 14. Sed hic manifestus est error.

Dico igitur Salomonem, cum rex creatus est, fuisse viginti annorum. Probatur, quia iam uxorem duxerat, et ex ea genuerat Roboam: hic enim, cum post 40. annos ei in regnum successit, erat 41. annorum; ergo uno antequam pater regnaret, ab eo genitus fuit. Quod enim Rabbini et eorum sequaces dicunt, Salomonem genuisse Roboam anno ætatis duodecimo, incredibile est, et communiter habetur impossibile. Et quis credat sapientissimum Davidem uxorem dedisse Salomoni non nisi duodenni?

Salomon 20. annorum creatur rex.

Secundo, quia David eum vocat virum cap. 2. 9. dicens: *Vir sapiens es, ut scias, quæ facies ei.*

Tertio, quia Salomon mortuus est senex, et in senectute corruptus fuit a feminis. Ergo fuit tunc circiter 60. annorum. Ipse autem 40. annis regnavit. Igitur creatus est rex anno ætatis vigesimo. Ita Lyran. Torniellus, Gordonus, Salianus, Pineda lib. 8. c. 4. et alii, qui censent Salomonem ineuntem regnum fuisse 20. vel plurium annorum. Natus ergo est Salomon paulo post adulterium Davidis, cum ipse ageret annum ætatis quinquagesimum, ut ostendi 2. Reg. cap. 12. 24. Si enim regnare cœpisset anno 12. mortuus esset anno 52. quæ ætas est virilis, non senilis.

Dices 1. Paral. 29. 1. Salomon vocatur *puer.* Resp. *puer,* id est iuvenis, ut vertunt Septuag. quia respectu templi tam magnifici quod fabricare debebat Deo, erat instar pueri ad tantum opus.

ET DIXIT OMNIS POPULUS: VIVAT REX SALOMON.) Vers. 39.

Hinc patet Salomonem publice unctum, et a toto populo acceptum in regem illico reipsa regnare cœpisse, ac Davidem iam senio fessum regnum regnique administrationem in eum transtulisse. Id docent sequentia. Nam mox Salomon ut rex Adoniæ pepercit, eumque domum remisit. Unde S. Ambros. lib. 3. in Lucam S. August. lib. 17. de Civit. cap. 8. S. Hieron. Epist. 132. Severus Sulpitius et alii asserunt Salomonem vivente adhuc patre regnare cœpisse, ac diserte Iosephus lib. 7. c. 10. in fine: *Deducto*, inquit, *deinde in regiam Salomone, et in solio paterno collocato, ex ea die in posterum obedientes ei fuerunt.*

Symbol. Rupert. *Vivente adhuc patre*, inquit, *rex Salomon constituitur; quia profecto Deus Pater, qui Christum constituit Regem hæredem universorum, numquam mortuus, numquam est moriturus.*

Porro ita David transtulit regnum in Salomonem, ut tamen ipse auctoritatem et ius regium, æque ac onus curamque regni non deposuerit, sed usque ad mortem retinuerit, ita tamen ut Salomonem secum regnare permiserit, et in eum multa regni negotia transmiserit. Id patet ex cap. 2. ubi David moriens multa mandata dat Salomoni.

Vers. 45. UNXERUNTQUE EUM SADOC SACERDOS (summus, scilicet Pontifex) ET NATHAN PROPHETA REGEM IN GIHON.) Gihon erat mons, et in eo fons vicinus monti Calvariæ, in quo Christus crucifixus *regnavit a ligno Deus*, ut ex Septuag. canit Ecclesia. Unde in cruce hunc ei Pilatus dedit titulum: *Iesus Nazarenus rex Iudæorum.* Hoc ergo Christi ex se nascituri regnum præfiguravit hic Salomon unctus in Gihon: Salomon enim, id est pacificus rex, expressus fuit typus Christi, qui est *Pax nostra*, Ephes. 2. 14. *qui fecit utraque unum*, scilicet tam Iudæos quam gentes in seipso uniens et reconcilians Deo. Porro Salomonis nomen sibi usurparunt Turcarum Imperatores, a Salomone dicti Selymi et Solymanni; Germanorum Friderici (*fridericus* enim Germanice idem est quod *pacis dives*) Græcorum, Irene et Irenæi.

Denique bis unctus fuit Salomon, primo, hic coram tribu Iuda subito et tumultuarie, ut a regno excluderet Adoniam; secundo, publice coram toto Israele, ut is eum regem acceptaret, quem ad hoc paulo ante mortem convocavit David, quando et Sadoc unctus est in pontificem, ut expresse dicitur 1. Paral. 29. 22. Cœpit regnare Salomon anno mundi 2930. ante Romam conditam anno 269. ante ortum Christi 1020. iuxta tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho.

Vers. 47. ET INGRESSI SERVI REGIS BENEDIXERUNT DOMINO NOSTRO REGI DAVID DICENTES: AMPLIFICET DEUS NOMEN SALOMONIS SUPER NOMEN TUUM, ET MAGNIFICET THRONUM EIUS SUPER THRONUM TUUM.) Sciebant hoc Davidi non fore invidiosum, sed gratum et optatum. Optant enim parentes, ut filii opibus et gloria crescant, ac a se relicta superent. Crescente enim gloria filii crescit et gloria patris. Porro voto huic populi respondit eventus: Salomon enim Davidem regni amplitudine, opibus, deliciis, magnificentia, sapientia et gloria superavit; at non virtute et sanctitate, saltem in senecta. Sic Honorio Imp. accinit Claudian. in quarto eius Consulatu.

Aspice, completur votum, iam natus adæquat
Te meritis, et quod magis est optabile, vincit.

Et Sidonius Apollinaris lib. 8. epist. 7. Audaci Præfecto: *Deum posco*, ait, *ut te filii consequantur, aut, quod magis decet velle, transcendant.* Vide Senecam lib. 3. de Beneficiis c. 36. et 37. ubi et varia filiorum exempla recenset, qui parentes suos virtute et beneficiis vicerunt, ac posteros ut idem faciant adhortatur, additque: *Felices qui vicerint, felices qui vincentur.* Et causam dat: *Natura enim gloriosa virtus est, et anteire priores cupit.*

Porro 1. Paral. 29. 24. additur: *Sed et universi principes, et potentes, et cuncti filii regis David dederunt manum, et subiecti fuerunt Salomoni regi.* Hebr. habetur: *Dederunt manum sub Salomone rege.* Vulgata exponendo addidit: *subiecti fuerunt*, ut illa porrectio manus fuerit in signum subiectionis. Secundo, *dederunt manum*, id est data manu fidelitatem promiserunt Salomoni, ait Lyran. Tertio, *dederunt manum*, in signum gratulationis et exultationis, congratulantes scilicet Salomoni fratri suo de adepto regno.

ET ADORAVIT REX IN LECTULO SUO.) q. d. David Deum adorans laudavit, eique gratias egit, quod dedisset sibi ante mortem videre successorem filium Salomonem, sedentem in throno regio cum tanto populi applausu.

SI FUERIT VIR BONUS, NON CADET NE UNUS QUIDEM CAPILLUS EIUS IN TERRAM.) q. d. Si Adonias deinceps probe, fideliter et obedienter se erga me gesserit, ut me regem agnoscat, nec quid rebellionis contra me moliatur, condonabo ei quod regnum invaserit, nec quid mali ei inferam. Sin autem rursum per artes et insidias regnum ambiverit, puniam eum pro meritis. Et quia hoc fecit Adonias, ideo a Salomone occisus est, ut audiemus cap. sequenti. Vers. 52.

VADE IN DOMUM TUAM.) Sunt verba Salomonis Adoniæ suboffensi, eiusque ambitionem castigantis, ac minitantis si quid novi moliatur iustum supplicium. q. d. Ego tibi, o Adonia, hac vice ambitionem tuam et iniuriam mihi illatam condono: sed si deinceps quid tale attentaris, scito me huius iniuriæ memorem fore, ac te pro utraque acrius castigaturum. Vade ergo in domum tuam, ibi quiesce, et res tuas age, nec te publicis regni mei negotiis immisceas, alioqui iustam meam vindictam experieris. Vers. 53.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David moriturus ultima Salomoni dat monita. Primum, ut Dei præcepta observet; sic enim in regno fore felicem. Secundum, ut scelera Ioab et Semei castiget. Tertium, ut filiis Berzellai sibi benefici gratiam rependat. Denique mortuo Davide regnat Salomon vers. 11. qui Adoniam petentem Abisag sibi dari in uxorem iubet occidi. Mox vers. 26. Abiathar Pontificem cum Adonia conspirantem ablegat in Anathoth, et vers. 28. mandat trucidari Ioab, denique v. 36. Semei sua iussa violantem necari imperat.

1. APPROPINQUAVERUNT autem dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens: 2. Ego ingredior viam universæ terræ: confortare, et esto vir. 3. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis eius, ut custodias ceremonias eius, et præcepta eius, et iudicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi: ut intelligas universa quæ facis, et quocumque te verteris: 4. Ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel. 5. Tu quoque nosti quæ

fecerit mihi Ioab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, et Amasæ filio Iether: quos occidit, et effudit sanguinem belli in pace, et posuit cruorem prælii in balteo suo, qui erat circa lumbos eius, et in calceamento suo, quod erat in pedibus eius. 6. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, et non deduces canitiem eius pacifice ad inferos. 7. Sed et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam a facie Absalom fratris tui. 8. Habes quoque apud te Semei filium Geta filii Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad Castra: sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Iordanem, et iuravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio: 9. Tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias quæ facies ei, deducesque canos eius cum sanguine ad inferos. 10. Dormivit igitur David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David. 11. Dies autem quibus regnavit David super Israel, quadraginta anni sunt: in Hebron regnavit septem annis: in Ierusalem, triginta tribus. 12. Salomon autem sedit super thronum David patris sui, et firmatum est regnum eius nimis. 13. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificusne est ingressus tuus? Qui respondit: Pacificus. 14. Addiditque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Loquere. Et ille: 15. Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, et me præposuerat omnis Israel sibi in regem: sed translatum est regnum, et factum est fratris mei: a Domino enim constitutum est ei. 16. Nunc ergo, petitionem unam precor a te, ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere. 17. Et ille ait: Precor ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem. 18. Et ait Bethsabee: Bene, ego loquar pro te regi. 19. Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia: et surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius. 20. Dixitque ei: Petitionem unam parvulam ego deprecor a te; ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam. 21. Quæ ait: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor. 22. Responditque rex Salomon, et dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei et regnum: ipse est enim frater meus maior me, et habet Abiathar sacerdotem, et Ioab filium Sarviæ. 23. Iuravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. 24. Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, et collocavit me super solium David patris mei, et qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias. 25. Misitque rex Salomon per manum Banaiæ filii Ioiadæ, qui interfecit eum, et mortuus est. 26. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. 27. Eiecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. 28. Venit autem nuntius ad Ioab, quod Ioab declinasset post Adoniam, et post Salomonem non declinasset: fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris. 29. Nuntiatumque est regi Salomoni, quod fugisset Ioab in tabernaculum Domini, et esset iuxta altare: misitque Salomon Banaiam filium Ioiadæ, dicens: Vade, interfice eum. 30. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, et dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere Qui ait: Non egrediar, sed hic moriar. Renuntiavit Banaias regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Ioab, et hæc respondit mihi. 31. Dixitque ei rex: Fac sicut locutus est: et interfice eum, et sepeli, et amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est a Ioab, a me, et a domo patris mei. 32. Et reddet Dominus sanguinem eius super caput eius, quia interfecit duos viros iustos, melioresque se: et occidit eos gladio, patre meo David ignorante: Abner filium Ner principem militiæ Israel, et Amasam filium Iether principem exercitus Iuda: 33. Et revertetur sanguis illorum in caput Ioab, et in caput seminis eius in sempiternum. David autem et semini eius, et domui et throno illius, sit pax usque in æternum a Domino. 34. Ascendit itaque Banaias filius Ioiadæ, et aggressus eum interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto. 35. Et constituit rex Banaiam filium Ioiadæ pro eo super exercitum, et Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar. 36. Misit quoque rex], et vocavit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ierusalem, et habita ibi: et non egredieris inde huc atque illuc. 37. Quacumque autem die egressus fueris, et transieris Torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum. 38. Dixitque Semei regi: Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus. Habitavit itaque Semei in Ierusalem diebus multis. 39: Factum est autem post annos tres, ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatumque est Semei, quod servi eius issent in Geth. 40. Et surrexit Semei, et stravit asinum suum: ivitque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos, et adduxit eos de Geth. 41. Nuntiatum est autem Salomoni, quod isset Semei in Geth de Ierusalem, et rediisset. 42. Et mittens vocavit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, et prædixi tibi: Quacumque die egressus, ieris huc et illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audivi. 43. Quare ergo non custodisti iusiurandum Domini, et præceptum quod præceperam tibi? 44. Dixitque rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cuius tibi conscium est cor tuum, quod fecisti David patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. 45. Et rex Salomon benedictus, et thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiternum. 46. Iussit itaque rex Banaiæ filio Ioiadæ: qui egressus, percussit eum, et mortuus est.

Vers. 2. EGO INGREDIOR VIAM UNIVERSÆ TERRÆ.) Id est, omnium terrigenarum, sive hominum omnium in terra habitantium. q. d. Ego tendo ad mortem, uti ceteri homines qui terram incolunt, ut a terra e qua plasmatus sum in terram et pulverem redeam. Est Metonymia, significans idem quod alibi dicitur: *Ego ingredior viam universæ carnis*, id est viam mortis, quam ingrediuntur omnes, qui carne constant. Salubris est hæc mortis et sepulchri memoria, et iuxta illud Eccli. 7. 40. *In omnibus operibus memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Et c. 14. 12. *Memor esto quoniam mors non tardat,* etc. *testamentum enim huius mundi* est, quod omnis homo *morte morietur.* Simili modo S. Antonius moriturus, teste S. Athanasio, ait discipulis: *Ego quidem filioli secundum eloquia Scripturarum, patrum gradior viam. Iam enim Dominus me invitat, iam cupio videre cælestia, sed vos, o viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie vos religiosum studium*

Memoria mortis salubris.

Exempla.

arripuisse arbitramini, et cœptæ voluntatis fortitudo succrescat. Et S. Paulus primus Eremita sub mortem Dei instinctu visitatus a S. Antonio, teste S. Hieron. *En*, inquit, *quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem pulverem mox futurum.* Et paulo post: *quia dormitionis meæ tempus advenit, et quod semper cupiebam, dissolvi et esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona iustitiæ; tu missus es a Domino, qui humo corpusculum meum tegas, imo terræ terram reddas.* Et S. Maria Ægyptiaca ad Zosimam: *Sepeli*, inquit, *Abba Zosima miseræ Mariæ corpusculum. Redde terræ quod suum est, et pulveri adiice pulverem. Ora tamen Dominum pro me.* Et Barlaam ad Iosaphat: *Non iam*, inquit, *charissime fili, nos in hac vita eadem domus ac mensa coniunget. Iam enim ultimam patrum meorum viam ingredior. Quocirca tibi faciendum est, ut per mandatorum divinorum observationem, atque in hoc loco ad extremum usque vitæ diem commorationem, tui erga me amoris specimen exhibeas: sic nimirum vitæ tuæ rationes instituens quemadmodum didicisti, nec unquam abiectæ atque ignavæ animæ meæ memoriam intermittens. Multum itaque vale: atque in Christo delectare et exulta: quoniam terrena et interitui obnoxia cum sempiternis et ab interitu alienis bonis commutasti, ac propinqua est operum tuorum merces, ac iam iamque adest qui mercedem refert.* Ita Damascenus in eorum historia.

Vers. 3. Et observa custodias Domini Dei tui.) *Custodias*, id est præcepta quæ Deus a te et ceteris observari et custodiri iussit. Patet ex sequent. *Custodiæ* ergo vocantur hic res custodiendæ per metonymiam.

Ut intelligas universa quæ facis.) Hoc est, ut intelligenter et prudenter agas quæcumque ages; hoc enim significat Hebr. השכל *haskel*: unde Chald. vertit, *ut prospera reddas omnia quæ feceris.* Alii, *ut felix sit in omnibus quæ agis.* Qui enim prudenter sua agit, hic prospere ea agit. Prudentia enim est mater prosperitatis et felicitatis, sicut imprudentia infelicitatis.

Vers. 5. Et effudit sanguinem belli (qui scilicet poterat esse causa belli) in pace, et posuit cruorem prælii in balteo suo, etc. et in calceamento suo.) q. d. Ioab proditorie occidit Abner et Amasam, præ se ferens amicum et arctum adeo eorum complexum, ut in complexu hoc dolose eos transfodiens, balteus et calcei eius sanguine cæsorum tingerentur. Ita Lyran. Vatab. et alii: vocat autem hunc sanguinem *belli et prælii*, quia periculum belli erat ex hac cæde, ne scilicet totus Israel Davidi rebellaret, velletque ulcisci proditoriam hanc cædem suorum ducum Abner et Amasæ factam a Ioab, ideoque David eum hic iubet occidi. Rursum τὸ *belli* alludit ad bellum, in quo iuste Abner occidit Asaelem fratrem Ioab, cuius necem proinde Ioab ultus est cæde Abneris. q. d. Ioab ulcisci voluit sanguinem fratris sui Asaelis occidendo Abner, sed perperam et inique. Nam Abner iuste in bello occidit Asaelem; Ioab autem inique et proditorie occidit Abner in pace, cum Abner iam reconciliatus esset Davidi, imo totum Israel ad eum reduceret. Quare Ioab Abnerem et Amasam in pace occidit quasi in prælio, adeoque pacem proditorie convertit in prælium, quo prælians et gladium stringens utrumque fraudulenter occidit, cum ipsi putarent se esse in pace, omniaque sibi cum David et Ioab esse pacifica, ob pacem cum eo initam, idque præseferret Ioab utrumque dolose complexans et osculans, quæ magna fuit Ioabi fraus, iniustitia et perfidia.

Vers. 6. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, ut quæsita commoda occasione, et iusto prætextu eum punias: et non deduces canitiem eius pacifice ad inferos.) q. d. Non sines eum senem pacifice in lecto mori, sed violenta morte plectes: nam ante Christum omnes morientes descendebant ad inferos, saltem ad limbum patrum. Lex enim talionis a lege naturæ divina et humana lata est, ut, qui alium occidit, occidatur.

Dices, cur David non occidit Ioab, sed id mandavit Salomoni. Resp. quia cum Ioab occidit Abnerem et Amasam, David non habebat potentiam et vires ad id sufficientes. Necdum enim in regno erat plane confirmatus, sed metuebat Ioab, ne is contra se Israelem concitaret, uti paulo ante concitarat Abner; postea vero David bellis continuis implicitus id facere non potuit, præsertim quia Ioabo egebat; nec enim alium habebat tam idoneum quem castris præficeret. Mandavit ergo id Salomoni, qui plena pace potiebatur, ideoque plena dignitate et auctoritate pollebat. Ita Iosephus. Aliam causam, cur David iusserit occidi Ioab, affert Theodor. quia timuit, inquit, ne is solita usus malitia despiceret iuventutem Salomonis, et vel eum per speciem benevolentiæ interficeret, sicut prædictos occiderat; vel apertam instrueret aciem, et divideret Israelem intrudendo regem Adoniam, cui favebat, qui regni spem non plane abiecerat, ut sequentia declarabunt.

Qui maledixit mihi maledictione pessima.) Septuag. ὀδυνηρον, id est *dolorosa*, Chald. *amara*; Hebr. est נמרצת *nimretset*, quod Hebræi apud S. Hieron. sic explicant, ut per quinque litteras, quibus hæc vox constat, quinque convicia quæ Semei iecit in Davidem, significentur. Nimirum per primam *nun* significet נואף *Noeph*, id est adulter propter adulterium cum Bethsabee: per secundam *mem* מואבי Moabi, id est Moabita, eo quod David ex ignobili Ruth Moabitide genus duceret; per tertiam *resh*, רוצח *rotseach*, id est homicida, propter Uriam et tot alios e medio sublatos. Per quartam *tsade*, צרוע *tsarva*, id est leprosus, eo quod David iam non aliter eiectus ex urbe videretur quam soleant leprosi, quorum consortium omnes horrent et execrantur; per quintam *tau* תועבה designatur *tohaba*, quod abominabile significat. Vers. 8.

Non te interficiam gladio.) Hinc patet Davidem cum dixit Semei: *Non morieris*, non plenam ei dedisse veniam et impunitatem, sed limitatam et restrictam ad tempus vitæ Davidis. q. d. Ego non interficiam te, per omnem vitam meam tibi condonabo vitam: sed post mortem meam cave tibi, quia Salomon filius meus meo instinctu quæret occasionem tuum scelus et maledictum castigandi, cum enim hæc promissio non sit debita, sed gratuita et liberalis, ex mente promittentis interpretanda et limitanda est, ait Abul. Commendat ergo David hic Salomoni iustitiam in omnes, sed præsertim in maleficos, quos ipse hucusque clementer vivere permiserat, ut nunc ipse satisfaceret iustitiæ, quæ in sua clementi permissione tacite intelligebatur, iuxta illud Psalm. 71. 1. *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis.*

Dormivit igitur David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David.) Puta in Sion. *Dormivit.* S. Script. mortem vocat somnum, ob fidem et spem resurrectionis. Nam in die iudicii a morte quasi a somno evigilabimus ad vitam æternam. Hinc pia fidelium consuetudo habet, ut cum quis moritur dicat: *Obdormivit in Domino.* Vers. 10.

Porro Iosephus in fine libr. 7. Davidi hoc dat elogium quasi Epitaphium: David fuit « vir optimus et omnibus virtutibus præditus, quas regem tot gentium incolumitati prospicientem habere oportebat. Nam fortis erat, ut nemo alius: et in certaminibus pro subiectorum tutela susceptis primus se periculis obiiciebat, exemplo suo militem ad præclara facinora excitans, et non tamquam Dominus pro imperio ad officium cogens. Idem in consiliis prudentissimus, et egregie callens, quid in præsens, quidve in futurum conduceret. Ad hæc sobrius, mitis, benignus erga calamitosos, iustus, humanus: quæ quidem præcipue sunt regum virtutes, nec in tanta potestate umquam ab æquitate deflexit, nisi quod ad Uriæ uxorem attinet. Tantas præterea divitias reliquit, quantas nullus alius rex, vel Hebræorum, vel aliarum gentium. » Elogium Davidis.

De sepultura deinde eiusdem hæc illico subiicit: *Sepelivit eum Salomon Hierosolymis magnifice, præter solemnia illa in regum funeribus, illatis etiam in monumentum eius maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit coniectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos* MCCC. *Hyr-* Sepultura.

canus pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, et prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit, sicut et alibi indicavimus. Ac rursum post multos annos elapsos Herodes rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit: ad loculos tamen, qui regum cineres continebant, neuter eorum pervenit. Singulari enim arte ita erant sub terram conditi, ut ab ingredientibus monumentum inveniri nequirent. Verum horum fides sit penes Iosephum: tot enim talentorum multitudo in sepulchrum defossa videtur pene incredibilis, ac cellæ eam ægre capere potuissent. Porro 1. Paral. 29. 28. de Davide dicitur: *Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, et divitiis et gloria.* Fuit enim ipse regum omnium idea et exemplar, ideoque in omnibus fere typus Christi, uti per singula fuse ostendit noster Salianus anno mundi 3021. num. 92. et seq. Vide elogia Davidis Eccles. 47. vers. 2. et sequ. ubi eadem explicui.

Vers. 17. UT DET MIHI ABISAG SUNAMITIDEM UXOREM) Fuerat Abisag uxor Davidis regis: unde eam postulat Adonias filius Davidis, ut per eam quasi regiam evadat ad regnum, et a populo sibi favente acclametur rex. Consilium hoc Adoniæ suggessisse Ioab, qui eius partes fovebat, eratque vir sagax, et callidus, censent Theodor. Hugo, Abul. Dion. Ioab enim sibi a Salomone metuebat, et merito, uti mox patebit.

Quæres, quomodo Adonias ausus est petere uxorem patris sui, cum id vetetur Levit. 18. 7. Resp. Iosephus, Caiet. et Serarius, ibi tantum vetari, ne quis uxorem ducat illam quæ cognita est a patre. Abisag autem non fuit cognita a Davide, sed mansit virgo. Unde eius matrimonium illa Levit. lege non fuisse vetitum. Ut ut est, Adonias huius legis ignarus videtur putasse hoc matrimonium esse licitum, aut certe amore pulchritudinis Abisag, et ambitione regnandi excæcatus illam parvipendit.

An coniugium nurus cum socero sit iure naturæ irritum?

Porro an iuri naturæ licitum ratumque sit matrimonium filii ducentis uxorem patris, variæ sunt Doctorum sententiæ. Nam noster Thomas Sanchez lib. 7. de imped. matrim. disp. 66. docet matrimonium in primo gradu affinitatis in linea recta, puta soceri cum nuru, vel socrus cum genero, non esse irritum iure naturæ, ideoque esse dispensabile. Probat, quia tale fuisset matrimonium Adoniæ cum Abisag uxore patris sui Davidis. Si enim hoc fuisset irritum, utique Adonias non postulasset illam sibi in uxorem. Citat Sanchez in hanc sententiam S. Thomam, Alensem, Abulensem, Gabrielem, Tapperum, et plures alios.

Ex adverso Bellarm. lib. 1. de Matrim. c. 28. docet matrimonium tale esse irritum iure naturæ et indispensabile, quia numquam in eo dispensatum legimus. Est enim plane contra honestatem naturalem et pudorem paternum maternumque. Idem tenet P. Ægidius Coninck, qui ex Iosepho A costa l. 6. Indic. c. 21. narrat Paulum IV. Pontif. cum concilio Limensi ita decidisse, scilicet ut Indi Peruani, qui matrimonium contraxerant cum noverca vel cum nuru, non admitterentur ad Baptismum, nisi prius solverent tale matrimonium, velut iure naturæ irritum. Ad Abisag, respondet Bellarm. primo, illam non fuisse uxorem Davidis; non enim in Script. vocatur uxor, sed tantum calefactrix senis. Secundo, si fuit uxor, Adoniam illicite petiisse uxorem, utpote contra legem Levit. 18. 7. et 15. ideoque iuste a Salomone iussum occidi: plus enim hic valere debet sententia Salomonis regis sapientissimi, quam postulatio Adoniæ. Hanc sententiam sequitur Paludanus, Sotus, Valentia, Navarr. Covarruv. Sylvester, Vasquez et plurimi alii, quos citat Sanchez loco citato et Ægidius Coninck disp. 32. de imped. matrimon. dubio 4. conclus. 3.

Problema ergo est an matrimonium soceri cum nuru, vel generi cum socru sit iure naturæ irritum. Utrimque enim sunt graves auctores, his, et quidem pluribus asserentibus, illis negantibus. Utraque ergo sententia probabilis est, et utramque in praxi sequi potest Pontifex, ut in eo vel dispenset, si iusta prægnansque causa subsit; vel dispensationem neget, sicut huc usque negavit (et quidem adhuc recenter his diebus, quibus Romæ versor) ob rei indecentiam: certe publicum huius dispensationis non extat exemplum, quod sciam.

Illud certum est, apud omnes matrimonium hoc iure naturæ vetari, ac multo magis lege veteri, ut patet Levit. 18. 15. et c. 20. 14. et Deuter. 27. 20. Quare Adonias volens hanc legem violare, iuste a Salomone repelli et plecti potuit ac debuit, præsertim quia per hoc tacite ambiebat regnum.

Multo magis iure naturæ vetitum et irritum est, ideoque indispensabile matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, ut si pater velit ducere filiam, vel mater suum filium, uti omnes Doctores docent. Quocirca ab Ecclesia colitur et celebratur S. Dymna, quæ cum esset filia regis Hyberniæ, ab eo ob formam in coniugem appetita, cum ipsa id constanter abnueret, a patre gladio obtruncata pro castitate Martyr occubuit, cuius sanctitatem Deus multis illustravit, et etiamnum illustrat miraculis; unde magnus energumenorum et maniacorum ad sepulchrum eius (quod Geelæ in Brabantia extat) est concursus, uti oculis meis conspexi.

Infamis igitur et porcina fuit responsio illius aulici et adulatoris, qui Henrico VIII. Angliæ regi volenti ducere Annam Bolenam (quam eius esse filiam spuriam vehemens erat suspicio) rogatus quod et quale peccatum foret, si quis matrem cognosceret et eius filiam, respondit: Tale, ac si quis pullum comedat cum gallina. Sed Deus contrarium ostendit, cum Henricum totamque Angliam ob hoc coniugium gravissime afflixit, omnemque Henrici prosapiam funditus extinxit. Ita Sanderus l. 1. de Schism. Anglic.

ET SURREXIT REX IN OCCURSUM EIUS, ADORAVITQUE EAM.) Se ei inclinando, et reverentiam filialem exhibendo. Privatim enim eam excepit et honoravit ut matrem. Nam ut ait Taurus Philosophus apud Gellium lib. 2. c. 2. *Privatim inter filium magistratum et patrem privatum publici honores cessant, naturales et genuini exoriuntur.* Secus faciendum in publico. Unde Gellius ibidem laudat filium Fabii Maximi, qui Consul existens, ac patri Proconsuli in publica via occurrens, iussit eum ex equo descendere; atque Fabius imperio filii paruit, eumque collaudavit, cum imperium, quod populi esset, retineret. Vers. 19.

Hinc apud Persas filio coram matre sedere non licebat; nisi illa annuente. Unde Alexander Magnus Darii matrem Sisigambim, quam colebat ut matrem, sic alloquitur apud Curtium lib. 5. *Quoties ad te veni, donec ut considerem annueres, restiti.*

PETE MATER MEA: NEQUE ENIM FAS EST, UT AVERTAM FACIEM TUAM.) Hebr. *ut reverti faciem tuam*, id est, ut te, tuamque faciem confundam et pudore afficiam negando quod postulas. Cum enim quid alicui negatur, ille confusus faciem suam retrahit, avertit, et domum redit. Promittit Salomon omnia se concessurum, quæ mater postulabit, intellige si æqua et utilia postulet; non autem si sibi matrique noxia, uti erat hoc de danda Abisag uxore Adoniæ. Vers. 20.

Si Salomon omnia matris postulata implet, multo magis Christus concedit matri suæ omnia, quæ pro nobis supplicando petit. Illam ergo adeamus, et per illam omnia impetrabimus. Nec enim Christus confundet et pudefaciet faciem matris suæ, uti sæpe inculcat S. Bernardus: nec enim ipsa aliquid petit aut petere potest, quod sit præter dignitatem filii et suam.

POSTULA EI ET REGNUM.) q. d. Si postulas Abisag dari uxorem Adoniæ, postulas ei regnum. Ipse enim ambit uxorem patris nostri regis Davidis, ut per eam quasi reginam elevetur in celsitudinem regiam, fiatque rex; præsertim quia ad hoc ei auxiliantur Abiathar pontifex, et Ioab dux militiæ. Ita Rupertus et alii. Vers. 22.

MISITQUE REX SALOMON PER MANUM BANAIÆ.) Hoc Vers. 25.

est, misit Banaiam, ut per manum eius occideretur Adonias. Est hebraismus. Caietan. asserit Salomonem peccasse temeritate iudicii, quod unico iudicio fratrem læsæ maiestatis damnarit, nisi tamen id moris fuerit. At vel unicum, ait Serarius, si id certum sit, hodie sufficiat, præsertim ubi periculum est regi, ne regno ab æmulo privetur, uti hic erat. Adde Salomonem hic punivisse primam regni invasionem factam ab Adonia, qua se curaverat ungi et coronari regem. Licet enim Salomon illam ei condonasset, tamen id fecit sub conditione, si deinceps sibi foret fidelis, ac domi quiete se continens nullam deinceps ambitionis, et affectati regni de se daret suspicionem: quod si illam daret, puniretur non tantum ob suspicionem, sed et ob invasionem regni præteritam. Adonias autem postulans Abisag uxorem, iustam dedit Salomoni occasionem suspicandi ipsum rursus ambire regnum. Cur enim inverecunde et arroganter contra legem naturæ et divinam postulat reginam uxorem patris sui, nisi ut per eam thronum patris occupet, fiatque rex? quare iure merito plexus est a Salomone. Timebat enim Salomon eum, utpote ambitiosum et inquietum, semper res novas moliturum, et ad regnum iure primogenituræ sibi debitum aspiraturum: quare se eo vivente numquam in regno fore securum. Occidit ergo eum ut sibi securitatem et regno quietem pareret. Vide hic rursum quam David infelix fuerit in filiis. Amnon enim vitiavit Thamar, Absalom eum occidit, et patri rebellavit; Adonias ambivit regnum, ideoque a fratre interemptus est. Fuit hæc pœna, et pœnitentia Davidi ob adulterium et homicidium Uriæ a Deo inflicta, 2. Reg. 12. 10. dicente: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua.* En modica brevisque voluptas quantas ei peperit clades, ac quantarum calamitatum post se syrma caudamque protraxit.

Vers. 26. ABIATHAR QUOQUE SACERDOTI (pontifici) DIXIT REX: VADE IN ANATHOTH AD AGRUM TUUM, EQUIDEM VIR MORTIS ES) q. d. Mereris occidi, quia contra me conspirasti cum Adonia, eumque in regem unxisti. Ego tamen te non occidam, quia pontifex Davidi patri meo fidelis extitisti, sed tantum a Ierusalem te ablegabo, ne in ea rursum res novas inter fratres et cives meos contra me moliaris. Vade ergo ad agrum tuum in Anathoth, ibique quiesce et res tuas age, nec rebus meis et regni te deinceps immisce. Porro hoc ipso Salomon indirecte exauctoravit et privavit Abiathar pontificatu, quia pontifex debebat residere Ierosolymis, ut sacerdotes in templo ministrantes dirigeret, Synagogæ et concilio Sanhedrim præsideret, regi foret a consiliis, populum doceret, etc. Quare ablegato Abiathar, Salomon surrogavit ei Sadoc.

Vers. 27. UT IMPLERETUR SERMO DEI, QUEM LOCUTUS EST SUPER DOMUM HELI IN SILO.) 1. Reg. 2. 30. ubi Deus minatur Heli et posteris eius privationem vitæ, æque ac pontificatus, additque v. 35. *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem,* scilicet Sadoc. Igitur Salomon vir sapiens usus hac occasione rebellionis Abiathar, ex Dei instinctu has eius contra Heli minas, hocque eius de Sadoc in pontificatum restituendo promissum implevit, itaque pontificatum a familia Ithamar et Heli, ex qua erat Abiathar, ad primævam et genuinam Eleazar stirpem, ex qua erat Sadoc, reduxit. Fecit hoc in pœnam peccatorum tum Heli, tum Abiathar: hic enim reus erat capitis et læsæ maiestatis, quia faverat Adoniæ contra Salomonem, qui a Deo et a patre Davide constitutus erat rex: quare eum eiecit in exilium, sed honestum: misit enim eum in patriam ad prædia sua, ut ibi vitam, quam ei condonabat, quiete traduceret. Nemo ergo hinc concludat Imperatores et reges habere ius in pontifices, ut eos creare et exauctorare possint. Nam Salomon exauctoravit Abiathar auctoritate non sua, sed Dei. Deus enim primitus Aaroni, indeque Eleazaro quasi primogenito, eiusque posteris pontificatum assignarat. Inde deviavit pontificatus ad Heli, qui erat ex Ithamar: iussit ergo Deus eum reduci ad familiam Eleazar, puta ad Sadoc; idque fecit Salomon instinctu iussuque Dei, non ut rex, sed ut Propheta, et divinæ iustitiæ executor, uti ostendit Bellarm. lib. 2. de Pontif. c. 29. Adde, nunc in

A lege nova longe sanctior et sublimior est pontificatus, quam fuerit in lege veteri: quare etiamsi tunc pontifex fuisset subditus regi, ut censet Abul. iam tamen non est, quia Pontifex est iam vicarius Christi, qui est Rex regum, et Dominus dominantium. Vide dicta Numer 27. 21.

VENIT AUTEM NUNTIUS AD IOAB, (eo) QUOD IOAB DECLINASSET POST ADONIAM, ET POST SALOMONEM NON DECLINASSET.) Ita legendum cum Hebr. Chald. Septuag. Romanis et ceteris: perperam ergo in Regiis et aliis nonnullis legitur: *Venit autem nuntius ad Salomonem.* Sensus est q. d. Venit nuntius ad Ioab, nuntians ei occisum esse Adoniam, ut ipse qui faverat Adoniæ, et cum eo contra Salomonem coniurarat, fuga sibi consuleret, ne ipse quoque ut socius et particeps coniurationis Adoniæ occideretur a Salomone. Vers. 28.

POST SALOMONEM.) Ita legendum cum Septuag. Roman. et ceteris. At vero Hebr. et Chald. iam habent, *post Absalomem,* quod Vatab. sic explicat, q. d. Ioab etsi initio fuerat Davidi fidelis, nec declinarit post Absalomem;
B tamen postea fuit infidelis, quia cum Adonia coniuravit contra Salomonem, qui a Davide constitutus erat rex. Alii censent Salomonem vocari Absolomem, eo quod Absalom Hebr. idem sit quod *pater pacis;* Salomon vero idem sit quod *pacificus;* ideoque pater et arbiter pacis. Sic Ochosias per metathesin dictus est Ioachas.

Verisimilius est Hebræa et Chald. moderna esse corrupta, ac S. Hieron. in Hebræo pro post *Absalomem,* legisse *post Salomonem.* Sic enim legerunt Septuag. Et Antithesis id exigit. Ita Sanchez.

NON EGREDIAR.) Sperabat Ioab quod loci sanctitas eum tutaretur, nec Salomonis religio permitteret eum ibidem occidi, ideoque eo egredi noluit. Sed eum fefellit opinio: ob scelerum enim atrocitatem ibidem occisus est. Vers. 30.

FAC SICUT LOCUTUS EST, ET INTERFICE EUM.) In Tabernaculo, ex quo Ioab egredi non vult, sed in eo occidi et mori. Homicida enim voluntarius, qualis erat Ioab, dolose occidens Abner et Amasam, non gaudebat impunitate et immunitate loci sacri, iuxta illud: *Si quis per industriam*
C *occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Exodi 21. 14. Multo magis id sancitum est lege, non divina, sed humana in novo testamento, in qua Christiani sanctiores esse debent Iudæis, et ab homicidio spontaneo magis alieni. Vide cap. *inter alia,* de Immunitate Ecclesiarum, ac Franc. Suarez tract. de Immunit. Eccles. c. 9. et 10. Porro tunc non erat lata lex quod Tabernaculum pollueretur cæde humana, sicut iam lata est ut Ecclesia Christiana, in qua commissa est cædes, censeatur polluta, iterumque debeat benedici. Nec iuste, ait Salianus, fuso sanguine profanari poterat altare illud, quod perpetuo solebat sanguine cruentari: tota loci violatio consistebat in vi, quæ directe loci privilegium irritabat; inde enim Asyla dici certum est, quod ab eorum quasi sinu reos abstrahere non liceret. Ideoque recte credidit Salomon perinde esse Ioabum ad aram occidere, vel eum inde extractum alibi iugulare: utrovis enim modo locus violabatur, nisi legis dispensatio intervenisset, quæ
D hic ob scelerum enormitatem non requirebatur, ut dixi. Vers. 31.

REDDIDIT DOMINUS MALITIAM TUAM IN CAPUT TUUM.) q. d. Fecit Deus ut pœna malitiæ et maledictionis, qua maledixisti patri meo Davidi, in caput tuum noxium recideret. Ita enim omnia disposuit, ut tu pœnam mortis a me tibi propositam, si Iordanem transires, acceptans, tua te sententia condemnaris, et transeundo Iordanem reum mortis effeceris. Duplici ergo titulo Semei reus erat mortis. Primo, quod Iordanem contra præceptum Salomonis sub pœna mortis datum et a se acceptatum transgressus esset. Ita Theodor. Iosephus, Serarius et alii. Secundo, quod Davidi maledixisset, et hoc maxime hic punire ex patris præcepto intendebat Salomon; sed tamen quia David pater per omnem suam vitam ei veniam dederat, noluit Salomon eam a patre datam simpliciter mutare, sed honesta conditione limitare, quam quia violavit Semei, hinc Salomon veniam patris abrogavit, ac Semei culpam et pœnam revocavit. Vers. 44.

*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon postulans a Deo sapientiam impetrat. Mox vers. 16. litem duarum puerperarum de filio vivente litigantium mira sagacitate dirimit, itaque summam sibi auctoritatem et gratiam apud omnes conciliat.

1. CONFIRMATUM est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate coniunctus est Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam eius, et adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum suam, et domum Domini, et murum Ierusalem per circuitum. 2. Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. 3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, et accendebat thymiama. 4. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dem tibi. 6. Et ait Salomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, et iustitia, et recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem, et dedisti ei filium sedentem super thronum eius, sicut est hodie. 7. Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. 8. Et servus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari et supputari non potest præ multitudine. 9. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, et discernere inter bonum et malum, quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum? 10. Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiuscemodi rem. 11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: 12. Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. 13. Sed et hæc, quæ non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. 14. Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. 15. Igitur evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium: cumque venisset Ierusalem, stetit coram arca fœderis Domini, et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et grande convivium universis famulis suis. 16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo. 17. Quarum una ait: Obsecro, mi domine: ego et mulier hæc habitabamus in domo una, et peperi apud eam in cubiculo. 18. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit et hæc: et eramus simul nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. 19. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte, dormiens quippe oppressit eum. 20. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. 21. Cumque surrexissem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram. 22. Responditque altera mulier: Non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. 23. Tunc rex ait: Hæc dicit: Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est. Et ista respondit: Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. 24. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege, 25. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri. 26. Dixit autem mulier, cuius filius erat vivus, ad regem (commota sunt quippe viscera eius super filio suo) Obsecro domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur. 27. Respondit rex, et ait: Date huic infantem vivum, et non occidatur: hæc est enim mater eius. 28. Audivit itaque omnis Israel iudicium quod iudicasset rex, et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.

Vers. 1. AFFINITATE CONIUNCTUS EST PHARAONI REGI ÆGYPTI: ACCEPIT NAMQUE FILIAM EIUS.) In uxorem. Eupolemus apud Eusebium lib. 9. de Præpar. c. ult. asserit Pharaonem hunc fuisse eum, qui cognominatus est Vaphres, qui diversus est, et longe anterior Pharaone Vaphres, sive Ephree, vel Apries, qui fuit nepos Pharaonis Nechao occisoris Iosiæ regis Iuda, ultimusque Pharaonum, utpote a Nabuchodonosor victus et subactus, uti dixi Ierem. 44. v. 30.

Voluit Salomon per hoc matrimonium devincire sibi Pharaonem, utpote regem vicinum et potentem, cuius ope regnum suum stabiliret, illudque contra Chaldæorum, Assyriorum, Medorum, etc. vim et potentiam tueretur.

Porro licitum fuit hoc matrimonium fidelis cum infideli, tum quia Deus expresse tantum vetuerat Iudæis ne ducerent in uxores filias Chananæorum, a quibus maius perversionis et idololatriæ periculum, non autem ceterarum gentium, etsi id quoque sibi non placere ob simile periculum satis ostendebat, ut patebit cap. 11. 1. tum quia verisimile est Ægyptiam hanc sponsam Salomonis ad iudaismum esse conversam: quo facto licitum erat eam ducere; hoc enim permittit Deus Deuter. 21. v. 20. et sequ. Sic enim Salomon iam duxerat Naaman Ammonitidem, et David filiam Tholmai regis Gessur, et Booz Ruth Moabitidem, et Salmon Raab Ierichuntinam, et Ioseph filiam Putipharis Ægyptii, et Moyses filiam Iethro Madianitidem. Ita Abul. Pineda, Serarius, Salianus, Sanchez et alii. Minus recte ergo Hebræi in Sederolam, Theodor. et Procop. censent Salomonem peccasse ducendo alienigenam, eo quod Deus id vetuisset Exodi 34. et Deuter. 7.3.

Putant Hebræi harum nuptiarum Salomonis cum filia Pharaonis Epithalamium concini in Cantico Canticorum, sed errant, uti in Cant. ostendi. Fateor tamen ibidem ad eas alludi, ut cum ait Cant. 1. 8. *Equitatui meo in curri-*

bus Pharaonis assimilavi te. Et c. 3. 11. *Egredimini, et videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius*, quæ licet ad litteram competant nuptiis Christi cum Ecclesia, alludunt tamen ad connubium Salomonis cum Ægyptia, quod illarum fuit typus.

Denique Salomonem hanc Ægyptiam duxisse anno regni sui primo, vivente adhuc Davide, opinatur Iosephus, Serarius et Sanchez, licet Abulen. Gedrenus et Salianus in annum tertium id conferant.

Donec compleret ædificans domum suam.) Salomon enim post ædificatum templum domum propriam ædificavit filiæ Pharaonis, de qua c. 7. 8. interim locum ei assignavit in palatio suo, quod erat in arce Sion.

Vers. 2. Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum.) Quæres, quænam fuerint hæc excelsa, quorum tam crebra in libris Regum et Prophetarum fit mentio? Resp. Excelsa erant luci, sive sylvæ et nemora in excelsis montibus, collibus et umbrosis recessibus consita, in quibus gentes pleræque solebant sacella et altaria erigere, teste Homero, Virgilio et aliis, qui docent veteres in nemoribus sepulchra suis defunctis extruxisse, in quibus primo parentalia celebrabant, sive parentabant heroibus populi, ac mox iisdem quasi Diis sacrificare cœperunt. Id fecerunt, tum quia loca excelsa ceteris altiora sunt et viciniora cælo, ideoque plus venerationis apud rudem populum obtinent. Unde *altare* dictum est ab altitudine, quasi *alta ara*, in qua altissimo Deo sacrificatur; et Græcum βωμός, id est altare, dictum est ab Hebræo במה *Bama*, id est excelsum; quamquam altare proprie non erat excelsum. Nam Script. 4. Reg. 23. 15. distinguit inter altare et excelsum, sed potius altare erat in excelso, scilicet colle aut monte. Rursum nemora, quia condensa et silentia, sacrum quemdam horrorem Gentibus iniiciebant, qui superstitiose censebant ibi habitare Deos, quos Satyros et Faunos quasi sylvarum Deos nuncupant. Unde templa dicta sunt fana a Faunis; nisi malis a fando, id est oracula dando, nomen sortita. Tertio, sylvæ copiosam suppeditant lignorum materiam ad fabricandum sacella, altaria et strues pyrarum, quibus victimæ comburantur, idcirco in iis excelsa erigebant.

Excelsa quæ?

Denique sylvæ, quia frondosæ et amœnæ, excitabant Gentiles ut in eis sacra sua carnalia, quibus Baccho per symposia et crapulam; Veneri et Priapo per luxuriam serviebant, exercerent.

Sic Cytus et Persæ, teste Xenophonte lib. 8. sacrificabant in locis excelsis. Idem de aliis docet Apollonius lib. 2. De Romanis. Idipsum constat ex Capitolio, in quo colebant Iovem Capitolinum. Audi Virgil. lib. 8. Æneid.

Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Iam tum relligio pavidos terrebat agrestes
Dira loci: iam tum sylvam, saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
(*Quis Deus incertum est*) *habitat Deus: Arcades ipsum*
Credunt se vidisse Iovem.

Idem Virgil. Ecloga 7. arbores proprias, quas Gentiles Diis suis in his lucis sacrabant, ita recenset.

Populus Alcidæ gratissimæ, vitis Iaccho, (Baccho)
Formosæ myrtus Veneri, sua Laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos.

Chananæos pariter in excelsis lucis sylvisque suos Deos coluisse patet ex eo quod Deus crebro iubeat Hebræis ut illas succendant et extirpent, ut patet Exodi 34. 13. Deuter. 7. 5. et c. 12. v. 2. et c. 16. 21. quibus locis directe quidem et expresse vetat Deus, ne excelsa habeant talia qualia habebant Chananæi, in quibus scilicet suos Deos falsos colebant; indirecte tamen vetat quoque ne sibi pariter in excelsis sylvis et lucis sacrificent, sed tantum in Tabernaculo et altari ad id a se destinato, et a Mose fabricato, ac præsertim in templo mox a Salomone fabricando.

Excelsa ergo Hebræorum, de quibus in libris Regum et Prophetarum crebra est mentio, erant duplicis generis. Una in quibus instar Gentium colebant earum Deos et idola. Hæc manifeste erant illicita, quia idolis dicata in Dei veri iniuriam. Unde in ea gravissime invehuntur et detonant Prophetæ, ut Ierem. c. 7. 31. Ezechiel c. 6. 3. Osee 10. 8. Hinc Salomon gravissime peccavit; quod in gratiam uxorum suarum Gentilium, earum diis et idolis fecerit lucos et excelsa, ibique eos adorarit, quæ proinde Ezechias rex dissipavit, Manasses eius filius impius restituit, Iosias funditus abolevit.

Excelsa duplicia.

Altera excelsa erant, in quibus Hebræi, non idolis, sed Deo vero sacrificabant. Sic Gedeon in excelsa petra sacrificium Deo obtulit Iudic. 6. 26. Idem fecit Samuel in excelso 1. Reg. 9. 19. et Salomon hic sacrificavit in excelso Gabaon, id est in Tabernaculo Mosis, quod tum situm erat in excelso et frondoso colle Gabaon.

Porro Deus hæc secunda excelsa non amabat ob periculum gentilismi et idololatriæ, tolerabat tamen, donec ædificaretur fixum et stabile templum a Salomone in Ierusalem: nam ante illud Tabernaculum Mosis erat mobile, et ab uno loco transportabatur in alium, imo separatum erat ab altari, ut superius dixi. Unde multis incommodum erat et difficile in eo sacrificare, ideoque alio loco excelso suas hostias immolabant.

Hinc pii reges, ut Asa et Iosaphat, permiserunt excelsa Deo vero erecta, vel si illa erant idolis statuta, permiserunt ea, quia ob inveteratam populi idololatrantis consuetudinem, metuentes eius seditionem et rebellionem illa impedire et tollere non potuerunt. Verius tamen est, quod censet Abul. quæst. 2. et 5. hos reges tantum permisisse excelsa, in quibus Deo vero sacrificabatur, non idolis: quæ tamen non permiserunt reges pientiores, sed everterunt, scilicet David, Ezechias et Iosias, qui proinde soli e ceteris regibus Iuda dicuntur non peccasse Eccles. 49. 5. Porro quod Samuel in Ramatha, Bethlehem, aliisque in locis sacrificavit 1. Reg. c. 16. v. 4. et 5. ac Elias in monte Carmelo 3. Reg. 18. 23. et David in area Ornan 2. Reg. ult. 18. credendum est id eos fecisse ob graves et urgentes causas, idque ex Dei instinctu et dispensatione, ut patet de Davide loco citato.

Hac de causa, ut scilicet excelsa omnia tollerentur, voluit Deus a Salomone ædificari templum, in eoque solo sibi sacrificari, ut in uno templo servaretur unitas religionis et Iudaismi, ac Iudæi plane arcerentur a profanis et excelsis et sacrificiis Gentilium. Idem ante templum iusserat Deus fieri in Tabernaculo a Moyse fabricato Levit. 17. v. 3. et 4. vide ibi dicta.

Excepto quod in excelsis (Deo vero dicatis, de quibus iam dixi) immolabat) Hinc Theod. Proc. et Ribera l. de Templo c. 2. censent ante fabricam templi in excelsis sacrificare fuisse illicitum, et peccatum saltem veniale, eo quod hic carpatur Salomon quod in excelsis immolarit, esto in ceteris dilexerit Dominum, et præcepta eius servarit. Hebræi tamen, Lyran. Serarius et alii censent id fuisse licitum, non quasi Deo absolute gratum, sed tamquam ab eo concessum et permissum, donec ædificaretur templum firmum et stabile. Sic et S. Aug. quæst. 36. in Iudic. *Deus*, ait, *consuetudinem populi sui, qua præter eius Tabernaculum, tamen non diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo; sustinebat potius quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes.* Post templi vero fabricam excelsa fuere illicita, ideoque David, Ezechias et Iosias ea sustulerunt, licet Asa, Amasias et Iosaphat ea tolerarint metu maioris mali, ne scilicet si excelsa Dei tollerentur, populus ad excelsa Deorum et Gentium, hoc est ad idola deflecteret. Unde de iis dicitur: *fecit rectum ante conspectum Domini* etc. *verumtamen excelsa non abstulit* c. 15. v. 11. et 14. etc. Vers. 3.

Abiit itaque in Gabaon ut immolaret ibi.) Quia in Gabaon erat Tabernaculum et altare Mosis, unde ibi immolare licebat, ideoque mox vocatur excelsum magnum, id est maximum et religiosissimum, licet Arca fœderis non esset in Gabaon, sed e Cariathiarim a Davide translata in Sion, ut diserte dicitur 2. Paral. 1. v. 4. et 5. Vers. 4.

Nota hic pietatem Salomonis, qui regnum auspicatur a cultu et invocatione Dei: obtulit enim mille hostias, ut sequitur, ideoque a Deo obtinuit sapientiam tantam, quantam nulli unquam concessit Deus.

Vers. 5. APPARUIT AUTEM DOMINUS SALOMONI PER SOMNIUM NOCTE, DICENS: POSTULA QUOD VIS UT DEM TIBI. Quæres, quale fuit hoc Salomonis somnium, et an in eo habuerit usum arbitrii, ut libere postularit a Deo sapientiam, ideoque eam impetrarit?

Quæstio hæc est problema. Multi enim affirmant, multi negant, et utrique pro se rationes afferunt probabiles.

Primo ergo nonnulli censent hoc somnium fuisse naturale, ex speciebus diurnis noctu in somnis naturaliter recurrentibus; aut naturaliter a Deo immissum, ad hoc ut sciretur sapientiam omnibus hominibus, sed præsertim regibus et principibus ad sapienter gubernandum præ aliis rebus expetendam esse, utpote ad bonum regimen summe necessariam. Ita Abul. Quia enim Salomon in Gabaon orans et sacrificans per diem crebro et instanter a Deo flagitarat sapientiam, hinc effecit Deus ut naturaliter noctu ipsi eædem cogitationum species recurrerent; ut scilicet Salomon dormiens videretur sibi postulare sapientiam, Deumque illam ipsi annuere, iuxta illud Claudiani:

Omnia, quæ sensu volvuntur sensa diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Idemque docet Arist. lib. de Somniis et Hippocr. lib. de insomniis.

Si dicas postulationem hanc Salomonis placuisse Deo, ac ipsum per eam reipsa impetrasse sapientiam, respondent illam postulationem in somnis per se non placuisse Deo, quia erat actus somniantis, non libere postulantis; sed ob aliam Salomonis eiusdem in vigilia sapientiæ postulationem, ex qua illa in somnis ortum habuit, et quasi effectus ex causa, naturaliter profluxit. Ita S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. *Salomon*, ait, *dormiendo non meruit sapientiam, nec accepit: sed in somno declaratum est quod per præcedens desiderium ei a Deo sapientiæ infunderetur.* Idem repetit de veritate q. 28. art. 3. et 2. 2. q. 154. art. 5. ad 1. Favet S. August. lib. 12. de Genesi ad Litter. c. 15. quem citat S. Thom. Item S. Bonav. in 2. dist. 15. q. 6. num. 72. Alensis in 4. q. 101. membro 3. art. 3. Richardus quodl. 1. quæst. 17. Sanchez, Salianus, Serar. Pineda lib. 3. de Salomone c. 8. Pererius lib. 1. in Daniel. q. 7.

Probatur primo, quia Salomon dormiebat, eratque in somnio: omnia ergo hæc non revera, sed per somnium ei repræsentabantur.

Secundo, quia v. 15. diserte ait Script. *Evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium.*

Resp. affirmative. Verum contraria sententia non minus est probabilis, imo validiores affert rationes, nimirum somnium hoc non fuisse naturale, sed divinum, ac proprie a Deo (licet natura quoque et naturalibus per diem cogitationibus Salomonis Deo subservientibus) immissum, ideoque non tam fuisse somnium, quam visionem propheticam vel extasin, qualis fuit somnus Adæ, cum ex eius costa Deus formavit Evam, quem Septuag. vocant extasin: in eo enim Adam Deo revelante cognovit Christi incarnationem, et Ecclesiæ ex eius latere formationem, uti docent S. August. S. Thomas, Ruper. et alii passim. Tale quoque fuit somnium Abrahæ Genes. 15. 12. in quo Deus Abrahæ revelavit, et promisit magnam posteritatem et Chananææ possessionem. Tale quoque fuit somnium Iosephi de futuro suo principatu in Ægypto Genes. 37. 5. et Iacobi Genes. 28. 12. ubi Deus in somnis idem ei promisit quod Abrahæ, imo plura.

Probatur I. Probatur primo, quia hoc diserte significat Script. cum ait, *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte dicens.* Ergo fuit hæc vera Dei apparitio et locutio, quam Salomon excepit, uti prophetæ excipiebant Dei oracula per visiones tam nocturnas, quam diurnas; ergo non fuit somnium commune et naturale.

Secundo, quia sequens prolixa narratio recenset historiam veram, non somniatam. Ait enim Deus revera loquens Salomoni: *Postula quod vis ut dem tibi;* ac Salomon respondet prolixe, postulatque sapientiam, ac huius postulationis suæ multas et graves causas affert, idque tam sapienter et prudenter, ut vigilans prudentius loqui non potuisset. Ex qua narratione, et ex longo Salomonis sermone ad Deum constat, ipsum habuisse perfectissimum discursum et iudicium, cum consideratione divinæ maiestatis et beneficiorum eius, et propriæ infirmitatis ac necessitatis in illo regio statu, in quo erat constitutus; et ex hoc perfecto discursu ac iudicio petitionem illam Deo proposuisse, et ideo illi placuisse. II.

Tertio, quia v. 11. Deus Salomoni præmium huius suæ postulationis tam sapientis et sanctæ largitur, et votis eius annuit dicens: *Quia postulasti verbum hoc,* etc. *ecce feci tibi secundum sermones tuos,* nec tantum hoc, sed et longe plura adiicit, scilicet divitias, gloriam, longævitatem et magnificentiam præ omnibus regibus: quæ omnia ut revera, et non per somnium gesta fuse et accurate narrat Script. ut vix alio torqueri possint, ac omne somnium superent et transcendant. Et hoc voluit Script. dicens v. 15. *Evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium,* scilicet non humanum, sed divinum, uti eo versu ostendam. III.

Quarto, quia revera Deus in somno hoc Salomoni indidit sapientiam, ut significat Script. nec enim aliud tempus, quo eam acceperit Salomon, reperire vel assignare possumus; ergo pariter revera Salomon in somno oravit, petiitque sapientiam; nam per orationem eam impetravit, ut dicitur v. 11. et 12. *Ecce,* inquit, *feci secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens.* Ita sentit Lyran. Dion. Salmeron. tom. 3. tract. 22. Anton. Fernandius lib. de Visionibus Præludio 7. n. 8. et seq. Hugo, Glossa, Consalvus Cervantes in Sapien. c. 7. v. 7. ac fuse et solide Suarez tomo 2. de Relig. lib. 2. de Orat. c. 19. ubi docet primo, Deum in somno posse elevare intellectum et phantasiam ad perfectum usum rationis, et ad plenum iudicium de veritate sive speculativa sive practica, idque fecisse in somno Adami Gen. 2. Posse enim Deum ita confortare et clarificare phantasiam, et vapores omnes, qui illam in somno impediunt depellere, ut vere res non tantum apprehendere, sed et recte de iis iudicare possit, conservatis interim sensibus externis in eadem dispositione, quam in somno naturali habent. Accedit S. Ambros. in Psal. 118. Octonario 18. in fine, ubi asserit Salomonem *orasse* tunc et *promeruisse*. Imo Octonario 2. v. 2. addit: *Ex toto corde exquirens Deum, sapientiam postulavit, et quia non opes sibi regias sed divinæ munus gratiæ deposcit, accipere meruit sapientiæ disciplinam.* Tertul. etiam lib. 4. contra Marcion. cap. 15. aperte sentit habuisse tunc Salomonem liberam electionem dicens: *Qua permissa sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo grata, sapientiam. meruit etiam divitias consequi.* Ad eum modum loquitur Eucher. quæst. 2. in 3. librum Reg. dicens Salomonem deprecatum esse Deum, etc. IV.

Denique 2. Paral. 1. v. 7. ubi eadem hæc historia narratur, nulla somnii fit mentio: *Ecce,* inquit, *in ipsa nocte apparuit ei Deus.* Fuit ergo somnium hoc vera Dei apparitio et visio, qualem habuere ceteri Prophetæ.

In hanc quoque sententiam tandem propendent S. Bonav. Alensis et Richardus locis iam citatis, dum addunt Salomonem ex divino privilegio potuisse in somnis uti ratione et mereri, atque S. Thom. qui 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. secundam dat responsionem, dicens: *Vel potest dici quod ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ, secundum quod dicitur Num. 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum. In quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet.*

Dices: Somnus impedit usum rationis et liberi arbitrii quia in somno sopiuntur, et quasi ligantur sensus et phantasia, sine quibus ratio non potest libere operari. Resp. naturaliter, et in somno naturali hoc verum est, at non

in supernaturali et divino, quale fuit hoc Salomonis. In eo enim Deus Prophetis infundere potest species sine conversione ad phantasmata somnum non impedientes, sicut nec visionem in Christo somnus impediebat, qui de se ait Cant. 5. 2. *Ego dormio et cor meum vigilat.* Sic et B. Virginem dormientem libere Deum amasse, itaque meruisse, censet S. Bernardinus et alii, idque probabile iudicat Suarez 3. p. q. 37. art. 4. disp. 18. sect. 2. Aut potius Deus Adæ, Salomoni et prophetis ita roborabat et clarificabat phantasiam in somnis, ut libere intelligere, eligere et operari possent, ut paulo ante dixi ex Suarez. Hoc enim magis est homini connaturale.

Porro totum hoc somnium Deus Salomoni immisit per Angelum, qui Deum repræsentabat, ac nominatim Deum filium ex Salomonis stirpe incarnandum, uti docent S. Chrysost. hom. 16. in Acta, S. Leo, S. Ambros. Tertul. Origen. Theophyl. Euseb. Clemens, Niceph. et alii, quos citat Pineda lib. 3. de rebus Salomonis c. 8. num. 4.

Cur nocte? Quæres: cur ergo hæc visio Salomoni exhibita est per noctem, non per diem? Resp. causa litteralis est, quia per diem Salomon occupatus fuerat in immolatione mille hostiarum. Unde tunc indispositus erat ad hanc visionem; per hostias tamen hasce se disposuit, et dignum reddidit ad visionem hanc recipiendam: quare in præmium suæ pietatis hanc visionem nocte sequenti, utpote quiescens, a Deo accepit.

Symbolica causa fuit, quia Deus licet in se sit lux summa et infinita, mens tamen creata, præsertim humana, ad eam caligat; sicut oculus caligat et hebetatur ad intuitum solis. Quare Deus sanctis, præsertim veteris testamenti, ut Abrahæ, Mosi, Iacobo apparebat noctu, vel in caligine. Unde S. Dionys. lib. de Mystica Theol. docet eum qui Deum vult contemplari, ingredi debere cum Mose in caliginem, qua Deus tegitur et velatur.

Mystice S. Gregor. lib. 2. Moral. c. 2. notat noctem signum esse mali ominis et infelicis exitus: *Non rediturus*, inquit, *ad veniam Iudas, quod ad traditionis perfidiam nocte exiisse perhibetur, dicente Ioanne cap.* 13. *Erat autem nox. Et iniquo diviti dicitur Lucæ* 12. *Hac nocte repetent animam tuam abs te; anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc et nocte accepisse describitur.* Hæc Gregor. ex quo Rupert. Eucherius et alii eadem descripserunt.

Addit Ruper. carpitque Salomonem, quod sapientiam, non sanctitatem petierit: *Tamen in eo,* inquit, *reprehensibilis est, quod data sibi optione, tam prona ad dandum largitate Domini, bonum illud, quod verum et summum est, non postulavit.*

Verum hoc bonum includitur in sapientia, quam postulavit Salomon, uti docet S. Ambros. in Psal. 118. ad illa: *In toto corde meo exquisivi te.* Unde Sap. 9. Salomon postulans a Deo sapientiam ait: *ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore,* de quo mox plura.

Vers. 7. Ego autem sum puer parvulus.) q. d. Sum valde iuvenis, rudis et inexpertus, ideoque quasi puer ad tantum onus, scilicet ad regimen tanti populi Israelis, ex me inidoneus: Salomon enim hoc tempore erat viginti annorum, ut superius dixi: unde explicans subdit.

Ignorans egressum et introitum meum.) Est Hebraica phrasis significans omnes hominis actiones. q. d. Nescio quo modo me gerere debeam in administratione tanti regni. Unde 2. Paral. 1. 10. ait: *Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo,* quasi eius rex et pastor. Chald. vertit, *Non ego scio egredi nec ingredi.* Alludit ad puerum (quem se vocavit) qui docente matre, discit egredi et ingredi in domum.

Vers. 9. Dabis ergo servo tuo cor docile.) Id est doctrinam excipiens, quod scilicet doctrinam, id est prudentiam et sapientiam, a te audiat et in se hauriat, puta cor prudens, intelligens et sapiens: Hebr. est *cor audiens*, quod nimirum audiat et accipiat sapientiam. Unde 2. Paral. 1. 10. hoc explicans ait: *Da mihi sapientiam et intelligentiam.* Et hic v. 11. respondens ei Deus dicit: *Postulasti tibi sapientiam,* etc.

Porro Salomon postulans hic sapientiam proprie, postulat prudentiam, qua sapienter tam se, quam totum populum regere possit, ut scilicet prudenter omnes suas actiones instituat, tum privatas, tum publicas, iuxta legem et voluntatem Dei. Unde Sapien. 9. 4. et 10. explicans hanc suam sapientiæ postulationem ait: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam,* etc. *ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.* Causam subdit v. 17. dicens: *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis?* vide ibi dicta. Sapientia enim in libris Sapientialibus præcipue practicam sive ethicam significat, quæ docet nos sapienter, id est iuste sancteque vivere, quæ proinde Sap. 10. vocatur *scientia Sanctorum*, et Lucæ 1. *prudentia iustorum.* Deus tamen qui suorum preces superat et vota, longe ampliorem sapientiam Salomoni concessit uti iam dicam.

Dedi tibi cor (id est mentem) sapiens et intelligens (Chald. *et considerans;* Septuag. *et peritum*) in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.) 2. Paral. 1. 12. dicitur, *Sapientia et scientia data sunt tibi.* Per quæ primo, intellige Ethicam et Politicam, ad gubernandum tam se quam populum: hanc enim præcipue postulabat Salomon. Secundo, Physicam, Medicinam, Logicam, Rhetoricam, Poeticam, Mathematicam, Architectonicam (hac enim egebat ad fabricandum templum) omnesque scientias et artes naturales. Hæ enim ab Hebræis vocantur sapientia, ut patet Exodi 31. 3. Nam de his ipse ait Sapien. 7. 17. *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes et commutationes temporum, anni cursus et stellarum dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum, vim ventorum et cogitationes hominum, differentias virgultorum et virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa et improvisa didici; omnium enim artifex docuit me sapientia.* Tertio, sapientiam et prudentiam supernaturalem fidei mysteriorum, imo et donum prophetiæ. Salomonem enim eximium fuisse Theologum patet ex eius Proverbiis et sapientia; Prophetam quoque extitisse patet Proverb. 30. v. 1. vide ibi dicta. Horum ergo omnium scientiam infusam a Deo hac nocte accepit Salomon, idque in gradu valde intenso, ut eorum oblivisci non posset. Ita Abulen. Serarius, Pineda, Salianus et alii. Addit Iosephus Salomonem a Deo didicisse exorcismos ad coniurandum expellendumque dæmones, et alia plura, quorum meminit Origen. tract. 35. in Matth. Iustinus Dialog. de Veritate Christianæ Relig. Epiphan. in hæresi Ebronitarum. Vide Baronium anno Christi 56. et Sixtum Senensem in Biblioth. verbo *Salomon.* Unde nonnulli putant Salomoni inditam gratiam gratis datam, ad componendum exorcismos, quibus pelleretur dæmon. Addit Iosephus Salomonem incantationes ad morbos abigendos composuisse, quod est magicum: sed Iosephus per incantationes forte accepit preces, quas postea vulgus superstitiose vertit in incantationes vel carmina magica.

Vers. 12. Sapientia quæ et quanta Salomonis?

Addunt, vel potius fabulantur Rabbini Salomonem cognovisse garritus avium, latratus canum, ceterarumque bestiarum voces et sermocinationes intellexisse. Verum, quis intelligat brutorum voces, quæ ratione et intellectu carent? Frustra ergo id de se iactitant magi.

Ut nullus ante te similis tui fuerit.) Salomon ergo sapientia superavit non tantum Trismegistum, Orpheum, Homerum, Platonem, Solonem, Lycurgum, Aristotelem, omnesque Græcorum, Ægyptiorum, Chananæorum, etc. Sapientes, utpote quorum sapientia fuerit studio acquisita, cum Salomoni fuerit a Deo immediate infusa; sed etiam Abraham, Mosen, Davidem, Adamum, saltem post lapsum. Etsi enim hi certis in rebus excelluerint ut Abraham in eminenti fide, Moses in accipiendis a Deo

legibus. David in psalmis dictandis, tamen Salomon eos superavit amplitudine sapientiæ, quia omnem omnino complexus est, ac Christum Dominum, eiusque sapientiam, unionemque cum S. Ecclesia, ad vivum tam verbis quam factis expressit.

NEC POST TE SURRECTURUS SIT.) Hinc recte infert Abul. Salomonem sapientiorem fuisse non tantum Adamo et Mose, sed etiam prophetis et Apostolis, solumque Christum excipit, eiusque matrem B. Virginem, licet de ea dubitet Suarez tomo 2. disp. 18. sect 5. Idem asserit S. Hieron. in c. 3. Ephes. *Salomonem,* inquit, *omnibus Apostolis sapientiorem fuisse, ut retro Patriarchis vox divina pollicita est, qui de seipso quoque loquitur confidenter: Deus docuit me sapientiam, et intellectum sanctorum cognovi.* Sap. 7. Intellige, in rebus naturalibus et politicis, nam in mysteriis fidei et Evangelii Salomone sapientior erat Paulus et Apostoli. Lyran. tamen, Dionys. et Pererius lib. 5. in Genes. q. 3. censent hic Salomonem dici sapientiorem omnibus, sed ita ut pauci aliqui excipiantur, scilicet Apostoli, etc. Alii sic limitant: *Nullus similis tui,* B scilicet in regibus; sed hoc nimis est arctum. Alii cum Serario melius sic: *Nullus,* scilicet eorum qui humano studio suaque industria sapientes evaserunt, *similis* erit *tui,* qui eam accepisti a Deo infusam: quare hic non fieri comparationem cum Adamo, B. Virgine et Apostolis, quorum sapientia fuit a Deo infusa. Vide Pinedam lib. 3. de Salom. c. 8. qui et addit Salomoni cum sapientia datum fuisse spiritum sanctum id est maiorem gratiam et sanctitatem: hanc enim ipse in sapientia et cum sapientia præcipue postulabat. Audi Remigium, qui ad illud Coloss. 2.9. *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* sic scribit: *Aliter habitat in singulis electorum, aliter in Christo: quia illis datur spiritus ad mensuram, in illo autem pleniter habitat. Habitavit enim in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in prophetis per sanctitatem, in Moyse per mansuetudinem; in Christo vero per omnem virtutem et innocentiam.*

Vers. 13. SED ET HÆC, QUÆ NON POSTULASTI, DEDI (id est dare C decrevi, et illico sensim dabo) TIBI, DIVITIAS SCILICET ET GLORIAM, UT NEMO FUERIT SIMILIS TUI IN REGIBUS CUNCTIS RETRO DIEBUS.) Hinc Abul. putat Salomonem superasse opibus et gloria Nemrod, Ninum, Saulem, Davidem, ceterosque Reges anteriores, non autem posteriores, qui Salomonem secuti sunt, uti fuit Alexander Magnus, Iulius Cæsar, Augustus. Verum Serarius et alii melius censent Salomonem omnibus omnino regibus tam futuris, quam præteritis anteferri, omnesque superasse opibus et gloria. Nam 2. Paral. 1. v. 12. clare dicitur: *Divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tibi;* ubi ex Hebræo vertas: *Et gloriam quæ non fuit sic* (similis) *regibus ante et post te non erit sic,* id est similis tui.

Moral. disce hic quantum bonum Deique donum sit sapientia, quamque ceteris omnibus anteferendum, imo cetera omnia secum adducat, atque illud comparari oratione magis quam studio. Auctor enim datorque sapientiæ est Deus, qui est pater luminum. Iacobi 1. v. 5. et 17. Vi- D de ibi dicta; et S. August. Præfat. in lib. 1. de Doctrina Christ.

Vers. 15. IGITUR EVIGILAVIT SALOMON, ET INTELLEXIT QUOD ESSET SOMNIUM.) Vatab. et alii exponunt q. d. Evigilans Salomon recordatus est sui somnii, sive se somniasse de sapientia, puta non fuisse rem veram, sed somnium fugax, mendax et evanidum. Verum hoc dici nequit: Salomon enim vere hic adeptus est sapientiam, ut patet ex verbis Script. v. 12. *Dedi,* inquit, *tibi cor sapiens et intelligens,* etc. quare hic sensus directe adversatur S. Script. eamque elidit et evertit.

Dico igitur: *evigilans Salomon intellexit quod esset somnium,* scilicet non naturale, sed supernaturale et divinum puta visio realiter et efficaciter una cum reipsa, scilicet cum sapientia a Deo immissa sibique indita. Unde Hebr. Septuag. et Chald. habent: *Igitur evigilavit Salomon, et ecce somnium,* scilicet consecutum est effectum suum, ac

A verum apparuit. q. d. Salomon evigilans vidit revera se sapientem effectum sicuti somniarat, id est sicut dormiens per visum divinum viderat. Vidit enim omnium rerum species menti suæ sese ingerentes et obvolitantes, quibus clare res quaslibet perspiciebat, quas ante non cognoverat; intellexit ergo somnium hoc fuisse reale et verum, utpote supernaturale, et a Deo simul cum re somniata immissum. Unde mox intricatam meretricum litem sapientissime diremit, ac cetera omnia sapientissime administravit, ut patet ex sequent. ita Suarez, Serarius, Pineda.

Similia somnia non somniata et falsa, sed realia et vera extant in S. Script. ut cum S. Petrus ab Angelo liberandus e carcere, iubebatur se vestire et exire, *existimabat se visum videre,* et somniare, Actor. 12. 9. et tamen vere se vestiebat et exibat. Sic Hebræi e Babylone liberati redeuntes in Ierusalem, dicunt: *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati;* Hebr. *sicut somniantes.* q. d. Adeo lætus, novus, mirus et inexpectatus fuit nobis reditus ab exilio in patriam, ut videretur esse somnium, ut non revera redire, sed reditum somniare nos putaremus. Sic Salomon hic evigilans videbatur sibi somniasse, sed mox vidit somnium versum esse in rem veram: Sic S. Hieron. in somnio correptus a Deo quod Ciceronem præ S. Script. legeret, audiensque: *Ciceronianus es, non Christianus,* acriter vapulavit et flagellatus est, non per somnium, sed reipsa. Audi eum Epist. 18. ad Eustochium: *Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur: testis est tribunal illud ante quod iacui: testis iudicium triste, quod timui. Ita mihi numquam contingat in talem incidere quæstionem. Liventes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram.*

CUMQUE VENISSET (ex Gabaon, ubi a Deo postulaverat sapientiam et impetraverat) IERUSALEM, STETIT CORAM ARCA FŒDERIS DOMINI, ET OBTULIT HOLOCAUSTA.) In gratiarum actionem pro tanto sapientiæ dono sibi a Deo indito. Arca enim erat in Sion, Tabernaculum vero et altare in Gabaon, uti dictum est v. 4.

TUNC VENERUNT DUÆ MULIERES MERETRICES AD REGEM.) Deo ita disponente ad Israeli patefaciendam Salomonis sapientiam illi paulo ante ab eo inditam, per solertem litis meretricum diremptionem. Pro *meretrices* Hebr. est זונות *zonot,* quod Chald. vertit, *tabernarias,* sive cauponas: *zona* enim, sive meretrix, dicitur illa, quæ meretur prostituendo vel edulia, vel operas, vel corpus, qualis est caupona, lotrix, sartrix, textrix, purpuraria quæ arte et opificio suo victum lucratur. Et tales has duas fuisse censet noster Sanchez, quia meretrices proprie dictæ vix suscipiunt filios ob vagum concubitum et seminum commistionem, nam cuilibet se prostituunt: secus est de concubinis, quæ uni soli amasio adhærent: hæ enim concipiunt perinde ut uxores. Vers. 16.

Verum S. Gregor. Ambros. Prosper, Pineda, Salianus et alii passim censent has duas fuisse meretrices proprie dictas, ut vertunt Septuag. et Noster; idque arguit quod maritorum nulla hic fit mentio, sed ipsæ per se litem contestantur. Meretrices enim, quia sunt avaræ, cupidæ, impudentes, iracundæ, hinc pariter sunt litigiosæ, imo multarum litium, rixarum, duellorum, cædium et bellorum causa, uti experientia quotidiana docet.

DORMIENS QUIPPE OPPRESSIT EUM.) Quia scilicet volvendo se incubuit super infantem, eumque mole corporis sui suffocavit. Quocirca Iure Canonico vetatur ne matres cum infantibus dormiant, ob periculum oppressionis eorumdem, ut patet 2. q. 5. Can. *Consuluit.* Vers. 19.

CONTENDEBANT CORAM REGE.) Quia deerant testes, aliæque probationes et indicia, hinc vocis et clamoris contentione more suo certabant inter se hæ mulierculæ.

Alleg. duæ hæ mulieres repræsentant synagogam Iudæorum, et Ecclesiam Christianorum, quæ inter se contendunt de puero Iesu et Messia vivo et vero: sed Salomon, id est Christus, litem dirimit dicens Matth. 10. *Non veni pacem mittere sed gladium.* Veni enim dividere legem Alleg. duarum mulierum.

et gratiam, Iudæos et Christianos, fideles et infideles, uti pulchre docet S. Hieron. Epist. 131. ad Ruffinum, ubi et addit Salomonem hoc iudicium peregisse anno ætatis suæ duodecimo, hoc enim regnare cœpisse; sed superius ostendi id factum anno ætatis vigesimo.

Rursum repræsentant Ecclesiam Catholicam, et hæresim Arrianam, Nestorianam, et ceteras, quæ Christum dividunt in duos, ut alius in eo sit Deus, alius homo, ac veros fideles, qui sunt vivi Ecclesiæ filii, sibi arrogare, et ad suam hæresim pertrahere, ideoque perdere et interimere satagunt. Ita S. August. Serm. 200. de Temp. « Impia, ait, et crudelis hæresis clamat ut dividatur. Quid est dividatur, nisi non Filius æqualis sit Patri? Dum enim Filio subtrahit æqualitatem, et bonum omnipotentemque denegavit Patrem. Deus enim Pater, si potuit filium sibi similem gignere et noluit, non est bonus: si voluit, et non potuit, non est omnipotens. » At vera mater, scilicet Ecclesia Catholica clamat: « Date illi puerum, et nolite dividere eum. Filius meus est, sed melius apud illam migret natus, migret totus, tamen apud me maneat maternus affectus. Date illi puerum, non auferantur vota membrorum, illius integritas non dividatur, ne mihi pietas auferatur. Quod dicit: Date illi puerum et nolite dividere, ecce et ego dico: Totum posside, et noli dividere Deum. » Hæc ad verbum ex S. August. transcripsit Angelom. Eucher. vel potius Beda, et S. Prosper lib. de Prædict.

Tropol. Tropol. S. Gregor. lib. 21. Moral. c. 8. per duas has mulieres accipit veros et falsos doctores: veri enim et boni discipulorum salutem, falsi et mali suam gloriam et lucra quærunt, cum discipulorum perditione. « Quia nimirum, ait S. Gregor. magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum torporis occidunt, et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter vivunt et habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur: quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusent mala quæ agunt, et quasi per subditorum vitam mortiferam tegant negligentiam. Unde illic mulier filium, quia extinxit proprium, quæsivit alienum: sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit; quia videlicet cuius fructus vivat, vel cuius intereat, extremo examine ira districti iudicis demonstrat. » Solerter deinde advertendum monet S. Gregor. « quod vivens filius, prius dividi præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur: quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnumquam alter apud Deum meritum, alter vero apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit, occidi non metuit: quia arrogantes magistri, et charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiæ enim face succensi, nolunt aliis vivere, quos se conspiciunt non posse possidere. » Eadem ex S. Greg. transcripsit Angelom. et Eucherius.

Symbolice. Symbolice, S. Ambros. lib. 3. de Virgin. « Duæ, ait, mulieres sunt fides et tentatio, quæ postquam posteritatem suam carnalis vitio conversationis et somno mentis amisit, posteritatis fructus auferre conatur alienæ. Itaque dum tentatio litigat, fides fluctuat, donec machæra Christi latentes distinguat affectus. Quæ est hæc machæra Christi? illa de qua scriptum est: Gladium veni mittere in terram. Est enim gladius de quo scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quis autem sit hic gladius, quæ machæra, cognosce: Verbum, inquit, acutum et validum, et penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ et spiritus artuumque et medullarum. »

Vers. 25. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri.) Dixit hoc Salomon non serio ut ferens sententiam, sed simulate, ut exploraret in utra resideret maternus affectus, ut illi filium vivum adiudicaret: nec enim alia probatio, aut aliud medium litem hanc decidendi suppetebat. Nam a natura insita est matri arcanus erga prolem suam amor et commiseratio, cuius expers est illa quæ non est mater. Naturam ergo hic interrogavit Salomon, et illa respondens matrem genuinam suo affectu monstravit. Nam ut ait S. Ambr. l. 3. de Spiritu S. c. 7. « Consideravit Salomon quod vera mater plus consuleret filio quam solatio, et gratiam iuri, non gratiæ iura præferret. At vero illa quæ matris simularat affectum, vincendi studio cæca parvi duceret eius exitium, in quo nesciret pietatis dispendium. Itaque vir ille spiritalis qui diiudicaret omnia (spiritalis enim diiudicat omnia) naturam in affectibus quæsivit, quæ latebat in vocibus, et pietatem interrogavit ut proderet veritatem. Vicit itaque mater charitatis affectu, quæ fructus est Spiritus. »

Dices, matri veræ iniiciebatur hic metus iniquus dissectionis filii. Resp. id necessarium erat hoc loco et tempore ad bonum matris; ut scilicet hac ratione perpetua lite cum sua æmula, et iugi periculo perdendi filium liberaretur, quod longe maius ei erat malum. Quare melius erat illam modico tempore hunc metum pati, ut per eum mater esse agnosceretur, eique filius suus redderetur.

Simili indicio veritatem veramque matrem vel patrem explorarunt et deprehenderunt Imperatores. Claudius enim Cæsar, ait Sveton. in eius Vita c. 15. *Feminam non agnoscentem filium suum, dubia utrimque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio iuvenis;* eo enim negato, quod horrebat natura, filium agnovit. Claudius igitur matrem negantem quemdam iuvenem, qui vere ei filius erat, proprium filium esse, coegit ad confessionem veritatis indicto ei cum ipso iuvene matrimonio. Carolus item Magnus certus quod vel pater vel filius, quos captos detinebat, quemdam occidisset, incertus tamen uter eorum id fecisset, iussit utrumque suspendi. At cum pater, qui vere deliquerat, nullam videret redemptionis spem, fassus est et agnovit propriam culpam, et ita filium ab imminente supplicio liberavit. Ita ex Vita Caroli refert Ioannes Molanus Doctor Lovan. lib. 1. de fide hæret. servanda c. 8. et Mart. Delrio tom. 2. disquis. Magic. lib. 4. in præamb. ex Andrea Barbatio in cap. *Præsenti*, de Probatione. Similia Salomoni indicia et iudicia.

Tertio hoc Salomonis iudicium imitatus est Alphonsus rex Aragonum, qui ut, scribit Anton. Panorm. in eius gestis lib. 2. cap. 39. cum serva quædam ex hero suo concepisset, et filium peperisset, ideoque ex lege Hispaniensi ad libertatem proclamaret: herus vero ne matre cum filio privaretur, negaret puerum ex se natum, decrevit ut infans sub hasta venderetur, cumque uni qui maius pretium obtulerat infans traderetur, pater pietate naturali victus a lacrymis temperare non potuit, et suum esse filium fassus est. Quare rex et patri filium, et debitam matri libertatem illico adiudicavit.

Huc pertinet iudicium Ariopharnis regis Thraciæ, qui cum tres Cimmeriorum regis filii de paterno regno altercarentur, iussit patris cadaver e sepulchro extractum arbori alligari, et eos arcu contendere, ut qui patris cor transfigeret, ei in regno succederet. Primogenitus guttur transfixit, secundus pectus; tertius iunior, sed pientior noluit in cor patris iaculari, dicens impium esse cor patris transfigere. Itaque huic Thrax regnum adiudicavit. Hoc exemplum recenset Theatrum vitæ humanæ vol. 7. lib. 4. post initium, ac auctorem citat Diodorum lib. 20. sed Diodorus præter nomina Ariopharnis et filiorum regis Cimmeriorum nil tale habet; quare mihi idipsum de fide historica suspectum, et mythicum videtur.

Dixit autem mulier cuius erat filius vivus ad regem (commota sunt quippe viscera eius super filio suo) Obsecro Domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur.) Hinc patet hanc non tantum falsam fuisse matrem, sed etiam invidia et odio laborasse in veram matrem, ideoque petiisse ut eius filius occideretur, sicut suus erat mortuus: alioqui enim petiisset sibi servari infantem, cum mater vera il- Vers. 26.

lum ei dari a rege postularet, ne filius suus occideretur. Voluit ergo ut filius eius moreretur; sicut eius filius erat mortuus. Ita Abul. Audi S. Ambros. lib. 3. de Virgin. « Quo audito illa quæ petebat alienum non solum acquievit, sed etiam divisionem parvuli depoposcit, nullo affectu commota materno. Illa quæ suum sciebat infantem, non vinci metuens, sed orbari; nec iam solatio suo proprio, sed pignori suo consulens orare occepit, ut incolumis magis puer traderetur alienæ, quam sectus in partes matri propriæ redderetur. Unde Salomon qui non maiestate divina, sed argumentis ut homo interiorem interrogabat affectum, illi potius iudicavit parvulum esse reddendum, quam veram matrem dolor proprius prodidisset: illam vero, quam morituri parvuli misericordia non movebat, exortem pronuntiavit esse naturæ, quam exortem vidit esse pietatis. Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationem alterius fluctuavit: diuque etiam bona mater eventu hæsit ambiguo, dum iudicii periclitatur incerto. »

Tropol. S. Gregor. 21. Mor. c. 8. per duas has mulieres accipiens falsos et veros doctores: « Perversa mulier, inquit, clamat: Nec meus sit, nec istius. Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit, ut eius filius saltem apud extraneam sit, et vivat; quia concedunt veraces magistri, ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterinm in examine charitatis approbatur: et sola recipere totum meruit, quæ quasi totum concessit: quia fideles præpositi pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant, ipsi et integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perfectæ retributionis gaudia consequuntur. »

Simili modo, sed dissimili affectu, et dispari effectu mater Antonini Caracallæ et Gætæ Cæsarum, ait Herodianus, ut eos discordes et imperium dividentes uniret, se ab illis dividi postulavit, ut uterque eorum sui partem in suo regno haberet. Sed frustra: Caracalla enim metuens fratrem suum Gætam, utpote populo gratum, eum in sinu matris occidit, atque ut scelus velamine pietatis tegeret, eum inter Divos retulit dicens: *Ut non sit vivus, sit Divus.*

Respondit rex et ait: Date huic infantem vivum, et non occidatur: hæc est enim mater eius.) Vers. 27.
Natura enim et naturalis compassio certo indicat hanc esse matrem. Vide hic solertiam et sapientiam Salomonis. *Itaque non immerito*, ait S. Ambros. lib. 2. de Offic. cap. 8. *æstimatus est intellectus Dei in eo esse, in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius quam internorum viscerum testimonia, in quæ sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, et velut quamdam genitalis alvi vocem eruit, qua maternus patuit affectus, qui elegerat filium suum vel apud alienam vivere, quam in conspectu matris necari. Sapientiæ igitur fuit, latentes distinguere conscientias, ex occultis eruere veritatem, et velut quadam machæra, ita spiritus gladio penetrare non solum uteri, sed etiam animæ et mentis viscera. Iustitiæ quoque, ut quæ suum necaverat, alienum non tolleret, sed vera mater reciperet suum. Denique etiam Scriptura hoc pronuntiat: Audivit, inquit, omnis Israel hoc iudicium quod iudicavit rex: et timuerunt a facie regis, eo quod intellectus Dei in eo esset ut faceret iustitiam.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur vers. 1. Officiales et Principes Salomonis, et vers. 7. Præfecti annonæ 12. per singulas tribus. Mox vers. 20. Israelis pax et felicitas, ac Salomonis quotidianæ impensæ, regni amplitudo, opulentia, magnificentia, præsertim equorum et curruum. Denique vers. 29. eius sapientia, parabolæ, carmina et libri.

1. Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israel: 2. Et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis: 3. Elihoreph et Ahia filii Sisa scribæ: Iosaphat filius Ahilud a commentariis: 4. Banaias filius Ioiadæ super exercitum: Sadoc autem, et Abiathar sacerdotes. 5. Azarias filius Nathan, super eos qui assistebant regi: Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis: 6. Et Ahisar præpositus domus, et Adoniram filius Abda super tributa. 7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi et domui eius: per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim. 9. Bendecar, in Macces, et in Salebim, et in Bethsames, et in Elon, et in Bethanan. 10. Benhesed in Aruboth: ipsius erat Socho, et omnis terra Epher. 11. Benadinadab, cuius omnis Nephath dor, Taphet filiam Salomonis habebat uxorem. 12. Bana filius Ahilud regebat Thanac et Mageddo, et universam Bethsan, quæ est iuxta Sarthana subter Iezrahel, a Bethsan usque Abelmehula e regione Iecmaan. 13. Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Avothiair filii Manasse in Galaad, ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas. 14. Ahinadab filius Addo præerat in Manaim. 15. Achimaas in Nephthali: sed et ipse habebat Basemath filiam Salomonis in coniugio. 16. Baana filius Husi, in Aser, et in Baloth. 17. Iosaphat filius Pharue in Issachar. 18. Semei filius Ela, in Beniamin. 19. Gaber filius Uri, in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi et Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra. 20. Iuda et Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine: comedentes, et bibentes, atque lætantes. 21. Salomon autem erat in ditione sua habens omnia regna a flumine terræ Philisthiim usque ad terminum Ægypti, offerentium sibi munera, et servientium ei cunctis diebus vitæ eius. 22. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ, 23. Decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, et avium altilium. 24. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazan, et cunctos reges illarum regionum: et habebat pacem ex omni parte in circuitu. 25. Habitabatque Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. 26. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium. 27. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti: sed et necessaria mensæ regis Salomonis, cum ingenti cura præbebant in tem-

pore suo. 28. Hordeum quoque et paleas equorum et iumentorum, deferebant in locum ubi erat rex, iuxta constitutum sibi. 29. Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris. 30. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum, 31. Et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, et Heman, et Chalcol, et Dorda, filiis Mahol: et erat nominatus in universis gentibus per circuitum. 32. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas: et fuerunt carmina eius quinque et mille. 33. Et disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: et disseruit de iumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus. 34. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius.

Vers. 4. SADOC AUTEM ET ABIATHAR SACERDOTES.) Scilicet summi, id est pontifices. Dices Salomon iam ablegarat Abiathar, eumque pontificatu privarat, cap. 2. 27. Resp. recensentur hic omnes officiales Salomonis, sive qui iam tum erant, sive qui fuerant, sive qui futuri erant, ut patebit v. 11. et 15. Voluit enim eos omnes Script. hic simul enumerare. Nominat ergo Abiathar, quia is tempore Davidis fuerat pontifex, eumque ut sibi fidelem David Salomoni commendarat: sed quia ipse cum Adonia contra Salomonem conspirarat, hinc eum Salomon pontificatu privavit. Ita Abulen. Alii respondent Abiathar ab exilio a Salomone revocatum, non ad pontificatum, sed ad simplex sacerdotium, uti Deus minando prædixerat eius abavo Heli 1. Reg. 2. 36. *Futurum est ut quicumque remanserit in domo tua*, etc. *dicat: Dimitte me ad unam partem Sacerdotalem.* Ita Theodoret. et Procop. Tertio Serarius respondet Abiathar vocari sacerdotem, quia fuerat sacerdos.

Vers. 5. ZABUD FILIUS NATHAN SACERDOS,) Id est princeps intimus regi, ut vertunt Septuag. Sic filii David vocantur sacerdotes, id est aulæ principes et proximi regi. 2. Reg. 8. v. ult.

Vers. 11. TAPHETH FILIAM SALOMONIS HABEBAT UXOREM.) Est prolepsis, necdum enim eam habebat, sed postea habuit. Nam Salomon hoc tempore erat dumtaxat 20. annorum circiter. Unde non poterat habere filiam quæ esset nubilis. Idem dico de Achimaas, qui alteram habuit Salomonis filiam v. 15. Recensentur enim hic omnes officiales et principes Salomonis simul, sive qui tum erant, sive qui postea facti sunt, uti dixi v. 4.

Vers. 20. IUDA ET ISRAEL INNUMERABILES SICUT ARENA MARIS.) q. d. Tempore Salomonis crevit tribus Iuda et ceteræ undecim tribus Israelis in innumerabilem quasi multitudinem: eratque tum summa rerum omnium abundantia, ita ut omnes in suis opibus et deliciis gauderent et exultarent. Alleg. regni Salomonis felicitas repræsentavit felicitatem summam regni Christi in Ecclesia per gratiam, in cælo per gloriam.

Vers. 21. SALOMON AUTEM ERAT IN DITIONE SUA HABENS OMNIA REGNA A FLUMINE TERRÆ PHILISTHIIM, USQUE AD TERMINUM ÆGYPTI.) Quæres quodnam sit *flumen terræ* Philisthiim? Primo, Gaspar Sanchez censet esse mare Palæstinorum, huic enim adiacent Philisthini. Secundo, Abul. censet esse Rinocoluræ rivum, qui disterminat Philisthæam ab Arabibus. Tertio, alii censent esse Iordanem, vel potius originem Iordanis in Libano, ubi oriuntur duo rivi Ior et Dan, qui mox confluentes faciunt Iordanem. Verum dico flumen hoc esse Euphratem. Nam τὸ *terræ Philisthiim* non est referendum ad τὸ *flumine*, ut patet ex Hebræo (in Hebræo enim est נהר *nahar* in absoluto, non נהר *nehar*, uti esse deberet in regimine genitivi, si regeret genitivum terræ) sed ad τὸ *regna*. q. d. Salomon obtinebat omnia regna terræ Philisthiim, a flumine, id est quæ interiacent a flumine Euphrate usque ad terram Philisthiim inclusive; sive Salomon obtinebat omnia regna regionum inchoando a flumine Euphrate usque ad terram Philisthiim. Maluit dicere *terræ*, quam *usque ad terram*; tum ut indicet in terra Philisthinorum non fuisse finitum regnum Salomonis, sed per illam extensum usque ad fines Ægypti: q. d. A flumine tendendo per terram Philisthiim usque ad fines Ægypti; tum quia loquitur concise, et ex aliis Script. locis quasi pervulgatis, concise terminos regni Salomonis a Deo promissos consignat. Script. enim terminos terræ Sanctæ Iudæis promissos assignat flumen Euphratem ab Oriente, et Philistæam ab Occidente, Ægyptum a Meridie. Hoc enim promiserat Deus Abrahæ Gen. 15. 18. dicens: *Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem.* Itaque se explicat Auctor huius libri Regum mox v. 24. dicens: *Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazan*, quæ est ultima satrapia Philisthinorum. Ita clare non tantum intelligit, sed et legit S. August. in quæst. in Iosue, quæst. 21. *Et erat dominans*, inquit, *in omnibus regibus a flumine usque ad terram Philisthiim, et usque ad fines Ægypti. Ecce ubi impletum est, quod in Genesi Deus ad Abraham loquens promittensque prædixerat. A flumine quippe hic intelligitur ab Euphrate.* Neque enim de Iordane hic accipi potest, cum et citra Iordanem, et ultra Iordanem iam terras Israelitæ obtinerent etiam ante regnum Salomonis. Sic et Chald. *A Perath* (id est Euphrate) inquit, *terræ Philisthiim, usque ad fines Ægypti.* Sic et Benedictus: *A flumine terræ*, inquit, id est, *usque ad terram Philisthiim.* Et Isidorus Clarius: *A flumine usque ad terram Philisthiim.* Sic et Lyranus ac Mariana. Vatab. *A flumine et terra Palæstinorum usque ad Ægyptum.* Dat enim hic tres terminos regni Salomonis, scilicet Euphratem ab Oriente, Philisthinos ab Occidente, et Ægyptum a Meridie, uti dixi.

Vers. 22. ERAT AUTEM CIBUS SALOMONIS (hoc est aulæ, sive aulicorum, puta principum, asseclarum et famulorum Salomonis) TRIGINTA CORI SIMILÆ, ET SEXAGINTA CORI FARINÆ, DECEM BOVES PINGUES, ET VIGINTI BOVES PASCUALES (aliti et saginati in pascuis) ET CENTUM ARIETES.) Hinc patet multitudo eorum quos alebat Salomon, eiusque magnificentia.

Simila est flos, sive albior et purior farina tritici, ex qua fit panis similiganeus et delicatus, de qua Martial. lib. 13.

Non poteris similæ dotes numerare, nec usus.

Et Plinius lib. 18. c. 10. *Similago ex tritico fit laudatissima. Ex Africo iustum est e modiis redire semimodios, et pollinis sextarios quinque. Ita enim appellant in tritico, quod florem in siligine.* Unde Seneca Epist. 119. *Utrum panis hic*, inquit, *plebeius sit, an similiganeus, ad naturam nihil pertinet.* Sic nobiles comedunt panem similiganeum, plebeii et rustici triticeum et siligineum. Porro *corus* est mensura continens modios Romanos triginta. Vide dicta de Mensuris in fine Pentateuchi.

EXCEPTA VENATIONE CERVORUM, CAPREARUM ATQUE BUBALORUM.) *Bubalus* hic non est is quem vulgus *buffalum* vocat, animal stolidum et pauperum cibus, cum hic inter delicias cervorum et caprearum venatione captas ponatur. Unde Bubalum esse e caprearum genere asserit Oppianus lib. 2. de venatione. Et Plinius lib. 8. ait *Africam gignere bubalos, vituli cervive potius similitudine, bobus autem sylvestribus imperitum vulgus nomen bubalorum imponere.* Ebr. est יחמור *iachmur*, quod R. Iona vertit, *capram magnam*; Tigurina, *ibicem*; alii *damam*; alii, *hircum sylvestrem.*

Vers. 24. IPSE ENIM OBTINEBAT OMNES REGIONES TRANS FLUMEN A THAPHSA USQUE AD GAZAN.) Thaphsa opponitur hic Gazæ; unde videtur sita fuisse iuxta Euphratem. Hic enim limitabat regnum Salomonis ad Orientem, sicut

Gaza ad Occidentem. Nonnulli suspicantur Thaphsa esse illam quæ Tharsacus dicitur a Ptolemæo, Strabone, Xenophonte et Stephano. Alia fuit Thaphsa cis Iordanem, cuius incolas Manahem occidit 4. Reg. 15. 16. Hinc videtur Salomon regnasse ultra flumen, scilicet ultra Euphratem, ac partem Mesopotamiæ obtinuisse, a Thaphsa scilicet usque ad Gazam.

Vers. 26. ET HABEBAT SALOMON QUADRAGINTA MILLIA PRÆSEPIA EQUORUM CURRILIUM, ET DUODECIM MILLIA EQUESTRIUM.) Hoc est, habebat 40. millia equorum in præsepiis. Sic enim explicatur 2. Paral. 9. 25. *Habuit*, inquit, *Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum equitumque* (tum ad pompam, tum ad bellum) *duodecim millia.* Est hypallage: *Habebat præsepia equorum*, id est habebat equos in præsepiis, sive in equilibus. Aut certe per *præsepia* intellige septa, quæ in equili cuique equo ad manducandum assignantur: præsepium enim commune in varia septa, quæ cuique equo deputantur, dividitur, ut unus equus ab alio sive muro exiguo, sive trabe interiecta separetur, ne equi vicini septum et pabulum invadat, cum eoque pugnet et calcitret. Ita Vatab.

Porro 2. Paral. 9. 25. in Hebr. iam est: *Habebat Salomon quatuor millia præsepium*, quia scilicet in quolibet præsepi sive equili habebat decem equos, ita ut universim haberet 40. millia equorum currilium, ut vertit Noster et Septuag. Nam quatuor millia multiplicata per decem faciunt 40. millia. Ita Vatab.

Curriles equi vocantur, qui currus trahunt, equestres qui equitem sustinent. Currilibus tot opus habuit Salomon ad vehendum suas reginas, quas habuit 700. et concubinas, id est secundarias uxores, quas habuit trecentas. Item ad annonam, aquam, ligna, lapides, etc. ad fabricam templi et palatiorum suorum convehenda. Equestribus ad milites et equites, item ad principes et famulos honorarios, qui in iis se honoris et magnificentiæ causa stiparent et comitarentur.

Censent nonnulli Salomonem in copia tot equorum peccasse contra legem Deuter. 17. 16. *Cum fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos;* sed magis peccavit in causa, scilicet in multiplicatione tot reginarum et uxorum, tantoque fastu et pompa regia, quam alere debebat populus. Unde et murmuravit contra Roboam Salomonis filium, imo ab eo defecit ad Ieroboam, ut audiemus c. 12. 4. Abul. tamen excusat Salomonem a peccato, saltem graviore, quod bona intentione id fecerit, et ob necessitatem, idque in rerum omnium abundantia et summa opulentia. Volebat enim Deus in Salomone suam et Israelis gloriam et magnificentiam toti mundo ostendere.

Vers. 29. DEDIT QUOQUE DEUS SAPIENTIAM SALOMONI ET PRUDENTIAM MULTAM NIMIS, ET LATITUDINEM (Chald. *dilationem*) CORDIS, QUASI ARENAM, QUÆ EST IN LITTORE MARIS.) *Latitudinem cordis* vocat magnificentia et magnanimitatem, puta cor regium, amplum, magnificum magnanimum, ad tantum regimen ac tanta onera et opera, fabricarum præsertim, magno animo sustinenda et superanda, ut sicut arena plurima est et latissime se porrigit, sic et cor Salomonis plurima etiam minutissima complecteretur, et ad omnia quæ mente concipiebat opere exequendum sese extenderet. Parum enim prodest multa mente concipere et intelligere, nisi adsit virtus et strenuitas ad ea in praxim redigendum.

SAPIENTIOR ETHAN.) Hic Ethan fuit insignis poeta et musicus, ut patet 1. Paral. 15. 19. unde et Psal. 88. hoc titulo prænotatur: *Intellectus Ethan.* Vers. 31.

LOCUTUS EST (dictavit et scribi fecit) QUOQUE SALOMON TRIA MILLIA PARABOLAS.) Partem earum habemus in Proverbiis, ubi a cap. 10. incipiunt parabolæ, et se porrigunt ad libri finem per versus 658. qui totidem quasi continent parabolas. Vers. 32.

ET FUERUNT CARMINA EIUS QUINQUE ET MILLE.) Vatab. *quinque super mille.* Sic et Hebr. Chald. et Iosephus q. d. liber Odarum Salomonis continebat mille odas et quinque. Sept. vero vertunt, *Erant carmina eius quinque millia.* Hinc patet Salomonem fuisse Poetam. Poesis prisca Hebræorum intercidit: nec iam numeros carminis in psalmis, aliisque carminibus advertimus, nisi in rythmo.

ET DISPUTAVIT SUPER LIGNIS A CEDRO QUÆ EST IN LIBANO, USQUE AD HYSSOPUM QUÆ EGREDITUR DE PARIETE.) Hoc est, a maximis usque ad minimas. *Hyssopum* hic intellige parietariam, quam nonnulli apud Abul. vocant origanum vel spartum. Lævinus Lemnius c. 26. de herbis et Pineda vocant adianthum, Serarius satureiam, quæ idcirco Arabice nuncupatur *tsatar.* Vers. 33.

ET DISSERUIT DE IUMENTIS, ET VOLUCRIBUS, ET REPTILIBUS, ET PISCIBUS.) Verisimile est hæc olim in libris fuisse conscripta, uti de iisdem nuper fuse scripsit Ulysses Aldrovandus, Conradus Gesnerus, Guilielmus Rondeletius, Iulius Scaliger et alii. Verum hæc omnia pene interciderunt tot sæculorum intervallo, præsertim quia tum non erat typographia, sed pauca exemplaria manuscripta dumtaxat, quæ facile intereunt. Sic et interciderunt omnia Patriarcharum et Sapientum Hebræorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Arabum, Græcorum scripta ante Mosen, cuius fere solius ex prisco illo ævo libri et scripta extant. Addit Abul. Dei providentia eos interiisse, eo quod nimis curiosa continerent, vel quod nos tanta scientiarum luce, quam ipse per revelationem acceperat, indigni essemus. Glossa censet eos combustos fuisse a Chaldæis; Eusebius vero, et ex eo Glycas ab Ezechia rege.

Hinc patet Salomonem tum privatim suos, tum publice omnes docuisse Physicam et scientiam rerum naturalium; hoc enim significat τὸ *disputavit* et *disseruit.* Ad hoc enim ipse ædificavit scholam sive academiam in monte Sion, in qua ipse docebat, ut dixi Proverb. 9. vers. 1. unde ab eo suam doctrinam hauserunt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristot. teste Eusebio, S. Ambros. Clemente Alex. et aliis.

Addit Psellus Salomonem scripsisse libros de gemmis, et geniis sive dæmonibus evocandis, certo loco affigendis, et ad opera cogendis. Sed et magi nonnulli, proferunt Salomonis incantationes, claviculam et annulum: verum hæc magica sunt, et Salomone indigna. Vide Pinedam.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paciscitur Salomon cum Hiram de lignis et operariis, ad fabricam templi.

1. MISIT quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem: audivit enim quod ipsum unxissent regem pro patre eius: quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. 2. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens: 3. Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius. 4. Nunc autem

requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: et non est satan, neque occursus malus. 5. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. 6. Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii. 7. Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde, et ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. 8. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis. 9. Servi mei deponent ea de Libano ad mare: et ego componam ea in ratibus in mari, usque ad locum quem significaveris mihi: et applicabo ea ibi, et tu tolles ea: præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ. 10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, et ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius. 11. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia, in cibum domui eius, et viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. 12. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: et erat pax inter Hiram et Salomonem, et percusserunt ambo fœdus. 13. Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel, et erat indictio triginta millia virorum. 14. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis: et Adoniram erat super huiuscemodi indictione. 15. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte: 16. Absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum, præcipientium populo et his qui faciebant opus. 17. Præcepitque rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi, et quadrarent eos: 18. Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, et cæmentarii Hiram: porro Giblii præparaverunt ligna et lapides ad ædificandam domum.

Vers. 1. MISIT QUOQUE HIRAM REX TYRI SERVOS SUOS AD SALOMONEM.) Ut ei quasi novo regi de inauguratione gratularetur. Litteras Hiram et Salomonis ex Archivis Tyriorum acceptas recenset Iosephus et Eupolemus apud Euseb. lib. 9. de Præpar. Earum titulus est: *Suron Salomoni Regi magno salutem.* Ubi vocat eum regem magnum, quasi regem regum, ob sapientiam æque ac opes et potentiam. Hiram enim Hebr. et a Septuag. vocatur *Chiram* vel *Churam*, quasi Chirom vel Tyrom, id est Tyriorum rex, ait Serarius. A Phœnicibus Hiram vocatur *Surom* (Tyrus enim Hebr. dicitur צור *tsor*, id est petra, quia in rupe sita. Unde *Sarranum ostrum* vocatur Tyria purpura) a Theophilo Antiocheno Hieromus et Hieromenus, cuius filiam Salomoni nupsisse asserit Tatianus. A Iosepho lib. 8. Antiq. cap. 2. et lib. 1. contra Apionem vocatur Iromus Abibali filius.

Vers. 4. ET NON EST SATAN.) q. d. Non est adversarius, non est mihi hostis, cum quo bella geram, vel qui me a fabrica templi impediat.

Vers. 7. BENEDICTUS DOMINUS DEUS HODIE, QUI DEDIT DAVID FILIUM SAPIENTISSIMUM.) Hinc videtur quod Hiram partim ex familiaritate cum Davide, partim ex sapientia et felicitate Salomonis cognoverit Deum verum, quem ipsi colebant. Vocat enim eum *Iehova* (ut habent Hebr.) quod est nomen proprium Dei, Mosis et Hebræorum. Hinc quoque strenue cooperatus est Salomoni ad fabricam templi Dei veri, mittendo tot millia operariorum, ligna, lapides; quod utique non fecisset, si ipse putasset Deum Salomonis non esse verum, sed falsum: pro templo enim ædificasset idolum. Simile fecit Seleucus rex Asiæ 2. Machab. 3. 3. Antea enim Hiram coluerat Herculem et Astartem deos Tyriorum, eisque templa ædificarat, uti asserit Iosephus lib. 1. contra Apion. Forte etiam Hiram cum hisce diis suis patriis simul coluit Deum Hebræorum, uti fecerunt Assyrii translati in Samariam, ut audiemus lib. 4. c. 17.

Hinc Eucherius et Angelomus Alleg. per Hiram intelligunt reges Gentium, ut Constantinum, Theodosium, Gratianum, Carolum, qui Christum et Apostolos, in ædificanda et propaganda Ecclesia adiuverunt. Unde et Hiram vel Chiram Hebr. idem est quod *vita excelsus*, aut *vitæ celsitudo*; vel *principatus* aut *nobilitas*, aut *candor eorum*, ait Pagnin. in Nomin. Hebr.

Vers. 10. ITAQUE HIRAM DABAT SALOMONI LIGNA CEDRINA, ET LIGNA ABIEGNA.) Scilicet cedros et abietes. Addit liber 2. Paral. 2. 8. *Ligna arceuthina*, id est iuniperina, ut vertunt Septuag. scilicet iuniperos, quæ ibi in magnam altitudinem et crassitiem excrescunt, ut inde fiant trabes pro fabricis. Licet enim David ligna reliquamque materiam ad fabricam templi præpararit, ut dicitur 1. Paral. 22. 14. tamen hæc non suffecerunt Salomoni, maiora, et plures fabricas palatiorum suorum meditanti. Ita Abul.

Alleg. Eucher. et Angel. « Conversa Gentilitas, inquit, misit ad Christum viros quosdam, et secundum sæculum claros, sed securi Dominicæ increpationis, de monte suæ superbiæ iam deiectos et humiliatos, qui ad normam evangelicæ veritatis instituti, in ædificatione Ecclesiæ pro suo quisque merito vel tempore collocarentur. Misit etiam artifices: quia conversos ad veram sapientiam philosophos, qui gratia eruditionis populis quoque regendis iure præponerentur, Domino Gentilitas obtulit, qualis fuit ipsis Apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, qualis deinceps Doctor suavissimus et fortissimus Martyr Cyprianus, aliique quamplurimi. Misit et aurum, quod in eadem pene significatione accipitur, quia nimirum viros sapientia et ingenio præclaros ostendit: pro quibus cunctis oblationibus Gentilitas a Deo dona expectat gratiæ cælestis. »

SALOMON AUTEM PRÆBEBAT HIRAM, COROS TRITICI VIGINTI MILLIA.) Tyrus enim tunc erat insula et undique cincta mari, ut in ea nec seri nec meti posset. Unde Hiram petens a Salomone triticum in sua epistola apud Iosephum ait: *Tritico indigemus, quippe insulares sumus:* postea vero Tyrus a Nabuchodonosor per tredecim annos obsessa, comportatis in mare terræ aggeribus, ut adiri et expugnari posset, facta est Peninsula, ut dixi Ezech. 29, 17. et 18. et Isaiæ 23. 10. Vers. 11.

ELEGITQUE REX SALOMON OPERARIOS DE OMNI ISRAEL, ET ERAT INDICTIO TRIGINTA MILLIA VIRORUM.) Per *operarios* intellige primarios et artifices, vel præfectos operum. Nam ut dicitur c. 9. 22. *de filiis Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri eius, et principes, et duces et præfecti curruum et equorum.* Vers. 13.

FUERUNTQUE SALOMONI SEPTUAGINTA MILLIA EORUM, QUI ONERA PORTABANT ET OCTOGINTA MILLIA LATOMORUM IN MONTE.) Hoc est lapicidarum, qui lapides ex monte sive rupe exciderent. Hi enim non erant Israelitæ, uti iam dixi, sed proselyti, ut patet 2. Paral. 2. 17. et 18. Proselyti igitur hi erant Gabaonitæ, ceterique Chananæi Hebræis subiecti, et ad iudaismum conversi. Proselytorum ergo onera portantium et latomorum in fabrica templi erant universim 150. millia, Hebræorum vero triginta millia, ut dictum est v. 13. quæ adde 150. millibus fient 180. millia. His adiice Tyrios et Sidonios, quos Salomon ab Hiram postularat, ipseque ei submiserat, ut patet v. 6. et 9. ac Ægyptios, quos Pharao socer Salomonis ei destinarat, evadent du- Vers. 15.

centa millia et amplius eorum qui laborarunt in fabrica templi, imo, si credimus Eupolemo apud Eusebium l. 9. de Præpar. evadent trecenta et quadraginta millia. Eupolemus enim asserit Hiram misisse Salomoni octoginta millia Tyriorum, ac Pharaonem totidem millia Ægyptiorum, qui iuncti faciunt 160. millia, quæ si addas 180. millibus a Salomone destinatis, fient 340. millia. Verum hic numerus videtur nimius et quasi incredibilis. Unde nonnulli opinantur errorem esse in numeris Eupolemi vel Eusebii, ut octoginta millia irrepserint pro octo vel octodecim millibus. Sub latomis, id est lapicidis, intellige lignorum cæsores; sed hic latomi soli nominantur, quia erant plures lapicidæ quam lignicidæ. Sic sub onera portantibus intellige aurigas, nautas, muliones, agasones, etc.

Vers. 16. ABSQUE PRÆPOSITIS, etc. NUMERO TRIUM MILLIUM ET TRECENTORUM.) Dices, 2. Paral. 2. numerantur tria millia et sexcenti. Resp. ex sexcentis erant trecenti, qui ipsis præpositis præerant, quos addit et supplet liber Paralip. Ita Vatab. Dion. Caiet. et Salianus.

Vers. 17. UT TOLLERENT LAPIDES GRANDES, LAPIDES PRETIOSOS, IN FUNDAMENTUM TEMPLI.) Ergo hi lapides pretiosi non erant adamantes, carbunculi, smaragdi, sed marmorei: hi enim sunt duri et fortes, ut in fundamenta mittantur, ibique fabricam omnem sustineant. Porro marmor est magni pretii et varii generis. Aliud enim dicitur Ophites, eo quod habeat maculas instar serpentum: ὄφις enim est serpens Aliud dicitur Porphyrites, quod rubeat, ac candidis punctis dispungatur. Aliud est Parium et album, aliud nigrens, aliud viride. Aliud dicitur sphengites, quod splendet et tralucet.

PORRO GIBLII PRÆPARAVERUNT LIGNA ET LAPIDES.) Vers. 18.
Putant nonnulli fabros hos dictos Giblios ab Hebr. גביל *ghebul*, id est terminus, quod dolando lapides eos eleganti figura terminarent. Verum dico Giblios sive Biblios (littera enim g subinde commutatur cum littera b) dici ab urbe Biblo, de qua Adrichom. p. 185. n. 11. « Biblus, inquit, sive Byblus, et Biblium, olim Eve seu Evæa, nunc Gibel, Giblec et Bibleth dicta, inclyta Phœnices civitas est, quæ Hebraice Gebal et Gobel, incolæ vero eius Biblii seu Giblii in sacris litteris vocantur. Hæc versus Aquilonem a Cane fluvio tribus, contra Austrum vero a civitate Botro quatuor milliaribus, super mare sita ab Evæo sexto filio Chanaan fundata scribitur, de qua in tertio Regum libro hoc modo legimus. Porro Biblii præparaverunt (Salomoni) ligna et lapides ad ædificandam domum. Denique in Biblo erant Adonidis templa, ait Strabo lib. 16. hodie Gaeta dicitur.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon fabricat templum.

1. FACTUM est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de Terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino. 2. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine. 3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi: et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. 4. Fecitque in templo fenestras obliquas. 5. Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in circuitu. 6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi. 7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: et malleus, et securis, et omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur. 8. Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ: et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. 9. Et ædificavit domum, et consummavit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis. 10. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, et operuit domum lignis cedrinis 11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem dicens: 12. Domus hæc, quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, et iudicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea: firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad David patrem tuum. 13. Et habitabo in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel. 14. Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam. 15. Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: et texit pavimentum domus tabulis abiegnis. 16. Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, a pavimento usque ad superiora: et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. 17. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. 18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas et iuncturas suas fabrefactas, et cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini. 20. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitudinis: et operuit illud, atque vestivit auro purissimo, sed et altare vestivit cedro. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, et affixit laminas clavis aureis. 22. Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur: sed et totum altare oraculi texit auro. 23. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera: id est, decem cubitos habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem. 25. Decem quoque cubitorum erat cherub secundus: in mensura pari, et opus unum erat in duobus cherubim, 26. Id est, altitudinem habebat unus cherub, decem cubitorum, et similiter cherub secundus. 27. Posuitque cherubim in medio templi interioris; extendebant autem alas suas cherubim, et tangebat ala una parietem, et ala cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se invicem

contingebant. 28. Texit quoque cherubim auro. 29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis et torno: et fecit in eis cherubim, et palmas, et picturas varias, quasi prominentes de pariete, et egredientes. 30. Sed et pavimentum domus texit auro intrinsecus et extrinsecus. 31. Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque. 32. Et duo ostia de lignis olivarum: et sculpsit in eis picturam cherubim, et palmarum species, et anaglypha valde prominentia: et texit ea auro: et operuit tam cherubim quam palmas, et cetera auro. 33. Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos: 34. Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur. 35. Et sculpsit cherubim, et palmas, et cælaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. 36. Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri. 37. Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio: 38. Et in anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus suis: ædificavitque eam annis septem.

IDEA TEMPLI.

Templum Salomonis fuit instar Tabernaculi Mosis: tabernaculum enim erat quasi templum mobile Hebræorum peregrinantium in deserto: templum vero erat quasi tabernaculum fixum et stabile eorumdem quiete habitantium in terra promissa. Quare sicut Deus ideam tabernaculi dedit Mosi Exodi c. 25. et seq. sic et ideam templi fabricandi dedit Davidi, ut is eam traderet Salomoni, ut patet 1. Paral. 28. 19. Templum ergo æque ac Tabernaculum proprie duas habebat partes, una anterior dicebatur Sanctum, altera posterior dicebatur Sanctum sanctorum, id est sanctissimum, uti est chorus in templis nostris. In Sancto erant tria, scilicet primo, candelabrum septiceps totidem lucernis impositis lucens. Secundo, mensa panum propositionis, continens duodecim panes, quos duodecim tribus offerebant Deo in gratiarum actionem, quasi protestantes se in terra promissa ali a Deo. Tertio, altare thymiamatis vicinum et obversum Sancto sanctorum, in quo quotidie mane et vespere immolabatur thymiama Deo residenti in Sancto sanctorum. Iam in Sancto sanctorum erat arca fœderis cum suo operculo, id est Propitiatorio, sustinens duos Cherubinos, qui iunctis alis exhibebant quasi sedem et thronum Deo inde danti oracula et responsa de iis, quæ ab eo sciscitabatur pontifex indutus Rationali *Urim* et *Tummim*. Nam in Sanctum sanctorum nemo ingredi poterat nisi pontifex; in Sanctum vero nemo nisi sacerdos: quare pro populo ante Sanctum adiectum fuit atrium sub dio, quod erat quasi populi sive laicorum templum, ut in eo orarent et sacrificia spectarent.

Atrium hoc erat duplex. Prior enim eius pars vicina Sancto cedebat sacerdotibus; in eo enim erat altare holocaustorum, in quo sacerdotes victimas immolabant, ac labrum sive mare æneum, in quo sacerdotes tam se quam victimas abluebant. Posterior et remotior a Sancto atrii pars cedebat laicis, qui inde spectabant sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotum; unde ab eo distinguebatur muro alto tres cubitos dumtaxat, ita ut laici ultra eum spectare possent sacerdotes eorumque actiones. In hoc atrio Christus docuit. Nam in Sanctum ingredi non poterat, eo quod non esset sacerdos Leviticus. In atrium utrumque nemo ingredi poterat nisi mundus. Quare pro immundis et Gentilibus Herodes adiecit tertium atrium, quod erat extimum et remotissimum a Sancto, ac separatum ab atrio Iudæorum mundorum.

Porro ad muros vel latera horum atriorum erant Exedræ, quæ et Gazophylacia et Pastophoria dicuntur, hoc est cubicula sacerdotum, et supellectilium templi, ut vestium sacrarum, quas hic induebant sacerdotes, ac deinde exuebant et reponebant.

Templum maius et magnificentius erat Tabernaculo. Tabernaculum enim longum erat cubitis triginta (Sanctum enim longum erat cubitis viginti, Sanctum sanctorum decem) totidem altum, latum vero decem cubitis. Quare tam in Tabernaculo, quam in templo, Sanctum erat quadrangulum, quia duplo longius erat quam latius: Sanctum sanctorum vero erat quadratum, quia tam latum erat quam longum. Templum autem longum erat sexaginta cubitis (Sanctum enim longum erat quadraginta cubitis, Sanctum sanctorum vero viginti) latum erat viginti cubitis, altum triginta usque ad primam contignationem, inde vero sursum per tabulata extendebatur ad nonaginta cubitos, ita ut universim in altitudine haberet centum et viginti cubitos.

Rursum in Tabernaculo unum erat candelabrum et una mensa, in templo vero erant decem mensæ et totidem candelabra.

Insuper atria in templo maiora erant quam in Tabernaculo. Erant enim atria quasi amplissimæ areæ, partim sub dio apertæ et patentes, partim porticibus ad latera contectæ, unde et porticus nominantur, ut tempore pluviæ ad eas se recipere posset populus. Ad atrium sacerdotum ingressos quoque fuisse Levitas, quod ipsi sacerdotibus in immolatione victimarum subservirent, censent Theod. q. 22. Angelomus c. 1. et Serarius, qui idem censet de Nathinæis, hi enim plurima ligna et aquas comportare debebant ad tot victimarum immolationem, quæ fiebat in atrio sacerdotum. Ioannes Budinius lib. 1. de Gloria Christi Domini c. 5. unicum atrium sacerdotum fuisse vult quatuor stadiorum, ita ut nimirum totus templi ambitus quinque stadiorum fuerit. Adrichom. lib. de Ierusalem num. 101. dicit atrium profanum fuisse quatuor stadiorum.

Allegor. templum repræsentabat Ecclesiam militantem; Anagogice triumphantem in cælis; Tropol. animam sanctam, quæ per fidem in hac vita, et per speciem in altera Deum facie ad faciem contemplatur, et hac contemplatione beatur.

Fuse et accurate templi fabricam describunt Iosephus lib. 8. Antiq. c. 2. Pineda l. de Rebus Salomonis. Franc. Ribera lib. de Templo, Ioannes Baptista Vilalpando, Abulensis, Arias Montanus, Christianus Adrichomius, Richardus de S. Victore, Caietanus. Mysticam templi explicationem fuse affert Beda libris tribus de Tabernaculo, Eucherius, Angelomus Rupertus et Franc. Ribera libris 5. de Templo. Vide etiam si libet quæ annotavi Exodi 25. et seq. ubi Tabernaculum, omnesque eius partes tam ad litteram quam mystice explicui. Multa quoque addidi Ezechielis c. 40. et seq.

Magnificentia templi quanta et quam eximia fuerit ex variis coniici potest. Primo, quod templum fuerit opus Salomonis, qui fuit rex sapientissimus, opulentissimus et magnificentissimus. Templi magnificentia. I.

Secundo, quod templum factum sit ad ideam non hominis, sed Dei ipsius, qui illam dedit Davidi, ut eam traderet Salomoni, uti dixi. Volebat enim Deus ut Iudæis et hominibus rudibus, qui Deum et divina æstimare et ponderare nesciunt, divina maiestas in templi magnificentia repræsentaretur, ut ex illa discerent eum æstimare, revereri et admirari. Hanc causam dat Salomon 2. Paral. 2. v. 5. dicens: *Domus quam ædificare cupio magna est. Magnus est enim Deus noster super omnes deos.* II.

Tertio, ex eo quod templum hoc ab omnibus habitum sit orbis miraculum. Insuper parietes et laquearia eius tegebantur auro, ita ut omnia reniterent auro, et intrantium oculos fulgor undique occurrens perstringeret, ait Iosephus lib. 8. c. 2. III.

IV. Quarto, ex numero operariorum et præfectorum: laborarunt enim in eo ducenta hominum millia et amplius, per septem continuos annos, uti ostendi c. 5. 15.

V. Quinto, ex opibus ad templi fabricam Salomoni relictis. Reliquit enim ei pater David, ut dicitur 1. Paral. 22. 14. centum millia talentorum auri, quæ ad nostram monetam redacta faciunt mille et ducentos milliones. Millionem voco decies centena milla aureorum. Insuper reliquit ei mille millia talentorum argenti, quæ tantundem efficiunt, puta mille et ducentos milliones auri. Libra enim una auri olim valebat decem libras argenti. Universim ergo reliquit ei bis mille et quadrigentos milliones aureorum, præter æs, ligna, lapides, ceteramque fabricæ materiam innumeram. Unde 1. Paral. 22. 14. additur: *Æris vero et ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine.*

VI. Sexto, *malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.* Addit Iosephus in fine lib. 15. *toto tempore* quo templum struebatur, numquam interdiu pluisse, noctu tantum imbribus descendentibus, ne interrumperetur ædificatio. Licet Iosephus ibi proprie loquatur de templo Herodis.

VII. Septimo, Hebræi decem mira et quasi miracula templi recensent, penes quos sit fides. Primum, « Numquam abortivit mulier propter carnis nidorem in sanctuario. Secundum, numquam fœtuit caro santuarii. Tertium, neque conspecta fuit musca in domo mactationis. Quartum, non accidit casus nocturnus sacerdoti magno in die expiationis. Quintum, non extinxerunt pluviæ ignem qui erat in strue lignorum. Sextum, non vicit ventus columnam fumi. Septimum, non repertum ullum vitium in Gomer, nec in duobus panibus, nec in panibus facierum. Octavum, stabant coarctati et adorabant dilatati. Nonum, numquam læsit aliquem serpens et scorpio in Ierusalem. Decimum, nec dixit homo socio suo: angustior mihi est locus quam ut possim pernoctare Hierosolymis. »

Vers. 1. Factum est ergo quadrigentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino.) Perperam ergo Iosephus ab exitu Hebræorum usque ad fabricam templi numerat annos 592. (sic enim legendum in Iosepho ostendit Ribera lib. 1. de Templo cap. 1. non 612. uti iam habent Codices Latini Iosephi) ac Beda numerat annos 490. Sulpitius 588. Theophilus 602. Cedrenus 672. Philastrius 713. Serarius hic in cap. 7. numerat annos 680. Hæc enim omnia repugnant huic loco, ubi Hebr. Septuag. Chald. et Latina constanter numerant annos dumtaxat 480. quorum computum præcise per annos Iudicum assignavi Iudic. c. 3. v. 13. Ubi nota Sept. Roman. hic habere annos 440. dumtaxat, sed non numerant annos 40. quibus Hebræi peregrinati sunt in deserto; quare egressum ex Ægypto completum intelligunt, et sub eo comprehendunt ingressum in terram promissam, qui contigit anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto. Verum Septuag. Complut. et Regia habent ut Noster et Hebr. scilicet annos 480.

Cœpit igitur Salomon ædificare templum anno quarto regni sui, mense secundo; perfecit vero illud anno undecimo, mense octavo, ut dicitur v. 37. Unde sequitur ædificationem hac durasse septem annos, et septem menses præcise. Sed Script. septem menses quasi quid minutum subticet, et integrum annorum dumtaxat numerum assignat. Cœpit ergo templum fabricari anno mundi 2933. qui fuit a diluvio annus 1276. ante Christi nativitatem anno 1017. iuxta tabulam Chronologicam, quam præfixi Pentateucho.

Porro Iosephus ait fabricatum fuisse templum anno 12. Hiram regis Tyri, indeque numerat 143. annos usque ad ædificationem Carthaginis, quam fecit Dido ex Tyro navigans in Africam. Sed error irrepsit in computu Iosephi; nam non 143. sed 125. dumtaxat fluxere anni, uti ex regum Tyri, qui Hiram successere, annorum numero, quem recenset Iosephus, arithmetice demonstrat Salianus anno mundi 3166. in fine, quo ipse Carthaginem conditam asserit, qui fuit annus decimus Ioas regis Iuda, et 28. Elisæi Prophetæ: licet varii varie hac de re scribant.

Porro, cur hic numerentur anni fabricæ templi ab egressu Hebræorum ex Ægypto, causam dant Beda, Abulen. et ex eis Pineda lib. 5. c. 5. quod tunc primum suum populum redigeret Deus sub forma reipubl. ac certis ritibus, certisque sanctæ religionis et fidei legibus communiret. Ideo ubi illiusmet religionis templum amplissimum atque sanctissimum ædificabatur, et cuius erectione et opportunitate alia vel altaria vel loca religiosa cessare debebant; denique maximum incrementum religio et respub. perceptura erant, oportuit eiusdemmet religionis et reipublicæ initia designari.

Locus fabricæ templi describitur 2. Paral. 3. v. 1. ubi dicitur: ***Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem, in monte Moria*** (ubi Abraham iussus fuit immolare Isaac Genes. 22.) ***qui demonstratus fuerat David patri eius, in loco quem paraverat David in area Ornan Iebusæi.*** Hinc et Christus ibidem, puta in monte Calvariæ, qui pars est montis Moria, crucifixus seipsum victimam Deo obtulit pro mundi salute. Hoc enim adumbrabat immolatio Isaac, et victimarum omnium in templo. Denique templum ædificatum fuit in loco pertinente ad tribum Beniamin, uti omnes Interpretes docent, et patet Deuter. 33. v. 12. Sic et Plato lib. 7. Politic. et Aristot. lib. 6. de legibus docent in montibus ædificanda esse templa, ut eminus sint conspicua, et cælo Deoque viciniora.

Rursum 2. Paral. 3. v. 3. dicitur Salomon *ædificasse longitudinis cubitos sexaginta in mensura prima*, id est ante distinctionem Sancti a Sancto sanctorum, prima mensura longitudinis totius templi fuit sexaginta cubitorum, quæ mensura deinde distincta et divisa est eo modo, ut ex ea Sanctum haberet 40. cubitos, reliquos vero viginti haberet Sanctum sanctorum. Ita Vatab. aliter Abul. Prima mensura templi, inquit, fuit longitudo, quia primo in longum ædificarunt utrumque templi parietem, deinde in latum parietes transversos.

In mense zio.) Iam legunt Hebræi *in mense zif*, quia pro ו *vau* vocali cum puncto *cholem* legunt *vau* consonantem sine puncto. Idem mensis Hebr. dicitur אייר *iiar* ab אור *or*, id est lux, splendor. Unde Chald. vertit, *in mense apertionis sive splendoris florum*, eo quod isto mense germina et flores se aperiant, eorumque viror et decor tunc splendescat.

Ipse est mensis secundus.) Qui partim respondet nostro Aprili, partim Maio, sicut primus Hebræorum mensis dictus Nisan, partim respondet nostro Martio, partim Aprili, quod tempus est aptissimum ad fabricam.

Domus (templum) autem, etc. habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine.) Dices, 2. Paral. 4. v. 4. dicitur: *Porro altitudo centum viginti cubitorum erat.* Resp. altitudo templi usque ad primam contignationem, sive usque ad primum tabulatum, erat triginta cubitorum, ut hic dicitur: altitudo vero eiusdem usque ad summam contignationem, sive usque ad summum tectum et pinnaculum, erat 120. cubitorum, ut in lib. Paral. dicitur. Erat enim quasi aliud ædificium supra templum, ubi repositi fuere templi thesauri, donaria, vota; item vetus tabernaculum Mosis, et Davidis altare, etc. ita Eucherius, Angelomus. Abul. et passim Interpretes. Vide Riberam lib. 1. de Templo c. 5. et Vilalpandum pag. 267. Hic etiam latuit Ioas puer, et postea rex, ait Caiet. fugiens Athaliam occidentem filios regis, 4. Reg. 11. 3. Tanta altitudo et moles templi sustentabatur crassis parietum muris, quibus incumbebat. Muri quoque fulciebantur per suas parastadas (vulgo *pilastres*) et antherides, de quibus vide Vilalpan. Vers. 2.

Porro ex templo hoc ad tabulata conscendebatur per cochleam, de qua v. 8. *Et per cochleam*, inquit, *ascendebant in medium cœnaculum* (tabulatum) *et a medio in tertium.*

Denique cum Iudæi post reditum ex Babylone templum a Chaldæis combustum reædificarunt, ad sexaginta dum-

taxat cubitos altitudinis illud evexerunt, eo quod Cyrus vetaret altius erigi, timens ne Iudæi rebellantes ex templo facerent arcem, ut patet 1. Esdræ 6. et ex Iosepho.

Allegor. Angelomus. « Longitudo domus Dei, inquit, longanimitatem designat Ecclesiæ, quia in exilio peregrinationis eius patienter adversa quæque tolerat, donec ad patriam, quam expectat, perveniat. Latitudo insinuat charitatem, quæ dilatato sinu mentis non solum amicos in Deo, sed et inimicos diligere gaudet propter Deum: donec veniat tempus, quando sive ad pacem suam conversis, sive funditus omnibus extinctis inimicis, cum solis gaudeat amicis in Deo. Altitudo spem denuntiat futuræ retributionis, cuius intuitu libenter infima quæque, sive quæ demulcent, sive quæ adversantur, contemnit: usque dum utrisque transcensis sola mereatur videre bona Domini in terra viventium. »

Vers. 3. ET PORTICUS ERAT ANTE TEMPLUM VIGINTI CUBITORUM LONGITUDINIS, IUXTA MENSURAM LATITUDINIS TEMPLI: ET HABEBAT DECEM CUBITOS LATITUDINIS ANTE FACIEM TEMPLI.) Ita scilicet, ut hi decem cubiti latitudinis porticus adiungerentur non latitudini, sed longitudini templi; quia latitudo porticus erat minor, utpote decem cubitorum dumtaxat, quam latitudo templi, quæ erat viginti cubitorum, quare ei iungi et adæquari non poterat: adiuncta est ergo longitudini templi. Eadem vero erat longitudo porticus, quæ latitudo templi, scilicet viginti cubitorum; quare illa huic adiuncta et adæquata fuit: latitudo vero porticus, quæ erat decem cubitorum, adiuncta fuit longitudini templi, quæ erat sexaginta cubitorum, ita ut adiuncta latitudine porticus templum cum porticu haberet 70. cubitos in longitudine et 20. cubitos in latitudine. Ita Ribera et alii.

Erat hæc porticus templi vestibulum ad elegantiam et magnificentiam, æque ac ad usum addita Sancto, sive anteriori parti templi. Id imitati sunt Christiani primi, qui suis templis iisdem de causis adiecere porticus, quales videre est Romæ in basilica S. Petri, S. Mariæ Maioris, S. Ioannis Lateranensis, S. Laurentii, S. Cæciliæ, etc. idque ad multiplicem usum. In porticibus enim manebant excommunicati, pœnitentes, catechumeni, quibus templum ingredi et Missam audire fas non erat. Item pauperes, mendicantes et peregrini, qui a prandio vel noctu basilica clausa, in porticu orabant et pernoctabant. Ad hæc, qui in templo litteras et nuntios accipiebant de rebus domesticis vel sæcularibus, e templo, ubi illa expedire et tractare non decebat, egrediebantur in porticum, ibique ea peragebant. In porticu etiam parabantur sedes, scamna, ornamenta, ceteraque inferenda in templum.

Porro templum, inquit Angelomus et Eucher. « erat conversum ad Orientem, sicut et tabernaculum, habebatque ostium porticus ab Oriente contra ostium templi, iuxta quod historicus Iudæorum Iosephus apertissime docet, ita ut sol æquinoctialis oriens directis radiorum suorum lineis per ostia tria, porticus videlicet, et templi et oraculi, arcam testamenti perfundere posset. »

Unde Allegor. per porticum hanc significantur sancti, qui Christum præcesserunt, puta Patriarchæ et Prophetæ, qui orientem huic mundo solem iustitiæ primi susceperunt, et nascenti in carne Domino testimonium, sive vivendo, sive prædicando, sive nascendo, sive etiam moriendo præbuerunt, ait Angelom. et Eucher.

Denique nonnulli censent hanc esse porticum Salomonis, in qua docuerunt Christus et Apostoli, ita Abul. Titelm. Iansen. c. 93. Concord. Evang. sed hallucinantur: hæc enim porticus erat vicina Sancto ante atrium sacerdotum, in quorum neutrum ingredi licebat Christo et Apostolis, eo quod non essent sacerdotes veteris legis. Vide quæ de porticu Salomonis dixi Act. 3. 11.

Vers. 4. FECITQUE IN TEMPLO FENESTRAS OBLIQUAS.) Hebr. שְׁקֻפִים אֲטֻמִים *scekuphim atumim*, id est *aspicientes clausas*, hoc est, ut Chald. *intrinsecus apertas, extrinsecus clausas*, puta introrsum latiores, extrorsum angustiores (forte etiam cancellis obductas: unde Septuag. vertunt, *cancellatas* vel *reticulatas*) ideoque *obliquas*, ut

A vertit Noster, ut videlicet plus luminis admitterent: quia, ut docent Optici sive Perspectivi, in obliquis hisce fenestris radii solares venientes forinsecus intersecant se in superficie extima fenestræ, ubi est locus angustior, ac deinde dilatantur, et longe lateque se per domum dispergunt (unde Symmach. pro *obliquas*, vertit *sagittarias*, quæ scilicet lucem quasi sagittam emittunt) sic enim lux solis in domum intrat per modum pyramidis inversæ. Ita S. Hieron. in c. 40. Ezech. Ribera lib. 1. de Templo cap. 13. Eucher. Angelom. et alii. Audi S. Hieron. in c. 41. Ezech. *Fenestræ quoque erant factæ in modum retis, instar cancellorum, ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur* (*pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habes*) *quæ in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram videlicet, et ad sinistram, et post tergum, id est ad Meridiem, et ad Aquilonem, et ad Occidentem. Orientalis autem pars non habebat fenestras, quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, et cuncta interiora templi* B *ianuarum lumine complebantur, ita ut per singulas fenestras et cancellorum foramina intro quis posset aspicere.*

Hæ fenestræ erant in Sancto dumtaxat. Nam Sanctum sanctorum carebat fenestris ad sui reverentiam: Deus enim habitat in caligine nobis invisibili: per ostium tamen lux aliqua immittebatur in Sanctum sanctorum. Vide dicta Levit. 16. 13.

Allegor. hæ fenestræ obliquæ repræsentant sanctos Doctores, per quos Deus fideles docet et illuminat, « qui, ut ait Angelom. dum ea quæ in occulto vident, publice fidelibus pandunt; quasi suscepto lumine solis fenestræ, iuncta templi penetralia replent. Unde bene eædem fenestræ obliquæ, id est intus latiores, fuisse perhibentur, quia nimirum necesse est, ut, quisquis iubar supernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atque ad maiora capessenda solerti exercitatione se præparet. » Vide dicta Ezech. 41. v. 17.

C ET ÆDIFICAVIT SUPER PARIETEM TEMPLI TABULATA PER GYRUM, IN PARIETIBUS DOMUS PER CIRCUITUM TEMPLI (id est Sancti) ET ORACULI (id est Sancti sanctorum, ex quo Deus dabat oracula) ET FECIT LATERA IN CIRCUITU.) Describit hic cellas ædificatas circa templum: hoc enim significat *τὸ fecit latera in circuitu.* Erant enim hæ cellæ laterales templo, illudque lateraliter ambiebant per tria latera, sive per tres mundi plagas, scilicet ad Occidentem, Meridiem et Septemtrionem. Nam plaga ad Orientem, ubi erat ostium et ingressus, cellas in circuitu habere non poterat. Quod ergo ait, *super parietem*, idem est quod iuxta parietem, vel circa parietem templi. Simili enim modo de Christo dicitur Lucæ 4. 39. *Stans supra*, id est iuxta *illam, imperavit febri.* Et Psalm. 136. 1. *Super*, id est iuxta, *flumina Babylonis sedimus et flevimus*, etc. Sensus ergo est q. d. Salomon ædificavit iuxta et circa tres parietes templi spectantes ad tres mundi plagas ordinem quemdam cellarum, eumque circumcirca interna tabulata erexit et divisit, idque fecit tum ob D pulchritudinem, tum ob firmitatem et custodiam templi. In his enim cellis poterant orare sacerdotes, et in ipsum templum per fenestras inspicere. In iisdem cellis reponebantur divitiæ templi. Unde illæ a Septuag. vocantur *apothecæ*, et a Nostro 1. Paral. 28. 11. *cellaria.* Patet ex Iosepho 8. Antiq. c. 2. Vers. 5.

ET FECIT LATERA IN CIRCUITU.) *Latera* vocat tabulata cellarum, ut patet ex Hebr. et Septuag. Hæc enim latera explicat dum subdit: *Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis.* Ubi pro *tabulatum* Hebræi et Septuag. habent *latus*. Tabulata ergo vocat *latera*, tum quia lateraliter circuibant tria templi latera, tum potius quia unum super aliud lateraliter extabat et prominebat, ac superius erat latius quam inferius, unde Chald. vocat *appendices*.

Sensus ergo est q. d. Hæ cellæ, sive ordines cellarum,

habebant tria latera, id est tria tabulata circumcirca, quorum latus sive tabulatum infimum erat quinque cubitorum latitudinis; secundum vero sex; tertium autem septem cubitorum; hoc est, tres erant ordines cellarum in tribus earum tabulatis, quorum secundus ordo erat latior primo, et tertius latior secundo ob trabes extantes, de quibus mox subdit: *Trabes autem posuit*, etc. ita Salianus, Ribera, Caiet. et alii.

Porro huius inæqualitatis tabulatorum causa fuit, angustia areæ in monte Moria: hæc enim fecit ut imæ cellæ essent angustæ: quare superiores oportuit facere latiores per trabes prominentes. Ita Ribera.

Vers. 6. TRABES AUTEM POSUIT IN DOMO PER CIRCUITUM FORINSECUS, UT NON HÆRERENT MURIS TEMPLI.) *Trabes*, id est capita trabium ultra parietes, quibus incumbebant, extantia et prominentia. Unde Hebr. vocantur מגרות *migrot*, id est *deficientia*, quia scilicet non pertingebant ad vicinum parietem templi, sed ab eo deficiebant, erantque capita trabium extantia dumtaxat. Sensus est q. d. fecit ut trabes ultra suum parietem porrigerentur et extarent per sua capita, ut in iis imponerentur tigna transversa, itaque tabulata superiora fierent maiora, et maiorem haberent latitudinem quam tabulata inferiora. Neque enim hæ trabes et tabulata hærebant muris templi, sed cellæ hæ earumque tabulata distantes erant, licet parvo intervallo, a parietibus templi. Unde necesse est ut cellæ hæ habuerint fenestras e regione fenestrarum templi, ut in eas lumen suum transmitterent. Hinc patet cellas et tabulata hæc non fuisse prominentia ex ipso templo, uti volunt Beda, Angel. Lyran. et Abul. sed fuisse separata a muro templi, uti diserte hic asserit Script.

Porro in imo ordine, sive in pavimento, quod suo tabulato tegebatur, erant cellæ sive cubicula 14. totidem in secundo ordine, sive in medio tabulato, totidem in tertio sive supremo, ita ut universim essent 42. cellæ, quæ omnes erant perviæ, ita ut ex una sine ostio transiretur in aliam, et inde in sequentem, etc. licet Iosephus asserat in singulis ordinibus triginta fuisse cellas sive domunculas, quæ quinque habebant cubitos in longitudine et totidem in latitudine. Sed errat in hoc, uti et in pluribus aliis Iosephus, uti ostendit Salianus.

Tropol. tres cellarum ordines, sive tria earum tabulata, notant tres status et gradus fidelium in Ecclesia, scilicet imum coniugatorum, medium sive secundum continentium, tertium et summum virginum. Ita Beda, Ruper. et alii. Vide dicta Ezech. 41. v. 7.

Vers 7 DOMUS (templum) AUTEM CUM ÆDIFICARETUR, DE LAPIDIBUS DOLATIS ATQUE PERFECTIS (qui scilicet iam dolati et perfecti erant in monte Libano vel alibi, antequam in Sion ad fabricam templi adducerentur) ÆDIFICATA EST, ET (id est, idcirco) MALLEUS, ET SECURIS, ET OMNE FERRAMENTUM NON SUNT AUDITA IN DOMO CUM ÆDIFICARETUR.) Quia, ut dixit, iam lapides dolati erant, unde nec malleo, nec securi, nec ferro ad eos dolandos et aptandos opus erat, sed tantum calce ad eos inter se conglutinandos, idque ad fabricæ reverentiam, ac ne Salomonis et ceterorum fabricam spectantium aures strepitu malleatorum et serratorum offenderentur. Fabulantur Rabbini malleum non auditum in templo, eo quod Hebræi sanguine vermiculi, quem ipsi *Ianni* vocant, lapides secuerint. Theodor. quæst. 21. et 22. Procopius et Glycas opinantur omnes lapides Deo ita disponente sic fuisse in montibus natos vel excisos, ut ferro non esset opus. Verius Lyran. Abul. et Ribera lib. 1. de Templo c. 12. respondent non fuisse auditum malleum vel securim, scilicet ad dolandum vel secandum lapides, quia iam in monte dolati et secti erant, ut dixi.

Anagog. templum hic repræsentat cælum, ubi nulla erit passio vel afflictio, quia, ut ait Eucher. et Angelom. « hic tundimur adversitatibus et disciplina veritatis exercemur, ut illic locis iuxta meritum congruis disponamur, et castigatione cessante solo amoris glutino, quo ad invicem copulemur, uno impleti spiritu perfundamur. Hic enim foris tundimur, ut illic sine reprehensione invenia-

A mur. Hic malleus, hic securis, hic omnia tunsionum resonant ferramenta: in domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia in æterna patria omnes iam percussionum strepitus conticescunt. »

Hoc est quod canit Ecclesia in Dedicatione ecclesiæ: *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis, per manus artificis disponuntur permansuri sacris ædificiis.*

OSTIUM LATERIS MEDII IN PARTE ERAT DOMUS DEXTRÆ: ET PER COCHLEAM ASCENDEBANT IN MEDIUM CÆNACULUM, ET A MEDIO IN TERTIUM.) Describitur hic cochlea, per quam ascendebatur in tabulata tum ipsius templi, tum cellarum templo adiacentium, de quibus dictum est v. 5. et seq. ac cochleæ ostium, quod erat in ipso pariete templi. Paries enim templi crassus erat novem vel decem cubitos. Unde in eo fieri poterat cochlea sine damno parietis, uti Romæ in basilica S. Petri aliisque, imo in columna Traiani, æque ac Antonini videmus cochleas, per quas ab imo in summum per 185. gradus intrinsecus Vers. 8.
B ascenditur. Vocat hoc *ostium lateris medii*, id est tabulati medii, quia per hoc ostium eiusque cochleam ascendebatur in medium, sive secundum tabulatum tam templi, quam cellarum, et ex secundo in tertium sive summum: nam infima pars templi, æque ac cellarum, non egebat cochlea nec ascensu eo quod sita esset in ipso pavimento. Hoc ergo ostium cum sua cochlea erat *in parte domus dextræ*, id est in muro templi dextro, hoc est Meridionali, nam spectantibus ad Orientem Meridies est ad dexteram, Septemtrio ad sinistram. In Meridionali ergo templi pariete et muro erat hæc cochlea eiusque ostium, quæ ab imo assurgebat per gradus usque ad summum tam templi quam cellarum fastigium. Triplex enim erat cellarum, ut dixi, æque ac templi, ordo et tabulatum, scilicet infimus, medius et summus. De ostio infimi ordinis et tabulati nil hic dicitur, quia illud erat in terra, unde non egebat ascensu et gradibus cochleæ. *In parte* ergo *domus dextræ*, hoc est, in crassitie parietis Meridionalis ipsius
C templi, ex imo, sive ex pavimento, surgebat cochlea cum suo ostio, ascendebatque intra crassitiem parietis sive muri usque ad medium, hoc est secundum tabulatum sive ordinem cellarum (unde patet cellas has, licet a templo separatas, per cochleam tamen ipsi fuisse coniunctas: erant enim illi vicinæ) templo vicinarum, et ex secundo protendebatur et ascendebat ad tertium et supremum tabulatum sive ordinem cellarum. Sufficiebat autem unum ostium et unus ingressus in singula tabulata, quia cellæ erant perviæ, ut dixi. Ita Caiet. Ribera lib. 1. de Templo c. 15. et alii.

Porro an una fuerit, eademque cochlea, qua ad ipsa templi tabulata, et simul ad tabulata cellarum templo vicinarum ascendebatur, an vero duæ, non plane liquet. Verisimile est duas fuisse. Primo, quia in Hebr. pro cochlea est לולים *lulim* in plurali, id est cochleæ. Secundo, quia hoc erat commodius, et ad maiorem templi maiestatem. Tertio, quia id insinuat Iosephus lib. 8. c. 2. qui crebro in templo versabatur. Ita Salianus. Una ergo cochlea ascen-
D debatur in tabulata templi, altera in tabulata cellarum.

Tropol. cochlea ascendens in gyrum, significat non nisi per tortuosam laborum et dolorum viam ad perfectionem virtutis, et ad gloriam Beatorum in cælum conscendi. Ita Eucher. et Angelom. cuius rei appositum extat visum in Vita S. Perpetuæ, quæ per scalam cultris obsitam vidit Satyrum in carcere socium suum in cælum ascendere, ac per hanc visionem accepit omen martyrii. Ita habet Vita eius apud Surium die 7. Martii.

ET ÆDIFICAVIT TABULATUM SUPER DOMUM QUINQUE CUBITIS ALTITUDINIS.) Videtur hoc intelligendum de tabulatis cellarum: nam tabulatum templi erat altum 90 cubitis, ut dixi; imo videtur loqui de summo dumtaxat cellarum tabulato, ait Abulens. et Caiet. Nam Iosephus asserit totam altitudinem cellarum fuisse sexaginta cubitorum. Vers. 10.

ET ÆDIFICAVIT PARIETES DOMUS INTRINSECUS TABULATIS CEDRINIS.) *Ædificavit*, id est texit, vestivit, ornavit: nam parietes ædificati erant ex lapidibus: lapides de- Vers. 15.

inde vestivit tabulis cedrinis, sicut pavimentum vestivit tabulis abietum sive abiegnis, ut sequitur. Id ita esse patet ex v. 18. ubi explicans ait: *omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.*

Vers. 16. ÆDIFICAVITQUE VIGINTI CUBITORUM AD POSTERIOREM PARTEM TEMPLI TABULATA CEDRINA.) q. d. Sicut texit priorem partem templi tabulis cedrinis, uti iam dixi v. 15. sic et iisdem texit posteriorem partem templi, id est oraculum sive Sanctum sanctorum, ex quo Deus dabat oracula. Describitur enim hic Sanctum sanctorum, quod erat interior sive posterior pars templi, habebatque in longitudine viginti cubitos, totidem in latitudine, sed triginta in altitudine, ut et reliqua templi sive Sancti pars: totum enim templum erat altum triginta cubitos, ut dictum est v. 2. Dicitur tamen hic tantum ad viginti cubitos ædificatum; quia videlicet ad viginti cubitos dumtaxat a pavimento sursum tectum fuit tabulis e cedro (ut hac parte tabulatum videretur esse quadratum, uti fuerat in Tabernaculo Mosis) reliquis vero decem cubitis in altum assurgebat nudus paries sive murus. Ita Ribera lib. 1. de Templo c. 6. Nonnulli tamen putant Sanctum sanctorum tantum habuisse viginti cubitos in altitudine, sicut totidem habebat in longitudine et latitudine, ut perfecte esset quadrum, sive quadratum, totumque fuisse obtectum tabulis cedrinis: Sanctum vero solum habuisse triginta cubitos altitudinis, et proinde decem cubitis altius fuisse Sancto sanctorum, sicut Romæ in multis templis tribuna, sive chorus, demissior est reliquo templo. Cui sententiæ favet hic versus, qui viginti cubitos assignat Sancto sanctorum, et quod deforme fuisset, si eius pars una fuisset tecta cedro, altera vero nuda.

Verius videtur Sanctum sanctorum per omnia quadratum fuisse quoad tabulatum cedrinum, assurrexisse tamen ultra hoc tabulatum ad decem cubitos, ut absolute esset altum triginta cubitos, uti erat Sanctum; sed tabulato huic viginti cubitorum tabulis cedrinis obtecto tam in Sancto, quam in Sancto sanctorum impositam fuisse fornicem cedrinam, quæ cælorum formam imitaretur et repræsentaret: fornix autem hæc ascendebat ad decem cubitos, qui supra viginti reliquos extabant usque ad tabulatum, uti solide ostendit Vilalpandus in c. 41. Ezech. Azor. lib. 6. cap. 53. nec aliud vult Ribera lib. 1. de Templo c. 6. et Barradius tom. 2. lib. 12. c. 13.

ET FECIT INTERIOREM DOMUM ORACULI IN SANCTUM SANCTORUM.) q. d. Fecit ut interior domus, quæ oraculum dicebatur, esset Sanctum sanctorum, hoc est sanctissima templi pars. Hæc enim nunc vocatur oraculum, nunc interior domus, nunc secundum Tabernaculum, nunc Sanctum sanctorum.

Vers. 17. PORRO QUADRAGINTA CUBITORUM ERAT IPSUM TEMPLUM PRÆ FORIBUS ORACULI.) q. d. Anterior pars templi, quæ erat ante oraculum sive Sanctum sanctorum, quodque dicebatur Sanctum, habebat quadraginta cubitos in longitudine.

Porro fores oraculi, sive Sancti sanctorum, erant magnæ, semperque apertæ; unde capita vectium arcæ fœderis prominentia, et velo tecta prope stantibus apparebant, sive quia velum erat transparens, sive potius quia ultra velum prominebant. Hinc et velo hoc scisso in passione Christi apparuerunt Sancta sanctorum; alioqui enim si fores oraculi fuissent clausæ, illa non patuissent: ita Ribera lib. 1. cap. 6.

Vers. 19. ORACULUM (Sanctum sanctorum) AUTEM IN MEDIO DOMUS (id est in ipsa domo, sive in ipso templo) FECERAT.) Non enim oraculum erat in medio, sed in fine templi. Est Hebraismus.

Vers. 20. SED ET ALTARE VESTIVIT CEDRO.) Intellige altare thymiamatis, quod erat in Sancto obversum Sancto sanctorum, ut ex eo fumus thymiamatis ascenderet ad Deum residentem super arcam in Sancto sanctorum. Hinc videtur quod Salomon fecerit novum altare thymiamatis, illud enim dicitur vestisse tabulis cedrinis, quas deinde auro texit v. 21. perinde ac fabricavit novam mensam panum propositionis, novumque candelabrum maius: nam Mosaica minora erant et viliora, quam ut congruerent magnitudini et magnificentiæ templi sui novi; quare Salomon illa e templo removit, et cum Tabernaculo Mosis reposuit in tabulatis. Id ita esse clare liquet ex c. 7. v. 48. ut ibi ostendam.

ET AFFIXIT LAMINAS CLAVIS AUREIS.) Quod sine malleo et sonitu vix fieri poterat. Quod ergo dixit v. 7. malleum, securim et ferrum non esse audita in templo, intellige quoad scindendum vel dolandum, ut ibidem præcessit, non autem quoad affigendum clavos: hi enim cum essent plurimi malleo affigendi erant, ait Ribera lib. 1. cap. 12. nisi quis dicat versiles fuisse clavos et versilia foramina, quibus inserendi erant, ut sola eorum gyratione sine malleatione suis locis infigerentur. Sic enim Cyzici, ait Plinius lib. 36. 15. *Buleuterium* (domus concilii) *ædificatum est sine clavo ferreo, ita disposita consummatione, ut eximantur trabes sine fulturis, ac reponantur.* Vers. 21.

ET FECIT IN ORACULO (in Sancto sanctorum) DUOS CHERUBIM DE LIGNIS OLIVARUM.) Ita Hebr. Chald. et cetera. Perperam ergo Regia et Complut. habent, *de lignis cupressinis:* quare illud delent Septuag. Romana. Vers. 23.

Nota duo Cherubim iussu Dei a Mose fabricati Exodi 25. 18. erant duæ statuæ habentes speciem et formam imberbis et alati iuvenis: significabant enim Angelos Deum stipantes. Arca enim fœderis erat quasi cista, cuius operculum erat propitiatorium: propitiatorio insistebant erecti duo Cherubini, qui alas extendentes et iungentes, iis quasi solium, in quo sederet Deus, ita ut arcam haberet pro scabello pedum suorum, exhibebant; quare positi erant eo situ, perinde ac si duo homines vultibus in se mutuo conversis sese invicem aspiciant, seque manibus quasi alis teneant et complectantur.

Arcam hanc cum propitiatorio et Cherubinis (hæc enim a se invicem divelli non poterant) posuit Salomon in Sancto sanctorum: ibi enim ea collocari iusserat Deus Mosi. Salomon vero ad maiestatem arcæ, propitiatorii et Cherubim Mosaicorum, in templo suo addidit duos alios Cherubinos longe maiores, qui arcam cum Cherubinis suis (utpote exiguis et vix tres cubitos altis) suo corpore et alis velarent, et quasi umbella tegerent et obumbrarent: quare vultibus suis respiciebant arcam et Orientem, sed tergo murum Sancti sanctorum et Occidentem. Porro alium situm habebant et diversum a situ Cherubim, quos fabricarat Moses: Mosaici enim erant supra arcam alis expansis utrimque se mutuo prensantes et complectentes: hi vero Salomonis consistebant pedibus erectis in pavimento Sancti sanctorum, unusque stabat iuxta alterum in eodem latere quasi eius collatero; stabat autem uterque alis in longum exporrectis, ita ut unus extremitate alæ suæ attingeret extremitatem alæ alterius Cherubim, alter vero extremitate alterius alæ attingeret parietem templi: quare unus extremitate alæ suæ attingebat unum templi parietem, alter vero extremitate alæ suæ attingebat alterum templi, puta Sancti sanctorum parietem. Quæque enim ala erat quinque cubitorum, quare duæ alæ unius Cherubim erant cubitorum decem, et totidem cubitorum erant alæ binæ alterius Cherubim: quare utræque expansæ erant viginti cubitorum, quæ erat longitudo æque ac latitudo Sancti sanctornm: hoc enim longum erat viginti cubitis, et totidem latum. Ita Beda. Abulens. Adrichom. Ribera et alii.

Hinc Deus ex propitiatorio ad interrogata pontificis respondens, dansque oracula, dicebatur sedere super Cherubim, id est sapientissimos spiritus, et Angelos, etiam Cherubinos longe scientia transcendere eosque quasi pedibus premere. Hinc etiam Deus hic vocatur Dominus *Sabaoth*, id est exercituum, scilicet Angelorum, quos plurimos habet et quasi innumerabiles, eosque sapientissimos atque potentissimos.

Anagog. Sanctum sanctorum repræsentabat cælum empyreum, arca Ecclesiam beatam, sive homines beatos, propitiatorium aureum humanitatem Christi gloriosam; Cherubini duo Angelos sanctos summe concordes in Dei obsequio et laude. His Deitas nobis invisibilis eminet et

insidet, ac beatis tam Angelis, quam hominibus summa inter se charitate flagrantibus, quod binario numero et faciebus Cherubinorum ad se invicem conversis significatur videndum fruendumque se exhibet, hacque gloriosa visione eos in æternum beat. Ita Beda, Angelom. et ex iis Ribera lib. 2. de templo c. 7. Vide quæ de Cherubinis dixi Exodi 25. 18. Ezech. 1. v. 5. et seq. et Apocal. 4. v. 6. et 7. quamquam hi Cherubini Salomonis ab illis Mosaicis et Ezechielis tam forma et statura, quam situ et habitu fuerint diversi, ut patet ex dictis. Ex hisce perspicua sunt ea quæ sequuntur usque ad v. 29.

Decem cubitorum altitudinis.) q. d. Duo Cherubini erant alti quindecim pedes, cubitus enim est sesquipes. Erant ergo gigantea magnitudine. Quis enim gigas est quindecim pedum? idque ut magnitudinem ac maiestatem tum Angelicam, tum divinam repræsentarent.

Vers. 24. Decem cubitos habentes a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem.) *Summitatem* vocat extremitatem, q. d. Extremitas unius alæ Cherubini distabat ab extremitate alterius alæ decem cubitis: singulæ enim alæ erant quinque cubitorum, eratque utraque in rectum exporrecta: quare sub alis corpus sive dorsum Cherubini inter alas interiacens intellige: alioqui enim plusquam decem cubitorum fuisset distantia, ut patet. Ita Abul.

Vers. 27. Posuitque Cherubim in medio templi interioris: (puta oraculi, sive Sancti sanctorum) extendebant autem alas suas Cherubim, et tangebat ala una parietem, et ala cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant.) Cherubini enim expandebant alas suas per totam oraculi latitudinem, ita ut unus Cherub alæ unius extremitate tangeret parietem oraculi Meridionalem, alter vero alæ unius extremitate tangeret parietem oppositum Septentrionalem. Latitudo enim oraculi erat viginti cubitorum, et totidem cubitorum erant quatuor alæ duorum Cherubinorum: quæque enim ala erat quinque cubitorum: quare hi duo Cherubini in medio oraculi tangebant se invicem per duas extremitates aliarum duarum alarum, illisque velabant arcam cum propitiatorio et Cherubinis Mosaicis illi insistentibus, ita ut arca interciperetur duabus alis Cherubim super arcam a Mose extensis, quasi sub umbella, ait Iosephus lib. 8. c. 4. Cherubinos enim a Mose ex auro fabrefactos fuisse cum arca in templo a Salomone repositos, sub alis duorum Cherubinorum maiorum ab eo fabricatorum docent Beda, Abul. Caiet. et alii. Et ipsa Cherubinorum cum arca connexio idipsum poscit.

Porro 2. Paral. 3. 13. additur: *Ipsi* (duo Cherubini Salomonis) *autem stabant erectis pedibus*, et *facies eorum erant versæ ad exteriorem domum*, hoc est ad Sanctum. Unde liquet situs horum Cherubinorum, scilicet eos locatos fuisse a Salomone ad extimum parietem Sancti sanctorum, ita ut faciebus suis respicerent tam arcam, quæ erat ante se, quam Sanctum faciei suæ obversum; ut videlicet pontificem per Sanctum ingredientem in Sanctum sanctorum, æque ac populum ante Sanctum in atrio orantem obverso vultu comiter respicerent et quasi salutarent. Vultu ergo respiciebant Orientem, tergo vero Occidentem. Nam Sanctum erat ad Orientem, Sanctum sanctorum vero, præsertim eius extima pars, fuit extremus murus ad Occidentem. Ita Ribera lib. 2. c. 6. et alii.

Denique Iudæi conversi ad Sanctum sanctorum, ut adorarent Deum in eo residentem, convertebantur ad Occidentem: Christiani vero orant conversi ad Orientem, unde et templa eorum spectant Orientem, ob causas quas alibi dixi. Vide Bellarm. lib. 3. de Sanctis c. 6. sic et Vitruvius lib. 4. c. 5. docet Gentiles eo unde terra illuminatur, id est ad ortum solis templa sua extruxisse.

Vers. 29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, et torno.) Id est tornatura sive opere tornatili, quo per tornum res in figuram orbicularem tornantur et rotundantur; sub torno tamen quamvis cælaturam et sculpturam accipe. Unde Vatab. vertit, *cælaturis et sculpturis. Tornus* enim subinde idem est, quod cælum sive scalprum, puta instrumentum quo res cælantur, sculpuntur. Sic enim Virgilius Ecloga 3. vitem torno elaboratam dicit, cum constet vitem non esse rotundam, sed figuræ variantis. Et Horatius lib. de arte asserit carmina *tornari*, id est poliri et perfici, dum ait:

Et male tornatos incudi reddere versus.

ita Sanchez, unde explicans subdit:

Et fecit in eis Cherubim, q. d. Sculpsit in parietibus templi effigies Cherubinorum iam dictorum, et palmas, figuras palmarum, et picturas varias.) Hebr. *apertiones florum*, Chald. *liliorum*.

Sed et pavimentum domus (templi) texit auro intrinsecus et extrinsecus.) Hoc est, tam in Sancto sanctorum, quam in Sancto. Sanctum enim erat extrinsecus, sive exterior domus; Sanctum sanctorum vero erat intrinsecus, sive interior domus, ut dixi. Igitur Salomon pavimentum templi totius stravit tabulis abiegnis, quas deinde auro texit, æque ac parietes templi obduxit tabulis cedrinis, quas deinde auro vestivit. Ita Vatab. Sanchez et alii. Vers. 30.

Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque. Vers. 31.

Et duo ostia de lignis olivarum, et sculpsit in eis picturam Cherubim, et palmarum species, et anaglypha valde prominentia.) q. d. Salomon in ingressu oraculi, id est Sancti sanctorum, fecit duo *ostiola*, id est parva ostia ex eisdem lignis, eaque pentagona, id est quinque angulos et totidem postes habentia: atque in eis exsculpsit effigies Cherubinorum, palmarum, et *anaglypha*. Anaglypha vox est Græca, significans imagines et picturas e superficie parietis tabulæ vel ostii extantes et prominentes. Hæc de ostiis Sancti sanctorum, nunc de ostiis Sancti hæc subdit. Vers. 32.

Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos. Vers. 33.

Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur.) q. d. Salomon in ingressu Sancti fecit postes quadrangulos ex olea, eisque annexuit duo ostia ex abiete, *altrinsecus;* ita scilicet ut unum ostium esset ex uno latere, alterum ab altero priori respondens et obversum. Vers. 34.

Et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur.) q. d. Utrumque ostium erat plicatile, et habebat vertebras, quibus una pars tenebat aliam, erantque in eis quasi duæ plicaturæ, ut vertunt Septuag. Hebr. *erant duæ*, גלילים *ghelilim*, id est valvæ volubiles sive convolviles.

Addit Iosephus huic ostio Sancti etiam oppansum fuisse velum, simile velo quod oppansum erat Sancto sanctorum. Ceterum porticus, quæ erat ante Sanctum, nullum habebat velum, sed tota patebat anterius, et sine ulla contignatione surgebat in altitudinem 120. cubitorum, quæ erat altitudo templi: latera eius dumtaxat claudebant parietes. Erat enim hæc porticus quasi vestibulum additum templo ad eius decorem, maiestatem et venerationem augendam.

Nota: Tres erant partes templi præcipuæ. Prima Hebr. vocabatur דביר *debir*, vel, ut Septuag. efferunt, *dabir*, id est Oraculum, puta Sanctum sanctorum. Secunda, Hebr. vocabatur היכל *Hechal*, id est Templum, puta Sanctum. Tertia אולם *ulam*, id est atrium, de quo v. 36. Duo priora habebant tectum, non acuminatum, sed planum, ut in eo ambulare possent: sic enim ceteræ domus in Palestina erant planæ, sed circumcirca habebant septum sive murum exiguum, iuxta legem Deuter. 22. v. 8. ne quis in tecto inambulans incaute ex tecto in terram laberetur et collideretur. In Sanctum sanctorum solus ingrediebatur pontifex, idque semel in anno, scilicet in festo Expiationis Levit. 16. in Sanctum vero ceteri sacerdotes: in atrium populus, unde in eo docuit Christus et Apostoli. Igitur Sanctum sanctorum erat ultima, intima et sacratissima pars templi, post quam sequebatur

Sanctum, post Sanctum porticus, post porticum atrium sacerdotum, post hoc atrium laicorum mundorum, post hoc ultimum erat atrium immundorum et Gentilium.

Vers. 36. ET ÆDIFICAVIT ATRIUM INTERIUS TRIBUS ORDINIBUS LAPIDUM POLITORUM, ET UNO ORDINE LIGNORUM CEDRI.) *Ulam*, sive atrium iam dictum, erat duplex, scilicet interius vicinum Sancto, quod erat atrium sacerdotum et Levitarum, in eoque erat altare holocaustorum, in quo sacerdotes immolabant victimas. Alterum atrium erat exterius, in quo populus et laici versabantur, orabant et spectabant sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotum, ideoque erat amplissimum, et plura stadia ambitu suo complectebatur, ut tantam populi multitudinem caperet: unde 2. Paral. 4. 9. vocatur *basilica grandis*. Atrium utrumque erat sub dio, tum ut fumus tot victimarum in aerem exhalaret, tum quia erat amplissimum, ut tegi non posset; habebat tamen ad latera porticus tectas, ut ad eas populus se tempore pluviæ et æstus reciperet.

Atrium hoc laicorum sive populi Israel, non tantum a parte anteriore, ut putat Ribera; sed ex tribus partibus sive plagis mundi, ambiebat atrium sacerdotum, scilicet ab Oriente, Meridie et Septemtrione: nam ab Occidente atrium sacerdotum claudebatur Sancto et Sancto sanctorum. Ita Iosephus, Theodor. Serarius, Salianus, Vilalp. Hinc atrium laicorum in septem quadra vel quadratas areas, ut Vilalpandus et Salianus, erat distributum; quare in eis erat locus feminarum separatus a viris, honestatis et castitatis causa, uti Romæ fit in templis plerisque. Porro nulli Gentili, sed solis Iudæis, iisque mundis, licebat ingredi atrium laicorum. Quare pro immundis Herodes, vel ipse Salomon, ut vult Vilalpandus pag. 206. adiecit tertium atrium, sive porticum Gentium; quia Iosephus docet Salomonem implesse voraginem Mello, eamque extimo muro cinxisse: alioqui enim inde in voraginem labi potuissent. Hic ergo murus fuit atrii Gentium, de quo et Ezechiel c. 40. 5. Ex quo patet murum hunc fuisse quadratum, et in quolibet latere longum fuisse sexcentos cubitos, id est, ut Iosephus ait, habuisse stadium cum dimidio. Stadium enim continet 400. cubitos: murus autem atrii Israel, separans illud ab atrio Gentium, erat 500. cubitorum in longitudine a quolibet latere.

Ex hoc tertio Gentium atrio gradibus ascendebatur ad secundum atrium Israel sive Iudæorum, eratque intermedium vallum lapideorum cancellorum tres cubitos altum, cui inscriptum erat: *Ne quis Gentilis illud transiret sub pœna mortis.* Ita Iosephus. Hinc intelligimus illud Actor. 21. 28. quomodo et cur murmurarint Iudæi contra S. Paulum, eo quod putarent ipsum Trophimum socium suum, qui erat Gentilis, induxisse in templum, hoc est in atrium Israel. Atria hæc multas habebant portas, inter quas una erat nomine Speciosa, Actor. 3. 2.

TRIBUS ORDINIBUS LAPIDUM POLITORUM, ET UNO ORDINE LIGNORUM CEDRI.) q. d. ædificavit Salomon inter atrium sacerdotum et atrium laicorum murum tres cubitos altum, teste Iosepho, ne laici ingredi possent atrium sacerdotum; sed sacrificia, quæ in eo fiebant ultra murum conspicerent: atque hic murus habebat tres ordines lapidum politorum, quorum alter alteri impositus erat: et super omnes lapidum ordines imposuit ordinem unum lignorum e cedro.

Atrium sacerdotum erat altius atrio laicorum, ut sacerdotes in eo celsiores essent populo, et ab eo digna afficerentur reverentia: sic et atrium laicorum altius erat atrio Gentium, quare ex atrio Gentium ad atrium Israel ascendebatur septem gradibus: ex atrio vero Israel ad atrium sacerdotum octo gradibus, inde ad Sanctum decem gradibus, uti docet Vilalpandus p. 248. et patet Ezech. 40. v. 6. Quare ab atrio Gentium ad Sanctum ascensus erat graduum 25. sed usque ad atrium sacerdotum quindecim, in quibus decantabant quindecim psalmos graduum sive Graduales, ut tradunt Hebræi, S. Hieron. et alii.

Intra hæc atria, puta in ipsis porticibus atriorum, ad eorum muros vel latera erant exedræ 1. Paral. 28. 12. exedra autem dicebatur cubiculum columnis fultum et epistyliis pluribus, in quibus vacua erant spatia, quibus prospectus erat in viam. In his exedris partim manebant sacerdotes eo tempore quo ministrabant in templo, qui hic vestes sacras induebant et exuebant; partim servabatur supellex, oblationes et dona templi: unde et vocabantur *gazophylacia*, quia in eis servabatur gaza, id est opes templi, in eisque erant arcæ, in quas populus pecuniam, quam templo offerebat, iniiciebat. Hinc intelligimus illud Ioannis 8. 20. *Et hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo:* gazophylacium enim nunc exedram, nunc arcam vel cistam quæ gazam continet, significat.

Hæ exedræ dicebantur quoque *pastophoria*, uti vertunt Septuag. a παστος, id est thalamus, quia habitabant in eis sacerdotes cum templo deservirent, qui ideo vocabantur pastophori. Ita S. Hieron. lib. 7. in Isaiam.

Allegor. Atrium repræsentat vitam incipientium Deo servire, Sanctum vitam proficientium, Sanctum sanctorum vero perfectorum: unde in atrio erat altare holocaustorum, quod significat mortificationem cupiditatum, et mare æneum sive lavacrum, quod symbolum est pœnitentiæ. Vide dicta Exodi 26. initio capitis.

ANNO QUARTO (regni Salomonis) FUNDATA EST DOMUS DOMINI.) Ad templi fundamenta, ait Vilalpandus lib. 4. c. 71. et sequenti, pertinent subterranea loca plurima opere firmissimo constructa, et superioribus operibus accurate respondentia, ubi cryptoporticus, et culinæ, et gazophylacia, horrea, cellæ vinariæ, et oleariæ, exedræ, officinæ, et id genus alia loca, quæ adeo ampla fuerunt atque capacia; ut in illa inferri possent ac conservari omnes primitiæ ac decimæ totius Israelis, ut suis temporibus multis sacerdotum, ac Levitarum millibus distribui possent. Vers. 37.

Similia videmus Romæ in cryptis priscis Martyrum, Pontificum et fidelium, adeo ut Roma subterranea non tantum Urbis, sed et orbis sit miraculum.

ET IN ANNO UNDECIMO (Salomonis) MENSE BUL (ita legendum cum Hebr. Septuag. et Roman. male ergo Regia habent Elal) IPSE EST MENSIS OCTAVUS.) Qui nostro partim Octobri, partim Novembri respondet. Hebræi enim mensibus utebantur lunaribus, nos vero solaribus. October dicitur בול *bul* a נבל *nabal*, id est defluere, quod in Octobri defluant folia, et depluant imbres. Ita Serarius; Chald. vertit, *mense quo congregantur novæ fruges.* Vers. 38.

ÆDIFICAVITQUE EAM ANNIS SEPTEM.) Adde, et septem mensibus, ut patet computanti a secundo mense quarti anni Salomonis usque ad mensem octavum anni undecimi eiusdem: sed Scriptura integros numeros annorum consignat, minutias omittit.

Allegor. Radulphus in Præfat. lib. 17. in Levit. Templum Salomonis, inquit, septem annis, et septem mensibus, constructum est, quia a Christi adventu usque ad eius reditum ad iudicium per septiformem Spiritus gratiam Ecclesia construitur, donec in fine consummetur; idque fiet toto hoc sæculo, quod septem dierum cursu peragitur, ait Eucher. sic et Angelom.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon ædificat domum suam, et domum reginæ, et domum saltus Libani: mox vers. 15. fabricat duas columnas ac versu 23. mare æneum, et vers. 38. decem luteres, ceteraque vasa templi.

1. DOMUM autem suam ædificavit Salomon tredecim annis, et ad perfectum usque perduxit. 2. Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis: et quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas. 3. Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim. 4. Contra se invicem positas. 5. Et e regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, et super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia. 6. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, et triginta cubitorum latitudinis: et alteram porticum in facie maioris porticus: et columnas, et epistylia super columnas. 7. Porticum quoque solii, in qua tribunal est, fecit: et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem. 8. Et domuncula, in qua sedebatur ad iudicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali et hanc porticum. 9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant: a fundamento usque ad summitatem parietum, et extrinsecus usque ad atrium maius. 10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum. 11. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro. 12. Et atrium maius rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, et unius ordinis de dolata cedro: necnon et in atrio domus Domini interiori, et in porticu domus. 13. Misit quoque rex Salomon, et tulit Hiram de Tyro, 14. Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium et plenum sapientia, et intelligentia, et doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus eius. 15. Et finxit duas columnas æreas, decem et octo cubitorum altitudinis columnam unam: et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque. 16. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum: 17. Et quasi in modum retis, et catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero. 18. Et perfecit columnas, et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem, malogranatorum: eodem modo fecit et capitello secundo. 19. Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. 20. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper iuxta mensuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi. 21. Et statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Iachin: similiter erexit columnam secundam, et vocavit nomen eius Booz. 22. Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit: perfectumque est opus columnarum. 23 Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo eius, et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. 24. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. 25. Et stabat super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad Aquilonem, et tres ad Occidentem, et tres ad Meridiem, et tres ad Orientem, et mare super eos desuper erat: quorum posteriora universa intrinsecus latitabant. 26. Grossitudo autem luteris, trium unciarum erat; labiumque eius, quasi labium calicis, et folium repandi lilii: duo millia batos capiebat. 27. Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis. 28. Et ipsum opus basium, interrasile erat: et sculpturæ inter iuncturas. 29. Et inter coronulas et plectas, leones et boves et cherubim: et in iuncturis similiter desuper: et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia. 30. Et quatuor rotæ per bases singulas, et axes ærei: et per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se invicem respectantes. 31. Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: et quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum et dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: et media intercolumnia, quadrata non rotunda. 32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim: una rota habebat altitudinis cubitum et semis. 33. Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri: et axes earum, et radii, et canthi, et modioli, omnia fusilia. 34. Nam et humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles et coniuncti erant. 35. In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa. 36. Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, et in angulis, cherubim, et leones, et palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. 37. In hunc modum fecit decem bases, fusura una, et mensura, sculpturaque consimili. 38. Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit. 39. Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexteram partem templi, contra Orientem ad Meridiem. 40. Fecit ergo Hiram lebetes, et scutras, et hamulas, et perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. 41. Columnas duas, et funiculos capitellorum super capitella columnarum duos: et retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum. 42. Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui

erant super capita columnarum. 43. Et bases decem, et luteres decem super bases. 44. Et mare unum, et boves duodecim subter mare. 45. Et lebetes, et scutras, et hamulas, omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant. 46. In campestri regione Iordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth et Sartham. 47. Et posuit Salomon omnia vasa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. 48. Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, et mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream: 49. Et candelabra aurea, quinque ad dexteram, et quinque ad sinistram, contra oraculum, ex auro puro: et quasi lilii flores, et lucernas desuper aureas: et forcipes aureos, 50. Et hydrias, et fuscinulas, et phialas, et mortariola, et thuribula, de auro purissimo: et cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, et ostiorum domus templi, ex auro erant. 51. Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, et intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum et aurum, et vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.

Vers. 1. DOMUM AUTEM SUAM ÆDIFICAVIT SALOMON TREDECIM ANNIS) Tres domos hisce tredecim annis ædificavit Salomon, scilicet domum suam, domum filiæ Pharaonis reginæ, et domum saltus Libani, ut patet v. 2. et 8. has enim tres domos fuisse distinctas patet ex seq. itaque censent Lyran. Abul. Caiet. Dion. Hugo, Vatabl. et alii passim. Hæ tamen tres domus 3. Reg. 9. 10. et 2. Paral. 8. 1. vocantur una domus, quia erant contiguæ et connexæ, ita ut non tam tres domus, quam tres partes vel tria membra unius eiusdemque domus esse viderentur. Sic enim palatium regis vel Pontificis plures in se habitationes, et quasi plura palatia comprehendit. Ita Iosephus, Vilalpand. Pineda et alii.

Porro sicut David domum suam regiam ædificavit in Occidentali parte montis Sion iuxta templum, sic Salomon suum palatium ædificavit in Orientali parte eiusdem montis Sion iuxta templum, tum ut templum totumque montem Sion hisce duabus domibus, quasi duabus arcibus muniret, tum ut ex iis urbem Ierusalem eis subiectam defenderet, et in officio contineret, tum ut facile templum adire, Deoque litare et sacrificare posset.

TREDECIM ANNIS) Pluribus annis, ideoque tardius ædificata est regia quam templum; hoc enim septem annis perfectum fuit, ut dictum est. c. 6. 37. Causa prima fuit, devotio et fervor Salomonis urgentis opus templi, quasi domus Dei; secunda, quia ad templi fabricationem materiam omnem et sumptus iam ante præparaverat David; tertia, quia populus fabricam templi ardentius iuvit et promovit. Ita Ioseph. Adde, Salomonem his tredecim annis tres domos ædificasse, scilicet suam, reginæ, et saltus Libani. Ita Abul.

Vers. 2. ÆDIFICAVIT QUOQUE DOMUM SALTUS LIBANI) Erat hæc domus ad elegantiam, amœnitatem et recreationem comparata. Sed cur dicitur *saltus*, sive sylva *Libani?* Resp. primo, quia in loco sylvoso montis Sion, ac instar Libani arboribus et viridariis cincta. Nam *saltus* proprie dicitur densior sylva et invia, quod ibi arbores saliant, in quo æstivare et pasci pecudes solent, ait Valla lib. 4. Unde 2. Paral. 9. 16. ubi nos habemus, *posuitque ea* (scuta) *rex in armamentario, quod erat consitum nemore;* Hebr. et Septuag. habent, *posuit scuta in domo saltus Libani.* In hac enim domo Salomon reposuit arma militaria, ibique erat eius armamentarium. Secundo, quia domus hæc constructa erat ex lignis Libani. Ita Abul. et Serarius. Tertio, quia suis nemoribus, amœnitate, viriditate, umbra speciem Libani referebat. Quarto, quia multitudine columnarum cedrinarum cedros Libani imitabatur, ita Theodor. Quinto, quia ex ea prospici poterat Libanus, eiusque aura et frigus tempore æstivo captari et excipi. Ita Arias. Unde Iosephus et Chald. eam vocant domum refrigerii. Perperam ergo Guilielmus Tyri Episcopus lib. 18. Belli sacri censet hanc domum dici *saltus Libani,* quod in monte Libano foret ædificata. Sita enim erat in Ierusalem et in monte Sion.

ET QUATUOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS) Nota: domus saltus Libani inferne, sive sub se habebat hæc quatuor deambulacra, ita videlicet ut inferne in longum porrecti essent tres ordines columnarum intercepti inter duos parietes domus: inde enim spatiis intermediis necessario exurgebant quatuor deambulacra. Quisque autem columnarum ordo habebat quindecim columnas in longum, æqualiter ex adverso columnarum aliorum duorum ordinum dispositas, ita ut inter tres columnarum ordines duo essent ambulacra, atque tertium foret inter unum columnarum ordinem et parietem domus ex uno latere, quartum vero inter alium columnarum ordinem et parietem ex altero adversoque latere. Quare hæc ambulacra tam longa erant, quam erat ipsa domus. Vide Abul. quæst. 2. et seq.

ET TABULATIS CEDRINIS VESTIVIT TOTAM CAMERAM) Vers. 3.
Cameram vocat fornicem: hæc enim fit opere concamerato, estque ipsa domus concameratio.

ET PORTICUM COLUMNARUM FECIT QUINQUAGINTA CUBITORUM LONGITUDINIS, ET TRIGINTA CUBITORUM LATITUDINIS) Vers. 6.
Ita videlicet ut longitudo porticus huius annecteretur latitudini domus saltus Libani, quæ etiam erat quinquaginta cubitorum: latitudo vero porticus annecteretur longitudini domus eiusdem transversim: unde fiebat ut domus centum cubitorum longitudinis, additis hisce 30. cubitis latitudinis porticus, evaderet longa 130. cubitos.

ET ALTERAM PORTICUM IN FACIE MAIORIS PORTICUS) q. d. Salomon *in facie*, id est, ante hanc porticum maiorem adhærentem domui saltus (erat enim porticus hæc domus ipsius quasi introitus et vestibulum) fecit aliam minorem porticum, ad maioris porticus proportionatam gradationem, decus et ornamentum.

PORTICUM QUOQUE SOLII IN QUA TRIBUNAL EST FECIT) Vers. 7.
Est hæc tertia porticus, non vestibularis, sed iudiciaria, ideoque non domui saltus Libani annexa, uti duæ priores iam dictæ, sed separata, et per se consistens, non longe tamen ab aliis duabus, et a domo saltus Libani dissita. Hæc porticus vocatur *solii,* quia in ea erat solium Salomonis regale et iudiciarium, statuis leonum circumseptum, de quo cap. 10. 18. ita Abulen. et Pineda.

ET DOMUNCULA IN QUA SEDEBATUR AD IUDICANDUM, ERAT IN MEDIA PORTICU) Vers. 8.
q. d. In tertia hac porticu erat domuncula, in qua erat solium sive thronus Salomonis iam dictus, iuxta quem, et circa quem humiliores erant throni sive sedes, in quibus sedebant consiliarii et principes cum Salomone iudicaturi, quasi eius assessores: ex quibus omnibus conflabatur iudiciale tribunal, pluribus iudicum sedibus constans, quod domuncula quadam claudebatur, et quasi tegebatur, ut assessores cum Salomone de re quapiam inter se secreto consultaturi, vel sententiam dictaturi, semoti essent a litigantibus, et a populo, qui circumcirca in porticu ambulabat, vel ad iudicium veniebat. Quare domuncula hæc fuit minor quædam ædicula, compacta ex cedro, et undecumque clausa, ut contineret solum regem cum suis consiliariis: habens tamen suum ostium, per quod litigantes aliique ius suum vel gratiam quampiam postulantes ad solium regis accederent, et ab eo vel ius vel gratiam flagitarent et impetrarent. Habens etiam fenestras plures, ut iis apertis rex sententiam pronuntians, vel ius dicens, aut quid aliud promulgans a toto populo videri et audiri posset. Erat enim hoc quasi prætorium Salomonis. Ita Lyran. Dion. Salianus et Pineda lib. 7. de Rebus Salom. c. 7.

DOMUM (palatium) QUOQUE FECIT FILIÆ PHARAONIS) quasi primariæ suæ uxori et reginæ. Causa datur 2. Paral. 8. 11. ubi dicitur: *filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex: Non habitabit uxor mea in domo David regis*

Israel, eo quod sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.

Vers. 9. OMNIA LAPIDIBUS PRETIOSIS.) Scilicet facta erant e marmore, vel pario, vel porphyretico, vel ophite, sive serpentino, etc. nimis enim pretiosum fuisset in domo tam vasta omnia ex gemmis, scilicet ex smaragdis, carbunculis, adamantibus, etc. fabricare. *Lapis* ergo *pretiosus* vocatur hic marmor pretiosum.

ET EXTRINSECUS (male quidam legunt, *intrinsecus*) USQUE AD ATRIUM MAIUS.) Hinc patet præter tres porticus iam dictas fuisse in domibus hisce Salomonis atrium maius, de quo v. 12. porticus enim ex eodem lapide pretioso sive marmore factæ videntur, ex quo ipsa domus, ut hic locus insinuat.

Vers. 11. SIMILITERQUE DE CEDRO.) q. d. Cedri adhibitæ ad fabricam domorum Salomonis æquali mensura sectæ et aptatæ sunt, sicut secti erant lapides pretiosi earundem.

Vers. 12. ET ATRIUM MAIUS ROTUNDUM (in domibus Salomonis iam dictis v. 9.) subaudi fabricavit Salomon, TRIUM ORDINUM DE LAPIDIBUS SECTIS, ET UNIUS ORDINIS DE DOLATA CEDRO: NEC NON IN ATRIO DOMUS DOMINI INTERIORI, ET IN PORTICU DOMUS.) q. d. Sicut Salomon in atrio templi interiori, id est in atrio sacerdotum, fecit murum habentem tres ordines lapidum sectorum, et unum de dolata cedro, ut hoc muro separaret atrium interius sacerdotum ab atrio exteriori laicorum, uti dictum est c. 6. 36. sic prorsus idem fecit in atriis domorum a se ædificatarum, et in porticu.

Dices: Atrium sacerdotum æque ac laicorum, erat quadratum, ut dixi c. 6. 36. quomodo ergo hic dicitur rotundum? Resp. Erat quadratum constans septenis areis quadratis; dicitur tamen rotundum, quia circumcirca cinctum erat tribus ordinibus lapidum iam dictis. Unde pro *rotundum* Hebr. סביב *sabib*, id est circumcirca, sive in circuitu, qui circuitus hic erat quadratus, non rotundus. Ita Pineda lib. 5. c. 16. in fine.

Vers. 14. MISIT QUOQUE REX SALOMON, ET TULIT HIRAM DE TYRO FILIUM MULIERIS VIDUÆ DE TRIBU NEPHTALI, PATRE TYRIO.) Tò *de tribu Nephtali* refer non ad *mulieris viduæ*, sed ad *Hiram* artificem. Hic enim fuit ex tribu Nephtali, ut patet ex Hebræo, Chald. et Septuag. mater vero eius fuit ex tribu Dan, ut dicitur 2. Paral. 2. 13.

Dices, quomodo ergo pater Hiram dicitur fuisse Tyrius? Resp. Hiram gente erat Iudæus, puta Nephthalita; sed habitatione et exercitio artis erat Tyrius. Tyri enim habitabat, ibique artem affabre laborandi didicerat et exercuerat. Ita S. Hieron. Hebræi, Lyran. Caietanus et alii. Sic S. Paulus vocatur *Tharsensis*, quia Tharsi erat natus et educatus, cum gente et genere esset Hebræus.

Vers. 15. ET FINXIT DUAS COLUMNAS ÆREAS.) Booz et Iachin. Hæ duæ columnæ templi fuse hic describuntur usque ad v. 23.

DECEM ET OCTO CUBITORUM ALTITUDINIS COLUMNAM UNAM.) Intellige quoad stipitem sive scapum columnæ: nam 2. Paral. 3. 15. dicitur quælibet columna fuisse 35. cubitorum, scilicet addendo quoque et supputando quantitatem basis, capitis et coronæ, qua in apice ornabatur. Ita Abul. Lyran. et Caiet. Verum hæc in iusta architecturæ proportione non possunt ascendere ad tantam altitudinem, ut ipsi columnæ pene æquentur. Quare melius alii respondent quod utraque columna simul iuncta erat 35. cubitorum: licet enim universim esset 36. cubitorum (nam bis octodecim faciunt 36.) tamen in utraque medius cubitus insertus erat suo capitello, in eoque absconditus non apparebat. Ita Vatab. et Ribera lib. 2. de Templo c. 12. Tertio, et verisimillime, Vilalpandus lib. 5. c. 5. et ex eo Salianus, respondent singulas columnas cum basi sua fuisse septemdecim cubitorum cum dimidio, seclusa plintho quæ absolvit decimum octavum. Seclusionis autem plinthi causa fuit, quod reliqua columna cum sua basi cava foret, quam propterea oportuit super solidam plinthum inniti, ideoque seorsim a columna plinthum fundi; plinthus enim est ultima pars basis, quæ spiris subiacet,

A ita dicta quod πλινθον, id est laterem, forma sua repræsentet (unde et Gallice vocantur *plinthes*) plinthus enim est exæquata latitudine velut tabula. Unde et apud Vitruvium lib. 3. c. [illegible]. spirarum plinthides, sunt plinthi basium. Plinthus ergo, id est ima pars basium hic non computatur, quia hanc architectus prudenter solidam fundere voluit, ut totum opus columnæ, quæ cava erat, firmius sustentaret et contineret: utraque igitur columna simul iuncta erat 35. cubitorum seclusa plintho, quia quælibet erat alta septemdecim cubitos cum dimidio, hos enim duplica, et habebis 35. cubitos.

ET LINEA DUODECIM CUBITORUM AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE.) Hebr. *Et filum duodecim cubitorum circuibat columnam secundam:* si secundam, ergo et primam: erant enim hæ duæ columnæ omnino æquales et pares. Per *lineam*, vel, ut Hebr. est, *filum*, intellige mensuram: filo enim mensuramus rerum crassitiem. q. d. columnæ hæ in ambitu et crassitie habebant mensuram duodecim cubitorum: *linea* ergo notat peripheriam, sive circumferentiam.

B Iam Vilalpandus, et ex eo Salianus, volunt non unam, sed *utramque* columnam simul iunctam habuisse hanc duodecim cubitorum mensuram, ita ut dimidia pars lineæ sive fili 12. cubitorum ambiret unam columnam, altera pars fili alteram: sic ut una columna fuerit crassa sex cubitos, et totidem altera, ac consequenter utraque simul crassa fuerit 12. cubitos: hoc enim exigit symmetria et proportio, ut cum quælibet columna esset alta 18. cubitis, crassa non esset nisi sex cubitis: altitudo enim est tripla ad crassitiem.

Verum unamquamque columnam crassam fuisse 12. cubitos diserte docet Iosephus et Ieremias c. 52. 21. ubi columnas has a Chaldæis Ierusalem vastantibus abductas describens ait: *Funiculus duodecim cubitorum circuibat eam,* scilicet columnam unam. Sic et Septuag. hic: *Et perimetrum,* inquiunt, *duodecim cubitorum filum ambiebat eam* (columnam primam) *et sic columna secunda,* scilicet erat pariter 12. cubitorum etc. et Chald. *Et filum,*

C inquit, *duodecim cubitorum ambiebat illam, et sic fecit columnæ secundæ.* Erant ergo hæ non tam columnæ ad symmetriam et proportionem architectonicam columnarum fabricatæ, quam moles et turres, vel arces quædam ingentes æneæ ad templi magnificentiam et munimen erectæ. Sic Romæ columna Traiana (æque ac alia Antonini Imper.) est crassissima instar turris, adeo ut plures viri expansis brachiis eam in circuitu complecti nequeant. Unde et intrinsecus continet cochleam, qua per gradus ab imo ad summum conscenditur. Denique prisci alias fabricarum suarum rationes et proportiones spectabant, diversas ab iis, quas spectavit Vitruvius et posteriores architecti. Ita Sanchez, Vatab. Pagnin. et alii.

Porro addit Ieremias, columnas has intrinsecus cavas fuisse, ita tamen ut crassitudo æris extrinsecus esset quatuor digitorum in circuitu. Unde Vilalpandus lib. 5. c. 37. hasce mensuras iusta proportione in sua opinione librans, censet singulas hasce columnas ponderasse quinque talentorum millia, utramque vero decem talentorum mil-

D lia. Addit Eupolemus apud Eusebium, Salomonem totas columnas vestisse auro ad crassitudinem digiti unius. Unde colligit Vilalpandus in columnis his auro vestiendis expensos fuisse 95. milliones.

Denique si columna in circuitu habebat 12. cubitos crassitiei: ergo in circuitu sive circuli huius diametro habebat 4. cubitos: diameter enim est tertia pars peripheriæ sive circuli: circulus enim continet diametrum ter, et insuper septimam eius partem; quare inter diametrum et circulum illa est proportio, quæ est inter septem et viginti duo. Ita Abul. Ribera, Vatab. Porro in proportione et symmetria crassitiei ad altitudinem spectatur crassities non tam circuli, vel circuitus, quam diametri. Cum ergo columna hæc in diametro crassa fuerit dumtaxat 4. cubitos, alta vero 18. cubitos, fuit ea proportio inter crassitiem et altitudinem, quæ est inter 4. et 18 quæ satis est æqua et congrua. Columnarum enim proportiones ab hominum dimensionibus et proportionibus desumptæ sunt.

Videmus autem inter homines alios esse graciles sed altos, alios vero crassos et breves; quia quod natura dat crassitiei, hoc demit altitudini: his ergo similis fuit hæc columna crassa et brevis. Adde, columnam hanc præter 18. cubitos sui scapi sive stipitis, insuper habuisse 5. cubitos capitelli, qui iuncti 18. faciunt 23. ergo columna quælibet alta erat 23. cubitis.

Vers. 17. Et quasi in modum retis et catenarum, etc.) q. d. Capitella hæc cingebantur fasciis quibusdam æneis (ait Iosephus) in modum retis sive catenarum, quæ habebant per intervalla aperturas quasi annulos et cancellos, per quos capitellorum elegantia (erant enim liliata, ait Iosephus, sive habebant formam liliorum) appareret.

Septena versuum retiacula in capitello uno.) q. d. Hæ fasciæ iam dictæ septies circuibant capitella singula, ita ut quasi septem fasciarum versus, sive ordines et gyros efficerent: versus ergo vocat gyros.

Vers. 18. Et perfecit columnas, et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella.) q. d. Singula capitella, et consequenter singulæ columnæ, habebant duo retiacula, sive duplicem coronam reticulatam et cancellatam, quæ instar retis ambiebat capitellum, illudque tegebat et ornabat. Ita Sanchez. Melius Ribera per *duos ordines retiaculorum* accipit duos ordines malogranatorum ex retiaculis dependentium. Id patet ex Hebræo et Septuag. qui habent: *Duo ordines malogranatorum æneorum retibus contexti, opus pensile, ordo super ordinem;* et ex Iosepho, qui ait: *Dependebant inde duæ series malorum punicorum ducentorum numero.* Sensus ergo est q. d. Singuli septeni versus, sive gyri, retiaculi utriusque columnæ habebant duos ordines malogranatorum: centum enim malogranata in medio singulorum versuum sive gyrorum interposita et quasi inserta erant, ut patet 2. Paral. 3. 16. reliqua vero centum malogranata ex iisdem versibus sive gyris alterne suspensa dependebant, *ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur*, ut dicitur 2. Paral. cap. 4. v. 13.

Ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem malogranatorum.) q. d. Fecit hæc duo retiacula, ut tegerent et circumdarent capitellum, quæ retiacula in septenos versus, sive gyros, distributa erant super summitatem malogranatorum: nam superior versus, sive gyri, pars erat super summitatem malogranatorum, sive ex gyro inferne dependentium. Ita Ribera lib. 2. cap. 14.

Additur 2. Paral. 3. 16. *Nec non* fecit *quasi catenulas in Oraculo*, q. d. hæ fasciæ catenarum, sive hæc retiacula catenata erant talia, qualia erant illa quæ fabricata erant in Oraculo, sive in Sancto sanctorum. Ita Ribera l. 2. 14. Aliter Caiet. *Fecit*, ait, *catenas in oraculum*, id est, ad mysterium et significationem, scilicet ut catenæ illæ significarent, et tacite loquerentur futuram regni illius sive Israelis captivitatem.

Eodem modo fecit et capitello secundo.) Puta in capitello secundæ columnæ.

Vers. 19. Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii, fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.) Locus hic totus valde obscurus et implexus est: unde a variis varie exponitur, sed ut breviter et clare eum explices: Nota, quælibet harum duarum columnarum habebat tria capitella; primum et imum erat, quod proxime stipiti, sive stylo et scapo columnæ erat impositum, unde proprie vocatur *epistylium*, 2. Paral. 4. 12. eratque altum tres cubitos, ut dicitur 4. Reg. ult. v. 17. Secundum capitellum erat imo, sive epistylio, impositum, ac tegebatur retiaculo iam dicto, in quo visebantur duo ordines malogranatorum; supra hoc secundum extabat tertium capitellum. Ita Ribera.

Hoc v. 19. describitur capitellum imum, sive epistylium. Sensus ergo est q. d. In duabus hisce columnis capitella ima, quæ erant super capita columnarum, id est quæ summitati scapi sive stipitis columnarum incumbe-A bant, ideoque *epistylia* vocantur, erant fabricata in formam lilii, idque *in porticu quatuor cubitorum*, id est, ita ut versus porticum, hoc est in latum, non vero in altum, essent quatuor cubitorum: nam in altum erant trium dumtaxat cubitorum, ut dixi. Unde Septuag. pro *in porticu* vertunt, *iuxta vestibulum*. De secundo capitello iam dictum est v. 16. et seq. nam circa illud erat retiaculum habens duos ordines malogranatorum. De tertio, sive summo, capitello dicetur v. proximo. Sic Vitruvius, et ex eo Tria capitella columnarum. Architecti columnis triplex imponunt capitellum, nimirum epistylium, zophorum et coronicem. Epistylium est capitellum, quod proxime stylo, sive scapo, columnæ imponitur. Zophorus est illud, quod inter epistylium et coro- Zophorus quid? nicem interponitur, quod pulvinatis sæpe figuris visitur ornamentisque diversis instructum. Galli vocant *la frize:* sicut hic capitellum secundum quasi zophorus retiaculis septenorum gyrorum, ac duobus ordinibus malogranatorum ornabatur. Coronicem vocant ipsam coronidem capitelli.

B Vilalpandus censet tria hæc capitella simul iuncta fuisse quinque cubitorum, ut dicitur v. 16. ita ut epistylium fuerit trium cubitorum, ut habetur 4. Reg. ult. 17. zophorus vero duorum cubitorum, coronis denique unius. Alii tamen illos quinque cubitos soli secundo capitello, utpote quod solum habebat retiaculum, attribuunt, cui addunt tres cubitos epistylii, et aliquot coronicis. Verum sic capitellum fuisset in quantitate dimidium columnæ: hæc enim erat 18. dumtaxat cubitorum. Quare ut inter capitella et columnam congrua sit proportio, potius dicendum videtur, omnia capitella non excessisse mensuram quinque cubitorum, hæc enim proportionem architectonicam habent cum columna 18. cubitorum.

Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper, iuxta mensuram columnæ contra retiacula.) Vers. 20. Hic agitur de tertio, sive summo capitello, quod erat quasi coronis columnæ addita, *contra retiacula*, id est, super retiacula et e regione retiaculorum, quod capitellum erat *iuxta mensuram columnæ*, id est habebat eamdem crassitiem, quam columna, scilicet duodecim cubitorum.

Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.) Hoc enim secundum capitellum, ut dixi, ambiebatur retiaculo, ex quo dependebant centum malogranata, et totidem inserta sive interposita erant: quodque enim retiaculum habebat ducenta malogranata. Altera ergo columna pariter in suo secundi capitelli retiaculo habebat totidem malogranata, puta ducenta. Ergo utrisque iunctis erant universim 400. malogranata ex ære fabrefacta, ut dicitur v. 42. et 2. Paral. 4. v. 13. Porro dependentia malogranata præcise fuerunt tantum 96. sed Script. numerat centum, ut numerum integrum sive plenum assignet, et forte quatuor reliqua erant quidem, sed tecta non apparebant. Hoc est enim quod dicitur Ierem. ult. 23. *Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia, et omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur*, hoc est illa, quæ interposita erant re-D tiaculis, erant centum, dependentia vero præcise non erant centum, sed 96. Ita Ribera lib. 1. de Templo c. 14.

Et statuit duas columnas in porticu templi.) Vers. 21. Quæ scilicet porticus erat templi vestibulum, ideoque erat ante Sanctum, nimirum interiecta inter Sanctum et atrium sacerdotum, de qua c. 6. 3. ita ut una columna uni portæ porticus, altera alteri astaret. Ita Vilalpandus. In primo, inquit, vestigio sanctuarii eas constituit ab utroque latere portæ aulæ sanctæ. Sic et Salianus, Adrichom. et alii. Male ergo nonnulli has columnas statuunt ante atrium sacerdotum, alii ante atrium laicorum.

Cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Iachin; similiter erexit columnam secundam (a sinistris) et vocavit nomen eius Booz.) *Iachin* Hebr. idem est quod *directio et rectitudo*, Booz et Iachin quid? a rad. כון *cun*, id est dirigere. Unde Septuag. 2. Paral. 3. ult. vertunt Κατορθωσις, id est correctio, directio, recta affectio. *Booz* Hebr. idem est quod *in eo fortitudo*. Unde

Sept. vertunt. ἰσχύς, id est vis et robur. Nonnulli, ut Beda, Abul. Vatab. Ribera, censent Salomonem idem significasse duobus hisce nominibus *Iachin et Booz*, scilicet optare se firmitatem et stabilitatem templi. Nam etiam *Iachin* subinde significat firmitatem et fortitudinem. Melius Caiet. et alii hæc duo distinguunt, ac per *Iachin*, id est directionem, accipiunt prudentiam et sapientiam; per *Booz* vero fortitudinem et firmitatem; ut Salomon per *Iachin* significarit templum hoc miro artificio et sapientia esse elegantissime fabricatum; per *Booz* vero fortissime fundatum, munitum et stabilitum: utque iisdem nominibus suum desiderium, et votum patefecerit. q. d. Utinam Deus meum hoc templum, quasi suum Iachin dirigat, ac quasi suum Booz roboret, ut a nullo hoste, a nullo fulmine deiiciatur. Utinam Deus diutissime hoc meum, imo suum templum tueatur, dirigat et confirmet.

Rursum dextra columna *Iachin*, ait Caiet. significabat directivum imperium tum Dei super omnes creaturas et homines, sed maxime Israelitas eorumque templum, tum regum regnique Israel: unde utraque columna coronata erat. Sinistra vero columna *Booz* significabat fortitudinem ad exequendum ea, quæ per *Iachin*, id est per directivum imperium prudenter sunt ordinata: utrumque enim in Deo est Deique providentia, quæ sapienter et fortiter omnia gubernat: utrumque quoque regibus est necessarium. Utrumque ergo Salomon Deo est gratulatus, ac simul optavit et petit, ut utrumque Deus in templi et populi regnique custodia ostenderet, sibique et suis successoribus ad bene regendum eadem communicaret.

Allegor. Allegor. columnæ hæ templi significant Ecclesiæ sapientiam æque ac firmitatem: ipsa enim est columna et firmamentum veritatis, uti huc alludens ait Apostolus 1. ad Timoth. 3. 15. Vide ibi dicta. Quare Iachin repræsentat Doctores et Rectores Ecclesiæ: hi enim alios docent et dirigunt in viam virtutis et salutis; Booz significat Martyres virosque fortes. Unde S. Hieronymus, Beda, Eucherius et Angelom. Columnæ, inquiunt, sunt Apostoli, et Doctores, quia contemplatione ad superna sunt erecti, ac fortes fide et opere. Sunt duæ, quia Iudæos et Gentiles fulciunt. Sunt ante fores templi, ut utrosque in templum, id est in cælum inducant. Rursum sunt duæ ita dispositæ, ut nobis in prosperis et adversis ingressum patriæ cælestis ante oculos mentis iugiter habendum esse doceant, ut nec adversis deiiciamur; nec prosperis extollamur, sed inter utraque constantes in fide et virtute ad cælum tendamus. Ita auctores citati. Linea 12. cubitorum, ait Beda, norma est Apostolicæ institutionis. Columnæ capitellum imponitur, quia *qui perseveraverit usque ad finem, et legitime certaverit, coronabitur,* sicut ait Apostolus: nam qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. Altitudo capitelli quinque cubitorum est, quia corona pro quinque sensuum voluptatibus animose contemptis atque superatis redditur. Fascia cingens capitellum beatitudo est, quam Theologi accidentalem vocant: septies illud cingit, quia plurimis ex rebus hæc beatitudo oritur, et multæ sunt causæ gaudendi, septem enim pro multis ponitur.

Insuper quilibet sancti in fide eminentes et virtute columnæ sunt, æneæ propter firmitatem in bonis operibus, erectæ per intentionem, altæ per contemplationem, striatæ seu excavatæ per mortificationem, qua pravas appetitiones coercent et sese per carnis macerationem extenuant, quæ excavatio potest etiam ad humilitatem referri. Secundo, duo capitella duo sunt testamenta, quorum meditationi et observationi Doctores sancti et animo subduntur et corpore. Tertio, species catenarum et similitudo retis in capitellis, varietas est virtutum spiritualium in sanctis. Quarto, malogranata ducenta magnam et multiplicem eorum charitatem, unionem, concordiam, zelum significant. Quinto, capitella in florem lilii desinebant. Quid enim per lilium, nisi æterna felicitas, et immortalitatis floribus redolens amœnitas designatur, in quam Sancti omnes tandem desinunt, eamdemque cum aliis prædicant, quasi in summo ostentant et promerendam proponunt? Ita Angelom. et Beda: *Quid,* inquiunt, *per lilia, nisi supernæ claritas patriæ atque immortalitatis floribus redolens paradisi designatur amœnitas?* Plura minutiora vide apud Riberam lib. 2. de Templo c. 15.

Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit.) q. d. Toti operi columnarum et capitellorum quasi coronidem imposuit lilium, sive formam lilii ex eodem ære fabrefacti, tum ut decorem templi ostenderet, tum ut eius florem a Deo postularet, ut scilicet in eo floreret pietas et Dei cultus purus et castus. Lilium enim puritatis et virginitatis est symbolum, æque ac gloriosæ resurrectionis Christi et Sanctorum, iuxta illud quod Martyribus occinit Ecclesia in Officio Ecclesiastico: *Sanctorum velut aquilæ iuventus renovabitur, et florebunt sicut lilium in Civitate Domini.* Et tempore paschali: *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te, Alleluia.* Et illud sponsi: *Ego flos campi et lilium convallium.* Cant. 2. 1. Vide ibi dicta; et Eccl. 39. 19. et Osee 14. 6. ubi multa de symbolis liliorum dixi. Salomon ergo lilium imponens templo repræsentavit Christi, B. Virginis, et Sanctorum puritatem, splendorem, felicitatem et gloriam æternam: templum enim fuit figura cæli, ac cælestis conversationis, resurrectionis, et gloriæ. Vers. 22.

Tropol. Tropol. quilibet fidelis et sanctus indiget columna duplici, ut fiat templum Dei, scilicet Iachin, id est prudenti rectaque directione ad decernendum id quod agendum est; et Booz, id est fortitudine ad illud exequendum. Prudentia enim præit quasi lux, viam virtutis et sanctitatis ostendens: unde dextram occupat: fortitudo vero sequitur quasi sinistra, ut id quod prudentia faciendum ostendit, fortiter in opus conferat. Utraque est opus Salomonis, id est Christi: quare ab eo supplicibus et assiduis precibus cuilibet est flagitanda. Neutra enim sola sufficit, sed si utraque iungatur, omnia perficit, omnia superat, hominemque ad culmen sanctitatis et in cælum evehit: Spiritus sanctus enim nos dirigere debet in viam salutis, ac deinde roborare, ut eam per tot hostes, tentationes, difficultates constanter prosequamur. Unde Salomon Proverb. 3. 6. *In omnibus viis tuis*, inquit, *cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.* Et parens eius David crebro in psalmis idipsum postulat, ut psalm. 118. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Et v. 133. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.* Psalm. 26. 11. *Dirige me in semitam rectam.* Psalm. 89. 17. *Opus manuum nostrarum dirige.* Ad Iosue vero ait Deus c. 1. v. 6. 7. et 9. *Confortare et esto robustus* ad debellandos Chananæos, *noli metuere, et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.* Et ad David: *Brachium meum confortabit eum.* Psal. 88. 22.

Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu.) Vers. 23. Mare æneum. *Mare* vocat concham ingentem, quæ magnam vim aquarum capiebat, ad manus et pedes sacerdotum (hi enim nudis pedibus ministrabant in templo) aqua inde profluente abluendum. Unde v. 26. et 31. vocatur *luter*, id est lavacrum a fine et usu, sed a capacitate hic vocatur *mare*, idque *fusile*, id est fusum ex ære. Erat *rotundum*: unde diameter eius erat decem cubitorum a labio usque ad labium, id est ab uno extremo peripheriæ usque ad aliud ei oppositum: altitudo eius erat quinque cubitorum.

Rursum insistebat duodecim bobus ex ære fabrefactis, qui vultibus suis respiciebant quatuor mundi plagas. Adde huic mari sive conchæ insculptæ erant effigies Cherubim, leonum, boum et palmarum. Denique mare hoc erat in atrio sacerdotum iuxta altare holocaustorum, ac respondebat labro æneo, quod Moses fecit ex speculis mulierum in Tabernaculo, Exodi 30. 18. ubi ostendi labrum hoc æque ac mare non tam repræsentasse baptismum, ut volunt Eucherius et Angelomus (erat enim labrum hoc æque ac mare non ante atrium, sed in ipso atrio) quam pœnitentiam, quæ fidelibus præmittenda est sacrificio et sacramento Eucharistiæ, uti docet S. Gregor. hom. 17. in Evang. ac Beda lib. 3. de Tabernac. c. ult. Vide Ribaram singula applicantem lib. 2. de Templo cap. 17. Con-

cha hæc vasta et plena aquis, ideoque vocata *mare*, significat amaram et magnam debere esse contritionem et pœnitentiam peccatoris, quæ flumina lacrymarum si non ex oculis, certe ex corde profundat, iuxta illud: *Magna est velut mare contritio tua.* Thren. 2. 13.

Et resticula (Hebr. קו *cav*, id est linea; Chald. *filum*, quod Noster vocat *resticulam*, id est parvam restem sive funiculum mensorium) triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.) q. d. Mare hoc, sive concha ænea funiculo triginta cubitorum circumcirca cingi et mensurari poterat, hoc est, in ambitu vel circuitu continebat triginta cubitos. Circuitus enim sive circumferentia circuli est triplex ad diametrum: quare cum diameter huius conchæ fuerit decem cubitorum, ut dixi, sequitur eius peripheriam sive circuitum fuisse triginta cubitorum.

Notat Abulensis circuitum præcise fuisse triginta cubitorum et unius cum dimidio, quia circuitus continet diametrum ter, et insuper septimam diametri partem: sed Script. more suo minorem numerum omittit et supprimit. Hinc Iosephus ait hanc concham fuisse semiorbis, vel potius, ut græce est, hemispherii forma et specie.

Vers. 24. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare.) q. d. In summitate continuo post labium maris vel conchæ erat sculptura quædam cingens mare, non totum, sed quasi tertiam eius partem, quæ erat decem cubitorum: hæc autem sculptura erant duo ordines sculpturarum striatarum, de quibus proxime sequitur. Ita Ribera. Aliter Caiet. et Abul. qui per *subter labium* intelligunt imam partem conchæ, quæ erat decem cubitorum, ita ut sculptura hæc totam illam ambierit.

Duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles.) q. d. Sculptura iam dicta erant duo ordines sculpturarum striatarum ex ære fuso. *Striatarum*, ita legendum cum Hebr. et Roman. non *histriatarum*, ut legunt codices Regii, nec *historiatarum*, quasi ibi depictæ essent historiæ, ut legunt voluntque alii. *Striatarum* ergo, hoc est habentium strias: striæ autem sunt canaliculi aut sulci, qui per lignum aut æs ducuntur ad elegantiam, ita ut una pars emineat, altera subsidat, quales videmus Romæ in columnis basilicæ S. Petri ex ære fusis. Ita Ribera et alii, quin et Vitruvius lib. 6. c. ult. unde Apuleius *striatam* frontem vocat contractam caperatamque, et quasi sulcos facientem præ tristitia.

Vers. 25. Et stabat super duodecim boves.) Qui anteriori sui parte, id est faciebus suis terni respiciebant quaternas mundi plagas, sed posteriori sui parte latitabant, id est abscondebantur sub concha quam sustinebant. Allegor. 12. boves sunt duodecim Apostoli, qui iussu Christi fidem et pœnitentiam per omnes mundi plagas prædicarunt.

Vers. 26. Grossitudo autem luteris, trium unciarum erat.) *Luteris*, id est lavacri. Græce enim λȣω, est lavo; inde λȣτηρ est lavacrum. *Luteris* ergo, id est maris ænei iam dicti, ut patet ex Hebr. Chald. et Septuag. Frustra ergo Adrichom. luterem a mari æneo distinguit, ac luterem ponit ad Septemtrionem, mare vero æneum ad Meridiem in atrio sacerdotum, ita ut inter utrumque medium fuerit altare holocaustorum: in lutere enim ablutas fuisse victimas, in mari æneo vero ipsos sacerdotes. Verum ad utrumque sufficiebat mare æneum cum decem luteribus, de quibus v. 27. Sensus igitur est q. d. Maris ænei crassities erat trium unciarum, id est quatuor digitorum, sive palmi, ut vertunt Septuag. hoc est trium pollicum, quæ est quarta pars pedis, sive palmaris crassitudo: nam uncia est duodecima pars pedis, pes autem sedecim digitos continet: tres ergo unciæ sunt quarta pars pedis, puta quatuor digiti. Hoc est, quod dicitur 2. Paral. 4. 5. *vastitas*, id est crassities *eius habebat mensuram palmi.*

Labiumque eius quasi labium calicis, et folium repandi lilii.) q. d. Labium sive labrum maris ænei erat quasi labium calicis, et quasi repandum, id est, apertum recurvumque lilium. *Repandum* enim idem est quod recurvum et sinuosum, quodque retrorsum patet. Sic cervix repanda est incurva: pectus vel dorsum repandum est incurvum. Unde Plinius lib. 14. 22. *Ad hæc pertinet,* inquit, *pectorosa cervicis repandæ ostentatio.*

Mystice, Eucherius et Angelomus: *Per labium calicis*, inquiunt, *gustus Dominicæ passionis, per folium repandi lilii patefacta claritas resurrectionis ipsius exprimitur.* Utraque enim in lavacro baptismi et pœnitentiæ abluimur. Nam ut ait Eucherius: Christus, *qui ante passionem quidem suam quasi clausum adhuc lilium fuit, cum signis miraculorum quæ fecit, clarus homo refulsit: post resurrectionem vero et ascensionem suam repandum se lilium supernæ patriæ civibus exhibuit, quod in assumpta humanitate potentiam divinæ claritatis, quam habuit apud Patrem, priusquam mundus esset, ostendit. Unde in amoris Cantico lilii se vocabulo designare voluit dicens: Ego flos campi, et lilium convallium. Labium ergo maris, in quo sacerdotes lavabantur, quasi labium fuit calicis, et folium repandi lilii: quia lavacrum salutare, quo membra summi sacerdotis efficimur, in fide nos sacrosanctæ passionis eius a peccatorum omnium labe purificat, ac purificatos ad visionem gloriæ ipsius perennis intromittit.*

Duo millia batos capiebat.) Batus, ephi et metreta æqualia sunt, suntque decima pars cori, Ezech. 45. 11. scilicet erat mensura continens tres modios: corus enim continebat decies amplius, nimirum 30. modios. Batus erat mensura liquidorum, sicut ephi aridorum, continens tantum quantum amphora Romana, scilicet 48. sextarios, hoc est aquæ uncias 960. uti multis probat Alcazar tract. de Mensuris propos. 14. licet Vilalpandus longe maiorem faciat batum. Dices, 2. Paral. 4. 5. dicitur mare æneum continuisse *tria millia metretas*, id est batos. Resp. cum Vilalpando, Alcazario et aliis, batum fuisse duplicem, maiorem et minorem, maior erat sesquialter alterius, ut duo maiores æquarent tres minores. Iam Vilalpandus censet batum maiorem continuisse 108. sextarios, minorem 72. Alcazar vero tract. de Mensuris propos. 14. censet hos batos non fuisse communes, sed extraordinarios et minores, adeoque batum hunc fuisse tantum decimam partem bati. Rursum hos batos fuisse duplices, nimirum maiorem et minorem, ita scilicet ut maior esset sesquialter minoris. Decima autem pars bati est gomer, sive assaron, qui continet 96. uncias, hoc est octo libras duodecim unciarum. Quare putat Alcazar mare æneum continuisse Romanas amphoras 208. cum Vilalpandus ei tribuat amphoras Romanas 4500. Verum uti hæc mensura Vilalpandi est nimis magna et immanis, ita illa Alcazarii est nimis exigua, et exilior, quam ut mare vocari possit. Quare ab ordinaria et vulgari mensura bati recedendum non esse censeo, dicoque batum hic accipi communem, qui æqualis erat amphoræ Romanæ, continens 48. sextarios et uncias 960. quæ faciunt libras 80. Quare mare hoc continens duo millia batorum continebat bis mille amphoras Romanas, hoc est sextariorum nonaginta sex millia, librarum aquæ vero centum et sexaginta millia. Hi sunt bati maiores bis mille, qui æquivalent batis minoribus ter mille: habent se enim sicut duo ad tria: quare batus minor continebat dumtaxat 640. uncias, quæ faciunt 52. libras et 4. uncias, ut patet proportionem utriusque supputanti et inter se conferenti.

Aliter respondent Caiet. et Ribera, scilicet mare æneum cepisse duo millia batorum dumtaxat, si communi modo moderate tantum implebatur; sin vero ad summum omnino apicem, cepisse tria millia batorum: et hoc significare Hebr. מחזיק *machazich* 2. Paral. 4. 5. *machazich* enim idem est quod *fortificante*, id est fortiter planeque implenti, capiebat tria millia batorum. Peripheria enim superior, quia erat amplissima, exiguo suo limbo paucorum digitorum facile capiebat mille batos. Liber enim Paralipom. est supplementum libri Regum, supplet enim τα παραλιπομενα, id est, quæ in eis relicta et omissa sunt. Unde sæpe maiorem recenset numerum. Ita Vatab.

*

Vers. 27. Et fecit decem bases æneas.) Pro decem luteribus, qui his basibus sustinebantur. Id patet ex v. 38. et 2. Paral. 4. 6. ubi dicitur: *Fecit quoque conchas decem, et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi erant: porro in mari sacerdotes lavabantur.* Luteres ergo erant magnæ conchæ, sive labra et pelves, in quibus sacerdotes abluebant victimas iam excoriatas, et carnes earum dissectas, ut lotæ imponerentur altari holocaustorum ad eas Deo offerendum et cremandum: in mari æneo vero soli sacerdotes lavabant suas manus et pedes: licet enim Nathinæi victimas immolandas prius abluissent in probatica piscina, antequam inducerentur in templum, tamen illi animalia integra et viva abluebant: quare in templo, id est in atrio rursum a sacerdotibus eadem iam mactata et dissecta a sanguine et sordibus abluenda erant, ut pura offerrentur Deo in altari. Quocirca mare æneum erat in medio luterum, ac quinque luteres habebat a dextris, quinque a sinistris. Ita Ribera. Quisque autem luter capiebat quadraginta batos, ut dicitur v. 38. Idem habet Iosephus in versione Ruffini: male enim Gelenius pro batis substituit congios.

Quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis.) Erant ergo bases luterum quadratæ, quia latæ quatuor cubitos, totidem longæ: quare ex quaternis tabulis æneis inter se iunctis conflatæ et compactæ fuerunt, ideoque iuncturæ hæ, ut non apparerent, tectæ fuerunt sculpturis variis, ut sequitur.

Vers. 28. Et ipsum opus basium, interrasile erat: et sculpturæ inter iuncturas.

Vers. 29. Et inter coronulas et plectas, leones, et boves et Cherubim: et in iuncturis similiter desuper: et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia. Locus hic implexus est et difficilis. Omissis variis variorum explicationibus, ut breviter et clare rem totam expediam, Nota primo, *opus interrasile* vocari, quod inter tabulas ligneas, aureas vel æneas planas et quasi rasas protuberat, extat et eminet, ut in conchis extant et eminent capita leonum, hominum et boum, etc. Unde Hebr. est, מסגרות *misgherot*, id est, *clausuræ* vel ut Vatab. *cincturæ. Clausuras* Hebr. vocant sculpturas extantes et eminentes, quia hæ quasi claudunt et terminant tabulam planam, et rasam, puta spatia intermedia tabulæ planæ. Unde Noster opus hoc interrasile, id est sculpturas has vocat *coronulas* et *plectas*, tum quia coronulis et floribus aliisque rebus contextis et implexis cingebantur: tum quia ipsæ sculpturæ, sive effigies sculptæ vocantur coronæ et coronamenta, id est ornamenta, quia tabulam vel rem cui adduntur coronant et ornant. Quocirca pro his omnibus est Hebraice una vox *misgherot*, quam Noster vertit nunc *opus interrasile*, nunc *sculpturas*, nunc *coronulas*, nunc *plectas*. Quædam enim erant in modum coronæ rotundæ, quædam alia figura et forma implexæ, quæ *plectæ* dicebantur. Hæ ergo quatuor voces idem hic significant. Possunt tamen per *plectas* accipi iuncturæ ipsæ tabularum, uti est in Hebræo, ut plecta derivetur a πλέκω, id est plico, concinno, necto, iungo: nam inter iuncturas tabularum erant hæ sculpturæ.

Opus interrasile quod?

Plectæ.

Nota secundo, pro *iuncturas* Hebr. est שלבים *scelabbim*, quod Pagnin. vertit, *vestes;* Marinus, *gradus;* Vatab. *prominentias;* sed credendum est Nostro ac Septuag. qui constanter vertunt *iuncturas*, ac Chald. qui vertit *commissuras*. Unde Exodi 26. 17. Noster et alii passim vertunt *incastraturas*.

Hebræa ergo ad verbum sic habent: *Et hoc opus basis: clausuræ eis, et clausuræ inter iuncturas, et super* (id est iuxta vel inter) *clausuras, quæ erant inter iuncturas leones, boves et cherubim. Et super* (id est iuxta vel inter) *iuncturas sic desuper: et subter leonibus et bobus copulationes, opus descensionis. Clausuras*, ut dixi, vocat sculpturas leonum, boum et cherubim, etc. quæ tegebant iuncturas tabularum ænearum, ne apparerent esse compactæ, sed viderentur esse continuæ, et ex eodem ære

A productæ, sive ut non multæ, sed una integra et solida tabula esse videretur. Sensus ergo est, q. d. Salomon sculpsit in basibus decem luterum varias sculpturas, ut illis tegeret iuncturas tabularum ænearum, inter quas sculpturas eminebant sculpturæ leonum, boum et Cherubinorum. Itaque fecit has sculpturas et effigies tam inter iuncturas superiores et altiores, quæ erant desuper, quam inter inferiores quæ erant subter: addiditque sub leonibus et bobus copulationes, id est lora quædam inter se copulata et connexa dependentia, id est deorsum tendentia; hoc est enim *opus descensionis*, quod habent Hebræa. Apposite sculpsit hæc lora, quia boves et leones loris alligari et copulari solent: ita Ribera lib. 2. de Templo cap. 18.

Et quatuor rotæ per bases singulas.) q. d. Singulæ bases impositæ erant quatuor rotis, ut huc illuc rotari et moveri viderentur. Vers. 30.

Et per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se invicem respectan-

B tes.) q. d. Erant in basibus luterum partes quædam extantes, quibus quasi humeris luteres sustentabantur, ex ære fusæ et sibi invicem obversæ.

Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate.) q. d. Os luteris, id est ipsa superior pars basis, cui luter, sive concha luteris imponebatur, erat concava instar oris, ut ei luter pariter concavus apte inseri posset, eratque in capitis summitate, hoc est, erat in summitate basis. Sic enim Auctor se explicat v. 35. Vers. 31.

Et quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum et dimidium.) Id clare explicat Iosephus dicens lib. 8. c. 2. *Qua parte effigies leonum et aquilarum sic erant adaptatæ, ut connatas putares, intervenientibus inter eas palmarum arbusculis. Atque hæc rotunditas habebat altitudinis cubitum et dimidium, sed dimidius cubitus tegebatur cœlaturis, et tantum cubitus apparebat.*

In angulis autem columnarum variæ cælaturæ

C erant.) Nam ut ait Iosephus, tabulæ basium cum essent quadratæ in angulis habebant columnas, id est columellas quasdam ad elegantiam, quibus latera basium utrimque inserebantur et quasi incastrabantur, et hæ habebant suas sculpturas quibus ornabantur.

Et media intercolumnia quadrata, non rotunda.) *Intercolumnia* vocat ipsos scapos, sive stipites basium, qui inter columnas in angulis annexis quasi medii intercedebant. q. d. Ipse scapus basium quadratus erat, non rotundus: Hebr. et Chald. *Ipsæ clausuræ*, id est sculpturæ, *erant quadratæ, non rotundæ. Clausuras*, sive sculpturas, vocat ipsas bases sculptas et effigiatas.

Tales autem erant rotæ.) q. d. Tales erant rotæ basium, ut viderentur posse rotari et moveri, cum reipsa essent fixæ, nec rotari possent: et idcirco habebant omnia, quæ habent rotæ veræ et rotabiles, scilicet suos axes, radios, canthos et modiolos. Modiolus in rota vocatur ipse nodus sive centrum rotæ, ex quo oriuntur radii, qui inde perducuntur ad canthum, id est ad periferiam sive cir- Vers. 33.

D cumferentiam exteriorem rotæ.

Varias sculpturas ex semetipsa.) Id est non additītias, sed quasi agnatas et simul cum ipsa, ut ex ipsa basi fusæ viderentur. Vers. 35.

Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære.) q. d. Sculpsit super summas tabulas basium effigies leonum, palmarum, etc. *Tabulata* enim *ex ære* vocat ipsas tabulas æneas inter se connexas et contabulatas. Vers. 36.

Fecit quoque decem luteres.) Ecce hi sunt luteres, quorum bases huc usque descripsit. Vers. 38.

Mare (æneum) autem posuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem.) q. d. Ita posuit mare æneum ad Meridiem, ut tamen verteretur ad Orientem. q. d. Non plane obversum erat Meridiei, sed ei parti Meridiei, quæ nonnihil declinat et vergit ad Orientem. Vers. 39.

Denique mari æneo et decem luteribus ad abluendum

victimas, adde ex Aristæa lib. de Septuag. Interpret. post initium, fuisse in templo occulta receptacula aquarum, quæ ad diluendum sanguinem iugulatarum hostiarum funduntur, quarum fluxus tam assiduus, inquit, est, ut perennis fons videatur. Et ad hoc sunt iuxta aræ basim frequentes aperturæ solis ministris cognitæ. Sed mirabilius est, et fere inenarrabile subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque usque stadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fistulæ quacumque per muros et templi solum, quibus omnia abluantur, mundenturque, descendunt. De hisce superius quoque mentionem feci.

Allegor. et Tropol. luteres decem idem significant quod mare æneum, nimirum multiplicem et crebram pœnitentiam, qua in hac vita fragili ob multiplices lapsus et labendi pericula indigemus. Quadraginta bati, quos singuli luteres capiunt, significant dies 40. Quadragesimæ, qui omnes pœnitentiæ sunt addicti. Cetera vide apud Eucherium, Angelomum et Riberam lib. 2. de Templo c. 19. qui minutim singula applicant.

Primus hoc sæculo pœnitentiæ sacramentum negavit et sustulit Mart. Lutherus, quare ipse non fuit luter, nec lotor, sed luteus et lutulentus, imo pollutor et profanator sacrorum, utpote suis poculis, ventri et Veneri totus indulgens, iisque corpus et animam conspurcans quasi *sus lota in volutabro luti*, ut ait S. Petrus Epist. 2. c. 2. v. 22.

Vers. 40. FECIT ERGO HIRAM LEBETES, ET SCUTRAS, ET HAMULAS.) Pro *scutras* Hebr. est יעים *iaim*, quod Chald. et recentiores vertunt, *scopas*; Sept. *Calfactoriola*; alii vertunt, *fuscinas*, *phialas*, *thuribula*; S. Hieron. nunc *scutras*, *forcipes*, *tridentes*, nunc *trullas et creagras* vertit. Nomina enim Hebræa sunt polysema, et multa significant. *Scutra* genus est vasis profundi et circularis, cuius diminutivum est scutella: quare aliud est *scutra*, aliud scruta, licet Calepinus hæc duo pro eodem habeat. *Scruta* enim sunt usu attritæ vestes, iumentorum soleæ, clavi refixi, sulphurata, vitrorum fragmenta, ceteraque similia, quæ vilissimi proxenetæ venalia habent, quos *scrutarios* appellant, quales Romæ videmus Iudæos, de qualibus ait Horat. l. 2. Epist. 7.

Scutra quid?

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Scutra ergo vel *scuta* est scutella magna, ita a scuto dicta, quod instar scuti rotunda sit et concava. Hinc Lucilius lib. 6. ait: *scutam* (scutellam) *ligneolam cerebro inflixit.* Et Papias: *Scutra*, ait, *vas æneum æquale fundo, latum et apertum desuper.* Et Priscianus in fine lib. 3. *A scuto*, inquit, *dicitur scutula et scutella, quasi parva scuta vel scutra.* Scutra enim litteram r mutuatur *a scetra, quæ est scutum loreum sine ligno, quo utuntur Afri et Mauritani*, ait Isidor. lib. 18. Etymol. c. 12. de quo Poeta: *Lævam scetra tegit.* Porro diminutiva r simplicis mutant in l sic a mitra diminutivum fit mitella, a capra capella, a sacrum sacellum, ab ager agellus, a piger pigellus, a miser misellus.

Hamulæ. Hebr. מזרקות *mizrakoth* sunt vasa sparsoria vel infusoria, quibus aqua, vel vinum, vel thus spargitur et funditur. Radix enim זרק *zarach* significat spargere, aspergere, quales sunt ampullæ, quibus in Missa aqua et vinum in calicem spargitur et infunditur. Septuag. vertunt *phialas*; Chald. *pelves*; S. Hieron. hic *hamulas*, alibi *phialas*, alibi *thuribula*. Audi Columellam:

Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam.

Vers. 42. AD OPERIENDUM FUNICULOS CAPITELLORUM.) *Funiculos* vocat spiras orbiculares, quæ capitello incisæ ipsum in orbem circuibant et ornabant. Unde Hebr. est גלות כותרת *gulloth kotereth*, id est *convolvolæ coronæ*; Septuag. *vertibilia*; Chald. *vasa rotunda coronarum*; Vatab. *globos coronatos. Funiculos capitellorum* ergo, vocat media capitella, eo quod in modum funis spiras et gyros haberent: hæc enim Hebr. vocantur *gulloth ketoret*, quasi revolutiones coronæ, vel capita suis spiris in gyrum circumdata et coronata.

Vers. 45. OMNIA VASA QUÆ FECIT HIRAM (nam alii artifices A fabricarunt vasa ex auro et argento etc.) DE AURICHALCO ERANT.) Hebr. *de ære* ממרט *memorat*, id est terso et polito, hoc est optimo, ut vertit Chald. et Septuag. quod *aurichalcum* vocatur, quia rubet et fulget ut aurum. Vide dicta Ezech. 1. 27. et Apocal. 1. 15.

Porro, *Hiram*, 2. Paral. 2. 13. a rege Tyri vocatur *pater meus*, quia scilicet rex eum ob præstantiam artis colebat ut patrem: *pater* enim Hebræis sæpe significat magistrum, ducem, præsidem, præfectum. Sic Ioseph. a Pharaone vocabatur *pater*, ob præstantiam prudentiæ et providentiæ tempore famis. Genes. 45. 8. Sic 4. Regum 13. 14. Rex Israel Eliseum vocat *patrem*, quia eum ut Prophetam et magistrum reverebatur. Porro Iosephus his vasis multa alia adiicit: primo, mensarum aurearum, super quibus instrumenta varia essent, numerum extendit ad 10000. Secundo, phialarum et spondiorum aureorum 20000. argentearum 40000. candelabrorum 10000. OEnochoarum 80000. phialarum aurearum 100000. argentearum 200000. lancium aurearum 50000. argen- B tearum 160000. craterum aureorum 60000. argenteorum 120000. metrorum seu mensurarum Mosis, Hin, et Assaron aurearum 20000. argentearum 400000. thuribulorum quibus thus adoleretur aureorum 20000. argenteorum 40000. Quibus vero ad altare holocaustorum ignis auferretur, aureorum 50000. stolarum Hierarchicarum pro sacerdotum principibus 10000. pro sacerdotibus aliis 10000. tubarum 20000. organorum musicorum, nablorum et cinyrarum ex electro 30000.

FECITQUE SALOMON OMNIA VASA AUREA IN DOMO DOMINI: ALTARE AUREUM etc.) Puta altare thymiamatis in Sancto, ante Sanctum sanctorum, de quo dixi Exodi 30. 1. Hinc patet Salomonem fecisse novum altare thymiamatis in Sancto pro veteri a Mose fabricato, illudque vetus Mosis reposuisse in tabulato Sancti. Salomon enim omnia vasa templi nova fecit, excepta arca cum propitiatorio et cherubim: in arca enim servabatur lex in tabulis lapideis digito Dei scripta. Arcam ergo a Mose C factam reposuit in templo, nec novam fabricavit; cetera vero omnia innovavit. Unde sequitur: Vers. 48.

ET MENSAM, SUPER QUAM PONERENTUR PANES PROPOSITIONIS, (novam fabricavit pro vetere a Mose facta,) ET CANDELABRA AUREA, QUINQUE AD DEXTERAM, ET QUINQUE AD SINISTRAM.) Moses unum dumtaxat fecit candelabrum ex auro septiceps, sive habens septem calamos et totidem lucernas, sed Salomon pro uno hoc fabricavit quinque. De mensa hac panum et de candelabro fuse dixi Exodi 25. v. 23. et 31. Quare hic ea non repetam. Vers. 49.

FORCIPES.) Hoc est emunctoria, ait Abul. et Vatab. *forceps* enim est instrumentum, quo forvum, id est calidum tenetur, ait Festus, quod non solum forcipibus, quibus ignem struimus, sed et emunctoriis, quibus favillas lucernarum et candelarum capimus et carpimus, convenit.

MORTARIOLA.) Sunt vasa proprie, in quibus pilo teruntur quæ solvenda sunt, ait Nonius Marcellus. Unde S. Vers. 50.
D Isidor. lib. 4. Etymol. c. 11. *Mortaria*, inquit, *dicuntur quod ibi iam semina in pulverem redacta et mortua condiantur.* Verum hoc loco Hebr. est כפות *cappoth*, quæ vox significat vascula curva (כפף *caphaph* enim significat curvare) et concava, in quibus thus vel incensum vel quippiam tale reponitur: ita Vatab. et alii. Unde Septuag. vertunt, *phialas*; Chald. et Vatab. *cochlearia. Mortariola* ergo sunt parva mortaria; itaque vocantur vasa instar mortariorum curva et concava.

QUÆ SANCTIFICAVERAT DAVID.) Id est quæ David dicaverat, destinaverat et quasi consecraverat Deo in usum templi. Septuag. *Intulit Salomon sancta* (Hebr. et Chald. *sanctitates*) *David patris sui.* Quæ enim Deo dicantur, adeo sunt sancta, ut sint quasi ipsæ sanctitates. Vers. 51.

Nota, in templo nil videri poterat præter marmor, cedrum, aurum, argentum; ut discas in anima sancta et religiosa dicataque Deo, nil nisi purum, solidum et pretiosum reperiri debere.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dedicatio templi, in qua supplicat Salomon Deo, ut orantes in illo, vel versus illud, exaudiat.

1. Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum
Israel, ad regem Salomonem in Ierusalem: ut deferrent arcam fœderis Domini, de civitate David, id
est, de Sion. 2. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die,
ipse est mensis septimus. 3. Veneruntque cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam sacerdotes, 4. Et portaverunt
arcam Domini, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo: et ferebant ea sa-
cerdotes et Levitæ. 5. Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum
illo ante arcam, et immolabant oves et boves absque æstimatione et numero. 6. Et intulerunt sacerdotes arcam
fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas cherubim. 7. Siquidem
cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam, et vectes eius desuper. 8. Cumque eminerent
vectes et apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui
et fuerunt ibi usque in præsentem diem. 9. In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat
in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de Terra Ægypti. 10.
Factum est autem, cum exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, 11. Et non poterant
sacerdotes stare et ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. 12. Tunc ait
Salomon: Dominus dixit ut habitaret in nebula. 13. Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmissi-
mum solium tuum in sempiternum. 14. Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni ecclesiæ Israel: omnis
enim ecclesia Israel stabat. 15. Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad Da-
vid patrem meum, et in manibus eius perfecit, dicens: 16. A die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto,
non elegi civitatem de universis tribubus Israel, ut ædificaretur domus, et esset nomen meum ibi: sed elegi Da-
vid ut esset super populum meum Israel. 17. Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei
Israel: 18. Et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo,
bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. 19. Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui
egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. 20. Confirmavit Dominus sermonem suum, quem
locutus est: stetique pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus: et ædificavi
domum nomini Domini Dei Israel. 21. Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum
patribus nostris, quando egressi sunt de Terra Ægypti. 22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspe-
ctu ecclesiæ Israel, et expandit manus suas in cælum, 23. Et ait: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus
in cælo desuper, et super terram deorsum: qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulant co-
ram te in toto corde suo. 24. Qui custodisti servo tuo David patri meo quæ locutus es ei: ore locutus es, et ma-
nibus perfecisti, ut hæc dies probat. 25. Nunc igitur Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo
quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si cu-
stodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo. 26. Et nunc Domine
Deus Israel firmentur verba tua, quæ locutus es servo tuo David patri meo. 27. Ergone putandum est quod vere
Deus habitet super terram? si enim cælum, et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc,
quam ædificavi? 28. Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces eius, Domine Deus meus: audi hymnum et
orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: 29. Ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die:
super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus
tuus. 30. Ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto, et exau-
dies in loco habitaculi tui in cælo, et cum exaudieris, propitius eris. 31. Si peccaverit homo in proximum suum,
et habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur adstrictus; et venerit propter iuramentum coram altari tuo in do-
mum tuam, 32. Tu exaudies in cælo, et facies, et iudicabis servos tuos, condemnans impium, et reddens viam
suam super caput eius, iustificansque iustum, et retribuens ei secundum iustitiam suam. 33. Si fugerit populus
tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi), et agentes pœnitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint,
et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac: 34. Exaudi in cælo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et
reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. 35. Si clausum fuerit cælum, et non pluerit propter peccata
eorum, et orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter affli-
ctionem suam: 36. Exaudi eos in cælo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel: et ostende eis
viam bonam per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.
37. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, et af-
flixerit eum inimicus eius portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, 38. Cuncta devotatio, et impreca-
tio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel: si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus
suas in domo hac, 39. Tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies ut des unicui-
que secundum omnes vias suas, sicut videris cor eius (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum), 40. Ut
timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 41. Insuper et alie-
nigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim
nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum 42. Extentum ubique), cum venerit ergo, et
oraverit in hoc loco, 43. Tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invoca-

verit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. 44. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, et contra domum, quam ædificavi nomini tuo, 45. Et exaudies in cælo orationes eorum, et preces eorum, et facies iudicium eorum. 46. Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet) et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, 47. Et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus: 48. Et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint: et oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod ædificavi nomini tuo: 49. Exaudies in cælo, in firmamento solii tui, orationes eorum, et preces eorum, et facies iudicium eorum: 50. Et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te: et dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. 51. Populus enim tuus est, et hereditas tua, quos eduxisti de Terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ. 52. Ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, et populi tui Israel, et exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te. 53. Tu enim separasti eos tibi in hereditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine Deus. 54. Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat in cælum. 55. Stetit ergo, et benedixit omni ecclesiæ Israel voce magna, dicens: 56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, iuxta omnia quæ locutus est: non cecidit ne unus quidem sermo, ex omnibus bonis quæ locutus est per Moysen servum suum. 57. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proiiciens. 58. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis eius, et custodiamus mandata eius, et ceremonias eius, et iudicia quæcumque mandavit patribus nostris. 59. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat iudicium servo suo, et populo suo Israel per singulos dies: 60. Ut sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo. 61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis eius, et custodiamus mandata eius, sicut et hodie. 62. Igitur rex, et omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino. 63. Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, et ovium centum viginti millia: et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel. 64. In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, et sacrificium, et adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocaustum, et sacrificium, et adipem pacificorum, 65. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad Rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus, et septem diebus, id est, quatuordecim diebus. 66. Et in die octava dimisit populos: qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes, et alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David servo suo, et Israel populo suo.

Vers. 2. IN MENSE ETHANIM, IN SOLEMNI DIE, IPSE EST MENSIS SEPTIMUS.) Male nonnulli legunt, *Bethanim*. Legendum enim cum Hebr. Septuag. et Roman. *Ethanim*, id est *fortium*, quia hoc mense septimo fructus sunt *fortes*, id est maturi, ac cum frugibus collecti reponuntur in horrea, quibus cor hominis et vita confirmatur et roboratur, ait Vatabl. vel propter crebra festa quæ mense septimo celebrabantur, quibus a *fortibus* et piis Deus colebatur: festa enim quasi roborant homines in pietate, et Dei cultu; ita Caiet. vel quia eo mense manifestatur fortitudo et sanitas hominum, quæ maxime tentatur ægritudinibus Autumni, cum folia defluunt, et hominum vires sole recedente deficiunt. Mensis ergo septimus, sive *Tisri* vocatur *Ethanim* hisce de causis, ac partim respondet nostro Septembri, partim Octobri, eratque olim primus mensis anni vulgaris, antequam Deus primum mensem anni sacri constitueret *Nisan*, sive Martium vel Aprilem, ob celebritatem Paschæ Exodi 12. v. 2. unde Chald. hoc loco vertit, *congregatus est Israel in mense quem veteres vocabant mensem primum, et nunc ipse est mensis septimus.*

Dices, Templum perfectum est mense octavo, ut dictum est cap. 6. v. ult. quomodo ergo dicitur hic dedicatum mense septimo? Respondet Abulens. Salianus et alii, templum cum fuit dedicatum, fuisse quidem perfectum quoad partes principales, non tamen habuisse omnimodam suam perfectionem, sed hanc post dedicationem illi additam, ita ut mense octavo omnino fuerit perfectum. Voluisse enim Salomonem anticipare omnimodam perfectionem ob solemnitatem festi Tabernaculorum in mense septimo, ut in illa coram toto populo templum suum dedicaret.

Aliter respondet Serarius, scilicet dilatam fuisse dedicationem in annum sequentem, mensemque eius septimum, ut interim parietes melius siccarentur, et cetera omnia ad dedicationem necessaria plenius compararentur. Quare dedicatum esse templum anno 12. regni Salomonis mense septimo.

IN SOLEMNI DIE.) Id est, in festo Tabernaculorum, ait Abul. Verum id dici nequit: nam hoc festum incipiebat die 15. mensis septimi: hic autem celebrata est dedicatio templi per 14. dies, ut patet v. 65. qua peracta dimissus est populus die 23. eiusdem mensis, ut patet 2. Paral. 7. 10. iam a die 15. mensis usque ad diem 23. non intercedunt 14 dies, sed octo dumtaxat. Ergo dies solemnis hic intelligitur festum hoc dedicationis, quod ob hanc dedicationem magnificentissimam fuit solemnissimum. Ita Vatab. Torniellus, Serarius, Salianus, qui censent festum hoc dedicationis incidisse in diem octavum mensis septimi, sive *Ethanim:* inde enim usque ad diem 23. quo perfecta fuit dedicatio, intercedunt 14. dies, de quibus v. 65. Igitur in 14. hisce diebus includitur festum Tabernaculorum, quod erat solemnissimum, et incipiebat die 15. mensis septimi, durabatque per septem dies: unde eodem tenebantur omnes masculi ex toto Israele adire templum iuxta legem Deuter. 16. 16. quare hanc temporis festique occasionem studio captavit Salomon, ut solemnior esset dedicatio maiorique populi frequentia celebraretur.

Alleg. dedicatio templi significabat dedicationem Ecclesiæ, et cuiuslibet templi Christiani, de qua vide nostrum Martinum de Roa lib. de Natali die c. 21.

Tropol. significabat dedicationem animæ sanctæ, præsertim B. Virginis, de qua vide Petrum Damiani serm. 2. de Nativ. B. Virginis, ubi illam cum templo Salomonis comparat. Quomodo anima fiat domus et templum Dei,

docet Philo lib. de Cherubim, S. Macarius homil. 1. et 10. S. Bernard. sermon. de dedicat.

Vers. 4. Et portaverunt arcam Domini sacerdotes.) Sicut eamdem tulerant tempore Davidis in Sion 2. Reg. 6. sed maior fuit pompa Salomonis, quam Davidis.

Et tabernaculum foederis.) Scilicet fabricatum a Mose; hoc enim proprie dicitur *fœderis*. Ita Iosephus, Ribera, Abul. Serarius, Vilalp. Sanchez et alii, licet Salianus et Emmanuel Sá intelligant tabernaculum quod David fabricarat arcæ fœderis in Sion. Nam tabernaculum Mosis non erat in Sion, sed in Gabaon. Verum non est dubium illud ex Gabaon fuisse a Salomone translatum in Sion, indeque in templum. Adde utrumque tabernaculum tam Mosis quam Davidis, a Salomone fuisse translatum in templum, perinde ac cetera omnia vasa sacra a Mose fabricata, præsertim altaria in templum translata sunt, id est in tabulatum templi, idque prudenti consilio, ne scilicet alibi quam in templo, Dei cultus celebraretur, itaque caveretur periculum superstitionis et idololatriæ, ait Caiet.

Vers. 6. Et intulerunt arcam in oraculum templi, hoc est, in Sanctum sanctorum subter alas cherubim.) Quos scilicet Salomon novos fabricarat, altosque decem cubitos, ut arcam, quæ alta erat cubitum unum cum dimidio dumtaxat, velarent, alisque suis tegerent.

Vers. 9. In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ.) Hac de re affatim dixi Hebr. 9. v. 4. et 5.

Vers. 10. Nebula implevit domum Domini.) Nebula enim Deus se suamque gloriam repræsentabat et simul velabat. Caligo enim Deitatis est velamentum, æque ac sacramentum. Significat enim eam hominibus esse invisibilem et inaccessam.

Vers. 11. Et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam.) Tum ob reverentiam divinæ maiestatis se ostendentis per nebulam; tum quia nebula hæc sensibilior offendebat oculos sacerdotum, eorumque aciem obtundebat et hebetabat. Ita Caiet.

Impleverat enim gloria Domini domum Domini.) Nebulam vocat *gloriam Domini*, quia ipsa erat index et symbolum gloriæ Domini, ut dixi: ideoque erat lucida et splendida. Ita Caiet. Nebula hæc, inquit, et nebula, et caligo et gloria Domini appellatur. Ex quibus nominibus colligitur, quod erat nebula per modum caliginis lucidæ: et ratione lucis appellatur gloria, seu potius honor Domini; ratione vero formæ appellatur caligo; ratione autem materiæ, nebula: erant enim velut vapores nebulosæ caliginis cum splendore, et propterea sensibiliter offendebant oculos sacerdotum ministrantium in altari.

Vers. 12. Dominus dixit, ut habitaret in nebula.) Dixit hoc Levit. 16. 13. ubi iubet Deus pontifici ut non nisi thurificando ingrediatur Sanctum sanctorum, idque ad hoc, ut vapor et nebula thymiamatis operiat propitiatorium, ac Deum in eo residentem; ne si pontifex eum videat, fulgore et terrore divinitatis exanimetur et moriatur. Idem dixit Psal. 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Et psal. 17. 10. *Caligo sub pedibus eius.* Et v. 12. *Posuit tenebras latibulum suum.* Hinc Deus Mosi et Hebræis loquebatur per caliginem. Exodi 24. 16. Deuter 4. et 5.

Vers. 13. Firmissimum solium tuum.) Hebr. *directionem ad solium tuum.* Officium templi, ait Caiet. manifestatur esse, non præstare Deo habitationem, sed præbere hominibus directionem mentis eorum, ad solium divinum sempiternum, quod in cælis est: ad dirigendos siquidem homines in Deum, qui creavit cælos et terram, regitque universum, effectum est templum.

Vers. 22. Stetit autem Salomon ante altare, holocaustorum. Stetit ergo inter altare et populum a tribus lateribus circumfusum. Additur, 2. Paral. 6. 13. eum stetisse in suggesto æreo, ibidem pro persona regis collocato, ut videretur ab universo populo, in conspectu (Hebr. *e regione totius*) ecclesiæ Israel,) Faciem siquidem versus altare et sanctuarium ad Occidentem habens (in qua etiam plaga erant sacerdotes ac Levitæ) populus autem per tres alias plagas Orientis, Meridiei et Septemtrionis erat. Sic enim incepit facere quod faciendum ab aliis in hac sub-

A iuncta oratione docuit; videlicet quod versa facie ad templum preces Deo funderentur.

Porro Salomon orationem hanc fudit quasi rex Israelis, ideoque diadema gerebat in capite. Unde Chald. Cantic. 3. v. 11. cum per ferculum Salomonis intellexisset eius templum, pro eo quod Noster, Septuag. et Hebr. habent: *Egredimini et videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate* etc. sic vertit: *Quando venit Salomon rex, ut faceret deductionem domus sanctuarii, præco egressus est in fortitudine, et sic ait: Egredimini et videte habitatores provinciarum terræ Israel et populus Sion, diadema et coronam, qua coronaverunt domus Israel regem Salomonem in die dedicationis sanctuarii; et lætatus est in lætitia solemnitatis tabernaculorum, quam fecit rex Salomon in tempore illo 14. diebus.* Et cap. 4. v. 1. addit: *Et in illo die obtulit rex Salomon mille holocausta, et suscepta est cum beneplacito oblatio eius coram Domino: irruit vox de cælis et ait: Quam pulcher es cœtus Israel, et quam pulchri sunt principes congregationis et sapien-*
B *tes habitantes in concilio: quia ipsi semper illuminant populum domus Israel*, etc. Videant hic reges et principes miram pietatem Salomonis, qua ipse rex quasi sacerdos et pontifex templum a se fabricatum Deo dicat et consecrat; ac supplicat, ut Deus orantium in eo preces exaudiat, totique populo benedicit, ideoque a Deo exauditur, ac miraculosa caligine et igne de cælo in victimas delapso decoratur. Imitentur eum principes, et similiter a Deo benedicentur.

Et expandit manus suas in cælum.) Flexitque genua, ut dicitur 2. Paral. 6. 13. ut hoc gestu testaretur reverentiam et devotionem suam erga Deum Deique templum, ac populum ad eamdem exemplo suo excitaret. Salomonem imitati sunt primi Christiani, qui flexis genibus et elevatis in cælum manibus orabant, cuius ceremoniæ varias causas ex Patribus recensui 1. Timoth. 2. 8. ad illa: *Levantes puras manus.*

Si enim cælum et cæli cælorum (id est summi, va- Vers. 27.
C stissimi et capacissimi cæli) te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi.) non capiet te. Deus enim est immensus, ideoque est ubique, et omnia implet, ac ultra omnia per immensa vacui spatia extenditur, ideoque mille et milliones infinitos novorum mundorum in iis creare potest. Idem dixere philosophi, unde Aratus:

Iuppiter est quodcumque vides, Iovis omnia plena.

Et Æschylus apud Clement. Alex. lib. 5. Strom.

Iuppiter est æther, est terra,
Cælumque et omnia Iuppiter, et si quid supra.

Et Orpheus ibidem:

Oceani ad fines expansa est, et manus illi
Undique dextera, sub pedibus subiectaque terra est.

Erit nomen meum ibi.) q. d. In domo mea ero præ- Vers. 29.
sens: ibi colar, illic respondebo, illic preces exaudiam, operabor mirabilia, et gloriam meam ostendam. Hinc rursum: *Nomen meum erit ibi*, id est ipsum ex nomine meo vocabitur, *templum Domini*, iuxta illud: *domus mea, do-*
D *mus orationis vocabitur.* Matth. 21. 13.

Si peccaverit homo in proximum suum, et habue- Vers. 31.
rit aliquod iuramentum.) q. d. Si quis vocatus ad templum ut iuret, ibidem iurarit se non peccasse in proximum, nec rem eius abstulisse vel læsisse. q. d. Salomon: O Domine, oro et supplico, ut in templo hoc ostendas veritatem vel falsitatem iuramenti, ut videlicet peierantem in templo punias quasi sacrilegum et profanantem domum tuam; ut omnibus pateat, quanta religio et reverentia templo tuo debeatur, quamque in eo tu sis præsens, et virtutem tuam spiritalem ostendas. Ita enim phrasis hæc explicatur. 2. Paral. 6. v. 22. et 23. Ita Abul. Sic olim suspecti de aliquo crimine ducebantur ad oratorium S. Stephani, ut ibi iuramento se purgarent; nam si falsum iurabant, illico a Deo puniebantur, cuius rei exempla recenset S. August. lib. 22. de Civit. c. 8. Idem fiebat peierantibus in templo S. Martini ad eius reliquias, uti narrat Gregor. Turon. lib. 8. c. 16.

Vers. 38. Cuncta devotatio (perperam nonnulli legunt *devoratio*) et imprecatio) Hebr. *Omnis oratio et supplicatio quæ facta fuerit a quocumque homine*, in templo, etc. Sic et Septuag. ac Chald. *Devotatio* enim est oratio et voti nuncupatio, et hæc vox olim fuit in usu, uti ex Apuleio et Cicerone ostendi Proverb. 20. 25. ad illa: *Ruina est homini devorare*, vel, ut legunt Beda, Lyran. et alii *devotare, sanctos.*

Imprecatio vero idem est quod *precatio:* ponitur enim nomen compositum pro simplici: minus genuine ergo per eam accipit anathematismum S. August. quæst. 21.

Si quis cognoverit plagam cordis sui.) Id est, si quis acrem animi dolorem senserit, eumque oratione coram te effuderit in templo, tu exaudies et ab eo liberabis eum.

Vers. 43. Nomen tuum invocatum est super domum hanc.) q. d. domus hæc vocatur domus tua.

Vers. 45. Facies iudicium eorum.) Id est, ius eis dices et facies, ulciscendo iniurias eis factas, ipsosque liberando ab oppressoribus iniustis et violentis.

Vers. 48. Et oraverint te contra viam terræ suæ, etc. et civitatis quam elegisti, et templi.) q. d. Si Iudæi extra Iudæam apud gentes constituti te oraverint faciem suam convertentes ad terram suam, puta Ierusalem et templum. Sic Daniel c. 6. 10. *in Babylone captivus contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua.* Et Psaltes psal. 133. 2. *In noctibus*, inquit, *extollite manus vestras in Sancta*, id est versus templum sanctum. Quin et Turcæ hodie in suis Moschæis orantes superstitiose convertunt se ad Meridiem, ut respiciant versus Mecham et suum Mahometem ibi sepultum.

Vers. 50. Dabis misericordiam coram eis.) Hebr. *Dabis eos in misericordias.* q. d. Conciliabis eis gratiam apud hostes, ut ab eis misericordiam consequantur, ac misericorditer tractentur et liberentur.

Vers. 54. Utrumque enim genu in terram fixerat.) Notent hoc nobiles delicatuli et gloriosuli, qui orant uno genu in terra fixo, altero elevato quasi pugnaturi cum Deo, ni concedat quod petunt. Rex regum Salomon orans ecce utrumque flexit genu, et utrasque manus in cælum expandit, atque hoc gestu supplex perstitit toto tempore prolixæ orationis suæ: et nos viles pauperesque homunculi dedignabimur utrumque genu flectere, ut uno supplicare Deo, altero minari eidem videamur?

Vers. 55. Benedixit omni ecclesiæ Israel.) q. d. Bene precatus est toti cœtui, sive conventui populi Israel.

Vers. 59. Sint sermones mei, etc. appropinquantes Domino.) q. d. Sit Dominus iugiter memor huius orationis meæ, quam ad eum pro futuris posteris sæculisque effudi. Ita Vatab.

Vers. 60. Quia Dominus ipse est Deus, et non ultra est absque eo.) q. d. Non est alius Deus præter eum, sed ipse unus et solus est Deus verus.

Vers. 61. Sicut et hodie.) Subaudi, facitis, ut ita quoque faciatis in posterum, ut perfecto corde Deum ametis, eiusque mandata universa custodiatis. Additur 2. Paral. 6. 41. *Nunc igitur consurge Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ;* ut scilicet super arcam residens requiescas in templo hoc a me tibi fabricato; vocat *Arcam fortitudinis*, quia per eam Deus Iericuntem et Chananæam duce Iosue fortiter expugnavit. Pergit Paralip. *Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem*, ut undique sint sani et salvi, ac salute quasi veste circumquaque induantur et cingantur, ut eam quoque aliis, præsertim laicis, impertiri valeant: *Domine* A *Deus, ne averteris faciem Christi*, q.d. Ne meas, puta Salomonis, qui sum tuus Christus, id est rex Israelis a te unctus et creatus, preces iam recensitas, o Domine, avertas, sed exaudias et adimpleas: stimulum adhibet concludens: *Memento misericordiarum* (Hebr. חסדי *chasde*, id est *pietatum*) *David servi tui.* q. d. Concede mihi quod peto propter merita Davidis patris mei, qui fuit vir pietatum et misericordiarum, tam active quam passive, quia opera misericordiæ multa et præclara in Saulem cetero sque Israelitas exhibuit, ideoque vicissim a te Domine, magnam misericordiam et gratiam consecutus est.

Porro Deum exaudisse orationem Salomonis patebit c. sequenti v. 2. Nota hic, Deum magis exaudire orationes quæ in templo quasi in domo sua fiunt, quam quæ alibi ob causas quas recensui 1. Timoth. 2. v. 1. et 2.

Mactavitque Salomon hostias pacificas (quæ pro pace, id est salute et felicitate sua et populi tam obtenta, quam deinceps obtinenda offerebantur iuxta legem Levit. 3.) boum viginti duo millia, et ovium centum viginti millia.) Vide hic rursum Salomonis pietatem et magnificentiam in cultu Dei. Vers. 63.

B

In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini.) q. d. Illo die dedicationis templi Salomon per pontificem et sacerdotes dedicavit mediam partem atrii sacerdotum, quæ erat ante Sanctum, ut in ea multa erigerentur altaria ad tot millia victimarum in eis offerenda. Unum enim altare a Deo præscriptum Exodi 27. 1. omnia hæc capere non poterat. Quare necessitas præsens excusavit Salomonem a peccato, ut non faceret contra Dei legem vetantem erigi aliud altare, præsertim quia simul offerebat in altari a Deo præscripto victimas tot quot illud capere poterat, ceteras vero obtulit in altaribus iuxta illud in atrio sacerdotum a se erectis: unde tunc totum atrium sacerdotum, vel potius dimidia eius pars erat quasi unum altare. Ita Abul. Vers. 64.

C

Deinceps vero Salomon in templo hoc quotidie sacrificia obtulit; sed plura et maiori solemnitate ter in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, et festo Tabernaculorum, ut patet 2. Paral. 8. v. 13.

Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, etc. septem diebus, et septem diebus.) Priores septem dies fuere dedicationis templi, posteriores septem festi tabernaculorum. Ita Abul. Caiet. et alii. Vers. 65.

Denique in hac dedicatione Levitæ et Cantores ac 120. sacerdotes concinebant tam voce, quam tubis, cymbalis, organis, citharis, psalteriis, ceterisque musicis instrumentis personabant, ut dicitur 2. Paral. 5. 11. Fabulantur Rabbini eo tempore portas templi sponte fuisse clausas, cumque cantaretur Psalmus 131. sponte apertas. Miracula vero quæ tunc contigerunt fuere, quod Deus igne cælesti omnes victimas consumpserit, et suam maiestatem ostenderit in nube splendida et gloriosa. Audi 2. Paral. 7. 1. *Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas: et* D *maiestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset maiestas Domini templum Domini. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum: et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, et laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus apparet Salomoni, promittitque ei thronum æternum, si in lege sua ambulet; sin autem, minatur ei regni templique exterminium. Mox v. 10. Salomon offert Hiram regi Tyri 20. civitates ; inde v. 17. ædificat munitque varias urbes, ac omnes Chananæos reliquos sibi facit tributarios. Denique v. 26. classem mittit in Ophir, quæ ei affert 420. talenta.

1. FACTUM est autem cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, et ædificium regis, et omne quod optaverat et voluerat facere, 2. Apparuit ei Dominus secundo, sicut apparuerat ei in Gabaon. 3. Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. 4. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, et in æquitate: et feceris omnia quæ præcepi tibi, et legitima mea, et iudicia mea servaveris: 5. Ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel. 6. Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, et ceremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis et colueritis deos alienos, et adoraveritis eos: 7. Auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis, et templum, quod sanctificavi nomini meo, proiiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium, et in fabulam cunctis populis. 8. Et domus hæc erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit, et sibilabit, et dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui huic? 9. Et respondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de Terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc. 10. Expletis autem annis viginti postquam ædificaverat Salomon duas domos, id est, domum Domini, et domum regis, 11. (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina et abiegna, et aurum iuxta omne quod opus habuerat), tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in Terra Galilææ. 12. Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, et non placuerunt ei, 13. Et ait: Hæccine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellavit eas Terram Chabul, usque in diem hanc. 14. Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri. 15. Hæc est summa expensarum, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini, et domum suam, et Mello, et murum Ierusalem, et Heser, et Mageddo, et Gazer. 16. Pharao rex Ægypti ascendit, et cepit Gazer, succenditque eam igni: et Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit, et dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis. 17. Ædificavit ergo Salomon Gazer, et Bethoron inferiorem, 18. Et Baalath, et Palmiram in Terra solitudinis. 19. Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, et erant absque muro, munivit, et civitates curruum et civitates equitum, et quodcumque ei placuit, ut ædificaret in Ierusalem, et in Libano, et in omni terra potestatis suæ. 20. Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, et Hethæis, et Pherezæis, et Hevæis, et Iebusæis, qui non sunt de filiis Israel: 21. Horum filios, qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filii Israel exterminare, fecit Salomon tributarios, usque in diem hanc. 22. De filiis autem Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri eius, et principes, et duces, et præfecti curruum et equorum. 23. Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subiectum populum, et statutis operibus imperabant. 24. Filia autem Pharaonis ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon: tunc ædificavit Mello. 25. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, et pacificas victimas, super altare, quod ædificaverat Domino, et adolebat thymiama coram Domino: perfectumque est templum. 26. Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxta Ailath in littore Maris rubri, in Terra Idumææ. 27. Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos et gnaros maris, cum servis Salomonis. 28. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.

Vers. 2. APPARUIT EI DOMINUS SECUNDO, SICUT APPARUERAT EI (primo) IN GABAON.) Scilicet apparuit ei *nocte,* ut dicitur 2. Paral. 7. 12. in somnis; sic enim ei apparuerat in Gabaon cap. 3. 4.

Vers. 3. SANCTIFICAVI DOMUM HANC.) Id est, *elegi locum istum mihi in domum sacrificii,* ut exponitur 2. Paral. 7. 12.

UT PONEREM NOMEN MEUM IBI IN SEMPITERNUM.) Quamdiu scilicet templum erit et subsistet, vocabitur domus Domini, ibique ego me meamque præsentiam, gratiam et gloriam ostendam.

ET ERUNT OCULI MEI ET COR MEUM IBI CUNCTIS DIEBUS) q. d. Coniiciam oculos in domum meam, ipsaque erit mihi chara, cordi et curæ.

Vers. 4. TU QUOQUE SI AMBULAVERIS CORAM ME, SICUT AMBULAVIT PATER TUUS IN SIMPLICITATE.) Hebr. בתום *betom,* id est *in integritate;* Chald. *in veritate;* Septuag. *in sanctitate* , CORDIS, ET IN ÆQUITATE.) Hebr. בישר

A *beioscer,* id est *in rectitudine,* hoc est, si integro, vero, sancto et perfecto corde mihi servieris, ut totum cor mihi tradas, nec illud dividas, ut eius partem unam mihi, alteram idolis et cupiditatibus tradas. Deus enim totum cor, totumque amorem nostrum poscit, iuxta illud: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua,* Deuter. 6. 5. Vide ibi dicta. Unde explicans subdit:

ET FECERIS OMNIA QUÆ PRÆCEPI TIBI, ET LEGITIMA (leges) MEA, ET IUDICIA (iura et leges iudiciales a me latas) MEA SERVAVERIS.

SI AUTEM AVERSIONE AVERSI FUERITIS.) A me meaque lege. Vers. 6.

AUFERAM ISRAEL DE SUPERFICIE TERRÆ, QUAM DEDI EIS: ET TEMPLUM, QUOD SANCTIFICAVI (dicavi) NOMINI MEO, PROIICIAM) Uti iam ob occisum Christum videmus Iudæos toto orbe errones et vagos, et templum Vers. 7.

eorum excisum. Sic et Christianos ad hæresim aliaque scelera dilabentes Deus sæpius punivit, et etiamnum punit excidio gentis et regni, ac templa et monasteria succendi evertique sinit.

Vers. 10. Expletis autem annis viginti (ab inchoata templi fabrica, puta anno 24. regni Salomonis) postquam ædificaverat Salomon duas domos, id est domum Domini, et domum regis, etc.

Vers. 11. Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ.) Quæres, an licite Salomon has urbes ab Israele abalienaverit, et tradiderit Hiram regi Tyri gentili? Resp. illum licite non potuisse illas in æternum abalienare, ut faceret terram Phœnicum, quia iniuriam fecisset Israelitis contra legem Dei, qui illas eis assignarat et dederat. Rursum Hiram Galilæos hos pertraxisset ad sua idola et gentilismum. Quare non tradidit Hiramo absolutum plenumque earum dominium, sed tantum usumfructum, ut scilicet Hiram ex eis redditus et iura, quæ Salomon percipere solebat, reciperet, donec expensas suas pro Salomone factas compensaret; vel certe usque ad vitam suam, ut eo mortuo redirent ad regnum et reges Israelis. Ita Abul. Serarius, Salianus et alii.

Vers. 13. Et appellavit eas terram Chabul.) *Chabul* Phœnicum lingua, ait Iosephus lib. 8. c. 5. significat *non placens*, vile, displicens. Ita Abul. Caiet. et alii: Hebræorum vero lingua כבל *chebel* significat *compedes*, inde *chabul* significat *terram tenacem* et lutosam, quæ gradientes remoratur, eisque quasi compedes iniicit, ut vix progredi queant. Ita R. David, Vatab. et Pagnin. Posset quoque *chabul* per methatesin deduci a כלב *keleb*, id est canis: q. d. *terra canina*, vilis et spurca instar canis; unde Iosephus ait Hiram noluisse has urbes acceptare, itaque eas mansisse Israeli.

Vers. 15. Hæc est summa expensarum, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini, et domum suam, et Mello, et murum Ierusalem, et Hezer, etc.) q. d. Hæc est causa vel materia tot expensarum et sumptuum, quos fecit Salomon; nimirum fabrica templi, domus suæ, Mello, etc. In his enim fabricis maximas expensas fecit, et ærarium suum opulentissimum exhausit. Hebr. enim est: *Hoc est verbum tributi*, id est hæc est ratio et causa tributi tanti, quod Salomon populo indixit (ob quod populus murmuravit, et a Roboam ad Ieroboam defecit) nimirum, ut ex eo fabricaret templum et tot urbes. Fabrica enim opes etiam regias et maximas exhaurit. Ita Vatab. Serarius, Sanchez et alii.

Posset secundo, cum Sept. verti; *Hæc est summa distributionis*, in quam scilicet Salomon suas opes tantaque tributa distribuit et expendit, ut *summa expensarum*, sit summa rerum, in quas expensæ sunt factæ, nimirum fabrica templi et tot urbium. Nam alioqui proprie nulla summa tributorum vel opum Salomonis hic texitur.

Et dedit eam in dotem filiæ suæ, uxori Salomonis.) Iam ante cum nuberet Salomoni, dederat ei dotem. *In dotem* ergo, id est in augmentum dotis. Unde Hebr. habent: *Dedit ei* שלחים *scilluchim*; Septuag. ἀποστολάς, id est *missilia*, scilicet munera, hoc est, *dedit ei dono*, ut vertit Chald.

Vers. 18. Et Palmiram.) Hebr. et Septuag. *Thamor*, id est *Palma*. Videtur ergo urbs hæc dicta *Palmira*, a palmarum copia, et palmetis ibidem abundantibus, ait S. Hieron. in Ezech. c 47. et 48. Sita erat trans Iordanem in finibus Israel, pertinebatque ad dimidiam tribum Manasse, distans a Damasco 27. millibus passuum. Ædificavit eam ergo Salomon ibidem tamquam in extremo imperii sui limite, et validissimis mœnibus cinxit: postea ab Hadriano Imper. restaurata dicta fuit *Hadrianopolis*. Ab hac urbe celebri tota regio et solitudo vicina dicta est *Palmirena*. Vide Adricom. pag. 92. n. 73.

Vers. 21. Fecit Salomon tributarios.) Scilicet Chananæos omnes, qui residui erant in Iudæa, quos Hebræi non potuerant exterminare. Quæres, an peccarit hic Salomon? nam Deus iusserat omnes Chananæos occidi. Resp. Abul. non peccasse, quia nec David pater eius illos occiderat: A unde vel Deum in lege sua dispensasse, vel potius tunc legem non obligasse, eo quod tunc cessaret omne periculum quod timebatur Israeli a Chananæis, ne scilicet ipsi Hebræos ad sua idola pellicerent: iam enim erant omnino a Davide et Salomone suppressi, ut id facere et capita elevare non auderent. Rursum metuere poterat Salomon, ne, si ipse omnes Chananæos occideret, Philisthini, aliæque gentes, in vindictam simili modo omnes Iudæos apud se degentes trucidarent, imo ipsi bellum moverent. Adde, legem iubentem occidi Chananæos maxime pertinuisse ad Chananæos, qui tempore Iosue vivebant et deinceps, cum expugnanda et possidenda erat terra, ut indicatur hoc versu. Ita Caiet. et alii.

Vers. 26. Classem quoque fecit rex Salomon.) Pineda censet Salomonem hanc classem instruxisse initio regni, ad colligendum aurum pro fabrica templi. Verum hoc abunde iam ante compararat David: unde Salianus opinatur ipsum hanc classem adornasse post fabricam templi anno regni sui 24. idque colligit ex v. 10. quod intellige B de classibus posterioribus, et maioribus. Nam ante fabricam templi pro eius æque ac palatiorum urbiumque ædificandarum immani sumptu, eum hanc classem instruxisse ad aurum comparandum, liquet ex c. 10. 12. ubi dicitur Salomon ex lignis thyinis allatis ex Ophir fecisse fulcra domus Domini et domus regiæ.

Vers. 27. Gnaros maris.) Tyrii enim et Phœnices, utpote accolæ maris, in arte nautica et navigatione omni ævo apud omnes gentes fuere celebres.

Vers. 28. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.) Quæres, quæ et ubi sit Ophir? (Ophir ubi?) Nonnulli putant fuisse Angolam, in qua sunt Æthiopes, qui in mancipia adducti sunt Salomoni, uti et hodie inde adducuntur in Hispaniam. Alii censent fuisse Malacam, alii Sefalam, alii cum Eugubino imam Persiam, alii Africam.

(In Peru,) Duæ sententiæ sunt probabiliores. Prior, Ophir esse C regnum Peru in India Occidentali; tum quia ibi est aurum plurimum et laudatissimum, quod inde quotannis fere in Hispaniam exportatur; tum quia Ophir per metathesin litterarum est Peru; tum quia aurum Ophir vocatur aurum פרוים *Peruaim*, id est, duarum Peru, scilicet minoris et maioris. 2. Paral. 3. 7. Ita Vatab. Arias, Genebr. et alii, qui censent novum orbem a Salomone fuisse apertum et cognitum.

(vel potius in Sumatra.) Posterior et communior sententia est, Ophir fuisse in India Orientali, adeoque plures eius auriferas regiones complecti, uti auream Chersonesum, ita dictam ab auri copia, Sumatram et Taprobanam, Pegu, Ceylam, aliasque Indiæ Orientalis regiones auriferaces. Ita Sanchez, Serarius, Salianus, Gaspar. Varerius lib. de Ophir, Iosephus Acosta lib. 1. de natura novi orbis c. 13. et 14. Favent Iosephus, Hesychius, Theodor. Procop. et S. Hieron. Epist. 140. ad Principiam, qui *Ophir* dictum asserit ab *Ophir* filio Heber. Genes. 10. v. 29.

(Probatur I.) Probatur primo, quia hæc classis solvebat ex Asiongaber D sita in mari rubro, sive in sinu Arabico: ex hoc autem facilis, directa et vicina est navigatio per promontorium Comorinense in Sumatram, et Taprobanam, utpote directe ei obiacentem, ut patet ex tabulis Cosmographicis: longissima vero, et plane periculosa et anfractuosa fuisset navigatio ex mari rubro in Peru: oportuisset enim vel per Orientem gyrare totam Indiam Orientalem, Malacam, Iapones et Sinas, ibique reflectere iter in Americam; vel certe per Occidentem circumnavigare promontorium Bonæ Spei totamque Africam ac Oceanum vastissimum; inde per Brasiliam, Patagones, Chili et fretum Magellanicum tendere in Peru: longe autem facilior et vicinior in Peru fuisset navigatio ex Ioppe et Tyro, puta ex mari mediterraneo, uti hodie est ex Hispali in Hispania.

(II.) Secundo, quia tunc incognitus erat usus magnetis: quare suos cursus navigantes metiebantur polo et stellis polaribus: unde littora vicina legebant, nec audebant transire Gades (ubi Hercules suas columnas, quasi navi-

gationis terminum, quem nemo transire auderet, fixit) multo minus lineam æquinoctialem. Hinc Gades habitæ sunt extremus terræ terminus, ipsis etiam Tyriis, uti testatur Strabo lib. 3. Diodor. lib. 5. Paterculus lib. 1. Unde vetus Proverbium: *Ad Gades.* Apud Petr. Apianum 1. Antiq. extat hoc Gadibus monumentum: *Heliodorus insanus Carthaginensis ad extremum orbis sarcophago testamento, me hic condi iussi, ut viderem si quis me umquam insanior, ad me visendum ad hæc usque loca penetraverit.*

III. Tertio, si India Occidentalis, et navigatio in eam a Salomone fuisset reperta et trita, utique mansisset eius memoria et continuatio: auri enim cupido ad eam omnes excitasset. Iam autem nulla eius extat memoria, imo ante Americum Vespucium (unde dicta est America) terra illa ab omnibus habita fuit ut nova et incognita. Accedit, quod ex sinu Arabico sive mari rubro, crebra tum erat Tyriorum aliorumque in Indiam Orientalem navigatio, uti ex priscis auctoribus ostendit Pineda.

IV. Quarto, quia Sumatra, Taprobana et loca vicina abundant auro præstanti, gemmis, lignis thyinis, ebore, aliisque rebus pretiosis, quæ in Ophir et Tharsis esse dicuntur c. 10. v. 11. et 22. cum Peru careat lignis thyinis, simiis, pavonibus, ebore et elephantis, teste Iosepho Acosta loco citato, qui in Peru vixit per 15. annos. Accedit, quod Maffæus lib. 16. hist. Indic. scribat Pegusios ex maiorum traditione stirpem suam referre ad Iudæos exules, a Salomone damnatos ad aurifodinas Ophirinas, missosque ad aurum in Pegu locisque vicinis effodiendum. Porro ab Ophir aurum præstans vocatur Ophirisum, indeque obrizum, ait S. Hieron. loco citato.

V. Quinto, Ophir dicta est ab Ophir filio Iectan, et nepote

A Heber. Porro frater Ophir dictus est Hevila, amboque incoluerunt Indiæ et plagæ Orientalis regiones ad Gangem fluvium, quæ ipsorum nominibus appellatæ, fuere auri et gemmarum feracissimæ.

Hinc patet responsio ad argumenta prioris sententiæ. Adde, Ophir nomine suo non tam ad Peru alludere quam ad Africam, quasi Africa sit Ophirica, sive Africa. Nam in Ophir prima littera est Aleph, quæ est in Africa. Unde Septuag. et Ioseph. pro *Ophir* vertunt, *Sophir* vel *Sofira*, quam nonnulli putant esse Sofalam, quæ est Africæ regio, per quam e mari rubro venientes navigant in Sumatram ceteramque Indiam Orientalem. De auro *Peruaim* dicam 2. Paral. 3. 7. Denique nomen Peru fuit incognitum, imo etiamnum Peruanis ignotum est: Hispani enim nuper illud isti regioni indiderunt a flumine quodam ibidem sito, cui nomen est Peru, teste Acosta et aliis.

Denique cur Salomon rex sapientissimus, relictis opibus Indiæ Orientalis sibi vicinæ, iisque præstantissimis, B quæsivisset eas in India Occidentali remotissima, ubi navigatio erat periculosissima? Si quis tamen omnino velit Ophir esse Peru, dicat partem huius classis navigasse in Peru, aliam in Sumatram et Indiam Orientalem, sicut nunc ex divisione Pontificis Alexandri VI. Lusitani navigant in Indiam Orientalem, Hispani eis vicini in Occidentalem. Plura de Ophir vide apud Pinedam lib. 4. de Rebus Salomonis c. 16.

AURUM QUADRINGENTORUM VIGINTI TALENTORUM.) Supplet liber 2. Paral. c. 8. 18. more suo, numeratque 450. talenta. Mystice, Salomon hac navigatione repræsentavit, imo viam aperuit Hispanis et Lusitanis in Indiam, tum ut aurum, tum potius ut Indorum animas omni auro pretiosiores Christo, qui verus est Salomon, acquireret.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regina Saba visit Salomonem, eiusque sapientiam et magnificentiam admiratur. Mox v. 14. recensentur Salomonis annui redditus et opes, ac v. 18. thronus eburneus, v. 22. classis in Tharsis, atque v. 26. equites et equitatus.

1. SED et Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. 2. Et
ingressa Ierusalem multo cum comitatu, et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis,
et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde
suo. 3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat: non fuit sermo, qui regem posset latere, et non
responderet ei. 4. Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, 5. Et
cibos mensæ eius, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta
quæ offerebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum. 6. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem
audivi in terra mea, 7. Super sermonibus tuis, et super sapientia tua: et non credebam narrantibus mihi, donec
ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: maior est sapientia et opera
tua, quam rumor quem audivi. 8. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam
tuam. 9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit
Dominus Israel in sempiternum, et constituit te regem, ut faceres iudicium et iustitiam. 10. Dedit ergo regi
centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosas: non sunt allata ultra aromata tam multa,
quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni. 11. (Sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit
ex Ophir ligna thyina multa nimis, et gemmas pretiosas. 12. Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus
Domini, et domus regiæ, et citharas lyrasque cantoribus: non sunt allata huiuscemodi ligna thyina, neque visa
usque in præsentem diem.) 13. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit et petivit ab eo: exceptis
his, quæ ultro obtulerat ei munere regio. Quæ reversa est, et abiit in terram suam cum servis suis. 14.
Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum
auri: 15. Excepto eo, quod afferebant viri qui super vectigalia erant, et negotiatores, universique scruta vendentes,
et omnes reges Arabiæ, ducesque terræ 16. Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo,
sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius. 17. Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri
unam peltam vestiebant: posuitque eas rex in domo saltus Libani. 18. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore
grandem: et vestivit eum auro fulvo nimis, 19. Qui habebat sex gradus: et summitas throni rotunda erat in
parte posteriori: et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: et duo leones stabant iuxta manus singulas. 20.

Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde: non est factum tale opus in universis regnis. 21. Sed et omnia vasa, quibus potabat rex Salomon, erant aurea: et universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo: non erat argentum, nec alicuius pretii putabatur in diebus Salomonis, 22. Quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, et argentum, et dentes elephantorum, et simias, et pavos. 23. Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, divitiis, et sapientia. 24. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius, 25. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes, et arma bellica, aromata quoque, et equos et mulos, per annos singulos. 26. Congregavitque Salomon currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum: et disposuit eos per civitates munitas, et cum rege in Ierusalem. 27. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum: et cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus. 28. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, et de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, et statuto pretio perducebant. 29. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum et Syriæ equos venumdabant.

Vers. I. SED ET REGINA SABA, AUDITA FAMA SALOMONIS IN NOMINE DOMINI (hoc est, audita fama de mira Salomonis sapientia illi a Deo indita, deque eius stupendis fabricis et operibus quæ faciebat *in nomine*, id est ope et virtute, *Domini:* nam *τὸ in nomine Domini,* referendum ad *fama,* non ad *venit,* ut patet ex Hebræo) VENIT TENTARE EUM IN ÆNIGMATIBUS.) ut per ænigmata obscura et intricata probaret eius sapientiam.

Quæres, cuius erat, et ex qua regione venit hæc regina?

Regina Saba cuias? Duplex Saba. Nota, ex S. Hieron. in Tradit. in Genes. duplex est Saba, una est civitas Arabiæ Felicis, et tum scribitur per litteram *scin,* unde eius incolæ dicti sunt *Sabæi* (iuxta illud:

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi)

a *Saba* filio Regma eius fundatore. Gen. 10. 7. Altera Saba est in Æthiopia, quæ scribitur per litteram *samech,* vel ei æquipollentem *sin,* fundata et appellata a Saba filio Chus, Genes. 10. 7. ex quo orti videntur Abyssini, quorum rex est Preto-Ioannes. Hæc fuit Æthiopiæ metropolis, et postea a Cambyse nomine sororis suæ vocata est Meroe, teste Iosepho lib. 2. Antiq. c. 10. et Strabone lib. 16. et 17. Utriusque fit mentio Psal. 71. 10. *Reges Arabum et Saba dona adducent.* Hebr. enim est *Reges* שבא *Sciaba* (id est Arabiæ) et סבא *Seba* (id est Æthiopiæ) *dona offerent.*

Iam nonnulli censent reginam hanc venisse ex Saba, quæ est in Arabia Felice: hæc enim abundat thure et aromatibus; et quia *Saba* hic scribitur per *scin.* Ita censent Caietanus, Eugubinus, Pererius, Gagneius, Baronius, Suarez et alii, quos citat et sequitur Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis c. 14. n. 5. et 6.

Venit ex Æthiopia. Alii vero passim censent reginam hanc venisse ex Saba, quæ est in Æthiopia.

Probatur. I. Probant primo, quia regina hæc venit ex finibus terræ, ut ait Christus Matth. 12. 42. ergo non venit ex Arabia; hæc enim vicina est Iudææ; sed ex Æthiopia, quæ longissime ab ea distat. **II.** Secundo, quia Æthiopia præ Arabia, auro abundat, aliudque nihil fere quam aurum mercatui exponit, ait Genebr. in Psal. 71. Eadem thurifera et aromatica est. **III.** Tertio, quod in Æthiopia feminæ dominari soleant, unde eius reginæ communi nomine vocabantur *Candaces,* ut patet Actor. 8. et ex Plinio lib. 6. 29. **IV.** Quarto, quod illa sit apud Æthiopes, sive Abyssinos, continua et constans traditio, de qua mox plura. Rursum, quod regina hæc a Christo vocetur *regina Austri.* Æthiopia autem Iudææ est ad Austrum, cum Arabia potius, sit ei ad Orientem. Adhæc, cum vocatur *regina Austri,* videtur latisssime per totam quasi Meridionalem plagam regnasse, qualis est vasta Æthiopia, non parva Arabia. **V.** Quinto, quia ab hac regina Æthiopes acceperunt Circumcisionem a Salomone, ac cognitionem S. Script. cultumque veri Dei Israelis; unde Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum in curru veniens Hierosolymam Deum adoraturus, legebat Isaiam Prophetam, quando ad eum accessit Philippus, eumque in fide Christi instruxit. Actor. 8. Hic enim primus e Gentibus factus est Christianus, et Christi fidem in Æthiopia propagavit. Unde de eo cecinit Psaltes: *Æthiopia præveniet manus eius Deo,* Psal. 67. 32. Atque huius rei typus fuit hæc regina: sicut enim ipsa prima ex longinqua regione venit ad Salomonem, ut eius sapientiam audiret: sic Æthiopia prima venit ad Christi fidem et cultum. Ita censent hoc loco Iosephus, Rabanus, Abul. Hugo, Dionys. item Maldon. Toletus, Iansen. Baradius, Franc. Lucas in Matth. 12. S. Hieron. in Isaiæ 43. Origen. hom. 2. in Cant. S. August. Serm. 152. de Temp. ait, *venisse a partibus Æthiopiæ,* Nazianz. orat. 40. appellans *Æthiopum reginam,* Nyssenus hom. 7. in Cantica, vocans *Æthiopissam, dicensque eam transmisisse magnum quod intercedebat spatium, ut ad Salomonem accederet.*

Dices, Saba hic scribitur per *scin;* ergo notat eam quæ est in Arabia. Resp. Rabbinos male hic posuisse punctum in dextro cornu, itaque fecisse *scin,* cum ponendum esset in sinistro, legendumque *sin.*

Porro, Regina hæc a Iosepho vocatur *Nicaule,* a Rabbinis in libro Iuchasin *Nicolaa,* a Damiano Goes in legatione Æthiop. *Maqueda.* Addit Iosephus ab hac regina fuisse in Iudæam primum allatam opobalsami radicem, quod tamen verisimile haud videri, alibi dicetur. Addit Glycas eam fuisse Sibyllam, et de dignoscendis puellorum et puellarum faciebus ænigma proposuisse.

Fabulantur nonnulli reginam hanc prædixisse in Cedrone suspendendum (Christum) qui Salomone foret sapientior. Vide Gretserum lib. 1. de Cruce c. 4.

Causa adventus eius fuit, ut audiret disceretque sapientiam Salomonis, ut ait Christus Matth. 12. 42. Hinc sapienter S. Bernard. scribens ad Hierosolymæ reginam epist. 189. ipsi reginam hanc imitandam proponit: *Regina Austri,* ait, *venit audire sapientiam Salomonis, ut regi disceret et sic regeret: alioqui bene non regis, si bene non regeris.* Unde Cassiodorus lib. 10. Epist. ult. Amalesventham (id est cæli filiam) Gothorum reginam, sapientia et pietate insignem comparat cum regina Saba.

Allegor. Sicut regina Saba ex Æthiopia venit ad Salomonem, ut ab eo disceret sapientiam; sic Ecclesia e Gentibus venit ad Christum, ut hauriret scientiam salutis. Ita Eucherius, Angelomus, Beda et S. Bern. serm. 22. in Cant. S. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 10. S. Gregor. in Psal. 7. pœnit. v. 7. Prosper lib. 2. de Prædict. c. 27. Idem satis insinuat Christus dicens Matth. 12. *Regina Austri venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plusquam Salomon hic.* Vide præ ceteris Eucherium lib. 3. in libros Regum ante finem. Imo Hebræi in *Berescit Rabba,* id est, in Genesi magna ad illud c. 25. 6. *Emisit eos ad orientalem plagam,* censent reginam hanc venisse ad Salomonem, eo quod ex fama tantæ sapientiæ et virtutum eiusdem, suspicaretur ipsum esse Messiam sive Christum, idque significare *τὸ In nomine Dei venit,* etc. ita refert Galatinus lib. 8. c. 3.

NON HABEBAT ULTRA SPIRITUM.) q. d. Extra se rapta est præ admiratione et stupore, ait Vatab. Allegor. S. Gregor. in Psalm. 7. pœnit. v. 7. per reginam hanc accipiens Ecclesiam: *Electorum Ecclesia,* inquit, *de Gentibus congregata, cognita Christi gratia et Evangelicæ do-* **Vers. 5.**

ctrinæ inventis magistris, abiecto superbiæ spiritu, omnique elationis fastu deposito, didicit de seipsa diffidere, et in regis sui misericordia magna sperare.

Vers. 8. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.) Id verius est in Christo Salomonis antitypo, uti docet ipse Lucæ 11. 31. Anagog. id verissimum erit in cælo, ubi *videbimus Deum deorum in Sion*, et *non habebimus ultra spiritum* præ admiratione gloriæ, *quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Ita Angelom. *Et revera,* ait Eucher. *id quod parat Deus diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non attingitur, caritate non capitur, desideria et vota transgreditur; acquiri potest, æstimari non potest. Videbit homo merita sua insuspicabili retributionum largitate succrescere; habebit de perceptione fructum, non habebit de satietate fastidium.*

Vers. 11. Attulit ex Ophir ligna thyina.) Hebr. *Almugim* vel *algumim*, de quibus dixi Apoc. 18. 12. Chald. vertit, *ligna coraliorum*, quæ sub aquis speciem habent ligni tamquam frutices, sed cum ad aerem educuntur, durescunt in lapidem. Vatab. vertit, *lignum Brasilicum;* alii, *Ebenum;* Septuag. vertunt, πελεκητα, id est *dolata.* Angelomus, *Thyina ligna,* ait, *sunt imputribilia, et spinosa in similitudinem albæ spinæ.* Noster et Septuag. *pinea* vertunt 2. Paral. 2. 8. Hic Noster vertit *thyina,* quia hæc ignota ligna, quæ Hebr. vocantur *almugim,* similia erant lignis ex *thyia* arbore, de qua sic scribit Plin. lib. 3. 16. *Theophrastus qui primus a Magni Alexandri ætate scribit, quæ circa Urbis Romæ quadringentesimum quadragesimum gesta sunt annum, magnum iam huic arbori honorem tribuit, memoratas referens ex ea templorum veterum contignationes.* Transversas intelligit trabes, qualia etiam fulcra domus Domini explicantur; ex quo valde proceram fuisse arborem liquet. Additque *quantamque immortalitatem materiæ in rectis contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil crispius, nec aliunde pretiosiora opera.* Ita Plinius ex Theophr. unde recte colligas instrumenta musica ex hac arbore confecta. Theophrastus autem ipse ait hanc arborem in Ægypto nasci circa Ammonis delubrum, et in Cyrenæa regione, cupresso similem ramis et foliis et trunco et fructu, maxime vero sicut cupressum sylvestrem. Ita Theophr. lib. 5. c. 5.

Porro, 2. Paral. 2. 8. adduntur a Nostro et Septuag. *ligna arceuthina,* id est *iuniperina;* recentiores *abiegna:* ברוש *beros* enim est *abies:* quia Hebræa nomina multis rebus competunt, pluresque res significant.

Vers. 12. Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini.) Per *fulcra* intellige trabes. Additur 2. Paral. 9. 11. ex iisdem thyinis Salomonem fecisse gradus in domo Domini.

Vers 13. Quæ reversa est.) Postquam omnia Salomonis facta dictaque lustrasset, ideoque multos menses, vel annum, ut volunt nonnulli, cum eo mansit; familiariter et crebro cum eo agens et colloquens, imo ut multi tradunt, ex eo concipiens filium. Adeo enim indubitatum est apud Æthiopes, quod eorum Imperatores originem ducant a Salomone, et regina Saba, ut res sit apud eos sine controversia, de qua omnes eorum libri pleni inveniuntur.

Preto Ianes filius Salomonis. Et propterea Imperatores eorum *Israelitæ* dicuntur, eoque nomine gloriantur. Et ne aliquando regnum ad alios hereditate pervenire possit, in monte Guixem-Amba asservari solent filii Imperatorum, ut deficiente prole mascula, quæ imperatori præsenti succedat, inde Imperatorem accipere possint.

Historiam vero Reginæ Saba, et qua ratione prolem susceperit a Salomone, ita narrant antiquissimi libri, qui in Ecclesia *Agsum* asservantur. Narraverat mercator quidam Tamerin nomine, reversus ab Hierosolymis, reginæ Saba quam viderat et audierat Salomonis gloriam et sapientiam: illa vero tanto regem visendi studio exarsit, ut statim de capessenda via agere cœperit, tandemque patriam ac regnum relinquens, Hierosolymam profecta est magno suorum procerum comitatu et pompa vere regia stipata, adeo ut vel in ipsis Hierosolymis admirationi fuerit. Ibi a Salomone magnificentissime excepta, post septem menses edocta iam de vero unius Dei cultu, et de iis omnibus quæ scire optarat, cum regressum ad patriam et regnum pararet, a Salomone ad cœnam lautissimam invitata in eius palatio pernoctavit, et a Salomone prolem concepit, quam postea transactis novem mensibus et quinque diebus in lucem edidit, cum iam regni sui fines ingrederetur.

Filius ex ea natus in libris qui asservantur in Ecclesia *Agsum* plura habet nomina, nimirum *Bainelehequem*, *Ebnaalehaquem, Ebnehaquem, Menilehec*, quod ultimum nomen frequentius auditur vulgo inter Æthiopes. Et idem valet in lingua antiqua, atque *assimilatur illi:* reliqua nomina idem valent ac *filius sapientis.* Is grandior factus matrem de patre suo sæpius interrogavit, tandemque annum 22. agens re cognita, ab ea precibus impetravit ad Salomonem eundi facultatem, ductusque a mercatore illo Tamerin, cum magno comitatu et apparatu Hierosolymam pervenit, ibique a patre exceptus, cognitus est esse eius filius.

Cum ad matrem redire vellet, iussit eum Salomon in regem Æthiopiæ solitis insignibus rite inaugurari, ac proinde introductus in templum per Sadoc et Ioas sacerdotes, unctusque est manu propria filii principis Salomonis, vocatusque fuit *David* nomine avi sui, et acclamante universo populo: *Vivat rex,* ductus est per civitatem mula regia vectus. Post hæc discessit ad matrem cumulatus muneribus a patre acceptis, secumque filium sacerdotis Sadoc, Zachariam nomine, duxit: in domum suam introduxit ea omnia officia, quæ in domo Salomonis in usu erant, quorum aliqua ii Imperatores adhuc retinent.

Fingunt Æthiopes secum asportasse cum Zacharia prædicto ipsam quoque arcam Domini, quam ipsi *Sionem* vocant; nisi dicas, arcam aliam similem illi Mosaicæ et Salomonicæ fabricatam, eique datam fuisse.

Exceptus a matre in regem evectus fuit, et inde mos introductus creandi in regem filios regis, cum antea non nisi virgines, quæ semper innuptæ remanserant, reginæ creari solerent, qualis post Christum fuit Candaces regina, Actor. 8 27.

Hæc omnia tradit P. Emmanuel Paz e Societate nostra, qui multos annos in Æthiopia vixit, adeoque nuper eius Imperatorem ad orthodoxam fidem convertit, in Historia Æthiopiæ, quam diligenter et exacte conscripsit, qui et addit reginam Saba natam in regno Tigri, quod in Abyssia est primarium, eamque vocari reginam *Meridiei.* Habui historiam hanc eius manu scriptam Romæ a R. P. Assistente Lusitaniæ.

Eadem tradunt rerum Æthiopicarum historici, ut Damianus Goes, Victorius, Franc. Alvarez, Barrius, Abrahamus Ortelius, ac Genebrar. in Chronol. anno mundi 3150. et Malvenda de Antichristo l. 5. c. 13 esto illa fabulosa æstiment Thomas Bozius lib. 21. de Signis Ecclesiæ c. 1. et Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis c. 14. n. 46. Fieri potest, ut Æthiopes historiæ huic plura addiderint fabulosa, sed tamen rem ipsam scilicet Abyssinos Imper. oriundos esse a Salomone et regina Saba, tot sæculorum traditione continua apud Æthiopes receptam certamque, uti mihi Romæ asseruere Abyssini sacerdotes orthodoxi, durum est negare, præsertim cum Salomon trecentas habuerit concubinas, et septingentas uxores, quibus, si una hæc regina Saba inseratur vel addatur, quid erit incommodi? potuit enim eam uti ceteras uxorem ducere, ut per eam, eiusque et suos posteros fidem cultumque unius veri Dei apud Æthiopes induceret et firmaret; per filium enim spurium id rite et efficaciter fieri non poterat. Favet quod Imperatori Abyssinæ pro stemmate sit, *leo stans et manu tenens erectam crucem:* leo enim fuit stemma Davidis et tribus Iuda Genes. 49. 9. crux est stemma Christi et Christianorum. Denique Preto Ianes, sive Abyssinus Imperator, hos sibi usurpat titulos, quos ex priscis Æthiopum monumentis recenset Ortelius in Theatro tabula 68. suntque hi:

Tituli Preto Ianis. *David supremus meorum regnorum, a Deo unice dilectus,*
Columna fidei, ortus ex stirpe Iuda,
Filius David, filius Salomonis, filius columnæ Sionis,
Filius ex semine Iacob, filius magnus Mariæ,
Filius Nahu secundum carnem,
Filius Sanctorum Petri et Pauli secundum gratiam,
Imperator superioris et maioris Æthiopiæ,
Et amplissimarum iurisdictionum et terrarum;
Rex Goœ, Caffates, Fatigar, Angotæ, Baru,
Baliguanzæ, Adeæ, Vanguæ, Goiamæ;
Ubi Nili fontes, Amaræ, Baguamedri, Ambeæ, Vagunci,
Tigremahon; Sabaim patriæ reginæ Sabæ,
Barnagassi; et dominus usque in Nubiam,
Quæ in Ægyptum extenditur.

Denique a Salomone per reginam Saba Abyssini acceperunt circumcisionem aliosque Iudaicos ritus, quam etiamnum una cum Baptismo usurpant.

Favet tempus: nam venit regina Saba ad Salomonem anno regni eius 24. ut patet v. 10. cum Salomon iam in mulieres pronus, uxores sibi multiplicaret, ac videret reginam hanc tot naturæ dotibus instructam ad Iudaismum conversam, optare illi connubio iungi, ut ex eo prolem honoratam, sapientem et fidelem conciperet: sicut de illa Thalestri Amazonum regina scribit Iustinus lib. 12. occurrisse Alexandro cum trecentis millibus mulierum, viginti quinque dierum inter infestissimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quæsituram: post triginta igitur dies utero pleno discessisse.

Vers. 14. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni (ex Ophir, Tharsis et aliunde quam ex tributis, hæc enim mox excipiuntur) per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri.) quæ faciunt octo milliones aureorum coronatorum Francicorum, exceptis octo eorundem millibus. Iam octo milliones coronatorum Franc. faciunt 24. million. florenorum Belgicorum; unus enim coronatus Francicus valet tres florenos Brabanticos, sive Belgicos: licet enim initio ex Ophir tantum allata sint Salomoni 420. talenta, ut dictum est c. 9. 28. tamen paulatim crescente cura, et numero fossorum, plura allata fuere. Imo Vilalpan. tom. 2. lib. 5. c. 46. et Pineda lib. 4. c. 6. in fine, censent pro immensis sumptibus fabricæ templi, palatiorum et urbium Salomonem triplicem misisse classem, quarum singulæ tertio quoque anno redirent confecto cursu; singulis tamen annis una rediret, et primam quidem classem quadringenta et viginti auri talenta devexisse, alteram quadringenta quinquaginta, tertiam vero crescente hominum industria, et fossorum multitudine, auri cupiditate etiam, sexcenta et plura talenta reportasse, ut hic dicitur: nam 450. talentorum secundæ classis mentio est 2. Paral. 8. 18. sicut 420. talenta primæ classi assignantur. 3. Reg. 9. 28. Favet Anastasius Sinaita lib. 10. Hexam. dicens classem Salomonis singulis annis rediisse ex Tharsis.

Vers. 15. Excepto eo quod afferebant viri qui super vectigalia erant.) Septuag. *Absque tributis subditorum et mercatorum, qui negotiabantur.* Hinc patet tributa et vectigalia Salomonis excludi a sexcentis sexaginta sex talentis iam dictis; ideoque illa ei allata fuisse ex Ophir et Tharsis, etc. Ita Salianus. Porro tributa hæc ingentia erant, adeo ut propter ea populus contra Roboam rebellarit, ut audiemus c. 12.

Et negotiatores.) Quos Salomon misit ad emendum et comparandum aurum, vel qui partem auri a se comparati Salomoni pendebant pro tributo.

Et scruta (ita legendum cum Roman. non *scuta*, uti legunt Lyran. Abul. Hugo et alii) vendentes.) Qui scilicet non tantum res veteres, sed et novas minutim per ulnas et libras divendebant, quos Galli *les merciers*, id est merciarios vocant, qui merces quascumque particulatim distrahunt. Hebr. est, *ex negotiatione aromatariorum*, q. d. Salomon ex minimis etiam mercibus et institoribus, quales sunt aromatarii, colligebat tributum. Nam ut aiebat Vespasian. Imper. *Lucrum ex qualibet re licet sordida bene olet,* quia *dulcis odor lucri.*

Et omnes reges Arabiæ ducesque terræ.) Id est *satrapæ terrarum,* ut dicitur 2. Paral. 9. 14. puta Principes et præfecti terrarum Iudææ vicinarum.

Ex his omnibus patet, quantæ et quam immensæ fuerint opes Salomonis, Deus enim in sinum eius aurum et argentum undequaque congerere videbatur: et ipse sua sapientia mille modos illud congerendi excogitabat. Vide Pinedam lib. 4. de Salomone c. 19. et Vilalpand. tom. 2. lib. 5. c. 44. usque ad caput 54. ubi docet Salomonis opes maiores fuisse quam fuerint Imperatorum Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Græcorum, Romanorum, ceterorumque omnium.

Hæc munera reges obtulerunt Salomoni ob eius divinam sapientiam et virtutem, optantes ab eo instrui et dirigi, imo se et sua regna, ait Severus Sulpitius, Salomoni regenda offerebant; idque satis innuitur v. 23.

Salomon hic fuit typus Christi, de quo cecinit David Psalm. 71. 9. *Coram illo procident Æthiopes.* Et: *Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.*

Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta.) Lib. 2. Paral. cap. 9. v. 15. pro scutis ponuntur *hastæ*, sed Vers. 16.
hastæ vocantur scuta acuminata instar hastarum; sic etiamnum sunt clypei hastati, id est umbonem et cuspidem habentes, tamque valent ad protegendum corpus, quam ad hostem transfigendum. Idipsum ostendit Vilalpandus pag. 527. ex Polybio qui ait, *umbone posse averti vehementiores hostium ictus;* et ex Svetonio, qui in Iulio Cæsare c. 68. ait eodem posse *impelli hostem,* imo *sterni,* ut ait Livius lib. 10. Et hoc significat Hebr. צנה *tsinna* a radice צנן *tsanan*, id est *acuere* et *esse acutum.* Unde Noster *tsinna*, nunc vertit *scutum*, nunc *hastam*, nunc *loricam*, nunc *contum.* Sic et Septuag. Vide Pinedam libr. 5. Salom. c. 6. num. 1.

Sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius.) Siclus est semuncia, sexcenti sicli ergo sunt sexcentæ semunciæ, quæ faciunt libras 25. Quare hæc scuta æque ac peltæ non tam ad bellandum (quis enim miles cum armis ferret scutum 25. librarum?) quam ad magnificentiam et ostentationem fabricata sunt. Unde ea Salomon reposuit in domo saltus Libani, ut sequitur.

Trecentas peltas.) Scutum est clypeus magnus Vers. 17.
totum pene tegens hominem: *pelta* est clypeus brevior, habens formam lunæ corniculatæ. Unde Virgil. 1. Æneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant.) Mina Hebræa continet 60. siclos, id est 30. uncias, puta duas libras cum media: *trecentæ minæ auri* ergo faciunt libras 750.

Verum quia hoc pondus in pelta videtur enorme, hinc nonnulli per *minam* hic intelligunt siclum, cuius mentio facta est v. præced. nam hoc versu in Hebr. similis prorsus est sermo: sicut enim ibi dixit quodlibet scutum fuisse sexcentorum aureorum, scilicet siclorum (pondus enim sicli apud Hebræos erat usitatissimum) sic hic ait quamlibet peltam fuisse trecentorum aureorum, scilicet siclorum. Sic et Iosephus *minam* pro siclo usurpat, cum ait Iosephum a fratribus venditum viginti minis, hoc est siclis argenti. Hinc Sept. et Chald. pro *trecentis siclis,* vertunt, *tres minæ* (unde suspicari quis posset, Nostrum qui sequi solet Sept. vertisse *tres* non *triginta*?) porro mina Romana æque ac Attica continebat siclos 25. hoc est 100. drachmas, puta centum aureos. Aureus enim habet pondus unius drachmæ: quare tres minæ Atticæ pendent valentque trecentos aureos. Melius, ut dixi, per trecentos aureos, intelligas siclos, quorum quisque pendebat, et valebat quatuor drachmas, hoc est quatuor aureos.

Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore Vers. 18.
grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis.) Tum ut in eo quasi rex magnifice, velut in solio regali conside-

ret; tum ut in eo suorum lites causasque quasi iudex decideret (iudicum enim est sedere in soliis) ut omnibus eum videre, audire et consulere cupientibus, aures et responsa daret.

Allegor. Salomon hic repræsentavit potestatem iudiciariam datam a Deo Christo, qua homo est, eiusque solium gloriosum, in quo residebit in die iudicii, iudicabitque *omnes tribus terræ.* Ita Rupert. Eucher. et Angelom. Audi Eucherium: *Thronus eburneus æterni iudicii potestatem auro divinitatis fulgentem, quam Dominicus homo a Patre accepit, figuram gestasse non dubium est. Sex gradus huius throni omnem creaturam visibilem et invisibilem, quæ sex diebus facta est, et Christo Domino a Patre subiecta, typice demonstrabant. Quod autem ipse thronus in posteriore sui parte rotundus esse describitur, hoc procul dubio datur intelligi, quia præsens mundus, qui per metas temporum volvitur, in sua extremitate a Domino sit iudicandus. At vero duodecim leunculi per sex gradus bini stantes, sanctorum Apostolorum lineabant potestatem, quibus dictum est a Domino: Sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Thronus Salomonis est B. Virgo. Symbol. thronus hic significat B. Virginem, ex qua verus Salomon, puta æterna Dei Sapientia, carnem assumpsit, in eaque quasi in throno suo ebore puriore, leonibus fortiore, et auro per charitatem fulgentiore ad novem menses consedit: unde ipsa ab Ecclesia in litaniis vocatur et invocatur *thronus Salomonis.* Ita Lyran. hic. B. Petrus Damiani egregium sermonem de hoc throno Salomonis habuit in Nativit. B. Virginis, ubi illum Virgini eleganter accommodat et subiicit: *Fecit*, inquit, *thronum, uterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa Maiestas. Hanc sessionem filii et probavit et cognovit Pater, ipso dicente: Tu cognovisti sessionem meam.* Et: *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi.* Et: *Thronus iste sicut sol in conspectu tuo.* Et post pauca: *Et vox de throno exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius. Et ex throno,* inquit, *hoc est ex Virgine laus Angelorum prorumpit et hominum, quia dum hic restituitur, ille resarcitur, utrique gratiarum debent devotionem. Nosti quidnam dicat qui sedet in throno? Ecce nova facio omnia. Felix thronus in quo sedit dominator Dominus, in quo, et per quem non solum omnes, sed etiam omnia renovantur.* Et post nonnulla: *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ divinitatis intra sui ventris clausit arcanum? Attende Seraphim, et in illius superioris naturæ supervola dignitatem, et videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* Vide plura apud eumdem, ubi singula throni huius applicat B. Virgini.

Vers. 19. Et duo leones stabant.) Leo enim erat insigne tribus Iuda, Davidis et Salomonis ob robur et regnum. Genes. 49. v. 5. ita et Christi eorum antitypi, Apocal. c. 5. v. 5. Vide ibi dicta. Symbol. leo notat vigilantiam (leo enim apertis oculis dormit) et fortitudinem, quam debet habere rex et Iudex, ut vires impiorum retundat et frangat. Unde Eccles. c. 7. v. 6. *Noli*, inquit, *quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua.* Vide ibi dicta.

Vers. 21. Non erat argentum, scilicet in vasis et supellectile Salomonis, quia hæc tota erat ex auro: vel potius, *non erat*, scilicet in æstimatione. Unde explicans subdit: nec alicuius pretii putabatur.) Nam alioqui v. 22. addit ex Tharsis Salomoni allatum fuisse tam argentum, quam aurum.

Vers. 22. Quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum et argentum, et dentes elephantorum (ebur) et simias et pavos.)

Quæres, an hæc classis Salomonis navigans in Tharsis sit eadem cum classe navigante in Ophir, de qua v. 11. Putant nonnulli fuisse unam eamdemque; *Ophir* enim et *Tharsis* vocari immensum mare, vastissimas regiones et valde peregrinas, qualis est India sive Orientalis sive Occidentalis. Ita Iosephus Acosta lib. 1. de Novo orbe cap. 14. et alii. Hi ergo per *Ophir* et *Tharsis* accipiunt mare Indicum, eiusque emporia ad quæ navigarit classis Salomonis solvens ex Asiongaber sita in mari Rubro, uti ex eadem solvens classis Iosaphat navigavit *in Tharsis*, id est in Indiam Orientalem, uti dicitur 2. Paral. 20. 36. Idem insinuat Iosephus Hebræus.

(Tharsis an sit Ophir?)

Resp. negative. Planius alii censent fuisse duas classes: nam illa ibat in *Ophir*, hæc in *Tharsis:* illa ex Ophir afferebat aurum Ophirinum et ligna thyina; hæc ex Tharsis aurum, argentum, ebur, simias et pavos: illa quotannis ibat in Ophir, ut patet v. 14. hæc semel in triennio ibat in Tharsis, ut hic dicitur: illa solvebat ex Asiongaber sita in sinu Arabico, hæc ex Ioppe sita ad mare Mediterraneum. Quare per *Tharsis* accipe hic mare Mediterraneum. Tharsis enim fuit filius Iavan, Genes. 10. 4. qui primus post diluvium incoluit Ciliciam, cuius metropolis est *Tharsus*; inde mare vicinum, et tandem reliquum mare Mediterraneum dictum est *Tharsis:* Cilices enim olim hoc toto fere dominabantur. Sic Ionas cap. 1. v. 3. *fugit in Tharsis*, id est in mare Mediterraneum. Ita Ribera ibidem, Salianus et alii.

Hæc ergo classis solvens ex Tyro, vel ex Ioppe, navigabat *in Tharsis*, id est in vicinum sibi mare Mediterraneum, variaque littora, portus et emporia tum Africæ, tum Europæ, tum Asiæ, ut Arabiæ, Anatoliæ, Græciæ, Dalmatiæ, Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, Mauritaniæ, Cypri, Cretæ, Siciliæ, Sardiniæ, Cycladum, etc. mari huic adiacentia obibat, et quidquid alicubi præclarum pretiosumque erat, pro Salomone coemebat. Quare multis stationibus usa, non nisi tertio anno, ut ait Iosephus, domum redibat. Quod si quis velit eam ex mari Mediterraneo ulterius perrexisse in Oceanum, et navigasse in Brasiliam, Peru et Mexico, uti modo faciunt Hispani, non repugnabo, ac facilius id concesserim de hac classe, quam de altera navigante in Ophir, hæc enim triennium impendebat in itu et reditu, illa vero in Ophir unum annum dumtaxat.

An sit Tartessus Hisp. Porro, nova est opinio Pinedæ lib. 4. de Salomone c. 14. ubi multis argumentis probare contendit *Tharsis* esse Tartessum, et Hispaniam Bæticam, ubi est sita Hispalis, vulgo *Seville*, quæ olim auro abundabat, ut patriæ suæ hoc decus Salomonicæ classis arroget. Censet ergo ipse unam dumtaxat eamdemque fuisse Salomonis classem, quæ ex Asiongaber sita in sinu Arabico, sive mari Rubro, solvens, primo navigarit in Oceanum, ac per promontorium Bonæ Spei omnia Africæ littora Gades usque circumvecta, venerit *in Tharsis*, id est Tartessum et Hispalim: inde rediens, eadem Africæ littora relegens navigarit in Indiam Orientalem, puta in Taprobanam et Sumatram, indeque tertio demum anno in portum Asiongaber, ex quo solverat, redierit.

Verum sic prius debuisse hæc classis ex Tharsis redire in Asiongaber, ibique merces suas in Tharsis et Tartesso comparatas exponere, ac deinde in Ophir, id est in Sumatram navigare. Cur enim merces in Tharsis comparatas novæ longæque navigationis in Indiam et Sumatram periculo exposuisset, cum facile eas exponere posset in Asiongaber, quæ nautis ex Tharsis sive ex Tartesso tendentibus in Indiam necessario præternaviganda erat? Sane fuisset hæc periculosa nimis, ut videtur, temeraria, et imprudens navigatio, qua tot pretiosæ merces credebantur navi et mari infido, cum in portum vicinum secure deponi possent.

Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum.) Est Hyperbole, q. d. Fecit ut maxima esset abundantia argenti, qualis est lapidum. Nam alioqui lapidum maior erat copia quam argenti. Vers. 27.

Negotiatores enim regis emebant (equos) de Coa, et statuto pretio perducebant.) Pro, *de Coa*, Hebr. est מקוה quod Noster et Septuag. accipiunt, ut nomen proprium loci punctantque et legunt מקוה *miccoa*, vertuntque, *de Coa*, licet in Septuag. corrupte legatur, *de Ecuc*, vel *Thecuc.* Videtur, *Coa* fuisse urbs vel regio oc- Vers. 28.

cidentalis Ægypti, in qua erat equorum negotiatio celeberrima, de qua Stephanus Byzantius. Ita Serarius.

Chaldæus vero aliis punctis legens מִקְוֵה micve, vertit, *Collectio mercatorum regis emebant collectionem pretio.* Chaldæum secuti R. David, R. Salomon, R. Ioseph, et R. Levi apud Pagnin. varie exponunt, sed omnium summa hæc est, multitudinem mercatorum dato pretio ex Ægypto eduxisse multitudinem vel byssi, vel telæ, vel equorum, vel aliarum rerum. Sed standum est versioni S. Hieron. et Sept. Nonnulli putarunt *Coam* esse Goam, quæ est sedes proregis regis Lusitaniæ in India Orientali; sed hæc longissime abest ab Ægypto et Ierosolymis.

Porro dignitatem et magnificentiam regis maxime consistere in satellitum, equitum, curruum numero et pompa, ex Athenæo, Æliano, Xenophonte et aliis docet Brissonius l. 1. de Regno Persarum. Unde Iulianus Apostata *cum removisset fastum palatii, contemptibile reddidit imperium,* ait Socrates l. 3. Histor. c. 1. et Cassiodor. l. 6. Tripart. c. 1. sed hac in re, uti et in aliis omnibus, modus servandus est.

Vers. 30. EGREDIEBATUR AUTEM QUADRIGA EX ÆGYPTO SEXCENTIS SICLIS ARGENTI, ET EQUUS CENTUM QUINQUAGINTA.) *Quadriga,* id est quatuor equi, qui currum sive quadrigam trahunt. Quisque enim equus stabat 150. siclis: quatuor ergo equi stabant sexcentis siclis; quocirca ipse currus sive quadriga, alio pretio comparanda erat. Ita Abul. Siclus argenti est semuncia, sive quatuor drachmæ argenti, puta quatuor Iulii Romani, sive quatuor regales Hispanici, qui faciunt florenum Brabanticum sive Belgicum. Sexcenti sicli igitur sunt sexcenti floreni Brabantici.

ATQUE IN HUNC MODUM CUNCTI REGES HETHÆORUM ET SYRIÆ EQUOS VENUMDABANT.) Recte vertit Noster Interpres. Nam articulus *lamed* præfixus, licet ordinarie sit nota Dativi, tamen subinde est nota Ablativi, idemque A valet quod *a ex de.* Unde sic ex Hebræo vertas, *Et sic de cunctis regibus Hethœorum et Syrorum per manus eorum exibant,* id est vendebantur Salomoni.

Porro Septuag. Chald. et Rabbini *lamed* accipientes ut notam Dativi, contrarie vertunt, *Sic* (600. siclis) *educebant ex Ægypto* equos *cunctis regibus Hethœorum et Syrorum.* Vide Abulensem, qui egregie Vulgatam versionem hic propugnat.

Denique tanta rerum omnium opulentia, felicitas et gloria a Deo data fuit Salomoni ob eius sapientiam et virtutem, ut omnes Israelitæ eamdem imitarentur ob spem eorumdem præmiorum: ideoque Deo vero servirent, non idolis, videntes Deum verum maiora dare soli Salomoni, quam omnia idola suis cultoribus. Israelitæ enim crassi et rudes non nisi terrena capiebant et sapiebant, uti et modo faciunt posteri eorum Iudæi. — Gloriæ Salomonis causæ. I.

II. Secundo, ut reges Syrorum, Ægyptiorum, Arabum, imo totius mundi incitarentur ad colendum Deum Salomonis, ut similem magnificentiam a Deo adipiscerentur, B qualem adeptus erat Salomon, uti fecit regina Saba, aliique reges cordati.

III. Tertio, ut in Salomone daret specimen et tenuem ideam felicitatis et gloriæ æternæ, quam suis electis ab æterno præparavit in cælo.

IV. Quarto, ut ostenderet in Salomone quam vana esset omnis opulentia et gloria huius mundi, utpote quæ mox cum ipso Salomone instar fumi evanuit, ut dicerent: *Sic transit gloria mundi.* Quare veram felicitatem et gloriam sitam esse in bonis cælestibus et æternis, ut ea homines ambirent; idque clare ostendit Deus in Salomone, cuius felicitas mera fuit infelicitas, uti iam patebit: gloria enim eius mox facta est ingloria, et fama infamia, ac opulentia paupertas: nam filius eius Roboam amissis decem tribubus Israel, unam solam tribum Iuda ægre retinuit.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon senex a mulieribus alienigenis illectus, colit earum idola. Quare vers. 11. Deus minatur ei regni amissionem, ac vers. 14. adversarium ei suscitat Adad Idumæum, et vers. 23. Razon Syrum; denique vers. 26. Ieroboam Hebræum, cui Deus per Ahiam scindentem pallium in duodecim partes, quarum decem dedit eidem, promittit regnum decem tribuum, ita ut solæ duæ reliquæ, scilicet Iuda, et Beniamin, adhæreant filio Salomonis, scilicet Roboam.

1. REX autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Hethæas: 2. De gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. 3. Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, et concubinæ trecentæ: et averterunt mulieres cor eius. 4. Cumque iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius. 5. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, et Moloch idolum Ammonitarum. 6. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, et non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater eius. 7. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Ierusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon. 8. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, et immolabant diis suis. 9. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens eius a Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo, 10. Et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, et non custodivit quæ mandavit ei Dominus. 11. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. 12. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum: de manu filii tui scindam illud, 13. Nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, et Ierusalem quam elegi. 14. Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni, Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom. 15. Cum enim esset David in Idumæa, et ascendisset Ioab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, et occidisset omne masculinum in Idumæa 16. (Sex enim mensibus ibi moratus est Ioab, et omnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumæa), 17. Fugit Adad ipse, et viri Idumæi de servis patris eius cum eo, ut ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad puer parvulus. 18. Cumque surrexissent de Madian, venerunt

in Pharan, tuleruntque secum viros de Pharan, et introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti, qui dedit ei domum, et cibos constituit, et terram delegavit. 19. Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum ut daret ei uxorem, sororem uxoris suæ germanam Taphnes reginæ. 20. Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, et nutrivit eum Taphnes in domo Pharaonis: eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis eius. 21. Cumque audisset Adad in Ægypto, dormisse David cum patribus suis, et mortuum esse Ioab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, ut vadam in terram meam. 22. Dixitque ei Pharao: Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam? At ille respondit: Nulla: sed obsecro te ut dimittas me. 23. Suscitavit quoque ei Deus adversarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum suum: 24. Et congregavit contra eum viros, et factus est princeps latronum cum interficeret eos David: abieruntque Damascum, et habitaverunt ibi, et constituerunt eum regem in Damasco, 25. Eratque adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis: et hoc est malum Adad, et odium contra Israel, regnavitque in Syria. 26. Ieroboam quoque filius Nabath, Ephrathæus, de Sareda, servus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarva, mulier vidua, levavit manum contra regem. 27. Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello, et coæquavit voraginem civitatis David patris sui. 28. Erat autem Ieroboam vir fortis et potens: vidensque Salomon adolescentem bonæ indolis et industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Ioseph. 29. Factum est igitur in tempore illo, ut Ieroboam egrederetur de Ierusalem, et inveniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio novo: erant autem duo tantum in agro. 30. Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. 31. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. 32. Porro una tribus remanebit ei, propter servum meum David, et Ierusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel: 33. Eo quod dereliquerit me, et adoraverit Astarthen deam Sidoniorum, et Chamos deum Moab, et Moloch deum filiorum Ammon: et non ambulaverit in viis meis, ut faceret iustitiam coram me, et præcepta mea, et iudicia sicut David pater eius. 34. Nec auferam omne regnum de manu eius, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter David servuum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea, et præcepta mea. 35. Auferam autem regnum de manu filii eius, et dabo tibi decem tribus: 36. Filio autem eius dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Ierusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi. 37. Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel. 38. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea et præcepta mea, sicut fecit David servus meus: ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, et tradam tibi Israel: 39. Et affligam semen David super hoc, verumtamen non cunctis diebus. 40. Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam: qui surrexit, et aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis. 41. Reliquum autem verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia eius: ecce universa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis. 42. Dies autem, quos regnavit Salomon in Ierusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt. 43. Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius eius pro eo.

Vers. 1. REX AUTEM SALOMON ADAMAVIT MULIERES ALIENIGENAS MULTAS.) Gentiles scilicet et Chananæas, quæ suos deos et idola colebant, et ad eadem colenda Salomonem maritum suum induxerunt. Vide hic quam periculosum sit uxores ducere infideles, vel hæreticas.

Vers. 2. DE GENTIBUS SUPER QUIBUS DIXIT DOMINUS FILIIS ISRAEL: NON INGREDIEMINI AD EAS.) Lex ista extat Exodi 34. 16. loquiturque dumtaxat de Chananæis, ut ibidem patet, quales erant Sidoniæ et Hethææ: quare peccavit Salomon contra legem eas ducendo. Alias aliarum gentium feminas in uxores duci lex permittebat Hebræis, dummodo illæ prius abiuratis idolis ad Deum verum et religionem Hebræorum converterentur. In hoc quoque peccavit Salomon, quia duxit eas persistentes in sua idololatria; unde ab eis ad idola colenda pertractus est. Ita Abul.

Vers. 3. FUERUNTQUE EI UXORES QUASI REGINÆ SEPTINGENTÆ, ET CONCUBINÆ TRECENTÆ) Id est universim mille. *Reginæ* vocantur primariæ uxores, quæ regum et principum erant filiæ, ideoque regio cultu et nomine utebantur: *concubinæ* erant secundariæ uxores, utpote plebeiæ, licet S. Hieron. Epist. 132. eas vocet *scorta*.

Sex crimina Salomonis. Miserabilis fuit hic lapsus Salomonis viri sapientissimi et sanctissimi, quo in sex gravia scelera prolapsus est. Primum eius scelus fuit, quod contra legem duxerit alienigenas et idololatras. Secundum, quod nimis multas, puta mille. Lex enim Deuter. 17. 17. iubebat regi, dicebatque: *Non habebit uxores plurimas*. Tertium, quod eis potestatem fecerit colendi sua idola, imo eis delubra in monte Oliveti ædificarit. Quartum, quod ipse eadem adorarit. Quintum, quod suo exemplo multos Hebræos ad eadem colenda impulerit. Sextum, quod immania tributa populo indixerit, quia ad tot reginas ornandas, et magnifice alendas, immensis opibus erat opus. Et hoc est grave iugum, de quo c. sequenti apud Roboam filium queruntur Hebræi, ideoque ab eo schisma faciunt. In Salomone videre est, quam verum sit illud vetus dictum:

Vestis pulchra, iocus, potus, cibus, otia, somnus,
Enervant mentem luxuriamque fovent.

ET AVERTERUNT MULIERES COR EIUS.) A Deo vero ad idola mentem et voluntatem eius deflexerunt.

Vers. 4. CUMQUE IAM ESSET SENEX, DEPRAVATUM EST COR EIUS PER MULIERES, UT SEQUERETUR DEOS ALIENOS.) Hinc patet Salomonem vere coluisse idola: quare mirum est, id ipsum hic negare Robertum Stephanum. Nam id ipsum affirmat S. Iren. l. 4. c. 45. Iustin. Dial. contra Tryphon. Tertul. lib. 5. contra Marcion. S. Basil. Epist. ad Chelid. S. August. 14. Civit. c. 11. Adoravit ea autem, non quod in eis aliquid inesse divinitatis censeret, sed ut suis concubinis morem gereret. Audi S. August. lib. 11. de Genesi ad litteram c. 42. *Ita Salomon vir tantæ sapientiæ numquidnam credendum est, quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non evaluit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret.* Confirmat idipsum exemplo Adæ, dum subdit: *Ita et Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit ut simul ederent, noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, et omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus; quod eum facere non debuisse, divinæ sententiæ iustus exitus indicavit.*

Vers. 5. SED COLEBAT SALOMON ASTARTHEN DEAM SIDONIORUM.) Hæc erat Venus de qua dixi Iudic. 2. 13.

ET MOLOCH.) Sive *Melchom*, cui filios concremando immolabant, de quo dixi Levit. 18. 21. Unde et Salomonem eidem filium vel filios suos immolasse et concremasse, censet Pineda et Salianus.

Vers. 7. TUNC ÆDIFICAVIT SALOMON FANUM CHAMOS.) *Chamos* est Κωμος deus temulentiæ, puta Bacchus, unde ab eo dicta est comessatio. Vide dicta Roman. 13. 13. ad illa, *Non in comessationibus.*

Causa tanti lapsus fuit nimia Salomonis prosperitas, opulentia, deliciæ et libidines. Proxima causa fuere uxores, quas ardentissime amabat: hæ enim eum dementarunt iuxta illud: *Vinum et mulieres faciunt apostatare sapientes.*

Disce hic, quam cavendæ sint feminæ; amor earum enim est insuperabilis, et quidvis licet pretiosissimum et scelestissimum ab amasiis extorquet: fuge ergo illas, quia nec sapientior es Salomone, nec fortior Samsone, nec sanctior Davide; qui omnes per feminas ceciderunt. Sapienter Eucher. hic: « Admonendi sunt, inquit, quibus hoc sæculum prosperatur, qui nullis adversitatibus huius mundi feriuntur, quod Salomon post acceptam sapientiam usque ad idololatriam cecidisse describitur, quia nihil in hoc mundo, priusquam caderet, adversitatis habuisse memoratur: sed concessa sapientia eum funditus deseruit, eo quod eum nulla saltem minima tribulationis disciplina custodivit, nisi postquam Deum deseruit, et se a Deo desertum esse cognovit. »

Et S. Bernard. lib. 2. de Consider. ad Eugenium sub finem: « Adverte, inquit, quam rarus semper extiterit, qui non vel modice in prosperitate animum relaxaverit a sui custodia et disciplina. Quando hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem vel glaciem? Sapiens David, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia. Nec minor cui præsens felicitas arrisit, non irrisit. Quamquam facilius inveneris qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt.

Vers. 11. QUIA HABUISTI HOC APUD TE.) Quia in animum tuum induxisti a me apostatare et colere idola. Aut, quia in te inventum est scelus apostasiæ et idololatriæ.

SCINDAM REGNUM TUUM in duo; scilicet in regnum Iuda et Israel, sive decem tribuum; ET DABO ILLUD SERVO TUO.) Ieroboam, quem creabo regem Israelis cap. 12.

Vers. 13. TRIBUM UNAM DABO FILIO TUO.) *Unam*, scilicet præter suam, q. d. Præter tribum Iuda, ex qua quia ortus est David, hinc ipsa nepotum eius propria censetur, adiiciam et unam aliam tribum, scilicet Beniamin. Ita Abul. vel, ut Caiet. Tribus Iuda et Beniamin censebantur una eademque, et vocabantur *regnum Iuda.*

Porro Abulens. Torniellus et Salianus censent Deum hæc dixisse Salomoni, non per se nec per Angelum, eo quod eo indignus esset Salomon, sed per Ahiam Silonitem, de quo v. 29. Pineda tamen lib. 3. c. 2. num. 5. censet Deum hic per se tertio apparuisse Salomoni; hoc enim simpliciter verba significant, cum dicitur v. 11. *Dixit itaque Dominus Salomoni.* Denique Salomon nil Deo respondit, unde videtur in suo scelere perstitisse.

An Salomon salvatus? Quæres, an Salomon sit damnatus an salvatus? Problema hoc est priscum. Damnatum censent Tertul. lib. de Præscript. c. 2. Cyprian. Epist. 7. S. August. 17. de Civit. c. 8. et 20. S. Chrysost. serm. de Pœnit. Beda in lib. 3. Regum c. 6. Raban. in lib. 4. Reg. c. 23. Isidor. de vita et morte Proph. c. 24. Lyran. Abul. et alii hic.

Ratio est prima, quia Scriptura commemorans eius lapsum tam gravem, non adiicit eius pœnitentiam, sicut adiicit in lapsu Davidis. Secundo, quia ipse sua delubra idolis ædificata non destruxit: nam ea destruxit tandem Iosias. Respondent aliqui, ipsum ea obserasse, vel destruxisse usque ad rudera, quæ ab impiis reædificata, vocantur *excelsa Salomonis.* Sed id dicunt, non probant. Tertio, quia ad hoc videtur Deus Salomonem in hac vita cumulasse omnibus bonis, ut eius merita remuneraretur in hac vita, et scelera puniret in futura, iuxta illud Abrahæ ad divitem epulonem: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Quarto, quia amor ardens feminarum longa consuetudine roboratus pene est insuperabilis: talis autem fuit Salomonis, qui tot suis amasiis perdite amatis undique cingebatur, ut etiamsi pœnitere vellet, non posset. Huc facit, quod ante paucos annos in Italia uni e nostra Societate contigit. Vocabatur ille ut concubinario cuidam in morte adesset. Adfuit, et totis viribus eum ad pœnitentiam hortatus est, ut amoribus illicitis valediceret, nunc blandiendo, nunc minando instans Dei iudicium et gehennam. Sed et concubina flens rogabat eum ut pœniteret, et moriendo animæ saluti consuleret; omnia frustra, surdo cecinerunt. Ille enim dixit, se nec velle nec posse amicam tamdiu dilectam abdicare. Quare impœnitens miseram exhalavit animam.

Ex adverso eum pœnituisse et salvatum esse opinantur Rabbini veteres, et ex eis S. Hieron. S. Gregor. Thaumaturgus, Rupertus, Pineda, Salianus, Barradius, Serarius, Sanchez, Delrio, et alii, qui asserunt eum post lapsum scripsisse Ecclesiasten, in quo quasi pœnitens se vanis amoribus et idolis vacasse, exclamat: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Hoc argumentum foret validum, si constaret Ecclesiasten a Salomone scriptum post lapsum, non ante; qua de re dixi proœmio in Ecclesiasten: nam dicta et scripta eius recensita sunt initio libri huius c. 4. et 5. ante lapsum: lapsus vero eius in senio demum hoc c. 11. narratur.

Probant primo, quia Deus 2. Reg. 7. promiserat Davidi se Salomonem, si peccaret, correpturum *in virga virorum*, qua scilicet homines castigari solent ut emendentur.

Secundo, quia Proverb. 24. 23. Septuag. addunt: *Novissime ego quoque egi pœnitentiam, respexique ut eligerem disciplinam.*

Tertio, quia Salomon fuit *Ididia*, id est *dilectus Deo*, Christi typus et scriptor canonicus tot sacrorum librorum. Pluribus id probat Pineda lib. 8. de Rebus Salomonis c. 1. sect. 6. Meam sententiam aperui Eccl. 47. v. 22. ad illa: *Dedisti maculam in gloria tua.* Romæ concionator quidam insignis publice inter concionandum asseruit, nuper cuidam sanctæ personæ revelatum esse, Salomonem ad hæc usque tempora acres pœnas in purgatorio subiisse, at iam iis absolutum abiisse in cælum. Sed hæ revelationes examinandæ sunt, nec feminis eas asserentibus facile credendum.

SUSCITAVIT AUTEM DOMINUS ADVERSARIUM SALOMONI ADAD IDUMÆUM.) Ab Austro, sicut ab Aquilone hostem ei suscitavit Razon v. 23. Hæc pœna a Deo inflicta fuit Salomoni adhuc viventi; prior, scilicet regni scissio, eidem irrogata est post mortem. Vers. 14.

Quomodo Deus suscitet Israeli et fidelibus hostes, exposui Iudic. 3. 8.

Porro Pineda lib. 7. c. 18. n. 7. censet has Dei minas de regni scissione Salomoni intentatas anno regni eius 32. ut reliquis octo annis maximas molestias et animo et corpore sustineret. Idem tamen in sua chronologia, hanc obiurgationem ad finem anni 37. Salomonis refert. Trigesimo octavo vult suscitatos Salomoni adversarios, trigesimo nono ipsum resipuisse, quadragesimo denique defunctum esse: quæ videtur plurimum rationi consentanea distributio, ait Salianus.

ET ASCENDISSET IOAB AD SEPELIENDUM EOS, QUI FUERANT INTERFECTI.) Probabile est, quod censet Caiet. tunc accidisse, ut præsidiarii Davidis relicti in Idumæa a se subacta, post eius obitum cæsi sint ab Idumæis: itaque Ioab ivisse eo ad illos sepeliendos, et ad vindicandam illorum necem: unde omnes Idumæorum masculos occidisse, exceptis forte parvulis, qui excipiuntur lege Deuter. 20. 14. Vers. 15.

DIXIT PHARAONI: DIMITTE ME UT VADAM IN TERRAM MEAM.) Hæc videtur fuisse series historiæ, quam Vers. 21.

Script. hic paucis convolvit. Adad ex semine regio Idumææ puer fugit, vel potius a servis suis abductus est in Ægyptum, cum David vastaret Idumæam. In Ægypto gratiam invenit apud Pharaonem, adeo ut Pharao ei sororem coniugis suæ dederit uxorem. Hic audiens Davidem vastatorem Idumææ mortuum, petiit a Pharaone veniam redeundi in suum Idumææ regnum, quam Pharao tandem concessit. Anno ergo Salomonis tertio in Idumæam rediit, trigesimum circiter, ut ait Abulensis, agens annum, ubi cum bona venia Salomonis, interventu Pharaonis, qui utrumque sibi affinitate coniunxerat, videtur in Idumæa regnasse tributarius eadem lege ac conditione tributi, quam imposuerat David; nihil enim ab eo tempore in Idumæa mutatum aut turbatum invenitur. Hic ultimis Salomonis annis, videns eum effeminatum, infatuatum et contemptibilem factum, tributum ei negavit, ac rebellans se suamque Idumæam in libertatem vindicavit. Ita Abul. Salianus et alii.

Vers. 23. SUSCITAVIT QUOQUE EI DEUS ADVERSARIUM RAZON.) Qui, ut sequitur, factus princeps latronum, constituit se regem Damasci. Iusta congruaque fuit hæc pœna, ut Salomoni Deo rebellanti rebellarent pariter tam subditi quam bello subacti. Sic Deus peccatori suscitat adversarios, qui eum stimulent, et ad Deum redire cogant.

Vers. 25. ERATQUE (Razon) ADVERSARIUS ISRAELI CUNCTIS DIEBUS SALOMONIS: ET HOC EST MALUM ADAD, ET ODIUM CONTRA ISRAEL, REGNAVITQUE IN SYRIA.) Iosephus, Caiet. et alii sic exponunt q. d. Adad iunxit se cum Razon, ac eius ope roboratus rebellavit Salomoni, fecitque se regem Syriæ. Sed aberrant: nam Syriæ, puta Damasci, regem se fecit Razon, ut dictum est v. præced. Adad vero, ut filius regis Idumææ, in sua Idumæa regnavit. Sensus ergo est q. d. Razon fuit adversarius Israelis et Salomonis, sicque adauxit malum hostilitatis Adad contra Israel, *regnavitque in Syria*, scilicet ipse Razon, non autem Adad. Unde Chald. vertit, *Et fuit* (Razon) *adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis, et cum malo quod fecit Adad, rebellavit in Israel, et regnavit super Aram*, id est Syriam, q. d. Razon cum Adad rebellavit Salomoni, et afflixit Israelem, fecitque se regem Syriæ. Ita Vatab. Pineda et Salianus. Id clare significant Septuag. Romana, quæ hæc verba transponunt iunguntque versui 22. ubi sic legunt: *Et reversus est Ader in terram suam: hoc est malum quod fecit Ader, et aggravavit, sive afflixit Israel, et regnavit in terra Edom.* Pro ארם *Aram* enim legerunt, אדם *Edom;* litteræ enim ד et ר sunt persimiles, ut una sæpe pro alia substituatur; sicut hic pro *Adad* Septuag. legunt *Ader*. Concludit ergo Script. iungendo duos Salomonis hostes, Adad scilicet et Razon, ac tertium maximumque addendo v. sequenti, nimirum Ieroboam. Denique utraque sententia conciliari potest, dicendo, Adad primo regnasse in Idumæa, deinde ex ea, utpote montosa ac sterili, migrasse in Syriam, utpote divitem et fertilem, ac mortuo Razon rebellionis socio successisse ei in regno Syriæ. Nam eius filius Benadad fuit rex Syriæ, ut patet 3. Reg. 20. 1. Imo ab Adad ceteri reges Syriæ post eum dicti sunt Benadad, id est filii et successores Adad, ideoque infesti Israeli. Ita S. Hieron. in cap. 1. Amos, Rabbini et Vatab. 4. Reg. 6. 28.

Vers. 26. IEROBOAM QUOQUE FILIUS NABATH, EPHRATHÆUS.) Hic tertius fuit hostis Salomonis. Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. censent *Nabath* esse *Semei,* qui maledixit Davidi, ideoque occisus est a Salomone; quare eius filium Ieroboam grave, et quasi ex patre ingenitum in Davidem et Salomonem odium concepisse, ideoque ei rebellasse. Verum errant: nam Semei erat ex tribu Beniamin, Ieroboam vero erat *Ephrathæus*, id est ex tribu Ephraim, quæ tribus fuit arrogans, æmula Iudæ, et avida imperii. Unde in Ieroboamo illud occupavit, tenuitque pene toto tempore regum Israel. Pluribus exemplis Ephraimitarum arrogantiam et turbulentum ingenium ostendit Salianus anno mundi 3057. n. 22.

MULIER VIDUA.) Ita Hebr. Chald. Septuag. hic: sed cap. seq. Sept. Rom. habent, *mulier fornicaria,* sive *meretrix:* et sic legit Lucifer Calarit. lib. de Regibus Apostaticis.

LEVAVIT MANUM CONTRA REGEM.) Postquam ab Ahia Propheta decem pallii scissuras, et per eas regni decem tribuum promissionem a Deo accepit, ut sequitur; tunc enim videtur sollicitasse decem tribus per revelationem huius prophetiæ, ut a Salomone tam duro tributorum exactore ad se quasi mitiorem futurum deficerent: forte etiam aperte rebellavit Salomoni, et regnum invasit, uti hæc verba insinuant. Ita Ioseph. Pineda et Salianus; licet etiam ante Ahiæ prophetiam Ieroboam rebellasse censeant Abul. et Torniellus.

Qua in re peccavit: Deus enim hic ei tantum per Ahiam promisit regnum decem tribuum, non autem illud reipsa ipsi nunc dedit, sed demum post mortem Salomonis sub Roboam. Quare inique et iniuste Ieroboam contra Salomonem regem suum insurrexit. Ita Abul. Sicut cum Samuel secreto unxit Davidem in regem, non eo ipso dedit ei ius ad regnum, sed ut regnaret post mortem Saulis: unde David vivente Saule nil circa regnum attentavit.

Denique opinatur Salianus, Ieroboam pariter nil contra Salomonem attentasse, sed tantum dici *levasse manum contra regem*, eo quod ab Ahia designatus sit rex contra Salomonem, et designationem hanc Ahiæ acceptarit. Vulgi enim sermone qui regnum alicuius, licet sibi oblatum, acceptat, dicitur regi rebellare. Serarius vero ait eum *levasse manum* contra Salomonem, quia eam levavit contra Roboam Salomonis filium. Verum eum aliquid mox contra Salomonem molitum esse, hac phrasi proprie significat Script. idque confirmat subdens: *Et hæc est causa rebellionis adversus eum.* Rebellavit ergo ipse Salomoni. Unde Iosephus lib. 8. c. 2. « His, ait, Prophetæ verbis erectus ad spes magnas Ieroboamus, cum esset alioqui inquieto et ambitioso ingenio, quamprimum in suam provinciam pervenit, non immemor præsagii prophetici, sollicitare populum cœpit, ut a Salomone deficeret, ipsique principatum deferret. » Iosephum sequuntur Torniellus, Pineda, Abul. et alii.

TOLLE TIBI DECEM SCISSURAS.) Ut per hoc cognoscas te sub Roboam e duodecim tribubus Salomonis regno sublaturum, et tibi arrogaturum decem tribus Israel, ut mox explicat Ahias.

Symbol. hæ decem scissuræ significabant regnum decem tribuum in decem familias sibi invicem succedentes, fore scindendum, ac decies dividendum, ait Rupert. Hic Vers. 31.
enim fuit ordo et successio regum Israel sive decem tribuum. Primam scissuram decem tribuum a duabus fecit Ieroboam. *Huius filium,* ait Rupertus lib. 5. c. 4. *nomine Nadab percussit Baasa. Hæc secunda Israel scissura regni est. Eiusdem Baasa filium Hela occidit Zambri, regnavitque pro eo. Zambri se in palatio incendit obsidente Amri, qui et pro eo regnavit. Post hunc regnavit Achab, et post eum filius eius Ochozias, et post eum frater eius Ioram. Sed istum occidit Iehu, regnavitque pro eo usque ad quartam generationem. Quintum ab illo percussit Sellum, regnavitque pro eo. Sed et istum percussit Manahem, regnavitque pro eo. Filium quoque huius Phaceiam percussit Phacee filius Romeliæ, regnavitque pro eo. Sed et contra istum coniuravit Ozee, percussitque eum et interfecit, regnavitque pro eo. Contra istum ascendit rex Assyriorum et transtulit Israel in Assyrios. Hæc decima fuit scissura. Nam in Ieroboam prima, in Baasa secunda, in Zambri tertia, in Amri quarta, in Iehu quinta, in Sellum sexta, in Manahem septima, in Phacee filio Romeliæ octava, in Ozee nona, in rege Assyriorum, qui divisos a Deo et David rege suo, divisit etiam loco, transferendo in Assyrios, recte computatur decima.*

Tropol. Ieroboam primus schismaticus notat hæreticos, qui Ecclesiam sua hæresi discindunt: ac præsertim principes, qui ut regnum sui regis orthodoxi invadant, hæresim inducunt, ac hæreticos in auxilium vocant, uti fecit Ieroboam (idem factum vidimus in Belgio) qui idcirco regnum perdidit, uti Deus hic ei prædicendo comminatur. Hinc apposite, ait Angelomus: *Ieroboam Hebr. interpre-*

tatur diiudicans populum. Nam et hæretici diiudicare populum videntur, cum erroris sui sequacem faciunt. Tunc enim fit illud: *Tolle tibi decem scissuras.* Sic et Rupertus lib. 5. c. 5. Eucher. Beda et alii.

Vers. 32. PORRO UNA TRIBUS, Iuda cum Beniamin sibi associata, REMANEBIT EI.) Scilicet Salomoni, puta Roboam Salomonis filio et successori.

Vers. 36. UT REMANEAT LUCERNA DAVID SERVO MEO.) *Lucerna* vocatur Davidis regis posteritas, non qualiscumque, sed regalis, splendida et gloriosa. Sicut enim lux solis se propagans, novam in aere spargit lucem, et sicut candela vel lucerna una accendit aliam, et hæc aliam et aliam; sic pariter David rex genuit Salomonem regem, et Salomon genuit Roboam regem, et ita de ceteris eius posteris. *Lucerna* ergo appellatur hic successio regia posterorum Davidis, quæ erat quasi lucerna, et quasi residuum quoddam lucis, id est splendoris et gloriæ Davidis refulgens in Ierusalem. Ita Caiet.

Vers. 38. ÆDIFICABO TIBI DOMUM FIDELEM.) Id est familiam regalem, continuam et stabilem, ut scilicet posteri tui in regno decem tribuum continua serie succedant. Mirum est, quod Ieroboam et Principes ei similes non credant hisce Dei, qui prima est veritas, verbis et promissis; sed contrariis modis per impietatem, fraudes et scelera conentur sibi parare regni regiæque sobolis stabilitatem: quo fit, ut Deum contra se concitent, itaque ab eo funditus evertantur, uti contigit Ieroboam, omnibusque regibus Israel eius successoribus.

Vers. 39. ET AFFLIGAM SEMEN DAVID SUPER HOC.) Id est, propter hoc, scilicet propter te, si mihi fueris fidelis. q. d. si mihi fideliter servieris, te exaltabo, et posteros Davidis æmulos tuos humiliabo et deprimam.

VERUMTAMEN NON CUNCTIS DIEBUS.) Rabbini in Sederolam c. 15. hoc referunt ad regnum Asa regis Iuda, qui valde regnum Iuda evexit. Salianus et alii referunt ad Ezechiam; nam eius anno sexto decem tribus abductæ sunt in Assyriam, tuncque desiit regnum, et reges decem tribuum æmuli regum Iuda. Mystice, hoc maxime impletum est a Messia, puta a Christo, qui quasi Davidis filius rursum regnavit super totum Israel, universumque orbem, ab eoque colitur ut Deus, Messias, et Rex regum. Ita Caiet. Abul. Serarius et alii. Unde a Christo in cælum ascensuro quærebant discipuli: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Act. 1.

Porro Deus tam serio Ieroboam inculcat veram sui religionem et cultum, quia prævidebat eum schisma facturum a Deo et templo propter regnum, cum tamen Deus vellet per eum schisma a Salomone in Dei cultu factum resarcire. At cur Deus id præsciens nihilominus eum regem constituit? Resp. ut puniret populum, eique impio similem, scilicet impium, daret regem, æque ac iam ante eidem dederat impium Saulem, ait Rupert. et ex eo Salianus. Populus enim iam magna ex parte erat corruptus, tam regis imitatione, quam propria malitia, ad quam eum pellexit otium, deliciæ, et rerum omnium abundantia. Volens ergo Deus castigare populum impium, dedit regem Ieroboam, qui populi cupidinibus et desideriis ad idola colenda obsequeretur, itaque tot calamitatum, et tandem extremi excidii eidem fieret causa, iuxta illud Iob. 34. 30. *Qui regnare facit hypocritam* (id est impium) *propter peccata populi.*

Vers. 40. VOLUIT ERGO SALOMON (re intellecta, quod scilicet Ahias Ieroboamo detulisset regnum decem tribuum) INTERFICERE IEROBOAM.) Quasi regni sui æmulum et invasorem. Addit Chald. Cant. 8. v. 12. eum quoque voluisse occidere Ahiam, eo quod ipsi regnum detulisset, ideoque Ahiam pariter fugisse in Ægyptum: sed de Ahia nil habet hic Script. est tamen id probabile. Nam delicati sunt reges, et quoslibet etiam sanctos, qui alios reges inducere satagunt, persequuntur ut perduellionis reos, qui enim tangit regnum, tangit pupillam eorum. Verum hæc magna, ait Dion. fuit Salomonis excæcatio, ambitio et impatientia, quasi vellet et posset impedire propositum Dei de regni divisione.

IN LIBRO VERBORUM (id est factorum vel gestorum) SALOMONIS) Puta in Diariis, Chronicis et Annalibus Salomonis. Vers. 41.

DORMIVITQUE (somno mortis) SALOMON CUM PATRIBUS SUIS.) Anno ætatis 60. aiunt Lyran. Abulen. etc. Narrant Zonaras et Cedrenus, eius sepulchrum sub Hadriano Imper. dissiliisse ac concidisse, eamque rem motus et tumultus Iudaicos portendisse. Sic et Dio in Hadriano lib. 69. de Iudæorum desertione tractans, ob quam omnes fere ab eo interempti sunt, et tota Iudæa desolata: *Id eis,* inquit, *antequam bellum gereretur, fuerat denuntiatum ex eo quod monumentum Salomonis, quem illi summa reverentia colunt, sua sponte divisum corruerat.* Vers. 43.

Forma Salomonis.

Figuram et formam Salomonis ex Cantic. 5. 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus,* etc. Ita colligit Pineda lib. 6. c. 4. et ex eo Salianus. Salomon fuit colore candido et rubicundo, natura calida et humida, sed paulo calidiore, cæsarie densa; capillis aurescentibus, et modice crispantibus, sicut elatæ palmarum; oculi iustæ magnitudinis, implentes orbem suum, splendentes ac cæsii, leni placidoque intuitu; genæ efflorescentes atque hilares, sicut lilia mixta rosis; labia eius tenuia et mollia, ut rubentia Syriæ lilia; os ipsum afflans suavis odoris halitum; manus delicatæ, molles, articulatæ, quasi torno politæ; digiti longiores; deductiora brachia; pectus et thorax candida, velut pixis eburnea, moderatæ magnitudinis et formæ; crura illius quasi columnæ marmoreæ, vel Pariæ candidissimæ; pedes sicut bases aureæ elaboratissimæ, mediocri magnitudine; incessus firmus et constans; statura procera et erecta; vox suavissima: dignus qui speciosum forma præ filiis hominum repræsentaret. Sed pleraque horum supervenientes anni vitaque Salomoni ademerunt; ac præsertim effusa libido atque morbi, mœrores et angores ob idololatriam illi a Deo in senio immissi: unde Ecclesiast. c. 47. eius elogia hac flebili catastrophe threnoque concludit: *Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, et incitari stultitiam tuam, ut faceres imperium bipartitum.* Vide ibi dicta.

Sub Salomone natus Homerus.

Sub annum regni Salomonis vigesimum natus est Homerus poeta Græcorum sapientissimus, quem passim imitatus et Latino versu consectatus est Virgilius Latinorum poetarum princeps. Quare de Homeri natali loco certant septem Græciæ urbes, nimirum *Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argus, Athenæ.* Imo Ietas, id est incolas insulæ Io, Homero aram excitasse, eique quasi Deo sacrificasse, testatur Gellius lib. 3. 11. Homero coævus et suppar fuit Hesiodus. Ita decuit ut sub Salomone Hebræorum, imo mortalium omnium, sapientissimo, sapientia apud Græcos nasceretur, indeque ad Latinos transferretur. Ita ex Cyrillo lib. 7. contra Iulian. et aliis Salianus anno Salomonis vigesimo, qui fuit ab excidio Troiæ annus 168. ante Romam conditam 160. tunc quoque regnabat in Latio sextus rex Sylvius, Æneæ Sylvii filius, ac Dido condidit Carthaginem, ait Euseb. in Chronico.

Denique Iosephus lib. 8. cap. 3. hoc Salomoni epitaphium ponit: *Moritur Salomon regum omnium felicissimus, opulentissimus et prudentissimus, excepto peccato, ad quod a mulieribus iam senescens pertractus est.* Iam ante proclamarat, totique mundo concionatus erat Salomon: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas,* et tamen vanitas vanaque species mulierum eum in senio dementavit, vanumque reddidit, ut seipsum fecerit summum vanitatis speculum. Evanuit enim eius sapientia, evanuit eius sanctitas, evanuit eius potentia, evanuit eius felicitas et gloria, evanuit denique sanitas et vita præsens, utinam non æterna! Quid est homo etiam sapientissimus, ditissimus, potentissimus, si Deum deserat, et a Deo deseratur? Utique non est aliud quam mancipium vanitatis, imago stultitiæ, præda mortis, ærumnarum abyssus! O si Salomoni liceret ad vitam redire, qualem ageret pœnitentiam, qualem institueret vitam, quid mortalibus inclamaret! Utique illud S. Salvii a morte ad vitam revocati apud Gregor.

Turon. lib. 7. Histor. c. 1. *Audite filii Adæ, et intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo; sed omnia vanitas. Omnia ergo ut vana contemnite, ut veram gloriam Dei mereamini adipisci in cœlo.* Vana sunt sceptra, vanæ tiaræ, vana venus, vanæ opes, vana vina, vanus orbis u-

A niversus. *O curas hominum, o quantum est in rebus inane!* Nil verum, nil bonum, nil magnum, nisi æternum. Æterna cogitate, æterna ambite; ut Deus vos beet in æternum, per omnia sæculorum sæcula. Amen.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Populus a Roboam poscit tributorum gravium Salomonis relaxationem: ille negat et duriora minatur: quare decem tribus eo relicto regem sibi creant Ieroboam: parat contra eas bellum Roboam vers. 21. Sed revocat eum Deus per Semeiam prophetam. Mox vers. 26. Ieroboam metuens ne populus veniens ad templum, rediret pariter ad Roboam, vitulos aureos quasi idola erigit in Dan et Bethel.

1. VENIT autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem.
2. At vero Ieroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita
morte eius, reversus est de Ægypto. 3. Miseruntque et vocaverunt eum: venit ergo Ieroboam, et omnis
multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque
nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de iugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi. 5. Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6. Iniit con-
silium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius, cum adhuc viveret, et ait: Quod
datis mihi consilium, ut respondeam populo huic? 7. Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, et servie-
ris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. 8. Qui de-
reliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, et assistebant
illi, 9. Dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac
iugum quod imposuit pater tuus super nos? 10. Et dixerunt ei iuvenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris
populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggravavit iugum nostrum, tu releva nos. Sic loqueris ad
eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. 11. Et nunc pater meus posuit super vos iugum grave,
ego autem addam super iugum vestrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 12.
Venit ergo Ieroboam, et omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens: Revertimini ad
me die tertia. 13. Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, 14. Et lo-
cutus est eis secundum consilium iuvenum, dicens: Pater meus aggravavit iugum vestrum, ego autem addam
iugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 15. Et non acquievit rex
populo: quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu
Ahiæ Silonitæ, ad Ieroboam filium Nabat. 16. Videns itaque populus quod noluisset eos audire rex, respon-
dit ei, dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vi-
de domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant
in civitatibus Iuda, regnavit Roboam. 18. Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: et la-
pidavit eum omnis Israel, et mortuus est. Porro rex Roboam festinus ascendit currum, et fugit in Ierusalem: 19.
Recessitque Israel a domo David usque in præsentem diem. 20. Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod
reversus esset Ieroboam, miserunt et vocaverunt eum congregato cœtu, et constituerunt eum regem super omnem
Israel, nec secutus est quisquam domum David præter tribum Iuda solam. 21. Venit autem Roboam Ierusalem,
et congregavit universam domum Iuda, et tribum Beniamin, centum octoginta millia electorum virorum bella-
torum, ut pugnarent contra domum Israel, et reducerent regnum Roboam filio Salomonis. 22. Factus est au-
tem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: 23. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, et ad
omnem domum Iuda, et Beniamin, et reliquos de populo, dicens: 24. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque
bellabitis contra fratres vestros filios Israel: revertatur vir in domum suam, a me enim factum est verbum hoc.
Audierunt sermonem Domini, et reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus. 25. Ædificavit autem Ie-
roboam Sichem in monte Ephraim, et habitavit ibi: et egressus inde ædificavit Phanuel. 26. Dixitque Ieroboam
in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David, 27. Si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in do-
mo Domini in Ierusalem: et convertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam regem Iuda, interficientque
me, et revertentur ad eum. 28. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: Nolite ultra ascen-
dere in Ierusalem: Ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti. 29. Posuitque unum in Bethel, et al-
terum in Dan: 30. Et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in
Dan. 31. Et fecit fana in excelsis, et sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. 32. Constituit-
que diem solemnem in mense octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in
Iuda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat: constituitque in
Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat. 33. Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quintadeci-
ma die mensis octavi, quem finxerat de corde suo: et fecit solemnitatem filiis Israel, et ascendit super altare, ut
adoleret incensum.

Vers. 1. VENIT AUTEM ROBOAM IN SICHEM.) *Sichem* enim erat locus Patriarcharum incolatu et sepultura celebris, et quasi sacer; unde illic conventum egit Iosue c. ult. 1. Abimelech Iudic. c. 9. 1. Igitur hic Israelitæ comitia regni celebrant in Sichem, ut ibidem Roboam sibi regem creent.

Vers. 4. PATER TUUS DURISSIMUM IUGUM IMPOSUIT NOBIS.) Salomonem enim ad suam et mille uxorum suarum magnificentiam in vestitu, mensa, famulis, equis, et curribus sustentandam, immania populo tributa imposuerat, a quibus ex parte liberari hic iure suo postulat populus.

Vers. 7. SI HODIE OBEDIERIS POPULO, etc. LOCUTUSQUE FUERIS AD EOS VERBA LENIA, ERUNT TIBI SERVI CUNCTIS DIEBUS.) Prudentissimum fuit hoc senum consilium, quia utilissimum, tum ad tollendam populi exacerbationem contra Salomonem et Roboam, tum ad oppressionem eius sublevandam. Nimia enim tributa exugunt subditorum opes, spiritum et sanguinem, ac subinde vitam: quare iis eorumque tributis et servitiis privat se rex, dum eos iisdem opprimit. Commoditas enim subditorum, est bonum et commoditas Principum; quare lenitas et clementia est summa dos principum, qua subditos sibi conciliant, ut regi se sinant, et ad omnia principis sui iussa exequenda faciles se præbeant. Prudentia politica ergo dictat, ut a lenitate auspiceris regnum, ac lenitate tibi subditos devincias; postea iam tibi devinctis onera necessaria facile impones. Notum est illud Lucani:

Nil pudet assuetos sceptris: mitissima sors est
Regnorum sub rege novo.

Longum enim imperium robur sibi comparavit et auctoritatem, æque ac audaciam quidlibet imperandi: recens vero sensim lenitate hæc tria sibi comparare debet.

Audi S. Hieron. epist. 62. Episcopi cuiusdam clementiam in subditos celebrantem: « Amari, inquit, parens et Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est: Quem metuit quis, odit; quem odit, periisse cupit. Unde et in nostris literis cum initia parvulorum in timore consistant; perfecta dilectio foras mittit timorem. Non quæris monachos tibi esse subiectos, et ideo magis subiectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittunt; exhibes militem, et ducem impetras: quasi unus in pluribus es, ut sis unus ex pluribus. Cito indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat a libero, quam qui servire non cogit. Novimus canones Ecclesiasticos, non ignoramus ordines singulorum, et lectione et quotidianis exemplis multa didicimus, multa usque ad hanc ætatem experti sumus. Qui scorpionibus cædit, et lumbis patris habere se putat digitos crassiores, cito regnum mansueti David dissipat. Certe Romanus populus, ne in rege quidem superbiam tulit. Dux ille Israelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, et ad cuius imperium cælum et terra et maria serviebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generavit mansuetissimus prædicatur; et ideo per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate et mansuetudine temperabat. Lapidabatur a populo, et pro lapidantibus rogabat, quia potius deleri ipse vult de libro Dei, ne commissus sibi grex pereat: cupiebat enim illum imitari pastorem, quem sciebat etiam errantes oves suis humeris portaturum. Pastor, inquit, bonus ponit animam suam pro ovibus suis. »

Vers. 8. QUI DERELIQUIT CONSILIUM SENUM, ET ADHIBUIT ADOLESCENTES, QUI NUTRITI FUERANT CUM EO.) Vide hic stultitiam et fastum Roboam, qui maturo senum consilio spreto, sequitur iuvenilem et stolidam adolescentum sententiam, ideoque subditos offendit, avertit, et ad Ieroboam sibi regem creandum adegit. Vide ergo hic vanitatem a Salomone prædictam, in ipsomet impletam; quam describit Eccles. cap. 2. v. 18. dicens: « Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum? »

Audi Spartianum in Severo: « Reputanti mihi, Diocletiane Auguste, neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse, satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate decedere. »

Hebræorum est gnome: sicut bona sunt quatuor, scilicet opes, scientia, senum consilium, animus demissus; sic ex adverso quatuor sunt mala eis contraria, scilicet paupertas, ignorantia, iuvenile consilium, et animus superbus, quæ Rempub. æque ac privatum quemque evertunt: uti Romanum imperium eversum est per iuvenes imprudentes et arrogantes. Hinc in porticu tabernæ meritoriæ, in qua olim alebantur veterani et emeriti milites, olim hæc carmina litteris aureis descripta erant:

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
Defunctis patribus successit prava iuventus,
Cuius consilio præcipitata ruis.

Vide Ciceronem lib. de Senectute, Plutarchum in Nicia, et Thucydidem lib. 6. Hac de causa Augustus Cæsar, teste Svetonio, consiliarios habuit graves et senes, Agrippam et Mecœnatem, quorum consiliis tanta et tam præclara gessit: unde iis mortuis in infamiam ob filiæ libidines prolapsus ingemuit, dictitans sibi hanc infelicitatem non fuisse obventuram, si Agrippa et Mecœnas vixissent. Consilia iuvenum fugienda.

Crœsus Lydorum rex nimia felicitate ebrius, Solonis senis sapientissimi monita negligens, ac iuvenibus ipsius potentiæ adulantibus aures præbens, dum Cyri imperium perdere conatur, suum perdidit. Itaque sublatus in pyram, ut illic vivus cremaretur, inclamato Solonis nomine, et re tota detecta, singularem victoris Cyri clementiam expertus est, uti refert Herodotus lib. 1. Exempla.

Si Xerxes patrui sui senis Artabani prudentia consilia, quam iuveniles Mardonii adulationes audire maluisset, utique Græcos bello tot centenorum millium non lacessivisset, nec e Græcia summa cum infamia fugere coactus fuisset, teste Herodoto lib. 7.

Dionysius Siciliæ Tyrannus, si Platonis senis sapientissimi consiliis obtemperasset, acceptum a patre imperium liberis suis firmius reliquisset; at quia ipsi iuvenum adulationes anteposuit, regno deiectus, compulsus est fieri Ludimagister.

Feliciter imperasset Nero, si senis Senecæ et Burrhi consiliis perpetuo, ut cœperat, paruisset. At dum eis primo reiectis, deinde interfectis, iuvenis iuvenum adulantium voces sequitur, sibi acceleravit exitium, et perpetuam apud posteros ob tot flagitia et dedecora infamiam peperit: ita Sveton, in eius vita.

Quocirca sapienter Corn. Tacitus: *Adulatio*, inquit, *perpetuum malum principum, quorum opes sæpius assentatio quam hostis evertit.* Et reges abundant omnibus rebus in aula, excepta veritate. Quid Neronem castissime educatum crudelem fecit? Adulatio. Quid Cæsarem contra patriam rebellare fecit? Adulatio. Quid Roboam tyrannum reddidit? Adulatio. In aula igitur unus Clytus præferendus sexcentis Aristippis. Vere Ovidius:

Agmen adulantum media procedit in aula.

MINIMUS (Hebr. קטני *katanni*, id est, parvus, sive minimus, scilicet) DIGITUS MEUS GROSSIOR EST DORSO PATRIS MEI.) Est adagium, q. d. Ego multo sum fortior et excellentior patre meo: ego maiorem habeo maiestatem et magnificentiam præ illa quam habuit pater: quare maiora vobis imponam tributa et onera, quam imposuerit pater meus Salomon. Unde Chald. vertit; *Debilitas mea fortior est robore patris mei;* Septuag. *Parvitas mea grossior est dorso patris mei;* Vatab. *Exiguum meum, crassius erit lumbis patris mei.* Ecce ut fastus Roboam faciat stolidum et stultum. Vers. 10.

EGO CÆDAM VOS SCORPIONIBUS.) Id est *flagris aculeatis*, ut vertit Vatab. Vox hæc dignior est carnifice, quam rege. Vers. 14.

QUÆ NOBIS PARS IN DAVID? VEL QUÆ HÆREDITAS IN FILIO ISAI?) q. d. Quæ nobis est communio, quæ societas, quæ spes et utilitas in Davidis stirpe, puta in Ro- Vers. 16.

boam, ut eum nobis regem creemus? q. d. Nulla: non ergo illum regem nobis constituamus. Contemptim Davidem vocant *filium Isai*, sive Iesse. q. d. David fuit vir plebeius et pauper, utpote filius Iesse civis nostri: nos eum eveximus in Regem, ut nos protegeret: iam autem Roboam eius nepos ob Davidis nomen insolescens, nos non protegit, sed laniat et diripit. Cur eum igitur nobis regem statuamus, eo quod sit e familia Davidis, cum recenter illa a nobis ad regnum sit promota. Deprimamus ergo eum cum sua familia, ac redigamus in ordinem, et ad statum pristinum vitæ plebeiæ reducamus, atque ex alia familia modestiorem et benigniorem nobis regem eligamus.

Nunc vide domum tuam David.) Chald. *Nunc regna super viros domus tuæ David*; Septuag. *nunc pasce* (id est rege) *domum tuam David.* q. d. Tu o Roboam fili Davidis rege tuos contribules, puta tribum Iuda; nos decem tribus de alio clementiore nobis providebimus.

Vers. 19. Recessitque Israel a domo David.) Pro Roboam creans sibi regem Ieroboam.

Quæres, an decem tribus licite fecerint schisma, seque separarint a Roboam, qui erat legitimus regni hæres et Salomonis successor? Resp. Abul. id licite eos fecisse: quia ipsi, inquit, liberi erant: Roboam vero volebat eos in servitutem redigere: poterant ergo ab eo recedere: populus enim vel respubl. regem creans illi dat imperium et ius regendi. Ergo illa idipsum ei potest auferre vel minuere, si is eo abutatur in populi perniciem: populus enim non absolute, sed certis conditionibus se principi regendum tradit, quas si princeps non servat, potest eum abdicare. Hæc Abul. de quibus alibi dicendum. Verius dicas id factum esse ex voluntate et decreto Dei, ut patet v. 24.

Præclare monet Principem Corn. Tacitus lib. 4. Annal. *Dura*, inquit, *vectigalia populo non imponant: nimia enim in exigendo tributo severitas, et nimium ipsum tributum impositum movet subditos frequenter ad seditionem.*

Vers. 20. Præter tribum Iuda solam.) Adde, et Beniamin: hæc enim unita cum Iuda unum cum eo constituit regnum.

Vers. 26. Dixitque Ieroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David.)

Vers. 27. Si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem.) Timuit Ieroboam, ne populus vadens Ierusalem ad templum, rediret pariter ad regem Roboam regnantem in Ierusalem, diceretque: Volumus adhærere Ierosolymæ et templo: ergo et regi eius Roboam: hinc iussit ne quis adiret Ierusalem et templum, sed ut in Dan et Bethel vitulis a se erectis omnes sacrificarent. Videbatur hoc eius consilium politice prudens, et ad regnum suum statumque politicum tuendum salutare: sed revera fuit imprudens et perniciosum, statumque et regnum eius prorsus labefactavit et evertit. Hoc enim ei comminatus erat Deus, *in cuius manu sunt omnium iura regnorum*; et ita contigit: nam quia Ieroboam ad schisma regni sui tuendum, fecit schisma pariter in religione et fide; idcirco *deleta est* universa eius *domus* et familia *de superficie terræ*, ut dicitur c. 13. Regnavit enim ipse 22. annis dumtaxat cum multis doloribus et incommodis. Successit ei filius Nadab, qui vix per biennium regnavit, et a servo suo Baasa regno et vita privatus est, qui mox omnem familiam Ieroboam adeo extinxit, ut ne unus quidem ex ea fuerit superstes, uti iam ante idipsum ei per Ahiam Prophetam Deus comminatus fuerat: quæ omnia patent 3. Reg. 15. v. 25. et seq. Fuit ergo ipse stolidus æque ac impius, quod Deo promittenti stabilitatem regni in posteris suis, si sibi soli serviret, non crediderit. Esto enim populus eius ivisset in Ierusalem adoratum Deum in templo, tamen Deus populum ipsi subiectum et obedientem fecisset, impedivissetque ne ad Roboam rediret: hoc enim expresse ei promiserat; ac mille modos id præstandi in mente et manu habebat. Talia fere sunt consilia politicorum et Machiavellistarum

A (quorum iste Ieroboam clarissimum est exemplar) qui religionem faciunt servire politiæ, et talem fidem et religionem amplectuntur, qualem regno vel obtinendo, vel retinendo, vel augendo, aliisque scopis sibi propositis putant aptiorem. Etsi enim eorum consilia initio videantur speciosa et utilia, tamen plerumque successu temporis maximis difficultatibus principes involvunt, et eis perniciem afferunt, ita disponente divina providentia, quæ omnibus hominum consiliis dominatur. Audiant ipsi Nazianz. in laudem S. Athanas. Orat. 21. *Constantius Imper.* inquit, *de tribus in morte doluit; primo, quod propinquis suis necem intulisset; secundo, quod Iulianum Apostatam Imperatorem nominasset; tertio, quod novis fidei dogmatibus studuisset, simulque cum his vocibus e vita discessit. Princeps enim religionem roborando, ab ea quoque roboratur.* Ieroboam in schismate secuti sunt Donatistæ, de quibus S. August. Epist. 171. *Donatistæ*, ait, *Episcopum contra Episcopum ordinaverunt, altare contra altare erexerunt*, idque *in civitate Carthaginensi, in*

B *capite Africæ*, sicut Ieroboam erexit altare contra altare.

Denique veram religionem, Deique cultum et pietatem regni et Reipubl. esse fundamentum docet S. August. lib. 1. de Civit. et seq. S. Ambros. de fide ad Gratian. S. Cyrillus ad Reginas, quin et Philosophi. Audi Platonem lib. 4. de Legibus: *Ante omnia Deum invocemus, ut civitatem nostram stabiliamus, obsecremusque ut nos exaudiat, et nobis propitius sit atque benignus, ad nos veniat et leges ipse nos doceat, nostramque civitatem adornet.* Et Mercurium Trismegistum apud Rhodig. lib. 9. c. 19. *Est hominis mensura ante omnes religio, quam sequitur bonitas: ea demum tunc videtur esse perfecta, si etiam cupiditatem omnium alienarum rerum despectui habeat virtute munita. Unusquisque pietate, religione, prudentia, cultu et veneratione Dei clarescit, quasi oculis vera ratione perspecta, et fiducia credulitatis suæ eatenus inter homines præstans, quatenus astra reliqua sol luminis maiestate agnoscitur præcellere.* Pythagoræ senten-

C tia est, accedendo ad Deum effici unumquemque optimum. Xenophon lib. 8. Pediæ Cyri, Cambysen filio suo Cyro ad Astyagen avum proficiscenti, ita loquentem facit: *Hoc unum præcipue commendo, idque tamquam pretiosum thesaurum a patre donatum in tua memoria perpetuo recondi cupio: Dei esto amicus, in eumdem pius, nihilque aggrediaris nisi Dei numine implorato. Imbecilla enim est et hebes mortalium natura, nil Dei sapientiam latet, omnia ex sententia iis cedunt, quibus illa præsto est.* Quæ paterna admonitio tam alte filii animo insedit, ut non absque admiratione passim lectoribus inculcet Xenophon, qua pietate Cyrus deos coluerit, et quo studio ac diligentia operam dederit, ut eos votis, precibus, sacrificiis placaret. Cicero Orat. de Aruspicum resp. *Quam*, inquit, *volumus, licet P. C. ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione, atque hac sapientia, quod deorum*

D *immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.* Valerius Maximus lib. 1. c. 1. *Omnia*, ait, *post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis conspici decus voluit, quapropter non dubitarunt sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.* Et eodem in loco: *Non mirum igitur, si pro eius imperio augendo custodiendoque pertinax deorum indulgentia semper excubuit, quod tam scrupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinare videtur, quia nunquam remotos ab exactissimo cultu ceremoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est.*

Porro omnia præcepta regibus danda his duobus concluduntur: Memento quod es homo: memento quod est Deus, iudex et vindex. Prius ad refrænandam eorum potentiam; posterius ad voluntatem pertinet.

Vers. 28. Fecit duos vitulos aureos.) Fecit Ieroboam vitulos potius quam arietes vel equos, quia vitulum aureum patres Iudæorum conflarant et adorarant in deserto, idque ad similitudinem Apis, quam specie vituli vel bovis coluerant in Ægypto, Exodi 32. 4. Vide ibi dicta. Unde contra hos vitulos detonat Osee, ceterique prophetæ. Hinc etiam iisdem verbis hic utitur Ieroboam, quibus usi erant maiores eius, Exodi 32. dicendo: *Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* De his multa dixi in Osee et Prophetis. Rursum, Ieroboam fugiens Salomonem ivit in Ægyptum ad Sesac regem, ibique vidit coli (et forte ipse ad conciliandam sibi gratiam Sesac, coluit) Apin specie vituli: unde mortuo Salomone rediens in Iudæam, faciensque schisma a Iuda et Ierusalem, erexit vitulos aureos quos viderat coli in Ægypto, ut Ægyptiorum auxiliis fretus resisteret Roboamo et Iudæis.

Vers. 29. Posuitque unum in Bethel, et alterum in Dan.) Quasi in duobus regni sui limitibus: Bethel enim erat limes Israelis ad Meridiem, Dan vero ad Austrum. Rursum, Bethel erat locus celebris, et sacer ob visionem Dei in scala exhibitam Iacobo patriarchæ, Genes. 32. indeque dicta est *Bethel*, id est *domus Dei;* sed Ieroboam ex *Bethel*, id est, *domo Dei*, fecit *Bethaven*, id est *domum iniquitatis* et idoli, ut ait Osee. Bethel nunc ponitur in tribu Beniamin, nunc in tribu Ephraim, unde multi putant duas fuisse Betheles, atque hic intelligi eam quæ est in Ephraim: huius enim rex erat Ieroboam. Alii tamen cum Adrichomio unam eamdemque censent fuisse Bethel, quæ nunc Beniamin, nunc Ephraim attribuitur, eo quod sita esset in confinio utriusque tribus, aut quod hæc una ex Beniamin adhæserit Ieroboam, permiseritque apud se collocari hoc idolum vituli.

Vers. 30. Et factum est verbum hoc (id est res hæc, est Metonymia) in peccatum.) q. d. Occasione horum vitulorum Ieroboam totus Israel lapsus est in idololatriam, illosque ut deos suos adoravit. Quare gravissime peccavit Ieroboam peccato non tantum idololatriæ, sed et scandali, quia causa fuit cur totus Israel deinceps usque ad sui excidium, vitulos hos quasi idola et deos suos coluerit per annos 256. quibus novemdecim reges Ieroboam secuti eius vitulos coluerunt.

Vers. 31. Et fecit fana (vitulorum et idolorum delubra, non sacra, sed profana et sacrilega) in excelsis.) Montibus et collibus, in quibus idololatræ solebant idola sua collocare et adorare.

Et sacerdotes de extremis populi.) q. d. Non ex tribu Levi, uti statuerat Deus, sed ex qualibet alia vilissimos homines constituit sacerdotes suorum vitulorum et idolorum: ita profanantes religionem, profanant cetera omnia. Sed id decebat vilissimos vitulos, ut vilissimos haberent sacerdotes. Fuit ergo hoc iustum Dei iudicium: sic et hæretici hoc ævo ministros suæ hæresis incipientis constituerunt cerdones, sutores, apostatas, et quisquilias hominum. Dignum tali patella operculum.

Sane Aristot. ex mero lumine naturæ et philosophiæ lib. 7. Politic. c. 9. præcipit, ut homines viles non constituantur sacerdotes, propter honorem qui religioni et maiestati divinæ debetur.

Vide ergo unum eumdemque utrobique spiritum diaboli, qui quia contemptor sacrorum, ea omnia ad vilitatem traducit, ut irrideat et omnibus irridenda proponat, utque eos sensim deducat ad atheismum, ut nihil credant, negentque animæ immortalitatem, gehennam, et omne numen, uti hoc ævo multos hæreticos fieri videmus atheos, ut sapienter advertit et annotavit Card. Hosius.

Audi Tertul. lib. de Præscript. adversus hæreticos c. 41. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes; nunc neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promoveri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt.*

Constituitque diem solemnem in mense octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis quæ celebrabatur in Iuda.) Vers. 32. Scilicet festi Tabernaculorum, quod Iudæi ex Dei decreto celebrabant die 15. mensis septimi; sed Ieroboam ex proprio cerebro illud transtulit in diem 15. mensis octavi, ne videretur Iudæos sequi, sed ipse esse auctor novi festi æque ac novæ religionis et novorum deorum, sed ridiculorum, scilicet vitulorum. Quid enim stolidius vitulo? utique non aliud, nec alius quam is, qui vitulos irrationales ut rationales habet, ac eis rationem, providentiam et divinitatem attribuit.

Et ascendit super altare ut adoleret incensum.) Vers. 33. Vide hic ut Ieroboam ex uno peccato schismatis, labatur in profundum scelerum. Arrogat enim hic sibi non tantum regnum, sed et pontificatum, seseque facit pontificem et caput Ecclesiæ. Nam ut pontifex, adolet incensum, festa instituit, sacerdotes consecrat, fana ædificat: ita Iosephus. Quare in Ieroboam recte torqueas illud Synesii Episcopi Epist. 101. ad Pylæmenem: *Alia ratione in foro vero ditescere non licet, nisi cuncta et divina et humana iura confundas, et pro ingenuo veterator evadas.*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Propheta altari Ieroboam scissionem et excidium per Iosiam regem intentat. Iubet eum capi Ieroboam, sed manus ipsius exarescit, quam illi veniam precanti restituit propheta, qui contra iussum Dei comedens cum alio propheta in Bethel, rediens domum a leone occiditur.

1. Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, Ieroboam stante super altare, et thus iacien-
te. 2. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce
filius nascetur domui David, Iosias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in
te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet. 3. Deditque in illa die signum, dicens: Hoc erit signum
quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, et effundetur cinis qui in eo est. 4. Cumque audisset rex ser-
monem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Ap-
prehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. 5. Altare
quoque scissum est, et effusus est cinis de altari, iuxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. 6. Et
ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravit-
que vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. 7. Locutus est au-

tem rex ad virum Dei: Veni mecum domum ut prandeas, et dabo tibi munera. 8. Responditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: 9. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti. 10. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter, quo venerat in Bethel. 11. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: et verba quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri suo. 12. Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iuda. 13. Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, ascendit, 14. Et abiit post virum Dei, et invenit eum sedentem subtus terebinthum, et ait illi: Tune es vir Dei qui venisti de Iuda? Respondit ille: Ego sum. 15. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem. 16. Qui ait: Non possum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: 17. Quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, et non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua ieris. 18. Qui ait illi: Et ego propheta sum similis tui: et angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, et bibat aquam. Fefellit eum, 19. Et reduxit secum: comedit ergo panem in domo eius, et bibit aquam. 20. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. 21. Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, 22. Et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam, in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuorum. 23. Cumque comedisset et bibisset, stravit asinum suum prophetæ, quem reduxerat. 24. Qui cum abiisset, invenit eum leo in via, et occidit, et erat cadaver eius proiectum in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, et leo stabat iuxta cadaver. 25. Et ecce, viri transeuntes viderunt cadaver proiectum in via, et leonem stantem iuxta cadaver. Et venerunt et divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille senex habitabat. 26. Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, et occidit iuxta verbum Domini, quod locutus est ei. 27. Dixitque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, 28. Et ille abiisset, invenit cadaver eius proiectum in via, et asinum et leonem stantes iuxta cadaver: non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum. 29. Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum, et reversus intulit in civitatem prophetæ senis ut plangeret eum. 30. Et posuit cadaver eius in sepulchro suo: et planxerunt eum: Heu! heu! mi frater. 31. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est: iuxta ossa eius ponite ossa mea. 32. Profecto enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, et contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ. 33. Post verba hæc non est reversus Ieroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. 34. Et propter hanc causam peccavit domus Ieroboam, et eversa est, et deleta de superficie terræ.

Vers. 1. ET ECCE VIR DEI (propheta a Deo missus ad nascentem idololatriam Ieroboam castigandam et comprimendam) VENIT DE IUDA (ex Iudæa) IN SERMONE (instinctu et iussu) DOMINI IN BETHEL.) Propheta hic a Iosepho *Iadon* vocatur, a S. Hieron. 2. Paral. 10. *Iaddo*, ab Hugone, Lyran. Dion. Serario et Sanchez, *Addo*, qui 2. Paral. 9. 29. dicitur scripsisse gesta Salomonis in visione, quam habuit contra Ieroboam. Verum cum noster hic propheta statim a visione et prophetia sua contra Ieroboam occisus sit a leone, non videtur habuisse tempus et vitam ad scribenda gesta Salomonis, uti habuit Addo, qui insuper scripsit gesta Abiæ filii et successoris Roboam, ut patet 2. Paral. 13. 22. quare non potuit esse is, de quo hoc cap. utpote qui initio regni Roboam occisus est. Addit S. Hieron, et Glossa in cap. 1. Zachar. v. 1. Addo hunc fuisse avum Zachariæ prophetæ, qui ibidem nominatur. Verum inter Addo hunc et Zachariam hunc fluxere anni plusquam quadringenti. Verisimilius est quod ait Epiphan. in Vitis Prophetarum sub initium, prophetam hunc fuisse *Ioam* (quem Theodor. et Glycas vocant *Ioel*) qui ibidem eius vitam ex hoc 13. cap. describit. Denique Tertul. lib. de Ieiuniis contra Psychicos c. 16. eum vocat *Semeiam*. Sic et Clemens Alex. lib. 1. Strom. c. 1. eum nuncupat *Semeiam* filium Amame.

Vers. 2. ALTARE, ALTARE, HÆC DICIT DOMINUS: ECCE FILIUS NASCETUR DOMUI DAVID, IOSIAS NOMINE, ET IMMOLABIT (mactabit) SUPER TE SACERDOTES EXCELSORUM.) Edita est hæc prophetia de Iosia rege trecentis annis ante eius nativitatem, simulque eius nomen est editum, scilicet quod vocaretur *Iosias*, id est *salus Dei*, quia ipse idola evertens, fidem veri Dei eiusque salutem omnibus attulit. Sic Isaias c. 45. 1. ducentis annis ante Cyrum eius nomen edidit, et de eo plura præclara vaticinatus est,

A quæ Iudæi postea ostendentes Cyro, ab eo liberationem e Babylone obtinuerunt, teste Iosepho.

HOC ERIT SIGNUM QUOD LOCUTUS EST DOMINUS: EC- Vers. 3.
CE ALTARE SCINDETUR.) Signum hoc edidit propheta, non sub Iosia, sed hoc ipso tempore cum Ieroboam in eum extenderet manum, ut dicitur v. 5.

ET EXARUIT MANUS EIUS.) Audi S. Chrysost. homil. 4. Vers. 4.
in verba Isaiæ: *Christus*, inquit, *cum ipse quidem in faciem colaphis cæderetur; in servum qui colaphum impegerat, nihil durius fecit: Ieroboam vero cum extenta manu conaretur apprehendere Prophetam, a quo coarguebatur, manus illi exaruit. Per hæc te erudiens, ut quæ tibi ipsi invehuntur, cum mansuetudine feras; quæ vero in Dominum ingeruntur, multa cum vehementia ulciscaris.*

ET REVERSA EST MANUS REGIS AD EUM.) Causam dat Vers. 6.
S. Ambros. lib. 2. de Virg. ad finem: *Rogavit*, inquit, *veniam, statimque manus eius, quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturum in uno et misericor-* B *diæ divinæ et indignationis exemplum extitit, ut sacrificanti subito dextera adimeretur, pænitenti venia daretur.*

Porro Propheta hic tria insignia miracula patravit: primo enim, scidit altare, ut Ieroboam videret illud a Deo velut sibi exosum, scindi et disrumpi: secundo, manus eius contra Prophetam extensam obriguit: tertio, illa per preces prophetæ sanata est. Et tamen Ieroboam hæresiarcha a sua hæresi et idololatria non resipuit, sed in ea mansit obfirmatus et obduratus. Mira ergo fuit eius cæcitas, durities et malignitas.

NON COMEDES PANEM, NEQUE BIBES AQUAM, NEC RE- Vers. 9.
VERTERIS PER VIAM QUA VENISTI.) Iusserat hoc prophetæ Deus ad detestationem idololatriæ, ut ipso facto ostenderet Bethelitas idololatras adeo esse detestabiles, et a Deo quasi excommunicatos, ut nullam fidelibus cum

eis cibi vel potus, imo nec viæ communionem habere velit. Iussit ergo eum in reditu aliam inire viam, quasi via in Bethel ob eius idola esset polluta et execranda, nec ullo modo revisenda. Adeo severe vero vetuit Deus ei comedere in Bethel, ut, si a Ieroboam coniectus fuisset in carcerem, debuisset potius mori fame, quam cibum a Bethelitis oblatum sumere. Figura hæc erat Ecclesiasticæ censuræ et excommunicationis, qua Ecclesia vetat cum excommunicatis communicare et cibum sumere, ut illi bonorum consortio exclusi confundantur et resipiscant. Ita S. Cyprian. Epist. 75. Lucifer Calarit. lib. de non conveniendo cum hæreticis, et ex iis Rupertus lib. 5. c. 6. et Abul. hic quæst. 8. quare hoc eis maleficium non est, sed beneficium, uti fuit ipsi Ieroboam, de quo Iosephus: *Rex* ait, *miratus viri continentiam, eo magis de se cœpit esse sollicitus, ex iis quæ viderat et audierat parum felicem rerum suarum exitum augurans.*

Vers. 11. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel.) Chald. *Propheta falsus nomine Michal*, etc. Iosephus quoque eum vocat *pseudoprophetam.* Sic et S. Gregor. Rupert, Angelom. Eucher. Lyran. Hugo, Dionys. Caiet. et alii. Unde nonnulli opinantur eum fuisse idololatram et vatem diaboli. Abul. vero fidelem fuisse putat, sed malum et impium. Verum id redarguunt sequentia, arguuntque eum fuisse fidelem et prophetam Dei, non pseudoprophetam, eo quod, ut ait Theodor. *Deus per ipsum prædixerit homini Dei, id quod esset eventurum, et quod crediderit ea quæ prædicta fuerant de Iosia; et quod filiis suis mandarit, ut, cum decessisset se cum eius corpore sepelirent*, quæ omnia ostendunt eum fuisse fidelem et pium. Vocatur ergo a S. Gregorio, Ruperto et aliis iam citatis *pseudopropheta*, id est mendax propheta, quia mentitus est dicendo sibi ab angelo revelatum esse, Deum velle ut secum cibum sumeret. Theodoreto consentit S. August. mox citandus, S. Hieron. Serarius, Torniellus, Salianus et alii.

Vers. 18. Angelus locutus est mihi in sermone (iussu) Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem.) Mentitur hic propheta, ut alium prophetam ad prandium deducat. Videbat enim eum de via fessum, famentem et sitientem nolle in Bethel comedere nec bibere, sed ieiunum redire; quare motus compassione, ex studio hospitalitatis virum Dei ad hospitium suum invitat, et per mendacium quasi compellit. Sic subinde viros religiosos carnibus vinoque abstinentes decipiunt sæculares, ut carnes liquatas sub oleribus absconditas comedant. Cum agerem in Belgio, extitit quidam eremita ob simplicitatem cognominatus Ioannes simplex, qui in monasterium B. Virgini dicatum veniens, vinum a procuratore oblatum recusavit, dicens se profiteri iugem a vino abstinentiam. Unde procurator eum fallens: Dabimus ergo tibi, inquit, lac B. Virginis nostræ, iussitque ei aliud vinum suavius apponi: Bibe, inquit, lac a B. Virgine tibi propinatum loco vini quod respuis. Quod ille ut gustavit, valde exhilaratus: Utinam, inquit, in eremo nostra tale lac haberemus, cum vinum non bibamus.

Verum fuit intempestiva et imprudens prophetæ huius hospitalitas; nam alteri prophetæ mortem peperit: sed id ipse ignorabat: quare venialiter tantum peccavit; atque officiosum fuit eius mendacium dumtaxat, non perniciosum.

Porro permisit id Deus, ut prophetiæ suæ veritatem prophetæ ipsius inobedientis, et contra iussum suum in Bethel cibum sumentis morte sanciret, ut ex ea cognosceret Ieroboam, eum verum fuisse prophetam a Deo missum, ac minas ab eo sibi intentatas vere obventuras.

Nota, Iosephus, quem sequitur Glossa, et Abul. censent hunc prophetam ex malo dolo invitasse prophetam, ut eum faceret mendacem vel perderet. Audi Glossam: *Iste pseudopropheta princeps erat sacerdotum, et valde a rege colebatur tamquam divinus: timens autem ne per sermonem viri Dei Rex ab idolorum cultura recederet, et se tamquam maleficum interficeret, excogitavit ut virum Dei deciperet satis acute agens, ut dum transgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret; sicut postea fecit, cum magis homini quam Deo credidit; ac per hoc monstrarentur esse falsa, quæ prædixit, sicque regi persuadere posset, sicut fecit.* Verum prius quod dixi, longe verius est.

Fefellit eum et reduxit secum: comedit ergo panem in domo eius.) Peccavit hic propheta, quia nimis facile et temere credidit alteri prophetæ mentienti Deum revocasse suum præceptum ei datum de non comedendo in Bethel: debuisset enim magis eum, eiusque oraculum suo contrarium examinare. Cum enim Deus ipse ipsimet clare iussisset non comedere in Bethel, non debebat credere alteri prophetæ dicenti Deum hoc præceptum revocasse. Poterat enim et debebat cogitare: Deus mentiri nequit; hic homo mentiri et fallere potest: cur ergo Deo meo relicto credam homini mendaci? cur pro certo incertum et dubium amplectar? Certo enim mihi constat, Deum absolute mihi vetasse comedere in Bethel: quare hic homo dicens contrarium a Deo esse decretum, utique de fraude et de mendacio suspectus est. Nam, ut notat Abul. Deus omnia, quæ præceptis eius supervenire possunt, prævidet et præcogitat. Quare in eius præceptis non est utendum interpretatione et epiikia: secus est in mandatis hominum, qui omnia futura prævidere nequeunt, ideoque patiuntur epiikiam. Vers. 19.

Fuit tamen hoc eius peccatum veniale dumtaxat, quia prophetam credidit esse veracem, non mendacem. Unde ob peccatum a leone quidem occisus est, sed corpus eius quasi sancti a leone integrum intactumque servatum est. Ita S. August. mox citandus, Eucherius, Angelom. Caietan. Salianus, Serarius et alii.

Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum.) Propheta in mensa peccans per inobedientiam, comedensque contra iussum Domini, in mensa pariter punitur, et a Deo sententiam mortis accipit, idque ab hospite suo, puta a propheta qui eum seduxerat et invitarat, *ut inde pœnam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisit*, ait S. Gregor. et ex eo Eucherius et Angelomus. Vers. 20.

Qui cum abiisset, invenit eum leo in via et occidit.) Puta suffocavit, vel morsu interemit; at non devoravit, sed corpus integrum servavit: ita punitus fuit a Deo propheta, ut Ieroboam ex hac eius punitione cognosceret, ipsum verum fuisse prophetam. Ipse enim inter alia dixerat, sibi a Deo mandatum ne comederet in Bethel, ut ostenderet quam odisset Bethel. Nota, Deus hic peccatum veniale dumtaxat punit morte, quia ipse summus est vitæ necisque omnium Dominus; secus est de principe et iudice, qui debet peccata pro sui merito proportionaliter punire, gravia graviter, levia leviter. Unde lex humana peccata venialia morte punire nequit. Sic Deus Moysen ob peccatum veniale incredulitatis punivit morte in deserto, Num. 20. Sic uxor Loth, quia respexit retro, quod tantum veniale fuit peccatum, exanimata est, et in statuam salis conversa, Genes. 19. ita Cassian. collat. 7. c. 25. et S. Thom. 3. q. 8. art. 2. ad 3. Vers. 24.

Moral. S. Chrysost. in Psal. 3. *Sicut*, inquit, *canis aut quælibet fera, quam homo beneficiis cicuravit, sibique in omnibus obsequentem reddidit, si vultum simulet alienum, aut proprium mutet vel obscuret fuligine, puta, aut cœno, aut colore non proprio, non minus illum allatrat morsuque appetit domesticus canis, aut lacerat mansuefactus leo, quam si esset alienus. Sic,* inquit Chrysost. *quia propheta iste per inobedientiam vultum fuligine fœdaverat, non agnovit leo tamquam dominum suum, atque ideo tamquam alienum interfecit. Longe aliter sese leones habuere cum Daniele, cum tamen essent in lacu famelici, quia in eo talem invenerunt speciem et vultum, qualem venerari et osculari iussi sunt: neque enim fœdaverat aut mutaverat faciem fuligine peccati, sicut hic propheta, qui vultui prius puro ac candido, inobedientiæ stercus aut cœnum aspersit.*

Rursum, S. Hieron. lib. 2. contra Iovin. *Qui*, inquit, *ieiunus miracula fecerat, pransus illico saturitatis pœ-*

nas luit. Denique S. Brigidæ l. 5. Revel. Inter. 14. quæst. 1. quærenti, cur subinde iusti mala morte, iniusti bona morte moriantur? Christus respondit: *Quandoque iustis flebilis exitus contingit ad maius eorum meritum, ut qui semper per vitam in virtutibus fuere solliciti, per mortem contemptibilem liberi evolent ad cœlum,* atque exemplum affert huius prophetæ a leone occisi.

Asinus autem stabat iuxta illum, et leo stabat iuxta cadaver.) Quasi custos cadaveris viri sancti, æque ac asini ipsius: quare prædo factus est prædæ suæ custos. Hic ergo Deus prophetæ sanctitatem ostendit: nam ut ait Theod. *eum honoravit post mortem, quia occisorem* (leonem) *ei induxit custodem: hac quidem ratione honorans, ut prophetam; illa vero puniens ut transgressorem, et eos qui nunc sunt terreni, ut ne parva quidem Dei mandata despiciant.* Pergit Theodor. et post eum Procopius, ex hoc loco ostendere, quantam Deus corporum sanctorum habeat curam, ut etiam leones eis custodes apponat. Leo ergo qui fuit carnifex vivi, factus est defensor mortui, ut qui pro inobedientia cæsus cernebatur, pro pœnitentia salvus crederetur. Ita Lyran. pœnitens enim pro culpa, mortem a Deo immissam patienter excepit.

Audi S. August. lib. de cura pro mort. cap. 7. « Hactenus enim voluit Dominus servum suum plectere, qui non sua contumacia spreverat præceptum eius implere, sed aliena decipiente fallacia obedire se credidit, quando non obedivit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartareum eius deinde anima raperetur; quandoquidem ipsum eius corpus, idem leo qui occiderat, custodivit, iumento etiam, quo vehebatur, illæso, et simul cum illa immani fera intrepida præsentia ad sui domini funus astante. Quo mirabili signo apparet, hominem Dei coercitum potius temporaliter usque ad mortem, quam punitum esse post mortem. »

Audi et S. Greg. 4. Dial. 24. « Stetit leo iuxta asinum, et non comedit de cadavere. Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo, quem viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iustus ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver iusti. »

Eadem ex S. Gregor. transcripserunt Eucher. et Angelom. qui et addunt morale documentum, neminem se alicuius virtutis æstimare debere, licet quid fortiter gesserit: nam hic propheta permissus est labi et occidi, qui gloriabatur se regem Ieroboam contempsisse et increpasse. Simile exemplum S. Eremitæ ob levem culpam a Deo lethali morbo percussi, et tamen multa miracula patrantis recenset Cassianus coll. 7. c. 26.

Vers. 29. Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei.) Ut honorifice sepeliret et de more plangeret, præsertim quia ipse necis eius per mendacium fuerat causa. Unde ex sequentibus liquet prophetam hunc fuisse fidelem et pium, qui per præposteram hospitalitatem seduxerat prophetam. Quare Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 3. valde a narratione

A S. Script. discrepat et aberrat, dum ait quod pseudopropheta hic regem Ieroboam minis et miraculis prophetæ territum volentemque ab idolis resipiscere, in idololatria confirmarit, ac miracula prophetæ apud eum elevarit et confutarit. « Aiebat enim, inquit Iosephus, præ lassitudine manum eius obtorpuisse, dum altari inferret victimas, ac deinde post quietem, vigorem pristinum recepisse. Altare quoque recentis etiam tum structuræ, quod tot ac tantarum victimarum molem non ferret, disruptum concidisse. Postremo vatis mortem indicat, a leone esse necatum: adeo nihil divinum, nec in vita, nec in verbis eius fuisse. His dictis regi persuasit, et mentem eius a Deo et iustis ac piis operibus in totum aversam, in extremam impietatem præcipitavit. In tantum enim posthac contra omne ius ac fas debacchatus est, ut nihil aliud quæreret, quam quomodo in dies magis ac magis semetipse novis sceleribus superaret. » Verum hæc a narratione S. Script. in sequent. aliena sunt et quasi contraria.

Et reversus intulit in civitatem prophetæ senis.)
B Id est in civitatem suam, puta in Bethel, ut patet v. 32. ipse enim erat *propheta senex,* qui eum suo mendacio seduxerat, ideoque eum a leone occisum sepelivit et planxit.

Cum mortuus fuero sepelite me in sepulchro, Vers. 31.
in quo vir Dei (propheta a leone occisus) sepultus est.) Id iussit hoc fine, ne ossa sua cremarentur a Iosia: omnia enim ceterorum, utpote idololatrarum, sepulchra effodit, et ossa in Bethel combussit Iosias, excepto sepulchro prophetæ, qui contra Ieroboam hic detonuerat, et Iosiam eius idola et idololatras eversurum prædixerat, ut patet lib. 4. Reg. cap. 23. quare in eius sepulchro sua quoque ossa sepeliri voluit, ut ossa eius servarentur intacta.

Quicumque volebat implebat manum suam.) Oleo Vers. 33.
et victimis, curando scilicet manus suas ab alio sacerdote inungi, seque consecrari, ac manu sua victimas in consecratione offerri solitas offerendo. Unde sequitur: et hoc ritu fiebat sacerdos excelsorum, id est vitulorum, qui in excelso monte Bethel erecti adorabantur. Iero-
C boam enim expulit Levitas et sacerdotes Aaronicos, qui proinde cum ceteris Israelitis fidelibus idola Ieroboam detestantibus profugerunt in Ierusalem ad Roboam, eiusque regnum firmarunt, ut dicitur 2. Paral. 11. 13.

Et propter hanc causam peccavit domus Iero- Vers. 34.
boam, peccatum grande idololatriæ, quia scilicet vitulos aureos erexit, ad eosque adorandos compulit totum populum, et (idcirco) eversa est, et deleta de superficie terræ.) Quasi de terra funditus abrasa, ut nemo ex ea remaneret superstes, uti patet cap. seq. v. 10.

Nota hic veram causam interitus et excidii familiarum etiam regalium, qualis fuit Ieroboam, esse idololatriam, hæresin, et scelera cetera ex ea consequentia; idque toto hoc libro, et quarto sequenti, per exempla omnium regum Israel, qui Ieroboam in idololatria vitulorum æque ac in regno secuti sunt, ostenditur. Ubi mira eorum cæcitas liquet, quod cum audirent hasce Dei minas, ac reipsa eas in Ieroboam ceterisque antecessoribus suis impleri viderent, ipsi tamen quasi dementati, eorum idololatriam secuti sint, ideoque ipsi pariter cum suis familiis a Deo excisi sint.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Uxor Ieroboam adiens Ahiam prophetam pro salute filii, diras ab eo Dei minas excipit. Mox v. 29. reliqua gesta tam Ieroboam, quam Roboam recensentur.

1. In tempore illo ægrotavit Abia filius Ieroboam. 2. Dixitque Ieroboam uxori suæ: Surge, et commuta habitum, ne cognoscaris quod sis uxor Ieroboam: et vade in Silo, ubi est Ahias propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc. 3. Tolle quoque in manu tua decem panes, et crustulam, et

vas mellis, et vade ad illum: ipse enim indicabit tibi quid eventurum sit puero huic. 4. Fecit ut dixerat uxor Ieroboam: et consurgens abiit in Silo, et venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi eius præ senectute. 5. Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Ieroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat; hæc et hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, et dissimularet se esse quæ erat, 6. Audivit Ahias sonitum pedum eius introeuntis per ostium, et ait: Ingredere uxor Ieroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius. 7. Vade, et dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quia exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israel: 8. Et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo: 9. Sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem proiecisti post corpus tuum: 10. Idcirco ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, et percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, et clausum, et novissimum in Israel: et mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum. 11. Qui mortui fuerint de Ieroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli: quia Dominus locutus est. 12. Tu igitur surge, et vade in domum tuam: et in ipso introitu pedum tuorum in urbem, morietur puer, 13. Et planget eum omnis Israel, et sepeliet: iste enim solus inferetur de Ieroboam in sepulchrum, quia inventus est super eo sermo bonus a Domino Deo Israel, in domo Ieroboam. 14. Constituit autem sibi Dominus regem super Israel, qui percutiet domum Ieroboam in hac die, et in hoc tempore: 15. Et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua; et evellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans Flumen: quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum. 16. Et tradet Dominus Israel propter peccata Ieroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israel. 17. Surrexit itaque uxor Ieroboam, et abiit, et venit in Thersa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, 18. Et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu servi sui Ahiæ prophetæ. 19. Reliqua autem verborum Ieroboam, quomodo pugnaverit, et quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel. 20. Dies autem, quibus regnavit Ieroboam, viginti duo anni sunt: et dormivit cum patribus suis: regnavitque Nadab filius eius pro eo. 21. Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Iuda. Quadraginta et unius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset: decem et septem annos regnavit in Ierusalem civitate, quam elegit Dominus ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris eius Naama Ammanitis. 22. Et fecit Iudas malum coram Domino, et irritaverunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt. 23. Ædificaverunt enim et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos, super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam: 24. Sed et effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel. 25. In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem, 26. Et tulit thesauros domus Domini, et thesauros regios, et universa diripuit: scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon: 27. Pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, et tradidit ea in manum ducum scutariorum, et eorum qui excubabant ante ostium domus regis. 28. Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: et postea reportabant ad armamentarium scutariorum. 29. Reliqua autem sermonum Roboam, et omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda. 30. Fuitque bellum inter Roboam et Ieroboam cunctis diebus. 31. Dormivitque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David: nomen autem matris eius Naama Ammanitis: et regnavit Abiam filius eius pro eo.

Vers. 1. ÆGROTAVIT ABIA FILIUS IEROBOAM.) Puniente Deo idololatriam Ieroboam per morbum et mortem filii.

COMMUTA HABITUM (ut deposita regali veste plebeiam induas, abeasque sola sine comitatu) NE COGNOSCARIS QUOD SIS UXOR IEROBOAM.) Ne scilicet Ahias, qui mihi regnum detulit cum obligatione servandi veram fidem, cultumque Dei, videns me erexisse vitulos aureos in idola, te et me acriter obiurget aut repellat, nec responso dignetur. Hanc uxorem Septuag. Roman. asserunt fuisse sororem Reginæ Ægypti natu maiorem, eamque vocant *Ano;* Lucifer Calarit. de Regibus Apostaticis vocat *Annam.* Ita Serarius et Salianus.

Vers. 3. ET CRUSTULAM.) Chald. *et placentas;* Septuag. *et collyria;* Vatab. *dulciarios panes;* Gallice, *des gauffres:* nam solebant illis imprimere formam quamdam in qua erant foramina. Hebr. enim נקדים *nickudim* significat *punctata,* puta liba vel crustulas punctis notatas et distinctas. Regina hæc munera non regia, sed plebeia et rusticana, (qualem se simulabat) offert, scilicet panes, placentas, vas mellis.

Vers. 6. EGO AUTEM MISSUS SUM AD TE DURUS NUNTIUS.) Ut denuntiem filium, pro quo me consulis, moriturum, et alias longe maiores clades Dei iussu infligam: quia Ieroboam Deo fuit durus et refractarius: duro autem nodo durus quærendus est cuneus.

ET PERCUTIAM DE DOMO IEROBOAM MINGENTEM AD PARIETEM.) Id est omnem masculum: soli enim masculi ad parietem mingunt, ait Elias in Thisbi. Aut potius q. d. Occidam omne vivens in domo Ieroboam usque ad canem, ut ne canem vivum in ea relinquam: soli enim canes elevata tibia parietem aqua sua conspergunt. q. d. Ne canibus quidem parcam. Ita Theod. Vatab. Serarius.

Vers. 10. ET CLAUSUM.) Id est carcere conclusum, vel domi abditum.

ET NOVISSIMUM.) Id est ultimum, qui scilicet usque ad finem belli relictus fuerit, q. d. reliqui omnes tandem peribunt. Aut *novissimum,* id est vilissimum, abiectissimum. Hac phrasi utitur Script. cum omnes omnino vult significare, q. d. Delebo omnes reliquias et quisquilias tuæ familiæ. Simili modo Deus occidit omnes primogenitos Ægypti, *a primogenito Pharaonis usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere,* Exodi 12. 29.

ET MUNDABO (scopabo, scopis everram, evertam) RELIQUIAS DOMUS IEROBOAM, SICUT MUNDARI SOLET FIMUS (Chald. *stercus*) USQUE AD PURUM.) Ut nil fimi remaneat, sed totum domus pavimentum sit purum.

Vers. 11. IN IPSO INTROITU PEDUM TUORUM IN URBEM, MORIETUR PUER.) Ut pateat a Deo per me mortem filio intentatam et immissam ob tua et tui mariti idola, ideoque gravius doleatis, quod vestri filii fueritis quasi parricidæ. Sic Valens Imp. morbum filio suo ob Arrianismum immissum depulit per preces S. Basilii; at mox vocans Arrianos ad eum visendum, eumdem perdidit.

Vers. 13. ILLE ENIM SOLUS INFERETUR DE IEROBOAM IN SEPULCHRUM, QUIA INVENTUS EST SUPER EO SERMO BONUS A DOMINO.) Aliqui putant filium hunc aliquid boni gessisse, ob quod meruerit apud Deum sepulturam, v. g. quod fi-

deles euntes in Ierusalem ad adorandum Deum in templo, ire permiserit. Ita Rabbini. Verum filius hic erat puer, ut dictum est v. 12. Melius alii, non filii, sed alicuius domestici meritis id attribuunt; hoc enim significat τὸ *in domo Ieroboam*, q. d. Aliqui e familia Ieroboam nonnulla bona fecerunt, ob quæ Deus eos remunerabitur hac mercede, ut filius hic Ieroboam sepultura digna donetur. Ita Vatab.

Vers. 14. CONSTITUIT (constituere decrevit) AUTEM SIBI DOMINUS REGEM ISRAEL (Baasa servum Ieroboam) QUI PERCUTIET DOMUM IEROBOAM IN HAC DIE, ET IN HOC TEMPORE.) Hoc est brevi, post paucos dies, post modicum tempus. Pro *in hoc tempore*, Hebr. ad verbum habent: *Et quid? etiam nunc.* q. d. Quin imo ex nunc, ex hoc instanti incipiam percutere Ieroboam, occidendo filium eius parvulum ægrotantem. Aliter Vatab. q. d. *Quid nunc?* id est, quantula et quam parva est hæc pœna, et tribulatio, præ illis quæ regi Ieroboam parantur in futurum, puta in gehenna? Aliter quoque Chald. qui vertit: *Exterminabit domum Ieroboam, eum qui vivit hodie, et etiam qui gignetur ex nunc et ultra.*

Vers. 15. ET PERCUTIET DOMINUS DEUS ISRAEL, SICUT MOVERI SOLET ARUNDO.) q. d. Deus percutiet regem Ieroboam, eiusque populum Israel assidue ab omnibus partibus undequaque, sicut assidue ab omnibus ventis agitatur arundo, ut nulla ei sit requies, sed continuis hostium incursionibus, deprædationibus, præliis conquassetur, donec cadat et intereat.

Rursum, VENTILABIT, id est in omnem ventum disperget, ac per quatuor mundi ventique plagas dissipabit, EOS (Israelitas) TRANS FLUMEN.) Scilicet Euphratem, qui erat terminus terræ Iudæis promissæ. Id reipsa præstitit, cum sub Osee ultimo rege decem tribus abductæ sunt a Salmanasar in Assyriam anno 6. Ezechiæ regis, uti audiemus c. 16. et 17.

QUIA FECERUNT SIBI LUCOS.) Puta sylvas arboribus consitas, umbrosas, amœnas et nemorosas, in quibus more Gentium sua colebant idola, quibus hosce lucos dicabant. Unde in iis comessando, inebriando, fornicando serviebant Baccho et Priapo, ut patet c. 15. v. 13. Causas alias lucorum affert Plinius lib. 12. c. 1. *Hæc*, ait, *fuere quondam numinum templa, priscoque ritu simplicia rura; etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata, perpetuo servantur, ut Iovi esculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin et sylvanos faunosque et dearum genera sylvis, ac sua numina non secus ac cœlo attributa credimus.*

Luci vetiti quatuor de causis. Causas vero cur Deus lucos adeo vetuerit, recenset Philo lib. de Monarch. « Primo, inquit, quoniam verum Dei templum non amœnitates postulat, sed severam castimoniam. Deinde quia non est fas illuc importare quæ faciunt ad virorem arborum, hoc est brutorum et hominum excrementa. Tertio, quia sylvestris materiæ nullus est usus, cum sit, ut poetæ loquuntur, telluris inutile pondus: fructiferæ autem arbores parum cordatos et pios ab intentione animi, religioneque sacris debita retraherent. Præterea condensa sylvarum maleficis conveniunt, ex latebris securitatem et insidiarum occasionem quærentibus: at patentia et oculis exposita loca, quæ introgressi et videri ab aliis et videre alios possunt, sacris maxime apta sunt et accommodata.

Vers. 16. ET TRADET DOMINUS ISRAEL; hoc est Israelem, puta decem tribus in manus hostium, scilicet Assyriorum, PROPTER PECCATA IEROBOAM. Nota hic quatuor plagas gravissimas, quibus Deus castigavit idololatriam publicam Ieroboam. Primo, enim prædicit filium eius puerum moriturum: secundo, ipsum periturum cum omnibus posteris, idque cum infamia, ut careant sepultura, atque a canibus et feris lanientur. Tertio, regnum a Ieroboam, eiusque familia ad alium regem transferendum. Quarto, totum populum in captivitatem abducendum.

Vers. RELIQUA AUTEM VERBORUM (id est factorum, est Metonymia) IEROBOAM, etc. SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM (factorum) DIERUM REGUM ISRAEL.) Puta in Annalibus, Chronicis et Diariis, in quibus scribebantur gesta regum populique Israel per singulos dies. Aliqui putant hunc librum esse librum Paralipom. sed errant, quia hic liber citatur in libro Paralip. quare ante librum Paralip. æque ac ante libros Regum (nam in iis hic et alibi citatur) conscriptus est. Vide Abul. Proœm. in lib. Paralip.

PORRO ROBOAM.) Finitis gestis Ieroboam primi regis Israel, transit ad gesta Roboam primi regis Iuda. Vers. 21.

UT PONERET NOMEN SUUM IBI.) *Nomen*, id est nominis sui cognitionem, fidem, cultum, adorationem æque ac celebritatem, famam, gloriam, miracula, oracula, etc. In Ierusalem enim erat templum, sacerdotes, pontifices et Prophetæ, qui populum in Dei fide cultuque instruerent et promoverent.

NOMEN AUTEM MATRIS EIUS NAAMA AMMANITIS.) Nimirum soror aut filia Sobi, quem David loco Hanon bello victi regem Ammonitarum constituerat, qui proinde ut arctius sibi Davidem devinciret, petiit, ut Naama daretur uxor Salomoni filio Davidis, ut dixi 2. Reg. 17. 27. Concessit id David, eo quod Naama ad Iudaismum se converti velle diceret; sed Vatab. et Emman. Sa aliique suspicantur fictam et simulatam fuisse eius conversionem, adeoque ipsam in corde mansisse gentilem, et deorum suorum cultricem; imo ad eorum cultum Roboam filium suum traduxisse: atque hanc fuisse causam invalescentis in Iuda idololatriæ. Idcirco enim statim hic subdit Script. *Et fecit Iudas malum coram Domino*, etc. *Ædificaverunt enim, et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos.* Discant hic Principes, quam periculosum sit et Deo ingratum ducere filias infidelium vel hæreticorum, licet dicant se velle ad fidem converti: hoc enim dicunt ob spem regni vel principatus; quia difficile est ut hæresim, quam a puero imbiberunt, serio ex animo eradicent. Hinc et David ducens Maacha filiam regis Gessur, ex ea genuit Absalomem. At qualis fuit Absalom? Utique fratricida et parricida, quia in necem patris cum toto Israele coniuravit. Porro Absalomis filia vel neptis fuit Maacha, quæ hoc nomen ab avia, puta matre Absalomis accepit, fuitque uxor Roboam, atque aviæ idololatriam et scelera imitata, facta est ipsa, vel potius eius soror aut neptis, princeps et sacerdotissa sacrorum Priapi, quam proinde Asa filius loco movit, ut audiemus cap. seq. v. 13. Propago ergo idololatriæ æque ac hæresis (uti ex S. Hieron. ostendi 2. Timoth. 3. 6.) facta est per feminas, utpote novitatis amantes et in suo sensu pertinaces. Coniugia cum infidelibus perniciosa. Exempla.

ET FECIT IUDAS MALUM.) Puta idola, quæ antonomastice vocantur *malum*, sive *peccatum*, quia ipsa summum sunt scelus. Nota, Roboam primis tribus regni sui annis, cum sua tribu Iuda in fide et cultu veri Dei perstitit; sed iis elapsis, illam deseruit, variasque effeminatorum spurcitias permisit: qua de causa Deus in eum anno regni sui quinto immisit Sesac regem Ægypti, qui Ierosolymam cepit et spoliavit, quæ omnia patent ex seq. et ex 2. Paral. cap. 11. v. 17. et c. 12. Causa idololatriæ fuit partim mater Roboam, puta Naama iam dicta, partim uxor Maacha, de qua v. 21. partim vicinia idololatrarum: omnes enim Gentes in circuitu, ac præsertim decem tribus Israel colebant idola, ac multæ ex eis florebant pace, opibus, deliciis, atque Iudeos sibi vicinos illiciebant ad sua idola colenda, promittentes eis a diis suis similem rerum abundantiam. Vers. 22.

SED ET EFFEMINATI FUERUNT IN TERRA.) q. d. Idololatræ permittente Roboam constituerunt lupanaria, non tantum meretricum, sed et puerorum meritoriorum seu scortorum masculorum, catamitorum, ad præposteram et execrandam libidinem, qualia constituit impius Simon, 2. Machab. c. 4. v. 9. Vers. 24.

Ecce fructus idololatriæ, æque ac hæresis, est libido, eaque infamis et horrenda; hac enim coli volunt spurci dæmones, quos in idolis adorabant, ut homines ad omnem spurcitiam omneque scelus impellant, ad Dei creatoris sui iniuriam, æque ac ad eius offensam et vindictam concitandam.

Vers. 25. In quinto autem anno regni Roboam (puniente Deo eius apostasiam et idololatriam) ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem.) Cum sexaginta millibus equitum, et peditatu innumerabili ex Ægyptiis, Libyis, Troglodytis et Æthiopibus collecto, ut dicitur 2. Paral. 12. 3. *Sesac* Herodotus apud Iosephum vocat *Sesostrim*, a Diodoro lib. 1. vocatur *Sesoosis*, qui et addit columnas ab eo in Palæstina erectas, quibus insculpta erant genitalia muliebria, ut notaret incolarum libidinem, et per eam effeminationem et ignaviam, quasi qui virilitatem amisissent, ac pavidi instar feminarum non fuissent ausi arma capere, et sibi resistere. Videtur hic Sesac cognatus fuisse Roboam: nam eius pater Salomon duxerat filiam Pharaonis, cuius in regno Ægypti *Sesac* videtur fuisse successor et filius.

Vers. 26. Et tulit thesauros domus Domini etc.) Sesac diripuit Ierusalem, non tamen eam evertit, tum quia in Ierusalem inventa sunt opera bona pœnitentiæ, scilicet religionis, deprecationis, sacrificiorum, eleemosynarum, quibus viri pii eversionem deprecati sunt a Deo 2. Paral. 12. 12. tum quia rex Roboam videns Sesac vastare Iudæam, cum suis resipuit dicens : *Iustus est Dominus*, ut dicitur 2. Paralip. 12. 6. ubi et additur: *Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum:* quid scilicet intersit inter servire Deo, et servire homini, puta Sesac regi. Deus enim suos servos ditat et exaltat; Sesac vero deprimit et spoliat. Denique ibidem de Roboam v. 14. dicitur: *Fecitque malum, et non præparavit cor suum ut quæreret Dominum.*

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Impio Roboam succedit filius impius Abia, huic pius filius Asa, qui vers. 12. aufert idola et effeminatos, ac Maacha matrem suam sacerdotissam Priapi. Asæ pio succedit pius filius Iosaphat vers. 24. Ieroboam vero impio regi Israel succedit impius filius Nadab, quem Baasa occidit, totamque eius familiam succidit.

1. Igitur in octavo decimo anno regni Ieroboam filii Nabat, regnavit Abiam super Iudam. 2. Tribus annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Maacha filia Abessalom. 3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius. 4. Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, ut suscitaret filium eius post eum, et statueret Ierusalem : 5. Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi. 6. Attamen bellum fuit inter Roboam et Ieroboam, omni tempore vitæ eius. 7. Reliqua autem sermonum Abiam, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda ? Fuitque prælium inter Abiam et inter Ieroboam. 8. Et dormivit Abiam cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David : regnavitque Asa filius eius pro eo. 9. In anno ergo vigesimo Ieroboam regis Israel regnavit Asa rex Iuda, 10. Et quadraginta et uno anno regnavit in Ierusalem. Nomen matris eius Maacha, filia Abessalom. 11. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater eius : 12. Et abstulit effeminatos de terra, purgavitque universas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius. 13. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in luco eius, quem consecraverat : subvertitque specum eius, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in Torrente Cedron : 14. Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis : 15. Et intulit ea, quæ sanctificaverat pater suus, et voverat, in domum Domini, argentum et aurum, et vasa. 16. Bellum autem erat inter Asa, et Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum. 17. Ascendit quoque Baasa rex Israel in Iudam, et ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Iuda. 18. Tollens itaque Asa omne argentum et aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, et in thesauris domus regiæ, dedit illud in manus servorum suorum : et misit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens: 19. Fœdus est inter me et te, et inter patrem meum et patrem tuum: ideo misi tibi munera, argentum et aurum: et peto ut venias, et irritum facias fœdus, quod habes cum Baasa rege Israel, et recedat a me. 20. Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, et percusserunt Ahion, et Dan, et Abeldomum Maacha, et universam Cenneroth, omnem scilicet Terram Nephthali. 21. Quod cum audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, et reversus est in Thersa. 22. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Iudam, dicens: Nemo sit excusatus, et tulerunt lapides de Rama, et ligna eius, quibus ædificaverat Baasa, et extruxit de eis rex Asa Gabaa Beniamin, et Maspha. 23. Reliqua autem omnium sermonum Asa, et universæ fortitudines eius, et cuncta quæ fecit, et civitates quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda ? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes. 24. Et dormivit cum patribus suis, et sepultus est cum eis in Civitate David patris sui. Regnavitque Iosaphat filius eius pro eo. 25. Nadab vero filius Ieroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Iuda: regnavitque super Israel duobus annis. 26. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, et ambulavit in viis patris sui, et in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel. 27. Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiæ de domo Issachar, et percussit eum in Gebbethon, quæ est urbs Philisthinorum: siquidem Nadab et omnis Israel obsidebant Gebbethon. 28. Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Iuda, et regnavit pro eo. 29. Cumque regnasset, percussit omnem domum Ieroboam : non dimisit ne unam quidem animam de semine eius, donec deleret eum, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu servi sui Ahiæ Silonitis, 30. Propter peccata Ieroboam, quæ peccaverat, et quibus peccare fecerat Israel :

et propter delictum, quo irritaverat Dominum Deum Israel. 31. Reliqua autem sermonum Nadab, et omnia quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 32. Fuitque bellum inter Asa, et Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum. 33. Anno tertio Asa regis Iuda, regnavit Baasa filius Ahiæ, super omnem Israel, in Thersa, viginti quatuor annis. 34. Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Ieroboam, et in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.

Vers. 1. IGITUR IN OCTAVO DECIMO ANNO IEROBOAM FILII NABAT, regis Israel, REGNAVIT ABIAM, filius Roboam, SUPER IUDAM.

Vers. 2. TRIBUS ANNIS REGNAVIT.) Dices, v. 9. Abia dicitur mortuus anno vigesimo Ieroboam: ergo non tribus, sed duobus tantum annis regnavit: nam ab anno 18. ad 20. sunt tantum duo anni. Resp. numerandum hic esse annum 18. eumque fuisse primum regni Abiam, secundum vero fuisse 19. tertium vero 20. regni Ieroboam. Ita Abul. Caiet. Salianus et alii. Ubi nota, in Chronologia annum subinde a principio, subinde a fine computari: quocirca unus annus additus vel demptus in Chronologia nullam facit diversitatem. Porro Abul. hic tres alios modos conciliandi diversam chronologiam assignat, valde utiles et notandos.

Tres canones conciliandi diversa tempora

I. Primus est per Sinecdochen, qua pars anni, mensis, vel diei ponitur pro integro anno, mense, vel die. Sic Christus dicitur tribus diebus fuisse in sepulchro, quia per partem diei primæ et tertiæ fuit in sepulchro, solo autem die secundo integro in eodem mansit.

II. Secundus, quod aliquando numerentur anni, quibus filius regnavit cum patre, aliquando vero anni quibus solus ipse regnavit post patrem.

III. Tertius, quod quandoque interregnum iungitur annis sequentis regis vel Iudicis, uti ostendi Iudic. c. 3. quandoque non. Eosdem modos tradit Richardus de S. Victore tract. de Concordia temporum Regum Iuda.

NOMEN MATRIS EIUS MAACHA, FILIA ABESSALOM.) Id est *Absalom*, ut dicitur 2. Paralip. 11. 21. Hebr. enim *Abisalom*, idem est quod *Absalom*. Quare vix dubitandum est, quin Absalom hic sit filius Davidis, de quo l. 2. crebra facta est mentio: nec enim alium legimus Absalom. Ideo ergo Absalom hic nominatur, quia ipse ex gestis eius recensitis lib. 2. toti Israel fuit notissimus. Quare *Maacha* hæc eadem est cum *Thamar*: hanc enim solam filiam genuit Absalom, ut patet 2. Reg. 14. 27. Ita censent Hebræi, Iosephus, Lyran. Caiet. Sanchez et alii. Minus recte ergo Abul. et Salianus censent alium esse hunc Absalom ab Absalome filio Davidis.

Dices, 2. Paral. 13. 2. hæc *Maacha* vocatur *Michaia*, *filia Uriel de Gabaa*. Resp. Caiet. Absalom fuisse binomium, alioque nomine vocatum esse *Uriel*, forte ob pulchritudinem, quod adeo esset pulcher, ut Angelus videretur, dicique posset *Uriel*, id es *lux* et *splendor Dei*. Aut certe Absalom fuisse patrem naturalem Maachæ, Urielem vero eiusdem fuisse patrem legalem: quod difficile est concipere, cum nullus Davidis filius legatur vocatus *Uriel*, cui quasi fratri sine liberis defuncto Absalom semen suscitare debuerit.

Posset planius dici Maacham dici *filiam*, id est *neptem* Absalomis, more Script. quo nepotes vocantur *filii*. Videtur enim Thamar Absalomis unica filia nupsisse Urieli, ex eoque genuisse Maacham hanc Roboami uxorem, et Abiæ matrem. Id variis coniecturis confirmatur. Nam Uriel hic fuit de Gabaa, quæ erat urbs in tribu Beniamin; fuit ergo ipse Beniaminita; ergo Uriel non est Absalom: hic enim erat de tribu Iuda, æque ac David.

Uriel quis?

Secundo, quia Thamar videtur fuisse hoc tempore grandævior, quam ut nuberet Roboamo. Nata est enim facile 12. vel 13. annis ante mortem Davidis (nam pater eius Absalom occisus est novem annis ante mortem Davidis, uti dixi in Chron. Davidis sub finem l. 2. Reg.) Adde annos 40. regni Salomonis, habebis 52. annos vitæ Thamar. Esto enim Roboam eam videatur duxisse ante mortem Salomonis: nam ex ea genuit Abiam, qui post triennium moriens regni successorem reliquit filium Asa. Roboam autem regnavit 17. annis dumtaxat: quare Abia a Roboam ante initum regnum genitus videtur, ut eo moriente esset plusquam 17. annorum: nam post triennium moriens reliquit filium Asa iam grandævum, et habilem ad regnum. Esto, inquam, id ita sit; tamen non videtur diu ante mortem Salomonis eam duxisse, eo quod illam duxerit tertio loco, ut patet 2. Paral. 11. 20. filii enim regum ante regnum et ante mortem patris, non solebant multiplicare uxores.

Tertio, quia hæc semper vocatur *Maacha*, numquam Thamar, ergo non fuit ipsa Thamar, sed Thamaris filia.

Quarto, quia hic v. 10. de Asa filio Abiæ idem dicitur quod hic de Abia, scilicet: *nomen matris eius Maacha filia Abessalom*. Hæc ergo Maacha vel fuit eadem cum Maacha matre Abiæ, ut dicatur *mater*, id est *avia* Asæ; vel certe fuit eius soror iunior, ait Caiet. ut posset duci ab Asa filio Abiæ. Ergo Maacha non fuit Thamar, utpote quæ nullam sororem habuit, sed fuit unica filia Absalomis: fuit ergo Maacha filia Thamaris.

Quinto, id diserte asserit Iosephus, qui cum prius Maacham vocasset filiam Absalomis, mox libro 8. c. 3. eamdem vocat Absalomis neptem, scilicet ex Uriele et Thamar progenitam.

AMBULAVITQUE IN OMNIBUS PECCATIS PATRIS SUI.) Vers. 3.
Colendo idola Roboami, permittendo effeminatos, etc. hos cum idolis sustulit filius eius Asa, ut sequitur.

DEDIT EI DOMINUS DEUS SUUS LUCERNAM, id est Vers. 4.
prolem gloriosam et regiam, scilicet UT SUSCITARET FILIUM EIUS POST EUM; ut Asa filius ei in regno succederet, ET, per eum, STATUERET IERUSALEM.) Stabiliendo eam in fide et cultu veri Dei, itaque pariter stabiliendo eius pacem, opes et regnum.

EXCEPTO SERMONE (id est, re et facto, puta ho- Vers. 5.
micidio) URIÆ HETHÆI.) Dices, David multa alia peccata commisit, ut dum ex superbia numeravit populum, quod peccatum Deus punivit peste et morte 70. millium hominum 2. Reg. 24. 15. dum voluit occidere Nabal, omnesque eius domesticos 1. Reg. 25. v. 21. dum Miphiboseth innocenti partem dimidiam facultatum ademit 2. Regum 19. v. 29. Verum hæc peccata nec tam gravia fuerunt, quam fuit adulterium et homicidium Uriæ, nec tam certa et a vulgo taxata; quin imo habebant velum et prætextum aliquem honestatis et iustitiæ, saltem apud homines, qui proinde ea vel excusabant, vel non æstimabant. Hoc vero peccatum contra Uriam ab omnibus habitum fuit ut iniustum, enorme et infame; ideoque Deus qui peccata tanta et tam scandalosa non sinit impunita, acriter illud punivit. Ob hoc enim omnia mala Davidi acciderunt, eique dictum est a Deo, quod numquam recederet gladius a domo ipsius, idque ita accidisse reipsa hic ostendit, dum subdit, inter Roboam et Ieroboam æque ac Abiam perpetua fuisse bella, cædes et spoliationes. Ita Abul. Caiet. et alii.

ATTAMEN BELLUM FUIT INTER ROBOAM ET IERO- Vers. 6.
BOAM OMNI TEMPORE VITÆ EIUS.) q. d. Deus ob merita Davidis voluit ei dare *lucernam*, id est posteritatem regiam, scilicet Salomonem, Roboam et Abiam; sed tamen ob eorum peccata, præsertim idololatriæ, fecit ut perpetua haberent bella cum Ieroboam.

FUITQUE PRÆLIUM INTER ABIAM ET INTER IERO- Vers. 7.
BOAM.) Illud enarratur fuse 2. Paral. 13. ubi dicitur Abiam in aciem eduxisse 400. millia, Ieroboam vero 800. millia, cumque hi, utpote plures, illos cingerent, ipsos invocasse Deum, ac eius ope ex 800. millibus cecidisse 500. millia.

NOMEN MATRIS EIUS MAACHA FILIA ABESSALOM.) Vers. 10.
Id est Absalom filii Davidis. *Filia*, id est neptis, ut liquet.

Hæc enim Maacha mater Asæ, vel est eadem cum Maacha matre Abiæ, ut vult Lyran. et Serar. ut dicatur *mater*, id est avia Asæ, sicut v. 3. David dicitur Abiæ *pater*, id est avus; vel potius eius soror iunior, ex eadem matre Thamar Absalomis filia genita, ut ex Caiet. dixi v. 2. aut certe eius neptis. *Maacha* Hebr. idem est quod compressio, attritio, fixio, ait Pagnin. Videtur hoc nomen commune fuisse reginis sive filiabus regum Gessur: unde filia regis Gessur, quam duxit David, vocata est *Maacha*, quæ fuit mater Absalomis, indeque Thamar filia Absalomis suam filiam, quæ nupsit Roboamo vocavit *Maacha*, ac eius sororem, quæ nupsit Abiæ, vocavit quoque *Maacha*: hanc enim tam Hebr. quam Septuag. Noster, et Iosephus constanter vocant matrem Asæ. Simili modo S. Paula, Melania, Macrina S. Basilii amita, Eudoxia, Constantia, suum nomen ad filias et neptes transmiserunt.

Porro nominatur hic Maacha *mater*, vel avia Asæ, ut Asæ insignis virtus et religio ostendatur, quod a tam impia matre educatus, tamen tam pius evaserit, adeoque ipsam matrem a sacerdotio idolorum amoverit. Sic Plinius lib. 7. Epist. laudat Quadratum iuvenem, quod in deliciis aviæ degens, viveret tamen severissime.

Vers. 13. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps (sacerdotissa prima) in sacris Priapi.) Hebr. ad verbum est, *Ne esset domina, quia fecit idolum horrendum*: ubi Septuag. Chald. Vatab. Pagnin. et alii τὸ *ne esset domina*, exponunt, *ne esset regina*, ne regeret regnum. Unde et Noster 2. Paral. 15. 16. vertit: *Sed et Maacham matrem Asa regis de augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi.* Hic tamen vertit: *Ne esset princeps in sacris Priapi*; hic enim principatus sacrorum Priapi apud Iudæos et idololatras erat augustum imperium, et summa dignitas, ut אשר *ascer*, id est *quia, quod*, capiatur pro באשר *baascer*, id est *in eo quod fecit idolum*, puta in cultura sui Priapi. Pro *Priapi* Hebr. est מפלצת *miphletset*, id est *tremor*, horror; sic vocatur Priapus, tum quia pingebatur vel sculpebatur turpi et horrenda forma; tum quia horrore suo terrorem incutiebat furibus et avibus volentibus deprædari hortos, quorum ipse erat Deus et tutor; unde illud Horatii lib. 1. Satyra 8. de Priapo:

Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido.

Hinc et ab Hebr. *miphletset*, Priapus Latine dictus est *Phallus* et *Mutinus*: sic enim eum appellat Iuven. Satyra 6. Virgilius et Ovidius. Ita Serar. Vatab. et Sanchez. Fuit ergo Maacha obscœna et sacrilega, imo obscœnitatis et sacrilegii princeps, ac meretricum et scortorum regina, ideoque suo Priapo sacravit lucum; quia libido, utpote pudenda, quærit lucos, id est sylvas umbrosas, et tenebras, quibus suam turpitudinem tegat. Unde *lucus* dicitur per antiphrasin, eo quod luce careat, sitque opacus. Ita Eucherius.

Porro Hebræi coluerunt Priapum nomine *Beelphegor*, quasi Deum obscœnitatis, ritibus et actibus obscœnissimis. Vide dicta Numer. 25. 3. Fecit autem hæc Asa initio regni, cum esset pene puer; eo maior fuit eius zelus et pietas. Quocirca Deus hunc Asæ zelum remuneratus est: primo, pace felici et longa; secundo ædificatione multarum urbium; tertio, victoria illustri, qua decies centena millia Æthiopum prostravit 2. Paral. 14. 7.

Excelsa autem non abstulit.) Abul. per *excelsa* accipit templa a Salomone extructa idolis, quæ manserunt usque ad Iosiam, qui ea evertit; qua in re, inquit, non peccavit Asa, nec Iosaphat, nec Ezechias, quia templa hæc iam eviluerant, erantque clausa, nec in eis colebantur idola; quare cum iam non essent amplius scandalosa, permissa sunt ad futuram rei gestæ memoriam. Vers. 14.

Melius Caiet. *excelsa*, intelligit templa in montibus et locis excelsis Deo vero dicata, in quibus Israelitæ Deo vero sacrificabant, quæ licet a Deo essent vetita, prudenter tamen ea permisit Asa, ne populi delectatio et consuetudo immolandi in excelsis eum abduceret a cultu Dei ad idololatriam: zelosi tamen reges, quales fuere Ezechias et Iosias, eadem sustulerunt: quamquam dici posset Asa peccasse, quod excelsa permiserit, sicut in pluribus aliis peccavit, uti iam dicam.

Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis.) *Perfectum*, intellige in fide et cultu unius veri Dei, ac in extirpatione idololatriæ; nam in aliis multis peccavit Asa, ut cum ægrotans non speravit in Domino, sed confisus est in arte medicorum, de quo mox. Item cum diffidens Deo vasa sacra dedit regi Syriæ v. 18. ad evadendum bellum regis Israel. Rursum, cum prophetam se increpantem coniecit in nervum, id est *in carcerem*, et vincula, multosque e populo interfecit 2. Paral. 16. 10. vide Abul. quæst. 18.

Et intulit ea quæ sanctificaverat, id est dicaverat, consecraverat, pater suus, et voverat in domum Domini. Vers. 15.

Aurum quod remanserat in thesauris domus Domini (aurum templi) etc. misit ad Benadad.) Peccavit hac in re Asa, tum quod aurum templi usurparit et alienarit; tum quod magis in Benadad impio, quam in Deo spem reposuerit, ideoque increpitus est a propheta 2. Paral. 15. 1. Vers. 18.

Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes.) Res hæc fusius narratur 2. Paral. 16. 12. *Ægrotavit*, inquit, *Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum* (podagra) *vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est*; ideoque mortuus: unde illico subiungitur: *Dormivitque cum patribus suis et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui.* Vers. 23.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iehu filius Hanani Propheta Baasæ regi Israel minatur exitium, ideoque ab eius filio Ela occiditur: hinc vers. 9. Ela a Zambri regno et vita multatur. Mox vers. 16. Zambri obsessus ab Amri se cum domo succendit. Inde vers. 24. Amri rex creatus ædificat Samariam. Denique vers. 29. Amri morienti succedit impius Achab cum sua Iezabele Additur vers. ult. Hiel ædificasse Iericho, ideoque filios omnes amisisse.

1. Factus est autem sermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baasa, dicens: 2. Pro eo quod exaltavi te de pulvere, et posui te ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in via Ieroboam, et peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum: 3. Ecce, ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus eius: et faciam domum tuam sicut domum Ieroboam filii Nabat. 4. Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes: et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum

volucres cæli. 5. Reliqua autem sermonum Baasa, et quæcumque fecit, et prælia eius, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 6. Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa: et regnavit Ela filius eius pro eo. 7. Cum autem in manu Iehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, et contra domum eius, et contra omne malum quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Ieroboam: ob hanc causam occidit eum, hoc est, Iehu filium Hanani, prophetam. 8. Anno vigesimo sexto Asa regis Iuda, regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis. 9. Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Thersa bibens, et temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa. 10. Irruens ergo Zambri, percussit et occidit eum, anno vigesimo septimo Asa regis Iuda, et regnavit pro eo. 11. Cumque regnasset, et sedisset super solium eius, percussit omnem domum Baasa, et non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, et propinquos et amicos eius. 12. Delevitque Zambri omnem domum Baasa, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Iehu prophetæ, 13. Propter universa peccata Baasa, et peccata Ela filii eius, qui peccaverunt, et peccare fecerunt Israel, provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 14. Reliqua autem sermonum Ela, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 15. Anno vigesimo septimo Asa regis Iuda, regnavit Zambri septem diebus in Thersa: porro exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philisthinorum. 16. Cumque audisset rebellasse Zambri, et occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris. 17. Ascendit ergo Amri, et omnis Israel cum eo, de Gebbethon, et obsidebant Thersa. 18. Videns autem Zambri quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, et succendit se cum domo regia: et mortuus est. 19. In peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, et ambulans in via Ieroboam, et in peccato eius, quo fecit peccare Israel. 20. Reliqua autem sermonum Zambri, et insidiarum eius, et tyrannidis, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 21. Tunc divisus est populus Israel in duas partes: media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, ut constitueret eum regem: et media pars Amri. 22. Prævaluit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth: mortuusque est Thebni, et regnavit Amri. 23. Anno trigesimo primo Asa regis Iuda, regnavit Amri super Israel, duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis. 24. Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti: et ædificavit eum, et vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam. 25. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, et operatus est nequiter, super omnes qui fuerunt ante eum. 26. Ambulavitque in omni via Ieroboam filii Nabat, et in peccatis eius quibus peccare fecerat Israel: ut irritaret Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 27. Reliqua autem sermonum Amri, et prælia eius quæ gessit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 28. Dormivitque Amri cum patribus suis, et sepultus est in Samaria: regnavitque Achab filius eius pro eo. 29. Achab vero filius Amri regnavit super Israel anno trigesimo octavo Asa regis Iuda. Et regnavit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti et duobus annis. 30. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum. 31. Nec suffecit ei ut ambularet in peccatis Ieroboam filii Nabat: insuper duxit uxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, et servivit Baal, et adoravit eum. 32. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, 33. Et plantavit lucum: et addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israel, super omnes reges Israel qui fuerunt ante eum. 34. In diebus eius ædificavit Hiel de Bethel, Iericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas eius: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filii Nun.

Vers. 2. TU AUTEM AMBULASTI IN VIA IEROBOAM.) q. d. Tu secutus es eius idololatriam, et coegisti populum ad adorandum vitulos aureos a Ieroboam in idola erectos.

Vers. 3. ET FACIAM DOMUM TUAM SICUT DOMUM IEROBOAM.) q. d. Sicut per te funditus excidi familiam Ieroboam ob idololatriam vitulorum, sic ob eamdem stirpitus evertam tuam progeniem per Zambri, tuo filio Elæ rebellantem, vers. 9. Mira fuit perversitas et stoliditas regum Israel, quod, cum viderent iussu Dei plane everti familias regum præcedentium ob cultum vitulorum, imo ipsi easdem everterent, ipsi tamen eosdem vitulos colerent, et colendos proponerent populo, ne ad templum, et Asa regem Ierusalem rediret; esto reclamarent prophetæ, et excidium eis minarentur. Nimirum diabolus et ambitio regnandi excæcabat, et dementabat eos. Hinc iusto Dei iudicio factum est, ut omnes sibi invicem fuerint carnifices: Baasa enim fuit carnifex filiorum Ieroboam, Zambri fuit carnifex filiorum Baasæ, Zambri vero carnifex fuit Amri: sic apud Romanos Iulius Cæsar sustulit Pompeium, Iulium Brutus et Cassius, hos Augustus. Mox Neronem ad necem adegit Senatus, Galbam Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus, Titum Domitianus, Domitianum Nerva et Traianus, uti narrat Sextus Aurelius Victor in Epitome Cæsarum: Ecce hic verum illud Iuvenalis:

Ad generum Cereris (Plutonem) *sine cœde et sangui-*
ne pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Unde de Galba dixit Tacitus: *Omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.* De Vespasiano vero: *Solus imperantium,* inquit, *mutatus in melius.* Sed hac de re fusior erit sermo v. 31. in Achab.

SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM ISRAEL.) Puta in Diariis et Annalibus Regum Israel, ut superius dixi. Vers. 5.

OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM.) Puta ob prophetiam, qua Elæ idololatræ intentabat excidium. Fuit ergo Iehu hic vere propheta æque ac martyr, ac prophetia eum martyrem effecit. Vers. 7.

ET REBELLAVIT CONTRA EUM SERVUS SUUS ZAMBRI.) Nota hic iusta Dei iudicia in reges infideles et idololatras: quia enim Ela rebellavit Deo summo Domino suo; hinc iusta Dei vindicta ei vicissim rebellavit servus et chiliarcha suus Zambri: sicut Ela occidit Iehu prophetam Dei, sic et ipse occisus est a Zambri Dei nutu. Vers. 9.

VIDENS AUTEM ZAMBRI QUOD EXPUGNANDA ESSET CIVITAS, INGRESSUS EST PALATIUM, ET SUCCENDIT SE CUM DOMO REGIA.) Nimirum Zambri tyrannus ambiens aulam, invenit urnam, ac ascendens in regiam resiliit in pyram. Idem fecit Sardanapalus ultimus rex Assyriorum, qui in Ninive obsessus ab Arbaco militiæ suæ Præfecto, ne in eius manus veniret, rogum in regia ingentem extruxit, quo aurum et argentum omne, et quidquid erat regiæ supellectilis congessit. Tum concubinis et Eunuchis in domunculam, quam in medio pyræ extruxerat, conclusis, se regiamque cum illis omnibus absumpsit incendio. Ita Diodorus, Iustinus, Strabo, et ceteri passim. Sic uxor Asdrubalis capta a Scipione incensaque Carthagine, dextra lævaque tres filios mortem non recusantes Vers. 18.

trahens, *incendio se flagrantis patriæ obiecit*, ait Valerius Maxim. lib. 2. c. 2. Sic Numantini per 14. annos a Romanis obsessi, cum fame deficerent, maluerunt se suaque omnia incendere, quam Scipioni se tradere. Vide Florum lib. 2.

Vers. 22. MORTUUSQUE EST THEBNI.) Occisus a factione adversa Amri, teste Iosepho. Addunt Septuag. fratrem quoque Thebni occisum, nomine *Ioramum*.

Vers. 23. ANNO TRIGESIMO PRIMO ASA REGIS IUDA REGNAVIT AMRI SUPER ISRAEL.) Licet enim Amri occiso Zambri, a populo acclamatus sit rex anno 27. Asæ, uti dictum est v. 15. et 16. tamen regni æmulum habuit Thebni, cum quo colluctatus est per quinque annos, donec eo mortuo solus regnavit, quod factum anno 31. Asæ, ut hic dicitur. Ita Abul. Richard. de S. Victore, Torniellus, Salianus et alii. Unde explicans subdit: SUPER ISRAEL REGNAVIT DUODECIM ANNIS: cœpit enim regnare mortuo Zambri anno 27. Asæ, uti dictum est v. 15. et 16. mortuus est autem anno 38. Asæ, ut dicitur v. 29. iam a 27. anno Asæ usque ad 38. sunt 12. anni inclusive. Vide hic, ut Deus prolonget regna piorum regum, abbreviet vero impiorum. Ecce tibi Asa 41. annis regnavit in Iuda, quibus annis octo reges successive regnarunt in Israel, scilicet Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Thebni, Amri et Achab, quorum omnium ortus et occasus (excepto Achab) vidit Asa.

IN THERSA REGNAVIT SEX ANNIS.) *Thersa* ante Amri erat metropolis et regia regum Israel. Quare in ea regnavit Amri quinque annis, quibus cum Thebni de regno contendit: eo vero mortuo, anno sexto regni sui ex Thersa regiam transtulit in Samariam, quam ædificavit, ut sequitur, ibique regnavit aliis sex annis, hoc est universim tam in Thersa, quam in Samaria. 12 annis, uti dictum est, causa translationis fuit quod Zambri regiam in Thersa secum combussisset, moxque urbs capta ab Amri, spoliata et vastata fuisset, ut dictum est v. 18. Rursum, quod Samaria ob montem cui insidebat, munitior foret. Unde ipsa diu hostium postea eam obsidentium insultus sustinuit. Ita Salianus. His ergo de causis Amri ex Thersa regnum et regiam transtulit in Samariam.

Vers. 24. EMITQUE MONTEM SAMARIÆ A SOMER (nomen est viri, qui erat dominus montis) DUOBUS TALENTIS ARGENTI) Talentum Hebræum continebat tria millia siclorum, sive mille quingentas uncias (siclus enim est semuncia) quæ faciunt 12 millia drachmarum. Drachma argenti est Iulius Romanus, sive Regalis Hispanicus: quare talentum argenti continebat tria millia florenorum Brabanticorum sive Francorum Gallicorum, quæ faciunt aureos Romanos mille ducentos: Ergo duo talenta argenti faciunt 6. millia florenorum Brabant. quæ conficiunt bis mille et quadringentos aureos.

ET VOCAVIT NOMEN CIVITATIS, QUAM EXTRUXERAT, NOMINE SEMER (vel Somer) DOMINI MONTIS, SAMARIAM.) Putant aliqui prius Samariam fuisse ædificatam, nam nominis Samariæ mentio facta est c. 13. v. 32. sed hic urbi veteri ab Amri adiunctum fuisse montem vicinum, et civitatem eousque extensam, ac totam deinde vocatam Samariam. Ita Sanchez. Alii vero putant urbem totam primitus ædificatam ab Amri, ac nominatam Samariam: quare cap. 13. per anticipationem vocari Samariam, eo quod postea cum Auctor libri hæc scribebat, vocata sit Samaria. Hæc est celebris illa metropolis regum Israel, contra quam detonat Isaias ceterique prophetæ.

Vers. 31. ET ABIIT ET SERVIVIT BAAL.) *Baal*, sive *Bal*, *Bel* et *Belus*, est Iuppiter Belus, puta *Nemrod*. Nemrod enim est Belus, qui fuit pater Nini primi regis Assyriorum, a quo condita et appellata fuit *Ninive*, cuius uxor fuit Semiramis. Nemrod ergo dictus est *Baal*, id est dominus, fuitque auctor idololatriæ sub annum trecentesimum a diluvio, ut dixi Genes. 10. 9. unde ab eo ceteri deinceps gentium dii et idola dicta, vel agnominata sunt *Baal* vel *Baalim*. Unde Abul. in lib. 4. Reg. c. 3. q. 3. censet Baal hunc Sidoniorum et Tyriorum fuisse Herculem; hic enim apud eos magno in honore fuit. Unde Hiram rex Tyri tempore Salomonis eidem statuam erexit, teste Iosepho lib. 8. c. 2. Hinc in Tyro quinquennales ludi Herculi celebrabantur, ut patet 2. Machab. 4. 18. ergo idolis et vitulis Ieroboam adiunxit idolum Baal sive Iovis Beli, quod more gentis suæ Sidoniæ colebat Iezabel eius uxor.

Tropol. hinc disce quam Deo invisa, ideoque infelix sit impietas, nimirum quod continua et funestissima sit tragœdia impiorum principum vita; pauca ex dictis c. 12. 15. 16. et lib. 4. c. 9. 10. 11. 15. hæc tragica accipe. *Tragica est impiorum regum vita.*

Postquam occupavit regnum Israel Ieroboam propter delictum Salomonis, vindicatum per eum in persona Roboam filii eius, translatis decem tribubus in Ieroboam, regnavit et filius eius in Israel. Vindicta in persona filii successit, et ipse cum omni semine et domo Achab erasus fuit per regem novum Baasa. Baasa Tyranni finita potestas in filio Ela, qui necatus cum omni semine per Zambri eius servum. Zambri tantum per septem dies regnavit, et obsessus ab Amri, coactus se in palatio comburere sustulit regiam progeniem. Amri et Achab stirpem sustulit Iehu, servus Ioram regis, qui erat ex progenie Achab. Advenit autem in quarta generatione vindicta super progeniem Iehu, iuxta verbum Domini, et ideo Zacharias, qui ex Iehu descenderat, obtruncatus est a servo suo, nomine Sellum, qui tantum regnavit pro eo in Israel per unum mensem, occisus pariter a Manahen filio Gadi de Thersa, qui regnavit pro eo decem annis in Israel, et post eum Phaceia filius eius biennio tantum: nam eum occidit Phaceas filius Romeliæ dux eius; sed et hunc occidit Oseas filius Ela, hic autem translatus cum populo in Assyrios. Sic Saladinus, ait Æmilius lib. 6. domito Oriente tandem mortuus, et omnes eius filii a patruo eorum necati; uno evadente tantum e manibus Sephadmi patrui. Vetus est dictum, tyrannos Principes quam rarissime senescere, propter varia pericula, quibus involvuntur; et quam ægerrime communem livoris et periculi sortem possunt evadere, et paucissimi omnino fuerunt, qui suo fato seu morte naturali perierunt. Quare et Saturninus apud Flavium Vopiscum cum a suis purpura esset indutus: *Nescitis*, inquit, *amici, quid mali sit imperare. Nam et gladii et tela cervicibus nostris impendent, imminent hastæ, undique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde, quod omnis ætas in imperio reprehenditur: senex est quispiam, inhabilis videtur: si iuvenis, inest furor. Nam quod imperatorem me cupitis, in mortis necessitatem me trahitis: sed habeo solatium hoc mortis, solus perire non potero.* Subit mentem quod Ælianus lepide refert de Tyrannis ex Æsopi scriptis: si quis suem comprehendat, eam vociferari, idque non temere. Etenim cum nec lanam portet, neque quidquam aliud eius generis, statim coniectura mortem augurari, scientem seipsam usui et esui esse capientibus. Similes autem videri suibus Tyrannos, qui semper in suspicionibus et metu versantur, cum sciant sicut sues, suam vitam solam omnibus deberi. Ita Ælianus lib. 9. var. histor. *Exempla.*

IN DIEBUS EIUS ÆDIFICAVIT HIEL DE BETHEL, IERICHO: IN ABIRAM PRIMITIVO SUO FUNDAVIT EAM, ET IN SEGUB NOVISSIMO SUO POSUIT PORTAS EIUS: IUXTA VERBUM DOMINI, QUOD LOCUTUS FUERAT IN MANU IOSUE.) Iosue evertens Iericho statuit eam anathema, ac maledixit ei, qui illam reædificare vellet, dicens cap. 6. vers. 26. *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit urbem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, et in novissimo liberorum ponat portas eius.* Quare nemo usque ad tempora Achab ausus fuit reædificare Iericho, tunc autem id ausus fuit Hiel illectus fertilitate loci. Iericho enim erat fœcundissima et amœnissima, adeoque sola proferebat balsamum. Addit hoc Script. ut indicet quanta fuerit sub Achab scelerato idololatra Dei et prophetarum oblivio, ac quam corrupti mores avaritia: hæc enim stimulavit Hiel ad reædificandum Iericho contra iussum Iosue. Rursum ut eius punitione terreret Achab et idololatras. Si enim Hiel ob reædificatam Iericho contra iussum Io- Vers. 34.

sue, mulctatus est filiis omnibus: multo magis filiis omnibus se mulctandum a Deo cogitare debebat Achab, qui in Dei iniuriam Baalem suum pro Deo coli volebat.

In Abiram primogenito suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas eius.) q. d. Hiel iaciens fundamenta Iericho, statim perdidit filium suum primogenitum, nomine *Abiram:* deinde pergens illam ædificare, ex ordine perdidit ceteros usque ad ultimum *Segub,* quem amisit dum portas urbis locaret. Quantum ergo crescebat Iericho, tantum decrescebat familia Hiel, adeoque ipsa perfecta, plane hæc exstincta est, *mira pertinacia*, ait Rupert. *fulciente conditoris nomen, ut totum cum effectu perderet genitoris honorem.* Ubi mira apparet Hielis cæcitas, avaritia et ambitio, qui cum videret in se impleri minas Iosue, ac sensim filios suos omnes emori, ab ædificatione tamen urbis non destitit, malens eam perficere cum amissione omnium filiorum, quam illa omissa filios in vita retinere; forte etiam hoc fecit ut placeret impio Achab, eique ostenderet se, æque ac ipsum, esse Dei et prophetarum eius contemptorem.

Tropol. Eucher. *Ille*, inquit, *qui postquam in Ecclesia habitum religionis assumpserat, ad agenda scelera, quæ ei Dominus Iesus in die baptismatis condonaverat, redit, quasque ipse anathematizaverat diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit; cum errorum dogmata, vel gentilium fabulas, veritati Ecclesiasticæ, qua imbutus est, quasi de Bethel egrediens ruinas Iericho resuscitat. Meritoque talis coram Domino maledictus, et primum filiorum in fundatione nefariæ civitatis, et novissimum in portarum positione amittit, quia et fundamenta fidei, a quibus bona ædificia inchoare, et claustra bonæ actionis, quibus perfici debuerat, perdit.* Eadem ad verbum habet Angelomus.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias inducit Israeli siccitatem et sterilitatem. Unde iussu Dei in torrente Carith se abscondit, pasciturque a corvis. Mox vers. 10. in Sarephta viduæ farinam in hydria, et oleum in lecytho multiplicat. Denique v 17. filium eius mortuum, expandens se super eum, ad vitam revocat.

1. Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi iuxta oris mei verba. 2. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens: 3. Recede hinc, et vade contra Orientem, et abscondere in Torrente Carith, qui est contra Iordanem, 4. Et ibi de torrente bibes: corvisque præcepi ut pascant te ibi. 5. Abiit ergo, et fecit iuxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in Torrente Carith qui est contra Iordanem. 6. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi, et bibebat de torrente. 7. Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram. 8. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens: 9. Surge, et vade in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. 10. Surrexit, et abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. 11. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum eius, dicens: Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. 12. Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illud mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur. 13. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti: verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me: tibi autem et filio tuo facies postea. 14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. 15. Quæ abiit, et fecit iuxta verbum Eliæ: et comedit ipse, et illa, et domus eius: et ex illa die 16. Hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. 17. Factum est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. 18. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi et tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum? 19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, et portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum. 20. Et clamavit ad Dominum, et dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium eius? 21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait: Domine Deus meus, revertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. 22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. 23. Tulitque Elias puerum, et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi: En vivit filius tuus. 24. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.

Vers. 1. Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab.) Quæres primo, cur Deus suscitarit Eliam, eumque miserit ad Achab? Resp. ut eius æque ac Iezabelis ardorem in propaganda idololatria reprimeret et restingueret, ac Israelem in vera unius Dei fide et religione conservaret, ideoque eum armavit zelo et spiritu fortitudinis admirabili, ut solus ipse se opponeret tyrannis, sacerdotibus et idololatris omnibus. Sic Pharaone opprimente fideles Hebræos, Deus suscitavit Mosen, qui se illi opponeret, et populum ex eius servitute educeret. Sic Ieroboam vitulos pro diis erigenti opposuit Ahiam prophetam, Manassi Isaiam, Antiocho Machabæos. Sic tot orbi pene Arriano unum opposuit Athanasium fidei Orthodoxæ Atlantem, Pelagianis S. Augustinum, Nestorianis S. Cyrillum, Iconomachis S. Ioannem Damascenum, Albigensibus S. Dominicum, Lutheranis et Calvinistis S. Ignatium et similes. Fuit ergo Elias (quod S. Bernard. scribit Eugenio Pontifici in fine lib. 4. de Consider.) *forma iustitiæ, sanctitatis speculum, pietatis exemplar, assertor veritatis, fidei defensor, doctor Israelis, magister in-* Eliæ elogia.

sipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatus, iudex viduarum, oculus cæcorum, lingua mutorum, ultor scelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, regum pater, sal terræ, orbis lumen, propheta altissimi, præcursor Christi, Christus Domini, Deus Achab, Baalitarum terror, idololatrarum fulmen.

Quæres secundo, quid significat Elias? Respond. *Elias* Hebr. dicitur אליהו *Eliahu*, id est *Deus Domini*, vel
Eliæ etymon. potius *Deus meus Dominus*, ait Pagnin. Aut q. d. *El ia hu*,
1. id est *potens est Deus ipse*. *El* enim est nomen Dei, qua fortis est et potens ad omnia debellandum: *ia* est abbreviatum *Iehova*: *hu* est *ipse*. Eliæ enim officium fuit ostendere Achab et Israeli non Baal, sed Deum Israelis esse verum Deum, fortem, et omnipotentem omnium Dominum.
2. Ita S. Hieron. Angelom. et alii. Unde Hebræi censent Eliæ nomen sumptum ex illa populi ad Eliam acclamatione: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus*. c. 18. v. 39. nam antea eum vocatum fuisse *laberscyth*, tradunt iidem in Genesi Magna c. 27. Hinc S. Hieron in Michææ c. 5. *Elias*, inquit, *idem est quod, Dominus Deus.*

Audi S. Isidor. lib. 7. Orig. c. 8. « Elias interpretatur Dominus Deus. Ex futuri ergo præsagio sic vocatur. Nam dum altercaretur in sacerdotio cum quadringentis sacerdotibus Baal, invocato nomine Domini, descendit ignis de cælo super holocaustum. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam et ait: Dominus ipse est Deus. Ex hac ergo causa tale prius nomen accepit, pro eo quod per eum postea cognoverit populus Dominum Deum; idem et fortis Dominus interpretatur, vel propterea quod interfecit eosdem sacerdotes, vel propterea quod Achabi adversitatem toleravit. »

3. Rursum, *Elias* idem est, quod *fortis Domini*, ait S. Hieron. vel *Deus Domini*, ait Pagnin. quia, sicut Moses a Domino constitutus est Deus Pharaonis Exodi 7. v. 1. sic ab eodem Elias constitutus est Deus Achabi et Iezabelis: sicut enim Moses decem plagas cælestes et terrestres infligens Pharaoni, coegit eum dimittere Hebræos: sic et Elias omnia elementa commovit per stupenda miracula, quasi eorum esset Deus et Dominus, quibus Achab et Baalitas perculit, imo occidit.

Tropol. Aliam causam Tropologicam dat S. Ambros. lib. 1. de Cain c. 2. ubi Eliam hisce elogiis ornat: *Victor passionum*, inquit, *nec ullis captus illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cælestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subiiciens et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat; et ideo non legimus de eo sicut de ceteris, quia deficiens mortuus est.* Deo enim persimilis est, qui ab omni vitio purus et sanctus est. Audi S. Dionys. epist. ult. ad S. Ioannem Evangelistam quæst. 10. *Quicumque viri studiosi sunt, ab omni quidem rerum corporearum voluptate abducuntur; liberi autem ab omnibus malis, Deique amore impulsi, omnium bonorum pacem diligunt et sanctimoniam; atque ab hac vita principium futuræ faciunt, cum inter homines Angelorum vitam imitentur cum omni animi tranquillitate, Dei nominis appellatione digni, cum benignitate ceterisque virtutibus*, etc. Rursum, Eliæ competit fortitudo Dei, quam depingens Isaias c. 25. 4. ait: *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab æstu; spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Sicut æstus in siti tumultum alienorum humiliabis, et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies.* Simili enim fortitudine Elias deiecit Achab, Iezabelem et Baalitas, iuxta illud Eccl. 48. 2. *Irritantes illum* (Eliam) *invidia sua, pauci facti sunt; non enim poterant sustinere præcepta Domini.* Et paulo post: *Qui deiecisti reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo.*

Elias, ἥλιος, id est Sol. Porro Beda, et Angelom. in lib. 4. Regum c. 23. quin et S. Chrysost. hom. 3. de Elia asserunt *Eliam* dici quasi ἥλιον, id est solem, eo quod ipse fuerit sol Israelis, et curru igneo vectus sit in cælum, indeque a poetis fingi solem vehi curru igneo, quem quia Phaethon solis filius regere nescivit, hinc se et orbem combussit, de quo plura lib. 4. cap. 2. Hæc per allusionem dicuntur: constat enim *Elias* esse nomen Hebræum, non Græcum. Simili modo Nazianzen. Hebr. nomen *pascha* derivat a Græco πασχω, id est patior, quod in paschate passus sit Christus.

Quæres tertio, quæ fuerint eximiæ virtutes et dotes Eliæ, quibus debellavit idololatriam? Resp. prima eius dos fuit vitæ innocentia, austeritas et sanctitas. Audi S. Isidor. lib. de ortu et interitu prophet. c. 35. *Elias*, inquit, *sacerdos magnus atque propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus, in laboribus fortis, industria solers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione disciplinæ rectus, in sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus.* Eliæ dotes.

Secunda Eliæ dos fuit solitudo et contemplatio. Secedens enim in Carmelum vacabat orationi et contemplationi, ibique Eliseum et alios discipulos collegit quasi auctor vitæ monasticæ et eremiticæ. Unde Carmelitæ suum nomen et institutum ab Elia in monte Carmelo accepisse profitentur, de quo plura c. 18. II.

Tertia fuit eius dicendi et arguendi libertas, qua inter cetera ait Achab regi et Iezabeli in faciem, quod venumdati sunt sub peccato, et quod Deus omnem eorum stirpem excindet, quodque canes lingent sanguinem Iezabelis c. 21. 20. III

Quarta, invicta animi patientia et fortitudo, qua omnes regum et idololatrarum persecutiones generose sustinuit et superavit, imo omnes sacerdotes Baal occidit c. 18. IV.

Quinta, zelus honoris et cultus divini, qui eum ad omnia certamina cum rege et Baalitis ineunda compulit, unde ipse ad Deum ait: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel*, etc. *prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam* cap. 19. 14. Hinc Elias a nonnullis vocatur Angelus, ac de Ioanne Baptista ait Angelus, quod præcedet Christum *in spiritu et virtute Eliæ*, Lucæ 1. Hinc raptus est Elias, ut præcurrat Christum ad iudicium, certetque contra Antichristum, a quo proinde occidetur, et martyrio laureabitur Ierosolymæ; sed tertia die coram toto populo gloriose a morte resurget, et conscendet in cælum, uti dixi Apocal. 11. 3. Denique vide elogia Eliæ apud Eccles. cap. 48. 1. *Surrexit*, inquit, *Elias quasi ignis, et verbum eius quasi facula ardebat.* Vide ibi dicta. Fuit enim Elias totus igneus et fulmineus. V.

Hinc Allegor. Elias fuit typus Christi, qui vere fuit *Elias*, id est *Dominus Deus*. Christus enim instar Eliæ magna certamina habuit de fide Messiæ cum Scribis et Pharisæis, ac continuas ab eis persecutiones sustinuit, tandemque mortem crucis, sed ab ea die tertia gloriosus resurrexit, et die 40. in cælum conscendit. Ita Angelom. Eucher. Rupert. et alii. VI.

Denique Elias fuit Dux et Princeps Prophetarum ceterorum: atque hac de causa una cum Mose legislatore apparuit in Transfiguratione Christi, eique nomine omnium prophetarum testimonium perhibuit, quod ipse verus esset Messias ab eis prophetatus, Matth. 17.

Thesbites.) Oriundus ex *Thesba* vel *Thesbe* vico, sito in Tribu Gad inter Iebaa et Saron, ait Adrichom. in Descript. terræ Sanctæ. Hinc S. Epiphan. Dorotheus, Isidorus, Metaphrastes et alii in Vita Eliæ docent Eliam natum in Thesbe, quæ Arabiæ est contermina. Audi S. Epiphan. *Elias ex Thesbis erat e continente Arabiæ: morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant ædes sacerdotibus consecratæ ac destinatæ.* Sed clarius Metaphrastes: *Elias*, inquit, *a sacerdotibus* (Hierosolymitanis scilicet, ad quos de visione consulendos Sobachus parens profectus est) *appellatus est Thesbites, eo quod esset domus, quæ sorte obtigerat sacerdotibus in qua is habitabat, virtutem exercens ab adolescentia, et flammeam efficiens animam per ignem spirantem Spiritus sancti gratiam.*

Falluntur ergo Abul. Hugo, Lyran. qui censent Eliam

oriundum ex urbe Thebe, in qua occubuit Abimelech Gedeonis filius, Iudic. 9. 50. Thebe enim erat in tribu Ephraim iuxta Sichem, Thesbe vero patria Eliæ erat trans Iordanem in Galaadite, puta in tribu Gad. Quare Elias videtur fuisse Gaddita, indeque nascendo viriles, fortes et militares hausisse spiritus. Tales enim erant Gadditæ iuxta illud Genes. 49. 19. *Gad accinctus* (hoc enim Hebr. significat *Gad*) *præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum.*

Porro, *Thesbites* Hebr. idem est quod *captivans*, vel *convertens*, ait Angelom. et alii. Elias enim captivavit et *convertit cor patris in filios, et cor filiorum ad patres eorum*, ut ait Malach. cap. 4. vers. 6. De nativitate et educatione Eliæ hæc habet Dorotheus in eius Vita : *Cum nasciturus esset Elias, pater eius Sabacha vidit illum ab angelis albicantibus salutari, et igne tamquam fasciis involvi, et flamma ignis veluti cibo ali, et Hierosolymam profectus, rem istam indicavit, dictumque illi est ex oraculo, ne timeret; fore enim ut puer nasciturus in luce habitaret, et quæ diceret, firmam sententiam haberent, iudicaretque Israelem in gladio et igne* Eadem habet S. Epiphan. et Metaphrastes in Vita Eliæ. Hinc Eliam perpetuam coluisse virginitatem consentiunt Patres, scilicet S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. et ad Eustochium de Custod. Virgin. Ambros. lib. 1. de Virgin. Idem asserit S. Chrysost. lib. de Virgin. tomo 5. S. Ephrem non uno loco: pulchre paræn. 1. tomo. 2. fol. 90. ait : *Donum optimum monachi est virginitas, curru ipsum ad cælum cum Elia vehens*; et fol. 91. *Elias te sua pelle caprina cooperiens in cælos introducet.*

Eliæ igne vestitus et alitus.

Virgines quoque vel cælibes fuisse Eliseum ceterosque Eliæ discipulos, non est dubium: quin et ex ipsis plures pro vera Dei religione a Iezabele occisos martyrii lauream adeptos esse, satis liquet ex c. 18. 13.

Porro, Elias non videtur fuisse sacerdos, ait Abulens. Sanchez et alii, quia non oriundus ex Levi, sed ex Gad : unde et Script. nusquam eum vocat sacerdotem, uti vocat Ieremiam et Zachariam patrem Ioannis Baptistæ. S. Epiphan. tamen, S. Isidorus, et alii eum vocant sacerdotem, ortumque ex Levi, quia Levitæ et sacerdotes, cum propriam non haberent possessionem, spargebantur per omnes tribus, ut eas in fide et Dei cultu erudirent. Poterat ergo in tribu Gad nasci Elias Levita.

Denique Hebræi censent Eliam esse Phinees, filium Eleazari filii Aaron, sed errant, ut ostendi Numer. 25.

De habitatoribus Galaad.) Migravit Elias a patria sua Thesbe in vicinam Galaaditim. Cur ? Resp primo, quia Galaaditæ tunc valde corruptis erant moribus, idololatræ et homicidæ. Ivit ergo ad eos Elias, ut ipsos per se et suos discipulos ad meliorem frugem revocaret. Id liquet ex Osee propheta, qui sub Ozia rege paulo post Eliam prophetavit, ac c. 6. 8. sic ait : *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem.* Vide ibi dicta.

Rursum, Galaad erat ferax resinæ, opobalsami et aliorum aromatum, ex quibus conficiuntur emplastra et medicinæ ad curandos morbos et vulnera. Hinc repræsentat prophetas, qui quasi medici spiritales animarum vulnera et ægritudines curant. Hoc est, quod ait Ieremias cap. 8. 22. *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Unde ibi Chaldæus Paraphrastes vertit . *Desiderabam doctrinam Eliæ prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicinæ* Elias ergo et Eliseus, uti in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis: sic et in Galaad commorati sunt, ut incolas ad verum Dei cultum traducerent, ut *ubi superabundavit delictum, superabundaret et gratia.* Rom. 5. 20. ideoque hisce in locis Collegia discipulorum, qui proinde *filii prophetarum* vocantur, instituit: unde ad eos spectat illud Cant. 4. 1. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Hac de causa Elias rapiendus in cælum, Collegia hæc in Bethel, Iericho, Galgalis, etc. obivit, 4. Regum 22. ut suis discipulis valediceret, eosque in aspero vitæ eremiticæ et cœnobiticæ studio prosequendo confirmaret. Ita Abul.

Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi iuxta oris mei verba.) Non dubium est Eliam zelo æstuantem prius Achab regem monuisse de abdicando cultu Baal, et colendo Deo vero : sed cum ille surdas adhiberet aures, Elias a verbis ad verbera venit, ac totam terram percussit sterilitate, ut Achab et idololatræ discerent non Baal, uti ipsi putabant, sed Deum verum dare pluviam, messem, ceteraque terræ bona, ideoque ad hæc obtinenda eum invocarent, non Baal; ait ergo: *Vivit Dominus*, id est, iuro per vitam Dei, quod non erit pluvia fœcundans terram, nisi iuxta meum beneplacitum ; quando scilicet ego precibus meis cælum ad pluendum aperiam, sicut nunc illud precibus meis clausi : Eliam enim precibus hæc omnia a Deo impetrasse docet Iacobus in Epist. cap. 5. 17. *Elias*, inquit, *homo erat similis nobis passibilis : et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit, et cælum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.*

In cuius conspectu sto.) Septuag. *cui astiti coram eo*; Chald. *ante quem ministro*, q. d. Ego semper mente Deum habeo præsentem, conorque illum amare, laudare, revereri, eique per omnia placere, ideoque illum invocavi et invoco, ut mihi hanc potestatem sistendi laxandique pluvias, ad evertendum cultum Baal, concedat, uti de facto concessit. Nec enim Elias iuraret ita fore, nisi Deus ei id concessisset, eumque fecisset quasi Dominum aeris. Unde exclamat Eucher. : *Magna vis propheticæ dignitatis, humanus sermo est divinus effectus. In terris homo loquitur, et imperio eius cælestes obediunt potestates. Commovit omnem creaturam unus sermo prophetæ, et miro modo humi sonans aera cælumque concussit, turbatus est humani ministerii ordo, et a sæculis instituta elementorum harmonia contabuit, cum sicco humidum, calido frigidum negaretur: sed elementa pœnam suam læta suscipiunt, dummodo vel in salute hominum, vel in honore proficiat conditoris.*

Si erit annis his ros et pluvia.) Hebr. *si* idem est, quod *non.* Causam dat Auctor de Mirabil. Script. lib. 2. cap. 15. *Quatenus.* inquit, *qui Deum per mala in terra exacerbassent, cæli clementia et aeris commoditate carerent.*

Nisi iuxta oris mei verba.) Ut nulla futura sit pluvia, nisi quando ego verbis et precibus meis illam adduxero. Concionatorie S. Chrysost. hom. 1. de Elia, ait eum ex rigido zelo vindicandi idololatriam, noluisse Deo (utpote quem misericordem, facile precibus flectendum ad dandam veniam et pluviam sciebat) relinqui, sed sibi reservari; utpote qui iam mentem obfirmarat de non danda idololatris venia, nec pluvia. Quare ipsum tamdiu precibus Deum fatigasse, donec id ei concederet: quo obtento constanter et severe edixisse: Iuro per Deum, quod non pluet nisi quando ego voluero: non volam autem nisi sacerdotibus Baalitis occisis, et cultu Baal subverso, ut patet c. 18. 41. Hæc S. Chrysost. qui homil. 2. graphice hæc depingens ait : *Cum Elias propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cumque Baal et lucos despecto Domino coli a sacrilegis pervideret; cumque Creatore despecto figmentis sese nemoribusque omnis populus addixisset ; zelo Dei commotus Iudæam terram siccitatis sententia, et pluviarum sterilitate addixit. Tunc subito anhelat terra, siccatur cælum, sitiunt omnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aer fervet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes, dies arescunt. sata torrentur, arbusta ægrotant, etc. iram Dei universa creatura testatur.*

Abscondere in torrente Carith.) Quæret enim te, Vers. 3.
quasi sterilitatis auctorem rex Achab, et si invenerit, occidet. Fuge ergo et late, ne in tuum caput siccitatis causa revolvatur. *Torrens Carith* descendit de montibus Ephraim iuxta urbem Phaselum, unde iuxta eum multæ erant cavernæ et speluncæ, in quas se abdere poterat Elias. Hic ergo latuit per triennium siccitatis, pastus a cor-

vis. Unde in eius memoriam S. Helena ibidem ecclesiam extruxit, teste Niceph. lib. 8. cap. 30. *Carith* Hebr. idem est quod *excisio*, *succisio*, quia hic Elias terræ germina et sata per ariditatem a se inductam succidit. Unde S. Chrysost. homil. de Petro et Elia, ait Eliam igneum ardorem et quasi febrim terræ induxisse: *Vix dum*, ait, *exierat sermo eius, cum subito mutatur aer, cœlum æneum factum idemque sermo in terræ viscera tamquam febris incubuit. Et e vestigio exaruerunt omnia, omnia solitudine ac vastitate horruerunt, herbæ siccatæ sunt, plantæ simul et arbores tum frugiferæ, tum steriles.*

Meminit huius sterilitatis et famis Menander historicus Gentilis apud Iosephum lib. 8. c. 7. sed mutile et imperfecte, more Gentilium cum de rebus Iudaicis loquuntur. Ait enim famem hanc durasse uno tantum anno, cum S. Iacobus c. 5. 17. asserat eam durasse tres annos et sex menses. Videtur hæc fames tantum fuisse in Israele: eius enim idololatriam Elias puniebat. Quare quod Lucæ 4. 25. dicitur eam fuisse *in omni terra*, accommode accipe, scilicet *in omni terra* Achab regi subiecta, et peccatis idololatriæ eius contaminata.

Vers. 4. CORVISQUE PRÆCEPI.) Id est instar præcipientis ordinavi, et instinctum hunc eis indidi, ut tibi afferant panem. Ita Caiet.

Vers. 6. CORVI QUOQUE DEFEREBANT PANEM ET CARNES MANE, SIMILITER PANEM ET CARNES VESPERE.) Corvus est avis vorax, inhumana, maligna; illa ergo usus est Deus ad cibandum Eliam, ut ostenderet se omnibus animalibus imperare, eorumque indolem mutare et convertere eo quo lubet, ac sanctis, qualis erat Elias, omnes creaturas Deo iubente servire et obsequi. Sic corvi afferebant quotidie dimidium panem ad S. Paulum primum eremitam, integrum vero adveniente S. Antonio. Unde ad eum conversus S. Paulus ait: *Eia Dominus nobis prandium misit vere pius, vere misericors. Sexaginta anni sunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam.* Ita S. Hieron. in Vita S. Pauli. S. Benedictus vero corvo, qui hora prandii ad se venire et cibum e manu sua sumere solebat, iussit panem veneno infectum a Florentio invido sibi submissum tollere, et in locum, ubi a nemine inveniri posset, asportare; cui obediens corvus idipsum præstitit, uti refert S. Gregor. lib. 2. Dial. c. 8. huius corvi progenies etiamnum superest, ac a Benedictinis continue alitur in monte Cassino.

(Corvi aluere sanctos. Exempla.)

(Cur?) Porro quod corvis potius quam aliis avibus Deus usus sit, causa litteralis fuit, quod corvi ament loca solitaria, ac præsertim torrentes, eo quod siccissimæ et calidissimæ sint naturæ. Unde Proverb. 30. 17. dicitur: *Oculum qui subsannat patrem*, etc. *effodiant eum corvi de torrente.*

Corvis ergo, quasi maxime obviis avibus, usus fuit ad alendum Eliam in torrente Carith, ut ex corvo cibum, ex torrente potum in tanta omnium siccitate caperet. Aqua enim ad potum sufficit, estque potus maxime naturalis, quo ante Noe omnes prisci usi sunt.

(Tropol.) Tropol. vide hic, et reverere miram Dei in suos fideles providentiam: corvi enim Deo instigante quotidie bis apportabant panem et carnes Eliæ, scilicet mane ad prandendum, et vespere ad cœnandum. Angeli autem hos panes et carnes apparabant, ideoque meliores et sapidiores erant nostris, qui a pistoribus et cocis apparantur, iuxta illud Psal. 77. 25. *Panem Angelorum manducavit homo:* mox eosdem corvis ad Eliam deferendos dabant, eosque continebant, ne illos attingerent, ac impellebant ut ad Eliam intactos deferrent. Nam ut in Vita S. Onuphrii legimus, Deus et Angeli singularem habent curam Eremitarum, qualis erat Elias, eo quod ipsi omnia deseruerint, et ab omnibus sint deserti, iuxta illud: *Tibi derelictus est pauper, et orphano tu eris adiutor,* Psal. 9. 14. Quocirca S. Basil. hom. 8. in divites avaros: *Carmelus*, ait, *mons sublimis ac desertus Eliam habuit, cui viaticum cibusque fuit spes in Deo; et cum ita viveret, fame tamen extinctus non est, sed avium rapacissimi corvi, cibum ei attulere; et qui alienas solebant escas invadere, viro iustissimo ministri fuere: naturæ quoque obliti, in pane carneque ei afferendis Dominico præcepto paruerunt.*

ET CARNES.) Deus ergo non tantum panes ad vitam necessarios, sed etiam carnes ad lautitiam pro obsonio Eliæ submittebat. Quærit Abul. quid comederit Elias diebus ieiuniorum, quibus non licet vesci carnibus; ac respondet eum comedisse quidquid corvi afferebant. Deus enim mittendo carnes ad Eliam, hoc ipso cum eo in ieiunio dispensabat, volebatque, ut eas comederet, ac dono suo tam liberali frueretur, ne frustra eas misisse videretur.

Alleg. S. Prosper. lib. 2. prædict. et promiss. c. 28. « Panis Eliæ, inquit, est corpus Christi, quod Iudæi ut corvi gentibus ministrarunt, carnem in crucis ligno decoctam gentibus præparantes, ac ut corvi una et raucisona voce clamantes ad Pilatum: Crucifige, crucifige eum. » (Allegor.)

Aliter S. August. Serm. 101. de Temp. ubi omnia gesta Eliæ allegor. applicat Christo et Ecclesiæ: « B. Elias, inquit, typum habuit Domini Salvatoris. Sicut enim Elias a Iudæis persecutionem passus est, ita et verus Elias Dominus noster ab ipsis Iudæis reprobatus est et contemptus. Elias reliquit gentem suam, et Christus deseruit synagogam. Elias abiit in desertum, et Christus venit in mundum. Elias in deserto corvis ministrantibus pascebatur, et Christus in deserto mundi huius gentium fide reficitur. Corvi enim illi, qui beato Eliæ iubente Domino ministrabant, gentium populum figurabant. Propterea et de gentium Ecclesia dicitur: Nigra sum sed formosa, filiæ Ierusalem. Unde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Unde formosa? Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. » Et mox: « Vere Ecclesia gentium corvis similis erat, quando viventem Dominum contemnebat, et ante acceptam gratiam, velut morticinis cadaveribus, idolis ministrabat. »

Symbol. Auctor mirabil. S. Script. apud S. August. lib. 2. c. 17. « A corvis, ait, ministrari prophetæ præcipitur, ut scilicet culpam, quam in diluvio commiserat in terra, purgare avis illa videretur, dum ut fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens et fallax erat ante Noe. Præterea quoque in hoc ministerio illud etiam ostenditur, qualiter homo si non peccasset, etiam infructuosorum animalium nunc ministeriis uteretur. Unde vero eas carnes et panes ille corvus detulerit, ipse viderit qui tale officium committebat. In quo tamen intuendum est, quod ex aliquorum hominum scientium aut nescientium industria corvi hæc acciperent, qui coctos panes et carnes quaslibet qualitercumque præparabant. » (Symbol.)

VADE IN SAREPHTA SIDONIORUM.) Urbs hæc sita erat inter Tyrum et Sidonem in via publica, non procul a littore maris, et ab Eleuthero fluvio, duobus milliaribus distans a Sidone. Dicta est, *Sarephta*, id est, *conflatoria*, a צרף *tsaraph*, id est *conflare*, quod in ea essent officinæ conflatoriæ vasorum ex ære, ferro, aliisque metallis. Vers. 9.

Iubet ergo Deus Eliam extra Israelis fines et Achab persecutoris sui dominium, abire in ditionem Sidoniorum, ut ibi sub rege gentili secure et quiete degeret. Hinc Alleg. Elias significat Christum, qui persecutionem patiens a Iudæis, Evangelium suum transtulit ad gentes, uti explicat ipse Christus Lucæ 4. 25.

Audi Auctorem mirabil. S. Script. lib. 2. c. 18. « Idcirco ad Sarephtam Sidoniorum saturandus propheta mittitur, ut per illum bona et fidelis vidua pasceretur. Ne vero quem moveat, quod Sidoniorum terra hanc eamdem plagam pariter cum Israel perpessa erat, dum inde Iezabel persecutrix prophetarum, et totius vindictæ et facinoris causa, Sidoniorum regis filia paternam originem ducebat. »

PRÆCEPI ENIM IBI MULIERI.) *Præcepi*, id est ordinavi, disposui, providi: non enim proprie Deus præceperat viduæ, cum ei non esset locutus, imo vidua petenti Eliæ frustum panis, negavit se illud habere, v. 12. Si quis tamen contendat Deum revelasse viduæ adventum Eliæ, ac

iussisse ut eum exciperet et pasceret eo modo quo Elias postulaturus erat, non repugnabo. Fuit hæc mulier gentilis, utpote Sidonia, sed religiosa et devota, ait S. Chrysost. hom. 3. de Elia, et Abul. q. 24.

Vers. 12. En collige duo ligna, ut faciam (coquam) illum mihi et filio meo, ut comedamus et moriamur.) q. d. Postquam modicum hoc farinæ comederimus, moriemur fame, quia non habemus aliud quod comedamus.

Alleg. S. August. Serm. 101. de Temp. notat *duo ligna* significare crucem Christi, in ea enim sunt duo ligna, scilicet unum erectum, alterum transversum. *Ideo*, inquit August. *duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis mysterium desiderabat cognoscere. Crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata est, ideo duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum qui in duobus lignis pependit creditura erat Ecclesia. Dixit ergo vidua illa: Colligo duo ligna ut faciam cibum mihi et filio meo, et manducabimus, et moriemur. Verum est, fratres dilectissimi, nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic sæculo moriatur: nam quicumque corpus Christi digne manducare voluerit, necesse est ut moriatur præteritis, et vivat futuris.*

Et filio meo.) Sic et Chald. hoc enim est Hebr. לבני *libni*. Verum Septuag. aliis punctis legentes לבני *lebanai* vertunt, *filiis meis*; significant ergo eam plures habuisse filios, quibus panem eripuit, ut daret Eliæ. Eo maior fuit eius virtus. Ita Eucher.

Vers. 13. Verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem.) Qui scilicet sub cinere festinato citoque coquitur, ut præsenti urgentique fami Eliæ statim succurreret. Sic Abraham Angelis festinantibus coxit panes subcinericios, Genes. 18. 6.

Mystice, Eucherius: *Panis subcinericius*, inquit, *est pœnitentium satisfactio, iuxta illud Psal.* 101. *Quia cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam; his enim satisfactionibus Dominus se pasci hortatur.*

Mihi primum fac.) Causam dat S. Prosper p. 2. Prædict. c. 29. *Ut misericordia*, ait, *primum occupet locum, quam præire ante faciem Dei Script. testatur; ex ipso enim omnis copia.* Sic S. Ludovicus rex Franciæ priusquam ipse pranderet, centum pauperibus prandium dabat.

Vers. 15. Quæ abiit, et fecit iuxta verbum Eliæ.) Mira fuit huius viduæ fides, obedientia, liberalitas, ut modicum farinæ sibi ad vitam necessarium daret Eliæ, qui famem hanc induxerat. Unde exclamat Eucher. *O magnificum mulieris animum, o immutabile mentis propositum, o vere venerabile per sæcula factum! poculum petit, mox offert: et quod regibus iam forsitan deerat, quod divites non habebant, hoc vidua ex abundantia erogabat. Pascit pane, quæ cum filio die postero erat moritura, nec habere se negat; sed fatetur simpliciter, nec metuit prodere veritatem: et non tam postulanti, quam quodammodo exigenti omnem causam pandit in medium: quantitatem victus, et numerum personarum, ut non tam hospitem velit habere, quam iudicem.* Et inferius: *Erat in illo tempore spectaculum angelis hominibusque gratissimum, quod inter gentes in terra profana, vidua mulier iam tunc esset filia Abrahæ, multo hospitalior ipso parente, multo humanior fidei genitore. Erat quidem Abraham hospitalis, et erga peregrinos magno detentus affectu: sed erat vere opulentus, erat dives.* Et paulo post: *Studio humanitatis omnem vim despexit naturalis affectus, non de se, non de parvulis sollicita: nihil eam a mentis proposito revocavit, nec proprii sexus infirmitas, nec materna erga parvulos viscera pietatis: occidit in se naturæ officia hospitalitatis intuitu, et effectus est devotus erga hospitem matris animus filiorum crudele sepulcrum.*

Vers. 16. Et ex illa die hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus.) Non per rarefactionem, sed additionem novæ farinæ et olei continuam, ait Abul. Unde ex eo deinceps sustentata fuit vidua cum filio, quin et Elias ipse, ut patet v. 20 Merebatur hoc fides et sanctitas Eliæ, item obedientia et eleemosyna viduæ, qua modicum farinæ quod habebat, dederat Eliæ. Ita S. Prosper lib. 2. de prædict. et promiss. c. 29. quem audi: *Sic anima fœneratur Deum, sic dum dat in necessitate, sibi consulit ad salutem. Sic repletur anima, quæ corpore abscedente Domino, castigantem diligens, unius thori fidem pudico amore custodit, sacramento farris et olei unctione munita, secura expectans gratam pluviam, cum ei dixerit Dominus: Euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Audi et Eucherium liberalitatem et virtutem huius viduæ admirantem, et hoc elogio remunerantem: *Facta est igitur manus viduæ perenne torcular, et mola iugiter fundens. Ecquid dico mulieris manum? In verbo prophetæ tota domus viduæ piorum cellarium facta est. Non ibi ros, non pluvia, non veris aura, non calidi soles, non nimbus necessarius, non aratrum, non agricola, non colonus, sed omnia et in omnibus sermo prophetæ affatim viduæ ministrabat.* Pascentem se viduam pavit Elias.

Audi S. Hieron. Epist. 10. ad Furiam: *Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ et suæ et filiorum saluti Eliæ prætulit famem; ut in ipsa nocte moritura cum filio superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quam eleemosynam; et in pugillo farinæ seminarium sibi messis Dominicæ præparavit. Farina seritur, et olei capsaces nascitur: in Iudæa frumenti est penuria: granum enim tritici ibi mortuum fuerat, et in gentium vidua olei fluenta manabant.* Simili modo S. Euthymius (cuius sanctitas toti orbi sub Iustiniano Imp. inclaruit) farina in monasterio deficiente, illam multiplicavit, dicens: *Bono estote animo: quantum enim egentibus impertitis, duplum nobis Dominus elargietur. Spero enim, quod sicut olim hydria farinæ non defecit, ita nunc minime sit defectura.* Ita Eustachius in eius Vita, et ex eo Baronius, anno Christi 564. Pari ratione Masymas Anachoreta instar Eliæ in duobus doliis pro pauperibus multiplicavit frumentum, et oleum, uti refert Theodor. in Histor. Religiosa cap. 14. quem audi: *Hospitum autem et pauperum tam alacri animo curam gerebat, ut patefaceret portas omnibus, qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia; unum quidem frumenti, alterum vero olei. Ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus: habebat autem ea semper plena benedictione, quæ data est viduæ Sarephtanæ, et immissa fuerat in hæc dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effundit in omnes eos, qui ipsum invocant: et sicut illius hydriam, et guttam iussit scaturire, præbens manipulos seminum hospitalitatis: ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, quæ ex æquo respondebat eius animi alacritati.*

Similia sæpe fecit S. Ioannes Eleemosynarius Archiepiscopus Alexandrin. teste Leontio in eius Vita. Unde eius axioma erat: *Quo plura erogo in pauperes, eo plura semper et maiora a Deo recipio.* Unde S. Basil. hom. de eleemosyna eum comparat puteo, vel fonti, qui quo plus aquæ effundit, eo amplius aquæ ebullientis admittit, et recipit. Vide S. Chrysost. hom. cui titulus: *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima.*

Alleg. hydria farinæ significabat panem Eucharistiæ, qui quotidie a fidelibus comeditur, nec tamen consumitur, aut deficit umquam. Ita Lanfrancus, Algerus, et alii scribentes contra Berengarium.

Quod locutus fuerat in manu Eliæ.) Id est per Eliam: manus enim est instrumentum instrumentorum; unde notat causam instrumentalem; talis enim respectu Dei fuit Elias.

Ægrotavit filius mulieris matrisfamilias.) Puta viduæ iam dictæ: hæc enim mortuo marito erat sola materfamilias. Permisit, vel immisit hunc morbum Deus puero hoc fine, ut mortuus ab Elia suscitaretur; itaque Eliæ fides, et virtus apud Achab, et Baalitas splendesceret. Ita Eucher. et alii. Audi S. August. ad Simplician. quæst. 5. *Non malefaciendi causa mortificavit filium eius, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, quo* Vers. 17.

tantum prophetam, et tunc viventibus, et posteris commendaret. Sicut dicit Dominus, non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glorificaretur Deus in Filio, et ideo consequentia probant, et ipsa etiam fiducia, qua credidit Elias, non ad hoc illud contigisse, ut acerbo luctu eius hospita affligeretur, sed potius ad hoc factum esse, ut Deus magnificentius ostenderet viduæ, qualem Dei famulum suscepisset.

Nonnulli censent, hunc viduæ filium suscitatum ab Elia fuisse Ionam prophetam. *Tradunt Hebræi*, inquit S. Hieron. in præfat. in Ionam, *hunc esse filium viduæ Sarephtanæ, quem Elias propheta mortuum suscitavit, matre postea dicente ad eum: Nunc cognovi, quia vir Dei es tu, et verbum Dei in ore tuo est veritas; et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum. Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat, et ex eo, quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis.* Sic ipse, utique recitando non probando. Ionas enim Hebræus erat, hic vero filius erat Sidonius. Vide dicta proœmio in Ionam.

Vers. 18. INGRESSUS ES AD ME, UT REMEMORARENTUR INIQUITATES MEÆ, ET INTERFICERES FILIUM MEUM.) q. d. Num venisti ad me, o Elia, tamquam minister Elohim, id est Dei summi iudicis et vindicis, ut ad tuum ingressum puniar morte filii? Videbat enim ipsa Eliam quasi ministrum Dei punire scelera et scelestos, ut cum toti Israeli ob cultum Baal induxit sterilitatem, et famem. Est enim naturalis quasi antipathia inter sanctitatem et iniquitatem, ac inter sanctos et iniquos, ut una prædominans aliam excludat, et quasi interimat. Sic Eliæ severa sanctitas, et sancta severitas videbatur hic elidere omnem iniquitatem familiæ viduæ, ac in eius punitionem occidere viduæ filium. Notat Theod. humilitatem, et pœnitentiæ spiritum in hac vidua, quod mortem filii suis peccatis adscribat; ideoque meruit eum resuscitari. Audi Theodor. hic q. 52. *Sunt*, inquit, *admiratione digna verba viduæ: tuo, inquit, lumine aperta sunt mea peccata, quæ occulta erant. Non dixit, fuisti mihi malum auspicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; sed potius suis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantum enim ei profuit prophetæ doctrina:* quasi præ humilitate doluerit, se prophetam in domum suam indigne suscepisse.

Vers. 21. ET EXPANDIT SE, ATQUE MENSUS EST SUPER PUERUM.) Hebr. יתמודד *itmoded*, id est *seipsum admensus est* (est enim coniugationis *Hitpael*, quæ notat actionem reflexam agentis in seipsum) super puerum commensus est, et coæquavit seipsum puero, scilicet os suum ori pueri, manibus manus, pectus pectori, tibias tibiis, pedes pedibus applicando, et quoad fieri poterat per contractionem coæquando. Unde Chald. vertit, *Coarctavit se super puerum;* Septuag. *Inflavit puero ter;* Vatab. *incubuit puero.*

Elias incubuit puero. Causa I. Quæres, cur id fecit Elias? Resp. variæ fuere causæ. Prima ethica et pathetica, ut ostenderet eximium suum in viduam, et filium eius amorem, indeque dolorem de eius morte. Quos enim summe diligimus, hos amplexamur, arcteque complectimur, nec nos ab eis avelli patimur, quasi eis nostras vires, spiritum, et vitam inspirare velimus. Sic S. Ambros. Orat. funebri in obitu fratris sui Satyri, idem se illi fecisse commemorat: *Nihil*, inquit, *mihi profuit ultimos hausisse anhelitus, nihil flatus meos inspirasse morienti.*

II. Secunda physica causa fuit, ait Abul. quod Elias hoc suo in puerum incubitu, et insufflatione volebat corpus eius ex morte frigidum calefacere, itaque disponere ad animam, vitamque recipiendam, sicut disponit mater corpus embryonis in utero, ut Deus deinde iam calefacto et disposito, infundat animam rationalem: hoc enim est opus solius Dei, matris vero opus est materiam disponere. Sic gallina ova incubando calefacit, ut deinde in pullos formentur, et animentur.

III. Tertia symbolica, ut ostenderet, quam ardua et difficilis res esset, mortuum e morte suscitare ad vitam. Unde idem fecit Eliseus imitans Eliam magistrum suum 4. Reg. 4. 34. Rursum, ut liqueret, quanta esset distantia inter miracula Eliæ et Christi: Elias enim laboriose se fatigando et sudando suscitavit mortuum: Christus vero facillime solo iussu, et verbo, utpote mortis vitæque Dominus.

Quarta Theologica, ut sancti corporis sui contactu cadaver pueri Deo commendaret, ait Serarius. Corpora enim sanctorum non tantum viva sunt, sed et vivifica; adeo ut corpus Elisei iam mortui mortuum suscitarit quondam a latronibus occisum, qui in sepulchrum Elisei proiectus, dum sacra eius ossa tetigisset, divina virtute revixit, uti narratur 4. Reg. 13. 20. Aliam, magisque propinquam causam dat Abul. Elias, ait, ter puero incubuit: nam primo ei incubuit orans Deum, ut eum resuscitaret: sed cum id videret non fieri, secundo incumbens puero, oravit ferventius. Verum, cum nec tum quidem surgeret puer, tertio eidem incumbens oravit ardentissime, sicque tandem vitam puero impetravit. Idem fecit Eliseus. Idem nos imitari et facere convenit. Deus enim in rebus arduis vult sæpius et ardentius rogari, ut illud ferventibus, et zelo quasi armatis et inflammatis precibus ab eo extorqueamus. Hoc enim res meretur, sicque crescit nostra devotio, virtus, et meritum. Atque hic est fructus perseverantiæ, et orationis perseverantis, seseque intendentis, et ardentis. IV.

Quinta Mathematica; ut enim corpus maius æquetur minori, debet illud amplecti; ac vicissim minus maiori se subiiciat, oportet. Id patet in circulo minori incluso in maiori. Hic enim subiicit se maiori: unde maior eum amplectitur et proportionaliter sibi æquat, quia uterque idem centrum ambit, et ad illud circumcirca gyrat, ita ut nulla linea diametralis a maiori circulo ad centrum duci possit, nisi illa prius circulum minorem intermedium secet, et pertranseat. Quare nulla pars in circulo maiori assignari potest, cui non pars similis et proportionaliter æqualis in minori respondeat. Quare docemur, quod ut inferiores Superioribus uniantur, et quasi adæquentur, necesse sit ut Superiores ad inferiores se per amorem inclinent, eosque complectantur; inferiores vero Superioribus debita obedientia, et subordinatione se submittant, et substernant. Hæ ergo sunt duæ virtutes sublimes, quæ omnia complanant, adæquant, et uniunt, nimirum charitas, et humilitas. Sicut Elias charitate amplexans puerum, et puer naturaliter se submittens Eliæ, ei se quasi adæquavit, itaque ab eo animam, spiritum, et vitam recepit. V.

Allegoricam, et præcipuam causam dat S. Prosper parte 2. Prædict. c. 31. scilicet, ut Elias suo gestu repræsentaret mysterium Incarnationis, quo Dei filius suam Deitatem commensus est, et quasi coæquavit nostræ humanæ naturæ, quam assumpsit, ut per eam nos peccato mortuos vivificaret. *Elias, et post eum Eliseus*, ait Prosper, *ut mortuum parvulum suscitaret, iuvenilia membra contexit. Et Dominus Iesus seipsum exinanivit, formam servi accipiens: parvum se illi parvo coaptavit, ut efficeret istud corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Iacens subter se frigidum suo calore succendit; similiter et noster Salvator Dominus mundum, a cuius calore non est iam qui se abscondat. Insufflavit ille tertio iacenti, ut trina confessio infunderetur credenti: sic suscitatus est mortuus, dum a morte perpetua iustificatus est impius.* Alleg.

Unde Chald. vertit, *Coarctavit se super puerum;* Sept. *insufflavit ter in puerum.* Sicut enim gallina incubat ovis, totamque se super ea expandit, et quasi commensurat, ut ea calefaciat, et vivificet: sic et Deitas Christi se expandit super totam humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est et coæquavit, ut eam frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vivificaret: singula enim hominis membra omnesque animæ potentiæ per peccatum spiritaliter erant mortuæ, frigidæ, aridæ et exanimes; quare in singulas Deitas incumbens, insufflavit in eas, et inhalavit spiritum gratiæ, et vitæ spiritalis. Tertio autem Elias incubuit puero, eique seipsum coarctando admensus est, quia Christus tertio seipsum coarctavit, et commensus est humanæ naturæ, scilicet pri-

mo, in utero; secundo, in præsepio; tertio, in cruce; itaque mortuum genus humanum vivificavit, eique spiritum charitatis, paupertatis, et patientiæ inspiravit, et *cum clamore valido ac lacrymis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Ita Lyran. Angelom. Eucher. Salianus.

Audi S. August. serm. 201. de Temp. *Filius viduæ defunctus iacebat, quia filius Ecclesiæ, id est populus Gentium, multis peccatis et criminibus mortuus est. Orante Elia filius viduæ suscitatur, veniente Christo filius Ecclesiæ, id est populus Christianus, de carcere mortis reducitur. Elias inclinatur in oratione, et vivificatur viduæ filius; et Christus procumbit in passione, et suscitatur populus Christianus.* Et post nonnulla: *Nam quod tribus vicibus inclinatur, mysterium Trinitatis ostenditur. Viduæ enim filium, id est populum Gentium, nec solus Pater sine Filio, nec Pater et Filius sine Spiritu sancto; sed tota Trinitas suscitavit. Denique hoc etiam in Sacramento Baptismatis demonstratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, ut novus surgere mereatur.* Hoc igitur est verbum abbreviatum, de quo Apostolus Rom. 9. 28. *Ut quod cœlo non capiebatur, præsepio caperetur,* ait S. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos cap. 3. nimirum Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens.

Tropol. Tropologica causa fuit, ut ostenderet Elias virum zelosum et charitate flagrantem, qui convertere satagit animas vitiis, et concupiscentiis mortuas, debere per magnam compassionem, commiserationem, et zelum iis quasi se coæquare, et commetiri, ut eis frigidis, et torpentibus spiritum vitæ inhalet: peccator enim est quasi cadaver mortuum et frigidum, quare ingenti et crebro concionatoris, confessarii, et monitoris ardore opus est, ut calorem pœnitentiæ et devotionis ei aspiret, quo ad vitam gratiæ a Deo recipiendam se disponat. Sic enim ignis frigidum lignum prius calefacit, ut deinde illud igniat. Et gallina ova diu calefacit, ut animentur. Ita faciebat Paulus dicens: *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos,* 1. Corint. 9. 22. Et: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* 2. Corinth. 11. 29. Et: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,* Galat. 4. 19.

Anagog. Anagogica causa fuit, ut significaret Christum in resurrectione commensurum, et quasi coæquaturum nos suæ gloriæ, et corpori glorioso, iuxta illud: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Philip. 3. 21.

Vers. 22. ET REVERSA EST ANIMA PUERI INTRA EUM.) *Reversa,* scilicet e limbo. Hinc patet animæ hominis immortalitas. Hic puer est primus ab origine mundi a morte ad vitam suscitatus; nec enim alium eo priorem suscitatum legimus. Ita Caiet. Denique cœnaculum, sive locus, in quo Elias hunc puerum e morte suscitavit, etiamnum ostenditur, ait Adrichom. in Sarephta.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias sistit se regi Achab, et non se, sed ipsum suis idolis turbasse Israelem asseverat. Mox v. 21. miraculo evocationis ignis e cœlo in victimam certat cum prophetis Baal, vincensque iubet omnes mactari. Denique v. 41. pluviam Israeli a se siccitate damnato indeque fœcunditatem restituit.

1. POST dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens: Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. 2. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. 3. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valde. 4. Nam cum interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua. 5. Dixit ergo Achab ab Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam, et salvare equos et mulos, et non penitus iumenta intereant. 6. Diviseruntque sibi regiones, ut circuirent eas: Achab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum. 7. Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, domine mi, Elias? 8. Cui ille respondit: Ego. Vade, et dic domino tuo: Adest Elias. 9. Et ille, Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me? 10. Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit dominus meus te requirens: et respondentibus cunctis: Non est hic: adiuravit regna singula et gentes, eo quod minime repereris. 11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias. 12. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te, in locum quem ego ignoro: et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me: servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. 13. Numquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Iezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua? 14. Et nunc tu dicis: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias: ut interficiat me? 15. Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto, quia hodie apparebo ei. 16. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei: venitque Achab in occursum Eliæ. 17. Et cum vidisset eum, ait: Tune es ille qui conturbas Israel? 18. Et ille ait: Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. 19. Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel. 20. Misit Achab ad omnes filios Israel, et congregavit prophetas in monte Carmeli. 21. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. 22. Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi propheta Domini solus: prophetæ autem Baal quadringenti et quinquaginta viri sunt. 23. Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant: et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam. 24. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini mei: et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio. 25. Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis: et invocate nomina deorum vestrorum ignemque non supponatis. 26. Qui cum tulissent bovem, quem dederat eis, fecerunt: et in-

vocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebantque altare quod fecerant. 27. Cumque esset iam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiore: Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. 28. Clamabant ergo voce magna, et incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine. 29. Postquam autem transiit meridies, et illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes: 30. Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini quod destructum fuerat. 31. Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens: Israel erit nomen tuum. 32. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, 33. Et composuit ligna: divisitque per membra bovem, et posuit super ligna, 34. Et ait: Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum, et super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio idipsum facite. Feceruntque tertio, 35. Et currebant aquæ circum altare, et fossa aquæductus repleta est. 36. Cumque iam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. 37. Exaudi me Domine, exaudi me: ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum. 38. Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam quæ erat in aquæductu lambens. 39. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. 40. Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad Torrentem Cison, et interfecit eos ibi. 41. Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, et bibe: quia sonus multæ pluviæ est. 42. Ascendit Achab, ut comederet et biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua. 43. Et dixit ad puerum suum: Ascende, et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus. 44. In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, et dic Achab: Iunge currum tuum et descende, ne occupet te pluvia. 45. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Iezrahel: 46. Et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iezrahel.

Vers. 1. IN ANNO TERTIO, siccitatis, et famis ab Elia inductæ Israeli.

Vers. 3. ABDIAS AUTEM TIMEBAT DOMINUM VALDE.) Hebræi, Lyran. et Rupert. putant hunc *Abdiam* esse Abdiam prophetam, qui inter minores prophetas ordine est quartus. Addit Lyran. Abdiam merito huius beneficentiæ in prophetas, a Deo in præmium accepisse donum prophetiæ: S. Epiphan. vero lib. de Prophetis censet, Abdiam hunc fuisse quinquagenarium illum, qui libro 4. c. 1. Eliæ supplex mortem effugit. Sed hunc Abdiam ab utroque esse diversum, ostendi proœmio in Abdiam.

Vers. 4. TULIT ILLE CENTUM PROPHETAS, ET ABSCONDIT EOS.) Abul. putat, prophetas hosce fuisse prophetas proprie dictos. Planius Lyran. et Caiet. censent, eos fuisse viros religiosos, qui abdicatis curis terrenis seorsim simul habitantes divinis laudibus insistebant, uti faciunt iam Cœnobitæ. Simili modo legimus 1. Reg. 19. 20. chorum prophetarum non tantum vocali cantu, sed et musicis instrumentis una cum Samuele et Saule laudasse Deum. Sic Heman, et Idithun cantores dicuntur *prophetasse*, id est, cecinisse psalmos in citharis et psalteriis, 1. Paralip. 25.

Vers. 18. NON EGO TURBAVI ISRAEL, SED TU, ET DOMUS PATRIS TUI, QUI DERELIQUISTIS MANDATA DOMINI ET SECUTI ESTIS BAALIM.) Puta idola, et deos gentium. Vide hic libertatem Eliæ qua Achab regi culpam, causamque siccitatis, et famis a se inductæ in faciem obiectat. Idem fecere Lucifer Calar. S. Athanas. et S. Hilar. in Epistolis, et libris scriptis ad Constantium Imper. Arrianum.

Vers. 19. CONGREGA AD ME UNIVERSUM ISRAEL IN MONTE CARMELI, ET PROPHETAS BAAL QUADRINGENTOS QUINQUAGINTA, PROPHETASQUE LUCORUM QUADRINGENTOS.) Petiit hoc Elias, ut omnes occideret, ac iis occisis excideret pariter idola Baal, et *lucorum*, id est aliorum deorum, qui in sylvis, et lucis colebantur. Fuere ergo universim pseudoprophetæ, sive pseudodoctores hæresis, et idololatriæ 850. quos omnes Elias partim per se, partim per populum interemit. Esto enim soli subinde Baalitæ quasi præcipui nominentur, tamen ceteros quoque fuisse interemptos, patet c. 19. v. 1.

Vers. 23. ET EGO FACIAM ALTERUM BOVEM.) *Faciam*, id est sacrificabo. Summum enim et nobilissimum opus, quod facit homo, est sacrificium. Sic Virgilius:

Cum faciam (id est sacrificabo) *vitulo pro frugibus, ipse venito.*

DEUS, QUI EXAUDIERIT PER IGNEM, IPSE SIT DEUS.) Qui scilicet ignem in hostiam sibi oblatam e cælo demiserit. Hic enim hoc ipso ostendet se ignis æque ac cæli esse Dominum, ac sacrificium illud esse suum, id est verum et divinum. Solebat enim Deus in igne apparere, ac per ignem e cælo missum absumere sacrificia sibi oblata, uti fecit in sacrificio Abelis, Genes. 4. 4. Aaronis Levit. 9. 24. Salomonis 2. Paral. 7. 1. Davidis 1. Paral. 21. 20. Gedeonis Iudic. 6. 21. Manue Iudic. 13. 20. et aliorum. Ignis enim repræsentat maiestatem Dei. Unde Deuter. 4. 24. Moses ait Hebræis: *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Ignis enim symbolum est castitatis et puritatis, æque ac efficacitatis divinæ, uti per 17. analogias ostendi Levit. 9. 23. Hinc et Spiritus sanctus in specie ignis descendit in Apostolos die Pentecostes, Actor. 2. Vide ibi dicta. Vers. 24.

Et hæc populus sciebat, atque illa tum ex Scripturis, tum ex Levitis audierat; unde statim succlamavit, dixitque: *Optima propositio.* Miraculo enim hæc lis de Deo vero decidenda erat, uti hic Eliæ suggessit Deus, eo quod Achab, Iezabel et Baalitæ in cultu Baal essent obstinati, nec ullas rationes in contrarium ad aures admitterent.

QUI CUM TULISSENT BOVEM, QUEM DEDERAT EIS, FECERUNT.) Id est immolarunt Baal. Tradunt, vel potius more suo fabulantur (teste Lyrano et Abul.) Rabbini bovem hunc fugisse a Baalitis ad Eliam, quasi qui dedignaretur immolari Baal, velletque ab Elia immolari Deo vero, ut hoc prodigio adverteret populus, Baal non esse Deum, et ad Deum verum, quem colebat Elias, rediret. Vers. 26.

TRANSILIEBANT ALTARE QUOD FECERANT.) Sic et Sept. sed Hebr. et Chald. habent *quod fecerat*, scilicet Elias, ait Serarius, et Sanchez, qui censent, Baalitas insultasse hic altari Eliæ, illudque saltando diruisse, ideoque paulo post Eliam v. 30. illud restaurasse. Favet Chald. qui vertit: *Insaniebant super aram, quam fecerat*, scilicet Elias. Verum v. 30. contrarium potius significat, scilicet Eliam necdum erexisse suum altare.

Quare Vatab. Hebr. *quod fecerat* exponit subaudiendo *unus eorum*, scilicet Baalitarum, vel eorum dux, *rex A-*

*

chab. Saltabant ergo Baalitæ inconditi quasi amentes, ut vertit Chald. cum viderent, Baal a se invocatum non respondere; tum ex pudore et anxietate, ne ab Elia male mulctarentur, uti reipsa eis mox contigit; tum ut Baalem anxio hoc suo transultu placarent, commoverent et quasi cogerent ad respondendum: hoc enim gestu significabant suum erga Baalem eiusque altare studium et devotionem, quasi qui cuperent ipsimet fieri victimæ, et in altari immolare se Baali, ideoque lanceolis se incidentes, sanguine suo altare cruentabant, ut sequitur. Similes saltus et gestus inconditos more bacchantium edebant Corybantes, Luperci, et Salii apud Romanos. Ita Salianus, Vatab. et alii.

Vers. 27. ET FORSITAN LOQUITUR.) Colloquitur cum aliquo, ut ad vestras preces attendere nequeat.

AUT IN DIVERSORIO EST.) Ut comedat, bibat et epuletur. Putabant enim Gentiles deos instar hominum manducare, et potare, ac vesci nectare et ambrosia. Unde Homerus Iliad. 2. inducit Iovem apud Ægyptios, et Æthiopes epulantem cum aliis diis.

Vers. 28. INCIDEBANT SE IUXTA RITUM SUUM CULTRIS ET LANCEOLIS.) Ut Baali se, suumque sanguinem litarent, et offerrent, itaque eum flecterent ad respondendum. Idem fecere Syri, Græci, et Romani, teste Apuleio lib. 8. Luciano in Dea Syria, Plutarcho lib. de Superstitione. Audi Lactantium lib. 1. de falsa relig. c. 21. *Alia virtutis* (sacrificia) *quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exerentes currunt, efferuntur, insaniunt.* De hac Tibullus, ubi feminam sacrificantem induxit:

Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inepta Deam.
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos Dea magna movet.

Nimirum dæmon æmulus Dei, et invidus homini, divinis honoribus gaudet, ideoque humano sanguine sibi quasi Deo litari vult, itaque simul homines sibi exosos excruciat, vulnerat et sæpe necat.

Vers. 29. ET ILLIS (*Baalitis*) PROPHETANTIBUS.) Id est Baalem laudantibus et invocantibus, Chald. *insanientibus.*

Vers. 30. CURAVIT (Elias) ALTARE (Domini) QUOD DESTRUCTUM FUERAT.) Abul. q. 27. putat hoc altare primitus erectum a Saule 1. Reg. 15. 12. sed Saul ibi erexit fornicem triumphalem, non altare. Dico ergo Eliam, ut populum avocaret ab altari, et cultu Baal, iam ante instinctu Dei erexisse altare in monte Carmelo, et ad illud populum convocasse, ut in eo Deo vero sacrificaret: quare Iezabelem, et Baalitas Eliæ indignantes hoc eius altare destruxisse; Eliam vero illud hic rursum erexisse, et instaurasse.

Vers. 31. ET TULIT DUODECIM LAPIDES IUXTA NUMERUM TRIBUUM FILIORUM IACOB.) Duodecim enim filii Iacob per suos filios, nepotes, et abnepotes constituerunt 12. tribus Israel. Fecit hoc Elias, ut ostenderet se Deum verum colere, illique sacrificare, quem coluerat Iacob, ceterique Patriarchæ, et prisci Israelitæ, ac proinde præsentes quoque Israelitas, utpote eorum posteros, debere iisdem vestigiis insistere, ac eundem Deum colere. Unde subditur:

AD QUEM FACTUS EST SERMO DOMINI DICENS: ISRAEL ERIT NOMEN TUUM.) Apposite q. d. Sicut Iacob luctans cum Deo (id est Angelo Dei vicario) eumque volentem vincens, vocatus est Israel, id est dominans Deo, Genes. 32. sic pariter vos, si patriarchæ vestri Iacobi fidem et cultum veri Dei imitati fueritis, fietis veri Israelitæ, id est dominantes Deo, ac omnia, quæ ab eo postulaveritis impetrabitis: quod ut faciatis ecce ישרה אל *isra el*, id est *dominabitur Deus* in hoc meo sacrificio, per ignem e cælo in illud missum, ac Baalitas prosternet: licet enim et ipsi ope sui Baal, id est dæmonis, potuissent ignem e cælo in bovem suum demittere (hoc enim faciet Antichristus ope dæmonis Apoc. 13. 13.) tamen sciebat Elias ex Dei revelatione, Deum id non permissurum, ut Baalem confunderet, et se solum Deum verum ostenderet.

Vers. 32. FECITQUE AQUÆDUCTUM QUASI PER DUAS ARATIUNCU-

A LAS, IN CIRCUITU ALTARIS.) Scilicet quasi per duos sulcos, sive per duo spatia, quæ arari poterant. In Hebræo significatur aquæductus fuisse tantus, ut caperet duo sata. Habet enim: *iuxta domum*, id est saccum vel mensuram *duorum satorum seminis*, q. d. Fecit alveum vel areolam excavatam circum altare tantam, ut caperet saccum continentem duo sata, id est duos modios seminis. Ita Vatab. Male ergo quidam sic exponit, q. d. Fecit tantum alveum, quantus est in quo seminantur duo sata. Sic enim alveus hic fuisset maior alveo Tiberis vel Rheni. Satum enim est mensura Hebræa capiens tantum, quantum modius apud Romanos. Iam modius dum seminatur integrum agrum implet. Porro Hebræi *domum* vocant saccum vel vas quodlibet, quod semen aliamve rem continet.

Fecit hoc Elias, tantumque aquæ circa altare effudit, ne quis putaret eum sub altari abscondisse ignem, ac proinde ignem ab eo e cælo evocatum, non e cælo descendisse, sed in terra ab eo absconditum, inde in altare more suo ascendisse. Audi S. Chrysost. hom. de Petro et Elia,
B quam ex Metaphraste recitat Surius die 1. Augusti: « Attende quod dicturus sum, vidi enim ipse quod dicam. In idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiore parte altaris, et fovea quædam obscura: descendunt autem erroris artifices in foveam illam, et ex foraminibus ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti ignem illum cælestem existiment esse. Ne igitur et Elias in suspicionem veniret, quod et ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, ut aqua illa, nulla esse infra altare foramina ostenderet, ubi enim aqua foramen invenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat, necesse est. »

Fabulatur R. Salomon Eliam, cum tantum alveum aqua in hydria allata implere non posset, fecisse ut pars aquæ ex hydria a se effusæ manus suas attingeret, itaque novo miraculo ex Eliæ manibus, quasi e duobus fontibus aquas largissimas emanasse, quæ totum alveum implerent, ideoque 4. Reg. 3. 11. dici ab Eliseo in Eliæ manus
C aquam effusam.

CECIDIT AUTEM IGNIS DOMINI, ET VORAVIT HOLOCAUSTUM.) Quasi cibum Dei. Victimæ enim sunt quasi cibus Dei. Scribit Iosephus l. 8. Antiq. c. 13. locum hunc igne Dei consumptum usque ad sua tempora perdurasse. Vide dicta Isaiæ 64. 2. ad illa: *Aquæ arderent igni.* Vers. 38.

QUOD CUM VIDISSET OMNIS POPULUS, CECIDIT IN FACIEM SUAM, ET AIT; DOMINUS IPSE EST DEUS, DOMINUS IPSE EST DEUS.) Hebr. *Iehova ipse est Elohim, Iehova ipse est Elohim*, q. d. יהוה *Iehova* qui primus hoc nomen suum indicavit Mosi Exodi 6.3. ac hoc nomine ab eo et ceteris Israelitis invocatus est, ipse est solus, verusque Elohim, id est Deus, et Numen omnia gubernans, cælum, et terram moderans, a quo proinde nos, ceterique homines omnem alimoniam, omneque bonum exspectare, et postulare debemus. אלהים *Elohim* enim significat Deum, quatenus habet providentiam rerum omnium, omniaque regit, iudicat et vindicat. Hinc Hebræi dicunt, sumptum nomen Eliæ, sive, ut Hebr. vocatur, אליהו *Eliahu*, qui prius Vers. 39. Eliæ etymon.
D vocabatur *Iaberschuah. Eliahu* enim idem est, quod Machabæorum.
אל יה הו *El Ia hu*, id est, *fortis Deus ipse.* Iam *El* est abbreviatum *Elohim*, *Ia* est contractum *Iehova*, *Hu* est *ipse.* Sic מכבי *Machabi*, id est *Machabæi* nomen a Iuda et fratribus sumptum est ex illo Exodi 15. מי כמוך באלים יהוה *Mi camocha Baelim Iehova*, id est: *Quis similis tui in fortibus Domine?* Hoc enim velut insigne et emblema suæ pugnæ et victoriæ præferebant Machabæi, nullam in sua fortitudine spem, sed totam in Deo collocantes. Elias enim Dei ope fortior evasit Achabo, Iezabele, et Baalitis, non tantum passive, eorum persecutiones fortiter sustinendo, sed et active, omnes mactando. Sic S. Liduina, quæ in morbis plurimis et acerbissimis per annos 30. et amplius admirabile fuit patientiæ speculum, hoc nomen quasi omen futuræ patientiæ accepit. *Liduina* enim Belgice idem est, quod *lata patientia*, uti habet eius Vita in initio apud Surium tom. 7. die 14. Aprilis. Sic Mars Et aliorum.
Græce dictus est, [illegible] quod naturam habeat [illegible] id est

infractam, invictam, et immutabilem, ait Plato in Cratylo. Unde ad hoc etymon alludens Virgil.

Infractos adverso Marte Latinos,

nuncupat. Sic *Agamemnon,* ait Plato, hoc nomen accepit ob laborum, quos perpessurus erat, tolerantiam; decem enim annis obsidens Troiam multa perpessus est. Unde αγαμεμνων dictus quasi αγαν μενων, id est *valde manens* in obsidione Troiæ. Sic *Elias* Athleta divinus idem est, quod *fortis Domini,* vel *fortis Dominus,* in eo, eiusque operibus.

Notat Beniamin in Itinerario, in Carmelo antrum Eliæ adhuc visi, altarisque diruti vestigia; cuius locus circularis fuerit, diametro fere cubitorum quatuor.

Vers. 40. Apprehendite prophetas Baal.) Et lucorum, puta universim 850. ut dixi v. 19. quos omnes Elias iussu Dei, ut ipse ait v. 36. præcepit occidi; quia ipsi erant antistites, doctores, et auctores idololatriæ, ideoque blasphemi in Deum, quos Deus per Mosen iusserat occidi: ita Abul. et alii. Audi Auctorem de Mirabil. S. Script. lib. 2. *Quippe qui Elias erat in ea lege, quæ dicit Levit. cap 24. blasphemum non patieris vivere. Nullus hominum idolum colit, nisi Dei blasphemus extiterit. Ac per hoc qui idololatriæ cultores mactaverat, blasphemos et sacrilegos de terra purgabat.* Et S. Basil. hom. 20. de Ira: *Illum, qui tamquam pharmaco ad ea, quæ oportet, ira utitur, Dominus minime condemnat. Moyses omnium hominum mansuetissimus vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Phinees iusta contra publice fornicantes ira, ut oportebat, usus, protinus utrumque trucidavit. Samuel regem Amalec iusta ira in medium trahens, occidit. Sic itaque fit ira sæpenumero bonarum actionum ministra. Elias vero zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, et quadringentos sacrorum nemorum comedentes de mensa Iezabel, iusta sapientique indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte mulctarentur, effecit.*

Duxit eos ad torrentem Cison (ubi Barac cecidit Sisaram cum suis copiis Iudic. 4. v. 7.) et interfecit eos ibi.) Ne terra sancta eorum scelesto sanguine pollueretur, neve eorum cadavera aerem inficerent, idcirco ea devolvit in *torrentem Cison,* nec in terra, sed in aquis decurrentibus sepelivit.

Vers. 41. Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede et bibe, quia sonus multæ pluviæ est.) q. d. Iam peracta est iusta vindicta de impiis idololatris Deo iniuriis: quare Deus iam quasi placatus reconciliari cupit Israeli, ac pluviam et fœcunditatem illi denegatam restituere. Quocirca nunc mihi Deus revelavit, pluviam mox venturam, imo ego eam video quasi venientem, ac sonitum venti vel tonitrui, qui ingentem pluviam præire solet, videor mihi audire: nullum enim adhuc signum pluviæ in aere apparebat, ut patet ex sequentibus. *Ascende* ergo, o Achab, *comede, bibe,* et exulta ob tam lætum pluviæ, et fertilitatis nuntium, quod tibi affero.

Vers. 42. Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua.) Ut attentius, et ardentius oraret Deum pro pluvia ab eo promissa, ut eam statim exhiberet. Hic enim gestus significabat humilitatem, et attentionem orantis Eliæ, et Dei misericordiam, toto affectu implorantis: hoc enim situ est embryo in ventre matris, eoque quasi tacite suam miseriam ostendens, implorat Dei misericordiam, ut se in lucem educat. Audi S. Isidor. lib. 11 Orig. c. 1. « Genua sunt commissiones femorum et crurum, et dicta genua, eo quod sint in utero genis opposita; cohærent enim sibi, et cognata sunt oculis lacrymarum indicibus et misericordiæ: nam a genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni formarique hominem dicunt, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formentur, ut cavi et reconditi fiant. Eius genua comprimit arcta gena: inde est quod homines dum ad genua se prosternunt statim lacrymantur. Voluit enim eos natura uteri materni rememorari, ubi, quasi in tenebris considebant, antequam ad lucem pervenirent. » Hoc ipsum dixit Aristot. lib. 7. de Histor. animal. cap. 8. « Homo in semet conglobatus sic gestatur, ut nasus inter genua, aures extra genua habeat. »

Porro Abul. hinc colligit, Eliam ab hoc tempore, quo in monte Carmelo cælitus ignem devocavit, eoque Baalitas prostravit, habitationem suam in eodem monte ad memoriam tanti beneficii et miraculi deinceps fixisse, atque eodem confluxisse ad ipsum plures viros religiosos, qui se totos Deo, orationi, et divinis rebus, laudibusque tradebant. Quos post Christum imitati sunt, qui in eodem monte religiose Deum coluerunt; indeque orta est antiqua, et sancta Carmelitarum religio, et familia. Unde septem Summi Pontifices Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. et Clemens VIII. in bullis huic Ordini concessis, de professoribus huius sacri instituti ita loquuntur: *Tanquam religionis speculum, et exemplar claritate fulgentes, sanctorumque prophetarum Eliæ et Elisei, et aliorum patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes.* Unde et Sixtus V. huic Religioni concessit, ut Eliam et Eliseum tanquam suæ institutionis patronos coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando, quod et ipsa Religio studiose servat, et in ipso officio nomen, et solemnitatem patroni Eliæ tribuunt. Carmelitæ oriundi ex Carmelo.

Hinc et Niceph. lib. 8. cap. 3. asserit, Helenam Magni Constantini matrem in Carmelo templum ædificasse Eliæ Prophetæ. Sane tempore Eliæ, et Elisei, in Carmelo fuisse oratorium, vel synagogam, ad quam festis diebus populus conveniret tum orationis causa, tum ut Eliam, Eliseum, et similes concionatores audiret, satis significatur, lib. 4. Reg. 4. v. 23. idque ibidem docent Lyran. Abul. et alii. Porro etiamnum Carmelitæ Eliæ festum solemne celebrant die 20. Iulii, quo die Elias Martyrologio Romano ascriptus est. Vide Suarez lib. 2. de Relig. cap. 10.

Extat in Biblioth. Patrum tom. 4. editionis tertiæ Coloniensis p. 725. liber Ioannis XLIV. Ierosolymorum Episcopi ad Caprasium de institutione monachi, in quo Carmelitarum institutum per omnia ab Elia derivatum ostenditur, quem librum nonnulli recentiores vetustum esse autumant, auctoremque faciunt Ioannem Ierosolymitanum Episcopum, qui vixit tempore S. Hieron. et ab eo velut Origenista notatus est: sed id multis refutant Doctores Colonienses in præfat. libri, ac Baronius tomo 5. anno Christi 444. et Bellarmin de Script. Eccles. pag. 95. qui censent, stylum esse hominis Latini, et posteriorum temporum.

Denique Salomon montis huius meminit Cantic. 7. 15. dicens: *Caput tuum ut Carmelus.* Vide ibi dicta. Porro *Carmeli* nomen apte repræsentat statum Religionis, tum quia hic piis institutis et meritis abundat, sicut Carmelus frugibus et fructibus; tum quia *Carmel* Hebr. idem est quod *scientia circumcisionis,* scilicet mortificationis passionum, cupiditatum, et affectuum terrenorum, quæ discitur in Religione, quasi in propria huius rei schola.

Quamobrem iure S. Hieron. hos omnes quos diximus, veteris testamenti *monachos* vocat, idemque alio loco seipsum monachis annumerans: *Noster,* inquit, *princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filii Prophetarum,* quod iisdem pene verbis dicit Isidorus lib. 2. c. 15. qui in libro de Ecclesiasticis officiis hunc utrumque et ceteros prophetas *monachorum* appellat *principes.* Ad quos etiam accedit aperte Cassianus libr. 1. c. 2. qui ab iis ait monasticæ professionis primordia esse fundata. Elias enim sine uxore, sine liberis, sine familia castam cælibemque semper egit vitam; in tanta insuper paupertate, ut vestium loco, zona pellicea amictus describatur; victum autem modo a vidua, modo a corvo quasi mendicatum acciperet.

Hinc et S. Chrysost. ait hom. 2. ad populum: « Quid, dic mihi, Elia pauperius? sed propterea omnes divites vincebat, quoniam pauper erat: ipsam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit, etc. rex pauperis indigebat, et verbis nihil plus quam meloten habentis inhiabat. »

Addit Adrichom. in Carmelo: In hoc monte spelunca est et fons, ubi habitabant Elias, et Eliseus, et filii Prophetarum: postea habitaverunt (et etiamnum habitant) ibi Fratres Carmelitæ, unde et originem et nomen habent.

Vers. 43. Prospice contra mare.) Mediterraneum: inde enim in terra sancta nubes, et pluviæ ex maris vaporibus exoriri solent. Sciebat Elias ex Dei revelatione, mox venturam pluviam; sed ut regem et populum eam avidissime expectantem solaretur, et in pluviæ spe confoveret, utque appareret, a Deo per preces Eliæ hanc pluviam singulari dono dari: hinc mittit puerum septies, ut in mare signum pluviæ, puta nubes, prospectet, illudque cum apparuerit, sibi populoque renuntiet.

Vers. 44. Ecce nubecula parva quasi vestigium (pedis) hominis ascendebat de mari.) Hebr. *parvula quasi vola hominis;* Vatab. *ad magnitudinem volæ hominis;* Chald. *Nubes parva, sicut vola manus hominis ascendit de Occidente,* id est de mari Mediterraneo: hoc enim est ad Occidentem Iudææ.

Nota, vola tam de pedibus quam de manibus dicitur: Hebr. enim כף *caph*, id est *vola*, proprie est curvitas, sive concavitas tam pedum, quam manuum, imo et cochlearium, aliarumque rerum curvarum. Chald. hic accipit volam manus: Noster vero *volam pedum.* Unde vertit, *vestigium hominis;* idque congruentius: videbatur enim Deus hic in nube quasi pedibus descendere ad dandam Israeli pluviam, et terram fœcundandam.

Elias typus Christi. Allegor. S. August. Serm. 201. de Temp.: *Elias,* inquit, *figuram habuit Domini Salvatoris. Elias oravit et sacrificium obtulit, et Christus pro universo mundo seipsum immaculatum sacrificium tradidit. Elias oravit in monte Carmeli, et Christus in monte Oliveti. Elias oravit, ut pluvia in terram veniret, et Christus, ut in cordibus humanis gratia divina descenderet. Quod autem dixit Elias ad puerum suum: Vade, et considera septies; septiformem Sancti Spiritus gratiam, quæ danda erat Ecclesiæ, designabat. Et quia ipse dixit se vidisse nubeculam parvulam ascendentem de mari, carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius nascitura erat.* Probat idipsum ex Evangelio, dum subdit: *Quamobrem ne forte aliquis dubitet, nubem illam vestigium hominis habuisse dixit, illius utique hominis, qui dixit: Quem dicunt homines esse filium hominis? sicut ergo orante Elia, post tres annos et sex menses pluvia de cælo descendit; ita et in adventu Salvatoris tribus annis et sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluvia verbi Dei totum mundum feliciter irrigavit. Et sicut tunc in adventu Eliæ omnes sacerdotes idolorum interfecti sunt, et deleti; ita in adventu veri Eliæ, id est Domini nostri Iesu Christi observatio sacrilega paganorum destructa est.* Eadem ex August. transcripsere Beda, Angelomus, et Eucherius.

Simili et quasi parallelum Eliæ fuit Aniani Episcopi factum. Cum enim Attila rex Hunnorum obsideret Aureliam ad Ligerim, Anianus cives hortatus est, ut sperarent in Deum, eiusque opem implorarent, quod cum illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conversus dixit: *Prospicite de muris, num subsidium adveniat.* Putabat enim Aetium adventare. Prospicientes autem, neminem vident. At ille: *Orate iterum cum fide: vos enim hodie Dominus liberabit.* Et cum fecissent: *Prospicite iterum,* inquit. Nemine autem apparente dixit illis: *Si cum fide orabitis, Dominus sine dubio nobis aderit.* Illi vero cum fletu magno misericordiam Dei invocare cœperunt. Inde ex sancti Episcopi præcepto de integro prospicientes, nebulam quasi de terra surgentem viderunt; quod renuntiantibus dixit: *Atqui hoc Domini auxilium est.* Hunnis proinde id oppidum invadentibus, tanta vis aquæ de cælo decidit, ut coacti sint in castra reverti. Sequenti die trementibus et fatiscentibus assiduis iam ictibus arietum muris, ecce Aetius Valentiani III. Dux, et Theodoricus Gothorum rex, ac Thorismundus filius eius cum suis quisque exercitibus prodierunt, commissoque certamine Attilam ab urbe propulerunt. Hæc ita acta Gregorius Turonensis refert lib. 2. c. 7.

Et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab.) *Manus,* id est Vers. 46. vis, virtus, alacritas, agilitas ad currendum: q. d. Deus dedit robur, vires et alacritatem Eliæ, ut licet ipse esset ieiunus, fessus, et debilis ex longa concertatione cum Baalitis, item ex prolixa oratione, sacrificio et impetratione pluviæ, tamen curreret, imo præcurreret currum Achab, qui concitatis equis procurrebat, ut pluviam evaderet. *Currebat* ergo Elias, ut Achab et Israelitæ agnoscerent, auctore Deo datam esse pluviam per preces Eliæ: item ut officium honorarium præstaret regi suo Achab, eum stipando, præeundo, et præcurrendo.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iezabel minatur mortem Eliæ: ille fugit, ac sub iunipero pastus ab Angelo, pergit in montem Horeb: ibi v. 10. rogatus a Deo, quid ibi agat, queritur prophetas occisos, se quoque posci ad necem; mox Deus ei apparens in sibilo auræ tenuis iubet, ut ungat Hazael in regem Syriæ, et Iehu in regem Samariæ, ac Elisæum in prophetam sibi successurum: idipsum mox exequitur v. 19. ac proiecto in Elisæum pallio, illum sibi socium adoptat.

1. Nuntiavit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, et quo modo occidisset universos prophetas gladio. 2. Misitque Iezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. 3. Timuit ergo Elias, et surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas: venitque in Bersabee Iuda, et dimisit ibi puerum suum. 4. Et perrexit in desertum, viam unius diei. Cumque venisset, et sederet subter unam iuniperum, petivit animæ suæ ut moreretur, et ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei. 5. Proiecitque se, et obdormivit in umbra iuniperi: et ecce Angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge, et comede. 6. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ: comedit ergo, et bibit, et rursum obdormivit. 7. Reversusque est Angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. 8. Qui cum surrexisset, comedit, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. 9. Cumque venisset illuc, mansit in spelunca: et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia? 10. At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam. 11. Et ait ei: Egredere, et sta in monte coram Domino: et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum: non in spi-

ritu Dominus, et post spiritum commotio: non in commotione Dominus. 12. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis. 13. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ, et ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elia? Et ille respondit: 14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam. 15. Et ait Dominus ad eum: Vade, et revertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam. 16. Et Iehu filium Namsi unges regem super Israel: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te. 17. Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: et quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliseus. 18. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non adoravit eum osculans manus. 19. Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim iugis boum, et ipse in duodecim iugis boum arantibus unus erat: cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. 20. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, et ait: Osculor, oro, patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te. Dixitque ei: Vade, et revertere: quod enim meum erat, feci tibi. 21. Reversus autem ab eo, tulit par boum, et mactavit illud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo, et comederunt: consurgensque abiit, et secutus est Eliam, et ministrabat ei.

Vers. 3. TIMUIT ERGO ELIAS furorem et potentiam Iezabelis, de quo v. 4. Vide Abul. q. 3. DIMISIT PUERUM.) Scilicet famulum, ut solus secretius fugeret et lateret.

Vers. 4. PERREXIT IN DESERTUM, etc. CUMQUE VENISSET, ET SEDERET SUBTER UNAM IUNIPERUM.) *Iuniperus* enim amat loca calida et sicca; unde abundat in Syria, ac præsertim in deserto. Unde Plinius lib. 16. cap. 30. *Iunipero*, ait, *eadem virtus quæ cedro*. Et c. 40. *Cariem, vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotus, buxus, taxus, iuniperus.* Hinc baccæ iuniperi sunt calidæ, robustæ et efficaces ad stomachum calefaciendum, siccandum, et roborandum instar piperis et sinapis. Talis est vir zelosus, de quo vere dicas illud Arabum adagium: *Præstat granum piperis* (vel iuniperi) *decem peponibus.* Zelosus enim instar parvi piperis, vel iuniperi, si frangatur, vel confricetur, ignes amoris divini exhalat, quibus auditores ad bonum stimulat, pungit, accendit.

Apposite ergo sub iuniperi umbra quievit Elias: iuniperi enim baccæ, quæ ardent instar piperis, repræsentant ardorem, et zelum Eliæ; sed hic temperandus erat umbra patientiæ, et humilitatis: iuniperus enim cum sit parva, parvam humilemque dat umbram. Talis fuit *Iuniperus* unus e primis sociis S. Francisci, de quo in Annalibus

B. Iuniperus. Waddingi ita legimus, anno Domini 1210. n. 35. *Suæ etiam tunc aggregavit* (S. Franciscus) *Sodalitati B. Iuniperum tantæ humilitatis, et simplicitatis virum, ut ab imperito vulgo fatuus crederetur. Incredibilia pene videntur quæ fecit, et dixit ad imam sui deiectionem, nec alius quisquam tam honoris avidus, quam hic vituperii. Proinde cum ab aliquo afficeretur opprobriis, fimbrias pauperis lacernæ expandens dicebat ei: Amice proiicias huc liberaliter, imple gremium lapidibus istis pretiosis, imple, ne timeas: iniurias et opprobria, lapides appellans pretiosos. Quando redibat domum, huiusmodi secum habebat sermonem: O inutilis frater qua fronte redis ad patres? quo te admittent titulo? certe si hospitii gratia te sub tecto colligant, et panem arctum et aquam brevem dederint, rem magnam et tuis meritis maiorem præstabunt: iuste certe te repellent tamquam sua indignum societate. Eius simplicitatem S. Franciscus admirans, adstantibus dicebat: Utinam, fratres, de huiusmodi Iuniperis integram sylvam haberemus;* alludens ad nominis etymologiam, et proprietatem, quia teste B. Isidoro, ut cinis Iuniperi diutissime accensos eiusdem ligni carbones servat, sic hic in sacro pectore accensum servabat amorem. Et sicut Iuniperus est obsita aculeis, et secundum Hieron. semper floret, semper novos affert fructus, et numquam deponit virorem suum; sic hic pœnitentiæ compunctione et asperitate fovebat in se divinæ charitatis viriditatem. Pro *iuniperum* Hebr. est רתם *rothem*, quod retinentes Sept. verterunt *Ratham*, ut habent Complutens. vel *Rathmon*, ut habent Romana: hinc aliqui putarunt *Rathmon* esse *rhamnum*. Audi S. Methodium tract. de Castitate apud Photium in Bibliotheca: *Rhamnus virginitatem denotat*, (quia enim aculeatus est et pungit, hinc denotat vitam asperam et mortificationem, quæ parens est, et nutrix castitatis) *Rhamnus enim arbor casta est, et fortasse ex simili quadam cum virgine natura stirps hæc* ἄγνος *appellatur: rhamnus quidem propter robur, et fortitudinem contra voluptates;* ἄγνος *vero, quod omni ex parte casta et pura sit. Unde et Eliam ferunt a facie Iezabelis mulieris fugientem ad rhamnum primum venisse, atque exauditum fuisse, cibumque accepisse; quia fugientibus stimulum carnis et feminam et voluptatem, perfugium et tegumentum castitatis lignum germinavit, quod ab auctore virginitatis Christo plantatum est iis, qui virginitatem complectuntur.* Sicque explicat illud Iudic. 9. 14. *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni et impera super nos,* quia cum ficus, id est lex naturæ in paradiso, et vitis, id est lex naturæ data Noe post diluvium, qui reperit vitem et vinum, ac olea, id est lex Mosis et prophetarum (hi enim ungebantur oleo) fœtentia hominum vulnera curare nequivissent, *misit quarto Deus rhamnum, id est castitatem, quæ illis imperaret, quæ voluptatibus superatis, etiam in reliquum tempus illis interminata est, quod nisi sibi parerent omnes, et sincere ad se accederent, futurum, ut omnes flammis absumerentur: nullam enim post hanc aliam legem secuturam, sed iudicium et ignem. Hinc cœpit homo iustitiam colere, Deoque constanter per fidem adhærere, et se a diabolo seiungere.* Hucusque S. Methodius.

Allegor. Rupertus lib. 5. c. 10. per iuniperum accipit sanctam et vivificam Dei crucem, ad quam confugit fidelis, dum timore, aliave tentatione pulsatur: illic ambit mortem, illic optat commori Christo, quia eius cruci totum se subiicit, optatque ei configurari et concrucifigi. Iuniperus est crux Christi.

PETIVIT ANIMÆ SUÆ (id est *sibi*, est Hebraismus) UT MORERETUR.) Unde tantus pavor, tanta consternatio in Elia, qui paulo ante impavidus certarat cum Achab et Baalitis, eosque superaverat? Resp. primo, quia subduxit Deus illi robur a se inditum, ut agnosceret Elias, illud fuisse donum Dei, se vero ex natura sua timidum, uti sunt alii homines. Hac de causa solet Deus sanctos, qui præclara gesserunt, obiicere timoribus et tentationibus, ut eos conservet in humilitate, ne efferantur, sed cogantur ad Deum recurrere. Ita S. Chrysost. hom. de Elia et Petro, quæ extat apud Surium die prima Augusti: « Deus, inquit, declarare voluit miracula illa, quæ ostensa fuerant, non ab Elia, sed a sua ipsius potentia facta fuisse. Vide, quid faciat, quo tempore Deus ipse operabatur. Reges, Principes, et populi Eliæ succumbebant; cum vero Deus abscessisset, etiam mulier una prophetæ illi terribilis visa est. Abscessit Deus, et natura humana redarguta fuit. » Et paulo post: « Non uno, aut altero, sed quadraginta diebus aufugit, et ad regionem omnino desertam se contulit, non nutrimentum, non cibum aliquem secum ferens; nam tamquam ebrius præ metu, cetera nihil curabat, sed desertas tantum regiones sequebatur: » Idem pene hic habent Angelom. et Rabanus. « Sancti, inquiunt, viri sublevante spiritu ad summa ra-

piuntur, quamdiu vero in hac vita sunt, ne superbiant, tentationibus reprimuntur. »

Addit S. Chrysost. Deum voluisse hoc metu punire crudelitatem Eliæ, qua 800. pseudoprophetas occiderat. Verum hoc est improbabile, cum hoc fecerit iussu Dei ex zelo, ad tollendam idololatriam.

Secundo, quia Iezabel videns prophetas suos omnes ab Elia occisos, furebat contra Eliam, ad eum dirissime excarnificandum, et habebat in manu Achab regem maritum suum, per quem poterat innumeros milites in Eliam immittere. Quare magis timuit Elias Iezabelem, quam Achab et Baalitas. Nam ut ait Eccles. c. 25. 23. *Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris.* Unde S. Ambros. Epist. 23. graviores ait esse tentationes mulierum, quam virorum, utpote quibus viri fortes victi, prostratique sint. Sic et S. Bernard. Sermon. 64. inter parvos. Hinc S. Petrus, qui pugnarat contra totam cohortem, et Malcho aurem amputarat, timuit ancillam, eiusque metu Christum negavit.

Ut moreretur.) Dices, Elias fugiebat Iezabel volentem se occidere, fugiebat ergo mortem. Cur ergo eamdem hic optat? Resp. primo, quia in fuga, eiusque difficultatibus, et viæ ærumnis crevit labor, indeque dolor, et mœror Eliæ, quia ita eum depressit, ut optaret mortem ad ærumnas tot tantasque evadendas, quam prius fugerat. Sic videmus eos, qui pestem mortemque evaserunt, si postea in graviores tribulationes et pericula incidant, optare dicereque: Utinam mortuus fuissem cum sociis, utinam pestis me cum ceteris abstulisset. Tales fuere Græci, qui capta Troia redeuntes, acerrima tempestate iactati optarunt se in obsidione Troiæ occubuisse:

Quid fata possunt? invidet Pyrrhus patri;
Aiaci Ulysses; Hectori Atrides minor;
Priamo Agamemnon. Quisquis ad Troiam iacet
Felix putatur, ait Seneca in Agamemnone.

Secunda et potior causa fuit, quod Elias timeret occidi a Iezabele, non quod mortem metueret, sed ne videretur superatus et victus a Iezabele, et cum ipso vera Dei religio. Iezabel enim iactasset, se occidisse Eliam, et cum eo supplantasse Dei fidem, et cultum. Optat ergo a Deo sibi mortem immitti, ne illa a Iezabele inferatur non tam sibi, quam Dei cultui, et religioni. Sic Herodias occidit S. Ioannem Baptistam Eliæ antitypum, et Eudoxia S. Chrysostomum. Vide B. Petrum Damiani tom. 2. serm. 2. de S. Vitali.

Allegor. Elias repræsentat hic infirmitatem Christi paventis in horto. Ita Rupert. lib. 5. c. 10.

Sufficit mihi Domine, huc usque vixisse, ac tot tantisque beneficiis a te ornatum fuisse. Sufficit mihi, vicisse Achab et pseudoprophetas occidisse. Tolle, ergo animam meam) ne eam tollat Iezabel cum meo æque, ac tuo dedecore, et infamia.

Neque enim melior sum quam patres mei.) Tum prisci Abraham, Isaac, Iacob, etc. tum proximi, nimirum prophetæ iam ante a Iezabele occisi, quos ego ut me seniores et patres, imo ut Martyres veneror.

Vers. 5. Proiecitque se et obdormivit in umbra iuniperi.) Ex lassitudine itineris, et ex mœrore animi. Porro umbra iuniperi exilis est, cum iuniperus pro frondibus spinas habeat, et noxia. Nam ut ait Virgil. Ecloga 10. *Iuniperi gravis umbra:* quare umbra hæc potius capitis dolorem et mœrorem in Elia auxit, quam minuit. Unde umbra hæc typus est humanorum præsidiorum, quæ cum vana sint et noxia, ad ea tamen confugiunt homines, dum potius ad Dei Christique umbram et protectionem, velut utilem et solidam confugere deberent cum sponsa, quæ ait Cant. 2. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Et cum Ierem. Thren. 4. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in Gentibus. Christus* enim, ut ait S. Bernard. Serm. 2. super missus est, *parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive a facie impiorum, qui eos afflixerunt. Bona et desiderabilis umbra sub alis Iesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium.* Hinc rursum Ierem. cap. 17. 5. *Maledictus,* inquit, *homo qui confidit in homine,* etc. *Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum. Benedictus vir qui confidit in Domino.*

Grandis tibi restat via.) Usque in montem Horeb, ut ibi videas, et audias Deum, v. 11. uti vidit et audivit Moses. Sic cuique fideli grandis restat via ad culmen sanctitatis et perfectionis, et grandior via restat in cælum empyreum. Vers. 7.

Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.) Hinc patet huic cibo et pani admirandam a Deo inditam fuisse virtutem, ut Eliæ vires sufficerent ad iter agendum sine alio alimento per 40. dies et noctes. Unde Auctor Mirabil. S. Script. l. 2. 19. asserit, panem hunc mirabiliter factum manibus Angelorum; licet Abul. naturalem et communem putet fuisse, cui Deus hanc vim ad confortandum Eliam indiderit, ut alio cibo non indigeret. Vers. 8.

Tropologiam totius historiæ habet S. Bernard. toto Sermon. 64. inter parvos.

Allegor. per panem hunc Eliæ, Patres accipiunt Eucharistiam, cuius virtute per 40. dies, id est per totam vitam, quæ nobis est tempus ieiunii et pœnitentiæ, ambulamus *ad montem Dei Horeb,* ut scilicet videamus *Deum deorum in Sion.* Ita Paschasius Radbertus lib. de Sanguine et Corpore Domini cap. 10. Algerus lib. 2. de Sacramento Altaris c. 1. Rupert. lib. 5. cap. 10. R. Samuel Maroch. lib. de Adventu Messiæ cap. 20.

Anagog. panis hic repræsentat suavissimam refectionem sanctorum in cælo, per quam non 40. diebus, sed per omnem æternitatem sine cibo sani, fortes, læti et gloriosi permanebunt. Ita Rupert.

Quadraginta diebus.) Sine alio cibo, ideoque ieiunus. Paucorum dierum iter est a Bersabee usque in montem Horeb, scilicet quatuor, vel quinque; præsertim cum Elias tam nocte quam die ambularet, et timor ei adderet alas, ait Serarius. Unde patet eum metu, pavore, mœrore et angore perculsum, vagabundum incessisse, huc illucque divertendo, quo eum voluntas ferebat, non autem rectum tenuisse iter; ac forte nec sibi in animo præfixisse viæ terminum, scilicet ire in Horeb. Ita Abul.

Nota hic, Eliam ieiunasse 40. diebus, æque ac fecit Moses, et postea Christus, cuius imitatione Ecclesia instituit ieiunium Quadragesimæ.

Scripsit S. Ambros. lib. de Elia et ieiunio, in quo ostendit commoda ieiunii, adfertque varia hac de re e sacra Script. exempla, æque ac nocumenta ebrietatis et intemperantiæ.

Horeb.) *Horeb* est mons Sinai, uti ostendi Exodi 17. v. 6. in quo Moses legem a Deo accipiens cum eo collocutus est, Exodi 19. ut scilicet in eodem Elias pro lege Dei patiens et pugnans, cum eodem colloqueretur, et modum ad eam propugnandam ab eo acciperet.

Mansit in spelunca.) In hac spelunca (ut videtur) Moses a Deo obtectus Exodi 33. 22. vidit tergum, et gloriam Dei pertranseuntis, ideoque in illa eamdem vidit hic Elias, sed alio schemate. Moses enim vidit in specie ingentis lucis, et splendoris, Elias vero in specie sibili auræ tenuis. Ita R. Salomon, Lyran. et alii. Hinc spelunca hæc priscis fuit in magna veneratione, adeoque Iosephus lib. 2. Antiq. c. 12. tradit, ante Mosis ætatem locum illum ita antiquis visum esse sacrum, ut pastores religione quadam prohiberentur greges ad illum montem appellere, quia ibi divinum esse aliquid suspicabantur. Vers. 9.

Symbol. S. Gregor. lib. 2. in Ezech. hom. 13. « Elias, ait, cum vocem Domini secum loquentis audiret, in speluncæ suæ ostio stetisse describitur, et faciem velasse; quia cum per contemplationis gratiam vox supernæ intelligentiæ fit in mente, totus homo iam intra speluncam non est, quia animam carnis cura non possidet, sed stat in ostio; quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed

iam qui in ostio speluncæ consistit, et verba Dei in aure cordis percipit, necesse est ut faciem velet: quia dum per supernam gratiam ad altiora intelligenda ducimur, quanto sublimius levamur, tanto semper per humilitatem nosmetipsos intellectu nostro premere debemus, ne conemur plus sapere, quam oportet sapere. » Et nonnullis interiectis: « Aurem enim intendere, et faciem operire, est vocem interioris substantiæ audire per mentem, et tamen ab omni specie corporea oculos cordis avertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quæ ubique tota, et ubique circumscripta est. »

Vers. 10. ZELO ZELATUS SUM PRO DOMINO DEO EXERCITUUM.) Ut tollerem cultum Baal et idolorum, et ideo 850. eorum antistites occidi. Rursum verti potest cum Vatab. *Mira zelotypia teneor pro Domino Deo.* q. d. Crucior in honorem Dei quadam quasi zelotypia, et quasi sustinerem Dei personam; crucior, cum videam synagogam, quæ sponsa est Dei, ab eo deficere, et ad Baal quasi ad adulterum transire.

ALTARIA TUA DESTRUXERUNT.) Præter altare enim a Deo constitutum in templo Ierosolymæ, multi ab ea remoti in montibus vicinis altaria Deo vero erexerant, quæ vocabantur *excelsa*, in iisque sacrificabant, quæ licet Deo minus placerent, tamen ipse ea spiritu hæretico, et impio, quasi illa essent Dei falsi, non veri, everti nolebat. Ita Abul. et Serar.

Vers. 11. ET AIT (Angelus Dei vicarius) EI: EGREDERE ET STA IN MONTE CORAM DOMINO: ET ECCE DOMINUS TRANSIT, ET SPIRITUS GRANDIS ET FORTIS SUBVERTENS MONTES, ET CONTERENS PETRAS ANTE DOMINUM: NON IN SPIRITU DOMINUS, ET POST SPIRITUM COMMOTIO: NON IN COMMOTIONE DOMINUS, ET POST COMMOTIONEM IGNIS: NON IN IGNE DOMINUS, ET POST IGNEM SIBILUS AURÆ TENUIS.) Hebr. *sibilus*, vel *vox tacita*, sive submissa et gracilis. Septuag. addunt κἀκεῖ κύριος, id est, *et ibi* (in sibilo) *Dominus.*

Deus in sibilo auræ tenui? Cur? Causa I. Nota, finem et scopum huius visionis fuisse, ut Deus Eliam ira, tædio, et dolore ob licentiam, impunitatem, et scelera Iezabelis, et Baalitarum succensum consolaretur, mitigaret, et erudiret. Primo ergo ipsius oculis, et sensibus offert ventum validissimum, adeo ut is videretur subversurus montes, et contriturus petras; mox ingentem terræ motum; deinde ignem ardentem, et flagrantem, q. d. Mihi, o Elia, venti, terra, ignes, adeoque omnia elementa omnesque creaturæ mediæ, summæ, et imæ, ad manum sunt, ut idololatras, et Iezabelem perdam: at hic modus providentiæ, et clementiæ meæ non est ordinarius et usitatus, nec congruus; ideoque nolo eo uti. Unde ait: *Non in eo Dominus.* Quarto denique loco Deus auribus Eliæ offert lenem auram, sive spiritum, et sibilum repræsentantem se, et suam clementiam ac providentiam: spiritus enim hic lenis significat Dei patientiam, et longanimitatem ad punienda peccata, quam imitari et induere debeat Elias, et quivis vir Apostolicus. Ita S. Iren. lib. 4. contra hæres. c. 37. *Docebatur*, ait, *propheta turbatior, et concitatior ad vindictam mitius agere.* Et Tertul. lib. de Patientia cap. 15. *Sedet in throno spiritus eius* (id est Dei) *mitissimi, et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis apertus, et simplex, quem tertio vidit Elias: nam ubi Deus, ibi et alumna eius, patientia scilicet.* Et S. Macarius hom. 6. *Ecce*, inquit, *vox auræ tenuis et in ea Dominus. Liquet ergo quod quies Domini sita est in pace, et tranquillitate.* Et Theodor. quæst. 57. *Per hoc*, ait, *ostendens, quod lenitas, benignitas, et clementia sola est Deo grata: unumquodque autem aliorum attrahit hominum improbitas.* S. Chrysost. hom. 1. de Elia in fine asserit, ideo Deum cito rapuisse Eliam, ne, si diutius viveret, igne, et zelo eius perderetur orbis, sed in zelum severum Eliæ severior est Chrysost. Sic et Procop.

II. Secundo, hic lenis spiritus sive sibilus detulit vocem Dei ad Eliam, qua Deus eum nimis perturbatum, pusillanimem, putantemque, se unicum superesse Dei cultorem, et prophetam, erudivit; unde ait: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Rom. 11. 4.

III. Tertio, spiritus hic subtilis significabat Dei virtutem, efficacitatem, et vindictam omnia penetrantem. Unde indicavit Eliæ modum vindictæ in Baalitas exercendæ per Hazael, Iehu, et Eliseum, non per ventum, terræ motum, et ignem. Ita Caiet. et Antonius Fernandius in visionibus veteris testamenti, visione 9.

Igitur spiritus hic lenis simul erat subtilis, et acer. Deus enim Deique sapientia, et providentia operatur, et castigat tam fortiter, quam suaviter. Igitur Deus hac visione non volebat Eliæ zelum vindictæ improbare, sed moderari dumtaxat, ut non fieret ex ira, et perturbatione animi, qualis erat in Elia; sed ex lenitate, et amore iustitiæ. Unde mox eidem vindictæ rationem, et modum præscribit, scilicet ut ungat in regem Hazael, et Iehu, ac Eliseum in prophetam, ut ipsi eamdem peragant.

Porro hæc omnia per Angelos, utpote Dei administros, ut ait Apostolus Hebr. 1. ult. facta sunt. Unde Chald. vertit: « Ecce gloria Domini revelatur, et ante eum erat exercitus Angelorum venti disrumpentium montes, et confringentium petras ante Dominum: non erat in exercitu Angelorum venti maiestas Domini: et post exercitum Angelorum venti erat exercitus Angelorum commotionis (excitantium terræ motum) non erat in exercitu Angelorum commotionis maiestas Domini: et post exercitum commotionis, exercitus Angelorum ignis: non erat in exercitu Angelorum ignis maiestas Domini: et post exercitum Angelorum ignis vox canentium in silentio, » quasi demulcentium Eliæ animum mœrentem, et perturbatum.

Symbolice, hac visione significabatur Dei natura, et maiestas, quæ non est ventus, nec terra, nec ignis, nec aliud corpus, sed subtilissimus, mitissimus, et purissimus spiritus. Hæc ergo Dei apparitio fuit quasi *scintillatio divinitatis*, ut loquitur Tertul. quæ sui reverentiam a nobis extorquet. Rursum significatur hic Dei indoles, cui propria est lenitas et clementia. Tonat Deus, fulminat, fulgurat, concutit montes, sed id quodammodo facit invitus, et *tactus dolore cordis intrinsecus*, quia proprium est illius misereri et parcere; atque ideo non inhabitare dicitur in turbine, et igne, quia hæc aliquid sonant horribile, et humanis commodis importunum, sed in aura tenui, quæ recreat, et reficit laborantem spiritum, ait Sanchez ex Theodor. Sic et S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 26. cuius verba mox recitabo. Symbol.

Allegorice, repræsentabatur Christi Salvatoris in mundum venturi spiritus fore diversus, et adversus spiritui Mosis, Eliæ, et legis veteris. Deus enim in Horeb, sive Sina, dans legem Mosi, audiri fecit tonitrua, micare fulgura, ignes coruscare, montem tremere, Exodi 19. et 20. ut duros Iudæos sui, suæque legis metu percelleret. Idem fecit hic Elias, cum per eum violatam legem, suique cultum restaurare vellet. At vero cum filius Dei in carnem descendit, venit in spiritu lenitatis, et mansuetudinis, iuxta illud Isaiæ 42. 1. quod citat Matth. cap. 12. 19. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem eius: arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet.* Unde cum Ioannes, et Iacobus vellent, ut Christus in Samaritanos eum non recipientes instar Eliæ e cælo vibraret ignes, et fulmina, ipse eos repressit, dixitque: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare,* Lucæ 9. 55. Ita S. Irenæus lib. 4. c. 37. *Domini*, inquit, *adventus significabatur post legem, quæ data est per Moysen, mitis et tranquillus, et regni eius mitis, et mansueta requietio.* Et Rupert. *Non in variis*, inquit, *Iudæorum captivitatibus erat finis, nondum venerat Messias; sed in spiritu auræ lenis, id est occultus et secretus fuit eius adventus, quem quasi de aura tenui, id est de Spiritu S. Maria virgo concepit.* Hunc spiritum lenitatis Christus commendavit et impressit S. Petro, Paulo, ceterisque Apostolis, et fidelibus. Unde hic est spiritus legis gratiæ, Allegor.

et novi testamenti, qui longe potentior et efficacior est spiritu timoris, et terroris veteris testamenti. Huc facit Apologus de Euro vento validissimo certante cum sole, uter esset potentior, uter scilicet viatori pallium excuteret. Sane non excussit Eurus, imo viator Euro flante magis pallio se involvit, ut Euro resisteret; sed illud ei suo ardore et calore sudorem ei excutiens extorsit sol: simili modo plus valet, plus potest lenitas, quam violentia; plus amor, quam timor; plus ardor, quam terror. Recitat fusius hunc Apologum B. Petrus Damiani, lib. 1. Epist. 16. ad Alexandrum II. Pont. additque: *Si Roboam senum consiliis acquiescens populo mitia responderet, totum Israel sui iuris imperio subdidisset; sed quia coævorum suorum superbiæ credidit, divisis a se decem tribubus, sublimem regni potentiam humilem fecit. Rhinoceros etiam qui rabida persequentium canum ora celerrima pernicitate contemnit, capi se gremio blandæ virginis non pavescit.*

Porro S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 25. explicans illud Iob c. 4. « Et vocem quasi auræ lenis audivi: Quid, inquit, per vocem auræ lenis, nisi Spiritus sancti cognitio designatur. Qui tamen super Apostolos veniens per exteriorem sonum, tamquam per vehementem demonstratur, cum dicitur: Factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis. Sanctus enim Spiritus cum se notitiæ humanæ imbecillitatis insinuat, et sonitu vehementis spiritus, et voce auræ lenis exprimitur: quia scilicet veniens et vehemens est et lenis: lenis, quia notitiam suam quatenus cognosci utcumque valeat nostris sensibus temperat; vehemens, quia, quantumlibet hanc temperet, adventu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando perturbat. »

Tropol. Tropol. significatur hic primo, modus, quo Deus pœnitentes et perfectionis studiosos exercet et disponit, ut eos ad perfectionem suamque familiaritatem perducat. Primo enim eos terrore mortis, iudicii, et gehennæ quasi vento validissimo, terræ motu, et igne percellit, compungit, ciet lacrymas, ac deinde ut spiritus auræ lenis eos mulcet, adoptat, recreat, et ad altum contemplationis verticem sustollit. Audi S. Gregor. 5. Moral. 26. « Spiritus ante Dominum evertit montes, et petras conterit, quia pavor qui ex adventu eius irruit, et altitudinem cordis nostri deiicit, et duritiam liquefacit: sed spiritui commotionis, et igni non inesse Dominus dicitur; esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur. Quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere prævalet Deus non est. Cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem in circumscriptæ veritatis contemplatione subita degustamus. »

Idem præstitit Deus Eliæ, dum eum, post terrores, luctas, et pugnas cum Baalitis, curru igneo rapuit in cælum, ubi aura leni, id est plena pace mentis et corporis fruitur. Simili modo ergo, qui tentationibus agitatur non demittat animum, sed sciat, ei successurum *spiritum auræ lenis*, id est consolationem, quietem, et gaudium.

Secundo, traditur hic forma, ait Sanchez, viris Apostolicis, et Prælatis, quæ in corrigendis, aut puniendis divinæ legis transgressoribus servari debeat; nempe ut illa imitetur, quæ maxime sunt in rerum natura violenta, ventum nimirum, qui concutit, atque subvertit montes; et ignem, qui consumit, et dissipat omnia, idque celeritate incredibili, neque suavitatem assumat tenuis et refrigerantis auræ, donec Deum advenire videat, quem antecedunt quasi stratores viarum, et præcursores ad parandum hospitium, ventus, commotio, ignis.

Quod cum audisset Elias.) Audiebat enim ventum valide perstrepentem, terræ motum locum conquassantem, auram tenuem sibilantem; ignem vero partim audiebat, utpote stridentem, partim vero videbat, utpote lucentem.

Vers. 13. Operuit vultum suum pallio.) Ut Deo se hisce signis ostendenti reverentiam exhiberet, quasi indignus qui in eum aspiceret, eumque contueretur.

Prophetas tuos occiderunt gladio (quia sese opponebant cultui Baal) derelictus sum ego solus (propheta et zelator veræ religionis, qui me valide eidem oppono) et quærunt animam meam.) Ut me occidant: me ergo occiso nullus superesset propheta, nullus zelator, qui tuum cultum propugnet, et Baalitis sese opponat. Actum ergo est de vera religione, de tuo cultu, de tota Synagoga: omnia occupat impia Iezabel: ubique colitur Baal: ubique exundat perfidia, et idololatria. Hæc est causa mei doloris et mœroris, meæ fugæ et exilii, ut mori optem potius, quam vivere, et videre tanta mala gentis meæ, et populi Dei. Ita Elias mœrore, ira et zelo confectus. Vers. 14.

Unges Hazael regem super Syriam, et Iehu filium Namsi unges regem super Israel: Eliseum altem, etc. unges prophetam pro te.) Ut hi ultionem iustam de Baalitis, quam tu o Elia adeo desideras, reipsa peragant. Unde in Eliæ laudibus dicitur Eccles. 48. 8. *Qui ungis reges ad pœnitentiam*, id est ad pœnam et ultionem impiorum, ut sint divini cultus vindices. *Unges regem*, id est regem designabis, regnum ei deferes. Est catachresis: quia enim unctione creabantur reges, hinc *ungere*, est regem creare. Nam Hazael non fuit unctus ab Elia, sed designatus rex ab Eliseo, quem ad eum misit Elias; Iehu vero in regem Israel unctus fuit ab uno Elisei discipulo, ut patet 4. Reg. 8. 13. et seq. Itaque Elias hæc iussa Dei executus fuit per Eliseum, quem idcirco iussu Dei sibi subrogavit. Sic Eliseum non legimus unctum, sed immisso ab Elia in eum pallio designatum prophetam v. 19. ita Theodor. Raban. Dion. Abul. Salianus. Vers. 15. et 16.

Sanchez tamen τὸ *unges* proprie accipit, censetque omnes hos tres ab Elia fuisse unctos, licet id Script. factum non narret. Ideo enim videtur Elias iussu Dei rediisse per desertum in Damascum, quæ longior et inamœnior erat via, ut ibi Hazaelem in regem ungeret: esto enim Hazael postea rursum ab alio unctus sit, tamen nil prohibet, eum prius ab Elia fuisse unctum. Sic enim David et Saul bis uncti fuere. Hæc sententia probabilis est, atque hunc versum proprie ad litteram accipit.

Qui est de Abelmeula.) Erat hæc urbs in tribu Manasse cis Iordanem. Fuit ergo Eliseus de tribu Manasse, sicut Elias de tribu Gad: ita S. Hieron. Salianus, Adrichom. et alii; licet S. Epiphan. et Isidor. in vita Elisei dicant, eum fuisse oriundum ex tribu Ruben, qui et addunt in ortu Elisei mugiisse unum e vitulis aureis, quos conflavit Ieroboam, et illius mugitum auditum fuisse Hierosolymis, et ex eo Sacerdotem quemdam prudentem coniectasse, eo die aliquem esse natum, qui futurus esset sculptilibus omnibus atque idolis exterminium.

Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu.) Quomodo Hazael et Iehu occiderint idololatras, audiemus in sequentibus. Vers. 17.

Et quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliseus.) Gladio non corporali, sed spirituali; puta gladio linguæ, qua eos acriter redarguet, minabiturque mortem præsentem, et æternam, inquit Angelom. Rabanus, et Hugo. Planius accipias hæc de gladio, et morte corporali: illo enim idololatras occiderunt Hazael et Iehu, quibus hic Eliseus comparatur. Eliseus enim occidit 42. pueros idololatrarum filios sibi insultantes, dicentesque: *Ascende calve* 4. Reg. 2. ac verisimile est eum instar Eliæ magistri sui, iuxta hoc oraculum plures alios idololatras interfecisse, etsi Script. id non commemoret. Ita Abul. Lyran. Caietan. Sanchez et alii.

Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.) Opponit Deus septem millia illi quod dixerat Elias v. 14. *derelictus sum ego solus.* q. d. Falleris Elia, non es solus. En Eliseus tibi accedit: en septem millia virorum Deicolarum, quæ *derelinquam.* Hebr. השארתי *hisciarti*, id est remanere faciam, reservabo, custodiam, ne a Iezabel occidantur, aut pervertantur, et ad cultum Baal traducantur. Vers. 18.

Et omne os quod non adoravit eum, osculans manus.) Repete *derelinquam*, id est custodiam et in vita conservabo. Sensus totius versus est, q. d. Et custodiam septem millia virorum, qui non flexerunt genua ante Baal, nec osculando manum eum adorarunt: erat enim hoc duplex genus adorationis, genuflexio et osculatio manus. *Osculans manus*, Hebr. *osculans eum*, scilicet Baal, ut eum osculo hoc salutet, et adoret, quasi suum Deum et Dominum. Noster vertit: *osculans manus*, ut notet ritum modumque adorandi, qui erat osculari manum idoli; vel manum propriam eo ritu et gestu quasi oscularetur manum idoli, utpote remoti, vel longe
Plin. positi. Hunc ritum insinuat Iob c. 31. 26. *Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo.* Huius consuetudinis externi quoque meminerunt. Plin lib. 28. c. 2. *Inter adorandum dexteram ad osculum referimus.* Minutius in Octavio: *Cœcilius simulacro Serapidis viso, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis impressit.*

Vers. 19. Reperit Eliseum filium Saphat arantem in (cum) duodecim iugis boum.) Erat ergo Eliseus agricola locuples, utpote qui haberet duodecim iuga boum, iisque agrum ingentem coleret. Nam boves hos ipsius fuisse patet ex v. ult. ubi ipse par boum mactavit pro epulo, quo suis valedixit.

Et ipse in duodecim iugis boum arantibus unus erat.) Nam quodque iugum boum, sive par boum suum habebat aurigam et aratorem; quare duodecim erant hic iuga boum, et pariter duodecim aratores, e quibus unus erat Eliseus.

Misit pallium suum super illum.) Ut eum vocaret ad se sequendum, eumque faceret sibi socium, suique instituti participem, uti iam novitiis in Religione datur pallium, sive vestis eiusdem Religionis. Simili modo olim sponsus sponsam sibi adoptans, tegebat eam pallio suo. Unde illud Ruth ambientis nuptias Booz, c. 3. 9. *Expande pallium tuum super famulam tuam;* et illud Ezech. 16. 8. *Expandi amictum meum super te.* Hac ergo ceremonia institutus est Eliseus propheta socius et successor A Eliæ, eiusque cor omnino a Deo immutatum est, atque ex laico factus est Religiosus, ex agricola Propheta, ex idiota theodidactos. Unde statim reliquit boves, domum, parentes, et secutus est Eliam. Addit Sanchez eum fuisse unctum ab Elia; hoc enim iusserat Deus, v. 16. Unctio, inquit, Eliseum fecit Prophetam (hic enim ungi solebat) pallium autem, Eliæ contubernalem et monachum.

Quod enim meum erat, feci tibi.) q. d. Ego non Vers. 20.
nisi pallio te tetigi, sed Deus cor tuum tetigit, illudque ex carnali fecit spirituale, et cæleste, ut omnia relinquas, et alacer me sequaris, certesque ut ego cum idololatris.

Tulit par boum et mactavit illud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo et comederunt.) Vers. 21.
Eliseus quia festinabat, et gestiebat illico sequi Eliam, idcirco usus est aratro pro lignis, ad coquendum carnes boum. Dedit ergo typum et exemplum nobis, ut Dei vocationem illico, resolute et constanter sequamur, uti notant Caiet. et Abul. Celebravit enim con-
B vivium, quo suis valedixit; ut ostenderet se boves, aratrum, agrum, omniaque relinquere, ac lætum sequi Eliam. Hinc colligit Abul. eum fuisse iuvenem et ἀγαμον, id est, sine uxore et cælibem: alioqui enim petiisset ab Elia facultatem salutandi tam uxorem et filios, quam patrem et matrem. Rursum Eliseus, ait Abul. nihil voluit sibi reliquum manere in sæculo, ut liber et expeditus transiret totus ad Dominum: idcirco aratrum, et boves consumpsit, qua in re exemplum dedit Religiosis, ut idem faciant. Hinc et S. Ignatius, Epist. ad Philadelph. Eliseum asserit fuisse cælibem et virginem: nimirum Eliseus Dei vocantis instinctu iam superior erat omni terrena cupiditate. Nam ut ait S. Cyprian. tract. de Orat. Domin. ad illa: *Adveniat regnum tuum: Qui renuntiavit iam sæculo, maior est et honoribus eius et regno: et ideo, qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat;* imo Deum ipsum, *quia in illo regnaturi sumus.* Et S. Ambros. lib. 6. de Sacram. c. 5. *Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat; sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio.*

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Benadad rex Syriæ obsidet Samariam, et Achab; sed ab eo Dei ope cæditur. Unde vers. 23 dicens Deum Israel esse Deum montium, in valle reparat bellum, in qua rursum Dei ductu profligatur; captusque ab Achab veniam vitamque contra iussum Dei impetrat vers. 35. Achab a Propheta vulnerato redarguitur, auditque se simili modo vulnerandum, imo occidendum, eo quod Benadad dignum morte liberum dimiserit.

1. Porro Benadad rex Syriæ, congregavit omnem exercitum suum, et triginta duos reges secum, et equos,
et currus: et ascendens pugnabat contra Samariam, et obsidebat eam. 2. Mittensque nuntios ad Achab
regem Israel in civitatem, 3. Ait: Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, et aurum tuum meum est: et
uxores tuæ, et filii tui optimi, mei sunt. 4. Responditque rex Israel: Iuxta verbum tuum, domine mi rex, tuus
sum ego, et omnia mea. 5. Revertentesque nuntii, dixerunt: Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum
tuum, et aurum tuum, et uxores tuas, et filios tuos dabis mihi. 6. Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos
ad te, et scrutabuntur domum tuam, et domum servorum tuorum: et omne quod eis placuerit, ponent in mani-
bus suis, et auferent. 7. Vocavit autem rex Israel omnes seniores terræ, et ait: Animadvertite, et videte, quo-
niam insidietur nobis: misit enim ad me pro uxoribus meis, et filiis, et pro argento et auro: et non abnui. 8. Di-
xeruntque omnes maiores natu, et universus populus, ad eum: Non audias, neque acquiescas illi. 9. Respondit
itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia propter quæ misisti ad me servum tuum in initio, faciam:
hanc autem rem facere non possum. 10. Reversique nuntii retulerunt ei. Qui remisit, et ait: Hæc faciant mihi
dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me. 11. Et respondens rex
Israel, ait: Dicite ei: Ne glorietur accinctus æque ut discinctus. 12. Factum est autem, cum audisset Benadad
verbum istud, bibebat ipse et reges in umbraculis, et ait servis suis: Circumdate civitatem. Et circumdederunt
eam. 13. Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Israel, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certe vidisti omnem
multitudinem hanc nimiam? ecce, ego tradam eam in manu tua hodie: ut scias, quia ego sum Dominus. 14. Et

ait Achab : Per quem? Dixitque ei : Hæc dicit Dominus : Per pedissequos principum provinciarum. Et ait : Quis incipiet præliari? Et ille dixit : Tu. 15. Recensuit ergo pueros principum provinciarum, et reperit numerum ducentorum triginta duorum : et recensuit post eos populum, omnes filios Israel, septem millia : 16. Et egressi sunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo suo, et reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant. 17. Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad. Qui nuntiaverunt ei, dicentes : Viri egressi sunt de Samaria. 18. Et ille ait : Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos : sive ut prælientur, vivos eos capite. 19. Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur : 20. Et percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat : fugeruntque Syri, et persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis. 21. Necnon egressus rex Israel percussit equos et currus, et percussit Syriam plaga magna. 22. (Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit ei : Vade, et confortare, et scito, et vide quid facias : sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.) 23. Servi vero regis Syriæ dixerunt ei : Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos : sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos. 24. Tu ergo verbum hoc fac : Amove reges singulos ab exercitu tuo, et pone principes pro eis : 25. Et instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis, et equos secundum equos pristinos, et currus secundum currus quos ante habuisti : et pugnabimus contra eos in campestribus, et videbis quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, et fecit ita. 26. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, et ascendit in Aphec, ut pugnaret contra Israel. 27. Porro filii Israel recensiti sunt, et acceptis cibariis profecti ex adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum. Syri autem repleverunt terram. 28. (Et accedens unus vir Dei, dixit ad regem Israel : Hæc dicit Dominus : Quia dixerunt Syri : Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium : dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, et scietis quia ego sum Dominus.) 29. Dirigebantque septem diebus ex adverso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum : percusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una. 30. Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in civitatem : et cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum. 31. Dixeruntque ei servi sui : Ecce, audivimus quod reges domus Israel clementes sint : ponamus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris, et egrediamur ad regem Israel : forsitan salvabit animas nostras. 32. Accinxerunt saccis lumbos suos, et posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem Israel, et dixerunt ei : Servus tuus Benadad dicit : Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait : Si adhuc vivit, frater meus est. 33. Quod acceperunt viri pro omine : et festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt : Frater tuus Benadad. Et dixit eis : Ite, et adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, et levavit eum in currum suum. 34. Qui dixit ei : Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam : et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, et ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, et dimisit eum. 35. Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini : Percute me. At ille noluit percutere. 36. Cui ait : Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, et percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit. 37. Sed et alterum inveniens virum, dixit ad eum : Percute me. Qui percussit eum, et vulneravit. 38. Abiit ergo propheta, et occurrit regi in via, et mutavit aspersione pulveris os et oculos suos. 39. Cumque rex transisset, clamavit ad regem, et ait : Servus tuus egressus est ad præliandum cominus : cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, et ait : Custodi virum istum : qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes. 40. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum : Hoc est iudicium tuum, quod ipse decrevisti. 41. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, et cognovit eum rex Israel, quod esset de prophetis. 42. Qui ait ad eum : Hæc dicit Dominus : Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, et populus tuus pro populo eius. 43. Reversus est igitur rex Israel in domum suam, audire contemnens, et furibundus venit in Samariam.

Vers. 1. PORRO BENADAD REX SYRIÆ, etc. PUGNABAT CONTRA SAMARIAM.) *Benadad* idem est quod *Ben Adad*, id est filius Adad, ait Ioseph. libr. 8. c. 8. nimirum rebellis illius Idumæi, qui debellata a Davide Idumæa, fugit in Ægyptum, indeque mortuo Davide, rediens, animos regnumque resumens, rebellavit Salomoni, c. 11. 25. Ideoque paternam indolem, et odium contra Israelem fovens, graviter et continuo eum afflixit. Unde c. 11. 25. de eo dictum et prædictum est : ***Hoc est malum Adad, et odium contra Israel.***

Politice, disce hic, quam rebellio obstinata Principum sit periculosa, et in filios per multa sæcula derivetur. Experiuntur idipsum Hispani in Hollandia. Rebellio ergo in suo principio vel succidenda, vel concilianda est iuxta illud : ***Principiis obsta.***

Vers. 3. HÆC DICIT BENADAD (ad Achab, eiusque populum Israel) ARGENTUM TUUM, ET AURUM TUUM MEUM EST.) Non iure, sed potestate et imperio, quia ego illud habere volo, et deposco, qui te sum potentior, ut mihi resistere nequeas. Erant enim res Achab et Israelis afflictæ, ita ut in aciem educere non posset nisi septem millia, v. 15. Hic ergo incipit Deus punire Achab et Israelitas ob cultum Baal.

Vers. 5. REVERTENTESQUE NUNTII.) Missi a Benadad obsidente Samariam ad Achab in ea obsessum, DIXERUNT :

CRAS IGITUR HAC EADEM HORA MITTAM SERVOS MEOS AD TE, ET SCRUTABUNTUR DOMUM TUAM, etc.) Est hæc nova Benadad petitio, qua petit ab Achab, ut permittat a suis diripi non tantum regiam, sed et totam Samariæ civitatem, ait Ioseph. ut scilicet spoliet urbem, et pretiosissima quæque ex ea ad libitum auferat. Vers. 6.

HÆC FACIANT MIHI DII, etc. SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIÆ PUGILLIS OMNIS POPULI, QUI SEQUITUR ME,) q. d. Iuro me deleturum totam Samariæ urbem, itaque eam eversurum, ut nec parum pulveris in ea remaneat, sed quidquid in ea est auferatur in pugillis exercitus mei numerosissimi. Unde Chald. vertit : *Si suffecerit pulvis Someron* (Samariæ) *ut feratur soleis plantarum pedum populi qui mecum erit.* Ita Abul. Est Hyperbole, et proverbialis locutio, qua gloriosus Benadad in 32. regibus se sequentibus et copiis, in numeris superbiens, iactat, iuratque se Samariam eversurum, spoliaturum et rasurum, ut nihil in ea rapina dignum remaneat. Nec enim tam curiosi vel otiosi erant eius milites, ut omnem pulverem e Samaria, quam ut omnes thesauros, et omnia pretiosa ex ea efferrent. Aurum enim quærebant, non arenam. Vers. 10.

NE GLORIETUR ACCINCTUS ÆQUE UT DISCINCTUS.) Est adagium, q. d. Ne canas triumphum ante victoriam : Vers. 11.

accinctus enim miles vadit ad prælium, parta vero victoria se discingit, arma ponit, et spoliis hostilibus incubat. Unde Chald. *Ne laudet*, inquit, *se expeditus, et descendens in prælium, sicut vir qui vincit et ascendit* (victor) *ex eo;* Vatab. *Ne glorietur, qui initurus est prælium, perinde ac is, qui iam vicit.*

Vers. 23. SERVI VERO REGIS SYRIÆ (Benadad) DIXERUNT EI: DII MONTIUM SUNT DII EORUM, IDEO SUPERAVERUNT NOS: SED MELIUS EST UT PUGNEMUS CONTRA EOS IN CAMPESTRIBUS, ET OBTINEBIMUS EOS.) q. d. Victi sumus a Samaritis montanis, quia pugnavimus in Samariam, quæ sita est in monte, ideoque in tutela est deorum, qui montibus et montanis præsunt; descendamus ergo in valles, ubi dii vallium nobiscum erunt, ut montanos et deos montium in vallibus superemus. Ita isti stolidi putabant Deum Hebræorum esse Deum montium dumtaxat. Sed unde hic eorum error, et stulta persuasio? Resp. ex multis conglobatis, nimirum primo, quia Moses Hebræorum Dux in monte Sina cum Deo collocutus ab eo legem acceperat. Secundo, quia in monte Sion erectum a Salomone erat templum, in quo Deus habitabat. Tertio, quia Hebræi Deum colebant in Excelsis, scilicet collibus. Quarto denique, et quod maxime ad præsentem cladem facit, quia Syri in monte Samariæ hanc stragem ab Israelitis acceperant. Hæc fuit Gentilium superstitio, ut montibus Deas Oreades, id est montanas, sylvis sylvanos, mari marinos, ut Neptunum, etc. præficerent, de quibus S. August. lib. 4. de Civit. c. 8. ubi eos montium iugis Iugatinum Deum, Collibus Collatinam, Vallibus Valloniam Deam præfecisse asserit. De iisdem canit Ovidius lib. 1. Fastor. eosque sic loquentes inducit:

Dei montium unde?

Dii sumus agrestes, et qui dominantur in altis
Montibus, imperium est in sua tecta Iovi.

Vers. 24. TU ERGO VERBUM HOC FAC: AMOVE REGES SINGULOS AB EXERCITU TUO, ET PONE PRINCIPES PRO EIS.) Qui scilicet belli sint periti, et in rebus bellicis experti, non vero quieti et deliciis assueti, uti sunt reges, quique spe gloriæ et honoris a te adipiscendi fortius pugnent. Ita Abul. Hos enim significat Hebr. פחות *pachot*, id est *Duces.* Chald. *Imperatores.*

Vers. 28. QUIA DIXERUNT SYRI: DEUS MONTIUM EST DOMINUS (Hebr. *Iehova*, id est Deus Israelitarum) ET (idem *Iehova*) NON EST DEUS VALLIUM; DABO OMNEM MULTITUDINEM HANC GRANDEM IN MANU TUA.) Ut ostendam me tam esse vallium Deum, quam montium, utque tu, o Achab, me Deum verum agnoscas et colas, non vero Baal.

Vers. 30. PORRO BENADAD FUGIENS INGRESSUS EST CIVITATEM (Aphec iam dictam) IN CUBICULUM, QUOD ERAT INTRA CUBICULUM.) Id est in intimum et secretissimum cubiculum, ut ibi se absconderet.

Vers. 31. PONAMUS ERGO SACCOS IN LUMBIS NOSTRIS.) Quasi serviles vestes, et luctus ac pœnitentiæ indices, ut iis profiteamur nos pœnitere facti, quod scilicet Israeli bellum moverimus; eique quasi victori nos victos in servitutem dedamus.

ET FUNICULOS IN CAPITIBUS NOSTRIS.) Ut profiteamur nos reos esse mortis, meritosque esse restim et laqueum, qui fauces nobis præcludat nosque strangulet. Audi Iosephum: *Illi induti saccos, et restibus capita redimiti, qui priscus apud Syros supplicandi mos fuit, Achabum adeunt, et salutis tantum gratiam petere Adadum significant, dedititium eius in perpetuum futurum.*

Vers. 32. SI ADHUC VIVIT, FRATER MEUS EST.) Putabat Achab ex tanta hostium strage occubuisse Benadad. Unde audiens eum cladi superstitem, de tanta victoria exultans, eius misertus, inconsulte et temere in hanc vocem erupit: *Si adhuc vivit, frater meus est.* q. d. Charus mihi erit, ut frater, tractabo eum quasi fratrem. Solent reges se mutuo fratres vocare. Hoc dictum Achab servi Benadad ex ore eius illico rapuerunt, acceperuntque ut omen vel augurium, quasi illud verbum amicum quod ipsi exciderat, signum esset misericordiæ et salvationis Benadad, quem proinde statim ad Achab adduxerunt, illeque

A eum supplicem, ut dicto staret, quasi fratrem excepit, et in currum suum sustulit: sed paulo post pœnas huius temeritatis dedit, cum bellum renovante Benadad, in eo Achab occubuit, ut dicetur cap. ult.

Symbolice, Benadad est typus diaboli, qui semper fideles et sanctos persequitur, nunc vi, nunc fraude et dolo. Quare qui cum eo pacem vel fœdus init, uti fecit Achab, certo certius ab eodem evertetur. Ita Eucher.

PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO.) In quibus ius et iudices, item forum rerum venalium ac vectigalia constituas in signum subiectionis, q. d. Partem urbis meæ regiæ, scilicet Damasci, tibi concedam, ut ostendam illam tibi æque ac mihi esse subiectam, imo me tibi esse subditum, ideoque pendere hoc tributum. Ita Abul. Caiet. et Vatab. Vers. 34.

TUNC VIR QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM.) Iosephus Vers. 35.
censet hunc fuisse Prophetam Michæam, qui cap. ult. Achab exitium prædixit. Idem tradit Glycas, et Hebræi in Sederolam, et colligitur ex cap. ult. v. 26. ubi pro *tollite*, Hebr. est והשיבן *vahascibehu*, id est facite eum redire. B Verum hæc res incerta est. Unde Serarius et alii censent hunc alium fuisse a Michæa, ideoque non nominari.

DIXIT AD SOCIUM SUUM IN SERMONE DOMINI, ex oraculo et iussu Dei: PERCUTE ME.) Ut proprii capitis mei vulnere, repræsentem Achab regi vulnus ipsius, quod parcendo Benadad accepit in anima sua, ac vulnus populi, quod scilicet populus totus accepit in Achab rege quasi capite suo, ac tertio vulnus, quod tam Achab quam populus accipiet, cum a Benadad reparante bellum occidetur, ut patebit cap. ult. et lib. 4. c. 6. v. 8. et seq. Ita Caiet. Addit Abul. aliam causam huius vulneris, scilicet ut per illud Propheta ab Achab non agnosceretur, sed videretur esse miles, itaque accessum haberet ad eum, eique parabolam hanc vulneris exponeret: si enim fuisset agnitus, noluisset eum Achab idololatra audire. Tertia, et potissima causa huius percussionis et vulneris fuit exemplum, ut scilicet Deus in propheta hoc tam percutiente quam percusso, daret exemplum et speculum perfectæ C obedientiæ. Unde credendum est, ait Abul. quod paulo post Deus hoc vulnus supernaturaliter curarit, ita ut ne cicatrix quidem eius remaneret, idque ad hoc, ut ostenderet, quanti meriti sit pura et simplex obedientia, quamque ex adverso Deo exosa sit inobedientia, cum propter eam illum, qui Prophetam percutere noluerat, leoni mactandum obiecerit. Audi S. Chrysost. Orat. 1. contra Iudæos sub initium: *Qui percussit Prophetam, evasit incolumis: qui pepercit, dedit pœnas: nimirum ut intelligeres, in iussis divinis non oportere curiosum esse, examinareque rerum, quæ præcipiuntur, naturam; sed nihil aliud quam obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret Prophetæ, non dixit illi simpliciter: Percute me, sed addidit: In verbo Domini, hoc est, Deus præcepit, ne quære ulterius. Rex est, qui hanc præscribit legem: reverere iubentis auctoritatem, summaque cum animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, eoque pœnas dedit gravissimas, suoque exemplo secuturos adhortans. ut quidquid præceperit Deus, per omnia obtemperarent, morem-* D *que gererent in posterum.*

Denique R. Salomon, et Lyran. volunt Prophetæ huius sanguinem pro populi Israelitici peccatis satisfecisse, ne cum Achabo periret cap. ult. sed populus ille victus est, et pro eo satisfacere istiusmodi plaga non potuit, nec voluit Propheta.

QUIA DIMISISTI VIRUM DIGNUM MORTE.) Benadad re- Vers. 42.
gem Syriæ, qui reus erat mortis tum ob continuum odium et bellum contra Israelitas, tum præcipue ob blasphemiam, qua dixit me esse Deum montium, non vallium; hæc enim valde Deum irritavit, ut patet v. 28. Ita Hebræi, Rupert. Lyran. Dion. et alii.

ERIT ANIMA TUA PRO ANIMA EIUS.) Occideris pro Benadad, quem occidere debuisti.

ET POPULUS TUUS PRO POPULO EIUS.) Occidetur pro Syris Benadad subiectis, quos occidere debuit. Ita reipsa contigit, ut audiemus cap. ult.

Est hoc exemplum neglectæ iustitiæ, iustæque vindi-

ctæ notandum, alteque infigendum mentibus Regum et Iudicum: *Homicida es, eo quod hostem dimiseris*, ait S. Chrysost. loco citato.

Vers. 43. REVERSUS EST IGITUR REX ISRAEL (Achab) IN DOMUM A SUAM, AUDIRE CONTEMNENS.) Addit Iosephus lib. 8. Antiq. c. 8. eum adeo indignatum, ut Prophetam incarcerarit: fuisse enim Michæam existimat; quem ab eo incarceratum audiemus, cap. ult. Ita Hugo, Dion. et alii.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab petit vineam a Naboth, ille negat: unde Iezabel eum per falsos testes quasi blasphemum lapidari curat, agrumque eius Achabo tradit Quocirca v. 17. mittit Deus Eliam, qui Achab et Iezabeli exitium denuntiet, quodque canes lingent sanguinem eorum in agro Naboth. Quo audito pœnitet Achab v. 27. quare Deus ab eo in filium pœnam comminatam transfert.

1. POST verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Iezrahelitæ, quæ erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab regis Samariæ. 2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, et prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. 3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. 4. Venit ergo Achab in domum suam indignans, et frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et proiiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, et non comedit panem. 5. Ingressa est autem ad eum Iezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem? 6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Iezrahelitæ, et dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam. 7. Dixit ergo ad eum Iezabel uxor eius: Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel. Surge, et comede panem, et æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ. 8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, et signavit eas annulo eius, et misit ad maiores natu et optimates, qui erant in civitate eius, et habitabant cum Naboth. 9. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate ieiunium, et sedere facite Naboth inter primos populi. 10. Et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant: Benedixit Deum et regem: et educite eum, et lapidate, sicque moriatur. 11. Fecerunt ergo cives eius maiores natu et optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Iezabel, et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos: 12. Prædicaverunt ieiunium, et sedere fecerunt Naboth inter primos populi. 13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum et regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. 14. Miseruntque ad Iezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, et mortuus est. 15. Factum est autem, cum audisset Iezabel lapidatum Naboth, et mortuum, locuta est ad Achab: Surge, et posside vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, et dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est. 16. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, et descendebat in vineam Naboth Iezrahelitæ, ut possideret eam. 17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens. 18. Surge, et descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam: 19. Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper et possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 20. Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eo quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. 21. Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum, et ultimum in Israel. 22. Et dabo domum tuam sicut domum Ieroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia: quia egisti, ut me ad iracundiam provocares; et peccare fecisti Israel. 23. Sed et de Iezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel. 24. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli. 25. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est, ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Iezabel uxor sua. 26. Et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel. 27. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, ieiunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. 28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: 29. Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filii sui inferam malum domui eius.

Vers. 1. VINEA ERAT NABOTH.) *Naboth* hic fuit vir probus, ut patet ex sequentibus. Unde *Naboth* Hebr. idem est quod *prophetiæ*, vel *loquelæ fructus*, ait ex S. Hieron. Pagninus. Vineam eius, quia sibi vicinam concupivit Achab: inexplebilis enim est divitum avaritia et cupiditas, qua de re in hoc caput insignem tractatum scripsit S. Ambros. de Naboth, sive de Nabuthe, in quo acriter perstringit divites avaros et rapaces, qualis erat Achab: unde cap. B 2. *O dives*, inquit, *nescis quam pauper sis, quam inops tibi ipsi videaris, qui te divitem dicis! Quanto plus habueris, plus requiris; et quamquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat. unde sit gravior ruina lapsuro.* Et post nonnulla: *Denique docet nos Scriptura divina. quam misere egeat, mendicet abiecte. Rex Achab in Israel erat,*

et pauper Naboth. Ille regni opibus affluebat, iste angusti A *soli cespitem possidebat: nihil pauper de possessionibus divitis concupivit, rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur? Qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certe pauper censu videtur, alter est pauper affectu.*

Vers. 2. Da mihi vineam tuam.) Hæc verba urget egregie S. Ambros. cap. 2. iam dicto: *Quæ*, inquit, *vox alia est stipem publice postulantis, nisi: Da mihi, hoc est: da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum. Da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit unde largiri debeas, mihi non dedit. Da mihi, nisi tu dederis, habere non potero. Da mihi, quia scriptum est: Date eleemosynam. Hœc quam abiecta, quam vilia!*

Ut faciam mihi hortum olerum.) Notat S. Ambr. cap. 3. regis avari impudentiam. *Hœc erat igitur*, inquit, *omnis insania, hic omnis furor, ut spatium vilibus oleribus quœreretur. Non tam ergo ipsi cupitis quasi utile possidere, sed alios vultis excludere. Maior vobis cura de pauperum spoliis, quam de vestris emolumentis est. Iniuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione divitis æstimetur. Damnum vestrum creditis, quidquid alienum est.*

Vers. 3. Propitius sit mihi Dominus.) Hebr. *prohibeat Dominus*, id est absit; Septuag. *Non mihi fiat a Domino;* Chald. *Absit mihi a Domino.*

Ne dem hereditatem patrum meorum tibi.) q. d. Hereditas a parentibus consignata mihi conservanda est, non tam ut mea, quam ut eorum hereditas: hanc enim memoriam et reverentiam filius debet parentibus, ut eorum bona tueatur, et ad posteros transmittat. Porro idem S. Ambros. cap. 3. iam citato: *Quasi contagionem quamdam*, inquit, *sui, pecuniam esse divitis arbitretur: q. d. Pecunia tua tecum sit in perditionem; ego autem hereditatem patrum meorum non possum vendere.*

Tropol. vinea est anima, quæ est tota hereditas nostra, quare cave, ne eam vili pretio voluptatis, vel honoris vendas diabolo, morti et gehennæ. Unde S. Ambr. exhort. ad Virgines, per vineam accipit virginitatem, per Iezabel concupiscentiam, per Naboth Christum: *Vinea*, inquit, *quidam fructus virginalis est; coniugia velut olerum plantaria sunt, in quibus frequens zelus est: et ideo sicut olera herbarum cito cadunt atque marcescunt, nisi finem imponat senectus, aut ad perfectum vehat continentia. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestram delere et extinguere: nec veniat in vos Iezabel vanum illud et sæculare profluvium; hoc enim significatur vocabulo vana et vacua redundantia, sed veniat Nabuthe, qui venit a patre, sicut indicat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, et pro ea mortem offerat. Hic est qui lapidatus pro nobis est, pro nobis mortuus, pro nobis falsis appetitus testimoniis.*

Vers. 4. Et non comedit panem.) Ex ira et tristitia, quod Naboth eius cupiditati restitisset, atque eum quasi contempsisset. Audi S. Ambros. cap. 6. *Non manducavit panem suum, quoniam quœrebat alienum. Etenim divites magis alienum panem, quam suum manducant, qui raptu vivunt, et rapinis sumptum exercent suum. Aut certe non manducavit panem suum, volens se morte mulctare, quod ei aliquid negaretur.* Et eleganter cap. 6. *Ditem*, inquit, *dicunt Gentiles inferorum prœsulem, arbitrum mortis. Ditem appellant et divitem, quod nisi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sint. Quid est enim dives, nisi quidam inexplebilis gurges divitiarum, inexplebilis auri fames? Quo plus hauserit, plus inardescit.* Et nonnullis interiectis: *Dulcis enim somnus servi, etsi modicum vel multum edat: at satiato divitiis non est, qui eum sinat dormire: excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infœcunda perturbat, solicitat abundantia.*

A Dixit ergo ad eum Iezabel uxor eius.) Impio marito Iezabel fuit impientior, avaro avarior, crudeli crudelior, rapace rapacior, cupido cupidior. Unde S. Ambr. cap. 9. docet Iezabel esse typum avaritiæ, quæ divitibus promittit contra iustitiam possessionem, quam desiderant. Ipsa enim Achab et Israeli fuit fax et incentrix idololatriæ et malorum omnium quasi furia quædam inferni, ut patet v. 25. Vers. 7.

Prædicate (*indicite*) ieiunium.) Ut sceleri (puta cædi iniustæ Naboth) prætexatis speciem pietatis et zeli Dei: iubet enim Iezabel indici ieiunium, ut per illud quasi per publicam populi pœnitentiam expietur blasphemia Naboth, quam illi falso impingi curabat. Blasphemia enim erat Hebræis horrenda; unde ea audita, vestes scindebant, aliaque publici doloris et detestationis rei tam indignæ signa edebant. Vers. 9.

Benedixit (Naboth) Deum et regem.) *Benedixit*, Vers. 10.
B id est maledixit. Est Euphonismus per Antiphrasin: quia enim blasphemia res est adeo horrenda; hinc eam Iudæi ne nominare quidem audebant, sed eam significabant per contrarium, puta per benedictionem et laudem. Ita S. Hieron. Epist. 34. ad Iulian.

Et lapidibus interfecerunt.) Blasphemus enim Vers. 13.
lapidibus obruendus erat ex lege Levit. 24. 16. Additur 4. Reg. 9. 26. filios Naboth quoque fuisse interfectos, ut sic vinea eorum ab iis ad Achab transiret, quasi deficiente herede heres foret rex.

Simili modo Eudoxia uxor Arcadii Imper. ambiens vineam Callitropes viduæ, S. Chrysostomum, qui viduæ causam agebat, in exilium egit, et per mille ærumnas itinerum, famis, sitis, militum eum vexantium, etc. ad mortem adegit; ut vere S. Chrysost. non tantum sit Confessor, sed et Martyr; utpote pro iustitia iniuste occisus, non una morte, sed centum.

Allegor. Naboth fuit typus Christi, qui a Scribis et Pharisæis ambientibus eius vineam, id est Synagogam, per falsos testes accusatus blasphemiæ, quod se diceret C filium Dei, ideoque occisus est iuxta parabolam vineæ, quam hac ipsa de re eis obiecit Christus, Matth. 21. 23. Scribarum enim de Christo vox est v. 38. *Hic est heres: venite, occidamus eum, et habebimus hereditatem eius.* Hinc et canes, id est Gentiles (hos enim Iudæi despiciebant quasi canes) Romani, duce Tito et Vespasiano, linxerunt sanguinem Iudæorum Christicidarum, in eodem loco, puta Ierosolymæ, et in eodem tempore, scilicet in Paschate, quo ipsi occiderant Christum. Ita Angelomus.

Surge, et posside.) Hebr. רש *resch*, id est, *hœre-* Vers. 15.
dita, scilicet titulo confiscationis; quia Naboth accusatus erat criminis læsæ maiestatis tam divinæ, quam regiæ, ideoque condemnatus. Quare vinea eius a Iezabele fisco regis Achab fuit addicta.

Occidisti, insuper et possedisti.) Occidisti Naboth, Vers. 19.
ut eius vineam invaderes et possideres, itaque iniquæ cædi iniquam possessionem addidisti: quare lege talionis tu pariter occideris, et vineam omniaque amittes, tamque possessione, quam vita privaberis.

D In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.) Id ita reipsa per congruam iustamque Dei vindictam contigisse narratur, c. 22. 38. Dices, ibi dicitur quod canes linxerint sanguinem Achab in Samaria, at vero Naboth sanguinem canes linxerunt in Iezrahel, ubi occisus est. Resp. Iezrahel pertinuisse ad Samariam, quæ erat metropolis et caput totius regni Israel. Idem ergo locus hic intelligendus est in genere, non in individuo. Ita Abul. Lyran. Vatab. Aliter respondent Hebræi, scilicet arma Achab sanguine eius tincta abluta fuisse in Piscina Iezrahel, cum eo ad armamentarium deferrentur: quare tunc canes sanguinem eius ablutum linxisse: sed id confutat Abul. ex eo quod c. 22. 38. prophetia hæc impleta dicatur cum eius sanguinem linxerunt canes in Samaria, pro qua perperam Iosephus substituit Iezrahel. Posset quoque dici Deum mitigasse et revocasse hanc pœnam ob pœnitentiam Achab, uti insinuatur v. 29.

Denique planius et plenius Salianus et Sanchez censent id impletum in Ioram filio Achab; hic enim occisus est in agro Iezrahel. Sanguis enim sæpe significat filios; hi enim ex sanguine parentum gignuntur: unde illud Anchisæ de Iulio Cæsare.

Proiice tela manu, sanguis meus.

Hoc est, o fili mi Iule, Æneid. 6. Idipsum probatur tum ex v. 29. ubi Deus mitigans pœnam hanc Achabo intentatam ob eius pœnitentiam, ait se illam ab Achab translaturum in eius filium Ioram, tum ex lib. 4. Reg. c. 9. v. 25. et 26. ubi occiso Ioram iussit Iehu eius cadaver proiici in agrum Naboth lingendum et vorandum canibus, ut hæc de eo Dei prophetia impleretur.

Sic Aristobulus primus e Machabæis Iudæorum rex, occidit fratrem Antigonum, sed iusto Dei iudicio doloribus excruciatus vomuit sanguinem, qui eodem loci effusus est, quo ipse fratris sanguinem effuderat. Unde ipse ingemiscens exclamavit ait Ioseph. 13. Antiq. 19. *Ergo non latet Deum, inquit, meum impium et sceleratum facinus, quando tam cito reposcor ad pœnas cognati sanguinis. O corpus impudens quousque retinebis animam, quam materni simul ac fraterni manes flagitant? cur non semel eam reddis, ne sic per partes opus sit libare meum sanguinem, atque ita parentare oppressis per nefas et parricidium? vix ea fatus erat, cum exhalavit animam, uno tantum anno in regno exacto.*

Vers. 20. Eo quod venumdatus sis, ut faceres malum.) *Venumdatus,* quasi servus addictus peccato. Unde Caiet. *venumdatus*, inquit, id est traditus peccato; nam quod venditur, traditur ementi quasi Domino, q. d. Tu o Achab, tua mala voluntate totus addictus es peccato, quasi ad nihil aliud venditus vel locatus sis quam ad peccandum. Alludit ad servos, qui ad certa opera se elocant, iisque totos se addicunt: sic enim Achab seipsum addixerat non tantum idolis, sed et suæ Iezabeli, ut quasi servus ab ea ageretur ad omne scelus. Ita Abulens. Sensus ergo est q. d. Tu o Achab revera non es rex nec Israelita, id est liber, et ingenuæ conditionis, sed mancipium Baal et Iezabelis, quia iis te totum addixisti et mancipasti, ut eis per omnia obsequaris, ac facias quicquid ipsi volunt. Causa fuit, quod Ithobaal rex Tyri et pater Iezabelis, ideoque socer Achab, esset sacerdos Asthartes, ut ait Iosephus lib. 1. contra Apionem, ac nomine suo profiteretur cultum Baal; ideo enim dictus est *Ithobaal*, vel, ut Noster vertit c. 16. 31. *Ethbaal.* Hic ergo pater Baali et Astarthæ addictissimus, imo consecratus sacerdos, suam impietatem et idololatriam transfudit in filiam suam Iezabel, et in maritum eius Achab; unde Ioseph. lib. 9. c. 7. *Baal*, ait, *Tyriorum Deus erat, quem Achabus in gratiam Ithobaalis Tyriorum et Sydoniorum regis, soceri sui coluit, templo ei Samariæ dedicato, et prophetis cum reliquo cultu assignatis.*

Intuere hic et admirare libertatem Eliæ, qui Achab regem in faciem obiurgat, eique obiectat, quod sit peccati mancipium, ideoque extremam perniciem denuntiat. Sic S. Athanasius, S. Hilarius, et Lucifer Calaritan. acriter obiurgant Constantium Imper. Arrianum, eumque vocant Herodem, Neronem, et Antichristum. Eorum verba recitavi Apocal. 11. v. 5.

Tropol. vide hic quam vilis, miser et infelix sit peccator, qui instar Achab ob modicam voluptatem, imo ob unum aureum, vendit se suamque animam diabolo, eamque ut mancipium tradit suæ cupiditati, ut fiat pabulum mortis et fomentum gehennæ.

Demetam posteriora tua.) Id est posteritatem tuam Vers. 21.
funditus excindam.

Scidit vestimenta sua.) Videtur hæc Achab pœni- Vers. 27.
tentia fuisse ex metu pœnæ, non ex amore iustitiæ, ideoque servilis, imperfecta, et extorta: unde non videtur Deus ei condonasse culpam, sed pœnam tantum distulit, eamque ab eo in filium transtulit, ut dicitur v. 29. ita Lyran. Dionys. Caietan. imo S. Gregor. hom. 19. in Ezech. *In quibus verbis*, ait, *pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum, si sic ei et reprobi pœnitentia placuit, quia timebat perdere præsens sæculum; aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit et in eis, qui displicebant.*

Veram tamen et seriam fuisse hoc tempore Achab pœnitentiam, censent Abul. Hugo, Vatabl. Sanchez, Serarius, imo S. Chrysost. Epist. ad Theodorum (Mopsuestenum) lapsum, ubi ait: *Achab, perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, et cilicio circumdatus facinus suum flevit, atque ita erga se Domini misericordiam provocavit, ut a cunctis eum absolverit peccatis. Sic enim ait Deus ad Eliam: Vidisti quomodo compunctus est Achab a facie mea, quia flevit in conspectu meo, non inducam mala in diebus eius.*

Sic quoque S. Ambros. lib. de Nabuthe c. 17. ac Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 10. Quæ sententia pariter probabilis est, eamque insinuat id quod Deus ait ad Eliam, vers. 29. *Nonne vidisti humiliatum Achab?* etc. Nec obstat, quod Achab post pœnitentiam mox ad pristina scelera redierit. Erat enim homo levissimus, ait Theodor. et totus a sua Iezabele agebatur. Sic enim hodie multi vere pœnitent sed mox data occasione, in sua solita peccata relabuntur.

Utramque sententiam concilies dicendo, pœnitentiam Achab fuisse veram attritionem, at non assurrexisse ad contritionem charitate formatam. Serio enim de peccatis doluit ob imminentes sibi clades ab Elia intentatas; at non doluit de iis amore Dei, quod scilicet eum, qui est summum bonum, offendisset. Quare pœnam evasit, at culpam non delevit, nec iustificatus est: quæ sententia videtur verissima et S. Script. summe consentanea. Quare perperam Calvinus censet hanc Achab pœnitentiam fuisse fictam.

Quia igitur humiliatus est mei causa, scilicet mei Vers. 29.
non tam amore, quam metu et timore, unde et temporalem tantum veniam et præmium ei rependo, scilicet, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filii sui.) Quare iure exclamat S. Hieron. Epist. 30. ad Oceanum: *O felix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos, quæ furentem Dei sententiam confesso errore mutavit!* Loquitur autem de pœnitentia Achab.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab regi eunti ad bellum pseudoprophetæ prædicunt victoriam, Michæas vero Propheta exitium. Quare in prælio Achab sagitta transfixus, occumbit, canesque lingunt sanguinem eius. Mox v. 41. describuntur gesta Iosaphat regis Iuda, eiusque classis missa in Ophir. Denique ei morienti v. 51. succedit filius Ioram, Achab vero succedit filius Ochozias.

1. Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam et Israel. 2. In anno autem tertio, descendit Iosaphat rex Iuda ad regem Israel. 3. (Dixitque rex Israel ad servos suos: Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, et negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?) 4. Et ait ad Iosaphat: Veniesne me-

cum ad præliandum in Ramoth Galaad? 5. Dixitque Iosaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita et tu: populus meus, et populus tuus, unum sunt: et equites mei, equites tui. Dixitque Iosaphat ad regem Israel: Quære, oro te, hodie sermonem Domini. 6. Congregavit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, et ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, et dabit eam Dominus in manu regis. 7. Dixit autem Iosaphat: Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum? 8. Et ait rex Israel ad Iosaphat: Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Iemla. Cui Iosaphat ait: Ne loquaris ita rex. 9. Vocavit ergo rex Israel eunuchum quemdam, et dixit ei: Festina adducere Michæam filium Iemla. 10. Rex autem Israel, et Iosaphat rex Iuda, sedebant unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area iuxta ostium portæ Samariæ, et universi prophetæ prophetabant in conspectu eorum. 11. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, et ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam. 12. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet Dominus in manus regis. 13. Nuntius vero, qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones prophetarum ore uno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum: et loquere bona. 14. Cui Michæas ait: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 15. Venit itaque ad regem, et ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis. 16. Dixit autem rex ad eum: Iterum atque iterum adiuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini. 17. Et ille ait: Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem, et ait Dominus: Non habent isti dominum: revertatur unusquisque in domum suam in pace. 18. (Dixit ergo rex Israel ad Iosaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?) 19. Ille vero addens, ait: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris: 20. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat, et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba huiuscemodi, et alius aliter. 21. Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? 22. Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, et prævalebis: egredere, et fac ita. 23. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum. 24. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michæam in maxillam, et dixit: Mene ergo dimisit Spiritus Domini, et locutus est tibi? 25. Et ait Michæas: Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abscondaris. 26. Et ait rex Israel: Tollite Michæam, et maneat apud Amon principem civitatis, et apud Ioas filium Amelech. 27. Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ, donec revertar in pace. 28. Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite populi omnes. 29. Ascendit itaque rex Israel, et Iosaphat rex Iuda, in Ramoth Galaad. 30. Dixit itaque rex Israel ad Iosaphat: Sume arma, et ingredere prælium, et induere vestibus tuis; porro rex Israel mutavit habitum suum, et ingressus est bellum. 31. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem et maiorem quempiam, nisi contra regem Israel solum. 32. Cum ergo vidissent principes curruum Iosaphat, suspicati sunt quod ipse esset rex Israel, et impetu facto pugnabant contra eum: et exclamavit Iosaphat. 33. Intellexeruntque principes curruum quod non esset rex Israel, et cessaverunt ab eo. 34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit regem Israel inter pulmonem et stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam, et eiice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum. 35. Commissum est ergo prælium in die illa, et rex Israel stabat in curru suo contra Syros, et mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus. 36. Et præco insonuit in universo exercitu antequam sol occumberet, dicens: Unusquisque revertatur in civitatem, et in terram suam. 37. Mortuus est autem rex, et perlatus est in Samariam: sepelieruntque regem in Samaria, 38. Et laverunt currum eius in piscina Samariæ, et linxerunt canes sanguinem eius, et habenas laverunt, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat. 39. Reliqua autem sermonum Achab, et universa quæ fecit, et domus eburnea quam ædificavit, cunctarumque urbium quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 40. Dormivit ergo Achab cum patribus suis, et regnavit Ochozias filius eius pro eo. 41. Iosaphat vero filius Asa regnare cœperat super Iudam anno quarto Achab regis Israel. 42. Triginta quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti quinque annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Azuba filia Salai. 43. Et ambulavit in omni via Asa patris sui, et non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini. 44. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. 45. Pacemque habuit Iosaphat cum rege Israel. 46. Reliqua autem verborum Iosaphat, et opera eius, quæ gessit, et prælia, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 47. Sed et reliquias effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa patris eius, abstulit de terra. 48. Nec erat tunc rex constitutus in Edom. 49. Rex vero Iosaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum: et ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber. 50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Iosaphat: Vadant servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit Iosaphat. 51. Dormivitque Iosaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David patris sui: regnavitque Ioram filius eius pro eo. 52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel, in Samaria, anno septimo decimo Iosaphat regis Iuda, regnavitque super Israel duobus annis. 53. Et fecit malum in conspectu Domini, et ambulavit in via patris sui et matris suæ, et in via Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 54. Servivit quoque Baal, et adoravit eum, et irritavit Dominum Deum Israel, iuxta omnia quæ fecerat pater eius.

Vers. 3. DIXITQUE IOSAPHAT AD REGEM ISRAEL: SICUT EGO SUM, ITA ET TU.) Hebr. *Sicut ego, sicut tu,* hoc est, ego sum, sicut tu, et tu es sicut ego. Hebræi A enim in comparatione repetunt τὸ *sicut*, vel *ita*. Sensus ergo est, q. d. Quod tu facturus es, faciam et ego; si tu eas in bellum contra Syros, ibo et ego: omnia erunt nobis

communia, et communis quoque erit belli alea et periculum. Causa datur 2. Paral. 18. 1. quod Iosaphat erat regi Achab affinitate coniunctus: nam Athaliam filiam Achab dederat filio suo Ioram uxorem, ideoque ipse Achabum hic invisit, et cum eo ivit ad bellum. Qua in re peccavit præbendo auxilium, et amicitiam fovendo cum impio Achab, ideoque pene in prælio fuit occisus, ut dicitur v. 32. Hinc et revertens a bello, obvium habuit Iehu prophetam, qui eum graviter increpuit dicendo: *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te*, etc. Ubi vides quam Deo displiceant connubia et fœdera cum impiis, quamque eadem toti regno sint periculosa. Nam impia Athalia extinxit omne semen regium, id est omnes suos ex Ioram filios et nepotes, unico Joas excepto et abscondito, ut ipsa sola regnaret, 4. Reg. 11. v. 1. Eadem de causa, naves quas misit Iosaphat cum navibus Ochoziæ filii Achab in Tharsis confractæ sunt, ut dicitur 2. Paral. 20. 37. Ibi enim Eleazar Propheta ad Iosaphat dixit: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* E contrario Deus benedicit et prosperat connubia et fœdera cum probis et sanctis, ac sancti suam sanctitatem et felicitatem suis coniugibus et fœderatis aspirant, uti aspiravit Abraham Hethæis Genes. 23. 6. Iacob Labano Genes. 30. 27. Ioseph Putiphari Genes. 39. 3. Moses Hebræis quos ex Ægypti servitute eduxit Exodi. 12. Samuel Davidi, David Sauli, etc. Hoc est quod sanxit Apostolus 2. Corinth. 6. 14. dicens: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi.*

Vers. 5. QUÆRE, etc. SERMONEM DOMINI.) Oraculum a Deo per Prophetam aliquem, an felix sit futurus belli eventus, an infelix: si enim sit felix, ibimus ad illud; sin infelix, domum redibimus.

Vers. 6. CONGREGAVIT ERGO REX ISRAEL (Achab) PROPHETAS QUADRINGENTOS.) Non Dei, sed Baal sive dæmonis, ideoque pseudoprophetas, idololatras et hæreticos. Hinc Lucifer Calarit. lib. 1. de Apostat. Reg. notat principes hæreticos suis adhærere pseudoprophetis, id est Prædicantibus hæreticis, ac veros Dei Prophetas despicere, imo persequi et occidere, uti fecere Constantius, Valens, Iulianus et alii, qui proinde a suis Arrianis seducti misere perierunt.

ASCENDE, ET DABIT EAM DOMINUS IN MANU REGIS.) Puta tuam, o Achab. Diabolus ab his pseudoprophetis per auguria, et sortilegia eis consueta consultus de belli eventu, victoriam promittit: sed mentitur. Quare ipse decipit prophetas, et hi decipiunt Achab, eumque nimis sibi credentem in decipulam cædis quasi murem inducunt.

Vers. 7. DIXIT AUTEM IOSAPHAT: NON EST HIC PROPHETA DOMINI QUISPIAM, UT INTERROGEMUS PER EUM?) Iosaphat erat veri Dei cultor; quare displicuit ei, quod Achab prophetas Baal, ipsumque Baal, hoc est dæmonem, consuluisset, nec eis utpote mendacibus credidit. Petiit ergo quæri verum veri Dei Prophetam, eiusque oraculum sciscitari et sequi.

Vers. 8. MICHÆAS.) Est hic alius et diversus a Michæa, qui inter minores Prophetas numeratur sextus, imo hic eum præcessit 150. annis; hic enim prophetavit sub Iosaphat et Achab, ille vero sub Ioatham et Achaz; hic in Israel, ille in Iuda.

Vers. 15. ASCENDE, ET VADE PROSPERE, ET TRADET EAM DOMINUS IN MANUS REGIS.) Primo, Caiet. censet Michæam id dixisse antequam a Deo oraculum accepisset, ideoque aliis Prophetis assensum fuisse, errasse, et falsum prædixisse; at mox adiuratum a rege, a Deo illustratum, verum oraculum de regis nece a Deo accepisse, et pronuntiasse.

Secundo, Dion. ait hanc responsionem esse ambiguam, tamque de Benadad rege Syriæ hoste regis Achab, quam de ipso Achab accipi posse. Sic enim dæmon consultus ambigue respondendo fefellit Crœsum, dicens:

Crœsus Halym penetrans, magnam disperdet opum vim.

Et Pyrrhum, dicens, teste Ennio.

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Vide Ciceron. lib. 2. de Divin.

Tertio, Theodor. et Lyranus censent Michæam hic nil asserere, sed ut ostendat se non odisse regem Achab, ut ipse putabat, optare illi dumtaxat prosperum belli successum, ut *tradet*, idem sit quod, *opto ut tradat.*

Quarto et genuine, Michæas hic loquitur ironice, q. d. Quandoquidem, o Achab, prophetæ tui tibi victoriam spondent, tuque eis credis, vade ad prælium: illi enim dicunt te victorem rediturum. Experire ergo eorum oraculum, quia mihi meoque non credis. Ego enim scio te in prælio periturum, sed illud nolo tibi edicere, quia tu indignus es qui audias a Deo veritatem, cum mendacem Baalem consulas, eiusque oracula mendacia audire malis, quam mea ex Deo vero verissima. Ita Abulen. Vatab. Sanchez, Serarius.

ITERUM ATQUE ITERUM ADIURO TE.) Videbat rex ex vultu, gestu, et modo dicendi Michæam non serio, sed figurate et ironice loqui. Adiurat ergo eum, ut non nisi veritatem verumque oraculum serio ex animi sui sensu depromat. Vers. 16.

VIDI CUNCTUM ISRAEL DISPERSUM IN MONTIBUS, QUASI OVES NON HABENTES PASTOREM.) Prædicit Michæas Israelis fugam, et mortem regis Achab, eumque occidendum in prælio, q. d. *Pastor*, id est rex occidetur; quare eius subditi et milites, quasi oves sine pastore e prælio montis Samariæ diffugient. Vers. 17.

VIDI DOMINUM SEDENTEM SUPER SOLIUM SUUM, ET OMNEM EXERCITUM CÆLI ASSISTENTEM EI A DEXTRIS, ET A SINISTRIS.) A dextris erant Angeli, a sinistris diaboli; unde inde exivit is, qui dixit v. 22. *Egrediar, et ero spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum eius.* Sic Iob 1. *Cum filii Dei* (Angeli) *assisterent coram Domino, affuit inter eos et Satan.* Ubi S. Gregor. lib. 2. Mor. c. 16. citans hanc Michææ visionem: *A dextra ergo Dei*, inquit, *et sinistra Angelorum exercitus stat, quia et voluntas electorum spirituum divinæ pietati concordat, et reproborum sensus suæ malitiæ serviens iudicio districtionis eius obtemperat.* Vers. 19.

Nota hanc visionem Michææ non fuisse rem veram, vereque gestam, sed imaginariam: Deus enim in imaginatione Michææ pingebat hanc speciem et formam concilii, ut videretur sibi videre Deum cum Angelis et dæmonibus consultantem de modo decipiendi regem Achab. Nec enim vere Deus concilium cum Angelis, multo minus cum dæmonibus celebrat, neque cum eis consultat, utpote qui sciat certissimo omnes modos rei conficiendæ, quique sint futuri efficaces et habituri effectum, qui non. *Quis enim consiliarius eius fuit?* Roman. 11. 34. Idem patet ex Angelorum dissensione et ignorantia, quæ hic tacite inducitur, cum eorum omnium sententiis dæmonis consilium præferatur, v. 22.

Igitur fuit imaginaria et symbolica hæc visio, a Deo immissa Prophetæ, ut per eam rex Achab intelligeret se decipi a suis pseudoprophetis victoriam promittentibus, idque fieri Deo permittente et disponente ad iustam eius castigationem et interitum. Accommodat enim Deus se suumque oraculum Achab regis captui et conceptui. Ita Serarius, Sanchez et alii.

ET AIT DOMINUS: QUIS DECIPIET ACHAB.) Ista Dei inquisitio præter demerita et scelera Achab, quibus meruit decipi et perire, duo significat. Prius, quod decipere alienum est a Deo. Unde Deus illud hic inquirit quasi idipsum non habeat in se, nec inter divina illud reperiatur; sed in cœtu dæmonum, qui hic inter se agitabant consilium de modo decipiendi Achab: unde Deus eos in hac visione interrogans inducitur, q. d. Quis ex vobis o dæmones, decipiet Achab? scio enim vos hac de re agitare consilium. Vers. 20.

Posterius, quod ipsum decipere dæmonum fuerit exa-

cte cognitum, et ordinatum a Deo ad Achabi punitionem: Deus enim volebat punire Achab, ideoque permisit eum consulere dæmonem per suos pseudoprophetas, ac dæmoni permisit mentiri et decipere Achab, promittendo victoriam in prælio, quo ipse erat occidendus. Ita S. Augustin. quæst. 44. in lib. Iudicum. Unde Theod. et Procop. docent hic significari divinam voluntatem fuisse causam exitii Achab: hæc enim voluit Achabi impietatem punire, ideoque nonnulla eius peccata, quæ tamen libere fiunt, permisit, nimirum ut consuleret suos magos, eisque crederet, itaque deciperetur et periret. Hæc duo, ait Caiet. significat ista Dei inquisitio. Nam alioqui Deus proprie nihil inquirit, cum omnia perfecte perspiciat et sciat. Loquitur ergo hic Script. antropopathos, sive humano more, quia homines in re dubia et futura inquirunt, et consultant de modo congruo rei peragendæ.

ET DIXIT UNUS VERBA HUIUSCEMODI, ET ALIUS ALITER.) Varii modi decipiendi Achab ab astantibus non tam Angelis, quam dæmonibus in symbolica hac visione Deo suggesti narrantur, qui in particulari non recensentur, quia iis uti noluit Deus. In genere tamen referuntur, ut pateat omnes modos decipiendi a Deo esse cognitos, et in promptu ad manum, ut iis exequatur decretum suæ providentiæ, et vindictæ de occidendo impio Achab. Ita Caiet.

Vers. 21. EGRESSUS EST AUTEM SPIRITUS.) q. d. Obtulit se Domino ad decipiendum Achab diabolus quispiam, huius enim officium est mentiri et decipere: hoc enim facere nequeunt Angeli boni, ideoque veraces et fideles. *Neque enim*, ut ait S. Gregor. 2. Moral. 16. *fas est credere bonum spiritum fallaciæ deservire voluisse, ut diceret: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius; sed quia Achab ex præcedentibus peccatis dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occulta iustitia licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant.* Idem docet S. August. lib. 83. quæst. 4. 53.

Vers. 22. EGREDIAR, ET ERO SPIRITUS MENDAX IN ORE OMNIUM PROPHETARUM EIUS.) q. d. Suggeram mendacium et mendax promissum omnibus pseudoprophetis Achab, ut illi uno ore regi promittant victoriam in prælio, cum ipse in eodem sit necandus. Porro Philastrius libr. de Hæresib. hæresi de Pythonissa hæc addit; incertum unde: *Et ait immundus spiritus ad Dominum: Faciam me quasi Angelum lucis, et verba similia eloquar, et ducam eum in prælium, et ibi eum deseram, et sic morietur. Et ait Dominus: Vade, sic facies.* Rursum. S. Epiphan. hæres. 25. *Spiritus*, inquit, *erroris est velut flatus in tibia, diversis modis unumquemque stolidum concitans adversus veritatem: nam et ipsa tibia imitamentum est draconis, per quem locutus est diabolus et decepit Evam.*

ET DIXIT DOMINUS: DECIPIES, ET PRÆVALEBIS: EGREDERE, ET FAC ITA.) Verba sunt Dei non iubentis, sed permittentis diabolo parato decipere, ut decipiat Achab. Sic Christus ait Iudæ: *Quod facis fac citius.* Ioan. c. 13. 27. id est permitto ut illico me prodas.

Vers. 23. NUNC IGITUR ECCE DEDIT DOMINUS SPIRITUM MENDACII IN ORE OMNIUM PROPHETARUM TUORUM.) *Dedit*, laxando dæmoni habenas, non impediendo, sed volenti decipere permittendo deceptionem. Dæmon enim neminem decipere vel tentare potest, nisi positive id ei permittat Deus. Quare sicut qui leonem fune ligatum manu tenet, si funem laxet, ut leo aliquem invadat et occidat, dicitur is qui funem laxavit, eum occidisse, sic, et Deus dicitur *dare spiritum mendacii*, cum funem laxat diabolo eique paratissimo ad mentiendum permittit, ut mentiatur, et decipiat. Hisce enim phrasibus significat Script. altissimam Dei providentiam ita sua manu continere omnium hominum voluntates, tam malorum quam bonorum, ut nihil omnino velle aut agere possint, nisi quod Deus permiserit.

Vers. 24. PERCUSSIT MICHÆAM IN MAXILLAM.) Quæ ignominiosa et probrosa est percussio, uti dixi Thren. 3. 30.

A Vers. 25. VISURUS ES IN DIE ILLA, QUANDO INGREDIERIS CUBICULUM INTRA CUBICULUM, (id est intimum, obstrusissimum cubiculum, quoniam non invenies locum in quo possis esse tutus a metu Syrorum hostium) UT ABSCONDARIS.)

Vers. 27. SUSTENTATE EUM PANE TRIBULATIONIS, ET AQUA ANGUSTIÆ.) Vel afflictionis. Vatab. *Qualis afflictis dari solet*, q. d. Sustentate eum exiguo pane, et exigua aqua. Chald. *pane qui erit in afflictione*, id est non ad saturitatem, sed ad necessitatem tantum, ut vivere possit, nec fame vel siti moriatur.

Vers. 28. AUDITE POPULI OMNES.) Hoc meum oraculum illudque notate, ut cum illud vere evenire videritis, me verum prænuntiasse fateamini.

Vers. 30. DIXIT ITAQUE REX ISRAEL AD IOSAPHAT, etc. INDUERE VESTIBUS TUIS.) Regiis et solitis quasi belli dux, ut animos militibus addas ad fortiter pugnandum.

PORRO REX ISRAEL (Achab) MUTAVIT HABITUM SUUM.) Ac deposito regio induit plebeium gregarii mili-

B tis. Fecit hoc Achab non ad honorandum Iosaphat, quasi ipse esset imperator, et belli dux (esto id ipse coram Iosaphat simularet) sed ex terrore prophetiæ Michææ. Esto enim non plane crederet eum vera dicere, scilicet se occidendum in prælio; tamen idipsum timuit, præsertim accedente præcepto regis Syriæ, quo iusserat ut omnes sui in unum Achab arma converterent. Hoc enim præceptum videtur ei innotuisse. Porro Iosephus addit, id eum fecisse ut facilius et certius prophetiam Michææ eluderet, et falsam fuisse ostenderet, cum mutato habitu, et in ultimo agmine positus, procul esset a gladiis et ictibus hostium, ut nihil ei de vulnere et morte metuendum videretur.

Vers. 31. NON PUGNABITIS, etc. NISI CONTRA REGEM ISRAEL SOLUM.) Puta contra Achab, ut eum solum occidatis vel capiatis: ille enim est fax belli. Iosaphat enim sequitur eum ut comes ducem. Quare illo sublato, auferetur omne bellum. Rursum, iussit hoc rex Syriæ instinctu Dei, ut videtur, volentis Achab impium punire et trucidare. Un-

C de Iosephus addit, solum Achab in prælio occubuisse, idque prædixisse Michæam.

Vers. 34. VIR AUTEM QUIDAM TETENDIT ARCUM, IN INCERTUM SAGITTAM DIRIGENS, ET CASU PERCUSSIT REGEM ISRAEL.) Fuit hic casus fortuitus respectu militis Syri sagittam ex arcu iacientis; at respectu Dei non fuit casus, sed destinatus ictus: Deus enim per Angelos direxit hanc sagittam, ut non alium feriret, quam impium Achab. Sic Iulianus Apostata, quasi novus Achab, idolorum cultum restituens, cælesti telo, ait Nazian. orat. 2. in Iulianum, in bello Persico ictus occubuit anno Domini 363. nimirum a S. Mercurio Martyre confossus, ut ex Helladio docet Damascen. orat. 1. de Imagin. Nicephorus lib. 10. c. 35. et alii; ideoque fremens et frendens manum sanguine suo implens, eumque in aerem iaciens: *Vicisti*, inquit, *Galilæe* (ita ipse Christum per contemptum vocabat) teste Theodor. lib. 3. c. 20. Porro occisus est Iulianus eodem die, quo ipse anno præcedente SS. Ioannem et Paulum S. Constantiæ Constantini Magni filiæ primicerios occiderat, et martyrio coronarat, nimirum die 26. Iunii, uti soler-

D ter advertit Baronius.

INTER PULMONEM ET STOMACHUM.) Hebr. בין הדבקים ובין השרין *ben adebakim uben hassirian*, quod Rabbini vertunt, *inter iuncturas, et thoracem*; Chald. *inter iuncturas loricæ*; Noster 2. Paral. 18. 33. vertit, *inter cervicem et scapulas.* Utrumque verum est, ait Abul. nam sagitta hæc adunca intravit inter cervicem et scapulas Achabi, exiit vero inter stomachum et pulmonem eiusdem: hic ergo sagittæ exitus, in Paral. vero eiusdem ingressus narratur.

Vers. 38. ET LAVERUNT CURRUM EIUS IN PISCINA SAMARIÆ (perperam Iosephus habet, *Iezare* vel *Iezrahel*) ET LINXERUNT CANES SANGUINEM EIUS, ET HABENAS LAVERUNT, IUXTA VERBUM DOMINI.) Pro *habenas*, Hebr. est זונות *Mezonoth*, quod Septuag. et Ioseph. vertunt, *meretrices. Meretrices*, inquiunt, *lotæ sunt in sanguine eius.* Iosephus vero: *meretrices posthac ex eo fonte aquabantur*, quia istæ

noctem flumine purgant, dum mane se lavant. ait ex Procopio et Theodor. Serarius. Chald. et Rabbini vertunt, *arma*, adduntque hæc relata esse in armamentarium; quod erat in Iezrahel; ibique canes sanguinem iis inhærentem linxisse, itaque ad amussim impletum esse Eliæ oraculum.

Verum Noster optime vertit, *habenas.* Agitur enim hic de curru, eiusque habenis sanguine Achab cruentatis, ideoque lotis in piscina Samariæ: unde canes ibidem eum linxisse. Atque sic impleta est prophetia Eliæ non per omnia, sed ex parte: quoad omnia vero impleta est in cæde Ochoziæ filii Achab, ut dixi cap. 21. vers. 19.

Vers. 39. DOMUS EBURNEA.) Quomodo domus fiant ex ebore dixi Amos 3. ad illa: *peribunt domus eburneæ.*

Vers. 42. NOMEN MATRIS EIUS AZUBA) In libris Regum nominatur crebro eorum mater, quia a matre pendet educatio prolium, vel in bonum, vel in malum, et qualis est mater, talis est et proles. Ita Spartani fortes fuerunt in bellis et laboribus, quia matres habebant, quæ ex instructione Lycurgi, laboribus et duritiei se et proles assuefaciebant. Unde Gorgon Leonidæ uxor dicenti sibi cuidam: *Vos solæ Spartanæ vestris viris imperatis*, respondit: *Quia solæ etiam viros parimus.* Ita Plutarch. in Apophtheg. Clarius exemplum est in S. Wenceslao Duce Bohemiæ, eiusque fratre Boleslao: ille enim a pia avia Ludmilla pie educatus, pius et sanctus effectus est; hic ab impia matre Dabronucia impie enutritus, impius et fratricida evasit: nam ut regnum occuparet, S. Wenceslaum occidit, sed Martyrem effecit, uti habet Vita S. Wenceslai, quam ex Ænea Sylvio recenset Surius, die 28. Septemb. Hoc est quod ait Apostolus: *Quod si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami.* Rom. 11. 16. Sic S. Machabæa, S. Symphorosa, S. Felicitas, tres inquam matres et heroinæ, septem filiis suis fuere duces ad martyrium.

Vers. 44. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT.) Dices, 2. Paral. 17. 6. dicitur ea abstulisse. Resp. non abstulit ea initio regni, ne seditionem populi contra se concitaret; sed in progressu, cum sat regnum suum firmasset. Unde in Paral. additur: *cum sumpsisset audaciam.* Aut abstulit ea, sed non ita, quin rursum succreverint ex nimia populi ad illa propensione, ut insinuatur 2. Paral. 20. 33. Denique Lyran. et alii respondent, Iosaphat sustulisse *excelsa* idolis erecta, permisisse vero excelsa Deo vero dicata. Hæc responsio uti planior, ita verior est. Nam cum Script. dixisset 2. Paral. 17. 6. Iosaphat sustulisse *excelsa et lucos*, scilicet idololatricos, postea cap. 20. 33. subiicit: *Verumtamen excelsa*, scilicet Deo vero dicata, sed ab eo vetita, *non abstulit.*

Vers. 46. RELIQUA AUTEM VERBORUM (id est rerum et factorum; est Metonymia in hisce libris frequens) IOSAPHAT, etc. NONNE HÆC SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM IUDA?) Nimirum in Chronicis et Diariis in quibus *verba*, id est gesta regum Iuda per singulos dies descripta erant.

Plurima enim heroica facta Iosaphat hic brevitatis studio subticentur, e quibus nonnulla recensentur 2. Paralip. c. 17. 2. ubi celebratur zelus Iosaphat in cultu Dei propagando, et in erudiendo populo, ideoque gloria illi in præmium a Deo retributa. Rursum, eodem libro c. 19. narratur quod ipse in Iuda reformarit tribunalia, ac Iudices constituerit Levitas, aliosque viros pios et incorruptos. Ad hæc c. 20. recensetur insignis victoria, quam ipse sua pietate et prece a Deo contra Ammon et Moab obtinuit, ubi inter alia v. 12. orans ait: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Quocirca Deus suscitavit prophetam Iaziel, qui ait v. 17. *Confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos.* Fidens ergo ipse castra præcessit, sed ita ut præmitteret cantores Deum laudantes et concinentes: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Cumque hi cœpissent canere, Deus hostium insidias convertit in ipsosmet, ut se invicem invaderent, et mutua se cæde truncarent. Unde ad unum omnes perierunt, ac supervenit Iosaphat cum suis ad spolia eis detrahenda.

NEC ERAT TUNC REX CONSTITUTUS IN EDOM.) Quia Idumæa subacta a Davide, regebatur ab eius Præfectis, sed mox sub Ioram filio Iosaphat, *recessit Edom, ne esset sub Iuda, et constituit sibi regem*, ut dicitur 4. Reg. 8. 20. Vers. 48.

QUÆ NAVIGARENT IN OPHIR.) Ubi sit Ophir, dixi c. 9. 28. Vers. 49.

CONFRACTÆ SUNT IN ASIONGABER.) Quia fœderatæ et iunctæ erant classi impii regis Israel, nimirum Ochoziæ filii Achab, ut dicitur 2. Paralipom. 20. 37. Unde Ochozias videns naves suas confractas, petiit a Iosaphat, ut sui servi irent cum servis Iosaphat in eius navibus; sed id noluit Iosaphat, ut sequitur; nimirum quia timebat eamdem vel peiorem Dei vindictam ob societatem cum impio Ochozia.

DORMIVITQUE IOSAPHAT CUM PATRIBUS SUIS, ET SEPULTUS EST CUM EIS IN CIVITATE DAVID.) Puta in Sion: mausolæum tamen ipsi erectum est in valle, quæ inde dicta est *Iosaphat*, quæ sita est inter Ierusalem et montem Oliveti, ubi fiet iudicium universale, uti ex Beda et aliis dixi Ioelis 3. 2. Vers. 51.

Hic finitur liber tertius Regum, qui complectitur historiam Regum Iuda per annos 126. Salomon enim regnavit annis 40. Roboam 17. Abia 3. Asa 41. Iosaphat 25. iunge hos omnes, habebis annos 126.

Denique quoad synchronismum historiæ Gentilium, hæc tradit Eusebius in Chron. Genebr. Salianus et alii. Tempore Iosaphat imperavit in Israel Achab, et Ochozias illius filius; in Assyria Orphratanes; in Lacedæmone Archelaus; Athenis Mecades; Corinthi Agelas; apud Latinos Capetus Sylvius, et Tiberinus Sylvius, qui fluvio Tibri nomen dedit, cum prius vocaretur Albula; et Agrippa Sylvius; in Ægypto Nepher, Cheres, Amenophis, Osochor, Spinaces.

COMMENTARIA
IN LIBRUM
QUARTUM REGUM.

ARGUMENTUM.

Hebræi hunc librum iungunt libro tertio, et cum eo unum efficiunt. Verum Latini aptius dividunt, et hic quartum inchoant. Hic enim cœpit prolapsus regni Iuda, quod sub Salomone cæterisque hucusque regibus, fuerat forte, amplum et opulentum. Porro libro primo Regum audivimus gesta Heli, Samuelis et Saulis per 80. annos, libro secundo gesta Davidis regis per 40. annos, libro tertio gesta Salomonis, Roboam, Abiæ, Asæ et Iosaphat, per annos 126. iam vero hoc libro quarto audiemus gesta Ioram, Ochoziæ, Athaliæ, Ioas, Amasiæ, Oziæ, Ioatham, Achaz, Ezechiæ, Manassis, Amon, Iosiæ, Ioachaz, Ioakim, Ioachin et Sedeciæ per annos 304. ex Davide recta generationis serie successive descendentium; quibus in Israele sive in decem tribubus regnarunt Ochozias filius Achab, Ioram, Iehu, Ioachas, Ioas, Ieroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee et Osee, sub quo desiit regnum Israel anno sexto Ezechiæ, cum totus eius populus a Salmanasar abductus est in Assyriam, ut audiemus cap. 18. 10. Regnum Iuda vero desiit anno ultimo Sedeciæ, cum eius populus abreptus fuit a Nabuchodonosor in captivitatem Babylonicam, ut audiemus cap. ultim.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ochoziæ ægrotanti, et de sanitate per nuntios consulenti Beelzebub Elias per eosdem mortem denuntiat, mox vers. 9. duos quinquagenarios ab eo ad se capiendum missos, igne cœlesti cum 50. militibus comburit; tertio vero sibi supplici parcit, ac cum eo Ochoziam adit, eique necem intentat. Moritur ergo Ochozias, eique succedit frater Ioram.

1. Prævaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab. 2. Ceciditque Ochozias per can-
cellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, et ægrotavit: misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, con-
sulite Beelzebub deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. 3. Angelus autem Domini
locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos:
Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? 4. Quam ob rem hæc dicit
Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias. 5. Reversique
sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reversi estis? 6. At illi responderunt ei: Vir occurrit nobis, et di-
xit ad nos: Ite, et revertimini ad regem, qui misit vos, et dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non
erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non
descendes, sed morte morieris. 7. Qui dixit eis: Cuius figuræ et habitus est vir ille, qui occurrit vobis, et locu-
tus est verba hæc? 8. At illi dixerunt: Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est.
9. Misitque ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: seden-
tique in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit ut descendas. 10. Respondensque Elias, dixit quinquage-
nario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de
cælo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo. 11. Rursumque misit ad eum principem quinquage-
narium alterum, et quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende. 12.
Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos. De-
scendit ergo ignis de cælo, et devoravit illum, et quinquaginta eius. 13. Iterum misit principem quinquagena-
rium tertium, et quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset, curvavit genua contra Eliam, et precatus est
eum, et ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, et animas servorum tuorum qui mecum sunt. 14. Ecce
descendit ignis de cælo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant:
sed nunc obsecro ut miserearis animæ meæ. 15. Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende

cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, et descendit cum eo ad regem, 16 Et locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 17. Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, et regnavit Ioram frater eius pro eo, anno secundo Ioram filii Iosaphat regis Iudæ: non enim habebat filium. 18. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel?

Vers. 1. PRÆVARICATUS EST AUTEM MOAB IN ISRAEL.) Id est, ut vertit Chald. Moabitæ rebellarunt Israeli, puta Ochoziæ filio Achab, qui regnabat in Israel. Cum enim viderent Achab in prælio cæsum, et exercitum eius dissipatum, ac Ochoziam iuvenem, animos sumpserunt, et ei, cui hucusque subiecti fuerant, rebellarunt, negando tributum, sibique proprium regem constituerunt: sicut sub idem tempus Idumæi a Davide subacti, rebellarunt Ioram regi Iuda, ut audiemus c. 8. ita Abul.

Vers. 2. CECIDITQUE OCHOZIAS (filius Achab rex Israel) PER CANCELLOS COENACULI SUI.) Id est per fenestras cancellatas et reticulatas tabulati, inquit Pagn. Vatab. et alii. Aut *cœnaculum* vocat solarium sive tectum, quod in Palæstina erat planum, ut in eo ambulare, cœnare, dormire possent. Porro hoc tectum circumcirca cingebatur lorica sive muro, ne quis incaute ex eo laberetur iuxta legem Deuter. 22. 8. Murus hic reticulatus et cancellatus erat, ex quo fatiscentibus vel ruptis cancellis, lapsus est Ochozias. Ita Sanchez.

Tropol. Eucher. *Ochozias*, inquit, *rex Samariæ qui se a domo David separavit, et per cancellos decidit, hoc significare videtur; quod hæretici sive schismatici, etsi aliquam bonæ actionis arcem conscendere videntur, quia tamen compagem Ecclesiæ unitatis non habent, quasi patentibus et non solidis laterum præsidiis, semper ad vitiorum infima relabuntur, dum divino destituti auxilio suæ pertinaciæ fastu intereunt.*

Beelzebub quis? CONSULITE BEELZEBUB DEUM ACCARON.) Sept. *Consulite Baal muscam, deum Accaron.* Iosephus: *Consulite Myodis (id enim Deo nomen erat) oraculum;* μυῖα est musca, inde *Myodes* est Deus muscarum, qui scilicet invocabatur ad abigendas muscas, quibus abundabant Accaronitæ ob solum humidum et calidum, ex maris vicinia. Idem dicebatur Iupiter ἀπόμυιος teste Pausan. lib. 5. et Plinio lib. 29. c. 6. ubi *Myodem* vocat *Achorem*, forte quia in Accarone, ut hic dicitur, colebatur. Simili modo colebatur Deus Smintheus, ad abigendos mures; hos enim Cretenses vocant Sminthas; et Parnopius ad abigendas parnopas, id est culices, vel ut alii volunt locustas, teste Pausania in Atticis. Gentiles enim rebus omnibus Deos præficiebant, adeoque colebant Febrim, Cloacinam, Pavorem et Pallorem quasi numina, teste S. Aug. lib. 4. de Civit. c. 16. et 23. Sic *Beelzebub* Heb. idem est quod *Baal* sive *Beel* et *Bel* זבוב *Zebub*, id est *muscæ*, vel *Baal Musca*, ut vertunt Sept. idolum enim hoc instar muscæ erat efformatum, ait Nazianz. lib. 2. contra Iulian. et Theodor. q. 3. Hinc et Philastrius inter hæreses numerat *Myolatras*, id est muscæ adoratores, sive *Muscaccaronitas*, hæresi 13. Vide dicta Matth. 10. 25. Quibus adde, nonnullos cum Serario sentire, quod *Beelzebub* sive *Myodes*, id est *Deus muscæ*, fuerit libidinis Deus, aut Dea quæpiam, ob impudicitiam et libidinem quæ in muscis notatur; unde Lucianus in Encomio muscæ tradit olim fuisse meretrices, quæ *muscæ* vocabantur. Insuper Dii (dæmones) omnes propter multitudinem, insolentiam, impudicitiam, mordacitatem, sordes, fœtorem, muscæ vocari possunt: unde hoc sæculo dæmon specie magnæ muscæ vel crabronis involans in eum, qui relicta fide orthodoxa Anabaptismum profitebatur, illico eum quasi possidens, S. Script. peritum efficiebat, eundemque hac peritia privabat, si ab Anabaptismo ad fidem rediret, uti oculati testes narrant. Rursum dæmones *muscæ* vocantur, quia ut ait lib. de Sacrificiis Lucian. *Victimarum sanguini muscarum instar inhiarent. Adde, in gentilium vates, muscæ instar, dæmones quandoque involasse, ut oracula ederent; quemadmodum Sacerdotale Romanum tradit, eum interdum ad Energumenos obsidendum accedere. Hinc igitur apud Iudæos, qui contemptus et detestabilis erat, vocatur Beelzebub, Matth. 10. Ipseque dæmonum princeps, Matth. 12. tanquam omnium salacissimus, impudentissimus, contemptissimus,* ait Serarius; aut quia *Myodes* erat *Iupiter* ἀπόμυιος, ut dixi, Iupiter autem est Deorum omnium primus et princeps.

Tropol. colunt Beelzebub, id est Deum muscam vel muscarum, impudentes, luxuriosi, insolentes, inquieti, litigiosi. Audi S. Greg. lib. 18. Mor. c. 25. explicantem quartam Ægypti plagam, quæ fuit muscarum, Exodi 8. 21. « Ægyptus, quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens et inquietum animal est. In qua, quid aliud, quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Unde alias dicitur: Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti: quia cogitationes superfluæ, quæ assidue in animo carnalia cogitante et nascuntur et deficiunt; eam suavitatem quæ cuique intrinsecus per spiritum est perdunt; quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Ægyptus ergo muscis percutitur: quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, et ad quietis intimæ desiderium non levantur. Unde cum ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus eiicit, et post in eo virtutum dona mira disponit. » Plura de muscarum symbolis dixi Ecclesiastæ 10. 1. ad illa: « Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. »

Vers. 4. QUAMOBREM (quia scilicet relicto Deo consuluisti Beelzebub) etc. MORTE MORIERIS.) Elias intentat mortem Ochoziæ ob consultum dæmonem; quod notent ii qui consulunt divinos et magos; hos enim Deus plectet morte æterna et sæpe temporali. Sic enim Saul occisus est in prælio, eo quod consuluisset Pythonissam, 1. Reg. 28. 16. Sic Achab telo confossus est, quod a pseudoprophetis Baal eventum belli esset sciscitatus, lib. 3. Reg. c. ult. Est enim hæc consultatio scelus grave, et Deo valde iniurium, quia per illud præscientia futurorum et divinatio adimitur eius divinitati, cui propria est, ac traditur diabolo. Unde Deus ostendit quam acriter hanc sui contumeliam sentiat, dum eam tam atrociter castigat.

Vers. 8. VIR PILOSUS ET ZONA PELLICEA ACCINCTUS.) Incedebat enim Elias intonsus, prolixa barba et capillis, hispido vestitu et piloso, puta melote, sive pelle ovina vel caprina intonsa circumdatus, et zona pellicea accinctus; id est corio non apparato, sed adhuc piloso et villoso, quasi eremita mundi contemptor, et paupertatis priscæque simplicitatis amator. Vide Cassian. libr. 1. Instit. c. 1. Fabulatur R. Eliezer c. 31. zonam hanc Eliæ fuisse ex pelle illius arietis, quem pro Isaac immolavit Abraham, Genes. 2.

Vers. 9. HOMO DEI, (ironice ita eum vocat q. d. O Elia, qui te vocas iactasque virum Dei) REX PRÆCEPIT UT DESCENDAS.) Ex vertice montis Carmeli ad nos, ut te quasi captivum deducamus ad regem Ochoziam, cui mortem prænuntiasti, ut huius funesti oraculi rationem reddas, et pœnas luas. Itaque quinquagenarius hic peccavit primo impietate, quia impietati Ochoziæ volentis Eliam castigare consensit, eiusque fuit administer. Secundo fastu, quia imperiose et superbe quasi regii mandati executor iussit eum descendere; ideoque ab Elia, imo a Deo igne cælesti sideratus occubuit.

Vers. 10. RESPONDENSQUE ELIAS DIXIT QUINQUAGENARIO: SI

HOMO DEI SUM, DESCENDAT IGNIS DE CÆLO, ET DEVORET TE ET QUINQUAGINTA TUOS.) Elias titulum ironicum sibi datum, serium efficit, eumque in caput dicentis per seriam vindictam retorquet. Unde nota: pro *Dei* Hebr. est, *Elohim*, quæ vox significat Deum qua iudicem et vindicem, q. d. Si ego sum minister *Elohim*, id est summi iudicis et vindicis, ut tu ironice dixisti, ipse *Elohim* me, ut suum ministrum, defendat, ac puniat tuam insolentiam et violentiam, qua me eius ministrum vis capere, et ad regem invitum pertrahere. Hæc enim violentia in Deum ipsum, qui meus est herus et Dominus, redundat. Quare hanc sui, imo Dei iniuriam Elias ultus est, spiritu vehementi ignem e cælo devocans. Idem faciet in fine mundi cum Enoch decertans contra Antichristum, eiusque assecłas; unde Apocal. 11. 5. de utroque dicitur: *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore* (iussu) *eorum, et devorabit inimicos eorum,* et Eccles. c. 48. 1. *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Et v. 3. *Deiecit ignem de cælo ter.* Vide ibi dicta.

Symbol. S. Ambr. libr. de iis qui myster. initiantur. c. 9. cum Elia comparat sacerdotem consecrantem Eucharistiam. Sicut enim Elias igne cælesti consumpsit quinquagenarium cum suis, sic sacerdos vi divina verborum Christi consumit substantiam panis et vini, illamque in

A Christi corpus convertit: nam ut ait Lanfrancus contra Bereng. *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret; non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?*

FESTINA, DESCENDE.) Impudentior fuit hic secundus Pentacontarchus priore; tum quia audito eius supplicio non resipuit, tum quia auxit impudentiam, addendo: *festina:* ideoque eadem pœna plexus, ac igne cælesti consumptus est. Vers. 11.

OBSECRO, UT MISEREARIS ANIMÆ MEÆ.) Hic tertius duorum præcedentium supplicio territus, et sapientior factus, fit supplex Eliæ; unde non audet petere, dicereque ut descendat, sed misericordiam postulat, ut scilicet sibi parcat, et dicat quid sibi facto sit opus; quid scilicet regi renuntiare debeat. Quare ei Elias non tantum pepercit, sed et monente Angelo ultro se comitem ad regem adiunxit. Vers. 14.

REGNAVIT (in Israel) IORAM FRATER EIUS PRO EO, ANNO SECUNDO IORAM FILII IOSAPHAT REGIS IUDÆ.) Vers. 17.

B Qui scilicet cum patre Iosaphat adhuc vivente, sed eunte cum Achab ad pugnam contra Syros, ideoque absente, regnabat in Ierusalem, de quo cap. 3. vers. 1. Cæso enim Achab in bello, illico successit ei in regnum filius Ochozias, et eo primo regni sui anno e morbo moriente, frater eius Ioram.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias curru igneo rapitur in cælum: succlamat ei Eliseus; Pater mi! currus Israel et auriga eius. *Mox vers. 14. pallio Eliæ dividens Iordanem, sicco pede eum pertransit. Inde vers. 19. aquas pessimas immisso sale persanat. Denique vers. 23. pueros 42. sibi insultantes:* Ascende calve, *immissis duobus ursis dilacerat.*

1. FACTUM est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias et Eliseus de Galgalis. 2. Dixitque Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel. 3. Egressi sunt filii prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit: Et ego novi: silete. 4. Dixit autem Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me in Iericho. Et ille ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque venissent Iericho, 5. Accesserunt filii prophetarum, qui erant in Iericho, ad Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait: Et ego novi: silete. 6. Dixit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Iordanem. Qui ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, 7. Et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, qui et steterunt e contra, longe: illi autem ambo stabant super Iordanem. 8. Tulitque Elias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, et transierunt ambo per siccum. 9. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. 10. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit. 11. Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque: et ascendit Elias per turbinem in cælum. 12. Eliseus autem videbat, et clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga eius. Et non vidit eum amplius: apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes. 13. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversusque stetit super ripam Iordanis. 14. Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, et non sunt divisæ; et dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, et divisæ sunt huc atque illuc, et transiit Eliseus. 15. Videntes autem filii prophetarum, qui erant in Iericho e contra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum eius, adoraverunt eum proni in terram. 16. Dixeruntque illi: Ecce, cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, et quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, et proiecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait: Nolite mittere. 17. Coegeruntque eum, donec acquiesceret, et diceret: Mittite. Et miserunt quinquaginta viros: qui cum quæsissent tribus diebus, non invenerunt. 18. Et reversi sunt ad eum: at ille habitabat in Iericho, et dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere? 19. Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliseum: Ecce habitatio civitatis huius optima est, sicut tu ipse domine perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis. 20. At ille ait: Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal. Quod cum attulissent, 21. Egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, et ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. 22. Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, iuxta verbum Elisei, quod locutus est. 23. Ascendit autem inde in Bethel: cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes: Ascende calve, ascende calve. 24. Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 25. Abiit autem inde in montem Carmeli, et inde reversus est in Samariam.

Vers. 2 SEDE HIC.) Elias ex modestia et humilitate voluit occultare suum raptum, ideoque Eliseum a se dimittere. Dona enim Dei, quæ pertinent ad aliqualem, inquit Abul. personæ excellentiam, occultari debent, ne homines videantur in eis gloriari, quia Dei est ea manifestare, uti hic manifestavit raptum Eliæ per filios prophetarum. Quocirca Elias non tam præcipit, quam hortatur Eliseum dicens: *sede*, id est mane *hic*: non est necesse ut me comiteris. Verum Eliseus sapienter ab Eliæ latere discedere noluit, ut eius benedictionis fieret particeps, et zeli spiritusque hæres: unde ait:

VIVIT DOMINUS, ET VIVIT ANIMA TUA (id est iuro per vitam Dei et animæ tuæ) QUIA (quod) NON DERELINQUAM TE.) Hinc liquet Deum Eliseo revelasse, Eliam propediem rapiendum fore, illique suggessisse ut caveret, ne eum desereret.

Vers. 3. EGRESSI SUNT FILII PROPHETARUM.) Erant hi discipuli Eliæ, Elisei, aliorumque prophetarum, qui quasi viri religiosi, totos se dabant Deo: quorum multa iam erant collegia in Galgalis, Bethel, Iericho, Carmelo etc. ab Elia et aliis instituta, ideoque Elias ante raptum ea hic visitavit, ut suos alumnos in vera fide, et aspero vitæ eremiticæ instituto confirmaret, ultimaque salutis et perfectionis monita eis daret, et Eliseum successorem suum promulgaret. Exhortationem Eliæ ad eos graphice hic repræsentat Salianus. Porro inter eos erant aliqui veri prophetæ, qui hic raptus Eliæ revelationem a Deo acceperunt, eamque Eliseo et aliis revelarunt, ut patet ex seq.

Vers 7. ILLI AUTEM (Elias et Eliseus) STABANT SUPER, id est iuxta, IORDANEM.) Ut eum Elias divideret, et sicco pede transiret.

Vers. 9. OBSECRO, UT FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS.) *Duplex*, id est duplo maior, aiunt nonnulli cum Theodor. q. 7. et Græcis. Accedit B. Petrus Damiani serm. 2. de nativit. S. Ioan. Bapt. *In Eliseo*, ait, *fuit duplex Eliæ*

Duplex spiritus. 1. *spiritus, non meritorum cumulo, sed exhibitione miraculorum, quia* 24. *miracula fecit, cum Elias fecerit* 12. *dumtaxat*, licet alii pauciora numerent. Unde Anastasius Nicænus q. 55. numerat Eliæ signa septem, Elisei vero 14. Accedit et S. Ambr. serm. 2. de Eliseo, qui exclamat: *O hæreditas pretiosa, in qua plus hæredi relinquitur quam habetur; plus consequitur qui accipit, quam possideret qui largitur! Pretiosa plane hæreditas, quæ dum a patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur! Igitur Elias, cum simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Eliseo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terris, quam secum portavit ad cælos: et licet ipse ad altiora totus transfertur corpore, apud filium tamen maiore manet sanctitate.* Alii: *duplex*, inquiunt, respectu

2. tertiæ partis residuæ, ita ut si spiritus Eliæ in tres divideretur partes, Eliseus postularet sibi duas, idque videtur innuere: *os duorum*, quod est in Hebr. Unde Pagn. vertit: *Fiat mensura duarum partium de spiritu tuo super me.* Melius alii τὸ *duplex* tribuunt Eliæ q. d. Oro o

3 et optime. Elia, ut *tuus spiritus duplex*, id est multiplex, validus et eximius, in me derivetur; ut te abeunte, ego quasi filius tibi in spiritu tuo eximio, quasi hæreditate spirituali succedam, eodemque zelo, quo tu, cultum veri Dei contra Baalitas propugnem. Unde Angelomus: *Spiritus duplex*, inquit, *est spiritus prophetiæ et miraculorum.* Probatur id primo ex Hebræo qui habet: *Os duorum in spiritu tuo fiat mihi;* primogenitus enim duplicem habebat portionem hæreditatis paternæ, cæteri vero filii simplicem et unam dumtaxat, q. d. Peto ut ego quasi primogenitus tuus, o Elia, tibi in utroque tuo spiritu succedam. Secundo, quia Eccles. 48. 4. dicitur de Elia: *Quis poterit gloriari ut Elias?* Ergo ille maiori fuit spiritu, quam Eliseus. Tertio, quia ibidem v. 13. dicitur: *Et in Eliseo completus est spiritus eius.* Vide ibi dicta.

Vers. 10 SI VIDERIS ME QUANDO TOLLAR A TE, ERIT TIBI QUOD PETISTI: SI AUTEM NON VIDERIS, NON ERIT.) Ratio huius conditionis a Deo et Elia propositæ Eliseo fuit, ut magis accenderet Elisei desiderium et studium, itaque

A eum præpararet ad tantum spiritus Eliæ duplicis donum, utque ipsius Eliæ preces crescerent pro Eliseo, proque hoc spiritu ei impetrando, ad ipsius et totius Israelis bonum. Erat enim uterque incertus, an Eliseo præsente raperetur Elias, ut eiusdem spiritus hæres et successor fieret. Ita S. Chrys. hom. 1. in Acta; qui et addit Eliam hic præfigurasse Christum, qui non statim post resurrectionem misit Spiritum in Apostolos, sed voluit prius eos videre suam ascensionem in cælum, indeque decimo die, puta in festo Pentecostes, misit in eos Spiritum sanctum, ut ad eum per plures dies se compararent.

ECCE CURRUS IGNEUS, ET EQUI IGNEI DIVISERUNT UTRUMQUE.) Non erat hic currus vere igneus, sic enim adussisset Eliam, sed habebat formam et speciem ignis, sicut habent meteora in aere formata. Erant enim revera Angeli, qui assumentes formam ignis, sursum vectabant Eliam, iuxta illud: *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem*, Psal. 103. 4. Fuit ergo hic ignis aer crassior, splendens, rubensque ut ignis, Vers. 11. Currus igneus quis?

B ait Abul. q. 17. Serarius et alii. Hic ergo currus igneus ab Angelis ex nubibus fuit formatus, quo Elias, quasi triumphator et civis cæli, raptus est in altum. *Igneus enim currus congruebat igneo Eliæ animo, ad eum vehendum in cælum*, ait S. Chrys. hom. 1. de Elia. Item officio ad quod Elias reservatur, videlicet ad præveniendum secundum Christi ad iudicium adventum. Plures alias huius currus raptusque causas litterales, allegoricas, tropologicas et anagogicas recensui Eccles. 48. 9. ad illa: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.* Porro Elias hoc curru igneo non tantum de Achab, Iezabele et idololatris, sed et de morte, ipsoque igne triumphavit: fuit enim hic currus triumphi, uti fuit currus Cherubim, Ezechielis 1. Ait noster Prado ibidem, q. d. Par est, ut tu o Elia, qui in vita imperaveras igni in cælo, iam ab igne quasi eius imperator et triumphator, veharis in cælum: unde patet quam inepte dicat R. Kimchi, Eliam in sphæra ignea ab igne fuisse consum-

C ptum. Audi S. Ambros. serm. 2. de Eliseo: *Elias magister Elisei nonne Angelis ducentibus raptus ad cælum est, et quadriga ignea impositus quasi in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum. Siquidem graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infesti: ut facilius intelligamus hoc tempore malignitatem hostium vinci posse, quam morum.*

ET ASCENDIT ELIAS PER TURBNIEM IN CÆLUM.) Sept. *Et assumptus est Elias in commotione usque ad cælum.* Chald. *Ad summitatem cælorum.* Eccles. 48. 9. habetur: *Qui receptus es in turbine ignis.* Græce εν λαιλαπι, id est *procella ignea.* Videtur ergo Deus emisisse fulgetra, coruscationes et fulgura, similesque igneas procellas, quæ Eliam raperent et veherent in cælum. Unde Vatab. ibidem vertit: *Qui procella ignea sublatus sis in curru equorum ardentium.* Sic ergo Elias turbine sive vento impellente, curru igneo vehente, et Angelo auriga utrumque moderante, vectus est in cælum, ait Abul. Vatab. Serar.

D Salian. et alii. Audi S. Ambr. in symb. Apost. sub finem: *Enoch translatus est*, inquit, *ne videret mortem: similiter et Elias in corpore isto positus, curru igneo, id est Angelorum subvectione, qui sunt spiritus et flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, in illa commotione usque ad cælum assumptus est.* Auctor mirabilium Scripturæ lib. 2. c. 22. *Iam iamque Elias igneo curru receptus velut ad cælum, considerante Eliseo, rapitur.* Rursum Ambrosius lib. de Nabuthe c. 14. *Cum reciperetur Elias, et curru quasi ad cælum ferretur, clamavit ad eum Eliseus: Pater, pater, agitator Israel, et eques eius: hoc est qui populum Domini bono ductu regebas, constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad divina currentes, quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobavit. Ideo tamquam boni auriga certaminis, victor æterno præmio coronaris.*

IN CÆLUM.) Sept. v. 1. vertunt: *quasi in cælum.* Hinc primo nonnulli censent Eliam vere raptum in cælum, non

Eliæ cælum quod? aereum, sed æthereum, ibique quasi cælitem degere. Ita Dorotheus in synopsi cap. de vita Eliæ. S. Hier. in c. 9. Re p. 1. Amos, S. Ambr. lib. de Paradiso c. 3. Alcimus lib. 4. et 2. Serar. Secundo, alii censent Eliam raptum *in cælum*, id est in aerem, indeque traductum in paradisum terrestrem; in illum enim raptus fuit Enoch. Eccles. 48. 7. Ita Iren. lib. 5. c. 5. S. Iustin. q. 85. Isidor. lib. de ortu et obitu 3. Sanctor. c. 5. S. Thom. 1. p. q. 102. art. 2. Tertio, alii censent Eliam ductum in secretam aliquam terræ regionem. Ita S. Greg. hom. 29. in Evang. et Rupert. lib. 3. de 4. verius. Trinit. c. 33. Quarto, certius alii dicunt incertum esse Eliæ et Enoch locum. Ita S. Chryst hom. 22. in Epist. ad Hebr. ibique Theoph. et OEcum. S. Aug. de gratia Christi c. 2. et 3. S. Cyprian. de montibus Sion et Sina, Theodor. q. 45. in Genes. sive ergo in terra, sive in aere sit Elias, vitam agit quietam et sanctam, in iugi Dei contemplatione, uti ex S. Aug. ostendi Genes. 5. 22.

Ex hoc Eliæ raptu in cælum. Poetas accepisse fabulas de solis quadriga, asserit Beda q. 37. et S. Chrys. hom. 1. de Elia: ubi docet, *Eliam* dici quasi ἡλίου, id est solem, imo ab *Elia* solem dictum esse ἡλίου. B

Anagog. raptus Eliæ fuit expressus typus ascensus Christi in cælum, uti docet S. Bern. serm. 3. et 6. de Ascens. ac S. Greg. hom. 29. in Evang. quem audi: *In cælum aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna iam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. Ille etenim mortem distulit, non evasit. Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit, eamque resurgendo consumpsit, et resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit.* Deinde Christi ascensum præfert raptui Eliæ, subiiciens: *Notandum quoque est, quod Elias in curru legitur ascendisse: ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa et ostensa sunt adiumenta: quia nec in cælum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster, non curru, non Angelis sublevatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illo etenim revertebatur, ubi erat: et inde redibat, ubi remanebat: quia cum per humanitatem ascenderet in cælum, per divinitatem suam et terram pariter continebat et cælum.* Et nonnullis interiectis: *Nam Enoch translatus, Elias vero ad cælum subvectus esse memoratur: ut veniret postmodum, qui nec translatus, nec subvectus cælum æthereum sua virtute penetraret.*

Addit deinde, in hisce tribus sensim crevisse castitatem et sanctimoniam usque ad summum: *Translatus namque est Enoch,* inquit, *et per coitum genitus, et per coitum generans. Raptus est Elias per coitum genitus, sed non per coitum generans. Assumptus vero est Dominus, neque per coitum generans, neque per coitum generatus.*

Vitæ Eliæ et Enoch qualis? Denique Elias et Enoch iam sunt æternitatis candidati, et paradisi (sive illius primi, de quo Genes. 2. sive alterius similis aut melioris) coloni, confirmati in gratia, ait Franc. Suarez: ac licet non videant Deum, nec sint Beati; multa tamen a Deo lumina et solatia hauriunt, versantur enim quasi *in atrio domus Domini.* Unde crebrius ab Angelis, quam cæteri mortales visitantur, cum eisque colloquuntur. Hinc et vivunt ex verbo Dei, sine cibo et potu corporeo. Deus enim eos conservat incorruptos (æque ac vestes eorum, uti servavit vestes Hebræorum per 40. annos in deserto) sanos, vegetos, alacres, et de suo gradu, statu et officio gaudentes et exultantes. Iuges enim agunt gratias Deo, quod soli ipsi duo ex tot millibus hominum electi sint, qui in fine mundi pro Christo contra Antichristum certaturi sint, ac gentes et Iudæos conversuri, tandemque martyrio glorioso coronandi, quique fidem et spem resurrectionis sua translatione, incorruptione et longævitate hominibus persuadeant, et reipsa repræsentent.

An mereantur? An sint in statu merendi necne, problema est. Affirmant Abul. q. 24. Viegas in c. 11. Apoc. com. 5. Malvenda lib. 9. de Antichristo c. 5 Henriquez lib. ult. de fine hominis c. 23. et alii. Ratio est, quia adhuc sunt viatores, ac cum differatur eorum beatitudo, quæ aliis eorum coævis iam pridem data est, videtur huius dilationis vice eis concessa facultas augendi sua merita. Negant Franc. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 55. sect. 1. Pererius lib. 7. in Genes. disp. de Enoch q. 5. Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 216. c. 1. et alii. Ratio est, quod raptus eis reputetur quasi mors, in qua cessat omne meritum: et quia alioqui ipsi continue augendo sua merita per tot annorum millia, omnes sanctos gratia et gloria superarent, excepta B. Virgine.

Eliseus autem videbat et clamabat: Pater mi, pater mi! currus Israel et auriga eius.) Ver. 12. Hebr. *Currus Israel et equites eius.* Septuaginta: *Et eques eius*, q. d. Vale o Elia, pater mi, qui eras totum robur Israelis, ac magis Israelem iuvabas tuo zelo et oratione, quam magna curruum et equitum multitudo. Ita Procop. Vatab. Caiet. et alii.

Unde Chald. vertit: *Magister mi, magister mi, qui melior eras Israeli oratione tua curribus et equitibus.* Sic et Ioas rex visitans Eliseum morientem, ei succlamavit c. 13. v. 14. *Pater mi, currus Israel et auriga eius.* Talis enim post Eliam fuit Eliseus.

Tropol. Elias, id est doctor et prædicator mores populi corrigens, currus est; quia eum tolerando portat; auriga, quia eum exhortando agitat. Audi S. Greg. lib. 2. in Ezech hom. 21. *Quid est, quod Elias, currus Israel et auriga dicitur, nisi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo qui mores populi et per patientiam sustinet, et sacri eloquii verbis docet, et currus dicitur et auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agitat. Currus, quia mala sustinet; auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet.* Hinc et S. Cyril. in Collectan. *Currus,* ait, *significat excelsam et illuminatam vitæ rationem Eliæ.* Rursum S. Ambr. lib. de Isaac c. 8. *Currus,* inquit, *est anima sancta; auriga et agitator est Christus; equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia; hi animam ad cælum evehunt. Velociores*, inquit, *prudentia tardat; iustitia admonet flagello proprio segniores; temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit: novit copulare discordes, ne forte currum suum dissipent Itaque licet intelligibili spectaculo videre unamquamque animam cum summo certamine ad cælum rapi, festinantes equos, qui priores perveniant ad bravium Christi, quorum prius imponatur palma cervicibus. Isti sunt equi subiecti fidei iugo, adstricti vinculo charitatis, iustitiæ frenis, retinaculis sobrietatis.*

Politice: *currus Israel et auriga eius*, est princeps, qui sustinet quasi currus onera Reip. et populi, ac dirigit ut auriga iugales: aurigatur, et præsidet, et simul baiulat et portat. Princeps et prælatus ergo sit ut mater, quæ regit et portat infantem. Hinc princeps Hebr. dicitur, נשיא *nassi*, q. d. portitor, baiulus, qui populi onera levat. Sic Isaiæ 9. de Christo dicitur: *cuius imperium super humerum eius.*

Moraliter hic significatur, quod si te totum divino imperio subdideris, facile a tuis subditis debita obsequia impetrabis. Elia per turbinem in cælum abeunte exclamat de terra Eliseus: *Pater mi, pater mi! currus Israel, et auriga eius.* Currum appellat simul et aurigam; currum, qui regitur; et aurigam, qui regit: ut ostenderet, eum optimi principis munia explevisse, quod non solum alios prudenter regeret, sed etiam seipsum ab ipso Deo regi facile pateretur. Unde Lyran. in Commentario Morali ad 1. Reg. 9. *Currus,* inquit, *qui ducitur, hic ponitur primo; et auriga, qui ducit, secundo: ad ostendendum, quod ille bene ducit regendo, qui primo fuit ductilis in obediendo.*

Quæres, quo anno, mense et die Elias sit raptus in cælum? Resp. raptus est ante finem regni Iosaphat: nam eius gesta hucusque audivimus, et audiemus c. seq. ubi post Eliæ raptum, coram eo prophetavit Eliseus. Videtur ergo raptus paulo post mortem Ochoziæ regis Israel, quam ipse ei prædixerat c. 1. post illam enim statim eius raptus hoc c. 2. subiungitur. Mortuus est autem Ochozias

anno regni sui secundo, qui fuit regni Iosaphat annus 18. et filii eius Ioram cum patre regnantis secundus, ut patet hoc libro cap. 3. v. 17. et lib. 3. c. ult. v. 52. Unde Salian. Genebrardus et alii asserunt, Eliam raptum sub annum 19. regni Iosaphat, qui fuit a creato mundo, ait Salian. annus 3139. post raptum Enoch 2162. ante Christi ortum, 914. Hisce fere consentiunt Hebræi in Seder Olam, Ioseph. Abul. Torniellus, Serar. et alii. Hoc ergo anno Christi 1638. Elias a raptu suo agit annum 2552. Inde Syri cum longam et felicem alicui vitam precantur, optant ei Eliæ annos et vitam. Vivit enim adhuc Elias et vivet usque ad finem mundi, quando pro Christo certans contra Antichristum ab eo martyrio laureabitur. Raptus est Elias mense Iulio, ac die eius vigesima: illa enim die raptus eius consignatur in Martyrologio Romano et Menologio Græcorum: quin et Græci in honorem Eliæ templa erexerunt, ut docet Baron. in Martyr. ad diem 20. Iulii. Quoto anno vitæ suæ raptus sit Elias, præcise definiri nequit. Cœpit ipse prophetare paulo post initium regni Iosaphat, ait Salian. anno eius tertio, vel quarto ut vult Torniellus: raptus est anno eius 19. quare per sedecim annos prophetavit. Adde his triginta annos, et plures quos habebat cum cœpit prophetare (nemini enim ante annum ætatis trigesimum apud Hebræos prophetare licebat) habebis ut minimum annos Eliæ ante raptum 46. Denique Elias in multis fuit typus Christi, ut ostendunt Patres, præsertim S. Cyprian. lib. de Spiritu sancto, et S. August. serm. 201. de temp. atque ex iis exacte noster Salian. anno mundi 3139. num. 33. et seq.

Elias raptus anno 19. Iosaphat.

die 20. Iulii.

Successit Eliæ Eliseus dignus tanto magistro discipulus, annos natus 40. qui sub sex regibus Iuda, scilicet sub Iosaphat, Ioram, Ochozia, Athalia, Ioas, et Amasia (quibus synchroni et coævi fuerunt Iehu, Ioachas et Ioas, regnantes in Israel) prophetavit per annos 66. mortuusque est anno ætatis 106. qui fuit annus Amasiæ regis octavus, mundi 3204. ante Christum 849. uti ex S. Cyrillo libr. 1. contra Iulian. et Clemente Alex. lib. 1. Strom. docet Salian. anno mundi iam dicto, scholio 1. Porro S. Epiphan. in vita Elisei, ait eo die quo natus est Eliseus, vitulum aureum a Ieroboam conflatum, vocem edidisse tam sonoram, ut audiretur Ierosolymis, qua significabatur illo die natum esse infantem, qui vitulos aureos cæteraque idola everteret.

Apprehenditque (Eliseus) vestimenta sua, et scidit illa in duas partes.) In signum luctus, quod tanto magistro, scilicet Elia, per eius raptum foret orbatus. Hic enim raptus erat instar mortis Eliseo: privabat enim eum solita instructione, colloquio et consolatione Eliæ. Vestis scissione ergo Eliseus luxit Eliæ abitum, indeque suam orbitatem et solitudinem.

Vers. 13. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.) Quod scilicet Elias ascendens dimittebat Eliseo, ad sui memoriam, ac ad Elisei solatium et auxilium. Abul. censet hoc pallium fuisse cilicinum ex pilis camelorum, uti fuit vestis S. Ioannis Baptistæ. Verisimilius Serar. et alii censent fuisse melotem, id est vestem factam ex pelle ovina. Nam Sept. vertunt: *Et tulit melotem Eliæ, quæ ceciderat super eum.*

Et non sunt divisæ.) Sic et Sept. Hæc tamen verba desunt in Hebr. et Chald. sed subintelliguntur: ideo enim Eliseus secundo percussit aquas, quia prima percussione non fuerant divisæ. Noluit enim Deus in prima aquas dividi, ne novus propheta Eliseus ex patrato miraculo superbiret de novo suo spiritu, sed per preces ad Deum recurreret. Rursus ut sciret se hanc aquarum divisionem, cæteraque miracula secutura, non suis sed Eliæ meritis obtinere. Ita Abul. et Caiet.

Vers. 14. Ubi est Deus Eliæ etiam nunc?) Hebr. et Sept. *etiam ipse*, qui scilicet semper idem est fidelis, omnipotens, et servos suos se invocantes exaudiens. *Non quod Deum putaret absentem, sed quia præsentiam eius in beneficiis requirebat*, ait S. Ambr. in Psal. 37. Unde Chald. vertit: *suscipe petitionem meam Domine Deus Eliæ etiam ipse.* Hoc est primum Elisei miraculum, scilicet quod pallio Eliæ percutiens Iordanem, eum diviserit et sicco pede transierit. Nota pro, *etiam ipse* Hebr. est אף הוא *aph hu*, quam vocem Hebræam retinent Sept. vertuntque αφφω (quam proinde perperam Theodor. accipit ut græcam vertitque: *occultum*) quasi illud sit nomen proprium Dei. Dei enim nomen est illud: *Ipse est qui fecit nos, ipse fecit cælum et terram, ipse est Dominus Deus noster:* הוא *hu* enim derivatur ab היה *haia*. quare idem est quod *Iehova*, sive ὁ ὤν, id est, *qui est*. Exodi 3. v. 6.

Ipse nomen Dei, scilicet qui est.

Vers. 19. Aquæ pessimæ sunt et terra sterilis.) Quia scilicet terra hæc iuxta aquas pessimas est sita, unde in Hebr. et Chald. est: *terra orbatrix*, sive *terra orbat*, vel perimit, scilicet semina in se iacta, per suam amaritiem vel putredinem. Quocirca sanatis ab Eliseo aquis, sanata et fœcundata pariter fuit terra: alioqui enim ager Ierichuntis erat fertilis et dives: tantum ergo aqua salsuginosa terræ sibi vicinæ nocebat, eamque sterilem reddebat. Porro Aristot. in Polit. docet in fundandis urbibus et domibus duo maxime esse spectanda, scilicet an aer sit bonus, et aquæ salubres, aqua enim in potu, et aer in respiratione penetrant intima hominis, itaque ea bene vel male afficiunt, ac sanitatem vel morbum mortemque conciliant.

Vers. 20. Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal.) Vasis novitas significabat, per preces et merita Elisei deinceps fore novitatem aquarum et terræ, ut ex sterili fieret fertilis. Quare videtur Eliseus vas totum cum sale in fontem immersisse, ut asserit Ioseph. S. Ambr. Beda, Angelom. et Euch.

Vers. 21. Egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, et ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas istas.) Videntur enim aquæ istæ, si non salsæ, certe putres et olidæ fuisse, ideoque convenienter salem adhibuit, licet miraculo, aquarum tantum perpurgarit, et perpurgatas tam diu conservarit, ut ait c. 34. Sacræ Philos. Franc. Vallesius. Imitatur hoc Ecclesia in benedictione salis et aquæ, cum benedicitur aqua lustralis, dum orat ut aqua sic benedicta, sit salus mentis et corporis. Ita Abul.

Fontem.) Hinc patet non omnes aquas Ierichuntis fuisse pravas, sed huius fontis dumtaxat, quem fuse describit Ioseph. multaque addit more suo amplificando, et Romanorum auribus accommodando. Audi eum lib. 5. de bello c. 4. *Hunc fontem aliquando ferunt non solum terræ atque lignorum fructus, sed etiam feminarum partum obtundere solitum, cunctaque pariter morbo ac peste corrumpere. Postea vero mansuevisse, contraque saluberrimum ac feracissimum esse factum ab Eliseo quodam propheta: qui Eliæ notus fuerat atque successerat. Receptus enim hospitio ab Hierichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipsos et omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est: progressusque ad fontem, lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit. Iuxta deinde ad cælum dextram tendens, fontique invergens blanda libamina, ipsum quidem precabatur ut fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret. Deum vero, ut fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat: tamque ubertatem fructuum quam successionem prolis daret indigenis, nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad iusti manerent. Ad has preces ex disciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutavit: et qui antea causa erat his orbitatis ac famis, idem victus ac fœcunditatis auctor est effectus.* Et nonnullis interiectis: *Optimos autem in ea paradisos ac densissimos educat, palmarumque irriguarum genera, tam sapore quam nominibus varia: quarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt, non multum alio melle deterius: quamquam et mellis altrix est illa regio, et opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium; itemque cyprum et myrobolanum gignit: ut qui divinum esse illum tractum dixerit, non erraverit, ubi et larga et optima generantur, quæ sunt carissima. Sed nec in aliis ei fructibus aliqua facile toto orbe regio certaverit: adeo multiplicatum quod satum est, reddit. Cuius rei causa mihi videtur esse aquarum*

vis læta et aeris calor. Ubi ridicule, si non impie, Ioseph. asserit Eliseum precatum esse fontem et cælum ut mansuesceret et dulcesceret; nimirum voluit se accommodare Romanis Gentilibus, qui superstitiose fontes et cælum precabantur, imo subinde ut numina adorabant. Porro quod ait aquas has steriles fecisse feminas, colligit ex textu Hebræo hic, qui habet terram fuisse מְשַׁכֶּלֶת *mesciaccheleth*, id est, *orbatricem*, quod directe de terræ fructibus dicitur. Iosephus autem idipsum extendit ad feminas, hæ enim proprie dicuntur orbæ dum filiis orbantur. Iosephum secutus S. Ambr. serm. 2. de Eliseo: *Videte*, ait, *quanta Elisei sint merita, cuius prima in civitate hospitalitas, magna est filiorum fœcunditas. Dum enim sterilitatem avertit aquarum, successionem largitur hæredum.* Censet ergo ipse cum Iosepho Eliseum non tantum terræ, sed et feminis sterilibus fœcunditatem dedisse. Pergit Ambr. *Non enim hoc facto unum Eliseus sanavit hominem, aut unius domus præstitit medicinam, sed totius civitatis populum reparavit. Si enim tardius hoc fecisset, interveniente sterilitate, senescentibus cunctis civitas sine habitatore remansisset. Igitur Eliseus dum curavit aquam, curavit et plebem: et dum fontem benedixit undarum, fontem quemdam indulsit animarum. Nam sicut sanctificatione eius, de occultis terræ venis aqua sana prodivit, ita de occultis vulvæ visceribus soboles sana processit. Non enim sola tantum fluenta benedixit Eliseus, quæ fontium iam gremio tenebantur, sed et illa quæ humido terræ solo adhuc indiscreta, paulatim erant in posterum defluxura.*

Tropol. S. Ambr. serm. 87. qui est de Eliseo, per sal accipit Christum et Apostolos, qui suo sapientiæ sale condierunt et fœcundum effecerunt totum orbem: *Sterilis civitas*, ait, *fuit Ecclesia ante Christi adventum: at ubi venit Christus velut vas fictile assumens corpus humanum, sanavit aquarum vitia, id est resecavit sacrilegia populorum. Et statim Ecclesia quæ erat sterilis, cœpit esse fœcunda insperso sale, id est Apostolis de quibus dicitur: Vos estis sal terræ.* Sic et Beda in quæst. qui per sal accipit sapientiam Christi: Eliseus enim fuit typus Christi tam factis quam nomine proprio. *Eliseus* enim Hebr. idem est quod *salus Dei*. vel, *Deus Salvator.* Ita ex Beda Eucher. et Angelom. Eliseus, inquiunt, vasi indidit sal, illudque in aquam immittens, itaque eam sanans et fœcundans significabat, quod omnes aquæ, id est omnes populi, antea virtutibus steriles, per Christi incarnationem, fœcunditatem et benedictionem accepturi essent. Hinc in nomine *Elisa*, id est *Eliseus* continetur nomen Iesu. *Elisa*, enim idem est *El Iesua*, id est *Deus*, vel *potens* (omnipotens) *Iesus.* Paulo aliter S. August. lib. contra Fulgentium Donatistam non longe ante finem, per fontem Elisei accipit Iordanem, in quo baptizatus Christus aquas baptismi salutares effecit: *Eliseus*, ait, *est Christus Salvator, qui aquarum sterilitatem, id est gentium infœcunditatem discussa morte sanavit. Accepit vas fictile, hoc est corpus fragilitatis humanæ: sal misit, id est sapientia divina replevit. In aquam proiecit, hoc est in Iordanem descendit: aquas suo descensu sanavit, id est gentes suo adventu redemit, et maritante sermone, Ecclesiam ex gentibus congregavit, et in fœtus uberes longe lateque diffudit.*

Vers. 22. Ascendit autem inde Eliseus in Bethel.) Ubi Ieroboam rex alterum ex vitulis suis aureis quasi idolum constituerat, ut contra illud depugnaret.

Pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei dicentes: Ascende calve.) Calvities est capitis depilatio, ideoque deformitas, sicut eius pulchritudo et quasi corona est cæsaries et coma, præsertim apud Syros et Palæstinos, ubi, utpote in regione calida et sicca, plerique omnes comati sunt, densosque et duros habent capillos. Unde Ovidius:

Calvities unde?

> *Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,*
> *Et sine fronde frutex, et sine crine caput.*

Et Arist. lib. 5. de gener. animal. asserit in homine idem esse calvescere, quod in avibus deplumari, aut in arboribus frondes defluere. Hinc olim Romani servis caput radebant; et Caligula Imper. ait Svetonius in eius vita c. 35. adolescentulos pulchros et comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat ad ludibrium. Ex adverso quantus capitis decor sit coma, ostendit S. Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 9. *Ipse autem vertex*, inquit, *capitis quam suavis et gratus! quam speciosa cæsaries, quam reverenda in senibus, quam veneranda in sacerdotibus, quam terribilis in bellatoribus, quam decora in adolescentibus, quam compta in mulieribus, quam dulcis in pueris!* Deinde addit, quod proxime Aristoteles: *Ex arboribus licet quæ humani sit gratia capitis æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo: tolle arbori comam, tota arbor ingrata est.*

Hoc ergo puerorum in Eliseum probrum et convicium: *Ascende calve*, partim Physicum est, partim Ethicum. Physicum, quia exprobrant ei vitium naturæ, puta calvitiem; Ethicum, quia tacite exprobrant ei libidinem. Calvi enim a multis habentur luxuriosi. Unde illud Iuvenalis Satyra 4. de Domitiano Imper. luxurioso et crudeli: *Calvi luxuriosi.*

> *Cum iam semianimum laceraret Flavius orbem*
> *Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni.*

et illud Svetonii de Iulio Cæsare: *Urbani servate uxores, mœchum calvum deducimus.* Imo Plinius et Aristoteles propriam calvitiei causam assignant libidinem. Plinius enim lib. 11. c. 37. sic ait: *Defluvium eorum* (pilorum) *in muliere rarum, in spadonibus non visum, nec in ullo ante Veneris usum.* Idem tamen ibidem ait: *Quædam animalia naturaliter calvent, sicut struthio, cameli, et cervi aquatici.* Arist. lib. 5. de gener. anim. c. 3. *Nemo*, inquit, *antequam coire incipiat, calvescit; sed a venereo coitu potius evenit, scilicet iis, qui sua natura sunt eo propensiores.* Causam subdit: *Cum enim cerebrum frigidissimum omnium corporis partium sit, tum rei venereæ usus refrigerat, quo fit ut calor cerebro ad producendos in capite pilos deficiat, itaque fiat calvities.* Et mox: *Qui semen ferunt, ea ipsa ætate calvescunt, qua semen emittunt.* Verum hi auctores sic explicandi sunt, quod velint calvitiem in multis oriri ex nimia venere, non tamen in omnibus: rursus quod proni in venerem citius calvescant quam alii. Insuper quod nemo calvescat antequam potens sit semen emittere, hoc est ante pubertatem. Sic Aristotelem explicat Cardanus lib. 4. de sanitate tuenda c. 15. Nam etiam castos calvescere patet experientia, ut Eliseus fuit calvus, quem tamen S. Ignatius Epist. ad Philadelph. virginibus annumerat. Alloquens enim virgines sic ait: *Virgines solum Christum præ oculis habete, et eius patrem in animabus vestris, illuminatæ a Spiritu sancto. Memor sum sanctitatis vestræ sicut Eliæ, sicut Iesu Nave, sicut Melchisedec, sicut Elisei, sicut Ieremiæ, sicut Ioannis Baptistæ, sicut dilectissimi discipuli* (*S. Ioannis*) *sicut Timothei, sicut Titi, sicut Evodii, sicut Clementis, et eorum qui in castitate de vita exierunt; non detraho autem cœteris beatis qui nuptiis copulati fuerunt, quorum nunc non memini.* Avicenna docet calvitiem in nonnullis esse hæreditariam affectionem, ideoque calvescere, quia a calvis progeniti sunt; sicut vice versa Æthiopes et ab eis progeniti, ob magnum calorem vix calvescunt. Sic constat alios senio, alios morbo, alios continuo intensoque studio, alios profunda meditatione etc. hæc enim cerebrum desiccant et debilitant, calvescere. Variis enim ex causis potest caput infrigidari, cerebrum debilitari et contrahi, ac cranium capitis siccitate durari, quæ tres sunt calvitiei causæ, ut docet Arist. Galenus 14. Meth. c. 18. cæterique medici. Unde S. Thomas Aquinas ex parte fuit calvus ob continuum contentumque studium, qui tamen perpetim fuit virgo, imo virginitatis zona ab Angelis cinctus, ut habet eius vita. Porro alii prisci et moderni calvitiem æque ac canitiem non probrum sed decus senectutis æstimant, imo calvos olim habitos fuisse pulchros, quasi lunæ splendenti similes, ideoque eos a luna adamari docet vetus ille versus:

Casti quoque calvescunt.

Calvi similes lunæ.

> *Mavors imberbes, et calvos luna adamasti.*

Idem docet Lucian. cuius verba recitat Robertus Titius

lib. 3. controvers. c. 17. Lucianus enim agens de hominibus, qui fabulose in luna habitare dicuntur: *Pulcher,* inquit, *apud illos habetur calvus, et sine coma: comatos autem abominantur. Apud eos vero, qui cometas inhabitant stellas, comati contra formosi habentur.* Unde etiam factum puto, ut calvi a Synesio *lunulæ* nuncupentur: nisi si quis malit huius appellationis causam ad splendorem cranii depilis referre, quod lucet instar lunæ: certe de Isocrate dicterium commemoratur, quod per calvam eius cerebrum eluceret. Valerius quidem Maximus de Æschylo poeta loquens ait: *In Sicilia mœnibus urbis, in qua morabatur, egressus aprico in loco resedit: super quem aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde, atque lapidi eam illisit.* Itaque Petronius arbiter epigrammate quodam calvariam ridere dixit, id est splendescere; id enim interdum significat vox illa, sicut apud Horatium: *Ridet argento domus.* Denique Nicetas Choriates agens de Duca: *Cæterum Ducas, inquit, cuius ante meminimus, illi astans, detracto capite pileo, orabat, ut sibi diadema imponeretur calvitio ostenso, quod instar plenæ lunæ relucebat.*

Nazaræi quasi calvi. Denique nonnulli putant Eliseum non natura vel ætate et senio, sed pro religiosorum et Nazaræorum ritu caput rasisse, ideoque fuisse calvum, id est rasum. Sicut illius illorumque veterum exemplo in nova lege Pontifices, Sacerdotes et monachi per tonsuram Ecclesiasticam orbiculariter raso, et quasi calvo sunt capite, tum ut Christi coronam spineam repræsentent, tum ut mundo valedicentes, totos se Deo dedicent, uti olim fecere Nazaræi: ab eis enim tonsuram hanc acceptam esse tradit S. Isidor. lib. de divin. officiis in conc. Aquisgran. c. 1. quem audi: « Tonsuræ Ecclesiasticæ usus a Nazaræis, ni fallor, exortus est: qui prius crine servato, denuo post vitæ magnam continentiam, devotione completa, caput radebant, et capillos in ignem sacrificii ponere iubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut qui divinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est Sancti Dei, crine præciso innoventur. Hoc quoque et Ezechieli prophetæ iubetur, dicente Domino: Tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, et duces super caput tuum et barbam. Videlicet quia ipse Sacerdotali genere Deo in ministerio sacrificationis serviebat. Hoc et Nazaræos Priscillam et Aquilam in actis Apostolorum primos fecisse legimus; Paulum quoque Apostolum, et quosdam discipulorum Christi, qui huiusmodi cultu imitandi extiterunt. Est autem clericis tonsura signum quoddam quod in corpore figuratur, et in anima agitur: scilicet ut hoc signo et religione vitia resecentur, et criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus, ut comis rudibus, enitescamus; exspoliantes nos, iuxta Apostolum, veterem hominem cum actis suis, induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei; quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Quod vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur; sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari.

Ab eis tonsura religiosorum.

Quare sicut hæretici iam Sacerdotes et monachos irrident, vocantque rasos et calvos, iuxta illud unius ex ipsis: *Turba Sacerdotum vertice rasa caput:* sic quoque hi pueri a parentibus hæreticis et idololatris instructi, videntur Eliseum eiusque discipulos Nazaræos, indeque eremitas ideoque capite tonsos et rasos per ludibrium vocasse, calvos. Hi enim pueri erant Bethelitarum idololatrarum, vitulum aureum colentium filii, teste S. Aug. cuius verba mox citabo. Eliseo ergo quasi viro religioso illudentes succlamarunt: *Ascende calve,* scilicet in montem nostræ urbis Bethel, aut etiam, ascende in aerem, uti ascendit magister tuus Elias, q. d. rapiat et auferat te malus aliquis genius in auras, uti abstulit Eliam magistrum tuum: sequere discipulus magistrum, ut nobis desinas esse molestus; nec amplius nos ob cultum vituli aurei castiges et obiurges. Ita S. Iustin. in q. 80. ad Orthodoxos: *Proscindendæ, inquit, per detractionem Eliæ assumptionis gratia proferebant, perinde ac si dicerent: Abripiat te quoque spiritus, et in iuga montium invia et inaccessa abiiciat, quemadmodum illum abiecit, ut itidem a te liberemur sicut ab illo liberati sumus.*

Porro vocantur hi pueri parvi, quia non erant adolescentes, sed pueri novem vel decem annorum, ideoque doli et culpæ capaces, ut patet tum ex ipsa petulante et maledica irrisione, tum ex eius acerrima punitione.

Alleg. Iudæi Christo a se depilato, et corona spinea coronato illuserunt dicentes: Ascende in crucem. Unde S. Bern. serm. 1. ad milites templi c. 1. ait: « Ascendit itaque crucem calvus noster, mundo pro mundo expositus: et revelata facie ac discooperta fronte purgationem peccatorum faciens, probrosæ et austeræ mortis tam non erubuit ignominiam, quam nec pœnam exhorruit, ut nos ab opprobrio sempiterno eriperet, et restitueret gloriæ. Nec mirum: quid enim erubesceret, qui ita lavit nos a peccatis, non quidem ut aqua diluens, et retinens sordes, sed veluti solis radius desiccans et retinens puritatem? Est quippe Dei sapientia ubique attingens propter munditiam suam.

Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini) Id est imprecatus est eis a Deo iustam punitionem et vindictam. Fecit hoc Eliseus ex iusto religionis zelo: primo, quia dum servi et prophetæ Dei irridentur, Deus ipse irridetur. Ita S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. ad 4. Secundo, magis parentes, quam pueros punire voluit; parentes enim idololatræ pueris instillabant suam idololatriam, et contemptum veri Dei, eiusque prophetarum. Nam ut ait S. August. serm. 204. de Temp. *Rem parentibus instigantibus fecisse pueri contumeliosi credendi sunt. Neque enim illi clamarent, si parentibus displiceret.* Et S. Iustin. q. 80. citata: *Deus, ait, puerorum clade parentes flagellavit, ac simul posteros monuit ut in vero Dei cultu, modestia et probitate filios suos educent, ne similiter castigentur.* Unde S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 18. narrat parvulum quemdam blasphemare solitum e sinu patris a dæmonibus abreptum: *Quatenus, inquit, reatum suum pater eius agnosceret, qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutrivisset.* Addit auctor mirabil. S. Script. lib. 2. c. 22. forte pueros istos a parentibus vitulo aureo et idolis fuisse consecratos. Tertio, Eliseus bene consuluit pueris; effecit enim ne impunitate deteriores fierent, ait Theodor. q. 13. si enim diutius vixissent, sceleratiores et idololatræ parentum doctrina et exemplo evasissent, ideoque gravius damnandi.

Vers. 24. Eliseus maledixit pueris. Cur? Causa 1. — 2. — 3.

Egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.) Apposite ursos immisit Deus ad devorandos pueros ante ora patrum, ut quos ad informandos pueros imitari neglexerant, eosdem experirentur in illorum internecione lictores. Ostendit enim hosce parentes qui in formandis filiis fuerant socordes, imo impii, ursis esse peiores. Ursi enim informes fœtus suos lambendo formant et figurant, teste Plinio lib. 8. cap. 36. et lib. 10. c. 63. Unde S. Ambr. *Ursa, ait, partus suos* (lambendo) *ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instruere similes tui non potes?*

Alleg. Abul. Serar. et alii passim, Eliseus, inquiunt, ascendens in montem, est Christus montem Calvariæ ascendens, ibique crucifixus: illuserunt ei 42. pueri, id est Iudæi dicentes: *Si tu es Christus Dei Filius, descende de cruce.* Maledixit eis Christus ordinando eis in pœnam, excidium Ierusalem, ut scilicet post quadraginta annos ab ascensu suo in *Bethel,* id est *in domum Dei,* puta in cælum, de sylva gentium venirent duo ursi, scilicet Titus et Vespasianus, qui eos lacerarent et perderent. Ita Angelom. Eucher. Beda, Rupert. et S. Hier. in tit. Psal. 46. *Eliseus, ait, figuram Christi tenet: pueri, Iudæorum, qui dixerunt: Ave rex Iudæorum: ursi proprie dæmones intelliguntur: quia devoraverunt corda illorum, ideoque Psal. ille inscribitur pro filiis Core, qui sunt filii Calvi.* Et S. August. lib. 12. contra Faustum c. 35. *Eliseo, ait,*

Eliseus typus Christi crucifixi.

pueros insultantes et clamantes: Calve, calve, bestiæ comedunt: pueruli stultitia deridentes Christum, in loco Calvariæ crucifixum, invasi a dæmonibus pereunt.

Tropol. Origen. homil. 4. in Ezech. per duos ursos accipit dæmones et bestias vitiorum, quæ in animam peccatricem immittuntur. Denique Marcion hæresiarcha, ut probaret Mosen Christo, et vetus testamentum novo contrarium, illudque a malo et crudeli Deo, hoc a bono et benigno editum: Christus, inquit, iubet nos esse ut parvulos; at vero Deus ille vetus immisit ursos in parvu-A los Eliseum irridentes. Hic ergo illi est contrarius. Resp. Tertull. lib. 4. contra Marc. c.23. « Satis impudens Antithesis, cum tam diversa committit, parvulos et pueros; innocentem adhuc ætatem, et iudicii iam capacem, quæ conviciari poterat, ne dicam blasphemare. Quia ergo iustus Deus, nec pueris impiis pepercit, exigens maiori ætati honorem, et utique magis a minore. Quia vero bonus, adeo diligit parvulos, ut apud Ægyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos, periclitantes edicto Pharaonis. Ita et hæc affectio Christi, cum creatore est. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus exercitui regis Israel siti laboranti dat aquam, et victoriam contra Moab. Unde v. 26. rex Moab undique circumsessus filium suum immolat: quare rex Israel indignans ab eo recedit.

1. IORAM vero filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Iosaphat regis Iudæ. Regnavitque duodecim annis. 2. Et fecit malum coram Domino, sed non sicut pater suus et mater: tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater eius. 3. Verumtamen in peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, adhæsit, nec recessit ab eis. 4. Porro Mesa rex Moab, nutriebat pecora multa, et solvebat regi Israel centum millia agnorum, et centum millia arietum, cum velleribus suis. 5. Cumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Israel. 6. Egressus est igitur rex Ioram in die illa de Samaria, et recensuit universum Israel. 7. Misitque ad Iosaphat regem Iuda, dicens: Rex Moab recessit a me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit: Ascendam: qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus: et equi mei, equi tui. 8. Dixitque: Per quam viam ascendemus? At ille respondit: Per desertum Idumææ. 9. Perrexerunt igitur rex Israel, et rex Iuda, et rex Edom, et circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, et iumentis quæ sequebantur eos. 10. Dixitque rex Israel: Heu, heu, heu, congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manus Moab. 11. Et ait Iosaphat: Est ne hic propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit unus de servis regis Israel: Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ. 12. Et ait Iosaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum rex Israel, et Iosaphat rex Iuda, et rex Edom. 13. Dixit autem Eliseus ad regem Israel: Quid mihi et tibi est? vade ad prophetas patris tui, et matris tuæ. Et ait illi rex Israel: Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab? 14. Dixitque ad eum Eliseus: Vivit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. 15. Nunc autem adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait: 16. Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis huius fossas et fossas. 17. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et iumenta vestra. 18. Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras. 19. Et percutietis omnem civitatem munitam, et omnem urbem electam, et universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, et omnem agrum egregium operietis lapidibus. 20. Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, et ecce, aquæ veniebant per viam Edom, et repleta est terra aquis. 21. Universi autem Moabitæ, audientes quod ascendissent reges ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper, et steterunt in terminis. 22. Primoque mane surgentes, et orto iam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ e contra aquas rubras quasi sanguinem, 23. Dixeruntque: Sanguis gladii est: pugnaverunt reges contra se, et cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab. 24. Perrexeruntque in castra Israel: porro consurgens Israel, percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, et percusserunt Moab, 25. Et civitates destruxerunt: et omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt: et universos fontes aquarum obturaverunt: et omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut muri tantum fictiles remanerent: et circumdata est civitas a fundibulariis, et magna ex parte percussa. 26. Quod cum vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, ut irrumperent ad regem Edom: et non potuerunt. 27. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: et facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, et reversi sunt in terram suam.

Vers. 1. IORAM VERO FILIUS ACHAB REGNAVIT SUPER ISRAEL IN SAMARIA ANNO DECIMO OCTAVO IOSAPHAT REGIS IUDA.) Dices, hic versus pugnare videtur cum v. 17. cap. 1. ubi dicitur Ioram rex Israel cœpisse regnare anno secundo Ioram filii Iosaphat, qui utique post patrem Iosaphat regnavit: quomodo ergo hic dicitur cœpisse regnare anno 18. Iosaphat? Resp. Ioram in Iuda regnare cœpisse cum patre Iosaphat anno 17. regni eius: quare B annus 18. Iosaphat fuit annus secundus regni Ioram filii eius, quo Ioram filius Achab cœpit regnare in Israel. Iosaphat enim pergens ad bellum cum Achab contra Syros, ut dictum est cap. ult. lib. 3. surrogavit sibi filium Ioram, eumque constituit regem in Iuda, tum ne se absente regnum destitueretur rege, tum ne careret successore, si contigisset ipsum in bello mori, uti sæpe fit. Ita Abulens. Caiet. Salian. et alii.

Disputat hic Abul. q. 21. an deceat religiosos qualis erat Eliseus, in aulis Principum versari; ac respondet decere, si sint magnæ solidæque prudentiæ et virtutis, uti erant Elias et Eliseus, quos Deus ad reges mittebat, ut eos in Dei cultu erudirent, vitia castigarent, sana consilia suggererent. Sic Plutarch. scripsit libellum hoc titulo: *Maxime cum principibus viris philosopho esse disputandum.* Unde Pericles usus est Anaxagora, Dionysius Tyrannus Siciliæ Platone, Pythagora Principes Italiæ, Cato Athenodoro, Scipio Panetio. Ceterum ad castra magis religiosos probatæ virtutis mitti expedit, ut milites instruant, coerceant, sacramenta ministrent; unde multi militum per eos salvantur, qui sine eis damnarentur, ut patet ex missionibus castrensibus in Belgio, Germania, Italia, Gallia, etc. Adde religiosorum exempla sanctitatis, preces et sacrificia multum prodesse exercitibus, uti profuit hic Eliseus. Ceterum Religiosi, qui honoris, libertatis vel vanitatis causa aulas ambiunt, tam aulas quam seipsos perdunt, ac religionum superioribus magnas creant molestias; ut satius esset eos esse sæculares, quam religiosos, ut experientia docet.

Vers. 2. Tulit enim statuas Baal.) Scilicet abstulit et amovit e Samaria et regno Israel idola et cultum Baal; quia viderat patrem suum Achab ob eius cultum in prælio cæsum.

Vers. 3. Verumtamen in peccatis Ieroboam etc. adhæsit.) Colendo vitulos aureos a Ieroboam erectos, et populum ad eorum cultum impellendo, ne a se deficeret ad Iosaphat regem Iuda, si Ierosolymam eius metropolim ad colendum verum Deum in templo adiret. Magna fuit regum Israel iudicii perversitas, cæcitas et obstinatio in sustentandis hisce vitulorum idolis, ideoque omnes perierunt et excisi sunt.

Vers. 5. Cumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus.) Hoc est rex Moab rebellavit, ut vertit Chald. Ioramo regi Israel, eique solitum tributum negavit: quia eum ob iuventutem, et ob cæsum in prælio Achab patrem contempsit.

Vers. 8. Per desertum Idumææ.) Imprudens fuit hoc responsum et consilium. *Desertum* enim est locus aridus, ubi desunt aquæ pro tantis copiis, quantæ erant in tribus exercitibus, scilicet regis Iuda, regis Israel, et regis Edom: unde milites mox siti laborarunt et defecerunt, ut sequitur. Permisit id Deus, ut puniret Ioram regem Israel idololatram, utque viam sterneret ad miraculum abundantiæ aquarum dandæ per se et Eliseum; ut ex eo rex agnosceret se esse verum Deum, ac idola vitulorum abdicaret.

Vers. 11. Est hic Eliseus etc. qui fundebat aquam super manus Eliæ.) Id est qui Eliæ quasi minister serviebat: ministrorum enim est fundere aquas super manus dominorum, cum eas mane vel ante prandium abluunt.

Vers. 13. Quid mihi et tibi est?) q. d. Quæ mihi societas, vel communio est tecum? Tu enim colis vitulos aureos, ego vero verum Deum. *Vade* ergo *ad prophetas patris tui*, puta sacerdotes et cultores vitulorum, quos hucusque in consilium adhibuisti: illos etiam nunc consule, cum tibi oraculum et consilium in rebus naturaliter desperatis dare non poterunt; unde in iis confugis ad me et ad Deum verum, quem hucusque sprevisti. Mira fuit hic dicendi et regem arguendi libertas in Eliseo, digna tanto propheta, et viris Apostolicis imitanda, cum ab hæreticis principibus ad temporalia commoda evocantur. Vide hac de re exempla Mosis, Eliæ, Pauli, aliorumque quæ recenset S. Gregor. 7. Mor. 15.

Vers. 14. Vivit Dominus (id est iuro per Dominum) in cuius conspectu sto (quem ut mihi præsentem semper in mente habeo, revereor, colo et amo æque, ac magister meus Elias, a quo hoc didici) quod si non vultum Iosaphat regis Iuda (qui mecum Deum verum colit) erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.) Sed despexissem, nec te dignatus essem responso, multo minus oraculo, quia tu Deum meum negligis et despicis. Qui enim Deum habet præsentem nullius præsentiam timet aut curat. Quocirca Sextus Philosophus

A in sententiis (quæ falso Sixti Pont. nomine impressæ extant) num. 293 *Ad omnia quæ agis*, inquit, *Deum invoca testem.* Et num. 278. *Exordium in agendo a Deo sume. Ore autem prius Deum habeto et mente, quam respires.* Et num. 277. *Sapientum animæ insatiabiles sunt in amore Dei.* Et num. 304. *Particeps Dei est vir sapiens.* Et num. 430. *Sapiens mens speculum est Dei.* Et num. 368. *Optime honorat Deum, qui mentem, quoad potest, similem Deo facit.*

Nunc autem (in honorem et auxilium fidelis piique regis Iosaphat) adducite mihi psaltem.) Qui instrumentum musicum manu pulset (hunc enim significat Hebr. מנגן *menaghen*) unde Chald. vertit: *adducite mihi virum qui norit psallere cithara.* Iussit Eliseus *psaltem* psallere, ut sono suavi et harmonia Musices, animum nonnihil indignatione in regem Israel commotum colligeret, sedaret, eumque in Deum orando sustolleret, et ad recipiendam a Deo prophetiam disponeret. Fuit enim hic Psaltes Levita, ait Theodor. qui Psalmos pios a Davide B compositos psallere solebat. Ita Ruper. Abul. et alii. Audi S. Gregor. hom. 1. in Ezech. *Cum eum* (Eliseum) *Iosaphat de futuris requireret, et prophetiæ ei spiritus deesset, psaltem fecit applicari, ut prophetiæ ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque eius animum de venturis repleret. Vox enim psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel prophetiæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat.* Sic S. Franciscus audiens harmoniam lyræ mente in Deum sustollebatur. Idem de se fatetur S. Augustin. in Confession. dum audiret psalmodiam. Vers. 15.

Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus (id est operatio et illustratio) Domini.) q. d. Canente et personante psalte, Deus Elisei mentem illustravit, eique futura revelavit, ac aquam victoriamque promisit. Sic sæpe de Ezech. et aliis prophetis, dum prophetant, dicitur: *facta est super eum manus Domini,* hoc est C Deus ei lumen propheticum indidit.

Facite alveum torrentis huius fossas et fossas.) Vers. 16. q. d. Facite multas et profundas fossas in alveo huius torrentis, ut iis excipiatis copiam aquarum, quam Deus mox daturus est vobis.

Factum est igitur mane quando sacrificium offerri solet.) Vers. 20. Ut intelligamus, ait Caiet. virtutem sacrificii matutini, quod iugiter ex lege mane Deo offerebat Iosaphat in templo, cooperatam esse ad hoc miraculum.

Et ecce aquæ (adductæ per Angelos) veniebant per viam Edom.) In castra Iosaphat et regum sociorum, ut ex iis sitim restinguerent.

Primoque mane surgentes, et orto iam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ e contra aquas rubras, quasi sanguinem.) Vers. 22. Ex reflexione radiorum solis matutini, qui ob vapores nocturnos, per quos transparebant, rubri videbantur, sicut iidem rubri videntur, cum transeunt per vitrum rubrum: rubri quoque nobis apparent, cum e nube vel terra ad oculum repercu- D tiuntur. Hæc enim est ratio optica, ut patet ex perspectiva et ex quotidiana experientia. Unde Hebr. est: *Sol illuminavit super aquas, et viderunt aquas rubras.* Et Ioseph. *aquæ,* inquit, *videbantur rubræ eo quod illo tempore* (mane) *maxime aqua radiis solis icta rutilat.* Non ergo vere rubræ erant aquæ, sed ob radiorum reflexionem rubræ apparebant. Ita Abulen. et alii. Porro hac aquarum rubedine decepti Moabitæ, putarunt illas sanguine hostium inter se dimicantium rubricari, ideoque in eos irruentes ab eis cæsi sunt ad internecionem.

Ita ut muri tantum fictiles remanerent.) Vers. 25. Hebr. est: *Donec dimitterent lateres eius in pariete chareseth,* id est *fictili,* sive lateritio, scilicet ex lateribus fabricato. Ita Sept. Pagnin. et alii. Secundo, Rabbini et Vatab. vertunt: *Dumtaxat in Kir Haresch reliquos fecerunt lapides eius,* quasi *Kir Haresch* fuerit primaria civitas Moab, quæque lateritios habebat muros, ad quam proinde ceteris omnibus ab Hebræis vastatis, rex Moab cum suis pro-

fugerat; unde de ea mox subdit; *Et circumdata est civitas a fundibulariis*: utraque ergo versio consonat, utraque vera est, ut dixi Isaiæ 16. 7. Et Ierem. 48. 31.

Vers. 27. ARRIPIENSQUE FILIUM SUUM PRIMOGENITUM etc. OBTULIT HOLOCAUSTUM SUPER MURUM.) Tum ut Dii placati hoc tam dilecto et insigni holocausto tutarentur murum, tum ut Israelitis murum obsidentibus commiserationem moveret, dum viderent regem, ad tantas angustias redactum, ut filium suum primogenitum immolaret, itaque eum obsidere, et persequi desinerent, eoque relicto domum redirent, uti et fecerunt. Hoc etiam in extremis angustiis facere solitos reges Phœnicum, ut rem dilectissimam, scilicet filium, Deo suo sacrificarent, tradit Porphyr. apud Euseb. lib. 4. de Præpar. c. 7. *Phœnices*, inquit, *ubi gravius sive bello, sive fame, sive etiam æstu laborarent, necessariorum suorum aliquem Saturno communibus addictum suffragiis immolabant: cuiusmodi exemplorum plena est Phœnicum historia, quam Phœnicia lingua Sanchoniatho conscripsit* etc. ita Ioseph. Theod. Procop. Abul. et alii.

Porro R. Salomon et cum eo alii nonnulli בנו *beno*, id est *filium suum*, vertentes: *filium eius*, regis Edom scilicet, fabulantur regem Moab erumpentem ex urbe cum 700. viris filium regis Edom cepisse, eumque in urbem captivum duxisse. Quare regem Edom, ut filium liberaret, obsidionem deseruisse, ac indignatum regi Israel obsidionem pertinacius urgenti ab eo recessisse. Eo vero abeunte, regem Moab filium eius captivum super murum mactasse et immolasse. Verum hoc non habet speciem verisimilitudinis.

ET FACTA EST INDIGNATIO MAGNA IN ISRAEL, STATIMQUE RECESSERUNT AB EO.) q. d. Israelitæ indignati sunt ob tam crudele et indignum facinus, quod scilicet rex Moab filium suum immolasset, ideoque miserti sunt eius, cum viderent eum ad tantam necessitatem et miseriam redactum, ut filium suum immolaret. Ita Ioseph. *Reges vero*, inquit, *hoc viso, tantam necessitatem miserati, et humanarum vicissitudinum memores, soluta obsidione domum quisque suam reversi sunt.* Eum secutus Theod. *Cum Moabitæ*, inquit, *funditus de medio tollerentur, tentavit quidem fugere rex eorum. Postquam autem valida, et strenua cohors ei non permisit, filium primogenitum et regni successorem, in quadam turre obtulit in holocaustum. Hæc cum conspexisset multitudo hostium, miserata est casum illum, et solvit obsidionem.* Ita quoque Abul. Serar. Vatabl. Salian. et alii. Quocirca Moabitæ postmodum ossa regis Idumææ exhumarunt et incenderunt (eo quod ipse regem eorum ad immolandum filium suum compulisset) ut ait Amos cap. 2. 1. Vide ibi dicta. Audi nunc aliorum sententias. Primo R. Salomon et ex eo Lyran. censent regem Moab Deum verum in tanta necessitate invocasse eique sacrificasse, eo quod nec homines nec Dii eum ex illa eripere possent, ad illudque impulsum fuisse exemplo Abrahæ, qui immolare volens Isaac filium Deo, mire illi placuit, magnaque ab eo dona recepit. Verum Abraham id fecit iussu Dei, sine quo id fuisset illicitum, imo homicidium et patricidium. Ita Abulen. et Burgensis. Adde, rex Moab non colebat Deum verum, sed idola, id est dæmonem qui eum impellebat ad hoc scelus; dæmon enim humano sanguine sibi litato delectatur, eumque a suis cultoribus exigit, ideoque eis persuadet se, cum offensus est, talibus hostiis placari, et inductas calamitates avertere, ac optata bona largiri.

Secundo, Burgensis ait, regem Moab consuluisse suos sacerdotes, cur Hebræi adeo fortes forent et felices, illosque respondisse, eo quod ipsi colerent Deum Moloch, illique suos filios immolarent et concremarent: regem ergo voluisse eos imitari, et Deum simili filii victima in tantis angustiis sibi conciliare. Verum Moloch erat Deus Ammonitarum, Moabitarum vero erat Chamos, quem sacerdotes regi Moab, ut proprium et domesticum commendasse, non est dubium. Addit Burgen. indignationem magnam, cuius hic fit mentio, non fuisse hominum, puta Israelitarum sed Dei: Deus enim, inquit, indignabatur Israelitis, quod ipsi immolando filios idolo Moloch, Moabitis dedissent exemplum idem faciendi. Sic et Lyran. indignationem Dei accipit, non Israelitarum. Ait enim Deum indignatum Hebræis eo quod Angelus ei repræsentaret peccata Hebræorum, eaque graviora esse ostenderet sceleribus Moabitarum. Idcirco Deum immisisse pestem in castra Hebræorum, ut coacti fuerint deserere obsidionem urbis Moab.

Tertio, Caiet. et ex eo Pererius in cap. 22. Genes. n. 105. indignationem Israelitarum contra se invicem intelligit, et eius causam et modum sic explicat: Quia, inquit, causa iræ narratur holocaustum primogeniti regis, et effectus illius, narratur recessus ab oppugnatione regis Moab: intelligere licet, Israelitas idololatras, viso illo holocausto, cooperante diabolo, magni pendisse illud, et desperasse de victoria adversus regem, munitum præsidio tanti holocausti. Quocirca commoti sunt ad iram, contra Israelitas volentes persistere in bello: denique magnitudo iræ vicit, et fecit recessum a bello. Intellige tamen recessum hunc esse factum, renovato fœdere cum rege Moab de tributo dando regi Israel; ita ut finem suscepti belli recessus non abstulerit.

Hæc sententia duabus prioribus est verisimilior, sed prima, quam initio assignavi, est verisimillima.

Denique sacrilegum et execrabilem hunc filios in gravi calamitate immolandi ritum imitati sunt Carthaginenses, utpote a Phœnicibus (quorum hic ritus fuit proprius, ut paulo ante dixi) oriundi. Carthago enim fuit Tyriorum colonia. Audi Q. Curtium lib. 4. *Sacrum multis sæculis intermissum repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur: quod sacrilegium verius quam sacrum Carthaginenses a conditoribus traditum, usque ad excidium urbis suæ fecisse dicuntur.* Et Diodorus lib. 20. historiæ de Carthaginensibus loquens sic ait: *Dicebant autem Saturnum illis iratum fuisse, quoniam prius ipsi excellentiores ex filiis suis sacrificabant. Postea vero clam emptis infantibus, atque educatis, liberorum loco immolabant.* Unde Imilce Hannibalis uxor, cum Aspar filius eius esset mactandus, apud Silium Italicum in calce lib. 4. Punicorum sic lamentatur:

Sit satis ante aras cæsos vidisse iuvencos:
Aut si velle nefas superis fixumque sedetque,
Me me, quæ genui vestris absumite votis,
Cur spoliare iuvat Lybicas hac indole gentes?

Porro in sacrilegum et parricidale hoc sacrificium detonant Patres, ut Tertul. Apolog. c. 9. Cyril. lib. 4. contra Iulian. Lactan. l. 1. de falsa religione c. 1. S. August. lib. 7. de Civitat. cap. 19. Theod. lib. 7. de Providentia.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus primo viduæ pauperi oleum multiplicat Secundo, vers. 8. Sunamitidi hospitæ suæ sterili filium impetrat, eumque mortuum ad vitam revocat. Tertio, vers. 38. Ollam colocynthidarum amarissimam iniecta farina dulcorat. Quarto, vers. 42. Panes per miraculum multiplicat, ut centum viris sufficiant.

1. MULIER autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit timens Dominum: et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. 2. Cui dixit Eliseus: Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar. 3. Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. 4. Et ingredere, et claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu, et filii tui: et mitte inde in omnia vasa hæc: et cum plena fuerint, tolles. 5. Ivit itaque mulier, et clausit ostium super se, et super filios suos: illi offerebant vasa, et illa infundebat. 6. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum. 7. Venit autem illa, et indicavit homini Dei. Et ille: vade, inquit, vende oleum, et redde creditori tuo: tu autem, et filii tui vivite de reliquo. 8. Facta est autem quædam dies, et transibat Eliseus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum ut comederet panem: cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam ut comederet panem. 9. Quæ dixit ad virum suum: Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. 10. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum, et mensam, et sellam et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. 11. Facta est ergo dies quædam, et veniens divertit in cœnaculum, et requievit ibi. 12. Dixitque ad Giezi puerum suum: Voca Sunamitidem istam. Qui cum vocasset eam, et illa stetisset coram eo, 13. Dixit ad puerum suum: Loquere ad eam: Ecce, sedule in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, et vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit: In medio populi mei habito. 14. Et ait: Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, et vir eius senex est. 15. Præcepit itaque ut vocaret eam: quæ cum vocata fuisset, et stetisset ante ostium, 16. Dixit ad eam: In tempore isto, et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa respondit: Noli quæso domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. 17. Et concepit mulier, et peperit filium, in tempore, et in hora eadem, qua dixerat Eliseus. 18. Crevit autem puer. Et cum esset quædam dies, et egressus isset ad patrem suum, ad messores, 19. Ait patri suo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, et duc eum ad matrem suam. 20. Qui cum tulisset, et duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, et mortuus est. 21. Ascendit autem, et collocavit eum super lectulum hominis Dei, et clausit ostium: et egressa, 22. Vocavit virum suum, et ait: Mitte mecum, obsecro, unum de pueris, et asinam, ut excurram usque ad hominem Dei, et revertar. 23. Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ respondit: Vadam. 24. Stravitque asinam, et præcepit puero: Mina, et propera, ne mihi moram facias in eundo: et hoc age quod præcipio tibi. 25. Profecta est igitur, et venit ad virum Dei in montem Carmeli: cumque vidisset eam vir Dei e contra, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa. 26. Vade ergo in occursum eius, et dic ei: Rectene agitur circa te, et circa virum tuum, et circa filium tuum? Quæ respondit: Recte. 27. Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: et accessit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi. 28. Quæ dixit illi: Numquid petivi filium a domino meo? Numquid non dixi tibi: Ne illudas me? 29. Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, et tolle baculum meum in manu tua, et vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi: et pones baculum meum super faciem pueri. 30. Porro mater pueri ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, et secutus est eam. 31. Giezi autem præcesserat ante eos, et posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox, neque sensus: reversusque est in occursum eius, et nuntiavit ei, dicens: Non surrexit puer. 32. Ingressus est ergo Eliseus domum, et ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius: 33. Ingressusque clausit ostium super se, et super puerum: et oravit ad Dominum. 34. Et ascendit, et incubuit super puerum: posuitque os suum super os eius, et oculos suos super oculos eius, et manus suas super manus eius: et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. 35. At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc atque illuc: et ascendit, et incubuit super eum: et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. 36. At ille vocavit Giezi, et dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. 37. Venit illa, et corruit ad pedes eius, et adoravit super terram: tulitque filium suum, et egressa est, 38. Et Eliseus reversus est in Galgala. Erat autem fames in terra, et filii prophetarum habitabant coram eo; dixitque uni de pueris suis: Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis prophetarum. 39. Et egressus est unus in agrum ut colligeret herbas agrestes: invenitque quasi vitem silvestrem, et collegit ex ea collocynthidas agri, et implevit pallium suum, et reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset. 40. Infuderunt ergo sociis, ut comederent: cumque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere. 41. At ille, Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, et ait: Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. 42. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut comedat. 43. Responditque ei minister eius: Quantum est hoc ut apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, et supererit. 44. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, et superfuit iuxta verbum Domini.

Vers. 1. MULIER AUTEM QUÆDAM.) Ioseph. libr. 9. cap. 2. quem sequuntur Hebræi, Theodor. Lyran. Abul. et alii, asserit hanc mulierem fuisse uxorem Abdiæ dispensatoris Achab. 3. Reg. 18. 3. illamque hoc beneficium et miraculum multiplicati olei obtinuisse ab Eliseo, ob merita et eleemosynas mariti sui, qui in persecutione Iezabelis absconderat et aluerat centum prophetas Domini. Deus enim liberalitatem liberalitate remunerat, ac in misericordes summe misericors est, iuxta illud: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5.

Vers. 2. ET ECCE CREDITOR VENIT.) Hebræi tradunt hunc creditorem fuisse Ioram regem Israel, qui pecunias dederit Abdiæ, quas ille erogarit in alendis secreto centum prophetis, ideoque illas ab uxore eius iam a rege repeti. Verum id confutat Abul. q. 4.

UT TOLLAT DUOS FILIOS MEOS AD SERVIENDUM SIBI.) Solebant Hebræi filios vendere aut servos abducere pro debitis parentum, ut patet Matth. 18. 25. et Isaiæ 50. v. 1. Idem olim fecere Romani, teste Dionys. Halicar. lib. 2. et Athenienses, teste Plutarcho in Solone: quin et Christiani, ut patet ex lege 2. de patribus qui filios distraxerunt, lib. 4. Cod. tit. 43. Quod et suo tempore factum graviter queritur et deplorat S. Ambr. lib. de Iob. c. 8.

NISI PARUM OLEI QUO UNGAR.) Sic et Sept. Hebr. est, *nisi lecythus olei.* Noster et Sept. addunt: *quo ungar,* id est quo semel dumtaxat ungi possim, ut significent modicum esse vas, et modicum esse olei. Olei enim usus proprie est ad unctionem, quæ apud Hebræos erat usitata et frequens. Alii cum Sanchez, *quo ungar,* scilicet post mortem illico, quæ mihi ob famem imminet. Moris enim Hebræis æque ac gentibus erat mortuos ungere ante sepulturam.

Vers. 3. PETE MUTUO AB OMNIBUS VICINIS TUIS VASA VACUA NON PAUCA.) Ego enim efficiam, ut omnia oleo impleantur, et quo plura vacua attuleris, eo plura oleo plena recipies. Tropol. significatur cor vacuandum esse a cupiditatibus terrenis, ut Deus illud oleo gratiæ suæ impleat. Audi S. Bern. serm. 6. de Ascens. *Unde spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberet? Profecto nec avarus, nec inops est gratiæ distributor, sed ubi vasa vacua desunt, stare oleum necesse est. Undique se ingerit amor mundi cum consolationibus, imo desolationibus suis, observat aditus; per fenestras irruit, mentem occupat; sed non eius qui dixit: Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum. Præoccupatum nempe sæcularibus desideriis animum delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, et quæ super terram.* S. Greg. vero hom. 3. in Ezech. per oleum accipit doctrinam, quæ per doctores in vacuas hominum mentes effunditur. *Quia dum,* inquit, *ab unius ore doctoris, parvum quid de amore divinitatis multorum vacuæ mentes audiunt, exuberante gratia, unguento divini amoris usque ad summum replentur. Etiam multorum nunc corda, quæ prius fuerant vacua vascula, unguento spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei solummodo infusa videbantur.* Unde S. Aug. serm. 206. de Temp. docet viro Apostolico quærenda esse *vasa vacua,* id est homines instructione indigentes, in quos oleum doctrinæ infundat: sic enim illa crescentibus hominibus crescet.

Vers. 4. ET CLAUDE OSTIUM TUUM.) Tum ne quis superveniens tuam infusionem olei in vasa interturbet, vel remoretur et sistat; tum ut miraculum hoc et beneficium sit secretum, utque videas solum Deum illud operari, nec ullum hominem ei cooperari; tum ut sola oleo fruaris, ne quis quippiam ex eo postulet aut decerpat. Mystice S. August. serm. 206. de Temp. « Significatur, inquit, ut unusquisque eleemosynam clauso ostio faciat, id est pro solo Dei amore, non ideo ut laudetur ab hominibus, sed ut apud Deum invenire gratiam mereatur. Qui enim pro laude humana eleemosynam facit, aperto ostio facit, quia apertum omnibus patet. Qui vero pro sola vita æterna,

A et pro remissione peccatorum bona opera fecerit, etiamsi publice faciat, clauso ostio fecit: quia de illa eleemosyna non hoc quærit quod videtur, sed quod non videtur: laus enim humana videtur, æternum præmium non videtur. »

ILLI OFFEREBANT VASA, ET ILLA INFUNDEBAT.) Infundendo ergo crescebat oleum. Angeli enim continuo aliud et aliud oleum lecytho suggerebant et indebant, donec omnia vasa implerentur, quo facto stetit oleum, subducente se Angelo. Alleg. S. Aug. serm. 206. de Temp. « In oleo, ait, misericordia intelligitur. Ergo viduæ illi ideo debitum creverat, quia oleum misericordiæ peccando perdiderat. Considerate fratres: Defecit oleum et debitum crevit. Crevit oleum, et periit debitum. Creverat cupiditas, et periit charitas. Rediit charitas, et periit iniquitas. Veniente vero Eliseo Christo Domino vidua, hoc est Ecclesia per augmentum olei, id est donum gratiæ et misericordiæ, vel charitatis pinguedine de peccatorum debito liberatur. » Vers. 5.

B Tropol. idem S. Aug. ibidem per oleum accipit charitatem, quæ erogando non minuitur, sed sui diffusione semper accrescit. « Considerate, inquit, fratres charissimi, quamdiu vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat. Verum est charissimi. Qui se solum diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorum suorum debitum reddit. Cum vero in alienis vasculis, id est omnibus vicinis et propinquis, et omnibus omnino hominibus cœperit oleum charitatis infundere, tunc et sibi sufficere, et ab omnibus se debitis poterit liberare. Et vere fratres talis est natura sancti amoris, et veræ charitatis, ut erogando crescat, et quantum in aliis plus expenditur, tantum in se abundantius cumuletur. » Idem confirmat ex antithesi cibi et olei, sive charitatis: « Cibum corporis si volueris egenti tribuere, ad præsens, quod illi dederis, tu habere non poteris. Panem charitatis si dederis centum hominibus, integer manet. Si universo mundo largiri volueris, tibi nihil deficit, imo non solum non deficit, sed omnium illorum quibus largitus fueris,
C lucrum tibi multipliciter crescit. Verbi gratia: Unum panem charitatis habebas; si nemini dedisses, ipsum solum haberes. Mille hominibus dedisti, mille panes acquisivisti. » Rationem a priori subiicit: « Quia tanta est possessio charitatis, ut et singulis tota sit, et omnibus integra esse possit. Ergo et aliis dedisti, et tu nihil penitus perdidisti. Imo non solum non perdidisti, sed sicut iam dixi, quidquid aliis a te collatum est, tu centupliciter acquisivisti. » Unde subdit quærendos esse homines pane corporali vel spirituali egentes, ut eis charitatem exhibentes, faciamus eam tam in nobis, quam in ipsis continuo crescere. Eadem habent et ex S. Aug. transcripsere Eucher. Angelom. Beda, Rupert. et alii.

TRANSIBAT ELISEUS PER SUNAM: ERAT AUTEM IBI MULIER MAGNA.) Tum opibus et fama, scilicet opulenta, honorata, celebris, tum probitate et pietate. Unde Chald. vertit: *Ibi erat mulier timens peccata.* Fabulatur R. Salomon Sunamitidem hanc fuisse sororem Abisag Sunamitidis, quæ Davidi seni data est uxor, ad eum calefaciendum 3. Reg. 1. nam a morte Davidis usque ad Eliseum, fluxere plusquam 80. anni. Quare hæc mulier debuisset excedere annum ætatis centesimum. Vers. 8.

D (beside: "dum 3. Reg. 1.")

ANIMADVERTO, QUOD VIR DEI SANCTUS EST ISTE.) Id advertebat ex Elisei modestia, abstinentia, gravitate, sermone, precatione assidua, aliisque virtutibus heroicis. Quare fabulatur R. Salomon, id illam cognovisse ex eo quod mensæ, quam toties straverat Eliseo, numquam musca insedisset, vel quid sordidum inhæsisset. Vers. 9.

FACIAMUS ERGO EI CŒNACULUM PARVUM.) Hebr. et Chald. *Cœnaculum muri parvi: muri,* id est ex muro et solida fabrica, non vero ex levibus asseribus; vel ut Vatab. *muri,* id est muro conclusum et septum, ac semotum ab aliis domus partibus, ut quiete et secreto ibi solus degat, oret et meditetur Eliseus. Vers. 10.

ET PONAMUS EI IN EO LECTULUM ET MENSAM ET SELLAM ET CANDELABRUM.) Scilicet nil nisi præcise necessarium: sciebat enim Eliseum paupertatis studiosum pul-

vinaria, tapetes, aliaque ornamenta, quasi superflua non admissurum.

Vers. 13. IN MEDIO POPULI MEI HABITO.) q. d. Ego pacifice inter meos cives et vicinos vivo, omnes amo, et ab omnibus amor: quare nulla mihi cum quopiam lis est, ut pro ea regis vel principis opem implorare debeam; imo si ea egerem, cives mei me iuvarent, et pro me regem interpellarent: omnibus enim nota et chara sum.

Vers. 16. IN TEMPORE ISTO (q. d. proximo anno sub hoc idem tempus) HABEBIS IN UTERO FILIUM.)

NOLI MENTIRI ANCILLÆ TUÆ.) *Mentiri*, non formaliter: sciebat enim Eliseum virum sanctum nolle illam fallere et contra mentem loqui, ut falso ei promitteret filium; sed materialiter, q. d. utinam verus, non falsus reipsa accidat sermo tuus: utinam sermo tuus non sit tantum apprecatio benevola, sed et efficax prophetia, ut revera sequente anno nascatur mihi filius.

Vers. 17. ET CONCEPIT MULIER, ET PEPERIT FILIUM.) Tropol. audi ex vitis Patrum lib. 6. c. 1. de contemplatione: « Dixit aliquando senex: Sunamitis Eliseum suscepit, eo quod non haberet affectum cum aliquo homine. Dicitur Sunamitis personam habere animæ, Eliseus Spiritus sancti: quacumque ergo hora recedit anima a sæculari confusione et perturbatione, adveniet ei spiritus Dei, et tunc poterit parere cum sit sterilis.

Vers. 23. QUAM OB CAUSAM VADIS AD EUM? HODIE NON SUNT CALENDÆ (scilicet Neomenia, quæ erat prima dies lunæ et mensis, ideoque quasi festa Hebræis) NEQUE SABBATHUM.) Hinc liquet, ait Abul. q. 30. Vatab. Serar. et alii, solere Hebræos festis diebus Eliseum aliosque sanctos prophetas adire, ut eius exhortationes et pia monita exciperent, utque eius preces et benedictione poscerent.

QUÆ RESPONDIT: VADAM.) q. d. Omnino ire ad Eliseum cupio, opto et destino. Causam subticet, ne maritus audiens filium unicum mortuum, dolore exanimetur.

Vers. 24. MINA.) Duc asinum, et me in asino ad Eliseum.

Vers. 26. RECTENE AGITUR CIRCA TE? etc. QUÆ RESPONDIT: RECTE.) *Recte*: licet enim filius meus sit mortuus magno meo dolore, tamen scio eum mortuum ex voluntate et decreto Dei, quæ rectissima et sanctissima est. Aut quia mox, *recte* mecum agetur: omnino enim confido eum a te resuscitandum. Sic de puella mortua ait Christus: *Non est mortua, sed dormit*, quia scilicet ego eam mox a morte suscitabo, ut non tam esse mortua, quam dormire videatur, Lucæ 8. Sunamitis autem hoc prætexit apud Giezi, ut per eum pateat sibi accessus ad Eliseum, qui virgo et castus vitans consortia feminarum, si audisset eius filium iam mortuum, ad eum suscitandum misisset suum servum Giezi, uti et reipsa postmodum fecit.

Vers. 27. APPREHENDIT PEDES EIUS, ET ACCESSIT GIEZI, UT AMOVERET EAM.) Sciebat enim Giezi Elisei humilitatem, religionem et castitatem, ut nollet tangi, et hoc pedum tactu honorari, et quasi adorari a femina.

Vers. 29. TOLLE BACULUM MEUM.) Hinc Eliseum gestasse baculum, ideoque priscos monachos eum gestasse docet Cassian. lib. 1. Instit. c. 9. additque mysticam eius significationem dicens: « Cuius gestatio spiritaliter monet, numquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes, et invisibiles nequitiarum spiritualium bestias, inermes incedere: de quibus Beatus David liberari postulans dicit: Ne tradas Domine bestiis animam confitentem tibi; sed irruentes eas retundere crucis signaculo, ac longius propulsare, atque adversus se sævientes, iugi memoria Dominicæ passionis, et imitatione illius mortificationis extinguere. »

Neminem salutat Giezi. Cur? Causa 1. SI OCCURRERIT TIBI HOMO, NON SALUTES EUM) Causa fuit prima, ne Giezi salutando obvios, cum eisque colloquendo moras in via necteret, sed illico puerum apposito baculo suscitaret, antequam maritus eum esse mortuum resciseeret, q. d. ait S. August. serm. 106. de Temp. *Ita velociter ambula, ut nullis fabulis occupari aut retardari*
2. *præsumas*. Secunda, ut res maneret secreta. Tertia, quia
3. Giezi, ait Theodor. et Procop. erat laudis avidus, unde obviis gloriando dixisset: Meus herus Eliseus misit me ut suscitem mortuum, ideoque id facturus ad eum pergo: quare hac iactatione offendisset Deum, itaque impedivisset miraculum, nec Deus per eum puerum suscitasset. Quarta, ut Giezi vitaret omnem oculorum auriumque distractionem, totumque se disponeret per preces ad tanti miraculi patrationem. Ita Caiet. Abul. et S. Ambr. in c. 10. Lucæ lib. 7. ad illa: *Neminem salutaveritis: Festinato enim*, inquit, *iubebat eum contendere, ut celebrandæ resurrectionis exequeretur officium, ne confabulatione alicuius obvii, mandato deflecteretur a munere. Ergo et hic non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur: ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana.* 4.

POSUERAT BACULUM SUPER FACIEM PUERI, ET NON ERAT VOX NEQUE SENSUS.) Allegoricam causam dat S. Aug. serm. 106. de Temp. dicens: *Puer iste* (Giezi) *typum habuit beati Moysi. Misit enim eum Deus cum baculo in Ægyptum: sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit; de originali vel actuali peccato liberare, vel resuscitare non potuit. Nihil enim, dicente Apostolo, ad perfectum adduxit lex. Opus erat ut qui baculum miserat, ipse descenderet. Baculus sine Eliseo nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat.* S. Petrus per baculum a se missum e morte suscitavit S. Maternum suum discipulum, et primum Trevirensem Episcopum, ut habet eius vita, et S. Macedonius per baculum suum suscitavit Theodoretum pene exanimem, uti ipse refert in Philotheo. cap. 3. Vers. 31.

PUER NON SURREXIT.) Cur? Rationem reddit Rabbi Salomon apud Lyran. *Hoc*, inquit, *fuit propter demeritum Giezi, qui non servavit præceptum Elisei, sed occurrentibus sibi hominibus iactanter dicebat, se missum ad suscitandum mortuum.* Indignus enim est, qui miracula faciat, qui de illis faciendis gloriatur. Hoc profecto et prævidit et præcavit Eliseus dicens ad puerum quem mittebat: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.* Nam ut recte Theodor. q. 17. *Sciebat*, inquit, *eum esse honoris cupidum et causam dicturum: inanem autem gloriam fore impedimento ne faciat miraculum.* Aliam causam dat R. Eliezer cap. 33. *Ridebat*, inquit, *Giezi dicendo obviis: Credisne baculum istum vitam restituere?*

ET INCUBUIT SUPER PUERUM, POSUITQUE OS SUUM SUPER OS EIUS, etc.) Franciscus Valesius sacræ Philosoph. c. 35. si liceret dicere, inquit, puerum non fuisse omnino mortuum, sed syncopen passum, naturalis fuisset hæc Elisei curatio: nam syncope correpti, extinctione naturalis caloris periclitantur mori, solentque fotu et calefactione (maxime anhelitus humani: is enim calor congener est et vitalis) revocari. Rursum discurrebat Eliseus, ut suum calorem puero infundendum excitaret: is enim maxime exercitio excitatur: unde mox per eum sibi incumbentem excipiens, cœpit oscitare, calore iam incipiente flatum agitare, et discutere, et crescente vigore et spiritibus animalibus moveri, aperti sunt oculi, et deinde aliorum sensuum instrumenta, et puer ad officia vitæ revocatus est. Verum ex narratione S. Script. clare liquet puerum vere fuisse mortuum, non syncopen passum: incubuit ergo puero Eliseus easdem ob causas, ob quas Elias magister suus simili mortuo incubuerat, quas recensui 3. Reg. 17. 21. Vers. 34.

Allegorica et præcipua causa fuit, ut Eliseus, uti nomine, ita et facto repræsentaret Filii Dei incarnationem, in qua ipse carnem nostram induit, et quasi os ori, manus manibus, pedes pedibus accommodavit. Ita S. August. serm. 11. de verbis Apostoli: *Quid, inquit, significavit mortuus puer, nisi Adam?* (et peccatorem Adæ filium per peccata mortuum) *Posuit baculum supra mortuum, non surrexit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset iustitia. Non ergo potuit lex vivificare. Venit ipse grandis ad parvulum, Salvator ad salvandum, vivus ad mortuum. Venit ipse, et quid fecit? Iuvenilia membra contraxit, tamquam seipsum exinaniens, ut formam servi susciperet. Iuvenilia ergo mem-*

bra contraxit, parvum se parvo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Itaque in isto typo Christo prophetice expresso suscitatus est mortuus, tamquam iustificatus est impius. Rursum idem S. August. serm. 106. de Temp. *Venit,* inquit, *Eliseus et ascendit in cœnaculum, quia venturus erat Christus, et ascensurus crucis patibulum. Inclinavit se Eliseus, ut puerum resuscitaret: humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis iacentem erigeret. Misit Eliseus oculos super oculos, manus super manus. Videte fratres quantum se vir ille perfectæ ætatis contraxit, ut parvulo mortuo et iacenti congrueret. Quod enim Eliseus in puero præfiguravit, hoc in toto genere humano Christus implevit. Audi Apostolum dicentem: Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Quia parvuli eramus, parvulum se fecit. Quia mortui iacebamus prius se medicus inclinavit: quia et revera fratres nemo potest iacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quod autem puer oscitavit septies, septiformis gratia sancti Spiritus ostenditur, quæ humano generi ut resuscitetur in adventu Christi tribuitur.* Eadem ex S. August. habent Eucher. Angelom. Beda, Rupert. et alii. Audi quoque S. Ambr. tom. 2. in cap. 4. Ecclesiastæ Exhort. ad Clericos, qui hæc de Christo in cruce se nobis commensurante, calefaciente et vivificante explicat: *Christus nobis commortuus est, ut nos calefaceret, qui ait: Ignem veni mittere in terram. Mortuus eram, sed quia in baptismate commortuus Christo sum, accepi lumen vitæ a Christo. Et qui in Christo moritur, per Christum calefactus, vitæ et resurrectionis vaporem accipit. Frigidus erat puer, calefacit eum Eliseus spiritu suo, dedit ei vitæ calorem. Condormivit ei, ut eum calor quietis eius, qui in symbolo consepultus ei fuerat, excitaret. Frigidus itaque est, qui non moritur in Christo Calefieri non potest, cui ignis ardens non appropinquat. Invalescere non potest alteri, qui secum non habet Christum.* Audi denique S. Bern. serm. 16. in Cant. *Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide et intellectu. Ori meo iunxit suum, et mortuo signum pacis impressit: quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo, iustitiæ mortuos. Os ori applicuit, iterato inspirans in faciem meam spiraculum vitæ: sed sanctioris, quam primo. Nam primo quidem in animam viventem creavit me: secundo in spiritum vivificantem reformavit me. Manus suas meis superposuit, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ: aut certe manus suas misit ad fortia, ut doceret manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. Et oscitavit puer septies, quia septies in die laudem dicere consuevit.* Psalm. 118.

Elisæus typus Eucharistiæ. Symbol. B. Petrus Damiani lib. de contemptu sæculi c. 28. *Is,* inquit, *quem terroris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit, dumque se parvulo accommodavit et composuit, facile erexit et suscitavit.* Rursum Eliseus hic symbolum dedit Eucharistiæ, in qua Christus, ut ait S. Cyrill. totum se nobis commiscet, ac quasi oculos oculis, os ori, manus manibus, animam animæ nostræ applicat; id quod pulchra specie per visum repræsentatum fuit Ruperto Abbati Tuitiensi (Visio Ruperti): cum enim ipse a superiore iuberetur capessere sacerdotium, putaretque se tanto gradu indignum, per visum vidit Christum crucifixum se ad amplexum invitantem. Quare Rupert. Christum arctissime amplexus et osculatus, narrat Christum, quo profundius oscula admitteret, divinum os suum apertum, et hians præbuisse: simul etiam factum esse, ut inter eos amplexus, tum divino amore maiorem in modum inflammaretur, tum etiam sacerdotii, quod antea fugiebat, desiderium sibi inspirari senserit; quod, simul ac illuxit, cum suo Abbati indicasset, paulo post cum omnium gaudio executum est. Adiungit etiam aliud, quo post eum ordinem susceptum, non minus sit confirmatus. Nam iacenti in lectulo, hominis species apparuit de cælo labens, capite obvoluto, quasi agnosci nollet, eaque se ita in eum tota dimisit, ut caput capiti, pedes pedibus, reliqua membra cum omnibus membris intime commisceret: quin etiam ipsam animæ substantiam modo quodam, qui verbis exprimi non posset, ita pervaderet, atque imprimeret, et quidem citius et profundius, quam mollissima cera signo imprimatur. Addit vero, quod facile credi possit, secutam esse tantam tamque incredibilem iucunditatem ac suavitatem, ut nisi ea celeriter a Deo inhibita esset, is quasi torrens voluptatis sine dubitatione animam de corpore abstracturus fuerit. Hoc uti narravi, de seipso refert ipse Rupert. lib. 12. in Matth. pag. 162. et ex eo Hier. Platus lib. 1. de bono status relig. c. 37.

Tropol. qui vult proximos peccato mortuos ad vitam gratiæ revocare, eorum infirmitati se accommodet oportet, ac per excessum charitatis os ori, manus manibus, linguam linguæ quasi applicet. Idem faciat religiosus, ut tam aliis religiosis, quam sæcularibus, quoad licet, per omnia se accommodet, uti faciebat Apostolus dicens: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.* Est enim in religione summa omnium unio, concordia, familiaritas, opitulatio, uti ex S. Basil. Chrysost. et aliis docet Platus lib. 1. de bono status relig. c. 27. et 28.

Et incurvavit se super eum.) Contrahendo membra Vers. 34
sua magna, ut ea quasi adæquaret parvis membris pueri. Addunt Sept. *et inflavit super eum*, id est halitu suo afflando calefecit puerum. Unde sequitur:

Et calefacta est caro pueri.) Ut videlicet per calorem disponeretur ad animationem et vitam: sicut ergo mater disponit embryonem in utero, calefaciendo ad animam illi a Deo infundendam, sic fecit et Eliseus hic. Voluit enim Deus eum miraculum hoc operari eo modo, qui naturæ esset conformis. Simili modo Deus, Adamum efformans in hominem viventem, *inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ.* Genes. 2.

At ille reversus deambulabat in domo semel Vers. 35
huc atque illuc.) Ut ambulando excitaret tum maiorem calorem, quem puero deinde incumbendo aspiraret, tum maiorem fervorem orandi pro pueri resuscitatione. Alleg. Eliseus ambulans repræsentabat Christum ambulantem per Iudæam, et ubique semina Evangelii spargentem. Ita Eucher.

Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos.) Vatab. et alii: *Sternutavit.* Sept. *Confortatus est.* Cum enim puer capite laborasset, ut dictum est v. 19. videtur caput habuisse oppletum humoribus, qui spirituum vitalium meatus occupantes, eum suffocarunt. Quare iam per Eliseum calore, vita et vigore ei redditis, caput confortatum, sternutando expulit humores se gravantes: ita cerebrum purgavit, puerumque perfectæ sanitati reddidit.

Et collegit ex ea colocynthidas.) *Colocynthis* Vers. 39.
est cucurbita agrestis, qua medici utuntur, ut pituitam vehementer expurgent; estque amarissima, unde vocatur *fel terræ,* ait Vallesius S. Phil. c. 36. additque: non tantum amara est, sed et perniciosa; adeo ut si supra quatuor obolos etiam emendata sumatur, possit super purgationes et exulcerationes ventris, mortem afferre, atque adeo admota exterius enecet fœtus. Hinc disce studium paupertatis. Audi Theodor. *Quod autem vita Prophetarum,* inquit, *nullas habuerit possessiones, docet historia. Nam qui erat eorum primus* (Eliseus) *nunc quidem eos excepit convivio olerum agrestium: nunc autem panes hordeaceos viginti apposuit centum viris, eosque ab aliis allatos. Eis autem tantam benedictionem impertiit, ut et illos centum satiaret, et post satietatem superessent permulti.*

Mors in olla.) q. d. Pulmentum huius ollæ amaris- Vers. 40.
simum est, et pessimum, ut videatur esse venenum mortiferum. Tropol. *mors est in olla* deliciarum mundi, quæ gulam et venerem provocant, ideoque varios morbos ac mortem præsentem et æternam accersunt; amaræ sunt ergo, ut colocynthides. Aliter S. Bern. uti mox dicam.

Afferte, inquit, farinam.) Farina enim, quia gluti- Vers. 41.
nosa et leniens instar amyli, ait Vallesius, colocynthidarum mordacitatem et acrimoniam temperat. Unde prudenter adhibita hic fuit ab Eliseo, licet potissima causa correctionis pulmenti fuerit virtus divina et miraculosa.

*

Simili modo in lepra Naaman curanda, aliquid iuvit aqua Iordanis cap. 5. et in ulcere Ezechiæ sanando, aliquid iuverunt Isaiæ ficus, c. 20. v. 7. quia extergunt et discutiunt tumores, si fiat cataplasma ex eis et farina hordeacea vel triticea. Ita Vallesius et Serar. licet contrarium sentiant Angelom. et alii, scilicet hæc non iuvisse, sed potius obfuisse, ut ostenderetur curationem hanc fieri non vi naturali, sed supernaturali et divina.

Infunde turbæ.) Notat Theodor. q. 19. filios prophetarum nil proprii possedisse, sed vixisse in communi, ut iam faciunt religiosi.

Tropol. S. Bernard. serm. 65. inter parvos: « Prælatus ex debito officii sui apponit subiectis ollam grandem, herbas agrestes continentem, id est admonitionem de gravibus disserentem, acerbitate refertam, sed tamen igne sancti Spiritus succensam. Subditi ergo perhorrescentes sermonum austeritatem, clamant: Mors in olla, et non possunt gustare. Sapiens igitur dispensator non affert, imo afferri iubet farinam; quoniam non præbet, sed hortatur habere caritatem, cuius condimento redduntur dulcia, quæ prius videbantur amara. Potest namque prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus valet saporem caritatis palato cordis infundere. »

Ut apponam coram viris centum.) Eliseus hic miraculose multiplicans panes repræsentat Christum, qui bis paucis panibus pavit plura hominum millia. Mystice singula hæc adaptantem prædicatoribus, vide Angelomum. Vers. 43.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus liberat Naaman a lepra, eamque immittit avaro et Simoniaco Giezi.

1. Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, et honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir fortis et dives, sed leprosus. 2. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de Terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman, 3. Quæ ait ad dominam suam: Utinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria: profecto curasset eum a lepra, quam habet. 4. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, et nuntiavit ei, dicens: Sic et sic locuta est puella de terra Israel. 5. Dixitque ei rex Syriæ: Vade, et mittam litteras ad regem Israel. Qui cum profectus esset, et tulisset secum decem talenta argenti, et sex millia aureos, et decem mutatoria vestimentorum, 6. Detulit litteras ad regem Israel, in hæc verba: Cum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum a lepra sua. 7. Cumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua, et ait: Numquid Deus ego sum, ut occidere possim, et vivificare, quia iste misit ad me, ut curem hominem a lepra sua? animadvertite, et videte quod occasiones quærat adversum me. 8. Quod cum audisset Eliseus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, et sciat esse prophetam in Israel. 9. Venit ergo Naaman cum equis et curribus, et stetit ad ostium domus Elisei. 10. Misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens: Vade, et lavare septies in Iordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. 11. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me. 12. Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar, fluvii Damasci, omnibus aquis Israel, ut laver in eis, et munder? Cum ergo vertisset se, et abiret indignans, 13. Accesserunt ad eum servi sui, et locuti sunt ei: Pater, et si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare, et mundaberis? 14. Descendit, et lavit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, et restituta est caro eius, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. 15. Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit, et stetit coram eo, et ait: Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque ut accipias benedictionem a servo tuo. 16. At ille respondit: Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit. 17. Dixitque Naaman: Ut vis, sed, obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino. 18. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. 19. Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore. 20. Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Dominus, quia curram post eum, et accipiam ab eo aliquid. 21. Et secutus est Giezi post tergum Naaman: quem cum vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum eius, et ait: Rectene sunt omnia? 22. Et ille ait: Recte; dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum: da eis talentum argenti, et vestes mutatorias duplices. 23. Dixitque Naaman: Melius est ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis, et duplicia vestimenta, et imposuit duobus pueris suis, qui et portaverunt coram eo. 24. Cumque venisset iam vesperi, tulit de manu eorum, et reposuit in domo, dimisitque viros, et abierunt; 25. Ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Eliseus: Unde venis Giezi? Qui respondit: Non ivit servus tuus quoquam. 26. At ille ait: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas. 27. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo, usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

Vers. 2. De Syria egressi fuerant latrunculi.) Id est milites ad prædandum hostilem terram Israel: sic milites olim vocabantur *latrones*, ob causas quas superius dedi: nunc sæpe non tantum vocantur, sed reipsa sunt latrones.

Captivam duxerant puellam parvulam.) Per quam Deus Naaman principem Syriæ sanavit tum corpore, tum mente, ut fieret fidelis et Dei cultor. Sic sub Constantino Imper. femina Christiana captiva assiduis suis precibus, ieiuniis et pietatis exercitiis Iberos ad Christi fidem traduxit, teste Niceph. lib. 8. cap. 34.

Vers. 5. Et decem mutatoria vestimentorum.) Ut ea offerret Eliseo, qui iis uteretur, cum vestem quotidianam mutare vellet. Vestes elegantiores et pretiosiores intelligit, quibus utimur in publico et diebus solemnibus, ait Vatab.

Vers. 6. Ut cures eum a lepra.) Ut cures eum a lepra liberari per prophetam, quem audio apud te esse thaumaturgum. Nec enim rex noverat Eliseum, ideoque non ad eum, sed ad regem Israel sibi notum scribit, ut per Eliseum curet Naaman sanari.

Vers. 7. Numquid ego sum Deus?) Rex Israel crude accipit verba regis Syriæ: nec enim sciebat quid puella regi Syriæ de Eliseo dixisset, quodque rex non per se, sed per Eliseum peteret curari Naaman a lepra. Unde suspicatus est regem sibi insidiari, bellumque meditari, et hanc belli occasionem prætexere.

Vers. 10. Misitque ad eum Eliseus nuntium.) Cur ipse Eliseus non ivit ad Naaman, ut eum quasi principem honorifice exciperet? Respondent primo Theodor. et Procop. quod legis adeo studiosus esset Eliseus, ut ne immundi quidem hominis aspectum, multo minus contactum ferre vellet: ut scilicet intelligeremus, quam eorum mores et consuetudinem defugere oporteat, quos graviorum scelerum infidelitatis et hæreseos lepra inquinat

Secundo, et verius, ut ostenderet se ab aula et aulicis abstractum, Deo soli quasi religiosum vacare, ideoque parvi facere principum præsentiam, famulos, equos, et pompam, quæ mundus admiratur. Non ergo id fecit ex superbia, utpote qui, *non solum se conspici, sed teneri etiam a muliere permisit*, c. 4. ait S. Greg. 7. Mor. c. 15. qui et sub initium capitis celsitudinem animi in Eliseo similibusque sanctis deprædicans ait: *Cuncta quippe quæ foris eminent, occultis eorum obtutibus per despectum iacent. Nam super se interius rapti, in alto animum figunt: et quæque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia atque a se aliena conspiciunt; atque ut ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsa quæ tolerant, ignorant. In horum profecto oculis quidquid temporaliter eminet, altum non est. Nam velut in magni vertice montis siti, præsentis vitæ gaudia plene despiciunt: seque ipsos per spiritalem celsitudinem transcendentes, subiecta sibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Unde et nullis contra veritatem potestatibus parcunt: sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt.*

Sic S. Antonius salutatus a Constantino Magno per litteras, vix voluit respondere; respondit tamen coactus pene a discipulis, eique monita salutis dedit, teste S. Athan.

Tertio, voluit Eliseus miraculi et sanitatis futuræ magnitudinem augere, dum per famulum internuntium illud peragit, ait Abulensis; idque non contactu, sed solo verbo, ait Auctor mirab. S. Scrip. lib. 2. c. 28.

Vers. 11. Putabam, quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me.) Loquitur Naaman ex sensu principum gentilium superborum, qui ex suo iudicio præfigunt sibi modum patrandi miraculi; sed Deus volens eos humiliare, alium eius modum præscribit, ut discant Deo se suumque iudicium submittere, ac a Deo legem accipere, non dare, illique simpliciter per omnia obedire.

Vers. 12. Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci?) Audi Beniamin in itinerario: « Urbs ipsa Damascus maxima, atque pulcherrima est, muris cincta: regio vero tota hortis et paradisis instructissima, ex singulis lateribus quindena continens milliaria. Nusquam alias in tota terra fructifera urbs huic similis visitur, quam duo flumina ex Hermone monte delapsa beant. Amma et Pharphar, sita est enim urbs sub Hermone monte, Amma urbem ipsam influit, cuius aquæ per tubos in omnes magnatum domos, atque etiam in fora et plateas deducuntur; estque regio ipsa negotiis omnium terrarum frequens. Parphar vero urbem ipsam præterfluens, hortos et paradisos omnes irrigat. »

Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis quia (quod) nunc dixit tibi: Lavare et mundaberis.) Benignus in famulos instar patris erat Naaman, adeo ut ab eis *pater* vocaretur, et ut pater amaretur, qui proinde benevole consilium salutare illi suggesserunt, quod ipse placide audivit et acceptavit. Sic et Eliseus Eliam magistrum suum vocabat patrem dicens: *Pater mi, currus Israel et auriga eius.* Sic etiamnum Hollandi natura sua benigni suos heros et dominos vocant: *Vaer*, id est pater. Vers. 13.

Descendit et lavit septies in Iordane.) Cur septies? Ut septenarius numerus, qui universitatis numerus censetur, demonstraret omnia scelera capitalia, quæ septem numerantur; et in omne tempus, quod septem hebdomadæ diebus circumfertur, penitus ex animis eradicanda. Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 9. nationum, ait: *Quæ septem maculis capitalium delictorum inhorrerent. Quapropter septies, quasi per singulos titulos, in Iordane lavit; simul et ut totius hebdomadis caneret expiationem; quia unius lavacri vis et plenitudo Christo soli dicabatur, facturo in terris sicut sermonem compendiatum, ita et lavacrum.* Vers. 14.

Secundo septies, ut significetur perfecta corporis et animi ablutio et sanitas: illa enim constat elementis quatuor, eorumque iusta temperie producitur: hæc vero invocato SS. Trinitatis nomine in baptismo peragitur. Ita Theodor. et Procop.

Tertio, septena lotio septem Ecclesiæ Christi Sacramenta adumbrat, quibus omnis peccati lepra abstergitur. Hæc ergo sunt quasi septem baptismata et ablutiones animæ.

Et mundatus est.) Ecce hic est fructus simplicis obedientiæ. Sic Constantinus Magnus a lepra purgatus est aqua baptismi collati a S. Sylvestro, non vi aquæ, nec etiam vi baptismi præcise (Baptismi enim effectus est abluere peccata animæ, non lepram corporis) sed quia aqua hæc *divinæ voluntatis et propheticæ iussionis instrumentum fuit*, ut ait S. Ambr.

Alleg. lotio Naaman in Iordane, significat primo baptismum, qui lavat lepram animæ. Hic enim in Iordane, dum Christus in eo baptizatus est, ad hoc quasi consecratus fuit. Secundo, pœnitentiæ; Iordanis enim Hebr. idem est quod, *fluvius iudicii*, quod in sacramento pœnitentiæ peragitur. Ita Angelom. Prosper et alii. Audi S. Ambr. lib. 4. in cap. 4. Lucæ: *Disce spiritalia sacramenta signari. Corporis remedium petitur, mentis acquiritur. Abluitur caro, affectus diluitur. Non enim magis corporis, quam mentis lepram video fuisse mundatam; quando post baptismum veteris erroris colluvione detersa, negat se Diis alienis hostias, quas spoponderat Domino, litaturum.*

Obsecro itaque ut accipias benedictionem a servo tuo.) Scilicet munera quæ tibi attuli v. 5. Hæc enim ab Hebræis vocantur, *benedictio*, quia signa sunt amoris et benevolentiæ. Adde hæc *benedictio*, est realis, idemque quod *benefactio*. Sic benedicere Dei est efficax, idemque quod benefacere. Vers. 15.

Vivit Dominus ante quem sto, quia non accipiam.) q. d. Esto sim cum meis discipulis in summa egestate et paupertate, tamen iuro me tua munera non accepturum, ut ostendam hoc miraculum non esse meum, sed Dei: utque illud me pure ex amore Dei, non ob munera patrasse demonstrem; utque tu dicas servos Dei, non munera hominum sed Dei ambire. Vers. 16. Sancti refutant munera, Cur?

Idem fecit S. Hilarion. Audi quid de Oriono a legione dæmonum per eum liberato in eius vita scribat S. Hier. *Curatus, ait, cum uxore et liberis, venit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui sanctus: Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon passi sint: quorum alter accepit pretium, alter obtulit: ut ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur? Cumque Orionus flens diceret: Accipe, et da pauperibus, respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes: ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam?*

Perfecta ergo sanctitas munera quælibet et quantalibet refutat, uti fecit Abraham Genes. 14. 22. de quo S. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 3. *Quantum,* inquit, *est illud, quod de præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi mercedis susceptio, et beneficii arrodit gratiam. Plurimum enim refert, utrum pecuniæ, an gloriæ dimicaveris.*

Hinc a Deo audire meruit: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* Genes. 15. vers. 1. Ubi S. Ambros. citatus: *Quoniam,* inquit, *sibi mercedem ab homine non quæsivit, a Deo accepit.* Hinc Eliseus hic fuit typus Christi iubentis Apostolis: *Gratis accepistis, gratis date,* ait S. Aug. serm. 208. de Temp.

Vers. 17. Obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus burdonum duorum de terra.) Israel. *Burdonum,* id est *mulorum,* ut vertit Chald. Sept. Vatab. Pagn. et alii. Hebr. enim פרד *Pered* est *mulus,* ac forte a *Pered* dictus est burdo, litteram p in vicinam labialem b commutando. Fit in D. lib. 32. t. 49. mentio *burdonum,* ubi male Accursius baculos intelligit, qui Gallice *bourdons* vocantur. Unde Cuiacius lib. 11. Observat, cap. 16. *burdones* asserit esse mulos, qui manni et burici vocantur, geniti ex asino et equa, vel equo et asina; ideoque Hebr. dicuntur *peradim,* id est divisi, separati, quod divisæ et diversæ a suis genitoribus sint speciei: פרד *parad,* enim est dividere, separare. Sensus est q. d. Concede ut possim tollere de terra tua tantum quantum possunt ferre duo *burdones,* id est muli, ut ex ea quasi sancta erigam in patria mea altare Deo Israel, quem solum verum esse Deum ex hoc miraculo sanationis meæ agnosco, veneror et amo. Unde verisimile est Naaman circum altare erexisse templum vel sacellum, in eoque cum tota familia sua Deum coluisse, ac multos alios ad illum ibi colendum induxisse. Potuisset Naaman ex terra Syriæ altare erigere, Israeliticam tamen optavit, quod eam, uti monet Theodor. quæst. 19. Abul. q. 22. sanctam crederet, quam præ cæteris Deus elegisset, in qua populum templumque suum collocasset, quæ tot sanctissimorum virorum domiciliis et virtutibus celebraretur.

Nota hunc locum pro cultu reliquiarum Sanctorum; nam votum Naaman probavit Elisæus propheta Dei.

Non enim faciet servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis nisi (sed tantum) Domino.) Hebr. *Iehova,* qui verus et unicus est Mosis et Israelis Deus. Huc ecce Naamanum perduxit Elisei sanctitas et munerum despicientia. Unde sanctiorem, ait Mendoza in lib. 1. Reg. cap. 12. v. 4. iudicavit terram illam, in qua munerum cupiditas sepelitur, quam illam aquam in qua corporum lepra expiatur. Ob eam rationem sananti lepram Eliseo obtulit aurum, tamquam Medico: repudianti aurum obtulit preces, tamquam Deo: neque propria auctoritate, sed illius obtenta prius facultate, terræ portionem ausus est exportare.

Vers. 18. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus (rex Syriæ) templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.)

Vers. 19. Qui dixit ei: Vade in pace.) Gregor. de Valentia tract. de fide et fidei professione disp. 1. q. 3. puncto 2. ad 3. censet hanc petitionem Naaman continere rem illicitam, scilicet professionem idololatriæ: Naaman enim cooperatum fuisse idololatriæ regis in adoratione idoli Remmon, ideoque Eliseum non annuere nec directe respondere, sed permittere, id est negative se habere, quia videbat eum hoc tempore incapacem correctionis, ad deponendam hanc idololatriæ simulationem, ideoque illam in aliud tempus distulisse, ac pro hac vice suffecisse ei, quod Naamanum ad veri Dei cognitionem perduxisset. Verum si Naaman cooperabatur idololatriæ, debuisset Eliseus eum hac de re docere nec dissimulare. Nam ex eo quod ait: *Vade in pace,* omnino colligebat Naaman Eliseum suæ petitioni annuere, et concedere ut rege adorante, adoraret et ipse in templo Remmon; quare Eliseus fovisset et confirmasset Naaman in sua idololatria, quod absit.

Peius Priscillianistæ, quos sequitur Machiavellus, dicebant, licitum esse simulare exterius hæresim vel idololatriam, dummodo in animo veram fidem retineas; unde aiebant: *Iura, periura, secretum prodere noli.* Mitius, perperam tamen Adrianus in 4. q. 1. de Baptismo resp. ad 5. asserit, licitum esse extrinsecus simulare idololatriam, si absit scandalum, nec instet præceptum confitendi fidem.

Nota ergo adorationem hanc Naaman, non fuisse proprie dictam: sic enim fuisset impia et idololatrica; sed impropriam, scilicet incurvationem corporis, vel genuflexionem obsequii causa, ut scilicet regem ex officio sibi commisso fulciret et sustentaret in templo, uti et alibi facere consueverat; quod facere non poterat, nisi rege genuflectente, ipse pariter genuflecteret. Est Catachresis. Id patet ex Hebr. שחה *sciacha,* quod proprie significat, curvare vel incurvare se, uti vertit hic Arias. Alia ergo fuit adoratio regis, alia Naaman; rex enim proprie adorabat idolum suum Remmon: Naaman vero adorabat improprie, id est curvabat se, ut regi suo se curvanti accommodaret, eumque sustentaret et honoraret. Erat ergo hæc eius adoratio non religiosa, sed politica et civilis; sicut *Abraham adoravit,* id est reverentiam exhibuit, *filios Heth,* Genes. 23. 7. et Iacob *adoravit,* id est veneratus est filium suum Ioseph principem Ægypti, Hebr. 11. 21. Adoratio Naaman fuit curvatio politica.

Solebat enim rex Syriæ cum incederet, aut se quacumque de causa prosterneret, inniti aut manibus, aut humeris Naaman: quare necesse erat, ut sese Naaman ad regis motum, atque habitum accommodaret. Ex quo fiebat, ut cum stante staret, cum incedente incederet, et procedente ipse quoque procederet. Hoc enim si omisisset, incivilis et rusticus, imo infidelis habitus fuisset.

Dices, Naaman cooperabatur regi adoranti Remmon: ergo cooperabatur eius idololatriæ. Resp. negando consequentiam. Cooperabatur enim Regi ad actionem naturalem, scilicet ad curvationem corporis dumtaxat, non autem ad moralem, vel ad intentionem regis, quæ erat curvando se adorare Remmon. Sic nobiles, ait Caiet. comitantes suum regem euntem ad concubinam, non peccant, quia non comitantur eum, ut vadat ad fornicandum et peccandum, sed absolute ut vadat quocumque libuerit, comitantur enim eum dumtaxat honoris et obsequii causa, ceu famuli dominum suum.

Sensus ergo Naaman fuit, q. d. Peto o Elisee facultatem, ut curvante se rege in templo Remmon, ad eum adorandum, liceat et mihi regem sustentanti curvare me, non ad adorandum Remmon, sed ut hoc obsequium et servitium regi meo præstem ad quod ex officio meo teneor, tam in templo quam alibi, ne gradu et dignitate apud regem excidam. Rex enim innititur super me; quare quocumque ipse se flectit, et vertit, ego pariter me vertere et flectere debeo. Erat ergo actus hic curvandi adiaphorus et indifferens, eratque cultus non sacer, sed civilis et politicus. Nam sustentare regem sive stantem, sive ambulantem, sive genuflectentem per se est actus observantiæ; per accidens vero, est quod contingat eum sustentari dum ille coram idolo incurvatur. Id enim non est idolo, sed regi reverentiam exhibere.

Dices secundo, Naaman dabat scandalum aulicis; pu-

tabant enim ipsi eum adorare cum Rege idolum Remmon. Resp. nullum fuit scandalum, tum quia sciebant Naaman ex officio teneri ad sustinendum regem in hac corporis curvatione, nec aliud prætendere; tum quia Naaman publice abdicarat idola, et profitebatur cultum veri Dei Israelis, eique altare et sacellum erexerat, in quo totam suam familiam Deum verum secum adorare compellebat. Ita Abul. Lyran. Burgen. Caiet. Serar. Sanchez, Salianus hic, et Suarez de fide, tract. 1. disp. 14. sect. 4. n. 8.

Quin et Tertul. lib. de Idololatria cap. 15. in fine: *Sed quoniam*, inquit, *ita malis circumdedit sæculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo officiosos habent. Plane ad sacerdotium et sacrificium vocatus non ibo (proprium enim idoli officium est) sed neque consilio, neque sumptu aliave opera in huiusmodi fungar. Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriæ: si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii.*

Porro hac in re circumspecte agendum est; una enim circumstantia subinde speciem facti mutat, et quod erat licitum, facit illicitum; ut si rex velit suos famulos cogere ad idololatriam, ideoque eos compellat secum ire ad templum, ut secum idolum adorent, ut fecit Iulianus apostata. Unde Valentinianus dux militiæ postea imperator, Iulianum quidem euntem ad idolorum fanum, honoris causa comitatus est, sed cum ibidem sacrificus idololatra roscidis quibusdam frondibus eum aspersisset, ipse illi alapam impegit conviciisque eum proscidit, ac partem vestis in quam asperginis illius gutta ceciderat, abscidit. Quocirca ipse ob Christianam fidem a Iuliano militia exutus, et in exilium actus hac sua in fide constantia meruit Iuliano post Iovianum in imperio succedere. *Qui ergo omnia pietati posthabuit, omnia consecutus est munere pietatis,* ait Baron. anno Christi 364.

Sic S. Serg. et Bacchus primicerii Maximiani Imp. comitati sunt eum sacrificaturum Iovi usque ad ianuas templi, sed illud ingredi noluerunt. Causam rogati dixerunt, se religione prohiberi: se enim Christianos esse, nec Iovem sed Deum verum colere. Qua de causa excruciati gloriosum obiere martyrii agonem die 7. octobris: quia nimirum tunc asseclæ Imperatoris solebant iniicere thus thuribulo in honorem idoli, et idolo acclamare, aliisque signis et modis cooperari idololatriæ Imperatoris. Adde tunc flagrante Imperatorum in Christianos persecutione, signum idolorum cultus erat astare sacrificiis. Denique sub decem primis Imper. fideles persequentibus, Christiani ferventes erant, et quamlibet idololatriæ speciem et umbram horrebant et cavebant.

Porro Naaman hic factus est veri Dei cultor, non tamen Iudæus vel proselytus, quia non fuit circumcisus: quare legem Mosis servare non tenebatur, uti ad eam æque ac ad circumcisionem obligabantur omnes Iudæi, tanquam Abrahæ, Isaac et Iacob posteri: mansit ergo Naaman gentilis, et Deum verum colebat, uti colebant patres omnes ante diluvium in statu legis naturæ. Vide S. August. serm. 207. de Temp. qui est de Naaman Syro.

Remmon est Venus.

REMMON.) Nonnulli censent *Remmon* esse Iovem summum Deorum, itaque dici quasi רם *ram*, id est *excelsum*, utpote altitonantem. Melius Serarius, Sanchez et alii censent esse Venerem, tum quia Venus erat Dea Syriæ, tum quia Syri Venerem faciebant tam Deum quam Deam, teste Macrobio; tum quia *Remmon*, Hebr. significat *malum punicum*. Veneri autem poma præsertim aurea et punica, ob pulchritudinem et seminum fœcunditatem sacra fuisse testantur Theocritus, Virg. Lucian. et Ovid. lib. 10. Metamor. Vide Pererium Hieroglyph. lib. 54. Sic Romani colebant Pomonam quasi Deam pomorum, teste S. August. lib. 3. civit. 24.

ABIIT ERGO AB EO ELECTO TEMPORE.) Chald. et Pagnin. *Abiit ab eo milliare terræ;* Sept. *In spatio terræ;* Isidorus: *Quasi per stadium terræ;* Vatab. *Iugerum agri;* Caiet. ex R. David: *Prandio terræ,* id est tanto spatio Naaman abierat ab Eliseo, cum ad eum venit Giezi petens munera, quantum durante prandio confici potest, scilicet mil-

A liare. Et huic expositioni vulgatam versionem accommodat Sanchez, ut *electum tempus* vocetur milliare: milliare enim est communis et electa hominum mensura, quam scilicet omnes communi consensu elegerunt ad demetiendum locorum spatia et distantias.

Verum Noster, Genes. 35.16. vertit: *verno tempore;* alibi vertit: *tempus viridationis.* Ergo *tempus electum*, est tempus vernum quo omnia virent. Ita Rupert. addit hoc Script. ut significet Eliseum prudenter Naamano præscripsisse lotionem in Iordane, ex eo quod erat tempus vernum: tunc enim tepente aura lotiones corpori salutares sunt, cum in hyeme ob frigus sint noxiæ. Rursum ut significet lætiorem hanc a lepra curationem accidisse Naamano, ex tempore, utpote quæ acciderit in vere, cum omnia florent et lætitiam homini aspirant; lætissimum ergo ipsum rediisse domum. Vide dicta Genes. 35. 16.

VIVIT DOMINUS, QUIA CURRAM POST EUM, ET ACCIPIAM Vers. 20.
B AB EO ALIQUID.) q. d. Iuro per Deum quod petam a Naaman aliquod antidoton, sive munus pro sanitate ei data a meo magistro Eliseo. Hinc patet Giezi proprie non fuisse Simoniacum, quia miraculosam sanitatem Naamano non vendidit pretio, nec de eo cum ipso pactus est; sed post gratis ei datam ab Eliseo sanitatem, munus aliquod ab eo petiit: Simoniacus vero primus fuit Simon magus, qui a S. Petro emere voluit pretio Spiritum sanctum, Act. 8. unde ab eo hoc peccatum nomen *Simoniæ* accepit. Peccavit tamen graviter Giezi: primo, quod inscio et invito Eliseo hoc munus a Naaman petierit et acceperit. Secundo, quod mentitus sit Eliseum id petere. Tertio, quod Eliseo hanc notam cupiditatis inusserit, quæ multum eius sanctitati et honori derogabat. Ipse enim respuens munera Naaman ab eo habitus fuit ut vir divinus, et propheta cælestis: iam vero petens munera videri ei potuit homo egens et cupidus, ac similis pseudoprophetis, qui pro suis vaticiniis accipiebant munera. Quare poterat Naaman deficere a fide quam conceperat de Deo vero, ex sanctitate et integritate Elisei. Unde valde verisimile est Eliseum effe-
C cisse, ut Naaman resciret, Giezi se inscio munera hæc ab eo petiisse, ideoque a se lepra punitum, ut hac ratione integritas sua in munerum contemptu Naamano constaret; itaque ille in opinione, quam de eo conceperat ac vera in Deum fide confirmaretur. Quarto, Giezi peccavit furto, quia Naaman munera hæc mittebat Eliseo, pro quo ea Giezi petebat: Giezi autem illa in suos usus convertere destinabat. Unde ea abscondit v. 24. ne quid Eliseus de iis sciret. Quocirca mox Eliseus illi exprobrat v. 26. *Accepisti argentum*, inquit, *ut emas oliveta et vineas.* Quinto, peccavit Simonia mentali, animum enim habuit Simoniacum: petiit enim munera a Naaman intuitu sanitatis miraculose illi ab Eliseo collatæ, quasi hæc merces et hoc pretium Eliseo pro sanitate deberetur. Unde S. Ambros. lib. de dignit. Sacerd. c. 4. ait Simoniacos esse sectatores Giezi et Simonis magi, ideoque lepram simoniæ adhærere eorum non corporibus, sed mentibus.

Peccavit Giezi. 1. 2. 3. 4. 5.

NONNE COR MEUM IN PRÆSENTI (præsens) ERAT, QUAN- Vers. 26.
D DO REVERSUS EST HOMO (Naaman) DE CURRU SUO IN OCCURSUM TIBI.) *Cor*, id est mens et oculi mentis meæ a Deo supernaturaliter elevati et adiuti fuere, ut absentem et remotam tuam munerum a Naaman acceptionem, quasi præsentem cognoscerent, et cernerent. q. d. Putabas me absentem cum munera petiisti: at ego spiritu tibi præsens eram; mentis enim intuitu vidi omnia quæ fecisti. Multo ergo magis, ait S. August. lib. 22. civit. 29. sancti in cælis absentia et remota quæ in terra fiunt, cernere possunt.

Simili modo S. Benedictus vidit absentia multa, uti narrat S. Gregor. 2. dial. c. 13. 18. 19. unde addit S. Gregor. eum habuisse spiritum Elisei.

ACCEPISTI ARGENTUM etc. UT EMAS OLIVETA ET VINEAS, ET OVES, ET BOVES, ET SERVOS ET ANCILLAS.) Talentum argenti continebat sex millia siclorum argenti, hoc est sex millia florenorum Brabanticorum sive Francorum ut vocant Galli: quare duo talenta quæ accepit Giezi valebant duodecim millibus Francorum, quæ fa-

ciunt quatuor millia coronatorum Francicorum: quorum quisque continet duodecim Iulios sive Regales; hac summa autem illo ævo, cum omnia essent vili pretio, ac rarum foret argentum, poterant emi hæc omnia. Alii disiunctive explicant q. d. Ut emas vel oliveta vel vineas vel oves et boves. Hinc videtur quod Eliseus munera hæc sibi a Naaman per Giezi missa, ipsi Giezi concesserit et dederit, ne ipse iniuste ea possidens continue peccaret.

Vers. 27. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo usque in sempiternum.) Non absolute ut patet, sed q. d. Ad longissimum et immemorabile tempus, v. g. per trecentos annos, sive in tertiam et quartam generationem, Exodi 34. 7. ita Serar. Abul. Sanchez et alii.

Argentum ergo quod inique accepit Giezi, fuit veneno infectum et pestiferum, instar vestium nummorumque quibus in domo peste infecta pestis adhærescit, ut ea accipientem invadat et inficiat. Sic enim lepra Naaman quasi adhæsisset argento, infecit Giezi illud recipientem, eumque leprosum effecit.

Quare deinceps Giezi cum Eliseo versatus non est, sed ut leprosus hominum consortium ex lege Levit. 13. et 14. vitare debuit: nec enim eum Eliseus legis studiosissimus ad se admisisset. Ita Abul. q 10. quod ergo Giezi cap. 8. cum rege Ioram collocutus dicitur, eique miracula Elisei narrasse, id videtur contigisse antequam percussus esset lepra; unde Abul. Serar. Salian. et alii censent hic esse Hysterologiam, ac Giezi lepram, et consequenter Naamani ad Eliseum adventum et sanationem, posterius contigisset, scilicet anno ultimo regni Ioram, cum paulo post ipse occisus est a Iehu: si quis tamen ordinem S. Script. retinere velit, dicat oportet, Giezi pœnitentiam egisse, sicque Deum et Eliseum placasse, lepramque a se, si non a posteris omnibus repulisse, ait Serar. itaque iam mundatum collocutum esse cum rege Ioram.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus ferrum securis in aqua mersum ad lignum, quasi ad suum manubrium enatare facit: inde v. 8. consilia secreta regis Syriæ revelat regi Israel. Mox v. 14. Milites Syros ad se capiendum missos excæcat, ducitque ad regem Israel, eosque vetat percuti, imo cibo refici iubet. Denique v. 24. rex Syriæ obsidet Samariam, eamque ad extremam famem redigit. Quare rex Israel Eliseum ad necem deposcit, sed ille legatis regis ostium occludi præcipit.

1. Dixerunt autem filii prophetarum ad Eliseum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis. 2. Eamus usque ad Iordanem, et tollant singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite. 3. Et ait unus ex illis: Veni ergo, et tu cum servis tuis. Respondit: Ego veniam. 4. Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Iordanem, cædebant ligna. 5. Accidit autem, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamavitque ille, et ait: Heu, heu, heu, domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. 6. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit illuc: natavitque ferrum. 7. Et ait: Tolle. Qui extendit manum, et tulit illud. 8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum servis suis, dicens: In loco illo et illo ponamus insidias 9. Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens: Cave ne transeas in locum illum: quia ibi Syri in insidiis sunt. 10. Misit itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, et præoccupavit eum, et observavit se ibi non semel neque bis. 11. Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re: et convocatis servis suis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel? 12. Dixitque unus servorum eius: Nequaquam domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. 13. Dixitque eis: Ite, et videte ubi sit: ut mittam, et capiam eum. Annuntiaveruntque ei dicentes: Ecce in Dothan. 14. Misit ergo illuc equos et currus, et robur exercitus: qui cum venissent nocte, circumdederunt civitatem. 15. Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus, vidit exercitum in circuitu civitatis, et equos, et currus: nuntiavitque ei, dicens: Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus? 16. At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. 17. Cumque orasset Eliseus, ait: Domine, aperi oculos huius, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit: et ecce mons plenus equorum, et curruum igneorum, in circuitu Elisei. 18. Hostes vero descenderunt ad eum: porro Eliseus oravit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Elisei. 19. Dixit autem ad eos Eliseus: Non est hæc via, neque ista est civitas: sequimini me, et ostendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam: 20. Cumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus: Domine, aperi oculos istorum, ut videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, et viderunt se esse in medio Samariæ. 21. Dixitque rex Israel ad Eliseum, cum vidisset eos. Numquid percutiam eos, pater mi? 22. At ille ait: Non percuties: neque enim cepisti eos gladio et arcu tuo, ut percutias: sed pone panem et aquam coram eis, ut comedant et bibant, et vadant ad dominum suum. 23. Appositaque est eis ciborum magna præparatio, et comederunt et biberunt, et dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel. 24. Factum est autem post hæc, congregavit Benadad rex Syriæ, universum exercitum suum, et ascendit, et obsidebat Samariam. 25. Factaque est fames magna in Samaria: et tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. 26. Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ed eum, dicens: Salva me, domine mi rex. 27. Qui ait: Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit: 28. Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras. 29. Coximus ergo filium meum, et comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. 30. Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, et transibat per murum. Viditque o-

mnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. 31. Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie. 32. Eliseus autem sedebat in domo sua, et senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: et antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes: Numquid scitis quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite ostium, et non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini eius post eum est. 33. Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum a Domino est: quid amplius expectabo a Domino?

Vers. 1. DIXERUNT AUTEM FILII PROPHETARUM AD ELISEUM: ECCE LOCUS IN QUO HABITAMUS CORAM TE (nos regente, docente et dirigente, quasi nostro duce et magistro) ANGUSTUS EST NOBIS.) Quia in dies crescebat discipulorum ad eos et ad Eliseum confluentium, ac religiosam vitam ambientium numerus, ob eorum vitæ sanctitatem, et famam virtutis.

Vers. 2. EAMUS USQUE AD IORDANEM, ET TOLLANT SINGULI DE SILVA MATERIAS SINGULAS, UT ÆDIFICEMUS.) Tuguria in quibus tanta multitudo religiosorum habitet. Vide hic priscorum religiosorum paupertatem, laborem, et unanimitatem. Audi Theodor. *Chorus prophetarum extremam amplectebatur* (ultra et voluntarie) *paupertatem; non enim habebant domos, sed utebantur tuguriis. Quamobrem a magno illo propheta supplices petierunt, ut abiret cum ipsis ligna secantibus ad ea construenda. Tanta autem utebantur paupertate, ut ne securim quidem sustinerent possidere.* Et S. Hier. Epist. 4. ad Rustic. *Filii prophetarum*, ait, *quos monachos in veteri testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, et turbis urbium derelictis, polenta et herbis agrestibus victitabant.* Idem prorsus fecere monachi et eremitæ post Christum, tempore S. Antonii, S. Basilii, S. Hieronymi: unde iuxta Iordanem ædificabant sibi casulas et tuguria, ut patet ex vitis Patr. Hinc et ipse S. Hieron. per S. Paulam quinque ædificavit monasteria, ad quæ Romanam nobilitatem evocavit, atque uni eorum ipse præerat. Quocirca Franc. Suarez tomo 3. de religione, lib. 3. c. 1. n. 6. et seq. ex S. Ignatio, Hier. Ambr. et Damasceno, docet hos filios, id est discipulos prophetarum fuisse typum et præludium Religiosorum novi testamenti, ac instar eorum coluisse castitatem, paupertatem et obedientiam, sed sine voto.

Vers. 5. HEU, HEU, HEU, DOMINE MI.) Tropol. Eucher. « Recte, inquit, is qui ferrum amiserat, clamabat, Heu, heu, heu, domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. Habent enim hoc electi proprium, si quando in eis sua scientia furtiva vanæ gloriæ culpa subripitur, ad cor velociter redeunt, et quidquid in se ante districti iudicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis insequuntur. Qui flentes non solum caute inspiciunt, quæ male commiserunt, sed ex accepto munere, quæ reddere etiam bona debuerant. »

Vers. 6. DIXIT AUTEM HOMO DEI: (Eliseus Dei servus) UBI CECIDIT FERRUM? AT ILLE MONSTRAVIT EI LOCUM: PRÆCIDIT ERGO LIGNUM ET MISIT ILLUC, NATAVITQUE FERRUM.) Idem prorsus Gotho cuidam pauperi præstitit S. Benedictus, qui, ut ait S. Gregorius 2. Dial. c. 6. *accessit ad locum* (ad locum in quem ceciderat ferrum ex falce) *tulit de manu Gothi manubrium, et misit in lacum: et mox ferrum de profundo rediit, atque in manubrium intravit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit dicens: Ecce labora, et noli contristari.*

Quæres, an verum hic fuerit miraculum? Asserit Vallesius S. Phil. c. 37. dicens Deum ferro gravitatem detraxisse et indidisse levitatem, ut e fundo enatando ferretur in altum. Verum dico non fuisse hic proprie dictum miraculum, quod omnem naturæ et naturalium causarum vim excedat oportet, ut a solo Deo patrari possit. Omnia enim hæc facta sunt per Angelum, qui lignum ab Eliseo præcisum et in manubrium adaptatum apprehendit, in fundum aquæ detulit, ferro inseruit, in altum extulit, et securim ibi fluitantem sustentavit, donec eam lignator apprehenderet. Ita Abul.

A Alleg. Tertul. lib. contra Iudæos c. 13. per aquas Iordanis accipit baptismum; per lignum, crucem Christi; per ferrum, dura peccatorum corda. *Quid*, inquit, *manifestius huius ligni Sacramento? quod duritia huius sæculi mersa in profundo erroris, et a ligno Christi, id est passionis eius in baptismo liberatur; ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi.* Sic et S. Ambr. lib. 2. de Sacram. c. 2. *Ecce*, inquit, *aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismum, quasi ferrum premitur atque demergitur. Ubi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, sed tanquam iam levior fructuosi ligni species levatur.* Et mox: *Vides ergo, quod in cruce Christi omnium hominum levatur infirmitas.* Et Theodor. q. 19. *Hoc*, inquit, *præfiguravit Servatoris nostri dispensationem; quomodo enim lignum quidem, quod est levissimum, fuit demersum; quod est autem gravissimum, nempe ferrum, supernatavit: ita divinæ naturæ descensus effecit, ut humana natura ascenderet.* Ferri enatantis Alleg.

B S. Aug. vero serm. 210. de Temp. per fluvium accipit fluentes voluptates et concupiscentias, ex quibus nos mersos liberat Eliseus, id est Christus per lignum crucis. *Securis illa*, inquit, *in profundo iacebat, quia genus humanum in omnium criminum abyssum infelici ruina corruerat, sicut scriptum est: Infixus sum in limo profundi. Et iterum: Deveni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Fluvius enim ille, ubi securis cecidit, significat præterfluentem et fugitivam, et in abyssum descendentem voluptatem, vel luxuriam sæculi huius. Fluvius enim a fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores transitoriis voluptatibus inhærentes, fluere dicuntur; ideo securis illa in fluvio et in limo iacebat oppressa.* Pergit deinde ad Eliseum, id est Christum Salvatorem: *Veniens vero Eliseus misit lignum, et natavit ferrum. Quid est lignum mittere, et ferrum in medium producere, nisi patibulum crucis ascendere, et de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis mysterium* C *liberare? Postquam vero natavit ferrum, misit manum Propheta, et recepit illud, et rediit ad utiles usus domini sui. Ita et de nobis factum est, dilectissimi fratres, qui de manu Domini superbiendo cecideramus, per crucis lignum iterum ad manum vel ad potestatem Domini redire meruimus. Et ideo quantum possumus, cum ipsius adiutorio laboremus, ne iterum superbiendo de manu Domini corruamus.*

S. Irenæus autem, lib. 5. c. 17. per ferrum accipit firmum Dei verbum, quod per lignum (comedendo ex ligno scientiæ boni et mali a Deo vetito, Genes. 3.) negligenter amiseramus, nec inveniebamus, sed per lignum crucis Christi recepimus. *Quod autem securis similis sit verbo Dei*, inquit, *docet Ioannes Baptista dicens: Iam autem securis ad radicem arborum posita est*, Matthæi 3.

Tropol. Angelom. « Ferrum in manubrio, inquit, donum intellectus in corde est: ligna vero per hoc cædere, est prave agentes increpare; quod nonnumquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem D scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam ad hoc novimus dari, ut ante dantis oculos ex bona actione debeat restitui. Unde recte is, qui ferrum amiserat, clamabat: Heu, heu, heu, domine mi, et hoc ipsum mutuum acceperam. » Idem iisdem verbis habet Eucher. ac pene Ruper. Tropol.

Anagog. Beda: Sicut ferrum aquis mersum Eliseus re- Anagog.

duxit ad manubrium; sic Christus corpus suum aquis passionis et mortis demersum revocavit ad vitam. Idem faciet nobis in communi omnium resurrectione. Corpus enim nostrum instar ferri est durum, grave, frigidum, ferruginosum, et pronum ut in abyssum ruat; sed Christus ferro huic contrarias dotes corporis gloriosi inseret, illudque quasi igniet, ut sit clarum, agile, leve, subtile, impassibile, gloriosum.

Vers. 12. DIXITQUE UNUS SERVORUM EIUS.) Abul. putat hunc fuisse Naaman, quem Eliseus a lepra curarat: sed videtur incredibile, quod ipse Eliseum sibi tam beneficum regi prodiderit, uti sub initium cap. 8. fatetur Abul.

ELISEUS PROPHETA QUI EST IN ISRAEL, INDICAT REGI ISRAEL OMNIA VERBA QUÆCUMQUE LOCUTUS FUERIS IN CONCLAVI TUO.) Spiritus enim prophetiæ est cognoscere tam arcana, absentia, et remota, quam futura prædicere. Utrumque enim eamdem virtutem requirit, scilicet opem et revelationem divinam.

Vers. 16. NOLI TIMERE: PLURES ENIM NOBISCUM SUNT, QUAM CUM ILLIS.) *Plures*, nimirum Angeli, qui pro Deo et sanctis eius, quasi cælestes acies innumeræ et fortissimæ militant, ob quas ipse vocatur *Deus Sabaot*, id est *exercituum*, iuxta illud Psal. 33. *Immittet* (Hebr. חנה *chone*, id est *castrametabitur*) *Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Sic de Iacob fugiente Esau dicitur, Genes. 32. 1. *Fueruntque ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.* Sic Angeli pugnarunt pro Mose et Hebræis contra castra Pharaonis in mari rubro, Exodi 14 Unde S. Ambr. serm. 1. de Eliseo: *Divinus timor*, inquit, *terrorem a nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Salvator instruxit, oratio, misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius quam murus tuetur; misericordia facilius liberat, quam rapina; oratio longius vulnerat, quam sagitta. Sagitta enim non nisi proxime conspectum percutit adversarium, oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum.* Et paulo post: *Mira res, plures e cælo defensores meretur sanctitas, quam in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Causam subdit: *Scire enim debet, quod adversarii meritis magis quam virtute vincuntur, et non tam virtute quam sanctitate superantur, sicut sanctus Eliseus, hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat.*

Vers. 17. ET APERUIT DOMINUS OCULOS PUERI.) *Non mirum*, ait S. Ambros. serm. de Eliseo, *si oratio aperuit oculos, ut videret exercitus; non mirum, inquam, si novos inserit oculos, qui nova promeretur auxilia. Aut cur non aciei producat obtutum, qui acies instruxerat Angelorum? Cur, inquam, non oratione sua hebetudinem pupillarum detergeret, qui meritis suis caliginem nubium penetravit? Necessario ergo S. Eliseus hoc facto ministro formidoloso præstitit securitatem, cui iam refuderat claritatem.*

ET ECCE MONS PLENUS EQUORUM, ET CURRUUM IGNEORUM, IN CIRCUITU ELISEI.) Angeli hos equos et currus specie ignis ex aere et nubibus ac radiis solis, apposite ad ignis colorem exhibendum per eas transparentibus, efformarunt, ut Eliseo suam cælestem naturam igneamque celeritatem, fortitudinem, vim et efficaciam repræsentarent, uti repræsentarant Eliæ in eius raptu. Spiritus enim Eliæ successor et heres fuit Eliseus; in eo ergo impletum fuit illud Dei promissum: *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio eius*, Zachar. 2. 5. Vide ibi dicta. Causam dat S. Amb. serm. 2. de Eliseo. *Quid mirum, ait, si is auxilia meretur e cælo cuius animus semper in cælo est, sicut ait Apostolus: Nostra autem conversatio in cælis est? Ergo si nostra conversatio in cælis est, et cælestium conversatio potest esse nobiscum: hoc est, ut qui vita vivimus, Angelorum recte consortium mereamur. Est ergo sancte viventibus quædam inter se cognatio, coniunctio atque societas; nec interest utrum in cælis maneant, an in terris; angelici sint habitus vel humani, dummodo in iis sit eadem vita vel sanctitas. Conversatio enim connectit, quos separat elementum, et diversis licet corporibus dividantur, iisdem tamen actibus coniunguntur. Atque ideo fit ut sancti sibi quodam consortio cohærentes, a se invicem non discedant: et modo Angeli ad terras veniant, modo homines ad cælestia transferantur: ac profectu meliore quibus vita communis est, incipiunt illis vivendi etiam elementa esse communia.*

PERCUTE, OBSECRO, GENTEM HANC CÆCITATE.) Sept. ἀορασίᾳ, id est *avidentia*, ut scilicet videntes non videant, nec advertant. Hinc ea percussi hic Syri Eliseum quidem et civitatem videbant, sed non agnoscebant nec advertebant. Simili cæcitate et aorasia percussi sunt cives Sodomæ, invadentes domum Lot, Genes. 19. Audi S. Ambr. serm. 1. de Eliseo: « Tunc igitur oravit Eliseus, et omnem hostilem exercitum cæcitate percussit. Non mirum si adversariis cæcitatem intulit, qui famulo largitus est claritatem; et si hostibus aufert visum, qui ministro præstat aspectum. Ubi sunt, qui dicunt, plus quam preces sanctorum, hominum arma posse? Ecce una oratio Elisei totum exercitum vulneravit, et unius prophetæ meritis omnis est hostium numerus captivatus. Quæ catervæ regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, ut ita hostes prosternerent, ut de illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria, ubi sic adversarius vincitur, ut de vincentibus nemo lædatur. Vers. 18.

DIXIT AUTEM AD EOS ELISEUS: NON EST HÆC VIA, NEQUE ISTA EST CIVITAS.) Abul. putat Eliseum hic officiose mentitum. Videbant enim Syri civitatem Dothain in qua, vel iuxta quam tunc degebat Eliseus, quem quærebant: hoc autem videtur negare Eliseus dicens: *Neque ista est civitas*, quam quæritis. Excusat Eliseum Lyran. dicens eum locutum esse non de civitate Dothain, in qua tunc degebat, sed de Samaria ubi habebat domum et fixerat sedem, ut patet v. 32. Non enim respondet hic Eliseus ad quæsita Syrorum, utpote qui nihil interrogarant, sed ad mentem eorum, q. d. Quæritis Eliseum o Syri, venite mecum, ego ostendam vobis viam in Samariam, in qua ipse habitat, ibique ego eum vobis ostendam, faciamque ut agnoscatis, quem modo præsentem quidem habetis, sed tamen percussi aorasia non cognoscitis. Nolebat enim ab eis agnosci in Dothain, sed in Samaria; ut eos ad regem deduceret, et convivio exciperet. In hisce autem verbis nullum fuit mendacium, sed celatio veritatis dumtaxat, quæ licita est, et sæpe necessaria: si enim veritatem aperuisset, dixissetque: *Ego sum Eliseus quem quæritis*, non potuisset eos tradere regi Israel, nec suam in eos potentiam æque ac beneficentiam ostendere. Quod si Syri rogarint Eliseum: Quæ est via in Dothain, ubi est Eliseus? uti nonnulli censent, idque responsio Elisei subindicat, non tenebatur Eliseus ad eorum, utpote hostium mentem, respondere, sed ad propriam et suam; scilicet hanc non esse Samariam patriam suam, ubi Eliseum, quem quærebant, erant agnituri, uti dixi. Vers. 19.

NON PERCUTIES.) Id est non occides Syros, quos ad te perduxi: *Si enim occidantur*, ait Theodor. *non cognoscetur magnitudo miraculi: sin autem revertantur ad eum qui misit, ille quoque discet Dei nostri potentiam.* Vers. 22.

SED PONE PANEM ET AQUAM CORAM EIS, UT COMEDANT ET BIBANT.) Noluit Eliseus Syros licet hostes, occidi a rege Israel, sed benigne et laute tractari, ut eos charitate superaret, et ex inimicis amicos faceret, ut deinceps terram Israel non invaderent, nec prædarentur; quod et fecerunt victi ab Eliseo tum potentia, tum potius amore. Vide S. Chrys. (vel quisquis est auctor: styli enim elegantia arguit fuisse Latinum non Græcum) hom. de Eliseo et Syrorum insidiis detectis, tomo 1. ubi inter cætera ait de Syris: *Mirantur et stupent sibi pro morte victum, pro interitu cibum, convivium pro pœna parari.* Et inferius: *Fit tunc propheta sanctissimus gloriosus in suis, gloriosior in alienis. Exhibet suis signa virtutum, et alienis causas exhibet gloriarum. Docuit prior inimicos foveri, docuit primus debere hostibus parci, docuit adversariis pro pœna epulas exhiberi.* Deinde docet Eliseum fuisse typum Christi, unde subiicit: *O Dominum Christum, et in veteribus novum, et in novis exemplis veterem figuratum! Eliseus sanctissimus claudit visum, et reserat: cæcos efficit, et illuminat: aspectum adimit, et condonat:*

persequentibus adimit, et se sequentibus tribuit: cæcos efficit alienos, et videntes efficit in civitate inclusos. Qui captivare prophetam venerant, excæcantur; et qui capti iam fuerant, oculantur. Huius utriusque veritas completur, ut et figura Christi, et exemplum futuri populi monstrarentur; ut iam fierent ex alienis proprii, ex inimicis amici, et ex hostibus sui. Dimittit Eliseus exercitus istos ad suos; dimittit, inquam, tot prædicatores, quot habuit hostes: tot relatores virtutum, quot homines hostium. Denique concludit dicens: Quod tunc temporis defuit postmodum completum esse per Apostolos in Pentecoste et deinceps, dicente Script. Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

Vers. 23. Et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel.) Scilicet vivente Eliseo, sive ad longum tempus: nam postea rursum venisse liquet ex sequent. Hic fuit fructus beneficentiæ Elisei in prædones Syros, uti iam dixi. Ita S. Chrys. hom. 1. de Eliseo.

Vers. 25. Donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis.) Hoc est 80. siclis, puta 80. florenis Brabanticis sive 80. Francis. *Argenteus* enim erat siclus, licet nonnulli putent fuisse dimidium sicli dumtaxat, et sic 80. argentei essent 40. Franci. Aliqui per *caput asini* accipiunt totum asinum, ut sit Synecdoche, qua caput significat totum corpus vel animal, ut cum dicimus: Quid sibi vult istud *caput* hominis, vel istud insanum *caput?* Id est iste homo. Simplicius alii accipiunt solum caput asini; hoc enim arguit ingentem fuisse famem, et asinus magno præ cæteris animalibus est capite, si proportio ad reliquum corpus spectetur. Sic cum Hannibal Casilinum obsideret mus unus vendebatur ducentis denariis, teste Valer. Max. lib. 7. c. 6.

Et quarta pars cabi stercoris columbini quinque argenteis.) *Cabus* sive chœnix erat mensura victus diurni, continens quatuor libras et quinque uncias, ut dixi in fine Pentateuchi: quarta pars cabi ergo erat libra cum uncia, puta tredecim unciæ. Lyran. Hugo et Dion. per *stercus* intelligunt grana frumenti, quæ in columbarum gurgulione vel ventriculo inveniuntur. Verum alii simpliciter *stercus* ut sonat accipiunt. Unde Ioseph. et Theodor. censent stercus hoc columbinum fuisse pro sale: habet enim vim acrem et causticam, teste Galeno. Planius alii stercus columbæ censent fuisse pro edulio, tum quia fit ex granis aliisque cibis purioribus, tum quia humidius est, et rebus integrioribus constat, unde homini est edule. Addit Plinius lib. 29. c. 6. fimum columbarum ex aceto valere ad curandas agilopas, albugines et cicatrices; ac lib. 30. c. 4. ad faucium asperitates et distillationes leniendas. Insuper margaritas, quæ contra cardiacos et melancholicos affectus celebrantur, et quarum siccitate innata, corporum redundantiæ consumuntur, puriores reddit. Ita enim scribit l. de gemmis c. 13. Franc. Ruæus: Est apud Vogesum in Lotharingia montem, amnis margaritarum ferax; verum non usque adeo splendidæ sunt: mirum tamen, quod quæ per genesin gratia in eis desideratur, per columbas resarcitur: quæ scilicet devoratas, puriores tandem eas cum fæcibus reddunt, restituuntque, ait Serarius et ipse Lotharingus.

Vers. 27. Qui ait: Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? De area vel torculari?) Hoc est, ut Vatab. vertit: *Quandoquidem Dominus tibi non fert opem, unde ego tibi ferrem opem? De horreone an de torculari?* q. d. Cum Dominus famem hanc toti urbi immiserit, nisi ipse tibi in ea succurrerit, ego tibi succurrere nequeo; quia non habeo frumentum in horreo, nec vinum in torculari. q. d. Mihi ipsi deest panis et vinum ad victum. Unde Chald. vertit: *Ni salvet te Dominus, unde salvabo te?* Hinc et Regia in vulgata editione sic legunt: *Non, salvet te Dominus.* q. d. Non ego, sed Dominus te salvet et pascat, quia ego non habeo cibum quem tibi dem.

Aliter Ioseph. Abul. et Sanchez: Rex, inquit, ob famem et ob importunam interpellationem mulieris iratus indignanter respondit: *Non te salvet Deus.* q. d. Deus te affligat. Sic Gentiles irati mala imprecantes dicebant: *Dii* A *te perdant, Dii tibi male faxint.* Unde Vatab. sic quoque vertit: *Dispereas, quare quæris a me cibum, cum me scias omni cibo carere?*

Coximus ergo filium meum, et comedimus.) Barbarum fuit hoc epulum, quod matri extrema fames extorsit, ut matrem se oblita, fieret mactatrix et voratrix filii. Vers. 29
Simile accidit in obsidione Ierosolymæ sub Tito, teste Iosepho; ac ultimis hisce annis Sueco Germaniam populante multi fame adacti, carnes humanas vorarunt. Permisit Deus Samaritas ad hæc extrema adigi, primo, ad puniendum eorum schisma et idololatriam. Secundo, ut illustrior fieret sua ex iis liberatio, et Elisei illam promittentis prophetia. Sic Deus permittit homines subinde ad ipsa mortis limina pervenire, ut eo ferventius Deum invocent, ac Deus eos exaudiens maiorem ab eis gratiarum actionem et laudem referat. Quare in rebus naturaliter desperatis maxime sperandum est in Deo, qui illis solet succurrere iuxta illud: « Deus ex machina. » Audi S. Aug. serm. 211. de Temp. « Natum convertit in cibum, quem Deus con- B didit in solatium. Sed postquam ad funestas epulas ventum esset, altera mulier alteram exhortatur: Recipe, inquit, recipe miseranda mater in viscera filium, nuper visceribus procreatum. Esto tui nati sepulchrum, esto eius corporis diversorium. Esto eius, ut ita dixerim, monumentum: intra te paululum comestus infans redeat, qui per famem vivere iam iamque non poterat. Recipiat nunc comestum uterus, quem vivum ediderat partus. Repetat habitaculum mortuus, unde nuper exierat vivus. »

Viditque omnis populus cilicium quo vestitus erat (rex) ad carnem intrinsecus.) Rex hic, licet impius et idololatra, censuit pœnitentia et cilicio placandum esse Deum: pientior ergo fuit nostris hæreticis, qui cuticulam curantes, respuunt cilicia, eaque superstitioni addicunt. Vide hic quam antiquus sit usus cilicii in pœnitentia. Sic rex Ninives cum toto populo vestivit se sacco (cilicio) seditque in cinere, Ionæ 3. 6. Itaque excidium sibi a Deo per Ionam comminatum pœnitendo evasit. Sic rex C Arrianus cilicium induit, eoque et precibus Deum placavit, teste Salviano lib. 7. Porro longe antiquior est usus cilicii: primus enim eo usus legitur Iacob Patriarcha, audiens filium suum Ioseph a bestia devoratum, Genes 37. 34. ubi multa de usu cilicii dixi. Vers. 30

Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat: si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie.) q. d. Hodie amputabo caput Eliseo, eo quod ipse suaserit nobis sustinere hanc in Samaria obsidionem, promittendo Dei in ea solvenda auxilium, cum in ea extremam famem patiamur, simusque desperati: sine eo enim tempestive composuissemus cum rege Syriæ nos obsidente, itaque famem hanc evasissemus, quam Eliseus videt et dissimulat, nec suis precibus avertere satagit. Ita Theodor. Vers. 31.

Numquid scitis, quod miserit filius homicidæ (scilicet Ioram rex Israel, qui *filius* est Achabi *homicidæ;* Achab enim occidit Naboth) huc ut præcidatur caput meum.) q. d. Ioram patrissat et imitatur patrem suum; Vers. 32.
D sicut enim Achab pater eius occidit Naboth, sic ipse me vult occidere, æque ac ipse occidit sex fratres suos, ut dicitur 2. Paral. 21. 3. et seq.

Videte ergo cum venerit nuntius, claudite ostium, et non sinatis eum intrare. Ecce enim sonitus pedum domini eius post eum est.) q. d. Rex ipse nuntium a se missum ad me occidendum illico subsequitur, mandati sui pœnitens, illudque revocans. Ita Ioseph. q. d. Ne timeatis resistere nuntio regis, quia rex eumdem statim revocabit; adeo enim festinus eum sequitur, ut videar sonitum pedum eius festinantis audire. Hinc patet Eliseum suasisse regi ne Samariam dederet Syris, sed a Domino speraret auxilium et subsidium. Fuit hic rex Ioram filius Achab, qui ei successit; eius enim acta hic describuntur usque ad c. 8. v. 24. ubi mors eius narratur. Igitur Ioram præcipitanter ex cholera miserat nuntium ad occidendum Eliseum; sed mox subsidente cholera ad se reversus pœnituit: quare metuens ne nuntius Eliseum oc-

cideret, ut iusserat, illico nuntium secutus accurrit, ut cædem inhiberet. Sciebat enim Eliseum esse prophetam, virum sanctum, et beneficum Samariæ, atque alias sæpe A eius oracula fidelia et verissima esse, expertus erat: ut de hoc quoque, de obsidione inquam solvenda, vix dubitare posset. Ita diserte Ioseph. Theodor. et Abul.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Eliseus Samariam obsidione et fame crastino die liberandam: ita fit. Deus enim terrorem per spectra hostium immittens Syris, eos in fugam agit. Unde Hebræi eorum castra prædantur, et annonæ fit copia.

1. Dixit autem Eliseus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno, in porta Samariæ. 2. Respondens unus de ducibus, super cuius manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, et inde non comedes. 3. Quatuor ergo viri erant leprosi iuxta introitum portæ: qui dixerunt ad invicem: Quid hic esse volumus donec moriamur? 4. Sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur: sive manserimus hic, moriendum nobis est: venite ergo, et transfugiamus ad castra Syriæ; si pepercerint nobis, vivemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur. 5. Surrexerunt ergo vesperi, ut venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt. 6. Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum et equorum, et exercitus plurimi: dixeruntque ad invicem: Ecce mercede conduxit adversum nos rex Israel reges Hethæorum et Ægyptiorum, et venerunt super nos. 7. Surrexerunt ergo, et fugerunt in tenebris, et dereliquerunt tentoria sua, et equos et asinos, in castris, fugeruntque, animas tantum suas salvare cupientes. 8. Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, et comederunt et biberunt: tuleruntque inde argentum, et aurum, et vestes, et abierunt, et absconderunt: et rursum reversi sunt ad aliud tabernaculum, et inde similiter auferentes absconderunt. 9. Dixeruntque ad invicem: Non recte facimus: hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus, et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur: venite, eamus, et nuntiemus in aula regis. 10. Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis, dicentes: Ivimus ad castra Syriæ, et nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos et asinos alligatos, et fixa tentoria. 11. Ierunt ergo portarii, et nuntiaverunt in palatio regis intrinsecus. 12. Qui surrexit nocte, et ait ad servos suos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt quia fame laboramus, et idcirco egressi sunt de castris, et latitant in agris, dicentes: Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, et tunc civitatem ingredi poterimus. 13. Respondit autem unus servorum eius: Tollamus quinque equos, qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israel: alii enim consumpti sunt) et mittentes explorare poterimus. 14. Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex in castra Syrorum, dicens: Ite et videte. 15. Qui abierunt post eos usque ad Iordanem: ecce autem omnis via plena erat vestibus et vasis, quæ proiecerant Syri cum turbarentur: reversique nuntii indicaverunt regi. 16. Et egressus populus diripuit castra Syriæ: factusque est modius similæ statere uno, et duo modii hordei statere uno, iuxta verbum Domini. 17. Porro rex ducem illum, in cuius manu incumbebat, constituit ad portam: quem conculcavit turba in introitu portæ, et mortuus est, iuxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum. 18. Factumque est secundum sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait: Duo modii hordei statere uno erunt, et modius similæ statere uno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ: 19. Quando responderat dux ille viro Dei, et dixerat: Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cælo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, et inde non comedes. 20. Evenit ergo ei sicut prædictum fuerat, et conculcavit eum populus in porta, et mortuus est.

Vers. 1. In tempore hoc (hac hora) cras modius similæ uno statere erit.) Id est vendetur uno siclo, hoc est uno Franco Gallico, puta quatuor Iuliis, sive Regalibus, q. d. cras, summa erit frumenti abundantia, per quam omnis Samariæ inopia et fames tolletur, omniaque vili pretio comparabuntur,

Alleg. *Benadad* est diabolus, qui obsidebat Samariam, id est Ecclesiam veterem, faciebatque ut esset magna fames spiritualis verbi Dei, ac salutis, rerumque cælestium. Venit Eliseus, id est Christus, qui per se et Apostolos ubique prædicando, hanc famem sustulit; fecitque ut ubique sint doctores, qui prædicent verbum Dei, quique doceant viam salutis, virtutis et perfectionis. Ita Eucher. et Angelom.

Vers. 2. Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo.) Ut per eas depluat triticum, sicut depluerunt aquæ in diluvio Noe, et manna in deserto, Exodi 16 *Numquid poterit esse quod loqueris?* q. d. Impossibile est ut in tanta re- B rum inopia, tanta fiat subito copia, ut tam vili pretio vendatur triticum, unusque modius comparetur uno statere.

Videbis oculis tuis, et inde non comedes.) Quia a turba populi opprimeris in porta; idque fiet iusto Dei iudicio ob tuam incredulitatem, qua hoc meo ex Deo oraculo non credis; quia videris putare hoc factum esse impossibile etiam Deo, cui omnia sunt possibilia. Quare negas Deo suam omnipotentiam. Ita Abul.

Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum et equorum.) Hostilium se invadentium: itaque Syros terrefecit, ut consternati fugerent, et Samariam relinquerent liberam. Ita Ioseph. Vide hic ut ludat in humanis divina potentia rebus. Poterat enim in Syros immittere Angelos, qui illico omnes trucidarent: poterat fulgetris eos siderare: poterat igne cælesti, milleque aliis modis eos perdere. Sed noluit, voluitque eorum superbiam deprimere per inanem sonitum, per falsam imaginationem, per ridiculum metum, quo perculi Vers. 6.

timebant, ubi non erat timor, ac proiectis rebus omnibus fugiebant, ut vitam dumtaxat servarent. Similem timorem panicum hostium plurimorum contra se venientium, immisit Deus in castra Madian, quando Gedeon cum trecentis militibus lagenas flammantes complodentibus, et tubis concrepantibus, ea invasit. Iudic. c. 7. 19.

Vers. 13. TOLLAMUS QUINQUE EQUOS, QUI REMANSERUNT IN URBE, QUIA IPSI TANTUM SUNT IN UNIVERSA MULTITUDINE ISRAEL.) Puta in tota Samaria, quæ est caput et metropolis regni Israel, sive decem tribuum. Legit interpres בכל *bechol*, id est *in universa*: iam pro ב legunt affine כ, ככל *kechol*, id est, *sicut universa*. Unde Chald. Pagn. A Vatab. vertunt: *Ecce illi sicut universa multitudo Israel*, q. d. Sicut totus populus in Samaria macer et fame confectus est, sic et hi qui residui sunt in ea quinque equi, macilenti et fame confecti sunt.

QUEM CONCULCAVIT TURBA IN INTROITU PORTÆ.) Quia porta erat angusta, et turba ingens; quæ fame rabida quasi furebat ad cibum, qui erat in castris Syrorum; unde ipse dux portæ volens hanc turbam moderari, et in partes dividere, ne se mutuo comprimeret, ab eadem violenter irrumpente oppressus et contritus est: ita Elisei oraculum per omnia verum certumque fuit. Vers. 17.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus prædicit famem septennem, et v. 7. Benadad regi Syriæ mortem. Hazaeli vero regnum eius: inde v. 17. describuntur gesta Ioram filii Iosaphat regis Iuda, ac v. 25. gesta Ochoziæ filii Ioram.

1. ELISEUS autem locutus est ad mulierem, cuius vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu et domus tua, et peregrinare ubicumque repereris: vocavit enim Dominus famem, et veniet super terram septem annis. 2. Quæ surrexit, et fecit iuxta verbum hominis Dei: et vadens cum domo sua, peregrinata est in Terra Philisthiim diebus multis. 3. Cumque finiti essent anni septem, reversa est mulier de terra Philisthiim: et egressa est ut interpellaret regem pro domo sua, et pro agris suis. 4. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus. 5. Cumque ille narraret regi quo modo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cuius vivificaverat filium, clamans ad regem pro domo sua, et pro agris suis. Dixitque Giezi: Domine mi rex, hæc est mulier, et hic est filius eius, quem suscitavit Eliseus. 6. Et interrogavit rex mulierem: quæ narravit ei. Deditque ei rex eunuchum unum, dicens: Restitue ei omnia quæ sua sunt, et universos reditus agrorum, a die qua reliquit terram usque ad præsens. 7. Venit quoque Eliseus Damascum, et Benadad rex Syriæ ægrotabat: nuntiaveruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc. 8. Et ait rex ad Hazael: Tolle tecum munera, et vade in occursum viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac? 9. Ivit igitur Hazael in occursum eius, habens secum munera, et omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cumque stetisset coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac? 10. Dixitque ei Eliseus: Vade, dic ei: Sanaberis: porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur. 11. Stetitque cum eo, et conturbatus est usque ad suffusionem vultus: flevitque vir Dei. 12. Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, et iuvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes divides. 13. Dixitque Hazael: Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus: Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore. 14. Qui cum recessisset ab Eliseo, venit ad dominum suum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliseus? At ille respondit: Dixit mihi: Recipies sanitatem. 15. Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem eius: quo mortuo, regnavit Hazael pro eo. 16. Anno quinto Ioram filii Achab regis Israel, et Iosaphat regis Iuda, regnavit Ioram filius Iosaphat rex Iuda. 17. Triginta duorum annorum erat cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Ierusalem. 18. Ambulavitque in viis regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab: filia enim Achab erat uxor eius: et fecit quod malum est in conspectu Domini. 19. Noluit autem Dominus disperdere Iudam, propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, et filiis eius cunctis diebus. 20. In diebus eius recessit Edom, ne esset sub Iuda, et constituit sibi regem. 21. Venitque Ioram Seira, et omnes currus cum eo: et surrexit nocte, percussitque Idumæos, qui eum circumdederant, et principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua. 22. Recessit ergo Edom ne esset sub Iuda, usque ad diem hanc. Tunc recessit et Lobna in tempore illo. 23. Reliqua autem sermonum Ioram, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 24. Et dormivit Ioram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Civitate David, et regnavit Ochozias filius eius pro eo. 25. Anno duodecimo Ioram filii Achab regis Israel, regnavit Ochozias filius Ioram regis Iudæ. 26. Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Athalia filia Amri regis Israel. 27. Et ambulavit in viis domus Achab: et fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit. 28. Abiit quoque cum Ioram filio Achab, ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, et vulneraverunt Syri Ioram: 29. Qui reversus est ut curaretur, in Iezrahel: quia vulneraverant eum Syri in Ramoth, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Porro Ochozias filius Ioram rex Iuda, descendit invisere Ioram filium Achab in Iezrahel, quia ægrotabat ibi.

Vers. 1. VOCAVIT (voce, id est iussu suo adducet) ENIM DOMINUS FAMEM, ET VENIET SUPER TERRAM SEPTEM ANNIS.) Est Hysterologia: hæc enim prophetia Elisei de fame septennii, anterius facta est, scilicet ante B quinque vel sex annos: hic autem recensetur, eo quod mulieri hospitæ suæ, cui hanc famem prædixerat Eliseus, post famis septennium in terram suam revertenti contigerint ea, quæ hic v. 5. et seq. narrantur. Idem confir-

matur ex eo quod Giezi hic v. 4. colloquatur cum rege. Ergo necdum erat leprosus: leprosi enim arcebantur hominum commercio. Ergo hæc contigerunt ante adventum et sanationem Naaman: tunc enim Giezi percussus est lepra, uti superius dixi. Ita Torniellus, Salianus et alii.

Vers. 7. VENIT QUOQUE ELISEUS DAMASCUM (quæ erat metropolis Benadad regis Syriæ) ET BENADAD REX SYRIÆ ÆGROTABAT.) In Damasco. Benadad paulo post solutam obsidionem Samariæ, ex terrore et mœrore hunc morbum, in quo mortuus est, incurrit. Audi Iosephum lib. 9. c. 2. « Rex autem Syrorum Damascum reversus incolumis, ubi cognovit divinitus immisso terrore, se una cum exercitu in fugam coniectum, et vanum fuisse, quod de adventu hostium crediderant, ratus omnino adversum se habere Numen, per animi ægritudinem in morbum etiam corporis incidit. » Nimirum voluit Deus Benadad, qui tot clades Israeli intulerat, morbo et morte punire, ideoque Eliseum misit Damascum, qui Hazaeli eius mortem prædiceret, eumque regni successorem declararet.

Vers. 9. HABENS SECUM MUNERA ET OMNIA BONA DAMASCI, ONERA QUADRAGINTA CAMELORUM.) Obtulit tot tantaque munera Hazael Eliseo pro salute Benadad regis sui; sed certum est Eliseum ea non acceptasse; tum quia ipse Benadad non sanavit, sed eius mortem prædixit: tum quia ipse constanter refutavit cap. 5. munera Naaman, quem a lepra curarat, ac Giezi ea acceptantem lepra punivit. Ita Abul. et alii.

Vers. 10. VADE, DIC EI: SANABERIS. PORRO OSTENDIT MIHI DOMINUS, QUIA MORTE MORIETUR.) Est hic locus difficilis: nam videtur Eliseus iubere Hazaeli mendacium, ut scilicet dicat Benadad regi eum sanandum, cum mox esset moriturus. Primo, Rabbini, et ex eis Abul. legunt contrarie, scilicet, *non sanaberis:* nam pro לו *lo* per vau, hoc est, *ei* legunt לא *lo* per aleph, hoc est, *non*. Verum Chald. Sept. et Latini omnes Codices legunt affirmative: *sanaberis.* Secundo, alii respondent Eliseum ironice locutum, q. d. scilicet sanaberis, speras te sanandum; sed erras: nam non sanaberis, sed morieris.

Tertio et genuine, *sanaberis*, scilicet quantum est ex parte morbi. q. d. Morbus tuus non est lethalis, ex morbo hoc non morieris, quod erat verum: nam non morbus, sed vis Hazaelis occidit et suffogavit Benadad. Ita Caiet. Serar. Salian. et alii.

Vers. 13. QUID ENIM SUM SERVUS TUUS CANIS, UT FACIAM REM ISTAM MAGNAM?) Hazael negat se esse canem, non tantum quoad vilitatem, sed etiam et potius, quoad impudentiam et feritatem caninam; q. d. Ego non sum tam impudens, barbarus et ferus, ut instar canis sæviam in viscera humana, eaque devorem. Cur ergo tu o Elisee asseris, mihique dicis: *parvulos eorum elides, et prægnantes divides?* Ita tum quidem sentiebat Hazael, sed factus rex Syriæ sensum mutavit, fecitque quod hic prædicit Eliseus, quodque ipse hic abominatur. Honores enim mutant mores, sed raro in meliores. Causam subdit:

OSTENDIT MIHI DOMINUS TE REGEM SYRIÆ FORE.) q. d. Tu fies rex Syriæ, ideoque factus rex innatum Syrorum in Israelitas odium indues, ut *eorum parvulos elidas et prægnantes dividas,* uti prædixi. Odium hoc cœpit ab Adad, dum Salomoni rebellavit fecitque se regem Syriæ; illudque ex eo quasi patre suxit filius Benadad, ac ex eo ceteri reges Syriæ. Vide dicta 3. Reg. 11. v. 14. Hac regni prædictione audacior factus Hazael regem Benadad suffocavit, eiusque regnum occupavit, ut sequitur: ac immemor et ingratus Eliseo, hostem se fecit Israeli, in eumque sæviit, implevitque barbariem ab Eliseo sibi prædictam.

Vers. 15. TULIT STRAGULUM, ET INFUDIT AQUAM, ET EXPANDIT SUPER FACIEM EIUS.) Addunt Hebr. Chald. et Sept. *et mortuus est:* quod Noster expressit subdens: *Quo mortuo regnavit Hazael.* Videtur Benadad æstu febrili æstuans petiisse aquam ad se refrigerandum: porrexit illam ei in stragulo aqua madefacto Hazael, itaque vel per imprudentiam, vel potius per dolum distillante continuo ex stragulo aqua in os et fauces Benadad, eum suffocavit, ut ei in regno succederet. Addit Serarius, aquam hanc et stragulum fortasse venenato quopiam humore fuisse infectum; sicut de Herculis Deianiræa veste tradunt veteres, ac de Othonis III. Imp. Ladislai Hungarorum regis, et Solymanni tunica. Iosephus ait simpliciter strangulatum fuisse: ita nimirum Deus punivit Benadad ob sævitiam in Israelitas exercitam. Porro Benadad videtur regnasse 56. annos; tot enim intercedunt ab anno 17. Asa regis Iuda, quo Benadad regnare cœpit, ut patet 3. Reg. 15. 18. usque ad primum annum regni Hazaelis. Ita Salianus. Nonnulli tamen putant plures reges in Syria intercessisse, omnesque dictos fuisse *Benadad*, id est filios et successores Adad, primi regis Syriæ. Unde Hebræi tradunt, *Benadad* fuisse nomen commune regum Syriæ. Denique Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 2. asserit tam Benadad quam Hazael apud Syros in summa esse veneratione, imo *utrumque divinis honoribus coli*, et utriusque effigiem quotidianis pompis honorari, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnifice templis extructis Damascum ornatiorem reddiderint.

ANNO QUINTO IORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL, REGNAVIT IORAM FILIUS IOSAPHAT REX IUDA.) Scilicet solus post mortem patris Iosaphat. Obiicies, id videtur factum anno septimo Ioram, non quinto: nam c. 3. v. 1. dictum est, quod Ioram rex Israel cœperit regnare anno 18. Iosaphat regis Iuda. Iosaphat autem regnavit annis 25. ab anno autem 18. ad 25. sunt septem anni, post quos moriente Iosaphat successit ei filius Ioram. Respondent Lyran. et Caietan. Ioram filium Achab regnasse post mortem Achab cum Ochozia fratre primogenito per biennium; scilicet ab anno 18. Iosaphat, usque ad annum eius vigesimum, quo mortuus est Ochozias; tumque solus regnare cœpit Ioram eius frater iunior. Ergo quod hic dicitur: *anno quinto Ioram:* intellige a tempore, quod Ioram solus post fratris mortem regnare cœpit, quod fuit anno Iosaphat vigesimo; verum obstat quod dicitur 3. Regum ult. 32. scilicet Ochoziam in Israel regnare cœpisse anno 17. Iosaphat, ac mortuum anno 18. eiusdem; nam per biennium dumtaxat regnavit: quare cum Ochozias sit mortuus anno Iosaphat 18. eique statim frater Ioram successerit, hinc sequitur Ioram cœpisse regnare anno 18. Iosaphat, non vigesimo. Melius Abul. respondet non esse numerandum annum 18. Iosaphat, eo quod illo expleto cœperit regnare Ioram, nec 19. eo quod sub finem eius cœperit regnare, nec 25. eo quod is fuerit imperfectus; ablatis autem his tribus annis manent ab anno 18. Iosaphat, ad annum eiusdem 25. dumtaxat anni quinque integri, de quibus hic dicitur: *Anno quinto Ioram filii Achab*, etc. *regnavit Ioram filius Iosaphat*, scilicet post mortem Iosaphat, qui anno 25. regni sui mortuus est: tunc enim successit ei filius Ioram. Vers. 16.

Optime Richardus de S. Victore in conciliatione lib. Regum et Paralip. Arias in Daniele, Salian. Torniellus, Sanchez et Serar. hic respondent Ioram regem Iuda, bis a patre nuncupatum fuisse regem, ob duo eius bella, scilicet primo, anno 17. Iosaphat, quo ipse cum Achab iturus erat ad bellum contra Syros 3. Reg. 22. tumque videtur Ioram a Iosaphat patre dumtaxat regis titulum accepisse, ut si quid mali in bello accidisset, sibi succederet Ioram. Secundo, post sex annos, scilicet anno 23. Iosaphat, quo ipse in bellum contra Moabitas profectus est, ut dictum est hoc lib. cap. 3. tunc enim Iosaphat rursum Ioram filium declaravit regem, et regni administrationem se absente eidem tradidit, indeque numerandi sunt anni octo, quibus dicitur regnasse Ioram; ita scilicet, ut tribus annis Ioram regnarit cum Iosaphat patre vivente, quatuor vero cæteris post mortem patris; octavus vero et ultimus fuerit imperfectus, ideoque non numeretur. Quare licet nonnulli censeant Ioram post mortem patris Iosaphat regnasse octo annis, tamen verius est quod dixi, nimirum ipsum quatuor integris annis dumtaxat, et quinto incompleto regnasse post mortem Iosaphat, cum eo vero vivente tribus ultimis eius annis regnasse. Id patet ex c. 9. v. 29. ubi Ochozias filius Ioram regis Iuda, mor-

tuo Ioram patre, dicitur cœpisse regnare anno undecimo Ioram regis Israel: iam computa annos ab anno quinto Ioram regis Israel, usque ad annum eius undecimum, habebis annos dumtaxat quinque integros, quibus solis alter Ioram post mortem patris Iosaphat regnavit in Iuda.

Vice versa cum c. 1. v. 17. dicitur Ioram rex Israel regnare cœpisse anno secundo Ioram filii Iosaphat regis Iuda; intellige annum secundum ab eo tempore, quo Ioram primum a patre Iosaphat ituro contra Syros titulum regis accepit, quod fuit anno Iosaphat 17. Unde secundus Ioram filii Iosaphat annus incidit in annum 18. Iosaphat, quo cœpit regnare Ioram filius Achab in Israel.

Vers. 18. AMBULAVITQUE (Ioram filius Iosaphat rex Iuda) IN VIIS REGUM ISRAEL (colendo idola eorum) SICUT AMBULAVERAT DOMUS ACHAB. FILIA ENIM ACHAB ERAT UXOR EIUS.) Nomine Athalia; hæc enim fuit uxor Ioram, et mater Ochoziæ, ut patet v. 26.

Vers. 19. UT DARET ILLI LUCERNAM.) Id est stirpem et prosapiam regiam, scilicet nepotum sibi invicem continuo in regno Iuda succedentium.

Vers. 21. VENITQUE IORAM REX SEIRA.) Id est in Idumæam. Hæc enim sicut ab Esau fundatore, qui alio nomine vocatus est *Edom*, dicta fuit *Idumæa*; sic ab eodem qui pariter vocatus est *Seir*, id est pilosus, hirsutus, dicta est *Seira*.

Vers. 23. RELIQUA AUTEM SERMONUM (id est rerum et gestorum) IORAM, ET UNIVERSA QUÆ FECIT, NONNE HÆC SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM IUDA?) Puta in Diariis et annalibus regum Iuda. Nota, hic tacentur multa de Ioram, quæ proinde supplentur in 1. 2. Paralip. cap. 21. ubi v. 3. Iosaphat rex dicitur filiis suis, qui erant fratres Ioram, dedisse *pensitationes* (male nonnulli legunt: *pensationes*) id est annuos redditus. Rursum, quod Ioram omnes fratres suos numero sex occiderit, ut solus secure regnaret. Insuper, quod Elias iam raptus (ante novem annos) ad eum miserit litteras ex paradiso, quibus ei ob hæc fratricidia et ob idololatriam minatus est Dei vindictam, quæ mox ei obvenit: nam Deus percussit eum morbo insanabili, ita ut viscera egereret; filios quoque eius omnes occidit per Philisthæos et Arabes, unico excepto Ochozia, qui licet minimus natu, ei successit, idque in pœnam talionis, ut sicut ipse fratres suos occiderat, sic et filii eius occiderentur. Addit Ioseph. uxores eius fuisse occisas. Ita barbari isti iusto Dei iudicio cæde filiorum regis, regiorum fratrum manibus parentarunt: nec tamen dixit rex insipiens in corde suo: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.*

ANNO DUODECIMO IORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL, REGNAVIT OCHOZIAS FILIUS IORAM REGIS IUDÆ.) Dices, cap. seq. v. 29. dicitur Ochozias regnare cœpisse anno undecimo Ioram, non duodecimo. Resp. cœpit anno undecimo regnare cum patre Ioram, qui erat in tormentis sui morbi; sequenti autem anno, qui est duodecimus, mortuo patre solus regnavit in Iuda. Ita Abul. Sanchez, Salian. et alii. Vers. 25.

VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS, CUM REGNARE CŒPISSET.) Dices, 2. Paral. 22. 3. dicitur fuisse 42. annorum. Resp. hæc antilogia est perdifficilis et quasi irreconciliabilis, quam discutiam suo loco in lib. Paralip. Vers. 26.

NOMEN MATRIS EIUS ATHALIA, FILIA AMRI.) Id est neptis Amri; erat enim Athalia filia Achab, ut dictum est v. 18. Achab autem erat filius Amri. Sic Matth. 1. 8. Ozias dicitur filius Ioram, cum eius fuerit nepos, imo trinepos: omittuntur enim ibi tres generationes, et tres filii intermedii, scilicet Ochozias, Ioas et Amasias, eo quod Ioram miscuisset se stirpi impiæ Achab, et cum sua uxore Athalia filia Iezabelis, idololatriam invexisset in regnum Iuda.

Aliter respondent Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. et Caiet. scilicet, Athaliam vere fuisse filiam Amri, dicit tamen filiam Achab, vel imitatione, vel nutritione, quod ab Achab sit educata, ideoque eius idololatriam imitata.

GENER ENIM DOMUS ACHAB FUIT.) Ochozias ergo videtur duxisse filiam Ioram filii Achab, sicut Ioram pater Ochoziæ duxerat Athaliam filiam Achab, aut certe duxisse filiam fratris, aut sororis Ioram: ideo enim dicitur, *gener domus Achab*, quia scilicet socer eius fuit Ioram, vel frater Ioram: nimirum tota hæc impietatis et idololatriæ propago invecta fuit in regnum Iuda per impiam Iezabel; huius enim filia fuit Athalia, ac neptis eius fuit uxor Ochoziæ, quarum utraque a Iezabele, quæ unius erat mater, alterius avia, educata eius impietatem et mores gentilitios imbibit. Vide hic quam periculosum et noxium sit ducere uxores infideles vel hæreticas. Vers. 27.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus mittit unum e suis, qui ungat Iehu in regem Israel, ut familiam Achab deleat; ungit ille Iehu: id ex Iehu intelligentes principes, eum regem creant: Iehu ergo rex factus pergit in Iezrahel, ibique occidit Ioram regem Israel, et Ochoziam regem Iuda, ac Iezabelem ex domo præcipitari iubet, quam deinde canes devorant iuxta oraculum Eliæ.

1. ELISEUS autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, et ait illi: Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei hanc in manu tua, et vade in Ramoth Galaad. 2. Cumque veneris illuc, videbis Iehu filium Iosaphat filii Namsi: et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, et introduces in interius cubiculum. 3. Tenensque lenticulam olei, fundes super caput eius, et dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, et fugies, et non ibi subsistes. 4. Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad, 5. Et ingressus est illuc: ecce autem principes exercitus sedebant, et ait: Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Iehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, o princeps. 6. Et surrexit et ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput eius, et ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te regem super populum Domini Israel, 7. Et percuties domum Achab domini tui, et ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum, et sanguinem omnium servorum Domini, de manu Iezabel. 8. Perdamque omnem domum Achab: et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et novissimum in Israel. 9. Et dabo domum Achab, sicut domum Ieroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia. 10. Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium, et fugit. 11. Iehu autem egressus est ad servos domini sui: qui dixerunt ei: Rectene sunt omnia? quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, et quid locutus sit. 12. At illi responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc et hæc locutus est mihi, et ait: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. 13. Festinaverunt itaque, e

unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, et cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Iehu. 14. Coniuravit ergo Iehu filius Iosaphat filii Namsi contra Ioram: porro Ioram obsederat Ramoth Galaad, ipse et omnis Israel, contra Hazael regem Syriæ: 15. Et reversus fuerat ut curaretur in Iezrahel propter vulnera, quia percusserant eum Syri, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Dixitque Iehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, et nuntiet in Iezrahel. 16. Et ascendit, et profectus est in Iezrahel: Ioram enim ægrotabat ibi, et Ochozias rex Iuda descenderat ad visitandum Ioram. 17. Igitur speculator qui stabat super turrim Iezrahel, vidit globum Iehu venientis, et ait: Video ego globum. Dixitque Ioram: Tolle currum, et mitte in occursum eorum, et dicat vadens: Rectene sunt omnia? 18. Abiit ergo, qui ascenderat currum, in occursum eius, et ait: Hæc dicit rex: Pacatane sunt omnia? Dixitque Iehu: Quid tibi et paci? transi, et sequere me. Nuntiavit quoque speculator, dicens: Venit nuntius ad eos, et non revertitur. 19. Misit etiam currum equorum secundum: venitque ad eos, et ait: Hæc dicit rex: Numquid pax est? Et ait Iehu: Quid tibi et paci? transi, et sequere me. 20. Nuntiavit autem speculator, dicens: Venit usque ad eos, et non revertitur: est autem incessus quasi incessus Iehu filii Namsi, præceps enim graditur. 21. Et ait Ioram: Iunge currum. Iunxeruntque currum eius, et egressus est Ioram rex Israel, et Ochozias rex Iuda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Iehu, et invenerunt eum in agro Naboth Iezrahelitæ. 22. Cumque vidisset Ioram Iehu, dixit: Pax est Iehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, et veneficia eius multa vigent. 23. Convertit autem Ioram manum suam, et fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ, Ochozia. 24. Porro Iehu tetendit arcum manu, et percussit Ioram inter scapulas: et egressa est sagitta per cor eius, statimque corruit in curru suo. 25. Dixitque Iehu ad Badacer ducem: Tolle, proiice eum in agro Naboth Iezrahelitæ: memini enim quando ego et tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem huius, quod Dominus onus hoc levaverit super eum, dicens: 26. Si non pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum eius, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, et proiice eum in agrum, iuxta verbum Domini. 27. Ochozias autem rex Iuda videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Iehu, et ait: Etiam hunc percutite in curru suo; et percusserunt eum in ascensu Gaver, qui est iuxta Ieblaam: qui fugit in Mageddo, et mortuus est ibi. 28. Et imposuerunt eum servi eius super currum suum, et tulerunt in Ierusalem: sepelieruntque eum in sepulchro cum patribus suis in civitate David. 29. Anno undecimo Ioram filii Achab, regnavit Ochozias super Iudam, 30. Venitque Iehu in Iezrahel. Porro Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, et respexit per fenestram. 31. Ingredientem Iehu per portam, et ait: Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum? 32. Levavitque Iehu faciem suam ad fenestram, et ait: Quæ est ista? et inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi. 33. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum, et præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, et equorum ungulæ conculcaverunt eam. 34. Cumque introgressus esset, ut comederet, biberetque, ait: Ite, et videte maledictam illam, et sepelite eam: quia filia regis est. 35. Cumque issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus. 36. Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Iehu: Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel, 37. Et erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrahel, ita ut prætereuntes dicant: Hæccine est illa Iezabel?

Vers. 1. VADE IN RAMOTH GALAAD.) Iam enim urbs illa post regis Ioram eam obsidentis vulnus capta erat vel tota, vel eius pars, ait Abul. Sanchez et Serar. idque patet ex v. 15.

Vers. 2. SUSCITABIS EUM DE MEDIO FRATRUM SUORUM.) Id est, ut Vatab. *iube ut surgat e medio fratrum,* id est principum collegarum suorum: qui enim hic fratres, paulo post vocantur principes.

ET INTRODUCES IN INTERIUS CUBICULUM.) Ut secreto eum ungas in regem: ne si publice id facias, seditio concitetur a Iorami regis asseclis et fautoribus, ideoque ubi eum secreto unxeris, statim *fugies et non ibi subsistes.*

Vers. 6. UNXI TE.) Hæc videtur fuisse secunda unctio Iehu; nam prima facta videtur ab Elia; hoc enim ei iusserat Deus 3. Reg. 19. 15. ideoque eum ire iusserat in Damascum, ut ibi ungeret Hazael in regem Syriæ, ac deinde in Samariam, ut ungeret Iehu in regem Israel: sed prima illa Eliæ unctio fuit prævia et prognostica regni; hæc vero secunda facta ab Eliseo fuit regni collatio, eiusque in regem creatio. Ita Caietan. Histor. Scholast. Sanchez et alii.

Vers. 11. QUID VENIT ISTE INSANUS AD TE?) Vide hic ut principes idololatræ, hominesque militares prophetam rideant, vocentque *insanum* et fanaticum. Vita enim prophetarum aspera, vestitus horridus, sermo propheticus eis videbatur esse insania, ac prophetæ videbantur eis insanire: erant enim quasi emotæ mentis, et altiori numinis spiritu afflati. Unde Plato in Phædone: *Quidam,* ait, *divino beneficio sunt insani, ut prophetæ et Sibyllæ;* et Cicero lib. 2. de divinat. *Quid habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut quæ sapiens non videt, ea videat insanus, et is qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit: et* A *vaticinari, idem sit, quod insanire. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei,* 1. Corint. 2. et 3. Idem et magi faciebant prophetæ diaboli, qui gestus inconditos edebant, et furere videbantur: unde de Sibylla ab Ænea consulta, ita canit Virg. lib. 6. Æneid.

Non vultus, non color unus:
Non comptæ mansere comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore Dei.

NOSTIS HOMINEM, ET QUID LOCUTUS SIT.) q. d. Nostis eum insanum esse, ac proinde insana locutum, ideoque non credenda, nec a me enarranda. Id dicit Iehu, ne si revera ab eo unctum dicat in regem, sibi creet periculum: ne scilicet aliquis vel pro Ioram pugnans, vel Iehu regnum invidens, eum invadat et occidat. *Percunctantibus autem illis,* inquit Ioseph. *qua de causa venisset iuvenis, et insanum videri dicentibus: Recte, inquit, coniecturam facitis, nam insani verba locutus est. Illis vero magis etiam sibi exponi quid esset orantibus, regnum populi sibi a Deo delatum, ait illum dixisse.*

AT ILLI DIXERUNT: FALSUM EST, SED MAGIS NARRA Vers. 12.
NOBIS.) q. d. Non insana, sed seria et magni momenti locutus est propheta, cupimusque omnino ut ea nobis enarres. Unde Chald. vertit: *Falsum tu dicis, indica nunc nobis.* Suspicati sunt Dei instinctu, id quod res erat, scilicet Iehu a propheta accepisse regni oraculum, illudque ab eo extorquere satagunt, unde sequitur.

FESTINAVERUNT ITAQUE, ET UNUSQUISQUE TOLLENS Vers. 13.
PALLIUM SUUM (vestem extimam) POSUERUNT SUB PEDIBUS EIUS IN SIMILITUDINEM TRIBUNALIS.) Sept. *super ascensum graduum;* Vatab. *in fastigio graduum,* id

est in supremo gradu, nimirum summo et eminentissimo loco, q. d. loco excelso vestibus suis erexerunt ei quasi thronum regium, ut in eo velut rex sederet: hoc enim ritu eum regem crearunt.

Nimirum ad vocem Prophetæ, quam a Iehu audierant principes, hi et milites divinitus excitati regnum ei detulerunt, ideoque gradus aliquos opere tumultuario construxerunt, quos palliis suis quasi aulæis constraverunt, et in summo eorum Iehu collocarunt, eique acclamarunt: *Regnavit Iehu*, q. d. rex noster est Iehu, vivat ergo et regnet prospere per multos annos. Sic Plutarchus scribit de Catone Uticensi in eius vita, stratas esse a militibus vestes per ea loca, quæ ipse pedibus calcaturus erat: quod honoris genus refert Imperatoribus impendi solere. Et in Deorum suorum quibusdam sacris, dum illos festa pompa traducerent, vestes sterni solitas esse scribit idem Plutarchus in Alcibiade.

Idem de sacris Iunonis tradit Athenæus lib. 12. c. 9. Sic et Christo quasi Messiæ regi, solemni pompa ingredienti Ierusalem in die Palmarum, turba viam stravit palmis et vestibus, Matthæi 21.

Vers. 18. Quid tibi et paci?) q. d. Non pacem veho, sed bellum: coniuravi enim contra tuum regem Ioram, ut eum occidam regnumque eius occupem.

Vers. 21. Et egressus est Ioram rex Israel, et Ochozias rex Iuda, etc. in occursum Iehu; et invenerunt eum in agro Naboth Iezrahelitæ.) Iustum congruumque fuit hoc Dei iudicium, qui eos congregavit in agrum Naboth, ut in eo cæderentur, in quo Achab pater eorum, Naboth vinea sua spoliarat et occiderat, uti ipse per Eliam eidem prædixerat 3. Reg. 21. 23.

Vers. 22. Adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, et veneficia eius multa vigent.) Puta idololatria et magia Iezabelis; idololatria enim est fornicatio mystica, qua quis relicto Deo sponso, adhæret idolis, quasi adulteris. Eadem est magia, quia sacerdotes idolorum sunt magi; consulunt enim dæmonem, et ab eo oracula accipiunt. Dicit hoc Iehu, q. d. Ego ex parte Dei iudicis venio, ut puniam idololatriam et magiam tuam, tuæque matris Iezabelis.

Vers. 25. Quod Dominus onus hoc levaverit super eum.) *Onus* vocatur prophetia minax et onerosa, qua Deus per Eliam prædixerat posteros Achab ob eius scelera occidendos 3. Regum 21. 23.

Vers. 27. Etiam hunc percutite.) Ad exterminium domus Achab a Deo prædictum et decretum. Erat enim Ochozias rex Iuda, ex parte matris Athaliæ, nepos Achab, eiusque scelera et idololatriam imitabatur.

Dices, 2. Paral. 22. 9. dicitur Ochozias fugisse et latuisse in Samaria. Resp. hac vice fugit et latuit in Samaria, sed ut ibidem additur, in Samaria postea deprehensus, deductus est ad Iehu in Gaber, ibique percussus fugit in Mageddo, ibique mortuus est. Ita Lyran.

Vers. 29. Anno undecimo Ioram filii Achab regis Israel regnavit Ochozias super Iudam.) *Regnavit*, id est regnare cœpit, et vix uno anno regnavit; nam anno duodecimo Ioram una cum eo occisus est a Iehu.

Vers. 30. Porro Iezabel introitu eius (Iehu regicidæ) audito, depinxit oculos suos stibio.) Non ad illiciendum Iehu in sui amorem. Erat enim vetula, et sciebat Iehu esse iuratum suum hostem, sed ad animositatem ostentandam, quasi quæ non timeret nec curaret Iehu; unde eum increpuit vocavitque domini sui (Ioram regis) interfectorem, ut eum percelleret: putabat enim quod Iehu in se, utpote feminam et reginam, non auderet manus iniicere, nec eius sanguine se cruentare. Quod si auderet, volebat animose et nobiliter mori, quasi mortem contemnens. Hæc est vanitas sæculi et sæcularium, æque ac mulierum vanitas est stibium et purpurissa, quam proinde Magdalena dum pœnituit, despexit; nam ut ait S. Hier. Epist. ad Furiam: *Non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fulginatos.* Unde S. Cyprian. tract. de opere et eleemosyna: *Inunge oculos tuos*, inquit, *non stibio diabolico, sed collyrio Christi.*

Vers. 31. Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?) q. d. Quæ pax et societas potest esse cum Iehu, qui est quasi alter Zambri tyrannus. Sicut enim Zambri occidit Ela regem suum, 3. Reg. 16. 10. eiusque regnum invasit, sic Iehu occidit Ioram regem suum, eiusque regnum invadit.

Vers. 37. Iezabelis etymon. Et erunt carnes Iezabel sicut stercus.) Alludit ad Etymon nominis Iezabel. *Iezabel* enim Hebr. idem est, quod אי זבל *e zebel*, id est *ubi stercus? Zebel* enim Chaldaice, Syriace et Arabice idem est quod, *stercus*. Aut *Iezabel* idem est, quod אי זבל *i zebel*, id est, *insula sterquilinii, vel væ sterquilinio*, ait Pagn. unde nonnulli putant a *zebel*, id est *stercus* diabolum per contemptum vocari *zabulum*, id est, *stercorarium*, ac Græcos Beelzebub vocare *Beelzebub*, quasi *Deum stercoris*; stercori enim insidet *zebub*, id est *musca*. Porro S. Ambros. exhort. ad virgin. *Iezabel*, inquit, *idem est quod vanitatis profluvium, vel vana et vacua redundantia, qualis est in avaritia, ambitione, omnique concupiscentia, cuius idea est Iezabel.*

Hæccine est illa Iezabel?) q. d. Itane fortuna vices commutans Iezabelem ex summo gloriæ in imum ignominiæ prostravit? Erat illa decor et pulchritudo orbis, iam putet ut sordidum stercus. Erat illa regum uxor et mater, imo domina et rectrix, en tibi iam a canibus laniatur. Erat illa terror Eliæ et prophetarum, imo totius Israelis: Ecce iam illa ungulis equorum calcatur.

Notat S. Chrysost. hom. 25. in Epist. ad Roman. Iezabelem gravius punitam esse, quam Achab, qui in bello sagitta confixus decore occubuit; eo quod Iezabel fuerit ei omnis mali occasio, imo suggestrix et incentrix: *Iezabel*, ait, *maiores pœnas dedit, quam Achab vineæ raptor: ipsa quippe universum istud negotium texuerat, regique lapsus occasionem dederat.*

Sic B. Francisc. Borgia nuper Dux Gandiæ, cum Isabellæ uxoris Caroli V. defunctæ corpus ad regium sepulchrum Granatam deferret, illud adeo deforme, fœdum et horridum conspexit, ut non agnosceret nec auderet iurare, hoc esse corpus Imperatricis. Quare illud contentis oculis intuens et admirans: *Hæccine*, inquit, *est Isabella mundi Imperatrix?* Hæccine sapiens et sancta illa Isabella, gaudium Hispaniæ, decus imperii, spes orbis? ubi nuperus ille vultus decor, ubi oculorum splendor, ubi coronæ regiæ maiestas? Itane caro eius versa est in putredinem, decor in fœtorem, splendor in horrorem? Quare Deo mentem illuminante, attente considerans, quanta esset regum regnorumque et omnium bonorum mundi vanitas, eis valedicere et soli Deo servire decrevit, ac Societatem Iesu ingressus, rarum virtutum omnium tam religiosis, quam sæcularibus, quin et principibus ac regibus dedit exemplar, ut patet ex eius vita.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iehu occidit septuaginta filios Achab, et quadraginta duos fratres Ochoziæ, ac per dolum omnes cultores Baal, unde meruit progeniem in regno usque in quartam generationem. Idem tamen coluit vitulos aureos Ieroboam, ideoque domus eius tandem excisa est.

1. ERANT autem Achab septuaginta filii in Samaria: scripsit ergo Iehu litteras, et misit in Samariam, ad optimates civitatis, et ad maiores natu, et ad nutritios Achab, dicens: 2. Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, et currus, et equos, et civitates firmas, et arma, 3. Eligite meliorem, et eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, et eum ponite super solium patris sui, et pugnate pro domo domini vestri. 4. Timuerunt illi vehementer, et dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, et quo modo nos valebimus resistere? 5. Miserunt ergo præpositi domus, et præfecti civitatis, et maiores natu, et nutritii, ad Iehu, dicentes: Servi tui sumus, quæcumque iusseris faciemus, nec constituemus nobis regem: quæcumque tibi placent, fac. 6. Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens: Si mei estis, et obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, et venite ad me hac eadem hora cras in Iezrahel. Porro filii regis, septuaginta viri, apud optimates civitatis nutriebantur. 7. Cumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, et occiderunt septuaginta viros, et posuerunt capita eorum in cophinis, et miserunt ad eum in Iezrahel. 8. Venit autem nuntius, et indicavit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit: Ponite ea ad duos acervos iuxta introitum portæ usque mane. 9. Cumque diluxisset, egressus est, et stans dixit ad omnem populum: Iusti estis: si ego coniuravi contra dominum meum, et interfeci eum, quis percussit omnes hos? 10. Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, et Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ. 11. Percussit igitur Iehu, omnes qui reliqui erant de domo Achab in Iezrael, et universos optimates eius, et notos, et sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ. 12. Et surrexit, et venit in Samariam: cumque venisset ad Cameram pastorum in via, 13. Invenit fratres Ochoziæ regis Iuda, dixitque ad eos: Quinam estis vos? Qui responderunt: Fratres Ochoziæ sumus, et descendimus ad salutandos filios regis, et filios reginæ. 14. Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, iugulaverunt eos in cisterna iuxta Cameram, quadraginta duos viros, et non reliquit ex eis quemquam. 15. Cumque abiisset inde, invenit Ionadab filium Rechab in occursum sibi, et benedixit ei. Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Ionadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum: 16. Dixitque ad eum: Veni mecum, et vide zelum meum pro Domino. Et impositum in curru suo, 17. Duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria usque ad unum, iuxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam. 18. Congregavit ergo Iehu omnem populum, et dixit ad eos: Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. 19. Nunc igitur omnes prophetas Baal, et universos servos eius, et cunctos sacerdotes ipsius, vocate ad me: nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porro Iehu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal. 20. Et dixit: Sanctificate diem solemnem Baal. Vocavitque, 21. Et misit in universos terminos Israel, et venerunt cuncti servi Baal: non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal: et repleta est domus Baal, a summo usque ad summum. 22. Dixitque his qui erant super vestes: Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt eis vestes. 23. Ingressusque Iehu, et Ionadab filius Rechab, templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, et videte, ne quis forte vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint servi Baal soli. 24 Ingressi sunt igitur ut facerent victimas et holocausta: Iehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, et dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima eius erit pro anima illius. 25. Factum est autem, cum completum esset holocaustum, præcepit Iehu militibus et ducibus suis: Ingredimini, et percutite eos, nullus evadat. Percusseruntque eos in ore gladii, et proiecerunt milites et duces: et ierunt in civitatem templi Baal, 26. Et protulerunt statuam de fano Baal, et combusserunt, 27. Et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, et fecerunt pro ea latrinas usque in diem hanc. 28. Delevit itaque Iehu Baal de Israel: 29. Verumtamen a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel et in Dan. 30. Dixit autem Dominus ad Iehu: Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab: filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. 31. Porro Iehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo: non enim recessit a peccatis Ieroboam, qui peccare fecerat Israel. 32. In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel: percussitque eos Hazael in universis finibus Israel. 33. A Iordane contra Orientalem plagam, omnem Terram Galaad, et Gad, et Ruben, et Manasse, ab Aroer, quæ est super Torrentem Arnon, et Galaad, et Basan. 34. Reliqua autem verborum Iehu, et universa quæ fecit, et fortitudo eius, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 35. Et dormivit Iehu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria: et regnavit Ioachaz filius eius pro eo. 36. Dies autem, quos regnavit Iehu super Israel, viginti et octo anni sunt, in Samaria.

Vers. 1. ERANT AUTEM ACHAB SEPTUAGINTA FILII.) Non ex sola Iezabele, sed ex aliis multis uxoribus ab eo procreati.

A AD NUTRITIOS ACHAB.) Id est, ut Septuag. *ad nutritios filiorum Achab*, scilicet ad primates, qui septuaginta filios Achab enutrierant.

Vers. 4. Ecce duo reges (Ioram rex Israel, et Ochozias rex Iuda, utrumque enim occidit Iehu) non potuerunt stare coram eo,) Id est resistere illi, unde sequitur :

Et quomodo nos (privati et plebei) valebimus resistere ?)

Vers. 5. Miserunt ergo præpositi domus.) Qui scilicet præerant palatio regio, quod Amri ædificarat in Samaria, in quo habitarat Achab, eiusque filius Ioram, occisus a Iehu.

Vers. 7. Occiderunt septuaginta viros.) Non peccavit Iehu iubendo occidi septuaginta filios Achab, quia id fecit iussu Dei, qui summus vitæ tam nocentum quam innocentum est Dominus, eo quod essent filii nocentis Achab, cuius utpote nequissimi semen omne, omnemque stirpem funditus delere volebat Dominus: verisimile enim est inter hos septuaginta aliquos fuisse minores et innocentes, nec idololatriæ Achab capaces vel participes. Peccarunt tamen Samaritæ, quod hoc mandatum Iehu de eis occidendis executi sint, non ut ministri Iudicis, sed timore Iehu, quem nesciebant esse regem a Deo electum, et ab Eliseo unctum; ideoque nesciebant eum esse Iudicem Israelis, ac habere a Deo potestatem occidendi hos filios Achab. Forte etiam peccavit Iehu iubendo eis hoc facinus, si prius non satis eis probavit suam auctoritatem, et ius regni sibi a Deo datum, nisi ipsi illud aliunde facile scire potuerint. Ita Abul.

Et posuerunt capita eorum in cophinis.) Apposite ad culpam Achab, qui in cophinis collegerat uvas ex vinea Naboth a se occisi: idcirco igitur in pœnam peccati filiorum eius capita in cophinis deferuntur ad Iehu. In eo ergo punitur tum ipse, tum filii, in quo peccarant.

Vers. 8. Ponite ea ad (Chald. in) duos acervos iuxta introitum portæ usque mane.) Ut totus populus ingrediens et exiens per portam, videat hoc iustum Dei iudicium contra domum Achab, itaque ab eius idololatria et cultu Baal recedat.

Vers. 9. Iusti estis.) Id est, iustam Dei vindictam implestis, licet inscii et non cogitantes. Cogitabant enim implere iussum Iehu de eis occidendis, non autem iussum Dei.

Si ego coniuravi contra dominum meum (Ioram regem Israel) et interfeci eum, quis percussit omnes hos?) q. d. Non ego sed vos, esto meo iussu meique metu, q. d. Ex hac ultione patet manifeste vindicta Dei contra domum impiam Achab; quod scilicet Deus tam me, quam vobis usus sit ad illam peragendam. Nam ego licet occiderim Ioram, non tamen potuissem occidere septuaginta eius fratres, nisi Deus immisisset vobis mei metum, ut me iubente eos occideretis. Alioqui enim potuissetis meo iussui resistere, aut vi, aut honesta excusatione, aut filios hos Achab, quos occidistis, abscondendo, vel alio amandando. Deus ergo vobis mentem eripuit, ne id faceretis, sed eos occideretis.

Vers. 11. Percussit igitur Iehu omnes qui reliqui erant de domo Achab.) *Omnes*, id est fere omnes, quia pauci iique fere pauperes, abiecti et imbelles fuere relicti. Remansere quoque fratres Ochoziæ regis Iuda, prognati ex Athalia filia Achab, quos paulo post occidit v. 14. Remansit quoque Ioas, qui Ochoziæ patri in regno Iudæ successit. Simili modo dixit Script. nullum relinquendum ex domo Ieroboam, Baasa, Ela, etc. quia digniores omnes sublati, et pauci vilesque relicti fuere.

Vers. 13. Fratres Ochoziæ.) Id est filii fratrum Ochoziæ, ut explicatur 2. Paral. 22. 9. nam fratres Ochoziæ fuere occisi ab Arabibus 2. Paral. 21. 17.

Descendimus ad salutandos filios regis.) Scilicet Ochoziæ regis Israel, eiusque uxoris et reginæ.

Vers. 14. Iugulaverunt eos.) Quasi posteros impii Achab, ex impia matre Athalia. Fecit id Iehu instinctu Dei, unde ait ad Ionadab: *Vide zelum meum pro Domino.* Ita Abul.

Iuxta Cameram.) *Pastorum*, ut dictum est v. 12. Chald. *Ad domum congregationis pastorum*, Hebr. *ad domum ligationis*, in qua scilicet oves ligabantur ad tondendum, q. d. in tonstrina ovium. Ita Pagn. Forte tondebantur tum ibidem oves, ideoque de more læta instruebantur convivia, ad quæ invitati fuere hi filii fratrum Ochoziæ, ibique inter epulas occisi, uti in similibus occisus fuit Ammon a fratre suo Absalom. 2. Reg. 13.

Vers. 15. Invenit Ionadab filium Rechab in occursum sibi, et benedixit ei.) Scilicet bene precatus est ei, salutavit eum dicendo more Hebræo: *pax tibi.* Hic *Ionadab* est ille qui laudatur Ieremiæ c. 35. 6. ubi Ieremias propinans vinum Rechabitis, posteris et discipulis Ionadab, audit ab eis: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, et filii vestri usque in sempiternum, et domum non ædificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis, nec habebitis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.* Ionadab pater Rechabitarum.

Ioannes Ierosolymit. lib. de Institut. monach. c. 25. asserit hunc *Ionadab* fuisse Elisei discipulum, eiusque vitæ religiosæ vestigia, excepta continentia, sectatum esse cum suis filiis et nepotibus. Rechabitæ hi fuere Cinæi, posteri Iethro Madianitæ, soceri Mosis. Vide dicta Ieremiæ 35. 6.

Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?) q. d. Amasne me sincere et ex animo, sicut ego amo te. Hinc videtur Iehu ante regnum fuisse probus, utpote amicus et familiaris Ionadabo viro probo et religioso. Amicitia enim non coalescit inter probos et improbos, poscit enim sibi similes.

Et impositum in curru suo duxit in Samariam.) Vers. 17.
Ut auctoritatem sibi apud Samaritas nomenque probitatis conciliaret per Ionadabum sibi socium, quem omnes habebant pro viro integro et sancto, ut hac ratione facilius perageret cædem Baalitarum, quam moliebatur, nec aliquis ei resistere auderet.

Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum Vers. 18.
amplius.) Mentitur Iehu, sed officiose, et ad bonum finem, ut omnes cultores Baal in unum colligat et mactet, quod Deus ei iusserat, quodque alia ratione perfici vix poterat. Unde ipse putabat hoc mendacium sibi esse licitum, imo necessarium, honestum et pium. Ita Theodor. et Procop. Iehu ait se culturum Baal.

Licet enim hoc eius mendacium ex genere suo esset perniciosum, quia erat simulatio imo professio idololatriæ, ideoque scandalum publicum, uti docet S. Thom. 2. 2. q. 111. art. 1. ad 2. Franc. Suarez tract. 1. de fide disp. 14. sect. 4. n. 9. Greg. de Valentia tract. de fide disp. 1. q. 3. puncto 2. imo S. Aug. lib. contra mendacium c. 2. hoc Iehu mendacium vocat impium, ideoque eum non pro illa simulatione, sed pro obedientia, qua iussu Dei occidit posteros Achab, a Deo fuisse laudatum et remuneratum asserit, additque: *Visum est quibusdam Catholicis, Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent; quod ego prohibens*, ait Aug. *scripsi librum contra mendacium.* An peccarit?

Tamen multa sunt quæ Iehu excusant, et hoc eius mendacium potius officiosum quam perniciosum fuisse ostendunt. Primum est, intentio loquentis, nimirum quod illud dixerit non serio, non enim intendebat colere Baal, sed ficte et simulate ut omnes cultores Baal in unum colligeret, et collectos omnes quasi victimas divinæ iustitiæ mactaret, uti Deus ei iusserat; quod alias facere nequivisset. Unde S. Hieron. in c. 2. Epist. ad Galat. omnino excusat Iehu, docetque utilem esse simulationem, et quandoque exhibendam, dummodo caveatur mendacium. *Utilem*, ait Hier. *simulationem assumendam esse in tempore, Iehu regis nos docet exemplum.* Idem censet Abul. Caiet. et alii. Imo Adrianus in 4. q. 1. de Baptismo in resp. ad 5. ait licere celare fidem per professionem falsæ religionis, si iusta subsit causa: quod tamen alii passim improbant et refellunt, ac merito. Multa eum excusant. I.

Secundum, quod simulatio et fictio hæc Iehu brevissimo tempore durarit; unde exiguum fuit scandalum: nam mox visuri erant universi animum loquentis plane contrarium: moram ergo modici temporis Iehu pro nihilo reputavit. II.

Tertium, quod non iusserit vel exhortatus sit Baali- III.

tas ad sacrificandum Baal, sed tantum dixerit: *Ego colam eum amplius:* qua voce tantum intendit occasionem dare Baalitis, ut animum suum aperirent, et malitiam idololatriæ mente conclusam proderent, ut illam deinde ipse succideret. Sic medici dant pharmaca, quæ humores pravos commoveant, ut eos deinde emicantes expellant, itaque homini sanitatem restituant. Sic principes mittunt exploratores ad hostes, qui se eorum amicos simulent, ut eorum consilia resciscant, et Principibus renuntient; uti fecit Chusai transfugiens ad Absolomem, ibique dissipans consilia Achitophelis 2. Reg. 15. 14. Sic heri explorant fidem servorum et ancillarum, hinc inde ponendo nummos, ut videant an ipsi eos auferant et furentur, an vero fideliter ad herum referant. Hi ergo dant quidem occasionem furti, non tamen ad illud incitant vel invitant.

Dices, Iehu implicite suo exemplo invitavit Baalitas ad sacrificandum Baal. Resp. Iehu non invitavit, sed occasionem tantum eis dedit sacrificandi (uti iam dixi de heris) quam sciebat illos arrepturos, idque permisit, ut quod ipsi quotidie faciebant privatim, hoc iam facerent publice, itaque se detegerent, ut ab eo puniri plectique possent. Satius enim erat unum actum sacrificii publicum permittere ad redimenda tot privata eorum sacrilegia. Satius erat sinere eos publice semel idola colere, quam privatim millies et millies; ut hac permissione idololatriam Baal funditus excinderet.

IV. Quartum, quia magna tunc erat rerum et religionis perturbatio: alii enim colebant Baal, alii vitulos aureos, alii Melchom, alii Chamos, alii Deum verum: quare exiguum fuit hoc Iehu scandalum: quisque enim libere colebat quod volebat. Addunt nonnulli Iehu ambigue fuisse locutum, et per Baal intellexisse Deum verum: hic enim verus est *Baal,* id est omnium Dominus; aut potius per Baal intellexisse dæmonem, q. d. Achab coluit Baal, id est dæmonem victimis animalium, ego amplius eum colam, sed materialiter tantum, victimis hominum, quia Baalitas mactabo et offeram illi, non quasi Deo, sed quasi Dei archicarnifici, qui mere delectatur sanguine et morte hominum impiorum, ut animas eorum abripiat in tartara: magnum enim festum egit dæmon in mactatione idololatrarum, quam fecit Iehu, eosque quasi victimas suas lætissime acceptavit.

V. Quintum, quia Iehu erat homo militaris; militari ergo sensu et astu hoc militare stratagema adinvenit, ad perdendos simul et semel omnes Baalitas, Dei æque ac suos hostes: quare non studuerat casibus conscientiæ, sed quod zelus honoris Dei et militaris industria ad detegendos hostes, ut ex inopinato eos opprimeret, illi suggerebat, hoc bona fide peregit, idque præsente, iuvante, et ut videtur probante Ionadab viro probo, prudente et religioso.

Denique Iehu a Domino laudatus et remuneratus fuit v. 30.

Simili modo Constantius Imperator Constantini Magni pater, ut agnosceret quinam in familia sua essent veri et cordati Christiani, qui ficti vel timidi, et inconstantes, edixit ut qui Deos colere vellent, in aula manerent, pristinisque honoribus fruerentur; qui vero id facere nollent, aula excederent. Mox omnes eos qui se Deos colere velle dicebant, aula eiecit; cæteros in ea retinuit, causamque dedit: *Quomodo,* inquit, *mihi fidi erunt, qui Deo perfidi fuerunt?* Ita refert Euseb. lib. 1. de vita Constantini c. 9. et 10. et Sozom. lib. 1. c. 6.

Vers. 19. Sacrificium enim grande est mihi Baal.) q. d. Volo grande et solemne sacrificium offerre Baal, ideoque volo Baalitas omnes esse præsentes. Hoc simulabat Iehu, sed vere intendebat ipsosmet Baalitas, quasi victimas mactare Deo, eosque offerre dæmoni, quasi Dei carnifici, qui eorum utpote sui cultorum erat dominus et possessor, ideoque eos secum abrepturus erat in gehennam.

Vers. 20. Sanctificate diem solemnem Baal.) Hoc est indicite diem festum et sanctum, quo solemniter colamus Baal: sed vos o Baalitæ, coletis eum formaliter victimis boum, ego vero eum colam materialiter dumtaxat mactando et tradendo vos ipsos quasi victimas dæmoni, cui vosmetipsos dicastis, et quasi servos addixistis. Et vere solemne festum egit tum dæmon, cum tot idololatrarum quasi servorum suorum a Iehu cæsorum animas et corpora rapuit. Vocati ergo venerunt ad festum solemne non epuli, sed macelli sui. Sic diabolus in morte Lutheri indixit solemne festum dæmonibus sibi subditis, adeoque omnes circumquaque convocavit ad eius animam cum triumpho deducendam ad tartara. Id fassi sunt dæmones qui energumenos possidebant Geilæ, quæ civitas est in Brabantia inter Antuerpiam et Lovanium, ubi S. Dympna virgo et martyr a suo patre rege Hyberniæ pro virginitate occisa requiescit, et multis miraculis præsertim in energumenis a dæmone liberandis resplendet, uti oculis meis olim conspexi, cum sanctæ huius virginis lipsana sacra visitarem. Geilæ, inquam, eo die quo mortuus est Lutherus, omnes energumeni a dæmonibus fuere liberi; sed postero die rursus ab iisdem possessi et exagitati. Rogati dæmones causam, dixere, se pridie convocatos ad magni amici sui Martini Lutheri funus, illi interfuisse ac festum agitasse: principem enim ipsorum et archidæmonem præcepisse, ut universi spiritus maligni ad sui prophetæ et fidelis cooperarii Lutheri exequias confluerent: congruere enim ut qui quamplurimos ad inferos deduxisset, a quamplurimis ad eosdem solemniter deduceretur. Uti inter alios narrat Tilmannus Bredenbachius lib. 7. Collat. sacr. c. 39. qui et addit innumerabilem corvorum horrendum in modum crocitantium copiam (erant illi dæmones) cadaver Lutheri supervolitasse, illudque Islebio Wittenbergam ad sepulchrum usque comitatam fuisse. Simile festum egerunt dæmones in morte Udonis Magdeburgensis præsulis, uti idem Bredenbac. libro 8. c. 14. ex Nauclero, Fulgosio, P. Canisio fuse enarrat.

Festum dæmonum in morte Lutheri.

Et venerunt cuncti servi Baal.) *Servos* vocat devotos Baal, præsertim sacerdotes, ut patet v. 19. unde et v. seq. iussit eis dari vestes, scilicet sacerdotales et sacras: nec enim videntur omnes omnino qui Baal adorabant venisse, aut templo uno capi potuisse. Sic Actor. 17. 4. *colentes,* vocantur viri pii et religiosi Deum pie colentes. Abul. tamen censet omnes omnino profitentes cultum Baal vocatos venisse ad diem solemnem Baal: licet enim tempore Achab fuerint illi in magno numero, tamen paulo post agente Iosaphat rege pio, multi ex eis ad cultum unius veri Dei redierunt. Vers. 21.

Et repleta est domus Baal, a summo usque ad summum.) Scilicet ab extremo in extremum. Sept. *Et repleta est domus super os;* Chald. *ex angulo in angulum.*

Proferte vestimenta universis servis Baal.) Scilicet sacerdotalia vel sacra, qualibus utebantur Levitæ et Nathinæi, sive ministri sacerdotum: non ergo dedit eis vestes laicas in præmium. Hæc enim magna multis fuisset idololatriæ et peccati illecebra, ut pro vestibus se cultores Baal esse mentirentur. Addit Abul. Iehu eis victimas ad sacrificium suppeditasse et invitasse ad sacrificandum, idque sine culpa. Verum id dici nequit: invitare enim ad sacrificandum idolo, culpa est et scelus, quocumque fine id fiat. Suffecit ergo Iehu, quod eos paratos ad sacrificandum permitteret sacrificare. Vers. 22.

Sed ut sint servi Baal soli.) *Nolle se dicens,* ait Iosephus, *ut sacris eorum alienus ac profanus ullus se ingerat.* Prudenter id providit Iehu, ne quis innocens Deique cultor, sed soli nocentes Baalitæ mactarentur. Vers. 23.

Anima eius erit pro anima illius.) *Interminatus,* ait Iosephus, *quicumque aliquem eorum elabi permiserit, vicarium pro illo moriturum.* Vers. 24.

Factum est autem cum completum esset holocaustum.) Hebr. Chald. et Septuag. Rom. habent in singulari: *Cum consummasset,* scilicet summus sacerdos Baal. Sept. Regia et Complut. habent in plurali: *Et factum est ut compleverunt facientes holocaustum.* Utrumque verum: plures enim in pluribus altaribus plura offerebant holocausta. Vers. 25.

Et proiecerunt (cadavera eorum) milites et duces.) Iehu.

Vers. 26. Et ierunt in civitatem templi Baal, et protulerunt statuam de fano Baal, et combusserunt.) Videtur civitas quædam proprie fuisse dicata Baal, e cuius templo statuam Baal eduxerunt et combusserunt. Vatab. et Salian. per *civitatem* intelligunt civitates, ut sit Enallage numeri, q. d. Iussu missuque Iehu iverunt in quaslibet civitates Israel, ex eisque eduxerunt idola Baal et combusserunt; idque eos fecisse valde est probabile; nam ut sequitur: *Delevit itaque Iehu Baal de Israel:* quod non fecisset, si in una tantum civitate eum delevisset. Denique posset esse Hypallage: *Ierunt in civitatem templi*, id est ierunt in templum civitatis: templum enim hoc ab Achab in Samaria ædificatum erat vastum et amplum, habens varia domicilia annexa instar parvæ civitatis, q. d. Postquam in templo cæsi sunt omnes et soli cultores Baal, Iehu cum suis ingressus est ipsum templum, ac statuam Baal eduxit et combussit. Unde Septuag. Regia et Complut. non habent τὸ *civitatem*, sed tantum *ierunt usque ad templum Baal*, idque valde huic loco est appositum et congruum.

Vers. 29. Verumtamen a peccatis (a vitulis aureis adorandis) Ieroboam, etc. non recessit.) Mira fuit hæc Iehu et cæterorum regum Israel vel cæcitas vel fatuitas, quod cum viderent se iussu Dei delere domos Achab, aliorumque regum ob idolorum culturam, ipsi tamen eadem si non numero, certe specie coluerint; ideoque eamdem Dei manum vindicem senserunt, ac cum posteris excisi sunt. Causa fuit politica, quod metuerent, ne si rediret populus ad Deum adorandum in Ierusalem, rediret pariter ad stirpem Davidis et reges regnantes in Iuda. Sed vanus fuit hic eorum metus: Deum enim vadem habebant; ille enim promiserat, si se solum colerent, regnum eis fore stabile, et propagandum in posteros per multa sæcula.

Vers. 30. Quia studiose egisti, etc. filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.) Promisso Dei respondit eventus: nam Iehu regnavit 28. A annis, huic successit filius Ioachaz per 17. annos, huic filius Ioas per sedecim, huic filius Ieroboam per 41. huic filius Zacharias per sex menses.

Porro Hebræi censent prophetam hæc promittentem Iehu fuisse Ionam prophetam quartum e minoribus. Verum Ionas non floruit sub Iehu, sed sub Ieroboam abnepote Iehu. Quare melius Nicephor. in Chron. et Salian. censent prophetam hunc fuisse Eliseum, qui primitus unxerat Iehu in regem, ut dictum est c. 9. v. 1. et 2.

Videtur Iehu statim post cæsos Baalitas et eversum Baal, hanc promissionem a Deo in præmium accepisse, licet Abul. censeat id factum postquam Iehu cœpit colere vitulos, ideoque a Deo limitari hanc promissionem ad quartam generationem. Sed cultum vitulorum punivit mox Deus per Hazael regem Syriæ invadentem terram Israel, uti illico subditur: tunc ergo non præmii, sed punitionis fuit tempus.

Denique contra idola et vitulos Iehu misit Deus prophetas, qui sua oracula et minas, in eum, et Israelem B illi in scelere applaudentem dictarent et scriberent; quorum primus fuit Osee, qui cœpit prophetare sub Iehu, vel paulo post Iehu. Unde cap. 1. 4. ait: *Adhuc modicum, et visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu*, et c. 7. 1. *Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim*, puta Iehu et decem tribuum, quarum caput erat Ephraim. Causam subdit populi in idola pronitatem consuetudine firmatam, quæ Iehu idololatriam fovit et promovit. Unde ait v. 3. *In malitia sua lætificaverunt regem*, etc. *quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum*, etc. *Quia applicaverunt quasi clibanus cor suum, cum insidiaretur eis.* Vide ibi dicta.

Percussitque eos Hazael in universis finibus Israel.) Urbes cremando, iuvenes occidendo, parvulos elidendo, prægnantes dissecando, uti eis prædixerat Eliseus cap. 8. v. 12. Vers. 32.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Athalia extincto semine regio regnat: occidit eam Ioiada Pontifex, ac regem constituit Ioas Ochoziæ filium.

1. Athalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, et interfecit omne semen regium. 2. Tollens autem Iosaba filia regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis qui interficiebantur, et nutricem eius, de triclinio: et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur. 3. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini: porro Athalia regnavit super terram. 4. Anno autem septimo misit Ioiada, et assumens centuriones et milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus: et adiurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis: 5. Et præcepit illis, dicens: Iste est sermo, quem facere debetis: 6. Tertia pars vestrum introeat sabbato, et observet excubias domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur, et tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum: et custodietis excubias domus Messa. 7. Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa regem. 8. Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur: eritisque cum rege introeunte et egrediente. 9. Et fecerunt centuriones, iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada sacerdos: et assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Ioiadam sacerdotem. 10. Qui dedit eis hastas, et arma regis David, quæ erant in domo Domini. 11. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, a parte templi dextera, usque ad partem sinistram altaris et ædis, circum regem. 12. Produxitque filium regis, et posuit super eum diadema, et testimonium: feceruntque eum regem, et unxerunt: et plaudentes manu, dixerunt: Vivat rex. 13. Audivit autem Athalia vocem populi currentis: et ingressa ad turbas in templum Domini, 14. Vidit regem stantem super tribunal iuxta morem, et cantores et tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, et canentem tubis: et scidit vestimenta sua, clamavitque: Coniuratio, coniuratio. 15. Præcepit autem Ioiada centurionibus, qui erant super exercitum, et ait eis: Educite eam extra septa templi, et quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos: Non occidatur in templo Domini. 16. Imposueruntque ei manus, et impegerunt eam per viam introitus equorum, iuxta palatium, et interfecta est ibi. 17. Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum, et inter regem, et inter populum, ut esset populus Domini, et inter regem et populum. 18. Ingressus-

que est omnis populus terræ templum Baal, et destruxerunt aras eius, et imagines contriverunt valide: Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdos custodias in domo Domini. 19. Tulitque centuriones, et Cerethi et Phelethi legiones, et omnem populum terræ, deduxeruntque regem de domo Domini: et venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, et sedit super thronum regum. 20. Lætatusque est omnis populus terræ, et civitas conquievit: Athalia autem occisa est gladio in domo regis. 21. Septemque annorum erat Ioas, cum regnare cœpisset.

Vers. 1. ATHALIA VERO MATER OCHOZIÆ, VIDENS MORTUUM FILIUM SUUM (Ochoziam occisum a Iehu, c. 9. 27.) SURREXIT (erexit se) ET INTERFECIT OMNE SEMEN REGIUM) Scilicet omnes Ochoziæ regis filiique sui filios, ideoque nepotes suos cæterosque ex regibus prognatos. *Athalia* impia filia fuit impii Achab et Iezabelis, nupta Ioram filio Iosaphat regi Iuda, ex eoque genuit Ochoziam: quare videns Ochoziam filium suum occisum a Iehu, invasit regnum, et omnes filios regis, quorum ipsa erat avia, interfecit. Mira fuit et barbara hæc eius feritas et impietas, qua quasi altera Medea (cuius tragœdiam vide apud Senecam) suos filios, id est nepotes iugulavit. Fecit hoc partim ex rabie et furia, partim ambitione, ut sola nomine proprio, non quasi avia et tutrix nepotum, libere regnaret; partim ex invidia, ut eversa familia Achab et Iezabelis, quorum ipsa erat filia, everteret pariter domum Davidis, cui ipsa posteritatem et propagationem regni invidebat. Ita Iosephus. Addit Theodor. *Athalia,* inquit, *impia et tyrannica voluit omne genus Davidis, tamquam pium radicitus extinguere, ut arrepto imperio populum suum impietatem doceret.* Addunt alii, ut se totis regni viribus armaret contra Iehu, qui domum Achab everterat, eiusque eversionem, bellum vel necem Iehu inferendo, ulcisceretur. Athaliæ similis fuit Drahomira impia et idololatra mater S. Wenceslai regis Bohemiæ et martyris, quæ fratrem eius Boleslaum in Wenceslai necem impulit; sed castigavit eam Deus: nam vivam terra absorpsit, uti fusius ex Æneа Sylvio et aliis enarravi, Genes. c. 4.

Sub Athalia floruit Lycurgus, qui paulo post ex Minois legibus, quas ille Cretensibus dederat, aliisque, leges dedit Lacedæmoniis: floruit enim Lycurgus ante Solonem et Draconem circa annum a capta Troia 290. ante Romam conditam anno 150. ante Olympiades anno 125. ante Christum anno 900. ait ex Clemente et Eusebio Salianus anno mundi 3153.

Vers. 2. TOLLENS AUTEM IOSABA FILIA REGIS IORAM, SOROR OCHOZIÆ, IOAS FILIUM OCHOZIÆ, FURATA EST EUM etc. ET ABSCONDIT EUM A FACIE ATHALIÆ, UT NON INTERFICERETUR.) Ioseph. lib. 9. Antiq. c. 7. asserit Iosabam fuisse uxorem Ioiadæ Pontificis, ideoque Ioiadam quasi avunculum Ioas, et quasi Pontificem eum in regnum restituisse. Errat ergo Philo, vel potius Pseudo-Philo in breviario temporum, quem secuti sunt Ioannes Annius et Ioannes Lucidus, dicens, in Ochozia defecisse stirpem Salomonis, quotquot enim eum sequuntur, descendere ex Nathan non ex Salomone: nam diserte Ioas hic vocatur filius Ochoziæ, qui ex Salomone, non ex Nathan descendit. Frivolum ergo est quod iidem addunt, idcirco Ioas, Amasiam et Ochoziam omitti in genealogia Christi Matth. 1. quod in Ochozia defecerit stirps Salomonis.

Vers. 6. TERTIA PARS VESTRUM INTROEAT SABBATO (domum Domini sive templum) ET OBSERVET CUSTODIAS DOMUS REGIS.) Id est custodiat portam templi vergentem ad regiam. Ita Abul. Caietan. et alii. Divisit Ioiada milites in tres partes, ut tria loca necessaria ad novi regis tutelam, et ad Athaliæ comprehensionem custodirent. Porro militum horum maiorem partem Ioiada assumpsit ex Levitis, quibus ipse præerat quasi Pontifex, ut coniuratio foret secretior et tutior: si enim sæculares assumpsisset, utique id statim rescivisset Athalia, eosque oppressisset. Hinc et sabbato detinuit Levitas, qui vice sua hebdomadaria perfuncti, de more domum suam erant redituri, ut maiorem ex eis militum numerum conflaret. Hinc quoque Centuriones quinque assumpsit ex Levitis, qui reli-

A quos Levitas per urbes Iuda sparsos ad se congregarent, nimirum Azariam filium Ieroham, Ismael filium Iohanan, Azariam filium Obed, Maasiam filium Adaiæ, et Elisaphat filium Zechri, ut dicitur 2. Paral. 23. 1. Porro Levitæ hi sine armis veniebant ad templum, quasi in eo ministraturi: sed Ioiada Pont. ibidem dabat eis hastas, lanceas, clypeos et peltas, ut ibidem dicitur v. 9. et hic 10.

ET TERTIA PARS SIT AD PORTAM QUÆ EST POST HABITACULUM SCUTARIORUM.) Hæc est porta, qua a domo Domini sive a templo descendebatur in regiam, ut patet v. 3. quæ 2. Paral. 23. 20. vocatur *superior.*

DUÆ VERO PARTES E VOBIS, OMNES EGREDIENTES SABBATO, CUSTODIANT EXCUBIAS DOMUS DOMINI CIRCA REGEM.) Nota, singulis sabbatis ministros, puta sacerdotes et Levitas, in templo ad ministrandum mutari solitos, ut per hebdomades successive singuli sua vice ministrarent, iuxta ordinem a Davide præscriptum 1. Paral. 24. 3. et sequ. utrosque ergo, hoc est utriusque septimanæ, scilicet unius finientis, et alterius inchoantis ministros detinuit Ioiada, et novos quidem ingredientes ad ministerium templi, in tres partes sive classes divisit, singulisque portam unam custodiendam demandavit: veteres vero sive egredientes, in duas partes distribuit, quæ novum regem Ioas puerum custodirent, ut hoc versu dicitur. Ita Abul. Vers. 7.

B

SI QUIS AUTEM INGRESSUS FUERIT SEPTUM TEMPLI, INTERFICIATUR.) Arctissime enim hic servanda erat disciplina militaris custodiæ, ne vel ordines turba affluente turbarentur, vel Athalia milites sive ministros suos immitteret, qui puerum regem interciperent, aut occiderent.

PRODUXITQUE FILIUM REGIS, ET POSUIT SUPER EUM DIADEMA (coronavit eum in regem) ET TESTIMONIUM.) Vers. 12.
Pro *diadema* Hebr. est נזר *nezer*, pro quo Sept. vertunt *ἁγίασμα*, id est *sanctificationem*, per quam Theodor. intelligit *chrisma*; verum de chrismate et unctione Ioas paulo post sequitur, ac *nezer* significat *diadema*, sive coro-
C nam regiam, quam Sept. vocant *sanctificationem,* quia illa in sancto templo asservabatur, ut regi fideli Israelis, quasi a Deo electo et sanctificato imponeretur. Ita Abul. Per *testimonium* Pagn. et Vatab. intelligunt vestem regiam, puta purpuram sive paludamentum purpureum. Melius alii accipiunt Deuteronomium: hoc enim regi novo dari iusserat Deus Deuter. 17. v. 18. et 19. ut rex ex eo disceret officii sui esse et Deum pie colere, et subditos benevole instar parentis regere. Ita Abul. Caietan. et alii, ac S. Hier. in lib. 2. Paral. Id ita esse patet ex 2. Paral. 23. 11. ubi sic clare explicatur: *Dederunt*, inquit, *in manu eius tenendam legem.* Hæc enim ceremonia in auguratione regis erat præscripta a Deo Deuter. 17. Lex enim, sive Deuteronomium (id est secunda lex, hoc est legis repetitio facta a Mose in Deuter.) vocatur *testimonium*, scilicet voluntatis divinæ, quia in ea edicebat et protestabatur Deus, quid ab Hebræis vellet fieri. Hæc
D omnia iure egit Ioiada, tum quia avunculus erat pueri Ioas cui regnum debebatur, ideoque quasi eius tutor, curare debebat ut illud ab Athalia, quæ invaserat, auferretur, et Ioas rege restitueretur, ac vice Ioas sui pupilli illud administrare tenebatur; tum quia erat Pontifex, ad quem deficiente rege vel principe spectabat cura uti Synagogæ, sic et Reipub. Itaque illius erat curare, ut Athalia hostis Israelis, quæ Remp. simul et religionem evertebat, a regno amoveretur, et alius princeps sive rex, cui illud iure competebat, crearetur, qui utramque conservaret et promoveret.

Vers. 14. POPULUM TERRÆ.) Id est plebem, hæc enim vilis est, et *in terram* quasi abiecta, ac in terrena proiecta.

Vers. 16. ET IMPEGERUNT EAM.) Id est impactis manibus vi extraxerunt eam extra templum, ut foris eam occiderent, ne templum cæde et sanguine tam impiæ mulieris polluerent.

Vers. 19. CERETHI ET PHELETHI.) Quinam hi fuerunt dixi lib. 2. c. 8. Hebr. est *duces et cursores*, id est milites expeditos, uti sunt velites. Noster nominavit: *Cerethi et Phelethi*, quia hi erant prætoriani et fortissimi milites, qui in hoc facinore maxime erant necessarii.

Vers. 20. OCCISA EST GLADIO IN DOMO REGIS.) Id est iuxta domum, sive palatium regis, ut dictum est v. 16. Congrue ibi cæditur, ubi peccarat: invaserat enim palatium et regnum. Quare verum non est quod ait Iosephus, lib. 9. c. 7. Athaliam protractam fuisse ad torrentem Cedron, ibique occisam; fieri tamen potuit ut cadaver occisæ in torrentem Cedron proiiceretur.

Athaliæ et Iezabeli similis in impietate æque ac Numinis vindicta tempore S. Gregorii Magni Pont. fuit Brunichildis multorum regum Franciæ mater et avia. Hæc enim ut perpetuo regnaret, ac regina moreretur, Theodoricum regem, cuius ipsa erat avia, concubinarum amoribus implexum detinebat, ideoque S. Columbanum eum redarguentem Gallia expulit, ac Desiderium Viennensem, et Delfinum Lugdunensem Episcopos occidit, atque decem reges sua opera et consilio extinxit; sed tandem a Clothario rege capta, ac camelo primo imposita et circumducta ludibrium fuit toti populo, deinde indomiti equi caudæ per capillos alligata, raptataque calcibus equi dispersum fuit eius cerebrum, reliqua vero membra per aspera saxa, sentes et rupes protracta, discerpta fuere, uti ex Aimoino narrat Baronius anno Christi 614. Brunichildis similis Athaliæ.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioas rex restaurat templum, mox v. 17. redimit bellum et excidium Ierosolymæ auro tam sacro quam profano misso ad Hazael bellum molientem. Denique v. 20. a servis suis occiditur.

1. ANNO septimo Iehu, regnavit Ioas: et quadraginta annis regnavit in Ierusalem; nomen matris eius Sebia de Bersabee. 2. Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos. 3. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, et adolebat in excelsis incensum. 4. Dixitque Ioas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini: 5. Accipiant illam sacerdotes iuxta ordinem suum, et instaurent sartatecta domus, si quid necessarium viderint instauratione. 6. Igitur usque ad vigesimumtertium annum regis Ioas, non instauraverunt sacerdotes sartatecta templi. 7. Vocavitque rex Ioas Ioiadam pontificem et sacerdotes, dicens eis: Quare sartatecta non instauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam. 8. Prohibitique sunt sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo, et instaurare sartatecta domus. 9. Et tulit Ioiada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, et posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini. 10. Cumque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis, et pontifex, effundebantque et numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini: 11. Et dabant eam iuxta numerum atque mensuram, in manu eorum qui præerant cæmentariis domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum, et in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini, 12. Et sartatecta faciebant: et in iis, qui cædebant saxa, et ut emerent ligna, et lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domus Domini, in universis quæ indigebant expensa ad muniendam domum. 13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, et fuscinulæ, et thuribula, et tubæ, et omne vas aureum et argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Domini. 14. Iis enim qui faciebant opus, dabatur ut instauraretur templum Domini: 15. Et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam. 16. Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat. 17. Tunc ascendit Hazael rex Syriæ, et pugnabat contra Geth, cepitque eam: et direxit faciem suam ut ascenderet in Ierusalem. 18. Quam ob rem tulit Ioas rex Iuda omnia sanctificata, quæ consecraverant Iosaphat et Ioram et Ochozias, patres eius reges Iuda, et quæ ipse obtulerat: et universum argentum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, et in palatio regis: misitque Hazaeli regi Syriæ, et recessit ab Ierusalem. 19. Reliqua autem sermonum Ioas, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 20. Surrexerunt autem servi eius, et coniuraverunt inter se, percusseruntque Ioas in domo Mello in descensu Sella. 21. Iosachar namque filius Semaath, et Iozabad filius Somer, servi eius, percusserunt eum, et mortuus est: et sepelierunt eum cum patribus suis in Civitate David, regnavitque Amasias filius eius pro eo.

Vers. 3. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT.) Timore populi in illa propensi, ne ille seditionem moveret. Vide quæ de excelsis dixi superius, lib. 3. Reg. cap. 3. v. 2.

Vers. 4. OMNEM PECUNIAM SANCTORUM.) Id est sanctificatorum, sive consecratorum; q. d. Omnem pecuniam Deo oblatam et consecratam accipiant sacerdotes, etc.

A PRÆTEREUNTIBUS.) Hebr. *a transeunte*, scilicet in numerum et censum, id est ab omni qui numeratur solvitque censum. Ad hunc enim tenebantur soli illi qui attigerant vel excesserant annum vigesimum. Exodi 30. 14.

QUÆ OFFERTUR PRO PRETIO ANIMÆ.) Id est pro censu suo. Iusserat enim Deus, ut quisque Hebræus in censu pro capite suo solveret dimidium siclum, id est duos Iulios sive duos Regales. Hoc *pretium* vocatur *animæ*, id est vitæ sive hominis viventis, tum quia Hebræi qui toti

erant Deo dicati, hoc pretio quasi vitam ab eo redimebant; tum quia solvendo hoc pretium, a Deo tacite postulabant et impetrabant, ut Deus eis vitam prorogaret, eamque faceret longam, sanam et prosperam, uti dixi Exodi 30. 12.

Vers. 5. Ut instaurent sartatecta domus.) Dei, scilicet templi, ut scilicet restaurent quæ longitudine temporis vetustate consumpta, corrosa et ruinosa sunt, quæque Athalia demolita est et abstulit. Nam ut dicitur 2. Paral. 24. 7. *Athalia impiissima, et filii eius destruxerunt domum Dei, et de universis quæ sanctificata fuerant in templo Dei, ornaverunt fanum Baalim.*

Vers. 7. Quare sartatecta non instauratis templi?) Dupliciter peccabant sacerdotes. Primo, quod negligentes essent in exigenda pecunia pro censu debita templo ex lege Exodi 30. 12. Secundo, quod eam non in sartatecta templi, sed in alios ac subinde in privatos et proprios usus expenderent. Quare iure cum eis expostulavit rex Ioas, eisque hoc colligendæ et servandæ pecuniæ pro templi fabrica officium abstulit, eosque pecuniam in gazophylacium inferre præcepit, v. 9.

Vers. 8. Prohibitique sunt Sacerdotes.) Non inviti sed volentes et consentientes. Unde pro *prohibiti sunt* Hebr. est יאתו *ieotu*, id est *consenserunt*, voluerunt, annuerunt, Chald. *contenti fuerunt;* quia, ut ait Iosephus, sciebant multos e populo esse difficiles ad solvendum censum, ac neminem libenter argentum erogare.

Vers. 13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, et fuscinulæ, et thuribula, etc.) Quamdiu scilicet durabat restauratio templi: hæc enim utpote magis necessaria præire debebat: qua peracta reliquum pecuniæ expensum est in hydrias, aliaque vasa templi, ut patet 2. Paral. 24. Ita Abul. Caiet. et alii.

Vers. 15. Et non fiebat ratio, etc. q. d. Non exigebatur ratio et computus a receptoribus pecuniæ, quia sciebant omnes quod in fide tractabant eam.) Quod scilicet omnia expenderent in fabricam templi, et nihil in proprios usus decerperent. Ita Chald. Vatabl. et alii.

Vers. 16. Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia Sacerdotum erat.) Vatab. *Pecunia quæ supererat empta victima pro delicto vel peccatis, non inferebatur in ædem Domini, quod sacerdotum esset.* Qui enim longe a templo habitabant, non victimam, sed pecuniam mittebant ad unum e sacerdotibus, qui victimam emebat, et quod reliquum erat pecuniæ empta victima, id cedebat in utilitatem sacerdotum. Ita Vatab. Abul. vero sic explicat, quasi hic agatur de delicto et peccato contra sacerdotem admisso, ut si quis abstulisset id quod de victimis ad sacerdotem pertineret; tunc enim præter illatum damnum, et victimam pro illo peccato, quintam etiam partem insuper in pecunia debuit offerre sacerdoti. Audi legem Levit. 5. v. 15. *Anima, si prævaricans ceremonias per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus Sanctuarii: ipsumque quod intulit damnum restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti.* Idem de delicto sancitur, Num. 5. v. 6. Quid intersit inter *delictum* et *peccatum* dixi Levit. 7. 1.

Tunc ascendit Hazael rex Syriæ, etc. et direxit faciem suam, ut ascenderet in Ierusalem.) Quia Deus per Hazael, castigare volebat Ioas regem, qui post mortem Ioiadæ depravatus a consiliariis Athaliæ, deflexit ad idola, ideoque occidit Zachariam filium Ioiadæ, eo quod eum de idololatria argueret. Atque ob hanc cædem sacrilegam Ioas ipse cæsus est a suis famulis, et regia sepultura caruit; quæ omnia fuse narrantur 2. Paral. 24. Porro ad hanc idololatrarum castigationem peragendam, iusserat Deus Eliæ, ut Hazael ungeret in regem Syriæ 3. Reg. 19. 16. Vers. 17.

Quamobrem tulit Ioas rex Iuda omnia sanctificata quæ consecraverant Iosaphat, etc. et universum aurum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, et in palatio regis: misitque Hazael regi Syriæ, et recessit ab Ierusalem.) Ab hoc exemplo colligi ait Caiet. quod pecunia et thesauri Ecclesiarum licite impenduntur pro redimenda vexatione populi, qualis erat hic obsidio Ierusalem; simul tamen cum toto thesauro regio. Iniquum enim esset inchoare lytrum ab expilatione Ecclesiarum: sed ubi publicus regiusque thesaurus non sufficit, Ecclesiarum opes subvenire et supplere debent. Hæc Caiet. Audi S. Ambr. lib. 2. offic. cap. 28. tres casus recensentem, in quibus licet vasa sacra in laicos usus convertere: *Sane si quis in sua derivat emolumenta, crimen est: sin vero pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? nemo potest queri, quia captivi redempti sunt: nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est: nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.* Quæ S. Ambros. verba transcripta sunt in ius canonicum, extantque 12. q. 2. c. *aurum*. §. *nemo potest.* Vers. 18.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnant in Israel successive Ioachaz, Ioas et Ieroboam, v. 14. moriens Eliseus victoriam triplicem contra Syros regi Ioas promittit, ac v. 21. iam mortuus mortuum contactu ossium suorum suscitat. Denique v. 24. moritur Hazael, cui succedit Benadad filius, quem tertio pugnando vincit Ioas iuxta oraculum Elisei.

1. Anno vigesimo tertio Ioas filii Ochoziæ regis Iuda, regnavit Ioachaz filius Iehu super Israel in Samaria decem et septem annis. 2. Et fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, et non declinavit ab eis. 3. Iratusque est furor Domini contra Israel, et tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, et in manu Benadad filii Hazael, cunctis diebus. 4. Deprecatus est autem Ioachaz faciem Domini, et audivit eum Dominus: vidit enim angustiam Israel, quia attriverat eos rex Syriæ: 5. Et dedit Dominus salvatorem Israeli, et liberatus est de manu regis Syriæ: habitaveruntque filii Israel in tabernaculis suis sicut heri et nudiustertius. 6. Verumtamen non recesserunt a peccatis domus Ieroboam, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulaverunt: siquidem et lucus permansit in Samaria. 7. Et non sunt derelicti Ioachaz de populo nisi quinquaginta equites, et decem currus, et decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, et redegerat quasi pulverem in tritura areæ. 8. Reliqua autem sermonum Ioachaz, et universa quæ fecit, et for-

titudo eius, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 9. Dormivitque Ioachaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in Samaria: regnavitque Ioas filius eius pro eo. 10. Anno trigesimo septimo Ioas regis Iuda, regnavit Ioas filius Ioachaz super Israel in Samaria sedecim annis, 11. Et fecit quod malum est in conspectu Domini: non declinavit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulavit. 12. Reliqua autem sermonum Ioas, et universa quæ fecit, et fortitudo eius, quomodo pugnaverit contra Amasiam regem Iuda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 13. Et dormivit Ioas cum patribus suis: Ieroboam autem sedit super solium eius. Porro Ioas sepultus est in Samaria cum regibus Israel. 14. Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua et mortuus est: descenditque ad eum Ioas rex Israel, et flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga eius. 15. Et ait illi Eliseus: Affer arcum, et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum, et sagittas, 16. Dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, 17. Et ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus: Iace sagittam. Et iecit. Et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam. 18. Et ait: Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, 19. Iratus est vir Dei contra eum, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam. 20. Mortuus est ergo Eliseus, et sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. 21. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et proiecerunt cadaver in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. 22. Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Ioachaz: 23. Et misertus est Dominus eorum, et reversus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, et Isaac, et Iacob: et noluit disperdere eos, neque proiicere penitus, usque in præsens tempus. 24. Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, et regnavit Benadad filius eius pro eo. 25. Porro Ioas filius Ioachaz tulit urbes de manu Benadad filii Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris sui iure prælii, tribus vicibus percussit eum Ioas, et reddidit civitates Israel.

Vers. 1. ANNO VIGESIMO TERTIO IOAS FILII OCHOZIÆ REGIS IUDA, REGNAVIT IOACHAZ FILIUS IEHU SUPER ISRAEL.) Tempore Ioas regis Iuda, scilicet anno regni eius decimo, conditam esse Carthaginem Romæ æmulam a Didone, quæ ex Tyro, regnante Pygmalione, navigavit in Africam, eamque condidit, tradit Ioseph. ex Tyriorum annalibus lib. 1. contra Appionem, quem sequuntur Torniellus, Gordonus, Salianus, Scaliger, licet alii alio tempore conditam velint. Sunt enim ea de re variæ variorum sententiæ. Iuxta hanc sententiam Carthago condita est centum et triginta annis ante Romam. Rursus anno 14. Ioas, Lycurgus leges dedit Spartanis, quas Gentiles celebrant, sed Christianis legibus longe sunt inferiores; nam et mulieribus luxuriose vivere, et adulterari, atque pueris et adolescentibus furari permittunt, ut scilicet fiant callidi, utque quisque rem suam diligentius custodiat. Quare eas improbat, culpatque Arist. lib. 2. de Repub. cap. 9. Eodem anno 14. Ioas, cœperunt certamina Olympica, indeque nominatæ et computatæ Olympiades, institutæ vel potius instauratæ ab Iphito rege Elidis, qui Lycurgo fuit coævus; uti ex Plutarch. in Lycurgo, Aristot. et Pausania docet Salianus. Nomina tamen victorum in Olympicis cœpta fuere describi post 27. Olympiades, nimirum Olympiade 28. in qua primus victor describitur Coræbus: quare communiter ab hac 28. Olympiade numerantur Olympiades, ac vigesima vocatur prima, quæ iuxta computum Saliani incidit in annum Ioatham regis Iuda primum, qui fuit annus mundi 3278. ante Christum 775. licet alii aliter hos annos assignent: nusquam enim maior sententiarum diversitas, quam in chronologia.

Vers. 5. ET DEDIT DOMINUS SALVATOREM ISRAEL.) Quis hic Salvator? Aliqui censent fuisse Angelum præsidem et tutelarem Israelis, qui pro eo contra Syros pugnarit et vicerit, uti pugnavit Angelus pro Ezechia contra Sennacherib, occidens 185. millia Assyriorum. Alii volunt fuisse hominem et ducem certum a Deo missum, sed in Script. innominatum, ideoque nobis incognitum et incertum. Melius alii censent fuisse Eliseum, ita Caiet. aut certe Ioas regem Israel ab Eliseo confortatum, qui tertio Syros superavit, ut sequitur. Quare toto tempore Ioachaz afflictus fuit Israel a Syris, ut dicitur v. 22. Post Ioachaz vero succedens Ioas Syros depressit, et Israeli libertatem restituit. Unde Ioachaz orans Deum pro salute Israelis, eam impetravit pro tempore regni, non sui sed filii sui Ioas. Ita Abul.

A

ET NON SUNT DERELICTI IOACHAZ DE POPULO NISI QUINQUAGINTA EQUITES.) Hic versus confirmat id quod iam dixi: quare connectendus est cum v. 3. et ponendus ante v. 4. ubi per Hyperbaton interiicitur deprecatio Ioachaz, eiusque exauditio, ac promissio liberationis faciendæ per Ioas. Ita Sanchez. Vers. 7.

ET REDEGERAT QUASI PULVEREM IN TRITURA AREÆ.) Id est Hazael comminuit et contrivit Israelitas, sicut comminui et conteri solet gluma et pulvis in area. Ita Abul.

ET FORTITUDO EIUS.) Ioachaz licet victus ab Hazaele, utpote potentiore, fortiter tamen in præliis se gessit, et defendit se quoad potuit. Vers. 8.

ELISEUS AUTEM ÆGROTABAT INFIRMITATE QUA ET MORTUUS EST: DESCENDITQUE AD EUM REX ISRAEL (Ioas) ET FLEBAT CORAM EO, DICEBATQUE: PATER MI, CURRUS ISRAEL ET AURIGA EIUS.) q. d. Tu o Elisee, meus et Israelis es pater, utpote qui me meumque regnum magis defendebas, quam magna equitum et curruum multitudo: tu ergo vivens quasi auriga, aurigabas et regebas regnum Israel: nunc te moriente, quis me meosque contra Hazael et Syros defendet? Idem succlamabat Eliseus Eliæ dum in cælum raperetur, cap. 2. 12. Vide ibi dicta. Vers. 14.

B

DIXIT AD REGEM ISRAEL: PONE MANUM TUAM SUPER ARCUM. ET CUM POSUISSET ILLE MANUM SUAM, SUPERPOSUIT (perperam Regia legunt *supposuit*) ELISEUS MANUS SUAS MANIBUS REGIS.) Ut significaret suum illi auxilium affuturum, etiamsi absentis, imo vita functi: Deum enim propter merita sua ei daturum victoriam: ac se in limbo pro ea Deum oraturum certoque impetraturum. Post mortem ergo viva erat vis et virtus Elisei, ac mira quæ solebat dum viveret, etiam mortuus operabatur. Ita Abul. Caietan. et alii. Unde discant hæretici Sanctos, præsertim post Christum in cælo regnantes per Deum esse potentes, ut nobis eos invocantibus opitulari possint et velint. Vers. 16.

C

Discant hic principes et cæteri hominum, quantum sanctorum virorum oratio et merita prosint, ac nisi ipsi manus suas manibus et operibus nostris apponant, frustra nos laborare.

Tropol. Doctor ori prædicationis admoveat manum operationis bonæ, ut quod docet verbo, doceat primus exemplo. Sic efficax erit prædicatio, et auditoribus persuadebit quod prædicat. Ita Angelom. et Eucher.

APERI FENESTRAM ORIENTALEM (ut iacias sagittam victricem contra Syros, qui Israeli sunt ad Orientem) CUMQUE APERUISSET, DIXIT ELISEUS: IACE SAGITTAM: Vers. 17.

ET IECIT. ET AIT ELISEUS: SAGITTA SALUTIS DOMINI, ET SAGITTA SALUTIS CONTRA SYRIAM.) q. d. Oro Deum ut tuas tuorumque militum sagittas (quas hac mea sagitta eiusque iactu repræsento) et arma, pugnas et prælia secundet, dirigat et roboret, ut Syros feriant, mactent et subiiciant: nec tantum id oro, sed ipsum ut propheta ex ore Dei tibi prænuntio, et de Syris victoriam promitto; unde subdit:

PERCUTIESQUE SYRIAM IN APHEC.) Alludit ad veterum ritum, qui bellum hostibus denuntiabant, et prælium inchoabant iacta in terram hostilem sagitta vel telo, uti fecerunt Romani, teste Servio in illud Turni apud Virgil. 9. Æneidos:

En, ait, et iaculum intorquens emittit in auras
Principium pugnæ.

Idem fecere Græci: unde mox ut Persidem attigit *primus Alexander* (Magnus) *iaculum velut in terram hostilem iecit*, ait Iustin. lib. 2. Vide Gellium lib. 16. 14. et Alexand. ab Alex. lib. 4. Genial. cap. 3.

Tropol. Angelom. *Cum exemplis suis*, inquit, *Dominus actiones Doctorum dirigit et confortat, orientalem fenestram aperire mandat, et iacere sagittam, quia lumine scientiæ et veræ doctrinæ, suos hortatur primum illustrari, et sicut iacula verborum mittere.* Et paulo post: *Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam. Sagitta ergo salutis Domini, est prædicatio sancta, cum decenter exhibetur, et spiritualium hostium certissima interfectio, si perseveranter agitur. Nec fas est ut aliquando dispensator verbi Dei segniter torpeat, cui iussum est, ut gregis Dominici curam habeat, quia multum obest devotis auditoribus, si inertia prævalet Doctoribus. Dicit enim Propheta: Clama ne cesses.* Sic et Eucherius.

IN APHEC.) Aphec urbs erat in tribu Issachar hostium clade celebris, nam regem Aphec Iosue occidit: *In hac Philisthæi posuerunt castra pugnaturi contra Israel, postea contra Saul: ibidem etiam Syri pugnaverunt contra Achab regem Israel, quando dixerunt: Dii montium sunt dii eorum, pugnemus contra eos in vallibus et campestribus, et obtinebimus eos: ubi et Benadad rex Syriæ victus est*, ait Adrichomius.

DONEC CONSUMAS EAM.) Subaudi nisi tu impedias, uti factum est. Nam Ioas ter tantum percutiens terram, ter tantum percussit Syros, qui utique sæpius et ad consumptionem eos delevisset, si sæpius terram percussisset, ut patet v. 19.

Vers. 19. SI PERCUSSISSES QUINQUIES, AUT SEXIES, AUT SEPTIES, PERCUSSISSES SYRIAM USQUE AD CONSUMPTIONEM.) Illa erat voluntas et decretum Dei qui ita libere disposuerat et decreverat, ut Ioas toties percuteret Syriam, quoties percussisset terram; quod decretum Dei sciebat Eliseus, sed iussu Dei noluit indicare regi Ioas, ut illius permitteretur arbitrio toties percutere, quoties vellet terram. Si enim Ioas scivisset decretum Dei, utique sæpius terram sagitta percussisset.

Simili modo victoriam Iosue contra Amalec Deus alligavit extensioni manuum et orationi Mosis. Exodi 17. 11. et eiusdem Iosue victoriam contra Chananæos alligavit elevationi clypei Iosue 8. 18. Porro quod Ioas ter tantum percusserit terram, ideoque ter tantum Syros percusserit, eius peccatis et culturæ vitulorum attribuit Abul. Mirum enim fuit et indignum, regem toties monitum ab Eliseo, eiusque miracula cernentem, imo victorias contra Syros Dei ope nanciscentem, non reliquisse cultum vitulorum, ac ad veri Dei sibi tam benefici venerationem se totum transtulisse. Verisimile est eum coluisse Deum verum, quem per Eliseum agnoverat, et simul Deos patrios, scilicet vitulos aureos Ieroboam. Utrosque enim coluit pater eius Ioachaz, ut patet v. 4. et 6. Hinc in eum eique similes reges Israel detonans Deus per Osee, c. 10. 2. ait: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

MORTUUS EST ERGO ELISEUS, ET SEPELIERUNT EUM.) Vers. 20.
Morienti affuisse Ioas regem, ac filios Prophetarum discipulos suos iam per totum Israelem propagatos, ultimaque ab eo sanctitatis et religiosæ vitæ monita accepisse, non est dubium. Affuisse quoque Amos prophetam, Amasiæ regis fratrem et Isaiæ patrem, asserunt Hebræi in Seder Olam. Prophetavit Eliseus circiter 66. annos sub sex regibus Israel, scilicet sub Achab, Ochozia, Ioram, Iehu, Ioachaz et Ioas. Vixit centum annis et amplius, in religiosa disciplina octoginta, mortuusque est anno mundi 3204. ait Salianus, Amasiæ regis Iuda anno octavo, Ioas regis Israel anno decimo, ante Christum anno 849. Adscriptus est catalogo Sanctorum in Martyrolog. Roman. die 14. Iunii, ubi sic legimus: *Samariæ in Palæstina S. Elisei prophetæ, cuius sepulchrum dæmones perhorrescere scribit S. Hier.* Audi S. Hier. scribentem in principium Abdiæ Prophetæ: *Abdiæ sepulchrum cum Mausolæo Elisei, et Ioannis Baptistæ in Sebaste venerationi habetur, quæ olim Samaria.* Idem in Epitaphio Paulæ addit; illic variis dæmones rugire cruciatibus, et ante sepulchra sanctorum ululare homines more luporum, fremere more leonum, sibilare instar serpentum, mugire boatu taurorum. Refert Cedrenus in Leone Magno Imp. Elisei reliquias Alexandriam translatas fuisse.

Hinc Iulianus apostata ossa Elisei et Baptistæ cum brutorum ossibus commiscens exurere voluit, ut habet S. Artemii vita apud Lipomanum.

Elogia Elisei vide Eccles. 48. 13. *In Eliseo*, ait, *completus est spiritus eius* (Eliæ) *in diebus suis non pertimuit principem, et in potentia nemo vicit illum*; vide ibi dicta. Denique Eliseo in prophetia mox successit Osee, qui sub Ozia filio Amasiæ regis Iuda prophetavit, Isaias, Amos, Ionas, ceterique prophetæ maiores et minores.

QUOD CUM TETIGISSET OSSA ELISEI, REVIXIT HOMO.) Vers. 21.
Mira Elisei virtus et sanctitas, quod mortuus mortuum ad vitam suscitarit. Fuit ipse hac in re typus Christi, cuius in cruce mortui gratia et meritorum contactu omnes resurgemus. Ita Angelom. Eucherius et alii. Hinc Eliseo Eccles. hoc dat Elogium, c. 48. 14. *Et mortuum prophetavit corpus eius. Prophetavit*, id est miraculum fecit suscitando mortuum. Miracula enim erant opera *Prophetarum*; id est virorum et Doctorum sanctorum Israelis.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gesta Amasiæ filii Ioas regis Iuda, ac bellum eius cum Ioas rege Israel, in quo Amasias victus captusque est, ac Ierusalem spoliata: qui tandem a suis occisus filium reliquit successorem Azariam, sicut Ioas regi Israel successit filius Ieroboam, et huic filius Zacharias.

1. IN anno secundo Ioas filii Ioachaz regis Israel, regnavit Amasias filius Ioas regis Iuda. 2. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset: viginti autem et novem annis regnavit in Ierusalem, nomen matris eius Ioadan de Ierusalem. 3. Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater eius. Iuxta

omnia, quæ fecit Ioas pater suus, fecit: 4. Nisi hoc tantum, quod excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis. 5. Cumque obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant regem patrem suum: 6. Filios autem eorum qui occiderant, non occidit, iuxta quod scriptum est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dominus, dicens: Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus: sed unusquisque in peccato suo morietur. 7. Ipse percussit Edom in Valle Salinarum decem millia, et apprehendit petram in prælio, vocavitque nomen eius Iectehel, usque in præsentem diem. 8. Tunc misit Amasias nuntios ad Ioas filium Ioachaz, filii Iehu regis Israel, dicens: Veni, et videamus nos. 9. Remisitque Ioas rex Israel ad Amasiam regem Iuda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. 10. Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum: contentus esto gloria, et sede in domo tua: quare provocas malum, ut cadas tu et Iudas tecum? 11. Et non acquievit Amasias: ascenditque Ioas rex Israel, et viderunt se, ipse et Amasias rex Iuda, in Bethsames oppido Iudæ. 12. Percussusque est Iuda coram Israel, et fugerunt unusquisque in tabernacula sua. 13. Amasiam vero regem Iuda, filium Ioas filii Ochoziæ, cepit Ioas rex Israel in Bethsames, et adduxit eum in Ierusalem: et interrupit murum Ierusalem, a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 14. Tulitque omne aurum, et argentum, et universa vasa, quæ inventa sunt in domo Domini, et in thesauris regis, et obsides, et reversus est in Samariam. 15. Reliqua autem verborum Ioas quæ fecit, et fortitudo eius qua pugnavit contra Amasiam regem Iuda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 16. Dormivitque Ioas cum patribus suis, et sepultus est in Samaria cum regibus Israel: et regnavit Ieroboam filius eius pro eo. 17. Vixit autem Amasias, filius Ioas, rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz regis Israel, quindecim annis. 18. Reliqua autem sermonum Amasiæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 19. Factaque est contra eum coniuratio in Ierusalem: at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, et interfecerunt eum ibi. 20. Et asportaverunt in equis, sepultusque est in Ierusalem cum patribus suis in Civitate David. 21. Tulit autem universus populus Iudæ Azariam annos natum sedecim, et constituerunt eum regem pro patre eius Amasia. 22. Ipse ædificavit Ælath, et restituit eam Iudæ, postquam dormivit rex cum patribus suis. 23. Anno quintodecimo Amasiæ filii Ioas regis Iuda, regnavit Ieroboam filius Ioas regis Israel in Samaria, quadraginta et uno anno: 24. Et fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 25. Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Ionam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. 26. Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, et quod consumpti essent usque ad clausos carcere, et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israeli. 27. Nec locutus est Dominus ut deleret nomen Israel de sub cælo, sed salvavit eos in manu Ieroboam filii Ioas. 28. Reliqua autem sermonum Ieroboam, et universa quæ fecit, et fortitudo eius qua præliatus est, et quomodo restituit Damascum et Emath Iudæ in Israel, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 29. Dormivitque Ieroboam cum patribus suis regibus Israel, et regnavit Zacharias filius eius pro eo.

Vers. 1. IN ANNO SECUNDO IOAS FILII IOACHAZ REGIS ISRAEL REGNAVIT AMASIAS.) Dices, hoc videtur repugnare capiti præcedenti v. 10. ubi dicitur Ioas rex Israel regnare cœpisse anno 37. Ioas regis Iuda qui 40. annis regnavit, cui mortuo demum successit filius Amasias: ergo Amasias non secundo, sed quarto anno Ioas regis Israel regnare cœpit. Resp. Ioas rex Israel regnare cœpit anno 37. Ioas regis Iuda, sed cum patre suo Ioachaz: ac post biennium mortuo patre solus regnare cœpit anno 39. Ioas regis Iuda, ab eoque anno hic anni eius numerantur. Quare moriente Ioas rege Iuda anno sequente, puta 40. regni sui, qui erat annus secundus Ioas regis Israel, quo solus post patrem Ioachaz regnavit, Amasias patri Ioas in Iuda succedens, ibidem regnare cœpit solus anno secundo Ioas regis Israel.

Vers. 2. NOMEN MATRIS EIUS IOADAN.) Multas rationes hic congerit Abul. cur in libr. Regum Regibus Iuda semper addantur nomina matrum, numquam autem regibus Israel. Potissima est, quod regnum Iuda potius erat, et celebrius templo veroque Dei cultu, et Messia ex eo nascituro. Adde regnum Israel fuisse schismaticum et idololatricum; Iuda vero legitimum et divinum.

Vers. 3. ET FECIT RECTUM CORAM DOMINO.) Quia scilicet Amasias initio regni solum Deum verum coluit.

VERUMTAMEN NON FUIT UT DAVID PATER EIUS.) Qui non tantum idola non coluit, sed nec ea subditos colere permisit, quod tamen fecit Amasias permittens populum immolare in excelsis, quod 2. Paral. 25. 2. dicitur: *Fecitque bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto.*

IUXTA OMNIA QUÆ FECIT IOAS PATER SUUS, FECIT.) Quia sicut Ioas vivente Ioiada Pontifice solum Deum coluit, eo vero mortuo deflexit ad idola; sic fecit et Amasias eius filius, qui sub finem declinavit ad Deos Idumæorum, ut patet 2. Paral. 25. 14.

NISI TANTUM QUOD EXCELSA NON ABSTULIT.) Hæc verba non ad proxime præcedentia: *Iuxta omnia quæ fecit Ioas pater eius*, quia Ioas quoque excelsa non abstulit, sed ad superiora: *Et fecit rectum coram Domino*, referenda sunt, q. d. Amasias recte Deum coluit, sed non recte permisit populum in excelsis immolare. Quare illa verba (*iuxta omnia quæ fecit Ioas pater suus, fecit*) parenthesin continent, ut advertit Sanchez, et quasi parenthesi inclusa a sequentibus seiungenda sunt. Vers. 4.

IPSE PERCUSSIT EDOM IN VALLE SALINARUM.) Idumæi enim rebellarant Iudæis ante sexaginta annos, scilicet a sexto anno Ioram regis Iuda usque ad duodecimum Amasiæ (aiunt Hebræi in Seder Olam) qui eos rursum debellavit et Iudæ servire coegit. Vide 2. Paralip. 21. 8. et c. 25. 11. Porro post hanc victoriam Amasias lapsus est in idololatriam, coluitque Deos Idumæorum, ideoque cæsus captusque est a Ioas rege Israel, ut dicitur 2. Paral. 25. v. 20. Vers. 7.

ET APPREHENDIT PETRAM IN PRÆLIO.) Id est cepit rupem hostium celsam et munitam, ex qua præcipitavit alia decem millia Idumæorum, ut dicitur 2. Paral. 25. 12. Ita Caiet. Sic Gabaitæ cæsi fugerunt ad petram Remmon, Iudic. 20. 4.

Alii per *petram* accipiunt, *Petram* Arabiæ urbem, quæ postea a Ptol. Philadelpho restaurata, dicta est *Philadelphia.*

VOCAVITQUE NOMEN EIUS IECTEHEL.) Id est, *obedientia* vel *expectatio Dei*, ut Noster vertit Genes. 49. 10. ut nossent omnes, quod Amasias ex Dei mandato æque ac auxilio vicerat, et punierat rebelles Idumæos. Ita Caiet. Aliter Vatab. Vocavit eam *Iectehel*, inquit, quia sic voca-

*

batur is qui eam expugnavit. Pagnin. *Iectehel*, vertit: *congregatio Dei.*

Vers. 8. TUNC (cum gestiens et exultans, imo se exaltans de victoria Idumæorum putaret se pari modo domiturum Israelitas) MISIT AMASIAS NUNTIOS AD IOAS (regem Israel) DICENS: VENI, ET VIDEAMUS NOS.) In prælio, id est duellemus et præliemur, ut videamus uter sit fortior: ita Chald. *Veni*, inquit, *excipiamus ad invicem facies in bello*, id est, veni, et statuto die confligamus. Vatabl. *Age spectemus nos mutuo coram.*

Hebræi teste Vatabl. censent causam belli fuisse, quod ut narratur 2. Paral. 25. Amasias conductos a se milites ex Israel contra Idumæos iussu prophetæ dimiserit: illi dimissi, indignantes spoliarunt regnum Iudæ: spolia ergo hæc a Ioas et Israelitis bello repetere voluisse Amasiam. Verum nil tale indicat Script. quin potius Ioas Amasiæ obiicit, quod victoria de Idumæis elatus ex fastu se provocet ad prælium. Audi Ioseph. l. 9. c. 10. *Amasias felicitatem suam, cuius tamen auctorem Deum non agnoscebat, non capiens, sed fastu inflatus, scripsit Ioæ regi Israelitarum, ut ipsius imperata faceret cum populo suo, sicut antehac idem populus maioribus eius Davidi et Salomoni paruit; quod si nolit ultro facere officium, bello esse decernendum de Imperii iuribus.* Sic et Abul. Histor. Scholast. Salianus et alii. Sperabat Amasias se victorem fore, eo quod propheta sibi dixisset 2. Paralip. 25. Deum non esse cum Israele: sed idem cogitare debebat de se, utpote iam apostata et colente Deos Idumæorum, præsertim quia Deus voluerat regnum Israel dividi a regno Iuda, ut audivimus lib. 3. cap. 12. et seq. Quare Amasias volens rursum illud sibi unire et subiicere, faciebat contra voluntatem Dei, ideoque in bello succubuit.

Vers. 9. CARDUUS LIBANI MISIT AD CEDRUM QUÆ EST IN LIBANO, DICENS: DA FILIAM TUAM FILIO MEO UXOREM. TRANSIERUNTQUE BESTIÆ SALTUS QUÆ SUNT IN LIBANO, ET CONCULCAVERUNT CARDUUM.) Hoc Apologo Ioas retundit fastum Amasiæ provocantis se ad bellum. Contemptim enim Amasiam vocat *carduum* humilem, vilem et aculeatum. *Libani* tamen, quia ipse ex Iudæa et semine regio erat oriundus; se vero vocat *cedrum* excelsam, nobilem et pretiosam, quam humilis *carduus*, id est Amasias, vix queat aspicere, multo minus ei se viribus æquare, ut dicere audeat: *Da filiam tuam filio meo uxorem.* q. d. Regnum tuum Israel iunge et subde regno meo Iuda, uti olim sub Davide ei iunctum et quasi coniugio copulatum fuit.

TRANSIERUNTQUE BESTIÆ SALTUS QUÆ SUNT IN LIBANO. Ita vocat milites suos Israelitas (per *Libanum* enim intelligit totam Palæstinam, scilicet tam Israel quam Iudam) fortes et feroces quasi leones, ET CONCULCAVERUNT CARDUUM.) Scilicet conculcabunt te, o Amasia, capient et spoliabunt. Ita factum est, uti hic minatus, et ominatus est Ioas, quia Deus per eum volebat castigare superbiam, æque ac idololatriam Amasiæ, ut dicitur 2. Paral. 25. 12.

Unde Apologo huic hoc Epimythium addit Ioseph. l. 9. c. 10. *Hoc exemplum*, ait, *te moneat ne maiora quam par est appetas, neve propter recentem ex Amalecitis* (potius Idumæis) *victoriam elatus, et te et regnum tuum incertæ committas aleæ.*

Similis Apologus est Iudic. 9. 10. ubi Ioatham filius Gedeonis Abimelech tyrannum comparat rhamno, bonos vero principes ficui, viti et oleæ. Vide ibi dicta.

Vers. 13. AMASIAM VERO REGEM IUDA, etc. CEPIT IOAS REX ISRAEL.) Ecce hic impletur Apologus Ioas: sic enim merentur puniri, qui alios bello lacessunt. Sic videmus non raro eos, qui alios provocant ad duellum, in eo succumbere et occidi, Deo eorum audaciam et superbiam castigante.

VIXIT AUTEM AMASIAS, etc. POSTQUAM MORTUUS EST IOAS VIGINTIQUINQUE ANNIS.) Corrige cum Roman. Chal. et Septuag. 15. *annis*, uti habetur 2. Paral. 25. 25. Vers. 17.

ET INTERFECERUNT EUM.) Iustum hoc fuit Dei iudicium, ut sicut Ioas pater deflectens ad idola occisus fuit a suis, sic et Amasias filius eius ad eadem declinans a suis coniuratis necaretur, ut patet 2. Paral. 25. 27. Probabiliter tamen Salian. et alii opinantur eum ante mortem pœnituisse, et pie in unius veri Dei cultu obiisse. Vers. 19.

IPSE RESTITUIT TERMINOS ISRAEL AB INTROITU EMATH USQUE AD MARE SOLITUDINIS, IUXTA SERMONEM DOMINI DEI ISRAEL, QUEM LOCUTUS EST PER SERVUM SUUM IONAM FILIUM AMATHI.) Hinc patet Ionam prædixisse Ieroboam regi, quod ipse restituturus esset Israeli urbes illas, quas Syri ei ademerant ab Emath usque ad mare mortuum, etsi hoc oraculum in prophetia Ionæ non extet. Est autem *Emath* in tribu Nephtalim, contigua Syris, non longe a Damasco, quæ Syriæ erat caput. *Emath* erat ingressus et quasi porta in terram sanctam. Eadem postea ab Antiocho Epiphane in ea regnante dicta est *Epiphania*, vide dicta Amos 6. v. 2. Audi nunc Ioseph. lib. 9. cap. 11. *Ieroboam propheta Ionas prædixit, quod devictis Syris ditionem suam esset amplificaturus, prolatis eius terminis ad Septemtrionem usque ad Amatham urbem: ad Meridiem vero usque ad Asphaltitem lacum: his enim olim terminis Chananæa terra finiebatur, iuxta Iosue Imperatoris definitionem. Quo oraculo excitatus Ieroboamus totos eos tractus ademptos Syris ad suum regnum addidit, nihil fallente Ionæ vaticinio.* Vers. 25.

Hinc patet Ionam prophetam prophetasse sub Ieroboam rege Israel, et Azaria, sive Ozia rege Iuda, ac proinde coævum fuisse Isaiæ (quem Hebræi Amasiæ regis fratrem, vel fratris filium fuisse tradunt, teste S. Hieron.) Osee, Ioeli, Amos et Nahum. Quare non recte Abulens. censet Ionam hunc esse diversum a Iona qui est quartus inter minores Prophetas.

QUOMODO RESTITUIT DAMASCUM ET EMATH IUDÆ IN ISRAEL.) Quomodo erant hæ civitates Iudæ in Israel? aliud enim erat regnum Iudæ, aliud Israel. Omissis Abulensis et aliorum sententiis, dico breviter, Davidem has urbes cepisse et attribuisse suæ tribui Iudæ, quia ipse ex ea erat oriundus, indeque hæ urbes, licet extra sortem Iudæ sitæ, vocabantur tamen Iudæ. Diviso autem regno Israel a regno Iudæ, urbes hæ utpote vicinæ cesserunt Israeli. Sensus ergo est q. d. Ieroboam fecit ut Damascus et Emath a Davide subiugatæ, et tribui Iudæ attributæ, sed deinde a Syris occupatæ, restituerentur Israeli, cuius ipse erat rex, ac aliis civitatibus Iudæ, quæ erant in ditione Israelis, rursum annumerarentur, uti a Davide annumeratæ fuerant, q. d. Ieroboam fecit ut Damascus et Emath olim subactæ et tributariæ Davidi, iam sibi et Israeli forent tributariæ. Ita Salianus et Sanchez. Vers. 28.

DORMIVITQUE (naturali morte defunctus est) IEROBOAM CUM PATRIBUS SUIS.) Dices, Amos cap. 7. 11. dicitur: *In gladio morietur Ieroboam.* Resp. hæc verba non esse Amos, sed Amasiæ pseudoprophetæ, qui ut Amos prophetam traduceret apud Ieroboam, mentitur et fingit Amos id dixisse. Non enim dixerat Amos: *In gladio morietur Ieroboam*, sed, *consurgam super domum Ieroboam in gladio*, scilicet occidendo non ipsum Ieroboam, sed filium eius Zachariam. Vers. 29.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Azarias in Iuda, succedit ei filius Ioathan. In Israel regnant successive Ieroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, et ultimus Osee. Nam Phul et Theglathphalasar reges Assyriorum invadunt Israelem, et partem eius transferunt in Assyriam.

1. ANNO vigesimo septimo Ieroboam regis Israel, regnavit Azarias filius Amasiæ regis Iuda. 2. Sedecim annorum erat, cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Iechelia de Ierusalem. 3. Fecitque quod erat placitum coram Domino, iuxta omnia quæ fecit Amasias pater eius. 4. Verumtamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. 5. Percussit autem Dominus regem, et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitabat in domo libera seorsum: Ioathan vero filius regis gubernabat palatium, et iudicabat populum terræ. 6. Reliqua autem sermonum Azariæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 7. Et dormivit Azarias cum patribus suis: sepelieruntque eum cum maioribus suis in civitate David, et regnavit Ioathan filius eius pro eo. 8. Anno trigesimo octavo Azariæ regis Iuda, regnavit Zacharias filius Ieroboam super Israel in Samaria sex mensibus: 9. Et fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres eius: non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 10. Coniuravit autem contra eum Sellum filius Iabes: percussitque eum palam, et interfecit, regnavit pro eo. 11. Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 12. Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Iehu, dicens: Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Factumque est ita. 13. Sellum filius Iabes regnavit trigesimo nono anno Azariæ regis Iuda: regnavit autem uno mense in Samaria. 14. Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa: venitque in Samariam, et percussit Sellum filium Iabes in Samaria, et interfecit eum, regnavitque pro eo. 15. Reliqua autem verborum Sellum, et coniuratio eius per quam tetendit insidias, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 16. Tunc percussit Manahem Thapsam, et omnes qui erant in ea, et terminos eius de Thersa, noluerant enim aperire ei: et interfecit omnes prægnantes eius, et scidit eas. 17. Anno trigesimo nono Azariæ regis Iuda, regnavit Manahem filius Gadi super Israel decem annis in Samaria. 18. Fecitque quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel cunctis diebus eius. 19. Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, et dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, et firmaret regnum eius. 20. Indixitque Manahem argentum super Israel cunctis potentibus et divitibus, ut daret regi Assyriorum quinquaginta siclos argenti per singulos: reversusque est rex Assyriorum, et non est moratus in terra. 21. Reliqua autem sermonum Manahem, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 22. Et dormivit Manahem cum patribus suis: regnavitque Phaceia filius eius pro eo. 23. Anno quinquagesimo Azariæ regis Iuda, regnavit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio: 24. Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 25. Coniuravit autem adversus eum Phacee filius Romeliæ, dux eius, et percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, iuxta Argob, et iuxta Arie, et cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, et interfecit eum, regnavitque pro eo. 26. Reliqua autem sermonum Phaceia, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 27. Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Iuda, regnavit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis. 28. Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 29. In diebus Phacee regis Israel venit Theglathphalasar rex Assur, et cepit Aion, et Abel Domum, Maacha et Ianoe, et Cedes, et Asor, et Galaad, et Galilæam, et universam Terram Nephtali: et transtulit eos in Assyrios. 30. Coniuravit autem, et tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, et percussit eum, et interfecit: regnavitque pro eo vigesimo anno Ioatham filii Oziæ. 31. Reliqua autem sermonum Phacee, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 32. Anno secundo Phacee, filii Romeliæ regis Israel, regnavit Ioatham filius Oziæ regis Iuda. 33. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Ierusa, filia Sadoc. 34. Fecitque quod erat placitum coram Domino: iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est. 35. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis: ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam. 36. Reliqua autem sermonum Ioatham, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 37. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam, Rasin regem Syriæ, et Phacee filium Romeliæ. 38. Et dormivit Ioatham cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Civitate David patris sui, et regnavit Achaz filius eius pro eo.

Vers. 1. ANNO VIGESIMO SEPTIMO IEROBOAM REGIS ISRAEL REGNAVIT (regnare cœpit) AZARIAS AMASIÆ FILIUS REGIS IUDA.) Azarias hic alio nomine dictus est Ozias. *Azarias* enim Hebr. idem est, quod *auxilium Dei;* Ozias, idem quod *fortitudo Dei:* ubi autem est auxilium Dei, ibi est et fortitudo. Deus enim est fortissimus et potentissimus. Unde 2. Paral. 26. 7. de eo dicitur: *Et adiuvit eum Deus contra Philisthiim, et contra Arabes, et contra Ammonitas*, etc. Ex hoc loco Franc. Ribera in Amos cap. 1. v. 1. censet interregnum fuisse tredecim annorum inter Amasiam et Azariam, eo quod Azarias trimulus esset moriente patre Amasia. Id probat, quod anno 15. Amasiæ, uti dictum est cap. præced. v. 23. cœpit regnare Ieroboam, cuius anno 27. ut hic dicitur cœpit regnare Azarias. Amasias autem regnavit annis 29. Ergo 29. eius annus fuit decimus quartus Ieroboami. Ergo va-

cavit regnum Iuda ab anno 14. Ieroboami usque ad 27. eiusdem, puta per spatium tredecim annorum. Verum resp. annum hunc 27. Ieroboam esse annum 27. ab eo tempore quo Ieroboam simul cum patre Ioas regnare cœpit; nam regni, quo ipse post patrem solus regnavit, erat hic annus decimus quartus dumtaxat, quo Amasias moriens anno regni sui 29. successorem reliquit Azariam filium. Id ita esse liquet ex 2. Paral. 25. v. 25. ubi Amasias post mortem Ioas, dicitur vixisse 15. annis. Mortuus est ergo anno 14. finiente, et 15. inchoante Ieroboami, qui Ioas patri immediate successit. Ita Salian. Caiet. et alii. Fugienda enim hic sunt interregna, ne chronologiæ series continua turbetur, et incerta dubiaque reddatur. Unde Eusebius, Ioseph. et alii passim regno et annis Amasiæ immediate subiiciunt, et connectunt regnum et annos Azariæ.

Vers. 2. Et quinquaginta duobus annis regnavit.) Tempore Azariæ vixit Sardanapalus, quem Gentiles Historici ultimum collocant regem Assyriorum, aiuntque eum utpote effeminatum ab Arbace Mediæ præfecto obsessum in Ninive, ibi seipsum cum gaza regia concremasse. Quare Arbacem se fecisse regem Mediæ sub annum Azariæ decimum, regnante apud Latinos Proca Sylvio, apud Corinthios Agemone, apud Spartanos legislatore Lycurgo. Ita Eusebius, Diodorus, Iustinus, Ptolomæus, Strabo, et ex iis Torniellus, Salianus, Gordonus, Samerius et alii.

Verum paulo post restituta est Ninive, eiusque regnum; nam ut mox audiemus, paulo post sub eodem Azaria regnavit Phul rex Assyriorum, cui successit Teglatphalasar, huic Salmanasar, huic Sennacherib, huic Asarhaddon, sub quo ob cæsos paulo ante Assyrios, Ezechiam et Ierusalem obsidentes, ab Angelo, Ben Merodach Babylonius caput erexit, seque regem Babylonis effecit, qui fuit avus Nabuchodonosoris primi monarchæ Babyloniorum. Omnes enim hi reges iam nominati vocantur reges Assyriorum, non Babyloniorum, nec ante Baladan quispiam in Script. rex Babylonis nuncupatur.

Videtur ergo Phul Assyrius cum Arbace præfecto divisisse Sardanapali imperium, ut Arbaces Mediæ et Persidi, Phul vero Assyriæ et Babyloniæ dominaretur; ita ex Metasthene Annii Genebrardus, Torniellus, Samerius, Gordonus, Salianus et alii.

Huic chronologiæ consentit tempus prophetiæ Ionæ, qui ut audivimus c. præced. v. 25. prophetavit sub Ieroboam, cui coævus fuit Azarias. Ionas ergo missus a Deo, Sardanapali et Ninivitarum luxum et luxuriam castigavit. Pœnituit Sardanapalus cum Ninivitis, sed non multo post in solita vitia relapsi, ab Arbace Medo obsessi et vastati fuere, uti dixi in Iona.

Vers. 5. Percussit autem Dominus regem (Azariam) et fuit leprosus.) Quia scilicet ipse usurpabat munus Pontificis, adolendo incensum super altare thymiamatis, quod erat in Sancto, ut dicitur 2. Paral. 26. 16. de quo ibidem plura.

Vers. 8. Anno trigesimo octavo Azariæ regis Iudæ regnavit Zacharias filius Ieroboam super Israel.) Hic fuit abnepos Iehu; unde Iehu stirps regia finita fuit in Zacharia quasi in quarta generatione, uti ei promiserat Deus, c. 10. v. 30. *Anno trigesimo octavo Azariæ*, scilicet ex eo tempore, quo ipse regnare cœpit cum patre Amasia; nam ex eo tempore quo post patrem solus regnavit Azarias, erat hic annus 26. vel 27. Si ergo annos 38. Azariæ numeres ab anno 18. Amasiæ patris eius, quo ipse eum in regnum socium adscivit, annus hic Azariæ 38. erit 41. Ieroboami regis Israel, quippe qui anno 15. Amasiæ patris Azariæ solus regnare cœperit. Hic enim annus 41. fuit ultimus Ieroboam: unde eo moriente successit ei filius Zacharias per sex menses. Verum quia Azarias post patrem Amasiam solus regnavit 52. annis qui hic sigillatim consignantur: nam v. 37. numeratur annus Azariæ 39. et v. 23. annus 50. et v. 27. annus 52. et ultimus, ut sic consequens certaque chronologia temporum per annos regum Iuda contexatur; hinc melius cum Richardo a S. Victore, Lyrano, Abulense et aliis dicemus, Ieroboam regem Israel mortuum esse anno 27. Azariæ regis Iudæ: inde per undecim annos, scilicet usque ad annum 38. Azariæ fuisse interregnum, et regnum Israel caruisse rege, eo quod Zacharias filius Ieroboam, vel propter ætatem teneriorem, vel propter rebellionem subditorum, vel aliam ob causam prævalere et regnum patris obtinere non posset. Ratio est, quod 41. anni Ieroboami computandi sint ab anno 15. Amasiæ, ita ut cum Amasia qui 29. annis regnavit, Ieroboam regnarit annis 14. quare reliquos 27. annos (regnavit enim Ieroboam 41. annis) regnare debuit cum Azaria filio Amasiæ, ita ut mortuus sit anno 27. Azariæ, tumque successerit ei filius Zacharias. Itaque cum hic dicitur de aliquo regum Iuda, quod tot annis regnarit, intellige solus post patrem, quia per reges Iuda chronologia hic texitur, quæ alioqui foret incerta et ambigua; verum alias cum dicitur, tali anno regnavit talis rex, præsertim in Israel, accipi potest non de regno, sed de corregno, quo scilicet non solus sed cum patre regnavit.

Nota, sub Azaria cœpere computari Olympiades, sed quoto eius anno id factum, variant chronologi. Eusebius lib. 3. de Præpar. et in chronico initium Olympiadum collocat anno 50. Azariæ, ac consequenter urbis Romæ initium, cum eam Romulus condidit anno Achaz quarto vel quinto: nam initium Olympiadum antecedit initium Romæ 23. annis, uti omnes Historici et Chronologi consentiunt. Iam adde duos annos Azariæ (regnavit enim 52. annis) et sedecim filii eius Ioatham, ac quinque Achaz, habebis annos 23. quos quærimus. Olympiadum initium.

Alii Olympiades cœpisse censent anno quarto vel quinto Azariæ. Serarius anno 47. eiusdem. Pererius lib. 11. in Danielem, quasi anno octavo Achaz. Torniellus, Salianus et alii anno 52. Azariæ, vel potius anno primo Ioatham, qui Azariæ patri successit. Exigua enim est hæc paucorum annorum in tanta temporum priscorum intercapedine differentia. Iuxta tabulam chronologicam quam præfixi Pentateucho cœperunt Olympiades anno 40. Azariæ, Roma vero condita est anno decimo vel undecimo Ioatham, de quo vers. 33.

Porro ante Olympiades nihil apud historicos profanos Græcos et Latinos est certum, sed omnia incerta et confusa; unde hoc sæculum ipsi vocant μυθικόν, id est fabulosum: post eas vero, æque ac post conditam Romam, omnia suis annis inde deductis assignari cœperunt, uti testatur Euseb. lib. 10. de Præpar. c. 3. et Censorinus lib. de die natali c. 21. Olympias autem spatium erat quatuor annorum, quod intererat inter duos ludos olympicos, qui Iovi Olympio totius Græciæ concursu, quarto quolibet anno, apud Pisam et Elidem ob memoriam diei intercalaris celebrabantur sub initium æstatis, sive solstitii æstivi, a luna undecima usque ad decimam sextam, teste Livio, Censorino et aliis. Audi Solinum Polyhistor. c. 2. *Certamen Olympicum (quod olim Hercules in honorem atavi sui materni Pelopis ediderat, in omni genere certaminum victor) iam pridem intermissum Iphitus Elidensis instauravit post excidium Troiæ anno* 408. *Roma deinde condita incipiente Olympiade* 7. *post excidium Troiæ anno* 433. Idem scribunt Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus, Eratosthenes apud Clementem Alexandrinum, et ex his alii.

Et ascendit Manahem de Thersa.) Quam nomine regis sui Zachariæ obsidebat, ait Ioseph. et occiso in Samaria Sellum, qui occiderat Zachariam regem, rapuit imperium; cumque Thersam rediisset, nec Thersenses eum ut regem admitterent, in eos sævit, et maxime in Thapsenses discindendo prægnantes in ea, ut dicitur v. 16.

Et terminos eius de Thersa.) Nam ager urbis Thapsæ pertingebat usque ad Thersam, ait Vatab. Vers. 16.

Et scidit eas.) Hoc est dissecuit prægnantes, ut fœtum educeret, ait Abul. Magna fuit hæc crudelitas et barbaries.

Veniebat Phul rex Assyriorum.) Hic est *Phul*, qui alio nomine *Belochus* dicitur, qui cum Arbace Medo Sardanapalum in Ninive per biennium obsedit, coegitque ut exstructa in regia pyra altissima, in eam se cum uxoribus et filiis ac mille myriadibus auri, et decem mille my- Vers. 19.

riadibus argenti iniiceret et concremaret. Duravit incendium ad quindecim dies. In eo desiit monarchia Assyriorum, quæ a Belo usque ad Sardanapalum stetit annis mille trecentis. Porro Phul cum Arbace divisit Monarchiam, ac sibi servavit Assyriam et Babyloniam; Arbaci concessit Mediam et Persiam. Porro *Phul* Hebr. idem est quod *faba*, ait Pagn. sicut Romæ a faba cognominati sunt *Fabii*, inter quos eminuit Fabius Maximus Romæ liberator, et Hannibalis domitor. Notat Scaliger Regum Assyriorum et Babyloniorum nomina alia esse simplicia, ut Phul, Asar, Teglat; alia composita, ut Teglatphalasar componitur ex tribus, scilicet ex Teglat, Phul, et Asar. Salmanasar componitur ex Salman, et Asar. Asarhaddon conflatur ex Asar et Haddon. Nabuchodonosor ex Nabo, qui erat Deus Babyloniorum, Chad, et Netser. Vide dicta Isaiæ 46. 1.

ET DABAT MANAHEM PHUL MILLE TALENTA ARGENTI, UT ESSET EI IN AUXILIUM.) Contra rebelles Thersæ, Thapsæ etc. ut dictum est v. 14. Hæc fuit occasio cur B Teglatphalasar successor Phulis invaserit Israelem, eumque abduxerit in Assyriam, ut dicetur v. 29. Phul ergo vocatus in auxilium fuit a Manahem, non a Thersensibus, ut scribit Ioseph.

Vers. 29. IN DIEBUS PHACEE VENIT TEGLATPHALASAR REX ASSUR.) Qui fuit filius Phulis de quo v. 19. ideoque dictus est Phul, Assar, vel Teglat-Phul-Assar. Hic ecce vastavit Israelem, ac ex eo quinque tribus in Assyriam abduxit, nimirum incolas *Galaad*, scilicet Rubenitas, Gadditas, et dimidiam tribum Manasse; et *Galilææ*, puta Zabulonitas, et Nephtalitas, de quibus Isaias c. 9. 1. cum paulo ante vocatus in auxilium ab Achaz rege Iuda, contra Rasin regem Syriæ, et Phacee regem Israel, venisset Damascum, et occisis illis regibus, ut dicitur cap. seq. v. 6. et 7. ipsum quoque Achaz, a quo vocatus fuerat, oppressit, eiusque ditionem expilavit, 2. Paral. 28. v. 8. Hoc ipsum paulo ante Isaias c. 7. v. 17. ipsi Achaz prædixerat. Hæc ergo fuit prima Israelis, id est decem tribuum captivitas. Hinc apposite *Teglatphalasar* Hebr. (cui affinis est lingua Assy- C riaca et Chaldaica) idem est quod *captivitas mirabilis ligationis*, ait Pagn. in nom. Hebr.

Vers. 30. REGNAVITQUE PRO EO (puta Osee pro Phacee) VICESIMO ANNO IOATHAM FILII OZIÆ.) Dices, Ioatham tantum sedecim annis regnavit, ut dicitur v. 33. quis est ergo hic annus eius vicesimus? Resp. fuit vicesimus ab eo tempore quo Ioatham regnare cœpit cum patre Azaria: hic enim a Deo percussus lepra, ideoque a contubernio hominum separatus, regni regimen permisit Ioatham filio suo, ut dictum est v. 5. Ita Caiet. et alii. Dices, Osee non potuit regnare cum Ioatham; nam Phacee cui successit Osee, fuit superstes Ioathamo per tres annos, ut patet hic v. 27. collato cum v. 1. c. seq. Resp. Osee cœpisse regnare et invadere regnum Phacee, vivente Ioatham, tandemque eo mortuo, post aliquot annos eum omnino superasse, et occidisse anno quarto Achaz regis Iuda, tumque solum plene regnasse. Ita Caiet. Secundo, melius Hebræi in Seder Olam, Abul. Genebrar. Torniellus, Salian. D sic exponunt: *vicesimo anno Ioatham*, id est qui vicesimus futurus erat Ioatham solius post patrem regnantis, si ipse adhuc vixisset, qui ante quadriennium erat mortuus. Erat ergo hic annus vicesimus ex quo Ioatham regnare cœpit; sed quia ipse sedecim tantum annis regnavit, hinc revera hic erat annus quartus Achaz, qui successit Ioatham; sed maluit Script. nominare Ioatham quam Achaz, quia necdum Achazi mentionem fecerat. Porro Script. annos Osee bifariam numerat; primo, ab hoc anno quarto Achaz, uti hic fit; secundo, ab anno A-

A chaz duodecimo, uti fit 4. Reg. 17. 1. Ratio est, quod prioribus octo annis Osee non fuerit rex pacificus, sed cum familia Phacee adhuc luctans, aut Assyriorum potius servus quam rex, aut aliis de causis a regno impeditus. Itaque ab anno quarto Achaz precario magis quam pleno iure regnabat. Ita Abul. Serar. Salian. et alii iam citati. Denique hic annus vicesimus tam erat regni Phacee (hic enim 20. annis regnavit) finientis quam Ioathami inchoantis. Ioatham enim si vixisset illo anno inchoasset annum regni 20. ipse enim cœpit regnare anno 2. Phacee, ut sequitur.

ANNO SECUNDO PHACEE, etc. REGNAVIT IOATHAM FILIUS OZIÆ REGIS IUDA.) Phacee enim cœpit regnare an- Vers. 32.
no 52. et ultimo Oziæ; quare hic primus fuit regni Phacee annus; secundus fuit quo mortuo Ozia successit ei Ioatham, qui 16. annis regnavit: quare 17. anno Phacee, mortuo Ioatham, successit ei filius Achaz, ut dicitur c. seq. vers. 1. quia nimirum ultimus annus Ioatham non fuit integer, sed dimidiatus; ita ut 17. Phacee fuerit simul ultimus Ioathami morientis, et Achazi ei succedentis. Quocirca unus annus additus vel demptus in chronologia nullam facit differentiam, quia anni dimidiati nunc numerantur, nunc non numerantur.

Porro, *Ioatham*, ait auctor Imperf. hom. 1. in Matth. *interpretatur perfectus, vel dominus immaculatus. Et vere perfectus fuit hic Ioatham, et quantum ad reges se præcedentes dominus immaculatus: quia fecit quod placitum erat Deo, et nulla reprehensio eius legitur in scriptura regnorum.*

SEDECIM ANNIS REGNAVIT.) Probe et pie: unde præ Vers. 33.
aliis laudatur a Script. et a Iosepho. Tempore Ioatham prophetavit Isaias et Michæas, ut patet ex eius titulo. Anno undecimo Ioatham, Romulus agens annum ætatis 18. urbis Romæ fundamenta iecit 21. die Aprilis (unde hic dies deinceps quasi Romæ natalis quotannis celebratus Roma
est) ipsis scilicet Palilibus, hoc est festo Palis Deæ pasto- condita
rum, quæ pro felici pecorum partu illa die ab eis coleba- anno 11.
tur. Hinc enim vocatum est Palilia vel Parilia. Factum id Ioatham.
est Olympiadis sextæ anno tertio, ut vult Varro; vel quarto, ut vult Cato, et eum secuti Cicero, Plinius, Tacitus, Gellius, Censorinus, Eusebius, S. August. Orosius, et Card. Baronius. Quare Olympiades antecedunt Romam 23. annis, ut dixi: tot enim annos conficiunt sex Olympiades iam dictæ; quælibet enim quatuor continet annos. Hoc computu Olympiadum initium assignandum est anno 40. Azariæ, uti dixi, et iuxta eumdem Roma condita est anno 751. ante nativitatem Christi.

Alii, quia paulo tardius vel serius hoc initium Olympiadum assignant, hinc consequenter tardius vel serius assignant fabricam Romæ. Unde Torniellus et Salianus, quia initium Olympiadum combinant cum primo anno Ioatham, hinc Romæ initium combinant cum anno octavo vel nono Achaz. Sed in re tam antiqua post tot sæcula exigua est hæc temporis differentia.

Hinc illud Propertii:

Urbi festus erat, dixere Palilia Patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Hinc quoque S. Hier. in c. 1. Isaiæ v. 1. ait Ezechiam regnare cœpisse anno duodecimo Romuli: primus ergo Romuli annus incidit in quartum annum Achaz, cum scilicet ipse Romæ fundamenta iaciens anno undecimo Ioatham, eiusdem fabricam per septem vel octo annos sequentes perfecisset, ac solium regale in ea erexisset anno quarto Achaz. Sic et S. Augustin. lib. 18. Civit. cap. 22. *Quem* (Ezechiam) inquit, *constat optimum et piissimum regem Romuli regnasse temporibus.*

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Achaz filius Ioatham: contra eum conspirant reges Syriæ et Israel: ille invocat Teglatphalasar, ipsique ingens pondus auri et argenti mittit: qui invocatus Syriam et Israelem vastat. Interim Achaz idola colit, et templum profanat.

1. ANNO decimo septimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Ioatham regis Iuda. 2. Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Ierusalem: non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater eius; 3. Sed ambulavit in via regum Israel: insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem secundum idola Gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel. 4. Immolabat quoque victimas, et adolebat incensum in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso. 5. Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Ierusalem ad præliandum: cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum. 6. In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ, Ailam Syriæ, et eiecit Iudæos de Aila: et Idumæi venerunt in Ailam, et habitaverunt ibi usque in diem hanc. 7. Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, dicens: Servus tuus, et filius tuus ego sum: ascende, et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israel, qui consurrexerunt adversum me. 8. Et cum collegisset argentum et aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, et in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera 9. Qui et acquievit voluntati eius: ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, et vastavit eam: et transtulit habitatores eius Cyrenen. Rasin autem interfecit. 10. Perrexitque rex Achaz in occursum Theglathphalasar regi Assyriorum in Damascum, cumque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Uriam sacerdotem exemplar eius, et similitudinem iuxta omne opus eius. 11. Extruxitque Urias sacerdos altare: iuxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de Damasco. 12. Cumque venisset rex de Damasco, vidit altare, et veneratus est illud: ascenditque et immolavit holocausta, et sacrificium suum, 13. Et libavit libamina, et fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare. 14. Porro altare æreum, quod erat coram Domino, transtulit de facie templi, et de loco altaris, et de loco templi Domini: posuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem. 15. Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens: Super altare maius offer holocaustum matutinum, et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis, et sacrificium eius, et holocaustum universi populi terræ, et sacrificia eorum, et libamina eorum: et omnem sanguinem holocausti, et universum sanguinem victimæ super illud effundes: altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam. 16. Fecit igitur Urias sacerdos, iuxta omnia quæ præceperat rex Achaz. 17. Tulit autem rex Achaz cælatas bases, et luterem, qui erat desuper: et mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud, et posuit super pavimentum stratum lapide. 18. Musach quoque sabbati, quod ædificaverat in templo, et ingressum regis exterius, convertit in templum Domini, propter regem Assyriorum. 19. Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 20. Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepultus est cum eis in Civitate David, et regnavit Ezechias filius eius pro eo.

Ver. 3. FILIUM SUUM CONSECRAVIT (idolo Meloch) TRANSFERENS PER IGNEM.) Nota dupliciter Ammonitæ et Hebræi filios suos consecrabant idolo Meloch, primo, eos igne comburendo: ritum modumque recensui Levit. 18. 21. Secundo, traducendo eos per ignem, tum ut eos igne expiarent a peccatis et immunditiis, tum ut hoc ritu eos idolo Meloch initiarent et dedicarent. Ritum describit Theodor. *Vidi*, inquit, *in aliquibus civitatibus semel in anno accendi rogos, et trans eos saltare aliquos, non solum pueros, sed etiam viros; infantes autem per flammam ferri a matribus. Videbatur autem istud quædam esse expiatio, et purgatio. Existimo autem hoc quoque fuisse Achazi peccatum.* Quare Theodor. et ex eo Salian. censent Achaz filium non combussisse, sed traduxisse tantum per ignem; itaque eum lustrasse, et dicasse idolo. Unde 2. Paralip. 28. 3. dicitur: *Et lustravit filios suos in igne.* Ex quo loco liquet Achaz non unum sed plures, et forte omnes filios hoc ritu lustrasse: nec enim verisimile est eum plures vel omnes combussisse; successit enim ei in regno filius Ezechias.

Iosephus tamen, et ex eo Abulens. et Adrichom. censent eum filium suum immolasse et cremasse idolo Meloch; Lyran. censet eum utrumque fecisse, scilicet unum e filiis cremasse, alios traducendo per ignem lustrasse. Porro, non dubium est plures Iudæos hoc exemplo Achaz regis sui excitatos filios suos consecrasse Meloch.

Ver. 7. MISIT AUTEM ACHAZ NUNTIOS AD TEGLATPHALA-

A SAR.) Ut se adiuvaret contra Rasin regem Syriæ, et Phacee regem Israel, ideoque misit omne aurum et argentum tam templi, quam palatii sui. Peccavit hac in re Achaz, eo quod Deus per Isaiam c. 7. v. 4. ipsi opem promisisset contra Rasin et Phacee; sed ipse diffisus Deo, fisus est regi Teglatphalasar, ideoque ab eodem spoliatus et oppressus est. Audi 2. Paralip. 28. 19. « Humiliaverat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda, eo quod nudasset eum auxilio, et contemptui habuisset Dominum. Adduxitque contra eum Teglatphalasar regem Assyriorum, qui et afflixit eum, et nullo resistente vastavit. Igitur Achaz spoliata domo Domini, et domo regum, ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit. Insuper et tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz, immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit: Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel. »

B TRANSTULIT HABITATORES EIUS (Damasci) CYRENEN.) Non illam quæ est in Æthiopia, nec illam quæ est in Africa, sed in Cyrenen quæ est in Media. Unde Ioseph. ait Damascenos translatos in Mediam. Ver. 9

CUMQUE VIDISSET ALTARE DAMASCI.) Egregia forma, materia et arte elaboratum, placuit ei: unde iussit Uriæ Pontifici, ut ad eius ideam simile fieri curaret Hierosolymis in templo, loco altaris a Salomone fabricati. Ver. 10

An altare hoc idolis (uti Damasceni) erexerit, iisque sacrificarit Achaz, an vero Deo vero. Script. non exprimit: verisimile tamen est, eum idolis illud erexisse; quia illa colebat ipse æque ac Damasceni, eisque ubique aras erigi iubebat, ut iniret gratiam Teglatphalasar, eumque sibi devinciret colendo eius deos et idola; sed frustra: idcirco enim ab eo expilatus et subactus est, uti dixi. Ita Abul. et alii.

Vers 11. EXTRUXITQUE URIAS SACERDOS ALTARE.) Peccavit Urias Pontifex, impium hoc altare erigens, malens placere regi Achaz quam Deo: secus fecit S. Ambr. nam ut ipse refert lib. 5. Epist. 32. « Cum esset impositum ut Ecclesiæ vasa iam traderemus Imperatori, hoc responsi reddidi: me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum; id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere: nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde, consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expedit tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis: si vult sibi esse consultum, recedat a Christi iniuria, et absit a me ut tradam Christi hæreditatem, et hæreditatem Dionysii, qui in exilio, fidei causa, defunctus est, hæreditatem Eustorgii confessoris, hæreditatem Miroclis atque omnium retro fidelium Episcoporum. »

Vers. 14. PORRO ALTARE ÆREUM (a Salomone fabricatum) QUOD ERAT CORAM DOMINO (id est coram Sancto, et Sancto sanctorum, in quo residebat Deus dans oracula) TRANSTULIT.) Per contemptum, ut dicitur 2. Paral. 28. v. 19. et 22. quia Achaz fuit impiissimus, ideoque contemptor Dei, eiusque altaris et templi. Idcirco enim altare Dei suo loco movit, illique suum Damascenum substituit, ac altare Dei ad latus sui altaris, quasi vicarium et precarium in angulo collocavit.

Vers. 15. SUPER ALTARE MAIUS (quod ego amoto Salomonico, instar altaris Damasceni erigi curavi) OFFER HOLOCAUSTUM.)

Vers. 17. ET POSUIT SUPER PAVIMENTUM.) Fecit Achaz hæc omnia ad contemptum, ut dixi, altaris (huic enim luteres et mare æneum subserviebant) utque illud ad usus suos, puta ad sacrificia foret inutile, itaque Iudæi non in eo, Deo vero; sed in suo idolis sacrificare cogerentur.

Vers. 18. MUSACH QUOQUE SABBATI QUOD ÆDIFICAVERAT IN TEMPLO.) Repete ex v. præced. *tulit*, et *deposuit*, hoc est sustulit et deiecit. Quid fuerit *Musach*, variæ sunt sententiæ, sed duæ probabiliores: prior, *Musach* Hebr. idem est quod, *opertorium* sive *tectum*; significat ergo vel solium opertum, in quo sabbato aliisque festis diebus sedebant reges, ut sacrificiis interessent ac legem Dei audirent; unde cap. 23. v. 3. *gradus* vocatur, ut vult R. Salomon. Hinc Sept. vertunt, *fundamentum cathedræ sabbatorum*, per quod videntur accipere basin cui imponebatur cathedra regis, cum veniret sabbato ad templum oraturus et legem auditurus. Ezech. 46. 1. *Musach sabbati*, ergo Hebr. significat tentorium sabbatinum conopæo splendido coopertum, quod erat iuxta atrium sacerdotum, sed extra illud, in quo rex sabbato et festis sedebat spectans sacrificia. Et hoc est tribunal in quo sedit Ioas, cum creatus est rex a Ioiada Pontifice, 4. Reg. 11. v. 14. aut certe, *Musach* significat *pulpitum*, ut vertit Vatab. sive suggestum opertum et tectum, in quo sedebant Levitæ et sacerdotes, dum legem et prophetas populo interpretabantur, ut vult Villalpandus, uti fecit Esdras Nehem. 8. v. 4. Posterior sententia est, quod *Musach* erat tegmen, puta velum vel tabulatum paratum pro Levitis aliisque templi custodibus, qui singulis sabbatis per vices munia sacra obibant in templo, ait Vatabl. Aut *Musach* erat locus contectus in atrio populi, ut sub illo tuti ab æstu, pluvia et ventis degerent homines qui ad templum oraturi vel legem audituri confluebant. Unde Marinus in Lexico *Musach* vertit, *porticum* Omnes hi sensus probabiles sunt. Impius enim Achaz videtur hæc sustulisse. Unde 2. Paral. 20. 24. dicitur clausisse tem-

Musach sabbati quid?

A plum Domini. Verum quia *Musach sabbati* pertinere videtur ad ingressum *regis*, qui hoc eodem versu continetur, hinc alius sensus quem mox subiiciam videtur probabilior.

ET INGRESSUM REGIS EXTERIUS CONVERTIT IN TEMPLUM DOMINI PROPTER REGEM ASSYRIORUM.) Primo, nonnulli sic explicant, q. d. Achaz profanavit templum, cum illud fecit esse quasi vestibulum regii sui palatii, ut in illud non pateret aditus nisi per templum; ut scilicet ipse esset tutior a rege Assyriorum, qui templum prius expugnare debuisset, antequam pergeret ad expugnationem palatii. Verum alia ex parte quæ templo non adiacebat, poterat oppugnari palatium, et facilius expugnari quam templum.

Secundo, Theodor. et Lyran. censent Achaz obstruxisse iter quo e palatio ibatur ad templum, hoc fine ut rex Assyriorum intelligeret ipsum plane deseruisse Deum verum Deique cultum, ut eius deos sequeretur et coleret. Favet Chald. qui pro *convertit*, vertit, *avertit* (*convertere* enim est alio vel in contrariam partem vertere) Hebr.
B est הסב *heseb*, id est *circuire fecit*, ut nimirum si quis e regia in templum ire vellet, magno circuitu descendere cogeretur ex monte Sion, et traiicere totum Ophel, ut veniret ad radices montis Moria, indeque in templum 900. gradibus ascenderet, ut hæc molestia tam longi circuitus et molesti ascensus, eos qui erant regis familiæ, a templo adeundo avocaret, ait Salian. Verum τὸ *convertit in templum*, non avertere, sed vertere in templum, significat. Unde tertio, planius sic nonnulli exponunt, q. d. Achaz vestibulum palatii sui, per quod ibatur in templum, quodque erat extra templum, adiecit templo, fecitque ut quod prius erat exterius templo, iam esset intra templum, ut sic imitaretur regem Assyriorum, qui palatium habebat ita innexum templo, ut pars templi esse videretur; quæ erat quædam templi vilitas et profanatio. Sic enim fiebat, ut in palatium ingredi nemo posset nisi per templum. Ita Vatab.

C Denique hic videtur maxime obvius et congruus totius huius versiculi esse sensus, ut per *Musach sabbati*, accipiamus tentorium et conopæum, in quo rex sedebat in sabbatis et festis in atrio laicorum; sed primo loco vicinissimus atrio sacerdotum, ut proxime spectaret sacrificia, et audiret hymnos quos canebant sacerdotes et Levitæ in suo atrio, ut patet Ezech. 46. 1. Nemini enim laico, ne regi quidem, atrium sacerdotum ingredi fas erat, sed solis sacerdotibus et Levitis. Achaz vero in gratiam regis Assyriorum, qui vile et indecorum sibi esse existimabat foris stare cum vili plebe, *Musach* hoc, sive tentorium, *convertit in templum Domini*, id est diruto muro intermedio iunxit atrio sacerdotum, ut vicinum esset Sancto et Sancto sanctorum, ut iam non inter laicos et plebem, sed inter sacerdotes rex uterque consistere vel considere posset; quasi separatus a vulgo et sacerdotibus annumeratus, ut proxime omnia sacra quæ sacerdotes peragebant tam in atrio, quam in Sancto, cerneret et audiret. Porro, quia ad hoc regis *Musach*, sive tentorium et tri-
D bunal ingressus patebat ex ipsa domo regia per intermedia atria, hinc Achaz hunc quoque ingressum qui domus suæ regiæ pars erat, qua rex e regia ad *Musach* descendebat, quæ idcirco hic vocatur *ingressus regis*, quæque quasi domus laica antea erat extra atrium sacerdotum, fecit ut iam deiecto septo intermedio intra ipsum atrium sacerdotum concluderetur, cum eoque pertingeret usque ad Sanctum et Sanctum sanctorum. Hunc sensum exigit τὸ *convertit in templum Domini*, quod tam ad *ingressum regis*, quam ad *Musach sabbati* pertinet.

Ita Gaspar Sanchez ex R. Salomone, Lyran. et alii; nec improbat Abul. qui tamen aliam expositionem adiicit dicens, duas fuisse e regia vias in templum, unam patentem et publicam, per quam spectante populo rex ibat ad templum; alteram occultam et clausam, per quam rex secreto, eum videri nollet, adibat templum: publicam viam clausit Achaz, ut regi Assyriorum (cuius gratiam ambiebat) videretur patriæ religionis desertor, et idolorum

eius cultor: occultam vero servavit, ut per eam occulte templum ingredi posset, nec regem Assyriorum, utpote id ignorantem offenderet, ideoque de eo hic dici quod *ingressum regis exterius converterit in templum Domini propter regem Assyriorum.* Ita Abul. Verum obstat, quod ingressus hic ad templum iam ante erat: quare nequit dici, quod Achaz eum converterit in templum Domini.

Minus vere quoque Glossa, quam sequuntur Dionys. et Hugo, censent, *Musach sabbati* fuisse ædificium in templi vestibulo, in quod reges sabbatis ad templum venientes eleemosynas coniicerent: *Musach* ergo fuisse gazophylacium regum, sicut *Corbona* erat gazophylacium laicorum.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Osee ultimus regnat in Israel: illo enim negante tributum, Salmanasar reliquas quinque tribus Israelis transfert in Assyriam, ac Assyrios colonos mittit in Samariam, qui in ea tam Deo Israelis, quam suis diis et idolis serviunt.

1. Anno duodecimo Achaz regis Iuda, regnavit Osee filius Ela in Samaria super Israel novem annis. 2. Fecitque malum coram Domino: sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerant. 3. Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, et factus est ei Osee servus, reddebatque illi tributa. 4. Cumque deprehendisset rex Assyriorum Osee, quod rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægypti, ne præstaret tributa regi Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, et vinctum misit in carcerem. 5. Pervagatusque est omnem terram: et ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis. 6. Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios: posuitque eos in Hala, et in Habor, iuxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum. 7. Factum est enim, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de Terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos. 8. Et ambulaverunt iuxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, et regum Israel, quia similiter fecerant. 9. Et offenderunt filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum: et ædificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis, a Turre custodum usque ad Civitatem munitam. 10. Feceruntque sibi statuas, et lucos, in omni colle sublimi, et subter omne lignum nemorosum: 11. Et adolebant ibi incensum super aras in morem Gentium, quas transtulerat Dominus a facie eorum: feceruntque verba pessima irritantes Dominum: 12. Et coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc. 13. Et testificatus est Dominus in Israel et in Iuda, per manum omnium Prophetarum et Videntium, dicens: Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite præcepta mea, et ceremonias, iuxta omnem legem quam præcepi patribus vestris: et sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum. 14. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam iuxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. 15. Et abiecerunt legitima eius, et pactum, quod pepigit cum patribus eorum, et testificationes, quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates, et vane egerunt: et secuti sunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis, ut non facerent sicut et illæ faciebant. 16. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui: feceruntque sibi conflatiles duos vitulos, et lucos, et adoraverunt universam militiam cæli: servieruntque Baal, 17. Et consecraverunt filios suos, et filias suas, per ignem: et divinationibus inserviebant et auguriis: et tradiderunt se ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum. 18. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Iuda tantummodo. 19. Sed nec ipse Iuda custodivit mandata Domini Dei sui: verum ambulavit in erroribus Israel, quos operatus fuerat. 20. Proiecitque Dominus omne semen Israel, et afflixit eos, et tradidit eos in manu diripientium, donec proiiceret eos a facie sua: 21. Ex eo iam tempore, quo scissus est Israel a domo David, et constituerunt sibi regem Ieroboam filium Nabat: separavit enim Ieroboam Israel a Domino, et peccare eos fecit peccatum magnum. 22. Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Ieroboam quæ fecerat; et non recesserunt ab eis: 23. Usquequo Dominus auferret Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum: translatusque est Israel de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc. 24. Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone, et de Cutha, et de Avah, et de Emath, et de Sepharvaim: et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel: qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus eius. 25. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum: et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 26. Nuntiatumque est regi Assyriorum, et dictum: Gentes, quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: et immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. 27. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens: Ducite illuc unum de sacerdotibus quos inde captivos adduxistis, et vadat, et habitet cum eis: et doceat eos legitima Dei terræ. 28. Igitur, cum venisset unus de sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, et docebat eos quomodo colerent Dominum. 29. Et unaquæque Gens fabricata est deum suum: posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ, Gens et Gens in urbibus suis, in quibus habitabat. 30. Viri enim Babylonii fecerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: et viri de Emath fecerunt Asima. 31. Porro Hevæi fecerunt Nebahaz et Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim, comburebant filios suos igni, Adramelech et Anamelech diis Sepharvaim, 32. Et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de novissimis sacerdotes excelsorum, et ponebant eos in fanis sublimibus. 33. Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant iuxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam: 34. Usque in præsentem diem morem sequun-

tur antiquum : non timent Dominum, neque custodiunt ceremonias eius, iudicia, et legem, et mandatum, quod præceperat Dominus filiis Iacob, quem cognominavit Israel : 35. Et percusserat cum eis pactum, et mandaverat eis, dicens : Nolite timere deos alienos, et non adoretis eos, neque colatis eos, et non immoletis eis: 36. Sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de Terra Ægypti in fortitudine magna, et in brachio extento, ipsum timete, et illum adorate, et ipsi immolate. 37. Ceremonias quoque, et iudicia, et legem, et mandatum, quod scripsit vobis, custodite ut faciatis cunctis diebus : et non timeatis deos alienos. 38. Et pactum, quod percussit vobiscum, nolite oblivisci : nec colatis deos alienos, 39. Sed Dominum Deum vestrum timete, et ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum. 40. Illi vero non audierunt, sed iuxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant. 41. Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus et idolis suis servientes : nam et filii eorum, et nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.

Vers. 1. ANNO DUODECIMO ACHAZ REGIS IUDA REGNAVIT OSEE FILIUS ELA IN SAMARIA.) Hic annus 12. Achaz erat octavus post mortem Phacee; Phacee enim regnavit 20. annis, et mortuus est anno quarto Achaz, ut patet ex dictis c. 16. v. 1. Quare fuit hic interregnum 8. annorum in Israel, scilicet ab anno quarto Achaz, quo mortuus est Phacee, usque ad annum 12. Achaz, quo Phacee successit Osee. Videtur ergo regnum Osee in Israel interruptum armis vel Syrorum, vel æmulæ familiæ Phacee, ait Abul. q. 17. per octo annos, donec octavo anno Osee iterum viribus resumptis cœpit regnare anno 12. Achaz. Ita Richardus de S. Victore in concordia annorum regum Israel et Iuda, Caiet. et alii. Vide dicta cap. 15. 30.

Vers. 2. FECITQUE MALUM (Israeli solitum, scilicet colendo vitulos aureos a Ieroboam ibidem erectos, quasi deos penates sive Israeli proprios et patrios) CORAM DOMINO, SED NON SICUT REGES QUI ANTE EUM FUERANT.) Quia ut tradunt Hebræi in Seder Olam c. 22. Osee licet ipse coleret vitulos aureos, permisit tamen suis qui vellent ire in Ierusalem, ibique adorare Deum Iudæorum in templo, quod cæteri reges Israel non permiserant, imo per dispositos a se custodes, euntes intercipiebant. Hinc Osee permisit Israelitas ab Ezechia invitatos Ierosolymam ad celebrandum Pascha, eodem pergere, ut patet 2. Paral. 30. v. 11. et 18.

Vers. 3. CONTRA HUNC ASCENDIT SALMANASAR.) Filius Teglatphalasar filii Phul. Genebrar. putat Salmanasar esse eum, qui a Ptolemæo Nabonassar vocatur. Verum Salmanasar fuit Assyrius, Nabonassar vero Chaldæus, ut nomina ipsa indicant. Ita Serarius. Quare Nabonassar fuit Baladan, de quo c. 20. v. 12.

ET FACTUS EST EI OSEE SERVUS, REDDEBATQUE ILLI TRIBUTA.) Per quinque vel sex annos, quibus exactis negavit tributum, fretus ope regis Ægypti. Quare Salmanasar invasit Israelem, ac Osee vinxit, et Samariam per tres annos obsedit, ac anno tertio cepit; qui fuit annus nonus et ultimus Osee, quo Salmanasar reliquas quinque tribus Israelis abduxit in Assyriam et Mediam, sicut Teglatphalasar pater eius ante 14. annos quinque viciniores tribus eodem abduxerat. Fuit hæc secunda plenaque captivitas Israelis, sive decem tribuum, ex qua numquam redierunt, facta anno sexto Ezechiæ regis Iuda, idque ut testimonio esset Christum, expectatum esse Messiam sibi iam olim ex libris veteris testamenti, ait Caiet. nulla enim eis spes restat restituendi regni terreni, cum plane sint dissipati et dispersi, sed tantum spes regni spiritualis, et salutis æternæ quam attulit Christus omnibus gentibus quæ in eum credere volunt. Porro tunc ex Israel in Assyriam abductus fuit Tobias, erat enim ipse ex tribu Nephtali: quare eius historia hic subnectenda est: hoc enim tempore sub Salmanasar contigit.

Vers. 6. POSUITQUE EOS IN HALA ET HABOR IUXTA FLUVIUM GOZAN, IN CIVITATIBUS MEDORUM.) Ioseph. ait abductos in Mediam et Persidem. Scaliger censet translatos ad Colchos et Iberos. Ego vero, ait Genebr. puto veterem Tartariam esse ad desertum Belgiam in Orientis Septemtrionalis angulo, e qua illi sub annum Christi 1200. Duce Cignis erumpentes, cum antea ignoti essent, et loco et nomine, Imperium Cham Tartarorum, quod hodie memoratur, constituerunt. Nam in Hebræorum annalibus apud R. Salomonem in 27. Isaiæ, decem tribus in Oriente fuerunt perditæ, ibique facile amplexæ sunt Mahometismum: quod iam ab ævo circumciderentur, et corrupta quadam Mosaicæ religionis specie tinctæ essent. Confirmat id Genebrar. ex eo quod hordæ quædam apud Tartaros nomina Dan, et Nephthalim et Zabulon retinuisse dicuntur, aliaque apud eos extare legis et rerum Hebraicarum monumenta: ut non mirum sit Russiam, Sarmatiam, Livoniam et Moscoviam Iudæis abundare, qui etiam nunc, sicut et in Europa, patriæ superstitionis retinentissimi sunt. Addit Genebrar. plerosque in Americam penetrasse; nam ibi sepulchra subterranea, cum litterarum Hebraicarum inscriptionibus esse reperta, et eam profectionem indicari 4. Esdr. 13. 40. *Hæ sunt decem tribus*, inquit, *quæ captivæ factæ sunt de terra sua in diebus Osee regis, quem captivum duxit Salmanasar rex Assyriorum, et transtulit eos trans flumen, et translati sunt in terram aliam*, etc. Denique censet Genebrar. hanc Israelitarum per Orientem et Septemtrionem dispersionem et quasi infusionem Iudæorum, fabulæ quod Caspiis montibus clausi teneantur, occasionem dedisse. Hic ergo finitur regnum Israel sive decem tribuum, quod a primo eorum rege Ieroboam, qui fecit schisma a Roboam rege Iuda, stetit per annos 256. hæcque est Assyriaca captivitas, quæ Babylonicam, in qua abducta est tribus Iuda, et excisa Ierusalem sub Sedecia rege, præcessit annis 134.

Porro multi hanc captivitatem prævidentes fugerant in alias provincias, multi etiam veri Dei cultores migrarunt in tribum Iuda, eique se iunxerunt, ut patet ex seq.

ET IRRITAVERUNT FILII ISRAEL VERBIS NON RECTIS DOMINUM.) *Verbis*, id est rebus et operibus, puta idololatriis et superstitionibus. *Verbum* enim sæpe in Script. significat rem verbo significatam per metonymiam, uti hic vers. 11. Vers. 9.

A TURRE CUSTODUM USQUE AD CIVITATEM MUNITAM.) *Turrem custodum*, vocat turrim rusticanam, quæ erigitur in agris et vineis, ut in ea degant custodes, qui uvas fructus et segetes custodiant, q. d. Israelitæ statuerunt idola in locis et municipiis tam parvis quam magnis, scilicet tam in pagis et villis, quam in oppidis et urbibus munitis. Ita Vatabl.

FECERUNTQUE VERBA (id est opera) PESSIMA.) Uti iam dixi. Vers. 11.

ET TESTIFICATUS (protestatus) EST DOMINUS IN ISRAEL ET IN IUDA PER MANUM OMNIUM PROPHETARUM.) Tunc enim Deus misit prophetas, scilicet Osee, Isaiam, Ioelem, Amos, Abdiam et Michæam, ut patet ex eorum procemio. Nam sub Azaria, sive Ozia rege cœpit prophetare Osee et Isaias, qui ex parte Dei protestati sunt Israeli et Iudæ de iniuria et impietate in Deum commissa; quod scilicet relicto Deo colerent idola, ac de eius castigatione, quod scilicet Deus eos per Assyrios vastaret, et captivos abduceret: hanc enim eis comminati et vaticinati sunt. Vers. 13.

ET SECUTI SUNT GENTES QUÆ ERANT PER CIRCUITUM.) Ecce hæc fuit Israelitis occasio et causa idololatriæ, quod scilicet per commercium, connubia, et familiaritatem cum gentibus vicinis, earum mores et superstitiones didicerint et imbiberint. Sic nostro sæculo Germania, Gallia, Svetia, Dania, Anglia, Scotia, etc. a vicina Vers. 15.

*

Saxonia Saxonis Lutheri hæresim imbiberunt per mutua commercia, præsertim mercatorum hæreticorum.

Vers. 16. Et adoraverunt universam militiam cæli.) Puta solem, lunam, luciferum, cæteraque astra, quæ sunt quasi *militia* et ordinata acies Dei, quæ semper circumit et stationes suas obit, militatque Deo, ac eius iussu in infideles et impios vibrat procellas, tonitrua et fulmina.

Vers. 20. Proiecitque Dominus omne semen Israel (scilicet tam decem tribuum, quam tribus Iuda, de qua sermo præcessit) donec proiiceret eos a facie sua.) Id est donec plene et irrevocabiliter eos a se abiiceret. Notent hic Iudæi, scilicet se plane a Deo abiectos et proiectos esse, ut suæ gentis e captivitate, quam per 1600. annos patiuntur, liberationem, et Synagogæ restitutionem sperare non debeant, sed cæteris gentibus immixti et permixti, cum eis in Christum credere debeant, si a servitute tam temporali quam æterna liberari velint.

Vers. 24. Adduxit autem rex Assyriorum viros de Babylone.) Hinc patet Salmanasar dominatum fuisse non tantum Assyriæ, sed et Babyloni; nam inde colonos transtulit in Samariam.

Et de Cutha.) Hinc coloni hi translati in Samariam, dicti sunt Cuthæi, sicut a Samaria dicti sunt Samaritani. Quare ipsi fuere Babylonii et Assyrii, non vero Iudæi vel Israelitæ.

Vers. 26. Ignorant legitima Dei terræ.) Id est ignorant ritum et ceremonias, quibus legitime coli vult Deus Samariæ; idcirco enim ipse iratus immisit in eos leones, ut præcessit.

Vers. 30. Viri enim Babylonii fecerunt Sochoth Benoth.) Quasi suum simulacrum et idolum. Notat Vatab. voces has esse Syriacas et Chaldaicas, atque hæc significare: *Succoth Benoth*, idem est quod, *gallina cum pullis suis. Nergel* est *gallus gallinaceus. Asima*, est *hircus sylvestris. Nebahaz*, est canis, eo quod latrare soleat, aut iratus exerat dentes. *Tharthac*, est *asinus. Adramelech et Anamelech*, est *mulus et asinus*. Vide et mirare hic stoliditatem Cuthæorum sive Samaritarum, qui stolidissima animalia, uti sunt mulus, equus et asinus, pro Diis coluerunt: permisit hoc Deus, ut ostenderet in quæ absurda numina incidunt illi, qui verum Dei numen deserunt.

Vers. 33. Et cum Dominum colerent, Diis quoque suis serviebant.) Nova fuit hæc Cuthæorum stultitia, quod Deum cum idolis suis colerent, quasi Deus esset Dominus terræ Israel, quam ipsi incolebant; idola vero essent dii patrii suarum terrarum, ex quibus adducti erant in Samariam.

Vers. 41. Fuerant igitur gentes istæ timentes (adorantes, sacrificantes, colentes) quidem Dominum, nihilominus et idolis suis servientes. Nam filii eorum et nepotes, sicut fecerunt patres eorum, ita faciunt usque in præsentem diem.) Hi ergo sunt Cuthæi sive Samaritæ vel Samaritani, qui simul colebant Deum Israel cum idolis gentium, ideoque Iudæis Deum solum colentibus fuere exosi quasi anathemata, ut patet ex Samaritana cum Christo colloquente, Ioan. 4. Ex tota enim gentium deorum et religionum colluvie et permistione, religionem quamdam ex multis compactam, quasi centonem monstrosum effecere. Quare errores varios habuere, quos recenset S. Epiphanius, Philastrius, et alii in eorum hæresi. A Iudæis mutuati sunt circumcisionem, sabbati cultum, ceremonias a Mose præscriptas. Solum enim Mosis Pentateuchum admittebant, cæteros vero prophetas et hagiographa spernebant. Ab aliis gentibus mutuati sunt eorum idola, ritus gentilitios, superstiones, etc. Addit Philastrius, et ex eo Gabriel Prateolus in hæresi Samaritanorum, eos primo iudicium futurum non expectare. Secundo, resurrectionem mortuorum negare. Tertio, animæ immortalitatem inficiari. Quarto, Iesum esse Christum Dei filium a prophetis promissum non credere. Quinto, S. Epiphan. hæresi 9. sub medium: *Habent*, inquit, *alias quasdam dementiæ consuetudines antiquas, quod videlicet urina se proluunt, ubi ab externis venerint, polluti nimirum. Et quod in aquam se una cum vestibus immergunt, ubi contigerint alium ex alia gente.* De aliis Samaritanorum erroribus vide Epiphanium, hæresi 10. 11. 12. 13. Porro Samaritæ, cum Iudæis omnia prospere succederent, volebant esse Iudæi, cum sinistre, eos aversabantur, instar vespertilionis Æsopici, qui cum avibus volebat esse avis propter alas quas habet, cum muribus, mus; corpore enim est mus, sed alis avis. Unde Ioseph. lib. 11. Antiq. c. 8. et lib. 12. c. 7. scribit Samaritas, cum viderent Alexandrum Magnum Iudæis amicum, iactasse se esse Iudæos, et eamdem cum eis religionem colere: cum vero Antiochum Epiphanem eis infensum et infestum conspicerent, negasse se esse Iudæos, eosque aversatos esse.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Ezechias, idola subvertit, rebellat regi Sennacherib, qui v. 17. mittit Rabsacen. Hic Deum blasphemat, et Ezechiæ insultat, suadetque Iudæis ut se dedant Sennacherib.

1. Anno tertio Osee filii Ela regis Israel, regnavit Ezechias filius Achaz regis Iuda. 2. Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset: et viginti novem annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Abi filia Zachariæ. 3. Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat David pater eius. 4. Ipse dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum: vocavitque nomen eius Nohestan. 5. In Domino Deo Israel speravit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt: 6. Et adhæsit Domino, et non recessit a vestigiis eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi. 7. Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, et non servivit ei. 8. Ipse percussit Philisthæos usque ad Gazam, et omnes terminos eorum, a Turre custodum usque ad Civitatem munitam. 9. Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filii Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, et oppugnavit eam, 10. Et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria: 11. Et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala et in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum: 12. Quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum eius: omnia quæ præceperat Moyses servus Domini, non audierunt, neque fecerunt. 13. Anno quartodecimo re-

gis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Iuda munitas: et cepit eas. 14. Tunc misit Ezechias rex Iuda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis, dicens: Peccavi, recede a me: et omne, quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Iudæ trecenta talenta argenti, et triginta talenta auri. 15. Deditque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, et in thesauris regis. 16. In tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, et laminas auri, quas ipse affixerat, et dedit eas regi Assyriorum. 17. Misit autem rex Assyriorum Tharthan, et Rabsaris, et Rabsacen, de Lachis ad regem Ezechiam, cum manu valida, Ierusalem: qui cum ascendissent, venerunt Ierusalem, et steterunt iuxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via Agrifullonis. 18. Vocaveruntque regem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, et Sobna scriba, et Ioahe filius Asaph a commentariis. 19. Dixitque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua niteris? 20. Forsitan inisti consilium, ut præpares te ad prælium. In quo confidis, ut audeas rebellare? 21. An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, et perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti, omnibus qui confidunt in se. 22. Quod si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam: nonne iste est, cuius abstulit Ezechias excelsa et altaria: et præcepit Iudæ et Ierusalem: Ante altare hoc adorabitis in Ierusalem? 23. Nunc igitur transite ad dominum meum regem Assyriorum, et dabo vobis duo millia equorum, et videte an habere valeatis ascensores eorum. 24. Et quomodo potestis resistere ante unum satrapam de servis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus et equites? 25. Numquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, et demolire eam. 26. Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, et Sobna, et Ioahe, Rabsaci: Precamur ut loquaris nobis servis tuis Syriace: siquidem intelligimus hanc linguam: et non loquaris nobis Iudaice, audiente populo, qui est super murum. 27. Responditque eis Rabsaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, et ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, et non potius ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam suam vobiscum? 28. Stetit itaque Rabsaces, et exclamavit voce magna Iudaice, et ait: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. 29. Hæc dicit rex: Non vos seducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea. 30. Neque fiduciam vobis tribuat super Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, et non tradetur civitas hæc in manu regis Assyriorum. 31. Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum quod vobis est utile, et egredimini ad me: et comedet unusquisque de vinea sua, et de ficu sua, et bibetis aquas de cisternis vestris: 32. Donec veniam, et transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, et fertilem vini, terram panis et vinearum, terram olivarum, et olei ac mellis, et vivetis, et non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. 33. Numquid liberaverunt dii Gentium terram suam de manu regis Assyriorum? 34. Ubi est deus Emath, et Arphad? ubi est deus Sepharvaim, Ana, et Ava? numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 35. Quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Ierusalem de manu mea? 36. Tacuit itaque populus, et non respondit ei quidquam: siquidem præceptum regis acceperant, ut non responderent ei. 37. Venitque Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, et Sobna scriba, et Ioahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam, scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

Vers. 2. **V**IGINTI QUINQUE ANNORUM ERAT CUM REGNARE COEPISSET.) Dices: Ex cap. præcedenti liquet, quod Achaz vixerit dumtaxat 36. annis. Ergo Achaz genuit Ezechiam anno ætatis undecimo: nam cum ipse mortuus est anno ætatis 36. succedens ei Ezechias erat 25. annorum; tolle enim 25. a 36. remanent anni undecim. Consequentiam admittit Caiet. Sanchez et S. Hier. Epist. 132. ad Vitalem, ubi pluribus exemplis id fieri posse probat. Abul. tamen censet Achaz fuisse 14. annorum cum genuit Ezechiam, quia, inquit, in Script. tacentur anni eius incompleti. Erat enim Achaz, inquit Abul. cum cœpit regnare, viginti annorum scilicet completorum, et unius incompleti, quem Scriptura non numerat. Rursum sedecim annis regnavit, scilicet completis, insuper decimo septimo incompleto: quare mortuus est anno ætatis 38. Ezechias quoque erat tantum 24. annorum completorum cum regnare cœpit, sed inchoarat annum 25.

Vers. 4. CONFREGITQUE SERPENTEM ÆNEUM, QUEM FECERAT MOYSES (ad sanandum eos qui a serpentibus morsi erant. Num. 21. 8.) SIQUIDEM USQUE AD ILLUD TEMPUS FILII ISRAEL ADOLEBANT EI INCENSUM.) Tamquam numini benefico, utpote qui patres eorum curasset a morsu serpentum. Addit Philastrius Episc. Brixiensis coævus S. Ambrosio, lib. de hæresibus cap. 21. Ezechiam iussisse deleri et ferro radi, penitusque excindi impressiones sive insculptiones quasdam, quas Iudæorum populus faciebat in lapide quodam magno, velut obelisco, qui in templo, loco columnæ erectus erat: ex quo tollentes diversas formulas velut quarumdam litterarum, et in lamina ponentes, in collo baiulabant, quibus incantationes quasdam et

A maleficia exercebant, atque percolebant ea velut tutamina quædam, in pectore suo illa portantes, quæ Dominus in lege passim fieri vetuerat, quod paganæ cæcitatis hæc esset impietas.

VOCAVITQUE NOMEN EIUS NOHESTAN.) Id est *æneulum*, scilicet ex parvo, vili et tinnulo ære conflatum. *Nohestan* enim est nomen diminutivum, quo utitur Ezechias ad simulacri contemptum, q. d. quid putatis o Iudæi parum æris vilis sordidique habere divinitatem? Erratis, nil in eo est numinis, nil magni, nam non est aliud quam modica abiecti nigrique æris portio.

Addit Anastasius Nicænus ex Eusebio: *Libros*, inquit, *Salomonis qui scripti erant de Proverbiis, et odis, in quibus tractabatur de natura plantarum et omni genere animalium, et de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias: propterea quod morborum medelas inde acciperet populus, et nihili facerent, a Deo petere curationes.*

B ET IN DOMINO DEO ISRAEL SPERAVIT.) Ideoque dicitur v. 7. *Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se agebat.* Unde et apposite vocatus est *Ezechias.* Hebr. חזקיהו *Chizkiahu*, id est, *fortitudo mea Dominus*, ait Pagnin. quasi hoc eius fuerit lemma et symbolum. Vers. 5.

NON FUIT SIMILIS EI.) Ezechiæ, quoad hoc scilicet, quod abstulerit excelsa et serpentem æneum confregerit, quæ alii reges omnes ante eum permiserant. Nam alioqui David videtur religiosior et sanctior fuisse Ezechia: David enim vir fuit secundum cor Dei, cui proinde a Deo facta est promissio de Christo ex se nascituro, adeoque David a Deo statutus est in exemplar quod imitarentur,

regibus omnibus ex eo nascituris. Ita Abul. Vel certe est Hyperbole q. d. Adeo pius et zelosus in Dei cultu tuendo fuit Ezechias, ut vix videatur habuisse parem vel similem. Idem dicitur de Abraham, Eccles. 44. 20. *Non est*, inquit, *inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem excelsi.* Vide ibi dicta.

Vers. 7. REBELLAVIT QUOQUE CONTRA REGEM ASSYRIORUM.) Cui se pater eius Achaz subiecerat pendebatque tributum, quod negavit Ezechias, indignum reputans regem Iuda fidelem servire regi infideli, confidensque in Deo, quod ipse se ab hac servitute liberaret, uti et fecit, per miraculosam victoriam.

Vers. 8. A TURRE CUSTODUM.) Rusticana, ut dixi cap. 17. 9.

Vers. 11. COLLOCAVITQUE EOS IN HALA ET IN HABOR FLUVIIS GOZAN, IN CIVITATIBUS MEDORUM.) Pro *fluviis*, Serarius et alii censent legendum *fluvii*. Unde Vatab. vertit: *iuxta fluvium Gozan*, et sic vertit Noster, cap. 17. 6. Hebr. enim est נהר *nahar*, id est *fluvii*, in singulari; aut certe fluvii vocantur urbes adiacentes fluviis per metonymiam; nam in urbibus habitant homines, non in fluviis, nisi apud Sinas, ubi tanta est hominum copia, ut terra eos non capiat: quare multi in pontibus et navibus fluminum habitare coguntur, teste nostro Nicolao Trigaultio in historia Chinensi.

Vers. 13. ANNO QUARTODECIMO REGIS EZECHIÆ ASCENDIT SENNACHERIB.) Qui iam Salmanasar patri vita functo, in regno Assyriorum successerat. Ascendit autem contra Iudam, eo quod Ezechias rebellasset et tributum negasset, v. 7. Id factum est ex Dei providentia, qui non obstante pietate Ezechiæ, volebat punire tribum Iuda, ob idololatriam et scelera ab ea commissa.

MISIT AUTEM REX ASSYRIORUM.) Nota hic perfidiam Sennacherib, qui acceptis ab Ezechia trecentis argenti talentis, et triginta auri, nihilominus mittit contra eum exercitum, qui proinde ab Angelo cæsus est, ac dum aliena invasit, sua domi amisit. Vers. 17.

QUÆ EST IN VIA AGRI FULLONIS.) Ita dictus est ager, quod in eo fullones aqua piscinæ pannos abluerent. Vers. 25.

DOMINUS DIXIT MIHI: ASCENDE AD TERRAM HANC, ET DEMOLIRE EAM.) Mentitur Rabsaces se Dei iussu invadere Iudæos, ut eos terreat, et ad deditionem compellat. Ita Abul.

Reliqua huius capitis transcripta sunt ex Isaiæ cap. 36. ubi ea explicui: Isaias enim fuit internuntius inter Deum et Ezechiam, eique victoriam contra Sennacherib prædixit et promisit.

PRÆCEPTUM REGIS (Ezechiæ) ACCEPERANT, UT NON RESPONDERENT EI.) Cur? Resp. primo S. Cyrill. Alex. in cap. Isai. citatum: *Quia*, inquit, *imperitis sermonibus, et fastui barbarico, linguæque contra Deum petulanti illacrymari potius, quam reclamare oportuit.* Respondet secundo Procop. ad locum citatum Reg. *Nihil*, inquit, *ad blasphemias istas responderi passus est pius rex, ne ad maiores provocaret.* Respondet tertio Abul. ibid. q. 44. *Quia ad honorem, inquit, regis pertinebat, quod negotia sua fierent prudenter, ordinate, et cum maturatione: si autem quilibet de populo posset respondere Rabsaci, sicut vellet; esset quædam deordinatio magna, et posset irridere Rabsaces ordinationem, quam habebat Ezechias in subditis, et negotiis suis.* Vers. 36.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Isaias prædicit Ezechiæ victoriam de Sennacherib: quare Angelus ex eius castris cædit 185. millia.

1. QUÆ cum audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, et opertus est sacco, ingressusque est domum Domini. 2. Et misit Eliacim præpositum domus, et Sobnam scribam, et senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos. 3. Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, et increpationis, et blasphemiæ, dies iste: venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens. 4. Si forte audiat Dominus Deus tuus universa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus, ut exprobraret Deum viventem, et argueret verbis, quæ audivit Dominus Deus tuus: et fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. 5. Venerunt ergo servi regis Ezechiæ ad Isaiam. 6. Dixitque eis Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Noli timere a facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. 7. Ecce, ego immittam ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur in terram suam, et deiiciam eum gladio in terra sua. 8. Reversus est ergo Rabsaces, et invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam: Audierat enim quod recessisset de Lachis. 9. Cumque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ecce, egressus est ut pugnet adversum te: et iret contra eum, misit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10. Hæc dicite Ezechiæ regi Iuda: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas: Non tradetur Ierusalem in manus regis Assyriorum. 11. Tu enim ipse audisti quæ fecerunt reges Assyriorum universis terris, quomodo vastaverunt eas: num ergo solus poteris liberari? 12. Numquid liberaverunt dii Gentium singulos, quos vastaverunt patres mei, Gozan videlicet, et Haran, et Reseph, et filios Eden, qui erant in Thelassar? 13. Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex civitatis Sepharvaim, Ana, et Ava? 14. Itaque cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, et legisset eas, ascendit in domum Domini, et expandit eas coram Domino, 15. Et oravit in conspectu eius, dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ, tu fecisti cælum et terram. 16. Inclina aurem tuam, et audi: aperi Domine oculos tuos, et vide: audi omnia verba Sennacherib, qui misit ut exprobraret nobis Deum viventem. 17. Vere Domine dissipaverunt reges Assyriorum Gentes, et terras omnium. 18. Et miserunt deos eorum in ignem: non enim erant dii, sed opera manuum hominum ex ligno et lapide, et perdiderunt eos. 19. Nunc igitur Domine Deus noster, salvos nos fac de manu eius, ut sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus. 20. Misit autem Isaias, filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi. 21. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo: Sprevit te, et subsannavit te, virgo filia Sion: post tergum tuum caput movit, filia Ierusalem. 22. Cui exprobrasti, et quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel. 23. Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino,

et dixisti : In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, et succidi sublimes cedros eius, et electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad terminos eius, et saltum Carmeli eius. 24. Ego succidi. Et bibi aquas alienas, et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas. 25. Numquid non audisti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, et nunc adduxi : eruntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ. 26. Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt et confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri, et virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem. 27. Habitaculum tuum, et egressum tuum, et introitum tuum, et viam tuam ego præscivi, et furorem tuum contra me. 28. Insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti. 29. Tibi autem Ezechia hoc erit signum : Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porro in tertio anno seminate et metite: plantate vineas, et comedite fructum earum. 30. Et quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum. 31. De Ierusalem quippe egredientur reliquiæ, et quod salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc. 32. Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. 33. Per viam, qua venit, revertetur: et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. 34. Protegamque urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum. 35. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: et recedens abiit. 36. Et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et mansit in Ninive. 37. Cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, et regnavit Asarhaddon filius eius pro eo.

Hoc caput pariter transcriptum est ex Isaiæ cap. 37. ubi illud explicui.

Vers. 34. PROPTER DAVID.) Quæres, cur non dixit : *Propter Ezechiam et Isaiam*, quorum sine dubio preces Deo gratissimæ extiterunt? Optime Glycas 2. parte Annalium citatus in Glossa: *Hæc verba*, inquit, *ita divinitus prolata sunt, ne putaret Ezechias orationem suam, iustitiæ causa, qua præditus erat, exauditam esse.*

Vers. 37. ET REGNAVIT ASAR HADDON FILIUS EIUS PRO EO.) Genebrar. in Chronol. Pererius, Arias Montanus, et Serarius in c. 1. Iudith v. 1. censent *Asarhaddon* esse Sardanapalum; primo, quia sicut Sardanapalus a gentilibus Historicis ponitur ultimus rex et monarcha Assyriorum, sic et a Script. ultimus Assyriorum rex ponitur *Asarhaddon:* post eum enim nominantur Baladan Merodach, Nabuchodonosor, Evelmerodach et Balsasar, qui omnes fuere principes et reges Babyloniorum. Secundo, quia Sardanapali nomen videtur conflatum ex Asar et Don vel Haddon addito nomine Phul. Ergo est idem cum Asarhaddon. Tertio, quia quæ de eversione Ninives futura per eluvionem Tigris fluvii prædicunt Ionas et Nahum, ea sub Sardanapalo contigisse testatur Diodorus.

Asarhaddon an sit Sardanapalus?

Verum Eusebius, Torniellus, Salianus, cæterique Chronologi Sardanapalum anterius collocant, scilicet sub Azaria rege Iuda: tunc enim prophetavit Ionas, et Sardanapalo excidium Ninives prædixit, ut dixi cap. 15. 2. et Ionæ cap. 3. v. 6. et seq.

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias æger invocans Deum per Isaiæ ficus sanatur, signumque accipit, reversionem umbræ in horologio: mox v. 12. Merodach rex Babylonis mittit legatos ad Ezechiam, quibus ipse omnes suos thesauros ostendit, ideoque ab Isaia audit illos omnes a Babyloniis diripiendos.

1. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem : et venit ad eum Isaias filius Amos, propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus : Præcipe domui tuæ : morieris enim tu, et non vives. 2. Qui convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum, dicens: 3. Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno. 4. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens: 5. Revertere, et dic Ezechiæ duci populi mei : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas : et ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini. 6. Et addam diebus tuis quindecim annos : sed et de manu regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc, et protegam urbem istam propter me, et propter David servum meum. 7. Dixitque Isaias: Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent, et posuissent super ulcus eius, curatus est. 8. Dixerat autem Ezechias ad Isaiam : Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, et quia ascensurus sum die tertia templum Domini? 9. Cui ait Isaias: Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est : Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? 10. Et ait Ezechias : Facile est, umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. 11. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus. 12. In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum, litteras et munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset Ezechias. 13. Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, et ostendit eis domum aromatum, et aurum et argentum, et pigmenta varia, unguenta quoque, et domum vasorum suorum, et omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. 14. Venit autem

Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei : Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 15. At ille respondit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias : Omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt: nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis. 16. Dixit itaque Isaias Ezechiæ : Audi sermonem Domini: 17. Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua , et quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc , in Babylonem : non remanebit quidquam , ait Dominus. 18. Sed et de filiis tuis qui egredientur ex te , quos generabis , tollentur , et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. 19. Dixit Ezechias ad Isaiam: Bonus sermo Domini , quem locutus es: sit pax et veritas in diebus meis. 20. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et omnis fortitudo eius, et quomodo fecerit piscinam, et aquæductum, et introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 21. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et regnavit Manasses filius eius pro eo.

Hoc caput transcriptum quoque est ex Isaiæ cap. 38 et 39. ubi illud explicui. Multa de Ezechiæ pietate et zelo religioni adduntur 2. Paralip. cap. 29. et 30. et 31. Unde meruit ipse a Deo obtinere victoriam contra Sennacherib , et sanitatem miraculosam , in qua Deus ei adiecit 15. annos vitæ.

Vers. 12. Baladan quis? IN TEMPORE ILLO MISIT MERODACH BALADAN, FILIUS BALADAN.) *Baladan* fuit primus princeps Babyloniorum: eorum enim nomen hucusque non audivimus , sed Assyriorum dumtaxat. Quare videtur quod Baladan præfectus Babyloniæ, vel potius filius eius Merodach Baladan videns Sennacherib (cui ipse erat subditus et vectigalis) et Assyriorum copias ab Angelo cæsas in Iudæa, eiusque vires attritas iugum excusserit, seque principem absolutum et regem Babyloniorum effecerit, imo Asarhaddonem regno et vita privarit sub annum Ezechiæ 26. ut vult Salianus; tuncque defecit regnum Assyriorum: unde deinceps in Script. nulli reges Assyriorum nominantur , sed omnes Babyloniorum , quorum primus fuit Baladan. Unde *Baladan* Hebr. idem est quod *sine Domino,* ait Pagn. Porro Baladan patrem non esse Salmanasar regem Assyriorum, ut vult Genebrardus, sed Nabonassar, qui a Ptolemæo in Almagesto ponitur primus princeps Babyloniorum, censent ex Eusebio, Beroso, Iosepho, Scaliger, Serarius , Bellarminus , Torniellus , Salianus in chronol. unde ab eo constituta fuit æra Nabonassarea , a qua Babylonii cæterique annos suos computant deinceps; sicut Persæ a Cyro, Græci ab Alexandro, Romani ab Augusto. Hinc Chaldaice dictus est *Baladan* a *Bal* et *Haddon. Bal* enim sive *Bel* et *Baal,* erat *Nemrod* sive Iupiter Belus , primus post diluvium turris Babel conditor, ut dixi Gen. 10. qui (vel cuius socius) alio nomine dictus est *Nabo* , id est prophetia vel divinatio, ut dixi Isaiæ 46. 1. ad illa : *confractus est Bel, contritus est Nabo.* Nam ut ait Tertul. Apolog. 20. *Testimonium divinitatis , est veritas divinationis.* Dei enim proprium est divinare, præscire, et prædicere futura , iuxta illud Isaiæ 41. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt , et sciemus quia dii estis vos.* Hinc a Nabo Deo et Assar conflatus est dictusque Nabonassar. Rursum filius Baladan , sive Nabonassar fuit hic *Merodach* , sive Berodach, qui primus se regem Babylonis nuncupavit misitque legatos ad Ezechiam. Merodacho successit filius

Series regum Babyloniorum. Ben Merodach , uti asserunt Eusebius lib. 9. de Præpar. Berosus apud Iosephum , Methasthenes Annii, Iosephus, Scaliger lib. de Emendat. tempor. Torniellus , Salianus , et alii, qui Baladan tribuunt 27. annos, Merodach 52. Ben Merodach 44.qui in unum conflati faciunt 123.unde Chronologi a Nabonassar usque ad Nabopolassar, quem Berosus vocat Nabolassar, qui Ben Merodacho successit, fuitque Nabuchodonosor senior , uti asserunt Eusebius, Berosus, Scaliger , Bellarm. Torniel. Salian. et alii , numerant annos 123. Nabuchodonosori seniori post annos regni 19. defuncto successit Nabuchodonosor iunior, cognomento Magnus, qui Ierusalem cepit, et Iudæos in Babylonem abduxit, ac Monarchiam ab Assyriis ad Babylonios transtulit, regnavitque annis 45. cui successit filius Evel Merodach , alio nomine dictus Balsasar , per 34. annos , ut dixi Daniel. 5. v. 1. Hæc chronologia virorum eruditorum est probabilis, licet alii aliam assignent in nonnullis a iam dicta differentem. Nil enim certi de temporibus tam antiquis, et historia certa carentibus, asseri potest. Vide

A dicta Ezechielis 1. sub initium. Denique qui privatus dictus est Baladan, assumpto imperio vocatus est Nabonassar Baladan, filius vero eius vocatus est Merodach Baladan. Porro primum annum Nabonassar multi cum Ptolemæo assignant anno primo vel secundo octavæ Olympiadis, sive anno trigesimo ab initio Olympiadum, quem Torniellus contendit esse annum regis Achaz 13. conditæ vero Romæ sextum. Scaliger et Serarius volunt esse annum Achaz nonum, Salian. Achaz decimum quartum ; alii malunt esse annum Ioatham nonum. Nil enim certi in re tam incerta statui potest. Rursum Ptolemæus ab anno primo Nabonassar numerat annos 123. usque ad annum primum Nabopolassar , quem Eusebius , Berosus , Iosephus, Scaliger, Salianus et alii censent esse Nabuchodonosorem seniorem. Alii vero censent esse iuniorem , qui cognominatus est Magnus , et Iudæos in Babylonem abduxit. Nec enim Monarcham tam potentem videtur omisisse Ptolemæus. Difficile enim est, et subinde impossibile historicos profanos adaptare , et per omnia adæquare B historiæ sacræ Scripturæ, mox tamen eam illi adæquabo.

Porro Merodach inchoans regnum Babylonis misit legatos ad Ezechiam, quia audierat eum idem iugum regis Assyriorum excussisse, quod ipse excusserat, ut cum eo fœdus iniret, iunctisque viribus Assyrio resisterent.

Ad extremum hos chronologiæ limites, et quasi canones ex Ptolemæo et aliis statuunt, figuntque Scaliger , Serarius, Salianus et alii. Canones chronol.

Primo, Nabonassari annus primus incidit in annum primum octavæ Olympiadis, sive in annum 29. ab initio Olympiadum. Id patet ex eo quod Ptolemæus asserat Alexandrum Magnum mortuum esse anno 424. Nabonassaris. Constat autem Alexandrum mortuum esse anno primo Olympiadis 114. a quo anno ad superiora regrediendo , primus Nabonassaris in primum octavæ Olympiadis necessario incidit. Nam 113. Olympiades faciunt annos 452. a quibus si demas septem Olympiades iam devolutas , id est annos 28. reliqui erunt 424. qui a primo Na- C bonassaris usque ad mortem Alexandri fluxere. I.

Secundo , hinc sequitur annum primum Nabonassari esse sextum a Roma condita: hæc enim condita est in fine Olympiadis sextæ, sive anno 23. ab initio Olympiadum; ab hoc autem initio annus primus Nabonassari est 29. iam 29. annus posterior est 23. sex annis, ut liquet. II.

Tertio, annus 151. ab initio Olympiadum est annus primus Nabopolassar , hoc est Nabuchodonosoris senioris , qui fuit pater Nabuchodonosoris Magni,sive primi Monarchæ Chaldæorum. III.

Quarto, annus Nabonassar 122. est annus primus Nabopolassar , ita Scaliger et Serarius; negat tamen hoc Salianus et Torniellus, qui annum primum Nabonassaris consignant anno 13. vel 14. Achaz , annum vero primum Nabopolassar anno 13. Iosiæ, iam a 14. Achaz ad 13. Iosiæ fluxere anni centum et unus dumtaxat, non centum viginti duo. IV.

Iuxta hos canones ita horum omnium anni annis regum Iuda assignandi et combinandi videntur, ut initium D Olympiadum assignemus anno 40. Azariæ; Romæ conditionem, anno 10. vel 11. Ioatham; annum primum Nabonassaris anno 15. Ioatham; annum primum Nabopolassaris sive Nabuchodonosoris senioris , anno 18. Iosiæ. Nam ab anno 40. Oziæ usque ad decimum Ioatham sunt 23.

anni. Inde ad 15. Ioatham sunt anni sex, inde ad 18. Iosiæ fluxere anni 122. inde ad annum quintum a captivitate Ioachim, sunt anni triginta, quando cœpit prophetare Ezechiel, ut ipse ait cap. 1. v. 1. Videtur enim Nabuchodonosor senior cœpisse quidem regnum in Babylone moliri anno 13. Iosiæ, sed anno 18. Iosiæ absolute regnasse, A tumque cum Cyaxare rege Medorum obsedisse Niniven, ad evertendam Monarchiam Assyriorum, quam paulo post reipsa cepit et evertit Nabuchodonosor iunior senioris filius, itaque Monarchiam ab Assyriis ad se et Chaldæos transtulit, uti ostendi Nahum 2. v. 1.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Manasses impius regnat et idola restituit, ac prophetas occidit. Succedit ei vers. 18. impius filius Amon, qui post biennium a suis occiditur, succedente sibi filio pio Iosia.

1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Haphsiba. 2. Fecitque malum in conspectu Domini, iuxta idola Gentium, quas delevit Dominus a facie filiorum Israel. 3. Conversusque est, et ædificavit excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater eius: et erexit aras Baal, et fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israel, et adoravit omnem militiam cæli, et coluit eam. 4. Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Ierusalem ponam nomen meum. 5. Et extruxit altaria universæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini. 6. Et traduxit filium suum per ignem: et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, et irritaret eum. 7. Posuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini, super quod locutus est Dominus ad David, et ad Salomonem filium eius: In templo hoc, et in Ieruralem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. 8. Et ultra non faciam commoveri pedem Israel de terra, quam dedi patribus eorum: si tamen custodierint opera omnia quæ præcepi eis, et universam legem quam mandavit eis servus meus Moyses. 9. Illi vero non audierunt: sed seducti sunt a Manasse, ut facerent malum super gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel. 10. Locutusque est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum, dicens: 11. Quia fecit Manasses rex Iuda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, et peccare fecit etiam Iudam in immunditiis suis: 12. Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Ierusalem et Iudam: ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius. 13. Et extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Achab: et delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulæ: et delens vertam, et ducam crebrius stylum super faciem eius. 14. Dimittam vero reliquias hereditatis meæ, et tradam eas in manus inimicorum eius: eruntque in vastitatem, et in rapinam cunctis adversariis suis: 15. Eo quod fecerint malum coram me, et perseveraverint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, usque ad hanc diem. 16. Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os: absque peccatis suis, quibus peccare fecit Iudam, ut faceret malum coram Domino. 17. Reliqua autem sermonum Manasse, et universa quæ fecit, et peccatum eius quod peccavit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 18. Dormivitque Manasses cum patribus suis, et sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza: et regnavit Amon filius eius pro eo. 19. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset: duobus quoque annis regnavit in Ierusalem; nomen matris eius Messalemeth filia Harus de Ieteba. 20. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius. 21. Et ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater eius: servivitque immunditiis, quibus servierat pater eius, et adoravit eas, 22. Et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, et non ambulavit in via Domini. 23. Tetenderuntque ei insidias servi sui, et interfecerunt regem in domo sua. 24. Percussit autem populus terræ, omnes qui coniuraverant contra regem Amon: et constituerunt sibi regem Iosiam filium eius pro eo. 25. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 26. Sepelieruntque eum in sepulchro suo, in horto Oza: et regnavit Iosias filius eius pro eo.

Vers. 7. Positque idolum luci quem fecerat, idolum in luco ante a se constructo positum, iam luco sculptili circumdatum posuit in templo.) q. d. Manasses prius construxerat lucum sive sylvam diis sacram, in eoque collocarat idolum, quod deinde ex luco transtulit in templum; sed quia lucum cum idolo transferre non poterat, hinc loco luci, fecit simulacrum sive similitudinem luci ex auro, argento vel ære, in eoque posuit idolum, illudque cum luco transtulit in templum, ut ibidem iam non Deus in templo, sed dæmon in luco coleretur. Unde utrumque postea destruxit Iosias Manassis nepos c. 23. v. 6. et 7.

Vers. 10. Locutusque est Dominus in manu servorum suorum prophetarum.) Scilicet per Osee, Amos, Ioelem, Nahum, Ionam, Abdiam, ac maxime Isaiam Manassis socerum, qui proinde a Manasse serra lignea dissectus Christi in ligno crucifixi fuit typus, ut dixi proœmio in B Isaiam, ac plures alios prophetas, adeo ut Ioseph lib. 10. c. 4. asserat, *ex eorum numero per singulos dies aliquem supplicio a Manasse affectum fuisse.*

Extendam super Ierusalem funiculum Samariæ.) Vers. 13. *Funiculus* mensorius metaphorice significat eamdem pœnæ mensuram, q. d. Qua mensura punivi, vastavi et abduxi e Samaria Israelitas in Assyriam, eadem puniam, vastabo, et abducam Iudæos e Ierusalem in Babylonem: sicut enim fuerunt pares in culpa et idololatria, sic pares erunt in pœna et captivitate. Est metaphora a fabris, qui utuntur ferro sive funiculo, quem extendunt plumbi massa, ut iuxta illum ad perpendiculum fabricam construant, vel constructam diruant et destruant. q. d. Ego Ierusalem destruam, et quasi funiculo ad solum coæquabo, sicut solet faber domos diruere, et per funiculum mensorium terræ coæquare et complanare; unde explicans idipsum per aliam similitudinem ceræ declarat, dicens: *Delebo*

Ierusalem sicut deleri solent tabulæ: et delens vertam et ducam crebrius stylum super faciem terræ. q. d. Delebo Ierusalem sicut deleri solent literæ in tabula ex cera exaratæ. Solebant enim olim ante inventionem chartæ, scribere in tabulis cera obductis, et in ea stylo quasi calamo litteras efformare. Quare stylus hic inferne acutus erat, superne vero obtusus, ut eodem literas in cera scriptas cum vellent obducerent, et cera complanata alias in illa litteras pingerent; si ergo una vox vel litera dumtaxat delenda foret, id faciebant uno alterove styli per ceram ductu; sin plures, pluribus ductibus, sin omnes, omnibus ductibus, donec erasis literis pura et complanata restitueretur cera. Ita fecit hic Deus in excidio Iudææ et Ierosolymæ. Nam primo induxit in eam stylum hostilem regis Babylonis, cum ex ea Manassen, et primores regni in Babylonem captivos abduxit. 2. Paral. 33. v. 11. Secundo, cum Pharao Nechao Iosiam, qui tota erat Iudæorum spes, occidit, eiusque filium Ioachaz in Ægyptum abripuit cap. 23. v. 33. Tertio, cum Nabuchodonosor Ioakim fratrem Ioachaz cepit et vinxit. Quarto, cum idem Ioachin filium Ioakim cum magno nobilium et populi numero in Babylonem transmisit. Quinto et ultimo, cum idem Sedeciam ultimum regem cum reliquis abduxit, urbemque et templum concremavit.

Sensus ergo est: *Extendam super Ierusalem funiculum.* q. d. Non tantum urbem demoliar, sed fundamenta refodiam, eaque terræ quasi per funiculum admetiens coæquabo, ut nullum sit reliquum eius vestigium, neque delineatio prima illius; non secus ac fieri solet, cum tabellæ ceratæ, lineæ, vel caracteres delentur.

Pro *tabulæ* Hebr. est צלחת *tsallachat*, quod passim vertunt scutella, frixorium, lebes, caldaria. Unde Vatab. sic vertit: *Detergam Ierusalem, sicut quis patinam detergit et eam vertit.* Sicque explicat; q. d. Repurgabo Ierusalem ab hominibus sceleratis, quos ubi fugavero, invertam illam, uti inverti solet a rusticis scutella expurgata. Noster vero Hieron. Prado in Ezech. c. 5. v. 11. sic vertit, et exponit: *Abstergam Ierusalem, ut mundari solet caldarium abstersione, et verti super faciem suam.* Id est, ut solet, cum probe extersum est, converti dorsum in faciem, ut nil lustramenti fiat reliquum, sed ad ultimam guttam distillet in terram; sic mundabo Ierusalem abstergens ex ea omnes incolas et domos, eamque a fundamentis evertens.

Vers. 16. INSUPER ET SANGUINEM INNOXIUM FUDIT MANASSES MULTUM NIMIS.) Præsertim eorum qui suæ impietati resistebant, illumque de ea arguebant, uti erant Isaias, ceterique prophetæ; ita ut quotidie aliquem e Prophetis occideret, ait Ioseph. Hinc apposite vocatus est *Manasses*, id est *ab insurgente vel ex oblivione*, ait auctor Imperf. Hom. 1. in Matth. *Providentia enim Dei sic eum dispensavit vocari, quia obliturus fuerat omnem conversationem patris sui sanctam, et omnia beneficia Dei pro merito eius collata in ipsum, et stimulatus ab insurgente diabolo, qui solet insurgere super genus humanum ad evertendum, gesturus omnia quæ Deum ad iracundiam provocarent.* Addit idem Auctor de Manasse quid novi et miri, aitque: *Denique cum ægrotasset Ezechias in tempore quodam, et venisset ad eum Esaias propheta visitandum, vocavit Ezechias filium suum Manassen, et cœpit ei mandare, quod debeat Deum timere, quomodo regere regnum, et alia multa. Et dixit ad eum Esaias: Vere quia non descendunt verba tua in cor eius, sed et meipsum oportet per manum eius interfici. Quod audiens Ezechias, volebat filium suum interficere, dicens: Quia melius est me sine filio mori, quam talem filium relinquere, qui et Deum exasperet, et sanctos eius persequatur. Tenuit autem eum vix Esaias propheta, dicens: Irritum faciat Deus consilium tuum hoc, videns Ezechiæ religionem, quia plus amabat Deum, quam filium suum.* Verum hæc videtur Rabbinorum fabella. Nam ægrotante Ezechia necdum natus erat Manasses, quia post morbum Ezechias supervixit 15. annos, eique deinde morienti succedens Manasses erat duodecim annorum. Natus est ergo Manasses tertio a morbo et sanitate recuperata Ezechiæ patris sui anno.

DORMIVITQUE (somno mortis) CUM PATRIBUS SUIS.) Vers. 18. Nota 2. Paral. 33. 11. narratur pœna a Deo inflicta Manassi, scilicet captivitas in Babylone, indeque seria eius pœnitentia et conversio ad Deum.

Porro Manasses in Babylonem abductus videtur a Merodach Baladan: hic enim tunc in Babylone regnabat; unde huic Ezechias pater Manassis opes suas ostenderat, ideoque eum illexerat ad eas abripiendas; quod et futurum ei prædixit Deus cap. 20. 17. atque idipsum paulo post præstitit, dum effecit ut Manasses ob sua scelera, per eumdem Baladan cum gaza regia in Babylonem vinctus abduceretur. Ita Bellarm. Salianus, et alii. Dicitur tamen Manasses captus a rege Assyriorum, vel quia Babylonii vocantur Assyrii, vel quia Merodach vectigalis fuit Asarhaddon regi Assyriorum, cuius postea iugum excussit.

ET SEPULTUS EST IN HORTO DOMUS SUÆ, IN HORTO OZA.) Ubi scilicet Oza occisus est a Deo, eo quod temere tetigisset arcam titubantem, 2. Reg. 6. 8. Hic hortus erat prope Ierusalem, et regiis hortis copulatus, in quo Manasses Babylone rediens regium sibi Mausolæum construxit, atque in eo ipse et filius eius Amon sepulti sunt.

FECITQUE MALUM.) Ita Script. vocat idololatriam, Vers. 20. quasi malum malorum summum; nam ut ait Sapiens c. 13. 27. *Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est, et initium, et finis.* Imitatus est Amon patrem Manassen peccantem sed non pœnitentem. Addit Glycas eum dixisse: *Pater meus a puero multa scelera fecit, ac in senecta pœnitentiam egit; quare et ego in hac ætate pro animi libidine me geram, et deinceps ad Dominum me convertam.* Quocirca Deus hanc eius præfidentiam cita morte punivit: nam post biennium a suis servis occisus est. Audi S. Clementem lib. 2. Constit. Apost. c. 23. *Talis*, inquit, *extitit Amon filius Manassis de quo ait Scriptura: Decepit se Amon mala cogitatione transgressionis, et dixit: Pater meus multa peccata ab adolescentia commisit, et cum senex esset, commisisse pœnituit; et nunc ego ambulabo, ut expetit anima mea, et postea convertam me ad Dominum: et egit improbe coram Domino super omnes natos ante se, et delevit eum Deus celeriter ex terra eius bona, et servi impetum in eum fecerunt, et domi eius interfecerunt, et regnavit duobus tantum annis.*

Notent hoc iuvenes qui in iuventute voluptuantur et luxuriantur, eamque dicant diabolo, promittentes se senectam dicaturos Deo: nam plerique talium variis humanæ vitæ casibus intercipiuntur et moriuntur, iustoque Dei iudicio ad senectam, indeque ad vitæ emendationem et salutem æternam non pertingunt.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pius Iosias pie regnat, ac repertum Deuteronomium studiose perlegit, auditque ab Holda prophetissa supplicia quæ in eo Deus impiis comminatur, non sibi sed filiis suis obventura.

1. Octo annorum erat Iosias cum regnare cœpisset, triginta et uno anno regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Idida, filia Hadaia de Besecath. 2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, et ambulavit per omnes vias David patris sui: non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram. 3. Anno autem octavo decimo regis Iosiæ, misit rex Saphan filium Aslia, filii Messulam, scribam templi Domini, dicens ei: 4. Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut confletur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt ianitores templi a populo, 5. Deturque fabris per præpositos domus Domini: qui et distribuant eam his qui operantur in templo Domini, ad instauranda sartatecta templi: 6. Tignariis videlicet et cæmentariis, et iis qui interrupta componunt: et ut emantur ligna, et lapides de lapicidinis, ad instaurandum templum Domini. 7. Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant, et in fide. 8. Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum Legis reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan, qui et legit illud. 9. Venit quoque Saphan scriba ad regem, et renuntiavit ei quod præceperat, et ait: Conflaverunt servi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini: et dederunt ut distribueretur fabris a præfectis operum templi Domini. 10. Narravit quoque Saphan scriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram rege, 11. Et audisset rex verba libri Legis Domini, scidit vestimenta sua. 12. Et præcepit Helciæ sacerdoti, et Ahicam filio Saphan, et Achobor filio Micha, et Saphan scribæ, et Asaiæ servo regis, dicens: 13. Ite et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Iuda, de verbis voluminis istius, quod inventum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba libri huius, ut facerent omne quod scriptum est nobis. 14. Ierunt itaque Helcias sacerdos, et Ahicam, et Achobor, et Saphan, et Asaia, ad Holdam prophetidem, uxorem Sellum, filii Thecuæ, filii Araas custodis vestium, quæ habitabat in Ierusalem in Secunda: locutique sunt ad eam. 15. Et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me: 16. Hæc dicit Dominus: Ecce, ego adducam mala super locum istum, et super habitatores eius, omnia verba Legis quæ legit rex Iuda: 17. Quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: et succendetur indignatio mea in loco hoc, et non extinguetur. 18. Regi autem Iuda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod audisti verba voluminis, 19. Et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, et habitatores eius, quod videlicet fierent in stuporem et maledictum: et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus: 20. Idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.

Vers. 1. Octo annorum erat Iosias cum regnare cœpisset.) Hoc nomen ei impositum fuit a Deo prædictumque ante 327. annos, tot enim fluxere a Roboam et Ieroboam usque ad Iosiam 3. Reg. 13. 2. Iosias enim Hebr. dicitur quasi יה שי *ia sciai*, id est, *Dei munus* vel oblatio; aut quasi יה אש *ia es*, id est *Dei ignis*, ob eius zelum et ignita sacrificia, et quia idololatras igne combussit. Audi Auctorem operis imperfecti apud Chrysost. hom. 1. in Matth. *Iosias interpretatur hostia Domino, vel, salus Domino. Providentia autem Dei secundum quod futurus fuerat Iosias, dispensavit ei nomen imponi, ubi est hostia Domino, aut salus Domini: quoniam vere in illo fuit hostia Domini. Tale enim sacrificium obtulit Domino Deo, quale nec ante eum aliquis regum, nec post eum. Et ipse fuit hostia Deo secundum quod mandat Apostolus: Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Et ipse fuit populi sui in tempore suo a Domino salus.* Et inferius: *Tertius enim Iosias est, cuius nomen prophetatum est priusquam nasceretur. Hi tres sunt, Sampson, Iosias, Ioannes.*

Vers. 5. Ad instauranda sartatecta templi.) Iosias in templi instauratione imitatus est suum proavum Ioas regem Iuda, eiusque methodum in instauratione secutus est.

Vers. 7. Non supputetur eis argentum.) Id est non exigatur ab eis ratio et computus, sed fidei eorum omnis pecunia et sumptus credatur, quod Ioas alia phrasi iusserat cap. 12. v. 15. dicens: *Non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.*

Vers. 8. Librum legis reperi in templo Domini.) Puta Deuteronomium, ut ait Chrysost. hom. 9. in cap. 2. Matth. S. Athanas. Epist. ad Marcel. et Abul. vel totum Pentateuchum, ut ait Iosephus, qui adiungit illud repertum in gazophylacio, dum ex eo acciperent aurum pro sartis templi tectis. Nimirum tempore impii Manassis, qui 55. annis regnavit, per tot annorum spatia adeo neglecta fuit lex et profanatus Dei cultus, ut *liber legis*, tamquam res noviter inventa scribatur, ait Caiet. Addit Lyran. ex R. Salomone impium Achaz, qui Manassis erat avus, combussisse libros legis, ne ab eis violatæ legis et idololatriæ argueretur. Quare sacerdotes clam librum legis abscondisse in muro templi a se perfosso et occluso: cæmentarios autem, dum iussu Iosiæ sarta tecta templi instaurarent, invenisse librum, eumque detulisse ad Pontificem, et hunc ad regem Iosiam.

Vers. 14. Ierunt itaque Helcias sacerdos, etc. ad Holdam prophetidem, uxorem (Septuag. Sixtini habent, *matrem*) Sellum.) Hunc *Sellum* Hebræi tradunt fuisse avunculum patris Ieremiæ. Cur non ierunt ad Ieremiam, qui tum prophetabat? Forte quia ab urbe aberat. Addit S. Hier. lib. 2. contra Pelagianos, in eo quod consulitur mulier, occultam regis, sacerdotum et omnium virorum reprehensionem esse, quod nullus virorum sanctus potuerit reperiri, qui posset futura prædicere. Denique *Holda* hæc et senio et prudentia, et sanctitate et oraculis apud omnes erat celebris et venerabilis, æque ac Debbora Iudic. 4. et Anna mater Samuelis 1. Reg. 2.

Quæ habitabat in Ierusalem in Secunda.) Scili-

cet in ea urbis parte quæ vocabatur *Secunda civitas* iuxta secundum (erant enim universim tres muri) urbis murum, ac iuxta portam secundam, sive mediam quæ vocabatur *piscium*, per quam ibatur in templum, unde per eam Chaldæi invaserunt Ierosolymam et templum. Ita S. Hier. loco iam citato, Vilalpandus, Ribera, Salian. Serar. et alii. Vide Adrichom. in descript. Ierusalem. Chaldæus pro *Secunda* vertit: *domum doctrinæ*, id est scholam; Vatabl. *locum dignitatis secundæ a templo*, quo loco dabatur opera eruditioni et doctrinæ. In eo enim habitabant prophetæ et doctores, ac inter eos Rechabitæ. Hinc et Thalmud dividitur in Misnam et Gemaram. *Misna* enim *secundam* significat, quasi prima sit lex Mosis, secunda sit legis Thalmudica repetitio et explicatio.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosias sancit fœdus inter Deum et populum, ideoque abolet idola, fana, aruspices, equos Solis, excelsa, vitulos aureos Ieroboam, ac v. 21. solenne pascha celebrat. Denique v. 29. occiditur in prælio a Pharaone Nechao, qui Iosiæ Ioachaz filium, deinde eo abducto Ioakim eius fratrem regem substituit.

1. Et renuntiaverunt regi quod dixerat. Qui misit: et congregati sunt ad eum omnes senes Iuda et Ierusalem. 2. Ascenditque rex templum Domini, et omnes viri Iuda, universique qui habitabant in Ierusalem cum eo sacerdotes et prophetæ, et omnis populus a parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini. 3. Stetitque rex super gradum: et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent præcepta eius, et testimonia, et ceremonias, in omni corde, et in tota anima, et suscitarent verba fœderis huius, quæ scripta erant in libro illo: acquievitque populus pacto. 4. Et præcepit rex Helciæ pontifici, et sacerdotibus secundi ordinis, et ianitoribus, ut proiicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, et in luco, et universæ militiæ cæli: et combussit ea foris Ierusalem in convalle Cedron, et tulit pulverem eorum in Bethel. 5. Et delevit aruspices, quos posuerant reges Iuda ad sacrificandum in excelsis per civitates Iuda, et in circuitu Ierusalem: et eos, qui adolebant incensum Baal, et Soli, et Lunæ, et duodecim signis, et omni militiæ cæli. 6. Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ierusalem in convalle Cedron, et combussit eum ibi, et redegit in pulverem, et proiecit super sepulchra vulgi. 7. Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci. 8. Congregavitque omnes sacerdotes de civitatibus Iuda: et contaminavit excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes, de Gabaa usque Bersabee: et destruxit aras portarum in introitu ostii Iosue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis. 9. Verumtamen non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Ierusalem: sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum. 10. Contaminavit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennom: ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch. 11. Abstulit quoque equos, quos dederant reges Iuda, Soli, in introitu templi Domini iuxta exedram Nathamelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combussit igni. 12 Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Iuda, et altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex: et cucurrit inde, et dispersit cinerem eorum in torrentem Cedron. 13. Excelsa quoque, quæ erant in Ierusalem ad dexteram partem Montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, et Chamos offensioni Moab, et Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex. 14. Et contrivit statuas, et succidit lucos: replevitque loca eorum ossibus mortuorum. 15. Insuper et altare, quod erat in Bethel, et excelsum quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel: et altare illud, et excelsum destruxit, atque combussit, et comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum. 16. Et conversus Iosias, vidit ibi sepulchra, quæ erant in monte: misitque et tulit ossa de sepulchris, et combussit ea super altare, et polluit illud iuxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc. 17. Et ait: Quis est titulus ille, quem video? Responderuntque ei cives urbis illius: Sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Iuda, et prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel. 18. Et ait: Dimittite eum, nemo commoveat ossa eius. Et intacta manserunt ossa illius, cum ossibus prophetæ qui venerat de Samaria. 19 Insuper et omnia fana excelsorum, quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israel ad irritandum Dominum, abstulit Iosias: et fecit eis secundum omnia opera quæ fecerat in Bethel. 20. Et occidit universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria: et combussit ossa humana super ea: reversusque est Ierusalem. 21. Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis huius. 22. Nec enim factum est Phase tale a diebus iudicum, qui iudicaverunt Israel, et omnium dierum regum Israel, et regum Iuda, 23. Sicut in octavo decimo anno regis Iosiæ factum est Phase istud Domino in Ierusalem. 24. Sed et pythones, et ariolos, et figuras idolorum, et immunditias, et abominationes, quæ fuerant in terra Iuda et Ierusalem, abstulit Iosias: ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in libro, quem invenit Helcias sacerdos in templo Domini. 25. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi. 26. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam: propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses. 27. Dixit itaque Dominus: Etiam Iudam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel: et proiiciam civitatem hanc, quam elegi, Ierusalem, et domum, de qua dixi: Erit nomen meum ibi. 28. Reliqua autem sermonum Iosiæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 29. In diebus eius ascendit Pharao Nechao rex Ægypti, contra regem Assyriorum, ad flumen Euphraten: et abiit

Iosias rex in occursum eius: et occisus est in Mageddo, cum vidisset eum. 30. Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo: et pertulerunt in Ierusalem, et sepelierunt eum in sepulchro suo. Tulitque populus terræ Ioachaz filium Iosiæ: et unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro patre suo. 31. Viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ, de Lobna. 32. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius. 33. Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Ierusalem: et imposuit mulctam terræ, centum talentis argenti, et talento auri. 34. Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Iosiæ pro Iosia patre eius: vertitque nomen eius Ioakim; porro Ioachaz tulit, et duxit in Ægyptum, et mortuus est ibi. 35. Argentum autem et aurum dedit Ioakim Pharaoni, cum indixisset terræ per singulos, ut conferretur iuxta præceptum Pharaonis: et unumquemque iuxta vires suas exegit, tam argentum quam aurum de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao. 36. Viginti quinque annorum erat Ioakim cum regnare cœpisset: et undecim annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Zebida filia Phadaia de Ruma. 37. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.

Vers. 3. STETITQUE REX SUPER GRADUS.) Super quos erectum erat sedile regium quasi solium; unde 2. Paralip. 34. 31. vocatur *tribunal*, in quo et Ioas ante Iosiam simile fœdus inter Deum et populum pepigit, 4. Reg. 11. v. 14. æque ac Salomon 2. Paral. 6. 12. Et hoc videtur esse *Musach sabbati*, ut dixi cap. 16. 18. Porro Iosias adiuravit populum, ut fœdus hoc exacte servaret, ut dicitur 2. Paral. 34. 32. Simili modo primum populi cum Deo fœdus sancivit Moses, Exodi 24. cum variis ceremoniis quæ illud populo magis inculcarent. A

ET SUSCITARENT VERBA FOEDERIS.) *Suscitare* est a morte ad vitam excitare; verba autem legis et fœderis divini iam per idola Manassis a multis erant oblivioni tradita, et quasi mortua; quare Iosias ea populo prælegens et inculcans, videtur ea quasi a morte ad vitam, vel certe e somno quasi dormientia ad vigiliam suscitasse.

Vers. 4. ET PRÆCEPIT REX HELCIÆ PONTIFICI ET SACERDOTIBUS SECUNDI ORDINIS.) Id est minoribus, qui maximo sacerdoti, puta Helciæ Pontifici suberant. Ita Abul. Vatabl. Sanchez et alii. Licet alii per secundum ordinem intelligant secundam classem. Erant enim sacerdotes a Davide iuxta familias in varias classes distributi. B

ET TULIT PULVEREM EORUM (idolorum et vasorum eis dicatorum, ideoque a se combustorum) IN BETHEL.) Ut scilicet nec pulvis tam impius remaneret in terra Iuda, quæ erat sancta: *Bethel* enim erat locus profanatus ab idololatria Ieroboam, qui fuit primus rex Israel. Ita Caiet.

Vers. 7. DESTRUXIT QUOQUE ÆDICULAS EFFŒMINATORUM.) Scilicet scortorum masculorum Veneri et Priapo dicatorum, uti easdem destruxit Aza, lib. 3. c. 15. v. 12. et 13.

PRO QUIBUS MULIERES TEXEBANT (e liciis, filis vel ramis) QUASI DOMUNCULAS LUCI.) Ut iis quasi cortinis et peristromatis suam obscœnitatem velarent et tegerent effeminati, in luco quem erexerant in templo, ad infandas libidines.

Vers. 8. ET CONTAMINAVIT EXCELSA.) Scilicet templa et fana profana in locis excelsis erecta, profanando, destruendo, sordibus et ossibus mortuorum, ut dicitur v. 14. implendo: unde explicans subdit: C

ET DESTRUXIT ARAS.) Quæ et qualia fuerint *excelsa*, dixi lib. 3. c. 3. v. 2.

Vers. 9. VERUMTAMEN NON ASCENDEBANT SACERDOTES EXCELSORUM AD ALTARE DOMINI IN IERUSALEM, SED TANTUM COMEDEBANT AZYMA IN MEDIO FRATRUM SUORUM.) q. d. Iosias non permisit sacerdotes illos, qui impie vel illicite in excelsis sacrificarant, ire in Ierusalem ac ministrare in templo, utpote impuris idolorum vel superstitionum victimis pollutos: sed tamen permisit eos ali azymis, aliisque cibis quibus cæteri sacerdotes et Levitæ sibi a populo oblatis vescebantur. Ita Abul. et alii.

Vers. 10. CONTAMINAVIT QUOQUE TOPHETH.) Locus erat in *Gehennom*, id est in valle filiorum Ennom, iuxta Ierusalem, in quo parentes filios suos cremabant idolo Moloch, ac ne eorum vagitus audirentur, pulsabant תף *toph*, id est *tympanum*, unde locus dictus est *Topheth*. Vide dicta Isaiæ 30. 33. et Ieremiæ 7. v. 31. Hunc ergo locum cum idolo Moloch, cui sacer erat, Iosias *contaminavit*, id est profanavit, destruxit et ossibus implevit fimoque.

ABSTULIT QUOQUE EQUOS, QUOS DEDERANT REGES IUDA SOLI.) Qui et quales erant hi Solis equi? Resp. Persæ aliæque gentes Solem ob eximium fulgorem, pulchritudinem et utilitatem colebant ut Deum, eumque vocabant *Mithram et Apollinem*, eique dicabant *equos*, partim pictos et sculptos, partim veros et vivos; eo quod equus animalium velocissimus, repræsentet Solis motum velocissimum. Testis est Xenophon lib. 8. Cyropædiæ, Herodot. lib. 1. in fine, Iustin. lib. 1. et alii. Unde Ovidius 1. Fastor. Vers. 11. Equi Solis qui?

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Hinc Poetæ fabulantur Solem quadriga vehi, quam trahant quatuor equi celerrimi, nimirum, ut ait Ovidius 2. Metamorph.

Pirois, Eous et Æthon
Solis equi, quartusque Phlegon.

Per quos Abul. significari putat quatuor anni et diei partes.

Solis simulacrum et idolum ita pingit Macrobius, lib. 1. Saturn. cap. 30. *Nunc vero, inquit, eumdem Iovem Solemque esse, tum ex ipso sacrorum ritu, tum ex habitu dignoscitur. Simulacrum enim aureum specie imberbi instat, dextra elevata cum flagro in aurigæ modum, læva tenet fulmen et spicas. Quæ cuncta Iovis Solisque potentiam consociatam demonstrant. Huius templi religio etiam divinatione præpollet, quæ ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atque Sol est. Vehitur enim simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium deorum simulacra, et subeunt plerumque provinciæ proceres, raso capite, longi temporis castimonia puri, feruntur que divino spiritu, non suo arbitrio, sed quo Deus propellit vehentes.* Subdit Macrobius; hinc Deum a Syris vocari *Adad*, id est *unum*, quia unus est Sol, æque ac Deus in mundo. Idem lib. 1. in Som. Scipion. *Cicero, inquit, asserit, quod Sol sit dux et princeps et moderator luminum reliquorum, quem Heraclitus fontem cælestis lucis appellat. Dux ergo est, quia omnes luminis maiestate præcedit. Princeps, quia ita eminet, ut propterea quod talis solus appareat, sol vocetur. Moderator reliquorum dicitur, quia ipse cursus eorum recursusque certa definitione spatii moderatur.* Et mox: *Mens mundi appellatur, ut Physici eum cor cæli vocaverunt, eo quod Sol diem et noctem, dein veris clementem temperiem, torridum cancri ac leonis æstum, mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris inter utramque temperiem, omnia hæc Solis cursus et ratio dispensat. Iure ergo cor cæli dicitur, per quem fiunt omnia quæ divina ratione fieri videmus.* Quæres secundo, quo ritu colebant Solem per equos? Primo, Histor. Scholast. censet Iudæos hisce equis et curru repræsentasse currum et equos igneos, quibus Elias quasi ἥλιος, id est Sol, raptus est in cælum, ut audivimus, cap. 2. Sic et Eucher. et Angelom. qui et addunt: *Audientes Græci ab Israelitis quod Elias curru igneo, et equis sit igneis ad cælestia translatus, vel certe hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes, crediderunt, vicinia decepti nominis, Solis hic transitum per cælos esse designatum; et miraculum divinitus factum Dei, mutarunt in argumentum erroris, hu-* Ritus colendi Solem. I.

mana stultitia commentatum. Quos imitati ipsi Iudæi satagerunt, ne in aliquo gentilium stultissimis minus stulti
II. *apparerent.* Secundo, melius Rabbi Salomon: Summo mane, inquit, orienti Soli obviam ducebant equos ut eum salutarent, eique reverentiam exhiberent. Carpit hoc Abul. sed immerito: nam equos Cyri ante solis ortum ei ad pompam sacrificii obviam prodiisse testatur Xenophon, cuius verba mox recitabo. Sic et Romani Solem orientem salutabant, quos redarguit S. Leo serm. de Epiph. et idipsum facere solitum Socratem testatur Plato et Plutarch. qui inde natum proverbium asserit: *Plures adorant Solem orientem quam occidentem.* Unde nonnulli putant equos hos Solis fuisse illos, quibus vehebantur ii, qui Solem orientem salutabant et colebant.

III. Tertio, Abul. vult equos hos pictos vel sculptos cum curru ante Solis statuam suspensos fuisse, vel eam currui impositam ab equis tractam fuisse.

IV. Quarto, ipsos equos vivos Soli mactabant et sacrificabant. Causam dat Herodotus lib. 1. quod Deorum pernicissimo vellent mortalium etiam omnium pernicissimum immolare. Audi Xenophontem lib. 8. ubi Cyri e Babylone capta triumphantem egressum describit: *Cum palatii portæ apertæ fuissent, primo agebantur ipsi Iovi tauri pulcherrimi quaterni, et aliis quibusdam Diis, quos Magi delegissent. Post boves vero equi, ut Soli sacrificium existerent. Post hos autem, currus educebatur candidus, iugum habens aureum, coronatus, Iovi sacer. Post hunc educebatur Solis currus, candidus et coronatus similiter uti superior. Post hunc etiam alius tertius currus educebatur, cuius equi strati erant puniceis amictibus, et post eum viri sequebantur, qui in magno quodam foco, ignem portarent.* Hinc *Cyrus* Persice idem est quod Sol, ait Plutarch. in Artaxerxe Mnemone. Sic Philostratus in Heroicis scribit, Palamedem Græcis iussisse, ut orienti Soli equum candidum mactarent.

Hunc ergo Solis quasi Dei cultum a gentibus vicinis hausere Iudæi. Porro equos hos vivos fuisse liquet ex eo, quod Iosias dicitur eos abstulisse non combussisse, currum vero Solis combussisse, non abstulisse: si enim equi ex ligno, ære vel auro picti sculptique fuissent, utique eos cum curru combussisset. Porro hi Solis equi erant *iuxta exedram Nathamelech Eunuchi. Natan melech.* Hebr. idem est quod *donum regis.* Sic ergo vocabatur hic Eunuchus, ut significaretur quanti ab illis fieret esse Solis cultorem et aurigam. Cum enim ipse esset horum equorum stabularius dumtaxat et stabuli præfectus, vocabatur tamen augusto nomine *Nathan melech*, id est *donum regis.* Sept. vertunt: *iuxta gazophylacium Nathan Eunuchi regis.* Alii vertunt: *de exedra Natan melech Eunuchi*, sicque explicant q. d. de exedra sive curru Solis, qui dicitur *Nathan melech*, id est donans rex; Sol enim est rex qui omnia donat; idem est *Eunuchus*, quia imberbis, utpote iuvenis semper fortis et agilis. Hinc et custodem huius simulacri Solis voluerunt esse *Eunuchum*, id est imberbem, quia talis est Sol. Ita Vilalpandus lib. 3. c. 32. in c. 40. Ezech. p. 221. Porro *exedra* erat locus, v. 3. cubiculum in quo sunt sedes, ut fiat hominum consessus: qualia multa erant iuxta templum pro sacerdotibus, Levitis et alii.

Tropolog. docet nos Iosias, quod idola et equos Solis, id est effrænes impetus animi domare et destruere debeamus.

Alleg. et Anagog. Iosias repræsentat Christum, qui in die iudicii omnem impietatem destruet; nil enim coinquinatum sinet ingredi in cælum. Ita Angelom.

Vers. 13. AD DEXTERAM PARTEM MONTIS OFFENSIONIS.) Id est montis Oliveti, qui ab idolis et fanis in eo a Salomone erectis, dictus est *offensionis.* Idola enim et idolorum cultus sunt summa Dei iniuria et offensio. Unde mox additur:

Vers. 14. ET CHAMOS OFFENSIONI (id est idolo Deum offendenti) MOAB.) Hinc idolum in Script. vocatur *offensio.* Ita Eucher. et Angelom.

REPLEVITQUE LOCA OSSIBUS MORTUORUM.) Hisce enim

A locus idolis sacer profanabatur, contaminabatur, fiebatque vilis, immundus et horridus, præsertim apud Iudæos, qui ex ossium et cadaverum contactu immunditiam legalem contrahebant. Sic et Gentiles ossa et cadavera insepulta horrebant. Audi Virgil. 6. Æneid.

Præterea iacet exanimum tibi corpus amici.
Heu! nescis, totamque incestat funere classem.

INSUPER ET ALTARE QUOD ERAT IN BETHEL, ET EXCELSUM QUOD FECERAT IEROBOAM (scilicet fanum in quo collocarat idola sua, puta vitulos aureos, ut a toto Israele colerentur) DESTRUXIT.) Licet enim Bethel esset in Israel, non in Iuda ubi regnabat Iosias, tamen Israelitis iam a Salmanasar ex Israele in Assyriam abductis, regeque et regno eorum everso videbatur terra Israel ad pristinum dominum, puta ad Davidis familiam et Iosiam regem Iuda redire; præsertim quia Deus id Iosiam in Bethel facturum ante trecentos annos prædixerat et promiserat, lib. 3. cap. 13. 2. atque hoc ipso ius et potestatem id faciendi Iosiæ dederat, imo ordinaverat et iusse- Vers. 15.
B rat, ut id faceret.

QUIS EST TITULUS ILLE QUEM VIDEO?) *Titulus* erat Vers. 17.
sepulchrum prophetæ contra Ieroboam et vitulos aureos in Bethel collocatos vaticinantis, et eorum hoc excidium per Iosiam futurum prædicentis. Vocatur *titulus*, quia erat aliquo signo insignitum, ut Iosias sciret ibi sepultum esse prophetam veri Dei cultorem, ideoque illi parceret. Quale hoc signum fuerit, Script. non explicat. Fabulatur R. Salomon ex ossibus prophetæ succrevisse herbas visu elegantes, odore fragrantes, usu salubres, ex quibus Iosias collegerit, illa ossa esse viri sancti et prophetæ. Melius alii suspicantur fuisse signum crucis, aut nomen Iehova, aut quid simile.

ET OCCIDIT SACERDOTES EXCELSORUM QUI ERANT IBI Vers. 20.
SUPER ALTARIA.) Abeuntibus enim Assyriis Samariam vastantibus, multi Israelitæ profugi et exules ad suas sedes redierunt, ibique ut ante, sua idola in excelsis coluerunt; ideoque sacerdotes ad iis sacrificandum consti-
C tuerunt, quos proinde Iosias zelator honoris divini occidit, et quasi victimas in illis ipsis altaribus iustitiæ divinæ mactavit et consecravit.

ET COMBUSSIT OSSA HUMANA SUPER EA.) Ossa tum sacerdotum a se occisorum, tum priorum quæ e sepulchris extraxit, et in altari combussit, sicque altare contaminavit et polluit. Hoc enim prædictum erat a propheta illo qui a leone occisus est lib. 3. c. 13. v. 10. *Exclamavit*, inquit, *vir Dei contra altare in sermone Domini, et ait: Altare, Altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David Iosias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet.* Hinc patet mortuos ob scelera posse plecti cadaverum exustione, publica infamia et ignominia. Unde cum in quinta Synodo universali quæsitum esset, an liceret olim defunctos anathemate ferire? Eutychius Episcopi Amaseni a responsis, neque concilio neque deliberatione ulla eam rem egere dixit: propterea quod et Iosias rex non tantum viventes dæ-
D monum sacerdotes olim iugularit, sed et eorum qui longo ante tempore sepulti fuerant, sepulchra effoderit. Ita Niceph. lib. 17. hist. 27.

FACITE PHASE.) Id est immolate agnum paschalem, Vers. 21.
ceterasque victimas paschales, quæ per septem dies azymorum in lege offerri iubentur Num. 28. v. 16. et seq.

Alleg. Iosias instituens *Phase* sollennissimum, typus fuit Iesu Christi qui instituit Eucharistiam, imo seipsum fecit *Phase*, id est agnum paschalem; iuxta illud Pauli 2. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

SIMILIS ILLI NON FUIT ANTE EUM REX.) Nimirum Vers. 25.
quoad omnimodam idololatriæ tam in Israele quam in Iuda excisionem, ac religionis reformationem; qua in re Iosias omnes antecessores suos, etiam Ezechiam superavit; nam alioqui absolute Iosia melior et sanctior videtur fuisse David, ait Abul.

IN DIEBUS EIUS ASCENDIT PHARAO NECHAO (id est Vers. 29.

claudus) REX ÆGYPTI CONTRA REGEM ASSYRIORUM.) Ut ulcisceretur iniurias Ægypto a Sennacherib illatas, et spolia ab eo ablata repeteret, præsertim quia videbat a clade castris Sennacherib ab Angelo in Iudæa illata, res Assyriorum in peius ire, eisque rebellasse Medos et Babylonios. Perrexit ergo Pharao cum castris ad Euphratem et Niniven, spe illius potiundæ; sed quia transeundum erat per Iudæam, occurrit illi Iosias, metuens ne Iudæam invaderet et spoliaret; ac licet Pharao assereret, se nil contra Iosiam et Iudæam moliri; tamen Iosias eî non credens, instruxit contra eum aciem, in qua dum audacius et incautius præliatur, a sagittariis confixus occubuit. Porro Abul. omnino a culpa excusat Iosiam, quod vereretur Pharaonem, si ingrederetur Iudæam, aliquid contra eam machinaturum, imo eam occupaturum ut expelli non posset. Script. tamen 2. Paral. 35. 22. innuit eum aliqua temeritate peccasse: licet enim non teneretur Pharaoni dicenti verum, scilicet se a Deo alio mitti, credere; tamen prius debebat Deum consulere; antequam bellum tam anceps et periculosum aggrederetur: ita Caiet. ideoque permisit Deus eum succumbere et occidi.

ET OCCISUS EST IN MAGEDDO.) Licet enim *Mageddo* esset in sorte Manasse et Israel, non Iuda cui præerat Iosias, tamen Iosias illam quoque terram habuit sibi subiectam, ob causam quam dedi v. 15. Cui aliam adiungit Abul. scilicet quod Israelitæ reliqui a captivitate Salmanasar iunxerint se regno Iudæ, ac Iosiam pro rege suo acceptarint, ut iuncti Iudæis fortiores essent, ac facilius Syris, Ægyptiis, aliisque hostibus circumiacentibus resisterent.

CUM VIDISSET EUM.) Scilicet in prælio, hoc est cum eum præliando cepisset. Sic videre per Catechresin sumitur pro præliari cap. 14. 8. *Veni et videamus nos*, id est veni et pugnemus.

Porro mirabile fuit iudicium Dei, quod permiserit regem tam pium in iusta piaque Israelis defensione occidi: nam occiso Iosia interiit tota Israelis spes, ac regnum Davidis et Iudæ excisum est. Nimirum *iudicia Dei abyssus multa*. Voluit Deus tollere Iosiam, ne videret mala gentis suæ, scilicet excidium regni et templi ob peccata Iudæorum iam a Deo decretum. Causam aliam affert S. Iustin. quæst. 79. de Orthod. nimirum quod, Iosias *iusso Prophetæ non paruerit, qui ei ex mandato Dei dixerat, ut ne progrederetur ad obviandum regi Ægypti in bellum, sicut ait Hieremias. Quapropter ut eum purum a peccatis ex hac vita reciperet Dominus Deus, ideo permisit illum inobedientiæ eius ferro Ægyptio pœnas exsolvere: ad posterorum hominum documentum, ut prophetis immorigeri non essent, tum autem ut illud discerent: Si iustus vix salvatur, impius et peccator ubi comparebit?* Hucusque Iustinus.

Verum hæc prophetia Ieremiæ nusquam extat, quod sciam. Alleg. Iosias in flore ætatis pro suis pugnans, fuit typus Iesu Christi pro hominum salute a Iudæis occisi anno ætatis suæ 34. Plura de pietate et zelo Iosiæ audiemus 2. Paral. 34. et seq. Elogium Iosiæ habet Eccles. c. 49. v. 1. et seq. Simili modo permisit Deus S. Ludovicum conantem terram sanctam Saracenis eripere, ab eis capi, ac secundo redeuntem peste mori; ut discamus regna terræ parvi pendere, ac ambire regnum cæleste, gloriosum et æternum, uti aiebat S. Ludovicus, in omni sua infelicitate Deum laudans, eique gratias agens; unde moriens in cælum suspiciens canebat illud Psal. 5. *Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.* Ita habet eius vita apud Surium die 25. Augusti.

TULITQUE POPULUS TERRÆ IOACHAZ FILIUM IOSIÆ: Vers. 30.
ET UNXERUNT EUM.) *Ioachaz* licet ætate iunior, erat enim 23. annorum, et tribus tantum mensibus regnavit cum mox successit ei frater senior Ioakim, qui 25. erat annorum, prælatus tamen in regno est seniori Ioakim, sive quod animosior et bellicosior foret; unde Pharao timens eum deposuit et substituit Ioakim: sive quod Ioakim timens Pharaonem, regnum detrectarit. Pharao enim victo, cæsoque Iosia, arrogabat sibi ius constituendi reges in Iudæa, ut patet ex sequent.

VINXITQUE EUM PHARAO.) Pharao cæso Iosia per- Vers. 33
rexit contra Assyrios, ac re bene gesta victor rediens Iudæam reliquam subiugavit, ideoque amoto Ioachaz quem populus constituerat regem, constituit Ioakim, ac mulctam centum talentorum argenti Iudææ quasi a se subactæ imposuit; bellum enim hoc cruentum fuit, utpote in quo Ioachaz et Iudæi multos Ægyptios vulnerarint et occiderint, ut indicat Ezechiel c. 19. v. 4. vide ibi dicta, æque ac Ierem. c. 22. v. 10. et seq. ac timebat Pharao Ioachaz, ne rursum rebellaret.

VERTITQUE NOMEN EIUS IOAKIM.) Moris erat regibus Vers. 34.
et principibus bello subactis nomen mutare, novumque indere in signum subiectionis, ut patet Daniel. 1. Adde *Ioakim* idem esse quod *Eliakim*, utrumque enim Hebr. significat *Deus firmabit:* Dei enim nomen tam est, *El*, id est fortis, quam *ia*, quod est abbreviatum *Iehova*.

ET FECIT MALUM CORAM DOMINO.) Id est coluit idola, Vers. 37.
insuper avare expilavit subditos, fuitque superbus et ambitiosus, ideoque occisus a Chaldæis, *sepultura asini sepultus est*, hoc est insepultus in sterquilinium proiectus est instar asini, uti docet Ierem. cap. 22. 13. et seq. vide ibi dicta.

CAPUT VICESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Ioakim, et post eum filius Ioachin vers. 6. quem Nabuchodonosor abduxit in Babylonem, eique substituit Sedeciam patruum vers. 17.

1. In diebus eius ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, et factus est ei Ioakim servus tribus annis: et rur-
sum rebellavit contra eum. 2. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et
latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon: et immisit eos in Iudam, ut disperderent eum, iuxta
verbum Domini, quod locutus fuerat per servos suos prophetas. 3. Factum est autem hoc verbum Domini contra
Iudam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit, 4. Et propter sanguinem inno-
xium, quem effudit, et implevit Ierusalem cruore innocentium: et ob hanc rem noluit Dominus propitiari. 5. Re-
liqua autem sermonum Ioakim, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum
Iuda? Et dormivit Ioakim cum patribus suis: 6. Et regnavit Ioachin filius eius pro eo. 7. Et ultra non addidit
rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis, a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphraten,
omnia quæ fuerant regis Ægypti. 8. Decem et octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpisset, et tribus men-

sibus regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Nohesta filia Elnathan de Ierusalem. 9. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat pater eius. 10. In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Ierusalem, et circumdata est urbs munitionibus. 11. Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam. 12. Egressusque est Ioachin rex Iuda ad regem Babylonis, ipse et mater eius, et servi eius, et principes eius, et eunuchi eius: et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui. 13. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ: et concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini iuxta verbum Domini. 14. Et transtulit omnem Ierusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem; et omnem artificem et clusorem: nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. 15. Transtulit quoque Ioachin in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos eius: et iudices terræ duxit in captivitatem de Ierusalem in Babylonem. 16. Et omnes viros robustos, septem millia, et artifices, et clusores mille, omnes viros fortes et bellatores: duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem. 17. Et constituit Matthaniam patruum eius pro eo: imposuitque nomen ei Sedeciam. 18. Vigesimum et primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius erat Amital, filia Ieremiæ, de Lobna. 19. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ioakim. 20. Irascebatur enim Dominus contra Ierusalem et contra Iudam, donec proiiceret eos a facie sua: recessitque Sedecias a rege Babylonis.

Vers. 1. IN DIEBUS EIUS ASCENDIT NABUCHODONOSOR REX BABYLONIS, ET FACTUS EST EI IOAKIM SERVUS (subiectus et tributarius) TRIBUS ANNIS, ET RURSUM REBELLAVIT.) Anno quarto regni sui. Fusius hæc narrat Ioseph. lib. 10. c. 7. et seq. ubi recenset quomodo Ægyptii cum Babyloniis, devictis Assyriis, de imperio decertarint. Primo enim Ægyptii, occiso Iosia, subiugarunt Syriam, deinde revertentes in Iudæam, amoto Ioachaz, regem constituerunt Ioakim, qui spe Ægyptii auxilii tributum, quod Babyloniis tribus annis dederat, quarto anno dare recusavit. Quare contra eum venit Nabuchodonosor eodem anno, eumque in Babylonem abduxit, ubi eumdem promittentem tributum in Ierusalem remisit. Stetit Ioakim in fide septem annis: sed octavo anno, qui fuit regni sui undecimus, rursum rebellavit. Quare a militibus Nabuchodonosoris intercepta Ierusalem, in ea captus et occisus est, suffecto ei filio Ioachin. Verum cum Nabuchodonosor metueret ne Ioachin filius patrem Ioakim in rebellione imitaretur, eiusque necem ulcisceretur, eum cepit, duxitque in Babylonem, eique in regnum substituit Sedeciam patruum, qui etiam nutavit in fide et subiectione Nabuchodonosori promissa, fretus inani spe auxilii Ægyptiaci: qua de causa sæpius a Ieremia admonitus et increpitus fuit, tandemque rebellans a Nabuchodonosore in Ierusalem obsessus fuit, cumque Ægyptii ei vellent succurrere, a Nabuchodonosore prohibiti et fugati sunt. Cepit Nabuchodonosor ergo Ierusalem, et in ipsa Sedeciam, eumque excæcavit et filios eius occidit, ac quinto post anno Ægyptum invasit et subegit, et Pharaonem eius regem trucidavit. Vide etiam Ieremiam c. 22. v. 13. et seq. et Auctorem de mirabil. S. Script. apud S. August. tomo 3. lib. 2. c. 9.

Porro hic quartus annus Ioakim fuit primus regni Nabuchodonosoris, quo ipse Ioakim cum Daniele et aliis nobilibus abduxit in Babylonem. Post octo deinde annos, puta anno regni Ioakim undecimo et ultimo, eo occiso abduxit eius filium Ioachin cum omnibus principibus, militibus et civibus Ierosolymæ, ut dicitur c. 24. 14. unde ab hoc anno undecimo Ioakim, qui fuit octavus Nabuchodonosoris, numerandi sunt anni 70. captivitatis Babylonicæ: nam Nabuchodonosor post abductum Ioachin regnavit annis 36. deinde eius filius Evelmerodach, sive Balsasar, annis 34. qui simul iuncti faciunt 70. Balsasari successit Cyrus rex Persidis, qui expletis iam 70. captivitatis annis, Babylonem capiens et Balsasarem occidens, Iudæos e Babylone liberavit. Vide dicta Ierem. 29. v. 10.

Vers. 2. IMMISITQUE EI DOMINUS LATRUNCULOS CHALDÆORUM.) *Latrunculi* vocantur milites qui grassantur, et prædatum excurrunt quasi latrunculi. Hos misit Nabuchodonosor, ut cum Syris, Moabitis et Ammonitis iuncti interciperent Ierusalem, ac Ioakim rebellantem caperent et occiderent, quod et fecerunt, uti iam dixi.

ET REGNAVIT IOACHIN FILIUS EIUS PRO EO) Nota, differunt Ioakim pater, et Ioachin filius, sive Ieconias et

A Iechonias Matth. 1. Pater enim Ioakim scribitur Hebr. per litteram *Coph* et *Mem*, filius vero Ioachin scribitur per *Caph* et *Nun*. *Ioakim* Hebr. idem est quod, *Deus firmabit*, *Ioachin* vero, quod *Deus præparabit* vel *diriget*. Ioachin sive Iechonias a Ieremia c. 22. 24. in Hebræo decurtatur, vocatur *Conias*, id est, *præparatus*, scilicet ad interitum.

DECEM ET OCTO ANNORUM ERAT IOACHIN, CUM REGNARE COEPISSET.) Vers. 8. Dices, 2. Paral. ult. v. 9. dicitur anno octavo regnasse. Resp. anno 18. solus post patrem regnavit, anno vero octavo cœpit cum patre Ioakim regnare. Videtur enim Ioachin anno tertio vel quarto Ioakim patris sui declaratus Rex, cum scilicet Nabuchodonosor patrem cepit, et abduxit in Babylonem. Ita Abul.

ET TRIBUS MENSIBUS REGNAVIT.) Quomodo ergo 2. Paral. ult. v. 10. dicitur post annum abductus a Nabuchodonosor? Resp. Caiet. fluxisse aliquot menses interregni inter Ioakim et Ioachin antequam Ioachin assumeret regnum. Aliam responsionem afferam 2. Paral. ult. 10.

B EGRESSUSQUE EST IOACHIN.) Vers. 12. Suadente Ieremia, ut se traderet Nabuchodonosori, ut patet Ierem. 38. 2. et seq. ideoque ductus est quidem in Babylonem, sed post Nabuchodonosoris mortem ab eius filio Evelmerodach e carcere liberatus fuit, et summo honore affectus anno post hunc trigesimo septimo, ut habetur cap. sequenti v. 27.

ET TRANSTULIT OMNEM IERUSALEM.) Vers. 14. Id est omnes cives et incolas Ierusalem. Fuit hæc secunda captivitas. Prima enim facta est ante octo annos, anno quarto Ioakim, cum ipse rebellans abductus est cum primoribus in Babylonem, uti dixi v. 1. Secunda fuit hæc, qua Ioachin cum suis principibus et militibus ac cum Ezechiele propheta abductus fuit. Tertia et extrema facta est post undecim annos, scilicet ultimo anno Sedeciæ, quo Ierusalem cum templo a Nabuchodonosor capta et eversa est, ut dicetur c. sequenti.

ET OMNEM ARTIFICEM ET CLUSOREM.) Id est, *inclusorem*, ut vertit Noster Ierem. 24. 1. per quem S. Hieron. ibidem accipit eum qui gemmas pretiosis metallis includit, et palis annulorum aureorum illigat. Melius alii in- C telligunt eos, qui castra metandi sunt periti, noruntque ea vallis quasi claustris suis includere, æque ac urbes vallare et munire: ita Vatab. Sanchez et alii. Unde Chald. vertit: *ianitores*, id est urbium custodes et clausores portarum. Agitur enim hic de militibus et fortibus, quos Chaldæi abstulerunt Iudæis, ne iterum rebellarent, æque ac fecere Philisthæi 1. Reg. 13. 19. ita Angelom. Sic per *artificem* intellige, *fabrum*, uti vertit Noster Ierem. 24. 1. eum scilicet qui enses aliaque arma fabricat. Eadem arte utitur diabolus, dum viros zelosos a Republ. amovere satagit, ut eam præsidio destitutam pessumdet.

ET CONSTITUIT MATTHANIAM PATRUUM EIUS (scilicet Vers. 17. Ioachin, ideoque fratrem Ioakim) IMPOSUITQUE EI NOMEN SEDECIAM.) Ut scilicet ipse nomine suo semper admoneretur, fidem et subiectionem quam promiserat Nabu-

chodonosori servare. *Sedecias* enim Hebr. idem est quod, *Iustitia mea Deus.* Ita Caiet. Iosias pius rex filiis suis pia nomina imposuit, quæ eos admonerent pietatis in Deum. Unde unum appellavit *Ioachaz*, id est *Dei apprehensio* vel *possessio*, ut quoties audiret se nominari, cogitaret se a Deo apprehendi et possideri: alterum vocavit *He-*

A *liakim*, id est *Dei firmitas*, ut cogitaret se non nisi a Deo firmari: tertium vocavit *Matthaniam*, id est *donum Dei*, vel iuxta Syrum *exspectatio Dei*, ut in omnibus adversis ad Dominum quasi ad asylum confugeret; sed omnes obliti Dei æque ac nominis sui, ad idola confugerunt, ideoque Deo vindicante perierunt.

CAPUT VICESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nabuchodonosor capit Ierusalem: Sedeciam excæcatum cum populo in Babylonem abducit: templum succendit.

1. Factum est autem anno nono regni eius, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus eius in Ierusalem, et circumdederunt eam: et extruxerunt in circuitu eius munitiones. 2. Et clausa est civitas atque vallata, usque ad undecimum annum regis Sedeciæ, 3. Nona die mensis: prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ. 4. Et interrupta est civitas: et omnes viri bellatores nocte fugerunt, per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis (porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem: fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis. 5. Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Ierico: et omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquerunt eum. 6. Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus est cum eo iudicium. 7. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, et oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem. 8. Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus, servus regis Babylonis, in Ierusalem. 9. Et succendit domum Domini, et domum regis: et domos Ierusalem, omnemque domum combussit igni. 10. Et muros Ierusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. 11. Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in civitate, et perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus, transtulit Nabuzardan princeps militiæ. 12. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores et agricolas. 13. Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, et bases, et mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, et transtulerunt æs omne in Babylonem. 14. Ollas quoque æreas, et trullas, et tridentes, et scyphos, et mortariola, et omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt. 15. Necnon et thuribula, et phialas; quæ aurea, aurea; et quæ argentea, argentea; tulit princeps militiæ: 16. Id est, columnas duas, mare unum, et bases quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vasorum. 17. Decem et octo cubitos altitudinis habebat columna una: et capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum: et retiaculum, et malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem et columna secunda habebat ornatum. 18. Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem secundum, et tres ianitores. 19. Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus super bellatores viros: et quinque viros de his qui steterant coram rege, quos reperit in civitate: et Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: et sexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant in civitate. 20. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha. 21. Percussitque eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath: et translatus est Iuda de terra sua. 22. Populo autem qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filii Saphan. 23. Quod cum audissent omnes duces militum, ipsi et viri qui erant cum eis, videlicet quod constituisset rex Babylonis Godoliam: venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, et Iohanan filius Caree, et Saraia filius Thanehumeth Netophatites, et Iezonias filius Maachathi, ipsi et socii eorum. 24. Iuravitque Godolias ipsis et sociis eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis: manete in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis. 25. Factum est autem in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regio, et decem viri cum eo: percusseruntque Godoliam, qui et mortuus est: sed et Iudæos, et Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha. 26. Consurgensque omnis populus a parvo usque ad magnum, et principes militum, venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos. 27. Factum est vero in anno trigesimo septimo transmigrationis Ioachin regis Iuda, mense duodecimo, vigesimaseptima die mensis: sublevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachin regis Iuda de carcere. 28. Et locutus est ei benigne: et posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. 29. Et mutavit vestes eius, quas habuerat in carcere, et comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vitæ suæ. 30. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ et dabatur ei a rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.

Hoc caput idem prorsus est cum cap. ultimo Ieremiæ, ubi illud explicui: Ieremias enim toti huic cladi interfuit, et eam impedire conatus fuit, ut patet ex eius prophetiis, sed frustra. Vide Abul. hic q. ult. seriem singularum Ieremiæ prophetiarum cum serie gestorum Regum horum combinantem. Vide et chronotaxim, quam Ieremiæ præfixi.

B Interrupta est civitas.) Crebris scilicet ictibus arietum hostilium, unde ex ea fugerunt cives per occultam viam et exitum. Ita Abul. et Vatab. licet Caiet. velit murum ruptum fuisse ab ipsis civibus, ut per rupturam effugerent. Vers. 4.

Locutus est cum eo iudicium.) Id est iudicio cum eo disceptavit, iusteque eum condemnavit dicendo: Tu fi- Vers. 6.

dem mihi datam fregisti et rebellasti, iuste ergo mereris a me excæcari. Alia addit R. Salomon, sed more suo fabulatur.

Vers. 8. SEPTIMA DIE MENSIS.) Ierem. cap. ult. habet *decima die:* utrumque sic concilia, quod die septima venerit Ierusalem, sed decima combusserit templum. Ita Caiet. Aut potius die septima discessit ex Reblata, ubi erat Nabuchodonosor, et die decima (tridui enim est iter) pervenit in Ierusalem.

Vers. 11. RELIQUUM VULGUS TRANSTULIT NABUZARDAN PRINCEPS MILITIÆ.) Sept. vertunt *archimagirus,* id est *princeps coquorum;* Hebr. *princeps mactantium;* Chald. *magister homicidarum;* unde per eum S. Gregor. mystice accipit gulam, quæ templum animæ nostræ evertit. Audi eum 3. p. Pastor. Admonit. 20. *Princeps cocorum destruxit muros Ierusalem. Princeps namque cocorum venter est: cui magna cura obsequium a cocis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Ierusalem virtutes sunt animæ, ad desiderium supernæ pacis elevatæ. Cocorum igitur princeps muros Ierusalem deiicit; quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.* Quocirca Abbas Pœmen in vitis Pat. *Nisi,* inquit, *Nabuzardan princeps coquorum venisset, templum Dei non arsisset; hoc est, nisi desiderium gastrimargiæ irrepsisset, anima libidine non conflagrasset.* Angelom. vero per *Nabuzardan* intelligit diabolum, qui omnia fidelium bona diripere satagit.

Vers. 14. TRULLAS.) Non cæmentarias, sed *trullas,* id est opercula ollarum. Dicta *trulla* ait Abul. a trudendo, quia trudit, id est claudit ollam, ut *trullis* sit quasi *trusilis: trullas* enim Noster iungit ollis. Nam in Hebr. Chald. et Sept. nulla vox trullis respondet.

Verum prisci Auctores per *trullam* accipiunt vas fundens aquam. Ita Nonius Marcellus: *Trulleum,* inquit, *quo manus perluuntur.* Titin. Setina: *Sapientia,* inquit, *gubernator torquet navem, haud valentia: Cocus magnum ahenum quando fervit, paulla confutat trua.* Varro lib. 4. *Trulla,* ait, *a similitudine truæ, quæ quod magna, et hæc pusilla ut trulla. Hinc Græce* τρυβλιον, *nos trullam. Trua, quæ a culina in lavatrinam aquam fundunt. Trua, quod travolat ea aqua, ab eodem est appellatum.* Varro ergo trullam dictam putat a travolando, Nonius Marcellus vero a terendo quasi terulam, Isidorus autem a trudendo. Audi eum lib. 19. Orig. c. 18. *Trullæ nomen factum, eo quod trudit et detrudit, id est includit calce vel luto lapides.*

Allegoria et Tropologia hic est facilis et apposita. Ierusalem enim est Ecclesia, æque ac anima fidelis per fidem contemplans Deum; idola sunt res creatæ et vanæ, quas contra Dei legem ambit, v. g. idolum avari est aurum, luxuriosi libido, superbi honor. Nabuchodonosor est diabolus, qui capta Ierusalem, id est anima, eius regem Sedeciam, id est mentem (*Sedecias* enim Hebr. idem est quod *iustitia Dei,* quam mens cogitare, timere et imitari debet) excæcat: inde eam gratiis bonisque omnibus dispoliat, templumque, id est omnem Dei timorem, cultumque exurit, ac deinde captivam libertate sua privat, vinctamque deducit in Babylonem, id est in extremam rerum omnium confusionem, qualis est in anima cupiditatibus suis subdita, præsertim dum in gehennam coniicitur. Verum antequam id fiat, multas ex hac captivitate liberat Cyrus, id est Christus. Ita Angelom. et Eucherius.

FACTUM EST VERO IN ANNO TRIGESIMOSEPTIMO TRANSMIGRATIONIS IOACHIN.) Vers. 27. Fuit ergo Ioachin in carcere Babylonio quam diu superstes fuit Nabuchodonosor per 37. annos: eo vero mortuo, Evilmerodach patri succedens Ioachin liberavit et exaltavit. Causam dedi Ieremiæ 52. sub finem capitis.

SYNCHRONISMUS

REGUM IUDA, PROPHETARUM, REGUM ET HEROUM GENTILIUM.

Salomoni syncronos, sive coævus fuit Nathan propheta, Hiram rex Tyri, Hesiodus, et Homerus Græcorum Salomon.

Roboamo coævus fuit Abias propheta, ac Ieroboam primus rex Israel, et Laosthenes rex Assyriorum.

Asæ coævus fuit Iehu propheta, ac Baasa rex Israel, et Ophratæus rex Assyriorum.

Tempore Iosaphat floruit Elias propheta, qui curru igneo raptus est in cælum.

Sub Ioram prophetavit Eliseus per sexaginta sex annos, mortuusque est sub Amasia rege.

Sub Ioas vixit Ioiada Pontifex, eiusque filius Zacharias martyr. In Israel successive regnarunt Iehu, qui domum Achab succidit, Ioachaz et Ioas.

Amasiæ regis frater fuit Amos, pater Isaiæ prophetæ. Isaias ergo avum habuit Ioas regem, patruum vero Amasiam. Hoc tempore Lycurgus leges dedit Spartanis.

Tempore Azariæ sive Oziæ cœpit prophetare Isaias, ac prophetavit per sexaginta annos sub Ozia, Ioatham, Achaz, Ezechia et Manasse regibus: prophetarunt tunc quoque Osee, Ioel, Amos, Ionas et Abdias. Sub annum 40. Azariæ cœperunt computari Olympiades, sive anni Iphyti regis, qui eas instituit. Olympiades antecedunt Romæ conditionem annis 23. Quare sub annum decimum Ioatham Roma condita est a Romulo, qui primus in ea regnavit annis 36. Huic successit Numa Pompilius per annos 44. huic Tullus Hostilius per annos 32. huic Ancus Martius per annos 24. huic Tarquinius Priscus per annos 38. huic Servius Tullius per annos 44. huic Tarquinius Superbus per annos 25.

Sub Ioatham prophetarunt Nahum et Michæas. Sub idem tempus Sardanapalus, obsessus in Ninive ab Arbace Mediæ præfecto, seipsum cum regia totaque gaza combussit. Quare Arbaces Mediæ se regem fecit, Baladan vero, qui alio nomine dictus est Nabonassar, Babyloniam occupavit, a quo constituta est Æra Nabonassaræa, quæ incipit ab anno 15. Ioatham.

Sub Achaz capta est Damascus ab Assyriis, ac Teglatphalasar eorum rex dimidiam partem decem tribuum Israel in Assyriam abduxit.

Ezechiæ coævus fuit Merodach filius Baladan, sive Nabonassaris primus rex Babylonis, et Salmanasar rex Assyriorum, qui Israelem, id est decem tribuum reliquias, ac inter eas Tobiam in Assyriam abduxit. Item eius filius Sennacherib, qui obsidens Ierosolymam ab Angelo fugatus est cæsis 185. millibus.

Tunc quoque floruit Sibylla Erythræa, teste S. August. lib. 18. de Civit. cap. 23. Manasses Isaiam prophetam sibi consanguineum lignea serra dissecuit. Tunc floruit apud Lydos Gyges, qui Candaule occiso regnum obtinuit: eius pronepos fuit Crœsus, quem Cyrus prælio vicit et subiugavit. Tunc quoque in Ægypto regnavit Psammetichus, cuius filius Nechao Iosiam superavit et occidit. Tunc quoque A claruit Thales Milesius unus e septem Græciæ sapientibus, ac successive ceteri sex sapientes. Sub Manasse quoque Romæ regnavit Numa Pompilius, floruit Sibylla Samia. Tunc pariter historiam Iudith contigisse multi opinantur.

Sub Iosia cœpit prophetare Ieremias, ac tempore Ioakim, Ioachin et Sedeciæ prophetavit per 45. annos, tandemque in Ægypto a Iudæis lapidibus obrutus martyr occubuit. Sub eodem prophetavit Baruch, Sophonias et Holda prophetissa. Romæ regnarunt Tullus Hostilius et Ancus Martius. Floruere Aristomenes, Phalaris tyrannus, Zeleucus legislator, Terpander Musicus, Sappho et Stesichorus poetæ. Anno quarto Ioakim cœpit regnare Nabuchodonosor, qui Monarchiam ab Assyriis ad Chaldæos transtulit, ac Ierusalem cum templo evertit et Iudæos in Babylonem abduxit, ac Ægyptum subiugavit, et Pharaonem Nechao qui Pharaonum fuit ultimus trucidavit, ut dixi Ierem. 44. 30.

Sub Ioachin et Sedecia prophetavit in Babylonia Ezechiel per annos 22. cui successit Daniel, qui usque ad B centesimum annum vixit et prophetavit. Vide dicta in procemio Ieremiæ, Ezechielis et Danielis.

Hoc tempore in Media regnabat Cyaxares, cui successit filius Astyages, et huic nepos ex filia Cyrus, qui Babylonem cum Dario Medo avunculo suo cepit, et Monarchiam a Chaldæis ad Persas transtulit, ac Iudæos ex Babylone liberos in Iudæam remisit.

Tunc quoque floruere Draco Atheniensium legislator, æque ac Solon, Epimenides philosophus, qui teste Laertio Athenis aram erexit *Ignoto Deo*, de qua Paulus Actor. 17. Item Anaximenes, Xenophanes, Anacharsis philosophus, Arion Musicus, Æsopus Fabularum dictator, Sibylla Cumæa, quæ Tarquinio regi Roman. novem libros oraculorum obtulit pretio 300. aureorum: cumque is illud abnueret, Sibylla magnam eorum partem combussit ac pro paucis reliquis tantumdem exegit et obtinuit, uti narrat Plinius, Solinus, Gellius, Servius et alii. Hæc Eusebius, Torniellus, Gordonus, Salianus, ceterique chronologi.

Audi S. Augustinum libr. 18. de Civitate cap. 25. C *Regnante apud Hebræos Sedecia, et apud Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat Anco Martio, ductus est captivus in Babyloniam populus Iudæorum, eversa Ierusalem, et templo illo a Salomone constructo. Eo tempore Pittacus Mitylenæus unus de septem sapientibus fuisse perhibetur; et quinque ceteros, qui ut septem numerantur, Thaleti quem supra commemoravimus, et huic Pittaco adduntur, eo tempore fuisse scribit Eusebius, quo captivus Dei populus in Babylonia tenebatur. Hi sunt autem Solon Atheniensis, Chido Lacedæmonius, Periander Corinthius, Cleobulus Lyndus, Bias Prienæus. Eo captivitatis Iudaicæ tempore et Anaximander, et Anaximenes, et Xenophanes Physici claruerunt. Tum et Pythagoras, ex quo cœperunt appellari philosophi.*

COMMENTARIA

IN LIBRUM PRIMUM

PARALIPOMENON

SANCTUS Hieron. Epist. ad Paulinum quæ Bibliis præfigitur: *Paralipomenon liber*, inquit, *id est Instrumenti veteris* ἐπιτομή, *tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina, iuncturasque verborum, et prætermissæ in Regum libris tanguntur historiæ, et innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones.*

Ergo hic liber est epitome sive compendium gestorum Regum Iuda, non vero Regum Israel, utpote schismaticorum et idololatrarum. Hebr. inscribitur דברי הימים *dibre Haiamim*, id est *verba dierum*, q. d. Diarium, sive Chronicon breviter gesta Davidis et posterorum regum Iuda, quasi per singulos dies, id est per singula tempora et sæcula enarrans. A Sept. inscribitur hic liber παραλειπομένων, id est *relictorum* sive *residuorum*, ut ait S. Hier. Epist. ad Domnionem, quod ea quæ in libris Regum omissa sunt, suppleat et historice recenseat. Multa tamen repetit, quæ in libris Regum audivimus. Quare iis omissis, paucis quæ huic libro relicta et propria sunt, explicabo. Nonnulla enim quæ ibi strictim dicta sunt, hic fusius pertractantur, quædam etiam ibi obscurius scripta, hic clarius explicantur.

A

Auctor sive compendiator, ut censent Rabbini, Lyran. Sixtus Senensis, Driedo et alii, fuit Esdras, qui ex publicis Annalibus sive Diariis eum conscripsit. Id ita esse colligunt ex eo, quod ultima verba libri Paralipomenon eadem plane sint cum primis libris Esdræ. Vide dicta in præfatione in libros Regum. Sic et quæ c. 9. v. 2. et seq. dicuntur eadem sunt cum iis quæ habet Esdras, lib. 2. c. 11. Similia plura in ipso libri decursu notabo. Denique Catalogi genealogiarum et personarum, qui decem primis capitibus fuse hic texuntur, similes sunt Catalogis Esdræ, c. 2. c. 8. c. 12. et seq.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensetur genealogia Adæ usque ad Abraham eiusque posteros præsertim Idumæos, quorum reges et duces enarrantur v. 35. et seq.

1. ADAM, Seth, Enos, 2. Cainan, Malaleel, Iared, 3. Henoch, Mathusale, Lamech, 4. Noe, Sem, Cham,
et Iaphet. 5. Filii Iapheth: Gomer, et Magog, et Madai, et Iavan, Thubal, Mosoch, Thiras. 6. Porro
filii Gomer: Ascenez, et Riphath, et Thogorma. 7. Filii autem Iavan: Elisa et Tharsis, Cethim, et Do-
danim. 8. Filii Cham: Chus, et Mesraim, et Phut, et Chanaan. 9. Filii autem Chus: Saba, et Hevila, Sabatha,
et Regma, et Sabathacha. Porro filii Regma: Saba, et Dadan. 10. Chus autem genuit Nemrod: iste cœpit esse
potens in terra. 11. Mesraim vero genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, et Nephthuim. 12. Phetrusim quoque
et Casluim: de quibus egressi sunt Philisthiim, et Caphtorim. 13. Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum
suum, Hethæum quoque, 14. Et Iebusæum, et Amorrhæum, et Gergesæum, 15. Hevæumque et Aracæum, et
Sinæum; 16. Aradium quoque et Samaræum, et Hamathæum. 17. Filii Sem: Ælam, et Assur, et Arphaxad,
et Lud, et Aram, et Hus, et Hul, et Gether, et Mosoch. 18. Arphaxad autem genuit Sale, qui et ipse genuit He-
ber. 19. Porro Heber nati sunt duo filii, nomen uni Phaleg, quia in diebus eius divisa est terra; et nomen fra-
tris eius Iectan. 20. Iectan autem genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, et Iare, 21. Adoram quoque, et
Huzal, et Decla, 22. Hebal etiam, et Abimael, et Saba, necnon 23. Et Ophir, et Hevila, et Iobab; omnes isti
filii Iectan: 24. Sem, Arphaxad, Sale, 25. Heber, Phaleg, Ragau, 26. Serug, Nachor, Thare, 27. Abram, iste
est Abraham. 28. Filii autem Abraham, Isaac et Ismahel. 29. Et hæ generationes eorum. Primogenitus Isma-
helis, Nabaioth, et Cedar, et Adbeel, et Mabsam, 30. Et Masma, et Duma, Massa, Hadad, et Thema, 31. Ietur,
Naphis, Cedma; hi sunt filii Ismahelis. 32 Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamran, Iecsan,
Madan, Madian, Iesboc, et Sue. Porro filii Iecsan: Saba, et Dadan. Filii autem Dadan: Assurim, et Latussim,
et Laomim. 33. Filii autem Madian: Epha et Epher, et Henoch, et Abida, et Eldaa; omnes hi, filii Ceturæ. 34.
Genuit autem Abraham Isaac: cuius fuerunt filii, Esau et Israel. 35. Filii Esau: Eliphaz, Rahuel, Iehus, Ihelom,
et Core. 36. Filii Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec. 37. Filii Rahuel: Nahath,
Zara, Samma, Meza. 38. Filii Seir: Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan. 39. Filii Lotan: Hori, Ho-
mam. Soror autem Lotan fuit Thamna. 40. Filii Sobal: Alian, et Manahath, et Ebal, Sephi, et Onam. Filii Se-

beon: Aia et Ana. Filii Ana: Dison. 41. Filii Dison: Hamram, et Esebau, et Iethran, et Charan. 42. Filii Eser: Balaan, et Zavan, et Iacan. Filii Disan: Hus et Aran. 43. Isti sunt reges, qui imperaverunt in Terra Edom, antequam esset rex super filios Israel: Bale filius Beor: et nomen civitatis eius, Denaba. 44. Mortuus est autem Bale, et regnavit pro eo Iobab filius Zare de Bosra. 45. Cumque et Iobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husam de Terra Themanorum. 46. Obiit quoque et Husam, et regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in Terra Moab: et nomen civitatis eius Avith. 47. Cumque et Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Semla de Masreca. 48. Sed et Semla mortuus est, et regnavit pro eo Saul de Rohoboth, quæ iuxta amnem sita est. 49. Mortuo quoque Saul, regnavit pro eo Balanan filius Achobor. 50. Sed et hic mortuus est, et regnavit pro eo Adad: cuius urbis nomen fuit Phau, et appellata est uxor eius Meetabel filia Matred filiæ Mezaab. 51. Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, 52. Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, 53. Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, 54. Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom.

Prima decem capita non nisi genealogias continent, A quia in eis exacti erant Hebræi, tum ad 12. tribuum distinctionem, tum propter Christum, ut constaret eum ex Abraham, Davide, et tribu Iuda natum. Verum quia hæc decem capita parvum habent usum, nec nisi nomina genitorum recensent, hinc ea paucis expediam. Ubi nota, nomina propria virorum et feminarum in hoc libro sæpe esse alia et diversa a nominibus, quæ iisdem personis dantur in Genesi, cæterisque libris. Ratio est quod Hebræi erant Polyonomi, et plura habebant nomina. Exempli instar sit, quod filii Beniamin Genes. cap. 46. v. 21. nominentur, *Bela et Bechor et Asbel et Gera et Naaman et Echi et Ros et Mophim et Ophim et Ared:* hic vero cap. 8. v. 1. nominantur *Bale Asbel Ahara Nohaa Rapha*, ac cæteri tacentur: quandoque etiam idem nomen aliter et aliter mutatione unius alteriusve literæ inflectitur et pronuntiatur. Rursum hic non omnes filii recensentur, sed magis celebres et clari. Multi ergo hisce decem capitibus reticentur. Sic cap. 7. 6. tres tantum recenset filios Beniamin, cum Genes. 46. 21. decem B numerentur.

Vers. 1. Adam, Seth, Enos, Cainan, etc.) q. d. Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, et ita consequenter de cæteris quos subnectit; studio enim brevitatis omittit τὸ *genuit*, ne illud in singulis repetere cogatur: quare nomina tantum generantium et genitorum assignat.

Vers. 3. Noe (subaudi genuit) Sem, Cham et Iaphet.) Ut dictum est Genes. c. 6. et seq. ubi hæc omnia explicui.

Vers. 32. Ceturæ concubinæ Abraham.) Concubina hic vocatur non pellex, sed secundaria uxor, quæ non erat materfamilias; unde eius filii non succedebant in hæreditatem patris.

Thamna Amalec.) Putant nonnulli τὸ *Thamna* esse genitivi casus, quia Genes. 36. 12. dicitur Esau ex Thamna concubina genuisse Amalec. Verum alia vel alius est hic Thamna, a Thamna Geneseos; illa enim fuit concubina Esau, hæc vero eius filia vel filius, ut patet ex Hebr. et Sept. qui habent: *et Thamna et Amalec.* Vers. 36.

Filii Seir.) Alius est hic Seir ab Esau, qui pariter cognominatus est *Seir*, id est *pilosus;* quia erat hirsutus: ille enim fuit filius Abrahæ et Isaac, eiusque filii ab hisce Seir diversi, recensiti sunt v. 35. Hic vero non fuit ex posteris Abrahæ et Isaac, sed gente fuit Horræus, qui ante Esau Idumæam occupavit, cuius genealogia texitur Genes. 36. v. 20. Hoc loco vero ad hoc tantum inducitur, ut cognoscatur prosapia Thamna, ex qua genitus est Amalec. Vers. 38.

Isti (qui sequuntur) sunt reges qui imperaverunt in terra Edom.) Cum sceptro, diademate et potestate regia. Nota, sicut Hebræi primo habuere iudices quasi Duces a Iosue usque ad Saul, deinde reges a Saule usque ad Sedeciam et captivitatem Babylonicam, ac post eam rursum duces a Zorobabele usque ad Machabæos; sic et Idumæi primo habuere Duces usque ad Bale, deinde reges a Bale usque ad mortem secundi Adadæ, mox rursum duces a Thamna usque ad Hiram, ut patet v. 51. et 52. Vers. 43.

Mortuus est autem Bale primus rex Edom, et regnavit pro eo Iobab filius Zare.) Tunc ergo regnum non erat hæreditarium, nec in eo patri succedebat filius, sed is qui erat dignior. Bale enim primo regi Idumææ successit Iobab, qui erat filius Zare, non Bale. Hic *Iobab* est *Iob* speculum patientiæ, ut dixi Genes. 36. 31. Iob ergo fuit secundus rex Idumææ, eius abavus Esau tantum dux eiusdem fuerat. Esau enim genuit Raguel, Raguel genuit Zare, Zare genuit Iobab, sive Iob. Vers. 44.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Genealogia Iudæ Patriarchæ usque ad Isai sive Iesse, qui fuit pater Davidis, eiusque fratrum et sororum.

1. Filii autem Israel: Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Issachar, et Zabulon, 2. Dan, Ioseph, Beniamin, Nephthali, Gad, et Aser. 3. Filii Iuda: Her, Onan, et Sela; hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Iuda, malus coram Domino, et occidit eum. 4. Thamar autem nurus eius peperit ei Phares et Zara. Omnes ergo filii Iuda, quinque. 5. Filii autem Phares: Hesron et Hamul. 6. Filii quoque Zaræ: Zamri, et Ethan, et Eman, Chalchal quoque, et Dara, simul quinque. 7. Filii Charmi: Achar, qui turbavit Israel, et peccavit in furto anathematis. 8. Filii Ethan: Azarias. 9. Filii autem Hesron, qui nati sunt ei: Ierameel, et Ram, et Calubi. 10. Porro Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahasson, principem filiorum Iuda. 11. Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz. 12. Booz vero genuit Obed, qui et ipse genuit Isai. 13. Isai autem genuit primogenitum Eliab, secundum Abinadab, tertium Simmaa, 14. Quartum Nathanael, quintum Raddai, 15. Sextum Asom, septimum David; 16. Quorum sorores fuerunt, Sarvia, et Abigail. Filii Sarviæ: Abisai, Ioab, et Asael: tres. 17. Abigail autem genuit Amasa, cuius pater fuit Iether Ismahelites. 18. Caleb vero filius Hesron accepit uxorem nomine Azuba, de qua genuit Ierioth: fueruntque filii eius Iazer, et Sobab, et Ardon. 19. Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb, Ephrata: quæ peperit ei Hur. 20. Porro Hur genuit Uri: et Uri genuit Bezeleel. 21. Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir pa-

tris Galaad, et accepit eam cum esset annorum sexaginta: quæ peperit ei Segub. 22. Sed et Segub genuit Iair, et possedit viginti tres civitates in Terra Galaad. 23. Cepitque Gessur, et Aram, oppida Iair; et Canath, et viculos eius sexaginta civitatum: omnes isti, filii Machir patris Galaad. 24. Cum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephrata. Habuit quoque Hesron uxorem Abia, quæ peperit ei Ashur patrem Thecuæ. 25. Nati sunt autem filii Ierameel primogeniti Hesron, Ram primogenitus eius, et Buna, et Aram, et Asom, et Achia. 26. Duxit quoque uxorem alteram Ierameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam. 27. Sed et filii Ram primogeniti Ierameel, fuerunt Moos, Iamin, et Achar. 28. Onam autem habuit filios, Semei, et Iada. Filii autem Semei: Nadab, et Abisur. 29. Nomen vero uxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban, et Molid. 30. Filii autem Nadab fuerunt, Saled, et Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis. 31. Filius vero Apphaim, Iesi: qui Iesi genuit Sesan. Porro Sesan genuit Oholai. 32. Filii autem Iada fratris Semei: Iether et Ionathan. Sed et Iether mortuus est absque liberis. 33. Porro Ionathan genuit Phaleth, et Ziza. Isti fuerunt filii Ierameel. 34. Sesan autem non habuit filios, sed filias; et servum Ægyptium nomine Ieraa. 35. Deditque ei filiam suam uxorem: quæ peperit ei Ethei. 36. Ethei autem genuit Nathan, et Nathan genuit Zabad. 37. Zabad quoque genuit Ophlal, et Ophlal genuit Obed, 38. Obed genuit Iehu, Iehu genuit Azariam, 39. Azarias genuit Helles, et Helles genuit Elasa, 40. Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum, 41. Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama. 42. Filii autem Caleb fratris Ierameel: Mesa primogenitus eius, ipse est pater Ziph: et filii Maresa patris Hebron. 43. Porro filii Hebron, Core, et Taphua, et Recem, et Samma. 44. Samma autem genuit Raham, patrem Iercaam, et Recem genuit Sammai. 45. Filius Sammai, Maon: et Maon pater Bethsur. 46. Epha autem concubina Caleb peperit Haran, et Mosa, et Gezez. Porro Haran genuit Gezez. 47. Filii autem Iahaddai, Regom, et Ioathan, et Gesan, et Phalet, et Epha, et Saaph. 48. Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, et Tharana. 49. Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, et patrem Gabaa. Filia vero Caleb, fuit Achsa. 50. Hi erant filii Caleb, filii Hur primogeniti Ephratha, Sobal pater Cariathiarim, 51. Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader. 52. Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim. Qui videbat dimidium requietionum. 53. Et de cognatione Cariathiarim, Iethrei, et Aphuthei, et Semathei, et Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, et Esthaolitæ. 54. Filii Salma, Bethlehem et Netophathi, Coronæ domus Ioab, et Dimidium requietionis Sarai. 55. Cognationes quoque scribarum habitantium in Iabes, Canentes, atque Resonantes, et In tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.

Vers. 3. FUIT HER PRIMOGENITUS IUDA.) Quem ob scelus mollitiei et pollutionis occidit Deus, ut dixi Genes. 38. 7.

Vers. 7. ACHAR.) Hic est Achan, qui furto suo turbavit castra Hebræorum, ideoque dictus est *Achar*, id est *turbator*. Vide dicta Iosue 7.

Vers. 9. RAM.) Hic est *Aram* pater Aminadab, Matth. 1. qui per Aphæresim vocatur *Ram*.

Vers. 15. SEPTIMUM DAVID.) Quomodo 1. Reg. 16. 10. non septem, sed octo numerantur filii Iesse, ibidem explicui.

Vers. 16. FILII SARVIÆ, ABISAI, IOAB ET ASAEL.) Hinc videtur quod Abisai fuerit senior Ioab fratre suo duce exercitus Davidis.

Vers. 31. SESAN AUTEM GENUIT OHOLAI.) Filiam non filium, ut patet v. 34.

Vers. 52. *Videns dimidium requietionum qui? Resp. I.* QUI VIDEBAT DIMIDIUM REQUIETIONUM.) Quis hic? Primo S. Hier. lib. 1. contra Pelag. ait fuisse prophetam: prophetæ enim vocabantur *Videntes*, id est prævidentes et prædicentes futura. q. d. Sobal erat *videns*, id est prophetabat, sed ex dimidio dumtaxat, id est non plane et perfecte videbat cælestia, ubi est locus requietionis, hoc est perfectæ quietis.

II. Secundo, Vatab. q. d. Sobal videbat et contemplabatur, id est curam gerebat, vel princeps erat dimidii loci, qui Hebr. vocabatur *Hammenuchoth*, id est *requietionum*, forte a fertilitate agri et amœnitate loci: *videre* enim est esse principem, principis enim est suos circumspicere, lustrare et contemplari, ut iis de omnibus prospiciat. Princeps ergo est *videns*, ut quasi Argus centoculus omnia inspiciat.

III. Tertio, alii per *requietionem* accipiunt sepulcrum: in eo enim post mortem requiescit corpus usque ad resurrectionem communem futuram in die iudicii. Unde Benedictus in suis Bibliis v. 54. ubi nos habemus: *dimidium requietionis Sarai*, vertit, vel potius explicat: *qui possidebat dimidium sepulcri Saræ* (uxoris Abrahæ) et quatuor Patriarcharum, scilicet Adæ, Abrahæ, Isaac, et Iacob; quod sepulcrum erat in Hebron.

IV. Quarto, noster Sanchez per *requietionem* accipit regionem in qua quis habitat, quamque quiete quasi dominus possidet: unde de Italia sic ait Æneas apud Virgil. lib. 8. Æneid.

Hic locus urbis erit, requies et certa laborum.

Nam *videre* sive cernere hæreditatem dicimur, cum eam adimus, occupamus et possidemus; ut sensus sit, q. d. Sobal *videbat*, id est quasi propriam possidebat, et tam *oculis* quam manibus usurpabat dimidiam partem regionis, in qua requieverant, seu quiete habitarant parentes eius: et hanc dimidiam partem hæreditatis *Sobal* transcripsit filiis suis. Eadem phrasis recurrit iterum post duos versus; et eadem phrasi dicitur de *Issachar*, Genes. 49. v. 15. *Vidit requiem, quod esset bona*, id est (ut per epexegesim mox additur) vidit *terram* requietioni seu inhabitationi suæ assignatam, *quod esset optima*. Psal. quoque 131. v. 8. *Surge Domine in requiem tuam.* Et v. 14. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo.*

Quinto et genuine, τό *Qui videbat dimidium requietionum* est nomen proprium filii Sobal, q.d. Filii Sobal quasi patris fuere hi duo, scilicet *Cariathiarim* (itaque forte vocatus, quod in sylvis; hæ enim Hebr. vocantur יערים *iearim*. quasi in urbe habitaret venationi deditus,) הראה חצי המנחות *haroe chatsi hammenuchot*, id est *videns dimidium requietionum*; ita vocatus, quod dimidiam Sobal patris *requietionem*, id est habitationem sive regionem et hæreditatem possideret, alteram enim dimidiam possidebat eius frater Cariathiarim. Id ita esse patet primo, quia Sept. nomina Hebraica (licet vitio scriptorum corrupta) retinent quasi propria. Secundo. quia Romani codices τό *Qui videbat* scribunt per maiusculum Q. quasi nomen proprium. Tertio. quia simili modo fere omnia sequentia scilicet *Coronæ domus, Canentes, Resonantes, In tabernaculis commorantes, Qui venerunt de Calore*, sunt nomina propria, uti mox patebit. Quarto, quia eadem prorsus ratione v. 54. unus Salmæ filios vocatur, *Dimidium requietionis Sarai*, de quo mox. V. genuine.

FILII SALMA, BETHLEHEM ET NETOPHATHI, CORONÆ DOMUS IOAB, ET DIMIDIUM REQUIETIONIS SARAI.) Vers. 54. Benedictus vertit, *Qui possidebat dimidium sepulcri Saræ* et quatuor Patriarcharum. Verum *Sarai*, hic non est *Sara* uxor Abrahæ; nam Sarai hic in Hebr. scribitur per litteras *Tsade et Ain*, Sara vero scribitur per *Scin et He*. Sensus ergo est, q d. Salma quatuor genuit filios, scilicet 1. Bethlehem, 2. Netophathi, 3. qui vocabatur Hebr. *Aterot beth Ioab*, id est Coronæ domus Ioab, 4. cui nomen

Dimidium requietionis Sarai. Hæc enim omnia esse nomina propria, patet ex Sept. qui nomina Hebræa ut propria retinent, et quia hic nomina filiorum Salma recensentur. Cur duo ultimi ita vocati sint, incertum est: forte quia pater Salma optabat ut tertius fieret *corona*, id est decus et gloria domus Ioab, ac quartus occuparet *dimidium requietionum*, id est regionum et possessionum Sarai.

Vers. 55. Cognationes quoque scribarum (Legis peritorum) habitantium in Iabes, Canentes atque Resonantes, et In tabernaculis commorantes.) Hæc quoque esse nomina propria liquet ex Hebræo et ex Roman. qui omnia hæc maiusculis litteris prænotant, et ex Sept. qui nomina Hebræa ut propria retinent, vertuntque: *et populi Sopherim* (id est scribarum) *habitantium Iabis, Tarathim, Samathin, Sachatim.* Sensus ergo est, q.d. *Cognationes,* Hebr. משפחות *mispachoth,* id est familiæ scribarum (puta Cinæorum ut sequitur) ex Salma descendentium erant tres, scilicet *Tarathim,* id est *Canentes: Samathim,* id est *Resonantes:* et *Sachatim,* id est *In tabernaculis habitantes:* quia vere Cinæi Dei laudes canebant et resonabant, nec in urbibus, sed in tabernaculis habitabant, ut dixi Ierem. 35. 2.

Hi sunt Cinæi (puta posteri Iethro soceri Mosis, ex quibus prognati sunt Rechabitæ, ut dixi Iudic. 1. 16. Exod. 18. 1. et seq.) qui venerunt de Calore patris domus Rechab.) Hinc patet Rechabitas fuisse Cinæos, eosdem quoque fuisse Scribas, Psaltes et Cantores, qui Psalmos et hymnos Deo canerent. Sed quid est τὸ *de Calore?* Primo, Dion. Carth. *de Calore,* inquit, hoc est de semine quod est calidum. Verum dico τὸ *Calore,* esse nomen proprium; quare Roman. id scribunt per maiusculum C. ac Sept. retinent nomen Hebr. *Hemath.* Unde secundo, Vatab. vertit; *Qui venerunt de Hemath patre domus Rechab,* q. d. Cinæi prognati sunt de Hemath, qui fuit paterfamilias Rechabitarum. Verum quia Noster vertit: *patris* in genitivo, non *patre* in ablativo, hinc tertio, melius per *Hemath,* accipias urbem hoc nomine celebrem in Script. scilicet *Epiphaniam,* ita dictam ab Antiocho Epiphane. Et favet quod non dicat: *qui nati sunt,* sed *qui venerunt de Hemath,* q. d. Cinæi venerunt de *Emath,* id est *Epiphania,* quæ urbs fuit sedes et patria domus, id est familiæ *Rechab* sive Rechabitarum. Dices, cur ergo Noster nomen *Emath* non retinet, sed vertit *Calore?* Resp. id facit more suo, ut significet etymon *Emath* congruere huic loco: *Emath* enim Hebr. significat *calorem.* Significat ergo Cinæos hosce apposite venisse de *Emath,* quæ urbs nomine suo significat *calorem,* ut innuat Cinæos hosce imitatos fuisse *calorem,* id est zelum et fervorem devotionis, qui fuerat in patre eorum *Rechab.* Ita Lyran. et Hugo. Sic Roma olim dicta fuit Valentia, teste Solino in Polyhist. Græce enim ῥώμη, idem est quod robur, valor et valentia. Romani enim erant valentes et Valentini, utpote qui orbem sibi subiugarunt. Similes allusiones sunt Michææ 1. 10. *In domo pulveris* (Hebr. in *Aphra* urbe Beniamin; *Aphra* enim significat *pulverem*) *pulvere vos conspergite.* Et v. 11. *Et transite vobis Habitatio pulchra.* Hebr. *habitatrix Sappir,* id est pulchræ Samariæ, et v. 12. *Quæ habitat in amaritudinibus.* Hebr. *In Maroth* urbe. Vide ibi dicta.

De Calore quis? Resp.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur filii Davidis, eiusque nepotes reges Iuda cum suis filiis et filiabus.

1. David vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron; primogenitum Amnon ex Achinoam Iezrahelitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide, 2. Tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith, 3. Quintum Saphatiam ex Abital, sextum Iethraham de Egla uxore sua. 4. Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis, et sex mensibus. Triginta autem et tribus annis regnavit in Ierusalem. 5. Porro in Ierusalem nati sunt ei filii, Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammiel, 6. Iebaar quoque, et Elisama, 7. Et Eliphaleth, et Noge, et Nepheg, et Iaphia, 8. Necnon Elisama, et Eliada, et Eliphelet, novem: 9. Omnes hi, filii David, absque filiis concubinarum: habueruntque sororem Thamar. 10. Filius autem Salomonis, Roboam: cuius Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Iosaphat, 11. Pater Ioram: qui Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Ioas: 12. Et huius Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariæ filius Ioathan 13. Procreavit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses. 14. Sed et Manasses genuit Amon patrem Iosiæ. 15. Filii autem Iosiæ fuerunt, primogenitus Iohanan, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum. 16. De Ioakim natus est Iechonias, et Sedecias. 17. Filii Iechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel, 18. Melchiram, Phadaia, Senneser, et Iecemia, Sama, et Nadabia. 19. De Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, et Salomith sororem eorum: 20. Hasaban quoque, et Ohol, et Barachian, et Hasadian, Iosabhesed, quinque. 21. Filius autem Hananiæ, Phaltias pater Iesciæ, cuius filius Raphaia; huius quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cuius filius fuit Sechenias. 22. Filius Secheniæ, Semeia: cuius filii, Hattus, et Iegaal, et Baria, et Naaria, et Saphat, sex numero. 23. Filius Naariæ, Elioenai, et Ezechias, et Ezricam, tres. 24. Filii Elioenai, Oduia, et Eliasub, et Pheleia, et Accub, et Iohanan, et Dalaia, et Anani, septem.

Vers. 1. David vero hos habuit filios.) Hæc et sequentia explicui 2. Reg. 3. v. 2. et seq.

Vers. 5. Quatuor de Bethsabee.) Nonnulli censent tres priores, scilicet *Simmaa, Sobab,* et *Nathan,* fuisse Uriæ filios, quos postea David sibi adoptavit, ut iniuriam adulterii et homicidii Uriæ factam compensaret; quartum vero, scilicet Salomonem fuisse unicum Davidis ex Bethsabee filium, eo quod Salomon Prov. 4. 3. dicat se fuisse *unigenitum coram matre sua.* Verum melius alii censent hos omnes fuisse Davidis filios, Salomonem vero dici *unigenitum,* id est unice dilectum a matre, ut dixi Prov. 4. 3.

Filia Ammiel.) *Ammiel* alio nomine dictus est *Eliam,* qui fuit filius Achitophel et unus e triginta fortibus, sive heroibus Davidis, 2. Reg. 23. 34.

Vers. 15. PRIMOGENITUS (Iosiæ) IOHANAN, SECUNDUS IOAKIM, TERTIUS SEDECIAS, QUARTUS SELLUM.) *Iohanan* cita morte defunctus est, et forte cum Iosia patre in prælio occisus; unde Iosiæ in regno successit Ioachaz, deinde Ioakim, tertio Sedecias. Ioachaz hic fuit binomius: alio enim nomine vocatus est *Sellum*, fuitque tertio loco a Iosia genitus. Cum enim Ioachaz regnare incipiens esset 18. annorum, Ioakim post tres menses ei succedens erat 25. annorum, cui post undecim regni annos succedens Sedecias erat 21. annorum dumtaxat. Dices, cur ergo ultimus hic ponitur *Sellum*, id est *Ioachaz*, cum revera iunior omnium fuerit Sedecias? Resp. causa est, quod Ioachaz tribus tantum mensibus regnarit, post quos a Pharaone captus, abductus est in Ægyptum; Ioakim vero regnavit undecim annis, et totidem Sedecias, vide dicta Ierem. 22. 11. Ioachaz ergo quartus fuit non ætate, sed regni dignitate, vel potius indignitate et brevitate. Nam ætate primus Iosiæ filius fuit Iohanan, 2. Ioakim, 3. Ioachaz, sive Sellum. 4. Sedecias.

FILII IECHONIÆ FUERUNT ASIR.) Octo hic filii Iechoniæ recensentur: ipse tamen vocatur sterilis, Ierem. 22. 30. quia nullus ei in regno successit, ut ibidem explicat Ieremias. Vers. 17.

DE PHADAIA ORTI SUNT ZOROBABEL ET SEMEI.) Alius est hic Zorobabel, a Zorobabele atavo Christi, Matth. 1. Eius tamen fuit patruelis: nam iste, Matth. 1. fuit filius Salathielis. Nonnulli tamen censent unum eumdemque esse Zorobabel, qui natura fuerit filius Phadaiæ, adoptione vero Salathielis. Sed hi consequenter dicere debent aliquem filiorum Zorobabel qui hic recensentur, alio nomine vocatum fuisse Abiud. Nam Matth. 1. Zorobabel dicitur genuisse Abiud. Unde Mariana opinatur Hananiam qui hic sequitur, alio nomine vocatum fuisse Abiud. Vers. 19.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Iudæ et Simeonis, eorumque victoriæ et facinora heroica.

1. FILII Iuda: Phares, Hesron, et Charmi, et Hur, et Sobal. 2. Raia vero filius Sobal genuit Iahath, de quo nati sunt Ahumai, et Laad: hæ cognationes Sarathi. 3. Ista quoque stirps Etam: Iezrahel, et Iesema, et Iedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalelphuni. 4. Phanuel autem pater Gedor, et Ezer pater Hosa. Isti sunt filii Hur primogeniti Ephratha patris Bethlehem. 5. Assur vero patri Thecuæ erant duæ uxores, Halaa, et Naara. 6. Peperit autem ei Naara, Oozam, et Hepher, et Themani, et Ahasthari; isti sunt filii Naara. 7. Porro filii Halaa, Sereth, Isaar, et Ethnan. 8. Cos autem genuit Anob, et Soboba, et cognationem Aharehel filii Arum. 9. Fuit autem Iabes inclytus præ fratribus suis, et mater eius vocavit nomen illius Iabes, dicens: Quia peperi eum in dolore. 10. Invocavit vero Iabes Deum Israel, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, et dilataveris terminos meos, et fuerit manus tua mecum, et feceris me a malitia non opprimi. Et præstitit Deus quæ precatus est. 11. Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon. 12. Porro Esthon genuit Bethrapha, et Phesse, et Tehinna patrem urbis Naas: hi sunt viri Recha. 13. Filii autem Cenez, Othoniel, et Saraia. Porro filii Othoniel, Hathath, et Maonathi. 14. Maonathi genuit Ophra, Saraia autem genuit Ioab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant. 15. Filii vero Caleb filii Iephone, Hir, et Ela, et Naham. Fili quoque Ela: Cenez. 16. Filii quoque Ialeleel: Ziph, et Zipha, Thiria, et Asrael. 17. Et filii Ezra, Iether, et Mered, et Epher, et Ialon, genuitque Mariam, et Sammai, et Iesba patrem Esthamo. 18. Uxor quoque eius Iudaia, peperit Iared patrem Gedor, et Heber patrem Socho, et Icuthiel patrem Zanoe; hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered. 19. Et filii uxoris Odaiæ sororis Naham patris Ceila, Garmi, et Esthamo, qui fuit de Machathi. 20. Filii quoque Simon, Amnon, et Rinna filius Hanan, et Thilon. Et filii Iesi, Zoheth, et Benzoheth. 21. Filii Sela, filii Iuda: Her pater Lecha, et Laada pater Maresa, et cognationes domus operantium byssum in domo iuramenti. 22. Et qui stare fecit Solem, virique Mendacii, et Securus, et Incendens, qui principes fuerunt in Moab, et qui reversi sunt in Lahem; hæc autem verba vetera. 23. Hi sunt figuli habitantes in Plantationibus, et in Sepibus, apud regem in operibus eius, commoratique sunt ibi. 24. Filii Simeon: Namuel et Iamin, Iarib, Zara, Saul. 25. Sellum filius eius, Mapsam filius eius, Masma filius eius. 26. Filii Masma: Hamuel filius eius, Zachur filius eius, Semei filius eius. 27. Filii Semei sedecim, et filiæ sex: fratres autem eius non habuerunt filios multos, et universa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Iuda. 28. Habitaverunt autem in Bersabee, et Molada, et Hasarsuhal, 29. Et in Bala, et in Asom, et in Tholad, 30. Et in Bathuel, et in Horma, et in Siceleg, 31. Et in Bethmarchaboth, et in Hasarsusim, et in Bethberai, et in Saarim; hæ civitates eorum usque ad regem David. 32. Villæ quoque eorum: Etam, et Aen, Remmon, et Thochen, et Asan, civitates quinque. 33. Et universi viculi eorum per circuitum civitatum istarum usque ad Baal; hæc est habitatio eorum, et sedium distributio. 34. Mosobab quoque et Iemlech, et Iosa filius Amasiæ, 35. Et Ioel, et Iehu filius Iosabiæ filii Saraiæ filii Asiel, 36. Et Elioenai, et Iacoba, et Isuhaia, et Asaia, et Adiel, et Ismiel, et Banaia, 37. Ziza quoque filius Sephei filii Allon filii Idaia filii Semri filii Samaia. 38. Isti sunt nominati principes in cognationibus suis, et in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer. 39. Et profecti sunt ut ingrederentur in Gador usque ad Orientem vallis, et ut quærerent pascua gregibus suis. 40. Inveneruntque pascuas uberes et valde bonas, et terram latissimam et quietam et fertilem, in qua ante habitaverant de stirpe Cham. 41. Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Iuda: et percusserunt tabernacula eorum, et habitatores qui inventi fuerant ibi, et deleverunt eos usque in præsentem diem: habitaveruntque pro eis, quoniam uberrimas pascuas ibidem repererunt. 42. De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phaltiam et Naariam et Raphaiam et Oziel filios Iesi: 43. Et percusserunt reliquias, quæ evadere potuerant, Amalecitarum, et habitaverunt ibi pro eis usque ad diem hanc.

Vers. 1. **Filii Iuda: Phares, Hesron et Charmi, etc.)** *Filii*, id est posteri: nam Iudas genuit Phares, Phares genuit Hesron, Hesron genuit Charmi, etc. *Filii* ergo hic vocantur nepotes et pronepotes, qui longa serie a Iuda descendunt. Scopus enim Auctoris hoc libro fuit, nominare viros virtute vel familia ampla celebres, qui a Iuda vel alio quopiam Patriarcha prognati sunt.

Vers. 4. **Ephratha patris Bethlehem.)** *Patris*, id est principis, ait Vatab. sic enim servi Naaman eum vocant patrem, 4. Reg. 5. Alii tamen censent Bethlehem esse nomen filii *Ephratæ*, non urbis, ita dictæ. Sic enim c. 2. 54. *Bethlehem* vocatur *filius Salma*.

Vers. 5. **Assur vero patri**, (id est principi) **Thecuæ.)** ait Vatab. Alii tamen censent *Assur* proprie fuisse patrem filii, cui nomen erat *Thecua*.

Vers. 9. **Vocavit nomen illius Iabes, dicens: Quia peperi eum cum dolore.)** *Iabes* enim Hebr. dolorem significat. Videtur hic Iabes fuisse filius Aram qui præcessit, frater Aharelis, v. 8. et Othonielis, v. 13. Est Metathesis sive transpositio literarum; dicitur enim *Iabes* Hebr. *Iaabes* pro *Iaaseb:* nam עצב *otseb* est dolor, ut sequitur. Ita Pagnin. Sic pro *kebes*, id est *agnus*, dicitur *keseb*, scilicet pro כבש dicitur כשב.

Vers. 14. **Saraia autem genuit Ioab patrem** (id est principem) **Vallis artificum.)** *Ideo* ait S. Hieron. dicitur *pater Vallis artificum, quia de filiis eius fuere architecti ad ædificandam domum Domini.*

Vers. 21. **In domo Iuramenti)** Hebr. *Esbaa*, est nomen proprium significans, *iuramentum;* unde Sept. vertunt: *In domo Aseba.* Noster his decem capitibus sæpe nomina Hebræa propria non retinet, sed vertit eorum significata, quia in significatis putat latere aliquod mysterium, vel allusionem rei vel personæ congruam. Adde, sæpe Latinos nomina propria Græcorum vel Hebræorum vertere in Latina idem significantia. Sic pro *Theodosius* vel *Theodorus*, dicunt, *Adeodatus;* pro *Chrysostomus aureum os;* pro *Anna, Gratia;* pro *Salomon, Pacificus;* pro *Iesus, Salvator;* pro *Gregorius, Vigilantius;* pro *Macarius, Felix;* pro *Nicon, Victor*.

Vers. 22. **Et qui stare fecit solem, virique Mendacii, Securus et Incendens.)** Omnia hæc sunt nomina propria, quorum significata Noster vertendo reddidit. Sept. vero, Pagn. Vatab. et alii nomina Hebr. ut propria retinent, vertuntque: *Ioacim quoque et viri Chozeba et Ioas et Saraph, qui dominati sunt in Moab. Ioacim* enim, vel ut Hebr. est *Iokim*, idem est quod, *qui stare fecit*, scilicet solem. *Chozeba*, idem est quod *mendacium; Ioas*, est *securus; Saraph* est *incendens*, q. d. omnes hi iam nominati, sunt filii et nepotes qui descendunt a Iuda per Selam, licet Hebræi velint eos per Pharez descendere.

Qui stare fecit solem. Quis? Historia Hebr.

Audi eos, apud S. Hieron. in Trad. *Qui stare fecit solem: redit ad progeniem Pharez, de quo ortus est David, opportunum iudicans progeniem Iuda, de qua tribus regia orta est, in David terminare. Tradunt enim Hebræi hunc fuisse Elimelech, virum Noemi, patrem Maalon et Chelion, in cuius tempore sol steterit, propter prævaricatores legis, ut tanto miraculo viso converterentur ad Dominum Deum suum. Quod quia facere contempserunt, idcirco fames invaluit, et ille qui in tribu Iuda prior videbatur, famis inopia cum uxore et filiis, non solum patria pelleretur; sed etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur. Viros autem mendacii, esse Maalon et Chelion, qui hic Securus et Incendens appellantur, et de quibus dicitur, quod principes fuerint in Moab, eo quod uxores Moabitidas duxerint; in Hebræo expressius ponitur, et ab eruditis illius linguæ didicimus, ut non principes, sed mariti dicantur. Quod vero sequitur: Quæ reversæ sunt in Lehem, Noemi et Ruth demonstrat, quæ in* לחם *Lechem, id est panem, post inopiam famis audita ubertate panis, in Bethlehem reversæ sunt. Et quia hæc historia in libro Ruth scribitur, idcirco subsequitur: Hæc autem verba vetera.*

Hebræos sequuntur Lyran. Glossa, Abul. Hugo, Dion. Fevardentius in c. 1. Ruth, Baradius in Matth. 1. qui dicunt *Elimelech* fuisse virum sanctissimum, ideoque dum videret suos cives ad idola deflectere, rogasse Deum ut sisteret solem, eoque portento terreret idololatras, et ad se compelleret.

Fabula esse probatur 7. argum.

Verum hanc esse Rabbinorum fabulam liquet: primo,
quia hic agitur de posteris Selæ; *Elimelech* autem fuit
ex posteris Phares. Secundo, quia Ioacim, vel ut Hebr.
est יוקים *Iokim*, tantum significat *sistens, stare faciens,* 1.
confirmans: unde nonnulli ex Rabbinorum fabula adiecerunt 2
in margine *τὸ solem*, quod postea in textum irrepsit, ait Serarius in Iosue c. 10. q. 25. Aut potius, quia Iosue eo quod stiterit solem, ab Hebræis cognominatus est *Iokim*, id est, *stare faciens* et sistens, scilicet *solem:* hinc *Iokim* ex vulgi usu significabat idem quod, *qui stare fecit solem*, ut vertit Noster. Omnia enim exemplaria habent *τὸ solem*. Hic enim *Iokim* ponitur inter *filios*, id est posteros Selæ; unde potuit post Iosue vixisse: si autem vixit ante, certe Esdras qui hæc scripsit, vixit post Iosue,
a quo *Iokim* significat eum *qui stare fecit solem*. Tertio, 3.
quia Biblia Romæ correcta pro: *quæ reversæ sunt*, corrigit, *qui reversi sunt in Lechem*. Iam autem Chelion et Mahalon, non sunt reversi in Bethlehem, sed in Moab
mortui. Quarto, quia *viri mendacii*, alii sunt a *Securus* 4.
et Incendens, ut patet ex copula *et*, quæ inter utrumque
interiicitur, et diversa iungit. Quinto, quia *Elimelech* non 5.
est *Ioacim* vel *Iokim*, nec significat, *qui stare fecit solem*, sed *Deus rex*, vel *Dei mei rex:* nec *Mahalon* significat *securum*, sed *infirmum* et ægrum, aut *qui chorum agit* fistulamque inflat: *Chelion* vero non significat *incendentem*, sed *confectum* et perfectum, aut eum *qui totus co-*
lumbinus est. Sexto, Mahalon et Chelion non fuerunt 6.
principes in Moab, utpote externi et peregrini, pauperes
et famelici. Septimo, rem tantam non tacuisset liber 7.
Ruth, qui famem et vitam Elimelech, Mahalon et Chelion enarrat. Denique res tota insulsa Rabbinorum traditione nititur, quam S. Hieron. (vel quisquis est auctor) nude more suo retulit, sed non approbavit. Ita Caiet. Serar. Salian. Sanchez et alii passim. Nulla ergo miraculosa solis statio inducenda est, præter illam quæ enarratur facta sub Iosue c. 10. et sub Ezechia Isaiæ 38. Quare hic *Iokim* videtur fuisse vir insignis, qui heroica fortitudinis opera ediderit, ut videretur esse quasi alter Iosue, qui solem stitit, ideoque æque ac Iosue vocatus est Iokim, id est *stator solis*, etsi revera ipse solem non stiterit, uti stitit Iosue. Sic hodie vocantur Hercules, Samsones, Iulii, Alexandri, Pompeii, Scipiones, ut priscos illos heroes sic nominatos imitentur, etsi heroica eorum facta non patrarint. Porro quod *Iokim* Hebræis ex usu vulgi significaret *statorem solis*, liquet ex Rabbinis iam citatis apud S. Hieron. qui putantes *Iokim* esse *Elimelech*, inde commenti sunt ipsum stitisse solem.

Simili modo Iupiter a Romanis nuncupatus est *Iokim* sive *stator*, scilicet aciei fugientis, eo quod stare fecisset Romanos in fugam a Samnitibus versos. Audi Cicer. Orat. antequam iret in exilium: *Iupiter stator, quem vere huius imperii statorem maiores nostri nominaverunt, cuius in templo hostilem impetum Catilinæ repuli a muris, cuius templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum victoria est collocatum.* Et Ovidium lib. 4. Fastorum:

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Sic *Iokim* vel *Ioakim*, ait Pagnin. componi potest ex *Iehova* abbreviato, et יקים *iakim*, ut significet *Deus statuat*, vel *Deus stator*, scilicet solis ad preces Iosue.

Et qui reversi sunt in Lahem.) Hoc est in *Bethlehem*, quæ per Aphæresim vocatur *Lahem*, vel *Lehem*, sicut 1. Paral. 20. 5. *Adeodatus* in Hebr. vocatur *Lehemites*, id est *Bethlehemites*, ut vertit Noster: sic cap. 2. v. 9. *Aram* vocatur *Ram*, et *Iechonias* vocatur *Chonias* Ierem. cap. 22. vers. 24.

Hæc autem verba vetera.) q. d. Hæc sunt nomina prisca priscorum Heroum. Ita Vatab.

Vers. 23. **Hi sunt figuli** (male nonnulli legunt: *singuli*) **habitantes in Plantationibus et in Sepibus apud re-**

GEM IN OPERIBUS EIUS.) Vatab. *Isti sunt figuli illi habitantes in Nathaim et Gedera cum rege in opere eius.* Locorum sunt nomina ab hortis et sepibus q. d. Isti sunt *figuli* illi clari qui habitabant in *Nataim* et *Gedera*, scilicet inter *plantas* et *sepes*, nimirum qui versabantur in hortis apud regem Davidem, ut opera eius regia adiuvarent, ideoque apud eum magno fuere in pretio. Hæc Vatab. sic et Pagnin.

Vers. 40. IN QUA ANTE HABITAVERANT DE STIRPE CHAM.) Id est Chananæi; hi enim prognati sunt ex Chanaan filio Cham filii Noe. Sensus est q. d. Simeonitæ crescente nu-A mero filiorum suæ tribus, cum arcte habitarent, præsertim in medio tribus Iuda, quæ in schismate facto sub Roboam suas urbes a Simeonitis recepit; hac de causa Chanaæos vicinos, qui post Iosue in terra sancta restiterant, nec ab Hebræis expelli potuerant, invaserunt, eorumque urbes, agros et pascua occupaverunt initio regni Ezechiæ: sed modico tempore iis gavisi sunt, nam anno sexto Ezechiæ cum reliquis novem tribubus a Salmanasar captivi abducti sunt in Assyriam. 4. Reg. 17. 6. et cap. 18. vers. 10.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filii, id est posteri tribus Ruben, Gad et dimidiæ Manasse recensentur, qui pariter vicinos Chananæos suis regionibus eiecerunt sub Ioatham rege, sed mox sub Ezechia ob idololatriam primi abducti sunt in Assyriam.

1. FILII quoque Ruben primogeniti Israel (ipse quippe fuit primogenitus eius: sed cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filiis Ioseph, filii Israel, et non est ille reputatus in primogenitum. 2. Porro Iudas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Ioseph.) 3. Filii ergo Ruben primogeniti Israel: Enoch, et Phallu, Esron, et Carmi. 4. Filii Ioel: Samaia filius eius, Gog filius eius, Semei filius eius, 5. Micha filius eius, Reia filius eius, Baal filius eius, 6. Beera filius eius, quem captivum duxit Thelgathphalnasar rex Assyriorum, et fuit princeps in tribu Ruben. 7. Fratres autem eius, et universa cognatio eius, quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes, Iehiel et Zachariam. 8. Porro Bala filius Azaz, filii Samma, filii Ioel, ipse habitavit in Aroer usque ad Nebo et Beelmeon. 9. Contra Orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi, et flumen Euphraten. Multum quippe iumentorum numerum possidebant in Terra Galaad. 10. In diebus autem Saul præliati sunt contra Agareos, et interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ respicit ad Orientem Galaad. 11. Filii vero Gad e regione eorum habitaverunt in Terra Basan usque Selcha: 12. Ioel in capite, et Saphan secundus: Ianai autem, et Saphat, in Basan. 13. Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum, Michael, et Mosollam, et Sebe, et Iorai, et Iachan, et Zie, et Heber, septem. 14. Hi filii Abihail, filii Huri, filii Iara, filii Galaad, filii Michael, filii Iesesi, filii Ieddo, filii Buz. 15. Fratres quoque filii Abdiel, filii Guni, princeps domus in familiis suis. 16. Et habitaverunt in Galaad, et in Basan, et in viculis eius, et in cunctis suburbanis Saron, usque ad terminos. 17. Omnes hi numerati sunt in diebus Ioathan regis Iuda, et in diebus Ieroboam regis Israel. 18. Filii Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes et gladios, et tendentes arcum, eruditique ad prælia, quadraginta quatuor millia et septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam. 19. Dimicaverunt contra Agareos: Ituræi vero, et Naphis, et Nodab, 20. Præbuerunt eis auxilium. Traditique sunt in manus eorum Agarei, et universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt cum præliarentur: et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum. 21. Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, et ovium ducenta quinquaginta millia, et asinos duo millia, et animas hominum centum millia. 22. Vulnerati autem multi corruerunt: fuit enim bellum Domini. Habitaveruntque pro eis usque ad transmigrationem. 23. Filii quoque dimidiæ tribus Manasse, possederunt terram a finibus Basan usque Baal, Hermon, et Sanir, et montem Hermon, ingens quippe numerus erat. 24. Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, et Iesi, et Eliel, et Ezriel, et Ieremia, et Odoia, et Iediel, viri fortissimi et potentes, et nominati duces in familiis suis. 25. Reliquerunt autem Deum patrum suorum, et fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis; 26. Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, et spiritum Thelgathphalnasar regis Assur: et transtulit Ruben, et Gad, et dimidiam tribum Manasse, et adduxit eos in Lahela, et in Habor, et Ara, et fluvium Gozan, usque ad diem hanc.

Vers. 1. DATA SUNT PRIMOGENITA EIUS (Ruben) FILIIS IOSEPH.) Scilicet *Ephraim* et *Manasse*. Primogenitus enim habebat duplicem portionem hæreditatis paternæ (cum ceteri fratres singuli haberent singulas) uti sancitur Deuter. 21 16. et hanc debebat habere Ruben, utpote primogenitus Iacob; sed ob eius incestum illa translata est ad Ioseph, qui per duos filios iam dictos duplicem terræ sanctæ portionem obtinuit. Rursum primogenito competebat ius sacerdotii, et hoc a Ruben translatum est ad Levi: ad hæc ius primatus et regni, et hoc delatum est Iudæ. Vide dicta Genes. 49.

Vers. 12. IOEL IN CAPITE.) Hoc est *Ioel* fuit *caput* et princeps tribus Gad, ut patet ex Hebræo et Græco: secundus post B Ioel fuit Saphan, tertius Ianai et Saphat, qui Basanitidem occuparunt. Fuere hi non filii, sed nepotes Gad, ut patet Genes. 46. v. 16.

Vers. 17. IN DIEBUS IEROBOAM REGIS ISRAEL.) Hic *Ieroboam* non fuit primus ille rex Israel, qui schisma fecit a Roboam, sed longe posterior, scilicet abnepos Iehu; hic enim coævus fuit Ioatham regi Iuda.

Vers. 19. DIMICAVERUNT CONTRA AGAREOS.) Id est contra Saracenos, qui ab Agar ancilla Abraham dicti sunt *Agarei*. Porro Agareis præbuere auxilium Ituræi, Nephissæi, et Nodabæi (ut habent Hebr. et Sept.) contra Rubenitas; sed turpiter ab eis, utpote Deum invocantibus cæsi, bonisque et agris spoliati sunt, ut sequitur.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filii, id est posteri Levi, atque ex iis cantores et ministri templi a Davide constituti. Nominatim vero enumerantur posteri Aaronis sacerdotes, urbesque sacerdotales et refugii.

1. Filii Levi: Gerson, Caath, et Merari. 2. Filii Caath: Amram, Isaar, Hebron, et Oziel. 3. Filii Amram: Aaron, Moyses, et Maria: Filii Aaron: Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar. 4. Eleazar genuit Phinees, et Phinees genuit Abisue. 5. Abisue vero genuit Bocci, et Bocci genuit Ozi. 6. Ozi genuit Zaraiam, et Zaraias genuit Meraioth. 7. Porro Meraioth genuit Amariam, et Amarias genuit Achitob. 8. Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Achimaas. 9. Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Iohanan. 10. Iohanan genuit Azariam: ipse est qui sacerdotio functus est, in domo quam ædificavit Salomon in Ierusalem. 11. Genuit autem Azarias Amariam, et Amarias genuit Achitob, 12. Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Sellum, 13. Sellum genuit Helciam, et Helcias genuit Azariam. 14. Azarias genuit Saraiam, et Saraias genuit Iosedec. 15. Porro Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam et Ierusalem per manus Nabuchodonosor. 16. Filii ergo Levi: Gerson, Caath, et Merari. 17. Et hæc nomina filiorum Gerson: Lobni, et Semei. 18. Filii Caath: Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel. 19. Filii Merari: Moholi et Musi. Hæ autem cognationes Levi secundum familias eorum. 20. Gersom, Lobni filius eius, Iahath filius eius, Zamma filius eius. 21. Ioah filius eius, Addo filius eius, Zara filius eius, Iethrai filius eius. 22. Filii Caath, Aminadab filius eius, Core filius eius, Asir filius eius. 23. Elcana filius eius, Abiasaph filius eius, Asir filius eius. 24. Thahath filius eius, Uriel filius eius, Ozias filius eius, Saul filius eius. 25. Filii Elcana, Amasai et Achimoth 26. Et Elcana. Filii Elcana: Sophai filius eius, Nahath filius eius. 27. Eliab filius eius, Ieroham filius eius, Elcana filius eius. 28. Filii Samuel, primogenitus Vasseni, et Abia. 29. Filii autem Merari, Moholi: Lobni filius eius, Semei filius eius, Oza filius eius. 30. Sammaa filius eius, Haggia filius eius, Asaia filius eius. 31. Isti sunt, quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca: 32. Et ministrabant coram tabernaculo testimonii, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Ierusalem: stabant autem iuxta ordinem suum in ministerio. 33. Hi vero sunt qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caath, Hemam cantor filius Iohel, filii Samuel, 34. Filii Elcana, filii Ieroham, filii Eliel, filii Thohu. 35. Filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai. 36. Filii Elcana, filii Iohel, filii Azariæ, filii Sophoniæ. 37. Filii Thahath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core, 38. Filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel. 39. Et frater eius Asaph, qui stabat a dextris eius, Asaph filius Barachiæ, filii Samaa, 40. Filii Michael, filii Basaiæ, filii Melchiæ, 41. Filii Athanai, filii Zara, filii Adaia, 42. Filii Ethan, filii Zamma, filii Semei, 43. Filii Ieth, filii Gersom, filii Levi. 44. Filii autem Merari fratres eorum, ad sinistram, Ethan filius Cusi, filii Abdi, filii Maloch, 45. Filii Hasabiæ, filii Amasiæ, filii Helciæ, 46. Filii Amasai, filii Boni, filii Somer, 47. Filii Moholi, filii Musi, filii Merari, filii Levi. 48. Fratres quoque eorum Levitæ, qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini. 49. Aaron vero, et filii eius adolebant incensum super altare holocausti et super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum: et ut precarentur pro Israel, iuxta omnia quæ præceperat Moyses servus Dei. 50. Hi sunt autem filii Aaron: Eleazar filius eius, Phinees filius eius, Abisue filius eius, 51. Bocci filius eius, Ozi filius eius, Zarahia filius eius, 52. Meraioth filius eius, Amarias filius eius, Achitob filius eius, 53. Sadoc filius eius, Achimaas filius eius. 54. Et hæc habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, iuxta cognationes Caathitarum: ipsis enim sorte contigerant. 55. Dederunt igitur eis Hebron in terra Iuda, et suburbana eius per circuitum: 56. Agros autem civitatis, et villas, Caleb filio Jephone. 57. Porro filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum, Hebron, et Lobna et suburbana eius, 58. Iether quoque et Esthemo cum suburbanis suis, sed et Helon et Dabir cum suburbanis suis, 59. Asan quoque et Bethsemes et suburbana earum. 60. De tribu autem Beniamin, Gabee et suburbana eius, et Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis; omnes civitates, tredecim, per cognationes suas. 61. Filiis autem Caath residuis de cognatione sua, dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem. 62. Porro filiis Gersom per cognationes suas, de tribu Issachar, et de tribu Aser, et de tribu Nephthali, et de tribu Manasse in Basan, urbes tredecim. 63. Filiis autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben, et de tribu Gad, et de tribu Zabulon, dederunt sorte civitates duodecim. 64. Dederunt quoque filii Israel Levitis civitates, et suburbana earum: 65. Dederuntque per sortem, ex tribu filiorum Iuda, et ex tribu filiorum Simeon, et ex tribu filiorum Beniamin, urbes has quas vocaverunt nominibus suis, 66. Et his qui erant de cognatione filiorum Caath, fueruntque civitates in terminis eorum de tribu Ephraim. 67. Dederunt ergo eis urbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer cum suburbanis suis, 68. Iecmaam quoque cum suburbanis suis, et Bethoron similiter, 69. Necnon et Helon cum suburbanis suis, et Gethremmon in eumdem modum. 70. Porro ex dimidia tribu Manasse, Aner et suburbana eius, Balaam et suburbana eius: his videlicet, qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant. 71. Filiis autem Gersom, de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Gaulon in Basan et suburbana eius, et Astharoth cum suburbanis suis. 72. De tribu Issachar, Cedes et suburbana eius, et Dabereth cum suburbanis suis. 73. Ramoth quoque et suburbana eius, et Anem cum suburbanis suis. 74. De tribu vero Aser: Masal cum suburbanis suis, et Abdon similiter, 75. Hucac quoque et suburbana eius, et Rohob cum suburbanis suis. 76. Porro de tribu Nephthali, Cedes in Galilæa et suburbana eius, Hamon cum suburbanis suis, et Cariathaim et suburbana eius. 77. Filiis autem Merari residuis: de tribu Zabulon, Remmono et suburbana eius, et Thabor cum suburbanis suis: 78. Trans Iordanem quoque ex adverso Iericho contra

Orientem Iordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, et Iassa cum suburbanis suis, 79. Cademoth quoque et suburbana eius, et Mephaat cum suburbanis suis. 80. Necnon et de tribu Gad, Ramoth in Galaad et suburbana eius, et Manaim cum suburbanis suis, 81. Sed et Hesebon cum suburbanis suis, et Iezer cum suburbanis suis.

Vers. 3. FILII AARON: NADAB ET ABIU.) Qui adolentes ignem alienum a Deo occisi sunt, Levit. 10. vers. 2. superfuere ergo soli duo *Eleazar* et *Ithamar*; Eleazar fuit senior, ideoque Aaroni successit in pontificatu, eiusque posteri usque ad Ozi, de quo mox.

Vers. 5. BOCCI GENUIT OZI.) Post hunc *Ozi*, Pontifex factus est Heli, qui erat abnepos Ithamar, non Eleazar: Heli successere quatuor eius posteri, quorum ultimus fuit Abiathar, qui a Salomone ob coniurationem cum Adonia contra se factam pontificatu privatus fuit, suffecto in eius locum Sadoc, qui erat ex posteris Eleazar: unde pontificatus mansit in eius posteris usque ad captivitatem Babylonicam. Quare quatuor medii, qui hic nominantur ab Ozi usque ad Sadoc, scilicet *Zaraias*, *Meraioth*, *Amarias* et *Achitob*, non fuere Pontifices; ceteri vero post Sadoc fuere.

Vers. 14. AZARIAS AUTEM GENUIT ZARAIAM.) *Azarias* hic fuit animosus ille Pontifex, qui restitit Oziæ, sive Azariæ regi volenti offerre incensum, eumque e templo eiecit, uti dicitur libr. 2. cap. 26. Filius *Azariæ* fuit *Zaraias*, qui Pontifex fuit post patrem usque ad excidium Ierosolymæ et templi, ac cum septuaginta primoribus Iudæorum a Nabuchodonosor occisus est, ut dictum est lib. 4. Regum cap. ult. v. 18. Filius *Saraiæ* fuit *Iosedec*, qui abductus in Babylonem ex ea Iudæos captivos abduxit cum Zorobabele Duce, anno primo Cyri. Filius *Iosedec* fuit *Iosue* sive *Iesus* Pontifex, qui cum Zorobabele templum instauravit, ut dicitur 1. Esdræ 5. 2. uti eidem iusserat Deus per Zachariam, cap. 3.

CORE FILIUS EIUS.) Hic est *Core*, qui Mosi rebellans vivus a terra dehiscente cum tabernaculo suo absorptus fuit, sed filii eius innocentes a Deo per miraculum illæsi servati sunt, qui proinde hic recensentur. Ex quibus fuit *Elcana* pater Samuelis prophetæ, ut patet v. 27. et 34. et 37. Vers. 22.

FILII SAMUEL.) Qui fuit filius *Elcana* proxime v. 27. nominati. Ideo enim proxime post eum nominatur, ut indicetur eius fuisse filius. Ita Vatabl. Vers. 28.

PRIMOGENITUS VASSENI ET ABIA.) Dices, 1. Reg. 8. 2. dicitur *nomen filii eius* (Samuelis) *primogeniti, Ioel; et nomen secundi, Abia*. Resp. *Ioel* fuisse binomium, et alio nomine vocatum *Vasseni*. Aut certe *Ioel* hic excidit; et *Vasseni*, Hebr. ושני, id est *et secundus Abia*; unde Sept. clare vertunt, *Et filii Samuel primogenitus eius Ioel, et secundus Abia*. Hi sunt qui degeneres a Samuele occasionem dederunt populo petendi regem, unde Samuel regem eis dedit Saulem, 1. Reg. 8.

HÆC HABITACULA.) q. d. Hæ sunt sacerdotum urbes eis a Iosue assignatæ cap. 21. ubi fere eodem ordine recensentur quo hic. Vers. 54.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filii, id est posteri Issachar, Beniamin, Nephthali, Manasse, Ephraim et Aser.

1. PORRO filii Issachar: Thola, et Phua, Iasub, et Simeron, quatuor. 2. Filii Thola: Ozi et Raphaia, et Ieriel, et Iemai, et Iebsem, et Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus David, viginti duo millia sexcenti. 3. Filii Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michael, et Obadia, et Iohel, et Iesia, quinque omnes principes. 4. Cumque eis per familias et populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia: multas enim habuerunt uxores, et filios. 5. Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt. 6. Filii Beniamin: Bela, et Bechor, et Iadiel, tres. 7. Filii Bela: Esbon, et Ozi, et Oziel, et Ierimoth, et Urai, quinque principes familiarum, et ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum viginti duo millia et triginta quatuor. 8. Porro filii Bechor: Zamira, et Ioas, et Eliezer, et Elioenai, et Amri, et Ierimoth, et Abia, et Anathoth, et Almath: omnes hi, filii Bechor. 9. Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia et ducenti. 10. Porro filii Iadihel: Balan. Filii autem Balan: Iehus, et Beniamin, et Aod, et Chanana, et Zethan, et Tharsis, et Ahisahar. 11. Omnes hi filii Iadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem et septem millia et ducenti, ad prælium procedentes. 12. Sepham quoque, et Hapham filii Hir: et Hasim filii Aher. 13. Filii autem Nephthali: Iasiel, et Guni, et Ieser, et Sellum, filii Bala. 14. Porro filius Manasse, Esriel: concubinaque eius Syra peperit Machir patrem Galaad. 15. Machir autem accepit uxores filiis suis Happhim et Saphan: et habuit sororem nomine Maacha: nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ. 16. Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen eius Phares: porro nomen fratris eius, Sares: et filii eius Ulam, et Recen. 17. Filius autem Ulam, Badan; hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse. 18. Soror autem eius Regina peperit Virum decorum, et Abiezer, et Mohola. 19. Erant autem filii Semida, Ahin, et Sechem, et Leci, et Aniam. 20. Filii autem Ephraim: Suthala, Bared filius eius, Thahath filius eius, Elada filius eius, Thahath filius eius, huius filius Zabad, 21. Et huius filius Suthala, et huius filius Ezer et Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant ut invaderent possessiones eorum. 22. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, et venerunt fratres eius ut consolarentur eum. 23. Ingressusque est ad uxorem suam: quæ concepit, et peperit filium, et vocavit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus esset: 24. Filia autem eius fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem et superiorem, et Ozensara. 25. Porro filius eius Rapha, et Reseph, et Thale, de quo natus est Thaan, 26. Qui genuit Laadan: huius quoque filius Ammiud, qui genuit Elisama, 27. De quo ortus est Nun, qui habuit filium Iosue. 28. Possessio autem eorum et habitatio, Bethel cum filiabus suis, et contra Orientem Noran, ac Occidentalem plagam Gazer et filiæ eius, Sichem

quoque cum filiabus suis, usque ad Aza cum filiabus eius. 29. Iuxta filios quoque Manasse, Bethsan et filias eius, Thanach et filias eius, Mageddo et filias eius, Dor et filias eius: in his habitaverunt filii Ioseph, filii Israel. 30. Filii Aser: Iemna, et Iesua, et Iessui, et Baria, et Sara soror eorum. 31. Filii autem Baria: Heber, et Melchiel: ipse est pater Barsaith. 32. Heber autem genuit Iephlat, et Somer, et Hotham, et Suaa sororem eorum. 33. Filii Iephlat: Phosech, et Chamaal, et Asoth: hi filii Iephlat. 34. Porro filii Somer: Ahi, et Roaga, et Haba, et Aram. 35. Filii autem Helem fratris eius: Supha, et Iemna, et Selles, et Amal. 36. Filii Supha: Sue, Harnapher, et Sual, et Beri, et Iamra, 37. Bosor, et Hod, et Samma, et Salusa, et Iethran, et Bera. 38. Filii Iether: Iephone, et Phaspha, et Are. 39. Filii autem Olla: Aree, et Haniel, et Resia. 40. Omnes hi filii Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis quæ apta esset ad bellum, viginti sex millia.

Vers. 3. FILII OZI.) *Filii*, id est *filius*, unus enim tantum nominatur, scilicet *Izrahia*, eo quod eius solius, velut eximii, prosapiam deinceps pertexere voluerit Esdras: verisimile enim est Ozi plures habuisse filios, sed minus claros. Certum enim est hisce decem capitibus multorum posterorum Patriarcharum nomina reticeri: prolixum enim et quasi infinitum fuisset omnes enumerare. Quare aliqui tantum illustriores hic recensentur, cæteri reticentur. Sic Genes. 46. 23. dicitur: *Filii Dan, Husim. Filii*, id est *filius*, unum enim dumtaxat habuit, a quo tota tribus Dan propagata est. Est Enallage numeri. Recenset enim omnes Patriarcharum filios, quorum unum dumtaxat habuit Dan.

Vers. 6. FILII BENIAMIN: BELA ET BECHOR ET IADIEL, TRES.) Tres hi fuere illustriores: nam universim fuere decem, qui recensentur Genes. 46. 21.

Vers. 18. SOROR AUTEM EIUS REGINA PEPERIT VIRUMDECORUM.) Hebr. *Et soror eius Molech et peperit Isehod.* Ita Sept. Pagnin. Vatab. et alii; sed Noster nomina propria per significata more suo transtulit: *Molechet* enim significat A *reginam*, *Isehod* vero *virum decorum.* Vide dicta cap. 4. v. 22. et 23.

OCCIDERUNT AUTEM EOS (filios Ephraim primogeniti Vers. 21.
Ioseph) VIRI GETH INDIGENÆ, QUIA DESCENDERANT UT INVADERENT POSSESSIONES EORUM.) Verisimile est Pharaonem Iosepho, quem ob famem depulsam Ægypto præfecerat, in ea possessiones aliquas donasse, præsertim in eius finibus, et terra Gessen quam fratribus eius ad pecora alenda assignaverat. Ioseph vero moriens has possessiones reliquit filio suo Ephraim: Ephraim autem illas tradidit filiis suis; sed eos occiderunt Ægypto vicini Gethæi, et possessiones eorum occuparunt, et hoc est, quod hic dicitur. Meminit huius cædis Chaldæus Paraphrastes, Cant. 2. v. 7. sed veris multa fabulosa more suo admiscet.

FILIA AUTEM EIUS FUIT SARA, QUÆ ÆDIFICAVIT BE- Vers. 24.
THORON.) *Filia*, id est neptis, vel potius proneptis; nec enim filia Ephraim habitans cum eo in Ægypto potuit ædificare *Bethoron*, et duas alias urbes quæ erant in Chanaan.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Beniamin plenius recensentur, ut deinde pertexatur genealogia Saulis v. 33.

1. BENIAMIN autem genuit Bale primogenitum suum, Asbel secundum, Ahara tertium, 2. Nohaa quartum, et Rapha quintum. 3. Fueruntque filii Bale: Addar, et Gera, et Abiud, 4. Abisue quoque et Naaman, et Ahoe, 5. Sed et Gera, et Sephuphan, et Huram. 6. Hi sunt filii Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manahath. 7. Naaman autem, et Achia, et Gera ipse transtulit eos, et genuit Oza, et Ahiud. 8. Porro Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim et Bara uxores suas. 9. Genuit autem de Hodes uxore sua Iobab, et Sebia, et Mosa, et Molchom, 10. Iehus quoque, et Sechia, et Marma; hi sunt filii eius, principes in familiis suis. 11. Mehusim vero genuit Abitob, et Elphaal. 12. Porro filii Elphaal: Heber, et Misaam et Samad: hic ædificavit Ono, et Lod, et filias eius. 13. Baria autem et Sama, principes cognationum habitantium in Aialon: hi fugaverunt habitatores Geth. 14. Et Ahio, et Sesac, et Ierimoth, 15. Et Zabadia, et Arod, et Heder, 16. Michael quoque, et Iespha, et Ioha, filii Baria. 17. Et Zabadia, et Mosollam, et Hezeci, et Heber, 18. Et Iesamari, et Iezlia, et Iobab, filii Elphaal, 19. Et Iacim, et Zechri, et Zabdi, 20. Et Elioenai, et Selethai, et Eliel, 21. Et Adaia, et Baraia, et Samarath, filii Semei. 22. Et Iespham, et Heber, et Eliel, 23. Et Abdon, et Zechri, et Hanan, 24. Et Hanania, et Ælam, et Anathothia, 25. Et Iephdaia, et Phanuel, filii Sesac. 26. Et Samsari, et Sohoria, et Otholia, 27. Et Iersia, et Elia, et Zechri, filii Ieroham. 28. Hi patriarchæ, et cognationum principes, qui habitaverunt in Ierusalem. 29. In Gabaon autem habitaverunt Abigabaon, et nomen uxoris eius Maacha: 30. Filiusque eius primogenitus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Nadab. 31. Gedor quoque, et Ahio, et Zacher, et Macelloth: 32. Et Macelloth genuit Samaa: habitaveruntque ex adverso fratrum suorum in Ierusalem cum fratribus suis. 33. Ner autem genuit Cis, et Cis genuit Saul. Porro Saul genuit Ionathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal. 34. Filius autem Ionathan, Meribaal: et Meribaal genuit Micha. 35. Filii Micha, Phithon, et Melech, et Tharaa, et Ahaz; 36. Et Ahaz genuit Ioada: et Ioada genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri: porro Zamri genuit Mosa, 37. Et Mosa genuit Baana, cuius filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel. 38. Porro Asel sex filii fuerunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismael, Saria, Obdia, et Hanan. Omnes hi filii Asel. 39. Fili autem Esec fratris eius, Ulam primogenitus, et Iehus secundus, et Eliphalet tertius. 40. Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, et magno robore tendentes arcum: et multos habentes filios ac nepotes, usque ad centum quinquaginta. Omnes hi, filii Beniamin.

Vers. 7. NAAMAN AUTEM, ET ACHIA, ET GERA, (supple, sunt filii Abod, quos vers. præcedenti me recensiturum promisi:) IPSE, (scilicet *Gera*, qui proxime præcessit.) TRANSTULIT EOS.) Scilicet Ahoditas ex Gabaa in Manahath, ut dictum est v. 6. Idemque Gera *genuit Oza et Ahiud*, ac tertium *Saharaim* existens *in regione Moab*, ut sequitur v. 8. ad quam Gera migravit forte cum Elimelech famis causa, Ruth. 1.

Vers. 28. QUI HABITAVERUNT IN IERUSALEM.) Ierusalem enim spectabat ad tribum Beniamin, quæ eamdem cessit Iudæ, ut ex illa eiiceret Iebusæos, ut dixi Iosue 18. et Iudic. 1.

Vers. 29. IN GABAON AUTEM HABITAVERUNT ABIGABAON, etc.) Id est *pater Gabaon*, scilicet princeps Gabaon, cuius nomen proprium erat *Iehiel*, ut dicitur cap. seq. v. 35. qui fuit pater Cis patris Saulis, ut sequitur. Dices, quomodo ergo v. 33. dicitur Ner fuisse pater Cis et avus Saulis? Respond. *Iehiel*, alio nomine dictum fuisse *Ner*, id est *lucerna*, eo quod ipse ut lucerna toti familiæ præfulgeret. Ita Emanuel Sa et Mariana, licet alii putent *Iehiel* fuisse patrem *Ner*, cuius filius fuit *Cis*, nepos *Saul*, idque colligunt ex cap. seq. v. 36. ubi *Iehiel* dicitur genuisse *Ner*; sed ibidem dicitur *Iehiel* genuisse *Cis*: quare *Ner* ibidem non fuit pater, sed frater *Cis*, cui *Ner* pater suum nomen imposuit.

ESBAAL.) Hic alio nomine dictus est *Isboseth*, qui fuit quartus Saulis filius, et Davidis antagonista, 2. Reg. 2. 8. Vers. 33.

FILIUS AUTEM IONATHAN, MERIBBAAL.) *Meribbaal*, est *Miphiboseth*; hic enim unicus fuit filius Ionathæ, ac pater Michæ, ut sequitur. Porro *Miphiboseth* vocatur *Meribbaal*, id est *litigans cum domino*, vel *Meribbaal*, id est *rebellans domino*: qua de causa ita vocatus sit, nescitur. Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. causam dant, quod murmurarit contra Dominum, qui Davidem in regnum reduxerat, eo quod David sibi bona ademisset, eaque Sibæ servo suo se calumnianti dedisset, 2. Reg. 19. 29. Verum hoc plane incertum est. Alii ita dictum volunt, quod idola Baal destruxerit: hac enim de causa Gedeon vocatus est *Ierobaal*, id est, *litigator cum Baal*, Iudic. 6. 32. Verisimilius est eum vocatum *Meribbaal*, eo quod cum servo suo Siba, falso se de affectato regno apud Davidem accusante, non quasi cum servo, sed quasi cum hero et domino litigare, imo hæreditatem suam (ita iubente Davide) dividere coactus sit. Hæc enim insignis ei fuit iniuria et vilipensio. Vers. 34.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur primores Iudæorum, qui e Babylone redierunt in Ierusalem cum sacerdotibus, Levitis et Nathinæis: item Beniaminitæ, ac parentes et posteri Saulis.

1. UNIVERSUS ergo Israel dinumeratus est: et summa eorum scripta est in Libro regum Israel, et Iuda: translatique sunt in Babylonem propter delictum suum. 2. Qui autem habitaverunt primi in possessionibus, et in urbibus suis: Israel, et Sacerdotes, et Levitæ, et Nathinæi. 3. Commorati sunt in Ierusalem de filiis Iuda, et de filiis Beniamin, de filiis quoque Ephraim, et Manasse. 4. Othei filius Ammiud, filii Amri, filii Omrai, filii Bonni, de filiis Phares filii Iuda. 5. Et de Siloni: Asaia primogenitus, et filii eius. 6. De filiis autem Zara: Iehuel, et fratres eorum, sexcenti nonaginta. 7. Porro de filiis Beniamin: Salo filius Mosollam, filii Oduia, filii Asana: 8. Et Iobania filius Ieroham: et Ela filius Ozi, filii Mochori: et Mosollam filius Saphatiæ, filii Rahuel, filii Iebaniæ, 9. Et fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi, principes cognationum per domos patrum suorum. 10. De sacerdotibus autem: Iedaia, Ioiarib, et Iachin: 11. Azarias quoque filius Helciæ, filii Mosollam, filii Sadoc, filii Maraioth, filii Achitob, pontifex domus Dei. 12. Porro Adaias filius Ieroham, filii Phassur, filii Melchiæ: et Maasai filius Adiel, filii Iezra, filii Mosollam, filii Mosollamith, filii Emmer, 13. Fratres quoque eorum principes per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore ad faciendum opus ministerii in domo Dei. 14. De Levitis autem: Semeia filius Hassub, filii Ezricam, filii Hasebia, de filiis Merari. 15. Bacbacar quoque carpentarius, et Galal, et Mathania filius Micha, filii Zechri, filii Asaph: 16. Et Obdia filius Semeiæ, filii Galal, filii Idithun: et Barachia filius Asa, filii Elcana, qui habitavit in atriis Netophati. 17. Ianitores autem: Sellum, et Accub, et Telmon, et Ahimam, et frater eorum Sellum princeps, 18. Usque ad illud tempus, in porta regis ad Orientem, observabant per vices suas de filiis Levi. 19. Sellum vero filius Core, filii Abiasaph, filii Core, cum fratribus suis, et domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi: et familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. 20. Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino. 21. Porro Zacharias filius Mosollamia, ianitor portæ tabernaculi testimonii. 22. Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim: et descripti in villis propriis: quos constituerunt David, et Samuel Videns, in fide sua, 23. Tam ipsos, quam filios eorum, in ostiis domus Domini, et in tabernaculo, vicibus suis. 24. Per quatuor ventos erant ostiarii: id est ad Orientem, et ad Occidentem, et ad Aquilonem, et ad Austrum. 25. Fratres autem eorum in viculis morabantur, et veniebant in sabbatis suis de tempore usque ad tempus. 26. His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus ianitorum, et erant super exedras, et thesauros domus Domini. 27. Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis: ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores. 28. De horum genere erant et super vasa ministerii: ad numerum enim et inferebantur vasa, et efferebantur. 29. De ipsis, et qui credita habebant utensilia sanctuarii, præerant similæ, et vino, et oleo, et thuri, et aromatibus. 30. Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant. 31. Et Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum, quæ in sartagine frigebantur. 32. Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent. 33. Hi sunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris morabantur, ut die ac nocte iugiter suo ministerio deservirent. 34. Capita Levitarum, per familias suas principes, manserunt in Ierusalem. 35. In Gabaon autem commorati sunt, pater Gabaon Iehiel, et nomen uxoris eius Maacha. 36. Filius primogenitus eius Abdon, et

Sur, et Cis, et Baal, et Ner, et Nadab. 37. Gedor quoque, et Ahio, et Zacharias, et Macelloth. 38. Porro Macelloth genuit Samaan: isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Ierusalem, cum fratribus suis 39. Ner autem genuit Cis: et Cis genuit Saul: et Saul genuit Ionathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal. 40. Filius autem Ionathan, Meribbaal: et Meribbaal genuit Micha. 41. Porro filii Micha, Phithon, et Melech, et Tharaa, et Ahaz. 42. Ahaz autem genuit Iara, et Iara genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri: Zamri autem genuit Mosa. 43. Mosa vero genuit Banaa: cuius filius Raphaia genuit Elasa: de quo ortus est Asel. 44. Porro Asel sex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, Hanan: hi sunt filii Asel.

Vers. 1. UNIVERSUS ERGO ISRAEL DINUMERATUS EST.) A David 2. Reg. 24.

TRANSLATIQUE SUNT IN BABYLONEM.) Hucusque ergo Esdras recensuit Hebræos, qui captivitatem Babylonicam antecesserunt: deinceps vero recensebit eos qui ex ea redierunt, et post eam vixerunt; ubi nota multos ex Israel, id est decem tribubus, post schisma transmigrasse in Ierusalem: tum quia horrebant schisma factum a Ieroboam, volebantque priscam Iudæorum religionem sequi, et colere Deum in templo; tum quia cum decem tribus a Teglatphalasar et Salmanasar abductæ sunt in Assyriam, multi ex eis fugerunt in Ierusalem, et Iudæis sese associarunt. Hi cum Iudæis postea abducti sunt in Babylonem, indeque post 70. annos cum eisdem redierunt in Ierusalem; et hoc est, quod hic dicitur. Unde subdit:

Vers. 2. QUI AUTEM HABITAVERUNT PRIMI (prius) IN POSSESSIONIBUS ET URBIBUS SUIS: nimirum ISRAEL (id est Israelitæ) ET SACERDOTES, ET LEVITÆ, ET NATHINÆI.) Habitantes scilicet cum Iudæis in Iudæa, indeque cum eis translati in Babylonem; soluta deinde captivitate cum eis pariter in Ierusalem et Iudæam ad pristinas suas possessiones et urbes redierunt, in eisque habitarunt, uti ante fecerant. Quocirca.

Vers. 3. COMMORATI SUNT IN IERUSALEM DE FILIIS IUDA, ET DE FILIIS BENIAMIN, DE FILIIS QUOQUE EPHRAIM ET MANASSE.) Hos deinde enumerat dicens:

Vers. 4. OTHEI FILIUS AMMIUD, etc.) Porro *Nathinæi*, id est *donati* et oblati templo, fuere Gabaonitæ, qui ob fraudem admissam a Iosue deputati sunt templo, damnati scilicet, ut ad illud aquam et ligna comportarent. Vide dicta Iosue 9. 23. et 2. Esdræ 11. v. 1. et seq. ubi iidem recensentur.

Vers. 5. ET DE SILONI.) Subaudi, filiis. *Siloni* erat vir celebris, oriundus ex tribu Iuda; verum non ex Phares vel Zare, ut ex hoc loco patet, sed ex Sela descendens. Nam hi tres soli fuere Iudæ filii superstites, quia Her et Onan a Deo occisi sunt. Genes. 38.

Vers. 16. IN ATRIIS. Hebr. *in villis*, quæ nuncupabantur NETOPHATI.)

USQUE AD ILLUD TEMPUS (scilicet a prima ostiariorum templi institutione, usque ad eversionem templi per Chaldæos) OBSERVABANT, Hebr. *excubabant*, hi Levitæ, PER VICES SUAS; tum in aliis templi portis, tum maxime IN PORTA REGIS AD ORIENTEM.) Id est in porta orientali templi, quæ vicina erat palatio regis, per quam proinde rex templum introire solebat, quæ exinde dicebatur, *porta regis*. Vers. 18.

OMNES HI ELECTI IN OSTIARIOS, etc. DESCRIPTI IN VILLIS PROPRIIS.) Habitabant enim Levitæ aliqui in Ierusalem, alii vero per alias urbes, vicos et villas erant distributi: unde v. 25. dicitur: *in viculis morabantur;* certis tamen temporibus, quibus per vices ministrare debebant in templo, veniebant in Ierusalem. Has autem eorum ministrandi vices et ordines CONSTITUERUNT DAVID. et ante eum SAMUEL VIDENS sive propheta, idque IN FIDE SUA, hoc est in potestate et auctoritate sibi a Deo et Rep. ad id faciendum credita et commissa. Secundo, *in fide sua*, Vatab. *propter fidem ipsorum; fidem*, id est fidelitatem; quia scilicet sciebat eos fideles esse et fore, ac fideliter hoc munus obituros. Tertio, per *fidem*, accipias officium fidele, id est firmum, stabile, perpetuum et irrevocabile, q. d. David et Samuel constituere hosce ostiarios *in fide*, hoc est fideles, id est firmos, stabiles; ut scilicet officium ostiariorum *fideliter*, id est stabiliter, et perpetim exercerent. Ita Vatab. Hoc enim significat Hebr. באמונתם *beemunatam*, id est *in fide*, sive *in stabilitate ipsorum*. Vers. 22.

QUI IN EXEDRIS, (id est cubiculis et aulis templo annexis) MORABANTUR.) Ut iugiter canendis Dei laudibus, hymnis et psalmis vacarent, utque populum in lege Dei erudirent. Unde et *Synagogæ* sunt appellatæ. Vers. 33.

IN GABAON AUTEM.) Transit a Levitis ad Beniaminitas, ut ad Saulem primum regem Israelis, deinde eo amoto ad Davidem descendat; Davidis enim causa hæc omnia scribuntur, quia eius familia regia perduravit usque ad captivitatem Babylonicam, imo usque ad Machabæos; sed tum non regia, sed Ducali auctoritate præfuit populo. Vers. 35.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Rex Saul, ob peccata a Deo reiectus, una cum filiis a Philisthæis occiditur. Eius caput in templo Dagon suspenditur, reliquum corpus a Iabesitis sepelitur.

1. PHILISTHIIM autem pugnabant contra Israel, fugeruntque viri Israel Palæsthinos, et ceciderunt vulnerati in monte Gelboe. 2. Cumque appropinquassent Philisthæi persequentes Saul, et filios eius, percusserunt Ionathan, et Abinadab, et Melchisua, filios Saul. 3. Et aggravatum est prælium contra Saul, inveneruntque eum sagittarii, et vulneraverunt iaculis. 4. Et dixit Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et interfice me: ne forte veniant incircumcisi isti, et illudant mihi. Noluit autem armiger eius hoc facere, timore perterritus: arripuit ergo Saul ensem, et irruit in eum. 5. Quod cum vidisset armiger eius, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, et mortuus est. 6. Interiit ergo Saul, et tres filii eius, et omnis domus illius pariter concidit. 7. Quod cum vidissent viri Israel, qui habitabant in campestribus, fugerunt: et Saul ac filiis eius mortuis, dereliquerunt urbes suas, et huc illucque dispersi sunt: veneruntque Philisthiim, et habitaverunt in eis. 8. Die igitur altero detrahentes Philisthiim spolia cæsorum, invenerunt Saul, et filios eius iacentes in monte Gelboe. 9. Cumque spoliassent eum, et amputassent caput, armisque nudassent, miserunt in

terram suam, ut circumferretur, et ostenderetur idolorum templis, et populis: 10. Arma autem eius consecraverunt in fano dei sui, et caput affixerunt in templo Dagon. 11. Hoc cum audissent viri Iabes Galaad, omnia scilicet quæ Philisthiim fecerant super Saul, 12. Consurrexerunt singuli virorum fortium, et tulerunt cadavera Saul et filiorum eius: attuleruntque ea in Iabes, et sepelierunt ossa eorum subter quercum, quæ erat in Iabes, et ieiunaverunt septem diebus. 13. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, et non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit, 14. Nec speraverit in Domino: propter quod interfecit eum, et transtulit regnum eius ad David filium Isai.

Gesta huius capitis audivimus 1. Reg. ult. ubi ea explicui.

Vers. 10. Arma autem eius consecraverunt in fano dei sui.) Astaroth, ut dicitur 1. Reg. ult. 10. *Astaroth* erat Venus, quæ nunc ut Dea, nunc ut Deus colebatur.

Caput affixerunt in templo Dagon.) Quasi sic A Dagoni adscribentes victoriam, ideoque caput cæsi Saulis regis, velut nobilissimum spolium eidem offerentes.

Nec speravit in Domino.) Hæc fuit prima peccati Saulis causa, quod nimirum, diffisus Deo, utpote quem per inobedientiam offenderat, fisus fuerit diabolo, eumque per Pythonissam advocarit. Vers. 14.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David ungitur in regem Israelis, ac Iebusæos ex arce Sion expellit. Mox vers. 10. ad finem nomina et heroica facta fortium eius recensentur.

1. Congregatus est igitur omnis Israel ad David in Hebron, dicens: Os tuum sumus, et caro tua. 2. Heri quoque, et nudiustertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, et introducebas Israel: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris princeps super eum. 3. Venerunt ergo omnes maiores natu Israel ad regem in Hebron, et iniit David cum eis fœdus coram Domino: unxeruntque eum regem super Israel, iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuel. 4. Abiit quoque David, et omnis Israel, in Ierusalem. Hæc est Iebus, ubi erant Iebusæi habitatores terræ. 5. Dixeruntque qui habitabant in Iebus ad David: Non ingredieris huc. Porro David cepit arcem Sion, quæ est Civitas David. 6. Dixitque: Omnis qui percusserit Iebusæum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Ioab filius Sarviæ, et factus est princeps: 7. Habitavit autem David in arce, et idcirco appellata est Civitas David: 8. Ædificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum, Ioab autem reliqua urbis extruxit. 9. Proficiebatque David vadens et crescens, et Dominus exercituum erat cum eo. 10. Hi principes virorum fortium David, qui adiuverunt eum ut rex fieret super omnem Israel, iuxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel. 11. Et iste numerus robustorum David: Iesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta: iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice. 12. Et post eum Eleazar filius patrui eius Ahohites, qui erat inter tres potentes. 13. Iste fuit cum David in Phesdomim, quando Philisthiim congregati sunt ad locum illum in prælium: et erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus a facie Philisthinorum. 14. Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum: cumque percussissent Philisthæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo. 15. Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philisthiim fuerant castrametati in Valle Raphaim. 16. Porro David erat in præsidio, et statio Philisthinorum in Bethlehem. 17. Desideravit igitur David, et dixit: O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta! 18. Tres ergo isti per media castra Philisthinorum perrexerunt, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, et attulerunt ad David ut biberet: qui noluit, sed magis libavit illam Domino, 19. Dicens: Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, et sanguinem istorum virorum bibam: quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere: hæc fecerunt tres robustissimi. 20. Abisai quoque frater Ioab ipse erat princeps trium, et ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos, et ipse erat inter tres nominatissimus, 21. Et inter tres secundos inclytus, et princeps eorum: verumtamen usque ad tres primos non pervenerat. 22. Banaias filius Ioiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel: ipse percussit duos Ariel Moab: et ipse descendit, et interfecit leonem in media cisterna tempore nivis. 23. Et ipse percussit virum Ægyptium, cuius statura erat quinque cubitorum, et habebat lanceam ut liciatorium texentium: descendit igitur ad eum cum virga, et rapuit hastam, quam tenebat manu, et interfecit eum hasta sua. 24. Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus, 25. Inter triginta primus, verumtamen ad tres usque non pervenerat: posuit autem eum David ad auriculam suam. 26. Porro fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Ioab, et Elchanan filius patrui eius de Bethlehem, 27. Sammoth Arorites, Helles Phalonites, 28. Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites, 29. Sobbochai Husathites, Ilai Ahohites, 30. Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites, 31. Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin, Banaia Pharathonites, 32. Hurai de Torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. 33. Filii Assem Gezonites, Ionathan filius Sage, Ararites, 34. Ahiam filius Sachar, Ararites, 35. Eliphal filius Ur, 36. Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites, 37. Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai, 38. Ioel frater Nathan, Mibahar filius Agarai. 39. Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Ioab filii Sarviæ. 40. Ira Iethræus, Gareb Iethræus, 41. Urias Hethæus, Zabad filius Oholi, 42. Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, et cum eo triginta, 43. Hanan filius Maacha, et Iosaphat Mathanites, 44. Ozia Astarothites, Samma et Iehiel filii Hotham Arorites, 45. Iedihel filius Samri, et Ioha frater eius Thosaites, 46. Eliel Mahumites, et Ieribai et Iosaia filii Elnaem, et Iethma Moabites, Eliel, et Obed, et Iasiel de Masobia.

Priorem partem audivimus 2. Reg. 3. v. 9. et toto c. 5. posteriorem eodem lib. c. 23. v. 8. et seq. ubi ea explicui.

Vers. 2. Tu pasces.) Id est tu reges. Rex enim est pastor populorum, uti de Agamemnone ait Homerus.

Vers. 22. Ipse (Banaias) percussit duos Ariel Moab.) Id est duos leones Moab, ut dicitur 2. Reg. 23. 20. Vocantur hi *Ariel*, id est *leones Dei*, hoc est maximi et robustissimi. Hebræi, Ioseph. Lyran. Glossa, Caiet. censent hos duos fuisse duces Moabitarum fortissimos, et sævissimos instar leonum. Verum alii simpliciter *leones*, ut sonant accipiunt. Vide dicta 2. Reg. 23. 20.

Posuit autem eum David ad auriculam suam.) Id est fecit eum sibi secretarium, intimumque consiliarium et monitorem, qui eum de agendis commoneret, omniaque quæ ei facienda erant, suggereret, uti faciunt Romæ Cardinalibus *Auditores*, quos vocant. Vers. 23

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ii qui Davidem, cum fugeret Saulem, secuti sunt: et ii qui primi venerunt ad eum in Hebron, ut eum ungerent in regem.

1. Hi quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi et egregii pugnatores, 2. Tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa iacientes, et dirigentes sagittas: de fratribus Saul ex Beniamin. 3. Princeps Ahiezer, et Ioas, filii Samaa, Gabaathites; et Iaziel, et Phallet filii Azmoth, et Baracha, et Iehu Anathothites. 4. Samaias quoque Gabaonites fortissimus inter triginta et super triginta. Ieremias, et Ieheziel, et Iohanan, et Iezabad Gaderothites; 5. Et Eluzai et Ierimuth, et Baalia, et Samaria, et Saphatia Haruphites. 6. Elcana, et Iesia, et Azareel, et Ioezer, et Iesbaam de Carehim: 7. Ioela quoque, et Zabadia, filii Ieroham de Gedor. 8. Sed et de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam: facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreæ in montibus: 9. Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, 10. Masmana quartus, Ieremias quintus, 11. Ethi sextus, Eliel septimus, 12. Iohanan octavus, Elzebad nonus, 13. Ieremias decimus, Machbanaï undecimus; 14. Hi de filiis Gad principes exercitus: novissimus centum militibus præerat, et maximus mille. 15. Isti sunt qui transierunt Iordanem mense primo, quando inundare consuevit super ripas suas: et omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam, et Occidentalem. 16. Venerunt autem et de Beniamin, et de Iuda, ad præsidium in quo morabatur David. 17. Egressusque est David obviam eis, et ait: Si pacifice venistis ad me ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis: si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum, et iudicet. 18. Spiritus vero induit Amasaï principem inter triginta, et ait: Tui sumus, o David, et tecum filii Isai: pax, pax tibi, et pax adiutoribus tuis; te enim adiuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, et constituit principes turmæ. 19. Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philisthiim adversus Saul, ut pugnaret: et non dimicavit cum eis; quia inito consilio remiserunt eum principes Philisthinorum, dicentes: Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul. 20. Quando igitur reversus est in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manasse, Ednas, et Iozabad, et Iedihel, et Michael, et Eddas, et Iozabad, et Eliu, et Salathi, principes millium in Manasse; 21. Hi præbuerunt auxilium David adversus latrunculos: omnes enim erant viri fortissimi, et facti sunt principes in exercitu. 22. Sed et per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, usque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei. 23. Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad David, cum esset in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum, iuxta verbum Domini. 24. Filii Iuda portantes clypeum et hastam, sex millia octingenti expediti ad prælium. 25. De filiis Simeon, virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum. 26. De filiis Levi, quatuor millia sexcenti. 27. Ioiada quoque princeps de stirpe Aaron, et cum eo tria millia septingenti. 28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis, et domus patris eius, principes viginti duo. 29. De filiis autem Beniamin fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul. 30. Porro de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis. 31. Et ex dimidia tribu Manasse, decem et octo millia, singuli per nomina sua venerunt ut constituerent regem David. 32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum consilium sequebatur. 33. Porro de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, et stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici. 34. Et de Nephtali, principes mille: et cum eis instructi clypeo et hasta, triginta et septem millia. 35. De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti. 36. Et de Aser egredientes ad pugnam, et in acie provocantes, quadraginta millia. 37. Trans Iordanem autem de filiis Ruben, et de Gad, et dimidia parte tribus Manasse, instructi armis bellicis, centum viginti millia. 38. Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israel: sed et omnes reliqui ex Israel, uno corde erant, ut rex fieret David. 39. Fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes et bibentes, præparaverant enim eis fratres sui. 40. Sed et qui iuxta eos erant, usque ad Issachar, et Zabulon, et Nephthali, afferebant panes in asinis, et camelis, et mulis, et bobus, ad vescendum: farinam, palathas, uvam passam, vinum, oleum, boves, arietes, ad omnem copiam; gaudium quippe erat in Israel.

Vers. 2. De fratribus Saul ex Beniamin.) Puta de cognatis Saul ex Beniaminitis: Saul enim erat ex tribu Beniamin. Mirum hoc fuit, et quasi miraculum, quo Deus honestavit Davidem exulem et profugum, ut multi ex tribu Beniamin et cognati Saulis, eum, quam Saulem regem eum persequentem, sequi maluerint: nimirum Deus pugnabat pro Davide contra Saulem, ac Davidis innocentia, modestia et sanctitas omnes ad se alliciebat, quos Saul sua superbia, insolentia et pravitate a se avertebat. Hinc et tria millia Beniaminitarum maluerunt sequi Davidem, quam Isboseth Saulis filium, ut dicitur v. 29.

Vers. 6. De Carehim.) Id est ut habent Hebræi et Sept. *de Coritis*, sive de posteris Core.

Vers. 8. De Gaddi.) Id est de tribu Gad, sive de Gadditis.

Vers. 15. Isti sunt qui transierunt Iordanem mense primo (Nisan sive Paschali, qui nostro partim Martio, partim Aprili respondet) quando inundare consuevit super ripas suas, et omnes fugaverunt.) q. d. Isti sunt Gadditæ, qui heroico animo et virtute Iordanem a Iosue divisum primi ingredi ausi sunt, ac Chananæos ex adversa ripa consistentes, et transitum Hebræorum prohibere conantes invaserunt, et in fugam compulerunt.

Vers. 22. Quasi exercitus Dei.) Id est quasi exercitus maximus; Dei enim maximi omnia sunt maxima.

Vers. 28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis.) Hic videtur esse Sadoc Pontifex, quem Saul occiso Abimelech, qui erat ex Heli et Ithamar, Pontificem constituit. Vocatur *puer*, quia illo tempore erat iunior; unde postea vixit toto tempore Davidis, et pontificatu simul cum Abiathar functus est. Deinde a Salomone amoto Abiathar, solus Sadoc Pontifex ab eodem auctoratus mansit. Licet enim Ioiada v. præcedenti vocetur *princeps*, ipse tamen non erat Pontifex, sed *princeps*, id est dux agminis militaris, quod e sacerdotibus et Levitis ad Davidem deducebat.

Vers. 32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti.) Vatab. *principes gnari occasionum*, id est scientes quo tempore quidve gerendum esset captatis occasionibus, v. g. quod hoc tempore, quo a Philisthæis cæsus erat Saul cum totis castris, Rex creandus esset David, utpote bello assuetus et victoriosus, ideoque terror Philisthinorum ad compescendam eorum ex recenti victoria superbiam et audaciam, quodque iam tempus advenisset, quo promissio regni facta a Deo Davidi implenda foret. Nullus enim erat alius, qui rebus Israelis iam adeo prolapsis et afflictis succurrere, easque restaurare posset, nisi David: quare hi principes suaserunt populo non tantum suæ tribus, sed et aliarum, ut Davidem crearent regem. Erant ergo hi eruditi in scientia, sive intelligentia temporum, id est occasionum, ut habent Hebr. quæ est scientia practica ad vitam humanam utilissima, adeoque in ea consistit vera et perfecta prudentia, tum ethica, tum œconomica, tum politica, uti docet Salomon, Eccles. c. 3. 2. *Omnia tempus habent: tempus*, inquit, *nascendi, et tempus moriendi. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus custodiendi, et tempus abiiciendi. Tempus belli, et tempus pacis*, etc. Et c. 8. 6. *Omni negotio tempus est, et opportunitas.* Secundo, *scientia temporum* hic accipi potest physica et astrologica. Erant enim Issachariani agricolæ, ideoque observabant temporum mutationes, aerisque et ventorum commoditates, ut scirent quando foret tempus seminandi, quando metendi, quando plantandi, quando navigandi. Hæc enim scientia agricolis est necessaria, teste Virgilio in Georg. Hanc autem scientiam temporum partim continua observatione et usu, scilicet ex prognosticis ventorum, siderum, etc. continue observatis didicerant Issachariani, ait Abul. et Sanchez; partim ex vicinis Phœnicibus, puta Tyriis et Sidoniis (ad quos illi suas segetes, vinum et oleum deferebant, ut illi per mare eas ad vicinas insulas deveherent et divenderent) hauserant. Phœnices enim, quia accolæ maris, vacabant navigationi et mercimoniis, ideoque observabant astrorum et temporum vicissitudines, ut scirent quando, quomodo et ubi foret navigandum. Unde Plinius lib. 8. c. 56. Phœnicibus quasi proprium inventum tribuit siderum observationem in navigando. Et Aratus in Phœnom.

Scientia temporum. 1. | 2.

Phœnicas, inquit, *Cynosura regit sulcantibus æquor.*

Et ex eo Cicero lib. 1. Academ. *Ego*, inquit, *et magnus quidem sum opinator, et meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram, qua fidunt duce nocturna Phœnices in altum; ut ait Aratus, eoque directius gubernant, quod eam tenent,*

Quæ cursu inferiore brevi convertitur orbe.

Sed ad Helicen et clarissimos Septemtriones, id est, rationes has, latiore species, non ad tenue climatas; eo fit, ut errem, et vager latius. Hinc Tibullus:

Prima ratem ventis tradere docta Tyrus.

3. Tertio, S. Hieron. per *scientiam temporum*, accipit scientiam computus Ecclesiastici, v. g. quando celebrandum sit Pascha, Pentecoste, ceteraque festa, quid quolibet festo faciendum et offerendum sit. Erant enim Issachariani in quieta suæ agriculturæ vita, studio sapientiæ et religionis dediti. Unde Moses Deuter. 33. 19. hanc eis benedictionem impertit: *Et Issachar in tabernaculis suis*, scilicet quiete agriculturæ et mercaturæ vacabit. *Populos vocabunt ad montem*, puta ad templum in monte Sion, ut in eo Deum pie colat. *Erant* enim ipsi, ait S. Hieron. *doctores, computatores et magistri, sive ad festivitates sive ad cetera.* Refutat hoc Abul. quod agricolæ non soleant vacare studiis, sed immerito: nam contrarium sæpe fieri videmus, et olim ita fiebat. Certe agricolæ multi filios habent doctos et doctores, ego quoque filius agricolæ sum.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David arcam e Cariathiarim reducens, coram ea psallit et salit. Oza arcam tangens, occiditur. Arca divertens in domum Obededom, eam benedicit.

1. Iniit autem consilium David cum tribunis, et centurionibus, et universis principibus, 2. Et ait ad omnem cœtum Israel: Si placet vobis, et a Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor: mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israel, et ad Sacerdotes, et Levitas, qui habitant in suburbanis urbium, ut congregentur ad nos, 3. Et reducamus arcam Dei nostri ad nos: non enim requisivimus eam in diebus Saul. 4. Et respondit universa multitudo ut ita fieret: placuerat enim sermo omni populo. 5. Congregavit ergo David cunctum Israel, a Sihor Ægypti, usque dum ingrediaris Emath, ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim. 6. Et ascendit David, et omnis vir Israel, ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda, ut afferret inde arcam Domini Dei sedentis super cherubim, ubi invocatum est nomen eius. 7. Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum, de domo Abinadab: Oza autem, et frater eius, minabant plaustrum. 8. Porro David, et universus

Israel, ludebant coram Deo omni virtute in canticis, et in citharis, et psalteriis, et tympanis, et cymbalis, et tubis. 9. Cum autem pervenissent ad Aream Chidon, tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam: bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam. 10. Iratus est itaque Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam: et mortuus est ibi coram Domino. 11. Contristatusque est David, eo quod divisisset Dominus Ozam: vocavitque locum illum: Divisio Ozæ, usque in presentem diem. 12. Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quomodo possum ad me introducere arcam Dei? 13. Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est, in civitatem David, sed avertit in domum Obededom Gethæi. 14. Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: et benedixit Dominus domui eius, et omnibus quæ habebat.

Vers. 5. A SIHOR ÆGYPTI.) *Sihor*, Hebr. שיחור *Scichor*, id est *niger*, vocatur Nilus, quod aqua eius, quia limosa et turbida, videatur esse nigra. Unde a Græcis vocatur μέλας, id est *niger*; verum quia Nilus longe abest a Iudæa, melius per *Sihor* accipias rivum iuxta *Rhinocoluram*, qui est terminus Australis Iudææ, et alibi *torrens Ægypti* vocatur, de quo dixi Num. 34. 5.

A OZA AUTEM ET FRATER EIUS.) 2. Reg. 6. 3. habetur: *Oza et Ahio*, sed *Ahio* Hebr. idem est quod *frater eius*, vereque hic *Ahio* erat frater Ozæ; uterque enim erat filius Abinadab, ut ibi dicitur. Vers. 7.

CHIDON.) Alio nomine vocabatur *Nachon*, ut patet 2. Reg. 6. 6.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hiram mittit ad Davidem ligna et artifices, qui ei domum ædificent. David multiplicat uxores et filios, ac v. 9. cædit Philisthæos in valle Raphaim, et iterum v. 14. cum Deus veniret ei in auxilium ex adverso pyrorum.

1. MISIT quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices parietum, lignorumque, ut ædificarent ei domum. 2. Cognovitque David quod confirmasset eum Dominus in regem super Israel, et sublevatum esset regnum suum super populum eius Israel. 3. Accepit quoque David alias uxores in Ierusalem: genuitque filios, et filias. 4. Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Ierusalem: Samua, et Sobad, Nathan, et Salomon, 5. Iebahar, et Elisua, et Eliphalet, 6. Noga quoque, et Naphegh, et Iaphia, 7. Elisama, et Baaliada, et Eliphalet. 8. Audientes autem Philisthiim eo quod unctus esset David in regem super universum Israel, ascenderunt omnes ut quærerent eum: quod cum audisset David, egressus est obviam eis. 9. Porro Philisthiim venientes, diffusi sunt in Valle Raphaim. 10. Consuluitque David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthæos, et si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus: Ascende, et tradam eos in manu tua. 11. Cumque illi ascendissent in Baalpharasim, percussit eos ibi David, et dixit: Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquæ: et idcirco vocatum est nomen illius loci Baalpharasim. 12. Dereliqueruntque ibi deos suos, quos David iussit exuri. 13. Alia etiam vice Philisthiim irruerunt, et diffusi sunt in valle. 14. Consuluitque rursum David Deum, et dixit ei Deus: Non ascendas post eos, recede ab eis, et venies contra illos ex adverso pyrorum. 15. Cumque audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philisthiim. 16. Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, et percussit castra Philisthinorum, de Gabaon usque Gazera. 17. Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem eius super omnes gentes.

Vers. 2. HOC caput explicui 2. Reg. 5.

COGNOVITQUE DAVID, QUOD CONFIRMASSET EUM DOMINUS IN REGEM ISRAEL.) Ex eo quod videret omnes Israelitas ultro et communi consensu eum in regem acceptasse, seque illi subiecisse, ac suam opem et operam ei liberaliter obtulisse. Hiram quoque et vicinos reges, se ut regem Israel honorare, amare et timere.

Vers. 14. VENIESQUE CONTRA EOS (non directe sed castra eorum circumeundo, a tergo scilicet) EX ADVERSO PY-B RORUM.) Cur hoc? Respondent Hebræi apud S. Hieron. Angelom. et Hist. Scholastica, eo quod ibi Philisthæi collocassent sua idola, ideoque putarent eum locum esse tutissimum et munitissimum: Deus ergo ut ostenderet idola nihil esse, et nihil posse, iubet Davidem ex ea parte quasi infirmissima, et expugnatu facillima, castra hostium invadere, promittens ei certam tam de idolis, quam de idololatris victoriam.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David arcam cum pompa deducit in Sion, ac coram ea saltando exultat. Idcirco despicit eum uxor Michol, sed a Deo sterilitate castigatur.

1. FECIT quoque sibi domos in Civitate David: et ædificavit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum. 2. Tunc dixit David: Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, et ad ministrandum sibi usque in æternum. 3. Congregavitque universum Israel in Ierusalem, ut afferretur arca Dei in locum suum, quem præparaverat ei. 4. Necnon et filios Aaron, et Levitas; 5. De filiis Caath, Uriel princeps fuit; et fratres eius centum viginti. 6. De filiis Merari, Asaia princeps; et fratres eius ducenti viginti. 7. De filiis Gersom, Ioel princeps; et fratres eius centum triginta. 8. De filiis Elisa-

phan, Semeias princeps; et fratres eius ducenti. 9. De filiis Hebron, Eliel princeps; et fratres eius octoginta. 10. De filiis Oziel, Aminadab princeps; et fratres eius centum duodecim. 11. Vocavitque David Sadoc, et Abiathar Sacerdotes, et Levitas, Uriel, Asaiam, Ioel, Semeiam, Eliel, et Aminadab: 12. Et dixit ad eos: Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, et afferte arcam Domini Dei Israel, ad locum qui ei præparatus est: 13. Ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus; sic et nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. 14. Sanctificati sunt ergo Sacerdotes, et Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Israel. 15. Et tulerunt filii Levi arcam Dei, sicut præceperat Moyses iuxta verbum Domini, humeris suis, in vectibus. 16. Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet, et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ. 17. Constitueruntque Levitas: Hemam filium Ioel, et de fratribus eius, Asaph filium Barachiæ: de filiis vero Merari, fratribus eorum, Ethan filium Casaiæ. 18. Et cum eis fratres eorum: in secundo ordine, Zachariam, et Ben, et Iaziel, et Semiramoth, et Iahiel, et Ani, Eliab, et Banaiam, et Maasiam, et Mathathiam, et Eliphalu, et Maceniam, et Obededom, et Iehiel, ianitores. 19. Porro cantores, Heman, Asaph, et Ethan, in cymbalis æneis concrepantes. 20. Zacharias autem, et Oziel, et Semiramoth, et Iahiel, et Ani, et Eliab, et Maasias, et Banaias, in nablis arcana cantabant. 21. Porro Mathathias, et Eliphalu, et Macenias, et Obededom, et Iehiel, et Ozaziu, in citharis pro octava canebant epinicion. 22 Chonenias autem princeps Levitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valde sapiens. 23. Et Barachias, et Elcana, ianitores arcæ. 24. Porro Sebenias, et Iosaphat, et Nathanael, et Amasai, et Zacharias, et Banaias, et Eliezer, sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: et Obededom, et Iehias, erant ianitores arcæ. 25. Igitur David, et omnes maiores natu Israel, et tribuni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum lætitia. 26. Cumque adiuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, et septem arietes. 27. Porro David erat indutus stola byssina, et universi Levitæ qui portabant arcam, cantoresque, et Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: David autem etiam indutus erat ephod lineo. 28. Universusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in iubilo, et sonitu buccinæ, et tubis, et cymbalis, et nablis, et citharis concrepantes. 29. Cumque pervenisset arca fœderis Domini usque ad Civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David saltantem atque ludentem, et despexit eum in corde suo.

Vers. 12. QUIA NON ERATIS PRÆSENTES.) Hinc colligunt A nonnulli Ozam percussum a Deo, quod ipse cum non esset sacerdos, tetigerit arcam. Sacerdotum enim erat eam tangere et humeris portare. Vide dicta 2. Reg. 6. Alii ex τῷ *sanctificamini*, colligunt Ozam percussum eo quod maculam aliquam contraxisset, nec ab ea se ante arcæ contactum expiasset et sanctificasset. Verum τὸ *sanctificamini*, ad sacerdotes pertinet, qui arcam tangere non poterant, nisi prius ab omni immunditie legali se purgassent et sanctificassent, alioqui percutiendi a Deo perinde ac Oza, et tantum hoc vult hic David.

Vers. 20. IN NABLIS ARCANA CANTABANT.) Puta Psalmos, qui Hebr. inscribuntur *Olamoth*, id est *arcana* et occulta, qualis est Psal. 9. et 45. qui duo Psalmi ita huic loco sunt appositi, ut de hac arcæ translatione videantur esse a Davide compositi. Porro *Nablum*, erat instrumentum musicum, quod ventriculo, quasi utriculo (נבל *nebel* enim est *uter*) excipiebat aerem, et eumdem per fistulam cum harmonia emittebat, sine inflatu cuiusquam. Unde eo utens vocabatur *Utricularius* et *Ascaules:* ἀσκὸς enim est C uter.

Vers. 21. IN CITHARIS PRO OCTAVA CANEBANT EPINICION.) q. d. Canebant Psalmos qui inscribuntur Hebr. על שמינית *al sceminith*, id est *super octava* vel *pro octava*, sive quod octo vocibus, sive quod octachordo, v. g. cithara octo chordis instructa (aliæ enim erant tetrachordæ, aliæ heptachordæ, aliæ decachordæ) canendi forent; *scemina* enim sunt octo. Vide dicta 2. Reg. 6. 13.

Pro *epinicion*, Hebr. est נצח *netsach*, quod Vatab. vertit: *ad prævalendum*, id est ad elevandum vocem, ita ut vincantur alii cantores, qualis nunc est in Alto sive Superiore; Canens enim Altum, elevatione vocis superat Tenorem, Contra-tenorem et Bassum. Melius Noster vertit: *Epinicion*, id est *carmen triumphale*, sive *pro victoria*. Vide dicta 2. Reg. 6. 13.

Vers. 22. CHONENIAS AUTEM PRINCEPS LEVITARUM, PROPHETIÆ PRÆERAT AD PRÆCINENDUM MELODIAM.) Pro *prophetiæ* Hebr. est משא *massa*, id est *elevatio, assumptio*, B indeque *onus elevatum*, et in humeros assumptum, indeque *prophetia tristis et onerosa* per metaphoram; unde primo, aliqui hic vertunt: *Chonenias præerat oneri et oneratis*, eo quod ipsi incumberet munus erudiendi arcæ baiulos, qua ratione progredi deberent, interquiescere, vices mutare, etc.

Secundo, alii vertunt: *præerat prophetiæ*, id est præscribebat cantoribus prophetias quas canerent. Cantores enim subinde vocantur *prophetæ*, et *prophetare* idem est quod canere, et laudare Deum. Sic Saul *prophetabat*, id est canebat Dei laudes, 1. Reg. 10. 5.

Tertio, Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. *præerat prophetiæ*, hoc est inquiunt, prophetiæ melodias et verba cantoribus ad memoriam revocabat.

Quarto, optime Sept. vertunt: *Erat princeps in elevatione.* Vatab. *in exaltatione vocis.* q. d. Chonenias erat *præcentor*, et altiori voce intonabat, præibatque melodiam Psalmi cantandi, quam deinde ceteri cantores prosequebantur, uti faciunt Cantores et præfecti Musices in choro. Id ita esse patet ex eo, quod Noster explicans, subdit: *ad præcinendam melodiam*, ubi Hebr. est idem nomen משא *massa* quod paulo ante Noster vertit: *prophetiæ:* hæc ergo non aliud erat quam melodia.

ERAT QUIPPE VALDE SAPIENS.) Hebr. מבין *mebin*, id est *intelligens*, hoc est Musices, et canendi peritissimus. Tales enim decet esse præcentores.

CUMQUE ADIUVISSET DEUS LEVITAS.) Ut nullum in Vers. 26.
portanda arca sentirent onus, aiunt Rabbini. Verum hoc est fabula. Audi Lyran. ex Hebræis apte ad rem præsentem: *Dicunt*, inquit, *Hebræi quod istud adiutorium intelligitur per hoc, quod arca portabat seipsam; hoc est, quod divina virtute sic portabatur, quod Levitæ portatores eius nullum pondus sentiebant: et pro illo miraculo facta fuit immolatio.* Verum dico, Deus adiuvit eos animando, vires et præsertim amorem suggerendo, ut libenter baiularent arcam, ideoque onus vix sentirent. Quare illud miraculum non tam fuit potestatis, quam charitatis. Hæc enim efficiebat ut illud onus, alioqui gravissimum, amantibus levissimum videretur. Addit Iosephus illos, qui cantando et saltando et pulsando musica instrumenta præibant arcam, quamvis totam diem in eo labore extraherent, nullam tamen ex suo labore defatigationem sensisse. Amor enim, quo illi divino oraculo famulabantur, non sinebat ut minuerentur vires; sed potius ut in singulas horas vegetiores redderentur.

PORRO DAVID ERAT INDUTUS STOLA BYSSINA.) Scili- Vers. 27.
cet ephod lineo, quod alibi *byssinum* vocatur; byssus enim est linum subtilius et delicatius.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David collocata arca in tabernaculo Sionis victimas offert; inde populo benedixit, eique epulum largitur. Mox Levitis sua circa arcam ministeria distribuit, ac vers. 8. Cantico Deum laudat.

1. ATTULERUNT igitur arcam Dei, et constituerunt eam in medio tabernaculi quod tetenderat ei David: et
obtulerunt holocausta, et pacifica coram Deo. 2. Cumque complesset David offerens holocausta, et pa-
cifica, benedixit populo in nomine Domini. 3. Et divisit universis per singulos, a viro usque ad mulie-
rem, tortam panis, et partem assæ carnis bubalæ, et frixam oleo similam. 4. Constituitque coram arca Domini
de Levitis, qui ministrarent, et recordarentur operum eius, et glorificarent atque laudarent Dominum Deum
Israel: 5. Asaph principem; et secundum eius Zachariam: porro Iahiel, et Semiramoth, et Iehiel, et Mathathiam,
et Eliab, et Banaiam, et Obededom: Iehiel super organa psalterii, et lyras: Asaph autem ut cymbalis personaret:
6. Banaiam vero et Iaziel sacerdotes, canere tuba iugiter coram arca fœderis Domini. 7. In illo die fecit David
principem ad confitendum Domino Asaph, et fratres eius.
8. Confitemini Domino, et invocate nomen eius: notas facite in populis adinventiones eius.
9. Cantate ei, et psallite ei: et narrate omnia mirabilia eius.
10. Laudate nomen sanctum eius: lætetur cor quærentium Dominum.
11. Quærite Dominum, et virtutem eius: quærite faciem eius semper.
12. Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: signorum illius, et iudiciorum oris eius.
13. Semen Israel servi eius: filii Iacob electi eius.
14. Ipse Dominus Deus noster: in universa terra iudicia eius.
15. Recordamini in sempiternum pacti eius: sermonis, quem præcepit in mille generationes,
16. Quem pepigit cum Abraham: et iuramenti illius cum Isaac.
17. Et constituit illud Iacob in præceptum: et Israel in pactum sempiternum,
18. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.
19. Cum essent pauci numero, parvi et coloni eius.
20. Et transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.
21. Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpavit pro eis reges.
22. Nolite tangere christos meos: et in prophetis meis nolite malignari.
23. Cantate Domino omnis terra: annuntiate ex die in diem salutare eius.
24. Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius:
25. Quia magnus Dominus, et laudabilis nimis: et horribilis super omnes deos.
26. Omnes enim dii populorum, idola: Dominus autem cælos fecit.
27. Confessio et magnificentia coram eo: fortitudo et gaudium in loco eius.
28. Afferte Domino familiæ populorum: Afferte Domino gloriam et imperium.
29. Date Domino gloriam, nomini eius, levate sacrificium, et venite in conspectu eius: et adorate Dominum
in decore sancto.
30. Commoveatur a facie eius omnis terra: ipse enim fundavit orbem immobilem.
31. Lætentur cæli, et exultet terra: et dicant in nationibus, Dominus regnavit.
32. Tonet mare, et plenitudo eius: exultent agri, et omnia quæ in eis sunt.
33. Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino: quia venit iudicare terram.
34. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.
35. Et dicite: Salva nos Deus salvator noster; et congrega nos, et erue de gentibus, ut confiteamur nomini san-
cto tuo, et exultemus in carminibus tuis.
36. Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno usque in æternum: et dicat omnis populus: Amen, et hy-
mnum Domino.
37. Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini, Asaph et fratres eius, ut ministrarent in conspectu arcæ
iugiter, per singulos dies, et vices suas. 38. Porro Obededom, et fratres eius sexaginta octo; et Obededom fi-
lium Idithun, et Hosa, constituit ianitores. 39. Sadoc autem sacerdotem, et fratres eius sacerdotes, coram taber-
naculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon, 40. Ut offerrent holocausta Domino super altare holocautomatis
iugiter, mane et vespere, iuxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli. 41. Et post eum
Heman, et Idithun, et reliquos electos, unumquemque vocabulo suo ad confitendum Domino: Quoniam in æter-
num misericordia eius. 42. Heman quoque et Idithun canentes tuba, et quatientes cymbala, et omnia musico-
rum organa, ad canendum Deo; filios autem Idithun, fecit esse portarios. 43. Reversusque est omnis populus in
domum suam; et David, ut benediceret etiam domui suæ.

Vers. 8. CONFITEMINI DOMINO.) David iussit Asaph et socios canere hunc hymnum Deo in gratiarum actionem, quod arcam (et in ea Deum residentem) transtulisset in suam arcem Sion, ut Deum in ea quasi semper præsentem, protegentem, dirigentem et roboran-

A tem, penes se haberet. Porro hic hymnus conflatus est ex Psal. 104. usque ad v. 23. ubi deinceps conflatur ex Psal. 95. Porro paulo aliter hic recensetur, quam illis Psalmis contineatur, quia David videtur eum primo hic rudi forma dictasse, deinde eum in Psalterio magis expolivisse et

elimasse. Psalmus est, et ad Psalterium pertinet; quare ibidem, quasi loco sibi proprio eum explicabo. Interim paucis hic annotabo ea, in quibus a Psalmis citatis differt.

Vers. 11. Quærite Dominum et virtutem eius.) Legit Interpres עזו *Uzo*, id est *virtutem* sive *fortitudinem eius*, id est arcam, in qua Deus suam potentiam ostendit, per eam debellando Iericho et Chananæos. Invitat enim David omnes, ut ad arcam veniant, et coram ea Deum adorent. Sept. vero aliis punctis legentes עזו *Uzu* in imperativo *Cal*, vertunt Psalm. 104. 5. *confirmamini*, id est *confirmabimini*. Deus enim vos confirmabit et roborabit, ut nullus hostis, nulla adversitas, nulla tentatio vobis prævalere valeat.

Vers. 21. Non dimisit quemquam calumniari eos.) Vatabl. *vim facere eis*. Hebr. enim עשק *Asciach* et *calumniari*, et *vim facere* significat. Unde Sept. Psal. 104. 15. vertunt: *Non reliquit hominem nocere eis.*

Vers. 27. Confessio (Sept. *laus*) et magnificentia coram eo: fortitudo et gaudium in loco eius.) Vatab. *Celebritas et magnificentia est coram ipso, potentia et hilaritas in loco eius.* At Psal. 95. v. 6. Sept. vertunt: *Confessio et pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia et magnificentia in sanctificatione eius.* Hebr. *in sanctuario eius;* puta in arca, et tabernaculo arcæ a Davide erecto.

Vers. 28. Afferte Domino gloriam et imperium.) Hebr. *et fortitudinem.* Sensus horum duorum versuum est, q. d. Exhibete Deo in tabernaculo hoc coram arca *confessionem*, id est laudem, et *magnificentiam*, id est magnificam magnificorum eius operum prædicationem, quæ Deum

A *magnificat*, id est magnum, imo maximum esse demonstrat; item *fortitudinem et gaudium*, ut scilicet celebretis fortia eius facta, quibus pro Israele pugnavit, itaque nobis gaudendi et triumphandi materiam dedit.

Adorate Dominum in decore sancto.) Hebr. *in decore sanctitatis*, id est sanctæ arcæ. Vatab. *in splendido et magnifico sanctuario.* At Psal. 95. 9. *Adorate*, inquit, *Dominum in atrio sancto eius.* Vers. 29.

Tonet mare et plenitudo eius.) Vatab. *Reboet mare, et quidquid in eo est*, puta omnes pisces, gemmæ, margaritæ, etc. fluctus enim maris in tempestate inter se collisi boatum et quasi tonitruum edunt. At. Psal. 95. 12, habetur: *Commoveatur* (contremiscat coram Dei maiestate et omnipotentia) *mare et plenitudo eius.* Rursum, tonat mare cum vapores in altum emittit, qui in nubibus conclusi et collisi, dum vi erumpunt, tonitrua et fulmina concitant. Tonet ergo mare, ut Dei creatoris sui potentiam ostendat, impiosque eius metu percellat. Vers. 32.

Sadoc autem Sacerdotem (Pontificem) et fratres eius Sacerdotes (minores) coram tabernaculo Domini quod erat in Gabaon.) *Sadoc* functus erat pontificatu coram Saule, postquam ille occidisset Achimelech Pontificem. Tunc enim filius Achimelech, scilicet Abiathar fugit ad Davidem. Quare Pontifex apud Saulem erat Sadoc; apud Davidem vero Abiathar. Mortuo vero Saule, David noluit abrogare pontificatum Sadoc, sed ita inter eos divisit, ut Abiathar pontificatu fungeretur in Ierusalem, ubi erat arca; Sadoc vero in Gabaon, ubi erat tabernaculum a Mose fabricatum. Vers. 39.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David volens ædificare templum audit a Nathan, fabricam hanc Salomoni eius filio a Deo reservari, ac sibi idcirco longam in regno posteritatem promitti. Quare amplas Deo agit gratias.

1. Cum autem habitaret David in domo sua, dixit ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in domo cedri-
na: arca autem fœderis Domini sub pellibus est. 2. Et ait Nathan ad David: Omnia quæ in corde tuo
sunt, fac: Deus enim tecum est. 3. Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens: 4. Vade,
et loquere David servo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum. 5. Neque enim
mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israel, usque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi, et
in tentorio, 6. Manens cum omni Israel. Numquid locutus sum saltem uni iudicum Israel, quibus præceperam
ut pascerent populum meum, et dixi: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? 7. Nunc itaque sic loqueris
ad servum meum David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israel. 8. Et fui tecum quocumque perrexisti: et interfeci omnes inimicos tuos coram te, fe-
cique tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terra. 9. Et dedi locum populo meo Israel: planta-
bitur, et habitabit in eo, et ultra non commovebitur: nec filii iniquitatis atterent eos, sicut a principio, 10. Ex
diebus quibus dedi iudices populo meo Israel, et humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quod ædi-
ficaturus sit tibi Dominus domum. 11. Cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen
tuum post te, quod erit de filiis tuis: et stabiliam regnum eius. 12. Ipse ædificabit mihi domum, et firmabo so-
lium eius usque in æternum. 13. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: et misericordiam meam non
auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit, 14. Et statuam eum in domo mea, et in regno meo, usque in
sempiternum: et thronus eius erit firmissimus in perpetuum. 15. Iuxta omnia verba hæc, et iuxta universam
visionem istam, sic locutus est Nathan ad David. 16. Cumque venisset rex David, et sedisset coram Domino, di-
xit: Quis ego sum Domine Deus, et quæ domus mea, ut præstares mihi talia? 17. Sed et hoc parum visum est
in conspectu tuo, ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum: et fecisti me spectabilem super
omnes homines, Domine Deus. 18. Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, et co-
gnoveris eum? 19. Domine propter famulum tuum iuxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota
esse voluisti universa magnalia. 20. Domine, non est similis tui: et non est alius Deus absque te, ex omnibus
quos audivimus auribus nostris. 21. Quis enim est alius, ut populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam per-
rexit Deus, ut liberaret, et faceret populum sibi, et magnitudine sua atque terroribus eiiceret nationes a facie
eius, quem de Ægypto liberarat? 22. Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum usque in æternum, et tu
Domine factus es Deus eius. 23. Nunc igitur Domine, sermo, quem locutus es famulo tuo, et super domum eius,
confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es. 24. Permaneatque et magnificetur nomen tuum usque in sem-

piternum, et dicatur: Dominus exercituum Deus Israel, et domus David servi eius permanens coram eo. 25. Tu
enim Domine Deus meus revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum: et idcirco invenit servus tuus
fiduciam, ut oret coram te. 26. Nunc ergo Domine, tu es Deus, et locutus es ad servum tuum tanta beneficia.
27. Et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te: te enim Domine benedicente, benedicta erit
in perpetuum.

Vers. 9. Hoc caput explicui 2. Reg. 7.
Et dedi locum populo meo Israel, in Chananæa, expulsis prioribus eius incolis, scilicet impiis Chananæis, in qua plantabitur.) Id est firmiter habitabit instar plantæ et arboris solide in terra sua radicatæ, ut ab ea non divellatur, nec in servitutem redigatur a Madianitis, Ammonitis, Moabitis, Syris, Philisthæis, uti redactus fuit sæpius tempore Iudicum, ut sequitur: intellige et subaudi conditionem solitam, si videA licet Israel me ut Deum suum colat, nec ad idola vitiaque deflectat; unde quia post Davidem ab ea deflexit, hinc merito a Deo tandem traditus fuit in prædam Gentibus, præsertim Assyriis et Babyloniis.

Revelasti auriculam servi tui.) Id est benevole et secreto mihi, utpote amico tuo, revelasti, et quasi in aurem dixisti magnifica bona quæ mihi promisisti, quæque hic subtexo. Vers. 25.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur Davidis bella et victoriæ de Philisthæis, Moabitis, Syris, Idumæis, Ammonitis et Amalecitis, ac v. 15. officiales eiusdem.

1. Factum est autem post hæc, ut percuteret David Philisthiim, et humiliaret eos, et tolleret Geth, et fi-
lias eius, de manu Philisthiim, 2. Percuteretque Moab, et fierent Moabitæ servi David, offerentes ei mu-
nera. 3. Eo tempore percussit David etiam Adarezer regem Soba regionis Hemath, quando perrexit ut
dilataret imperium suum usque ad flumen Euphraten. 4. Cepit ergo David mille quadrigas eius, et septem millia
equitum, ac viginti millia virorum peditum, subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis,
quas reservavit sibi. 5. Supervenit autem et Syrus Damascenus, ut auxilium præberet Adarezer regi Soba: sed et
huius percussit David viginti duo millia virorum. 6. Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi,
et offerret munera. Adiuvitque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat. 7. Tulit quoque David pharetras au-
reas, quas habuerant servi Adarezer, et attulit eas in Ierusalem. 8. Necnon de Thebath et Chun, urbibus Adarezer,
æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, et columnas, et vasa ænea. 9. Quod cum audisset Thou Rex
Hemath, percussisse videlicet David omnem excercitum Adarezer regis Soba, 10. Misit Adoram filium suum ad
regem David, ut postularet ab eo pacem, et congratularetur ei, quod percussisset et expugnasset Adarezer: ad-
versarius quippe erat Thou Adarezer. 11. Sed et omnia vasa aurea, et argentea, et ænea, consecravit David rex
Domino, cum argento et auro, quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa, et Moab, et filiis Ammon,
quam de Philisthiim et Amalec. 12. Abisai vero filius Sarviæ percussit Edom in Valle Salinarum, decem et octo
millia: 13. Et constituit in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David: salvavitque Dominus David in cunctis,
ad quæ perrexerat. 14. Regnavit ergo David super universum Israel, et faciebat iudicium atque iustitiam cuncto
populo suo. 15. Porro Ioab filius Sarviæ erat super exercitum, et Iosaphat filius Ahilud a commentariis, 16. Sa-
doc autem filius Achitob, et Ahimelec filius Abiathar, sacerdotes: et Susa, scriba. 17. Banaias quoque filius Ioiadæ
super legiones Cerethi, et Phelethi: porro filii David, primi ad manum regis.

Vers. 12. Hoc caput idem est cum cap. 8. lib. 2. Reg. ubi illud exposui.
2. Reg. 8. Ps. 58. 59. 1. Paral. 18. 2. Par. 25. 4. Reg. 14. Hier. in Genes. 14. in loc. Heb. in 2. Reg. 8. et 1. Paral. 18. In Valle Salinarum.) Ubi erant salinæ in quibus conficiebatur sal. Audi Adrich. in descript. tribus Iudæ, n. 211. *Vallis Salinarum* seu *salis*, Hebraice *Gemela*, alias *Mela dicta; in qua David percussit octodecim millia Idumæorum, et rediens erexit sibi fornicem triumphalem. Ibidem et Ioab duodecim millia delevit. Et Amasias decem vel viginti Idumæorum millia, atque alia decem millia præcipitavit de rupe et petra Iecteel.* Fuit ergo B hæc vallis Idumæis exitialis, et ut ita dicam fatalis.

Ahimelech filius Abiathar.) Hebr. est *Abimelech;* Vers. 16.
Sept. *Achimelech.* Affines enim et vicinæ sunt Hebraicæ litteræ ב et כ. Porro *Ahimelech*, hic est genitivi casus: nam Abiathar filius Ahimelech erat sacerdos, id est Pontifex Davidis una cum Sadoc; nisi malis hunc Ahimelech fuisse filium Abiatharis, qui pro parente sene vel aliis occupato, subinde cum Sadoc pontificatu functus sit, uti fecere filii Heli et Samuelis. 1. Reg. 2. 12. et c. 8. 1. Idque ita factum esse satis colligitur ex c. 24. v. 6.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hanon rex Ammon legatos Davidis deturpans illudit: quare David bello eum invadit, ac cum Syris ei auxiliantibus prosternit.

1. Accidit autem ut moreretur Naas rex filiorum Ammon, et regnaret filius eius pro eo. 2. Dixitque David:
Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas: præstitit enim mihi pater eius gratiam. Misitque David
nuntios ad consolandum eum super morte patris sui. Qui cum pervenissent in terram filiorum Ammon,

ut consolarentur Hanon, 3. Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon: Tu forsitan putas, quod David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolentur te: nec animadvertis, quod ut explorent, et investigent, et scrutentur terram tuam, venerint ad te servi eius. 4. Igitur Hanon pueros David decalvavit, et rasit, et præcidit tunicas eorum a natibus usque ad pedes, et dimisit eos. 5. Qui cum abiissent, et hoc mandassent David, misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant), et præcepit ut manerent in Iericho, donec cresceret barba eorum, et tunc reverterentur. 6. Videntes autem filii Ammon quod iniuriam fecissent David, tam Hanon, quam reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, et de Syria Maacha, et de Soba, currus et equites. 7. Conduxeruntque triginta duo millia curruum, et regem Maacha cum populo eius. Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Medaba. Filii quoque Ammon congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum. 8. Quod cum audisset David, misit Ioab, et omnem exercitum virorum fortium. 9. Egressique filii Ammon, direxerunt aciem iuxta portam civitatis: reges autem, qui ad auxilium eius venerant, separatim in agro steterunt. 10. Igitur Ioab, intelligens bellum ex adverso et post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israel, et perrexit contra Syrum. 11. Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui, et perrexerunt contra filios Ammon. 12. Dixitque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem superaverint te filii Ammon, ero tibi in præsidium. 13. Confortare, et agamus viriliter pro populo nostro, et pro urbibus Dei nostri: Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet. 14. Perrexit ergo Ioab, et populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: et fugavit eos. 15. Porro filii Ammon videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem eius, et ingressi sunt civitatem: reversusque est etiam Ioab in Ierusalem. 16. Videns autem Syrus quod cecidisset coram Israel, misit nuntios, et adduxit Syrum, qui erat trans fluvium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum. 17. Quod cum nuntiatum esset David, congregavit universum Israel, et transivit Iordanem, irruitque in eos, et direxit ex adverso aciem, illis contra pugnantibus. 18. Fugit autem Syrus Israel: et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia peditum, et Sophach exercitus principem. 19. Videntes autem servi Adarezer se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad David, et servierunt ei: noluitque ultra Syria auxilium præbere filiis Ammon.

Vers. 4. DECALVAVIT.) Hebr. יגלח *iegalleach*, id est *rasit,* scilicet dimidiam capitis comam et barbam, ut dicitur 2. Reg. 10. 4.

Vers. 7. CONDUXERUNTQUE TRIGINTA DUO MILLIA CURRUUM.) Id est equitum ex curribus falcatis depugnantium. Est Metonymia, ponitur enim continens pro contento, puta currus pro milite curuli. Atque olim sæpe singuli milites A potentiores suum habebant currum, sicut equites suum habent equum ex quo depugnant: patet ex v. 18.

Vers. 18. INTERFECIT DAVID DE SYRIS SEPTEM MILLIA CURRUUM.) Id est militum ex curribus depugnantium, vel certe equorum currus trahentium; nam currus ipsi comburi queunt, at non interfici.

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David Ammonitas tribulis et serris comminuit; mox v. 4. tribus præliis Philistheos superat, et tres gigantes occidit.

1. FACTUM est autem post anni circulum, eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, congregavit Ioab exercitum, et robur militiæ, et vastavit terram filiorum Ammon; perrexitque et obsedit Rabba: porro David manebat in Ierusalem, quando Ioab percussit Rabba, et destruxit eam. 2. Tulit autem David coronam Melchom de capite eius, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema: manubias quoque urbis plurimas tulit: 3. Populum autem, qui erat in ea, eduxit: et fecit super eos tribulas, et trahas, et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur, et contererentur: sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon: et reversus est cum omni populo suo in Ierusalem. 4. Post hæc initum est bellum in Gazer adversum Philisthæos: in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, et humiliavit eos. 5. Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cuius hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium. 6. Sed et aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor: qui et ipse de Rapha fuerat stirpe generatus. 7. Hic blasphemavit Israel: et percussit eum Ionathan filius Samaa fratris David. Hi sunt filii Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu David et servorum eius.

HOC caput idem est cum cap. 10. et 11. lib. 2. Reg. ubi illud explicui.

Vers. 2. TULIT AUTEM DAVID CORONAM MELCHOM.) Hebr. *Malcam* מלכם, id est *regis eorum*, scilicet Am- B monitarum. Ita et Septuag. nam *corona* idolorum, qualis erat Melchom, comburenda erat cum ipsis idolis, uti iubetur Deut. 7. quare ex ea coronam regalem sibi fabricare nequibat David.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David numerans populum, Deum ad iram provocat, ac ex tribus pœnis a Deo oblatis pestem eligit: quæ proinde immissa multos e medio tollit, sed tandem David oratione et sacrificio Deum placando, eam sopit.

1. CONSURREXIT autem Satan contra Israel: et concitavit David, ut numeraret Israel. 2. Dixitque David ad Ioab, et ad principes populi: Ite, et numerate Israel a Bersabee usque Dan: et afferte mihi numerum ut sciam. 3. Responditque Ioab: Augeat Dominus populum suum centuplum, quam sunt: nonne domine mi rex, omnes servi tui sunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli? 4. Sed sermo regis magis prævaluit: egressusque est Ioab, et circuivit universum Israel: et reversus est Ierusalem. 5. Deditque Davidi numerum eorum, quos circuierat: et inventus est omnis numerus Israel, mille millia et centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum. 6. Nam Levi, et Beniamin non numeravit: eo quod Ioab invitus exequeretur regis imperium. 7. Displicuit autem Deo quod iussum erat: et percussit Israel. 8. Dixitque David ad Deum: Peccavi nimis ut hoc facerem: obsecro aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi. 9. Et locutus est Dominus ad Gad Videntem Davidis, dicens: 10. Vade, et loquere ad David, et dic ei: Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do; unum, quod volueris, elige, et faciam tibi. 11. Cumque venisset Gad ad David, dixit ei: Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris: 12. Aut tribus annis famem: aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, et gladium eorum non posse evadere: aut tribus diebus gladium Domini, et pestilentiam versari in terra, et angelum Domini interficere in universis finibus Israel: nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me. 13. Et dixit David ad Gad: Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius, quam in manus hominum. 14. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel: et ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum. 15. Misit quoque angelum in Ierusalem, ut percuteret eam: cumque percuteretur, vidit Dominus, et misertus est super magnitudine mali: et imperavit angelo, qui percutiebat: Sufficit, iam cesset manus tua. Porro angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebusæi. 16. Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cælum et terram, et evaginatum gladium in manu eius, et versum contra Ierusalem: et ceciderunt, tam ipse quam maiores natu vestiti ciliciis, proni in terram. 17. Dixitque David ad Deum: Nonne ego sum, qui iussi ut numeraretur populus? Ego, qui peccavi; ego, qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, et in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur. 18. Angelus autem Domini præcepit Gad, ut diceret Davidi ut ascenderet, extrueretque altare Domino Deo in area Ornan Iebusæi. 19. Ascendit ergo David iuxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini. 20. Porro Ornan cum suspexisset, et vidisset angelum, quatuorque filii eius cum eo, absconderunt se: nam eo tempore terebat in area triticum. 21. Igitur cum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, et processit ei obviam de area, et adoravit eum pronus in terram. 22. Dixitque ei David: Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino: ita ut quantum valet argenti accipias, et cesset plaga a populo. 23. Dixit autem Ornan ad David: Tolle, et faciat dominus meus rex quodcumque ei placet: sed et boves do in holocaustum, et tribulas in ligna, et triticum in sacrificium: Omnia libens præbebo. 24. Dixitque ei rex David: Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, et sic offerre Domino holocausta gratuita. 25. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos. 26. Et ædificavit ibi altare Domino: obtulitque holocausta, et pacifica, et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti. 27. Præcepitque Dominus angelo: et convertit gladium suum in vaginam. 28. Protinus ergo David, videns quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Iebusæi, immolavit ibi victimam. 29. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon. 30. Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium angeli Domini.

Vers. 12. AUT TRIBUS ANNIS FAMEM.) 2. Reg. 24. 13. dicitur: *Aut septem annis famem*, nimirum prima oblatio Dei facta Davidi fuit septem annorum; sed Davide tantam moram deprecante Deus pœnam moderatus est et ad tres annos redegit. Sic Genes. 18. Deus a quinquaginta iustis descendit ad decem, quos si invenisset in Sodoma, ei pepercisset; ac Ezechieli cap. 4. deprecanti pro fimo humano, concedit bovinum in cibum.

ORNAN) 2. Reg. 24. 23. paululum inflexo nomine vocatur, *Areuna*, idemque *rex*, id est regulus sive princeps inter Iebusæos.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS

David omnem materiam præparat ad fabricam templi, eiusque ideam a Deo acceptam tradit Salomoni, ac illum hortatur ut Deum semper religiose colat, atque monet principes ut eum in fabrica adiuvent.

1. Dixitque David: Hæc est domus Dei, et hoc altare in holocaustum Israel. 2. Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de Terra Israel, et constituit ex eis latomos ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Dei. 3. Ferrum quoque plurimum ad clavos ianuarum, et ad commissuras atque iuncturas præparavit David: et æris pondus innumerabile. 4. Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonii et Tyrii deportaverant ad David. 5. Et dixit David: Salomon filius meus puer parvulus est et delicatus: domus autem, quam ædificari volo Domino, talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas. 6. Vocavitque Salomonem filium suum: et præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israel. 7. Dixitque David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei, 8. Sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me: 9. Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: et ob hanc causam Pacificus vocabitur: et pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus eius. 10. Ipse ædificabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni eius super Israel in æternum. 11. Nunc ergo fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare, et ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te. 12. Det quoque tibi Dominus prudentiam et sensum, ut regere possis Israel, et custodire legem Domini Dei tui. 13. Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata et iudicia, quæ præcepit Dominus Moysi ut doceret Israel: confortare et viriliter age, ne timeas, neque paveas. 14. Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum: æris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine; ligna et lapides præparavi ad universa impendia. 15. Habes quoque plurimos artifices, latomos, et cæmentarios, artificesque lignorum, et omnium artium ad faciendum opus prudentissimos, 16. In auro et argento et ære et ferro, cuius non est numerus. Surge igitur, et fac, et erit Dominus tecum. 17. Præcepit quoque David cunctis principibus Israel, ut adiuvarent Salomonem filium suum. 18. Cernitis, inquiens, quod Dominus Deus vester vobiscum sit, et dederit vobis requiem per circuitum, et tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, et subiecta sit terra coram Domino, et coram populo eius. 19. Præbete igitur corda vestra et animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum, et consurgite, et ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca fœderis Domini, et vasa Domino consecrata, in domum, quæ ædificatur nomini Domini.

Vers. 1. Hæc est domus Dei.) q. d. Hoc loco, puta in *area Ornan*, quæ est in monte Moria, iubet Deus condi templum.

Vers. 5. Salomon puer parvulus est.) q. d. Salomon respectu tantæ tamque magnificæ fabricæ templi est instar pueri parvuli: nam alioqui erat ipse iam viginti annorum.

Vers. 14. Auri talenta centum millia, hoc est duodecim cum dimidio milliones librarum auri, quæ faciunt mille et ducentos milliones aureorum Francicorum: tantumdem reliquit ei in argento, scilicet, mille millia talenta argenti.) Quæ faciunt totidem, scilicet mille et ducentos milliones aureorum Francicorum; olim enim una libra auri valebat decem libras argenti: universim ergo reliquit ei bis mille et quadringentos milliones aureorum. Vide dicta de monetis et mensuris in fine Pentateuchi. Immensa et pene incredibilis videtur hæc auri et argenti summa, sed Deo nihil est impossibile, nihil difficile; quare ei facile fuit omnem hanc copiam Davidi suggerere ad fabricam tam magnifici templi; unde ipse volens templum hoc a Chaldæis exustum restaurari per Zorobabel et Iudæos, pauperes eos ad fabricam animat dicens: *Meum est argentum, et meum est aurum*, Aggæi 2. 9. Sic S. Franciscus Assisias, et alter de Paula, ille Minorum, hic Minimorum fundator, uterque pauper iussi a Deo templum ædificare, illud ædificarunt Deo, ad illud sumptus per eleemosynas piorum spondente et præstante. Multo magis si a Deo vocemur, ut templum mysticum perfectionis in anima nostra vel proximorum fabricemus, alacriter de eius ope confisi idipsum præstemus. Deus enim aderit, viresque et animos dabit: *Domini*, enim, *est terra et plenitudo eius;*

2400. milliones in templum insumpti.

A atque ut ait S. Leo: *Iuste instat præcepto, qui prævenit auxilio.*

Porro noster Vilalpandus sub finem tomi 2. in Ezechielem per plura capita censet Davidem tantas opes collegisse partim ex vectigalibus, partim ex Ophir, partim ex hostium spoliis et tributo, partim ex annuo Israelis censu, quo quisque pendebat quotannis templo dimidium siclum iuxta legem, Exodi 30. 13. Quocirca Israelitæ etiam extra Iudæam degentes, per totum orbem dispersi, hanc capitationem quotannis mittebant Ierosolymam, cumque eorum ingens esset numerus, ingentem conflabant auri summam.

Addit Vilalpandus, Davidem et Salomonem annuo reditu et opibus superasse tributa et opes Romanorum, Chaldæorum, Persarum, omniumque regum et monarcharum.

Dices, quomodo ergo David hoc v. ait hæc se collegisse *in paupertate?* Resp. primo, quia hæc omnia præ Dei dignitate et maiestate erant parva et pauca. Secundo, *in* B *paupertate*, id est in multo labore et afflictione. Tertio, et maxime, quia ut sequitur, hæc omnia erant Dei: quare Davidis non erant, quia ipse ex se pauper erat, et nihil habebat nisi quod a Deo acceperat.

Ad universa impendia.) Hebr. et Chald. habent: *Et super hæc adde.* Sept. *Et appone in his.* Vatab. *Quibus tu adiicere poteris.* Unde Salomon et populus his quæ reliquit David, multa donaria addidere ad fabricam templi tam magnificam magnificentius instruendam et adornandam.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David sub mortem Salomonem regem designat, ac Levitas in suas classes distribuit, eisque sua officia partitur: Levitis quoque filios, id est posteros Mosis annumerat.

1. IGITUR David senex et plenus dierum, regem constituit Salomonem filium suum super Israel. 2. Et congregavit omnes principes Israel, et Sacerdotes atque Levitas. 3. Numeratique sunt Levitæ a triginta annis, et supra: et inventa sunt triginta octo millia virorum. 4. Ex his electi sunt, et distributi in ministerium domus Domini, viginti quatuor millia: præpositorum autem et iudicum sex millia. 5. Porro quatuor millia ianitores: et totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum. 6. Et distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson videlicet, et Caath, et Merari. 7. Filii Gerson: Leedan, et Semei. 8. Filii Leedan: princeps Iahiel, et Zethan, et Ioel, tres. 9. Filii Semei: Salomith, et Hosiel, et Aran, tres: isti principes familiarum Leedan. 10. Porro filii Semei, Leheth, et Ziza, et Iaus, et Baria: isti filii Semei, quatuor. 11. Erat autem Leheth prior, Ziza secundus: porro Iaus et Baria non habuerunt plurimos filios, et idcirco in una familia, unaque domo, computati sunt. 12. Filii Caath: Amram, et Isaar, Hebron, et Oziel, quatuor. 13. Filii Amram: Aaron, et Moyses. Separatusque est Aaron ut ministraret in Sancto sanctorum, ipse et filii eius in sempiternum, et adoleret incensum Domino secundum ritum suum, ac benediceret nomini eius in perpetuum. 14. Moysi quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi. 15. Filii Moysi: Gersom, et Eliezer. 16. Filii Gersom: Subuel primus. 17. Fuerunt autem filii Eliezer: Rohobia primus: et non erant Eliezer filii alii. Porro filii Rohobia multiplicati sunt nimis. 18. Filii Isaar: Salomith primus. 19. Filii Hebron: Ieriau primus, Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaam quartus. 20. Filii Oziel: Micha primus, Iesia secundus. 21. Filii Merari: Moholi, et Musi. Filii Moholi: Eleazar, et Cis. 22. Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios, sed filias: acceperuntque eas filii Cis fratres earum. 23. Filii Musi: Moholi, et Eder, et Ierimoth, tres. 24. Hi filii Levi in cognationibus et familiis suis, principes per vices, et numerum capitum singulorum, qui faciebant opera ministerii domus Domini, a viginti annis et supra. 25. Dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, et habitationem Ierusalem usque in æternum. 26. Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum, et omnia vasa eius ad ministrandum. 27. Iuxta præcepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra. 28. Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, et in exedris, et in loco purificationis, et in sanctuario, et in universis operibus ministerii templi Domini. 29. Sacerdotes autem, super panes propositionis, et ad similæ sacrificium, et ad lagana azyma, et sartaginem, et ad torrendum, et super omne pondus atque mensuram. 30. Levitæ vero, ut stent mane ad confitendum et canendum Domino: similiterque ad vesperam 31. Tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in sabbatis et Calendis et solemnitatibus reliquis, iuxta numerum, et ceremonias uniuscuiusque rei, iugiter coram Domino. 32. Et custodiant observationes tabernaculi fœderis, et ritum sanctuarii, et observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini.

NOTA, David Levitas ita distribuit. Erat numerus Levitarum 38. millium. Ex eis David 24. millia deputavit ministerio templi, sex alia millia fecit præpositos et iudices, v.4. unde patet Levitas hosce fuisse iudices, et quasi senatores ac Patres conscriptos. Quatuor millia Ianitores. Deinde alia quatuor millia constituit cantores et Musicos, confla hos omnes numeros in unum et invenies 38. millia iam dicta.

Nota secundo, David insuper constituit 24. ordines sacerdotum, qui sibi per vices succederent ad ministrandum in templo: quisque enim ordo per septimanam ministrabat. Unde Lucæ 1. 9. dicitur de Zacharia: *Exiit sorte ut poneret incensum*: erat enim Zacharias *de vice Abia*, quæ ordine est octava. Hæ vices et ordines sacerdotum recensentur cap. sequenti. Porro David cuique ordini sacerdotum attribuit ordinem unum Levitarum qui eis ministrarent, et per omnia subservirent, unde tot erant ordines Levitarum, quot sacerdotum ministrantium templo, scilicet 24. Totidem (scilicet 24.) ordines constituit Levitarum psallentium tam voce, quam instrumentis Musicis, quorum quisque sua vice et sub suo sacerdotum ordine psallebat, ut patet cap. 25. psallebant autem non tantum in sabbatis, Calendis, omnique alia festivitate, sed et quotidie in omni sacrificio holocaustorum, ut patet v. 31. Hinc sequitur quemlibet sacerdotem æque ac Levitam, bis tantum in anno ministrasse in templo: nam erant eorum 24. classes, quarum quælibet per hebdomadam in templo serviebat. Quare in 24. hebdomadis

A quisque una tantum hebdomada ministrabat, iis vero duplicatis bis; ergo in 48. hebdomadibus (quot complectitur annus additis quatuor) bis, hoc est duabus hebdomadis dumtaxat quisque ministrabat.

Porro fecit hæc David non tam ut rex (hic enim non habet ius in sacerdotes et sacra) quam ut propheta. Rursum, non fecit hæc per se, sed per Pontifices Sadoc et Ahimelech, ut audiemus cap. sequenti vers. 3. idque iacta sorte, ut ibidem dicitur v. 5. et 32.

IAUS ET BARIA NON HABUERUNT PLURIMOS FILIOS.) Vers. 11.
q. d. Hi duo simul non habuerunt plures filios quam unus solus ex iam recensitis; quare hi duo unam tantum classem constituerunt, cum alii singuli singulas constituerent.

SEPARATUSQUE EST AARON.) q. d. A Deo per Mosen electus est Aaron, ut ipse eiusque posteri primogeniti essent summi sacerdotes sive Pontifices; ceteri vero non primogeniti essent minores sacerdotes. Unde Pontifices soli ingrediebantur Sanctum sanctorum, ceteri vero sacerdotes adolebant thymiama in altari thymiamatis, quod erat in Sancto ante Sanctum sanctorum.

B MOYSI QUOQUE HOMINIS (amici) DEI FILII ANNUME- Vers. 13.
RATI SUNT IN TRIBU LEVI.) Mira fuit Mosis resignatio et humilitas, qua se submisit ordinationi Dei statuentis, ut principatum populi transferret in Iosue, filios vero suos non sacerdotibus sed Levitis annumeraret. Nam sacerdotium a Deo addictum erat posteris Aaronis, qui erat frater senior Mosis.

FILII LEVI A VIGINTI ANNIS ET SUPRA.) David bis Vers. 14.

*

numeravit Levitas, scilicet primo, v. 3. *a triginta annis et supra;* secundo, hic *a viginti annis et supra.* Ratio fuit, quia primitus a Deo per Mosen statutum erat, ut Levitæ a trigesimo ætatis anno et deinceps servirent tabernaculo, eo quod eorum officium esset portare supellectilem Tabernaculi per desertum, in quo continue peregrinabantur, ad quod ætas valida et robusta, qualis est triginta annorum, requirebatur. David vero cessante hoc onere, ædificato iam templo, et Israele quiescente in terra sancta, statuit hoc versu, ut a vigesimo anno numerentur, et servire incipiant; nimirum ut prioribus senioribus iam recensitis, et in suas ministrantium, ianitorum, præpositorum, iudicum, cantorum, classes distributis in rebus minoribus subserviant. Hanc rationem dat hic Dav. v. 26.

A

SACERDOTES AUTEM.) Hæc verba non sunt in Hebr. nec in Græco; quare officia quæ hic subnectuntur, competunt tam Levitis quam sacerdotibus; quia scilicet Levitarum erat illa parare, sacerdotum vero parata iam Deo offerre in sacrificium. Vers. 29.

ET SUPER OMNE PONDUS ET MENSURAM.) Tum quia sacerdotum et Levitarum erat omnia Deo offerenda mensurare, an scilicet iustum pondus a lege præscriptum haberent: tum quia eorum erat asservare iustas rerum mensuras et pondera in templo, ut si per fraudem aliquorum in populo illa vitiarentur et minuerentur, vel augerentur, ad mensuras et pondera templi restituerentur et corrigerentur.

CAPUT VICESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Distribuuntur sacerdotes in 24. classes, ac cuique sua Levitarum classis ad subserviendum in sacrificio assignatur.

1. PORRO filiis Aaron hæ partitiones erant: filii Aaron: Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar. 2. Mortui sunt autem Nadab et Abiu ante patrem suum absque liberis: sacerdotioque functus est Eleazar, et Ithamar. 3. Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis Eleazari, et Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas et ministerium. 4. Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sedecim: et filiis Ithamar per familias et domos suas octo. 5. Porro divisit utrasque inter se familias sortibus: erant enim principes sanctuarii, et principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar. 6. Descripsitque eos Semeias filius Nathanael scriba Levites, coram rege et principibus, et Sadoc sacerdote, et Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium et Leviticarum: unam domum, quæ ceteris præerat, Eleazar: et alteram domum, quæ sub se habebat ceteros, Ithamar. 7. Exivit autem sors prima Ioiarib, secunda Iedei, 8. Tertia Harim, quarta Seorim, 9. Quinta Melchia, sexta Maiman, 10. Septima Accos, octava Abia, 11. Nona Iesua, decima Sechenia, 12. Undecima Eliasib, duodecima Iacim, 13. Tertiadecima Hoppha, decimaquarta Isbaab, 14. Decimaquinta Belga, decimasexta Emmer, 15. Decimaseptima Hezir, decimaoctava Aphses, 16. Decimanona Pheteia, vigesima Hezechiel, 17. Vigesimaprima Iachin, vigesimasecunda Gamul, 18. Vigesimatertia Dalaiau, vigesimaquarta Maaziau. 19. Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini, et iuxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum: sicut præceperat Dominus Deus Israel. 20. Porro filiorum Levi, qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subael, et de filiis Subael, Iehedeia. 21. De filiis quoque Rohobiæ princeps Iesias. 22. Isaari vero filius Salemoth, filiusque Salemoth Iahath: 23. Filiusque eius Ieriau primus, Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaan quartus. 24. Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir. 25. Frater Micha, Iesia: filiusque Iesiæ, Zacharias. 26. Filii Merari: Moholi et Musi. Filius Oziau: Benno. 27. Filius quoque Merari: Oziau et Soam et Zachur et Hebri. 28. Porro Moholi filius: Eleazar, qui non habebat liberos. 29. Filius vero Cis, Ierameel. 30. Filii Musi: Moholi, Eder, et Ierimoth; isti filii Levi secundum domos familiarum suarum. 31. Miseruntque et ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram David rege, et Sadoc, et Ahimelech, et principibus familiarum Sacerdotalium et Leviticarum, tam maiores, quam minores; omnes sors æqualiter dividebat.

Vers. 3. ET DIVISIT EOS DAVID, ID EST SADOC DE FILIIS ELEAZARI, ET AHIMELECH DE FILIIS ITHAMAR, SECUNDUM VICES SUAS.) Scilicet divisit omnes sacerdotes posteros Eleazar et Ithamar in 24. classes. Divisit, inquam, David non per se, sed per duos Pontifices, scilicet per Sadoc qui erat ex posteris Eleazar, et per Ahimelech qui erat ex posteris Ithamar. Ad Pontificem enim spectabat hæc sacerdotum distributio, non ad regem.

Vers. 5. PORRO DIVISIT UTRASQUE INTER SE FAMILIAS SORTIBUS.) Ne quis queri posset se inique postpositum, et alterum ex favore antepositum, sed omnes pari iure et conditione censerentur: quare sorte res acta est, et sors cuique suum ordinem et vicem assignavit.

ERANT ENIM PRINCIPES SANCTUARII.) Erant 24. familiæ sacerdotales, et quæque suum habebat principem, puta primogenitum qui in vice sua omnibus præerat, omniaque in templo dirigebat: quare erat ipse summus classis suæ sacerdos, ideoque vocabatur Pontifex. Erant

B

ergo 24. Pontifices sive principes sacerdotum, de quibus in Evangeliis crebra est mentio, sed his omnibus eminebat et præerat summus Pontifex, scilicet Sadoc.

AHIMELECH FILIO ABIATHAR.) Hinc videtur quod Abiathar Pontifex ægrotans, aut aliis occupatus vices suas demandarit filio Ahimelech, ut ipse cum Sadoc Pontifice assisteret, et distribueret has 24. sacerdotum classes. Vers. 6.

OCTAVA ABIA.) Ex hac fuit Zacharias pater Ioannis Baptistæ; quare certum est eum non fuisse summum Pontificem. Pontifex enim non habebat vicem, sed omnibus præerat. An Zacharias fuerit Pontifex, id est princeps et primogenitus suæ familiæ Abia, ut vult. S. Dionys. cælest. Hierarchiæ c. 4. item an fuerit ex posteris Eleazar, an vero ex posteris Ithamar, incertum est. Vers. 10.

FILIUS OZIAU: BENNO.) Et ceteri qui recensentur v. 27. uti iam dicam. Vers. 26.

FILIUS MERARI, OZIAHU.) Hæc verba parenthesi intercipienda videntur, nam sequentes, scilicet *Soam et Za-* Vers. 27.

chur et Hebri, sunt filii *Oziahu*. Id patet ex Hebr. et Chald. qui sic habent: *Filii Merari de Oziahu, vel per Oziahu, Benno et Soam et Zachur et Hebri.* Quia enim dixerat: *Filius Oziahu Benno*, et non dixerat cuius filius esset *Oziahu*, hinc idipsum explicat subdens: *Filius Merari Oziahu*; deinde reliquos præter Bennonem iam nominatum, Oziahu filios prosequitur, dicens:

ET SOAM ET ZACHUR ET HEBRI.) Nam Merari filios, scilicet *Moholi et Musi*, iam recensuit vers. 26. Ita Vatab. A Pagnin. et alii.

MISERUNTQUE ET IPSI SORTES CONTRA FRATRES SUOS.) Vers. 31.
Scilicet ex opposito vel contraposito *fratrum*, id est cognatorum suorum; et ut vertit Vatabl. *e regione fratrum suorum*; Sept. *sicut fratres eorum*, q. d. Sicut sacerdotes posteri Aaronis divisi in 24. classes sortem iecerant, quo quisque ordine in tabernaculo ministraret, sic etiam Levitæ vices ministrandi iacta sorte acceperunt.

CAPUT VICESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Numerantur 24. Classes Levitarum ad canendum, psallendum et citharizandum deputatorum.

1. IGITUR David et magistratus exercitus, segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithun: qui prophetarent in citharis, et psalteriis, et cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes. 2. De filiis Asaph: Zacchur, et Ioseph, et Nathania, et Asarela, filii Asaph: sub manu Asaph prophetantis iuxta regem. 3. Porro Idithun: filii Idithun, Godolias, Sori, Ieseias, et Hasabias, et Mathathias, sex, sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes et laudantes Dominum. 4. Heman quoque: filii Heman, Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, et Ierimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, et Romemthiezer, et Iesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth: 5. Omnes isti filii Heman Videntis regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu: deditque Deus Heman filios quatuordecim, et filias tres. 6. Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant, in cymbalis, et psalteriis, et citharis, in ministeria domus Domini iuxta regem: Asaph videlicet, et Idithun, et Heman. 7. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octogintaocto. 8. Miseruntque sortes per vices suas, ex æquo tam maior quam minor, doctus pariter, et indoctus. 9. Egressaque est sors prima Ioseph, qui erat de Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi et filiis eius, et fratribus eius duodecim. 10. Tertia Zachur, filiis et fratribus eius duodecim. 11. Quarta Isari, filiis et fratribus eius duodecim. 12. Quinta Nathaniæ, filiis et fratribus eius duodecim. 13. Sexta Bocciau, filiis et fratribus eius duodecim. 14. Septima Isreela, filiis et fratribus eius duodecim. 15. Octava Iesaiæ, filiis et fratribns eius duodecim. 16. Nona Mathaniæ, filiis et fratribus eius duodecim. 17. Decima Semeiæ, filiis et fratribus eius duodecim. 18. Undecima Azareel, filiis et fratribus eius duodecim. 19. Duodecima Hasabiæ, filiis et fratribus eius duodecim. 20. Tertiadecima Subael, filiis et fratribus eius duodecim. 21. Quartadecima Mathathiæ, filiis et fratribus eius duodecim. 22. Quintadecima Ierimoth, filiis et fratribus eius duodecim. 23. Sextadecima Hananiæ, filiis et fratribus eius duodecim. 24. Septimadecima Iesbacassæ, filiis et fratribus eius duodecim. 25. Octavadecima Hanani, filiis et fratribus eius duodecim. 26. Nonadecima Mellothi, filiis et fratribus eius duodecim. 27. Vigesima Eliatha, filiis et fratribus eius duodecim. 28. Vigesimaprima Othir, filiis et fratribus eius duodecim. 29. Vigesimasecunda Geddelthi, filiis et fratribus eius duodecim. 30. Vigesimatertia Mahazioth, filiis et fratribus eius duodecim. 31. Vigesimaquarta Romemthiezer, filiis et fratribus eius duodecim.

Vers. I. MAGISTRATUS EXERCITUS.) Id est principes tam politici, quam Ecclesiastici: *exercitus* enim vocatur totus populus tam laicorum, quam Levitarum ob multitudinem: erant enim multi et constipati, iique per ordines quasi acies dispositi, uti sunt milites in exercitu. Magistratus Levitarum, c.24. 6. vocantur *principes Sanctuarii.*

QUI PROPHETARENT (id est qui canerent laudarentque Deum) IN CITHARIS, SECUNDUM NUMERUM SUUM DEDICATO SIBI OFFICIO SERVIENTES.) q. d. Quilibet in sua vice tanto numero canebant, quanto ad canendum destinati erant; una enim familia numerosior unum cantorum ordinem constituens plures habebat cantores, quam illa quæ pauciores in se domesticos continebat. Hebr. est, *viri operis in ministerio suo*, id est viri diligentes, et scite fungentes munere suo, q. d. Isti omnes fuere musici peritissimi, inquit Vatab.

SUB MANU (sub regimine et directione) ASAPH PROPHETANTIS (canentis Dei laudes) IUXTA REGEM.) Scilicet in arce Sion coram arca, iuxta sedem Davidis, ubi nimirum ipse sedere, et Dei laudibus interesse solebat. Nam verisimile est alios cantores fuisse deputatos ad canendum in Tabernaculo Mosis, quod erat in Gabaon; unde aliqui, ut utrosque comprehendant, explicant τὸ *iu-* B *xta regem*, q. d. Iuxta regis præscriptum et distributionem, ut hi in Sion, illi in Gabaon canerent.

FILII IDITHUN GODOLIAS, SORI, IESEIAS, ET HASABIAS, ET MATHATHIAS, SEX.) Recensiti hic sunt quinque dumtaxat, ut patet eos numeranti. Deest ergo sextus, quem verisimile est esse *Semeiam*, qui nominatur v. 17. in decima sorte: Semeias enim non nominatur inter filios Asaph, nec inter filios Heman. Fuit ergo filius Idithun: horum trium enim filii hic describuntur, ut patet v. 1. Vers. 3.

OMNES ISTI FILII HEMAN VIDENTIS REGIS IN SERMONIBUS DEI.) *Heman* vocatur *Videns*, id est propheta, hoc est Cantor divinarum laudum apud Davidem. *In sermonibus Dei*, id est cum *Dei sermones*, id est res et laudes canerentur, q. d. David in aula et mensa habebat suos symphoniacos, qui profana canebant ad regis honestam recreationem; hic vero Heman curabat dumtaxat sacra cani in Tabernaculo, cum David divinis officiis vacaret. *Sermones* ergo *Dei*, erant Psalmi, hymni et cantica divinarum laudum. Vers. 5.

UT EXALTARET CORNU.) Id est ut canendo exaltaret magnitudinem, magnificentiam, et immensam maiestatem, sapientiam, misericordiam, potentiam, clementiam et beneficentiam Dei. Ita Abul. Secundo, et magis præcise, q. d. Heman curabat cani Psalmos, in quibus David

orat et prædicit exaltandum *cornu*, id est regnum, potentiam, et gloriam imperii tam sui, quam antitypi Christi. Hoc enim audire Davidi erat gratissimum et desideratissimum. Unde crebro in Psalmis de *hac cornu exaltatione* agit. Hinc Vatab. sic vertit: *Qui erat regis videns in verbis divinis ut erigeretur cornu;* idque sic explicat q. d. Heman prophetavit de Davide quod assequeretur magnam famam et gloriam. *Cornu* enim significat dignitatem et gloriam, item robur et vires, ac si dicatur, ad exaltandam dignitatem et potentiam regiam: Asaph enim et Idithun canebant alios Psalmos, qui ad populum erudiendum et consolandum spectabant, eumque ad pietatem A et ad Deum secum laudandum excitabant.

Qui erudiebant canticum.) Id est *doctores*, ut se- Vers. 7.
quitur, qui docebant reliquos scite canere et psallere tam voce, quam instrumentis musicis.

Doctus pariter et indoctus.) q. d. Æque peritus ca- Vers. 8.
nendi ac imperitus, æque doctor ac discipulus, q. d. David distribuit cantores in 24. classes, et cuique classi dedit duodecim magistros Musices peritos, qui ceteros docerent canere, eosque in cantu dirigerent et perficerent. Quocirca magistri hi universim fuere 288. ut dictum est v.7. Multiplica enim 24. per 12. resultabit numerus 288.

CAPUT VICESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ordines et classes Levitarum, qui erant ianitores templi. Adhæc custodum thesaurorum tam templi quam Regis.

1. Divisiones autem ianitorum: de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph. 2. Filii Meselemiæ: Zacharias primogenitus, Iadihel secundus, Zabadias tertius, Iathanael quartus, 3. Ælam quintus, Iohanan sextus, Elioenai septimus. 4. Filii autem Obededom: Semeias primogenitus, Iozabad secundus, Ioaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus, 5. Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus: quia benedixit illi Dominus. 6. Semei autem filio eius nati sunt filii, præfecti familiarum suarum: erant enim viri fortissimi. 7. Filii ergo Semeiæ: Othni, et Raphael, et Obed, Elzabad, fratres eius viri fortissimi: Eliu quoque, et Samachias. 8. Omnes hi, de filiis Obededom: ipsi, et filii, et fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom. 9. Porro Meselemiæ filii, et fratres eorum robustissimi, decem et octo. 10. De Hosa autem, id est, de filiis Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, et idcirco posuerat eum pater eius in principem), 11. Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus; omnes hi filii, et fratres Hosa, tredecim. 12. Hi divisi sunt in ianitores, ut semper principes custodiarum, sicut et fratres eorum, ministrarent in domo Domini. 13. Missæ sunt ergo sortes ex æquo, et parvis, et magnis, per familias suas, in unamquamque portarum. 14. Cecidit ergo sors Orientalis, Selemiæ. Porro Zachariæ filio eius, viro prudentissimo, et erudito, sortito obtigit plaga Septemtrionalis. 15. Obededom vero et filiis eius ad Austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium. 16. Sephim, et Hosa ad Occidentem, iuxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis: custodia contra custodiam. 17. Ad Orientem vero Levitæ sex: et ad Aquilonem quatuor per diem: atque ad Meridiem similiter in die quatuor: et ubi erat concilium, bini et bini. 18. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas. 19. Hæ sunt divisiones ianitorum, filiorum Core et Merari. 20. Porro Achias erat super thesauros domus Dei, et vasa sanctorum. 21. Filii Ledan, filii Gersonni: de Ledan principes familiarum, Ledan, et Gersonni, Iehieli. 22. Filii Iehieli: Zathan, et Ioel fratres eius, super thesauros domus Domini, 23. Amramitis, et Isaaritis, et Hebronitis, et Ozihelitis. 24. Subael autem filius Gersom, filii Moysi, præpositus thesauris. 25. Fratres quoque eius Eliezer, cuius filius Rahabia, et huius filius Isaias, et huius filius Ioram, huius quoque filius Zechri, et huius filius Selemith. 26. Ipse Selemith, et fratres eius, super thesauros sanctorum, quæ sanctificavit David rex, et principes familiarum, et tribuni, et centuriones, et duces exercitus, 27. De bellis, et manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem, et supellectilem templi Domini. 28. Hæc autem universa sanctificavit Samuel Videns, et Saul filius Cis, et Abner filius Ner, et Ioab filius Sarviæ: omnes, qui sanctificaverant ea per manum Selemith, et fratrum eius. 29. Isaaritis vero præerat Chonenias, et filii eius, ad opera forinsecus super Israel, ad docendum et iudicandum eos. 30. Porro de Hebronitis Hasabias, et fratres eius viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israeli trans Iordanem contra Occidentem, in cunctis operibus Domini, et in ministerium regis. 31. Hebronitarum autem princeps fuit Ieria, secundum familias et cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, et inventi sunt viri fortissimi in Iazer Galaad, 32 Fratresque eius robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autem eos David rex Rubenitis, et Gadditis, et dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei, et regis.

Vers. 5. Quia benedixit illi (Obededom) Dominus.) Ob arcam quam domi suæ religiose habuit, et sedulo custodivit, 2. Reg. 6. Hac de causa ipse ceteros Levitas filiorum numero, æque ac robore tum corporis tum animi superavit; unde v. 8. dicitur: *Omnes hi de filiis Obededom: ipsi et filii et fratres eorum fortissimi ad ministrandum 62. de Obededom.*

Vers. 10. Non enim habuerat primogenitum.) q.d. Hosa tunc temporis non habebat primogenitum, quia is iam erat mortuus; quare eius loco constituit principem familiæ B suæ *Semri*, qui erat secundo-genitus.

Hi divisi sunt in Ianitores, ut semper principes Vers. 12.
custodiarum, etc. ministrarent in domo Domini.) Erat ergo magna Ianitorum horum dignitas; primo, quia ipsi erant *principes custodiarum*, q d. Sicut prætoriani milites præsunt custodiæ regis et domus regiæ, sic hi ianitores præerant custodiæ et custodibus omnibus domus Dei, scilicet templi. Secundo, quia iidem præerant custodiæ thesauri tam templi, quam regis, ut patet v. 20. 26. et 30. Item sartis tectis templi v. 27. Tertio, quia ex iis

creabantur populi doctores, præfecti, et Iudices in causis tam sacris, quam profanis, ut patet v. 29. 30. et 32.

Vers. 14. SELEMIÆ.) Hic est ille qui v. 1. et seq. vocatur *Meselemias*. Ille enim decurtate ad brevitatem vocatur *Selemias*, sicut *Iechonias* a Ierem. c. 22. vocatur *Chonias*.

Vers. 15. IN QUA PARTE DOMUS ERAT SENIORUM CONCILIUM.) q. d. In parte Australi templi erat locus summi concilii, quod *Sanhedrim* dicebatur, et 72. primoribus, quasi senatoribus constabat. Vide dicta Numer. 11.

Vers. 16. QUÆ DUCIT AD VIAM ASCENSIONIS.) Qua ascendebatur in montem Sion, et in tabernaculum ibidem erectum; ac deinde in templum in eodem a Salomone fabricatum.

CUSTODIA CONTRA CUSTODIAM.) Vatab *Custodia e regione custodiæ*. q. d. Una excubiarum custodia respondebat alteri ex adverso positæ. Videtur enim hæc porta templi Occidentalis præ ceteris duplicem habuisse custodiam, ob maiorem in ea populi frequentiam, ideoque maius in ea tumultus periculum. Id ita esse liquet ex v. 18.

Vers. 18. IN CELLULIS QUOQUE IANITORUM AD OCCIDENTEM QUATUOR IN VIA, BINIQUE PER CELLULAS.) q. d. Ad portam templi Occidentalem, *in cellulis ianitorum*, excubabant *quatuor* Levitæ ianitorum principes, *in via* ascensionis, de qua dictum est vers. 16. ac insuper *bini* alii principes, *per cellulas* statas excubitorum distributi agebant excubias cum Levitis minoribus sibi subditis. Hinc vides plures et maiores fuisse excubias ad portam Occidentalem, quam ad ceteras templi, ut dixi.

Vers. 29. AD OPERA FORINSECUS.) Puta ad ligna et lapides cædendos et poliendos, ad vineas, prata, et agros templi colendos, etc.

CAPUT VICESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur 12. Principes, qui vicissim per 12. anni menses præerant 24. millibus militum. Insuper Principes singularum tribuum, ac Officiales Davidis, tum qui domi rebus domesticis, tum qui foris eius vineis, agris, bobus, camelis, ovibus præerant.

1. FILII autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni, et centuriones, et præfecti, qui ministrabant regi iuxta turmas suas, ingredientes et egredientes per singulos menses in anno, viginti quatuor millibus singuli præerant. 2. Primæ turmæ in primo mense Iesboam præerat filius Zabdiel, et sub eo vigintiquatuor millia. 3. De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo. 4. Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahohites, et post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus vigintiquatuor millium. 5. Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio, erat Banaias filius Ioiadæ sacerdos: et in divisione sua vigintiquatuor millia. 6. Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, et super triginta; præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius eius. 7. Quartus, mense quarto, Asahel frater Ioab, et Zabadias filius eius post eum: et in turma eius vigintiquatuor millia. 8. Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Iezerites: et in turma eius vigintiquatuor millia. 9. Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites: et in turma eius vigintiquatuor millia. 10. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim: et in turma eius vigintiquatuor millia. 11. Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi: et in turma eius vigintiquatuor millia. 12. Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Iemini: et in turma eius vigintiquatuor millia. 13. Decimus, mense decimo, Marai, et ipse Netophathites de stirpe Zarai: et in turma eius vigintiquatuor millia. 14. Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim: et in turma eius vigintiquatuor millia. 15. Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniel: et in turma eius vigintiquatuor millia. 16. Porro tribubus præerant Israel, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha: 17. Levitis, Hasabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc: 18. Iuda, Eliu frater David: Issachar, Amri filius Michael. 19. Zabulonitis, Iesmaias filius Abdiæ: Nephthalitibus, Ierimoth filius Ozriel: 20. Filiis Ephraim, Osee filius Ozaziu: dimidiæ tribui Manasse, Ioel filius Phadaiæ: 21. Et dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Iaddo filius Zachariæ: Beniamin autem, Iasiel filius Abner: 22. Dan vero, Ezrihel filius Ieroham: hi principes filiorum Israel. 23. Noluit autem David numerare eos a viginti annis inferius: quia dixerat Dominus ut multiplicaret Israel quasi stellas cæli. 24. Ioab filius Sarviæ cœperat numerare, nec complevit: quia super hoc ira irruerat in Israel: et idcirco numerus eorum qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David. 25. Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel; his autem thesauris, qui erant in urbibus, et in vicis, et in turribus, præsidebat Ionathan filius Oziæ. 26. Operi autem rustico, et agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub: 27. Vinearumque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis, Zabdias Aphonites. 28. Nam super oliveta et ficeta, quæ erant in campestribus, Balanan Gederites: super apothecas autem olei, Ioas. 29. Porro armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites: et super boves in vallibus, Saphat filius Adli: 30. Super camelos vero, Ubil Ismahelites: et super asinos, Iadias Meronathites. 31. Super oves quoque, Iaziz Agareus. Omnes hi, principes substantiæ regis David. 32. Ionathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens et litteratus: Ipse et Iahiel filius Hachamoni erant cum filiis regis. 33. Achitophel etiam consiliarius regis, et Chusai Arachites amicus regis. 34. Post Achitophel fuit Ioiada filius Banaiæ, et Abiathar. Princeps autem exercitus regis erat Ioab.

NOTA, sicut David duobus capitibus præced. sacerdotes æque ac Levitas in 24. classes distribuit, quæ vicissim Deo in templo hebdomadatim deservirent; sic hic reliquum populum, puta Israelitas ad bellum idoneos, in 12. classes distribuit, et cuique classi suum præficit principem, ut singulæ classes vicissim semel in anno per mensem Regi et Reip. ad bellum deserviant, ut scilicet vicissim 24. millia armatorum cum suo duce sibi sint præsto ad omnem bellicam expeditionem. Fuit hæc politica et prudens Davidis sanctio; tum ut hac ratione omnes subditos exerceret in armis, ut discerent belligerare; tum ad sui, regnique tutelam. Cum enim Israelitæ pauci un-

dique hostibus cingerentur, scilicet Philisthæis, Idumæis, Ammonitis, Arabibus, Ægyptiis, necessum fuit eis, semper paratos esse ad bellum. Ne ergo subita hostium irruptione opprimerentur, statuit David, ut 24. millia semper in armis pro regis regnique custodia excubarent, et hostibus irruentibus illico occurrerent. Hoc autem subditis non erat grave, quia uno tantum mense in anno quisque cum armis in aciem prodire debebat, reliquis vero mensibus domi res suas curabat. Rursum, hac ratione parcebatur exactionibus pecuniarum, quæ ingentes pro exercitu conscribendo et alendo indici solent. Nam quisque suo mense, quo in exercitu armatus comparere debebat, seipsum alebat. Hac ratione effecit, ut semper ad manum haberet numerosum militem, eumque recentem et veteranum, ut quibusvis et quantisvis hostibus resistere posset: quia pro numero hostium poterat tot millia ex singulis classibus evocare quot opus erat. Denique totus Israelis populus distributus in duodecim classes bellatorum, conflabat quasi totidem exercitus validos: quæque enim classis constabat 24. millibus armatorum, suumque habebat ducem sive principem, quorum quilibet hic ordine suo recensetur. Dux autem quilibet suum habebat vicarium, qui ei ægrotanti vel aliis occupato succederet, et classem eius in aciem duceret regeretque, ut patet v. 4. et 7. Sic Romani olim rerum domini multas semper legiones in armis habebant, easque per provincias distribuebant, ut eas in officio et obedientia continerent, ac provinciarum sumptibus alebant. Sic Chinenses semper in armis habent centum millia militum, qui contra Tartaros excubant, ne Chinam invadant.

Et post se alter nomine Macelloth.) q. d. *Dudiæ*, qui dux erat secundæ turmæ, absenti vel impedito datus fuit vicarius *Macelloth*, qui eius vice turmam duceret, uti iam dixi. Vers. 4.

Et Zabadias filius eius post eum.) q. d. *Asaheli* principi quartæ turmæ, datus fuit vicarius eius filius *Zabadias*. Vers. 7.

Porro tribubus præerant.) Hic recensentur singularum duodecim tribuum principes, qui erant earum primogeniti. At vero militiæ principes non erant hi primogeniti, sed viri animo, robore et scientia militari præstantes, ideoque a Davide selecti. Vers. 16.

Quia super hoc ira (Dei) irruerat super Israel.) Deus enim ob numeratum a Davide populum, immisit pestem quæ 70. millia absumpsit. Vide dicta. 2. Reg. ult. Vers. 24.

Post Achitophel fuit Ioiada filius Banaiæ, et Abiathar.) q. d. *Achitopheli* consiliario Davidis vita per laqueum functo successit *Ioiada et Abiathar* Pontifex, qui Davidi fuere ab intimis consiliis. Vers. 34.

CAPUT VICESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David convocatos regni Principes æque ac Salomonem hortatur, ut Dei leges exacte custodiant: inde vers. 11. Salomoni dat ideam templi, omniumque eius partium et vasorum, quam cælitus a Deo acceperat.

1. Convocavit igitur David omnes principes Israel, duces tribuum, et præpositos turmarum, qui ministrabant regi: tribunos quoque et centuriones, et qui præerant substantiæ et possessionibus regis, filiosque suos cum eunuchis, et potentes, et robustissimos quosque in exercitu Ierusalem. 2. Cumque surrexisset rex, et stetisset, ait: Audite me fratres mei, et populus meus: Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, et scabellum pedum Dei nostri: et ad ædificandum, omnia præparavi. 3. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fuderis. 4. Sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum: de Iuda enim elegit principes: porro de domo Iuda, domum patris mei: et de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israel. 5. Sed et de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel, 6. Dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, et atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem. 7. Et firmabo regnum eius usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea, et iudicia, sicut et hodie. 8. Nunc ergo coram universo cœtu Israel, audiente Deo nostro, custodite, et perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri: ut possideatis Terram bonam, et relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum. 9. Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum. 10. Nunc ergo quia elegit te Dominus ut ædificares domum Sanctuarii, confortare, et perfice. 11. Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, et templi, et cellariorum, et cœnaculi, et cubiculorum in adytis, et domus propitiationis, 12. Necnon et omnium quæ cogitaverat atriorum, et exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, et in thesauros sanctorum, 13. Divisionumque Sacerdotalium et Leviticarum, in omnia opera domus Domini, et in universa vasa ministerii templi Domini. 14. Aurum in pondere per singula vasa ministerii. Argenti quoque pondus pro vasorum et operum diversitate. 15. Sed et in candelabra aurea, et ad lucernas eorum, aurum pro mensura uniuscuiusque candelabri et lucernarum. Similiter et in candelabra argentea, et in lucernas eorum, pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradidit. 16. Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum: similiter et argentum in alias mensas argenteas. 17. Ad fuscinulas quoque, et phialas, et thuribula, ex auro purissimo, et leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum et leunculum. Similiter et in leones argenteos diversum argenti pondus separavit. 18. Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim, extendentium alas, et velantium arcam fœderis Domini. 19. Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris. 20. Dixit quoque David Salomoni filio suo: Viriliter age, et confortare, et fac: ne timeas, et ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit, et non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini. 21. Ecce divisiones Sacerdotum et Levitarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, et parati sunt, et noverunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.

Vers. 1. CUM EUNUCHIS.) Eunuchi olim præerant aulæ regiæ, ac præsertim gynecæo; hinc quilibet præfecti aulæ, sive palatini, vocantur *Eunuchi*, ut dixi Genes. 37. 36.

Vers. 2. ET SCABELLUM DEI NOSTRI.) Ita vocatur arca fœderis, quia super arcam extantes Cherubini iunctis alis sedem quasi Deo exhibebant, ita ut arca subiecta esset quasi scabellum pedum eius, ut dixi Exodi 15.

Vers. 4. DE IUDA ENIM ELEGIT PRINCIPES.) Hebr. Chald. et Septuag. habent in singulari, *principem*, sed *principem*, hoc est *principes* sibi continua serie succedentes, iuxta illud Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, nimirum Messias, sive Christus de Iuda et Davide nasciturus.

Vers. 9. TU AUTEM SALOMON FILI MI SCITO DEUM.) *Scito*, id est cognosce Deum, ut scilicet firmiter credas, sæpeque cogites et æstimes immensam Dei maiestatem, potentiam, iustitiam, bonitatem; ut hæc cognitio crebraque cogitatio et meditatio te impellat ad iugiter eum colendum, timendum et amandum.

Vers. 11. DOMUS PROPITIATIONIS.) Id est Sancti sanctorum; in eo enim erat propitiatorium supra arcam, ex quo Deus propitius Pontifici oracula, et populo beneficia præstabat.

Vers. 12. THESAUROS SANCTORUM.) Intelligit gazophylacia, sive æraria in quibus pecunia Deo oblata et sanctificata, id est consecrata asservabatur.

Vers. 13. DIVISIONUMQUE SACERDOTALIUM ET LEVITICARUM.) Ita vocat 24. classes in quas divisi erant sacerdotes et Levitæ, de quibus dixit c. 23. et 24.

Vers. 17. LEUNCULOS AUREOS, etc. ET IN LEONES ARGENTEOS.) Horum leunculorum et leonum nulla facta est mentio in descriptione templi 3.Reg. cap.7. et 8. quare incertum est, quo loco, et ad quem usum collocati sint. Porro Septuag. Vatab. Pagnin. et Abul. pro כפיר *Kephir*, id est *leunculus*, legentes כפור *cappor*, vertunt: *crateres* aut *cyathos*.

Vers. 18. ALTARI AUTEM IN QUO ADOLETUR INCENSUM (puta altari thymiamatis, quod erat in Sancto obversum Sancto sanctorum) AURUM PURISSIMUM DEDIT, UT (Hebr. Septuag. et Latina Regia habent: *et ut*) EX EO FIERET SIMILITUDO QUADRIGÆ CHERUBIM EXTENDENTIUM ALAS,

Quadriga Cherubim quæ? ET VELANTIUM ARCAM FOEDERIS DOMINI.) Quæres, Quæ et qualis fuit hæc *quadriga Cherubim?* an eadem cum Cherubinis Mosaicis et Salomonicis, qui recensentur 3. Reg. c. 7. et 8. Noster Hieron. Prado in caput 1. Ezech. pag. 35. censet esse eosdem. Ait enim Salomonem ex biga Cherubinorum a Mose factorum, fecisse quadrigam, quia duobus Cherubinis Mosis adiecit duos alios, itaque ex biga fecit quadrigam. Addidit enim plaustrum cum rotis, cui arca imponeretur. Ita Prado.

Verum dico aliam prorsus esse hanc quadrigam, aliosque Cherubinos ab iis duobus, quos Moses fabricavit, et aliis duobus, quos iisdem adiecit Salomon 3. Reg. cap. 7. et 8. Patet id primo, quia illi erant iuxta arcam in Sancto sanctorum; hi vero facti sunt in Sancto super altare Thymiamatis, uti hic dicitur.

Secundo, quia hic Script. ait Salomonem eos fecisse *in similitudinem;* ergo non erant iidem, sed similes Cherubinis arcæ.

A Tertio, quia Cherubini Salomonis additi Mosaicis non faciebant quadrigam, nec unum quid; sed ab eis prorsus erant disparati. Nam Mosaici supra arcam positi vultus sibi obvertebant, seque mutuo alis quasi manibus expansis complectebantur; Salomonici vero positi erant ad latus arcæ, ut eam cum Cherubinis Mosaicis velarent et tegerent: ac uterque eorum erat ex eodem latere, expandendo alas per totam Sancti sanctorum longitudinem, ita ut unus Cherub ala sua extima tangeret parietem Meridionalem, alter vero ala sua extima tangeret parietem Septemtrionalem Sancti sanctorum. Ergo non poterant facere quadrigam, sed tantum unum latus quadrigæ, sive currus.

Quarto, de plaustro cum rotis cui insisteret arca, quod astruit Prado, nihil uspiam habet Script.

Dico ergo Cherubinos non tantum circa arcam, sed etiam in altari Thymiamatis fuisse fabricatos, de iisque hic agi. Erant illi similes Cherubinis arcæ. Sicut enim isti alis expansis iunctisque velabant arcam, ita hi alis ex-

B pansis iunctisque velabant altare thymiamatis, ut sedem sive solium quasi præberent Deo, ac Deus iis insidens videretur excipere fumum thymiamatis, qui ei adolebatur in altari.

Dicitur *quadriga* Hebr. מרכבה *merkaba*, id est *currus*, non quod essent quatuor Cherubini; erant enim bini dumtaxat, quorum uterque sese invicem vultu obverso respicientes, duabus alis expansis, et cum alis alterius ex adverso positi coniunctis, faciebant quadrum sive quadratum, itaque quasi *quadrigam*, id est currum quadratum. Ita Abul.

Sensus ergo est, q. d. David dedit *aurum purissimum*, ut ex eo fabricaretur altare thymiamatis, et in eodem currus Cherubim, similis currui Cherubim velantium arcam fœderis, quem fabricarat Moses. Hunc sensum exigunt Hebræa, quæ pro *ut*, habent: *et ut*.

C Quid Cherubini ad literam et mystice significarint, fuse dixi Exodi 25. Ezech. 1. et Apocal. 4.

OMNIA INQUIT VENERUNT SCRIPTA MANU DOMINI AD ME, UT INTELLIGEREM UNIVERSA OPERA EXEMPLARIS.) Deus ergo in tabula descripsit totam ideam templi, illamque per manus Angeli tradidit Davidi, ut is eamdem traderet Salomoni, qui iuxta eam templum ædificaret. Similem ideam tabernaculi Deus tradidit Mosi, Exodi 25. 40. *Inspice*, inquit, *et fac secundum exemplar quod tibi in monte* (Sinai) *monstratum est. Exemplar* enim sive *paradigma*, ut vertunt Sept. vocat ideam, sive delineationem tabernaculi et templi, tum exemplarem, tum literalem et verbalem, ut scilicet litteris et verbis scriptis explicaret ipsam ideæ delineationem, quæ alioqui cum esset obscura et involuta, ex solo intuitu vix a Davide intelligi potuisset. Quare ut ipse et Salomon eam intelligerent, Deus verbis eamdem explicuit, scribendo litteris expressis: ita facies Sanctum, ita Sanctum sanctorum, ita atrium, ita altare utrumque, ita candelabrum, ita mensam panum propositionis, idque ex tali materia, tali forma, tanta altitudine. Et hoc est, quod hic ait David: *Venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Ita Abul.

CAPUT VICESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur impensæ a Davide præparatæ ad fabricam templi: Item ea quæ illis adiecere principes et populus. Mox vers. 22 Salomon secundo publice ungitur in regem, ac David plenus dierum et meritorum moritur.

1. LOCUTUSQUE est David Rex ad omnem ecclesiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum et tenellum: opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. 2. Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei: aurum ad vasa aurea, et argentum in argentea, æs in æneа, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum

colorum, omnemque pretiosum lapidem, et marmor Parium abundantissime: 3. Et super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum et argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparavi in ædem sanctam. 4. Tria millia talenta auri de auro Ophir: et septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi. 5. Et ubicumque opus est aurum de auro, et ubicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum: et si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, et offerat quod voluerit Domino. 6. Polliciti sunt itaque principes familiarum, et proceres tribuum Israel, tribuni quoque, et centuriones, et principes possessionum regis. 7. Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, et solidos decem millia: argenti talenta decem millia, et æris talenta decem et octo millia: ferri quoque centum millia talentorum. 8. Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Iahiel Gersonitis. 9. Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino: sed et David rex lætatus est gaudio magno. 10. Et benedixit Domino coram universa multitudine, et ait: Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri ab æterno in æternum. 11. Tua est Domine magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria: et tibi laus, cuncta enim quæ in cælo sunt, et in terra, tua sunt: tuum Domine regnum, et tu es super omnes principes. 12. Tuæ divitiæ, et tua est gloria: tu dominaris omnium, in manu tua virtus et potentia: in manu tua magnitudo, et imperium omnium. 13. Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, et laudamus nomen tuum inclytum. 14. Quis ego, et quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia: et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. 15. Peregrini enim sumus coram te, et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 16. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia. 17. Scio Deus meus quod probes corda, et simplicitatem diligas, unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 18. Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in venerationem tui mens ista permaneat. 19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua, et ceremonias tuas, et faciat universa: et ædificet ædem, cuius impensas paravi. 20. Præcepit autem David universæ ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum: et inclinaverunt se, et adoraverunt Deum, et deinde regem. 21. Immolaveruntque victimas Domino: et obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus suis, et universo ritu abundantissime in omnem Israel. 22. Et comederunt, et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. Et unxerunt secundo Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in principem, et Sadoc in pontificem. 23. Seditque Salomon super solium Domini, in regem pro David patre suo, et cunctis placuit: et paruit illi omnis Israel. 24. Sed et universi principes, et potentes, et cuncti filii regis David dederunt manum, et subiecti fuerunt Salomoni regi. 25. Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israel: et dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel. 26. Igitur David filius Isai regnavit super universum Israel. 27. Et dies, quibus regnavit super Israel, fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnavit septem annis, et in Ierusalem annis triginta tribus. 28. Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, et divitiis, et gloria; et regnavit Salomon filius eius pro eo. 29. Gesta autem David regis priora, et novissima, scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, et in Libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad Videntis: 30. Universique regni eius, et fortitudinis, et temporum, quæ transierunt sub eo, sive in Israel, sive in cunctis regnis terrarum.

Vers. 2. QUASI STIBINOS.) Id est similes stibio, quo mulieres faciei fucum inducunt, ut videantur esse formosiores quam sint. Unde Hebr. est *lapides fuci*, qui scilicet intuentibus facerent fucum, ut in iis apparerent miræ et elegantes variarum rerum formæ, quæ tamen revera in eis non erant, quales sunt quos appellant *Agates*, in quibus arborum, avium, insularum natantium, et quarumlibet rerum effigies quasi expictæ apparent, quæ oculatissimos etiam decipiunt, ut vere putent illas ibidem existere: hi ergo sunt lapides *stibini* sive *fuci*, qui fucum faciunt oculis, eosque suis imaginibus quas repræsentant, deludunt.

ET MARMOR PARIUM.) Ex Paro insula una ex Cycladibus, quod est album et præstantissimum. τὸ *Parium* non est in Hebræo, sed in Sept. et Nostro, quia marmor hoc a Davide ad Dei templum paratum, fuit selectum et optimum, quale est Parium.

EXCEPTIS HIS QUÆ PRÆPARAVI IN ÆDEM SANCTAM.) q. d. Præter illa quæ ex spoliis hostium et regnis subactis præparavi et congressi ad fabricam templi, quæ summam faciunt centum millium talentorum auri, et mille millium talentorum argenti, ut dictum est c. 22. 14. insuper in eamdem domus Dei mei fabricam ex meo peculio do ea, quæ iam pridem obtuli et promisi, nimirum tria millia talentorum auri ex Ophir allati, ideoque præstantissimi, etc.

Vers. 5. IMPLEAT MANUM SUAM.) Auro et donis quæ liberaliter vult offerre Deo pro fabrica templi.

Vers. 6. PRINCIPES POSSESSIONUM REGIS.) Scilicet præfecti vineis, agris, armentis, ovibus, ceterisque opibus Davidis.

IN SIMPLICITATE CORDIS MEI LÆTUS OBTULI.) Hebr. *in rectitudine cordis.* Sept. *in iustitia*, q. d. obtuli hæc *simplici*, id est sincero, recto et candido corde, et purissima intentione, non aliud spectans vel intendens, quam Dei honorem et gloriam. Hoc enim omnino dignum et iustum est. Vers. 17.

IMMOLAVERUNTQUE VICTIMAS.) Tum holocausta, tum pacificas, e quibus comedere et epulari poterant laici; unde ex his omnes epulati sunt. Subdit enim: Vers. 21.

ABUNDANTISSIME IN OMNEM ISRAEL.) q. d. Tot victimæ abunde suffecerunt, ut ex eis omnes Israelitæ tunc præsentes laute epularentur.

ET UNXERUNT SECUNDO SALOMONEM.) Prius enim privatim coram paucis unctus fuerat, 3. Reg. 1. v. 39. hic ergo secundo ungitur publice, ut omnes sciant eum esse regem Israelis, ac ut talem revereantur et colant. Hac de causa David convocavit totum populum, ut Salomon iterum præsente universo Israele et approbante ungeretur.

ET SADOC IN PONTIFICEM.) Quia Sadoc fuerat Pontifex a Saule designatus, Abiathar vero succedens Achitob et Heli pontificibus apud Davidem functus fuerat pontificatu; hinc nonnulli Saulis hostes et Davidis asseclæ, nolebant Sadoc recipere ut Pontificem; quare David iubet eum ungi in Pontificem, ut omnes eum ut talem acceptent, et honorent. Noluit enim David Sadoc privare suo gradu, quem apud Saulem per tot annos habuerat, quique ei iure debebatur, eo quod esset ex posteris Eleazar, qui erat primogenitus Aaronis, ideoque ei in pontificatu successor.

COMMENTARIA

IN LIBRUM SECUNDUM

PARALIPOMENON.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon oblatis victimis in Gabaon, petit a Deo sapientiam, et impetrat cum maximis opibus et gloria, pompaque equitum et curruum.

CONFORTATUS est ergo Salomon filius David in regno suo, et Dominus Deus eius erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum. 2. Præcepitque Salomon universo Israeli, tribunis, et centurionibus, et ducibus, et iudicibus omnis Israel, et principibus familiarum: 3. Et abiit cum universa multitudine in Excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine. 4. Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim, in locum quem præparaverat ei, et ubi fixerat illi tabernaculum, hoc est in Ierusalem. 5. Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini: quod et requisivit Salomon, et omnis ecclesia. 6. Ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, et obtulit in eo mille hostias. 7. Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi. 8. Dixitque Salomon Deo: Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam: et constituisti me regem pro eo. 9. Nunc ergo Domine Deus impleatur sermo tuus, quem pollicitus es David patri meo: tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quam pulvis terræ. 10. Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, iudicare? 11. Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, et non postulasti divitias, et substantiam, et gloriam, neque animas eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos; petisti autem sapientiam et scientiam, ut iudicare possis populum meum, super quem constitui te regem. 12. Sapientia et scientia data sunt tibi: divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui. 13. Venit ergo Salomon ab excelso Gabaon in Ierusalem coram tabernaculo fœderis, et regnavit super Israel. 14. Congregavitque sibi currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum: et fecit eos esse in urbibus quadrigarum, et cum rege in Ierusalem. 15. Præbuitque rex argentum et aurum in Ierusalem quasi lapides, et cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna. 16. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, et de Coa, a negotiatoribus regis, qui ibant, et emebant pretio, 17. Quadrigam equorum sexcentis argenteis, et equum centum quinquaginta: similiter de universis regnis Hethæorum, et a regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

HOC caput usque ad v. 13. explicui lib. 3. Reg. c. 3. cetera vero c. 10. v. 26.

Vers. 5. ALTARE QUOQUE ÆNEUM.) Id est altare holocaustorum, in quo cremabantur victimæ, quod proinde *erat æneum;* alterum enim altare thymiamatis, in quo Deo adolebatur incensum, erat aureum.

REQUISIVIT.) Proficiscendo in Gabaon, ubi erat altare æneum, ut in eo offerret mille victimas.

UT INGREDIAR ET EGREDIAR CORAM POPULO.) Ut quasi Vers. 10.
rex populum ducam et reducam, quocumque opus est, sicut pastor oves ad pascua educit, et vespere ad caulam reducit.

CORAM TABERNACULO FOEDERIS.) Hebr. *de coram ta-* Vers. 13.
bernaculo. Sept. *a facie tabernaculi:* hoc enim erat in Gabaon, a quo descendens Salomon redibat in Ierusalem.

*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon ad templi fabricam destinat 70. millia baiulorum , et 80. millia latomorum: paciscitur cum Hiram de insigni architecto lignisque transmittendis.

1. DECREVIT autem Salomon ædificare domum nomini Domini , et palatium sibi. 2. Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, et octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos. 3. Misit quoque ad Hiram regem Tyri , dicens : Sicut egisti cum David patre meo, et misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum, in qua et habitavit: 4. Sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei , ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo , et fumiganda aromata , et ad propositionem panum sempiternam , et ad holocautomata mane , et vespere , sabbatis quoque, et neomeniis, et solemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israeli. 5. Domus enim, quam ædificare cupio , magna est : magnus est enim Deus noster super omnes deos. 6. Quis ergo poterit prævalere , ut ædificet ei dignam domum? si cælum , et cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum , ut possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantum , ut adoleatur incensum coram illo. 7. Mitte ergo mihi virum eruditum , qui noverit operari in auro, et argento, ære, et ferro, purpura, coccino, et hyacinto, et qui sciat sculpere cælaturas , cum his artificibus, quos mecum habeo in Iudæa et Ierusalem, quos præparavit David pater meus. 8. Sed et ligna cedrina mitte mihi, et arceuthina, et pinea, de Libano: scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano, et erunt servi mei cum servis tuis, 9. Ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare, magna est nimis, et inclyta. 10. Præterea operariis, qui cæsuri sunt ligna, servis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, et hordei coros totidem, et vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia. 11. Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum. 12. Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum et terram, qui dedit David regi filium sapientem et eruditum et sensatum atque prudentem, ut ædificaret domum Domino, et palatium sibi. 13. Misi ergo tibi virum prudentem et scientissimum Hiram, patrem meum, 14. Filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius, qui novit operari in auro, et argento , ære , et ferro , et marmore , et lignis, in purpura quoque et hyacintho, et bysso, et coccino: et qui scit cælare omnem sculpturam, et adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, et cum artificibus domini mei David patris tui. 15. Triticum ergo , et hordeum, et oleum, et vinum, quæ pollicitus es domine mi, mitte servis tuis. 16. Nos autem cædemus ligna de Libano , quot necessaria habueris , et applicabimus ea ratibus per mare in Ioppe: tuum autem erit transferre ea in Ierusalem. 17. Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumeravit David pater eius, et inventi sunt centum quinquaginta millia , et tria millia sexcenti. 18. Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent , et octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent : tria autem millia et sexcentos præpositos operum populi.

HOc caput exposui lib. 3. Reg. c. 5.

NUMERAVIT SEPTUAGINTA MILLIA VIRORUM.) Hi non erant Israelitæ sed proselyti, ut patet v. 17.

Vers. 2. PRÆPOSITOS.) Qui dirigerent , et simul urgerent operarios ad fabricam templi accelerandam, et concinne adornandam. Hoc enim significat Hebr. נצח *netsach.*

HIRAM PATREM MEUM.) Quem scilicet ego ob virtutem, Vers. 13.
sapientiam et industriam, veneror ut patrem. Vide dicta 3. Reg 7. 13. Heb. Sept. et Chald. habent *Hiram patris mei*, subaudi, architectum et famulum.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon magnificum extruit templum, et ante illud duas collocat columnas, Iachin et Booz.

1. ET cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria , qui demonstratus fuerat David patri eius , in loco, quem paraverat David in area Ornan Iebusæi. 2. Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui. 3. Et hæc sunt fundamenta , quæ iecit Salomon , ut ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti. 4. Porticum vero ante frontem, quæ tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus , cubitorum viginti : porro altitudo centum viginti cubitorum erat : et deauravit eam intrinsecus auro mundissimo. 5. Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abiegnis , et laminas auri obrizi affixit per totum : sculpsitque in ea palmas , et quasi catenulas se invicem complectentes. 6. Stravit quoque pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo. 7. Porro aurum erat probatissimum , de cuius laminis texit domum , et trabes eius , et postes , et parietes, et ostia : et cælavit cherubim

in parietibus. 8. Fecit quoque domum Sancti sanctorum: longitudinem iuxta latitudinem domus, cubitorum viginti: et latitudinem similiter viginti cubitorum: et laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis. 9. Sed et clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent: cænacula quoque texit auro. 10. Fecit etiam in domo Sancti sanctorum cherubim duos, opere statuario: et texit eos auro. 11. Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, et tangeret parietem domus: et altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub. 12. Similiter cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, et tangebat parietem: et ala eius altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat. 13. Igitur alæ utriusque cherubim expansæ erant, et extendebantur per cubitos viginti: ipsi autem stabant erectis pedibus, et facies eorum erant versæ ad exteriorem domum. 14. Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, et bysso, et intexuit ei cherubim. 15. Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis: porro capita earum, quinque cubitorum. 16. Necnon et quasi catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit. 17. Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam a destris, et alteram a sinistris: eam, quæ a dextris erat, vocavit Iachin; et quæ ad lævam, Booz.

HOc caput explicui lib. 3. Reg. c. 6.

Vers. 1. In monte Moria.) In quo olim Abraham filium suum Isaac Deo obtulerat, Genes. 22. 14. unde in eodem Christus antitypus se in eodem holocaustum Deo obtulit pro mundi salute. Calvariæ enim mons pars est, vel appendix montis Moria.

Vers. 3. Longitudinis cubitos in mensura prima.) Quia secunda mensura fuit, qua hi 60. cubiti divisi et dimensi sunt in duas sectiones, scilicet ut ex eis Sanctum haberet 40. cubitos, reliquos vero 20. haberet Sanctum sanctorum. Vide dicta lib. 3. Reg. c. 6. v. 1. sub finem.

Vers. 5. Domum maiorem (ita vocat *Sanctum*, quod erat maius Sancto sanctorum) texit tabulis abiegnis.) Ex abiete; sed immixtis *laquearibus cedrinis*, ut dicitur 3. Reg. 6. 9.

Vers. 7. Porro aurum erat probatissimum.) Hebr. *erat aurum Parvaim*, scilicet effossum ex loco dicto *Ophir*, et per Aphæresin *Parvaim*, vel ut Sept. vertunt: *aurum ex Pharvim.* Sic et Pagnin. Vatab. Arias, Marinus, et alii qui putant *Parvaim* esse *Peru*. Videtur enim utrobique esse eadem vox eædemque litteræ. Dici vero *Parvaim* in duali, quia regio *Peru* est duplex, maior scilicet et minor. Verum nomen *Peru* tunc erat incognitum, et etiamnum indigenis *Peru* est ignotum. Inditum est enim isti regioni nuper ab Hispanis, a flumine vicino quodam ita dicto, uti testatur Iosephus Acosta, qui in *Peru* vixit 15. annis, lib. 1. de novo orbe c. 14.

Marinus in Lexico scribit nonnullos *Parvaim* deducere a, *Par*, id est, *iuvencus*, eo quod aurum *Parvaim* rubeat ut sanguis iuvenci.

Melius dicas *Ophir* et *Parvaim* esse in India Orientali, esseque Sumatram, Taprobanam, Pegu, et alias ibidem auriferas regiones, quæ a Salomone et Hebræis nuncupatæ sint, *Ophir* et *Parvaim* a rad. פרה *Para*, id est *fructificavit*, eo quod summe sint frugiferæ, et auri feracissimæ. Hæ voces quoque alludunt ad אפר *Epher*, id est *cinis*, eo quod massæ terreæ, e quibus liquatur aurum, habeant colorem cinereum; sicut rubrica, e qua liquatur ferrum, habet colorem terræ rubræ. Alludit quoque ad פאר *Peer*, id est *decus* splendor, q. d. sub *Epher*, id est *cinere* latet *Peer*, id est *aurum decorum* fulgidum et splendidum. Vide dicta 3. Reg. 9. v. ult.

In oraculo.) Id est, sicut in oraculo. Erant enim hæ catenulæ in columnis, similes catenulis oraculi, sive Sancti sanctorum. Vers. 10.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon fabricat altare holocaustorum, mare fusile, duas conchas aureas, decem candelabra aurea, mensas, phialas, ceteraque vasa templi.

1. FECIT quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis. 2. Mare etiam fusile decem cubitis a labio usque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius. 3. Similitudo quoque boum erat subter illud, et decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus alvum maris circuibant. Boves autem erant fusiles: 4. Et ipsum mare super duodecim boves impositum erat, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, et alii tres ad Occidentem: porro tres alii Meridiem, et tres qui reliqui erant, Orientem, habentes mare superpositum: posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari. 5. Porro vastitas eius habebat mensuram palmi, et labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilii: capiebatque tria millia metretas. 6. Fecit quoque conchas decem: et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant: porro in mari sacerdotes lavabantur. 7. Fecit autem et candelabra aurea decem, secundum speciem qua iussa erant fieri: et posuit ea in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris. 8. Necnon et mensas decem: et posuit eas in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris: phialas quoque aureas centum. 9. Fecit etiam atrium sacerdotum, et basilicam grandem: et ostia in basilica, quæ texit ære. 10. Porro mare posuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem. 11. Fecit autem Hiram lebetes, et creagras, et phialas: et complevit omne opus regis in domo Dei: 12. Hoc est, columnas duas, et epistylia, et capita, et quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia. 13. Malogranata quoque quadringenta, et retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur, quæ protegerent epistylia, et capita columnarum. 14. Bases etiam fecit, et conchas, quas superposuit basibus: 15. Mare unum, boves quoque duodecim sub mari. 16. Et lebetes, et creagras, et phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater eius in

domo Domini ex ære mundissimo. 17. In regione Iordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochot et Saredatha. 18. Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris. 19. Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, et altare aureum, et mensas, et super eas panes propositionis: 20. Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum iuxta ritum ex auro purissimo: 21. Et florentia quædam, et lucernas, et forcipes aureos: omnia de auro mundissimo facta sunt. 22. Thymiateria quoque, et thuribula, et phialas, et mortariola, ex auro purissimo. Et ostia cælavit templi interioris, id est, in Sancta sanctorum: et ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

HOc caput explicui 3. Reg. 7.

Vers. 1. FUNICULUS TRIGINTA CUBITORUM.) Funiculum vocat circulum, sive peripheriam maris ænei quæ erat 30. cubitorum, scilicet triplo maior diametro eiusdem.

Vers. 3. SIMILITUDO QUOQUE BOUM ERAT SUBTER ILLUD, etc.) q. d. Præter 12. boves æneos, quibus mare fusile incumbebat, erant in anteriore maris parte per spatium decem cubitorum (quæ erat tertia peripheriæ pars: tota enim erat 30. cubitorum) alia boum capita eminentia ad elegantiam; forte etiam ut per illa quasi epistomia aqua educeretur. Porro hæc capita erant, *duobus versibus*, Hebr. *duobus ordinibus* distincta; unus enim ordo erat infra labium, alter versus fundum. Erantque *fusilia*, Hebr. *fusa in fusuras eius*, scilicet maris, q. d. hæc capita non erant forinsecus adiecta et appacta mari, sed cum ipso mari primitus fusorio opere fusa.

Vers. 9. FECIT ATRIUM SACERDOTUM ET BASILICAM GRANDEM.) Id est, ut habent Hebr. et Sept. *atrium magnum*, in quo populus orabat, quæ erat subdialis area undique porticibus cincta, ut tempore pluvio iis tegeretur populus, eo se recipiens; quæ porticus triplici columnarum ordine, et triplici contignatione distinguebantur. Porro hoc atrium populi cingebat et ambiebat a tribus lateribus atrium sacerdotum, eratque quasi templum populi. Hinc Hebr. dicitur *azara*, id est *adiutorium*, quia Deum ibi orans populus eius auxilium sentiebat, in huius divini adiutorii exemplum, in eo Deus, quin et gentiles asylum constituerunt; et forte ex *azar azirum*, et inde *asylum* dictum est. Testis est Strabo lib. 14. et Cicero 3. in Verrem, Ephesi Dianæ templum id iuris habuisse, ut ad illud confugientes mancipia vinculis et servitute solverentur. Quin et Ælian. lib. 11. de animal. 6. et Gyrald. syntag. 15. de diis gentium, memorant in Parthenio monte delubrum fuisse Panis, ibique locum nomine Aulam omnibus animalibus fuisse velut asilum, quem leones et lupi dum feras insectabantur adire non auderent, sed repente subsisterent feris relictis. Sicut ferunt in Dianæ Ætoliæ luco canes, dum feras insequuntur, ubi ad lucum confugerint, ab insectatione quiescere. Quæ omnia, ait Vilalpandus in Ezech. tom. 2. p. 202. dæmonis figmenta, ad æmulandam Dei opem in templis sibi dicatis demonstratam excogitata sunt. Sic Barbari quasi a Deo territi, templis abstinuerunt, ait S. Aug. lib. 1. civit. Dei c. 2. 3. 4. 6.

ET FLORENTIA QUÆDAM.) Hebr. *et flores*, v. g. rosarum, liliorum, garyophyllorum, etc. erant hi flores ex auro fabrefacti. Vers. 21.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon vasa sacra cum donariis in templum, ac arcam fœderis in Sanctum sanctorum inducit: Deus per nebulam in eodem gloriam suam ostendit.

1. INTULIT igitur Salomon omnia, quæ voverat David pater suus, argentum, et aurum, et universa vasa posuit in thesauris domus Dei. 2. Post quæ congregavit maiores natu Israel, et cunctos principes tribuum, et capita familiarum de filiis Israel in Ierusalem, ut adducerent arcam fœderis Domini de Civitate David, quæ est Sion. 3. Venerunt itaque ad regem omnes viri Israel in die solemni mensis septimi. 4. Cumque venissent cuncti seniorum Israel, portaverunt Levitæ arcam, 5. Et intulerunt eam, et omnem paraturam tabernaculi. Porro vasa sanctuarii, quæ erant in tabernaculo, portaverunt Sacerdotes cum Levitis. 6. Rex autem Salomon, et universus cœtus Israel, et omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes, et boves absque ullo numero: tanta enim erat multitudo victimarum. 7. Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubim: 8. Ita ut cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, et ipsam arcam tegerent cum vectibus suis. 9. Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum: si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem. 10. Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto. 11. Egressis autem Sacerdotibus de sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices, et ministeriorum ordo inter eos divisus erat). 12. Tam Levitæ quam cantores, id est, et qui sub Asaph erant, et qui sub Eman, et qui sub Idithun, filii, et fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, et psalteriis, et citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris, et cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis. 13. Igitur cunctis pariter, et tubis, et voce, et cymbalis, et organis, et diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus: longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent et dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius; impleretur domus Dei nube, 14. Nec possent Sacerdotes stare et ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei.

Caput hoc exposui 3. Reg. 8.

Vers. 9. VECTIUM AUTEM, etc.) Sensus est, q. d. Vectes quibus portabatur arca, longiores erant non oraculo, sed ipsa arca; quare apparebant sacerdotibus qui stabant in Sancto, ad fores Oraculi, sive Sancti sanctorum; si quis vero EXTRINSECUS, id est extra fores Oraculi remotius constitisset, eos videre non poterat.

FUIT ITAQUE ARCA IBI USQUE IN PRÆSENTEM DIEM.) Quo scilicet hæc scripsit ille qui Diaria sive Chronica Regum Iuda conscripsit, ex quibus hos libros Paralipomenon conscripsit et concinnavit Esdras. Nam tempore ipsius Esdræ arca non erat in templo, utpote iam a Chaldæis exusto, sed ante urbis templique excidium Arca a A Ieremia translata fuit in locum incognitum, ut dicitur 2. Machab. 2. 4.

NIHILQUE ERAT IN ARCA, NISI DUÆ TABULÆ.) Quomodo urna cum manna, et Deuteronomium dicantur fuisse in arca, explicui Hebr. 9. 4. Vers. 10.

NEC ADHUC IN ILLO TEMPORE (dedicationis templi) VICES ET ORDO INTER SACERDOTES DIVISUS ERAT.) Hebr. *non observabatur*, sicut exacte observatus fuit post templi dedicationem. Ad hanc enim ob victimas plurimas in ea sacrificandas non sufficiebant sacerdotes et Levitæ, quorum vices ministrandi erant ista hebdomade, sed convocati omnes confluxere ex toto Israele quotquot venire potuerunt. Vers. 11.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon populo benedicit, ac Deo gratias agit, quod promissa Davidi de fabrica templi in se complesset, eumque obsecrat, ut vota orantium in templo exaudiat.

1. TUNC Salomon ait: Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine: 2. Ego autem ædificavi domum nomini eius, ut habitaret ibi in perpetuum. 3. Et convertit rex faciem suam, et benedixit universæ multitudini Israel (nam omnis turba stabat intenta), et ait: 4. Benedictus Dominus Deus Israel, qui quod locutus est David patri meo, opere complevit, dicens: 5. A die, qua eduxi populum meum de Terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, ut ædificaretur in ea domus nomini meo: neque elegi quemquam alium virum, ut esset dux in populo meo Israel, 6. Sed elegi Ierusalem, ut sit nomen meum in ea, et elegi David, ut constituerem eum super populum meum Israel. 7. Cumque fuisset voluntatis David patris mei, ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israel, 8. Dixit Dominus ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, ut ædificares domum nomini meo, bene quidem fecisti huiuscemodi habere voluntatem: 9. Sed non tu ædificabis domum, verum filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. 10. Complevit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat: et ego surrexi pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus: et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel. 11. Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israel. 12. Stetit ergo coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israel, et extendit manus suas. 13. Siquidem fecerat Salomon basim æneam, et posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, et quinque cubitos latitudinis, et tres cubitos altitudinis: stetitque super eam: et deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israel, et palmis in cælum levatis, 14. Ait: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo et in terra: qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo: 15. Qui præstitisti servo tuo David patri meo quæcumque locutus fueras ei: et quæ ore promiseras, opere complesti, sicut et præsens tempus probat. 16. Nunc ergo Domine Deus Israel, imple servo tuo patri meo David quæcumque locutus es, dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint in lege mea, sicut et tu ambulasti coram me. 17. Et nunc Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David. 18. Ergone credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum et cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi? 19. Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem eius, Domine Deus meus: et audias preces, quas fundit famulus tuus coram te: 20. Ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum, 21. Et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo: et exaudias preces famuli tui, et populi tui Israel. Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est, de cælis, et propitiare. 22. Si peccaverit quispiam in proximum suum, et iurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista: 23. Tu audies de cælo, et facies iudicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, et ulciscaris iustum, retribuens ei secundum iustitiam suam. 24. Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi) et conversi egerint pœnitentiam, et obsecraverint nomen tuum, et fuerint deprecati in loco isto, 25. Tu exaudies de cælo, et propitiare peccato populi tui Israel, et reduc eos in terram, quam dedisti eis, et patribus eorum. 26. Si clauso cælo, pluvia non fluxerit propter peccata populi, et deprecati te fuerint in loco isto, et confessi nomini tuo, et conversi a peccatis suis, cum eos afflixeris, 27. Exaudi de cælo Domine, et dimitte peccata servis tuis et populi tui Israel, et doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: et da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. 28. Fames si orta fuerit in terra, et pestilentia, ærugo, et aurugo, et locusta, et bruchus, et hostes, vastatis regionibus, portas obsederint civitatis, omnisque plaga et infirmitas presserit: 29. Si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam et infirmitatem suam, et expanderit manus suas in domo hac, 30. Tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, et propitiare, et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo (tu enim solus nosti corda filiorum hominum): 31. Ut timeant te, et ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 32. Externum quoque, qui non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua, pro-

pter nomen tuum magnum, et propter manum tuam robustam, et brachium tuum extentum, et adoraverit in loco isto, 33. Tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo, et facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus: ut sciant omnes populi terræ nomen tuum, et timeant te sicut populus tuus Israel, et cognoscant, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. 34. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam in qua civitas hæc est, quam elegisti, et domus, quam ædificavi nomini tuo: 35. Tu exaudies de cælo preces eorum, et obsecrationem, et ulciscaris. 36. Si autem peccaverint tibi (neque enim est homo, qui non peccet) et iratus fueris eis, et tradideris hostibus, et captivos duxerint eos in terram longinquam, vel certe quæ iuxta est, 37. Et conversi in corde suo, in terra, ad quam captivi ducti fuerant, egerint pœnitentiam, et deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes: Peccavimus, inique fecimus, iniuste egimus: 38. Et reversi fuerint ad te in toto corde suo, et in tota anima sua, in terra captivitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et urbis, quam elegisti, et domus quam ædificavi nomini tuo: 39. Tu exaudies de cælo, hoc est, de firmo habitaculo tuo, preces eorum, et facias iudicium, et dimittas populo tuo, quamvis peccatori. 40. Tu es enim Deus meus: aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto. 41. Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem, et sancti tui lætentur in bonis. 42. Domine Deus ne averteris faciem christi tui: memento misericordiarum David servi tui.

HOc caput explicui 3. Reg. 8. 12.

Vers. 13. FECERAT SALOMON BASIM ÆNEAM.) Per modum suggestus altioris, in quo sedens docensque vel genuflectens et orans audiretur a toto populo circumstante. Unde additur.

IN MEDIO BASILICÆ.) Id est in medio atrii populi, ut dixi cap. 4. 9.

Vers. 28. ÆRUGO ET AURUGO.) Vitia sunt segetum cum illæ instar æris et auri rubiginem et quasi icterum, ictericumque colorem contrahunt, ut contabescant et exinaniantur.

Vers. 41. CONSURGE DOMINE IN REQUIEM TUAM.) Ut in templo hoc, quod a me fieri iussisti, nobiscum et inter nos quiescas habitesque iugiter. *Requies* ergo Dei est templum, ibi enim colitur ipse precibus, votis, sacrificiis, etc.

TU ET ARCA FORTITUDINIS TUÆ.) In arca enim Deus ostendere solebat suam potentiam et fortitudinem, cum A ad eius præsentiam Iordanem divisit, Ierichuntis muros prostravit, Chananæos, Philisthæos, aliosque hostes Israelis debellavit.

SACERDOTES TUI DOMINE DEUS INDUANTUR SALUTEM.) Ut plane pleneque sint sani et salvi, ut et laicos salvare queant. *Salutem* intelligit tum corporalem, tum potius spiritualem, nimirum iustitiam et sanctitatem. Alludit enim ad Psal. 131. 9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam*, id est iustitia et vitæ sanctitate ita abundent, ut ea quasi veste undique ambiri cingique videantur.

NE AVERTAS FACIEM CHRISTI TUI.) Id est mei ipsius, Vers. 42. qui a te factus sum *Christus*, id est unctus in regem, q. d. ne me a te creatum regem, et facie supplici in cælum ad te intenta orantem repellas; ne me meamque faciem et orationem spernas, et pudore suffundas.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus igne e cælo misso victimas Salomonis inflammat, eique revelat se eius preces exaudisse, ut orantes in templo pro qualibet necessitate exaudiat.

1. CUMQUE complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, et devoravit holocausta et victimas: et maiestas Domini implevit domum. 2. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset maiestas Domini templum Domini. 3. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum: et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, et laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. 4. Rex autem, et omnis populus, immolabant victimas coram Domino. 5. Mactavit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: et dedicavit domum Dei rex, et universus populus. 6. Sacerdotes autem stabant in officiis suis: et Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia eius, hymnos David canentes per manus suas: porro Sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat. 7. Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocausta et adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta et sacrificia et adipes. 8. Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad Torrentem Ægypti. 9. Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem. 10. Igitur in die vigesimo tertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono, quod fecerat Dominus Davidi, et Salomoni, et Israeli populo suo. 11. Complevitque Salomon domum Domini, et domum regis, et omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, et in domo sua, et prosperatus est. 12. Apparuit autem ei Dominus nocte, et ait: Audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii. 13. Si clausero cælum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum: 14. Conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis: et ego exaudiam de cælo, et propi-

tius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum. 15. Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto oraverit. 16. Elegi enim, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum, ibi cunctis diebus. 17. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, et feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, et iustitias meas iudiciaque servaveris: 18. Suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel. 19. Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis iustitias meas, et præcepta mea, quæ proposui vobis, et abeuntes servieritis diis alienis, et adoraveritis eos; 20. Evellam vos de terra mea, quam dedi vobis: et domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, proiiciam a facie mea, et tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis. 21. Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, et dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui huic? 22. Respondebuntque: Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de Terra Ægypti, et apprehenderunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt: idcirco venerunt super eos universa hæc mala.

Hoc caput explicui 3. Reg. 8. et 9.

Vers. 2. Maiestas) Hebr. כבוד *cabod*, id est *gloria*, puta caligo sive nubes splendida et gloriosa, Dei invisibilis maiestatem et gloriam repræsentans.

Vers. 6. Sacerdotes autem stabant in officiis suis. Hebr. per *custodias suas*, scilicet divisi in suas turmas, per officia singulis a Davide imposita. Sic et stabant Levitæ in organis carminum, hoc est cum instrumentis musicis, etc. hymnos canentes per manus suas.) Manibus scilicet pulsando instrumenta musica, quibus psallebant hymnos et carmina, puta psalmos a Davide ad Deum laudandum compositos.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon suum palatium multasque urbes ædificat: reliquias Chananæorum subiugat: sancit victimas statas impensis regis sacrificandas: sacerdotum et Levitarum officia iuxta Davidis descriptionem distribuit: missa classe in Ophir, inde recipit 450. auri talenta.

1. Expletis autem viginti annis, postquam ædificavit Salomon domum Domini et domum suam: 2. Civitates, quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit, et habitare ibi fecit filios Israel. 3. Abiit quoque in Emath Suba, et obtinuit eam. 4. Et ædificavit Palmiram in deserto, et alias civitates munitissimas ædificavit in Emath. 5. Extruxitque Bethoron superiorem, et Bethoron inferiorem, civitates muratas, habentes portas et vectes et seras: 6. Balaath etiam et omnes urbes firmissimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctasque urbes quadrigarum, et urbes equitum; omnia quæcumque voluit Salomon atque disposuit, ædificavit in Ierusalem et in Libano, et in universa terra potestatis suæ. 7. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, et Amorrhæis, et Pherezæis, et Hevæis, et Iebusæis, qui non erant de stirpe Israel: 8. De filiis eorum, et de posteris, quos non interfecerant filii Israel, subiugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc. 9. Porro de filiis Israel non posuit ut servirent operibus regis: ipsi enim erant viri bellatores, et duces primi, et principes quadrigarum et equitum eius. 10. Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum. 11. Filiam vero Pharaonis transtulit de Civitate David, in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex: Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eo quod sanctificata sit: quia ingressa est in eam arca Domini. 12. Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod extruxerat ante porticum, 13. Ut per singulos dies offerretur in eo iuxta præceptum Moysi in sabbatis et in calendis, et in festis diebus, ter per annum, id est, in solemnitate azymorum, et in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. 14. Et constituit iuxta dispositionem David patris sui, officia Sacerdotum in ministeriis suis: et Levitas in ordine suo, ut laudarent, et ministrarent coram Sacerdotibus, iuxta ritum uniuscuiusque diei: et ianitores in divisionibus suis per portam et portam: sic enim præceperat David homo Dei. 15 Nec prætergressi sunt de mandatis regis, tam Sacerdotes quam Levitæ, ex omnibus quæ præceperat, et in custodiis thesaurorum. 16. Omnes impensas præparatas habuit Salomon, ex eo die quo fundavit domum Domini, usque in diem quo perfecit eam. 17. Tunc abiit Salomon in Asiongaber, et in Ailath ad oram Maris rubri, quæ est in Terra Edom. 18. Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves, et nautas gnaros maris, et abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, et attulerunt ad regem Salomonem.

Hoc caput explicui 3. Reg. 9. v. 10. et seq.

Vers. 2. Civitates quas dederat (id est reddiderat) Hiram Salomoni.

Vers. 17. Abiit Salomon (vel in persona, vel per suos ministros et officiales) in Asiongaber.) Hic portus est maris rubri, ex quo in Indiam Orientalem facilis et vicinus est traiectus; unde colligas *Ophir* fuisse in India Orientali, non Occidentali, scilicet in Pegu, non in Peru. Nec enim in Peru, sed in Pegu inveniuntur simiæ, pavones, ebur, gemmæ, aromata, ligna thyina, quæ classis hæc Ophirina detulit ad Salomonem. Portus hic a Iosepho, lib. 8. Antiq. cap. 6. appellatur *Berenice*, a S. Hier. *Essia*, hodie *Suez* vocatur.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regina Saba venit ad Salomonem. Redditus annui Salomonis, hastæ, scuta, cæteraque supellex aurea, solium ex ebore intertextum auro, mors et sepultura.

1. REGINA quoque Saba, cum audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus in Ierusalem, cum magnis opibus, et camelis qui portabant aromata, et auri plurimum, gemmasque pretiosas. Cumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo. 2. Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat: nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit. 3. Quæ postquam vidit, sapientiam scilicet Salomonis, et domum quam ædificaverat, 4. Necnon et cibaria mensæ eius, et habitacula servorum, et officia ministrorum eius, et vestimenta eorum, pincernas quoque et vestes eorum, et victimas quas immolabat in domo Domini: non erat præ stupore ultra in ea spiritus. 5. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus et sapientia tua. 6. Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, et vidissent oculi mei, et probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam: vicisti famam virtutibus tuis. 7. Beati viri tui, et beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, et audiunt sapientiam tuam. 8. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Israel, et vult servare eum in æternum, idcirco posuit te super eum regem, ut facias iudicia atque iustitiam. 9. Dedit autem regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosissimas: non fuerunt aromata talia ut hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni. 10. Sed et servi Hiram cum servis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, et ligna thyina, et gemmas pretiosissimas: 11. De quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini, et in domo regia, citharas quoque et psalteria cantoribus; numquam visa sunt in Terra Iuda ligna talia. 12. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit, et quæ postulavit, et multo plura quam attulerat ad eum: quæ reversa, abiit in terram suam cum servis suis. 13. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri: 14. Excepta ea summa, quam legati diversarum gentium, et negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiæ, et satrapæ terrarum, qui comportabant aurum, et argentum Salomoni. 15. Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur: 16. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuitque ea rex in armamentario, quod erat consitum nemore. 17. Fecit quoque rex solium eburneum grande, et vestivit illud auro mundissimo. 18. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, et scabellum aureum, et brachiola duo altrinsecus, et duos leones stantes iuxta brachiola, 19. Sed et alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte: non fuit tale solium in universis regnis. 20. Omnia quoque vasa convivii regis erant aurea, et vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. 21. Siquidem naves regis ibant in Tharsis cum servis Hiram, semel in annis tribus: et deferebant inde aurum et argentum, et ebur, et simias, et pavos. 22. Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria. 23. Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde eius: 24. Et deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, et vestes, et arma, et aromata, equos, et mulos, per singulos annos. 25. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, et ubi erat rex in Ierusalem. 26. Exercuit etiam potestatem super cunctos reges, a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, et usque ad terminos Ægypti. 27. Tantamque copiam præbuit argenti in Ierusalem quasi lapidum; et cedrorum tantam multitudinem velut sycomororum, quæ gignuntur in campestribus. 28. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctisque regionibus. 29. Reliqua autem operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo Videntis, contra Ieroboam filium Nabat. 30. Regnavit autem Salomon in Ierusalem super omnem Israel quadraginta annis. 31. Dormivitque cum patribus suis, et sepelierunt eum in Civitate David: regnavitque Roboam filius eius pro eo.

HOC caput explicui 3. Reg. 10.

Vers. 5. DE VIRTUTIBUS TUIS.) Hebr. Sept. et Chald. *de verbis tuis*, id est de tuis rebus a te patratis, vel ad te spectantibus.

Vers. 15. IN ARMAMENTARIO QUOD ERAT CONSITUM (circumdatum) NEMORE.) id est *in domo saltus Libani*, ut vertunt Sept. Porro trecenti et sexcenti aurei scutorum et hastarum fuere sicli, quorum quisque pendebat et valebat quatuor drachmas, id est quatuor coronatos, uti ostendi 3. Reg. 10. v. 16.

IN THARSIS.) Hebræi mare, indeque transmarinas re- Vers. 21.
giones vocabant *Tharsis*, præsertim longinquas, sibique ignotas, uti erat Ophir et India. Vide dicta 3. Reg. 9. 28. et Ionæ 1. 3.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Roboam sua duritie populum a se avertit, unde sola tribus Iuda ei adhæsit, cætera vero decem tribus regem sibi crearunt Ieroboam.

1. PROFECTUS est autem Roboam in Sichem: illuc enim cunctus Israel convenerat, ut constituerent eum regem. 2. Quod cum audisset Ieroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem), statim reversus est. 3. Vocaveruntque eum, et venit cum universo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus durissimo iugo nos pressit, tu leviora impera patre tuo, qui nobis imposuit gravem servitutem, et paululum de onere subleva, ut serviamus tibi. 5. Quia ait: Post tres dies revertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6. Iniit consilium cum senibus, qui steterant coram patre eius Salomone dum adhuc viveret, dicens: Quid datis consilii ut respondeam populo? 7. Qui dixerunt ei: Si placueris populo huic, et leniveris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore. 8. At ille reliquit consilium senum, et cum iuvenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, et erant in comitatu illius. 9. Dixitque ad eos: Quid vobis videtur? vel respondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi: Subleva iugum quod imposuit nobis pater tuus? 10. At illi responderunt ut iuvenes, et nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt: Sic loqueris populo, qui dixit tibi: Pater tuus aggravavit iugum nostrum, tu subleva: et sic respondebis ei: Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei. 11. Pater meus imposuit vobis grave iugum, et ego maius pondus apponam: pater meus cecidit vos flagellis: ego vero cædam vos scorpionibus. 12. Venit ergo Ieroboam, et universus populus, ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis. 13. Responditque rex dura, derelicto consilio seniorum: 14. Locutusque est iuxta iuvenum voluntatem: Pater meus grave vobis imposuit iugum, quod ego gravius faciam: pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus. 15. Et non acquievit populi precibus: erat enim voluntatis Dei, ut compleretur sermo eius, quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Ieroboam filium Nabat. 16. Populus autem universus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum: Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai. Revertere in tabernacula tua Israel, tu autem pasce domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, qui habitabant in civitatibus Iuda, regnavit Roboam. 18. Misitque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, et lapidaverunt eum filii Israel, et mortuus est: porro rex Roboam currum festinavit ascendere, et fugit in Ierusalem. 19. Recessitque Israel a domo David, usque ad diem hanc.

HOC caput audivimus 3. Reg. 11. vide ibi dicta.
Vers. 15. ERAT ENIM VOLUNTATIS DEI.) Hebr. *erat causatum a Deo.* Volebat Deus dividere Israelem, decemque tribus adimere Salomoni, ad castigandam illius idololatriam, easque dare Ieroboam, ideoque permisit Roboam tam dure et stulte populo respondere, unde sciebat futurum ut populus se a Roboam subduceret, et ad Ieroboam confugeret, quod ipse intendebat.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS

Roboam volens armis subiugare decem tribus, prohibetur a Semeia propheta. Multi sacerdotes, Levitæ et fideles relicto Ieroboam idololatra in Ierusalem transmigrant. Roboam ex multis uxoribus multas procreat proles.

1. VENIT autem Roboam in Ierusalem, et convocavit universam domum Iuda et Beniamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, et converteret ad se regnum suum. 2. Factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens: 3. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, et ad universum Israel, qui est in Iuda et Beniamin. 4. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros: revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cum audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Ieroboam. 5. Habitavit autem Roboam in Ierusalem, et ædificavit civitates muratas in Iuda. 6. Extruxitque Bethlehem, et Etam, et Thecue, 7. Bethsur quoque, et Socho, et Odollam, 8. Necnon et Geth, et Maresa, et Ziph, 9. Sed et Aduram, et Lachis, et Azeca, 10. Saraa quoque, et Aialon, et Hebron, quæ erant in Iuda et Beniamin, civitates munitissimas. 11. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, hoc est, olei, et vini. 12. Sed et in singulis urbibus fecit armamentarium scutorum et hastarum, firmavitque eas summa diligentia, et imperavit super Iudam et Beniamin. 13. Sacerdotes autem et Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum de cunctis sedibus suis, 14. Relinquentes suburbana et possessiones suas, et transeuntes ad Iudam et Ierusalem: eo quod abiecisset eos Ieroboam, et posteri eius, ne sacerdotio Domini fungerentur. 15. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, et dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat. 16. Sed et de cunctis tribubus Israel, quicumque dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas

coram Domino Deo patrum suorum. 17. Et roboraverunt regnum Iuda, et confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulaverunt enim in viis David et Salomonis, annis tantum tribus. 18. Duxit autem Roboam uxorem Mahalath, filiam Ierimoth, filii David: Abihail quoque filiam Eliab filii Isai, 19. Quæ peperit ei filios, Iehus, et Somoriam, et Zoom. 20. Post hanc quoque accepit Maacha filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, et Ethai, et Ziza, et Salomith. 21. Amavit autem Roboam Maacha filiam Absalom, super omnes uxores suas, et concubinas; nam uxores decem et octo duxerat, concubinas autem sexaginta: et genuit viginti octo filios, et sexaginta filias. 22. Constituit vero in capite, Abiam filium Maacha, ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat, 23. Quia sapientior fuit, et potentior super omnes filios eius, et in cunctis finibus Iuda, et Beniamin, et in universis civitatibus muratis: præbuitque eis escas plurimas, et multas petivit uxores.

Vers. 1. ELECTORUM ATQUE BELLANTIUM.) Id est *electorum bellatorum*. Est Hendiadys. Hebr. בחורים *bachurim*, et electos, et iuvenes significat. Iuvenum enim sunt bella, senum consilia, ut ait ille.

Vers. 11. POSUIT IN EIS PRINCIPES.) Id est belli duces, cum commeatu sufficienti, ut vicini hostis, scilicet Ieroboami antagonistæ sui insultus sustinere possent. Erant enim civitates limitaneæ, in confinio Iudæ et Israelis.

Vers. 14. EO QUOD ABIECISSET EOS IEROBOAM.) Id est privasset eos officio sacerdotali et Levitico, eo quod nollent suis vitulis quasi idolis, sed Deo vero deservire. *

Vers. 17. AMBULAVERUNT ENIM IN VIIS DAVID ET SALOMONIS.) Intellige antequam Salomon in senio a Deo ad idola apostataret.

Vers. 22. CONSTITUIT ABIAM IN CAPITE.) Id est caput et principem ceterorum fratrum, qui erant 28. eo quod ipse licet ætate esset iunior, prudentia tamen, vigore, et industria omnes superaret.

Vers 23. ET POTENTIOR SUPER OMNES FILIOS EIUS, ET IN CUNCTIS FINIBUS IUDA ET BENIAMIN, ET IN UNIVERSIS CIVITATIBUS MURATIS.) Repete, *potentior*, fuit Abia. q. d. Abia occupavit cunctos limites regni, omnesque civitates muratas et munitas, itaque se omnium dominum effecit ac potentem; utpote cui omnes limites regni omnesque A urbes munitæ parerent.

PRÆBUITQUE EIS (civitatibus muratis et regni finibus) ESCAS PLURIMAS (ne hostes eas obsidere, et fame ad deditionem cogere possent) ET MULTAS PETIVIT UXORES.) Scilicet Abia sibi ipsi, ut ex eis multos gigneret filios, quibus suum regnum stabiliret et roboraret, ne a fratribus suis invadi posset. Hunc sensum exigit nostra versio, æque ac Sept. qui pro, *potentior super omnes filios*, vertunt: *Profecit super omnes filios eius, et in cunctis finibus Iuda*, etc.

Porro, ex Hebræo aliter verti potest cum Pagnino, Vatablo, Marino et aliis, nimirum sic: *Dispersit* (Roboam) *omnes filios suos super omnes fines Iuda et Beniamin, et per omnes civitates munitas;* ut scilicet ipsi separati forent ab invicem, nec capita conferre possent; ut simul contra Abiam iuniorem, quem omnibus prætulerat, conspirare possent, iuxta illud politicum et tyrannicum Machiavelli præceptum: *Si vis regnare, divide.* Atque ut sorte sua contenti viverent, nec de regno cogitarent, *præbuit eis escas plurimas, et dedit eis multitudinem uxorum,* ut ventri et veneri vacantes, in delicioso otio torperent et consenescerent. Idem facit Turcarum Imperator fratribus suis donec prolem habeat, qua habita, fratres occidit, ne imperium invadant.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Roboam et Iudæi post tres annos a Deo ad idola desciscunt. Quare a Sesac rege Ægypti spoliantur et subiugantur. Morienti Roboam succedit Abia.

1. CUMQUE roboratum fuisset regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel cum eo. 2. Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem (quia peccaverant Domino), 3. Cum mille ducentis curribus, et sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, et Troglodytæ, et Æthiopes. 4. Cepitque civitates munitissimas in Iuda, et venit usque in Ierusalem. 5. Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam, et principes Iuda, qui congregati fuerant in Ierusalem, fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, et ego reliqui vos in manu Sesac. 6. Consternatique principes Israel et rex dixerunt: Iustus est Dominus. 7. Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. 8. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum. 9. Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Ierusalem, sublatis thesauris domus Domini, et domus regis, omniaque secum tulit, et clypeos aureos, quos fecerat Salomon, 10. Pro quibus fecit rex æneos, et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii. 11. Cumque introiret rex domum Domini, veniebant scutarii, et tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum. 12. Verumtamen quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem et in Iuda inventa sunt opera bona. 13. Confortatus est ergo rex Roboam in Ierusalem, atque regnavit: quadraginta autem et unius anni erat cum regnare cœpisset, et decem et septem annis regnavit in Ierusalem, urbe, quam elegit Dominus, ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israel: nomen autem matris eius Naama Ammanitis. 14. Fecit autem malum, et non præparavit cor suum ut quæreret Dominum. 15. Opera vero Roboam prima et novissima, scripta sunt in Libris Semeiæ prophetæ, et Addo Videntis, et diligenter exposita: pugnaveruntque adversum se Roboam et Ieroboam cunctis diebus. 16. Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultusque est in Civitate David. Et regnavit Abia filius eius pro eo.

Vers. 2. **S**ESAC REX ÆGYPTI.) Qui *Sesostris* ab Herodoto lib. 2. et Diodoro lib. 2. (quos citat Iosephus lib. 8. cap. 4.) nuncupatur, quique ut iidem referunt, quando imbelles et mulierosos vicerat, trophæum mulierosum erigebat, ac reges a se victos solebat currui suo triumphali iungere, ut se super reges esse, imo super omnes homines ostenderet. Causam belli hanc fuisse suspicantur noster Samerius et Salianus, quod Ieroboam, qui Salomonis iram fugiens in Ægypto duxerat cognatam vel filiam Sesac, post mortem Salomonis rediens, rexque Israelis creatus, sollicitarit cognatum vel socerum suum Sesac, ut imbellem, mulierosum, et pavidum Roboam invaderet, ne ipse Ieroboam a Roboam invaderetur, et regno novo spoliaretur, sed potius eius regnum suo adiiceret, et Sesaci soceri sui dono possideret. Certiorem causam dat Script. scilicet Apostasiam et idololatriam Roboami et Iudæorum: hanc enim Deus per Sesac punire destinabat. Addunt Herodotus et Diodorus Sesac e Ierusalem victa perrexisse ad reliquam Asiam, eamque sibi subiugasse, ac terra marique tam multa occupasse, ut Alexandrum Magnum superarit.

Vers. 3. TROGLODYTÆ.) Populi sunt Æthiopiæ, quæ adiacet Ægypto, cuius rex erat Sesac, *nullarum opum domini*, ait Mela lib. 1. *strident magis quam loquantur, specus subeunt, aluntarque serpentibus.* Hebr. vocantur סכיים *suchiim*, id est *latibula, et antra habitantes.* Græce τρωγλοδυται, id est cavernas subeuntes et incolentes. τρωγλη enim est foramen, nidus, caverna. Audi Aristot. lib. 8. de historia anim. cap. 12. *Grues ex Scythicis campis ad paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur: non enim id fabula est, sed certe, genus tum hominum, tum etiam equorum pusillum, ut dicitur, est, deguntque in cavernis, unde nomen Troglodytæ a subeundis cavernis accepere.* Verum hæc de Pygmæis cum gruibus pugnantibus communis olim fuit opinio per traditionem accepta, sed fabulosa, uti ostendi Ezech. 27. v. 11. Quare minus recte nonnulli Troglodytas putant esse Arabes in tabernaculis habitantes, ideoque vagabundos qui Nomades vocantur. Constat enim eos fuisse Æthiopes.

Vers. 7. NON STILLABIT FUROR MEUS SUPER IERUSALEM.) Scilicet ulterius per continuas cædes, rapinas et strages, quas parat Sesac. Vide hic quam cito placatur Deus ad pœnitentiam qualem qualem Roboami et Iudæorum. Nam vel non veram et seriam, vel non firmam et stabilem fuisse pœnitentiam, patet ex eo quod instinctu matris suæ Naamæ Ammonitis, ideoque idololatræ, reversus sit ad idola, ut dicitur v. 13. et 14.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abia rex Iuda pius de impio Ieroboam triumphat, cæsis quingentis millibus Israelitarum, ac ex 14. uxoribus 58. filios generat.

1. **A**NNO octavodecimo regis Ieroboam, regnavit Abia super Iudam. 2. Tribus annis regnavit in Ierusalem, nomenque matris eius Michaia, filia Uriel de Gabaa: et erat bellum inter Abiam et Ieroboam. 3. Cumque iniisset Abia certamen, et haberet bellicosissimos viros, et electorum quadringenta millia: Ieroboam instruxit econtra aciem octingenta millia virorum, qui et ipsi electi erant, et ad bella fortissimi. 4. Stetit ergo Abia super montem Semeron, qui erat in Ephraim, et ait: Audi Ieroboam, et omnis Israel. 5. Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum, ipsi et filiis eius in pactum salis? 6. Et surrexit Ieroboam filius Nabat, servus Salomonis filii David: et rebellavit contra dominum suum. 7. Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, et filii Belial: et prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis: porro Roboam erat rudis, et corde pavido, nec potuit resistere eis. 8. Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David, habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in deos. 9. Et eiecistis Sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Levitas: et fecistis vobis Sacerdotes sicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, et initiaverit manum suam in tauro de bobus, et in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dii. 10. Noster autem Dominus, Deus est, quem non relinquimus, Sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, et Levitæ sunt in ordine suo: 11. Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane et vespere, et thymiama iuxta legis præcepta confectum, et proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, et lucernæ eius, ut accendantur semper ad vesperam: nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. 12. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, et Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, et resonant contra vos: filii Israel nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit. 13. Hæc illo loquente, Ieroboam retro moliebatur insidias. Cumque ex adverso hostium staret, ignorantem Iudam suo ambiebat exercitu. 14. Respiciensque Iudas vidit instare bellum ex adverso et post tergum, et clamavit ad Dominum: ac Sacerdotes tubis canere cœperunt. 15. Omnesque viri Iuda vociferati sunt: et ecce illis clamantibus, perterruit Deus Ieroboam, et omnem Israel qui stabat ex adverso Abia et Iuda. 16. Fugeruntque filii Israel Iudam: et tradidit eos Deus in manu eorum. 17. Percussit ergo eos Abia et populus eius, plaga magna: et corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium. 18. Humiliatique sunt filii Israel in tempore illo, et vehementissime confortati filii Iuda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum. 19. Persecutus est autem Abia fugientem Ieroboam, et cepit civitates eius, Bethel et filias eius, et Iesana cum filiabus suis, Ephron quoque et filias eius: 20. Nec valuit ultra resistere Ieroboam in diebus Abia: quem percussit Dominus, et mortuus est. 21. Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit uxores quatuordecim: procreavitque viginti duos filios, et sedecim filias. 22. Reliqua autem sermonum Abia, viarumque et operum eius, scripta sunt diligentissime in Libro Addo Prophetæ.

Vers. 2. MICHAIA FILIA URIEL.) Vide dicta 3. Reg. 15. 2.
Vers. 4. STETIT ABIA SUPER MONTEM.) Ut eius oratio ab omnibus Israelitis circumcirca castrametantibus audiri posset. Est autem hæc eius oratio pia et efficax, qua multis rationibus eis persuadere conatur, ut relicta novitia religione et rege, ad avitum Deum regnumque David in Ierusalem redeant; ac præsertim quod ipse habeat Deum pugnantem pro se, quem ipsi, utpote idololatræ, habeant adversum. q. d. Insane agitis, si contra Deum pugnare vultis. Lege eam et expende.

Vers. 5. IN PACTUM SALIS.) Id est in pactum firmum, stabile et æternum. Sal enim res a putredine integras salvasque conservat: hinc sal est symbolum æternitatis, ut dixi Levit. 2. v. 12. Addit noster Sanchez, aitque: Constat hoc pactum de regno in Davidis familia perpetuo esse conditionatum, nempe si Davidis progenies pactum servet, Psal. 88. v. 30. Dedit itaque Deus regnum Davidis domui cum grano salis, nempe si a fide, quam integram servare debuit, non deficiat, aut si ipsa Davidis progenies salem adhibeat, neque percussum fœdus corrumpi atque tabescere permittat.

Vers. 9. QUICUMQUE INITIAVERIT (Hebr. et Septuag. *impleverit*) MANUM SUAM IN TAURO DE BOBUS (Hebr. *in iuvenco filio bovis*) ET IN ARIETIBUS SEPTEM, FIT SACERDOS EORUM QUI NON SUNT DII.) q. d. Sicut falsos habetis Deos, sic et falsos sacerdotes; non enim Deus elegit eos, uti elegit Aaronem et posteros eius; sed quicumque, licet vilis et sceleratus, manibus suis offerendo taurum et septem arietes consecrarit suas manus, hoc ipso fit sacerdos idolorum, puta vitulorum aureorum. Nota, *implere manum*, Hebr. idem est quod, consecrare sacerdotem. Nam manus implendo victimis, easque manibus suis offerendo consecrabat se sacerdotem. Hoc enim ritu fiebat sacerdotis consecratio, ut patet Levit. 8.

PROPONUNTUR PANES IN MENSA MUNDISSIMA, etc.) Ex Vers. 11.
hoc loco et seq. ubi non nisi unius mensæ et unius candelabri fit mentio, colligit Torniellus, Sesacum regem Ægypti, cum expilaret thesauros templi, ex *denis mensis et denis candelabris*, quæ rex Salomon collocarat in templo, non reliquisse nisi unam mensam unumque candelabrum, eoque Iudæos deinceps contentos fuisse, sicut fuerant antequam templum a Salomone excitaretur.

QUEM PERCUSSIT DOMINUS, ET MORTUUS EST.) Quem, Vers. 20.
scilicet Ieroboam, de eo enim sermo proxime præcessit; Ieroboam enim post duos tresve annos misere interiit. Hebræi vero in Seder Olam non Ieroboam, sed ipsum Abiam intelligunt, quem aiunt ingratum fuisse Deo, nec dignas egisse gratias pro tanta victoria, ideoque paulo post obiisse, nec nisi triennium regnasse, ac biennio ante Ieroboam esse vita functum. Verum hoc non satis consentit cum eo quod proxime subditur: *Igitur Abia confortato imperio suo accepit uxores* 14. etc.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abiæ succedit filius Asa, qui excisa idololatria confortatus a Deo Zaram regem Æthiopum cum mille militum millibus profligat.

1. DORMIVIT autem Abia cum patribus suis, et sepelierunt eum in Civitate David: regnavitque Asa filius eius pro eo, in cuius diebus quievit terra annis decem. 2. Fecit autem Asa quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa, 3. Et confregit statuas, lucosque succidit: 4. Et præcepit Iudæ ut quæreret Dominum Deum patrum suorum, et faceret legem, et universa mandata: 5. Et abstulit de cunctis urbibus Iuda aras, et fana, et regnavit in pace. 6. Ædificavit quoque urbes munitas in Iuda, quia quietus erat, et nulla temporibus eius bella surrexerant, pacem Domino largiente. 7. Dixit autem Iudæ: Ædificemus civitates istas, et vallemus muris, et roboremus turribus, et portis, et seris, donec a bellis quieta sunt omnia, eo quod quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, et dederit nobis pacem per gyrum. Ædificaverunt igitur, et nullum in extruendo impedimentum fuit. 8. Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta et hastas de Iuda trecenta millia, de Beniamin vero scutariorum et sagittariorum ducenta octoginta millia, omnes isti viri fortissimi. 9. Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, et curribus trecentis: et venit usque Maresa. 10. Porro Asa perrexit obviam ei, et instruxit aciem ad bellum in Valle Sephata, quæ est iuxta Maresa: 11. Et invocavit Dominum Deum, et ait: Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuva nos Domine Deus noster: in te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo. 12. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Iuda: fugeruntque Æthiopes. 13. Et persecutus est eos Asa, et populus qui cum eo erat, usque Gerara: et ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, et exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa, 14. Et percusserunt civitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror invaserat; et diripuerunt urbes, et multam prædam asportaverunt. 15. Sed et caulas ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, et camelorum: reversique sunt in Ierusalem.

Vers. 2. REX ASA SUBVERTIT ALTARIA PEREGRINI CULTUS (quo gentiles colebant suos Deos et idola) ET EXCELSA.) Dices, 3. Reg. 15. 14. de Asa dicitur: *Non abstulit excelsa.* Resp. excelsa alia erant idolis, alia Deo vero dicata: illa sustulit Asa, hæc non. Rursum, *excelsa*, scilicet altaria, simulacra et lucos idolorum sustulit Asa, non vero templa omnia eisdem a Salomone dicata; hæc enim postea sustulit Iosias, 4. Reg. 23. 13.

Vers. 5. ET ABSTULIT, etc. FANA.) Scilicet Baal, Astaroth, cæterorumque Deorum. Hebr. est חמנים *chammanim* vel *Hammanim*, quod proprie significat *solaria*, id est delubra, vel altaria Solis, sive Ammonis. Inde enim Punice dictus est Ammon, sive Iupiter Ammonius, id est Sol, ab Hebr. חמה *chamma* vel *hamma*, id est, Sol, ita dictus a calore: חמם *chamam* enim significat calefacere. Vide dicta Ezech. 6. v. 6.

EGRESSUS EST AUTEM (sub annum decimumquintum Vers. 9.
regni Asa, ut colligitur ex cap. seq. v. 10. Ita Salia-

nus) CONTRA EOS ZARA ÆTHIOPS CUM EXERCITU SUO (continente) DECIES CENTENA MILLIA.) *Æthiops* : Torniellus et alii apud Genebr. per Æthiopiam, hic accipiunt Madianitidem, ex qua oriunda uxor Mosis vocatur *Æthiopissa*. Num. 12. Ratio eorum est, quod Æthiopes proprie dicti longe absint a Iudæa. Verum melius Serarius, Sanchez, Salianus et alii, veram Æthiopiam, quæ sub Ægypto est, accipiunt. Hæc enim adiacet Ægypto, ideoque Iudææ vicina est, et forte Zara tam fuit rex Ægypti, quam Æthiopiæ, idque probatur primo, quia cap. 16. 8. hi ipsi vocantur *Æthiopes* et *Libyes;* erant ergo vere Æthiopes, qui sunt in Africa et Libya, non vero Madianitæ, qui sunt A in Asia. Secundo, quia Asa hoc prælio ab hostibus recuperavit omnia spolia, quæ Sesac rex Ægypti ante 26. annos sub Roboam ex Iudæa abstulerat. Ergo hostes hi fuere Ægyptii, eisque vicini Æthiopes. Unde Sept. sub finem cap. 14. eos vocant *Alimazones*, vel ut alii volunt, *Amazones*, quos ex Libya esse docet hic Theodor. et Diodor. lib. 3.

ET RUERUNT ÆTHIOPES USQUE AD INTERNECIONEM, QUIA DOMINO CÆDENTE CONTRITI SUNT, ET EXERCITU ILLIUS (Asæ regis, vel Dei puta Angelorum, exercitu) PRÆLIANTE.) Pro Asa et Iuda Deum et sanctos Angelos invocante. Vers. 13.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Azarias propheta vaticinatur Israelem multo tempore privandum veri Dei cultu, lege et sacerdotio. Cuius oraculo commotus Asa rex idola funditus extirpat, et matrem suam sacerdotio Priapi abdicat.

1. AZARIAS autem filius Oded, facto in se spiritu Dei, 2. Egressus est in occursum Asa, et dixit ei: Audite me Asa et omnis Iuda et Beniamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 3. Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote, doctore, et absque lege. 4. Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel, et quæsierint eum, reperient eum. 5. In tempore illo non erit pax egredienti, et ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum. 6. Pugnabit enim gens contra gentem, et civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia. 7. Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. 8. Quod cum audisset Asa, verba scilicet et prophetiam Azariæ filii Oded prophetæ, confortatus est, et abstulit idola de omni terra Iuda, et de Beniamin, et ex urbibus, quas ceperat, montis Ephraim, et dedicavit altare Domini quod erat ante porticum Domini. 9. Congregavitque universum Iudam et Beniamin, et advenas cum eis de Ephraim, et de Manasse, et de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo. 10. Cumque venissent in Ierusalem mense tertio, anno decimoquinto regni Asa, 11. Immolaverunt Domino in die illa, de manubiis et præda quam adduxerant, boves septingentos, et arietes septem millia. 12. Et intravit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde, et in tota anima sua. 13. Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem. 14. Iuraveruntque Domino voce magna in iubilo, et in clangore tubæ, et in sonitu buccinarum, 15. Omnes qui erant in Iuda cum execratione: in omni enim corde suo iuraverunt, et in tota voluntate quæsierunt eum, et invenerunt: præstititque eis Dominus requiem per circuitum. 16. Sed et Maacham matrem Asa regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi: quod omne contrivit, et in frusta comminuens combussit in Torrente Cedron. 17. Excelsa autem derelicta sunt in Israel: attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus eius. 18. Eaque quæ voverat pater suus et ipse, intulit in domum Domini, argentum, et aurum, vasorumque diversam supellectilem. 19. Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa.

Vers. 3. TRANSIBUNT MULTI DIES IN ISRAEL ABSQUE DEO, DOCTORE ET LEGE.) Id est absque cura et cultu veri Dei, doctoris et legis divinæ. Tangit præsens tempus, quo Ieroboam cultum vitulorum aureorum in Israelem induxit, nam eum in hoc vitulorum cultu secuti sunt omnes posteri eius, omnesque ad unum reges Israel, quos ex regibus Iuda imitati sunt Ioram, Ochozias, Athalia, Achaz, Manasse, Ioakim et Sedecias, idola pro Deo avito et vero colentes.

Vers. 4. CUMQUE REVERSI FUERINT IN ANGUSTIA SUA AD DOMINUM ISRAEL, etc. INVENIENT EUM.) Sic Deum invenit pœnitens Achab, et Ioas, cui Eliseus trinam de Syris victoriam prædixit; ac pœnitens Manasse, item pius Ezechias, Iosias et similes.

Vers. 10. MENSE TERTIO.) Sivan, quo celebrabant Pentecosten, ut indicet hoc festo ipsos Deum invocantes, eius ope tantam victoriam adeptos esse, ideoque ei in gratiarum actionem manubias hostium obtulisse. Sic vice versa Constantinopolis a Turca expugnata est in Pentecoste, eo quod B Græci impie sentirent de Spiritu sancto, cuius hoc est festum, docerentque eum non procedere a Patre et Filio.

COR AUTEM ASÆ ERAT PERFECTUM CUM DOMINO CUNCTIS DIEBUS EIUS.) Quoad verum Dei cultum, q. d. Asa per omnem vitam coluit Deum verum, numquam vero ad idola deflexit, uti deflexerunt alii. Nam alioqui Asa in aliis peccavit, et Deum graviter offendit, ut patebit c. seq. v. 7. 10. et 12. Vers. 17.

USQUE AD TRIGESIMUMQUINTUM (ita legendum est cum Hebr. Septuag. Romanis, non, *usque ad trigesimum*, uti legunt aliqui) ANNUM REGNI ASA.) Hoc est regni Iuda, quod in morte Salomonis a regno Israelis per schisma Ieroboam diremptum, tunc proprie cœpit, ut scilicet primus annus Roboam fuerit primus annus regni Iuda, prout regnum Iuda proprium fuit et distinctum a regno Israelis, quod tum pariter cœpit sub primo rege Ieroboam. Ita Hebr. Sanchez, Salian. Torniellus et alii; id magis patebit cap. seq. v. 1. Vers. 19.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Rex Asa perculsus exercitu Baasæ regis Israel, opem poscit a Benadad rege Syriæ. Qua de causa increpitus ab Hanani propheta, eum incarcerat : mox podagra moritur anno regni 41.

1. Anno autem trigesimo sexto regni eius, ascendit Baasa rex Israel in Iudam, et muro circumdabat Rama, ut nullus tute posset egredi et ingredi de regno Asa. 2. Protulit ergo Asa argentum et aurum de thesauris domus Domini, et de thesauris regis, misitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens : 3. Fœdus inter me et te est, pater quoque meus et pater tuus habuere concordiam : quam ob rem misi tibi argentum et aurum, ut rupto fœdere, quod habes cum Baasa rege Israel, facias eum a me recedere. 4. Quo comperto, Benadad misit principes exercituum suorum ad urbes Israel : qui percusserunt Ahion, et Dan, et Abelmaim, et universas urbes Nephthali muratas. 5. Quod cum audisset Baasa, desiit ædificare Rama, et intermisit opus suum. 6. Porro Asa rex assumpsit universum Iudam, et tulerunt lapides de Rama, et ligna quæ ædificationi præparaverat Baasa, ædificavitque ex eis Gabaa, et Maspha. 7. In tempore illo venit Hanani propheta ad Asa regem Iuda, et dixit ei : Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. 8. Nonne Æthiopes et Libyes multo plures erant, quadrigis et equitibus, et multitudine nimia : quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? 9. Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, et propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent. 10. Iratusque Asa adversus Videntem, iussit eum mitti in nervum : valde quippe super hoc fuerat indignatus : et interfecit de populo in tempore illo plurimos. 11. Opera autem Asa prima et novissima, scripta sunt in Libro regum Iuda et Israel. 12. Ægrotavit etiam Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. 13. Dormivitque cum patribus suis : et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. 14. Et sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in Civitate David : posueruntque eum super lectum suum, plenum aromatibus et unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, et combusserunt super eum ambitione nimia.

Vers. 1. Antilogia annorum. A Anno autem trigesimosexto eius (Asæ) ascendit Baasa.) Dices Baasa iam erat mortuus a decennio, scilicet anno 25. regni Asæ, ut patet 3. Reg. 16. 8. nam anno 36. Asæ regnabat in Israel Amri 3.
Conciliatur. Reg. 16. 22. Respondet primo Caietan. Ioannes Lucidus,
1. Adrichom. in Chronol. Ioannes Annius cum suo pseudophilone, et Melchior Canus, lib. 11. de locis cap. 5. ad 12. arg. hic mendum irrepsisse, et pro 36. legendum 26. vel potius 16. Nec hoc mirum, quia hæc res non spectat ad fidem, nec ad bonos mores. Verum omnes Codices Hebræi, Chaldæi, Græci, Latini constanter habent 36. non 26. Atqui in omnibus Codicibus esse mendum, est dicere in S.
2. Script. esse mendum, quod absit. Secundo, Lyran. Vatab. et Genebr. respondent, annos Asæ dupliciter numerari; primo, ab inito regno; secundo, ab illo memorabili bello et victoria Æthiopica. Hinc ergo 36. anni regni Asæ esse 26. eiusdem a bello Æthiopico, quo Baasæ morienti dicitur successisse filius Ela, 3. Reg. 16. 8. Verum hoc est turbare totam S. Script. chronologiam : sic enim pariter anni sequentium regum, scilicet Zambri, Amri, Achab, B
3. qui regnarunt cum Asa, etc. numerandi forent a bello Æthiopico, quod nemo dixerit. Tertio, alii dicunt hos annos 36. esse annos vitæ Asæ, non regni. Verum obstat, quod expresse dicatur : *Anno autem 36. regni*, non vitæ : unde Abul. respondet aliam hic quærendam esse solutionem,
4. quam ipse se nescire profitetur. Quarto et verius dicas hos 36. annos esse regni Iudæ; quare computandos esse a primo anno Roboam, qui primus fuit rex Iuda, cum Israel, id est decem tribus, regem sibi creavere Ieroboam. Tunc enim facta est nova Æra, ac multi annos computare cœperunt ab hoc insigni schismate. Tunc enim institutum est regnum Iuda, æque ac regnum Israel; unde hic passim anni regum Israel numerantur iuxta annos regum Iuda sibi conregnantium. Igitur Roboam primus rex Iuda regnavit 17. annis, mox Abia tribus annis, denique Asa sedecim, adde hos omnes, habebis 36. quos

A quærimus. Quare hic annus 36. regni Iuda, præcise fuit decimus sextus regni Asæ. Instabis, hi 36. anni hic vocantur non regni Iuda, sed regni Asæ. Resp. idem est regnum Asæ quod regnum Iuda, nam Asa aliud non habuit regnum quam Iuda. Quare dum computas annos regni Iuda, computas annos Asæ, qui illi præerat, et cuius erat hoc regnum. Ita Seder Olam sive Chron. Hebræorum, Torniellus, Salian. et Azor. tom. 1. Instit. mor. lib. 6. cap. 55. q. 3. Sic Absalom dicitur anno 40. petiisse a David veniam eundi in Hebron. 2. Reg. 15. 7. non utique anno 40. Davidis (nam trigesimus eius tantum agebatur) sed 40. ab institutione regni in Israel, puta ab anno primo Saulis regis, eum publice unctus est a Samuele, qui regnum Davidis decem annis antecesserat. Initium enim alicuius regni nota est insignis, ut inde chronologia ducatur.

Circumdabat Rama, quæ erat in faucibus confinium regni Iuda, ut proinde, nullus tute posset egredi et ingredi de regno Asa.) Vers. 7.

B Idcirco evasit Syriæ regis exercitus.) q. d. Si confisus in Deo eius opem invocasses, non autem Benadad regis Syriæ; eum, utpote perpetuum Iudæ hostem, æque ac Baasa regem Israel vicisses, sicut vicisti Zaram regem Æthiopiæ, qui multo numerosiore milite Iudæam invadebat. Vers. 10.

Interfecit de populo plurimos.) Qui Hanani prophetæ innocentiam iniuste ab Asa in carcere affligi dolebant, ideoque eius tyrannidem liberius incusabant. Vers. 12.

Dolore pedum vehementissimo.) Hebr. et Græce additur *usque ad supra:* cum enim podagræ humor dolorque caput invadit, est vehementissimus, et celerem mortem affert. Unde Pagnin. vertit: *Usque ad verticem fuit ægrotatio eius.*

Sed magis in medicorum arte confisus est.) Notant Procopius et Theodoretus, quæst. 45. *Medicos* vel accipi hic pro incantatoribus, et magicis impostoribus, vel pro veris medicis. Si priore modo; patet cur peccarit.

Quemadmodum lib. 30. c. 1. docet Plinius Magiam et Medicinam una fere copulari: et lib. 29. c. 1. *Quid,* ait, *venenorum fertilius, aut unde testamentorum plures insidiæ? iam vero et adulteria, etc. quam e medicina?* Sicque apud Latinos *medicamenta* pro *venenis* interdum sumuntur, ut apud Græcos pharmaca, Nonio teste; videatur et idem Plinius, lib. 26. cap. 4. Si posteriore modo; dupliciter peccare potuit. Primo, nimiam spem in iis ponendo, prætermissa Domini Dei ope. Nam et ideo Salomonis de remediis librum, revulsum ab Ezechia referunt Cedrenus et Suidas, quod populus Deo non invocato et neglecto, malorum inde sanationem peteret. Secundo, præpostere ipsorum opem quærendo, ante scilicet placationem, et auxilium quæsitum a Deo, prout explicat Ecclesiasticus, cap. 38. v. 9. et sequenti, ac iubet Innocentius III. de pœnitentiis et remissionibus c. *Cum infirmitas.* Ita Serarius.

Vers. 14. Plenum aromatibus et unguentis meretriciis.) Græce *myrepsicis*, id est *aromatariis.* Unde Serarius pro *meretriciis*, suspicatur legendum *myrepsicis.* Verum *meretriciis* habent omnia Hebr. et Latina: *meretriciis* ergo idem est, quod suavissimis, et ut Vatab. vertit *delicatissimis;* qualibus utuntur meretrices, ut fœtorem corporis, ac præsertim halitus, quem stupris confectæ, quasi putida cadavera exhalant, iis obducant et contegant, iuxta illud:

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Vox *meretriciis* notat nimias odorum et aromatum hic fuisse delicias, nimiumque luxum et pompam; unde subdit dicens: *ambitione nimia.*

A Et combusserunt super eum) Ut cadaveri regio honorem et cultum civilem exhiberent, et ab eo fœtorem putredinemque depellerent. Non enim cadaver ipsum cum aromatibus, ut vult Vatab. sed aromata iuxta cadaver combusserunt, uti multis ostendit Sanchez.

Notant Hebræi apud S. Hier. in Tradit. hæc aromata super, vel ad tumulum ipsius combusta fuisse; imo et vestes, idque reverentiæ et honoris causa: quemadmodum apud Virgilium 6. Æneid. *Congesta cremantur Thurea dona;* et apud Plinium lib. 13. cap. 1. Homerum et alios. Sic in morte Aristobuli a se submersi adhibet etiam unguenta et aromata plura Herodes apud Iosephum, et in Herodis ipsius funere Archelaus apud eumdem. Ipsum adhuc viventem Asam implevisse sepulcrum suum unguentis, Azarias lib. 3. cap. ult. fol. 183. ac Rabbini quidam alii scribunt. Quin et unguenta a fidelibus offerri solita ad sepulcra martyrum, docet S. Paulinus Natali 6. S. Felicis dum ita canit:

Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas;
B *Martyris hi tumulum studeant profundere nardo,*
Et medicata pio referant unguenta sepulcro.

Idem testatur Prudentius Peristeph. hymno 11. in Hippolito dicens:

Oscula perspicuo figunt impressa metallo:
Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.

Et S. Gregorius lib. 7. Indict. 2. Epist. 53. scribens ad Secundinum: *Aloem vero,* inquit, *thymiama, styracem et balsamum sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præsentium deferente, transmisimus.*

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Asæ succedit pius Iosaphat, ideoque dives et armis potens: hic v. 7. mittit doctores per totum regnum, qui populum legem Dei doceant; vers. 11. vectigales ei fiunt Philisthæi et Arabes; v. 14. milites et duces eiusdem recensentur.

1. Regnavit autem Iosaphat filius eius pro eo, et invaluit contra Israel. 2. Constituitque militum numeros in cunctis urbibus Iuda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Iuda, et in civitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater eius. 3. Et fuit Dominus cum Iosaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis: et non speravit in Baalim, 4. Sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius, et non iuxta peccata Israel. 5. Confirmavitque Dominus regnum in manu eius, et dedit omnis Iuda munera Iosaphat: factæque sunt ei infinitæ divitiæ, et multa gloria. 6. Cumque sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Iuda abstulit. 7. Tertio autem anno regni sui, misit de principibus suis Benhail, et Obdiam, et Zachariam, et Nathanael, et Michæam, ut docerent in civitatibus Iuda: 8. Et cum eis Levitas, Semeiam, et Nathaniam, et Zabadiam, Asel quoque, et Semiramoth, et Ionathan, Adoniamque et Tobiam, et Tobadoniam, Levitas, et cum eis Elisama et Ioran Sacerdotes, 9. Docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Iuda, atque erudiebant populum. 10. Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Iuda, nec audebant bellare contra Iosaphat. 11. Sed et Philisthæi Iosaphat munera deferebant, et vectigal argenti; Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, et hircorum totidem. 12. Crevit ergo Iosaphat, et magnificatus est usque in sublime: atque ædificavit in Iuda domos ad instar turrium, urbesque muratas. 13. Et multa opera paravit in urbibus Iuda: viri quoque bellatores, et robusti erant in Ierusalem, 14. Quorum iste numerus per domos atque familias singulorum: In Iuda principes exercitus, Ednas dux, et cum eo robustissimi viri trecenta millia. 15. Post hunc Iohanan princeps, et cum eo ducenta octoginta millia. 16. Post istum quoque Amasias filius Zechri, consecratus Domino, et cum eo ducenta millia virorum fortium. 17. Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, et cum eo tenentium arcum et clypeum ducenta millia. 18. Post istum etiam Iozabad, et cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. 19. Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis, quos posuerat in urbibus muratis, in universo Iuda.

Vers. 6. Cumque sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini.) q. d. Iosaphat audacem faciebat pietas, religio et custodia legis divinæ, ut neminem subditorum vel hostium timeret, sed fisus Deo audacter excelsa et lucos succideret, quæ alii pii reges timentes

C populi offensam vel rebellionem, tolerarant et permiserant. Hebr. et Sept. habent: *Et exaltatum est cor eius in viis Domini,* q. d. nihil habuit potius, quam ut observaret mandata Domini, ait Vatab. vel potius q. d. Iosaphat magnos et excelsos ex Deo Deique cultu concepit

animos, adeo ut neminem veritus, et imperterritus excelsa aboleret, aliaque heroica opera pro promovendo Dei honore et gloria animo destinaret. Vide hic quid faciat pietas piaque intentio, quæ nil timet, et omnia audet Deo secundante. Talis fuit hoc ævo Pius V. Pontifex, qui Deo nixus reges non timuit, sed regum, imo et Turcarum fuit terror et flagellum. Sanctitas enim omnibus est terrori, æque ac venerationi.

Vers. 7. Misit de principibus suis) Scilicet principes aulæ suæ, qui suo iussu abolitis idolis, verum unius Dei cultum et custodiam legis Mosaicæ restituerent. Quocirca misit cum eis Levitas ac Sacerdotes, ut docerent populum leges Domini. Insignis hic fuit zelus regis Iosaphat, quem olim imitati sunt S. Stephanus Hungarorum primus rex, S. Ludovicus Francorum, S. Wenceslaus Dux Bohemorum, et nostro ævo Reges Hispaniæ et Lusitaniæ, qui magnis impensis Indias utrasque subiugarunt, ut earum incolas ad veri Dei cognitionem et cultum per viros religiosos traducerent.

Vers. 12. Ædificavit (per urbes et castella) in Iudæa domos ad instar turrium) Hebr. *palatia* tam excelsa et munita ut turres viderentur. Fecit hoc ad Iudææ tum ornatum, tum munimen. Sicut Burgundiones contra incursum Wandalorum, Alanorum, Gothorum, etc. ædificarunt πύργους, id est *burgos* et turres, indeque *Burgundiones* sunt appellati.

Amasias consecratus Domino) Hebr. המתנדב *hammitnaddeb*, id est, ut Vatabl. qui sponte se obtulit Domino, hoc est militiæ sacræ se devovit, ut pugnaret pro Deo Deique cultu contra idola et idololatras, ac pro fideli et pio rege suo Iosaphat. Similes olim fuere Milites Templi sive Templarii, qui militiæ sacræ se devoverunt pro tutela terræ sanctæ et templi Ierosolymitani. Vide S. Bern. in serm ad Milites Templi. Vers. 16.

Et cum eo centum octoginta millia.) Universim Iosaphat sub signis habuit undecies centena et sexaginta bellatorum millia, Deo eum prosperante: quia præter tribus Iudæ et Beniamin potentes et numerosas sibi subditas, multi ex decem tribubus avitæ religionis studiosi et prosperitate Iosaphat illecti, ad Ierusalem transfugerunt, ut dictum est c. 15. 9. Vers. 18.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosaphat filio suo Ioram uxorem dat filiam impii regis Achab, cum eoque pergit ad prælium, in eoque iuxta oraculum Michææ Achab occiditur.

1. Fuit ergo Iosaphat dives et inclytus multum, et affinitate coniunctus est Achab. 2. Descenditque post annos ad eum in Samariam: ad cuius adventum mactavit Achab arietes et boves plurimos, ipsi, et populo qui venerat cum eo: persuasitque illi ut ascenderet in Ramoth Galaad. 3. Dixitque Achab rex Israel ad Iosaphat regem Iuda: Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit: Ut ego, et tu: sicut populus tuus, sic et populus meus: tecumque erimus in bello. 4. Dixitque Iosaphat ad regem Israel: Consule obsecro impræsentiarum sermonem Domini. 5. Congregavit igitur rex Israel prophetarum quadringentos viros, et dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere? At illi, Ascende, inquiunt, et tradet Deus in manu regis. 6. Dixitque Iosaphat: Numquid non est hic prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus? 7. Et ait rex Israel ad Iosaphat: Est vir unus, a quo possumus quærere Domini voluntatem: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore: est autem Michæas filius Iemla. Dixitque Iosaphat: Ne loquaris rex hoc modo. 8. Vocavit ergo rex Israel unum de eunuchis, et dixit ei: Voca cito Michæam filium Iemla. 9. Porro rex Israel, et Iosaphat rex Iuda, uterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio: sedebant autem in area iuxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis. 10. Sedecias vero filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, et ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec conteras eam. 11. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, atque dicebant: Ascende in Ramoth Galaad, et prosperaberis, et tradet eos Dominus in manu regis. 12. Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: En verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant: quæso ergo te ut et sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera. 13. Cui respondit Michæas: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. 14. Venit ergo ad regem. Cui rex ait: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit: Ascendite; cuncta enim prospera evenient, et tradentur hostes in manus vestras. 15. Dixitque rex: Iterum atque iterum te adiuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini. 16. At ille ait: Vidi universum Israel dispersum in montibus, sicut oves absque pastore: et dixit Dominus: Non habent isti dominos: revertatur unusquisque in domum suam in pace. 17. Et ait rex Israel ad Iosaphat: Nonne dixi tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt? 18. At ille, idcirco, ait, audite verbum Domini: Vidi Dominum sedentem in solio suo, et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris. 19. Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et corruat in Ramoth Galaad? Cumque diceret unus hoc modo, et alter alio: 20. Processit spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus, In quo, inquit, decipies? 21. At ille respondit: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Dixitque Dominus: Decipies, et prævalebis: egredere, et fac ita. 22. Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, et Dominus locutus est de te mala. 23. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michææ maxillam, et ait: Per quam viam transivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi? 24. Dixitque Michæas: Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo ut abscondaris. 25. Præcepit autem rex Israel, dicens: Tollite Michæam, et ducite eum ad Amon principem civitatis, et ad Ioas filium Amelech. 26. Et dicetis: Hæc dicit rex: Mittite hunc in carcerem, et date ei panis modicum, et aquæ pauxillum, donec revertar in pace. 27. Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait: Audite omnes populi. 28. Igitur ascenderunt rex Israel et Iosaphat rex Iuda in Ramoth Galaad. 29. Dixitque rex Israel ad Iosaphat: Mutabo habitum, et sic ad pugnam vadam, tu autem induere vestibus

tuis. Mutatoque rex Israel habitu, venit ad bellum. 30. Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum regem Israel. 31. Itaque cum vidissent principes equitatus Iosaphat, dixerunt: Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes: at ille clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo. 32. Cum enim vidissent duces equitatus, quod non esset rex Israel reliquerunt eum. 33. Accidit autem ut unus e populo sagittam in incertum iaceret, et percuteret regem Israel inter cervicem et scapulas; at ille aurigæ suo ait: Converte manum tuam, et educ me de acie, quia vulneratus sum. 34. Et finita est pugna in die illo: porro rex Israel stabat in curru suo contra Syros usque ad vesperam, et mortuus est occidente sole.

Hoc caput explicui lib. 3. Reg. c. ult.
Vers. 1. Affinitate coniunctus est Achab.) Eius filiam Athaliam dando uxorem filio suo Ioram, ut patet c. 21. 6. Hoc unicum fuit peccatum Iosaphat, quod societatem et connubium miscuerit cum impio Achab. Athalia enim filia Achab idololatriam in Iudæam invexit, adeoque occisis omnibus regis filiis, seipsam reginam effecit.

Vers. 20. Processit spiritus.) Nequam, scilicet diabolus. Fabulantur Rabbini hunc spiritum fuisse animam Naboth iniuste a Iezabele lapidati, quasi illa hic se vindicarit, curaritque Achab a pseudoprophetis seduci, ut iret ad prælium in quo erat occidendus.

Vers. 25. Et ad Ioas filium Amalech.) Sic et Pagnin. Hebr.
A est בן המלך *ben hammelech,* quod Sept. proprie vertunt: *filium regis.* Unde videtur hic Ioas fuisse filius Achab, qui proficiscens in bellum contra Syros, huic filio suo custodiam Samariæ commiserit.

Audite omnes populi.) Ac notate singula oraculi mei Vers. 27.
verba, ut cum paulo post videritis singula impleri, sciatis me a Deo missum hæc prædixisse, ideoque Achabo necem non casu, sed Deo vindice obtigisse; ut ab eius idolis et sceleribus caveatis, et ad Deum Iuda redeatis.

Rex Israel stabat in curru suo contra Syros Vers. 34.
usque ad vesperam.) Licet enim Achab esset vulneratus, perstitit tamen in curru, ut suis in pugna contra Syros animos adderet, donec vespere eum cum sanguine spiritus et vita defecit.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iehu propheta arguit Iosaphat, quod cum impio Achab fœdus inierit: unde Iosaphat zelum cultus divini adauget, ac iudices de servanda iustitia, Sacerdotes et Levitas de populo pie erudiendo admonet.

1. Reversus est autem Iosaphat rex Iuda in domum suam pacifice in Ierusalem. 2. Cui occurrit Iehu filius Hanani Videns, et ait ad eum: Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris: 3. Sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, et præparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuorum. 4. Habitavit ergo Iosaphat in Ierusalem: rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum. 5. Constituitque iudices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca, 6. Et præcipiens iudicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: et quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit. 7. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 8. In Ierusalem quoque constituit Iosaphat Levitas, et Sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut iudicium et causam Domini iudicarent habitatoribus eius. 9. Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter et corde perfecto. 10. Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem et cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum, et ne veniat ira super vos et super fratres vestros: sic ergo agentes non peccabitis. 11. Amarias autem sacerdos et pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habetisque magistros Levitas coram vobis, confortamini, et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis.

Vers. 2. Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia iungeris.) Et affinitate, dando filiam impii Achab scilicet Athaliam, uxorem filio tuo Ioram. Hoc enim indignum est, ut scilicet eos faciamus nobis amicos, qui Dei sunt hostes, et quorum Deus est hostis; nisi necessitas aut magna utilitas cogat, æque ac periculosum, ut patuit ex eventu. Athalia enim pervertit Ioram et Iudæos. Unde David Psalm. 138. 21. profitetur se hostem hostium Dei: *Nonne*, inquit, *qui oderunt te Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.* Quocirca subiungit Deus per Iehu prophetam:

Et idcirco iram (castigationem et vindictam acrem) quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te.) Scilicet pietatis, et zeli in evertenda idololatria, et tuendo promovendoque Dei cultu, ob quæ Deus tibi omnem culpam æque ac pœnam condonat.

B Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.) Vers. 6.
q. d. Non tam mei, quam Dei estis vicarii, a Deo scilicet per me constituti estis iudices populi sui, ut eum iuste sancteque iudicetis; quare ipse a vobis rationem iustitiæ vel præstitæ, vel neglectæ severam exiget, ac pro meritis præmiabit, vel puniet. Cogitent hoc sæpeque ruminent principes et iudices; scilicet se Dei iudicium exercere, ac proinde coram Deo ita vere et sincere iudicent, sicut Deus ipse iudicaret, et sicut iudicandum esse ipse eis ostendet in die iudicii. Qui hoc cogitat, nec favore, nec amicitia, nec donis, nec minis a recto iustitiæ tramite inflecti se sinit. Nam ut subdit:

Non est enim apud Dominum Deum nostrum ini- Vers. 7.
quitas) Id est, ut Sept. *iniustitia.* Hebr. עולה *aula*, id est, *perversitas,* sive perversio et eversio iustitiæ, ut vel personas, vel munera accipiat, ut sequitur. Ita Vatab.

*

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosaphat Moabitas, Ammonitas et Syros non tam armis, quam oratione et ieiunio superat et spoliat. Denique v. 35. Eleazar propheta arguit Iosaphat ob fœdus cum Ochozia impio rege Israel initum, ideoque naves utriusque ituras in Tharsis confractas esse asserit.

1. Post hæc congregati sunt filii Moab, et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis, ad Iosaphat, ut pugnarent contra eum. 2. Veneruntque nuntii, et indicaverunt Iosaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna, de his locis quæ trans mare sunt, et de Syria, et ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi. 3. Iosaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, et prædicavit ieiunium universo Iuda. 4. Congregatusque est Iudas ad deprecandum Dominum: sed et omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum. 5. Cumque stetisset Iosaphat in medio cœtu Iuda, et Ierusalem, in domo Domini ante atrium novum, 6. Ait: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, et dominaris cunctis regnis Gentium, in manu tua est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere. 7. Nonne tu Deus noster interfecisti omnes habitatores terræ huius coram populo tuo Israel, et dedisti eam semini Abraham amici tui in sempiternum? 8. Habitaveruntque in ea, et extruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes: 9. Si irruerint super nos mala, gladius iudicii, pestilentia, et fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum: et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies. 10. Nunc igitur ecce filii Ammon, et Moab, et mons Seir, per quos non concessisti Israel ut transirent quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, et non interfecerunt illos: 11. E contrario agunt, et nituntur eiicere nos de possessione, quam tradidisti nobis. 12. Deus noster, ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. 13. Omnis vero Iuda stabat coram Domino, cum parvulis, et uxoribus, et liberis suis. 14. Erat autem Iahaziel filius Zachariæ, filii Banaiæ, filii Iehiel, filii Mathaniæ, Levites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini in medio turbæ, 15. Et ait: Attendite omnis Iuda, et qui habitatis Ierusalem, et tu rex Iosaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei. 16. Cras descendetis contra eos: ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, et invenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Ieruel. 17. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos, o Iuda, et Ierusalem: nolite timere, nec paveatis: cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum. 18. Iosaphat ergo, et Iuda, et omnes habitatores Ierusalem, ceciderunt proni in terram coram Domino, et adoraverunt eum. 19. Porro Levitæ de filiis Caath, et de filiis Core, laudabant Dominum Deum Israel voce magna, in excelsum. 20. Cumque mane surrexissent, egressi sunt per desertum Thecue: profectisque eis, stans Iosaphat in medio eorum, dixit: Audite me viri Iuda, et omnes habitatores Ierusalem: credite in Domino Deo vestro, et securi eritis: credite prophetis eius, et cuncta evenient prospera. 21. Deditque consilium populo, et statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, et antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. 22. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, et Moab, et montis Seir, qui egressi fuerant ut pugnarent contra Iudam, et percussi sunt: 23. Namque filii Ammon, et Moab, consurrexerunt adversum habitatores montis Seir, ut interficerent et delerent eos: cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus. 24. Porro Iuda cum venisset ad speculam, quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus, nec superesse quemquam, qui necem potuisset evadere. 25. Venit ergo Iosaphat, et omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: inveneruntque inter cadavera variam supellectilem, vestes quoque, et vasa pretiosissima, et diripuerunt, ita ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine. 26. Die autem quarto congregati sunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocaverunt locum illum Vallis benedictionis usque in præsentem diem. 27. Reversusque est omnis vir Iuda, et habitatores Ierusalem, et Iosaphat ante eos, in Ierusalem cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. 28. Ingressique sunt in Ierusalem cum psalteriis, et citharis, et tubis, in domum Domini. 29. Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum, cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel. 30. Quievitque regnum Iosaphat, et præbuit ei Deus pacem per circuitum. 31. Regnavit igitur Iosaphat super Iudam, et erat triginta quinque annorum cum regnare cœpisset: viginti autem et quinque annis regnavit in Ierusalem, et nomen matris eius Azuba filia Selahi. 32. Et ambulavit in via patris sui Asa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino. 33. Verumtamen excelsa non abstulit, et adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum. 34. Reliqua autem gestorum Iosaphat priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Iehu filii Hanani, quæ digessit in Libros regum Israel. 35. Post hæc iniit amicitias Iosaphat rex Iuda cum Ochozia rege Israel, cuius opera fuerunt impiissima. 36. Et particeps fuit ut facerent naves, quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Asiongaber. 37. Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Iosaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

Vers. 1. FILII AMMON ET CUM EIS DE AMMONITIS.) Hoc est de Idumæis: hi enim ne viderentur contra Iudæos fratres suos pugnare, vocabant se Ammonitas. Ita Auctor Tradit. apud S. Hier. hic: *Ammonitas*, ait, *Idumæos vult intelligi, qui ob reverentiam paterni nominis* (Esau, qui erat frater Iacob patris Iudæorum) *nolebant in pristino habitu arma movere contra Israel, sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum.*

Vers. 2. DE HIS LOCIS QUÆ SUNT TRANS MARE, scilicet mortuum, sive lacum Asphaltidem, illoque traiecto castrametantur in ENGADDI.) Puta in limitibus regni Iuda; Syria enim separabatur a Iudæa mari mortuo, ait Vatab.

Vers. 5. ATRIUM NOVUM.) Scilicet innovatum, vel de novo templo adiectum, cum enim Salomon amplissima fecisset templi atria, ut totum populum 12. tribuum caperet; deinde vero decem tribus fecissent schisma a Roboam et templo, hinc multæ atrii partes, utpote vacuæ fuere occlusæ, vel ad alios usus deputatæ. At vero sub Iosaphat crescente multitudine fidelium, et populi tam Iuda, quam eorum qui e decem tribubus transfugerant ad Iuda, necessum fuit earum aliquas rursum aperiri et innovari, ut tantum populum caperent: et hoc est: *atrium novum*; id est innovatum, et de novo usibus templi et populi accommodatum.

Vers. 12. SED CUM IGNOREMUS QUID AGERE DEBEAMUS, HOC SOLUM HABEMUS RESIDUI, UT OCULOS NOSTROS DIRIGAMUS AD TE.) Nota hoc Iosaphat consilium piissimum et utilissimum. *Cum* ergo *omni humano auxilio destitueris, vicinum est divinum*, ut aiebat Philo legat. ad Caium, si illud invoces; Dei enim proprium est in arctis succurrere, ac desperata restituere: ibi enim maxime suam clementiam et potentiam ostendit. Hoc ergo opus uti divinitati est congruum, sic et Deo proprium.

Vers. 13. OMNIS IUDA STABAT CORAM DOMINO CUM PARVULIS, ET UXORIBUS, ET LIBERIS SUIS.) Ecce hic patet antiquitas Litaniæ sive orationis publicæ et communis, qua in A publica calamitate publice omnes cuiusvis sexus et ætatis conveniunt, ut unanimi voce, et quasi una omnium comploratione Dei misericordiam et opem implorent, Deoque quasi vim faciant. *Hæc*, enim, *vis grata est Deo*, ait Tertull. in Apol. Idem fecere Ninivitæ, Ionæ 3. 5. et Machabæi 2. Machab. 3. v. 18. et seq. ac Iudæi tempore Iudith cap. 4. v. 9. Et hoc est, quod faciendum monet Ioel c. 2. 16. *Coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera.* Idem fecit S. Greg. in peste quæ Romam et Italiam populabatur. Indixit enim publicas omnium ordinum litanias, easque in varias classes distribuit, ac omnibus Dei opem inclamantibus Deus pestem stitit, ut habet eius vita.

VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT.) *Excelsa* Deo Vers. 33.
vero dicata intellige; nam excelsa idolorum abstulit, ut dictum est. Causam subdit:

ET ADHUC POPULUS NON DIREXERAT COR SUUM AD DOMINUM.) Scilicet perfecte et totaliter, nam adhuc immolabat Deo in excelsis, cum Deus iussisset ut in solo B templo Ierosolymæ sibi sacrificaretur.

SCRIPTA SUNT IN VERBIS IEHU FILII HANANI, QUÆ Vers. 34.
DIGESSIT IN LIBROS REGUM ISRAEL.) Puta in libros chronicorum sive Diariorum, quibus conscripsit gesta regum Israel. Hinc patet Iehu esse auctorem, saltem ex parte, libri toties citati, scilicet chronicorum regum Israel, eumque diversum esse ab hoc libro Paralipomenon, cum in eo hic citetur.

NAVES QUÆ IRENT IN THARSIS) Vide dicta c. 9. 21. Vers. 36.
Nota ex hoc loco, Deum sæpe piorum principum conatus frustrari, eo quod impiorum regum vel militum ope utantur. Ideo enim contrivit naves pii Iosaphat, quod iunctæ essent navibus Ochoziæ impii regis Israel. Simili modo Deus per prophetam iussit Amasiæ, impios Israelitas, licet centum talentis argenti iam conductos, ab exercitu domum remittere. cap. 25. v. 6.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pio Iosaphat succedit impius filius Ioram, qui fratres suos et nonnullos principum occidit. Quare Elias ad eum litteras e paradiso mittit, quibus ei gravem morbum, mortemque ac toti regno cladem denuntiat, quæ omnia reipsa evenerunt.

1. DORMIVIT autem Iosaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in Civitate David: regnavitque Ioram filius eius pro eo. 2. Qui habuit fratres, filios Iosaphat, Azariam, et Iahiel, et Zachariam, et Azariam, et Michael, et Saphatiam: omnes hi, filii Iosaphat regis Iuda. 3. Deditque eis pater suus multa munera argenti, et auri, et pensitationes, cum civitatibus munitissimis in Iuda: regnum autem tradidit Ioram, eo quod esset primogenitus. 4. Surrexit ergo Ioram super regnum patris sui: cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, et quosdam de principibus Israel. 5. Triginta duorum annorum erat Ioram cum regnare cœpisset: et octo annis regnavit in Ierusalem. 6. Ambulavitque in viis regum Israel, sicut egerat domus Achab: filia quippe Achab erat uxor eius, et fecit malum in conspectu Domini. 7. Noluit autem Dominus disperdere domum David, propter pactum quod inierat cum eo: et quia promiserat ut daret ei lucernam, et filiis eius omni tempore. 8. In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Iudæ, et constituit sibi regem. 9. Cumque transisset Ioram cum principibus suis, et cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, et percussit Edom qui se circumdederat, et omnes duces equitatus eius. 10. Attamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Iuda, usque ad hanc diem: eo tempore et Lobna recessit ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum: 11. Insuper et excelsa fabricatus est in urbibus Iuda, et fornicari fecit habitatores Ierusalem, et prævaricari Iudam. 12. Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, et in viis Asa regis Iuda, 13. Sed incessisti per iter regum Israel, et fornicari fecisti Iudam, et habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper et fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti: 14. Ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, et filiis, et uxoribus tuis, universaque substantia tua: 15. Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. 16. Suscitavit ergo Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum, et Arabum, qui confines sunt Æthiopibus; 17. Et ascenderunt in Terram Iuda, et vastaverunt eam,

diripueruntque cunctam substantiam, quæ inventa est in domo regis, insuper et filios eius, et uxores: nec remansit ei filius, nisi Ioachaz, qui minimus natu erat. 18. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili. 19. Cumque diei succederet dies, et temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus: et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter et vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, et non fecit ei populus secundum morem combustionis, exequias, sicut fecerat maioribus eius. 20. Triginta duorum annorum fuit, cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Ierusalem. Ambulavitque non recte, et sepelierunt eum in Civitate David: verumtamen non in sepulchro regum.

Vers. 4. OCCIDIT OMNES FRATRES SUOS GLADIO, ET QUOSDAM DE PRINCIPIBUS.) Forte eo quod ipsi se eius novæ religioni et idololatriæ opponerent. Quod si ita est, ipsi revera occubuerunt ut martyres.

Vers. 7. LUCERNAM.) Id est successionem stirpis regiæ et splendidæ. Vide Psal. 131. v. 17.

Vers. 10. ATTAMEN REBELLAVIT EDOM.) Idumæa scilicet excussit iugum impii Ioram regis Iuda; tuncque impleta est prophetia Iacob Genes. 27. 40. prædicentis, quod Esau excuteret iugum Iacob, puta quod Idumæi excuterent iugum Iudæorum.

EO TEMPORE ET LOBNA RECESSIT.) Urbs erat prisca in tribu Iuda, q. d. non tantum exteri Idumæi, sed et subditi Lobnenses impio Ioram, licet regi suo, rebellarunt. Audi Adrichom. in descript. tribus Iuda n. 176. *Lebna* quæ et *Lobna et Labana*, urbs Levitarum fortis et munita, non longe a Lachis dissita. Habuerat priscis temporibus regem, quo interfecto, Iosue etiam ipsam expugnavit. Postquam ad Monarchiam devenisset status Iudæorum, propter impietatem Regis Ioram filii Iosaphat, defecit ab eo Lebna, tandem obsessa fuit a Sennacherib rege Assyriorum. Nunc villa est in regione Eleutheropolitana, quæ appellatur *Lobna*, de qua scribit Isaias, ut auctor Hieronymus. Quidam hanc ponunt in tribu Dan.

Vers. 12. ALLATÆ AUTEM SUNT EI LITTERÆ AB ELIA PROPHETA.) Quæres, quænam, quales, quando et quomodo ab Elia scriptæ et missæ sunt hæ litteræ? Nota, Eliam iam pridem e terra raptum fuisse curru igneo in cælum. Nam tempore Iosaphat, qui fuit pater huius Ioram, florebat et prophetabat Eliseus, qui Eliæ iam rapto successit, ut patet 4. Reg. 3. v. 11. Quod enim Caiet. censet alium hunc esse Eliam, et diversum a Thesbite, non habet speciem verisimilitudinis, et nove sine fundamento dicitur. Tale quoque est, quod ait Vatab. per Eliam hic intelligi Eliseum, eo quod ipsi spiritus Eliæ insedisset. Alii, ut Emmanuel Sa, opinantur Eliam ante raptum has litteras scripsisse, et dedisse Eliseo vel alicui simili, ut eas post raptum suum traderet regi Ioram. Verum alii passim censent Eliam ex paradiso, vel loco in quo ipse post raptum degit cum Enoch, has litteras misisse, sive per Angelum forma humana indutum, sive per Eliseum aliumve prophetam, vel virum fidelem, ad regem Ioram.

Elias scribit ex paradiso ad Ioram.

A Itaque sicut in Transfiguratione Christi apparuit Petro, Iacobo et Ioanni Elias cum Mose, sic et idem apparuit hic alicui viro, eique litteras a se scriptas ad Ioram perferendas dedit. Ita Hebræi in Seder Olam c. 17. Lyran. Serar. Sanchez, Bellarm. et Salian. qui censent has litteras datas ab Elia nono anno post raptum; raptum enim fuisse anno 19. Iosaphat qui deinde adhuc sex annos regnavit, scilicet usque ad annum 25. litteras vero has fuisse datas anno tertio vel quarto Ioram, quo scilicet ipse solus post patrem Iosaphat vita functum regnabat. Scripsit autem ex paradiso, ut magis percelleret impium Ioram et converteret, utque ostenderet quantam ipse et Sancti, etiam post hanc vitam, hominum fidelium præsertim, habeant curam. Idem censet Genebr. lib. 1. chronol. Iosephus Acosta lib. 3. de Noviss. Temp. c. 7. Aben Ezra et Petrus Figuerius in cap. 4. Malachiæ, Thomas Malvenda lib. 9. de Antichristo c. 2. Porro hisce litteris Elias graviter increpat Ioram, quod a Deo æque ac religione patris sui Iosaphat desciverit, quodque fratres B suos quasi parricida occiderit, ac eidem minatur triplicem plagam: scilicet primo, publicam bonorum tam ipsius regis quam regni populique expilationem, æque ac uxorum et filiorum eius rapinam, quam mox intulerunt Philisthæi, Arabes et Æthiopes, ut dicitur v. 16. Secundo, gravem morbum et longam duorum annorum tabem, ita ut viscera egerat, itaque in doloribus et fœtoribus infelicem animam exhalet, v. 18. Tertio, quod carebit honore regiæ sepulturæ. Hanc tertiam pœnam non exprimit Elias, sed hæc e duabus prioribus, atque ex infami eius vita et morte consecuta est, ut patet v. 19.

NISI IOACHAZ) Hic est, qui inverso nomine dictus est *Ochozias*. Hic enim solus superstes Ioram patri in regno successit, ut patet c. seq. v. 1. Ita Beda. Vers. 17.

ET NON FECIT EI POPULUS SECUNDUM MOREM COMBUSTIONIS EXEQUIAS, SICUT FECERAT MAIORIBUS EIUS.) Vers. 19. Comburendo, non cadaver regis (illud enim sepeliebatur in sepulcro David et Salomonis, vel proprio ad hoc C magnifice quasi mausolæo erecto,) sed iuxta cadaver, aromata et unguenta pretiosa, idque *ambitione* et pompa *magna*, uti factum est Asæ avo Ioram c. 16. v. 14. Vide dicta Ierem. 34. v. 5.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Impio Ioram succedit filius impius Ochozias, quem cum Ioram rege Israel occidit Iehu. Athalia uxor Ioram omnes filios Ochoziæ occidit, unico Ioas parvulo excepto, quem Iosabeth amita furtim neci subtraxit. Sola ergo regnat Athalia.

1. CONSTITUERUNT autem habitatores Ierusalem Ochoziam filium eius minimum, regem pro eo: omnes enim maiores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra: regnavitque Ochozias filius Ioram regis Iuda. 2. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Ierusalem, et nomen matris eius Athalia filia Amri. 3. Sed et ipse ingressus est per vias domus Achab: mater enim eius impulit eum ut impie ageret. 4. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab: ipsi enim fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui, in interitum eius. 5. Ambulavitque in consiliis eorum. Et perrexit cum Ioram filio Achab rege Israel, in bellum contra Hazael regem Syriæ in

Ramoth Galaad : vulneraveruntque Syri Ioram. 6. Qui reversus est ut curaretur in Iezrahel : multas enim plagas
acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Ioram rex Iuda , descendit ut inviseret Ioram filium A-
chab in Iezrahel ægrotantem. 7. Voluntatis quippe fuit Dei adversus Ochoziam, ut veniret ad Ioram : et cum ve-
nisset , et egrederetur cum eo adversum Iehu filium Namsi , quem unxit Dominus ut deleret domum Achab. 8.
Cum ergo everteret Iehu domum Achab , invenit principes Iuda , et filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei ,
et interfecit illos. 9. Ipsum quoque perquirens Ochoziam , comprehendit latitantem in Samaria : adductumque ad
se, occidit, et sepelierunt eum: eo quod esset filius Iosaphat, qui quæsierat Dominum in toto corde suo, nec erat
ultra spes aliqua, ut de stirpe quis regnaret Ochoziæ; 10. Siquidem Athalia mater eius , videns quod mortuus es-
set filius suus, surrexit, et interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram. 11. Porro Iosabeth filia regis tulit Ioas
filium Ochoziæ, et furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua
in cubiculo lectulorum : Iosabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia regis Ioram, uxor Ioiadæ Pontificis, soror
Ochoziæ, et idcirco Athalia non interfecit eum. 12. Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus
regnavit Athalia super terram.

Vers. 1. OCHOZIAM.) Hic est qui inverse vocatus est *Ioachaz* , c. præcedenti v. 17.

Vers. 2. QUADRAGINTA DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS , CUM REGNARE CŒPISSET.) Gravis est hic quæstio et antilogia : nam 4. Reg. 8. 26. dicitur: *Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset ;* quia ut præcessit, Ioram cœpit regnare cum 32. esset annorum, regnavitque 8. annis, mortuusque est anno ætatis 40. ait Iosephus; mox successit ei filius Ochozias, ergo is non potuit esse 42. annorum, alioqui enim biennio fuisset senior patre suo Ioram, qui mortuus est anno ætatis quadragesimo; fuit igitur tum Ochozias 22. annorum.

Antilogia 42. annorum.

Conciliatur. I. Primo , Hebræi in Seder Olam c. 17. quos sequitur Genebr. et Serar. respondent, hos 42. annos computandos esse ab anno sexto Amri, qui fuit avus maternus Ochoziæ, cuius mores et idola ipse secutus est ; Amri enim in Samaria a se condita, et in metropolim regni Israel erecta, solus regnare cœpit anno sexto regni sui, regnavitque in ea octo annis ; successit ei Achab filius , qui cum Ochozia filio regnavit 22. annis ; huic successit Ioram pariter filius per 12. annos ; anno autem eius duodecimo et ultimo cœpit regnare in Iuda hic Ochozias filius Ioram , eodemque anno cum Ioram rege Israel occisus est a Iehu: iam adde annos 8. Amri, 22. Achab, 12. Ioram habebis 42. quos quærimus. Videntur enim Israelitæ Æram constituisse ab initio regni Samariæ, ab eoque annos numerasse , uti numerant Historici a Roma condita. Sic Absalom dicitur post 40. annos, scilicet a prima unctione Davidis in regem computandos, rebellasse Davidi, 2.Reg. 15. 7. Verum obstat, quod hi 42. anni dicantur esse Ochoziæ, non regni Samariæ. Unde Hebr. clare habent : *Filius* 42. *annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset.* Adde, Ochozias erat rex Iuda , cur ergo annos eius computaret Script. a regno Samariæ diverso, imo ei adverso?

II. Secundo , S. Hieron. in Tradit. Glossa , Lyran. Hugo, Dion. Gordonus , Mendoza , Vatab. et Franc. Suarez 3. p. 10. 1. disp. 6. sect. 1. respondent Ioram cœpisse regnare anno ætatis 32. cum Iosaphat patre, ac cum eo regnasse viginti annis, deinde eo mortuo solum regnasse octo annis, qui octo solum numerantur, quia pertinent ad chronologiæ computationem; quare mortuum esse anno ætatis non 40. ut ait Iosephus, sed 60. ita ut Ochozias filius ei succedens fuerit 42. annorum, qui tamen 3. Reg. 8. 26. dicitur fuisse 22. annorum , quia scilicet ipse cum patre Ioram 20. annis regnavit, quare quando cum eo regnare cœpit, erat 22. patre vero post 20. annos mortuo , cum Ochozias solus regnavit , fuit 42. annorum.

Verum sic Iosaphat debuisset generare Ioram anno ætatis suæ octavo ; Iosaphat enim cœpit regnare anno ætatis 35. ac regnavit 25. annis , mortuusque est sexagenarius ; adde quinque, vel ut alii octo annos, quibus post eius mortem regnavit Ioram , fient anni Iosaphati 68. ex quibus 42. tribuendi sunt Ochoziæ, ac octodecim circiter Ioram patri eius, cum eum genuit, qui iuncti faciunt 60. quare octo tantum anni supererunt Iosaphato , quos ipse habuerit cum genuit Ioram , quod est impossibile. Omitto , quod isti auctores dicunt simul tres reges regnasse,

A scilicet avum Iosaphat, filium Ioram , et nepotem Ochoziam per 20. annos ; quod novum est et insolitum.

III. Tertio, Sanchez et alii, ut hoc argumentum evitent, dicunt Ioram cum patre Iosaphat regnasse octo annis, post eius mortem vero regnasse 20. annis ; sed infeliciter, utpote morbo insanabili a Deo percussum , ideoque Ochoziam filium regnum pro patre ægro et tabido administrasse, ideoque hos viginti annos includi hic in 42. annis Ochoziæ. Itaque Ochoziam, quando cum patre Ioram regnare cœpit, fuisse 22. annorum; quando vero eo post 20. annos mortuo, solus regnavit , fuisse 42. annorum.

Verum obstat primo , quod Ioram pater biennio tantum hoc morbo laborarit , ut dicitur 2. Paral. 21. 19. Secundo, quod sic viginti anni iam dicti debuissent dici regni Ochoziæ, non vitæ, ut chronologia annorum regni , quibus quisque rex in Iuda regnavit, continua serie pertexeretur: alioqui enim hi viginti anni chronologiæ regni Iuda deerunt: quocirca nemo Chronologorum eos numerat, quod signum est eos non extitisse. Tertio et maxime,
B quod anni Ioram regis Iuda eiusque filii Ochoziæ, includantur in annis Ioram regis Israel , uti patet 4. Reg. 8. 16. et 25. et cap. 9. v. 27. et 29. Ioram autem rex Israel cœpit regnare anno 18. Iosaphat , regnavitque duodecim annis, ut dicitur 4. Reg. 3. 1. regnavit ergo septem annos post mortem Iosaphat : hic enim regnavit 25. annis. Mortuus est igitur tam Ioram rex Israel, quam Ioram rex Iuda, eiusque filius Ochozias anno septimo post mortem Iosaphat. Ergo nullus eorum potuit regnare viginti annis post mortem Iosaphat : quare Ochozias non potuit tunc esse quadraginta duorum annorum. Ita Caiet. Salian. et alii.

IV. genuine. Quarto ergo Caiet. Bellarm. in manuscripta Concordia annorum regum Israel et Iuda , quam penes me habeo , Torniellus, Salian. Mariana, Scaliger et alii censent hic esse mendum, et pro 42. substituendos. 22. annos. Sic enim clare dicitur 4. Reg. 8. 26. *Viginti duorum annorum erat Ochozias , cum regnare cœpisset* , et sic habent hoc loco
C Sept. Romæ correcti. *Viginti,* inquiunt, *annorum erat Ochozias* , et in Notis additur alios codices habere : *Viginti duorum annorum.* Ac facile in Hebr. pro עשׂרים *Esrim,* id est *viginti,* irrepsisse potuit *arbaim,* id est 40. facilius in ciphris irrepsit error, ut pro כב id est 22. positum sit מב id est 42. ait Mariana ; nam כ et מ caractere sunt affines. Atque hæc videtur origo fuisse mendi. Fateor omnes Codices Hebræos et Latinos hoc loco habere 42. non 22. sed argumenta cogunt ut pro 42. reponatur 22. Nulla enim alia solutio solida hic afferri potest ; neque interpretes , sed ipsa S. Script. corrigit seipsam a descriptoribus vitiatam, scilicet liber Regum corrigit librum Paralipomenon in annis iam dictis, Scriptorum vitio corruptis. Plura in editione vulgata a Romanis correcta sunt , et plura corrigi possent, uti ipsi Correctores in præfatione fatentur, atque error in numeris facile contingit, nec spectat ad fidem vel bonos mores. Sic multi demunt Cainan a serie generationum in genealogia Christi , cum tamen eum constanter habeant omnia exemplaria Græca, Latina, Syra, Arabica, etc. Lucæ 3. 36. Denique hoc loco pro

42. *annorum*, Syrus habet 22. *annorum erat Ochozias.* Sic quoque habet Arabicus uterque, scilicet Antiochenus, sive montis Sinai, et Alexandrinus sive Cophticus, uti mihi Romæ asseveravit Illustrissimus Dominus Sergius Risius Maronita Archiepiscopus Damascenus.

Athalia filia Amri.) *Filia* id est neptis. Erat enim filia Achab qui erat filius Amri, ut patet c. præced. vers. 6. et 4. Reg. 8. 18.

Vers. 10. Interfecit omnem stirpem regiam.) Scilicet omnes filios filii sui Ochoziæ regis, quos ipse multos ex multis uxoribus (uti tum regibus mos erat) susceperat. Occidit ergo omnes suos ex filio Ochozia nepotes, ut iis quasi hæredibus regni sublatis, ipsa sola quasi avia libere et impune regnaret. Vide ad quanta parricidia feminam adeA gerit regnandi cupido et libido.

Porro Iosabeth filia regis Ioram (non ex Athalia, sed ex alia uxore) furata est eum (Ioas) de medio filiorum regis cum interficerentur.) *Quem inter cæsorum fratrum cadavera,* ait Iosephus, *opinione Athaliæ mortuum nutricis opera ablatum furtim domi suæ abdidit, et solo marito* (Ioiada Pontifice) *conscio sex annis abscondit in templo, in cubiculo lectulorum*, id est in una exedra, sive cubiculo, ubi erat triclinium in quo vescebantur sacerdotes et Levitæ, qui vice sua illa hebdomade deserviebant templo. Tales enim exedræ plurimæ erant circa templum, ideoque et ipsæ *templum*, id est templi appendices vocantur. Vers. 11.

Reliqua huius capitis exposui 4. Reg. 9.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioiada Pontifex Ioas septennem in regem ungit, Athaliam eius aviam regnantem occidit, Dei cultum restituit, aras et delubra Baal evertit.

1. Anno autem septimo confortatus Ioiada, assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Ieroham, et Ismahel filium Iohanan, Azariam quoque filium Obed, et Maasiam filium Adaiæ, et Elisaphat filium Zechri: et iniit cum eis fœdus. 2. Qui circumeuntes Iudam congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Iuda, et principes familiarum Israel, veneruntque in Ierusalem. 3. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege: dixitque ad eos Ioiada: Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David. 4. Iste est ergo sermo quem facietis: 5. Tertia pars vestrum qui veniunt ad Sabbatum, Sacerdotum, et Levitarum, et ianitorum, erit in portis: tertia vero pars ad domum regis: et tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti: omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini. 6. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes, et qui ministrant de Levitis: ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt: et omne reliquum vulgus observet custodias Domini. 7. Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua: (et si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur) sintque cum rege et intrante et egrediente. 8. Fecerunt ergo Levitæ, et universus Iuda, iuxta omnia quæ præceperat Ioiada pontifex: et assumpserunt singuli viros qui sub se erant, et veniebant per ordinem sabbati, cum his qui impleverant sabbatum, et egressuri erant; siquidem Ioiada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant. 9. Deditque Ioiada sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque et peltas regis David, quas consecraverat in domo Domini. 10. Constituitque omnem populum tenentium pugiones, a parte templi dextra, usque ad partem templi sinistram, coram altari, et templo, per circuitum regis. 11. Et eduxerunt filium regis, et imposuerunt ei diadema, et testimonium, dederuntque in manu eius tenendam legem, et constituerunt eum regem: unxit quoque illum Ioiada pontifex, et filii eius: imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Vivat rex. 12. Quod cum audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium regem, ingressa est ad populum in templum Domini. 13. Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu, et principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, et diversi generis organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, et ait: Insidiæ, insidiæ. 14. Egressus autem Ioiada pontifex ad centuriones, et principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, et interficiatur foris gladio. Præcepitque sacerdos ne occideretur in domo Domini. 15. Et imposuerunt cervicibus eius manus: cumque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi. 16. Pepigit autem Ioiada fœdus inter se, universumque populum, et regem, ut esset populus Domini. 17. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, et destruxerunt eam: et altaria ac simulacra illius confregerunt: Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras. 18. Constituit autem Ioiada præpositos in domo Domini, sub manibus Sacerdotum, et Levitarum, quos distribuit David in domo Domini: ut offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, in gaudio, et canticis, iuxta dispositionem David. 19. Constituit quoque ianitores in portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re. 20. Assumpsitque centuriones, et fortissimos viros ac principes populi, et omne vulgus terræ, et fecerunt descendere regem de domo Domini, et introire per medium portæ superioris in domum regis, et collocaverunt eum in solio regali. 21. Lætatusque est omnis populus terræ, et urbs quievit: porro Athalia interfecta est gladio.

Vers. I. Hoc caput explicui 4. Reg. 11.

Anno autem septimo confortatus (a Deo) Ioiada.) Fuit hic Pontifex magni animi et virtutis qui regiam stirpem in regnum restituit, vixitque 130. annos. 2 Paral. 24 15. Nonnulli cum nostro Henrico Samerio in chronolog. putant eum non fuisse summum Pontificem, sed principem sacerdotum in tribu Iuda, scilicet B eorum qui dispersi erant per tribum Iuda, eiusque curam gerebant. Ratio eorum est, quod in Catalogo summorum Pontificum, qui extat 1. Paral. 6. et 1. Esdræ 7. 1. et apud Ioseph. 10. Antiq. c. 11. non nominetur Ioiada. Verum chronicon Hebr. Ioiada collocat in numero summorum Pontificum. Rursum Ioseph. eum vocat ἀρχιερέα. et Script. eum vocat Pontificem et *principem sacerdotum*,

ac in Hebr. *Primum Sacerdotem*, et *caput sacerdotum*, id est summum Pontificem. Accedit ratio quod ipse regem Ioas in regnum restituerit et regem unxerit: hoc autem erat munus summi Pontificis. Rursum, mandata et imperia, quæ ipse hic dat omnibus sacerdotibus, Levitis, totique populo in custodiendo rege et templo, arguunt eum fuisse summum omnium Pontificem. Porro nec Ioseph. nec Script. 1. Paralip. 6. et 1. Esdræ 7. 1. omnes recenset pontifices, sed aliquos omittit; nam a rege Iosaphat usque ad Iosiam, quod fuit spatium 238. annorum, numerant tantum quatuor Pontifices, scilicet Achitob, Meraioth, Sadoc et Sellum; quorum quisque debuisset 59. annos fungi Pontificatu, quod est incredibile. Ioiada ergo et alii nonnulli omissi sunt, eo quod non esset ex Eleazaro primo Aaronis filio, cui iure primogenituræ debebatur Pontificatus progeniti. Forte etiam Ioiada, uti et multi alii, aliud habuit nomen Unde nonnulli putant eum qui a Iosepho inter Pontifices ponitur, vocaturque *Sedeas*, esse Ioiadam, et sequentem *Iulum* esse Zachariam filium Ioiadæ. Zachariam enim patri Ioiadæ in pontificatu successisse, censent Abul. Torniellus et alii, licet chronicon Hebr. quod sequitur Genebr. et Salian. asserat Ioiadæ successisse Pedaiam. Ioiada ergo restituit religionem æque ac regnum Iudæ, ideoque a Ioas rege post mortem sepultus est in sepulcro regum. Unde chronicon Hebr. hoc Ioiadæ dat Epitaphium et elogium: *Senuit Ioiada plenus dierum, et mortuus est cum esset* 130. *annorum. Nempe oriente in diebus Salomonis labe* (idololatria) *et ruina, natus est simul Ioiada qui eam corrigeret*. Natus est enim Ioiada sub annum regni Salomonis 35. mortuus vero anno 28. Ioas regis Iuda. Ita Salian.

QUI VENIUNT AD SABBATHUM.) Ut sabbato vicem hebdomadæ suæ ad serviendum in templo inchoent: Iudæi enim a sabbato hebdomadam inchoabant, sicut nos a Dominica, et eodem recurrente illam finiebant. Vers. 5.

RELIQUUM VULGUS (tum Levitarum, tum populi fidelis) OBSERVET CUSTODIAS DOMINI.) Id est fungatur officio suo in atrio domus Domini, sive templi; scilicet ut si quis tumultus oriatur ex militibus, quos Athalia submiserit ad occidendum Ioas, ipsi eos sistant, impediant et repellant. Idcirco enim iusserat v. 5. dicens: *Reliquum vulgus sit in atriis domus Domini;* puta in atrio, quod erat quasi templum laicorum, ac in varia minora atria erat divisum. Voluit enim Ioiada novellum regem puerum, non tantum Levitarum, sed et populi fidelis præsidio communiri, ne quæ ei vis aut fraus fieret ab Athalia avia impia. Vers. 6.

PORTÆ SUPERIORIS) Hæc erat porta templi, quæ ducebat ad regis palatium. Dicitur *superior*, quia altior erat regia, ex qua in inferiori loco constituta per hanc portam in templum ascendebatur, patet 4. Reg. 11. v. 6. et 19. Eadem porta v. 5. vocatur, *fundamenti;* quia in ipsis fundamentis templi, id est in Mello erecta. Ita Vilalp. p. 219. hæc præ ceteris iussa fuit custodiri, quia per hanc Athalia ex regia ventura erat in templum cum suo milite et satellite. Vers. 20.

CAPUT VICESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioas Rex sub Ioiada pontifice rite Deum colit, at eo mortuo deflectens ad idola, ideoque reprehensus a Zacharia filio Ioiadæ, eum in atrio templi lapidat et necat. Quare anno sequenti Deus Iudæam Syris spoliandam tradit, et Ioas regem per eius famulos occidit.

1. SEPTEM annorum erat Ioas cum regnare cœpisset: et quadraginta annis regnavit in Ierusalem, nomen matris eius Sebia de Bersabee. 2. Fecitque quod bonum est coram Domino, cunctis diebus Ioiadæ sacerdotis. 3. Accepit autem ei Ioiada uxores duas, e quibus genuit filios et filias. 4. Post quæ placuit Ioas ut instauraret domum Domini. 5. Congregavitque Sacerdotes, et Levitas, et dixit eis: Egredimini ad civitates Iuda, et colligite de universo Israel pecuniam ad sartatecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatoque hoc facite. Porro Levitæ egere negligentius. 6. Vocavitque rex Ioiadam principem, et dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Iuda et de Ierusalem pecuniam, quæ constituta est a Moyse servo Domini, ut inferret eam omnis multitudo Israel in tabernaculum testimonii? 7. Athalia enim impiissima, et filii eius, destruxerunt domum Dei; et de universis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim. 8. Præcepit ergo rex, et fecerunt arcam: posueruntque eam iuxta portam domus Domini forinsecus. 9. Et prædicatum est in Iuda et Ierusalem, ut deferrent singuli pretium Domino, quod constituit Moyses servus Dei super omnem Israel in deserto. 10. Lætatique sunt cuncti principes, et omnis populus: et ingressi contulerunt in arcam Domini, atque miserunt ita ut impleretur. 11. Cumque tempus esset ut deferrent arcam coram rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam), ingrediebatur scriba regis, et quem primus sacerdos constituerat: effundebantque pecuniam quæ erat in arca: porro arcam reportabant ad locum suum: sicque faciebant per singulos dies, et congregata est infinita pecunia. 12. Quam dederunt rex et Ioiada his, qui præerant operibus domus Domini: at illi conducebant ex ea cæsores lapidum, et artifices operum singulorum, ut instaurarent domum Domini: fabros quoque ferri et æris, ut quod cadere cœperat, fulciretur. 13. Egeruntque hi qui operabantur industrie, et obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitaverunt domum Domini in statum pristinum, et firmiter eam stare fecerunt. 14. Cumque complessent omnia opera, detulerunt coram rege et Ioiada reliquam partem pecuniæ: de qua facta sunt vasa templi in ministerium, et ad holocausta, phialæ quoque, et cetera vasa aurea et argentea: et offerebantur holocausta in domo Domini iugiter cunctis diebus Ioiadæ. 15. Senuit autem Ioiada plenus dierum, et mortuus est cum esset centum triginta annorum. 16. Sepelieruntque eum in Civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel, et cum domo eius. 17. Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, et adoraverunt regem; qui delinitus obsequiis eorum, acquievit eis. 18. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis et sculptilibus, et facta est ira contra Iudam et Ierusalem propter hoc peccatum. 19. Mittebatque eis prophetas ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes, illi audire nolebant. 20. Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit,

et dereliquistis. Dominum ut derelinqueret vos? 21. Qui congregati adversus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus Domini. 22. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius. Qui cum moreretur, ait: Videat Dominus, et requirat. 23. Cumque evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ: venitque in Iudam et Ierusalem, et interfecit cunctos principes populi, atque universam prædam miserunt regi in Damascum. 24. Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum: in Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia. 25. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis: surrexerunt autem contra eum servi sui, in ultionem sanguinis filii Ioiadæ sacerdotis, et occiderunt eum in lectulo suo, et mortuus est: sepelieruntque eum in Civitate David, sed non in sepulchris regum. 26. Insidiati vero sunt ei, Zabad filius Semmaath Ammanitidis, et Iozabad filius Semarith Moabitidis. 27. Porro filii eius, ac summa pecuniæ quæ adunata fuerat sub eo, et instauratio domus Dei, scripta sunt diligentius in Libro regum: regnavit autem Amasias filius eius pro eo.

HOC caput explicui 4. Reg. 12.

Vers. 22. QUI (Zacharias) CUM MORERETUR, AIT: VIDEAT DOMINUS ET REQUIRAT.) *Videat*, scilicet meam innocentiam et probitatem, qua ex officio meo (erat enim pontifex) regem idola colentem reprehendo. *Videat* pariter regis impietatem et ingratitudinem, qua me filium Ioiadæ Pontificis et avunculi sui, cui vitam et regnum debet, ingrate, iniuste et impie interficit. *Et requirat*, ut meam necem tantaque scelera iusto iudicio puniat et ulciscatur. Dixit hoc Zacharias ex zelo iustitiæ, qui fuit spiritus Eliæ et veteris testamenti. At in novo Christus et Apostoli a Iudæis occisi non vindictam, sed veniam a Deo occisoribus precabantur. Unde Christus in cruce: *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, Matth. 27. et S. Stephanus cum lapidaretur, ut hic Zacharias: *Domine*, inquit, *ne statuas illis hoc peccatum*, Actor. 7.

Exaudivit Deus orationem Zachariæ; unde Ioas et Iudæos multipliciter punivit: nam primo, ut sequitur, anno proxime sequenti Hazael rex Syriæ cum paucis copiis immensam Iudæorum multitudinem cecidit, ac thesauros templi æque ac palatii regii in Syriam abripuit.

Secundo, in Ioas regem ignominiosa exercuit iudicia, A ut dicitur v. 24. exprobrans illi suam ingratitudinem et perfidiam, ac probris variisque ignominiis, atque ut videtur, plagis eum afficiens, qualibus Sedeciam perfidum affecit Nabuchodonosor, 4. Reg. 25.

Tertio, ex hisce probris et plagis, ac ex nova Dei castigatione Ioas incidit in morbum gravem, qui ei dolores et languores magnos creavit, v. 25.

Quarto, servi eius contra eum coniurarunt, eumque decumbentem in lecto mactarunt *in domo Mello*, quæ vicina erat palatio. Addit Ioseph. hos coniuratos fuisse amicos Zachariæ; unde v. 25. hic dicuntur eum occidisse, *in ultionem sanguinis Zachariæ, filii Ioiadæ*. Denique S. Hieron. S. Thom. Abul. Iansen. Maldon. Baradius et alii censent, hunc esse Zachariam, cuius necem Iudæis exprobrat Christus, eisque excidium minatur dicens: *Ut veniat super vos omnis sanguis, etc. a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare*, Matth. 23. vide ibi dicta. Denique ob templum cæde et sanguine huius Zachariæ pollutum, deinceps defecisse in templo oracula et responsa divina, tradit S. Epiphan. in vita Zachariæ, et ex eo Genebr. in Chronol.

CAPUT VICESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Amasias rex ulciscitur necem patris sui Ioas, ac Idumæos prælio superat: sed in idololatriam prolapsus a Ioas rege Israel profligatur, capitur et spoliatur, atque a suis in Lachis trucidatur.

1. VIGINTI QUINQUE annorum erat Amasias cum regnare cœpisset, et vigintinovem annis regnavit in Ierusalem, nomen matris eius Ioadan de Ierusalem. 2. Fecitque bonum in conspectu Domini: verumtamen non in corde perfecto. 3. Cumque roboratum sibi videret imperium, iugulavit servos, qui occiderant regem patrem suum, 4. Sed filios eorum non interfecit, sicut scriptum est in Libro legis Moysi, ubi præcepit Dominus, dicens: Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus suis, sed unusquisque in suo peccato morietur. 5. Congregavit igitur Amasias Iudam, et constituit eos per familias, tribunosque et centuriones in universo Iuda et Beniamin: et recensuit a viginti annis supra, invenitque trecenta millia iuvenum, qui egrederentur ad pugnam, et tenerent hastam et clypeum. 6. Mercede quoque conduxit de Israel centum millia robustorum, centum talentis argenti. 7. Venit autem homo Dei ad illum, et ait: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel: non est enim Dominus cum Israel, et cunctis filiis Ephraim: 8. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est et adiuvare, et in fugam convertere. 9. Dixitque Amasias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel? Et respondit ei homo Dei: Habet Dominus unde tibi dare possit multo his plura. 10. Separavit itaque Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in locum suum: at illi contra Iudam vehementer irati, reversi sunt in regionem suam. 11. Porro Amasias confidenter duxit populum suum, et abiit in Vallem Salinarum, percussitque filios Seir decem millia. 12. Et alia decem millia virorum ceperunt filii Iuda, et adduxerunt ad præruptum cuiusdam petræ, præcipitaveruntque eos de summo in præceps, qui universi crepuerunt. 13. At ille exercitus, quem remiserat Amasias ne secum iret ad prælium, diffusus est in civitatibus Iuda, a Samaria usque ad Bethoron, et interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam. 14. Amasias vero post cædem Idumæorum, et allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, et adorabat eos, et illis adolebat incensum. 15. Quam ob rem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad

illum prophetam, qui diceret ei: Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua? 16. Cumque hæc ille loqueretur, respondit ei: Num consiliarius regis es? quiesce ne interficiam te. Discedensque propheta, Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo. 17. Igitur Amasias rex Iuda, inito pessimo consilio, misit ad Ioas filium Ioachaz filii Iehu, regem Israel, dicens: Veni, videamus nos mutuo. 18. At ille remisit nuntios, dicens; Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: et ecce bestiæ, quæ erant in sylva Libani transierunt, et conculcaverunt carduum. 19. Dixisti: Percussi Edom, et idcirco erigitur cor tuum in superbiam: sede in domo tua, cur malum adversum te provocas, ut cadas et tu, et Iuda tecum? 20. Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium propter deos Edom. 21. Ascendit igitur Ioas rex Israel, et mutuos sibi præbuere conspectus: Amasias autem rex Iuda erat in Bethsames Iuda: 22. Corruitque Iuda coram Israel, et fugit in tabernacula sua. 23. Porro Amasiam regem Iuda, filium Ioas filii Ioachaz, cepit Ioas rex Israel in Bethsames, et adduxit in Ierusalem: destruxitque murum eius a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 24. Omne quoque aurum, et argentum, et universa vasa, quæ repererat in domo Dei, et apud Obededom, in thesauris etiam domus regiæ, necnon et filios obsidum, reduxit in Samariam. 25. Vixit autem Amasias filius Ioas rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz rex Israel, quindecim annis. 26. Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum et novissimorum, scripta sunt in Libro regum Iuda et Israel. 27. Qui postquam recessit a Domino, tetenderunt ei insidias in Ierusalem. Cumque fugisset in Lachis, miserunt, et interfecerunt eum ibi. 28. Reportantesque super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in Civitate David.

Hoc caput explicui 4. Reg. 14.

Vers. 6. MERCEDE QUOQUE CONDUXIT DE ISRAEL CENTUM MILLIA ROBUSTORUM, CENTUM TALENTIS ARGENTI.) Talentum argenti continebat tria millia siclorum argenteorum, id est tria millia florenorum Brabanticorum, quorum quisque continet quatuor Iulios Romanos, sive quatuor Regales Hispanicos. Quare centum talenta argenti faciunt trecenta millia florenorum Brabant. Quæ si in centum millia Israelitarum hoc pretio conductorum æqualiter distribuas, cuique militi obvenient tres floreni Brabantici, sive duodecim Iulii, quod illo ævo, cum rara esset pecunia, et annona vili pretio, ingens erat et magnæ æstimationis. Quare immerito nonnulli censent hæc talenta fuisse auri, cum Script. expresse dicat fuisse argenti.

Vers. 7. VENIT AUTEM HOMO DEI.) Propheta a Deo missus. Hebr. in Seder Olam tradunt prophetam hunc fuisse Amos, qui erat frater Amasiæ regis, et pater Isaiæ prophetæ, idque probant ex Isaiæ 37. 2. ubi S. Hieron. legit: *Ad Isaiam filium Amos prophetæ*, sicque olim legebatur; licet iam Hebr. Sept. et Rom. constanter legant. *Ad Isaiam filium Amos prophetam.*

O REX NE EGREDIATUR TECUM EXERCITUS ISRAEL: NON ENIM EST DOMINUS CUM ISRAEL.) Utpote hostibus suis, et idola, puta vitulos aureos colentibus. Discant hic Reges et principes Christiani non quærere auxilia principum vel militum hæreticorum, Turcarum, aliorumque infidelium; quia si id faciant, Deum habebunt hostem, eumque vindicem sentient, uti sensit Iosaphat, cuius naves confregit Deus, eo quod iunctæ essent navibus impii Ochoziæ regis Israel, c. 20. 37.

Causam dat noster Salian. anno mundi 3208. n. 6. Nolebat, inquit, Dominus impios, et infideles coniungi cum fidelibus. Itaque licet utrisque seorsim, pro mirabili sua providentia, faveret, daretque victoriam; coniunctos tamen non raro perculit, victosque reddidit. Erat Iosaphat cum Achabo 3. Reg. 22. cum hic occisus est, et ille ingens

A adiit vitæ discrimen. Erat item cum Ioramo, cum exercitus siti pene enecti, tantum non Moabitarum præda facti sunt, 4. Reg. 3. Ochozias aderat Ioramo in Ramoth Galaad, cum Ioramus multis vulneribus a Syris affectus est, moxque rex uterque a Iehu interfectus est, 4. Reg. 8. 28. Ergo ne nunc quidem coniunctis se affuturum ait, imo cladem et interitum utrisque minatur; separatis autem victoriam dedit. Nam mox Amasias victor extitit contra Idumæos, et Ioas contra Amasiam, et Ieroboam contra Syros. Denique maluit Deus, et ex Deo Amasias rex perdere centum talenta argenti, imo ab Israelitis dimissis spoliari Iudæam, ut patet v. 13. quam eos in societatem belli admittere.

CUR ADORASTI DEOS.) Audi Iosephum plenius rem Vers. 15.
gestam enarrantem: *Quamobrem a propheta conventus est mirari se dicente, si hos Deos crederet qui cultoribus suis nihil opis afferre valuerint; neque eos ab Hebræorum vi tutos præstiterint, sed tamquam ad se non pertinentes cædi, et captivos trahi passi sint. Quin et ipsos*
B *belli iure abductos inter reliquam captivorum turbam, Hierosolymam pervenisse. Rex his verbis ad iram percitus, iussit illum hac de re esse quietum, minatus supplicium, si negotiis alienis miscere se pergeret. Tum ille, si quidem quieturum dixit; Deum tamen ultorem huiusmodi novitatibus non defore.*

NON ACQUIEVISTI CONSILIO MEO.) *Consilio autem eius* Vers. 16.
acquiesceret, ait S. Hieron. in Tradit. *si eos igne combureret, vestimenta disrumperet, cinerem super caput spargeret, et totum se pœnitentiæ daret. Hoc enim consilium illi prophetes dederat:* sed quia non acquievit, hinc propheta libere et audacter illi denuntiat.

SCIO QUOD COGITAVERIT DEUS OCCIDERE TE.) Ac revera occidit, ut patet v. 27. Auctor enim libror. Paralip. hoc fine eos conscripsit, ut ex felici piorum regum, et infelici impiorum exitu, ostendat felicitatem regum et regnorum consistere in vera religione, veroque Dei cultu, infelicitatem vero in eius neglectu.

CAPUT VICESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ozias sive Azarias Deum colens superat Philisthæos, Arabes et Ammonitas: unde superbiens volensque thymiama adolere in templo, a Deo lepra percutitur, ideoque regnum administrat filius eius Ioatham.

1. OMNIS autem populus Iuda, filium eius Oziam annorum sedecim, constituit regem pro Amasia patre suo. 2. Ipse ædificavit Ailath, et restituit eam ditioni Iuda, postquam dormivit rex cum patribus suis. 3. Sedecim annorum erat Ozias cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Ierusalem,

*

nomen matris eius Iechelia de Ierusalem. 4. Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, iuxta omnia, quæ fecerat Amasias pater eius 5. Et exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum: cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus. 6. Denique egressus est, et pugnavit contra Philisthiim, et destruxit murum Geth, et murum Iabniæ, murumque Azoti: ædificavit quoque oppida in Azoto, et in Philisthiim. 7. Et adiuvit eum Deus contra Philisthiim, et contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, et contra Ammonitas. 8. Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ, et divulgatum est nomen eius usque ad introitum Ægypti propter crebras victorias. 9. Ædificavitque Ozias turres in Ierusalem super portam anguli, et super portam vallis, et reliquas in eodem muri latere, firmavitque eas. 10. Extruxit etiam turres in solitudine, et effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora, tam in campestribus, quam in eremi vastitate: vineas quoque habuit et vinitores in montibus, et in Carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus. 11. Fuit autem exercitus bellatorum eius, qui procedebant ad prælia, sub manu Iehiel scribæ, Maasiæque doctoris, et sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis. 12. Omnisque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium sexcentorum. 13. Et sub eis universus exercitus, trecentorum et septem millium quingentorum: qui erant apti ad bella, et pro rege contra adversarios dimicabant. 14. Præparavit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, et hastas, et galeas, et loricas, arcusque et fundas ad iaciendos lapides. 15. Et fecit in Ierusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, et in angulis murorum, ut mitterent sagittas, et saxa grandia: egressumque est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum. 16. Sed cum roboratus esset, elevatum est cor eius in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. 17. Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, et cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, 18. Restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. 19. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis 20. Cumque respexisset eum Azarias pontifex, et omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus, acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini. 21. Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Porro Ioatham filius eius rexit domum regis, et iudicabat populum terræ. 22. Reliqua autem sermonum Oziæ priorum et novissimorum, scripsit Isaias filius Amos, propheta. 23. Dormivitque Ozias cum patribus suis, et sepelierunt eum in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus: regnavitque Ioatham filius eius pro eo.

Vers. 5. ZACHARIÆ VIDENTIS ET INTELLIGENTIS.) Hic Zacharias propheta fuit quasi pædagogus Oziæ regis, eumque religiose Deum colere docuit. At quis fuit hic Zacharias? Audi S. Hieron. hic in Tradit. *Zacharias filius Zachariæ, filii Ioiadæ, qui post mortem patris natus posthumus, patris nomen sortitus est, intelligens, et videns dicebatur: intelligens propter sacerdotium, videns propter prophetiam.* Sic ipse. Hebræi tamen et Græci legunt: *intelligentis in visionibus Dei.* Si igitur post mortem patris natus est Zacharias, potuit hoc tempore annum agere supra trigesimum, natus scilicet 36. regni Ioas. Habuisse videtur hic Zacharias filiam nomine Abiam, quæ nupsit regi Achaz, qui ex ea genuit Ezechiam regem, quod etiam in eum locum affirmat Hieronymus, nec repugnat ætas. Nullum porro propheticum eius scriptum extat: nam qui legitur penultimus in minoribus prophetis, facile trecentis abhinc annis distat. Ita Salianus anno mundi 3227. num. 3. Caiet. Dion. et alii.

Vers. 10. TURRIS IN SOLITUDINE.) Ita vocantur villæ et domus rusticanæ, turribus ad custodiam frugum fructuumque et agrorum instructæ: in quibus reponuntur agrorum fructus, et pecora stabulantur, quæ alibi *castella* dicuntur. Sic Christus discurrebat per vicos, et *castella,* id est per rusticorum villas et pagos, prædicans regnum Dei.

Vers. 16. CUM ROBORATUS ESSET, ELEVATUM EST COR EIUS IN INTERITUM SUUM, ET NEGLEXIT DOMINUM DEUM SUUM.) Hæc verba D. Chrysostom. homilia 3. de verbis Isaiæ, expendens, notat, in iis non solum Oziæ superbiam, sed etiam superbiæ causam indicari. *Cum,* inquit, *roboratus esset,* seu ut legit ipse: *Cum potens esset, elevatum est cor eius:* ut nimia potentia, nimiam genuisse superbiam ostenderetur. *Non ferebat,* inquit (nempe rex Ozias) *principatus magnitudinem, sed quemadmodum ex edacitate nascitur inflatio; ex inflatione gignitur febris; deinde ex febri plerumque mors: itidem et hic ex actionum eminentia nata est superbia, mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium.* Sicut ergo Amasias pater ex devicta Idumæa animos sumpsit insolentes et fatuos, provocando ad bellum regem Israelis, ideoque victus, captus et spoliatus est; sic et Azarias filius eius ex victoriis tot hostium intumescens, sacerdotale munus sibi arrogare præsumpsit, voluitque Deo adolere thymiama; sed illico a Deo humiliatus, regno et regia pulsus, ob lepram infelicem usque ad mortem traxit spiritum.

NON EST TUI OFFICII OZIA.) Audi S. Chrys. homil. 4. de verbis Isaiæ: *Vide*, inquit, *libertatem: vide mentem servire nesciam: vide linguam cælos attingentem: vide libertatem incoercibilem: vide hominis corpus et Angeli mentem: vide humi ingredientem, et in cælo versantem,* etc. Vers. 18.

STATIMQUE ORTA EST LEPRA IN FRONTE EIUS.) Lepra enim erat supplicium sacrilegorum, et eorum qui Pontifici et sacerdotibus resistebant et rebellabant, uti fecit hic Azarias. Vers. 19.

Addit Ioseph. lib. 9. c. 11. duas alias prodigiosas Dei plagas Oziæ et Iudææ inflictas: *Et ecce tibi*, inquit, *ibi terra vehementer concutitur, fissoque superne templo, radius solis os regis ferit, quod e vestigio lepra contactum est: accessit huic et aliud prodigium, quod eodem terræ motu, ante urbem in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis revulsum, per quatuor stadia volutum, obiectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, et oppressis ruina hortis regiis.*

Tertiam plagam addunt S. Hieron. Cyril. Orig. et Chrys. in Isaiæ c. 6. 1. ad illa verba: *In anno quo mortuus est Ozias vidi Dominum;* scilicet Deum ob peccatum Oziæ, cui nonnulli primores consenserant, privasse Iudæos suis oraculis, prophetiis et spiritu, usque ad mortem Oziæ. Vide ibi dicta.

Denique Hebræi in Seder Olam putant Oziam lepra percussum anno 27. regni sui, quo et contigit terræ motus, de quo Amos c. 1. 1. Verum id dici nequit; nam tunc necdum natus erat Ioatham, qui patre Ozia lepra percusso gubernavit regnum. Nam Ioatham natus est anno 28. Oziæ; id patet ex eo, quod patre moriente anno regni 52. Ioatham erat 25. annorum, ut dicitur 4. Reg. 15. 33. Igitur probabiliter Salian. putat Oziam lepra percussum anno regni sui 49. quo natus est Ioathamo filius Achaz, et eodem Manahen rex Israel mortuus est. Favet

Ozias lepra percussus anno 49. regni sui. Abul. qui Oziam quatuor vel quinque annos leprosum vixisse censet. Porro S. Hieron. in 2. Paral. 26. asserit Oziam lepra percussum eo anno quo mortuus est, qui fuit regni eius 52. Peccavit Ozias dupliciter; primo, quod ausus sit ingredi Sanctum, quod solis sacerdotibus ingredi licebat; secundo, quod adoleverit thymiama quasi sacerdos, cum esset laicus, ac Pontifici obsistenti comminatus sit mortem, ut ait Ioseph. quia ergo invasit sacerdotium, idcirco amisit regnum per lepram: prima tamen sententia (quod scilicet lepra percussus sit anno 27. regni sui) probabilis est, uti ostendi Amos 1. 1. potuit enim regnum administrari per optimates, donec Ioatham nasceretur et adolesceret.

Discant hic reges non invadere iura Pontificum et sacerdotum, ne a Deo percutiantur, uti percussus est Ozias: qua de re passim exempla funesta suggerit Baron. in suis Annalibus.

A

Reliqua autem sermonum Oziæ, etc. scripsit Isaias.) Historia hæc Isaiæ temporum iniuria interiit. Nam in prophetia bis tantum Oziæ meminit, scilicet c. 6. 1. iam citato, et c. 14. 28. Ubi Philisthæos ob mortem Oziæ domitoris sui exultantes compescens: *Ne*, inquit, *læteris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui* (Oziæ) *de radice enim colubri egredietur regulus;* scilicet Ezechias Oziæ pronepos, qui tanto acrius vos cruciabit, quanto acrius cruciat morsus reguli, quam colubri. Vers. 22.

Sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus.) Leprosi enim, uti in vita, sic et in morte a consortio ceterorum separantur: lepra enim etiam cadavera inficit et consumit. Hæc est quinta Oziæ sacerdotium invadentis pœna, quod extra sepulcra regum, iuxta tamen illa, sepultus sit, sive extra urbem, sive in urbe, puta in Sion civitate David. Vers. 23.

CAPUT VICESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioatham pius de Ammonitis triumphat, eisque annuum vectigal indicit: succedit ei impius filius Achaz.

1. Viginti quinque annorum erat Ioatham cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Ierusa filia Sadoc. 2. Fecitque quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quod non est ingressus templum Domini, et adhuc populus delinquebat. 3. Ipse ædificavit portam domus Domini excelsam, et in muro Ophel multa construxit. 4. Urbes quoque ædificavit in montibus Iuda, et in saltibus castella et turres. 5. Ipse pugnavit contra regem filiorum Ammon, et vicit eos, dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, et decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei: hæc ei præbuerunt filii Ammon, in anno secundo et tertio. 6. Corroboratusque est Ioatham, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo. 7. Reliqua autem sermonum Ioatham, et omnes pugnæ eius, et opera, scripta sunt in Libro regum Israel et Iuda. 8. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Ierusalem. 9. Dormivitque Ioatham cum patribus suis, et sepelierunt eum in Civitate David: et regnavit Achaz filius eius pro eo.

Vers. 2. Excepto quod non est ingressus templum Domini.) Ad adolendum thymiama uti fecerat pater eius Ozias, q. d. Ioatham imitatus est patris pietatem, at non temeritatem, qua adolevit incensum, quod erat munus sacerdotum.

Et adhuc populus delinquebat.) More solito sacrificando in excelsis. Inveteratum fuit hoc malum et commune populi: quare Ioatham veritus eius offensam et rebellionem, illud auferre ausus non fuit. Ioseph. lib. 9. c. 11. hoc Ioathamo dat elogium: *Nulla ei virtus defuit, erga Deum pio, iusto erga homines, et Reip. studioso.*

Vers. 3. Ipse ædificavit (instauravit, auxit, ornavit) portam domus Domini excelsam.) Scilicet Orientalem per quam a fronte erat introitus in templum, quæ erat primaria et

B

celsissima.

Et in muro Ophel.) Erat hæc turris in Ierusalem adeo excelsa, ut in culmine eius aspiciendo caligarent oculi. *Ophel* enim Hebr. significat caliginem. Vide dicta Isaiæ 32. 14. Audi Adrichom. in descrip. Ierusalem num. 55. Ophel quam Iosephus Ophlam nominat, erat turris enormi altitudine, quasi nubi caput inserens, atque arx munita, firmo muro cincta, templo propinqua, extra murum tamen, qui habitationem sacerdotum claudebat. In huius muro Ioatham rex multa construxit. Atque Manasses eousque urbis muros reparavit. In hac habitabant Nathinæi. In hanc fugiens Manahemus tyrannus captus est et occisus. Hanc eamdem Titi milites combusserunt.

CAPUT VICESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob idola et scelera Achaz Deus Iudæam diripiendam tradit 1° Syris; 2° Israelitis, qui ex Iuda ceciderunt 120. millia bellatorum, sed prædam monente propheta remiserunt. 3° Idumæis. 4° Philisthæis. Impio Achaz succedit pius filius Ezechias.

1. Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset: et sedecim annis regnavit in Ierusalem: non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater eius: 2. Sed ambulavit in viis regum Israel, insuper et statuas fudit Baalim. 3. Ipse est, qui adolevit incensum in Valle Benennom, et lustravit filios suos in

igne, iuxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel. 4. Sacrificabat quoque, et thymiama succendebat in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso. 5. Tradiditque eum Dominus Deus eius in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de eius imperio, et adduxit in Damascum: manibus quoque regis Israel traditus est, et percussus plaga grandi. 6. Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Iuda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores: eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum. 7. Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maasiam filium regis, et Ezricam ducem domus eius, Elcanam quoque secundum a rege. 8. Ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, et puellarum, et infinitam prædam: pertuleruntque eam in Samariam. 9. Ea tempestate erat ibi propheta Domini, nomine Oded: qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cælum pertingeret vestra crudelitas. 10. Insuper filios Iuda et Ierusalem vultis vobis subiicere in servos et ancillas, quod nequaquam facto opus est, peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. 11. Sed audite consilium meum, et reducite captivos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis. 12. Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Iohanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, et Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio, 13. Et dixerunt eis: Non introducetis huc captivos: ne peccemus Domino. Quare vultis adiicere super peccata nostra, et vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est: et ira furoris Domini imminet super Israel. 14. Dimiseruntque viri bellatores prædam, et universa quæ ceperant, coram principibus, et omni multitudine. 15. Steteruntque viri, quos supra memoravimus, et apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis: cumque vestissent eos, et calceassent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam: quicumque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt eos iumentis, et adduxerunt Iericho Civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam. 16. Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assyriorum, postulans auxilium. 17. Veneruntque Idumæi, et percusserunt multos ex Iuda, et ceperunt prædam magnam. 18. Philisthiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, et ad Meridiem Iuda: ceperuntque Bethsames, et Aialon, et Gaderoth, Socho quoque, et Thamnan, et Gamzo, cum viculis suis, et habitaverunt in eis. 19. Humiliaverat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda, eo quod nudasset eum auxilio, et contemptui habuisset Dominum. 20. Adduxitque contra eum Thelgathphalnasar regem Assyriorum, qui et afflixit eum, et nullo resistente vastavit. 21. Igitur Achaz, spoliata domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit. 22. Insuper et tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz, 23. Immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit: Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel. 24. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei, et fecit sibi altaria in universis angulis Ierusalem. 25. In omnibus quoque urbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum. 26. Reliqua autem sermonum eius, et omnium operum suorum priorum et novissimorum, scripta sunt in Libro regum Iuda et Israel. 27. Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate Ierusalem: neque enim receperunt eum in sepulchra regum Israel. Regnavitque Ezechias filius eius pro eo.

Hoc caput explicui 4. Reg. 16.

Vers. 5. REGIS SYRIÆ.) Fuit hic Rasin, qui a Deo creatus est rex, ut esset flagellum regni Iuda, eiusque idola et scelera castigaret.

Vers. 15. CUMQUE VESTISSENT EOS ET CALCEASSENT ET REFECISSENT CIBO.) Vide hic insignem Israelitarum in Iudæorum, licet hostium suorum, captivos humanitatem et misericordiam, omnibus Christianorum principibus et ducibus propositam, ut eam imitentur. Sic enim vicissim Dei misericordiam in se provocabunt, si in hostes a se captos sint clementes, nimirum, *clementia plus potest, quam violentia*, ut aiebat Antigonus rex Maced. apud Plutar. in Apophteg. adeo ut Darius optarit Alexandri Magni clementiam, utque is, licet hostis, sibi in regno succederet. Sic in hostes clementes fuere Iulius Cæsar, Augustus, Vespasianus, Titus, Aurelianus.

A IMMOLAVIT DIIS DAMASCI VICTIMAS PERCUSSORIBUS SUIS, ET DIXIT: DII REGUM SYRIÆ AUXILIANTUR EIS, QUOS EGO PLACABO HOSTIIS, ET ADERUNT MIHI, CUM E CONTRARIO IPSI FUERINT RUINÆ EI, ET UNIVERSO ISRAEL.) Vers. 23. Dii enim hi erant dæmones, qui non nisi nocere student Israeli, id est populo fideli. Similis fuit stultitia Romanorum Gentilium, qui hostium suorum Deos invocabant, ut evocati a terra hostili Romam commigrarent, ac Romanis victoriam de hostibus darent, uti refert S. Aug. lib. 4. de civit.

CLAUSIT IANUAS TEMPLI.) Ut nemo in eo Deum adorare, eique sacrificare posset; sed omnes cogerentur ire Vers. 24. ad fana idolorum et Deorum suorum, ad eos invocandum. Fuit hæc malitia et nequitia Achaz insignis, quam nemo alius patrasse legitur.

CAPUT VICESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias Dei cultum a patre Achaz sublatum restituit, una cum Sacerdotibus, Levitis et cantoribus, ac plurimis victimis Deum honorat.

1. IGITUR Ezechias regnare cœpit, cum viginti quinque esset annorum, et viginti novem annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Abia, filia Zachariæ. 2. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, iuxta omnia quæ fecerat David pater eius. 3. Ipse anno et mense primo regni sui, aperuit valvas domus Domini,

et instauravit eas: 4. Adduxitque Sacerdotes atque Levitas, et congregavit eos in plateam Orientalem. 5. Dixitque ad eos: Audite me Levitæ, et sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, et auferte omnem immunditiam de sanctuario. 6. Peccaverunt patres nostri, et fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: averterunt facies suas a tabernaculo Domini, et præbuerunt dorsum. 7. Clauserunt ostia, quæ erant in porticu, et extinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt, et holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel. 8. Concitatus est itaque furor Domini super Iudam et Ierusalem, tradiditque eos in commotionem, et in interitum, et in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. 9. En, corruerunt patres nostri gladiis; filii nostri, et filiæ nostræ, et coniuges captivæ ductæ sunt, propter hoc scelus. 10. Nunc ergo placet mihi ut ineamus fœdus cum Domino Deo Israel, et avertet a nobis furorem iræ suæ. 11. Filii mei nolite negligere: vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis illi, colatisque eum, et cremetis ei incensum. 12. Surrexerunt ergo Levitæ: Mahath filius Amasai, et Ioel filius Azariæ, de filiis Caath: porro de filiis Merari, Cis filius Abdi, et Azarias filius Ialaleel. De filiis autem Gersom, Ioah filius Zemma, et Eden filius Ioah. 13. At vero de filiis Elisaphan, Samri, et Iahiel. De filiis quoque Asaph, Zacharias, et Mathanias: 14. Necnon de filiis Heman, Iahiel, et Semei: sed et de filiis Idithun, Semeias, et Oziel. 15. Congregaveruntque fratres suos, et sanctificati sunt, et ingressi sunt iuxta mandatum regis et imperium Domini, ut expiarent domum Dei. 16. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in vestibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, et asportaverunt ad Torrentem Cedron foras. 17. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, et in die octavo eiusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini, expiaveruntque templum diebus octo, et in die sextadecima mensis eiusdem, quod cœperant impleverunt. 18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, et dixerunt ei: Sanctificavimus omnem domum Domini, et altare holocausti, vasaque eius, necnon et mensam propositionis cum omnibus vasis suis, 19. Cunctamque templi supellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno suo, postquam prævaricatus est: et ecce exposita sunt omnia coram altare Domini. 20. Consurgensque diluculo Ezechias rex, adunavit omnes principes civitatis, et ascendit in domum Domini: 21. Obtuleruntque simul tauros septem, et arietes septem, agnos septem, et hircos septem pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Iuda, dixitque sacerdotibus filiis Aaron ut offerrent super altare Domini. 22. Mactaverunt igitur tauros, et susceperunt sanguinem sacerdotes, et fuderunt illum super altare, mactaverunt etiam arietes, et illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaveruntque agnos, et fuderunt super altare sanguinem. 23. Applicaverunt hircos pro peccato, coram rege et universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos: 24. Et immolaverunt illos Sacerdotes, et asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo universi Israelis: pro omni quippe Israel præceperat rex ut holocaustum fieret, et pro peccato. 25. Constituit quoque Levitas in domo Domini, cum cymbalis, et psalteriis, et citharis, secundum dispositionem David regis, et Gad Videntis, et Nathan prophetæ: siquidem Domini præceptum fuit, per manum prophetarum eius. 26. Steteruntque Levitæ tenentes organa David, et Sacerdotes tubas. 27. Et iussit Ezechias ut offerrent holocausta super altare: cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, et clangere tubis, atque in diversis organis, quæ David rex Israel præparaverat, concrepare. 28. Omni autem turba adorante, cantores, et ii qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum. 29. Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, et omnes qui erant cum eo, et adoraverunt. 30. Præcepitque Ezechias et principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph Videntis: qui laudaverunt eum magna lætitia, et incurvato genu adoraverunt. 31. Ezechias autem etiam hæc addidit: Implestis manus vestras Domino, accedite, et offerte victimas, et laudes in domo Domini. Obtulit ergo universa multitudo hostias, et laudes, et holocausta, mente devota. 32. Porro numerus holocaustorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit: Tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos. 33. Sanctificaveruntque Domino boves sexcentos, et oves tria millia. 34. Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent: unde et Levitæ fratres eorum adiuverunt eos, donec impleretur opus, et sanctificarentur antistites: Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur, quam Sacerdotes. 35. Fuerunt ergo holocausta plurima, adipes pacificorum, et libamina holocaustorum: et completus est cultus domus Domini. 36. Lætatusque est Ezechias, et omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum. De repente quippe hoc fieri placuerat.

Vers. 1. NOMEN MATRIS EIUS (Ezechiæ) ABIA FILIA ZACHARIÆ.) Qui fuit filius Zachariæ senioris Pontificis et martyris, quem occidit Ioas rex Iuda, c. 24. 21. Abia ergo filia huius iunioris Zachariæ, qui Oziam regem in veri Dei cultu continuit, de quo c. 26. 5. fuit uxor Achaz et mater Ezechiæ, quæ eum in omni pietate et Dei timore erudivit, ideoque hic nominatur, ut indicetur Ezechiam suam virtutem et zelum cum lacte suxisse a matre. Ita S. Hieron. in Tradit. Salian. et alii.

Vers. 4. PLATEA ORIENTALIS.) Ita dicta, quod obversa esset portæ Orientali templi.

Vers. 15. UT EXPIARENT DOMUM DOMINI.) Puta atrium sacerdotum, quod eorum erat templum; nam in Sanctum nemini ingredi fas erat nisi sacerdoti, sicut in Sanctum sanctorum soli Pontifici. Unde et hic soli sacerdotes asseruntur *ingressi templum et sanctificasse,* id est expurgasse illud ab idolis, eorumque superstitione; sordes hasce exportantes *in vestibulo*. Sept. *in vestibulum,* ex quo deinde Levitæ illas efferebant, et proiiciebant in torrentem Cedron.

Vers. 17. CŒPERUNT AUTEM PRIMA DIE MENSIS PRIMI (Nisan, id est in Martio) MUNDARE.) q. d. Primis octo diebus mensis Nisan expurgarunt atria et cubicula sacerdotum et Levitarum, quæ eis erant annexa, deinde posterioribus octo diebus expurgarunt ipsum templum, sive Sanctum.

ET PRO PECCATO.) Ut scilicet offerretur hostia pro pec- Vers. 24.
cato, iuxta ritum præscriptum Levit. 4.

SERMONIBUS DAVID ET ASAPH VIDENTIS.) Id est pro- Vers. 30.
phetæ: *sermones* vocat Psalmos, quos hinc liquet partim a Davide, partim ab Asaph esse compositos, uti sunt duodecim illi qui Asaph inscribuntur.

IMPLESTIS (id est consecrastis) MANUS VESTRAS DOMI- Vers. 31.
NO.) Id est consecrastis vos sacerdotes, implendo manum oleo et victimis.

SANCTIFICAVERUNTQUE DOMINO BOVES SEXCENTOS.) q. Vers. 33.
d. Dicarunt, obtulerunt et donarunt Deo et templo boves sexcentos, et oves ter mille, ut ex illis aliæ offerrentur in holocaustum, aliæ pro peccato, aliæ in victimas pacificas.

ANTISTITES.) Id est sacerdotes: hi enim Levitis impe- Vers. 34
rabant quasi Antistites. De ritu consecrandi sacerdotes, vide Levit. 8. Ex hoc versu colligitur sacerdotum fuisse victimam iugulare, excoriare, dividere, altari imponere, cremare. In necessitate vero excoriationem et cetera sequentia communicata fuisse et permissa Levitis. Ita Caiet. ac prior pars satis liquet ex Levit. 1. 5.

CAPUT TRICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias per totam Iudæam, ac per decem tribus mittit nuntios, qui omnes invitent ad solemne Phase celebrandum, idque factum summa celebritate per 14. dies.

1. MISIT quoque Ezechias ad omnem Israel et Iudam: scripsitque epistolas ad Ephraim et Manassen, ut venirent ad domum Domini in Ierusalem, et facerent Phase Domino Deo Israel. 2. Inito ergo consilio regis et principum, et universi cœtus Ierusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo. 3. Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, et populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem. 4. Placuitque sermo regi, et omni multitudini. 5. Et decreverunt ut mitterent nuntios in universum Israel, de Bersabee usque Dan, ut venirent, et facerent Phase Domino Deo Israel in Ierusalem: multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est. 6. Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio, et principum eius, in universum Israel et Iudam, iuxta id, quod rex iusserat, prædicantes: Filii Israel revertimini ad Dominum Deum Abraham, et Isaac, et Israel: et revertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum regis Assyriorum. 7. Nolite fieri sicut patres vestri et fratres, qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis. 8. Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri: tradite manus Domino, et venite ad sanctuarium eius, quod sanctificavit in æternum: servite Domino Deo patrum vestrorum, et avertetur a vobis ira furoris eius. 9. Si enim vos reversi fueritis ad Dominum: fratres vestri, et filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, et revertentur in terram hanc: pius enim et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum. 10. Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim et Manasse usque ad Zabulon, illis irridentibus et subsannantibus eos. 11. Attamen quidam viri ex Aser, et Manasse, et Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Ierusalem. 12. In Iuda vero facta est manus Domini ut daret eis cor unum, ut facerent iuxta præceptum regis et principum, verbum Domini. 13. Congregatique sunt in Ierusalem populi multi, ut facerent solemnitatem azymorum, in mense secundo: 14. Et surgentes destruxerunt altaria, quæ erant in Ierusalem, atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, proiecerunt in Torrentem Cedron. 15. Immolaverunt autem Phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini: 16. Steteruntque in ordine suo, iuxta dispositionem et legem Moysi hominis Dei: Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum, 17. Eo quod multa turba sanctificata non esset: et idcirco immolarent Levitæ Phase his, qui non occurrerant sanctificari Domino. 18. Magna etiam pars populi de Ephraim, et Manasse, et Issachar, et Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non iuxta quod scriptum est: et oravit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur. 19. Cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt. 20. Quem exaudivit Dominus, et placatus est populo. 21. Feceruntque filii Israel, qui inventi sunt in Ierusalem, solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies: Levitæ quoque et Sacerdotes, per organa, quæ suo officio congruebant. 22. Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam bonam super Domino: et comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, et laudantes Dominum Deum patrum suorum. 23. Placuitque universæ multitudini ut celebrarent etiam alios dies septem: quod et fecerunt cum ingenti gaudio. 24. Ezechias enim rex Iuda præbuerat multitudini mille tauros, et septem millia ovium: principes vero dederant populo tauros mille, et oves decem millia: sanctificata est ergo sacerdotum plurima multitudo. 25. Et hilaritate perfusa omnis turba Iuda, tam Sacerdotum et Levitarum, quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel; proselytorum quoque de Terra Israel, et habitantium in Iuda. 26. Factaque est grandis celebritas in Ierusalem, qualis a diebus Salomonis filii David regis Israel in ea urbe non fuerat. 27. Surrexerunt autem Sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo: et exaudita est vox eorum: pervenitque oratio in habitaculum sanctum cæli.

Vers. 2. MENSE SECUNDO.) Hoc enim iubetur Numer. 9. 10. ut scilicet qui mense primo ob immunditiem aliudve impedimentum non potuerunt celebrare phase, illud celebrent mense secundo.

Vers. 3. SACERDOTES QUI POSSENT SUFFICERE, SANCTIFICATI (id est consecrati) NON FUERANT.) Ut enim essent sacerdotes, possentque sacrificare, debebant prius consecrari sacerdotes eo ritu, qui præscribitur Levit. 8.

Vers. 15. TANDEM SANCTIFICATI.) Hebr. *pudore suffusi sunt;* quod in tanta populi alacritate tardi fuissent in sua sanctificatione et purificatione, unde illico se sanctificarunt et mundarunt.

Vers. 16. SACERDOTES VERO SUSCIPIEBANT EFFUNDENDUM SANGUINEM DE MANIBUS LEVITARUM.) Omnis enim sanguis victimæ a sacerdote in terram effundi debebat Deo, ut significaretur ipsum esse Dominum necis et vitæ omnium.

A *De manibus Levitarum,* qui tum ex dispensatione sacrificabant, eo quod sacerdotes consecrati, qui forent mundi, pauciores essent, quam ut possent tot victimas sacrificare: iuvabant ergo eos Levitæ, ac victimas mactabant, et sanguinem effluentem dabant sacerdotibus, ut ii iuxta altare eum effunderent.

EO QUOD MULTA TURBA (sacerdotum) SANCTIFICATA Vers. 17. (ab irregularitate et immunditia legali per lustrationem lege præscriptam Numer. 19. expurgata) NON ESSET: ET IDCIRCO IMMOLARENT LEVITÆ PHASE HIS, QUI NON OCCURRERANT SANCTIFICARI DOMINO.) Sept. *qui non poterant purificari Domino*: qui scilicet aliis occupati tarde veniebant ut *sanctificarentur*, hoc est ab immunditia legali expiarentur. Nota. *phase* significat 1. agnum paschalem, qui in paschate Deo sacrificabatur: 2. victimas paschales, quæ per septem dies paschatis Deo immolaban-

tur, quæ immolatio competebat solis sacerdotibus. Agni vero paschalis immolatio competebat cuique patrifamilias, qui quoad hoc retinebat primævum ius sacerdotale, primitus annexum primogenituræ, et cuilibet patrifamilias in sua familia, si tamen is mundus esset; quod si is immundus et pollutus foret, tunc Levitæ eius loco agnum immolabant, uti hic dicitur, æque ac 1. Esdræ c. 6. v. 10. Immundi quoque non poterant comedere de agno paschali aliisque victimis, sed quia hic erat publica solemnitas, et religionis lapsæ restauratio, ac magnus immundorum numerus, hinc cum eis pariter dispensatum fuit, ut ex eis comederent; Ezechia pro eis Deum deprecante, ut sequitur. Vide dicta Exodi 12. v. 6. Ob necessitatem ergo quam pariebat paucitas sacerdotum qui mundi erant, et ob multitudinem et devotionem populi ex toto Israele concurrentis, ac ob copiam victimarum immolandarum, dispensatum videtur cum Levitis, ut non tantum Agnum paschalem, sed et alias victimas sacrificarent: hoc est enim quod diserte dicitur v. 15. *Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini.* Crediderim tamen sacerdotes solos mactasse victimas, hoc est eas in Dei honorem iugulasse, occidisse, et sanguinem effudisse, in quo proprie consistebat ratio sacrificii, quodque facile erat, et parvæ operæ. Deinde a se occisas victimas tradidisse Levitis, ut ipsi eis pellem detraherent, abluerent, in frusta conciderent, et concisas in altari rite disponerent, ac subiecto igne concremarent. Ad omnia enim hæc non sufficiebat sacerdos immolans. Quare Levitarum ope et opera uti cogebatur, ut dixi Levit. 1. v. 3. Unde pro, *obtulerunt holocausta* Hebr. est יָבִיאוּ *iabiu*, id est, *intulerunt*, ut vertunt Sept. Vatab. Pagn. *holocausta in domum Domini*, et sic factum est in solenni phase, quod post aliquot annos celebravit Iosias c. 35. v. 11. ubi dicitur: *Et immolatum est phase, asperseruntque sacerdotes manu sua sanguinem* (in altari ut moris erat) *et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum.*

Denique patresfamilias qui erant immundi, cedebant Levitis immolationem agni paschalis, ipsi tamen ex eodem quoque comedebant ob festi lætissimam solennitatem. Maior enim requirebatur munditia in immolatione agni, quam in eius comestione; sicut nunc maior requiritur puritas in sacerdote celebrante, quam in laico communicante; præsertim quia hi immundi tam cito non poterant purificari, atque accedebant ad sacrum agni epulum magna devotione interna, quam Deus magis requirit et respicit, quam externam lustrationem.

MAGNA PARS POPULI QUÆ SANCTIFICATA (id est ab Vers. 18.
immunditia legali expiata et mundata) NON FUERAT. COMEDIT PHASE) Hebræi apud S. Hieron. tradunt multos ex eis qui immundi comederant phase, a Deo plaga cælitus immissa fuisse occisos, sed orante Ezechia, et populi ignorantiam ac piam intentionem allegante, Deum reliquis pepercisse, et idcirco v. 20. asseri Deum eum exaudivisse, et populo placatum esse.

QUEM EXAUDIVIT DOMINUS.) Per signum aliquod sensibile v. g. mittens ignem e cælo, qui victimas Ezechiæ combureret, uti fecit Abelo, Genes. 4. Aaroni Levit. 8. et 9. ac Salomoni 3. Reg. 8. nisi enim fuisset hic sensibile signum, immundi nec secure nec tanta lætitia ex phase comedissent. Ita Caiet.

ET LOCUTUS EST EZECHIAS AD COR OMNIUM LEVITA- Vers. 22.
RUM; eis blandiendo eosque laudando, eo quod haberent INTELLIGENTIAM BONAM SUPER DOMINO.) Id est, eo quod periti essent sui officii, puta in canendis Deo psalmis intelligentes et accurati. Aliter Caiet. Locutus est eis, inquit, verba penetrantia ad cor, ut curam populi instruendi susciperent et continuarent.

CAPUT TRICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi in tota Iudæa et in reliquis quinque Israelis tribubus idola, aras et lucos evertunt. Ezechias templi officia et ordines restituit.

1. CUMQUE hæc fuissent rite celebrata, egressus est omnis Israel, qui inventus fuerat in urbibus Iuda, et fregerunt simulacra, succideruntque lucos, demoliti sunt excelsa, et altaria destruxerunt, non solum de universo Iuda et Beniamin, sed et de Ephraim quoque et Manasse, donec penitus everterent: reversique sunt omnes filii Israel in possessiones et civitates suas. 2. Ezechias autem constituit turmas Sacerdotales et Leviticas per divisiones suas, unumquemque in officio proprio, tam Sacerdotum videlicet quam Levitarum, ad holocausta et pacifica, ut ministrarent et confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini. 3. Pars autem regis erat, ut de propria eius substantia offerretur holocaustum, mane semper et vespere. Sabbatis quoque, et Calendis, et solemnitatibus celeris, sicut scriptum est in lege Moysi. 4. Præcepit etiam populo habitantium Ierusalem, ut darent partes Sacerdotibus, et Levitis, ut possent vacare legi Domini. 5. Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israel frumenti, vini, et olei, mellis quoque, et omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt. 6. Sed et filii Israel et Iuda, qui habitabant in urbibus Iuda, obtulerunt decimas boum et ovium, decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo suo: atque universa portantes, fecerunt acervos plurimos. 7. Mense tertio cœperunt acervorum iacere fundamenta, et mense septimo compleverunt eos. 8. Cumque ingressi fuissent Ezechias et principes eius, viderunt acervos, et benedixerunt Domino ac populo Israel. 9. Interrogavitque Ezechias Sacerdotes et Levitas, cur ita iacerent acervi. 10. Respondit illi Azarias Sacerdos primus de stirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, et saturati sumus, et remanserunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo: reliquiarum autem copia est ista, quam cernis. 11. Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini. Quod cum fecissent, 12. Intulerunt, tam primitias, quam decimas, et quæcumque voverant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita, et Semei frater eius, secundus, 13. Post quem Iahiel, et Azarias, et Nahath, et Asael, et Ierimoth, Iozabad quoque, et Eliel, et Iesmachias, et Mahath, et Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ, et Semei fratris eius, ex imperio Ezechiæ regis et Azariæ pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant. 14. Core vero filius Iemna Levites et ianitor Orientalis portæ, præpositus erat iis quæ sponte offerebantur Domino, primitiisque et consecratis in Sancta sanctorum. 15. Et sub cura eius Eden, et Beniamin, Iesue, et Semeias, Amarias quoque et Sechenias, in civitatibus Sacerdotum, ut fideliter distribuerent fratribus suis partes, minoribus atque maioribus: 16. Exceptis maribus ab annis tribus et supra, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, et quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atque observationibus iuxta divisiones suas, 17. Sacerdotibus per familias, et Levitis a vi-

gesimo anno et supra, per ordines et turmas suas, 18. Universæque multitudini, tam uxoribus, quam liberis eorum utriusque sexus, fideliter cibi, de his quæ sanctificata fuerant, præbebantur. 19. Sed et filiorum Aaron per agros, et suburbana urbium singularum, dispositi erant viri, qui partes distribuerent universo sexui masculino de Sacerdotibus et Levitis. 20. Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus in omni Iuda: operatusque est bonum et rectum et verum, coram Domino Deo suo, 21. In universa cultura ministerii domus Domini, iuxta legem et ceremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecitque et prosperatus est.

Vers. 2. IN PORTIS CASTRORUM DOMINI.) Id est in portis templi; in templo enim erant turmæ sacerdotum et Levitarum in suos ordines, quasi acies militares distributi, ut ibi viderentur esse castra, acies et exercitus Dei, ut patet Numer. 4. et seq ubi Levitæ dicuntur egredi et ingredi ad militiam templi. Unde Ecclesia vocatur *castrorum acies ordinata,* Cant. 6. 9.

Vers. 3. PARS AUTEM REGIS ERAT.) q. d. Ezechias rex has partes, hæc munia circa templi ministeria sibi assumpsit, ut ipse suppeditaret sumptus pro iugi sacrificio, aliisque victimis, populus vero aleret sacerdotes et Levitas (eorum enim reditus ab Achaz et aliis impiis regibus erant dispersi et dissipati) *ut possent vacare legi Domini,* ut scilicet expediti a cura procurandi alimenta, toti vacarent suo officio et templi ministerio.

Vers. 6. DECIMAS SANCTORUM QUÆ VOVERANT DOMINO.) Hebr. *Decimas sanctitatum* (id est rerum sanctarum) *quæ erant sanctificatæ Deo,* q. d. Obtulerunt omnium suarum rerum decimas, quæ ex lege iubentur *Deo sanctificari,* id est consecrari et offerri, Numer. 18. v. 8. et seq. Insuper decimas alias lege non præceptas, sed quasi ipsi ultro *Deo sanctificarant,* id est *voverant,* dicarant et destinarant, ut vertit Noster, q. d. Præter decimas lege præscriptas, ipsi insuper ex devotione et liberalitate alias addiderunt, quas Deo dicarant et voverant, Numer. 18. 14.

Vers. 7. COEPERUNT ACERVORUM IACERE FUNDAMENTA.) Id est cœperunt colligere primos acervos; quæ enim prima sunt, quasi sequentium sunt fundamenta. Ita Vatab.

Vers. 11. UT PRÆPARARENT HORREA.) Sept. *pastophoria,* id est exedras sive cubicula, in quibus quasi horreis servarentur primitiæ, decimæ, aliæque res templo oblatæ.

Vers. 14. CONSECRATIS IN SANCTA SANCTORUM.) Ut scilicet sint sanctissima, quia eas templo et Deo sanctissimo dedicastis; primitiæ enim non offerebantur in Sancto sanctorum, sed ante atrium sacerdotum. Simili phrasi v. 6. vocavit *decimas sanctorum,* id est decimas Deo sanctificatas, hoc est consecratas et oblatas.

Vers. 16. EXCEPTIS MARIBUS AB ANNIS TRIBUS ET SUPRA.) Hoc est, præter pueros trium annorum, quibus quoque sicut et aliis omnibus, usque ad annum vigesimum præbebantur alimenta, q. d. Non tantum maioribus, qui templo deserviebant, sed et pueris triennibus, imo anniculis et in cunis iacentibus; quin et feminis et puellis parvulis necessaria vitæ liberaliter a Præfectis subministrabantur; ut sacerdotes et Levitæ eos alendi cura non distraherentur, sed toti vacarent Deo et templo. Tanta erat rerum oblatarum abundantia, tanta populi offerentis liberalitas, tanta Ezechiæ regis providentia, pietas et devotio.

Vers. 19. PER AGROS.) q. d. Ezechias sicut providit Levitis in Ierusalem agentibus, sic et providit de annona iis qui extra Ierusalem per agros et alias urbes dispersi erant.

CAPUT TRICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS

Sennacherib invadit Iudæam: Ezechias cum Isaia Deum invocat; ille mittit Angelum, qui cædit 180. millia Assyriorum. Quare fugit Sennacherib, et a filiis occiditur. Inde intumescens Ezechias vers. 24. morbo percutitur, sed ab Isaia curatur, ac post multa præclare gesta moritur, et successorem relinquit filium impium Manassen.

1. POST quæ et huiuscemodi veritatem, venit Sennacherib rex Assyriorum, et ingressus Iudam, obsedit civitates munitas, volens eas capere. 2. Quod cum vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, et totum belli impetum verti contra Ierusalem, 3. Inito cum principibus consilio, virisque fortissimis, ut obturarent capita fontium, qui erant extra urbem: et hoc omnium decernente sententia, 4. Congregavit plurimam multitudinem, et obturaverunt cunctos fontes, et rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum, et inveniant aquarum abundantiam. 5. Ædificavit quoque, agens industrie, omnem murum, qui fuerat dissipatus, et extruxit turres desuper, et forinsecus alterum murum: instauravitque Mello in Civitate David, et fecit universi generis armaturam et clypeos: 6. Constituitque principes bellatorum in exercitu: et convocavit universos in platea portæ civitatis, ac locutus est ad cor eorum, dicens: 7. Viriliter agite, et confortamini: nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem, quæ est cum eo: multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. 8. Cum illo enim est brachium carneum: nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus huiuscemodi verbis Ezechiæ regis Iuda. 9. Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum servos suos in Ierusalem (ipse enim cum universo exercitu obsidebat Lachis) ad Ezechiam regem Iuda, et ad omnem populum qui erat in urbe, dicens: 10. Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum: In quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Ierusalem? 11. Num Ezechias decipit vos, ut tradat morti in fame et siti, affirmans quod Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum? 12. Numquid non est iste Ezechias, qui destruxit excelsa illius, et altaria, et præcepit Iuda et Ierusalem, dicens: Coram altari uno adorabitis, et in ipso comburetis incensum? 13. An ignoratis quæ ego fecerim, et patres mei, cunctis terrarum populis? numquid prævaluerunt dii gentium, omniumque terrarum, liberare regionem suam de manu mea? 14. Quis est de universis diis gentium quas vastaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, ut possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu? 15. Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum suum de manu mea, et de manu patrum meorum, consequenter nec Deus vester poterit eruere vos de manu mea. 16. Sed et alia multa locuti sunt servi eius contra Dominum Deum, et contra Ezechiam servum eius. 17. Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel, et locutus est adversus eum: Sicut dii gentium ceterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea, sic et Deus Ezechiæ erue-

re non poterit populum suum de manu ista. 18. Insuper et clamore magno, lingua Iudaica, contra populum qui sedebat in muris Ierusalem, personabat, ut terreret eos, et caperet civitatem. 19. Locutusque est contra Deum Ierusalem, sicut adversum deos populorum terræ, opera manuum hominum. 20. Oraverunt igitur, Ezechias rex, et Isaias filius Amos prophetes, adversum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt usque in cælum. 21. Et misit Dominus angelum, qui percussit omnem virum robustum, et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum: reversusque est cum ignominia in terram suam. Cumque ingressus esset domum dei sui, filii qui egressi fuerant de utero eius, interfecerunt eum gladio. 22. Salvavitque Dominus Ezechiam et habitatores Ierusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, et de manu omnium, et præstitit eis quietem per circuitum. 23. Multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Ierusalem, et munera Ezechiæ regi Iuda: qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus. 24. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit Dominum: exaudivitque eum, et dedit ei signum. 25. Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor eius: et facta est contra eum ira, et contra Iudam et Ierusalem. 26. Humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor eius, tam ipse, quam habitatores Ierusalem: et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. 27. Fuit autem Ezechias dives, et inclytus valde, et thesauros sibi plurimos congregavit argenti, et auri, et lapidis pretiosi, aromatum, et armorum universi generis, et vasorum magni pretii. 28. Apothecas quoque frumenti, vini, et olei, et præsepia omnium iumentorum, caulasque pecorum, 29. Et urbes ædificavit sibi: habebat quippe greges ovium et armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis. 30. Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, et avertit eas subter ad Occidentem Urbis David: in omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit. 31. Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur, et nota fierent omnia quæ erant in corde eius. 32. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et misericordiarum eius, scripta sunt in visione Isaiæ filii Amos prophetæ, et in Libro regum Iuda et Israel. 33. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et sepelierunt eum super sepulcra filiorum David: et celebravit eius exequias universus Iuda, et omnes habitatores Ierusalem: regnavitque Manasse filius eius pro eo.

Hoc caput explicui Isaiæ 36. 37. et 38.

Vers. 1. Post quæ et huiuscemodi veritatem venit Sennacherib.) q.d. Post hæc ab Ezechia vere gesta, et a me vere enarrata, Deus volens probare, exercere et perficere pietatem, virtutem et confidentiam Ezechiæ, quam habebat in Deum, permisit ut veniret Sennacherib, ac Iudæam invaderet.

Vers. 4. Rivum (fontem Gihon, ut patet v. 30.) qui fluebat in medio terræ.) Scilicet illius quæ adiacebat Ierosolymæ, q. d. Ezechias aquas, ac præsertim fontem Gihon partim obturavit, ut castra Sennacherib siti conficeret, partim perfodiendo rupem, in puteos urbis avertit, ut obsessi Iudæi haberent aquam ad potum, et cæteros usus. Vide dicta Eccl. 48. 19.

Vers. 21. Misit Dominus Angelum.) Hanc historiam Herodotus in Eutorpe depravavit, dicens Sennacherib Ægyptum invasisse, sed a sacerdote Vulcani fugatum per inductos mures, qui arcus et arma Assyriorum corrodebant; nam pro Iudæa supponit Ægyptum, pro Ezechia sacerdotem, pro Deo Vulcanum, pro Angelo mures. Porro Sennacherib ipse in tanta suorum clade solus pene, *idcirco servatus est*, ait S. Hier. in cap. 38. Isaiæ, *ut sciret potentiam Dei, et blasphemantium ora comprimeret, fieretque testis illius maiestatis, quam paulo ante contempserat. Pharao quoque in decem Ægypti servatur plagis, ut novissimus pereat: quod et iste passus est.* Oportebat hominem puniri gravissima iactura maximi florentissimique exercitus, et divitiarum maximarum; quam iacturam non sensisset, si momento cum suis periisset. Oportebat incredibilem apud suos subire ignominiam, cuius aut culpa, aut imperitia, tanta strages regnum potentissimum perculisset. Oportebat denique longe illum acerbiore morte, et modis omnibus exercenda consumi: multis quippe, ut apparet, gladiorum ictibus confodiendus erat, et a filiis, et in loco divinitati consecrato. Ita Salianus. Non dubium in hac clade ab Angelo cæsum, et magis excruciatum fuisse Rabsacen, utpote in Deum blasphemum, et in Ezechiam maledicum: porro opimis tot cæsorum Assyriorum spoliis ditati sunt Ezechias et Iudæi.

Filii (Adramelech et Sarazar) interfecerunt eum gladio.) Causam dat R. Salomon et ex eo Lyran. quod Sennacherib ad placandos Deos tantæ stragis auctores, voluerit eis immolare hosce duos filios: sed illi id subodorati patrem prævenerunt et necarunt. Porro Sennacherib accepta clade in Iudæa fugit rediitque in suam Niniven, ubi sæviit in Iudæos, multosque occidit; adeo ut Tobias eos sepeliens, bonis omnibus exutus mortem fugiendo evaserit, a qua fuga post dies 45. Sennacherib a filiis occisus est, quæ omnia narrantur Tobiæ cap. 1. v. 21. et seq. Eamdem R. Salomonis causam tradit S.Hier. in Tradit. Eamdemque ex textu Hebræo Tobiæ cap. 1. refert Serarius, ac Genebr. in chronol.

Aliam causam afferunt Lyran. et Abul. in lib. 4. Reg. cap. 19. q. 31. scilicet Sennacherib occisum esse a duobus filiis senioribus, quoniam pater eis postpositis, Assar Addonem minorem natu successorem regni esse vellet. Cuius electionis causam refert Historia Scholastica in amorem, quo Sennacherib matrem Assarhaddonis prosequebatur. Quæ fuisse putatur causa, cur pridem Roboam, Abiam filium Maacha reliquis filiis suis antetulerit, ut patet 2. Paralipomenon 11. 21.

Verior certiorque causa est, quam affert Theodor. in lib. 4. Reg. dicens: *Quoniam adversus Deum, qui ipsum fecerat, rabie fuerat percitus, ab iis qui ex ipso procreati fuerant, fuit interfectus.*

De portento.) Retrocessionis solis et umbræ in Horologio Achaz, de quo fuse egi Isaiæ 38. Vers. 31.

CAPUT TRICESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Manasses ob idololatriam et scelera vinctus in Babylonem traducitur, ubi pœnitens regno restituitur, et Dei cultum restaurat. Succedit ei impius filius Amon, ac huic pius filius Iosias.

1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Ierusalem. 2. Fecit autem malum coram Domino, iuxta abominationes gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israel: 3. Et conversus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius: con-

struxitque aras Baalim, et fecit lucos, et adoravit omnem militiam cæli, et coluit eam. 4. Ædificavit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus: In Ierusalem erit nomen meum in æternum. 5. Ædificavit autem ea cuncto exercitui cæli, in duobus atriis domus Domini. 6. Transireque fecit filios suos per ignem in Valle Benennom: observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos, et incantatores: multaque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum. 7. Sculptile quoque et conflatile signum posuit in domo Dei, de qua locutus est Deus ad David, et ad Salomonem filium eius, dicens: In domo hac et in Ierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. 8. Et moveri non faciam pedem Israel de terra, quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem et ceremonias, atque iudicia per manum Moysi. 9. Igitur Manasses seduxit Iudam, et habitatores Ierusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel. 10. Locutusque est Dominus ad eum, et ad populum illius, et attendere noluerunt. 11. Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum: ceperuntque Manassen, et vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. 12. Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum: et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. 13. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente: et exaudivit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus. 14. Post hæc ædificavit murum extra civitatem David, ad Occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel, et exaltavit illum vehementer: constituitque principes exercitus in cunctis civitatibus Iuda munitis: 15. Et abstulit deos alienos, et simulacrum de domo Domini: aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, et in Ierusalem, et proiecit omnia extra urbem. 16. Porro instauravit altare Domini, et immolavit super illud victimas, et pacifica, et laudem: præcepitque Iudæ ut serviret Domino Deo Israel. 17. Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo. 18. Reliqua autem gestorum Manasse: et obsecratio eius ad Deum suum: verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus regum Israel. 19. Oratio quoque eius et exauditio, et cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa, et fecit lucos et statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai. 20. Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, et sepelierunt eum in domo sua: regnavitque pro eo filius eius Amon. 21. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit in Ierusalem. 22. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius: et cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit. 23. Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater eius: et multo maiora deliquit. 24. Cumque coniurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua. 25. Porro reliqua populi multitudo, cæsis iis, qui Amon percusserant, constituit regem Iosiam filium eius pro eo.

Vers. 3. ADORAVIT OMNEM MILITIAM CÆLI.) Puta Solem, Lunam, cæteraque sidera quæ quasi milites Dei ordinata acie incedunt, ac pro Deo cum opus est pugnant, vibrantque in hostes tonitrua et fulmina. Ita S. Hier.

Vers. 10. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD EUM.) Non per se, sed per Isaiam, aliosque prophetas. 4. Reg. 21. 10.

Vers. 11. VINCTUM CATENIS DUXERUNT IN BABYLONEM.) Manassi in carcere dabatur parvus panis ex furfuribus, parvo pondere, et parva mensura aquæ cum aceto, ut viveret, aiunt quidam Codices Græci hic et Auctor imperfecti hom. 1. in Matth. et S. Clemens lib. 2. constit. c. 22.

Vers. 16. IMMOLAVIT SUPER ILLUD VICTIMAS (holocausta et hostias pro peccato) ET PACIFICA (id est hostias pro pace, id est salute tum sua, tum populi) ET LAUDEM.) Hebr. תודה *toda*, id est hostias eucharisticas, in Dei laudem, et gratiarum actionem pro libertate recepta, ait Caiet. et Vatabl.

ORATIO QUOQUE EIUS.) Extat oratio Manassis pœnitentis pia et proba, sed non habet auctoritatem Canonicæ Script. ideoque in calcem Bibliorum reiecta est.

SCRIPTA SUNT IN SERMONIBUS HOZAI.) Hebræi apud S. Hier. censent *Hozai* esse Isaiam prophetam. Sept. *Hosai* accipiunt ut nomen non proprium, sed appellativum, vertuntque: *videntium*, id est prophetarum. Sic et Vatab. Vers. 19.

CAPUT TRICESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosias omnem idololatriam succidit, Dei templum cultumque instaurat, ac fœdus novum inter Deum et populum sancit.

1. OCTO annorum erat Iosias cum regnare cœpisset, et triginta et uno anno regnavit in Ierusalem. 2. Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, et ambulavit in viis David patris sui: non declinavit neque ad dextram, neque ad sinistram. 3. Octavo autem anno regni sui, cum adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui David: et duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundavit Iudam et Ierusalem ab excelsis, et lucis, simulacrisque et sculptilibus. 4. Destruxeruntque coram eo aras Baalim: et simulacra, quæ superposita fuerant, demoliti sunt: lucos etiam, et sculptilia succidit atque comminuit: et super tumulos eorum, qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit. 5. Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavitque Iudam et Ierusalem. 6. Sed et in urbibus Manasse, et Ephraim, et Simeon, usque Nephthali, cuncta subvertit. 7. Cumque altaria dissipasset, et lucos, et sculptilia contrivisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de universa terra Israel, reversus est in Ierusalem. 8. Igitur anno octavodecimo regni sui, mundata iam terra, et templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, et Maasiam principem civitatis, et Ioha filium Ioachaz a commentariis, ut instaurarent domum Domini Dei sui. 9. Qui venerunt ad Helciam Sacerdotem magnum: acceptamque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, et quam congregaverant Levitæ, et ianitores, de Manasse, et Ephraim, et universis reliquiis Israel, ab omni quoque Iuda, et Beniamin, et habitatoribus Ierusalem, 10. Tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, ut instaurarent templum, et infirma quæque sarcirent. 11. At illi dederunt eam artificibus, et cæmentariis, ut emerent lapides de lapicidinis, et ligna ad com-

missuras ædificii, et ad contignationem domorum, quas destruxerant reges Iuda. 12. Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Iahat et Abdias de filiis Merari, Zacharias et Mosollam de filiis Caath, qui urgebant opus: omnes Levitæ scientes organis canere. 13. Super eos vero, qui ad diversos usus onera portabant, erant scribæ, et magistri de Levitis ianitores. 14. Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos Librum legis Domini per manum Moysi. 15. Et ait ad Saphan scribam: Librum legis inveni in domo Domini. Et tradidit ei. 16. At ille intulit volumen ad regem, et nuntiavit ei dicens: Omnia quæ dedisti in manu servorum tuorum, ecce complentur. 17. Argentum, quod repertum est in domo Domini, conflaverunt: datumque est præfectis artificum, et diversa opera fabbricantium. 18. Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum. Quem cum rege præsente recitasset, 19. Audissetque ille verba legis, scidit vestimenta sua: 20. Et præcepit Helciæ, et Ahicam filio Saphan, et Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ, et Asaæ servo regis, dicens: 21. Ite, et orate Dominum pro me, et pro reliquiis Israel et Iuda, super universis sermonibus Libri istius, qui repertus est: magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine. 22. Abiit ergo Helcias, et hi qui simul a rege missi fuerant, ad Oldam prophetidem, uxorem Sellum filii Thecuath, filii Hasra custodis vestium; quæ habitabat in Ierusalem in Secunda: et locuti sunt ei verba, quæ supra narravimus. 23. At illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me: 24. Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam mala super locum istum, et super habitatores eius, cunctaque maledicta quæ scripta sunt in Libro hoc, quem legerunt coram rege Iuda. 25. Quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus manuum suarum, idcirco stillabit furor meus super locum istum, et non extinguetur. 26. Ad regem autem Iuda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quoniam audisti verba voluminis, 27. Atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc, et habitatores Ierusalem, reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me: ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. 28. Iam enim colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulcrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, et super habitatores eius. Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat. 29. At ille convocatis universis maioribus natu Iuda et Ierusalem, 30. Ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Iuda et habitatores Ierusalem, Sacerdotes et Levitæ, et cunctus populus a minimo usque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis: 31. Et stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, et custodiret præcepta, et testimonia, et iustificationes eius, in toto corde suo, et in tota anima sua, faceretque quæ scripta sunt in volumine illo, quod legerat. 32. Adiuravit quoque super hoc omnes, qui reperti fuerant in Ierusalem et Beniamin: et fecerunt habitatores Ierusalem iuxta pactum Domini Dei patrum suorum. 33. Abstulit ergo Iosias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel: et fecit omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo. Cunctis diebus eius non recesserunt a Domino Deo patrum suorum.

Vers. 3. DUODECIMO ANNO, etc. MUNDAVIT IUDA.) Id est mundare cœpit; nam mundationem hanc perfecit post sex annos anno regni sui 18. ut dicitur v. 8.

Vers. 5. OSSA PRÆTEREA SACERDOTUM (idolorum, v. g. vitulorum aureorum) COMBUSSIT IN ALTARIBUS IDOLORUM.) Scilicet ut contactu et combustione cadaverum hominum tam impiorum altaria ipsa contaminarentur, infamarentur, et horrori forent, ne quis deinceps in iis victimas idolis immolaret.

Vers. 15. INVENI LIBRUM LEGIS IN DOMO DOMINI.) Genebr. in chronol. censet fuisse hoc exemplar, quod a Mose vel ab alio eo vivo scriptum fuerat, et in sanctuario positum ante 800. annos, ut propterea maiore devotione acceptum et maiore fructu lectum fuerit. Porro non est dubium alibi in Iudæa, et in aliis provinciis apud Iudæos pios et doctos extitisse plures libros legis: incredibile ergo videtur quod nonnulli aiunt, omnes libros S. Script. cum templo a Chaldæis fuisse combustos, ac ab Esdra ex memoria restitutos.

INFERERIS IN SEPULCRUM TUUM IN PACE.) Dices, Iosias in prælio occisus est a Pharaone Nechao, ergo non pacifice, sed violenta morte occubuit. Resp. pacem non privatam Iosiæ, sed publicam Reip. hic intelligi: vivente enim Iosia et moriente, Iudæa gaudebat pace et rerum abundantia; at post mortem eius invasa fuit a variis gentibus, præsertim Babyloniis, qui illam sub Sedecia filio Iosiæ funditus everterunt. Hunc esse sensum liquet ex sequentibus, ubi sic se Script. explicat. Vers. 28.

CAPUT TRICESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosias celebrat Phase solemne: idem Pharaoni occurrens, in prælio occiditur summo omnium luctu, sed præcipue Ieremiæ.

1. FECIT autem Iosias in Ierusalem Phase Domino, quod immolatum est quartadecima die mensis primi: 2. Et constituit Sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos ut ministrarent in domo Domini. 3. Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Israel, nequaquam enim eam ultra portabitis: nunc autem ministrate Domino Deo vestro, et populo eius Israel. 4. Et præparate vos per domos et cognationes vestras, in divisionibus singulorum, sicut præcepit David rex Israel, et descripsit Salomon filius eius. 5. Et ministrate in sanctuario per familias turmasque Leviticas. 6. Et sanctificati immolate Phase: fratres etiam vestros, ut possint iuxta verba quæ locutus est Dominus in manu Moysi facere, præparate. 7. Dedit præterea Iosias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos et hœdos de gregibus, et reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia, hæc de regis universa substantia. 8. Duces quoque eius, sponte quod voverant, obtulerunt, tam populo, quam Sacerdotibus, et Levitis. Porro Helcias, et Zacharias, et Iahiel, principes domus Domini, dederunt

Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, et boves trecentos. 9. Chonenias autem, et Semeias, etiam Nathanael, fratres eius, nec non Hasabias, et Iehiel, et Iozabad, principes Levitarum, dederunt ceteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, et boves quingentos. 10. Præparatumque est ministerium, et steterunt sacerdotes in officio suo: Levitæ quoque in turmis, iuxta regis imperium. 11. Et immolatum est Phase: asperseruntque Sacerdotes manu sua sanguinem, et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum: 12. Et separaverunt ea ut darent per domos et familias singulorum, et offerrentur Domino, sicut scriptum est in Libro Moysi: de bobus quoque fecerunt similiter. 13. Et assaverunt Phase super ignem, iuxta quod in lege scriptum est: pacificas vero hostias coxerunt in lebetibus, et cacabis, et ollis, et festinato distribuerunt universæ plebi: 14. Sibi autem, et Sacerdotibus postea paraverunt: nam in oblatione holocaustorum et adipum usque ad noctem sacerdotes fuerunt occupati: unde Levitæ sibi, et sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis. 15. Porro cantores filii Asaph stabant in ordine suo, iuxta præceptum David, et Asaph, et Heman, et Idithun, prophetarum regis: Ianitores vero per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederent a ministerio: quam ob rem et fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos. 16. Omnis igitur cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, et offerrent holocausta super altare Domini, iuxta præceptum regis Iosiæ. 17. Feceruntque filii Israel, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, et solemnitatem azymorum septem diebus. 18. Non fuit Phase simile huic in Israel, a diebus Samuelis prophetæ: sed nec quisquam de cunctis regibus Israel fecit Phase sicut Iosias, Sacerdotibus, et Levitis, et omni Iudæ, et Israel qui repertus fuerat, et habitantibus in Ierusalem. 19. Octavodecimo anno regni Iosiæ hoc Phase celebratum est. 20. Postquam instauraverat Iosias templum, ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis iuxta Euphraten: et processit in occursum eius Iosias. 21. At ille, missis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi et tibi est rex Iuda? non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te. 22. Noluit Iosias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei: verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo. 23. Ibique vulneratus a sagittariis, dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum. 24. Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, et asportaverunt eum in Ierusalem, mortuusque est, et sepultus in mausoleo patrum suorum: et universus Iuda et Ierusalem luxerunt eum. 25. Ieremias maxime: cuius omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem, lamentationes super Iosiam replicant, et quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum fertur in lamentationibus. 26. Reliqua autem sermonum Iosiæ et misericordiarum eius, quæ lege præcepta sunt Domini, 27. Opera quoque illius prima et novissima, scripta sunt in Libro regum Iuda et Israel.

Vers. 3. PONITE ARCAM IN SANCTUARIO TEMPLI.) Tradunt Hebræi apud S. Hier. arcam e Sancto sanctorum ablatam esse tempore Manassis vel Amon, ne simul cum eorum idolis consisteret in templo. Quare translatam esse in domum Sellum, qui erat avunculus Ieremiæ, et maritus Oldæ prophetissæ c. 34. v. 22. nunc vero idolis ablatis a Iosia arcam templo locoque suo fuisse restitutam. Quo facto Iosias ait Levitis: *Nequaquam eam ultra portabitis*, id est arcam amplius e templo non exportabitis; quare deinceps vos coram arca *ministrate Domino*, ac simul, *populo eius Israel*; ut populum in lege cultuque Dei instruatis et dirigatis.

Vers. 11. AD FACIENDUM PHASE, etc. BOVES TRECENTOS.) Hinc patet *Phase* significare non tantum Agnum Paschalem, sed et boves, cæterasque victimas quæ in paschate Deo immolabantur.

ASPERSERUNTQUE SACERDOTES MANU SANGUINEM.) In altari holocaustorum, uti lege erat præscriptum. Omnis enim sanguis Deo debebatur, ideoque effundebatur in altari vel iuxta altare. Altare enim repræsentabat Deum.

ET LEVITÆ DETRAXERUNT PELLES HOLOCAUSTORUM.) Ut deinde sacerdotes carnes in frusta concisas altari imponerent, et subiecto igne Deo cremarent.

Vers. 12. ET SEPARAVERUNT EA.) Scilicet holocausta (ut habent Hebr.) iam dicta; ut illa integre *offerrentur Domino*, et tota cremarentur. *Separaverunt*, inquam, holocausta a cæteris victimis, ut eas *darent* (id est distribuerent) *per domos et familias singulorum*; ut scilicet singuli eas offerrent Deo in victimas pacificas, ac deinde ex eisdem epulum sacrum instruerent, et convivia celebrarent. Patet ex dictis vers. 7. et seq.

Vers. 15. ASAPH ET HEMAN ET IDITHUN PROPHETARUM REGIS.) Id est Cantorum Davidis. Prophetæ enim vocantur Cantores, qui Deo laudes et Psalmos canebant. Ita Hebr. apud S. Hier. Erant tamen aliqui ex eis veri prophetæ, uti Asaph, qui instinctu Dei plures psalmos composuit et dictavit.

Vers. 21. CONTRA ALIAM PUGNO DOMUM.) Scilicet contra regem Assyriorum, ut patet 4. Reg. 23. 29. Abul. in 4. Reg. cap. 23. q. 41. et 42. censet, *aliam domum*, sive aliam familiam, aliumque regem, contra quem se pergere dicit Pha-

A rao, fuisse Adadremmon regem Syriæ Iosiæ fœderatum, ideoque Iosiam prohibuisse Pharaonem transitu per Iudæam, ut suo amicique regno consuleret. Id hausit Abul. ex Herodoto lib. 2. sub finem, qui ait regem Ægypti nomine *Necum* filium Psammitichi conflixisse cum Syris, et in Magdalo victoria potitum: ubi videntur nomina esse corrupta, ut *Necum* ponatur pro *Nechao*, Syri pro Assyriis, Magdalo pro Mageddo. Verum hæc sententia est improbabilis; tum quia nemo huius Adadremmon regis Syriæ meminit; tum quia Pharao pergebat contra Assyrios habitantes iuxta Euphratem, non contra Syros habitantes iuxta Libanum.

Alii censent Pharaonem perrexisse proprie contra regem Assyriorum; verum nec hoc dici potest; nam Asarhaddon filius Sennacherib post cladem patris ab Angelo acceptam in Iudæa, tantum decem annis regnavit, ac cum eo et in eo quasi ultimo rege desiit regnum Assyriorum sub annum Ezechiæ regis Iuda 25. qui hunc annum 31. et ultimum Iosiæ antecessit nonaginta annis. Quare deficiente

B Asarhaddon et regno Assyriorum (unde post Asarhaddon in Script. nulli nominantur reges Assyriorum, sed Babyloniorum dumtaxat) surrexit regnum Chaldæorum per Merodach, cui successit Ben Merodach, huic Nabopolassar, qui alio nomine dictus est Nabuchodonosor senior, qui dominabatur Assyriis æque ac Babyloniis: unde nunc Assyriorum, nunc Babyloniorum rex vocatur. Atque hic est contra quem pugnavit Pharao Nechao, cum occidit Iosiam, ac videtur eum superasse. Unde hanc patris sui cladem ulturus eius filius Nabuchodonosor iunior cognomento Magnus, qui Iudæam, Asiam, multaque alia subegit, seseque fecit Monarcham, invasit Ægyptum, conflixit cum Nechao, eumque occidit, ac Ægyptum occupavit, uti eidem prædixerat Ieremias cap. 46. et Ezechiel. cap. 29. vide ibi dicta. Ita Salianus et alii. Plura hac de re dixi 4. Reg. 24. 1.

AD QUAM ME DEUS FESTINATO IRE PRÆCEPIT.) Per oraculum Ieremiæ non scriptum, sed viva voce editum, quod ipse Ieremias per nuntium Pharaoni significavit, ut tradunt Hebræi apud S. Hier. Unde et S. Iustin. q. 89. ad Orthodoxos docet Iosiam ideo occisum, eo quod monitis

Ieremiæ, ut Pharaoni sese non opponeret, minime paruerit.

Vers. 24. MORTUUSQUE EST.) Non in Ierusalem, ut vult Ioseph. sed in Mageddo occisus; unde eum mortuum transtulerunt in Ierusalem, ut in sepulcro regum sepelirent.

Vers. 25. ET QUASI LEX OBTINUIT IN ISRAEL.) q. d. Mos apud Israelitas obtinuit adeo fixus et certus, ut instar legis esse videretur; ut scilicet cantores et cantatrices, dum ob lugubrem aliquem casum funebre vel triste carmen vel næniam canere volunt, usurpent canantque lamentationem Ieremiæ de morte Iosiæ, quam si nosse cupis: *Ecce scriptum fertur in lamentationibus* Ieremiæ: Ieremias enim in Threnis sub finem videtur lugere mortem Iosiæ, ut censet Chald. Ioseph. Hebr. apud S. Hier. Lyran. Abul. et Hugo, quamvis, ut ibi dixi, verius sit Threnos Ieremiæ de morte Iosiæ alios fuisse ab eius Threnis qui extant in S. Script. quare Threni de morte Iosiæ iniuria temporum interciderunt.

CAPUT TRICESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Patri Iosiæ succedit filius Ioachaz, quem Nechao in Ægyptum abducit. Huic succedit frater Ioakim, huic filius Ioachin, huic patruus Sedecias, qui omnes cum maiore populi parte in Babylonem abducuntur a Nabuchodonosor. Hic enim Ierusalem cum templo succendit, ut Iudæa manserit desolata usque ad annum primum Cyri primi Persarum Monarchæ.

1. TULIT ergo populus terræ Ioachaz filium Iosiæ, et constituit regem pro patre suo in Ierusalem. 2. Viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Ierusalem. 3. Amovit autem eum rex Ægypti cum venisset in Ierusalem, et condemnavit terram centum talentis argenti, et talento auri. 4. Constituitque pro eo regem, Eliakim fratrem eius, super Iudam et Ierusalem: et vertit nomen eius Ioakim: ipsum vero Ioachaz tulit secum, et abduxit in Ægyptum. 5. Viginti quinque annorum erat Ioakim cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Ierusalem: fecitque malum coram Domino Deo suo. 6. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, et vinctum catenis duxit in Babylonem. 7. Ad quam et vasa Domini transtulit, et posuit ea in templo suo. 8. Reliqua autem verborum Ioakim, et abominationum eius, quas operatus est, et quæ inventa sunt in eo, continentur in Libro regum Iuda et Israel. Regnavit autem Ioachin filius eius pro eo. 9. Octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpisset, et tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Ierusalem, fecitque malum in conspectu Domini. 10. Cumque anni circulus volveretur, misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. Regem vero constituit Sedeciam patruum eius super Iudam et Ierusalem. 11. Viginti et unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Ierusalem. 12. Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Ieremiæ prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini. 13. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiuraverat eum per Deum: et induravit cervicem suam et cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel. 14. Sed et universi principes sacerdotum, et populus, prævaricati sunt inique iuxta universas abominationes Gentium, et polluerunt domum Domini, quam sanctificaverat sibi in Ierusalem. 15. Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, et quotidie commonens: eo quod parceret populo et habitaculo suo. 16. At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones eius, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum eius, et esset nulla curatio. 17. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, et interfecit iuvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui: non est misertus adolescentis, et virginis, et senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eius. 18. Universaque vasa domus Domini, tam maiora, quam minora, et thesauros templi, et regis, et principum transtulit in Babylonem. 19. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Ierusalem, universas turres combusserunt, et quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt. 20. Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi et filiis eius, donec imperaret rex Persarum, 21. Et compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, et celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni. 22. Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: qui iussit prædicari in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens: 23. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa: quis ex vobis est in omni populo eius? sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendit.

Vers. 6. ET VINCTUM (Ioakim) CATENIS DUXIT IN BABYLONEM.) Scilicet anno tertio regni Ioakim, qui in Babilone res suas componens, et fœdus cum eo renovans, solitumque tributum promittens, ab eo liber dimissus est in Ierusalem. Ubi anno undecimo regni sui rursum rebellans, a Chaldæis occisus est, ut dixi Ierem. 22. 19.

Vers. 8. ET QUÆ INVENTA SUNT IN EO.) Lyran. Abul. q. 39. in cap. 25. lib. 4. Reg. Vatab. Magister histor. Scholastic. Pererius lib. 1. in Danielem, sub initium, et alii ex Hebræis referunt, in cadavere huius regis inventas fuisse quasdam notas impressas, et quædam stigmata inusta in honorem Deorum suorum, quorum ipse adhuc vivens se stigmaticum servum profitebatur. Quid miserius et infelicius, quam Regem diademate coronatum eo se abiecisse, ut stigmaticum diaboli mancipium redderetur? Contra vero Divus Paulus: *De cætero, inquit, nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini IESU in corpore meo porto.* Galat. 6. v. 17.

OCTO ANNORUM ERAT IOACHIN CUM REGNARE CŒPISSET.) Scilicet cum patre Ioakim, qui anno secundo regni sui filium Ioachin octennem regem creavit, et regni socium adscivit, adeoque cum eo decem annis regnavit. Causa fuit, quod vereretur si quid humanitus sibi accidisset, Sedeciam excluso puero Ioachin, invasurum regnum. Iam tum enim videbatur meditari rebellionem, ut iugo Chaldæorum se eximeret; quod fecit anno tertio regni, ideoque eodem anno a Chaldæis abductus est in Babylonem, unde tunc successit ei filius Ioachin novem vel decem annorum: sed pater Ioakim rebus in Babylone Vers. 9.

compositis, illico rediit, ac alios octo annos cum filio regnavit: quibus exactis anno undecimo regni sui rursus rebellans, interemptus est a Chaldæis: unde tunc solus plano et pleno iure regnans successit eius filius Ioachin, qui iam octodecim erat annorum, ac tribus tantum mensibus regnavit, quibus exactis abductus est et ipse in Babylonem a Chaldæis, qui ei substituerunt Sedeciam patruum. Ita Abul. Salian. Torniellus et alii.

Vers. 10. Cum anni circulus volveretur.) Hebr. *In revolutione anni;* cum scilicet anno currente finiente, vel finito novus annus inchoaretur a mense Nisan, q. d. cum annus currens tenderet ad finem, sive in fine anni abductus est Ioachin in Babylonem, quod fuit tertio mense regni sui: cœpit enim ipse regnare non in initio anni, sed tribus mensibus ante finem anni, v. g. in Novembri vel Decembri. Nam Hebræi annum inchoabant a Nisan, id est Martio.

Vers. 13. Qui adiuraverat eum per Deum.) Ut sibi fidem datam et subiectionem promissam servaret, minans ei Dei iudicis vindictam, si illam violaret, ideoque pro *Matthania,* vocavit eum, *Sedeciam*, id est *iustitiam Dei*, ut huius semper eum memorem redderet, 4. Reg. 24. 17.

Vers. 15. De nocte consurgens.) Hebr. *manicando,* id est mane, tempestive, sollicite eos admonuit, instar boni patrisfamilias, qui mane suos famulos instruit, et dirigit ad opus diurnum.

Eo quod parceret (id est quod parcere cuperet et summe optaret) populo.) Sed cum is monita Dei sperneret, ei non pepercit, et Chaldæis vastandum tradidit.

Vers. 16 Et esset nulla curatio.) q. d. Et nulla esset spes curationis et emendationis vitæ, eo quod Iudæi in idololatria et sceleribus suis essent obfirmati.

Vers. 21. Et celebraret terra sabbata sua.) Id est feriaretur et quiesceret ab aratione, qua sulcatur, occatur, seritur, metitur, etc. quibus terra agitari, et quasi vexari solet.

Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum.) Id est inculta quievit, agens quasi sabbati otium. Notant Hebræi, Iudæos violasse festum sabbati, illudque profanasse operibus servilibus et illicitis, ideoque Deum in pœnam eos e Iudæa abduxisse, ut ipsa ageret sabbatum sibi a Iudæis negatum per 70. annos.

Anni captivitatis cur 70. Resp. 1. Usque dum complerentur septuaginta anni.) Cur fuere captivitatis Iudæorum in Babylone anni 70. non 80. non 90. non centum? Causam dat Theodor. Levit. 26. 34. ad illa: *Placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ, eo quod non requieverit in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea.* Sic enim ait: *Septuaginta annos servierunt in Babylone: Atqui a regno Saulis usque ad captivitatem numerantur anni* 490. *quorum septimam partem faciunt septuaginta. Hoc ergo vult dicere: Septuaginta annos terra manebit inculta, et non seminata, vobis terram alienam incolentibus, propterea quod una cum reliquis etiam sabbati præceptum transgressi estis.* q. d. Terra Iudææ iuxta legem septimo anno arari non poterat, sed quiescebat et suum agebat *sabbatum*, id est otium et quietem, quam quia vos (multi vestrum) o Iudæi, ei abstulistis ex avaritia, septimo anno eam arantes ut fructus meteretis, idcirco Deus quietem ei debitam restituet in 70. annis captivitatis vestræ, quibus illa colonis suis destituta quiescat: 70. enim sabbata ei ademistis, totidem ergo ei reddet Deus. Nam in 490. annis qui ab initio regni Saulis (si ei demus annos viginti, ac alios viginti Samueli, qui iuncti faciunt 40. de quibus Actor. 13. 21.) usque ad ultimum annum Sedeciæ fluxerunt, pariter fluxerunt 70. sabbata terræ: hæc enim septimo quolibet anno suum ex lege exigebat sabbatum. Septimus enim annus in 490. annis recurrit septuagies: multiplica enim 70. per 7. invenies 490. Eadem causa hic insinuatur dum dicitur: *Et celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum usque dum complerentur* 70. *anni.*

Rursum, Hebræi per sua scelera varia et multa contaminarunt Iudæam, quæ erat terra sancta per 490. annos: unde Deus totidem annos pœnitentiæ et captivitatis potuisset eis iniungere, sed noluit, et pœnam imminuit, ut e septem annis unum tantum pœnitentiæ eis assignaret, quo pariter terra sabbatizaret: quare dedit eis annos 70. captivitatis: hi enim septies in 490. continentur, ut his 70. annis terra quiescens et quasi sabbatum agens, a sceleribus 490. annorum in ea a Iudæis commissis expiaretur, et præsertim ab idololatria, quæ in ea diu, sed per 70. annos acrius et ardentius viguit. 2.

Alia causa litteralis fuit, quod Chaldæorum Monarchia durarit per 70. annos; Chaldæi autem Iudæorum fuere hostes et flagella Dei, qui eos in Babylonem abduxerunt, ibique toto tempore monarchiæ suæ detinuerunt: quo finito in anno 70. surrexit Cyrus Chaldæorum hostis et Iudæorum amicus, qui Chaldæos evertit, et Monarchiam ad Persas transtulit, ideoque Iudæos e Babylone liberavit. Rursum, hi 70. anni desolationis respondent 70. hebdomadibus Danielis cap. 9. quibus exactis venturus erat Christus, cuius typus fuerat Cyrus, qui eos a servitute peccati et diaboli liberaret, ac Ierusalem cælesti restitueret. 3.

Prima et potissima causa fuit, Dei ita decernentis voluntas, et iudiciorum eius profundorum abyssus. Hanc causam dat Esdras lib. 4. cap. 3. ubi narrat se anno trigesimo desolationis Ierusalem in Babylone coram Deo questum esse, quare tamdiu Iudæos fideles suos in Babylone captivos detineret, et inter alia se Deo dixisse v. 27. *Tradidisti civitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. Numquid meliora faciunt qui habitant Babylonem, et propter hoc dominabitur Sion?* Et rursum: *Factum est cum venissem huc, et vidissem impietates quarum non est numerus, et delinquentes multos vidit anima mea hoc* 30. *anno.* Ac Urielem Angelum ei respondisse cap. 4. dixisseque: *Vade, pondera mihi ignis pondus, ac mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præteriit.* Quod cum Esdras fieri non posse diceret, urget Angelus: *Si*, inquit, *interrogarem te, quantæ sunt habitationes in corde maris, aut venæ in principio abyssi,* unde scilicet aquæ indesinenter scaturiunt, vel venæ pluviarum in cælo, *aut qui sunt exitus paradisi, diceres mihi fortassis, in abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cœlum umquam ascendi. Nunc autem non interrogavi te nisi de igne, et vento et die per quem transivisti, et a quibus separari non potes, et non respondisti mihi de eis, et quomodo poteris capere Altissimi vias?* 4. potissimum.

Tropologica causa fuit, quam dat S. Hier. Ierem. 29. 10. quod septuagenarius numerus sit symbolum pœnitentiæ, quam tota hac vita agere debemus, ut ad cælestem gloriam perveniamus. Nam ut dicitur Psal. 89. *Dies annorum nostrorum, in ipsis* 70. *anni.* Hinc et Ecclesia a Septuagesima commemorando lapsum Adami et posterorum, inchoat tempus luctus et pœnitentiæ. Denique voluit Deus per 70. annos, omnes senes Iudæorum vitiis suis assuetos, et in iis inveteratos emori, ac novam sobolem succrescere, quam per Esdram, Danielem, Iesum, Zorobabel, et alios in pietate et vero Dei cultu efformatam, in terram sanctam reduceret, uti dixi Ierem. 29. 10. Tropol.

Anno autem primo Cyri.) Hæc ad verbum repetuntur lib. sequenti Esdræ initio primi capitis, ubi ea quasi suo loco explicabo. Hinc colligunt Interpretes, Esdram esse lib. Paralipomenon Auctorem. Eius enim finis idem plane est cum principio Esdræ. Vers. 22.

PROOEMIUM

IN LIBROS

ESDRÆ, NEHEMIÆ, TOBIÆ, IUDITH, ESTHER, ET MACHABÆORUM.

Esdras sacerdos, propheta, scriba et doctor, totiusque Scripturæ sacræ vel deperditæ in vastitate Babylonica ex memoria dictator et restaurator, ut multi sentiunt; vel ut verius alii, vitiatæ corrector, et elegantiori charactere Hebræo, quo nunc utimur, descriptor, cum Nehemia sacerdote, Helciæ filio, et Artaxerxis Persarum regis pincerna, reducem e captivitate populum numerans, et templi et murorum restaurationem consignans et perficiens: *Omnisque illa turba populi redeuntis in patriam* (ait S. Hieron.) *et descriptio Sacerdotum, Levitarum Israelis, Proselytorum aliud in cortice proferunt, aliud in medulla retinent;* scilicet alleg. significant institutionem Ecclesiæ novæ, veteri Synagoga abolita; tropol. mysticæ Ecclesiæ, et templi in anima per peccatum violati et disiecti, per gratiam, pœnitentiam, omnisque virtutis officia, reparationem; anagog. constructionem novæ illius et cælestis Jerusalem, quam vivis coloribus depingit S. Ioannes Apoc. 15.

Tobias vitæ coniugalis speculum, maritum, coniugem, filium, sui quemque muneris admonet et erudit. Ad hæc quomodo in exilio et adversis retinenda sit pietas et charitas, quæ Angelorum natura, quæ species, quæ partes, quæ vita et sollicita custodia, edocet.

Iudith viduarum typus, viduis castitatis poculum propinat, quæ sapientissima fortitudine pudicitiæ gratiam, et ab hostibus victoriam velut abstinentiæ præmium tulit: quæ ut ait Ambr. de viduis, nec cibo maculata, nec adulterio, non minus servatæ continentiæ ex hostibus revexit trophæum, quam patriæ liberatæ: et ex sobrietate casta, manu quidem solum Holophernem vicit, sed consilio omnium aliorum ebriorum eius stravit exercitum. Tanti dux fœmina facti.

Esther uxoris castæ, modestæ, religiosæ et sapientis erga infidelem maritum et regem, piæ vero et industriæ in suos cives omnes numeros explet, et in Ecclesiæ typo (verbis utor S. Hier.) populum liberat de periculo, et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, et diem celebrem mittit in posteros.

Machabæi fortitudine bellica, æque ac pietate et zelo excellunt, atque pauci numero ardenti prece Deum invocantes, ingentes hostium profligant exercitus, et divinæ victoriæ trophæa figunt æternitati.

Hæc singulorum argumenta in principio obiter quasi in synopsi collecta, o lector, accipe, quæ fusius suis quibusque locis explicabo.

Porro ex hisce libris protocanonici sunt Esdras et Nehemias, utpote qui semper tam ab Hebræis quam a Christianis habiti sint Canonici; Tobias vero, Iudith, Esther et Machabæorum libri duo sunt Deuterocanonici, sive secundi ordinis et gradus, utpote de quorum auctoritate olim a nonnullis fuit dubitatum, postea tamen ab Ecclesia in Canonem librorum S. Scripturæ sunt relati.

COMMENTARIA

IN

ESDRAM ET NEHEMIAM.

PROLOGUS ET ARGUMENTUM.

Esdras et Nehemias, *ait S. Hieron. Epist. ad Paulinum, quæ Bibliis præfigitur*, adiutor videlicet et consolator a Domino in unum volumen coarctatur; instaurant templum, muros extruunt civitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, et descriptio Sacerdotum, Levitarum Israelis, Proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla.

Ubi nota: duplex fuit captivitas Hebræorum. Prior Israelis sive decem tribuum, quæ a Salmanasar abductæ sunt in Assyriam, fuitque perpetua, de qua 4. Reg. 17. et Tobiæ 1. v. 1. Altera, quæ priore fuit posterior annis 134. qua reliquæ duæ tribus Iuda et Beniamin, a Nabuchodonosor ductæ sunt in Babylonem, 4. Reg. ult. De huius secundæ ex Babylone post 70. captivitatis annos in Ierusalem reductione hic agitur, ut ita pertexatur continuo quasi filo historia gentis Iudaicæ æque ac Synagogæ, sive Ecclesiæ Dei.

Primus et secundus Esdræ sunt Scriptura Canonica, nec de eorum fide dubitavit quisquam. Exstant enim Hebraice, suntque in canone Hebræorum; tertius vero et quartus sunt apocryphi, ut suo loco dicam.

Auctor libri primi est Esdras, secundi Nehemias, ut patet ex utriusque titulo, æque ac narrationis decursu. Dicitur tamen Liber Nehemiæ, Esdræ secundus, partim quod contineat ea quæ simul ab Esdra et Nehemia gesta sunt; partim quod olim apud Hebræos et Græcos Nehemias et Esdras unus tantum erant liber. Ita Sixtus Senensis et Bellarm. de Scrip. Eccles. in Nehemia, et S. Hieronym. Epist. citata, Lyran. Dion. et alii; licet S. Athanas. in Synopsi, et S. Isidor. l. 6. Etymol. c. 2. tam secundum, quam primum librum censeant scriptum ab Esdra.

Quæres primo: Quis fuit Esdras? Resp. fuisse filium Saraiæ summi Pontificis, qui in excidio Ierusalem cum aliis primoribus occisus est a Nabuchodonosor, anno undecimo Sedeciæ, 4. Reg. 25. 18. et 21. Id ita esse patet ex c. 7. v. 1. ubi Esdras suam genealogiam recensens ait: *Esdras filius Saraiæ, filii Azariæ* (qui fuit Pontifex sub Ozia rege Iuda, ut patet 2. Paral. 26. v. 20.) *filii Helciæ, filii Sellum, filii Sadoc*, etc. Qui omnes recensentur in catalogo Pontificum 2. Paral. 6. v. 12. et 14. ubi et additur: *Saraias genuit Iosedec. Porro Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam et Ierusalem per manus Nabuchodonosor.* Unde sequitur Esdram, ex eodem patre Saraia genitum, fuisse fratrem Iosedec, qui fuit Pontifex in captivitate, cui successit filius Iesus Pontifex pariter, qui cum Zorobabel duce Iudæos e Babylone reduxit in Ierusalem. Imo Hebræi apud S. Hier. in Tradit. in l. Paralip. et Sixtus l. 1. Biblioth. in Esdra, putant Esdram eumdem esse cum Iosedec (habuisse enim duo nomina) ideoque fuisse Pontificem. Unde et lib. 3. Esdræ cap. ultim. pleno et absoluto iure Pontificio in dirimendis matrimoniis Israelitarum, etiam Sacerdotum cum uxoribus alienigenis, uti videtur. Verum hoc dici nequit; nam si Esdras fuit Iosedec Pontifex, ergo Iesus filius Iosedec in Babylone non fuit Pontifex: vivebat enim tum Esdras. Dicendum ergo Iosedec fuisse fratrem seniorem Esdræ, ideoque Pontificem, cui in Babylone mortuo successit filius Iesus, qui proinde quasi Pontifex cum Zorobabel populum e Babylone reduxit. Hoc enim non fecisset Iesus, sed Esdras, si ipse fuisset Iosedec Pontifex.

Esdras non fuit Malachias.

Rupertus et alii opinantur Esdram fuisse Malachiam Prophetam, quorum rationes fuse recensui et confutavi procemio in Malachiam. Vixit tamen Esdras cum Malachia, et idem pene cum eo argumentum tractat: quæ fuit occasio suspicandi fuisse unum eumdemque.

Quæres secundo, an Esdras fuerit propheta? Videtur negare S. Aug. l. 18. de Civit. c. 36. dicens: *Esdras magis rerum gestarum scriptor est habitus, quam propheta.*

Fuit Propheta.

Verum dico Esdram non tantum fuisse historiographum, æque ac scribam, sive legis doctorem, sed et prophetam. Patet, quia instinctu divino scripsit hunc librum quasi Canonicam Scripturam, ac, ut multi volunt, libros Paralipomenon, et caput 36. Geneseos, ac caput ultimum Deuteronomii; hoc enim continet mortem Mosis, quam ipse Moses, utpote iam mortuus scribere non potuit; imo S. August. lib. 18. de Civit. c. 36. etc. S. Isidor. libro 6. Etym. c. 2. censent Esdram quoque auctorem esse libri Esther. Porro non minus, imo maius prophetiæ donum est, libros sacros ex Deo conscribere, quam futura prædicere. Denique Esdras toto hoc libro narrat Iudæos iussu Cyri e Babylone in Ierusalem redeuntes, cœpisse restaurare urbem cum templo, sed adversariorum calumniis impeditos, coactos desistere.

An Esdras S. Script. restaurarit? Asserunt multi.

Quæres tertio, an Esdras restaurarit S. Scripturam? Multi censent libros omnes veteris Testamenti a Chaldæis cum Templo fuisse exustos, ac ab Esdra ex memoria potius divina, quam humana restauratos. Id enim fuse narrari videtur libr. 4. Esdræ cap. 14. qui liber a S. Augustino, Cypriano, Athanasio, Clemente Alexand. et aliis subinde citatur quasi canonicus. Unde ex libro hoc hanc sententiam hausere Tertul. lib. de habitu muliebri, c. 8. *Ierosolymis*, inquit, *Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum.* D. Iren. lib. 3. c. 25. ubi de miraculoso consensu Sept. Interpretum: *Non est mirabile*, inquit, *Deum hoc in eis operatum, quando in ea captivitate populi, quæ facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, et post 70. annos Iudæis descendentibus in regionem suam, deinde temporibus Artaxerxis regis Persarum inspiravit Esdræ sacerdoti tribus Levi præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, et restituere populo eam le-*

gem quæ data esset per Moysem. Idem iisdem verbis asserit Euseb. l. 5. Histor. cap. 8. S. Hier. contra Helvidium: *Sive,* inquit, *Moysem dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram eiusdem instauratorem operis, non recuso.* Clemens Alexan. lib. 1. Strom. *Zorobabel*, ait, *cum adversarios vicisset sapientia, emit a Dario renovationem Ierusalem, et cum Esdra rediit in patriam, per quem facta est populi redemptio, et divinitus inspiratorum eloquiorum recensio et renovatio.*

S. Basil. Epist. ad Chilonem: *Esdras,* ait, *omnes divinos libros ex mandato Dei eructavit.* Idem habet Theodor. præfat. in Psalmos, Isid. l. 6. Etym. c. 3. Raban. l. de inst. Cler. c. 54. Leontius, qui clarius id narrat l. contra sectas Actione 2. in fine (exstat t. 4. Biblioth. SS. Patrum.) *Hunc reditum,* inquit, *descripsit Esdras, qui cum Ierosolymam venisset, omnesque libros id temporis, quo in captivitatem abducti fuerant, reperisset exustos, ex memoria depromptos illos 22. libros, quos supra recensuimus, in litteras retulisse perhibetur.*

Idem probat Leo Castrius præfat. in Isaiam cap. 4. scilicet Esdram libros legis ex memoria restaurasse. Nec hoc mirum. Mirabilius est quod de S. Antonio Patavino legimus, eum totam S. Scripturam calluisse, adeo ut a Pontifice *Arca Testamenti* sit cognominatus. *Ita enim utriusque instrumenti paginas memoriæ plane affixas habebat, ut instar Esdræ potuerit, si sic res postulasset, omnes integras divinas litteras in integrum de sua memoria, etiam codicibus omnibus prorsus abolitis restituere,* ait Auctor vitæ eius.

Negant plures. Verum etsi hæc sententia ob tantam Patrum auctoritatem videatur probabilis, longe tamen probabilior, et ex ratione certa est sententia contraria, scilicet, nec libros omnes sacros a Chaldæis exustos, nec ab Esdra ex memoria restitutos.

Prob. I. Probatur primo, quia Chaldæos exussisse hos libros nusquam legimus: et esto exussissent omnes qui erant Ierosolymæ (quod est incredibile) tamen exurere non potuerunt eos, qui per totam Iudæam, imo per totum orbem manibus Iudæorum, præsertim scribarum et Rabbinorum, assidue terebantur, ac in Synagogis legebantur.

II. Secundo, quia Daniel c. 9. ait se anno primo Darii intellexisse numerum septuaginta annorum, de quibus scripserat Ieremias Propheta. Habebat ergo Prophetiam Ieremiæ ac cæterorum Prophetarum, eamque lectitabat.

III. Tertio, quia Prophetiam Isaiæ c. 45. de Cyro ipsi Cyro ostensam fuisse a Iudæis, ideoque illum sibi benevolum reddidisse, testis est Ioseph. l. 11. c. 1. *Hoc,* inquit, *Cyrus cognovit ex lectione libri, qui Isaiæ Prophetias continet, ducentis et decem annis ante ipsius ætatem conscriptas.*

Ad librum 4. Esdræ respondeo illum esse apocryphum. Adde, quod illo libro nihil dicitur de sacris libris Mosis aut Prophetarum restauratis, sed tantum per 40. dies a quinque viris ducentos et quatuor libros fuisse descriptos, quorum septuaginta servandi essent et tradendi sapientibus, reliqui autem palam proponendi, ut a dignis et indignis legerentur; quæ cum libris, de quibus agimus nihil habent commune. Plura vide apud Bellarm. tomo 1. lib. 2. c. 1. et Pererium Præfatione in Genesim, cap. 7.

Esdras digessit et correxit S. Script. Ad Patres respondeo plerosque non aliud voluisse, quam Esdram libros sacros indigestos in rectum ordinem digessisse, et in lectiones (quas Hebr. פרשיות *Perascioth* vocant, et successive in Synagogis legunt) divisisse: Ad hæc, errata, quæ vitio descriptorum multa irrepserant, correxisse, librosque pristinæ puritati et nitori restituisse, idque scientia non tam acquisita, quam cœlitus infusa. Unde Esdræ 8. 8. Septuag. aiunt Esdram legisse ea quæ in illis libris scripta erant, *in scientia Domini,* id est, per scientiam a Deo infusam.

Denique Esdras, quæ in libris singulis deerant, supplevit. Unde multi censent eum assistente Spiritu S. Mosi addidisse cap. 34. Deuter. eoque Mosis mortem et sepulturam descripsisse; idem fecisse Iosue c. ult. ac Ieremiæ c. ult. ubi regnum Evilmerodach et exaltatio Iechoniæ narratur: hanc enim scribere nequivit Ieremias, utpote iam

A mortuus. Simili modo videtur supplevisse finem Tobiæ et Iudith: liber enim Iudith scriptus putatur a Ioachin Pont. qui ante Iudith vita functus est. Sic Esdras addidisse videtur, *τὸ usque ad præsentem diem,* ubicumque id dicitur, quod toties inseritur et iteratur: ita Salianus anno mundi 3921. numer. 10. et Beda lib. 2. Alleg. in Esdram.

Addunt S. Hieron. in Prologo Galeato, et Euseb. in Chron. anno mundi 4740. Esdram invenisse novas litteras Hebraicas, quibus etiamnum utimur, et priscas reliquisse Samaritanis, ut Iudæi nullum cum eis, ne litterarum quidem, haberent commercium.

Addunt alii puncta (quæ Hebræis sunt loco vocalium) ab Esdra fuisse inventa, sed errant: hæc enim non fuere tempore Septuag. Interpretum, qui Esdra ducentis annis fuere posteriores, nec tempore S. Hier. qui nongentis; sed paulo post eum a Rabbinis adinventa sunt in Tiberiade urbe Galilææ, post Christum natum anno 476. ut ex Elia in Massareth docet Genebrardus sub annum mundi 4573.

Quæres quarto, quo tempore historia Esdræ et Nehe-
B miæ contigerit? Respon. eo tempore, quo finitis 70. annis captivitatis, Iudæi e Babylone per Cyrum liberati fuere. Liber Esdræ ergo continet ea quæ circa hanc liberationem contigere ab anno primo monarchiæ Cyri, usque ad annum septimum Artaxerxis regis, quo Esdras e Babylone cum aliis Sacerdotibus et Levitis rediit in Ierusalem, ut patet cap. 7. quod est spatium 73. annorum. Liber vero Nehemiæ reædificationem urbis Ierosolymæ ab anno 7. usque ad annum 32. eiusdem Artaxerxis, ut patet cap. 13. vers. 6. quod est spatium 25. annorum. Hinc duo hi libri scripti sunt Hebraice, sed immixtis multis vocibus Chaldaicis. Hebræi enim in Babylone linguam Hebraicam corruperunt, et cum Chaldæa commiscuerunt. Epistolas quoque regum Babylonis eadem lingua, qua ab eis scriptæ fuere, scilicet Chaldæa, recenset c. 4. 5. 6. 7. qua de causa Daniel quoque suum librum partim Hebraice, partim Chaldaice conscripsit.

Hinc liquet Esdram valde longævum fuisse, et vitam
C prorogasse ad 132. annos. Vixit enim usque ad annum septimum Artaxerxis, ut patet c. 7. 8. Nam cum pater eius Saraias occisus sit anno undecimo Sedeciæ, necesse est ut ipse eodem saltem anno iam fuerit natus, vel posthumus. Porro ab undecimo Sedeciæ ad primum Cyri, fluxere 60. anni. His adde tres annos Cyri, sex Cambysis, 36. Darii Hystaspis, 27. Artaxerxis, habebis annos 132. quot necesse est vixisse Esdram, ac forte pluribus vixit. Nescimus enim quousque postea vitam prorogarit, nescimus etiam quoto anno ante mortem patris sit natus.

Esdræ et Nehemiæ synchroni et coævi fuere e Prophetis Ieremias, Baruch, Daniel, Aggæus, Zacharias, Malachias; e stirpe regia, Iechonias, Salathiel, et Zorobabel; e Pontificibus Saraias pater Esdræ, Iosedec eiusdem frater, et Iesus nepos. Hoc tempore collecta fuit Synagoga sive Synodus magna, in qua editus fuit Canon librorum sacræ Scripturæ, cui præsederunt Esdras, Nehemias, Daniel, Mardochæus, Zorobabel et Iesus filius Iosedec, in qua pariter actum est de libris sacræ Scripturæ emen-
D dandis, ac in suas sectiones et capita dividendis, cuius rei cura data fuit Esdræ. Ita tradunt Hebræi.

Tempore Esdræ floruit monarchia Chaldæorum sub Nabuchodonosor, Evilmerodach, Baltassar: in Media regnarunt Cyriaxares et Astyages; in Perside Cyrus, Cambyses, Darius, Xerxes et Artaxerxes. Romæ, expulsis regibus, surrogati sunt primi consules, Iunius Brutus et Lucius Collatinus. In Græcia floruere Historici, Poetæ et Philosophi, Herodotus, Pindarus, Simonides, Anacreon, Aristoxenes, Archilocus, Alcæus, Sappho, Arion, Sophocles, Euripides, Parmenides, Empedocles, Socrates, atque e Sybillis Cumana et Hellespontica. Ita Euseb. Torniel. Genebr. Salianus et alii.

Porro quia crebra in hisce libris, æque ac in libr. Iudith et Esther, mentio facienda est regum Persarum, ad quos monarchia a Cyro, capta Babylone, translata fuit; hinc eorum seriem et annos hic subiungam: magnam enim lucem libris his affert.

*

SERIES PRISCORUM REGUM PERSARUM.

Primus fuit Cyrus, Astyagis regis Medorum ex filia Mandane nepos, ac filius Cambysis regis Persarum, ait Xenophon: qui triginta annos regnavit, sed tribus ultimis tantum fuit monarcha, quibus Iudæos Babylone liberavit; ut monarcha ergo regnavit 3. annis.

Secundus, Cambyses Cyri filius, qui patre Cyro contra Scythas (ubi et periit) proficiscente, in Perside imperavit per biennium; mortuo vero patre regnavit 6. annis.

Hunc Esdras cap. 4. vocat Assuerum, ac v. 7. et 8. Artaxerxem. Hic fabricam templi a Cyro permissam impedivit, c. 4. 23.

Tertius, Smerdes magus, regnavit 7. mensibus.

Quartus, Darius filius Histaspis, hinnitu equi creatus rex, regnavit 36. annis.

Hic dedit Iudæis facultatem perficiendi templi, Esdræ 6. v. 7. Nonnulli putant Darium hunc fuisse maritum Esther, quare historiam Mardochæi, et Aman suspensi sub eo contigisse; sed in prooemio Esther idipsum examinabo.

Quintus, fuit Xerxes, filius Darii, qui regnavit 20. annis.

Sub hoc multi putant contigisse historiam Iudith: de quo ibidem agam.

Sextus, fuit Artaxerxes manu una longiore cognominatus Longimanus, filius Xerxis, qui anno septimo regni Esdram, et anno 20. Nehemiam remisit ad restaurandam Ierusalem: unde ab eo incipiunt 70. hebdomades Danielis, cap. 9. quæ finiuntur in anno Christi. Hic regnavit 40. annis.

Septimus, fuit Darius Nothus filius Artaxerxis iam dicti. Hic regnavit 19. annis.

Octavus, Xerxes secundus, qui regnavit 2. mensibus.

Nonus, Logdianus, qui regnavit 8. mensibus.

Decimus, Artaxerxes, cognomento Mnemon, id est memor, a memoriæ præstantia. Fuit hic Darii Nothi filius, et regnavit 43. annis.

Undecimus, Artaxerxes Ochus, 23. annis.

Duodecimus, Arses vel Arsames Ochi filius, 3. annis.

Decimus tertius, Darius Arsis filius, cognomento Codomannus, 6. annis.

Septimo enim anno regno et vita spoliatus fuit ab Alexandro Magno, qui monarchiam a Persis ad Græcos transtulit.

Regnarunt ergo hi reges in Perside per 227. annos, sed a monarchia Cyri ducentos dumtaxat. Cyrus enim factus est monarcha anno 27. regni sui.

Allegor. in hac Iudæorum liberatione per Cyrum, significata fuit liberatio humani generis e captivitate diaboli facta per Christum. Tropologice liberatio Christianorum ab Ethnicis oppressorum facta a Constantino, Theodosio, Carolo Magno, etc. item liberatio animæ fidelis et poenitentis, quæ in dies fit a viris Apostolicis. Vide Bedam tomo tertio, qui allegoriam tam in Esdram, quam in Nehemiam conscripsit.

Accipe nunc seriem Pontificum Iudæorum, qui regibus iam dictis fuere coævi et synchroni.

SERIES PONTIFICUM IUDÆORUM A CAPTIVITATE BABYLONICA AD ALEXANDRUM MAGNUM ET PTOLEMÆUM PHILADELPHUM.

1. Saraias, vel ut Iosephus, Sareas, filius Azariæ Pontificis. Hunc, capta Ierosolyma, Nabuchodonosor occidit cum 70. Primoribus, 4. Regum ultim. 18.

2. Iosedec Saraiæ filius, translatus in Babylonem, illic Pontificem egit toto tempore captivitatis usque ad Cyrum, 1. Paral. 6. 15.

3. Iosue vel Iesus, filius Iosedec. Hic cum Zorobabele Iudæos e Babylone in Ierusalem sub Cyro reduxit, et templum reædificavit, Esdræ 3. 2.

4. Ioacim, filius Iosue, Pontificatum gessit sub Dario Hystaspi et Xerxe, Nehem. 12. 10.

5. Eliasib, filius Ioacim, Pontifex fuit sub Artaxerxe Longimano, Nehem. 3. 1. et c. ult. v. 4. et 6.

6. Ioiada, filius Eliasib, Pontifex sub Dario Notho Longimani filio, Nehem. 12. 10.

7. Ionathan, filius Ioiadæ, Pontifex sub Artaxerxe Mnemone Darii Nothi filio, Nehem. 12. 11.

8. Ieddoa vel Iaddo, filius Ionathan, Nehem. 12. 11. Hic occurrit Alexandro Magno, eumque Iudæis offensum reconciliavit, teste Iosepho l. 11. Antiq. in fine. Iaddi frater fuit Manasses, primus Pontifex Samaritanorum in monte Garizim. Vide Iosephum, lib. 11. Antiq. c. 7.

9. Onias primus, filius Iaddi, Pontifex sub Ptolemæo Lagi, primo post Alexandrum rege Ægypti, teste Iosepho, Eusebio et aliis.

10. Simon Oniæ filius, cognomento Iustus, cuius elogia describit Eccles. c. 50.

11. Eleazarus Simonis frater et Oniæ filius. Hic misit 70. Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum secundum Ægypti regem, qui sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum converterunt, teste Iosepho, Aristæa, Eusebio et aliis.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cyrus Deum Israelis agnoscit, ideoque Iudæis e Babylone in Iudæam remigrandi dat facultatem, ac Præfectis mandat, ut eos in reædificanda urbe et templo, sua ope et opibus adiuvent, sacra vasa e templo a Chaldæis ablata restituit. Quare Iudæi læti cum Levitis in patriam redeunt.

1. In anno primo Cyri Regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, suscitavit Dominus
spiritum Cyri regis Persarum: et traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens: 2.
Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi
ut ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. 3. Quis est in vobis de universo populo eius? Sit Deus
illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, et ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus,
qui est in Ierusalem. 4. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adiuvent eum viri de loco suo, argento et auro, et substantia, et pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Ierusalem.
5. Et surrexerunt principes patrum de Iuda, et Beniamin, et Sacerdotes, et Levitæ, et omnis cuius Deus suscitavit
spiritum, ut ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Ierusalem. 6. Universique qui erant in

circuitu, adiuverunt manus eorum in vasis argenteis et aureis, in substantia et iumentis, in supellectili, exceptis his, quæ sponte obtulerant. 7. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, et posuerat ea in templo Dei sui. 8. Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filii Gazabar, et annumeravit ea Sassabasar principi Iuda. 9. Et hic est numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, Phialæ argenteæ mille, cultri viginti novem, scyphi aurei triginta, 10. Scyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille. 11. Omnia vasa aurea et argentea, quinque millia quadringenta: universa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Ierusalem.

Vers. 1. IN ANNO PRIMO CYRI REGIS PERSARUM.) Quo scilicet Cyrus monarchiam a Chaldæis ad Persas transtulit. Fuit ergo hic Cyri annus primus non regni Persici, sive quo ipse primo creatus rex cœpit regnare in Perside, indeque triginta totos annos regnavit, uti volunt Euseb. et Africanus in Chronico, S. Hieron. in cap. 1. Zachar. Pererius in Daniel. c. 5. et alii; sed fuit annus hic Cyri primus monarchiæ et regni Babylonici, quo scilicet ipse superato Baltasare, et capta eversaque Babylone, monarchiam a Chaldæis ad se et Persas transtulit. Non potuit enim Iudæos eripere e Babylone, et Chaldæorum manibus, nisi iis superatis et victis. Patet id clare ex verbis Cyri v. 2. dicentis: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus.* Unde lib. 3. Esdræ cap. 6. vers. 17. dicitur: *In primo anno, regnante Cyro rege Babyloniæ, scripsit Cyrus rex, domum hanc ædificare*, etc. licet enim Darius Medus, Cyri avunculus, dicatur capta Babylone successisse in eius regnum, Daniel. cap. 5. v. ult. tamen Darius, utpote senex, totum regimen concessit nepoti suo Cyro, iuveni animoso, ac eodem anno vita functus eidem totum cessit imperium. Quare Cyrus eodem anno primo monarchiæ suæ, qui fuit septuagesimus et ultimus captivitatis Iudæorum in Babylone, inde eosdem liberavit.

Nota ex Herodoto, Iustino, Eusebio, Iosepho et aliis, Cyrum cœpisse regnare in Perside sola Olympiade 55. et inde universi regni eius anni numerantur triginta. Sensim vero ultra Persidem propagasse imperium, tandemque Babylonem expugnasse, et Chaldæorum monarchiam evertisse, seque fecisse monarcham; ac tum solvit captivitatem Iudæorum in Babylone, cum iam expleti essent 70. anni captivitatis, de quibus vaticinatus erat Ierem. c. 25. et 29. Fecit hoc autem Cyrus anno 27. Persici sui regni, adeoque verisimilius est eum deinceps tres dumtaxat annos, capta Babylone, monarcham regnasse; id enim docet Seder Olam, sive Chronicon Hebræorum, ac passim Hebræi, ac Lyranus in Daniel. Vatabl. in c. 1. Daniel, et alii, quin et Iosephus l. 11. Ant. c. 2. Unde Daniel, summatim annos Cyri per eius gesta pertexens, ultra tertium non progreditur.

Nec obstat Xenophon l. 8. Cyropædiæ, ubi septem annos tribuit principatui Cyri. Unde Bellarm. Torniellus, Salianus et Ribera in Zachar. 1. n. 33. putant Cyrum septem annos regnasse ut monarcham; quia illi libri a Xenophonte scripti sunt, non tam ad fidem historiæ, quam ad efformandam in Cyro veri principis effigiem. Rursum ille principatus Cyri septennis accipi posset a subiugata per eum non Babylone, sed Asia. Denique magis credendum est l. 3. Esdræ 5. v. ult. quam Xenophonti. Ibi enim sat expresse diciturCyrum per biennium tantum regnasse a cœpta reædificatione templi, quæ, ut patet hoc capite, facta est statim a soluta captivitate, scilicet anno secundo monarchiæ Cyri: hoc enim secundo anno cœpisse Iudæos reædificare templum diserte docet Esdras hic c. 3. vers. 8. ac c. 4. v. 6. narrat templi fabricam illico a Cuthæis fuisse impeditam omnibus diebus Cyri. Idem clarius docet Iosephus l. 11. cap. 2. ubi ait Cuthæos eam impedivisse, Cyro nesciente, utpote in aliis negotiis occupato, ac præsertim bello Massagetico, in quo et interiit. Unde et cap. 3. narrat Esdras templi fabricam, a Cyro primo suæ monarchiæ anno concessam, per novem annos fuisse suspensam, scilicet per duos annos reliquos Cyri, et per sex quibus regnavit Cambyses eius filius, cui successit Darius Hystaspis, qui anno secundo regni sui eamdem redintegravit. Non ergo septem annis supervixit Cyrus, uti opinantur nonnulli. Quomodo enim Cyrus Iudæis ita benevolus, per septem annos Cuthæorum obiecta in templi fabrica impedimenta nescisset, aut tulisset? Quomodo Iudæi, ac præsertim Daniel, Cyrum per se aut per legatos de tota re non informassent? Denique Herodotus, Iustinus, Berosus et alii scribunt Cyrum, post captam Babylonem, postremum bellum contra Lydos, qui rebellaverant, gessisse, ac demum Massagetico prælio occubuisse. Quæ omnia triennio fecisse Cyrum credibile est; erat enim ipse bellicosissimus, et quietis impatiens.

Quæres: Unde nomen suum accepit Cyrus? quidque significet? Cyri etymon. Primo, Strabo l. 15. Cyrum nomen accepisse putat a flumine *Cyro*. 1. Secundo, Vilalpandus part. 1. Appar. l. 3. c. 2. pag. 137. censet Cyrum dictum a *Cyno*, id est cane, 2. qui eum fingitur nutrivisse, ut sit Cyrus quasi κυνεος, id est, *caninus*. Nam ut narrat Herod. in Clio, Astyages Cyri avus Cyrum infantem tradidit Harpago, ut eum exponeret et perderet, eo quod ex oraculo audivisset ab eo sibi auferendum regnum. Harpagus tradidit eum Mithridati bubulco Astyagis, cuius uxor vocabatur Græca lingua *Cyno* (κυνω), id est canis, Medica, *Spaco*. Nam canem Medi *spaca* appellant. Unde Cyrus crescens commemorabat se ab uxore bubulci fuisse educatum, semper eam laudibus prosequens, ita ut in omni eius sermone esset Cyno. Quod nomen accipientes eius parentes, ut divinitus videretur Persis filius fuisse servatus, divulgarunt a cane Cyrum, cum esset expositus, fuisse educatum. Unde hæc fabula emanavit. Hæc Herodotus. Hinc et Trogus Cyrum a cane educatum tradit. Verum non ait Herod. a *Cyno* dictum esse Cyrum: et *Cyrus* Persicum videtur nomen, non Græcum. Unde Iust. l. 1. *Nutrici*, inquit, *sparcon postea nomen fuit, quia canem Persæ sic vocant* (eo quod in sylvis Cyrum a cane lactatum alendum sibi assumpsisset) *puer deinde cum esset, inter pastores Cyri nomen accepit:* ubi nullam Cyno, quasi inde dictus sit Cyrus, mentionem facit. Tertio, Suidas in voce *Cyrus: Cyrus*, ait, 3. *Græce est* κυρος, *id est princeps, Rex, quod per lusum inter adolescentes regni auctoritatem* (*quod Græcis est* κυρος) *adeptus est. Darium Persæ vocarunt cauponem, ob tributa imposita; Cambysen, dominum; Cyrum, patrem. Nam ille quidem vendebat omnia: Cambyses sævus erat et temerarius; Cyrus clemens et populi commodorum studiosus.* Hæc Suidas, sed rursus ipse græcum Cyro dat etymon, non persicum. Quarto ergo et verius Plut. in vita Artaxerxis Mnemonis: *Cyrus*, ait, *Persice idem est quod sol;* hunc enim ut numen colebant Persæ, æque ac Cyrum monarcham suum: unde Ieremias Cyrum vocat liberatorem quasi solem Iudæorum.

Cur Cyrus sive rex comparetur soli, apposite per octodecim analogias ostendi Isaiæ 41. v. 1. Hinc ferunt Cyrum in somnis vidisse solem apud pedes suos adstantem, cumque eum Cyrus vellet apprehendere, solem aufugisse, idque tertio: rogati divini, quidnam hoc portenderet? responderunt, portendi Cyrum per triginta annos regnaturum. Cyrus ergo inter reges gentium interque Persas effulsit quasi sol, tum sapientia, tum iustitia, tum temperantia, tum magnanimitate, tum liberalitate, adeoque o*mnium regiarum virtutum fuit exemplum*; inquit Xenophon. Audi Ciceronem lib. 1. de Divin. ex Dionysio Persico: *Cum dormienti ei* (Cyro) *sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur et abiret, ei magos dixisse* (*quod genus sapientum et doctorum habebatur in Persis*) *ex triplici appetitione solis, triginta annos Cyrum regnaturum*

esse, portendi; quod ita contigit, nam ad septuagesimum pervenit, cum quadraginta natus annos regnare cœpisset.

Hebraic. Porro *Cyrus* Hebraice idem est quod *tamquam hæres* regnorum et opum Babylonis et mundi, a rad. ירש *iaras* id est, *hæreditavit; Caph* enim initiale est nota similitudinis, significans; *sicut, tamquam.* Aut *Cyrus* idem est quod, *quasi pauper,* a rad. רש *ras,* id est, *pauper;* quia ex se erat pauper, sed a Deo factus est dives. Rursum in morte occisus a Tomyri, factus est pauper. Tunc enim Cyrus factus est Irus, imo Iro pauperior. Ita Pagninus in nom. Hebr.

Græcum. Græce vero *Cyrus* idem est quod *auctoritate pollens, dominus, imperans, legislator;* κῦρος enim est *auctoritas, principatus, potestas, arbitrium, dominium;* et κυρόω est *authentico, ratum facio, firmo, confirmo, obtineo, vim et pondus addo, constituo, decerno.*

Denique, Cyrus ducentis annis prior fuit Alexandro Magno, Socrate, Platone, Aristotele; nam *sub Cyro floruit Thales præceptor Anaximandri, hic Anaximenis, hic Anaxagoræ, hic Periclis: Anaxagoræ vero temporibus Xenophanes et Pythagoras fuerunt,* ait Euseb. l. 10. de Præpar. in fine.

4. genuinum. Genuinum ergo Cyri etymon est Persicum, significans solem, ait Brissonius lib. 1. de regno Persarum, quem alii sequuntur.

Idem asserit Ctesias; scribens enim de uxore Darii Nothi: *Peperit,* inquit, *ei alterum filium regina, et impositum est ei nomen a sole Cyrus.* Refellit hoc Scaliger l. 6. de Emend. temp. quia, ait, *Cyrus* Hebr. scribitur *Cores;* ac sol Persice vocatur *Coresed. Cores* vero Persice significat cibum et alimoniam. Verum magis credendum est priscis Plutarcho et Ctesiæ, qui a primis Persis id acceperunt, quam uni moderno Scaligero, præsertim quia *Cores* Persicum videtur acceptum ab Hebræo *Cheres,* id est, *sol.* Adde *Cores* idem est quod *Coresed,* dempta ultima littera D. Adde quoque quod κῦρος idem est quod princeps, caput; *ros* enim Hebr. et Chald. est *caput, ku* Persice est *princeps;* unde vocatur κυαξάρης *Cyaxares* q. d. *princeps Ares.* Ita Scaliger. l. 6. Sic *Mithri* (unde *Mithridates*) dicitur a *Mither,* comparativo gradu, hoc est μεῖζον, sive *maior* (Hebr. enim. יתר *iatar* significat superesse, excellere, *esse maiorem*) et sumitur pro Dynasta sive Domino. Hinc solem vocarunt *Mithra,* id est, *Dominum Principem.* Ita Scaliger ibidem.

Allegor. Allegorice Cyrus fuit typus Christi, qui est sol iustitiæ. Tropologice Cyrus est rex, antistes, doctor, et quilibet sapiens et sanctus, qui quasi sol sapientiæ et virtutis toto orbe resplendet.

Suscitavit Dominus spiritum (id est cor, mentem, voluntatem) Cyri regis, et traduxit (Cyrus) vocem (præconis) in omni regno suo etiam per scripturam.) Puta per epistolas scriptas quaquaversum missas: q. d. Excitavit Deus affectum et voluntatem Cyri ad Iudæorum liberationem, ac Ierusalem et templi restaurationem, obiiciendo eius menti regna et beneficia sibi a Deo Hebræorum collata, oracula de eo pronuntiata, aliaque divinitatis signa, e quibus Cyrus agnovit verum Deum Hebræorum, ac immittendo eius voluntati, pias affectiones ad opus hoc fabricæ moraliter bonum et pium reipsa exsequendum, ut hac ratione per eum vera Dei Ecclesia in Israele conservaretur, et iuxta morem pristinum publico Dei in templo eius cultu coalesceret. Hæc Deus operatus est interius in mente Cyri, sed exterius valde eum excitavit per oraculum ab Isaia de Cyro editum c. 44. ult. et c. 45. 1. ubi et Cyri nomen enuntiat, et eum vocat suum Christum, eidemque promittit se subiugaturum gentes, Isaiæ de Cyro oraculum. ac divitem potentemque effecturum. Audi Isaiam: *Qui dico Cyro: Pastor meus es, et voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem: Ædificaberis: et templo fundaberis.* Et rursum cap. 45. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius gentes, et dorsa regum vertam. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo. Et dabo thesauros tibi absconditos, etc. ut scias quia ego Dominus, qui voco no-*

A *men tuum, Deus Israel, propter servum meum Iacob, et Israel electum meum,* ut scilicet tu, o Cyre, Iudæis et Israelitis posteris Iacobi meis fidelibus benefacias, et templum ædifices. Hanc prophetiam Iudæi, præsertim Daniel propheta, qui familiaris, imo conviva fuit tam Cyro, quam Dario Medo, ostendit Cyro; itaque eumdem ad Deum Israelis agnoscendum venerandumque, ac ad Israeli benefaciendum allexit, uti docet Iosephus l. 11. c. 1. et Theod. in c. 1. Danielis, præsertim quia Isaias hæc de Cyro prædixerat ducentis annis ante Cyri ortum. Idipsum esse patet ex epistola Cyri, quam subdit hic Esdras. Daniel Cyri conviva. Cyrus Deum verum agnovit.

Omnia regna terræ dedit mihi Dominus.) Cyrus hac epistola confitetur se agnoscere Deum verum Israelis, eique omnia sua regna accepta refert. Ad hæc asserit eumdem Deum sibi mandasse, ut templum Ierosolymæ reædificet; quare id reædificari præcipit, cunctosque tam Israelitas, quam alios sibi subditos, ad eius fabricam promovendam exhortatur et impellit. Vide hic in Cyro impleri illud Prov. 21. 1. *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* B Vers. 2.

Omnia regna.) Intellige accommode *omnia,* id est, pleraque omnia, plurima; aut *omnia,* scilicet quæ subiecta fuere monarchiæ Chaldæorum: q. d. Deus me fecit monarcham, ideoque omnia regna subiecta Chaldæis cum monarchia ad me transtulit. Sic Lucæ 2. 1. dicitur: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis,* nimirum Augusto et Romano imperio subiectus. Nam Indi multique alii non subiecti, non fuere descripti. Porro Xenophon l. 1. ait Cyrum subiugasse Syros, Assyrios, Arabes, Cappadoces, Phryges, Lydos, Cares, Phœnices, Babylonios, Bactrianos, Cilices, Indos, Paphlagones, Sacos, Mariandynos, Cyprios, Ægyptios, et alias plurimas gentes, quas formidine nominis sui et terrore concutiebat, et simul benevolentia sapientiaque alliciebat, ut ab eo gubernari optarent. Audi Cyrum ducibus et militibus præcipientem apud Xenophontem, lib. 1. *Dux,* ait, *numquam cesset aut prodesse sibi, aut nocere hostibus: difficile est* C *enim vel unum hominem alere otiosum, difficilius totam domum, sed omnium difficillimum universum exercitum otiosum alere; itaque exercitum cessare numquam decet. Imperator sedulus et non cessator efficiet, ut et milites commeatu abundent, et eorum corpora valetudine sint firmissima.* Hinc et Cyrus cibum non sumebat, nisi prius corpus exercuisset et sudasset. Aiebat enim tum cibum suavissime sapere, ac corpus exercitio roborari, et ad labores quosvis assuefieri. Ita Xenophon. Cyrus laborem suadet.

Ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum (templum) in Ierusalem.) *Præcepit,* id est præordinavit, decrevit, et hoc ipso tacite *præcepit* per Isaiam, cap. 44. ult. cuius verba paulo ante recitavi. Inde enim Cyrus intellexit voluntatem Dei esse, ut ipse restauraret templum a Chaldæis combustum, quam voluntatem ipse hic vocat præceptum.

Quis est in vobis de universo populo eius? (qui scilicet cupit e Babylone redire in Ierusalem) sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem, et ædificet domum Domini Dei.) q. d. Quicumque Iudæi vel Israelitæ sunt in regno meo, qui cupiunt remigrare in suam Iudæam, age, congregentur in unum, ut simul e captivitate in patriam redeant: ego enim eis plenam do facultatem redeundi, urbemque et templum reædificandi: imo eis apprecor Dei sui favorem et opem ad id perficiendum. Nam ipse est Deus, qui est in Ierusalem; Vatabl. *qui est verus ille ac solus Deus:* q. d. Non est alius Deus verus, quam Deus, quem Israelitæ coluerunt et colunt in Ierusalem. Cyrus ergo hic profitetur se agnoscere Deum Iudæorum esse verum Deum, cæteros Gentium Deos non esse veros, vel certe esse minoris dignitatis et potestatis, ac Deo Hebræorum subiectos, quos Plato et Philosophi vocabant semideos. Unde Xenophon l. 8. Cyrip. asserit Cyrum quoque Deos gentium coluisse, ac iam moriturum habuisse somnium, quo invitabatur ut ad Deos ascenderet: quare eum adorasse invocasseque Iovem et Solem, ac multa de animi immortali- Vers. 3. D Cyri somnium.

tate, quod post mortem ad Deos esset transiturus, locutum expirasse.

Vers. 4. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adiuvent eum viri de loco suo, argento et auro.) q. d. Reliqui Iudæorum, qui in Babylone aliisve locis sedes fixerunt, uxores duxerunt, liberos procrearunt, agros coemerunt, ut non possint vel nolint illis dimissis redire in Ierusalem, hi adiuvent eos, qui redire cupiunt argento et auro, tum ad viaticum tam longi itineris, tum ad urbis templique restaurationem.

Viri de loco suo.) Id est, quisque in loco et de loco suo, puta de agris et domibus suis suppeditet id quod habet. Cyrus ergo hic Iudæos in Babylone remanentes, redeuntibus in Ierusalem quasi vectigales constituit. Rursum *omnes reliqui* non solum Iudæi, sed et cæteri populi meæ ditioni subiecti similiter adiuvent redeuntes in Ierusalem, præsertim Præfecti provinciarum, quos Iosephus *amicos regios* vocat. Unde hi ex hoc Cyri edicto iuverunt Iudæos regredientes, ut patet v. 6. cap. 3. v. 7.

Excepto quod voluntarie offerunt templo Dei.) Tò *excepto*, vox est augentis et confirmantis: q. d. Scio multas iam mente designasse, et animo destinasse, certa dona, quæ ipsi cupiunt offerre templo: illa ergo non veto, sed laudo et confirmo, cupioque offerri: sed præter hoc volo ut quisque insuper alia adiungat, quæ redeuntibus serviant pro viatico, et urbis domorumque reædificatione, atque ad alias multiplices necessitates et usus. Unde nonnulli censent Cyrum taxasse pretium, quod quisque ad eos conferre deberet, sicut postea fecere Darius et Artaxerxes Cyri successores; imo Cyrum decrevisse ut templum ex regio ærario suoque sumptu ædificaretur, patet c. 6. 4. Unde pro *excepto quod voluntarie offerunt.* Hebr. est *cum munere spontaneo:* q. d. Cum oblatione quam sponte offerunt templo, dabunt etiam alia pro viatico, etc. Ita Vatabl. Pagninus et alii.

Vers. 5. Et surrexerunt principes patrum de Iuda et Beniamin.) *Principes patrum* sunt principes familiarum; quæque enim familia suum habebat caput et patrem: sed diversæ familiæ ab uno capite descendentes suum habebant principem et quasi Patriarcham.

Vers. 7. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor.) Fuere ea numero 5400. ut dicitur v. 11. quæ omnia a Chaldæis sacrilege ablata, et dicata suo idolo Belo, Cyrus restituit Deo et templo.

Vers. 8. Per manum Mithridatis filii Gazabar.) Tò *filii* non est in Hebræo nec in Græco. Unde Vatabl. Pagnin. Marinus, Caiet. et alii vertunt: *Per manum Mithridatis thesaurarii;* Ioseph. *Per Mithridatem ærarii regii præfectum. Agaza* enim dicitur *gazabar,* id est *thesaurarius,*

A ut patet cap. 7. vers. 21. ubi Noster vertit *Arcæ custodibus.* Nisi dicas Nostrum subaudisse בן *ben,* id est *filii,* et τὸ *Gazabar* fuisse nomen commune, sed officio proprium, sicut vulgo eum, qui gazæ principis præest, vocamus thesaurarium, quasi hoc nomen sit ei non ex baptismo, sed ex officio proprium, in quo sæpe filii parentibus succedunt. Porro *Mithridates* componitur ex *Mithri*, id est *maior*, dynasta, princeps, et דת *dath,* id est *legis,* q. d. dynasta legem ferens, et ius dictans. Gazabar est thesaurarius.

Et annumeravit ea Sassabasar principi Iuda.) Hoc est, Zorobabeli, nepoti Iechoniæ regis ex patre Salathiel. Ita Iosephus, Lyran. Dionys. Vatabl. Mariana, Torniellus, Salianus, et alii. Quare tam pater Salathiel, quam avus Iechonias, hoc anno primo Cyri videntur vita fuisse functi: nam deinceps eorum nulla fit mentio, sed semper Zorobabelis, quasi ducis Iuda. Porro Salathiel filio nascenti indidit nomen *Zorobabel,* id est, *peregrinus in Babylone,* eo quod in Babylonica captivitate eum genuerit; Sassabasar est Zorobabel. Cur?

B sed cum Evilmerodach e carcere eduxit avum eius Iechoniam, eumque mensæ suæ regiæ convivam effecit, Zorobabeli mutatum est nomen, ut vocaretur *Sassabasar*, id est, *gaudens in tribulatione.* Ita Euseb. lib. 11. de Præpar. c. 3. et 4. *sas* enim est *gaudens; ba* significat *in; shar,* significat *tribulatione.* Rursum Pagnin. in nomin. Hebr. *Sassabasar* interpretatur, *sex in tribulationes; ses* enim significat *sex*, vel *byssum.* Hebræi enim tradunt eum sic appellatum quod in sex tribulationibus steterit fortis et constans, ut in eo impletum sit illud Iob 5. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.*

Ubi nota, olim Hebræis, Chaldæis, Persis, Phœnicibus aliisque gentibus Orientalibus familiare fuisse peregrinis mutare nomina, illisque dare patria et propria gentis suæ cui inserebantur; patria, inquam, certum quid et personæ appositum significantia, uti fecit Adam indens rebus nomina naturæ earum apposita, Genes. 2. 19. ut nomina essent quasi omina rei naturam, virtutem aut pro-

C prietatem aliquam præsentem aut futuram significantia. Sic Daniel c. 1. Hebræa nomina Ananias, Azarias, Misael, in Babylone a Chaldæis commutata sunt in Chaldæa Sidrach, Misach, Abdenago. Sic. c. 2. 63. Hebræus Nehemias, a Chaldæis Chaldaice nuncupatus est Athersata. Idem de Græcis docet Plato in Cratylo. Quocirca Euseb. lib. 11. de Præpar. c. 3. et 4. ex hoc argumentum sumit pro exquisita Hebræorum sapientia, quod scilicet sacra Script. nominum propriorum significatione et vi utatur.

Scyphi argentei secundi.) *Secundi,* scilicet ordinis et generis, qui nimirum censebantur secundo loco, tam pretio quam pulchritudine: primi enim ordinis erant scyphi aurei; secundi vero argentei. Vers. 10.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Catalogus redeuntium cum Zorobabel in Ierusalem, item munerum et donorum ad templi fabricam oblatorum.

1. Hi sunt autem provinciæ filii, qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem, et reversi sunt in Ierusalem et Iudam, unusquisque in civitatem suam. 2. Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Israel: 3. Filii Pharos, duo millia centum septuaginta duo. 4. Filii Sephatia, trecenti septuaginta duo. 5. Filii Area, septingenti septuaginta quinque. 6. Filii Phahath Moab, filiorum Iosue: Ioab, duo millia octingenti duodecim. 7. Filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor. 8. Filii Zethua, nongenti quadraginta quinque. 9. Filii Zachai, septingenti sexaginta. 10. Filii Bani, sexcenti quadraginta duo. 11. Filii Bebai sexcenti viginti tres. 12. Filii Azgad, mille ducenti viginti duo. 13. Filii Adonicam, sexcenti sexaginta sex. 14. Filii Beguai, duo millia quinquaginta sex. 15. Filii Adin, quadringenti quinquaginta quatuor. 16. Filii Ather, qui erant ex Ezechia, nonaginta octo. 17. Filii Besai, trecenti viginti tres. 18. Filii Iora, centum duodecim. 19. Filii Hasum, ducenti viginti tres. 20. Filii Gebbar, nonaginta quinque. 21. Filii Bethlehem, cen-

tum viginti tres. 22. Viri Netupha, quinquaginta sex. 23. Viri Anathoth, centum viginti octo. 24. Filii Azmaveth, quadraginta duo. 25. Filii Cariathiarim, Cephira, et Beroth, septingenti quadraginta tres. 26. Filii Rama et Gabaa, sexcenti viginti unus. 27. Viri Machmas, centum viginti duo. 28. Viri Bethel et Hai, ducenti viginti tres. 29. Filii Nebo, quinquaginta duo. 30. Filii Megbis, centum quinquaginta sex. 31. Filii Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. 32. Filii Harim, trecenti viginti. 33. Filii Lod, Hadid, et Ono, septingenti viginti quinque. 34. Filii Iericho, trecenti quadraginta quinque. 35. Filii Senaa, tria millia sexcenti triginta. 36. Sacerdotes: Filii Iadaia in domo Iosue, nongenti septuaginta tres. 37. Filii Emmer, mille quinquaginta duo. 38. Filii Phesur, mille ducenti quadraginta septem. 39. Filii Harim, mille decem et septem. 40. Levitæ: Filii Iosue et Cedmihel filiorum Odoviæ, septuaginta quatuor. 41. Cantores: Filii Asaph, centum viginti octo. 42. Filii Ianitorum: filii Sellum, filii Ater, filii Thelmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai: universi centum triginta novem. 43. Nathinæi: filii Siha, filii Hasupha, filii Tabbaoth, 44. Filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon, 45. Filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub, 46. Filii Hagab, filii Semlai, filii Hanan, 47. Filii Gaddel, filii Gaher, filii Raaia, 48. Filii Rasin, filii Necoda, filii Gazam, 49. Filii Aza, filii Phasea, filii Besee, 50. Filii Asena, filii Munim, filii Nephusim, 51. Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur. 52. Filii Besluth, filii Mahida, filii Harsa, 53. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema, 54. Filii Nasia, filii Hatipha, 55. Filii servorum Salomonis, filii Sotai, filii Sophereth, filii Pharuda, 56. Filii Iala, filii Dercon, filii Geddel, 57. Filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erant de Asebaim, filii Ami: 58. Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo. 59. Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelharsa, Cherub, et Adon, et Emer: et non potuerunt indicare domum patrum suorum et semen suum, utrum ex Israel essent. 60. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quinquaginta duo. 61. Et de filiis Sacerdotum: filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis, uxorem, et vocatus est nomine eorum: 62. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, et non invenerunt, et eiecti sunt de sacerdotio. 63. Et dixit Athersatha eis, ut non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus. 64. Omnis multitudo quasi unus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta: 65. Exceptis servis eorum, et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem: et in ipsis cantores atque cantatrices ducenti. 66. Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum, ducenti quadraginta quinque, 67. Cameli eorum, quadringenti triginta quinque, asini eorum, sex millia septingenti viginti. 68. Et de principibus patrum, cum ingrederentur templum Domini, quod est in Ierusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo. 69. Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia et mille, argenti mnas quinque millia, et vestes sacerdotales centum. 70. Habitaverunt ergo Sacerdotes, et Levitæ, et de populo, et cantores, et ianitores, et Nathinæi, in urbibus suis, universusque Israel in civitatibus suis.

Vers. 1. HI SUNT AUTEM PROVINCIÆ FILII.) q. d. Hi sunt Iudæi, qui in provincia Babylonis nati vel educati, ex ea remigrarunt in pristinam patrum sedem, puta in Ierusalem. Filii enim Provinciæ vocantur, qui in ea ex advenis nati, vel educati diu habitavere. Hæc enim phrasis significat nativitatem vel incolatum, ait Vatablus. Unde alii per filios intelligunt incolas. Sic vocantur *filii Sion, filii Orientis, filiæ Ierusalem*, etc. *filii*, id est, *incolæ*. Porro *Provincia* intelligitur Babylonia tum potens et dominans, sicut per Urbem nunc omnes intelligunt Romam: licet Beda per *Provinciam* hic intelligat Iudæam; ad hanc enim pertinebant, inquit, Iudæi e Babylone in eam redeuntes, quasi filii Ecclesiæ.

ET REVERSI SUNT IN IERUSALEM.) Ita tamen ut manerent Cyro et Persis quasi servi dominis, subditi, et tributarii, ut liquet c. 4. 13. et 2. Esdræ 9. 36. Unde reges Persarum eis constituebant principes, uti Zorobabelem hic v. 2. et c. 5. 14. ac Esdram, et Nehemiam c. 7. 14. et l. 2. c. 5. 14.

Vers. 2. QUI VENERUNT CUM ZOROBABEL.) Duce et Iosue Pontifice, qui alio nomine dictus est *Iesus filius Iosedec*, ut patet Zachar. 6. v. 11.

MARDOCHÆI.) Multi censent hunc esse Mardochæum patruum Esther, qui redierit in Iudæam, ut possessiones paternas recuperaret, ac deinde reversus sit in Persidem, ubi sedem figere destinarat.

NUMERUS VIRORUM POPULI ISRAEL.) Scilicet revertentis e Babylone in Ierusalem est iste quem subiicio. Israel hic ponitur pro Iuda et Beniamin; soli enim Iudæi et Beniaminitæ redeuntes hic numerantur. Alibi, cum Israel opponitur Iudæ, significat decem tribus, quæ a Iuda et Beniamin schisma facientes, regem sibi crearunt Ieroboam; illis enim abductis in Assyriam, ibique plane dispersis, et quasi eversis, Israelis nomen et decus rediit et remansit in Iuda: hæc enim duodecim Tribuum fuit nobilissima, imo regia. Sic dicitur Psal. 113. 2. *Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israel potestas eius. Israel*, id est, *Iudæa*; in Psalmis enim crebro posterius hemistichium explicat ac confirmat prius, ut cum dicitur: *Deus* A *in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuvandum me festina.* Et Isaia 48. *Audite*, ait, *hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Iuda existis*, id est, qui de fonte ac stirpe Iuda propagati estis.

FILII PHAHATH MOAB.) Est nomen proprium viri. Vatabl. vertit: *filii Ducis* (Chald. enim פחת *pachat* significat *ducem*) *Moab*. Ita cognominatus est, quod in Moab victoriam aliquam sit adeptus, aut quid præclare gesserit. FILIORUM IOSUE IOAB, etc. q. d. Hi filii Phahath Moab, descendentes et progeniti ex filiis Iosue et Ioab (hi enim duo erant viri illo ævo celebres et clarissimi) fuere 2812. Unde Vatablus vertit; *filiorum Ducis Moab de filiis Iesua et Ioab* 2812. Vers. 6.

FILII GEBBAR NONAGINTA QUINQUE.) Ita legendum cum Hebr. Septuag. et Rom. male ergo nonnulli legunt, *nongenti*. Vers. 20.

FILII BETHLEHEM 123.) Filii, id est cives et incolæ, ut dixi v. 1. sive ex civibus et incolis *Bethlehem* oriundi. Vers. 21.
B Hucusque enim per patresfamilias distinxit capita; deinceps vero usque ad vers. 31. per urbes distinguit, forte quia patres erant ignoti vel obscuri.

Dices: Iudæi iam per 70. annos fuerant in Babylone, unde plerique qui ex Bethlehem aliisque urbibus erant abducti, iam erant mortui; filii vero eorum erant nati in Babylone, etc. Resp. ita esse, sed tamen iidem vocantur filii Bethlehem; quia a Bethlehemitis, qui ex Bethlehem venerant, erant progeniti. Aut certe Iudæi in Babylone in suos vicos et pagos distributi, eis nomina Bethlehem aliarumque Iudææ urbium indiderunt, ut se in exilio memoria patriæ suæ solarentur, ut iam Hispani in Peru et Mexico urbibus suis indunt nomina urbium Hispaniæ; ut vocantur Granata, Corduba, Vallisoletum, etc. Simili modo Helenus Priami filius, Troia eversa fugiens, urbem novam condens, nuncupavit eam Troiam. Audi Virg. 3. Æneid.

Procedo, et parvam Troiam simulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ.

Ita Sanchez.

Vers. 31. Filii Ælam.) Alius est hic Ælam ab illo v. 7. sed mirum, utrumque pares numerasse filios et nepotes, scilicet 1254.

Vers. 36. Sacerdotes.) Hucusque laicos e tribu Iuda, et Beniamin recensuit, nunc recenset Sacerdotes, et v. 40. Levitas, et v. 43. Nathinæos templi servos. Ait ergo: Sacerdotes: filii Iadaia in domo Iosue.) Id est qui erant de domo et familia Iosue, puta filii, et nepotes Iesu filii Iosedech Pontificis, erant num. 973. *Iadaia* enim fuit ex posteris Iesu et Iosedec, ut patet 1. Paral. 9. 10.

Vers. 43. Nathinæi,) Id est *donati*, scilicet templi ministerio a Iosue; erant enim hi Gabaonitæ (ideoque Chananæi, non Iudæi) qui ob fraudem suam ad hoc opus damnati fuere. Vide dicta Iosue 9.

Vers. 58. Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis;) Sicut Iosue Gabaonitas, sic Salomon alios bello captos vel proselytos templo donavit. Hi vocantur *servi Salomonis:* unde ex eis multi ab eo addicti fuere fabricæ templi, 2. Paral. 2. 17.

Vers. 59. Hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelharsa, Cherub, et Adon, et Emer.) Nomina sunt urbium Chaldææ, e quibus multi emigrarunt in Iudæam. Hi non potuerunt probare se oriundos esse ex Iudæis, ut sequitur:

Vers. 61. Filii Berzellai, qui (Berzellai) accepit de filiabus Berzellai Galaaditis (Sacerdotis) uxorem, et vocatus est nomine eorum (scilicet Sacerdotum,) q. d. Hic Berzellai duxit uxorem filiam Berzellai sacerdotis, et per illam vocatus est *Sacerdos*, id est ortus ex genere sacerdotali: sed cum id ex publicis Genealogiarum libris probare non posset, tam ipse, quam filii eius a sacerdotio reiecti fuere, donec Deus consuleretur.

Vers. 63. Et dixit Athersatha.) Hic est Nehemias, inquit Lyran. Caiet. et Vatabl. idque liquet ex Nehem. 7. 64. Ubi idem narratur, quod hic. Unde videtur hæc historia contigisse posterius sub Nehemia, et Nehem. 8. 9. ubi dicitur: *Dixit autem Nehemias* (*ipse est Athersatha*) id est, *pincerna regis*, ita a Chaldæis vocatus a verbo Chaldæo, *tersa*, id est, *aluit* et *scata*, id est *bibit*, q. d. *alens potu* regem, hoc est pincerna regis: loquitur hic Nehemias de se in tertia persona, æque ac c. 12. 26. sed in libro Nehemiæ, ipse de se loquitur semper in prima persona. Unde nonnulli putarunt alium esse Nehemiam, qui fuit Esdræ socius, a Nehemia, qui inducitur l. 2. Esdræ eiusque est auctor. De Athersatha rursum dicam Nehemiæ 8. 9.

Ut non comederent de Sancto (cibo) sanctorum.) Id est, victimarum Deo sanctificatarum, id est, oblatarum et sacrificatarum, hoc est, ut non comederent de sacrificiis pro peccato oblatis, aut armum dextrum e victimis pacificis: hæ enim cedebant solis sacerdotibus; quales se esse hi probare non poterant.

Donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus.) Hebr. *Sacerdos cum Urim et Tummim:* q. d. Donec sacerdos aliquis summus vestibus Pontificalibus, in quibus erant Urim et Tummim, indutus, consulens Deum ab eo perfecte doceretur an hi essent ex genere sacerdotali, an non. Est ergo metonymia.

Nota: *Urim et Tummim* inscripta vel intexta erant Rationali Pontificis. *Urim* Hebr. significat illuminationes; *Tummim* perfectiones: quia sacerdos summus, Pontificalibus indutus, perfecte illuminabatur a Deo circa ea, de quibus eum consulebat, ut patet num. 27. 21. Allegorice significabatur Christus Pontifex, per quem lux et veritas facta est, Ioann. 1. Tropolog. per hæc duo admonebatur tum Pontifex, tum populus, studere veritati doctrinæ, et perfectioni vitæ: atque per hæc duo anagog. aspirare ad lumen gloriæ, et perfectam Dei fruitionem et amorem.

Omnis multitudo quasi unus 42360.) Hæc est summa eorum, qui cum Iesu et Zorobabel in Iudæam redierunt, quam tamen non invenies, si sigillatim numeros singularum familiarum hic assignatos per additionem computes: invenies enim dumtaxat 29818. quare ut summam hic positam expleas, addendi sunt 12542. quem conflant illi, qui ex decem tribubus cum tribu Iuda et Beniamin redierunt in Ierusalem; sed hic non recensentur. Porro hi ipsi eodem fere modo, demptis pauculis numerantur Nehem. c. 7. v. 6. et seq. Vers. 64.

Et in ipsis cantores atque cantatrices ducenti.) *Cantores* templo adhibebantur ad canendos Psalmos, *cantatrices* ad laicas cantiones, v. g. ad canendum in funeribus, nuptiis, conviviis, etc. significatur lætissimus fuisse Hebræorum e Babylone reditus, ut præ gaudio canerent et iubilarent; iuxta oraculum Isaiæ c. 66. *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis ad montem sanctum Ierusalem.* Et Psalmo 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* (Hebr. *sicut somniantes*, id est ita exultantes, ut videremur somniare reditum, non autem vere redire in patriam.) *Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.* Vers. 65.

Equi eorum 736.) Ita Hebr. et Roman. Male ergo aliqui legunt; *sexcenti.* Vers. 66.

Cum ingrederentur templum Domini.) Templum iam erat a Chaldæis exustum. Templum ergo hic vocatur locus, in quo steterat templum, quia is sacer erat, ac sacrificiis et divino cultui a Deo destinatus. Unde Iudæi mox in eo altare erexerunt, in eoque sacrificarunt, ut patet Ierem. c. 41. 5. et Baruch. 1. 10. Vers. 68.

Auri solidos sexaginta millia et mille.) Hoc est, sexaginta et unum millia; ita legunt Hebr. et Rom. Alii, pro *sexaginta millia*, legunt: *quadraginta millia:* tot enim numerantur Nehem. 7. 5. de quo ibidem plura. Diversitas hæc orta videtur ex transpositione ciphrarum obvia et facili: nam lx sunt 60. xl vero sunt 40. Vide Franc. Lucam fuse hac de re disserentem in notat. 79. Vers. 69.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iesus Pontifex, et Zorobabel Dux cum populo redeuntes in Ierusalem extruunt altare, in eo sacrificant, celebrant festum Tabernaculorum, et novi templi fundamenta iaciunt.

1. Iamque venerat mensis septimus, et erant filii Israel in civitatibus suis; congregatus est ergo populus quasi vir unus in Ierusalem. 2. Et surrexit Iosue filius Iosedec, et fratres eius sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiel, et fratres eius, et ædificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei. 3. Collocaverunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, et obtulerunt super illud holocaustum Domino mane et vespere: 4. Feceruntque solemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est, et holocaustum diebus singulis per ordinem secundum præceptum opus diei in die suo. 5. Et post hæc holocaustum iuge, tam in calendis quam in universis solemnitatibus Domini, quæ erant

consecratæ, et in omnibus in quibus ultro offerebatur munus Domino. 6. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino: porro templum Dei nondum fundatum erat. 7. Dederunt autem pecunias latomis et cæmentariis; cibum quoque, et potum, et oleum, Sidoniis Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Ioppe, iuxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis. 8. Anno autem secundo adventus eorum ad templum Dei in Ierusalem, mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, et Iosue filius Iosedec, et reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, et Levitæ, et omnes qui venerant de captivitate in Ierusalem, et constituerunt Levitas, a viginti annis et supra, ut urgerent opus Domini. 9. Stetitque Iosue, et filii eius, et fratres eius, Cedmiel, et filii eius, et filii Iuda, quasi vir unus, ut instarent super eos, qui faciebant opus in templo Dei: filii Henadad, et filii eorum, et fratres eorum Levitæ. 10. Fundato igitur a cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, et Levitæ filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israel 11. Et concinebant in hymnis et confessione Domino. Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius super Israel. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Domini. 12. Plurimi etiam de Sacerdotibus et Levitis, et principes patrum, et seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna: et multi vociferantes in lætitia, elevabant vocem. 13. Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, et vox audiebatur procul.

Vers. 1. IAMQUE VENERAT MENSIS SEPTIMUS.) Hebr. vocatus *Tisri*, qui nostro partim Septembri, partim Octobri respondet. Hebræi enim utebantur mensibus lunaribus, quos singulæ lunæ lunationes efficiunt. Hinc videtur quod Iudæi Babylone discesserint initio veris, anno primo Cyri, et post quatuor menses itineris pervenerint in Ierusalem mense Iulio, ac mox erexerint altare, seque præpararint ad festum Tabernaculorum, cæteraque mense septimo celebranda. Simili modo Esdras septimo anno Artaxerxis primo die mensis primi discessit Babylone, et primo die mensis quinti pervenit in Ierusalem, ut audiemus cap. 7. 1.

Vers. 2. ET SURREXIT IOSUE (sive Iesus) FILIUS IOSEDEC (qui mortuo patre Iosedec, ei in Pontificatu successerat, eratque Esdræ ex fratre nepos: Esdras enim erat frater Iosedec) ET ZOROBABEL FILIUS SALATHIEL.) Filii Iechoniæ, qui mortuo avo et patre, successit in ducatum populi. Hi duo ergo duces fuere populi reducis in Ierusalem, Iesus in Ecclesiasticis, Zorobabel in Politicis.

Vers. 4. FECERUNTQUE SOLEMNITATEM (id est celebrarunt festum *Tabernaculorum*, sive *Scenopegiæ*, die 15. mensis septimi per septem dies) ET HOLOCAUSTUM DIEBUS SINGULIS PER ORDINEM SECUNDUM PRÆCEPTUM, OPUS DIEI IN DIE SUO.) q. d. Obtulerunt tot quotidie per totam festi octavam victimas, quot et quales, qualique ritu eas

A offerri præceperat Deus, Num. cap. 29.

ET POST HÆC HOLOCAUSTUM IUGE.) De quo dixi Num. Vers. 5.
28. 3.

ANNO AUTEM SECUNDO ADVENTUS EORUM AD TEM- Vers. 8.
PLUM (ad locum in quo steterat templum iam a Chaldæis exustum) DEI IN IERUSALEM, MENSE SECUNDO COEPERUNT reædificare templum.

FUNDATO IGITUR A CÆMENTARIIS TEMPLO (id est ia- Vers. 10.
ctis iam templi fundamentis) UT LAUDARENT DEUM PER MANUS DAVID.) Id est, per opera Davidis, puta per Psalmos a Davide compositos, et per musica instrumenta ab eo concinne instituta ad Dei laudes in templo concinendas.

EO QUOD FUNDATUM ESSET TEMPLUM.) Id est eo quod Vers. 11.
fundamenta templi iam essent iacta, sed necdum parietes erecti, ut patet ex sequent.

FLEBANT VOCE MAGNA.) Quod templi novi fundamenta Vers. 12.
non responderent magnitudini et maiestati prioris templi, quodque eius ruinas circumquaque conspicerent: B vicissim tamen gaudebant de novi templi reædificatione, deque suo in patriam reditu, ac Cyri benevolentia, sed præsertim de Deo prius irato iam sibi reconciliato: quare fletus hic gaudio miscebatur, ac voces flentium et exultantium commistæ harmoniam efficiebant mistam planctu et iubilo.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samaritani per præfectos Persarum impetrato a Cambyse Cyri successore rescripto, impediunt fabricam urbis et templi.

1. AUDIERUNT autem hostes Iudæ et Beniamin, quia filii captivitatis ædificarent templum Domino Deo Israel: 2. Et accedentes ad Zorobabel, et ad principes patrum, dixerunt eis: Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc. 3. Et dixit eis Zorobabel, et Iosue, et reliqui principes patrum Israel: Non est vobis et nobis ut ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus rex Persarum. 4. Factum est igitur, ut populus terræ impediret manus populi Iudæ, et turbaret eos in ædificando. 5. Conduxerunt autem adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum. 6. In regno autem Assueri, in principio regni eius, scripserunt accusationem adversus habitatores Iudæ et Ierusalem. 7. Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, et Thabeel, et reliqui, qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum: epistola autem accusationis scripta erat syriace et legebatur sermone syro. 8. Reum Beelteem, et Samsai scriba, scripserunt epistolam unam de Ierusalem Artaxerxi regi, huiuscemodi: 9. Reum Beelteem, et Samsai scriba, et reliqui consiliatores eorum, Dinei, et Apharsathachæi, Therphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonii, Susanechæi, Dievi, et Ælamitæ, 10. Et ceteri de gentibus quas transtulit Asenaphar magnus et gloriosus, et habitare eas fecit in civita-

tibus Samariæ, et in reliquis regionibus trans flumen in pace: 11. (Hoc est exemplar epistolæ, quam miserunt ad eum) Artaxerxi regi, servi tui, viri qui sunt trans fluvium, salutem dicunt. 12. Notum sit regi, quia Iudæi, qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Ierusalem civitatem rebellem et pessimam, quam ædificant, extruentes muros eius, et parietes componentes. 13. Nunc igitur notum sit regi, quia si civitas illa ædificata fuerit, et muri eius instaurati, tributum, et vectigal, et annuos reditus non dabunt, et usque ad reges hæc noxa perveniet. 14. Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, et quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus et nuntiavimus regi, 15. Ut recenseas in libris historiarum patrum tuorum, et invenies scriptum in commentariis: et scies quoniam urbs illa, urbs rebellis est, et nocens regibus et provinciis, et bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quamobrem et civitas ipsa destructa est. 16. Nuntiamus nos regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit, et muri ipsius instaurati, possessionem trans fluvium non habebis. 17. Verbum misit rex ad Reum Beelteem, et Samsai scribam, et ad reliquos qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, et ceteris trans fluvium, salutem dicens et pacem. 18. Accusatio, quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me, 19. Et a me præceptum est: et recensuerunt, inveneruntque quoniam civitas illa a diebus antiquis adversum reges rebellat, et seditiones, et prælia concitantur in ea: 20. Nam et reges fortissimi fuerunt in Ierusalem, qui et dominati sunt omni regioni, quæ trans fluvium est: tributum quoque et vectigal, et reditus accipiebant. 21. Nunc ergo audite sententiam: Prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur, donec si forte a me iussum fuerit. 22. Videte ne negligenter hoc impleatis, et paulatim crescat malum contra reges. 23. Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est coram Reum Beelteem, et Samsai scriba, et consiliariis eorum: et abierunt festini in Ierusalem ad Iudæos, et prohibuerunt eos in brachio et robore. 24. Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum.

Vers. 1. HOSTES IUDÆ.) Scilicet Samaritani, sive incolæ Samariæ, perpetui Iudæorum inimici, ut patet v. 2. et 10. De his dixi 4. Reg. 17. 24.

FILII CAPTIVITATIS.) Id est Iudæi nuper captivi, et iam ex captivitate reversi.

Vers. 2. ASOR HADDAN.) Hic est Asar Haddan filius Sennacherib, ultimus rex Assyriorum, de quo 4. Reg. 19. v. ult.

Vers. 3. NON EST VOBIS ET NOBIS (societas et communio in hac templi fabrica) ut vobiscum coniuncti ÆDIFICEMUS DOMUM DEO NOSTRO:) Quia vos estis schismatici, imo hæretici et idololatræ: nam cum Deo nostro et vero colitis idola, quæ coluistis in Assyria, ex qua traducti estis in Samariam. Noluerunt ergo Iudæi Samaritas habere in fabrica socios.

Nolunt Iudæi cum Samaritis fabricare.

1. Primo, quia ipsi erant hæretici; unde disce quam communionem cum hæreticis fugere debeamus,
2. præsertim in rebus sacris et Sacramentis. Secundo, quia ipsi erant hostes Iudæorum; unde fraudem in fabrica committere potuissent, ut pro templo idolum fabricarent.
3. Tertio, ne Samaritæ templum quasi a se fabricatum sibi vendicarent, aut certe eius partem habere vellent, in eoque suas superstitiones et idolorum cultus celebrarent.
4. Quarto, ne malo dolo arenam pro calce, ac terram pro lapidibus fabricæ immiscerent, itaque fabrica templi ruinas ageret, ac tandem rueret.

Vers. 4. POPULUS TERRÆ) Samaritani iam dicti, accolæ et incolæ terræ vicinæ; puta Samariæ.

Vers. 5. CONDUXERUNT (pretio et donis) CONSILIATORES.) Id est consiliarios, puta Persarum in Samaria, Syria et Iudæa præfectos ac quæstores, ut vivente Cyro, quem sciebant favere fabricæ urbis et templi, tarde et parce suppeditarent sumptus, aliisque dolis et malis artibus opus impedirent. Mortuo autem anno sequente Cyro, Cambysem eius filium aggressi, ad eum scripserunt litteras quibus Iudæos ut pacis turbatores, et seditiosos accusabant; itaque ab eo rescriptum impetrarunt, quo iubebantur Iudæi a fabrica supersedere. Ubi nota epistolas tam Regum quam Præfectorum hoc cap. et cap. seq. v. 6. et 7. in textu Hebræo, et proprio ipsorum idiomate scilicet Chaldæo scribi non Hebræo. Idem fit in Daniele. Præsertim quia Hebræi nuper in Babylone captivi ibidem linguam Chaldæam didicerant, ac inde redeuntes, in illam declinarunt, atque avitam linguam Hebræam cum Chaldæa commiscuerunt: ex qua commistione orta est lingua Syro-Hebræa, vel Chaldæo-Hebræa, quam alii Ierosolymitanam vocant. Sic lingua latina a Gothis cum Gothica commista peperit nobis linguam Hispanicam, Italicam, Francicam.

Dices: Cur Iudæi non recurrerunt ad Cyrum sibi faventem, eique fraudes et dolos Samaritarum, et Præfectorum detexerunt? Resp. Quia teste Iosepho, Cyrus domo abierat, profectus in bellum contra Lydos rebellantes, ac deinde contra Scytas, ubi et anno sequenti interiit. Cyro ergo absente, domi regebat Cambyses; cuius consiliarios muneribus corruperunt Samaritæ, ut templi fabricam impedirent. Fuit autem hoc per biennium, ut habet liber 3. Esdræ, c. 5. v. ult. ex quo liquet octo annos, qui vulgo dantur regno Cambysis, inchoandos esse ab eo tempore, quo patre Cyro apud Lydos et Massagetas occupato, ipse rebus imperii domi præerat. Nam post biennium occiso Cyro, solus Cambyses regnavit sex annos dumtaxat. Vide Iosephum.

IN REGNO AUTEM ASSUERI.) Id est Cambysis. Ita Iosephus, et patet ex præced. hic enim patri Cyro in regno successit. Nota: Assuerus Chaldaice, Persice Artaxerxes, erat commune nomen regum Persarum et Babyloniorum, sicut Ægyptiorum regum commune nomen erat Pharao, et postea Ptolomæus, ac Romanorum Cæsar. Id ita esse patet ex hoc capite, ac ex Esther 1. v. 1. collato cum cap. 13. 1. et c. 16. 1. Assuerus, vel ut Chaldaice dicitur, Achasueros deducitur ab *achas*, id est *magnus*, et *ros*, id est *caput*, hoc est *magnum caput*, scilicet magnus rex et princeps. Unde iisdem fere litteris in aliam linguam transumptis, mutatis tamen vocalibus Græce vocatur Ὀξυάρης *Oxyares*, id est *acer Mars*, martius, bellicosus: et Xerxes, quæ vox Græce, ait Herodot. l. 6. significat bellatorem; *Artaxerxes* autem, *magnum bellatorem*. Unde Scaliger sect. 6. p. 2. aliique linguarum periti asserunt hæc nomina fere idem esse, idemque significare, *scilicet Oxyares*, *Ochosoaerces*, *Ochosoarses*, *Xerxes*, *Assuerus*, *Arxaxes*, *Artaxerxes*, vel ut Persæ pronuntiant *Xextes Artaxestes*, vel *Artaxata:* ita enim hic est in Hebræo v. 3. Vers. 6.

Assuerus nomen commune regum.

IN DIEBUS ARTAXERXIS.) Est idem Cambyses, qui Chaldaice dictus est *Assuerus*, Persice *Artaxerxes*, uti iam dixi ex Septuaginta. Unde τὸ *Artaxerxes*, non est in Hebræo. Id ita esse patet ex Septuag. Quæ enim hic dicuntur scripta ad Assuerum, ibi leguntur ad Artaxerxem data; imo nonnulli Codices hic v. 6. sic habent: *In regno autem Assueri, ipse est Artaxerxes* (ita Complut. idque patet ex fine capitis ult.) *usque ad Darium;* solus enim Cambyses post Cyrum legitimus rex usque ad Darium intercessit. Idem patet ex Iosepho: Esdras enim descripturus, ait Caiet. modum quo Præfecti ad regem scripserunt, more Hebræo resumit tempus quo scripserunt, nominando eumdem alio nomine, scilicet Persico, quod ipse epistolis suis præfigere solebat. Videtur enim Esdras ex publicis chronicis et diariis Persarum, epistolam Samaritanorum descripsisse cum suo titulo qui erat: *Et in diebus Artaxerxis*, ita ut quem Esdras vocat *Assuerum*, chronica Persica vocarent nomine Persico *Artaxerxem*. Aliter Christ. a Castro in c. 1. Aggæi sub ini- Vers. 7.

*

tium, qui censet Assuerum esse Cambysem, Artaxerxem vero esse Smerdem magum, qui Cambysi successit, et se per fraudem in regnum intrusit. Peius Scaliger censet Assuerum esse Xerxem; Artaxerxem vero esse Longimanum Xerxis filium, de quo plura v. 24. Similis resumptio sermonis est Marci 15. 8. et 9. et sæpe alibi.

Cambyses Iudæorum hostis, et parricida.

Cambyses fuit Iudæorum hostis, unde ab eis vocabatur secundus Nabuchodonosor, teste Eusebio in Chronico: erat enim Cambyses deorum contemptor, sacrilegus et parricida: nam fratrem proprium interfecit, ait Iustinus; sororem vero duxit in uxorem, quam deinde interemit; unde iusta numinis vindicta seipsum occidit; insilienti enim in equum vagina gladii excidit, unde nudatus gladius in eius femur infixus est, quo vulnere paulo post obiit, ait Herodotus et Iustinus.

Notat Caiet. quod licet Samaritæ sub Cyro per consiliarios impedierint ædificationem templi ex sumptibus publicis et regiis, non tamen Iudæos a fabrica cessasse; sed in illa perrexisse ex privatis propriisque sumptibus: unde hoc quoque impediverunt litteris ad Cambysem datis.

Vers. 8. Beelteem.) Est nomen officii significans *præfectum rationis*, vel *magistrum sapientiæ*, ait Lyran. Arias vero vult esse nomen proprium, et significare *possessorem saporis*, vel *gustus*, vel *rationis*, vel *eloquii:* טעם *taham* enim Hebr. et Chald. *teem* est *sapor*, *gustus*, et metaphorice *sapientia;* Hebr. *Baal* et Chald. *beel* est *Dominus*, *præfectus*, *præses;* igitur Beelteem, vel ut Hebræi pronuntiant Baaltaam, idem est quod *præses rationis et consilii*, quod agitabatur in senatu et concilio hoc est *Cancellarius:* huius enim erat ad regem facta omnia referre, eaque scripto tabulis publicis consignare, et sua manu, sigilloque obsignare. Ita Iosephus.

Vers. 10. Asenaphar.) Hic est Asarhaddon, vel Sennacherib, vel quis alius ex eius cognatis, vel agnatis.

Vers. 13. Si muri (civitatis Ierusalem, quam Iudæi ædificant) instaurati fuerint, tributum, etc. non dabunt;) Quia confisi suis muris rebellabunt, et in libertatem (cuius sunt avidissimi) se asserent. Hinc patet Iudæos, licet e Babylone liberos, mansisse tamen Cyro et Persis vectigales et tributarios. Rursum Cyrum Iudæis facultatem dedisse non tantum templi, sed et urbis reædificandæ.

Vers. 14. Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus,) q. d. Nos memores sumus alimoniæ et *salarii* (hoc enim a *sale* est dictum) quod nobis in aula dedisti, ut gratum erga te nos alentem animum ostendamus, monemus te de periculo, quod tibi a fabrica urbis Ierusalem imminet, ut eam impedias. Sic Pythagoras hoc Symbolo: *Salem et mensam ne prætereas*, suos gratitudinis admonebat, q. d. in rebus prosperis ne memoria excidat gratitudo debita amicis, qui sui salis et mensæ

Sal notat convivium.

participem te fecerunt. Sal enim notat convivium, quia in eo omnia sale condiuntur, ut sapiant. Hebr. est, *Quoniam sale palatii saliti sumus.* Ita Septuag. id est, quoniam in palatio tuo educati sumus. Potest quoque verti: *Sale templum salivimus*, id est omnino illud destruximus; olim enim cum locum aliquem desolare vellent, seminabant in eo sal.

Vers. 24. Tunc intermissum est opus domus Domini (fabrica templi) in Ierusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum.

Quis hic Darius.

Quæres: Quis fuit hic Darius? Scaliger et Severus Sulpitius, l. 2. histor. censent esse Darium Nothum, qui fuit filius Nothus sive spurius Artaxerxis Longimani, ac post eum regnavit 19. annis. Contendit enim Scaliger Assuerum, cuius mentio facta est v. 6. esse Xerxem; Artaxerxem vero de quo v. 7. esse Longimanum Xerxis filium; Darium de quo hoc v. esse Nothum; Artaxerxem,

Resp. Scaliger fuisse Nothum.

qui c. 7. 1. misit Esdram et Nehemiam in Ierusalem, esse Artaxerxem cognomento Mnemonem, Darii Nothi filium et successorem. Quare sub Dario Notho ædificatum fuisse templum, urbem vero Ierusalem sub Artaxerxe Mnemone, atque ab anno secundo Darii Nothi inchoandas esse 70. hebdomades. quæ fluxere usque ad ortum Christi, de quibus Daniel c. 9. Ita Scaliger, qui dum u-

A

nus ipse acrem omnium Chronologorum agit Aristarchum, omnes vicissim in se acriores provocat Aristarchos. Nam sub Dario non Notho, sed Hystaspis filio, qui Cambysi successit, ædificatum esse templum et urbem, patet ex communi Chronologorum, Interpretum et Doctorum consensu. Secundo: ex Iosepho, qui id expresse docet. Tertio, ex lib. 3. Esdræ, c. 4. 43. ubi Darius hic vovit ædificare templum, si rex fieret, de quo mox plura. Quarto, quia iuxta Scaligerum a Cyro, et a soluta captivitate Babylonica usque ad instaurata mœnia Ierusalem fluxissent anni 144. tot enim sunt a Cyro usque ad Darium Nothum: quod licet admittat Scaliger, repugnat tamen Aggæus, cap. 2. 4. ubi illi qui primitus e Ierusalem in Babylonem captivi abducti fuerant, adhuc superstites, videntes novam novi Zorobabelis templi fabricam, eam præ templo priori Salomonis, quasi parvi vel nullius pretii habuerunt. A combusto autem templo Salomonis per Chaldæos, usque ad Darium Nothum fluxere anni 176. ait ipse Scaliger. Quis, quæso, illo ævo vitam prorogabat ad annum 176? Rursum, si Esdras missus fuit

Refutatur.

B

ab Artaxerxe Mnemone in Ierusalem, ergo Esdras vixit ducentos fere annos: genitus est enim a Saraia Pontifice, qui occisus est a Chaldæis anno primo captivitatis Babylonicæ. Insuper Zorobabel, et Iesus filius Iosedec, qui sub Cyro præfuerunt reductioni captivitatis, et postea interfuerunt huic reædificationi templi sub Dario, fuissent 130. aut 140. annorum, cum tamen lib. 3. v. 4. Zorobabel vocetur *adolescens unus e custodibus Darii.* Fuit ergo hic Darius non Nothus, sed Hystaspis. Ita Iosephus, l. 11. Antiq. cap. 4. Eusebius in Chron. S. Hieronymus in cap. 9. Daniel. Bellarmin. Genebr. Torniellus, Salianus, et passim Recentiores. Argumenta Scaligeri solvam Nehemiæ, c. 12. 10. et c. 13. 28. vult enim ipse Sanaballat, de quo ibi agitur, fuisse coævum Iaddo Pontifici et Alexandro Magno, sed falso. Anno ergo secundo Darii Hystaspis resumpta est templi fabrica per annos novem intermissa, ac sexto eiusdem anno fuit absoluta, scilicet fabrica Sancti et Sancti sanctorum; nam atrium sive exte-

Fuit Darius Hystaspis.

C

rior pars templi, et per consequens totum templum quoad omnia consummatum fuit anno 6. Darii, ut habet Iosephus, lib. 11. c. 4. 46. Porro, causa quæ Darium movit ad reædificandum templum, fuit Zorobabel, qui Dario fuit aulicus gratissimus et in deliciis, eique adhuc principi suggessit, ut votum faceret de ædificando templo si crearetur rex: creatus proposita quæstione: *Quid esset omnium fortissimum?* cum unus dixisset esse vinum, alius esse mulieres, tertius esse regem, Zorobabel dixit esse veritatem, de eaque re tam sapienter et eleganter disseruit, ut Darius iusserit eum petere quicquid vellet: quo audito Zorobabel ita orsus est l. 3. Esdræ c. 4. 43. *Memor esto voti tui, quod vovisti, ædificare Ierusalem in die qua regnum accepisti, et omnia vasa quæ accepta sunt ex Ierusalem remittere, quæ separavit Cyrus, quando mactavit Babyloniam, et voluit remittere ea ibi. Et tu vovisti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa a Chaldæis. Et nunc hoc est quod postulo, Domine, et quod pe-*

Darius vovit fabricare templum.

D

to: hoc est, maiestas, quod a te postulo, ut facias votum quod vovisti regi cæli ex ore tuo. Tunc surgens Darius rex osculatus est illum, et scripsit epistolas ad omnes dispensatores et præfectos et purpuratos, ut deducerent eum, et eos qui cum illo erant omnes ascendentes ædificare Ierusalem. Et omnibus Præfectis qui erant in Syria, et Phœnice, et Libano scripsit epistolas, ut traherent ligna cedrina a Libano in Ierusalem, ut ædificarent cum eis Civitatem.

Denique *Darius* Persice significat φρόνιμον, id est *prudentem*, ait Hesychius. Prudentia enim et providentia est prima dos regis, ad rite gubernandum; unde Herodotus, lib. 1. sub finem hoc de eo Cyri contra Scytas (ubi et periit) tendentis somnium recenset: *Videbatur Cyrus in somniis cernere maximum natu filiorum Hystaspis habentem in humeris alas, quarum altera Asiam, altera Europam inumbraret. Erat ex Hystaspi Achæmenidæ*

Cyri somnium de Dario.

Arsamenis filio, ex liberis natu maximus Darius tunc ferme vigesimum ætatis annum agens, in Perside relictus, quod non maturus militiæ esset. Experrectus Cyrus visum suum intra se retractabat. Quod cum ei magni momenti videretur, vocato Hystapsi, remotis arbitris, inquit: Filius tuus Hystaspes mihi atque regno meo insidiari deprehensus est.

Addidit deinde se id rescivisse ex somno iam dicto, quod Hystaspi enarravit.

Quapropter tu, ait, *celerrime in Persidem revertere, faciloque ut cum ego subactis Massagetis illuc rediero, filium tuum mihi sistas ad causam dicendam.*

Sed occisus Cyrus successorem reliquit Cambysem, cui successit Darius. Hinc *Darius* Græce idem est quod *coercitor*, ait Herodot. lib. 6. δαρήσεται enim idem est quod *vapulabit*, a δέρω, id est *cœdo*, *verbero*, *excorio*, Darii etymon.
Hebr. vero *Darius* idem est quod *investigator*, a rad. דרש *daras*, id est *quæsivit*, *investigavit:* hoc enim est opus prudentis, qualis erat *Darius*, qui Persice idem est quod *prudens:* aut *Darius* idem est quod *generatio et duratio:* דור enim est *generatio et duratio*. Apte: Darii enim stirps duravit in imperio Persico usque ad Darium Ochum.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Aggæus et Zacharias prophetæ hortantur Iudæos, ut fabricam templi resumant; qua de re Darium regem consulunt eius præfecti, an id ei placeat.

1. PROPHETAVERUNT autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa et Ierusalem, in nomine Dei Israel. 2. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Iosue filius Iosedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Ierusalem, et cum eis prophetæ Dei adiuvantes eos. 3. In ipso autem tempore venit ad eos Thathanai qui erat dux trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii eorum: sicque dixerunt eis: Quis dedit vobis consilium ut domum hanc ædificaretis, et muros eius instauraretis? 4. Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum ædificationis illius. 5. Oculus autem Dei eorum factus est super senes Iudæorum, et non potuerunt inhibere eos. Placuitque ut res ad Darium referretur, et tunc satisfacerent adversus accusationem illam. 6. Exemplar epistolæ, quam misit Thathanai dux regionis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliatores eius Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Darium regem. 7. Sermo, quem miserant ei, sic scriptus erat: Dario regi pax omnis. 8. Notum sit regi, isse nos ad Iudæam provinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, et ligna ponuntur in parietibus: opusque illud diligenter extruitur, et crescit in manibus eorum. 9. Interrogavimus ergo senes illos, et ita diximus eis: Quis dedit vobis potestatem ut domum hanc ædificaretis, et muros hos instauraretis? 10. Sed et nomina eorum quæsivimus ab eis, ut nuntiaremus tibi: scripsimusque nomina eorum virorum, qui sunt principes in eis. 11. Huiuscemodi autem sermonem responderunt nobis dicentes: Nos sumus servi Dei cæli et terræ, et ædificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quodque rex Israel magnus ædificaverat, et extruxerat. 12. Postquam autem ad iracundiam provocaverunt patres nostri Deum cæli, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc destruxit, et populum eius transtulit in Babylonem. 13. Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex proposuit edictum ut domus Dei hæc ædificaretur. 14. Nam et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo, quod erat in Ierusalem, et asportaverat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo Babylonis, et data sunt Sassabasar vocabulo, quem et principem constituit. 15. Dixitque ei: Hæc vasa tolle, et vade, et pone ea in templo, quod est in Ierusalem, et domus Dei ædificetur in loco suo. 16. Tunc itaque Sassabasar ille venit et posuit fundamenta templi Dei in Ierusalem et ex eo tempore usque nunc ædificatur, et necdum completum est. 17. Nunc ergo si videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca regis, quæ est in Babylone, utrumnam a Cyro rege iussum fuerit ut ædificaretur domus Dei in Ierusalem, et voluntatem regis super hac re mittat ad nos.

Vers. 1. ZACHARIAS FILIUS ADDO.) *Filius*, id est nepos, ut patet Zachar. 1. v. 1. Hebræi enim nepotes quoslibet vocant filios, ut patet Matth. 1. 1. Iudith 8. 1. et alibi.

Vers. 5. OCULUS AUTEM DEI,) q. d. Divinæ providentiæ, gratiæ et favoris (huius enim signum et symbolum est oculus benignus, quo Deus Iudæos respexit) erga Iudæos opus fuit, quod ipse Thathanai Præfecto hanc mentem iniecerit, ut non impediret templi urbisque fabricam, licet necdum consuluisset Darium, imo ut scriberet apposite Dario ad utilitatem Iudæorum, ac Darius lectis eius litteris concesserit templum restaurari. Nullus enim hostium Iudæis se opponebat, ac Darius in Iudæos fuit benevolus opera Zorobabelis, qui erat aulicus Darii, ut dixi. Similis phrasis est cap. 7. vers. 6. et Exodi 12. 36. et Num. 6. 25.

Nota: S. Script. Deo dat oculos, aures, brachia, pedes, non vere et proprie, ut voluerunt Anthropomorphitæ censentes Deum habere corpus (quod etiam sensisse videtur Tertul. licet eum excuset Pamelius) teste S. Epiphan. et S. August. in eorum hæresi; sed metaphorice, ut humano captui se accommodet, ac per humanas actiones et membra Dei attributa significet, scilicet per oculos, quod omnia videat; per aures, quod omnia audiat; per brachia, quod omnia possit; per pedes, quod sit summe stabilis, constans et æternus. Ita S. Eucherius de formulis spiritual. c. 2.

REX ISRAEL MAGNUS,) Sapientia, opibus, imperio, fama et gloria, puta Salomon. Vers. 11.

HÆC VASA TOLLE, ET VADE, ET PONE EA IN TEMPLO, QUOD EST IN IERUSALEM, ET DOMUS DEI ÆDIFICETUR.) Est hysteronproteron, sive ordo præposterus: prius enim erat ædificanda domus Dei sive templum, antequam in ea vasa a Chaldæis ablata reponi possent: ita Caiet. aut certe per templum intellige locum, et gazophylacium vicinum templo iam exusto: in hoc enim inserebantur et servabantur vasa et dona templi. Vers. 15.

Vers. 17. IN BIBLIOTHECA REGIS.) Chald. בבית גנזיא *bebet ghinzaia*, id est, ut Septuag. *in domo thesaurorum*, vel gazæ regiæ, ubi erat Bibliotheca non philosophorum, sed librorum, et scripturarum archivium, maxime ad opes, expensas (v. g. quas Cyrus fecerat in templum c. 6. 8.) census et ad rem nummariam pertinentium. Ita Vatabl. ibi pariter servabantur authentica exemplaria legum et decretorum regiorum.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Darius suis sumptibus iuxta decretum Cyri perficit templum, quod anno sexto, magna populi lætitia, multis victimis consecratur: mox celebratur Phase per septem dies.

1. TUNC Darius rex præcepit: et recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone, 2. Et inventum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena provincia, volumen unum, talisque scriptus erat in eo commentarius: 3. Anno primo Cyri regis: Cyrus rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, quæ est in Ierusalem, in loco ubi immolent hostias, et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, et latitudinem cubitorum sexaginta, 4. Ordines de lapidibus impolitis tres, et sic ordines de lignis novis: sumptus autem de domo regis dabuntur. 5. Sed et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Ierusalem, et attulerat ea in Babylonem, reddantur, et referantur in templum in Ierusalem in locum suum, quæ et posita sunt in templo Dei. 6. Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai, et consiliarii vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis, 7. Et dimittite fieri templum Dei illud a duce Iudæorum, et a senioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco suo. 8. Sed et a me præceptum est, quid oporteat fieri a presbyteris Iudæorum illis, ut ædificetur domus Dei, scilicet ut de arca regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, studiose sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus. 9. Quod si necesse fuerit, et vitulos, et agnos, et hœdos in holocaustum Deo cæli, frumentum, sal, vinum, et oleum, secundum ritum sacerdotum, qui sunt in Ierusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia. 10. Et offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita regis, et filiorum eius. 11. A me ergo positum est decretum: Ut omnis homo qui hanc mutaverit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo, domus autem eius publicetur. 12. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, et populum qui extenderit manum suam ut repugnet, et dissipet domum Dei illam, quæ est in Ierusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiose impleri volo. 13. Igitur Thathanai dux regionis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii eius, secundum quod præceperat Darius rex, sic diligenter executi sunt. 14. Seniores autem Iudæorum ædificabant, et prosperabantur iuxta prophetiam Aggæi prophetæ, et Zachariæ filii Addo: et ædificaverunt et construxerunt, iubente Deo Israel, et iubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe regibus Persarum: 15. Et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis. 16. Fecerunt autem filii Israel, sacerdotes et Levitæ, et reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio. 17. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, iuxta numerum tribuum Israel. 18. Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, et Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Ierusalem, sicut scriptum est in Libro Moysi. 19. Fecerunt autem filii Israel transmigrationis Pascha, quartadecima die mensis primi. 20. Purificati enim fuerant Sacerdotes et Levitæ quasi unus: omnes mundi ad immolandum pascha universis filiis transmigrationis, et fratribus suis Sacerdotibus, et sibi. 21. Et comederunt filii Israel, qui reversi fuerant de transmigratione, et omnes qui se separaverant a coinquinatione Gentium terræ ad eos, ut quærerent Dominum Deum Israel. 22. Et fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificaverat eos Dominus, et converterat cor regis Assur ad eos, ut adiuvaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel.

Vers. 2. IN ECBATANIS.) Hebr. *in Achmata*: litteræ enim *beth* et *mem* sunt labiales, ideoque sæpe commutantur, et una pro alia substituitur.

IN MEDENA.) Hebr. *Madai*, id est *Media*, sive regno Medorum, quod a Persis iam erat subiugatum, et in Provinciam redactum.

Vers. 3. ALTITUDINEM CUBITORUM SEXAGINTA.) Prius templum Salomonis erat duplo altius: erat enim altum 120. cubitis, sed noluit Cyrus novum hoc tam alte extrui, ne Iudæi ex eo arcem facerent et rebellarent.

ET LATITUDINEM CUBITORUM 60.) Per latitudinem hic accipit extensionem, sive ea fiat in longum sive in latum. Ita Chald. vetat enim templum extendi quaquaversum ultra 60. cubitos. Unde Lyran. *Latitudinem*, inquit, hoc est *longitudinem*; longitudo enim templi, id est Sancti et Sancti sanctorum, erat cubitorum 60. latitudo vero viginti. Ita Ribera lib. primo de templo cap. 27.

Vers. 5. POSITA SUNT IN TEMPLO,) Id est, ponenda sunt in templo ædificando. Septuag. *ut ponantur*. Melius, proprie *posita sunt in templo*, id est, in gazophylacio templi, ut dixi cap. 5. 15. Narrat enim Darius edictum Cyri iam esse expletum. Cyrus enim præceperat vasa reponi in templo: Darius iam narrat esse reposita, iuxta eius præceptum.

Vers. 14. ÆDIFICAVERUNT, etc. IUBENTE CYRO, ET DARIO ET ARTAXERXE.) Hoc refer non ad ædificationem templi in se, puta Sancti et Sancti sanctorum; hæc enim perfecta est anno sexto Darii, versu 15. sed ad consummationem atriorum et ornamentorum templi, et ad prosperitatem oblationum, donorum et celebritatum templi: hæc enim perfecta est sub Artaxerxe. Rursum templi fabrica consummata fuit sub Dario, urbis vero Ierusalem sub Artaxerxe.

Artaxerxes quis? Quæres: Quis fuit hic Artaxerxes, de quo hic et cap. 7. et seq.? Nonnulli putant esse Xerxem; hic enim fuit Darii Hystaspis filius, eique in regno successit. Neque enim

apparet ratio, cur Esdras omiserit Xerxem, et per saltum a Dario avo transiliat ad nepotem Artaxerxem Longimanum; præsertim cum celeberrimus fuerit hic Xerxes, utpote qui undecies centena millia militum duxit in aciem contra Græcos, ac copiis suis terras, classibus maria stravit, ideoque prius fuit terror Græciæ, sed mox ludibrium, cum victus pene solus fugere coactus est. Unde Xerxem speciatim descripsit Daniel, c. 11. v. 1. Adde: Xerxes optime in Iudæos fuit affectus, ut narrat Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 5. quare videtur ipse fabricam templi promovisse. Denique Esdras iam plane grandævus et senex, non videtur post tempora Xerxis idoneus fuisse tam arduæ legationi in Ierusalem, de qua cap. 7. v. 6. Unde Iosephus ait Esdram senem sub Xerxe vita functum, non multo post reformatam Rempub. Quocirca in hac reformatione clauditur hic liber gestorum Esdræ.

Resp. Longimanus. Verum alii passim probabilius censent Artaxerxem hunc esse Longimanum Xerxis filium: primo, quia non Xerxes, sed Longimanus proprie ab omnibus historicis vocatur Artaxerxes; secundo, idem liquet ex continuatione huius historiæ cum historia Nehemiæ, quæ olim unus erat liber cum hoc Esdræ. Nam qui hic dicitur Artaxerxes, et qui cap. 7. anno septimo regni sui misit Esdram in Ierusalem; idem Nehemiæ c. 2. v. 5. dicitur eodem misisse Nehemiam anno regni sui vigesimo: ille autem qui misit Nehemiam, fuit Longimanus, ut ibi patebit. Causa cur Esdras Xerxem omiserit, est quod ille totus occupatus bello Græco, non cogitarit de Iudæis et templo, nec quid opis ad hoc eis contulerit. Porro Iosephus confundit Xerxem cum Artaxerxe, nam Xerxi dat 28. annos, cum constet eum nonnisi viginti annos regnasse: quare cæteri octo anni dandi sunt Artaxerxi. De nomine *Artaxerxis* dixi c. 2. 6. quibus adde, quod *Artaxerxes*, Hebr. et Chald. dicitur *Artachsasta*, quod Hebr. idem est quod *fervor gaudii*, ait Pagnin. רתח *ratach*, id est *fervere* et *bullire*, et שש *sas* quod est *gaudere*. Aut idem est quod *lumen festinans ponere*, et sic derivatur ab אור *or*, id est *lux*, et *chas*, id est *festinare*, et חש *chas*, id est *ponere*. Denique causa, cur Artaxerxes tam benevolus fuerit Iudæis, fuit Esther, quam multi putant eius fuisse uxorem, ideoque ab eo suspensus fuit Aman, Mardochæus vero exaltatus. Sed hoc examinabo proœmio in Esther.

Mensis Adar.) Hic est mensis duodecimus et ultimus Vers. 15.
Hebræorum, qui nostro partim Februario, partim Martio respondet.

Qui est annus sextus Darii regis.) Igitur anno sexto Darii pars interior templi, quæ proprie vocabatur *templum*, in quod solis Sacerdotibus ingredi fas erat, perfecta est; sed anno nono Darii omnes templi partes tam interiores quam exteriores, puta atria, porticus, aliaque templi ornamenta perfecta fuere. Ita Iosephus, Ribera, Pererius, et alii.

Quasi unus.) Scilicet unanimi consensu, quasi omnes Vers. 20.
fuissent vir unus, unum idemque habentes cor et animum.

Qui se separaverant a coinquinatione gentium.) Vers. 21.
Qui relicto Gentilismo facti proselyti, per circumcisionem initiati erant Iudaismo.

Et converterat cor regis Assur ad eos.) Hic Vers. 22.
est Darius rex Persarum, qui dicitur *rex Assur*, quia Assyrii olim rerum Domini et monarchæ, æque ac Babylonii a Cyro subacti, iam suberant monarchiæ Persarum ac Dario.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Artaxerxes mittit Esdram in Ierusalem, ut Iudæos visitet, instruat, dirigat et regat.

1. Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persarum, Esdras filius Saraiæ, filii Azariæ, filii Helciæ, 2. Filii Sellum, filii Sadoc, filii Achitob, 3. Filii Amariæ, filii Azariæ, filii Maraioth, 4. Filii Zarahiæ, filii Ozi, filii Bocci, 5. Filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazar, filii Aaron sacerdotis ab initio. 6. Ipse Esdras ascendit de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel: et dedit ei rex, secundum manum Domini Dei eius super eum, omnem petitionem eius. 7. Et ascenderunt de filiis Israel, et de filiis Sacerdotum, et de filiis Levitarum, et de cantoribus, et de ianitoribus, et de Nathinæis, in Ierusalem, anno septimo Artaxerxis regis. 8. Et venerunt in Ierusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis. 9. Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, et in primo die mensis quinti venit in Ierusalem, iuxta manum Dei sui bonam super se. 10. Esdras enim paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, et faceret et doceret in Israel præceptum et iudicium. 11. Hoc est autem exemplar epistolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus et præceptis Domini, et cæremoniis eius in Israel. 12. Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cæli doctissimo, salutem. 13. A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, et de Sacerdotibus eius, et de Levitis, ire in Ierusalem, tecum vadat. 14. A facie enim regis, et septem consiliatorum eius, missus es, ut visites Iudæam et Ierusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua: 15. Et ut feras argentum et aurum, quod rex et consiliatores eius sponte obtulerunt Deo Israel, cuius in Ierusalem tabernaculum est. 16. Et omne argentum et aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, et populus offerre voluerit, et de Sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Ierusalem, 17. Libere accipe, et studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, et sacrificia et libamina eorum, et offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Ierusalem. 18. Sed et si quid tibi et fratribus tuis placuerit, de reliquo argento et auro ut faciatis, iuxta voluntatem Dei vestri facite. 19. Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Ierusalem. 20. Sed et cetera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est ut expendas, dabitur de thesauro et de fisco regis, 21. Et a me. Ego Artaxerxes rex, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcumque petierit a vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli, absque mora detis, 22. Usque ad argenti talenta centum, et usque ad frumenti coros centum, et usque ad vini batos centum, et usque ad batos olei centum, sal vero absque mensura. 23. Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli: ne forte irascatur contra regnum regis, et filiorum eius. 24. Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et ianitoribus, Nathinæis, et ministris domus Dei huius, ut vectigal, et tri-

butum, et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. 25. Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices et præsides, ut iudicent omni populo qui est trans flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui, sed et imperitos docete libere. 26. Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, et legem regis diligenter, iudicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ eius, vel certe in carcerem. 27. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Ierusalem, 28. Et in me inclinavit misericordiam suam coram rege, et consiliatoribus eius, et universis principibus regis potentibus: et ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregavi de Israel principes qui ascenderent mecum.

Vers. 1. POST HÆC VERBA.) Post hæc acta et gesta. ESDRAS (scriptor huius libri) FILIUS SARAIÆ.) Pontificis occisi a Chaldæis, et frater Iosedec, ac patruus Iesu Pontificis.

Vers. 6. IPSE SCRIBA VELOX IN LEGE MOYSI.) q. d. Esdras legis Mosaicæ erat peritissimus, in eaque docenda et explicanda promptissimus; *scriba* ergo idem est quod *legis peritus* vel *legis doctor.* Nota: Sicut Græci olim suos sapientes vocabant Philosophos, Chaldæi Magos, Galli Druydas, Indi Brachmanes, Gymnosophistas; ita Iudæi suos Doctores vocabant סופרים *Sopherim*, quod Septuag. vertunt γραμματεῖς; Noster *scribas* a ספר *sepher*, id est *littera* vel *scriptura*, q. d. *Litterati* aut *scribæ*, eo quod circa S. Litteras describendum, docendum, explicandum versarentur. Scribarum enim officium erat S. Scripturam incorruptam servare, correctæ eius descriptioni invigilare, illam interpretari tum scripto, tum viva voce: inde responsa conscribere, tractatus conficere, variis modis eam enarrare, etc. ita Epiphanius, Hæresi 15. Unde *sepher*, id est *scriba*, derivari potest a ספר *saphar*, id est *enarrare*, *recensere*, ut *sopher* sit idem, quod *enarrator legis:* sed Noster et Septuaginta ad etymon *sepher* respexerunt, ut dixi: sic Grammatici olim nuncupati sunt qui γράμματα, id est litteras versabant, et obscuras dubiasque poetarum sententias explicabant. Omne enim Iudæorum studium erat in sacris litteris: nam profanas et gentiles vix norant. Ita Iansen. Toletus, Maldon. et alii, ubi agunt de legis peritis cum quibus Christus crebro disseruit. Inter hos scribas eminuit Esdras, ut dixi in Prooemio. Hinc Elias Germ. in Thisbi: Scribæ, ait, sunt sapientes, qui alio nomine vocantur magistri: *sopher* ergo idem est, quod *Rabbi, Rab, Rabban.* Idem innuit S. Hieron. Epist. 152.

ASCENDIT DE BABYLONE.) In Ierusalem.

ET DEDIT EI REX (Artaxerxes) SECUNDUM MANUM DOMINI DEI EIUS SUPER EUM, OMNEM PETITIONEM EIUS.) *Manus* significat favorem et operationem, qua Deus faciebat Esdram gratiosum regi, ait Caiet. ut rex ei concederet quicquid peteret. Non dubium autem Esdram petiisse a rege, ut Ierusalem restauraretur, et muris cingeretur, ideoque illud impetrasse. Unde ab hoc anno septimo Artaxerxis, et ab hac regis concessione, multi inchoant septuaginta hebdomades, usque ad Christum, ut dixi Daniel 9.

Vers. 7. ANNO SEPTIMO ARTAXERXIS.) A sexto anno Darii, quo absolutum et dedicatum fuit templum, usque ad annum septimum Artaxerxis, qui Darii ex filio Xerxe fuit nepos, fluxere anni 57. Quare Esdras tunc erat grandævus et plus quam centenarius, sed fortis adhuc et vegetus, Deo eum sustentante ad commodum populi, ut eum in lege Domini erudiret et expoliret. Unde sequitur.

Vers. 10. ESDRAS ENIM PARAVIT COR SUUM, UT INVESTIGARET LEGEM DOMINI, ut scilicet eam cognosceret, et plane perspectam haberet, ET deinde FACERET, id est opere adimpleret, ET denique DOCERET IN ISRAEL PRÆCEPTUM ET IUDICIUM.) Quid scilicet lex fieri, vel non fieri præcipiat, quidque per eam sit iustum, vel iniustum (hoc enim discernere, est *iudicium*,) licitum, vel illicitum. Disce hic ab Esdra ordinem docendi esse hunc, primo ut plene discas; secundo, ut quod didicisti, prior ipse facias et opere impleas; tertio, ut idem alios doceas. Sic Christus *cœpit* primo *facere*, deinde *docere*, Act, 1. 1.

Vers. 13. A FACIE (id est, iussu et auctoritate,) REGIS ET SEPTEM CONSILIATORUM EIUS.) Persarum enim reges habebant septem summos principes et consiliarios. Unde congrue ad hunc numerum deinceps in Scriptura similiter nominantur septem Angeli primarii quasi principes Dei, *Septem viri aulæ cœlestis.* Nam, ut ait Arist. (vel quisquis est Auctor, lib. de mundo post medium,) *Maiestas et gubernatio regum Persarum fuit imago divinæ maiestatis et providentiæ.* Vide dicta Apoc. 1. 4. ad illa: *Et a septem Spiritibus.*

UT VISITES IUDÆAM IN LEGE DEI TUI.) Rex ergo hic constituit Esdram visitatorem Iudæorum sibi subiectorum, ut videat an ipsi observent legem Dei et sicubi ab ea aberrent, eos erudiat, corrigat et castiget.

Vers. 20. DABITUR DE THESAURO REGIS.) Vide hic pietatem regum Gentilium, scilicet Artaxerxis, qui æque ut Cyrus et Darius, ex suo ærario præstitit sumptus necessarios ad templi ministeria.

Vers. 24. UT VECTIGAL, etc. NON HABEATIS POTESTATEM IMPONENDI SUPER EOS.) Hinc patet Iudæos fuisse servos et tributarios Persarum; sed rex eorum hic ab omni tributo similive onere publico immunes facit Sacerdotes, Levitas, cæterosque templi ministros. Quod notent Principes Christiani.

Vers. 25. TU AUTEM ESDRA etc. CONSTITUE IUDICES ET PRÆSIDES UT IUDICENT OMNI POPULO.) Ut lites dissidentium in populo iuridice definiant, et iudicialiter decidant.

Vers. 26. ET OMNIS QUI NON FECERIT LEGEM etc. IUDICIUM ERIT DE EO SIVE IN MORTEM.) Ecce hic rex dat Esdræ et iudicibus ab eo e populo constituendis, potestatem necis in prævaricatores, quam Iudæis negarunt Romani: illam enim dumtaxat Pilato cæterisque suis præsidibus concesserunt. Unde Iudæi, dicente Pilato, ut ipsi Christum secundum legem iudicarent, responderunt: *Nobis non licet interficere quemquam,* Matth. 27.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur per familias Iudæi, qui cum Esdra e Babylone redierunt in Iudæam. Item vasa, munera, hostiæ quas Deo obtulerunt.

1. HI sunt ergo principes familiarum, et genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone. 2. De filiis Phinees, Gersom. De filiis Ithamar, Daniel. De filiis David, Hattus. 3. De filiis Secheniæ, filiis Pharos, Zacharias: et cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta. 4. De

filiis Phahath Moab, Elioenai filius Zarehe, et cum eo ducenti viri. 5. De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, et cum eo trecenti viri. 6. De filiis Adan, Abed filius Ionathan, et cum eo quinquaginta viri. 7. De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, et cum eo septuaginta viri. 8. De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michael, et cum eo octoginta viri. 9. De filiis Ioab, Obedia filius Iahiel, et cum eo ducenti decem et octo viri. 10. De filiis Selomith, filius Iosphiæ, et cum eo centum sexaginta viri. 11. De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, et cum eo viginti octo viri. 12. De filiis Azgad, Iohanan filius Eccetan, et cum eo centum et decem viri. 13. De filiis Adonicam, qui erant novissimi: et hæc nomina eorum: Elipheleth, et Iehiel, et Samaias, et cum eis sexaginta viri. 14. De filiis Begui, Uthai et Zachur, et cum eis septuaginta viri. 15. Congregavi autem eos ad fluvium, qui decurrit ad Ahava, et mansimus ibi tribus diebus: quæsivique in populo et in sacerdotibus de filiis Levi, et non inveni ibi. 16. Itaque misi Eliezer, et Ariel, et Semeiam, et Elnathan, et Iarib, et alterum Elnathan, et Nathan, et Zachariam, et Mosollam principes: et Ioiarib, et Elnathan sapientes. 17. Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, et posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, et fratres eius Nathinæos, in loco Chasphiæ, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri. 18. Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Moholi filii Levi filii Israel, et Sarabiam et filios eius et fratres eius decem et octo; 19. Et Hasabiam, et cum eo Isaiam de filiis Merari, fratresque eius et filios eius viginti: 20. Et de Nathinæis, quos dederat David et principes ad ministeria Levitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nominibus vocabantur. 21. Et prædicavi ibi ieiunium iuxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, et peteremus ab eo viam rectam nobis et filiis nostris, universæque substantiæ nostræ. 22. Erubui enim petere a rege auxilium et equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi: Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: et imperium eius, et fortitudo eius, et furor super omnes, qui derelinquunt eum. 23. Ieiunavimus autem, et rogavimus Deum nostrum per hoc: et evenit nobis prospere. 24. Et separavi de principibus sacerdotum duodecim, Sarabiam, et Hasabiam, et cum eis de fratribus eorum decem: 25. Appendique eis argentum et aurum, et vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat rex et consiliatores eius, et principes eius, universusque Israel eorum qui inventi fuerant: 26. Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, et vasa argentea centum, auri centum talenta: 27. Et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, et vasa æris fulgentis optimi duo, pulchra, ut aurum. 28. Et dixi eis: Vos sancti Domini, et vasa sancta, et argentum et aurum quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum: 29. Vigilate et custodite, donec appendatis coram principibus sacerdotum, et Levitarum, et ducibus familiarum Israel in Ierusalem, in thesaurum domus Domini. 30. Susceperunt autem sacerdotes et Levitæ pondus argenti et auri, et vasorum, ut deferrent Ierusalem in domum Dei nostri. 31. Promovimus ergo a flumine Ahava duodecimo die mensis primi ut pergeremus Ierusalem: et manus Dei nostri fuit super nos, et liberavit nos de manu inimici et insidiatoris in via. 32. Et venimus Ierusalem, et mansimus ibi tribus diebus. 33. Die autem quarta appensum est argentum, et aurum, et vasa in domo Dei nostri per manum Meremoth filii Uriæ sacerdotis, et cum eo Eleazar filius Phinees, cumque eis Iozabed filius Iosue, et Noadaia filius Bennoi Levitæ. 34. Iuxta numerum et pondus omnium: descriptumque est omne pondus in tempore illo. 35. Sed et qui venerant de captivitate filii transmigrationis, obtulerunt holocautomata Deo Israel, vitulos duodecim pro omni populo Israel, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocaustum Domino. 36. Dederunt autem edicta regis satrapis, qui erant de conspectu regis, et ducibus trans flumen, et elevaverunt populum et domum Dei.

Vers. 1. QUI ASCENDERUNT MECUM.) Hinc patet Esdram hunc catalogum scripsisse, ipsumque esse huius libri auctorem.

Vers. 13. QUI ERANT NOVISSIMI.) Id est, qui ultimo loco Esdræ se associarunt, ut cum eo redirent in Ierusalem.

Vers. 17. ET MISI EOS AD EDDO, QUI EST PRIMUS (princeps) IN CHASPHIÆ LOCO.) *Chasphia* erat pagus, vel vicus in Babylone, in quo habitabant Iudæi separati a Chaldæis, cuius pagi vel vici princeps erat *Eddo*.

Vers. 21. ET PRÆDICAVI (id est, indixi et promulgavi commune) IEIUNIUM, etc. UT PETEREMUS AB EO VIAM RECTAM.) Ut scilicet Deus via recta nos salvos et incolumes per tot hostes, pericula et anfractus deduceret in Ierusalem, omniaque nostra prosperaret.

Vers. 23. ROGAVIMUS DEUM NOSTRUM PER HOC.) Hebr. et Septuag. *Pro hoc,* vel *propter hoc*, ut scilicet propter hoc A ieiunium dirigeret et prosperaret iter nostrum, quod et fecit: nam EVENIT NOBIS PROSPERE.) Vide hic quam apud Deum potens sit oratio armata ieiunio, ut videatur Deo vim inferre ad concedendum id quod petitur.

Vers. 27. ET CRATERES AUREOS 20. QUI HABEBANT (pondus, id est ponderabant) SOLIDOS MILLENOS.) Hebr. et Septuag. *drachmas mille*.

Vers. 35. OBTULERUNT HOLOCAUTOMATA) Holocaustum proprie erat sacrificium, quo tota victima in honorem Dei cremabatur; sed hic latius sumitur pro qualibet hostia, etiam pro peccato oblata, ut sequitur. Vide dicta Levit. 1. et seq.

Vers. 36. ET ELEVAVERUNT POPULUM.) q. d. Satrapæ et præfecti Persarum *exaltarunt* Iudæos suo patrocinio, favore, ope et opibus, promovendo fabricam templi, animando, adiuvando, annonam præbendo, munera offerendo, uti eis præceperat Artaxerxes c. præcedenti.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esdras delictum populi (quod gentilitias duxissent uxores) vestes lacerando, et crines vellendo deplorat: Deumque obsecrat, ut iram a populo avertat.

1. POSTQUAM autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes, dicentes: Non est separatus populus Israel, sacerdotes et Levitæ, a populis terrarum, et abominationibus eorum, Chananæi videlicet, et Hethæi, et Pherezæi, et Iebusæi, et Ammonitarum, et Moabitarum, et Ægyptiorum, et Amorrhæorum:

2. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus etiam principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima. 3. Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens. 4. Convenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israel, pro transgressione eorum qui de captivitate venerant, et ego sedebam tristis usque ad sacrificium vespertinum: 5. Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, et scisso pallio et tunica, curvavi genua mea, et expandi manus meas ad Dominum Deum meum, 6. Et dixi: Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cælum. 7. A diebus patrum nostrorum: sed et nos ipsi peccavimus graviter usque ad diem hanc, et in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi, et reges nostri, et sacerdotes nostri, in manum regum terrarum, et in gladium, et in captivitatem, et in rapinam, et confusionem vultus, sicut et die hac. 8. Et nunc quasi parum et ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, ut dimitterentur nobis reliquiæ, et daretur nobis paxillus in loco sancto eius, et illuminaret oculos nostros Deus noster, et daret nobis vitam modicam in servitute nostra. 9. Quia servi sumus, et in servitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinavit super nos misericordiam coram rege Persarum, ut daret nobis vitam, et sublimaret domum Dei nostri, et extrueret solitudines eius, et daret nobis sepem in Iuda et Ierusalem. 10. Et nunc quid dicemus, Deus noster, post hæc? quia dereliquimus mandata tua, 11. Quæ præcepisti in manu servorum tuorum prophetarum, dicens: Terra, ad quam vos ingredimini ut possideatis eam, terra immunda est, iuxta immunditiam populorum, ceterarumque terrarum, abominationibus eorum qui repleverunt eam ab ore usque ad os in coinquinatione sua. 12. Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, et filias eorum ne accipiatis filiis vestris, et non quæratis pacem eorum, et prosperitatem eorum, usque in æternum: ut confortemini, et comedatis quæ bona sunt terræ, et heredes habeatis filios vestros usque in sæculum. 13. Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, et in delicto nostro magno, quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra, et dedisti nobis salutem sicut est hodie. 14. Ut non converteremur, et irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia iungeremus cum populis abominationum istarum. Numquid iratus es nobis usque ad consummationem ne dimitteres nobis reliquias ad salutem? 15. Domine Deus Israel, iustus es tu: quoniam derelicti sumus, qui salvaremur sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro; non enim stari potest coram te super hoc.

Vers. 2. TULERUNT ENIM DE FILIABUS EORUM SIBI.) Uxores. Nota: Deus Exodi 34. et Deuter. 7. 3. præceperat Iudæis ne uxores ducerent Chananæas, quæ incolebant terram sanctam a Iudæis occupandam, idque ob periculum perversionis; ne scilicet ab idololatris uxoribus pellicerentur ad colendum idola, ut insinuat Nehemias cap. ult. v. 24. et 26. Idem iudicium erat de Ammonitis, Moabitis, Ægyptiis, etc. intellige nisi uxores prius abiectis idolis ad Deum verum et Iudaismum se converterent; tunc enim licebat eas ducere, uti Salomon duxit Rahab, et Booz duxit Ruth.

Causam peccati Lyran. et Glossa assignant hanc, quod Iudæi venientes in Ierusalem, videntes uxores suas ex labore et ærumnis itineris macilentas, rugosas et deformes, eas contempserint, ideoque duxerint e vicinis gentibus iuvenculas, vegetas et speciosas.

MANUS ETIAM PRINCIPUM ET MAGISTRATUUM FUIT IN TRANSGRESSIONE HAC PRIMA.) q. d. In hoc opere ducendi uxores gentiles, primi fuere principes, qui alios ab hoc scelere avertere et compescere debuissent. Manus enim adhibetur operi ut illud operemur; atque manu iuncta manui solet dari fides mutua mariti et uxoris.

Vers. 7. SICUT ET DIE HAC.) Cernimus, experimur et sentimus plagas iam dictas, quibus Deus dorsa nostra assidue verberat, et peccata nostra flagellat.

Vers. 8. ET NUNC QUASI PARUM ET AD MOMENTUM FACTA EST (grata et exaudita) DEPRECATIO NOSTRA APUD DOMINUM,) q. d. Parvum quiddam et parvo, ut verendum est, tempore duraturum deprecatione nostra obtinuimus a Deo, ut scilicet liceret nobis e Babylone redire in patriam. Unde Septuag. vertunt: *Et nunc ut parum mansuefactus est nobis Dominus.* Timebat enim Esdras ne ob coniugia hæc cum Gentilibus inita, Deus rursum iratus reditum in Ierusalem revocaret, impediret, et aliis ærumnis involveret.

ET DARETUR NOBIS PAXILLUS IN LOCO SANCTO EIUS.) Ita lege cum Hebr. Septuaginta. Roman. non, *pax illius*, q. d. *Et daretur nobis paxillus*, id est, modica firmitas (*paxillis* enim et clavis figebant tabernacula, trabes et ligna, ut firma consisterent) habitationis nostræ in Ierusalem. Unde Septuag. pro *paxillus*, vertunt firmamentum. Ita Caietan. Vatablus et alii. Symbolice, *paxillus* significat principes et magistratus e gente Iudaica; ab his enim pendebat populus, sicut vas vel trabs pendet a paxillo, ut dixi Isaiæ 22. 23. ad illa Dei de Eliacim Pont. *Et figam illum paxillum in loco fideli, et erunt in solium gloriæ domui patris eius.* Esdras ergo pro magno beneficio computat, quod Artaxerxes Iudæis dederit e gente sua principes et magistratus, qui eos secundum leges et instituta patria regerent, et in vero Dei cultu promoverent; si enim Persas dedisset, parum illi Dei cultum conservare curassent. Et hoc beneficio ILLUMINARET, id est recrearet, lætificaret (sicut enim tenebræ tristitiæ, sic lux lætitiæ est symbolum et causa) OCULOS NOSTROS DEUS NOSTER: ET DARET NOBIS VITAM MODICAM IN SERVITUTE NOSTRA.) *Vitam*, intellige iucundam, liberam et lætam; nam vivere in mœrore et servitute, mors potius est quam vita. Adde quod tradit Xenophon libro 7. Cyropædiæ, Cyrum, cum capta Babylone Persæ sævirent in cives, præcepisse ut parcerent et vitam darent eis qui loquerentur lingua Syriaca, id est Iudaice: hanc enim mentem ei indidit Deus in gratiam Iudæorum.

ET EXTRUERET SOLITUDINES) Ita vocat ruinas et domos desolatas in Ierusalem, quæ iam restaurabantur. Vers. 9.
ET DARET NOBIS SEPEM (ita lege cum Roman. non *spem*, ut legunt alii,) id est munimen, tutelam et securitatem a Samaritis, aliisque hostibus, qui nunc sub Cambyse fabricam urbis et templi impediverunt; idque factum est per favorem Artaxerxis, tam benevoli tamque potentis monarchæ.

QUI REPLEVERUNT EAM AB ORE USQUE AD OS IN COINQUINATIONE SUA.) Id est, impleverunt eam ab omni parte, sicut vas impletur ob ore ad os, id est, ab una extremitate usque ad aliam aceto aliove liquore. Addit Sanchez: *Os*, ait, mensuram denotat, quia mensura omnis maxime liquidorum orificium habet, quod est in vase summum, et ubi magna est alicuius liquoris abundantia, ex uno vase iam pleno in aliud per canalem transfunditur, et inde rursus in aliud, donec omnia vasa ad summum expleantur. Quo dicendi modo multæ provinciæ significantur plenæ abominatione gentilitia. Vers. 11.

NUNC ERGO.) Sunt verba Dei prohibentis, ne quis ducat uxorem gentilem. Vers. 12.

ET NON QUÆRATIS PACEM EORUM ET PROSPERITATEM EORUM.) q. d. Ne curetis, ametis, quæratis prosperitatem Gentium vicinarum, quæ pace fruentes abundant

opibus et deliciis, ut propterea cupiatis cum eis fœdus et matrimonia inire; sed potius Deo vestro servite in terra vestra, ab eoque prospera omnia petite et expectate. Secundo, q. d. Non sitis solliciti de Gentium vicinarum pace et prosperitate, ut de ea gaudeatis: et si illa eis auferatur, doleatis; nolo enim vos cum eis amicitiam inire, et matrimonia iungere, sed potius cupio vos ab eis esse aversos et inimicos, ut eos conculcetis, evertatis et exscindatis, ut iussit Deus, Exodi c. 23. versu 32.

Vers. 13. Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus (id est propter opera: est enim כ pretii sive meriti) nostris pessimis, et in delicto nostro.) Magno idololatriæ, quo sub Salomone, Manasse, Ieconia, etc. relicto Deo coluimus idola gentium; quia tu Deus noster liberasti nos e captivitate Babylonica, in quam ob peccata nostra incideramus, et dedisti nobis salutem (libertatem, ut salvi rediremus in Ierusalem) sicut est hodie, id est, sicut hodie factum cernimus, gaudemus et gratulamur; idque, Domine, fecisti hoc fine, ut tanto beneficio tuo illecti,

Vers. 14. Non converteremur.) Ad pristina idola et vitia. Nota: Τὸ *ki*, id est *quia*, hic non sumitur proprie ut significet causam, sed improprie idque dupliciter; primo ut sit particula nil significans, sed per pleonasmum redundans, et ornatus causa dumtaxat addita: sic enim Hebræi sæpe usurpant τὸ כי *ki*, præsertim cum rem gravem vel eximiam, vel valde desideratam aut gratam significare volunt, ut Ioan. 4. ubi Christus ait Samaritanæ: *Bene dixisti, quia non habeo virum*, id est me non habere virum. Et Osee, c. 10. v. 35. *Quia luxit super eum populus.* Et cap. eodem v. 3. *Quia nunc dicent: Non est rex nobis.* Et Psal. 17. quater particula כי *ki* Hebr. ad ornatum ponitur, et *quoniam* latine, quæ illi respondet, quæ idem valet quod *quia*, versu 31. 32. 33. 35. Quare sensus erit: Post hæc omnia, quæ propter nostra opera scelerata pertulimus, tu Deus noster liberasti nos. Ita Sanchez.

Quia aliquando sumitur ut sit particula redundans.

Secundo, magis nervose Vatabl. pro *quia* vertit *tamen.* Hebr. enim *ki*, id est *quia* sæpe est adversativum et sumitur pro *sed, tamen, verumtamen*, ut Isaiæ 36. *Numquid parturiet terra in una die? quia parturivit et peperit Sion;* id est, non poterit parere uno die terra: verumtamen poterit Sion. Psalm. 36. cum dixisset David de iustis: *Non confundentur in tempore malo:* subiicit de impiis: *Quia peccatores peribunt;* id est verumtamen peccatores peribunt. Et Psalm. 13. cum dixisset de peccatoribus: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor:* de iustis statim subiicit: *Quoniam Dominus in generatione iusta est,* id est verumtamen Deus cum iustis erit et ideo non timebunt.

Quia pro tamen.

Sic et hic; unde Vatablus vertit: *Posteaquam vero omnia hæc venerunt super nos propter opera nostra mala, et propter ingentia delicta nostra; tu tamen, o Deus noster, pepercisti, ne nos deprimeres ob iniquitates nostras.* Admiratur enim Esdras immensam Dei in Iudæos clementiam, quod eos ob tanta scelera in Babylone non dereliquerit, nec plane disperdiderit, sed pepercerit; quin et novis magnisque donis auxerit, nimirum libertate, reditu in patriam, restauratione urbis et templi; adeo ut beneficiis suis cum ipsorum ingratitudine et maleficiis certasse videatur. Hæc est divina clementia omnem humanam superans, et Deo soli propria.

Numquid iratus es nobis usque ad consummationem (ut nos plane disperderes et consumeres) ne dimitteres nobis reliquias ad salutem?) Ne scilicet ex tot millibus Iudæorum salvares paucos aliquos, quasi populi reliquias? q. d. Minime gentium, licet enim tu id optimo iure nobis facere potuisses ob nostra scelera, tamen noluisti. Vicit enim tua clementia tuam iustitiam, ut non tantum paucas reliquias, sed multa millia Iudæorum tam in Iudæa quam in Babylone salvaris, et in vita conservaris, quæ pristinum Israelis ac Reipublicæ, et Ecclesiæ tuæ decus et splendorem quasi emortuum suscitabunt, et redivivum gloriosumque exhibebunt.

Domine Deus Israel, iustus es tu: quoniam derelicti sumus qui salvaremur sicut die hac.) Apparet et ab omnibus cernitur, q. d. Multi quidem e nobis perierunt ob peccata, quia iusto tuo iudicio eos condemnasti; non pauci tamen in vita superstites derelicti sunt qui salvarentur: qua in re excessum quemdam iustitiæ fecisti, ut iustissimus sis et dicaris, eo quod non omnes perdideris, uti iuste poteras, sed multos salvaris, ut iustitiam tuam clementia magna temperares: imo iustitia tua sineret se vinci a tua clementia, aut potius ipsa se converteret in clementiam, faceretque ut clementia iustitiæ locum occuparet. Hic enim est excessus iustitiæ, cum iustitia locum suum cedit clementiæ, imo in eam se commutat et transformat. Vers. 15.

Ecce coram te sumus in delicto nostro,) q. d. Reos nos tibi sistimus gravissimi delicti, scilicet quod uxores gentilitias duxerimus.

Non enim stari potest coram te super hoc.) q. d. Non potest hoc ulla ratione negari, excusari, velari, vel defendi: Hebr. *Non enim est stare coram te super hoc;* quin in iudicio causa cadamus, iudicemurque peccatores, ingrati, et rei læsæ divinæ maiestatis. Quare præ pudore vultum velamus, imo in terram proiicimus, flagitantes gratiam et misericordiam tuam. Talis debet esse pœnitentium sensus et oratio, pudor et contritio.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esdras mandat dimitti uxores gentilitias, designantur præfecti, qui hoc mandatum exequantur, recensentur ii, qui gentilitias duxerant.

1. Sic ergo orante Esdra, et implorante eo, et flente, et iacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum, et mulierum, et puerorum, et flevit populus fletu multo. 2. Et respondit Sechenias filius Iehiel de filiis Ælam, et dixit Esdræ: Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, et duximus uxores alienigenas de populis terræ: et nunc, si est pœnitentia in Israel super hoc, 3. Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut proiiciamus universas uxores, et eos qui de his nati sunt, iuxta voluntatem Domini, et eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri: secundum legem fiat. 4. Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum: confortare, et fac. 5. Surrexit ergo Esdras, et adiuravit principes sacerdotum et Levitarum, et omnem Israel, ut facerent secundum verbum hoc, et iuraverunt. 6. Et surrexit Esdras ante domum Dei, et abiit ad cubiculum Iohanan filii Eliasib, et ingressus est illuc, panem non comedit, et aquam non bibit: lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant de captivitate. 7. Et missa est vox in Iuda, et in Ierusalem

*

omnibus filiis transmigrationis, ut congregarentur in Ierusalem: 8. Et omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium principum et seniorum, auferetur universa substantia eius, et ipse abiicietur de cætu transmigrationis. 9. Convenerunt igitur omnes viri Iuda et Beniamin in Ierusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis: et sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato, et pluviis. 10. Et surrexit Esdras sacerdos, et dixit ad eos: Vos transgressi estis, et duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel. 11. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, et facite placitum eius, et separamini a populis terræ, et ab uxoribus alienigenis. 12. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos, sic fiat. 13. Verumtamen quia populus multus est, et tempus pluviæ, et non sustinemus stare foris, et opus non est diei unius vel duorum (vehementer quippe peccavimus in sermone isto), 14. Constituantur principes in universa multitudine: et omnes in civitatibus nostris qui duxerunt uxores alienigenas, veniant in temporibus statutis, et cum his seniores per civitatem et civitatem, et iudices eius, donec avertatur ira Dei nostri a nobis super peccato hoc. 15. Igitur Ionathan filius Azahel, et Iaasia filius Thecue, steterunt super hoc, et Mesollam, et Sebethai Levites adiuverunt eos: 16. Feceruntque sic filii transmigrationis. Et abierunt, Esdras Sacerdos, et viri principes familiarum, in domos patrum suorum, et omnes per nomina sua, et sederunt in die primo mensis decimi ut quærerent rem. 17. Et consummati sunt omnes viri, qui duxerant uxores alienigenas, usque ad diem primam mensis primi. 18. Et inventi sunt de filiis sacerdotum qui duxerant uxores alienigenas: de filiis Iosue filii Iosedec, et fratres eius, Maasia, et Eliezer, et Iarib, et Godolia. 19. Et dederunt manus suas ut eiicerent uxores suas, et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent. 20. Et de filiis Emmer, Hanani, et Zebedia. 21. Et de filiis Harim, Maasia, et Elia, et Semeia, et Iehiel, et Ozias. 22. Et de filiis Pheshur, Elioenai, Maasia, Ismael, Nathanael, Iozabed, et Elasa. 23. Et de filiis Levitarum, Iozabed, et Semei, et Celaia, ipse est Calita, Phataia, Iuda, et Eliezer. 24. Et de cantoribus, Eliasib. Et de ianitoribus, Sellum, et Telem, et Uri. 25. Et ex Israel, de filiis Pharos, Remeia, et Iesia, et Melchia, et Miamin, et Eliezer, et Melchia, et Banea. 26. Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, et Iehiel, et Abdi, et Ierimoth, et Elia. 27. Et de filiis Zethua, Elioenai, Eliasib, Mathania, et Ierimuth, et Zabad, et Aziza. 28. Et de filiis Bebai, Iohanan, Hanania, Zabbai, Athalai. 29. Et de filiis Bani, Mosollam, et Melluch, et Adaia, Iasub, et Saal, et Ramoth. 30. Et de filiis Phahath Moab, Edna, et Chalal, Banaias, et Maasias, Mathanias, Beseleel, Bennui, et Manasse. 31. Et de filiis Herem, Eliezer, Iosue, Melchias, Semeias, Simeon, 32. Beniamin, Maloch, Samarias. 33. Et de filiis Hasom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Iermai, Manasse, Semei. 34. De filiis Bani, Maaddi, Amram, et Vel. 35. Baneas, et Badaias, Cheliau, 36. Vania, Marimuth, et Eliasib. 37. Mathanias, Mathanai, et Iasi, 38. Et Bani, et Bennui, Semei, 39. Et Salmias, et Nathan, et Adaias, 40. Et Mechnedebai, Sisai, Sarai. 41. Ezrel, et Selemiau, Semeria, 42. Sellum, Amaria, Ioseph. 43. De filiis Nebo, Iehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Ieddu, et Ioel, et Banaia. 44 Omnes hi acceperant uxores alienigenas, et fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.

Vers. 1. Sic ergo orante Esdra et implorante (Dei misericordia) et flente et iacente ante templum.) Fecit hoc Esdras, ut populum ad pœnitentiam inveterati abusus ducendi alienigenas, sua oratione et fletu impelleret; ipse enim confitetur et deflet hic peccatum non suum, sed populi, eiusque personam et peccatum in se suscipit (æque ac fecit Christus, cuius Esdras hic est typus) ideoque publicam orationem instituit, cum gemitu et lacrymis prostratus in terram, et iacens ante templum, quasi indignum se existimans qui templum ingrederetur, ibique oraret; utque ante templum orans et plorans, ut habent Septuag. a toto populo circumfuso audiretur.

Vers. 2. Et nunc si est pœnitentia in Israel super hoc.) Hebr. et Septuag. *Si est spes*, scilicet Deum per pœnitentiam placandi. *Pœnitentia* enim est dolor de peccatis cum spe veniæ impetrandæ. Qui enim non habet spem veniæ non pœnitet, sed desperat instar Iudæ. Quare pœnitentia includit spem remissionis peccati.

Vers. 3. Percutiamus foedus cum Domino Deo nostro, ut proiiciamus universas uxores (alienigenas), et eos qui de his nati (ne natorum intuitus et amor nos sollicitet ad revocandas eorum matres alienigenas. Verum cum hi sint filii nostri, impium et inhumanum foret eos omnino abiicere: quare abiiciamus eos non plane et absolute, sed) iuxta voluntatem Domini, et præceptum eorum qui timent Dominum.) Ut scilicet modum abiiciendi, quem viri sapientes et timentes Deum nobis præscripserint, exequamur.

Vers. 5. Et iuraverunt.) Se uxores alienigenas absolute et omnino dimissuros: filios vero ex eis procreatos non absolute, sed iuxta consilium Esdræ et sapientum Deum timentium a se ablegaturos. Sapientes autem hunc modum præscripserunt, ut filios a se et domo sua amandarent ad Collegia et pædagogia ad hoc instituta et instituenda, ut in iis a viris prudentibus erudirentur in vera Dei fide, timore et cultu, ac in bonis moribus. Ita Caiet.

Magna fuit hæc resolutio Iudæorum, plane seria pœ-A nitentia, et iuramentum valde arduum. Iurant enim se uxores suas, quibus ardore magno tot annos agglutinati fuerant, quasque amabant ut viscera sua, abiecturos, ut Dei voluntati legique satisfaciant. Idem facturos de prolibus, quos ut sua membra, imo ut vivas sui imagines, ac uti alteros se, utpote in quibus post mortem superstites futuri, et in hominum memoriam continue victuri erant, abiecturos, et spem posteritatis quasi succisuros; q. d. Malumus placere Deo quam uxoribus et filiis nostris; malumus gratiam Dei quam uxorum. Deum enim amamus supra omne amabile: quare ut eius amori, religioni et legi obsequamur, illos a Deo nobis dilectos abdicabimus, et quasi membra nostra a nobis dissecabimus. Imitabimur Abraham patrem nostrum, qui unicum suum Isaac Deo immolare voluit.

Nota: nonnulli cum Bellarmino, l. 1. de Matrim. c. 23. censent hæc matrimonia Iudæorum cum alienigenis fuisse irrita et nulla, eo quod lex Exod. 23. et Deuter. 7. vetans illa, videatur eadem pariter irritare et annullare. Matrimonia Iudæorum cum alienigenis irrita.
B Probabilius Caiet. et alii censent illa lege fuisse dumtaxat vetita, non autem irrita. Lex enim nil tale exprimit, quo significet illa esse nulla. Dissolvit tamen ea Esdras, quia in lege connubia solvi poterant per libellum repudii Iudæis permissum, ac proinde hoc casu debebant solvi, utpote contra legem inita, et vetita ob periculum idololatriæ.

Et surrexit Esdras ante domum Dei, et abiit Vers. 6.
ad cubiculum Iohanan filii Eliasib.) Hic *Eliasib* fuit Pontifex, ac filius Ioacim. Hæc enim fuit series Pontificum illius ævi: Saraia occiso a Chaldæis successit filius Iosedec, huic Iesus, huic Ioacim, huic Eliasib, ut patet Nehem. c. 12. v. 22. videtur ergo Ioacim iam fuisse mortuus, ut ei successerit Eliasib, uti asserit Iosephus, l. 11. c. 5. et Euseb. in Chron. Certe anno Artaxerxis vigesimo Eliasib fuisse Pontificem, liquet Nehem. 3. v. 1.

Et missa est vox in Iuda.) q. d. Missus est præco Vers. 7.
qui sua voce omnes Iudæos citaret, et convocaret in Ie-

rusalem sub pœna excommunicationis et confiscationis A bonorum, ut audirent mandatum Esdræ et principum de dimittendis uxoribus gentilitiis. Porro sub Iuda et Beniamin intellige cæteros Israelitas, qui se tribui Iudæ aggregarunt sub duce Zorobabele et Iesu Pontifice.

Vers. 9. IPSE EST MENSIS NONUS, VIGESIMO DIE MENSIS.) Nota: Hebræi utebantur mensibus non solaribus ut nos, sed lunaribus. Una enim lunatio sive unus lunæ per Zodiacum cursus, unum constituebat mensem. Porro primus mensis erat is cuius novilunium proximius erat æquinoctio verno, quo modo incidit sub diem 22. Martii: tunc enim liberati fuerunt Hebræi ex Ægypto per primam celebrationem Paschæ et Agni Paschalis in mense primo. Primus hic mensis vocabatur *Nisan*, qui respondebat nostro partim Martio, partim Aprili. Vide dicta Exodi 12. Nonus ergo mensis, de quo hic, vocabatur *Casleu*, qui respondebat nostro partim Novembri, partim Decembri. Ordo enim mensium Hebræorum est hic: Nisan, Iiar, Sivan, Tammuz, Ab, Elul, Tisri, Merchesuan, Casleu, Tevet, Sabat, Adar. Ita Genebrard. in Calendario Hebræorum. B

ET SEDIT OMNIS POPULUS IN PLATEA DOMUS DEI, TREMENTES PRO PECCATO ET PLUVIIS.) q. d. Tremebant interius ex conscientia sceleris eos exagitante, quod scilicet uxores gentilitias duxissent, contra legem Dei: tremebant pariter exterius ob pluvias et frigora; erat enim November.

Vers. 11. ET NUNC DATE CONFESSIONEM DOMINO DEO.) Hebr. *Date* תודה *todhah*, id est, *confessionem*, *laudem*, *gloriam*, q. d. Pœniteat vos, ac confitemini Domino reatum peccati vestri, cum serio et efficaci satisfactionis et emendationis proposito, repudiandi scilicet uxores alienigenas. Hæc enim confessio et pœnitentia vestra valde Deum laudabit et glorificabit. Nam primo, testabitur ipsum esse iustum, vos vero peccatores; secundo, subdet vos Deo Deique voluntati et legi; tertio, abdicabit a vobis periculum idololatriæ; quarto, separabit vos quasi fideles et sanctos a contactu et contaminatione infidelium et immundorum. Vide dicta Iosue 7. 19. ubi Iosue ait ad Achan: *Fili, da gloriam Deo.*

Vers. 14. CONSTITUANTUR PRINCIPES.) Qui exequantur edictum iam editum, ac curent ut singuli, qui uxores alienigenas duxerunt, eas dimittant. Hinc videtur edictum hoc executioni mandatum fuisse, ac singulos partim sponte, partim coactos a principibus dimisisse uxores gentilitias: id enim factum esse expresse narrat Iosephus, lib. 11. cap. 5. ac lib. 3. Esdræ c. 9. 36. Negat tamen hoc Caiet. aitque Esdram non prævaluisse, ut id posset exequi ob multitudinem resistentium, qui uxoribus suis agglutinati erant, sed id perfecisse post decem annos Nehemiam, c. 13. 23. *In diebus*, inquit, *illis vidi Iudæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, Moabitidas; et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, et nesciebant loqui Iudaice, et loquebantur iuxta linguam populi et populi.*

Verum hic locus non convincit. Dici enim potest, estque valde probabile, Iudæos post tot promissiones, iuramenta, lacrymas et gemitus rediisse ad vomitum, ac easdem uxores alienigenas revocasse, vel alias similes duxisse. Nam diserte totus populus hoc loco consensit Esdræ in alienigenarum repudium, ut patet versu 12. ubi dicitur: *Et respondit universa populi multitudo, dixitque voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos* (sicut locutus es et edixisti nobis) *sic fiat.*

ET CONSUMMATI SUNT (plane et plene numerati, an- Vers. 17.
notati, et in catalogum redacti sunt) OMNES VIRI, QUI DUXERUNT UXORES ALIENIGENAS.) Unde eorum nomina deinceps fuse recensentur etiam sacerdotum; quæ res indicat magnam fuisse tunc morum corruptionem, ut sacerdotes quoque pervaserit. Porro, *sicut populus, sic sacerdos*, ait Isaias cap. 24. 2.

OMNES HI ACCEPERUNT UXORES ALIENIGENAS, ET FUE- Vers. 44.
RUNT EX ILLIS MULIERES QUÆ PEPERERANT FILIOS.) Pro *pepererant*, Hebraice est ישימו *iasimu*, id est, *posuerant*, quod nonnulli sic explicant, q. d. Mulieres nonnullæ alienigenæ filios suos, quos ex Iudæis conceperant, exposuerunt arbitrio et voluntati iudicum, ut eiicerent eos, aut retinerent. Verum hæc res non spectabat ad mulieres, sed ad maritos, et ad iudices, qui hic cum viris, non cum uxoribus, rem et causam egerunt. Igitur *mulieres ponere filios* idem est quod *parere filios*, ut vertit Noster, Septuag. Vatabl. et alii.

LIBER NEHEMIÆ.

ARGUMENTUM.

Nehemias primitus, ut patet Esdræ 1.63. ante Esdram (qui sub Artaxerxe rediit) sub Cyro cum Zorobabele et populo, Babylone reversus fuerat in Ierusalem, ut eam cum templo reædificaret. Unde eum ibi invenit Esdras, ut patet Esdræ 1. cap. 8. 9. verum cum Samaritani sub Cambyse Cyri filio fabricam urbis et templi impedirent per novem annos, Nehemias regressus est cum Zorobabele Babylonem, fuitque pincerna Artaxerxis; unde anno eius vigesimo facultate ab eo impetrata restaurandæ urbis, rediit secundo in Ierusalem, eamque instauravit, et muris undique cinxit, spatio duodecim annorum, scilicet ab anno 20. Artaxerxis usque ad annum 32. eiusdem, ut patet cap. 13. 6. quo facto, tertio rediit Babylonem, indeque tertio reversus est in Ierusalem, ibique paulo post mortuus. Audi Iosephum, lib. 11. c. 5. in fine: *Post hæc*, inquit, *et alia multa honesta et laude digna opera, Nehemias iam senex defunctus est. Vir ad virtutem et iustitiam natus, et in populares suos beneficentissimus, relicto sempiterno sui monumento in Hierosolymitanis mœnibus.*

Zorobabel autem in Babylone mansit, ibique mortuus est, ut tradunt Hebræi in Seder Olam, et libr. 3. Esdræ cap. 3. 4. et 6.

Nehemias quis? Quæres: Quis et qualis fuit Nehemias? Severus Sulpitius, S. Isidorus et Sixtus Senensis in Nehemia censent eum fuisse de tribu Iuda. Verum sacerdotem eum fuisse, ideoque oriundum ex tribu Levi, liquet 2. Machab. 2. 21. Porro fuit ipse aulicus Artaxerxis imo pincerna; unde ab eo obtinuit facultatem urbem reædificandi, idque fecit magno labore, magnaque fortitudine assidue certando cum hostibus fabricam impedientibus. Artaxerxes hic fuit Longimanus Xerxis filius, sub quo Pontifex Iudæorum erat Eliasib filius Ioacim, nepos Iesu Nehemiæ familiaris et adiutor. Porro Nehemias præter hunc librum scripsit alium de rebus quæ Iudæis post reditum in Ierusalem contigerunt, cuius fit mentio 2. Machab. 2. 13. *Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem; et ut construens Bibliothecam congregavit de regionibus libros et Prophetarum, et David, et Epistolas Regum, et de donariis.*

An unus Nehemias. Quæres secundo, an hic Nehemias sit idem cum Nehemia, cuius meminit Esdras, cap. 2. et seq. Nonnulli censent esse diversum: probant primo, quia ille Esdras fuit unus e ducibus redeuntium e captivitate sub Cyro; quare tunc erat viginti annorum ut minimum. A primo autem anno Cyri usque ad annum 32. Artaxerxis Longimani, ad quem Nehemias hic noster pervenit, ut patebit c. 13. 6. fluxere anni 96. Quare tunc Nehemias erat ut minimum centum et sedecim annorum, ac proinde ineptus ad officium pincernæ Artaxerxis, multo ineptior ad laboriosam istam legationem, et profectionem e Ierusalem in Persidem ad Artaxerxem, de qua cap. 13. 6; secundo, quia Nehemias hic passim de se loquitur in prima persona: de Nehemia autem Esdræ socio loquitur Script. in tertia persona, ut patet cap. 7. v. 65. et cap. 8. v. 9; tertio, quia Nehemias hic vidit Iaddum qui fuit Pontifex, et occurrit Alexandro Magno, ut innuitur cap. 12. 11. debuisset ergo Nehemias esse ducentorum annorum (tot enim sunt ab Esdra et Cyro usque ad Alexandrum) et amplius.

Resp. esse eundem. Prob. 1. Verum plures censent unum eumdemque esse Nehemiam, non duos, idque videtur verius. Nam Nehemias tam in hoc libro, quam in libro Esdræ, vocatur Athersatha. Audi lib. 1. c. 8. 9. *Dixit autem Nehemias* (*ipse est Athersatha*) *et Esdras sacerdos;* secundo, quia quod de Ather- 2.
satha, id est Nehemia, dicitur 1. Esdræ cap. 2. v. 63. scilicet eum præcepisse ut sacerdotes incerti et dubii non comederent de victimis sanctificatis, donec oraculo pontificis constaret ipsos esse veros sacerdotes; idem prorsus de eodem dicitur Nehem. cap. 7. versu 65; tertio, quia 3.
hic Nehemias c. 7. 7. dicitur cum Zorobabel et Iosue, sive Iesu filio Iosedec, sub Cyro, venisse in Ierusalem; quar- 4.
to, quia c. 8. 9. Nehemias cum Esdra interpretatus est legem populo. Ergo unus fuit Nehemias idemque Esdræ socius, eo tamen iunior. Ita Salianus, Sanchez et alii.

Ad primum resp. Nehemiam fuisse longævum, adeoque fortem et vegetum a Deo in multam senectam conservatum, in commodum populi, ut Ierusalem reædificaret, et civium causam apud Artaxerxem ageret. Sic et Esdras fuit 132. annorum et amplius, ut in prooemio Esdræ ostendi.

Ad secundum resp. Nehemias huius libri est auctor ideoque hic subinde loquitur de se in prima persona, et non semper; nam in tertia persona de se loquitur cap. 7. v. 7. et 70. ac cap. 8. v. 9.

Ad tertium respondebo cap. 12. c. 11.

Nehemias Typus Christi. Allegor. Nehemias fuit typus Christi tam nomine quam re. Nehemias enim Hebr. idem est quod consolator Dei; quia ipse a Deo missus est ad solatium populi, ut eum roboraret in reædificanda Ierusalem. Sic Christus a Patre missus est in carnem, ut consolaretur lugentes in Sion, ait Isaias cap. 62. utque Ecclesiam veterem labentem restauraret, et in novam sanctamque transformaret, adeoque ut singulorum Christianorum animas faceret urbes, imo templa Dei. Ita Beda, Glossa, alii, atque S. Hier. Epist. ad Paulinum, cuius verba recitavi prooemio in Esdram.

Rursum Nehemias fuit uti genere et stirpe, sic et vitæ sanctitate magnisque animi dotibus illustris, ideoque Artaxerxi percarus, imo pincerna; sic et Christus ex Davide, Salomone, cæterisque regibus Iudæ oriundus fuit Sanctus sanctorum et Sapiens sapientium, imo *plenus gratiæ et veritatis.* Ioan. 1. Luc. 2.

Tertio, Nehemias ingenti labore et zelo Ierusalem reædificavit, ac Rempublicam fidelium optimis legibus communivit, atque pro ea contra Samaritanos assidue certavit, nec ullum pro ea periculum defugit, nullam fatigationem recusavit, adeoque ter Babylonem vel Persidem adiit, ter in Ierusalem rediit, licet iam grandævus et senex. Sic Christus divino zelo accensus ædificavit Ecclesiam tam militantem quam triumphantem, eamque sanctissimis præceptis et consiliis Evangelicis ornavit et stabilivit; ac pro ea et animarum salute nullum laborem aut periculum detrectavit, sed totam vitam omnesque vires pro eius salute impendit, ac tandem infamem et atrocem crucis mortem subiit. Idem imitentur Prælati, Principes, Pastores, Sacerdotes, Religiosi et Fideles zelosi. Simili modo Esdras pro Israelis bono bis Babylonem adiit, bis

Carolus Magnus quater adiit Romam. in Ierusalem rediit. Carolus Magnus quater, ait Eginhardus in eius vita, Romam venit, ut Pontifici et Ecclesiæ Romanæ contra Longobardos aliosque hostes auxiliaretur. Unde Imperator, anno Domini 800. creari, et a Leone III. Pontifice coronari meruit Romæ in Basilica S. Petri ipso festo Nativitatis Christi, ait Anastasius Biblioth. et ex eo Baronius, anno Christi 800. Sanctus Ludovicus bis expeditionem in Terram sanctam suscepit: ac licet in

S. Ludovicus bis castra

A priore captus maleque acceptus fuisset, secundo tamen reversus peste exercitum invadente vitam in eadem posuit, ac moriens filiis posterisque ultimum hoc dedit monitum, ut pro Dei gloria et Ecclesiæ salute ac tutela nullum discrimen reformidarent, nullum laborem detrectarent; sed si opus sit, sanguinem vitamque in tam glorioso opere profunderent, ideoque se eis exemplo præivisse, ac lætum alacremque in causa tam pia mori. Lege eius Vitam.

movit in terram sanctam.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nehemias, auditis Iudæorum in Iudæa ærumnis, luget, et gemit, ac ieiuniis et precibus Dei opem implorat.

1. VERBA Nehemiæ filii Helchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, et ego eram in Susis castro.
2. Et venit Hanani unus de fratribus meis, ipse et viri ex Iuda: et interrogavi eos de Iudæis, qui reman-
serant et supererant de captivitate, et Ierusalem, 3. Et dixerunt mihi: Qui remanserunt, et relicti
sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt, et in opprobrio: et murus Ierusalem dissipatus est,
et portæ eius combustæ sunt igni. 4. Cumque audissem verba huiuscemodi, sedi, et flevi, et luxi diebus multis:
ieiunabam, et orabam ante faciem Dei cæli. 5. Et dixi: Quæso, Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis,
qui custodis pactum et misericordiam cum his qui te diligunt, et custodiunt mandata tua: 6. Fiant aures tuæ au-
scultantes, et oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie, nocte et die, pro filiis
Israel servis tuis: et confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccaverunt tibi: ego, et domus patris mei
peccavimus, 7. Vanitate seducti sumus, et non custodivimus mandatum tuum, et ceremonias, et iudicia, quæ præ-
cepisti Moysi famulo tuo. 8. Memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego
dispergam vos in populos: 9. Et si revertamini ad me, et custodiatis præcepta mea, et faciatis ea; etiamsi abdu-
cti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, et reducam in locum, quem elegi ut habitaret nomen meum
ibi. 10. Et ipsi servi tui, et populus tuus: quos redemisti in fortitudine tua magna, et in manu tua valida. 11.
Obsecro Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui, et ad orationem servorum tuorum, qui volunt
timere nomen tuum: et dirige servum tuum hodie, et da ei misericordiam ante virum hunc: ego enim eram pin-
cerna regis.

Vers. 1. VERBA NEHEMIÆ.) Loquitur enim hic Nehemias, suaque facta pro Iudæis enarrat et enarrando conscribit. Unde liquet eum huius libri esse auctorem. Nota: Nehemias sub Cyro cum Zorobabele Iudæos e Babylone reduxerat in Ierusalem: mox cum Cambyses Cyri filius urbis templique fabricam impediret, rediit in Babylonem, ac sua industria, sanctitate et obsequio Artaxerxem regem sibi et Iudæis devinxit.

IN MENSE CASLEU (qui nostro partim Novembri, partim Decembri respondet) ANNO VIGESIMO.) Artaxerxis, non Mnemonis, ut vult Scaliger et Pererius, sed Longimani, ut passim docent Interpretes.

ET EGO ERAM IN SUSIS CASTRO.) Susa erant sedes et regia Artaxerxis regumque Persarum, ita dicta a liliis, et liliorum fertilitate. *Susan* enim est lilium. Vide dicta Daniel 8. 2. Hæc urbs erat munitissima, ideoque vocatur castrum.

Vers. 2. ET VENIT HANANI UNUS DE FRATRIBUS MEIS.) Id est, contribulibus meis, puta oriundus ex tribu Levi, e qua ego descendo.

Vers. 3. ET MURUS IERUSALEM DISSIPATUS EST, ET PORTÆ EIUS COMBUSTÆ SUNT IGNI.) A Chaldæis 4. Reg. ult. 10. Verum hoc iam pridem sciebat, imo viderat Nehemias, cum sub Cyro rediit in Ierusalem. Quare videntur Iudæi sub Dario Hystaspis ædificantes templum, simul urbem, muros et portas levi opere instaurasse. Ubi enim habitassent tuta et secura tot millia Levitarum, et sacerdotum templo servientium, et civium e Babylone reducum, nisi in Ierusalem muris cincta et portis clausa? Hic apparet,

B quod post reditum Nehemiæ e Ierusalem in Babylonem, Samaritæ aliique hostes Iudæorum Ierusalem invaserint, muros dissiparint, et portas combusserint, idque Hanani hic nuntiat Nehemiæ, qui id audiens ingemuit, et patriæ suæ, cuius erat amantissimus, calamitatem deploravit. Videntur enim multi Iudæorum, qui e Babylone in Ierusalem redierant, cum viderent urbis desolationem et hostium crebros insultus, rediisse in Babylonem, ideoque hostibus facile fuit muros urbis dissipare, et portas comburere: templum non item, quia hoc erat instar arcis, et a paucis Iudæis pro aris et focis pugnantibus strenue defendebatur.

EXTREMA CÆLI.) Id est, extremas terræ regiones: quæ enim in horizonte nostro extremæ sunt, videntur contingere cæli curvi et rotundi extremitatem. Ita iudicat vulgi oculus, cuius sensui subinde S. Scriptura se conformat. Septuag. vertunt: *In summitate fundamenti cæli*, id est ab ea parte, ubi videtur cælum fundari, ac quasi inniti et incumbere extremitati terræ. Sic dicitur Deuter. 30. 4. C *Si ad cardines cæli*, id est, ad extrema terræ, quæ videntur esse quasi cardines sustinentes cœlum, *fueris dissipatus, inde te retrahet.* Vers. 9.

QUOS REDEMISTI.) Ex Ægyptia servitute, ac deinceps sæpe e iugo Philisthinorum, Ammonitarum, Madianitarum, etc. ut patet ex libro Iudicum et Regum. Vers. 10.

ET DA EI (mihi Nehemiæ) MISERICORDIAM ANTE VIRUM HUNC.) Artaxerxem regem, cuius ego pincerna sum, ut ab eo impetrem quod data occasione postulare desidero, scilicet restaurationem Ierosolymæ. Vers. 11.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nehemias ab Artaxerxe impetrat facultatem redeundi in Ierusalem, eiusque muros instaurandi: cui rei strenue insistit, frustra hostibus eum impedire conantibus.

1. Factum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis: et vinum erat ante eum, et levavi vinum, et dedi regi: et eram quasi languidus ante faciem eius. 2. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis: 3. Et dixi regi: Rex in æternum vive: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, et portæ eius combustæ sunt igni? 4. Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et oravi Deum cæli, 5. Et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, et si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Iudæam ad civitatem sepulcri patris mei, et ædificabo eam. 6. Dixitque mihi rex, et regina quæ sedebat iuxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuum, et quando reverteris? Et placuit ante vultum regis, et misit me: et constitui ei tempus. 7. Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen, ut traducant me, donec veniam in Iudæam. 8. Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas turris domus, et muros civitatis, et domum, quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam mecum. 9. Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, et equites. 10. Et audierunt Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites: et contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel. 11. Et veni Ierusalem, et eram ibi tribus diebus, 12. Et surrexi nocte ego, et viri pauci mecum, et non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem in Ierusalem, et iumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam. 13. Et egressus sum per portam vallis nocte, et ante fontem draconis, et ad portam stercoris, et considerabam murum Ierusalem dissipatum, et portas eius consumptas igni. 14. Et transivi ad portam fontis, et ad aquæductum regis, et non erat locus iumento, cui sedebam, ut transiret. 15. Et ascendi per torrentem nocte, et considerabam murum, et reversus veni ad portam vallis, et redii. 16. Magistratus autem nesciebant quo abiissem, aut quid ego facerem: sed et Iudæis et sacerdotibus, et optimatibus, et magistratibus, et reliquis qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram. 17. Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus; quia Ierusalem deserta est, et portæ eius consumptæ sunt igni: venite, et ædificemus muros Ierusalem, et non simus ultra opprobrium. 18. Et indicavi eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, et verba regis, quæ locutus esset mihi, et aio: Surgamus, et ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono. 19. Audierunt autem, Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites, et Gosem Arabs, et subsannaverunt nos, et despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis? 20. Et reddidi eis sermonem, dixique ad eos: Deus cæli ipse nos iuvat, et nos servi eius sumus: surgamus et ædificemus: vobis autem non est pars, et iustitia, et memoria in Ierusalem.

Vers. 1. Factum est autem in mense Nisan anno vigesimo Artaxerxis.) Longimani; hic enim (non vero Xerxes pater eius, cui proinde perperam hoc adscribit Iosephus) 32. annis et amplius regnavit, ut dicitur c. 13. 6. Ita Iulius Africanus, S. Hieronymus, Augustinus, Eusebius, Chrysostomus, Theodoretus, Beda, Rupertus et alii, quos citat Pererius, lib. 11. in Daniel, qui proinde passim ab hoc anno vigesimo Artaxersis, quo ipse Nehemiæ facultatem dedit Ierosolymæ reædificandæ, inchoant 70. hebdomades Danielis, cap. 9. 25. Vide ibi dicta. Fuse enim ibidem hunc locum pertractavi. Quare ea hic non repetam.

Causa cur Nehemias regi charus. Et levavi vinum (de mensa) et dedi regi.) In manus, ut biberet, quasi eius pincerna. Quæres, quomodo Nehemias adeo evectus sit, ut Artaxerxi monarchæ fuerit familiaris, imo a poculis, quod officium in aula est primarium, nec nisi magnis et fidelissimis committitur.

Resp. 1. Resp. Prima causa fuit sapientia, virtus et gratia Nehemiæ, ut dixi, qua se insinuabat in animos Principum, ut eos sibi suæque genti Iudaicæ conciliaret.

II. Secunda causa fuit, quod multi censeant Esther fuisse uxorem huius Artaxerxis, quæ illum sibi, Nehemiæ et Iudæis astrinxit. Sed hoc examinandum in libro Esther.

III. Tertia causa magis particularis exstitit, quod reges Persarum biberent vinum Syriacum, sive e Syria advectum, teste Suida l. 15. in Athenæo; Syriæ autem pars vel appendix est Iudæa. Quare Nehemiam Iudæum voluit Artaxerxes esse suum pincernam, ut is velut vinorum

A patriæ suæ apprime peritus, meliora vina e Iudæa vel Syria sibi devehi curaret, eaque accurate conservaret et regeret ea arte et modo, quo in Syria conservari et regi solebant, ne acorem aliudve vitium contraherent.

Audi Athenæum, l. 1. c. 26. *Persarum reges*, inquit, *vinum Chalibonium tantum bibebant. Posidonius in Damasco Syriæ gigni tradit, illicque satas a Persis vites.* Porro de eorum aqua, quam potabant, ita scribit idem Athen l. 2. c. 6. *Herodotus,* ait lib. 1. *scribit regi Persarum aquam vehi ex Choaspe fluvio Susa præterlabente, ex quo tantum et alio nullo bibit.* Fuit hæc mira regum superstitio, ut dignitate regia indignum ducerent aliam aquam bibere. Audi Ælianum, l. 12. *Cum alii commeatus magnificentia et ostentatione pleni sequebantur Xerxem, tum etiam aqua ex Choaspe simul vehebatur. Cum vero in loco deserto sitirent, neque siti remedium ullum inveniretur; proclamatum in exercitu est, si quis aquam ex Choaspe haberet, ut regi eam daret bibendam: et inventus est quidam qui pauxillum haberet, idque putridum. Bibit igitur illam Xerxes, et eum qui dederat in benefactoris loco habuit; quoniam, nisi illa fuisset inventa, periisset.* — Reges Persarum bibebant vinum e Syria.

B

Et eram quasi languidus ante faciem eius.) Hebr. *Et antea non fueram malus* (hoc est *tristis*) *coram eo.* Ita Vatablus et Pagninus. Verum Noster pro לא *lo* per א, id est *non*, legit לו *lo* per ו, id est *ei;* unde vertit: *Et eram quasi malus*, id est tristis, macilentus, exhaustus, languidus *coram eo;* nimirum mœror, vigiliæ, ieiu-

nia faciem eius pallentem, macilentam et languidam effecerant. Porro Septuag. pro רע *ra*, id est malus, legentes aliis punctis רֵע *rea*, id est socius, vertunt: *Et non erat alter* (id est socius) *coram eo*, q. d. Ego solus eram cum rege.

Vers. 2. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod est in corde tuo.) Suspicatus est rex ex vultu deiecto Nehemiæ, illum habere aliquid quod eum valde affligeret, aut certe eum facinus aliquod machinari, et forte insidias aliquas contra se moliri. Unde causam tristitiæ ab eo exquirit, et ambigue loquitur, ut Nehemias causam sincere expromat, aitque: *Malum nescio quod est in corde tuo: malum*, id est afflictio, dolor, mœror, q. d. Mœstus est vultus tuus; ergo mœstitia aliqua est in corde tuo: hæc enim mœsto vultu se ostendit et pandit; aut *malum*, id est malitia, maligna machinatio, ut forte contra me quid mali mediteris; unde Septuag. vertunt: *Non est hoc nisi πονηρία*, id est, *pravitas cordis.* Hebr. enim רע *ra*, id est B *malum*, tam pravitatem et malitiam, quam tristitiam et afflictionem significat, ut Matth. 6. *sufficit diei malitia*, id est afflictio *sua;* sicut ex adverso *bonum* significat tam bonitatem et honestatem virtutis, quam iucunditatem et felicitatem, iuxta illud: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum*, Psal. 13. 2. Videtur metuisse rex ne Nehemias sibi in vino venenum propinaret. Reges enim, qui sibi suoque apici formidant multosque habent æmulos, omnia tuta timent, ac præsertim venena in cibo et potu; nam, ut ait Seneca in Thyeste: *Venenum in auro bibitur;* præsertim si Nehemias idipsum a rege oblatum ex mœrore bibere noluit, quod non est incredibile.

Vers. 3. Rex, in æternum vive.) q. d. Opto ut diutissime et in æternum, si fieri potest, vivas. Dicit hoc, ut timorem regi eximat, sciatque se nihil contra eius vitam moliri.

Quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est.) q. d. Ego mœstus sum, quia Ierusalem, in C qua sepulti sunt patres mei, extantque eorum sepulcra, deserta est. Sepulcra vocat *domus*, quia domus Hebræis significat quemvis locum, antrum, thecam, loculum, qui aliquod corpus ambit et continet: sic nidi vocantur domus avium, flumen et mare vocantur domus piscium.

Religio sepulcri quanta. Porro magna fuit priscis cura et religio sepulcri patrum et avorum, ne ossa eorum exhumarentur, et abiicerentur, aut profanarentur, et rebus profanis vel immundis miscerentur. Unde Baruch cap. 2. v. 24. idipsum a Chaldæis factum luget et deplorat dicens: *Statuisti verba tua quæ locutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo, et ecce proiecta sunt in calore solis et in gelu noctis.* Hoc enim eis comminatus erat Deus per Ieremiam, cap. 8. 1. *Eiicient* inquit, *ossa regum Iuda, et ossa sacerdotum, et ossa prophetarum, et ossa eorum qui habitaverunt Ierusalem de sepulcris suis.* Apud omnes gentes enim valde gravis iniuria et infamia habita fuit violatio sepulcro- D rum. Unde Horatius in Epodo Ode 16. id metuens ita luget:

Barbarus heu cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula:
Quæque carent ventis, et solibus ossa Quirini
(Nefas videre) dissipabit insolens.

Quocirca Artaxerxes hanc iustam gravemque Nehemiæ querelam æquis auribus accepit, memor quid Scythæ Dario avo suo respondissent. Rem gestam narrat Valerius Maximus, l. 5. c. 4. *Dario*, inquit, *totius regni sui viribus in eorum regiones subinde impetum facienti, paulatim cedentes ad ultimas Asiæ solitudines pervenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi essent? responderunt, se neque urbes ullas, neque agros cultos, pro quibus dimicarent, habere. Cæterum, cum ad parentum suorum monumenta venissent, sciturum quem-* A *admodum Scytæ præliari solerent.*

Sic etiamnum Arabes, licet feri et barbari, sepulcra suorum ducum et patrum tuentur, pro iisque quasi pro aris et focis depugnant, uti mihi Romæ narrarunt eorum vicini Maronitæ.

Oravi Deum.) Brevi oratione iaculatoria, sed ardenti, Vers. 4. ut sicut ipse cœperat regem mihi meisque facere benevolum, sic et pergeret, ut postulationi meæ quam ei proposíturus eram de reædificanda Ierusalem, annueret.

Dixitque mihi Rex et Regina.) Scilicet Esther, in- Vers. 6. quit Torniellus, Gordonus, Serarius, Salianus, Sanchez et Bellarmin. tom. 1. lib. 1. cap. 7. de quo plura in proœmio Esther: Usque ad quod tempus erit iter tuum? q. d. Quantum temporis in itum et reditum insumes? optamus enim te quam citissime redire, ut in tuo pincernæ officio, quo tam egregie perfungeris, nobis inservire pergas; nolumus enim diu tua tam grata nobis carere præsentia. Quid ad hæc responderit Nehemias non narrat; certum tamen est ipsum respondisse et tempus aliquod assignasse, idque breve, quamvis forte postea dicto et opinione sua diutius detentus fuerit Ierosolymæ; illi enim ut dux præfuit per duodecim annos, scilicet ab anno 20. Artaxerxis usque ad 32. ut patet c. 6. v. 1. et c. 13. 6. Unde nonnulli putant eum toto hoc tempore abfuisse a rege per duodecim annos, sed regis et reginæ desiderium non videtur tulisse tam longam absentiam; quare verisimile est Nehemiam paulo post 52. dies, quibus murorum fabricam perfecit, ad regem rediisse, ut patebit c. 6. 14.

Trans flumen (Euphraten) ut traducant me, do- Vers. 7. nec veniam in Iudæam.) Cis Euphraten enim omnes fere gentes usque ad Iudæam erant æmulæ et inimicæ Iudæorum, ut nollent Ierusalem, urbem olim tam potentem et celebrem sibique formidabilem restaurari. Deus enim omnes regiones a Ierusalem usque ad Euphraten dederat Iudæis, et Euphraten eis dederat limitem. Unde et David victricia sua arma protulit usque ad Euphraten. Hinc et Iosephus, l. 11. c. 5. ait has gentes tempore Nehemiæ diu noctuque grassatas fuisse in agros Iudæorum, omnia cædibus, rapinis et cladibus miscendo. Quare id sciens Nehemias merito a rege petiit, ut curaret salvum se conduci usque in Ierusalem; rex vero hoc et amplius ei indulsit; addidit enim ei ad tutelam militum præsidium.

Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis.) Vers. 8. Qui erat in monte Libano, ut inde darentur mihi ligna, ac per mare in Ioppen mitterentur ad fabricam urbis Ierusalem. Ita Sanchez et Vilalpandus tom. 3. lib. 3.

Ut tegere possim portas turris domus.) Dei, puta templi, ut habent Complut. Licet enim templum iam esset extructum, appendices tamen templi necdum erant extructæ. Ita Vatablus. Unde Hebr. est: *Ut tegere possim portas palatii* regii, quod erat domui, scilicet Dei, id est templo annexum.

Et eram ibi tribus diebus.) Latens et absconditus, Vers. 11. ut noctu lustrarem ruinas urbis, videremque quid statim resarciri oporteret, ne Sanaballat et socii consilia mea rescirent et impedirent.

Et iumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam.) q. d. Ego solus ob senium et fatigationem vehebar equo vel asino; socii vero mei pedites incedebant, ne ex equorum equitumque numero et strepitu hostes nostri excitarentur ad nos infestandum.

Egressus sum per portam vallis.) Porta hæc non Vers. 13. erat illa orientalis, quæ ducebat in vallem Iosaphat, sed altera occidentalis, quæ respiciebat valles cadaverum et Calvariæ. Ita Septuaginta. Et ante fontem draconis.) ex quo scilicet aquæ saliebant et vomebantur per os ænei vel lapidei draconis: et portam stercoris, per quam stercora evehebantur. Ita Borchar. Vilalpand. Adrichom. Salianus.

Et considerabam murum Ierusalem dissipatum.) Hebr. הם פרוצים *hem parutsim*, id est, *ipsi*, scilicet muri *dissipati*, ubi in *hem* mem finale, quod solet esse

clausum, est apertum, ut indicetur murus urbis fuisse hians et apertus, quia disiectus et dissipatus.

Vers. 14. Et transivi ad portam fontis (Siloe) et ad aquæductum regis.) Ezechiæ; Ezechias enim aquas fontis Siloe per aquæductum, perfossa rupe, derivavit in puteos urbis Ierusalem, ut cives obsessi a Sennacherib haberent aquam ad potum, et Assyrii obsidentes, aquarum inopia laborantes siti conficerentur. Id patet ex libro 2. Paralip. c. 32. v. 30. *Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem portam aquarum Gihon, et avertit eas subter ad occidentem urbis David.* Et clarius Eccles. c. 48. v. 19. *Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medium ipsius aquam, et fodit ferro rupem, et ædificavit ad aquam puteum.* Vidi ibi dicta.

Et non erat locus iumento, ut transiret.) Quia hinc erant rupes præruptæ, inde rudera murorum disiectorum, atque aquæ omnia opplentes, quare iter reflectere coactus sum.

Vers. 15. Et ascendi per torrentem (Cedron) nocte, et considerabam murum.) Ut viderem quid primo in eo restaurandum foret, et cui parti statim manus adhibere deberem: et reversus veni ad portam vallis cadaverum et Calvariæ, de qua v. 42.

Vers. 16. Et reliquis qui faciebant opus.) Id est, opificibus et præfectis operum, qui scilicet destinati erant ad fabricam murorum, sed ob hostium incursus et vexationes opus intermiserant, vel tarde et remisse illud exercebant.

Vers. 18. Et indicavi eis manum Dei mei, quod esset bona mecum.) Manus symbolum est opis et auxilii, item directionis et protectionis; hanc enim a Deo senserat Nehemias, tum quod regem Artaxerxem tam sibi benevolum et liberalem effecisset, tum quod suum iter per tot hostes et difficultates, iis superatis prosperasset. Igitur Nehemias significans Iudæis partim Dei, partim regis erga se et ipsos benevolentiam, animavit eos ut fabricam murorum urbis ob Samaritarum insultus omissam, vel negligenter curatam generose et ferventer resumerent.

Audierunt autem Sanaballat Horonites.) Alius Vers. 19.
est hic a Sanaballat socero Manassis, primi Pontificis Samaritanorum in monte Garizim. Ille enim Horonites hunc Manassis socerum antecessit 109. annis, ait Salianus, de quo plura inferius.

Et Tobias servus Ammonites.) Qui ex servo et mancipio evectus, ac Ammonitidis Præfectus a rege Persarum erat constitutus, æque ac Sanaballat Samariæ, et Gosem Arabiæ. Hi ergo tres Præfecti vicinarum regionum Nehemiæ et Iudæis fuere infensi et in fabrica adversarii.

Vobis autem non est pars et iustitia, et memoria in Ierusalem.) *Iustitia,* id est ius, q. d. Vos qua- Vers. 20.
si Samaritani estis (olim ab Assyriis traducti ad incolendam Samariam, 3. Reg. 17.) Ammonitæ et Arabes, a Persis ius accepistis ad administrandam Samariam, Ammonitidem et Arabiam, non autem ad Iudæam et Ierusalem, nec hactenus in Ierusalem habitastis; nulla enim in ea vestri est memoria. Quare agite res vestras apud vestros vobis commissos; nostris autem rebus nolite vos immiscere; ego enim a rege Persarum potestatem reædificandæ Ierusalem pleno iure accepi: quare cavete ne vos mihi opponatis; alioquin enim regi Persarum vos opponetis, eumque vindicem experiemini. Ita Caietanus, Sanchez et alii.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nehemias recenset, quam quisque muri partem, quas turres et portas reædificarit.

1. Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, et fratres eius sacerdotes, et ædificaverunt portam gregis: ipsi san-
ctificaverunt eam, et statuerunt valvas eius, et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam,
usque ad turrim Hananeel. 2. Et iuxta eum ædificaverunt viri Ierico: et iuxta eum ædificavit Zachur
filius Amri. 3. Portam autem piscium ædificaverunt filii Asnaa: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas eius, et
seras, et vectes. Et iuxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filii Accus. 4. Et iuxta eum ædificavit Mosollam fi-
lius Barachiæ, filii Mesezebel: et iuxta eos ædificavit Sadoc filius Baana: 5. Et iuxta eos ædificaverunt Thecueni:
optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui. 6. Et portam veterem ædificaverunt Io-
iada filius Phasea, et Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas eius, et seras, et vectes. 7.
Et iuxta eos ædificaverunt Meltias Gabaonites, et Iadon Meronathites, viri de Gabaon et Maspha, pro duce qui
erat in regione trans flumen. Et iuxta eum ædificavit Eziel filius Araia aurifex: et iuxta eum ædificavit Ananias
filius pigmentarii: et dimiserunt Ierusalem usque ad murum plateæ latioris. 9. Et iuxta eum ædificavit Raphaia fi-
lius Hur, princeps vici Ierusalem. 10. Et iuxta eum ædificavit Iedaia filius Haromaph contra domum suam: et
iuxta eum ædificavit Hattus filius Haseboniæ. 11. Mediam partem vici ædificavit Melchias filius Herem, et Ha-
sub filius Phahath Moab, et turrim furnorum. 12. Et iuxta eum ædificavit Sellum filius Alohes princeps me-
diæ partis vici Ierusalem, ipse et filiæ eius. 13. Et portam vallis ædificavit Hanun, et habitatores Zanoe: ipsi ædi-
ficaverunt eam, et statuerunt valvas eius, et seras, et vectes, et mille cubitos in muro usque ad portam sterqui-
linii. 14. Et portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificavit
eam, et statuit valvas eius, et seras, et vectes. 15. Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholhoza, princeps
pagi Maspha: ipse ædificavit eam, et texit, et statuit valvas eius, et seras, et vectes, et muros piscinæ Siloe
in hortum regis, et usque ad gradus, qui descendunt de civitate David. 16. Post eum ædificavit Nehemias filius
Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, usque contra sepulcrum David, et usque ad piscinam, quæ grandi
opere constructa est, et usque ad domum fortium. 17. Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Benni: post
eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo. 18. Post eum ædificaverunt fratres eorum,
Bavai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ. 19. Et ædificavit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maspha,
mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli. 20. Post eum in monte ædificavit Baruch filius Za-
chai mensuram secundam, ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni. 21. Post eum ædificavit Me-
rimuth filius Uriæ filii Haccus mensuram secundam, a porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib.
22. Et post eum ædificaverunt sacerdotes, viri de campestribus Iordanis. 23. Post eum ædificavit Beniamin et

Hasub contra domum suam: et post eum ædificavit Azarias filius Maasiæ filii Ananiæ contra domum suam. 24.
Post eum ædificavit Bennui filius Henadad mensuram secundam, a domo Azariæ usque ad flexuram, et usque ad
angulum. 25. Phalel filius Ozi contra flexuram et turrim, quæ eminet de domo regis excelsa, id est, in atrio car-
ceris: post eum Phadaia filius Pharos. 26. Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad
orientem, et turrim, quæ prominebat. 27. Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam e regione, a
turre magna et eminente usque ad murum templi. 28. Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes,
unusquisque contra domum suam. 29. Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum
ædificavit Semaia filius Secheniæ, custos portæ orientalis. 30. Post eum ædificavit Hanania filius Selemiæ, et Ha-
num filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophyla-
cium suum. Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Nathinæorum, et scruta vendentium
contra portam iudicialem, et usque ad cœnaculum anguli. 31. Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædifica-
verunt aurifices et negotiatores.

Vers. 1. ELIASIB SACERDOS MAGNUS.) Hoc est Pontifex. Erat hic filius et successor Ioacim filii Iosedec. Philo Annianus tradit Iesum pontificatu et vita defunctum anno 20. Darii Hystaspis, eique successisse Ioacim usque ad annum 12. Artaxerxis: quo mortuo Ioacim successorem reliquit filium Eliasib, qui pontificatu functus est usque ad annum 33. Artaxerxis. Hæc Philo ille penes quem sit fides.

ÆDIFICAVERUNT PORTAM GREGIS.) Per quam oves et boves immolandi inducebantur in urbem, ut abluti in probatica piscina inferrentur in templum.

IPSI SANCTIFICAVERUNT EAM.) Hoc est, mundarunt portam gregis a ruinis, ruderibus et profanatione incendii, erigendo illam uti fuerat prius, ac pristino decori eam restituendo, ait Vatablus, Caietanus et Vilalpandus. Sic Exodi 19. Deus ait Mosi: *Sanctifica populum*, id est, iube ut se purificet et mundet lavando vestes, et abstinendo ab uxoribus. Secundo *Sanctificaverunt eam*, id est, dedicarunt eam Domino, quia hæc erat porta gregis, per quam victimæ Deo sanctificandæ et per immolationem consecrandæ inducebantur in templum, ideoque portam hanc ipse pontifex et sacerdotes ædificarunt et consecrarunt Deo ac per eam reliquas portas, totamque urbem. Erat enim et vocabatur Ierusalem urbs sancta, utpote separata a profano Gentilium ritu, Deique veri cultui dicata, Deique quasi speculum, maxime per templum a Salomone Deo tam magnifice erectum. Unde Mariana, Salianus, Emmanuel Sa, et Sanchez censent Eliasib pontificem hanc portam gregis urbemque totam solemni prece, vel sacrificio, vel aqua lustrali similive benedictione Deo (cui propria erat) dedicasse et consecrasse; idque satis colligitur ex eo quod de eis dicunt Samaritæ cap. sequenti, v. 2. *Num sacrificabunt et complebunt in una die?* Et cap. 12. v. 27. ubi dicitur: *In dedicatione autem muri Ierusalem requisierunt Levitas.* Et v. 30. *Et mundati sunt Sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum, et portas, et murum.* Idem imitati sunt Gentiles. Unde Servius in lib. 3. Æneid. tradit eos in fundatione urbis sacrificasse Libero patri, ut libera esset civitas. Audi Æneam e Troia profugum in Thracia novam molientem urbem, Æneid. 3. paulo post initium.

[Benedictio prisca urbium.]

> *Mœnia prima loco fatis ingressus iniquis,*
> *Æneadasque meo nomen de nomine fingo.*
> *Sacra Dionææ matri divisque ferebam*
> *Auspicibus cœptorum operum; superoque nitentem*
> *Cœlicolum regi mactabam in littore taurum.*

Porro apud Gentiles portæ et muri sacri erant, uti docet Alexander ab Alex. lib. 6. Genial. c. 14. et ibi Tiraquellus.

Vers. 6. USQUE AD TURRIM CENTUM CUBITORUM.) Hebr. *usque ad turrim Meah*, quæ scilicet vocabatur *Meah*, id est, *centum*, eo quod centum esset cubitorum.

ET PORTAM VETEREM ÆDIFICAVERUNT IOIADA etc.) Nota ex Vilalpando, tomo 3. lib. 3. c. 26. præcipuas Ierosolymæ portas fuisse duodecim, quæ sitæ erant ad tria urbis latera, tres mundi partes respicientia; quodlibet enim latus habebat quatuor portas; nam quartum latus respiciens meridiem, in quo præruptæ rupes montis Sion urbem claudebant, exitumque et introitum negabant, nulla erat porta. Orientale latus ergo habebat primo portam *gregis* iam dictam; secundo portam *equorum*, per quam equi ducebantur aquatum ad torrentem Cedron; tertio portam *aquarum*, ita dictam a collectione aquarum fontis Siloe, quam ibidem fecit Ezechias; quarto *fictilem*, eo quod iuxta eam figuli suam figulinam artem exercerent, et fictilia vasa formarent.

[Ierusalem 12. habebat portas. — Ad Orientem 4.]

Septemtrionale urbis latus habebat primo portam *Beniamin*, quia per eam ibatur in sortem tribus Beniamin; secundo portam *piscium*, per quam pisces in urbem et forum piscium invehebantur; tertio portam *iudiciariam*, in qua sedebant iudices, et iudicia tam advenarum quam civium exercebant, quæ erat vicina templo et portæ *gregis*. Eadem hoc versu vocatur *vetus*, eo quod in ea veteris fabricæ Iebusæorum et Melchisedech vestigia extarent; quarto portam *Ephraim*, per quam scilicet ibatur ad tribum Ephraim. Quarta hæc æque ac sequens porta *anguli* hic non nominantur, eo quod restauratione non indigerent, ut insinuatur v. 8.

[Ad Aquilonem 4.]

Occidentale latus habebat primo portam *anguli*, ita dictam, quod in angulo urbis occidentali et aquilonari consisteret; secundo portam *vallis* cadaverum et Calvariæ; tertio portam *sterquilinii*; quarto portam *fontis*, de quibus dixi capite præcedenti, v. 13.

[Ad Occid. 4.]

Ad has duodecim portas Ierusalem allusit S. Ioannes, Apocal. 21. v. 12. ubi totidem Ierusalem cœlestis portas recenset.

DIMISERUNT IERUSALEM USQUE AD MURUM PLATEÆ LATIORIS.) Id est, intermiserunt ædificationem muri per spatium 400. cubitorum, quod erat inter portam Ephraim et portam anguli iam dictas; eo quod non ita pridem Azarias rex hoc latus egregie repararat et munierat, ut a Chaldæis dirui non potuerit. Vers. 8.

USQUE AD DOMUM FORTIUM.) In qua habitarant triginta fortissimi heroes Davidis, ac postea eorum successores. Videtur enim hæc domus fuisse quasi seminarium vel collegium virorum fortium, qui arma tractarent et bellis præessent, docerentque milites præliari. Vide dicta 2. Reg. 23. 8. et seq. Vers 16.

POST EUM ÆDIFICAVIT HASEBIAS PRINCEPS DIMIDIÆ PARTIS VICI CEILÆ IN VICO SUO.) Erat Ierusalem in suos vicos distributa, et cuique vico suus præerat dux et præfectus, qui hic vocatur princeps. Idem etiamnum fit Romæ. Roma enim ab olim in suos vicos sive regiones distributa fuit, quorum quisque suum habebat præfectum, qui Italice vocantur *Caporioni*, id est, capita regionum urbis, quorum sede vacante, magna est auctoritas; ipsorum enim est urbem tueri et tumultus compescere, ideoque reos plectere. Vers. 17.

USQUE AD DOMUM NATHINÆORUM.) Hi erant Gabaonitæ, de quibus dixi Iosue 9. Vers. 30.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi una manu fabricant, altera gladium tenent, ut Samaritas incursantes repellant: quare Nehemia instante et orante, fabrica murorum et portarum absolvitur.

1. FACTUM est autem, cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde: et motus nimis subsannavit Iudæos, 2. Et dixit coram fratribus suis, et frequentia Samaritanorum: Quid Iudæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, et complebunt in una die? Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt? 3. Sed et Tobias Ammanites proximus eius, ait: Ædificent: si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum. 4. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui: converte opprobrium super caput eorum, et da eos in despectionem in terra captivitatis. 5. Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes. 6. Itaque ædificavimus murum, et coniunximus totum usque ad partem dimidiam: et provocatum est cor populi ad operandum. 7. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Arabes, et Ammanitæ, et Azotii, quod obducta esset cicatrix muri Ierusalem, et quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis. 8. Et congregati sunt omnes pariter, ut venirent, et pugnarent contra Ierusalem, et molirentur insidias. 9. Et oravimus Deum nostrum, et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos. 10. Dixit autem Iudas: Debilitata est fortitudo portantis, et humus nimia est, et nos non poterimus ædificare murum. 11. Et dixerunt hostes nostri: Nesciant, et ignorent, donec veniamus in medium eorum, et interficiamus eos, et cessare faciamus opus. 12. Factum est autem, venientibus Iudæis, qui habitabant iuxta eos, et dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos, 13. Statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, et lanceis, et arcubus. 14. Et perspexi atque surrexi: et aio ad optimates et magistratus, et ad reliquam partem vulgi: Nolite timere a facie eorum. Domini magni et terribilis mementote, et pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, et filiabus vestris, et uxoribus vestris, et domibus vestris. 15. Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum. 16. Et factum est a die illa, media pars iuvenum eorum faciebat opus, et media parata erat ad bellum, et lanceæ, et scuta, et arcus, et loricæ, et principes post eos in omni domo Iuda. 17. Ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium: una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium: 18. Ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, et clangebant buccina iuxta me. 19. Et dixi ad optimates, et ad magistratus, et ad reliquam partem vulgi: Opus grande est et latum, et nos separati sumus in muro procul alter ab altero: 20. In loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis. 21. Et nos ipsi faciamus opus: et media pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra. 22. In tempore quoque illo dixi populo: Unusquisque cum puero suo maneat in medio Ierusalem, et sint nobis vices per noctem et diem, ad operandum. 23. Ego autem et fratres mei, et pueri mei, et custodes, qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra: unusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

Vers. 2. NUM DIMITTENT EOS GENTES?) q. d. Num nos Iudæorum vicini, qui sumus gentes tot et tam validæ, sinemus ut Iudæi suam Ierusalem ædificent, ex qua deinde nos invadant et vexent uti olim fecerunt? q. d. Minime gentium; nullo modo id nos permittere oportet, ut arcem hanc condant et nostris humeris imponant. A

NUM SACRIFICABUNT ET COMPLEBUNT UNA DIE?) q. d. Putantne se una die, id est brevissimo tempore, posse inchoare fabricam tantæ urbis (quod fiebat sacrificando et muros dedicando, indeque læte epulando) et simul complere? q. d. Neutiquam; nam tempestive occurremus, eosque interturbabimus, et per vim a fabrica cessare cogemus.

NUMQUID ÆDIFICARE POTERUNT LAPIDES DE ACERVIS PULVERIS, QUI COMBUSTI SUNT?) Hebr. pro *ædificare* est *vivificare*, Septuag. *sanare*, q. d. Numquid lateres et lapides a Chaldæis combustos, et in cinerem redactos, Iudæi poterunt reformare, et in pristinam lapidum laterumque soliditatem robur et usum restituere, ut ex illis muros reædificent? q. d. Iudæi tentant rem perdifficilem, imo fabricam impossibilem. B

Vers. 3. SI ASCENDERIT VULPES, TRANSILIET MURUM EORUM.) Hebr. *Vulpes ascendet et dirumpet murum lapideum eorum*. Est sarcasmus sive hostilis irrisio, q. d. Agant, laborent, sudent Iudæi quantum volunt, tam fragilis et humilis erit murus quem erigunt, ut a vulpe transiliri, imo dirui possit. Ita Caietanus.

NE OPERIAS INIQUITATEM EORUM.) Oblivione et impunitate, q. d. Recordare, Domine, harum iniuriarum et sannarum quibus nos iniuste exagitant hostes nostri, eosque compesce et puni. Nam Deus cum parcit, dicitur tegere peccata; cum non parcit, sed punit, ea aperire, aspicere et ante oculos suos statuere. Unde S. Stephanus orans pro Iudæis: *Domine*, ait, *ne statuas illis hoc peccatum*, Actorum 7. Igitur Nehemias non supplicat ut Deus non ignoscat culpam pœnitentibus; hoc enim petere esset impium et diabolicum, sed ne pœnam impœnitentibus et in culpa persistentibus condonet. Vers. 5.

DIXIT AUTEM IUDAS.) Id est, dixere Iudæi, qui fessi labore et territi minis hostium cœperunt in opere languere, et obmurmurare Nehemiæ opus fabricamque urgenti. Vers. 10.

DEBILITATA EST FORTITUDO PORTANTIS.) Id est, operariorum et baiulorum lapides, ligna, aquam, calcemque portantium humeri manusque tanto tamque assiduo, longoque labore debilitati sunt, ut amplius vix ea portare queant.

ET HUMUS NIMIA EST.) q. d. Opus est nimia calce, humo vel, ut Hebr. et Græce est, *pulvere*, intrita et commista. Aut simplicius, q. d. *humus*, id est, in effodienda humo ac iaciendis murorum fundamentis, rudera terræ et lapidum nimis multa exhaurienda restant, quam ut a paucis operariis baiulisque eruderari et exportari queant. Vicit tamen hanc quoque suorum querelam Nehe-

miæ in patiendo lenitas, et in animando eos constantia. A

Vers. 13. DICENTIBUS NOBIS PER DECEM VICES.) Id est, pluries dicebant et indicabant nobis hostium insidias et instantes occultos eorum insultus: EX OMNIBUS LOCIS.) q. d. Undique veniebant indices idem indicantes, scilicet hostes cogitare per insidias nos aggredi. Quocirca Nehemias suos armans et in acie collocans hostium insidias prævertit, discussit et evertit.

Vers. 17. ÆDIFICANTIUM, etc. (subaudi unusquisque) UNA MANU SUA FACIEBAT OPUS ET ALTERA TENEBAT GLADIUM.) Ut hostes repente ex insidiis incurrentes repelleret. Nota hic prudentiam æque ac constantiam et ardorem populi in fabricando. Sic olim Hispani assidue cum Saracenis Hispaniam occupantibus confligentes, cum orarent, aut quid aliud agerent, gladium ad manus habebant, ut eos incursantes propellerent; unde mos adhuc viget, ut nunc quoque rustici in Hispania gladiati incedant, imo non arent nisi gladio accincti. Sic etiamnum Hungari ab aratro prosiliunt ad arma cum vicini Turcæ repente eos invadunt.

Allegoriam et tropologiam vide apud Bedam, qui ait: B *Ædificantes namque gladio accinguntur renes, cum hi qui bonis insistunt operibus, et commissos sibi regulari curant ratione disponere* (*hoc enim est vivos lapides in ædificio Ecclesiæ ordine competenti locare*) *fluxo in se luxuriæ acumine verbi Dei restringere satagunt.* Igitur dum orationi, operi charitatis, prædicationi, aliisque piis virtutum actibus, quibus fabricam spiritalem meritorum in anima construimus, insistimus, altera manu teneamus gladium mortificationis, quo carnis tentationes et diaboli mundique suggestiones vanæ gloriæ, superbiæ, invidiæ, gulæ, libidinis, etc. fortiter repellamus, imo a nobis amputemus. Hæc sunt *arma iustitiæ*, quibus quemlibet fidelem *a dextris et a sinistris* communit Apostolus, 2. Corinth. 6. 7. et fusius Ephes. 6. 13. *Induite*, inquit, *armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* Deinde Panopliam, qua militem Christi a capite ad talos obarmat, assignat, nimirum cingulum veritatis, loricam iustitiæ, calceum præparationis Evangelii, scutum fidei, galeam salutis et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Vide ibi dicta. C

Vers. 21. DONEC EGREDIANTUR ASTRA.) Scilicet usque ad noctem, quando astra videntur quasi prodire e suis antris vel thalamis, in quibus tota die fulgente sole latuerunt, ut nocturnas agant excubias. Loquitur Scriptura ad sensum vulgi, quod censet astra per diem in suis latibulis abscondi, e quibus per noctem prodeant, ut stationem suam quasi castrensem peragant usque ad auroram, cum suas latebras repetunt, et Lucifer *statione novissimus exit.* Ita Vatablus.

UNUSQUISQUE CUM PUERO (puta cum famulo suo) MANEAT (noctu quoque) IN MEDIO IERUSALEM.) Nec alio abeat, ut si noctu hostes nos invadant, omnes simul iuncti eis occurramus et resistamus. Vers. 22.

ET SINT NOBIS VICES PER NOCTEM ET DIEM AD OPERANDUM.) Hebr. et Septuag. *Et sit nobis nox custodia et dies opus.* Clare Vatabl. *Quisque cum puero suo pernoctet in medio Ierosolymæ, ut noctu sint nobis excubiæ, interdiu autem in opus,* ut scilicet noctu custodiant nos, et interdiu operentur in muro. Iubet ergo Nehemias ut omnes in urbe pernoctent cum famulis, atque ex eis aliqui designentur, qui noctu per vices excubent, cæteri vero dormiant, sed fere vestiti, ut si excubitores signum adventantis hostis dederint, illico armis correptis ei occurrant; per diem vero ita munia partiantur, ut pars una operetur, altera cum lanceis armata operantibus ad tutelam assistat.

EGO AUTEM ET FRATRES MEI, ET PUERI MEI, ET CUSTODES QUI ERANT POST ME NON DEPONEBAMUS VESTIMENTA.) Vers. 23. Ut ego quasi dux cæteros cives et milites idem facere docerem, non tam verbo et iussu, quam facto et exemplo, ut scilicet vestes et arma noctu non deponerent, iuxta illud ducis illius apud Livium, lib. 7. *Facta non dicta mea vos milites sequi volo: nec disciplinam modo, sed exemplum etiam a me petere.* Quod fecit Cato, de quo Lucanus, libro 9.

Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non docet.

Simili modo cum in Belgio degerem, Marchio Spinola biennio obsidens Ostendam, per septem integros menses dormiens vestes numquam exuit, atque hac sua vigilantia tandem urbem in maris faucibus sitam, ideoque quasi inexpugnabilem cepit, magnaque nominis sui gloria de ea triumphavit.

UNUSQUISQUE TANTUM NUDABATUR AD BAPTISMUM.) Hebr. *Cuiusque dimissio vel depositio eius* (τὸ *eius* redundat, more Hebræo) intellige *vestium* de quibus sermo præcessit, *ad aquas*, scilicet baptismales, id est purificatorias, cum nimirum vellet corpus abluere, seque mundare. Iudæi enim tum ob immunditiem legalem, quam contactu rei legaliter immundæ, v. g. ex conversatione cum Gentilibus, facile contrahebant; tum ob calorem indeque sudorem et fœtorem, tum ob sordes aliunde contractas (unde Ammianus, libro 2. et Martial. libro 4. Epigram. 4. Iudæos appellant fœtentes) crebro totum corpus abluebant, imo vestes quoque et lectos. Vide dicta Marci 7. 3.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

In pauperum copia et clamore Nehemias opulentos avaros obiurgat, usuras vetat, sua in pauperes effundit.

1. ET factus est clamor populi et uxorum eius magnus adversus fratres suos Iudæos. 2. Et erant qui dicerent: Filii nostri, et filiæ nostræ multæ sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, et comedamus, et vivamus. 3. Et erant qui dicerent: Agros nostros, et vineas, et domos nostras opponamus, et accipiamus frumentum in fame. 4. Et alii dicebant: Mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demusque agros nostros et vineas. 5. Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt: et sicut filii eorum, ita et filii nostri: ecce nos subiugamus filios nostros et filias nostras in servitutem, et de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus unde possint redimi, et agros nostros, et vineas nostras alii possident. 6. Et iratus sum nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc: 7. Cogitavitque cor meum mecum: et increpavi optimates et magistratus, et dixi eis: Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis? Et congregavi adversum eos concionem magnam, 8. Et dixi eis: Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram: et vos igitur vendetis fratres vestros, et redimemus eos? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent. 9. Dixique ad eos: Non est bona res, quam facitis: quare non in timore Dei no-

stri ambulatis, ne exprobretur nobis a gentibus inimicis nostris? 10. Et ego, et fratres mei, et pueri mei, commodavimus plurimis pecuniam et frumentum: non repetamus in commune istud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis. 11. Reddite eis hodie agros suos, et vineas suas, et oliveta sua, et domos suas: quin potius et centesimam pecuniæ, frumenti, vini et olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis. 12. Et dixerunt: Reddemus, et ab eis nihil quæremus: sicque faciemus ut loqueris. Et vocavi sacerdotes, et adiuravi eos, ut facerent iuxta quod dixeram. 13. Insuper excussi sinum meum, et dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum istud, de domo sua, et de laboribus suis: sic excutiatur, et vacuus fiat. Et dixit universa multitudo: Amen. Et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum. 14. A die autem illa, qua præceperat rex mihi ut essem dux in terra Iuda, ab anno vigesimo usque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis, per annos duodecim, ego et fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus. 15. Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, et acceperunt ab eis, in pane, et vino, et pecunia, quotidie siclos quadraginta: sed et ministri eorum depresserunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei: 16. Quin potius in opere muri ædificavi, et agrum non emi, et omnes pueri mei congregati ad opus erant. 17. Iudæi quoque et magistratus, centum quinquaginta viri, et qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant. 18. Parabatur autem mihi per dies singulos bos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, et inter dies decem vina diversa, et alia multa tribuebam: insuper et annonas ducatus mei non quæsivi: valde enim attenuatus erat populus. 19. Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.

Vers. 3. DOMOS NOSTRAS OPPONAMUS.) Id est, oppignoremus fœneratoribus. Recenter enim redierant Babylone, omniaque sua in viatico et in fabrica urbis consumpserant. Quare magna paupertate laborabant, ad quam levandam sua oppignorare, imo filios et filias suas vendere v. 2. cogitabant.

Vers. 4 IN TRIBUTA REGIS.) Ut scilicet comparemus id quod loco tributi regi Persarum quotannis solvere debemus.

Vers. 5 ET NUNC (subaudi valde dure et inique a ditioribus exhaurimur) nam SICUT CARNES FRATRUM NOSTRORUM, SIC CARNES NOSTRÆ SUNT; ET SICUT FILII EORUM, ITA ET FILII NOSTRI.) q. d. Nos et filii nostri hic duram servimus servitutem similem illi, quam serviunt fratres, id est, contribules nostri, qui in Babylone et Perside remanserunt, idque ditiorum Iudæorum iniquitate et iniuria, qui nos fratres suos pauperes usuris, et filiorum emptione opprimunt, ut sequitur. Quare peiori loco sumus quam fratres nostri in Perside: illi enim a Persis exteris et idololatris; nos vero a contribulibus nostris, qui sanguine et religione fratres nostri sunt, affligimur. Acerbius enim est ab amico et fratre, quam ab inimico et extero cruciari. Nam cum lex Deuter. 23. 19. iubeat ut fratribus mutuum detur gratis, ipsi a nobis pro mutuo magnas usuras exigunt: quare cogimur filios et filias nostras vendere vel tradere in servitutem, ut usuras has solvamus. Ita Caietan. Vatabl. et alii.

Vers. 7 CONGREGAVI ADVERSUM EOS (divites usurarios) CONCIONEM MAGNAM.) Id est, cœtum magnum totius populi, ut coram eo a me reprehensi et confusi usuras suas dimitterent.

Vers. 11. Centesima usura, quæ? CENTESIMAM PECUNIÆ, FRUMENTI, VINI ET OLEI.) *Centesimam*, scilicet usuram, qua nimirum singulis mensibus pro usu mutui sive usura exigebant unum pro centum, hoc est annuatim duodecim pro centum. Hinc patet hanc usuram frequentem fuisse apud Iudæos, uti postea fuit apud Romanos; eratque gravis, utpote in qua singulis annis octava pars summæ capitalis mutuo acceptæ solveretur; nam duodecim v. g. aurei sunt octava pars centum aureorum, quia octies duodecim faciunt 96. quibus adde quatuor, habebis centum. Quare octavo anno usura æquabat pene ipsum capitale, ideoque illud duplicabat, ut pro mutuo centum aureorum solvendi essent pene ducenti aurei, scilicet præcise 196. ac post alios octo annos idem triplicabat, et post alios octo quadruplicabat. Cum vero dimidium huius usuræ, scilicet sex pro centum quotannis solverentur, vocabantur *usuræ semisses*, sive dimidiatæ; cum quatuor pro centum penderentur, dicebantur *trientariæ*; cum unum dumtaxat, nominabantur *unciales*, quæ erat usura minima, sicut illa duodenariæ erat maxima. (Semisses usuræ. Trientariæ.)

DATE PRO ILLIS.) Id est illis condonate, quin et acceptam reddite, et restituite, uti præcessit: unde hæc non extant in Hebræo, quia ex præcedenti repetenda subintelliguntur. Usura enim cum sit contra iustitiam commutativam, non transit in dominium usurarii; unde ab eo restituenda est illi, qui eamdem pro mutuo dedit.

ET DIXERUNT.) Partim pudore, partim auctoritate et exemplo Nehemiæ, partim boni publici amore, partim pauperum commiseratione permoti: REDDEMUS agros, vineas et oliveta, quæ pauperes pro mutuo accepto nobis oppignorarunt, et quasi pignora tradiderunt, donec mutuum redderent: ET AB EIS (deinceps) NIHIL QUÆREMUS, id est, nihil pro usura exigemus. Vers. 12.

ET VOCAVI SACERDOTES (huius usuræ reos) ET (secreto ob reverentiam sacerdotii, ne eos coram populo pudefacerem) ADIURAVI EOS.) Ut usuras remitterent, hacque in re laicis usurariisque exemplo iustitiæ et charitatis præirent.

SIC EXCUTIAT DEUS OMNEM VIRUM, QUI NON COMPLEVERIT VERBUM ISTUD DE DOMO SUA (ut domo sua spoliatus, exul et vagus oberrare cogatur) ET DE LABORIBUS SUIS.) Ut fructu et mercede laborum suorum privetur, uti ego sinum meum excussi. Qui enim alios per usuras excutiunt, merentur et ipsi a domibus et opibus suis excuti, exulare et depauperari, uti sæpe iusto Dei iudicio fit. Vers. 13.

A DIE AUTEM ILLA, QUA PRÆCEPERAT MIHI REX UT ESSEM DUX IN TERRA IUDA, AB ANNO VIGESIMO USQUE AD ANNUM 32. ARTAXERXIS, EGO ET FRATRES MEI ANNONAS, QUÆ DUCIBUS DEBEBANTUR, NON COMEDIMUS.) Solebant duces a civibus Ierosolymæ, quibus præerant, accipere annonas, id est, necessaria ad victum, verbi gratia, certam mensuram frumenti, vini, olei, pecuniæ, etc. sed Nehemias noluit ea accipere; tum ne populum pauperem hac contributione gravaret, tum ut divitibus daret exemplum remittendi usuras; idque fecit per duodecim annos, quibus præfuit Ierosolymæ quasi dux: unde multi putant eum continue per duodecim annos commoratum fuisse Ierosolymæ. Verum hoc non satis respondet desiderio regis et reginæ optantium, ut illico Nehemias ad se rediret, ac tempore modico ab eo constituto, ut dictum est cap. 2. vers. 6. Quamobrem videtur Nehemias paulo post fabricam murorum absolutam, puta post 52. dies, ut dicitur c. 6. v. 15. ad regem rediisse, ac vicarium loco sui, sive viceducem Ierosolymæ reliquisse, qui populo præesset. Artaxerxes enim eum Ierosolymæ ducem constituerat per 12. annos, sive absens foret sive præsens. Quare absens iure suo poterat has annonas, quasi stipendia ducatus sui a populo exigere, præsertim qui absens erat ob evocationem et obsequium regis; sed noluit ea accipere ob causas iam dictas. Ita Salianus et Sanchez. Hæc magis patebunt vers. 17. et cap. 13. vers. 6. ubi Nehemias anno 32. Artaxerxis rediens in Ierusalem correxit multos abusus, qui per duodecim annos quibus ipse abfuerat, in Ierusalem irrepserant. (Vers. 14. Annonæ quæ?)

Vers. 15. Duces autem primi qui fuerant ante me (ab Esdra iussu regis constituti, ut dictum est Esdræ 7. 25.) gravaverunt populum, et acceperunt ab eis in pane et vino (certam mensuram panis et vini) et pecunia quotidie siclos 40.) Ex Hebræo liquet eos præter panem et vinum in pecunia accepisse siclos 40. sic enim habet: *Aggravaverunt populum in pane et vino post argenti siclos* 40. qui faciunt quadraginta florenos Brabanticos, sive 40. Francos Gallicos, quæ immanis erat summa et plebi adeo pauperi insolubilis.

Vers. 16. Quin potius in opere muri ædificavi.) Cap. 3. nullum audivimus locum particularem Nehemiæ ad fabricandum assignatum, sed ipse quasi dux omnibus in loco sibi determinato fabricantibus aderat, et præerat omnes dirigendo, incitando, ope, et opera per se et suos adiuvando: et agrum non emi.) q. d. Rem meam et prædia non auxi, sed potius me meaque omnia expendi pro urbis et civium commodis. Fuit hæc mira continentia Nehemiæ, æque ac charitas et liberalitas in cives suos. Multi enim duces et præsides subditos expilant, ut se ditent: unde paucis præfecturæ suæ annis, opibus onusti, domum redeunt. Non ita fecit Nehemias, cuius proinde memoria in benedictione est. Idem fecit Thomas Morus, qui cum plures annos Cancellarium Angliæ egisset, rem tamen suam et annuum censum non auxit ad aureos ducentos, uti narrat Staplet. in eius Vita.

Nehemiæ charitas.

Vers. 17. Iudæi quoque et magistratus (quos per Iudæam iussu regis constitueram) 150. viri, et qui veniebant ad nos de gentibus (legati gentium vicinarum) quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant.) q d. Omnes hos alebam sumptu meo sive ex meis opibus, quas

Liberalitas.

A mihi rex donaverat. Hinc liquet Nehemiam non mansisse duodecim annos in Ierusalem. Nam tantos sumptus quotidie tot convivis per tot annos præstare non potuisset, imo regias opes exhausisset.

Vers. 18. Inter dies decem vina diversa.) Locus hic obscurus est: unde primo Pagnin. sic vertit et explicat, q. d. Tantum vini absumebant hi convivæ uno die, quantum mihi meæque familiæ suffecisset ad decem dies. Secundo Vatabl. aptius ad Hebr. et Græca vertit: Decimo quoque die dabatur omnibus vinum affatim; cæteris vero novem diebus dabatur certa mensura. Tertio Sanchez: Porrigebantur, inquit, decem vinorum genera, singula diebus singulis, ita ut exacto decem dierum curriculo, decem illa vina iam essent propinata, et iterum atque iterum idem vinorum genus et series eodem ordine recurreret.

Variæ versiones.

Hæc sententia vulgatæ versioni conformior est, si τὸ *decem* non ad vina (inusitatum enim est et insolens, in uno convivio decem generum vina convivis propinare, quod ne reges quidem summique gulones fecerunt) sed B ad dies referas, q. d. Singulis diebus dabantur varia vina, idque per decem dies, quibus exactis exhauriebantur dolia, ac alia vina pariter diversi generis suggerere oportebat. Magnus ergo et magnificus dux fuit Nehemias, ac in omnibus se eximium ostendit. Vere Bias: *Magistratus*, inquit, *virum ostendit.* Et Cicero, libr. de Senectute, de magno illo Catone Censorio ait: *Bonus est senator, bonus orator, bonus imperator, bonus agricola.* Idem et plura dicas de Nehemia.

Vers. 19. Memento mei, etc.) q. d. Præsta mihi, o Domine, talia qualia ego præstiti populo tuo et meo, ut tam sis liberalis in me, quam ego fui in eum.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS

Hostes Iudæorum Nehemiæ tendunt insidias, mox minantur accusationem affectati ab eo regni: tertio pseudoprophetas contra eum submittunt: quarto proditores subornant, sed omnia hæc dissipavit Nehemiæ prudentia et animi magnitudo.

1. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Gossem Arabs, et ceteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, et non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis), 2. Miserunt Sanaballat et Gossem ad me, dicentes: Veni, et percutiamus fœdus pariter in viculis in campo Ono. Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum. 3. Misi ergo ad eos nuntios, dicens: Opus grande ego facio, et non possum descendere: ne forte negligatur, cum venero et descendero ad vos. 4. Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: et respondi eis iuxta sermonem priorem. 5. Et misit ad me Sanaballat iuxta verbum prius quinta vice puerum suum, et epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo: 6. In gentibus auditum est, et Gossem dixit, quod tu et Iudæi cogitetis rebellare, et propterea ædifices murum, et levare te velis super eos regem: propter quam causam. 7. Et prophetas posueris, qui prædicent de te in Ierusalem, dicentes: Rex in Iudæa est. Auditurus est rex verba hæc: idcirco nunc veni, ut ineamus consilium pariter. 8. Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc. 9. Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab opere, et quiesceremus. Quam ob causam magis confortavi manus meas: 10. Et ingressus sum domum Semaiæ filii Dalaiæ filii Metabeel secreto. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, et claudamus portas ædis: quia venturi sunt ut interficiant te, et nocte venturi sunt ad occidendum te. 11. Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? et quis ut ego ingredietur templum, et vivet? non ingrediar. 12. Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, et Tobias et Sanaballat conduxissent eum; 13. Acceperat enim pretium, ut territus facerem, et peccarem, et haberent malum, quod exprobrarent mihi. 14. Memento mei Domine pro Tobia et Sanaballat, iuxta opera eorum talia: sed et Noadiæ prophetæ, et cæterorum prophetarum, qui terrebant me. 15. Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus. 16. Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes quæ erant in circuitu nostro, et conciderent intra semetipsos, et scirent quod a Deo factum esset opus hoc. 17. Sed et in diebus illis, multæ optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, et a Tobia veniebant ad eos. 18. Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius, quia gener erat Secheniæ filii Area, et Iohanan filius eius acceperat filiam Mosollam filii Barachiæ: 19. Sed et laudabant eum coram me, et verba mea nuntiabant ei: et Tobias mittebat epistolas ut terreret me.

Vers. 2. PERCUTIAMUS FOEDUS PARITER IN VICULIS.) Sic et Septuag. et Vatabl. Verum Pagnin. retinet nomen Hebræum quasi proprium, vertitque in *Kephirim*. Utrumque verum, quia *Kephirim* erat nomen loci ita dicti a copia villarum et viculorum.

IN CAMPO ONO.) Campus hic erat iuxta Iordanem in tribu Beniamin, vulgoque dicebatur *Vallis artificum*. Ita Adrichom. idque sat liquet ex c. 11. v. 31. et 35.

UT FACERENT MIHI MALUM.) Ut me caperent, vel occiderent.

Vers. 6. ET LEVARE TE VELIS SUPER EOS REGEM.) Scilicet quod tu, o Nehemia, velis te super eos exaltare et regem constituere. Hæc erat eorum accusatio et calumnia.

Vers. 7. ET PROPHETAS POSUERIS QUI PRÆDICENT DE TE IN IERUSALEM, DICENTES: REX IN IUDÆA EST.) Prophetas proprie accipe. Criminantur enim Nehemiam, quod is se velit regem facere, ideoque prophetas subornet, qui populo vaticinentur idipsum velle Deum, ut scilicet Iudææ, quæ tot annis regibus caruit, iam suus rex restituatur. Ita Sanchez. Alii tamen per *prophetas* intelligunt præcones, qui per plateas Nehemiam regem proclament.

Vers. 10. ET INGRESSUS SUM DOMUM SEMAIÆ FILII DALAIÆ FILII METABEEL SECRETO.) Semaia erat Sacerdos de vico Dalaiæ, quæ ordine erat vigesima tertia, ut liquet 1. Paral. 24. 18. atque domi manebat quasi studio et orationi deditus. Unde Sanaballat eum pecunia corrupit, ut quasi vir religiosus, imo propheta, ut patet v. 12. Nehemiam ad se evocaret, eique quasi vaticinans metum hostium iniiceret, ideoque fugam suaderet, idque hoc fine ut Nehemiam probro timiditatis afficeret, et populo contemptibilem redderet; imo ut Nehemia timente et fugiente, timeret pariter et fugeret populus. Patet ex seqq.

Vers. 11. ET DIXI: NUM QUISQUAM SIMILIS MEI (magni animi et dux populi) FUGIT?) q. d. Non decet meam magnanimitatem nec dignitatem turpis hæc fuga. Duce enim fugiente, fugiet totus populus.

Nehemiæ magnanimitas.

ET QUIS UT EGO (mei similis, magnanimus et princeps) INGREDIETUR TEMPLUM ET VIVET?) Vatabl. *ut vivat?* q. d. Ne quidem vitæ servandæ causa me ad templum fugere decet: satius enim est generose mori quam turpiter fugere, et inferre crimen gloriæ suæ, ut aiebat Iudas Machabæus. Aut *et vivat*, q. d. Si fugiam ad templum, non vivam, sed occidar a populo quasi timidus et fugitivus, qui eos in hoc periculum hostium temere coniecerim, et quasi sceleris alicuius conscius. Ita Sanchez.

Vers. 12. ET INTELLEXI.) Vel Deo revelante, vel solertia et sagacitate ingenii mei ex verbis et gestibus Semaiæ, ipsum venditare se esse prophetam, ac ut talem vaticinari minas hostium, cum revera esset pseudopropheta pretio subornatus a Sanaballat, ut me terrendo, populo redderet vilem et exosum.

Vers. 13. UT TERRITUS (oraculo ficto periculi instantis) FACEREM (quod ipse suadebat, scilicet fugerem in templum quasi timidus: aut quasi sceleris alicuius conscius confugerem ad templum quasi ad asylum) ET PECCAREM.) Tum in Deum per diffidentiam, tum in me per pusillanimem fugam, tum in populum, eum mea fuga percellendo et in fugam agendo.

Vers. 14. MEMENTO MEI, DOMINE, PRO TOBIA ET SANABALLAT IUXTA OPERA EORUM TALIA.) Ut me ab eis liberes ac illos castiges, ut vel ipsi, vel alii ipsorum exemplo et castigatione sapiant, discantque viros probos non vexare, nec eis insidiari.

SED ET NOADIÆ PROPHETÆ.) Hebr. *prophetissæ* (erat enim fœmina) hoc est pseudoprophetissæ pretio corruptæ a Sanaballat, quæ similes minas et metus mihi iniiciebat. Repete: *Memento Domine*, ut eam pro meritis castiges et castigando emendes, vel ipsam vel alios ipsius exemplo. Dixit hæc Nehemias ex iusto dolore et zelo non vindictæ privatæ, sed iustitiæ publicæ.

COMPLETUS EST AUTEM MURUS 25. DIE MENSIS ELUL (sexti, qui nostro partim Augusto, partim Septembri respondet) 52. DIEBUS.) Nonnulli hos 52. dies inchoant non ab initio fabricæ, sed a minis et insidiis hisce Sanaballat Nehemiæ intentatis, unde Iosephus asserit murorum fabricam perfectam fuisse duobus annis et tribus mensibus, anno 28. Xerxis, id est Artaxerxis. Iosephum sequuntur Histor. Scholast. Caietan. Vatabl. et Mariana. Verius est hos 52. dies inchoandos ab initio fabricæ, ut censent Lyran. Dion. Vilalpandus, et Sanchez. Si enim fabrica murorum per biennium durasset, utique Sanaballat sollicitando vicinas gentes, conflato exercitu eum impedivisset. Instabat ergo Nehemias, urgebatque opus ut illico absolveretur. Idque fieri potuit 52. diebus; tum quia omnes operi strenue et ardenter incumbebant, et opus in singulos, nemine excepto, ordinate erat distributum; tum quia fundamenta murorum, quæ Chaldæi diruere non potuerant, supererant, imo multis in locis muri integri. Chaldæi enim muros dumtaxat variis in locis destruxerant, hoc est, interruperant, ut patet 4. Regum ult. 4. et 10. Portæ quoque non erant dirutæ, sed eorum valvæ combustæ, ut patet Esdræ 1. 3. valvas ergo tantum restaurari oportuit. Ad hæc fabricabant ex lapide non cæso et polito, sed rudi ed impolito, imo ex lapidibus quos inveniebant in ruinis et ruderibus veterum murorum. Denique Deus eos secundavit, ut spatio 52. dierum muros perficerent. Sic Alexander Magnus muros novæ Alexandriæ ad Tanaim per longitudinem stadiorum sexaginta erexit spatio 17. dierum, ut vult Q. Curtius, vel viginti, ut narrat Arianus. Sic hodie Hollandi urbes vastas obsidentes, easdem spatio viginti dierum circumquaque ita vallo cingunt, ut eis succurri nequeat. Nam more Romano milites singuli cum armis ligones vel trullas deferunt ad fodiendum vel fabricandum. Tot autem manus iunctæ illico opus ingens perficiunt. Vers. 15.

UT TIMERENT UNIVERSÆ GENTES.) Nos, nostramque fabricam, quam tam cito videbant esse perfectam, ut ipsæ faterentur hoc esse opus Dei potius quam hominum. Vers. 16.

MULTÆ OPTIMATUM IUDÆORUM EPISTOLÆ MITTEBANTUR AD TOBIAM.) Erant hi patriæ proditores, qui contra Nehemiam cum hostibus conspirarant, eisque gesta et consilia Nehemiæ perscribebant, ut ea disturbarent. Causam subdit: Vers. 17.

MULTI ENIM ERANT IN IUDÆA HABENTES IURAMENTUM EIUS.) q. d. Multi Iudæorum iurarant Tobiæ, eique per iuramentum fidem suam addixerant, se scilicet illi fore amicos et fideles, et proinde cum eo contra me et patriam suam coniurarant. Vers. 18.

QUIA (Tobias) GENER ERAT SECHENIÆ.) q. d. Causa cur multi Iudæorum faverent Tobiæ hosti Iudæorum, erat quod cum eo eiusque fœderatis affinitatem per matrimonia mutua contraxerant. Nam et IOHANAN FILIUS EIUS (Tobiæ) ACCEPERAT FILIAM MOSOLLAM FILII BARACHIÆ, qui erant Iudæi et Iudæorum optimates.

SED ET LAUDABANT EUM (Tobiam) CORAM ME.) Hebr. *quin et bonitatem* (vel benefacta sive munificentias) *eius prædicabant coram me*. Alludunt ad nomen *Tobiæ*, quod Hebraice significat *bonitatem Dei*, q. d. Ipse vere est Tobias iuxta nomen suum, quia in omnes existit bonus et beneficus. Ita Vatabl. Hæc fuit summa Iudæorum iniquitas, et summa Nehemiæ iniuria et afflictio, scilicet civium suorum proditio, quam tamen ipse dissimulando, patientia, consilio et constantia superavit. Vers. 19.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ierosolymæ iam muris cinctæ Nehemias custodes apponit. Inde vers. 6. numerantur ii qui cum Zorobabele Babylone redierant, ac vers. 70. dona auri et vasorum in fabricam sponte a variis oblata.

1. POSTQUAM autem ædificatus est murus, et posui valvas, et recensui ianitores, et cantores, et Levitas: 2. Præcepi Hanani fratri meo, et Hananiæ principi domus de Ierusalem (ipse enim quasi vir verax et timens Deum plus ceteris videbatur), 3. Et dixi eis: Non aperiantur portæ Ierusalem usque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, et oppilatæ: et posui custodes de habitatoribus Ierusalem, singulos per vices suas, et unumquemque contra domum suam. 4. Civitas autem erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio eius, et non erant domus ædificatæ. 5. Deus autem dedit in corde meo, et congregavi optimates, et magistratus, et vulgus, ut recenserem eos: et inveni librum census eorum, qui ascenderant primum, et inventum est scriptum in eo. 6. Isti filii provinciæ, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, et reversi sunt in Ierusalem, et in Iudæam, unusquisque in civitatem suam. 7. Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israel: 8. Filii Pharos, duo millia centum septuaginta duo: 9. Filii Saphatia, trecenti septuaginta duo: 10. Filii Area, sexcenti quinquaginta duo: 11. Filii Phahathmoab filiorum Iosue et Ioab, duo millia octingenti decem et octo: 12. Filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor: 13. Filii Zethua, octingenti quadraginta quinque: 14. Filii Zachai, septingenti sexaginta: 15. Filii Bannui, sexcenti quadraginta octo: 16. Filii Bebai, sexcenti viginti octo: 17. Filii Azgad, duo millia trecenti viginti duo: 18. Filii Adonicam, sexcenti sexaginta septem: 19. Filii Beguai, duo millia sexaginta septem: 20. Filii Adin, sexcenti quinquaginta quinque. 21. Filii Ater, filii Hezeciæ, nonaginta octo: 22. Filii Hasem, trecenti viginti octo: 23. Filii Besai, trecenti viginti quatuor: 24. Filii Hareph, centum duodecim: 25. Filii Gabaon, nonaginta quinque: 26. Filii Bethlehem, et Netupha, centum octoginta octo: 27. Viri Anathoth, centum viginti octo. 28. Viri Bethazmoth, quadraginta duo. 29. Viri Cariathiarim, Cephira, et Beroth, septingenti quadraginta tres. 30. Viri Rama et Geba, sexcenti viginti unus. 31. Viri Machmas, centum viginti duo. 32. Viri Bethel et Hai, centum viginti tres. 33. Viri Nebo alterius, quinquaginta duo. 34. Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. 35. Filii Harem, trecenti viginti. 36. Filii Iericho, trecenti quadraginta quinque. 37. Filii Lot Hadid et Ono, septingenti viginti unus. 38. Filii Senaa, tria millia nongenti triginta. 39. Sacerdotes: Filii Idaia in domo Iosue, nongenti septuaginta tres. 40. Filii Emmer, mille quinquaginta duo. 41. Filii Phashur, mille ducenti quadraginta septem. 42. Filii Arem, mille decem et septem. Levitæ: 43. Filii Iosue et Cedmihel, filiorum. 44. Oduiæ, septuaginta quatuor. Cantores: 45. Filii Asaph, centum quadraginta octo. 46. Ianitores: Filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai, centum triginta octo. 47. Nathinæi: filii Soha, filii Hasupha, filii Tebbaoth, 48. Filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon, filii Lebana, filii Hagaba, filii Selmai, 49. Filii Hanan, filii Geddel, filii Gaher, 50. Filii Raaia, filii Rasin, filii Necoda, 51. Filii Gezem, filii Aza, filii Phasea, 52. Filii Besai, filii Munim, filii Nephussim, 53. Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur, 54. Filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa, 55. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema, 56. Filii Nasia, filii Hatipha, 57. Filii servorum Salomonis, filii Sothai, filii Sophereth, filii Pharida, 58. Filii Iahala, filii Darcon, filii Ieddel, 59. Filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon. 60. Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo. 61. Hi sunt autem, qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, et Emmer: et non potuerunt indicare domum patrum suorum, et semen suum, utrum ex Israel essent. 62. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadraginta duo. 63. Et de sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem: et vocatus est nomine eorum. 64. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, et non invenerunt: et eiecti sunt de sacerdotio. 65. Dixitque Athersatha eis ut non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret sacerdos doctus et eruditus. 66. Omnis multitudo quasi vir unus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta, 67. Absque servis et ancillis eorum, qui erant septem mille trecenti triginta septem, et inter eos cantores et cantatrices, ducenti quadraginta quinque. 68. Equi eorum, septingenti triginta sex: muli eorum, ducenti quadraginta quinque: 69. Cameli eorum, quadringenti triginta quinque: asini, sex millia septingenti viginti.

Hucusque refertur quid in commentario scriptum fuerit, exin Nehemiæ historia texitur.

70. Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta. 71. Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri, drachmas viginti millia, et argenti mnas duo millia ducentas. 72. Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, et argenti mnas duo millia, et tunicas sacerdotales sexaginta septem. 73. Habitaverunt autem sacerdotes, et Levitæ, et ianitores, et cantores, et reliquum vulgus, et Nathinæi, et omnis Israel, in civitatibus suis.

Vers. 2. PRÆCEPI HANANI FRATRI (cognato) MEO.) Hic est ille Hanani, qui nuntium desolationis Ierusalem ad Nehemiam in Persidem detulit, cap. 1. v.

A

2. ET HANANIÆ PRINCIPI (id est præfecto) DOMUS, scilicet palatii regii, ut habent Hebr. in monte Sion. Hos duos, utpote præ cæteris viros veraces, id est, sinceros

et integros, ac timentes Deum Nehemias posuit custodes urbis Ierusalem.

Vers. 3. CUMQUE ADHUC ASSISTERENT.) q. d. Nonnisi his duobus custodibus, scilicet Hanani et Hanania præsentibus et assistentibus vespere claudebantur portæ, ne qua fieret fraus ex hostium insidiis. Rursum mane non aperiebantur *ante calorem solis*, id est, ante clarum diem, cum omnes vigilant.

Vers. 4. ET POPULUS PARVUS.) Qui pauci Babylone redierant, et ex his paucis nonnulli videntes desolationem urbis et hostium minas, ad alias Iudææ urbes et vicos se contulerant, alii in Babylonem vel Persidem reversi erant, inter quos fuit Dux Zorobabel.

Vers. 5. DEUS AUTEM DEDIT IN CORDE MEO.) q. d. Deus mihi suggessit consilium modumque supplendi paucitatem incolarum Ierosolymæ, nimirum recensendo catalogum eorum qui primitus cum Esdra e Babylone redierant, ac iuxta eum, illos invitando et evocando ad incolendam Ierusalem, quod reipsa per sortem factum esse audiemus capite 11. Unde mox catalogum continentem censum populi, qui redierat, recenset

Vers. 6. ISTI (sunt) FILII PROVINCIÆ, QUI ASCENDERUNT DE CAPTIVITATE MIGRANTIUM.) Id est, qui redierunt e transmigratione Babylonis, puta e Babylone in Ierusalem cum Zorobabel sub Cyro. Hic est catalogus, sive census populi, quem recensuit Esdras c. 2. sed aliis subinde verbis et numeris fere diversis, præsertim in medio; nam initium et finis utrobique est idem. Ratio est, quod census hic populi, sive catalogus sæpius sit initus et descriptus; scilicet primo in Babylone, cum inde egressi sunt Iudæi:

A secundo in Ierusalem, cum primum eo appulerunt; tertio cum, templo reædificato, illud solemni populi concursu dedicatum fuit. Hi autem census inter se evariabant; quia aliis morientibus alii nascebantur, aliis abeuntibus alii adventabant. Quare ex uno censu catalogum suum descripsit Esdras, ex alio Nehemias; ideoque evariant. Vide Franc. Lucam in notat. 79.

DIXITQUE ATHERSATHA.) Hoc est Nehemias, ut patet c. 8. v. 9. Vers. 65.

Hucusque catalogus. Annotatio hæc sequestris non exstat in Hebræo, Græco et quibusdam Latinis. Unde Græcus Epanorthotes, aliique eam omittendam censent, imo reiiciunt, ut Lyran. et Carth. Sane diversus character sat arguit hæc inserta verba, neque de textu esse, neque de fide, ait Sanchez. Habent tamen annotationem hanc Biblia Romæ correcta. Videtur ergo addita ab Interprete, uti multa similia addita sunt in libro Esther, vel a paraphraste, aut commentatore aliquo: ita Franc. Lucas notat. 79.

B NONNULLI AUTEM DE PRINCIPIBUS.) Hic est catalogus donariorum ad fabricam oblatorum, estque idem cum eo quem recensuit Esdras c. 2. sed ut dixi in numeris diversus; forte, quod Esdras plurium dona complexus sit, nempe eorum etiam omnium qui ex regno Cyri, sive Iudæi sive Persæ, hortante Cyro, de opibus suis aliquid ad fabricam contulerunt, aut postea in Ierusalem submiserunt: Nehemias autem Iudæorum tantum e captivitate redeuntium dona, eaque præcipua dumtaxat, ideoque pauciora quam Esdras recenseat, ait Franc. Lucas loco citato. Vers. 70.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esdras convocato omni populo, die prima mensis septimi, illi legem Dei prælegit explicatque. Idem facit die 15. mensis per octo dies festi Tabernaculorum, quod ab omnibus magna solemnitate celebratur.

1· ET venerat mensis septimus: filii autem Israel erant in civitatibus suis. Congregatusque est omnis popu-
lus quasi vir unus, ad plateam quæ est ante portam aquarum: et dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum
legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli. 2. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine
virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. 3. Et legit in eo aperte
in platea quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum et mulierum et
sapientium: et aures omnis populi erant erectæ ad librum. 4. Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum,
quem fecerat ad loquendum: et steterunt iuxta eum, Mathathias, et Semeia, et Ania, et Uria, et Helcia, et Maa-
sia, ad dexteram eius: et ad sinistram, Phadaia, Misael, et Melchia, et Hasun, et Hasbadana, Zacharia, et Mosollam.
5. Et aperuit Esdras librum coram omni populo: super universum quippe populum eminebat: et cum aperuisset eum,
stetit omnis populus. 6. Et benedixit Esdras Domino Deo magno: et respondit omnis populus: Amen, amen: elevans
manus suas: et incurvati sunt, et adoraverunt Deum proni in terram. 7. Porro Iosue, et Bani, et Serebia, Iamin,
Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Azarias, Iozabed, Hanan, Phalaia, Levitæ, silentium faciebant in populo ad
audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo 8. Et legerunt in libro legis Dei distincte, et aperte ad intel-
ligendum: et intellexerunt cum legeretur. 9. Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) et Esdras sacerdos et scri-
ba, et Levitæ interpretantes universo populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, et nolite flere.
Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis. 10. Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, et
mittite partes his qui non præparaverunt sibi: quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari: gaudium etenim
Domini est fortitudo nostra. 11. Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies
sanctus est, et nolite dolere. 12. Abiit itaque omnis populus, ut comederet et biberet, et mitteret partes, et face-
ret lætitiam magnam: quia intellexerant verba, quæ docuerat eos. 13. Et in die secundo congregati sunt principes
familiarum universi populi, sacerdotes et Levitæ, ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba legis. 14. Et in-
venerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, ut habitent filii Israel in tabernaculis, in die so-
lemni, mense septimo: 15. Et ut prædicent, et divulgent vocem in universis urbibus suis, et in Ierusalem, dicen-
tes: Egredimini in montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, et ramos pal-
marum, et frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est. 16. Et egressus est populus, et attule-
runt. Feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domate suo, et in atriis suis, et in atriis domus Dei, et in pla-
tea portæ aquarum, et in platea portæ Ephraim. 17. Fecit ergo universa Ecclesia eorum qui redierant de captivi-
tate, tabernacula, et habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant a diebus Iosue filii Nun taliter filii Israel
usque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis. 18. Legit autem in libro legis Dei per dies singulos, a die primo
usque ad diem novissimum; et fecerunt solemnitatem septem diebus, et in die octavo collectam iuxta ritum.

Vers. 1. **Et venerat mensis septimus.**) Videntur hæc gesta anno septimo Artaxerxis sub Esdra, qui ab eo missus rediit in Ierusalem. Unde sicut catalogus cap. præcedentis Nehemiæ idem est cum catalogo Esdræ cap. 2. sic et quæ hoc c. 8. dicuntur, videntur esse eadem cum iis quæ narravit Esdras cap. 3. ut patet utrumque conferenti. Utrobique enim nominatur mensis septimus, Esdras, festum Tabernaculorum, etc. Nec dubium est Esdram scribam officio et zelo suo perfunctum, mox ut anno septimo Artaxerxis rediit in Ierusalem, ut populum in captivitate legis oblitum legem doceret. Ad hoc enim ipse missus erat ab Artaxerxe dicente, *ut libere doceat imperitos*, Esdræ 7. versu 15. sicut Zorobabel et Iesus missi sunt ad reædificandum templum, Nehemias vero ad restaurandos muros et urbem. Adde: non videtur Esdras vixisse usque ad annum vigesimum Artaxerxis, quo Nehemias muros instauravit; sic enim fuisset annorum 147. (quod illo ævo erat insolens) tot enim fluxere ab anno ultimo Sedeciæ, quo occisus est Saraias pater Esdræ, usque ad annum vigesimum Artaxerxis. Verum hæc ratio non est solida; nam Esdram anno 20. Artaxerxis vixisse patet cap. 12. v. 33. et 35. ubi dicitur interfuisse Esdras scriba dedicationi urbis factæ a Nehemia; licet Caietanus putet ibi alium esse Esdram ab hoc nostro diversum. Quocirca nonnulli censent hæc contigisse sub Nehemia anno 20. Artaxerxis, ut Esdras cum eo tertio redierit in Ierusalem fueritque grandævus, nimirum 147. annorum.

Vers. 4. **Stetit Esdras super gradum ligneum.**) Hebr. *super turrim ligneam*, id est super suggestum, quod instar turriculæ e terra assurgebat in altum.

Vers. 5. **Stetit omnis populus.**) Tum ut reverentiam Dei legi stando deferret, tum ut arrectis auribus stans facilius lectionem Esdræ perciperet. Hinc et Christiani ad Evangelium assurgunt reverentiæ causa.

Vers. 8. **Et legerunt** (tum Esdras, tum eius socii, qui Esdræ seni et fesso in lectione succedebant; sed ubi quid difficultatis occurrebat, explicabat illud Esdras) **in libro legis.** (In Pentateucho, ac præsertim in Deuteronomio, ubi lex tota repetitur et iteratur) **distincte**) ut omnes singula perfecte audire possent. Septuag. vertunt: *Et distinxit in scientia Domini*, id est, distincte legem legit et explicuit per scientiam a Domino acceptam. Perperam ergo nonnulli hoc torquent ad restaurationem librorum a Chaldæis combustorum, quasi illos Esdras restaurarit ex memoria per scientiam a Deo infusam; **et aperte ad intelligendum.** Hebr. *ponendo* (id est dando) *intellectum:* q. d. Esdras inter legendum explicabat, ubi opus erat Syriace vel Chaldaice, quæ Hebraice scripta ex Deuteronomio legebantur; atque insuper sententias quæ occurrebant paraphrastice interpretabatur, ut dicitur v. 13. Populus enim in Babylone linguam suam Hebræam corruperat, et cum Chaldæa miscuerat: quare pure Hebræam non satis capiebat. Esdras ergo Hebraice dicta interpretabatur lingua Syriaca, quæ populo redeunti erat iam propria et nativa.

Vers. 9. **Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha)** Nehemias dictus est *Athersatha* a rad. ירש *iaras*, id est, hæreditavit, q. d. Athersatha, id est אתה ירשת *atta irrasta*, hoc est secundo a תירוש *hæreditasti tu*, quia tu solus præ omnibus hæreditatem patrum possedisti, qui urbem destructam restaurasti, muris cinxisti, tutamque posteris tuis possidendam tradidisti. Ita Vilalpandus: vel *tiros*, id est mustum, et שתה *sciata*, id est bibit; q. d. prælibator vini regis; erat enim eius pincerna. Ita Marinus in Lexico. Tertio, *Athersatha* valde convenit cum *Artacsatha*, id est Artaxerxe. Videtur enim rex sui nominis potestatem Nehemiæ fecisse, aut certe ipse, utpote regi charissimus, ipsius regis nomine compellatus fuit ab aulicis. Ita Vilalpandus par. 1. de templo lib. 3. cap. 4.

Athersatha est Nehemias Unde

Porro fabulosum videtur quod Lyranus ait, *Athersatha* Hebr. idem esse quod *relaxatus:* sicque Nehemiam vocari, eo quod per sapientes Hebræorum relaxatus sit, cum eoque dispensatum ut biberet vinum regis Gentilis, puta Artaxerxis, cuius pincerna erat Athersatha; quia Athersatha non est nomen Hebræum, sed Chaldæum et a Chaldæis inditum.

Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis.) Quia videbat legis minas, puta clades omnis generis sibi accidisse ob eius prævaricationem, in iisque adhuc se magna ex parte perdurare ab initio captivitatis Babylonicæ usque ad annum 20. Artaxerxis, quod erat spatium 147. annorum.

Vers. 10 **Ite, comedite pinguia.**) Sic Christiana lex vetat ieiunium in Dominica, ob Festi lætitiam. Ita S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 5. ad 3.

Nolite contristari.) Quia licet iure lugeatur et fleatur, tamen hoc die festo Neomeniæ, quo recolimus beneficia Dei tum antiqua, tum nova et continua in nos collata, gaudendum est, non lugendum.

Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.) Gaudium Domini dupliciter accipi potest. Primo active, quod est gaudium, quo gaudet Dominus, cum videt nos in adversis esse forti magnoque animo, non parvo et abiecto. Hic enim stimulus valde pungit animos pios, ut in quantalibet adversitate et tribulatione animum non demittant, sed roborent, ut in ea gaudeant et exultent, si cogitent id Deo gratum esse Deumque gaudere et delectari nostra fortitudine et gaudio in adversis: ita Sanchez; secundo passive gaudium Domini est, quod de Domino vel ex Domini amore, reverentia, imitatione et obedientia concipitur; q. d. Gaudet Deus diebus festis, eo quod illis a fidelibus magis colatur, adoretur, invocetur: quare ipse pariter cupit ut fideles hoc suum gaudium imitentur et induant, gaudeantque die festo, ut gaudentes illi sacrificent victimas pacificas ex quibus hilariter comedant, ac cum Deo ipso quasi epulentur. Hoc enim gaudio acquiritur fortitudo mentis et corporis, tum ad legem Dei implendam, tum ad adversa (quibus iam opprimimur) quælibet fortiter ferenda; imo per gaudium hoc lenienda et discutienda, ac per Deum amovenda. Deus enim si nos lætos et gaudentes, indeque fortes et constantes viderit in lege festorumque suorum cultu, amovebit a nobis plagas, quas ob tristem et pusillanimem eorum neglectum nobis immisit. Sicut enim tristitia facit mœstos, pusillanimes, tardos: ita lætitia ex adverso facit hilares, magnanimos et celeres Dei cultores legisque custodes; unde Vatabl. vertit: *Gaudium Domini est robur vestrum:* seque explicat: Divino gaudio efficiemini fortiores animis et alacriores. Gaudium enim spiritus vitales et animales multiplicat, excitat, acuit, et per totum corpus diffundit, ut illud vegetent, excitent et ad opus alacres efficiant; tristitia vero eosdem attenuat, arctat, gravat, avocat, ut totus homo sit mœstus, gravis, contractus et ineptus ad omne bonum. Quocirca Apostolus ad hoc gaudium perenne fideles adhortatur dicens: *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete.* Philipp. 4. vide ibi dicta. Adde quod Deus in se et de se gaudentibus novam gratiam, novas vires, novum robur assidue suggerat, quibus ad omnia licet tristia et ardua, fiant generosi, fortes et alacres. Deus enim, cum sit summus et liberalissimus lætissimusque Dominus, vult a nobis famulis suis sibi servire in lætitia, exultatione et iubilo, iuxta illud: *Servite Domino in lætitia.* Et illud: *Lætamini in Domino, et exultate iusti.* Ps. 31. 11.

Gaudium Domini duplex.

Ut interpretaretur (Esdras) **eis verba legis.**) Ut solveret dubia quæ ex pridiana legis lectione eis suborta erant, præsertim circa ritus celebrandi instans festum Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, quos lex præscribit Levit. 23. ubi de iis fuse egi. Vers. 13.

Divulgent vocem.) Id est, voce præconis ubique promulgent; ut omnes conveniant in Ierusalem ad festum Tabernaculorum imminens, iuxta legem per octo dies celebrandum. Vers. 15.

Afferte frondes ligni pulcherrimi.) Hebr. *ligni olei*, id est pinguis et oleati, quod Septuag. interpretantur *cypressum;* Pagnin. *pinum;* melius alii *cedrum.* Vide dicta Levit. 23. 36.

Feceruntque tabernacula in domate suo.) Id est Vers. 16

*

in tecto domus suæ. Ita Hebr. tecta enim apud Hebræos erant plana, ut in illis sub dio ambulare, stare, sedere, pernoctare, dormire possent. Clima enim Iudææ est calidum et siccum; unde eius incolæ noctu in tectis frigidum aerem sudumque captant.

Vers. 17. A DIEBUS IOSUE (id est, ab ingressu Hebræorum in Chananæam eis a Deo promissam) NON FECERUNT TALITER FILII ISRAEL.) Non celebrarunt tale festum Tabernaculorum tanta lætitia, tanta devotione legendo legem publice, eiusque explicationem faciendo tanto populi undique confluentis concursu, ut etiam in tectis Tabernacula construere debuerint: ita Caietanus et alii.

ET IN DIE OCTAVO COLLECTAM.) Id est, festum cœtus Vers. 18.
populi, quod quale fuerit explicui Levit. 23. 40.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi in ieiunio et sacco confitentur peccata Deo. Levitæ celebrant prisca beneficia, quibus Deus cum malefactis populi certavit: ac fœdus inter Deum et populum renovant.

1. In die autem vigesimo quarto mensis huius, convenerunt filii Israel in ieiunio et in saccis, et humus super eos. 2. Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena: et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. 3. Et consurrexerunt ad standum: et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. 4. Surrexerunt autem super gradum Levitarum, Iosue, et Bani, et Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, et Chanani: et clamaverunt voce magna ad Dominum Deum suum. 5. Et dixerunt Levitæ, Iosue, et Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phathahia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno usque in æternum: et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude. 6. Tu ipse Domine, solus, tu fecisti cælum, et cælum cælorum, et omnem exercitum eorum: terram, et universa quæ in ea sunt: maria, et omnia quæ in eis sunt: et tu vivificas omnia hæc, et exercitus cæli te adorat. 7. Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram, et eduxisti eum de igne Chaldæorum, et posuisti nomen eius Abraham: 8. Et invenisti cor eius fidele coram te: et percussisti cum eo fœdus, ut dares ei terram Chananæi, Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Iebusæi, et Gergesæi, ut dares semini eius: et implesti verba tua, quoniam iustus es. 9. Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto: clamoremque eorum audisti super mare Rubrum. 10. Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, et in universis servis eius, et in omni populo terræ illius: cognovisti enim quia superbe egerant contra eos: et fecisti tibi nomen, sicut et in hac die. 11. Et mare divisisti ante eos, et transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum proiecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas. 12. Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, et in columna ignis per noctem, ut appareret eis via, per quam ingrediebantur. 13. Ad montem quoque Sinai descendisti, et locutus es cum eis de cælo, et dedisti eis iudicia recta, et legem veritatis, ceremonias, et præcepta bona: 14. Et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, et mandata, et ceremonias, et legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui. 15. Panem quoque de cælo dedisti eis in fame eorum, et aquam de petra eduxisti eis sitientibus, et dixisti eis ut ingrederentur et possiderent terram, super quam levasti manum tuam, ut traderes eis. 16. Ipsi vero et patres nostri superbe egerunt, et induraverunt cervices suas, et non audierunt mandata tua. 17. Et noluerunt audire, et non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et induraverunt cervices suas, et dederunt caput, ut converterentur ad servitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem Deus propitius, clemens et misericors, longanimis et multæ miserationis, non dereliquisti eos, 18. Et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, et dixissent: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: feceruntque blasphemias magnas. 19. Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, et columna ignis per noctem, ut ostenderet eis iter per quod ingrederentur. 20. Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos, et manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, et aquam dedisti eis in siti. 21. Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti. 22. Et dedisti eis regna, et populos, et partitus es eis sortes: et possederunt terram Sehon, et terram regis Hesebon, et terram Og regis Basan. 23. Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cæli, et adduxisti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum ut ingrederentur et possiderent. 24. Et venerunt filii, et possederunt terram, et humiliasti coram eis habitatores terræ Chananæos, et dedisti eos in manu eorum, et reges eorum et populos terræ, ut facerent eis sicut placebat illis. 25. Ceperunt itaque urbes munitas, et humum pinguem, et possederunt domos plenas cunctis bonis: cisternas ab aliis fabricatas, vineas, et oliveta, et ligna pomifera multa: et comederunt, et saturati sunt, et impinguati sunt, et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. 26. Provocaverunt autem te ad iracundiam, et recesserunt a te, et proiecerunt legem tuam post terga sua: et prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos ut reverterentur ad te: feceruntque blasphemias grandes. 27. Et dedisti eos in manu hostium suorum, et afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cælo audisti, et secundum miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum. 28. Cumque requievissent, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo: et dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, et possederunt eos. Conversique sunt, et clamaverunt ad te: tu autem de cælo exaudisti, et liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus. 29. Et contestatus es eos ut reverterentur ad legem tuam. Ipsi vero superbe egerunt, et non audierunt mandata tua, et in iudiciis tuis peccaverunt, quæ faciet homo, et vivet in eis: et dederunt humerum recedentem, et cervicem suam induraverunt, nec audierunt. 30. Et protraxisti super eos annos multos, et contestatus es eos in spiritu tuo per

manum prophetarum tuorum: et non audierunt, et tradidisti eos in manu populorum terrarum. 31. In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos: quoniam Deus miserationum, et clemens es tu. 32. Nunc itaque Deus noster magne, fortis, et terribilis, custodiens pactum et misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem, qui invenit nos, reges nostros, et principes nostros, et sacerdotes nostros, et prophetas nostros, et patres nostros, et omnem populum tuum, a diebus regis Assur usque in diem hanc. 33. Et tu iustus es in omnibus, quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impie egimus. 34. Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, et patres nostri, non fecerunt legem tuam, et non attenderunt mandata tua, et testimonia tua quæ testificatus es in eis. 35. Et ipsi in regnis suis, et in bonitate tua multa, quam dederas eis, et in terra latissima et pingui, quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi, nec reversi sunt a studiis suis pessimis. 36. Ecce nos ipsi hodie servi sumus: et terra, quam dedisti patribus nostris ut comederent panem eius, et quæ bona sunt eius, et nos ipsi servi sumus in ea. 37. Et fruges eius multiplicantur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, et corporibus nostris dominantur, et iumentis nostris secundum voluntatem suam, et in tribulatione magna sumus. 38. Super omnibus ergo his nos ipsi percutimus fœdus, et scribimus, et signant principes nostri, Levitæ nostri, et sacerdotes nostri.

Vers. 1. Pœnitentiæ tria symbola. ET HUMUS (id est pulvis et cinis) SUPER EOS.) Nota hic tria pœnitentiæ officia, æque ac symbola. Primum est, caput aspergere cinere, quasi confitendo quod viles et cinerei sumus, utpote ex cinere formati et in cinerem redituri, iuxta illud Genes. 3. 19. *Pulvis es et in pulverem reverteris.* Secundum est, publicum et solemne ieiunium. Tertium, saccus, sive cilicium.

Vers. 2. SEPARATUM EST SEMEN FILIORUM ISRAEL AB OMNI FILIO ALIENIGENA.) q. d. Separarunt se ab uxoribus gentilitiis, ac filios, quos ex eis procrearant, separarunt a filiis, quos ex uxoribus Israeliticis genuerant eo modo quem dixi 1. Esdræ 10. 3.

Vers. 3. ET CONSURREXERUNT (Levitæ) AD STANDUM.) In loco editiore, e quo a populo videri et audiri possent.

ET QUATER CONFITEBANTUR.) q. d. Ad singulas lectiones canebant Deo psalmos, et hymnos, quibus Dei beneficentiam celebrarent, ac populi ingrati malefacta confitebantur, supplicesque veniam eorum a Deo postulabant.

Vers. 6. CÆLUM CÆLORUM.) Id est cælum altissimum, vastissimum et præstantissimum, scilicet empyreum; ET OMNEM EXERCITUM EORUM, puta omnes angelos et omnia astra.

Vers. 7. ELEGISTI ABRAHAM, ET EDUXISTI EUM DE IGNE CHALDÆORUM.) Dices: Hebr. et Septuag. habent *de Ur Chaldæorum*, et sic vertit Noster Gen. 11. 31. et alibi.

Resp. *Ur* sive *Ura*, ut habet Iosephus, est nomen proprium urbis Chaldæorum, ex qua Deus eduxit Abraham, quam Eupolemus apud Eusebium lib. 9. Præpar. cap. 4. vocat Camirinem. Dicta videtur a cultu agri (hunc enim Hebr. significat *ur*) quem teste S. Hieron. quæst. in Genesim ut Deum coluerunt Chaldæi. Sicut Heliopolis in Ægypto dicta est a cultu solis: *Heliopolis* enim idem est quod ἡλιο πολις, id est, *solis urbs*: ideoque Noster ut interpretetur nomen Hebr. *ur*, vertit *ignis*. Unde et quædam Biblia τὸ *ignis* hoc loco scribunt per maiusculam *I*, quasi nomen proprium urbis; omnino enim hic alluditur ad Genes. 11. 31. ubi dicitur: *Eduxi eos de Ur Chaldæorum;* sic enim et alibi sæpe Noster interpretatur etyma nominum propriorum Hebræorum, quia in eis latet aliquod mysterium, aut vis et energia, ut Iudic. 15. 19. Gen. 26. 20. et 22.

Hinc secundo Tὸ *ur* potest accipi quasi nomen non proprium, sed appellativum, ut significet ignem, id est pressuram et afflictionem: sicut et Psal. 16. 3. et Psal. 65. 12. multas enim afflictiones passum esse Abraham a Chaldæis, eo quod nollet adorare ignem, quem ipsi æque ac Persæ ut Deum colebant, testatur Iosephus libro 1. Antiq. 8. et sanctus Augustinus l. 16. civit. 13. Imo Hebræorum traditio est, hac de causa Abrahamum in ignem fuisse coniectum, sed a Deo miraculose liberatum, quam approbat S. Hier. quæst. in Genesim. Nec mirum huius rei non meminisse Iosephum, nec Philonem, nec S. Paulum Hebr. 11. (quod obiicit Pererius) quia illi fere ea tantum referunt, quæ exstant in Script. ut sæpe de se profitetur Iosephus. Vide dicta Gen. 11. 31.

ET DEDISTI SIGNA ATQUE PORTENTA IN PHARAONE.) Vers. 10.
Puta decem plagas, quibus Deus percussit Pharaonem, ut cogeret eum dimittere Hebræos in Chanaan. Celebrant hic Levitæ magnificentiam et beneficentiam Dei, recensendo omnia quæ Deus pro Hebræis gessit in Ægypto et Chanaan; scilicet quod pro eis afflixerit Ægyptum decem plagis, quod dederit eis columnam ignis quasi ducem viæ, item manna, Legem, aquam de petra, terram Chanaan. Unde confitentur pariter ingratitudinem populi Deo inobedientis. Itaque hæc eorum confessio et oratio est quasi compendium lib. Pentateuchi, Iudicum et Regum.

PANEM QUOQUE DE CÆLO DEDISTI EIS.) Scilicet manna, de quo Exodi 16. Vers. 15.

LEVASTI MANUM TUAM.) Id est iurasti. Iuramus enim manu elevata, quasi Deum invocantes in testem.

ET DEDERUNT CAPUT.) Vatabl. *Et elegerunt*, id est eligere voluerunt *ducem*, qui eos reduceret in Ægyptum ad pristinam servitutem, Numer. 14. Secundo simplicius, *dederunt caput ut converterentur*, id est obfirmata cervice, ut præcessit, ac obdurato capite resolute voluerunt reverti in Ægyptum. Sic v. 29. dicitur: *Dederunt humerum recedentem et cervicem suam induraverunt.* Vers. 17.

NE AVERTAS A FACIE TUA (sed assidue aspice benignis oculis, ut nobis compatiaris et miserearis) OMNEM LABOREM (omnes ærumnas nostras) A DIEBUS REGIS ASSUR.) Qui decem tribus anno sexto Ezechiæ, captivas abduxit in Assyriam. Vers. 32.

VERITATEM FECISTI.) Id est vere implesti, vere exhibuisti præmia quæ promiseras, et pœnas quas transgressoribus comminatus fueras. Vers. 33.

FRUGES MULTIPLICANTUR REGIBUS.) q. d. Iudæa multas quidem profert fruges, at non nobis, sed regibus Persarum, quibus eas pro tributo solvere cogimur. Vers. 37.

SUPER OMNIBUS ERGO HIS.) q. d. Propter omnia ergo hæc, ut nostri miserearis, ecce nova promissione et fœdere pollicemur nos, abdicatis idolis et sceleribus, deinceps tibi soli fideliter et constanter perpetim servituros. Vers. 38.

ET SCRIBIMUS.) Litteras huius fœderis quod tecum inimus, illudque nomine omnium subscribi et obsignari faciemus a Principibus nostris, quorum nomina sequenti capite referuntur.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Enumerantur ii qui fœdus populi cum Deo initum subsignarunt, qui pollicentur 52. mandata Dei universa servaturos, ac nominatim Sabbatum, annumque septimum: item decimas, ac primitias a lege statutas persoluturos, utpote in quibus huc usque negligentes et prævaricatores extiterant.

1. SIGNATORES autem fuerunt, Nehemias, Athersatha filius Hachelai, et Sedecias, 2. Saraias, Azarias, Ieremias, 3. Pheshur, Amarias, Melchias, 4. Hattus, Sebenia, Melluch, 5. Harem, Merimuth, Obdias, 6. Daniel, Genthon, Baruch, 7. Mosollam, Abia, Miamin, 8. Maazia, Belgai, Semeia: hi sacerdotes. 9. Porro Levitæ, Iosue filius Azaniæ, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel, 10. Et fratres eorum, Sebenia, Odaia, Celita, Phalaia, Hanan, 11. Micha, Rohob, Hasebia, 12. Zachur, Serebia, Sabania, 13. Odaia, Bani, Baninu. 14. Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Ælam, Zethu, Bani, 15. Bonni, Azgad, Bebai, 16. Adonia, Begoai, Adin, 17. Ater, Hezecia, Azur, 18. Odaia, Hasum, Besai, 19. Hareph, Anathoth, Nebai, 20. Megphias, Mosollam, Hazir, 21. Mesizabel, Sadoc, Ieddua, 22. Pheltia, Hanan, Anaia, 23. Osee, Hanania, Hasub, 24. Alohes, Phalea, Sobec, 25. Rehum, Hasebna, Maasia, 26. Echaia, Hanan, Anan, 27. Melluch, Haran, Baana: 28. Et reliqui de populo, sacerdotes, Levitæ, ianitores, et cantores, Nathinæi, et omnes qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum, filii eorum, et filiæ eorum. 29. Omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, et qui veniebant ad pollicendum et iurandum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei, ut facerent et custodirent universa mandata Domini Dei nostri, et iudicia eius et ceremonias eius, 30. Et ut non daremus filias nostras populo terræ, et filias eorum non acciperemus filiis nostris. 31. Populi quoque terræ, qui important venalia, et omnia ad usum, per diem sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in sabbato et in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum, et exactionem universæ manus. 32. Et statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, 33. Ad panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum, et in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in solemnitatibus, et in sanctificatis, et pro peccato: ut exoretur pro Israel, et in omnem usum domus Dei nostri. 34. Sortes ergo misimus super oblationem lignorum, inter sacerdotes, et Levitas, et populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, a temporibus anni usque ad annum: ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi: 35. Et ut afferremus primogenita terræ nostræ, et primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini; 36. Et primitiva filiorum nostrorum, et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, et primitiva boum nostrorum, et ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri: 37. Et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque et olei, afferemus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. 38. Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri. 39. Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israel, et filii Levi, primitias frumenti, vini, et olei: et ibi erunt vasa sanctificata, et sacerdotes, et cantores, et ianitores, et ministri, et non dimittemus domum Dei nostri.

Vers. 1. SIGNATORES (fœderis populi cum Deo initi) FUERUNT NEHEMIAS (quasi dux) ATHERSATHA, FILIUS HACHELAI.) Alius est hic a Nehemia, qui Athersatha quoque nuncupabatur.

Vers. 28. ET OMNES QUI SE SEPARAVERUNT DE POPULIS TERRARUM AD LEGEM DEI.) Qui scilicet a gentilismo conversi sunt ad Iudaismum, factique proselyti.

Vers. 29. OMNES QUI POTERANT SAPERE.) Refer ad *filii;* q. d. Omnes filii proselytorum, qui non erant infantes, sed adulti et rationis compotes, signarunt quoque hoc fœdus.

SPONDENTES (erant) PRO FRATRIBUS SUIS OPTIMATES EORUM.) q. d. In tanto numero non poterant omnes hoc fœdus signare: quare optimates soli iurarunt et obsignarunt pro cæteris contribulibus suis.

ET QUI (similes optimatibus erant in populo præcipui) VENIEBANT AD POLLICENDUM ET IURANDUM.) Hebr. additur *cum execratione*, dicentes: Deus nos puniat, si non servaverimus eius mandata.

Vers. 31. DIMITTEMUS ANNUM SEPTIMUM.) Sive Sabbaticum, q. d. Sinemus terram anno septimo Sabbatizare, ut agros non colamus, sed sponte in eis nata pauperibus relinquamus, iuxta legem Exodi 23. 11.

ET EXACTIONEM UNIVERSÆ MANUS.) q. d. Dimittemus pariter debitoribus ea quæ per syngrapham manus eorum nobis sunt debita, ita scilicet ut anno septimo ea non exigamus. Hoc enim lex pariter iubebat, ut, cum terra non coleretur anno septimo, eodem quoque debita ex fructibus terræ solvenda non solverentur.

Vers. 33. ET IN SANCTIFICATIS.) Id est, in hostiis pacificis quæ Deo offeruntur; has enim distinguit a victimis pro peccato, de quibus proxime sequitur.

Vers. 34. A TEMPORIBUS ANNI USQUE AD ANNUM.) Id est quotannis, sive singulis annis.

Vers. 37. DECIMAM PARTEM TERRÆ.) Id est, decimas fructuum terræ. Nec enim Levitæ terram possidere poterant, sed tantum ex ea fructuum decimas accipere.

OPERUM NOSTRORUM.) Hinc patet Iudæos decimas solvisse non tantum agrorum, sed et laborum et operum suorum, ut ex lucro inde eis proveniente decimam partem darent Levitis. (Decimæ laborum solvuntur.)

Vers. 38. ERIT AUTEM SACERDOS FILIUS AARON CUM LEVITIS IN DECIMIS LEVITARUM.) Id est, sacerdotes filii Aaronis habebunt partem decimarum cum Levitis, nimirum decimam decimæ. Nam ut sequitur: LEVITÆ OFFERENT DECIMAM PARTEM DECIMÆ SUÆ IN DOMO DEI. Igitur decimam decimarum suarum partem Levitæ dabant sacerdotibus, sacerdotes vicissim decimam decimæ suæ dabant Pontifici, qui proinde erat dives valde et opulentus, ut dixi Num. 18.

ET IBI ERUNT VASA SANCTIFICATA, ET SACERDOTES,

ET CANTORES, ET IANITORES, ET MINISTRI.) Dum tempore vicis suæ in templo ministrant. Hi enim habitabant in cubiculis templo annexis, quæ exedræ et gazophylacia dicebantur, ibique alebantur: nam sumptu colonorum et Levitarum ad hæc gazophylacia deferri debebant primitiæ, quæ sacerdotibus cedebant. Spondent ergo Hebræi se o-

A mnia hæc diligenter curaturos, quæ antea neglexerant.

ET NON DIMITTEMUS DOMUM DEI.) q. d. Curabimus omnia quæ ad templi usus et Sacerdotum ac Levitarum sustentationem pertinent. Hæc ergo se facturos iurant, quia in eis hucusque negligentiores extiterant.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ierusalem iam muris cincta, e plebe decima pars per sortem deligitur, quæ eam incolat et ædificet, celeri vero ad alias Judææ urbes et pagos excolendos mittuntur, unde mox tam Ierusalem, quam celerarum urbium incolæ nominantur et numerantur.

1. HABITAVERUNT autem principes populi in Ierusalem: reliqua vero plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem, qui habitaturi essent in Ierusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus.
2. Benedixit autem populus omnibus viris, qui se sponte obtulerant ut habitarent in Ierusalem. 3. Hi sunt itaque principes provinciæ, qui habitaverunt in Ierusalem, et in civitatibus Iuda. Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israel, Sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, et filii servorum Salomonis. 4. Et in Ierusalem habitaverunt de filiis Iuda, et de filiis Beniamin: de filiis Iuda, Athaias filius Aziam, filii Zachariæ, filii Amariæ, filii Saphatiæ, filii Malaleel: de filiis Phares, 5. Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Ioiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis: 6. Omnes hi filii Phares, qui habitaverunt in Ierusalem, quadringenti sexaginta octo viri fortes. 7. Hi sunt autem filii Beniamin: Sellum filius Mosollam, filius Ioed, filius Phadaia, filius Colaia, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia, 8. Et post eum Gebbai, Sellai, nongenti viginti octo. 9. Et Ioel filius Zechri præpositus eorum, et Iudas filius Senua super civitatem secundus. 10. Et de sacerdotibus, Idaia filius Ioarib, Iachin, 11. Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoch, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei, 12. Et fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo. Et Adaia filius Ieroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ, 13. Et fratres eius principes patrum: ducenti quadraginta duo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer, 14. Et fratres eorum potentes nimis: centum viginti octo, et præpositus eorum Zabdiel filius potentium. 15. Et de Levitis, Semeia filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni, 16. Et Sabathai et Iozabed, super omnia opera, quæ erant forinsecus in domo Dei, a principibus Levitarum. 17. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum et ad confitendum in oratione, et Becbecia secundus de fratribus eius, et Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithum: 18. Omnes Levitæ in civitate sancta ducenti octoginta quatuor. 19. Et ianitores, Accub, Telmon, et fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo. 20. Et reliqui ex Israel Sacerdotes et Levitæ in universis civitatibus Iuda, unusquisque in possessione sua. 21. Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, et Siaha, et Gaspha de Nathinæis. 22. Et episcopus Levitarum in Ierusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei. 23. Præceptum quippe regis super eos erat, et ordo in cantoribus per dies singulos, 24. Et Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filii Iuda in manu regis, iuxta omne verbum populi, 25. Et in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Iuda habitaverunt in Chariatharbe, et in filiabus eius: et in Dibon, et in filiabus eius: et in Cabseel, et in viculis eius, 26. Et in Iesue, et in Molada, et in Bethphaleth, 27. Et in Hasersual, et in Bersabee, et in filiabus eius, 28. Et in Siceleg, et in Mochona, et in filiabus eius, 29. Et in Remmon, et in Saraa, et in Ierimuth, 30. Zanoa, Odollam, et in villis earum, Lachis et regionibus eius, et Azeca, et filiabus eius. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom. 31. Filii autem Beniamin, a Geba, Mechmas, et Hai, et Bethel, et filiabus eius. 32. Anathoth, Nob, Anania, 33. Asor, Rama, Gethaim, 34. Hadid, Seboim, et Neballat, Lod, 35. Et Ono valle artificum. 36. Et de Levitis portiones Iudæ et Beniamin.

Vers. 1. HABITAVERUNT AUTEM PRINCIPES POPULI IN IERUSALEM.) Tamquam in metropoli, ac civitate sancta, et a Deo electa ad templum æque ac ad regnum, vel regimen.

RELIQUA VERO PLEBS MISIT SORTEM, UT TOLLERENT UNAM PARTEM DE DECEM, QUI HABITATURI ESSENT IN IERUSALEM CIVITATE SANCTA, NOVEM VERO PARTES IN CIVITATIBUS.) Cæteris Iudææ. Erat enim Ierusalem tam incolis, quam domibus destituta: quare decima pars plebis sorte delecta est ad eam incolendam, ac ad domos, fora, plateas in ea ædificandum, quod duobus annis incolæ sorte delecti perfecerunt, teste Beda et Iosepho 11. Antiq. c. 5. Sorte delectis accessere ii qui sponte se obtulerunt ad habitandum in Ierusalem, ut dicitur v. 2.

Vers. 3. ET FILII SERVORUM SALOMONIS.) Quinam fuerint hi,

B dixi 1. Esdræ 2. 43. et 1. Paralipom. 9. 2.

ET IUDAS FILIUS SENUA SUPER CIVITATEM SECUNDUS.) Vers. 9.
q. d. Primus civitatis Ierusalem præfectus sive præpositus erat Ioel qui præcessit: secundus vero erat Iudas.

SARAIA, etc. PRINCEPS DOMUS DEI.) Princeps, id est Vers. 11.
procurator: nam eum non fuisse Pontificem liquet ex c. seq. v. 10. ubi inter Pontifices non nominatur.

FILIUS POTENTIUM.) Id est unius e potentibus et pri- Vers. 14.
moribus.

SEMEIA FILIUS HASUB (qui Hasub erat) FILIUS AZARI- Vers. 15.
CAM (qui Azaricam erat) FILIUS HASABIA (qui Hasabia erat) FILIUS BONI.) Unde Vatablus et alii vertunt: *Semeia filius Hasub, filii Azaricam, filii Hasabia, filii Boni.* Simili modo τὸ *filius* exponendum est v. 6. 7. 9. 10. et omnibus sequentibus, subaudiendo *qui erat.* Unde clarius

ubique pro *filius* cum Pagnino et Vatablo vertas *filii.*

Vers. 16. IOZABED SUPER OMNIA OPERA, QUÆ ERANT FORINSECUS IN DOMO DEI A PRINCIPIBUS LEVITARUM.) q. d. Iozabed præerat culturæ agrorum, item curæ vasorum ad templum pertinentium, quorum adaptatio a principibus Levitarum facienda erat.

Vers. 17. MATHANIA, etc. PRINCEPS AD LAUDANDUM.) Hoc est, præerat cantoribus et instrumentis musicis.

Vers. 22. ET EPISCOPUS LEVITARUM.) Id est præfectus Levitarum: Episcopus enim Græce idem est quod *superintendens.* Unde Cicero lib. 7. Epistol. ad Atticum Campaniæ Præfectum vocat Episcopum.

Vers. 23. PRÆCEPTUM QUIPPE REGIS SUPER EOS ERAT, ET ORDO IN CANTORIBUS PER SINGULOS DIES.) q. d. Artaxerxes præcepit ut Levitæ quotidie per vices iuxta ordinem a Davide et Salomone institutum Deo in templo psalmos et hymnos concinerent.

Vers. 24. ET PHATHAHIA etc. IN MANU REGIS IUXTA OMNE VERBUM POPULI.) Hebr. *Phathahia erat ad manum regis ad omne negotium populi;* q. d. Phathahias iurisperitus constitutus erat ab Artaxerxe, ut nomine eius cum Nehemia duce omnes populi causas, litesque decideret; sic etiam-

A num Prætoribus et Iudicibus adiungi solet assessor iuris, legumque peritus.

ET IN DOMIBUS PER OMNES REGIONES EORUM.) Hebr. *Et in villis,* scilicet extra Ierusalem; q. d. Hucusque recensui incolas Ierusalem, iam recensebo incolas villarum et urbium extra Ierusalem sitarum, per omnes Iudææ et Iudæorum regiones. Vers. 25.

ET ONO VALLE ARTIFICUM.) Quis fuerit hic locus dixi c. 6. 2. Vers. 35.

ET DE LEVITIS PORTIONES IUDÆ ET BENIAMIN.) q. d. Levitæ non habitabant simul omnes in Ierusalem, sed sparsi erant per omnes urbes; quare portiones eorum erant distributæ per omnes regiones Iudæ et Beniamin, ut quæque ex eis suum haberent numerum. qui incolas ea quæ ad Dei legem et cultum spectabant, doceret. Hoc enim sanxerat Deus per Mosen. Unde Vatabl. clare vertit: *Levitæ vero possessionem habebant tam in Iuda, quam in Beniamin.* Alii: *In confinio Iuda et Beniamin.* Hebr. est: *Ex Levitis divisiones, vel partitiones erant Iudæ et Beniamin.* q. d. Levitæ dividebantur per Iuda et Beniamin. Septuag. *Ex Levitis partes in Iuda et Beniamin.* Vers. 36.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur sacerdotes et Levitæ tempore Nehemiæ. Unde v. 27. ipse eosdem convocat ad murorum dedicationem, quæ v. 31. facta narratur eorumdem per muros solemni processione cum duobus choris canentium, populi plausu, et immolatione hostiarum. Denique v. 43. statuuntur qui præsint gazophylaciis, et templi sumptibus, ac sacerdotibus et Levitis de alimentis prospiciant.

1. Hi sunt autem sacerdotes et Levitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, et Iosue: Saraia, Ieremias, Esdras, 2. Amaria, Melluch, Hattus, 3. Sebenias, Rehum, Merimuth, 4. Addo, Genthon, Abia, 5. Miamin, Madia, Belga, 6. Semeia, et Ioiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias, 7. Idaia. Isti principes sacerdotum, et fratres eorum, in diebus Iosue. 8. Porro Levitæ, Iesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Iuda, Mathanias, super hymnos ipsi et fratres eorum: 9. Et Becbecia atque Hanni, et fratres eorum, unusquisque in officio suo. 10. Iosue autem genuit Ioacim, et Ioacim genuit Eliasib, et Eliasib genuit Ioiada, 11. Et Ioiada genuit Ionathan, et Ionathan genuit Ieddoa. 12. In diebus autem Ioacim erant sacerdotes et principes familiarum: Saraiæ, Maraia: Ieremiæ, Hanania: 13. Esdræ, Mosollam: Amariæ, Iohanan: 14. Milicho, Ionathan: Sebeniæ, Ioseph: 15. Haram, Edna: Maraioth, Helci: 16. Adaiæ, Zacharia: Genthon, Mosollam: 17. Abiæ, Zechri: Miamin et Moadiæ, Phelti: 18. Belgæ, Sammua: Semaiæ, Ionathan: 19. Ioiarib, Mathanai: Iodaiæ, Azzi: 20. Sellai, Celai: Amoc, Heber: 21. Helciæ, Hasebia: Idaiæ, Nathanael. 22. Levitæ in diebus Eliasib, et Ioiada, et Iohanan, et Ieddoa, scripti principes familiarum, et sacerdotes in regno Darii Persæ. 23. Filii Levi principes familiarum, scripti in Libro verborum dierum, et usque ad dies Ionathan, filii Eliasib. 24. Et principes Levitarum, Hasebia, Serebia, et Iosue filius Cedmihel: et fratres eorum per vices suas, ut laudarent et confiterentur iuxta præceptum David viri Dei, et observarent æque per ordinem. 25. Mathania, et Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum et vestibulorum ante portas. 26. Hi in diebus Ioacim filii Iosue, filii Iosedec, et in diebus Nehemiæ ducis, et Esdræ sacerdotis scribæque. 27. In dedicatione autem muri Ierusalem, requisierunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Ierusalem, et facerent dedicationem et lætitiam in actione gratiarum, et cantico, et in cymbalis, psalteriis, et citharis. 28. Congregati sunt autem filii cantorum de campestribus circa Ierusalem, et de villis Nethuphati, 29. Et de domo Galgal, et de regionibus Geba et Azmaveth: quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Ierusalem. 30. Et mundati sunt sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum, et portas, et murum. 31. Ascendere autem feci principes Iuda super murum, et statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinii. 32. Et ivit post eos Osaias, et media pars principum Iuda, 33. Et Azarias, Esdras, et Mosollam, Iudas, et Beniamin, et Semeia, et Ieremias. 34. Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias filius Ionathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Asaph, 35. Et fratres eius, Semeia, et Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, et Iudas, et Hanani, in vasis cantici David viri Dei: et Esdras scriba ante eos in porta fontis. 36. Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David, in ascensu muri super domum David, et usque ad portam aquarum ad orientem. 37. Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, et ego post eum, et media pars populi super murum, et super turrim furnorum, et usque ad murum latissimum. 38. Et super portam Ephraim, et super portam antiquam, et super portam piscium, et turrim Hananeel, et turrim Emath, et usque ad portam gregis: et steterunt in porta custodiæ. 39. Steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, et ego, et dimidia pars magistratuum mecum. 40. Et sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania, in tubis, 41. Et Maasia, et Semeia,

et Eleazar, et Azzi, et Iohanan, et Melchia, et Aelam, et Ezer. Et clare cecinerunt cantores, et Iezraia præpositus:
42. Et immolaverunt in die illa victimas magnas, et lætati sunt: Deus enim lætificaverat eos lætitia magna: sed et
uxores eorum et liberi gavisi sunt, et audita est lætitia Ierusalem procul. 43. Recensuerunt quoque in die illa viros
super gazophylacia thesauri ad libamina, et ad primitias, et ad decimas, ut introferrent per eos principes civitatis in
decore gratiarum actionis, sacerdotes et Levitas: quia lætificatus est Iuda in sacerdotibus et Levitis adstantibus. 44.
Et custodierunt observationem Dei sui, et observationem expiationis, et cantores, et ianitores iuxta præceptum David,
et Salomonis filii eius, 45. Quia in diebus David et Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum, in
carmine laudantium et confitentium Deo. 46. Et omnis Israel, in diebus Zorobabel, et in diebus Nehemiæ, dabant
partes cantoribus et ianitoribus per dies singulos, et sanctificabant Levitas, et Levitæ sanctificabant filios Aaron.

Vers. 1. Esdras unus, non duo. ESDRAS.) Caiet. putat hunc Esdram esse diversum ab Esdra de quo lib. 1. quem ipse conscripsit. Probat, quia hic simpliciter vocatur Esdras, ille vero l. 1. vocatur Sacerdos et scriba. Verum Sanchez et alii censent esse unum eumdemque. Nam hic quoque v. 35. vocatur *Esdras scriba*, diciturque præfuisse uni choro cantorum. Quare Esdras hoc anno 20. Artaxerxis superstes iam erat 147. annorum, ut superius dixi. Addit Historia Scholast. in Iudith c. 10. *Dedicatis iam mœnibus, defunctus est Esdras et Ierosolymæ sepultus.*

Vers. 7. ISTI PRINCIPES SACERDOTUM, etc. IN DIEBUS IOSUE.) Hoc est Iesu filii Iosedec Pontificis, qui anno primo Cyri cum Zorobabel Iudæos e Babylone reduxit, et templum reædificavit.

Vers. 10. IOSUE AUTEM GENUIT IOACIM, ET IOACIM GENUIT ELIASIB, ET ELIASIB GENUIT IOIADA.

Vers. 11. ET IOIADA GENUIT IONATHAN, ET IONATHAN GENUIT IEDDOA.) Ieddoa est Iaddo, qui pontificalibus indutus occurrit Alexandro Magno, eumque Iudæis offensum (eo quod ipsi Dario Codomanno regi Persarum, cui erant subditi, favissent, non sibi eum invadenti) placavit. Unde eum supplex veneratus est Alexander, teste Iosepho l. 11. Antiq. c. 8.

Dices: Nehemias non potuit Iaddum videre pontificem; sic enim debuisset vivere ducentos annos: tot enim fluxere a Cyro ad Alexandrum, totque annis stetit monarchia Persarum, quam victo Dario Alexander transtulit ad Græcos. Vixit enim et gessit hæc Nehemias sub Artaxerxe Longimano, qui Alexandrum antecessit centum annis et amplius: quare non potuit ipse Iaddum sub Alexandro videre pontificem. Hoc argumento convictus Scaliger de Emendatione Temp. contendit Artaxerxem, qui misit Nehemiam in Iudæam, non fuisse Longimanum, sed Mnemonem, qui paulo ante Alexandrum regnavit in Perside. Verum respondeo: Hæc omnia in argumento obiecta vera esse; ideoque hunc vers. 11. æque ac vers. 22. non esse scriptum a Nehemia, sed post eius mortem huic libro hoc loco insertum a Synagoga Iudæorum, quæ tum regebatur a Spiritu Sancto, vel ab aliquo scriptore Hagiographo, ad ostendendam continuam Pontificum successionem toto tempore regni Persarum usque ad Alexandrum, a cuius gestis incipiunt libri Machabæorum, ut continuam Israelis, hoc est reipublicæ et Ecclesiæ Dei historiam pertexant per Machabæos Pontifices et Principes usque ad Christum. Primus enim Iosue, sive Iesus, qui hic nominatur, fuit pontifex sub Cyro: ultimus vero Ieddoa, sive Iaddo fuit Pontifex sub Dario Codomanno et Alexandro: intermedii vero fuere Pontifices successive sub Dario, Xerxe, Artaxerxe, aliisque regibus Persarum pariter intermediis, uti ostendi in catalogo et serie horum Pontificum, quam præfixi Esdræ. Id ita esse colligitur ex v. 23. et 26. ubi dicitur, tempore Nehemiæ fuisse Pontifices Ioacim et Eliasib, *usque ad dies Ionathan filii Eliasib;* Ionathan autem fuit pater Ieddoæ, sive Iaddi: quare eum Nehemias non vidit Pontificem. Simili modo libris Mosis ac Iosue et aliorum, ab Esdra addita sunt ultima capita, quibus eorum mors describitur, ut dixi proœmio in Esdram.

An Nehemias viderit Iaddum. Resp.

Respondeo secundo. Nehemiam vidisse Iaddum puerum, sed non Pontificem. Id liquet ex c. 13. v. 28. ubi dicitur aliquis filiorum Ioiadæ Pontificis dedisse filiam suam uxorem Sanaballat Horonitæ; itaque eum sibi fecisse generum, *quem,* inquit Nehemias, *fugavi a me.* Nam hic filius Ioiadæ fuit Ionathan pater Iaddi, vel certe fuit frater Ionathan. Quare si tunc Ionathan, vel frater eius habebat filiam nubilem, utique poterat et filium habere Iaddum. Sicut ergo Esdras, Deo dante, fuit longævus vixitque 147. annos; sic et longævus fuit Nehemias Esdræ coævus, æque ac longævi fuere Iesus filius Iosedec, Daniel et similes illo ævo, idque hoc fine, ut Synagogam in captivitate ex parte prolapsam, in fide, lege et cultu veri Dei instaurarent; nimirum, ut ille ait: *Senium non sentit charitas.* Quare Iaddo pontifex, tempore Alexandri Magni, videtur fuisse grandævus, scilicet 94. circiter annorum, ita ut natus sit sub Artaxerxe, vel Dario Notho eius filio, visusque a Nehemia puer, vel iuvenis existens; nam ab ultimo anno Artaxerxis ad Alexandrum fluxere 94. anni. Et hac de causa Ieddoa hic non vocatur pontifex, sed simpliciter nominatur dumtaxat, diciturque genitus a Ionathan,

IN DIEBUS AUTEM IOACIM ERANT SACERDOTES ET PRINCIPES FAMILIARUM (sacerdotalium tum recentium et præ cæteris florentium) SARAIÆ, MARAIA: IEREMIÆ, HANANIA: ESDRÆ, MOSOLLAM, etc.) q. d. In familia Saraiæ, quæ tempore Iosue, sive Iesu pontificis inter sacerdotales familias erat celebris et prima, ut dictum est versu 1. iam tempore Ioacim filii Iesu Pontificis primarius et princeps erat Maraia: in familia vero Ieremiæ primus et princeps erat Hanania; in familia vero Esdræ caput et princeps erat Mosollam; et ita de cæteris qui sequuntur. Vers. 12.

LEVITÆ IN DIEBUS ELIASIB ET IOIADA, ET IOHANAN, ET IEDDOA, SCRIPTI PRINCIPES FAMILIARUM, ET SACERDOTES (supple, erant ii quos subiungo versu 24. hucusque enim recensuit principes Levitarum familiarum sacerdotalium: nunc simili modo recenset principes familiarum Leviticarum) IN REGNO (Hebr. *usque ad regnum,* ut vertunt Pagnin. et Vatabl.) DARII PERSÆ.) Scilicet Darii Codomanni ultimi Persarum regis, quem anno septimo regni vicit Alexander, itaque monarchiam a Persis ad Græcos transtulit. Hic versus videtur insertus Nehemiæ ab aliquo posteriore, ut dixi versu 11. nam Nehemias non vidit Darium Codomannum, nec Iaddum sub eo Pontificem: sic enim debuisset vivere annos ducentos. Nisi dicas Darium hic accipi non Codomannum, sed Nothum, qui fuit filius spurius Artaxerxis Longimani, illique in regno successit. Hunc enim videre potuit Nehemias, adeoque si Iaddus natus est initio regni Darii Nothi, tempore Alexandri Magni erat 94. circiter annorum. Vers. 22.

IN LIBRO VERBORUM DIERUM.) Id est, in annalibus, sive diariis et chronicis Pontificum Iudæorum. Hos enim annales exacte conscripsisse Iudæos liquet ex libro Paralip. et ex Iosepho, idque per seriem annorum Pontificum, utpote regibus iam exstinctis. Unde pariter patet annales hos diversos esse a libro Paralip. nam ab eo citantur. Vers. 23.

IN DEDICATIONE AUTEM MURI IERUSALEM.) Hinc patet solemnem hanc dedicationem fuisse muri Ierusalem; ideoque paulo post 52. dies, quibus murus perfectus fuit, esse peractam, ut censent Salianus, Sanchez et alii: licet nonnulli putent hanc dedicationem fuisse non muri dumtaxat, sed totius urbis, postquam in illa domus, fora, vici et plateæ fuere ædificatæ et perfectæ per spatium biennii, teste Iosepho: quare hanc dedicationem totius urbis factam Vers. 27.

aiunt anno 22. Artaxerxis. Unde ipsi ab hoc anno 22. quo dedicata est urbs, inchoant 70. hebdomades Danielis usque ad Christum.

Porro ritus huius dedicationis describitur versu 30. et sequentibus. Hinc cœpit usus pius dedicandi novas urbes et domos, quem proinde etiamnum religiosiores studiose observant. Idem fecere Gentiles, ut dixi superius. Hinc Iustin. Imp. l. *sacra loca* 9. §. *sanctæ, ff. de rerum divisione: Sanctæ quoque res*, inquit, *velut muri et portæ civitatis quodam modo divini iuris sunt, et ideo nullius in bonis sunt.* Sacros esse muros apud Romanos multis docet Servius ad illud Virgilii l. 5. Æneid.

Interea Æneas urbem designat aratro.

Ubi certos ostendit ritus et sacrificia, quæ in murorum designationem et fabricam adhibebantur.

Vers. 30. MUNDAVERUNT POPULUM, ET PORTAS, ET MURUM.) Nimirum aspergendo ea aqua lustrali: item orando et sacrificando pro eorum incolumitate. Rursum iisdem ritibus mundarunt muros et populum ab omni immunditie et irregularitate, quam in illa lege facile et multis modis contrahebant.

Vers. 31. ASCENDERE AUTEM FECI PRINCIPES IUDA SUPER MURUM.) Muri enim exiguam habebant latitudinem, unde paucos capiebant. Iussi ergo fuere soli principes, non omnes, sed aliqui, eos conscendere, utpote quorum erat eos contra hostes tueri. Porro hinc inde ad latus principum erant duo chori Sacerdotum et Levitarum pari cum eis passu procedentium, et Dei laudes canentium. Uni choro præerat Esdras, ut patet versu 35. alteri Nehemias cum suis asseclis, qui partim sacerdotes erant, partim laici, præsertim e principum numero, ut patet v. 37. et 39.

Vers. 42. ET IMMOLAVERUNT IN ILLA DIE VICTIMAS MAGNAS.) Quas Deus sibi gratas ostendit, dum aquas, quibus perfusæ erant victimæ, convertit in ignem, qui victimas concremavit: qua de causa Hebræi, ut tantum miraculum quotannis recolerent, instituerunt festum dati a Deo ignis, ut patet 2. Machab. 1. 18.

Vers. 43. RECENSUERUNT QUOQUE IN DIE ILLA VIROS SUPER GAZOPHYLACIA THESAURI AD LIBAMINA, ET AD PRIMITIAS, ET AD DECIMAS, UT INTROFERRENT PER EOS PRINCIPES CIVITATIS IN DECORE GRATIARUM ACTIONIS (in decoram gratiarum actionem, pro eorum meritis) SACERDOTES ET LEVITAS.) Ut scilicet per viros gazophylaciis præfectos inducerent Sacerdotes et Levitas ad ipsa gazophylacia, ut ex eis acciperent decimas, libamina, et primitias sibi ex lege debitas, ut scilicet ex eis darent partes Sacerdotibus et Levitis, ut habent Hebr. Septuag. Sixtini, Vatablus et alii; idque *in decore gratiarum actionis*, ut scilicet per has oblationes decoras agerent gratias Sacerdotibus et Levitis, quod in hac dedicatione et processione concinne canendo, et religiose sacrificando egregie munere suo perfuncti forent; hoc est enim quod subdit: QUIA LÆTIFICATUS EST IUDA IN SACERDOTIBUS, ET LEVITIS ADSTANTIBUS.) Eo quod officium suum in dedicatione murorum tam præclare obivissent, ut dixi.

SANCTIFICABANT LEVITAS.) Id est *Levitis*, ut habent Hebr. et Septuaginta, q. d. Rem sanctam, puta decimas personis sacris, puta Levitis ex lege debitas deferebant. Et in his decimis LEVITÆ SANCTIFICABANT FILIOS AARON, id est, deferebant sacerdotibus suam decimam, de qua Numer. cap. 18. v. 8. Sanctificare ergo hic idem est, quod rem sanctam, puta decimam offerre. Ex re sancta enim videtur quasi sanctificari persona, cui res sancta lege illi debita offertur; ita Caiet. Vatablus et alii. Sic vir infidelis dicitur sanctificari (per denominationem extrinsecam) a muliere fideli, ac vicissim mulier infidelis per virum fidelem, 1. Corinth. 7. 14. Vers. 46. Sanctificare pro rem sanctam offerre.

Rursum sanctificare, ait Sanchez, est ostendere aliqua actione religiosa et sancta aliquid esse sanctum. Quomodo dicimur sanctificare Sabbatum, aut templum, aut etiam Deum, non quia a nobis aliquid sanctitatis accipiant; sed quia, dum illa veneramur et colimus, eorum sanctitatis hominibus argumenta præbemus. Est autem non levis alicuius sanctitatis argumentum, si publicis aliquem Ordinem sumptibus alamus, maxime si illius obsequii, cum impenditur, causa reddatur, qualis hic a populo redditur liberali et grato. Vel rem sanctam ostendere.

Sic ergo populus sanctificabat Levitas; dando enim eis decimas ostendebat eos se esse maiores, quasi Dei ministros publicis decimis alendos; vicissim Levitæ, decimarum suarum decimam dando sacerdotibus, ostendebant eos esse se maiores et sanctiores. Unde Apostolus Hebr. 7. vers. 4. ex eo quod Abraham dedit decimas Melchisedeco, probat eum maiorem fuisse Abrahamo. Decimæ enim a laicis dantur sacerdotibus quasi Dei ministris, ut pro ipsis Deo serviant et sacrificent.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nehemias anno 32. Artaxerxis rediens in Ierusalem corrigit varios abusus, qui se absente, et mortuo iam Esdra irrepserant: nimirum primo admissionem Moabitarum et Ammonitarum in officia Magistratus Israelis, v. 1. Secundo, Tobiæ Gazophylacium usibus templi restituit, vers. 4. Tertio Levitas profugos ob stipendia negata, iis datis revocat, vers. 10. Quarto, profanationem Sabbati per opera servilia resecat, vers. 15. Quinto, coniugia cum alienigenis, indeque filios Azotice loquentes tollit vers. 23.

1. IN die autem illo lectum est in volumine Moysi audiente populo: et inventum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites et Moabites in ecclesiam Dei usque in æternum: 2. Eo quod non occurrerint filiis Israel cum pane et aqua: et conduxerint adversum eos Balaam, ad maledicendum eis: et convertit Deus noster maledictionem in benedictionem. 3. Factum est autem, cum audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israel. 4. Et super hoc erat Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, et proximus Tobiæ. 5. Fecit ergo sibi gazophylacium grande, et ibi erant ante eum reponentes munera, et thus, et vasa, et decimam frumenti, vini, et olei, partes Levitarum, et cantorum, et ianitorum, et primitias sacerdotales. 6. In omnibus autem his non fui in Ierusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, et in fine dierum rogavi regem. 7. Et veni in Ierusalem, et intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ, ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei. 8. Et malum mihi visum est valde. Et proieci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio: 9. Præcepique, et emundaverunt gazophylacia: et retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium et thus. 10. Et cognovi quod partes Levitarum non fuissent datæ: et fugisset unusquisque in regionem suam de Levitis, et cantoribus, et de his qui ministrabant: 11. Et egi causam adversus magistratus, et di-

xi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregavi eos, et feci stare in stationibus suis. 12. Et omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini, et olei, in horrea. 13. Et constituimus super horrea Selemiam sacerdotem, et Sadoc scribam, et Phadaiam de Levitis, et iuxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati sunt, et ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum. 14. Memento mei Deus meus pro hoc, et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, et in ceremoniis eius. 15. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, et onerantes super asinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Ierusalem die sabbati. Et contestatus sum, ut in die qua vendere liceret, venderent. 16. Et Tyri habitaverunt in ea, inferentes pisces, et omnia venalia: et vendebant in sabbatis filiis Iuda in Ierusalem: 17. Et obiurgavi optimates Iuda, et dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, et profanatis diem sabbati? 18. Numquid non hæc fecerunt patres nostri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israel violando sabbatum. 19. Factum est autem, cum quievissent portæ Ierusalem in die sabbati, dixi: et clauserunt ianuas, et præcepi ut non aperirent eas usque post sabbatum: et de pueris meis constitui super portas ut nullus inferret onus in die sabbati. 20. Et manserunt negotiatores, et vendentes universa venalia, foris Ierusalem semel et bis. 21. Et contestatus sum eos, et dixi eis: Quare manetis ex adverso muri? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in sabbato. 22. Dixi quoque Levitis ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas, et sanctificandam diem sabbati. Et pro hoc ergo memento mei Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. 23. Sed et in diebus illis vidi Iudæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas. 24. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, et nesciebant loqui Iudaice, et loquebantur iuxta linguam populi et populi. 25. Et obiurgavi eos, et maledixi. Et cecidi ex eis viros, et decalvavi eos, et adiuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, et non acciperent de filiabus eorum filiis suis, et sibimetipsis, dicens: 26. Numquid non in huiuscemodi re peccavit Salomon rex Israel? et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus regem super omnem Israel: et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. 27. Numquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, et ducamus uxores peregrinas? 28. De filiis autem Ioiada filii Eliasib sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi a me. 29. Recordare Domine Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium, iusque sacerdotale et leviticum. 30. Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, et constitui ordines Sacerdotum et Levitarum, unumquemque in ministerio suo: 31. Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis, et in primitivis. Memento mei Deus meus in bonum. Amen.

Vers. 1. SCRIPTUM IN EO, QUOD NON DEBEANT INTROIRE AMMONITES ET MOABITES IN ECCLESIAM DEI.) Scripta est hæc lex Deuter. cap. 23. v. 3. ubi eam explicui, docuique quid per Ecclesiam Dei intelligatur, nimirum intellige dignitatem, eminentiam et magistratum in cœtu populi Israelitici: ad hanc enim admitti non poterant Ammonitæ et Moabitæ; iidem tamen fieri poterant proselyti; itaque cum Iudæis ingredi templum et sacris interesse, uti Ruth Moabitis fecit nupsitque Booz Israelitæ. Sic et apud Hispanos Mauri possunt fieri Christiani, sed ad magistratus non admittuntur.

Vers. 4. ET SUPER HOC ERAT ELIASIB SACERDOS.) q. d. Super custodiam legis iam citatæ vers. 1. constitutus erat Eliasib Pontifex, cuius erat curare, ne quis Ammonites ad officia publica in Israele admitteretur: sed ipse adeo id non curavit, ut Tobiam Ammonitam sibi affinem fecerit ideoque gazophylacio præposuerit. Unde sequitur: QUI (Eliasib) FUERAT PRÆPOSITUS IN GAZOPHYLACIO DOMUS DEI NOSTRI, ET PROXIMUS TOBIÆ.) Tobias hic erat *servus Ammonites*, ut dictum est cap. 2. v. 10. Ideoque infensus Iudæorum hostis, sed dives et potens, ideoque cum eo affinitatem per connubium contraxerat Eliasib Pontifex: qua de causa eum ut sibi affinem præfecerat gazophylacio templi, quæ erat magna Tobiæ dignitas, æque ac utilitas, sed maior Israelis indignitas et noxa, quod scilicet servus Ammonita ad tantam dignitatem in Israel eveheretur contra legem Deuter. 23. 3. citatam v. 1. Erat et noxa, quia Tobias gazophylacium non ad usus sacerdotum et templi, ad quod institutum erat, sed ad sua commoda avertebat, reponens in eo omnem suam supellectilem. Quod indignissimum ratus Nehemias eum e gazophylacio expulit, illudque Israeli restituit.

Vers. 5. FECIT ERGO SIBI (Hebræus et Septuag. *fecit ei*, scilicet Tobiæ, ut patet v. 7.) GAZOPHYLACIUM GRANDE, ET ERANT IBI ANTE EUM REPONENTES MUNERA, ET THUS, ET VASA, etc.) q. d. Eliasib præfecit Tobiam Ammonitem toti gazæ templi, puta primitiis et decimis, cæterisque quæ Levitis et Sacerdotibus afferebantur.

Vers. 7. UT FACERET EI THESAURUM.) Scilicet gazophylacium iam dictum, ut habent Septuaginta, in quo thesauri templi asservabantur. Patet ex Hebræo.

PROIECI VASA.) Id est suppellectilem Tobiæ. Vers. 8.

ET RETULI IBI VASA DOMUS DEI ET SACRIFICIUM.) Id est, res ad sacrificium pertinentes, puta oleum, vinum, similam, sal, etc. Vers. 9.

FECI STARE IN STATIONIBUS SUIS.) q. d. Suis locis et officiis restitui Levitas et cantores. Vers. 11.

CUM QUIEVISSENT PORTÆ IERUSALEM IN DIE SABBATI.) A suo officio emittendi et admittendi ingredientes. Hebr. *Cum obumbratæ essent portæ*, id est, cum adesset vespera feriæ sextæ: tunc enim inchoabatur Sabbatum, uti iam dixi. Unde Septuag. vertunt: *ante diem*, scilicet artificialem, *Sabbati*. Iussit ergo Nehemias claudi portas tota die naturali Sabbati per 24. horas, ne quis per illas onera portando violaret Sabbatum. Vers. 19.

UT NULLUS INFERRET ONUS.) Per portas. Hinc porta dicta est, quod per eam onera importentur et exportentur, ait Cato, et ex eo Isidor. l. 15. Etymol. c. 2. licet Donatus portam dici velit ab aratri portatione: quia, inquit, in designatione urbium, subiunctis vacca et tauro, qui urbem designabat in porta, aratrum manu suspendebat, ne sulcum faceret, ubi aditus civitatis erant relinquendi.

MANUM MITTAM IN VOS.) Id est, vos comprehendam, et puniam, et onera mercium quas inferetis confiscabo. Vers. 21.

ET FILII EORUM EX MEDIA PARTE (Hebr. *medietas, sive media pars filiorum*) LOQUEBANTUR AZOTICE, (lingua autem Azotica olebat religionem exoticam et Azoticam). Alia enim medietas loquebatur Moabitice, vel Ammonitice, vel Madianitice, IUXTA LINGUAM POPULI, ET POPULI, id est singulorum populorum, ex quibus matres erant oriundæ; filii enim, a matribus educati, earum linguam cum lacte imbibebant. Vers. 24.

ET MALEDIXI.) Id est, anathematizavi et excommunicavi talium filiorum parentes, imo eos CECIDI (flagellis) ET DECALVAVI (perperam Complut. habent *decalcavi*) id est, depilavi et capillos evulsi, quod magnæ est ignominiæ. Inter quos præcipuus erat filius Ioiadæ Pontificis, de quo v. 28. Vers. 25.

DE FILIIS AUTEM IOIADÆ FILII ELIASIB SACERDOTIS MAGNI (pontificis) GENER ERAT SANABALLAT HORONITES) Vers. 28.

*

Ita Rom. licet Compl. et prisca Biblia habeant *Horonitis* in genitivo; itaque legendum videtur; nam sic habent Hebræi, Septuaginta, Vatablus, Pagninus, et alii, ut sensus sit: Unus e filiis Ioiadæ duxerat filiam Sanaballat Horonitis, ideoque erat eius gener.

QUEM FUGAVI A ME.) Et a cœtu Israel, indignum ratus Sanaballat Samaritam et infidelem connubia miscere cum Israele, imo cum Pontifice.

Porro alius est hic Sanaballat a Sanaballat Præfecto Samariæ, qui teste Iosepho lib. 11. cap. 7. et 8. filiam suam dedit uxorem Manassi fratri Iaddi pontificis sub Alexandro Magno, ideoque Manassen pontificem templi schismatici a schismaticis constructi in Samaria, in monte Garizim, de quo templo perpetua fuit lis inter Iudæos et Samaritanos, etiam tempore Christi, ut patet Ioan. 4. v.

A

24. Alium fuisse liquet ex eo quod hic Sanaballat Horonites socer erat filii Ioiadæ: ille vero Iosephi socer erat Manassis fratris Iaddi Pontificis; ergo hic ille non fuit: Ioiada enim fuit avus Iaddi: Ioiada enim genuit Ionathan; Ionathan vero genuit Iaddum; Iaddi autem frater Manasses, fuit gener huius posterioris Sanaballat. Forte hic posterior prioris fuit filius, vel nepos.

QUEM FUGAVI A ME.) Per *quem* accipe non tam Sanaballat, quam generum Sanaballat filium scilicet Ioiadæ pontificis, qui filiam Sanaballat uxorem duxerat; hunc enim Nehemias expulit, et sacerdotio privavit, ob ductam alienigenam. Ita Sanchez. Nec enim Sanaballat aderat, multo minus subiectus erat Nehemiæ; sed ipsi aderat et subiectus erat filius Ioiadæ: unde et expulit eum.

DE LIBRO III. ET IV. ESDRÆ.

QUÆ ET QUANTA SIT EORUM AUCTORITAS.

NOTA duos hos Esdræ libros non esse canonicos, ut Genebrardus in Chronol. pag. 90. sed esse apocryphos, id est occultæ auctoritatis; quia Ecclesiæ certum non est eos esse canonicos et partes sanctæ Scripturæ, ac proinde eos extra catalogum sacrorum librorum reiecit, locatque inter apocryphos: unde hi duo libri non exstant in textu Hebræo, nec Græco Septuag. Citant tamen eos multi veterum, vel ut sacros, vel ut probos: in multis enim Græcis codicibus liber tertius Esdræ, ipse est primus Esdræ; quia liber hic tertius incipit a gestis Iosiæ regis, qui Esdram antecessit: qui vero in Latinis Bibliis vocantur primus et secundus Esdræ, hi in Græcis nominantur secundus Esdræ. Ita citant hunc librum tertium Esdræ, Origen. hom. 9. in Iosue sub finem, S. Athanas. oratione tertia contra Arrianos, Clemens l. 1. Strom. pag. 64. Cypr. Epist. ad Pomp. Auctor operis imperfecti, hom. 1. in Matth. Sulpit. lib. 2. hist. ubi eadem fere habet quæ apud nos Esdras, dempta illa insigni, cap. 3. trium regiorum iuvenum historia et disputatione de re fortissima, in qua primus dicit: Forte est vinum; secundus: Fortior est rex; sed tertius Zorobabel fortiores ait mulieres; sed fortissima est veritas, quam tamen citat Ioseph. l. 11. Antiq. 4. et S. August. lib. 18. Civitat. 36. mystice adaptat Christo, qui est veritas vincens omnia. Nec habet hic liber quippiam de fabulis suspectum; itaque maioris est auctoritatis quam historia Livii, Sallustii, Curtii et aliorum scriptorum non hagiographorum. Denique hic liber tertius Esdræ narrat eadem quæ narrata sunt libro primo et secundo; sed quæ ibi breviter dicta sunt, fusius hic recensentur, ac nonnulla ibi omissa addit et supplet. Quare illis idem est, quod libri Paralip. sunt ad libros Regum.

C

Dices: Hic liber cap. 1. versu ultimo numerat 77. annos servitutis, cum tamen Ierem. cap. 25. tantum numerantur 70. Resp. utrumque esse verum: nam 70. sunt usque ad annum primum Cyri; 77. sunt, si post Cyrum addas annos regni Cambysis hostis Iudæorum, usque ad Darium Hystaspis, qui plenam et stabilem eis libertatem cum templi fabrica concessit. Quocirca Bellar. l. 1. de verbo Dei cap. 20. librum tertium Esdræ asserit esse canonicum tertii ordinis, cuius sunt liber tertius et quartus Machabæorum, ac liber Hermetis, sive pastoris. Quartus vero liber Esdræ plus habet difficultatis. Nam S. Hieronymus Præfat. in Esdram ait eum continere somnia: atque a Sixto Senensi lib. 1. Biblioth. Pererio in Danielem pag. 797 Bellarm. loco iam citato, hic liber vocatur fabulosus, ac falsitatis et mendacii arguitur, videturque olere fabulas, maxime Thalmudicorum: sed revera nihil in eo reperi, quod apertæ falsitatis convinci possit, quodque non commodum et verum admittat sensum, si presse verba capias.

B

Nam quod primo obiiciunt, cap. 4. vers. 35. 36. 41. dici Obiiciunt animas sanctorum detineri in inferno in promptuariis, donec impleatur numerus electorum Dei, qui est error Vi- 1. gilantii et Calvini: Resp. falso id ei impingi; nam vers. 35. et 36. tantum dicit animas esse in promptuariis, et exspectare mercedem; scilicet plenam et perfectam, quæ eis obtinget in resurrectione communi, completo electorum numero. Rursum, v. 41. dicit eas esse in promptua- Resp. riis in inferno, scilicet limbo patrum, vel purgatorio, quorum utrumque verum est: non enim dicit eas in inferno detinendas, donec compleatur electorum numerus. Quare locus hic citatur et probatur a sancto Ambr. lib. de Bono mortis, cap. 10. nec maiorem habet difficultatem, quam ille Apocal. 6. de animabus sub altari; imo sanctus Ioannes ibi huc et ad c. 15. 8. allusisse videtur.

2. Obiicitur secundo et maxime quod c. 6. 49. et seq. dicitur Deus die quinto geneseos mundi conservasse duas animas, nomine uni Henoch, alteri Leviatan; et quia aquæ non poterant utrumque capere, ideo Deum dedisse Henoch aridam, quæ videtur fabula Thalmudica. Resp. Resp. hinc quidem Thalmudicos fabulæ suæ de piscibus, mare et fœmina, et bove immensæ magnitudinis mactandis in adventu Messiæ ad epulum omnium Iudæorum, occasionem sumere et detorquere potuisse; sed nil tale habet ille locus; et perinde reiiciendus esset Psalmus 103. nam eius vers. 26. ad eamdem fabellam abutuntur, ut passim alias Scriptur. nugis suis contaminant. Possetque sic explicari vere hic locus, dicendo Deum die quinta mundi conservasse duas animas, quas illo die crearat, genericas scilicet, id est duo genera animarum, sive animalium, aves nimirum et pisces: aut si determinatam mavis speciem, struthionem aut gryphem avium maximam, et balænam maximam piscium: uni, avibus scilicet, dedit nomen Henoch, id est dedicatus, vel initiatus, quia aves fuerunt primum vivens animal creatum a Deo, earumque creatione ex aquis quasi dedicatæ sunt aquæ, et quia aqua piscium et avium matrix utrasque capere non poterat, ob disparem utrorumque complexionem, ideo Deus Henoch, id

D

est avibus et grypho, terram assignavit. Deinde potest responderi aliud hic latere secretum, aut mysterium nobis occultum. Similia enim multa symbolica sunt in Daniele et Apocalyp. et similis lis moveri posset de Behemoth et Leviatan, Iob 40.

3. Obiicies tertio: Cap. 7. v. 28. dicere videtur post annos 400. venturum Christum, et occidendum, cum tamen ab Esdra ad Christum sint fere 500. anni. Resp. verum di- Resp. cere eum, qui post 400. annos aliquid futurum dicit, licet post 500. futurum sit: sæpe enim præcise tempus determinare nolumus; et forte alludit ad 70. hebdomadas Da-

nielis (hæ enim cœperunt sub Artaxerxe, qui Esdram remisit in Iudæam) id est 490. annos, voluntque solos centenarios, utpote plenos et perfectos, exprimere.

4. Obiicies quarto: Cap. 13. 40. et seqq. videtur fabulari de decem tribubus inter montes Caspios a Deo conclusis, eorumque locis inacessis. Resp. eum ne verbum quidem habere de montibus Caspiis, sed tantum dicere tribus illas a Deo deductas sicco pede trans Euphraten: *Statuet*, ait, *venas fluminis* (id est stare faciet, ita ut sicco pede transeatur) *ut proficiscerentur in ulteriorem regionem, ubi numquam inhabitavit genus humanum, ut ibi servarent legitima sua.* Quod ante tempora Esdræ verum esse potuit; indeque eas miraculo reducturum, quod forte factum post tempora Esdræ, quando aliqui in Iudæam redierunt, aut futurum est in fine mundi. Certe ex Isaia c. 9. colligitur multos in Iudæa fuisse ex tribu Zabulon et Nephthalim, videlicet Apostolos, et alios tempore Christi. Similis difficultas moveri posset de loco paradisi, de transitu Iordanis et maris Rubri.

Resp.

5. Obiicies quinto: Cap. 14. partitur omne mundi sæculum in duodecim partes, atque decem cum dimidia præteriisse, et tantum unam cum dimidia restare: hoc autem falsum est, nam mundus ante Esdram non stetit 4000. annis, et tamen post eum iam stetit bis mille annis, quod dimidium est sæculi prioris. Resp. has partes non esse tempore æquali mensurandas, sed dividi ab eo, alio respectu, quo modo nos sex aut septem mundi ætates dividimus: quo autem respiciat nos latet, forte ad reges 12. de quibus cap. 12. 14. item Apoc. 17. 10.

Resp.

6. Similis quæstio et lis moveri posset de 70. hebdomadibus Danielis, et mille annis qui post resurrectionem assignantur Apoc. 20. 4. qua de causa olim nonnullis etiam orthodoxis suspecta fuit Apocalypsis quam tamen iam constat esse Scripturam canonicam.

Resp.

7. Obiicies sexto: Cap. 4. v. 1. et 36. habet peregrina angelorum nomina, Uriel et Ieremiel; cum tamen Concilium Roman. sub Zacharia, ut refert Surius in vita S. Bonifacii, mense Iunio, p. 494. dicat se non nisi tria Angelorum nomina agnoscere, scilicet Michael, Gabriel, Raphael: reliqua, ut Uriel, potius esse nomina dæmonum quam Angelorum. Resp. Ecclesiam hæc tria Angelorum nomina sola agnoscere ex divina Scriptura, ut addit Conc. eaque sola publice celebrare et invocare, alia tamen non damnare, nisi ab hæreticis vel magis sint commenta, vel commentis inserta; qualia et quales erant contra quos agit ibi Concil. Quis enim neget angelos, sicuti plurimi sunt, ita et plurima habere nomina, perinde ac dæmones? Apte autem dicitur Uriel, id est ignis, aut lux Dei; Ieremiel, id est magnitudo Dei, iisque veteres usos patet ex Aretha in cap. 9. Apoc.

Resp.

Obiicies ultimo: librum hunc miras proferre visiones et somnia, quæ videntur ludicra et fabulosa. Resp. quia de iis eorumque sensu non constat, miras nobis videri, ideoque et S. Hier. prolog. in Esdram has dicit reiiciendas, scilicet extra canonem S. Script. sed tamen persimiles sunt eodem tempore ostensæ Ezechieli, ac postea S. Ioanni in Apocal. imo multo magis stupendæ; quin etiam Apoc. ad hasce sæpe alludere videtur, ut statim patebit; et tamen constat hæc non esse ludicra. Habet quidem hic liber prophetias quasdam et historias, quarum nemo alius meminit: verum in hisce, si quis ea credere nolit, saltem suspendat cum Ecclesia iudicium suum. Non enim sequitur: Nemo alius hoc scribit, ergo verum non est. Sic enim sacræ Scripturæ, Iosepho, Livio, aliisque historicis in multis fides deroganda foret.

Liber 4 non est Thalmudicus.

Dico ergo hunc librum non esse commentum Thalmudicorum. Patet primo, quia Hebraice non exstat, imo nec Græce, neque eius meminit Iosephus, nec Philo, nec Rabbini et Thalmudici. Secundo, quia hic liber longe ætatem Thalmudicorum, qui S. Hieron. secuti sunt, ut patet ex Genebrar. Chronologia, antecessit. Citatur enim et probatur a S. Ambros. libro secundo in Lucam, et libro de Bono mortis, c. 10. et Epist. 21. ad Horontianum, ubi ex hoc libro probat animæ immortalitatem. Item a S. Cypr. Epistol. ad Demetr. Insuper ex hoc libro, cap. 14. v. 20. et seq. S. Basil. Epistol. ad Chilonem, S. Hieron. contra Helvid. Iren. lib. 3. 25. Tertul. lib. de Habitu mulierum, Isidor. 6. Etymol. et alii docent Esdram spiritu Dei afflatum vetus testamentum a Chaldæis combustum, idem uti prius erat, restituisse, et de novo dictasse, huius enim sententiæ nullum alibi est invenire indicium. Quæ sententia probabilis est; neque ex ea sequitur, omnes libros sacros per totum orbem cum incendio urbis et templi periisse, sed tantum periisse in Iudæa et Ierosolymis. Esdras enim in captivitate hæc scripsit, ubi difficile putabat ex aliis orbis partibus exemplaria reliqua se posse nancisci: itaque ad Iudæorum in captivitate consolationem spiritu Dei plenus eadem ad verbum dictavit, uti opinantur Patres iam citati. Sed tamen nil cogit locum illum de libris sacris accipere; imo copia librorum et distinctio satis indicat eum de aliis loqui. Rursum ex cap. 4. 28. et passim alibi, patet hunc librum longe ante Christum, scilicet in captivitate Babylonica scriptum. Tertio, quia S. Ioannes in Apoc. sæpe ad hunc alludere videtur, ut patet conferenti cap. 6. cum cap. 4. hic v. 35. 36. et cum cap. 15. 8. Idem cap. 12. Apoc. cum cap. 9. hic v. 8. et sequentibus. Ad hæc Apocal. cap. 7. cum cap. 2. hic v. 38. et 42. Denique cap. 18. Apoc. cum cap. 5. et 16. hic.

Dico secundo: Cum hic liber a tot veteribus videatur receptus, et Ecclesia illo utatur in introitu Missæ feria tertia Pentecostes: *Accipite*, inquit, *iucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocavit;* et: *Modo coronantur et accipiunt palmam*, in Officio de Martyr. quæ habentur hic cap. 2. cumque Ecclesia hactenus illum in sacris Bibliis excuderit, ac liber ipse habeat documenta docta, pia, gravia et illustria; denique nusquam non legentibus peccati horrorem, decrescentis mundi increscentem vanitatem et malitiam, iudiciorum Dei terrorem et futuri sæculi memoriam incutiat; nihilque habeat quod non commode accipi possit; hisce, inquam, de causis sua etiam illi concedenda videtur auctoritas. Neque mirum hanc hactenus latuisse, et etiamnum latere, an sacra sit. Id enim Deus permisit olim in omnibus libris Deuterocanonicis; imo permisit multos libros prophetarum intercidere, qui citantur in libris Regum. Sane Esdras, vel quisquis est libri Auctor, vir fuit doctus et pius, ut patet librum legenti. Unde noster Alcazar in cap. 7. Apocal. pag. 489. littera A: Suspicor, inquit, librum quartum Esdræ scriptum post Apocalypsim, eiusque auctorem alludere voluisse ad Apocalypsim, sed ipsius seriem et contextum non probe tenuisse. Verum ex dictis liquet librum hunc scriptum ante Apocalypsim, ideoque S. Ioannem in Apocalypsi ad eum alludere. Audi elegantem piamque Esdræ visionem, quam ipse recenset hoc l. c. 2. atque persimilem illi, quam narrat S. Ioan. Apoc. cap. 7. *Ego Esdras vidi in monte Sion turbam, quam numerare non potui, et omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat iuvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exaltabatur: ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogavi Angelum et dixi: Qui sunt hi, Domine? Qui respondens dixit mihi: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei: modo coronantur et accipiunt palmas. Et dixi Angelo: Ille iuvenis quis est, qui eis coronas imponit, et palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi: Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt: ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt.*

Denique Auctor huius libri quarti, c. 1. v. 1. significat se eumdem esse cum Esdra scriba et sacerdote, qui auctor fuit libri primi; nam vocat se filium Saraiæ Pontificis, eosdemque avos et atavos recenset, quos recensuit Esdras, l. 1. c. 7. sed Esdras ibi quindecim dumtaxat avos numerat, hic vero novemdecim. Unde liquet aliquos ex eis ab Esdra omissos c. 7. Auctor ergo huius libri, vel fuit Esdras, vel certe Esdræ personam assumit: semper enim in Esdræ persona loquitur.

COMMENTARIA

IN

T O B I A M.

A R G U M E N T U M.

Libri auctoritas. QUÆRITUR primo, an hic Liber sit canonicus, ut infallibilis, et divinæ sit veritatis? Resp. olim nonnullos Patres eum non habuisse pro canonico, eo quod non extat in canone Hebræorum. Idem censent de libro Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici et Machabæorum. Ita S. Hieron. in Prologo Galeato, S. Athanasius in Synopsi, Nazian. in carm. de libris Sacris, Lyranus et Abulensis.

Verum iam de fide est eum æque ac cæteros iam nominatos, esse canonicum; ita enim definivit Concil. Cartag. 4. can. 47. Concil. Florent. et Trident. Sess. 4. et Gelasius primus in decreto de divinis libris, ac talem eum habuere S. Irenæus, S. Chrysost. S. August. Cyp. Ambr. Basilius, Clemens Alexand. Rabanus, Cassiodorus, Isidorus, et alii quos citat Bellarm. lib. 1. de verb. Dei cap. 11. Serarius hic, et Sixtus Senens. lib. 8. Biblioth. Hæresi 11.

Materia. Quæritur secundo, quodnam sit eius Argumentum? Resp. describere vitam, gesta, et mores Tobiæ utriusque, patris scilicet, et filii, qui fuere speculum probitatis, ideoque a coniugibus omnibus imitandi. Liber hic enim totus est moralis et pius, ac exemplar vitæ honestæ et sanctæ exhibet adolescentibus, præsertim sponsis; item vivum exemplum custodiæ Angelorum. Docet insuper quanta sit vis et virtus orationis, quis debeat esse usus et finis coniugii, ac qualis vita coniugatorum. Tobias ergo œconomicus est, ac longe superat œconomicos Aristotelis et Xenophontis. Denique quanta sit Dei erga suos fideles providentia, quantamque eorum curam gerat, ut per omnia eos dirigat ad optatum finem.

Est historia, non comœdia. Cavendus est hic error Pauli Fagii, qui in sua versione Latina Tobiæ ex textu Hebræo in præfatione asserit librum hunc non esse historiam, sed comœdiam comica ratione conscriptam, ut auctor boni patrisfamilias in eo typum ob oculos poneret, ideoque apte ei Tobiæ nomen dederit. Tobias enim bonitatem et probitatem significat: unde alius Tobias filius patri similis editur et progignitur. Sic Xenophon scripsit Cyripædiam, ut in Cyro daret ideam boni principis, et œconomicum, ut in eo verum patremfamilias describeret. Verum certum est hanc veram esse historiam, uti omnes orthodoxi censent; nam in ea nominantur tempora, personæ, anni, et acta tam Tobiæ utriusque, quam Angeli Raphaelis, Saræ, etc. quasi veræ historiæ: si enim essent hæc omnia comica et ficta, non vera et facta, liber hic excusari non posset a fuco, sed nec a mendacio.

Chaldaice conscripta. Quæritur tertio, qua lingua hic liber sit conscriptus? Paulus Fagius, natione Germanus, secta Lutheranus, suum Lutherum secutus, putat primitus Hebraice conscriptum, esseque illum, quem Constantinopoli ad se allatum asserit, quemque ipse ex Hebræo in Latinum traduxit, et typis vulgavit, idque arguere styli sinceritatem, soliditatem, et correspondentiam cum aliis libris Hebraicis; et ex Hebræo deinde translatum esse in idioma Græcum, et ex Græco in Chaldæum, ex Chaldæo denique a S. Hieron. traductum in Latinum.

Verum Hebræus ille primogenius Tobiæ textus, editus a Fagio, supposititius videtur. Mirum enim est eum non fuisse a S. Hieron. visum, qui expresse testatur hic in præfatione hunc librum non Hebræo, sed Chaldæo sermone conscriptum. Porro phrasis textus Hebræi a Fagio editi plane videtur esse alicuius mimi Rabbini, qui pueriliter ad verbum ex Græco Tobiam in Hebræum traduxerit. Græco enim sæpe ad verbum respondet: unde ex eo traductus videtur, resectis nonnullis quæ Fagio vel traductori displicebant. Addit nonnulla ridicula, ut quod Tobias, cum curari non posset, iverit in Alemaniam, sive Germaniam, quod dederit tertias decimas pro restauranda domo, secundum legem Domini. Harum enim decimarum nulla in lege est mentio.

Fixum ergo sit ex S. Hieronymo librum hunc primitus sermone non Hebræo, sed Chaldæo fuisse conscriptum, ex quo deinde, ceu fonte variæ translationes, tam Græcæ, quam Hebraicæ, et Syriacæ emanarunt, de quibus Serarius hic prolegomen. 4.

Hinc videtur liber hic in captivitate Assyriaca conscriptus: ibi enim usus erat linguæ Chaldaicæ, in Iudæa vero Hebraicæ. Addit Serarius, quod præter Hebræam, et Græcam illam, quæ nostræ huic Latinæ versioni respondet, alia exstat Hebræa, et Græca paulo amplior et fusior, in qua Tobias semper αὐτοπροσώπως, seu in prima persona loquitur; unde merito putant aliqui Tobiam bis eamdem historiam conscripsisse, semel succincte, quam hic habemus; iterumque fusius, quæ Græce etiamnum exstat, ut dixi. Hæc posterior exstat apud S. Ambrosium et in Bibliis Compl. Porro hæ versiones sæpe inter se dissentiunt. Nobis ex decreto Conc. Trid. sess. 4. sequenda est Latina vulgata potius quam Hebræa, et Græca, cum ab ea dissentit. In Assyria.

Quæritur quarto, quis sit auctor libri? Resp. Sixtus Senensis et Serarius censent esse Tobiam utrumque: priorem enim partem scripsisse Tobiam patrem, posteriorem vero Tobiam filium; narrat enim ea quæ post mortem patris contigerunt. Probant ex cap. 12. v. 25. ubi pro *narrate omnia*, Hebræa et Græca habent: *Scribite omnia hæc, quæ contigerunt, in libro:* videtur ergo Tobias pater librum hunc iussu Raphaelis Archangeli usque ad cap. 13. scripsisse; filius vero id caput ad indicatum iam Auctor Tobias uterque.

versum 16. perduxisse. Nam et in illius principio Hebraice ita scriptum: *In isto tempore scripsit Tobias ultima verba hæc in gaudio.* Tobias, inquam, filius; nam patrem, ut supra dictum, vocare solet Hebræus ille textus non Tobiam, sed Tobi, quemadmodum et statim, dum subiungit: *Et dixit Tobi: Benedictus Dominus Deus.* Quis vero sit ille tertius qui extremos duos versus addidit, mihi haud compertum, quemadmodum neque constat manum Deuteronómio ultimam quis imposuerit, etsi de Iosue quorumdam est opinio.

Alii censent aliquem istius ævi scribam, ac forte Esdram, ut opinatur Sanchez, librum Tobiæ scripsisse; nam in codice Græco citatur Ieremias, quem ætate diu antecessit Tobias uterque, nisi quis dicat Ieremiæ nomen e margine in textum irrepsisse

Quæritur quinto, quis et qualis fuit Tobias? Resp. fuisse Galilæum oriundum ex tribu et civitate Nephthali, ut patet c. 1. v. 1. Fuisse Prophetam liquet ex c. 14. v. 6. et seq. ubi prophetat instans Ninives excidium, ac Ierosolymæ felicitatem et gloriam: unde Beda in cap. 13. *Repletus*, inquit, *Tobias spiritu Prophetico, de superna Ierusalem multa decantat.*

Idem docet S. Iren. lib. 1. v. 34. Hugo, Lyranus, Dion. Vatabl. et alii. Porro fuit vir eximiæ patientiæ, charitatis et zeli: unde apte Tobias vocatur. Tobias enim Hebraice idem est quod *bonus Deus*, vel *bonus Dei*, vel *bonitas Dei*, ait Serarius: aut presse, *bonum meum Deus*, ait Pagnin. in nomin. Hebr. Tobias enim omnes res, et spes omnes, suasque opes in uno Deo reposuit, ut diceret cum Psalmista: *Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Psalm. 72. v. 25. et cum S. Francisco: *Deus meus, amor meus, et omnia.*

Tobias idem est quod bonum meum Deus.

Tropologice scripsit S. Ambros. librum de Tobia contra fœneratores et avaritiam. Rursum documenta ad bonos mores spectantia, ex hoc libro collegit Petrus Bertorius Pictaviensis, lib. 7. Moralitatum. Allegoriam in Tobiam tradidit Beda, tom. 4.

CHRONOTAXIS.

Series annorum Tobiæ patris.

Tobias senior e Chaldæa captivus ductus est in Assyriam a Salmanasar rege, agens annum ætatis 39. ut ex textu Hebræo Serarius et Salianus colligunt; vixit in captivitate annos 63. vixit ergo universim annos 102. Excæcatus fuit anno ætatis 56. vixit cæcus annos quatuor, visum recuperavit anno 60. deinde vixit adhuc annos 42. Hæc iuxta textum Latinum vulgatæ editionis cap. 14. 1. quæ nobis sequenda est. Nam iuxta textum Græcum, Tobias venit in captivitatem anno ætatis 37. vixit in ea annos 125. mortuus est anno 158. Excæcatus est anno ætatis 58. vixit cæcus annos octo, visum recepit anno 66. deinde vixit adhuc annos 92.

Et filii.

Tobias iunior, ait Serarius, sub finem libri, cum esset duorum annorum, cum patre ductus est in Assyriam. Ivit in Mediam, ibique Saram duxit uxorem, anno ætatis 23. vel 24. vixit cum vivo parente annos 65. vel 66. vixit post parentis mortem annos 99. hoc est universim annos 164. vel 165. Hæc tria ultima vera sunt, iuxta textum Græcum, quem sequitur S. Ambros. non Latinum vulgatum, qui nobis sequendus est, uti mox dicam.

Rursum Tobias uterque ductus est in Assyriam, anno sexto Ezechiæ regis Iuda: illo enim Salmanasar, expugnata Samaria, decem tribus adduxit in Assyriam, ubi ob virtutem et probitatem charus fuit regi Salmanasar; sed a filio eius Sennacherib post cladem in Iudæa acceptam Iudæos prosequente quæsitus ad necem, fugiens sese abscondit, donec post 45. dies Sennacherib a filiis occideretur, ut patet c. 1. 24.

Paternatus anno 51. Oziæ.

Cum ergo Tobias senior, anno sexto Ezechiæ, quo ductus est in Assyriam, fuerit 39. annorum, ut dictum est, hinc necessario sequitur eum natum esse anno 51. Oziæ regis Iuda, cum anno sequente Isaias c. 6. vidit visionem illam augustam SS. Trinitatis, et Seraphinorum illi acclamantium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Sub idem tempus cœpere Olympiades, ac nati sunt Romulus et Remus Romæ conditores. Mortuus vero est Tobias senior, anno 40. Manassis; nam si a 51. anno Oziæ numeres 102. annos (quot vixit Tobias) pervenies ad annum 40. Manassis. Ita Salianus, Serarius et Sanchez.

Mortuus 40. Manassis.

Filius natus anno 4. Ezechiæ, mortuus 16. Iosiæ.

Tobias vero iunior natus est anno 4. Ezechiæ regis Iuda, sub initia urbis Romæ; mortuus vero anno 16. Iosiæ regis Iuda, cum esset 99. annorum, tot enim annos ei dat vulgata editio Latina, c. 14. v. 16. nam ab anno 4. Ezechiæ ad 16. Iosiæ fluxere 99. anni. Ita Salian. et Sanchez. At vero iuxta editionem Græcam Tobias iunior mortuus est anno ætatis 127. quare hoc computu, mortuus est initio regis Sedeciæ ultimi regis Iuda, paulo ante excidium Ierusalem, et templi patratum a Chaldæis. Ita Serarius. Verum nobis sequenda est Latina vulgata editio ex decreto Concilii Tridentini.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur Tobiæ prosapia, patria, virtutes tam pueri, et iuvenis, quam viri, ac ob eas gratum fuisse Salmanasar, sed a filio eius Sennacherib fugere compulsum.

1. Tobias ex tribu et civitate Nephthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet), 2 Cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, 3. Ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret. 4. Cumque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. 5. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, 6. Sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, et decimas suas fideliter offerens, 7. Ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem. 8. Hæc et his similia secundum legem Dei puerulus observabat. 9. Cum vero factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei, 10. Quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. 11. Igitur, cum per captivitatem devenisset cum uxore sua et filio in civitatem Niniven cum omni tribu sua, 12. (Cum omnes ederent ex cibis Gentilium), iste custodivit animam suam, et numquam contaminatus est in escis eorum. 13. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis, 14. Et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset. 15. Pergebat

ergo ad omnes qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis. 16. Cum autem venisset in Rages civitatem Medorum, et ex his, quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti: 17. Et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti. 18. Post multum vero temporis, mortuo Salmanasar rege, cum regnaret Sennacherib filius eius pro eo, et filios Israel exosos haberet in conspectu suo: 19. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, et consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus suis: 20. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, et mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat. 21. Denique cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, et iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. 22. At ubi nuntiatum est regi, iussit eum occidi, et tulit omnem substantiam eius. 23. Tobias vero cum filio suo et cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. 24. Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius. 25. Et reversus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.

Vers. 1. TOBIAS EX TRIBU ET CIVITATE NEPHTHALI.) In Græco additur Tobiæ genealogia hoc modo: *Liber sermonum Tobiæ, filii Tobiel, filii Ananiel, filii Adiel, filii Gabael de semine Asiel*, addit Hebræus *filii Nenathiel*; ergo *Tobiæ* pater fuit *Tobiel*, avus *Ananiel*, proavus *Aduel*, vel forte *Adiel*, abavus *Gabael*, tritavus *Asiel*, tetartavus *Nenathiel*. Avia paterna fuit Debbora, sic enim v. 8. in Hebræo et Græco legitur: *Sicut mandaverat mihi Debbora mater patris mei, propterea quod a patre meo relictus sum orphanus.* Hæc ergo avia probe et pie educavit Tobiam, ut ipse suam probitatem illi debeat. Sic Macrina discipula S. Gregorii Thaumaturgi, avia S. Basilii, eum cum fratribus et sorore Macrina educans in omni virtute insignem efformavit, magnumque effecit. Simili modo Ludmilla enutriens S. Wenceslaum ducem Bohemiæ, eum sanctum et martyrem reddidit.

Avi Tobiæ.

Frater et nepotes. Porro Tobias fratrem habuit Anaelem, cuius filii duo Achiacharus, et Nasbas, vel Nabac nominantur in Græco, v. 8. de quo plura v. ult. Denique ex τὸ *liber sermonum Tobiæ* liquet Tobiam huius libri esse auctorem, ideoque Tobias hic in Græco et Hebræo deinceps semper loquitur in prima persona dicens: *Ego Tobias in viis veritatis ambulavi*, etc. Rursum hinc patet librum hunc ab eodem bis fuisse conscriptum; primo Chaldaice, sed breviter, ex quo S. Hier. nostram vulgatam Latinam traduxit: secundo etiam Chaldaice (licet Serarius malit Hebraice, idque bis, scilicet semel a patre Tobia, et secundo ab eius filio) sed fusius, ex quo traducta est versio Græca, nisi malis initio fusius conscriptum, deinde ab ipso auctore, vel alio quopiam fuisse nonnihil abbreviatum.

EX TRIBU, ET CIVITATE) Quæ a tribu idem nomen accepit, ideoque κυρίως, ut habent Græca Comp. (licet Romani habeant κυδιῶν, quæ vox quid significet, ignoratur) id est proprie, vocetur *Nephthali*, ex qua prognati fuere plures Christi discipuli et Apostoli, ut patet Isaiæ 9. 1. quorum typus et forte parens fuit noster Tobias.

IN SUPERIORIBUS (regionibus) GALILÆÆ.) E quibus scilicet Iordanis exoriens, quasi e superiore loco in inferiorem defluit, ideoque una Galilæa superior, altera inferior dicitur. Sicut Germania superior dicitur ea quæ adiacet Rheno nascenti, indeque quasi e superiori in inferiorem locum (qui exinde Germania inferior dicitur) defluenti, ait Serarius.

Galilæa superior quæ? Galilæa superior dicitur quoque Galilæa gentium, quia pars eius a Salomone data fuit gentili regi Tyri Hiram, indeque a Tyriis et aliis gentibus incolebatur. Eadem dicitur quoque Samaria, quia reges Israel dominantes in Samaria, quasi metropoli, Galilæam sibi habebant subiectam; alioqui Samaria, proprie non erat Galilæa, sed inter Galilæam et Iudæam erat interiecta.

Thesbe patria Tobiæ et Eliæ. Porro urbs hæc Nephthali, in qua natus est Tobias in Græco vocatur Thesbe, in qua natus est Elias, indeque dictus Thesbites. Ita Salian. Serar. et alii, licet Adrich. Thesbe collocet in tribu Gad, non Nephthali.

Vers. 2. CUM CAPTUS ESSET IN DIEBUS SALMANASAR.) Græce corrupte vocatur *Enemassar*. Captus est ergo Tobias anno sexto Ezechiæ regis Iuda, qui fuit nonus, et ultimus Osee regis Israel, quo Salmanasar decem tribus, ac inter eos Tobiam abduxit in Assyriam, 4. Reg. 17. et 18. licet enim pater Salmanasaris, puta Teglatphalasar multos ex decem tribubus iam ante abduxisset, tamen multos pariter in Samaria et Nephthali reliquit, quos omnes tandem abduxit Salmanasar.

VIAM VERITATIS (scilicet viam veræ fidei et religionis æque ac charitatis et virtutis) NON DESERUIT.) q. d. Inter idololatras solus fere Tobias mansit verus piusque Dei cultor. Magnæ hoc fuit constantiæ et virtutis, quam iam imitantur Catholici in Anglia, Scotia, Saxonia. etc. ideoque laurea cælesti digni, utpote nobiles illustresque fidei athletæ. *Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit*, ait Seneca, Epist. 44. Hebræorum est proverbium: *Myrtus semper est myrtus, etiamsi inter urticas sit.* Vide S. Gregor. 1. Mor. c. 1. *Sicut*, ait, *gravioris culpæ inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse.* D. Bernardus, serm. 48. in Cantica: *Non mediocris*, ait, *titulus perfectæ virtutis, inter pravos vivere bonum, et inter malignantes innocentiæ retinere candorem.* Exempla sunt in Machabæis, Iob, Loth, quem idcirco laudat S. Petrus secundæ Epistolæ cap. 2. in Noe et Abraham, et in Philippensibus cap. 2. in Pergamenis Apoc. 2.

Myrtus est Myrtus inter urticas.

ITA UT OMNIA, QUÆ HABERE POTERAT, QUOTIDIE CONCAPTIVIS FRATRIBUS (Israelitis) QUI ERANT EX EIUS GENERE, IMPERTIRET.) Tum ut eorum captivitatem solaretur, tum ut eorum fami et paupertati succurreret, tum ut eos in vera fide et religione conservaret, ne illi descicerent ad idola Assyriorum, ut ab eis vitæ subsidia impetrarent. Laudatur hic Tobias ante coniugium a septem virtutibus: primo a constantia in fide; secundo a charitate in suos cives et contribules v. 3; tertio quod fugerit malorum consortia v. 5; quarto ab observantia legis divinæ, v. 6; quinto a pietate in Deum, ibidem; sexto quod fideliter Deo offerret omnes decimas et primitias, ibidem; septimo quod a puero cætera legis præcepta servaret, v. 8. Vers. 3.

Virtutes 7. Tobiæ ante coniugium.

CUMQUE ESSET IUNIOR OMNIBUS (omnium) NIHIL TAMEN PUERILE GESSIT IN OPERE.) Idem fecit S. Malachias Hiberniæ Episcopus; nam ut in eius vita scribit S. Bern. *Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciviæ puerilis.* Et unum quoddam subiungit: *Quod non modo bonæ, sed et magnæ cuiusdam insigne spei in puero dedisse indicat. Cum enim excitus opinione magistri cuiusdam, ad eum litterarum discendarum causa venisset, eumque subula ludentem, et sulcos, nescio, quos in pariete facientem vidisset, eo*, inquit, *solo visu offensus puer serius, quod levitatem redoleret, resiluit ab eo.* Talem etiam describit Nazianzenus, Orat. 20. S. Basil. Vers. 4.

Aureum est dogma S. August. in Ps. 112. *Sit*, inquit, *senectus vestra puerilis, et sit pueritia senilis, id est, ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, ut laudetis Dominum ex hoc, nunc, et usque in sæculum.* Nam ut de nonnullis queritur Seneca, epist. 4. *Auctoritatem habemus senum, vitia puerorum. nec puerorum tantum, sed infantium. Illi levia, hi falsa formidant, nos utraque.*

Senecta puerilis, et pueritia senilis.

CUM IRENT OMNES AD VITULOS AUREOS (a Ieroboam primo rege Israelis deos erectos et evectos, 3. Reg. 12. 28.) HIC SOLUS FUGIEBAT CONSORTIA OMNIUM, SED PER- Vers. 5.

GEBAT IN IERUSALEM.) Ad Deum verum adorandum in templo. *Solus*, hoc est pene solus, nam Hebr. et Græca addunt cum eo ivisse Ananiam et Ionathan. Tobias ergo fuit quasi sol Israelis; sol enim dictus est, eo quod solus luceat. S. Epiphanius hæresi 30. Iosephum a Constantino Magno comitem creatum dilaudat, quod Scytopoli *solus ipse orthodoxus esset*, cæteri vero omnes Arriani. S. Gregor. Nazianz. orat. 20. laudat S. Basilium quod secum corruptos Atheniensis Academiæ mores devitarit. *Si quis*, ait, *fluvius per salsum mare dulcis fluere creditur, si quod in igne, quo omnia consumuntur, animal saltitare, id nos inter omnes adolescentes, pravos scilicet et corruptos eramus.* Et quia multorum risus et convicia sunt audienda, audiatur Epictetus Enchirid. cap. 19. *Sapientiæ*, inquit, *studium suscipere cupis? Ad hoc teipsum statim para, ut deridearis, quasi te subsannaturi sint multi, et quasi dicturi: Iste nobis repente philosophus advenit: et unde nobis hoc supercilium?* Addit loco citato Nazianz. *Cum sodalibus versabantur, non petulantissimis, sed temperatissimis; non pugnantissimis, sed maxime pacificis, et quibuscum agere utilissimum, scientes facilius esse malitiam a sociis accipere, quam virtutem eis dare, cum et proclivius sit morbi participem fieri, quam sanitatem largiri.*

Vis esse sapiens? para te ut rideaaris.

PERGEBAT IN IERUSALEM.) Addit Græcus *in festis*, scilicet tribus anni præcipuis, nimirum Paschæ, et Pentecostes, et Tabernaculorum, uti iubet lex, Exodi 23. 24.

Vers. 7. IN TERTIO ANNO.) Erat hoc tertium decimarum genus a lege præscriptum, Deut. 14. 22. Vide quæ ibidem de tribus decimis annotavi.

Tobiæ 7. virtutes post coniugium.

Hæ fuere septem illustres Tobiæ virtutes ante coniugium, sequuntur totidem post coniugium, nimirum prima, pia filii institutio, vers. 9. secunda, abstinentia a cibis gentilium, vers. 12. tertia, quod memor fuerit Dei in toto corde suo, vers. 13. quarta, quod concaptivis monita salutis daret, vers. 15. quinta, quod Gabelo egenti magnum argenti pondus mutuarit, vers. 17. sexta, quod in persecutione Sennacherib suos animarit, omnique ope et opera adiuverit, vers. 19. septima quod esurientes aluerit, nudos vestiverit, et mortuos sepeliverit, v. 20.

Vers. 9. CUM VERO FACTUS ESSET VIR, ACCEPIT UXOREM ANNAM.) Virilem enim ætatem, et fortitudinem exigit coniugium, tum ad prolem validam generandam, tum ad labores, et onera coniugii et familiæ fortiter subeunda. Sapienter Pindarus, et ex eo Athen. lib. 11. de canis Sapientum: *Ne*, inquit, *actionem aliquam prosequaris animi maturiorem numero annorum tuorum*, hoc est, ne ante iustam ætatem connubium ineas. Audi Arist. lib 7. Polit. c. 16. *Est autem adolescentum coniunctio improba ad filiorum procreationem: in cunctis enim animalibus iuveniles partus imperfecti sunt, et fœminæ crebrius quam mares, et parva corporis forma gignuntur: quocirca necesse est hoc idem in hominibus provenire. Huius autem coniectura fuerit, quod in quibuscumque civitatibus consuetudo est adolescentes mares puellasque coniugari, in eisdem inutilia, ac pusilla hominum corpora existunt, in partu quoque laborant magis puellæ, ac pereunt plures.* Et paulo post: *Ad continentiam quoque utile est, nuptias fieri seriores; intemperantiores enim esse videntur, cum puellæ veneri assuescunt. At masculorum corpora crescere impediuntur, si adhuc augescente semine consuetudinem ineant.* Verum ob ardores iuventutis et periculum incontinentiæ, multis salutarius est tantam ætatem non expectare, sed citius uxorem ducere.

Virili ætati congruit coniugium.

Vers. 10. FILIUM (suum) AB INFANTIA DEUM TIMERE DOCUIT, ET ABSTINERE AB OMNI PECCATO.) Idem filios suos docuit David, Psal. 33. 12. et Salomon Prov. 4. 4. et Eccles. c. 30. 1. et seq. Sic S. Blanca filio suo S. Ludovico, Franciæ regi, hoc crebro inculcabat: *Fuge peccatum: malo te videre agentem animam, quam peccatum lethale in Deum tuum admittentem.*

Vers. 12. CUM OMNES EDERENT EX CIBIS GENTILIUM (puta idolothytis, id est, iis quæ idolis fuerant immolata, vel lege Mosaica vetitis, uti erat caro porcina, etc.) ISTE NUMQUAM CONTAMINATUS EST.) Idem fecit Daniel cap. 1. Eleazarus, et Machabæi 2. Machab. 6. et 7. qui maluerunt ab Antiocho excarnificari, et in sartagine frigi, quam suillam lege vetitam edere.

ET QUONIAM MEMOR FUIT DOMINI (et omnium præceptorum eius) IN TOTO CORDE SUO.) Ut totum cor applicaret, et daret ad cognoscendam et exsequendam in omnibus Dei legem et voluntatem, hinc Deus ei vicem, et gratiam rependit; nam ut sequitur: Vers. 13.

DEDIT ILLI DEUS GRATIAM IN CONSPECTU SALMANASAR REGIS.) Ex hac gratia regis tria ab eo insignia accepit beneficia. Primum exprimitur v. 14. *Et dedit*, inquit, *illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset*, qua libertate optime usus est Tobias, obeundo domos Hebræorum, eisque monita salutis dando, ut sequitur.

Tria Tobiæ privilegia.

Secundum fuere ampla dona et munera, adeo ut ex eis decem talenta tradiderit Gabelo, ac copiosas in egentes Hebræos eleemosynas fecerit, ut patet v. 19. et 20. Fuit ergo Tobias ex regiis donis et officio, de quo mox, dives et opulentus.

Tertium addunt Græca, quæ habent: *Et fui emptor Regis*, Græce ἀγοραστής, id est omnium, quæ ad regem spectarent, emptor et procurator, sive esset annona, sive vestes, sive equi, sive arma, sive prædia, etc. fuit ergo Tobias dispensator domus regiæ, uti fuit Ioseph Pharaonis, Genes. 45. unde Hebr. habent: *Constitutus fuit super omnia quæ habuit Salmanasar.* Fuit igitur Tobias œconomus regis, quæ prima est in aula regia dignitas, ideoque honorata, et magni stipendii lucrique: ex quo proinde Tobias evasit locuples, ut omnibus Hebr. egentibus sua liberalitate succurreret.

ET EX HIS QUIBUS HONORATUS (id est muneratus et ditatus) FUERAT A REGE, HABUISSET DECEM TALENTA ARGENTI.) Nonnulli, ait Serarius, decem hæc talenta confecisse putant 3072 coronatos Francicos; alii sexies mille, eo quod uni talento dent coronatos sexcentos; alii, ut Cardanus, lib. de Libris suis, uni talento dant ducatos quingentos, unde decem talenta facerent quinque millia ducatorum. Nil enim certi hic assignari potest, eo quod ignoremus an talentum hoc fuerit Babylonicum, an Persicum, an Hebræum: sed certum est ingentem fuisse summam plurium millium aureorum; unde patet Tobiæ opulentia, æque ac charitas et liberalitas in Gabelum, aliosque Hebræos inopes. Vers. 16.

ET CUM MULTA TURBA GENERIS SUI (gentis suæ) GABELUM EGENTEM VIDERET, QUI ERAT EX TRIBU EIUS (Nephthali) SUB CHIROGRAPHO (prudenter, ut sibi cautum foret de debito) DEDIT ILLI MEMORATUM PONDUS ARGENTI.) Pro *dedit*, Græce est παρεθέμην, id est *deposuit*, quasi hæc pecunia fuerit depositum datum Gabelo ut illud servaret donec Tobias illud repeteret, et in egenos Iudæos, in Rages et Media degentes, distribueret; ita tamen, ut Gabelo potestatem faceret eo utendi pro urgenti necessitate sua: quare depositum hoc fuit simul et mutuum; sed nullam mutui usuram exegit Tobias, imo nec quidpiam petiit pro lucro sibi cessante et damno emergente, ait S. Ambr. lib. de Tobia, cap. 24. *Non pignus quæsivit, non fideiussorem poposcit.* Et cap. 2. *Plus honestati quam necessitati consulens cui sua deerant, alimoniam commodaverat proximo suo, quam toto vitæ suæ tempore in tanta indigentia non reposcit. Ubi se fessum vidit, ut depositum senectute, insinuavit filio: non tam cupiens commodatum reposcere, quam sollicitus ne fraudaret hæredem.* Vide hic charitatem et liberalitatem Tobiæ. Vers. 17.

POST MULTUM VERO TEMPORIS, MORTUO SALMANASARE, CUM REGNARET SENNACHERIB FILIUS EIUS PRO EO, ET FILIOS ISRAEL EXOSOS HABERET.) Ab initio regni sui, sed maxime post acceptam cladem 185. millium cæsorum ab Angelo in Iudæa, anno 14. Ezechiæ regis Iuda. Vers. 18.

TOBIAS QUOTIDIE PERGEBAT PER OMNEM COGNATIONEM SUAM, ET CONSOLABATUR EOS, DIVIDEBATQUE UNICUIQUE, PROUT POTERAT, DE FACULTATIBUS SUIS. Vers. 19.

Vers. 20. ESURIENTES ALEBAT, NUDISQUE VESTIMENTA PRÆBEBAT, ATQUE OCCISIS SEPULTURAM SOLLICITUS EXHIBEBAT.) Ecce hæc sunt opera pietatis, et misericordiæ tam corporalis quam spiritualis, in quibus opes et vires suas pie sancteque exhausit Tobias, ob quæ martyrii spem, ac pene rem, et lauream consecutus est; uti S. Ianuarius, S. Marius et Martha cum filiis, pluresque alii visitantes, alentes et sepelientes martyrum corpora, martyrii coronam adepti sunt.

Tobiæ æmulator fuit S. Malachias Episcopus Hiberniæ, de quo ita scribit S. Bern. in eius vita post initium: *Denique cura erat ei maxima in sepeliendis defunctis pauperibus, quod hoc sibi non minus humilitatem saperet, quam humanitatem. Nec defuit novo nostro Tobiæ rediviva a muliere tentatio, imo a serpente per mulierem. Germana eius indignitatem (ut sibi videbatur) officii exhorrens: Quid facis (inquit) o insane? Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et hoc illi quotidie exprobrans ingerebat, sed respondebatur mulieri stultæ, iuxta stultitiam suam. Misera, tu eloquii casti vocem tenes, sed virtutem ignoras. Ita ministerium ad quod coactus accesserat, devotus tenuit, indefessus exercuit.*

Vers. 22. AT UBI NUNTIATUM EST REGI (Sennacherib) IUSSIT EUM OCCIDI, ET TULIT OMNEM SUBSTANTIAM EIUS.) Tobias ergo spolium bonorum omnium, ac fugam, et exilium, quin et sententiam mortis pro fide et charitate sua libens accepit; fuit igitur ipse confessor, et voto martyr. Audi S. Ambr. lib. de Tobia, c. 1. *Ob virtutes scilicet agendas quibus præditus fuerat, subiit ærumnam captivitatis, quam ferebat humiliter ac patienter, communem magis iniuriam, quam privatam dolens; nec sibi virtutum suffragia nihil prodesse deplorans sed magis eam contumeliam minorem suorum peccatorum pretio arbitratus.*

Pie et sapienter S. Bernard. in sentent: *Martyrium sine sanguine*, ait, *triplex est: Parcitas in ubertate, quam habuit David et Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias, et vidua in Evang. castitas in iuventute, qua usus est Ioseph in Ægypto.*

TOBIAS VERO CUM FILIO SUO ET CUM UXORE SUA FUGIENS, NUDUS LATUIT.) Hebræa habent Tobiam delituisse per dies novemdecim. Vers. 23.

POST DIES VERO 45. (a clade accepta, et fuga ex Iudæa) OCCIDERUNT REGEM FILII IPSIUS.) Vide dicta 4. Reg. 32. 21. Vers. 24.

ET REVERSUS EST TOBIAS IN DOMUM SUAM OMNISQUE FACULTAS (opum) RESTITUTA EST EI.) Quæ nimirum adhuc supererat. Nam multa fuisse ab officialibus regiis, satellitibus et militibus consumpta, direpta, distracta, dissipata, liquet ex eo quod Anna uxor Tobiæ texendo quæsierit victum, ut dicitur cap. 2. v. 19. Unde S. Ambr. cap. 1 *Vix tandem*, inquit, *per amicum potuit, direpto patrimonio, egenus et exul restitui suis.* Ubi nota τὸ *per amicum*; nam Hebræa et Græca addunt Tobiam bonis suis restitutum fuisse per Achiacharum, sive Akakarum, nepotem suum qui in magna erat gratia et honore apud Asarhaddon (quem Græca vocant Sarchedon) filium et successorem Sennacherib. Achiacharus enim (quem Noster cap. 11. v. 20. vocat Achior) erat filius Anaelis, qui erat frater Tobiæ, quem Asarhaddon constituit primo suum pincernam; secundo ab annulo regio, ut quasi sigillifer eo litteras regias obsignaret, qualis fuit Mardochæus apud Assuerum, Esther cap. 3; tertio totius imperii Assyriorum διοικητὴν, id est gubernatorem; quarto rationibus omnibus præfectum, seu Rationalem; quinto secundum a se sive vicarium suum, ut habent Hebræa et Græca. Vers. 25. Achior quis? Quinque Tobiæ honores.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias ex sepultura fessus, et obdormiens stercore hirundinum excæcatur: unde ab uxore et amicis conviciis affectus, omnia, quasi alter Iob, mira excipit patientia.

1. POST hæc vero, cum esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, 2. Dixit filio suo: Vade, et adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. 3. Cumque abiisset, reversus nuntiavit ei, unum ex filiis Israel iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus pervenit ad corpus: 4. Tollensque illud portavit ad domum suam occulte, ut, dum sol occubuisset, caute sepeliret eum. 5. Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu et tremore, 6. Memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum. 7. Cum vero sol occubuisset, abiit, et sepelivit eum. 8. Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei causa interfici iussus es, et vix effugisti mortis imperium, et iterum sepelis mortuos? 9. Sed Tobias, plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occisorum, et occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepeliebat ea. 10. Contigit autem ut quadam die fatigatus a sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, et obdormisset, 11. Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fieretque cæcus. 12. Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut et sancti Iob. 13. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, 14. Sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. 15. Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes et cognati eius irridebant vitam eius, dicentes: 16. Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? 17. Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: 18. Quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. 19. Anna vero uxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat. 20. Unde factum est, ut hœdum caprarum accipiens detulisset domi: 21. Cuius cum vocem balantis vir eius audisset, dixit: Videte, ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. 22. Ad hæc uxor eius irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt. 23. Atque his et aliis huiuscemodi verbis exprobrabat ei.

Vers. 1. **Cum esset dies festus.**) Pentecostes, ut habent Hebræa et Græca. Hoc enim die præcipue est vacandum operibus charitatis. Hæc enim sunt opera Spiritus Sancti, cuius festum celebratur in Pentecoste, Act. 2. v. 1. et seq.

Vers. 4. Ut dum sol occubuisset, caute (occulte, ne quis eum apud regem accusaret, itaque vitæ periculum adiret, uti fecerat c. 1. 22.) sepeliret eum.) *Interdictio,* ait S. Ambros. c. 1. *non revocabatur magis, quam incitabatur, ne deserere officium pietatis mortis metu videretur: erat misericordiæ pretium mortis pœna.* Idem lib. 1. offic. c. 4. *Tobias,* ait, *formam pietatis expressit evidentius, cum relicto convivio mortuos sepeliret, et ad cibos pauperis mensæ invitaret inopes.* Et S. Augustin. lib. de cura pro mortuis, cap. 1. et seqq. *Tobias,* ait, *sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur.* Sepultura enim est ultimum misericordiæ officium, naturæ debitum, quasi honor defuncti et cognatorum solatium, ac naturæ desiderium. Audi S. Ambros. hic cap. 1. et 2. *Magnum hoc opus Si viventes operire nudos præcipimur, quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus. quanto magis in illam æternam domum profectos, unde iam non revertentur? Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi iam non potuit reddere, vindicare a volatilibus, vindicare a bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus dedisse produntur, homines negabunt?*

Adde fidelibus sanctis sepelienda esse corpora, ut per hoc protestemur fidem, et spem resurrectionis, scilicet ea non abiici, ut cadavera equorum et canum, quorum animæ cum corpore intereunt, sed sepeliri, ut resurrectura in anima, et corpore ad vitam immortalem. Rursum per sepulturam virtuti sanctorum et martyrum magnus defertur honos: unde tanta Pontificibus primis sepeliendi martyres cura extitit; imo S. Nicomedes sepeliendo corpus S. Feliculæ Martyris, et S. Iustinus presbyter S. Laurentii, aliique plures per sepulturam martyrum, martyrii lauream adepti sunt.

Sic Marcianus, postea cum in corpus recens occisi incidisset, illudque sepelire vellet, captus est quasi ille eum occidisset, ideoque damnatus ad mortem; sed Dei providentia factum, ut deprehenderetur cædis auctor, itaque Marcianus liberaretur, inquit Evagrius, lib. 2. c. 1. Atque hoc opere meruit Marcianus evehi ad imperium, fierique maritus S. Pulcheriæ sororis Theodosii Imper. quo proinde nullus melior, nullus fortior, nullus pientior fuit Imperator. Ita Baron. anno Christi 450.

Vers. 10. Contigit autem ut quadam die (Græce, *eadem illa nocte,* quæ scilicet diem Pentecostes, de qua vers. 1. subsecuta est) iactasset se iuxta parietem.) Hebræus addit: *Nec statim ingressus sum domum meam, eo quod pollutus essem super mortuo* (ex contactu mortui quem sepelierat iuxta legem Num. 19. v. 11. et 16.) *sed dormivi, apertis oculis, extra atrium iuxta parietem,* sub dio, ubi hirundines nidificant, et stercora in humum egerunt, iisque omnia commaculant.

Vers. 11. Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fieretque cæcus.) *Hirundinum:* Græca habent στρουθία, id est *passeres;* sed Septuag. στρουθία vertunt pro Hebr. צִפֳּרִים *tsipporim,* id est aves, ut Vatabl. vertit. Has autem aves ex circumstantiis loci optime Noster intellexit fuisse hirundines; harum enim stercora oculos excæcant; unde et alter textus Hebræus hic habet דרור *deror,* id est, avis libera, puta hirundo, quæ libere volat, et libere cum hominibus conversatur, et in tectis nidulatur, ait R. David. Unde illud Pythagoræ symbolum: *Hirundines sub eodem tecto ne habeas,* hoc est, cave a commercio garrulorum et susurronum, uti ex Aristot. explicat S. Hieron. in Apol. contra Ruffinum, et Clemens Alex. lib. 5. Strom. cap. 3. Sic et a Latinis subinde quælibet aves nominantur passeres, ut ostendit hic Serarius.

Fieretque cæcus.) Quia hirundinum stercus est sic-

A cum, calidum et urens, ideoque humorem oculorum siccat, itaque naturaliter excæcat. Ita Franc. Valesius sacræ philos. c. 42. Minus recte ergo Lyranus hanc excæcandi vim negat stercori hirundinis. Probabilius Dionys. et Valesius censent Tobiam non fuisse excæcatum, sed albuginem et membranam dumtaxat oculis eius obductam fuisse: quam subinde chirurgi acu deducentes, oculos suæ libertati visuique restituunt, de qua re plura c. 6. 9. Porro hac de causa pulli hirundinum inter parentum stercora versantes excæcantur, sed a parentibus rursum visus eis redditur per herbam quæ dicitur chelidonia. Audi Tertul. l. de pœnitent. c. 14. *Hirundo, si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia.* Et Plinium l. 8. cap. 27. *Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis, illa medentes.* Et lib. 25. cap. 8. *Hac* (chelidonia) *hirundines oculis pullorum in nido restituerunt visum, ut quidam volunt, etiam erutis oculis.* Pulli hirundinum oculantur chelidonia.

B Mirum hoc est, æque ac illud, quod idem scribit Plinius lib. 10. cap. 37. hirundinum oculos erutos renasci. Idem asserit Ælianus lib. 2. c. 3. citatque Arist. sed mutile. Verba enim Aristot. lib. 6. hist. anim. cap. 5. sunt: *Pullorum hirundinis recentium oculi, si quis stimulo vexaverit, resanescunt, et cernendi vim postea plane recipiunt.* Iam aliud profecto, ait Aldrovandus in Hirundine pag. 663. est visum vexatum recipere, aliud oculos erutos renasci, quod asserit Ælianus et Plinius. Idem vero Aldrovandus, pag. 689. cinerem pulli hirundinis cum melle oculis inspersum earum caliginem allata claritate dispellere, ex Dioscoride et Avicenna asseverat, imo ad idem valere fel et stercus frigidum (calidum enim acre est et adurens, unde Tobiam excæcavit) hirundinum ex Alberto magno contendit. Mira de hirundine.

Trop. B. Petrus Damianus l. 2. epistol. epist. 12. et in ordine 33. *Quid,* inquit, *leviter volitantes hirundines, nisi leves adulantium et blanda loquentium significant mores? qui, dum blandiloquii sui suavitate demulcent,*

C *dum adulationis oleo caput audientis impinguant, interiores oculos, ne solita luce perfruantur, excæcant.*

Rursum Dion. Carthus. Dormienti, ait, Ecclesiæ incidere nonnumquam ab hæreticarum hirundinum nidis stercora, et multos excæcari videmus. Porro l. 2. c. 56. Thomas Cantipratensis explicat quemadmodum apibus hirundines, et aves infestæ sint, id est piis, castisque animis dæmones. *Potest,* ait, *et aliud tentationum genus, hirundinum, quarum stercore Tobias cæcatus est, vel aliarum avium vexatio designare, ut sub virtutum specie, vitiorum tenebris involvamur; verbi gratia, captat quis dives fieri, et congregare divitias, ut in fine condat uberius testamentum, faciatque hæredem Christum, qui copiarum suarum dereliquit, vel dominos terræ, vel parentes, aut clientulos suos, vel raptores quoslibet nequissimos possessores. Hoc maxime in clericis videmus, quorum tamen bona pauperum esse deberent, et quæ eis omni die superfluunt, non in marsupio, vel in arca, sed indigo ori famelici, et in ventribus esurientium*

D *deberent liberaliter erogari.*

Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut et S. Iob.) Tobias ergo et Iob sunt duo patientiæ exempla et specula omnibus cæcis, et afflictis assidue intuenda et imitanda: nil enim mali cuipiam fideli obvenit, nisi ex certa Dei præscientia et voluntate, ad eum vel a vitiis purgandum, vel in virtute et patientia perficiendum, itaque eius merita et præmia in cælo augendum. Sic permisit Deus iustum Abel impietate fraterna necari; Abrahamum charissimi filii holocausto tentari; Iosephum a fratribus impie vendi; Mosen cum toto populo Israelitico crudeli Pharaonis tyrannide opprimi; Davidem implacabili regis Saulis odio subiici; Susannam impudicorum calumniis exponi; Prophetam Isaiam medium serra serrari; Danielem obiici leonibus. Vide decem rationes, ob quas Deus permittit Sanctos affligi recensentem S. Chrysost. hom. 1. ad populum. Vere Vers. 12.

*

S. August. Ser. 226. de Temp. qui est de Tobia: *Ad hoc,* ait, *cæcitatis incurrit exitium ut Angelum susciperet medicum.*

Vers. 13. NON EST CONTRISTATUS CONTRA DEUM.) Ut murmuraret, vel quereretur, diceretque: Domine, cur permisisti me in opere tuo, ob sepulturam scilicet mortuorum, ab hirundine stercorari, et excæcari? Audi S. Ambr. lib. de Tobia c. 2. *Tam sancto fessus officio propheta, dum requiescit iuxta parietem aulæ, cadente de passerum nido stercore, albugine in cæcitatem incidit, nec conquestus ingemuit, nec dixit: Hæc merces laborum meorum? Fraudari magis se doluit obsequiorum quam oculorum munere: nec cæcitatem pœnam, sed impedimentum putabat.*

Porro Græca et ex iis S. Ambr. addunt: *Et factæ sunt albugines in oculis meis. Et abii ad medicos, et non profuerunt mihi; Achiacharus* (meus de fratre nepos) *autem nutriebat me, quousque profectus sum in Elymaida,* periculi vitandi causa, de quo in fine cap. ultimi. Videtur enim Tobias post cæcitatem rursum ab aliquo apud B regem accusatus et bonis spoliatus, sed ut habet Græcus et Hebræus, ab Achiacharo altus et sustentatus. Achiachar vero eam ob causam videtur et ipse calumniam passus, prout Græce cap. ultimo dicitur, tumque Tobias, vel relegatus esse, vel profugisse in Elymaidem, ut in Græco legimus. Ita Serarius et alii.

Vers. 14. *Perfectus est qui in adversis Deo gratias agit.* SED IMMOBILIS IN DEI TIMORE PERMANSIT, AGENS GRATIAS DEO OMNIBUS DIEBUS VITÆ SUÆ.) Hic est actus heroicæ patientiæ, hic status viri sancti et perfecti, qui terrena cuncta, tam adversa, quam prospera despiciens, mente in cælis versatur et iam inchoat prægustatque cælestem felicitatem. Ita Iob undique afflictus dicebat c. 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* In adversis ergo omnibus Deo gratias age, et sanctus, imo beatus eris. Porro Auctor quæst. ex utroque testamento apud S. Aug. q. 119. *Quam laudabilis,* inquit, *sit sanctus Tobias Scriptura docemur, cuius devotionem, nec captivitas minuit, nec oculorum a-* C *missio, quominus Deo benediceret, persuasit: neque exhausta substantia a via iustitiæ et veritatis avertit. Necessitas enim probat iustum. In egestate æquitatem servare, vera et perfecta iustitia est. Unde enim quorumdam devotio minuitur, inde augmentum facit laude dignus Tobias.* Et paulo post: *Sancti Tobiæ erectus ad Deum animus, nec captivitate fractus nec inopia humiliatus.*

Exempla cæcorum Deum laudantium. Ita Sancti in cæcitate Deo gratias cum Tobia egerunt, imo cæcitatem amarunt. Cæcus fuit S. Pigmenius martyr, cui cum Iulianus Apostata cæcitatem exprobraret: *Ego vero,* inquit Pigmenius, *Deo optimo maximo æternas ago grates, quod non videam Iulianum.* Tandem ob egregiam Christianæ legi operam navatam, et paganorum eversa idolorum monstra, in Tiberim proiectus, ex illo in cælum migravit; plus hic unus vidit cæcus, quam omnes larvarum cultores oculati. Cæcus fuit Didymus S. Hieronymi præceptor, quem ipse suum videntem vocat. Cæcus per 4. annos fuit Spes Abbas, cuius D morientis anima specie columbæ evolavit in cælum, teste S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 10. Plura vide apud nostrum Matthæum Raderum parte 3. viridarii, cap. 3. Cæcus fuit S. Audomarus Tervani episcopus anno Domini 658. qui cum per S. Vedastum usum videndi dudum amissum recuperasset, fertur ægro id animo tulisse, et votis impetrasse, ut reserata lumina rursum oborta cæcitate velarentur, quam, in salutem suam, a Deo immissam sibi dictitabat. Hic vidit quid commodi cæcitas afferret, quantorumque malorum occasiones præcideret. Sanctimonialis illa apud Ioannem Moschum in prato spir. c. 96. oculos sibi erutos misit ad adolescentem specie oculorum suorum captum, itaque eum compunxit, ut monachum probatissimum effecerit. S. Aquilinus tempore Clodovæi, pontifex Ebroicensis creatus, petivit ab æterna luce, ut sibi mortalia oculorum lumina clauderet, ut cælestem contemplari firmioribus mentis oculis lucem posA set: impetravit, nihilominus munere Pontificatus egregie concionando perfunctus. Ita habet vita eius apud Surium die 19. Octobris.

NAM SICUT BEATO IOB INSULTABANT REGES.) Hinc patet amicos Iob, scilicet Eliphaz, Baldad et Sophar fuisse reges, id est regulos et principes aliquot oppidorum, de quo plura Iob cap. 2. et ultimo. Hi venerant consolaturi Iob, sed pro consolatione ingesserunt desolationem; arguerunt enim eum scelerum gravium, quasi ob ea a Deo tam dire castigaretur: unde insultasse eos Iob liquet. Nonne cap. 6. versu 25. referuntur *detraxisse sermonibus veritatis?* versu 26. *ad increpandum tantum eloquia concinnasse, et in ventum verba protulisse, super pupillum irruisse, et amicum subvertere voluisse?* Nonne cap. 13. v. 4. vocantur *Fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum?* cap. 16. v. 9. *Falsiloqui,* et cap. 19. v. 2. *Usquequo,* ait Iob, *affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus? En decies confunditis me, et non erubescitis opprimentes me. Vos contra me erigimini, et arguitis me in opprobriis meis.* Tandem vero quis contra eos Deo ipso vel testis, vel iudex gravior? eorum certe uni, cap. 42. v. 7. Deus cœlitus occlamat: *Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos; quoniam non estis locuti contra me rectum, sicut servus meus Iob.* Ita Serarius. Vers. 15.

Porro Iob adhuc vivens vocatur beatus, quia, ut ait S. Iacobus, cap. 1. v. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Beatus fuit Iob,* ait Epistola 2. cap. 9. S. Fulgentius, *cum in divitiis iuste viveret; sed beatior cum in paupertate iustior exstitisset. Beatus fuit, cum decem circumdaretur filiis; sed beatior, cum una cunctorum simul orbitate percussus, in Dei dilectione permansit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis sospitate; sed beatior est factus in vulnere. Beatior etiam in acervo squaloribus pleno, quam in palatio marmoribus adornato.*

UBI EST SPES TUA?) q. d. Spes tua te fefellit, fuitque Vers. 16. falsa et fallax; sperabas enim per eleemosynas obtinere a Deo prospera omnia, et ecce Deus per sepulturam mortuorum te cæcavit et oculis privavit. Quid enim infelicius et miserius oculis orbato et cæco?

FILII SANCTORUM SUMUS.) Puta Abrahæ, Isaac et Ia- Vers. 18. cob, etc. eorum ergo fidem, spem, patientiam et constantiam in adversis imitemur. Idem dicat Christianus afflictus: Filius sum Christi: eius ergo passionem et crucem iugiter intuebor, ac patientiam imitabor. Filius sum SS. Apostolorum et Martyrum, ut sancti Pauli, S. Laurentii, S. Stephani, S. Vincentii, etc. qui tot et tanta pro Christo pertulerunt: ergo eos sequar, et vel modicum meum malum Christi amore libenter et fortiter sustinebo. Sum enim filius Sanctorum, ideoque ipse sum sanctus, id est fidelis, Deo dicatus, et ab eo vocatus ad perfectam sanctitatem, quæ in patientia consistit. *Patientia enim opus perfectum habet,* Iacobi 1. 4.

ET VITAM ILLAM EXPECTAMUS, QUAM DEUS DATURUS EST IIS QUI FIDEM SUAM NUMQUAM MUTANT AB EO.) Respondet apposite Tobias insultantibus sibi: *Ubi est spes tua?* q. d. Spes mea non refertur ad bona præsentia, sed futura. Spero enim post hanc, aliam vitam beatam et æternam, quam Deus dabit iis qui in fide et spe illius constanter in quibusvis adversis persistunt. *Spes gloriæ est stimulus ad virtutem.* Hæc spes alterius et felicis vitæ excitavit septem fratres Machabæos ut sartagines, tympana, equuleos et omnia tormenta superarent, imo contemnerent; unde ad Antiochum tyrannum intrepide dicebant: *Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit,* 2. Mach. 7. Idem senserunt et dixerunt cæteri martyres fere ad unum omnes, qui ut ait Apost. Hebr. 11. 37. *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt,* etc. *non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem;* quia et Christus ipse, ut ait idem ibidem, cap. 12. 2. *proposito sibi gaudio* (mox

futuræ resurrectionis et ascensionis gloriosæ) *sustinuit crucem confusione contempta.* Quem imitatur S. Franciscus: *Tanta*, ait, *est gloria quam expecto, ut omnis me pœna delectet.*

Vers. 20. Tobiæ metus de hœdo furtivo iustus. UNDE FACTUM EST UT HOEDUM CAPRARUM ACCIPIENS DETULISSET DOMI.) In domum. Græca addunt hœdum hunc dono additum Annæ supra mercedem texturæ suæ; cumque Annæ hoc dicenti non crederet Tobias plane, illa irata eum irrisit dicens; *Vana facta est spes tua, etc.* Habebat Tobias occasionem dubitandi de furto, tum quia numquam hœdus talis domi suæ comparuerat, nec talis dari solet pro mercede textricibus, nec talem umquam acceperat, et attulerat Anna; tum quia Anna erat pauper: timebat ergo ne paupertas eam coegisset ad hœdum errantem et perditum in domum inducendum; tum quia ipse erat iustitiæ amantissimus, et furti osor acerrimus, æque ac tenerrimæ et delicatissimæ conscientiæ: *Bonarum autem mentium est timere culpam, ubi non est culpa,* ait S. Bern. Simili modo in summa rerum inopia, et fame oblatum divinitus panem, *timens ne forte alienus esset et culpam velut ex pietate perpetraret,* suis apponere mercenariis formidabat S. Sanctulus apud D. Gregorium Dialogorum lib. 3. cap. 37.

Vers. 22. Sancti pro beneficiis maleficia recipiunt ab amicis. AD HÆC UXOR EIUS IRATA RESPONDIT: MANIFESTE VANA FACTA EST SPES TUA, ET ELEEMOSYNÆ TUÆ MODO APPARUERUNT ESSE VANÆ.) Cum per eas te et me totamque familiam in tantam egestatem, cæcitatem et angustiam adduxeris. Disce hic a Tobia pro benefactis maledicta, imo maleficia etiam ab intimis amicis recipere, et constanter ferre. Hoc est præmium patientiæ, hæc eius coronis, ut ipsa novam passionem provocet, in eaque nova maiorique patientia coronetur. Audi S. Aug. Serm. 18. in Matth *Quanta putatur infelicitas hominum, qui lucem istam corpoream non vident! Excæcatus est aliquis? continuo dicitur: Iratum Deum habuit; aliquid mali commisit. Hoc uxor Tobiæ dicebat viro. Clamabat ille propter hædum, ne de furto esset: nolebat sonum furti audire in domo sua. Illa defendens factum suum, opprobrio percutiebat maritum; et cum ille diceret: Reddite, si de furto est; illa respondebat resultans: Ubi sunt iustitiæ tuæ? Quam cæca erat, quæ furtum defendebat! et quam lucem videbat, qui furtum reddi imperabat! illa erat foris in luce solis, ille erat intus in luce iustitiæ. Quis eorum erat in luce meliore?* Et Sanctum Cyprianum libro de mortalitate: *Et Tobias post opera magnifica, post misericordiæ suæ multa et gloriosa præconia. cæcitatem luminum passus, timens et benedicens in adversis Deum, per ipsam corporis sui cladem, crevit ad laudem, quem et ipsum uxor sua depravare tentavit, dicens; Ubi sunt iustitiæ tuæ? ecce quæ pateris. At ille circa timorem Dei stabilis et firmus, et ad omnem tolerantiam passionis, fide religionis armatus, tentationi uxoris invalidæ in dolore non cessit, sed magis Deum patientia maiore promeruit, quem postmodum Raphael angelus collaudat.*

Simili modo S. Saturus procurator domus Hunerici regis Arriani, cum ab eo maximis minis, indeque ab uxore propria multis lacrymis sollicitaretur ad Arrianismum, intrepide cum S. Iob respondit: *Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, mulier, si sola esset huius vitæ amaræ dulcedo; artificio, coniux, diaboli ministraris. Si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam mei Domini, ego securus de promissis, verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. Quid ultra? discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam, discutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur.* Ita Victor Uticensis l. 1. persecutionis Wandalicæ sub finem. Exemplum S. Saturi.

Antistrophæ virtutes Iob et Tobiæ.

Iob et Tobias in multis fuere persimiles: primo in profusis eleemosynis, et cuiuslibet misericordiæ officiis, qualia de se deprædicat Iob c. 31. et Tobias hic cap. 1. Iob et Tobias similes. I.

Secundo, in constanti rerum adversarum, præsertim paupertatis, cæcitatis, et morborum tolerantia, imo gratiarum actione. Sunt enim ipsa Dei magna beneficia, utpote magnæ virtutis, magnique præmii materia. Dicebat ergo Iob patiens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Idem dicebat Tobias. II

Tertio, Tobias hæc omnia sustinuit ob spem futuræ vitæ beatæ, vers. 18. Sic et Iob cap. 19. v. 25. *Scio*, ait, *quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, etc. reposita est hæc spes mea in sinu meo.* III.

Quarto, Iob irrisus fuit ab uxore et amicis, sed irridentes irrisit; sic et Tobias. IV.

Quinto, Deus Tobiæ opes ablatas visumque restituit; sic et Iobo cap. ult. omnia reddidit duplicia. V.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias irrisus ab uxore, Sara ab ancilla, gementes et orantes a Deo exaudiuntur, qui proinde mittit S. Raphaelem, ut utrumque curet.

1. TUNC Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis, 2. Dicens: Iustus es Domine, et omnia iudicia tua iusta sunt, et omnes viæ tuæ, misericordia, et veritas, et iudicium: 3. Et nunc Domine memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. 4. Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, et captivitatem, et mortem, et in fabulam, et in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. 5. Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te. 6. Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam vivere. 7. Eadem itaque die contigit, ut Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum, et ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui. 8. Quoniam tradita fuerat septem viris, et dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam. 9. Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. 10. Numquid et occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: et tribus diebus, et tribus noctibus non manducavit, neque bibit: 11. Sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. 12. Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedi-

cens Dominum, 13. Dixit: Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum: qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. 14. Ad te Domine faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo. 15. Peto Domine ut de vinculo improperii huius absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. 16. Tu scis Domine, quia nunquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. 17. Numquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. 18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. 19. Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alii conservasti me. 20. Non est enim in hominis potestate consilium tuum. 21. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. 22. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis: et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. 23. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sæcula. 24. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: 25. Et missus est angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

Vers. 1. Tobias turbatur irri io-ne, non cæcitate, cur? TUNC TOBIAS INGEMUIT, ET COEPIT ORARE CUM LACRYMIS.) Græce *cum gemitu et lacrymis;* Heb. *cum suscepto dolore magno, et quadam etiam corporis ægritudine.* Dolor enim animi creat dolorem corporis, et ægritudo mentis ægritudinem parit carnis. Passio enim, et affectio animi per sympathiam in corpus sese diffundit. Vide hic quam verum sit illud Eccles. c. 7. v. 8. *Calumnia conturbat sapientem.* En ibi cæcitas non turbavit Tobiam, sed conturbavit eum calumnia uxoris. Cæcitatem enim sciebat sibi immissam a Deo ex ratione iusta: at calumniam sentiebat sibi ab uxore fieri non ex ratione, sed ex passione iniusta, quæ idcirco grave erat peccatum, quod proinde ipsum valde affligebat. Magis enim offensa Dei creatoris sui, quam iniuria propria eum cruciabat.

Oratio iusti clavis est cæli. COEPIT ORARE CUM LACRYMIS.) Ex intimo cordis sensu, devotione et compunctione: ideoque quasi vim intulit Deo, ut eum exaudiret et consolaretur. Audi S. August. serm. 226. de Tempore, qui est de Tobia: *Oratio iusti, clavis est cæli. Ascendit precatio et descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum cælum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam. Cum sensibus loquitur, si sit solus noster gemitus. Sufficit auribus imber oculorum, fletus citius audit, quam voces.* Audi S. Bernard. de modo bene vivendi Serm. 10. *Anna mater Samuelis per compunctionem et lacrymas meruit habere filium; insuper obtinuit apud Deum prophetiæ donum. David per compunctionem et lacrymas obtinuit veniam perpetrati homicidii, atque adulterii. Sic enim audivit per prophetam: Non morieris, quia Dominus transtulit peccatum tuum. Pater Tobias per compunctionem et lacrymas meruit accipere curationem cæcitatis et consolationem paupertatis. Sic enim dixit ei Raphael angelus: Gaudium tibi semper sit; et adiecit: Forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris. Etiam Maria Magdalena per compunctionem et lacrymas meruit a Domino audire: Remittuntur tibi peccata tua.*

Vers. 2. Viæ Dei quæ? ET OMNES VIÆ TUÆ MISERICORDIA, ET VERITAS, ET IUDICIUM.) Viæ Dei sunt Dei ordinationes, consilia, decreta, gubernationes, actiones, opera. Hisce enim quasi viis utitur, et ad creaturas, hominesque regendos descendit; q. d. omnia Dei opera sunt misericordia, vera et iusta: misericordia, quia mille nostris miseriis, mille miserationibus succurrit. Rursum quia cum peccata nostra punit, punit citra condignum, et iustitiam misericordia temperat. Item punit levibus pœnis in hac vita, ut per eas metientes, et metuentes atrocissima gehennæ supplicia, declinando a peccatis caveamus. Denique punit unum, vel paucos, ut cæteri omnes eorum exemplo sapiant. Eadem sunt vera, quia sapientiæ et veritati primæ conformia; et quia verissime quod promisit, quodque minatus est, præstat. Est enim ipse in dictis factisque verissimus et constantissimus. Eadem sunt iudicia, quia manant ab æterna lege, quæ est in mente Dei, et a prima iustitia, iudicioque divino, ideoque iustissimo.

Tropol. Tropol. Deus vult ut in hisce tribus ipsum imitemur. Cupit ergo in omnibus actionibus nostris *misericordiam* quamdam inesse, ut vel aliis subveniamus, vel certe nobis ipsis: *veritatem*, ut convenienter naturæ ac rationi, convenienter etiam fini nostro, et si quid ulli dixerimus, dictis ipsis convenienter agamus: *iudicium*, ut cuilibet, quod suum est, Deo, proximo, nobis ipsis tribuamus, prudenterque vivamus. Ita Serarius.

PRÆCIPE IN PACE RECIPI SPIRITUM MEUM.) Græca addunt: *Quia audivi exprobrationes immeritas;* unde patet quam graviter probra uxoris et aliorum pupugerint animum Tobiæ, ut optaverit mori. Ait enim: *Expedit enim mihi mori magis, quam vivere.* Vita enim in assiduo magnoque mœrore non est vita, sed mors, imo peior morte; quare recta ratio dictat tunc satius esse mori, quam vivere, si nimirum ita placeret Deo. Sic Iob c. 7. 15. *Suspendium*, ait, *elegit anima mea, et mortem ossa mea.* Et Elias 3. Reg. 19. 4. persecutiones sustinens a Iezabel, *petivit animæ suæ, ut moreretur, et ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Et S. Paul. 2. Cor. 1. 8. *Supra modum*, ait, *gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* Fortioris tamen et generosioris animi est mortem non optare, sed adversa quælibet invicto animo tolerare et superare. Unde S. August. a Wandalis Hippone obsessus: *Noveritis*, inquit, *me hoc tempore nostræ calamitatis, id Deum rogare, ut aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut, si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certe, ut me de hoc sæculo ad se accipiat.* Et hoc tertium obtinuit. Nam tribus mensibus antequam urbs caperetur, vita functus est. Vers. 6. Vita in mœrore est mors.

EADEM ITAQUE DIE CONTIGIT, UT SARA.) Nota hic miram Dei erga suos fideles providentiam. Combinavit enim calumniam Tobiæ cum calumnia Saræ, ac orationem et compunctionem Tobiæ cum oratione et compunctione Saræ, ut utrumque consolaretur per mutuum coniugium. Et hoc significat τὸ *itaque*, quod respuit futuram coniugii narrationem. Hoc est quod ait Salomon Prov. cap. 19. v. 14. *Domus et divitiæ dantur a parentibus: a Domino autem proprie uxor prudens.* Vers. 7. Uxor prudens datur a Deo.

Similia sunt in vitis Sanctorum. Ioannes Moschus in prato spirituali cap. 201. narrat filium cuiusdam Constantinopolitani viri clarissimi, qui omnia erogarat in pauperes, ac moriens non nisi Christum filio curatorem reliquerat, cum filius iam depauperatus templum ingressus, devote Deum invocaret, visum a Patricio quodam ditissimo, qui pro hac pietate filiam suam cum ampla dote illi despondit. Exemplum.

IN RAGES CIVITATE MEDORUM.) Græca habent *in Ecbatanis;* nam Rages civitas sita erat in monte Ecbatanis, ut dicitur cap. 5. v. 9. eratque metropolis et regia Medorum.

QUONIAM TRADITA FUERAT (successive) SEPTEM VIRIS, ET DÆMONIUM NOMINE ASMODÆUS OCCIDERAT EOS, MOX UT INGRESSI FUISSENT AD EAM.) Causam necis a Raphaele audiemus c. 6. v. 17. *Dæmonium*, græce additur τὸ πονηρὸν, id est, *illud malum et nequam*, scilicet, pessimum et *nequissimum*, ut ait S. Prosper parte 2. Promis. c. 39. Vers. 8. Dæmonis etymon.

Plato in Chratylo ait dæmones dici, quasi δαήμονες, id est scientes, quod plenam habeant naturæ, et rerum naturalium cognitionem, idque probat Lact. l. 2. divin. inst. 1.

2. c. 14. et S. Aug. lib. 9. de civit. c. 20. Secundo, alii dæmonis etymon derivant a δαιασθαι, id est regere, quod dæmones sint hominum gubernatores; unde Plutarch.
3. scripsit librum de genio Socratis, qui eum dirigebat. Tertio, Euseb. lib. 4. de præpar. Evang. Dæmon, inquit, dicitur a δειμαινειν, id est terrere, quod homines terrefaciat. Nam. *Si quod*, ait apud S. Athanas. S. Anton. *dæmones in pectoribus malæ mentis et pavoris semen invenerint, quasi latrones qui deserta obtinent loca, cæptos cumulant timores, et crudeliter imminentes infelicem puniunt animam.* Addit S. Athanas. ad sanctum Antonium adductus est adolescentulus, *principalem habens dæmonem*, quem ad discipulum suum ablegans dicebat: *Non est hoc meum opus. Nam contra hunc dæmonum ordinem*, principalem scilicet, *nondum sum donatus gratia; sed hæc est Pauli gratia simplicis*, prout Palladius c. 28. narrat.

4. Quarto, Eugubin. lib. 8. de perenni phil. c. 19. Græcum δαιμων derivat ab Hebr. שׁדים *scedim*, vel per crasim, *sdaim*, id est perditores, vastatores; tales enim sunt, et talis maxime est Asmodæus.

B

Asmodæus quis? Quæres quisnam sit Asmodæus? Rabbini apud Eliam in Thisbi asserunt primo, Asmodæum natum e Noema quæ fuit soror Tubalcain, et Schimronis uxor, Genes. 4. v. 22. Quatuor enim dæmonum esse matres, scilicet, Noemia, sive ut ipsi nominant, Nahema, Lilith, Ogereth, et Machlath. Secundo, Asmodæum esse eum, qui in paraphrasi Chaldaica Iob 28. vocatur Sammael, qui Evam tentavit et superavit, ac coniuges exagitat, auctorque est omnium rixarum. Cum illo Saræ certamen fuisse, quæ ab Angelo Dei adiuta victrix abiit: unde ipsa a vincendo et prævalendo nomen accepit. Sara enim Hebr. idem est, quod dominans et domina. Hoc posterius aptum verumque est. Tertio, Eccles. 1. 1. *Ego Ecclesiastes fui Rex;* Chaldæus vertit: *Aschmedai malca deschedim*, id est, *Asmodæus rex dæmonum.* Addit Zohar Salomonem regno eiectum ab Asmodæo in deserto fuisse detentum; ipsumque Asmodæum interim speciem Salomonis assumpsisse, ac ius Hebræis in Ierusalem dixisse. Verum hæc Rabbinorum sunt commenta, ideoque figmenta.

C

Resp. Dico ergo Asmodæum esse dæmonem, qui homines ad libidinem exagitat, ac superatos a se plectit, maleque mulctat, uti male mulctavit septem Saræ sponsos ob impudicitiam. Id ita esse colligitur ex ea quæ Asmodæo c. 6. v. 17. concessa potestas est. *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet dæmonium potestatem super eos.* Solent vero dæmones eorum ipsorum, quos deceperint, esse carnifices. *A quo enim quis superatus est, huius et servus est*, 2. Pet. 2. v. 19. In eos ergo, quasi reos et mancipia sua suppliciis suis grassatur Asmodæus. Unde Asmodæus, vel Asmodæi socius, aut subditus fuit dæmon ille, quem Cyprianus primum magus, sed postea fidelis, et martyr suis incantationibus excivit, ut S. Iustinam virginem et martyrem in adolescentis, qui eam ambiebat amorem inflecteret, sed frustra. Vicit enim eum signo crucis, oratione et constantia S. Iustina. Talis quoque fuit dæmon ille, qui puellam ab adolescente mago incantatam obsidens, a S. Hilar. rogatus cur ipsum adolescentem magum potius non obsedisset, respondit: *Ut quid in eum intrarem, qui habebat collegam meum amoris dæmonem?* uti refert S. Hieron. in vita S. Hilar. Denique audi S. Athanas. in vita S. Antonii. *Dæmon ille ad Antonii se genua provolvens, humana voce flebat, dicens: Multos reduxi, plurimos decepi; nunc autem, ut a cæteris Sanctis, ita et tuo sum labore superatus. Quem cum interrogaret Antonius, quisnam esset qui talia loqueretur? ait: Ego sum fornicationis amicus, ego multimoda adversum omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi, hinc et spiritus fornicationis vocor. Quantos pudice vivere disponentes fefelli! quot tenuiter incipientes ad sordes pristinas redire persuasi! ego sum propter quem propheta lapsos increpat dicens: Spiritu fornicationis seducti estis; et revera per me illi fuerant supplantati. Ego sum qui te*

A *ipsum sæpe tentavi, et semper repulsus sum.*

Quæres secundo, cur vocetur Asmodæus? Resp. primo Serarius: Asmodæus dicitur quasi אשׁ *es*, id est, Ignis Medai, id est Mediæ, quod esset rex dæmonum omnium, qui tum Mediam (in qua erat Rages, ubi agebat Sara, eiusque septem sponsi occisi ab Asmodæo) vicinasque provincias incolebant. Cum enim in Media versaretur, ubi regem nisi in ea ipsa regione ageret? ipse ergo omnes Medos ad libidinem suscitabat, ac superatos a se affligebat. Sunt enim dæmones Persici, Medici, Africi, Australes, Meridionales, sepulcrales, aerii, ignei, aquei, terrei, uti docet Rhodiginus, lib. 2. c. 4. et 5. Chald. Cant. 4. 6. et Thomas Cant. l. 2. Apum c. 57. n. 9. Asmodæi etymon. I.

Secundo, Asmodæus, vel ut Hebr. dicitur *Asmodai*, significat peccati abundantiam; אשׁם *asciam* enim est peccatum, די *dai* est abundantia; ubi enim ardet libido, ibi abundant peccata. Nam ut ait S. Greg. in 1. Reg. c. 15. *More ignis libido succenditur, et si negligenter extinguitur, adiacens stipula velociter inflammatur.* II.

Tertio, Asmodæus idem est quod אשׁ *es*, id est ignem, vel אשׁם *asciam*, id est peccatum, מודד *moded*, id est, metiens et mensurans, ut quanta sit concupiscentia exploret, tantamque pœnam culpæ commensam irroget. III.

Quarto, Asmodæus idem est quod disperditor, desolator, ab אשׁם *asciam*, id est desolavit, vel a שׁמד *sciamad*, id est disperdidit. IV.

Quinto et aptissime, Asmodæus dicitur quasi *es*, id est ignis, vel *asciam* id est peccati, שׁומד *sciomed*, id est disperditor. Ipse enim inducitur hic, ut libidinis ultor, et sponsorum impudicorum occisor. V.

MOX UT INGRESSI FUISSENT AD EAM) Græce, *Antequam essent ipsi cum ea, ut in uxoribus*, id est antequam congrederentur. Non enim permisit Deus Saram tam castam a tam incestis tangi, sed ante tactum eos per Asmodæum occidit, eo quod vellent eam effræni libidine invadere.

AMPLIUS (deinceps; nam nullum hucusque genuerat filium) EX TE NON VIDEAMUS FILIUM, AUT FILIAM SUPER TERRAM, INTERFECTRIX VIRORUM TUORUM) Gravis fuit hæc contumelia iactata ab ancilla, vel ut græce est ab ancillis in Saram, Græca magis eam exaggerant; sic enim habent: *Et dixerunt ad eam: Non intelligis suffocans tu viros? ecce septem habuisti, et unius eorum non es nominata. Quid nos flagellas? Si mortui sunt, vade cum eis: non videamus tuum filium, vel filiam in sæculum.* Vers. 9.

Ubi nota tria convicia ab ancilla Saræ fuisse obiecta. Primo, quod septem sponsos occidisset, imo suffocasset, cum id non fecisset ipsa, sed Asmodæus. Quid enim turpius, quid atrocius sponsæ, quam dicere: Tu occidisti tuum sponsum? Secundo, quod nomen eius depravet; pro *Sara* enim, id est domina, vocat eam צרה *tsara*, id est tribulatam et miseram. Tertio, sterilitatem ei perpetuam imprecatur. Sic S. Monica, ab ancilla vocata meribibula, valde fuit afflicta, ut refert S. August. l. 9. Confess. c. 8. Sic et Sara hic adeo fuit excruciata, ut vers. 15. oret: *Peto, Domine, ut de vinculo improperii huius absolvas me, aut certe desuper terram eripias me.*

D

AD HANC VOCEM PERREXIT IN SUPERIUS CUBICULUM.) Græce est: *Tristata est* ὥστε ἀπάγξασθαι, quod Vatablus vertit: *ut præfocare se cogitaret;* sed resiliens, seseque corrigens dixit: *Unica patri meo sum; illud si faciam, ipsi dedecus sempiternum erit, et præstantissima mortis occasio, quia eius senectutem cum mœrore ad inferos deducam*, id est, ad mortem, seu sepulcrum, ut cap. 6. v. 7. Ita et Hebr. qui habet: *In tantum affligebatur, ut strangulare se cuperet; quod etiam fecisset, nisi cogitasset iterum, sic deducam canos patris et matris cum dolore ad sepulcrum.* Melius Interpres Græcorum Bibliorum Regiorum vertit: *Tristata est ut suffocaretur*, scilicet præ angustia doloris et mœroris. Vers. 10.

ET TRIBUS DIEBUS, ET TRIBUS NOCTIBUS NON MANDUCAVIT, NEQUE BIBIT, SED IN ORATIONE PERSISTENS.) Vide hic fructum contumeliæ; ipsa enim peperit compunctionem; hæc ieiunium et orationem triduanam. Nam, ut ait Vers. 12. et 11.

Lyranus: *Fervor orationis, et prolixitas inducit oblivionem cibi et potus.* Et Glossa: *Sola*, inquit, *oratione pinguescit, quem macies corporis pascet.*

Vers. 13. Benedictum est nomen tuum, Deus.) Græca uberius habent: *Benedictus es, Domine Deus meus, et benedictum nomen tuum sanctum, et gloriosum in sæcula: Benedicant te omnia opera tua in sæculum.* Hac oratione triduana impetravit Sara a Deo resignationem et tranquillitatem animi cum magna in Deum confidentia, ut novam orationem ordiens prorumperet in Dei benedictionem et laudem; nam ut ait S. Ambr. c. 2. Inst. Virg. *Bona oratio, quæ ordinem servat, ut primo a divinis inchoemus laudibus. Si enim, cum apud hominem agimus, benevolum volumus iudicem facere; quanto magis cum Dominum nostrum precamur? Primo ergo immolemus Deo sacrificium laudis.*

Et in tempore tribulationis peccata (ob quæ tribulantur, et consequenter tribulationem ipsam; dimissa enim culpa sæpe dimittitur et pœna) dimittis his qui invocant te.) Nam ut ait Eccles. cap. 2. 13. *Pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata.* Rursumque cap. 3. 17. *In die tribulationis commemorabitur tui, et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.*

Vers. 16. Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum.) Ut eum ambirem ex concupiscentia et libidine, sed tantum eum accepi prolis causa, ut parentibus obtemperarem, eisque nepotes et hæredes procrearem.

Mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.) Non tantum libidinis, sed et gulæ, superbiæ, avaritiæ, cæterarumque illecebrarum. Magna fuit hæc puritas et continentia Saræ, ob quam meruit a Deo exaudiri, et beari.

Vers. 17. Numquam cum ludentibus miscui me.) Primo Rabbini ludum impudicum accipiunt, qualem ludunt obscœni fornicarii. Sicque explicant illud Exodi 32. 6. *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere*, id est fornicari. Melius Hugo, et alii ludum quemlibet accipiunt puellis familiarem, præsertim saltationem et choream, ait Hugo, quam vir sapiens et probus apud Cæsarium lib. 4. cap. 11. vocat *ludum diaboli*, et Matth. Clingius in locis commun. cap. de tripudio et chorea: *Quid*, ait, *est chorea? Est circulus, cuius centrum est diabolus, et circumferentia omnes angeli eius.* Quocirca B. Virgo, teste sanctus Gregorius 4. Dial. cap. 17. monebat Musam virginem, *ut nihil ultra leve aut puellare ageret, iocis ludisque abstineret.* Unde etiam Ieremias cap. 15. 17. *Non sedi*, ait, *in concilio ludentium.* Quem in locum S. Hieronymus: *Utinam*, ait, *Dominus præstet et nobis non sedere in concilio ludentium, et eorum qui futura non cogitant!* Sic etiam Psalm. 25. David: *Non sedi cum concilio vanitatis.*

Vers. 21. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur.) Si nimirum in tentatione et probatione manserit Deo fidelis et constans. Nam, ut ait S. Iacob. c. 1. v. 12. *Beatus homo qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Et si in correptione (ita legendum cum Rom. et Græcis, non *corruptione*, uti legunt nonnulli) ad misericordiam tuam venire licebit.) q. d. Si tuus cultor, o Domine, a te ob aliquod delictum corripiatur et castigetur, per pœnitentiam veniam postulans, illam a te impetrabit. Hoc fine enim eum corripuisti et castigasti ut eum ad delicti pœnitentiam impelleres, et pœnitenti parceres, teque reconciliares.

Vers. 22. Quia post tempestatem tranquillum facis: et post lacrymationem et fletum exultationem infundis.) Nimirum post nubila Phœbus, post noctem aurora, post hyemem æstas, post morbum sanitas, post desolationem consolatio, post crucem gloria, post mortem resurrectio, et ut ait Tertull. in Apol. Christus post fel, favos et mella gustavit. Vere Salomon Prov. 14. 10. *Cor*, ait, *quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus* A *non miscebitur extraneus.* Vide ibi dicta. Et Psaltes Psalm. 93. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Vers. 25. Et missus est Angelus Domini S. Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.) Id est præsentatæ et oblatæ per Angelos utriusque custodes, imo per S. Raphaelem, uti ipse Tobiæ asserit cap. 11. 12. *Quando*, inquit, *orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Hinc Apoc. 8. 3. dicitur Angelus stetisse cum thuribulo aureo, eoque obtulisse Deo incensum, id est,
orationes sanctorum. *Raphael*, Hebr. dicitur quasi רפא Raphael
אל *rophe el*, id est, *medicus Dei*, aut *medicina et curatio* quis et qualis.
Dei. Ita S. Gregor. hom. 34. in Evang. et S. Hieron. in c. 8. Danielis. Sic Deus ipse vocatur *rophe*, id est medicus, curator et salvator tuus, Græce ὁ ἰώμενός σε, id est *medens tibi, et sanans te.* Exodi 15. 26. 4. Reg. 24. Psalm. 39. vers. 5. et alibi sæpe. Raphael ergo est Dei medentis vicarius, exsecutor et operator sanitatis. Unde Ecclesia in officio B Michaelis orat Christum:

Angelum nobis medicum salutis
Mitte de cœlis Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.

Apud S. Augustinum serm. 226. ait ipse Raphael: *Ego sum minister curationis, Deus est auctor sanitatis.* D. Hieron. loco citato: *Ubicumque*, ait, *medicina et curatio necessaria est, Raphael mittitur, qui interpretatur curatio vel medicina Dei, hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit medicina vera.* Hebr. textus paulo infra: *Misit*, ait, *Dominus Angelum Raphaelem, Principem curationibus præpositum, sive qui sanitatum præses est.* Unde in Romano Missali, quod anno 1520. Parisiis est editum, Missa est de S. Raphaele pro ægrotantibus et peregrinantibus.

Porro Hebr. hoc loco sic habet: *In tempore illo exaudita est oratio amborum in conspectu ipsius Secenah, et* C *in conspectu throni gloriæ Iehoveh; oratio quidem Tobiæ pro cæcitate oculorum suorum; oratio vero Saræ pro humiliatione parentum suorum. Secena* est Spiritus S. ait R. Elias; ita dictus, quod habitet in sanctis: שכן *sciachan* enim est *habitare.*

Græca Romana habent; *Exaudita est oratio amborum in conspectu gloriæ magni Raphaelis*, id est, magni Dei, qui summus est Raphael, id est, medicus et curator, uti iam dixi; aut q. d. Exaudita est oratio in conspectu Dei, ut vertit Noster, qui est gloria magni Raphaelis. Deus enim omnium Angelorum et hominum est decus et gloria, iuxta illud Ps. 3. 4. *Tu, Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.* Aut tertio et optime, q. d. Exaudita est oratio amborum a Deo in conspectu gloriosi magnique Raphaelis, qui eamdem divinæ maiestati obtulerat. Esto enim Raphael Tobiæ esset præsens, ideoque a Sara absens, tamen absentis preces ipse videbat et audiebat, imo poterat in ictu oculi a Tobia avolare ad Saram, indeque revolare ad Tobiam, adeoque ad Deum D in cœlum empyreum. Angeli enim sunt celerrimi, et instar fulguris e cœlo in terram dilabuntur.

Allegor. Glossa: *Mystice*, ait, *per Raphaelem intelligi* Alleg. est
potest Dominus noster Iesus Christus, qui dicitur magni Iesus Christus.
consilii Angelus secundum translationem 70. *Isaiæ* 9. *Et venit in mundum ad curandum in utroque sexu genus humanum.* In Græcis porro dicuntur paulo signatius nonnulla: *Missus est Raphael, ut ambobus mederetur: ipsius Tobit albugines abstergeret, et Saram Raguelis filiam daret Tobiæ, filio Tobit uxorem, et vinciret Asmodæum, malum dæmonium, quia ad Tobiam pertineret hæreditatem illam accipere*, id est Saram, quæ illi velut optima hæreditas debebatur, idque quia, ut ait Hebræus: *Tobiæ ius erat propinquitatis*, id est propinquitatis iure illam
sibi vindicare poterat. Raphael
Quæres ex qua hierarchia sit Raphael? Dominicus Ban- ex quo
nes in 1. p. q. 112. art. 4 putat esse ex infimo ordine An- Angel. ordine.
gelorum, quia ipse videtur fuisse Angelus custos Tobiæ: Resp. 1.

Angeli autem custodes sunt ex infimo ordine. Unde S. Thom. 1. p. q. 113. art. 3. ait Michaelem esse ex ordine Principatuum, Gabrielem ex ordine Archangelorum, Raphaelem ex ordine Angelorum.

II. Secundo, Serarius hic q. 2. putat esse ex ordine penultimo, qui est Archangelorum. Nam S. Isidor. l. 7. Origen. cap. 5. Prosper pag. 2. promis. cap. 29. et alii Raphaelem vocant Archangelum.

III Tertio, alii apud Ioannem Eckium homil. 5. in festo S. Michaelis, censent Raphaelem esse ex ordine Potestatum. Hi enim potestatis suæ imperium in dæmones exercent, uti fecit hic Raphael, ligando Asmodæum. Alii opinantur eum esse ex ordine Virtutum.

IV. verc. Quarto et optime plures censent Raphaelem esse ex primo ordine Seraphinorum, adeoque esse unum e septem primis Seraphinis. Hi enim proxime assistunt Deo, uti astare se ait Raphael cap. 12. 15. Ita Gregor. de Valentia 1. part. in quæst. 112. D. Thomæ q. 6. Viegas, comm. 2. sect. 18. in cap. 12. Apoc. Nazianz. et Cyril. quos citat et sequitur noster Ribadeneira in festo S. Michaelis. Hinc et Missa Æthiopica tam Raphaelem quam Michaelem et Gabrielem unum e præstantioribus Angelis constituit. Unde Sept. Rom. hoc v. *Raphaelem* vocant *magnum: Coram gloria,* inquiunt, *magni Raphaelis.*

Hebræi, ut est apud Lyran. cap. 18. Genes. tres Angelos sub virili forma Abrahamo visos, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem appellant. Primum ad nuntiandum Isaac filii generationem; secundum ad impuras urbes flammis diruendas; tertium ad curandum Abraham a vulnere circumcisionis missos dixerunt, at refelluntur Hebræi a Tobiæ textu, cap. 18. Genes. Porro Raphael bonæ valetudini præsidet; et ideo missus est ad pellendam Tobiæ cæcitatem; hinc nomen eius sonat, medicina Dei: Michael precibus oblationibusque fidelium; Gabriel hominum præliis præfecti sunt. Toletus in c. 1. Luc. Annot. 46. agit de Gabriele bellis præfecto, ut D. Hieron. c. 8. Dan. ac Rupert. in c. 8. Apoc.

Raphael est præses ægrorum.

Et itinerantium. Rursus Raphael est præses itinerum, duxque proficiscentium; unde in Itinerario Ecclesiæ ab iis invocatur. Qua de re insigne exemplum cuiusdam Aurelianensis peregrini ab hostibus invasi invocantis S. Raphaelem, et ab eo liberati recenset Petrus de Natal. Episcopus Aquil. l. 4. cap. 41.

An Raphael custos Tobiæ. Quæres secundo, an Raphael proprie fuerit Angelus custos Tobiæ? Affirmat Domin. Bannes loco citat. Prob. quia Angeli custodis munus est preces offerre Deo; hoc autem fecit Raphael. Rursum ipse Tobiam per totum iter comitatus custodivit, ac omnibus periculis eripuit. Fuit ergo eius custos. Verum dico cum Serario et Gregorio de Valentia eum non fuisse proprie custodem Tobiæ: primo, quia hic custos est ex nono et infimo ordine Angelorum; Raphael autem est ex primo ordine Seraphinorum; secundo, tutelares Angeli ab exordio vitæ a Deo hominibus tribuuntur, vel (ut placet nonnullis) a conceptu: at Raphael missus cælitus fuit, cum Tobias adolescentiæ ageret annos; tertio, non fuit præcipue missus ad iuniorem Tobiam regendum tuendumque; sed ad Tobiam patrem sanandum, Saramque a dæmone liberandam, ut patet c. 12. Hinc patet responsio ad argumentum; nam non solum Angeli, sed et Seraphini nostras preces Deo offerunt; *omnes* enim *sunt administratorii spiritus in ministerium missi,* ut ait Apost. Hebr. 1. vers. ultim. *Resp. negative.*

Denique sicut Asmodæus est rex dæmonum et præses luxuriæ, sic eius Antagonista S. Raphael et rex Angelorum, est præses castitatis et castorum tutelaris, uti fuit hic Tobiæ et Saræ. Unde ipse vel eius asseclæ S. Thomam Aquinatem cingulo castitatis cinxerunt, ut habet eius vita, ac S. Equitium quasi castrando, castitatis dono præmiarunt, uti refert S. Greg. 1. Dial. c 4.

Tropol. disce hic quanta sit animæ dignitas quantaque Dei et Angelorum, etiam Seraphinorum (qualis est Raphael) dignatio, qua dignantur hominum peccatorum, vilium et miserorum tantam, tamque particularem et providam curam gerere, quantam hic gessit Raphael Tobiæ et Saræ. Lege S. Bern. in Psal. 90. serm. 17. ubi inter cætera obstupescens ait: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Confiteantur Domino misericordiæ eius, et mirabilia eius filiis hominum. Confiteantur, et dicant inter gentes, quoniam magnificavit Dominus facere cum eis. Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor erga eum, geris pro eo sollicitudinem, curam illius habes. Denique ei mittis unigenitum tuum, immittis spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cælestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ beatos illos spiritus propter nos mittis, in ministerium custodiæ nostræ deputas, nostros iubes fieri pædagogos.* Et nonnullis interiectis: *Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis, etc. Summa ergo maiestas mandavit Angelis, et Angelis suis mandavit: illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, et vere domesticis Dei. Mandavit de te. Tu quis es? Domine, quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam reputas eum? quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis? Sed quid putas mandavit de te?* etc.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias moriturus, uti putabat, filio dat ultima virtutis salutisque monita.

1. IGITUR cum Tobias putaret orationem suam exaudiri ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, 2. Dixitque ei: Audi fili mi verba oris mei, et ea in corde tuo, quasi fundamentum construe. 3. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: 4. Memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. 5. Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. 6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. 7. Ex substantia tua fac eleemosynam: et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. 8. Quomodo potueris, ita esto misericors. 9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. 10. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: 11. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. 12. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. 13. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. 14. Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari per-

mittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. 15. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mer-
cedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. 16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide
ne tu aliquando alteri facias. 17. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos
tege. 18. Panem tuum et vinum tuum super sepulturam iusti constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum pec-
catoribus. 19. Consilium semper a sapiente perquire. 20. Omni tempore benedic Deum: et pete ab eo, ut vias
tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. 21. Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta
argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages civitate Medorum, et chirographum eius apud me habeo:
22. Et ideo perquire quo modo ad eum pervenias, et recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, et restituas
ei chirographum suum. 23. Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus,
si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

Monita Tobiæ.

Monita Tobiæ duodecim. SUNT ea numero duodecim. Primum est de pietate patri et matri tam in vita quam post mortem exhibenda, vers. 3. 4. et 5. secundum de religione erga Deum, v. 6. et 20. tertium de eleemosyna, v. 7. et 17. quartum de fuga fornicationis, et castitate, v. 13. quintum de fuga superbiæ et humilitate, v. 14. sextum de iustitia et mercede operariis iuste statim persolvenda, v. 15. septimum de talione, ut nemini faciat id quod sibi fieri nolit, v. 16. octavum de cura pro mortuis, v. 18. nonum de prudentia, ut nil faciat sine consilio viri sapientis, v. 19. decimum, de assidua Dei memoria, laude et invocatione, vers. 20. undecimum de providentia alendæ familiæ, repetendo pecuniam Gabelo mutuo datam, v. 22. duodecimum ut paupertatem suam soletur spe in Deum, qui sperantes in se ditat. Similia aurea monita, et documenta virtutum viri sancti morituri filiis, et posteris suis tradidere, ut S. Ludovicus filio suo Philippo: lege ea in vita S. Ludovici apud Surium die 25. Augusti; S. Ephrem, ut patet ex eius testamento; S. Theodorus Studita, S. Dominicus, S. Franciscus, cuius testamentum exstat in fine tom. 4. Bibliothec. Sanctorum Patrum.

Vers. 3. HONOREM HABEBIS MATRI TUÆ.) Iuxta illud Dei in Decalogo: *Honora patrem et matrem ut sis longævus super terram.* Deuter. 5. 16. Vide ibi dicta. Mirare hic Tobiæ æquanimitatem, qui acri probro exceptus ab uxore, eius tamen honorem et curam filio demandat, utque ipse memor sit dolorum, fastidiorum, et periculorum, quæ ipsa pro eo passa est in utero, et deinceps. Audi Eccl. c. 3. v. 8. et 18. *Qui timet Dominum, honorat parentes: et quasi dominis serviet his qui se genuerunt. Quam malæ famæ est, qui derelinquit Patrem: et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem!*

Vers. 5. SEPELIAS EAM CIRCA ME.) Hebr. et Græca: *Sepeli eam iuxta me honorifice in eodem sepulcro.* Vir enim et uxor sunt quasi una caro, id est, una persona civilis, Gen. 2. 24. Sic Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Lia eodem sepulcro sepeliri voluere, Gen. 49. 29. Memorabile est quod scribit S. Greg. Turon. de gloria Confess. cap. 32. de duobus amantibus, viro scilicet et uxore, in continentia et castitate mutuo consensu viventibus. (Exemplum duorum amantium.) Cum enim uxor iam defuncta ferretur ad sepulturam, vir eius expansis in cælum manibus, ait: *Gratias tibi rerum omnium artifex ago, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis contagio impollutam. At illa subridens ait: Sile, sile, vir Dei, quia non est necesse prologui nostrum, nemine interrogante, secretum. Post hæc oblecta opertorio recessit. Non post multum vero tempus et ipse migravit a sæculo, sepultusque est in loco suo. Erat autem in una quidem basilica, sed e diversis parietibus utrumque sepulcrum habebatur. Et unum quidem ad meridiem, alterum ad aquilonem. Mane autem facto inventa sunt pariter* (*id est coniuncta*) *esse sepulcra, quæ usque hodie sic perdurant: idcirco nunc incolæ duos amantes vocitant, et summo venerantur honore.*

Vers. 6. OMNIBUS AUTEM DIEBUS VITÆ TUÆ IN MENTE HABETO DEUM.) Puta in memoria, ut illius semper sis memor in intellectu, et de illo crebro cogites et mediteris: in voluntate, ut illum iugiter reverearis, ames, laudes, invo-

A ces, obedias, glorifices, ideoque caveas ab omni eius offensa et peccato, ut sequitur, studiose: iuxta illud Prov. 3. 6. *In omnibus viis tuis cogita Dominum, et ipse diriget gressus tuos.* Sic Enoch ambulavit cum Deo æque ac Noe, Gen. 5. et 6. Sic Abraham audivit a Deo: *Ambula coram me, et esto perfectus,* Gen. 17. 1. Sic Elias: *Vivit,* ait, *Dominus, in cuius conspectu sto*, 3. Reg. 17. 1. Et Eliseus: *Vivit Dominus exercituum in cuius conspectu sto*, 4. Reg. 3. 14. Quin et Seneca Epist. 10. *Sic vive,* ait, *cum hominibus, tamquam Deus videat.*

FAC ELEEMOSYNAM, ET NOLI AVERTERE FACIEM TUAM (Hebr. *ne excutias oculos tuos*) AB ULLO PAUPERE.) Sex hic eleemosynæ fructus et stimulos Tobias dat filio, primus est: *Ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini,* q. d. Talionem tibi reddet Deus, quia ipse est curator pauperum. Quare si ab eis faciem tuam averteris, negando eleemosynam, aut consolationem, quam eis dare potes, avertet pariter faciem suam a te Deus, negando gratiam et opem quam postulas. (Vers. 7. — Sex eleemosynæ fructus. — 1.)

B QUOMODO POTUERIS, ITA ESTO MISERICORS.) Ut si habeas aurum, panem, cibum, illa des; si non habeas, des consilium, verbo soleris pauperem, eique bene preceris, ostendens commiserationis affectum; commiseratio enim levat misero miseriam, eiusque partem in se suscipit. (Vers. 8.)

PRÆMIUM ENIM BONUM TIBI THESAURIZAS IN DIE NECESSITATIS.) Ac præsertim in hora mortis: quod illi dabit Deus, utpote a se misericordibus promissum. Pro *præmium,* Græce est *depositum;* quia quæ in pauperes conferuntur, non pereunt danti, sed quasi in sinum Dei custodienda deponuntur, ut is ea danti suo tempore reddat, tum in hac vita simplicia, tum duplicia, imo centuplicia in cœlo. Hebr. hic addunt: *Possidebis autem divitias et thesauros argenti et auri in iustitia. Nam thesauri nihil proderunt et eleemosyna liberabit a morte. Et quicumque facit eleemosynam, is videbit faciem Dei, sicut scriptum est: Ego in iustitia contemplabor faciem tuam, et qui occupantur ea, de cœlis sunt.* (Vers. 10. — 2.)

C Est hic secundus eleemosynæ fructus et stimulus. Sequitur tertius.

QUONIAM ELEEMOSYNA AB OMNI PECCATO ET A MORTE (æterna, et sæpe a præsenti) LIBERAT.) Qua ratione? Primo dispositive, quia eleemosyna impetrat gratiam maiorem, qua sensim eleemosynarii provehuntur ad remissionem culpæ, etiam mortalis, et ad illam disponit, si nimirum fiat ex gratia Dei præveniente: uti ad eamdem disponunt fides, spes, timor; maxime si ipsa fiat ob motivum aliquod supernaturale, v. g. ut peccati veniam adipiscaris, ut Deo placeas, ut eius gratiam impetres; secundo, quia si culpa iam sit remissa, eleemosyna meretur remissionem pœnæ restantis; tertio, quia Deus ob eleemosynam, pœnam præsentis vitæ aufert, vel differt, etiam non remissa culpa. Unde eleemosynarii etiam alias impii raro in hac vita a Deo castigantur. Quocirca Daniel, c. 4. Nabuchodonosori sævo et impio suasit, dicens: *Peccata tua eleemosynis redime:* imo S. Aug. l. 21. de Civit. c. 27. ait quosdam sine eleemosyna non posse salvari. Unde S. Ambr. serm. 30. et 31. eleemosynam comparat baptismo: *Ita,* inquit, *eleemosyna exstinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ exstinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lavacrum, ut si quis forte post baptismum humana fragilitate delique-* (Vers. 11. — 3. — Eleemosyna est quasi Baptismus.)

rit, supersit ei, ut iterum eleemosyna mundetur. Et S. Cypr. lib. de oratione et eleemosyna: *Sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis exstinguitur, ita eleemosynis atque operibus iustis, delictorum flamma sopitur.* S. Bernardus, serm. 1. post Epiphaniam, hydriam tertiam, qua peccatorum ablutio fiat, statuit eleemosynam. Sic et eamdem baptismo comparat D. Leo homil. 2. de Collectis, et serm. 5. *Eleemosynæ*, inquit, *peccata delent, mortem perimunt, et pœnam perpetui ignis exstinguunt,* huncque Tobiæ locum subiungit. Vide dicta Eccles. 3. v. 33. ad illa: *Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.*

4. ET NON PATIETUR ANIMAM IRE IN TENEBRAS.) Gehennæ, quia ipsa quasi claudit et oppilat os gehennæ. Obiicit S. Aug. serm. 18. de verbis Domini secundum Matth. c. 16. ac simul respondet: *Si*, inquit, *ei filius responderet miratus: Quid ergo pater, tu eleemosynas non fecisti, ut modo cæcus loquaris? tu nunc nonne in tenebris es, qui mihi dicis: Eleemosynæ non sinunt ire in tenebras? Noverat ille, de qua luce doceret filium, noverat in interiore homine quod videbat. Filius patri porrigebat manum, ut ambularet per terram: et pater filio, ut habitaret in cælo.* Idem hom. 47. inter 50. *Patrocinatur*, ait, *eleemosyna in die iudicii homini, ut flammas æternas non timeat.* Hic est quartus eleemosynæ fructus; sequitur quintus et sextus.

Vers. 12. 5. et 6. FIDUCIA MAGNA ERIT CORAM SUMMO DEO ELEEMOSYNA OMNIBUS FACIENTIBUS EAM.) Hebr. *munus amplum et bonum rependetur coram sancto.* Vatabl. *merces optima reddetur.* Hac de causa eleemosyna habitu reginæ virginis coronam in capite gestans ex ramis olivarum, in somnis apparuit S. Ioanni Eleemosynario Archiep. Alexandr. eique dixit: *Ego sum prima filiarum regis; si me possederis amicam, ego te ducam in conspectum imperatoris. Etenim nemo habet partem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, et salvare homines.* Qua visione excitatus sanctus Ioannes omnia sua dabat pauperibus, et quo plura erogabat, eo plura a Deo recipiebat, adeoque stannum in argentum convertebat: ita Leontius Episcopus Neapolis in Cypro, in eius Vita.

Vers. 13. ATTENDE TIBI, FILI MI, AB OMNI FORNICATIONE.) Quam multi gentilium putarunt esse licitam, ideoque ab Apostolis nominatim fuit vetita gentibus ad Christum conversis, Actor. 15. 29. et Paulus scribens ad gentes identidem eam vetat sub pœna gehennæ, ut 1. Cor. 6. Gal. 5. Eph. 5. Hebr. 13. et S. Ioan. Apocal. 21. 8. *Fornicantium*, ait, *pars erit in stagno ardenti, igne et sulphure, quod est mors secunda.*

ET PRÆTER UXOREM TUAM NUMQUAM PATIARIS CRIMEN SCIRE.) q. d. Præter uxorem nullam fœminam cognoscas, ut cum ea crimen fornicationis admittas. Idem ex Mose didicit Plato, sanxitque l. 7. de legibus: *Nemo*, ait, *audeat ullam attingere, præter legitimam suam uxorem.*

Vers. 14. SUPERBIAM NUMQUAM IN TUO SENSU (in tua mente, in tua cogitatione, æstimatione, iudicio et voluntate) AUT IN TUO VERBO DOMINARI PERMITTAS, ut licet tentationes superbiæ sentias, tamen eis non consentias, ut ipsa tibi dominetur; sed tu generose eam reprime, eique dominare: IN IPSA ENIM INITIUM SUMPSIT OMNIS PERDITIO.) Tam Luciferi et Angelorum, quam Adami et hominum; imo, ut ait S. Prosper libr. de vita contemp. cap. 25. *nullum peccatum sine superbia potest, vel potuit esse, aut poterit,* quia omnis qui peccat, præponit se suumque appetitum Deo, eiusque legi, quod utique est superbia. Audi S. Bernar. serm. 1. de adventu: *Si superbientibus Angelis Deus non pepercit, quanto minus tibi, putredo et vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est; tantum cogitavit superbiam: et in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus est, quia in veritate non stetit. Fugite superbiam, fratres mei, quæso, multum fugite. Initium omnis peccati superbia, quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum; quæ non modo Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit.* Denique serm. 54. in Cant. *Superbo Angelo horrenda et formidolosa maledictio intorquetur, quoniam in veritate non stetit. Si sic actum est cum Angelo, quid de te fiet terra et cinere? Ille in cœlo intumuit: ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quam in paupere ducat? Væ mihi, si tam dure in potente illo animadversum est, pro eo quod elevatum est cor illius; nec profuit quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur, quid de me exigendum et misero et superbo?* Et S. Chrysost. hom. 4. ad pop. *Sicut est principium modestiæ ieiunium, id est, fundamentum et constitutio: sic etiam peccati superbia, et ab ea omne peccatum inchoatur. Ex superbia nascitur pauperum despectus, pecuniarum concupiscentia, amor principatus, multæ desiderium gloriæ. Elatus etiam neque a maioribus, nedum ab inferioribus contumeliam pati sustinet, etc.* Gregor. lib. 34. mor. c. 17. *Sicut inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur, ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret.* Denique superbia hominem indecorum reddit et ignobilem. Prov. 11. v. 2. *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia,* et c. 29. v. 23. *Superbum sequitur humilitas et humilem spiritum suscipiet gloria.*

QUICUMQUE TIBI ALIQUID OPERATUS FUERIT, STATIM EI MERCEDEM RESTITUE.) Scilicet *ante solis occasum*, si pauper sit, ut præcipitur Deut. 24. et Lev. 13. *Non morabitur*, ait, *opus mercenarii tui apud te usque mane.* Vers. 15.

QUOD AB ALIO ODERIS FIERI TIBI, VIDE NE TU ALIQUANDO ALTERI FACIAS.) Hoc est primum principium, ex quo omnes virtutes proximum concernentes, quasi conclusiones educuntur, omniaque vitia proximum lædentia resecantur. Audi S. Chrys. hom. 13. ad popul. *Non opus est multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina. Voluntas tua sit lex. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis primis partibus potiri? cede prius alteri. Tu sis iudex. Tu sis vitæ tuæ legislator.* Et rursum: *Quod odisti, aliis ne facias. Per hoc quidem fugam a malo inducit, per illud autem virtutis operationem. Odisti contumeliam pati? neque tu alteri invideas. Odio habes falli? neque tu fallas alium. Et in omnibus generaliter, si duo hæc verba retineamus, alterius disciplinæ non indigebimus.* Vers. 16.

Idem docet S. Aug. lib. 2. de ordine vitæ, cap. 8. et l. 3. de Doctr. Christ. c. 14. quin et Alex. Imp. gentilis licet, teste Lampridio, *clamabat sæpius quod a quibusdam, sive Iudæis, sive Christianis audierat et tenebat, idque per præconem, cum aliquem emendabat, dici iubebat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* quin et Christus ipse hanc virtutis normam sanxit, Matth. 7. 12. *Omnia*, ait, *quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Græca hic addunt: *Vinum ad ebrietatem ne bibas, et ne ambulet ebrietas tecum in vita tua,* quia faciet te cespitare et ruere in fossas et præcipitia, indeque in gehennam. Hebr. *Cave tibi ipsi ab ebrietate, et nulla umquam vanitas tibi arrideat.*

PANEM TUUM ET VINUM TUUM SUPER SEPULTURAM IUSTI CONSTITUE.) Hebraice et Græce: *Effunde panes tuos et vinum tuum super sepulcra iustorum.* Munsterus per sepulcra accipit ora; q. d. Accipe vinum tuum, et panem pone in ore iustorum, ut non moriantur fame; sed nemo non videt hoc esse ineptum, alienum et contortum. Nota ergo olim apud Christianos (Romæ præsertim et in Africa) moris fuisse, ut fideles epulas ferrent ad sepulcra, et memorias martyrum quas per martyres hoc quasi contactu sanctificatas, prælibabant ipsi et amici eorum, deinde eas erogabant in pauperes, qui in Ecclesia ad agapen in martyrum natalitiis convocabantur, idque in honorem martyrum, atque hoc solitam facere S. Monicam matrem suam narrat S. Aug. l. 6. Confess. c. 2. Vers. 18. *Veteres imponebant panes sepulcris cur?*

Nota secundo, idem eos fecisse in sepultura defunctorum suorum, quorum dubia erat salus, vel gloria, sci-

licet eleemosynas, aut convivium, seu agapen hanc instruxisse in cœmeteriis, aut templis; tum ad luctus solatium, tum ut animam defuncti, si pœnis purgatorii detineretur, eleemosyna hac, et precibus pauperum expiarent. Verum quia ritus hic parentalis referebat mores gentilium, qui manibus suis (ita animas defunctorum, earumque genios, sive deos præsides vocabant) hoc modo parentabant quasi animæ defunctorum illis epulis vescerentur, ut patet ex Virg. 6. Æn. Plin. l. 8. c. 12. Macr. Cicer. et aliis, quæ proinde a Festo feralia et inferiæ, a Poetis Hecatis cœna, a Livio viscerationes, a Plauto pollincturæ, a Nonio silicernia appellantur; quibus etiamnum utuntur Iapones et Peruani, ut liquet ex epist. Indicis. Similiter propter abusus comessationum et compotationum S. Ambr. Mediolani hunc ritum epulandi e templis sustulit, cuius exemplum, docente postea S. Augustino, Africana Ecclesia secuta est, ac eleemosynæ pro defunctis domi distribui cœperunt, uti etiamnum fit, etsi nonnullis in locis, uti in Hispania, panes in sepultura adhuc offerantur, qui sacerdotibus cedunt, ut orent pro anima defuncti, ait Sanchez. Hæc omnia patent ex S. Aug. l. 6. Conf. c. 2. et Epist. 64. et S. Paulino Epist. ad Alethium, et S. Chrys. hom. 32. in Matth. Idem ergo innuit hic Tobias factitatum apud Iudæos, et forte ab eis Christiani hunc ritum, uti et plures alios mutuati sunt. Sensus ergo est, q. d. Panem et vinum tuum distribue fidelibus pauperibus, ut ipsi orent pro defuncto iam sepulto. Hinc addit: ET NOLI EX EO MANDUCARE ET BIBERE CUM PECCATORIBUS, scilicet, cum infidelibus, perversisque hominibus, tum quia eorum preces parum valent apud Deum, pro liberanda e pœnis anima defuncti, tum ne ab eis discas potare et impie agere. Nam, ut ait Epictetus: *Qui cum contaminatis versatur, contaminatus evadet;* et Theognis:

———Ne te coniungito pravis,
Sed coniunge bonis, et ab his bona plurima disces.
Cum pravis vivens, tu quoque pravus eris.

Qui tetigerit picem, ait noster Siracides, cap. 13. v. 1. *inquinabitur ab ea: et qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Paulo ante vero dixerat, c. 12. v. 13. *Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? Sic et qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis eius.* Porro S. Greg. 3. p. past. c. 25. sic explicat: *Panem suum et vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo quod iniqui sunt, impendit. Unde et nonnulli huius mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones.*

Hinc ergo liquet esse Purgatorium, ac piorum eleemosynas et suffragia animabus in eo detentis prodesse. Vide Bellarm. l. 1. de Purgat. c. 3. Plura hac de re dixi Eccles. 30. v. 18. ad illa: *Appositiones epularum circumpositæ sepulcro.*

Vers. 19. Sine consilio nil facito. CONSILIUM SEMPER A SAPIENTE PERQUIRE.) Tum quia in propriis etiam sapientes, cæcutiunt; affectus enim excæcat rationem. Unde Proverb. 3. v. 5. dicitur: *Ne innitaris prudentiæ tuæ:* tum quia sapientes sapientia dant consilia, et a sapientibus sapientiam disces; unde Græcus hic habet: *Consilium ob omni prudente quæras, neque ullum utile consilium asperneris.* Hebr. *Audi et accipe a quolibet, qui tibi dederit consilium bonum.* Idem suadet Hesiodus, cuius versus citat laudatque Arist. 1. Ethic. c. 4.

Is rursum bonus est, paret qui recta monenti.
At qui ex se nescit, cuiquam nec porrigit aures;
Ut bona percipiat, demens et inutilis ille est.

Fili, ait Ecclesiasticus, 32. 24. *sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.* Et Salomon, c. 19. 20. *Audi consilium et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.*

OMNI TEMPORE BENEDIC DEUM, ET PETE AB EO UT VIAS Vers. 20. Semper benedic Deum.
TUAS DIRIGAT.) Dicens cum Psalmista, Psal. 118. 5. Utinam (Domine) *dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Et: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Hebr. uberius hoc loco habent: *Omni tempore pete a Domino, ut ipse dirigat gressus tuos atque consilium tuum: quoniam non est in hominis manu consilium aliquod, sed in manibus Dei, qui est benedictus: quia omnia, quæ volet, faciet, iustumque humiliabit.* Græcus vero: *Dominum Deum benedic omni tempore, et ab ipso pete ut rectæ fiant viæ tuæ, omnesque semitæ, et consilia tua bene procedant, seu secundentur. Neque enim est ulla gens, quæ consilium habeat: sed ipse Dominus bona omnia dat, et quemcumque voluerit, humiliat, prout vult.* Quin et Isocrates ad Dæmonicum: *Bona*, ait, *deliberatio ab hominibus est, eius prosperitas* (prospera executio, prosper effectus) *a diis.*

NOLI TIMERE, FILI MI: PAUPEREM QUIDEM VITAM GE- Vers. 23.
RIMUS, (Græce ἐπτωχεύσαμεν, id est mendicamus, vel mendici sumus) SED MULTA BONA HABEBIMUS SI TIMUERIMUS DEUM.) *Habebimus*, non solum in futura vita, sed etiam in præsenti, ac præsertim decus, meritumque virtutis et pietatis. Vidit hoc per umbram Cicero qui Tuscul. 1. et ult. ait: « Quis dubitet quin in virtute divitiæ positæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris æstimanda quam virtus est? Etenim si callidi rerum æstimatores, prata et areas quasdam magni æstimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest: quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest umquam; neque naufragio, neque incendio amittitur, nec temporum, nec tempestatum permutatione mutatur? Qua qui præditi sunt, soli sunt divites; soli enim possident res et fructuosas et sempiternas ».

Hebræus habet: « Viriliter age, et esto robustus, quia Dominus erit tecum ut te adiuvet, et prosperum faciat, si requisieris eum in toto corde tuo, et tota anima tua ». Et postea: « Si timueris Dominum, et custodieris temetipsum ab omni peccato, ipse dabit tibi divitias magnas. Vobis dico, » ait S. Aug. serm. 7. de tempore « pauperes, qui mendicatis, qui de eleemosyna Christianorum vivitis: Consolamini, consolamini, tribulatio vestra convertetur in gaudium, et dolor vester in lætitiam. Non vobis sit ingratum, quod mendicatis, nec ideo in corde vestro aliquid contra Deum dicatis: quia ille iustus et pius est in omnibus operibus suis. Et te ideo fecit pauperem, ut sufferendo brevem inopiam, æternam vitam acquireres. Et divitem ideo fecit, ut dum superflua daret, remedium peccatis suis acquireret. Et ideo patientes estote, et expectate Dominum ».

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS

Raphael Angelus se Tobiæ ducem offert in Rages, spondetque Patri se eum incolumem ducturum et reducturum.

1. TUNC respondit Tobias patri suo, et dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam pater: 2. Quomodo
autem pecuniam hanc requiram, ignoro: ille me nescit, et ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed
neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognovi. 3. Tunc pater suus respondit illi, et dixit:

Chirographum quidem illius penes me habeo : quod dum illi ostenderis , statim restituet. 4. Sed perge nunc , et inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salva mercede sua: ut, dum adhuc vivo, recipias eam. 5. Tunc egressus Tobias, invenit iuvenem splendidum, stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum. 6. Et ignorans quod angelus Dei esset, salutavit eum , et dixit: Unde te habemus , bone iuvenis? 7. At ille respondit : Ex filiis Israel. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum? 8. Cui respondit : Novi : et omnia itinera eius frequenter ambulavi, et mansi apud Gabelum fratrem nostrum , qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis. 9. Cui Tobias ait: Sustine me obsecro , donec hæc ipsa nuntiem patri meo. 10. Tunc ingressus Tobias, indicavit universa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogavit ut introiret ad eum. 11. Ingressus itaque salutavit eum, et dixit: Gaudium tibi sit semper. 12. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video? 13. Cui ait iuvenis: Forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris. 14. Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum? et cum redieris, restituam tibi mercedem tuam. 15. Et dixit ei angelus: Ego ducam et reducam eum ad te. 16. Cui Tobias respondit : Rogo te , indica mihi , de qua domo aut de qua tribu es tu ? 17. Cui Raphael angelus dixit: Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? 18. Sed ne forte solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius. 19. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quod voluerim cognoscere genus tuum. 20. Dixit autem illi angelus : Ego sanum ducam , et sanum tibi reducam filium tuum. 21. Respondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et angelus eius comitetur vobiscum. 22. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo et matri suæ , et ambulaverunt ambo simul. 23. Cumque profecti essent , cœpit mater eius flere, et dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti,et transmisisti a nobis. 24. Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum! 25. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra , ut divitias computaremus hoc , quod videbamus filium nostrum. 26. Dixitque ei Tobias: Noli flere, salvus perveniet filius noster, et salvus revertetur ad nos, et oculi tui videbunt illum. 27. Credo enim quod angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos. 28. Ad hanc vocem cessavit mater eius flere, et tacuit.

Vers. 5. Raphael dux viatorum. TUNC EGRESSUS TOBIAS INVENIT IUVENEM SPLENDIDUM, STANTEM PRÆCINCTUM, ET QUASI PARATUM AD AMBULANDUM.) Erat hic Raphael Angelus, qui apparuit Tobiæ, ut *iuvenis* , ob vigorem et robur, utpote immortalis, æternus, immutabilis, ideoque numquam senescens aut deficiens; ut *splendidus*, ob splendorem, tum naturæ Angelicæ, quæ purus et lucidissimus est spiritus, tum gloriæ beatificæ; ut *stans præcinctus* , quasi dux viæ; est enim Raphael præses viarum et viatorum. Quocirca ipse Vasco Gamæ , misso ab Emmanuele rege Lusitaniæ ad aperiendam viam in Indiam orientalem , eamdem ipsi et fidei Christianæ aperuit anno Domini 1497. Audi nostrum Maffæum. l. 1. histor. Indicæ: *Prætoriæ* (navi) *inditum est nomen a S. Gabriele, ut quæ ex orbe nostro ad antipodes viam Evangelio muniebat, sub tutela præsidioque lateret Archangeli potissimum eius, qui primus e cœlo, terris olim attulit Evangelium: secundam Archangelo Raphaeli, viatorum duci ac tutori dicarunt.* Deinde superato Bonæ Spei promontorio appulerunt ad locum, cui, ut ait Maffæus, *bona signa nomen impositum , et amicitia cum Barbaris inita , subductæ naves, et multis in locis refectæ: ibidem columna cum titulo Raphaelis Archangeli de more fixa.* *Exempla.* Sic Theodosii Imp. exercitus ab Angelo (Raphaele, vel eius assecla pastoris persona induto) per paludes viasque invias ductus, Ravennam se recepit, et Ioannem tyrannum profligavit, anno Domini 425. ut narrat Socrates, libr. 7. cap. 73. et ex eo Baron. tom. 5.

Simili prorsus viatoris specie Raphael Angelus ducem viæ se obtulit S. Macario Romano; iisdemque pene verbis, quibus hic Tobiam eum compellavit, imo eum deduxit ad loca tormentorum, in quibus torquentur impii, et gaudiorum in quibus exsultant iusti. Ita habet vita S. Macarii in vitis Patr. apud nostrum P. Herib. Rosweydum.

Vers. 7. Raphael est Israelita quo sensu? EX FILIIS ISRAEL.) Verum dicit Raphael, tum quia ipse veniebat ex urbibus filiorum Israel, utpote fidelium, quorum sanitatis et salutis causa sibi erat a Deo demandata. Unde Lyran. et Dion. Cart. inquiunt: *Quæ ab Angelis inter homines dicuntur et fiunt, sunt figurativæ: et locutio, qua dicit Raphael se ex Israelis filiis esse, significat esse charitatis coniunctionem , qua S. Angeli devotis fidelibus coniunguntur:* tum quia *Israel* Hebr. idem est quod *dominabitur Deus*, sive *dominans Deus*, cuius ipse æque ut cæteri Angeli sunt creaturæ, et quasi filii, iuxta illud Iob, c. 38. *Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei?* puta SS. Angeli. Aliter Sanch. *Israel*, inquit, Hebr. idem est quod *vir videns Deum.* Raphael ergo est Israel et Israelita, quia videt Deum facie ad faciem, et hac visione beatur.

Vers. 8. QUÆ (Rages civitas) POSITA EST IN MONTE ECBATANIS.) Ecbatana, sive Ecbatanis est nomen indeclinabile urbis Medorum, quæ deinde toti monti et planitiei adiacenti, ubi sita erat Rages, nomen dedit suum. Unde Heb. habent: *Est iter duorum dierum ab Ecbatanis usque Rages: et Rages quidem est in montanis, Ecbatanis autem in planitie campi.*

Vers. 12. ET AIT TOBIAS: QUALE GAUDIUM MIHI ERIT, QUI IN TENEBRIS SEDEO, ET LUMEN CÆLI NON VIDEO?) Primo, Hugo sic explicat, q. d. Apprecatus es mihi gaudium: videris ergo scire modum, quo visum recipere , ideoque gaudere queam, dic illum si nosti; secundo Dion. q. d. Non cupio in hac vita gaudium, cum cæcus nunc vivam, et propediem moriturus sim, futura gaudia desidero; tertio et genuine, q. d. Eheu qua ratione gaudere queam, qui omni luce destitutus, in tenebris cæcitatis obscuram, miseram et mœstam vitam ago?

Vers. 17. GENUS QUÆRIS MERCENARII.) Vide hic miram dignationem et demissionem magni S. Raphaelis, qui se vocat facitque quasi servum mercenarium Tobiæ; unde et servi formam, speciemque induerat. Causam dat S. Aug. serm. 226. de temp. qui est de Tobia : *Quid*, inquit, *meruistis, pater Tobit* (sic enim Græci vocant patrem Tobit) *filiusque Tobia, mercenarium habere cælestem, et tamquam operarium locare terrestrem? Celavit vobis Angelus nomen, Azarias sum, inquit, Ananiæ magni filius: et non dixit: Ego sum Raphael Angelus. Celavit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret: Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius. Servata est dignitas nominis, ut postremo magnitudo claresceret dignitatis.* Unde recte hoc documentum morale colligit et subiungit: *Videte, charissimi, quantum sit eleemosynæ meritum. Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proficit mortuos sepelire, ut oblatio eius per Angelum Raphaelem ad cælestem ascenderet maiestatem. Videtis quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata, facit purgationem oculorum, liberat a tenebris peccatorum.*

Disce ergo hic quod tantum viæ ducem, puta S. Raphaelem, meruerit eleemosyna, et pietas utriusque Tobiæ patris scilicet et filii.

Vers. 18. Raphael vocat se Azariam. 1.

Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.) Nittekerus scribens contra P. Edmundum Campianum, p. 77. ait Raphaelem hic mentiri: sed apage impudens blasphemia. Dico ergo Angelum dicere verum: primo, quia, ut ait S. Athan. in synopsi, Raphael Tobiam comitatus assumpsit effigiem et formam Azariæ, eiusque personam præ se ferebat; sic imaginem S. Petri per Metonymiam vere vocamus S. Petrum. Sic Gen. 31. v. 13. Angelus vere ait: *Ego sum Deus Bethel*, quia loquebatur in persona Dei, quasi eius legatus. Sic Exodi 20. Angelus, vice Dei promulgans Decalogum, ait: *Ego sum Deus*, quia loquitur in persona Dei. Addunt aliqui ex S. Th. 1. p. q. 51. art. 2. Raphaelem dici Azariam, quia corpus Azariæ iam vita functi ex sepulcro assumpserat et induerat. Verum hoc indecens fuisset, nec sufficeret, quia corpus Azariæ non est Azarias. Denique, male id colligunt ex S. Thoma, qui Angelis tribuit corpus aereum.

Secundo, quia, ut ait S. Greg. hom. 34. Angeli in se non habent nomina, cum invicem videant et colloquantur facie ad faciem, sed ea sortiuntur et assumunt, ratione ministerii quod apud homines obeunt. Sic Michael pugnans pro fidelibus cum dracone superbo assumit nomen humilitatis, seque vocat Michael, id est, *quis ut Deus?* Apocal. 12. Gabriel vero idem est quod *fortitudo Dei*, quia præest præliis Dei. Raphael idem est quod *curatio Dei*, quia ipse cæcitatem Tobiæ curavit. Idem hic se vocat *Azariam*, id est, auxilium vel adiutorium Dei, quia ipse æque ac omnes Angeli sunt *administratorii spiritus*, ut ait Apost. Hebr. 1. vers. ult. hoc est ministri et adiutores Dei. Porro Græca habent: *Ego sum de genere Azariæ et Ananiæ magni et fratris tui*, q. d. Ego sum iunior, sive minor Azarias filius senioris Azariæ, qui fuit filius magni Ananiæ, sive parentis Ananiæ, ut habet Heb. Raphael enim, cæterique Angeli sunt filii Azariæ senioris, id est filii Dei, qui est compar et adiutor magni Ananiæ, id est Dei patris.

Posset quoque Azarias significare *prohibitio* vel *retentio Dei*, a rad. עצר *atsar*, id est prohibuit, cohibuit, clausit, quia Raphael cohibuit Asmodæum, eumque in deserto conclusit.

Posset rursum *Azarias* significare *divitem*, vel *divitias Dei*, a rad. עשר *asciar*, id est, dives fuit: aut thesaurus Dei, a rad. אוצר *otsar*, id est thesaurus: ipse etenim thesauros sapientiæ et beneficentiæ Dei in se continet, eorumque est minister et dispensator.

Posset denique *Azarias* verti *beatus*, vel *beatitudo* Dei a rad. אשרו *asro*, id est beatitudo.

Ananiæ magni filius.) Ananias si per ח *chet* scribatur, ut Hebr. dicatur Chananias, idem est quod *gratia Dei*, ait Beda, sive ut Pagnin. *donum, miseratio et gratificatio Dei*, sive *Deus donans, miserans et gratificans*; huius enim filii sunt Angeli, ipseque Raphael, quia gratis ab eo acceperunt angelicam suam naturam, gratiam et gloriam, idque, ut vult Franc. Suarez et alii, per merita Christi, qui proinde per Ananiam hic accipi potest, ut ipse sit pater, princeps et Dominus Raphaelis omniumque Angelorum, ut docet Apost. Ephes. 1. et Heb. 1.

Si autem *Ananias* scribatur per ע *ain*, idem est quod ענן יה *anan ia*, id est *nubes Dei*, quia scilicet Raphael et Angeli sunt filii Dei, qui est invisibilis, et per gloriam incomprehensibilis, cuius rei symbolum est nubes. Unde nubes in Script. dicitur latibulum, et quasi vestimentum Dei, quia Deus in nube se abscondebat et loquebatur, responsa dans ex propitiatorio, Levit. 16. v. 2. ac per nubem passim apparebat Mosi et filiis Israel. Idem Dei imitatione fecit hic Raphael, qui per naturam suam Tobiæ erat invisibilis, ideoque corpore quasi nube se texit, et idcirco Tobiæ incognitus fuit in via. Hinc patet nomen Azariæ et Ananiæ hic magis esse appellativum quam proprium, de quo mox plura.

Raphael typus Christi.

Alleg. Raphael fuit hic typus Christi. Ipse enim est *Azarias*, id est *adiutor Dei*, ad illuminandum, redimendum et salvandum homines cæcos, ac magni Ananiæ, id est Dei patris, eiusque gratiæ et misericordiæ filius, quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et gratiæ Dei absconditi, in eoque *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* ad Col. 2. 9. ideoque ipse iure Ananiæ, id est, charitum et gratiarum filius est et appellatur. Hoc est, quod ait Christus Isaiæ 50. 7. *Dominus Deus auxiliator meus*, et c. 63. 7. *Miserationum Domini recordabor.* Tropol. Azarias fuit S. Paulus et Apostoli, virique Apostolici; hi enim sunt Dei adiutores in salute hominum procuranda. Unde ipse ait 2. Cor. 5. 19. *Dedit nobis ministerium reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Tropol. Et Apostoli.

Azariæ nomen magnorum.

Porro Azariæ nomen apud Hebræos fuit illustre, ideoque magnorum Regum, Principum, Pontificum, Prophetarum, Cantorum. Rex enim Ozias filius Amasiæ dictus est Azarias; ac Pontifex, qui animose restitit Oziæ regi volenti offerre incensum, pariter dictus est Azarias, ut patet 2. Paral. 26. fuitque filius Iohanan Pontificis, ut patet 1. Paral. 6. 10. Iohanan autem idem est quod Ananias: huic coævus fuit Tobias. Fuit rursum alius Azarias Pontifex filius Sadoc Pontificis tempore Salomonis, de quo 3. Reg. 4. 2. et 1. Paral. 6. 9. Fuit et tertius Azarias filius Helciæ et pater Saraiæ Pontificum, avusque Esdræ, qui Ezechiæ regis pietatem adiuvit, 2. Paral. 31. 10. et 1. Esdræ 7. 1. Fuit insuper Azarias filius Nathan præfectus aulicorum Salomonis, 3. Reg. 4. 5. Fuit Azarias filius Ethan, nepos Phares et abnepos Iudæ Patriarchæ, 1. Paral. 2. 8. v. 38. alius nominatur Azarias filius Iesus. Ad hæc fuit Azarias propheta, qui vaticinando animavit Aza regem Iuda ad destruendum idola 2. Paral. 15 v. 1. et seq. Rursum filius Iosaphat regis Iuda vocatus fuit Azarias, 2. Paral. 21. 2. Fuit et Azarias, princeps Israelis, qui Israelitas prædam ex Iuda abactam restituere generose coegit, 2. Paral. 28. 12. tempore Achaz Regis Iuda, cui pariter coævus fuit Tobias. Ac ut plures alios taceam, Ananias, Azarias et Misael fuerunt tres adolescentes regii, socii Danielis Prophetæ, qui ob Dei cultum in fornacem ardentem coniecti, in ea illæsi permanserunt, Daniel. 3. atque ex Azaria Levita prognatus est Samuel Propheta, eiusque nepos Heman Cantor in templo tempore Davidis, 1. Paralipomen. 6. 36. Ad omnes hos alludit hic Raphael, sed præsertim ad Azariam Pontificem filium Iohanan, sive Ananiæ. Est enim Raphael rex Angelorum, sicut Asmodæus dæmonum, ut dixi. Idem quasi Pontifex obtulit incensum Deo, scilicet preces Tobiæ, c. 12. 12. idem ut cantor assidue canit Deo: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, Isaiæ 6. 3. Ipse enim est ex Seraphinis. Idem est Propheta, quia hic Tobiæ curationem cæcitatis prædicit, imo præstitit. Quocirca recte notat Salianus, tom. 4. anno mundi 3226. n. 3. Azariæ nomen non tam esse proprium quam appellativum, utpote quod sibi honoris causa multi Pontifices, quasi agnomen asciverunt, quasi eo postulantes et sperantes auxilium Dei (hoc enim significat Azarias). Nam Sept. Sixtini filium Ioiadæ, non Zachariam, sed Azariam vocant, 2. Paral. 24. Et Rex ipse Ozias in libris Regum dicitur Azarias, et quidem cognomento, ut ait S. Hier. in cap. 1. Amos. Et Pontifex qui tempore Ezechiæ floruit, a Iosepho et Chronologis Hebræis vocatus Nerias, 2. Paralipomen. cap 31. v. 10. et 13. Azarias nominatur. Ad quem alludit Raphael.

Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu.) Vers. 19.

Addunt Græca eum subiunxisse: *Ananiam et Ionatham magni illius Samiæ* (Hebr. *Semolih*, id est pacifici, vel retribuentis) *filios ego novi iam tum, cum Ierosolymam una adorandi, et primogenita decimasque fructuum consecrandi causa proficisceremur; non enim in errorem cognatorum nostrorum adducti fuerunt*, ut adorarent vitulos aureos a Ieroboam in Israel erectos. Ex hisce verbis liquet: primo, vere ævo Tobiæ fuisse Azariam filium Ananiæ; secundo, Ananiam fuisse Israelitam, non Iudæum; tertio, fuisse virum fidelem et pium; quarto, Tobiæ cognitum et amicum, ideoque Azariæ eius filii speciem et nomen assumpsit Raphael.

Angelus eius comitetur vobiscum) Hinc patet illo Vers. 21.

ævo Tobiam et fideles credidisse Angelos custodes singulis hominibus a Deo deputatos, eos comitari, dirigere, instruere, defendere. etc. Græca addunt Tobiam Angelo pro mercede sui ducatus promisisse drachmam per diem, et necessaria ad vitam et victum, atque si sani rediissent, additurum se honorarium super mercedem. Drachma auri est coronatus Francicus, qui nimium erat Tobiæ pauperi pretium; quare drachma argenti, quæ valet Regalem Hispanicum quinque stuferorum, sive decem baiocorum hic accipienda videtur.

A

CUMQUE PROFECTI ESSENT.) Addunt Græca, *et canis pueri cum eis*, quod habet c. seq. v. 1. Vers. 28.

COMITETUR EI.) Id est, eum vel cum eo. Nec putes esse solœcismum, sic enim loquitur Cicero Tuscul. 5. et sic latine dicimus: ipse mihi est comes; comitari enim est esse comitem. Vers. 27.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Raphael monet Tobiam, ut piscem se invadentem, branchia ex aquis extrahat, exenteret, ac cor, fel, iecur ad pharmaca reservet; deinde, ut Saram sibi postulet uxorem a Raguele patre.

1. PROFECTUS est autem Tobias, et canis secutus est eum, et mansit prima mansione iuxta fluvium Tigris.
2. Et exivit ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. 3. Quem expavescens Tobias clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me. 4. Et dixit ei angelus: Apprehende branchiam eius, et trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, et palpitare cœpit ante pedes eius. 5. Tunc dixit ei angelus: Exentera hunc piscem, et cor eius, et fel, et iecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter. 6. Quod cum fecisset, assavit carnes eius, et secum tulerunt in via: cetera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum. 7. Tunc interrogavit Tobias angelum, et dixit ei: Obsecro te Azaria frater, ut dicas mihi quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare iussisti? 8. Et respondens angelus, dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. 9. Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur. 10. Et dixit ei Tobias: Ubi vis ut maneamus? 11. Respondensque angelus, ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, et hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque feminam ullam habet aliam præter eam. 12. Tibi debetur omnis substantia eius, et oportet eam te accipere coniugem. 13. Pete ergo eam a patre eius, et dabit tibi eam in uxorem. 14. Tunc respondit Tobias, et dixit: Audio quia tradita est septem viris, et mortui sunt: sed et hoc audivi, quia dæmonium occidit illos. 15. Timeo ergo, ne forte et mihi hæc eveniant: et cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. 16. Tunc angelus Raphael dixit ei: Audi me, et ostendam tibi qui sunt quibus prævalere potest dæmonium. 17. Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. 18. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. 19. Ipsa autem nocte, incenso iecore piscis, fugabitur dæmonium. 20. Secunda vero nocte, in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris. 21. Tertia autem nocte, benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes. 22. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

Vers. 1. ET CANIS SECUTUS EST EUM.) Uti canes familiares sequuntur heros, a quibus nutriuntur. Dicit hoc ad nexum historiæ: nam mœsti parentes ex præcurrente cane cognoverunt reditum Tobiæ, c. 11. v. 9.

ET MANSIT PRIMA MANSIONE IUXTA FLUVIUM TIGRIS.) Puta in domo, vel hospitio Tigri adiacente. Exierat enim illo die e Ninive, quæ Tigri adiacet.

Vers. 2. ET EXIVIT (ex hospitio ad flumen Tigrim) UT LAVARET PEDES SUOS.) Ex itinere fatigatos, ac pulvere et sudore sordidos et olidos.

Piscis Tobiæ quis? Resp. 1. ET ECCE PISCIS IMMANIS EXIVIT AD DEVORANDUM EUM.) Quæres: Quisnam fuit hic piscis? Primo aliqui censent fuisse cætum, sive balænam; hæc enim homines vorat et glutit. Verum balænas, utpote vastissimas, non capit Tigris fluvius, sed vastum mare. Rursum balænam solus Tobias extrahere nequivisset.

II. Secundo Dion. Carth. putat fuisse crocodilum: hic enim ex Nilo egreditur et homines in terra insequitur, necat et devorat. Est enim amphibius, tamque in terra, quam in aquis degit et pascitur. Verum crocodilum extrahere nequivisset Tobias. Adde: Crocodilus in terra vivit; hic autem piscis, extractus in terram a Tobia, cœpit *ante pedes eius palpitare*, deficere et mori, uti solent pisces extra aquam.

B

Tertio Rabbini, quos sequitur Georgius Venetus tom. 6. Problem. 185. censent esse lucium piscem, qui vorax est, adeoque cæteros pisces devorat, ideoque dicitur lucius, Græce λύκιος, id est lupinus, quasi lupus piscium. Verum lucii non sunt tam grandes et audaces, ut hominem invadere audeant. III.

Quarto ergo verisimilius Franc. Valesius sacræ Philos. c. 42. ex Plinio, Menandro et aliis censet hunc piscem fuisse callionymum, id est, pulchri nominis, qui maximus est, carnivorus et voracissimus, dentes habens serratos, ac oculos in vertice capitis fixos: unde et uranoscopos, id est, cœlum spectans vocatur et os inter oculos situm, ideoque ab Italis vocatur *bocca in capo;* unde eius aspectu territus fuit Tobias. Abundat felle, quod valet ad albugines ex oculis extergendas. Ita Dioscor. l. 1. c. 96. Galenus et Plinius lib. 32. cap. 7. sub initium, quem audi: *Callionymi fel cicatrices sanat, et carnes oculorum supervacuas consumit; nulli hoc piscium copiosius. Idem piscis et uranoscopos vocatur ab oculo, quem in capite habet.* Hic ergo *exivit* non in terram, sed extra aquam, caput et guttur erigens et extendens, *ad devorandum eum*, scilicet Tobiam. Adde: Oppianus lib. 2. callionymum vocat ἡμεροκοίτην, eo quod interdiu indormiat, noctu vigilet prædæ quærendæ causa, uti fures interdiu IV. verius. Callionymi piscis descriptio.

dormiunt, noctu vigilant, ut furentur. Igitur potuit hic piscis e Tigri egredi in arenam vicinam, ibique Tobiam invadere. Subiungit Oppianus adeo voracem esse hunc piscem, ut ciborum copia nimis distento ventre disrumpatur et emoriatur, quo tristi exitu homines a luxu crapulaque deterret. Piscem hunc graphice per omnia membra describit Guil. Rondeletius lib. 10. de piscibus c. ult. ubi et addit eum callionymum, id est, pulchri nominis dici, eo quod, licet in se sit fœdus et turpis, oculos tamen habeat in vertice ut semper in cælum suspiciat, quæ forma dignior est homine, quam pisce. Hominis enim proprium est sursum aspicere et mente cælum contemplari; fragilia et caduca quæque falso in bonis a vulgo habentur, contemnere, et infra se posita despicere: ergo hominis mens, æque ac nomen, sit uranoscopos iuxta illud Ovidii:

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Dices: Callionymus, teste Plinio et Oppiano, est piscis marinus; hic autem erat ex Tigri fluvio. Resp. Pisces marini sæpe in magnis fluviis reperiuntur, præsertim in maris refluxu, quando fluvii exundant. Pisces enim amant aquam dulcem, qualis est in fluviis, sed mirum est callionymum, qui duorum pedum mensuram non excedit, teste Rondeletio et Aldrovando, ausum fuisse Tobiam invadere: verum piscis hic vorax est æque ac stolidus, ideoque Tobiam invasit.

Vers. 8. Cor piscis fugat dæmones qua vi? Resp. I.

Cordis eius particulam si super carbones ponas (asses) fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.) Quæres qua vi ac virtute piscis huius cor æque ac fel v. 19. fuget dæmones? Valesius sacræ Philos. c. 28. dicit pisci huic virtutem supernaturalem a Deo fuisse tributam ad fugandum dæmones, sicut igni inferni eadem tributa est ad eos torquendos, atque aquæ benedictæ data est vis eosdem fugandi, et animam a culpis abluendi. Innuitur hæc virtus verbo *extricat.* Favent Guilielm. Paris. l. de universo, Dionys. Carth. Petrus, Greg. Tolosanus, Syntagm. iuris l. 34. c. 22. Hier. Mengus in flagello dæmonum, dicentes dæmones ob superbiam a Deo subiici certis corporibus, ac herbis. Verum hæc virtus in hoc pisce est inaudita, nec unica eius suffumigatio potuit habere vim perpetuo arcendi dæmonem, *ita ut ultra non accedat,* ut hic dicitur.

II. Secundo, noster Sanchez censet dæmonem fugari fumo cordis piscis huius, ex eo quod hæc suffumigatio rei tam vilis fiat in dæmonis ignominiam et contemptum quem ipse, utpote superbissimus non ferens, abit et refugit. Hinc exorcistæ energumenis colaphos impingunt, ridicula simulacra rerum turpissimarum e collo suspendunt, et probrosis verbis dæmonem exagitant, quæ ille ex superbia sustinere nequit, ideoque non raro abscedit, uti experientia constat: unde et in libro, qui inscribitur *flagellum dæmonum,* asseritur suffitus hosce adhibendos energumeno, et ignominiosa verba in dæmonem iacienda. Unde in eo exorcismo quarto ita ab exorcista appellatur dæmon: *Spiritus immunde, miserrime, tentator, fallax, pater mendacii, hæretice, fatue, bestialis, furiose, tui Creatoris inimice, luxuriose, insipiens, crudelis, inique, prædo, bestia, serpens et sus macra, famelica, et immundissima, bestia scabiosa, bestia truculentissima, bestia omnium bestiarum bestialissima, eiecte de paradiso, de Gratia Dei, de loco inenarrabili, de consortio et societate Angelorum, creatura damnata, reprobata, et maledicta a Deo in æternum ob superbiam et nequitiam tuam, scelerate et nefande, maledicte, et excommunicate, blaspheme, damnate, atque damnande.* Priscique huius moris index est etiam Prudentius contra Symmachum:

Intonat antistes Domini: Fuge, callide serpens,
Exue te membris, et spiras solve latentes;
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas.

III. plan. Tertio planius et plenius Lyranus, Serar. et Abulensis in 1. Reg. 16. q. 46. et Pererius in Daniel. p. 272. censent, fumum cordis piscis callionymi expulisse dæmonem inchoate vi naturali, ut insinuat hic Raphael, sed complete vi Angelica et cœlesti. Naturali, nimirum impediendo actionem dæmonis, per dispositionem contrariam, quomodo musica Davidis impediebat agitationem Saulis per dæmonem. Dæmon enim agit per naturales causas et humores maxime melancholicos; quæ ergo humores hosce tollunt vel minuunt dæmonis actionem et vexationem infringunt. Hinc idipsum dicitur facere ruta, hypericon, cornua caprina, artemisia, cameleontis iecur, lapis Sandius, et Chrysolitus, etc. Quia (si tamen id verum est) nimirum discutiunt melancholiam, exhilarant animam; itaque mœrorem, perturbationem et anxietatem, ac desperationem, quam suggerit dæmon, dissipant. Vide Serar. et Delrio in Magic. l. 2. q. 27. sect. 2. Completa tamen causa, abigens dæmonem, fuit Raphael Angelus, qui ad suffitum iecoris propter merita et orationem Tobiæ fugabat dæmonem. Hoc autem tacuit Raphael, et suffitum prætexuit, ne se patefaceret, neve Tobias sciret eum esse Angelum, quem quasi hominem habebat viæ comitem et ducem; sicut eadem de causa vocavit se Azariam, ac cum Tobia comedit et bibit. Id ita esse indicant Græca, quæ hanc vim non tribuunt cordi piscis; sed sic habent: *Fac fumigare cor et iecur coram viro et non perturbabitur amplius;* quia, scilicet, ad hoc signum ego ex condicto et promisso meo pellam, et fugabo dæmonem perturbationis auctorem. Unde et cap. 8. lib. 2. dicitur: *Protulit* (Tobias) *de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones vivos; tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium et religavit illud in deserto:* non ergo iecur piscis, sed Raphael apprehendit et fugavit dæmonem, non tantum ex domo Raguelis, sed ex tota Media. Simili modo Magi et Sagæ per certas herbas et signa maleficii nocent, bestiasque et pueros occidunt, cum tamen illa per se ad hoc inefficacia sint, nullamque habeant vim physicam, sed tantum moralem, scilicet, ex pacto dæmonis. Dæmon enim, posito signo a se dato, damna hæc per se bestiis et infantibus infert.

Mystice Beda: *Piscis,* inquit, *qui Tobiam devorare cupiens, Angelo ducente, occisus est, Diabolum significat, qui dum in Redemptore nostro carnem appetiit, captus est potentia divinitatis.* Ex adverso S. Aug. serm. 4. de Petro et Paulo: *Est,* inquit, *Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine vivus: cuius iecore per passionem assato, fugatus est diabolus: et per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, et illuminatus est mundus.* Sic Optatus Milev. in 3. contra Parmen. per piscem Tigris accipit Christum.

Extricat.) Nota: Proprium est dæmonis intricare, Raphaelis vero et Angelorum extricare: sicut enim piscator pisces hamo, et venator feras laqueo, aves vero visco et reti implicare satagit, ut capiat; sic dæmon corpus et animam variis doloribus, maioribus curis, angoribus, difficultatibus, scrupulis, litibus, rixis, concupiscentiis, intricare contendit, ut se expedire nequeat, sed fiat eius et gehennæ præda. Vide S. Greg. 32. Moral. c. 17. ad illa Iob 40. 12. *Nervi testiculorum eius perplexi sunt. Suggestionum,* inquit, *illius* (dæmonis) *argumenta implicatis inventionibus illigantur, ut plerosque ita peccare faciat, quatenus si forte peccatum fugere appetant, hæc sine alio peccato non evadant, et culpam faciunt, dum vitant;* idque variis exemplis demonstrat, et tandem viam ex hoc labyrintho se extricandi, ostendit per hanc regulam, quasi per filum Ariadnes: *Dum mens inter minora et maiora peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur: quia et qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.*

Vers. 9. An fel illuminarit oculos?

Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.) Quæres, an Tobias per fel huius piscis naturali eius vi et virtute visum receperit? Resp. affirmative, Deo tamen vel Raphaele cooperante et supplente, quod causæ illi naturali, puta felli piscis deerat, si videlicet stercus illud calidum hirundinum humorem crystallinum et vim visivam internam Tobiæ non

extinxerat, sed tantum albuginem, et pelliculam oculis eius obduxerat; hanc enim erosit fel piscis, ut indicatur cap. 11. v. 13. Sic enim ibi dicitur: *Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam; et cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis eius, statimque visum recepit.* Quid clarius? clariora tamen ibidem sunt Græca, quæ sic habent: *Inspersit fel super oculos patris sui, dicens: Confide, pater. Ut autem erosi sunt, detrivit oculos suos, et desquamatæ sunt ab angulis oculorum albugines Et videns filium suum, procidit super collum eius, et ploravit et dixit: Benedictus es, Deus.*

Secundo, quia hanc virtutem felli callionymi tribuit Plinius l. 32. c. 7. et Fr. Valesius S. Philos. c. 47. quem audi: *Quia, cum ad extergendas albugines nihil magis a medicis omnibus celebratum sit, quam fel, inter omnia eius genera, omnium maxime commendatur fel callionymi piscis, et mox Hienæ.* Galenus quoque lib. decimo de Simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 12. *Porro, inquit, quorumdam animalium bilis singulariter a medicis extollitur, tamquam aciem exacuat oculorum, et suffusionum initia digerat, veluti piscis, quem vocant Callionymum, Hienæ, et Scorpii marini, tum Galli et Perdicis.* Sic ille. Idem docet Ælian. lib. 13. c. 14. cæterique medici. Ita censent Lyranus, Dionysius, Serarius et alii.

Dices: Tobias erat excæcatus, planeque cæcus; ergo a felle piscis visum recipere non potuit. Resp. Erat cæcus exterius ob pellem oculis obductam, non interius, ut vis visiva fuerit extincta, ideoque erat cæcus actu, ac potentiam proximam videndi amiserat, non remotam et radicalem: si quis contendat eum omnino fuisse cæcum, et vim visivam amisisse, necesse est ut consequenter dicat eum non felle piscis, sed sola virtute divina supernaturali illuminatum fuisse, uti dixi de fugatione Asmodæi per cor piscis. Allegor. Tobias, per fel illuminans patrem, fuit typus Christi, qui cæcum a nativitate illuminavit sua saliva et luto, Ioann. 9. v. 6.

Tropol. Fel est amarities perversitatis et tribulationis, quæ oculos mentis melle voluptatis terrenæ excæcatos, eo discusso aperit, ut videat peccati turpitudinem, gehennæ atrocitatem, virtutis pulchritudinem, Dei bonitatem, cæli gaudia, etc.

Mystice S. Prosper p. 2. promis. c. 29. *Mysticum, ait, actionis huius hoc est, quod ex interioribus piscis, et dæmon fugatus e t, et Tobias illuminatus. Hoc agit piscis magnus ex passione sua Christus, purgans Mariam, ex qua expulit septem dæmonia.* Et postea: *ἰχθὺν namque, Latine piscem, sacris litteris maiores nostri hoc interpretati sunt ex Sybillinis versibus colligentes, quod est Iesus Christus filius Dei salvator, piscis in sua passione decoctus, cuius ex interioribus remediis quotidie illuminamur et pascimur.*

Vers. 14. et 15. An Sara habuerit Asmodæum incubum? AUDIO QUIA TRADITA EST SEPTEM VIRIS, ET MORTUI SUNT: SED ET HOC AUDIVI, QUIA DÆMONIUM OCCIDIT ILLOS. TIMEO ERGO NE FORTE ET MIHI HÆC EVENIANT.) Græca addunt: *Quoniam dæmonium amat ipsam, quod iniuria non afficit quemquam præter accedentes ad eam.* q. d. Ipsa habet dæmonem incubum, qui amans ipsam, cæteros eius procos occidit. Nam dæmones in corpore assumpto excipere semen alicuius viri, illudque in fœminam infundere, ac per illud prolem generare, uti aiunt Merlinum ac Arcturum esse progenitos, asserunt D. Thomas, Abulens. Victoria, Molina, Cantiprat. Cæsarius, Camperius, Hector, Boethus et alii, quos citat et sequitur Serar. cap. 8. q. 4. Audi S. Augustin. 15. civ. cap. 23. *Creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse affirmant Sylvanos et Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos exstitisse mulieribus, et earum appetisse ac peregisse concubitum, et quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assidue immunditiam et tentare, et efficere: plures, talesque asseverant, ut hoc negare, impudentiæ videatur.* Audi et exemplum quod refert Auctor vitæ S. Bernardi lib. 2. v. 6. *Mulier quædam in regione Nanneti, a quodam petulante dæmone sex annis, habito eius consensu, incredibili libidine vexata est. Apparuerat ei in specie pulchri militis, et sæpe abutebatur ea invisibiliter, marito eius in eodem lecto cubante, lascivus ille spiritus. Quæ anno septimo timore correpta, veniente in prædictam civitatem S. Bernardo Clarævallis abbate, misera mulier ad pedes eius corruit, passionem horribilem et ludificationem diabolicam multis cum lacrymis confessa, succurri sibi flagitavit: a quo consolata, et quid facere deberet edocta, post confessionem diabolus ad illam accedere non potuit.*

Verum dæmon proprie non amat fœminas libidinis suæ causa, cum carne careat, ideoque nullum habeat libidinis sensum, sed amorem simulat, ut fœminas in sui amorem et peccatum infandum pelliciat. Porro non est verisimile Asmodæum hic fuisse amasium et incubum Saræ, tum quia sciebat illam esse castissimam, ideoque ei generose restituram. Quare Tobias, dicens Asmodæum amare Saram, id dixit non ex suo, sed ex vulgi sensu et fama. *Audio*, inquit: vulgus enim, videns septem sponsos Saræ esse occisos a dæmonio, suspicabatur id fieri ex eius rivali amore et zelotypia; sic enim proci eamdem ambientes sponsam sæpe se mutuo interimunt. Nam versu 17. Raphael Angelus non hanc, sed prorsus aliam, et quasi contrariam occisionis eorum affert causam, scilicet eos cæsos ab Asmodæo, ob scelera et effrænem libidinem. Ita Serarius.

ET SUÆ LIBIDINI ITA VACENT, SICUT EQUUS ET MULUS.) Nam ut ait Arist. l. 6. hist. anim. c. 22. *Salacissimus omnium tam fœminarum, quam marium, equus est.* Unde illud Ierem. 5. v. 7. et 8. *In domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores et admissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Mulus quoque, licet sterilis, ardet libidine. Unde veteres luxuriosum designabant pingendo mulum, aut mulam, teste Pierio Hierogl. 12. Adde certum genus mulorum a cæteris diversum esse in Cappadocia et Syria, quod parit et procreat instar equorum, teste Aristot. lib. 1. histor. anim. cap. 6. et lib. 6. cap 24. Vers. 17.

INCENSO IECORE PISCIS FUGABITUR DÆMONIUM.) Non tam vi iecoris, quam mea, hoc est angelica et divina ob tuas, o Tobia, preces et merita, virtute. Vide dicta v. 8. Mystice S. August. loco citato: *Christus, inquit, est piscis iste qui ad Tobiam ascendit, huius iecore per passionem* (in ara crucis) *assato fugatus est diabolus.* Apte id fit per iecur, quia in iecore est sedes amoris et concupiscentiæ, quæ hic Christi passione exstinguitur. Vers. 19.

SECUNDA VERO NOCTE IN COPULATIONE SANCTORUM PATRIARCHARUM ADMITTERIS.) q. d. Eris particeps meritorum, seu sanctitatis S. Patriarcharum, puta Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph, etc. ut sicut ipsi caste utentes suis uxoribus insignes, sanctosque genuere filios, sic et tu facias ex Sara, ut sequitur v. 21. Iubet ergo Raphael Tobiæ, ut per tres primas a coniugio noctes vacet orationi cum Sara, antequam illud consummet; sic enim fugandum Asmodæum, qui libidinosos occidit, ac coniugium sancte initurum, ac sanctos a Deo adepturum filios. Utinam coniuges Christiani consilium hoc Raphaelis, et Tobiæ ei obedientis exemplum sequantur! In Trident. Conc. sess. 24. ita legitur de Refor. Matr. c. 1. *Sancta synodus coniuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel saltem triduo, ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiæ Sacramentum pie accedant.* Vers. 20.

AMORE FILIORUM MAGIS QUAM LIBIDINE DUCTUS.) Finis enim copulæ debet esse desiderium prolium fidelium. *Hæc enim sunt tria matrimonii bona, fides,* (coniugalis) *proles, sacramentum,* ut ex S. Aug. docent Theologi. Vers. 22.

Audi S. August. lib. de bono coniug. cap. 6. *Coniugalis, ait, concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum coniuge,*

propter fidem thori, venialem habet culpam. Adulterium vero, sive fornicatio lethalem habet culpam; ac per hoc, melior est quidem ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit causa gignendi. Et S. Fulgent. Epist. 1. cap. 3. *Coniugalis potestatis,* ait, *inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus, si iustitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Iustitia vero utendi coniugii hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi coniuges congruo tempore misceantur. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus.*

Quin et Philosophi idem sensere, ut Plato l. 6. de legibus: *Oportet,* inquit, *parentes gignere, et educare liberos, qui vitam tamquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes, iuxta ipsius legem.*

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias Saram uxorem a patre Raguele postulat et impetrat, coniugii tabulæ scribuntur et nuptiæ celebrantur.

1. INGRESSI sunt autem ad Raguelem, et suscepit eos Raguel cum gaudio. 2. Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ uxori suæ: Quam similis est iuvenis iste consobrino meo! 3. Et cum hæc dixisset, ait: Unde estis iuvenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captivitate Ninive. 4. Dixitque illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Novimus. 5. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est. 6. Et misit se Raguel, et cum lacrymis osculatus est eum, et plorans supra collum eius. 7. Dixit: Benedictio sit tibi fili mi, quia boni et optimi viri filius es. 8. Et Anna uxor eius, et Sara ipsorum filia, lacrymatæ sunt. 9. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel, occidi arietem, et parari convivium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium, 10. Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram filiam tuam. 11. Quo audito verbo, Raguel expavit, sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: et timere cœpit ne forte et huic similiter contingeret: et cum nutaret, et non daret petenti ullum responsum, 12. Dixit ei angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam. 13. Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces et lacrymas meas in conspectu suo admiserit. 14. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi: et nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam. 15. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob vobiscum sit, et ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. 16. Et accepta charta fecerunt conscriptionem coniugii. 17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum. 18. Vocavitque Raguel ad se Annam uxorem suam, et præcepit ei, ut præpararet alterum cubiculum. 19. Et introduxit illuc Saram filiam suam, et lacrymata est. 20. Dixitque ei: Forti animo esto filia mea: Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

Vers. 2. QUAM SIMILIS EST IUVENIS ISTE CONSOBRINO MEO!) Puta Tobiæ seniori, qui Raguelis erat patruelis. Tobias enim iunior similis erat patri suo, uti sæpe accidit.

Vers. 3. EX TRIBU NEPHTALI SUMUS.) Nota, Tobiam hoc dixisse, non angelum Raphaelem. Tobias autem putabat Raphaelem non esse Angelum sed contribulem suum: *Dixerunt* ergo, hoc est, dixit unus Tobias respondens pro utroque, scilicet tam pro Angelo comite suo, quam pro se ipso: si tamen quis contendat hæc utriusque esse verba, ac Raphaelem asserere se esse tribus Nephthali, non filium, sed Angelum custodem, vel tutelarem, quomodo Daniel. 10. vocatur Angelus Persarum, Græcorum, Hebræorum. Atque hoc sensu Angeli nobis concives et contribules dici queunt. Ita Angelus Ioannis Apostoli se conservum vocat Apoc. 19 10. Denique Raphael hic sumpserat formam, personam et nomen Azariæ, ideoque recte se Nephthalitam vocare poterat, talis enim erat Azarias. Vide dicta c. 5. v. 18.

Vers. 4. NOSTIS TOBIAM FRATREM MEUM?) *Fratrem,* id est patruelem et cognatum, uti iam dixi.

Vers. 6. ET MISIT SE RAGUEL.) In collum Tobiæ, eum amplexans et osculans. Græce est: *Exiliit Raguel* præ lætitia.

Vers. 8. LACRYMATÆ SUNT.) Addunt Græca, id fecisse postquam audierunt Tobiam amisisse visum oculorum.

Vers. 11. QUID EVENERIT SEPTEM VIRIS, QUI INGRESSI SUNT AD EAM.) Scilicet in thalamum nuptialem ante complexum maritalem. Nam Græca et Hebr. addunt: *Dæmonium occidit eos, antequam cum ea ipsi fuissent ut in uxoribus,* id est, antequam uxoriam copulam cum ea habuissent.

Quæres: Cur tot sponsi ambierunt Saram, præsertim cum posteriores vidissent priorum necem? Resp. Prima illecebra fuit singularis Saræ forma et pulchritudo; secunda, quod unica esset hæres ingentium opum Raguelis patris sui; tertia, quod existimaverint fortasse iure propinquitatis sibi debitam; cum non adesset Tobias, cui, ut habetur v. 14. debebatur tamquam propinquiori; quarta, quia amor dementabat eos. Nam, ut ait S. August. *nimium præceps est, qui transire contenderit, ubi alium conspexerit cecidisse.*

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Et, ut ait Plin. lib. 28. cap. 5. *Optimum est aliena insania frui.*

Rursum disce hic quam omnis voluptas etiam coniugii sit anceps et instabilis. En tibi hi sponsi in ipsis sponsæ nuptiis occiduntur, ut pluribus similibus contigit, et sæpe contingit; unde proverbium est Ben-Sira: *Sponsa ascendit in thalamum, neque quid sibi eventurum sit novit.* Nam ut ait Seneca Epist. 26. *Incertum est quo loco te mors expectet. Itaque tu illam omni loco expecta.*

Rursum discant hic coniuges caste uti coniugio, cæterique caste vivere, ne ab Asmodæo, æque ac impudici hi sponsi occidantur. Ante paucos annos in Belgio existenti mihi narravit sacerdos gravis e Soc. nostra, et missione castrensi, se militem quemdam ob concubinatum infamem sæpius monuisse, ut vitam corrigeret, sed frustra:

quare tandem zelo et enthusiasmo actum minatum ei fuisse, edixisseque, nisi cito sese emendaret, experturum acrem Dei vindictam. Ita factum; nam paulo post, Deus tempestatem, tonitrua ac fulmina cum horrendo fragore, omniumque terrore emisit, ac unicum illum in turpi concubinæ complexu una cum illa fulgure afflavit et sideravit; itaque in flagranti delicto corpus fulguri, animam gehennæ tradidit, omnibus succlamantibus: *Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum*?

Timere coepit, ne et huic forte similiter contingeret.) Laudat Raguelem S. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 14. « Raguel, inquit, præcipue formam honestatis expressit, qui contemplatione honestatis, cum rogaretur ut filiam suam in coniugium daret, vitia quoque filiæ non A tacebat, ne circumvenire petitorem tacendo videretur. » Et paulo post: « Iustus vir plus alienis timebat, et malebat sibi innuptam manere filiam, quam propter nuptias eius extraneos periclitari.»

Vers. 16. Fecerunt conscriptionem coniugii.) Fecerunt instrumentum authenticum, in quo conscripserunt conditiones et pacta coniugii, scilicet promissa tam sponsi, quam sponsæ, eiusque parentum. Non dubitarunt parentes, licet territi necem septem sponsorum, dare Saram filiam Tobiæ; tum quia Raphael vultus verborumque gravitate, imo maiestate id suadebat, et securitatem spondebat; tum quia Deus eos interius ad connubium hoc peragendum incitabat; ita Dionys. Serarius et alii.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias suffitu cordis et iecoris piscis fugat Asmodæum, quem Raphael in deserto alligat. Tobiam, consummato matrimonio, Raguel omnium bonorum hæredem facit.

1. Postquam vero cœnaverunt, introduxerunt iuvenem ad eam. 2. Recordatus itaque Tobias sermonum angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones vivos. 3. Tunc Raphael angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti. 4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, et deprecemur Deum hodie, et cras, et secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio: 5. Filii quippe sanctorum sumus, et non possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum. 6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis. 7. Dixitque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli et terræ, mareque et fontes, et flumina, et omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt. 8. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Hevam. 9. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. 10. Dixit quoque Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, et consenescamus ambo pariter sani. 11. Et factum est circa pullorum cantum, accersiri iussit Raguel servos suos, et abierunt cum eo pariter ut foderent sepulcrum. 12. Dicebat enim: Ne forte simili modo evenerit ei, quo et ceteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam. 13. Cumque parassent fossam, reversus Raguel ad uxorem suam dixit ei: 14. Mitte unam ex ancillis tuis, et videat si mortuus est, ut sepeliam eum antequam illucescat dies. 15. At illa misit unam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos salvos et incolumes, secum pariter dormientes. 16. Et reversa, nuntiavit bonum nuntium: et benedixerunt Dominum, Raguel videlicet et Anna uxor eius, 17. Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus. 18. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, et exclusisti a nobis inimicum persequentem nos. 19. Misertus es autem duobus unicis. Fac eos Domine plenius benedicere te: et sacrificium tibi laudis tuæ, et suæ sanitatis offerre, ut cognoscat universitas gentium, quia tu es Deus solus in universa terra. 20. Statimque præcepit servis suis Raguel, ut replerent fossam, quam fecerant, priusquam eluceсceret. 21. Uxori autem suæ dixit ut instrueret convivium, et præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria. 22. Duas quoque pingues vaccas, et quatuor arietes occidi fecit, et parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis. 23. Et adiuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud se. 24. De omnibus autem, quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, et fecit scripturam, ut pars dimidia, quæ supererat post obitum eorum, Tobiæ dominio deveniret.

Vers. 2 Protulit de cassidili.) Id est, de pera viatorum, instar cassis, sive retis confecta, quali aucupes et piscatores utuntur. Cassidilis enim est nomen diminutivum a cassis, q. d. parva cassis, vel parvum rete, puta sacculus reticulatus, in qua viatores suas reculas et alimenta reponunt. Ita Lyran. Dion. et Budæus. Aut cassidula dicitur a casside, id est galea, quod galeæ similitudinem referat. Ita Sanchez.

Partem iecoris, posuitque eam super carbones vivos.) Id est ardentes et flammantes: ignis enim, per flammam sese agitans et quasi respirans videtur vivere. Græca uberius sic habent: Tobias *accepit cinerem, sive prunam thymiamatum, et imposuit cor piscis, et hepar, fumumque fecit; et quando odoratus est dæmon odores, fugit ad Ægypti suprema.* Hebr. autem: *Percepit Asmodæus odorem et fugit.* Ergo fumus hic iecoris et cordis A aliquid physice efficiebat, quo fugabatur dæmon: quidnam hoc fuerit dixi c. 6. 8. Quibus adde sanctitatem, merita, benedictionem, et preces tam Raphaelis, quam Tobiæ, iuncta fumo illi energiam dedisse ad abigendum Asmodæum: sicut pulsu campanarum ab Ecclesia benedictarum fugatur dæmon excitans procellas et tempestates, non vi pulsus, sed vi orationis Ecclesiæ, per quam benedictæ sunt. Idem fit per aquam lustralem, per agnos et cereos benedictos, perque alias res consecratas. Sic olim S. Hieron. S. Antonius, aliique Anachoretæ, dantes energumeno panem vel oleum a se benedictum, expellebant dæmonem.

Simile prorsus recenset Joseph. l. 8. Antiquitat. c. 2. de radice dicta Baaras a Salomone ostensa, cuius odoratu fugabatur dæmon: *Vidi*, inquit, *ex popularibus meis quemdam Eleazarum in præsentia Vespasiani, et filio-*

*

rum, et tribunorum, reliquorumque militum multos arreptitios percurantem. Modus vero curationis erat hic: Admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radicis species a Salomone indicatæ; ad cuius olfactum per nasum extrahebat dæmonium, et collapso mox homine, adiurabat id, ne amplius rediret: Salomonis interim mentionem faciens, et incantationes ab illo inventas recitans. Hæc si vera sunt et proba, non magica, uti proba esse censent Iansen. et Franc. Lucas in c. 12. Matth. Tolet. in c. 11. Lucæ, Salmer. tom. 8. tr. 15. dicendum est, quod a D. Th. q. 6. de potentia, art. 10. ad 3. dictum est, et a Victoria relect. de Magia usurpatum, potuisse quidem certam quamdam et piam formulam eiiciendi dæmones institui a Salomone, sancto adhuc, quam Deus peculiari sua auctoritate, ad dæmones fugandos confirmaret. In hac etiam nihil magicum, nihil ex amicitia et fœdere cum dæmone. At a Salomone idololatra et magicæ artis postea studioso, si umquam conscripti, traditive exorcismi, hos oportet magicos fuisse, et nulla divina, aut angelica virtute fultos, ad abigendos dæmones, sed tantum pacto impio et nefaria magia. Hanc sane olet radix illa Iosephi inclusa annulo, in qua nulla facultas supra spiritum, ait noster Pineda l. 3. de rebus Salom. c. 29. Nam et Serarius hic q. 5. c. 7. displicent hæc duo. Primum, quod l. 7. belli cap. 5. asserat radicem Baaras e terra evelli non posse, nisi moriatur is qui evellit, sive homo sit, sive canis. Secundum, quod dæmones vocet malorum hominum spiritus. Quin et Delrio in magic. l. 6. c. 2. q. 3. sect. 2. cum Pineda censet, falso radices has et dæmonum exorcismos adscribi Salomoni. Illi ergo suspecti sunt, incertæque et dubiæ fidei. Iudæi enim, qui eos iactant, magis abundant, ac forte Eleazarus ille Iosephi fuit magus. Sanctior, ideoque securior, et dæmoni formidabilior fuit virga S. Benedicti, de qua S. Gregor. l. 2. Dialog. c. 4. Siquidem percussus Monachus, quem sæpe nigellus puer ab oratione abducebat, *deinceps ad orationis studium immobilis permansit, sicque antiquus hostis dominari non ausus est eius in cogitatione, ac si percussus fuisset ex verbere.*

Vers. 3. Et religavit illud in deserto) Nota: Raphael ligavit Asmodæum in deserto per decretum et potestatem divinam, eum detinendo in deserto, ut se loco movere, et inde egredi non posset. Hoc autem fieri potest tribus modis; primo, iubendo ex parte Dei ne se moveret, ac si secus faciat, minando ei acres pœnas et verbera: imo si egrediatur, vi et verberibus eum ad regressum compellendo. Sic lex ligat hominem, id est obligat hominem, ideoque lex a ligando dicitur, ut multi volunt iuxta illud:

Raphael religavit Asmodæum.

I.

Verba ligant homines, taurorum cornua funes.

II. Secundo, imprimendo dæmoni qualitatem aliquam detentivam, v. g. impetum et vim permanentem, quæ eum in loco detineat. Sic enim vir fortis debilem brachiis suis detinet, et certo loco affigit. Cur idem facere nequeat Angelus diabolo?

III. Tertio et efficacissime, orando Deum, ut subtrahat dæmoni concursum suum, qui necessarius est ad motum localem, ut egredi possit. Sic dæmones ligantur in inferno, ut egredi nequeant. Sic Lucifer ibidem ligatus est per mille annos, Apoc. 20. 2. Sic quatuor Angeli ligati fuere in Euphrate, Apoc. 9. 14. Vide ibi dicta.

Porro, quamdiu Asmodæus ligatus fuerit a Raphaele non constat. Probabile est per totam vitam Tobiæ et Saræ fuisse ligatum, ne eis umquam nocere posset: propter eos enim alligatus fuit. Ita Sanchez et Serarius.

Multo magis dæmon ligatus est a Christo, ut ait S. Antonius apud S. Athanasium: *Hamo crucis ut draco aduncatus a Domino est, et capistro ligatus, ut iumentum, et quasi mancipium fugitivum vinctus circulo, et armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium devorare permittitur. Nunc miserabilis, ut passer, ad ludendum irretitus a Christo est, calcaneo Christianorum subtractus gemit. Ille, qui universa maria a se deleta plaudebat, ille, qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur, ecce a nobis vincitur, ecce me adversum se prohibere non potest disputantem.*

In deserto superioris Ægypti) Puta in parte Australi Ægypti, quæ alta et montosa est, ex qua defluit Nilus, quæque Thebais vocatur, ait Ioann. Leo l. 8. de Africa c. 2. Causam dat sanctus Hier. in Ezechielem c. 30. *Quod ibi Nilus innavigabilis est et cataractarum fragor, et omnia invia plenaque serpentum et venenatorum animantium.* Talis enim locus decet dæmonem, ne cui homini nocere queat. Quocirca dæmones coram sancto Antonio, Macario, aliisque Thebaidis eremitis graviter questi sunt, quod ipsi suum locum invasissent, et suam Thebaidem Monachis implessent, uti refert S. Athan. in vita S. Antonii, Palladius in Lausiaca c. 10. Cassianus collat. 7. c. 23.

Tropol, multis virtutibus, quasi funibus ligatur dæmon, ne ad nos accedat et noceat. Prima est, abstinentia et ieiunium. Secunda, oratio. Tertia, castitas. Novi ego, ait Serarius, quemdam, qui si quando Asmodæum irrepentem et blandientem sentiat, illico castitatis, e formula, votum iterat: ut, dum inferre dæmon plagam vult, luculentissimam ipse accipiat. Ita enim suo pene gladio iugulatur Goliath: et incidit in foveam impius, quam fecit. Quarta, passionis, crucisque Christi seria meditatio. Quinta, lectio et studium S. Script. Sexta, S. synaxis et crebra communio: *Tamquam leones*, inquit ser. 61. ad pop. S. Chrys. *ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput nostrum mente revolventes, et charitatem quam nobis exhibuit.* Et paulo post: *Hic mysticus sanguis dæmones quidem expellit, et procul esse facit; ad nos autem Angelos vocat, et Angelorum Dominum. Ubi namque Dominicum viderint sanguinem, dæmones fugiunt; concurrunt autem Angeli.* Et S. Bern. serm. 1. in cœna Dom. *Si quis vestrum, non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori, et sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo: et gaudeat, quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.* Septima est eleemosyna, et officia pia charitatis, quæ fuse hic prosequitur Serarius.

Dæmon ligatur virtutibus 7.

Deprecemur Deum hodie, et cras, et secundum cras.) Id est, post crastinum, puta per tres noctes ante copulam, uti præceperat Raphael cap. 6. v. 18. Vers. 4.

Non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem.) Saram vocat Tobias sororem, non quod proprie soror esset; sic enim non potuisset eam ducere uxorem, sed quod generice esset soror; quia scilicet ex eadem gente et tribu erat prognata. *Sororem ergo*, id est, concivem et contribulem. Vers. 9.

Circa pullorum (galli et gallinarum) cantum.) Puta in aurora ante solis ortum, de quibus Plin. l. 10. c. 21. *Nec solis ortum*, inquit, *incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant*, Cant. 11. Vers. 11.

Ut foderent sepulcrum.) Licet enim Raguel confortatus a Raphaele sperarit Tobiam cum Sara in coniugio fore salvum, tamen alia ex parte metuebat ne occideretur ab Asmodæo, uti occisi sunt septem priores Saræ sponsi. Reliqua huius capitis plana sunt: unde alia explanatione non egent.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias mittit Raphaelem in Rages, ut exigat depositum a Gabelo, eumque invitet ad nuptias. Venit Gabelus, ac sponsis omnia felicia apprecatur.

1. Tunc vocavit Tobias angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixitque ei: Azaria frater, peto ut auscultes verba mea. 2. Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ. 3. Tamen obsecro te, ut assumas tibi animalia sive servitia, et vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum: reddasque ei chirographum suum, et recipias ab eo pecuniam, et roges eum venire ad nuptias meas. 4. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies: et si tardavero una die plus, contristatur anima eius. 5. Et certe vides quomodo adiuravit me Raguel, cuius adiuramentum spernere non possum. 6. Tunc Raphael assumens quatuor ex servis Raguelis, et duos camelos, in Rages civitatem Medorum perrexit: et inveniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum et recepit ab eo omnem pecuniam. 7. Indicavitque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ gesta sunt: fecitque eum secum venire ad nuptias. 8. Cumque ingressus esset domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem: et exiliens, osculati sunt se invicem: et flevit Gabelus, benedixitque Deum, 9. Et dixit: Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, et iusti, et timentis Deum, et eleemosynas facientis: 10. Et dicatur benedictio super uxorem tuam, et super parentes vestros: 11. Et videatis filios vestros, et filios filiorum vestrorum, usque in tertiam et quartam generationem: et sit semen vestrum benedictum a Deo Israel, qui regnat in sæcula sæculorum. 12. Cumque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad convivium: sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

Vers. 2. Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ.) Hoc est, tuæ providæ erga me curæ non satisfecero, nec condignam ei mercedem rependero.

Vers. 3. Servitia) Id est servos.

Vadas ad Gabelum in Rages Medorum.) Dices: Iam erant in Rages; nam ibi dicitur habitasse Sara, c. 3. 7. Resp. Erant in Rages, id est, in agro vel territorio Rages, sicut qui Tusculi habitat, Romæ habitare dicitur, etsi in ipsa urbe Roma non habitet. Aut potius dicendum est duas fuisse urbes habentes idem nomen Rages. Ita Lyranus, Bellarminus et alii. Causam dat Sanchez, quod Rages sit vox Meda a Græcis accepta. Græce enim ῥαγὰς, id est fissura, ruptura, sive fractura. Rages igitur significat locum scopulosum, scissum, interruptum; quia ergo utraque hæc urbs sita erat in locis confragosis et asperis, hinc utraque dicta est Rages. Hebr. vero *Rages* significat turbam, tumultum, strepitum, tremorem, fremitum.

Vers. 10. Et dicatur benedictio super uxorem tuam, et super parentes vestros.) Ut omnes videntes vestram virtutem, ideoque Dei benedictionem et prosperitatem, vobis benedicendo apprecentur, et dicant: Benedicta sit Sara, quæ tam probi viri Tobiæ est uxor; benedicti sint parentes utriusque, qui tam ingenuos post se relinquunt filios et filias. Honor enim et laus filiorum est honor et laus parentum: nam dedecus, æque ac decus filiorum in parentes redundat. Quocirca Basilius Imp. hoc Leoni filio insigne dedit monitum, imo et virtutis paternæ æmulandæ stimulum: *Ne me, quæso, patrem amantem pudefacias. Debent enim pictores corporum delineamenta; filii autem regum, quasi vivæ imagines patrum virtutes referre.* Sic et mulier illa, videns Christi virtutem et sapientiam, exclamavit: *Beatus venter qui te portavit, et ubera* A *quæ suxisti*, Lucæ cap. 11. vers. 27.

Vers. 12. Sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.) q. d. Convivabantur hilariter, sed honeste, modeste, sobrie et caste, ne crapula, aut sermone lascivo, vel obscœno Deum offenderent, ut Asmodæum rursum in domum mitteret. Imitentur hoc coniuges et convivæ, ut a mensis arceant ebrietatem, iurgia, detractiones, spurcitiem sermonum, quibus Deus offenditur, ut coniugibus et convivis maledicat. Audiant Platonem, lib. 6. de Legibus: *Impensa secundum divitias fiat; bibere vero usque ad ebrietatem ne alibi quidem umquam decet: neque vero tutum est; maxime vero connubio coniuncti, sponsus et sponsa tunc mentis compotes esse debent, quando non parvam ineunt vitæ mutationem: præsertim ut et quam maxime moderatis generatio fiat: ferme etiam incertum est quæ nox, aut dies, ipsam cum Deo peragat. Quare ut solidus, stabilis, et quietus conceptus fiat, non oportet, diffluentibus ebrietate corporibus, dare operam liberis. Qui autem vino refertus est, tam animæ quam* B *corporis rabie concitatus, quavis et trahit, et trahitur. Idcirco ebrius, tamquam mente captus, ad serendum est inutilis. Nempe verisimile est eum fœtus inæquales, instabiles, obliquos tam membris, quam corporibus procreare. Quamobrem per totam quidem vitam, et maxime quamdiu generationi vacat, abstinebit quisque, cavebitque ne faciat, vel quæ sua natura et sponte morbos inducunt, vel quæ ad petulantiam iniuriamque declinant. Hæc enim in animos et corpora eorum, qui enascuntur, liberorum, necessario transferuntur, iisque imprimuntur, peioresque inde nascuntur. Sed præcipue die illa* (nuptiarum) *ac nocte.* Græca hic addunt: *Benedixit Tobias uxorem suam*, id est, bene precatus est ei, ut foret fœcunda et probos gigneret, educaretque filios: sic Isaac *deprecatus est Dominum pro uxore sua* Rebecca, Genes. 25. v. 21.

Ebrii pravos procreant filios.

A talibus abstinendum.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mater Tobiæ suspirat ad eius reditum; Raguel dimittit Tobiam cum Sara filia sua, eisque dimidiam bonorum partem tradit, ac Saræ monita dat, ut diligat maritum, soceros honoret, et probe familiam regat.

1. Cum vero moras faceret Tobias, causa nuptiarum, solicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? 2. Putasne Gabelus mortuus est, et nemo reddet illi pecuniam? 3. Cœpit autem contristari nimis ipse, et Anna uxor eius cum eo: et cœperunt ambo simul flere: eo quod die statuto minime reverteretur filius eorum ad eos. 4. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis: atque dicebat: Heu heu me fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? 5. Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. 6. Cui dicebat Tobias: Tace, et noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum. 7. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem. 8. At vero Raguel dicebat ad generum suum: Mane hic, et ego mittam nuntium salutis de te ad Tobiam, patrem tuum. 9. Cui Tobias ait: Ego novi, quia pater meus et mater mea modo dies computant, et cruciatur spiritus eorum in ipsis. 10. Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, et ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, et dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, et in vaccis, et in pecunia multa: et salvum atque gaudentem dimisit eum a se. 11. Dicens: Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, et inveniatis omnia recte circa parentes vestros, et videant oculi mei filios vestros, priusquam moriar. 12. Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire: 13. Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.

Vers. 4. HEU, HEU ME, FILI MI, UT QUID TE MISIMUS PEREGRINARI, LUMEN OCULORUM NOSTRORUM?) Pater enim erat cæcus, mater præ senio cæcutiebat: quare filius eis erat instar oculorum, ut per eum viderent, legerent, agerentque quæ videnda, legenda, agenda erant. Eumdem vocat BACULUM SENECTUTIS NOSTRÆ. Sic Scipio Romæ appellatus est, eo quod ipse patrem senem et cæcutientem, quasi scipio, sive baculus sustentaret, et per viam duceret et dirigeret. ET SOLATIUM VITÆ NOSTRÆ; filii enim solantur senectutem parentum eiusque miserias et ærumnas. ET SPEM POSTERITATIS NOSTRÆ: erat enim unicus ille filius, a quo omnis familiæ propagatio pendebat. Optant enim parentes filios post se relinquere, ut in eis quasi maneant superstites, vivantque in memoria hominum, ut docet Eccles. cap. 30. v. 4. et seq.

Vers. 10. TRADIDIT EI SARAM, ET DIMIDIAM PARTEM OMNIS SUBSTANTIÆ SUÆ IN PUERIS, etc.) Hebr. uberius addunt: *Dedit ei Raguel Saram filiam suam, dimidium divitiarum suarum, et servos et servas, et greges, et boves, et asinos, et camelos, et vestes lineas et pretiosas, et vasa argentea et aurea.* Græca habent: *Dedit ei corpora, iumenta et argentum. Corpora,* id est servos sive mancipia, quæ cum libertate careant, non nisi videntur esse corpora, servitio heri mancipata. Ita Arist. 1. Rhetor. Demosthenes, Philipp. 3. Strabo lib. 1. σωματα, id est corpora vocant mancipia.

Vers. 11. ANGELUS DOMINI SANCTUS SIT IN ITINERE VESTRO, PERDUCATQUE VOS INCOLUMES.) Hinc rursum patet Gabelum et priscos Hebræos credidisse Angelum considerari ad custodiam, qui eum in via dirigat.

Vers. 13. MONENTES EAM HONORARE SOCEROS.) Quasi parentes; unde Græca addunt: *Quia ipsi nunc parentes tui sunt.*

Monita danda uxoribus. Raguel hic Saræ filiæ suæ propria uxori dat monita virtutis et salutis. Primum est, ut honoret soceros, scilicet Tobiam seniorem, et Annam. Secundum, ut diligat maritum, utpote cum quo facta iam est una caro, ac consequenter una persona, unum cor, una anima, una voluntas. Hæc dilectio facit ut uxor mariti mores suis dissimiles, choleram, vitia, infortunia, et quælibet adversa, quæ multa in coniugio occurrunt, fortiter superet. Unde S. Monica uxores monebat ut per coniugium se maritorum ancillas factas existimarent, ait S. Augustinus, libro 9. Confessionum, c. 9. Tertium, ut regat familiam, puta filios, servos et ancillas, ut omnes in officio, concordia, pace et charitate mutua contineat. Quartum, ut gubernet domum in ea manendo, non huc illuc vagando, prandium et cœnam omnibus apparando, suppellectilem, annonam, vestes, cæteraque necessaria procurando, uti fecit mulier illa fortis laudata a Salomone, Proverbior. 31. Vide ibi dicta. Quintum, ut se irreprehensibilem exhibeat, non tantum in fide et castitate coniugali, sed et per linguæ continentiam, iustitiam, prudentiam, comitatem in conversatione, tam cum domesticis, quam cum externis. Eadem monita dat uxoribus S. Paulus ad Titum, 2. v. 4. et 5. *Ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes sint, castæ, domus curam habentes, benignæ, subditæ viris suis.* Vidi ibi dicta. Similia coniugibus præcepta tradit S. Petrus, Epist. 1. c. 3. quin et Plato, lib. 6. de Legibus, Xenophon in OEconomica, et Plutarchus l. de nuptialibus præceptis. Denique in Græco. et *Edna* (sic enim habent pro *Anna*) mater Saræ, sic Tobiam generum suum valedicendo alloquitur: *Dominus cœli, frater dilecte, te tuis restituat, mihique concedat ut filios tuos ex Sara filia mea videam, et coram Domino gaudeam. Ecce ego tibi filiam meam, quasi quoddam depositum, committo, ne ulla eam afficias molestia.* Mox subditur: *Ipse vero Tobias post hæc profectus est, Deo gratias agens, quod iter prosperum sibi dedisset, Raguelemque et Ednam eius uxorem benedicebat* (seu fausta eis omnia precabatur) *et pergebat, quoad Niniven appropinquarent.*

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Raphael Tobiam domum ad parentes salvum reducit, qui felle piscis liniens oculos patris, ei visum restituit. Unde omnes præ gaudio Deum benedicunt, et epulantur.

1. Cumque reverterentur, pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die.
2. Dixitque Angelus: Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum. 3. Si placet itaque tibi,
præcedamus, et lento gradu sequantur iter nostrum familiæ, simul cum coniuge tua, et cum animalibus.
4. Cumque hoc placuisset ut irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piscis: erit enim necessarium.
Tulit itaque Tobias ex felle illo, et abierunt. 5. Anna autem sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis,
unde respicere poterat de longinquo. 6. Et dum ex eodem loco specularetur adventum eius, vidit a longe, et il-
lico agnovit venientem filium suum: currensque nuntiavit viro suo, dicens: Ecce venit filius tuus. 7. Dixitque
Raphael ad Tobiam: At ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum: et gratias agens ei, ac-
cede ad patrem tuum, et osculare eum. 8. Statimque lini super oculos eius ex felle isto piscis, quod portas tecum;
scias enim quoniam mox aperientur oculi eius, et videbit pater tuus lumen cæli, et in aspectu tuo gaudebit. 9.
Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via: et quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.
10. Et consurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: et data manu puero, occurrit obviam filio
suo. 11. Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, et cœperunt ambo flere præ gaudio. 12. Cumque adoras-
sent Deum, et gratias egissent, consederunt. 13. Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. 14.
Et sustinuit quasi dimidiam fere horam: et cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana ovi, egredi. 15. Quam
apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimque visum recepit. 16. Et glorificabant Deum, ipse videlicet,
et uxor eius, et omnes qui sciebant eum. 17. Dicebatque Tobias: Benedico te Domine Deus Israel, quia tu casti-
gasti me, et tu salvasti me: et ecce ego video Tobiam filium meum. 18. Ingressa est etiam post septem dies Sara
uxor filii eius, et omnis familia sana, et pecora, et cameli, et pecunia multa uxoris: sed et illa pecunia, quam
receperat a Gabelo: 19. Et narravit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem
qui eum duxerat. 20. Veneruntque Achior et Nabath consobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, et congratulantes
ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus. 21. Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio ma-
gno gavisi sunt.

Vers. 1. Pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die.) Charan est Haran, e qua evocatus est Abraham a Deo in Chanaan, Gen. 11. 31. et seq. quæ postea Charra dicta est, ubi cum exercitu Romano a Parthis cæsus est M. Crassus. Sita erat contra, id est, versus *Niniven in medio itinere*, a Rages usque ad Niniven. Rages enim erat in Media, Ninive in Assyria, inter utramque media erat Charan, sive Haran urbs sita in Mesopotamia. Hinc probabiliter Serarius p. 4. colligit Tobiam in totum hoc iter eundo, scilicet in Rages, indeque redeundo in Niniven ad patrem, insumpsisse circiter sex septimanas, sive dies 47. Torniellus vero dies 38. Salianus dies 34.

Vers. 7. Dixitque Raphael ad Tobiam: At (τὸ *at* significat hæc verba nectenda esse prioribus Angeli verbis v. 4. ac v. 5. et 6. per parenthesin quasi interiici) ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum.) Disce hic, cum peregrinaris vel proficisceris quopiam, primo adire templum, Deumque invocare, ut viam tuam prosperet, et dirigat ad suam gloriam et tuam, aliorumque salutem. Deinde rediens, primo ad templum pariter redi, Deoque gratias age; ita faciunt viri religiosi et probi. Audi Pacatum in Panegyricis: *Magnas urbes ingressi, primum sacras ædes, et dicata summo Numini delubra visimus; tum fora atque gymnasia.* Et sua in Regula S. Benedictus: *Suscepti*, ait, *hospites, ad orationem ducantur.* Ita fecit S. Antonius visitans S. Paulum primum Eremitam, teste S. Hieronymo in eius Vita, cæterique monachi et anachoretæ, teste Cassiano.

Vers. 9. Tunc præcucurrit canis.) Audi Bedam: *Non est contemnenda figura canis huius, quia viator et comes Angeli est; Doctores enim exprimit Ecclesiæ. qui confligendo cum hæreticis, lupos graves a Pastoris summi fugant ovili. Et pulchre dixit,* quasi nuntius adveniens: *quia nimirum* A *Doctor quispiam fidelis nuntius est veritatis: pulchre*, blandimento suæ caudæ gaudebat. *Cauda, quæ quasi finis est corporis, finem bonæ operationis, id est perfectionem, vel certe mercedem, quæ sine fine tribuitur, insinuat.*

Et consurgens cæcus pater eius cœpit offendens pe- Vers. 10
dibus.) Mystice: *Tobias cæcus*, ait Pineda, *significat Iudæorum populum e perfidiæ suæ veterno surgentem et currentem ad Dominum, quamvis offenderet gressibus operum, donec plenæ fidei et operationis bonæ lucem reciperet, regeneratus in Christo et instructus.*

Et cœperunt ambo flere præ gaudio.) Græca ad- Vers. 11.
dunt dixisse matrem: *Vidi te, fili, iam moriar*, scilicet contenta et læta. Sic Simeon, viso Christo, ait: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.*

Tunc sumens Tobias de felle piscis (callionymi) Vers. 13.
linivit oculos patris sui.

Et sustinuit quasi dimidiam fere horam.) Donec Vers. 14.
B fel sensim sua acrimonia albuginem et membranam oculis patris obductam eroderet, attenuaret et consumeret. Hinc patet hanc cæcitatis per fel curationem fuisse naturalem, ut ex Lyrano, Dionysio, Serario, Sanchez et aliis dixi c. 6. 8. Unde Græca habent Raphaelem dixisse: *Tu, fel unge in oculos eius, et ipse morsus deteret, abiicietque albugines, et ipse te intuebitur.* Et inferius: *Tobias sparsit in oculos eius illud fel; ut vero morsi compuncti sunt oculi, eos confricuit, et ab eorum canthis, seu angulis albugines squamarum instar deciderunt.* Pro quo Noster habet: *Et cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimque visum recepit.* Porro Tobias fuit cæcus per 4. annos, scilicet ab anno ætatis 56. usque ad 60. quo visum recepit, ut patet c. 14. v. 3. ubi tamen Græca habent eum octo annos vixisse cæcum, nimirum ab anno ætatis 58. usque ad 66. quo illuminatus est. In vita S. Gregorii Tu-

ronensis Archiepiscopi narratur, quod pater eius Florentius simili modo fuerit curatus; sic enim ait auctor Vitæ: *Florentius redivivo calore captatus est: accenditur febris, intumescunt pedes, dolor pessimus intorquet: perendinata pestis hominem contriverat, iam pene conclamatus iacebat. Interea puer* (filius Gregorius Turonensis) *vidit iterum in somno personam, sese, utrumne librum Tobiæ cognitum haberet interrogantem. Respondit: Nequaquam. Qui ait: Noveris hunc fuisse cæcum, atque per filium ex iecore piscis, Angelo comitante, curatum. Tu ergo fac similiter. et salvabitur genitor tuus. Hæc ille matri retulit, quæ confestim pueros ad amnem direxit: piscis capitur, quæ de extis iussa fuerant, prunis imponuntur. Non fefellit virum eventus: ut enim primo fumus odoris in naribus patris reflavit, protinus omnis ille tumor dolorque recessit.* Hæc omnia pene ad verbum repetit ipse sanctus Gregor. Turonen. l. de Gloria Confessorum c. 40.

Mystice Beda: Albugo, inquit, significat stultitiam placendi sibi ipsi, ovum spem et fiduciam, Tobias populum Iudaicum; habet ergo in oculis suis albuginem, qui in oculis suis magnus, candidus et iustus apparet, sibique A nimis placet et arrogat; sed habet eam instar membranæ ovi, quia cæcitatem mentis sustinet sub spe stultissima nascituri Christi; hunc enim non natum credunt, sed nasciturum sperant, et vane exspectant Iudæi. Verum quibus a Raphaele medico, id est, ab Angelo magni consilii Christo Domino ablata fuerit hæc omnis caligo, agnoscunt Messiam iam venisse et redemisse mundum, eumque esse Iesum Christum.

Allegorice, piscis est Christus, uti iam dixi ex S. Augustino, Prospero et aliis. Caro huius sacratissimi piscis, charitas huius est, tot operibus in nostrum bonum factis testata, ac passionibus et doloribus ostensa. Fumus autem cordis eius, est oratio nostra meritorum eius valori subnixa. Ideo enim hæc aliquid potest apud Patrem, non quia nostra tantum est, sed quia a membro Christi filii naturalis fusa, et in ipsius meritis et charitate fundata. Hæc extricat omne genus dæmoniorum, quia diabolum vincit, et illius tentationes et dolos irridet. Ac proinde Chrysostomus sapienter casum nostrum absentiæ orationis, et victoriam ipsius præsentiæ tribuit.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias multa et magna beneficia a Raphaele accepta patri enumerat: quare uterque offert ei dimidium bonorum allatorum. Mox Raphael se non hominem, sed Angelum esse manifestat, ac datis cælestis vitæ documentis evanescit et in cælum redit.

1. Tunc vocavit ad se Tobias filium suum, dixitque ei: Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? 2. Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? 3. Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? 4. Sed peto te pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere. 5. Et vocantes eum, pater scilicet et filius, tulerunt eum in partem: et rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. 6. Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum cæli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. 7. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. 8. Bona est oratio cum ieiunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere: 9. Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. 10. Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. 11. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. 12. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. 13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. 14. Et nunc misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem. 15. Ego enim sum Raphael angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum. 16. Cumque hæc audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam. 17. Dixitque eis angelus: Pax vobis, nolite timere. 18. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, et cantate illi. 19. Videbar quidem vobiscum manducare, et bibere: sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. 20. Tempus est ergo ut revertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia eius. 21. Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultra eum videre non potuerunt. 22. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: et exurgentes narraverunt omnia mirabilia eius.

Vers. 3. Septem Raphaelis beneficia. Me duxit et reduxit sanum.) Septem hic ingentia Raphaelis beneficia recenset Tobias. Primum est, quod eum in Mediam duxerit et reduxerit incolumem. Secundum, quod uxorem probam et divitem scilicet Saram ei procurarit. Tertium, quod Asmodæum a se et Sara expulerit. Quartum, quod gaudium parentibus tam Tobiæ, quam Saræ attulerit. Quintum, quod se a devoratione piscis eripuerit. Sextum, quod patri cæco visum restituerit. Septimum, quod bonis omnibus corporalibus et spiritualibus eum cumularit. Eadem B cuilibet homini præstat Angelus custos, cuius personam et officium hic in se suscepit et repræsentavit Raphael, uti ex Meditat. P. Vincentii Bruni falso hic ostendit Serarius quæst. 20. Et Angeli custodis.

Tulerunt in partem.) Id est, revocarunt eum seorsim in secretiorem domus partem, ut secretius, liberius et confidentius cum eo agerent. Ita Lyran. Unde Raphael sevocatus *dixit eis occulte*, ut sequitur; volebat enim sevocari, ut seorsim se et secreta Dei eis panderet. Vers. 5.

Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: Vers. 7.

Silentii vis et exempla. OPERA AUTEM DEI REVELARE ET CONFITERI (laudare, celebrare et gratias agere) HONORIFICUM EST.) *Sacramentum*, Græce μυστήριον, id est arcanum, sive secretum regis celare bonum est; quia a secreto pendet felix rei executio, iuxta illud Gellii, lib. 10. c. 25. *Taciturnitas consiliorum thesaurus:*

Eximia est virtus præstare silentia rebus.

Tiberius Cæsar rogatus, cur sua consilia cum amicis non communicaret, respondit Principis animum, aut nemini, aut paucis cognitum esse oportere; quia multi rimarum pleni sunt, et secreta quæ audierunt, effutiunt, ut Principem periclitari, aut prodi necesse sit. Ita Dionysius in Tiberio. Antigonus rex Macedoniæ Philippo filio roganti: *Quando castra movebimus? Quid*, inquit, *num metuis ne solus tubam non audias?* Ita Plutarchus in Apoph. regum. Metellus Macedonius amico cuidam roganti: *Quidnam aggredi animo destinasset? Tunicam*, inquit, *meam exuerem, si eam consilium meum scire existimarem.* Ita Plinius, c. 61. de Viris illustribus.

OPERA AUTEM DEI REVELARE ET CONFITERI HONORIFICUM EST.) Ut ea cæteri audientes Dei clementiam, sapientiam et magnificentiam agnoscant, revereantur, colant et adorent. Unde S. Severus Episcopus Minoricæ, Epist. de Iudæorum conversione: *Cum Dei*, inquit, *opera revelare et confiteri honorificum esse Raphael Angelus moneat, profecto silere, vel celare opera Christi, periculosum est.* Stephanus Pontifex apud Rheginonem, anno Domini 753. *Sicut*, ait, *nemo se debet iactare de suis meritis; sic nec debent opera Dei, quæ in illo per suos sanctos fiunt sine suis meritis sileri, sed prædicari, sicut Angelus monet Tobiam.*

Vers. 8. BONA (melior) EST ORATIO CUM IEIUNIO ET ELEEMOSYNA, QUAM THESAUROS AURI RECONDERE.) Græca etiam addunt: *Bonum est parum cum iustitia, quam multum cum iniustitia.* Hinc Patres et Theologi docent, tria esse bonorum operum genera, scilicet orationem, ieiunium, et eleemosynam, ad quæ quasi capita cætera omnia reducantur. Oratio enim solvit debitum Deo, ieiunium sibi, eleemosyna proximo. Rursum orationem solam invalidam esse, sed validam et efficacem fieri, si duabus alis, quibus in cœlum ad Deum evolet, scilicet ieiunio, et eleemosyna armetur. Audi S. Cypr. tract. de opere, et eleemosyna. Apud Salomonem legimus: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo.* Et iterum: *Qui obturat aures, ne audiat imbecillum, et ipse invocabit Deum, et non erit qui exaudiat eum. Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in psalmis Spiritus Sanctus declarat et probat, dicens: Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Quorum præceptorum memor Daniel, cum rex Nabuchodonosor adverso somnio territus æstuaret, pro avertendis malis, ad divinam opem impetrandam remedium dedit, dicens: Propterea rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniustitias tuas miserationibus pauperum, et erit Deus patiens peccatis tuis. Cui rex non obtemperans, adversa quæ viderat, et infesta perpessus est; quæ evadere et vitare potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset.* Idipsum confirmat, citans præsentem locum: *Raphael quoque Angelus paria testatur, et ut eleemosyna libenter ac largiter fiat, hortatur, dicens: Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna; quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata. Ostendit orationes nostras, ac ieiunia minus posse, nisi eleemosynis adiuventur. Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione farciantur. Revelat Angelus et manifestat, et firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis a morte animas liberari.*

Vers. 13. ET QUIA ACCEPTUS ERAS DEO, NECESSE FUIT UT TENTATIO PROBARET TE.) Tentatio enim et tribulatio patientiam et virtutem probat, conservat, auget, perficit. Dei enim gratia et amicitia indignus est, qui pro eo pati adversa recusat, solumque in prosperis ei servit. Hinc æterna Dei lege sancitum est illud Apostoli: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur.* 2. Tim. 3. 12. Vide dicta Iacobi, 1. v. 1. et seq. et Eccles 3. Vidit id per umbram Seneca lib. de Providentia, ubi causas assignat varias et graves, cur Deus viris probis afflictiones immittat, ac inter cætera aureas hasce dat gnomas, quasi gemmas, c. 1. *Deus virum bonum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum præparat*, c. 2. *Sicut tanta mediterraneorum vis fontium non mutant saporem maris, neque remittunt quidem; ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior; nec hoc dico, non sentit illa. sed vincit; et alioquin quietus, placidusque contra incurrentia attollitur. Omnia adversa exercitationes putat.* Probi affliguntur, cur? Resp. Gnomæ.

Et mox: *Athletæ gaudent cum fortissimis confligere. cedi, vexarique. Marcet sine adversario virtus. Non fert ullum ictum illæsa felicitas. Deus bonorum amantissimus, qui illos quam optimos et excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Iuppiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, iam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum.*

Cap. 3. *Nihil infelicius eo cui nihil unquam evenit adversi. Indignus visus est, a quo aliquando vinceretur fortuna, quæ ignavissimum quemque refugit*, q. d. *Quid ego istum mihi adversarium assumam? statim arma submittet. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum nisi mala fortuna non invenit. Infelix est Mutius quod dextera ignes hostium premit; et ipse a se exigit erroris sui pœnas? quod regem quem armata manu non potuit, exusta fugat?* Et inferius: *Prospera in plebem, ac vilia ingenia deveniunt: at calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est. Calamitas virtutis occasio est: gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites belli triumpho. Avida est periculi virtus. Gubernatorem in tempestate; in acie militem intelligas. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec servio Deo, sed assentio. Quare probi dura patiuntur, ut alios pati doceant. Nati sunt in exemplar. Aliis bona falsa circumdedi, et animos inanes velut longo fallacique somnio lusi. Auro illos, argento et ebore ornavi, intus boni nihil est. Vobis dedi bona certa, mansura: quanto magis versaverit aliquis, et undique inspexerit: tanto videbit meliora, maiora, quæ permisi vobis, metuenda contemnere, cupienda fastidire. Non egere felicitate, felicitas vestra est.* Ac tandem concludens, ait: *Ferte fortiter, hoc est, quo Deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper vivit, quam natus est. Contemnite dolorem, quia aut solvetur, aut solvet. Contemnite mortem: aut finit, aut transfert vos. Contemnite fortunam; nullum illi telum quo feriat animum, dedi.*

EGO ENIM SUM RAPHAEL ANGELUS UNUS EX SEPTEM, QUI ASTAMUS ANTE DOMINUM.) Hinc patet Raphaelem esse unum e primis Angelis, qui quasi principes aulæ cælestis Deo proxime assistunt, de quibus fuse egi Apocal. 1. v. 4. Græca addunt: *Ego sum unus de septem, qui offerunt orationes sanctorum, et ambulant ante maiestatem sancti.* Hisce septem ergo incumbit cura generis humani. Alii exponunt: unus e septem, id est, unus e multis. Adstare ante Dominum multa significat, ut recte advertit Andreas Victor. lib. de Custodia Angel. p. 43. Primo, adstant Angeli, quando loquuntur cum Deo postulantes divinum lumen, ut cognoscant quæ sit in aliqua re agenda eius voluntas. Secundo, adstant Angeli, dum pia opera, sacrificia, eleemosynas, preces humanas offerunt Vers. 15. Angeli adstant Deo septupliciter.

Deo. Tertio, adstant, cum parati sunt ad obsequendum divinæ voluntati, quasi milites prompti paratique ad bellum, si bellum ex divino nutu gerendum sit, et quasi servi parati ad munera obeunda ad quodcumque imperium Dei. Quarto, adstant Deo iudici, hominum causas contra dæmonum accusationes agentes, sententiamque expectantes. Quinto, adstant, dum Deum laudant, uti Isaias c. 6. Seraphim stantes aspexit, Deum miris iis vocibus laudantes: Sanctus, Sanctus, etc. Sexto, adstare, est divinum vultum intueri, et inde summæ felicitatis latices haurire, quod vel in empyreo accidit cœlo, ubi peculiari singularique modo thronus fulget divinus, vel in aliis quibuscumque locis, in quibus omnibus Deus est; et sic ubicumque sint boni Angeli, semper adstant Deo; quia semper Deo fruuntur. Hinc fit ut dicantur recedere et redire; quia ad ministeria missi recedunt quidem ab empyreis sedibus; sed summam felicitatem non amittunt, et illuc ad Dei nutum revertuntur. Septimo, adstare, stricte et presse ad eos Angelos attinet, qui ad ministeria externa mitti non solent; sed rationes rerum faciendarum in Deo contuentes, inferiores Angelos ea munera executuros docent atque illuminant; unde distinguuntur Angeli in assistentes et ministrantes. Assistunt Seraphin, Cherubin, Throni, Dominationes; ministrant quinque alii ordines, et de his alibi agentes probavimus etiam aliquando mitti. Hinc Raphael ait se adstare Deo. Nam adstare ante Deum non tantum significat esse in cœlis, quod commune est omnibus Angelis, sed indicat in ministerio quamdam principalitatem, ait Toletus in cap. 1. Lucæ.

Vers. 16. Cumque hæc audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam.) Ex reverentia et sacro horrore. Nam, ut aiebat S. Antonius: *Metus non tantum ex pavore animi, quantum ex magnarum rerum sæpe incutitur aspectu.*

Vers. 17. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.) Hinc Patres docent Angelicæ apparitionis signum esse, si primo horror incutiatur, deinde consolatio et lætitia ingeratur; nam contrarium facit dæmon. Audi Bedam in c. 1. Lucæ: *Sicut*, ait, *humanæ fragilitatis est spiritalis creaturæ visione turbari, ita et Angelicæ benignitatis est, paventes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari; ast contra dæmoniacæ est feritatis, quos sua præsentia territos senserint, ampliore semper horrore concutere.* Et S. Antonius, teste S. Athanasio, in ejus

Angeli boni signum est, si post se relinquat quietem.

Vita: *Cum bonus Angelus*, inquit, *bonis hominibus apparet, etiamsi initio inusitato aspectu timorem iniiciat, ad extremum, consolationem et animi tranquillitatem relinquit.* Et rursum: *Sanctorum Angelorum amabilis et tranquillus aspectus; quia non contendunt, neque clamant,*

A *neque audit aliquis vocem eorum. Verum tacite leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam pectoribus infundunt, siquidem cum illis est Dominus, qui est fons et origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed lenis et placida Angelorum luce radiatur: tunc anima cælestium præmiorum aviditate flagrans, effracto, si posset, humani corporis domicilio, et membris exonerata mortalibus, cum his quos videt, abire festinat ad cælum; horum tanta benignitas est, ut si quis pro conditione fragilitatis humanæ, intro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuo ex corde auferant metum:* deinde dæmonum apparentium contraria hæc dat indicia: *pessimorum autem vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus, motusque indisciplinatorum adolescentum, vel latronum, e quibus confestim timor animæ, sensibus stupor incutitur, odium Christianorum, monachorum mœror, tædium vitæ, peccatorum recordatio, metus mortis, cupido nequitiæ, lassitudo virtutis, cordis hebetatio. Si igitur post timorem horrore concepto succes-* B *serit gaudium, et ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est.* (Mali si horrorem.)

Videbar quidem vobiscum manducare.) Revera enim Raphael non manducabat; quia manducatio est actio vitalis, qua anima cibum in ore vitaliter masticat, ac ex ore in stomachum, ut ab eo concoquatur, vitaliter traiicit. Raphael autem, cum non informaret corpus assumptum, vitaliter in illud non traiiciebat cibum, sed in illud perinde ac in saccum quemdam cibum iniiciebat, quem deinde in vaporem et aerem resolvebat. Vers. 19. (Raphael vere non comedit. Ratio.)

Sed ego cibo invisibili etc. utor.) Nimirum Deus, Deique visio et fruitio est cibus Angelorum, quo deliciantur, et beantur iugiter. (Cibus Angelorum est Deus.)

Et narrate omnia mirabilia eius.) Græcus habet: *Scribite omnia quæ facta sunt in libro*; unde liquet Tobiam Raphaeli obedientem hanc historiam conscripsisse, ac huius libri esse auctorem, uti habent Græca, cap. Vers. 20.
C seq. v. 1. Hebræa uberius habent: *Nunc ergo*, ait, *scribite vobis omnia hæc verba in libro, et erit in testimonium inter vos et Deum vestrum omnibus diebus vitæ vestræ. Et hoc verbum sit in signum et in testimonium in omnem generationem et generationem. Et vos benedicite Dominum, et confitemini memoriæ sanctitatis eius. Et nunc dimitte me, et revertar ad Deum, qui misit me ad vos.*

Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est.) Corpus a se assumptum dimittendo, ac in aerem, vel vaporem, ex quo condensato illud efformarat, per rarefactionem resolvendo, uti docent Scholastici cum Divo Thoma, 1. parte, quæst. 51. Vers. 21.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias laudat Deum, ac v. 11. de Ierusalem felicitate et gloria præclare vaticinatur.

1. Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, et dixit: Magnus es Domine in æternum,
et in omnia sæcula regnum tuum: 2. Quoniam tu flagellas et salvas: deducis ad inferos, et reducis:
et non est qui effugiat manum tuam. 3. Confitemini Domino filii Israel, et in conspectu gentium lau-
date eum: 4. Quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia eius, et
faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum. 5. Ipse castigavit nos propter iniquitates no-
stras: et ipse salvabit nos propter misericordiam suam. 6. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, et cum timore et
tremore confitemini illi: regemque sæculorum exaltate in operibus vestris. 7. Ego autem in terra captivitatis
meæ confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem. 8. Convertimini itaque pec-
catores, et facite iustitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. 9. Ego autem, et
anima mea in eo lætabimur. 10. Benedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, et confitemini illi.
11. Ierusalem civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum. 12. Confitere Domino in bonis
tuis, et benedic Deum sæculorum, ut reædificet in te tabernaculum suum, et revocet ad te omnes captivos, et
gaudeas in omnia sæcula sæculorum. 13. Luce splendida fulgebis: et omnes fines terræ adorabunt te. 14. Na-

tiones ex longinquo ad te venient: et munera deferentes, adorabunt in te Dominum, et terram tuam in sanctificationem habebunt. 15. Nomen enim magnum invocabunt in te. 16. Maledicti erunt qui contempserint te: et condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te: benedictique erunt qui ædificaverint te. 17. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum. 18. Beati omnes qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua. 19. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberavit Ierusalem civitatem suam a cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noster. 20. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. 21. Portæ Ierusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur: et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. 22. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ eius sternentur: et per vicos eius alleluia cantabitur. 23. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum eius in sæcula sæculorum super eam. Amen.

Vers. 1. BENEDIXIT DOMINUM.) Græce: *Scripsit orationem in exaltationem, et dixit.*

Vers. 5. IPSE SALVABIT NOS PROPTER MISERICORDIAM SUAM.) Græca addunt: *Et congregabit nos ex omnibus gentibus ubi dispersit nos inter eas. Si conversi fueritis ad eum in toto corde vestro, et in tota anima vestra, ut faciatis ante eum veritatem* (iustitiam, id est opera iusta et sancta) *tunc convertetur ad vos, et non abscondet faciem suam a vobis.*

Vers. 7. OSTENDIT MAIESTATEM SUAM IN GENTEM PECCATRICEM.) q. d. Ostendit Deus augustam et divinam suam potentiam, iustitiam et vindictam in gentem Israeliticam, castigando eius idololatriam per excidium et captivitatem Assyriacam, ac rursus magnificam suam in eum clementiam ostendit eius miserendo, eumque ex captivitate in patriam reducendo.

Vers. 11. IERUSALEM CIVITAS DEI, CASTIGAVIT TE DOMINUS.) Tum quia multos Iudæos iam cum Manasse impio rege e Ierusalem captivos abduxit in Babylonem; tum quia paulo post cum Ioachim et Sedecia reliquos eodem abducet per Nabuchodonosor; loquitur enim de futuro, quasi de præterito, ob prophetiæ certitudinem.

Vaticinium Tobiæ de Ierusalem terrestri et cælesti. Nota: Tobias ab hoc versu usque ad finem capitis, et c. seq. v. 7. 8. et 9. prophetat de excidio Ierusalem faciendo per Nabuchodonosor, et de eius, templique restauratione post 70. captivitatis annos facienda per Cyrum; sed ita ut more prophetico a Ierusalem urbe Iudææ assurgat allegorice ad Ecclesiam Christianam in Ierusalem a Christo erigendam, et ab ea anagogice avolet ad Ecclesiam triumphantem in cœlis, cuius Ierusalem erat figura et typus. Idem facit Isaias, c. 60. 65. et 66. Itaque hoc v. et seq. sub typo Ierusalem, partim iam desolatæ ob idola Manassis, ut colligitur ex 4. Regum, cap. 33. v. 10. et 11. partim plane desolandæ et evertendæ sub Sedecia, iterumque restaurandæ et ad maiorem gloriam evehendæ per Esdram, Nehemiam, Zorobabel et Cyrum, prophetat Ecclesiæ veteris innovationem et restaurationem per Christum, maxime quia Ecclesia Christiana cœpit Ierosolymis in Sion; et quia una omnium ætatum fuit Ecclesia, licet varios habens status; unde v. 14. prædicit vocationem gentium et diffusionem Ecclesiæ per totum orbem: sed v. 21. anagogice rapitur ad Ecclesiam cœlestem, sive ad statum, quem Ecclesia militans habebit in cœlis, ubi erit triumphans. Unde huc alludit S. Ioannes, Apocal. 21. ubi Ecclesiam triumphantem per Schema Ierusalem gloriose depingit, ut ibidem fuse explicui.

IN OPERIBUS.) Id est propter opera, puta propter tua idola et scelera abduxit, id est, abducet te in Babylonem.

LUCE SPLENDIDA (Evangelii et prædicationis Christi, eiusque Apostolorum) FULGEBIS, ET OMNES FINES TERRÆ ADORABUNT TE) Prædicit conversionem omnium gentium ad Christum, quæ Ecclesiam, quasi Christi sponsam adorarunt, id est, humillime venerati sunt et coluerunt, ac venerantur et colunt. Idem prædixit Isaias cap. 49. 23. *Vultu, ait, in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Ver. 13.

ET TERRAM TUAM IN SANCTIFICATIONEM (id est, ut sanctam, et a Christo ac Apostolis sanctificatam) HABEBUNT. Vers. 14.

BEATUS ERO, SI FUERINT RELIQUIÆ SEMINIS MEI (puta nepotes et posteri mei) AD VIDENDAM CLARITATEM IERUSALEM.) Tum quam ei afferet Cyrus ad litteram, tum quam ei mystice afferet Christus in hac vita et magis in futura. Vers. 20.

PORTÆ IERUSALEM.) Hæc omnia a v. 19. et deinceps spectant proprie ad Ecclesiam gloriosam in cœlis; hanc enim ibidem dicit fabricandam ex sapphiro, smaragdo, omnique lapide pretioso, per quæ figurate non aliud significatur quam pulchritudo, suavitas, maiestas, claritas et æternitas beatitudinis cœlestis, uti fuse declaravi Apocal. 21. Porro Græca hoc loco sic habent: *Ædificabitur Ierusalem sapphiro et smaragdo, et lapide pretioso muri tui, et turres, et propugnacula in auro mundo; et plateæ Hierusalem in beryllo et carbunculo, et lapide ex Sophir tesselabuntur.* Addit Hebræus: *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, Reges Arabum et Saba dona adducent.*

PER VICOS EIUS ALLELUIA CANTABITUR.) *Alleluia* Hebr. idem est quod *laudate Dominum.* Alleluia ergo est vox laudis, exsultationis et iubili, quam beati iugiter peragunt in cælo. Unde S. August. serm. 151. de Temp. qui est de Paschate: *Tempus mœroris,* inquit, *quod significant dies quadragesimæ, et significamus et habemus. Tempus autem lætitiæ, et quietis, et regni, quod significant dies isti, significamus per alleluia, sed nondum habemus laudes. Sed nunc inspiramus ad alleluia. Quid est alleluia? Laudate Deum. Sed nondum habemus laudes, in Ecclesia frequentantur laudes Dei post resurrectionem, quia nobis erit perpetua laus post resurrectionem nostram.* Vers. 22.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias moriturus prædicit excidium Ninives æque ac Ierusalem, eiusque restaurationem, ac gloriam per vocationem gentium ad Christum et cælestem felicitatem. Tobias ergo iunior e Ninive abit Ecbatana, ibique moritur et sepelitur.

1. ET consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, et vidit filios nepotum suorum. 2. Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorifice in Ninive. 3. Quinquaginta namque et sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius vero recepit. 4. Reliquum vero vitæ suæ in gaudio fuit, et cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace. 5. In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, et septem iuvenes filios eius nepotes suos, dixitque eis: 6. Prope erit interitus Ninive: non enim excidit verbum Domini: et fratres nostri, qui dispersi sunt a terra Israel,

revertentur ad eam. 7. Omnis autem deserta terra eius replebitur, et domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur: ibique revertentur omnes timentes Deum, 8. Et relinquent gentes idola sua, et venient in Ierusalem, et inhabitabunt in ea, 9. Et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israel. 10. Audite ergo filii mei patrem vestrum: Servite Domino in veritate, et inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi: 11. Et filiis vestris mandate ut faciant iustitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate, et in tota virtute sua. 12. Nunc ergo filii audite me, et nolite manere hic: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc: 13. Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei. 14. Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, et filiis, et filiorum filiis, et reversus est ad soceros suos: 15. Invenitque eos incolumes in senectute bona: et curam eorum gessit, et ipse clausit oculos eorum: et omnem hereditatem domus Raguelis ipse percepit: viditque quintam generationem, filios filiorum suorum. 16. Et completis annis nonaginta novem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. 17. Omnis autem cognatio eius, et omnis generatio eius, in bona vita, et in sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo, quam hominibus, et cunctis habitantibus in terra.

Vers. 1. ET POSTQUAM ILLUMINATUS EST TOBIAS, VIXIT ANNIS 42.) Scilicet ab anno ætatis 60. usque ad 102. ut sequitur.

Vers. 2. COMPLETIS ITAQUE ANNIS CENTUM DUOBUS SEPULTUS EST HONORIFICE IN NINIVE.) Scilicet in loco exsilii. Huc enim translatus erat a Salmanasar rege Assyriorum, quorum metropolis erat Ninive. Discant hic sancti se in mundo tamquam in exsilio vivere et mori, ac perinde non curent in patria apud suos mori et sepeliri. Nam:

Omne solum forti patria est, ceu piscibus æquor:

et ut ait Thomas Morus in Utopia: *Undique ad superos tantumdem est viæ.*

Vers. 3. QUINQUAGINTA NAMQUE ET SEX ANNORUM LUMEN OCULORUM AMISIT (in Ninive) SEXAGENARIUS VERO RECEPIT.) Tobias, ut dixi in prooemio, anno sexto Ezechiæ, quo cum reliquis Israelitis ductus est in Assyriam, erat 39. annorum; ergo anno 25. Ezechiæ agens annum ætatis 56 excæcatus est; anno vero 27. Ezechiæ agens annum 60. visum recepit, ac postea duobus adhuc annis sub Ezechia (hic enim regnavit 29. annis) vixit, deinde sub Manasse annis 40. ac quadragesimo Manassis anno obiit, ante excidium Ierosolymæ per Chaldæos anno 70.

Porro Græca plures annos Tobiæ tribuunt. Asserunt enim eum excæcatum anno ætatis 58. Verum ex decreto Concilii Tridentini, sess. 4. vulgata Latina ut canonica Script nobis sequenda est, non Græca.

Vers. 5. IN HORA AUTEM MORTIS SUÆ VOCAVIT AD SE TOBIAM FILIUM SUUM.) Ut ei ultima daret monita, quin et oracula de excidio Ninives et gloria Ierusalem. Idem fecit Isaac

Morituri subinde divinant. Unde? Patriarcha moriturus, Gen. 27. 27. et Iacob, Gen. 49. et Moses, Deuter. c. 33. Plato censuit animam in morte quasi e corpore elevari ad divina, ut futura subinde præsentiat et prænuntiet occulto quodam naturæ instinctu et signis prognosticis; sicut aves, oves et boves ex signis aeris immutati præsentiunt pluvias et tempestates. Unde Cicero lib. 1. de Divinatione: *Appropinquante morte*, ait, *multo est animus divinior. Nam et idipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum; tumque vel maxime laudi student; eosque qui secus quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maxime pœnitet. Divinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Possidonius, quod affert: Rhodium quemdam sex æquales nominasse, et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset.* E nostris vero Arnobius lib. 2. contra gentes: *Morti*, ait, *vicini maxime valemus scientia, ita ut de futuris vaticinemur, ut proditum est a Platone in Apologia Socratis dixisse Socratem.* S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 25. hanc causam naturalem probat, et aliam supernaturalem adiungit. *Ipsa*, inquit, *aliquando animarum vis, subtilitate sua, aliquid prævidet. Aliquando autem exituræ de corpore animæ, per revelationem futura cognoscunt. Aliquando vero iam dum iuxta fit, ut corpus deserant, divinitus afflatæ in secreta cælestia incorporeum mentis oculum mittunt.*

Porro certum est Tobiam hic vi non naturali, sed divino afflatum prædixisse excidium Ninives æque ac Ierosolymæ, eiusque et templi restaurationem et gloriam; nulla enim signa prognostica habebat, ex quibus idipsum colligere vel coniicere posset: unde a S. Ambrosio, libro de Tobia, ipse Propheta nuncupatur. Vide dicta prooemio in Prophetas minores, c. 21.

PROPE ERIT INTERITUS NINIVE) Ninive sæpius capta Vers. 6. Ninive sæpe vastata.
et vastata est: primo, ab Arbace Medo, qui Sardanapalum in Ninive regnantem obsedit, et ad sui urbisque incendium adegit: id factum est ante Tobiam sub Ozia rege Iuda, avo Ezechiæ, teste Eusebio et aliis; secundo, sub finem regni Ezechiæ; nam sub annum Ezechiæ 14. ab Angelo in Iudæa cæsus est Sennacherib, cui mox successit filius Asarhaddon, qui decem annis regnavit, in eoque desiere reges Ninives. Nam successit ei Merodach Baladan, qui subacta Ninive (ut videtur) imperium in Babylonem transtulit, ideoque in Scriptura post Asarhaddon nulli reges Assyriorum, sed tantum Babyloniorum nominantur. Hoc quoque Ninives excidium antecessit mortem Tobiæ, et consequenter hoc ipsius de eversione Ninives oraculum, quod ipse moriens edidit anno 4. Manassis, qui Ezechiæ patri in regno successit. Tertio, multi putant Niniven reflorescentem rursum eversam esse a Cyaxare Medo et Nabuchodonosor seniore, qui fuit pater Nabuchodonosoris Magni, sub annum 13. Iosiæ regis Iuda; et de hoc excidio hic loqui Tobiam. Ita sanctus Hieronymus, Eusebius et alii. Verum Nahum, cap. 2. vers. 1. ostendit, Niniven eversam esse a Nabuchodonosor iuniore quinto anno post excidium Ierosolymæ.

Porro Græca hic addunt: *Vade in Mediam, fili, quia credidi, quæcumque locutus est Ionas propheta de Ninive, quod subvertetur. In Media autem magis erit pax usque ad tempus.*

NON ENIM EXCIDIT VERBUM DOMINI.) Editum a Iona propheta, ut habent Græca de excidio Ninives; licet enim Ninivitæ ad prædicationem Ionæ pœnitentes excidium sibi ab eo comminatum evaserint, tamen mox in pristina scelera relabentes, idem incurrerunt, uti post Ionam eisdem prædixit Nahum, c. 2. sed de oraculo Nahum hic non agit Tobias, quia diu ante eum vita functus est.

ET FRATRES NOSTRI QUI DISPERSI SUNT A TERRA ISRAEL, REVERTENTUR AD EAM.) Multi enim ex decem tribubus prævidentes, vel iam sentientes excidium Ninives, ex ea profugerunt, et non pauci ex eis redierunt in terram Israel. Alii veri Dei cultus studiosi iunxerunt se tribui Iudæ, et cum ea in unum Iuda regnum coaluerunt, uti dixi in Esdra et Paralip.

OMNIS AUTEM DESERTA TERRA EIUS (Israel) REPLE- Vers. 7.
BITUR (incolis ad eam postliminio revertentibus) ET DOMUS DEI, QUÆ IN EA INCENSA EST, ITERUM REÆDIFICABITUR.) *Incensa est*, id est incendetur a Chaldæis; loquitur prophetice de futuro, quasi de præterito ob futuri certitudinem: unde Græca habent in futuro: *Fratres nostri dispergentur, et Ierusalem erit deserta, et domus Dei in ea comburetur, et deserta erit usque ad tempus: et iterum miserebitur eorum Deus, et convertet eos in terram. Et ædificabunt domum non qualis prior, usquequo compleantur tempora sæculi. Et post hæc revertentur de ca-*

ptivitatibus et ædificabunt Hierusalem honorifice, et domus Dei in ea ædificabitur. Et in omnes generationes sæculi, ædificatio gloriosa, sicut locuti sunt de ea prophetæ. Et omnes gentes convertentur vere ad timendum Dominum Deum, et confodient idola sua.

Vers. 9. Et gaudebunt in ea reges omnes terræ adorantes regem Israel.) Id est adorantes Christum; nec enim post reditum e captivitate fuit alius rex Israel quem adorarint omnes reges terræ; Christo autem omnes gentes et reges servierunt.

Vers. 10. Servite Domino in veritate.) Id est, vere, sincere, scilicet vero, sincero, recto, integro, totoque corde, non ficto, non falso, non dimidiato, non diviso, ut dimidiam cordis animique partem Deo detis, alteram diabolo, puta idolis et cupiditatibus. Veritas ergo hic opponitur mendacio, superstitioni, hypocrisi, fictioni et simulationi. Ita Serarius.

Vers. 11. Ut faciant iustitias.) Id est opera iusta, pia et sancta. In Græco additur insigne exemplum Achiachari, qui Tobiæ ex fratre fuit nepos, ut dixi c. 1. ac Manassis cuiusdam, quod scilicet ambo ab impio et ingrato Aman in famæ et vitæ discrimen fuerint coniecti, sed sua pietate et eleemosynis evaserint; Aman vero alitus ab Achiacharo in idem inciderit: sic enim habet: « Et nunc, fili, abi ex Ninive, quoniam omnino erunt quæ locutus est propheta Ionas. Tu autem serva legem et præcepta, et esto amator eleemosynarum, et iustus, ut tibi bene sit; et sepeli me bene, et matrem tuam mecum; et non ultra maneatis in Ninive. Fili vide quid fecit Aman Achiacharo, qui nutrivit eum, ut e luce duxit eum in tenebras, et quanta retribuit ei. Et Achiacharus quidem salvatus est, illi vero retributio data est, et ipse descendit in tenebras. Manasses in eleemosyna erat, et salvatus est de laqueo mortis quem fixerunt ei; Aman autem incidit in laqueum, et periit. Et nunc, fili, vide quid eleemosyna facit et quomodo iustitia liberat. »

Quis fuerit hic Aman incertum est; certum est non fuisse Aman hostem Mardochæi et Esther: hic enim Tobia longo tempore fuit posterior. Quis etiam fuerit hic Manasses ignoratur. Aliqui putant fuisse maritum Iudith; nam tempus consentit, sed locus dissentit, ait Salianus; vixit enim Iudith tempore Tobiæ, inquit ipse, sed in Bethulia Iudææ, non in Ninive et Assyria, ubi vixit hic Manasses, de quo agit Tobias.

Vers. 14. Tobias abscessit ex Ninive.) Fugiens eius excidium, ex Ninive profectus est in Mediam ad socerum suum Raguel habitantem in Ecbatanis. Ubi nota miram Dei erga Tobiam providentiam, quæ primo sub annum Ezechiæ 27. Tobiam per Raphaelem direxit in Mediam et Ecbatanam, ut inde educeret Saram, et pecuniam a Gabelo reciperet, antequam Ecbatana vastaretur, itaque utrumque periculo ereptum in tuto poneret. Nam paulo post vastata est Ecbatana sub Manasse filio Ezechiæ, ait Bellarminus et Salianus, de quo plura in proœmio Iudith.

Secundo, cum postea Ecbatana reflorescente excidium immineret Ninive et Assyriæ, iussit Tobiam inde excedere, et in Ecbatanam ad socerum tendere, ut illi in senio adesset, morienti oculos clauderet, et hæreditatem totam adiret. Si tanta cura Deus providit amicis suis de bonis corporalibus, quanta providebit de spiritualibus, cœlestibus, et æternis?

Vers. 16. Et completis annis 99. in timore Domini (morientem) cum gaudio sepelierunt eum.) Esto enim filii eius et nepotes dolerent de eius morte, gaudebant tamen quod tam longam, fortunatam sanctamque vitam simili prorsus morte concluderet, cum deinceps illi iam prope centenario nil aliud in hac vita expectandum esset, quam labor et dolor. Mori enim in senectute plena, honorata, pacifica et prospera æque ac pia et sancta, ingens, imo extremum est huius vitæ bonum. Mortuus est ergo Tobias iunior sub annum 16. Iosiæ regis Iuda; in hunc enim annum incidit 99. vitæ eius annus, et sepultus est in Ecbatana Medorum urbe. Græca addunt: « Obiit autem et ipse annorum centum viginti septem, in Ecbatanis Mediæ. Et audivit antequam moreretur ipse, destructionem Ninives quam in captivitatem cepit Nabuchodonosor et Assuerus, et gavisus est, antequam moreretur, super Ninive. »

Assuerus hic a multis censetur esse Cyaxares pater Astyagis, qui fuit avus maternus Cyri primi Persarum monarchæ. Qui enim Hebr. vel Chald. vocatur Assuerus, Græce vocatur Axuares, Oxyares et Axares, cui præponitur *Cy*, vel *Cu*, quod Persice principem significat. Salianus vero per Assuerum accipit Phraortem patrem Cyaxaris, qui Deioci in regno Medorum successit. Assuerus enim commune fuit regum Medorum nomen.

Dices: Quomodo Tobias iunior ante mortem potuit videre excidium Ninives, cum ipse iuxta Latinum textum obierit anno ætatis 99. qui incidit in annum 16. Iosiæ, iuxta Græcum vero obierit anno ætatis 127. qui incidit in annum secundum, cuius undecimo postea anno vastata est a Chaldæis Ierusalem, ac post quinque annos, Ninive, ut dixit Nahum 2. 5. Respondeo primo hæc verba, quod Tobias viderit excidium Ninives, non esse in vulgata Latina, quam probavit Concilium Tridentinum, sed in textu Græco, in quo plura addita sunt, quæ discrepant, imo contrariantur Latinæ vulgatæ, ac proinde non videntur certa, sed ab aliquo inserta, ut quod v. 4. et 8. ait Tobiam seniorem octo annos fuisse cæcum, et vixisse annos 158. cum Vulgata asserat eum quatuor dumtaxat annos fuisse cæcum, et vixisse annos 102. Tobiæ iuniori hic dat annos 127. cum Vulgata tantum det 99. Quare nobis sequenda est Vulgata, non Græca. Ac proinde verius videtur Tobiam non vidisse excidium Ninives, præsertim cum Græca hic varient. Complut. enim Tobiæ dant 127. annos; S. Athanasius vero in Synopsi 107. dumtaxat; iuxta Vulgatam mors Tobiæ antecessit excidium Ninives 47. annis; iuxta Græcum vero 14. annis.

An Tobias viderit excidium Ninives?

Resp. I.

II. Secundo, S. Hieronymus, Eusebius et alii censent Niniven excisam anno 13. Iosiæ, ac sic Tobias id videre potuit; mortuus est enim anno 16. Iosiæ.

III. Tertio, licet verius sit Niniven excisam anno quinto post excisam a Chaldæis Ierusalem, tamen sub annum 13. Iosiæ cœpit obsideri et vastari. Nam, ut ait Herodotus, lib. 1. Cyaxares cœpit obsidere Niniven (sub Iosia) sed invadentibus Mediam Scythis obsidionem intermisit per 28. annos, post quos cum Nabuchodonosor iuniore obsidionem resumens, et instaurans, Niniven cepit et vastavit anno quinto post excidium Ierusalem, tumque Nabuchodonosor se fecit monarcham: quare hic fuit primus annus monarchiæ eius. Unde Hebr. in Seder Olam dicunt id contigisse anno primo non regni, sed monarchiæ Nabuchodonosoris, qui regni eiusdem fuit annus 24. cœpit enim ipse regnare anno quarto Ioakim regis Iuda. Et hoc videntur voluisse sanctus Hieron. et Euseb. scilicet quod Cyaxares, cum Nabuchodonosor seniore cœperit obsidere et vastare agros Ninives, sub annum 13. Iosiæ, idque audierit Tobias ante mortem, sed post 28. annos, cum Nabuchodonosor iuniore obsidionem resumens, Niniven expugnarit. Unde Græca habent Tobiam audiisse, non excidium, sed ἀπώλειαν, id est perditionem Ninives; quia scilicet audivit ipse ita eam obsideri et vastari, ut evadere non posset, sed necessario perdenda, id est, capienda et evertenda foret, quare τὸ *quam captivavit*, idem est quod capere cœpit; significatur enim actus inchoatus, non perfectus.

IV. Quarto, Serarius, Salianus et alii respondent sæpius captam et spoliatam esse Niniven, dum ipsa certans cum Babyloniis et Medis de imperio, iam vincebat, iam ab eis vincebatur; quare incertum esse de qua Ninives perditione loquatur hic Tobias.

Denique Serarius 99. Tobiæ iunioris annos computat a morte patris, scilicet senioris Tobiæ, quibus addens annos 63. quibus cum patre Tobias in captivitate vixit, ac faciens eum duorum annorum quando in captivitatem venit, conficit eum universim vixisse 164. annos, ita ut pertigerit ad annum 24. Nabuchodonosoris, quo eversa est Ninive, itaque eam eversam esse audire potuerit; sed hæc ætas illo ævo nimia et plane paradoxa videtur.

COMMENTARIA

IN

IUDITH.

ARGUMENTUM.

[Liber Iudith est Canonicus.] Hic liber apud Hebræos non extat in Canone S. Scripturæ, sed apud Christianos. Concilium Nicænum I. eum inter Canonicos S. Scripturæ libros recenset, uti refert S. Hieronymus in prologo. Idem fecit Concilium Carthaginense III. c. 47. Concilium Florentinum et Tridentinum. Vide Bellarminum, lib. 1. de Verbo Dei, c. 12. Hinc Iosephus, quia Hebræus non meminit Iudith, sicut nec Tobiæ. Extat Græce æque ac Latine. An Græcus textus hic, æque ac in Tobia sit ex translatione Septuaginta interpretum, ambigitur. Certe S. Hieronymus, nec eius, nec illorum meminit. [Chaldaice scriptus.] Videtur primitus Chaldæo sermone conscriptus, sicut et liber Tobiæ. Unde S. Hieronymus in prologo asserit se eum e Chaldæo transtulisse, additque: *Accipite Iudith viduam, castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum fœminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis eius remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, et insuperabilem superaret.* Auctor videtur fuisse Ioacim Pontif. coævus Iudith, imo eius director: uti censent Hebræi, et ex eis Sixtus Senensis, l. 8. Hæresi 11. licet nil certi hac de re asseverari possit, ut ait sanctus Isidorus l. 6. Origen. cap. 2.

[Argumentum.] Argumentum libri est victoria Iudith de Holoferne et Assyriis, per quam allegorice repræsentatur victoria B. Virginis de diabolo, ait ex Fulberto Carnot. noster Canis. l. 1. Martialis, c. 2. Tropol. triumphus animæ fidelis de carne et vitiis, ait Rabanus. [Partes.] Denique tres libri sunt partes. Prima describitur Iudæorum periculum a cap. 1. usque ad 8. secunda, eorum per Iudith liberatio a capite 8. ad c. 15. v. 9. tertia, quæ deinde secuta sunt a c. 15. usque ad finem.

[Quando contigit historia Iudith.] Quæres, quando contigerit historia Iudith? Multi probabiliter arbitrantur eam contigisse ante captivitatem Babylonicam, sub Manasse rege Iuda: nimirum postquam Manasses cum suis Iudæis e carcere Babylonio dimissus in Ierusalem et regnum rediit; tunc enim apud Medos potentissimus fuit Deioces qui Ecbatana ædificavit. Ninive nondum erat diruta, nondum etiam Ierosolyma; at- C que a tempore Manassis perpetua fuit pax Iudæis, usque [Resp. 1. sub Manasse.] ad finem regni Iosiæ. Ita censent Bellarminus loco citato, Serarius, Salian. Genebr. Perer. in c. 1. Danielis. Gang. lib. 11. de Locis, c. 6. Christ. a Castro in Osee 2. v. 20. Nabuchodonosor ergo hic mittens Holofernem quem occidit Iudith, fuit cognatus, vel filius, ut vult Serarius, vel gener Asarhaddonis filii Sennacherib, qui proinde Asarhaddoni in regno Ninive successit: aut certe fuit Merodach Baladan rex Babylonis, ait Bellarminus et Salianus, qui devicto Asarhaddone regnavit in Ninive, ac cum Arpha- A xad, id est Deioce rege Medorum confligens, eum superavit, indeque ad monarchiam orbis aspirans, misit Holofernem qui cæteras gentes sibi subiugaret.

[2. et verius sub Xerxe. Probatur 1.] Alii ex adverso censent historiam Iudith contigisse post reditum Iudæorum e captivitate Babylonica, multasque ac validas pro hac sententia afferunt rationes; prima, quia in hac historia asseritur Pontifex tunc fuisse Ioacim; nullus autem hoc nomine fuit Pontifex, nisi Ioacim filius Iesu filii Iosedec, post reditum ex Babylone: Iesus enim fuit Pontifex sub Cyro, Cambyse et Dario, Ioacim sub Xerxe, Eliasib sub Artaxerxe, ut patet Nehem. 13. v. 4. 6. 7. et Eccl. 41. 14. iuncto cum Aggæi 1. 1. et seq. et ex Iosepho l. 10. Antiq. c. 11. ubi ex tabulis publicis catalogum Pontificum texuit.

Dices: Libro 4. Regum, c. 18. 37. et Isaiæ 22. tempore Ezechiæ regis nominatur Eliacim (qui idem est cum Ioacim) filius Helciæ præpositus domus, et inter præcipuos numeratur sacerdotes. Respondeo: Eliacim hic non fuit summus Pontifex, uti nec Helcias pater eius; sed fuit ali- B quis e primariis sacerdotibus, sive e principibus sacerdotum, cui templi et portarum eius cura commissa fuit, ut patet ex Scriptura et ex Iosepho, ex quibus liquet unum dumtaxat Helciam fuisse Pontificem, non tempore Ezechiæ, sed multo post tempore Iosiæ, de quo 4. Regum 23. 4.

2\. Secunda, quia temporibus Xerxis optime conveniunt ea quæ c. 5. dicuntur de nupero Iudæorum e captivitate reditu. Item quod cap. 6. Iudæi non dicuntur reges habere, sed duces populi Oziam et Charmi; si enim sub Manasse hæc contigissent, utique Iudith hoc suum facinus cum rege Manasse, non cum Pont. Ioacim, Ozia et Charmi tractasset, nec Ioacim misisset milites qui occuparent fauces montium, sed Manasses. Rursum sub Manasse Bethulia erat deserta ab Israelitis abductis in Assyriam, et habitabatur a Cuthæis. Adhuc ævo Xerxis congruit quod 3. c. 5. v. 27. magnates Holofernis dicunt de filiis Israel eos iam esse inermes, imbelles, et belli inexpertes, ideoque se montibus et præcipitiis defendere, ut dicitur c. 7. 8. et quod cap. ult. additur de diuturna pace post hanc Iudith victoriam consecuta. Ita censent Sanchez hic, Torniellus et Ribera in cap. 2. Nahum, Lyran. Dion. Hugo hic, imo S. August. l. 18. de Civit. c. 26. Euseb. in Chron. ad annum mundi 4674. Beda de sex Ætat. mundi, Berosus Annianus, et communiter Hebræi, ut refert Chron. Alexand. item Suidas verbo Holofernes, et Affricanus apud Suidam.

4\. Postquam enim Xerxes sæpe a Græcis victus fuit, ac præsertim turpissimam illam cladem apud Thermopylas a Leonida et trecentis sociis accepit anno imperii sui quinto, cœpit suis esse contemptui, ait Iustinus, lib. 3.

Quare Arphaxad rex Medorum, qui hucusque Xerxi et Persis fuerat vectigalis et tributarius, hac occasione Xerxis et Persarum iugum excussit ac fines regni sui propagavit. Fecit idem Nabuchodonosor, cui vel ipse Xerxes, vel quod magis reor, Darius Hystaspis pater Xerxis regnum Ninives et Assyriorum crediderat, qui proinde confligens cum Arphaxad, eumque superans, cœpit monarchiam ambire. Quare Nabuchodonosor hic non est ille magnus Chaldæorum monarcha, auctor captivitatis Babylonicæ; sed longe posterior eo, Assyrius scilicet, vel Babylonius, unus e principibus Xerxis; Nabuchodonosor enim nomen est Babylonium sive Chaldæum, ac forte a Nabuchodonosor Magno noster hic nomen hoc suum, forte etiam genus et stirpem accepit.

5. Hinc coniectura est, causam cur Xerxes Iudæis tantopere fuerit benevolus, uti scribit Iosephus, lib. 11. c. 5. adeo ut filius eius Artaxerxes anno septimo regni sui miserit Esdram, et anno 20. Nehemiam ad restaurandam Ierusalem cum liberalissima et amplissima potestate; causam, inquam, huius benevolentiæ fuisse, quod videret Xerxes hunc Nabuchodonosor, hostem suum et æmulum imperii, iam recenter a Iudæis fuisse profligatum.

Dices: Tempore Xerxis desolata erat Ninive. Iam enim a Magno Nabuchodonosor excisa fuerat quinto anno post excisam Ierusalem, uti dixi, Tobiæ ultima responsione Niniven paulo post excidium reædificatam fuisse; quia antiquissima et nobilissima erat civitas, idque permissu regum Babyloniorum vel Persarum, uti ex historiis fa-
6. ctum constat de Babylone, Ierusalem, Antiochia, Roma, etc. alias obiectiones solvam c. 4. v. 5 et c. 8. v. 1. vel c. 9. v. 2. Denique hanc sententiam pene evincit id quod c. 5. 22. et seq. dicitur sub hoc tempus desertam fuisse Ierusalem, ac templum eversum et solo æquatum. Hoc enim non contigit sub Manasse, sed sub Sedecia in captivitate Babylonica.

Ex dictis constat quod Nabuchodonosor, qui misit Holofernem, non fuerit Darius Hystaspis, ut vult Gerardus Mercator in sua chronologia; nec Artaxerxes Ochus, ut vult Severus Sulpitius; nec Cambyses filius Cyri, qui inchoatam sub Cyro fabricam templi impedivit, 1. Esdræ 4. eo quod Iudæi suum ducem Holofernem occidissent, ait Berosus Annianus, idque innuit sanctus August. 18. Civit. 26. et Eusebius: nam Cambyses septem annis dumtaxat regnavit; Nabuchodonosor autem anno 12. regni misit Holofernem; sed vel fuit Xerxes, ut opinatur Sanchez, qui dictus fuit Nabuchodonosor ob similem illi superbiam et fastum; unde Iudith eius victrici occinuerunt Iudæi, c. 16. 12. *Horruerunt Persæ constantiam eius, et Medi audaciam eius.* Aut potius fuit præfectus Principibus Xerxis, qui eius vice gubernabat Niniven, ut dixi. Videtur enim fuisse origine Babylonius; hoc enim innuit nomen eius Nabuchodonosor, quod est Babylonium. Arphaxad vero fuit præfectus, vel rex Mediæ Xerxi vectigalis; sed victo a Græcis Xerxe uterque Xerxi rebellavit, et provinciæ suæ se regem absolutum fecit. Sic enim eidem Xerxi rebellavit Artabanus, ac forte ipse est Arphaxad. Audi Iustinum l. 3. in princ. *Xerxes*, ait, *Rex Persarum, terror antea gentium, bello in Græcia infeliciter gesto, etiam suis contemptui esse cœpit. Quippe Arthabanus præfectus eius, deficiente quotidie regis maiestate, in spem regni adductus est.*

Nabuchodonosor hic quis?

Simili modo Arbaces constitutus a Sardanapalo Mediæ præfectus, illi effœminato rebellavit, dicens se non posse parere illi, qui se fœminam mallet esse quam virum: quare illum obsedit, et ad sui incendium coegit, ut superius dixi.

Porro Iudith fuit ex tribu Simeon, uti ipsa asserit c. 9. 2. habitavit in Bethulia, quæ est in tribu Zabulon; vixit 105. annis, ut patet ex fine libri; fuit ipsa matrona et genere et forma nobilis, statu vidua, ætate florens, opibus locuples, pietate præstans, cuius eximia forma cum pari virtute certabat, quam proinde Deus ad hoc heroicum facinus et Israelis liberationem elegit. Bellarminus censet eam, cum occidit Holofernem, fuisse 40. annorum, Serarius 45. Torniel. 53. Gretserus 40. Salianus 33. Audi S. Hieronymum, Epist. 10. ad Furiam: « Legimus Iudith viduam confectam ieiuniis, et habitu lugubri sordidatam, quæ non lugebat mortuum virum, sed squalore corporis, sponsi quærebat adventum. Video armatam gladio manum, cruentam dexteram; recognosco caput Holofernis, de mediis hostibus reportatum. Vincit viros fœmina, et castitas truncat libidinem; habituque repente mutato, ad victrices sordes redit omnibus sæculi cultibus mundiores. »

Porro Patres Iudithæ eximia dant elogia. Clemens Alexandrinus vocat eam *consummatam, sive perfectam in mulieribus*, libro quarto Stromatum, cap. 6. Origenes, homilia 9. in Iudith: *Magnificam et omnium fœminarum nobilissimam.* Ambrosius, libro 3. de Offic. c. 13. *Mirabilem fœminam.* S. Fulg. Epist. 2. c. 14. *Sanctam viduam* sæpius appellat, *præclaram natalibus*, *facultatibus divitem, ætate iuvenem, specie mirabilem, divitiarum contemptricem, delicias respuentem, carnis incentiva calcantem, et indutam virtute ex alto.* D. Ambros. lib. de Viduis: *Diuturnis mœroribus, et quotidianis roboratam ieiuniis, sanctam Iudith.* Divus August. serm. de Temp. 228. *Sanctissimam Iudith, cuius precibus patuit cœlum, quæ orationis arte arma victricia fabricavit.* Et infra: *Ecce Gloriosæ fœminæ castitatem servavit oratio.* D. Chrysost. hom. 9. ex variis: *Sanctissimam Iuditham, quæ dum lætitia vultus ieiunium texit, de hoste triumphum ac victoriam reportavit.* Tertull. lib. de Monach. c. 17. *Nec Iudith*, inquit, *filia Meraris, nec tot aliæ sanctorum.*

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arphaxad ædificat Ecbatana: vincitur a Nabuchodonosor rege Ninives, qui victoria superbiens omnes gentes ad deditionem solicitat, sed iis repugnantibus ipse omnes debellare destinat.

1. Arphaxad itaque, rex Medorum, subiugaverat multas gentes imperio suo, et ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis, 2. Ex lapidibus quadratis et sectis fecit muros eius in latitudinem cubitorum septuaginta, et in altitudinem cubitorum triginta, turres vero eius posuit in altitudinem cubitorum centum. 3. Per quadrum vero earum latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuitque portas eius in altitudinem turrium: 4. Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, et in gloria quadrigarum suarum. 5. Anno igitur duodecimo regni sui: Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, et obtinuit eum 6. In campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphraten, et Tigrin, et Iadason, in campo Erioch regis Elicorum. 7. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et cor eius elevatum est: et misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, et Damasco, et Libano, 8. Et ad gentes

quæ sunt in Carmelo, et Cedar, et inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon, 9. Et ad omnes qui erant in Samaria, et trans flumen Iordanem usque ad Ierusalem, et omnem terram Iesse, quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ. 10. Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum: 11. Qui omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos, et sine honore abiecerunt. 12. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam, iuravit per thronum et regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.

Vers. 1. ARPHAXAD ITAQUE REX MEDORUM.) Τὸ *itaque* partim est nota exordii historiæ, sive libri; hoc enim denotat Hebr. *vau*, id est, *et itaque*, ut dixi Ezechielis 1. 1. Sic Cicero suas Epist. subinde orditur ita: *Tu igitur, tu vero, ego vero;* partim significat hanc historiam acceptam et resectam esse ex priscis diariis, sive chronicis Hebræorum, in quibus hæc historia subnectebatur historiis priorum temporum, ac per τὸ *itaque* iis connectebatur. Ita Serarius.

Arphaxad quis? Resp. I. Arphaxad hic, sive Areapad, idem est quod Arbaces. Unde Serarius et alii per Arphaxad intelligunt Arbacem, qui occiso Sardanapalo regem se Mediæ fecit, de quo plura v. 5.

II. Alii cum Bellarm. et Salian. censent Arphaxad esse Dioclem sive Deiocem, qui tempore Manassis regis Iuda Medis imperavit. Deioci enim successit Phraortes, inquit Herodotus, Phraorti Cyaxares, Cyaxari Astyages avus Cyri, licet Ctesias apud Diodorum, alios, pluresque Medorum reges assignet.

Porro Deioces ædificavit Ecbatanam, teste Herodoto, Eusebio et aliis, licet Genebrardus per Arphaxad hic accipiat Cyaxarem, Salianus Phraortem.

III Tertio, alii qui sub Xerxe contigisse hanc historiam arbitrantur, putant Arbacem fuisse præfectum Mediæ, qui a Ninive, vel Dario Hystaspis nomen et titulum regiæ dignitatis obtinuit; omnes enim reges Mediæ a primo rege Arbace nomen acceperunt, et cognominati sunt Arbaces, sive Arbacidæ, sicut Romani imperatores a Iulio Cæsare dicti sunt Cæsares; Ægyptii a primo Ptolomæo Ptolomæi, Græci a primo rege Seleuco dicti sunt Seleucidæ; Parthi a primo Arsace dicti sunt Arsacidæ.

Porro *Arphaxad* Hebr. idem est quod *debilitans, quasi depopulationem*, ait Pagnin. idque apte; ipse enim suis superbis fabricis et quadrigis debilitavit, exhausit, et quasi depopulatus est populum, ideoque spoliatus et subiugatus fuit a Nabuchodonosor.

IPSE ÆDIFICAVIT CIVITATEM POTENTISSIMAM QUAM APPELLAVIT ECBATANIS.) Usurpatur subinde nomen Ecbatanis vel Ecbatana, quasi indeclinabile. Hanc urbem iam ante fuisse constat. Unde Diodorus, lib. 2. asserit eam ante Semiramidem exstitisse, dum ait post ædificatam Babylonem huc illam venisse, magnifica ibi palatia excitasse, et cum etiam aquarum inopia laboraret urbs, in eam, Oronte monte, qui duodecim stadiis abest, profosso, aquæ abundantiam derivasse.

Dicitur tamen hic Arphaxad eam ædificasse, quia eam novis palatiis, turribus, muris auxit et ornavit. Unde Græca habent: *Ædificavit in Ecbatanis muros circumcirca ex lapidibus sectis.*

Sic Nabuchodonosor ait se Babylonem condidisse, id est, ornasse et amplificasse, Dan. 4. 27. Nam primus turrim Babel et Babylonem condidit Nemrod cum sociis, Genes. c. 10. Sic Romulus dicitur condidisse Romam, cum tamen Virgil. dicat, Æneid. 8.

Tum rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

EX LAPIDIBUS QUADRATIS ET SECTIS.) Græca addunt: *latis cubitos tres, longis vero sex.*

Vers. 2. FECIT MUROS EIUS IN LATITUDINEM CUBITORUM 70.) Immanis fuit hæc murorum latitudo, in qua proinde multæ quadrigæ simul incedere et decurrere poterant: ET IN ALTITUDINEM CUBITORUM 30. Græca habent 50.

Vers. 3. PER QUADRUM VERO EARUM (turrium) LATUS UTRUMQUE VICENORUM PEDUM SPATIO TENDEBATUR.) Id est, quodlibet latus turrium cum altero sibi obverso et opposito, hoc est, singula quatuor latera turrium erant viginti pedum. Erat enim quadratum geometricum, cuius omnia latera sunt æqualia. Pro *vicenorum pedum*, Græca habent, *sexaginta cubitorum.*

ET GLORIABATUR QUASI POTENS.) Hæc fuit causa belli, nimirum superbia et dominandi libido, qualis fuit priscorum monarcharum Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Græcorum et Romanorum: unde bellum civile inter Pompeium et Iulium Cæsarem exortum est, quod Pompeius nollet Cæsarem sibi parem, Cæsar nollet Pompeium se superiorem. Similis est gloriatio Thrasonis illius apud Senecam ita iactantis: Vers. 4.

Ac qualis astris grandior, et cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum;
Dimitto superos; summa votorum attigi.
O me, cœlitum excelsissimum,
Regumque regem! vota transcendi mea.

ANNO IGITUR DUODECIMO, (cœpit hoc bellum, sed finitum anno 17. si credimus textui Græco, qui ait bellum hoc sex annos durasse) REGNI SUI NABUCHODONOSOR.) Quæres, quis fuit hic Nabuchodonosor? Primo Zonaras et Genebrardus censent fuisse magnum illum Nabuchodonosor, qui Ierusalem cum templo evertit, et Iudæos in Babylonem abduxit. Verum hic regnavit in Babylone, non in Ninive, ut hic dicitur, vicitque Iudæos, cum hic ab eis per Iudith victus sit. Vers. 5. Nabuchodonosor quis? Resp. I.

Secundo, Bellarminus et Salianus censent esse Merodach Baladan (quem Ptolomæus in Almagesto vocat Mardocempad) qui regnavit quidem in Babylone; sed victo Asarhaddone rege Ninives, regni sui sedem in eadem Ninive fixit, uti fecit Turca Constantinopoli, postquam eam cepit. Nabuchodonosor enim nomen fuit commune regibus Chaldæorum. Unde Nabonassar in tabulis Alphonsinis, et ab Albitegenio semper vocatur Nabuchodonosor. Vide Serarium hic quæst. 4. Idem enim, vel fere idem est utrumque nomen: unde nonnulli putant hunc Nabuchodonosorem patrem fuisse Nabuchodonoris illius qui pater fuit Nabuchodonosoris Magni, qui Iudæos in Babylonem abduxit. II

Tertio, Serarius ibidem censet Nabuchodonosorem hunc fuisse filium Asarhaddonis, qui patri vita functo in regnum Ninives et Assyriorum successerit. Addit Serarius, cui astipulantur Genebrardus, Pererius et alii, Asarhaddon, sive Sarphedon, ut habent Septuaginta, esse Sardanapalum; quare hunc Nabuchodonosor fuisse filium Sardanapali, qui patris necem ulcisci volens, Arbacem Mediæ præfectum, qui patrem ad necem et incendium coegerat, bello subegerit, regnoque et vita privarit. Quare Arbacem hic vocari Arphaxad; a Diodoro vero et Ctesia vocari Dioclen. III.

Favet Diod. l. 3. c. 1. dicens Sardanapalum, cum videret imminere sibi Ninivæque excidium ab Arbace, suos filios ex Ninive emisisse in Paphlagoniam ad eius præfectum Cottum, ut Arbacis manus evaderent. Audi Diodorum: *Obsesso in urbe* (Ninive) *rege* (Sardanapalo) *multæ nationes, libertatis cupidine ad Arbacem defecerunt. Rex magno in discrimine regnum versari videns, filios tres, duasque filias cum magna auri argentique copia in Paphlagoniam ad Cottum præsidem misit.* Inter hos tres filios fuit hic Nabuchodonosor, qui adiutus a præfecto Paphlagoniæ armata manu Niniven, regnumque paternum recepit, ac Arbacem vicit et occidit. Sane si historiam Iudith ante captivitatem Babylonicam sub Manasse contigisse dicamus, hæc sententia valde videtur verisimilis: tunc enim regnavit Asarhaddon, qui si fuit Sardanapalus, utique tunc quoque in Media regnavit Arbaces; hic enim victo cæsoque Sardanapalo, regem se Mediæ effecit.

Verum si dicamus historiam Iudith (ut dixi in prœmio) post captivitatem Babylonicam contigisse, consequenter asserendum est Nabuchodonosor hunc, vel fuisse Cambysem Cyri filium, ut opinatur sanctus Augustinus, Eusebius, Beda et alii; unde chron. Alexandr. *Aiunt*, ait, *Cambysem apud Hebræos secundum Nabuchodonosorem nuncupari*, quia ab utroque afflicti fuere; vel Darium Hystaspis, ut vult Sanchez. Xerxes enim adeo suis copiis et viribus intumuit, ut putaret se non tantum terræ, sed et aquis marique imperare posse. Audi Herodotum, lib. 7. *Est ex Abydo ad ulteriorem continentem septem stadiorum traiectus, quem pontibus iunctum ingens adorta tempestas ea omnia dirupit atque dissolvit. Quod cum audisset Xerxes, indigne ferens, iussit trecenta Hellesponto verbera infligi, et in eius pelagus par compedum dimitti. Iam audivi misisse quoque cum his, etiam qui stigmata Hellesponto inurerent, dicentes barbara verba: Dominus tibi hanc irrogat pœnam, quod eum læsisti.* Idem refert Valer. Max. lib. 3. c. 2. et addit ad hæc minatum esse cœlo tenebras quod sibi inimicum fuisset et iniurium. Quid stultius, insolentius et arrogantius? Verum quia Xerxes regnavit in Perside, non in Ninive, ac Iudæis fuit amicus et benevolus, teste Iosepho, adeo ut filius eius Artaxerxes Esdram et Nehemiam in Iudæam remiserit, ut Ierusalem reædificarent; quod utique non fecisset, si pater eius Xerxes, tam turpiter in suo duce Holoferne a Iudæis fuisset cæsus. Sane verius videtur Nabuchodonosor hunc fuisse aliquem e principibus et præfectis Xerxis, cui ob merita, robur et potentiam Xerxes, vel potius pater Xerxis Darius Hystaspis, regnum Ninives et Assyriæ concesserit, sed sub vectigali et tributo: qui videns Xerxem cæsum a Græcis, tributum hoc negavit, seque regem absolutum effecit, ac sensim crescens armis, viribus et gentibus, Arphaxad regem Mediæ invaserit et superarit. Origine et genere videtur fuisse Babylonius (hoc enim indicat nomen eius Nabuchodonosor, quod est Chaldæum) ac forte fuit nepos, vel potius abnepos, aut cognatus Nabuchodonosoris Magni, ideoque nomen eius usurpavit.

Porro *Nabuchodonosor* Hebr. idem est quod *coarctans generationem angustia*, ait Pagnin. in nomin. Hebr. idque apte. Ipse enim coarctavit Iudæos cæterasque gentes, et ad extrema redegit, ut patet ex seq.

NABUCHODONOSOR REX ASSYRIORUM, QUI REGNABAT IN NINIVE.) Additur hoc, ut distinguatur a Nabuchodonosor magno, qui regnavit in Babylone, ideoque Monarchiam a Ninive et Assyriis ad Babylonem et Chaldæos transtulit: quamquam vicina erat Ninive Babyloni, et Assyrii Chaldæis, ideoque ex Assyriis orta est monarchia Chaldæorum: quare cum ea quasi una eademque censetur. Hinc et Nabuchodonosor nomen est partim Chaldæum, partim Assyrium. *Nabo* enim erat nomen idoli Chaldæorum: *Asar* erat nomen regum Assyriorum ut patet in Salmanasar, Teglatphalasar, Asarhaddon, quæ ex Asar conflata sunt.

PUGNAVIT CONTRA ARPHAXAD, ET OBTINUIT EUM.) Id est, cepit eum, et iaculis confodit. Græca enim sic habent: « In bello suo roboratus est Nabuchodonosor, et omnem Arphaxadi potentiam, et omnem equitatum eius, et omnes currus eius evertit; et ipsius urbium dominus factus est, et Ecbatana usque pervenit, et potitus est eius turribus, plateasque vastavit; et ipsius ornatum ad eius opprobrium redegit. Et cepit Arphaxadum in montibus Ragau, et iaculis eum suis confixit, eumque prorsus perdidit, et exterminavit usque ad diem illum. » Meruit hanc stragem superba gloriatio Arphaxad in suis copiis et quadrigis: nam, ut ait Seneca in Hercule:

Sequitur superbos ultor a tergo Deus.

Idem in Thyeste:

Vos, quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus:

Et mox:

Quem dies vidit fugiens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem:
Nemo confidat nimium secundis.

Quocirca Artabanus rex Xerxi (sub quo hæc contigerunt, imo quem Sanchez censet fuisse Nabuchodonosor) hoc prudens dedit monitum: « Vides ut animalia prægrandia fulmine ferit, neque cogitationibus insolescere sinit Deus: quæ vero parvula sunt, ne tantillum quidem vellicat? Vides ut in maxima ædificia et arbores, eiusmodi semper tela contorquet? Amat enim Deus incidere, sive truncare, quæ eminent omnia. » Et causa subditur: « Neminem enim sinit magni quidpiam de seipso sentire, præter seipsum. »

Quid Nabuchodonosor, parta hac victoria, egerit, Græcus sic enarrat: « Reversus est ipse cum ipsis (suis copiis Niniven) et omnis qui ad eum sese aggregarat exercitus virorum bellatorum multitudo ingens admodum et erat illic otians, epulisque vacans, et tam ipse quam eius exercitus, ad dies centum et viginti. »

TUNC EXALTATUM EST REGNUM NABUCHODONOSOR, ET Vers. 7.
COR EIUS ELEVATUM EST.) Ut omnibus se fortiorem existimans, ambiret monarchiam, et omnes gentes sibi subiugare decerneret. Vere Seneca in Troad.

Regi frænis nequit.
Et ira, et ardens hostis, et victoria,
Gladiusque felix, cuius infecti semel
Vecors libido est.

ET MISIT AD OMNES.) Legatos, qui postularent, ut omnes gentes se Nabuchodonosori victori subiicerent. Hæc aliter narrantur in Græco, scilicet quod Nabuchodonosor ante victoriam de Arphaxad miserit nuntios ad omnes vicinas gentes opem contra Arphaxad flagitans: qua a gentibus negata, ipsum iurasse illas excisurum; mox pugnasse cum Arphaxad, anno regni sui 17. eumque vicisse, et iaculis confixisse, ac Ecbatanam evertisse; deinde cum triumpho rediisse in Niniven, ibique otio et luxui se dedisse per 120. dies. Verum authentica nobis esse debet vulgata Latina editio, illique Græca vel concilianda est, si potest; si non potest, abiicienda: hoc loco potest conciliari. Potuit enim Nabuchodonosor bis misisse nuntios, scilicet primo ante pugnam, ut habet Græca; secundo post pugnam, ut habet Vulgata.

ET AD GENTES, QUÆ SUNT IN CARMELO ET CEDAR, Vers. 8.
ET INHABITANTES GALILÆAM.) Græca plures gentes enumerant. Hinc liquet Nabuchodonosor non fuisse Xerxem. Huic enim ut monarchæ parebant pleræque gentes, ac in primis Galilæi: nam ex Esdra et Nehemia constat Darium patrem Xerxis, et Artaxerxem filium Xerxis misisse in Iudæam Nehemiam et alios duces, qui suo nomine Iudæos gubernarent.

QUI OMNES UNO ANIMO CONTRADIXERUNT, ET REMISE- Vers. 11.
RUNT EOS VACUOS, ET SINE HONORE (imo *cum ignominia*, ut habet Græcus) ABIECERUNT.) Hoc est plus merebatur fastus ex victoria insolescentis Nabuchodonosoris, ut sicut ipse straverat arrogantiam Arphaxad, sic et ipsius insolentia a Iudith sterneretur, et a gentibus rideretur.

IURAVIT PER THRONUM ET REGNUM SUUM, QUOD DE- Vers. 12.
FENDERET (id est, ulcisceretur) SE.) Putabat enim ingentem iniuriam et ignominiam sibi a gentibus esse illatam, ideoque ad suum honorem ab eis læsum recuperandum et defendendum, se debere hoc probrum et bello et excidio ulcisci: uti hodie multi censent se ad defensionem honoris sui, debere eos, qui illum contumelia aliqua læserunt, ulcisci et occidere. Sed hic est paralogismus mundi, et mendax spiritus diaboli. Sic defendere sumitur pro vindicare, cap. 9. 2. et ab Apostolo Rom. 12. 19. *Non vos defendentes*, id est vindicantes, *charissimi*. Vide ibi dicta.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nabuchodonosor, approbante bellico concilio, mittit Holofernem, ut gentes Occidentales armis sibi subiiciat.

1. ANNO tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vigesima et secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, ut defenderet se. 2. Vocavitque omnes maiores natu, omnesque duces, et bellatores suos, et habuit cum eis mysterium consilii sui: 3. Dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subiugaret imperio. 4. Quod dictum cum placuisset omnibus, vocavit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ, 5. Et dixit ei: Egredere adversus omne regnum occidentis, et contra eos præcipue, qui contempserunt imperium meum. 6. Non parcet oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam subiugabis mihi. 7. Tunc Holofernes vocavit duces, et magistratus virtutis Assyriorum: et dinumeravit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, et equitum sagittariorum duodecim millia. 8. Omnemque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus sufficerent copiose, boum quoque armenta, gregesque ovium, quorum non erat numerus. 9. Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit. 10. Aurum vero, et argentum, de domo regis assumpsit multum nimis. 11. Et profectus est ipse, et omnis exercitus, cum quadrigis, et equitibus, et sagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ. 12. Cumque pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ, ascenditque omnia castella eorum, et obtinuit omnem munitionem. 13. Effregit autem civitatem opinatissimam Melothi, prædavitque omnes filios Tharsis, et filios Ismael, qui erant contra faciem deserti, et ad austrum terræ Cellon. 14. Et transivit Euphraten, et venit in Mesopotamiam: et fregit omnes civitates excelsas, quæ erant ibi, a torrente Mambre usquequo perveniatur ad mare: 15. Et occupavit terminos eius, a Cilicia usque ad fines Iapheth, qui sunt ad austrum. 16. Abduxitque omnes filios Madian, et prædavit omnem locupletationem eorum, omnesque resistentes sibi occidit in ore gladii. 17. Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, et succendit omnia sata, omnesque arbores et vineas fecit incidi: 18. Et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

Vers. 1. ANNO TERTIO DECIMO NABUCHODONOSOR.) Græca habent *anno* 18. Si vis hæc inter se conciliare, dicito annum 13 Nabuchodonosor fuisse 18. ab initio regni Arphaxad, æmuli et hostis sui.

Vers. 2. HABUIT CUM EIS MYSTERIUM (id est secretum sive arcanum) CONSILII SUI.) Regum enim consilia, præsertim de subiugandis aliis regibus et gentibus secreta et arcana sunt.

Vers. 4. Holofernes quis? Resp. 1. HOLOFERNEM PRINCIPEM MILITIÆ.) Quæres: Quis, qualis et quantus fuit Holofernes? Resp. primo: Cedrenus ait eum fuisse Persam. Nomen enim videtur Persicum, perinde ut Persica nomina sunt Tisaphernes, Artaphernes, Intaphernes, quamquam et apud Assyrios, Armenos et Cappadoces, teste Serario in c. 1. 94. inveniantur qui nominati sint Holofernes. Si Persa fuit, ideo Persam ducem elegit Nabuchodonosor, ut Persas a Xerxe, iam per cladem a Græcis acceptam contemptibiles effectos ad se alliceret, uti et fecit. Unde cap. ult. vers. 12 dicitur: *Horruerunt Persæ constantiam eius, et Medi audaciam eius, scilicet Iudith;* nam subacto iam Arphaxad et Medis a Nabuchodonosor, multi Medi, et Persæ Medis vicini, nomen militiæ ipsius dederant.

II. Secundo, Holofernes fuit dux exercitus Nabuchodonosoris, ideoque secundus ab eo, ut habent Græca, sicut Ioseph fuit secundus a Pharaone, Aman ab Assuero, Ephæstion ab Alexandro; unde Zonaras vocat Holofernem Archisatrapam. Tertul. vero lib. 1. contra Marc. cap. 7. et S. Aug. in Appendice, serm. 66. eum vocant regem, quia potestatem habebat amplissimam, et opes quasi regias. Simili modo Ioseph, proximus a Pharaone, a Iosepho et Philone apud Euseb. lib. 9. Præpar. Evang. vocatur σκηπτροῦχος, id est sceptriger, hoc est rex: regis enim insigne est sceptrum.

III. Tertio, Franc. Maironis asserit Holofernem fuisse filium Assueri et Estheris; sed hoc ut novum et inauditum omnes refutant.

IV. Quarto, Pagnin. in nom. Hebr. Holofernes, inquit, iuxta Græcam etymologiam dictus quasi *totus dos*: ὅλος enim est totus, φερνή est dos: sunt et qui compositum putant ex Hebræo et Chaldæo, et interpretantur *fortis dux*. Nam *pharnas* Chaldæis est præfectus, sive dux. Hæc Pagnin. Unde ducum Persarum illustrium nomina sunt Phanaspes, Pharnuches, Pharnabas.

Quinto, quoad mores Holofernes superbia, fastuque, æque ac luxu et luxuria similis fuit Nabuchodonosori, ideoque a Iudith victus cæsusque est, ut patebit ex seq. Græca addunt, Nabuchodonosor dixisse Holoferni, se cum totis copiis subsecuturum: *Ægrediar*, ait, *in furore meo super eos, et operiam omnem terram in pedibus virtutis meæ*, etc. V.

ET DIXIT EI: EGREDERE ADVERSUS OMNE REGNUM OCCIDENTIS.) Græca fusius hoc regis mandatum enarrant, aiuntque: « Hæc dicit magnus Rex, Dominus omnis terræ: Ecce tu egrederis a facie mea, et sumes tecum viros, qui suis ipsorum viribus confidant, peditum ad centum viginti millia, et multitudinem equorum cum eorum ascensoribus; multitudinem, inquam, duodecim myriadum, seu centum et viginti millium, et exibis in occursum, sive prælium contra omnem terram quæ ad occidentem est, quia oris mei verbo non obtemperarunt. Et ipsis denuntiabis ut terram et aquam præparent, quia egrediar in furore meo contra ipsos, et operiam omnem faciem terræ pedibus mei exercitus, et dabo ipsos illis in direptionem, eorumque vulnerati valles atque torrentes implebunt ipsorum. Fluvius etiam mortuis eorum exundans, complebitur; ipsorumque tandem captivitatem agam, seu propellam in terræ omnis extrema. Tu vero egressus præoccupabis mihi omnes eorum fines, et ipsi seipsos tibi dedent, et tu mihi eos in diem redargutionis eorum reservabis. Contra eos vero, qui rebelles et immorigeri sunt, non parcet oculus tuus, quominus eos in omni terra tua, et in cædem et direptionem des; quia vivo ego, et robur regni mei, quæ locutus sum, ea etiam faciam in manu mea. Tu vero non transgredieris, vel unicum verborum Domini tui, sed perficiens perficies sicut præcepi tibi: et nihil cunctabere, ut ea facias. »

Terram et aquam petebant Persæ in signum servitutis. Nota in his Regis verbis τὸ *denuntiabis eis ut mihi aquam et terram præparent*, quibus significatur vetus Persarum mos, qui volentes gentem aliquam sibi subiugare, ac ab ea postulantes, ut illa se Persis dederet, ab ea petebant terram et aquam, quasi servitutis symbolum. Hæc duo enim ad vitam humanam sunt necessaria. Unde Arist. lib. 2. Rhet. *Præbere terram et aquam*, inquit, *servire est.* Hinc cum Darius Hystaspis a Spartanis postularet terram et aquam in signum deditionis, Spartani legatos eius coniecerunt in puteum, dicentes, ut inde terram et aquam haurirent, quam ad Darium deferrent, uti narrat Herodotus, l. 7. Unde Xerxes Darii filius non est ausus mittere legatos ad Spartanos, qui ab eis terram et aquam poscerent, ait S. Hieron. lib. 8. et Diodor. lib. 11. Hinc Alexander Magnus apud Curtium, lib. 3. cum Dario Codomano et Persis conflicturus, in oratione ad milites hanc Darii Hystaspis et Xerxis arrogantiam insimulat, ut meminerint se cum Persis dimicare, qui terram et aquam postulare sunt soliti: itaque iis, qui se illis subiicerent, neque fontium haustum, neque cibos, terræ fruges relinquerent. Rursum Herod. lib. 4. narrat Darium Hystaspis ab Indathyrso Scytharum Duce postulasse terram et aquam. Et cum ille misisset *avem, murem, ranam, et quinque sagittas*, Darii opinio erat *Scythas se sibi tradere, et terram et aquam*, quod *mus* quidem in terra gignatur, et eodem quo homines fructu victitet; *rana* autem in aquis nascatur; *avis* vero sit equo assimilis; at *sagittis* dandis suum ipsorum robur tradere.

Vers. 7. Et equitum sagittariorum duodecim millia.) Græca habent 120. *millia*, ut iam audivimus: ubi videtur esse mendum in numero, et delenda esse ciphra 0. ut maneant 12. millia, uti habet Noster. Quis enim tot millia equitum in aciem eduxit? Sane Darius contra Alexan- A drum eduxit equitum dumtaxat 44. millia, peditum ducenta, ait Curtius, lib. 4. nisi quis dicat equitum sagittariorum hic fuisse 12. cæterorum vero equitum lanceis, sarissis, bipennibus, etc., armatorum fuisse 108. millia, ut utrisque iunctis fierent 120. millia. Forte in Græcis dempto centum, legendum est 20. e quibus 12. millia fuerint sagittariorum, uti etiam habet Græcus; cæteri alterius armaturæ.

Vers. 12. Venit ad magnos montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ.) Ange ergo tum montes vocabantur, qui erant a sinistro Ciliciæ, ex quibus ortus est *Philtes Angæus*, de quo Curtius lib. 3. apud Herodot. lib. 7. nominatur *Rangæus mons magnus*, et apud alios.

Vers. 13. Effregit (expugnavit) autem civitatem opinatissimam (famosissimam, opibusque et robore nominatissimam) Melothi (*Melothi* Hebr. idem est quod *plenitudo*, scilicet opum et hominum: talis enim erat in Melothi) prædavitque (prædatus est) omnes filios Tharsis.) Hi sunt de quibus dicitur 2. Mach. 4. 30. *Contigit Tharsenses et Mallotas seditionem movere, eo quod Antiochidi Regis concubinæ dono essent dati.* B Tharsis enim fuit nepos Iaphet, Gen. 10. a quo mare Mediterraneum, et Cilicia eius terminus, indeque quodvis mare vocatum est Tharsis, uti dixi Isaiæ 2. 16.

Vers. 14. Mambræ.) Græca habent *Arbonai.*

Vers. 15. Usque ad fines Iaphet.) Significatur Ioppe, ait Serarius, quæ et hodie vocatur *Iapha*, a Turcis *Zapha*: nam ut ait Plinius, lib. 5. c. 13. *Vicus Ioppes Phœrucum antiquior terrarum inundatione*, ut ferunt.

Vers. 16. Abduxitque.) Græce ἐκύκλωσε, id est *circumdedit, cinxit.*

Vers. 17. Et succendit omnia sata.) Græca habent: *Greges et armenta absumpsit, urbes diripuit, agros depopulatus est, iuvenes ipsorum omnes in ore gladii percussit.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Reges Syriæ, et Mesopotamiæ ex metu se dedunt Holoferni, qui tamen ferociter eorum urbes, lucosque et Deos destruxit, ut solus Nabuchodonosor quasi Deus coleretur.

1. Tunc miserunt legatos suos, universarum urbium ac provinciarum reges ac principes, Syriæ scilicet, Mesopotamiæ, et Syriæ Sobal, et Lybiæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem, dixerunt: 2. Desinat indignatio tua circa nos: Melius est enim ut viventes serviamus Nabuchodonosor regi magno, et subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ damna patiamur. 3. Omnis civitas nostra, omnisque possessio, omnes montes, et colles, et campi, et armenta boum, gregesque ovium, et caprarum, equorumque et camelorum, et universæ facultates nostræ, atque familiæ, in conspectu tuo sunt: 4. Sint omnia nostra sub lege tua. 5. Nos, et filii nostri, servi tui sumus. 6. Veni nobis pacificus dominus, et utere servitio nostro, sicut placuerit tibi. 7. Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, et obtinuit omnem civitatem, et omnem inhabitantem terram. 8. De universis autem urbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, et electos ad bellum. 9. Tantusque metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores principes, et honorati simul cum populis, exirent obviam venienti, 10. Excipientes eum cum coronis, et lampadibus, ducentes choros in tympanis, et tibiis. 11. Nec ista tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt: 12. Nam et civitates eorum destruxit, et lucos eorum excidit. 13. Præcederat enim illi Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet, ut ipse solus diceretur deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari. 14. Pertransiens autem Syriam Sobal, et omnem Apameam, omnemque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa, 15. Accepitque civitates eorum, et sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit universum exercitum virtutis suæ.

Vers. 1. Tunc miserunt legatos.) Sic Alexander Magnus reverti voluit Babylonem, ait Curtius, quia *nuntiabatur ei legatos ex diversis terrarum orbis partibus undique Babyloniam confluxisse, eiusque adventum exspectare. Adeo totum orbem nominis eius terror invaserat, ut cunctæ gentes velut destinato sibi regi adularentur.*

C Syriæ.) Stricte sumptæ, cuius caput est Damascus, quæ inde dicta est Damasina, cuius rex fuit Benadad, Rasin, Hazael, 3. Reg. c. 20. et seq. complectitur Antiochiam, Phœniciam, Iudæam, Palæstinam, Mesopotamiam, Assyriam, teste Plinio, lib. 5. cap. 12.

Sobal.) Est Syriæ pars quæ a Ptolomæo, Strabone et Plinio, Sophone dicitur, de qua in libris Reg.

*

Lybiæ.) Nonnulli suspicantur legendum *Liciæ*, eo quod Lybia sit in Africa, longeque absit a Syria. Verum terror Nabuchodonosoris fuit tantus, ut ad Lybiam pervadere potuerit, uti fama et terror Alexandri Magni penetravit ad Garamantes et Indos.

Vers. 3. Ut viventes serviamus Nabuchodonosor regi magno.) Vere Alexander Magnus apud Plutarchum, lib. 2. de fortuna Alexandri aiebat: *Multos nomine tenus esse magnos.*

Vers. 7. Tunc descendit (Holofernes) de montibus.) Syriæ, puta Casio, Libano, et Antilibano, inter quos sita est Damascus, cuius campos fertiles tempore messis occupavit Holofernes, ut dictum est cap. 2. v. 17.

Vers. 10. Excipientes eum cum coronis et lampadibus, ducentes choros in tympanis et tibiis.) Corona enim est insigne regis, cui olim lampades accensæ, sive ignes præferebantur, uti docet Tertul. in Apol. et Xiphilinus in Nerone. Audi Curt. lib. 5. *Bagistanes Babylonicæ arcis et regiæ pecuniæ custos obviam victori Alexandro egressus, totum iter floribus, coronisque constraverat, argenteis altaribus ab utroque latere dispositis, quæ non thure modo, sed omnibus odoribus cumulaverat.* Vide dicta Ierem. cap. 1. v. 13. ad illa: *Ollam succensam ego video.*

Vers. 12. Et lucos eorum excidit.) Cum diis et idolis, qui in lucis more gentium, tegentes suas obscœnitates, colebantur, ut dixi in lib. Reg.

Vers. 13. Ut omnes deos exterminaret, ut ipse solus diceretur deus.) Vide quo assurgat fastus hominis, qui oblitus se terram esse et pulverem, Deo et divinitati bellum indicit, ipseque vult haberi et coli ut Deus, imo solus Deus. Et hoc etiam, quia vicerat Arphaxad. Vere Darius apud Curt. lib. 4. *Fragilitas humana*, inquit, *nimia in prosperis rebus oblivio est.* Similis fuit status Luciferi, Isaiæ c. 14. v. 15. et Pharaonis, Ezech. 29. v. 3. et Regis Tyrii, Ezech. 28. ideoque omnes sterni, regnoque et vita deiici meruerunt. Superbia ergo mera est insania, quæ hominem facit quasi Titanem, non gigantomachum tantum, sed et theomachum, ut Deum quasi ad duellum provocare audeat, perinde ac si canis elephantem, mus leonem ad certamen provocet.

Vers. 14. In terram Gabaa.) Id est in terram clivosam et montosam. Hanc enim Hebr. significat Gabaa. Græca habent: *Venit secundum faciem, vel in planitiem Esdrelon prope Dothæham, quæ est e regione Serræ magnæ Iudææ, et castrametatus est inter Gabaa et Schytopolim.* Unde Serarius pro *Idumæos* suspicatur legendum *Dothæos*. *Serra*, ait Arias, *est tractus perpetuo clausus et divisus sive instar dentium serræ strictus, uti sunt fauces et angustiæ montium.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi metu Holofernis se muniunt, ac induti ciliciis, et cinere, Dei opem inclamant. Consolatur eos Eliachim Pontifex, et Dei opem promittit, si in oratione perseverent.

1. Tunc audientes hæc filii Israel, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde a facie eius. 2. Tremor et horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Ierusalem et templo Domini, quod fecerat ceteris civitatibus et templis earum. 3. Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Iericho, et præoccupaverunt omnes vertices montium: 4. Et muris circumdederunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. 5. Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni iuxta Dothain, et universos, per quos viæ transitus esse poterat, 6. Ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem, et illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes. 7. Et fecerunt filii Israel secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim. 8. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in ieiuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum. 9. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio: 10. Et clamaverunt Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium gentibus. 11. Tunc Eliachim, sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos, 12. Dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, et orationibus in conspectu Domini. 13. Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, et in potentia sua, et in exercitu suo, et in clypeis suis, et in curribus suis, et in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit: 14. Sic erunt universi hostes Israel: si perseveraveritis in hoc opere, quod cœpistis. 15. Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini, 16. Ita ut etiam hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, et erat cinis super capita eorum. 17. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israel.

Vers. 2. Tremor et horror invasit sensus eorum.) Græca uberius habent: *Et timuerunt valde a facie eius, et pro Ierusalem, et templo Domini Dei sui turbati sunt, quia recenter fuerant ascendentes de captivitate, et nuper omnis populus congregatus fuerat ex Iudæa, et vasa, et altare, et domus* (Dei, id est templum) *ex profanatione sanctificata erant.* Multi ut dixi in proœm. cum Bellarmino, Salian. et aliis hæc referunt ad Manassen regem Iuda, qui cum suis captus in Babylone, liber dimissus est in regnum, ac pœnitens templum a se per idola profanatum purgavit, verique Dei cultui restituit. Verum hæc etiam fuit captivitas, et liberatio Manassis regis, non totius populi. Adde quod Manassis regis nulla toto hoc libro fiat mentio, quod utique fieri debuisset, cum ad eum, utpote regem, potius quam Eliachim Pontificem pertineret Iudæam contra Holofernem munire, et fauces nondum immisso præsidio insidere. Quare melius alii ad tempora Xerxis hæc referunt, cum iam reædificatum esset templum a Chaldæis profanatum et combustum.

Dices: Quomodo Iudæi reversi recenter e captivitate

tantas habuere vires et animos, ut castris tam numerosis et validis sese opponere auderent? Resp. id factum metu captivitatis, cuius acerbitatem et ærumnas nuper in Babylone senserant, ac metu perdendæ veræ religionis. Nabuchodonosor enim minabatur Deo, et templo excidium, quia solus ut Deus adorari volebat. Hoc autem Iudæis verum Deum colentibus videbatur intolerabile, ut mallent mori quam id permittere. Denique innumerabilis fuit Iudæorum propago, et per generationem multiplicatio instar ranarum et piscium, uti fuit tempore Mosis, Exodi 1. Nam Iosephus, lib. 11. Antiq. cap. 4. reversorum e captivitate Babylonica puberum anno secundo Darii Hystapsis numerat quater millena millia, et insuper 620. millia, idque ex tribu Iuda et Beniamin dumtaxat, quibus ex cæteris decem tribubus plurimi se adiunxerunt. Itaque facile potuerunt conflare exercitum numerosum, qui se opponeret Holoferni, maxime in faucibus et præruptis montium, ubi unus valet decem hostibus resistere.

Vers. 4. Et congregaverunt frumenta.) *Nam ipsorum agri* B *recenter demessi erant*, ut addunt Græca: *Reliquis casibus*, ait libro tertio cap. 3. Vegetius, *potest in tempore subveniri: pabulatio, et annona in necessitate non habent remedium, nisi ante condita.* Ideoque vetus Romanorum disciplina, *in plerisque oppidis ad usum anni totius, in aceto, frumento, larido, atque hordeo et paleis condita habebat*, inquit in Gordiano Capitolinus. Nam, ut ait Vegetius, lib. 3. cap. 3. *Sæpius penuria quam pugna consumit exercitum, et ferro sævior fames est. In omni expeditione unum et maximum consilium est, ut tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. Ante igitur quam inchoetur bellum, de copiis expensisque solers debet esse tractatus, ut pabula, frumentum cæteræque annonariæ species, quas a Provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur, et in opportunis ad rem gerendam, ac munitissimis locis, amplior semper modus quam proficit, aggregetur.* Et cap. 26. *Qui frumentum necessariumque commeatum non præparat, vincitur sine ferro.*

Vers. 5. Sacerdos etiam Eliachim.) Græca *Ioachim*, uti et a Nostro vocatur cap. 15. 9. Idem enim hæc duo nomina significant, scilicet *Dei stator* aut *statorius*, qui scilicet stare fecit acies Iudæorum contra Holofernem. Deus enim tam dicitur אל *El*, quam יה *ia*, quod est abbreviatum Iehova. Hinc patet tempore Xerxis hæc contigisse. Tunc enim Pontifex fuit Ioachim, uti dixi in proœmio, qui deficiente rege, remp. administrabat: nam, ut ait Iosephus, lib. 2. contra Apion. *Iudaicæ reipub. constitutio communiter sacerdotibus, ut maxima quæque administrent, committit. Omnium vero Pontifici, aliorum rursum sacerdotum principatum demandat.* Breviter vero: *Sacerdotes*, inquit, *sunt inspectores omnium, iudices eorum quæ ambigua, vindices eorum quæ damnata.*

Vers. 8. Et clamavit omnis populus ad Dominum instan- A tia magna.) Nota hic usum, modum et vim publicæ orationis et pœnitentiæ in publica calamitate, Christianis imitandum, ut simili modo calamitates suas avertant. Nimirum primo, clamavit omnis populus instantia magna; secundo, humiliaverunt animas suas in ieiuniis et orationibus; tertio, induerunt se ciliciis; quarto, prostraverunt infantes coram Domino et templo; quinto, altare operuerunt cilicio, ut publico quasi religionis, iustitiæ, templique et altaris luctu Deum ad miserandum et succurrendum provocarent; ut quasi manu facta, vique illata, ut ait Tertull. in Apol. cogerent. Idem fecerunt Ninivitæ, Ionæ 2. et Machabæi 1. Mach. 3. cap. 47. ideoque omnes a Deo exaudiri et liberari meruerunt.

Græca uberius habent: *Populus erat ieiunans (et ieiunando orans) complures dies in omni Iudæa et Ierusalem ante faciem Sanctorum*, puta Sancti et Sancti sanctorum, hoc est templum. Qui enim erant in Ierusalem oraturi, adhibant templum; qui vero foris erant, faciem vertebant versus templum.

Tunc Eliachim sacerdos Domini magnus circuivit omnem Israel.) Ut omnes ad constantiam, confidentiam, et perseverantiam in orationibus et ieiuniis hortaretur, promittens eis, si id facerent, victoriam. *Præcepta Christi*, ait S. Ambr. Serm. 86. *arma sunt Christianis, et divinus timor terrorem a nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Salvator instruxit, oratio, misericordia atque ieiunium. Ieiunium enim melius quam murus tuetur; misericordia facilius liberat quam rapina; oratio longius vulnerat quam sagitta. Sagitta enim non nisi proxime conspectum percutit adversarium; oratio autem longius positum vulnerat inimicum.* Græca fusius hic habent: *Ioachim summus Pontifex, atque omnes qui coram Domino stabant Sacerdotes, cæterique qui Domino ministrabant, saccis lumbos suos accincti offerebant iuge illud holocaustum et vota; et voluntaria populi donaria, pulvisque super eorum cidares*, seu *mitras, erat, et clamabant ad Dominum ex tota virtute sua, in bonum;* sive *ut ad benefaciendum et subveniendum visitaret omnem domum Israel.* Pontificem hunc imitentur Episcopi, et Principes, populos sibi commissos circumeant, visitent, animent, instruant, corrigant. Vers. 11.

C

Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec etc.) Vide historiam Exodi 17. ubi eam explicui. Nota: Eliachim æque ac Moses duo hic ad bellum præcipit, primum ut Deum invocent ab eoque victoriam postulent et exspectent; secundum ut urbes suas muniant, transitus occupent, omniaque humana præsidia ad resistendum conquirant. Deus enim non adiuvat desides, sed laborantes et pugnantes. Vidit hoc gentilis Cato apud Sallust. in bello Catil. dicens: *Non votis, neque supplicationibus muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt;* nimirum Vers. 13.

Altitonans adiuvat non tonantem, sed conantem.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achior dux Ammon Holoferni dat consilium, ut inquirat, an Iudæi in Deum suum peccarint. Sic enim ab eo expugnari facile posse, alioqui Deo suo eos protegente esse inexpugnabiles. Quare magnates Holofernis destinant Achior morti.

1. Nuntiatumque est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quod filii Israel præpararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent. 2. Et furore nimio exarsit in iracundia magna, vocavitque omnes principes Moab, et duces Ammon, 3. Et dixit eis: Dicite mihi quis sit populus iste, qui montana obsidet, aut quæ, et quales, et quantæ sint civitates eorum: quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum: vel quis rex militiæ illorum: 4. Et quare præ omnibus, qui habitant in oriente, isti contempserunt nos, et non exierunt obviam nobis, ut susciperent nos cum pace? 5. Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon re-

spondens, ait: Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo, de populo isto qui in montanis habitat, et non egredietur verbum falsum ex ore meo. 6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est: 7. Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. 8. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, 9. Unum Deum cæli coluerunt, qui et præcepit eis ut exirent inde, et habitarent in Charan. Cumque operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus. 10. Cumque gravaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus urbium suarum in luto et latere subiugasset eos, clamaverunt ad Dominum suum, et percussit totam terram Ægypti plagis variis. 11. Cumque eiecissent eos Ægyptii a se, et cessasset plaga ab eis, et iterum eos vellent capere, et ad suum servitium revocare, 12. Fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. 13. In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus, qui factum posteris nuntiaret. 14. Egressi vero mare rubrum, deserta Sina montis occupaverunt, in quibus nunquam homo habitare potuit, vel filius hominis requievit. 15. Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, et per annos quadraginta annonam de cælo consecuti sunt 16. Ubicumque ingressi sunt sine arcu et sagitta, et absque scudo et gladio, Deus eorum pugnavit pro eis, et vicit. 17. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui. 18. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, et in gladium, et in opprobrium. 19. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi. 20. Denique Chananæum regem, et Iebusæum, et Pherezæum, et Hethæum, et Hevæum, et Amorrhæum, et omnes potentes in Hesebon prostraverunt, et terras eorum, et civitates eorum ipsi possederunt: 21. Et usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem. 22. Nam et ante hos annos, cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt prœliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. 23. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana hæc omnia, et iterum possident Ierusalem, ubi sunt sancta eorum. 24. Nunc ergo mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, et subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. 25 Si vero non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, et erimus in opprobrium universæ terræ. 26. Et factum est, cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, et cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum: 27. Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor, et exercitibus eius homines inermes, et sine virtute, et sine peritia artis pugnæ? 28. Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana: et cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transverberabitur: 29. Ut sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor deus terræ est, et præter ipsum alius non est.

Vers. 1. FILII ISRAEL PRÆPARARENT SE AD RESISTENDUM.) Addunt Græca: *Et in campis posuissent scandala*, id est obstacula, v. g. fossas occultas, murices, et palos acutos, in quæ transeuntes incaute Assyrii corruerent, vel impingerent.

Vers. 2. ET DIXIT EIS: DICITE MIHI QUIS SIT POPULUS ISTE?) Hinc rursum colligitur hæc non sub Manasse, sed sub Xerxe contigisse. Nam sub Manasse et ex Manasse ac primoribus Iudæorum captivis sat cognorant Babylonii et Assyrii quis et qualis esset Iudæorum populus. Unde qui sub Manasse hæc contigisse volunt, dicunt hanc Holofernis interrogationem non esse ignorantis, sed mirantis et indignantis, ac Iudæos quasi viles contemnentis.

Vers. 4. ET QUARE PRÆ OMNIBUS QUI HABITANT IN ORIENTE.) Græca habent: in Occidente.

Vers. 5. TUNC ACHIOR DUX OMNIUM FILIORUM AMMON.) Serarius sub filiis Ammon comprehendit quoque Idumæos. Hi enim cum essent fratres Iudæorum (Iacob enim parens Iudæorum erat frater Esau, sive Edom parentis Idumæorum) cum eos invadere vellent, vocabant se Ammonitas, non Idumæos, ne palam male audirent, quod fratres suos oppugnarent. Hinc 2. Paral. 20. 1. dicitur: *Congregati sunt filii Moab, et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis ad Iosaphat.* Ubi vides a filiis Ammon Ammonitas distingui. Ubi liber ille traditionum: *Ammonitas Idumæos vult intelligi, qui ob reverentiam paterni nominis nolebant in pristino habitu arma movere contra Israel, sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum.*

Vers. 6. POPULUS ISTE EX PROGENIE CHALDÆORUM EST.) Quia Deus Abraham Hebræorum parentem eduxit de Ur urbe Chaldæorum, Gen. capite 11. vers. 31.

Vers. 9. DESCENDERUNT IN ÆGYPTUM, ILLICQUE PER 400. ANNOS SIC MULTIPLICATI SUNT.) Hos 400. annos numera ab egressu Abrahæ ex Chaldæa et Haran: nam alioquin Hebræi in Ægypto habitarunt dumtaxat 215. annis, uti ostendi Exodi 12. v. 40.

Vers. 13. AQUIS COOPERTUS EST.) Pharao cum omnibus suis. Recenset Achior miracula, quibus Deus Hebræos ex Ægypto perduxit in Chanaan, quæ omnia explicui in Exodo.

Vers. 17. ET NON FUIT QUI INSULTARET POPULO ISTI, NISI QUANDO RECESSIT A CULTU DOMINI DEI SUI.) Disce hic servire Deo: sic enim Deus te faciet inexpugnabilem, et omnibus hostibus superiorem. Sin autem, sinet te a quibusvis subigi et conculcari. Idem discant urbes et regna, eorumque reges et principes. Audi graves hac de re duorum Patrum gnomas: unus est S. Hier. Epist. 13. *Nostris*, ait, *peccatis barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus fugatur exercitus.* Alter D. Ambr. serm. 85. *Civitati non nisi propter civium peccata infertur excidium. Desine peccare, et civitas non peribit.* Gentibus ergo peccantibus timenda est Dei vindicta et excidium: non peccantibus vero speranda est securitas et felicitas.

Vers. 22. NAM ET ANTE HOS ANNOS, CUM RECESSISSENT A VIA (religione et lege) QUAM DEDERAT ILLIS DEUS etc. CAPTIVI ABDUCTI SUNT.) A Nabuchodonosor in Babyloniam, quæ celeberrima, universalis, et propria Iudæorum fuit captivitas, e qua sub Cyro redierunt: talis vero non fuit illa quæ contigit sub Manasse; nam illa non fuit universalis. Alia vero captivitas decem tribuum sub Ezechia facta a Salmanasar pariter non fuit universalis, quia non fuit omnium, puta 12. tribuum, sed decem dumtaxat. Rursum illa fuit perpetua, quia ex illa numquam redierunt Israelitæ.

Addit Græcus: *Et templum Dei ipsorum factum est in pavimentum.* Vatabl. *solo æquatum*, quia a Chaldæis combustum. Hinc patet post excidium Ierusalem hæc contigisse. Bellarm. vero, Serarius et alii, qui volunt ante excidium hæc accidisse, respondent verba hæc a quopiam

inserta esse Græco textui, eo quod desint in Latino, ideoque parvi esse facienda. Alii respondent Manassen sua idololatria vilipendisse, abiecisse, et profanasse templum, imo multis in locis illud diruisse et quasi solo æquasse.

Vers. 25. NON POTERIMUS RESISTERE EIS, QUONIAM DEUS EORUM DEFENDET ILLOS.) Iam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. cap. 8. Hæc verba bilem moverunt Holoferni, ut Achior destinaret morti, eo quod nullum Deum agnosceret, nisi Nabuchodonosor.

Vers. 29. UT SCIAT OMNIS GENS, QUONIAM NABUCHODONOSOR A DEUS TERRÆ EST.) Recte terræ, quia nihil iuris vel virium habet in cœlum, nec ultra terram eius potestas se porrigit. Quocirca falso vult esse Deus. Deus enim dominatur tam cælo quam terræ. Cur ergo superbis et insanis, o vermicule terræ, et Deum cœli ad duellum provocas, ut eum divinitate sua prives et deiicias? Prudenter Tertull. Apolog. 13. *Esto*, inquit, *religiosus in Deum, qui vis illum propitium Imperatori. Desine alium Deum credere vel colere, atque ita et hunc Deum dicere, cui Deo opus est.*

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Holofernes Achior ligatum mittit in Bethuliam, ut, ea capta, ipsum cum civibus occidat; benigne eum excipiunt et solantur Iudæi.

1. FACTUM est autem cum cessassent loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior: 2. Quo-
niam prophetasti nobis dicens, quod gens Israel defendatur a Deo suo, ut ostendam tibi quoniam non
est Deus, nisi Nabuchodonosor: 3. Cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum, tunc et ipse
cum illis Assyriorum gladio interibis, et omnis Israel tecum perditione disperiet: 4. Et probabis quoniam Nabu-
chodonosor dominus sit universæ terræ: tuncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, et confixus cades
inter vulneratos Israel, et non respirabis ultra, donec extermineris cum illis. 5. Porro autem si prophetiam tuam
veram existimas, non concidat vultus tuus, et pallor, qui faciem tuam obtinet, abscedat a te, si verba mea hæc
putas impleri non posse. 6. Ut autem noveris quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo
sociaberis, ut, dum dignas mei gladii pœnas exceperint, ipse simul ultioni subiaceas. 7. Tunc Holofernes præcepit
servis suis ut comprehenderent Achior, et perducerent eum in Bethuliam, et traderent eum in manus filiorum
Israel. 8. Et accipientes eum servi Holofernis, profecti sunt per campestria: sed cum appropinquassent ad mon-
tana, exierunt contra eos fundibularii. 9. Illi autem divertentes a latere montis, ligaverunt Achior ad arborem
manibus et pedibus, et sic vinctum restibus dimiserunt eum, et reversi sunt ad dominum suum. 10. Porro filii Is-
rael descendentes de Bethulia, venerunt ad eum: quem solventes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi
illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset, quod illum vinctum Assyrii reliquissent. 11. In diebus illis e-
rant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, et Charmi, qui et Gothoniel. 12. In medio itaque senio-
rum, et in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus: et quali-
ter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum, 13. Et quemadmodum ipse Holofernes iratus
iusserit eum Israelitis hac de causa tradi: ut, dum vicerit filios Israel, tunc et ipsum Achior diversis iubeat inte-
rire suppliciis, propter hoc quod dixisset: Deus cæli defensor eorum est. 14. Cumque Achior universa hæc ex-
posuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, et communi lamentatione et fletu unanimes pre-
ces suas Domino effuderunt. 15. Dicentes: Domine Deus cæli et terræ, intuere superbiam eorum, et respice ad
nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum attende, et ostende quoniam non derelinquis præsumentes de
te: et præsumentes de se, et de sua virtute gloriantes, humilias. 16. Finito itaque fletu, et per totam diem ora-
tione populorum completa, consolati sunt Achior, 17. Dicentes: Deus patrum nostrorum, cuius tu virtutem præ-
dicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, ut eorum magis tu interitum videas. 18. Cum vero Dominus Deus no-
ster dederit hanc libertatem servis suis, sit et tecum Deus in medio nostri: ut sicut placuerit tibi, ita cum tuis
omnibus converseris nobiscum. 19. Tunc Ozias, finito consilio, suscepit eum in domum suam, et fecit ei cœnam
magnam. 20. Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto ieiunio refecerunt. 21. Postea vero convocatus est
omnis populus, et per totam noctem intra ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israel.

Vers. 2. QUONIAM PROPHETASTI.) Id est prædixisti, non ex oraculo a Deo accepto, sed ex humana prudentia, et priorum temporum experientia.

Vers. 4. NON RESPIRABIS ULTRA, DONEC EXTERMINERIS.) Τὸ *donec* refer non ad *respirabis*; nam qui non respirat, iam est exterminatus et mortuus: sed superius ad *gladius transiet per latera tua, et confixus cades*, ita scilicet ut *non respires ultra*, hoc est, donec omnino exanimeris et *extermineris cum illis*.

Vers. 6. ILLORUM POPULO SOCIABERIS.) q. d. Videris, o Achior, occultus Iudæorum socius et fautor, ideoque mei proditor: quare vade ad illos quorum societatem meæ prætulisti, estoque apertus mihi hostis, uti illi sunt, ut quorum in hostilitate es socius, eorumdem in internecione vindictæ meæ sis particeps.

Vers. 10. PORRO FILII ISRAEL, DESCENDENTES DE BETHULIA, B VENERUNT AD EUM.) Bethulia erat urbs Galilææ in tribu Zabulon sita in monte, tribus leucis distans a Dothain, ubi Ioseph a fratribus captus, et tunica polymita spoliatus est. Addunt Brocardus et Adrich. etiamnum hodie ibidem vestigia castrorum Holofernis cerni. *Bethulia* Hebr. idem est quod *virginitas Dei*. Ipsa enim quasi virgo intacta est ab excidio Holofernis per castam Iudith.

Porro Bethulia propria erat tribus Zabulon, ideoque ad regnum Israel, sive decem tribuum pertinens: sed iis in Assyriam abductis, tribus Iuda eam ac plures alias Israelis urbes sibi vindicavit; tota enim Chananæa a Deo data erat posteris Iacob, quorum parte abducta, cæteri superstites, puta Iudæi, quasi fratres in decem tribuum quasi fratrum suorum hæreditatem iure propinquitatis et naturæ successerunt.

Vers. 11. IN DIEBUS ILLIS ERANT ILLIC PRINCIPES OZIAS FILIUS MICHA DE TRIBU SIMEON, ET CHARMI, QUI ET GOTHONIEL.) Licet enim Bethulia esset in tribu Zabulon, tamen ex alia tribu, puta Simeon, habuit Ducem, uti toti Israeli præfuere Iudices ex variis tribubus oriundi. Hinc et Ozias hic cap. 8. 34 vocatur *Princeps Iudæ*, et cap. 13. 23. *Princeps populi Israel.* Lyran. et Dion. censent Oziam et Charmi fuisse sacerdotes seniores, quia in Græco vocantur presbyteri. Sed πρεσβυς, id est presbyter, vocatur senior et maior natu, sive laicus sit, sive sacerdos. Hinc rursum hæc videntur non contigisse sub rege Manasse; sed post captivitatem sub ducibus Ozia et Charmi.

Vers. 15. ET FACIEM SANCTORUM TUORUM.) Græce *sanctificatorum*, id est, fidelium tuorum, qui sese per circumcisionem tibi dicarunt, et nunc rursum per ieiunium, orationem, et supplices preces totos se tibi sanctificant, id est, dicant et consecrant.

QUONIAM NON DERELINQUIS PRÆSUMENTES DE TE.) Hoc est, confidentes in te: hi enim præ omnibus et ante omnia sumunt quasi Deum operum suorum ducem et belli ductorem, ac per eum certam sperant victoriam. Sic S. Germanus, ut grassans incendium æger evaderet, ab aliis se moveri *fidei præsumptione non est passus*, ait Beda lib. 1. hist. Angl. cap. 19.

PRÆSUMENTES DE SE, id est sibi, suisque viribus præfidentes: unde explicans subdit, ET DE SUA VIRTUTE GLORIANTES HUMILIAS.) Audi S. Bern. lib. de grad. humil. grad. 7. *Qui alios se præcellere putat, quomodo non plus de se, quam de aliis præsumat? Primus in conventibus residet, in conciliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipse non fecerit aut ordinaverit, non recte factum, nec pulchre existimat ordinatum. Iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturis.*

Vers. 16. CONSOLATI SUNT ACHIOR.) Non tamen eum consiliis suis adhibuerunt, vel bello præfixerunt, quia transfugarum suspecta est fides; sic enim Iudith ficte transfugiens ad Assyrios, Chusai ad Absalonem 2. Reg. 17. Sinon ad Troianos, Zopyrus Darii Hystaspis dux ad Babylonios, eos hostibus suis tradiderunt.

Vers. 21. POSTEA VERO (post refectionem et convivium frugale) CONVOCATUS EST OMNIS POPULUS, ET PER TOTAM NOCTEM INTRA ECCLESIAM ORAVERUNT PETENTES AUXILIUM A DEO ISRAEL., Nam ut ait S. Hieron. Epist. ad Eustochium: *Ita tibi semper comedendum est, ut cibum et oratio sequatur et lectio.* Et ad Lætam, de Institutione filiæ: *Sic comedas ut semper esurias, ut statim post cibum possis legere et psallere.* Tertull. Apol. 39. refutans Gentilium de crapula Christianorum calumniam, qua in eos iactabant illud Diogenis: *Megarenses obsonant quasi crastino die morituri, ædificant quasi numquam morituri;* Agapen, id est convivium omnibus Christianis post Eucharistiam commune charitatis, ita describit: *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Atque oratio convivium dirimit: inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam.* Legant hæc fideles, et primorum Christianorum in conviviis frugalitatem et pietatem imitentur. Nota: τὸ *intra Ecclesiam*, id est, intra Synagogam, hoc est, concionis et orationis locum, qui exinde Græce προσευχή dicitur: nam Iudæi templum non habebant in Bethulia, sed tantum in Ierusalem; Synagogam vero loco templi habebant in singulis urbibus maioribus. Vide hic pariter antiquitatem nocturnarum vigiliarum, qua magnis festis, vel ob urgentes calamitates totus populus pervigilabat in templo Ierosolymis, et extra Ierosolymam in proseucha (ut habet Græcus hic) sive synagoga vacans orationi. Unde Iosephus in vita sua: *Sequenti, inquit, die populus convenit in proseuchas, quam vocant precationis domum amplam.* Idem Philo de vita Mosis l. 3. *Apud Iudæos, inquit, destinata oppidatim sacris precationibus loca, quæ proseuchas vulgus nominat.*

De sacris hisce vigiliis vide S. Basil. in Psalmo 114. Euseb. lib. 6. hist. cap. 7. Tertul. lib. 2. ad uxorem c. 4.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Holofernes obsidione cingit Bethuliam, aquæductum incidit, fontes occupat, itaque siti obsessos ad deditionem flagitandam cogit, sed Ozias suadet, ut ad quinos dies opem expectent.

1. HOLOFERNES autem altera die præcepit exercitibus suis, ut ascenderent contra Bethuliam. 2. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, et equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupaverat captivitas, et abducti fuerant de provinciis et urbibus universæ iuventutis. 3. Omnes paraverunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, et venerunt per crepidinem montis usque ad apicem, qui respicit super Dothain, a loco qui dicitur Belma, usque ad Chelmon, qui est contra Esdrelon. 4. Filii autem Israel, ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes ut Deus Israel misericordiam suam ostenderet super populum suum. 5. Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, et erant custodientes ea tota die et nocte. 6. Porro Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quod fons, qui influebat, aquæductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret: et incidi præcepit aquæductum illorum. 7. Erant tamen non longe a muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius quam ad potandum. 8. Sed filii Ammon et Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filii Israel, non in lancea nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, et muniunt illos colles in præcipitio constituti. 9. Ut ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, ut non hauriant aquam ex eis, et sine gladio interficies eos, vel certe fatigati tradent civitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse. 10. Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, et coram satellitibus eius, et constituit per gyrum centenarios per singulos fontes. 11. Cumque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, et collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset intra civitatem unde satiarentur vel una

die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie. 12. Tunc ad Oziam congregati omnes viri feminæque, iuvenes, et parvuli, omnes simul una voce 13. Dixerunt: Iudicet Deus inter nos et te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, et propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum. 14. Et ideo non est qui adiuvet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, et perditione magna. 15. Et nunc congregate universos qui in civitate sunt, ut sponte tradamus nos omnes populo Holofernis. 16. Melius est enim ut captivi benedicamus Dominum, viventes, quam moriamur, et simus opprobrium omni carni, cum viderimus uxores nostras, et infantes nostros mori ante oculos nostros. 17. Contestamur hodie cælum et terram, et Deum patrum nostrorum, qui ulciscitur nos secundum peccata nostra, ut iam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernis, et sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis. 18. Et cum hæc dixissent, factus est fletus et ululatus magnus in ecclesia ab omnibus, et per multas horas una voce clamaverunt ad Deum, dicentes: 19. Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus, 20. Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, et noli tradere confitentes te, populo qui ignorat te, 21. Ut non dicant inter gentes: Ubi est Deus eorum? 22. Et cum fatigati his clamoribus, et his fletibus lassati siluissent, 23. Exurgens Ozias infusus lacrymis, dixit: Æquo animo estote fratres, et hos quinque dies expectemus a Domino misericordiam. 24. Forsitan enim indignationem suam abscindet, et dabit gloriam nomini suo. 25. Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

Vers. 2. CENTUM VIGINTI MILLIA (Græca habent: 170. *millia peditum*) EQUITES 22. MILLIA.) Accesserant ergo auxiliares copiæ, et novorum equitum decem millia; nam cap. 2. 7. tantum recensita sunt equitum decem millia. Hæc auxilia submittebat Nabuchodonosor, qui et ipse cum toto exercitus robore subsequi destinabat, ut habet Græcus cap. 2.

Vers. 3. A LOCO QUI DICITUR BELMA USQUE AD CHELMON.) Belma est urbs ad radices montis, in quo sita est Bethulia, quæ a Brocardo Abelina vocatur. Ibidem iuxta Dothain est urbs *Chelmon*, vel ut Græcus habet, *Cyamon:* in utraque castrametatus est Holofernes, ut habet Græcus, aciemque instruxit ad pugnam et urbis oppugnationem.

Vers. 6. QUOD FONS, QUI INFLUEBAT, AQUÆDUCTUM, etc. DIRIGERET.) Hoc est, aquam in urbem per aquæductum transfunderet, ideoque aquæductum incidens Holofernes aquam ab urbe avertit. Suspicatur Serarius pro *dirigeret* legendum *dirigaret*, id est irrigaret; sed τὸ *dirigeret* sat plane huic loco convenit. Fons enim per canalem aquam dirigit et transmittit in urbem.

Vers. 8. FILII AMMON ET MOAB ACCESSERUNT AD HOLOFERNEM.) Græca habent: *Principes Idumæi et Moabitici.* Idumæi enim invadentes Iudæos fingebant se esse Ammonitas, ut dixi cap. 5. v. 9. Hi ergo suaserunt Holoferni, ut fontes occuparet, itaque Iudæos siti conficeret.

Mystice: *Tunc incidit diabolus aquæductum, cum facit interrumpere studia litterarum. Erant autem non longe a muris fontes, dogmata Philosophorum, qui scientiæ et honestatis aliquod conferunt solatium, ex quibus videbantur haurire aquam ad refocillandum potius quam ad*

A *potandum;* ita Raban. sic et S. August. in Psalm. 73. et S. Gregor. in cap. 4. Cant. Rursum incidit diabolus aquæductum, cum nos ab oratione avertit: per orationem enim quasi canalem omnis Dei gratia in nos influit; unde ea succisa diabolus nos superat et capit.

DEFECERUNT CISTERNÆ ET COLLECTIONES AQUARUM.) Vers. 11
Addunt Græca: *Et consternati sunt infantes eorum, et iuvenes defecerunt præ siti, et cadebant in plateis civitatis, et transitibus portarum, et non erat ultra robur in eis.*

TUNC AD OZIAM CONGREGATI.) Siti confecti postu- Vers. 12
lantes magnis vocibus, ut Bethuliam Holoferni dederet. Nihil enim atrocius obsessis accidit, quam sitis; longe enim acrius cruciat sitis, quam fames: unde Duces, urbem quampiam obsidentes, solent avertere aquas, ut cives siti conficiant, itaque ad deditionem cogant, iuxta illud: *Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti.* Thren. 4. Nota est Lysimachi regis Macedonum historia, qui, cum in Thracia aquæ penuria sitique laboraret,
B se cum castris tradidit hosti, sed hausta aqua, exclamavit: *O dii! quam parvæ voluptatis causa me ex rege servum effeci!* Idem dicant cupidi, qui pro puncto voluptatis se mancipia efficiunt infernalis Holofernis, hoc est diaboli, qui eos in gehenna siti conficiet, ut clament cum divite epulone: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Lucæ 16.

FACTUS EST FLETUS ET ULULATUS MAGNUS IN EC- Vers. 13.
CLESIA.) Græce εν προσευχη, id est, in synagoga ubi erat locus orationis.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensetur Iudithæ prosapia, solitudo, cilicium, ieiunia, castitas. Ipsa principes timidos increpat, ac patrum exemplo in spem opis divinæ erigit.

1. ET factum est, cum audisset hæc verba Iudith vidua, quæ erat filia Merari, filii Idox, filii Ioseph, filii Oziæ, filii Elai, filii Iamnor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiæ, filii Enan, filii Nathaniæ, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben: 2. Et vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ: 3. Instabat enim super alligantes manipulos in campo, et venit æstus super caput eius, et mortuus est in Bethulia civitate sua, et sepultus est illic cum patribus suis. 4. Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus, et mensibus sex. 5. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur; 6. Et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel. 7. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, et familiam copiosam, ac possessiones armentis boum et gregibus ovium plenas. 8. Et erat

hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. 9. Hæc itaque cum audisset quoniam Ozias promisisset quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri et Charmi. 10. Et venerunt ad illam, et dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? 11. Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? 12. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat. 13. Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum, diem constituistis ei. 14. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus: 15. Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. 16. Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi, 17. Dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam: ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur: 18. Quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, et adoraverunt deos alienos, 19. Pro quo scelere dati sunt in gladium, et in rapinam, et in confusionem inimicis suis: nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum. 20. Expectemus humiles consolationem eius, et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, et humiliabit omnes Gentes, quæcumque insurgunt contra nos, et faciet illas sine honore Dominus Deus noster. 21. Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri ut probarentur, si vere colerent Deum suum. 22. Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. 23. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. 24. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, 25. Exterminati sunt ab exterminatore, et a serpentibus perierunt. 26. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur, 27. Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus. 28. Et dixerunt illi Ozias, et presbyteri: Omnia, quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. 29. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum. 30. Et dixit illis Iudith: Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis: 31. Ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, et orate ut firmum faciat Deus consilium meum. 32. Stabitis vos ad portam nocte ista, et ego exeam cum abra mea: et orate, ut sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel. 33. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, et usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. 34. Et dixit ad eam Ozias princeps Iuda: Vade in pace, et Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et revertentes abierunt.

Vers. 1. IUDITH VIDUA.) Nonnulli censent Iudith esse nomen commune, sicut est abra, sed huic heroinæ appropriatum: יהודי *Jehudi* enim idem est quod Iudæus, unde יהודית *Jehudit*, et per crasin, Iudith, idem est quod Iudæa.

Verius est Iudith esse nomen proprium, cuius etymon apte hic congruit. Iudith enim Hebr. idem est quod confitens, laudans, glorificans, scilicet Deum; הודה *hoda* enim significat confiteri, laudare, celebrare. Ad hoc enim Iudith a turba secessit in suum oratorium, ut Deum assidue oraret et laudaret. Audi S. Fulg. Epist. 2. de statu viduali citantem hæc verba de Iudith: *Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus dives, ætate iuvenis, specie amabilis, divitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiva calcavit, et induta virtute ex alto non quæsivit secundo famulari connubio. Propterea testimonio tam præclari operis apparuit quantum Deo dilecta sit continentia vidualis.*

FILIA MERARI, FILII IDOX.) Nota: Sedecim dumtaxat generationes et totidem avi Iudith hic recensentur, cum tamen a Iacob communi Iudæorum patriarcha usque ad captivitatem Babylonicam, quæ ævum Iudith antecessit, numerentur 26. generationes, Matth. 1. Alterutrum ergo hic dicendum est, scilicet vel non omnes Iudith avos hic recenseri, uti nec recensentur Elcanæ 1. Reg. 1. 1. nec Saulis ibidem cap. 9. v. 1. sufficit enim S. Script. genealogiam alicuius ad virum aliquem illustrem, v. g. in Saule ad Iemini perducere.

Aut certe avos et proavos Iudith in senio generasse filios. Hac enim de causa ab Esdra usque ad Aaron numerantur generationes sedecim, 1. Esdræ c. 7. v. 2. cum tamen 1. Paral. 6. 3. a Iosedec qui fuit coævus, imo frater Esdræ usque ad Aaron numerentur generationes 22. Sic S. Matthæus c. 1. a Christo ad Davidem numerat generationes et avos 28. cum S. Lucas cap. 3. numeret 43. Quare hi Lucæ citius, illi Matthæi tardius generarunt.

FILII SIMEON FILII RUBEN.) Hinc aliqui putant Iudith oriundam ex tribu Ruben. Verum illam prognatam fuisse ex tribu Simeon, liquet ex ipsis eius verbis, c. 9. 2. Quare Græca hic pro *filii Ruben* habent *filii Israel*, id est Iacob, et ita legendum censent S. Fulg. Ep. 2. c. 24. Bellar. lib. 1. de verbo Dei, cap. 12. Serar. Mariana et alii. Quia tamen Codices Romæ correcti, cæterique constanter habent *filii Ruben*, dicendum est hunc Ruben non esse Patriarcham et primogenitum Iacob, sed esse virum illustrem ex tribu Simeon, ad quem proinde genus Iudithæ hic producit, in eoque terminat, non progrediendo ad eius patres et avos usque ad Simeon Patriarcham, et secundum Iacobi filium. Id ita esse liquet ex dictis, et ex eo quod Ruben primogenitus Iacob nullum habuerit filium qui vocatus sit Simeon ut patet Genes. 46. 9. et 1. Paral. 5. v. 3. Ita Lyranus.

VIR EIUS MANASSES.) Græca addunt eum ex eadem cum Iudith fuisse tribu et patria.

INSTABAT.) Græce ἐπεστώς, id est *supra stabat;* unde putant nonnulli Manassen fuisse præfectum messis, non suæ, sed publicæ, sive totius campi Bethuli. Sic enim Romæ et alibi, publici sunt rei frumentariæ et annonæ præfecti. Sic Iosephus in vita sua ait, Arbutio magni campi præfecturam creditam fuisse.

MENSIBUS SEX.) Græca habent *mensibus quatuor.* Vers. 4.

ET IN SUPERIORIBUS DOMUS SUÆ (puta in tabulato, Vers. 5.
sive solario) FECIT SIBI SECRETUM CUBICULUM, IN QUO CUM PUELLIS (ancillis) SUIS CLAUSA MORABATUR.) Tum ut fugeret viros et turbas visitantium, itaque et castitati et famæ suæ consuleret; tum ut tota vacaret orationi et Deo. Hæc ergo prima est Iudithæ viduæ dos; scilicet amor silentii et solitudinis. Hinc S. Hier. Ep. ad Furiam viduam, hoc ei dat monitum: *Iuvenum fuge consortia, noli in publicum procedere, et spadonum exercitu præeunte, viduarum libertate circumferri; sanctarum virginum et viduarum societatem appete. Et si sermocinandi cum viris incubuerit necessitas, arbitros ne devites, tantaque confabulandi fiducia sit, ut intrante alio, nec paveas, nec erubescas. Speculum mentis est facies: et taciti*

oculi cordis fatentur arcana. Et inferius: *Redime virgines quas in cubiculum Regis inducas; suscipe viduas quas inter virginum lilia, et martyrum rosas, quasi quasdam violas, misceas: pro corona spinea, in qua Christus mundi delicta portavit, talia serta compone.*

Vers. 6. Et habens super lumbos suos cilicium.) Carnem assidue suis setis quasi aciculis stimulans et pungens, eoque dolore voluptatis turpis cum sanguine iuvenili ebullientes stimulos comprimens et extinguens. Hos enim magis domat cilicium utpote assiduum et continuum quasi transeuntes flagellorum dolores et verbera. Itaque iuvenes, præsertim fœminæ viduæ obarment se cilicio tamquam præsidio validissimo ad carnem domandam, et castitatem servandam. Vide nostrum Gretserum l. de disciplinis; nam, ut ait S. Hier. Epist. 11. ad Ageruchiam viduam: *Et certe multo laboriosius est non frui eo quod habeas, quam desiderare quod amiseris. Unde et virginitas in eo facilior est, quod carnis incentiva non novit; et viduitas in eo sollicitior est, quod præteritas animo recolit voluptates.* Et anterius exempla castitatis gentilium matronarum, quæ castitatem vitæ prætulerunt, proponens: *Stringam*, inquit, *breviter reginam Charthaginis, quæ magis ardere voluit, quam Hiarbæ regi nubere; et Hasdrubalis uxorem quæ apprehensis utraque manu liberis in subiectum se præcipitavit incendium, ne pudicitiæ damna sentiret; et Lucretiam, quæ, amissa gloria castitatis, noluit pollutæ conscientiæ supervivere.*

Ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata.) Porro ieiunabant Iudæi a mane ad vesperam, nec ante conspectum Hesperi et stellarum cibum sumebant, uti etiamnum ieiunant Turcæ.

Tertia fuit hæc dos Iudithæ, perpetuum scilicet ieiunium, quod incendio luxuriæ fomenta deliciarum, imo ciborum necessariorum subtrahebat. Nota illud:

Subtrahe ligna foco, si vis restinguere flammam.

Audi S. Hieron. epist. 9. ad Salvianum de viduitate servanda: *Tu vero, quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, quæ litam purpurisso et cerussa faciem super feretrum eius lacrymis diluisti, quæ pullam tunicam, nigrosque calceolos, candidæ vestis et aurati socci depositione, sumpsisti; nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in ieiunio. Pallor et sordes gemmæ tuæ sint; plumarum mollities iuvenilia membra non foveat; balnearum calor novum adolescentulæ sanguinem non incendat. Audi quid ex persona viduæ continentis ethnicus Poeta decantet:*

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit; ille habeat secum, servetque sepulcro.

Si tanti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimam margaritam? Si sic communi lege naturæ damnat omnes gentilis vidua voluptates; quid exspectandum est a vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solum ei debet, qui defunctus est, sed et ei cum quo regnatura est? Et inferius: *Multo melius est stomachum te dolere, quam mentem; imperare corpori, quam servire; gressu vacillare, quam pudicitia.* Idem epist. 10. ad viduam Furiam: *Ardentes*, inquit, *diaboli sagittæ ieiuniorum et vigiliarum rigore retorquendæ sunt; cæterum vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est*, 1. Tim. 5. Et inferius: *Apostolus macerat corpus suum, et animæ subiicit imperio; ne quod alii præcipit, ipse non servet: et adolescentula fervente cibis corpore, de castitate secura est? Neque vero hæc dicens, condemno cibos quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione; sed iuvenibus et puellis incentiva aufero voluptatum. Non Æthnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut iuveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ.* Deinde eam exhortans ut vino carneque abstineat, addit: *Nihilque ita scias conducere Christianis adolescentibus, ut esum olerum.* Unde et in alio loco: *Qui infirmus est*, ait, *olera non manducet, ardorque corporum frigidioribus epulis temperandus est.* Et mox: *Quidquid facit seminarium voluptatum, venenum puta. Parcus cibus, et venter semper esuriens triduanis ieiuniis præfertur. Et multo melius est, quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus et nimius imber in præceps arva subvertit. Quando comedis, cogita quod statim tibi orandum, illico et legendum sit.* Et post nonnulla: *O si videres sororem tuam! ieiunia pro ludo habet, orationem pro deliciis.*

Cui vir suus reliquerat divitias multas.) Quas ipsa non ad suum, sed ad egentium usum erogabat. Præclare. S. Bern. serm. in festo omnium Sanct. *Quid*, inquit, *admirabilius, aut quod martyrium gravius, quam inter epulas esurire, inter vestes multas, et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? An non merito coronabitur qui sic certaverit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem?* Vers. 7.

Et erat hæc in omnibus formosissima (hoc est, famæ probatissimæ, sive fama probitatis et sanctitatis celeberrima) quoniam timebat Dominum valde.) Timor hic erat non servilis, sed filialis, quo Iudith Deum quasi Dominum, imo patrem suum summe colebat et reverebatur; ideoque in omnibus illi placere satagebat, cavebatque ne qua in re, licet minima, eum offenderet. Atque hac sanctitate præparavit se ad tantum facinus, ut digna esset quæ eligeretur a Deo ad castra hostium evertenda, et ad liberandum populum. Vers. 8.

Alleg. Iudith fuit typus B. Virginis, de qua S. Bonav. in speculo, cap. 8. *Dominus*, inquit, *nominatissimus et famosissimus famosissime est tecum; ideo et tu es famosissima et nominatissima, etc. Maria ergo signata est per illam famosissimi nominis Iudith, de qua scriptum est quod nec erat qui de ea loqueretur verbum malum.*

Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?) *Tentatis*, id est exacerbatis, irritatis, et ad iram provocatis, dum ei leges præscribitis, ut nisi intra quinque dies vobis succurrat, urbem hostibus tradere velitis, cum potius eum supplici prece invocare debeatis, ut vestri misereatur, et diem modumque liberationis vestræ ipse vobis præscribat. Vers. 11.

Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur.) q. d. Non timeamus minas Holofernis, sed Dei; illius enim minæ superbæ sunt, inanes et vanæ, sicut sunt cæterorum hominum; sed Dei certæ sunt, fixæ et efficaces. Deus enim iratus certo et inevitabiliter irrogat quod comminatur. Vers. 15.

Et ideo humiliemus illi animas nostras.) Per humilem pœnitentiam, ieiunium, orationem, et obsecrationem, ut nobis peccata condonet, et ab Holoferne liberet. Vers. 16.

Ad eloquium vestrum (id est, eloquio vestro) corda eorum erigite.) Ad magnanimitatem et firmam in Deum liberatorem confidentiam Vers. 21.

Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est.) Præsertim cum a Deo iussus immolare unigenitum suum Isaac, eum immolare voluit, Gen. 22. Vide ibi dicta. Vers. 22.

Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.) Fideliter scilicet adhærentes Deo, et ab eo liberationem e tribulatione poscentes, et expectantes. Vide dicta Iacobi 1. 1. et seq. et Eccl. 1. v. 1. et seq. Vers. 23.

Et nos ergo non ulciscamur nos.) Id est, non ulciscentium more indignemur et obmurmuremus Deo, quasi volentes nos de eo ulcisci ob clades et timores quos nobis immittit. Vers. 26.

Et dixit illis Iudith: Sicut quod potui loqui, Dei (hoc est a Deo mihi suggestum et inspiratum) esse cognoscitis: Vers. 30.

Ita quod facere disposui (nimirum astu occidere Holofernem) probate si ex Deo est:) τὸ *si* non est dubitantis, sed affirmantis: idemque est ac *quod*, q. d. Sicut probastis meos sermones quasi ex Deo profectos, Vers. 31.

*

sic etiam probate propositum meum, sic quod ex Deo, sive Deo impellente, agere decrevi, ut scilicet vadam ad Holofernem, eumque occidam. Dicit tamen *si*, quasi dubitans, modestiæ causa, quia res hæc necdum erat facta, sed facienda; esto ipsa de eventu felici ex Dei instinctu foret certa, q. d. *Probate*, id est, videte et attendite id quod actura sum, et ex eventu probate et iudicate, *si ex Deo est*; q. d. Utique cum rem feliciter confectam videbitis, probabitis illud, et ex Deo auctore susceptum iudicabitis. Loquitur in genere, sed particulatim non explicat quid animo destinarit: sciebat enim, si id faceret, rem non mansuram secretam, sed ad Holofernem perferendam. Sciebat pariter multos hoc eius propositum ut temerarium damnaturos. Unde græca habent: *Faciam negotium quod perveniet in generationes generationum filiis generis nostri.*

Vers. 32. Stabitis vos ad portam nocte ista, et ego exeam cum abra mea.) q. d. Aperite mihi noctu portas metu hostium occlusas, ac sinite me cum mea ancilla egredi. Petit enim sibi noctu aperiri portas.

Cum abra mea.) Multi putant τὸ abra esse nomen proprium ancillæ Iudith; sed errant, nam est commune significans ancillam. Unde c. 10. 2. et seq. ubi noster vertit *ancilla*, in Græco est *abra*; ergo dicitur quasi חבר *chabra*, id est socia, vel potius quasi עברה *abra*, id est transiens, pedissequa: עבר *habar* enim significat *transivit*. Ita Pagninus. Porro non fuit hæc vulgaris ancilla Iudith, sed *quæ omnibus eius facultatibus esset præposita*, ut habet Græcus. Hinc Græci ancillas honoratas (quas Itali vocant *Cameriere*) αβρας appellant, ut patet ex Menandro in pseudo-Hercule. Sic Genes. 24. v. 61. ancillæ Rebecca vocantur αβραι æque ac ancilla filiæ Pharaonis Exodi 7. versu 4. Addunt nonnulli abram proprie dici ancillam, quæ commensalis est et amanuensis, præestque cellæ penariæ: hanc enim Spartanis significat αβηρ.

A Vos autem nolo ut scrutemini actum meum.) Utpote a Deo probatum et decretum. Prudenter celat suum secretum; tota enim energia huius actionis consistebat in secreto. Vers. 33.

Et usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat nisi oratio pro me ad Dominum.) Hic disce in publica gravique causa publicas et continuas poscere preces, ut Deus rem dirigat et secundet. Arma ergo Iudith, quibus truncavit Holofernem, fuerunt publicæ litaniæ et preces totius populi. Nota hunc locum pro litaniis. Audi S. Aug. serm. 228. de temp. qui est de Iudith: *Iudith sanctissima, cuius precibus patuit cœlum, orationis arte arma victricia fabricavit, quibus adversa confligeret, et pavescentes viros fœmina vindicaret: squalebat civitas obsidione barbaræ feritatis. Ita enim universa languebant, ut in manibus hostium iam tradi commodius iudicarent, quam perniciosæ famis copulatione vexari. Ecce Iudith post precem et saccum, post cinerem, post cultus puellares redit, spes omnium populorum procedit, sollicitos populos redditura securos, sua sapientia consolatur, quæ promittens victoriam, quam omnis natio miraretur, portam sibi paululum remotis obicibus postulat aperiri. Prodiit secura unius puellæ comitatu contenta, et hostium securis gressibus properavit in castra. Intra muros sollicita fuit, secura fit, dum ad timenda pervenit.* Et sub finem: *Orationis favore castitas proprium pudorem servavit intactum et quietum, decepitque alienum*, etc. *Ubi enim assiduis pulsatur orationibus cœlum, potentia semper calcatur armorum. Quæ gloriose fœminæ castitatem servavit oratio, et hostem servare non potuit multitudo. Lugentem civitatem una fœmina valuit vindicare, et tantus exercitus regem non potuit custodire.* Et serm. 229. *Iudith bellator animus alienum pectus obsedit. Illa, abiecta formidine fœminarum, victoriam in periculis quærens, nec mortem in periculis timuit, nec ambiguitatem formidavit.*

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS

Iudith in cinere et cilicio precatur Deum, ut sibi robur conferat ad Holofernem necandum, ut eius obsidione patriam liberet.

1. Quibus abscedentibus, Iudith ingressa est oratorium suum, et induens se cilicio, posuit cinerem super
caput suum: et prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens: 2. Domine Deus patris mei
Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinqui-
natione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem; 3. Et dedisti mulieres illorum in prædam, et filias
illorum in captivitatem; et omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum: subveni, quæso
te, Domine Deus meus, mihi viduæ. 4. Tu enim fecisti priora, et illa post illa cogitasti: et hoc factum est quod
ipse voluisti. 5. Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, et tua iudicia in tua providentia posuisti. 6. Respice castra
Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post servos tuos armati currebant, con-
fidentes in quadrigis, et in equitatu suo, et in multitudine bellatorum. 7. Sed aspexisti super castra eorum, et te-
nebræ fatigaverunt eos. 8. Tenuit pedes eorum abyssus, et aquæ operuerunt eos. 9. Sic fiant et isti, Domine,
qui confidunt in multitudine sua, et in curribus suis, et in contis, et in scutis, et in sagittis suis, et in lanceis
gloriantur, 10. Et nesciunt, quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, et Dominus nomen est tibi.
11. Erige brachium tuum sicut ab initio, et allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracun-
dia tua, qui promittunt se violare sancta tua, et polluere tabernaculum nominis tui, et deiicere gladio suo cornu
altaris tui. 12. Fac Domine, ut gladio proprio eius superbia amputetur: 13. Capiatur laqueo oculorum suorum in
me, et percuties eum ex labiis charitatis meæ. 14. Da mihi in animo constantiam, ut contemnam illum; et vir-
tutem, ut evertam illum. 15. Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus feminæ deiecerit eum. 16. Non
enim in multitudine est virtus tua, Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio pla-
cuerunt tibi: sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. 17. Deus cælorum, creator aquarum,
et Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem. 18. Memen-
to Domine testamenti tui, et da verbum in ore meo, et in corde meo consilium corrobora, ut domus tua in sancti-
ficatione tua permaneat: 19. Et omnes gentes agnoscant, quia tu es Deus, et non est alius præter te.

Vers. 1. QUIBUS ASCENDENTIBUS (corrige cum Rom. et Græcis *abscedentibus*) IUDITH INGRESSA EST ORATORIUM SUUM; ET INDUENS SE CILICIO.) Græce εγυμνωσεν, quod Complut. et Regiorum interpres vertit: *Exuit quo induta erat saccum*, hoc est cilicium. Sed id contrariatur versioni Latinæ vulgatæ ad verbum. Ergo sic verte cum Vatablo: *Nudavit saccum quo erat induta*, depositis scilicet extimis vestibus, solo manens induta sacco, eumque nudum demonstrans: saccum vocat cilicium. Nudavit ergo coram Deo interius cilicium, ostendens illud Deo quasi signum pœnitentiæ et pœnitentis, supplicisque obsecrationis. Cilicio igitur et cinere ornavit, imo armavit suam deprecationem, cuius rei symbolicam causam dabo v. 14.

PROSTERNENS SE DOMINO.) Græca addunt id factum *vespere, cum thymiama adoleretur Deo in Templo Ierosolymis*, ut significet publicum in templo sacrificium, quod iugiter in vespere offerebatur, hisce Iudithæ precibus cooperatum fuisse, ac Iuditham illi preces suas iunxisse, ut publicam cladem publica supplicatione converteret, utque vis sacrificii demonstraretur, illud scilicet parasse hanc Iudithæ victoriam.

Vers. 2. DOMINE DEUS PATRIS MEI SIMEON (hinc patet Iudith fuisse e tribu Simeon) QUI DEDISTI ILLI GLADIUM, (id est, fortitudinem) IN DEFENSIONEM (Græce εκδικησιν, id est ultionem) ALIENIGENARUM, QUI VIOLATORES EXSTITERUNT.) Dinæ sororis suæ. Nota: Deus dedit fortitudinem Simeoni ad vindicandum Dinæ stuprum, sed non tali modo peragendum, quo ipsi usi sunt. Licet enim ipsi fecerint ex zelo, ut sequitur, tamen zelus iste fuit contra pacta cum Sichimitis inita, et Iacobum cum suis omnibus exposuit periculo, ne a vicinis omnes occiderentur; unde Iacob eos redarguit. Permisit tamen Deus Sichem stupratorem, eiusque subditos Sichimitas a Simeone occidi, eorumque bona diripi in pœnam stupri a Sichem principe eorum commissi. Ita Lyran. vide dicta Genes. 34. Sic Deus obstetricibus mentientibus dedit domos, non propter mendacium, sed propter affectum et beneficium Hebræorum infantibus, quos a morte servabant, impensum Exodi 1. Laudat ergo Iudith zelum Simeonis in vindicando stupro Dinæ, sed non laudat modum vindicandi, quod scilicet propria auctoritate occiderit Sichimitas per dolum.

Vers. 4. ET ILLA POST ILLA (id est, alia post alia tuæ vindictæ exempla) COGITASTI.) Scilicet facere. Sternit enim Iudith viam ad commemorandam vindictam de Pharaone sumptam a Deo in mari Rubro.

Vers. 9. ET IN CONTIS.) Conti sunt lanceæ, et hastæ oblongæ, venabula, etc.

Vers. 11. CORNU ALTARIS TUI.) Vere altare habebat cornua, sed per illa significabatur altaris et sacrificiorum in ea oblatorum maiestas, robur et gloria.

Vers. 13. ET PERCUTIES EUM EX LABIIS CHARITATIS MEÆ.) Id
A est, feries Holofernem verbis meis elegantibus *charitatis*, id est amoribus illicibus; charitas enim hic, non divina, sed humana intelligitur per catachresin; amoris, inquam, casti, quo me ut coniugem amare et ambire potest. Licet enim Iudith nollet Holofernem maritum, licite tamen poterat eum ad sui amorem castum et coniugalem illicere, ut sic haberet occasionem eum incautum astute occidendi. Esto enim Holofernes in turpem et fornicarium eius amorem rapiendus foret, id tamen non intendit Judith: sed permisit dumtaxat ad tegendum suum facinus, quo eum cædi destinabat, quod alia ratione peragere non poterat. Intendebat ergo Holofernem sua specie allicere ad amorem honestum et coniugalem, ut sic sui amantem et incautum occideret. Factum enim hoc Iudith, cui Deus singulariter operatus est occidendo Holofernem, et Iudæam liberando, potius excusandum, ac charitati in patriam, et peculiari Dei instinctui ascribendum est, quam de libidine, vel scandalo accusandum, uti excusat S. Scrip. Patres, et Interpretes, ac præsertim S. Ambrosius lib.
B de viduis.

DA MIHI IN ANIMO CONSTANTIAM.) Nota: Omnis virtus, sed maxime constantia petenda est a Deo, tum præsertim infirmis et debilibus, uti sunt fœminæ, pueri, senes, ægri, cum aggrediuntur quid heroicum vires naturæ exsuperans, quale erat hoc opus Iudith; idque tum quia homo ex peccato factus est totus fragilis et inconstans, tum quia Deus ait: *Ego sum qui sum*, id est, per essentiam constans, fons et auctor omnis essentiæ. Sed adverte Iudith eam petere indutam cilicio et cinere aspersam, ac prostratam in terra, versu 1. quia oratio, ut constantiam obtineat, debet armari pœnitentia, labore et mortificatione carnis; qui enim mollis est, et deliciis carnis indulget, nequit esse fortis et constans. Cinis signum est mortis, quia constantiam valde excitat memoria mortis, brevitasque vitæ et laboris ac doloris in ea subeundi. Denique prostratio signum est humilitatis, qua quis agnoscens suam fragilitatem, implorat Dei opem, ab eo-
C que constantiam impetrat. Vers. 14.

NON ENIM IN MULTITUDINE EST VIRTUS TUA.) Ut per Vers. 16.
multos validosque milites victoriam pares, sed per solam fœminam imbecillem, et imbellem rem totam conficies. Sic Artabanus Xerxi in tot copiis suis exultanti aiebat: *Ingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties Deus iis, quos detestatur, aut metum aut tonitruum incutit.* Uti refert Heliodor. lib. 7.

PRÆSUMENTEM.) Id est, valde confidentem. Vide dicta Vers. 17.
cap. 6. 15.

MEMENTO, DOMINE, TESTAMENTI TUI.) Id est, pacti Vers. 18.
cum Hebræis per Mosen, Davidem, aliosque Principes initi.

UT DOMUS TUA (templum tuum) IN SANCTIFICATIONE TUA, id est, in sancta tui religione et cultu, quo vere sanctificatur, PERMANEAT.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudith se ornat, ac ornata pergit ad Holofernem; comprehenditur ab exploratoribus, et ad eum ducitur, qui eius forma capitur.

1. FACTUM est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo iacuerat prostrata ad Dominum: 2. Vocavitque abram suam, et descendens in domum suam, abstulit a se cilicium, et exuit se vestimentis viduitatis suæ, 3. Et lavit corpus suum, et unxit se myro optimo, et discriminavit crinem capitis sui, et imposuit mitram super caput suum, et induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, et lilia, et inaures, et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se. 4. Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute

pendebat: et ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. 5. Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini, et vas olei, et polentam, et palathas, et panes, et caseum, et profecta est. 6. Cumque venissent ad portam civitatis, invenerunt expectantem Oziam et presbyteros civitatis. 7. Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem eius. 8. Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire, dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, et omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, ut glorietur super te Ierusalem, et sit nomen tuum in numero sanctorum et iustorum. 9. Et dixerunt hi qui illic erant, omnes una voce: Fiat, fiat. 10. Iudith vero orans Dominum, transivit per portas ipsa, et abra eius. 11. Factum est autem, cum descenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, et tenuerunt eam, dicentes: Unde venis? aut quo vadis? 12. Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideo ego fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi, quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt ultra tradere seipsos, ut invenirent misericordiam in conspectu vestro. 13. Hac de causa cogitavi mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi secreta illorum, et ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita ut non cadat vir unus de exercitu eius. 14. Et cum audissent viri illi verba eius, considerabant faciem eius, et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. 15. Et dixerunt ad eam: Conservasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum. 16. Hoc autem scias, quoniam cum steteris in conspectu eius, bene tibi faciet, et eris gratissima in corde eius. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam. 17. Cumque intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes. 18. Dixeruntque ad eum satellites eius: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus? 19. Videns itaque Iudith Holofernem sedentem in conopæo, quod erat ex purpura, et auro, et smaragdo, et lapidibus pretiosis intextum: 20. Et cum in faciem eius intendisset, adoravit eum, prosternens se super terram. Et elevaverunt eam servi Holofernis, iubente domino suo.

Vers. 2. ABRAM (id est, ancillam) SUAM, ut dixi capite octavo, et cap. 9. in fine.

Vers. 3. UNXIT SE MYRO (perperam aliqui legunt myrto,) id est, unguento (hoc enim Græcis est μύρον) OPTIMO.) Ut miram ex se fragrantiam spargeret, illaque feriret nares Holofernis, æque ac forma oculos, et verbis speciosis aures eiusdem. Audi S. August. vel potius S. Ambr. huius enim stylum redolet, uti adverterunt Doctores Parisienses, serm. 229. de Temp. qui est de Iudith: *Gentis suæ vindex sumpsit ornamentorum arma non de bello nuptias subitura; sed de civitate bellatrix processit sponsa, nec fuit levitas ornatus, qui ad homicidium tanti capitis aptabatur. Pergit divino spiritu ducta, et singulari ancillæ solatio contenta. Species custodit quæ blanditur, et ne violenter pudicitia custodita lædatur, Holofernem alloquitur, ut desiderium inane concipiatur,* copulæ, scilicet matrimonii, quod Iudith in mente concipiebat, quodque ipsa facile sua specie et blandiloquentia persuasisset Holoferni, si ad id conniti voluisset.

ET IMPOSUIT MITRAM SUPER CAPUT SUUM.) Mitra est fascia byssina gemmis et bracteolis aureis, tremulisque collucens. Hoc enim significat רעלה *reala*, ut dixi Isaiæ 3.

Alludit *mitra* ad *mithra*, quæ vox Persice solem significat; sol enim purissimis et fulgentibus radiis suis quasi mitra coronatur. Virgines pariter et casti, ut Iudith, sunt quasi soles quidam mithrati fulgoribus suæ castitatis circumcirca radiantes.

ET LILIA.) Id est, armillas specie et forma liliorum. Græce est ψέλλια, id est armillas, brachialia, scilicet ornamenta manuum et brachiorum.

Vers. 4. CUI ETIAM DOMINUS CONTULIT SPLENDOREM.) Tum efficiendo ut ornatus eius pulchrior et splendidior hominibus appareret, tum revera lucem et fulgorem quemdam cælestem vultui eius afflando, qualem afflavit Moysi, Exodi 34. v. 29. ac S. Antonio, S. Ignatio, aliisque eximiis Sanctis, quibus radios lucis aspiravit, ut in facie sanctitas eorum resplenderet. Vide hic novam pugnandi artem, qua Iudith se ornando suam castitatem et suorum civium vitam defendit; nam aliæ virgines suam pudicitiam tueri solent sese deturpando. Anno Domini 870. cum Dani invadentes Angliam accederent ad monasterium Collinghammense, Ebba Abbatissa, ut suam suarumque castitatem tueretur, sibi nasum et labrum superius præcidit, suisque ut idem facerent, suasit. Quare irruentes Dani monasterium cum virginibus concremaverunt. Ita refert Matthæus Westmonasteriensis in annalibus, anno iam dicto. Nimirum de instinctu secutæ sunt dictum et factum S. Pelagiæ virginis, quæ simili necessitate constricta, ne virginitatis dispendium pateretur: *Moriamur*, inquit, *vel si nolint, moriamur. Deus remedio non offenditur, et facinus fides abluit;* itaque se e tecto præcipitavit, ut refert sanctus Ambrosius lib. 3. virgin. et sanctus Chrysostomus hom. de eius laudibus.

QUONIAM OMNIS ISTA COMPOSITIO NON EX LIBIDINE, SED EX VIRTUTE PENDEBAT.) Quia ex zelo liberandi patriam ab exitio et excidio tyranni proficiscebatur. Audi S. Ambr. libr. de viduis: *Et bene coniugales pugnatura resumpsit ornatus, quia monimenta coniugii, arma sunt castitatis. Neque enim vidua aliis aut placere posset aut vincere. Quid cætera persequamur, quod inter tot millia hostium casta permansit? Quid eius sapientiam prædicamus, quod huiuscemodi est commenta consilium, ut, dum potentem elicit intemperantia, a se inferiores arceret, occasionem pararet victoriæ, abstinentiæ meritum, pudicitiæ gratiam reservaret?*

IMPOSUIT ITAQUE ABRÆ (ancillæ) SUÆ ASCOPERAM VINI.) Vers. 5. Id est, utrem vini. Ascopera enim est vox Græca conflata ex ασκος, id est uter, follis et πηρα id est pera, sacculus, ac significat marsupium, sive sacculum, in quo viatores suas vestes, annonam, aliaque utensilia reponunt, secumque portant. Suidas hac voce utitur, et Svetonius in Nerone, dicens: *Alterius collo est ascopera deligata, simulque titulus. Ego quid potui? sed tu culeum meruisti.* Alii legunt ασκοπα, vel ασκωπυτινη, id est uter vini.

ET POLENTAM.) Polenta est farina hordeacea, puta hordeum madefactum, mox siccatum, et tostum, ac mola in farinam comminutum, de quo dixi 1. Regum cap. 17.

ET PALATHAS.) Hoc est, massas caryearum, seu ficuum aridarum, de quibus Plinius lib. 13. cap. 6. Male nonnulli, pro *palathas*, per metathesin legunt *lapathas*.

Porro hanc annonam detulit secum Iudith, ne cibis Holofernis vesci cogeretur. Adeo enim Iudæi religiosiores abhorrebant a consortio gentilium, ut nec cibos eorum comedere sustinerent, præsertim quia Gentiles sæpe cibos suos idolis suis offerebant, ut fierent idolothyta, de quibus dixi 1. Cor. 8. Sic Daniel cum sociis cap. 1. 8. noluit cibis regiis vesci, sed leguminibus victitavit.

IDEO EGO FUGI A FACIE EORUM.) Vers. 12. Multi censent Iudith hic et in seq. mentiri; sed officiose ad liberandum suum populum, at non peccasse, quia putabat tali casu in tanta necessitate mentiri esse licitum, imo honestum et pium, uti putavit Plato, imo Orig. Cassianus, aliique Patres, quos citavi Exod. 1. Ita Lyran. Abulensis, Mariana, Emmanuel Sa, et S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. ad 3.

Verum Iudith a mendacio excusant Rabanus, Glossa, Hugo, Dion. Serarius, Salianus, Sanchez, S. Aug. libr. de mendacio, quia Deus eam in toto hoc opere dirigebat, et a peccato conservabat, uti ipsa ait cap. 12. vers. 16. Celat ergo Iudith veritatem et ambigue loquitur Assyriis hostibus suis iniuste se invadentibus, ut eos perdat, at non mentitur. Ait igitur, *fugi*, id est *celeriter abscessi*: fugere enim sæpe idem est, quod celeriter abire, ac se ab aliquo abripere, *a facie eorum*: aut *fugi*, id est schema et speciem fugientis, sive transfugæ assumpsi, ac quasi fugitiva noctu in manus vestras incurri, meque vobis dedo. Ita Serarius, Sanchez, Salianus et alii.

Quoniam futurum agnovi quod dentur vobis in deprædationem.) Ita enim revera futurum erat, si humanam rationem et providentiam spectes; nec enim humanitus, humanisque viribus Hebræi poterant Assyriis resistere; sed Iudith, altiori nixa consilio et oraculo, sciebat id non futurum, nisi per cælestem Dei providentiam et correctionem.

Vers. 13. Vadam ad faciem principis Holofernis, ut dicam illi secreta eorum.) Nimirum cives obsessos laborare extrema siti et fame, ideoque murmurare contra suos principes, eosque urgere, ut se dedant Holoferni, etc. Verum dicit: attamen hic finis non erat ultimus, sed mediatus. Hoc enim cogitabat devincire sibi Holofernem, ut sibi devinctum et securum data occasione trucidaret. Nam, ut recte advertit Salianus, notandum hic est, in bello iusto, quale fuit Iudæorum contra Assyrios, non solum apertam vim, sed etiam occultam, et tectam, licitam et iustam esse; et eos recte in fraudem induci posse, quos in mortem licet inducere. Dolus et stratagema natura sua indifferens est, et ex fine ad quem refertur, malitiam accipit, aut bonitatem. Cum ergo Iudithæ finis bonus sit, erit ipse dolus etiam laudabilis; idemque de ornatu et cultu corporis eius existimandum est.

Vers. 14. Et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis.) Tota ergo mentis eorum detentio abripiebatur, et absorbebatur in contuenda et admiranda eximia eius pulchritudine, adeo ut aliud videre vel cogitare non possent. Hoc sciebat Iudith, ideoque tantum ornatum assumpsit, ut oculos mentesque eorum caperet, captasque falleret, et Holofernem trucidaret, itaque eius castra dissiparet.

Audi S. Augustin. (vel potius S. Ambros. aut certe Maximum; multi enim sermones S. Ambr. ad verbum inveniuntur in Maximo Taurinensi Episcopo; nam utriusque stylus persimilis est) serm. 228. de Temp. qui est de Iudith: *In qua fœminæ insidiosæ pulchritudinis novitatem hostilis exercitus vehementer expavit, ut in eius obsequio vires amitterent, arma proiicerent, et colla curvarent. Deducitur ad prætorium subiectis ordinibus fraus Holofernis, et lugentis victoria civitatis.*

Moraliter disce hic quam fœminarum aspectus periculosus sit et perniciosus: cuius rei exempla sunt Samson, David, Salomon, et mille alii. Vere Eccl. c. 42. 14. *Melior*, inquit, *est iniquitas viri, quam mulier benefaciens, et mulier confundens in opprobrium.* Vide ibi dicta.

Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis.) Græca addunt: *cum ancilla sua iunctoque curru et centum virorum præsidio.* Et mox: *Et exivit* (Holofernes) *in proscenium*; id est, in tentorii vestibulum, *et lampades argenteæ præcedebant eum*; tum quia erat nox, puta crepusculum auroræ, ut patet v. 11. tum quia ignis præferri solebat regibus et principibus Assyriorum, ut dixi Ieremiæ 1. versu 13. Vers. 16.

Statim captus est in suis oculis Holofernes.) Audi S. August. serm. 278. iam citato: *Quam cum videret Holofernes, solutus est sensibus, animam cum capite perditurus. Iacuit enim dedecus iuvenum mulieris vultu captivus: licuit mulieri exarmare iuvenes, et debellare victores; sollicitam defendere civitatem, et barbarum subvertere bellatorem. Decepit sincera corruptum, fefellit casta pollutum, pudica perimit adulterum, sobria iugulat ebriosum. Illa enim tam barbaros animos insidiosi sui vultus fraude confuderat, ut eum ligaret multarum arte fabularum, ut redderet inter exercitus victum, et inter arma captivum.* Et paulo inferius: *Quamvis ille bellator armorum tam castissimæ fœminæ male sanus attenderet vultum; illa tamen, quare venerat, de eius capite cogitabat, quo sublato defectis civibus subveniret, et multa capita tueretur, defenderet, vindicaret.* Vers. 17.

Ut non pro his merito contra eos pugnare debeamus.) Græca addunt: *Quoniam non est bonum remanere ex eis virum unum, qui dimissi poterunt decipere omnem terram*, per tam speciosas fœminas, qualis est Iudith. Ecce verum dicunt, sed inscii; ipsimet enim decepti, ab Hebræis per Iudith cæsi fugatique fuere. Vers. 18.

Sedentem in conopeo.) Ita vocatur cortina sursum in conum acutum desinens, et inferius in rotundum expansa ad arcendum culices. Ita Lyran. κώνωψ enim est culex, talesque cortinæ lectis castrensibus et portatilibus circumdari solent. Unde Græca habent Holofernem sedisse *super lectum suum in conopeo.* Itali et Galli vocant *Padiglione.* Vers. 19.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudith causam adventus sui Holoferni enunciat, et victoriam pollicetur. Assyrii eam laudant a forma, et sapientia. Holofernes ingentia ei præmia promittit.

1. Tunc Holofernes dixit ei: Æquo animo esto, et noli pavere in corde tuo: quoniam ego nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosor regi. 2. Populus autem tuus, si non contempsisset me, non levassem lanceam meam super eum. 3. Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, et placuit tibi ut venires ad nos? 4. Et dixit illi Iudith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum. 5. Vivit enim Nabuchodonosor rex terræ, et vivit virtus eius, quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines serviunt illi per te, sed et bestiæ agri obtemperant illi. 6. Nuntiatur enim animi tui industria universis gentibus, et indicatum est omni sæculo, quoniam tu solus bonus et potens es in omni regno eius, et disciplina tua omnibus provinciis prædicatur. 7. Nec hoc latet, quod locutus est Achior: nec illud ignoratur, quod ei iusseris evenire. 8. Constat enim, Deum nostrum sic peccatis offensum, ut mandaverit per Prophetas suos ad populum, quod tradat eum pro peccatis suis. 9. Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filii Israel, tremor tuus super ipsos est. 10. Insuper etiam fames invasit eos, et ab ariditate aquæ iam inter mortuos computantur. 11. Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, et bi-

bant sanguinem eorum : 12. Et sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino et oleo, hæc cogitaverunt impendere, et volunt consumere quæ nec manibus deberent contingere : ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur. 13. Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, et misit me Dominus hæc ipsa nuntiare tibi. 14. Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te : et exiet ancilla tua, et orabo Deum. 15. Et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, et veniens nuntiabo tibi, ita ut ego adducam te per mediam Ierusalem, et habebis omnem populum Israel, sicut oves, quibus non est pastor, et non latrabit vel unus canis contra te*:* 16. Quoniam hæc mihi dicta sunt per providentiam Dei. 17. Et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nuntiare tibi. 18. Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, et coram pueris eius, et mirabantur sapientiam eius, et dicebant alter ad alterum : 19. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. 20. Et dixit ad illam Holofernes*:* Benefecit Deus, qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris : 21. Et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit et Deus meus, et tu in domo Nabuchodonosor magna eris, et nomen tuum nominabitur in universa terra.

Vers. 1. TUNC HOLOFERNES DIXIT EI: ÆQUO ANIMO ESTO.) Animadvertit Holofernes Iuditham timentem et paventem, tum quod fœmina solitudini assueta inter tot millia virorum armatorum et hostium consisteret, tum quod conscientia tanti facinoris eius animum metu pulsabat, ne forte non succederet, sed res proderetur, et ipsa capitis periculum adiret. Esto enim, Deo illam animante, spiritus eius esset intrepidus; caro tamen erat infirma, ac partem mentis inferiorem infirmabat. Ecquid mirum? cum Christus fortissimus passionem aggressurus de se dixerit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, Matth. 26. 41.

NUMQUAM NOCUI VIRO.) Multo minus mulieri. Mentitur : nam, ut dictum est c. 3. civitates eorum qui se illi in servos offerebant, destruxit, lucosque excidit.

Vers. 4. PERFECTAM REM FACIET DOMINUS TECUM.) Scilicet perfectam Deus dabit victoriam, non tibi, ut tu putas, o Holofernes, sed mihi et Iudæis de te. Est stratagema bellicum, quo Iudith Holofernem ambiguitate verborum ludit et illudit, itaque in fraudem et laqueum necis inducit. Nam, ut ait Poeta : *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Sic Apollo Delphicus illusit Pyrrho eum de victoria contra Romanos consulenti, dicens:

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Quod perperam sibi applicuit Pyrrhus, quasi ipse Romanos esset victurus, cum Apollo intelligeret de Romanis, quod ipsi vincerent Pyrrhum, uti re ipsa vicerunt.

Vers. 5 VIVIT ENIM NABUCHODONOSOR REX TERRÆ, ET VIVIT VIRTUS (robur, fortitudo) EIUS.) Iurat Iudith per vitam et virtutem Nabuchodonosoris, sicut Ioseph iurat per salutem Pharaonis, Gen. 42. 15.

SED ET BESTIÆ AGRI (puta equi, cameli, boves, asini, oves, etc.) OBTEMPERANT EI.)

Vers. 6 INDICATUM EST OMNI SÆCULO.) Præsenti, id est toti mundo. Ita Græca.

QUONIAM TU SOLUS BONUS.) Benignus et beneficus, iuxta illud Christi, Lucæ 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici* (Principes) *vocantur.* Hinc Præsidum epitheton erat optimus, ut optime Felix, optime Feste. Vide dicta Actor. 24. 3.

Sensus ergo est, q. d. Tu solus es verus, magnusque princeps in regno Nabuchodonosoris, utpote benignus et liberalis æque ac potens, ideoque Nabuchodonosor sua omnia tibi commisit. Aliqui *bonus* exponunt *fortis.*

Vers. 8 UT MANDAVERIT PER PROPHETAS SUOS.) Misit enim Deus Eliam, Eliseum, Isaiam, Osee, Ieremiam, cæterosque Prophetas, qui Israelis idola et scelera castigarent, eisque excidium per Assyrios, Chaldæos, aliosque hostes comminarentur et prædicerent.

Vers. 10. FAMES INVASIT EOS.) Quia ubi laboratur siti, ibi et fame; cibus enim sine potu a sitienti humectari et comedi nequit.

Vers. 11. ET BIBANT SANGUINEM EORUM.) Pro aqua, qua carent ad restinguendam extremam sitim; sanguinis autem esus et potus erat Iudæis a Deo vetitus sub pœna mortis, ut patet Levit. 17.

Vers. 12. ET SANCTA DOMINI, (ea quæ Deo sanctificata, id est, dicata et consecrata sunt) HÆC COGITAVERUNT IMPENDERE.) Ad extremam sitim famemque suam levandam.

ERGO QUONIAM HÆC FACIUNT, CERTUM EST QUOD IN PERDITIONEM DABUNTUR.) Certum est, si causas naturales et cursum rerum ordinarium spectes: fames enim et sitis cogent eos ad interitum. Idem facient peccata eorum, quibus iram et vindictam Dei meruerunt, nisi quis sanctus iram Dei mitiget, uti ego eam meis precibus me mitigaturam spero.

Vers. 13. MISIT ME DOMINUS HÆC IPSA NUNTIARE TIBI.) Miserat enim Deus Iudith ad Holofernem, ut hæc ei nuntiando gratiam eius sibi conciliaret, qua habita eum incaute per pium dolum occideret.

Vers. 14. et 15. ET ORABO DEUM, ET DICET MIHI QUANDO EIS REDDAT PECCATUM SUUM, ET VENIENS ANNUNTIABO TIBI, ITA UT EGO ADDUCAM TE PER MEDIAM IERUSALEM, ET HABEBIS OMNEM POPULUM ISRAEL, SICUT OVES, QUIBUS NON EST PASTOR, ET NON LATRABIT VEL UNUS CANIS CONTRA TE.) Multi censent Iudith hic non posse excusari a mendaciis. Verum excuso eam duplici modo et titulo. Prior est, quod ipsa loquitur secundum causas naturales, et communem naturæ cursum, quo Iudæis ad extrema redactis, et in offensa, iraque Dei constitutis, necessario erat pereundum, nisi Deus supernaturali vel extraordinario quodam modo eis succurreret. Sic Eliseus Hazaeli roganti de salute Benadad regis ægrotantis, respondit eum sanandum, sed tamen moriturum; quia scilicet quantum erat ex vi morbi, is non erat lethalis; quare ex eo sanandus erat, sed tamen moriturus, quia suffocandus ab Hazaele, 4. Reg. 8. 10.

Sic hic Iudith asserit ab Holoferne perdendos Hebræos ob peccata sua, quia humanis viribus eius manus evadere non poterant; erant tamen evasuri per preces Iudith et sacerdotum, quibus opem Dei cælestem poscebant et impetrabant.

Sensus ergo est, q. d. Hebræi, si causas naturales spectes, plane sunt perdendi, et a te subiugandi ob peccata sua. Quare ergo orabo Deum pro hoc negotio, et si quidem velit omnino eos perdere, idque, ut solet, indicet mihi, velitque ut idipsum tibi edicam, uti videtur futurum, si communem providentiæ Dei cursum spectes; ego idipsum ex mente Dei annuntiabo tibi, ita ut adducam te per mediam Ierusalem, totumque populum tibi subiiciam. Deo enim ita volenti et ordinanti me omnino parere oportet, etiam cum damno et interitu populi mei; si enim ipse me velit quasi virga uti ad castigandum eum, ego ut virga ei in hac castigatione subservire debeo et volo. Simili enim modo castigavit Deus Roboam et Iudæos, creando per Ahiam Prophetam regem Ieroboam, eique tradendo regnum decem tribuum Israel. Sic Deus per Isaiam c. 45. evocavit Cyrum ad castiganda crimina multarum gentium. Sic per Ieremiam evocavit Nabuchodonosor et Chaldæos ad excidium Ierusalem; quod proinde Ieremias crebro et assidue Iudæis comminatus est, adeoque suasit ut Nabuchodonosori obsidenti se dederent: ipsos enim eius manus evadere non posse,

eo quod hæc sit iusta Dei voluntas et scelerum castigatio. Unde Nabuchodonosor, resciens hæc Ieremiæ oracula, Ierusalem per 14. menses obsedit, donec eam caperet; qua capta, iussit Ieremiam benigne haberi, et ob hæc sua de se oracula, libertate donari, ut patet Ierem. 39. 11. imo Abulensis in lib. 4. Reg. 24. quæst. 7. et Isaiæ c. 5. v. 25. et c. 105. probabile esse censet Nabuchodonosorem, Salmanasarem, et similes ex Dei revelatione et iussu subiugasse Iudæos, qua de re plura dixi Proœmio in Isaiam can. 36. et 37. Sic S. Lupus, Attilam Hunnorum regem Trecensem urbem (cuius ipse erat Episcopus) obsidentem rogans quid esset et quid vellet, audiensque: *Ego sum Attila Rex Hunnorum flagellum Dei: veni ergo*, inquit, *Dei mei flagellum, illoque utere, ut Deus tibi concedit;* itaque eum per mediam urbem deduxit, sed quasi oculis et mente captum, ut nulli incolarum noceret, uti ex vita S. Lupi, aliisque recenset Baron. tom. 6. anno Christi 451. Idem ergo Iudith facere poterat Holoferni, imo debebat, si id ei Deus iussisset. Sed sciebat Iudith Deum hoc sibi non iussurum, imo contrarium facturum, ut per hanc simulationem proderet Holofernem. Verum hoc ipsa ei indicare non voluit, nec debuit.

Posterior modus excusandi Iudith a mendacio est, dicendo quod ipsa ambiguis verbis usa sit, quæ sibi Holofernes attribuebat, cum ea Iudith sibi et Iudæis ascribebat. Ait ergo: ORABO DEUM, ET DICET MIHI QUANDO EIS REDDAT PECCATUM SUUM,) si nimirum eos pro meritis, ut videtur, punire decreverit. Scio autem ex Dei revelatione, quod hoc tempore eos non puniet; sed hoc nunc mihi silendum est, nec tibi indicare queo, mox tamen veniens nuntiabo tibi Dei voluntatem et decretum de differenda castigatione peccati Iudæorum, et accelerando castigatione tuæ tyrannidis, Iudæos iniuste invadentis; hoc enim nuntiabo tibi non verbo, sed facto, cum tibi lethale vulnus infligam, ait S. August. ET ADDUCAM TE, non vincentem et triumphantem, uti tu putas, sed victum, occisum et triumphatum, cum caput tuum truncatum adducam in Bethuliam, indeque PER MEDIAM IERUSALEM, cæteramque Iudæam victrix cum triumpho ad commune Iudæorum gaudium circumducam.

ET HABEBIS OMNEM POPULUM ISRAELIS, SICUT OVES QUIBUS NON EST PASTOR.) Cum te occiso Bethulienses nullo servato ordine, sine pastore et duce erumpent, ut Assyrios persequantur ac castra diripiant. Quare TUNC NON LATRABIT VEL UNUS CANIS CONTRA TE, quia canes non allatrant mortuos (qualis tu eris) sed vivos. Sic ergo verba Iudith partim ironice, partim amphibologice, partim prophetice accepta, carent mendacio, verumque habent sensum. Ita Serarius, Sanchez, Salianus et alii.

Sic Agathocles Syracusas obsidens, comminans obsessis se postridie in urbe cœnaturum, verus, sed contra mentem suam fuit vates; nam erumpentibus civibus in urbem inductus, in ea cœnavit non ut victor, sed ut victus et captivus. Hoc est quod ait S. August. serm. 229. de Temp. qui est de Iudith: *Non decuit pudicam mentiri; non intelligentibus dixit, actibus fecit quod promisit.*

Vers. 16. QUONIAM HÆC MIHI DICTA SUNT PER PROVIDENTIAM DEI.) Hæc ergo rexit et direxit Iudith, ut diceret et faceret omnia quæ dixit et fecit. Quare ipsa non est mentita: Deus enim mentiri nequit.

Vers. 19. NON EST TALIS MULIER SUPER TERRAM.) Audi S. August. serm. 229. iam citato: *Dum regi alto sermone imaginariis verbis blanditur bellator, animus lascivia solvitur in amore armorum, torpent vires innumerabiles militum luxu regifico, nuptiarum pompa nullo nubente construitur, cuncti ebrietate solvuntur. Non delicata matrona pugnavit, sed sopor tibi, quem ferias præparavit.*

Vers. 21. SI FECERIT MIHI HOC DEUS TUUS (ut mihi subiuget Ierusalem et Iudæos) ERIT ET DEUS MEUS.) q. d. Fiam proselytus et Iudæus, colamque Deum verum Israelis. Ecce quam potens et efficax fuit peroratio Iudith coram Holoferne.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Holofernes sinit Iudith per quatriduum vacare sibi, orationi, et ieiunio, ac noctu egredi quoties velit: tandem quarto vespere Holofernes cum Iudith convivatur, ac eius amore se inebriat.

1. TUNC iussit eam introire ubi repositi erant thesauri eius, et iussit illic manere eam, et constituit quid
daretur illi de convivio suo. 2. Cui respondit Iudith, et dixit: Nunc non potero manducare ex his,
quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio: ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo. 3.
Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi ista, quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi? 4. Et dixit Iudith: Vivit anima tua domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc quæ
cogitavi. Et induxerunt illam servi eius in tabernaculum, quod præceperat. 5. Et petiit dum introiret, ut daretur
ei copia nocte et ante lucem egrediendi foras ad orationem, et deprecandi Dominum. 6. Et præcepit cubiculariis suis, ut sicut placeret illi, exiret et introiret ad adorandum Deum suum, per triduum: 7. Et exibat noctibus
in vallem Bethuliæ, et baptizabat se in fonte aquæ. 8. Et ut ascendebat, orabat Dominum Deum Israel, ut dirigeret viam eius ad liberationem populi sui. 9. Et introiens, munda manebat in tabernaculo, usque dum acciperet escam suam in vespere. 10. Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cænam servis suis, et dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, et suade Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum: 11. Fœdum est enim apud Assyrios, si fœmina irrideat virum, agendo ut immunis ab eo transeat. 12. Tunc introivit Vagao ad Iudith, et dixit: Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem eius, ut manducet cum eo, et bibat vinum in iucunditate. 13. Cui Iudith respondit: Quæ ego sum, ut contradicam domino meo?
14. Omne quod erit ante oculos eius bonum et optimum faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. 15. Et surrexit, et ornavit se vestimento suo, et ingressa stetit ante faciem eius.
16. Cor autem Holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia eius. 17. Et dixit ad eam Holofernes:
Bibe nunc, et accumbe in iucunditate, quoniam invenisti gratiam coram me. 18 Et dixit Iudith: Bibam domine,
quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis. 19. Et accepit, et manducavit, et bibit coram
ipso, ea quæ paraverat illi ancilla eius. 20. Et iucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis,
quantum nunquam biberat in vita sua.

Vers. 2. NE VENIAT SUPER ME OFFENSIO.) Græce *scandalum*, q. d. Ne, si comedam cibos Gentilium Iudæis vetitos, Deum offendam; itaque pœnam acquiram et scandalum, id est, tragulam et impedimentum, ut Deus per me non efficiat id quod ad commune bonum facere decrevit.

Vers. 5. ET PETIIT, DUM INTROIRET, UT DARETUR EI COPIA NOCTE, ET ANTE LUCEM (quando vellet) EGREDIENDI FORAS AD ORATIONEM.) Petiit id Iudith, tum ut oratione et ieiunio præpararet et armaret se ad heroicam fortitudinem aggrediendi tantum facinus, quod mente destinarat: tum ut animos, modosque, et rationes illud exsequendi a Deo hauriret; tum denique ut peracto facinore libere sibi daretur regressus in Bethuliam, eo quod custodes cogitarent eam, more solito egredi ad orationem.

Vers. 7. ET BAPTIZABAT SE (abluebat manus et pedes) IN FONTE AQUÆ.) Mos erat Iudæis ante orationem abluere manus, pedes, et quandoque totum corpus, tum ut puro corpore et animo ad Deum accederent; puritas enim corporis admonebat eos puritatis animi. Idem faciebant olim Christiani, ut dixi 1. Tim. 2. 8. ad illa: *Levantes puras manus;* tum, ut si quid immundi tetigissent et irregularitatem legalem contraxissent, ab illa se per lotionem expiarent.

Porro fons hic iuxta Bethuliam etiamnum exstat, et a peregrinis visitur, teste Adrichomio in Bethulia.

Vers. 9. USQUE DUM ACCIPERET ESCAM SUAM IN VESPERE.) Ieiunabat ergo Iudith a mane in vesperam; vespere sumebat cibum, ac post eum noctu egrediebatur ad orationem in ea pernoctans. His armis se ad heroicum suum opus obarmavit. Audi S. Ambros. lib. de viduis: « Quid sobrietatem loquar? Temperantia enim virtus est fœminarum. Inebriatis vino viris, et somno sepultis abstulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abscidit caput, per medias hostium acies intemerata processit. Advertitis igitur quantum mulieribus nocere possit ebrietas, quando viros vina sic solvunt, ut vincantur a fœminis? Esto igitur vidua temperans; casta primum a vino, ut casta possis esse ab adultero: nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Iudith bibisset, dormisset cum adultero. Sed quia non bibit, haud difficile ebrios exercitus unius sobrietas, et vincere potuit et eludere. »

Vers. 10. DIXIT AD VAGAO EUNUCHUM SUUM.) Vagao sive Bagao non tam est nomen proprium, ut vult Serarius, quam commune Persis significans Eunuchum. Unde Pagninus in nomin. Hebr. Vagao, inquit, idem est quod interior vel intimus, scilicet eunuchus sive cubicularius; *ghava* enim Chaldæis est interius vel intestinum, vel Vagao idem est quod elatus sive elevatus a rad. גאה *gaa*, id est elevare. Eunuchi enim erant primi in aula apud reges, imo eorum cubicularii et secretorum conscii, ac lenocinii amasiarum administri; eorum enim libidini lenocinantes speciosas fœminas eis adducebant, uti fecit hic Vagao.

Id ita esse docet Plinius, lib. 13. c. 4. ubi ait Spadones apud Persas vocari Bagou. Et Ovidius, lib. 2. Am. Eleg. 2.

Quem penes est dominam servandi cura Bagoi,
Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca.

Et Esther c. 2. 3. Egeus (sive Vagao) fuit eunuchus Assueri regis, præfectus gynecæo. Sic, teste Curtio, lib. 10. nequissimus Alexandri magni eunuchus fuit Bagoas, qui falsis criminationibus Orsinem Persarum satrapam Alexandro interficiendum dedit. Fuit quoque Bagoas Herodis eunuchus. Porro errat Severus Sulpitius, qui Iudithæ historiam refert ad tempora Artaxerxis Ochi, eo quod ipse habuerit eunuchum nomine Bagao.

Vers. 11. FŒDUM EST ENIM APUD ASSYRIOS, SI FŒMINA IRRIDEAT VIRUM, AGENDO UT IMMUNIS AB EO TRANSEAT.) Vide hic corruptissimos et impurissimos Assyriorum et Persarum mores, quibus libido adeo erat honesta, ut per omnes fœminas grassaretur, adeo ut apud eos fœdum haberetur aliquam intactam relinqui. O tempora! Audi Am-

A mion. Marcel. l. 23. de Persis: *Effusius*, inquit, *plerique soliti solvi in Venerem, ægreque contenti multitudine pellicum puerilium stuprorum expertes pro opibus quisque adsciscere matrimonia plura, vel pauca. Unde apud eos per libidines varias charitas dispersa torpescit.* Idem tradit Strabo libr. 15. ad finem, et Cicero actione 5. in Verrem. Audi scelera magis fœda. Theod. q. 24. in Levit. *Persæ*, ait, *in hunc usque diem non sororibus solum, sed etiam matribus ac filiabus, nuptiarum lege permiscentur.* Idem de Medis, Indis et Æthiopibus tradit S. Hier. lib. 2. contra Iovin. Unde Euripides in Andromede:

Tale, ait, *est omne barbarorum genus;*
Pater cum filia, filius cum matre
Miscetur, soror cum fratre.

Mirum ergo non est quod Persæ plures habuerint uxores, ideoque Iudith Holoferni hanc formosi coniugii escam obiecerit, qua eum ut piscem hamo suo caperet et necaret.

QUIDQUID AUTEM ILLI PLACUERIT (intellige, si sit lici- Vers. 14.
B tum, nec a Deo meo vetitum) HOC MIHI ERIT OPTIMUM.) Ut si me velit uxorem, non abnuam eum maritum, quem principem tantum esse scio, ut ex eius thalamo evehenda sim in Ducissam et Principissam; dat spem coniugii, ut sui amantem fallat, et quasi hostem populi sui occidat.

BIBAM, DOMINE.) Ex vino non tuo, sed meo, quod me- Vers. 18.
cum ex Bethulia hac de causa tuli, ne vino ciboque Gentilium pollueret. Unde sequitur: MANDUCAVIT ET BIBIT CORAM IPSO EA QUÆ PARAVERAT ILLI ANCILLA EIUS.) Unde videtur Iudith in alia mensa accubuisse, quæ vicina esset mensæ Holofernis, ita ut coram ipso manducaret et biberet; non enim decebat ipsam in mensa tanti principis cum eo accumbere. Unde Græca habent: *Et accessit ancilla eius, et stravit ei ante Holofernem humi pelles, quas acceperat a Bagoa, ad quotidianum usum suum, ut manducaret, accumbens super eas.* Sic etiamnum nonnullæ gentes, ac nuper Muleasses rex Tunetanus coram Carolo V. humi sedens, prandebat. Bibit ergo coram Holoferne
C Iudith, ut omnem cædis et odii suspicionem Holoferni eximeret, utque eum ad largius bibendum provocaret, itaque ex potu somno consopitum trucidaret, atque ut ex vino spiritus et animos, viresque hauriret ad aggrediendum tam arduum facinus. Erat enim ieiuna, et ex ieiunio debilis et languida.

BIBITQUE VINUM MULTUM NIMIS, QUANTUM NUMQUAM BIBERAT IN VITA SUA.) Græce, *ex quo natus erat.* Dei providentia id factum, ut sopitus vino Iuditham non tangeret, sed illa sobria et casta manens eum perimeret. Vide hic quam gaudiis vicina sint tristia, quamque convivia et crapula in funus mortemque desinant, ac *Extrema gaudii luctus occupet.* En tibi Holofernes deliciis adipatus, vino immersus, musicorum harmonia exultans, amoribus ebrius, mox a Iudith truncatur, et ad inferos, ubi suam crapulam æterna siti in flammis perennantibus digerat, detruditur. Audi S. Ambr. lib. de Elia et ieiunio: *Bibebant vinum in ebrietate potentes, qui Holoferni principi militiæ regis Assyriorum se tradere gestiebant; sed non*
D *bibebat fœmina Iudith ieiunans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festorum dierum solemnitates. His armis munita processit, et omnem Assyriorum circumvenit exercitum. Sobrii vigore consilii abstulit Holofernis caput, servavit pudicitiam, victoriam reportavit. Hæc enim succincta ieiunio, in castris prætendebat alienis: ille vino sepultus iacebat ut ictum vulneris sentire non posset. Itaque unius mulieris ieiunium, innumeros stravit exercitus Assyriorum.*

Præclare S. Basil. hom. 14. de ebrietate: *Ebrietas*, ait, *dæmon est voluntarius ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, iustitiam ignorat, prudentiam exstinguit.*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudith orans capite truncat Holofernem, caput in Bethuliam defert. Quare Ozias princeps, Achior, celerique omnes Deum glorificant, et Iudithæ hymnum canunt.

1. UT autem sero factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, et conclusit Vagao ostia cubiculi, et abiit: 2. Erant autem omnes fatigati a vino: 3. Eratque Iudith sola in cubiculo. 4. Porro Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. 5. Dixitque Iudith puellæ suæ, ut staret foris ante cubiculum, et observaret. 6. Stetitque Iudith ante lectum, orans cum lacrymis, et labiorum motu in silentio, 7. Dicens: Confirma me Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut, sicut promisisti, Ierusalem civitatem tuam erigas: et hoc, quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam. 8. Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, et pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exolvit. 9. Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis eius, et ait: Confirma me Domine Deus in hac hora: 10. Et percussit bis in cervicem eius, et abscidit caput eius, et abstulit conopœum eius a columnis, et evolvit corpus eius truncum. 11. Et post pusillum exivit, et tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, et iussit ut mitteret illud in peram suam. 12. Et exierunt duæ, secundum consuetudinem suam, quasi ad orationem, et transierunt castra, et gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis. 13. Et dixit Iudith a longe custodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel. 14. Et factum est, cum audissent viri vocem eius, vocaverunt presbyteros civitatis. 15. Et concurrerunt ad eam omnes, a minimo usque ad maximum: quoniam sperabant eam iam non esse venturam. 16. Et accendentes luminaria congyraverunt circa eam universi: illa autem ascendens in eminentiorem locum, iussit fieri silentium. Cumque omnes tacuissent, 17. Dixit Iudith: Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se: 18. Et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel: et interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte. 19. Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, et ecce conopœum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, ubi per manum feminæ percussit illum Dominus Deus noster. 20. Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus eius, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra. 21. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. 22. Universi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam: Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. 23. Porro Ozias, princeps populi Israel, dixit ad eam: Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. 24. Benedictus Dominus, qui creavit cælum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum: 25. Quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri. 26. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat. 27. Porro Achior vocatus venit, et dixit ei Iudith: Deus Israel, cui tu testimonium dedisti quod ulciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea. 28. Et ut probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israel contempsit, et tibi interitum minabatur, dicens: Cum captus fuerit populus Israel, gladio perforari præcipiam latera tua. 29. Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pavore, cecidit in faciem suam super terram, et æstuavit anima eius. 30. Postea vero quam resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes eius, et adoravit eam, et dixit: 31. Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.

Vers. 1. FESTINAVERUNT SERVI ILLIUS AD HOSPITIA SUA.) Ne ebrii et gressu vacillantes visi a populo irriderentur, sed domi in lecto dormientes vinum crapulamque digererent. *Erant enim omnes fatigati a vino*, v. 3, Vatabl. *eo quod omnes defessi essent longa compotatione.* Egit hoc Dei providentia, ut omnes vino consopiti abirent, et somnum captarent, ne quis vigilaret et audiret id quod Iudith machinabatur. Vide hic rursum quam gula et crapula sit improvida, faciatque ut omnes sopiantur, ita ut nemo vigilum ante fores Holofernis (uti fieri solet) excubet.

Vers. 5. DIXITQUE IUDITH PUELLÆ SUÆ, UT STARET FORIS ANTE CUBICULUM, ET OBSERVARET.) Ne quis propius ad cubiculum accederet, et audiret ea quæ ipsa in cubiculo, mactando Holofernem, agebat. Græca uberius habent: *Et dixit Iudith servæ suæ stare extra cubiculum ipsius, et observare exitum eius, sicut quotidie. Exire enim dixit ad orationem suam. Et Bagoæ locuta est iuxta verba hæc. Et abierunt omnes a facie Domini sui; et nemo remansit in cubiculo a parvo usque ad magnum.*

A ORANS CUM LACRYMIS.) Rem enim inauditam plenam periculo, ac vires animosque fœminæ superantem aggrediebatur: quare a Deo robur et audaciam lacrymans poscebat, dicens: *Confirma me, Domine Deus.* Greca plenius habent: *Domine Deus omnis virtutis, respice in hora hac super opera manuum mearum in exaltationem Ierusalem; quoniam nunc tempus suscipere hæreditatem tuam, et facere studium meum in quassationem hostium, qui insurrexerunt nobis.* Vers. 6.

ET PUGIONEM EIUS.) Græce: *Et acinacem eius*, hoc est gladium Persicum, brevem, et recurvum, quales nunc sunt gladii Turcarum, vulgo *simitarræ* vocantur. Hinc liquet Holofernem fuisse Persam, ut tradit Cedrenus. Vers. 8.

APPREHENDIT COMAM CAPITIS EIUS.) Ut certius, fortiusque eum feriret, ne ipse aliqua corporis agitatione et motu, qui in somnis dormientibus obvenit, ictum declinaret aut infringeret: manu ergo sinistra tenuit comam, ut caput retineret immotum ad ictum vibrantis dexteræ recipiendum. Porro Persas prolixam comam alere soli- Vers. 9.

tos, docet Xenophon l. 1. Cyripædiæ, et Herodot. lib. 1. ubi Persas vocat κομήτας, id est. crinitos et comatos.

Vers. 10. Et percussit bis in cervicem eius.) Non punctim, sed cæsim, ut caput iacentis, et altum stertentis amputaret: quare totis connisa viribus acinacem in collum Holofernis impegit, ac secundo ictu caput ab humeris resecuit. Unde Græca habent: *Et percussit in cervicem eius bis in fortitudine sua.* Mirum est sanctum Augustinum serm. 228. pro *bis* legere *ter*. Simili modo Attila rex Hunnorum superbissimus, qui se nominabat flagellum Dei, et in aciem educebat septingenta armatorum millia, adeoque Theodosium imperatorem sibi tributum pendere cogebat, ac spe totius orbis imperium devorabat, a Deo superbos humiliante per fœminam occisus est. Audi Baronium anno Christi 454. *Hoc anno, Æthio adhuc vivente, Attila*. inquit Marcellinus, *Æthii hortatu, noctu mulieris manu cultro confoditur.* Ita terror orbis, qui viros omnes despiciebat, fœminæ unius manu occidit. Sic et Abimelech rex, vel potius tyrannus Sichimorum, interfectus est a fœmina, quæ fragmine molæ ei cerebrum comminuit. Iudic. 9. 53.

Et abscidit caput eius.) Ut illud secum deferret, et in trophæum muris Bethuliæ affigeret, itaque metu Assyrios percelleret, et in fugam compelleret, uti reipsa contigit: ita Iudith sobria ebrium, casta incestum, fidelis infidelem, iusta iniustum, humilis superbum, pia impium truncavit; imo verius sobrietas ebrietatem, castitas libidinem, fides perfidiam, iustitia iniustitiam, humilitas superbiam, pietas impietatem mactavit. Ita S. Fulgent. Epist. 2. de statu viduali: *Denique, cum Holofernes innumero Bethuliam obsedisset exercitu, et omnis Israelitarum virtus perturbata languesceret, egreditur castitas oppugnatura lasciviam, et ad interitum superbiæ humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista ieiuniis; ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncavit una mulier tanti agminis ducem, et insperatam Dei populo reddidit libertatem.*

Audi sanctum Ambrosium libr. 3. offic. cap. 13. *Primus triumphus eius fuit, quod integrum pudorem de tabernaculo hostis revexit. Secundus, quod fœmina de viro reportavit victoriam, fugavit populos consilio suo. Horruerunt Persæ audaciam eius. Utique (quod in illis Pythagoreis duobus mirantur) non expavit mortis periculum; sed nec pudoris, quod est gravius bonis fœminis: non unius ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidavit. Stetit inter cuneos bellatorum fœmina, inter victricia arma, secura mortis. Quantum ad molem spectat periculi, moritura processit: quantum ad fidem, dimicatura. Honestatem igitur secuta est Iudith, et dum eam insequitur, utilitatem etiam invenit.* Causas honestatis, sive virtutis multiplicis in Iudith subiicit, dicens: *Honestatis enim fuit prohibere, ne populus Dei profanis se dederet, ne ritus patrios et sacramenta proderet, ne sacras virgines, viduas graves, pudicas matronas barbaricæ subiiceret impuritati, ne obsidionem deditione solveret. Honestatis fuit se malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo. Quanta honestatis auctoritas, ut consilium de summis rebus fœmina sibi vindicaret, nec principibus populi committeret! Quanta honestatis auctoritas, ut Deum adiutorem præsumeret! quanta gratia, ut inveniret!*

Tropologice tuus Holofernes est gula, superbia, luxuria, avaritia, ira, acedia. Hanc generose supera et macta, ac tuum Holofernem mactasti.

Allegor. Holofernes typus est Diaboli, cuius caput vera Iudith, id est, B. Virgo contrivit iuxta oraculum a Deo editum, Genes. 3. Iudith Holofernem terrorem Orientis singulari certamine, quasi in duello, suo ipsius acinace sine vulnere velut ludibunda cecidit, et quod magis fuit arduum, pudicitiam e mediis impudicorum castris intactam, et opimis spoliis triumphantem reduxit. At B. Virgo innumeras dæmonum phalanges duello singulari prostravit, et in dies prosternit, et castitatis triumphum non tantum in se, sed in omnibus virginibus castisque sui asseclis celebravit et celebrat: imo, quod omnia iura naturæ superat Virgo simul est, et Mater Dei, ac una trino cognomine gaudet:

Una Dei pariter filia, sponsa, parens.

Iudithæ acclamarunt Assyrii: *Non est talis mulier super terram.* Et: *Nomen tuum memorabitur in universa terra.* B. Virgini quotidie in eius hymnis acclamat Ecclesia: *Beatam te dicent omnes generationes.* Iudith forma fuit admirabili, ut ad eam omnes obstupescerent. B. Virgini accinit Ecclesia: *Diffusa est gratia in labiis tuis; speciosa et suavis facta es in deliciis tuis, sancta Dei genitrix;* imo Christus ipse in Cant. *Tota pulchra es, amica mea, formosa mea, columba mea.* Porro Iudithæ pulchritudo Holofernem excitavit ad luxuriam: at B. Virginis forma intuentes excitabat ad castitatem. Audi sanctum Ambrosium libr. de institutione virginum cap. 7. *Cuius* (inquit loquens de Virgine) *tanta erat gratia, ut non solum in se virginitatis gratiam servaret, sed etiam his quos viseret integritatis insigne conferret. Visitavit Ioannem Baptistam, nec immerito mansit integer corpore, quem in tribus mensibus, oleo quodam suæ præsentiæ et integritatis unguento Domini Mater exercuit.* Ita S. Ambros. et S. Thomas 3. Sententiarum dist. 3. q. 2. ad 4. *Pulchritudo,* inquit, *B. Virginis intuentes ad castitatem excitabat.* Idem enim docet Glossa, sermone de Conceptione beatæ Virginis, quod quidem ex peculiari Dei dono concessum est.

Iuditham timuerunt et fugerunt Assyrii: B. Virginem timent omnes dæmones et impii. Unde sanctus Bernardus citatus a sancto Bonaventura in speculo B. Virginis cap. 9. *Non sic,* inquit, *timent hostes visibiles quasi cæterorum aciem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum; fluunt et pereunt sicut cera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram huius nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.*

Iudith clausa in oratorio Deum suis ieiuniis, ciliciis, precibus, lacrymis Israeli conciliavit: Beata Virgo clausa in cubiculo, ac ieiuniis et gemitibus inenarrabilibus obsecrans Deum pro mundi reconciliatione, meruit Angelum pacis paranymphum excipere, qui eam huius pacis mediatricem per Verbi in ea incarnationem annuntiaret. Iudithæ victrici acclamavit populus: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum.* Idem et longe maiora B. Virgini accinunt Patres, Doctores et omnes Orthodoxi.

Et abstulit conopœum.) Una cum capite, ut ex eo qui norant Holofernem, agnoscerent caput illud esse illius, non calonis, vel mancipii cuiuspiam; simul ut conopœum tot gemmis intextum victoriæ tantæ esset spolium simul et trophæum.

Et evolvit corpus truncum.) Græce: *et revolvit corpus eius e lecto,* scilicet in pavimentum. Unde postea veniens Vagao, vidit corpus in suo sanguine cruentum et saniosum iacere in terra. Fecit id Iudith, ut Hebræis ex urbe erumpentibus Assyrii confugientes ad Holofernem eum in terra truncum videntes, metu obstupescerent, et obrigescerent, et arma capere et Hebræis resistere non auderent.

Et post pusillum exivit.) Quia paulisper consedit ad Vers. 11.
respirandum: omnes enim vires et spiritus exeruerat in crassa Holofernis cervice truncanda; sed et metus periculi, ne facinus innotesceret, spiritum ei intercluserat, ut eum sedendo et respirando recolligere opus foret. Simul id fecit, ut si quid cruoris vesti suæ adhæsisset, illud abstergeret; ac præsertim ut statim Deo pro hoste tam feliciter cæso summas ageret gratias.

Quoniam sperabant (id est timebant. Sic Poeta ait: Vers. 13.
Et sperate (id est, timete) *deos memores fandi atque nefandi*) eam non esse venturam.) Sed captivam ab Assyriis detineri. Insolito ergo nuntio reditus Iudith, exciti omnes concurrerunt; tum ut eam, de qua desperarant, viderent;

tum ut ab ea audirent quid ab ea gestum foret, quidve spei obsessis et ad extrema redactis affulgeret.

Vers. 20. VIVIT AUTEM IPSE DOMINUS (id est, iuro per vitam Dei) QUONIAM CUSTODIVIT ME ANGELUS EIUS ET HINC EUNTEM, ET IBI COMMORANTEM, ET INDE HUC REVERTENTEM, ET NON PERMISIT ME DOMINUS ANCILLAM SUAM COINQUINARI.) Iurat Iudith se per Angelum custoditam ab omni Assyriorum petulantia et libidine: quia hoc Hebræis incredibile videbatur, ut fœmina tam speciosa tam impudicorum manus evaderet. Et certe humanitus id erat impossibile; Deo autem et Angelis id fuit possibile, et facile. Scivit Iudith Angelum sibi tutelarem affuisse, sive quod eum aspectabili forma viderit, sive quod inspirationes eius assidue audierit, quibus sentiebat se admoneri et dirigi per omnia, ut sciret quid qualibet hora et loco sibi agendum foret et dicendum; sive quod alia præsentiæ et directionis suæ signa Angelus ei dederit, ut tam heroicum facinus animose aggrederetur, nec de felici eius successu dubitaret. Sic Angelus visibiliter apparebat, dirigebatque S. Cæciliam cum S. Valeriano sponso ad castitatem et martyrium, æque ac S. Iulianum, et Basillam, S. Franciscam Romanam, similesque eximios sanctos, præsertim virgines.

Porro Serarius, Salianus et alii censent hunc Angelum fuisse unum e primis et primariis, propter negotii magnitudinem, in quo totius populi et Ecclesiæ Dei salus vertebatur. Unde nonnulli putant eum fuisse S. Michaelem. Hic enim olim erat protector Synagogæ, sicut nunc Ecclesiæ: alii opinantur fuisse sanctum Gabrielem, qui sicut a fortitudine nomen habet (Gabriel enim hebraice idem est quod fortitudo Dei) sic operibus Heroum et Heroinarum generosis et fortibus (quale erat hoc Iudith) adest et præest, ut patet Daniel 10. 20. ut ipse ait: *Nunc revertar ut prælier* (pro Hebræis) *adversum Principem Persarum.* Hinc Gabriel fuit nuntius incarnationis Verbi (quod divinæ potentiæ et fortitudinis opus fuit maximum) ideoque custos B. Virginis Deiparæ. Audi beatum Petrum Damiani serm. 1. de Nativitate B. Virginis, ubi per thronum Salomonis duobus leonibus stipatum, mystice accipiens B. Virginem: *Duo leones*, ait, *sunt Gabriel Archangelus, et Ioannes Evangelista, quorum alter dexteræ Virginis, alter sinistræ custos deputatus est. Gabriel enim mentem, Ioannes carnem pervigili sollicitudine servaverunt.* Leæna pariter fuit hic Iudith Holofernem lanians: leo ergo illi natus est Gabriel, qui fortissime et castitatem eius tutaretur, et dexteram eius in cæde tyranni roboraret.

Alii hoc decus victoriæ Iudith assignant sancto Raphaeli. Hic enim est præses sanctitatis ac dux viarum et viatorum æque ac castitatis tutor, ut dixi in Tobia. Ipse ergo Iuditham castam, sanam et sanctam duxerit et reduxerit. Porro quod Angeli sanctis et castis heroica destinantibus adsint et præsint, patet ex illis quæ annotavi Exodi 23. v. 20. et seq. et Danielis 10. 20.

Vers. 21. CONFITEMINI ILLI OMNES.) Vide hic modestiam, gratitudinem, constantiam et pietatem Iudithæ, qua totum decus suæ fortitudinis et victoriæ, non sibi, sed Deo adscribit. Porro solebant Hebræi, accepto aliquo insigni beneficio in gratiarum actionem concinere psalmum centesimum decimum septimum. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius:* ut nos concinimus: *Te Deum laudamus.*

PORRO OZIAS PRINCEPS POPULI ISRAEL DIXIT AD EAM; Vers. 23.
BENEDICTA ES TU FILIA A DOMINO DEO EXCELSO PRÆ OMNIBUS MULIERIBUS SUPER TERRAM.) Huc allusit Gabriel Archangelus salutans B. Virginem: *Ave gratia plena, benedicta tu in mulieribus.* Iudith enim fuit umbra et typus B. Virginis; unde sequitur:

QUIA HODIE NOMEN TUUM ITA SANCTIFICAVIT, UT NON Vers. 25.
RECEDAT LAUS TUA (Græce est *spes tua*, id est memoria et laus spei tuæ, qua sperans in Deum, tantam victoriam Israeli peperisti) DE ORE HOMINUM.) Tale prorsus est nomen Beatæ Mariæ, de quo Beatus Petrus Chrysol. Ser. 146. *Nomen hoc*, inquit, *prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virtutis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis: merito ergo matris Christi nomen hoc est maternum.* Hæc Chrysol. Methodius orat. in Hypapantem: *Tuum*, inquit, *Dei genitrix, nomen divinis benedictionibus et gratiis omni ex parte refertum.* Et S. Bern. hom. 2. super Missus est. *Si insurgant*, inquit, *venti tentationum: si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam: si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam; si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicii terrore, barathro desperationis incipias turbari, vel absorberi, et tristari: in periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde.* Ita Serarius, Sanchez et alii.

PRO QUIBUS (id est eo quod, est Hebraismus) NON PEPERCISTI ANIMÆ (id est *vitæ*) TUÆ (offerens et exponens eam evidenti mortis periculo) PROPTER ANGUSTIAS ET TRIBULATIONEM GENERIS TUI (id est gentis tuæ, ut scilicet patriam et cives tuos obsidio et excidio liberares) SED SUBVENISTI RUINÆ.) Eam præveniens et avertens, ne rueret civitas et resp. Israelis.

VIDENS AUTEM ACHIOR CAPUT HOLOFERNIS, ANGUSTIA- Vers. 29.
TUS PRÆ PAVORE (præ horrore capitis truncati Holofernis undique cruenti et sanguinolenti) CECIDIT IN FACIEM SUAM SUPER TERRAM, ET ÆSTUAVIT ANIMA EIUS.) Græce: *defecit*, seu, *exsolutus est spiritus*, id est deliquium animi passus est, stupore scilicet tam insperatæ et inopinatæ rei attonitus variis perturbationum motibus in cor eius confluentibus. Abibat enim imminentis sibi, et nominatim denuntiatæ mortis timor, succedebat confidentia; fugiebat tristitia, subintrabat gaudium: diffidentia locum cedebat admirationi, et simul cum huius prodigii contemplatione fides, spes, charitas et dona Spiritus Sancti infidelitatem expellebant, ut mox dicetur. Ita Salianus.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudith iubet caput Holofernis e muris suspendi: Achior ad Iudaismum convertitur: irruunt Hebræi in Assyrios: illi cæde Holofernis consternantur, et magno clamore complorant.

1. DIXIT autem Iudith ad omnem populum: Audite me fratres, suspendite caput hoc super muros nostros: 2. Et erit, cum exierit sol, accipiat unusquisque arma sua, et exite cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes. 3. Tunc exploratores necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam. 4. Cumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, et invenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor. 5. Cumque cognoveritis fugere eos, ite post illos secu-

ri, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris. 6. Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, et circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israel, et omnis successio generis eius usque in hodiernum diem. 7. Mox autem ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitque unusquisque vir arma sua, et egressi sunt cum grandi strepitu et ululatu. 8. Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt. 9. Porro hi qui in tabernaculo erant, venientes, et ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, ut non ab excitantibus, sed a sonantibus Holofernes evigilaret. 10. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire. 11. Sed cum venissent eius duces ac tribuni, et universi maiores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubiculariis: 12. Intrate, et excitate illum, quoniam egressi mures de cavernis suis ausi sunt provocare nos ad prælium. 13. Tunc ingressus Vagao cubiculum eius, stetit ante cortinam, et plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum Iudith dormire. 14. Sed cum nullum motum iacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam, et elevans eam, vidensque cadaver absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactum iacere super terram, exclamavit voce magna cum fletu, et scidit vestimenta sua. 15. Et ingressus tabernaculum Iudith, non invenit eam, et exiliit foras ad populum, 16. Et dixit: Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor: ecce enim Holofernes iacet in terra, et caput eius non est in illo. 17. Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, et intolerabilis timor et tremor cecidit super eos, et turbati sunt animi eorum valde. 18. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

Vers. 1. DIXIT AUTEM IUDITH: SUSPENDITE CAPUT SUPER MUROS.) Ut Assyrii videntes ducem suum cæsum, percellantur et fugiant.

Vers. 2. ET ERIT, CUM EXIERIT (ortus fuerit) SOL, ACCIPIAT UNUSQUISQUE ARMA SUA. ET EXITE CUM IMPETU, NON UT DESCENDATIS DEORSUM (ad verum et serium cum Assyriis longe potentioribus prælium) SED QUASI IMPETUM FACIENTES.) Id est, quasi impressionem agentes in proximam hostium stationem, q. d. Nolite plena acie confligere, utpote pauci contra innumeros, sed simulate vos velle confligere, ut scilicet Assyrii confugiant ad Holofernem, ut aciem instruat, ac videntes eum cæsum consternentur et fugiant. Nolebat enim Iudith Assyrios invadi, antequam mors Holofernis percrebuisset, et Assyrios inopes animi et consilii reddidisset; sed eo facto iussit ut illico in pavidos et fugientes irruerent. Si enim tempus dedissent Assyriis, potuissent ipsi communi consilio alium ducem sibi deligere, qui obsidionem Bethuliæ prosequeretur; itaque urbem fame sitique confectam caperet. Sed Iudith, prudenter id providens, iussit, ut morte Holofernis vulgata, subito in perculsos totis viribus et agminibus involarent. Quo facto hostes stupefacti fugientes ab Hebræis victi cæsique fuere. Vide ergo hic prudentiam et solertiam bellicam Iudithæ, quæ cœptam victoriam ad finem usque prosecuta est; quare prudentior fuit Hannibale, qui cum Romanos in Cannensi pugna plane concidisset, suaderetque Maharbal præfectus equitum, ut illico Romam pergeret; sine dubio enim eam perculsam occupaturum, ac die quinto in Capitolio cænaturum, dum tardaret Hannibal, diceretque maturius hac de re cogitandum, subiunxit Maharbal; *Vincere scis, Annibal, sed victoria uti nescis.* Ita Livius lib. 22. Audi sanctum Ambrosium libro de viduis: *Nec dexteræ tantum hoc opus, sed maiora trophæa sapientiæ. Nam manu solum Holofernem vicit, consilio autem omnem hostium vicit exercitum. Suspenso enim Holofernis capite, quod virorum non potuit excogitari consilio, suorum erexit animos, hostium fregit: suos pudore excitans, hostes quoque terrore percellens, eoque cæsi sunt et fugati. Ita unius viduæ temperantia atque sobrietas, non solum naturam suam vicit, sed quod est amplius, fecit viros etiam fortiores.*

Simili modo David, amputato capite Goliath, eoque Philisthæis ostenso, ipsos perculit, et in fugam egit, 1. Reg. 17. Idem fecit Iudas Machabæus, resecto et ex arce Sion suspenso capite Nicanoris 2. Mach. 15. 35. Sic et M. Livius et Claud. Nero Consules Romani, cæso Asdrubale cum 56. millibus Carthaginiensibus, capiteque eius ex inopinato ante castra Hannibalis fratris proiecto, eum ita perculerunt, ut diceret actum esse de fortuna Carthaginiensium; atque illico fugiens in angulum Italiæ ad Brutios se receperit, teste Livio in fine lib. 26.

Vers. 6. TUNC ACHIOR VIDENS VIRTUTEM (potentiam et fortitudinem, scilicet tam fortem, prodigiosam et divinam victo-
A riam de cæso Holoferne,) QUAM FECIT DEUS ISRAEL (Græce Israelis, id est populi Israelitici) RELICTO GENTILITATIS RITU (idololatria et gentilismo) CREDIDIT DEO, ET CIRCUMCIDIT (non sua, sed Levitæ alicuius manu) CARNEM PRÆPUTII SUI.) Factus proselytus et Iudæus: licet enim Ammonitæ, Arabes, Phœnices, Ægyptii, Æthiopes circumcisionem iam olim ab Abraham et Iudæis accepissent, tamen acceperant eam ut liberam, non ut obligantem et necessariam, uti eam a Deo iubente acceperant Hebræi. Unde multi se non circumcidebant ob pudorem et dolorem circumcisionis: quare paulatim circumcisio apud eos quasi evanuit. Achior ergo, licet Ammonita, fuit incircumcisus, sed hoc facto Iudith conversus ad Iudaismum, se circumcidit. Circumcisio enim erat professio Iudaismi et legis Mosaicæ, sicut baptismus iam est professio Christianismi et legis Evangelicæ.

ET APPOSITUS EST AD POPULUM ISRAEL.) Ut quasi civis Israelitarum ius civicum haberet ad omnia eorum privilegia, iura, dignitates etiam et magistratus. Licet enim
B Deus vetuisset Deut. 23. 3. Ammonitas et Moabitas admitti in cœtum Israel, tamen in hac lege permisit dispensari ob insignia alicuius in Israelem merita, qualia fuerunt Achior, qui coram Holoferne Dei erga Israelem providentiam et protectionem publice erat professus, et dignis encomiis celebrarat. Sic Ruth Moabitis admissa fuit in cœtum Israel, nubensque Booz, facta est avia Davidis, indeque Christi. Hanc enim esse Dei mentem responderunt legis periti, vel Prophetæ, vel Pontifices consulentes Deum per Urim et Tummim, de quibus dixi Exodi 28. 28.

NULLUS ENIM AUDEBAT CUBICULUM VIRTUTIS ASSYRIO- Vers. 10.
RUM PULSANDO AUT INTRANDO APERIRE.) *Virtutis* id est, potentiæ et maiestatis *Assyriorum*, ita vocant Holofernem suum ducem et principem. Sicut nos regem vel principem vocamus Regiam Maiestatem, suam Celsitudinem, suam Excellentiam.

EGRESSI MURES DE CAVERNIS.) Ita ex contemptu vo- Vers. 12.
cant etiam Iudæos, quasi inermes et imbelles, sed mures
C hosce mox experti sunt evasisse leones, qui elephantes eorum prosternerent.

TUNC INGRESSUS VAGAO CUBICULUM EIUS STETIT ANTE Vers. 13.
CORTINAM.) Adeo enim principes Assyriorum et Persarum servabant suam gravitatem et maiestatem, ut non nisi per cortinam loquerentur, darentque responsa, uti etiamnum faciunt reges Sinarum. Unde Athenæus l. 4. c. 6. ex Heraclide tradit principes invitatos a rege Persarum ad convivium, in eodem cubiculo cum eo cœnasse, sed interiecto velo, ita ut ab eis videri non posset, cum ipse eos facile videret.

CADAVER, etc. IACERE SUPER TERRAM.) Græca, *super* Vers. 14.
lectum, vel lectus hic erat terra prope lectum, ut habent Græca, v. 16.

UNA MULIER HEBRÆA FECIT CONFUSIONEM IN DOMO RE- Vers. 16.
GIS.) Dum principem occidendo tota castra confudit, per-

culit, turbavit. Vide hic prudentiam Iudith, quæ caput ducis petiit: eo enim sublato castra tota sustulit. Castra enim sine duce, idem sunt quod populus sine rege, oves sine pastore, discipuli sine magistro, filii sine patre, cives sine consule. Unde Tarquinius rex Roman. capita papaverum in horto demetens, hoc ipso filio, qui ficte ad Ga- A binos transfugerat, per nuntium significavit, capita principum Gabinorum esse tollenda: quo facto Gabini quasi acephali se dedidere Tarquinio, teste Livio. Hanc gnomen mystice doctores applicant B. Virgini, quæ caput Draconis infernalis conterens, tota eius infernalium spirituum agmina pessumdedit.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assyrii, audita cæde Holofernis fugientes cæduntur ab insequentibus Hebræis, qui castra spoliis onusta per triginta dies diripiunt, seseque ditant: Iudith a Ioacim Pont. totoque populo benedicitur, et omnibus, quæ Holofernis propria fuerant, locupletatur.

1. Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt, 2. Ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum et semitas collium. 3. Videntes itaque filii Israel fugientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, et ululantes post ipsos. 4. Et quoniam Assyrii non adunati, in fugam ibant præcipites: filii autem Israel uno agmine persequentes, debilitabant omnes, quos invenire potuissent. 5. Misit itaque Ozias nuntios per omnes civitates et regiones Israel. 6. Omnis itaque regio, omnisque urbs, electam iuventutem armatam misit post eos, et persecuti sunt eos in ore gladii, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum. 7. Reliqui autem qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, et prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, et onustati sunt valde. 8. Hi vero, qui victores reversi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum, ita ut non esset numerus in pecoribus, et iumentis, et universis mobilibus eorum, ut a minimo usque ad maximum omnes divites fierent de prædationibus eorum. 9. Ioacim autem summus pontifex, de Ierusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Iudith. 10. Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: 11. Quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris: ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. 12. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat. 13. Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum a populo Israel. 14. Porro autem universa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, et argento, et vestibus, et gemmis, et omni supellectili, et tradita sunt omnia illi a populo. 15. Et omnes populi gaudebant, cum mulieribus, et virginibus, et iuvenibus, in organis et citharis.

Vers. 1. Fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt.) Tum quia videbant ducem suum Holofernem capite truncatum; tum quia Deus ademit eis mentem et consilium, ut quasi mentis impotes nescirent quid sibi agendum foret. Alioqui enim, si fuissent mentis compotes, alium sibi ducem constituissent, qui Bethulienses cives paucos ad deditionem cogeret; tum quia Deus immisit eis terrorem panicum, ut, cæso duce, putarent se pariter cædendos ab Hebræis. Quare præcipites se in fugam dederunt; itaque fugientes a paucis Hebræis insequentibus et clangentibus cæsi sunt, uti a trecentis Gedeonis militibus cæsa sunt centum millia Madianitarum, Iudicum 7.

Vers. 4. Debilitabant omnes.) Hos occidendo, illos vulnerando, alios mutilando, etc. Hebr. enim חלל *chalal* hæc omnia significat.

Vers. 7. Onustati.) Id est, onerati spoliis. Nonnulli censent legendum *honestati*, id est, *ditati sunt*, ut habent Græca: honestas enim in Scriptura sæpe significat divitias, et honestare idem est quod ditare.

Vers. 9. Ioacim autem summus pontifex de Ierusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis (Græce: *cum Ierosolymitano senatu*, forte cum *concilio Sanedrim*, quod erat summum, continens 70. Senatores eximios) ut videret Iudith.) Eique benediceret, et de victoria tanta gratularetur.

Vers. 10. Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu B lætitia Israel, tu honorificentia (honor et decus) populi nostri) Græce: *Tu sublimitas Israel, tu exultatio magna Israel, tu gloriatio magna generis nostri.* Vatablus: *Tu excellentia Ierosolymitarum, tu magna Israelitarum lætitia, tu præclara generis nostri gloriatio*, q. d. Ierusalem liberans ab Holoferne, magnam ei gloriam contulisti: tu ab eodem defendens Israelitas iam timore et mœrore confectos, ingentem eis lætitiam et novam quasi vitam indidisti: tu populo tuo universo ingens nomen et decus peperisti apud omnes gentes, quæ audientes hoc tuum facinus obstupescent, dicentque: *Tanti dux fœmina facti.*

Alleg. Iudith fuit typus B. Virginis. Hæc enim exultatio est, decus et gloria, non tantum Ierusalem, sed totius orbis; non tantum Israelis, sed omnium gentium, non tantum Synagogæ, sed universæ Ecclesiæ. Unde B. Gregorius Nazianzen. in Tragœdia, Christus patiens, eam sic affatur:

C *Regina, Domina, generis humani bonum,*
Amica semper esto tu mortalibus,
Maximaque quovis in loco mihi salus.

Cyrillus Alexandrinus homilia contra Nestorium: *Sit*, inquit, *tibi, sancta Dei mater, laus; tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lampas inexstinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei.* Sanctus Chrysostomus homilia de Deipara ita eam salutat: *Ave mater, cœlum, thronus Ecclesiæ nostræ, decus, gloria, et firmamentum.* Sanctus Ephrem. sermone de laudibus Virgin. eam vocat *unicam spem Patrum, gloriam*

Prophetarum, præconium Apostolorum, honorem Martyrum, lætitiam Sanctorum, et lumen probatissimorum Abraham, Isaac et Iacob, decus Aaron, splendorem Mosis, Gedeonis vellus et cœtus Hierarcharum, omniumque Sanctorum ac virginum coronam, ob immensum fulgorem, atque splendorem inaccessum. Damasc. orat. 1. de Nativitate B. Virginis: *O Deo, inquit, digna filia, mulierum ornamentum, humani generis decus, tu Patriarchis sempiterna oblectatio, Prophetis perennis exultatio.*

Vers. 11. QUIA FECISTI VIRILITER (quasi virago, et fœmina super fœminas, imo quasi vir viros omnes superans) ET CONFORTATUM EST COR TUUM, EO QUOD CASTITATEM AMAVERIS.) Castitas ergo fuit causa fortitudinis Iudith, idque primo, quia castitas roborat corpus et animum. Unde olim athletæ in Olympicis certaturi castos plane se servabant, ut integras ad palæstram vires afferrent, 1. Corinth. 9. 24. Luxuria enim spiritus nobilissimos, ideoque robur et vires effundit et exhaurit. Secundo, quia Deus hoc præmium fortitudinis dare solet castis, ac omnino dedit Iudith, fortitudinem, inquam, tum corporis, tum animi ad magna audendum: Deus enim, qui spiritus est purissimus, singulariter amat puritatem et castitatem, ac puros et castos, quasi sibi similes ad magna destinat. Audi S. Hieron. præfatione in Iudith: *Accipite Iudith viduam castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum fœminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis eius remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, et insuperabilem superaret.*

Tertio, quia decebat luxuriosum Holofernem a casta Iudith superari, ut castitas de luxuria triumpharet. Unde Prudentius in Psychomachia pudicitiam cum libidine duellantem eleganter per Iudith de Holoferne triumphantem ita dipingit:

Assyrium postquam thalamum, cervixque Holofernis
Cæsa, cupidineo madefactum sanguine lavit;
Gemmatumque thorum mœchi ducis aspera Iudith
Sprevit, et incertos compescuit ense furores:
Famosum mulier referens ex hoste trophæum
Non trepidante manu, vindex mea cœlitus audax.

Porro eximia fuit castitas Iudith, ideoque eximium hoc meruit præmium et trophæum. Ipsa enim erat in flore iuventutis vidua opulenta, carens liberis, ut patebit cap. sequenti vers. 28. speciosa, honorata, gloriosa ob tantam victoriam: quare omnes etiam duces et principes eam ambiebant sponsam: verum ipsa castitatis amans hæc omnia despexit, mansitque cœlebs usque ad mortem; quare nobilius et gloriosius de carne et mundo, quam de Holoferne triumphavit. Audi S. Ambros. l. de viduis: *Nec his tamen elata successibus, cui utique gaudere et exultare licebat, iure victoriæ viduitatis reliquit officium; sed contemptis omnibus qui eius nuptias ambiebant, vestem iucunditatis deposuit, viduitatis resumpsit: nec triumphorum suorum amavit ornatus, illos existimans esse meliores, quibus vitia corporis, quam quibus hostium arma vincuntur.*

ET OMNES POPULI GAUDEBANT CUM MULIERIBUS, ET VIRGINIBUS, ET IUVENIBUS, IN ORGANIS ET CITHARIS.) Vers. 14. Græca uberius habent: *Et concurrit omnis mulier Israel ad videndam eam, et fecerunt ei chorum ex se; et sumpsit thyrsos in manibus suis, et dedit mulieribus quæ secum, et exornatæ sunt oliva, ipsa, et quæ cum ipsa. Et prævivit omnem populum in chorea, ducens omnes mulieres, et sequebatur omnis vir Israel armati cum coronis et hymnis in ore suo.* Pro *coronatæ sunt*, Complutenses habent, *coronarunt eam corona olivæ*, id est, oleagina. Thyrsi sunt rami palmarum, citriorum, etc. Audi Iosephum 13. Antiq. cap. 21. *Apud Iudæos lex est quemlibet in scenopegia thyrsos* (ramos) *ex palmis et citriis gestare.* Gentiles thyrsos dicabant Baccho. Erat autem apud eos θύρσος hasta frondibus, præsertim ex vite vestita, quam quatiebant in sacris Bacchi, vel corona ex eisdem. Unde Virgil. Eclog. 5.

Instituit Daphnis thyrsos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Ibi per lentas hastas intelligit thyrsos. Unde Proverbium:

Multos thyrsigeros, paucos est cernere Bacchos.

Bacchus enim erat thyrsigerus. Hinc et Tacitus: Messalina, inquit, crine fluxo thyrsum quatiens. Et Diodorus scribit, Dionysium in exercitu habuisse mulieres thyrsis armatas. Macrobius quoque ait Liberum patrem (Bacchum) tenere thyrsum, quod est latens telum, vel hasta aculeata, cuius mucro hedera lambente protegitur.

Hoc recte adaptes Iudithæ, quæ acinacem Holofernis in ipsummet distrinxit; itaque eum ebrium quasi Bacchum occidit, ac de ebrietate et ebriis triumphavit. Coronam ergo thyrsiam merebatur meritamque gestabat, eamdem Baccho, id est, Holoferni ebrio eripuit.

Nota, hanc solemnem triumphi processionem et pompam Iudithæ quotannis datam et renovatam fuisse cum ingenti virorum et mulierum comitatu, ut patebit capite sequenti v. 27.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudith præcinente, omnes succinunt Epinicion Deo. Populus holocausta in gratiarum actionem offert. Iudith, longævam in castitate et gloria agens vitam, tandem gloriose moritur, ac dies victoriæ eius deinceps quotannis celebrari præcipitur.

1. TUNC cantavit canticum hoc Domino Iudith, dicens:
2. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exultate, et invocate nomen eius.
3. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.
4. Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.
5. Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cuius multitudo obturavit torrentes, et equi eorum cooperuerunt valles.
6. Dixit se incensurum fines meos, et iuvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem.
7. Dominus autem omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus fœminæ, et confodit eum.
8. Non enim cecidit potens eorum a iuvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi; sed Iudith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.

9. Exuit enim se vestimento viduitatis, et induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.

10. Unxit faciem suam unguento, et colligavit cincinnos suos mitra, accepit stolam novam ad decipiendum illum.

11. Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captivam fecit animam eius, amputavit pugione cervicem eius.

12. Horruerunt Persæ constantiam eius, et Medi audaciam eius.

13. Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti.

14. Filii puellarum compunxerunt eos, et sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio a facie Domini Dei mei.

15. Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro.

16. Adonai Domine magnus es tu, et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest.

17. Tibi serviat omnis creatura tua: quia dixisti, et facta sunt: misisti spiritum tuum, et creata sunt, et non est qui resistat voci tuæ.

18. Montes a fundamentis movebuntur cum aquis: petræ, sicut cera, liquescent ante faciem tuam.

19. Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.

20. Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii visitabit illos.

21. Dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.

22. Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Ierusalem adorare Dominum: et mox ut pu-
rificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, et vota, et repromissiones suas. 23. Porro Iudith, universa vasa bel-
lica Holofernis, quæ dedit illi populus, et conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema
oblivionis. 24. Erat autem populus iucundus secundum faciem sanctorum, et per tres menses gaudium huius vi-
ctoriæ celebratum est cum Iudith. 25. Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam, et Iudith ma-
gna facta est in Bethulia, et præclarior erat universæ terræ Israel. 26. Erat etiam virtuti castitas adiuncta, ita
ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius. 27. Erat autem die-
bus festis procedens cum magna gloria. 28. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimisit
abram suam liberam, et defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia. 29. Luxitque illam omnis populus die-
bus septem. 30. In omni autem spatio vitæ eius non fuit qui perturbaret Israel, et post mortem eius annis mul-
tis. 31. Dies autem victoriæ huius festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a
Iudæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

Vers. 1. TUNC CANTAVIT CANTICUM DOMINO IUDITH, DICENS: INCIPITE (canite, psallite et iubilate) DOMINO.) Unde, ipsa præcinente, succinuere cæteri: uti præcinente Maria sorore Mosis, succinuere cæteræ mulieres post transitum maris Rubri, Exodi 15. v. 20. Sic enim habent hoc loco Græca: *Præivit autem Iudith hoc carmen gratulatorium inter omnes Israelitas, et universus populus hanc laudem clara voce decantavit, cœpitque Iudith: Incipite Deo in tympanis, etc.* Hinc patet Iudith fuisse prophetissam, imo scriptricem S. Script. hoc enim carmen quod est pars S. Script. dictavit, inspirante Spiritu Sancto.

Vers. 3. DOMINUS CONTERENS BELLA.) Alludit ad nomen *Iehova*, quod a radice הוה *hova* deductum, idem est quod *conterens*. Citat illud ex Epinicio Mosis, Exodi 15 3. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* Vide ibi dicta.

Vers. 5. VENIT ASSUR (id est, Assyrius exercitus missus a Nabuchodonosor rege Assyriorum, duce Holoferne) EX MONTIBUS AB AQUILONE.) Assyria enim Iudææ partim est ad Orientem, partim et magis ad Septemtrionem.

CUIUS MULTITUDO OBTURAVIT TORRENTES, ET EQUI EORUM COOPERUERUNT VALLES.) Sanchez per Nabuchodonosor, qui misit Holofernem, intelligens Xerxem, hæc ei commode adaptat. Xerxes enim tantas copias in Græciam induxit, ut vix ad potum flumina, ad gressum terra, ad cursum maria satis fuisse dicantur. Ita Paulus Orosius lib. 2. c. 9. Sane siccata fuisse ab illius exercitu flumina tradit Herodotus lib. 7. et Iustinus lib. 2. de quo item Iuven. Satyr. 10.

Credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.

Verum Xerxes fuit Persa, non Assur, id est Assyrius. Vide dicta in prooemio.

Vers. 7. NOCUIT EUM.) Id est ei; olim enim nocere regebat accusativum, ut patet ex Plauto et aliis.

Vers. 8. NEC FILII TITAN (id est, *excelsi gigantes*, ut expli-

A cans subdit) PERCUSSERUNT EUM.) Quæres qui sint filii Titan, vel, ut Græce est, Titanum? Respond. Titan vel Titanus fingitur a Poetis Cæli et Vestæ, id est, Terræ filius, ac Titanes eorumdem filii, de quibus Virgil. 6. Æneid.

Hic genus antiquum Terræ, Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo volvuntur in imo.

Terra, inquit Servius, *primum Titanas contra Saturnum genuit, Gigantes postea contra Iovem. Et ferunt fabulæ Titanas ab irata contra Deos Terra, ad eius ultionem creatos. Unde et Titanes dicti sunt* ἀπὸ τῆς τίσεως, id est, ab ultione. Iupiter enim deiecit eos in Tartara. Tradunt Titanas sex fratres fuisse, et quinque sorores, a Titea matre dictos, ut auctor est Diodorus: ex quibus unus fuit Iapethus pater Promethei, Hiperionque ex Titanum numero est, qui solis ac lunæ, stellarumque motus observasse, atque demonstrasse primus fertur: ideoque solis parens et astrorum fertur. Hinc Sol Titan, Luna Titania, Diana Titania, a Poetis dicuntur. Cicero in Arato 7.

B *Quem cum perpetuo vestivit lumine Titan.*

Ovid. 3. Metamorph. 35.

Dumque ibi perluitur solita Titania lympha.

Titan ergo est epitheton Solis. Sol enim vocatur cæli et terræ filius, quia mane ex terra et mari nasci et oriri videtur, idemque ut Iovis filius in cælo quasi domo paterna refulget. Hinc multi Titan derivant ab Hebr. טיט *tit*, id est, lutum, limus, terra, ut a *Tit* dicta sit Tethys et Titea sex Titanum mater. Alii Titan a τιταίνω deducunt, eo quod Titan, id est Sol quaquaversum radios suos expandat. Porro Titiam esse terram, ex qua prodierit sol et luna fabulantur Poetæ. Terra enim varia habuit nomina. Nam ut ait M. Varro apud Sanctum Augustinum lib. 7. de civitate, terra sive tellus dicta est Ops, quod ope et cultura fiat melior; et mater, quod plurima pariat; et alma, quod cibum paret; et Proserpina, quod ex ea proserpant fruges; et Vesta, quod vestiatur herbis, vel ut alii, quod vi sua stet. Unde exstat Hymnus Titanos apud Orpheum. Hinc secundo per filios Titan posset ac-

cipi Phæton cum sua sobole, quem Poetæ dicunt esse filium solis; qui, dum equos currumque solis incaute regeret, omnia in terris ardore solis combusserit, q. d. Holofernem non percussit sol aut Phæton, sed fœmina Iudith.

Tertio nonnulli per Titanes cæli et terræ filios significari putant spiritus et ventos (idem procellas et fulmina) qui ex cælo, id est ab aere in terram demissi, in ea occultantur, a verbo τιταίνω, id est, extendo, eo quod venti extendentes manus suas et vi agentes, iniuriam faciunt; unde terræ motus exoritur quo multi pereunt, q. d. Non venti, non procellæ, non fulmina, non terræ motus, sed unica mulier prostravit Holofernem. Huc facit quod Pausan. in Corinth. scribit in Titanis colle apud Sicyonios fuisse aram ventorum positam, in qua quotannis sacerdos sacrificabat ad mitigandam ventorum feritatem. Primus sensus uti communior, ita congruentior est: Titanes enim erant gigantes robustissimi, quibus nemo resistere poterat. Unde proverbia: *Titanicus aspectus*, id est, torvus, ferus et horrendus. *Titanibus et Crono* (tempore et Saturno) *antiquior Titanas imploras.* Vide Apollodorum initio l. 1. de Origine deorum, Hesiodum in Theogonia, Giraldum et alios.

Nota ex S. Hieron. in cap. 5. Amos vers. 8. et S. Gregor. 9. Mor. cap. 6. Interpretes tam Septuag. quam Nostrum subinde Hebræa nomina, quæ apud eos aliter appellantur vocabulis fabularum Gentilium Græcorum et Latinorum in linguam græcam et latinam transferre, non quasi fabulas narrent aut probent; sed quia non bene nec plene intelligimus id quod dicitur, nisi per ea vocabula quæ usu didicimus, et quasi cum lacte combibimus, ait sanctus Hieronymus, maxime quando fabulæ ex S. Scriptur. ortum ducunt, uti hic fit. Fabula enim Titanum ex historia gigantum Genes. 6. vers. 4. et cap. 11. 4. facta et ficta est. Sic Sept. Iob. 42. 14. pro *cornu stibii* vertunt *cornu Amaltheæ*, quam Poetæ fingunt esse capram, quæ lacte suo Iovem nutrivit. Sic Thren. 4. 3. Noster vertit *lamias*, cum in Hebr. sit תנים *Tannim* quæ vox dracones vel inania et terrifica monstra significat, quales sunt lamiæ. Idem est iudicium de Arcturo, Orione et similibus, ait S. Hieron. quorum mentio fit in Iob et Prophetis; de quibus Poeta:

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.

Filii ergo Titan vel Titanum sunt filii gigantum, id est gigantes vastissimi, fortissimi et robustissimi, qui vocantur *Raphaim*, pro quo Sept. vertunt Titanes 2. Reg. 5.18. Est metonymia: nam per patrum indolem et fortitudinem significatur indoles et fortitudo filiorum. Ergo per Titanes ex communi vulgi usu non alii intelliguntur quam gigantes.

Posset quoque dici hanc vocem *Titan* pro gigantibus significandis in usu fuisse ex vulgatis toto orbe fabulis apud Assyrios, Chaldæos, Hebræos aliasque gentes, ut significetur Holofernem et Assyrios sua fortitudine et copiis superbos comparasse se Titanibus, ac dixisse se pares esse Titanibus, aut nihil a Titanibus metuere vel præter Titanes: ita ut crebro aliquid Titanicum in castris eorum audiretur, ad quod alludens Iudith, ait: Assyrii non cecidere manu Titanum suorum, sed manu mea, quæ sum imbellis et inermis fœmina. Ita Sanchez.

Vers. 12. HORRUERUNT PERSÆ CONSTANTIAM EIUS, ET MEDI AUDACIAM EIUS.) Hinc liquet in castris Holofernis Assyriis mixtos fuisse Persas et Medos; præsertim, quia ipse dux Holofernes erat Persa, ait Cedrenus: ac Medi, victo Arphaxad eorum principe, iam subacti erant a Nabuchodonosor, ad quem proinde multi quoque e vicinis Persis transfugerunt ob desidiam et turpem Xerxis regis sui cladem et fugam e Græcia, uti dixi in Prooemio.

Vers. 13. TUNC ULULAVERUNT CASTRA ASSYRIORUM, QUANDO APPARUERUNT HUMILES MEI ARESCENTES IN SITI.) Puta cives mei Bethulienses siti pene enecti, quando cæso a me Holoferne, ipsi eius castra invaserunt, et Assyrios fugientes persecuti sunt.

FILII PUELLARUM.) Id est parvi pueri, sive iuvenculi: nec enim grandiores aut adultiores esse possunt, quorum matres adhuc sunt puellæ et iuvenculæ: hinc patet iuvenes et pueros cum viris irruisse in Assyrios fugientes. Vers. 14.

COMPUNXERUNT EOS.) Suis cultris et gladiolis.

MISISTI SPIRITUM TUUM ET CREATA SUNT.) *Spiritum* intellige oris, hoc est, dictum et iussum, quo Deus Gen. 1. dixit iussitque: Fiat sol, luna, aves, pisces, etc. et illico facta sunt. Alludit ad Psal 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vers. 17.

MONTES A FUNDAMENTIS MOVEBUNTUR.) Cum Deus iusserit, q. d. Tanta est Dei potentia, ut solo nutu montes transferre, petras liquare valeat: perinde iam Assyriorum castra, quæ instar altorum montium et durarum petrarum videbantur insuperabilia, per me fœminam superavit, et instar ceræ liquando dissipavit. Vers. 18.

DABIT ENIM IGNEM ET VERMEM IN CARNES EORUM UT URANTUR ET SENTIANT (crucientur) IN SEMPITERNUM.) Hinc sanctus Hieronymus, Chrysost. August. Theoph. Haymo, Lyranus, Abulens. Dionysius, Glossa, Ribera, Maldon. Serar. et alii probabiliter censent in inferno esse vermes corporeos, qui carnes damnatorum rodant, uti est verus ignis eos urens: vide dicta Ecclesiast. 7. 19. et c. 10. 13. et Isaiæ ult. 24. Vers. 21.

MOX UT PURIFICATI SUNT.) Ab immunditia et irregularitate legali ex cæde Assyriorum et contactu mortuorum contracta, lavando corpora et vestes, iuxta legem Num. 31. 24. Vers. 22.

ANATHEMA OBLIVIONIS.) Hebr. חרם *cherem* significat anathema, id est, donum ab usibus profanis avulsum, totumque Deo separatum et consecratum. Τὸ *oblivionis* non est in Græco: unde aliqui legendum putant *oblationis*, sed *oblivionis* habent omnia exemplaria Latina, idque apte huic loco congruit: anathema enim dicitur *oblivionis*, quia dicatum erat Deo ad arcendam tanti beneficii et victoriæ apud posteros oblivionem. Ita Serar. aut quia oblivionem afferebat præteritæ famis, sitis et mille ærumnarum, quas ante ab Assyriis passi fuerant Hebræi: ita Sanchez. Sic Ioseph filium suum vocavit *Manassem*, id est oblivionem, dicens: *Oblivisci me fecit Dominus omnium laborum meorum*, Genes. cap. 41. vers. 51. et Isaias cap. 65. v. 16. *Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores.* In quem locum optime Hier. *Obliviscentur pristina mala, non oblivione memoriæ, sed bonorum successione, iuxta id quod scriptum est: In die bona oblivio malorum.* Vers. 23.

SECUNDUM FACIEM SANCTORUM.) Id est, ante templum vel ante Synagogam: hæc enim extra Ierusalem habitantibus erat instar templi. In ea enim simul orabant, legemque Dei audiebant. Vers. 24.

MANSIT (Græce consenuit) AUTEM IN DOMO VIRI SUI ANNOS CENTUM QUINQUE.) Id est, usque ad annos ætatis suæ centum et quinque. Simili phrasi Hebræi dicuntur habitasse in Ægypto annos 430. id est usque ad annum 430. ab egressu Abraham ex Chaldæa: nam alioqui Hebræi in Ægypto tantum habitarunt annis 215. Exodi 12. 40. Vide ibi dicta. Vers. 28.

Quare minus recte aliqui putant Iudith, postquam facta est vidua, vixisse annos 105. sic enim moriens fuisset 140. annorum vel amplius, quod illo ævo erat insolitum.

Addit Græcus, quod Iudith, antequam moreretur, diviserit substantiam suis et viri sui cognatis. Unde liquet eam caruisse filiis. Eo mirabilior fuit eius castitas. Imitentur Iuditham Christiani etiam principes, qui, ne familia deficiat, mutant propositum, imo votum cælibatus, ac uxores ducunt ut liberos habeant familiæ hæredes et propagatores. Non ita fuit Iudith, imo cælibatum omnibus liberis anteposuit. Hisce enim omnibus nobilior est castitas. Nimirum memor erat illius promissi divini ad eunuchos qui se castraverunt sua voluntate, ob amorem Dei et castitatis: *Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus no-*

men sempiternum dabo eis quod non peribit. Isaiæ 56. 5.

Vers. 29. LUXITQUE ILLAM OMNIS POPULUS DIEBUS SEPTEM.) Sancta a Patribus habetur Iudith. Verum dies mortis eius in Martyrologio non assignatur, quia ignoratur. Æthiopica tamen Ecclesia Iudithæ festum celebrat quarta die mensis sexti, qui dicitur Elul, ait Serar.

Vers. 31. DIES AUTEM VICTORIÆ.) Iudith in Calendario Hebr. assignatur 25. mensis noni qui Casleu dicitur, quo die pariter recolitur memoria dati ignis et Encæniorum Machabæi, teste Genebr. Torniell. Sigonio et Saliano, qui et hoc elogium quasi epitaphium Iudithæ assignat: *Hæc est illa Iudith, quæ mellitam linguæ facundiam, quæ Angelicam faciei dignitatem, quæ fulgurantes oculos, quæ frontis hilaritatem, quæ genarum purpuram, quæ corallina labia, quæ totius orbis maiestatem in arma et sagittas convertit, quibus barbarus caperetur furor, et irrita potentia sterneretur. Hæc est illa Iudith, quæ, cum esset formæ prodigium, exstitit nihilominus miraculum castitatis, quam ieiuniis, precibus, omnique corporis afflictione ita coluit, itaque adamavit, ut, cum ætate floreret, careret liberis, divitiis abundaret et gloria, ipsos septuaginta quinque annos cælebs atque intaminata fulgeret. Vixit a prostrata Holofernis superbia, et concusso Babyloniorum imperio, annos duos et septuaginta, omnino autem pervenit ad centesimum quintum.*

Allegor. Iudith est B. Virgo, quæ urbes et fideles sibi devotos ab hostium obsidione liberat, uti liberavit Constantinopolim sibi dicatam et devotam, anno Domini 717. a triennali Saracenorum oppugnatione, cum illi præsideret S. Germanus Patriarcha Constant. ad quem proinde scribens Gregor. II. Pontifex ep. 4. ita ait: *Pugnatricis illius sanctæ et omnium Christianorum Dominæ miranda facta, quæ in se declarata sunt, per quæ tu quoque inter hostes servatus es, non sunt reticenda. Illi enim, cum insania multa tumultuarentur, tantum invenerunt in se adversitatis hostilis, quantum eorum causa iniustitiæ habuit. Neque hoc tamen mirandum est: nam si Bethulia per manus Iudith Israelitis servata est, cuius opus Holofernis erat sublatio, et per ea tempora ob id salus Israelis vocata est: quomodo non oportebat et tuam sanctitatem huiusmodi propugnatrice utentem hostibus civitatis prævalere ipsamque victoria coronare, etc.*

Maxime vero B. Virgo quasi vera Iudith defendit Bethuliam, quæ Hebr. significat virginitatem. Ipsa enim cum sit virgo virginum, virgines quasi clientes suos protegit, uti plurimis omni sæculo exemplis ostendit, et nominatim virgines olim a tyrannis ad lupanar damnatas (quod summum eis erat tormentum: malebant enim ad leonem quam ad lenonem damnari, ait Tertull. in Apo-
A log.) intactas servavit per Angelos vel leones; uti servavit S. Agnetem, S. Dariam, S. Luciam: adeoque vix eis ullam ex eis violatam fuisse reperies. Cum ergo sentis tentationes carnis, invoca B. Virginem, et victor evades.

Denique, quam Iudith posteris et sæculis omnibus fuerit amabilis et admirabilis liquet ex eo quod Iudithæ nomen et cum nomine virtutis imitationem ambivere Heroinæ et Reginæ. Ita Ludovici Pii Imper. qui Caroli Magni fuit filius et successor, uxor fuit Iudith Augusta, quæ ab adversariis, ac præsertim a Pipino Ludovici ex Irmingarde priore uxore filio, relegata in monasterium S. Radegundis, monasticum ipsa sibi velum imposuit, sed Gregorio IV. Pontif. in imperium una cum Ludovico marito fuit restituta, uti ex Mariano Scoto narrat Baron. anno Christi 834. Iudith pariter appellata fuit Caroli Calvi Francorum regis filia, quæ Anglorum regi nubens in Angliam concessit anno Domini 855. teste Baronio.

Iudith tertia fuit regina Poloniæ, de qua ita ex Longino scribit Baron. tom. 11. anno Christi 1007. in fine:
B *Hoc eodem anno Iuditha Poloniæ regina, sanctissima fœmina, coniux Boleslai regis et adiutrix, ad pietatem propagandam ex hac vita, summo omnium dolore decessit, cum superis in perpetuum regnatura.* Hæc de tempore Longinus, qui et res ab ea præclare gestas recenset.

Iudith quarta fuit filia Henrici Imp. et Hungariæ regina, anno Christi 1074. quam inique regno pulsam Gregor. VII. Pont. datis ad eam litteris consolatur, quibus heroicam eius virtutem dilaudat. Litteræ extant apud Baron. anno Christi 1074. in fine.

Iudith quinta fuit uxor Hermanni Comitis, sanctæ conversationis fœmina, quæ ex hac vita ad cœlestem migravit anno Domini 1095. uti scribit Baronius.

Iuditha, et per crasin Iutta, sexta fuit Saxoniæ ducis filia, quæ nupsit Henrico Daciæ regis filio, ut patet ex epist. 112. Gregorii IX. Pontificis.

Iuditha, sive Iutta, septima fuit virgo famula S. Elisabethæ, quæ miraculis in vita et post mortem claruit.

C Iuditha, sive Iutta, octava fuit Parthena, cuius virtutes et miracula ex Chronicis Poloniæ recenset Abrahamus Bzovius anno Domini 1260. quo diem obiit; ubi inter cætera ait: *Tandem appropinquante vitæ suæ fine, infirmitate correpta (in qua sæpius hæc verba repetebat: O quam multum prodest ad quævis a Deo impetranda adversa valetudo, miseria, et pauperies. læta his qui confidunt in Domino!) tertio Christum Dominum* cum multis Angelis et aliis Sanctis sibi apparentem vidit, qui eam his verbis: *Veni iam, o famula mea, in regnum meum,* ad se invitavit.

COMMENTARIA

IN

E S T H E R.

ARGUMENTUM.

Materia. ESTHER, ait S. Hieron. epist. ad Paulinum, *in Ecclesiæ typo populum liberat de periculo, et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivis, et diem celebrem mittit in posteros.* Argumentum ergo libri est humiliatio superborum, scilicet Vasthi et Aman, ac exaltatio humilium, scilicet Estheris et Mardochæi, ac liberatio Iudæorum. Alleg. Alleg. Assuerus designat Christum, Esther B. Virginem et Ecclesiam, Mardochæus animam fidelem et piam, Aman et Vasthi dæmonem, carnem et mundum repræsentant. Hunc librum esse Canonicum consentiunt Hebræi cum Græcis et Latinis. Extat enim hebraice in Canone Hebræorum, saltem usque ad caput decimum. Vide Bellar. lib. 1. de verbo Dei cap. 7. Serarium hic Proleg. 4. Sixtum Senensem lib. 1. sect. 2. in Esther. Primitus scriptus fuit hebraice; unde ex Hebræo S. Hieron. eum transtulit in idioma latinum, Sept. in Græcum. Porro S. Hieron. ea quæ non reperit in Hebræo, separavit a cæteris, et ad calcem libri collocavit, quæ antea suis locis in vulgata latina ordine temporis et historiæ erant inserta. Eadem eodem ordine exstant græce apud Septuag. ex quibus ea in latinum transtulit S. Hieron. sed in finem libri reiecit, quasi lacinias textus hebraici, ex quo ipse cætera in latinum converterat. Auctor libri est incertus: S. Augustin. 18. civit. 16. Euseb. in chronico anno mundi 4734. Isid. lib. 6. Orig. cap. 2. censent Esdram fuisse; Philo Annianus Ioacim Pontificem; R. David viros Synagogæ. Verisimilius Lyranus, Auctor Mardoch. Dionys. Bellar. Sixtus Senensis, R. Abraham, Serarius, Sanchez et alii opinantur auctorem esse Mardochæum una cum Esther, idque videtur indicari c. 9. 20. et c. 12. 4. ubi dicitur: *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Iudæos;* et c. 9. 29. *Scripseruntque Esther regina filia Abihail et Mardochæus Iudæus etiam secundam epistolam.* Quis autem dubitat in his litteris historiam totam fuisse contentam?

Assuerus quis? Resp. I. Quæres, quo tempore Estheris historia contigerit, sive quis fuerit Assuerus eius maritus? Primo, Serarius et Gordonus censent fuisse Artaxerxem Ochum; sed sic Mardochæus vixisset ducentos annos et amplius; tot enim sunt ab initio captivitatis Babylonicæ, quando Mardochæus cum Iechonia rege translatus est in Babylonem, ut dicitur c. 2. 6. usque ad Ochum. Illa autem ætas illo ævo fuit insolens: nullus enim tunc tamdiu vixisse legitur.

II. Secundo, Iosephus Scaliger lib. 6. de Emendat. temp. p. 284. censet fuit Xerxem; quia, inquit, uxor Xerxis vocabatur Amestris, teste Herodoto l. 7. quæ eadem videtur esse cum Esther. Verum Amestrem fuisse Persicam, non Hebræam, sat indicat Herodot. dum ait eius A patrem fuisse Otanem Persam. Adde mores crudeles Amestris alienos esse a moribus benignæ et beneficæ Estheris. Nam Herodot. eod. l. 7. ait: *Amestrem uxorem Xerxis iam provectæ ætatis, bis septem illustrium Persarum liberos viros defodisse ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra esse fertur.* Et lib. 9. *Amestris*, inquit, *accitis satellitibus, uxorem Masistæ* (erat is frater Xerxis, et filius Darii) *excarnificat, mammillas præcidit, easque canibus abiicit: præcidit nares, aures, labra, linguam, atque ita excarnificatam remittit domum.* Hæccine fecisset Esther?

Tertio, Hebræi in Seder Olam cap. 29. maritum Estheris censent fuisse Cambysem filium Cyri: hunc enim esse eum qui Esdræ 4. 7. vocatur Assuerus, sive Artaxerxes. Adduntque Estherem esse matrem Darii Hystaspis, qui Cambysi in regno successit. Idem censent Vatabl. et Genebr. sed hoc videtur improbabile; Cambyses enim fuit hostis Iudæorum, et fabricam templi a Cyro patre inchoatam inhibuit, ut patet Esdræ 4. 7. B Assuerus autem maritus Estheris Iudæis fuit benevolus et beneficus. III.

Quarto, Ioseph. lib. 11. cap. 6. Niceph. Constant. in chronol. Caietanus, Bellarm. Salianus, Sanchez et alii multi censent Assuerum fuisse Artaxerxem Longimanum Xerxis filium, qui Esdram et Nehemiam in Ierusalem remisit, ut eam reædificarent; adeoque natura fuit mitis et clemens, ut de eo scribit Plutar. in Apophtheg. *Primus hic ducibus, qui deliquissent, has pœnas statuit, ut pro flagellandis corporibus detracta flagellarentur vestimenta; et pro evellendis capillis, depilandoque capite deposita tiara depilaretur.* IV.

Verum iuxta hanc sententiam, Mardochæus fuisset 140. annorum et amplius, ac neptis eius Esther fuisset vetula 70. annorum, ideoque inepta coniugio Assueri, ut patebit c. 2. v. 6.

Quinto, valde probabiliter Megasthenes, Annianus, Lyran. R. Salomon, Aben-Esra, Fevardentius et alii C censent Assuerum Estheris virum fuisse Darium Hystaspis, cuius rei multæ sunt coniecturæ. V. Fuisse Darium Hystaspis.

Primo, quod Assuerus hic cap. 1. v. 1. asseratur instituisse solemne convivium, ac præfuisse 127. provinciis: idem enim expresse de Dario Hystaspis legimus l. 3. Esdræ cap. 3. v. 1. et 2. ubi sic dicitur: *Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, et omnibus magistratibus Mediæ et Persidis, et omnibus purpuratis et prætoribus, et consulibus, et præfectis sub illo, ab India usque Æthiopiam centum viginti septem provinciis.* Quæ verba plane eadem sunt cum verbis primis huius libri. Assuerus ergo fuit *Darius Hystaspis.* Hic etiam Prob. I.

Indos subegit, teste Herodoto lib. 4. p. 114. quod etiam pariter de Assuero hic asseritur cap. 1. vers. 1.

II. Secundo, quod versu 2. dicitur Susan civitas regni Assueri fuisse exordium; unde in ea convivium hoc regale instituit. Plinius enim lib. 6. cap. 27. scribit Susan regiam Persarum conditam a Dario Hystaspis, licet Ælianus et alii ab eodem auctam et illustratam velint. Unde Cassiodorus lib. 7. Variarum: *Hanc,* ait, *illigatis auro lapidibus ædificavit Memnon Tithoni filius.*

III. Tertio, quod c. 2. 6. *Esther,* Hebr. vocabatur *Hadasa,* (Noster vertit *Edissa*) id est, *myrtus:* Darii autem uxor, teste Herodoto, vocabatur *Atossa*, quæ eadem videtur esso cum Hadasa. Esto Herodotus in eo erret, quod Atossam vocet Cyri filiam, quia talis a Persis putabatur, vel iactabatur Esther: ipsa enim iussu Mardochæi prudenter siluit se esse Iudæam. Adde Gentiles Iudæorum res ignorasse, vel depravasse. Hinc et Angelus, anno secundo Darii Hystaspis, fuit visus Zachariæ Prophetæ c. 1. v. 8. stans inter myrteta, id est in aula Estheris, quæ vocata est Hadasa, id est myrtus, quasi promittens Iudæis bona per opem eius et umbram; vide ibi dicta.

IV. Quarto, quia Assuerus hic cap. ult. versu 16. agnoscit quod beneficio Dei Israelis traditum sibi suisque maioribus, et conservatum sit regnum. Hoc autem optime convenit cum voto quod Deo cæli fecit Darius Hystaspis, ut obtineret regnum Persarum, uti narratur 3. Esdræ 3. 43. et a Iosepho lib. 11. Antiq. cap. 4. Item cum edicto eiusdem Darii de templo Iudæorum instaurando, 1. Esdræ 6. et 3. Esdræ 6.

V. Quinto, quia bellum et historia Iudith contigit sub Xerxe, uti ibi ostendi in prooemio. Iudith autem, cum Holofernem occidit, puella vocatur, diciturque supervixisse ad annum ætatis 105. et nullum toto tempore vitæ eius, ac post mortem multis annis perturbasse Israelem, Iudith cap. ult. in fine. Ergo turbæ Aman de occidendis Iudæis non contigere sub Artaxerxe, qui proxime Xerxi patri successit.

Sexto, id manifeste patebit ex ætate Mardochæi cap. VI.
2. versu 6. Obstare videtur cap. ult. versu 16. ubi dicitur Assuerus ortus e regibus; Darius autem fuit filius Hystaspis principis, non regis. Resp. Hystaspin oriundum fuisse a regibus, uti asserit Herodotus, Iustinus et alii, de quo plura cap. ult.

Eodem ævo, quo Esther et Mardochæus, floruere Esdras, Nehemias, Daniel, Ananias, Azarias, Misael, Zorobabel, Iesus filius Iosedec, Aggæus, Malachias, et Zacharias prophetæ, qui sub Dario se prophetasse scribunt initio prophetiæ suæ. Ex Gentilibus floruere Pythagoras, Xenophanes et Heraclitus philosophi; Anacreon, Simonides, Æschylus, et Euripides poetæ; Themistocles, Miltiades, Conon, Leonidas, Aristides belli duces; apud Romanos, Iunius Brutus et L. Collatinus expulso Tarquinio et regibus, primi Consules, Horatius Cocles, Mutius Scævola, Clœlia virgo Vestalis, qui cum Porsena rege Hetruriæ dimicantes heroica fortitudinis Romanæ facinora ediderunt. Quare sæculum hoc virorum illustrium fuit ferax, ideoque celebre et gloriosum.

Scripsere in Esther, Lyran. Hugo, Dion. Serar. Sanchez, et Franc. Fevardentius, qui totum hunc librum per moralia documenta explicat.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assuerus ad potentiæ suæ ostentationem, solemne et semestre instituit convivium; ad illud vocat Vasthi uxorem, sed renuentem venire repudiat.

1. In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam, super centum viginti septem provincias: 2. Quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni eius exordium fuit. 3. Tertio igitur anno imperii sui, fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se. 4. Ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus. 5. Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum: et iussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, et nemoris, quod regio cultu et manu consitum erat. 6. Et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris, et carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, et columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei et argentei, super pavimentum smaragdino et pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat. 7. Bibebant autem qui invitati erant, aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, et præcipuum ponebatur. 8. Nec erat qui nolentes cogeret ab bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. 9. Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat. 10. Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, et post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Maumam, et Bazatha, et Harbona, et Bagatha, et Abgatha, et Zethar, et Charchas, septem eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, 12. Ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput eius diademate, ut ostenderet cunctis populis et principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. 12. Quæ renuit, et ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit. Unde iratus rex, et nimio furore succensus, 13. Interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, et illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac iura maiorum, 14. (Erant autem primi et proximi, Charsena, et Sethar, et Admatha, et Tharsis, et Mares, et Marsana, et Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant), 15. Cui sententiæ Vasthi regina subiaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere noluisset. 16. Bespondîtque Mamuchan, audiente rege, atque principibus: Non solum regem læsit regina Vasthi, sed et omnes populos, et principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri. 17. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, et dicant: Rex Assuerus iussit ut regina Vasthi intraret ad eum, et illa noluit. 18. Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Persarum atque Medorum, parvipendent impe-

ria maritorum: unde regis iusta est indignatio. 19. Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua, et scribatur iuxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illa, accipiat. 20. Et hoc in omne (quod latissimum est) provinciarum tuarum divulgetur imperium, et cunctæ uxores tam maiorum, quam minorum, deferant maritis suis honorem. 21. Placuit consilium eius regi, et principibus: fecitque rex iuxta consilium Mamuchan. 22. Et misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæque gens audire et legere poterat, diversis linguis et litteris, esse viros principes ac maiores in domibus suis: et hoc per cunctos populos divulgari.

Vers. 1. IN DIEBUS ASSUERI.) Sept. *Artaxerxis*, hoc est Darii A Hystaspis, uti iam dixi: Assuerus enim erat nomen commune regum Medorum (unde Darius Medus Daniel. 9. 1. vocatur filius Assueri, id est, Astyagis ultimi regis Medorum) Artaxerxes vero Persarum; utrorumque autem rex erat Darius. Vide dicta 1. Esdræ c. 4. v. 7. Adde Persice hæc tria nomina Darius, Xerxes, et Artaxerxes fere idem significare. Darius enim idem est quod coercitor, Xerxes idem quod bellator, Artaxerxes idem quod magnus bellator, ait Herodotus lib. 6. pag. 175. licet Hesychius in Lexico asserat Darius Persice idem esse quod φρονιμος, id est, prudens, sapiens.

Darii et Xerxis etyma.

Vers. 2. SUSAN REGNI EIUS EXORDIUM FUIT.) Fuit hæc urbs regia Darii et regum Persarum, in qua Darius anno tertio regni sui in regem solemnissime coronari voluit, exhibito publico regali epulo, quod hoc capite describitur. Sita est Susan iuxta Choaspen fluvium loco amœnissimo, ita dicta a liliorum feracitate et copia, teste Athenæo lib. 12. Eustachio in Dioniis, et Etimologico magno: שושן B *Susan* enim Hebr. est lilium: inde Phœnices, Persæ, aliique lilium vocant Susan, vel Susanna: inde quoque dicitur unguentum Susinum, cuius præcipua materia erant lilia, uti testatur Hesychius in voce σουσινον, et Plinius lib. 3. c. 1. licet Stephanus, lib. de urbibus, Susan dictam putet a copia fontium, qui Persice vocantur Susan. Simili modo a floribus variæ nominatæ sunt urbes: Rhodus a rosa: ροδος enim est rosa, Florentia a floribus.

Susan dicta a liliorum copia.

Porro Susan primus condidit Memnon Titoni filius, ait Herodotus, Ælian. Strabo et Cassiod. unde Memnonea est cognominata: auxit vero eam novisque palatiis illustravit, ac regia sede decoravit Darius Hystaspis, teste Æliano. Sunt qui Susan putent esse Tauris, quæ hodie Sophi regis Persarum est Regia. Porro reges Persarum, ait Xenophon libr. 8. Cyrip. hyemem Babylone transigunt, quæ regio calidissima est; ver Susis, æstatem Ecbatanis, et ideo, inquit, neque hyemem sentiunt, neque æstatem; sed perpetuo illis cælum vernat et tempus. Ælianus vero et Athenæus lib. 12. 3. aiunt reges Persarum hyemem agere in Susis, æstatem in Ecbatanis. C

Susan condidit Memnon

Vers. 3. TERTIO IGITUR ANNO IMPERII SUI FECIT GRANDE CONVIVIUM.) Fabulatur hic Chaldæus Assuerum voluisse sedere in solio Salomonis, quod Nabuchodonosor e Ierusalem transtulerat in Babylonem, et Cyrus e Babylone in Persidem; cumque solium non caperet Darium, eum iussisse aliud simile fabricari, atque in eo formando artifices per biennium laborasse; ideoque tertio anno in eo sedisse Darium, ac hoc convivium instruxisse. Putant nonnulli Darium hoc epulum apparasse, ut eo diem suum natalem publica gratulatione celebraret. Hoc enim moris fuisse Persis docet Athen. lib. 4. c. 6. et Plato in Alcibiade.

ET MEDORUM INCLYTIS.) Hebr. *Parthenim*, quod aliqui vertunt *paratimi*, quasi hi iidem sint qui ομοτιμοι, apud Xenophontem; scilicet qui pari habentur honore et conditione, q. d. Principes æquales. Verius est Parthenim non esse Græcum, sed Persicum Satraparum nomen.

Vers. 5. QUOD REGIO CULTU ET MANU CONSITUM ERAT.) Nam Cicero, lib. de Senectute, testatur Cyrum regem Persa- D rum sua manu agros et hortos excoluisse. Ait enim: *Cum autem admiraretur Lysander, et proceritatem arborum, et directos in quincuncem ordines, et humum subactam atque puram, et suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus; tum eum dixisse mirari se in eo diligentiam, sed etiam solertiam eius, a quo essent illa dimensa, atque descripta; et ei Cyrum respondisse: Atqui ego ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ.*

Vers. 6. ET PENDEBANT EX OMNI PARTE TENTORIA AERII (ita legendum, non *æreі*, vel *aurei*) COLORIS AC CARBASINI ET HYACINTHINI.) Per tentoria accipe tapetes, et aulæa ad palos et arbores in horto suspensa, tum ad ornatum, tum ut convivas a sole, imbre, et vento protegerent. Erant hæc *coloris aerii*, id est, candidi, ut habent Hebr. Pagninus et Vatablus. Aer enim pellucidus et luce splendidus apparet candidus. ET CARBASINI, Hebr. כרפס *carpas*, id est viridis. Unde multi legendum hic censent *carpasini* (ut littera *b* in affinem *p* commutata sit, ut sæpe fit) uti habent Septuag. hoc est viridis. Hic enim color mire oculos recreat. Ita Hebræi, Serarius, Sanchez, Pagnin. Vatabl. Marinus et alii. Nonnulli ex vocis similitudine suspicantur carbasinum esse coccinum, quod vulgo carmosinum vocant. Hebr. enim *carpas*, id est carbasinum, sive carpasinum, hoc loco tantum reperitur: unde genuina eius significatio ignoratur. Verum priori expositioni, quod scilicet color carpasinus sit viridis, favet, quod Arabes etiamnum apium hortense (petroselinum) quod summe est viride vocant *Carfs*, quod per crasin idem est cum Hebr. *Carpas*, uti ex Aben Ezra scribit Matthiolus in Dioscor. libr. 3. cap. 69. Hinc et Petroselinum dictum est, quasi petrarum σελινον, hoc est apium: nam inter petras melius nascitur, teste Plinio libr. 20. cap. 12. Alius ergo est color carpasinus, scilicet viridis; alius carbasinus proprie dictus; hic enim est candidus, ita appellatus a carbaso, quod est linum miræ tenuitatis, ideoque candicans, teste Plinio lib. 19. cap. 1. Est et *carphos* herba, quæ alio nomine *buceras*, a similitudine cornuum bovis dicitur, de qua Plinius libr. 24. cap. 19. quæ pariter est viridis.

Carbasinus color est viridis.

EBURNEIS.) Hebr. *argenteis*. Sic et Septuag. et Chaldæi.

LECTULI QUOQUE AUREI ET ARGENTEI.) Nota priscos primo usos sellis, et assedisse ad mensam (uti modo assidemus) ut patet ex Genes. 43. versu 33. et ex Philone libro de vita Ioseph, et Athenæo libro primo. Unde apud Homerum in Odyssea passim convivæ dicuntur assidere mensæ. Postea tamen Iudæi, Persæ, Græci, Romani, et omnes fere gentes usæ sunt accubitu in cœna et prandio, ut non tam sedentes, quam iacentes in lectulis mollius cœnarent, ac sumpto cibo in iisdem quiescerent, vel etiam dormitarent: fatigatum enim ex labore corpus magis reficitur et quiescit iacendo quam sedendo. Accubitus autem hæc erat forma. Accumbebant convivæ reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera vero in longum porrecta et iacente in lecto, capite leviter erecto, dorso a pulvillis modice suffulto. In singulis autem lectulis accumbebant terni aut quaterni hac ratione, ut eius qui supremo loco accumberet pedes iuxta secundo loco accumbentem porrigerentur, et secundi pedes iuxta tertio accumbentem, et ita deinceps. Rursum eius qui secundo accumbebat occiput ad umbilicum aut pectus primo accumbentis obversum erat; ac eodem modo cæteri deinceps accumbebant. Hinc intelleximus quomodo sanctus Ioannes in ultima cœna Christi, in eius pectore, quasi in sinu recubuerit; et quomodo sancta Magdalena Christi ad mensam accumbentis pedes retro, sive post eum stans lavare potuerit. Hinc denique patet quid significet triclinium, scilicet locum refectionis, in quo communiter terni circa mensam erant lecti. Hinc pariter lectuli hi mensales, vocati sunt thori, stibadia, thoralia, accubi-

Accubitus veterum forma.

talia, quæ passim obvia sunt apud Ciceronem, Plinium, Athenæum, Senecam, Virgilium et alios. Vide Ciaconium, Fulgentium, Ursinum et alios in Triclinio.

Super pavimentum.) In pavimento ergo humi prandebant et cœnabant Persæ, more orientalium, æque ac fecit Iudith, c. 12. v. 19. ut patet ex Græco. Nec enim alterius mensæ hic ulla fit mentio.

Pario.) Id est, candido marmore ex insula Paro, quod cæteris præstantius est et pretiosius.

Pictura.) Ex lapidum varietate, opere quasi musivo intexta et contexta consurgens. Lapides hi hebraice vocantur *dar* et *socharet;* quinam hi fuerint ignoratur.

Vers. 7. Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis; et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur.) Prisci Persæ sub Cyro et ante Cyrum in cibo et potu admodum fuere frugales; atque, ut ait Xenophon libro 1. Cyripædiæ, habebant *pro cibo panem, pro obsonio nasturtium, pro potu aquam fluminis.* Unde Cicero Tuscul. 1. *Persarum victus*, ait, *a Xenophonte exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam præter nasturtium.* Hinc duri fortesque evasere ad labores et bella, quibus regnum et monarchiam obtinuerunt, quam invalescente gula et luxu perdiderunt. De priscorum Persarum temperantia et posterorum luxu, vide Xenophontem, lib. 8. Stobæum, serm. 42. et 44. Herodotum, l. 9. Athen. l. 4.

(Cyri frugalitas.)

Certe in Saturnalibus Macrobius ait mensam priscorum fuisse sacram, ac veteres primum numinis meminisse, deinde bene precatos convivis, ac post precationem dapibus cum modestia usos. Serinus apud Stobæum ait reges Persarum ante cibum de modestia disputasse, et ante potum de temperantia. Quin et Augustum trinis tantum ferculis exhibuisse convivia, testis est Sveton. in eius vita, cap. 14. *Convivia numquam*, inquit, *et serius inibat et maturius relinquebat, cum convivæ et cœnare inciperent, prius quam ille discumberet, et permanerent digresso eo. Cœnam ternis ferculis; aut, cum abundantissime senis præbebat, ut non nimio sumptu, ita summa comitate. Nam et ad communionem sermonis tacentes, vel submissius fabulantes provocabat, et aut acroamata, et histriones, aut etiam triviales ex circo ludos interponebat, ac frequentissime aretalogos,* id est, placide loquentes. Servius in libr. 1. Æneid. ait priscos duobus tantum ferculis usos.

(Et Augusti.)

Adde: Veteres in mensa sapientes et serios miscebant sermones, ut patet ex Athen. de cœnis sapientum; erant ergo sobrii, ac cavebant ne ebrii delirum quid dicerent. Unde M. Varro numerum convivarum hac lege definit: *Ut neque minor, quam gratiarum sit, neque quam musarum numerosior*, ait Macrob. lib. 1. Satur. cap. 4. Gratiæ autem sunt tres, Musæ vero sunt novem. Idem Macrob. lib. 7. *Sic*, ait, *apud mensam philosophandum est, ut crateri liquoris ad lætitiam nati* (vini) *adhibeantur, non modo Nympharum, sed Musarum quoque admistione temperies*, etc. *cum non minus quam dulcedo vini, hilarent verba convivium.*

Vers. 8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum.) Non enim amici, sed inimici et hostis est cogere ad bibendum, etiam supra et contra naturam, quod nullæ bestiæ faciunt. Xenophon, libr. 8. Cyripædiæ, ait apud veteres Persas lege cautum fuisse, ne amphoræ ad convivia importarentur, quod existimarent minus tam corpora, quam mentes debilitari, si quis non nimium hauriat. Nunc vero has non importari, restat id quidem, sed tantum bibunt, ut non importent, sed ipsi vino sepulti exportentur, eo quod ipsi recto corpore consistere et exire nequeant. Sic etiam hodie apud nonnullos prisca temperantia in plusquam porcinam ingluviem abiit. Vide Feverden. hic. Salica lex, teste B. Rhenano lib. 2. rerum Germanicarum, fuit: *Nemo militiæ socium suum, aut quemlibet alium ad potandum invitato.* Qui enim cogit, tyrannus est. Tyrannicum enim est illud, quod e Græcorum pergræcationibus citat Tullius, Tusculanor. 5. *Aut bibat, aut abeat.* Tyrannus fuit Alexander Magnus qui, *meracum audacter propinans, etiam alios coegit,* ait Athen. lib. 2. Tyrannus fuit Heliogab. Imper. qui, ut ait Lamp. *Præfectum urbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis et Præfectis prætorio, ita ut si recusarent, magistri eos cogerent.* Certe Empedocles convivio præfectus, cum convivas ad bibendum cogeret, postridie reus fuit in iudicio. Cogere enim est libertatem convivæ adimere, vim iniicere, naturam corrumpere, sanitatem lædere, ut non Deo, sed Baccho, stomachos et mentes suas immolare et mactare videantur. Sapienter Anacharsis apud Laert. quatuor pocula sive haustus assignans, ita eos distinguit. Primum ait, quod bibitur pertinet ad restinguendam sitim, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam.

Porro S. August. et Ambr. graviter taxant eos, qui cogunt convivas bibere ad sanitatem principis, vel amici, et ut ait S. August. serm. 231. de Temp. *Per inimicam amicitiam, adiurare homines non erubescunt, ut potum amplius accipiant quam oportet. Qui enim alterum cogit, ut se plus quam opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatem necaret. Certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.* Et serm. 232. *Excusatio falsa obiicitur: persona potens me coegit, ut amplius bibam.* Et hortatur ne obtemperent, martyres potius fiant, neque ad virorum, Angelorum, aut reliquorum sanctorum nomina bibendum monet.

(Bibere ad sanitatem et ad id cogere, tyrannicum est.)

Audi S. Ambr. lib. de Elia et ieiunio, cap. 7. *Quid obtestationes potentium loquar? quid memorem sacramenta, quæ violari nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum; et qui non biberit, sit reus in devotione; videtur enim non amare Imperatorem qui pro salute eius non biberit. O piæ devotionis obsequium! bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum vita. Et hæc vota ad Deum pertinere iudicant, sicut illi qui calices ad sepulcra martyrum deferunt, atque illic ad vesperam bibunt, atque aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant! qui existimant illos ebrietate placari qui ieiunio passiones sustinere didicerunt!*

An non insania est ita ad alterius sanitatem bibere, ut propriam lædas et perdas? An non calicum remiges et helluones sunt, qui ventrem dapibus vinoque saburrant, quasi porci, imo plusquam porci? Nec enim porcus, quantumvis gulosus, plus comedit quam ut famem, plus bibit quam ut sitim satiet; neque ullis fustibus aut gladiis, ut id faciat, adigi se sinit.

Præponens mensis singulos de principibus suis, ut acciperet unusquisque quod vellet.) Inter hos principes fuit Zorobabel, filius Salathiel, filii Iechoniæ regis Iuda, qui cum sociis suis Hebræis regii corporis custodibus erat ex intimis aulicis Darii, ac post convivium disputans cum eis de fortissimo palmam retulit. Cum enim primus diceret: *Forte est vinum;* secundus: *Fortior est rex;* tertius Zorobabel dixit: *Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.* Quocirca Darius annuens illi, ait: *Pete quod vis, et tibi dabo;* tum Zorobabel: *Memor esto,* inquit, *voti tui quod vovisti ædificare Ierusalem in die qua regnum accepisti, et omnia vasa quæ accepta sunt ex Ierusalem remittere. Et tu vovisti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa a Chaldæis. Hoc est quod postulo, ut facias votum quod vovisti Regi cœli ex ore tuo.* Quare, cum osculatus esset illum Darius, votum implevit, et templum instauravit, ac vasa cum muneribus in Ierusalem remisit, uti fuse narratur 3. Esdræ cap. 3. et 4.

Allegor. hoc Assueri convivium ad litteram fuit vanum vanæ voluptatis et gloriæ aucupium, sed mystice magnum S. Eucharistiæ simulacrum. Primo enim Assuerus rex et monarcha repræsentat Christum Regem regum et Dominum dominantium. Unde *Assuerus* Hebr. et Chald. idem est quod *magnum caput*, magnus rex, et princeps. Addit Lyranus: *Assuerus interpretatur beatus: Christus autem non solum beatus est, sed et sanctorum beatitudo.* Glossa vero interlinearis: *Assuerus,* inquit, *Christum Dominum ostendit nomine et dignitate; interpretatur enim*

(Convivium Assueri est typus Christi.)

ostium. Christus autem dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Secundo, Assuerus hoc convivium celebravit in regia sua Susan, quæ vox Hebr. significat lilium, puritatis et virginitatis symbolum. Sic Christus in Susan, id est in Ecclesia, quæ liliis castorum et virginum floret, instituit Eucharistiam, quæ proinde a castis, et omni labe puris purissime suscipienda est; itaque suscepta puritatem et castitatem valde adauget. Ipsa enim est *frumentum electorum, et vinum germinans virgines*, Zach. 9. 17. Hinc Ecclesia vino hoc non ebria, sed sobria hilarescit et exultat, aitque: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, Psalm. 86. 7. *Et transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis*, Psalm. 41. 5. *Et iusti exultent et delectentur in lætitia*, Psal. 67. 4. Tertio, Assuerus hoc convivium celebravit septem diebus, id est, toto tempore huius vitæ, quod septem diebus agitur, ait Glossa interl. iuxta illud Christi. Matth. 28. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ita Lyranus. Quarto, ob magnitudinem convivii. *Fecit*, inquit, *grande convivium.* Quid grandius Eucharistica mensa. *Cœna magna*, per excellentiam? Unde Glossa ordinar. *Huius, inquit, convivii historia pompam historiarum, et luxum Regis ostendit; sed Christi spirituales delicias, quas unicuique dispensat, allegorice significat.*

Quinto, Assuerus non tantum principes, sed et totum populum a minimo usque ad maximum invitavit; sic Christus ad Eucharistiam invitat omnes tam pauperes, quam divites; tam fœminas, quam viros; tam senes, quam iuvenes. Sexto, ob convivii magnificentiam; nam Lyranus et Glossa asserunt per hortum, in quo fit, significari Ecclesiam quæ est hortus conclusus, multis consitus arboribus, et fructiferis per sanctam vitam, et aromaticis per bonam famam. Per tentoria superne obumbrantia, et columnas inferne sustentantes, indicari Sanctorum suffragia, et divina præsidia, quibus, qui ad hanc mensam accedunt, defenduntur. Per multiplices velaminum et funium colores, candidos, purpureos, hyacinthinos, intelligi virgines, martyres, doctores, qui huius convivii dapibus saginantur. Per lectulos etiam aureos et argenteos, in quibus convivantes recumbebant, tranquillas et pacatas exprimi conscientias, quas habere debent, qui hoc divino pabulo perfruuntur. Per gemmas et picturas, quæ mira varietate decorabant pavimentum, insinuari virtutes et reliqua dona spiritualia, quibus rite communicantium mentes picturantur. Septimo, ob cibi et potus suavitatem et delicias: *Vinum*, inquit Scriptura, *ut magnificentia regia dignum erat, et præcipuum apponebatur.* In Eucharistia vero Christus ut cibus apponitur, in quo quasi in manna haurimus omne Angelorum delectamentum, et omnem spiritus suavitatem, iuxta illud: *Panem cœli dedit eis: et panem Angelorum manducavit homo.* Ps. 77. v. 24. et 25.

Vers. 9. VASTHI QUOQUE REGINA FECIT CONVIVIUM FŒMINARUM.) Hinc apposite Hebr. *Vasthi* idem est quod *et potatio* vel *et stamen*; fila enim et stamina sunt opera fœminarum. Pro *Vasthi* Græce est *Asti*; Ioseph. *Scesti*, indeque composita sunt nomina Persica Astaspes et Hystaspes. Unde nonnulli cum Serario suspicantur hanc Vasthi fuisse filiam Hystaspis, ac sororem Darii mariti sui. Favet Ctesius asserens fratrem Assueri fuisse Oudiaspem, quod nomen alludit ad Vasthi: quasi hæc Oudiaspis fuerit soror. Persæ enim sorores ducebant in uxores, ut docet Herodotus in Cambyse, Curtius libr. 8. Plin. libr. 36. c. 8. Alii putant Vasthi fuisse filiam Cyri; hanc enim uxorem duxisse Darium ad confirmandum sibi regnum Persarum docet Iustinus libr. 1. et Herodot. libr. 3. qui eam vocat Artystonam, quod nomen alludit ad Vasthi.

Vers. 10. CUM REX ESSET HILARIOR, ET POST NIMIAM POTATIONEM INCALUISSET MERO.) Leges Persarum permittebant regi Persarum semel in anno, scilicet in festo Solis, quem Persæ colebant ut Deum, inebriari: verum quod semel permiserat lex, sæpius pro suo imperio usurpare poterat rex.

A MAUMAM.) Græce est *Aman*, licet Hebr. Aman putent fuisse Mamuchan, de quo v. 14.

UT INTRODUCERENT REGINAM VASTHI, etc. UT OSTENDERET CUNCTIS POPULIS ET PRINCIPIBUS PULCHRITUDINEM ILLIUS.) Iussit hoc Assuerus partim ex temulentia, partim ex libidine; quare incauta, imprudens, superba, inhonesta, et inverecunda fuit hæc eius iussio, cui proinde Vasthi non tenebatur obedire pudoris et castitatis causa, ne sua forma principum iam mero æstuantium oculos animosque in sui concupiscentiam illiceret, uti Candaules rex Sardorum illexit Gygem amicum suum in amorem uxoris suæ, ostendens ei illam nudam: quocirca Gyges, per annulum magicum faciens se invisibilem, occidit Candaulem, et uxorem eius sibi adscivit, uti narrat Herodotus, libr. 1. Fabulantur Rabbini Vasthi pari modo ab Assuero iussam prodire nudam in convivium. Addunt ex Balthasare de quo Daniel. cap. 5. natam ipsam, quæ tyrannide importunissima, servas Hebræas die Sabbati laborare cogeret, nudasque obambulare, hanceque causam B esse cur eiecta nuda sit, dieque Sabbati, qui septimus etiam vocatur, male perierit. Sed apage obscœnitas ista obscœnorum Rabbinorum. Vers. 11.

ERAT ENIM PULCHRA VALDE.) Persicæ mulieres cæteras pulchritudine superabant. Unde Alexander Magnus noluit videre Darii iam a se cæsi uxorem et filias, dicens: *Persicas fœminas esse oculorum dolores*, ait Plutarch. et Curt. *In Perside fœminarum pulchritudo excellit*, ait Ammian. lib. 73.

QUÆ RENUIT, ET AD REGIS IMPERIUM, etc. VENIRE CONTEMPSIT.) Videtur ergo peccasse superbia, inobedientia et mariti contemptu, quem si demas, honeste ipsa et pudice mariti temulenti inhonestam et impudicam sui coram principibus ostentationem detrectavit; præsertim quia, ut ait Ioseph. lib. 11. cap. 6. *Voluit ipsa Persarum leges custodire, quæ ab alienis uxores videri prohibebant.* Quare Macrob. lib. 7. cap. 1. ait a Parthis non coniuges, sed concubinas dumtaxat in convivia induci solitas. Idem C tradit S. Ambr. lib de Elia, cap. 15. Et Parthopersæ *fœminis non convivia tantum, sed et virorum conspectum interdicunt.* Unde Severus Sulpitius de Vasthi: *Stulto*, ait, *rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere iussa abnuit*; tanto ipso laudabilior, quanto in legum pudorisque constantia perseverantior; nam, ut prudenter monet S. Hier. Epist. ad Furiam: *Non Æthnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut iuveniles medullæ vino plenæ, dapibus inflammatæ.* Et Tertul. de ieiun. adversus Psychicos, cap. 1. *Monstrum scilicet haberetur libido sine gula; cum hæc duo tam unita atque concreta sint, ut si disiungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent.* Denique Plutarc. in Artaxerxe asserit apud Persas fuisse capitale reginæ, aut regiæ alicuius concubinæ lecticam proprius accedere, ipsamque videre. Recte ergo ex lege naturæ, æque ac positiva Persarum, Vasthi noluit suam speciem ostentare convivis temulentis.

Utinam Vasthi imitentur fœminæ Christianæ, quæ suam D formam palam ostentant, imo fucant, ut iuvenes in sui amorem illiciant: itaque eorum corpora et animas lenocinantur cum æterno tam sui, quam ipsorum exitio: Nam *oculi sunt in amore duces.* Et formosa illicique fœmina nihil illecebrosius.

UNDE IRATUS REX, ET NIMIO FURORE SUCCENSUS) Protulit contra Vasthi iracundam et iniquam repudii sententiam, quæ sequitur. Nam *vir omnis vinolentus est ira inferior et mentis vacuus*, ait Sophocles apud Stobæum, serm. 48.

SEPTEM DUCES PERSARUM, ATQUE MEDORUM, QUI VIDEBANT FACIEM REGIS.) Hoc est, erant intimi et consiliarii, et familiarissimi regi. Nam, ut ait Iust. lib. 1. in fine: *Apud Persas persona regis sub specie maiestatis occulitur*; unde c. 7. 8. Aman, qui in regis indignationem inciderat, faciem operuerunt, quasi indigni qui videret regem, quem adeo offenderat. Similem fastum usurparunt nonnulli reges, ac hodie usurpant reges Sinarum. Idip- Vers. 14.

sum Persæ a Medis æque ac regnum acceperunt. Nam de Deioce, rege Medorum, ait Herod. l. 1. p. 21. *Cavet, ut nec conspici regem a quopiam fas esset.* Nam ut ait Valer. Max. lib. 2. c. 7. *Quidquid in excelso fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit.*

Vers. 19. Ut nequaquam Vasthi ultra ingrediatur, etc., regnum (reginæ titulum, dignitatem et magnificentiam) illius altera, quæ melior est illa, accipiat.) Plutarch. in Artaxerxe agens de Persis: *Sunt barbari*, ait, *maxime zelotypi, et in uxores feri.* In hunc locum commentans Lutherus, omnes pudoris leges, limitesque excussit, docens quod si uxor ad opus couiugale sit difficilior, vocetur ancilla, eique dicatur a marito: *Si nolis tu, vult alia; si non vult uxor, veniat ancilla.* Dignum tali patella operculum; dignum tali propheta Priapi oraculum.

Sanius S. Hieron. epist. ad Rusticum: *Philosophi huius sæculi,* inquit, *solent amorem veterem amore novo quasi*

A *clavum clavo expellere. Quod et Assuero regi septem principes fecere Persarum, ut Vasthi reginæ desiderium, aliarum puellarum amore compescerent. Illi vitium vitio, peccatum peccato meditantur; nos amore virtutum vitia superemus. Declina,* ait, *a malo, et fac bonum. Quære pacem et persequere eam. Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus.*

Tropolog. Vide hic ut convivium Assueri in mœrorem desinat, et extrema gaudii luctus occupet, ac rex Vasthi reginam coniugemque suam pulcherrimam abdicet et repudiet. *Sic fluvii,* inquit illa, *in alveo suo dulces sunt; cum tamen ad mare decurrunt, fiunt amari.* Vide Chrys. hom. 6. in epist. ad Hebr. in Morali. Sic primorum conviviorum et deliciarum postridianus est dies doloris et pœnitentiæ.

Esse viros principes.) q. d. Viros, sive maritos in Vers. 22.
domibus suis debere esse principes, ac dominari suis uxoribus, filiis et famulis.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assuerus repudiat Vasthi, ac pro ea reginam sibi adsciscit Esther, per quam Mardochæus Assuero revelat coniurationem duorum Palatinorum contra regem, quos Assuerus crucifigit, et Mardochæi fidem in annales referri jubet.

1. His ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, et quæ fecisset, vel quæ passa esset: 2. Dixeruntque pueri regis, ac ministri eius: Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ, 3. Et mittantur qui considerent per universas provincias puellas speciosas et virgines: et adducant eas ad civitatem Susan, et tradant eas in domum feminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus et custos mulierum regiarum: et accipiant mundum muliebrem, et cetera ad usus necessaria. 4. Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: et ita, ut suggesserant, iussit fieri. 5. Erat vir Iudæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Iemini, 6. Qui translatus fuerat de Ierusalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, 7. Qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther, et utrumque parentem amiserat: pulchra nimis, et decora facie. Mortuisque patre eius ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam. 8. Cumque percrebuisset regis imperium, et iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, et Egeo traderentur eunucho; Esther quoque inter ceteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero feminarum. 9. Quæ placuit ei, et invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, et tam ipsam quam pedisséquas eius ornaret atque excoleret. 10. Quæ noluit indicare ei populum et patriam suam: Mardochæus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret: 11. Qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam agens salutis Esther, et scire volens quid ei accideret. 12. Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, et aliis sex quibusdam pigmentis et aromatibus uterentur. 13. Ingredientesque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, et ut eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant. 14. Et quæ intraverat vesperæ, egrediebatur mane, atque inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem ultra redeundi, nisi voluisset rex, et eam venire iussisset ex nomine. 15. Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. 16. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni eius. 17. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vasthi. 18. Et iussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus, et servis suis, pro coniunctione et nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem. 19. Cumque secundo quærerentur virgines et congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam regis: 20. Necdum prodiderat Esther patriam, et populum suum, iuxta mandatum eius. Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: et ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat. 21. Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati sunt Bagathan et Thares, duo eunuchi regis, qui ianitores erant, et in primo palatii limine præsidebant: volueruntque insurgere in regem, et occidere eum. 22. Quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther; et illa regi, ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat. 23. Quæsitum est, et inventum: et appensus est uterque eorum in patibulo. Mandatumque est historiis, et annalibus traditum coram rege.

Vers. 1. RECORDATUS EST (ita Hebr. Sept. Chald. Roman. Male ergo nonnulli legunt, *recordata est,* scilicet Vasthi) VASTHI.) Quod scilicet eam adeo speciosam et dilectam repudiasset. Unde subiit animum regis dolor et mœstitia, tam sui, quam Vasthi, quam deamabat, causa: quem mœrorem ut abstergant regis ministri, suggerunt ei ut uxorem speciosiorem quæri curet per universum regnum, ne decretum repudii revocet; itaque aliquid de regia constantia et auctoritate deperdat, nimirum sicut clavus clavo truditur, sic amor amore pellitur.

QUÆ PASSA ESSET.) Id est, ut Hebr. *quæ sententia in eam lata esset* nimirum repudii et privationis regni.

Vers. 3. EGEI EUNUCHI.) Τὸ *Egei* alludit ad *Vagao*, sive *Bagous,* quod Persice significat eunuchum. Vide dicta Iudith 12. v. 10. Porro eunuchi olim erant intimi regi et principes aulæ, qui videbant faciem regis, illique erant familiarissimi, ut patet cap. 1. 10. ubi Chald. pro *eunuchis* vertit *satrapas.*

Vers. 5. ERAT VIR IUDÆUS IN SUSAN CIVITATE, VOCABULO MARDOCHÆUS.) Licet enim Mardochæus cum Zorobabel et Iesu Pont. sub Cyro e Babylone rediisset in Ierusalem, imo unus e primoribus et ducibus redeuntium fuisset, ut patet 1. Esdræ 2. v. 2. tamen ipse mox e Ierusalem rediit in Susan, eo quod esset *vir magnus, et inter primos aulæ regiæ,* ut dicitur cap. 11. 4. Erat enim *ad ianuam regis,* quasi eius ostiarius, cubicularius, et corporis regii custos. Ostiarios enim regiæ fuisse regis custodes testatur Xenophon et Herod. Unde Iosephus Ben Gorion ait Mardochæum unum fuisse e tribus *Parthenim,* id est aulæ principibus et palatinis, de quibus vers. 3. Sic Daniel ob suam probitatem et prophetiam a Nabuchodonosor præpositus fuit toti Babyloni, Daniel. 2. vers. 48. Et Tobias licet Hebræus et captivus, ob suam fidelitatem fuit œconomus Salmanasar, Tobiæ 1. ita virtus extulit priscos Iudæos, alias gentilibus invisos.

Mardochæi etymon. Porro *Mardochæus* Hebr. idem est quod *Mardachat,* id est, *myrrha,* vel *amaritudo contritionis,* vel *myrrha contrita,* vel *docens contritionem,* vel *myrrha purissima.* Ita Serar. Item *myrrha contritionum mearum,* vel *paupertatum mearum,* vel *pauperum meorum* (*dach* enim est pauper) vel *myrrha puritatum mearum,* aut iustorum *meorum; dacha* enim Syriace est mundare, purificare, iustificare. Hæc omnia habet Pagnin. in nom. Hebr. omniaque apte competunt Mardochæo, qui cum Hebræis per Aman destinatus ad necem, amara passus est; sed per Esther omne fel in mel, amaritudo in dulcedinem, mœstitia in lætitiam conversa est.

Tribus et stirpis regiæ. MARDOCHÆUS FILIUS IAIR, FILII SEMEI, FILII CIS DE STIRPE IEMINI.) Id est, de tribu Beniamin, ait Chald. Septuag. et Iosephus. Nam Iemini fuit vir nobilis ex hac tribu; vel certe *Beniamin* per aphæresin τὸ *Ben* idem est quod *Iamin,* vel *Iemini.* Hinc colligimus Mardochæum et Esther oriundos fuisse ex Beniamin, et de stirpe regia Saulis; idque asserit Iosephus, Serarius et alii. Cis enim fuit pater Saulis, hic Ionathæ et Mephiboseth, ex quo descendere videtur Mardochæus et Esther. Multæ enim generationes intermediæ subticentur hic, æque ac alibi. Addit Chald. *Mardochæus erat vir pius, et orans ante Deum suum pro populo suo.* Quam id verum sit patebit ex decursu historiæ. Hinc patet Esther fuisse filiam Cis, pro quo Herod. l. 3. habet, filia Cyri, quia ipse non norat Cis, sed Cyrum; putabatque Esther esse Persianam, non Iudæam. Esther enim, sive Hadasa, videtur esse Atossa Herodoti.

Vers. 6. QUI TRANSLATUS FUERAT DE IERUSALEM EO TEMPORE, QUO IECHONIAM REGEM IUDA, NABUCHODONOSOR REX BABYLONIS TRANSTULERAT.) In Babylonem, 4. Regum cap. ultimo. Τὸ *qui* Rup. libr. 8. cap. 5. Caiet. Scaliger et Serarius referunt ad *Cis,* quasi hic cum Iechonia translatus sit, non vero Mardochæus; sic enim, inquiunt, ipse vixisset ducentos circiter annos, quod illo ævo erat insolitum. Verum τὸ *qui* referre *Mardochæum,* non *Cis,* liquet: tum quia hoc sermonis nexus, et plana constructio, quæ tota est de Mardochæo, exigit; tum quia Mardochæum cum Iechonia translatum esse diserte dicitur c. 11. 4. ex quo liquet ipsum in sua persona, non in suo patre, vel avo (uti nonnulli explicant) fuisse translatum. Unde colligo et concludo historiam hanc contigisse, non sub Artaxerxe Longimano, ut multi volunt, multo minus sub Artaxerxe Mnemone; quia tamdiu vivere non potuit Mardochæus: quod enim Scaliger ait eum vixisse ducentos annos, alii 165. alii 190. incredibile videtur, et confutatur ex eo, quod Esther, quæ erat Mardochæi neptis ex fratre, v. 8. vocetur puella, id est, iuvencula. Erat enim ipsa sine dubio in ætate florenti cum ob formam cæteris virginibus prælata, coniux data est Assuero; quomodo enim rex anum rugosam et deformem appetiisset, vel admisisset in uxorem? Quare Mardochæus patruus Esther non potuit tunc esse centum annorum. Concludo ergo et assero historiam hanc contigisse sub Dario Hystaspis, illumque fuisse Assuerum maritum Esther, uti ostendi in Proœmio, cuius ætatem et annos sic subduco et calculo; Mardochæus, cum Iechonia translatus in Babylonem, erat puer circiter triennis. Adde 70. annos captivitatis Babylonicæ, deinde tres annos Cyri, sex Cambysis, et tres Darii Hystaspis (tertio enim regni anno duxit Estherem, ut patet cap. 1. v. 3) conflabis annos vitæ et ætatis Mardochæi 85. Ita ut Esther a fratre iuniore Mardochæi genita fuerit 30. circiter annorum, quæ ætas est iuventutis floridæ, aptæque coniugio Hinc liquet unum eumdemque fuisse Mardochæum (non duos, ut vult Serarius et alii) qui cum Esdra, Nehemia, Zorobabel, Iesu Pont. vixit, fuitque unus e ducibus populi redeuntis e Babylone, 1. Esdræ 2. v. 2. Ætas et ævum Mardochæi.

Vers. 7. QUI FUIT NUTRITIUS FILIÆ FRATRIS (Hebr. Chald. et Sept. habent *fratris patris,* id est, patrui, quasi Esther fuerit patruelis, sive consobrina Mardochæi, non neptis) SUÆ EDISSÆ, QUÆ ALTERO NOMINE VOCABATUR ESTHER.) Hebr. ergo vocabatur *Hadasa* (Noster *Edissa* Persice) et cum ascita est in thorum Darii regis Persarum, dicta est Esther. Unde Xerxes filius Darii uxorem habuit, cui nomen Amester vel Amestris, teste Herod. l. 7. q. d. Altera Esther.

Esther dicta Hadasa, id est myrtus. Cur? Porro *Hadasa,* sive *Edissa,* Hebr. idem est quod *myrtus,* vel *myrtea;* ita ergo fuit appellata ob eximiam pulchritudinem, probitatem, comitatem, et venustatem tum corporis, tum morum, præsertim virginalis pudoris et pudicitiæ, in qua fuit typus B. Virginis, cæterarumque virginum et sanctorum, uti per multas analogias ostendi Zachariæ 1. v. 8. ubi hac de causa anno secundo Darii Hystaspis Zacharias vidit Angelum stantem inter myrteta, id est in aula Esther, quæ dicta est *Hadasa,* id est myrtus, quæque iam destinabatur uxor Dario ad salutem populi sui, uti ibidem ostendi. Itaque vocata est *Hadasa,* id est myrtus, ob eminentem pulchritudinem; myrtus enim est herbarum pulcherrima: unde et Venus speciosissima cognominata est myrtea. Sic et Philippus rex Franciæ a forma eximia congnominatus est pulcher. Ita Sanchez, Serarius et alii. Hæc autem pulchritudo corporis, et magis animi in Esther, æque ac in myrto, fuit solida et constans, iuxta illud: *Myrtus semper est myrtus, etiamsi inter urticas sit,* uti Esther fuit inter Persas.

Ipsa est Atossa. Porro *Hadasa,* sive *Edissa,* videtur esse *Atossa,* quam Herodot. lib. 3. uxorem Darii Hystaspis nuncupat; additque, lib. 7. sub initium, eius filium primogenitum fuisse Xerxem, qui Dario patri in regno successit. Quare nonnulli censent Xerxem Estheris ex Dario fuisse filium. Audi Herod. libr. 7. ubi cum narrasset Darium, antequam rex crearetur, habuisset uxorem filiam Gobriæ, ex eaque genuisse Artabazanem, cum vero creatus fuit rex, duxisse Atossam, ex eaque genuisse Xerxem, cui Artabazani fratri de iure successionis in regnum litem movit, eique favens Demaratus Spartanus suggessit: *Ut ad cætera quæ dicebat, hoc adderet; se quidem genitum a Dario iam rege, et Persarum imperium obtinente; Artabazanem vero a Dario, cum erat privatus; proinde neque æquum, neque iustum esse, alium quempiam potius quam se illam dignitatem adipisci. Quoniam Spartæ quoque sic* Mater Xerxis.

usurparetur, ut, si cui, antequam regnet, filii nascantur, deinde regi iam alius nascatur, huius postea nati successio regni sit. Hac a Demarato subiecta ratione utentem Xerxem tamquam iuste dicentem, Darius regem declaravit, quamquam etiam citra præceptum Demarati Xerxes (ut mea fert opinio) regnasset; quippe cum omnis potentia penes Atossam esset. Hæc Herodot. qui et inferius addit Xerxem movisse bellum Græcis, ac numerasse in castris militum 170. myriades, hoc est decies septies centena millia, sed in tanto numero nullum fuisse qui cum Xerxe, vel magnitudine, tum animi, tum corporis, vel forma et specie tam augusta comparari posset; Xerxem vero ex alta specula tantas copias contemplantem illacrymasse; ac ab Artabano rogatum causam dixisse: ***Reputantem** me quam brevis est humana vita, subiit horum miseratio, quorum cum tot sint, nemo ad centesimum annum supererit;* tum subiunxisse Artabanum: *Vita hæc tam misera est, totque ærumnis referta, ut nullius hominum sit, cuius animo non crebro subeat moriendi voluntas potius quam vivendi, cuique vita, licet brevis sit, non perlonga videatur; itaque mors optatissimum est ærumnosæ vitæ perfugium, ac proinde non lugenda, sed optanda potius et ambienda.*

Esther.) Ita dicta est a Persis, uti iam ostendi, quæ prius Hebr. vocabatur *Hadasa*, id est myrtus. Solebant enim Chaldæi et Persæ alienigenis, ac præsertim Hebræis, cum in urbem vel aulam adsciscerentur, mutare nomina, ac patria suæ gentis dare, uti Danieli dedere et sociis, cap. 1.

Estheris etymon. Porro ***Esther*** Hebr. idem est quod *abscondam*, ait Pagnin. a rad. סתר *Satar*, id est, abscondit. Addit Serar. initio prolegom. *Esther* idem est quod *occulta demoliens*, vel *medicinæ exploratio et contemplatio*, vel *medicina turturis*, vel *pulchra ut luna*, aut Venus. Unde ab Esther dici ἀστὴρ, id est stella, quæ inde a Germanis dicitur *stern.* (Esther. ἀστὴρ) Esther enim fuit astrum lucidius cæteris virginibus regiis; imo sol Israelis æque ac Persidis. Hinc iterum nomen Esther alludit ad Astartem Deam Syrorum, quam Venerem fuisse pulcherrimam Dearum tradit Cicero, lib. 3. de natura Deorum; et ad Asterem filiam Cei, Titanis filii, ex qua Iupiter genuit Herculem, uti aiunt, et fingunt Poetæ. Rursum ***Esther*** Hebr. idem est quod ignis absconditus: אש *es* enim est *ignis*, סתר *satar abscondere*; vel *ignis turturis* vel *ignis investigans et scrutans*; *es* enim est *ignis* תור *tor est turtur*, vel *investigans et scrutans.*

Verum quia Esther est nomen Persicum, hinc et etymon eius ab Arabibus et Persis (quorum lingua vicina est, et utraque ab Hebræa descendens) arcessendum est. ***Esther*** ergo Arabice et Persice idem est quod *receptatrix et protectrix*, scilicet Iudæorum ab Aman neci destinatorum: ***Satar*** enim est recipere, celare, abscondere, et protegere. Unde *Satir* Arabice est protector; *satar* est receptator, qui servos fugientes recipit, et occultat. Rursum Chaldaice et Syriace *Satar* significat opponere, contradicere, destruere, qualis fuit Esther, quæ se opposuit Amano, eumque destruxit, et crucifixit. Denique Pagnin.

Hilaritas Esther, inquit, Chald. idem est quod *hilaritas*; et sic ***Esther*** Persice idem est quod Hebr. *Hadasa*, id est *myrtus*: hæc enim est symbolum lætitiæ et hilaritatis, quam Israeli attulit Esther eum liberando ab Amano et morte.

Esther typus beatæ Virginis. Alleg. Esther est B. Virgo; ipsa enim sub alis suis recipit et protegit peccatores, et iustos afflictos ad se confugientes; ipsa est hilaritas sanctorum et fidelium. Hinc eius ope S. Hilaria mater S. Afræ martyris, orans ad filiæ sepulcrum a Gentilibus in ignem coniectæ, hilariter martyrium obiit, æque ac S. Hilaria Claudii tribuni et martyris uxor, quæ orans ad sepulcrum Iasonis et Mauri filiorum suorum martyrum, capta a Paganis, percepta S. Synaxi, hilaris emisit spiritum, uti refert Ado in Martyrolog. ad diem 12. Augusti, et ad diem 3. Decembris. Quocirca Ecclesia quotidie ita B. Virg. compellat et invocat: *Salve, Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve.* Et alibi: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et in hora mortis suscipe.* Et: *Ave, maris stella, Dei mater alma,* etc. *Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Audi S. Bern. serm. 4. de Assumpt. *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse; nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hoc potius nobis ipsis; laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur sæpius, crebrius invocamus.*

Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.) Hinc patet primo, Esther fuisse e tribu Beniamin, et stirpe regali Saulis; ex illa enim erat Mardochæus eius patruus, imo pater adoptivus; secundo, eam fuisse orphanam; tertio, pie et sancte educatam a pio et sancto Mardochæo, qui ei quasi filiæ suum virtutis et pietatis spiritum inhalavit. Unde S. Hieron. epist. 140. ***Ruth**, inquit, **Esther** et **Iudith** tanta gloria fuit, ut sacris voluminibus nomina indiderint.* Porro litteræ nominis Iudith, et nominis Esther acceptæ, ut notæ numerorum eumdem numerum efficiunt, scilicet 161. ut ostendit Serarius initio Prolegomenon.

Quæ placuit ei.) Egeo eunucho, conquirenti virgines speciosas Assuero. Vers. 9.

Et præcepit (Egeus præfectus eunuchorum) **eunucho** (se inferiori et subdito) **ut acceleraret mundum** (id est ornatum) **muliebrem, et traderet ei partes.**) Id est demensam, statutamque cibi et epularum portionem: מנות *Manoth* enim Hebraice vocantur fercula, quæ unicuique apponuntur sigillatim, quales partes Elcana dedit Annæ uxori, 1. Reg. 1. et Samuel Sauli Regi, 1. Reg. 10. Porro non dubium Estherem fœminam religiosam abstinuisse a cibis lege Mosis sibi vetitis, uti ab idolothytis se abstinuisse ipsamet profitetur, cap. 14. 17.

Et septem puellas speciosissimas.) Quasi comites et pedissequas honorarias.

Mensis duodecimus.) Integro ergo anno singulæ virgines ornabantur et excolebantur, antequam Assuerum adirent; nimirum sex prioribus mensibus ungebantur oleo myrrhino, sive ex myrrha confecto, aliis sex pigmentis, et aromatibus delicatis, et odoribus utebantur, ac præsertim confectis ex Heliocallide: *Hac enim cum adipe,* inquit Plinius lib. 24. cap. 17. *leonino decocta, addito croco et palmeo vino, perungi Magos, et Persarum reges, ut fiat corpus aspectu iucundum, ideoque eamdem Heliocallidem nominari.* Vers. 12.

Causa fuit quod fœminæ Iudææ, æque ac Persicæ, ob regionis calorem graviter oleant, et hircinum odorem sub axillis exhalent, qui unguentis sensim a corpore imbibitis abstergendus est, ut suavem, quo imbuti sunt, odorem exhalent. Unde Plinius lib. 13. cap. 1. unguenti et ungendi usum et originem Persis adscribit: *Persarum,* inquit, *esse debet gentis unguentum; illi madent eo, et accersita commendatione ingluvie natum virus extinguunt. Primum, quod equidem inveniam, castris Darii regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexander cepit scrinium unguentorum; postea voluptas eius a nostris quoque inter laudatissima atque honestissima vitæ bona admissa est.* Quin et Scriptura Cant. 4. unguenta ex myrrha, croco, nardo, etc. eisdem assignat. Ita Lyranus, Sanchez et alii.

Si ita uncta et ornata est Esther, ut placeret homini mortali, quomodo gratia et virtutibus uncta et ornata fuit B. Virgo, ut fieret sponsa Dei et mater Christi? Porro fœminæ sunt philocosmæ, et ornatus studiosæ; unde Comicus: *Negotii,* ait, *quantum in muliere una est? quæ noctes diesque omni ætate semper ornantur, lavantur, poliuntur.* Et rursum: *Dum comantur, dum poliuntur, annus est.* Addit Athen. libr. 1. *Persicæ mulieres ornatus plus æquo studiosæ.*

Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo (qui nostro partim Decembri, partim Ianuario respondet) **septimo anno regni eius.**) Ergo per qua- Vers. 16.

*

driennium exspectavit Esther ob multitudinem virginum, quæ adducebantur, antequam ipsa duceretur ad Assuerum; nam ipse tertio anno regni sui repudiata Vasthi, curavit quæri alias fœminas speciosas, inter quas erat Esther.

Porro hæ fœminæ, hoc ipso quod ducebantur ad Assuerum, fiebant eius concubinæ, id est secundariæ uxores; e quibus deinde unam primariam Rex in Reginam eligebat, uti hic elegit Esther. Matrimonium enim fiebat per mutuum viri et fœminæ consensum in copulam maritalem. Unde Iosephus, libr. 11. cap. 6. *Cum*, inquit, *venisset ad regem Esther, ipse illa delectatus, eiusque amore captus, eam legitime ducit uxorem, et nuptias cum ea peragit, duodecimo mense septimi anni regni eius, qui mensis Adar vocatur.*

An Esther rite nupserit regi infideli? Quæres, an Esther fidelis licite potuerit nubere Assuero infideli? Resp. potuisse, quia Deuter. 7. 3. tantum vetantur Iudæis coniugia cum Chananæis, non autem cum Persis aliisque Gentibus. Ita Bellar. Serarius, Sanchez et alii. Adde Estherem non potuisse recusare hoc Regis edictum, ne eius in se cæterosque Iudæos iram provocaret; imo si ipsa restitisset, potuisset rex ea nolente abuti, illique vim inferre. Denique sentiebant Esther et Mardochæus Dei instinctum ad coniugium cum rege ineundum, ut eum toti genti suæ conciliarent; itaque periculum necis ab Amano illi impendens discuterent.

Alleg. de B. Virg. Allegor. *Esther regina est B. Virgo Maria*, ait S. Bonaventura in Speculo cap. 7. *quæ ducta est in cubiculum Regis in Assumptione, in cubiculum quietis æternæ; gratiam veri Regis habens super omnes mulieres, id est super omnes intelligentias angelicas, et super omnes beatas animas, ut sit in Maria gratia super gratiam omnium beatorum; nam revera in capite eius Rex regum diadema regni posuit tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inscrutabile est.* Quocirca Methodius in Hypapantem docet sacrum Mariæ caput a Deo coronatum esse. Idcirco Robert. lib. 3. in Cant. 4. de illa exponit: *Coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum: Coronaberis*, ait, *ut in cœlis Regina Sanctorum, et in terris Regina sis regnorum.*

Anagog. B. Virgo in cœlum assumpta, ibidem coronata est Regina cœlorum, hominum et Angelorum. Unde Apoc. 12. v. 1. ipsa vocatur *mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim:* vide ibi dicta. Audi S. Bernar. de Assumpt. *Tunc B. Virgo quasi altera Esther de triclinio fœminarum, id est, de Ecclesia militante adducta, et per totam militiam cœlestis exercitus ad cubiculum Assueri, scilicet summi Dei, ita ut illi conveniat Propheticum illud: Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Quod hodie vere fuit completum, quando omnes cœli cives viderunt eam ascendentem, et deliciis divinorum amplexuum affluentem, innixam super dilectum suum.* Merito igitur canit Ecclesia, ut testatur S. Ildephonsus serm. de Assumpt. *Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato, imo ineffabili*, ut ait Ildephonsus, *sedet solio.*

Vers. 17. Et adamavit eam rex plusquam omnes mulieres.) Quia Esther et pulchritudine, et modestia, verecundia, puritate, gratia, ac sanctitate omnes superabat; unde fuit typus B. Virginis, quam Angelus salutavit, dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, Lucæ 1.

Vers. 18. Et dedit requiem universis provinciis.) A vectigalibus aliisque oneribus, hoc est, tributa relaxavit, quæ prius ipse populo imposuerat. Darium enim plura imposuisse docet Herod. lib. 3. *Etenim sub Cyro*, inquit, *atque deinde sub Cambyse, nihil tum fuerat circa tributa institutum, sed munera afferebantur. Ob hanc tributi ordinationem, et alia huiusmodi, Persæ aiunt Darium fuisse institorem, Cambysem autem dominum, Cyrum vero patrem: quoniam Darius res omnes quæstui habebat, Cambyses asper erat ac morosus; Cyrus autem mitem agens, et omni ratione de illis bene mereri studens.*

Alii *requiem* hanc intelligunt a laboribus, q. d. Iussit Darius omnes ab operibus quiescere, et dies festos agere in lætitia et conviviis, ob tam insignes nuptias cum Esthere initas.

Ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem) Id est regiam; nam Hebr. est *iuxta magnificentiam regis*, quæ scilicet tantum regem decebat, quantus erat Darius.

Cumque secundo quærerentur virgines.) Hinc apparet bis quæsitas virgines Assuero, hoc enim verba sonant. Usitata enim erat tum polygamia, præsertim apud reges. Unde Salomon habuit 700. reginas et 300. concubinas, id est secundarias uxores. Sic etiamnum reges Turcarum, Arabum, Indorum, magnam habent turbam uxorum. Libido enim est insatiabilis, æque ac fastidiosa et curiosa; quam enim semel cognoverunt, mox fastidiunt, ac aliam quærunt, ut luxuriam non tam expleant, quam mutent, et experiantur num alibi voluptas sit maior. Vers. 19.

Ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.) Vide hic raram Estheris obedientiam, qua iam regina, imo imperatrix effecta, ita tamen obedit Mardochæo, uti obediebat parvula, atque per hanc obedientiam Deus eam prudentissime per omnia direxit, ut Amanum supplantaret, et populum a nece liberaret. Vers. 20.

Irati sunt Bagathan et Thares duo eunuchi (Palatini, et aulici Darii) etc. voluerUntque insurgere in regem, et occidere eum.) Qua de causa? Varii varias probabiliter assignant. Sept. hanc dant, quod rex ipsis prætulisset Mardochæum. Alii, quod Vasthi repudiasset, eique surrogasset Estherem. Alii quod sua dignitate et gradu non essent contenti, sed maiorem, imo regnum ambirent, sicut Smerdes Magus ante Darium per dolum regnum occuparat. Alii verisimilius, quod voluerint regnum ad Aman, qui erat primus a rege, transferre; ideoque Aman coniurationis eorum fuisse conscium, vel auctorem arbitrantur, idque colligunt ex eo quod cap. 12. 6. dicitur Aman offensus fuisse Mardochæo, eo quod ipse causa exstiterit, quod hi duo eunuchi suspenderentur. Erant ergo illi amici, fautores et administri Aman, ut cæso per eos rege, ipse illud quasi primus a rege occuparet, et eo quod ait rex, c. 16. 12. de Aman: *qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur et spiritu*, id est vita. Ambitio enim regnandi nihil non molitur, et omnia subvertit. Favet quod scripsit Iosippus filius Gorionis: *Cum sederet*, inquit, *Mardochæus in porta regis, advertit susurrum duorum eunuchorum regis, custodientium portam, et consultantium quomodo levarent manum contra regem, et ablatum eius caput deferrent ad regem Macedoniæ, qui iam bellum indixerat regibus Persarum. Cum autem eunuchi suspensi essent in cruce, iratus est Aman valde, quod consiliarii sui sic acti essent in crucem: et conatus est exterminare omnes Iudæos.* De bello hoc a rege Macedoniæ Dario et Persis indicto, nil alibi legimus; potuit tamen aliqua esse eius suspicio; tum quia paulo post Xerxes filius Darii bellum gessit contra Macedones et Græcos; tum quia Alexander Magnus, qui fuit rex Macedoniæ, post aliquot annos monarchiam a Dario Codomanno et Persis transtulit ad se et Macedones; tum quod Aman, qui erat Macedo, ambiret regnum, de quo plura c. 3. v. 1. Vers. 21.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assuerus exaltat Aman, eumque ab omnibus adorari iubet. Renuit id facere Mardochæus. Unde Aman ab Assuero impetrat decretum, ut ipse et omnes Iudæi stato die occidantur.

1. Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: et posuit solium eius super omnes principes, quos habebat. 2. Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator: solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum. 3. Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatii præsidebant: Cur præter ceteros non observas mandatum regis? 4. Cumque hoc crebrius dicerent, et ille nollet audire, nuntiaverunt Aman: scire cupientes utrum perseveraret in sententia: dixerat enim eis se esse Iudæum. 5. Quod cum audisset Aman, et experimento probasset quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde, 6. Et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas: audierat enim quod esset gentis Iudææ: magisque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem. 7. Mense primo (cuius vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Iudæorum deberet interfici: et exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar. 8. Dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, et a se mutuo separatus, novis utens legibus et ceremoniis, insuper et regis scita contemnens. Et optime nosti quod non expediat regno tuo, ut insolescat per licentiam; 9. Si tibi placet, decerne ut pereat, et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. 10. Tulit ergo rex annulum, quo utebatur, de manu sua, et dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum, 11. Dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit: de populo age quod tibi placet. 12. Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertiadecima die eiusdem mensis: et scriptum est, ut iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, et iudices provinciarum, diversarumque gentium, ut quæque gens legere poterat, et audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: et litteræ signatæ ipsius annulo, 13. Missæ sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Iudæos, a puero usque ad senem, parvulos et mulieres, uno die, hoc est, tertiodecimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, et bona eorum diriperent. 14. Summa autem epistolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent, et pararent se ad prædictam diem. 15. Festinabant cursores qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege et Aman celebrante convivium, et cunctis Iudæis, qui in urbe erant, flentibus.

Vers. 1. Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag.) Erat ergo Aman Amalecita ex stirpe regia; Agag enim fuit rex Amalec, quem occidi iussit Samuel, 1. Reg. c. 15. Ita Ioseph. Lyran. Sanchez, et alii.

Aman stirpe erat Amalecita, patria Macedo. Dices: Cap. 16. vers. 10. et 14. dicitur Aman animo et genere fuisse Macedo, ac alienus a sanguine Persarum, atque conatus regnum a Persis transferre ad Macedones. Resp. eum stirpe fuisse Amalecitam, sed patria Macedonem: nimirum parentes eius fuerunt Amalecitæ; sed Amalecitis partim per Samuel, partim per Nabuchodonosor cæsis, parentes Aman profugerunt ad alias gentes, et per errores casusque venerunt in Macedoniam, ibidemque sedem fixerunt, ac genuerunt Aman.

Chaldæus manuscriptus, addit Aman fuisse mancipium, ideoque evectum ab Assuero intumuisse, et factum intolerabilem. Nam, ut dicitur Prov. 30. v. 21. *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere: per servum cum regnaverit*, etc. Addit Chald. Aman fuisse illum qui c. 1. 14. vocatur Mamuchan, suasitque Assuero repudiare Vasthi, ac in eius locum surrogasse filiam suam; sed accidisse filiæ tantum tamque fœdum ventris profluvium, ut suo fœtore omnes abigeret. Insuper Aman ascendisse Ierosolymam, ut templi fabricam impediret, pluraque similia, quæ videntur Rabbinorum esse commenta et figmenta.

Vers. 2. Cunctique servi regis, etc. flectebant genua et adorabant Aman; sic enim præceperat eis imperator.) Vide hic quam Assuerus exaltarit Aman, ut eum præceperit adorari quasi Deum aliquem et numen. Reges enim Persarum volebant adorari ut Dii et numina. Unde sicut Iupiter in cœlo dicitur creare minores Deos, sic Assuerus Aman creavit, quasi minorem Deum in terra, sibique proximum, ideoque ab omnibus adorandum; ita Serar. de quo mox plura.

Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.) Cur Mardochæus noluit flectere genu coram Aman? Resp. primo Chaldæum manuscriptum ob rei indignitatem, eo quod Aman fuisset servus Mardochæi; sed hoc incertum et parum verisimile, nec sufficit; imo id refutat Mardochæus, dicens 13. 13. *Vestigia pedum eius deosculari paratus essem.* *Mardochæus noluit adorare Aman. Cur? Resp. I.*

Secundo, Iudæi causam dant, quod Aman in veste pictas gestarit idolorum imagines: sed hoc æque incertum et improbabile. II.

Tertio, Caiet. aliam causam affert, quod scilicet Aman esset Amalecita de stirpe Agag: Amalecitas autem ab Hebræis deleri iusserat Deus, Deut. 24. Verum illud odium spectabat ad excidium gentis Amalec, non ad honorem uni Amano in Perside cum tanto Mardochæi et Hebræorum periculo negandum. III.

Quarto, idem Caiet. Iudæi, inquit, unum genu flectebant principi, utrumque Deo; Aman autem voluit utrumque sibi flecti, ideoque detrectavit Mardochæus. Verum hoc falsum fictumque videtur; nam Abraham curvans utrumque genu, imo prostratus in terram, adoravit filios Heth, uti dixi Genes. 23. 7. IV.

Quinto, Gabriel Vasquez de Adoratione lib. 1. disp. 5. capite 3. censet Mardochæum noluisse genuflectere et adorare Aman, eo quod ipse quotidie genuflecteret et adoraret Deum, quia hæc quotidiana genuflexio erat reservata ex more Iudæorum. Aman autem, quotidie ingrediens aulam regiam, quotidie a Mardochæo et palatinis exigebat hanc genuflexionem. Verum Mardochæus ne semel quidem voluit genuflectere, et adorare Aman. Si enim semel hoc licuisset, utique et quotidie licuisset. V.

Dico ergo: Veram causam assignat ipse Mardochæus, c. 13. 14. dicens: *Sed timui ne honorem Dei mei transfer-*

rem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. Idem docet Ioseph. libr. 11. c. 6. Nam, ut recte ait Severus Sulp. lib. 2. Assuerus Aman sibi æqualem constituerat, ideoque eum proprie ut Deum adorari iusserat. Reges enim Persarum a suis honorem divinum, et adorationem Deo debitam exigebant, ut patet ex Iustino lib. 6. Herod. l. 7. ubi ait Lacedæmones, licet iussos, noluisse adorare Xerxem, quia erat Persa. Apud Plutarchum in Artabano: *Nobis*, inquiunt, *pulcherrima lex honorare regem, et adorare imaginem Dei omnia servantis.* Q. Curtius de Dario: *Rex*, ait, *curru paulo ante vectus, et deorum a suis honoribus cultus.* Hinc Æschylus dixit Persas Deorum loco habere reges. Idem de Persis asserit Xenophon, Orat. de Agesilao, et Arist. lib. 3. Rhetor. Isocrates in Panegyr. Strabo lib. 10. Heliodorus lib. 7. et 9. Seneca lib. 3. de benef. c. 12. Herodianus lib. 1. Lamprid. in vita Alexandri Severi, ut nullum hac de re sit dubium. Hinc, teste Curtio lib. 8. cum Cleo Siculus Alexandro suaderet ut divinum sibi nomen assumeret, exemplum adduxit Persarum, quos ante ipse domuisset; dixit enim: *Persas non pie solum, sed etiam prudenter Reges suos inter Deos colere; maiestatem enim imperii salutis esse tutelam.* Et cum Alexandri, qui iam Deorum esse in numero decreverat, Macedones non possent ferre superbiam, et illorum nonnulli in eius cædem coniurassent, quidam illorum deprehensus ea excusatione usus est, quod illius superbia non videbatur toleranda. Is autem erat Hermolaus. *Persarum*, inquit, *te vestis et disciplina delectat, patrios mores exosus es; Persarum ergo, non Macedonum regem occidere volumus, et te transfugam belli iure persequimur. Tu Macedones voluisti genua tibi ponere, venerarique te ut Deum. Tu Philippum patrem aversaris, et si quis Deorum ante Iovem haberetur, fastidires etiam Iovem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?* Hæc Curtius. Simili modo Nabuchodonosor adorari ut Deus voluit in statua sua, quod recusantes tres socii Danielis in fornacem accensam ab eo proiecti, illæsi a Deo servati sunt, Dan. c. 2. Et alter Nabuchodonosor iussit Holofernem ubique auferre omnes Deos, ut ipse solus quasi Deus coleretur. Iudith 3. 13.

Et Nabuchodonosor Chaldæi.

Sic de Augusto Cæsare canit Virgilius, Ecloga prima:

Namque erit ille mihi semper Deus; illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Et Augustus Romani.

Sic Caius Caligula adorari voluit ut Deus; et Domitianus, cui proinde Martialis adulans, ait:

Edictum Domini, Deique nostri.

Ritus adorationis Persicæ.

Hinc et adoratio Persica hoc fiebat ritu, qui divinitatem sapiebat. Nam adorantes genuflectebant, et proni procumbentes in terram fronte humum feriebant, ac terram osculabantur, teste Curtio l. 5. et 8. et Valer. Max. l. 7. c. 3. Iosepho 20. Antiq. c. 3. Martial. lib. 10. Epigr. 72. qui proinde eam, ut nimis superbam et divinitatem redolentem, culpant et subsannant. Vide de ritu adorationis regum Persarum Brissonium lib. 1. de regno Persarum, pag. 10. et seq. ubi et narrat Pelopidam aliosque Græcos noluisse hoc ritu Artaxerxem adorare; imo Athenienses capite mulctasse Themagoram, eo quod hoc modo Darium adorasset, uti refert Valerius Max. l. 6.

An Mardochæus potuerit dissimulare?

Dices: Mardochæus dissimulare poterat intentionem Aman, ac simpliciter eum adorare adoratione civili et politica, nimirum flectere genu ei, seseque in terram prosternere ut principi, non ut Deo; hi enim gestus externi indifferentes sunt, et mente facientis discriminantur, ut si ille habeat intentionem vere adorantis, censeantur esse gestus adorationis et latriæ: sin honorantis dumtaxat, censeantur esse gestus reverentiæ et honoris politici; ita Salianus, qui proinde putat Mardochæum, Esdram, Nehemiam, hos gestus adorationis aliquando exhibuisse regibus Persarum, non ut Diis, sed ut principibus. Resp. id facere non potuisse, quia rex publice iusserat eum adorari ut Deum, ac ut talis adorari volebat Aman; idque expresse exigebat, ut colligitur ex cap. 13. et 14. Quare si ei obsecutus fuisset Mardochæus, ab omnibus iudicatus fuisset adorare Amanum ut Numen, uti cæteri adorabant. Adde, si id fecisset, grave dedisset scandalum Iudæis omnibus, maxime illo tempore, quo Iudæi inter idololatras versantes cavebant omnem idololatriæ speciem, etiam levissimam. Unde Esdras, Nehemias, Mardochæus, Zorobabel, Iesus, cæterique in aula Cyri, Darii et Artaxerxis versantes, numquam leguntur adorasse; sed ut ait Iosephus, magnis beneficiis a regibus hisce acceptis, gratias eis agebant, et adorabant Deum primum beneficiorum horum auctorem. Secus fuit de Iudith quæ c. 10. 20. genuflexo politico cultu adoravit Holofernem ut principem, non ut Deum; quia Holofernes profitebatur se non esse Deum, sed solum Nabuchodonosor.

Addunt nonnulli Mardochæum fuisse delicatioris, timidioris, arctioris conscientiæ, ut nec umbram aliquam idololatriæ admitteret, vel signum quodpiam quo vel minime Dei cultus videretur lædi et proxime offendi. Unde ipse ait c. 13. v. 14. *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem.*

DIXERAT ENIM EIS SE ESSE IUDÆUM.) Ac proinde Iudaica religione et lege prohiberi, ut nullum hominem, sed solum Deum adoraret, cum Persæ, aliique gentiles etiam homines, puta reges suos quasi Deos adorarent. Verisimile est idem Cyro, Dario et Artaxerxi respondisse Esdram, Nehemiam, Estherem, Zorobabel, cæterosque Hebræos, qui in aulis eorum versabantur, imo officia honorata gerebant, nimirum se esse Iudæos, quibus non licet alium quam Deum adorare, ac proinde reges ipsos ab istis, utpote Iudæis, adorationem Persicam non exegisse, sed tantum adorationem politicam et civilem, quæ principibus ut hominibus deferri solet. Adde reges istos adorationem illam Persicam exegisse dumtaxat in publico, cum se populo quasi numina venerandos ostenderent; privatim enim a suis aulicis et cubiculariis, quibuscum quotidie familiariter agebant, illam non postulabant, communi honore et reverentia contenti. Persicam enim adhibere ad singula eorum alloquia et obsequia fuisset onus intolerabile, et moraliter impossibile. Vers. 4.

MAGISQUE VOLUIT OMNEM IUDÆORUM, QUI ERANT IN REGNO ASSUERI, PERDERE NATIONEM.) Τὸ *magis* innuit iam ante voluisse Aman perdere Mardochæum et Iudæos, quod ipse duos eunuchos amicos suos accusasset, ut in crucem agerentur, ut dixi cap. 1. v. 21. Iam autem accedente alia iniuria, suoque contemptu, ut ipse censebat, in sua sententia confirmatus, magis voluit eosdem exterminare. Hinc liquet primo superbia et crudelitas Amani, qui propter unicum Mardochæum voluit occidere omnes Iudæos plane innoxios. Solus Mardochæus, o Aman, te offendit; illum ergo solum persequere, si libet: cur iram in omnes Iudæos, qui te non offenderunt, evomis? Secundo, magna dignitas Mardochæi, quod propter eum Aman decreverit totam Iudæorum gentem interimere; quia scilicet Mardochæus erat eorum choragus, et quasi dux et princeps, ut ab eo regerentur, et quod ille faceret, cæteri facerent, eiusque exemplum sequerentur. Vers. 6.

MISSA EST SORS IN URNAM, QUÆ HEBRAICE DICITUR PHUR, CORAM AMAN, QUO DIE ET QUO MENSE GENS IUDÆORUM DEBERET INTERFICI.) Pro *sors* Hebr. est גורל *goral.* Unde Lyran. Caietan. Marin. et alii putant *phur* esse nomen Persicum, *goral* vero Hebræum: verum Hebræos a Persis hoc loco accepisse nomen *phur*, ideoque hanc sortem Persicam eorum nomine nuncupasse *phur.* Unde Hebr. sic habent: *Iacta est phur; ipsa est goral;* id est sors. Hinc et τὸ *phur* nusquam in Bibliis reperitur, nisi in hoc libro Esther. Nam in Psalmis, Proverbiis, cæterisque libris pro *sors* semper est Hebr. *goral*, non *phur.* Vers. 7.

Nonnulli tamen censent *phur* quoque esse vocem Hebræorum; a rad. *phar*, id est labi, eo quod sors cadat et labatur in urnam.

Porro a *phur*, id est sors, dies festus ab Hebræis dictus est *phurim*, quo scilicet gratias egerunt Deo, quod eos a sorte maligna internecionis ab Amano iacta liberasset. Aman autem sortem hic adhibuit ex superstitione gentilium, qui sorte quasi divinatione utebantur ad scrutanda occulta et periculosa, uti factum est Ionæ cap. 1. Nam, ut

ait S. August. in Psal. 30. *Sors est res in dubitatione humana, divinam indicans voluntatem.* Hinc Cicero lib. 1. de divin. Sortes vocat, quæ vaticinatione funduntur. Virgil. l. 4. Æneid.

Italiam Lyciæ iussere capessere sortes,

Id est oracula. Ovid. lib. 1. Metamorph.

Placuit cœleste precari
Numen, et auxilium per sacras quærere sortes.

Verum superstitio hæc Amanum decepit; prorogavit enim tempus cædis Iudæorum, itaque spatium dedit Estheri cædem deprecandi. Si enim statim accepta a rege facultate, rem executus fuisset, Iudæos omnes occidisset. Imprudens ergo fuit dilatio et sortitio: nimirum Deus infatuavit crudele eius consilium. Sensus ergo est, q. d. Aman misit sortem, ut ex ea quasi ex divinatione et oraculo cognosceret, quis dies cædi Iudæorum foret accommodus, sibique felix et faustus, ne quod a Iudæis et defendentibus vitæ suæ aut suorum periculum adiret.

Vers. 9. SI TIBI PLACET, DECERNE UT PEREAT, ET DECEM MILLIA TALENTORUM (argenti, ut habent Hebr. Chald. et Septuag.) APPENDAM ARCARIIS GAZÆ TUÆ.) Id est, quinque milliones aureorum, si Attica, ut videtur, intelligantur hic talenta; sin Hebræa, duplo maior erit summa, nimirum decem millionum aureorum. Immane est hoc pretium, sed Amano illud facile erat colligere ex Iudæorum bonis iam prædæ et direptioni ab eo destinatis. Obtulit hoc Aman Dario, quia sciebat illum, auri cupidum, magna Persis et Iudæis sibi subditis tributa imposuisse, ut dixi c. 7. vers. 18. Quare, ne rex causaretur per Iudæorum cædem se tributa, quæ illi pendere solebant, perditurum, Aman ei spondet se hoc damnum per tot milliones sarciturum; quod si rex honeste hoc pretium refutaret, uti reipsa refutavit, cogitavit Aman se illud in rem A propriam conversurum, ut toti regno ipsique Dario formidabilis evaderet, ac data occasione exercitum conscriberet, illudque sibi adscisceret. Verum Deus iniqua et superba consilia antevertit, et in ipsius caput convertit, retorsitque.

TULIT ERGO REX ANNULUM QUO UTEBATUR (ad obsignandum decreta sua et litteras regias) ET DEDIT EUM AMAN.) Ut ipse decretum de Iudæis perdendis ea forma et ratione conscriberet, qua volebat, illudque regio annulo obsignaret, quasi a rege profectum, nimirum ut illud legentes stato die mactarent omnes Iudæos, putantes regem hoc velle et iubere. Hinc Alexander Magnus victo Dario, cum ad Asiaticos scriberet, annulo, quem Dario abstulerat, litteras signabat; eo significans se iam Asiæ esse regem. Idem moriens, dans annulum Perdiccæ, hoc ipso eum regem designavit, teste Curtio lib. 6. et ultimo, ac Iustino lib. 17. Vers. 10.

A PUERO USQUE AD SENEM, PARVULOS ET MULIERES.) Vers. 13.
B Barbara fuit hæc Amani crudelitas, qua omnes omnino Iudæos, etiam fœminas et pueros innoxios, neci destinavit, ne scilicet aliquis eorum in virum evadens, stragem hanc suæ gentis ulcisceretur, et Amani caput peteret. Idem faciunt Iapones aliique Barbari.

FESTINABANT CURSORES.) Quos, teste Herodoto lib. 8. Vers. 15.
Cyrus instituerat quasi veredarios, qui statis locis et horis defatigatos equos et sessores commutarent cum recentibus, itaque celerius litteras regias perferrent quam grues volent, ait Xenophon. Imo poterant hi rusticos cogere ad dandos meliores equos. Persice cursores hi Angari dicebantur. Inde angariare idem est quod cogere, Matth. 5. 41. Unde ab Angeris dictos esse Angelos (littera *r* in *l* commutata, uti sæpe fit) id est nuntios, suspicatur Scaliger.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob crudele necis Iudæorum edictum luget Mardochæus cum suis, rogatque Estherem, ut regem pro eorum vita deprecetur. Illa triduano sibi et Iudæis omnibus indicto ieiunio, id se facturam, licet cum vitæ periculo, pollicetur.

1. QUÆ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti: et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, 2. Et hoc eiulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. 3. In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, ululatus et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. 4. Ingressæ autem sunt puellæ Esther et eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod audiens consternata est: et vestem misit, ut ablato sacco indueren eum: quam accipere noluit. 5. Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei ut iret ad Mardochæum, et disceret ab eo cur hoc faceret. 6. Egressusque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii: 7. Qui indicavit ei omnia quæ acciderant, quomodo Aman promisisset, ut in thesauros regis pro Iudæorum nece inferret argentum. 8. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, et moneret eam, ut intraret ad regem, et deprecaretur eum pro populo suo. 9. Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia quæ Mardochæus dixerat. 10. Quæ respondit ei, et iussit ut diceret Mardochæo: 11. Omnes servi regis, et cunctæ, quæ sub ditione eius sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum? 12. Quod cum audisset Mardochæus, 13. Rursum mandavit Esther, dicens: Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis: 14. Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: et tu, et domus patris tui, peribitis. Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? 15. Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit: 16. Vade et congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, et orate pro me. Non comedatis, et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus: et ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et periculo. 17. Ivit itaque Mardochæus, et fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.

Vers. 1. IN PLATEA MEDIÆ CIVITATIS.) Puta in foro, similive loco publico, quo omnes confluebant. Hac enim de causa forum statui solet in media civitate, ut a civibus circumcirca habitantibus facile adiri possit ad vendendas et coemendas res necessarias.

VOCE MAGNA CLAMABAT.) Quid clamarit explicat Græcus, scilicet Iudæos innocentes, qui nil peccarunt, damnari ad necem. Erat hic clamandi mos in magnis calamitatibus apud Persas in usu et frequens, teste Curtio lib. 4. et 5. et Herod. lib. 3. et 8. ut sui commiserationem omnibus moverent, aliquemque excitarent, qui mali remedium afferret vel suggereret.

Vers. 3. CRUDELE REGIS DOGMA.) Id est edictum. Unde Hebr. est *Verbum Regis;* sic dogma pro decreto sumitur Act. 16. versu 4. ac a Iosepho, Demosthene et aliis.

Vers. 11. INTERIUS ATRIUM REGIS.) In quo rex in aureo throno considebat, auro gemmisque collucens, velut Deus quidam terrestris. Porro lex erat, ut si quis hoc atrium non vocatus ingrediatur, ABSQUE ULLA CUNCTATIONE STATIM INTERFICIATUR.) Legis causa erat, ait Rupert. lib. 8. de vict. verbi Dei cap. 10. *ut persona regis occultaretur sub specie maiestatis, putareturque aliquid habere plus homine, ne vilior fieret ex usu publico visionis.* Hinc regi astabant circumcirca lictores cum securibus et hastis, ut, si quis non vocatus ingrederetur, eum occiderent, teste Iosepho et Ammiano l. 14. et Herodoto lib. 3. et 8. Addit Ioseph. Rupert. et alii hanc legem ab Assuero latam, vel innovatam fuisse, instigante Amano, ut Estheri, Mardochæo, cæterisque omnibus aditum ad regem intercluderet, ne pro Iudæis deprecarentur.

Vers. 13. QUOD ANIMAM TUAM TANTUM LIBERES.) Id est liberare debeas, et de facto liberabis, eo quod sis in *domo regis*, quasi regina, cui utique rex parcet; sed cogita tui officii esse, ut totius populi tui animam, id est vitam neci destinatam liberare debeas; et de facto liberabis, si regem tuum maritum quasi regina adeas et depreceris.

Vers. 14. TU ET DOMUS PATRIS TUI PERIBITIS.) Deo puniente hunc populi tui neglectum et immisericordiam, vel vindicantibus ipsis Iudæis, quos nunc despicatui habetis, ait Iosephus.

Vers. 16. NON COMEDATIS ET NON BIBATIS TRIBUS DIEBUS ET A TRIBUS NOCTIBUS, ET EGO CUM ANCILLIS MEIS SIMILITER IEIUNABO, ET TUNC INGREDIAR AD REGEM, CONTRA LEGEM FACIENS, NON VOCATA, TRADENSQUE ME MORTI ET PERICULO.) Nota hic fortitudinem, pietatem et charitatem Estheris, quæ se pro populo mortis periculo offert, confidens Deum affore: ideoque prudenter publicum omnium per tres dies continuos ieiunium exigit, ut eo Deum placent, eiusque gratiam sibi concilient. Porro S. Ambrosius, lib. de Elia et ieiunio: *Esther, inquit, pulchrior facta est ieiunio; Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat.* Unde sequitur cap. 5. 2. *Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius.* Ieiunio ergo et oratione Esther sibi decorem, populo liberationem, Amano crucem, Assuero lecticam, et Deo gloriam comparavit. Idipsum ita prosequitur S. Ambros. *Omne genus suum, id est, totum populum Iudæorum a persecutionis acerbitate liberavit; ita ut regem sibi faceret esse subiectum, non libidinis amore flammatum, sed cœlesti commiseratione conversum; ita ut pœna retorqueretur in impium, et honor* B *sacris redderetur altaribus. Itaque illa, quæ triduo ieiunavit continuo, et corpus suum aqua lavit, plus placuit et vindictam retulit. Aman autem, dum se regali iactat convivio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietatis exsolvit. Est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores augmento gratiæ.* Et Clem. Alex. lib. 6. Strom. c. 4. *Rursus*, ait, *perfecta illa fide Esther, Israelem a tyrannica potestate liberans, et a crudelitate Satrapæ, sola mulier afflicta ieiuniis restitit armatis copiis innumerabilibus, tyrannicum per fidem solvens decretum; et tyrannum quidem mitigavit: Aman vero repressit, et Israelem perfecta ad Deum oratione illæsum conservavit.*

Allegor. Esther repræsentat Ecclesiam; unde S. Prosper. par. 7. prædicto cap. 38. recensitis heroicis Estheris facinoribus subdit: *Sic Ecclesia sancta Crucis perimit inimicos. Sic se pro suis periculis huiusmodi opponit. Sic datis in morte suis laboribus, vitam conferendo ministrat: utpote regina, quæ a suo rege sponso et Domino admonetur, eique dicitur: Libera eos qui ducuntur ad mortem, et redime eos qui occiduntur. Cum beneficiorum refugia, ipsi quoque eius appetunt inimici.* (Esther typus Ecclesiæ.)

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esther non vocata ingreditur ad Assuerum, exponens se vitæ periculo; sed ab eo comiter excepta eumdem cum Amano semel et iterum invitat ad convivium: interim Aman Mardochæo (verius sibi) parat crucem.

1. DIE autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus. 2. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ eius. 3. Dixitque ad eam rex: Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris dabitur tibi. 4. At illa respondit: Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, et Aman tecum, ad convivium quod paravi. 5. Statimque rex: Vocate, inquit, cito Aman, ut Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex et Aman ad convivium, quod eis regina paraverat. 6. Dixitque ei rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis ut detur tibi? et pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 7. Cui respondit Esther: Petitio mea, et preces sunt istæ: 8. Si inveni in conspectu regis gratiam, et si regi placet, ut det mihi quod postulo, et meam impleat petitionem: veniat rex et Aman ad convivium quod paravi eis, et cras aperiam regi voluntatem meam. 9. Egressus est itaque illo die Aman lætus et alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, et non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde: 10. Et dissimulata ira, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, et Zares uxorem suam: 11. Et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et quanta eum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. 12. Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. 13. Et cum hæc omnia habeam, nihil me ha-

bere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias. 14. Responderuntque ei, Zares uxor eius, et ceteri amici: Iube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et dic mane regi ut appendatur super eam Mardochæus, et sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, et iussit excelsam parari crucem.

Vers. 1 STETIT IN ATRIO DOMUS REGIÆ, QUOD ERAT INTERIUS, CONTRA BASILICAM REGIS.) Basilica hic vocatur aula regia; puta intimum regis cubiculum aulæis pretiosis circumdatum, ubi erat aureus thronus, in quo rex considebat, auro gemmisque coruscans, habens aureum in manu sceptrum; Basilica enim Græce est domus regis; βασιλεὺς enim est rex. Eadem etiam vocatur *consistorium palatii;* ita ex Dione, Philostrato, Apuleio et Æschylo, Serarius. In ea enim circa regem consistebant Principes et Palatini. Esther ergo non ingressa est hoc intimum regis cubiculum, sed atrium interius illi vicinum, ita ut a rege considente in intimo cubiculo per ostium videri posset. Sedebat enim rex *contra ostium domus.*

Vers. 2 CUMQUE VIDISSET ESTHER REGINAM STANTEM, PLACUIT OCULIS EIUS) Hic supplendum et anteponendum est ex cap. 15. 9. regem primo aspectu furibundis et scintillantibus oculis aspexisse et terruisse Estherem, eo quod non vocata ad se accessisset: Estherem vero perculsam semel et iterum deliquium animæ passam corruisse, mox regem accurrisse, et extenso in eam sceptro, illi blanditum fuisse, illamque sibi restituisse, de quibus dicendum capite 15.

ET EXTENDIT CONTRA EAM VIRGAM AUREAM.) Puta sceptrum aureum, quod manu gestabat, hac extensione significans suam erga ipsam clementiam et benevolentiam, ut tuto contra legem non vocata ad se accederet.

Allegor. Virga aurea est B. Virgo, per quam Deus toti humano generi offensus, eidem reconciliatus est, de qua Balaam vaticinatus est Num. 24. sub finem dicens: *Orietur stella* (B. Virgo, quæ vera Esther, et ἀστήρ) *ex Iacob, et consurget virga de Israel, et percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Hæc est,* inquit B. Petrus Damian. serm. de Assumpt. *virga illa, qua retunduntur impetus adversantium dæmoniorum, virga Aaron per quam fiunt et mirabilia. Baculum autem Crucis intelligi, quo non solum verberatus est, sed occisus ille insatiabilis homicida, qui mortibus hominum pascitur et nutritur. In Virgine virga, et baculo cruce miserorum spes et consolatio continetur, sicut sublimis Propheta clara voce declarat: Virga,* ait, *tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Vers 6. ETIAM SI DIMIDIAM PARTEM REGNI MEI PETIERIS, IMPETRABIS.) Liberalior Assuero fuit Deus in B. Virginem, qui eidem totum regni sui, puta cœli imperium concessit. Unde Angeli ei quasi reginæ suæ accinuerunt Romæ ad castellum S. Angeli: *Regina cœli, lætare, alleluia,* uti fusius alibi narravi. Illi enim quasi matri suæ Christus nihil negare potest: quare summum Dei in homines post Verbum incarnatum beneficium est B. Virgo; hanc enim nobis dedit, ut per eam omnia ab ipso impetremus, ut ipsa nobis omnes clementiæ, omnipotentiæ, et divinitatis thesauros aperiat, omnesque gratias in eis reconditas elargiatur per filium suum.

Vers. 8. VENIAT REX ET AMAN AD CONVIVIUM QUOD PARAVI EIS.) Græca addunt Estherem causam invitationis addidisse, dicendo: *Dies mea insignis est hodie*, q. d. Hodie mihi festum est, ideoque lætandum et convivium instruendum; voco ergo regem ut illud sua præsentia cohonestet. Prudenter Esther regem secundo invitavit ad convivium, ut in eo suam petitionem salutis Iudæorum regi exponeret. Primo, ut sensim regem magis in sui amorem accenderet, adeo ut nihil ei negare posset. Erat enim res ardua et perdifficilis petere a rege, ut suum edictum de nece Iudæorum iam latum et promulgatum, contra morem regum Persarum et Medorum revocaret. Secundo, quia non audebat publice in tanta adstantium procerum turba id petere, eo quod ipsi dixissent legem latam ex more regum, revocari non posse. Secreto ergo A in convivio a rege idipsum petiit et impetravit; secreto indicans se esse Iudæam, quod publice coram principibus facere fuisset periculosum. Tertio, solum Aman cum rege invitavit, ut eum in reliquorum Satraparum invidiam et odium induceret, ait Lyran. Quarto, quia sciebat in convivio regem largiori potu exhilarandum, liberaliorem fore ad postulata concedenda. Sic etiamnum viri prudentes, cum quid ab aliquo duriore petunt, non mane, cum ex ieiunio austerior est mens et vultus, sed post prandium et convivium, cum eum mero hilarem reddiderunt, flagitant et impetrant. Addunt aliqui, regibus Persarum in more fuisse, ut in convivio nil cuipiam negarent. Certe Herodotus libro nono scribit, apud Persas nefas esse regem quicquam abnuere in convivio, quod quotannis eo die quo rex creatus erat, instituere solebat.

CUMQUE VIDISSET MARDOCHÆUM SEDENTEM ANTE FORES PALATII, ET NON SOLUM NON ASSURREXISSE SIBI, SED NEC MOTUM QUIDEM DE LOCO SESSIONIS SUÆ, INDIGNATUS EST VALDE) Magnæ hoc erat constantiæ Mardochæi, quod Amano hosti scelestissimo toti genti Iudæorum exitium machinanti, ne quidem assurrexerit, ut suam in Deo fiduciam ostenderet, et Amano ipso facto superbiam suam et crudelitatem exprobraret. Vers. 9.

B

ET CUM HÆC OMNIA HABEAM, NIHIL ME HABERE PUTO, QUAMDIU VIDERO MARDOCHÆUM.) Magis ergo te, o Aman, cruciat Mardochæus, quam tu ipsum crucies: nihil igitur habes sine Mardochæo, quia Mardochæus habet omnia, ideoque tu nihil. Iure exclamat S. Bernard. lib. 1. de consider. *Ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis eius:* et ser. 4. de Ascens. *Iste est mons in quem ascendit Angelus, et diabolus factus.* Festive S. Anselm. lib. de similit. c. 77. honorem comparat papilioni: *Sic,* inquit, *agunt illi, qui mundi huius honores appetunt, quomodo pueri qui sequuntur papilionem. Papiliones enim cum volant, tramitem rectum numquam tenent: sed huc illucque se agitant: cumque alicubi residere videantur, nec ibi diu morantur. Hos autem sequentes cum pueri capere volunt, cito post eos currere satagunt, et quia non ad suos pedes, sed ad papiliones intendunt, aliquando in foveam cadunt. Plerumque cum caute accedunt, et eos apprehendere tentant, papiliones avolant: quando eos apprehenderint, exultant de nihilo, quasi magnum quid fuerint adepti. Similiter faciunt, qui mundi huius honores appetunt. Honores enim huius mundi numquam certam tenent viam, sed incertis diverticulis de uno ad alium transvolant.* Vers 13.

C

IUSSIT EXCELSAM PARARI CRUCEM.) Sed quam Mardochæo parasti, o Aman, tibi ipsi fixisti. In illa enim mox suspenderis, iuxta illud Eccl. 27. 29. *Qui foveam fodit, incidet in eam, et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* Vide ibi dicta. Vers 14.

D

Porro crucem potius, quam rogum, gladium, aliudve tormentum parari iussit, quia crux apud Persas erat usitata, eratque ignominiosissima. Aliam causam ex Rabbinis dat Chaldæus Manuscriptus, quem audi: *Dixit* (Zares uxor ad Aman maritum) *in ignem non poteris mittere Mardochæum, quia liberatus est Abraham pater eius ab eo. In aquis non poteris suffocare eum, quoniam liberati sunt ab eo Moyses et filii Israel. In lacum leonis non poteris immittere eum, quia liberatus est ab eo Daniel Propheta. Verumtamen faciant patibulum in altitudinem quinquaginta cubitorum, et mane dic Regi, ut suspendatur Mardochæus super eum; quia in hoc numquam probatus est unus ex his qui liberetur in patibulo ligni.* Verum hæc Rabbinici cerebri solita sunt figmenta.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assuerus renovata detectæ coniurationis contra se per Mardochæum memoria, iubet eum regiis honoribus affici, idque per ipsum Amanum iuratum eius hostem.

1. NOCTEM illam duxit rex insomnem, iussitque sibi afferri historias et annales priorum temporum. Quæ cum illo præsente legerentur, 2. Ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan et Thares eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium. 3. Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit. 4. Statimque rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut suggereret regi, et iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. 5. Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur. 6. Cumque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, et reputans quod nullum alium rex, nisi se vellet honorare, 7. Respondit: Homo, quem rex honorare cupit, 8. Debet indui vestibus regiis, et imponi super equum, qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum, 9. Et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, et per plateam civitatis incedens clamet, et dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. 10. Dixitque ei rex: Festina, et sumpta stola et equo, fac, ut locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. 11. Tulit itaque Aman stolam et equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, et impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare. 12. Reversusque est Mardochæus ad ianuam palatii: et Aman festinavit ire in domum suam, lugens et operto capite: 13. Narravitque Zares uxori suæ, et amicis, omnia quæ evenissent sibi. Cui responderunt sapientes, quos habebat in consilio, et uxor eius: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius. 14. Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, et cito eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

Vers. 1. NOCTEM ILLAM DUXIT REX INSOMNEM.) Deo per Angelum id procurante et dirigente, ut Assuerus legeret suos annales, indeque recordaretur beneficii sibi a Mardochæo præstiti, eumque honoraret: simul ut Assueri exemplo moraliter doceret reges et principes, noctes totas non stertere in lecto, sed publicis, maximisque Reipublicæ negotiis invigilare, ac pro iis Deum obsecrare. Scitum est illud Homeri:

Principes noctu vigilent.

Gnoma. Ου δει παννυχιον βουληφορον ανδρα καθευδειν

Non de[b]et virum consiliarium totam noctem dormire.

Illud vero, inquit lib. 1. de Regno Persarum Brissonius, *numquam satis laudatum institutum apud Persas viguit, ut, quemadmodum refert libro ad imperitum principem Plutarchus, quotidie cubiculariorum unus eam ad rem constitutus, mane cubiculum regis intrans, clamaret: Surge, o Rex, et negotia cura, quæ te Mesoromasdes curare voluit.* Est autem *Mesoromasdes*, ut ait initio Laertius, *Sol*, qui ab illis dicebatur *Mithres*.

Constantinus Magnus, ait Euseb. lib. 4. vitæ eius cap. 13. *suam ipsius mentem quodam quasi afflatu et instinctu divinarum rerum exaggerans, totas sæpe noctes sine somno traduxit, et cum per otium liceret, orationes scribebat, idque ad summam usque senectutem.*

Ferrandus Carth. lib. ad Reginum, Duci hoc dogma commendat Regula 5. *Sacerdotum postulationibus liber patescat aditus, frequentetur oratio, lectionis studium, quamvis undique occupationibus inundantibus, igne desiderii spiritualis remota tepiditate fervescat.* Novi Prælatum insignem, qui diem negotiis et gubernationi, noctem orationi et studiis impendebat.

IUSSITQUE SIBI AFFERRI HISTORIAS ET ANNALES.) Digna hæc rege laus, ut sua acta recognoscat et relegat, ac, si quid omissum est, præsertim in bene meritis præmiandis, suppleat. Ita Alexander Severus Imp. teste Lamp. ne quid irremuneratum maneret, quæcumque munera contulisset, scriptis diligenter mandabat. Si quis nihil, aut minimum ab eo petiisset, illum appellabat, dicens: *Quid est quod nihil petis? an me tibi vis fieri debi-*

A *torem? pete, ne privatus de me queraris.* Porro accurata Annalium et Diariorum memoria consignata et custodita fuisse beneficia, quæ in reges Persarum conferrentur, testatur Herodotus lib. 4. agens de Dario (qui est noster Assuerus) Hystaspis Coem recognoscente. Et Thucydides, lib. 1. narrat Xerxem Darii filium dixisse Pausaniæ: *Tibi beneficium nostra in domo semper inscriptum erit. Enimvero Persarum reges*, ut Xenophon lib. 8. Cyrip. docet, *Ministros*, seu officiales quosdam habebant, *qui regum aures, et oculi appellabantur.* Apuleius libro de mundo, aulæ Persicæ fastum ex Aristotele describens: *Sed inter eos*, ait, *aures regiæ, et Imperatoris oculi, quidam homines vocabantur; per officiorum genera Rex ille ab hominibus Deus esse credebatur, cum omnia, quæ ubicumque gererentur, ille Otacustarum delatione discebat.*

AMAN QUIPPE INTERIUS ATRIUM DOMUS REGIÆ INTRAVERAT.) Hebr. et Chald. est *exterius;* nam interius nisi a rege vocatis ingredi non licebat. Interius ergo, id est intra palatium in atrio, quod respectu intimi cubiculi re- Vers. 4.
B gii erat exterius, sed respectu extimi erat interius. Erant enim in Palatio atria varia, quorum alia aliis erant interiora, vel exteriora.

UT SUGGERERET REGI, ET IUBERET MARDOCHÆUM AFFIGI PATIBULO.) Festinabat Aman ac lucem præverterat, ut matutinus, primusque regem adiret, peteretque Mardochæum suspendi, antequam Rex aliis occuparetur, ut summum desiderium suum de vindicando sui contemptu, per necem crucis infamem Mardochæi contemptoris expleret. Superbia enim æque ac ira et indignatio non sinebant eum quiescere, donec vindictam hanc sumeret. Sed Deus, iustus superbiæ et iniustitiæ iudex ac vindex, vindictam omnem Amani in ipsum retorsit, idque per partes gradatim, donec ipsum in eadem ipsa cruce quam Mardochæo erexerat, suspenderet. In Amano ergo liquet quam verum sit illud: *Noxa caput sequitur.* Et:

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Superbos enim sternit et fulminat Altissimus.

Vers 7. et 8. Homo, quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, et imponi super equum, qui de sella Regis est (in quo sedere et equitare solet rex, ut habet Hebr. et Sept. Sella enim est quasi sedile sedentis in equo) et accipere regium diadema super caput suum.) Diadema erat fascia byssina , qua reges caput circumligabant. Diadema erat insigne purpureum alba fascia et lapidibus pretiosis distinctum , ait Curt. lib. 3. et 6. Verisimile est cum diademate coronam quoque regiam impositam fuisse capiti Mardochæi; hæc enim erat proprium regis insigne, quod ambiebat, et quærebat sibi Aman, putans hæc non alteri, quam sibi a rege parari; atque hanc iussu regis gestasse Mardochæum , patet c. 8. vers. 15. Porro corona hæc apud Persas habebat radios instar mithræ, id est solis, quem ipsi ut Deum et regem colebant. Volebant enim reges apud Persas divinis honoribus coli, quasi mithræ et soles quidam terrestres. Sed hæc omnia Aman ignorans , contra mentem suam præparavit hosti suo Mardochæo, quem postulabat ad crucem; idque eum valde cruciavit , quod scilicet ipse sententiam dictasset , iuxta quam rex Mardochæum summo et regio afficeret honore , quem per ipsummet Aman quasi dictatorem iuberet Mardochæo conferri. Sic David, Salomonem filium creans regem et successorem, ait: *Tollite vobiscum servos Domini vestri , et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, etc.* Et: *Veniet, et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me.*

Vers. 10. Festina , et sumpta stola et equo fac , ut locutus es , Mardochæo Iudæo.) *Stola*, id est veste regia, ut dixerat Aman versu 8. quam Septuaginta et Chald. vocant stolam byssinam. Unde et Xenophon l. 8. Cyri regis tunicam purpuream semialbam vocat: *Aliis vero*, inquit, *semialbam gestare non licet.* Intellige regem misisse Amano, ut torquem quoque aureum, et acinacem aureum, et armillas aureas daret Mardochæo. Moris enim fuit his insignibus ornari eum , quem rex honorare voluisset, ut patet 3. Esdræ 9. et ex Iosepho l. 11. Antiq. c. 4. et ex Æmilio Probo in Artaxerxe.

Qui sedet ante fores.) Ibi tum sedebat Mardochæus quasi vilis et abiectus, sed post hunc honorem a rege sibi delatum, introductus est in aulam palatii, factusque regi familiaris et palatinus, ut patebit 16. 13.

Clamabat (Aman) hoc honore condignus est , quemcumque rex voluerit honorare.) Vide hic subitam summamque rerum commutationem , qua Mardochæus neci destinatus in regiam dignitatem attollitur, fitque quasi alter rex , idque a suo hoste Amano; qui proinde hic habuit dolores et angores plurimos et maximos. Primo enim torsit eum honor hic, quem speraverat, sibi ablatus. Secundo, quod is translatus esset in hostem suum capitalem Mardochæum. Tertio , quod ipse hoc honore eum deberet afficere. Quarto, quod ipse qui prius adorabatur ab omnibus ut Deus, iam esset equiso et præco Mardochæi vilis Iudæi. Quinto, quod inopinato simul hæc omnia in eum ingruerent. Fabulantur Rabbini filiam Amani in caput patris transeuntis matulam effudisse , putantem se in caput Mardochæi illam effundere , ideoque Amanum dixisse: *Et tu quoque, filia mea, confudisti me.* Vers. 11.

Lugens et operto capite.) Ob pudorem, dolorem et angorem vehementer; pudebat enim eum faciem apertam ostendere , qui iam equisonem Mardochæi egerat , cum antea coleretur ut Deus. Vers. 12.

Si de semine Iudæorum est Mardochæus , ante quem cadere cœpisti , non poteris ei resistere , sed cades in conspectu eius.) Dixerunt hoc amici Amano , vel divino quodam etiam instinctu, ait Serar. instar Sibyllarum et Caiphæ, Ioan. 11. vel humana quadam sapientia , solertique coniectura sumpta ex eo , quod Iudæos plures vidissent præfracto duroque ingenio ; qui non quiescebant, donec hostes suos pessumdedissent , quodque Pharaonem, Chananæos, aliosque inimicos Iudæorum ab ipsis per Mosen , Iosue , Davidem , etc. contritos ex communi fama audissent. Addit Lyran. id eos dixisse ex Genes. cap. 13. 15. et seq. ubi Deus promittit Abrahæ et Iacobo posterorum constantiam, felicitatem, et de hostibus victoriam; Genesim enim et Pentateuchum ab Hebr. in Perside captivis fuisse in linguam Persicam conversum. Hoc incertum est, non tamen improbabile. Vers. 13.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esther postulat sibi et Iudæis vitam, et Amanum accusat, quem rex illico in patibulo , quod Mardochæo erexerat, iubet suspendi.

1. Intravit itaque rex et Aman, ut biberent cum regina. 2. Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua Esther ut detur tibi ? et quid vis fieri ? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 3. Ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis o rex, et si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, et populum meum , pro quo obsecro. 4. Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur, iugulemur, et pereamus. Atque utinam in servos et famulas venderemur : esset tollerabile malum, et gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in regem. 5. Respondensque rex Assuerus ait: Quis est iste, et cuius potentiæ, ut hæc audeat facere? 6. Dixitque Esther: Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit , vultum regis ac reginæ ferre non sustinens. 7. Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit ut rogaret Esther reginam pro anima sua , intellexit enim a rege sibi paratum malum. 8. Qui cum reversus esset de horto nemoribus consito, et intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, et ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, et statim operuerunt faciem eius. 9. Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis : En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman , habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex : Appendite eum in eo. 10. Suspensus est itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo: et regis ira quievit.

Vers. 2. Postquam vino incaluerat.) Darius enim fuit vini bibax. Unde eius sepulcro inscriptum fuit hoc elogium: *Possum multum vini bibere, illudque recte ferre,* teste Athen. lib. 10. Idem et de ipso Cyrus minor prædicabat, ut Plutarch. in Artaxerxe commemorat. *Cambysen regem* , quemadmodum Seneca , lib. 3. de ira

cap. 14. scribit, *nimis deditum vino Præxaspes unus e carissimis monebat, ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium, auresque sequerentur. Ad hoc ille: Ut scias, inquit, quemadmodum numquam excidam mihi, approbabo iam, et oculos post vinum in officio esse et manus. Bibit deinde liberalius quam alias, et capacioribus scyphis; et iam gravis et vinolentus, obiurgatoris sui filium procedere ultra limen iubet, allevataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum, et ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, recisoque pectore, hærens in ipso corde spiculum ostendit: ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum interrogavit. At ille negavit Apollinem potuisse certius mittere. Dii illum male perdant, animo, magisque conditione.* Hucusque Seneca.

Vers. 3. DONA MIHI ANIMAM MEAM.) Id est vitam meam. Acre fuit hoc telum, quo percussit Esther Assuerum, et magis Amanum, q. d. Aman iste fraude a te obtinuit, ut occideret omnes Iudæos; quare et ego quæ sum Iudæa ab eo occidenda sum, sicque tu privaberis me regina, meoque toro, quem tantopere ambivisti et ambis. Non tam ergo in me quam in te, o Assuere mi rex et marite, Aman iste iniurius et violentus est, æque ac subdolus, et fraudulentus.

Vers. 4. ATQUE UTINAM IN SERVOS ET FAMULAS VENDEREMUR.) Ut vita nobis condonata, saltem Regi et Persis famulari et ancillari possemus.

NUNC AUTEM HOSTIS NOSTER EST (qui me et Iudæos et omnes vult spoliare vita), CUIUS proinde CRUDELITAS REDUNDAT IN REGEM.) Tum quia per suum edictum necis Iudæorum, qui ingentibus tributis eius ærarium locupletant, quique plurimas operas regi præstant, et ex quibus multos validosque milites pro sui, regnique tutela conscribere valet; imo quos velut sapientes provinciis suis præficere potest, uti præfectus fuit Daniel cum tribus sociis. Hisce, inquam, et plurimis emolumentis, quæ ex Iudæis, tu Assuere, percipis, et maiora percipere potes, privat te Aman. Idem gravem et perennem infamiam tibi conflat apud omnes gentes, quod gentem nostram innoxiam, imo bene de te meritam funditus extermines. In te ergo vel maxime crudelitas Amani Iudæorum petens exterminium redundat.

Vers. 6. DIXITQUE ESTHER: HOSTIS ET INIMICUS NOSTER PESSIMUS ISTE EST AMAN.) Nota hic magnanimitatem Estheris qua non absentem Amanum secreto, uti faciunt timidæ et viles mulierculæ, sed præsentem palam coram Assuero accusat, ut ipse sciat accusationem esse sinceram et veram, quam Aman negare non possit: unde inopinata hac accusatione, quasi fulmine ictus Aman obstupuit et obmutuit. Discant ab Esthere principes magnorum potentiam et insolentiam non metuere, sed premere et calcare. Hoc regum est. Vere Seneca in Hercule furente:

Ars prima regni est, posse et invidiam pati.

Et in OEdip.

Odia qui nimium timet,
Regnare nescit. Et in Theb.
Simul ista mundi conditor posuit Deus:
Odium atque regnum.

Vers. 8. REPERIT AMAN SUPER LECTUM (non nocturnum ad somnum, sed convivalem, in quo mensæ accumbebant) CORRUISSE IN QUO IACEBAT ESTHER.) Ut supplex ad genua eius provolutus ab ea postularet vitam sibi donari. Unde S. Athanas. in Synopsi: *Aman*, inquit, *cum regem mœrore affectum, et ira commotum propter indignum contra Iudæos facinus vidisset, illo absente reginæ supplicavit, ad genua illius procumbens. Rex cum ingressus videret Aman genua reginæ contingere, suspicatus quod id turpitudinis causa faceret, iussit eum in ligno*, etc. Idem tradit Severus Sulpitius: *Deinde*, inquit, *regressus rex vidit Aman Reginæ genua complexum.* Olim enim supplices tenebant genua eius, cui supplicabant, quasi sedem misericordiæ, idque ob quatuor causas quas fuse recensui, Exodi 4. 13.

ET AIT: (REX) ETIAM REGINAM VULT OPPRIMERE, ME PRÆSENTE.) Dixit hoc rex, partim ex ira, partim ex zelotypia, qua deperibat Estherem; hæc enim suspicax est mali et rivalium etiam ubi re ipsa nil tale est, uti in Amano hic nihil erat. Suspicatur ergo Amanum velle Estherem opprimere, id est, non tam vitæ, quam pudicitiæ eius vim afferre, illectum eximia eius forma, uti eadem illectum se sentiebat Assuerus.

ET STATIM OPERUERUNT FACIEM EIUS.) Ita faciebant illi, cui rex erat offensus, quasi qui indignus esset videre faciem regiam, et ne rex videns faciem sibi invisam ad maiorem iram et indignationem commoveretur. Rursum operuerunt faciem Amani, quasi rei mortis et pene condemnati. Ita Lyran. nam damnati ducebantur ad mortem oculis velatis ne scilicet videntes patriam, cives, amicos, liberos, uxores non iam semel, sed septies mortem obirent. Sic iam reis capite mulctandis velantur oculi, ne videant gladium in cervicem suam vibrari, itaque expavescant, et ictum gladii cadendo declinent ac frustrentur. Hinc illa priscorum Iudicum Rom. in reum feralis sententia apud Livium et Cicer. *I lictor colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici* (cruci) *suspendito.*

DIXITQUE HARBONA: EN LIGNUM QUOD PARAVIT MARDOCHÆO, QUI LOCUTUS EST PRO REGE) Puta pro regis salute, detegens ei coniuratorum insidias. Harbona erat eunuchus, qui a rege missus ad accersendum Aman, ut secum iret ad convivium Estheris, ingrediens domum Amani, vidit in ea patibulum, et a domesticis, ait Iosephus, intellexit Amanum illud erexisse Mardochæo; unde id ipsum hic regi denuntiat, videns regem illi offensum, et Amano ob fastum, ut videtur, infensus, optansque eum e medio tolli et suspendi. Vers. 9.

SUSPENSUS EST ITAQUE AMAN.) Non in domo sua, sed in porta urbis Susorum, ut dicitur c. 16. 18. Eo enim patibulum ex domo Aman translatum fuit ad maiorem eius ignominiam, ut omnibus ingredientibus et egredientibus urbem iam suspensus esset spectaculo et ludibrio, qui paulo ante ab omnibus adorabatur ut Deus. Gretserus l. 1. de cruce c. 19. suspicatur Amanum clavis fuisse cruci affixum; alii laqueo in collum iniecto, uti iam fit; nil hac in re est certi. Illud certum, crucem hanc fuisse altam 50. cubitos, ut qui altissima petierat, altissime suspenderetur, omnibusque fieret conspicuus. Vide hic primo quantæ efficaciæ fuerint ieiunia et preces Estheris, Mardochæi et Iudæorum; secundo, quam verum sit illud B. Virginis: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles;* tertio, quam mundana omnia sint instabilia et vana; ecce enim repente Aman summus fit imus, et Mardochæus imus fit summus, nimirum impii et superbi Vers. 10.

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Quarto et proprie, quam malum, quod quis alteri struit inique, in struentem revolvatur, ac iusto Dei iudicio in eius caput recidat. Crux enim parata Mardochæo data fuit paranti Amano. Sic Phalaris Perillum suggerentem sibi, ut reos torqueret in bove æneo igne subiecto, ut eorum mugitu aures suas oblectaret, primum in bovem coniecit, de quo Ovid. l. 1. de arte amandi: Malum in auctorem recidit. Exempla.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.

Addit exemplum Busiridis, qui Thrasum suggerentem, ut hospites suos immolaret Iovi ad impetrandam pluviam, ipsummet Thrasum immolavit:

Fies Iovis hostia primus,
Inquit, et Ægypto tu dabis hostis aquam.

Unde hoc epiphonemate concludit:

Neque enim lex iustior ulla est,
Quam necis auctores arte perire sua.

Denique vide hic quanta sit mundi fallacia. Unde iure exclamat S. Bern. epist. 107. *O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos. Invenit Aman gratiam apud regem Assuerum; hæc illi gratia crucem peperit. Invenit gratiam apud Absalonem Achitophel; hæc illi suspendium attulit.* Et S. August. epist. 144. ad Anast. *Mundus iste*, ait, *periculosior est* Mundi fallacia.

blandus, quam molestus, et magis cavendus cum se illum diligi, quam cum admonet cogitque contemni. Ita videmus eos, qui magni sunt apud principes, sensim decidere, uti cecidit Seianus, Achitophel, Aman, Ioab aliique plurimi. Qui sapit ergo, ante casum tempestive se ab aula abducat.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mardochæus succedit in dignitatem Amani. Esther a rege flagitat et impetrat, ut litteræ Amani de mactandis Iudæis revocentur, et novæ in Iudæorum favorem scribantur. Unde exultant Iudæi.

1. Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Iudæorum, et Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus. 2. Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, et tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam. 3. Nec his contenta, procidit ad pedes regis, flevitque, et locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, et machinationes eius pessimas, quas excogitaverat contra Iudæos, iuberet irritas fieri. 4. At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaque consurgens stetit ante eum, 5. Et ait: Si placet regi, et si inveni gratiam in oculis eius, et deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro, ut novis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris et hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigantur. 6. Quomodo enim potero sustinere necem et interfectionem populi mei? 7. Responditque rex Assuerus Esther reginæ, et Mardochæo Iudæo: Domum Aman concessi Esther, et ipsum iussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Iudæos. 8. Scribite ergo Iudæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur, et illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere. 9. Accitisque scribis et librariis regis (erat autem tempus tertii mensis, qui appellatur Sibau) vigesima et tertia die illius, scriptæ sunt epistolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Iudæos, et ad principes, procuratoresque et iudices, qui centum viginti septem provinciis ab India usque ad Æthiopiam præsidebant: provinciæ atque provinciæ, populo et populo, iuxta linguas et literas suas, et Iudæis, prout legere poterant, et audire. 10. Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, et missæ per veredarios: qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis prævenirent. 11. Quibus imperavit rex, ut convenirent Iudæos per singulas civitates, et in unum præciperent congregari, ut starent pro animabus suis, et omnes inimicos suos, cum coniugibus ac liberis et universis domibus, interficerent atque delerent, et spolia eorum diriperent. 12. Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est, tertiadecima mensis duodecimi Adar. 13. Summaque epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subiacebant imperio, notum fieret, paratos esse Iudæos ad capiendam vindictam de hostibus suis. 14. Egressique sunt veredarii celeres nuntia perferentes, et edictum regis pependit in Susan. 15. Mardochæus autem, de palatio, et de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet et aereis, coronam auream portans in capite, et amictus serico pallio atque purpureo. Omnisque civitas exultavit, atque lætata est. 16. Iudæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium. 17. Apud omnes populos, urbes, atque provincias, quocumque regis iussa veniebant, mira exultatio, epulæ, atque convivia, et festus dies: in tantum ut plures alterius gentis et sectæ, eorum religioni et cæremoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror invaserat.

Vers. 1. Die illo dedit rex Assuerus (Græce *Artaxerxes*) Esther reginæ domum Aman.) Omni pretiosa supellectile instructam, ac auro argentoque refertam, ut patet ex Septuag. et Iosepho. Bona enim Amani quasi rei læsæ maiestatis rex fisco addixit, deditque reginæ, iuxta illud Cyri apud Iosephum, lib. 11. antiq. cap. 1. *Qui per inobedientiam hæc mandata nostra* (nempe de ædificando templo) *irrita habuerint, eos in crucem agi volo, et facultates ipsorum fisco nostro attribui.* Idem postea edixit Darius, l. 1. Esdræ, c. 6. v. 11. *A me*, inquit, *positum est decretum, ut omnis homo qui hanc mutaverit iussionem tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo, domus autem eius publicetur.*

Et Mardochæus ingressus est ante faciem regis) q. d. Factus est regi intimus, coniunctissimus, et familiarissimus quasi proximus a rege, uti fuerat Aman.

Vers. 2. Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, et tradidit Mardochæo.) Erat hic annulus regius, quo Aman litteras suas de Iudæis interficiendis subsignaverat quasi sigillo regio. Itaque hic annulus erat summæ dignitatis et auctoritatis, fecitque Mardochæum regis vicarium et quasi alterum regem. Unde Alexander ab Alexandro, l. 2. Genial. c. 9. *Apud Persas*, inquit, *donari annulo a rege amicitiæ signum erat, eo argumento illos in intimam sodalitatem, et vinculum maximi fœderis admittere significantes.*

Hinc et Mardochæus vestibus regiis et corona aurea decoratus fuit, ac cap. 9. v. 4. vocatus *Princeps palatii*, ac cap. 10. versu 3. *Secundus a rege*, atque ut ait Ioseph. l. 11. c. 6. *Simul cum rege gubernavit imperium.*

Esther autem constituit Mardochæum super domum suam.) Ut eius esset œconomus, imo rector, uti fuerat antequam ipsa esset regina. Serarius censet Estherem dedisse Mardochæo domum Amani, sibi a rege donatam, idque tradit Ioseph. libr. 11. cap. 6. verum hoc proprie his verbis non significatur. Vers. 2.

Obsecro ut novis epistolis veteres Aman litteræ, etc. corrigantur.) Hic erat nodus difficilis; nam Aman scripserat, et sigillaverat litteras de occidendis Iudæis nomine regis; regis autem Persarum litteræ et decreta erant irrevocabilia, ut patet in Daniele damnato ad lacum leonum, Daniel. cap. 6. vers. 15. Quocirca Esther genuflexione, lacrymis, omnique arte connisa est ut regem flecteret ad irritandas hasce litteras. Ac prudenter hac ratione et methodo usa rem confecit, quod diceret has Vers. 5.

non esse regis, sed Amani litteras, quas ipse inscio rege subdole scripserat, et annulo regio obsignarat. Cum autem iam regi constaret Amanum fuisse insidiatorem, et proditorem, æquum esse ut acta eius scriptaque proditoria irritentur, utpote fraudulenter ignoranti regi supposita, ac in reges et regni totius damnum æque ac dedecus promulgata. Hac ratione persuasit regi ut litteras Amani quasi hostis et insidiatoris sui abrogaret, ac contrarias in Iudæorum favorem dictaret, uti ipse rex asserit in iisdem, cap. 16. 17. Sic enim rex noxam et infamiam omnem prioris edicti a se abstersit, et in Amanum transtulit, dum contrarium decretum pro Iudæis edidit.

Vers. 9 ACCITISQUE SCRIBIS ET LIBRARIIS.) Scribæ erant primicerii, qui litteras dictabant, librarii qui a scribis dictata describebant, tum ut ad provincias mitterentur, tum ut in archivium et tabulas annalesque publicos referrentur.

Vers. 11. QUIBUS (veredariis sive cursoribus) IMPERAVIT REX, UT CONVENIRENT IUDÆOS.) Ut scilicet eis significarent edictum regis in ipsorum favorem editum, ne magistratus Iudæis offensi aliquo prætextu illud dissimulare, tardare, vel supprimere possent; sed ab ipsis Iudæis cogerentur illud exsequi; comminarenturque se, ni id facerent, eos apud regem accusaturos tamquam regii edicti contemptores. Addunt Sept. hic et Noster, c. 16. regem hoc edicto Iudæis concessisse ut suis legibus ubique viverent.

Vers. 15. MARDOCHÆUS AUTEM, etc. FULGEBAT VESTIBUS REGIIS, HYACINTHINIS VIDELICET ET AEREIS.) Id est candidis, ut habent Hebr. et Chald. Vide dicta cap. 1. v. 6. Ab hoc colore nobiles dicti sunt חורים *horim*, quasi candidi. Candidas quoque vestes olim induebant in diebus festis et lætis, quale hoc erat, iuxta illud: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*, Eccli. 9. 8. Vide ibi dicta.

CORONAM AUREAM PORTANS IN CAPITE.) More Persico radiatam, id est radios instar mithræ, sive solis (quem Persæ ut Deum colebant) vibrantem. En tibi Mardochæus quasi alter rex, qui paulo ante squalidus et luridus incedebat, et cruci destinatus. *Ad tantam dignitatem*, ait S. Hier. in cap. 1. Daniel. sub finem: *voluit Deus evehi Mardochæum, ut sicut olim in Iosepho, et recenter in Daniele, sic nunc in Mardochæo haberent captivi et exules Iudæi solatia, videntes hominem gentis suæ nunc Ægyptiorum esse principem, nunc Chaldæorum, nunc Persarum.* Unde Chald. Cant. 7. v. 5. *Pauperes*, ait, *e populo, qui ambulabant apud Principem hinc et inde, eo quod egeni sunt, futurum est, induantur purpura, sicut indutus est Daniel in civitate Babylonis, et Mardochæus in Susis propter meritum Abrahæ, quem regem constituit ab initio sæculi: et propter iustitiam Isaac, quem ligavit pater eius, ut offerret eum; et propter benignitatem Iacob, qui decorticavit virgas in canalibus.*

Vers. 16 IUDÆIS AUTEM (timore, mœrore et angore confectis, et quasi semimortuis) NOVA LUX ORIRI VISA EST, GAUDIUM, HONOR ET TRIPUDIUM.) Lætitia enim gestientes exultabant, choros agentes et tripudiantes.

Alleg. Esther est B. Virgo, de qua in sensu mystico dicitur Eccles. 50. 6. *Quasi stella matutina in medio nebulæ:* quoniam velut fulgida stella processit effugans tenebras, de qua sanctus Bernar. homil. 2. super Missus est: *Ipsa est nobis stella Iacob, cuius radius universum mundum illuminat, cuius splendor præfulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia.*

Denique notat Serarius in hac Amani tragœdia septuplicem catastrophen:

1. Exaltatus supra omnes Principes erat Aman: infra omnes postea deiectus est.

2. Alterum a rege thronum habebat: Mardochæo equum sternere postea debuit, ut eius veluti strator, et a pedibus esset.

3. Minacissima in eum verba plurima iecerat: et eum laudare, præconis instar, debuit.

4. Pater a rege vocabatur; et ab eodem postea læsæ maiestatis reus, perduellis, proditor, τριϐαλιτήριος nominatus est.

5. Indignans, oculis quam infestissimis et torvissimis, Mardochæum intuebatur: et Regis postea vultum ferre non potuit.

6. Non contentus unius Mardochæi cæde, omnium Iudæorum sanguinem haurire volebat; et ipse non solus, sed tota cum domo, cum decem carissimis filiis in crucem actus est; plurimaque eiusdem cum ipso animi, gentilium millia contrucidata.

7. Quod lignum, quemque diem Mardochæo, Iudæisque cæteris ad necem præscripserat; iis ipse, cum suis miserrime periit.

IN TANTUM UT PLURES ALTERIUS GENTIS ET SECTÆ, Vers. 17. EORUM (Iudæorum) RELIGIONI ET CEREMONIIS IUNGERENTUR.) Id est circumciderentur, et ad Iudaismum verumque Dei cultum converterentur. Videbant enim hanc mirabilem et insperatam Iudæorum salutem et exaltationem sine speciali Dei, res populi sui curantis providentia accidere non potuisse. Quare Dei potentiam, clementiam et providentiam erga Iudæos agnoscentes, eum verum esse Deum profitebantur et venerabantur. Ad hoc etiam iuvit non parum Estheris et Mardochæi religio et sanctitas, iuncta cum tanta auctoritate et gloria: unde sequitur:

GRANDIS ENIM CUNCTOS IUDAICI NOMINIS TERROR INVASERAT.) Ne sibi facerent quod Amano fecerant, quodque propediem cæteris hostibus suis ex regis edicto, v. 13. facturi erant. Quare ne haberentur hostes Iudæorum, ideoque occiderentur, ostendebant alii vere, alii ficte se eorum esse amicos, fiebantque proselyti.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi hostes suos eodem die, quem illi neci ipsorum destinarant, occidunt, et decem Amani filios suspendunt; in huius beneficii memoriam perenne festum 14. et 15. die mensis Adar a Mardochæo instituitur.

1. EGITUR duodecimi mensis, quem Adar vocari ante iam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, et hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudæi superiores esse cœperunt, et se de adversariis vindicare. 2. Congregatique sunt per singulas civitates, oppida, et loca, ut extenderent manum contra inimicos et persecutores suos. Nullusque ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. 3. Nam et provinciarum iudices, et duces et procuratores, omnisque dignitas quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi, 4. Quem principem esse palatii, et plurimum posse cognoverant: fama quoque nominis eius crescebat quotidie, et per cunctorum ora volitabat. 5. Itaque percusserunt Iudæi inimicos suos plaga magna, et occiderunt eos, reddentes eis quod sibi paraverant facere: 6. In tantum ut etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Iudæo-

rum: quorum ista sunt nomina: 7. Pharsandatha, et Delphon, et Esphatha, 8. Et Phoratha, et Adalia, et Aridatha, 9. Et Phermesta, et Arisai, et Aridai, et Iezatha. 10. Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt. 11. Statimque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est. 12. Qui dixit reginæ: In urbe Susan interfecerunt Iudæi quingentos viros, et alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? Quid ultra postulas, et quid vis ut fieri iubeam? 13. Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Iudæis, ut sicut fecerunt hodie in Susan, sic et cras faciant, et decem filii Aman in patibulis suspendantur. 14. Præcepitque rex ut ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, et decem filii Aman suspensi sunt. 15. Congregatis Iudæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est. 16. Sed et per omnes provincias, quæ ditioni regis subiacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tantum ut septuaginta quinque millia occisorum implerentur, et nullus de substantiis eorum quidquam contingeret. 17. Dies autem tertiusdecimus mensis Adar, primus apud omnes interfectionis fuit, et quartadecima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis. 18. At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertiodecimo et quartodecimo die eiusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eumdem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ. 19. Hi vero Iudæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar conviviorum et gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, et mittant sibi mutuo partes epularum et ciborum. 20. Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul, 21. Ut quartamdecimam et quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, et revertente semper anno solemni celebrarent honore: 22. Quia in ipsis diebus se ulti sunt Iudæi de inimicis suis, et luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, et mitterent sibi invicem ciborum partes, et pauperibus munuscula largirentur. 23. Susceperuntque Iudæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, et quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat. 24. Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag, hostis et adversarius Iudæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos, atque deleret: et misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem. 25. Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus eius, litteris regis irriti fierent: et malum quod contra Iudæos cogitaverat, reverteretur in caput eius. Denique et ipsum et filios eius affixerunt cruci. 26. Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est, sortium: eo quod phur, id est, sors, in urnam missa fuerit. Et cuncta quæ gesta sunt, epistolæ, id est libri huius volumine continentur: 27. Quæque sustinuerunt, et quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Iudæi super se et semen suum, et super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere: quos scriptura testatur, et certa expetunt tempora, annis sibi iugiter succedentibus. 28. Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio: et per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt: nec est ulla civitas, in qua dies phurim, id est, sortium, non observentur a Iudæis, et ab eorum progenie, quæ his ceremoniis obligata est. 29. Scripseruntque Esther regina filia Abihail et Mardochæus Iudæus, etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum: 30. Et miserunt ad omnes Iudæos, qui in centum viginti septem provinciis regis Assueri versabantur, ut haberent pacem, et susciperent veritatem, 31. Observantes dies sortium, et suo tempore cum gaudio celebrarent: sicut constituerant Mardochæus et Esther, et illi observanda susceperunt a se, et a semine suo, ieiunia et clamores, et sortium dies, 32. Et omnia, quæ libri huius, qui vocatur Esther, historia continentur.

Vers. 1. IGITUR DUODECIMI MENSIS, QUEM ADAR VOCARI ANTE IAM DIXIMUS, DECIMA TERTIA DIE, QUANDO CUNCTIS IUDÆIS INTERFECTIO PARABATUR, ET HOSTES EORUM INHIABANT SANGUINI, VERSA VICE, IUDÆI SUPERIORES ESSE COEPERUNT.) Adar mensis duodecimus et anni ultimus respondet nostro Februario. Primus enim Hæbræorum mensis erat Nisan, id est Martius, quia in eo celebrabant Pascha, Exodi 12. Porro Iudæi utebantur mensibus lunaribus, non solaribus; quare neomenia, sive novilunium erat prima dies mensis; decima tertia vero dies erat proxime antecedens plenilunium; hoc enim incidebat in diem decimum quartum. Hic ergo dies pridianus plenilunii Februarii destinatus fuerat cædi Iudæorum, et mox vice versa cædi hostium Iudæorum. Quocirca etiamnum Iudæi illo die in synagogis suis quotannis legunt historiam Esther; et quoties fit mentio Amani, pugnis et malleis pulsant scamna, perinde ac si caput Amani ferirent, uti testantur Antonius Margarita lib. de ritibus Iudæorum, et Greg. Tolosanus syntag. lib. 2. c. 16. numero 10. Porro Iudas Machabæus aliud festum hac eadem die 13. Adar instituit, ob insignem victoriam eadem die de Nicanore obtentam, de quo 2. Machab. ult. v. 37.

Vers. 6. UT ETIAM IN SUSAN QUINGENTOS VIROS INTERFICERENT EXTRA DECEM FILIOS AMAN.) Quos primos publice in theatro, ut videtur, quasi reos a rege damnatos occiderent; cædem enim inchoarunt a filiis Aman hostis sui iurati, quasi a primitiis primisque iustæ suæ vindictæ victimis; deinde eorum iam occisorum corpora postero die suspenderunt in patibulis, ut dicitur v. 14. ad maiorem Amani ignominiam et hostium terrorem. Igitur mense tertio rex tulit edictum, ut Iudæi trucidarent filios Aman, cæterosque suos adversarios, ut dictum est cap. 8. v. 9. Quare Iudæi mox filios Aman, ne fuga elaberentur, incluserunt in carcerem, ac post novem menses, puta die 13. mensis duodecimi, quæ cædi erat destinata, eos iugularunt, et postero die iugulatos suspenderunt. Dices, cap. 6. 18. rex ferens hoc edictum ait Amanum et omnem cognationem eius ante portam Susan pendere in patibulis; ergo filii Aman cum eo occisi sunt mense tertio, non duodecimo. Resp. per *cognationem* ibi non intelligi filios (alioqui enim eos explicite nominasset) sed cognatos et affines Aman; hi enim ut eius fautores cum eo suspensi sunt; filii vero ad communem omnium cædem, et ad diei 13. Adar pubblicum spectaculum iustæ vindictæ reservati fuere.

QUOS CUM OCCIDISSENT, PRÆDAS DE SUBSTANTIIS EORUM TANGERE NOLUERUNT.) Tum ut ostenderent se non aliud, quam vitæ suæ incolumitatem quærere: hanc enim perdere volebant ii qui occidebantur; quare se non inhiare opibus, nec propter opes innoxium aliquem divitem (uti sæpe fit) inter noxios interficere; tum denique, quia Aman utpote Iudæorum iuratus hostis, erat quasi anathema, ut nemo eius et filiorum res attingere auderet. Idem fecere cæteris occisis, quorum facultates diripere noluerunt, ut dicitur v. 16. etsi rex id eis concessisset, cap. 8. 11. Utinam Christiani duces et milites eos imitentur, qui non tantum inimicos, sed etiam amicos sæpe spoliant, imo spe prædæ mactant. Vers. 10.

UT SEPTUAGINTA QUINQUE MILLIA OCCISORUM IMPLE- Vers. 16.

RENTUR.) Ingens fuit hic hostium, ideoque et cæsorum numerus, quia Iudæi de vita securi esse non poterant, nisi iis occisis. Et hoc est quod hic dicitur: *Pro animabus suis* (pro vita sua tuenda constanter cædentes hostes suos) *steterunt Iudæi interfectis hostibus*, etc. Nisi enim ipsi interfecti fuissent, timendum erat ne rursum Iudæos invaderent, imo contra regem rebellarent. Porro iussit Mardochæus Iudæis, ut diligenter inquirerent et annotarent, qui revera essent Iudæorum hostes, ne quis amicus vel innoxius inter hostes et noxios occideretur, uti factum est in Vesperis Siculis et Parisiensibus, ideoque per novem menses cædem differri iussit, scilicet a mense tertio usque ad duodecimum.

Vers. 26. ATQUE EX ILLO TEMPORE DIES ISTI (13. et 14. Adar, quibus Iudæi mactandi mactarunt suos hostes) APPELLATI SUNT PHURIM, ID EST SORTIUM: EO QUOD PHUR (ID EST SORS) MISSA FUERIT IN URNAM.) Sic hoc festum, ait Sanchez, *Phurim* appellatur, id est sortium, non a libertate, quam eo die consecuti sunt Iudæi hostibus interfectis, aut domitis; sed a sortibus quas consuluit Aman, et quæ in eumdem decimum tertium diem mensis Adar Iudæorum cædem destinarunt, ut, dum dies ille anniversario reditu recurrit, periculi illius renovetur memoria, in quo fuerunt, et qualem habuerunt animorum consternationem et angorem, cum de sortibus ac die nuntium accepere.

Dies phurim Persis, Iudæis fuere phrurim.

Perperam in Sept. Rom. pro *phurim*, ut habent Sept. Complut. legitur *phrurim*; unde et Ioseph dies hos φρουραίους appellat. Nisi malis Sept. et Iosephum vocem *phurim* addita littera *r* commutasse in φρουριμ, ut alluderent ad Græcum etymon verbi φρουρέω, quod servare et custodire significat, q. d. Dies hi ab hostibus fuere vocati *Phurim*, id est sortium, item confractionum, quibus scilicet genus nostrum confringerent (hoc enim significat hebr. et arabice *phur*); sed a Deo per Esther et Mardochæum ex phurim facti sunt φρουριμ, id est custodes et conservatorii, quibus scilicet in vita incolumes conservaremur: hostibus vero facti sunt iidem dies *phurim*, id est confractionum; quibus nimirum ipsimet a nobis confringerentur et mactarentur.

Sic Allegor. dies passionis Christi fuere dies *phurim*, id est, sortium et confractionum, quibus scilicet Iudæi miserunt sortem de occidendo Christo pro Barabba; ac milites de dividenda Christi crucifixi tunica; tunc enim ipsi carnem Christi confregerunt clavis, flagellis, spinis; sed hi dies *phurim* per Christum facti sunt *phrurim*, sive φρουραίοι, id est, custodes et conservatorii; quia omnes in Christum credentes, sperantes, et diligentes liberarunt a peccato, morte et inferno. Iidem dies Iudæis facti sunt *phurim*, quia illis ipsis, puta in Paschate post 38. annos Ierusalem a Tito capta, vastata, et funditus excisa est.

Idipsum præsignificavit sors in die expiationis iaci solita in duos hircos, alterum emissarium, alterum pro peccato immolandum, Levit. 16. v. 8. et 9. Vide ibi dicta.

Tropol. festum *phurim* agunt sancti, cum sortes adversæ in prospera commutantur, uti commutatæ fuere sancto Iob c. ult. Iosepho, Gen. 41. 41. Mosi, Exodi 4. et 5. Davidi, Tobiæ, aliisque sanctis, ac nominatim S. Eustachio, ut liquet ex eius vita apud Surium, die 20. Septembris.

Anagog. dies *phurim*, id est sortium, erit dies iudicii, quo Christus sortes piorum in hac vita afflictorum, et impiorum in hac vita exultantium commutabit, ac piis perpetuam lætitiam, impiis perennem gehennam assignabit, uti docet Sapiens c. 5. 1. et Isaias c. 65. 12. et Christus ipse Lucæ 6. v. 21. et 25.

ET CUNCTA QUÆ GESTA SUNT, EPISTOLÆ, ID EST LIBRI HUIUS VOLUMINE CONTINENTUR) Hinc colligitur Mardochæum libri huius esse auctorem. Ipse enim auctor fuit epistolæ huius; epistola autem idem continebat, quod continet hic liber; sed quæ prius in epistola breviter scripserat Mardochæus, eadem in librum hunc referens fusius conscripsit, et accuratius elimavit.

Vers. 27. QUÆQUE SUSTINUERUNT (*Iudæi* ab Aman eiusque assecclis) ET QUÆ DEINCEPS IMMUTATA SUNT, sorte cædis Iudæorum ab ipsis in hostes conversa; repete, *libri huius volumine continentur*, atque in horum memoriam, et gratiarum actionem SUSCEPERUNT IUDÆI SUPER SE ET SUPER SEMEN SUUM; hoc est, obligarunt se, suosque filios, et posteros. quin et proselytos, QUI RELIGIONI EORUM VOLUERUNT COPULARI, celebrare hoc festum *phurim*, id est sortium. UT NULLI LICEAT DUOS HOS DIES ABSQUE SOLEMNITATE TRANSIGERE.) Non quod omnes utrumque diem debeant agere festum, sed quod alterum ex duobus, vel certe tertium a cæde: nam Iudæi habitantes Susis, quia tam die 13. quam 14. ceciderant suos hostes, hinc die 15. Adar quo cessarant a cæde, festum *phurim* celebrarunt; cæteri autem qui uno die citius, puta decima quarta a cæde abstinuerant, eadem die festum agebant.

QUOS (dies) SCRIPTURA (id est epistola Mardochæi postea a tota Synagoga confirmata) TESTATUR.) Id est, contestatur et mandat esse annua memoria et gratitudine recolendos.

ET CERTA EXPETUNT TEMPORA ANNIS SIBI IUGITER SUCCEDENTIBUS.) Ut scilicet quotannis celebrentur certo statoque tempore, puta diebus 14. et 15. iam dictis, idque non solum ex Mardochæi, sed et Assueri decreto, qui idipsum non solum Iudæis, sed et Persis, cæterisque gentibus suo imperio subditis præcipit, c. 16. v. 22. et 24.

Anagog. festum sortium significat festum et gaudium beatorum in cælo de triumphato dæmone, mundo, tyrannis, cæterisque persecutoribus, qui sortes miserant de eorum perditione; sed per virum unum, et per unam mulierem liberati sunt, id est, per Christum et Mariam, et inimicos suos gladiis punient, sicut scriptum est Psalm. 149. 6. *Et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Hoc in fine sæculi, id est in die iudicii, continget; ideo duodecimo mense celebratur. Die decima quarta agitur, id est in plenilunio, quoniam cum Sancti cum Christo iudicabunt nationes, et dominabuntur populis, iam Ecclesia Sanctorum plenitudinem decoris sui habebit.

Anagog. festum sortium est gaudium beatorum.

Verum solemnitati additur dies decimusquintus, ut significetur hoc secundo die gaudium, quod Sancti capient videntes semper impiorum persecutorum damnationem, sicut in Isaia scriptum est: *Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Ita Ribera l. 5. de Templo c. ult.

UT HABERENT PACEM ET SUSCIPERENT VERITATEM.) Vers. 30.
Hebr. *Miserunt epistolas verborum pacis et veritatis*, id est precantes eis pacem, hoc est omnimodam prosperitatem, et exhortantes eos ad veritatem, id est fidelitatem et constantiam in servandis promissis de festo *phurim* statis diebus celebrando.

ET ILLI OBSERVANDA SUSCEPERUNT A SE, ET A SE- Vers. 31.
MINE SUO IEIUNIA ET CLAMORES.) Solebant enim Iudæi pridie festorum ieiunare, uti et faciunt Christiani in vigiliis Sanctorum: solebant tunc quoque clamores precibus miscere, ac in fortitudine clamare ad Dominum, præsertim in publica calamitate, uti hic fecere Iudæi ab Aman neci destinati; ideoque eiulantes et complorantes: in quorum memoriam clamores hosce quotannis eodem die renovabant cum strepitu et complosione scamnorum, uti dixi v. 1. sicut Christiani in triduo passionis Christi crepitaculis et complosionibus strepitus edunt; quod nonnulli cum Serario ab hoc facto Hebræorum manasse suspicantur.

Addit S. Athan. in Synopsi, eadem die 13. Adar, Iudæos in memoriam et contumeliam Amani crucifixi crucem ligneam publice circumferre, eamque cum imagine Amani igne concremare. Verum quia multi Iudæorum hac Amani tragædia, Christi passionem et crucem repræsentabant et irridebant, quasi Christus esset personatus larva Amani, hac de causa Honor. et Theodosius

Imp. hos eorum ritus et gestus inhibuere, ut patet Cod. *de Iudæis et Cælicolis L. Iudæos*, ubi sic dicitur: *Iudæos quosdam festivitatis suæ solemnia ad pœnæ quondam sumptæ recordationem incendere, et sanctæ crucis assimulatam speciem in contemptu Christianæ fidei, sacrilega mente exurere provinciarum rectores prohibeant.*

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Maiestas et gloria æque ac virtus Mardochæi, qui v. 4. somnii sui explicationem de Iudæorum in Perside afflictione, indeque liberatione et exaltatione enarrat.

1. Rex vero Assuerus, omnem terram et cunctas maris insulas fecit tributarias: 2. Cuius fortitudo et imperium, et dignitas atque sublimitas, qua exaltavit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum, atque Persarum: 3. Et quomodo Mardochæus iudaici generis secundus a rege Assuero fuerit: et magnus apud Iudæos, et acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, et loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent.

Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua et litteris continentur: et interim post finem libri hoc capitulum ferebatur: quod iuxta consuetudinem nostram obelo, id est, veru prænotavimus.

4. Dixitque Mardochæus: A Deo facta sunt ista. 5. Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quidquam irritum fuit. 6. Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit: Esther est, quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam. 7. Duo autem dracones: ego sum, et Aman. 8. Gentes, quæ convenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Iudæorum. 9. Gens autem mea, Israel est, quæ clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum: liberavitque nos ab omnibus malis, et fecit signa magna atque portenta inter gentes: 10. Et duas sortes esse præcepit, unam populi Dei, et alteram cunctarum gentium. 11. Venitque utraque sors in statutum ex illo iam tempore diem coram Deo universis gentibus: 12. Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hereditatis suæ. 13. Et observabuntur dies isti in mense Adar, quartadecima et quintadecima die eiusdem mensis, cum omni studio et gaudio in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israel.

Vers. 1. Rex vero Assuerus omnem terram, et cunctas maris insulas (nimirum sibi suæque imperio subiectas) fecit tributarias.) Id est, novis tributis oneravit, tum quia ipse auri cupidior in tributa erat propensus; tum quia magnis et magnificis suis in convivium tam amplum et continuum, de quo cap. 1. expensis ærarium exhauserat; tum quia Deus hoc tributo castigare volebat Persas, qui paulo ante cædi et spoliis innocentum Iudæorum inhiarant.

Vers. 3. Mardochæus Iudaici generis secundus a rege Assuero) Erat ergo quasi regis vicarius, et in eius absentia rex; imo rege præsente Mardochæus rara sua prudentia et vigilantia gubernabat imperium, teste Iosepho.

Loquens ea quæ ad pacem seminis sui (id est, quæ ad commoda et prosperitatem Iudæorum) pertinerent.) q. d. Mardochæus studebat commodis non propriis, sed populi sui. Res eius præclare gestas omittit hic Scriptura, ac eas cupientem cognoscere remittit, ad annales Medorum et Persarum.

Beniamin in Itinerario narrat, Mardochæum et Estherem sepultos in urbe primaria Medorum, dicta *Hamda magna;* aitque suo tempore in ea fuisse 50. millia Iudæorum. Nonnulli suspicantur a Mardochæo nominatam provinciam Mardochæam, quæ sita est inter Babyloniam et Sinum Persicum.

Hic in Hebræo finitur liber Esther; cætera quæ sequuntur ex Græco in Latinum transtulit S. Hieron. ubi nota hæc ultima septem Estheris capita esse Scripturam Canonicam. Id patet tum ex definitione Conc. Trid. sess. 4. tum ex editione vulgata Latina et Græca Sept. Quarum utraque hæc constanter legit, licet, in Græca non habeantur seorsim, ut in Latina; sed quæque suis locis inserta sint ordine historico, uti olim quoque ante S. Hieron. eadem suis locis inserta extabant in Editione Latina. Verum S. Hieron. quia Estherem ex Hebræo transtulit in Latinum, et eius tempore hæc septem capita non extabant in Hebræo, hinc ea ex Græco transtulit, ac seorsim posuit, et in calcem libri retulit post seriem totius historiæ. Extitisse autem olim illa ante S. Hieron. Hebraice, patet ex Græca Septuag. et Latina vulgata prisca, atque ex Iosepho, et Iosippo filio Gorionis, qui hæc eadem habent quæ Noster, utique non aliunde, quam ex prisco originali Hebræo. Verisimile est hunc librum æque ac Tobiæ bis Hebraice fuisse conscriptum: semel brevius, uti iam Hebraice extat, secundo fusius; indeque manasse translationem Græcam Sept. et ex ea Nostram, ideoque illam hasce attexere lacinias. Vide Fevardentium hic, et Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 7.

Dixitque Mardochæus.) Cum iam suspenso Aman intelligeret somnii sui significationem. Vers. 4.

Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis.) Somnium hoc ergo fuit a Deo immissum Mardochæo, ut per illud significaret futuram exaltationem sui et Estheris, ac colluctationem cum Amano. Quocirca hoc somnium ordine historico collocandum est initio huius libri, totiusque historiæ, uti ibidem collocatur in Græcis Rom. Simile somnium a Deo immissum fuit Pharaoni, Genes. 41. et Nabuchodonosori, Daniel. 2. Vers. 5.

Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit, Esther est, quam rex accepit uxorem, et voluit esse Reginam.) Somniarat ergo Mardochæus, uti narratur cap. seq. versu 5. se videre parvum fontem, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est: ac postea intellexit hunc fontem esse Estherem, quæ antea abiecta et vilis, postea ita crevit, ut facta sit Vers. 6.

- regina, et gentem Iudæorum et numero, et robore, et
gloria mire adauxerit, ideoque quasi sol in Perside to-
toque orbe radiis suæ virtutis et maiestatis effulserit. A-
Esther comparatur fonti. pte Esther comparatur fonti: primo, quia sicut fons a-
quas continue eructans producit ingentem fluvium, sic
Esther sua opera et studio ingentem produxit Iudæorum
1. populum, multosque Gentilium ad Deum et Iudaismum
2. convertit, ut dictum est cap. 9. ult. secundo, ipsa suis o-
culis et lacrymis quasi fontibus exstinxit immane Amani
incendium in Iudæos conflatum, æque ac iram Dei; ter-
3. tio, ipsa iisdem quasi aquis torrentis ingentibus et vehe-
mentibus obruit, et demersit 75. millia Gentilium Iudæis
4. adversantium; quarto, fons hic, qui ante erat in tenebris
cap. 11. 8. hoc est in summo mœrore et angore, IN LU-
CEM SOLEMQUE, id est, in lucidum solem (est hendyadis)
CONVERSUS EST, puta in summam lætitiam et felicitatem,
cum Iudæos morte liberavit, eosque de hostibus trium-
phare fecit.

Analogiæ fontis et solis. Porro apposite fons hic dicitur conversus in lucem et
B solem, quia magna est affinitas et analogia fontis et so-
lis; primo, quia sicut fons est origo et scaturigo fluminis,
1. sic sol est luminis: sicut enim flumen manat a fonte, sic
lumen a sole; similis enim est utriusque productio, pro-
fluxus, et emanatio; unde Hebr. נר *ner*, id est lux et lu-
cerna, alludit ad נהר *nahar*, id est flumen, et ad אור
or, id est lumen, quia significat profluxum seu propaga-
tionem luminis ceu fluminis, id est seminis et posterita-
2. tis; secundo, quia quod fons est in terra, hoc sol est in
cælo; sicut enim fons est quasi oculus terræ, sic sol est
quasi oculus cæli, totum cælum orbemque lustrans et or-
nans. Unde Hebr. עין *ain* tam oculum quam fontem si-
gnificat, quia, quod oculus est in homine, hoc fons est in
3. terra, et sol in cælo; tertio, quia flumen ex fonte manans
limpidum est, perspicuum, et clarum instar crystalli (imo
crystallus non est aliud quam aqua fontis conglaciata) ac
4. radiis solis illuminatum resplendet ut sol; quarto, quia
ex fonte et aquis primigeniis creatus est sol et cæli. Un-
C de et Hebr. *Scamaim*, q. d. *Ibi aquæ*, vocantur, uti osten-
di pluribus Genes. 1. 7. Simili modo et analogia Esther
hic quasi aquea, id est pauper et abiecta, ab Assuero e-
vecta ad solium regale quasi ad cælum, facta est glorio-
sa et radians ut sol, ut iure fons solis, de quo Iosue cap.
15. v. 7. et c. 18. v. 17. vocari possit iuxta id quod c. 11.
v. 11. de ea dicitur: *Lux et sol ortus est, et humiles exal-
tati sunt, et devoraverunt inclytos.*

Hinc S. Scriptura sæpe lumen et flumen combinat, ut
Psalm. 35 10. *Domine, apud te est fons vitæ; et in lumi-
ne tuo videbimus lumen.* Et Apocal. 22. 1. lumen gloriæ
beatorum describitur per fluvium paradisi, cum ait: *Et
ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam
5. crystallum procedentem de sede Dei et Agni.* Denique
in fontibus subinde per reflexionem radiorum sol sui effi-
giem exprimit, facitque parelium, id est, alterum quasi
solem, ut fons ipse videatur esse sol, uti dicam cap. seq.
v. 10 et 11. Hoc est ergo paradoxum, hieroglyphicum
Mardochæi somnium: *Ex aquis sol,* id est, ex tribulatio-
D ne oritur gaudium, ex adversitate prosperitas, ex deso-
latione consolatio, ex mœrore lætitia, ex humiliatione
exsultatio, ex mortificatione resurrectio. Fingunt Poetæ
solem, cum occumbit ex labore diurno anhelum, se aquis
et mari immergere, ut noctu se abluat et refrigeret;
quare mane ex iisdem rursus vegetum prodire et rena-
sci; sic aquæ humiliationis refrigerant mentem operibus
charitatis æstuantem, ut humilior et vegetior ex illis ad
eadem resurgat et regrediatur. Tunc fit illud, quod dici-
tur Iob 11. 16. *Miseri quoque oblivisceris et quasi aqua-
rum, quæ præterierunt, non recordaberis. Et quasi me-
ridianus fulgor consurget tibi ad vesperam; et, cum te
consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* Et illud Malac.
4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, et
sanitas in pennis eius; et egrediemini, et salietis sicut vi-
tuli de armento.* Vide ibi dicta. Denique somnium hoc al-
lusit ad morem Persarum, qui solem colebant quasi nu-
men, ac reges suos vocabant soles. Unde Cyrus Persice

A idem est quod sol. Et Sapor Persarum rex, teste Marcel. lib. 17. scribens ad Constantium Imp. hunc sibi arrogat titulum: *Rex regum Sapor, particeps siderum et frater solis et lunæ Constantio fratri meo salutem.* Cum ergo Mardochæus per visum vidit Estherem quasi solem, paulo post intellexit eam fore reginam Persarum, ac capite gestaturam coronam solarem, id est, radiis aureis quasi solaribus distinctam. Addit Iosippus filius Gorionis, l. 2. c. 2. Mardochæum Estherem in persecutione Amani afflictam consolatum fuisse refricatione huius sui somnii, indeque spe certa liberationis secuturæ. Idem dicas de quadriennio toto, quo Esther quasi vilis, incognita, et oblivioni tradita latuit in domo Assueri; nam anno secundo Assueri in domum eius inducta fuit; septimo vero demum anno ad eumdem introducta, ut patet cap. 2. versu 16.

Nimirum hæc est via et methodus, qua utitur Dei providentia, ut eos, quos vult exaltare et glorificare, prius humiliet, vilesque et ignobiles efficiat. Qui ergo idipsum in se experitur, spe certa meliorum erigat animum, sciatque se esse in recta via, qua Deus suos deducit ad sublimitatem et gloriam; quia ut ait Sapiens: *Gloriam præcedit humilitas.* Et: *Dominus* primo *mortificat, et* deinde *vivificat;* primo *deducit ad inferos et* deinde *reducit.* 1. Reg. 2. v. 6.

Alleg. hic fons in solem conversus similisque fonti solis, de quo Iosue, ad litteram significans Estherem, mystice repræsentat B. Virginem quæ Apoc. 12. 1. vocatur mulier amicta sole. Unde S. Fulgentius serm. de laud. Virg. *Facta,* inquit, *Maria fenestra cæli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculi lumen.* B. Damascenus Orat. 1. de nativ. Virg. vocat eam *Portam vitæ, Fontem lucis,* quo nomine eam vocant complures alii. Epiphanius serm. de laud. Virginis, his verbis: *O virgo sancta, lucis æternæ mater: lucis inquam, quæ in cælis illuminat copias Angelorum: lucis, quæ illuminat ipsorum Seraphim incomprehensum oculum; lucis, quæ illuminat solem splendidis facibus; lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati; lucis, quæ dixit: Ego sum lux mundi; lucis, quæ dixit: Ego lux in mundum veni: lucis, quæ assumpta est, et illuminavit cuncta quæ sunt in cælis et in terra.* Et iterum: *O uterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratiæ.* Chrysippus, Oratione ad Deiparam: *Ave,* inquit, *fons lucis omnem hominem illuminans, ave, solis ortus, qui nullum ferre potest occasum.* Ildephonsus serm. 1. de Assumptione: *Maria,* inquit, *secundum verbum Hebraicum interpretatur stella maris; mare præsens sæculum est, stella autem B. Virgo Maria, de qua ortus est ille per quem illuminatur omnis mundus. Hinc securius accedite ad laudem Virginis, et illuminamini, quoniam ipsa est per quam vera lux in mari huius sæculi refulsit.* Ecclesia in Missa, in præfatione de B. Virgine, hac eadem metaphora utitur illis verbis: *Quæ virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit, Iesum Christum Dominum Nostrum.* Ephrem sermone de laudibus Virginis: *Ave,* inquit, *stella fulgidissima, ex qua Christus processit; ave, per quam clarissimus sol iustitiæ nobis illuxit.* Et iterum: *Virginem Luciferam* appellat; æque ac Cyrillus. lib. 1. de recta fide ad Reginas: *Maria,* ait, *vitæ genitrix, mater pulchritudinis, maximipara Luciferi.*

B. Virgo est fons solis.

Vers. 7. DUO AUTEM DRACONES, EGO SUM ET AMAN.) Hi duo dracones inter se præliabantur, ut dicitur cap. seq. v. 6. ut significarent colluctationem Mardochæi cum Amano, eiusque supplantationem. Dracones enim sunt insignia et stemmata militum et ducum; notant enim eorum dotes, quarum præcipue sunt tres, scilicet vigilantia, fortitudo, et celeritas in rebus conficiendis. Draco enim est vigil, et acutissime cernit; unde Draco dictus est ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id est a videndo. Idem fortissimus est et celerrimus: unde in Arabia volat; quare quid divinum præ se fert; qua de causa veteres draconi assignarunt custodiam ædium, templorum, oraculorum, thesaurorum, ac infantiæ heroum; uti de Hercule, imo de Nerone fabulati sunt Poetæ. Hinc rursum draco priscis fuit symbolum prudentiæ, sapien-

Draconis dotes et symbola.

tiæ, imo et vaticinii, uti docet Carolus Paschal. l. 9. de Coronis, c. 15. in fine. Adde (quod huic appositum et proprium est) Parthos, sive Persas olim in prælio præmisisse leones et dracones in hostes ad eos consumendos, uti ex Luciano et Ennio docet Brissonius, l. 2. de regno Persarum, pag. 310. Simile somnium de dracone habuit Olympias mater Alexandri Magni, quo ei portendebatur imperium et monarchia, uti eamdem draco portendit Augusto, Aureliano, Severo, Scipioni et aliis, teste Pierio Hierog. 15. Hinc et Pharao vocatur draco magnus, Ezech. 29. v. 3. Hinc quoque olim in bello vocabantur Draconarii, qui nunc vocantur vexilliferi. Denique sicut dracones Mosis devorarunt dracones Magorum, Exodi 7. 12. sic Mardochæus devoravit Amanum. Sic etiamnum vulgo Dracones vocantur milites fortissimi, puta equites qui a tergo accipiunt peditem, ut in prælio eum in terram deponentes tam equites, quam pedites in hostem pugnent.

Vers. 10. ET DUAS SORTES ESSE PRÆCEPIT; UNAM POPULI DEI, ET ALTERAM CUNCTARUM GENTIUM.) Populo Dei, hoc est Iudæis, adversantium et inimicorum; Aman enim misit sortem pro Iudæis occidendis; Mardochæus vero dedit A sortem pro gentibus Iudæorum hostibus mactandis.

VENITQUE UTRAQUE SORS IN STATUTUM EX ILLO IAM TEMPORE DIEM CORAM DEO UNIVERSIS GENTIBUS.) q. d. Utraque sors incidit in eamdem diem a Deo ab æterno statutam, scilicet in 13. et 14. Adar, sive Februarii; sed dies hic fuit Iudæis felix et lætus, gentibus vero Iudæorum hostibus fuit infaustus et exitialis, quia Vers. 11.

RECORDATUS EST DOMINUS HÆREDITATIS SUÆ.) Id est populi Israelitici, quem ut hæreditatem, et peculium suum Deus singulariter diligit; ideoque protegit, salvat et propugnat. Vers. 12.

Symbol. S. Prosper l. 1. de vocat. gentium, c. 2. duas sortes accipit fidelium et infidelium; Deus enim Iudæos quasi fideles elegit ad gratiam et gloriam, a quibus gentes infideles exclusit, ita tamen ut communem providentiæ suæ cursum et gratiam eis non denegarit, uti ibidem ostendit Prosper; sed pro Iudæis sibi fidelibus magna fecit signa et portenta in Gentibus, ut cum per Mosen Ægyptum decem plagis afflixit, cum per Iosue Chananæos, per Davidem Philisthæos subiugavit, etc. Ad hæc enim portenta hic respicitur.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mardochæus somnium ipsum enarrat, cuius significationem iam c. 10. enarrabat.

1. ANNO quarto, regnantibus Ptolemæo et Cleopatra, attulerunt Dosithæus, qui se sacerdotem et Levitici generis ferebat, et Ptolemæus filius eius, hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum, Ptolemæi filium in Ierusalem.

Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud ullum fertur interpretum.

2. Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Iairi,
4. Reg. 24. d. 15. filii Semei, filii Cis, de tribu Beniamin: 3. Homo Iudæus, qui habitabat in urbe Susis, vir magnus, et inter pri-
Sup. 1. 26. mos aulæ regiæ. 4. Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de
Ierusalem cum Iechonia rege Iuda: 5. Et hoc eius somnium fuit: Apparuerunt voces, et tumultus, et tonitrua, et
terræmotus, et conturbatio super terram. 6. Et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium. 7. Ad
quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, ut pugnarent contra gentem iustorum. 8. Fuitque dies illa
tenebrarum et discriminis, tribulationis et angustiæ, et ingens formido super terram. 9. Conturbataque est gens
iustorum timentium mala sua, et præparata ad mortem. 10. Clamaveruntque ad Deum: et illis vociferantibus,
fons parvus crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit. 11. Lux et sol ortus est, et humiles exal-
tati sunt, et devoraverunt inclytos. 12. Quod cum vidisset Mardochæus, et surrexisset de strato, cogitabat quid
Deus facere vellet: et fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

HOC caput initio libri ordine historico ponendum est, uti ponunt Græca Romana.

Vers. 1. ANNO QUARTO, REGNANTIBUS PTOLEMÆO ET CLEOPATRA.) In Ægypto. Illo enim ævo a primo Ptolemæo Lagi rege Ægypti cæteri omnes vocati sunt Ptolemæi, reginæ vero Cleopatræ. Hic Ptolemæus fuit is, qui cognominatus est Philometor sextus ab Alexandro Magno, ac Iudæis impense favit, imo omne regnum suum gubernandum commisit, ac duces militiæ suæ constituit Oniam et Dosithæum Iudæos, teste Iosepho, l. 2. contra Appionem. Incertum est, an hic Dosithæus sit idem cum Dosithæo sacerdote, qui epistolam *phurim*, id est, sortium a Mardochæo Hebr. scriptam, et a Lysimacho in Græcum conversam, tulit in Ierusalem, uti hic dicitur. Porro hic versus non est Mardochæi, nec additus a Sept. hi enim vixerunt ante Philometorem sub Ptolemæo Philadelpho, sed ab aliquo posteriore scriba hagiographo historiæ causa interiectus.

Vers. 2. ANNO SECUNDO.) Hic incipit epistola Mardochæi, quæ scripta fuit anno secundo Artaxerxis, id est, Darii Hy- B staspis imperantis in Perside. Artaxerxes enim erat commune nomen regum Persarum, sicut Assuerus Medorum, ut dixi. Erat enim idem annus quo Dario concessit Iudæis facultatem resumendi fabricam templi quam inchoarat Cyrus, sed inhibuerat eius filius Cambyses, ut patet 1. Esdræ, c. 4. et 6.

ET HOC EIUS SOMNIUM FUIT; APPARUERUNT VOCES, ET TUMULTUS, ET TONITRUA, ET TERRÆMOTUS, ET CONTURBATIO SUPER TERRAM.) Hæc omnia significabant tumultus et conturbationes, quos Aman excitavit contra Iudæos per edictum iubens omnes occidi. Erant enim multa centena Iudæorum millia, qui omnes erant necandi cum uxoribus, filiabus et ancillis. Cogita quanta in eis fuerit consternatio, tumultus et comploratio. Vers. 5.

PARATIQUE CONTRA SE IN PRÆLIUM.) Græce: *Processerunt præliari utrique*, nimirum Mardochæus contra Aman. Vers. 6.

UT PUGNARENT CONTRA GENTEM IUSTORUM) Puta contra Iudæos qui erant populus fidelis Dei cultui dicatus. Vers. 7.

FONS PARVUS CREVIT IN FLUVIUM MAXIMUM, etc. Vers. 10.

Vers. 11. Lux et sol ortus est; et humiles (Iudæi) exaltati sunt, et devoraverut inclytos.) Nimirum Aman cum eius asseclis, cæterisque sibi adversantibus.

Fons parvus fuit Esther cum suis Iudæis, quæ primo vilis et exilis crevit in fluvium, imo in lucem et solem conversa est, cum effecta regina Mardochæum et Iudæos extulit, ut de Aman et hostibus suis eos mactando triumpharent. Alludit ad fonticulos, qui in profundis locis, ut puteis et antris, modice exiliunt, ideoque obscuri sunt et tenebrosi; sed, dum affluxu vicinarum aquarum crescunt, fiunt limpidi et lucidi, iuxta illud:

Fons erat illimis nitidis argenteus undis.

Imo fiunt fulgidi instar solis, præsertim dum radiis solis ita verberantur, ut sol in eis vel iridem vel seipsum exprimat, ut fit in parelio, quando sol in nubibus aqueis ra- A refactis transparens alium quasi solem in eis spectandum exhibet. Simili enim modo Esther post adeptum regnum maiestate et gloria refulsit quasi sol. Vide dicta cap. præced. v. 7.

Cogitabat quid Deus facere vellet, et fixum habebat in animo (investigare et scrutari somnii significationem) scire cupiens quid significaret somnium.) Hinc patet Mardochæum, cum primo vidit somnium, eius significationem non intellexisse, sed sensim ex rerum eventu, et Dei instinctu eam cognovisse. Sentiebat tamen in genere sibi a Deo inspirari, aliquid magni in favorem Iudæorum eo significari. Unde Iosippus filius Gorionis, lib. 2. *Cum Aman*, ait, *Mardochæo tam infensus esset, ait ad suam Esther: Impletur somnium quod narravi tibi in diebus iuventutis tuæ.*

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sup. 2 d. 21. et 6. a. 2. *Mardochæus Assuero per Estherem revelat coniurationem eunuchorum contra eum, de qua cap. 2. 21. quare ordine historico eo loci hoc caput inserendum est: quæ enim ibi strictim dicta sunt, hic fusius enarrantur.*

1. Morabatur autem eo tempore in aula regis, cum Bagatha et Thara eunuchis regis, qui ianitores erant palatii. 2. Cumque intellexisset cogitationes eorum, et curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, et nuntiavit super eo regi. 3. Qui de utroque habita quæstione, confessos iussit duci ad mortem. 4. Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed et Mardochæus rei memoriam litteris tradidit. 5. Præcepitque ei rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. 6. Aman vero filius Amadathi Bugæus, erat gloriosissimus coram rege, et voluit nocere Mardochæo et populo eius, pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti.

Hucusque procemium. Quæ sequuntur: in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine.

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

Vers. 5. Datis pro delatione muneribus.) Exiguis et parvi momenti; nam postea maiora dedit, ut patet c. 6. v. 3. Aut potius est prolepsis, sive anticipatio; munera enim hæc data videntur Mardochæo non statim a delatione, sed diu post, cum scilicet rex legens Annales intelligeret nihil mercedis Mardochæo pro delatione datum fuisse, uti narratur c. 6. 3.

Vers. 6. Aman Bugæus, Cur? Respons 1. Aman vero filius Amadathi Bugæus erat gloriosissimus.) Cur Aman vocatur Bugæus? Respondent aliqui: Vocatur Bugæus, id est, filius Bogis. Bogim enim magnifecit Xerxes, teste Herodoto, lib. 7. et 8. Bogem quoque fuisse Macedonem, uti erat Aman, liquet ex eo quod addit Herodotus eum fuisse oriundum ex urbe Sion, id est Amphioli, quæ urbs est Macedoniæ, quam præterfluit Arymon fluvius. Verum hæc contigerunt ante Xerxem sub Dario patre Xerxis, ut ostendi in procemio. 2. et vere Dico ergo *Bugæus*, vel ut aliqui legunt, *Ugæus*, idem est quod *Agagæus*, id est, oriundus ex stirpe Agag regis Amalec. Id ita esse liquet, ex eo quod τὸ Bugæus non sit in Hebr. sed acceptum ex Septuag. qui cap. 3. vers. 1. pro ex *stirpe Agag* vertunt *Bugæus*. Nam ex Agag, dempto primo *aleph*, per apheresin fit *Gag*, vel *Gog*, uti pro *Agag* vertunt Septuag. Num. 24. v. 7. Iam ex *Gog* fit *Gogæus*, et inde *Bogæus*, vel *Bugæus*. Nam littera *b* subinde commutatur cum *g*, ut docet S. Hieronymus in locis Hebr. ubi Gobel, sive Gyblum, quod est apud Ezechielem B in Hebr. ait esse *Byblum*, urbem celebrem Phœniciæ. Plura similia exempla commutationis litteræ *b* in *g* affert Angelus Caninius in Hellenismo. Licet enim Aman stirpe proxima fuerit Macedo, ut dicitur cap. 16. 10. tamen prisca prosapia et origine fuit Amalecita ex stirpe Agag, ut dixi cap. 3. 1. Potest secundo τὸ *Bugæus*, esse nomen non proprium, nec patronymicum, sed appellativum; unde Romani illud scribunt per minusculum *b*, ut significet magnum iactatorem et gloriosum, qualis hic dicitur fuisse Aman, ut τὸ *Bugæus*, componatur ex βου, quæ particula Græcis auxesin affert a βως, id est bos, q. d. bovina magnitudine, et γαιω, id est glorior, iacto, ut *Bugæus* sit idem quod *bovine*, hoc est, immaniter *se iactans*. Unde Plutarch. in quæstionibus Græcis: *Bubalum*, inquit, *dicunt pro magno, sicut Poeta* (Homerus Agamemnonem) *dicit βοῶπιν, id est bovinis, hoc est magnis præditum oculis, ut bugæum, qui se gloriose iactaret.* Hinc Homerus βουγάϊον vocat magnum iactatorem. Hinc et Italicum *bugia*, id est mendacium; gloriosi enim thrasones, qui C magna de se iactant, uti Aman, multa mentiuntur. Itali enim multas voces accipiunt a Græcis, utpote in Italia habitantibus. Unde et Calabria, in quo docuit Pythagoras, dicta est magna Græcia.

Pro duobus eunuchis.) Suspensis per delationem Mardochæi. Nam hi erant amici et fœderati Aman, ut dixi c. 2. v. 21.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exemplar epistolæ Assueri missæ ab Aman ad communem Iudæorum cædem, quæ ordine historico inserenda est c. 3. v. 14. ut ibidem inserunt Græca Roman. Deinde vers. 8. subiicitur oratio Mardochæi pro hac cæde avertenda, quæ ordine historico collocanda est post cap. 4.

1. Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum principibus et ducibus, qui eius imperio subiecti sunt, salutem. 2. Cum plurimis gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni subiugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subiectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. 3. Quærente autem me a consiliariis meis, quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientia et fide ceteros præcellebat, et erat post regem secundus, Aman nomine, 4. Indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, et contra omnium gentium consuetudinem faciens, regum iussa contemneret, et universarum concordiam nationum sua dissentione violaret. 5. Quod cum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque iussionibus contraire, et turbare subiectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam. 6. Iussimus ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, et secundus a rege, et quem patris loco colimus, monstraverit, cum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusque eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mensis Adar anni præsentis: 7. Ut nefarii homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbaverant.

Hucusque exemplar epistolæ. Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, ubi legitur,

Pergensque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandaverat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, et apud nullum penitus feruntur interpretum,

8. Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius, 9. Et dixit: Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. 10. Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur. 11. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. 12. Cuncta nosti, et scis, quia non pro superbia et contumelia, et aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. 13. (Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem); 14. Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. 15. Et nunc Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, et hereditatem tuam delere. 16. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. 17. Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo, et converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum Domine, et ne claudas ora te canentium. 18. Omnis quoque Israel pari mente et obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

Vers. 2. VITAM SILENTIO (id est, quiete sine turbis et tumultibus) TRANSIGENTES.) *In pace et tranquillitate*, ut habent Græca.

Vers. 6. DELEANTUR QUARTA DECIMA DIE MENSIS DUODECIMI ADAR.) Nam 13. die iussi sunt inchoare cædem, sed die 14. eamdem perficere, uti sorte commutata fecisse Iudæos patet cap. 9. 17. Nil ergo hæc antilogia habet virium, ut suspectam faciat auctoritatem et fidem horum capitum, ut volunt Novantes.

Vers. 8. Recitatur hoc versu oratio Mardochæi, ante quam S. Hieronymus ita præfatur: *Hæc non habentur in Hebraico*, scilicet illo breviori quo usus fuit S. Hieronymus, *nec apud ullum feruntur interpretum*, nimirum Aquilam, Symmachum, Theodotionem, quintam et sextam editionem, et similes. Nam excipiendi sunt Septuag. quia ex eis hæc transtulit S. Hieronymus; nam ante eum versio Septuag. erat Vulgata, qua utebatur Ecclesia; ex Vulgata autem hæc se transtulisse fatetur sanctus Hieronymus in procemio, capite 15.

Porro hæc oratio Mardochæi pia est, nervosa et ardens, quam proinde usurpat Ecclesia in Missa feria quarta post Dominicam secundam Quadragesimæ; ex quo liquet illam, uti et cætera horum capitum, esse Scripturam Canonicam iuxta decretum Concilii Tridentini, sessione 4.

Vers. 13. LIBENTER ENIM PRO SALUTE ISRAEL ETIAM VESTIGIA PEDUM EIUS DEOSCULARI PARATUS ESSEM.) *Vestigia*, vel proprie accipe, quæ pede pulveri vel terræ imprimuntur; vel metonymice ipsos pedes pedumque plantas, quibus hæc vestigia terræ imprimuntur. Unde Iosippus Gorionides habet: *Paratus fuissem lingere calceum, qui in eius est pedibus, et pulverem quem ipse calcasset.* Alludit ad illud Isaiæ 49. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Et ad illud Psalm. 71. 9. *Coram illo procident Æthiopes, et inimici eius terram lingent.* Ita Serarius et Sanchez, qui multis exemplis ostendit vestigium sæpe sumi pro pede vestigium imprimente terræ, id est, pro planta pedis, quæ terram premit et lutum sordesque colligit; hanc enim osculari actus est summæ demissionis et venerationis.

SED TIMUI NE HONOREM DEI MEI (puta cultum latriæ soli Dei debitum) TRANSFERREM AD HOMINEM.) Volebat enim Aman adorari ut Deus, ut ostendi 3. 2. Vers. 14.

NE DESPICIAS PARTEM TUAM.) Scilicet hæreditariam, Vers. 16. id est populum Israel, quem tibi in hæreditatem et peculium, quasi proprium et peculiarem ex omnibus gentibus selegisti.

ET NE CLAUDAS (Græce *ne perdas*, id est, ne claudi Vers. 17. et perdi sinas) ORA TE CANENTIUM.) Sic enim amplius tibi canere non poterunt; itaque laus tua peribit et tibi et nobis.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Estheris oratio et planctus, quæ orationi Mardochæi subnectenda est post cap. 4. uti in Græco Rom. subnectitur.

1. **E**STHER quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat. 2. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit ieiuniis: omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit. 3. Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adiuva me solitariam, et cuius præter te nullus est auxiliator alius. 4. Periculum meum in manibus meis est.
Deut. 4. a3. 5. Audivi a patre meo, quod tu Domine tulisses Israel de cunctis gentibus, et patres nostros ex omnibus retro maioribus suis, ut possideres hereditatem sempiternam, fecistique eis sicut locutus es. 6. Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum: 7. Coluimus enim deos eorum. Iustus es Domine: 8. Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes, 9. Volunt tua mutare promissa, et delere hereditatem tuam, et claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi et altaris tui, 10. Ut aperiant ora gentium, et laudent idolorum fortitudinem, et prædicent carnalem regem in sempiternum. 11. Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, et eum, qui in nos cœpit sævire, disperde. 12. Memento Domine, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, et da mihi fiduciam, Domine rex deorum et universæ potestatis. 13. Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri, ut et ipse pereat, et ceteri qui ei consentiunt. 14. Nos autem libera manu tua, et adiuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam, 15. Et nosti quia oderim gloriam iniquorum, et detester cubile incircumcisorum, et omnis alienigenæ. 16. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei, 17. Et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, et non biberim vinum libaminum: 18. Et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham. 19. Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo.

Vers. 1. **P**AVENS PERICULUM.) Septuag. *in agone mortis comprehensa*, qualis fuit agonia et oratio ultima Christi in horto.

Vers. 2. HUMILIAVIT IEIUNIIS.) Tò *ieiuniis* non est in Græco, sed intelligitur: Hebræi enim humiliationem corporis vocant ieiunium; nil enim ita carnem deprimit ac ieiunium: unde Hebræi ieiunium ab Esther indictum die 13. Adar appellant *taanith Esther*, id est humiliationem, hoc est ieiunium Estheris. Sapienter S. Ambrosius, Epistola 88. *Esther*, inquit, *regem superbum suis inclinavit ieiuniis*; qua de re plura dixi c. 4. in fine.

CRINIUM LACERATIONE.) Solebant veteres in grandi calamitate et planctu manus complodere, pectus tundere, genas vellere, crines lacerare ex doloris vehementia, ut omnes ad commiserationem et comploratiouem commoverent, uti de se narrat Esdras l. 1. c. 9. et de Alexandra Hyrcani filia et socru Herodis, ac Salome sorore Herodis refert Ioseph. 15. 11. et 16. 11.

Vers. 3. ADIUVA SOLITARIAM.) Tum quia in aula regis gentilis sola sum Iudæa; tum quia omni humano auxilio sum destituta, ut sequitur; tum quia nullius hominis, sed Dei solius alloquium et consolationem desidero. Iosippus ait Estherem sic orasse: *Ego hic habito sola, ego in domo regis sola absque patre et absque matre sum. Sicut pupilla paupercula, quæ ostiatim mendicat, ita ego mendico miserationes tuas fenestratim*, id est, per singulas fenestras ab una in aliam pergens, ut in cælum prospiciam, indeque auxilium tantæ afflictionis a Deo exspectem: hac enim de causa solebant Iudæi orantes solaria conscendere, et per fenestras in cælum prospicere, uti fecit Iudith, c. 8. 5. Daniel, c. 6. 10. imo Christus hac de causa montes conscendebat, ibique *erat pernoctans in oratione Dei*. Lucæ 6. 12.

Vers. 4. PERICULUM MEUM (Iosippus: *anima mea*) IN MANIBUS MEIS.) Id est, præsentissimum et summum est; quod enim in manibus gestatur, facile effundi, vel a fure aut ho-

A ste eripi et auferri potest. Sic David fugiens Saulem et hostes quærentes eum occidere, ait, Psal. 118. v. 109. *Anima mea in manibus meis*, id est, vita mea est in summo periculo, ut eam manu gestare videar, et cuivis eam auferre volenti offeram.

COLUIMUS ENIM DEOS EORUM.) Non ego, sed maiores nostri in Ierusalem sub Manasse, aliisque regibus idololatris. Ita Iosippus Gorionides. Vers. 7.

ROBUR MANUUM SUARUM IDOLORUM POTENTIÆ DEPUTANTES.) Hoc est, ut vertit Iosippus: *Ecce ipsi* (Aman eiusque asseclæ) *non dicunt te* (o Domine) *nos in manus suas tradidisse, sed idolis suis* (Mithræ, id est solis) *id acceptum ferunt.* Vers. 8.

VOLUNT TUA MUTARE PROMISSA (quibus tu patribus nostris Abrahæ, Isaac, Iacob, Moysi, etc. promisisti te fore Deum et protectorem nostrum) ET DELERE HÆREDITATEM TUAM (id est populum Israel, qui quasi tuum B peculium te solum ut Deum et Dominum suum agnoscit et colit) ATQUE EXSTINGUERE GLORIAM TEMPLI ET ALTARIS TUI.) Iam recenter in Ierusalem ab hoc Assuero, id est, Dario Hystaspis reædificati. 1. Esdræ 6. Si enim Dario persuasisset Aman perdere Iudæos omnes in Perside, non stetisset hic eius odium, sed et Ierusalem cum templo everti curasset. Vers. 9.

ET PRÆDICENT CARNALEM REGEM.) Darium vel Aman, qui quasi rex et tyrannus nobis dominatur, ut *prædicent* eum nobis nostroque Deo potentiorem nos omnes occidisse et exterminasse. Vers. 10.

NE TRADAS SCEPTRUM TUUM HIS QUI NON SUNT.) Id est, falsis diis et idolis qui non sunt dii, ut eis adscribatur divinitas et omnipotentia tua, q. d. Ne sinas dæmonibus quasi diis attribui potentiam divinam, quasi per illam Aman eos colens nos perdiderit, ut dæmones de te, o Domine, triumphent, ac pro te ut dii colantur. Vers. 11.

TRIBUE SERMONEM COMPOSITUM IN ORE MEO IN CONSPECTU LEONIS.) q. d. Ita apposite compone et dispone Vers. 13.

verba mea in ore meo, ut Darii mariti mei qui terribilis est ut leo, animos mitigem, et ad me meorumque Iudæorum misericordiam inflectam. Hinc S. Augustinus, l. 4. de Doctrina Christiana c. 15. docet concionatorem idem quod Esther hic ante concionem debere a Deo flagitare, ut nimirum ita componat verba in ore suo, ut auditorum mentes penetrent, feriant et compungant. Ecce Esther accedens ad Darium, non vocata, tremit ut capella coram leone, quasi ab eo devoranda; ideoque tota afflicta et compuncta unius Dei opem ardentissime implorat et impetrat. Sic S. Paulus Neronem vocat leonem, dicens: *Liberatus sum de ore leonis*, 2. Timothei 4. 17. Nam ut dicitur Prov. 20. 2. *Sicut rugitus leonis, ita et terror regis.* Id in Dario patebit c. seq.

Vers. 15. Nosti quia oderim gloriam iniquorum, et detester cubile incircumcisorum.) q. d. Ego, quia sum fidelis et Dei cultrix, detestor coniugium et copulam cum Dario infideli et idololatra; sed tamen eam admitto et permitto necessitate adacta, ut eum mihi meisque Iudæis placem et conciliem.

Vers. 16. Tu scis necessitatem meam.) Qua compellor me ut reginam regaliter more Persico ornare, ut regi marito meo placeam, quod utique nollem, nec facerem, nisi necessitas hæc me cogeret. Hinc S. August. Ep. 199. ad Ecdiciam, eam reprehendit quod uni Deo placere volens, indiscrete zelo habitum monachæ assumeret, et sua in pauperes distribuens, inscio marito, ei displiceret, eique adulterandi occasionem daret.

Quod abominer signum superbiæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ.) Cum scilicet in publico vel coram rege compareo, meque ut reginam in habitu ornatuque regali ostendo. Signum superbiæ vocat regiam cidarim, sive coronam, quam celsam et auro gemmisque distinctam in capite quasi turrim gestabat, uti etiamnum nonnullæ caput ita ornant et attollunt, ut turritæ vel turrigeræ esse videantur, de quibus Iuvenalis, Satira 10.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Turrificat caput, Andromachen a fronte videbis,
Post minor est, aliam credas.

Et detester illud quasi pannum menstruatæ.) Græce *quasi pannum menstruorum*, id est pannum infectum sanguine menstruo, qui sordidissimus, fœtidissimus, imo venenatus et plane abominabilis est, uti multis ostendit Plinius. libro 7 c. 19. Audi S. August. Epist. 199. iam citata: *Esther, illa regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito regi alienigenæ non eumdem secum colenti Deum, tamen subiecta serviebat, quæ cum extremo periculo, non suo tantum, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem; et ita orantem confestim exaudivit, qui cordis inspector eam verum dicere scivit. Et utique maritum habebat multarum mulierum, virum, et deorum alienorum falsorumque cultorem.*

Et non portem in diebus silentii mei.) Quibus scilicet domi in cubiculo meo ut privata persona quiesco et delitesco.

Et non biberim vinum libaminum.) Scilicet idolis oblatum et prælibatum. Vers. 17.

Et numquam lætata sit ancilla tua ex quo huc (in aulam et thronum regium) translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Deus Abraham.) q. d. Sicut Abraham uni Deo credidit, in eoque solo speravit, omniaque bona sua in eodem collocavit, ut de nullo alio gauderet, quam in Deo et de Deo suo; sic et ego numquam lætata sum in honore et ornatu regio, nec in divitiis et deliciis regalibus, utpote exilibus, caducis et vanis, sed in te solo, Domine Deus; tu enim mihi es omnis honor, omnis decor, omnis voluptas, omnis opulentia, omnis suavitas, omne bonum; idque solidum, stabile, immensum, et sempiternum. Magna fuit Estheris animæ puritas, sinceritas, charitas et sanctitas, ut ex his verbis liquet. Discamus ab ea in nulla re mundi lætari, sed in solo Deo; uti David hortatur, dicens: *Lætamini in Domino et exultate, iusti.* Et: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Psal. 36. 4. Et Paulus: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Philipp. 4. 4. Vide ibi dicta; Deus enim solus est verum cordis gaudium, imo mare et oceanus uti bonorum, ita et gaudiorum omnium. Ipse solus immensis gaudiis implet omnes sensus et sinus animæ nostræ. Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde, ait S. Bernardus. Vers. 18.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esther ornatu regio sistit se Assuero, sed terribili eius aspectu perculsa, semel et iterum quasi exanimata corruit: unde Assuerus accurrens ei blanditur, eamque sibi restituit.

Hæc quoque addita reperi in editione vulgata.

1. Et mandavit ei (haud dubium quin esset Mardochæus) ut ingrederetur ad regem, et rogaret pro populo suo et pro patria sua. 2. Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus a rege locutus est contra nos in mortem: 3. Et tu invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.

Necnon et ista quæ subdita sunt.

4. Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, et circumdata est gloria sua. 5. Cumque regio fulgeret habitu, et invocasset omnium rectorem et salvatorem Deum, assumpsit duas famulas, 6. Et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens: 7. Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. 8. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, et gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum, et nimio timore contractum. 9. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. 10. Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, et, in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput. 11. Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, et festinus ac metuens exilivit de solio, et sustentans eam ulnis

suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur: 12. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. 13. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. 14. Accede igitur, et tange sceptrum. 15. Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, et posuit super collum eius, et osculatus est eam, et ait: Cur mihi non loqueris? 16. Quæ respondit: Vidi te domine quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. 17. Valde enim mirabilis es domine, et facies tua plena est gratiarum. 18. Cumque loqueretur, rursus corruit, et pene exanimata est. 19. Rex autem turbabatur, et omnes ministri eius consolabantur eam.

Hoc caput inserendum est cap. 5. 2. nam quæ ibi brevius dicta sunt, hic fusius recensentur.

Vers. 2. Nutrita sis in manu mea.) Per manum meam, id est per me, meamque opem et operam: quamquam et proprie infantes gestantur manu sinuque nutricum (qualis Estheri fuerat Mardochæus) ibique nutriuntur.

Locutus est contra nos in mortem.) Id est ad mortem, ut nos morti addixerit per regis edictum.

Vers. 4. Deposuit vestimenta ornatus sui.) Modesti et mœsti, quo ad luctum et pœnitentiam induta et ornata erat. Unde Græce est: *Deposuit vestimenta luctus.*

Circumdata est gloria sua.) Id est, gloriosa corona regia, cæterisque vestibus aureis et gemmeis, utpote regalibus se induit. Sic Iob. c. 19. 9. ait: *Spoliavit me gloria mea*, quam explicans subdit: *Et abstulit coronam de capite meo*; Iob enim erat rex, et corona regia coronabatur.

Vers. 6. Et super unam quidem innitebatur quasi præ deliciis (Græce *ὡς τρυφερευομένη*, id est, quasi delicate agens, delicate se regens) et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens.) Assumpsit Ester speciem hanc teneritudinis, ut per eam Assuerum commoveret ad misericordiam. Et vere erat tenera et debilis, tum ex sexu, tum ex ieiunio, tum ex metu; unde et corruit.

Vers. 8. Tristem celabat animum et nimio timore contractum.) Noverat enim Darium esse terribilem, ac edictum eius de nece Iudæorum iam latum et promulgatum, ex lege Persarum, non posse revocari; rursum capitale esse regem adire, nisi quis ab eo vocatus esset. Quare sciens certum se adire capitis periculum, plena erat timore et trepidatione, ne res male cederet, ac rex excandescens iuberet illico edictum suum de Iudæis mactandis exsecutioni mandari. Unde sequitur:

Vers. 9. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem.) Verisimile est Estherem trepidantem non prope accessisse ad regem, sed terribili eius aspectu conterritam stetisse eminus ad ostium, quod erat ex adverso regis in solio residentis. Unde cap. 5. 1. dicitur stetisse *in atrio domus regiæ, quod erat interius contra Basilicam regis.*

Vers. 10. Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset.) Quem conceperat, ait Iosippus æque ac Iosephus, ex eo quod Esther non vocata contra legem ad se ingressa esset, putans se ab Esthere contemptum. Reges Persarum enim magnam, imo divinam maiestatem præ se ferebant, et magnam reverentiam, imo latriam a suis exigebant, volentes adorari ut dii. Accedebat quod Darius natura erat cholericus et ferox, ut patet ex eo quod de ipso narrat Seneca l. 3. de

Darii ferocia. Ira, cap. 16. *Cum bellum*, inquit, *Scythis indixisset Orientem cingentibus, rogatus ab Obazo nobili sene, ut ex tribus liberis unum in solatium patri relinqueret, duorum opera uteretur, plusquam rogatus pollicitus, omnes se dixit illi remissurum; et occisos in conspectu parentis abiecit, crudelis futurus, si omnes abduxisset.* Subdit simile de Xerxe Darii filio: *Qui Phythio*, inquit, *quinque filiorum patri unius vacationem petenti, quem vellet eligere permisit. Deinde quem elegerat, in partes duas distractum ab utroque viæ latere posuit, et hæc victima lustravit exercitum.*

Regina corruit.) Suspicantur aliqui illam simulasse deliquium animi, ut iram regis flecteret. Verum pallor, et ea quæ secuta sunt, indicant verum fuisse deliquium. Nam, ut præcessit, ipsa accessit nimio timore contracta; deinde videns regem in tanta maiestate scintillantibus et

A furibundis oculis se intueri, tremore perculsa, quasi exanimata corruit. Maiestas enim regia mire percellit accedentes ad eam. Narrarunt viri graves, qui alias neminem metuebant, solebantque cum Principibus libere et familiariter agere, cum ad Philippum II. Hispan. regem aliquid petituri accederent, ac rex in eos oculos suos cum regia gravitate defigeret, consternatos obmutuisse, ac licet rex comiter eos invitaret ut sua proponerent, tamen ne verbum quidem effari potuisse.

Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem.) *Convertit*, tum per miserabilem aspectum collabentis reginæ, tum per internum instinctum et impulsum qui eum flectebat ad commiserationem, ut iram commutaret in mansuetudinem et blanditias. *Cor regis enim in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Prov. 21. 2. præsertim qu a videbat Assuerus Estherem ex contemptu non accessisse, ut putabat, sed summe se metuere et revereri (hoc enim reges quærunt) adeoque ex reverentia et tremore corruere et deliquium pati. Vers. 11.

B Quid habes, Esther? Ego sum frater tuus.) *Frater*, id est, maritus qui te amo non ut maritus et dominus, sed ut frater, socius et æqualis. Nota coniuges subinde se mutuo compellare fratres et sorores, idque partim pudicitiæ et castitatis, partim benevolentiæ et arcti amoris coniugalis causa, præsertim quia prima mundi post Adam et Evam connubia fuere fratrum et sororum. Sic sponsa in Canticis a sponso vocatur soror: sic sapientia vocatur sponsa sapientis. Sapient. cap. 8. vers. 2. Eadem amica et soror nominatur, Prov. cap. 7. vers. 4. Denique (quod huic loco proprium est) Persæ solebant sorores accipere in uxores, teste S. Hieronymo, lib. 2. contra Iovinianum. Idem ex Herodoto, Agathia, Clem. Alexand. Diogene, Laertio docet Brissonius, lib. 2. de regno Pers. p. 225. Vers. 12. Frater id est maritus, Cur?

Et osculatus est eam.) Quasi sponsam dilectam ut hisce blanditiis eam quasi exanimem sibi redderet. Esther hic repræsentat B. Virginem, quæ Assuerum, id est, Deum iratum toti generi humano ob peccata Adæ et posterorum adiens cum duabus ancillis, hoc est, cum duplici creatura, angelica scilicet et humana, ait S. Bonaventura in Speculo, c. 3. Mystice cum duplici virtute et vita, activa scilicet et contemplativa, eumque obsecrans præ sacro numinis metu et reverentia quasi in deliquium corruit; sed Deus ei blandiens et osculans concessit quod postulabat, nimirum salutem generis humani, ideoque, filium suum ei dedit, ut in ea carnem assumens, fieret hostia piacularis et Redemptor mundi. Hoc est quod ipsa petebat. Canticorum 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Vers. 15. C

Vidi te, domine, quasi Angelum Dei.) Angelica maiestate et splendore refulgentem, ideoque metum et terrorem mihi cæterisque incutientem. Hinc Cosroas rex Persarum gentilis, quem superavit Heraclius Imperator; iuxta se miram fabricari iussit sphæram, in qua angeli regem circumstabant. Audi Theophanem, et ex eo Baronium, tomo 8. anno Christi 622. *Heraclius, victo Cosroha, abominandum offendit Cosrohis simulacrum, et effigiem eius in globi formam, referente palatii tholo, tanquam in cœlo sedentem. Circum erant sol, luna, et astra, quibus ille superstitiosus tanquam diis serviebat, circumstantibus sibi angelis sceptrigeris. Machinas porro impius paraverat, quæ eo ex loco guttas pluviæ instar emitterent, sonitumque tonitrui æmulum ederent. Hæc omnia, ipsamque Ignis ædem totamque urbem combussit Heraclius.* Ecce ut Cosroas affectarit divinitatem, repræsentando Angelos, tonitrua et fulmina quæ Deo sunt propria. Vers. 16. D

Vers. 17. Et facies tua plena est gratiarum.) Puta plena decoris, splendoris, magnificentiæ, maiestatis angelicæ et divinæ, potius quam humanæ. Hæc reverentia et blandiloquentia Esther delinivit Assuerum, eumque plane sibi devinxit, ut concederet quidquid illa postularet.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Epistola Assueri qua revocat prius decretum de Iudæis cædendis, ac contrarium edit, scilicet ut Iudæi suos hostes mactent, utque huius diei memoria festo quotannis recurrente celebretur.

Exemplar epistolæ regis Artaxerxis, quam pro Iudæis ad totas regni sui provincias misit: quod et ipsum in hebraico volumine non habetur.

Sup. 11. 2. Sup. 3. 10. 1. Rex magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ iussioni obediunt, salutem dicit. 2. Multi bonitate principum, et honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: 3. Et non solum subiectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias. 4. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, et humanitatis in se iura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. 5. Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos, qui credita sibi officia diligenter observant, et ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subvertere, 6. Dum aures principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. 7. Quæ res et ex veteribus probatur historiis, et ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorumdam suggestionibus regum studia depraventur. 8. Unde providendum est paci omnium provinciarum. 9. Nec putare debetis, si diversa iubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam. 10. Et ut manifestius, quod dicimus, intelligatis: Aman filius Amadathi, et animo et gente Macedo, alienusque a Persarum sanguine, et pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus a nobis susceptus est: 11. Et tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, et adoraretur ab omnibus post regem secundus: 12. Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur et spiritu. 13. Nam Mardochæum, cuius fide et beneficiis vivimus, et consortem regni nostri Esther, cum omni gente sua, novis quibusdam atque inauditis machinis expetivit in mortem: 14. Hoc cogitans, ut illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, et regnum Persarum transferret in Macedonas. 15. Nos autem, a pessimo mortalium Iudæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed e contrario iustis utentes legibus, 16. Et filios altissimi et maximi, semperque viventis Dei, cuius beneficio et patribus nostris et nobis regnum est traditum, et usque hodie custoditur. 17. Unde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas. 18. Pro quo scelere ante portas huius urbis, id est, Susan, et ipse qui machinatus est, et omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit. 19. Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Iudæis uti legibus suis. 20. Quibus debetis esse adminiculo, ut eos, qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar: 21. Hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris et luctus, eis vertit in gaudium. 22. Unde et vos, inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, et celebrate eam cum omni lætitia, ut et in posterum cognoscatur, 23. Omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere. 24. Omnis autem provincia et civitas, quæ noluerit solemnitatis huius esse particeps, gladio et igne pereat, et sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, et inobedientiæ.

Vers. 6. Dum aures Principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.) Hinc discant Principes et quivis alii non facile accusationibus et accusatoribus credere, nec nimis uni consiliario confidere, sed plures audiant, si veritatem scire volunt; nam *qui cito credit levis est corde, et minorabitur.* Eccles. 19. 4.

Sic Iosue et Hebræi decepti sunt a Gabaonitis, quia nimis facile eis mentientibus crediderunt. Sic Holofernes cæsus est a Iudith, quia temere ei credidit. Sic Samson a Dalila sua proditus est, quia ei secretum fortitudinis suæ in capillis sitæ credidit. Credidit temere Putiphar uxori accusanti Iosephum de stupro; et Absalon Chusai; et Roboam adolescentibus; ideoque decepti sunt et in ruinam acti. Denique Aman affectavit regnum Assueri, eo quod ipse illud totum ipsi credidisset. Idem fecere alii olim, et hoc quoque ævo nostro, qui, cum regibus et principibus dominarentur, ipsorum ditiones et regna invaserunt.

Vers. 9. Nec putare debetis, si diversa iubeamus (revocando Amani decretum de Iudæis occidendis.) ex animi nostri venire levitate.) Ut legem Persarum, quæ iubet decreta Regum esse irrevocabilia, leviter violemus vel abrogemus; nam decretum prius non fuit regis, sed Amani, qui illud a rege per fraudem et mendacium extorsit, ideoque subreptitium, iniustum et impium, ac proinde cognita iam veritate, a rege hoc novo edicto revocandum et corrigendum.

Aman gente Macedo.) Licet enim natus esset in Perside, tamen stirpem et originem ducebat a Macedonibus, ac proinde in Macedones quasi in suos cives erat propensus, ideoque alienus et adversus Persis, ab eis regnum ad suos Macedones subdole transferre nitebatur, ut sequitur. Vers. 10.

Et spiritu.) Id est vita. Vers. 12.

Ut interfectis. (Iudæis ac præsertim Esthere et Mardochæo fidelissimis amicis meis, et vitæ meæ tutoribus) insidiaretur solitudini nostræ.) Ut me tam fidis custodibus orbatum, quasi solum et carentem fideli custodia per dolum et fraudem occideret, meumque regnum occuparet. Verum id esse liquet ex eo quod hæc Vers. 14.

epistola non tam a rege, quam ab Esthere et Mardochæo A sit dictata, qui erant probi, veraces et Deum timentes, qui ex secretis Amani epistolis, atque ex complicibus habita quæstione et diligenti examine, fraudes et coniurationem Amani in regem detexerunt et demonstrarunt. Hic verum est illud Eccles. cap. 11. v. 36. *Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine, et abalienabit te a tuis propriis.* Vide ibi dicta.

Et regnum Persarum transferret in Macedones.) Hinc Scaliger et Serarius putant Assuerum maritum Estheris fuisse Artaxerxem, non Longimanum, sed Mnemonem, sub quo vixit Philippus pater Alexandri Magni, qui regnum Macedonum eousque exiguum et obscurum amplificare et illustrare cœpit.

Verum dico per Macedones hic intelligi omnes Græcos, quia inter eos eminebant Macedones: ii ergo præ cæteris omnibus Græcis hic nominantur, quia Aman erat Macedo, qui proinde pro Persis, se vel alium quempiam Macedonem regnare maluisset, quam Atheniensem, Spartanum aut alium Græcum; Græcos autem sub Da- B rio Hystaspis fuisse metuendos, et de Persis male meritos docet Herodotus, l. 7. pag. 483. Et Diodorus Siculus, lib. 11. scribit Xerxem Olympiade 75. movisse arma contra Græcos, assiduos iam tum infestissimosque Persici nominis hostes; unde Xerxes contra eos duxit undecies centena millia Persarum, quæ omnia a paucis Græcis cæsa, fusa, fugataque fuere. Additque Xerxis patrem Darium magnam materiam, ad classis Xerxianæ contra Græcos mittendæ ædificationem, præparasse. Iustinus etiam libr. 2. pag. 34. et 39. docet Darium Hystaspis bella gessisse contra Athenienses, in quo bello asserit iam tum emicuisse virtutem et gloriam Themistoclis adolescentis. Denique quarto anno ante mortem Darius hic cum Græcis dimicavit apud Marathonem, celeberrimo in Græcis Romanisque historiis prælio, ut notavit quoque Severus Sulpitius, l. 2. pag. 68.

Consentit Iosippus Gorionides, qui et addit duos illos eunuchos contra Assuerum coniurantes, ideoque per Mardochæum delatos et suspensos, destinasse caput Assueri sive Artaxerxis deferre ad regem Græcorum, ut ei gratificarentur: eunuchos autem hos fuisse propinquos Aman; quia enim tum adhuc (utpote diu ante Philippum et Alexandrum) obscurissimum erat Macedonum imperium, hinc Aman Macedo illud illustrare voluit translato ad se et suos Macedones nobilissimo Darii et Persarum imperio, imo monarchia, uti postea transtulit Alexander Magnus.

Cuius (Dei) beneficio et patribus nostris et nobis regnum est traditum.) Patres intellige reges præcedentes, præsertim Cyrum, cui Deus per Isaiam cap. 45. 1. prædixit et promisit regnum, idque Cyrus agnovit, ideoque Iudæos e Babylone liberos dimisit, 1. Esdræ 1. 1. Idem agnovit noster hic Darius, ut patet ex hoc loco, et ex 3. Esdræ 4. v. 43. et seq. Vers. 16.

Et cognatio eius pendet in patibulis.) Nota: τὸ *cognatio*, id est cognati; nam filii Aman nono mense post hoc edictum, puta mense ultimo Adar, occisi et suspensi fuere, ut dixi cap. 9. v. 13. quia, ut ait Ammian. libr. 25. leges apud Persas impendio erant formidatæ, *utpote per quas ob noxam unius omnis propinquitas periret.* Vers. 18.

Inter cæteros festos dies.) Habebant enim Persæ sua festa, præsertim Mithræ, id est Soli, quem ut Deum colebant, dicata. Tale quoque fuit festum ob cædem Magorum, quod hic Darius Magis in regno succedens perpetim celebrandum indixerat, teste Herodoto lib. 3. Porro non mirum Darium iussisse hoc festum victoriæ Iudæorum etiam a Persis Orientalibus celebrari, tum quia ipse totus pendebat a sua Esthere et Mardochæo, tum quia ipse iam verum Deum Hebræorum agnoverat et colebat, ut patet vers. 16. Vers. 22.

COMMENTARIA

IN LIBROS

MACHABÆORUM.

ARGUMENTUM.

Suppono, duos hosce libros esse Canonicos, ut definit Concilium Trid. sess. 4. Carth. 3. Can. 47. Innoc. III. ep. 3. ad Exuperium, Gelasius et alii. Apud Hebræos non sunt Canonici, tum quia Hebraice non extant, unde ab Hebræis ignorantur; tum quia scripti sunt post Canonem sacrorum librorum a Synagoga tempore Esdræ editum. Vide Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei cap. 5. Sixtum Senensem, lib. 8. Biblioth. et Serarium hic.

Exstat insuper liber tertius Machabæorum, et apud nonnullos quartus; sed hos intra Canonem Ecclesia non admisit. Quare hi duo similes sunt libro tertio et quarto Esdræ.

Argumentum libri primi et secundi Machabæorum est, conscribere gesta et prælia Iudæ, Ionathæ et Simonis fratrum Machabæorum contra Antiochum, aliosque hostes. Hi duo libri ergo continent historiam Synagogæ, sive Israelis et populi Dei; Esdras enim desinit in Ieddoa sive Iaddo Pontifice, qui occurrit Alexandro Magno, a quo liber primus Machabæorum incipit, et historiam Israelis prosequitur per successores Alexandri, puta reges Asiæ et reges Ægypti, qui cum Iudæis nunc fœderati fuere, nunc bella cruenta gesserunt, in quibus enituit mira Machabæorum fortitudo, et singularis Dei eis victoriam dantis directio et protectio. Obiter autem, breviterque tangit gesta Alexandri Magni et successorum usque ad Antiochum Epiphanem, qui Iudæos cœpit persequi et bello lacessere; unde eius et posterorum acta fuse enarrat, nimirum Antiochi Eupatoris, qui Epiphanis fuit filius, Demetrii regis et Alexandri, et alterius Antiochi, qui fuit Demetrii filius, qui cum Iuda, Ionatha et Simone Machabæis bella gesserunt. Complectitur ergo gesta annorum sexaginta circiter.

Auctor libri primi Ioannes Hyrcanus.

Quis fuerit auctor, ignoratur. Verisimile est aliquem e sacerdotibus, vel Pontificibus fuisse; hisce enim data erat cura gentis suæ historiam pertexendi, teste Iosepho, l. 1. contra Appion. Probabile est primum librum scriptum fuisse a Ioanne Hyrcano, filio Simonis fratris Iudæ Machabæi. Hic enim patri Simoni in Principatum æque ac Pontificatum successit, et omnibus pene patris et patrui gestis interfuit; unde eius illustris fit mentio in fine libri 1. Adde quod ipse quoque fuerit Propheta, ut asserit Iosephus, l. 13. c. 10. quem audi: *Hyrcanus moritur anno imperii 31. tribus maximis a Deo habitus dignus honoribus, principatu gentis Iudæorum, et Pontificatu, et prophetia. Fruebatur enim divinis colloquiis; unde tantam nactus est futurorum præscientiam, ut prædixerit duos maiores natu e liberis suis, non diu fore paterni principatus compotes.* Idem asserit eum prædixisse filiorum suorum longe pugnantium præsentem victoriam. Denique hic 31. annis Israeli præfuit, ac pacem cum vicinis coluit, ideoque otio ad hæc scribendum abundavit: Ita Sanch. Hic ergo avi sui Mathathiæ patris Simonis ac patruorum Iudæ et Ionathæ, tamquam familiæ suæ heroica prælia, gestaque conscripsit, ideoque in morte Simonis patris sui desiit. Secundi libri historiæ fuse a Iasone Cyrenensi quinque libris conscriptæ fuere, quam in epitomen contraxit, et librum secundum confecit primarius sacerdos, idque iussu Synagogæ. Nam Synagogæ nomine totus liber secundus scriptus fuit, quasi epistola ad Iudæos per Ægyptum dispersos, uti eos ex persecutione Antiochi et posterorum afflictos rerum meliorum nuntio soletur, ut patet ex eius initio: *Fratribus*, inquit, *qui sunt per Ægyptum Iudæis salutem dicunt fratres qui sunt in Ierosolymis.* In his autem erat Iudas, non Machabæus, ut vult Bellarminus et alii; nam hic iam erat vita functus, sed alius vel propheta, vel princeps populi et Senatus, cuius nomine epistola scribebatur, de quo plura l. 2. cap. 1. 10. et cap. 2. 24. Unde Serarius putat Iudam hunc esse auctorem epistolæ, eumque cognominat Essenum.

Secundi Iudas Essenus.

Primus liber Machabæorum hebraice exstabat tempore S. Hieronymi, uti ipse fatetur in prologo Galeato. Secundum quoque hebraice extitisse insinuat Eusebius in Chron. ad annum mundi 4800. *Machabæorum*, inquit, *historia Hebræa hic Græcorum supputat regnum: verum hi libri inter divinas Scripturas non reperiuntur;* intellige ab Hebræis. Et ratio id suadet. Scriptus est enim ad Iudæos per Ægyptum sparsos: Iudæorum autem nativa et materna lingua erat Hebraica, imo multi eorum alias ignorabant.

Porro Græcæ editionis horum librorum auctores esse nequeunt Septuaginta interpretes, quia hi floruere sub Ptolomæo Philadelpho, qui centum annis præcessit Antiochum Epiphanem, cuius persecutiones hic describuntur.

Unde dicti Machabæi? Resp. 1.

Quæres, Qui et quales fuere Machabæi, undeque sic appellati? Iosippus Bengorion scribit, Iudam fratrem Ionathæ primum vocatum Machabæum a fortitudine, patrem enim Mathathiam moriturum sic eum affatum fuisse: *O fili mi Iuda, qui ob robur vocaberis Machabæus*, nimirum a radice מחה *macha*, quæ significat exstinguere, occidere, delere, ut Machabæus idem sit, quod exstinctor et occisor hostium. Ita Eusebius libr. 3. Histor. capite 10. dicens: *Quem librum Machabæorum intitularunt, eo quod certamina inibi et agones pro pietate a Machabæis desudati contineantur.* Favet, quod dicit Mathathias moriturus, cap. 2. vers. 66. exhortans omnes ad legis et gentis suæ tutelam et bellum: *Iudas Machabæus,*

fortis viribus a iuventute sua, sit vobis princeps militiæ.
2. Rursum Pagninus in nom. Hebr. deducit nomen *Maccabi*
(sic enim scribendum ipse censet) a מכהבי *maccabi*, id
est *plaga per me;* נכה *nacha* enim est ferire, percute-
re, occidere, ut *Maccabi* sit idem quod percussor, occi-
3. sor, qualis fuit Iudas Machabæus, eiusque socii. Hæc duo
etyma opposita sunt, ut ad illa alludi vix sit dubium. A-
lii *Machabæus* derivant a verbo Græco μαχομαι, id est
4. pugna, quasi dicas pugnator, athleta, certator. Isidorus
Pelusiota l. 3. epist. 4. *Machabæus*, inquit, *lingua Per-
sica dominum sonat.* Insuper alii Machabæus derivant a
כאב *caab*, id est, dolere; unde Benoni Hiphil מכאיב
5. *machib*, id est, *dolere faciens*, crucians hostes Israelis. A-
lii deducunt a חבב *chabab*, id est, *amare*, quasi ab a-
more ardente Dei Iudas dictus sit *Machabæus*, id est, *a-
6. mator*, vel *Amadæus*. Alii a מקבה *makeba*, id est, *mal-
leus*. Iudas enim fuit malleus Gentium.
7. Verum Hebræi et Latini passim tradunt Iudam dictum

genuina.

Machabæum, eo quod ipse belli sacri contra infideles Antiochi asseclas tesseram acceperat, illud Mosis devicto Pharaone concinentis Exodi 15. 11. מי כמך באלים יהוה *mi camocha baelim Iehova*, id est, *Quis similis tui in fortibus, Domine?* ideoque initiales verborum horum litteras brevitatis studio vexillis suis inscripsisse, nimirum מכבי, quæ, suppositis punctis vocalibus in unam dictionem conflatæ, faciunt מכבי *machabi*, id est Machabæus, ut *machabi* sit quasi idem quod *Michael*, id est, *quis ut Deus;* quod deinde nomen ad socios et successores transmisit. Id ita esse patet ex sequentibus Iudæ gestis et præliis, in quibus semper Iudas omnem victoriæ spem in uno Deo collocat, ideoque eum invocans, quasi leo in hostes irruit, eosque prosternit; idemque fecit ante patris mortem a iuventute sua, uti ipse pater asserit, cap. 2. 66. ubi eum hac de causa belli populique Ducem constituit. Quare ante patris mortem emblema illius erat: *Mi camocha baelim Iehova*, id est, *Quis similis tui in fortibus, Domine?* indeque per abbreviationem vocatus est *Machabi*, id est, *Machabæus*. Quocirca ipse cum Nicanore conflicturus hanc belli tesseram suis dedit, *Dei adiutorium*, ut patet lib. 2. c. 8. v. 23. Ita Genebrardus in Chron. Sixtus Senensis, l. 1. Arias in Isaiæ c. 40. Baron. in Martyr. ad diem 1. Augusti, Serarius, Salianus, Sanchez et alii. Simili scribendi compendio exaratum fuit illud: *Mane Tekel Phares*, Danielis 5. Similes abbreviaturas passim invenire est in libris Rabbinorum, quibus per primam litteram totam dictionem significant, quas omnes in unum collegit et explicuit Mercerus.

Quæres secundo, e qua tribu fuerit Iudas, cæterique eius fratres et nepotes Machabæi? Nonnulli censent fuisse e tribu Iuda. Ex hac enim sceptrum non defecturum usque ad Christum prædixerat Iacob, Genes. 49. 10 Unde et 1. Machab. 5. dicitur: *Et viri Iuda magnificati sunt.*

Iudas Machab. fuit e tribu Levi, non Iuda.

Verum dico eos fuisse e tribu Levi et sacerdotali. Fuere enim ipsi summi Pontifices et simul Principes populi. Id ita esse clare liquet l. 1. c. 2. ubi Mathathias vocatur sacerdos descendens ex Ioarib; Ioarib autem descendit ex Aaron et Levi, ut patet 1. Paral. 24. 7. Unde Mathathias vocat Phinees filium Eleazari filii Aaronis, patrem suum et suorum, libr. 1. cap. 2. v. 54. Ad locum Genes. cap. 45. v. 10. ibidem respondi: ad locum Machab. inferius respondebo. Porro Machabæi alio nomine vocati sunt Assamonæi ab Assamonæo, qui fuit avus, vel abavus Mathathiæ, teste Eusebio, Iosepho, libr. 12. Antiq. cap. 8. et aliis. Hinc Hebr. *Assamonæi*, idem est quod *Optimates* vel Principes. Tales enim fuere Machabæi.

Porro Iudas, Ionathas, Simon, eorumque posteri Machabæi a populo electi et constituti sunt Reipublicæ duces, aut principes, non autem reges, ut patet l. 1. c. 9. et 14. Regia enim stirps Davidis defecit in Iechonia in Babylonem abducto, qui proinde a Ieremia c. 22. vocatur vir sterilis. *Neque enim*, inquit, *erit in semine eius vir, qui sedeat super solium David*, id est, qui sit rex; unde Salathiel filius Iechoniæ, et Zorobabel filius Salathiel fuere duces populi, non reges. Dices, Aristobulus Ioannis Hyrcani filius, diadema et regis nomen accepit; nam, ut ait Ioseph. 13. Antiq. 19. *Defuncto patre, Aristobulus natu maximus volens principatum in regni formam vertere, diadema sibi primus imposuit post* 481. *annos et menses tres, ex quo de captivitate Babylonica liberatus populus ad pristinas sedes postliminio reversus est.* Resp. Aristobulum eiusque posteros regis nomen et coronam propria auctoritate usurpasse, non autem a Republica datam accepisse; quare non fuere veri nec legitimi reges. Ita S. Hieronymus in c. 21. Ezechielis: *Hyrcanus*, ait, *Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustra sibi et hoc et illud voluit vindicare, cum regnum ei non deberetur post Sedeciam*, q. d. Quia non erat ex stirpe regia Davidis, quæ defecit in ultimo rege Sedecia. A vulgo tamen adulante, indeque a Scriptoribus nonnullis ipse et posteri eius vocantur reges, revera tamen non fuerunt reges. Secus est de Herode; hic enim a Senatu Romano et ab Augusto iam tum dominante Iudæis regnum Iudææ, regisque nomen accepit. Unde in eo sceptrum a Iuda translatum est ad alienigenam, ideoque tunc advenit Christus, cui sceptrum hoc debebatur, ut vaticinatus est Iacob, Genesis 49. 10.

Iudæ, Ionathæ, Simoni Machabæis synchroni et coævi fuere Antiochus Magnus eiusque filius Antiochus Epiphanes, ac huius filius Antiochus Eupator; cum his duobus enim bella gesserunt. Item Ptolomæus Philometor rex Ægypti. Ad hæc Scipio uterque, scilicet Africanus, qui vicit Annibalem, et Carthaginem evertit; ac Asiaticus, qui de Antiocho Magno triumphavit. Ad hæc Fabius Maximus Annibalis castigator. E philosophis Possidonius et Panætius. E Poetis Cæcilius, Ennius, Nævius, Plautus. Porro Antiochus Magnus duos reliquit filios Seleucum et Antiochum Epiphanem; horum duorum filii et nepotes continua successione inter se certarunt, et dimicarunt de Asiæ imperio per ducentos annos. Ita Deus punivit impietatem et scelera Epiphanis in posteris.

Quæres tertio, qui sint anni Græcorum, iuxta quos singula Machabæorum acta hoc libro consignantur, et unde initium accipiant? Resp. eos inchoari ab anno tertio decimo a morte Alexandri Magni. Post Alexandrum enim anno tertio decimo Seleucus multis victoriis cognominatus Nicanor, devicto Antigono Asiæ rege, fecit se regem Asiæ, indeque anni Græcorum, sive Seleucidarum computari cœperunt. Porro.

1. Seleucus rex Asiæ regnavit annis 30.

2. Seleuco successit filius Antiochus Soter, cuius tempore Iudæi insignem iuxta Babylonem de Galatis obtinuere victoriam, quæ recensetur 2. Machab. 8. 20. Soter hic regnavit annis 19.

3. Soteri successit filius Antiochus cognomento θεος, id est Deus, ita vocatus a Milesiis, quod Lymarchum eorum tyrannum eiecisset, ait Appianus in Syriaco. De hoc vaticinatus est Dan. c. 11. v. 5. Vixit bello primo Punico. Regnavit annis 15.

4. Antiocho huic successit Seleucus Callinicus, de quo Daniel cap. 11. 7. Regnavit annis 20.

5. Callinico successit filius Seleucus Ceraunius, id est fulmineus, quod audacia et celeritate similis fulmini appareret, de quo Daniel cap. 11. 10. Regnavit annis 3.

6. Ceraunio successit frater Antiochus Magnus, qui a L. Scipione ad Thermopylas victus filium iuniorem Antiochum Epiphanem Romam pro se obsidem misit, de quo Daniel cap. 11. vers. 10. et seq. usque ad 20. Regnavit annis 37.

7. Antiocho magno successit filius senior Seleucus Philopator, qui initio sumptus templo Iudæorum submisit, 2. Mach. 3. 3. sed postea versu 32. per Heliodorum illud expilare voluit, cum ille flagellatus ab Angelo rediens Seleucum occidit. Regnavit hic Seleucus annis 12.

8. Seleuco fratri seniori successit iunior dictus Antiochus Epiphanes, id est illustris. Verius a nonnullis nominatus Epimanes, id est insanus, quia crudeliter et insane templum expilavit, et Iudæos divexavit. Hic regnum fratris

dolo invasit anno 137. Græcorum, qui eodem anno Oniam **A** sanctum Pontificem expulit, eique substituit fratrem impium Iasonem, 2. Machab. 4. 7. Idem anno secundo regni primam expeditionem suscepit in Ægyptum, inde pacificus Ierosolymam intravit. Ibidem vers. 21. Anno 5. Iasoni deposito Pontificem surrogavit Menelaum Beniaminium, 2. Machab. 4. v. 23. et cap. 3. v. 4. Anno sexto rursum Ægyptum ingrediens, a Romanis iussus fuit egredi. Quocirca indignans egressus est, et indignationem suam in Iudæos vicinos effudit, 1. Machab. 1. 21. et lib. 2. cap. 4. vers. 11. et seq. ubi causam afferam. Quare tribus diebus interfecit 80. millia Iudæorum, 40. millia vendidit, et totidem incarceravit, 2. Machab. 5. 14. Inde per Apollonium plures alios occidit, v. 24. et alios per Philippum, cap. 6. 11. Idolum Iovis posuit in templo, v. 2. tunc pariter Eleazarum v. 18. et septem fratres c. 7. illustri martyrio affecit, anno 9. regni sui, qui fuit Græcorum 145. Contra eum se, suosque erexit Mathathias, lib. 1. c. 2. cui post paucos menses morienti successit, et bellum Antiocho movit Iudas Machabæus eius filius, cap. 3. qui sequenti anno Apol- **B** lonium v. 11. et Seronem v. 23. vicit et cecidit. Anno 11. regni sui, qui fuit Græcorum 147. Antiochus in Persidem perrexit, ut Elymaidem diriperet, sed a Persis fugatus fuit, c. 3. v. 37. Gorgias quoque eius dux a Iudæis repulsus fuit, c. 4. Anno 12. Lysias pariter a Iudæis prostratus, et templum ab Antiocho per idolum pollutum expurgatum fuit. Ibidem, v. 52. Ineunte anno 12. qui fuit Græcorum 149. e Perside reversus præ tristitia mortuus est, cap. 6. 16. cum regnasset annis 12.

9. Antiocho Epiphani successit filius novennis Antiochus Eupator, qui cum suo tutore Lysia occisus est a Demetrio Seleuci Philopatoris filio, 1. Machab. 7. 1. anno Græcorum 151. qui fuit urbis Romæ conditæ 593. quo pariter vita functus est L. Æmilius Paulus, qui Perseum regem Macedonum superavit, et Macedoniam Romanis subiecit. Regnavit Eupator annis 2.

10. Eupatori per vim successit Demetrius Seleuci filius anno Græcorum 151. usque ad annum 160. qui interfectus **C** est ab Alexandro Veles, altero Antiochi Epiphanis filio, et fratre Eupatoris. Regnavit ergo Demetrius annis 10.

Hæc patent 1. Machab. 1. 7. et cap. 10. v. 1. et 50. Porro Iudas Machabæus anno secundo Demetrii ab eius duce Bacchide interfectus est, cui illico Ionathas frater successit, 1. Machab. cap. 9. vers. 13. 18. et 30.

11. Alexander Veles Antiochi Epiphanis filius regnare cœpit anno Græcorum 160. usque ad annum 167. quo interemptus est a Ptolomæo Philometore rege Egypti socero suo, 1. Machab. 10. v. 1. 67. et c. 11. v. 17. Regnavit ergo Veles annis 6.

12. Demetrius, cognomento Nicanor, filius Demetrii, filii Seleuci, cœpit regnare anno Græcorum 167. usque ad 172. quo victus captusque est a rege Persæ Arsace, 1. Mach. 11. 19. et cap. 14. vers. 1. et 3. Regnavit annis 6.

13. Antiochus, Alexandri Velis filius, a Triphone tutore suo promotus ad regnum, ab eodem post quadriennium occisus est. Regnavit ab anno Græcorum 168. usque ad 172. Quare quatuor eius anni in chronologia non **D** sunt addendi, quia continentur in annis Demetrii Nicanoris, cum quo regnavit, 1. Machab. 11. 39. et 54. Sic et Iosephus lib. 13. c. 12.

14. Tryphon, occiso Antiochi pupillo, æque ac Ionatha fratre Iudæ Machabæi, per dolum regnum invasit; sed post triennium occisus fuit ab Antiocho Sedete, 1. Mach. 13. v. 12. 23. et 32. et cap. 12. in fine. Regnavit ergo annis 3.

15. Antiochus Sedetes, cognomento Pius, frater Demetrii Nicanoris, fratre ab Arsace rege Persarum capto, regnum occiso Tryphone invasore occupavit, ac fœdus cum Simone fratre Ionathæ iniit, sed fregit, 1. Machab. 15. 1. et 27. Occisus est ut narrant historiæ profanæ, a fratre suo Demetrio a Persis redeunte, eo quod uxorem eius Cleopatram cum regno sibi vindicasset, sed verius a sacerdotibus Naneæ, 2. Machab. 1. 16. Regnavit annis 7.

16. Demetrius Nicanor frater Sedetis, dimissus ab Arsace, occiso fratre Sedete, regnum recuperat, rursusque tenet per annos 3.

17. Alexander Sebina ope Ptolomæi Physconis, occiso Demetrio Nicanore, regnum occupat. Regnavit annis 2.

18. Antiochus Gryphus, ita dictus a nasi magnitudine, ait Iustin. lib. 38. et 39. Demetrii Nicanoris et Cleopatræ filius, occiso Sebina, ope matris regnum capessit; sed eamdem matrem deinde sibi parantem venenum, illud ipsam per speciem officii et humanitatis bibere compulit, itaque eam interfecit. Regnavit annis 12.

19. Antiochus Cyzicenus, filius Antiochi Sedetis et Cleopatræ (hæc enim duobus fratribus, scilicet Demetrio Nicanori, deinde eo a Persis capto, fratri eius Sedeti nupserat) interempto Antiocho Grypho fratre suo uterino, quem prius regno privarat, uno dumtaxat anno illi supervixit; universim tamen cum eo vivo regnavit annis 18.

20. Seleucus Gryphi filius cum fratre suo Antiocho, occiso patruo Cyziceno, regnum obtinet; sed victus ab Antiocho Eusebe filio Cyziceni, cum domo regia concrematur. Regnavit cum fratre annis 7.

21. Antiochus Eusebes, id est Pius, Cyziceni filius, cæso Grypho regnum occupat; sed mox eodem a Philippo et Demetrio Gryphi filiis spoliatur. Philippus ergo et Demetrius primo simul regnant, deinde victo Demetrio solus Philippus imperat. Hi omnes simul iuncti regnarunt annis 6.

22. Tigranes, rex Armeniæ, fratribus iam dictis inter se de regno certantibus, simulans se eos contra Eusebem adiuturum, regnum invasit, donec ab illo a Romanis per Lucullum expulsus est. Tenuit illud annis 14.

23. Antiochus Asiaticus (quia in Asia Minore educatus) filius Eusebii, dum cum Tigrane et Mithridate pugnat Lucullus, paternum Syriæ regnum recuperat, illudque concedente Lucullo tenet annis 4. Sed mox Pompeius illud ei adimit, ac cum Iudæa Romanis subiicit, Cicerone et Antonio consulibus. Anno urbis 691.

Regnum ergo Græcorum in Syria a victoria Seleuci regis, qua devicto Antigono Minoris Asiæ rege, totius Asiæ regno Seleucus potitus est, duravit annos omnino 248.

Ante devictum Antigonum regnaverat Seleucus, quamvis non annos integros 13. Alexander vero Magnus, qui primus devicto Dario monarchiam a Persis ad Græcos transtulit, a quo tempore multi numerant annos regni Græcorum, post ipsam victoriam vixit annos 6.

Regnum ergo Græcorum in Syria ab initio monarchiæ Alexandri Magni, usque ad illud eis ademptum per Pompeium et Romanos, duravit annis 267. Quibus, ut dixi, posteri duorum fratrum Seleuci scilicet, et Antiochi Epiphanis continuo de eo certarunt, ac successive omnes sibi fuere invicem carnifices. Omnia iam dicta liquent ex Appiano, Iustino, Iosepho, Eusebio, Orosio et aliis.

Chronotaxis Ptolomæorum regum Ægypti, qui post Alexandrum Magnum eodem tempore, quo Seleucidæ in Syria, regnarunt in Ægypto.

1. Ptolomæus Lagi post Alexandrum statim occupavit Ægyptum, ab eoque omnes posteri eius nominati sunt Ptolomæi, uti ante Pharaones. Regnavit annis 40.

2. Ptolomæus Philadelphus, filius Ptol. Lagi, post eius mortem regnavit annis 38. Hic 120. Iudæorum millia, quæ pater captiva in Ægyptum abduxerat, libera dimisit, ac ab Eleazaro Pontif. petiit et obtinuit 72. Interpretes, qui Biblia ex Hebræo in Græcum idioma traducerent.

3. Ptolomæus Evergetes frater Philadelphi Seleucum Cavinicum, eiusque filium Ceraunum prælio vicit. Regnavit annis 26.

4. Ptolomæus cognominatus Philopator, id est amans

patris per antiphrasin, eo quod interfecisset patrem, matrem, fratrem, sororem et uxorem, inescatus illecebris Agathocleæ meretricis. Regnavit annis 17.

5. Ptolomæus Epiphanes filius Ptol. Philopatoris, qui uxorem duxit Cleopatram filiam Antiochi Magni et sororem Antiochi Epiphanis, a qua omnes deinde reginæ Ægypti vocatæ sunt Cleopatræ. Regnavit annis 23.

6. Ptolomæus Philometor, Ptol. Epiphanis filius senior, regnavit annis 35. Hoc regnante, eius avunculus Antiochus Epiphanes ingressus est Ægyptum, ut litem eius cum fratre iuniore Ptol. Physcone dirimeret, sed revera ea mente, ut regnum occuparet. Unde Philometore opem Romanorum implorante, ab eis iussus fuit Antiochus Ægypto excedere; quare frendens ipse iram suam in Iudæos evomuit, ut audiemus, lib. 2. cap. 4. et lib. 1. c. 12. Rursum Philometor anno regni sui 18. concessit Oniæ, qui erat filius Oniæ sancti Pont. ædificare templum Heliopoli in Ægypto, simile Ierosolymitano, quod ab eo dictum est Onion, stetitque annis 233. eversum tandem una cum templo Ierosolymitano a Tito et Vespasiano. Ita Iosephus, Eusebius et alii. Tandem Philometor, subdole volens Alexandrum generum suum privare regno Asiæ, illico mortuus interiit anno Græcorum 167. 1. Machab. 11. v. 1. et 18.

7. Ptol. Physcon, sive Evergetes, Philometoris frater, post fratrem regnavit annis 29. Hic novo prodigio fuit frater, maritus, simul et gener Cleopatræ: nam eius filiam in uxorem duxit. Porro cum Cleopatra, Physcone marito victo, sola regnaret, Physcon tam suum, quam eius filium in frusta concisum, et arcæ inclusum in natalitio matris die ipsi inter epulas apponi curavit, teste Iustino lib. 38. et 39.

8. Ptol. Lathuri filius Ptol. Evergetis, ab aliis cognominatus Soter, regnavit annis 16.

9. Ptol. Alexander frater Lathuri cum matre, quæ Lathurum eiecerat, regnavit annis 10.

10. Ptol. Lathuri, ob sævitiam matris regno restitutus, rursum regnavit aliis annis 8.

11. Ptol. dictus Auletes, eo quod choraulam exercuisset, filius Lathuri, ait Salianus. Hic genuit Cleopatram, quæ ultima fuit Ægypti regina. Idem cum filia Berenice universim regnavit annis 30.

12. Ptolom. Dionysius, filius Auletis, quia puer, rexit Ægyptum per Cleopatram sororem annis 5.

13. Cleopatra, subverso fratre Ptol. Dionysio, sola regnavit annis 17. Hæc est celebris illa concubina Marci Antonii triumviri, qui ab Augusto Cæsare in prælio victus occubuit: Cleopatra, ne in manus Augusti veniret, aspidum morsu seipsam interemit. Augustus mox totam Ægyptum sibi et Romanis subiugavit, tuncque cœpit esse monarca anno urbis conditæ 724. qui fuit Olympiadis 187. annus tertius.

Omnia hæc tradunt Eusebius, Iustinus, sanctus Epiphan. Beda, Salianus, Torniellus et alii. Hæc magnam lucem afferent utrique Machab. libro. Nam Antiochi et Demetrii reges Asiæ, diu cum Ptolomæis regibus Ægypti de Iudæa, imo de imperio certarunt: nam inter utrosque media erat Iudæa, quæ proinde erat utrisque pomum discordiæ, ut de ea sibi arroganda utrique contenderent.

Chronotaxis Machabæorum, sive Assamonæorum, qui populo præfuere non tantum ut Pontifices, sed et ut Principes.

1. Mathathias contra Antioch. Epiphanem insurgens anno Epiphanis nono, qui fuit annus Græcorum 145. Pontificatum et Principatum Israelis gessit paucis mensibus. 1. Machab. 2. versu 1.

2. Iudas Machabæus, Mathathia mortuo, quasi filius primogenitus in Pontificatu et principatu patri successit: patriam et verum Dei cultum fortissime et felicissime propugnavit; templum eiecto Antiochi idolo expurgavit, anno Græcorum 146. occisus tandem acerrime pugnans contra Bacchidem anno Græcorum 152. 1. Machab. 9. v. 3. et 18. Ergo Israelem rexit et defendit annis 6.

3. Ionathas fratri Iudæ surrogatus est a populo, approbante postea Alexandro Veles Ant. Epiphanis filio, 1. Machab. 10. vers. 5. et 20. Tandem per dolum interemptus fuit a Tryphone anno Græcorum 170. 1. Machab. 13. v. 23. et 41. cum præfuisset annis 19.

4. Simon fratri Ionathæ in Ducatu et Pontificatu substitutus est, 1. Machab. 13. v. 8. et 25. Per dolum interemptus est a Ptolomæo genero suo anno Græcorum 177. 1. Machab. ult. v. ult. cum gubernasset annis 7.

5. Ioannes Hircanus Simonis filius præfuit ut dux et Pontifex annis 31. Huius fit mentio, 1. Machab. ult. v. ult. atque in eo finitur sacra Machabæorum, omnisque veteris Testamenti historia, et S. Scriptura.

6. Aristobulus Ioannis Hircani filius. Hic primus regis nomen et coronam assumpsit, quod eius exemplo cæteri eius posteri assumpserunt. Hic fratrem Antigonum occidit, atque eodem anno Dei vindicta vomens sanguinem interiit. Regnavit annum 1.

7. Iannæus Aristobuli frater iunior, qui, ut Græcis placeret, græcum nomen assumpsit, dictusque est Alexander. Hic duos reliquit filios, Hircanum et Aristobulum, qui inter se de regno usque ad Herodem contenderunt, eique prædæ fuerunt. Regnavit annis 27.

8. Alexandra uxor Iannæi, eo mortuo regnum usurpans, regnavit annis 9.

9. Aristobulus iunior Iannæi filius, Hircano fratre seniore excluso, Pontificatum et regnum invasit; sed a Pompeio captus, Romam missus fuit cum duobus filiis Antigono et Alexandro, cum regnasset annis 3. Tunc Pompeius Ierusalem cepit, totamque Iudæam Romanis subiecit, et vectigalem effecit, Cicerone et Antonio consulibus.

10. Hircanus senior Iannæi filius Pontificatui restituitur a Pompeio, eumque variis iactatus casibus tenet per annos 22.

11. Alexander Aristobuli filius, Roma elapsus, Iudæam occupare conatus est; sed post triennium a Gabinio captus, a Pompeio capite mulctatus fuit; pater quoque ipse Aristobulus cum altero filio Antigono, Roma fugiens, ope Parthorum Iudæam et Pontificatum occupavit tribus annis cum dimidio. Verum Iulius Cæsar Hircano Pontificatum adiudicavit, uti iam ante fecerat Pompeius, ac Antipatro Idumææ, Iudææ et Hircani tutelam, quasi procuratori commisit: deinde M. Antonius Herodem et Phasellum filios Antipatri tetrarchas constituit. Denique Antigonus ultimus Machabæorum, petente Herode, capite truncatus fuit post annos 4.

In Antigono defecit omnis stirps Assamonæorum, æque ac eorum regnum et Pontificatus, cum utrumque tenuissent per annos 126. ut vult Iosephus, vel potius per annos 130. ut vult Salianus et alii. Tot enim fluxere ab anno nono Ant. Epiphanis usque ad annum primum Herodis, quo ipse cæso Antigono pleno iure regnum occupavit, atque in eo defecit sceptrum Iudæ, ideoque venit Christus iuxta oraculum Iacobi, Genes. 49. 10. Hæc omnia patent ex Iosepho, Eusebio, Saliano, Torniello, Pererio et aliis.

Iaddo. Hic occurrit Alexandro Magno, eumque Iudæis infensum reconciliavit, teste Iosepho l. 11. et 13. sub finem. Præfuit iuxta Eusebium annis 17.

1. Iaddi frater Iunior fuit Manasses, qui templum simile Ierosolymitano a Sanaballat socero suo fabricatum in monte Garizim adiit, eiusque fuit Pontifex, de quo Iudæis cum Samaritanis perpetua fuit lis et contentio usque ad Christum, ut patet Ioannis 4. Vide Iosephum l. 11. c. 7.

2. Onias primus, Iaddi filius, cui nonnulli dant annos 23.

3. Simon Oniæ filius, cognomento Iustus, cuius elogia describit Eccles. c. 50. v. 1.

4. Eleazarus Simonis frater, qui 72. interpretes misit ad Ptol. Philadelphum, ut vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum converterent.

5. Manasses filius Oniæ primi, frater Simonis, et patruus Eleazari.

6, Onias secundus Simonis Iusti filius, cognomento Avarus.

7. Simon secundus Oniæ secundi filius.

8. Onias tertius, cognomento Sanctus, filius Simonis B secundi, qui orans pro Heliodoro flagellato ab Angelis illi vitam impetravit, 2. Machab. 3. et 1. Machab. 12. versibus 7. et 8. Huius Oniæ filius et ipse dictus Onias, sub Ptolomæo Philometore templum erexit Heliopoli in Ægypto, quod ab eo vocatum est Onion.

9. Iesus, sive Iason frater Oniæ Sancti, qui excluso fratre Pontificatum emit ab Ant. Epiphane, 2. Machab. 4. 7. et c. 5. v. 5.

10. Menelaus Onias, Simonis Beniaminitæ frater, Pontificatum emens ab eodem Epiphane deturbavit Iasonem, sicut ille deturbarat Oniam Sanctum; sed cum pecuniam Epiphani promissam præstare non posset, in eius locum A suffectus est Lysimachus eius frater, 2. Machab. 4. v. 27. Mox, lapidato Lysimacho, Menelaus rursum novis pecuniis Pontificatum coemit. Ibidem versu ult. Hi ergo fuere invasores et pseudo Pontifices.

11. Mathathias Iudæ Machabæi pater: de quo et filiis iam dixi. Quare breviter eos dumtaxat recensebo, ut seriem Pontificum expleam.

12. Iudas Machabæus.

13. Ionathas, frater Iudæ.

14. Simon frater Ionathæ.

15. Ioannes Hircanus Simonis filius.

16. Aristobulus, filius Hircani.

17. Iannæus Alexander, frater Aristobuli.

18. Aristobulus, filius iunior Iannæi.

19. Hircanus, senior filius Iannæi.

20. Antigonus, Aristobuli filius, in quo desiit stirps Assamonæorum.

21. Ananclus, ab Herode Pontifex constitutus.

22. Aristobulus.

23. Ananclus secundo.

24. Simon Phabetis.

25. Simon Boethi socer Herodis, sub cuius vitæ finem natus est Christus, novus novi Testamenti Pontifex secundum ordinem Melchisedech, Hebr. capite 7.

Ex dictis collige a morte Alexandri Magni usque ad annos Græcorum, sive usque ad initium regni Seleuci in Asia fluxisse annos 12. inde usque ad Machabæos annos 145. denique a Machabæis usque ad Christi nativitatem annos 165. Mors ergo Alexandri Christi ortum antecessit annis 322. Vide Chronologiæ tabulam, quam præposui Pentateucho.

Ordo et connexio Librorum Machabæorum.

Moses in Genesi descripsit originem mundi et Ecclesiæ Dei, deinde eius propagatio usque ad reges Israelis Saulem et Davidem narratur in libro Iosue et Iudicum. Mox in libro Regum eius progressus recensetur, quem habuit sub regibus, puta Saule, Davide, Salomone etc. item quæ passa est a regibus Assyriorum et Chaldæorum, quorum prima fuit monarchia. Deinde in Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Esther commemorantur ea quæ eidem Ecclesiæ, puta Israeli et populo Dei tam prospera, quam adversa contigerunt in secunda monarchia, quæ fuit Cyri et regum Persarum. Nunc in hisce libris Machabæorum narrantur ea quæ eidem acciderunt commoda et incommoda in tertia monarchia, quæ fuit Alexandri Magni et Græcorum, puta ab Antiochis regibus Asiæ et Syriæ, et Ptolomæis regibus Ægypti: inter utrosque enim media fluctuavit semper Iudæa, nunc his, nunc illis, vel amica, vel inimica.

Porro quatuor reperiuntur libri Machabæorum, quorum hic est ordo historicus et chronologicus. Primo loco ordine temporum et rerum gestarum collocandus est liber tertius Machabæorum, quia recenset ea quæ Israeli et populo Dei contigerunt sub Ptol. Philopatore rege Ægypti et Antiocho magno rege Asiæ. Secundo loco po- C nendus est is qui nunc in Bibliis ponitur secundus, quia complectitur gesta et bella Iudæ Machabæi cum Antiocho Epiphane, qui fuit filius Antiochi Magni. Tertium locum poscit is qui in Bibliis est primus Mach. quia ad acta Iudæ addit gesta Ionathæ et Simonis, fratrum et successorum Iudæ. Quartum locum vindicat liber quartus, quia conscribit facta Ioannis Hircani, qui fuit filius Simonis fratris Iudæ. Sed inter hos quatuor soli duo medii sunt canonici; cæteri vero duo, scilicet primus et ultimus, sunt ἀπόκρυφοι, id est, occultæ et incertæ auctoritatis, non tamen falsi, aut damnati: quales pariter sunt liber tertius et quartus Esdræ.

Rursum liber primus Machab. qui in Bibliis extat, quasi Canonicus, multum differt a secundo, et ab alio auctore conscriptus est: nam redolet phrasin Hebræam, secundus vero Græcam. Rursum primus sua consignat per annos Græcorum, numerando eos iuxta computum Alexandrinum; secundus vero iuxta computum Chaldaicum, qui ab Alexandrino distat integro anno cum medio, ut suo loco ostendam. Denique liber secundus narrat acta Iudæ alio modo, quam narrata sint libro primo, nec umquam libri primi meminit. Denique primus actis Iudæ addit acta Ionathæ et Simonis, quæ omittit secundus.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Alexander Magnus moriturus sua regna inter Principes partitur. Ex horum uno, scilicet, Seleuco prognatus est Antiochus Epiphanes, qui Iudæam vastavit, templum diripuit, in eoque Iovis idolum collocavit, plurimos occidit Iudæos, ceteros ad idololatriam compulit, ac resistentes per varia tormenta martyrio affecit.

1. Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum et Medorum: 2. Constituit prælia multa, et obtinuit omnium munitiones, et interfecit reges terræ: 3. Et pertransiit usque ad fines terræ: et accepit spolia multitudinis gentium: et siluit terra in conspectu eius. 4. Et congregavit virtutem, et exercitum fortem nimis: et exaltatum est et elevatum cor eius: 5. Et obtinuit regiones gentium, et tyrannos: et facti sunt illi in tributum. 6. Et post hæc decidit in lectum, et cognovit quia moreretur. 7. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a iuventute: et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret. 8. Et regnavit Alexander annis duodecim et mortuus est. 9. Et obtinuerunt pueri eius regnum, unusquisque in loco suo: 10. Et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, et filii eorum post eos annis multis, et multiplicata sunt mala in terra. 11. Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus Illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: et regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum. 12. In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis dicentes: Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. 13. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. 14. Et destinaverunt aliqui de populo, et abierunt ad regem: et dedit illis potestatem ut facerent iustitiam gentium. 15. Et ædificaverunt gymnasium in Ierosolymis, secundum leges nationum: 16. Et fecerunt sibi præputia, et recesserunt a testamento sancto, et iuncti sunt nationibus, et venumdati sunt ut facerent malum. 17. Et paratum est regnum in conspectu Antiochi, et cœpit regnare in terra Ægypti, ut regnaret super duo regna. 18. Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, et elephantis, et equitibus, et copiosa navium multitudine: 19. Et constituit bellum adversum Ptolemæum regem Ægypti, et veritus est Ptolemæus a facie eius, et fugit, et ceciderunt vulnerati multi. 20. Et comprehendit civitates munitas in terra Ægypti, et accepit spolia terræ Ægypti. 21. Et convertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo et quadragesimo tertio anno: et ascendit ad Israel, 22. Et ascendit Ierosolymam in multitudine gravi. 23. Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa eius, et mensam propositionis, et libatoria, et phialas, et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat: et comminuit omnia. 24. Et accepit argentum, et aurum, et vasa concupiscibilia: et accepit thesauros occultos, quos invenit: et sublatis omnibus, abiit in terram suam. 25. Et fecit cædem hominum, et locutus est in superbia magna. 26. Et factus est planctus magnus in Israel, et in omni loco eorum: 27. Et ingemuerunt principes, et seniores: virgines et iuvenes infirmati sunt: et speciositas mulierum immutata est. 28. Omnis maritus sumpsit lamentum: et quæ sedebant in thoro maritali, lugebant. 29. Et commota est terra super habitantes in ea, et universa domus Iacob induit confusionem. 30. Et post duos annos dierum, misit rex principem tributorum in civitates Iuda, et venit Ierusalem cum turba magna. 31. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: et crediderunt ei. 32. Et irruit super civitatem repente, et percussit eam plaga magna, et perdidit populum multum ex Israel. 33. Et accepit spolia civitatis: et succendit eam igni, et destruxit domos eius, et muros eius in circuitu: 34. Et captivas duxerunt mulieres: et natos, et pecora possederunt. 35. Et ædificaverunt civitatem David muro magno et firmo, et turribus firmis, et facta est illis in arcem: 36. Et posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, et convaluerunt in ea: et posuerunt arma et escas, et congregaverunt spolia Ierusalem: 37. Et reposuerunt illic: et facti sunt in laqueum magnum. 38. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, et in diabolum malum in Israel: 39. Et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, et contaminaverunt sanctificationem. 40. Et fugerunt habitatores Ierusalem propter eos, et facta est habitatio exterorum, et facta est extera semini suo, et nati eius reliquerunt eam. 41. Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo, dies festi eius conversi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum. 42. Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius: et sublimitas eius conversa est in luctum. 43. Et scripsit rex Antiochus omni regno suo ut esset omnis populus, unus: et relinqueret unusquisque legem suam. 44. Et consenserunt omnes gentes secundum verbum regis Antiochi: 45. Et multi ex Israel consenserunt servituti eius, et sacrificaverunt idolis, et coinquinaverunt sabbatum. 46. Et misit rex libros per manus nuntiorum in Ierusalem, et in omnes civitates Iuda: ut sequerentur leges gentium terræ, 47. Et prohiberent holocausta, et sacrificia, et placationes fieri in templo Dei, 48. Et prohiberent celebrari sabbatum, et dies solemnes: 49. Et iussit coinquinari sancta, et sanctum populum Israel. 50. Et iussit ædificari aras, et templa, et idola, et immolari carnes suillas, et pecora communia. 51. Et relinquere filios suos incircumcisos, et coinquinari animas eorum in omnibus immundis, et abominationibus, ita ut obliviscerentur legem, et immutarent omnes iustificationes Dei. 52. Et quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur. 53. Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo: et præposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent. 54. Et iusserunt civitatibus Iuda sacrificare. 55. Et congregati sunt multi de populo, ad eos qui dereliquerant legem Domini: et fecerunt mala super terram: 56. Et effugaverunt populum Israel in abditis, et in absconditis fugitivorum locis. 57. Die quintadecima mensis Casleu, quinto et quadragesimo et centesimo anno, ædificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Iuda in circuitu ædificaverunt aras:

58. Et ante ianuas domorum, et in plateis incendebant thura, et sacrificabant: 59. Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos: 60. Et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum. 61. In virtute sua faciebant hæc populo Israel, qui inveniebatur in omni mense, et mense in civitatibus. 62. Et quinta et vigesima die mensis sacrificabant super aram quæ erat contra altare. 63. Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundum iussum regis Antiochi, 64. Et suspendebant pueros a cervicibus per universas domos eorum : et eos, qui circumciderant illos, trucidabant. 65. Et multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda : et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis: 66. Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt: 67. Et facta est ira magna super populum valde.

Vers. 1. ET FACTUM EST, POSTQUAM PERCUSSIT ALEXANDER (Magnus) PHILIPPI (filius) MACEDO, QUI PRIMUS (Græce πρότερον, id est, prius) REGNAVIT IN GRÆCIA, scilicet, tota, ait Serarius: EGRESSUS DE TERRA CETHIM.) Id est, de regionibus Iudææ transmarinis (has enim Iudæi vocant Cethim) uti sunt Macedonia, Græcia, Cyprus, etc. sic hodie eos, qui trans Alpes habitant Itali vocant transmontanos. Rursum nonnulli per *Cethim* accipiunt proprie Macedoniam (quæ hodie Albania dicitur) tum quia Philippus et Persæ vocantur reges Cethæorum, id est, Maonucedm, 4. Mach. 8. 5. tum quia Suidas verbo *Latini* et κιτιεύς, asserit Macedoniam per postesin dictam a Cethim, nempe μακέτις et Attice μακέττα; sic et S. Hieronymus l. 5. in Isaiam c. 23. et in c. 27. Ezech. et 11. Daniel per Cethim accipit insulas Macedoniæ; et S. Epiph. hæresi 30. ait Alexandrum dici egressum ex Cethim, id est ex Macedonia, quia in ea erat genus Cypriorum, ac Rhodiorum, quibus proprie competit hoc nomen: Cethim enim teste Iosepho l. 1. Ant. cap. 7. proprie dicta est Cyprus, et inde quævis aliæ insulæ. Insulas autem vocant Hebræi omnes transmarinas regiones, uti sunt Italia, Græcia, Macedonia. Favet, quod Livius lib. 5. Decade 2. nominet in Macedonia Citium, quo totus exercitus Persei convenerat. Favet quoque vocis Macedoniæ affinitas cum Cethim. Quare Dionysius de situ orbis et Hesychius in Lexico, Macedoniam vocant Macetam, et Macedones Macetas. Unde Aus, in claris urb. Epigr. 2. *Macetumque attollere nomen.* Quin et Thucydides libro 2. capite 2. ait Cyprios in Macedoniam transmigrasse, ut eis suum nomen Cethim indere potuerint. Sic et Theod. Annius, Pintus, Fererius in Isaiæ 2. per Cethim accipiunt Macedoniam.

Cethim est Cyprus et Macedonia.

DARIUM REGEM PERSARUM.) Ultimum, cognomento Codomannum. Hunc percussit et occidit Alexander Magnus anno sexto regni sui, tumque monarchiam a Dario et Persis ad se et ad Græcos transtulit, factusque monarcha regnavit alios sex annos: mortuus est enim anno regni sui duodecimo. Porro Darius prius vocatus est Codamus, et cauponam exercuit Susis, ait Dionys. Chrysost. orat. 5. inde creatus est præfectus Armeniæ, ac tandem rex: quare non erat ex stirpe regia, sed id simulavit assumendo nomen regale Darii, ideoque eum Alexander invasit, et regno sibi non debito privavit.

Vers. 3. ET PERTRANSIIT USQUE AD FINES TERRÆ.) Omnia sibi armis subiugans usque ad Gangem et Oceanum Indicum, ait Iosephus, Livius et Iustinus.

ET SILUIT TERRA IN CONSPECTU EIUS.) Præ terrore fortitudinis et victoriarum eius continuarum, ut nemo ei auderet resistere, nec contra eum hiscere, sicut mures silent in conspectu felis, et canes coram leone.

Vers. 4. ET CONGREGAVIT VIRTUTEM ET EXERCITUM.) Id est exercitum non tam multitudine, quam virtute militum metuendum. Alexandri enim milites erant veterani, laboribus et præliis assueti, continuis victoriis animosi, ut omnia pervaderent et subiicerent. Est hendiadis. Unde Græce est: *congregavit virtutem*, id est exercitum FORTEM.

ET ELEVATUM COR EIUS.) Adeo ut divinitatem affectaret, et ab ipso Iove satum se esse contenderet. Quam opinionem vanam ex ingentibus victoriis, et adulantium blandimentis, et rebus supra fidem prosperis imbiberat, ut Olympiadem teste Agellio libr. 13. cap. 4. Iunonis pellicem faceret. Ad Græcos scripsit stolidus, et ut ipsum Deum facerent iussit, ut ait Ælianus lib. 2. variæ historiæ cap. 19. sed a Lacedæmoniis derisus, vecordiæ et stuporis incusatur, ut idem Ælianus est auctor l. 5. c. 2. Adulatus est ei sacerdos Hammonis pro παιδίον, id est, *puer, fili*, vocans eum παῖ Διός, id est, *filii Iovis*.

Alexander voluit haberi Iovis filius.

Vers. 6. POST HÆC.) Anno regni sui duodecimo monarchiæ vero sexto, ætatis 33. DECIDIT IN LECTUM.) Vel ex nimio potu, uti narrat Plutarchus in eius vita, et Seneca epistola 83. vel ex veneno, uti censet Curtius.

Vers. 7. ET VOCAVIT PUEROS.) Id est, duces et principes sibi intimos, uti fuere Ptolomæus Lagi filius, Seleucus, Antigonus, Aridæus, Perdiccas, Cassander et alii: ET DIVISIT ILLIS REGNUM SUUM.) Idem asserit Iosephus Gorionides lib. 3. ac S. Cyrillus Ierosol. Catechesi 4. de S. Script. et alii. Favet quod scribit Curtius, l. 10. cap. 10. *Credidere*, inquit, *quidam testamento Alexandri distributas esse provincias*; idque a variis auctoribus traditum asserit, licet ipse contrarium sentiat. Porro Auctori nostro, cui quasi scriptori hagiographo Patres Græci et Latini, imo tota Ecclesia fidem sacram tribuit, magis credendum est, quam Diodoro, Iustino, Curtio et Orosio asserentibus, Perdiccam post mortem Alexandri provincias inter Principes distribuisse: quod tamen fieri quoque potuit, nimirum ut Alexander Perdiccæ dato annulo, quasi secreti sui conscio mandarit, ut imperium suum in duodecim Principes divideret. Id enim fecit Perdiccas, utique id non facturus, sed sibi plurima retenturus, nisi id ei Alexander mandasset. Rursum S. Thom. Glossa, Dionys. Iosephus, Stephanus sic exponunt: *Divisit illis regnum*, id est dividendum reliquit, exposuit et obtulit, q. d. Alexander moriens nullum certum hæredem designavit, sed voluit ut principes inter se illud ex æquo dividerent. Audi nunc Iustinum, l. 12. *Cum deficere eum amici viderent, quærunt quem imperii faciat hæredem? Respondit, dignissimum. Tanta illi magnitudo animi fuit, ut cum Herculem filium suum, cum fratrem Aridæum, et cum Roxanem uxorem prægnantem relinqueret, oblitus necessitudinem, dignissimum nuncuparet hæredem. Sexto die, præclusa voce, exemptum digito annulum Perdiccæ tradidit. Quæ res gliscentem amicorum dissentionem sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus hæres, indicio tamen electus esse videbatur.*

An Alexander provincias suis diviserit?

Porro inter hos duodecim Alexandri hæredes et successores primarii fuere quatuor, nimirum Ptolomæus, qui Ægyptum; Antigonus, qui Asiam; Aridæus, qui Macedoniam; Seleucus, qui Syriam, Babyloniam et Persiam, ac victo Antigono Asiam occupavit.

Vers. 8. ET MORTUUS EST.) Babylone, ex veneno dolo Antipatri ei dato, ait Beda et Q. Curtius; vel ut alii ex crapula, vel ex utroque: plura de gestis Alexandri dixi Daniel. c. 8. Vide hic vanitatem regum et regnorum mundi. En tibi Alexander, qui mundum subiugarat, et novos mundos, quos subiugaret, quærebat, sex tantum annis imperio suo gavisus est, ac sexto anno mortuus exiguo tumulo conditus, sepultusque iacet. Vere Iuvenal. Satyra 10.

Unus Pellæo iuveni (Alexandro) non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi, etc.
Sarcophago contentus erit: mors sola fatetur
Quantula sunt hominum corpuscula.

Alexander speculum vanitatis.

Hinc Apelles pinxit Alexandrum, quasi fulmen manu tenentem, eo quod instar fulminis omnia pervaserit, sed et illico disparuerit, ut fulmen. Narrat Petrus Alphonsus plures philosophos (forte Gymnosophistas, qui olim quæ-

stiones ab Alexandro propositas resolverant) audita morte Alexandri ad funus accurrisse. Atque unus, inquit, dicebat: *Heri totius terræ spatiositas Alexandro non suffecit; nunc trium quatuorve ulnarum spatium illi ipsi sufficit.* Aiebat alius: *Heri potuit Alexander a morte multos liberare; hodie seipsum non potest.* Alius, cum aureum eius loculum videret: *Heri Alexander ex auro fecit thesaurum, hodie aurum ex ipso fecit thesaurum.* Alius: *Heri Alexander terram oppressit, hodie a terra opprimitur.* Denique mater Alexandri Olympias ingemuit: *O fili*, inquit, *qui cœli particeps esse studebas, ne iis quidem potiri vales, quæ mortalium omnium communia sunt, terra et sepultura.* Mansit enim cadaver insepultum Alexandri ad triginta dies ob principum dissidia. Ite nunc, filii Adæ, terræ, ut talpæ inhiate, agros agris, urbes urbibus, regna regnis accumulate, cras morituri.

Gnomæ.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!

Pulcher fuit Alexander, nunc est putre cadaver: fuit Cyrus, nunc est Irus; fuit remex calicum, nunc est esca vermium: fuit terror gentium, nunc est præda dæmonum: fuit inclytus rex gloriæ, nunc est follis et fomentum gehennæ, eritque semper in omnem æternitatem. Hoc speculum intuere, o Lector, tibique dicito: *Hodie Alexandro, cras mihi.*

Vers. 11. ET EXIIT EX IIS RADIX PECCATRIX ANTIOCHUS ILLUSTRIS.) q.d. Ex uno ducum Alexandri, et post eius mortem regum, prognatus est Antiochus Epiphanes, puta ex Seleuco, qui victo Antigono sibi diadema Asiæ imposuit, anno 12. post mortem Alexandri; a Seleuco enim sexta generatione descendit *Epiphanes*, id est, illustris. Verius ab aliis dictus *Epimanes*, id est, insanus; tum, quia multa stulta et insana factitavit, quæ ex Leonico recensui, Daniel 11. 21. tum quia, quasi furiis infernalibus actus insanivit, et crudelissime sævviit in Iudæos. Aliam causam dat Polybius, quod a Magis per magiam fuerit intoxicatus, et in mentis delirium vesaniamque actus.

Epiphanes vocatur *radix peccatrix*, quia sicut ex radice germinant poma et fructus, sic ex Epiphane germinarunt omnia peccata, superbiæ, avaritiæ, libidinis, crudelitatis, impietatis, sacrilegiorum, etc., quæ toto hoc capite et seq. audiemus. Hinc ipse fuit expressus typus et præcursor Antichristi, qui 2. Thessal. 2. a Paulo vocatur *homo peccati*, quia erit impiissimus et scelestissimus.

FILIUS ANTIOCHI REGIS (cognomento Magni) QUI FUERAT ROMÆ OBSES.) Antiochus enim Magnus cum Annibale victus a Scipione Asiatico, fratre Scipionis Africani, eo quod Annibalis consilia neglexisset, Scipioni et Romanis obsidem pacis et fœderis dedit filium suum iuniorem Ant. Epiphanem. Sed Epiphanes, mortuo patre et fratre seniore Seleuco Philopatore per dolum ab Heliodoro interfecto, clam Roma elapsus in Syriam, ibi regnare cœpit anno 137. REGNI GRÆCORUM, id est, post mortem Alexandri Magni anno 145. Nam anni Græcorum incipiunt a Seleuco, qui 12. anno a morte Alexandri regem Asiæ se fecit, regnumque ad posteros propagavit, uti dixi in Prooemio q. 3.

Vers. 12. IN DIEBUS ILLIS EXIERUNT EX ISRAEL FILII INIQUI.) Quorum dux fuit Iesus Oniæ Pontificis frater, qui gentilizans et græcizans Iasonem se vocavit, et Pontificatum, fratre Onia eiecto, invasit, de quo lib. 2. cap. 4. 7. Item Menelaus, Simon et similes de quibus l. 2. c. 5. Hi videntes iniquitatem æque ac potentiam Antiochi Epiphanis Syriæ et Iudææ dominantis, eius impietati se conformarunt, ut ab eo opes et honores consequerentur, ac cæteris Iudæis præficerentur, fierentque Pontifices et gubernatores, imo Domini Iudæorum, nimirum:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Sicut ergo pius rex David Iudæos fecit pios, sic impius Epiphanes eos fecit impios.

Vers. 14. DEDIT (Epiphanes) ILLIS POTESTATEM, UT FACERENT IUSTITIAM GENTIUM.) Ut scilicet Gentilium ritus et mores, ac præsertim falsam religionem et idololatriam, liberamque libidinem sequerentur, et in Iudæam inducerent; unde sequitur:

A ET ÆDIFICAVERUNT GYMNASIUM IN IEROSOLYMIS SECUNDUM LEGES NATIONUM.) In quo scilicet adolescentes discerent non tantum Gentilium fabulas et litteras, uti censent S. Thom. et Lyran. item digladiari, sagittare, certare cursu, saltu, disco, ac luctari in palæstra, etc. sed etiam docerentur omnem luxuriam, etiam contra naturam pæderasticam et sodomiticam, unde gymnasiis hisce adduntur ephebiæ sive lupanaria, l. 2. cap. 4. 12. Et talia erexere impii reges olim in Iuda, quæ effœminatorum vocantur, quibus præerat quasi sacerdotissa et principissa mater Asæ regis Iuda 3. Reg. 15. 12. Sed Asa aliique pii reges ea sustulerunt, restituit vero Herodes, teste Iosepho l. 14. cap. 9. et lib. 15. cap. 11. Disce hic quod sicut veræ religionis comes est puritas ac castitas; sic falsæ, ac hæresis comes est impuritas et libido: certe virginum tam virorum, quam fœminarum agmina, quæ votam Deo castitatem religiose per omnem vitam servant, non nisi in orthodoxa fide reperies. Vers. 15. Gymnasium quid?

B ET FECERUNT SIBI PRÆPUTIA.) Id est, præputia sibi in circumcisione resecta certis instrumentis et medicamentis attraxerunt, et recrescere fecerunt, ut circumcisionem et Iudaismum hoc facto evitarent, et Gentilismum profiterentur; huius enim rei symbolum erat præputii reductio. Vide dicta 1. Corinth. 7. 18. ad illa: *Non adducat præputium.* Vers. 16.

ET PARATUM EST REGNUM (Asiæ et Syriæ) IN CONSPECTU ANTIOCHI (Epiphanis) Seleucus enim Philopator senior frater Epiphanis dolo Heliodori fuit occisus; quare Epiphanes, adiuvantibus Eumene et Attalo vicinis regibus, facile patris regnum solus occupavit. Nec hoc contentus: COEPIT REGNARE IN TERRA ÆGYPTI.) nam ut sequitur: Vers. 17.

ET INTRAVIT IN ÆGYPTUM IN MULTITUDINE GRAVI.) Id est copiosa, puta numeroso magnoque exercitu. Est enallage; ponitur enim quantitas continua, pro discreta, puta gravis, sive magna pro multa. Sic *musca gravissima* vocatur plurima, Exodi 8. 24. Vidi ibi dicta. Porro Ant. Epiphanes bis intravit in Ægyptum, simulans se velle adiuvare Ptol. Philometorem suum ex Cleopatra sorore nepotem et puerum, sed revera ea mente, ut excluso nepote ipse regnum Ægypti suo regno Asiæ adiiceret. Primo, intravit anno secundo regni sui, de quo agitur 2. Machab. 4. 21. Secundo, anno sexto regni sui, qui fuit Græcorum 142. de quo hic agitur; nam anno sequenti 143. ex Ægypto ascendit in Israel, ut dicitur v. 21. Vers. 18. C

ET INGRESSUS EST SANCTIFICATIONEM.) Id est sanctuarium, puta templum Iudæis sanctissimum, indeque sacrilege abstulit ALTARE AUREUM, id est altare thymiamatis; ET MENSAM AUREAM, in qua 12. tribus Deo offerebant 12. panes PROPOSITIONIS, et LIBATORIA.) Id est cyathos, crateres, aliaque vasa, quibus vinum, oleum, sanguis victimarum Deo libabatur, id est, ad cornu altaris effundebatur. Vers. 23.

ET FECIT CÆDEM HOMINUM.) Nimirum, ut dicitur 2. Mach. 5. 12. *Fiebant cædes iuvenum, ac seniorum et mulierum, et natorum exterminia virginumque et parvulo-* D *rum neces. Erant autem toto triduo* 80. *millia interfecti,* 40. *millia vincti, non minus autem venundati.* Causa fuit, quod Romani iusserint Antiochum Epiphanem ex Ægypto excedere, ac Ptolom. Philometori regi amico illam liberam relinquere; Publius enim Popilius Lenas Legatus Roman. qui Romæ Antiocho Epiphani familiaris fuerat, navibus appulsus Alexandriam, Antiochum virga circumscribens circulo in arena illi dixit: *Senatus populusque Romanus præcipiunt ut Ægypto recedas, nec pugnes in Ptolomæos: et isto in loco respondeas, quid consilii geras; an pacem, an bellum cupias.* Quibus ille perterritus ait: *Si hoc placet Romanis, recedendum est.* Itaque statim movit exercitum. Ita Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 6. Livius lib. 5. decad. 5. Appianus in Syriaco, Iustinus et alii. Quare tunc frendens Antiochus castra movit in vicinos Iudæos, in eosque suam indignationem et furorem effudit. Vers. 25.

ET LOCUTUS EST IN SUPERBIA MAGNA.) Iactans se,

quasi esset Deus quidam terrestris, cui omnes obedire deberent, et cui nemo resistere posset, uti faciet eius antitypus Antichristus. Vide dicta Daniel, 11. 36.

Vers. 27. ET SPECIOSITAS MULIERUM IMMUTATA EST.) Tum quia ipsæ depositis vestibus speciosis in communi luctu lugubres, id est nigras et squalidas induerunt; tum quia timor, mœror et angor faciebat eas pallidas et luridas. Sic in Chaldæorum clade ait Ierem. Thren. 1. de virginibus: *Egressus est a filia Sion omnis decor eius;* de adolescentibus cap. 4. versu 2. *Filii Sion incluti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea;* et v. 7. de Nazaræis: *Candidiores Nazaræi nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis.*

Vers. 29. ET COMMOTA EST TERRA, Iudæa perculsa et concussa fuit ingenti terrore, mœrore et angore, SUPER HABITANTES IN EA.) Scilicet propter incolas Iudæos ab Antiocho occisos, captos et venditos.

Vers. 30. ET POST DUOS ANNOS DIERUM, id est post duos integros annos omnibus suis diebus plane expletos, ita ut insuper aliquot dies excurrerent, Ant. Epiphanes MISIT PRINCIPEM TRIBUTORUM.) Quem ipse colligendis tributis præfecerat, nomine Apollonium ad Iudæos non tantum spoliandos, sed et iugulandos, ut dicitur 2. Machab. 5. 24. qui præterea

Vers. 33. SUCCENDIT EAM (Ierosolymam iam a se spoliatam) IGNI, ET DETRAXIT DOMOS ET MUROS EIUS IN CIRCUITU.) Ne Antiocho rebellare posset.

Vers. 35. ET ÆDIFICAVERUNT CIVITATEM DAVID.) Scilicet arcem Sion, quæ toti urbi subiacenti quasi rupes, vel turris dominabatur, MURO MAGNO (alto) ET FIRMO.

Vers. 36. ET POSUERUNT ILLIC GENTEM PECCATRICEM.) Scilicet milites rapaces, homicidas et sceleratos, qui Iudæos diriperent, vincirent, mactarent.

Vers. 38. ET FACTUM EST HOC AD INSIDIAS SANCTIFICATIONI.) Id est sanctuario, sive templo, ut scilicet insidiarentur Iudæis euntibus ad templum sacrificii, vel orationis causa, ac erumpentes ex arce in eos irruerent, eosque spoliarent, caperent, vulnerarent. Volebat enim Antiochus abolere Dei veri cultum, ac Iudæos compellere ad adorandum sua idola, ideoque imaginem Iovis Olympii collocarat in templo.

ET IN DIABOLUM MALUM IN ISRAEL.) Tum quia milites hi erant diaboli, id est calumniatores; calumniabantur enim euntes ad templum, quasi illud contra Antiochum munire vellent; tum quia ipsi quasi dæmones eos expilabant, verberabant, laniabant, adeo ut ipsum templum cæsorum sanguine implerent et pollnerent; tum denique quia eos a cultu Dei ad cultum Iovis, id est diaboli compellebant, simulque ad scortandum in lupanaribus templo adiectis invitabant; quod erat opus plane diabolicum.

Vers. 43. ET SCRIPSIT REX ANTIOCHUS decretum, quo præcipiebat UT OMNIS POPULUS ESSET UNUS, id est uniformis in fide et religione, ut scilicet omnes sibi subditi unirentur sibi in eadem superstitione et idololatria; sicut uniebantur in eodem regno, ideoque UT RELINQUERET UNUSQUISQUE LEGEM SUAM.) Nimirum ut Iudæi relinquerent legem et cultum Dei sui datam per Mosen, et capesserent legem et cultum Antiochi.

Expedit ut in uno regno una sit religio, sed vera et orthodoxa. Nam si falsa sit, expedit esse plures, ut vera ex falsarum varietate emicet et agnoscatur, uti aiebat Card. Hosius.

Vers. 45. ET MULTI EX ISRAEL CONSENSERUNT SERVITUTI EIUS.) Græce τη λατρεια, id est latriæ; sive sacræ eius servituti, cultui et adorationi, ut scilicet non alium Deum colerent latria, nec alteri Deo servirent, quam Deo Antiochi regis sui, puta Iovi Olympio, ipsique Antiocho. Ipse enim una cum Iove volebat coli ut Deus.

Vers. 46. ET MISIT REX LIBROS.) Id est litteras et epistolas. Has enim significat Hebr. *sepher*, id est liber.

Vers. 49. ET MISIT decreta, quibus iussit COINQUINARI SANCTA,

A id est violari et profanari sanctum templum, sanctaque eius sacrificia, ritus, sabbata, festa, etc. ET SANCTUM POPULUM ISRAEL.) Ut abiecta sancta fide et lege Dei pollueret se sacrilegis victimis et superstitionibus gentium, et idolorum; unde explicans subdit:

IMMOLARI CARNES SUILLAS, id est sues et porcos lege Mosi immundos, ideoque comedi et immolari vetitos; ET PECORA COMMUNIA. id est immunda; quæ enim immunda sunt, gentibus erant communia; quæ vero munda, Iudæis peculiaria et propria. Levit. 11. Hinc Deus volens S. Petrum convertere Cornelium et gentes immundas ad Christum, per visum iussit ei immunda animalia comedere, dicens; *Quod Deus purificavit, tu commune*, id est immundum *ne dixeris*. Actor. 10. 15. Vers. 50.

ET IMMUTARENT OMNES IUSTIFICATIONES DEI.) Id est, violarent omnes Dei sanctiones et leges: hæ enim vocantur iustitiæ et iustificationes, quia præscribunt id quod æquum et iustum est. Vers. 51.

ET CONGREGATI SUNT MULTI DE POPULO AD EOS QUI DERELIQUERUNT LEGEM DOMINI.) Ad apostatas cum eis apostatando a lege Dei, puta ad Iasonem, Alcimum, Menelaum, cæterosque Apostasiæ duces. Vers. 53.

B

ET EFFUGAVERUNT DE POPULO ISRAEL.) Eos qui apostatare nolebant; sed in vera Dei lege, cultuque constanter perseverabant, ut cogerentur fugere ad antra et speluncas, ibique se abdere. Vers. 56.

DIE 15. MENSIS CASLEU (qui nostro Novembri respondet) ÆDIFICAVIT (et collocavit) SUPER ALTARE DEI in templo Ierosolymitano, ABOMINANDUM IDOLUM DESOLATIONIS.) Iovis Olympii, quod futurum erat causa omnis calamitatis et desolationis, uti prædixerat Daniel. cap. 11. 11. Vers. 57.

IN VIRTUTE SUA (Græce εν ισχυι, id est vi et robore suo, hoc est violenter) FACIEBANT satellites Antiochi HÆC POPULO ISRAEL, QUI INVENIEBATUR IN OMNI MENSE ET MENSE, id est quolibet mense IN CIVITATIBUS.) Per mensem intellige neomeniam, sive primum diem mensis, qui Iudæis erat solemnis et quasi sacer; unde tunc ex pagis et villis confluebant in urbem audituri Dei legem, sicut accolæ Romæ eodem die confluebant Romam, indeque Calendæ sunt dictæ, ut ostendi Levit. 28. 11. Sensus est, q. d. Milites Antiochi observabant eos qui neomeniam ex lege Mosis observabant, eosque male mulctabant, imo mactabant. Atque ut Neomeniam, id est solemnitatem primæ diei mensis abolerent, ipsi Vers. 61.

C

QUINTA ET VIGESIMA DIE MENSIS SACRIFICABANT SUPER ARAM, a se Iovi Olympio erectam, QUÆ ERAT CONTRA ALTARE) Holocaustorum, Deo dicatum in templo Ierosolymitano. In hac ergo ara non tantum Iovi, sed et ipsi Antiocho, quasi Deo sacrificabant. Ipse enim voluit coli ut Deus, uti prædixit Daniel c. 11. 36. ideoque typus fuit Antichristi. Nolebant idololatræ sacrificare in altari Dei, ne viderentur Deo Hebræorum sacrificare; et ut illud quasi profanum populo facerent abominabile, unde et in eodem collocarunt statuam Iovis Olympii, coram qua in ara vicina ab eisdem Iovi erecta sacrificabant. Vers. 62.

D

ET ELEGERUNT MAGIS MORI, et varie excruciari QUAM CIBIS COINQUINARI IMMUNDIS.) Quam comedere carnem porcinam, similesque Levit. 11. vetitas, uti idcirco excruciatus fuit Eleazarus et septem fratres Machab. 2. Machab. 7. Hi ergo omnes gloriosi fuere illo prisco rudique sæculo martyres. Audi Ioseph. l. 12. c. 7. *Quamobrem quotidie necabantur excruciati tormentis crudelissimis, flagris etiam cæsi et lacerati corpora, vivi adhuc et spirantes suffigebantur crucibus; uxores autem eorum, et circumcisos liberos strangulabant iuxta mandatum regium, et suspendebant a crucifixorum parentum cervicibus.* Hoc est, quod prædixit Daniel. cap. 11. v. 33. et 35. *Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum.* Vers. 65.

ET FACTA EST IRA MAGNA DEI SUPER POPULUM VALDE.) q. d. Deus, indignans Iudæis ob eorum scelera, permisit eos tam atrociter affligi ab Antiocho. Vers. 67.

*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mathathias opponit se Antiocho, mox v. 23. Iudæum idolis immolantem, æque ac præfectum Antiochi ad id cogentem occidit, exclamans: Omnis qui habet zelum, exeat post me. *Fugit ergo cum se sequentibus in montes, qui v. 37. sabbatis invasi sinunt se occidi, mox ne omnes intereant, armis se defendunt. Tertio v. 44. Mathathias colligit exercitum, et fidem, patriamque propugnat, mox moriturus filios, ceterosque ad fidem et ad zelum legis cohortatur, eisque Iudam filium in belli Ducem assignat.*

1. In diebus illis surrexit Mathathias filius Ioannis, filii Simeonis, sacerdos ex filiis Ioarib, ab Ierusalem, et
consedit in monte Modin. 2. Et habebat filios quinque: Ioannem, qui cognominabatur Gaddis: 3. Et Si-
monem, qui cognominabatur Thasi: 4. Et Iudam, qui vocabatur Machabæus: 5. Et Eleazarum, qui co-
gnominabatur Abaron: et Ionathan, qui cognominabatur Apphus: 6. Hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Iu-
da, et in Ierusalem. 7. Et dixit Mathathias: Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et con-
tritionem civitatis sanctæ, et sedere illic, cum datur in manibus inimicorum? 8. Sancta in manu extraneorum fa-
cta sunt: templum eius sicut homo ignobilis. 9. Vasa gloriæ eius captiva abducta sunt: trucidati sunt senes eius
in plateis, et iuvenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. 10. Quæ gens non hereditavit regnum eius, et non
obtinuit spolia eius? 11. Omnis compositio eius ablata est. Quæ erat libera facta est ancilla: 12. Et ecce sancta
nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est, et coinquinaverunt ea gentes. 13. Quo ergo nobis ad-
huc vivere? 14. Et scidit vestimenta sua Mathathias, et filii eius: et operuerunt se ciliciis, et planxerunt valde.
15. Et venerunt illuc qui missi erant a rege Antiocho, ut cogerent eos, qui confugerant in civitatem Modin, im-
molare, et accendere thura, et a lege Dei discedere. 16. Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad
eos: sed Mathathias, et filii eius constanter steterunt. 17. Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt
Mathathiæ: Princeps, et clarissimus, et magnus es in hac civitate, et ornatus filiis et fratribus: 18. Ergo accede
prior, et fac iussum regis, sicut fecerunt omnes gentes, et viri Iuda, et qui remanserunt in Ierusalem: et eris tu,
et filii tui, inter amicos regis, et amplificatus auro et argento, et muneribus multis. 19. Et respondit Mathathias,
et dixit magna voce: Et si omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum
suorum, et consentiat mandatis eius: 20. Ego et filii mei, et fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum: 21.
Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem et iustitias Dei: 22. Non audiemus verba regis An-
tiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via. 23. Et ut cessavit loqui ver-
ba hæc, accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum ius-
sum regis: 24. Et vidit Mathathias, et doluit, et contremuerunt renes eius, et accensus est furor eius, secundum
iudicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram: 25. Sed et virum, quem rex Antiochus miserat, qui coge-
bat immolare, occidit in ipso tempore, et aram destruxit, 26. Et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri fi-
lio Salomi. 26. Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis qui zelum habet legis statuens
testamentum, exeat post me. 28. Et fugit ipse, et filii eius in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in ci-
vitate. 29. Tunc descenderunt multi quærentes iudicium, et iustitiam, in desertum: 30. Et sederunt ibi ipsi, et fi-
lii eorum, et mulieres eorum, et pecora eorum: quoniam inundaverunt super eos mala. 31. Et renuntiatum est viris
regis, et exercitui, qui erat in Ierusalem civitate David, quoniam discessissent viri quidam, qui dissipaverunt man-
datum regis, in loca occulta in deserto, et abiissent post illos multi. 32. Et statim perrexerunt ad eos, et consti-
tuerunt adversus eos prælium in die sabbatorum, 33. Et dixerunt ad eos: Resistitis et nunc adhuc? exite, et fa-
cite secundum verbum regis Antiochi, et vivetis. 34. Et dixerunt: Non exibimus, neque faciemus verbum regis,
ut polluamus diem sabbatorum. 35. Et concitaverunt adversus eos prælium. 36. Et non responderunt eis, nec la-
pidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta, 37. Dicentes; Moriamur omnes in simplicitate nostra: et
testes erunt super nos cœlum et terra, quod iniuste perditis nos. 38. Et intulerunt illis bellum sabbatis: et mor-
tui sunt ipsi, et uxores eorum, et filii eorum, et pecora eorum usque ad mille animas hominum. 39. Et cogno-
vit Mathathias, et amici eius, et luctum habuerunt super eos valde. 40. Et dixit vir proximo suo: Si omnes fe-
cerimus sicut fratres nostri fecerunt, et non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, et iustificatio-
nibus nostris, nunc citius disperdent nos a terra. 41. Et cogitaverunt in die illa, dicentes: Omnis homo quicum-
que venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum: et non moriemur omnes, sicut mortui sunt
fratres nostri in occultis. 42. Tunc congregata est ad eos synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israel, omnis vo-
luntarius in lege: 43. Et omnes, qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos, et facti sunt illis ad firmamentum.
44. Et collegerunt exercitum, et percusserunt peccatores in ira sua, et viros iniquos in indignatione sua: et cete-
ri fugerunt ad nationes, ut evaderent. 45. Et circuivit Mathathias, et amici eius, et destruxerunt aras: 46. Et
circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel: et in fortitudine. 47. Et persecuti sunt
filios superbiæ, et prosperatum est opus in manibus eorum: 48. Et obtinuerunt legem de manibus gentium, et de
manibus regum: et non dederunt cornu peccatori. 49. Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, et dixit fi-
liis suis: Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis: 50. Nunc ergo, o
filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, 51. Et mementote operum
patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum. 52. Abraham
nonne in tentatione inventus est fidelis, et reputatum est ei ad iustitiam? 53. Ioseph in tempore angustiæ suæ
custodivit mandatum, et factus est dominus Ægypti. 54. Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testa-
mentum sacerdotii æterni. 55. Iesus dum implevit verbum, factus est dux in Israel. 56. Caleb, dum testificatur in

ecclesia, accepit hereditatem. 57. David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. 58. Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. 59. Ananias et Azarias et Misael credentes, liberati sunt de flamma. 60. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. 61. Et ita cogitate per generationem et generationem: quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur. 62. Et a verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius, stercus et vermis est: 63. Hodie extollitur, et cras non invenietur: quia conversus est in terram suam, et cogitatio eius periit. 64. Vos ergo filii confortamini, et viriliter agite in lege: quia in ipsa gloriosi eritis. 65. Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, et ipse erit vobis pater. 66. Et Iudas Machabæus fortis viribus a iuventute sua, sit vobis princeps militiæ, et ipse aget bellum populi. 67. Et adducetis ad vos omnes factores legis: et vindicate vindictam populi vestri. 68. Retribuite retributionem gentibus, et intendite in præceptum legis. 69. Et benedixit eos, et appositus est ad patres suos. 70. Et defunctus est anno centesimo et quadragesimo sexto: et sepultus est a filiis suis in sepulcris patrum suorum in Modin, et planxerunt eum omnis Israel planctu magno.

Vers. 1. In diebus illis surrexit Mathathias.) Sive per crasin *Mathias*, uti eum vocat Iosephus et Theodor. quod nomen Hebr. significat *donum Dei*, ac proinde idem est, quod Græce Theodosius, Theodorus, vel inverse Dorotheus, ac Latine Adeodatus; magno enim dono hic vir a Deo datus fuit Israel ad resistendum Antiocho.

Qualis Mathathias? Resp. Quæres, quis et qualis fuit Mathathias? Resp. fuisse ex tribu Levi sacerdotem primæ classis, puta ex stirpe Ioarib, quæ inter familias sacerdotales prima ponitur 1. Paral. 24. v. 7. Porro Mathathias hic a Deo eum eligente, impellenteque et populo approbante, factus est Pontifex et dux, vindexque populi contra communem hostem Antiochum; nam post reditum e captivitate iussu Cyri, Darii et Artaxerxis iidem fuere Pontifices et duces populi, teste Iosepho lib. 11. cap. 4. Idem liquet 1. Esdræ cap. 7. vers. 25. et 26. et 2. Esdræ 9. 36. Esto enim Mathathias non esset oriundus ex stirpe proxima Pontificum, tamen illa deficiente, ad eum quasi primæ classis sacerdotem devolvebatur Pontificatus. Nam Onias tertius, cognomento Sanctus, iam erat interfectus anno 5. Antiochi, qui erat 145. Græcorum. Oniæ vero filius, scilicet Onias iunior, profugerat in Ægyptum, ac Heliopoli factus erat Pontifex novi templi, quod ab eo dictum est Onion. Iason autem frater Oniæ, factus apostata, cæteros apostatare et ad Gentilismum transire cogebat. Quare ad Mathathiam spectabat capessere Pontificatum et Ducatum populi, ut religionem æque ac rempublicam in extremum periculum ab Antiocho adductam tueretur et propugnaret. Præsertim cum non esset alius, qui id auderet, sed omnes metu Antiochi vel laterent et tacerent, vel diffugerent. Ipsum ergo Deus excitavit, animosque illi addidit ad id audendum, ut Dei fidem et cultum et patriæ salutem conservaret. Fecit hoc ipse anno Antiochi nono, qui fuit Græcorum 145. Quocirca Chald. Cant. 6. 6. Iosephus et Iosipp. Aben-Ezra et Hebræi Mathathiam vocant summum Sacerdotem, sive Pontificem, idque tum ex designatione Dei, tum ex electione populi, tum ex iure successionis et propinquitatis, uti dixi. Ita Abul. in c. 20. Exodi quæst. 25. Serar. Sigon. Sever. Sulpit. Torniel. Genebr. quos citat et sequitur Salianus. Hinc Mathathias Phinees Pontificem vocat patrem suum: ergo ex Pontifice prognatus, cæteris deficientibus, ius ei succedendi habebat. Paucis vero mensibus fuit Pontifex et dux, quia eodem anno mortuus, sibi successorem Pontificem et ducem designavit filium suum Iudam Machabæum. (Fuit Pontifex.)

Vers. 2. Et habebat filios quinque, Ioannem, qui cognominabatur Gaddis.) Gaddis, id est acervus, vel cumulus frugum, q. d. Abundius, vel Abundantius: quo nomine vocati sunt Martyres duo sub Diocletiano, quorum sacra lipsana sub Gregorio XIII. Pont. solemni pompa translata fuere ad domum professam Societatis Iesu Romæ.

Vers. 3. Et Simonem qui cognominabatur Thasi.) Id est *hircus*; תיש *thais* enim est hircus, vel *excisor*, a rad. תזז *tazaz*, id est excindere.

Vers. 4. Et Iudam qui vocabatur Machabæus.) Etymon Machabæi in Proœmio dedi. Hoc cognomen primo datum fuit Iudæ, et ab eo cæteri fratres et socii vocati sunt Machabæi, ut ex hoc loco liquet. Est prolepsis, sive anticipatio; Iudæ enim hoc cognomen inditum est, non a puero, sed postea, cum ipse vexillis suis inscripsit nomen *Machabi*, ut dixi in Proœmio. Sic Antiochi postea a factis et victoriis cognominati sunt Soteres, Epiphanes, Ceraunii, Callinici, Nicanores; et Ptolomæi vocati sunt Eupatores, Philadelphi, Philometores, Evergetes, etc.

Et Eleazarum qui cognominabatur Abaron.) Id est *fortis:* אביר *abbir* enim est potens, fortis. Vers. 5.

Et Ionatham qui cognominabatur Apphus.) Id est, *ira consilii*, vel *volans consilium;* forte quod natura ardens et cholericus esset, ideoque celeris ingenii, velocisque consilii, quod in bellis utilissimum est. Ita Pagninus in nom. Hebr.

Væ mihi.) Planctus hic Mathathiæ de vastatione templi et Ierosolymæ processit ex zelo religionis, quo ardebat. Similis fuit zelus et planctus Ieremiæ ob excisam Ierusalem in Threnis, et Ieremiæ 20. Vers. 7.

Templum eius sicut homo ignobilis.) Id est vilis, pauper, rusticus, imo stultus, fatuus et morio, quem omnes impune irrident, calcant, vellunt, verberant. Ita Sanchez. Sic enim satellites Ant. Epiphanis ridebant, calcabant, spoliabant, vellebant templum, Sacerdotes, Levitas, cæterosque Iudæos, quos cogebant quasi ebrios et stultos in honorem Bacchi hedera coronari, saltari et Bacchari, lib. 2. c. 6. Vers. 8.

Quæ gens non hæreditavit regnum eius.) Græcis enim Antiochi militibus permisti erant Chaldæi, Persæ, Medi, Assyrii, etc. ac Ammonitæ, Moabitæ, Philisthæi, Arabes, Idumæi, Olitani Iudæorum hostes, dum viderent eos ab Antiocho adeo divexari, accurrebant, ut eum adiuvarent, et Iudæos spoliarent, maleque mulctarent. Vers. 10.

Quo ergo nobis adhuc vivere?) Vita enim in tot ærumnis longa potius est mors, quam vita, ut ait S. Gregor. Et ut ait Tragœdus; *Mortis habet vices, cum lentis trahitur vita gemitibus.* Sic Anchises: Vers. 13.

Abnegat excisa vitam producere Troia, Æneid. 1.

Et alii post Troiam captam infelices exclamant, Æn. 1.

O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere! O Danaum fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse! tuaque animam hanc effundere dextra?

Propitius sit nobis Deus.) q. d. Deus nobis hanc faciat gratiam, ut tantum malum, tantumque nefas et scelus apostasiæ et idololatriæ a nobis avertat. Unde Sept. vertunt: *Ne permittat nobis Deus.* Alii *Prohibeat hoc Deus;* hac enim phrasi utuntur Hebræi, cum aliquid valde abominantur et exsecrantur. Vers. 21.

Et contremuerunt renes eius.) Per renes synecdochice intellige cætera viscera; renes enim sunt sedes concupiscentiæ, cor animositatis et audaciæ, iecur amoris, fel iræ et furoris, q. d. Viscera Mathathiæ commota sunt partim commiseratione et dolore legis violatæ, partim ardore et zelo eam propugnandi, partim ira et furore eius violatores prosequendi et occidendi, uti re ipsa occidit Iudæum idololatrantem, et Antiochi Legatum ad id cogentem. Unde sequitur: Vers. 24.

Et accensus est furor secundum iudicium (id est decretum) legis.) Quæ Deuter. 11. vers. 6. iubet occidi eum qui alios a patria religione, Deique cultu abducit,

uti faciebat hic Iudæus Iovi sacrificans, quem proinde Mathathias occidit. Huc enim eum agebat zelus honoris Dei:

Et furiis agitatus amor, et conscia virtus.

Moral de zeli dignitate.

Moral. disce hic quam efficax sit zelus, ut instar ignis omnia superet et consumat. Audi S. Ambr. in Psalm. 118. Octon. 18. ad illa: *Tabescere me fecit* (pro quo S. Ambr. legit *exquisivit*) *zelus meus. Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem. Et ideo Princeps sacerdotum dicit: Zelus domus tuæ devoravit me. Et Phinees sacerdos erat et nepos sacerdotis et filius sacerdotis. Bonus zelus et utilis in sacerdote, præcipue ne negligens, ne remissus sit. Melius est ut unius aut duorum damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plures periclitentur.* Et paulo post: *Zelus Dei vita est. Zelum habuit Elias, et ideo raptus ad cælum est. Zelans,* ait, *zelavi Dominum. Zelum habuit Mathathias bar Ioannis, qui adversus sacrilegia Antiochi excitavit Dei plebem. Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant. qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, sorores. Omnibus dicit: In hostes facti sunt mihi; sicut David ait.* Et nonnullis interiectis: *Zelus ergo charitas est. Denique valida est sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus, quem vitæ huius nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent.* Unde post pauca concludit: *Et quid miremur, si Angeli eum habent? Ipse Deus pater ait: Zelans zelabo Ierusalem zelo magno; quia Deus magnus, ideo et zelus eius magnus est, et pro uniuscuiusque potentiæ qualitate, ita et zelus, aut mediocris, aut magnus est. Zelo vindicatur Ierusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. Dominus quoque Iesus ait: Zelus domus tuæ comedit me; increpans Iudæos, quod domum orationis fecerint speluncam latronum, fecerint et domum negotiationis.*

Vers. 25. SED ET VIRUM, QUEM REX ANTIOCHUS MISERAT, QUI COGEBAT IMMOLARE, OCCIDIT.) Ioseph. lib. 12. cap. 8. virum hunc vocat Apellem. Idem tamen lib. 1. de bello cap. 1. eum vocat Bacchidem, additque filios Mathathiæ patrem in hac cæde adiuvisse; cæsos enim esse cum Apelle milites ipsius. Iure hoc fecit Mathathias instigante Deo, tamquam iudex et vindex Israelis, æque ac religionis, Deique cultus, adeoque hoc facto Pontificatum et ducatum suum iniit et consecravit, æque ac Elias, ducem fidei se fecit occidendo sacerdotes Baal 3. Reg. 18. et Moses cum Levitis occidendo adoratores vituli aurei, Exodi 32. quibus proinde ipse ait: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Ac Phinees occidens Principem Priapo sacrificantem, Num. 25. Vide ibi dicta. Sic de blasphemante censuit, aitque S. Chrysost. *Si quempiam Deum blasphemantem audieris, accede, increpa; et si verbera infligere oporteat, non recuses, ipsius faciem alapa percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sacrifica.* Nimirum *zelus purgat facinus*, imo illud sanctificat et sacrificat, facitque quasi holocaustum, quod offert iustitiæ et vindictæ divinæ in odorem suavitatis.

Mira fuit Mathathiæ in hac cæde animositas, fortitudo, audacia, qua ipse pene solus regi potenti, superbo et crudeli sese opposuit, ac cæteros ad opponendum sese impulit, fortunas suas, familiam, liberos, famam et vitam generose pro Deo, pro fide, pro patria discrimini obiiciens. Fuit ergo ipse Heros inclytus, ac quinque filios Heroes effecit, dum eos in aciem contra tyrannum eduxit: sed fides et spes in Deum eum animabat, et periculis omnibus superiorem efficiebat, ut quasi leo cum quinque suis leunculis hostes omnes contereret.

Vers. 26. ET EXCLAMAVIT, etc. OMNIS QUI ZELUM HABET LEGIS, STATUENS TESTAMENTUM.) Satagens, ut in suo vigore stet testamentum, id est, fœdus cum Deo initum, q. d. Qui salvam vult religionem et Remp. *exeat post me*, me ducem sequatur. Classicum hic canit Mathathias, eoque omnes convocat ad bellum sacrum, ut in eo, vel fortiter vincant, vel generose pro Deo, fide et patria occumbant. Sic Romæ C. Marius Syllæ Rempublicam invadenti se opponens exclamavit: *Qui salvam vult Rempublicam me sequatur* (quæ verba etiamnum Romæ portæ Angelicæ, qua ipse egressus est superliminari lapideo uncialibus litteris insculpta legimus.) Quo dicto in vicinum montem Marius exiens copias collegit. Idem exclamavit Scipio post cladem apud Cannas acceptam; et Nasica ex Capitolio contra Gracchum, teste Livio, Paterculo et Valer. Max. lib. 3. cap. 2 ac diu post Narses sub Iustino Imperatore Gallis se obiiciens, teste Agathia libr. 2. Denique Servius in lib. 8. Æneid. *Si esset*, ait, *tumultus, id est, ex periculi vicinitate timor multus, quia singulos milites interrogare non vacabat, qui erat ducturus exercitum ibi ad Capitolium, et inde proferens duo vexilla. unum roseum, quod pedites evocabat, et alterum cæruleum, quod erat equitum insigne, dicebat: Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.*

ET FUGIT IPSE ET FILII EIUS.) Ex Ierusalem, ubi quasi sacerdos degebat, ac Iudæum in altari idolis sacrificantem ceciderat; *in montes inter feras vitam agentes, et fœni cibo vescentes, ne participes essent coinquinationis*, ut dicitur lib. 2. cap. 5. 27. Victitabant ergo herbis, lacte pecorum, cibo a vicinis submisso et prædis hostium. Vers. 28.

TUNC DESCENDERUNT MULTI QUÆRENTES IUDICIUM ET IUSTITIAM.) Hoc est, quærentes a Mathathia id quod æquum et iustum erat, quid, scilicet, tali articulo urgentis persecutionis facere oporteret, nimirum pati exilium, famem, frigus, nuditatem, vulnera et acerba quæque, ipsamque mortem, potius quam tyranno cedere, et a Deo eiusque lege et cultu ad idola apostatare. Vers. 29.

MORIAMUR OMNES IN SIMPLICITATE NOSTRA.) In simplici observatione sabbati, ut eo die plenam observemus quietem a Deo præscriptam, adeo ut in eo non pugnemus, imo contra invadentes nos non defendamus, sed sinamus nos, quasi agnos simplices et innocentes occidi. Dixerunt hoc non ex superstitione, nec ex imprudentia, ut volunt Novantes, sed ex studio perfectæ religionis. Sabbati enim summa erat apud Iudæos religio. Quare licet iure potuissent eo die pugnare et se defendere, tamen ex zelo religionis maluerunt se offerre morti, quam cultum et quietem sabbati per speciem et umbram dumtaxat violare, quia hac ratione evadebant martyres: martyrium autem est actus nobilissimus, ideoque longe nobilior pugna et vita. Idem fecere Iudæi invasi a Ptolomæo Lagi, et postea a Mithridate, uti narrat Ioseph. lib. 12. c. 1. et lib. 18. ult. quos a pietate et religione laudat S. Ambr. lib. 1. offic. c. 40. Sic Legio Thebæorum, duce S. Mauritio, potuisset resistere Maximiano Imperatori; sed noluit, ac proiectis armis permisit se instar ovium occidi, quia legionarii fideles malebant esse Martyres quam milites. Sic Carthusiani ex voto abstinent carnibus, ut malint mori, quam vesci carnibus, etiam ubi medicus eas iudicat necessarias ad sanitatem et vitam conservandam. Nam religio et observantia regularis potior est sanitate et vita. Vers. 37.

ET COGNOVIT MATHATHIAS.) Hic quasi Pontifex interpretatus est legem sabbati tali casu, quo scilicet quis invaditur ab hoste non obligare, dixitque satius esse pugnare pro Deo et lege, ne omnis Dei populus interficeretur; itaque Ecclesia et Dei cultus periret. Unde hoc eius responsum cæteri secuti, statuerunt die sabbati invadentes se armis repellere, ut patet versu 41. Vers. 39.

TUNC CONGREGATA EST AD EOS SYNAGOGA ASSIDÆORUM (male nonnulli legunt *Iudæorum*) FORTIS VIRIBUS EX ISRAEL, OMNIS VOLUNTARIUS IN LEGE.) Vers. 42.

Assidæi qui? Resp. 1.

Quæres, quinam sint Assidæi? Resp. Primo Hugo Lyran. Dion. Glossa, ac S. Thom. in c. 14. Assidæos dictos ab assiduitate quasi assiduos in Dei cultu. Verum *Assidæi* est vox Hebræa; quare habet etymon Hebræum, non Latinum. Secundo, Serarius in cap. 7. Iosephus, Stephanus hic in Proœmio p. 5. Genebr. Torniell. Salianus et Delrio in Adagialibus cap. 10. 30. censent Assidæos esse Essenos, aut Essenorum affines et eiusdem cum Essenis instituti et professionis. Verum obstat primo, quod tunc 2.

needum erant Esseni. Hi enim paulo ante Christum exorti sunt, uti docet Baronius. Secundo, quod Esseni non erant fortes viribus, quia abstinentia et ieiuniis quotidianis vires enervabant. Tertio, quod Esseni soli Deo vacabant per orationem, lectionem et contemplationem. Unde: *Apud eos*, ait Philo, lib. de Essenis, *nemo tela, gladios, galeas, thoraces, scuta fabricat, nec machinas, nec aliud quicquam bello utile.* Assidæi autem his abundabant, utpote non choro, ut Esseni, sed bello addicti. Vide quæ de Essæis dixi Actor. 4. 2. Dico ergo Assidæos fuisse milites belli sacri, qui scilicet pro lege et Synagoga nomen dabant militiæ sacræ, quales postea fuere milites templi, ac nunc sunt Ordines militares equitum Melitensium, S. Ioannis, S. Stephani, Teutonicorum et similium, qui pro Ecclesia Dei contra Turcas, Saracenos et hæreticos generose depugnant. Cum enim Antiochus satageret evertere Dei legem, templum et Synagogam, Deus excitavit Assidæos, qui se militiæ sacræ devoverent, ac pro templi legisque tutela pugnarent, seque omnibus belli periculis ultro offerrent. Id ita esse patet primo, ex voce *synagoga*, id est cœtus, collectio, congregatio militum pro Synagoga tuenda. Secundo, ex voce *fortis viribus*. Tertio, ex voce *voluntarius in lege*, qui scilicet voluntarie ex zelo legem defenderet et propugnaret. Quare Assidæi iunxerunt se Iudæ Machabæo, quasi duce belli sacri, ac eius præcipui fuere milites, per quos tot, tantasque obtinuit victorias. Id patet ex libr. 2. 14. 6. *Ipsi*, inquit, *qui dicuntur Assidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt et seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum.* Sunt hæc verba hostium, qui Assidæos quasi seditiosos accusabant apud Demetrium regem. Et ex cap. 7. 12. ubi Assidæi, quasi primi cum congregatione scribarum tractant de pace communi cum Bacchide et Alcimo ineunda. Unde liquet eos fuisse viros pios in Israel honoratos et primarios.

3. et vere. (margin, beside "nis vires enervabant. Tertio")

Etymon Assidæorum. 1. Quæres secundo, unde vocentur Assidæi? Respond. Hebr. vocantur חסידים *chasidim*, quod aliqui derivant a חסידה *chasida*, id est ciconia, vel milvus, eo quod quasi
2. milvi in hostes insilirent et prædas agerent. Alii chasidim interpretantur venatores a צוד *tsud*, id est venari, eo quod venarentur hostes Israelis, sicut venator venatur
3. et vere. cervos et lepores. Melius Pagnin. Sanchez, Serarius et alii *chasidim* interpretantur pios, misericordes, religiosos, sanctos a חסד *chesed*, id est pietas, misericordia, eo quod pium bellum gererent pro Israelitis. Audi nunc S. Chrysost. in Psalm. 43. *Quando grave bellum ingruebat, nec quidquam Machabæi possent facere quod prodesset, se abscondebant; nam hoc quoque fecerunt Apostoli. Non enim semper apparentes in media irruebant pericula; sed nonnumquam et fugientes et latentes secedebant. Postquam autem parum respirarunt, tamquam generosi quidam catuli ex antris exilientes, et e latebris emergentes, statuerunt non se amplius solos servare, sed etiam alios quotcumque possent, et civitates, et omnem regionem obeuntes collegerunt quotquot invenerunt adhuc sanos, et integros et multos etiam qui laborabant et corrupti erant, in statum pristinum redegerunt, eis persuadentes redire ad leges patrias.*

Vers. 44. ET PERCUSSERUNT PECCATORES.) Id est apostatas qui a Iudaismo ad Antiochum et gentilismum transfugerant. Hoc enim summum erat peccatum, summaque iniquitas, quo tota religio, fides et virtus prodebatur et perdebatur.

Vers. 46. ET IN FORTITUDINE.) Repete: *Circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel*, q. d. Per vim circumciderunt pueros, etiam invitis parentibus, eo quod parentes essent Israelitæ, itaque obligarentur circumcidere filios, ideoque a Mathathia quasi Duce et Pontifice ad idipsum cogi possent; sicut nunc Ecclesia cogit fideles, ut filios suos offerant ad Baptismum. Quod si qui inter eos erant filii infidelium, eos quoque quasi iam suos et iure belli captos, ac a parentibus separatos circumcidebant. Et quamvis Lyran. dicat solum id fecisse in filiis Iudæorum, tamen Scriptura absolute loquitur; et quamvis Domin. Soto in 4. tr. de Baptismo dicat: Si Mathathias id fecit in filiis gentium, fecit quidem secundum zelum, non tamen secundum scientiam; hoc tamen de insigni et sanctissimo viro non recte dictum videtur; melius ergo asseritur eos, cum iam essent iure belli in servitutem redacti, et a parentibus separati, iure circumcidi potuisse, sicut nos etiam nunc iure baptizamus filios Saracenorum in bello captos, ait Suar. 3. p. tom. 4. q. 67. art. 10. disp. 25. sect. 4.

OBTINUERUNT LEGEM DE MANU GENTIUM.) q. d. Dei legem et cultum ab Antiocho et gentibus ablatum per arma, Israeli restituerunt feceruntque ut Dei lex et cultus pristinam suam dignitatem et venerationem obtineret. Vers. 48.

ET NON DEDERUNT CORNU PECCATORI.) q. d. Non permiserunt cornua, id est superbiam, robur, et vires Antiocho crescere; sed hæc illi, si non amputarunt, certe resecuerunt et valde imminuerunt, ut more solito grassari et sævire non posset, nec auderet. Disce hic cornua superbis, æque ac tauris cornupetis esse resecanda: qui enim illa superbo et feroci non demit, addit et auget; quare qui potest, debet ea demere, ne iis ferocientes multos feriant et prosternant.

CASTIGATIO, etc. ET IRA INDIGNATIONIS.) Scilicet Dei, Vers. 49.
qua Deus iratus et indignans peccatis nostris nos tam atrociter per Antiochum castigat, laxans ei habenas sæviendi et ferociendi contra nos. Sic Attila rex Hunnorum, vastans Galliam et Italiam, rogatus a S. Lupo Trecensi Episcopo, quis esset et quid vellet, respondit se esse flagellum Dei ad castigandum scelera fidelium; sic flagellum Dei fuit Tamerlanes, et nunc sunt Ottomanni. Sic Nabuchodonosor ostensus fuit Ieremiæ cap. 1. per speciem virgæ vigilantis.

ET DATE ANIMAS (id est vitas) VESTRAS PRO TESTA- Vers. 50.
MENTO.) Id est fœdere, puta pro lege Dei; lex enim fuit conditio fœderis ab Abraham, Mose et populo cum Deo initi.

ET ACCIPIETIS GLORIAM MAGNAM.) Non tantum in Vers. 51.
hoc mundo apud homines, hæc enim vana est, brevis et exilis, sed et in cælo coram Deo, Angelis et sanctis immensam, cælestem et æternam.

ABRAHAM NONNE IN TENTATIONE, qua Deus tentavit Vers. 52.
eius fidem et obedientiam, iubendo ut sibi immolaret unigenitum suum Isaac, per quem ei promiserat copiosam posteritatem, imo Christum, INVENTUS EST FIDELIS, fideliter Deo offerens filium, certa fide sperans et credens quod Deus eum post immolationem a morte suscitaret: ET REPUTATUM EST EI AD IUSTITIAM.) q. d. Hic Abrahæ actus obedientiæ et oblationis Isaac, computatus et æstimatus est a Deo esse actus magnæ iustitiæ, id est magnæ virtutis et sanctitatis; ac proinde Abraham, qui iam erat iustus, per eum meruit magnum gratiæ et iustitiæ augmentum, factusque est coram Deo multo iustior et sanctior. Vide dicta. Roman. cap. 4. vers. 3. et Genes. cap. 15. vers. 6.

IOSEPH IN TEMPORE ANGUSTIÆ SUÆ (quam passus est Vers. 53.
in carcere) CUSTODIVIT MANDATUM; quintum Decalogi: *Non mœchaberis*, quia sollicitanti heræ suæ noluit commisceri; ET (idcirco) FACTUS EST DOMINUS ÆGYPTI.) Præclare S. Cypr. tract. de mortalitate: *Adversa non sint tibi scandala*, inquit, *sed prælia: nec debilitent, aut frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in collectatione virtutem, cum contemnenda sit omnis iniuria malorum præsentium, fiducia futurorum bonorum. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria, cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentibus et corona. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur.* Et inferius: *Nos adversa non avocant a virtutis et fidei veritate, sed corroborant in dolore. Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum!* etc.

PHINEES PATER NOSTER (Hinc patet Mathathiam et Vers. 54.
Machabæos prognatos esse ex tribu Levi et Phinees Pontificis, ideoque deficientibus cæteris ad eos Pontificatum iure successionis spectasse) ZELANDO ZELUM DEI, occidendo Principem sacrificantem Beelphegor, ACCEPIT TESTAMENTUM, id est Dei promissionem et pactum SACER-

DOTII ÆTERNI.) Quod scilicet Pontificatus in eius posteris duraret usque ad finem Synagogæ et Iudaismi, puta usque ad Christum. Vide dicta Num. 25. A

Vers. 55. IESUS (Iosue successor Mosis) DUM IMPLEVIT VERBUM, id est mandatum, quo Deus per Mosen iussit ei lustrare Chananæam, Num. 14. debellare Amalec, Exod. 17. post Mosen capessere curam populi, Iosue 1. FACTUS EST DUX IN ISRAEL.) Mosi in ducatu populi succedens.

Vers. 56. CALEB, DUM TESTIFICATUR IN ECCLESIA.) Contra socios exploratores, dicentes Chananæam ob incolas gigantes et urbes munitas esse inexpugnabilem, illam Dei ope posse expugnari, et reipsa ab Hebræis expugnandam, uti Deus promiserat, ACCEPIT HÆREDITATEM, peculiarem in Hebron, Num. 14. et Iosue 14. v. 12. Vide elogia Iosue et Caleb. Eccl. 50.

Vers. 57. DAVID IN SUA MISERICORDIA, id est per meritum suæ misericordiæ, qua tum in alios, tum in Saulem se persequentem fuit pius et misericors, nolens eum lædere, cum eum haberet in manu sua, CONSECUTUS EST SEDEM REGNI IN SÆCULA.) Ut solium regale obtineret, et ad posteros B transmitteret, tamdiu eis duraturum, quamdiu duraret regnum Israelis et Iuda, scilicet usque ad captivitatem Babylonicam. Æternum enim hic non absolutam perpetuitatem, sed respectivam et limitatam significat, scilicet durationem perpetuam per totum statum, regnumque Iudæ; ut quamdiu hoc duraret, tamdiu in eo duraret regnum Davidis.

Vers. 58. ELIAS DUM ZELAT ZELUM LEGIS, occidendo omnes prophetas et sacerdotes Baal, seque opponendo Achab, Iezabeli et Baalitis 3. Reg. 18. RECEPTUS EST IN CŒLUM.) Eo raptus curru igneo 4. Reg. 2.

Vers. 59. ANANIAS, AZARIAS ET MISAEL CREDENTES in Deum verum, et pro hac fide se flammis offerentes, credentes Deum posse ipsos ab iis eripere, LIBERATI SUNT DE FLAMMA.) Daniel. 3.

Vers. 60. DANIEL IN SUA SIMPLICITATE, id est, integritate, candore, constantia adorandi solum Deum verum persistens, eius merito LIBERATUS EST DE ORE LEONUM.) Daniel. 6. C

Vers. 62. ET A VERBIS VIRI PECCATORIS (a minis impii Antiochi) NE TIMUERITIS, QUIA GLORIA EIUS STERCUS ET VERMIS EST.) Ut corrumpatur, computrescat et fœteat, dum paulo post per Dei vindictam omnis eius gloria in ignominiam, omnis fama in infamiam vertitur, uti factum esse Antiocho liquet lib. 2. c. 9.

Vers. 64. VOS ERGO FILII, CONFORTAMINI ET VIRILITER AGITE IN LEGE (tuenda et propugnanda) QUIA IN IPSA GLORIOSI ERITIS.) Tum pugnando et vincendo; tum pro ea gloriose occumbendo, uti pro ea omnes occubuerunt, nimirum Iudas, Ionathas et Simon. Quid enim gloriosius quam pugnare et mori pro lege, pro patria, pro Deo? Animat Mathathias filios ad acria certamina, quæ eis cum Antiocho imminebant, ideoque priscorum heroum exempla iis obiicit, ut illa imitentur, et similem illis gloriam consequantur: nil enim ita in rebus arduis animat, ac maiorum exempla. Unde Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 3.

Virtus in adversis resplendet.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset:
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus;
Si valeant homines, ars tua Phœbe, iacet.
Quæ latet, inque bonis cessat, non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.
Utere temporibus, quorum nunc munere freta es,
Et patet in laudes area lata tuas.

ET ECCE SIMON FRATER VESTER, SCIO, QUOD VIR Vers. 65.
CONSILII SIT, IPSUM AUDITE SEMPER, ET IPSE ERIT VOBIS PATER.) Ut suis consiliis vos dirigat, sicut pater dirigit filios. Rursum ut domum et familiam meam gubernet quasi pater. Hinc Iosippus filius Gorion, et Annius Viterbiensis putant, Simonem fuisse primogenitum Mathathiæ. Sed Iosephus, Seder-olam minor, et Hebræi tradunt Iudam fuisse primogenitum; unde et ille patri in Ducatu et Pontificatu successit; secundogenitum fuisse Ioannem; tertiogenitum fuisse Ionatham; quartum denique fuisse Simonem.

ET IUDAS MACHABÆUS FORTIS VIRIBUS A IUVENTUTE Vers. 66.
SUA SIT VOBIS PRINCEPS MILITIÆ.) Hinc patet Iudam non tantum in senio patris, cum ipse vexillum paulo ante mortem contra Antiochum sustulit, sed et in iuventute sua præclara in bellis edidisse facinora, Dei ope nixum, ideoque vexillis suis inscripsisse: *Machabi*, hoc est, *mi camocha baelim Iehova*, id est: *Quis similis tui in fortibus* (Diis) *Domine*? indeque Machabæum fuisse cognominatum. Sic enim eum vocat hic pater moriturus, ideoque eum belli ducem statuit. Vide dicta in Prooemio.

ET DEFUNCTUS EST ANNO 146.) Nimirum eodem an- Vers. 70.
no, quo se Antiocho opposuit, et Ducatum cum Pontificatu iniit. Opinantur nonnulli eum ex vulnere in bello accepto obiisse, cum enim paulo ante occiderit Iudæum, et præfectum Antiochi, omnesque Iudæos circumeundo excitarit, collegeritque in castra contra Antiochum, pluraque similia gesserit, quæ magnam corporis, æque ac animi fortitudinem requirunt, non videtur tam cito ex senio viribus deficere et mori potuisse, sed ex præliis continuis accepisse vulnus, indeque mortuus, vel certe ex laboribus assiduis, et fatigatione nimia exhaustus obiisse.

Mathathiam fuisse sacerdotem omnes consentiunt, sed Pontificem fuisse negant Iosephus, Eusebius et Sigonius; verum Pontificem eum fuisse asserunt Hebræi et Chald. Cant. 6. 6. multisque id probat Serarius. Sane in Pontificatu, æque ac Ducatu patri successit Iudas, deinde Ionathas, denique Simon, indeque Simonis filii usque ad Herodem et Christum. Porro Mathathias inclytus heros defunctus est anno 146. Græcorum, qui fuit 158. a morte Alexandri Magni, et 164. ante nativitatem Christi.

ET SEPULTUS EST IN SEPULCRIS PATRUM SUORUM IN MODIN.) Sepulcrum hoc postea magnifice exornavit Simon eius filius, ut patet c. 13. 27. ac fatetur S. Hieron. illud sua ætate adhuc extitisse.

PLANCTU MAGNO.) *Planctus magnus, non in exanimatione plangentium, sed in pompa funeris et exequiarum frequentia intelligendus est*, ait S. Hieron. Epist. 25. ad Paulam.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudas patri succedens contra Antiochum pugnat ut leo, ac duos eius duces profligat, scilicet Apollonium v. 10. et Seron v. 13. Quare Antiochus tertium Ducem mittit Lysiam, contra quem prælium instruxit Iudas, Dei opem ieiuniis et ardenti prece implorans.

1. ET surrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus, filius eius pro eo: 2. Et adiuvabant eum omnes fratres eius,
et universi qui se coniunxerant patri eius, et præliabantur prælium Israel cum lætitia. 3. Et dilatavit
gloriam populo suo, et induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma bellica sua in præliis, et pro-

tegebat castra gladio suo. 4. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. 5. Et persecutus est iniquos perscrutans eos: et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis: 6. Et repulsi sunt inimici eius præ timore eius, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt: et directa est salus in manu eius. 7. Et exacerbabat reges multos, et lætificabat Iacob in operibus suis, et in sæculum memoria eius in benedictione. 8. Et perambulavit civitates Iuda, et perdidit impios ex eis, et avertit iram ab Israel. 9. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes. 10. Et congregavit Apollonius gentes, et a Samaria virtutem multam et magnam, ad bellandum contra Israel. 11. Et cognovit Iudas, et exiit obviam illi: et percussit, et occidit illum: et ceciderunt vulnerati multi, et reliqui fugerunt. 12. Et accepit spolia eorum: et gladium Apollonii abstulit Iudas, et erat pugnans in eo omnibus diebus. 13. Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ, quod congregavit Iudas congregationem fidelium et ecclesiam secum, 14. Et ait: Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Iudam, et eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis. 15. Et præparavit se: et ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes auxiliarii, ut facerent vindictam in filios Israel. 16. Et appropinquaverunt usque ad Bethoron: et exivit Iudas obviam illi cum paucis. 17. Ut autem viderunt exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Iudæ: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, et tam fortem, et nos fatigati sumus ieiunio hodie? 18. Et ait Iudas: Facile est concludi multos in manus paucorum: et non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis, et in paucis: 19. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. 20. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci, et superbia, ut disperdant nos, et uxores nostras, et filios nostros, et ut spolient nos: 21. Nos vero pugnabimus pro animabus nostris, et legibus nostris: 22. Et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autem ne timueritis eos. 23. Ut cessavit autem loqui, insiluit in eos subito: et contritus est Seron, et exercitus eius in conspectu ipsius: 24. Et persecutus est eum in descensu Bethoron usque in campum, et ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philisthiim. 25. Et cecidit timor Iudæ, ac fratrum eius, et formido super omnes gentes in circuitu eorum: 26. Et pervenit ad regem nomen eius, et de præliis Iudæ narrabant omnes gentes. 27. Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo: et misit, et congregavit exercitum universi regni sui, castra fortia valde: 28. Et aperuit ærarium suum, et dedit stipendia exercitui in annum: et mandavit illis ut essent parati ad omnia. 29. Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis, et tributa regionis modica propter dissentionem, et plagam, quam fecit in terra, ut tolleret legitima, quæ erant a primis diebus: 30. Et timuit ne non haberet ut semel et bis, in sumptus et donaria, quæ dederat ante larga manu: et abundaverat super reges qui ante eum fuerant. 31. Et consternatus erat animo valde, et cogitavit ire in Persidem, et accipere tributa regionum, et congregare argentum multum. 32. Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali, super negotia regia, a flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti: 33. Et ut nutriret Antiochum filium suum, donec rediret: 34. Et tradidit ei medium exercitum, et elephantos: et mandavit ei de omnibus quæ volebat, et de inhabitantibus Iudæam et Ierusalem: 35. Et ut mitteret ad eos exercitum, ad conterendam et extirpandam virtutem Israel, et reliquias Ierusalem, et auferendam memoriam eorum de loco: 36. Et ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, et sorte distribueret terram eorum. 37. Et rex assumpsit partem exercitus residui, et exivit ab Antiochia civitate regni sui anno centesimo et quadragesimo septimo: et transfretavit Euphratem flumen, et perambulabat superiores regiones. 38. Et elegit Lysias Ptolemæum filium Dorymini, et Nicanorem, et Gorgiam, viros potentes ex amicis regis: 39. Et misit cum eis quadraginta millia virorum, et septem millia equitum, ut venirent in terram Iuda, et disperderent eam secundum verbum regis. 40. Et processerunt cum universa virtute sua, et venerunt, et applicuerunt Emmaum in terra campestri. 41. Et audierunt mercatores regionum nomen eorum: et acceperunt argentum et aurum multum valde, et pueros: et venerunt in castra, ut acciperent filios Israel in servos: et additi sunt ad eos exercitus Syriæ, et terræ alienigenarum. 42. Et vidit Iudas, et fratres eius, quia multiplicata sunt mala, et exercitus applicabant ad fines eorum: et cognoverunt verba regis, quæ mandavit populo facere in interitum et consummationem: 43. Et dixerunt unusquisque ad proximum suum: Erigamus deiectionem populi nostri, et pugnemus pro populo nostro, et sanctis nostris. 44. Et congregatus est conventus ut essent parati in prælium: et ut orarent, et peterent misericordiam et miserationes. 45. Et Ierusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrederetur et egrederetur de natis eius: et sanctum conculcabatur: et filii alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio gentium: et ablata est voluptas a Iacob, et defecit ibi tibia et cithara. 46. Et congregati sunt, et venerunt in Maspha contra Ierusalem: quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel. 47. Et ieiunaverunt illa die, et induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt capiti suo, et disciderunt vestimenta sua: 48. Et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum: 49. Et attulerunt ornamenta sacerdotalia, et primitias, et decimas: et suscitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies: 50. Et clamaverunt voce magna in cælum, dicentes: Quid faciemus istis, et quo eos ducemus? 51. Et sancta tua conculcata sunt, et contaminata sunt, et sacerdotes tui facti sunt in luctum, et in humilitatem: 52. Et ecce nationes convenerunt adversum nos, ut nos disperdant: tu scis quæ cogitant in nos. 53. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu, Deus, adiuves nos? 54. Et tubis exclamaverunt voce magna. 55. Et post hæc constituit Iudas duces populi, tribunos, et centuriones, et pentacontarchos, et decuriones. 56. Et dixit his, qui ædificabant domos, et sponsabant uxores, et plantabant vineas, et formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem. 57. Et moverunt castra, et collocaverunt ad austrum Emmaum. 58. Et ait Iudas: Accingimini, et estote filii potentes, et estote parati in mane, ut pugnetis adversus nationes has quæ convenerunt adversus nos, disperdere nos et sancta nostra: 59. Quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, et sanctorum. 60. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.

Vers. 1. ET SURREXIT IUDAS.) Iosippus ben Gorion asserit Iudam a patre Mathathia oleo unctum in ducem. Sic enim ait: *Protulit Mathathias cornu cum oleo,* A *et effundens super caput eius unxit eum ad prælia, vociferatusque est universus populus et dixerunt: Vivat unctus.* Addit Iosephus eum unctum Ierosolymis in templo;

sed hoc videtur falsum; nam Ierusalem cum templo obtinebant milites Antiochi, ut patet cap. 1.

Machabæus.) Gorionides asserit hoc nomen hic Iudæ primo inditum fuisse a Mathathia patre, ac significare *exstinctorem*, q. d. Tu o Iuda, esto Machabæus, id est, exstinctor Antiochi, cæterorumque hostium Israelis. Melius alii censent id iam ante Iudæ fuisse inditum ex *Machabi*, quod Iudas vexillis suis inscribebat; quare illud sic a Mathathia ei non indi, sed iam inditum confirmari, idque verba ipsa satis insinuant. Vide dicta in Prœmio.

Vers. 3. Et induit se lorica sicut gigas.) Tum quia Iudas procero vastoque erat corpore, ac proinde illo ævo, quo non bombardis, sed brachiis et gladiis certabatur, fortissimus; unde explicans subdit: et protegebat castra gladio suo.) Tum quia eximio et giganteo erat robore, tam corporis, quam animi; hoc enim Deus illi, utpote in se solo speranti assidue et continuo indebat ad Israelis tutelam. Sic Saul, David, Iulius Cæsar, Constantinus, Heraclius, Carolus Magnus, Godefridus Bullonius, procero validoque fuere corpore, æque ac animo, ideoque eximii bellatores, suis manibus et gladiis multos hostium obtruncantes. Gigas enim symbolum est rari roboris et fortitudinis; gigantes enim olim fuere vastissimi et robustissimi, ideoque omnibus terribiles, ut nemo eis se opponere auderet. Talis fuit Iudas.

Sacerdotes in lege veteri erant milites. In lege veteri ergo sacerdotes et Pontifices sæpe erant milites et belli duces, ac Iudas et fratres eius sacerdotes, ad hoc proprie a Deo et populo electi sunt, ut Israelem iam pene prostratum, et ab omnibus desertum erigerent et fulcirent. Primario ergo electi fuere in belli duces; additus vero fuit eis Pontificatus, ut ardentius pro religione, templo, et Deo contra Antiochum dimicarent, et ob alias causas superius recensitas. Nec id mirum; nam rude et carnale erat tunc sacerdotium; sacerdotes enim erant quasi laniones in mactandis et laniandis ovibus, et bobus Deo immolandis: quare in iis discebant mactare hostes Israelis. Nulli enim milites sæviores sunt lanionibus, qui assidue in cæde et sanguine versantur. Secus est in novo Testamento, ubi sacerdotium longe sublimius et sanctius est, ac sacerdotes circa corpus Christi in Eucharistia consecrandum et offerendum versantur: quare decet eos instar Christi esse mansuetos, pios, Deoque intentos, ac proinde procul abesse a pugnando et occidendo.

Vers. 4. Iudas fuit leo. Similis factus est leoni.) Iuxta illud de Iuda filio a Iacobo Patriarcha prædictum, Genes. 49. 9. *Catulus leonis Iuda: ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum?* quia in locum huius Iudæ, cui Iacob attribuit principatum, successit noster hic Iudas Machabæus, populi dux et princeps, licet non ex Iuda, sed ex Levi oriundus, ac eo viribus, robore et victoriis fuit non inferior, sed superior. Tradunt Hebræi Iudam pro insigni in vexillis suis gestasse leonem.

Et sicut catulus leonis rugiens in venatione.) Græcis εις θηραν, id est, *in venationem*, vel *in prædam*. Catuli enim leonum cum latrante stomacho esuriant, rugiunt, et rugiendo irruunt in oves et vaccas, ut famem satient.

Vers. 6. Et directa est salus in manu eius.) q. d. Recte et directe salus Israeli obtigit per manum, robur et prælia Iudæ: Iudas enim sua industria et fortitudine recte dirigebat Israelem ad salutem, faciebatque ut ad eam recto tramite, cursuque tenderet. Potest secundo per hypallagen sic exponi, q. d. Directa est manus Iudæ ad salutem Israeli afferendam. Deus enim Iudæ manum direxit ad continuas victorias, quibus salus Israeli directe obvenit. Pro *directa* Grece est ευωδωθη id est facili via incessit, prosperata est; unde ευοδια, est prosperum iter, item prosperitas. Rursum salus hic accipi potest pro victoria; in hac enim consistebat salus et incolumitas populi. Sic salus capitur pro victoria per metonymiam, Iudic. c. 15. v. 18. 1. Reg. 11. 9. et cap. 14. vers. 45. et cap. 17. 47. et 1. Mach. 4. 25.

Vers. 7. Exacerbabat (irritabat, lacessebat, ad iram et indignationem provocabat) reges multos.) Nimirum Ant. Epiphanem, et eius filium Ant. Eupatorem, et Demetrium, eorumque vicinos et amicos; cum his enim multa prælia commisit semper vincens et triumphans.

Virtutem multam.) Græce δυναμιν, id est vim ma- Vers. 10.
gnam militum.

Et cognovit Iudas, et exiit (cum paucis) obviam Vers. 11.
illi, et percussit et occidit illum.) Apollonium ducem hostium. Audi rem graphice narrantem Iosephum Gorionidem: *Cum videret Iudas Apollonium stantem in medio exercitus sui, summo furore decurrit ad eum, ad medium usque castrorum, omnia penetrans ad dextram, ad sinistram fortissimos hostium prosternens haud secus ac messor manipulos ac spicas messis suæ deiicit, pergensque ad Apollonium percutit eum sternitque suo gladio.*

Et gladium Apollonii abstulit Iudas, et erat Vers. 12.
pugnans in eo omnibus diebus.) Tum quia gladius hic, utpote tanti ducis erat insignis, magnus, fortis et acutus; tum in signum victoriæ et trophæi, tum ut eius intuitu se suosque excitaret Iudas ad fortiter digladiandum et vincendum in cæteris præliis, sicut vicerant et occiderant Apollonium cum suis, cum ei hunc gladium extorserunt.

Et audivit Seron.) Hic est secundus Antiochi dux, Vers. 13.
quem cum magnis copiis se invadentem fortiter percussit et occidit Iudas cum paucis, iisque ieiunio exhaustis, ut dicitur v. 17. eo quod tota nocte profecti, ait Gorionides, ieiuni advenissent.

Facile est (Deo duce quo nitimur) concludi mul- Vers. 18.
tos in manu paucorum, et non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis et in paucis.) Quia Deus tam facile potest suam potentiam opem et victoriam applicare paucis, quam multis; unus enim miles Dei robore instructus tam facile prosternet viginti, vel centum, quam facile idem facient ducenti Dei robore tanto destituti. Idcirco Deus, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, sæpe paucos seligit, ac per eos multos prosternit, ut ostendat paucos id facere virtute non sua, sed Dei, utque pauci cum multis pugnaturi Deum invocent, et ab eo sperent victoriam. Hinc Gedeoni iussit Deus cum trecentis inermibus procedere contra centum viginti millia Madianitarum, quæ omnia Gedeon per trecentos cecidit Iudic. 7. Quin et præstantes belli duces paucos milites, sed veteranos, validos, atque vel vincere, vel mori paratos, seligunt ad res magnas; inter multos enim multi sunt timidi, fugaces, inordinati, qui aciem confundunt et turbant, ut a paucis validis bene ordinatis facile vincantur. Alexander Magnus 40. millibus veteranorum prostravit Darium multis centenis millibus instructum, imo totum quasi orbem subegit. Leonidas cum trecentis innumeras Xerxis copias ad Thermopylas cecidit. Abraham cum trecentis servis quatuor reges debellavit, Genes. 14.

De cælo fortitudo est.) Angeli pro populo Dei di- Vers. 19.
micare consueverunt. Hinc 2. Machab. 10. v. 29 et 38. legimus e cælo viros quinque in equis, frænis aureis decoros, ducatum Iudæis præstitisse. Et 2. Machab. 11. v. 8. Angelus equitis forma, veste candida vestitus, hastam vibrans, Iudæorum præcessit exercitum. Olim quoque existimabant veteres numina adversus hostes arma tulisse, et cum ipsis dimicasse, ut docuit Cicero, lib. 1. de Divinatione. Apollinis enim templum cum a Brenno vastatum fuisset, Pythiam ex oraculo hæc fatam fuisse commemorat:
Εμοι μελησει ταυτα και λευκαις κοραις *Ego providebo rem* Angeli
istam, et virgines albæ. Spectra vero alba mox Gallorum pro piis
exercitui oblata funditus illum deleverunt et obruerunt. pugnant. Exempla.
At istud fictum est. Vere tamen Constantinum Dei auxilio et miraculis evidenter ostensis vicisse in bellis testatur Eusebius in vita Constantini, et l. 9. Histor. c. 9. cum Theodosio Imperatore S. Ioannem et S. Philippum Apostolos palam pugnasse contra hostes ipsius testatur Theodoretus, lib. 5. Histor. c. 24. Pro Theodosio iuniore Imperatore pugnasse angelos contra Saracenos scribit Socrates, lib. 7. cap. 18. Ad preces S. Martini Angelos armatos accessisse refert Presbyter Fortunatus, l. 1. c. 16.

Militiæ Angelicæ coram duo protinus adsunt
Syderei proceres, hastas et scuta tenentes:
Cominus hi sanctum compellunt vocibus ultro:
Præsidiis, Martine, tuis dilabimur astris.

Vers. 27. UT AUDIVIT AUTEM REX ANTIOCHUS SERMONES ISTOS (nuntiantes a Iuda cæsos esse duos suos duces Apollonium et Seron) IRATUS EST ANIMO.) Ira hæc fecit eum præcipitem, ut totum exercitum suum colligeret, in eumque omnes suas vires et opes exhauriret, itaque ipse seipsum consumeret.

Vers. 28. ET APERUIT ÆRARIUM SUUM, ET DEDIT STIPENDIA EXERCITUI IN ANNUM.) Imprudenter id fecit; tum quia exercitus hic erat totus totius regni, quare in annum eius stipendium exhausit totum ærarium; tum quia miles abundans pecunia, illam comessando, potando, splendide se vestiendo, alea, similibusque lusibus prodigit: quare illico ad inopiam redactus, ut victum comparet, prædari cogitur, vel fame mori. Unde sequitur:

Vers. 29. ET VIDIT QUOD DEFECIT PECUNIA.) Præsertim quia præter stipendia amplas militibus fecit largitiones, ET DONARIA, v. 30. Unde errorem suæ prodigalitatis sero agnoscens fugit IN PERSIDEM, v. 31. ut nova tributa colligeret et templa expilaret, 2. Machab. 9. 2. Porro Ulpian. lege 7. Digest. de Verb. signific. *Stipendium, inquit, a stipe appellatum est, quod per stipes, id est, per modica æra colligatur.* Idem pene Varro libr. 21. de Vita populi Romani: *Stipendium dicitur, ait, quod æs militi semestre, aut annuum dabatur; dictum vero a stipe, quod æs non in arca, sed in aliqua cella stipabant*, id est comprimebant. Pediti autem pro stipendio quotidie dabantur olim duo oboli, ordinum ductori quatuor oboli, equiti drachma, ait Polybius lib. 6.

Stipendii etymon.

B

ET TRIBUTA REGIONIS MODICA PROPTER DISSENSIONEM.) Quia scilicet multæ gentes incipiebant murmurare et rebellare Antiocho, tum ob nova et immodica tributa ab eo imposita, tum quia videbant eum bis a paucis Iudæis cæsum et pene contritum.

C

ET PLAGAM QUAM FECIT IN TERRA (in provinciis sibi subiectis) UT TOLLERET LEGITIMA). Id est leges et ritus ac religionem gentium eis a maioribus tradita, quæ erant A PRIMIS DIEBUS, quibus illarum gentium Respublicæ fundatæ fuerant. Nihil enim populos ita a rege avertit, et ad seditionem concitat, sicut legum patriarum et religionis avitæ eversio, ac novæ institutio, uti faciebat Antiochus, qui deos Gentium abolebat, ac non nisi se et Iovem Olympium coli volebat. Accedebat quod Asia Antiocho Epiphani subiecta a tempore patris eius Antiochi Magni a Scipione devicti, Romanis quotannis pendere debebat pro vectigali bis mille talenta. Quare Asiani videntes se per Antiochos exhauriri, et a Romanis affligi, Ant. Epiphani tributum negare, imo rebellare cogitabant.

Vers. 32. ET RELIQUIT LYSIAM.) Cum altera medietate exercitus, et elephantis, ut Iudam et Iudæos invaderet, contereret, extirparet.

Vers. 33. ET UT NUTRIRET ANTIOCHUM (cognomento Eupatorem) FILIUM SUUM.) Puerum, ea ratione et magnificentia, qua filium regis decebat, utque, si quid humanitus sibi in Perside contigisset, filium sibi in regno substitueret.

D

Vers. 38. ET ELEGIT LYSIAS (vicarius Antiochi Epiphanis) PTOLOMÆUM FILIUM DORYMINI (græce *Dorymenis* Cælesyriæ et Phœniciæ præfectum, ut patet 2. Machab. c. 8. 8.) ET NICANOREM PATROCLI FILIUM.) Hic est ille Nicanor, qui a Lysia missus contra Iudam et Iudæos, præfidens, et quasi certus de victoria superbe iactabat se nonaginta Iudæorum mancipia uno talento venditurum, 2. Machab. c. 8. v. 11. Sed iactantiæ suæ pœnas dedit, cum, victus a Iuda, caput ei resectum fuit, et publice ad ludibrium appensum. ET GORGIAM, in bellicis rebus experientissimum, ut ibidem dicitur, cum 40. millibus peditum, et septem millibus equitum, ut sequitur.

Vers. 40. ET PROCESSERUNT CUM UNIVERSA VIRTUTE SUA.) Græce δυνάμει, id est, potentia et robore tot peditum et equitum, simul et elephantorum.

ET APPLICUERUNT EMMAUM.) Ubi Christus duobus discipulis apparuit, et in fractione panis se aperuit, Lucæ ultim. quæ postea a victoria Titi ob captam Ierusalem dicta est Nicopolis, a Ierusalem distans stadiis 60. id est, septem milliaribus Italicis cum dimidio. Alia est Emmaus iuxta Tiberiadem. Ita S. Hieronymus in locis. Ioseph. Adrichom. et alii.

A

ET AUDIERUNT MERCATORES.) Copias et minas Nicanoris contra Iudæos, ideoque turmatim accurrerunt, ut Iudæos ab eo vincendos, ut putabant, quasi servos ab illo emerent vilissimo pretio. Sic in excidio Ierusalem per Titum cæsa sunt undecies centena millia Iudæorum, et 97. millia capta, venditaque vili pretio, quasi vilissima mancipia, uti narrat Iosephus libro ultimo de Bello. Vers. 41.

ET CONGREGATI SUNT ET VENERUNT IN MASPHA CONTRA IERUSALEM.) Maspha ergo hæc sita erat in confinio tribus Beniamin et Iuda, eoque convocabantur Iudæi ad publica comitia, et ad publicam orationem, uti Samuel eodem convocavit populum, ut fœdus populi cum Deo renovaret, 1. Reg. 7. 5. Vers. 46.

Alia erat Maspha in tribu Gad, de qua Iud. 11. 29. alia pariter in tribu Ruben, de qua 1. Machab. 5. 35.

ET IEIUNAVERUNT DIE ILLA (usque ad vesperam et ortum Hesperi more Iudæorum) ET INDUERUNT SE CILICIIS, ET CINEREM IMPOSUERUNT CAPITI SUO, ET DISCIDERUNT VESTIMENTA SUA.) Hi erant actus et signa pœnitentiæ, humilitatis et supplicationis, quibus in tanto hostium numero et periculo sibi diffidentes, opem Dei ardentissime implorabant, ideoque eam impetrarunt. Talia quoque fuere ea quæ sequuntur v. 48. 49. 50. Vers. 47.

ET EXPANDERUNT LIBROS LEGIS.) Ut ipsi libri reipsa quasi muta voce clamarent ad Dominum id quod continebant, quodque toties iterant, præsertim in Psalmis: *Miserere nostri, Domine, miserere nostri*; utque Deum ostensione librorum ipsius commoverent, ne sineret eos a Gentibus pollui, lacerari et comburi. Sic Ezechias instante Sennacherib libros sacros expandit coram Deo, ut eos cum cultu suo tueretur, 4. Reg. 19. Vers. 48.

DE QUIBUS SCRUTABANTUR GENTES SIMILITUDINEM SIMULACRORUM SUORUM.) q. d. Gentes quærebant S. Scripturæ libros, ut in eis sua simulacra et idola depingerent, itaque eos violarent, et Iudæos irriderent. Unde Græca habent: *Scrutabantur inscribere in ipsis similitudinem idolorum suorum.* Verum Noster non habet τὸ *inscribere*, nec *in ipsis*, sed *de ipsis*; quare iuxta eum planior sensus est, q. d. Solent Gentiles nostris libris sacris abuti ad suas superstitiones et ritus gentilitios. Ex illis enim ac præsertim ex Levitico depromunt ceremonias et ritus sacrificandi et adorandi sua idola, consecrandi suos sacerdotes, purificandi immundos, etc. Ad hæc ipsi sacras historias profanant traducendo eas ad deorum suorum fabulas. Sic Mosen transformarunt in Minoen, gigantes in Titanes, Samsonem in Herculem, diluvium Noe in diluvium Ogygis, currum Eliæ in quadrigam solis, Iehova denique in Iovem. Ita Ruper. l. 6. in Gen. 15. Serar. Salianus, Sanchez et alii. Quare ne permittas, o Domine, nos tradi gentibus, quia si id facias, ipsæ libros tuos et nostros profanabunt, violabunt, conscindent, incendent, quæ magna erit tam tua, quam nostra ignominia et vilipendium.

ET ATTULERUNT ORNAMENTA SACERDOTALIA.) Puta vestes sacras, ut cidarim, fœminalia, tunicam hyacinthinam, Ephod, etc., q. d. Ne sinas, o Domine, illa capi a gentibus, quia ipsæ illas lacerabunt, aut iis vestient idolorum suorum sacerdotes; pariter ipsi rapient et vorabunt TUAS PRIMITIAS ET DECIMAS, quas proinde hic coram te exponimus. Machabæi hic ostendunt se non res suas, sed Dei curare, eiusque religionis et cultus zelo moveri, ut Deum quasi cogant ad opem, non tam populo suo, quam sibi ipsi suæque religioni et cultui ferendam. Quare efficax fuit hæc eorum seria sinceraque oratio, ac Deum ad succurrendum inflexit. Simili modo oremus et nos, ac pariter Deum flectemus. Vers. 49.

ET SUSCITAVERUNT NAZARÆOS, QUI IMPLEVERANT DIES.) Sui voti Nazaræatus; diebus enim voti expletis Nazaræi

*

debebant se sistere Deo in templo, ibique hostias offerre præscriptas a Deo, Num. 6. Vide ibi dicta. Porro Nazaræi erant quasi religiosi illius ævi, qui se Deo dicarant et consecrarant, ideoque comam alebant, ac vino et sicera abstinebant. Quare eos hic producunt, Deoque sistunt, ut Deus eos quasi suos sibique consecratos tueatur contra Antiochum et Lysiam.

Vers. 50. Et clamaverunt voce magna in cælum dicentes: Quid faciemus istis, et quo eos ducemus?) Si Lysias nos capiat et totam Iudæam æque ac Ierusalem et templum sibi subiuget, et idolis ac idololatriis suis impleat, excisa tui veneratione et cultu; nam ut sequitur:

Vers. 51. Et sancta tua, altaria, vasa, omniaque templi loca ab Antiochi satellitibus profanata, conculcata et contaminata sunt.)

Et sacerdotes tui facti sunt in luctum.) Tum activum; lugent enim sacerdotes se sacerdotio iam fungi non posse, sed in exilium actos ab Antiocho, suisque oblationibus, ex quibus vivebant, spoliatos: tum passivum, quia populus luget lugubrem sacerdotum suorum statum, seque iis destitui, ut per eos Deo sacrificare, et ab eis in lege Dei instrui nequeat.

Et in humilitatem.) Ubi enim humiliantur et vilipenduntur sacerdotes, ibi pariter vilipenduntur sacrificia, lex, pietas, Dei cultus, ipseque populus fidelis et pius.

Vers. 54. Et tubis exclamaverunt voce magna.) Ut tam voce, quam tubis in cœlum resonantibus Dei opem summis clamoribus implorarent.

Vers. 55. Et post hæc (quia post divina præsidia adhibenda quoque sunt humana; Deus enim non iuvat nisi conantes et collaborantes ac facientes omne id quod officium et prudentia requirit) constituit Iudas duces populi.) Nimirum fratres suos Ionatham, Iosephum et Simonem. Vide 2. Machab. 8. 22. ubi Iudas aciem instruens eam dividit in quatuor ordines, ac cuilibet unum e fratribus ducem præficit, ita ut quisque sub signis duceret 1400. milites, ac ipse Iudas quartus totidem, hoc est, universim sex millia.

Et dixit his qui ædificabant domos, etc. et formidolosis, ut redirent domum.) Ne sociis suis commilitonibus suam formidinem aspergerent, idque iuxta legem Deuter. c. 20. 4. Vide ibi dicta. Vers. 56.

Accingimini (gladiis, armis, cæteroque apparatu bellico) et estote filii potentes) Hebr. אנשי חיל *ansce chail*, id est *viri virtutis*, id est strenui, animosi, fortes. Vers. 58.

Quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum.) Id est rerum sanctarum, ut templi, altarium, sacerdotum, etc. Gloriosa enim mors est præliando pro fide, lege et Deo occumbere, q. d. Pugnemus generose, quia aut vincemus, et sic de hoste triumphabimus; aut vincemur, et sic gloriosa morte honestabimur. Vers. 59.

Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.) Ut vel vincamus, vel vincamur et gloriose occumbamus, prout Deus voluerit, q. d. Utcumque alea belli cadet, bene cadet, quia cadet ex voluntate Dei, qua nihil est melius. Sive ergo vincemus, sive vincemur, implebimus voluntatem Dei, qua nihil præstantius optari, aut desiderari potest. Nota hic Iudæ fortitudinem, pietatem, resignationem in Dei voluntatem, qua Dei gratiam et victoriam sibi suisque conciliavit. Imitentur eum principes et belli duces, si simili victoria potiri, et a Deo donari optent. Vers. 60.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duas Gorgiæ acies sternit Iudas, ac deinde ipsum Lysiam Siriæ proregem, qui dum bellum reparat, Iudas templum repurgat, Deique sacra restituit.

1. Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum, et mille equites electos: et moverunt castra nocte, 2. Ut applicarent ad castra Iudæorum, et percuterent eos subito: et filii, qui erant ex arce, erant illis duces. 3. Et audivit Iudas, et surrexit ipse, et potentes percutere virtutem exercituum regis, qui erant in Emmaum. 4. Adhuc enim dispersus erat exercitus a castris. 5. Et venit Gorgias in castra Iudæ noctu, et neminem invenit, et quærebat eos in montibus: quoniam dixit: Fugiunt hi a nobis. 6. Et cum dies factus esset, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantum: qui tegumenta, et gladios non habebant: 7. Et viderunt castra Gentium valida, et loricatos, et equitatus in circuitu eorum, et hi docti ad prælium. 8. Et ait Iudas viris, qui secum erant: Ne timueritis multitudinem eorum, et impetum eorum ne formidetis. 9. Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo. 10. Et nunc clamemus in cælum: et miserebitur nostri Dominus, et memor erit testamenti patrum nostrorum, et conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie: 11. Et scient omnes gentes, quia est, qui redimat, et liberet Israel. 12. Et elevaverunt alienigenæ oculos suos, et viderunt eos venientes ex adverso. 13. Et exierunt de castris in prælium, et tuba cecinerunt hi, qui erant cum Iuda. 14. Et congressi sunt: et contritæ sunt Gentes, et fugerunt in campum. 15. Novissimi autem omnes ceciderunt in gladio, et persecuti sunt eos usque Gezeron, et usque in campos Idumææ, et Azoti, et Iamniæ, et ceciderunt ex illis usque ad tria millia virorum. 16. Et reversus est Iudas, et exercitus eius, sequens eum. 17. Dixitque ad populum: Non concupiscatis spolia: quia bellum contra nos est: 18. Et Gorgias et exercitus eius prope nos in monte: sed state nunc contra inimicos nostros, et expugnate eos, et sumetis postea spolia securi. 19. Et adhuc loquente Iuda hæc, ecce apparuit pars quædam prospiciens de monte. 20. Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui, et succenderunt castra: fumus enim, qui videbatur, declarabat quod factum est. 21. Quibus illi conspectis timuerunt valde, aspicientes simul et Iudam, et exercitum in campo paratum ad prælium. 22. Et fugerunt omnes in campum alienigenarum: 23. Et Iudas reversus est ad spolia castrorum, et acceperunt aurum multum, et argentum, et hyacinthum, et purpuram marinam, et opes magnas. 24. Et conversi hymnum canebant, et benedicebant Deum in cælum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia eius. 25. Et facta est salus magna in Israel in die illa. 26. Quicumque autem alienigenarum evaserunt, venerunt, et nuntiaverunt Lysiæ universa quæ acciderant. 27. Quibus ille auditis, consternatus animo deficiebat: quod non qualia voluit, talia contigerunt in Israel, et qualia mandavit rex. 28. Et sequenti anno congregavit Lysias virorum electorum sexaginta millia, et equitum quinque millia, ut debellaret eos. 29. Et vene-

runt in Iudæam, et castra posuerunt in Bethoron, et occurrit illis Iudas cum decem millibus viris. 30. Et viderunt exercitum fortem, et oravit, et dixit: Benedictus es, salvator Israel, qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David, et tradidisti castra alienigenarum in manu Ionathæ filii Saul, et armigeri eius. 31. Conclude exercitum istum in manu populi tui Israel, et confundantur in exercitu suo et equitibus. 32. Da illis formidinem, et tabefac audaciam virtutis eorum, et commoveantur contritione sua. 33. Deiice illos gladio diligentium te: et collaudent te omnes qui noverunt nomen tuum in hymnis. 34. Et commiserunt prælium, et ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. 35. Videns autem Lysias fugam suorum, et Iudæorum audaciam, et quod parati sunt aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, et elegit milites, ut multiplicati rursus venirent in Iudæam. 36. Dixit autem Iudas, et fratres eius: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, et renovare. 37. Et congregatus est omnis exercitus, et ascenderunt in montem Sion. 38. Et viderunt sanctificationem desertam, et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus, et pastophoria diruta. 39. Et sciderunt vestimenta sua, et planxerunt planctu magno, et imposuerunt cinerem super caput suum, 40. Et ceciderunt in faciem super terram, et exclamaverunt tubis signorum, et clamaverunt in cælum. 41. Tunc ordinavit Iudas viros ut pugnarent adversus eos qui erant in arce, donec emundarent sancta. 42. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: 43. Et mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 44. Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. 45. Et incidit illis consilium bonum ut destruerent illud, ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes; et demoliti sunt illud. 46, Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta, et responderet de eis. 47. Et acceperunt lapides integros secundum legem, et ædificaverunt altare novum secundum illud quod fuit prius: 48. Et ædificaverunt sancta, et quæ intra domum erant intrinsecus: et ædem, et atria sanctificaverunt. 49. Et fecerunt vasa sancta nova, et intulerunt candelabrum, et altare incensorum, et mensam in templum. 50. Et incensum posuerunt super altare, et accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, et lucebant in templo. 51. Et posuerunt super mensam panes, et appenderunt vela, et consummaverunt omnia opera quæ fecerant. 52. Et ante matutinum surrexerunt quinta et vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octavi anni: 53. Et obtulerunt sacrificium secundum legem, super altare holocaustorum novum quod fecerunt. 54. Secundum tempus et secundum diem, in qua contaminaverunt illud gentes, in ipsa renovatum est in canticis, et citharis, et cinyris, et in cymbalis. 55. Et cecidit omnis populus in faciem, et adoraverunt, et benedixerunt in cælum eum, qui prosperavit eis. 56. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, et obtulerunt holocausta cum lætitia, et sacrificium salutaris et laudis. 57. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis et scutulis: et dedicaverunt portas, et pastophoria, et imposuerunt eis ianuas. 58. Et facta est lætitia in populo magna valde, et aversum est opprobrium gentium. 59. Et statuit Iudas, et fratres eius, et universa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, a quinta et vigesima die mensis Casleu, cum lætitia et gaudio: 60. Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, et per circuitum muros altos, et turres firmas, nequando venirent gentes, et conculcarent eum, sicut antea fecerunt. 61. Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, et munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

Vers. 1. ET ASSUMPSIT GORGIAS QUINQUE MILLIA VIRORUM (peditum) ET MILLE EQUITES ELECTOS, ET MOVERUNT CASTRA NOCTE.) Gorgias erat unus ex tribus ducibus Antiochi et Lysiæ belli experientissimus, quod et hic ostendit, dum cum militibus selectis noctu invadit castra Iudæ, ut ex improviso eum dormientem cum suis opprimat. Hoc enim stratagemate Annibal cecidit Romanos, et Romani Asdrubalem fratrem Annibalis, teste Livio.

Vers. 2. ET FILII, QUI ERANT EX ARCE, ERANT ILLIS DUCES.) q. d. Milites Antiochi in arce Sion nati, vel educati, ideoque regionis et locorum gnari ducebant eos per vias obscuras (erat enim nox) anfractuosas et absconditas quarum ipsi erant ignari, utpote exteri et alienigenæ.

Vers. 3. ET AUDIVIT IUDAS, ET SURREXIT IPSE ET POTENTES (robusti duces et milites) PERCUTERE VIRTUTEM EXERCITUUM REGIS.) Puta tota castra a Gorgia relicta. Græce tantum est δύναμιν, id est vim, robur, potentiam, exercitum et copias regis. Sed quia in his castris erant variarum gentium exercitus, iique validi et numerosi, hinc Noster vertit; *Virtutem exercituum regis*. Iudas ergo per exploratores rescivit stratagema et consilium Gorgiæ, illudque in ipsum retorsit. Nam eadem nocte ipse reliqua castra Gorgiæ relicta in Emmaum, secura et dormientia invasit, et ex inopinato oppressit.

Vers. 4. ADHUC ENIM DISPERSUS ERAT EXERCITUS A CASTRIS.) q. d. Adhuc milites Gorgiæ non erant collecti, et in ordines aciesque suas distributi in castris, sed palabundi vagabantur sensim colligebant ordinabantque se in castris. Iudas, id sciens, dispersos et inordinatos aggressus facile prostravit.

Vers. 5. ET VENIT GORGIAS IN CASTRA IUDÆ, ET NEMINEM INVENIT.) Quia Iudas cum suis eadem nocte iverat in Emmaum, ut relictos a Gorgia cæderet, ut dixi.

Vers. 6. ET CUM DIES FACTUS ESSET, APPARUIT IUDAS IN CAMPO CUM TRIBUS MILLIBUS VIRORUM (peditum) TANTUM QUI TEGUMENTA, id est loricas, sive thoraces ferreos et scuta ET GLADIOS NON HABEBANT.) Scilicet, *sicut volebant*, ut addunt Græci multique Latini codices, q. d. Non habebant gladios politos, acutos, latos et longos, quales ipsi optabant et quales habebant hostes; sed impolitos, rubigine obductos, hebetatos, strictos et breves; multi etiam non gladiis, sed perticis, fustibus, malleis, ligonibus, falcibus, aliisque armis rusticis dumtaxat, quæ domi, vel in agro repererant, armati incedebant. Eo maior fuit Dei virtus et militum fortitudo, ac victoria. Hoc est quod ait Iosephus, l. 12. c. 11. *Ducens tria millia virorum non satis instructa armis propter inopiam.* Ita Dion. Carth. et Ioseph. Stephanus hic, qui et addit multos ex iis fuisse fundibularios, qui gladiis uti non solebant, ut liberi essent in liberandis lapidibus ex fundis. Minus probabiliter Lyran. pro *quid* legens *quia* sic explicat, q. d. Ideo Iudas tria dumtaxat millia armatorum et gladiatorum eduxit in aciem, quia cæteri Iudæi non habebant gladios et clypeos, ut pugnare possent. Porro eos habuisse gladios liquet ex v. 15. ubi dicitur: *Novissimi autem eorum ceciderunt gladio*, et ex eo quod paulo ante Iudæi spoliaverunt castra Apollonii; indeque tulerunt gladios et arma cætera.

ET VIDERUNT CASTRA GENTIUM VALIDA, ET LORICATOS ET EQUITATUS.) Nota: Iudas et Machabæi pugnabant pedites, nec habebant equites; nulla enim equorum fit mentio, cum hostes copiosum haberent equitatum æque ac peditatum. Causæ fuere variæ. Prima, quia Deus Deu- Vers. 7. Machabæi pedites pugnabant 4 de causis. 1.

ter. 17. 16. vetuerat Iudæis copiam equorum, ne in eis, sed in ipso confiderent. Ita S. Basilius et alii, quos ibi-
2. dem citavi, licet Abulensis id negare videatur. Secunda, quia Iudæa est montuosa et prærupta; unde equis et equi-
3. tibus vix pervia et ad pugnam incommoda. Tertia, quia Iudæa carebat equorum abundantia, ac eorum loco utebatur asinis et mulis, equos vero ex Ægypto (uti fecit Salomon) accersebat: ibi autem eos emere, indeque in Iudæam deducere, Machabæis nimis erat onerosum et
4. sumptuosum. Quarta, volebat id Deus, ut magis ostenderet suam potentiam, ac virtutem et robur Machabæorum, quod scilicet ipsi soli Deo nixi, uti fatetur hic Iudas, eius ope implorata, pauci cum multis, pedites cum equitibus, inermes fere cum armatis confligentes, eos tamen prosternerent iuxta illud Davidis: *Hi in curribus et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus,* Psalm. 19. 8.

Vers. 10. Et nunc clamemus in cælum.) Dicentes: *Mi camocha baelim Iehova,* id est, *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Exodi 15. Hoc enim erat emblema et tessera Iudæ; unde ex versus illius litteris initialibus iuncti, dictus est *Machabi*, id est, Machabæus, ut satis ex hisce eius verbis et similibus colligitur. Nam Iudas ubique spem victoriæ non in armis, nec in militibus, sed in Deo unico reposuit, eumque invocavit, atque hac confidentia et supplici prece semper victoriam obtinuit, excepto ultimo prælio, in quo vulneratus occubuit, eo quod non legatur ante prælium Deum invocasse, uti alias facere solebat.

Et memor erit testamenti patrum nostrorum.) q. d. Memor erit Deus pacti et fœderis cum patribus nostris initi, ut scilicet nos eum colamus, quasi Deum nostrum et ipse vicissim noster sit Deus, id est protector, provisor, tutor et custos; ideoque nos a tot tantisque hostibus liberet, eosque coram nobis prosternat.

Vers. 15. Novissimi autem (fugientium) omnes ceciderunt.) Cæsi a Iuda et sociis, qui fugientes persequebantur, et caudam hostium carpebant ultimosque cædebant.

Vers. 17. Dixitque Iudas: Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est.) Vide hic prudentiam militarem Iudæ, qua suos sub signis continuit, nec spolia hostium rapere permisit, ne hostes fugientes id videntes, se rursum colligerent, ac Iudæos palantes, et spoliis onustos invaderent et posternerent. Sic enim hoc sæculo vidimus Germanos et Transylvanos, cum multa Turcarum millia cecidissent, ab iisdem fuisse cæsos, eo quod præpropere ad spolia dilapsi, Turcis se in montibus colligendi, et spoliis onustos invadendi mactandique ansam dedissent. Ita Tomyris regina Scytharum, fugam simulans, castra epulis et vino referta Cyro et Persis diripienda reliquit: at mox regrediens eosdem vino somnoque sepultos ad unum omnes obtruncavit; teste Iustino, Herodoto et aliis. Fridericum Bohemiæ regem Boleslaus II. triplici prælio fudit, sed dum militi in diripienda præda locum dat, nec victoriam persequitur; Fridericus, collecto milite, triplici tumentem victoria vicit, et in exilium redire compulit. Ita Delrius, lib. 13. Plura exempla de Alexandro, Annibale, Tiberio vide apud Frontinum l. 2. c. 5. Avaritia ergo, et prædæ aviditas decipit prudentiam, ac victoribus victoriam extorquet, eamque in victos transfert, facitque ut fiat locus cædis, qui paulo ante fuerat victoriæ. Quare sapientes belli duces milites a præda cohibent, et in acie armatos continent, hostesque fugientes persequuntur, donec plena de iis sit victoria; tunc enim secura est prædatio et spoliatio. Hac de causa duces bello victi, ut hostem insequentem morentur, eumque effugiant, pecunias et res pretiosas post se spargunt, ut iis colligendis hostis occupatus persequi desistat. Ita Tryphon rex Syriæ victus per totum iter fugiens, aurum et argentum dispersit, et hac ratione equites Antiochi sectantes moratus evasit, teste Iulio Frontino, l. 2. de Stratagematis c. 13. qui et addit idem fecisse Gallos cum Attalo pugnantes. Idem fecisse Mithridatem victum a Lucullo et Romanis, ac per gazam regiam Romanis obie-

Iudæ prudentia in cohibendo milite a spoliis.

Victi [illegible]

A ctam eorum insequentium manus effugisse, tradit Plutarchus in Lucullo. Sic castor e venatorum manibus elabitur, resecta virilia eis obiiciens; ob hæc enim eos se venari cognoscit, ut e suis virilibus Castorium medicis assignent. Audi Polybium libro 10. *Et quoniam plurimi prædæ inhiant, atque victoriam plenam obtinere nequeunt, fit ut de summa rerum periclitentur. Multis hoc accidit, ut licet facti sint voti compotes, et vel in castra hostium irruerint, vel civitatem ceperint, attamen non solum eiecti sint, sed et totius causæ periculum et detrimentum incurrerint.*

Tropolog. nos cum dæmonibus assidue luctantes spolia terrena relinquere debemus, ne, si eis incubemus, ab illis occupemur et superemur: *Nudi ergo cum nudis luctemur,* ait sanctus Gregorius.

Et succenderunt castra.) Iudas succendit castra, Vers. 20.
id est tentoria hostium, ut Gorgias eminus e monte rem spectans sciret suos esse cæsos, ideoque castra a Iuda esse succensa, itaque metuens sibi et suis fugam capesse-
B ret. Quod et factum est.

Hyacinthum (id est vestes hyacinthini, vel violacei Vers. 23.
coloris) et purpuram marinam.) Quæ fit ex succo conchyliorum marinorum, ac præsertim pisciculi, qui purpura vocatur, idque maxime in Tyro; unde vocatur purpura Tyria, et Sarranum (*Tyrus* enim Heb. dicitur *Sor*) ostrum teste Plinio l. 4. c. 38. et 39. nam purpura, quæ fit ex violis aliisque herbis, pallet, nec cum Tyria comparari potest; hæc enim est ardens et quasi ignea. Unde Virgil. Æneid. 4. *Tyrioque ardebat murice lana.* Porro milites Chaldæi æque ac Persæ utebantur vestibus purpureis et coccineis tum ad ornatum, unde Xenophon l. 2. Cyrip. *Erant,* ait, *milites armati omnes iisdem armis, quibus Cyrus, puniceis tunicis;* tum ut in prælio vulnerati sanguinem diffluentem, vulneraque tegerent per concolorem tunicam purpuream, ne socios consternarent et hostibus audaciam adderent, uti testatur Valerius Maximus l. 2. c. 6. et Ælianus l. 6. c. 6.

Milites utebantur purpura ad tegendum vulnera.

Et conversi hymnum canebant.) Puta epinicium Vers. 24.
C Deo, victoriam illius opi et virtuti non suæ assignantes: qua gratitudine Deum sibi devinciebant, ut novas eis daret victorias; victoria enim proprie est donum Dei, qui illud gratis largitur, ingratis negat, vel datam aufert. Hinc Christiani, parta victoria, canunt: *Te Deum laudamus.*

Et facta est salus, id est victoria, magna in Vers. 25.
Israel.) Victoria enim hæc salutem dedit Israeli. Metonymice ergo ponitur causa pro effectu. Vide dicta c. 3. v. 6. Adde: salus, sicut et pax Hebræis omne beneficium, omnem felicitatem, omne bonum significat. Unde illud Psal. 17. *Magnificans salutes,* id est beneficia et dona *regis eius;* hinc eas mox vocat *misericordiam,* sive gratiam.

Et sequenti anno congregavit Lysias virorum Vers. 28.
(peditum) electorum sexaginta millia et equitum quinque millia.) Quæ Iudas cum paucis Deo nixus pari fortitudine et felicitate prostravit, v. 34.

D Da illis formidinem.) Immitte eis terrorem pani- Vers. 32.
cum, ut putent contra se venire, vel militum, vel Angelorum formidabiles acies, itaque perculsi fugiant, imo se invicem invadant, putantes commilitones suos esse hostes, itaque commoveantur contritione sua, ut se mutuo conquassando conterant, proterant et trucident, uti factum est Madianitis sub Gedeone, qui mutua se cæde truncabant. Iudicum 7. 22.

Et tabefac (Græce τῆξον, id est *liquefac,* sicut cera dissolvitur et liquefit coram igne) audaciam virtutis eorum.

Quod parati (resoluti) sunt aut vivere (vincen- Vers. 33.
do) aut mori fortiter.) Ut si vincantur, malint generose occumbere, quam turpiter fugere. Nam τὸ *fortiter* Græce γενναίως, id est, *generose* tam ad *vivere* quam ad *mori* referendum est; vivit autem fortiter in prælio is qui vincit; moritur vero fortiter qui vincitur a numero hostium, sed fortiter pugnando occiditur.

Abiit Antiochiam.) Prudenter abiit Lysias, quia cum resolutis et desperatis periculosissima est pugna, uti ostendi in libro Iudicum et Regum. Quare Iudas habens milites, quibus deliberatum erat aut vincere, aut mori, omnes hostium acies protrivit, et admirandas obtinuit victorias. Hæc enim militum resolutio facit eos imperterritos et animosos, quasi leones, ut per tela, per saxa, per ignes involent in hostem, velut fulmina, eosque percellant, sternant et dissipent.

Vers. 36. Dixit autem Iudas et fratres eius: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta.) Puta sanctum templum, sancta altaria et vasa, ut ea a Gentibus per idola et superstitiones profanata et polluta expiemus ac renovemus, id est, pristino nitori, honori et decori, Deique cultui restituamus. Vide hic pietatem æque ac solertiam Iudæ, qui otio a bellis sibi a Lysia concesso utitur ad negotium sanctum, ut templum expiet, in eoque Dei sacrificia, cultumque restauret. Imitentur Iudam nostri duces et milites, ut cum fortitudine bellica, Dei timorem, cultum et pietatem coniungant: itaque a Deo victoriis, omnibusque bonis præsentibus et æternis cumulabuntur.

Vers. 38. Et viderunt sanctificationem (id est sanctuarium, sive templum; puta Sanctum et Sanctum sanctorum) desertam et pastophoria diruta.) Pastophoria erant cubicula sacerdotum annexa templo, in quibus vestes, opesque templi asservabantur; unde et *gazophylacia* vocabantur et *thalami*, Ezech. 40. παςος enim est thalamus, et *exedræ*, quod in eis essent sedes ad sedendum et quiescendum.

Vers. 40. Et exclamaverunt tubis signorum.) Vocantur tubæ *signorum*, quia per earum clangorem significabantur dies festi et populi convocatio sive conventus, Num. 10. vers. 1. et 10. Verius tamen videtur has tubas non fuisse sacras templi; has enim iam abstulerant milites Antiochi, templum profanantes, sed profanas castrorum et belli. Hæ vocantur *signorum*, quia significabant militi, quid agendum foret, ac præsertim adesse hostem, ut ad prælium contra eum se pararet. Erant enim hæ tubæ Iudæ ducis, eiusque militum, ut inter hostes constituti tubarum clangore convocarentur, et excitarentur ad vigilandum et ad præliandum eo tempore, quo sacerdotes et eorum asseclæ mundabant templum, ne Antiochi satellites arcem Sion insidentes, ex ea in templum decurrerent, et mundantes obtruncarent. Ita Sanchez; unde explicans subdit:

Vers. 41. Tunc ordinavit Iudas viros, ut pugnarent adversus eos qui erant in arce, donec emundarent sancta.) Templi loca, atria et vasa. Arcem Sion enim obtinebant hostes, scilicet Antiochi milites, nec inde eos expellere potuit Iudas hoc anno 148. Græcorum, sed post biennium anno 150. Græcorum arcem obsidere cœpit, ac per 23 annos eam obsedere Machabæi, quibus expletis eam tandem expugnarunt, anno 171. Græcorum, ut dicitur c. 13. v. 50.

Vers. 42. Voluntatem habentes in lege Dei.) *Voluntatem*, id est pium affectum, desiderium, studium legis et cultus Dei promovendi.

Vers. 43. Et tulerunt lapides contaminationis.) E quibus Gentiles idololatræ construxerant sua idola, aras, statuas, etc. quibus tam lapides, quam templum contaminarant et profanarant, cap. 1. v. 50. et l. 2. cap. 10.

In locum immundum.) Puta in Tophet, sive gehennam, ubi cremabant infantes idolo Moloch. Hic enim locus erat immundissimus et execrabilis, 4. Reg. 23. 10. Sic olim aræ et templa idolorum a Christianis fuere plane diruta et eversa usque ad S. Gregorium, qui libro 9. Epist. 71. ad Mellitum decernit, ut illa non diruantur, sed expientur et ab idolorum cultu ad Dei cultum transferantur.

Vers. 44. Et cogitavit de altari holocaustorum (quod olim Esdras et sacerdotes in reædificato templo erexerant) quod profanatum erat (per idolum Iovis Olympii, quod in eo collocarant Antiochistæ) quid de eo A faceret.) An illud emundaret ad usum, an vero amoveret, quasi indignum ad usum.

Et incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud, ne forte illis esset in opprobrium.) Ne idololatræ eis exprobrarent, quod in altari per idolum Iovis Olympii polluto sacrificarent, quodque non Deo, sed Iovi sacrificarent: Iovis enim idolum in ea fuerat collocatum. Vers. 45.

Et reposuerunt lapides in monte domus (id est Vers. 46. in monte Sion, in quo domus Dei, sive templum fabricatum erat) donec veniret Propheta aliquis, præsertim Messias; hunc enim avide a multis sæculis expectabant Iudæi, et iam imminebat eius adventus. Nam ab anno 148. Græcorum, quo hæc gesta sunt, usque ad ortum Christi fluxere anni 159. dumtaxat. Hinc disce hoc tempore Machabæorum nullum fuisse prophetam in Israel; nam ultimi fuere prophetæ, Zacharias et Malachias. Dices: Cur Iudas, cum esset Pontifex, non consuluit Deum B per oraculum Ephod, sive per Urim et Tummim? Resp. Iosephum oraculum hoc ducentis annis ante Christum siluisse et desiisse. Ita ipse, l. 3. c. 11. Idem censent Abulensis et alii. Aut certe Ephod hoc dans oracula iam ablatum erat ab Antiochi ministris, ac præsertim a pseudo-pontifice Iasone, Menelao, Alcimo apostatis et proditoribus, ut Iudas eo uti, et per illud Deum consulere non posset. Ita Sanchez.

Et ædificaverunt (ab idololatris diruta, vel disrupta restaurarunt) sancta, id est, priorem partem templi, quæ vocabatur *Sanctum*, vel *Sancta* in plurali, uti hic vocatur, et quæ intra domum erant intrinsecus.) Vers. 48. Id est et quoque ea, quæ erant in posteriori et interiori parte templi quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*, id est sanctissima. In Sancto erat mensa panum propositionis, candelabrum aureum et altare thymiamatis, quæ ab Antiochi satellitibus ablata fuere, unde nova fabricavit Iudas, ut dicitur v. 49. In Sancto Sanctorum tantum erat C Arca cum Cherubim et Propitiatorio; sed hæc paulo ante excidium Ierusalem per Chaldæos e templo extulit Ieremias et abscondit. Unde Hebræi asserunt in secundo templo, reædificato post reditum e Babylone per Zorobabel, non fuisse Arcam. Alii dicunt fuisse Arcam, non a Mose fabricatam, hanc enim extulit Ieremias, sed aliam Mosaicæ similem a Iudæis post reditum efformatam, de quo plura lib. 2.

Et ædem et atria sanctificaverunt.) Ædes vocatur Sanctum Sanctorum, quod præcessit; unde τὸ *ædem* non est in Græco: *atria* erant vicina templo circumcirca, in quibus populus degebat et spectabat sacrificia; hæc omnia ab idololatris contaminata et polluta Iudas sanctificavit, id est ab idolis et superstitione purgavit, aqua lustrali expiavit, ac Deo rursum solemni benedictione dedicavit.

Quinta et vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu.) Vers. 52. Qui nostro partim Novembri, partim Decembri respondet. Hebræi enim utebantur mensibus lu- D naribus, cum nos utamur solaribus. Quare hac eadem die 25. Casleu Iudæi celebrabant quotannis festum Encæniorum, sive dedicationis templi, eadem die hoc loco factæ a Iuda. Causa festi fuit beneficii, indeque lætitiæ magnitudo, ideoque per octo dies celebrabatur. Audi 2. Machab. 10. v. 5. *Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu; et cum lætitia diebus octo egerunt in modum Tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem solemnem Tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerant. Propter quod thyrsos et ramos virides, et palmas præferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum, etc.* Et Ioseph. l. 12. *Tanta vero lætitia ob reductos ritus patrios et priscam religionem occupavit gentis animos, maxime quod ea felicitas ex insperato obtigerat, ut lex lata sit ad posteros, quæ iuberet quotannis hoc festum reparati cum ceremoniis templi, per octo dies celebrari; et ex eo tempore mos hic apud nostros obtinuit, vocamusque*

Festum Encæniorum.

hanc festivitatem luminum, opinor ideo, quod ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas, etc.

Tropol. Tropol. festo Encæniorum significatur festum quod agunt Angeli et Sancti de peccatore pœnitentiam agente; cum ipse templum animæ suæ, quod per peccatum profanarat, per contritionem expurgat, rursumque Deo dedicat. Vide Riberam l. 5. de templo c. 17.

Vers. 54. Secundum tempus et secundum diem, id est, eodem plane die, scilicet 25. Casleu, in qua contaminaverunt illud gentes.) Ante triennium, c. 1. v. 62. q. d. sicut anno 145. Græcorum, die 25. mensis Casleu, Antiochus profanavit templum, ut dictum est c. 1. v. 62. Ita Iudas post triennium, puta anno 148. Græcorum, eadem die 25. mensis Casleu templum repurgavit, rursumque Deo dedicavit, uti diserte dicitur l. 1. c. 10. v. 5. Idem ergo dies fuit profanationis et dedicationis, desolationis et consolationis, luctus et gaudii. Porro Iudas dedicavit templum anno 148. Græcorum, vivente adhuc Antiocho; nam hic mortuus est anno sequenti 149. Græcorum, ut dicitur c. 6. 16.

Vers. 59. Et cytharis et cinyris.) Hæc duo instrumenta musica vicina erant et sola magnitudine, ac forte fidium numero inter se distincta, uti apud Italos sunt *viole* vel *violini*. Unde Noster 2. Paralip. 9. 11. et alibi pro cinyris, ut habet Græcus, vertit *citharas;* cithara enim Hebr. vocatur כנור *kinnor*, id est cinyra.

Et statuit Iudas, etc.) q. d. Iudas quasi Pontifex instituit festum Encæniorum quotannis celebrandum die 25. Casleu in memoriam purgationis et dedicationis templi, ab illo eodem die factæ. Huius festi meminit Ioan. in Evang. c. 10. 22. Vide de hoc festo Riberam lib. 5. de Templo c. 17. Hinc solemne semper apud fideles fuit fe-
Dignitas dedicationis Ecclesiæ. stum dedicationis Ecclesiæ, ut patet ex homiliis, quas in ea habuerunt S. Aug. S. Greg. S. Chrys. Beda, Bernardus et alii. Sane Constantinus Magnus omnes Episcopos convocavit ad dedicationem templi Ierosolymitani. Quin et Michael Archangelus dedicavit Ecclesiam in monte Gargano; cuius rei memoriam quotannis celebramus die
Exempla. 29. Septembris. S. Petrus sibi Ecclesiam dedicavit Londini in Anglia, ut habet vita Eduardi regis Angliæ apud Surium. Denique Christus ipse dedicavit Ecclesiam S. Dionysii Parisiis. Rem gestam enarrat Robertus Gaguinus, lib. 3. de gestis Francorum.

Vers. 60. Et ædificaverunt montem Sion.) q. d. In monte Sion construxerunt arcem oppositam arci hostili, ut hostes cohiberent, ne templum sua excursione infestarent. Licet enim v. 40. Iudas constituerit milites, qui tutarentur eos qui purgabant templum, necdum tamen arcem
Militum templi origo. eis construxerat; quare illam hic construit. Ex hoc loco originem habuisse videntur milites ad templi custodiam deputati, eorumque præfecti, qui *magistratus templi* vo-
A cantur, Act. 4. 1. et Luc. 22. 4. quos Chrys. vocat *Duces militum templi ;* Beda , *Prætores templi ;* Syrus *Præfectos templi.* Græce vero vocantur στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ, id est milites templi, Luc. 22. 51. Videntur hi fuisse Levitæ e tribu Levi, quorum immensus erat numerus ; ad hos enim cura templi et sacrorum spectabat, ac proinde per arma et milites suos cavere debebant, ne quis tumultus fieret in templo: Levitæ enim et Sacerdotes quotidie manus cruentando mactatione et laniatione victimarum assuescebant sanguini, discebantque mactare homines templi inimicos. Ad horum similitudinem Ierosolymis a Christianis recuperatis, anno post Christum 1130. instituti sunt Ierosolymitani equites, dicti Templarii, sive milites templi, quorum munus erat itinera ad templum ab infidelium et prædonum incursu tuta servare, uti docet Guliel. Tyrius, lib. 12. de bello sacro, c. 7. Extat ad hos insignis sermo S. Bern. qui illo sæculo vixit, ad milites templi, ubi c. 9. asserit eos habitasse iuxta templum. Verum cum tandem ipsi imperium Patriarchæ Ierosolymitani, a
B quo instituti fuerant, detrectarent, atque ob ingentes opes insolescerent, a Clemente V. instigante Philippo Pulchro Franciæ rege extincti fuere anno Domini 1311. uti in eius vita narrat Platina, Genebr. et Volater. l. 22. Anthr. Et patet ex Conc. Viennensi, in quo sententia damnationis contra Templarios lata est una cum decreto extinctionis Ordinis ipsorum.

Ad custodiendam Bethsuram.) Bethsura fuit alia munitio constructa a Iuda contra Idumæos, quinque stadiis distans ab arce Sion et a Ierosolymis (stadium continet 125. passus) intra montium fauces, instar Thermopylarum, ait Iosephus: unde *Bethsura* Hebr. idem est quod *domus rupis.* Audi Adrichom. in descrip. tribus Iuda, n. 61. *Bethsur vel Bethsora S. Hier. ætate erat oppidum, vel ut alii, præsidium et castrum totius Iudææ munitissimum, et quoniam erat undique circumvallatum montibus, ab eo nomen accepit. Interpretatur enim Bethsur domus rupis, petræ, aut fortitudinis. Impositum erat claustris*
C *montium ad vallem Raphaim, distans uno milliario a Ierusalem, sita super via publica, quæ a Ierusalem ducit Gazam, ut quidam volunt. Firmavit locum hunc ædificiis Roboam Rex Iuda, et iterum Iudas Machabæus, Lysias oppugnavit, Antiochus Eupator deditione cepit per fraudem, Ionathas Machabæus recepit. Apud hoc castellum reges Syriæ cum vim Iudæis intentarent, sæpe cæsi et profligati sunt. Ipse postremum Simon Machabæus occupatum, contra omnes hostium irruptiones fortissime communivit præsidiis. Erat tempore Hieronymi fons ad radices Bethsur, qui ad eadem, qua gignebatur, humo sorbebatur, in quo fonte quidam putant Eunuchum Candacis reginæ a Philippo baptizatum, atque inde nomen accepisse Fons Æthiopis.*

(Vers. 61. in margine ad «Ad custodiendam Bethsuram».)

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudas Ammonitas, Moabitas et Idumæos profligat, mox v. 9. Galilæis per Simonem fratrem Galaaditis per se succurrit, ac v. 28. Bosor, et v. 35. Maspha, aliasque urbes Galaaditidis expugnat. Inde v. 37. integro prælio cædit Timotheum, et v. 46. expugnat Ephronem, sed v. 56. cæduntur Iosephus et Azarias Iudæ æmuli.

1. Et factum est, ut audierunt gentes in circuitu, quia ædificatum est altare et sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde: 2. Et cogitabant tollere genus Iacob, qui erant inter eos, et cœperunt occidere de populo, et persequi. 3. Et debellabat Iudas filios Esau in Idumæa, et eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israelitas, et percussit eos plaga magna. 4. Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum, et in scandalum, insidiantes ei in via. 5. Et conclusi sunt ab eo in turribus, et applicuit ad eos, et anathematizavit eos, et incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant. 6. Et transivit ad filios Ammon, et invenit manum fortem, et populum copiosum, et Timotheum ducem ipsorum: 7. Et commi-

sit cum eis prælia multa, et contriti sunt in conspectu eorum, et percussit eos: 8. Et cepit Gazer civitatem, et filias eius, et reversus est in Iudæam. 9. Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad, adversus Israelitas qui erant in finibus eorum, ut tollerent eos: et fugerunt in Datheman munitionem, 10. Et miserunt litteras ad Iudam et fratres eius, dicentes: Congregatæ sunt adversum nos gentes per circuitum, ut nos auferant: 11. Et parant venire, et occupare munitionem in quam confugimus: et Timotheus est dux exercitus eorum. 12. Nunc ergo veni, et eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis. 13. Et omnes fratres nostri qui erant in locis Tubin, interfecti sunt: et captivas duxerunt uxores eorum, et natos, et spolia, et peremerunt illic fere mille viros. 14. Et adhuc epistolæ legebantur, et ecce alii nuntii venerunt de Galilæa conscissis tunicis, nuntiantes secundum verba hæc: 15. Dicentes convenisse adversum se a Ptolemaida, et Tyro, et Sidone: et repleta est omnis Galilæa alienigenis, ut nos consumant. 16. Ut audivit autem Iudas, et populus, sermones istos, convenit ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis, qui in tribulatione erant, et expugnabantur ab eis. 17. Dixitque Iudas Simoni fratri suo: Elige tibi viros, et vade, et libera fratres tuos in Galilæa: ego autem et frater meus Ionathas ibimus in Galaaditim. 18. Et reliquit Iosephum filium Zachariæ et Azariam, duces populi, cum residuo exercitu in Iudæa ad custodiam: 19. Et præcepit illis, dicens: Præestote populo huic, et nolite bellum committere adversum gentes, donec revertamur. 20. Et partiti sunt Simoni viri tria millia, ut iret in Galilæam: Iudæ autem octo millia in Galaaditim. 21. Et abiit Simon in Galilæam, et commisit prælia multa cum gentibus: et contritæ sunt gentes a facie eius, et persecutus est eos usque ad portam 22. Ptolemaidis: et ceciderunt de gentibus fere tria millia virorum: et accepit spolia eorum, 23. Et assumpsit eos qui erant in Galilæa et in Arbatis, cum uxoribus, et natis, et omnibus quæ erant illis, et adduxit in Iudæam cum lætitia magna. 24. Et Iudas Machabæus et Ionathas frater eius transierunt Iordanem, et abierunt viam trium dierum per desertum. 25. Et occurrerunt eis Nabuthæi, et susceperunt eos pacifice, et narraverunt eis omnia quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide. 26. Et quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa, et Bosor, et in Alimis, et in Casphor, et Mageth, et Carnaim: hæ omnes civitates munitæ, et magnæ. 27. Sed et in ceteris civitatibus Galaaditidis tenentur comprehensi, et in crastinum constituerunt admovere exercitum civitatibus his, et comprehendere, et tollere eos in una die. 28. Et convertit Iudas, et exercitus eius, viam in desertum Bosor repente, et occupavit civitatem: et occidit omnem masculum in ore gladii, et accepit omnia spolia eorum, et succendit eam igni. 29. Et surrexerunt inde nocte, et ibant usque ad munitionem. 30. Et factum est diluculo, cum elevassent oculos suos, ecce populus multus, cuius non erat numerus, portantes scalas et machinas, ut comprehenderent munitionem, et expugnarent eos. 31. Et vidit Iudas quia cœpit bellum, et clamor belli ascendit ad cælum sicut tuba, et clamor magnus de civitate: 32. Et dixit exercitui suo: Pugnate hodie pro fratribus vestris. 33. Et venit tribus ordinibus post eos, et exclamaverunt tubis, et clamaverunt in oratione. 34. Et cognoverunt castra Timothei quia Machabæus est, et refugerunt a facie eius: et percusserunt eos plaga magna: et ceciderunt ex eis in die illa fere octo millia virorum. 35. Et divertit Iudas in Maspha, et expugnavit, et cepit eam: et occidit omnem masculum eius, et sumpsit spolia eius, et succendit eam igni. 36. Inde perrexit, et cepit Casbon, et Mageth, et Bosor, et reliquas civitates Galaaditidis. 37. Post hæc autem verba congregavit Timotheus exercitum alium, et castra posuit contra Raphon trans torrentem. 38. Et misit Iudas speculari exercitum: et renuntiaverunt ei, dicentes: Quia convenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu nostro sunt, exercitus multus nimis: 39. Et Arabas conduxerunt in auxilium sibi, et castra posuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abiit Iudas obviam illis. 40. Et ait Timotheus principibus exercitus sui: Cum appropinquaverit Iudas, et exercitus eius ad torrentem aquæ: si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversum nos: 41. Si vero timuerit transire, et posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, et poterimus adversus illum. 42. Ut autem appropinquavit Iudas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem, et mandavit eis, dicens: Neminem hominum reliqueritis: sed veniant omnes in prælium. 43. Et transfretavit ad illos prior, et omnis populus post eum, et contritæ sunt omnes gentes a facie eorum, et proiecerunt arma sua, et fugerunt ad fanum quod erat in Carnaim. 44. Et occupavit ipsam civitatem, et fanum succendit igni, cum omnibus qui erant in ipso: et oppressa est Carnaim, et non potuit sustinere contra faciem Iudæ. 45. Et congregavit Iudas universos Israelitas qui erant in Galaaditide, a minimo usque ad maximum, et uxores eorum, et natos, et exercitum magnum valde, ut venirent in terram Iuda. 46. Et venerunt usque Ephron: et hæc civitas magna in ingressu posita, munita valde, et non erat declinare ab ea dextra vel sinistra, sed per mediam iter erat. 47. Et incluserunt se qui erant in civitate, et obstruxerunt portas lapidibus: et misit ad eos Iudas verbis pacificis, 48. Dicens: Transeamus per terram vestram, ut eamus in terram nostram: et nemo vobis nocebit: tantum pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire. 49. Et præcepit Iudas prædicare in castris, ut applicarent unusquisque in quo erat loco: 50. Et applicuerunt se viri virtutis: et oppugnavit civitatem illam tota die et tota nocte, et tradita est civitas in manu eius: 51. Et peremerunt omnem masculum in ore gladii, et eradicavit eam, et accepit spolia eius, et transivit per totam civitatem super interfectos. 52. Et transgressi sunt Iordanem in campo magno, contra faciem Bethsan. 53. Et erat Iudas congregans extremos, et exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Iuda: 54. Et ascenderunt in montem Sion cum lætitia et gaudio, et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace. 55. Et in diebus quibus erat Iudas et Ionathas in terra Galaad, et Simon frater eius in Galilæa contra faciem Ptolemaidis, 56. Audivit Iosephus Zachariæ filius, et Azarias princeps virtutis, res bene gestas, et prælia quæ facta sunt, 57. Et dixit: Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes quæ in circuitu nostro sunt. 58. Et præcepit his qui erant in exercitu suo, et abierunt Iamniam. 59. Et exivit Gorgias de civitate, et viri eius obviam illis in pugnam. 60. Et fugati sunt Iosephus et Azarias usque in fines Iudææ; et ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri, et facta est fuga magna in populo: 61. Quia non audierunt Iudam, et fratres eius, existimantes fortiter se facturos. 62. Ipse autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel. 63. Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, et gentium omnium ubi audiebatur nomen eorum. 64. Et convenerunt ad eos fausta acclamantes. 65. Et exivit Iudas, et fratres eius, et expugnabant filios Esau, in terra, quæ ad austrum est, et percussit Chebron et filias eius: et muros eius et turres succendit igni in circuitu. 66. Et movit ca-

stra ut iret in terram alienigenarum, et perambulabat Samariam. 67. In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium. 68. Et declinavit Iudas in Azotum in terram alienigenarum, et diruit aras eorum, et sculptilia deorum ipsorum succendit igni: et cepit spolia civitatum, et reversus est in terram Iuda.

Vers. 4. MALITIAM FILIORUM BEAN.) Bean, ait S. Hier. in locis Hebr. est *civitas Amorrhæorum, quæ et ipsa a filiis Ruben obtenta est.* Sic et Euseb.

Vers. 5. ET ANATHEMATIZAVIT EOS.) Id est omnino eos evertit et excidit. Hoc enim est Hebr. חרם *cherem*, id est anathema, puta omnimoda cædes, excidium.

Vers. 8. CEPIT GAZER.) Erat hæc urbs in regione Ammon.

Vers. 11. ET TIMOTHEUS EST DUX EORUM.) Timotheus erat dux Ammonitarum, qui perpetui fuere et infensi Iudæorum hostes.

Vers. 19. ET PRÆCEPIT ILLIS: PRÆESTOTE POPULO HUIC, ET NOLITE BELLUM (prælium) COMMITTERE ADVERSUM GENTES, DONEC REVERTAMUR.) Vide hic prudentiam Iudæ, qua vetat relictis prælium; tum quia hostibus erant inferiores, tum quia ipsos omnes custodiæ populi deputarat: iis enim cæsis actum erat de toto populo. Hi violantes præceptum Iudæ conflixerunt cum hoste, ideoque ab eo cæsi sunt, v. 50.

Vers. 23. ET ASSUMPSIT, Iudas Iudæos paucos in Galilæa, periculose ob vicinos hostes in Galilæa et Philisthæa degentes, eosque ADDUXIT IN IUDÆAM.) Ut in ea inter suos tuti quietius habitarent.

Vers. 26. ET QUIA MULTI EX EIS COMPREHENSI (id est, obsessi et quasi capti cinguntur undique ab inimicis) IN BARASA.) Græce *in Bosra,* aliisque civitatibus Galaad, ne possint egredi, vel manus eorum evadere.

Vers. 27. SED ET IN CÆTERIS CIVITATIBUS GALAADITIDIS TENENTUR COMPREHENSI (id est ab hoste vallati et conclusi, uti dixi v. 26. unde sequitur) ET IN CRASTINUM CONSTITUERUNT ADMOVERE EXERCITUM CIVITATIBUS HIS ET COMPREHENDERE (id est, expugnare et capere) ET TOLLERE EOS (id est occidere earum incolas) IN UNA DIE.) Unde Græce est: *In crastinum constituit castra ponere contra munitiones, et capere, et tollere omnes hos in una die.*

Vers. 28. ET CONVERTIT IUDAS ET EXERCITUS EIUS VIAM IN DESERTUM BOSOR REPENTE, ET OCCUPAVIT EAM.) Quia ex improviso cives non cogitantes et imparatos oppressit: Bosor erat urbs Moab ultra Iordanem, sita in tribu Ruben, quam Levitis ad habitandum dedit Iosue capite 20. 8.

Vers. 29. ET SURREXERUNT INDE NOCTE ET IBANT USQUE AD MUNITIONEM.) In quam confugerant timidi Iudæi, ut eos ab obsidentibus et invadentibus hostibus liberarent.

Vers. 30. ET FACTUM EST DILUCULO, CUM ELEVASSENT OCULOS SUOS, ECCE POPULUS MULTUS (hostium, quorum dux erat Timotheus) PORTANTES SCALAS ET MACHINAS, UT CAPERENT MUNITIONEM.) In quam confugerant Iudæi, ad quos liberandos pergebat Iudas.

Vers. 31. ET CLAMOR MAGNUS DE CIVITATE.) Cives enim conclamabant, ut se mutuo acuerent ad repellendum hostes, munitionem invadentes, utque opem Dei et sociorum clamando in cælum implorarent; hostes similiter vocibus et tubis conclamabant, ut se mutuo animarent ad insultum. Unde Iudas utrimque hosce clamores audiens,

Vers. 32. DIXIT EXERCITUI SUO: PUGNATE HODIE PRO FRATRIBUS VESTRIS.) In munitione obsessis, contra hostes eam invadentes, ut ex eorum manibus ipsos liberetis.

Vers. 33. ET VENIT TRIBUS ORDINIBUS POST EOS (ut ex tribus partibus eos cingeret et invaderet, ne evadere possent, cum ex altera parte obsisteret eis munitio Iudæorum, ut elabi nequirent) ET CONCLAMAVERUNT TUBIS (ut hoc inopinato militum clangore suos animaret et hostes percelleret) ET CLAMAVERUNT IN ORATIONE.) Dei opem et victoriam flagitantes, quam et obtinuerunt. Nam Deus hostibus timorem Iudæ incussit, eosque in fugam compulit; unde a Iuda cæsa sunt eorum octo millia, ut dicitur v. seq.

Vers. 35. ET DIVERTIT IUDAS IN MASPHA.) Erat hæc urbs Moabitarum pariter in tribu Ruben, de qua 1. Reg. 22. ver. 3.

Vers. 36. ET CEPIT CASBON.) Græce *Casphor*, uti eam vocavit Noster. v. 26.

Vers. 37. POST HÆC AUTEM VERBA CONGREGAVIT TIMOTHEUS EXERCITUM ALIUM, ET CASTRA POSUIT CONTRA RAPHON TRANS TORRENTEM.) Urbi vicinum, qui v. 41. flumen vocatur.

Vers. 40. SI TRANSIERIT (Iudas) AD NOS PRIOR, NON POTERIMUS SUSTINERE EUM.

Vers. 41. SI VERO TIMUERIT TRANSIRE, etc., TRANSFRETEMUS AD EOS ET POTERIMUS ADVERSUS EUM.) Putant aliqui Timotheum hoc quasi omen accepisse, ex eoque divinasse, an sua, an Iudæ foret victoria; sicut Ionathas idem hoc omen victoriæ de Philisthæis accepit, dixitque: *Si dixerint, Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris*, 1. Reg. 14. 12.

Hostes meticulosi facile vincuntur.

Verius est, Timotheum hoc dixisse ex bellica experientia et coniecturali præsagio. Duces enim belli periti explorant hostium animos, an sint meticulosi, an audaces et de victoria præfidentes. Si enim sint meticulosi, colligunt eos esse infirmos et pusillanimes, ideoque facile prosterni posse; unde eos invadunt et sternunt; si vero videant eos esse audaces et præfidentes, coniiciunt eos esse se fortiores, itaque se subducunt et fugiunt ne ab eis cædantur. Multum enim valet ad victoriam militum fiducia et hostium diffidentia. Ita S. Thom. Sanchez, Serarius et alii. Olim cum essem in Belgio, Neomagi dissidebant cives Catholici ab hæreticis, et utrimque acies parabantur in foro ad confligendum; sed dux hæreticorum poposcit alloquium Consulis et ducis Catholici, ut de pace ageretur. Consul Catholicus ducis hæretici manum apprehendens, deprehendit eam tremulam: unde ad suos reversus: Agite, ait, cives, pugnemus, hostes timent et tremunt, nostra est victoria: pugnarunt, vicerunt, et hæreticos urbe expulerunt. Agesilaus, rex Spartæ bellicosissimus, rogatus quæ dos maxime ducem belli exornaret, respondit: *Audacia adversus hostes, et in oblata opportunitate, ratio et consilium.* Ita Stobæus, serm. 52.

Vers. 42. STATUIT (Iudas) SCRIBAS.) Qui militum nomina in catalogo inscribebant, ut viderent, ne quis cis torrentem remaneret, sed ut cogerent omnes transire, ut totis copiis animose in Timotheum irruens eum prosterneret, uti et fecit.

Vers. 43. ET TRANSFRETAVIT AD ILLOS PRIOR.) Iudas videns suos timere transitum fluminis ob hostium copiam, prior ipse flumen transmisit, ut reliqui eum quasi ducem suum generose sequerentur. Itaque factum est. Quare hac audacia hostes perculit, in fugam egit, cecidit, contrivit, ut sequitur. Idem fecere magni duces qui in rebus arduis primi rem aggressi, milites ad se sequendum suo exemplo animarunt, et rem confecerunt. Ita fecit Cato apud Lucanum, lib. 9. primus arenas Lybicas ingrediens, unde milites ad se sequendum exhortans aiebat:

Ducis audacia hostes percellit.

Exempla.

Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.

Et mox:

fatoque pericula vestra
Prætentate meo.

Idem fecere Alexander Magnus, et Iulius Cæsar, teste Svetonio in eius vita, c. 58. et seq. Tritum est illud Philippi patris Alexandri: *Formidabilior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo.* Et illud Alberti ducis Austriæ apud Sylvium. lib. 2. de gestis Alphonsi: *Si alium, quam me exercitus contra Boemos ductorem petitis, frustra me Austriæ Ducem nominatis. Dux*

enim revera est. qui exercitum ducit, et quem acriter pugnantem exercitus sequitur.

Vers. 45. Et congregavit universos Israelitas.) Ut ex Galaaditide, ubi hostibus cingebantur, secum venirent in terram Iuda, ibique inter præsidia Iudæorum securi degerent, ut dixi de Galilæis, v. 23.

Vers. 46. Et venerunt usque Ephron, et hæc civitas magna in ingressu.) Id est, in aditu Galaaditidis posita. Erat ergo Ephron trans Iordanem in terra Galaad. Distinguuntur hæc tria nomina Ephraim, Ephrem et Ephron. Ephraim enim erat mons tribus Ephraim. Ephrem erat oppidum parvum quinque miliaribus distans a Bethel, respiciens ad Orientem, in quam Christus fugiens Pharisæos, secessit paulo ante mortem, Ioannis 11. 54. Ephron erat civitas, quam Israeli bello eripuit Asa, 2. Paralip. 13. 19. postea vicus magnus contra Septentrionem, viginti miliaribus distans a Ierusalem; ita Adrich. et alii, licet S. Hieron. in locis Hebr. videatur dicere Ephron esse eamdem cum Ephrem. Rursum Ephron fuit triplex, una in tribu Ephraim, de qua iam dixi; altera in tribu Iuda, ait S. Hieron. et Adrich. tertia in tribu Manasse, de qua hic agitur. Hæc enim, ait Adrich. in descriptione tribus Manasse, n. 48. fuit urbs magna et munita valde, ac multis bellicis machinis, telorumque apparatu instructa, sita in via pubblica non procul a Iordane, et pene e regione civitatis Betsan, sive Scytopolis: quam montes utrimque ita circumvallant, ut non nisi per civitatem iter pateat. Unde cum Iudas Machabæus hac exercitum duceret, ac transitus illi per civitatem, quem per nuntios modeste petierat, negaretur, ferro sibi viam aperire coactus est.

Ephron triplex.

Vers. 53. Et erat Iudas colligens extremos.) Agminis sui, scilicet infirmos, debiles, fatigatos, fœminas, pueros, senes; ne quis in via deficeret, vel tarde sequens in hostium manus incideret. Fuit hæc insignis Iudæ providentia et charitas, ut suos omnes salvos reduceret in Iudæam.

Et exhortabatur populum per totam viam.) Ut animose pergeret, ita tamen ut extremos agminis non desereret.

Vers. 56. Audivit Iosephus Zachariæ filius et Azarias princeps virtutis.) Id est, exercitus a Iuda relictus in Iudæa, ut se absente eam custodiret, hac tamen lege, ut cum hoste non confligeret ante suum reditum, ut dictum est versu 18. et 19. Qua re dum hi duo contra iussum Iudæ eo absente confligere voluerunt, cæsi fugatique fuere. Hæc nimirum fuit iusta pœna inobedientiæ, æque ac superbiæ, qua ipsi sibi famam et gloriam præliando instar Iudæ parere sategerunt.

Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.) Id est non erant de semine Mathathiæ et filiorum, asseclarumque eius, quos Deus elegerat in belli sacri duces; ideoque eis vires, robur et victorias tam illustres contulit. Quare cum ipsi a Iuda se segregarunt, imo contra eius iussum, quasi eius gloriæ æmuli pugnarunt, a Deo deserti, victi, cæsique fuere. Discat hic quisque se præliis et officiis non ingerere, sed expectare Dei vocationem; illamque sequi: sic enim prospere Deo dirigente omnia cedent; sin autem, Deo deserente, infeliciter. Porro Iudam elegit Deus, hoc fine, *ut defenderetur gens* (fidelis Ecclesiæ) *unde ventura esset salus mundi*, ait Ruper. l. 10. et c. 25. ut scilicet ex Israele nasceretur Christus mundi Salvator. Vers. 62.

Et viri Iuda magnificati sunt valde. (Viri Iuda vocantur milites Iudæ Machabæi, qui in Galaaditide tam præclara gesserant, et tot victoriis gloriosi. Unde Græca clare habent: *Et vir Iudas et fratres ipsius glorificati sunt.* Perperam ergo nonnulli hinc colligunt Iudam Machabæum fuisse oriundum e tribu Iuda, cum constet eum fuisse e tribu Levi. Vers. 63.

Et expugnabat filios Esau.) Iudas numquam quiescens instar fulminis circumibat debellando Idumæos, Samaritas, Philisthæos, cæterosque Iudæorum hostes, ideoque assiduis de iis victoriis Deo dirigente triumphabat: Unde de iis ante aliquot sæcula vaticinati fuerunt Abdias, Sophonias, aliique prophetæ. Vers. 65.

In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, et sine consilio ac directione Iudæ ducis sui exeunt in prælium.) Hoc merebatur eorum temeritas, ambitio gloriæ et inobedientia. Mariana et Sanchez putant hos Sacerdotes esse Iosephum et Azariam iam dictos v. 56. Planius alii censent fuisse diversos, qui eorum instar avidi gloriæ et Iudæ æmuli, inconsulte hostes invadentes ab eis fusi, cæsique fuere. Vers. 67.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Antiochus Epiphanes a Persis repulsus, audiensque suos a Iuda cæsos, ex mærore ægrotat et moritur; mox v. 17. Lysias substituit ei filium Antiochum Eupatorem. Iudas obsidet arcem Sion: contra eum ab apostatis concitatur Eupator, educitque in aciem centum millia peditum et viginti millia equitum cum 32. elephantis, cum quibus v. 42. Iudas fortiter confligit, ac Eleazarus elephantum regium subiens, cædensque ab eo cadente opprimitur. Inde v. 49. Eupator obsidet Bethsuram, eamque fame capit, idem facturus arci a Iuda erectæ in monte Sion, nisi avocatus Antiochiam perrexisset contra Philippum: quare cum Iudæis pacem iniit, sed eam mox rumpit.

1. Et rex Antiochus perambulabat superiores regiones, et audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, et copiosam in argento et auro, 2. Templumque in ea locuples valde: et illic velamina aurea, et loricæ, et scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnavit primus in Græcia. 3. Et venit, et quærebat capere civitatem, et deprædari eam: et non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in civitate: 4. Et insurrexerunt in prælium, et fugit inde, et abiit cum tristitia magna, et reversus est in Babyloniam. 5. Et venit qui nuntiaret ei in Perside, quia fugata sunt castra, quæ erant in terra Iuda: 6. Et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, et fugatus est a facie Iudæorum, et invaluerunt armis, et viribus, et spoliis multis, quæ ceperunt de castris, quæ exciderunt: 7. Et quia diruerunt abominationem, quam ædificaverat super altare, quod erat in Ierusalem, et sanctificationem, sicut prius, circumdederunt muris excelsis, sed et Bethsuram civitatem suam. 8. Et factum est ut audivit rex sermones istos, expavit, et commotus est valde: et decidit in lectum, et incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat. 9. Et erat illic per dies multos: quia renovata est in eo tristitia magna, et arbitratus est se mori. 10. Et vocavit omnes amicos

*

suos, et dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, et corrui corde præ sollicitudine: 11. Et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum: qui iucundus eram, et dilectus in potestate mea! 12. Nunc vero reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, unde et abstuli omnia spolia aurea et argentea, quæ erant in ea, et misi auferre habitantes Iudæam sine causa. 13. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista: et ecce pereo tristitia magna in terra aliena. 14. Et vocavit Philippum, unum de amicis suis, et præposuit eum super universum regnum suum: 15. Et dedit ei diadema, et stolam suam, et annulum, ut adduceret Antiochum filium suum, et nutriret eum, et regnaret. 16. Et mortuus est illic Antiochus rex, anno centesimo quadragesimo nono. 17. Et cognovit Lysias, quoniam mortuus est rex, et constituit regnare Antiochum filium eius, quem nutrivit adolescentem: et vocavit nomen eius Eupator. 18. Et hi qui erant in arce, concluserant Israel in circuitu sanctorum: et quærebant eis mala semper, et firmamentum gentium. 19. Et cogitavit Iudas disperdere eos: et convocavit universum populum, ut obsiderent eos. 20. Et convenerunt simul, et obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo, et fecerunt balistas et machinas. 21. Et exierunt quidam ex eis qui obsidebantur: et adiunxerunt se illis aliqui impii ex Israel, 22. Et abierunt ad regem, et dixerunt: Quousque non facis iudicium, et vindicas fratres nostros? 23. Nos decrevimus servire patri tuo, et ambulare in præceptis eius, et obsequi edictis eius: 24. Et filii populi nostri propter hoc alienabant se a nobis, et quicumque inveniebantur ex nobis, interficiebantur, et hereditates nostræ diripiebantur. 25. Et non ad nos tantum extenderunt manum, sed et in omnes fines nostros: 26. Et ecce applicuerunt hodie ad arcem Ierusalem occupare eam, et munitionem Bethsuram munierunt: 27. Et nisi præveneris eos velocius, maiora quam hæc facient, et non poteris obtinere eos. 28. Et iratus est rex, ut hæc audivit: et convocavit omnes amicos suos, et principes exercitus sui, et eos qui super equites erant; 29. Sed et de regnis aliis, et de insulis maritimis venerunt ad eum exercitus conductitii. 30. Et erat numerus exercitus eius, centum millia peditum, et viginti millia equitum, et elephanti triginta duo, docti ad prælium. 31. Et venerunt per Idumæam, et applicuerunt ad Bethsuram, et pugnaverunt dies multos, et fecerunt machinas: et exierunt, et succenderunt eas igni, et pugnaverunt viriliter. 32. Et recessit Iudas ab arce, et movit castra ad Bethzacharam contra castra regis. 33. Et surrexit rex ante lucem, et concitavit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam: et comparaverunt se exercitus in prælium, et tubis cecinerunt: 34. Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prælium: 35. Et diviserunt bestias per legiones: et astiterunt singulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, et galeæ æreæ in capitibus eorum: et quingenti equites ordinati unicuique bestiæ electi erant. 36. Hi ante tempus ubicumque erat bestia, ibi erant: et quocumque ibat, ibant, et non discedebant ab ea. 37. Sed et turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias; et super eas machinæ: et super singulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant desuper; et Indus magister bestiæ. 38. Et residuum equitatum hinc et inde statuit in duas partes, tubis exercitum commovere, et perurgere constipatos in legionibus eius. 39. Et ut refulsit sol in clypeos aureos, et æreos, resplenduerunt montes ab eis, et resplenduerunt sicut lampades ignis. 40. Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos, et alia per loca humilia: et ibant caute et ordinate. 41. Et commovebantur omnes inhabitantes terram a voce multitudinis, et incessu turbæ, et collisione armorum: erat enim exercitus magnus valde, et fortis. 42. Et appropiavit Iudas, et exercitus eius in prælium: et ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri. 43. Et vidit Eleazar filius Saura unam de bestiis loricatam loricis regis: et erat eminens super ceteras bestias; et visum est ei quod in ea esset rex: 44. Et dedit se ut liberaret populum suum, et acquireret sibi nomen æternum. 45. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens a dextris et a sinistris, et cadebant ab eo huc atque illuc. 46. Et ivit sub pedes elephantis, et supposuit se ei, et occidit eum: et cecidit in terram super ipsum, et mortuus est illic. 47. Et videntes virtutem regis, et impetum exercitus eius, diverterunt se ab eis. 48. Castra autem regis ascenderunt contra eos in Ierusalem, et applicuerunt castra regis ad Iudæam et montem Sion. 49. Et fecit pacem cum his qui erant in Bethsura: et exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbata erant terræ. 50. Et comprehendit rex Bethsuram: et constituit illic custodiam servare eam. 51. Et convertit castra ad locum sanctificationis dies multos: et statuit illic balistas, et machinas, et ignis iacula, et tormenta ad lapides iactandos, et spicula, et scorpios ad mittendas sagittas, et fundibula. 52. Fecerunt autem et ipsi machinas adversus machinas eorum, et pugnaverunt dies multos. 53. Escæ autem non erant in civitate, eo quod septimus annus esset: et qui remanserant in Iudæa de gentibus, consumpserant reliquias eorum, quæ repositæ fuerant. 54. Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames: et dispersi sunt unusquisque in locum suum. 55. Et audivit Lysias quod Philippus, quem constituerat rex Antiochus, cum adhuc viveret, ut nutriret Antiochum filium suum, et regnaret, 56. Reversus esset a Perside, et Media, et exercitus qui abierat cum ipso, et quia quærebat suscipere regni negotia: 57. Festinavit ire, et dicere ad regem, et duces exercitus: Deficimus quotidie, et esca nobis modica est, et locus quem obsidemus est munitus, et incumbit nobis ordinare de regno. 58. Nunc itaque demus dextras hominibus istis, et faciamus cum illis pacem, et cum omni gente eorum: 59. Et constituamus illis ut ambulent in legitimis suis sicut prius; propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt, et fecerunt omnia hæc. 60. Et placuit sermo in conspectu regis et principum: et misit ad eos pacem facere, et receperunt illam. 61. Et iuravit illis rex, et principes: et exierunt de munitione. 62. Et intravit rex montem Sion, et vidit munitionem loci: et rupit citius iuramentum, quod iuravit: et mandavit destruere murum in gyro. 63. Et discessit festinanter, et reversus est Antiochiam, et invenit Philippum dominantem civitati: et pugnavit adversus eum, et occupavit civitatem.

Vers. 1. ET REX ANTIOCHUS.) Epiphanes cum quo hucusque Iudæ et Iudæis fuit contentio et bellum. Hic ergo perrexit ELYMAIDEM, quæ alio nomine dicta est *Persepolis*, id est Persarum civitas, imo metropolis, 2. Machab. 9. ut expilaret TEMPLUM IN EA LOCUPLES, Veneri dicatum; sed a civibus fuit repulsus. Hebræi enim Persiam vocant Elam, unde Elamitas appellant Persas, et Elymaidam, quam Græci vocant Persepolim. Sic Hebr. *Bethsames* a Græcis vocatur *Heliopolis*, a Latinis *civitas solis*. Sic *Simon* Hebr. vocatur *Chananæus*, Græce *Zelo-*

A

tes, Latine *Æmulator*. Porro *templum* hoc Veneri fuisse dicatum asserit Appianus, licet Ioseph. et S. Hier. in c. 8. Daniel. putent fuisse Dianæ, Iustinus vero libr. 32. Iovis Dindymæi.

Vers. 4. REVERSUS EST IN BABYLONIAM.) Ibique mœrore mortuus anno regni sui duodecimo qui fuit Græcorum annus 149. fuse mors eius describitur lib. 2. cap. 9.

Antiochus Epiphanes ubi mortuus. Nota: *Reversus est*, id est reverti cœpit, perrexit Babylonem, sed eo non pervenit, mortuus enim est in montibus Persidis et Mediæ iuxta Ecbatanam, ut dicitur l. 2. c. 9. v. 3. et 27. τό ergo *reversus* significat actum inchoatum, non perfectum: unde pro αποςρεψας id est *reversus est*, Græca, Vaticana et Regia habent αποςρεψαι, id est *reverti*, sive *ut reverteretur*, hoc est, *abscessit inde repetens Babyloniam*, ut vertit Vatab Quocirca Perer. in Daniel. cap. 11. et Salianus censent Antiochum defunctum in montibus Mediæ, licet Serarius malit eum ibi graviter ægrotare cœpisse, sed Babylone esse defunctum.

Vers. 7. ET QUIA DIRUERUNT (Iudas et Iudæi) ABOMINATIONEM, id est abominabile idolum Iovis Olympii, quod Antiochus super altare in templo collocarat: ET SANCTIFICATIONEM, id est sanctuarium, sive sanctum templum CIRCUMDEDERUNT MURIS.

Vers. 12. NUNC VERO REMINISCOR MALORUM.) Ecce conscientia scelerum arguit, ut agnoscat se ob sua scelera et sacrilegia contra Deum, templum et Iudæos commissa cruciari et ad mortem adigi. En quam verum: *Conscientia mille testes!* id patet in Caino vago et profugo ob cædem fratris Abelis, Genes. 4. in fratribus Iosephum vendentibus, Gen. 42. 21. in Iuda proditore, Matth. 27. 4. Urgente enim pœna, statim conscientia menti culpam quasi pœnæ causam in memoriam revocat, eamque sua increpatione castigat et pulsat.

Vers. 15. ET DEDIT EI Philippo sibi intimo DIADEMA ET STOLAM SUAM ET ANNULUM.) Ut ea quasi regis insignia deferret ad filium suum Ant. Eupatorem puerum, eumque educaret et dirigeret quasi pædagogus, ac sibi in regno substitueret curando, ut ipse regnaret, ne Demetrius eius consobrinus regnum invaderet, uti re ipsa fecit.

Vers. 17. ET COGNOVIT LYSIAS, QUONIAM (quod) MORTUUS EST REX ANTIOCHUS (Epiphanes) ET CONSTITUIT REGNARE (ut regnaret, hoc est regem proclamavit) ANTIOCHUM FILIUM EIUS (novennem, ait Appianus in Syriaco) ET VOCAVIT NOMEN EIUS EUPATOR.) Id est bono et felici patre natus, magnis natalibus ortus; Epiphanis, id est illustris patris generosus et illustris filius. Sic ευπατρια vocatur generosa filia. Et ευπατριδαι dicti sunt a Theseo nobiles Atheniensium, teste Plutar. in Theseo, qui et in Publicola Patricios Romanorum vocat ευπατριδας, idemque nomen Budæus in Epist. Doctor. Venetis attribuit. Aliter Pagnin. in nomin. Hebr. *Eupator*, inquit, idem est quod *bonus pater*, id est bonus Princeps. Hic enim subditos amat quasi filios, eisque se benignum et beneficum quasi patrem exhibet. Prius etymon videtur aptius et verius. Nam Syri, ait Appianus in Syriaco, Antiocho cognomen addiderunt Eupatori propter patris virtutem, quasi dicerent eum felicem, cui talis pater contigisset.

Vers. 18. ET HI QUI ERANT IN ARCE.) q. d. Milites Antiochi occupantes arcem Sion, scientes Iudam cum copiis abesse, excurrendo continuo vexabant præsidiarios paucos, quos Iudas in arce vicina priori obiecta ad eos compescendum collocarat; quin et

CONCLUSERANT ISRAEL IN CIRCUITU SANCTORUM, (ut extra suam arcem et templum pedem efferre non auderent: atque hac ratione augebatur semper) FIRMAMENTUM GENTIUM.) Hoc est, robur et fortitudo Antiochistarum. Quare Iudas cum toto exercitu eos arcemque Sion obsedit anno 150. Græcorum, qui fuit annus secundus Eupatoris.

Vers. 21. ET ADIUNXERUNT SE ILLIS ALIQUI IMPII EX ISRAEL.) Invidentes gloriæ Iudæ, qui proinde regem Ant. Eupatorem adierunt, excitantes eum ut Iudam contereret, sperantes se in locum Iudæ ab eo substituendos, ut Iudææ forent præfecti et domini. Erant ergo hi apostatæ et proditores Israelis.

ET IRATUS EST REX.) Ant. Eupator iuvenis, imo puer Vers. 28.
excitatus a Lysia et suis consiliariis, qui proinde contra Iudam collegit centum millia peditum et 20. millia equitum cum 32. elephantis, qui erant DOCTI AD PRÆLIUM.

ET EXIERUNT (Iudæi obsessi ex sua arce Bethsura) Vers. 31.
ET SUCCENDERUNT EAS (machinas ab Eupatore contra se erectas) ET PUGNAVERUNT VIRILITER.) Fortiter se suamque Bethsuram propugnando.

ET ELEPHANTIS OSTENDERUNT SANGUINEM (succum si- Vers. 34.
ve liquorem, puta rubentem instar sanguinis) UVÆ ET MORI (ex arbore moro) AD ACUENDOS EOS IN PRÆLIUM.) Ut viso quasi sanguine concitarentur et efferarentur ad sanguinem hostium fundendum. Licet enim elephantes, tauri, leones non egeant hac proritatione, cum dracones, aliaque animalia sibi infesta cernant, ea tamen indigent in prælio hominum: nam cum hominibus non habent antipathiam.

Porro elephantes hos fuisse enormes et robustissimos liquet ex eo quod erant Indici; nam Indum habebant magistrum: Indici autem sunt maximi et validissimi, longeque Lybios superant, teste Livio libr. 37. Rursum ex eo quod quilibet elephas dorso gestaret turrim celsam et validam, in eaque 32. armatos cum telorum armorumque copia. Insuper ex eo quod cuilibet elephanti assisterent quingenti equites, ita ut 32. elephantis universim assisterent sedecim millia equitum cum elephantis et pro elephantis depugnantium. Eo maior fuit virtus Iudæ et Iu- Elephantes in
dæorum cum tantis monstris generose dimicantium. In- prælio.
super cuique elephanto assistebant mille pedites, quare Cur??
32. elephantis assistebant 32. millia peditum. Nota primo, Resp. 1.
priscos elephantis usos, et etiamnum Indos uti in præliis ob causas quas recenset Vegetius, l. 3. de re milit. c. 24. *Elephantes*, inquit, *in præliis magnitudine corporum, barritus horrore, formæ ipsius novitate, homines equosque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit. Postea Hannibal in Africa, rex Antiochus in Oriente, Iugurtha in Numidia copiosos habuerunt; adversus quos diversa excogitata sunt genera armorum:* his adde primo fœtorem, qui in elephantis tam gravis est ut equi hostium eum ferre non valentes aufugiant, nisi illi prius assueverint; secundo, e- 2.
lephantem præ aliis animalibus esse docilem, adeo ut proxime ad docilitatem, prudentiam et sagacitatem hominum accedat, ut docent Plinius, lib. 8. c. 2. Arist. lib. 9. Hist. anim. cap. 46. Docetur ergo præliari, et quomodo in prælio se gerere, quæque munia obire debeat. Recenset ea Ælianus, lib. 12. et 22; tertio, elephantes æque ac 3.
tauros obiectu sanguinis irritari, efferari et concitari, ut in hostem ruant, uti docet Valesius S. Philos. 82. ex adverso noster Sanchez censet colorem sanguineum uvæ et mori elephantis fuisse ostensum, ut meminissent se hoc succo a vulneribus curatos, et rursum si in prælio vulnerentur fore curandos. Vulnera enim et morbos elephantis a rectoribus curari vino nigro tradit Ælian. l. 11. c. 7. Arrianus et Strabo. Id quod apte congruit Tropologiæ. Si enim sanguis uvæ accendit elephantem, ut memor beneficii et curationis per illum ab hero acceptæ, pro eo depugnet et in gladios hastasque proruat, quid nos facere oportet intuentes Christum, qui pro nobis omnem suum sanguinem, vitamque in cruce profudit? Addit Ælianus l. 3. de animalibus, vinum dari elephantis ad potandum, ut eo accensi, quasi ebrii in enses, armaque ruant. Idem apud Iudæos factum docet lib. 3. Machab. c. 5. *Iussit*, inquit, *Hermon elephantorum præfectus, ut proxima die thus largis manipulis cum vino mero plurimo potui daretur elephantis omnibus numero quingentis, ut potu affatim præbito efferati ad mortem Iudæis afferendam introducerentur.* Thus enim vino immistum sensus hebetat, eisque stuporem immittit. Sic vinum epotum a tauris aliisque animalibus eos facit animosos et audaces, imo feroces et furiosos; ut in obvios quosque irruant.

ET ASTITERUNT SINGULIS ELEPHANTIS MILLE VIRI IN Vers. 35.
LORICIS CONCATENATIS.) Quæ scilicet instar retis, annu-

lis, seu hamulis inter se connectebantur, unde et hamatæ et squamatæ dicebantur, quali indutus erat Goliath duellans cum Davide 1. Regum cap. 17. vers. 5.

Vers. 36. Hi ante tempus ubicumque erat bestia, ibi erant.) q. d. Hi mille viri cum celeritatem gressus elephantis æquare non possent, præibant elephantem: quare ante tempus, quo bestia ad certum locum adveniebat, ipsi illam in eodem præveniebant: dum enim cernerent bestiam ad certum locum contendere, ipsi per semitas breviores et directas, eodem procurrebant, et bestiam prævertebant.

Vers. 37. Sed et turres ligneæ super eos firmæ.) Habentes sua valla et loricas, quibus erant *protegentes* tum ipsos milites, tum eorum machinas.

Et super singulas (turres) viri virtutis (id est strenui et fortissimi) triginta duo qui pugnabant desuper (in subiectos hostes; unde eos facile sternebant) et Indus magister (rector) bestiæ. Unde liquet hos elephantes fuisse Indicos, qui longe grandiores et robustiores sunt Africanis; hi enim vix sex, vel septem armatos portant. Ita ex Livio, Plinio, Solino et aliis Gesnerus et Aldrovandus in elephante.

Vers. 39. Et ut refulsit sol in clypeos aureos et æreos, resplenduerunt montes ab eis. Tum quia exercitus hic in suos ordines distributus, sole clypeos eorum reverberante, intuentibus totidem videbatur in se exhibere montes ære et auro splendentes; tum quia ordines hi erant *in vallibus*, ut habet Græcus: quare ex vallibus fulgor in clypeis radiis solis excitatus, reverberabatur in vicinos montes, uti illi toti, fulgidi et splendentes apparerent. Sicut lampades ignis, id est accensæ et ignitæ, præsertim quia, ut sequitur, pars exercitus regii per montes, pars per valles incedebat. S. Ambros. lib. 1. offic. 41. hæc ad elephantes refert: *Hi enim*, inquit, *ad ortum solis, velut montes quidam armorum corusco, tamquam lampadibus ardentibus refulgebant.*

Vers. 42. Et ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri.) Iudas ergo statim initio prælii prostravit sexcentos milites Antiochi, ac mox quatuor millia, ut dicitur l. 2. c. 13. v. 18.

Vers. 43. Et vidit Eleazar filius Saura unam de bestiis.) Hic Eleazar fuit frater Iudæ Machabæi, ait Ioseph. qui c. 2. 5. cognominatus est Avaron vel Abaron; unde pro *Saura* Ioseph. legit *Auran*, Codex Basil. *Abaran*. Nam in Græco non est τὸ *filius*, sed tantum *Eleazar Avaran*. Unde Vatablus vertit: *Eleazar qui vocatur Abaran*, id est *fortis eorum*. Sic et Gorionides, Serarius, Salianus et alii. Addit Gorionides eum hortatu fratris sui Iudæ aggressum esse elephantem. Hinc et Eleazari fratris Iudæ nulla fit mentio, uti fit Ionathæ, et Simonis, et Ioannis fratrum Iudæ. Videtur ergo hic Eleazar fuisse frater Iudæ, qui hic generose sub elephante occubuit.

Dices: Quomodo ergo vulgata habent *filius Saura?* Resp. Eleazar erat filius Mathathiæ, qui cognominatus est *Saura*, vel, ut Græca habent, *Avaran* vel *Abaran*, id est *fortis eorum*. Ipse enim vexillum fortitudinis contra Antiochum primus erexit. Porro cognomen hoc Abaron Mathathias ad filium suum Eleazarum transtulit ob egregiam eius animi, corporisque fortitudinem. Erant enim Hebræi polyonomi et plura a variis dotibus, vel eventis sortiebantur nomina, vel potius agnomina: forte ex שאבירין *sceabbiron* vel *sceavaran*, id est, *cui est fortitudo*, per crasin factum est *Saura*, sicut Genes. 49. pro *Silo*, id est Messias, Septuaginta legerunt שלו *Selo*, id est *quæ illi*, scilicet Christo, reposita sunt, puta regnum æternum et gloria æterna. Simili enim modo plura nomina propria usu contracta, imo corrupta et detorta videmus: Sanchez tamen negat Eleazarum hunc fuisse fratrem Iudæ.

Vers. 44. Et dedit se in pugnam contra elephantem, ideoque in certam mortem hoc fine primario, ut liberaret populum suum ab invasione regis Antiochi Eupatoris; secundario, ut acquireret sibi nomen æternum.) Tum in terra apud homines, ut eos suo exemplo incitaret ad similia heroica facinora, tum potius in cælo apud Deum et S. Angelos. Atque utrumque consecutus est. Nam ut ait S. Ambr. loco mox citando: *Rex territus unius fortitudine pacem rogavit.*

Vers. 46. Et ivit sub pedes elephantis.) Ut ventrem eius perfoderet, itaque eum faceret ruere, ac ruina sua regem opprimeret, qua tamen se quoque opprimendum sciebat. Intendebat ergo directe regem occidere, indirecte vero intendebat permittere se quoque eadem ruina opprimi, sine qua regem occidere non poterat. Sic milites in acie primum locum ambiunt, ut primi in urbem, vel hostem insiliant, etiamsi sciant plerosque eorum cadendos et occubituros, hancque mortem putant suam esse gloriam. Sic Samson concussis columnis domum evertit, ut satrapas Philisthæorum ruina domus obrueret, etiamsi eadem se obruendum sciret, Iudic. 16. 29. Vide ibi dicta. Quocirca Eleazarum a robore et zelo laudant S. Ambros. S. Gregor. Serarius, Salianus et alii passim. Simile facinus narrat Xenophon. lib. 7. Cyripæd. de quodam, qui ventre equi Cyri transfixo Cyrum deiecit. Audi sanctum Ambrosium libro 1. offic. cap. 40. *Quanta igitur virtus* inquit, *animi, primo ut mortem non timeret: deinde ut circumfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, et contempta morte ferocior, abiecto clypeo, utraque manu vulneratæ molem bestiæ subiret ac sustineret; post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu. Cuius ruina inclusus magis, quam oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes, inermem occupatum incursare non ausi post casum ruentis bestiæ, sic trepidaverunt, ut impares se omnes unius virtuti arbitrarentur.* Et mox: *Itaque Eleazarus hæredem virtutis suæ pacem reliquit.*

Vers. 46. Et cecidit (elephas) super ipsum (Eleazarum, qui se ei supposuerat) et mortuus est illic.) Eleazarus, oppressus ab elephante supra se cadente. Symb. S. Gregor. lib. 19. mor. cap. 13. *Eleazar, ait, in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit. Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsa, quæ subiiciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur; qui de culpa quam superat elevatur.*

Vers. 47. Et videntes (Iudas et Iudæi) virtutem regis, id est, exercitum regis tam validum et copiosum, ut ipsi pauci eum prosternere non possent, prudenti consilio ad tempus diverterunt se ab eis, et perrexerunt ad obsidendum arcem in monte Sion ab Antiochistis occupatam. Similiter rex tot suorum a Iuda cæsis territus se subduxit, nec ausus fuit Iudam abeuntem insequi, sed Bethsuram obsedit. Nota: In hisce libris per *virtutem* intelligitur validus exercitus; hunc enim significat Græcum δύναμις.

Vers. 49. Et fecit pacem cum eis, qui erant in Bethsura, cum pacto, ut eos fame morientes sineret egredi, et alimenta quærere, ipse vero Bethsuram occuparet: quia sabbata erant terræ.) Id est, quia erat annus septimus, sive sabbaticus, quo nec serere, nec metere licebat, sed terræ danda erat sua quies iuxta legem Exodi 23. Simili ratione Herodes fame cepit Ierosolymam in anno sabbatico, uti narrat Iosephus, lib. 14. 28.

Vers. 51. Et convertit (rex Ant. Eupator) castra ad locum sanctificationis, ut templum et arcem, quam iuxta illud ad tutelam erexerat Iudas cap. 4. 60. expugnaret: et statuit illic balistas, etc. et scorpios, quæ erant machinæ, sive catapultæ ad mittendas sagittas et fundibula.) Græce σφενδόνας, id est fundas, sive balistas maiores, quæ lapides grandes fundebant et iaculabantur in urbem, de quibus vide Vegetium, Lypsium, Valtrinum et alios.

Vers. 55. Et audivit Lysias quod Philippus, etc.) Lysias qui regebat Eupatorem regem, utpote puerum, timens Philippum, ne se suo loco graduque extruderet, eo quod Philippus a patre Ant. Epiphane moriente constitutus fuisset gubernator regni æque ac filii Eupatoris, suasit Eupatori pacem facere cum Iudæis; ac contra Philippum pergere,

ne is regnum invaderet; itaque factum est: unde 2. Mach. 13. 22. hæc supplentur et adduntur, quæ valde Iudæ fortitudinem et victoriam commendant: *Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsuris: dextram dedit, accepit, abiit, commisit cum Iuda: superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus Iudæos deprecans, subditusque eis iurat de omnibus, quibus iustum visum est: et reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, et munera posuit, Machabæum amplexatus est, et fecit eum a Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem et principem.*

Vers. 62. Et rupit citius iuramentum, quia arcem erectam a Iuda ad templi tutelam curavit everti, dum ut sequitur, mandavit destruere murum (arcis) in gyro.) Sed mox regem perfidiæ suæ pœnituit, qui cupiens uti auxilio, et robore Iudæ et Iudæorum contra Philippum, cum eo fœdus renovavit, Iudamque amplexatus fecit eum ducem et principem, uti iam dixi ex 2. Machabæorum 13.

Et pugnavit adversum eum (Philippum sibi rebellantem eumque captum occidit) et occupavit civitatem.) Vers. 63.
Antiochiam, adiutus valde auxiliis Iudæ et Iudæorum, uti narrat Iosephus et Gorionides. Porro Antiochia est metropolis Syriæ, urbs celeberrima, quam Orontes fluvius interfluit, postea a Iustiniano Imperat. dicta Theopolis, id est Dei civitas. In ea primum sedit Petrus Apostolus, ibique primum fideles appellati sunt Christiani. Dicta est Antiochia ab Antiocho, sicut Epiphania ab Epiphane, Alexandria ab Alexandro, Roma a Romulo, Constantinopolis a Constantino fundatore. Porro Antiochiam condidit Seleucus Nicanor, qui primus post Alexandrum Magnum in Asia et Syria regnavit, eamque ex nomine patris sui Antiochi Antiochiam nuncupavit, et Syriæ caput constituit, ait sanctus Isidorus, lib. 15. Origin. cap. 1.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Demetrius Seleuci filius Roma fugiens, paternum Syriæ regnum occupat, ideoque Ant. Eupatorem suum consobrinum illud occupantem cum Lysia tutore interficit. Mox falsis Alcimi accusationibus incitatus contra Iudam mittit Bacchidem, sed Iudas utrumque comprimit. Tandem v. 26. Demetrius mittit Nicanorem, sed hunc quoque vincit et occidit Iudas, caputque eius cum manu suspendit contra Ierusalem.

1. Anno centesimo quinquagesimo primo, exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, et ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, et regnavit illic. 2. Et factum est, ut ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum et Lysiam, ut adducerent eos ad eum. 3. Et res ei innotuit, et ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum. 4. Et occidit eos exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui: 5. Et venerunt ad eum viri iniqui et impii ex Israel; et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. 6. Et accusaverunt populum apud regem, dicentes: Perdidit Iudas, et fratres eius, omnes amicos tuos, et nos dispersit de terra nostra. 7. Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, et videat exterminium omne quod fecit nobis, et regionibus regis: et puniat omnes amicos eius, et adiutores eorum. 8. Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnum in regno, et fidelem regi: et misit eum, 9. Ut videret exterminium quod fecit Iudas; sed et Alcimum impium constituit in sacerdotium, et mandavit ei facere ultionem in filios Israel. 10. Et surrexerunt, et venerunt cum exercitu magno in terram Iuda: et miserunt nuntios, et locuti sunt ad Iudam, et ad fratres eius, verbis pacificis in dolo. 11. Et non intenderunt sermonibus eorum: viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno. 12. Et convenerunt ad Alcimum et Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ iusta sunt: 13. Et primi, Assidæi qui erant in filiis Israel, et exquirebant ab eis pacem. 14. Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos: 15. Et locutus est cum eis verba pacifica: et iuravit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. 16. Et crediderunt ei: et comprehendit ex eis sexaginta viros, et occidit eos in una die, secundum verbum quod scriptum est: 17. Carnes sanctorum tuorum, et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem, et non erat qui sepeliret. 18. Et incubuit timor et tremor in omnem populum: quia dixerunt: Non est veritas et iudicium in eis: transgressi sunt enim constitutum, et iusiurandum quod iuraverunt. 19. Et movit Bacchides castra ab Ierusalem, et applicuit in Bethzecha: et misit, et comprehendit multos ex eis qui a se effugerant, et quosdam de populo mactavit, et in puteum magnum proiecit. 20. Et commisit regionem Alcimo, et reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipsi. Et abiit Bacchides ad regem: 21. Et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotii sui: 22. Et convenerunt ad eum omnes, qui perturbabant populum suum, et obtinuerunt terram Iuda, et fecerunt plagam magnam in Israel. 23. Et vidit Iudas omnia mala quæ fecit Alcimus, et qui cum eo erant, filiis Israel, multo plus quam gentes: 24. Et exiit in omnes fines Iudææ in circuitu, et fecit vindictam in viros desertores, et cessaverunt ultra exire in regionem. 25. Vidit autem Alcimus quod prævaluit Iudas, et qui cum eo erant: et cognovit quia non potest sustinere eos, et regressus est ad regem, et accusavit eos multis criminibus. 26. Et misit rex Nicanorem, unum ex principibus suis nobilioribus: qui erat inimicitias exercens contra Israel: et mandavit ei evertere populum. 27. Et venit Nicanor in Ierusalem cum exercitu magno, et misit ad Iudam et ad fratres eius verbis pacificis cum dolo, 28. Dicens: Non sit pugna inter me et vos: veniam cum viris paucis, ut videam facies vestras cum pace. 29. Et venit ad Iudam, et salutaverunt se invicem pacifice: et hostes parati erant rapere Iudam. 30. Et innotuit sermo Iudæ, quoniam cum dolo venerat ad eum: et conterritus est ab eo, et amplius noluit videre faciem eius. 31. Et cognovit Nicanor quoniam denudatum est consilium eius: et exivit obviam Iudæ in pugnam iuxta Capharsalama. 32. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri, et fugerunt in civitatem David. 33. Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion: et exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace, et demonstrare ei holocautomata, quæ offerebantur pro rege. 34. Et irridens sprevit eos, et polluit: et locutus est superbe, 35. Et iuravit cum ira, dicens: Nisi traditus fuerit Iudas, et exercitus eius in manus meas, continuo cum regressus fuero in pace, succendam do-

mum istam. Et exiit cum ira magna: 36. Et intraverunt sacerdotes, et steterunt ante faciem altaris et templi: et flentes dixerunt: 37. Tu Domine elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo: 38. Fac vindictam in homine isto, et exercitu eius, et cadant in gladio: memento blasphemias eorum, et ne dederis eis ut permaneant. 39. Et exiit Nicanor ab Ierusalem, et castra applicuit ad Bethoron: et occurrit illi exercitus Syriæ. 40. Et Iudas applicuit in Adarsa cum tribus millibus viris: et oravit Iudas, et dixit: 41. Qui missi erant a rege Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te, exiit Angelus, et percussit ex eis centum octoginta quinque millia: 42. Sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie: et sciant ceteri quia male locutus est super sancta tua: et iudica illum secundum malitiam illius. 43. Et commiserunt exercitus prælium tertia decima die mensis Adar: et contrita sunt castra Nicanoris, et cecidit ipse primus in prælio. 44. Ut autem vidit exercitus eius quia cecidisset Nicanor, proiecerunt arma sua, et fugerunt: 45. Et persecuti sunt eos viam unius diei ab Adazer usquequo veniatur in Gazara, et tubis cecinerunt post eos cum significationibus: 46. Et exierunt de omnibus castellis Iudææ in circuitu, et ventilabant eos cornibus, et convertebantur iterum ad eos, et ceciderunt omnes gladio, et non est relictus ex eis nec unus. 47. Et acceperunt spolia eorum in prædam: et caput Nicanoris amputaverunt, et dexteram eius quam extenderat superbe, et attulerunt, et suspenderunt contra Ierusalem. 48. Et lætatus est populus valde, et egerunt diem illam in lætitia magna. 49. Et constituit agi omnibus annis diem istam tertia decima die mensis Adar. 50. Et siluit terra Iuda dies paucos.

Vers. 1. Historia Antiochi et Demetrii.

Anno 151 (Græcorum) exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma.) Ut historiam hanc ab ovo intelligas, nota ex Appiano, Iustino et aliis Antiochum Magnum cum Hannibale devictum a L. Scipione, et Romanis pacem cum eo iniisse, ac obsidem pacis misisse Romam filium iuniorem Ant. Epiphanem, cap. 1. 11. Mortuo Antiocho Magno, successit filius senior Seleucus Philopator, qui fratrem suum Ant. Epiphanem Roma revocavit ad se, ut eius opera Syriam recuperaret et Ægyptum occuparet, ac eius loco obsidem Romanis dedit filium suum Demetrium decennem, de quo hic agitur. Defuncto paulo post Seleuco successit frater Ant. Epiphanes, qui 12. annis regnavit: quibus exactis moriens substituit sibi filium Ant. Eupatorem puerum novennem. Demetrius Romæ id audiens petiit a Romanis missionem, ut regnum paternum, quod ei tamquam Seleuci senioris Epiphanis fratris filio iure debebatur, excluso Eupatore puero consobrino suo, adiret. Negarunt Romani, faveruntque Eupatori, a quo quasi puero nil metuebant. Videns id Demetrius clam Roma fugit in Syriam: Syri id audientes turmatim ad eum, quasi legitimum regni successorem, confluxerunt; imo milites Eupatoris ab eo ad Demetrium, quasi regem, defecerunt, eiusque iussu Eupatorem cum tutore Lysia occiderunt: Demetrius ergo Antiochiam occupans in ea cœpit regnare annum ætatis agens 23. nam decimo ætatis anno a Seleuco patre obses missus fuit Romam, ibique mansit tota vita Antiochi Epiphanis patrui sui per 13. annos; ac eo mortuo ætatis suæ anno 23. in Syriam rediit, et regnum avitum recepit. Audi Appianum in Syriaco: *Senatus lætus audiit Antiochum* (Epiphanem) *qui paucis annis generose regnaverat tam cito mortuum. Attamen Demetrium Seleuci filium, nepotem Magni Antiochi, consobrinum huius pueri* (Eupatoris) *adhuc in urbe obsidem, ingressum iam annum vigesimum tertium quamvis rogantem, et dicentem se propiorem hæredem, noluit in regnum deducere, existimans conducibilius sibi regi Syriam a puero, quam a viro.* Et statim: *Demetrius rursum patres adiit rogans, ut saltem obses esse desineret, quandoquidem permutatus sit Antiocho, qui tunc defunctus erat. Et cum ne hoc quidem impetraret, clam aufugit navigio, exceptusque a Syris magna gratulatione regnum adeptus est. Lysia primum interfecto, mox et puero, eiectoque Heraclida, et Tymarcho ut rebelli occiso, qui alioquin etiam Babylonis præfecturam male administraverat. Quamobrem Soter appellatus est, orto a Babyloniis initio.* Hanc ergo ob causam Demetrius hic cognominatus fuit *Soter*, id est *salvator*, inquit Eusebius in Chronolog. et Appianus in Syriaco.

Ascendit cum paucis in civitatem maritimam.) Scilicet Tripolim, ut dicitur 2. Mach. 14. 1. ibique a suis Syris ut legitimus rex agnitus cœpit regnare, donec exercitus Syriacus Eupatoris audiens eius adventum, eum Antiochiam invitavit ad occupandum regni Syriæ metropolim. Unde sequitur:

Et factum est, ut ingressus est domum regni patrum suorum, id est, urbem regiam, regnique metropolim, puta Antiochiam, comprehendit exercitus (Syriacus Eupatoris favens Demetrio, ad eumque quasi legitimum regem transiens) Antiochum (Eupatorem) et Lysiam eius tutorem, ut adducerent eos ad eum) Demetrium. Vers. 2.

Et res ei innotuit, et ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum.) q. d. Nolo eos videre, ne Eupatoris consobrini mei pueri aspectu ad misericordiam, et vitam ei condonandam flectar, q. d. Malo eos aspicere mortuos quam vivos, ne si ego eos occidam, habear sævus et crudelis: vos ergo, quasi inscio me, eos occidite, ut solus secure sine æmulo regnem; unde sequitur: Vers. 3.

Et occidit eos exercitus.) Hinc patet Eupatorem vix biennium regnasse; cœpit enim regnare post mortem patris Antiochi Epiphanis, quæ contigit anno 149. Græcorum, ut dictum est, desiit vero anno 151. Græcorum, quo Demetrius regnum adiit, et Eupatorem iam 11. annorum occidit, ut liquet ex vers. 1. Vers. 4.

Porro Eupator tam cito regno et vita Deo vindice spoliatus est; tum ob scelera patris Ant. Epiphanis: tum ob sua, præsertim ob periurium, quo fidem Iudæ et Iudæis datam violavit, ut dictum est c. præced. v. 62.

Et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos.) Summus, id est, Pontifex. Impius et ambitiosus Alcimus invidens Iudæ Pontificatum et Principatum, eum ab Ant. Eupatore obtinuit, eoque occiso eumdem sibi dari, vel potius datum confirmari petiit a Demetrio, et obtinuit. Fuit ergo ipse Pseudo-Pontifex, imo Apostata et proditor Israelis: nam omnes veri Israelitæ Iudam Machabæum habebant pro vero Pontifice et Principe. Vers. 5.

Perdidit Iudas et fratres eius, omnes amicos tuos.) Puta duces et milites Syros, quos contra eos misit Ant. Epiphanes, eiusque filius Eupator, quorum ille tuus fuit patruus, hic consobrinus, q. d. Mitte ergo, o Demetri, mecum ducem cum copiis, qui Iudam hostem tuum Pontificatu et Principatu privet, meque tibi amicum, et fidum in eius locum substituat. Credidit Demetrius scelesto Alcimo calumniatori, misitque cum eo Bacchidem contra Iudam. Vers. 6.

Et elegit rex (Demetrius) ex amicis (aulicis) suis Bacchidem, qui dominabatur (quasi præfectus et Vicerex) trans flumen.) Euphratem in Mesopotamia; hæc enim inter Tigrim et Euphratem interiacet, iisque undique ambitur, et cingitur, indeque vocatur Mesopotamia, q. d. In medio duorum fluminum sita. Vers. 8.

Et primi Assidæi.) De quibus cap. 2. 42. qui erant viri pii, religiosi, ac zelosi, ideoque cum Iuda pro Israele fortissime depugnantes, qui nimis creduli Alcimo quasi sacerdoti Aaronico ab eo decepti, capti et cæsi sunt. Vers. 13.

Secundum quod scriptum est.) Psalm. 78. v. 2. Vers. 16.

Carnes sanctorum tuorum.) Hebr. חסידיך *chasidecha*; unde nomen *Assidæi*, id est sancti, pii et miseri- Vers. 17.

cordes. Ad litteram ergo de Assidæis hic ab Alcimo occisis, ante tot centenos annos illo Psalmo vaticinatus est David.

Vers. 23. Et vidit Iudas.) Iudas se opposuit Alcimo, cæterisque apostatis Israelis, eosque quasi leo laniavit et discerpsit.

Vers. 26. Et misit rex Nicanorem.) Loco Bacchidis, cum validioribus copiis, ut Iudam et Iudæos contereret, et Alcimum eveheret.

Vers. 27. Et venit Nicanor.) Hic multa supplenda et intexenda sunt, quæ narrantur 2. Machab. 14. nimirum Nicanorem præfectum fuisse elephantorum, qui iussu Demetrii veniens in Iudæam, illico omnes Gentiles in ea reliquos, æque ac apostatas Iudæorum ad se evocavit, ex eisque copias contra Iudam et Iudæos instruxit. Iudas cum suis de more ad preces, et Dei opem implorandam confugit. Simon frater Iudæ in aciem contra Nicanorem processit; sed videns tantas eius copias, exterritus retrorsum abiit. Nicanor metuens Iudæ vires et victorias, petiit cum eo colloqui, et de pace pacisci. Iudas die dicta comparuit solus, sed iuxta se in latebris milites armatos constituit, ut si quis dolus patesceret, illico ad se defendendum accurrerent. Verum nullus tum fuit dolus, sed serio rem egit Nicanor, ac cum Iuda sincere pacem iniit. Videns hoc, dolensque Alcimus, Nicanorem apud regem Demetrium accusavit, quod infideliter res regis egisset, ac cum Iuda hoste amicitiam contraxisset. Rex hac de re indignans acres ad Nicanorem dedit litteras, quibus iussit ut Iudam caperet, et ad se Antiochiam perduceret. Nicanor acceptis litteris satagit regis iussa explere, ac Iudam per dolum et pristinæ amicitiæ simulationem capere, et ad regem mittere. Advertit id Iudas, ac se ab eo subduxit, ut hic narratur. Quare Nicanor aperto marte Iudam aggressus, ab eo cæsus capiteque truncatus fuit.

Vers. 31. Et exivit obviam Iudæ in pugnam iuxta Capharsalama.) Id est iuxta Antipatridem, nam urbs hæc amœna et dives in tribu Manasse, postea ab Herode Ascalonita instaurata, et aucta a patre suo Antipatro dicta est Antipatris, vel Antipatrida, ad quam e Ierusalem captivus abductus est S. Paulus stipatus 470. militibus, Act. 23. Hodie villa est quæ Assur dicitur. Ita Adrich. et alii.

Vers. 32. Et fugerunt (reliqui a Iuda non occisi) in civitatem David.) Puta in arcem Sion, quam Antiochistæ obtinebant.

Vers. 34. Et polluit.) Profanavit templum in Sion inferendo in illud Gentiles idololatras cum suis idolis et spurcitiis. Secundo et aptius *polluit* ipsos *sacerdotes*, uti addunt Græca, ipsos cogendo ut cibos immundos et pollutos comederent, vel Deo offerrent.

Locutus est superbe.) Blasphemans templum, legem et Deum; ideoque quasi alter Sennacherib cæsus est, v. 38. et 47. Cum enim quidam e Iudæis dixissent esse Deum vivum in cælo, qui mandasset servari sabbatum, respondit Nicanor: *Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma* (in sabbato) *et iussa regis impleri*, 2. Machab. 15. ubi et additur linguam Nicanoris blasphemam, idcirco paulo post fuisse minutim concisam et avibus ad devorandum proiectam.

Vers. 35. Et iuravit cum ira dicens: Nisi traditus fuerit Iudas, etc. succendam domum istam.) Id est succendam templum. Fusius hæc omnia narrantur, 2. Machab. cap. 14. et 15. vers. 5.

Vers. 43. Et commiserunt prælium tertia decima mensis Adar (Februarii) et contrita sunt castra Nicanoris (cæsis 35. millibus) et cecidit ipse primus.) Ut qui primus et dux fuerat in blasphemia et culpa, primus pariter et dux cæterorum foret in pœna et vindicta. Addit Gorionides Iudam provocasse Nicanorem ad duellum, in eoque eum occidisse. Audi eum c. 24. *Misit ad Nicanorem Iudas dicens: Quando accingis te, egredere in agrum et ostendam solum virum, quem etiam intra penetralia quæsisti. En is exspectat te in convalle et planitie.* Et paulo post: *Vidit Iudas in pugna Nicanorem habentem in sua manu gladium evaginatum; clamansque ait: Contra te, o Nicanor; et cum curreret contra illum in ferroris sui virtute, avertit Nicanor humerum suum, et fugit a facie Iudæ. At Iudas apprehendit eum, percussitque gladio suo, et dissecuit in duas partes.* Verum hæc conficta videntur. In tanto enim hostium numero totis aciebus præliandum erat, non sigillatim duellandum. Additur 2. Machab. 15. Iudam suis narrasse somnium, quo Onias ostenderat sibi Ieremiam porrigentem aureum gladium, dicentemque: *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel*, illoque eos animasse ad pugnam certamque victoriam.

Et tubis cecinerunt post eos cum significationibus.) Nimirum certa tubarum modulatione significantes hostes esse profligatos, ideoque fugere, ut hoc signo Iudæi undequaque exciti accurrerent, ac fugientes persequerentur et mactarent. Unde sequitur: Vers. 45.

Et exierunt de omnibus castellis (oppidis, pagis et vicis) Iudææ in circuitu, et ventilabant eos cornibus.) Id est deiiciebant et repellebant eos suis armis et gladiis, sicut tauri suis cornibus deiiciunt agnos, vel segetes. Vers. 46.

Et convertebantur iterum ad eos.) q. d. Hostes a Iudæis undique concurrentibus repulsi, revertebantur ad Iudam, et Iudæos se insequentes, ibique ab eis profligati.

Ceciderunt omnes gladio, et non est relictus ex eis nec unus.) q. d. Omnes ad unum fuere mactati, ita ut ne unus quidem evaderet, foretque tantæ cladi superstes. Magna et insolita fuit hæc Iudæ victoria, et Nicanoris strages, idque ob eius superbiam et blasphemiam. Hoc ergo secundo Nicanoris prælio ceciderunt militum eius 35. millia, sicut primo prælio v. 32. ceciderant quinque millia.

Et caput Nicanoris amputaverunt, et dexteram eius, quam extenderat superbe (contra templum minans, iuransque se illud combusturum, vers. 35.) et suspenderunt contra Ierusalem.) In arce Sion. 2. Machab. 15. sic suspensum fuit caput Goliath a Davide cæsi, et Holofernis a Iudith, et Saulis a Philisthæis; 1. Regum. c. ult. Vers. 47.

Et constituit (Iudas) agi (quasi festum celebrari) omnibus annis diem istum tertia decima die mensis Adar.) Qua pariter olim Iudæi ab Aman destinati internecioni per Esther liberati fuerant. Unde dies hæc et festum vocatur *Pridie Mardochæi*; hoc enim festum liberationis per Esther et Mardochæum celebratur 14. die Adar, festum vero hoc ob cæsum Nicanorem 13. die Adar, 2. Machab. 14. 37. Vers. 49.

Et siluit terra Iuda dies paucos.) Scilicet usque ad annum sequentem, qui fuit Græcorum 152. quo Demetrius novum ducem novumque exercitum in Iudæam immisit, cum quo Iudas confligens occubuit, ut audiemus cap. 9. Vers. 50.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur fortia et fidelia facta Romanorum, ob quæ Iudas cum eis fœdus init. Unde Romani iubent Demetrio, ut cesset ab infestatione Iudæorum.

1. Et audivit Iudas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, et acquiescunt ad omnia, quæ postulantur ab eis: et quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias, et quia sunt potentes viribus. 2. Et audierunt prælia eorum, et virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, et duxerunt sub tributum: 3. Et quanta fecerunt in regione Hispaniæ, et quod in potestatem redegerunt metalla argenti et auri, quæ illic sunt, et possederunt omnem locum consilio suo et patientia: 4. Locaque quæ longe erant valde ab eis, et reges qui supervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt, et percusserunt eos plaga magna: ceteri autem dant eis tributum omnibus annis; 5. Et Philippum et Persen Ceteorum regem, et ceteros qui adversum eos arma tulerant, contriverunt in bello, et obtinuerunt eos: 6. Et Antiochum magnum regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat habens centum viginti elephantos, et equitatum, et currus, et exercitum magnum valde, contritum ab eis; 7. Et quia ceperunt eum vivum, et statuerunt ei ut daret ipse, et qui regnarent post ipsum, tributum magnum, et daret obsides, et constitutum, 8. Et regionem Indorum, et Medos, et Lydos, de optimis regionibus eorum: et acceptas eas ab eis, dederunt Eumeni regi; 9. Et quia qui erant apud Helladam, voluerunt ire, et tollere eos: et innotuit sermo his, 10. Et miserunt ad eos ducem unum, et pugnaverunt contra illos, et ceciderunt ex eis multi, et captivas duxerunt uxores eorum, et filios, et diripuerunt eos, et terram eorum possederunt, et destruxerunt muros eorum, et in servitutem illos redegerunt usque in hunc diem: 11. Et residua regna, et insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminaverunt, et in potestatem redegerunt. 12. Cum amicis autem suis, et qui in ipsis requiem habebant, conservaverunt amicitiam, et obtinuerunt regna, quæ erant proxima, et quæ erant longe: quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos: 13. Quibus vero vellent auxilio esse ut regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno deturbabant: et exaltati sunt valde. 14. Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea. 15. Et quia curiam fecerunt sibi, et quotidie consulebant trecentos viginti, consilium agentes semper de multitudine, ut quæ digna sunt, gerant: 16. Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, et omnes obediunt uni, et non est invidia, neque zelus inter eos. 17. Et elegit Iudas Eupolemum, filium Ioannis, filii Iacob, et Iasonem, filium Eleazari, et misit eos Romam constituere cum illis amicitiam et societatem. 18. Et ut auferrent ab eis iugum Græcorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israel. 19. Et abierunt Romam viam multam valde, et introierunt curiam, et dixerunt: 20. Iudas Machabæus, et fratres eius, et populus Iudæorum, miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem et pacem, et conscribere nos socios et amicos vestros. 21. Et placuit sermo in conspectu eorum. 22. Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis, et miserunt in Ierusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis et societatis. 23. Bene sit Romanis, et genti Iudæorum, in mari et in terra, in æternum: gladiusque et hostis procul sit ab eis. 24. Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum, 25. Auxilium feret gens Iudæorum prout tempus dictaverit, corde pleno: 26. Et præliantibus non dabunt, neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis: et custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. 27. Similiter autem et si genti Iudæorum prius acciderit bellum, adiuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit: 28. Et adiuvantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, sicut placuit Romanis: et custodient mandata eorum absque dolo: 29. Secundum hæc verba constituerunt Romani populo Iudæorum. 30. Quod si post hæc verba hi aut illi addere aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex proposito suo: et quæcumque addiderint, vel dempserint, rata erunt. 31. Sed et de malis, quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei, dicentes: Quare gravasti iugum tuum super amicos nostros, et socios Iudæos? 32. Si ergo iterum adierint nos, adversum te faciemus illis iudicium, et pugnabimus tecum mari terraque.

Vers. 1 Et audivit Iudas nomen (famam bellicæ fortitudinis et virtutum politicarum) Romanorum.) Nota: Tò *audivit*, significat heroica facta Romanorum, quæ deinceps narrantur auditu et fama fuisse perlata ad Iudam et Iudæos; hinc tamen non sequitur omnia illa esse vera. Fama enim sæpe maior est veritate, ac rem supra veritatem adauget, vel detorquet, dum quisque famæ ex suo aliquid addit, vel demit, uti quotidie in narrationibus non tantum auditorum, sed et oculatorum testium experimur. Hoc responderi posset Novantibus, qui I. Machab. e canone expungunt, obiectantes eos hic maiora tribuere Romanis quam eis tribuant Livius, Florus, Diodor. Plutarch. Ita Serarius, Salianus, Sanchez et alii. Verum si presse singula quæ de eis hic dicuntur, examinentur, nihil est invenire quod falsi argui possit, quodque recte cum historicis profanis conciliari nequeat, ut sigillatim ostendam. A Sic in Evangeliis multa a Iudæis dicuntur de Christo, ut, quod sit Samaritanus, potator vini, dæmoniacus, quæ fuere falsissima; sed Iudæos ea dixisse verissimum est, et hoc tantum vult Script. uti docet S. August. quæst. 6. ad Orosium.

Acquiescunt ad omnia quæ postulantur ab eis.) Si nimirum postulata sint æqua et iusta, nec Romanorum commodis vel iuribus contraria.

Et audierunt (Iudas et Iudæi) prælia eorum et virtutes bonas.) Vers. 2. Græce ἀνδραγαθίας id est virilitates, strenuitates, res fortiter gestas, fortitudines, præclare facta; nam ἀνδραγαθέω idem est quod viriliter ago, virum me gero, fortiter ago, fortem et bonum virum me præsto.

Quas fecerunt in Galatia.) Hanc enim sub hoc tempus armis subegere Romani, ut patet ex Livio, Iosepho, Iustino et aliis. Per Galatas intelligi Gallo-Græcos, quos

Romani bello appetivere, eo quod Antiochum Magnum contra Romanos pugnantem adiuvissent, unde contra eos miserunt Manlium Volsonem qui eos vicit, et post biennium de eis triumphavit, teste Livio lib. 38.

Vers. 3. ET QUANTA FECERUNT IN REGIONE HISPANIÆ (eam per multa et longa bella sibi subiugando) ET QUOD IN POTESTATEM REDEGERUNT METALLA ARGENTI ET AURI QUÆ ILLIC SUNT.) Nam auri et argenti fodinas feracissimas illo ævo fuisse in Hispania, testantur Plinius, Strabo et alii. Argenti fodinas etiamnum ibi esse testatur Mariana, aliique cronographi et historici. Vide Pinedam, lib. 4. de rebus Salomonis, cap. 4. num. 6.

ET POSSEDERUNT OMNEM LOCUM (omnes urbes et arces Hispaniæ) CONSILIO SUO ET PATIENTIA.) Græce μακροθυμία id est longanimitate, quam maxime Romani ostenderunt in domanda Hispania; nam eam omnem non domuerunt, nisi post 230. annos, quibus assidue, sed successive progrediendo, cum eius incolis bella gesserunt; nam alias provincias longe citius occuparunt. Ita Livius, Diodorus, Iustinus, Florus et alii. Porro in Hispania præclaras res gesserunt Scipio Africanus, eiusque pater et patruus.

Moral. disce hic a Romanis omnes hostes, tam corporis quam animæ, adeoque omnes cupiditates et passiones animi, omniaque vitia superari consilio et patientia, id est longanimitate, longanimaque constantia et perseverantia in illis debellandis; nil enim tam insolitum, tam potens, tam efferum, quod consilium et constantia non edoment, uti docent S. Basil. Cassian. et alii.

Mystice Hugo: Sancti, ait, possident cælum consilio, dum scilicet sequuntur consilium Christi: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum et regnum cælorum*, Matth. 5. terram vero possident patientia, iuxta illud Christi ibidem: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Rursum Martyres obtinent cælum patientia, Confessores consilio.

Vers. 4. LOCAQUE QUÆ LONGE ERANT VALDE AB EIS (tum in Asia, tum in Africa, ac præsertim Carthaginem Romæ æmulam, etc.) CONTRIVERUNT.) Bella enim Rom. cum Annibale et Carthaginensibus per Q. Fabium Max. et P. Scipionem Africanum hoc tempore gesta fuere, unde de iis hunc versum explicat Iosephus.

Vers. 5. ET PHILIPPUM, ET (eiusque filium spurium) PERSEN (quem Livius aliique vocant *Perseum*) CETEORUM (id est Macedonum, uti dixi cap. 1. v. 1. et Epiri) REGEM etc. CONTRIVERUNT.) Per L. Æmilium Paulum, qui post bellum quatuor annorum Perseum captum Romam in triumphum duxit, ac Macedoniam Epirumque Romanis subiecit, anno urbis conditæ 585.

Vers. 6 ET ANTIOCHUM MAGNUM (patrem Seleuci et Antiochi Epiphanis, avum Demetrii æque ac Ant. Eupatoris) CONTRITUM AB EIS.) Puta a Romanis per Scipionem Asiaticum, fratrem Scipionis Africani. Nam, ut ait Livius l. 37. *Ad 50. millia peditum eo die cæsa dicuntur, equitum quatuor millia, mille 400. capti et quindecim cum rectoribus elephanti:* nec mirum Antiochum contra Romanos in aciem eduxisse 120. elephantes, cum idem contra Ptolomæum Epiphanem eduxerit centum et duos, teste Polyb. lib. 5.

Vers. 7. ET QUIA CEPERUNT EUM VIVUM.) Hoc non asserunt Appianus, Livius et Iustin. sed nec negant, imo subindicant, dum narrant Antiochum ita a Romanis fuisse constrictum et conclusum, ut quasi captus Scipioni victori manus dederit, concesseritque omnia quæ postulabat, ac præsertim TRIBUTUM MAGNUM bis mille talentorum quotannis, tam a se quam a suis posteris pendendum; ET DARET OBSIDES, inter quos primarius fuit Ant. Epiphanes iunior eius filius.

ET CONSTITUTUM.) Græce διαστολήν, id est *distinctionem* et divisionem, ut scilicet, diviso eius regno in duas partes, unam meliorem daret Eumeni regi Pergami, suo æmulo, et amico Romanorum; alteram vero viliorem sibi servaret, ac fere in Syria sola, locisque cis Taurum montem sitis regnaret: hoc enim quasi constitutum regnorum suorum pensum Romanis dare coactus fuit Antiochus, unde explicans subdit:

ET REGIONEM INDORUM.) Ita vocat provincias ultra Taurum montem sitas, ab Antiocho occupatas, uti ex Procopio, Strabone, et aliis demonstrat Serar. Vers. 8.

ET MEDOS, ET LYDOS DE OPTIMIS REGIONIBUS EORUM.) q. d. Antiochus coactus fuit cedere Romanis regiones ultra Taurum sitas, item Mediam et Lydiam, quæ erant optimæ regiones ipsius, ac patrum et posterorum eius, quas AB EIS ACCEPTAS Romani dederunt EUMENI REGI Romanorum amico, sed Antiochi inimico. Id prædixit Daniel. c. 11. v. 8. Vide ibi dicta.

ET QUIA QUI ERANT APUD HELLADAM.) Græce, *in Hellade*, id est in Græcia: nam ἕλληνες, id est Græci, VOLUERUNT IRE ET TOLLERE EOS furtim, et per insidias trucidare legiones Romanorum, in eorum vicinia degentes. Respicit quoque ad Ætolos, qui primi e Græcis cum Romanis bellarunt. Horum enim dux Damocritus T. Quintio Flaminio petenti responsum dixit, se id in Italia daturum, cum Ætoli ad Tiberim castra posuissent. Vers. 9.

ET INNOTUIT SERMO (res, sive cædis machinatio) HIS.) Scilicet Romanis.

ET MISERUNT (Romani) AD EOS (Græcos) DUCEM UNUM.) Nabim, ac deinde alios, qui variis conflictibus paulatim domuere et subegere Græcos universos, uti narrat Liv. et alii. Vers. 10.

CUM AMICIS AUTEM, ET QUI IN EIS REQUIEM HABEBANT.) Græce, *qui acquiescebant* Romanis illorum iussis vel postulatis sese accommodantes fideliter CONSERVAVERUNT AMICITIAM, eosque ad magnas opes et honores evexerunt, uti de Eumene iam dictum est. Idem contigit Geloni regi Syracusæ et Massanissæ regi Numidiæ, et Ptolomæis Philometori, et Physconi regibus Ægypti. Vers. 12.

NEC INDUEBATUR PURPURA.) Id est, purpureo paludamento, quasi Græcorum rex, vel imperator. Nam alioqui Senatores Romani purpurea toga ornabantur. Alia erat ergo purpura consularis, alia regia, imo consules proprie non habebant togas purpureas, sed purpuras tantum prætextas, uti ex Livio docet Salianus. Vers. 14.

ET QUIA (quod) CURIAM FECERUNT.) Id est senatum virorum senum et sapientum, puta Patriciorum, eisque curiam ædificaverunt, ut in ea quotidie congregarentur de re publica consilia sua votaque collaturi. Vers. 15.

ET QUOTIDIE CONSULEBANT (consultabant inter se) 320. VIRI.) Senatores, sive patricii. Rumulus primo statuit centum senatores; mox crescente Republ. Romanorum auxit eorum numerum ad ducentos; inde Tarquinius Priscus, ait Halicarnasseus, ad trecentos, imo 320. ut hic dicitur; Graccho vero tumultuante excrevit ad sexcentos, inde ad 900. et 1000. uti narrant Livius, Florus et alii.

ET COMMITTUNT UNI HOMINI MAGISTRATUM SUUM.) Nam in periculis Romani creabant unum dictatorem, qui toti Reipubl. præesset. Alias duos creabant consules, sed ita ut unus foris bella gereret, alter domi solus Rempub. administraret. Quod si plura ingruerent bella diversis in locis, unus uni exercitui et provinciæ, alter alteri præerat. Quin et si uterque consul in iisdem castris essent, alternis diebus eis præerant singuli, ut scilicet unus uno die haberet fasces et imperaret, alter altero; ut patet ex clade Cannensi, quæ sub hoc tempus contigit hac de causa, quod illo die præerat castris Varro Consul, qui non audito socio consule Paulo cum Annibale conflixit infelicissime. Sic alternis diebus ius imperandi habebant Strategi in Græcia, Epistatæ Athenis, et Decem viri Romæ: hi enim decimo die ius populo singuli reddebant, ait Livius, libr. 3. Diodorus, Plutarchus et alii. Putat Emman. Sa Iudam narratione aliquorum deceptum, putasse Romæ unicum fuisse magistratum, cui opinioni Dictatura præbuerat occasionem, cum tamen illa, nec annua fuerit, nec ordinarius magistratus, uti fuit Consulatus. Vers. 16.

ET NON EST INVIDIA, NEQUE ZELUS INTER EOS.) Non erat invidia apud Romanos primos, qui paucis contenti, opes et honores spernebant, uti fuere Camillus, Cincin-

natus, Curius, Fabius, etc. sed posteri eorum inhiantes opibus et dignitatibus Reipub. tempore Iudæ Machabæi cœpere laborare ambitione et invidia, sed interna: non enim audebant exterius eam prodere, ne haberentur superbi, avari, ideoque a gubernatione repellerentur: quare exterius non apparebat in eis invidia, vel zelus, id est æmulatio et contentio, ut ait hic Iudas; sed paulo post interna ambitio et invidia in externam erupit, cum Marius contra Syllam bello civili contendit, Iulius Cæsar contra Pompeium, Augustus contra Antonium; tuncque Respub. eorum pessumdata est, ac aristocratiæ successit monarchia Augusti et sequentium imper. Audi Catonem apud sanctum Augustinum, libr. 4. de Civitate, cap. 12. *Nolite existimare maiores nostros armis Rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum, atque civium, præterea armorum, et equorum maior copia nobis quam illis est; sed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos et malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, ubi vos separatim sibi quisque consilia capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ servitis. Eo fit ut impetus fiat in vacuam Rempubl.*

Vers. 17. ET ELEGIT IUDAS EUPOLEMUM, etc. ET IASONEM.) Id est Iosue, vel Iesum; sic enim Hebr. vocabatur; sed quia Hebræi Græcis erant subditi a tempore Alexandri Magni, hinc pariter Græca assumpsere nomina, ut pro *Iesus*, id est *salvator*, vocarentur *Iason*, id est *sanator* ab ἰάω id est sano. Sic Eupolemus, Menelaus, Alcimus græca sunt nomina, et talia ambiebant Apostatæ, ut Antiochi, Demetrii et Græcorum gratiam inirent.

FILIUM ELEAZARI.) Aliqui putant hunc Iasonem fuisse filium Eleazari fratris Iudæ Machabæi, de quo c. 2. v. 5. alii Eleazari senis nonagenarii, qui pro lege Mosis generosum obiit martyrium, 2. Machab. 18. sed nil certi hic statui potest.

ET MISIT EOS ROMAM CONSTITUERE CUM ILLIS AMICITIAM.) Premebatur Iudas hinc validis copiis Demetrii, inde dolis Menelai, Iasonis et Alcimi pseudo-Pontificum, ideoque apostatarum, æmulorum et hostium suorum: ac videbat se cum paucis fidis Iudæis diu eis resistere non posse. Prudenter ergo ad Romanos tunc rerum dominos confugit, eorumque opem fœdus ineundo imploravit: quod ex voto successit. Nam Romani scripserunt ad Demetrium, iusseruntque ei ut Iudam et Iudæos deinceps non infestaret. Nec erat in hoc fœdere periculum idololatriæ, aut alterius mali, quia Romani omnibus gentibus permittebant suos deos, patriamque religionem. Erant enim politici, nec nisi politicum regimen suum servare, et propagare studebant; ad quod valde sibi utile fore sciebant, si gentium iura et numina non mutarent, sed eas patriis legibus et numinibus vivere sinerent. Secus fuit in Iosaphat rege Iuda, qui a Propheta reprehensus fuit, 2. Paral. 19. quod cum idololatra Ioram rege Israel fœdus et coniugium contraxisset; per hoc enim idololatria ingressa est, et pervasit regnum Iuda. Sic David, persecutionem sustinens a Saule confugit ad Achis regem Geth idololatram, 1. Reg. 17. Idem cum Naas rege Ammon fœdus iniit, 2. Reg. 10. et cum Tholmai rege Gessur, cuius filiam duxit uxorem, 2. Reg. 3. versu 3. Sic Abraham, Isaac et Iacob cum Palæstinis et Syris idololatris fœdera sanxerunt, Genes. c. 14. 21. et 26. Licite ergo, imo pie et sancte Iudas cum Romanis pactum iniit, ut eorum ope patriam, rempubl. Ecclesiam, veramque fidem et religionem, quam Antiochus et Apostatæ evertere conabantur, tueretur et propugnaret; esto Rupertus, Blesensis et alii contrarium sentiant, ut dicam c. seq. v. 18.

Dices: hoc fœdus cum Romanis fuit occasio cur Romani paulo post Iudæam subegerint, et deinde rebellantem everterint. Resp. Causa huius subactionis non fuit fœdus, sed Hyrcani et Aristobuli nepotum Simonis Machabæi contentio de Principatu. Hi enim arbitrum delegerunt Pompeium, qui Principatum recte adiudicavit Hyrcano, quasi seniori; sed cum Aristobulus repugnaret, ac Ierusalem caperet, Pompeius eum cum urbe expugnavit, et consentiente Hyrcano Iudæam Romanis subiecit, ut fuse narrat Iosephus.

IN TABULIS ÆREIS.) Romani scribebant sua fœdera æque ac leges in tabulis æreis, quas publice appendebant ad eorum perpetuitatem, ac ne quis ea lacerare vel abolere posset. Vers. 22.

BENE SIT ROMANIS ET GENTI IUDÆORUM.) Est hoc initium et auspicium fœderis, quo fœderi bene ominantur, et felicitatem apprecantur, q. d. Quod felix faustumque sit Romanis, æque ac Iudæis, fœdus utrimque inimus bene precantes, ut illud utrisque contra hostes salutare, æque ac perpetuum sit. Vers. 23.

AUXILIUM FERET (Romanis bello appetitis) GENS IUDÆORUM, PROUT TEMPUS DICTAVERIT CORDE PLENO.) Id est sincero, integro, perfecto, q. d. Sincerissime, integerrime et promptissime Iudæi iuvabunt Romanos, si bellum eis ingrueret: unde pro *corde pleno*, v. 27. dicitur *ex animo*. Vers. 25.

ET PRÆLIANTIBUS Iudæis, Romani NON DABUNT NEQUE SUBMINISTRABUNT TRITICUM, ARMA, PECUNIAM, NAVES.) Sed hæc omnia suo sumptu præstabunt Iudæi ut gratis succurrant Romanis; alioqui enim Romanorum non tam essent fœderati et amici, quam mercenarii pretio conducti. Amicitia enim gratuitam et liberalem opem amico egenti præstandam postulat. Vers. 26.

ET CUSTODIENT MANDATA EORUM.) Ut pro Romanis militantes Iudæi Romanorum duci per omnia subsint, perinde ac si is Iudæus esset, eiusque mandata plane exsequantur, uti faciunt cæteri milites Romani: alioqui enim frustraneum esset Iudæorum auxilium, si ipsi sua consilia a Romanis diversa; imo subinde adversa sequi vellent. Sic enim schisma facerent in exercitu, eumque hosti cædendum obiicerent.

SIMILITER AUTEM, etc.) q. d. Simile auxilium gratuitum plane, sincerum et liberale præstabunt Romani Iudæis, si a quopiam bello lacessantur. Vers. 27.

QUOD SI POST HÆC VERBA HI AUT ILLI (Romani, aut Iudæi conditionibus fœderis iam dictis) ADDERE AUT DEMERE AD HÆC ALIQUID VOLUERINT, FACIENT EX PROPOSITO SUO.) Scilicet ex communi utriusque partis voluntate et consensu. Vers. 30.

SCRIPSIMUS EI. Demetrio, ut Iudæos vexare desistat. Sed antequam hæ litteræ ad Demetrium venirent, ille iam miserat Bacchidem, cum quo Iudas confligens vicit quidem, sed occubuit, ut audiemus c. sequenti. Vers. 31.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Bacchides a Demetrio remissus in Iudæam eam vastat; Iudas octingentos dumtaxat in aciem educens, cum eo confligit et vincit; sed dum fugientes insequitur, a tergo læsus gloriose cadit: mox Iudæi cum Bacchide paciscuntur, qui dum socios Iudæ affligit, Iudæi probi Iudæ defuncto substituunt Ionatham eius fratrem v. 28. Inde v. 35. filii Iambri capiunt, cæduntque Ioannem fratrem Ionathæ, qui proinde Ioannis necem ulciscitur: mox v. 44, cum Bacchide confligit, cæditque mille viros: Alcimus quoque a Deo percutitur v. 44. Bacchides v. 58. ab Apostatis in Iudæam revocatus, nunc dolo capere Ionatham, nunc vi satagit, sed ubique repulsus, tandem cæsis Apostatis cum Ionatha stabile fœdus init.

1. INTEREA ut audivit Demetrius quia cecidit Nicanor et exercitus eius in prælio, apposuit Bacchidem et Al-
cimum rursum mittere in Iudæam, et dextrum cornu cum illis. 2. Et abierunt viam quæ ducit in Gal-
gala, et castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis: et occupaverunt eam, et peremerunt animas
hominum multas. 3. In mense primo anni centesimi et quinquagesimi secundi, applicuerunt exercitum ad Ierusa-
lem: 4. Et surrexerunt, et abierunt in Beream viginti millia virorum, et duo millia equitum. 5. Et Iudas posue-
rat castra in Laisa, et tria millia viri electi cum eo: 6. Et viderunt multitudinem exercitus quia multi sunt, et
timuerunt valde: et multi subtraxerunt se de castris, et non remanserunt ex eis nisi octingenti viri. 7. Et vidit Iu-
das quod defluxit exercitus suus, et bellum perurgebat eum, et confractus est corde, quia non habebat tempus con-
gregandi eos, et dissolutus est. 8. Et dixit his qui residui erant: Surgamus, et eamus ad adversarios nostros, si
poterimus pugnare adversus eos. 9. Et avertebant eum, dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras
modo, et revertamur ad fratres nostros, et tunc pugnabimus adversus eos: nos autem pauci sumus. 10. Et ait Iu-
das: Absit istam rem facere ut fugiamus ab eis: et si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter
fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. 11. Et movit exercitus de castris, et steterunt illis obviam:
et divisi sunt equites in duas partes, et fundibularii et sagittarii præibant exercitum, et primi certaminis omnes
potentes. 12. Bacchides autem erat in dextro cornu, et proximavit legio ex duabus partibus, et clamabant tubis:
13. Exclamaverunt autem et hi qui erant ex parte Iudæ, etiam ipsi, et commota est terra a voce exercituum: et
commissum est prælium a mane usque ad vesperam. 14. Et vidit Iudas quod firmior est pars exercitus Bacchidis
in dextris, et convenerunt cum ipso omnes constantes corde: 15. Et contrita est dextera pars ab eis, et persecu-
tus est eos usque ad montem Azoti. 16. Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cor-
nu, et secuti sunt post Iudam, et eos qui cum ipso erant, a tergo: 17. Et ingravatum est prælium, et ceciderunt
vulnerati multi ex his et ex illis. 18. Et Iudas cecidit, et ceteri fugerunt. 19. Et Ionathas et Simon tulerunt Iu-
dam fratrem suum, et sepelierunt eum in sepulcro patrum suorum in civitate Modin. 20. Et fleverunt eum omnis
populus Israel planctu magno, et lugebant dies multos, 21. Et dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui salvum fa-
ciebat populum Israel? 22. Et cetera verba bellorum Iudæ, et virtutum quas fecit, et magnitudinis eius, non sunt
descripta: multa enim erant valde. 23. Et factum est: post obitum Iudæ emerserunt iniqui in omnibus finibus
Israel, et exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem. 24. In diebus illis facta est fames magna valde, et tra-
didit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis. 25. Et elegit Bacchides viros impios, et constituit eos dominos
regionis: 26. Et exquirebant, et perscrutabantur amicos Iudæ, et adducebant eos ad Bacchidem, et vindicabat in
illos, et illudebat. 27. Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die, qua non est visus propheta
in Israel. 28. Et congregati sunt omnes amici Iudæ, et dixerunt Ionathæ: 29. Ex quo frater tuus Iudas defunctus
est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem, et eos qui inimici sunt gentis nostræ.
30. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem, et ducem ad bellandum bellum nostrum. 31.
Et suscepit Ionathas tempore illo principatum, et surrexit loco Iudæ fratris sui. 32. Et cognovit Bacchides, et
quærebat eum occidere. 33. Et cognovit Ionathas, et Simon frater eius, et omnes qui cum eo erant: et fugerunt
in desertum Thecuæ, et consederunt ad aquam lacus Asphar. 34. Et cognovit Bacchides, et die sabbatorum venit
ipse, et omnis exercitus eius, trans Iordanem. 35. Et Ionathas misit fratrem suum ducem populi, et rogavit Na-
buthæos amicos suos, ut commodarent illis apparatum suum, qui erat copiosus. 36. Et exierunt filii Iambri ex Ma-
daba, et comprehenderunt Ioannem, et omnia quæ habebat, et abierunt habentes ea. 37. Post hæc verba, renun-
tiatum est Ionathæ, et Simoni fratri eius, quia filii Iambri faciunt nuptias magnas, et ducunt sponsam ex Mada-
ba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna. 38. Et recordati sunt sanguinis Ioannis
fratris sui: et ascenderunt, et absconderunt se sub tegumento montis. 39. Et elevaverunt oculos suos, et viderunt:
et ecce tumultus, et apparatus multus: et sponsus processit, et amici eius, et fratres eius obviam illis cum tympa-
nis et musicis, et armis multis. 40. Et surrexerunt ad eos ex insidiis, et occiderunt eos, et ceciderunt vulnerati
multi, et residui fugerunt in montes: et acceperunt omnia spolia eorum: 41. Et conversæ sunt nuptiæ in luctum,
et vox musicorum ipsorum in lamentum. 42. Et vindicaverunt vindictam sanguinis fratris sui: et reversi sunt ad
ripam Iordanis. 43. Et audivit Bacchides, et venit die sabbatorum usque ad oram Iordanis in virtute magna. 44.
Et dixit ad suos Ionathas: Surgamus, et pugnemus contra inimicos nostros: non est enim hodie sicut heri et nu-
diustertius: 45. Ecce enim bellum ex adverso, aqua vero Iordanis hinc et inde, et ripæ, et paludes, et saltus: et
non est locus divertendi. 46. Nunc ergo clamate in cælum, ut liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et com-
missum est bellum. 47. Et extendit Ionathas manum suam percutere Bacchidem, et divertit ab eo retro: 48. Et
dissiliit Ionathas, et qui cum eo erant, in Iordanem, et transnataverunt ad eos Iordanem: 49. Et ceciderunt de par-
te Bacchidis die illa mille viri: et reversi sunt in Ierusalem: 50. Et ædificaverunt civitates munitas in Iudæa, mu-

nitionem quæ erat in Iericho, et in Ammaum, et in Bethoron, et in Bethel, et Thamnata, et Phara, et Thopo, muris excelsis, et portis, et seris. 51. Et posuit custodiam in eis, ut inimicitias exercerent in Israel: 52. Et munivit civitatem Bethsuram, et Gazaram, et arcem, et posuit in eis auxilia, et apparatum escarum: 53. Et accepit filios principum regionis obsides, et posuit eos in arce in Ierusalem in custodiam. 54. Et anno centesimo quinquagesimo tertio, mense secundo, præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, et destrui opera prophetarum: et cœpit destruere. 55. In tempore illo percussus est Alcimus: et impedita sunt opera illius, et occlusum est os eius, et dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum, et mandare de domo sua. 56. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno. 57. Et vidit Bacchides quoniam mortuus est Alcimus: et reversus est ad regem, et siluit terra annis duobus. 58. Et cogitaverunt omnes iniqui dicentes: Ecce Ionathas, et qui cum eo sunt, in silentio habitant confidenter: nunc ergo adducamus Bacchidem, et comprehendet eos omnes una nocte. 59. Et abierunt, et consilium ei dederunt. 60. Et surrexit ut veniret cum exercitu multo: et misit occulte epistolas sociis suis, qui erant in Iudæa, ut comprehenderent Ionathan, et eos qui cum eo erant: sed non potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum. 61. Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant militiæ, quinquaginta viros, et occidit eos: 62. Et secessit Ionathas, et Simon, et qui cum eo erant, in Bethbessen, quæ est in deserto, et extruxit diruta eius, et firmaverunt eam. 63. Et cognovit Bacchides, et congregavit universam multitudinem suam: et his, qui de Iudæa erant, denuntiavit. 64. Et venit, et castra posuit desuper Bethbessen: et oppugnavit eam dies multos, et fecit machinas. 65. Et reliquit Ionathas Simonem fratrem suum in civitate, et exiit in regionem, et venit cum numero, 66. Et percussit Odaren, et fratres eius, et filios Phaseron in tabernaculis ipsorum, et cœpit cædere, et crescere in virtutibus. 67. Simon vero, et qui cum ipso erant, exierunt de civitate, et succenderunt machinas, 68. Et pugnaverunt contra Bacchidem, et contritus est ab eis: et afflixerunt eum valde, quoniam consilium eius, et congressus eius erat inanis. 69. Et iratus contra viros iniquos, qui ei consilium dederant ut veniret in regionem ipsorum, multos ex eis occidit: ipse autem cogitavit cum reliquis abire in regionem suam. 70. Et cognovit Ionathas, et misit ad eum legatos componere pacem cum ipso, et reddere ei captivitatem. 71. Et libenter accepit, et fecit secundum verba eius, et iuravit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ eius. 72. Et reddidit ei captivitatem, quam prius erat prædatus de terra Iuda: et conversus abiit in terram suam, et non apposuit amplius venire in fines eius. 73. Et cessavit gladius ex Israel: et habitavit Ionathas in Machmas, et cœpit Ionathas ibi iudicare populum, et exterminavit impios ex Israel.

Vers. 3. IN MENSE PRIMO (Nisan, id est, Martio) ANNI 152. (Græcorum) APPLICUERUNT EXERCITUM (Bacchides et Alcimus: fuisse triginta armatorum millia ait Gorionides, lib. 3. cap. 25.) AD IERUSALEM.) Ut eam obsiderent et caperent; sed audientes Iudam colligere suos, ut obsidionem solveret, ea relicta, abierunt, ut Iudæ occurrerent.

Vers. 4. ET ABIERUNT IN BEREAM VIGINTI MILLIA VIRORUM, ET DUO MILLIA EQUITUM.) Ut cum Iuda dimicarent; reliqua enim ex triginta millibus octo millia Bacchides per præsidia distribuit, ita ut contra Iudam eduxerit duntaxat viginti duo millia.

Vers. 6. ET MULTI SUBTRAXERUNT SE DE CASTRIS.) Nimirum bis mille et ducenti; nam ex tribus millibus cum Iuda mansere tantum 800. quos ipse in aciem eduxit contra Bacchidem. Mirum, eos immemores opis divinæ toties expertæ, et tot victoriarum Iudæ, tam turpiter eum deseruisse: sed hæc est hominum infirmitas, inconstantia, infidelitas, quam parit subitus metus et pavor. Præsertim accedente mala furtorum, libidinum, aliorumque militarium scelerum conscientia: hæc enim milites facit timidos, ut in ea mori non audeant.

Vers. 7. ET CONFRACTUS EST CORDE.) Id est, *tædio affectus,* ait S. Thom. *quia ingentem habebat zelum nec eum exequi poterat,* uti Christus (cuius Iudas fuit typus) in horto cœpit pavere et tædere, Matth. 26. Secundo et plenius, q. d. Perculsus et magna animi perturbatione correptus pene concidit: nesciebat enim quid in rebus tam arctis consilii caperet, sed natura, naturalique ope, et consilio deficiente erexit animum per solitam in Deo confidentiam, et magnanimitatem, constituens cum paucis confligere cum tam numeroso hoste, et gloriose vel vincere, vel mori. Sic Iulius Cæsar multos validosque hostes non fugiebat, sed ambiebat, ut in iis virtutem suam bellicam ostenderet, teste sancto Augustino l. 5. de Civitate c. 12. sed Iulius par cum pari fere numero, Iudas vero longe impar cum numerosissimis dimicabat, eosque sternebat.

Vers. 10. ABSIT ISTAM REM FACERE, UT FUGIAMUS AB EIS.) Generoso enim duci turpe est fugere, et fugiendo victum se fateri, malleque vitam fugiendo conservare, quam pugnando gloriose mori: etsi ergo Iudas licite et prudenter potuisset fugere, ac dicere cum Demosthene: *Vir fugiens denuo pugnabit;* tamen præ animi magnitudine, et quia numquam hucusque fugerat, sed semper pugnarat, et pugnando vicerat, fortius et gloriosius esse duxit non fugere, sed pugnare, præsertim quia fidebat Deo, cuius ope cum paucis toties hostes tam numerosos profligarat. Itaque, vel vincere voluit, vel generose mori; ait ergo: ET SI APPROPIAVIT TEMPUS (occumbendi et moriendi) NOSTRUM nobis a Deo statutum, et decretum ab æterno, MORIAMUR IN VIRTUTE, in fortitudine, nimirum fortiter pugnantes, ne inulti, sed magna strage hosti illata pie cadamus PROPTER FRATRES NOSTROS, pro aris et focis, pro patria, pro religione, pro Deo dimicantes. Quæ enim gloriosior mors nobis obtingere potest?

ET NON INFERAMUS CRIMEN (notam, labem, dedecus) GLORIÆ NOSTRÆ.) Ut qui gloriose semper in acie stetimus, fronteque adamantina hosti restitimus, nunc timidi fugiendo ei terga obvertamus, ut ab eo insequente quasi oves fugientes ignave cædamur et mactemur. Gloriam ergo hic non hominum, vanam et inanem, sed Dei veram et solidam Iudas captavit: decrevit enim pro Dei religione pugnare et vincere, vel mori. Ita S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 41. *Iudas,* ait, *cum nongentis* (Noster et Septuag. habent octingentis) *viris bellum adorsus, volentibus his cedere, ne multitudine opprimerentur, gloriosam magis mortem, quam turpem fugam suasit: Ne crimen nostræ relinquamus gloriæ. Itaque commisso prælio, cum a primo diei ortu in vesperam dimicaretur, dextrum cornu, in quo validissimam manum advertit hostium, aggressus facile avertit. Sed dum fugientes sequitur a tergo vulneri locum præbuit, ita gloriosiorem triumphis mortem invenit.*

Sic sanctus Antonius solus dæmonum plurimorum conflictum non fugiebat, sed omnes ad duellum provocabat, malens ab eis occidi, quam fugere. Nam cum ab eis cæsus fuisset usque ad mortem, a suis semimortuus domum relatus, iussit se ad locum palestræ reportari, ibique dæmones provocans: *Ecce,* inquit, *ego hic sum Antonius, non fugio vestra certamina, etiamsi maiora faciatis, nullus me separabit a charitate Christi, psallebatque dicens: Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum,* quia *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Do-*

minus mihi adiutor, et ego exultabo super inimicos meos. A Ita sanctus Athanasius in eius vita.

Sic Iudas hic instar leonis, qui numquam fugit quanticumque hostes eum invadant, fugere noluit, sed cum paucis plurimos invasit, et superavit.

Vers. 15. Et contrita est dextera pars ab eis, et persecutus est eos.) Victor ergo in hoc prælio extitit Iudas eo gloriosior, quo cum paucis tam multos stravit.

In hac pugna error commissus est, quod cæteri milites Iudæ non se opposuerint sinistro cornui Bacchidis, illudque præliando, vel potius prælium simulando distinuerint, ne Iudam et cæteros a tergo sequeretur et cæderet. Hæc enim fuit causa cædis Iudæ et fugæ sociorum. Unde Vegetius l. 3. cap. 20. hunc modum, quo pauci multos vincere possint, præscribit: *Cum instructæ acies ad congressum veniunt, tunc tu sinistram alam tuam a dextra adversarii longius separabis, ne vel missilia ad eam, vel sagittæ perveniant. Dexteram autem alam tuam sinistræ alæ illius iunge, et ibi primum inchoa prælium: ita ut cum equitibus optimis, et probatissimis peditibus* B *sinistram partem illius, ad quam te iunxeris, aggrediaris, atque circumeas, et detrudendo atque supercurrendo ad hostium terga pervenias. Quod si semel adversarios exinde pellere cœperis, accedentibus tuis indubitatam victoriam consequeris, et pars exercitus tui, quam ab hoste submoveris, secura durabit.*

Vers. 18. Et Iudas cecidit.) Non tam ex vulneribus quam ex pugnandi cædendique labore et lassitudine, ait Gorionides. Idem asserit Iosephus, quem audi: « Id conspicati, qui sinistrum cornu tenebant, a tergo adorti Iudam circumveniunt: qui videns nullum superesse effugium, urgentibus circumquaque hostibus, in vestigio cum suis constitit, et cæsis hostium plurimis, lassitudine magis quam vulneribus confectus, cecidit non inultus. Quo prostrato, non habentes amplius quem sequerentur milites orbati tanto imperatore, tum demum in fugam effusi sunt. Ita victoria Bacchidi cessit non cruenta solum, sed etiam pudenda cum 22. millibus, octingenti viri non solum totum diem restiterint, sed robur ipsum exercitus contriverint, fuderint, fugarint, et cæsum ducem suum incolumes e prælio sui fratres abstulerint. » C

Allegorice, Iudas heros fuit typus Christi, qui in cruce cadens et moriens vicit ipsam mortem, peccata, diabolum et infernum, omnesque hostes fortissime debellavit.

Iudæ fortitudinem imitati sunt primi Gentilium duces. Leonidas Spartanus cum trecentis Xerxi ducenti in aciem undecies centena militum millia ad Thermopylas se opponens, vincendo occumbere maluit, quam fugiendo vitam servare; unde ad suos conversus sic ait: *Prandete, commilitones, tamquam apud inferos cœnaturi.* Ita Valerius Maximus libro 4. capite 7.

Plutarchus in Laconicis sequentia affert. Idem Leonidas, ab Ephoris rogatus numquid aliud facere statuisset, respondit: *Nihil aliud ago, quam verbotenus barbarorum transitum impediturus, sed revera pro Græcis moriturus.* Idem cum aruspex diceret ex extis exercitui portendi victoriam, sed duci mortem, lætus navalem pugnam aggressus vincendo occubuit, suaque morte patriæ victoriam peperit. D Idem fecit Codrus rex Atheniensium mutato habitu hostem lacessens, a quo occisus Atheniensibus victoriam sua morte iuxta oraculum sancivit. Rursum Leonidas, rogatus cur fortes viri gloriosam mortem ingloriæ vitæ anteponant, respondit: *Quoniam alterum naturæ proprium, alterum peculiariter suum esse ducunt. Nam naturæ beneficio vivunt et ignavissimi, ac honeste mori non contingit, nisi virtute præditis, et fortibus. Fugere enim ignominiosum est et ducilet patriæ; contra manentem, aut mori, aut vincere utrique honestissimum.*

Lacedæmonii, ait Plutar. iuventutem nil aliud docebant quam ut magistratui obtemperantes, omniaque contemnentes vitæ pericula, aut in prælio vincerent, aut fortiter caderent.

Agesilaus, rogatus qua ratione duci pararetur gloria, respondit: *Si mortem contempserit:* nihil enim magnum geri potest ab eo qui vitæ suæ metuit et consulit.

Bias ab Iphicrate circumsessus, rogatus quid eo articulo faciendum foret, respondit: *Quid aliud,* ait, *nisi ut vos servemini, ego pugnando moriar?*

Lacæna clypeum imponens filio: *Fili,* inquit, *aut hunc aut super hunc,* q. d. Sic rem gere in prælio, ut aut victor clypeum reportes, aut mortuus in eo domum reporteris.

Pelopydas iturus ad conflictum, cum uxor obsecraret ut vitæ suæ caveret, ait hoc dicendum esse privato, non duci. Ducis enim est pro patria fortiter pugnando occumbere. Hæc omnia Plutarc. in Lacon.

Epaminondas, ait Valer. Max. l. 3. c. 2. in prælio: *apud Leuctram traiectus hasta, sanguine et spiritu deficiens, recreare se conatus, primum an clypeus secus salvus esset: deinde, an fusi hostes penitus forent, interrogavit. Quæ postquam ex animi sententia comperit: Non finis, inquit, commilitones, meæ vitæ, sed melius et altius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu et auspiciis meis caput Græciæ factas video, et fortis et animosa civitas Spartana iacet armis nostris abiecta, amara dominatione Græcia liberata est, orbus quoque non tantum sine liberis morior: quoniam mirificas filias Leuctram et Martineam relinquo. E corpore deinde suo hastam educi iussit, eoque vulnere expiravit. Quod si eum Dii immortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes gloriosior patriæ mœnia non intrasset.*

Hæc, duces mundi: quid nunc faciat dux, et miles Christi non pro vana caducaque, ut illi, sed pro vera sempiternaque gloria dimicans et decertans?

Et cæteri fugerunt.) Sicut fugiunt milites, cæso duce, et oves cæso pastore, et sicut Apostoli fugerunt, Christo crucifixo, cuius typus hic fuit Iudas; in eo enim consistebat totum robur Israelis.

Quæres: Unde tanta clades Iudæ et Iudæorum tam fortium et invincibilium? Resp. Prima causa fuit militum metus et perfidia, quod bis mille et ducenti Iudam ducem suum deseruerunt, et cum eo remanserunt tantum 800. qui humanis viribus non poterant diu resistere 22. millibus hostium. Adde militum rapinas, stupra, aliaque scelera, quæ Deus punire voluit. I.

Secunda causa fuit humana infirmitas et inconstantia, per quam fit ut etiam strenuissimi et peritissimi artis suæ in ea aliquando aberrent: uti ergo impossibile est ut sagittarius sagittandi peritissimus adeo ut semper fere sagitta scopum configat, quin semel a scopo aberret, si sæpius v. g. centies in eum sagittet; sic impossibile est ut duces et milites bellicosissimi ita semper pugnent et vincant, ut numquam vincantur. Hinc sicut peritissimi natatores pereunt natando, sic optimi duces et milites pereunt pugnando. II.

Tertia, quod prælium sit res periculosissima; volant enim tela et sagittæ hostium per aerem instar grandinis: quare nunc hunc, nunc illum tangunt, et occidunt. Nam ut ait Eccl. c. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo;* et ut aiebat David de cæso Uria in prælio: *Nunc hunc, nunc illum consumit gladius,* 2. Reg. 11. 29. Novi in Belgio ducem audacissimum, cuius hoc erat axioma, generosum militem non posse diu vivere; quia cum se audacter assiduis exponat vitæ periculis, vix posse evadere, quin cito ictu aliquo lethali perimatur. Unde et Poeta: III

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Deus enim permittit causas secundas suo cursui: et esto suos sæpe protegat, tamen tandem permittit eos cursui naturæ, præsertim quia omnibus semel moriendum est. Permittit ergo quemque mori in suo opere et exercitio, ut militem in bello, agricolam in agricultura, fabrum in fabricando, doctorem in studio, etc. Sic plerosque martyres Deus ab igne, leonibus, aquis, etc. servavit illæsos; sed tandem permisit eos gladio perimi, ut martyrii laurea eos coronaret.

Quarta fuit quod Iudas, suorum fuga se videns desertum, consternatus noluerit fugere, uti prudenter facere IV.

poterat; sed ex animi magnanimitate maluerit pugnando occumbere. Hoc enim duci decorum est, adeoque hæc mors ei est gloriosa: unde generosi milites non aliam optant mortem, quam mori præliando. Fuit ergo hæc mors Iudæ gloriosa, utpote quam obiit in pugna, qua cum paucis hostium plurimorum dextrum cornu confregit, totque eorum millia cecidit, et fugientes insecutus vulnus lethale a tergo accepit, victorque occubuit. Quare mors hæc Iudæ fuit instar triumphi, et tot victoriarum trophæi, uti fuit Samsoni, Ionathæ, Iosiæ, cæterisque heroibus, ait Serar. Addunt Thalmudici: *In hoc sacro bello, plerique, dum viverent, filii erant diaboli et peccati. At post mortem, Dei filii, martyrio eorum peccata expiante;* et adiungit in Psalm. 78. Genebrardus: *Audis quanta sit vis belli sacri contra Turcas et hæreticos, ut parum probos, sanctos et martyres efficiat: ubi vinci salutare, vincere gloriosum.* Commode tamen hoc intelligendum docent, quæ imperatori Phocæ volenti, ut militibus omnibus contra fidei hostes cadentibus, martyrum nomen honosque impenderetur, ab Antistitibus responsa facere, ut quidem scribit in Can. 13. Balsamon, et Baronius tom. Annal. 8. anno Domini 610. Ita Serar.

V. Quinta, quod Iudas confractus animo, cum in tantis angustiis se constitutum videret, expresse non confugerit ad Deum, nec eius opem implorarit, uti facere solebat, sed totum se et suos ad conflictum instantem et urgentem compararit. Esto enim implicite, et virtualiter omnem suam fiduciam in Deo collocaret, tamen explicite et formaliter Deum non obsecravit: quare Deus eum sibi et naturæ permisit, iuxta quam solus tot hostibus succubuit. Hinc disce homines in arctis constitutos ita angustiis suis sæpe absorberi, ut de Deo invocando non cogitent; quod tamen tunc maxime facere deberent, cum a nullo alio, nisi a Deo iis eripi possint. Quare Iudæ exemplo sapiamus, ut in magnis periculis, vel tentationibus constituti, illico Dei gratiam, opemque suppliciter magna cum fiducia imploremus; sic enim eam impetrabimus, et per eam salvabimur.

VI. Sexta, Deus hoc casu voluit humiliare Iudam, ne in suis viribus et victoriis superbiret. Sic Deus permittit viros sanctos in aliqua minora peccata labi, ut graviora, præsertim vanæ gloriæ et superbiæ, effugiant.

VII. Septima, Deus Iudæ et cæteris ostendere voluit omnia in hoc mundo esse vana, fragilia et caduca, eumque ab iis per mortem transferre ad veram vitam, et beatam immortalitatem: ad hanc enim ducit mors, quasi via, illaque sæpe in speciem misera, abiecta, et ut hominibus videtur, tantis viris indigna. Sic Principes Apostolorum S. Petrum et Paulum permisit Deus a Nerone indigne occidi, ut per hoc maiorem in cælis patientiæ coronam accipere mererentur. Sic Iordanem, qui S. Dominico in generalatu ordinis Prædicatorum successit, permisit in mari submergi, cumque nonnulli indolerent, et pene murmurarent quod vir tam sanctus tam vilem mortem subiisset, ipse nonnullis apparens eos reprehendit, asserens se per illam mortem ab omnibus culpis, nævisque expiatum transiisse ad beatam immortalitatem. Iustus enim, quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, quia in iustitia sua Deique gratia moritur. Sic S. Franciscus Xaverius, moliens Sinarum conversionem in ipso eorum aditu in extrema rerum omnium inopia desertus ab omnibus, miseram, ut hominibus videbatur, sed viro Apostolico dignam mortem obiit.

Aliam causam dat Rupert. l. 10. de victor. verbi Dei c. ult. Petrus Blesensis Epist. 146. Emmanuel Sa et nonnulli alii, nimirum displicuisse Deo fœdus a Iuda et Ionatha initum cum Romanis, quod non satis confisi sint soli Deo, ideoque post hoc fœdus omnia eis infeliciter cessisse, eosque cito occubuisse. Verum superius ostendi hoc fœdus prudenter ab eis fuisse initum; sic enim fidendum est Deo, ut humana adminicula non negligantur: ita Serar. sub finem libri, quæst. 23.

Porro Iudas sex dumtaxat annis dux præfuit Israeli, quibus tot tantaque gessit, quanta vix ulli gesserunt, A qui 50. annis Reip. præfuerunt. Ducatum enim iniit anno 146. Græcorum, quo mortuus est pater eius Mathathias, 1. Machab. 2. v. 70. occubuit vero anno 152. Græcorum, ut patet hoc c. v. 3. qui fuit Demetrii regis Syriæ annus secundus, Ptolomæi Philometoris regis Ægypti vigesimus, ante Christi ortum annus 159. Ita Salian. et alii.

ET CÆTERA VERBA (id est, gesta et facta verbis et historiis exprimenda) BELLORUM IUDÆ ET VIRTUTUM (Græce ἀνδραγαθιῶν, id est, *virilium operum*, sive heroicorum facinorum) QUAS FECIT, ET MAGNITUDINIS EIUS NON SUNT DESCRIPTA: MULTA ENIM ERANT VALDE.) q. d. Pauca e multis Iudæ heroice gesta recensui, ut ex ungue agnoscas leonem: longe enim plura gessit, quæ nimis longum foret enarrare. Hinc patet incomparabilem belli ducem fuisse Iudam, quo nullus fuerit superior, vix ullus æqualis et par; nullus enim cum tam paucis tantas hostium copias toties superavit, et prostravit; nullus pro patria, pro fide, pro templo, pro Dei cultu usque ad mortem per omnem vitam ita desudavit, ita præliatus est, B ac tandem pugnando occubuit, ut Iudas. Quare non dubium eum Sanctorum Ducum (si non Martyrum, quod tamen nonnulli volunt) catalogo a Deo inscriptum, meritis per tot facinora coronis in cælo decorari, etsi nomen eius martyrologiis Christianorum inscriptum non legamus. Historia tamen scholastica, et Petrus de Natalibus Episcopus Esquilinus Iudam vocant Sanctum eumque catalogo Sanctorum adscribunt mense Octobri. Vide eum lib. 9. catalogi Sanctorum cap. 2. ubi fuse Iudæ quasi sancti viri vitam enarrat, ac cap. seq. fratrum eius Ionathæ et Simonis æque, ac patris Mathathiæ, quos omnes sanctos nuncupat, virtutesque heroicas eorum, quasi Sanctorum recenset. Vers. 22.

POST OBITUM IUDÆ EMERSERUNT INIQUI.) q. d. Apostatæ, qui eo vivo hiscere non audebant, eo mortuo erexerunt cornua, ut regis Demetrii gentilismum et idololatriam in Israelem inducerent. Hi ergo urserunt Iudæos, ut se dederent Bacchidi duci Demetrii præsertim, quia ut sequitur: Vers. 23.

C IN DIEBUS ILLIS FACTA EST FAMES MAGNA VALDE.) Tum ex Dei Apostatas castigantis vindicta, tum quod Bacchides frumenta, vel absumpserat, vel perdiderat: hisce de causis TRADIDIT SE BACCHIDI OMNIS REGIO EORUM.) Exceptis Ionatha et Simone, eorumque asseclis, quorum electione et rogatu Vers. 24.

SUSCEPIT IONATHAS IN TEMPORE ILLO PRINCIPATUM.) Tam civilem quam sacrum, puta tam Ducatum, quam Pontificatum. Vers. 31.

ET FUGERUNT (quia pauci erant, nec tot hostibus et apostatis resistere poterant) IN DESERTUM THECUE) Ex qua prodiit mulier illa Thecuitis, quæ Absalonem Davidi reconciliavit, 2. Reg. 14. 2. Vers. 33.

ET IONATHAS MISIT FRATREM SUUM (Ioannem, de quo cap. 2. 2. ducem populi a Ionatha creatum, ut eius fuerit vicarius et belli dux) ET ROGAVIT NABUTHÆOS incolas urbis Nabo nobilis et præclaræ, sitæ in tribu Ruben, Numer. 32. 38. AMICOS SUOS, UT COMMODARENT ILLIS APPARATUM SUUM.) Armorum et machinarum bellicarum, D quo carebat Ionathas et Iudæi, qui pene inermes profugerant in desertum Thecue, ut dictum est v. 33. Vers. 35.

ET EXIERUNT FILII IAMBRI EX MADABA.) Faventes Bacchidi potius quam Ionathæ. Madaba erat in tribu Ruben non longe a Nabo, et Nabuthæis. Audi Adrichom. *Madaba, vel Madeba Hebr. idem est quod aquæ doloris, vel manantes, primaria quondam Ammonitarum urbs, sita in planitie, cui et nomen dedit, postea Amorrhæorum, quia eam iure belli abstulerant, et muris cinxerant. Habet in circuitu montes, paludes et saltus. Huius cives cum Ioannem Machabæum interfecissent, in eius ultionem multi eorum, a Ionatha occisi sunt. Quam postea Hyrcanus non sine labore sexto demum mense cepit: permansit usque ad ætatem Hieronymi, antiquum nomen retinens.* Vers. 36.

COMPREHENDERUNT IOANNEM.) Spoliaverunt et occiderunt; sed eius necem egregie ultus est Ionathas, ut sequitur v. 47.

Vers. 41. ET CONVERSÆ SUNT NUPTIÆ IN LUCTUM.) Cæso sponso cum asseclis, ac cæteris spoliatis. Sic sæpe in hoc mundo plausus vertitur in planctum, cantus in lamentum, et extrema gaudii luctus occupat. Qui sapit ergo, mundum contemnat, et cælum ambiat.

Vers. 43. IN VIRTUTE MAGNA.) Id est cum exercitu magno et valido; hunc enim significat δύναμις, id est virtus, robur, potentia, fortitudo.

Vers. 44 SURGAMUS ET PUGNEMUS CONTRA INIMICOS NOSTROS: NON EST ENIM HODIE SICUT HERI ET NUDIUSTERTIUS.) Ut possimus libere abire, vel pugnam declinare, vel fuga elabi. Sumus enim hostibus numerosis vicini, et ab eis pene cingimur; nam alia ex parte Iordane, paludibus, et saltibus inviis concludimur, ut effugere nequeamus; quare necesse est cum Bacchide confligere. Faciamus ergo ex inevitabili necessitate virtutem, et acerrime non tam pro vita, quam pro patria, templo et Deo dimicemus, ut vincamus, vel pugnando moriamur, uti fecit Iudas frater meus v. 9. Hunc esse sensum liquet ex eo quod subdit:

Vers. 45. ECCE ENIM BELLUM EX ADVERSO (a Bacchide instante nobis imminet) AQUA VERO IORDANIS HINC ET INDE.) Nos cingit et transitum prohibet. Acer hic est militi stimulus ad pugnandum, quem duces ei proponunt, ut generose pugnet cum aut vincere debet, aut mori. Simili modo Annibal, teste Livio lib. 21. *Dextra lævaque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem navem habemus, etc. hic vobis vincendum aut moriendum, milites, est.* Idem lib. 22. de Romanis in angustum redactis: *Ab lateribus montes et lacus; a fronte et a tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullam nisi in dextra ferroque salutis spem esse.*

ET EXTENDIT IONATHAS MANUM SUAM PERCUTERE (ut occideret) BACCHIDEM, ET DIVERTIT AB EO RETRO.) q. d. Bacchides vertendo se et retrorsum resiliendo ictum Ionathæ declinavit.

Vers. 48. ET DISSILIIT (Græca et Latina nonnulla manuscripta ac Hugo habent *desiluit*) IONATHAS ET QUI CUM EO ERANT IN IORDANEM, ET TRANSNATAVERUNT AD EOS IORDANEM.) q. d. Ionathas cum vim hostium repressisset, cæsis mille viris, ipsoque pene duce Bacchide, videretque se cum tam paucis male armatis diu cum tot millibus hostium armatissimis confligere non posse, habuit tempus tuto se cum suis subducendi. Nam insiliit in Iordanem, eumque vestitus et armatus natando transmisit; nec hostes, utpote ab eo cæsi, regressique eum insequi, aut transitum Iordanis impedire sunt ausi. Itaque Ionathas et Iudæi secure *tranaverunt ad eos*, puta ad suos, qui paulo ante Iordanem transierant. *Tranaverunt*, inquam, *Iordanem;* unde Græca clarius et plenius habent: *Et insiliit Ionathas et qui cum eo erant Iudæorum et transnataverunt in ulteriorem ripam, et non transierunt* (hostes scilicet Bacchidis milites) *ad eos Iordanem.* Et Iosephus: *Cum,* inquit, *Bacchides caute ictum Ionathæ declinasset, Ionathas cum suis desilientes commiserunt se flumini, et in oppositam ripam enataverunt, hostibus non ausis traiicere.* Hinc Salianus suspicatur in Vulgata esse mendum, et pro *tranaverunt ad eos,* legendum *non tranaverunt ad eos;* q. d. Hostes non ausi sunt tranare Iordanem, sequique Ionatham et Iudæos, qui eum tranarant, ne ab eis interimerentur, vel aquis suffocarentur. Sed omnia exemplaria latina legunt affirmative *tranaverunt ad eos*, iuxta sensum initio dictum. Ita Sanchez.

Vers. 49. ET CECIDERUNT DE PARTE BACCHIDIS DIE ILLA MILLE VIRI.) Ioseph. auget more suo numeratque bis mille.

ET REVERSI SUNT IN IERUSALEM.) Non Ionathas, sed Bacchides cum suis copiis. Hic enim tenebat urbem Ierusalem, imo arcem Sion, totamque fere Iudæam. Ita Iosephus, Salianus, Sanchez et alii, idque patet ex sequenti.

Vers. 50. ET ÆDIFICAVERUNT (Bacchides, eiusque asseclæ missi a rege Demetrio ad occupandam Iudæam) CIVITATES MUNITAS IN IUDÆA.) Ut per eas reliquam Iudæam sibi subiectam detinerent, ne Ionathas superveniens ex ea ipsos expelleret.

Vers. 51. ET POSUIT CUSTODIAM IN EIS.) Custodiam vocat præsidium militum, quos Bacchides in urbibus iam dictis collocavit, ut eas contra Ionathæ irruptiones custodirent et propugnarent.

Vers. 52. ET POSUIT IN EIS AUXILIA (scilicet, præsidia militum iam dicta) ET APPARATUM ESCARUM.) Hoc est annonam copiosam, ut obsidionem Ionathæ se absente diu sustinere possent, ne pressi fame cogerentur deditionem facere.

Vers. 53 ET ACCEPIT (Bacchides) FILIOS PRINCIPUM REGIONIS OBSIDES.) Ne Principes, sive primores Iudææ sibi rebellarent, et cum Ionatha conspirarent, ideoque eorum filios, quasi obsides conclusit in arce Sion, ut ibi custodirentur, ne ad suos profugerent.

Vers. 54. ET ANNO 153. (Græcorum) MENSE SECUNDO PRÆCEPIT ALCIMUS.) Pseudo-Pont. ac scelestus apostata et proditor, qui Demetrium regem excitarat, ut Bacchidem contra Iudam Machabæum, eiusque fratres mitteret, sibique Pontificatum excluso Iuda conferret, c. 7. v. 1. et seq. DESTRUI MUROS DOMUS SANCTÆ INTERIORIS, ut se Pontificem et templi dominum esse ostenderet. Græce: *Iussit dirui murum aulæ sanctorum interioris.* Nonnulli murum hunc accipiunt eum, quem Iudas Machabæus, cap. 4. v. 60. templo obtendit ad eius custodiam, ne in illud irruerent Demetriani occupantes arcem vicinam Sion. Verum hic murus erat aulæ exterioris, non interioris, nec erat opus prophetarum, ut sequitur, sed Iudæ Machabæi. Quare murus hic intelligendus est templi, puta Sancti, et Sancti sanctorum; vel potius atrii sacerdotum, templo sive Sancto adiacentis. Hoc enim atrium dicitur aula, sive domus interior respectu atrii laicorum, quod dicebatur aula, sive domus exterior. Nam inter utrumque hoc atrium interiectus erat murus altitudinis trium cubitorum, quem Iosephus Gysum vocat, ut sacerdotes a laicis disterminaret, ne laici ad atrium sacerdotum, et altare holocaustorum, quod in eo erat, accedere possent. Alcimus ergo murum hunc intermedium cœpit destruere, tum ut sacerdotes et sacrificia profanaret, tum ut laici et gentiles ad altare holocaustorum accedere possent, in eoque æque ac sacerdotes sacrificare. Ita Salianus, Sanchez et alii.

ET DESTRUI OPERA PROPHETARUM.) Nimirum murum atrii sacerdotum iam dictum: hunc enim æque ac reliquum templum iussu Dei exstrui iusserunt prophetæ Aggæus et Zaccharias, qui et suis oraculis urgebant populum assidue ad inchoatam templi fabricam prosequendam et perficiendam, ita ut templum, operaque facta in templo ad eius ornatum dici possint debeantque horum prophetarum pariter, ac Ezechielis, qui et cap. 40. templi fabricandi ideam descripsit, ut iuxta eam ædificarent. Forte etiam peculiaria quædam fuere in atrio hoc monumenta horum, et aliorum prophetarum, quibus significaretur, tum eorum sanctitas et prophetia, tum eos fabricæ templi fuisse auctores et promotores.

Vers. 55. IN TEMPORE ILLO (cum scilicet sacrilegas manus immitteret in muri sacri iam dicti demolitionem) PERCUSSUS EST (a Deo templi tutore, et sacrilegii vindice) ALCIMUS (sacrilegus) ET IMPEDITA SUNT OPERA ILLIUS (in demoliendo atrii templi muro) ET OCCLUSUM EST OS EIUS (blasphemum quo murum hunc, quasi Pontifex dirui præceperat) ET DISSOLUTUS EST PARALYSI, NEC ULTRA POTUIT LOQUI VERBUM ET MANDARE DE DOMO SUA.) q. d. Non potuit condere testamentum, nec de rebus domus suæ disponere, qui inique de domo Dei disposuerat, illamque diruere voluerat. Iusta ergo et congrua sceleri et sacrilegio Alcimi a Deo inflicta est hæc pœna. Scelestus hic Iudæus et apostata, ut Demetrio et Græcis placeret, pro Hebræo Ioacim, quod ei erat proprium, Græcum nomen vicinum assumpsit, seque vocavit Alcimum, Græce ἄλκιμος id est fortem, validum, strenuum, ferocem, ut Demetrius eo quasi duce ad debellandum Iudam et Ionatham uteretur, qui et revera ipso usus est; sed Deus sacrilegum mox castigavit, eumque paralysi dissolvit; itaque debilitavit et prostravit, ut ne verbum quidem eloqui posset, nimirum:

Sequitur superbos ultor a tergo Deus,

ut ἄλκιμον, id est robustum faciat, ἄλγιμον, id est mole-

stissimum, tristissimum, doloribus et cruciatibus confectum.

Vers. 56. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno.) Nimirum anno 153. Græcorum, ut dictum est vers. 56. qui fuit annus secundus ducatus Ionathæ. Quare errat Iosephus, dum scribit Alcimo morienti in Pontificatu successisse Iudam Machabæum. Nam Iudas iam anno præcedenti, puta 152. Græcorum, ut dictum est cap. 9. v. 3. et seqq. occubuerat. Modico ergo tempore sua impietate et pseudo-Pontificatu gavisus est Alcimus, scilicet, per biennium dumtaxat. Nam eum iniit anno 151. Græcorum, ut dictum est c. 7. v. 1. et 5. finiit vero anno 153. Græcorum mense secundo, ut hic dicitur. Tam breve est gaudium impiorum, tam brevis impietas, cui mox succedit longissima gehennæ æternitas.

Vers. 57. Et siluit terra (quievit Iudæa a bellis et infestatione Bacchidis) annis duobus, quibus Ionathas se suosque erexit et armavit.

Vers. 58. Et cogitaverunt omnes iniqui.) Iudæi apostatæ, et Ionathæ æmuli, ac inimici et proditores, qui vocarunt secreto Bacchidem, ut Ionatham nihil cogitantem mali, noctu caperet et opprimeret; sed frustra: Deo enim dirigente, innotuit Ionathæ eorum proditio.

Vers. 61. Et apprehendit (non Bacchides, ut vult Iosephus, sed Ionathas suos proditores) de viris regionis, qui erant principes malitiæ (proditionis) 50. viros et occidit eos.)

Vers. 62. Et secessit Ionathas et Simon et qui cum eo erant in Bethbessen, quæ erat in deserto: et exstruxit diruta eius, et firmaverunt eam.) Ionathas fraude apostatarum et proditorum, ac validis copiis Bacchidis tota Iudæa exclusus, cum fratre Simone, et paucis asseclis, secessit in urbem Bethbessen sitam in deserto Iericho in tribu Beniamin, non longe a Iordane, eamque munivit, ut in ea se suosque contra Bacchidem defenderet. Audivit id Bacchides, et collectis omnibus copiis Bethbessen obsedit, ut Ionatham cum omnibus suis ibidem collectis opprimeret, itaque bellum omne finiret. Quid ad hæc Ionathas et Simon?

Vers. 65. Et reliquit Ionathas Simonem fratrem suum in civitate, ut eam contra Bacchidem propugnaret, et exiit in regionem vicinam colligere milites, et venit cum numero.) Cum numeroso exercitu.

Vers. 66. Et percussit Odaren.) Erat hic unus ex amicis et ducibus Bacchidis. Aliqui, pro *Odaren* legentes *Oduren*, censent hoc nomen non esse proprium, sed appellativum, ut significet obsessorem viarum, sive prædonem et latronem; hunc enim significat Græcum οδουρης.

Et coepit cædere (socios et amicos Bacchidis sparsos per campestria, ibique in tabernaculis secure degentes, ex inopinato eos invadens) et crescere in virtutibus.) Græce εν δυναμεσι, id est *in exercitibus*, q. d. Ionathas collecta manu invasit Odaren cum suis, aliosque socios Bacchidis cecidit; inde pluribus ad se concurrentibus, auctisque copiis æque ac animis, invasit ipsa castra Bacchidis, quæ Bethbessen obsidebant, dato signo Simoni fratri, ut ex urbe erumpens hostes obsidentes a fronte invaderet, quos ipse a tergo invadebat, ita factum ut hostes utrimque invasi tanta vi utrobique ab utroque cæderentur, itaque Simon machinas eorum, quibus urbem impetebant, combureret, ut sequitur. Ita Ioseph. l. 13. cap. 1. quem audi: *Relicto ad oppidi tutelam Simone fratre, clam egressus Ionathas, et collectis in vicina regione suæ factionis hominibus, noctu in Bacchidis castra irruit, et multis trucidatis, effecit ut frater adventum suum cognosceret. Quam primum enim tumultum sensit in castris hostium, eruptione facta incendit eorum machinas, cæde etiam non mediocri edita.* Ita quoque Hugo, Salianus, Sanchez et alii. Addit Gorionides Bacchidem fugisse in desertum, ibique captum a Ionatha, supplicem ei factum iurasse se omnia quæ e Iudæa ceperat redditurum; itaque pace firmata, liberum dimissum in Syriam ad suos rediisse. Sed nil tale habet Script. imo contrarium indicat, scilicet, Ionatham priorem pacem petiisse a Bacchide, ideoque parum æquas Iudæis conditiones accepisse, ut patebit versu 70.

Et multos ex eis occidit.) Bacchides, cæsus a Ionatha, iram vertit in apostatas Iudæos, qui eum e Syria in Iudæam contra Ionatham evocarant, promittentes ei securam de ipso, utpote de bello non cogitante, victoriam; quare videns se ab eis in fraudem inductum, et a Ionatha cæsum, eos, quasi mali sui auctores, occidit. Vide hic ut malum consilium consultori sit pessimum, et in eius iugulum redeat. Vers. 69.

Ipse autem cogitavit cum reliquis abire in regionem suam.) Hoc unum cogitans, ait Iosephus, quomodo ex sua et regis dignitate obsidioni fine imposito, exercitum posset sine ignominia reducere Antiochiam ad regem Demetrium, ideoque conditiones pacis a Ionatha oblatas statim acceptavit.

Et cognovit Ionathas, et misit ad eum legatos Vers. 70. componere pacem, et reddere ei captivitatem.) Id est captivos. Hæc enim fuit conditio pacis, ut utrimque captivi commutarentur et redderentur. Ionathas prior petiit pacem, quia res eius et Iudæorum erant afflictæ, ideoque nec Ierosolymam, quam tenebat Bacchides, nec alias Iudææ urbes ab eo petere est ausus.

Et cessavit gladius in Israel.) Id est cessavit bel- Vers. 73. lum et prælia, in quibus multi gladio perimuntur, ac de facto multi hic in Israel perempti erant.

Et habitavit Ionathas in Machmas.) Ionathæ Principis et Pontificis propria sedes erat Ierusalem et templum; sed hanc occupantibus Bacchidianis, Ionathas sedem sibi elegit in oppido Machmas, quod situm erat in confinio tribuum Beniamin et Ephraim, ibique cœpit ius dicere populo, ac apostatas ex Israel exterminare, totamque Remp. Israelis componere æque ac ibidem fecerat Samuel, iudex et princeps, 1. Reg. 7. 5.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Demetrius et Alexander reges consobrini de regno Asiæ inter se dimicantes, magnis promissis ambiunt amicitiam Ionathæ, sed eam obtinet Alexander, qui Ionathæ Pontificatum confirmat, additque purpuram et coronam auream. Mox v. 48. Alexander adiutus a Ionatha cum Demetrio confligens, eum superat et occidit, indeque uxorem ducit Cleopatram filiam Ptol. Philometoris regis Ægypti, ac in nuptiis Ionatham honorat, Ducemque sui Principatus creat. Denique v. 67. Demetrius Demetrii occisi filius mittit Apollonium cum exercitu, quem Ionathas profligat, ideoque ab Alexandro dono accipit urbem Accaron, et fibulam auream.

1. Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis: et oc-
cupavit Ptolemaidam: et receperunt eum, et regnavit illic. 2. Et audivit Demetrius rex, et congrega-
vit exercitum copiosum valde, et exivit obviam illi in prælium. 3. Et misit Demetrius epistolam ad Io-

nathan verbis pacificis, ut magnificaret eum. 4. Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cum Alexandro adversum nos; 5. Recordabitur enim omnium malorum quæ fecimus in eum, et in fratrem eius, et in gentem eius. 6. Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, et fabricare arma, et esse ipsum socium eius: et obsides, qui erant in arce, iussit tradi ei. 7. Et venit Ionathas in Ierusalem, et legit epistolas in auditu omnis populi, et eorum qui in arce erant. 8. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum. 9. Et traditi sunt Ionathæ obsides, et reddidit eos parentibus suis: 10. Et habitavit Ionathas in Ierusalem, et cœpit ædificare et innovare civitatem. 11. Et dixit facientibus opera, ut extruerent muros, et montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: et ita fecerunt. 12. Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificaverat: 13. Et reliquit unusquisque locum suum, et abiit in terram suam: 14. Tantum in Bethsura remanserunt aliqui ex his qui reliquerant legem et præcepta Dei: erat enim hæc eis ad refugium. 15. Et audivit Alexander rex promissa, quæ promisit Demetrius Ionathæ: et narraverunt ei prælia, et virtutes quas ipse fecit, et fratres eius, et labores quos laboraverunt: 16. Et ait: Numquid inveniemus aliquem virum talem? et nunc faciemus eum amicum, et socium nostrum. 17. Et scripsit epistolam, et misit ei secundum hæc verba, dicens: 18. Rex Alexander fratri Ionathæ salutem. 19. Audivimus de te, quod vir potens sis viribus, et aptus es ut sis amicus noster: 20. Et nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, et ut amicus voceris regis (et misit ei purpuram, et coronam auream), et quæ nostra sunt sentias nobiscum, et conserves amicitias ad nos. 21. Et induit se Ionathas stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die solemni scenopegiæ: et congregavit exercitum, et fecit arma copiosa. 22. Et audivit Demetrius verba ista, et contristatus est nimis, et ait: 23. Quid hoc fecimus, quod præoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Iudæorum ad munimen sui? 24. Scribam et ego illis verba deprecatoria, et dignitates, et dona; ut sint mecum in adiutorium. 25. Et scripsit eis in hæc verba: Rex Demetrius genti Iudæorum salutem. 26. Quoniam servastis ad nos pactum, et mansistis in amicitia nostra, et non accessistis ad inimicos nostros, audivimus, et gavisi sumus. 27. Et nunc perseverate adhuc conservare ad nos fidem, et retribuemus vobis bona pro his quæ fecistis nobiscum: 28. Et remittemus vobis præstationes multas, et dabimus vobis donationes. 29. Et nunc absolvo vos et omnes Iudæos a tributis, et pretia salis indulgeo, et coronas remitto, et tertias seminis: 30. Et dimidiam partem fructus ligni, quod est portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die, et deinceps, ne accipiatur a terra Iuda, et a tribus civitatibus, quæ additæ sunt illi ex Samaria et Galilæa, ex hodierna die et in totum tempus: 31. Et Ierusalem sit sancta, et libera cum finibus suis: et decimæ et tributa ipsius sint. 32. Remitto etiam potestatem arcis, quæ est in Ierusalem: et do eam summo sacerdoti, ut constituat in ea viros quoscumque ipse elegerit, qui custodiant eam. 33. Et omnem animam Iudæorum, quæ captiva est a terra Iuda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, ut omnes a tributis solvantur, etiam pecorum suorum. 34. Et omnes dies solemnes, et sabbata, et neomeniæ, et dies decreti, et tres dies ante diem solemnem, et tres dies post diem solemnem, sint omnes immunitatis et remissionis omnibus Iudæis, qui sunt in regno meo: 35. Et nemo habebit potestatem agere aliquid, et movere negotia adversus aliquem illorum in omni causa. 36. Et ascribantur ex Iudæis in exercitu regis ad triginta millia virorum: et dabuntur illis copiæ ut oportet omnibus exercitibus regis, et ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni: 37. Et ex his constituentur super negotia regni, quæ aguntur ex fide, et principes sint ex eis, et ambulent in legibus suis, sicut præcepit rex in terra Iuda. 38. Et tres civitates, quæ additæ sunt Iudææ ex regione Samariæ cum Iudæa reputentur: ut sint sub uno, et non obediant alii potestati, nisi summi sacerdotis. 39. Ptolemaida, et confines eius, quas dedi donum sanctis qui sunt in Ierusalem, ad necessarios sumptus sanctorum. 40. Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt: 41. Et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus. 42. Et super hæc quinque millia siclorum argenti, quæ accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos: et hæc ad sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur. 43. Et quicumque confugerint in templum quod est Ierosolymis, et in omnibus finibus eius, obnoxii regi in omni negotio dimittantur, et universa quæ sunt eis in regno meo, libera habeant. 44. Et ad ædificanda vel restauranda opera sanctorum, sumptus dabuntur de ratione regis: 45. Et ad extruendos muros Ierusalem, et communiendos in circuitu, sumptus dabuntur de ratione regis, et ad construendos muros in Iudæa. 46. Ut audivit autem Ionathas et populus sermones istos, non crediderunt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Israel, et tribulaverat eos valde. 47. Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, et ipsi auxilium ferebant omnibus diebus. 48. Et congregavit rex Alexander exercitum magnum, et admovit castra contra Demetrium. 49. Et commiserunt prælium duo reges, et fugit exercitus Demetrii, et insecutus est eum Alexander, et incubuit super eos. 50. Et invaluit prælium nimis, donec occidit sol: et cecidit Demetrius in die illa. 51. Et misit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos secundum hæc verba, dicens: 52. Quoniam regressus sum in regnum meum, et sedi in sede patrum meorum, et obtinui principatum, et contrivi Demetrium, et possedi regionem nostram, 53. Et commisi pugnam cum eo, et contritus est ipse et castra eius a nobis, et sedimus in sede regni eius: 54. Et nunc statuamus ad invicem amicitiam: et da mihi filiam tuam uxorem, et ego ero gener tuus, et dabo tibi dona, et ipsi, digna te. 55. Et respondit rex Ptolemæus, dicens: Felix dies, in qua reversus es ad terram patrum tuorum, et sedisti in sede regni eorum. 56. Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidam, ut videamus invicem nos, et spondeam tibi sicut dixisti. 57. Et exivit Ptolemæus de Ægypto, ipse, et Cleopatra filia eius, et venit Ptolemaidam anno centesimo sexagesimo secundo. 58. Et occurrit ei Alexander rex, et dedit ei Cleopatram filiam suam: et fecit nuptias eius Ptolemaidæ, sicut reges, in magna gloria. 59. Et scripsit rex Alexander Ionathæ, ut veniret obviam sibi. 60. Et abiit cum gloria Ptolemaidam, et occurrit ibi duobus regibus, et dedit illis argentum multum, et aurum, et dona: et invenit gratiam in conspectu eorum. 61. Et convenerunt adversus eum viri pestilentes ex Israel, viri iniqui interpellantes adversus eum: et non intendit ad eos rex. 62. Et iussit spoliari Ionathan vestibus suis, et indui eum purpura: et ita fecerunt. Et collocavit eum rex sedere secum: 63. Dixitque principibus suis: Exite cum eo in medium civitatis, et prædicate, ut nemo adversus eum interpellet de ullo negotio, nec quisquam ei molestus sit de ulla ratione. 64. Et factum est, ut viderunt qui

*

interpellabant gloriam eius, quæ prædicabatur, et opertum eum purpura, fugerunt omnes: 65. Et magnificavit
eum rex, et scripsit eum inter primos amicos, et posuit eum ducem, et participem principatus. 66. Et reversus
est Ionathas in Ierusalem cum pace et lætitia. 67. In anno centesimo sexagesimo quinto, venit Demetrius filius
Demetrii a Creta in terram patrum suorum. 68. Et audivit Alexander rex, et contristatus est valde, et reversus
est Antiochiam. 69. Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem, qui præerat Cælesyriæ: et congregavit exer-
citum magnum, et accessit ad Iamniam: et misit ad Ionathan summum sacerdotem, 70. Dicens: Tu solus resistis
nobis: ego autem factus sum in derisum, et in opprobrium, propterea quia tu potestatem adversum nos exerces in
montibus. 71. Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum, et comparemus illic invicem:
quia mecum est virtus bellorum. 72. Interroga, et disce quis sum ego, et ceteri qui auxilio sunt mihi, qui et di-
cunt quia non potest stare pes vester ante faciem nostram, quia bis in fugam conversi sunt patres tui in terra sua:
73. Et nunc quomodo poteris sustinere equitatum et exercitum tantum in campo, ubi non est lapis, neque saxum,
neque locus fugiendi? 74. Ut audivit autem Ionathas sermones Apollonii, motus est animo: et elegit decem millia
virorum, et exiit ab Ierusalem, et occurrit ei Simon frater eius in adiutorium: 75. Et applicuerunt castra in
Ioppen, et exclusit eum a civitate, quia custodia Apollonii Ioppe erat, et oppugnavit eam. 76. Et exterriti qui e-
rant in civitate, aperuerunt ei, et obtinuit Ionathas Ioppen. 77. Et audivit Apollonius, et admovit tria millia equi-
tum, et exercitum multum. 78. Et abiit Azotum tanquam iter faciens, et statim exiit in campum, eo quod habe-
ret multitudinem equitum, et confideret in eis. Et insecutus est eum Ionathas in Azotum, et commiserunt prælium.
79. Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occulte. 80. Et cognovit Ionathas quoniam insidiæ sunt
post se, et circuierunt castra eius, et iecerunt iacula in populum a mane usque ad vesperam. 81. Populus autem sta-
bat, sicut præceperat Ionathas: et laboraverunt equi eorum. 82. Et eiecit Simon exercitum suum, et commisit
contra legionem: equites enim fatigati erant: et contriti sunt ab eo, et fugerunt. 83. Et qui dispersi sunt per cam-
pum, fugerunt in Azotum, et intraverunt in Bethdagon idolum suum, ut ibi se liberarent. 84. Et succendit Iona-
thas Azotum, et civitates quæ erant in circuitu eius, et accepit spolia eorum, et templum Dagon: et omnes qui fu-
gerunt in illud, succendit igni. 85. Et fuerunt qui ceciderunt gladio, cum his qui succensi sunt, fere octo millia
virorum. 86. Et movit inde Ionathas castra, et applicuit ea Ascalonem: et exierunt de civitate obviam illi in magna
gloria. 87. Et reversus est Ionathas in Ierusalem cum suis, habentibus spolia multa. 88. Et factum est ut audivit
Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Ionathan. 89. Et misit ei fibulam auream, sicut consuetu-
do est dari cognatis regum. Et dedit ei Accaron, et omnes fines eius, in possessionem.

Vers. 1. ET ANNO 160. ASCENDIT ALEXANDER ANTIOCHI FILIUS, QUI COGNOMINATUS EST (Epiphanes, id est illustris, vel) NOBILIS, ET OCCUPAVIT PTOLEMAIDAM.) Alexander hic cognomento Balles sive Veles (uti nunc Valesia familia in Gallia est regia) fuit filius Antiochi Epiphanis, ideoque frater Antiochi Eupatoris occisi a Demetrio; quare fratris necem ulturus, eiusque regnum recepturus occupavit Ptolemaidam Phœniciæ urbem, quæ nunc *Aceon*, vel *Acee* dicitur. Unde errant Iustinus lib. 35. Appianus, Florus, Sulpitius et Genebrardus, qui Alexandrum hunc ex plebeia familia oriundum, per mendacium et fraudem se stirpi Antiochi inseruisse scribunt, uti hoc eodem tempore pseudo-Philippus se inseruit stirpi regum Macedoniæ, ideoque tertium contra Romanos Macedonicum bellum suscitavit, in quo et victus cæsusque est, teste L. Floro et aliis. Nisi dicas eum Antiochi Epiphanis filium quidem fuisse, sed nothum ex Bala concubina genitum, indeque cognominatum Balas, uti ex Eusebio et Appiano docet Salianus. Magis errant Lyr. Carth. et Adricom. qui hunc Alexandrum faciunt filium Antiochi Eupatoris, cum eius fuerit frater, filius vero Antiochi Epiphanis, præsertim quia Eupator occisus est anno ætatis duodecimo, quo vix generare poterat.

ET RECEPERUNT EUM.) q. d. Incolæ et accolæ Ptolemaidis, exosum habentes Demetrium propter superbiam, luxum et desidiam, Alexandrum eius consobrinum in regem susceperunt et coronarunt.

Vers. 6. ET DEDIT EI POTESTATEM CONGREGANDI EXERCITUM.) Ut eum suis copiis coniungeret, iisque simul iunctis debellaret Alexandrum.

Vers. 8. ET TIMUERUNT TIMORE MAGNO.) q. d. Demetriani milites, occupantes arcem Sion, timuerunt Ionathan, ne iussu Demetrii exercitum conscriberet et arcem invaderet; non tamen ex arce fugerunt, ut aliqui putant ex v. 12. sed eam retinuerunt: nam postea eamdem obsedit Ionathas, ut audiemus cap. 11. v. 20.

Vers. 10. ET HABITAVIT IONATHAS IN IERUSALEM.) Tum quia ipse erat summus Pontifex, ac Pontificatu fungi debebat in templo, ideoque residere in Ierusalem; tum quia ipse erat dux et princeps Israelis, cuius metropolis erat Ierusalem.

REX ALEXANDER FRATRI IONATHÆ SALUTEM.) Ionatham Alexander rex vocat fratrem, quod eius amicitiam et auxilium ambiret, cuperetque eum habere socium, promittens quod eum habiturus esset eo honore et amore, quo frater habet fratrem. Vers. 18.

CONSTITUIMUS TE HODIE SUMMUM SACERDOTEM.) Ionathas, ait Serarius, iam a populo electus et constitutus erat Dux et Pontifex; sed Pontificatum hic ei confirmat Alexander, quasi rex Asiæ et Syriæ, ad quem proinde iure regnorum politico, pertinere videbatur creatio Pontificis, sicut olim Romani Imperatores sibi arrogabant, et nominabant Romanum Pontificem; sed merito posteriores Pontifices hoc ius Imperatoribus ademerunt, ac in clerum, puta in Episcopos et Cardinales transtulerunt. Iam enim hoc officium usurparat Ant. Epiphanes Alexandri pater, qui Iasonem, deinde Menelaum constituerat Pontificem, ac post eum Demetrius rex constituerat Alcimum Pontificem, a cuius morte anno octavo Alexander hic Pontificem creat Ionatham. Vers. 20.

ET QUÆ NOSTRA SUNT SENTIAS NOBISCUM.) q. d. Nostræ causæ et parti faveas, non adversæ, ut scilicet me armis copiisque iuves, non Demetrium antagonistam meum. Idque fecit Ionathas præferens Alexandrum Demetrio ob bella et damna Israeli ab eo illata.

ET INDUIT SE IONATHAS STOLA SANCTA.) Scilicet stola, tunicaque Pontificali, in qua erat Rationale cum Ephod, Exodi 28. Nam hucusque Ionathas, licet Pontifex, Pontificalia non induerat, nec exercuerat, eo quod Ierusalem ab hostibus occuparetur. Iam autem recepta Ierusalem, Pontificalia vestimenta induit, et munia Pontificis exercuit. Vers. 21.

QUONIAM SERVASTIS AD NOS PACTUM.) Demetrius hic fingit se nescire quod Ionathas et Iudæi a se ad Alexandrum æmulum suum defecissent; unde eos quasi fideles amicos compellat, hortaturque ut in fide et amicitia sua persistant, magna, si id fecerint, promittens præmia. Vers. 26.

ET REMITTEMUS VOBIS PRÆSTATIONES.) Id est, exactiones et tributa, quæ mihi præstare solebatis; unde explicans subdit: ET NUNC ABSOLVO VOS ET OMNES IUDÆOS A TRIBUTIS. Vers. 28.

ET PRETIA SALIS INDULGEO.) Id est tributa quæ pro Vers. 29.

sale conficiendo, devehendo, et divendendo mihi pendebatis, vobis condono, quæ utique magna sunt: nam omnes omnino homines indigent sale. Unde Salisburgi Princeps opes suas ingentes ex sale colligit. Id patet ex cap. seq. versu 35.

Et coronas.) Aureas, ut patet cap. 13. v. 37. quas mihi quotannis persolvebatis, remitto.

Et tertias seminis.) Id est tertiam partem frugum, ut habet Iosephus, quæ ex semine in terram iacto germinare solent, remitto. Ita Lyran. Verum cum hoc tributum videatur esse immane, unde cap. 11. v. 35. decimæ tantum fit mentio, hinc melius Salianus præcise tertiam seminis accepit, ut si quis duodecim tritici modios seminasset, debuisset is in messe quatuor modios tritici regi persolvere, non autem si collegisset in messe sexaginta modios, debuisset regi solvere viginti; quæ est tertia pars messis, non seminis, ut hic dicitur.

Vers. 30. Et dimidiam partem fructus ligni.) Id est omnium fructuum, qui ex lignis, id est, arboribus produci solent, quorum dimidiam partem mihi pendebatis, nunc vobis condono.

Vers. 31. Et Ierusalem sit sancta et libera.) Primo, ut ipsa velut urbs sancta populo fideli et sancto, puta Iudæis restituatur: quare milites mei, qui sunt in arce Sion, caveant ne eam profanent, imo ex arce excedant, eamque Ionathæ et Iudæis tradant, ut patet v. seq. secundo, ut ipsa velut urbs *sancta* sit libera, gaudeatque plena immunitate et libertate, quali gaudent templa, aliaque loca sancta; tertio, ut in ea solus Deus sancte colatur, sanctæque victimæ ei immolentur, quare interdico ne mei milites, aliive idololatræ eam suis idololatricis hostiis ritibusque contaminent; quarto, ut decimæ et tributa ipsius sint.) Ut scilicet decimæ deinceps non mihi, aut meis, sed templo et sacerdotibus, uti antea ex Dei sanctione fiebat, persolvantur.

Vers. 32. Remitto etiam potestatem arcis.) q. d. Dominium arcis in monte Sion, quod obtineo, remitto, illudque resigno, et trado Ionathæ, quasi summo Pontifici. Hoc promisit Demetrius Ionathæ, sed reipsa non præstitit, quia Ionathas fœdus iniit cum Alexandro hoste Demetrii.

Vers. 33. Et omnem animam Iudæorum quæ captiva est.) q. d. Omnes Iudæos, qui e Iudæa captivi abducti sunt sparsique per totum regnum meum, liberos dimitti volo, idque gratis et sine lytro, eosdemque absolvo ab omni tributo etiam pecorum suorum.

Vers. 34. Et omnes dies solemnes, et sabbata, et neomeniæ, et dies decreti.) Qui scilicet non a lege, sed a Iudæis ipsis decreti, et deputati sunt ad aliquam festivitatem, uti a Iuda decretum fuit festum Encæniorum ob templi purgationem; item festum victoriæ Iudith ob cæsum Holofernem, et festum Esther ob cæsum Aman. Ita Salianus, q. d. Sancio et edico ut omnes Iudæi qui sunt in regno meo, libere celebrent sua sabbata, neomenias, et alios dies festos a lege, vel Synagoga statutos et decretos, imo ut tres dies ante, et tres dies post aliquam solemnitatem, Iudæis sint dies immunitatis et remissionis, quibus nec in ius vocari, nec ad opera servilia capessenda a quopiam cogi possint, uti explicat versus sequens.

Vers. 36. Et dabuntur illis copiæ.) Id est copiosa stipendia æque ac annona.

Et ex eis ordinabuntur, qui sint in munitionibus regis magni.) Scilicet Demetrii, q. d. Tradam Iudæis arces meas, ut ipsi quasi mihi fidi eas custodiant. Pro *magni* Græce est *magnis*, q. d. magnas et primarias arces meas credam Iudæis.

Vers. 37. Et ex eis constituentur super negotia regni, quæ aguntur ex fide.) Id est quæ summam fidem, summumque silentium et secretum requirunt.

Et principes sint ex eis (qui tam provincias, quam exercitus meos gubernent) et ambulent in legibus suis.) Ut iuxta eas Iudaice vivant in regno meo, sicut vivunt in Iudæa.

Vers. 39. Ptolemaida (civitatem, quam invasit Alexander, meus consobrinus, et æmulus) et confines eius, quas

A dedi donum sanctis, qui sunt in Ierusalem.) Puta sancto Pontifici, sanctisque, id est fidelibus Iudæis; repete etiam nunc do, donumque a me datum confirmo. Pro *qui*, Græce est *quæ*, q. d. Colonias has dedi *sanctis*, id est, Sanctuario, sive sancto templo, quod est in Ierusalem, puta Sancto, et Sancto sanctorum, ut ex earum proventibus emantur victimæ, aliaque necessaria ad cultum Dei in sancto eius templo.

Et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant.) q. d. Sancio ut mei quæstores reddant, et restituant templo illa quæ ex censibus aliisque rebus templo destinatis subtraxerunt, et in meum ærarium intulerunt. Aut, ut Salianus, q. d. Iubeo ut pubblicani Iudæi, qui sunt obnoxii reddendæ rationi, nec regiis quæstoribus adhuc satisfecerint, ea non ærario regio, sed templo persolvant Ierosolymitano. Nam de redditibus templi subdit novum beneficium vers. 42. Vers. 41.

Quæ accipiebant de Sanctorum ratione.) Id est, ex sancti templi censu et ærario, ut in meum ærarium inferrent; nunc iubeo illa templo restitui; nimirum, *quinque millia siclorum*, id est, quinque millia Francorum, sive Florenorum Brabanticorum. Siclus enim pendit quatuor drachmas, valetque quatuor Iulios, sive quatuor regales Hispanicos. Vers. 42.

B

Et quicumque (sive Iudæi, sive Gentiles) confugerint in templum, etc. dimittantur.) q. d. Iubeo sancioque ius asyli, quod habuit templum, imo illud augeo. Volo enim, ut, dum quis confugit ad templum, quamdiu is in eo manet, nemo possit invadere bona illius in regno meo, licet alibi sita. Verum nimis ampla promittit hic Demetrius: quare Ionathas et Iudæi ei non crediderunt æstimantes ex necessitate ficte hæc promittere, sed postea non servaturum; præsertim, quia eius malevolentiam sæpius erant experti: quare, Demetrio relicto, adhæserunt Alexandro. Vers. 43

Nota: Hic Demetrius duodecim ingentia beneficia promittit Ionathæ, si suas partes contra Alexandrum sequi

C et tueri velit; unde colligas quanta fuerit fortitudo, et fama Ionathæ. Primum est immunitas tributorum; 2. libertas Ierosolymæ, ut sit immunis a præsidio militum Demetrii; 3. restitutio captivorum; 4. permissio festivæ quietis; 5. ius honoratæ militiæ; 6. ius gubernandi; 7. ius servandi fidem legemque patriam; 8. amplificatio dominii Pontificii; 9. donatio Ptolemaidis; 10. annuus pro templo census quindecim millium siclorum; 11. ius asyli in templo; 12. ædificatio murorum Ierusalem.

Quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis.) Id est, quia Alexander prior, et ante Demetrium, pacem fœdusque a Iudæis postularat. Vers. 47.

Et cecidit Demetrius.) Victus ab Alexandro per auxilium Ionathæ et Iudæorum. Cecidit Demetrius, equo ipsius cadente et telis ipsum diruentibus, ait Iosephus lib. 13. cap. 1. Porro licet Demetrius potius ius haberet ad regnum Asiæ, utpote filius Seleuci, qui senior erat Antiochi Magni filius, ideoque in regno successor, quam Alexander, utpote filius Antiochi Epiphanis, qui Seleuci erat Vers. 50.

D frater iunior; tamen Ionathas licite adiuvit Alexandrum contra Demetrium, tum quia Demetrius hucusque hostis fuerat Iudæorum eosque hostiliter invaserat, et vastarat; quare contra eum Alexandri ope uti, imo eam implorare iure suo poterat Ionathas; tum quia Alexander ius belli habebat contra Demetrium, eo quod ipse fratrem suum seniorem Antiochum Eupatorem occidisset; voluit ergo necem fratris sui ulcisci, præsertim quia populus, scelera et tyrannidem Demetrii detestans, ei prætulerat Alexandrum, illumque sibi regem crearat.

Et misit Alexander ad Ptolemæum (Philometorem) regem Ægypti legatos.) Poscens eius filiam Cleopatram in uxorem, ut hac ratione fœdus cum eo firmaret, seseque contra Demetrium Demetrii a se occisi filium roboraret. Porro Cleopatra Græce idem est quod decus et gloria patris et patriæ. Utinam hæc talis fuisset! Vers. 51.

Nota: Multæ fuerunt Cleopatræ, quarum hæc fuit origo et series. Prima Cleopatra fuit Antiochi Magni filia, et Cleopatrarum series et origo.

soror Antiochi Epiphanis, quæ nupsit Ptolomæo Epiphani, quinto post Alexandrum Magnum regi Ægypti. Hæc fuit speciosissima, ideoque a Daniele c. 11. 17. vocatur *filia fœminarum*, hoc est formosissima, indeque dicta Cleopatra, id est decus et gloria patris. Unde ab ea cæteræ omnes reginæ Ægypti, utpote ab ea prognatæ, vocatæ sunt Cleopatræ. Ipsa ergo ex Ptol. Epiphane genuit Ptol. Philometorem, Ptol. Physconem, et Cleopatram filiam, quam licet sororem Philometor, ac deinde Physcon in uxorem acceperunt.

Hæc est ergo secunda Cleopatra, quæ Physconis fuit soror, uxor et insuper quasi mater, aut potius socrus. Nam Physcon, post eam repudiatam, duxit filiam eius in uxorem.

Tertia Cleopatra fuit huius secundæ ex Phylometore filia, quam Phylometor pater primo despondit Demetrio Nicanori, deinde eo capto ipsa nupsit Antiocho Sedeti, Demetrii fratri. Hæc venenum propinans filio suo Antiocho Grypho, ab eodem coacta illud bibere, seipsam occidit. De ea hic agitur.

Quarta Cleopatra fuit Ptol. Lathuri, qui Ptol. Physconis fuit filius et successor, soror et uxor, quæ ab eo repudiata nupsit Antiocho Cyziceno regi Asiæ, et a Gryphina sorore in templo amplexans simulacra iussa est confodi et occidi, teste Iustino l. 39.

Quinta Cleopatra fuit Ptol. Auletis filia, et Ptol. Dionysii ultimi regis Ægypti soror et uxor, quam adamavit Antonius repudians sororem Augusti Cæsaris, ideoque ab eo victus ad spontaneam necem adactus fuit: Cleopatra quoque seipsam admotis corpori serpentibus interfecit. Ita Euseb. Ioseph. Strabo, Beda et alii.

Vers. 56. ET SPONDEAM TIBI.) Id est sponsam tibi dem filiam meam. Spondere enim est parentis, despondere mariti, indeque sponsi et sponsæ, ac sponsaliorum et sponsandi voces emanarunt.

Vers. 59. ET SCRIPSIT REX ALEXANDER IONATHÆ, UT VENIRET OBVIAM SIBI.) q. d. Invitavit Alexander Ionatham Ptolemaidam ad nuptias suas cum Cleopatra celebrandas.

INDUI EUM PURPURA.) Id est regio amictu: purpura enim regni et regum erat vestis. Alexander ergo hic Ionatham regiis insignibus ornat, ob opem et auxilia sibi ab eo contra Demetrium præstita, idque per principes suos iubet per totam civitatem prædicari et promulgari. Non tamen hoc ipse Ionathan creat regem, sed dynastam et principem; purpura enim erat amictus dynastarum, qui amici regis, et ex amictu purpureo purpurati vocabantur. Sic Mardochæus ab Assuero ornatus fuit corona aurea in capite et amictu purpureo: erat enim ex primariis regis dynastis et amicis. Esther 8. 15.

Vers. 67. IN ANNO 165. VENIT DEMETRIUS (iunior) FILIUS DEMETRII.) Senioris ab Alexandro et Ionatha victi et occisi. Venit, inquam, e Creta, ubi latuerat, in Syriam, ut necem patris ulcisceretur, et avitum eius regnum, profligato Alexandro, reciperet. Factum hoc est quinto anno regni Alexandri, qui fuit tertius ab eius nuptiis cum Cleopatra: has enim iniit anno 162. Græcorum, ut dictum est v. 57. regnum vero occupavit anno 160. Græcorum, ut dictum est v. 1.

Nota: Ex Iustino l. 35. Demetrius senior, initio belli contra Alexandrum, duos filios suos, scilicet Demetrium Nicanorem et Antiochum Sedetem, qui ambo successive postea regnarunt, apud hospitem suum Gnidum (Gnidus est in Asia extrema prope Halicarnassum, et Rhodum, in extremo promontorio, quod respicit Cretam) cum magna auri vi deposuit, ut belli periculis eximerentur, et si ita sors tulisset, ultioni paternæ necis servarentur. Ita factum; nam Demetrius Nicanor, Demetrio patre occiso, e Creta profugit in Syriam, regnumque invasit. Hoc eodem tempore mortuus est Cato senior, Marcellus consul Romanus bellum gessit in Hispania, Attilius Prætor in Lusitania, ac Carthago tertium bellum Punicum contra Romanos apparavit, quo victa et excisa est a Scipione Africano. Ita Salianus.

Vers. 69. ET CONSTITUIT DEMETRIUS REX APOLLONIUM DUCEM,
A QUI PRÆERAT CÆLESYRIÆ.) Hic Apollonius prius servierat Alexandro, sed ab eo defecit ad Demetrium, illectus spe maiorum honorum et opum, quas promittebat novus rex Demetrius. Aulici enim respiciunt semper ad solem Orientem, ut vulgo dicitur. Hic Apollonius, quem Iosephus Daum cognominat, alius fuit ab Apollonio Tharseo filio, qui tempore Seleuci regis præfuit Cælesyriæ, de quo 2. Machab. 3. 5. Alius quoque fuit ab Apollonio Alnesthæi filio, quem Ant. Epiphanes misit cum 22. millibus, ut Ierusalem et Ægyptum occuparet 2. Machab. 4. 21. Alius quoque ab Apollonio Gennæi filio, qui Iudæos sub Eupatore vexavit, de quo 2. Machab. 12. 2. Videtur hic Apollonius a Demetrio præfectus Cælesyriæ constitutus, deinde veniente Alexandro ad eum a Demetrio defecisse; inde ab Alexandro ad Demetrium Demetrii filium cum aliis pluribus transiisse. Unde Iustinus ait, milites paternos ad filium Demetrium signa transtulisse.

QUIA TU POTESTATEM ADVERSUM NOS EXERCES IN Vers. 70.
MONTIBUS.) Id est in Iudæa, quæ montosa est; q. d. Tu,
B o Ionatha, inter montes Iudææ te contines, ibique dominaris, mihique resistis. Exi ergo e Iudæa in campum Syriæ, ibique aperto marte mecum confligе, si vir es, et viribus ad bellandum polles, uti iactas; nam in angustiis montium facile est homini imbelli, cum paucis resistere multis.

TU SOLUS RESISTIS NOBIS.) Nam, ut ait Iustinus lib. 35. de hoc Demetrio: *Audita Alexandri luxuria, quem insperatæ opes et alienæ felicitatis ornamenta, velut captivum inter scortorum greges, desidem in Regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securum, ac nihil hostile metuentem aggreditur. Antiochenses quoque veterem patris offensam, novis meritis correcturi se ei tradunt; sed et milites paterni, favore iuvenis accensi, prioris sacramenti religionem, novi regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium transferunt.*

NUNC ERGO SI CONFIDIS IN VIRTUTIBUS (Græce δυνάμεσι, id est viribus et exercitibus) TUIS, DESCENDE AD Vers. 71.
C NOS IN CAMPUM, ET COMPAREMUS (Græce συγκριθῶμεν, id est comparemur, conferamur, componamur) ILLIC INVICEM, ut pedem pedi, manum manui conferentes, ostendamus uter sit fortior, an tu, an ego: QUIA MECUM EST VIRTUS BELLORUM.) Græce, *quia mecum est exercitus potens urbium.* q. d. Provoco te in campum, ubi armis pugnandum est, non saxis, et in quo nullum victo est refugium. Noster legit πολέμων, id est *bellorum*; alii legunt πολέων, id est *urbium*, et sic quoque legit Iosephus.

QUIA BIS IN FUGAM CONVERSI SUNT PATRES TUI.) Vers. 72.
Nimirum semel, quando Mathathias fugit cum filiis suis 1. Machab. 2. 28. iterum in pugna cum Bacchide, in qua cæso Iuda, cæteri Iudæi fugerunt, 1. Machab. cap. 9. vers. 18.

UT AUDIVIT AUTEM IONATHAS SERMONES APOLLONII, Vers. 74.
MOTUS EST ANIMO.) Ad iram excandescens, et ad pugnam exardescens, ut ipso facto refutaret exprobrationem Apollonii, ac reipsa ostenderet se tam in campis
D quam in montibus esse bellipotentem, imo leonem.

ET EXCLUSIT (Apollonius) EUM (Ionatham) A CIVITATE: QUIA CUSTODIA (præsidium militum ad custodiendam urbem) APOLLONII IOPPE (Græce, in Ioppe) ERAT.) Græce est ἀπέκλεισαν, id est *excluserunt*, scilicet milites præsidiarii Ionatham.

ET CIRCUIERUNT (hostes, scilicet equites Apollonii) Vers. 80.
CASTRA EIUS (scilicet Ionathæ), ET IECERUNT IACULA IN POPULUM.) Scilicet in socios Ionathæ.

POPULUS AUTEM STABAT (costanti animo, pede et Vers. 81.
manu clypeis suis excipiens, et repellens iacula hostium) ET LABORAVERUNT EQUI EORUM.) q. d. Equi et equites Apollonii fatigati fuere, quia tota die laboraverunt currendo et iaciendo tela in castra Ionathæ. Unde Simon eos fessos et lassos aggressus fudit fugavitque.

ET EIECIT (Græce εἵλκυσε, id est extraxit, eduxit, e- Vers. 82.
misit, explicuit, expandit) SIMON EXERCITUM SUUM (alas militum) ET COMMISIT (prælium) CONTRA LEGIO-

NEM (Græce *contra phalangem*, puta contra aciem hostium) EQUITES ENIM FATIGATI ERANT (ob causam iam dictam) ET CONTRITI SUNT AB EO (a Simone fratre Ionathæ) ET FUGERUNT.

ET INTRAVERUNT IN BETHDAGON.) Id est in domum Dagon, puta in templum Dagon. qui erat Deus sive *idolum* eorum, Græce εἰς εἰδωλεῖον, id est in idolum sive fanum idoli sui, scilicet Dagon. Verum qui idolum suum e manibus Ionathæ liberare non poterat, quomodo ab eodem a strage Ionathæ liberaretur? Quare omnes cum suo idolo et idolis a Ionatha succensi concrematique fuere.

ET EXIERUNT (Ascalonitæ) DE CIVITATE OBVIAM ILLI (Ionathæ) IN MAGNA GLORIA.) Id est, magno honore et pompa eum excipientes, illique se et urbem suam dedentes ne ab eo cremarentur instar Bethdagon.

ET MISIT (Alexander rex hostis Demetrii et Apollonii) EI (Ionathæ ob contritum Apollonium) FIBULAM AU-

A REAM.) Græce πόρπην, quod aliqui vertunt monile e collo vel e cingulo dependens, quale est in Belgio vellus aureum. Melius Noster vertit *fibulam*, qua longiores tunicæ et vestes subnecti solent, iuxta illud Æneid. 4.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Fuit hoc ornamentum militare, teste Livio lib. 7. et 9. non olim nisi regum cognatis, et summis amicis dari solitum, ut hic dicitur. Fibula ergo hæc vestes laxas et fluidas, vel in pectore, vel in cingulo stringebat, et confibulabat. Unde Virgil. 12. Æneid.

Laterum iuncturas fibula mordet.

Et Ovidius 8. Metam.

Rasilis hinc summam mordebat fibula vestem.

Et S. Hier. epist. 49. *Fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit.* Tertullianus de pallio c. 1. *In viris*, inquit, *pallii extrinsecus habitus, et ipse quadrangulus ab utroque laterum regestus, et cervicibus circumstrictus in fibulæ morsu humeris acquiescebat.*

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ptolomæus Philometor Alexandro filiam suam Cleopatram quam ei uxorem dederat, una cum regno aufert. Alexander fugit in Arabiam, ibique a Zabuele rege occiditur, qui caput occisi mittit ad Philometorem. Philometor eo accepto tertio post die moritur. Mox vers. 49. Demetrius firmato regno fœdus init cum Ionatha, qui eum a nece liberat cæsis centum hostium millibus, sed Demetrius iam de regno securus v. 55. fœdus cum Ionatha initum perfide abrumpit. Quare Ionathas ad Antiochum Alexandri occisi filium se transfert, ab eoque magnis honoribus afficitur. Unde pro eo dimicans plures Demetrii urbes occupat, eiusque copias fundit, fugatque.

1. ET rex Ægypti congregavit exercitum, sicut arena quæ est circa oram maris, et naves multas: et quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, et addere illud regno suo. 2. Et exiit in Syriam verbis pacificis,
et aperiebant ei civitates, et occurrebant ei: quia mandaverat Alexander rex exire ei obviam, eo quod
socer suus esset. 3. Cum autem introiret civitatem Ptolemæus, ponebat custodias militum in singulis civitatibus.
4. Et ut appropiavit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, et Azotum et cetera eius demolita,
et corpora proiecta, et eorum qui cæsi erant in bello, tumulos quos fecerant secus viam. 5. Et narraverunt regi
quia hæc fecit Ionathas, ut invidiam facerent ei: et tacuit rex. 6. Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cum glo-
ria: et invicem se salutaverunt, et dormierunt illic. 7. Et abiit Ionathas cum rege usque ad fluvium qui vocatur
Eleutherus: et reversus est in Ierusalem. 8. Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum usque Seleuciam
maritimam, et cogitabat in Alexandrum consilia mala. 9. Et misit legatos ad Demetrium, dicens: VENI, compo-
namus inter nos pactum, et dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, et regnabis in regno patris tui: 10.
Pœnitet enim me quod dederim illi filiam meam: quæsivit enim me occidere. 11. Et vituperavit eum, propterea
quod concupierat regnum eius. 12. Et abstulit filiam suam, et dedit eam Demetrio, et alienavit se ab Alexandro,
et manifestatæ sunt inimicitiæ eius. 13. Et intravit Ptolemæus Antiochiam, et imposuit duo diademata capiti suo,
Ægypti et Asiæ. 14. Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis il-
lis. 15. Et audivit Alexander, et venit ad eum in bellum: et produxit Ptolemæus rex exercitum, et occurrit ei in
manu valida, et fugavit eum. 16. Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur: rex autem Ptolemæus exal-
tatus est. 17. Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, et misit Ptolemæo. 18. Et rex Ptolemæus mortuus est in
die tertia: et qui erant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra castra. 19. Et regnavit Demetrius anno
centesimo sexagesimo septimo. 20. In diebus illis congregavit Ionathas eos qui erant in Iudæa, ut expugnarent ar-
cem quæ est in Ierusalem: et fecerunt contra eam machinas multas. 21. Et abierunt quidam qui oderant gentem
suam, viri iniqui ad regem Demetrium, et renuntiaverunt ei quod Ionathas obsideret arcem. 22. Et ut audivit, ira-
tus est: et statim venit ad Ptolemaidam, et scripsit Ionathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium
festinato. 23. Ut audivit autem Ionathas, iussit obsidere: et elegit de senioribus Israel, et de sacerdotibus, et de-
dit se periculo. 24. Et accepit aurum, et argentum, et vestem, et alia xenia multa, et abiit ad regem Ptolemai-
dam, et invenit gratiam in conspectu eius. 25. Et interpellabant adversus eum quidam iniqui ex gente sua. 26. Et
fecit ei rex sicut fecerant ei qui ante eum fuerant: et exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum, 27.
Et statuit ei principatum sacerdotii, et quæcumque alia habuit prius pretiosa, et fecit eum principem amicorum.
28. Et postulavit Ionathas a rege, ut immunem faceret Iudæam, et tres toparchias, et Samariam, et confines eius:
et promisit ei talenta trecenta. 29. Et consensit rex: et scripsit Ionathæ epistolas de his omnibus, hunc modum
continentes: 30. REX Demetrius fratri Ionathæ salutem, et genti Iudæorum. 31. Exemplum epistolæ, quam scri-
psimus Lastheni parenti nostro de vobis, misimus ad vos ut sciretis. 32. Rex Demetrius Lastheni parenti salutem.
33. Genti Iudæorum amicis nostris, et conservantibus quæ iusta sunt apud nos, decrevimus benefacere, propter

benignitatem ipsorum, quam erga nos habent. 34. Statuimus ergo illis omnes fines Iudææ, et tres civitates, Lydan, et Ramathan, quæ additæ sunt Iudææ ex Samaria, et omnes confines earum, sequestrari omnibus sacrificantibus in Ierosolymis, pro his quæ ab eis prius accipiebat rex per singulos annos, et pro fructibus terræ et pomorum. 35. Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum et tributorum ex hoc tempore, remittimus eis: et areas salinarum, et coronas quæ nobis deferebantur, 36. Omnia ipsis concedimus: et nihil horum irritum erit ex hoc, et in omne tempus. 37. Nunc ergo curate facere horum exemplum, et detur Ionathæ, et ponatur in monte sancto, in loco celebri. 38. Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo, et nihil ei resistit, dimisit totum exercitum suum unumquemque in locum suum, excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab insulis gentium: et inimici erant ei omnes exercitus patrum eius. 39. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius: et vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, et ivit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri: 40. Et assidebat ei, ut traderet eum ipsi, ut regnaret loco patris sui: et enuntiavit ei quanta fecit Demetrius, et inimicitias exercituum eius adversus illum. Et mansit ibi diebus multis. 41. Et misit Ionathas ad Demetrium regem, ut eiiceret eos qui in arce erant in Ierusalem, et qui in præsidiis erant: quia impugnabant Israel. 42. Et misit Demetrius ad Ionathan, dicens: Non hæc tantum faciam tibi, et genti tuæ: sed gloria illustrabo te, et gentem tuam, cum fuerit opportunum. 43. Nunc ergo recte feceris, si miseris in auxilium mihi viros: quia discessit omnis exercitus meus. 44. Et misit ei Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam: et venerunt ad regem, et delectatus est rex in adventu eorum. 45. Et convenerunt qui erant de civitate, centum viginti millia virorum, et volebant interficere regem. 46. Et fugit rex in aulam: et occupaverunt qui erant de civitate, itinera civitatis, et cœperunt pugnare. 47. Et vocavit rex Iudæos in auxilium, et convenerunt omnes simul ad eum, et dispersi sunt omnes per civitatem: 48. Et occiderunt in illa die centum millia hominum, et succenderunt civitatem, et ceperunt spolia multa in die illa, et liberaverunt regem. 49. Et viderunt qui erant de civitate, quod obtinuissent Iudæi civitatem sicut volebant: et infirmati sunt mente sua, et clamaverunt ad regem cum precibus, dicentes: 50. Da nobis dextras, et cessent Iudæi oppugnare nos et civitatem. 51. Et proiecerunt arma sua, et fecerunt pacem, et glorificati sunt Iudæi in conspectu regis, et in conspectu omnium qui erant in regno eius, et nominati sunt in regno: et regressi sunt in Ierusalem, habentes spolia multa. 52. Et sedit Demetrius rex in sede regni sui: et siluit terra in conspectu eius. 53. Et mentitus est omnia quæcumque dixit, et abalienavit se a Ionatha, et non retribuit ei secundum beneficia quæ sibi tribuerat, et vexabat eum valde. 54. Post hæc autem reversus est Tryphon, et Antiochus cum eo puer adolescens, et regnavit, et imposuit sibi diadema. 55. Et congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos disperserat Demetrius, et pugnaverunt contra eum: et fugit, et terga vertit. 56. Et accepit Tryphon bestias, et obtinuit Antiochiam: 57. Et scripsit Antiochus adolescens Ionathæ, dicens: Constituo tibi sacerdotium, et constituo te super quatuor civitates, ut sis de amicis regis. 58. Et misit illi vasa aurea in ministerium, et dedit ei potestatem bibendi in auro, et esse in purpura, et habere fibulam auream: 59. Et Simonem fratrem eius constituit ducem a terminis Tyri usque ad fines Ægypti. 60. Et exiit Ionathas, et perambulabat trans flumen civitates: et congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, et venit Ascalonem, et occurrerunt ei honorifice de civitate. 61. Et abiit inde Gazam: et concluserunt se qui erant Gazæ: et obsedit eam, et succendit quæ erant in circuitu civitatis, et prædatus est ea. 62. Et rogaverunt Gazenses Ionathan, et dedit illis dextram: et accepit filios eorum obsides, et misit illos in Ierusalem: et perambulavit regionem usque Damascum. 63. Et audivit Ionathas quod prævaricati sunt principes Demetrii in Cades, quæ est in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum removere a negotio regni: 64. Et occurrit illis: fratrem autem suum Simonem reliquit intra provinciam. 65. Et applicuit Simon ad Bethsuram, et expugnabat eam diebus multis, et conclusit eos. 66. Et postulaverunt ab eo dextras accipere, et dedit illis: et eiecit eos inde, et cepit civitatem, et posuit in ea præsidium. 67. Et Ionathas et castra eius applicuerunt ad aquam Genesar, et ante lucem vigilaverunt in campo Asor: 68. Et ecce castra alienigenarum occurrebant in campo, et tendebant ei insidias in montibus: ipse autem occurrit ex adverso. 69. Insidiæ vero exurrexerunt de locis suis, et commiserunt prælium. 70. Et fugerunt qui erant ex parte Ionathæ, omnes, et nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absolomi, et Iudas filius Calphi princeps militiæ exercitus. 71. Et scidit Ionathas vestimenta sua, et posuit terram in capite suo, et oravit. 72. Et reversus est Ionathas ad eos in prælium, et convertit eos in fugam, et pugnaverunt. 73. Et viderunt qui fugiebant partis illius, et reversi sunt ad eum, et insequebantur cum eo omnes usque Cades ad castra sua, et pervenerunt usque illuc; 74. Et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum: et reversus est Ionathas in Ierusalem.

Vers. 1. ET REX ÆGYPTI (Ptolomæus Philometor) CONGREGAVIT EXERCITUM (maximum et plurimum) SICUT ARENA QUÆ EST CIRCA ORAM MARIS.) Ut Syriam Alexandro genero suo eriperet, eamque regno suo, puta Ægypto, adiiceret. Vide hic quam ambitio regnandi sit inhumana et crudelis, utpote quæ nec genero parcat.

Vers. 2 VERBIS PACIFICIS.) Quasi generum suum Alexandrum invisurus, eumque in regno confirmaturus, ac contra Demetrium aliosque hostes tanto suo exercitu defensurus.

Vers. 3. PONEBAT CUSTODIAS MILITUM.) Id est, præsidium militare per quod civitates singulas sibi subiugabat, easque Alexandro genero suo adimebat.

Vers. 10. QUÆSIVIT ENIM ME OCCIDERE.) Prætexit hoc Philometor suæ perfidiæ causans, fingensque quod Alexander gener sibi socero necem per sicarios, vel venena machi-

A naretur. Vera autem causa odii et belli erat, quod regnum Syriæ Alexandro eripere, illudque suo Ægypti adiicere vellet: unde et utriusque regni sibi diadema imposuit v. 13. Quare licet ipse v. 9. promitteret regnum Demetrio æmulo Alexandri, tamen illud revera ei conferre non intendebat, sed eo tantum uti, quasi administro et præfecto, vel vicerege. Iosephus tamen asserit Alexandrum revera insidias struxisse Philometori. *Postquam*, inquit, *Ptolemaidam pervenit. minimum abfuit quin præter omnem expectationem oppressus sit Ptolemæus, Alexandri insidiis, per Ammonium eius amicum, appetitus. Quibus detectis scripsit Alexandro, deposcens Ammonium ad supplicium, quod meritum aiebat propter structas sibi insidias. Qui cum non dederetur, intellexit ipsum Alexandrum earum fuisse auctorem; et cœpit eum magno odio prosequi. Antiochenos autem iam ante infensos habe-*

bat Alexander, propter eumdem Ammonium, a quo plurimis affecti fuerant incommodis. Non tamen effugit pœnam Ammonius, turpiter ut mulier cæsus, dum amictu fœmineo quærit latebras, ut in alio commentario diximus.

Fides horum sit penes Iosephum, qui sæpe a S. Script. dissentit, uti et hic facit, dum Philometorem ab ambitione regni Syriæ, quam ei Script. tribuit, purgare conatur, eo quod Philometor Iudæorum foret amicus et fautor.

Vers. 11 ET VITUPERAVIT EUM.) Magno probro et vituperio Philometor effecit Alexandrum generum suum, filiam suam ei uxorem eripiens, tradensque hosti Demetrio, ac simul regno eum spolians.

Vers. 17. ET ABSTULIT ZABDIEL ARABS (rex vel dynasta Arabiæ) CAPUT ALEXANDRI, ET MISIT PTOLEMÆO) Philometori, ut eius gratiam iniret, ne ipse Arabiam sibi eriperet, ut Syriam eripuerat Alexandro. Iam enim videbat eum novo regno auctum et magnis copiis instructum sibi imminere, nec se posse ei resistere.

Vers. 18 ET REX PTOLEMÆUS MORTUUS EST IN DIE TERTIA.) Vide hic celebrem in perfidum Philometorem vindictam Numinis. Regnum ille generi ambivit, invasit, occupavit; sed ad tres dumtaxat dies a nece Alexandri illud possedit, illico tam vita quam regno, bonisque omnibus a iusto iudice et vindice Deo spoliatus. Iustum enim fuit ut Philometor, invadens regnum alienum Syriæ, amitteret suum Ægypti, et qui de Alexandri hostis sui cæsi capite lætabatur, de suo ipsius quoque interitu lætos redderet hostes suos. Addit Iosephus Philometorem ex vulneribus quæ in nupero conflictu cum Alexandro acceperat, obiisse anno regni sui circiter 35. qui fuit annus regni Græcorum 167. Audi eum l. 13. c. 20. *Forte accidit ut equus Ptolemæi consternatus barritu elephantis eum excuteret, prostratumque aggressi hostes vulneribus in caput inflictis in periculum extremum adducerent, ni ereptus esset interventu satellitum. Attamen per integrum quatriduum sopitis sensibus nec loqui potuit, nec loquentes intelligere. Alexandri vero caput Zabellus Arabum dynasta recisum misit ad Ptolemæum, qui die quinta demum respirans a vulneribus, et ad se reversus iucundissimo sibi rumore, simul et spectaculo capitis ac mortis Alexandri pavit animum et oculos. Nec ita multo post satiatus gaudio, percepto ex inimici interitu, et vitam ipse finivit.*

Et Livius: *Ptolomæus*, ait, *in caput graviter vulneratus inter curationem, dum medici ossa terebrare contendunt, expiravit.*

Porro mortuo Philometore, milites eius, qui ab eo collocati ERANT IN MUNITIONIBUS, id est arcibus et urbibus Syriæ, PERIERUNT et occisi sunt AB HIS QUI ERANT INTRA CASTRA.) Id est a militibus, quos in castris suis habebat Demetrius, qui proinde occiso Alexandro consobrino et æmulo suo, mortuo quoque Philometore invasore, regnum Syriæ pacifice adiit totumque quiete possedit anno regni Græcorum 167.

Philometor etymon. Denique Genebr. l. 2. Chronol. Philometor, id est amator matris, inquit, dictus est per antiphrasin, eo quod ipse occiderit matrem; sicut avus eius dictus est Philopator, id est amator patris per antiphrasin, eo quod occiderit patrem Ptol. Evergetem. Hoc de Philopatore scribunt Appian. Iust. et alii passim; sed de Philometore nullus veterum tale quid narrat; imo Pausanias in Atticis asserit matrem Philometoris occisam esse ab eius fratre Alexandro, quem ipse excluso Philometore in regnum evexerat.

Vers. 20. IN DIEBUS ILLIS CONGREGAVIT IONATHAS EOS QUI ERANT IN IUDÆA, UT EXPUGNARENT ARCEM QUÆ EST IN IERUSALEM.) Hæc enim adhuc tenebatur a militibus Syris in ea iam pridem ab Antiocho collocatis. Licet enim Demetrius promisisset Ionathæ arcem Sionis tradere, si fœdus secum contra Alexandrum iniret, ut audivimus cap. 10. v. 6. et 32. tamen suum hoc promissum non præstitit, eo quod Ionathas Demetrio prætulerit Alexandrum, cum eoque fœdus inierit. Ionathas ergo videns Demetrium bello contra Alexandrum implicitum, occasione hac usus arcem Sionis obsedit.

A ET DEDIT SE PERICULO.) Periculum enim erat ne rex Vers. 2.
Demetrius male exciperet Ionatham, eo quod suo mandato de solvenda obsidione arcis Sion non paruisset; sed Ionathas Deo confisus hoc periculum per magna dona, quæ regi detulit, discussit: iis enim eius gratiam iniit, adeo ut ab eo factus sit aulicorum et principum Princeps, ut patet v. 26. et 27.

ET POSTULAVIT IONATHAS A REGE, UT IMMUNEM FA- Vers. 28
CERET IUDÆAM (a milite Syro et externo, a tributo et a quovis alio onere) ET TRES TOPARCHIAS.) Id est præfecturas, sive ut Iosephus vocat satrapias, quæ nominantur vers. 34. repete immunes faceret, eo quod Iudææ additæ subiectæque forent, promittens regi, si annueret, TALENTA TRECENTA.

ET CONSENSIT REX) Tanto pretio illectus. Vers. 29

EXEMPLUM EPISTOLÆ QUAM SCRIPSIMUS LASTHENI PA- Vers. 31.
RENTI NOSTRO.) Lasthenes hic fuit hospes ille Gnidius, sive Cretensis, cui Demetrius senior conflicturus cum Alexandro Veles Demetrium hunc iuniorem filium suum B commendavit, ut ex Iustino dixi cap. 10. Quare Demetrio seniore in prælio occiso, Lasthenes hic Demetrium eius filium e Creta cum exercitu in Syriam reduxit, eique patris regnum restituit teste Iosepho lib. 13. cap. 8. et aliis. Quocirca Demetrius Lasthenem parentis loco coluit, eumque suum vicarium effecit, ac Syriæ aliisque provinciis præfecit. Ad eum ergo hic scribit Demetrius rex, ut Iudæam a tributis et oneribus faciat immunem, quod petebat Ionathas, ac exemplum litterarum suarum ad Lasthenem datarum mittit ad Ionatham, ut a Lasthene beneficium regis exsecutioni mandari postulet. Apte vocatus fuit *Lasthenes*, Græce *Laasthenes* id est *lapidis robur*, ait Pagnin. vel potius Laosthenes, et per crasin Lasthenes: Laosthenes enim Græce idem est quod Demosthenes, id est populi robur et fortitudo. Talem enim decet esse Principem, qualis fuit hic Lasthenes, qui Demetrio regnum Syriæ, Syrisque suum regem fortitudine sua restituit.

C REX DEMETRIUS LASTHENI.) Hoc est exemplum litte- Vers. 32.
rarum Demetrii ad Lasthenem.

ET TRES CIVITATES.) Græce νομοὺς, quæ vox non tam Vers. 34.
ædificia, quam cœtus civium iisdem iuribus utentes significat. Ita Serar. Salianus et alii. Concedit Demetrius Ionathæ immunitatem non tantum Iudææ, sed et trium civitatum, sive toparchiarum Samariæ, quas Demetrius pater eius Iudææ addixerat c. 10. v. 28. ideoque easdem a Demetrio filio poposcerat Ionathas, v. 28. ac Demetrius filius decretum patris secutus easdem Iudæis concessit et attribuit. Sed quænam sunt hæ tres civitates? nam in Latino textu tantum nominantur duæ, scilicet Lyda, sive Diospolis, et Ramatha, quæ fuit Samuelis patria. Resp. Sanchez esse ipsam urbem Samariam, quæ erat caput totius provinciæ Samariæ; nam in provincia Samariæ sitas fuisse hasce tres urbes liquet ex textu hoc versu, et cap. 10. v. 28.

Verum Sept. Ioseph. Pagn. Vatab. et alii ex Græco tertiam civitatem assignant Aphæremam, quam Adrichom. D in tribu Ephraim collocat iuxta Lydam. Sic enim habent Sept. *Statuimus ergo illis fines Iudææ et tres civitates, Aphæremam et Lydam et Ramatham, quæ additæ sunt Iudææ ex Samaritide, et omnia pertinentia ad ipsas omnibus sacrificantibus in Hierosolymis pro Regalibus, quæ ab eis prius accipiebat Rex per singulos annos de fructibus terræ et de fructibus arborum.*

Noster vero interpres Græcum ἀφαίρεμα accepit ut nomen non proprium, sed appellativum, significans sequestrationem sive separationem. Unde vertit *sequestrari*. Sensus ergo Vulgatæ editionis est, q. d. Trium civitatum iam dictarum, puta Lydæ, Ramathæ et Samariæ, atque confinium, id est locorum illorum, quæ sub earum iurisdictione sunt, annui proventus et redditus sequestrentur, id est segregentur a tributis regiis, et apud aliquem quæstorem Iudæum deponantur, ut ad templi et sacerdotum sumptus applicentur, ut hac ratione compensentur damna quæ singulis annis rex regiique quæstores iis

inferebant, dum ad suos, id est profanos usus transferebant tam illarum civitatum tributa, quam arborum fructus, quæ prius templi sumptibus destinata erant, iisque serviebant.

Porro mirum est Iosephum tribus hisce civitatibus sive toparchiis tres alias addere, scilicet Gaddæam, Ioppen et Samariam.

Vers. 35. ET AREAS SALINARUM.) Græce διμνους, id est *stagna* salinarum, quæ vox, ait Sanchez, docet quomodo aqua saluginosa sive ex mari derivata, sive ex puteis iugibus exhausta duretur et concrescat. Neque enim in suo duratur naturali loco, sed in areis lacubusque collecta. Ibi enim evaporat, et calore solis in sal concrescit. Sane Romæ a sale via Salaria nomen accepit, quod adhuc perdurat, quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat, ait Plinius lib. 31. cap. 7. ac stipendium militare, mercesque quælibet dicta est salarium a sale, quod militibus et operariis pro mercede distribuebatur, teste Plinio ibidem.

Vers. 38. ET VIDENS DEMETRIUS REX QUOD SILUIT TERRA IN CONSPECTU SUO.) Occiso enim Alexandro et Philometore mortuo, nullus erat qui Syriam invadere auderet; sed illa tota se subdidit Demetrio, quasi legitimo hæredi regique suo: unde tunc ipse se dedit otio et voluptatibus. Quod videns Tryphon, Antiochum Alexandri filium suscitavit, qui Demetrium inertem et voluptuarium invasit et regno expulit, uti Annibalem enervarunt et perdiderunt Capuanæ deliciæ, ac Romanos Græcanicæ. Unde illud dictum vetus: Græcia victa suum victorem vicit. Audi Iustinum lib. 36. *Recuperato regno, Demetrius et ipse successu rerum corruptus vitiis adolescentiæ in segnitiem labitur; tantumque contemptum apud omnes inertiæ, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit.*

DIMISIT TOTUM EXERCITUM SUUM (patrium, quem scilicet pater eius Demetrius ex Syris et Asiaticis sibi subditis collegerat) EXCEPTO PEREGRINO EXERCITU, QUEM CONTRAXIT ab insulis gentium, puta ex Creta, Cypro, aliisque vicinis insulis. Fecit hoc, eo quod hi eum in regnum induxissent. Lasthenes enim ex Creta eum in regnum cum copiis Cretensibus revexerat. Verum hac ratione offendit milites patrios, suos scilicet Syros et Asiaticos, eo quod ægre ferrent se a rege suo militia et stipendiis militaribus spoliari: offendit quoque subditos suos, qui nolebant externum militem, ægreque ferebant, quod ipse externis plus fideret, quam suis subditis; quodque magnis sumptibus peregrinos aleret, cum parvo pretio domesticos et subiectos conducere posset. Quocirca INIMICI ERANT EI OMNES EXERCITUS PATRUM EIUS, qui proinde ad Antiochum eius æmulum transierunt, ac pro eo pugnantes Demetrium regno expulerunt. Exosum enim habebant peregrinum militem, ideoque non raro insolentem.

Discant hic Principes subditos suos honorare, eisque fidere potius quam externis. Sic enim subditorum animos, amorem, fidem et obedientiam sibi conciliabunt. Ita fecit Alexander Magnus, qui ut Persas a se victos subactosque sibi conciliaret, Persicum habitum assumpsit, Persas in militiam conscripsit, suisque ducibus Persides dedit uxores, ac Darii matrem, uxorem et filias miris honoribus et beneficiis affecit, teste Curtio.

Vers. 39. TRYPHON AUTEM ERAT QUIDAM PARTIUM ALEXANDRI PRIUS.) Tryphon hic ab Appiano et aliis vocatur Diodorus, diciturque natione, vel educatione fuisse Apamæus, vir potens, astutus et ambitiosus. Hic videns exercitum Syriacum et Asiaticum dimissum a Demetrio, eumdem sibi adscivit, ut per eum Antiocho filio Alexandri Velis qui fuerat æmulus hostisque Demetrii occisus a Philometore, in speciem restitueret, sed revera ut ipse illud occuparet. Itaque factum est. Porro Antiochum hunc Alexandri filium Appianus et alii pariter vocant Alexandrum. Denique Tryphon hic Antiochi *pupilli* (sic enim legendum est apud Iustinum lib. 36. pro *privigni*) tutor paulo post eiusdem factus est tortor, ut eius regnum occuparet, sed modico tempore eo gavisus est; nam et ipse tertio post anno occisus est ab Antiocho Sedete fratre et successore

A Demetrii. Ita Iosephus.

ET MISIT IONATHAS AD DEMETRIUM REGEM UT EIICERET EOS (milites Demetrianos) QUI IN ARCE ERANT IN IERUSALEM.) Qui occupabant arcem Sion. Hinc patet Ionatham necdum occupasse arcem Sion, imo obsidionem eius solvisse. Concessit tamen, vel potius promisit Demetrius se traditurum arcem Ionathæ, si ipse sibi milites suos ad suam tutelam mitteret. Subditi enim eius Antiocheni in ipsum insurrexerunt ad 120. millia, ex quibus milites ter mille Iudæi a Ionatha submissi occiderunt centum millia, ac Demetrium liberarunt, ut sequitur. Magna fuit hæc fortitudo, fama et gloria Iudæorum. Vers. 41.

AULAM.) Puta palatium, sive arcem in quam Demetrius confugerat. Vers. 46.

ET MENTITUS EST OMNIA QUÆCUMQUE DIXIT.) q. d. Demetrius videns, vel potius putans se suaque esse in tuto, fidem datam Ionathæ fefellit, cœpitque eum vexare et persequi. Magna fuit hæc Demetrii ingratitudo et perfidia, ob quam paulo post a Tryphone Pædagogo Antiochi B prælio superatus et regno pulsus fuit, utpote desertus a Ionatha et Iudæis: imo ab eis profligatus et cæsus, ut dicitur v. 56. Antiochus enim fœdus iniit cum Ionatha contra Demetrium, eumque magnis honoribus auxit. Quare milites Syri, qui a Demetrio dimissi erant, ad Ionatham se contulerunt, quibus Ionathas instructus Ascalonem, Gazam, aliasque urbes expugnavit. Vers. 53.

ET ACCEPIT TRYPHON BESTIAS.) Puta elephantes quos Demetrius in aciem eduxerat cum cæteris eius machinis bellicis, adeoque castris eum exuit, ET OBTINUIT ANTIOCHIAM, urbem regiam regnique metropolim. Id fecit ope Ionathæ quem proinde magnis honoribus auxit, ac ope exercitus Syriaci, qui a Demetrio dimissus ad Antiochum eius æmulum transierat. Porro Ionathas pergens pro Antiocho pugnare, adiutus exercitu eius Syriaco expugnavit Ascalonem, Gazam aliasque urbes. Vers. 56.

DEDIT EI POTESTATEM BIBENDI IN AURO.) Puta ex aureo poculo, scypho, phiala, vel calice. Reges enim Persarum et Asiæ aurum voluerunt sibi esse proprium. Unde C Xenophon l. 1. de exped. Cyri magnum dicit a rege Persarum beneficium concedi, si per illum alicui liceat aureum collo gestare torquem, aureas armillas, aureum acinacem: idem iterum docet lib. 1. Cyrop. Procopius lib. 1. de bello Persico negat cuiquam licere aureo uti annulo, aut fibula, aut zona, nisi regis concessu. Hinc et Esther cap. 6. concessum est Mardochæo ab Assuero rege, ut torquem gestaret aureum. Idem promisit Balthasar, Dan. c. 5 illi qui litteras in pariete descriptas explicaret, et lib. 3. Esdræ capite 3. illi cuius sermo fuerit sapientior, concedendum dicitur a Dario rege ut induatur purpura, et ut in auro bibat, et super aurum dormiat, et currum aureo fræno et torquem aureum gestet. Vers. 58.

PERAMBULABAT TRANS FLUMEN (Iudææ, puta trans Iordanem) CIVITATES. Vers. 60.

ET PERAMBULAVIT REGIONEM (Ionathas, quasi victor et triumphator, omnia sibi et Antiocho subiugans, ac Demetrio adimens) USQUE AD DAMASCUM.) Hoc enim si-D gnificat τὸ *perambulavit*, uti dixi Zachar. 1. vers. 11. Vers. 62.

ET AUDIVIT IONATHAS QUOD PRÆVARICATI SUNT PRINCIPES DEMETRII IN CADES QUÆ EST IN GALILÆA) Quod scilicet Demetriani sollicitarent incolas Cades et Galilæos ad rebellandum Ionathæ et subiiciendum se Demetrio. Fecerunt hoc eo consilio, ut Ionatham e Syria et Damasco, ubi omnia subiugabat sibi et Antiocho, revocarent in Galilæam, ne aliena foris consectans sua domi perderet; VOLENTES EUM AMOVERE A NEGOTIO REGNI, ne scilicet negotia regni Syriæ pro Antiocho curaret et promoveret, sed sua in Galilæa custodiret. Unde Iosephus: *Cum vellet*, inquit, *abstrahere Ionatham a Syria, laturum opem Galilæis suæ ditionis hominibus.* Vers. 63.

Nota, *prævaricari* in Script. est rebellare et rebellionem concitare: hoc enim est Hebr. מרד *marad*. Sic 4. Reg. 1. 1. dicitur rex et populus Moab prævaricatus in regem Israel, id est rebellasse illi, cui antea subditus fuerat, eique solitum negasse tributum. Porro Salianus

opinatur pro *prævaricati sunt* legendum *præparati sunt:* hoc enim significat Græcum παρεσαν, id est adstiterunt; sed videtur Noster legisse παρενομησαν, vel παρεβησαν, id est, *prævaricati sunt.*

Vers. 64. ET OCCURRIT ILLIS (Ionathas, cum eisque conflixit, ut dicetur v. 68.) FRATREM AUTEM SUUM RELIQUIT INTRA PROVINCIAM.) Scilicet intra Iudæam, ut eam tutaretur; Simon autem expugnavit Bethsuram, quæ insignis erat munitio iuxta Ierusalem v. 66.

Vers. 67. ET IONATHAS ET CASTRA EIUS APPLICUERUNT AD AQUAM GENESAR.) Scilicet ad stagnum Genezareth, quod et mare Galilææ, vel mare Tiberiadis dicitur.

Vers. 68. ET ECCE CASTRA ALIENIGENARUM (hostium Demetrianorum suscitantium incolas Cades ad rebellandum Ionathæ v. 63.) OCCURREBANT IN CAMPO.) Græce in campum.

Vers. 70. ET FUGERUNT, QUI ERANT EX PARTE IONATHÆ.) Utpote circumventi ab hostibus ex insidiis, quas non prævideránt, prodeuntibus, hisce enim territi fugerunt, veriti ne intercepti in medio contrucidarentur, ait Iosephus.

ET NEMO EX EIS RELICTUS EST NISI MATHATHIAS FILIUS ABSOLOMI, ET IUDAS FILIUS CHALPHI, PRINCEPS (Græce *principes:* ambo enim erant duces) MILITIÆ EXERCITUS.) Intellige cum aliquot sibi familiaribus generosioribus proximisque asseclis: unde Iosephus ait cum eis mansisse 50. milites, qui a desperatione, inquit, sumpta audacia tanto impetu adversam hostium frontem impulerunt, ut territi, quasi furentibus cederent. Quomodo enim duo soli totam hostium vim sustinuissent? Ita Serarius.

Vers. 71. ET SCIDIT IONATHAS VESTIMENTA SUA, ET POSUIT TERRAM IN CAPITE SUO.) Pulverem inspersit capiti suo in signum doloris et pœnitentiæ; itaque toto corde compunctus supplex oravit Deum, ut in re tam arcta, et quasi desperata solitam opem ferret. Quare cum paucis quasi leo irruens in hostes eos cecidit et fudit. Quod videntes eius socii e fuga ad eum reversi, hostes persecuti ex eis ceciderunt tria millia. Laudat S. Amb. lib. 1. Officiorum cap. 41. Ionathæ animum et fortitudinem, quod solus aciem inclinatam restituerit et victoriam deperditam recuperaverit. *Ionathas*, ait, *parva manu adversus exercitus regios pugnans, desertus a suis et cum duobus tantum relictus reparavit bellum, avertit hostem, fugitantes suos ad societatem revocavit triumphi.*

Moral. disce hic quantum in bellis rebusque arduis valeat ducis constantia et magnanimitas, adeo ut milites suos iam victos faciat victores. Unde illud: Fortior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. Nam ut ait Vegetius l. 3. de re milit. c. 25. *Si pars exercitus fugerit, minime desperandum, cum in eiusmodi necessitate, ducis constantia totam sibi possit vindicare victoriam. Innumerabilibus hoc accidit bellis, et pro superioribus sunt habiti, qui minime desperarunt. Nam in simili conditione fortior creditur, quem adversa non frangunt. Prior ergo de cæsis hostibus spolia capiat, et quod ipsi dicunt, colligat campum, prior clamore ac buccinis exultare videatur. Hæc fiducia perterrebit inimicos, et suis fiduciam geminabit, quasi victor ex omni parte discesserit.*

Exempla dat Iulius Frontinus lib. 2. de Stratagematibus c. 8. *Furius Agrippa*, inquit, *consul, cedente cornu, signum militare ereptum signifero, in hostes Hernicos et in Æquos misit: quo facto eius prælium restitutum est. Summa enim alacritate Romani ad recipiendum signum incubuerunt. T. Quintus Capitolinus Cos. signum in hostes Phaliscos eiecit, militesque id repetere iussit. M. Furius Camillus Tr. Mil. consulari potestate, cunctante exercitu, arreptum manu signiferum in hostes Volscos et Latinos traxit, cæteros puduit non sequi. Salvius Pelignus bello Persico idem fecit. Q. Furius, averso exercitu, cum occurrisset, affirmavit non recepturum se in castra quemquam, nisi victorem. reductisque in aciem victoria potitus est. Scipio apud Numantiam, cum aversum suum videret exercitum, pronuntiavit sibi pro hoste futurum, quisquis in castra rediisset.* Ac mox his maiora subiungens addit: *M. Attilius consul bello Samnitico ex acie refugientibus in castra militibus aciem suorum opposuit, affirmans secum et cum bonis civibus dimicaturos eos, nisi cum hostibus maluissent; ea ratione universos in aciem reduxit. L. Sylla cedentibus iam legionibus exercitui Mithridatico, ductu Achelai, stricto gladio in primam aciem procurrit, appellansque milites, dixit: Si quis quæsisset ubi Imperatorem reliquissent, responderent pugnantem in Bœotia, cuius rei pudore universi eum secuti sunt. Iulius Cæsar ad Mundam suis referentibus pedem, equum suum adduci a conspectu suo iussit, et in primam aciem pedes prosiliit: milites, dum destituere Imperatorem erubescunt, redintegrarunt prælium.*

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ionathas fœdus cum Romanis et Lacedæmoniis renovat. Mox v. 24. exercitum Demetrii profligat, Arabesque fugat. Inde v. 33. Simon Ioppen, aliasque urbes præsidiis communit. Denique v. 39. Tryphon perfide Ionatham quasi amicum invitans capit, carcerique mancipat.

1. ET vidit Ionathas quia tempus eum iuvat, et elegit viros, et misit eos Romam, statuere et renovare cum eis amicitiam: 2. Et ad Spartiatas, et ad alia loca misit epistolas secundum eandem formam: 3. Et abierunt Romam, et intraverunt curiam, et dixerunt: Ionathas summus sacerdos, et gens Iudæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam et societatem secundum pristinum. 4. Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Iuda cum pace. 5. Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Ionathas Spartiatis: 6. IONATHAS summus sacerdos, et seniores gentis, et sacerdotes, et reliquus populus Iudæorum, Spartiatis fratribus salutem. 7. Iampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut rescriptum continet, quod subiectum est. 8. Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore: et accepit epistolas, in quibus significabatur de societate et amicitia. 9. Nos, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, 10. Maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem, et amicitiam, ne forte alieni efficiamur a vobis: multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos. 11. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus, et ceteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, et in observationibus, sicut fas est et decet

*

meminisse fratrum. 12. Lætamur itaque de gloria vestra. 13. Nos autem circumdederunt multæ tribulationes, et multa prælia, et impugnaverunt nos reges, qui sunt in circuitu nostro. 14. Noluimus ergo vobis molesti esse, neque ceteris sociis et amicis nostris, in his præliis: 15. Habuimus enim de cælo auxilium, et liberati sumus nos, et humiliati sunt inimici nostri. 16. Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, et Antipatrem Iasonis filium, et misimus ad Romanos renovare cum eis amicitiam et societatem pristinam. 17. Mandavimus itaque eis ut veniant etiam ad vos, et salutent vos: et reddant vobis epistolas nostras de innovatione fraternitatis nostræ. 18. Et nunc benefacietis respondentes nobis ad hæc. 19. Et hoc est rescriptum epistolarum, quod miserat Oniæ: 20. Arius, rex Spartiatarum, Oniæ sacerdoti magno salutem. 21. Inventum est in scriptura de Spartiatis et Iudæis, quoniam sunt fratres, et quod sunt de genere Abraham. 22. Et nunc ex quo hæc cognovimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra. 23. Sed et nos rescripsimus vobis: Pecora nostra, et possessiones nostræ, vestræ sunt; et vestræ, nostræ: mandavimus itaque hæc nunciari vobis. 24. Et audivit Ionathas, quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius, pugnare adversus eum. 25. Et exiit ab Ierusalem, et occurrit eis in Amathite regione: non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem eius. 26. Et misit speculatores in castra eorum: et reversi renunciaverunt quod constituunt supervenire illis nocte. 27. Cum occidisset autem sol, præcepit Ionathas suis vigilare, et esse in armis paratos ad pugnam tota nocte, et posuit custodes per circuitum castrorum. 28. Et audierunt adversarii quod paratus est Ionathas cum suis in bello: et timuerunt, et formidaverunt in corde suo: et accenderunt focos in castris suis. 29. Ionathas autem, et qui cum eo erant, non cognoverunt usque mane: videbant autem luminaria ardentia: 30. Et secutus est eos Ionathas, et non comprehendit eos: transierunt enim flumen Eleutherum. 31. Et divertit Ionathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi, et percussit eos, et accepit spolia eorum. 32. Et iunxit, et venit Damascum, et perambulabat omnem regionem illam. 33. Simon autem exiit, et venit usque ad Ascalonem, et ad proxima præsidia: et declinavit in Ioppen, et occupavit eam; 34. (Audivit enim quod vellent præsidium tradere partibus Demetrii), et posuit ibi custodes ut custodirent eam. 35. Et reversus est Ionathas, et convocavit seniores populi, et cogitavit cum eis ædificare præsidia in Iudæa, 36. Et ædificare muros in Ierusalem, et exaltare altitudinem magnam inter medium arcis et civitatis, ut separaret eam a civitate, ut esset ipsa singulariter, et neque emant, neque vendant. 37. Et convenerunt, ut ædificarent civitatem: et cecidit murus, qui erat super torrentem ab ortu solis, et reparavit eum, qui vocatur Caphetetha: 38. Et Simon ædificavit Adiada in Sephela, et munivit eam, et imposuit portas et seras. 39. Et cum cogitasset Tryphon regnare Asiæ, et assumere diadema, et extendere manum in Antiochum regem: 40. Timens ne forte non permitteret eum Ionathas, sed pugnaret adversus eum, quærebat comprehendere eum, et occidere. Et exurgens abiit in Bethsan. 41. Et exivit Ionathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, et venit Bethsan. 42. Et vidit Tryphon quia venit Ionathas cum exercitu multo ut extenderet in eum manus, et timuit: 43. Et excepit eum cum honore, et commendavit eum omnibus amicis suis, et dedit ei munera: et præcepit exercitibus suis ut obedirent ei, sicut sibi. 44. Et dixit Ionathæ: Ut quid vexasti universum populum, cum bellum nobis non sit? 45. Et nunc remitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum sint, et veni mecum Ptolemaidam, et tradam eam tibi, et reliqua præsidia, et exercitum, et universos præpositos negotii, et conversus abibo: propterea enim veni. 46. Et credidit ei, et fecit sicut dixit: et dimisit exercitum, et abierunt in terram Iuda. 47. Retinuit autem secum tria millia virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo. 48. Ut autem intravit Ptolemaidam Ionathas, clauserunt portas civitatis Ptolemenses, et comprehenderunt eum: et omnes qui cum eo intraverant, gladio interfecerunt. 49. Et misit Tryphon exercitum et equites in Galilæam, et in campum magnum, ut perderent omnes socios Ionathæ. 50. At illi cum cognovissent quia comprehensus est Ionathas, et periit, et omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, et exierunt parati in prælium. 51. Et videntes hi qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt: 52. Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Iuda. Et planxerunt Ionathan, et eos qui cum ipso fuerant, valde: et luxit Israel luctu magno. 53. Et quæsierunt omnes gentes quæ erant in circuitu eorum, conterere eos: dixerunt enim: 54. Non habent principem, et adiuvantem: nunc ergo expugnemus illos, et tollamus de hominibus memoriam eorum.

Vers. 1. ET VIDIT IONATHAS QUIA TEMPUS EUM IUVAT.) Quo, post heroica facta totque victorias ingens nominis eius fama percrebuerat apud Romanos et Spartiatas, ut ambirent cum eo inire amicitiam et fœdus.

Vers. 2. ET AD SPARTIATAS.) Incolas Spartæ, qui et Lacones sive Lacedæmonii sunt dicti, et fuere posteri Heraclidarum (sociorum Herculis) Agidæ nominati, quos Lycurgus suis legibus ad miram politiam, temperantiam et fortitudinem evexit, ideoque Lacones pro libertate Spartæ omni ævo acerrime certarunt, et etiamnum cum Turca certant. Licet enim ei tributum pendant, tamen urbem arcemque suam ab omni Turcarum præsidio liberam servant, et constantissime tuentur.

Vers. 7. IAMPRIDEM MISSÆ ERANT EPISTOLÆ AD ONIAM SUMMUM SACERDOTEM (Pontificem) AB ARIO, QUI REGNABAT APUD VOS.) Arius hic fuit inter Agidarum reges quartus a fine, qui multa contra Pyrrhum Epiri. et Antigonum Macedoniæ reges prælia commisit atque ad Oniam Pontificem sociales et fœderales dedit litteras quæ recitantur v. 20.

Vers. 9. NOS CUM NULLO HORUM INDIGEREMUS HABENTES SOLATIO SANCTOS LIBROS) Posterior pars dat causam prioris, q. d. Ideo non indiguimus vestra ope, nec eam imploravimus; quia hanc præstiterunt nobis libri Mosis et Prophetarum qui nobis certo promittunt in rebus arctis et desperatis Dei auxilium, si ei fideliter serviamus eumque invocemus. Deum ergo invocantes, et adiutorem habentes, homines auxiliatores non quæsivimus.

IN OBSERVATIONIBUS.) Sacrorum rituum, festorum et Vers. 11.
orationum. Unde Græca clarius habent: *in obsecrationibus*.

INVENTUM EST IN SCRIPTURA (non sacra, licet id quo- Vers. 21.
que velit Iosephus lib. 13. cap. 9. sed profana, puta in historiis et Chronicis Spartiatarum) DE SPARTIATIS ET IUDÆIS, QUONIAM (quod) SUNT FRATRES, ET QUOD SUNT DE GENERE ABRAHAM.) Spartiatæ enim iactabant se prognatos ex Abraham per Ceturam, quæ fuit tertia Abrahæ uxor, Genes. 25. 1. Ita Iosephus, licet alii putent Spartiatas ab Abraham per Agar et Ismaelem descendere. Plures huius cognationis Spartiatarum cum Iudæis coniecturas affert Serarius hic, p. 753. in medio, quarum prima est magna similitudo utrorumque, tum in legibus, uti no-

tavit Clemens Alexandrinus 1. Strom. tum in institutis præsertimque in ablutionibus quotidianis et unctionibus, de quibus Strabo l. 3. tum in constantia, robore et fortitudine bellica. Denique cum Nabuchodonosor obsedit Tyrum, multi incolarum profugerunt in Cyprum, Macedoniam, Græciamque, ait sanctus Hieronymus in cap. 23. Isaiæ. Idem fecisse Iudæos obsessa ab eodem vicina Ierosolyma plane credibile est. Unde idem sanctus Hieronymus in epist. ad Ephesios Ephesum dictam asserit ab Hebr. חפץ *chephets*, id est voluntas, benevolentia. Atque hac de causa Spartæ multi degebant Iudæi qui cum Spartiatis coniugia inibant.

Vers. 23. Possessiones nostræ, vestræ sunt; et vestræ nostræ.) Formula est loquendi significandique se esse amicos, q. d. Spartiatæ sunt amici Iudæorum, ideoque possessiones suas eis offerunt, et possessiones ipsorum suas æstimant; amicorum enim omnia sunt communia. Addit Iosephus litteras has Spartiatarum obsignatas fuisse proprio urbis eorum sigillo, quod erat signum aquilæ quæ unguibus tenebat draconem.

Vers. 24. Regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius.) Id est multo maiore quam prius fuerat, ut dedecus fugæ præcedentis abolerent, Ionathamque validius oppugnarent.

Vers. 25. Et occurrit eis in Amathite regione.) Regio hæc est pars Syriæ et confinis, imo terminus Iudææ, ut patet 3. Reg. 8. 65. et lib. 4. c. 14. 15. sita est iuxta Libanum et Damascum. Tota ergo hæc regio dicitur Amath, vel Emath, aut Hamath, vel Hemath, indeque Amathites, vel Hemathites. Prudenter hoc fecit Ionathas, ut extra Iudæam suam in Syria cum hostibus confligeret. Militare enim præceptum est cum hoste confligendum esse in terra non propria sed hostili; ut illam, non tuam vastes. Sic Scipio sub idem hoc tempus noluit confligere cum Annibale in Italia; sed traiecit in Africam, eoque avocavit Annibalem, ac tandem Carthaginem ipsam expugnavit.

Vers. 28. Et accenderunt focos in castris suis.) Ut simularent Demetriani se in castris degere et vigilare, non vero fugere, ne si Ionathas adverteret eos fugere, fugientes insequeretur. Idem fecit Annibal focorum excitatione fallens Romanos sua castra cingentes et ex eorum manibus elabens.

Vers. 36. Cogitavit Ionathas exaltare altitudinem inter medium arcis et civitatis, ut separaret eam a civitate, ut esset ipsa singulariter, et neque emant, neque vendant.) Ionathas, videns arcem Sion a Demetrianis insessam ob munitionem ægre a se posse expugnari, erexit murum altum inter arcem et urbem Ierusalem, eoque seclusit arcem ab urbe ut ipsa esset singularis, id est solitaria, nec ullum haberet cum urbe commercium, adeoque potestatem sua vendendi et emendi in urbe eis ademit; qua ratione eos ad tantam famem adegit, ut cogerentur se dedere, ut patebit capite sequenti, vers. 49. et 50.

Vers. 39. Et cum cogitasset Tryphon regnare (dominari) Asiæ.) Nimirum facere se regem Asiæ, occiso Antiocho rege pupillo, cuius ipse erat tutor.

Vers. 40. Et exsurgens abiit in Bethsan.) Quæ postea Scythopolis est dicta, sitaque iuxta Tyberiadem.

Vers. 45. Veni mecum Ptolemaidam, et tradam eam tibi.) Hæc enim civitas confinis erat Iudææ, ideoque a Demetrio promissa fuerat Ionathæ, cap. 10. vers. 39. Vide hic perfidiam, dolum et insidias Tryphonis.

Vers. 46. Et credidit ei.) Nimis facile Ionathas vir simplicis candidique animi credidit versipelli et perfido Tryphoni; quare temere dimisit exercitum, ideoque captus ab eo et occisus est.

Vers. 51. Videntes hi qui insecuti fuerant (milites Tryphonis) quia pro anima res est illis (id est quod Iudæi pro vita sua pugnaturi sint usque ad mortem,) reversi sunt.) Nam cum desperatis, aut animo resolutis, qui scilicet aut vincere, aut mori decreverunt, periculosissime pugnatur, nec nisi cum certo magnæ cladis accipiendæ discrimine, uti docent Vegetius et Iulius Frontinus, l. 2. de Stratagematibus, cap. 6. cuius titulus est: *De mittendo hoste, ne clausus prælium ex desperatione redintegret*, ubi idipsum multis exemplis confirmat. *L. Marius*, inquit, *cui, duobus Scipionibus occisis, exercitus imperium detulit, cum circumventi ab eo Pœni, ne inulti morerentur, acrius pugnarent, laxatis manipulis, et concesso fugæ spatio, dissipatos sine periculo suorum trucidavit. C. Cæsar Germanos inclusos, ex desperatione fortius pugnantes, emitti iussit, fugientesque aggressus est. Annibal, cum ad Trasimenum inclusi Germani acerrime pugnarent, deductis ordinibus fecit eis abeundi potestatem, euntesque sine suorum sanguine stravit. Antigonus rex Macedonum Ætolis, qui in obsidionem ab eo compulsi fame urgebantur, statuerantque eruptione facta commori, viam fugæ dedit, atque ita infracto impetu eorum, insecutos, aversos cecidit. Themistocles, victo Xerxe, volentes suos pontem rumpere prohibuit, cum docuisset potius esse, eum expelli ex Europa, quam cogi ex desperatione pugnare. Idem misit ad eum, qui indicaret in quo periculo esset, nisi fugam maturaret.* Vide dicta 2. Reg. 2. v. 26. ad illa: *An ignoras quod periculosa sit desperatio?*

Nota, hæc omnia fusius narrari a Iosepho, Appiano et Iustino, libris 35. et 36. in quibus tamen nonnulla sunt quæ a narratione S. Scripturæ hoc loco dissentiunt, in quibus proinde plane fides vacillat. Atque ut videas quam Gentiles Iudæis infensi eorum res vel ignorarint, vel depravarint, Iustinus citato libro 36. ita de Iudæis scribit: *Fuit Iudæis origo Damascena, quæ Syriæ nobilissima civitas est; unde et Syriis a regibus genus ex regina Semiramide fuit. Nomen urbi a Damasco rege inditum; in cuius honore, Syrii sepulcrum Aratis uxoris eius pro templo coluere, deamque exinde sanctissimæ religionis habent. Post Damascum, Abraham, Moses, Israel reges fuere. Sed Israelem felix decem filiorum proventus maioribus suis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Iudæ, qui post divisionem decesserat, Iudæos appellavit, colique eius memoriam ab omnibus iussit:* ubi plures vides errores et figmenta quam sententias, sed falsiora his subiicit dicens Ioseph filium Iacob fuisse magum, additque: *Filius eius* (Ioseph) *fuit Moses, quem etiam præter paternæ scientiæ hæreditatem formæ pulchritudo commendabat. Sed cum scabiem Ægyptii et pruriginem paterentur, responso moniti eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægytiorum furto abstulit, quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt.*

Et non multis interiectis: *Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eadem causa invisi apud incolas forent, caverunt ne communicarent cum peregrinis, quod ex causa factum, paulatim in disciplinam religionemque convertit. Post Mosen etiam eius filius Aruas, sacerdos sacris Ægyptiis, mox rex creatur, semperque exinde hic mos apud Iudæos fuit, ut eosdem et reges et sacerdotes haberent; quorum iustitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.*

Quid hisce mendaciis agglomeratis et condensatis falsius dici potest?

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ionathæ capto succedit frater Simon, qui Tryphoni pro Ionatha lytrum centum talentorum, et duos eius filios obsides poscenti misit et persolvit: sed iis acceptis perfidus Tryphon Ionatham cum filiis occidit. Idem mox v. 31. interficit Antiochum pupillum sibi commissum, regnumque eius occupat. Quare contra eum Simon Iudææ urbes communit, fœdusque cum Demetrio Tryphonis æmulo sancit. Denique v. 43, Gazam, et v. 49. arcem Sion fame expugnat, ac Ioannem filium suum exercitui præficit.

1. ET audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum, ut veniret in terram Iuda, et attere-
ret eam. 2. Videns quia in tremore populus est, et in timore, ascendit Ierusalem, et congregavit po-
pulum: 3. Et adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, et fratres mei, et domus patris mei, fecimus pro
legibus et pro sanctis prælia, et angustias quales vidimus: 4. Horum gratia perierunt fratres mei omnes propter
Israel, et relictus sum ego solus. 5. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulatio-
nis: non enim melior sum fratribus meis. 6. Vindicabo itaque gentem meam, et sancta, natos quoque nostros,
et uxores: quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos inimicitiæ gratia. 7. Et accensus est spiritus po-
puli simul ut audivit sermones istos: 8. Et responderunt voce magna, dicentes: Tu es dux noster loco Iudæ et
Ionathæ fratris tui: 9. Pugna prælium nostrum: et omnia, quæcumque dixeris nobis, faciemus. 10. Et congre-
gans omnes viros bellatores, acceleravit consummare universos muros Ierusalem, et munivit eam in gyro. 11. Et
misit Ionathan filium Absalomi, et cum eo exercitum novum, in Ioppen: et eiectis his qui erant in ea, remansit
illic ipse. 12. Et movit Tryphon a Ptolemaida cum exercitu multo, ut veniret in terram Iuda, et Ionathas cum
eo in custodia. 13. Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi. 14. Et ut cognovit Tryphon quia sur-
rexit Simon loco fratris sui Ionathæ, et quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatos, 15. Di-
cens: Pro argento, quod debebat frater tuus Ionathas in ratione regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus
eum. 16. Et nunc mitte argenti talenta centum, et duos filios eius obsides, ut non dimissus fugiat a nobis, et re-
mittemus eum. 17. Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum, iussit tamen dari argentum, et pueros,
ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel, dicentem: 18. Quia non misit ei argentum, et pueros, pro-
pterea periit. 19. Et misit pueros, et centum talenta, et mentitus est, et non dimisit Ionathan. 20. Et post hæc
venit Tryphon intra regionem, ut contereret eam: et gyraverunt per viam quæ ducit Ador: et Simon, et castra
eius ambulabant in omnem locum quocumque ibant. 21. Qui autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem lega-
tos, ut festinaret venire per desertum, et mitteret illis alimonias. 22. Et paravit Tryphon omnem equitatum, ut
veniret illa nocte: erat autem nix multo valde, et non venit in Galaaditim. 23. Et cum appropinquasset Basca-
man, occidit Ionathan, et filios eius illic. 24. Et convertit Tryphon, et abiit in terram suam. 25. Et misit Si-
mon, et accepit ossa Ionathæ fratris sui, et sepelivit ea in Modin civitate patrum eius. 26. Et planxerunt eum
omnis Israel planctu magno, et luxerunt eum dies multos. 27. Et ædificavit Simon super sepulchrum patris sui et
fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retro et ante. 28. Et statuit septem pyramidas, unam contra
unam patri et matri, et quatuor fratribus: 29. Et his circumposuit columnas magnas; et super columnas arma,
ad memoriam æternam; et iuxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare: 30. Hoc
est sepulchrum, quod fecit in Modin, usque in hunc diem. 31. Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho
rege adolescente, dolo occidit eum. 32. Et regnavit loco eius, et imposuit sibi diadema Asiæ, et fecit plagam
magnam in terra. 33. Et ædificavit Simon præsidia Iudææ, muniens ea turribus excelsis, et muris magnis, et por-
tis, et seris: et posuit alimenta in munitionibus. 34. Et elegit Simon viros, et misit ad Demetrium regem, ut
faceret remissionem regioni: quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti. 35. Et Demetrius rex
ad verba ista respondit ei, et scripsit epistolam talem: 36. Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti, et amico
regum, et senioribus et genti Iudæorum, salutem. 37, Coronam auream, et bahem, quam misistis, suscepimus:
et parati sumus facere vobiscum pacem magnam, et scribere præpositis regis remittere vobis quæ indulsimus. 38.
Quæcumque enim constituimus, vobis constant. Munitiones, quas ædificastis, vobis sint; 39. Remittimus quoque
ignorantias, et peccata usque in hodiernum diem, et coronam quam debebatis: et si quid aliud erat tributarium
in Ierusalem, iam non sit tributarium. 40. Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, et
sit inter nos pax. 41. Anno centesimo septuagesimo ablatum est iugum gentium ab Israel. 42. Et cœpit populus
Israel scribere in tabulis et gestis publicis, anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, et principe
Iudæorum. 43. In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, et circumdedit eam castris, et fecit machinas, et ap-
plicuit ad civitatem, et percussit turrem unam, et comprehendit eam. 44. Et eruperant qui erant intra machi-
nam in civitatem: et factus est motus magnus in civitate. 45. Et ascenderunt qui erant in civitate, cum uxoribus
et filiis supra murum, scissis tunicis suis, et clamaverunt voce magna, postulantes a Simone dextras sibi dari, 46.
Et dixerunt: Non nobis reddas secundum malitias nostras, sed secundum misericordias tuas. 47. Et flexus Simon,
non debellavit eos: eiecit tamen eos de civitate, et mundavit ædes in quibus fuerant simulachra, et tunc intravit
in eam cum hymnis benedicens Dominum: 48. Et eiecta ab ea omni immunditia, collocavit in ea viros qui le-
gem facerent: et munivit eam, et fecit sibi habitationem. 49. Qui autem erant in arce Ierusalem, prohibeban-
tur egredi et ingredi regionem, et emere, ac vendere: et esurierunt valde, et multi ex eis fame perierunt, 50.
Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent: et dedit illis: et eiecit eos inde, et mundavit arcem a con-
taminationibus: 51. Et intraverunt in eam tertia et vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo
primo, cum laude, et ramis palmarum, et cinyris, et cymbalis, et nablis, et hymnis, et canticis, quia contritus

est inimicus magnus ex Israel. 52. Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. 53. Et munivit montem templi, qui erat secus arcem, et habitavit ibi ipse, et qui cum eo erant. 54. Et vidit Simon Ioannem filium suum, quod fortis prælii vir esset: et posuit eum ducem virtutum universarum: et habitavit in Gazaris.

Vers. 8. TU ES DUX NOSTER LOCO IUDÆ ET IONATHÆ FRATRIS TUI.) Hic populus Simonem creat ducem et Pontificem anno 170. Græcorum, ut dicitur v. 41. et 42. Simon ergo ducatum et Pontificatum gessit per septem annos, nimirum usque ad annum 177. Græcorum, quo perfide a genero suo occisus est, ut dicitur c. 16. v. 14.

Vers. 10. ACCELERAVIT CONSUMMARE UNIVERSOS MUROS IERUSALEM.) Ne Demetriani ex arce Sion eam se absente et pergente contra Tryphonem invaderent et spoliarent.

Vers. 13. SIMON AUTEM APPLICUIT IN ADDUS.) Quam ipse c. 12. 38. communierat, ubi tamen *Addus* vocatur *Adiada*, Græce *Adida*. Sita est in Palmyrena Phœniciæ regione. Hic castra locavit Simon CONTRA FACIEM CAMPI, id est ex adverso campi magni et spatiosi, invitans et irritans hac ratione Tryphonem ad conflictum secum ineundum.

Vers. 14. ET UT COGNOVIT TRYPHON.) Tryphon, metuens Simonis copias, pellem leoninam in vulpinam mutavit, doloseque finxit se amicum, itaque fraudolenter a Simone centum talenta, ac duos filios Ionathæ pro eius lytro extorsit.

Vers. 15. IN RATIONE REGIS.) q. d. In rationibus regis, sive in libris computuum invenimus Ionatham debere regi centum talenta: mitte ergo illa cum duobus filiis eius obsidibus, et ego remittam tibi Ionatham. Centum talenta auri, si Attica fuerint, faciunt sexcenta millia aureorum; sin Hebræa, faciunt duplo amplius, nimirum millionem, et insuper ducenta millia aureorum; tantam ergo vim auri Simon misit Tryphoni pro fratre Ionatha redimendo.

Vers. 17. ET COGNOVIT SIMON QUIA CUM DOLO LOQUERETUR SECUM.) *Cognovit*, id est, subodoratus et probabiliter suspicatus est Tryphonem secum non sincere, sed dolose agere, ex eo quod expertus erat eius ingenium vafrum et perfidum, præsertim cum Ionatham per fraudem cepisset, et mille eius socios occidisset; quia tamen non erat certus eum dolose agere, et quia intime amabat Ionatham, eumque sibi et Israeli omnibus modis restitui cupiebat, et ne populo occasionem daret murmurandi sibique rebellandi, quasi qui ex ambitione regnandi, et ex avaritia neglexisset liberare Ionatham, ut ipse eius loco imperaret, quæ rebellio plane Rempublicam Israelis evertisset, utpote cum illam invaderet cum magnis copiis Tryphon; hisce de causis prudenter Simon IUSSIT DARI ARGENTUM ET PUEROS, præsertim quia, ut ait sanctus Thomas, non putabat Tryphonem tam fore crudelem, ut eos occideret.

Vers. 20. ET GYRAVERUNT PER VIAM QUÆ DUCIT ADOR.) Quæ est urbs Phœniciæ mari adiacens vicina Ptolemaidi, ac a Ptolomæo Dor vel Dora (unde Dores Græcos ortos dictosque opinantur nonnulli) vocatur. Iosephus tamen l. 13. c. 13. eam vocat urbem Idumææ, forte quod ab Idumæis esset occupata eisque subiecta.

ET SIMON ET CASTRA EIUS AMBULABANT IN OMNEM LOCUM QUOCUMQUE IBANT.) Tryphon et milites eius, q. d. Simon ubique opponebat se Tryphoni, ne alicubi in fines Iudææ irrumperet; circa illos gyrabat et oberrabat Tryphon.

Vers. 21. QUI AUTEM IN ARCE (Sion) ERANT.) Præsidiarii Tryphoniani, fame pressi miserunt ad Tryphonem ut alimenta eis per equites via deserti submitteret.

Vers. 22. ERAT AUTEM NIX MULTA VALDE, quæ impedivit Tryphonem ne posset progredi et inferre annonam in arcem Sion: ET NON VENIT IN GALAADITIM.) Videntur hic aliqua verba desiderari, quæ habent Græca hoc modo: *Et fuit nix multa valde, et non venit propter nivem: Et movit castra, et venit in Galaaditim:* quomodo habet etiam Iosephus. Et quomodo non venit in Galaaditidem, cum

A venerit ad eius oppidum, dictum Bascaman, ad quod occidit Ionatham et filios eius, ut statim subditur: amanuensem a priore *venit* ad posterius imprudenter transiliisse existimant Emmanuel Sa et Salianus. Potest tamen Latinus textus cum Græco conciliari hoc modo: Tryphon non venit in Galaaditim, ut habet Latinus, nimirum eodem die prout destinarat, idque ob nivem quæ impediebat iter, uti præcessit: quare postero vel tertio die venit in Galaaditim, ut habet Græcus, ut in Syriam et Antiochiam unde venerat, rediret.

ET CUM APPROPINQUASSET BASCAMAN, OCCIDIT IONATHAN ET FILIOS EIUS ILLIC.) Cum Tryphon ob nivem progredi non posset, sed regredi cogeretur, iratus occidit Ionatham cum filiis, ut suum in eum odium exprømeret, utque Iudæis noceret quantum posset. Addit Iosephus eum commisisse prælium cum Simone, eoque superatum ex indignatione et vindicta occidisse Ionatham. Sed huius prælii non meminit Scriptura, illudque impediebat alta nix. Porro occisus est Ionathas anno 19. sui B principatus et Pontificatus (non septimo, ut ait Iosephus, nec 14. Pontificatus et 18. ducatus, ut vult Scaliger) tot enim annis præfuit Israeli ut dux et Pontifex, scilicet ab anno 152. Græcorum inchoante, quo cæso Iudæ in prælio successit Ionathas usque ad annum 170. Græcorum, quo a Tryphone necatus est Ionathas, qui fuit ante natalem Christi annus 141. Ita Salianus et alii. Vers. 23.

ET ÆDIFICAVIT SIMON SUPER SEPULCRUM PATRIS SUI, etc. LAPIDE POLITO.) Iosephus: *ex marmore candido et polito.* Vers. 27.

ET STATUIT SEPTEM PYRAMIDES, UNAM CONTRA UNAM.) Id est unam alteri oppositam, sive unam ex adverso alterius, q. d. Binas et binas statuit columnas. Septem autem fuere, quia duas erexit patri et matri, quatuor totidem fratribus, scilicet Iudæ, Ionathæ, Ioanni et Eleazaro, 1. Machab. 2. 2. septimam vero sibi reservavit. Vers. 28.

ET IUXTA ARMA NAVES SCULPTAS.) Ut per naves ostenderet eos tam mari quam terra fuisse potentes et utrobique illustres obtinuisse victorias, etsi bellorum navalium ab eis gestorum nulla hoc libro facta sit mentio. Vers. 29.

C

HOC EST SEPULCRUM QUOD FECIT IN MODIN USQUE IN HUNC DIEM.) Duravit hoc sepulcrum usque ad tempora Iosephi, ut ipse testatur; imo usque ad tempora S. Hieronymi per 500. annos. Nam in locis Hebr. ita scribit S. Hieronymus: *Modin vicus iuxta Diospolim, unde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibidem sepulcra monstrantur.* Vers. 30.

TRYPHON AUTEM, CUM ITER FACERET CUM ANTIOCHO REGE ADOLESCENTE, DOLO OCCIDIT EUM.) Uti dolo ceperat et occiderat Ionathan cum filiis. Modum necis enarrat Livii abbreviator, Epist. 55. *Alexandri filius*, inquit, *rex Syriæ, decem annos admodum habens a Diodoro, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est, corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore* D *consumi ad populum mentiti, dum secant illum, occiderunt.* Eademque videtur Iosephi sententia l. 13. c. 12. ubi ait: χειριζόμενος ἀπέθανεν, id est *dum a chirurgis curaretur mortuus est*, quod Iosephi interpres perperam vertit, *inter exercendum se est extinctus.* Hic fuit genius perfidi Tryphonis tyranni; ideoque et ipse post biennium ab Antiocho Sedete pari modo occisus est. Porro vide hic iustum Dei iudicium, quo plane impiam stirpem et propaginem impiissimi Antiochi Epiphanis in Antiocho hoc eius nepote sustulit. Epiphani enim miserrime morienti successit filius Antiochus Eupator puer, quem Demetrius senior interemit. Eupatori successit frater Alexander Veles quem Ptolomæus Philometor in prælio interfecit: Alexandro successit hic Antiochus filius parvulus quem Tryphon necavit, eiusque regnum occupavit. Hic ergo impia Vers. 31.

Antiochi stirps funditus excisa est, et completum illud Psalmi: *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat.*

Vers. 32. Et fecit plagam magnam.) Occidens omnes qui sibi suæque regni Asiæ invasioni adversabantur. Hic ergo Tryphon solus extitit, qui per dolum intrusit se in seriem Seleucidarum Asiæ regum, ideoque per biennium tantum illud obtinuit; eo enim exacto Alexander Sedetes Demetrii senioris filius, et iunioris frater, occiso Tryphone, regnum Asiæ sibi et Seleucidis restituit.

Vers. 33. Et ædificavit.) Simon contra Tryphonem, ne Iudæam invaderet, uti invaserat regnum Asiæ, præsidia Iudææ, id est arces in quibus milites præsidiarios ad eas tutandas collocavit.

Vers. 34. Et misit ad Demetrium regem ut faceret remissionem.) A tributis et a iugo Græcorum, sive Seleucidarum, ut scilicet Iudæa non esset iis subiecta, sed libera, uti ante fuerat. Concessit id Demetrius; unde tunc nova Æra constituta est, a qua Iudæi numerare cœperunt annos, scilicet ab anno primo Simonis, ut dicitur v. 42. Porro Demetrius hic iunior filius fuit Demetrii senioris, cognomento Nicanor, qui paulo ante a Tryphone fuerat regno eiectus, 11. v. 55. ac ibidem v. ult. a Ionatha bis fusus fugatusque; nunc vero Tryphonem metuens cum Simone fœdus init, ideoque Iudææ suam libertatem postliminio restituit.

Quia actus omnes Tryphonis (quibus Iudæis gravia tributa et onera imposuerat) per direptionem (id est per subreptionem et apertam iniustitiam prædationemque) fuerant gesti.) Unde Græca habent: *Quia actus omnes Tryphonis erant rapinæ,* ideoque rescindendi; unde ea rescidit Demetrius.

Vers. 37 Coronam auream et bahem quam misistis.) Quasi gratulantes mihi regnum recuperatum, optantesque victoriam de Tryphone, cuius symbolum et omen est Bahes: Græce βαΐνην, id est ramus palmæ non ex arbore evulsus, sed ex auro fabrefactus. Sic enim vertit Noster, v. 51. Baion enim, sive βαις est ramus palmæ, ita dictus παρὰ τὸ βίᾳ τίλλεσθαι, quod non facile revelli possit, eo quod palma natura sua sursum nitatur contra deprimentis manum. Hinc Ioan. 12. rami palmarum vocantur βαΐα φοινίκων. Sic l. 2. c. 14. v. 4. Alcimus obtulit alteri Demetrio coronam auream, et palmam, et thallos qui rami sunt: ex quo coniectari licet hæc Syriæ regibus a Iudæis deferri solita. Hinc et βαΐα dicebantur dona, quæ Imperator Constant. suis Palatinis et Patriarcha suis clericis dabat ante diem Palmarum, quo Ecclesia ramos palmarum fidelibus distribuit. Noster Sanchez: Bahem, inquit, Hebr. בהם idem valet quod *in illis* aut *inter illos.* Videtur autem Simon a Demetrio rege postulasse ut se reliquosque Iudæos habeat cum illis qui amici sunt et fœderati, aut inter illos qui subditi sunt et vectigales, ut illos contra Triphonem communem adversarium tueatur, qui ut præ se proxime tulerat, ad Iudæorum cædem toto animo et imperii viribus ferebatur.

Porro Isidorus in Glossario: *Baen, inquit, est lamina auri ab aure ad aurem qua familiares regum utebantur: ornamentum colli ex auro et gemmis, quod alio nomine torques dici potest:* unde gallicum *bague,* et Belgicum *bagghe,* id est *bacca,* bulla, monile nimirum baccatum, ut vocat Virgil. Æneid. 1. hoc est baccis, id est gemmis ornatum.

Denique nonnulli *bahem* suspicantur deductum ab Hebr. בוהן *bohen,* id est pollex, qui roboris et victoriæ est symbolum. Pollex enim dictus est, inquit D. Isidorus in Etymol. quod inter digitos cæteros virtute polleat et potestate, et a Græcis ἀντίχειρ dictus, quod cum reliqua manu de virtute et robore certet; in cuius rei symbolum notat Pierius in Hieroglyphicis, Valerianus et Brixianus in Symbolis significari robur et fortitudinem, cum reliquis ad volam compressis digitis solus pollex surrigeretur, utpote qui solus cæterorum virtutem æquet.

Videntur ergo Iudæi talem manum cum pollice surrecto ex auro misisse Demetrio, ut hoc symbolo repræsentarent eius fortitudinem, æque ac victoriam: pollice enim olim victoria significabatur. Hinc apud priscos Latinos, qui in palæstra succumbebat, pollicem elevabat (unde illud *tolle digitum*) ut se victum fateretur. Et in gladiatorum ludo solebat populus Romanus favere, et uni victoriam annuere presso pollice, alteri vero victoriam abnuere, et ad mortem damnare verso pollice. Vide dicta Iudicum, 1. v. 6.

Hic sensus post primum cæteris duobus videtur accommodatior. Iudæi enim coronam et bahem obtulerunt Demetrio alludentes et applaudentes ad eius prælia et victorias ob quas ipse cognominatus est Nicanor, id est victor, q. d. Offerimus tibi Nicanori symbola νίκης, id est victoriæ, scilicet ramum palmæ vel manum exerentem pollicem. Porro Syrus bahem interpretatur *missionem,* hoc est, *munera et dona missa.*

Quæcumque enim constituimus vobis (Græce *erga vos,* q. d. Privilegia quæ vobis concessi c. 11. 34.) constant.) Id est constantia, rata et firma esse decerno. Vers. 38.

Remittimus quoque ignorantias et peccata.) Id est, condono vobis quidquid contra me ignoranter vel scienter peccastis. Postquam enim Demetrius fœdus initum cum Ionatha fœde ruperat, Ionathas eum semel iterumque graviter cecidit, ac Iudæi eum male tractarunt, ut patet cap. 11. 63. et cap. 12. 24. Quare Demetrius ea omnia eis remittit, ac præteritarum iniuriarum inducit ἀμνηστίαν et oblivionem. Vers. 39.

Quocirca ex hac tam liberali gratia, et privilegio Demetrii plena libertas data est Simoni, et Iudææ, ideoque

Anno 170. ablatum est iugum Græcorum (Seleucidarum) ab Israel. Vers. 41.

Et cœpit populus scribere (novam Æram ab hoc anno constituendo et inchoando) in tabulis et gestis publicis: Anno primo sub Simone summo sacerdote.) Annus enim primus Simonis fuit 170. Græcorum quo Demetrius suo indulto libertatem hanc Iudæis concessit. Vers. 42.

Applicuit Simon ad Gazam.) Gazam subegerat Ionathas, cap. 11. v. 61. sed illo abeunte iugum excussit. Quare Simon hic eam rursus obsedit et ad prius iugum compulit. Vers. 43.

Collocavit in ea viros qui legem facerent.) Id est, Iudæos vel proselytos legis Mosaicæ sectatores, imo ipse Simon in ea domicilium fixit, ut sequitur. Vers. 48.

Qui autem erant in arce.) Montis Sion, hi fame pressi arcem dediderunt Simoni, cum eam tenuissent per annos 26. scilicet ab anno 145. Græcorum, ut patet c. 1. v. 21. 30. et 35. usque ad annum 171. Græcorum, ut hic dicitur v. 51. Addit Iosephus Simonem arcem hanc plane diruisse et solo æquasse. Vers. 49.

Quia contritus est inimicus magnus ex Israel.) Milites enim Seleucidarum Asiæ regum arcem Sionis insidentes infestissimi erant subiectæ Ierosolymæ templo, civibus omnibusque Iudæis. Vers. 51.

Et munivit montem templi.) q. d. Arcem in monte Sion iuxta templum olim contra milites arcis iam dictæ a Iuda Machabæo, c. 4. v. 60. extructam et ab impio Alcimo, c. 9. v. 54. destructam, iterumque a Ionatha, c. 10. v. 11. reædificatam Simon novis operibus et fortalitiis communivit, in eaque habitavit, ut patet v. 48. cum prius habitasset in Gazara, sed Gazaram misit Ioannem filium suum, qui postea cognominatus est Hyrcanus, eumque utpote virum fortem exercitui præfecit. Hic est Ioannes qui Simoni occiso in ducatu et Pontificatu successit, ut audiemus cap. ultimo. Vers. 53.

Et posuit eum (Ioannem iam dictum) ducem virtutum (Græce δυνάμεων, id est exercituum sive copiarum) universarum; et habitavit (Ioannes) in Gazaris.) Gazara sive Gadera, vel Gazer, aut Gezer, ait Adrichomius, erat urbs in tribu Ephraim, cuius regem occidit Iosue, urbemque Levitis attribuit. Verum hic per Gazaram intelligitur Gaza urbs potens Philisthinorum iuxta Azotum, ut dicitur capite 14. vers. 34. Gazam enim ceperat Simon, ibique domicilium fixerat, ut dictum est v. 48. Quare inde transiens, nunc in Ierusalem Gazam filio suo Ioanni incolendam et custodiendam commisit. Ita Salianus. Vers. 55.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Demetrius filius Demetrii ab Arsace capitur. Simon Iudæam prudenter, et feliciter gubernat, ac v. 18. cum Romanis, et Spartiatis fœdus renovat. Denique facta eius heroica recensentur, et ab Israelitis in æreis tabulis templo appensis ad æternam memoriam inciduntur.

1. Anno centesimo septuagesimo secundo congregavit rex Demetrius exercitum suum, et abiit in Mediam ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem. 2. Et audivit Arsaces rex Persidis et Mediæ, quia intravit Demetrius confines suos, et misit unum de principibus suis ut comprehenderet eum vivum, et adduceret eum ad se. 3. Et abiit, et percussit castra Demetrii: et comprehendit eum, et duxit eum ad Arsacem, et posuit eum in custodiam. 4. Et siluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis, et quæsivit bona genti suæ: et placuit illis potestas eius, et gloria eius, omnibus diebus. 5. Et cum omni gloria sua accepit Ioppen in portum, et fecit introitum in insulis maris. 6. Et dilatavit fines gentis suæ, et obtinuit regionem. 7. Et congregavit captivitatem multam, et dominatus est Gazaræ, et Bethsuræ, et arci: et abstulit immunditias ex ea, et non erat qui resisteret ei. 8. Et unusquisque colebat terram suam cum pace: et terra Iuda dabat fructus suos, et ligna camporum fructum suum. 9. Seniores in plateis sedebant omnes, et de bonis terræ tractabant, et iuvenes induebant se gloriam, et stolas belli. 10. Et civitatibus tribuebat alimonias, et constituebat eas ut essent vasa munitionis, quoadusque nominatum est nomen gloriæ eius usque ad extremum terræ. 11. Fecit pacem super terram, et lætatus est Israel lætitia magna. 12. Et sedit unusquisque sub vite sua et sub ficulnea sua: et non erat qui eos terreret. 13. Defecit impugnans eos super terram: reges contriti sunt in diebus illis. 14. Et confirmavit omnes humiles populi sui, et legem exquisivit, et abstulit omnem iniquum et malum: 15. Sancta glorificavit, et multiplicavit vasa sanctorum. 16. Et auditum est Romæ quia defunctus esset Ionathas, et usque in Spartiatas: et contristati sunt valde. 17. Ut audierunt autem quod Simon frater eius factus esset summus sacerdos loco eius, et ipse obtineret omnem regionem, et civitates in ea; 18. Scripserunt ad eum in tabulis æreis, ut renovarent amicitias et societatem, quam fecerant cum Iuda, et cum Ionatha fratribus eius. 19. Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Ierusalem. Et hoc exemplum epistolarum, quas Spartiatæ miserunt: 20. Spartianorum principes, et civitates, Simoni sacerdoti magno, et senioribus, et sacerdotibus, et reliquo populo Iudæorum, fratribus, salutem. 21. Legati, qui missi sunt ad populum nostrum nuntiaverunt nobis de vestra gloria, et honore, ac lætitia: et gavisi sumus in introitu eorum. 22. Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi, sic: Numenius Antiochi, et Antipater Iasonis filius, legati Iudæorum, venerunt ad nos, renovantes nobiscum amicitiam pristinam. 23. Et placuit populo excipere viros gloriose, et ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi libris, ut sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti. 24. Post hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audisset populus Romanus 25. Sermones istos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, et filiis eius? 26. Restituit enim ipse fratres suos, et expugnavit inimicos Israel ab eis, et statuerunt ei libertatem, et descripserunt in tabulis æreis, et posuerunt in titulis in monte Sion. 27. Et hoc est exemplum scripturæ: Octava decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone sacerdote magno in Asaramel, 28. In conventu magno sacerdotum, et populi, et principum gentis, et seniorum regionis, nota facta sunt hæc: Quoniam frequenter facta sunt prælia in regione nostra: 29. Simon autem Mathathiæ filius ex filiis Iarib, et fratres eius, dederunt se periculo, et restiterunt adversariis gentis suæ, ut starent sancta ipsorum, et lex: et gloria magna glorificaverunt gentem suam. 30. Et congregavit Ionathas gentem suam, et factus est illis sacerdos magnus, et appositus est ad populum suum. 31. Et voluerunt inimici eorum calcare et atterere regionem ipsorum, et extendere manus in sancta eorum. 32. Tunc restitit Simon, et pugnavit pro gente sua, et erogavit pecunias multas, et armavit viros virtutis gentis suæ, et dedit illis stipendia: 33. Et munivit civitates Iudææ, et Bethsuram, quæ erat in finibus Iudææ, ubi erant arma hostium antea: et posuit illic præsidium viros Iudæos. 34. Et Ioppen munivit, quæ erat ad mare, et Gazaram, quæ est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant, et collocavit illic Iudæos: et quæcumque apta erant ad correptionem eorum posuit in eis. 35. Et vidit populus actum Simonis, et gloriam quam cogitabat facere genti suæ, et posuerunt eum ducem suum, et principem sacerdotum, eo quod ipse fecerat hæc omnia, et iustitiam, et fidem, quam conservavit genti suæ, et exquisivit omni modo exaltare populum suum. 36. Et in diebus eius prosperatum est in manibus eius, ut tollerentur gentes de regione ipsorum, et qui in civitate David erant in Ierusalem in arce, de qua procedebant, et contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum sunt, et inferebant plagam magnam castitati: 37. Et collocavit in ea viros Iudæos ad tutamentum regionis et civitatis, et exaltavit muros Ierusalem. 38. Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium. 39. Secundum hæc fecit eum amicum suum, et glorificavit eum gloria magna. 40. Audivit enim quod appellati sunt Iudæi a Romanis amici, et socii, et fratres, et quia susceperunt legatos Simonis gloriose: 41. Et quia Iudæi, et sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, et summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis: 42. Et ut sit super eos dux et ut cura esset illi pro sanctis, et ut constitueret præpositos super opera eorum, et super regionem, et super arma, et super præsidia: 43. Et cura sit illi de sanctis: et ut audiatur ab omnibus, et scribantur in nomine eius omnes conscriptiones in regione: et ut operiatur purpura, et auro: 44. Et ne liceat ulli ex populo et ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum, et contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut convocare

conventum in regione sine ipso: et vestiri purpura, et uti fibula aurea; 45. Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. 46. Et complacuit omni populo statuere Simonem, et facere secundum verba ista. 47. Et suscepit Simon, et placuit ei ut summo sacerdotio fungeretur, et esset dux et princeps gentis Iudæorum, et sacerdotum, et præesset omnibus. 48. Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis, et ponere eas in peribolo sanctorum, in loco celebri: 49. Exemplum autem eorum ponere in ærario, ut habeat Simon, et filii eius.

Vers. 2. ET AUDIVIT ARSACES REX PERSIDIS ET MEDIÆ QUIA (quod) INTRAVIT DEMETRIUS IN CONFINES SUOS.) Iustinus, Appianus et alii Arsacem hunc vocant regem Parthorum, sed Parthi tunc dominabantur Persidi et Mediæ. Orosius, l. 5. cap. 4. Arsacem hunc proprio nomine vocat Mithridatem, eumque sextum facit a primo Arsace regni Parthorum fundatore: nam Arsacis nomen commune erat regibus Parthorum, teste Iustino l. 41. qui hunc Arsacem tertium vocat proprio nomine Pompatium, sive Priapatium, cuius filii duo Mithridates et Phrahates qui apud Parthos ambo postea regnarunt. Porro Demetrius a Tryphone regno Syriæ exclusus, per vicinas regiones oberrans, et auxilia undique conquirens, a Græcis et Macedonibus illis in locis degentibus invitatus fuit, ut Arsaci bellum inferret, magna ei promittentes subsidia. Fecit id Demetrius, ac confligens cum Arsace eum semel iterumque vicit: sed tandem victus captusque in Arsacis manus vivus venit. Audi Iustinum, libro 36. initio: *Demetrii adventum non inviti Orientis populi videre, et propter Arsacidæ regis Parthorum crudelitatem, et quod veteri Macedonum imperio novi populi assueti, superbiam indigne ferebant. Itaque cum et Persarum, et Elimæorum, Bactrianorumque auxiliis iuvaretur, multis prœliis Parthos fudit. Ad postremum tamen pacis simulatione deceptus, capitur, traductusque per oras civitatum populis qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benigne et iuxta cultum pristinæ fortunæ habetur.*

Addit Iustinus, lib. 38. Arsacem filiam suam Demetrio uxorem dedisse. Appianus vero in Syriaco sub finem ait Demetrium commoratum in Phrahate regia, et Rhodogunam regis sororem in matrimonium duxisse.

Vers. 3. ET POSUIT EUM IN CUSTODIAM.) Demetrio ab Arsace victo, vincto et incarcerato, Cleopatra Ptolomæi Philometoris filia uxorque Demetrii iam capti fratrem eius Antiochum Sedetem Seleuciam accersivit; eique fratris regnum una cum suo coniugio obtulit. Sed e carcere liberatus Demetrius cum copiis reversus in Syriam, fratrem Sedetem tam regno quam vita spoliavit, teste Iosepho, Iustino, Appiano et aliis; sed de Sedete rursum agetur c. 25.

Vers. 4. ET SILUIT OMNIS TERRA (Iudææ et vicinarum regionum Syriæ et Asiæ) OMNIBUS DIEBUS SIMONIS.) Ob eius regimen prudens, suave et forte, adeo ut nemo eum invadere auderet. Quare deinceps mira Simonis elogia et facinora recensentur.

Vers. 5. ET CUM OMNI GLORIA SUA ACCEPIT IOPPEN IN PORTUM.) q. d. Simon magnam sibi ac toti Israeli conciliavit gloriam æque ac utilitatem et opes, cum expugnavit Ioppen, ibique portum constituit, e quo naves mitteret ad vicinas insulas, imo per totum mare, quæ omnis generis merces inveherent et eveherent. Portus enim Ioppe totius Iudææ est commodissimus; unde etiamnum perdurat, adeoque omnes euntes Ierosolymam primo appellunt ad Ioppen, quæ nunc Iafo dicitur. Porro urbes per portum opportunum mercatoribus et mercibus fiunt opulentissimæ, ut patet in Antuerpia, Venetiis, Lisbona, etc.

Vers. 7. ET CONGREGAVIT CAPTIVITATEM MULTAM.) q. d. Simon multos hostium captivos abduxit; Iudæos vero multos ab hostibus captos e captivitate liberavit.

Vers. 9. IUVENES INDUEBANT SE GLORIAM.) Id est gloriosas et pretiosas induebant vestes quasi victores et de hostibus suis triumphantes, adeoque induebant STOLAS BELLI, id est vestes elegantiores quas bello acquisierant.

Vers. 10. ET CONSTITUEBAT EAS, UT ESSENT VASA MUNITIONIS.) q. d. Simon urbes Iudææ ita muris et arcibus communivit,

A ut essent *vasa*, id est receptacula, et valla contra hostes munitissima.

Vers. 14. ET CONFIRMAVIT OMNES HUMILES POPULI SUI.) q. d. Simon Iudæos sive ab hostibus, sive ab æmulis, sive alia quapiam causa et modo afflictos solatus est, erexit et confirmavit, afflictionem eorum, vel tollendo, vel minuendo, vel per media et subsidia toleratu facilem reddendo.

Vers. 15. SANCTA GLORIFICAVIT.) Id est magnum ornatum, splendorem et gloriam addidit sanctuario sive templo, eiusque sacrificiis, sacrisque ritibus; et VASA, quibus opus erat ad sacrificandum, thurificandum, aliisque modis Deum colendum, MULTIPLICAVIT. Fuere ergo sub Simone duce et Pontifice aurea Israelis sæcula, ut aurea Salomonis pax et opulentia sub eo et per eum rediisse videatur.

Vers. 20. SPARTIANORUM PRINCIPES.) Recensentur hic Epistolæ fœderis, quod Spartiatæ cum Simone inierunt, æque ac inierant cum Iuda et Ionatha.

Vers. 22. ET SCRIPSIMUS QUÆ AB EIS ERANT DICTA IN CONCI-
B LIIS POPULI.) Scilicet in publicis Actis, et libris in quibus populi nostri gesta, historiæ, fœdera, cæteræque res omnes describuntur.

Vers. 24. CLYPEUM AUREUM MAGNUM, PONDO MNARUM MILLE.) Hoc est centum millium aureorum. Mna enim est quasi libra auri, quæ valet centum aureos; mille ergo mnæ faciunt centies mille aureos, hoc est centum millia aureorum.

CUM AUDISSET AUTEM POPULUS ROMANUS SERMONES ISTOS, DIXERUNT:

Vers. 25. QUAM GRATIARUM ACTIONEM REDDEMUS SIMONI, ET FILIIS EIUS.) Vox *Romanus*, inquit Salianus, abest a Græcis omnibus et Latinis, præterquam Vulgata; et improbatur a Vatablo et Serario, et omnino videtur ex margine, ubi ea vox explicandi causa ab homine minime malo posita fuerat, in textum irrepsisse. Porro sequentem orationem non esse Romanorum, sed Iudæorum ex eo patet, quod responsio Romanorum, in qua de hoc dono agitur,
C habetur c. seq. 16. Deinde tota oratio Hebraice ritus est, et nihil sapit Romanum morem. Nec enim Romani rerum domini solebant agere gratias populis minorum gentium, multo minus Iudæis. Sic ergo sensus erit, q. d. Cum populus Iudaicus de pace Iudææ a Simone reddita exultans audiret litteras Spartiatarum, excitus spiritu gratitudinis ait: *Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, et filiis eius? Restituit enim ipse fratres suos.*

Verum quia Biblia Latina Romæ correcta ac Complutensia et Regia, item Pagninus, Lyranus et alii constanter legant τὸ *Romanus*, hocque apte respondeat legationi Simonis ad Romanos quæ immediate præcessit: hinc apte sic exponas, ut auctor huius libri legationi Simonis ad Romanos voluerit breviter subiungere responsionem et gratulationem Romanorum, fusius deinde eam enarraturus c. seq. v. 16. Nam quod sequitur: *Restituit enim ipse fratres suos*, et cætera quæ deinceps sequuntur, non populi
D Romani, ut patet intuenti, sed auctoris libri huius sunt verba. Voluit enim auctor causas subiungere cur populus Romanus gratias egerit Simoni; nimirum propter heroica eius facta et ingentia in Ierusalem, cæterosque vicinos Romanis subditos merita, utpote quibus Simon sua prudentia, fortitudine pacem et tranquillitatem communem crearat, itaque tam se et vicinos quam Romanos bellis liberarat. Ita Lyranus, Sanchez. Torniellus et alii.

Vers. 26. RESTITUIT ENIM IPSE FRATRES SUOS.) q. d. Simon Israelitas et contribulos suos animis viribusque collapsos et in servitutem quasi redactos ob Tryphonem, Demetrium,

aliosque hostes eos invadentes restituit pristinæ magnanimitati, fortitudini, opulentiæ et libertati. Unde Græca habent: *Firmavit vel stabilivit ipse et fratres eius, et domus patris eius* (Israelem) *et expugnaverunt inimicos Israel ab eis*: scilicet ab Israelitis inimicos eorum expellendo et propulsando.

ET STATUERUNT EI LIBERTATEM.) q. d. Israelitæ statuerunt ut Simon ob sua merita liber esset ab omni tributo, onere, subiectione, utque cæteri omnes ei quasi Principi suo essent subiecti. Græci nonnulli legunt in singulari: *Statuit ei libertatem*, ac de Simone sic explicant, q. d. Simon sua sapientia, fortitudine et victoriis libertatem peperit, eumque a iugo Græcorum exemit, ut dictum est c. 13 v. 41.

Vers. 27. ET HOC EST EXEMPLUM SCRIPTURÆ (quam populus, non Romanus, sed Iudaicus ut patet, pro elogio Simonis in tabulis æreis templo appensis descripsit) OCTAVA DECIMA DIE MENSIS ELUL, qui est sextus, et respondet nostro Augusto, ANNO 172. (Græcorum ANNO TERTIO SUB SIMONE SACERDOTE MAGNO (summo Pontifice) IN ASARAMEL.) Nam primus annus Simonis fuit 170. Græcorum; quare tertius annus Simonis fuit 172. Græcorum. Illud autem *in Asaramel*, vel, ut habent Græca, *Saramel*, Vatablus vocem corruptam putat, et legendum, in Ierusalem. Serarius ait retentam vocem Hebræam, qua significetur in principe Deo, ut Simon dicatur sacerdos magnus in Domino Deo, sive Domini Dei. Syrius pro *Asaramel* vertit *Israel*, et per eum non locum, sed maiores natu sive seniores et senatores Israelis intelligit, qui hoc elogium Simoni dederunt et scripserunt. Forte *Asaramel* vocatus est locus synedrii, sive aula magni concilii, in qua hoc decretum editum fuit.

Vers. 29. UT STARENT SANCTA IPSORUM.) Puta sanctum templum, sancta religio, sanctæ victimæ, sanctusque Dei cultus, quæ ab impio Antiocho Epiphane, eiusque sequacibus prostrata fuerant, hæc Simon et fratres eius erexerunt.

Vers. 31. CALCARE) Græce ἐμβατεῦσαι, id est invadere, penetrare, pervadere, pessumdare.

Vers. 34 ET QUÆCUMQUE APTA ERANT AD CORREPTIONEM.) Videtur legendum ad *correctionem*, id est instaurationem; hanc enim significat Græcum ἐπανόρθωσιν. Ita Vatablus, Sa, Salianus et alii.

Vers. 36 ET INFEREBANT PLAGAM MAGNAM CASTITATI.) Id est munditiæ et puritati templi, illud suis idolis, spurcitiis et libidinibus profanando, polluendo, violando. Loquitur de arce Sion, ex qua milites Seleucidarum excurrebant in Ierosolymam et Iudæos, eos deprædantes, verberantes, vulnerantes, occidentes, ac fœminas eorum violantes; nam gymnasium luxuriæ sub arce iam sublatum erat a Iuda templum expurgante, ut dictum est cap. 4. et lib. 2. cap. 10. vers. 3.

Vers. 41. DONEC SURGAT PROPHETA FIDELIS.) Scilicet Christus summus Israelis Dux et Pontifex. Decernunt ergo Simonem eiusque posteros continua successione esse Israelis Duces et Pontifices, usque ad Christum, idque ita fere factum est. Nam Simonis progenies præfuit Israeli usque ad Herodem sub quo natus est Christus.

ET UT SIT SUPER EOS DUX, ET UT CURA ESSET ILLI Vers. 42.
PRO SANCTIS.) Declaratur hic summa potestas data Simoni a populo, eaque duplex, nimirum ut in civilibus et bellicis sit populi Dux, atque in sacris et Ecclesiasticis sit Pontifex; huic enim *cura* incumbit *pro sanctis*, scilicet pro Sancto, et Sancto sanctorum quoque sanctis sancti Dei victimis, ritibus, ceremoniis, etc.

Quæres, cur Auctor toto hoc capite tam impense et magnifice laudet Simonem, cum non ita laudarit Iudam et Ionatham, qui Simone fuerunt priores, et ut videtur fortiores? Resp. Prima causa est quod Simon sua prudentia et valore pacem plenam Iudææ contulerit, quam Iudas et Ionathas præstare non potuerunt, ideoque Simon aureum quasi sæculum, indeque novam Æram apud Iudæos induxit.

Secunda, quod Simon diutius laborarit: nam Iudam et Ionatham assidue adiuvit, iisque mortuis solus ipse superstes pondus belli et Reip. sustinuit, ac præliis omnibus per optatam omnibus pacem finem imposuit.

Tertia, quod sub Simone et cum Simone laudet Iudam et Ionatham, qui huius felicitatis et pacis principium per assidua bella dederunt, quorum virtute Simon tam felicem eis per publicam quietem finem imposuit. Unde Græca v. 26. habent: *Firmavit enim ipse, et fratres eius, et domus patris eius* (Israelitas) *et debellavit inimicos Israelitarum*.

Quarta, quod Auctor huius libri, ut dixi in Proœmio, videatur fuisse Ioannes Hyrcanus Simonis filius, qui proinde filiali affectu patri suo merito hanc elogiorum coronidem pertexit, itaque ei parentat, eo quod ipse sibi suisque posteris usque ad Christum Principatum et Pontificatum Israelis consignarit.

ET UT SCRIBANTUR IN NOMINE EIUS OMNES CONSCRI- Vers. 43.
PTIONES IN REGIONE.) Græce *omnes syngraphæ*, puta omnia instrumenta edictorum, pactorum, contractuum, fœderum, coniugiorum et actorum omnium, ut scilicet singula hæc consignentur, iuxta annos Principatus et Pontificatus Simonis, uti re ipsa hic inchoatum est v. 27. et c. 13. v. 42.

ET SCRIPTURAM ISTAM (puta decreta populi de Ducatu Vers. 48.
et Pontificatu Simonis propagando in posteros usque ad Christum in tabulis æreis conscripta) DIXERUNT (id est iusserunt Israelitæ) PONERE (insculpere) IN TABULIS ÆREIS (ut sit indelebilis et æterna:) ET PONERE EAS (tabulas æreas cum hac Scriptura) IN PERIBOLO SANCTORUM.) Id est in porticu templi, quæ templum circumquaque ambiebat.

EXEMPLUM AUTEM EORUM PONERE IN ÆRARIO.) Id Vers. 49.
est, in Gazophylacio templi, in quo inter gazam opesque templi servabantur publica instrumenta quasi in Archivio. ET HABEAT SIMON ET FILII EIUS.) Ut si quando eo indiguerint, illud inde accipere queant.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Antiochus Sedetes Demetrii ab Arsace capti frater magnis præmiis captat amicitiam Simonis, mox vincit Tryphonem, eumque obsidet in urbe Dora. Inde v. 15. Legati Simonis Roma redeunt cum amplis promissis. Denique v. 27. Antiochus fœdus cum Simone perfide rumpit, et Cendibæum cum magno exercitu in Iudæam immittit.

1. ET misit rex Antiochus filius Demetrii epistolas ab insulis maris Simoni sacerdoti, et principi gentis Iudæorum, et universæ genti: 2. Et erant continentes hunc modum: REX Antiochus Simoni sacerdoti magno, et genti Iudæorum, salutem. 3. Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vendicare regnum, et restituere illud sicut erat antea: et electam feci multitudinem exerci-

tus, et feci naves bellicas. 4. Volo autem procedere per regionem, ut ulciscar in eos, qui corruperunt regionem nostram, et qui desolaverunt civitates multas in regno meo. 5. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes reges, et quæcumque alia dona remiserunt tibi: 6. Et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua: 7. Ierusalem autem sanctam esse, et liberam: et omnia arma quæ fabricata sunt, et præsidia quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi. 8. Et omne debitum regis, et quæ futura sunt regi, ex hoc et in totum tempus remittuntur tibi. 9. Cum autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te, et gentem tuam, et templum gloria magna, ita ut manifestetur gloria vestra in universa terra. 10. Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, et convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Tryphone. 11. Et insecutus est eum Antiochus rex, et venit Doram fugiens per maritimam: 12. Sciebat enim quod congregata sunt mala in eum, et reliquit eum exercitus. 13. Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, et octo millibus equitum: 14. Et circuivit civitatem, et naves a mari accesserunt: et vexabant civitatem a terra et mari, et neminem sinebant ingredi vel egredi. 15. Venit autem Numenius, et qui cum eo fuerant, ab urbe Roma, habentes epistolas regibus et regionibus scriptas, in quibus continebantur hæc: 16. Lucius consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem. 17. Legati Iudæorum venerunt ad nos amici nostri, renovantes pristinam amicitiam et societatem, missi a Simone principe sacerdotum, et populo Iudæorum. 18. Attulerunt autem et clypeum aureum mnarum mille. 19. Placuit itaque nobis scribere regibus, et regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, et civitates eorum, et regiones eorum: et ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos. 20. Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum. 21. Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, ut vindicet in eos secundum legem suam. 22. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, et Attalo, et Ariarathi, et Arsaci, 23. Et in omnes regiones: et Lampsaco, et Spartiatis, et in Delum, et in Myndum, et in Sicyonem, et in Cariam, et in Samum, et in Pamphyliam, et in Lyciam, et in Alicarnassum, et in Coo, et in Siden, et in Aradon, et in Rhodum, et in Phaselidem, et in Gortynam, et Gnidum, et Cyprum, et Cyrenen. 24. Exemplum autem eorum scripserunt Simoni principi sacerdotum, et populo Iudæorum. 25. Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundo, admovens ei semper manus, et machinas faciens: et conclusit Tryphonem, ne procederet; 26. Et misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium, et argentum, et aurum, et vasa copiosa: 27. Et noluit ea accipere, sed rupit omnia, quæ pactus est cum eo antea, et alienavit se ab eo. 28. Et misit ad eum Athenobium unum de amicis suis, ut tractaret cum ipso, dicens: Vos tenetis Ioppen, et Gazaram, et arcem quæ est in Ierusalem civitates regni mei: 29. Fines earum desolastis, et fecistis plagam magnam in terra, et dominati estis per loca multa in regno meo. 30. Nunc ergo tradite civitates, quas occupastis; et tributa locorum, in quibus dominati estis extra fines Iudææ; 31. Sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti, et exterminii, quod exterminastis, et tributorum civitatum alia talenta quingenta: sin autem, veniemus, et expugnabimus vos. 32. Et venit Athenobius amicus regis in Ierusalem, et vidit gloriam Simonis, et claritatem in auro et argento, et apparatum copiosum; et obstupuit: et retulit ei verba regis. 33. Et respondit ei Simon, et dixit ei: Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus; sed hereditatem patrum nostrorum, quæ iniuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est. 34. Nos vero tempus habentes, vindicamus hereditatem patrum nostrorum. 35. Nam de Ioppe et Gazara quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, et in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum. 36. Reversus autem cum ira ad regem, renuntiavit ei verba ista, et gloriam Simonis, et universa quæ vidit; et iratus est rex ira magna. 37. Tryphon autem fugit navi in Orthosiada. 38. Et constituit rex Cendebæum ducem maritimum, et exercitum peditum et equitum dedit illi. 39. Et mandavit illi movere castra contra faciem Iudææ: et mandavit ei ædificare Gedorem, et obstruere portas civitatis, et debellare populum. Rex autem persequebatur Tryphonem. 40. Et pervenit Cendebæus Iamniam, et cœpit irritare plebem, et conculcare Iudæam, et captivare populum, et interficere, et ædificare Gedorem. 41. Et collocavit illic equites, et exercitum; ut egressi perambularent viam Iudææ, sicut constituit ei rex.

Vers. 1. ET MISIT REX ANTIOCHUS FILIUS DEMETRII (senioris cui cognomen Soter, frater vero Demetrii iunioris cui cognomen Nicanor) EPISTOLAS AB INSULIS MARIS (ex Rhodo, ait Appianus) SIMONI SACERDOTI.) Summo, id est Pontifici, et principi Iudææ. Ut historiam hanc ab ovo intelligas, nota, cum Demetrius a Tryphone fugatus exul et captivus detineretur ab Arsace, Tryphon Tyrannus magnam Syriæ partem occupavit. Cleopatra Demetrii uxor cum paucis copiis Seleuciam profugit, ad quam plures Tryphonis tyrannidem detestantes in dies transfugiebant. Hæc ut se magis in regno corroboraret, Antiochum Demetrii mariti sui capti fratrem iuniorem ad regnum et coniugium suum invitavit. Audi Ioseph. lib. 13. cap. 12. *Quamprimum Tryphon rex declaratus est absque persona Triphonem agere cœpit: id quod adversariorum partibus non mediocriter profuit. Milites enim pertæsi eius mores defecerunt ad Cleopatram uxorem Demetrii, quæ tum in Seleuciam cum liberis se incluserat. Et cum Demetrii frater Antiochus cognomine Soter oberraret, nec ab ulla urbe reciperetur metu Tryphonis, misit ad eum Cleopatra, coniugium suum et regnum ei offerens: fecit autem hoc partim amicorum sua-*
A *su, partim quod timeret ne quidam Seleucienses urbem Tryphoni traderent.*

Porro Antiochum hunc Iosephus Soterem, id est salvatorem, cognominat; Eusebius vero et alii Sidetem, vel Sedetem a Sida urbe; vel Ciliciæ, ut vult Eusebius, vel illi vicinæ Pamphyliæ, ut habet Ptolomæus, Strabo, Plinius et alii, eo quod in Sida Antiochus hic sit natus vel educatus. Eumdem Appianus Pium cognominat. Cleopatra ergo Antiochum levirum suum fecit maritum et regem, adeoque simul duos fratres viventes habuit maritos, scilicet Demetrium captum apud Parthos, et Antiochum Sedetem regnantem in Asia et Syria: cum ante utrumque a Philometore patre desponsa fuisset Alexandro Velis regi Syriæ, qui erat patruelis Demetrii; sed vide iustam Numinis in incestos vindictam. Antiochus enim in Perside 2. Machab. 1. 16. occisus fuit; Cleopatra vero Antiocho Grypho filio suo, quem ex Demetrio susceperat, et in regnum evexerat, tandem offensa eidem propinavit venenum: sed filius, id advertens illud ipsum matrem specie officiositatis ebibere coegit. Illa itaque seipsam veneno suo, quod filio pararat, occidit. Ita Eusebius et alii. Porro Antiochum Gryphum eius ex Demetrio filium occidit Antiochus Cy-

zicenus eiusdem Cleopatræ ex Antiocho Sedete filius. Rursum Seleucus Antiochi Gryphi filius, patris mortem ulciscens, Antiochum Cyzicenum patruum suum necavit; Seleucum vero vice versa ultio divina persecuta est; nam ipse superatus ab Antiocho Eusebe filio Cyziceni in domo regia a Mopseatis in Cilicia, ubi residebat, concrematus fuit. Ita Iosephus, Iustinus, Appianus et alii. Vide hic quot parricidiorum causa fuerit incestus Cleopatræ et Antiochi Sedetis. Ipsa enim trium Syriæ regum fuit uxor. nimirum primo Alexandri Velis, qui erat filius Antiochi Epiphanis: deinde duorum fratrum Demetrii senioris et nepotum Seleuci, qui Epiphanis fuerat frater senior, nimirum Demetrii iunioris et Antiochi Sedetis, ut dixi.

Vers. 2. Rex Antiochus Simoni, etc. salutem.) Antiochus hic fuit hostis Iudæorum infestissimus, ut patet v. 27. et seq. sed hic necessitate et tyrannide Tryphonis inimici sui fœdus cum Simone ambit, eiusque opem implorat, ampla ei et Iudæis concedens privilegia.

Vers. 3. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes.) Græce ἀφαιρέματα, id est *ablationes*, scilicet onerum, puta immunitates a prioribus regibus Iudæis indultas, unde ait: Quas remiserunt tibi ante me omnes reges.

Vers. 6. Et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis.) Hoc signum erat supremi dominii quod hic Iudæis restituit Antiochus, cum prius id eis abstulisset Nabuchodonosor capiens Ierusalem, subiugansque Iudæam, ac cæteri Persarum et Græcorum reges, qui Nabuchodonosoris regna successive ad se transtulerunt. Quare Iudæi tunc numismate nunc a Chaldæis, nunc a Persis, nunc a Græcis cuso utebantur. Cudere enim monetam summæ est potestatis, qualis est regalis, imperialis et ducalis absoluta.

Vers. 7. Ierusalem autem sanctam esse et liberam.) Græce *et sancta esse libera*, id est sanctum templum, sanctumque eius cultum, ac sanctas eius victimas, vasa et ritus iubeo esse libera, ut libere a Simone et Iudæis exerceri valeant, nec ab aliquo Gentilium impediri, aut idolorum victimis et superstitionibus inquinari queant.

Vers. 8. Et quæ futura sunt regi.) Legendum videtur *regia*; Græce enim est βασιλικα, quæ vulgo regalia, scilicet iura appellantur. Hæc Antiochus condonat Iudæis. Quid Antiocho responderit Simon tacet Scriptura, sed Iosephus asserit Simonem indulta et postulata Antiochi libenter acceptasse.

Vers. 11. Et venit (Tryphon) Doram fugiens per maritimam.) Scilicet regionem. Græce, *fugiens per mare*; Vatabl. *fugiens in Doram maritimam.* Modum fugæ narrat Frontinus, lib. 2. stratag. cap. 13. *Tryphon*, inquit, *Syriæ rex victus per totum iter fugiens pecuniam sparsit, eaque sectantes Antiochi equites moratus effugit.*

Vers. 15. Venit autem Numenius) Quem Simon miserat ad Romanos, ut cum eis fœdus renovaret. Hic attulit litteras Romanorum, tum fœderales ad Simonem, tum inhibitorias ad Ptolomæum et vicinos reges, ne Iudæos infestarent.

Vers. 16. Lucius consul Romanus.) Serar. pro *Lucius* censet legendum *Lepidus*, qui consul fuit anno sequenti. Verum omnes Codices habent *Lucius*. Quare multi hic accipiunt L. Furium Philum, qui cum Attilio Serrano consul fuit anno urbis Romæ conditæ 617. Sed hi ægre annos urbis cum annis Græcorum adæquant. Alii L. Cæcilium Metellum intelligunt, qui consul fuit anno Græcorum 170. sed hi non advertunt Numenium a Simone missum fuisse Romam anno 172. Græcorum, ideoque biennio post Metelli consulatum. Quocirca Salianus censet Lucium hunc esse Calphurnium Pisonem, qui anno præcedenti Romæ fuerat consul cum collega Popilio, quo finiente ipse Legatos Simonis Roma dimiserat, qui proinde anno sequenti ineunte Ierosolymam ad Simonem pervenerunt. Hunc enim Calphurnium Valer. Max. lib. 1. cap. 4. Lucium prænominat.

Ptolemæo regi salutem.) Hic est Ptolomæus cognomento Physcon vel Evergetes, qui Ptol. Philometori fratri suo iam mortuo, uti dictum est c. 11. v. 18. in regno succes-

A sit, fuitque crudelis et incestus. Nam ut de eo ait Iustin. lib. 38. *Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverant, fuit. Siquidem, peregrinis militibus licentia cædis data, omnia sanguine quotidie manabant, ipsamque sororem, filia eius virgine per vim stuprata, et in matrimonium adscita, repudiavit.* Mox vero eius formam et figuram ita describit: *Erat enim et vultu deformis, et statura brevis, et sagina ventris non homini, sed belluæ similis, quam fœditatem nimia subtilitas, et pellucida vestis augebat; prorsus quasi astu inspicienda præberentur, quæ omni studio occultanda pudibundo viro erant.* Idem Ptol. Physcon ipso die nuptiarum cum Cleopatra, filiolum eius quem ex Ptol. Philometore fratre suo susceperat, ideoque regni hæredem, in ipso matris complexu occidit, teste Iustino lib. 38. Hic ergo Ptolom. Physcon frater iunior Philometoris dicebatur frater et maritus et gener Cleopatræ; nam ipse filiæ Cleopatræ vim intulit, deinde repudiata matre filiam in uxorem duxit, mox B populus eum ob nimiam crudelitatem expulit, ac regnum detulit Cleopatræ priori eius uxori, matri et sorori, ac statuas et imagines eius detraxit ac deiecit; quod ille factum studio sororis existimans, filium quem ex ea susceperat, in Cypro interfecit, corpusque in membra divisum, et in cista impositum, matri die natali eius, inter epulas afferri curat. Ita Iustinus, libr. 38. et 39. Merito ergo ad hoc crudelitatis et incestus monstrum scribunt Romani, ne illam in Iudæos sibi vicinos exerat.

Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi.) Qui iam ab Arsace captus detinebatur; sed Romani vel necdum audierant eum esse captum, ut vult Serarius; vel putabant eum pace cum Arsace inita brevi liberandum. Vers. 22.
Et Attalo, qui fuit Eumenis filius et Pergami rex, ac moriens populum Romanum scripsit hæredem. Et Ariarathi. Hic fuit rex Cappadociæ frater Orofernis, pater Demetrii, teste Polybio, Iustino, et Appiano. Et Arsaci. Hic fuit rex Parthorum, qui Demetrium captivum detinebat.

C Et in omnes regiones (vicinas nimirum) et Lampsaco, et Spartiatis, et in Delum.) Nominantur hic novemdecim partim insulæ, partim urbes et regiones, ad quas Romani easdem dedere litteras pro Iudæis, ne eis essent molesti, sed benevoli, eo quod nonnullæ ex eis nuntiis litteras ad reges iam nominatos deferentibus in ipso navigationis cursu adeundæ erant; aliæ Romanis valde erant addictæ, aliæ Iudæis multum nocere vel commodare poterant. Apud omnes autem Romanorum nomen erat venerabile et formidabile. Hæ Romanorum litteræ eorum potentiam arguunt, sed Iudæis non profuere; imo eis odium gentium conciliarunt, et Antiocho maiorem iram concitarunt, ut patet versu 27. Vers. 23.

Antiochus (Sedetes) autem rex applicuit castra in Doram secundo.) Quia ob hyemem similemve causam obsidionem primam solverat; in vere ergo rediit, et secundo Tryphonem in Dora obsedit, ait Lyran. Sed obstat quod sequitur, admovens ei semper manus, id est continuo urgens obsidionem, premensque Tryphonem. Alii D ex Græco vertunt *in secunda*, scilicet die, q. d. Secunda die a positis castris Antiochus cœpit oppugnare Doram. Salianus vero *secundo*, inquit, quia una parte urbis occupata Antiochus alteram partem nova et quasi secunda obsidione cinxit. Planius dicas secundam hanc obsidionem vocari; quia Antiochus novo conatu, novis viribus et copiis, novis machinis Doram e vicino, arcte presseque obsedit et concussit, ut nova et secunda videretur esse hæc eius obsidio. Vers. 25.

Et conclusit Tryphonem ne procederet.) Ne scilicet e Dora egredi posset; patet ex Græco.

Et noluit (Antiochus rex) ea, scilicet milites et dona a Simone Pontifice missa accipere.) Errat ergo Iosephus, qui ait Antiochum ea accepisse, ob eaque Simonem inter intimos amicos habuisse; sed rupit omnia quæ pactus est cum eo: quia videbat se tot copiis terra marique instructum, Tryphonem ad extrema redegisse, nec Simonis opera indigeret; et quia Iudæam quasi Syriæ Vers. 27.

partem regno suo Asiæ et Syriæ adiungere volebat; indignabatur enim unum Iudææ angulum velle se subducere ab amplo suo Asiæ et Syriæ imperio.

Vers. 28. Vos TENETIS IOPPEN ET GAZARAM.) Id est, Gazam urbem Philisthinorum; hanc enim expugnavit Simon, cum Gaza ad Iudæam et Simonem non pertineret, ideoque eam a Simone repetit hic Antiochus.

Vers. 31 ET EXTERMINII QUOD EXTERMINASTIS, ET TRIBUTORUM CIVITATUM ALIA TALENTA QUINGENTA.) q. d. Pro damnis et cladibus quas locis mihi subditis intulistis, et pro tributis quæ mihi eripuistis, solvite alia talenta 500.

Vers. 32. ET VIDIT GLORIAM SIMONIS.) Videtur Interpres legisse *κυδικειον* a *κυδος*, id est gloria; iam legunt *κυλικειον*, id est abacum, in quo reponuntur pateræ, pocula, cæteraque vasa aurea et argentea.

ET APPARATUM COPIOSUM.) Tum famulorum, tum armorum, tum militum, tum supellectilium.

Vers. 33. ET RESPONDIT EI SIMON.) Cordate, æque ac animose, scilicet se non aliena, sed sua occupare: Ioppen tamen et Gazam, licet aliena, occupasse iure belli, eo quod ipsæ prius Iudæos infestassent.

Vers. 34. NOS VERO TEMPUS HABENTES.) Id est, occasionem commodam nacti.

Vers. 35. NAM DE IOPPE ET GAZARA QUÆ EXPOSTULAS, IPSI FACIEBANT IN POPULO PLAGAM MAGNAM.) Ioppenses enim ducentos Iudæos in mari submerserant, ut patet l. 2. cap. 12. Gazarenses, id est Gazenses utpote Philisthini, Olitani erant Iudæorum hostes infestissimi. Hinc patet per Gazaram non intelligi Gazer, quæ erat in tribu Ephraim, ideoque ad Iudæos spectans, sed Gazam; hæc enim ad Philisthinos spectabat, non ad Iudæos, ideoque quasi Iudæis infesta a Simone fuit expugnata, et iure belli occupata.

HORUM DAMUS TALENTA 100.) q. d. Etsi iure belli iuste occupem Gazaram, tamen ad redimendam vexationem, et ut regibus Syriæ nil demam, sed abunde satisfaciam pro eo et Ioppe, offero iisdem centum talenta, id est 120. millia aureorum.

Vers. 36. REVERSUS EST AUTEM (Athenobius) CUM IRA AD REGEM.) Puta ad Antiochum Sedetem, eo quod Simon negasset ei quæ postulabat, ac pro millione aureorum, quem petierat rex, Simon tantum obtulisset decimam circiter partem, scilicet 120. millia aureorum. Rex vero magis

A iratus fuit indigne ferens se a Simone negligi, sibique ab eo resisti. Hinc apte vocatus fuit Cendebæus, quæ vox Hebr. idem est quod zelus, vel possessio doloris, ait Pagnin. in nom. Hebr.

TRYPHON AUTEM FUGIT NAVI IN ORTHOSIADA.) Orthosias, teste Ptolom. l. 5. cap. 15. est urbs Phœniciæ in promontorio quod proxime abest a Cypro; est ergo urbs maritima. Quare non est Antaradus, ut aliqui putant, quia hæc est mediterranea; multo minus est Apamia, ut vult Iosephus. Audi Adrichom. in descript. terræ sanctæ p. 187. num. 20. Orthosia et Orthosias, hodie Tortosia vocata, maritima Phœniciæ urbs est, inter Tripolim et Archim sita: quæ post Christi tempora Episcopali sede inclyta fuit. In hanc urbem Tryphon e Dora (in qua ab Antiocho Syriæ rege obsidebatur) elapsus, navi aufugit. 1. Machabæorum capite 15. Tyr. 13. belli sacri 2. et 14. bel. sacr. 12. Ptolom. Vers. 37.

Porro Sedetes Orthosiadem cepit, et Tryphonem captum interfecit, teste Strabone lib. 14. Iustino, Appiano,
B Iosepho et aliis. Iosephus ait Tryphonem per triennium regnasse; Salianus vero per septennium; occisum enim esse anno principatus Simonis septimo. Vide hic iustum Dei in homicidam et tyrannum iudicium. Tryphon enim, qui Ionatham et Antiochum regem pupillum sibi creditum occiderat, tertio vel septimo anno post hanc cædem simili modo a Sedete occisus fuit, iusta utique talionis pœna.

ET CONSTITUIT REX CENDEBÆUM DUCEM MARITIMUM.) Vers. 38. Id est, præfectum classis sive archithalassum. Hunc misit Sedetes, ut invaderet Iudæam.

ET MANDAVIT ÆDIFICARE GEDOREM.) Græce *Cedronem*. Erat urbs hæc in ingressu Iudææ. Audi Adrichom. Vers. 39. in tribu Dan num. 28. Gedor quæ et Gador civitas tribus Iuda in sorte Dan, sita ad Orientem vallis in terra pascuali, et uberrima. Hanc tempore Ezechiæ regis occupaverunt Simeonitæ, pulsis inde quibusdam Chananæis, quod terra hæc aptissima esset gregibus, quibus Simeonitæ abundabant. Postea hæc civitas vocata est Cedro,
C quam ædificiis munivit Cendebæus dux Antiochi adversus Iudæos, iuxta quam et devictus est a Machabæis.

ET OBSTRUERE.) Græce *ὀχυρῶσαι*, id est munire *portas*, ut Gedor sibi suisque loco arcis et munitionis esset, ad quam a Iudæis pressi se reciperent, et in quam rapinas et spolia Iudæorum conveherent.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Simon per Iudam, et Ioannem filios suos profligat Cendebæum. Inde v. 11. Ptolomæus gener Simonis eum invitans dolose interficit cum duobus filiis, ut Iudææ se principem constituat. Denique v. 19. Ioannes superstes Simonis filius a Ptolomæo quæsitus ad necem, præmonitus eius conatus elusit, ac Patri in Ducatu, et Pontificatu successit.

1. ET ascendit Ioannes de Gazaris, et nuntiavit Simoni patri suo quæ fecit Cendebæus in populo ipsorum.
2. Et vocavit Simon duos filios seniores, Iudam et Ioannem, et ait illis: Ego et fratres mei, et domus
patris mei, expugnavimus hostes Israel ab adolescentia usque in hunc diem; et prosperatum est in manibus nostris liberare Israel aliquoties. 3. Nunc autem senui; sed estote loco meo, et fratres mei, et egressi pugnate pro gente nostra: auxilium vero de cælo vobiscum sit. 4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, et equites; et profecti sunt ad Cendebæum, et dormierunt in Modin. 5. Et surrexerunt mane, et
abierunt in campum: et ecce exercitus copiosus in obviam illis peditum et equitum, et fluvius torrens erat inter
medium ipsorum. 6. Et admovit castra contra faciem eorum ipse et populus eius, et vidit populum trepidantem
ad transfretandum torrentem, et transfretavit primus: et viderunt eum viri, et transierunt post eum. 7. Et divisit populum, et equites in medio peditum: erat autem equitatus adversariorum copiosus nimis. 8. Et exclamaverunt sacris tubis, et in fugam conversus est Cendebæus, et castra eius; et ceciderunt ex eis multi vulnerati:
residui autem in munitionem fugerunt. 9. Tunc vulneratus est Iudas frater Ioannis: Ioannes autem insecutus est
eos, donec venit Cedronem, quam ædificavit: 10. Et fugerunt usque ad turres, quæ erant in agris Azoti, et succendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, et reversus est in Iudæam in pace. 11. Et Ptolemæus

filius Abobi constitutus erat dux in campo Iericho, et habebat argentum et aurum multum; 12. Erat enim gener summi sacerdotis. 13. Et exaltatum est cor eius, et volebat obtinere regionem, et cogitabat dolum adversus Simonem, et filios eius, ut tolleret eos. 14. Simon autem, perambulans civitates, quæ erant in regione Iudææ, et sollicitudinem gerens earum, descendit in Iericho ipse, et Mathathias filius eius, et Iudas, anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo: hic est mensis Sabath. 15. Et suscepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificavit: et fecit eis convivium magnum, et abscondit illic viros. 16. Et cum inebriatus esset Simon, et filii eius, surrexit Ptolemæus cum suis, et sumpserunt arma sua, et intraverunt in convivium, et occiderunt eum, et duos filios eius, et quosdam pueros eius; 17. Et fecit deceptionem magnam in Israel, et reddidit mala pro bonis. 18. Et scripsit hæc Ptolemæus, et misit regi ut mitteret ei exercitum in auxilium, et traderet ei regionem, et civitates eorum, et tributa. 19. Et misit alios in Gazaram tollere Ioannem; et tribunis misit epistolas, ut venirent ad se, et daret eis argentum, et aurum, et dona. 20. Et alios misit occupare Ierusalem, et montem templi. 21. Et præcurrens quidam nuntiavit Ioanni in Gazara, quia periit pater eius, et fratres eius, et quia misit te quoque interfici. 22. Ut audivit autem, vehementer expavit; et comprehendit viros qui venerant perdere eum, et occidit eos: cognovit enim quia quærebant eum perdere. 23. Et cætera sermonum Ioannis, et bellorum eius, et bonarum virtutum quibus fortiter gessit, et ædificii murorum quos extruxit, et rerum gestarum eius, 24. Ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii eius, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

Vers. 1. Et ascendit Ioannes de Gazaris.) Id est, de Gaza ubi eum loco suo quasi exercitus ducem reliquerat et constituerat Simon pater.

Vers. 3. Nunc autem senui; sed estote loco meo et fratres mei.) Græca et Latina Compl. habent: *et fratris mei*, scilicet Ionathæ et Iudæ, ut nobis in ducatu et bellis pro Israele succedatis. Græca addunt: *Vos autem in misericordia idonei estis ætate*, id est, vos autem beneficio ætatis estis idonei ad bellandum.

Vers. 4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum (bellatorum) et equites.) Hic dumtaxat invenio equites in castris Ioannis et Iudæorum, cum in castris Iudæ, Ionathæ et Simonis hucusque non nisi pedites legerimus, eo quod Deus Deuter. 17. multiplicationem equorum Iudæis vetuisset.

Vers. 6. Et transfretavit primus.) Scilicet ipse Ioannes Simonis filius, et exercitus dux, cuius exemplum cæteri, qui prius trepidaverant, illico secuti sunt; quare animose invadentes Cendebæum, eum ceciderunt, et in fugam compulerunt.

Vers. 8. Residui autem in munitionem fugerunt.) Puta in Gedorem quam munierant, cap. præced. versu 39.

Vers. 9. Donec venit Cedronem (puta Gedorem, hæc enim Græce vocatur Cedron; hanc ergo hostibus fugientibus insistens Ioannes extorsit) quam ædificavit.) Id est, quam ædificaverat et munierat Cendebæus, cap. præced. vers. 39.

Hoc fuit principium victoriarum et heroicorum facinorum Ioannis, quibus ipse fortiter et feliciter auspicatus est principatum loco Simonis patris sui, cui iam mors dolo Ptolomæi parabatur. Vide hic Dei providentiam quæ Israeli consuluit per Ioannem, dum Simon pater eius et dux per fraudem generi interimitur.

Porro Iosephus hoc prælium more suo phalerat, ideoque multa falsa admiscet, scilicet quod Simon ipse huic prælio interfuerit, quod per insidias Cendebæum aggressus sit; quod sæpius cum eo conflixerit, et semper victor exstiterit.

Vers. 11. Et Ptolemæus filius Abobi constitutus erat dux in campo Iericho.) Scilicet a Simone Duce et Pont. socero suo, ut sequitur. Hic Ptolomæus erat opulentus, ac per opes suas destinabat obtinere ducatum Iudææ; ideoque Simonem cum filiis totamque Assamonæorum stirpem delere cogitabat. Vide hic immane Ptolomæi parricidium et sacrilegium, quo summum Pontificem, cuius filiam ipse duxerat uxorem, per fraudem interfecit. Quid non audet ambitio et regnandi libido?

Vers. 16. Et cum inebriatus (id est, largiore potu exhilaratus) esset Simon.) Citra ebrietatem tamen. Unde Vatablus vertit: *Cum potu satiati essent.* Nam ut ait Nonnius Marcell. *Ebrii dicuntur non solum vinolenti, sed et qualibet re expleti.* Sic fratres Ioseph dicuntur inebriati, id est incaluisse mero, Gen. 43. et Psalm. 63. *Visitasti terram*, inquit, *et inebriasti eam:* et Cant. 5. 1. *Bibite et inebriamini*, id est exhilaramini, *charissimi.*

Et occiderunt eum et duos filios eius.) Addit Iosephus, et ex eo Hegesippus uxorem Simonis fuisse captam cum filiis, excepto Ioanne; Ioannem vero ultum necem patris et fratrum, et obsedisse Ptolomæum, sed obsidionem solvisse, eo quod Ptolomæus matri eius captæ flagella aliaque tormenta intentaret, similiaque plura quæ parum videntur probabilia, imo S. Script. dissona, uti ostendit Salianus et Sanchez.

Præfuit Simon Israeli septem integros annos; cœpit enim anno Græcorum 170. quo occisus est Ionathas eius antecessor, 1. Machab 13. 8. Desiit vero anno 177. Græcorum, ut dicitur v. 14. Quocirca errat Iosippus, dum Simoni tribuit 18. annos, eumque occisum dicit a Ptolomæo rege Ægypti, idque iusta Dei vindicta, eo quod cum Spartiatis et Romanis gentilibus fœdus iniisset. Denique occisus est Simon anno 135. ante Christi nativitatem.

Et præcurrens quidam nunciavit Ioanni in Gazara.) Id est Gaza urbe, ut dixi. Ioannes hic fuit filius Simonis primarius, vir animosus et bellicosus, qui Simoni in Ducatu et Pontificatu successit; cognominatus fuit Hyrcanus, eo quod Hyrcanos bello superasset, ait Eusebius et S. Thom. Huius Hyrcani heroica facta describuntur l. 4. Machab. Ipse enim cum Antiocho Sedete rege Syriæ fœdus iniit, rege complures auratis cornibus tauros ad templi sacrificia submittente. Eumdem regem ad bellum Parthicum comitatus est; Syriæ plurimas urbes cepit, Samaritas vicit, Garizitanum templum evertit, Idumæos domuit, ad innovandam societatem Legatos Romam misit. Tandem post 31. annos principatus et sacerdotii sui fatis concessit, relicto successore filio suo Aristobulo, qui loco *ducis* nomen *regis* cum diademate primus Assamonæorum assumpsit, et Pontificatui adnexuit, et adnexum reliquit fratri suo Alexandro, et Alexandri filio Aristobulo secundo: quo regnante capta a Pompeio Ierosolyma, et Iudæa in provinciam redacta et dignitas regia a Pontificali prorsus avulsa est. Vers. 21.

Tumque desiit Ducatus, et stirps Assamonæorum, cum stetisset 130. annos, ut dixi in Proœmio; Romani enim Herodem alienigenam constituerunt regem Iudææ, tumque deficiente sceptro de Iuda, venit, natusque est Christus iuxta oraculum Iacobi, Genes. 49. vers. 9. et 10.

COMMENTARIA

IN LIBRUM SECUNDUM

MACHABÆORUM.

ARGUMENTUM.

Hic secundus liber est quasi continua Epistola circularis, qua Iudæi in Iudæa degentes ad Iudæos in Ægypto habitantes perscribunt clades et calamitates quas ipsi perpessi fuere ab Antiocho Epiphane, eiusque filio Eupatore: item victorias quas Iudas cœlitus ab Angelis, atque ab Onia et Ieremia adiutus, de iisdem retulit, ideoque omnes ad Dei laudem et gratiarum actionem excitant. Totus ergo hic liber in gestis Iudæ Machabæi et Martyrum fusius quam lib. 1. enarrandis consumitur. Similes circulares epistolas scripsere Christiani Smyrnenses, Viennenses et Lugdunenses, quibus suorum fidelium martyria et afflictiones a tyrannis perpessas recensent, quæ extant apud Eusebium, lib. 4. hist. cap. 15. et lib. 5. cap. 1.

De auctore et auctoritate huius libri, cæterisque eum concernentibus dixi in Proœmio l. 1. Causa scribendi hanc epistolam fuit ut tolleretur schisma inter Iudæos in Iudæa, et in Ægypto degentes, uti dicam cap. 1. vers. 1.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A v. 1. usque ad 10. recensetur pars epistolæ scriptæ a Ierosolymitis ad Iudæos in Ægypto degentes anno Græcorum 169. ut patet v. 7. qua eos hortantur, ut ipsi quoque celebrent festum Scenopegiæ. Mox a v. 10. usque ad 20. c. 2. recensetur alia epistola, vel potius alia eiusdem epistolæ pars a Ierosolymitis scripta anno Græcorum 188. ut patet v. 10. qua enarrant historiam dati cœlitus ignis, ideoque eosdem hortantur, ut festum dati a Deo ignis celebrent. A v. autem 20. c. 2. usque ad finem libri enarrant gesta Iudæ Machabæi contra Antiochum, Epiphanem et Eupatorem, eorumque Duces Bacchidem, Timotheum, Nicanorem, etc. ac martyrium septem fratrum una cum matre, Eleazari, et aliorum martyrum.

1. Fratribus qui sunt per Ægyptum, Iudæis salutem dicunt fratres qui sunt in Ierosolymis, Iudæi, et qui
in regione Iudææ, et pacem bonam. 2. Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, quod locu-
tus est ad Abraham, et Isaac, et Iacob, servorum suorum fidelium: 3. Et det vobis cor omnibus ut co-
latis eum, et faciatis eius voluntatem corde magno, et animo volenti. 4. Adaperiat cor vestrum in lege sua, et in
præceptis suis, et faciat pacem. 5. Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore
malo. 6. Et nunc hic sumus orantes pro vobis. 7. Regnante Demetrio, anno centesimo sexagesimo nono, nos Iu-
dæi scripsimus vobis in tribulatione, et impetu, qui supervenit nobis in istis annis, ex quo recessit Iason a sancta
terra, et a regno. 8. Portam succenderunt, et effuderunt sanguinem innocentem: et oravimus ad Dominum, et
exauditi sumus, et obtulimus sacrificium, et similaginem, et accendimus lucernas, et proposuimus panes. 9. Et
nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. 10. Anno centesimo octogesimo octavo, populus qui est Ieroso-
lymis et in Iudæa, senatusque et Iudas, Aristobolo magistro Ptolemæi regis, qui est de genere christorum sacer-
dotum, et his qui in Ægypto sunt, Iudæis, salutem et sanitatem. 11. De magnis periculis a Deo liberati, magni-
fice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus. 12. Ipse enim ebullire fecit de Perside
eos qui pugnaverunt contra nos et sanctam civitatem. 13. Nam cum in Perside esset dux ipse, et cum ipso im-
mensus exercitus, cecidit in templo Naneæ, consilio deceptus sacerdotum Naneæ. 14. Etenim cum ea habitaturus
venit ad locum Antiochus, et amici eius, et ut acciperet pecunias multas dotis nomine. 15. Cumque proposuissent
eas sacerdotes Naneæ, et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum, 16. Cum in-
trasset Antiochus: apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem et eos qui cum eo erant,
et diviserunt membratim, et capitibus amputatis foras proiecerunt. 17. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit

impios. 18. Facturi igitur quinta et vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis: ut et vos quoque agatis diem scenopegiæ, et diem ignis qui datus est quando Nehemias ædificato templo et altari obtulit sacrificia. 19. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus, et in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. 20. Cum autem præterissent anni multi, et placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis, nepotes sacerdotum illorum qui absconderant, misit ad requirendum ignem: et sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam. 21. Et iussit eos haurire, et afferre sibi: et sacrificia, quæ imposita erant, iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, et ligna, et quæ erant superposita. 22. Utque hoc factum est, et tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. 23. Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Ionatha inchoante, ceteris autem respondentibus. 24. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: DOMINE Deus omnium creator, terribilis et fortis, iustus et misericors, qui solus es bonus rex, 25. Solus præstans, solus iustus, et omnipotens, et æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos, et sanctificasti eos: 26. Accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel, et custodi partem tuam, et sanctifica. 27. Congrega dispersionem nostram, libera eos qui serviunt gentibus, et contemptos et abominatos respice, ut sciant gentes quia tu es Deus noster. 28. Afflige opprimentes nos, et contumeliam facientes in superbia. 29. Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. 30. Sacerdotes autem psallebant hymnos, usquequo consumptum esset sacrificium. 31. Cum autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias iussit lapides maiores perfundi. 32. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est, sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est. 33. Ut vero manifestata est res, renuntiatum est regi Persarum, quod in loco, in quo ignem absconderant hi qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, et qui cum eo erant, purificaverunt sacrificia. 34. Considerans autem rex, et rem diligenter examinans, fecit ei templum, ut probaret quod factum erat: 35. Et cum probasset, sacerdotibus donavit multa bona, et alia atque alia munera, et accipiens manu sua, tribuebat eis. 36. Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

HINC patet hanc epistolam, utpote scriptam anno 188. Græcorum, datam fuisse post gesta Iudæ, Ionathæ et Simonis lib. 1. descripta, ideoque apte subnecti fini libri primi. Liber primus enim finitur in morte Simonis, quæ contigit anno Græcorum 177. Quare undecim annis post Simonis mortem scripta fuit hæc epistola, sive liber hic secundus Machab. Prior vero epistolæ pars scripta anno 169. Græcorum scripta fuit paulo ante captivitatem et cædem Ionathæ; hæc enim facta est a Tryphone anno 170. Græcorum, ut dictum est. Ionathæ successit Simon, ut dictum est l. 1. c. 13. v. 41. Quare pars hæc epistolæ hoc ordine temporis collocanda foret lib. 1. cap. 22. ante vers. 39.

Vers. 1. FRATRIBUS QUI SUNT PER ÆGYPTUM IUDÆIS SALUTEM DICUNT FRATRES, QUI SUNT IN IEROSOLYMIS IUDÆI.) Ægyptus enim abundabat Iudæis, tum quia eis erat vicina, tum quia Ptolomæus Lagi primus post Alexandrum Magnum Ægypti rex 120. millia Iudæorum captiva in Ægyptum duxerat, tum quia iam recenter sub Ptolom. Philometore Onias filius Oniæ tertio Pont. templum magnificum Heliopoli in Ægypto construxerat simile Ierosolymitano, ibique Pontificem agebat, ad quod proinde multi Iudæorum confluebant, præsertim quia in Ægypto tuti erant a Seleucidis, puta ab Antiochis et Demetriis, qui continue Iudæam infestabant. Scribunt ergo Iudæi e Ierosolymis ad Iudæos, qui erant in Ægypto, quasi ad fratres id est cognatos et contribules suos, amicas et fraternas litteras, tum ut eos in vera fide, religione et unione cum Synagoga sive Ecclesia contineant, ne scilicet a Ierosolymis et templo faciant schisma ob templum suum Heliopolitanum, sicut eodem tempore Iudæi in Samaria degentes erigendo templum in monte Garizim schisma fecerunt a Iudæis, et templo Ierosolymitano, ut patet Ioan. 4. Vide de templo Heliopolitano Iosephum, l. 12. cap. 1. et 6. et libr. 13. cap. 6. Ad schisma ergo hoc tollendum, Iudæi e Ierosolymis, ac Iudas hanc epistolam scripserunt ad Iudæos in Ægypto commorantes.

Vers. 4. ADAPERIAT COR VESTRUM IN LEGE SUA.) q. d. Deus luce cælesti per gratiam suam vos illuminet et inflammet ut legem eius plene cognoscatis, et cognitam adimpleatis, præsertim vero ut a templo vestro Heliopolitano, Pontifice proprio, et sacrificiis a Deo vetitis ibidem ad Ierusalem nostrumque templum et Pontificem Ionatham postliminio redeatis. Deus enim vetuerat alibi quam in templo Ierosolymitano sibi sacrificari, Deuter. cap. 12. v. 11. et Levit. 7. 3.

ET FACIAT PACEM.) Tum a bellis, tum potius a templi divisione et schismate, ut nobiscum, in unam synagogam coalescatis, et ad unum nobiscum templum conveniatis, ibique festum Scenopegiæ, ut sequitur, celebretis.

REGNANTE DEMETRIO (iuniore dicto Nicanore, Demetrii Soteris filio) ANNO 169.) Græcorum, hic enim fuit annus tertius regni Demetrii, qui post triennium, anno scilicet 172. Græcorum, captus fuit ab Arsace rege Parthorum, ut dictum est 1. Machab. 14. vers. 1. et 3. Vers. 7.

EX QUO RECESSIT IASON.) De quo cap. 4. vers. 7.

PORTAM SUCCENDERUNT.) q. d. Instigante impio Iasone Antiochus per suos satellites portas Ierusalem et templi ac reliquarum Iudææ civitatum succendit. Verum ORAVIMUS AD DOMINUM, ET EXAUDITI SUMUS, ut per virtutem Iudæ Machabæi templi profanati fieret purgatio, novaque dedicatio, in quo proinde iam nove dedicato OBTULIMUS SACRIFICIUM, reliquaque in pristinum statum restituimus, nimirum ACCENDIMUS LUCERNAS septem in candelabro aureo septicipiti, ET PROPOSUIMUS PANES 12. iuxta 12. tribus Israel in mensa panum propositionis. Vers. 8.

ET (id est idcirco) NUNC FREQUENTATE (et frequentando celebrate) DIES SCENOPEGIÆ.) Id est, festum Encæniorum institutum a Iuda Machabæo in memoriam purgationis et novæ dedicationis templi ab eo factæ, idque die 25. mensis Casleu, qui nostro Novembri respondet. Nota: festum Scenopegiæ proprie erat festum Tabernaculorum, quod per octo dies celebrabatur in mense Tisri, id est in Septembri; hic vero per catachresin festum Encæniorum vocant festum Scenopegiæ, quia hoc illi erat simile: utrumque enim celebrabatur magna totius populi lætitia cum ramis, thyrsis, tubis et tympanis per octo dies, ut patet 1. Machab. 4. 52. et 2. Machab. 10. 6. ubi dicitur festum Encæniorum institutum et celebratum fuisse *in modum* festi *Tabernaculorum;* unde vocatur *Scenopegia Casleu,* non Tisri. Hortantur ergo ut Iudæi in Ægypto celebrent festum Encæniorum per viridium ramorum gestationem, per clangorem tubarum, similiaque signa lætitiæ, non autem ut in templo Heliopolitano victimas Deo offerant: hoc enim lege Dei erat vetitum. Sic Machabæi profugi in montibus celebrarunt Scenopegiam cum thyrsis sine sacrificiis, ut patet cap. 10. 6. Vers. 9.

ANNO 188. (Græcorum) POPULUS QUI EST IEROSOLYMIS ET IN IUDÆA, SENATUSQUE ET IUDAS.) Hic Iudas, ait Rupert. lib. 10. de victor. verbi Dei cap. 15. Serarius, Salianus, Mariana et alii, videtur esse auctor huius posterioris epistolæ, adeoque totius huius libri secundi Machab. Vers. 10.

nimirum Iudas Essenus, qui ut ait Iosephus l. 13. cap. 19. A hoc tempore ob donum prophetiæ magnæ apud omnes erat existimationis, et post 20. annos Antigono Ioannis Hyrcani filio mortem prædixit, quæ et paulo post secuta est. Additque Iosephus eius prædictiones numquam fefellisse, sed reipsa semper evenisse.

Sanchez tamen putat hunc Iudam fuisse Ioannis Hyrcani ducis et Pontificis filium, qui hoc tempore patri successerat, eratque dux et Pontifex Israelis, teste Iosepho l. 20. Antiq. cap. 8. Ubi addit Iudam hunc alio nomine dictum fuisse Aristobulum, ac per unum annum dumtaxat regnasse; quare mortuum sine filio, regnum et Pontificatum reliquisse fratri suo Alexandro, qui alio nomine dictus est Iannæus. Verum obstat quod hic Iudas sive Aristobulus primus sibi diadema imposuerit, seque regem Iudææ nominarit, ac matrem suam fame necarit in vinculis: fratrem vero suum Antigonum iam nominatum occiderit; reliquosque autem fratres in vinculis habuerit, quoad vixit, teste Iosepho l. 13. Antiq. cap. 19. et 20. quæ omnia Scriptore hagiographo videntur indigna. Adde A- B ristobulum hunc regnasse anno non 188. ut hic dicitur, sed 209. Græc. uti ostendit Salianus et alii. Quare hoc anno 188. adhuc Israeli præerat pater Aristobuli Ioannes Hyrcanus, cuius proinde potius quam Aristobuli filii, erat scribere hanc epistolam. Denique Bellarm. l. 1. de Verbo Dei cap. 15. putat hunc Iudam esse Iudam Machabæum. Verum is iam ante 36. annos in prælio occubuerat.

Porro hic incipit posterior epistola, hicque eius est titulus. Duas enim hic iungi epistolas censent Rupert. lib. 10. cap. 15. Glossa, Lyran. Bellarm. Melchior Canus l. 2. de locis cap. 11. Medina lib. 6. de fide cap. 13. Sed verius videtur non duas, sed unam dumtaxat esse epistolam scriptam anno 188. Græc. in qua tamen refricent et renovent epistolam a se scriptam anno 169. Græc. q. d. Hæc quidem illo anno scripsimus, hoc autem anno scribimus vobis quæ sequuntur: sed pro ea locutione repetunt salutationem, cum appositione propriorum nominum, eorum qui litteras mittunt, et eorum ad quos mittuntur, quæ C initio fuerant prætermissa. Ita Salian. et Sanchez.

Aristobulo magistro Ptolemæi regis, qui est de genere Christorum (id est, unctorum oleo sancto) sacerdotum.) Aristobulus hic, ait Rabanus, fuit natione Iudæus, sed peripateticus philosophus esse agnoscitur, qui ad Philometorem Ptolomæum explanationum in Mosen commentarios scripsit, ut chronographi produnt. Ita Rabanus. Intelligit autem Eusebium cuius illa sunt verba in chron. sub init. regni Philom. *Aristobulus*, inquit, *cuius secundus Machabæorum liber initio meminit, quemque Aristotelicæ peritum fuisse philosophiæ constat: similiter manus et cætera membra, quando de Deo dicuntur, intelligenda esse in libro quem ad Ptolomæum scripsit: declarat, etc.* Idem asserit Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. Addit Eusebius eum oriundum fuisse ex Pareadi, ubi Iordanis est origo: *Videtur autem*, ait Salianus, *nomen magistri regis adeptus, vel ex illo scripto libro, in quo regem Philometorem docebat, vel quod eum de rebus Mosaicæ legis doceret, quæ deinde libro illo sit* D *complexus.* Alii tamen censent eum fuisse magistrum Ptolomæi Lathuri, qui fuit filius Ptol. Physconis: hoc enim verba sonare videntur. Nam ut ait Rupert. loco citato: *Consueverant Ægypti reges iam inde a temporibus Ptol. Philadelphi (qui legem per 72. sibi fecit interpretari) magistros habere Iudæos.* Ubi nota: Physcon erat frater iunior Philometoris; unde ei illiberi defuncto in regno successit, isque hoc tempore regnabat: unde filio suo Lathuri Aristobulum sacerdotem Iudæum videtur dedisse magistrum.

Vers. 11. Gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus.) Qui postea in Perside occisus fuit a sacerdotibus deæ Naneæ, ut sequitur.

Quæres, quisnam fuerit hic rex? Primo aliqui censent fuisse Antiochum magnum, qui pater fuit Antiochi Epiphanis, ac cum Annibale contra Romanos pugnans, victus est a Scipione, qui inde cognomen Asiatici accepit. Verum hic Antiochus ante annos 58. erat defunctus, nimirum anno 124. Græc. Adde, hic Iudæorum non fuit hostis, sed amicus, teste Iosepho l. 12. c. 3.

Secundo, alii accipiunt Antiochum Epiphanem, qui Iudæorum et templi fuit hostis acerrimus. Ita Torniellus, Bellarm. loco citato, et Pererius l. 9. in Danielem. Verum Epiphanes non fuit occisus in templo Naneæ, ut hic dicitur, sed in Babylone percussus a Deo expiravit, ut audiemus c. 9. Respondet Eman. Sa Epistolam hanc non habere auctoritatem S. Scrip. sicut nec alias epistolas Spartiatarum, Romanorum et aliorum hisce libris citatas, ac proinde falli posse et errare, sed S. Script. solum narrare ita illos scripsisse. Verum hoc durum est dicere. Sic enim idem de toto hoc libro, qui est Epistola Iudæ, et Ierosolymitarum ad Iudæos Ægyptios dici posset: quod absit.

Tertio, et verisimillime Serarius et Salianus hic, ac Rupert. l. 10. de victor. verbi Dei c. 16. Michael Medina l. 6. de recta in Deum fide c. 13. Sigonius in l. 2. Sulpitii censent hunc esse Antiochum Sedetem filium Demetrii Soteris, fratrem Demetrii Nicanoris, qui Nicanore ab Arsace capto regnum Asiæ et Syriæ occupavit: hic enim ut audivimus l. 1. cap. 15. sub Simone Pontifice, et sub Ioanne Hyrcano Simonis filio Iudæos afflixit et Ierosolymam, in eaque Ioannem teste Iosepho obsedit; sed urgente bello Parthico cum Ioanne et Iudæis pacem iniit, eosque secum contra Parthos duxit, ubi et periit. Sedetes enim hoc tempore regnabat, cum Epiphanes, eiusque pater iam pridem erat vita functus.

Ipse (Deus) enim ebullire fecit de Perside eos Vers. 12.
qui pugnaverunt contra nos et sanctam civitatem.) Puta Ierosolymam quam Sedetes obsedit, teste Iosepho. Hic versus difficilis est; nam τὸ *de Perside* non est in Græco hoc loco, sed in fine versus hoc modo: *Ipse enim ebullire fecit eos qui pugnaverunt contra nos, et sanctam civitatem in Persidem.* Unde Salianus pro *de Perside* censet legendum *in Persidem*, ut sensus sit, q. d. Deus fecit ut Sedetes hostis noster magnis copiis et ardoribus quasi ebulliens et æstuans irrueret in Persidem, ibique periret. Verum omnia exemplaria habent: *de Perside.* Quare nonnulli hunc sensum dant, q. d. Deus fecit ut Sedetes non solum ex Syria, sed etiam ex Perside magnas colligeret copias ex reliquiis, quas ibi frater eius Demetrius Nicanor victus et captus ab Arsace reliquerat. Unde et factum est ut instar fratris sui ibidem a Persis cæderetur. Verum hic sensus non recte cohæret cum eo quod sequitur: *Nam cum in Perside, etc.* ubi eius cædes narratur.

Dico ergo: pro *ebullire fecit* Græce est ἐξέβρασε, id est eiecit, expuit, evomuit; ἐκβράζειν enim significat eiicere, ebullire, exæstuare, exundare, expellere, ac tribuitur mari quod in æstu effervescens conchylia et cadavera in littus eiicit; item ollæ bullienti quæ exundans spumas aquasque evomit: unde ἐκβρασσόντα vocantur reliquiæ navis e naufragio in littus reiectæ: item papulæ, quæ post morbum in labiis erumpunt. Sensus ergo est, q. d. Deus fecit Ant. Sedetem hostem nostrum cum suis copiis ferventibus ebullire de Perside, id est, eum quasi morticinum sive cadaver eiecit, expulit, evomuit de Perside; nam fecit ut in Perside in templo Naneæ volens illud expilare, a sacerdotibus occideretur, ut sequitur. Ergo τὸ *ebullire* tria significat. Primo magnam copiam et ardorem militum Sedetis, scilicet quod quasi muscæ, vel ranæ numerosissimæ ex aqua, id est ex Syria et Perside ebullierint, et invaserint Persidem omnibus undique ad eam prædandam confluentibus. Secundo, quod in Perside magno numero sint occisi et mortui, sicut muscæ et ranæ, paulo postquam natæ sunt ex aqua, in eadem suffocantur et moriuntur. Tertio, quod Persia eos iam cadavera factos a se in sepulcra et abyssum expulerit, et eiecerit, sicut mare cadavera expuit, et in littus evomit.

Nam cum in Perside esset dux ipse.) q. d. Cum Ant. Vers. 13.
Sedetes, rex et dux exercitus, Persidem invaderet, et cum ipso immensus (Græce ἀνυπόστατος, id est *irresistibilis*, cui resisti vix poterat) exercitus, cecidit (Græce κατεκόπησαν id est, *percussi sunt*) in templo Naneæ. Dis-

sentiunt a Scriptura et inter se historici profani (ideoque non eis, sed S. Script. hic credendum est) de modo necis et mortis Ant. Sedetis. Nam Ioseph. et Iust. l. 38. asserunt eum in prælio a Parthis sive Persis occisum. Appianus in Syriacis asserit eum a Parthis victum seipsum interemisse. Ælianus l. 10. de anim. cap. 34. eum se præcipitem deiecisse. Eusebius: *Arsaces Parthus,* inquit, *Antiochum interfecit.* Alii putant eum a fratre suo Demetrio ab Arsace dimisso, ac regnum suum repetente fuisse occisum. Verum hæc dissensio arguit eos nil certi hac de re habuisse, ac variis falsisque vulgi rumoribus fidem habuisse. Quare credendum est S. Script. quæ hic asserit eum in templo Naneæ, cum illud expilare vellet, a sacerdotibus lapidatum et occisum.

Porro Nanea erat dea Gentilium, quæ vel fuit Diana, ut opinatur S. Thom. Lyr. Perer. et Pagnin. in nom. Hebr. *Nanea*, ait, *lingua persica est Diana*, vel potius Venus, uti ex Agathia, Beroso, Clemente, Athenodoro, Symmacho, Gyraldo et aliis ostendit Serarius et Salianus; Persæ enim tam Venerem, quam Dianam colebant; sed quæ sequuntur magis congruunt Veneri

Vers. 14. ETENIM CUM EA HABITATURUS VENIT AD LOCUM (templum Naneæ) ANTIOCHUS, ET AMICI EIUS, ET UT ACCIPERET PECUNIAS MULTAS DOTIS NOMINE.) Pro *habitaturus* Græce est συνοικεῖν, id est, habitaturus cum illa quasi cum coniuge sua. Finxit ergo Antiochus se cum dea Nanea velle coniugium inire, ut hoc honesto prætextu templum eius expilaret, quasi omnia eius donaria loco dotis accepturus foret; sed sacerdotes fraudem et spolium subodorati dotem non gemmarum, sed lapidum dederunt, id est lapidaverunt et occiderunt.

Porro prisci reges nonnulli olim volebant haberi quasi dii quidam terrestres, ac proinde cum deabus coniugia se inire iactabant. Audi Senecam l. 1. suasoriarum: *Desponderunt Athenienses Antonio in matrimonium Minervam; Antonius ait se ducturum, sed dotis nomine imponere se illis mille talenta.* Sic Antiochus Gryphus Lunæ se maritum iactavit, Numa Egeriæ, Anchises Veneris (ex qua fingitur Æneam genuisse), Heliogabalus Uraniæ, Peleus Thetidis, unde nonnulli putant a Peleo ritum illum manasse, quo Veneti Thetidem, id est mare quotannis in festo Ascensionis solemni ritu iacto in mare annulo sponsalitio sibi despondent. Porro horum cum deabus regalium connubiorum luculenti testes sunt Iosephus, Plutarc. in vita Marci Crassi, Xiphilinus, Herodotus, Isocrates et Svetonius, qui in vita C. Caligulæ capite 21. scribit eum se Veneris maritum vindicasse.

Vers. 15. CUMQUE PROPOSUISSENT (promisissent Ant. Sedeti se illi pro dote daturos) EAS (pecunias) SACERDOTES NANEÆ, ET IPSE CUM PAUCIS INGRESSUS ESSET INTRA AMBITUM FANI (quasi sacros nuptiarum ritus celebraturi) CLAUSERUNT TEMPLUM.)

Vers. 16. CUM INTRASSET ANTIOCHUS, APERTOQUE OCCULTO ADITU TEMPLI (in superiori laqueari, vel in parietibus templi inde) MITTENTES LAPIDES (Græce: *lapidibus fulminantes*) PERCUSSERUNT DUCEM (regem Ant. Sedetem) ET DIVISERUNT MEMBRATIM, ET CAPITIBUS AMPUTATIS FORAS PROIECERUNT.) In eius milites et vulgus spargentes Sedetem cum suis ab aliquo Deo Antiochi rivali, qui deam Naneam sibi ambiebat sponsam, cæsum et fulminatum esse, ne ipsi quasi necis auctores a militibus Sedetis cæderentur. Atque hinc tam variæ in vulgus de morte Sedetis, utpote occulta, emanarunt sententiæ, quas ex Iustino, Appiano et aliis recensui versu 13.

Itaque Iudæi hic pro cæso Sedete tanto tyranno et hoste suo Deo gratias agunt. Quare ridicule Scaliger et nonnulli alii scribunt Antiochum in templo Naneæ non cæsum, sed fuga elapsum salvum Antiochiam rediisse.

Vers. 18. FACTURI IGITUR QUINTA ET VIGESIMA DIE MENSIS CASLEU PURIFICATIONEM TEMPLI.) Hoc est celebraturi die 25. Casleu festum Encæniorum in memoriam purificationis et novæ dedicationis templi factæ a Iuda Machabæo, 1. Machab. 4. v. 52.

NECESSARIUM DUXIMUS SIGNIFICARE VOBIS, UT ET VOS

A QUOQUE AGATIS DIEM SCENOPEGIÆ (id est festum Encæniorum simile Scenopegiæ ut dixi versu 9.) ET DIEM IGNIS.) Eadem enim die 25. Casleu, cum in Encæniis iam dictis offerrent sacrificia, ignis a Deo cœlitus in illa missus fuit ad ea comburendum, ideoque institutum est festum dati ignis, quod eodem die 25. Casleu, vel certe postero die (ut festum ignis proprium sibi haberet diem) celebrabatur: cuius rei historia fuse in sequentibus enarratur.

NAM CUM IN PERSIDEM (id est in Chaldæam sive in Vers. 19
Babylonem a Nabuchodonosor) DUCERENTUR PATRES NOSTRI.) Chaldæa hic vocatur Persia, tum quia multi Iudæi abducti in Chaldæam sparsi fuere per Persiam, Mediam, aliasque regiones Chaldæis subditas; tum quia tempore Nehemiæ, quo datus fuit ignis, monarchia Chaldæorum translata erat ad Persas; tum enim Artaxerxes rex Persarum dominabatur tam Chaldæis quam Persis; quare omnes regiones tunc Persis subiectæ, inter quas erat Chaldæa, vocantur Persia, uti ex S. Chrys. Lucano et a-
B liis probat Serarius.

ACCEPTUM IGNEM DE ALTARI OCCULTE ABSCONDERUNT IN VALLE, UBI ERAT PUTEUS ALTUS ET SICCUS.) Id est ignem in puteo, qui erat in valle, absconderunt. Ignis hic, ut patet Levit. 9. 24. primitus a Deo datus fuit Aaroni, cum is primo in altari a Mose fabricato sacrificium obtulit; hoc enim igne cælesti concrematum fuit, ut scilicet Deus illud approbaret, sibique gratum ostenderet: unde et iussit illum ignem additis lignis et fomentis deinceps semper conservari, ut non nisi illo igne divino posterorum sacrificia Deo comburerentur. Levit. 6. 12. unde cap. 10. 61. Deus occidit Nadab et Abiu, eo quod igne profano thurificassent. Exciso vero a Chaldæis cum urbe altari et templo, ignem hunc ne periret sacerdotes extulerunt et absconderunt in valle et puteo iam dicto, sperantes Deum ignem hunc post suum e Babylone reditum resuscitaturum. Ita Rupert. lib. 10. de victor. verbi Dei cap. 18. *Ignem,* ait, *morientem, qui nutriri non poterat, qui ubi nu-*
C *triretur non habebat, illi resuscitandum commiserunt, in quo est spes resurrectionis mortuorum, nec eos fefellit spes. Quomodo?* quia hanc eorum spem Deus hic per Nehemiam explicuit. Simili modo horum sacerdotum fidem, spem et pietatem laudat S. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 14. *Non illis,* inquit, *studio fuit aurum defodere, argentum abscondere, quod servarent posteris suis, sed inter extrema sua honestatis curam habentes sacrum ignem servandum putarunt: ne eum vel impurum contaminarent, vel defunctorum sanguis extingueret, vel deformium ruinarum acervus aboleret. Abierunt itaque in Persidem sola religione liberi, quoniam sola illis per captivitatem extorqueri nequivit. Post plurimum vero temporis, quando placuit Deo, dedit hanc mentem regi Persarum, ut instaurari in Iudæa templum, et legitimos reparari Hierosolymis usus iuberet. Cuius gratia muneris Nehemiam sacerdotem rex Persarum direxit. At ille secum direxit illorum sacerdotum nepotes, qui profecturi de patrio solo, sacrum ne periret, ignem absconderant.*

D UT MITTERETUR NEHEMIAS A REGE PERSIDIS.) Ne- Vers. 20.
hemias ter missus fuit a rege Persidis in Iudæam, primo a Cyro anno primo monarchiæ eius: tunc enim Nehemias cum Zorobabel, Esdra et Iesu Pont. e captivitate Babylonica rediit in Ierusalem, adeoque unus fuit e redeuntium primoribus et ducibus, ut patet 1. Esdræ 2. v. 2. et Nehemiæ 7. v. 7. et 65. Secundo missus fuit ab Artaxerxe Longimano an. regni eius 20. Nehem. 2. 1. Tertio, ab eodem missus fuit an. regni sui 32. ut patet Nehem. ult. v. 6. Quæritur ergo de qua missione hic sit sermo, et consequenter quando contigerit hæc missio ignis de cælo facta Nehemiæ? Franc. Ribera lib. 5. de templo cap. 17. verisimiliter hæc de secunda missione accepit; hæc enim propria fuit missio solius Nehemiæ. Quare hæc contigisse an. 20. Artaxerxis in festo Tabernaculorum, quod primum solemniter celebravit Nehemias post suum e Perside reditum, ut patet Nehem. 7. ideoque illo festo, cum ipse iuxta legem sacrificia statuta offerret, ignem e cælo a Deo

*

missum sacrificia inflammasse et consumpsisse. Quocirca in memoriam huius beneficii Iudæos deinceps festum dati ignis celebrasse ipso festo Tabernaculorum, quo primitus erat datus, atque hac de causa hic dici v. 9. *Et nunc frequentate dies scenopegiæ.*

Verum probabilius est, datum a Deo fuisse ignem paulo post primam Nehemiæ missionem factam a Cyro, nimirum anno sexto Darii Hystaspis die tertio mensis Adar, id est Februarii. Tunc enim perfecta fuit fabrica novi templi, eiusque facta est solemnis dedicatio cum oblatione plurimarum victimarum, ut patet Esdræ 6. vers. 15. et 16. Ergo tunc datus fuit cælitus ignis sacer, quo victimæ comburendæ erant, iuxta Levit. 6. 12. ubi vetatur ne igne communi et profano victimæ crementur, ideoque iubetur ut sacerdotes ignem sacrum e cælo missum Levit. 8. semper foveant et conservent. Alioqui enim Hebræi per annos 70. (tot enim fluxerunt ab anno sexto Darii, quo dedicatum est per sacrificia templum usque ad an. 20. Artaxerxis, qui Nehemiam secundo misit in Iudæam) caruissent in templo igne sacro, omnesque suas victimas per ignem laicum et profanum immolassent, quod Deus lege sua vetuerat.

Dices: Anno sexto Darii Nehemias erat iuvenis, ac digniores eo erant Zorobabel, Esdras et Iesus Pontifex; quare iis potius tribuenda foret hæc ignis missio, quam Nehemiæ. Respon. omnes hi erant coævi Nehemiæ, ideoque cum eo ætate pares vel suppares. Nehemiæ autem hæc potius tribuuntur, quam aliis: primo, ob zelum religionis qua præcellebat; secundo, ob eius nobilitatem et dignitatem: fuit enim ipse unus e primis Iudæorum e Babylone redeuntium ducibus; tertio, quia ipse in magno honore fuit apud Artaxerxem, adeoque eius pincerna; unde ab eo creatus fuit gubernator et princeps Iudææ, ac Ierosolymæ muros et domos reædificavit, urbemque optimis legibus imbuit et stabilivit, quæ omnia patent ex libro Nehemiæ.

Dices secundo: Ex dictis sequitur die tertia Adar, id est Februarii quo datus fuit ignis, celebrandum esse festum ignis, non autem die 25. Casleu, ut hic dicitur. Resp. Antiochum Epiphanem et Iudam Machabæum festum ignis celebratum fuisse eo die quo datus erat, scilicet die tertio Adar. Verum quia Ant. Epiphanes templum profanans, ignem sacrum quoque cœlitus datum extinxit, vel sustulit; hinc Iudas Machabæus templum purificans, ac altare et victimas restituens die 25. Casleu eodem die ignem hunc sacrum a Deo rursum accepit, ideoque eodem, vel certe postero die quasi proprio festum dati, vel potius redditi ignis celebrandum sanxit. Iudas enim, extincto igne sacro, non poterat sacrificare igne profano: hoc enim lege erat vetitum; quare necesse fuit ut Deus ignem hunc restitueret. Id fecit cum e lapidibus templi et altaris olim sub Nehemia ignitis, rursum sub Iuda Dei iussu ignis hic sacer emicuit, ut diserte asseritur c. 10. 3. ubi de Iuda dicitur: *Et purgato templo aliud altare fecerunt, et de ignitis* (olim sub Nehemia) *lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt.* Hoc autem contigit in purificatione, et nova dedicatione templi, quæ a Iuda facta est die 25. Casleu, ut ibidem dicitur vers. 5. Ita Sanchez: Lapides, inquit, ignitos illos intelligo, quos Nehemias aqua crassa perfudit, quam imbiberunt primum, deinde igne, qui ex aqua illa exarsit, combusti sunt; quare in lapidibus hisce videntur sacri ignis semina in posterum esse servata: nam ex illis tempore Iudæ eadem flamma emicuit. Ita quoque Serarius q. 13. Unde Gorionides: *Cum,* inquit, *composuissent ligna, non invenerunt ignem sanctum; sed clamarunt ad Dominum, et exiit ignis a lapide, qui erat altari suppositus adiicientes ei ligna; duravit ille ignis usque ad captivitatem tertiam,* quæ videlicet accidit Vespasiani tempore. Errant ergo Hebræi dicentes ignem sacrum et cælestem defuisse in secundo templo, quod post reditum e Babylone ædificatum est.

Vers. 21. ET SACRIFICIA, QUÆ IMPOSITA ERANT, IUSSIT SACERDOS NEHEMIAS ASPERGI IPSA AQUA.) Idque bis, semel ad victimas concremandas; secundo ad lapides igniendos, eisque vim igniendi inserendum, de quo versibus 31. et 32. Ita Sanchez.

Vers. 22. TEMPUS AFFUIT, QUO SOL REFULSIT, QUI PRIUS ERAT IN NUBILO, ACCENSUS EST IGNIS MAGNUS.) Videtur Deus his sole usus, eiusque radiis ex aqua crassa eduxisse vapores crassos, illosque assidue radiis ipsius siderando inflammasse, itaque ignem produxisse, uti producuntur in aere ex vaporibus vi solis cometæ, stellæ errantes, ignes fatui, halones, dracones igniti etc.

Tropol. ignis hic repræsentat Spiritum Sanctum qui in specie ignis sedit super apostolos in die Pentecostes, eisque igneas mentes et linguas indidit, ut totum orbem igne amoris divini accenderent, adeoque homines instar aquæ crassæ frigidos et torpidos efficerent igneos et flammeos. Ita S. Ambros. l. 1. Offic. 14. *Ille,* inquit, *ignis typus Spiritus Sancti fuit, qui descensurus erat post Domini ascensionem, et remissurus peccata omnium; qui quasi ignis inflammat animum ac mentem fidelem.* Vide Riberam lib. 5. de templo cap. 17. Vide quoque ea quæ de hoc igne fuse annotavi, Levit. c. 9. vers. 23. ubi 17. analogias huius ignis et charitatis recensui. Audi S. Chrysost. hom. 11. ad Hebr. *Nonne,* ait, *admiramur ignem olim descendentem omnia consumpsisse? Potest fieri ut ignis quoque nunc descendat illo longe admirabilior; et omnia quæ sunt proposita consumat, imo vero non consumat, sed in cælum tollat. Is enim ea, quæ offeruntur, non in cinerem redigit; sed dona a Deo offert. Tales erant Cornelii orationes, Actor* 10.

Vers. 23. IONATHA INCHOANTE.) Ionathas hic non fuit summus Sacerdos, ut aliqui putant, sed Levita et cantor, imo cantorum præfectus, cuius tunc erant vices. Ita Lyranus et Serarius.

Vers. 31. CUM AUTEM CONSUMPTUM ESSET SACRIFICIUM (scilicet igne ex aqua lapidum emicante concrematum) EX RESIDUA AQUA NEHEMIAS IUSSIT LAPIDES MAIORES PERFUNDI.

Vers. 32. QUOD UT FACTUM EST, EX EIS FLAMMA ACCENSA EST: SED EX LUMINE QUOD REFULSIT AB ALTARI CONSUMPTA EST.) q. d. Ignis et flamma lucida ardensque quæ combusserat victimas in altari, ex eo exsiliens, absumpsit flammam ex aqua in lapidibus maioribus accensam, idque primo, quia lumen maius altaris offuscabat et absumebat lumen minus lapidum; secundo, quia ignis hic ex lege Levit. 6. 12. in solo altari restare debebat, quasi ignis sacer eique proprius ad victimas comburendas; quare in lapidibus restare non poterat, ne quis eo ad superstitionem abuteretur; tertio, ut significaretur ignis hic non vi solis, sed Dei (cuius symbolum erat altare) sole quasi instrumento addentis illique maiorem vim ad ignem ex aqua producendum indentis in lucem prodiisse; quarto, ut ignis hic lapides igniret, eisque vim, non physicam, sed moralem inderet ad ignem in necessitate producendum, uti eum produxerunt in purificatione et dedicatione templi facta a Iuda Machabæo. Ita Sanchez.

Vers. 33. RENUNTIATUM EST REGI PERSARUM.) Puta Dario Hystaspis, cuius anno sexto hæc contigerunt, uti dixi; vel ut alii volunt Artaxerxi Longimano Darii nepoti, cuius pincerna erat Nehemias.

Vers. 34. CONSIDERANS AUTEM REX.) Serarius pro *considerans* censet legendum *conserans* vel *obserans.* Græce enim est περιφράξας, id est *circumsepiens fecit ei templum* q. d. Rex igni templum statuit, illudque septo circumdedit ad loci reverentiam.

FECIT EI TEMPLUM.) Primo, sanctus Ambrosius 1. Offic. 14. ait regem in loco ubi inventa fuerat aqua crassa, postea versa in ignem, ædificasse templum. Persæ enim colebant ignem ut Deum teste Brissonio lib. 2. de regno Persarum. Secundo, Genebrardus in notat. chronicis, et Beda in cap. 2. Esdræ quos citat et laudat Serarius q. 14. censent regem eodem loci sacrum aliquod ædificium, qualis erat probatica piscina, construxisse; Græcum enim ἱερὸν significat locum illum, qui antea profanus erat, factum esse sacrum, ut iam in eo quædam Dei esset veneratio ac numinis religio: unde eum rex circumsepsit, ut habet Græcus. Tertio, Lyranus explicat, q. d. Darius rex iussit reædificari templum Ierosolymitanum. Verum hoc

iam erat reædificatum: in eo enim aqua crassa versa fuit in ignem. Quarto, q. d. Artaxerxes rex templum iam a Dario avo suo fabricatum fecit, id est luculenter ornavit, et magnifice locupletavit. Sic Nabucodonosor, ait Daniel 4. *Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificavi in domum regni*, id est auxi, ornavi, et regiam Monarchiæ Babyloniorum constitui? Nam ante eum ædificata fuit Babylon a Nemrod, Genes. 10. Sic Romulus dicitur Romam ædificasse, id est ornasse et amplificasse; nam ut ait Virgil. Ante Romulum fuit *rex Evander Romanæ conditor arcis.* Ita S. Thom. Lyranus, Dionysius, Hugo et Sanchez. Primus S. Ambrosii sensus uti primo obvius, ita planissimus est. Persæ enim templa plura igni exstruxerunt, quæ inde πυρεια dicta sunt (an tamen eodem loci, quo inventa fuit aqua, hoc templum a rege erectum sit, uti vult S. Ambros. S. Scriptura non exprimit). Ignis enim elementorum nobilissimum suo splendore, calore, activitate, etc. expressum est symbolum Dei et divinitatis, iuxta illud: *Deus noster ignis consumens est*, Hebr. 12. 29. Vide dicta ibidem, et Exodi 3. 2.

Ut probaret quod factum erat.) Ut hoc miraculum ignis ex aqua enati laudaret, celebraret, et ad perpetuam rei memoriam templo decoraret.

Vers. 36. Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephtar, quod interpretatur purificatio.) A rad. פטר *Pathar* quæ Hebr. aut Chaldaice, Syriace, Persice et Arabice significat liberare, emittere, dimittere, ac tribuitur capto, qui e squalore et sordibus carceris liber et purus dimittitur, sicut hic templum a Chaldæis profanatum, squalidum et in sordes cineresque versum a Nehemia per dedicationem et sacri ignis e cælo descensum purificabatur, sanctificabatur et Deo consecrabatur. Hinc *Phatir* Arabice vocatur *panis purus et azymus*; et Chaldæus Exodi 23. v. 15. festum Azymorum vocat *chagga depatiraia* חגא דפטיריא.

Ad *Nephtar* alludit *naphta*, quod est genus *bituminis*, ait Plinius lib. 2. cap. 205. *liquidi: huic magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undecumque visam*, sicut hic ignes transilierunt in aquam crassam ad templi purificationem et sanctificationem. Porro apud veteres lustratio et purificatio fiebat per sulphur et ignem. Unde Plin. lib. 35. cap. 15. *Habet*, inquit, *sulphur in regionibus locum ad expiandas suffitu domos.* Videlicet putabant igni isti sulphureo et bituminoso cælestis, et divini quid inesse, quod quæ apud ipsos sacra erant fulmina et fulgura, sulphuris odorem haberent, et eorum ipsa lux sulphurea esset ut ibidem a Plinio scriptum est. Hinc enim et θειον Græci sulphur appellant, et quæ fulmine tacta essent loca, studiose procurarunt Romani, arisque excitatis et bidentibus cæsis, *bidentalia*, nominarunt. Ita Gyral. syntag. 17. et ex eo Serarius. Denique Syriacus textus hoc loco sic habet: *Vocaverunt eum* (locum) *qui sunt domus Nehemiæ* (Nehemitæ) *Genephar*, *quod interpretatur mundities* (vel purificatio) *vocatur autem a multis Nephti.* Arabicus vero sic: *Qui sunt Nehemiæ vocarunt hunc locum Techephta, quod interpretatur puritas. Vocatur autem apud plures Nephi* (Syrus) *Nephti* a rad. *nuph*, quæ multa significat, scilicet lavare, aspergere, agitare, cribrare: inde נופת *nophet* est favus et נפת *naphat* est regio, provincia. *Nephi* ergo est locus mundatus, elevatus, honoratus, sacratus et dilatatus. *Aphti* enim Syriace significat dilatare.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat Ieremiam in captivitate Babylonica abscondisse arcam, tabernaculum, et altare thymiamatis in monte Nebo. Inde v. 20. præfatur auctor huius libri secundi se gesta Antiochi Epiphanis, et Eupatoris, ac Iudæ Machabæi, et fratrum eius fuse a Iasone, et aliis conscripta breviter enarraturum.

1. Invenitur autem in descriptionibus Ieremiæ prophetæ, quod iussit eos ignem accipere qui transmigrabant: ut significatum est, et ut mandavit transmigratis. 2. Et dedit illis legem ne obliviscerentur præcepta Domini, et ut non exerrarent mentibus videntes simulacra aurea et argentea, et ornamenta eorum. 3. Et alia huiusmodi dicens, hortabatur ne legem amoverent a corde suo. 4. Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum et arcam iussit propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, et vidit Dei hereditatem. 5. Et veniens ibi Ieremias invenit locum speluncæ: et tabernaculum, et arcam, et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit. 6. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum: et non potuerunt invenire. 7. Ut autem cognovit Ieremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat. 8. Et tunc Dominus ostendet hæc, et apparebit maiestas Domini, et nubes erit, sicut et Moysi manifestabatur, et sicut cum Salomon petiit ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc. 9. Magnifice etenim sapientiam tractabat: et ut sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi. 10. Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cælo, et consumpsit holocaustum, sic et Salomon oravit, et descendit ignis de cælo, et consumpsit holocaustum. 11. Et dixit Moyses, eo quod non sit comestum quod erat pro peccato, consumptum est. 12. Similiter et Salomon octo diebus celebravit dedicationem. 13. Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem: et ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros, et prophetarum, et David, et epistolas regum, et de donariis. 14. Similiter autem et Iudas ea, quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, et sunt apud nos. 15. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis. 16. Acturi itaque purificationem scripsimus vobis: bene ergo facietis, si egeritis hos dies. 17. Deus autem, qui liberavit populum suum, et reddidit hereditatem omnibus, et regnum, et sacerdotium, et sanctificationem, 18. Sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miserebitur, et congregabit de sub cælo in locum sanctum. 19. Eripuit enim nos de magnis periculis, et locum purgavit. 20. De Iuda vero Machabæo, et fratribus eius, et de templi magni purificatione, et de aræ dedicatione: 21. Sed et de præliis, quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, et filium eius Eupatorem: 22. Et de illuminationibus quæ de cælo factæ sunt ad eos qui pro Iudæis fortiter fecerunt, ita ut universam regionem, cum pauci essent, vindicarent, et barbaram multitudinem fugarent, 23. Et famosissimum in toto orbe templum recuperarent, et civitatem liberarent, et leges, quæ aboli-

tæ erant, restituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis: 24. Itemque ab Iasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare. 25. Considerantes enim multitudinem librorum, et difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, 26. Curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio: studiosis vero, ut facilius possint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur. 27. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris, assumpsimus. 28. Sicut hi qui præparant convivium, et quærunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus. 29. Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. 30. Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est: ei vero qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita æstimandum est et in nobis. 31. Etenim intellectum colligere, et ordinare sermonem, et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori: 32. Brevitatem vero dictionis sectari, et executiones rerum vitare, brevianti concedendum est. 33. Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantum dixisse sufficiat: stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

Vers. 1. INVENITUR AUTEM IN DESCRIPTIONIBUS IEREMIÆ PROPHETÆ, QUOD IUSSIT EOS IGNEM ACCIPERE QUI TRANSMIGRABANT.) E Iudæa capti a Chaldæis in Babylonem. Confirmat id quod dixit de igne abscondito ex ipsis Ieremiæ scriptis. Descriptiones vocat Scripturam Ieremiæ, ut explicat v. 4. hoc est codicem, vel pugillarem, aut commentarium, ut vocatur versu 13. in quo Ieremias descripserat ea quæ dixit et gessit, cum Ierusalem capta fuit a Chaldæis, nimirum: primo, quod iusserit ignem templi abscondi in puteo; secundo, quod exhortatus sit Iudæos, qui captivi in Babylonem abducebantur, ne ibi videntes idola aurea ad ea colendum se pellici sinerent, sed constanter solum Deum suum adorarent; unde dedit eis volumen legis divinæ, puta Deuteronomium, vel Pentateuchum, ut illud crebro legerent in Babylone, illoque se et suam captivitatem solarentur, seseque in vero Dei cultu confirmarent; tertio, quod arcam, tabernaculum et altare incensi detulerit, et absconderit in speluncam montis Nebo.

Porro incertum est an liber hic fuerit canonicus, et a Synagoga probatus, habitusque ut S. Scriptur. qualis est prophetia Ieremiæ. Certum tamen est librum hunc fuisse magnæ auctoritatis, utpote qui scriptus sit a Ieremia propheta, atque hic citetur ut testis indubitatus ignis sacri absconditi.

Denique iniuria temporum periit hic liber, uti et plures alii a Ieremia conscripti, nimirum eius carmen lugubre de morte Iosiæ regis, de quo 2. Paral. 35. Item liber eiusdem de eversione urbis et populi captivitate. Ad hæc liber de Babylonis excidio, quem alligatum saxo iussit in Euphratem proiici, Ieremiæ 51. versu 60. et alii plures de quibus egi Prologo in Ieremiam.

Vers. 2. ET DEDIT ILLIS LEGEM.) Puta exemplar Deuteronomii, in quo tota lex a Mose repetita continetur: vel exemplar totius Pentateuchi, ut illud assidue in Babylone captivi legerent. Rursum *dedit eis legem*, id est dedit eis mandatum, illudque iterum gravi obtestatione eis inculcavit, NE scilicet OBLIVISCERENTUR PRÆCEPTA DOMINI; sed continuo ea ante oculos mentis et corporis ponerent. ET NON EXERRARENT MENTIBUS, ne scilicet ex fulgore auri in idolis resplendentis inducerentur in errorem, quod in idolis foret aliquid augustæ divinitatis.

Vers. 4. ERAT AUTEM IN IPSA SCRIPTURA, QUOMODO TABERNACULUM ET ARCAM IUSSIT PROPHETA DIVINO RESPONSO (oraculo) AD SE FACTO COMITARI SECUM; USQUEQUO EXIIT IN MONTEM (Nebo) IN QUO MOYSES (moriturus) ASCENDIT, ET VIDIT DEI HÆREDITATEM.) Id est vidit eminus terram Chanaan, quam Deus Abrahæ eiusque posteris quasi hereditatem possidendam promiserat, Genes. 13. *Comitari*, id est secum deferri, et portari a suis sociis sacerdotibus, vel Levitis; hisce enim iubere poterat Ieremias, non Angelis; ita Lyranus. Serarius tamen putat Angelos detulisse arcam post Ieremiam (sicut iidem ædem B. Virginis, in qua ipsa nuntiante Gabriele filium Dei concepit, ex Palæstina transtulerunt in Italiam puta Lauretum) ita tamen ut arca visa sit a nonnullis, qui proinde eam secuti notarunt locum, in quo a Ieremia fuit deposita.

A IN QUO MOYSES.) Arca ergo et tabernaculum condita fuere eodem loco, quo Moses mortuus et sepultus fuit, qui arcæ et tabernaculi fuerat conditor. Porro modum depositionis arcæ recenset S. Epiphan. et ex eo S. Thomas quos audi: *Dicit Epiphanius: Hic est Ieremias, qui templum subvertendum prænoscens, arcam testamenti cum his quæ in eadem erant, tulit; et precibus eam absorberi fecit in petram: petram vero digito designans, nomen Dei impressit, et factum est sigillum in similitudinem Scripturæ, quæ ferro cavatur, et ipsum Domini nomen nubis operimento ita celatum est, ut ex tunc nec locum quis cognoscere queat, nec nomen legere usque in hanc diem, et usque in finem, et pristinæ figuræ instar ignis, et nubes sæpe illic fit nocturno tempore, eo quod gloria Domini ab eius lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra, inter duos montes, inter quos iacent sepulti Moyses et Aaron, dixitque Ieremias præsentibus: Dominus de Sion ascendit ad cœlos, inde cum virtute reversurus, et erit signum præsentiæ eius, quando* B *omnes gentes adoraverint lignum, dixitque quod arcam hanc nemo poterit producere, præter Moysen electum Dei prophetam. Et tabulas, quæ in ea sunt, nullus aperiet sacerdotum, nullusque Prophetarum nisi electus Dei Aaron. Et in prima resurrectione resurget hæc arca, et exibit de petra, et ponetur in monte Sina, et omnes Sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini exspectantes, et ut vitent adversarium, qui eos fugientes est quæsiturus interimere.* Hæc ille.

Eadem habet Dorotheus in vita Ieremiæ. Horum fides sit penes ipsos auctores.

Porro Ieremias hæc gerere potuit, et de facto gessit vel ante captam Ierusalem regnante non Sedecia (tunc enim fuit in carcere) sed Ioachin; huic enim Ieremias erat in veneratione, unde ipse suasu Ieremiæ dedidit se Chaldæis, aut capta iam Ierusalem a Chaldæis, antequam templum ab eis incenderetur. Ieremias enim in magna sanctitatis opinione erat apud Nabuchodonosorem, eo C quod ab eo capiendam Ierusalem prædixisset; unde ab eo obtinuit quæcumque voluit, ut patet Ieremiæ 39. 12. Nil ergo habent hic Novantes ut fidem huic libro derogent.

QUOD IGNOTUS ERIT LOCUS (arcæ, tabernaculi et al- Vers. 7.
taris incensi) DONEC CONGREGET DEUS CONGREGATIONEM POPULI.) Quæres an et quando hoc factum, vel adhuc faciendum sit? Nonnulli id factum putant sub Nehemia et Dario Hystaspis, quando populus Iudaicus in Babylone dispersus inde rediit, et congregatus fuit in Ierusalem et templo, ibique ignem a Ieremia reconditum per aquam crassam in ignem conversam recuperavit; tunc enim simili modo videntur circa tabernaculum, et altare ab eo abscondita Deo revelante rursum apparuisse in novo templo. Hæc enim erant vasa propria, per quæ Deus in eo coli volebat, ideoque per Mosen ea fabricari, et in templo reponi iusserat. Ita Melchior Canus lib. 2. de locis cap. 11. Torniellus ad annum mundi 3601. Sanchez hic, et Ribera in cap. 1. Aggæi num. 15. qui tamen in fine magis in contrariam sententiam inclinat.

Verum contraria sententia uti communior, ita et verior est, scilicet arcam, tabernaculum et altare incensi non fuisse reperta cum igne sacro sub Nehemia et Dario, sed revelanda fore sub finem mundi, quando Deus per Eliam et Enoch populum suum, id est Iudæos ad Christum convertet, eosque in unam Ecclesiam cum gentibus congregabit: tunc enim Elias, ut eos in fide Christi confirmet, ostendet eis arcam hic a Ieremia in illud ævum promissam. Probatur primo, quia si hæc inventa fuissent cum igne, utique auctor hic idipsum hic narraret; uti narravit de igne: hoc enim ad rem præsentem plane pertinebat. Iam autem nil tale hic narrat. Secundo, quia sub Nehemia non est facta integra congregatio populi, ut patet v. 18. et cap. 2. 37. Multi enim Iudæorum manserunt in Babylone; alii in alias regiones fuere dispersi. Tertio, si reperta fuissent, tum in templi secundi exspoliatione, quæ per Titum facta est, arca in spoliis poneretur. At non ponitur apud Iosephum lib. 7. de bello cap. 17. et 19. Imo idem lib. 6. cap. 6. expresse docet tunc in Sancto sanctorum nihil omnino fuisse. Cum in idem Sanctum sanctorum ingressus est Pompeius, quid in templo viderit, enumerat idem Iosephus diligenter lib. 14. Antiq. cap. 8. de arca tamen semper mutus. Quocirca Romæ in arcu triumphali Titi cernimus effigiem candelabri aurei et mensæ panum propositionis, non autem arcam depictam. Quarto, quia hæc est communis Hebræorum sententia, qui constanter asserunt hæc vasa defuisse in secundo templo. Idem asserunt Latini et Græci, ut S. Epiphan. et Doroth. iam citati in vita Ieremiæ, S. Thom. Lyran. et Dionys. hic, Petrus Galatinus lib. 4. cap. 9. Genebr. lib. 2. Chronol. anno mundi 3730. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 15. Abulens. in cap. 15. Exodi q. 4. ubi asserit hæc vasa in eodem loco abscondita in quo corpus Mosis conditum fuit, ac tunc apparitura quando Mosis corpus resurget, et apparebit, quod erit in fine mundi. Sic et Dorotheus in vita Ieremiæ ait eum abscondisse arcam in sepulcro Mosis et Aaronis. Idem censet Cosmas Magalianus præfat. in Iosue, sectione 6.

Nonnulli addunt, Hebræos, deficiente arca, tabernaculo et altari incensi a Mose fabricatis, similia fabricasse, illaque in secundo templo (hunc enim ornatum sibi proprium exigebat templum) reposuisse; idque sat colligitur ex 1. Machab. 1. 23. ubi dicitur Ant. Epiphanes e templo accepisse altare aureum et candelabrum luminis, et mensam panum propositionis; et ex Hegesippo lib. 1. cap. 17. ubi ait Pompeium tabulas testamenti et cherubinos (non Mosaicos, sed Mosaicis similes) in templo vidisse.

Porro defuit in templo secundo arca fœderis, quia in ipso apparitурus et docturus erat Christus per arcam figuratus. Unde mystice S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 14. et Rupertus c. 24. hoc vaticinium Ieremiæ impletum censent, cum in templo congregato toto populo videndum se exhibuit Christus, qui est vera arca novi Testamenti, continens tabulas legis Evangelicæ et manna Eucharistiæ. Vide dicta Exodi c. 25. vers. 10.

Vers. 8. Et apparebit maiestas Domini, et nubes erit.) q. d. Cum Deus revelabit arcam, tunc pariter ostendet gloriam suam in nube splendida, sicut eamdem manifestavit Mosi et Salomoni in dedicatione altaris et templi, ut dicitur v. 10.

Manifestabat hæc.) Scilicet maiestatem suam in nube splendida. Græca hæc referunt ad sequentia hoc modo: ut locus sanctificaretur magnifice; deinde punctum. *Manifestabatur enim hoc*, sive *manifestum fiebat*, quod velut *sapientiam habens obtulit sacrificium.*

Vers. 9. Magnifice enim sapientiam tractabat (Salomon mortalium sapientissimus) et ut sapientiam habens obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi.) q. d. Salomon uti erat sapientissimus, sic sapientissime imitatus est Mosen, ac orando impetravit ut Deus suam maiestatem in templo a se ædificato, et iam dedicato per nubem gloriosam ostenderet 3. Reg. 8. 10. unde explicans subdit:

Vers. 10. Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et ignis descendit de cælo, et consumpsit holocaustum (Levit. c. 9. 2.) sic et Salomon oravit et descendit ignis de cælo, et consumpsit holocaustum.) q. d. Simili ergo modo ignis cælestis in dedicatione templi facta a Nehemia, et postea a Iuda Machabæo descendit de cælo, eorumque victimas consumpsit, ideoque institutum est festum Encæniorum, æque ac dati ignis, ad quod vos, o Ægyptii Iudæi, hortamur nos Ierosolymitæ, ut illud nobiscum ad Dei laudem et gratiarum actionem celebretis.

Vers. 11. Et dixit Moyses, eo quod non sit comestum, quod erat pro peccato, consumptum est.) q. d. Cum sacrificium Mosis esset pro peccato, ideoque immundum videretur, sicut et peccatum ipsum, ideoque nec consumptum a sacerdotibus esset, hinc idipsum a flamma consumptum est. Sumpta sunt hæc verba ex Levit. 10. 16. videnturque continuata esse cum superioribus, ut sicut ignis cæteras victimas cremavit, sic et hostias pro peccato consumpserit. Ita Serarius, Sanchez et alii.

Vers. 13. Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem.) q. d. Hæc quæ dixi de igne sacro ex aquis crassis emicante, scripta sunt a Nehemia, non l. 2. Esdræ, sed alio Nehemiæ commentario, qui iam iniuria temporum intercidit.

Et ut construens bibliothecam.) Prima est hæc Iudæorum solemnis bibliotheca, quam construxit Nehemias. Ipse enim antecessit centum et amplius annis Alexandrum Magnum, et Aristotelem, quem Strabo lib. 13. scribit fuisse primum qui bibliothecam extruxerit. Pluribus annis Nehemias antecessit Ptolomæum Philadelphum, qui secundus post Alexandrum regnavit in Ægypto, ibique celeberrimam bibliothecam erexit, ideoque e Iudæa 72. Interpretes evocavit qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum traducerent. Sic ante Ptolomæum et Alexandrum tempore Darii Hystaspis extabat bibliotheca in Babylone, ut patet 1. Esdræ 6. 1. Videntur Ierosolymitæ hic adeo celebrare bibliothecam Nehemiæ, ut eam apponant, vel componant, vel opponant bibliothecæ Philadelphi, de qua gloriabantur Iudæi in Ægypto degentes, q. d. Vos in Ægypto plures forsan habetis Gentilium libros profanos; at nos soli habemus libros sacros et historias gentis nostræ, quibus caret bibliotheca Philadelphi.

Vers. 14. Similiter autem et Iudas ea quæ deciderant per bellum, congregavit omnia.) q. d. Simili cura et diligentia Iudas sacros Codices per bella Ant. Epiphanis dissipatos congregavit et sunt apud nos.) Per Iudam nonnulli accipiunt Iudam Machabæum. Verum quia Iudam hunc a Machabæo distinguit, dicens, v. 20. *De Iuda vero Machabæo;* hunc enim solet vocare Machabæum; et quia Iudas Machabæus in assiduis fuit bellis, ideoque illi potius cura fuit armamentarii quam bibliothecæ, ut cuderet gladios, non libros: hinc verius alii accipiunt per Iudam, Iudam Essenum, qui, ut dixi c. 1. 10. fuit auctor huius epistolæ et libri; sed quia ipse eam scripsit nomine totius Senatus et populi Iudaici, ut ibidem dicitur, hinc de se hic loquitur in tertia persona. Induit enim personam populi et Senatus, quorum nomine scripsit epistolam, eosque hic de Iuda, id est de se, quasi de tertio aliquo loquentes inducit.

Vers. 17. Deus autem qui liberavit populum suum.) Ab Ant. Epiphane, Eupatore, Sedete, Demetrio, cæterisque hostibus, et reddidit hæreditatem omnibus et regnum, q. d. Deus effecit ut omnes Iudæi regnum Iudææ non titulo regni, ut prius, sed provinciæ sibi a Deo datæ, quasi hæreditate possiderent, ac singuli in ea partem suam hæreditariam sibi ab Antiochis ereptam, rursum quiete obtinerent; et sacerdotium, ut scilicet Ierosolymæ restituerent suum Pontificem et sacerdotes; et sanctificationem, id est sanctum templum cum sancto Dei cultu. Templum enim ab Antiocho pollutum Iudas Machabæus expians pristinæ puritati et sanctitati, sanctoque unius veri Dei cultui restituit, lib. 1. cap. 4. v. 52.

Vers. 20. De Iuda vero Machabæo et fratribus eius.) Sententia huius versus et quatuor sequentium pendet et ex-

pletur illo v. 24. *Tentavimus nos uno volumine breviare*, q. d. Quæ Iason et alii fuse dixerunt et scripserunt multis voluminibus de gestis et præliis Iudæ Machabæi et fratrum eius, hæc nos breviter hoc libro 2. Machab. enarrabimus.

Finita ergo v. 19. ep. Iudas Essenus hic orditur historiam libri 2. Machab. eique hunc titulum et præfationem de libri argumento, methodo, stylo, etc. præmittit: quare idem est argumentum libri secundi quod fuit primi, nimirum gesta Iudæ Machabæi et fratrum eius: hæc enim breviter conscripta l. 1. hic fusius enarrantur: multa etiam adduntur, quæ libro primo omissa fuerunt.

Vers. 21. ANTIOCHUM NOBILEM.) id est Ant. Epiphanem: επιφανης enim Græce idem est quod illustris, nobilis; ita vocatus fuit a Gentilibus ob illustria facta, licet verius a Polybio et aliis cognominetur επιμανης, id est stultus et insanus, ut dixi l. 1.

Vers. 22. ET DE ILLUMINATIONIBUS QUÆ DE CÆLO FACTÆ SUNT AD EOS QUI PRO IUDÆIS FORTITER FECERUNT.) Illuminationes de cælo vocat signa cælitus edita pro Iuda et sociis, qui ope angelorum adiuti, pro Iudæis fortiter dimicantes, magnos Antiochi exercitus prostrarunt. Unde Angeli apparuerunt Iudæ, eiusque castra, quasi duces belli præiverunt, ut audiemus in sequentibus.

Vers. 23. DOMINO CUM OMNI TRANQUILLITATE PROPITIO FACTO ILLIS.) q. d. Domino tranquillante et sedante turbationes, tumultus et prælia ab Antiocho intentata Iudæis, eisque pacem pristinam reddente: *Tranquillus enim Deus tranquillat omnia, et tranquille aspicere, quiescere est*, ait quidam Sanctorum.

Vers. 24. ITEMQUE AB IASONE CYRENÆO QUINQUE LIBRIS COMPREHENSA TENTAVIMUS NOS UNO VOLUMINE BREVIARE.) Id est, in breve hoc volumen redigere. Obiicit Calvinus et Novantes Iasonem hunc fuisse Cyrenæum, ideoque Gentilem, ac proinde librum hunc, qui est compendium Iasonis, non esse sacrum et Canonicum. Resp. Iasonem hunc fuisse Iudæum, non Gentilem; Iudæi enim erant sparsi per totum orbem; ideoque in Cyrene quoque degebant, ut patet Actor. 2. et 6. Gentiles enim hostes erant Iudæorum, eorumque legem, ritus et gesta irridebant, extenuabant, depravabant. Hic autem Iason hæc omnia extollit et celebrat, ut patet ex sequent. Quare fuit ipse verus Dei cultor, ac vir probus et pius, Deique cultus zelotes.

Sed esto Iason fuisset gentilis: Iudas tamen, qui Iasonis scripta selegit, digessit, disposuit, concinnavit, suaque effecit, et in hunc librum redegit assistente sibi semper Spiritu S. necubi erraret, hunc librum Canonicum effecit. Quare idem effecit ut si quid falsi, impii, vel obscœni esset in libris Iasonis, illud Iudas omitteret vel castigaret. Ubi nota Canonem: Cum auctor Canonicus citat probatque dicta alicuius profani auctoris, hoc ipso facit ea Canonica. Sic S. Paulus ad Titum 1. v. 12. citans illud Epimenidis: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri:* addensque: *Testimonium hoc verum est*, hoc ipso illi tribuit fidem Canonicam et infallibilem. Sic illud Iob. 5. 13. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum*, prout dictum est ab Epiphar gentili non habet auctoritatem Canonicam; eam tamen adeptum est, cum citatum et laudatum est a Paulo 1. Cor. 3. 13. Simili modo Iudas hic auctor Canonicus dicta a Iasone citans laudansque, ea fecit Canonica. Sic rursum Paulus Act. 17. v. 28. citans probansque illa Arati: *Ipsius enim et genus sumus*, eis tribuit auctoritatem Canonicam. Ita Sanchez, Serarius, Bellarm. et alii.

Vers. 27. NEGOTIUM PLENUM VIGILIARUM ET SUDORIS ASSUMPSIMUS.) Magni enim laboris et industriæ est plurima legere, eaque omnia methodice, concinne, clare, et plene paucis verbis constringere et complecti. Sic laboravit, qui Iliadem Homeri ita minutis litteris descripsit, ut totam cortici nucis includeret, teste Plinio lib. 7. cap. 21. et Archimedes, qui ut ait Cicero Tuscul. 1. *lunæ, solis et quinque* stellarum *errantium motus in sphæram alligavit*, idque *divino ingenio*. Et quia pauci id facere norunt, hinc sæpe compendia et dispendia. Paucis ergo multa complecti magni viri est, profundique ingenii, quod punctum veritatis multiplicis uno mentis cernit et stringit in ictu. Hic Laconismus, id est breviloquentia indicium est animi silentis. meditabundi et sapientis, ideoque illa usi sunt septem Græciæ Sapientes quorum dicta sunt hæc: *Nosce teipsum. Ne quid nimis. Sponde, noxa præsto est*, etc. Audi Plut. tract. de Garrulitate: *Semper audiendæ sunt taciturnitatis ac silentii laudes, eorumque maiestas, sanctimonia, ac cum sacris arcanis similitudo, et quod maiori sunt in admiratione, magis cari sapientesque habentur, quam effrænes isti et concitati ii, qui rotundi sunt, ac breviloquentes, et quorum in exigua dictione multus inest sensus. Nam et Plato hos laudat, similes esse docens peritorum iaculatorum, dum crispa ac densa inter seque convoluta verba emittunt. Et Lycurgus cives statim a puero suos silentio compescens, ad huiusmodi contracte ac presse loquendi peritiam condocefecit. Etenim sicut Celtiberes ferro aciem soliditatemque parant, eo in terram defosso, crassas terrestresque partes expurgando: ita Laconica oratio cortice carebat, et supervacaneorum remotione in efficacitatem coacta acuebatur: quippe illa scite dicendi brevitas, et versatile in responsionibus acumen multi erat silentii fructus.*

VERITATEM QUIDEM DE SINGULIS AUCTORIBUS (Græ- Vers. 29.
ce *auctori*, puta Iasoni Cyrenæo) CONCEDENTES, IPSI AUTEM SECUNDUM DATAM (dictam iam) FORMAM BREVITATI STUDENTES.) q. d. Ego Iudas huius libri scriptor hoc tantum egi, ut Iasonis scripta breviarem: quare nolui curiose scrutari veritatem singularum rerum etiam minutissimarum ab eo conscriptarum, sed veritatis huius laudem tribuo Iasoni, utpote scriptori probo, veraci et exacto, qui hæc omnia diligenter prius investigavit, nec nisi certo comperta conscripsit. Ita modeste de se sentit, et loquitur Iudas, sed Spiritus S. qui eo quasi organo et calamo usus est, ita eum direxit, ut nil nisi verum, pium sanctumque conscriberet, et si quid secus in Iasone invenisset, illud vel omitteret, vel mutaret.

SICUT ENIM NOVÆ DOMUS ARCHITECTO.) Ex eadem Vers. 30.
modestia Iudas hic Iasonem comparat architecto magnæ fabricæ, cui incumbit totius fabricæ dispositio et constructio: se vero pictori qui fabricam iam perfectam pictura sua exornat, q. d. Historici est fabricam historiæ construere; abbreviatoris vero est eam suo brevi et concinno stylo exornare.

ETENIM INTELLECTUM COLLIGERE.) Intellectum vocat Vers. 31.
argumentum, sive materiam quam historicus colligit, et lectori legendam intelligendamque proponit.

EXSECUTIONES RERUM VITARE BREVIANTI CONCEDEN- Vers. 32.
DUM EST.) Græce: *Curiositatem negotii omittere abbreviationem facienti concedendum est.* q. d. Auctoris historici est curiose singula minutim investigare et enarrare; at abbreviatoris est plura ex his circumcidere et paucis multa complecti. Græce enim εξεργαστικον significat opus quod fit magna diligentia et cura, hoc est, quod curiose, exacte, plene et perfecte pertractatur. Et hoc Noster vocat *exsecutiones:* nec hanc vocem illatinam existimes. Exsequi enim significat aliquid absolvere et perficere, ideoque accurate illud agere, unde illud Tullii in Oratore: *Divine ut omnia exsequitur.* Et illud eiusdem de Universit. *Non igitur dubium quin æternitatem maluerit exsequi, quandoquidem neque mundo quidquam pulchrius, neque eius ædificatore præstantius.* Et illud eiusdem l. de Senectute: *Exsequi omnia regis officia et munia.* Rursum et magis ad rem propositam exsequi significat rem minutim et ample exponere ac narrando prosequi. Ita Livius l. 5. *Exsequebatur deinde*, inquit, *quæ solemnis derivatio esset.* Et Cicero Mario l. 27. *Habeo*, inquit, *multa occultiora quæ vix verbis exsequi possum* Et Plin. lib. 35. c. 8. *Nunc celebres in ea arte quam maxima brevitate percurram; neque enim instituti operis est talis exsecutio*, id est prolixior et plenior enarratio. Sic hic exsecutiones opponuntur abbreviationi, quam sibi sectandam proposuit noster hic Auctor.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensetur prosper Ierosolymæ status sub Onia Pont. quem Simonis præpositi ambitio et proditio turbavit : prodidit enim ipse thesauros templi Seleuco regi, qui ad eos expilandos misit Heliodorum: sed hic ab Angelis acriter flagellatus, et orationibus Oniæ sibi restitutus cœpit Dei potentiam, templique sanctitatem ubique celebrare.

1. IGITUR cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter O-
niæ pontificis pietatem, et animos odio habentes mala, 2. Fiebat ut et ipsi reges et principes locum sum-
mo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent: 3. Ita ut Seleucus Asiæ rex
de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. 4. Simon autem de tribu
Beniamin præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in ci-
vitate moliri. 5. Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsææ filium, qui eo tempore erat
dux Cælesyriæ et Phœnicis: 6. Et nuntiavit ei pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Ierosolymis, et com-
munes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate re-
gis cadere universa. 7. Cumque retulisset ad regem Apollonius de pecuniis quæ delatæ erant, ille accitum He-
liodorum, qui erat super negotia eius, misit cum mandatis, ut prædictam pecuniam transportaret. 8. Statimque
Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cælesyriam et Phœnicen civitates esset peragraturus, re-
vera autem regis propositum perfecturus. 9. Sed, cum venisset Ierosolymam, et benigne a summo sacerdote in
civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum: et, cuius rei gratia adesset, aperuit: interrogabat au-
tem, si vere hæc ita essent. 10. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, et victualia viduarum et pu-
pillorum: 11. Quædam vero esse Hircani Tobiæ viri valde eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: uni-
versa autem argenti talenta esse quadringenta, et auri ducenta: 12. Decipi vero eos, qui credidissent loco et tem-
plo, quod per universum mundum honoratur pro sui veneratione et sanctitate, omnino impossibile esse. 13. At
ille pro his quæ habebat in mandatis a rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda. 14. Constituta autem
die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per universam civitatem erat trepidatio. 15. Sacer-
dotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus iactaverunt se, et invocabant de cælo eum, qui de depositis le-
gem posuit, ut his qui deposuerant ea salva custodiret. 16. Iam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, men-
te vulnerabatur: facies enim et color immutatus, declarabat internum animi dolorem. 17. Circumfusa enim erat
mœstitia quædam viro, et horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur. 18.
Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod in contemptum lo-
cus esset venturus. 19. Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed et virgines, quæ con-
clusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per fenestras aspiciebant: 20. Univer-
sæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur: 21. Erat enim misera commistæ multitudinis, et magni
sacerdotis in agone constituti expectatio. 22. Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi his
qui crediderant, cum omni integritate conservarentur. 23. Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eo-
dem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. 24. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ os-
tensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidi-
nem converterentur. 25. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis ad-
ornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.
26. Alii etiam apparuerunt duo iuvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu: qui circumsteterunt
eum, et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. 27. Subito autem Heliodo-
rus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiece-
runt. 28. Et his, qui cum multis cursoribus et satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo si-
bi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute: 29. Et ille quidem per divinam virtutem iacebat mutus, at-
que omni spe et salute privatus. 30. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum: et tem-
plum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio et lætitia imple-
tum est. 31. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, ut vi-
tam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus. 32. Considerans autem summus sacerdos ne forte rex
suspicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salu-
tarem. 33. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem iuvenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro, dixe-
runt: Oniæ sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. 34. Tu autem a Deo flagellatus,
nuntia omnibus magnalia Dei, et potestatem. Et his dictis, non comparuerunt. 35. Heliodorus autem, hostia Deo
oblata, et votis magnis promissis ei, qui vivere illi concessit, et Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repeda-
bat ad regem. 36. Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei. 37. Cum autem
rex interrogasset Heliodorum quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti, ait: 38. Si quem habes hostem,
aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, et flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eo quod in loco sit vere
Dei quædam virtus. 39. Nam ipse, qui habet in cælis habitationem, visitator et adiutor est loci illius, et venien-
tes ad malefaciendum percutit, ac perdit. 40. Igitur de Heliodoro, et ærarii custodia, ita res se habet.

ORDINE temporis, hoc caput et principium sequentis usque ad v. 7. collocandum esset l. 1. Machab. c. 1. ante v. 12. ut patebit ex v. 3.

A IGITUR CUM SANCTA CIVITAS (Ierusalem in qua vigebat sanctus Dei cultus in sancto templo per sanctos Pontifices, sacerdotes et fideles quotidie exercitus) HABITA- Vers. 1.

RETUR IN OMNI PACE, etc. PROPTER ONIÆ PONTIFICIS PIETATEM.) Onias hic fuit hoc nomine tertius, cognomento sanctus, qui immediate ante Mathathiam patrem Iudæ Machabæi Pontificatum gessit: cuius filius Onias pariter dictus Heliopoli in Ægypto templum erexit, permittente Ptol. Philometore rege, eiusque Pontificem se constituit. Porro Onias hic sanctus a fratre suo Iesu, sive Iasone Apostata, Pontificatu privatus est: hunc enim pecunia Iason emit ab Ant. Epiphane, ideoque pseudopontifex extitit, ut patebit cap. 4. v. 7. sed iusto Dei iudicio simili prorsus modo Iason Pontificatu extrusus fuit a Menelao et Menelaus a Lysimacho; et hic ab Alcimo, postquam Mathathias pater Iudæ Machabæi electus a populo, legitime Pontificatum et Principatum adiit.

Vers. 3. ITA UT SELEUCUS REX ASIÆ DE REDDITIBUS SUIS PRÆSTARET OMNES SUMPTUS AD MINISTERIUM SACRIFICIORUM PERTINENTES.) Seleucus hic, cognomento Philopator, fuit frater senior Antiochi Epiphanis; uterque enim fuit filius Antiochi Magni qui a Scipione Asiatico superatus, cum Romanis pacem iniit. Seleucus ergo hic initio regni sumptus præbuit templo, sed postea audiens ingentes in eo esse thesauros victus avaritia, misit Heliodorum, qui eos expilaret; unde iusto Dei iudicio ab eodem Heliodoro occisus regnum reliquit fratri iuniori Ant. Epiphani. Ita Appianus, Iustinus, Iosephus, et alii. Simili modo in templum Iudæorum propensi et munifici fuere Cyrus, Darius, Artaxerxes reges Persarum, ut patet Esdræ c. 1. et 6. et Nehemiæ c. 2. Idem fecit Antiochus Magnus, teste Iosepho l. 12. c. 3.

Vers. 4. SIMON AUTEM DE TRIBU BENIAMIN, PRÆPOSITUS TEMPLI CONSTITUTUS, CONTENDEBAT, OBSISTENTE SIBI PRINCIPE SACERDOTUM (Onia sancto Pont. ut sequitur) INIQUUM ALIQUID IN CIVITATE MOLIRI.) Simon hic non erat de tribu Levi, ac proinde non erat sacerdos; soli autem sacerdotes præerant templo in rebus sacris. Simon ergo hic e tribu Beniamin fuit constitutus præpositus templi in rebus politicis, v. g. ut præesset templi prædiis, agris, redditibus, vel militibus ad templi custodiam deputatis, 1. Mach. 4. ult.

INIQUUM ALIQUID.) Videtur hic Simon ambivisse Principatum vel Pontificatum Ierosolymæ, uti ambivit postea eius frater Menelaus, de quo dicam infra.

Vers. 5. VENIT AD APOLLONIUM, etc. QUI EO TEMPORE ERAT DUX CÆLESYRIÆ ET PHOENICIS.) Dux, id est præses et præfectus constitutus a Seleuco rege Asiæ et Syriæ. Iason ergo per Apollonium nuntiavit, et prodidit Seleuco regi thesauros templi, qui protinus ad eos auferendos misit Heliodorum. Hic est Apollonius, qui postea cum Ionatha confligens ab eo superatus est, 1. Machab. 10. v. 69. et seq.

Vers. 10. TUNC SUMMUS SACERDOS (Onias sanctus) OSTENDIT DEPOSITA ESSE HÆC.) Solebant enim non tantum apud Iudæos et Christianos, sed etiam apud Ethnicos res pretiosæ, ac nominatim dotes viduarum et pupillorum deponi et asservari in templo, quasi in asylo inviolabili, ideoque certo et securo, teste Iosepho 14. Ant. 8. Svetonio in vita Iulii Cæsaris, ubi ait de eius testamento, Cicerone l. 2. de legibus sub medium, quem audi: *Sacrilego pœna esto, neque ei soli qui sacrum abstulerit, sed etiam ei qui sacro commendatum. Quod et nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud solem in delubro pecuniam dicitur, et Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiæ civis egregius, cum rebus timeret suis filiarum dotes credidit.* Idem iure Canonico sancitum est cap. *Gravis* extra de deposito. Sic S. Ambr. l. 2. Offic. c. 29. scribit se suasisse Ticinensi ecclesiæ, ut viduæ depositum contra Imperatoris rescriptum conservaret, eique minatur Heliodori flagellationem et ultionem divinam.

Hinc Pompeius, capta Ierosolyma, invenit in templo reposita bis mille talenta; nec tamen quicquam abstulit, teste Iosepho loco citato; secus fecit M. Crassus, qui, ut Ioseph ait c. 12. trabem auream e templo sustulit.

Vers. 11. QUÆDAM VERO ESSE HIRCANI TOBIÆ VIRI VALDE EMINENTIS) Dignitate et auctoritate; addit S. Ambr. et sanctitate. Hic enim Tobias sororem Simonis secundi (qui erat pater Oniæ Sancti Pont.) in uxorem duxerat, ut ait Ioseph. l. 12. c. 4. qui et addit huius Tobiæ filios ad Ant. Epiphanem, qui Seleuco fratri successit, se transtulisse.

UNIVERSA AUTEM ARGENTI TALENTA ESSE QUADRINGENTA.) Quæ si Attica fuerunt, faciunt ducenta millia aureorum; sin Hebræa, 400. millia aureorum.

ET AURI DUCENTA.) Quæ si attica fuerunt, faciunt millionem et insuper ducenta millia aureorum: sin Hebræa, duos milliones et 400. millia aureorum.

DECIPI (Græce ἀδικηθῆναι, id est iniuria affici, fraudari, spoliari) VERO EOS QUI CREDIDISSENT LOCO, ET TEMPLO QUOD PER UNIVERSUM MUNDUM HONORATUR PRO SUI VENERATIONE ET SANCTITATE OMNINO IMPOSSIBILE ESSE.) Vers. 12.
q. d. Omnino illicitum, indignum et sacrilegum, ideoque ethice impossibile est, ut tradamus et prodamus regi ea quæ viduæ, pupilli, aliique deposuerunt in templo, credentes illa ibidem ob loci sacri venerationem et sanctitatem tuta et secura fore: sic enim ipsi decipientur, suisque pecuniis fraudabuntur contra omne fas et contra omnia iura divina et humana; hac enim rapina fieret gravis iniuria templo, et iniustitia depositariis, ac vilipendium mihi Pontifici, et sacerdotibus, quod fidem depositariis datam non servaverimus, sed contra eam violaverimus sanctitatem templi, ius asyli, et fortunas viduarum et pupillorum raptori prodiderimus. Quare moraliter impossibile est ut hoc fiat.

SED ET VIRGINES QUÆ CONCLUSÆ ERANT PROCURREBANT AD ONIAM.) Vers. 19.
Virgines aliæ in templo erant conclusæ, inter quas B. Virgo præsentata in templo angelice vixit, donec nupsit Iosepho; aliæ domi a parentibus pudoris et pudicitiæ causa recludebantur, uti etiamnum Romæ et alibi a viris honoratis fit. Ego cum Serario utrasque hic accipio: utræque enim ob tam sacrilegam publicamque templi profanationem accurrebant ad Oniam Pont. ut ab eo consilium et auxilium peterent, præsertim quia multæ ex his dotem suam, ex qua vivebant, habebant in templo depositam, quam si cum cæteris auferebat Heliodorus, victum et vitam eis auferebat.

APPARUIT ENIM ILLIS QUIDAM EQUUS, TERRIBILEM Vers. 25.
(vultu gestuque sævo et minaci) HABENS SESSOREM.) Hic erat Angelus qui equi et equitis speciem assumpsit, ut Heliodoro equiti se opponeret, ac quasi in duello eum prosterneret: ISQUE CUM IMPETU HELIODORO PRIORES CALCES ELISIT, id est illisit, impegit; equi enim calcitrando pugnant. Græce: *Invectus autem cum impetu concussit in Heliodorum priores ungulas;* ungulæ enim priores equis sunt loco manuum armatarum: has ergo impegit equus hic Heliodoro, itaque eum prostravit, afflixit, et pene exanimavit. Sic Angeli præliantes apparuerunt Zachariæ cap. 1. specie equorum et equitum, et S. Ioanni Apoc. cap. 6. vers. 2. Vide ibi dicta. Simili modo Castorem et Pollucem in candidis equis pro Romanis pugnasse scribit Livius, Decade 1. de quibus multa finxere Gentiles.

Porro non fuit hæc imaginaria visio soli Heliodoro apparens, sed realis actio, prostratio, et flagellatio Heliodori coram toto populo. Ait enim *apparuit* (Græce ὤφθη id est visus est) *illis*, scilicet omnibus præsentibus. Unde sequitur:

ALII ETIAM APPARUERUNT DUO IUVENES VIRTUTE DE- Vers. 26.
CORI (quia decorem virtutum et indolem cælestem præ se ferebant: erant enim Angeli) QUI CIRCUMSTETERUNT EUM (Heliodorum) ET EX UTRAQUE PARTE FLAGELLABANT (habentes scuticas sive flagella in manibus, ait Gorionides) SINE INTERMISSIONE MULTIS PLAGIS VERBERANTES.) Prior Angelus eques erat quasi prætor; hi vero duo Angeli erant quasi eius apparitores, et sententiæ executores, qui proinde Heliodorum sacrilegum acerrime flagellabant. Hinc patet Deum peccata et peccatores non semper per dæmones, sed subinde etiam per Angelos bonos castigare. Addit Iosephus filius Gorionis l. 3. c. 1. aitque: *Ingressus Heliodorus cum omnibus satellitibus suis deambulansque in medio sanctuarii et intrans in Sancta san-*

ctorum; Dominus fecit illum, et eos quos secum habuit, audire voces strepitus, et vehementissimæ commotionis, quæ etiam montes frangebat, et dissecabat petras; ut cuncti satellites eius fugere inciperent, abderenturque in quibus possent locis, et relinqueretur Heliodorus solus: qui cum levasset oculos suos, vidit virum habentem aspectum valde horribilem indutum veste aurea, unde micabant gemmæ pretiosæ, incedentem atque impedientem, saltantem, atque currentem contra Heliodorum, etc. Si ita Deus castigavit Heliodorum deposita solum e templo auferre conantem, quomodo castigabit eos qui templorum, monasteriorum et piorum locorum res proprias diripiunt, et in profanos laicosque usus convertunt? Cogitent ipsi quomodo Deus castigavit Ant. Epiph. templum expilantem; legant horrendam eius mortem c. 9. recensitam. Meminerint quoque vindictæ sacrilego Alcimo a Deo inflictæ, l. 1. c. 9. v. 55. Denique similium exemplorum plenæ sunt omnes historiæ. Porro flagellatio hæc Angelorum utpote fortissimorum et Dei sui templique iniurias acerrime vindicantium, longe acrior diriorque fuit omni flagellatione hominum; præsertim quia ipsi in Heliodoro voluere exemplum acris vindictæ divinæ in sacrilegos statuere, quo alii a simili templi expilatione deterrerentur; unde ipse rogatus a Seleuco rege dixit: *Si quem* A *habes hostem, mitte illuc, et flagellatum recipies.*

Obtulit pro salute viri (Heliodori) hostiam salutarem.) Id est victimam pacificam, quæ ex lege pro pace et salute cuiuspiam offerebatur, iuxta legem Levit. 3. Vers. 32.

Et Oniæ gratias agens.) Id enim iusserant ipsi Angeli, v. 33. Addit Gorionides Heliodorum Angelorum monitu accidisse ad pedes Oniæ, itaque suppliciter gratias egisse. Huc enim eum stimulabat salus per Oniam recepta et vita donata: vitam enim suam Heliodorus debebat Oniæ. Vers. 35.

Testabatur autem omnibus.) Hinc videtur Heliodorus verum Israelis Deum agnovisse, ac relictis idolis eum solum coluisse. Idque non tantum eum, sed et omnes eius milites et asseclas fecisse ait Gorionides, qui asserit eos fuisse Macedones. Hinc et ipse victimas Deo obtulit, magnaque promisit et Deo vovit, ut dictum est v. 35. Vers. 36.

Porro hic Heliodorus, postea ambiens regnum, Seleucum regem per insidias occidit, ac regem se fecit. Sed Ant. Epiphanes Seleuci frater iunior adiutus ab Attalo et Eumene regibus vicinis, eum expulit, et regnum sibi vindicavit. Ita Appian. Iustin. Ioseph. et alii: indeque dictus est Epiphanes, id est illustris et nobilis, *eo quod alienis regnum usurpantibus ipse avitæ ditionis assertor exortus suis illuxerit,* ait Appianus in Syriacis.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Onias apud Seleucum regem purgat se a calumniis sibi a Simone obiectis. Mox v. 7. Seleuco defuncto Iason Oniæ Pont. frater eo excluso Pontificatum ab Ant. Epiphane Seleuci fratre, et successore emit 360. talentis. Idemque Iudæos a Iudaismo ad Gentilismum traducit. Inde v. 23. Iason, qui Oniam fratrem per datam regi pecuniam extruserat e Pontificatu, simili modo eodem fraudulenter extrusus fuit a Menelao fratre Simonis: Menelaum vero simili ratione extrusit frater eius Lysimachus. Deinde v. 34. Onias Pontifex rogatu Menelai ab Andronico occiditur, sed Andronicum instante populo eodem loco occidi iussit Ant. Epiphanes. Denique v. 39. sacrilegus Lysimachus a populo seditionem movente interficitur. Menelaus vero corrupto pecuniis Ptolomæo, iniustam absolutionis sententiam extorquet.

1. Simon autem prædictus pecuniarum et patriæ delator, male loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, et ipse fuisset incentor malorum: 2. Provisoremque civitatis, ac defensorem gentis suæ, et æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. 3. Sed, cum inimicitiæ in tantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent: 4. Considerans Onias periculum contentionis, et Apollonium insanire, utpote ducem Cælesyriæ et Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit, 5. Non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universæ multitudinis considerans. 6. Videbat enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare a stultitia sua. 7. Sed post Seleuci vitæ excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium: 8. Adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, et ex redditibus aliis talenta octoginta, 9. Super hæc promittebat et alia centum quinquaginta, si potestati eius concederetur gymnasium et ephebiam sibi constituere, et eos qui in Ierosolymis erant, Antiochenos scribere. 10. Quod cum rex annuisset, et obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit: 11. Et amotis his, quæ humanitatis causa Iudæis a regibus fuerant constituta, per Ioannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia et societate functus est legatione, legitima civium iura destituens, prava instituta sanciebat. 12. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. 13. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, et profectus gentilis, et alienigenæ conversationis, propter impii et non sacerdotis Iasonis nefarium et inauditum scelus: 14. Ita ut sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, et sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, et præbitionis eius iniustæ, et in exercitiis disci: 15. Et patrios quidem honores nihil habentes, græcas glorias optimas arbitrabantur. 16. Quarum gratia periculosa eos contentio habebat, et eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes et peremptores habuerant. 17. In leges enim divinas impie agere impune non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit. 18. Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, et rex præsens esset, 19. Misit Iason facinorosus ab Ierosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis, quas postulaverunt hi qui asportaverant ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari. 20. Sed hæ oblatæ sunt quidem ab eo qui miserat in sacrificium Herculis: propter præsentes autem datæ sunt in fabricam navium triremium. 21. Misso autem in Ægyptum Apollonio Mnesthei filio, propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cum cogno-

*

visset Antiochus alienum se a negotiis regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde venit Ioppen, et inde Ierosolymam. 22. Et magnifice ab Iasone et civitate susceptus, cum facularum luminibus et laudibus ingressus est: et inde in Phœnicem exercitum convertit. 23. Et post triennii tempus misit Iason Menelaum, supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi, et de negotiis necessariis responsa perlaturum. 24. At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis eius, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni talenta argenti trecenta. 25. Acceptisque a rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio: animos vero crudelis tyranni, et feræ belluæ iram gerens. 26. Et Iason quidem, qui proprium fratrem captivaverat, ipse deceptus profugus in Ammanitem expulsus est regionem. 27. Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecuniis vero regi promissis, nihil agebat, cum exactionem faceret Sostratus, qui arci erat præpositus. 28. (Nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat): quam ob causam utrique ad regem sunt evocati. 29. Et Menelaus amotus est a sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cypriis. 30. Et cum hæc agerentur, contigit Tharsenses et Mallotas seditionem movere, eo quod Antiochidi regis concubinæ dono essent dati. 31. Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico. 32. Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa e templo furatus donavit Andronico, et alia vendiderat Tyri, et per vicinas civitates. 33. Quod cum certissime cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem. 34. Unde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam, et datis dextris cum iureiurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus iustitiam. 35. Ob quam causam non solum Iudæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, et moleste ferebant de nece tanti viri iniusta. 36. Sed regressum regem de Ciliciæ locis adierunt Iudæi apud Antiochiam, simul et Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ. 37. Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, et flexus ad misericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem et modestiam: 38. Accensisque animis, Andronicum purpura exutum, per totam civitatem iubet circumduci: et in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuente pœnam. 39. Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho commissis Menelai consilio, et divulgata fama, congregata est multitudo adversum Lysimachum, multo iam auro exportato. 40. Turbis autem insurgentibus, et animis ira repletis, Lysimachus armatis fere tribus millibus iniquis manibus uti cœpit, duce quodam tyranno, ætate pariter et dementia provecto. 41. Sed, ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos arripuere: quidam vero cinerem in Lysimachum iecere. 42. Et multi quidem vulnerati, quidam autem et prostrati, omnes vero in fugam conversi sunt: ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt. 43. De his ergo cœpit iudicium adversus Menelaum agitari. 44. Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri a senioribus. 45. Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi. 46. Itaque Ptolemæus in quodam atrio positum quasi refrigerandi gratia regem adiit, et deduxit a sententia: 47. Et Menelaum quidem universæ malitiæ reum criminibus absolvit: miseros autem, qui, etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnavit. 48. Cito ergo iniustam pœnam dederunt, qui pro civitate, et populo, et sacris vasis, causam prosecuti sunt. 49. Quam ob rem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt. 50. Menelaus autem, propter eorum, qui in potentia erant, avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium.

Vers. 1. PRIOR pars a v. 1. ad 7. ordine temporis collocanda est post v. 16. c. 1. l. 1. posterior vero pars a v. 21. usque ad v. 11. c. 5. collocanda est post v. 20. c. 1. lib. 1.

TANQUAM IPSE (Onias Sanctus Pont.) HELIODORUM INSTIGASSET (id est magicis artibus impulisset) AD HÆC.) Flagella iam dicta sufferenda. Sic enim impii miracula Dei adscribunt magiæ et dæmonis invocationi.

Vers. 4. ONIAS, etc. AD REGEM (Seleucum) SE CONTULIT.) Ac Simonis calumnias diluit, et Simoni silentium per regem imposuit.

Vers. 7. SED POST SELEUCI VITÆ EXCESSUM (necem ei irrogatam per insidias ab Heliodoro) CUM SUSCEPISSET REGNUM ANTIOCHUS, QUI NOBILIS (puta Epiphanes) APPELLABATUR (eratque frater Seleuci occisi) AMBIEBAT IASON (Hebr. vocabatur *Iesus*, sed græcizans ethnicum nomen assumpsit, dictusque est *Iason*) FRATER ONIÆ SUMMUM SACERDOTIUM.) Scilicet Pontificatum.

Vers. 8. ADITO REGE PROMITTENS EI ARGENTI TALENTA 360.) Quanta fuerit hæc summa, calcula ex eis quæ dixi c. præced. v. 11.

Vers. 9. SUPER HÆC PROMITTEBAT ET ALIA 140. SI POTESTATI EIUS CONCEDERETUR GYMNASIUM ET EPHEBIAM SIBI CONSTITUERE.) In urbe Ierosolymitana. Quid hæc fuerint dixi l. 1. c. 1. 15. et de his fuse agit Petrus Faber l. 3. Agonist. c. 27. et 28. ubi inter cætera ait: Ephebiam Lyran. optime exposuit prostibulum pulcherrimorum iuvenum; et Athen. lib. 11. Dipnos. Ephebi, ait, sunt prostituti pueri, qui 4. Reg. 24. Hebr. vocantur *Kadescim* קדשים id est spurci et scelerati. Noster vertit effœminatos; Lyran. prostibula mascula. Iidem vocantur τετελεσμενοι, id est initiati et consecrati, scilicet Astartæ, sive Veneri aut Priapo. Syrorum enim Dea erat Astarte sive Venus. Iidem utebantur galero lato, qui inde Petasus dicebatur a πετεμομαι, id est extendo. Aut petasus erat cortina, quæ lupanari obducebatur ad tegendas earum spurcitias. Rursum idem Faber per ephebiam accipit ganeas et popinas ad comessandum et compotandum; voluerunt enim imitari suum regem Ant. Epiphanem, qui cum popularibus, quos in tabernis reperisset, helluari ac compotare, et cum iuvenibus nepotari saltareque solebat; unde a nonnullis pro Epiphane dictus est Epimanes, id est insanus, teste Athen. lib, 5. Dipnos. p. 57. Hinc lupanaria cauponis erant coniuncta: venter enim cibo vinoque saturatus in Venerem profluit; et ut ait S. Hier. despumat. Causam subiicit Faber dicens: *In Syria, cum ob regionis fertilitatem plerisque apud alias gentes necessariis laboribus exempti essent; agitata identidem ab incolis convivia lavationibus, ludicrorum certaminum exercitationibus, et sumptuosissimis ex oleo pretioso unctionibus adhibitis; adeo ut in grammateiis quoque (sic enim publica epularum loca honestiore scilicet, ac turpitudinem rei velante vocabulo nuncupabant) non secus ac privatus quisque domibus maximam diei partem, farciendo dapibus vinoque ventri, non sine aurium voluptate (quas vel ipse demulcebat multisonæ testudinis fragor) impenderent, secumque postea obsoniorum partes domum auferrent; Athenæus me docuit. l. 5. Dipnos. p. 66.*

ET EOS, QUI IN IEROSOLYMIS ERANT, ANTIOCHENOS SCRIBERE.) Antiochia erat caput regni Syriæ; quare Antiocheni ampla a suis regibus obtinuerunt privilegia, qua-

lia pariter habuere Alexandrini et Romani. Unde S. Paulus dicens: *Civis romanus sum*, flagellationi iam paratæ se exemit, Actor. cap. 22. 25.

Vers. 11. Et amotis his (patriis institutis, scilicet Iudæorum legibus, moribus et ritibus) quæ humanitatis (benevolentiæ) causa Iudæis a regibus (Persarum et Græcorum, licet ethnicorum et idololatrarum) fuerant constituta.) Hi enim reges indulserant Iudæis suis legibus vivere, vetuerantque eos ad Gentilium religionem et mores cogi: his inquam amotis, impius et apostata Iason Gentilitios ritus induxit; idque fecit per Ioannem patrem Eupolemi, qui (Eupolemus postea tempore Iudæ Machabæi) apud Romanos de amicitia et societate (cum Iuda et Iudæis ineunda) functus est legatione legitima (1. Machab. 8. 17.) civium iura destituens (abrogans, abolens, destruens) prava instituta (Gentilium et Gentilismi) sanciebat.

Vers. 12. Etenim ausus est sua ipsa arce (Sion) gymnasium, (in quo iuvenes gymnasticen exercerent, discerentque luctari, currere, saltare, equitare, digladiari, etc.) constituere et optimos quosque ephebórum (id est adolescentum) in lupanaribus ponere.) Ad infandam et præposteram libidinem. Ephebi græce vocantur puberes, adolescentes: ἐφηβεία enim est pubertas, adolescentia quæ in maribus fit anno ætatis 14. ἥβη enim est iuventus: unde Hebe dicta est uxor Herculis, ac Dea pubertatis et iuventutis prognata ex Iove et Iunone, ait Hesiodus in Theogn. Græce est: *Optimos epheborum substituens sub petasum duxit.* Petasus erat galerus latus, qui erat insigne catamitorum, aut potius petasus erat velum, et cortina tegens lupanar, ut eo tecti impudenter pudendas et nefarias suas libidines exercerent.

Vers. 14. Ita ut sacerdotes etc. festinarent participes fieri palestræ, ut scilicet athletas in palæstra, lucta, cursu, gladiis, hastis certantes spectarent, quin et ipsimet iisdem certarent, et præmium victori constitutum adipiscerentur; unde explicans subdit: et præbitionis eius iniustæ.) Id est præmiorum quæ vincentibus præberi solebant, qualia erant aurum, argentum, coronæ, vestes, arma, etc. quæ vocat iniusta, id est iniqua, quia sacerdotibus indigna erant, utpote laica, iuvenilia, impudentia et lasciva.

Et in exercitiis disci.) Qualia hæc fuerint dixi l. 1. c. 1. v. 15. Græca habent: *post disci provocationem;* solebat enim discus per palæstram circumferri, ac præmium vincenti propositum disco imponi, ut per hoc plures ad disci certamen invitarent et provocarent, uti docet Petrus Faber l. 2. Agonist. c. 22.

Vers. 15. Græcas glorias.) Ita vocat ludos Græcorum, Olympicos et Isthmios, qui Corinthi celebrabantur; aliosque similes Gentilium ritus, de quibus gloriabantur Græci, id est Gentiles, præsertim qui in iis victores palmam et præmium tulerant.

Vers. 16. Quarum gratia periculosa eos contentio habebat.) Id est periculose contendebant æmulari ludos ritusque Græcorum et Gentilium, ac alter alterum in iis superare conabatur, de eoque gloriabatur. Nota τὸ *periculosa:* periculum enim erat tum rixarum et pugnarum, ne iis se mutuo invaderent et conficerent: tum ne a Græcis, puta Antiochis Asiæ regibus quasi Græci plane subiugarentur; tum maxime periculum erat a Deo, ne ipse apostasiam eorum a se et Iudaismo ad Gentilismum et dæmones, acriter puniret.

Quos hostes et peremptores habuerant.) Tum ante sub Ptol. Philopatore, qui acriter Iudæos prosecutus est, ut patet ex libro 3. Mach. tum paulo post sub hoc Antiocho Epiphane, idque in pœnam huius apostasiæ ipsorum; unde sequitur:

Vers. 17. In leges enim divinas impie agere impune non cedit.) Deus enim suas iniurias lente sed acriter punit. Nam ut ait ille: *Dii laneos habent pedes, sed ferreas manus;* et ut ait Valer. Maxim. l. 1. c. 2. *Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat,*

Vers. 18. Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur.) Agon significat ludos agonisticos iam dictos similes ludis et agonibus Olympicis, qui post quartum quemlibet annum celebrabantur, ideoque *quinquennalis agon* vocatur. Quare hic agon diversus erat ab agone Olympico, qui quarto quolibet anno celebrabatur, nec in præsentem annum cadebat, uti ostendit Salianus.

Vers. 19. Misit Iason (Simoniacus pseudopontifex) viros peccatores.) Utpote impietatis et idololatriæ Iasonis legatos, administros et executores. Serarius pro *peccatores* censet legendum *precatores;* hos enim significat Græcum θεωροί; quod tamen Compl. vertunt, *procuratores sacrorum;* alii, *oraculorum suscitatores;* Vatabl. *spectatores*, et ita pro *peccatores* legendum censet Salianus. De quibus Suidas et Sigonius de Rep. Athen. θεωροί erant, inquit, qui ad spectacula, festa, oracula, rerumque divinarum curationem mittebantur. Ita Diodorus Siculus eos vocat, quos Dionysius tyrannus ad ludos Olympicos cum suis carminibus miserat. Hinc Stratodes adulator Athenis rogationem promulgavit, ut qui ex plebiscito publice ad Antigonum et Demetrium mitterentur non legati, sed theori dicerentur, sicut qui Delphis et Olympiæ solemnibus Græcorum conventibus victimas pro civitatibus agunt, ut inquit Plutarchus in Demetrio. Græca addunt: *ut qui Antiochenses* essent, id est iure Antiochensium donati ab Antiocho.

Portantes argenti didrachmas (Græce est drachmas) trecentas in sacrificium Herculis.) Drachma argenti est Iulius sive regalis Hispanicus; didrachma ergo sunt duo Iulii, sive duo regales: quare trecentæ didrachmæ faciunt Iulios, sive regales sexcentos; hoc est sexaginta aureos Romanos, quibus multæ victimæ, puta oves et capri coemi poterant ad sacrificium Herculis. Nonnulli tamen, putantes hanc summam nimis esse vilem et exilem in Pontifice ad captandam Antiochi regis benevolentiam, putant has didrachmas fuisse aureas; eas tamen vocari *argenti*, id est pecuniæ, q. d. Misit Iason argenti, id est pecuniæ didrachmas aureas trecentas, quæ faciunt sexcentos aureos Romanos. Ita Sanchez; drachma enim auri est unus aureus: didrachma ergo sunt duo aurei; quare trecentæ didrachmæ auri sunt sexcenti aurei.

In sacrificium Herculis.) Qui quasi Deus fortitudinis, et bellorum, ac certaminum celebratur in Syria et Tyro, eratque proprius Tyriorum Deus, ideoque Hercules Tyrius dicebatur; vide Gyraldum de diis gentium in Hercule: unde multi putant, Herculem non alium fuisse quam Samsonem, qui iuxta Tyrum in Palæstina raræ fortitudinis suæ edidit exempla, ut dixi in libro Iudicum. Hinc ibidem celebrabatur agon quinquennalis in honorem Herculis, quo athletæ profitebantur se imitari Herculem, ideoque ibidem in gymnasiis proponebantur Herculis statuæ et sacella, uti ex Galeno, Pausania, Athenæo et aliis docet Serarius.

Quas postulaverunt hi, etc.) q. d. Iason misit trecentas didrachmas pro sacrificio Herculis; sed eius legati licet impii, minus tamen scelerati quam Iason, eas portantes, cum essent Iudæi, Deumque verum colerent, et idola detestarentur, rogarunt ne in Herculis dii gentium sacrificia, sed in alios usus expenderentur. Quare Ant. Epiphanes easdem expendit in fabricam triremium, quas ipse adornabat pro prima sua expeditione in Ægyptum, de qua sequitur.

Propter primates Ptolemæi Philometoris regis.) Vers. 21.
Qui a Philometore rege suo defecerant, eiusque fratrem iuniorem Ptol. Evergeten, qui et Physcon dictus est, sibi regem creare volebant. Igitur Ant. Epiphanes videns dissidium duorum fratrum, scilicet Philometoris et Physconis de regno Ægypti litigantium, ipse quasi avunculus utriusque (Cleopatra enim soror Epiphanis erat mater utriusque) finxit se velle esse litis arbitrum et mediatorem, ac inter fratres rem componere; sed revera intendebat regnum utrique nepoti eripere, et sibi arrogare. Id subodorati primates Ægypti et tutores regis noluerunt ut

ipse rebus Ægypti se immisceret. Et hoc est quod hic dicitur: CUM COGNOVISSET ANTIOCHUS ALIENUM SE A NEGOTIIS REGNI EFFECTUM, PROPRIIS UTILITATIBUS (regni sui in Syria) CONSULENS, PROFECTUS INDE (scilicet ex Tyro) VENIT IOPPEN, ET INDE IEROSOLYMAM, ubi eum quasi regem, imo quasi Deum quemdam terrestrem (talis enim volebat haberi et adorari Antiochus) excepit Iason: *cum facularum luminibus et laudibus*, ut sequitur. Pro *utilitatibus*, Noster legit in Græco ὠφελιας: iam legunt ἀσφαλειας, id est *securitatibus*, sed eodem redit sensus.

Vers. 23. ET POST TRIENNII TEMPUS MISIT IASON MENELAUM SUPRADICTI SIMONIS (proditoris et delatoris pecuniarum, de quo vers. 1.) FRATREM PORTANTEM PECUNIAS REGI.) Ant. Epiphani, quasi tributum in signum subiectionis.

Vers. 24. AT ILLE COMMENDATUS (a Iasone) REGI, CUM MAGNIFICASSET FACIEM POTESTATIS EIUS.) Id est cum amplis verbis exaltasset regiam Antiochi potestatem, maiestatem et splendorem, quod scilicet ipse per eam quidlibet in Syria efficere posset non solum in profanis et politicis; sed etiam in Ecclesiasticis et sacris, ideoque posset Ierosolymæ Pontificem constituere, quem vellet, adeoque Pontificatum a Iasone in se transferre: qua arte et fraude Menelaus a Iasone IN SEMETIPSUM RETORSIT SUMMUM SACERDOTIUM (Pontificatum) SUPERPONENS IASONI TALENTA ARGENTI TRECENTA,) tantumdem scilicet amplius Antiocho offerens, quam Iason obtulerat. Sicut ergo Iason, oblatis Ant. Epiphani 360. talentis, emit Pontificatum, eoque extrusit fratrem suum Oniam Sanctum: sic pariter Menelaus missus a Iasone ipsum Iasonem dolose supplantavit, et extrusit, promittens regi alia trecenta talenta præter 360. a Iasone eidem promissa. Unde Græce est: *superans Iasonem talentis trecentis*, q. d. Iason promiserat regi pro Pontificatu 360. talenta; at Menelaus summam hanc auxit, et pene duplicavit: sicut enim cum res in auctione venditur, singuli augent pretium, et qui summum offert pretium, illi res cedit: sic hic Menelaus addens trecenta, promittensque regi universim 660. talenta, Pontificatum obtinuit, herumque suum Iasonem callide exclusit.

Vers. 25. ACCEPTISQUE A REGE MANDATIS (ut Iudæi eum quasi Pontificem loco Iasonis susciperent) VENIT, NIHIL QUIDEM HABENS DIGNUM SACERDOTIO.) Tum quia Menelaus erat e tribu Beniamin, quæ inhabilis erat ad sacerdotium, cum Iason esset ex tribu Levi, ideoque ad eum habilis; tum quia impius erat, ac per simoniam Pontificatum sibi comparabat: ANIMOS VERO CRUDELIS TYRANNI.) Unde v. 34. iussit Oniam verum sanctumque Pont. per Andronicum crudeliter occidi.

Vers. 26. ET IASON QUIDEM QUI PROPRIUM FRATREM (Oniam Pont.) CAPTIVAVERAT, IPSE DECEPTUS (a famulo suo Menelao) PROFUGUS IN AMMANITEN EXPULSUS EST REGIONEM.) Iustum hoc fuit Dei iudicium, et iusta talionis pœna, uti qui fratrem supplantaverat, a famulo supplantaretur, et qui Pontificatum emerat, a maiori emptore exploderetur; et qui Oniam Sanctum Pont. in exilium egerat, exsul apud Ammonitas misere viveret. Hic vide quam verum sit illud Eccles. c. 27. 28. *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet: et plaga dolosa dolosi dividet vulnera. Et qui foveam fodit, incidet in eam: et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum alii ponit, peribit in illo.*

Vers. 29. ET MENELAUS AMOTUS EST A SACERDOTIO.) A Pontificatu ab Antiocho Epiphane, eo quod 360. talenta sibi promissa non præstaret. Quare Epiphanes loco Menelai pontificem creavit eius fratrem Lysimachum eadem sibi, ut videtur, promittentem. Ita impius Menelaus impium Iasonem exturbavit, et ab impio fratre Lysimacho pariter exturbatus est. Cum enim agitur de honore et ambitu, frater fratrem non agnoscit, sed odit et supplantat. Quisque enim dignitatem sibi optat potius quam fratri; imo non raro fratri eamdem eripit. Tanta est vis ambitionis et cupiditatis in homine per peccatum corrupto.

CONTIGIT THARSENSES ET MALLOTAS SEDITIONEM MOVERE, EO QUOD ANTIOCHIDI REGIS CONCUBINÆ DONO ESSENT DATI.) Ab Epiphane, ut ex eorum redditibus sibi vestes pretiosas, monilia, ancillas, famulos et rhedas compararet. Audi Ciceronem, Act. 5. in Verrem: *Solere aiunt barbaros reges Persarum et Syrorum plures uxores habere; his autem uxoribus civitates attribuere hoc modo: hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines; ita populos habent universos non solum conscios libidinis suæ, verum etiam administros.* Idem tradit Plato in Alcibiade, Plutarch. in Themistocle et Athen. lib. 1. Strabo l. 14. Porro Tharsus et Mallus erant nobiles Ciliciæ civitates, quæ proinde indignatæ sunt se datas meretrici, quæ ab Antiocho amasio suo se vocabat Antiochidem, ideoque tumultuatæ sunt. Quocirca illico accurrit Antiochus, ut tumultum sedaret, relicto Antiochiæ prorege Andronico ut sequitur. Vers. 30.

ONIAS (sanctus Pontifex) ARGUEBAT EUM.) Menelaum de sacrilegio, quod vasa aurea furatus e templo dedisset Andronico proregi, ut sibi Pontificatum restitueret. Licet enim Onias iniuste spoliatus esset Pontificatu, et exularet Antiochiæ; tamen quia vere ipse erat Pontifex, ex zelo Pontificio redarguit sacrilegum, esto probabiliter sciret se hac ratione necem sibi accersere; sciebat enim per eam se Martyrii lauream quam optabat adepturum. Vers. 33.

IN LOCO TUTO SE CONTINENS ANTIOCHIÆ SECUS DAPHNEM.) Locus hic erat quinque passuum millibus distans Antiochia: unde a Dione lib. 51. nuncupatur *suburbium*, ita dictus a copia laurorum, q. d. Lauretum; δαφνη enim est laurus; quare in eo erat fanum celebre Apollinis, ideoque erat asylum omnibus tutum et inviolabile. Hic sepultus fuit S. Babylas martyr, qui Apollini silentium indixit, ideoque a Iuliano apostata exhumatus fuit. Vide eius acta. Iuxta hunc locum sepultus quoque fuit S. Ignatius Antiochiæ Episcopus et Martyr; sed inde translatus fuit Romam. Huc ergo quasi ad asylum confugit Onias Pontifex; sed per dolum ex eo eductus ab Andronico perfide et sceleste contra fidem ei datam et iuratam occisus fuit. Quare Iudæi et Gentiles indigne sancti Pontificis cædem ferentes Andronicum apud Antiochum Epiphanem accusarunt, qui eum purpura exutum circumduci iussit per urbem, et in eodem loco occidi, in quo ipse occiderat Oniam, ut sequitur. Ita occisus est Onias sanctus et zelosus Pontifex, postquam 36. annis Iudæorum Synagogam æque ac Rempublicam magno animi robore contra impios sustentasset. Qualis autem quantusque fuerit liquet, tum ex eo quod omnes Iudæi et Gentiles mortem eius luxerint, adeoque impius rex Epiphanes lacrymas fuderit; tum ex elogio quod ei dat Scriptura, c. 15. 12. ubi Iudas Machabæus pugnaturus contra Epiphanem vidit in somniis Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus fuerat, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Erat autem illi socius Orationis Ieremias, qui ipse quoque a suis Dei desertoribus peremptus fuerat in Ægypto.

DUCE QUODAM TYRANNO.) Græce *Aurano quodam*, q. d. Cum populus ob Lysimachi scelera et sacrilegia tumultuaretur, Lysimachus populo opposuit tria millia armatorum duce tyranno; sed populus undique concurrens, furensque lapidibus et fustibus eos fugavit, et Lysimachum iuxta ærarium sive gazophilacium templi occidit. Hæc est summa eorum quæ fuse in sequentibus narrantur. Vers. 40.

DE HIS ERGO COEPIT IUDICIUM ADVERSUS MENELAUM AGITARI.) q. d. Iudæi Menelaum quasi omnis malitiæ auctorem, qui fratri suo Lysimacho pseudopontifici tot scelera et sacrilegia suasisset, accusarunt apud Antiochum Epiphanem, qui rem litemque iussit iudicialiter contra Menelaum agi. Vers. 43.

ET CUM SUPERARETUR (multitudine testium et evidentia gravissimorum criminum reus convinceretur) PROMISIT PTOLEMÆO (Dorymenis filio, ut addunt Græca, qui Vers. 45.

auctoritate et gratia valebat apud Antiochum Epiphanem) MULTAS PECUNIAS DARE AD SUADENDUM REGI.) Ut Menelaum quasi innocentem absolveret; Iudæos vero accusatores quasi calumniatores pœna talionis ad mortem damnaret, cum ipsi prorsus essent innocentes. Itaque factum est, ut sequitur:

Vers. 30. MENELAUS AUTEM PROPTER EORUM QUI IN POTENTIA ERANT AVARITIAM (qua se pecuniis a Menelao corrumpi sinebant) PERMANEBAT IN POTESTATE.) Pontificia, q. d. Menelaus, occiso a populo fratre suo Lysimacho pseudopontifice, per aulicos pecunia corruptos intrusit se rursum in Pontificatum, cum non esset de tribu Levi, sed Beniamin, ut dictum est v. 23. Menelaus ergo Pontificatum gessit non legitime, sed ut intrusus per quatuor an-A nos, scilicet ab anno 140. Græcorum, quo ipse curavit occidi Oniam sanctum Pontificem usque ad annum 145. Græcorum, quo Mathathias contra eum et regem Epiphanem insurrexit, ac a populo dux et Pontifex fuit creatus. Licet enim Onias sanctus filium haberet Oniam, cui iure successionis hæreditariæ Pontificatus illo ævo debebatur; tamen is iam fugerat in Ægyptum, ac Heliopoli aliud templum erexerat, eiusque se Pontificem constituerat. Iason autem frater Oniæ plane indignus erat Pontificatu, utpote simoniacus et apostata qui Iudæos ad gentilismum traducere satagebat, ut audivimus initio cap. Deficientibus ergo legitimis hæredibus, Pontificatus devolutus est ad Mathathiam eiusque filios Iudam, Ionatham et Simonem Machabæos.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi videntes in cælo acies militum confligentes, ex eis accipiunt omen instantium bellorum, et cædium Ant. Epiphanis. Iason ex Ammonitide reversus Ierosolymam occupat, et per cædes in cives grassatur. Mox v. 11. Ant. Epiphanes Ægypto exclusus iram suam in vicinos Iudæos evomit: quare Ierosolymam capit, in eoque 80. millia trucidat, 40. millia incarcerat, et totidem divendit: templum violat, et spoliat, ablatis ex eo 1800. talentis. Inde rediens Antiochiam in Iudæa reliquit præfectos, qui gravius, quam ipse, Iudæos affligunt. Quare Iudas Machabæus cum suis fugit in desertum.

1. EODEM tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum. 2. Contigit autem per universam Ierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis, quasi cohortes, armatos, 3. Et cursus equorum per ordines digestos, et congressiones fieri cominus, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum iactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. 4. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti. 5. Sed cum falsus rumor exisset, tamquam vita excessisset Antiochus, assumptis Iason non minus mille viris, repente aggressus est civitatem: et civibus ad murum convolantibus, ad ultimum apprehensa civitate, Menelaus fugit in arcem: 6. Iason vero non parcebat in cæde civibus suis, nec cogitabat prosperitatem adversum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium et non civium se trophæa capturum. 7. Et principatum quidem non obtinuit, finem vero insidiarum suarum confusionem accepit, et profugus iterum abiit in Ammanitem. 8. Ad ultimum, in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum et execrabilis, ut patriæ et civium hostis, in Ægyptum extrusus est: 9. Et qui multos de patria sua expulerat, peregre periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: 10. Et qui insepultos multos abiecerat, ipse et illamentatus, et insepultus abiicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulcro participans. 11. His itaque gestis, suspicatus est rex societatem deserturos Iudæos: et ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit. 12. Iussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, et per domos ascendentes trucidare. 13. Fiebant ergo cædes iuvenum ac seniorum, et mulierum et natorum exterminia, virginumque et parvulorum neces. 14. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati. 15. Sed nec ista sufficiunt: ausus est etiam intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum et patriæ fuit proditor: 16. Et scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus et civitatibus erant posita ad ornatum loci, et gloriam, contrectabat indigne, et contaminabat. 17. Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat quod propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod et accidit circa locum despectio: 18. Alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic statim adveniens flagellatus, et repulsus utique fuisset ab audacia. 19. Verum non propter locum, gentem, sed propter gentem, locum Deus elegit. 20. Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum: postea autem fiet socius bonorum: et qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. 21. Igitur Antiochus mille et octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. 22. Reliquit autem et præpositos ad affligendam gentem: Ierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, a quo constitutus est: 23. In Garizim autem Andronicum et Menelaum, qui gravius quam ceteri imminebant civibus. 24. Cumque appositus esset contra Iudæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti et duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac iuvenes vendere. 25. Qui cum venisset Ierosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati: et tunc, feriatis Iudæis, arma capere suis præcepit. 26. Omnesque qui ad spectaculum processerant, trucidavit: et civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit. 27. Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: et fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

Hoc caput, a v. 11. ad finem æque ac caput 6. et 7. ordine temporis quo gesta sunt, collocandum est in fine c. 1. l. 1. ante initium c. 2.

Vers. 1. Eodem tempore Antiochus (Epiphanes) secundam profectionem paravit in Ægyptum.) Ut eam armis subiugaret; sed a Romanis prohibitus, rediens in Iudæam vicinam, indignationem suam effudit. Idipsum ante trecentos et plures annos Gabriel prænuntiarat Danieli, cap. 11. vers. 23. et sequent. Vide ibi dicta.

Vers. 2. Contigit autem per universam Ierosolymorum civitatem videri diebus 40. per aera equites discurrentes.) Inter se gladiis districtis, et telorum iactibus confligentes, uti verbis sequentibus valde efficacibus auctor exaggerat; quæ omnia fuerunt prognostica ingentis cladis Iudææ imminentis, ut sequitur.

Porro hæc portenta fuere ab Angelis iussu Dei in aere effecta per vaporum et exhalationum certam dispositionem, motum et concursum, quæ speciem acierum confligentium præ se ferret, ut per ea Deus Iudæis præsignificaret stragem eis mox ab Antiocho Epiphane inferendam, ac prælia quæ cum eo gesturus erat Iudas Machabæus. Sic antequam Titus et Romani obsiderent et caperent Ierosolymam 21. die mensis Maii, ait Iosephus l. 7. de Bello cap. 12. *Post dies festos ante solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, et armatæ acies tranantes nubila, et civitati circumfusæ.* Idem accidit tempore S. Gregorii, cum Longobardi invaderent Italiam. Audi eum, hom. 1. in Evangelium: *Prius quam Italia Gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsum qui postea humani generis fusus est sanguinem coruscantes.* Iulius Obsequens, lib. de Prodigiis ad Aug. Cæsarem, c. 6. et 7. refert L. Opimio et Q. Posthumio Coss. Consæ arma in cælo volare visa; et C. Mario et Horo Coss. Arimini canem locutum, arma cælestia ab ortu et occasu visa pugnare, et ab occasu vinci. Lucio Scipione et C. Norbano Coss. per Syllana tempora, inter Capuam et Vulturnum, ingens signorum sonus, armorumque horrendo clamore auditus, ita ut viderentur duæ acies concurrere per plures dies. Pansa item et Hirtio Coss. cum adversus Antonium dimicaretur, armorum telorumque species a terra visa cum fragore ad cælum ferri. Eutropius l. 6. historiæ, cum Cæsar adversus Pompeium dimicaret, refert tantum in aere armorum strepitum fuisse, ut Antiochiæ quasi adventu hostium in muris concurreretur.

Audi et Plinium, l. 2. cap. 57. *Armorum crepitus et tubæ sonitus auditos e cælo Cimbricis bellis accepimus, crebriusque et prius et postea. Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis et Tudertibus spectata arma cælestia, ab ortu occasuque inter se concurrentia, qui ab occasu erant.* Similia Cæsaris cædem præcessere signa, de quibus Appianus, lib. 4. Civilium. *Hominum,* inquit, *immanes voces, armorum strepitum, equorum cursus inspectante nemine audiebantur.* De eodem tempore Ovidius lib. decimo quinto Metamorph.

Signa tamen luctus dant non incerta futuri,
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua cælo
Præmonuisse nefas.

Similia portenta recenset Seneca in quæst. natural. Aug. Niphus in Meteorologicis, Corn. Gemma Frisius in Cosmocriticis, Conr. Lycosthenes licet in fide heterodoxus, lib. de Prodigiis, pag. 189. 210. et 228. Memini mihi in Belgio, cum puer essem, similia in cælo ostenta fuisse ostensa sub initium bellorum Belgicorum, quæ proinde Belgio instare ex hisce signis viri sapientes iam tum prænuntiabant, et eventus docuit docetque adhuc prænuntiationem fuisse verissimam. Denique astrologi, ac nominatim Ptolomæus in Centiloquio cap. 9. censet hæc fieri naturaliter vi astrorum, ac præsertim vi astri Persei; sic et August. Niphus lib. 1. Meteor. fol. 31. pag. 4. sed verius est hæc fieri a providentia speciali Dei per Angelos, qui tamen astris, ventis et vaporibus ad hæc spectra producenda utuntur, ut figuras cladis præsignificent. Vide Christ.

A a Castro l. 1. Proleg. in minores Prophetas, 17.

Vers. 4. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra (Græce ἐπιφάνειαν, id est apparitionem, visa, ostenta acierum in aere confligentium, quæ conflictus in Iudæa fore acres præmonstrabant) converti.) Ut scilicet Iudæi in hisce conflictibus forent superiores, neque vincerentur, sed vincerent, uti de facto Antiochum Epiphanem vicerunt Iudas eiusque fratres Machabæi.

Vers. 5. Sed cum falsus rumor exisset tamquam vita excisset Antiochus (Epiphanes) assumptis Iason non minus mille viris, repente aggressus est civitatem.) Puta Ierosolymam. Iason hic frater Oniæ sancti Pontificis data pecunia emerat Pontificatum ab Epiphane; itaque Pontificatu extruserat fratrem Oniam; sed Menelao plus pecuniæ offerenti Epiphanes Pontificatum tradidit, excluso Iasone. Iason ergo audiens rumorem de morte Epiphanis, cum iam eius offensam et potentiam non metueret, ex Ammonitide ubi exsulabat, armatis mille viris rediens, Ierosolymam invasit, et occupavit, ut Pontifica-
B tum recuperaret. Quocirca Menelaus, qui Iasonem extruserat ex urbe, fugit in arcem montis Sion.

Vers. 7. Et Principatum (sacrum, puta Pontificatum, eique annexum Principatum politicum quem maxime ambiebat Iason; tunc enim Pontifex simul erat dux et princeps populi) quidem non obtinuit, quia a confluente civium multitudine ipse quasi hostis et tyrannus cum suis urbe expulsus fuit. Quid enim poterant mille eius viri, et insidiæ contra centena et plura civium millia? Unde profugus iterum abiit in Ammaniten, indeque errans et vagus instar Caini profugit in Arabiam; sed cum ibi Arethæ regi de proditione vel regni ambitione esset suspectus, captusque fugiens abiit in Ægyptum; quia Ptolomæus rex Egypti hostis erat Epiphanis, sed pace inter utrumque conciliata, Iason, ne Epiphanes eum a Ptolomæo ad necem deposceret, ex Ægypto profugit ad Spartanos, quasi veteres Iudæorum amicos et cognatos: ibique misere in exilio vitam finiit, mortuusque humana caruit sepultura,
C sepultusque est sepultura asini in sterquilinio.

Vers. 8. Ut refuga legum.) Græce ut legum, ἀποστάτης, id est *transgressor et apostata,* utpote qui a Iudaismo ad Gentilismum apostatasset, et cæteros apostatare compelleret.

Vers. 11. Suspicatus est rex (Epiphanes) societatem deserturos (secum initam) Iudæos.) Causæ suspicandi erant. Prima, quia sciebat eos sibi infensos eo quod ipse eis ademisset Oniam Pontificem sanctum, eique surrogasset impios et sacrilegos pseudopontifices, Iasonem, Menelaum et Lysimachum, qui eos a Iudaismo ad Gentilismum traducere satagebant. Secunda, quia Antiochus a Romanis ex Ægypto cum infamia expulsus putabat se iam Iudæis fore contemptui, illosque vicinorum Ægyptiorum et sociorum Romanorum ope fretos iugum suum excussuros, uti excusserant Ægyptii. Tertia, quia ipse sciebat se ob avaritiam et crudelitatem Iudæis exosum. Quarta, quia Iudæi Lysimachum a se Pontificem constitutum lapidarant. Quinta, quia ipsi sparserant falsum rumorem de eius morte, v. 5. Addit Gorionides ipsos de ea exultasse:
D *Venerunt,* inquit, *e gente nostra impii ad regem, et dixerunt: Ecce visa sunt Ierosolymis ostenta quædam, et dixerunt cives: Mortuus est Antiochus, iidemque de domini nostri regis exitio gavisi sunt.* Sexta, quia redeunti Antiocho ex Ægypto Ierosolymitæ parabant se ad illi resistendum; unde mox adventanti portas occluserunt. Hæc omnia resciebat Epiphanes per suos exploratores et amicos, et præsertim per Menelaum, cui post lapidatum Lysimachum eius fratrem ipse Pontificatum restituerat. Hic omnia Iudæorum contra Epiphanem consilia, acta, dictaque ipsi prodebat, v. 15. Atque his de causis Epiphanes, portas urbis sibi occlusas vi perfringens, tanta crudelitate et barbarie in Iudæos sæviit, ut spatio trium dierum occideret 80. millia, 40. venderet, et totidem capta vinciret, ut sequitur.

Vers. 17. Ita alienatus mente (Græce *elatus animo*) Antiochus.) Putabat se Iudæos supplantasse, ut eis quasi mancipiis uteretur, eorumque templum sacrilege violaret et

spoliaret, ablatis ex eo 1800. talentis, v. 21.

Vers. 19. Verum non propter locum, gentem; sed propter gentem, locum Deus elegit.) q. d. Deus non propter locum Iudææ gentem Iudæorum elegit, sed propter gentem ipsorum olim sub Davide et Salomone fidelem et sanctam, locum Iudææ elegit, ut in eo sibi conderet domum, puta templum, in quo quasi sanctissimus inter sanctos cives, servos et filios suos habitaret. At iam ob peccata grandia Iudæorum Deus templum deseruit, illudque prædæ dedit Antiocho, sed ut speramus eodem rursus redibit, cum Iudæi pœnitentes ad Deum suum conversi fuerint, illique pie et sancte servierint, uti ante fecerunt.

Vers. 22. Reliquit autem et præpositos ad affligendam gentem.) q. d. Antiochus rediens Antiochiam, quasi ad regni sui sedem regiam, reliquit in Iudæa homines sævos et feros, qui magis quam ipse Iudæos afflixerunt, nimirum Philippum, Andronicum et Menelaum pseudopontificem omnis malitiæ suggestorem et incentorem.

Vers. 24. Cumque appositus (nonnulli legendum putant *oppositus;* unde Græca habent: ἀπεχθῆ, id est, *inimicam contra Iudæos habens intentionem*) esset contra Iudæos, q. d. cum Antiochus cor suum apposuisset, id est statuisset, stabilivisset et obfirmasset contra Iudæos, ut eos perderet et annihilaret, si posset, misit odiosum (Iudæis exosum) principem Apollonium cum exercitu; nimirum cum 22. millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere.) Hic est ille Apollonius, qui, Antiocho Magno contra Romanos pugnante, dextrum eius cornu ducebat, cum sinistrum duceret Annibal, teste Livio, l. 37. Idem paucis post annis ab Epiphane missus contra Iudam Machabæum ab eodem victus est et occisus, 1. Machab. 3. v. 11.

A Omnesque qui ad spectaculum (ad spectanda sacrificia, sacraque officia festo sabbati a Iudæis celebrari solita) processerant, trucidavit. Vers. 26.

Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat.) Id est futurus erat decimus Pontifex computando a Gaddo, qui Pontifex fuerat tempore Alexandri Magni. Ita Sa et Mariana, Lyran. et Dion. Simplicius alii censent Iudam vocari decimum; quia tum in ordine sacerdotum erat decimus. Aut potius fuerat Iudas decimus, id est decemvir, sive unus e decem primoribus et principibus sacerdotum, qui populum regebant. Porro ex Græco simpliciter vertas: *Iudas autem decimus factus*, hoc est, Iudas aggregavit sibi novem socios paris fidei et virtutis, quorum ipse erat decimus, cum quibus ipse in montes secessit, vivens herbis inter feras. Sic sanctus Bruno cum sex sociis secessit in asperos Carthusiæ montes, ibique Carthusianorum ordinem instituit. Sic noster S. Ignatius aggregavit sibi novem socios, quorum ipse erat decimus, cum quibus secedens Societatem Iesu instituit. Ita Iudas cum B novem Assidæis illius ævi religiosis, de quibus l. 1. cap. 7. 13. in montes recessit, ibique herbis victitans austeram egit vitam. Ita Salianus et alii. Iudas ergo cum suis parentibus, fratribus et asseclis fugiens tantam persecutorum rabiem. Vers. 27.

Secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat; et fœni (id est olerum, herbarum, radicumque) cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis.) Ne se contaminarent convictu, alloquio, familiaritate Apollonii, eiusque militum Gentilium, qui acerrime Iudæos persequebantur, cogebantque eos vesci suis cibis idolo immolatis, imo idolis suis sacrificare, ut patebit. c. 6. et 7.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ant. Epiphanes mittit senatorem, qui cogat Iudæos ad gentilismum, ac templum Ierosolymitanum consecret Iovi Olympio, Garazitanum vero Iovi Hospitali. Quare resistentes illi mactantur, præcipitantur, concremantur. Inter quos v. 18. recensetur gloriosa mors, et martyrium Eleazari, qui maluit excarnificari, quam carne porcina contra legem vesci.

1. Sed non post multum temporis misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Iudæos ut se transferrent a patriis et Dei legibus: 2. Contaminare etiam quod in Ierosolymis erat templum, et cognominare Iovis Olympii: et in Garizim, prout erant hi qui locum inhabitabant, Iovis hospitalis. 3. Pessima autem et universis gravis erat malorum incursio: 4. Nam templum luxuria et comessationibus gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea, quæ non licebat. 5. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. 6. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrii servabantur, nec simpliciter Iudæum se esse quisquam confitebatur. 7. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: et, cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire. 8. Decretum autem exiit in proximas gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo et ipsi adversus Iudæos agerent, ut sacrificarent: 9. Eos autem, qui nollent transire ad instituta gentium, interficerent: erat ergo videre miseriam. 10. Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt. 11. Alii vero, ad proximas coeuntes speluncas, et latenter sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quod verebantur, propter religionem et observantiam, manu sibimet auxilium ferre. 12. Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. 13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. 14. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum iudicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: 15. Ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. 16. Propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit. 17. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Iam autem veniendum est ad narrationem. 18. Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir ætate provectus, et vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. 19. At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. 20. Intuens autem, quemadmodum oporteret accedere, patienter

sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. 21. Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant afferri carnes quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus: 22. Ut, hoc facto, a morte liberaretur: et propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. 23. At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus: et secundum sanctæ et a Deo conditæ legis constituta, respondit cito, dicens, præmitti se velle in infernum. 24. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: 25. Et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur, et per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram. 26 Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus, effugiam. 27. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo: 28. Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur. 29. Hi autem, qui eum ducebant, et paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. 30. Sed, cum plagis perimeretur, ingemuit, et dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. 31. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum iuvenibus, sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens.

Vers. 1. MISIT REX (Antiochus Epiphanes) SENEM (senatorem; senatus enim erat concilium senum; senum enim est sapientia et prudentia) QUEMDAM ANTIOCHENUM.) Græce ἀθηναῖον, id est *Atheniensem*, forte quia Athenis erat oriundus, sed Antiochiæ factus civis habitabat; aut quod nomen proprium ei sonet *Athenæus*. Noster Mariana censet illum fuisse Bacchidem, quem cogentem Iudæos idolis sacrificare Mathathias ex zelo occidit, ut dictum est lib. 1. c. 2. v. 25.

Vers. 2. CONTAMINARE, etc. TEMPLUM ET COGNOMINARE IOVIS OLYMPII.) Iussit Antiochus ergo Iovis idolum in templo collocari et adorari, ac templum solemni ritu dedicari, indeque templum Iovis nuncupari. Ecce hæc est *abominatio desolationis*, hoc est, abominandum idolum omnia desolans, prædicta ante trecentos annos a Daniele, cap. 11. vers. 31.

ET IN GARIZIM PROUT ERANT HI QUI LOCUM INHABITABANT IOVIS HOSPITALIS.) q. d. Templum Garizitanum Samaritanorum, de quo Ioannis 4. v. 20. Antiochus iussit dedicari Iovi Hospitali, eo quod incolæ Garizitani et Samaritani essent hospites et advenæ. Ex Assyria enim in Samariam quasi hospites et peregrini traducti erant a Salmanasar, 3. Reg. 17. Unde et Samaritani in epist. ad Antiochum scripta, quam recenset Iosephus l. 12. 9. vocant se *hospites*, id est advenas et peregrinos. Iuppiter enim Hospitalis dictus est, eo quod ei quasi Deo hospitum cura et tutela incumberet, ne quis eos impune fraudaret vel læderet. Unde eum invocat Æneas peregre in Italiam pergens. Sic enim ait Æneid. 1.

Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiaque profectis
Esse velis.

Vers. 7. DUCEBANTUR AUTEM (Iudæi turmatim magno numero) CUM AMARA NECESSITATE (puta violenta coactione) IN DIE NATALIS REGIS (Antiochi Epiphanis) AD SACRIFICIA, quæ offerebantur idolis, ut iis assisterent et cooperarentur, ex iisque manducarent quasi consentientes idolis et idololatriæ.

ET CUM LIBERI (Bacchi) SACRA CELEBRARENTUR, COGEBANTUR HEDERA CORONATI LIBERO CIRCUIRE.) q. d. Cum Bacchanalia, id est, festa Bacchi celebrarentur potando, saltando, ludendo, scortando, etc. in omni carnis licentia ac concupiscentiæ libertate (unde Bacchus vocabatur Liber, quod omnem carnis libertatem cuilibet in festis et sacris suis daret) cogebantur Iudæi in honorem Liberi sive Bacchi coronari hedera, itaque templum vel urbem circuire. Erat enim hedera dicata Baccho, eo quod sua frigiditate resistat vino et ebrietati, cuius Deus erat Bacchus, teste Plinio, lib. 16. c. 34. Tertul. lib. de Corona mil. cap. 7. et Cælio Rodigino, lib. 14. c. 49. Græci enim suis pergræcationibus, id est, compotationibus indulgentes (ac maxime Ant. Epiphanes) colebant Bacchum; unde et fingebant Bacchum apud se ex femore Iovis natum, ait Dionysius. Bacchus ergo dictus est Liber, quasi Deus libertatis, vel eo quod vinum curas solvat, et mentem ab illis liberet, et audaciorem in omnes conatus faciat. Varro a labendo deducit quod lubrica mens quo lubet prolabatur. S. August. lib. 6. de Civit. cap. 9. docet Liberum vocari, *quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur. Hoc idem in fœminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant.* Porro quanta fuerit turpitudo sacrorum Liberi idem Augustinus describit libro 7. de Civitate capite 21.

Vers. 8. DECRETUM (cogendi Iudæos ad colendum Bacchum) AUTEM EXIIT IN PROXIMAS GENTILIUM CIVITATES SUGGERENTIBUS PTOLEMÆIS.) Duobus fratribus, scilicet Ptolomæo Philometore, et Ptolomæo Physcone, qui regnabant in Ægypto. Verum quia hi hoc tempore pene pueri erant, nec vicinas Ierosolymæ civitates in Syria occupabant, idemque in Iudæos erant benevoli; hinc melius per Ptolomæos hic accipias eos, qui erant ex familia Ptolomæorum iam dictorum, ac pro Antiocho Epiphane præerant Ciliciæ et Phœnici, præsertim Tyro et Sidoni, qualis fuit Ptolomæus, cuius mentio fit c. 4. v. 45. et c. 8. v. 8. Quia enim Antiochus Epiphanes erat avunculus Ptolomæi Philometoris et Physconis; hinc ex eorum cognatis et familiaribus nonnullos in suam aulam adscivit, eosque suis provinciis in Syria præfecit.

Vers. 11. CUM INDICATI ESSENT PHILIPPO, FLAMMIS SUCCENSI SUNT.) Eo quod Sabbatum colerent, et iudaizarent, ideoque Sabbato invasi nollent se defendere ob honorem Sabbati, quo lex ab opere quiescere iubebat, sed permitterent illo die se occidi, ut sequitur. Hic est Philippus ille quem Antiochus ad exagitandos Iudæos misit c. 5. v. 22.

Vers. 18. IGITUR ELEAZARUS (Eleazarus Hebr. idem est quod *Dei adiutorium*, quod huic glorioso athletæ et martyri ad tentationes et tormenta validum affuit) UNUS DE PRIMORIBUS SCRIBARUM (id est Doctorum et Legisperitorum) Iosephus filius Gorionis, l. 3. c. 2. et 4. eum vocat *sacerdotem*, imo *principem sacerdotum*, scilicet suæ vicis et classis. Erant enim 24. classes sacerdotum, quarum quæque suum habebat principem. Additque eum fuisse e 72. Interpretibus qui sub Ptolomæo Philadelpho S. Script. ex Hebræo in Græcum converterunt. Verum sic debuisset esse 120. annorum, non 90. dumtaxat, ut ipse ait v. 14. S. Greg. Nazianzenus, orat. 22. de Machabæis, et S. Ambrosius, lib. 2. de Iacob, et vita beata, cap. 10. et 11. eum vocant *patrem*, id est doctorem, et magistrum septem fratrum Machabæorum martyrum de quibus cap. seq. unde ipsi Antiocho dixerunt, ait Nazianz. *Eleazari discipuli sumus, pater prius decertavit, filii postea certabunt.* Et S. Ambros. *Sequimur patrem filii, discipuli doctorem.*

VULTU DECORUS (Græce *aspectu faciei* κάλλιστος, id est *pulcherrimus*) VOLUNTARIE (Græce sponte) PRÆIBAT AD SUPPLICIUM.) Græce *ad tympanum*. Porro *tympanum*

erat genus tormenti, quo homines fortiter et rigide distendebantur, vel in mensa aut scamno, vel ad palum alligati quasi in eculeo, ibique fustibus pulsabantur, uti pelles distentæ in tympano pulsantur, uti ex Polyb. Suida et Aristophane docet Serarius. Nonnulli quoque ibidem flagris cædebantur vel vivi excoriabantur, vel candentibus laminis ustulabantur, uti Eleazaro huic factum narrat Iosephus; vel saxis malleisque tundebantur, et quasi tympanum omnium verberibus cruciatibusque obiiciebantur.

Huc alludens Apostolus Hebr. 11. v. 34. ait: *Alii autem distenti sunt;* Græce ετυμπαιθησαν id est *tympanizati sunt;* Suidas, *fustibus contusi sunt;* S. Chrysost. *decollati sunt.* Eleazarus ergo distentus pulsatusque in tympano typus fuit Christi in cruce distenti, malleisque pulsati et confixi.

Vers. 20. INTUENS (legit Noster προσπτομενος, iam legunt προπτυσας, id est *expuens*, scilicet carnem sibi violenter in os ingestam) AUTEM QUEMADMODUM OPORTERET ACCEDERE.) q. d. Prospiciens, præcogitans, præmeditans quomodo oporteret ad certamen hoc acre accedere, nimirum tamquam pugilem athletam, et martyrem Dei, qui primus agonem hunc fidei erat obiturus, cæterisque exemplum invictæ constantiæ et fortitudinis daturus firmo mentis proposito, ac voluntate prorsus obfirmata, DESTINAVIT NON ADMITTERE ILLICITA PROPTER VITÆ AMOREM,) puta non comedere carnem porcinam Iudæis Levit. 11. vetitam, præsertim quia eam comedere iubebatur ab Antiocho tyranno in legis contemptum, ut hac manducatione significaret se a Iudaismo ad Gentilismum apostatare. Quocirca maluit Eleazarus excarnificari, quam porcinam comedere et Antiocho consentire.

Addit Iosephus libr. de Machabæis cap. 5. Antiochum suasisse variis rationibus Eleazaro, ut porcinam ederet, ac imprimis illa, quod Deus daturus esset illi veniam, eo quod non sponte, sed vi coactus comedisset porcinam; Eleazarum vero regi respondisse: *Nos Antioche, quibus ex divina lege vivendum esse persuasum est, nullam necessitatem violentiorem eis esse existimamus, quam legi nostræ parere; quo fit, ut nullo pacto violandam esse censeamus.* Causam subdit: *Temperantiam enim docet nos, ita ut omnibus voluptatibus et cupiditatibus imperemus, et fortitudinem sic exerceamus, ut labores omnes ultro feramus. Iustitiam quoque sic docet, ut eum qui solus Deus est magnifice veneremur.* Et paulo post: *Verum non committam ut tu me sic derideas; neque sacrum maiorum nostrorum de lege servanda iusiurandum violabo, non si mihi et oculos effoderis, et viscera torrueris. Non ego sic sum senex et effœminatus, ut mihi non vigeat pietate ratio. Tu et rotas compone, et ignem affla vehementius: non sic me miseret senectutis meæ, ut eius causa patriam legem violem. Non tibi mentiar, præceptrix lex; neque te abiurabo, cara temperantia: neque te dedecorabo sapientiæ studiosa ratio; neque te abnegabo venerabile sacerdotium, legumque scientia: castum me maiores accipient, non veritum mortiferam istam tuam violentiam.* Subdit deinde cap. 6. *Hoc pacto contra tyranni exhortationem locutum Eleazarum, qui aderant satellites crudeliter ad tormenta trahunt, ac primum nudatum, brachia utrimque tenentes, flagris cædunt, præcone interea vociferante, ut regis mandatis obediret. At magnanimus ille Eleazarus, perinde ac si in somnio cruciaretur, nihil prorsus movebatur; sed intentis oculis cœlum intuebatur ille senex, cum interea ipsius caro verberibus laniaretur, et diffluente sanguine latera vulnerarentur. Cumque corpore dolores non ferente ad terram cecidisset, rectam tamen immotamque rationem habebat. Hic crudelis quidam satelles in iacentis ilia insilit, eumque pedibus pulsat, ut surgeret. At ille dolores ferebat, et vim illam contemnens cruciatus tolerabat, et verberantes vincebat senex carnifices, adeo ut ipsis quoque eius animi præstantia esset admirationi.* Plura hic addit Iosephus quæ non habet Scriptura, quorum proinde penes ipsum sit fides. Ad Iosephi verba alludens S. Ambr. lib. 2. de Iacobo c. 11. asserit Eleazarum dixisse: *Nos non intentione ducimur, sed reverentia legis tenemur, quæ suilla carne abstinendum præcipit. Quod si hoc leve putas, ut carne vescamur suilla, qui in minimis legem contempserit, quomodo in magnis tenebit? Abstinentia nostra disciplina est castimoniæ. Non sum ita senex, ut non iuvenescat animi fortitudo. Senectus portus esse debet, non naufragium vitæ superioris. Non te negabo, lex patria; non abiurabo vos, sancta instituta maiorum; non decolorabo vos infulæ sacerdotales: non te perfidiæ pulvere turpabo canities.* Itaque simulare ne quidem voluit, cum aliæ carnes proponerentur; et sic, ait Ambrosius, *immoriendo tormentis, factus est cæteris magisterium perseverantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum.*

DICENS PRÆMITTI SE VELLE IN INFERNUM.) Id est velle se mori, mittique in limbum patrum potius quam contra legem porcinam edere. Eleazarum imitantur Carthusiani, qui carnem, licet a medico præscriptam ut necessariam ad ægroti vitam constanter respuunt, maluntque potius mori ut votum suum de non vescendo carnibus illibatum inviolatumque conservent. Licet enim religioni et voto postponere vitam: ut S. Casimirus ægrotans maluit mori, ut votum virginitatis servaret, cum medici assererent eum a morbo quo laborabat curari non posse, nisi uxorem duceret; hisce omnibus enim hoc unum respondit: *Eligo virgo mori,* nimirum: Vers. 23.

Et vivam et moriar; vivam cum virgine Iesu,
Cuius amore lubens eligo virgo mori.

Hi sunt Heroum actus castitatis, temperantiæ, fortitudinis heroici.

NAM ETSI IN PRÆSENTI TEMPORE SUPPLICIIS HOMINUM ERIPIAR, SED MANUM (vindictam acerrimam) OMNIPOTENTIS NEC VIVUS NEC DEFUNCTUS EFFUGIAM.) Peccasset enim mortaliter Eleazarus in Deum, si porcinam iussu Antiochi comedisset; quia is eam comedi iubebat in contemptum legis et Dei, ut eo quasi signo testaretur se a lege et Deo ad Antiochum eiusque deos apostatare. Vers. 26.

AD SUPPLICIUM (Græce ad tympanum, de quo v. 19.) TRAHEBATUR.) Addit Ioseph. lib. de Machab. cap. 6. *Hanc eius magnanimitatem videntes illi, qui ne ipsorum quidem misericordia flecteretur, igni eum admovent, et diris instrumentis subiectum cremant, tetrosque odores eius naribus infundunt. Ille iam usque ad ossa ustulatus, et animam acturus, contentis ad Deum oculis dixit: Tu scis, Deus, me cum evadere liceret, ignis cruciatibus propter legem emori. Quare propitius esto genti tuæ, nostro pro ipsis supplicio contentus. Fac ut eorum expiatorius sit sanguis meus, et pro eorum vita accipe meam. Hæc locutus vir sanctus, generose mortuus est.* Hæc Iosephus: quæ cum tympano non adeo conveniunt, nisi dicamus reos in tympano non tantum fustibus, sed et ignibus, et quovis supplicio excruciari solitos, quod verum esse liquet ex Auctoribus et Martyrum actis. Unde Lipsius lib. de cruciat. *Tympanum,* ait, *omnia hæc cruciamentorum genera complectitur.* Vers. 28.

DUROS CORPORIS SUSTINEO DOLORES: SECUNDUM ANIMAM VERO PROPTER TIMOREM TUUM LIBENTER HÆC PATIOR.) Illustre ergo et gloriosum fuit hoc Eleazari martyrium, qui quasi dux septem fratribus cæterisque ad illud idem prævivit. Quocirca ipse a Nazianz. vocatur *primitiæ Martyrum veteris Testamenti,* sicut Stephanus novi. Esto enim ante Eleazarum passi sint martyrium Abel, Isaias, Zacharias, Ieremias, cæterique prophetæ; tamen Eleazarus primus fuit, qui expresse pro vera in Deum fide et religione publice contra Antiochum eam subvertere volentem, solemnem martyrii agonem obiit. Vers. 30.

Audi Nazianz. *Hic Eleazarus primitiæ eorum qui ante Christum passi sunt, quemadmodum Stephanus eorum qui post Christum, vir sacerdos et natu grandis, tum capillis, tum prudentia canus, prius quidem pro populo sacrificia et preces adhibens, nunc autem seipsum quoque Deo offerens, perfectissimam hostiam, ac totius populi expiatricem, faustum certaminis prœludium, loquens pariter, ac tacens exhortatio: septemque insuper filios offerens, institutionis suæ fructum, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, omni legali sacrificio clariorem et*

puriorem. Filiorum enim virtutes parentibus adscribere æquissimum ac iustissimum est. Audi et elogia quæ Eleazaro merito dat Ioseph. lib. de Machab. cap. 6. *O digne sacerdotio sacerdos! non polluisti sacros istos dentes, neque religionis hospitem ventrem immundorum esu contaminasti. O legis concentor, divinique sermonis studiose! tales esse decet eos, qui legis sacrum ministerium proprio* A *sanguine obeunt, et generoso sudore lethi doloribus resistunt. Tu pater legum nostrarum bonitatem tua patientia gloriose sanxisti, et sanctimoniam gravitate verborum stabilivisti, factisque tuis fidem conciliasti dictis divinæ disciplinæ. O cruciatu vehementior senex, et igne acrior vetule, et affectionibus maior Eleazare! O felix senecta, quam fidele mortis sigillum absolvit.*

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Septem fratres Machabæi, hortante matre dignissima, Antiochi tormenta constantissime superant, ac martyrii lauream capessunt.

1. CONTIGIT autem et septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris et taureis cruciatos. 2. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, et quid vis discere a nobis? parati sumus mori, magis quam patrias Dei leges prævaricari. 3. Iratus itaque rex, iussit sartagines et ollas æneas succendi: quibus statim succensis, 4. Iussit, ei qui prior fuerat locutus, amputari linguam: et, cute capitis abstracta, summas quoque manus et pedes ei præscindi, ceteris eius fratribus et matre inspicientibus. 5. Et, cum iam per omnia inutilis factus esset, iussit ignem admoveri, et adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cum diu cruciaretur, ceteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, 6. Dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur. 7. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum: et, cute capitis eius cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret prius, quam toto corpore per membra singula puniretur. 8. At ille, respondens patria voce, dixit: Non faciam. Propter quod et iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit: 9. Et in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. 10. Post hunc tertius illuditur, et linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit: 11. Et cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero: 12. Ita ut rex, et qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tanquam nihilum duceret cruciatus. 13. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. 14. Et, cum iam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit. 15. Et cum admovissent quintum, vexabat eum. At ille respiciens in eum, dixit: 16. Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum: 17. Tu autem patienter sustine, et videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te et semen tuum torquebit. 18. Post hunc ducebant sextum, et is, mori incipiens, sic ait: Noli frustra errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis: 19. Tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. 20. Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat: 21. Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: et, femineæ cogitationi masculinum animum inserens, 22. Dixit ad eos: Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: 23. Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius. 24. Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul et exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed et cum iuramento affirmabat, se divitem et beatum facturum, et translatum a patriis legibus amicum habiturum, et res necessarias ei præbiturum. 25. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, et suadebat ei ut adolescenti fieret in salutem. 26. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo. 27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in ætatem istam perduxi. 28. Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus: 29. Ita fiet, ut non timeas carnificem istum: sed dignum fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. 30. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. 31. Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. 32. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. 33. Et si nobis propter increpationem et correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur servis suis. 34. Tu autem, o scelestе, et omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos eius inflammatus: 35. Nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis, iudicium effugisti. 36. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu vero iudicio Dei iustas superbiæ tuæ pœnas exsolves. 37. Ego autem, sicut et fratres mei, animam et corpus meum trado pro patriis legibus: invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis et verberibus confiteri quod ipse est Deus solus. 38. In

me vero et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum iuste superducta est. 39.
Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum. 40. Et hic itaque mun-
dus obiit, per omnia in Domino confidens. 41. Novissime autem post filios et mater consumpta est. 42. Igitur
de sacrificiis, et de nimiis crudelitatibus satis dictum est.

CONTIGIT hæc historia uno anno ante Mathathiæ et Iudæ Machabæi Pontificatum, et bella cum Antiocho Epiphane, nimirum anno 145. Græcorum, qui fuit Ant. Epiphanis nonus, Ptol. Philometoris 13. urbis Romæ 586. ante Christi natalem 166. Ita Salianus, et alii.

Vers. 1. CONTIGIT AUTEM ET SEPTEM FRATRES UNA CUM MATRE SUA APPREHENSOS COMPELLI A REGE (Ant. Epiphane) CONTRA FAS CARNES PORCINAS EDERE.) In veteri (nam in moderna non exstant) Iosephi editione Græca horum septem fratrum nomina assignantur hæc. Primus vocabatur *Machabæus*, secundus *Aber*, tertius *Machir*, quartus *Iudas*, quintus *Achas*, sextus *Areth*, septimus *Iacob*: mater vero *Machabæa*, a qua filii omnes dicti sunt Machabæi, ait S. Thomas, licet Serarius ita dictos putet a fratre primo, cui nomen erat Machabæus; Scaliger vero a robore et fortitudine animi, sicut ex eodem dictus est Iudas Machabæus: verius est eam vocatam fuisse *Salomen*, ut dicam versu 20. Erant omnes, inquit Iosephus, genere illustres, corpore venustissimi; sed animo formosiores, statu cælibes plerique, vel omnes. Passi sunt Antiochiæ, eo enim redierat Ant. Epiphanes; ubi postea sub S. Petro primo Christi discipuli vocati sunt Christiani. Unde S. August. serm. 109. de Temp. cap. 6. *Sanctorum*, inquit, *Machabæorum basilica etiam in Antiochia prædicatur. In illa scilicet civitate, quæ regis ipsius persecutoris nomine vocitatur. Antiochum quippe regem persecutorem impium pertulerunt, et memoria martyrii eorum in Antiochia celebratur, ut simul sonet et nomen persecutoris, et memoria coronatoris. Hæc basilica a Christianis tenetur et a Christianis ædificata est.*

Porro qua ætate hi septem fratres fuerint docet S. Chrysost. hom. de Machabæis: *Agonem*, ait, *proponens Christus non iuvenes exercitatos ad certamina athletas, sed primævos adolescentulos et cum ipsis senem Eleazarum, simulque mulierem anum, matrem septem adolescentium vult considerari.* Et Prudent. hymno de S. Romano:

Narravit illud nobile ac memorabile
Certamen, una matre quod septem editi
Gessere pueri, sed tamen factis viri.

Et infra:

Linguam tyrannus amputari iusserat
Uni ex ephebis.

Et D. Ambros. in lib. de Iacob, et vita beata cap. 11. *Insultare*, ait, *licet tyranno, qui, dum callide a sene incipiendum putat, magistrum eligit, qui discipulos faceret fortiores: quorum velut puerilem ætatem præmiis provocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci respondent: Quid contemnis vel circumscribis, ut pueros, sed fides cana est, sed valida disciplina. Experire, certa, subiice quibus placet pœnis puerilia viscera, non invenies corda puerilia.* Et mox: *Quam vicit senectus, superabat æmula senectutis pueritia.*

FLAGRIS ET TAUREIS (Græce νεύραις, id est nervis taurorum) CRUCIATOS) et flagellatos.

Vers. 2. UNUS AUTEM EX ILLIS, QUI ERAT PRIMUS (nomine *Machabæus*, ut dixi) SIC AIT: QUID QUÆRIS ET QUID VIS DISCERE A NOBIS? (vide hic animositatem Machabæi, qui regem alloquitur quasi puerum et discipulum) PARATI SUMUS MORI MAGIS QUAM PATRIAS DEI LEGES PRÆVARICARI.) Hic erat natu maximus et primogenitus; unde ipse unus pro omnibus respondet; ipsius enim os, sensusque erat os, sensusque cæterorum, qui in fide obfirmati pro ea optabant mortem et martyrium. Iosephus, libr. de Machab. cap. 8. addit Antiochum multis verbis et rationibus exhortatum fuisse hosce septem fratres ad comedendam porcinam, ac ni sibi obedirent, omnes cruciatus minitatum esse; ideoque eis ostendis-

A se omnium tormentorum instrumenta, quæ ad illos excruciandos paraverat, nimirum fidiculas, rotas, eculeos, catapultas, lebetes, sartagines, digitos et manus ferreas, cuneos, ignes, etc. ac subiecisse: *Adolescentes, timete, et quod veneramini Numen, id vobis per vim delinquentibus ignoscet;* mox omnes una mente et voce respondisse: *Parati sumus mori potius quam patria violare præcepta. Terres nos mortem nobis per tormenta minitando; quasi qui non paulo ante quale hoc sit didiceris ab Eleazaro. Quod si senes Hebræi etiam in tormentis pietatem retinuerunt, iustius moriemur nos iuvenes, contempta tormentorum tuorum violentia, quam et præceptor noster vicit. Quapropter tenta, tyranne, num animas quoque nostras pro pietate pugnantes necare possis. Ne puta te nobis nocere cruciando; nos enim malis patienter ferendis virtutis præmia consequemur. At tu ob nostri cædem nefariam ab ultione divina æterno afficiere cruciatu.*

IRATUS ITAQUE REX IUSSIT SARTAGINES ET OLLAS ÆNEAS SUCCENDI.) Vers. 3.
B Plenæ erant, inquit Theophilus Alex. Epistol. 3. paschali, ferventis olei sartagines, et ad frigenda sanctorum corpora terrore incredibili personabant; et tamen inter hæc omnia paradisum animo deambulantes, non sentiebant quod patiebantur, sed quod videre cupiebant. Porro *sartago*, inquit Ant. Gallonius lib. de Martyr. cruciat. pag. 221. *erat patella ovalis, vel rotunda, amplaque, oleo, pice, resina ac sulphure referta, igni applicabatur; cumque ebullire atque effervescere inciperet, iniiciebantur in eam utriusque sexus Christiani, qui constanter fortiterque in Christi fidei confessione perstitissent, ut instar piscium in oleum fervens coniectorum, torrerentur ac suffrigerentur.* Additque martyres aliquando toto corpore in sartagine ampla frixos fuisse, uti contigit S. Euphemiæ: aliquando vero non toto corpore, sed per membra singula: quamobrem hæc ibi litteris consignata habentur: *Mandavit Priscus Proconsul eam, id est sanctam virginem, serris membratim dividi, et in sartagine divisa membra torreri*, etc. Sartago ergo erat ad frigendum;
C olla ad elixandum carnes martyrum. *Erat enim olla*, inquit Gallonius, *vas amplissimum ex ære factum, in quo martyres ignominiæ gratia elixabantur, fabricatum (ut quædam pervetustæ ostendunt, quæ ex huiusce urbis ruinis erui nonnumquam solent) ad ollarum, quibus utimur ad cibaria coquenda, similitudinem, absque oris, cum duabus ansis, quæ vel partim quadratæ erant, partimque rotundæ; quadratæ ab imo ad medium, rotundæ a medio ad extremum.* Ad hæc, coniiciebantur etiam in ollam sic prælo pressi atque plicati, ut caput eorum ad genua pelleretur. Huius alterius modi testis est Iosephus, loco citato his verbis: *Carnificum manibus ollæ æneæ imponitur (hoc pœnali supplicio nomen est) prælo gyrato, hoc est versato, sanctum caput ad genua impellitur, sicque corpore deorsum redacto, pugil in eam, quam diximus, ollam miserrime delituit.* Hæc ibi.

Advertat hic lector, Iosephum per prælum denotasse quoddam instrumenti pressorii genus: prælum quippe non tantum trabem illam significat, per quam in torcu-
D lari uva vel oliva calcata premitur, sed etiam Budæo teste, instrumentum pressorium, quo potissimum pannarii, chartarii et librorum impressores utuntur.

ET CUTE CAPITIS ABSTRACTA, SUMMAS QUOQUE MANUS ET PEDES (extremitates manuum et pedum) EI PRÆSCINDI.) Vers. 4.
Addit Iosephus cap. 9. *Itaque eorum natu maximum iussi in medium adduxere satellites, et dilacerata eius tunica, manus et brachia loris utrimque constrinxerunt. Deinde postquam eum flagris ad lassitudinem usque verberarunt, cum nihil proficerent, rota circumposuerunt: circa quam distentus iuvenis, exartuatus, omnibus-*

que membris fractus, illi maledicebat in hunc modum: Sceleratissime tyranne, cœlestisque iustitiæ inimice et crudelis, nullum tu me ob homicidium, aut impium facinus hoc pacto torques, sed ob divinæ legis defensionem. Cumque monerent eum satellites, ut se comesurum promitteret, quo cruciatibus liberaretur, dixit: Non ita valida est rota vestra, o impuri ministri, ut meam rationem iuguletis. Secate membra mea, carnemque comburite, et artus torquete; nam per omnia tormenta vobis persuadebo, solos Hebræos pro virtute esse invictos. Hæc dicenti ignem illi subiiciunt, et rotam insuper magis magisque distendunt, ita ut tota sanguine cruentaretur, et pyræ acervus cruoris guttis extingueretur, machinæque axes carne circumfluerent. Sed magnanimus ille, et Abramæus adolescens, quamvis spoliata iam ossium compagine, non ingemiscebat, sed perinde ac si in igne transformaretur in immortalitatem, cruciatus fortiter ferebat. Imitamini me, fratres, inquit, neve meæ vitæ ordinem deserueritis, neve meam vestri fratris alacritatem abiuraveritis. Sacram nobilemque militiam militate pro pietate: qua fiat ut iusta illa et patria nostri Numinis providentia genti propitiata, scelesto tyranno pœnas irroget. Hæc fatus, sacer ille iuvenis animam egit.

Vers. 5. Cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter.) Sibi mutuo dicentes, ait Iosephus libr. de Machab. c. 13. *Fraterne, fratres, pro lege moriamur: imitemur tres illos in Assyria iuvenes, qui vastam illam fornacem contempserunt: nolimus in pietate ostendenda remollescere. Bono es animo, frater, dicebat aliquis. Et alius; Generose perdurato. Alius item cæteros præteritorum commonefaciens: Recordamini, inquit, unde sitis, et cuius patris manu immolari se ob pietatem passus fuerit Isaacus. Denique universi inter se intuentes læti, et admodum alacres, sic dicebant: Consecremus nos ipsos toto corde Deo, qui nobis dedit animas, et impendamus in legis custodiam corpora.* Et paulo post: *Sic enim mortuos nos excipient Abrahamus, Isaacus et Iacobus, cunctique patres laudabunt. Deinde eorum qui restabant singuli fratrum, a quo divellebantur, sic cohortari: Ne nos, frater, dedecoraveris, neve a fratribus nostris, qui iam oppetierunt, degeneraveris.*

Vers. 6. Deus aspiciet veritatem.) Id est iustitiam, q. d. Deus expendet et præstabit id quod iustum est, nos scilicet innocentes et iustos esse, ac a te, o tyranne, iniuste excruciari, ideoque martyrii laurea coronabit: quare consolabitur in nobis, id est nobis auxilio erit et solatio, nobis suas consolationes ingeret et immittet, ut te tuaque tormenta generose superemus, quemadmodum Moses in Cant. Deuter. 32. 36. cecinit et promisit Deum esse facturum.

At ille respondens patria (id est virili) voce.) q. d. Respondebat, non ut puer voce gracili, sed forti et crassa ut pater et vir, de quo v. 21.

Vers. 8. Dixit (secundus nomine *Aber*) non faciam.) *Non comedam porcinam.* Hoc firmum meum est propositum, hæc obfirmata mea voluntas. Audi Iosephum multa addentem, et martyrem sua facundia exornantem, forte etiam nonnulla, uti solet, ex suo adiungentem, et phalerantem: *Adducunt satellites ætate secundum, iniectisque ferreis manibus, acutis unguibus, eum catapultæ (quæ machina est) alligant. Deinde percontati, priusquam eum torquerent, num effugere vellet, postquam generosam eius sententiam audiverunt, ab imis pedibus exorsi, omnem eius carnem ferreis illis manibus, usque ad mentum dilaniant, et capitis pellem admotis pardis dilacerant. Quem ille gravissimum dolorem tolerans, sic dicebat: Suave est mortis quodlibet genus ob patriam religionem nostram. Non putas te, o omnium crudelissime tyranne, magis quam me nunc torqueri, cum videas crudelem istam tyrannidis rationem nostra pro pietate patientia vinci? Etenim ego virtutis voluptatibus dolorem levo: tu in impietatis minis excruciaris. Neque vero effugies, impurissime tyranne, pœnas iræ divinæ.* Iosephum secutus S. Ambros. lib. de Iacob et vita beata lib. 2. cap. 11. ait: *Secundus accessit, nec degener fratris munia piæ confessionis implevit. Et cum detraheretur membrana capitis, respondit: Aufertis quidem membranam, sed habeo galeam spiritualem, quam non potestis auferre. Et vere hanc galeam nemo auferre potest: sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia Domini, quia caput viri Christus est, et eius sumus membra. Recte puer istam divino spiritu doctrinam Apostolicam prævidebat: Exuebant immanes bestiæ corium capitis, et pardalicis feritatibus sæviebant. At ille deficiens: Quam dulce est, inquit, mori pro religione! quam suavis omnis acerbitas mortis pro pietate! quia manet horum remuneratio laborum. Tua sunt rex graviora tormenta, tu tuis vehementer torqueris suppliciis, quia vides vinci in potestate.*

Vers. 10. Post hunc tertius illuditur, et linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit.) Ut cum lingua, quæ regem despexerat, amputarentur et in sartagine frigerentur. S. Cypr. de exhort. martyr. urget τὸ *manus extendit*, aitque: *Manus amputandas constanter extendit multum beatus genere isto supplicii, cui contigit extensis ad pœnam manibus passionis Dominicæ instar imitari.*

Vers. 11. Et cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.) Addit Ioseph. c. 10. *At ille exclamans; Ignoratis, inquit, eodem me quo mortuos hos et patre satum et matre editum esse, iisdemque nos in ædibus educatos? non abiurabo tam nobilem fraternitatis cognationem. Tum illi hominis libertatem graviter ferentes, laceratoriis machinis manus eius et pedes exartuant, laxatisque commissuris, membratim dilacerant et digitos et brachia, et crura, et cubitos confringunt. Cumque eum exstinguere nullo pacto possent, detractam cum summis digitorum capitibus pellem dilaniant. Deinde eum protinus ad rotam ducunt: cui circumiectus, cum vertebratim exartuaretur, cernebat carnem suam discerpi, et ex visceribus distillantes guttas sanguinis, iamque moriturus dixit: Nos quidem, o impurissime tyranne, ob Dei disciplinam, virtutemque hæc patimur; at tu ob impietatem cædesque nefarias immensos feres cruciatus.* Iosephum secutus S. Amb. l. de Iacob et vita beata c. 11. ait, tertium hunc dum cruciaretur dixisse: *Non faciam voluntatem tuam, non succumbam imperio tuo. Per beatam illam fratrum passionem et nobilem vitam non negabo piam germanitatem. Quævis adhibeto supplicia, quibus magis urgeas: hoc proficies asperitate pœnarum, ut maiora testimonia nostræ germanitatis accipias. Iussit itaque ei linguam amputari. Et ille exclamans: Victus es, inquit, Antioche, qui organum vocis abscindi iubes. Confessus es te respondere non posse rationi, maioraque probas linguæ nostræ flagella, quam tua verbera. Nos enim tua verbera non timemus, tu nostræ vocis flagella non potes sustinere. Sed hæc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidiæ. Sed etiam sublata, gravius te suo cadens murmure flagellabit. Evadere tu putas, Antioche, si vocem eripias? Et tacentes Deus audit, et magis audit. Ecce aperui os meum, laxavi linguam meam, abscinde linguam; sed non abscindes constantiam, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies testimonium veritatis, non eripies cordis clamorem. Si lingua amputatur, sanguis clamabit, et dicetur tibi: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Et paulo post: *Loquaciora sunt vulnera, etsi vulnera teguntur, etsi abscondatur cicatrix, non absconditur fides; nec tamen plaudas, quod auferendo linguam, confessionem laudis eripias. Satis enim Deum sermone laudavi, nunc passione laudemus.*

Vers. 13. Et hoc ita defuncto quartum vexabant.) Hi posteriores plus passi sunt quam priores: Primo, quia acrius in eos ira regis efferbuit ob tot acres priorum in regem exprobrationes. Secundo, quia hi ætate erant iuniores, ideoque viribus, et animo infirmiores. Tertio, quia hi compatiendo fratribus ita excruciatis per compassionem patiebantur eadem quæ ipsi. Quarto, quia eadem passuros

se mox cernebant. Itaque acri fratrum tortura, et longa suæ torturæ repræsentatione, æque ac expectatione gravius torquebantur. Unde S. Leo sermone in nativit. septem Machab. *Regis impietas*, inquit, *id excogitavit, ut victoriam sibi, et de primis promitteret, quos sine tolerantiæ cruciaret exemplo; et de postremis, quos in supplicio torqueret alieno, multiplicatæ sunt martyrum palmæ; et dum singuli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquisivere septenas.* Addit S. Ambr. l. de Iacob. *Et hoc perempto*, ait, *iussit quartum vinciri ad rotam, ut eius vertigine membris omnibus solveretur; etc.* an forte quia torquere, etiam versare est poetis atque oratoribus? an potius quia initium cruciatuum erat in eculeo, sive in rota distendi, ad fustium et nervorum diverberationem? Ita Salianus.

Vers. 14. ET CUM IAM ESSET AD MORTEM, SIC AIT: POTIUS (satius) EST AB HOMINIBUS MORTI DATOS SPEM (resurrectionis vitæ et gloriæ æternæ: hanc enim vivam habuere hi septem fratres; ideoque illa animati regi et tormentis resultarunt, imo insultarunt: porro spem vocant rem speratam, puta vitam et gloriam æternam per metonymiam) EXSPECTARE A DEO, ITERUM AB IPSO RESUSCITANDOS; TIBI ENIM RESURRECTIO AD VITAM NON ERIT.) Sed ad gehennam et mortem immortalem. Addit Ioseph. cap. 10. eum dixisse: *Non sic urentem habetis ignem adversum me, ut ego remollescam;* cumque Antiochus ei linguam præscindi iuberet, subiecisse: *Etiamsi vocis instrumentum auferas, etiam silentes exaudit Deus; nam divinarum laudum cantatricem linguam amputas.* Iosephum paraphrasten paraphrastice explicans illustransque S. Ambr. l. de Iacob c. 11. *Et hoc perempto*, inquit, *iussit quartum vinciri ad rotam, ut eius vertigine membris omnibus solveretur. At ille cum torqueretur immaniter : Dissolvis*, inquit, *corporis membra; sed adiungis gratiam passioni, nec eripis solatium morti. Est enim vox tonitrui in rota, quia in bono et inoffenso vitæ istius cursu cœleste resultat oraculum, sicut in Ioanne et Iacob filiis tonitrui resultabat. Itaque illud quod legi, nunc manifestius recognosco, quia rota intra rotam currit, nec impeditur. Teres enim vita sine ulla offensione in quavis passione versatur, et intra hanc quoque rota currit.*

Vers. 15. ET CUM ADMOVISSENT QUINTUM, VEXABANT EUM.) Cruciando, ut cæteros priores. Addit Ioseph. cap. 11. *Satellites eum constringunt, et ad catapultam trahunt; eoque catapultæ in genua alligato, genibus ferreis pedicis astrictis, eius lumbos circum orbicularem cuneum inflectunt, ita ut totus circum rotam, scorpii instar, inflexus exartuaretur. Hoc pacto eum et spiritus eius opprimeretur, et corpus angeretur, dixit: Præclara tu quidem nolens, o tyranne, confers in nos beneficia, dum efficis ut tanto generosioribus doloribus nostram pro lege tolerantiam exeramus.* S. Ambr. vero loco citato de hoc sic ait: *Quintus cum sisteretur, cæso prius, eidem iussit ignes admoveri, subiici, incendi. Manabat e vulneribus cruor, et effossis ulceribus sanguis effusus ipsos flammarum exstinguebat globos. At ille inter flammarum crepitus audiebatur dicens: Gratias tibi, Domine, quod dedisti nobis dicere: Transibimus per ignem. Et sicut alibi idem tuus dicit Propheta: Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum. Adstabo tibi sicut aurum, purgatus incendio: et si quid fuit culpæ, ignis exussit. Itaque et iste transfiguratus a corruptela ad incorruptionem, vitam exhalavit.* Porro Gorionides ait quintum dixisse: *Noli in corde tuo cogitare, quasi me Deus reliquerit, quia ex suo in me amore ad istam me gloriam duxit. Tu vero impius, blasphemus et rabidus es, ideoque te odio prosequens, te excitat ad omnia ista in nos facienda, quasi ipse paratus ad vindictam de te, tuoque semine sumendam, et suum contra te totamque domum tuam furorem accendet.*

Vers. 18. POST HUNC DUCEBANT SEXTUM, ET IS MORI INCIPIENS SIC AIT: NOLI FRUSTRA ERRARE; NOS ENIM PROPTER NOSMETIPSOS HÆC PATIMUR PECCANTES IN DEUM NOSTRUM) Maior in hoc sexto elucet humilitas, contritio, et compunctio de peccatis, non tam suis, quam totius gentis;

A par tamen cum cæteris in eodem emicuit animi magnitudo. Unde S. Ambr. loco citato paraphrastice eius dicta sic illustrat: *Nostrorum hoc delictorum est pretium, ut peccantes puniamur. Et gratias Domino, quod hic a nobis duplicia peccata exiguntur, ut ibi nobis consolatio deferatur. Gratias autem et tibi quod tam durus et immitis es, ut talibus nostris suppliciis, Dominus in quem peccavimus, genti nostræ propitius fiat. Nos quoque ablevamus ærumnam, dum fidei passionibus delectamur. Et iste duris et asperis laceratus suppliciis appositus est ad fratres suos.* Addit Iosephus c. 11. sextum adolescentiorem dixisse: *Ego ætate fratribus iunior, animo sum æqualis: ad eadem enim et geniti, et educati, pro iisdem similiter mori debemus. Itaque, si tibi videtur abstinentem ab immundorum esu torquere, torque. Hæc locutum ducunt ad rotam, et ab ea ille membratim distenditur, discerptisque membris succenditur, et acuta ferra igne candentia eius tergo admoventur, ac perforata eius latera, et viscera* B *comburuntur. At ille inter tormenta: O sacrum certamen*, *inquit, ad quod ob pietatem exercendi doloribus tot fratres vocati, non victi sumus. Est enim invicta, o tyranne, pia scientia virtute armata. Moriar ego quoque cum fratribus meis, et tibi ipse quoque magnas addam furias. O novorum tormentorum excogitator, et vere piorum hostis! sex adolescentes tyrannidem tuam abolevimus. Nam quod rationem nostram de sententia dimovere non potuisti, neque ad immundorum esum cogere, an non est tui abolitio? Frigidus est nobis ignis tuus, et nullius doloris efficientes catapultæ. Non enim tyranni, sed divinæ legis satellites nos stipant: ideoque invictam habemus rationem.*

Nota: Acre ideoque illustre fuit martyrium horum septem Machabæorum; ideoque Ecclesia eorum celebrat festum præ aliis sanctis veteris Testamenti prima die Augusti, præsertim Romæ, ubi sacra eorum lipsana requiescunt in templo S. Petri ad vincula, ut testatur S. Aug. serm. 109. cap. 6. ac magno populi concursu et devotione C frequentantur. Causæ sunt multæ: prima, quod hi primi expresse et publice certarint pro vera Dei fide et cultu; secunda, quod in veteri Testamento id fecerint, cum obscura esset fides, et cognitio tam Dei et Christi, quam futuræ vitæ et resurrectionis; tertia, quod passi sint in ætate tenera et iuvenili, cum vita summe est iucunda et mors summe acerba; quarta, quod persecutorem et tortorem habuerint Ant. Epiphanem tyrannum sævissimum et crudelissimum; quinta, quod fortissime ei restiterint, imo singuli eum acriter increparint, et scelestissimum nuncuparint; sexta, quod omnis generis tormenta subierint, ut flagra et nervos taurinos v. 1. linguæ amputationem æque ac manuum et pedum, item excoriationem capitis et forte totius corporis, v. 4. ollas et sartagines in quibus igne, pice, sulphure cremabantur et torrebantur, v. 3. A Iudæis his disce, Christiane, quid tibi faciendum sit in qualibet tentatione, persecutione, afflictione, quæ longe est minor, quamque generose eam superare debeas: *Nondum enim usque ad sanguinem restitisti.* Hebr. D 12. Quis te in tympano distendit et pulsavit? Quis in olla bullivit? Quis in sartagine frixit? uti septem his fratribus contigit, qui tamen omnia forti, alacrique animo sustinuerunt, ut tu in tuis modicis idem facias spe beatæ æternitatis. *Quod enim in præsenti momentaneum est, et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Porro stimuli ad hæc omnia generose sustinenda et superanda Machabæis fuere, primo fides et spes in Christum mox futurum, ex cuius meritis prævisis Deus dedit eis copiosam gratiam, fortitudinem et constantiam. Secundo, spes melioris vitæ et beatæ resurrectionis, quod scilicet membra, quæ tormentis exponebant a Deo illis reddenda forent in resurrectione, eaque splendida et gloriosa. Tertio, quod cruciatus futurus esset modicus et brevis; præmium vero in cælo immensum et æternum. Hoc enim omnes martyres animavit in tormentis etiam acerrimis; unde S. Sebastianus S. Marcum et Marcellianum ob parentum complorationem vacillantes corroboravit hoc di-

lemmate: Cruciatus vobis inferendi, aut erunt graves, aut leves. Si graves, cito mortem inferent, et vos ad cælum transmittent. Si leves, erunt toleratu faciles. Utroslibet ergo fortiter sustinete, quia dolor brevis æternum vobis pariet gaudium. Momentaneum enim quod cruciat; æternum est quod delectat. Quarto, quod mater singulos animose hortaretur et acriter stimularet ad persistendum in patria religione. Quinto, Eleazari senis, de quo c. præced. in diris tympani cruciatibus verum patientiæ exemplum.

SUPRA MODUM AUTEM MATER MIRABILIS.) Quæ in Græcorum Calendario nuncupatur *Salome;* a Iosepho *Salomona;* a Gorionide et Genebr. *Anna* id est gratia; a S. Thoma *Machabæa*, quia Machabæorum mater. Rursum a Iosepho cap. 15. *Abraa;* quia, inquit, *piæ Abrahami tolerantiæ filia recordata est;* ac sicut Abraham suum Isaac, sic ipsa septem filios Deo immolavit. Miris elogiis eamdem celebrat Ioseph. *Non ita luna*, inquit, *in cælo cum astris venusta stat, sicut tu, quæ septem stellas, scilicet septem filios ad pietatem illuminasti, gloriosa coram Deo stas, et in cælo una cum illis infixa es.* Unde c. 15 eius robur admirans exclamat: *O mater gentis, vindex legis, pietatis propugnatrix, victrixque certaminis, quod per viscera gestum est! O maribus continentia generosior, et viris patientia fortior. Sicut enim arca Noe in universo illo totius mundi diluvio mundum ferens, fluctus constanter sustinuit: sic et tu custos illa legis, cum affectionum diluvio obruereris undique, vehementibusque quasi tormentorum ventis tundereris, susceptum pro pietate certamen egregie pertulisti.* Quocirca S. Cypr. l. de exhort. ad martyrium: *Tam grande*, inquit, *martyrium Deo præbuit virtute oculorum suorum, quam præbuerunt filii eius tormentis et passione membrorum.* Et D. Chrys. hom. 4. De verbis Isaiæ: *Mater*, inquit, *martyrum septies ipsa martyrium præstitit; dum enim illi torquebantur, illa plagam accipiebat.* S. Ambr. l. 1. Offic. c. 41. *Spectabat*, inquit, *læta filiorum quot funera, tot trophæa, et morientium vocibus plusquam psallentium cantibus delectabatur: pulcherrimam ventris sui cytharam* (septem quodammodo fidibus instructam) *in filiis suis cernens et pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem.* Quam virtutem D. Greg. Nazianz. Orat. 22. incredibiliter admiratus: *O virilem*, inquit, *animam in muliebri corpore! O sacrificium, Abrahæ sacrificio maius ac præstantius! Nam ille unum alacri animo obtulit, hæc autem populum universum filiorum, Deo consecravit.*

Vers. 21. SINGULOS ILLORUM: Dum singuli ordine ætatis ab Antiocho evocati irent ad examen et tormenta, mater singulos ad constantiam HORTABATUR VOCE PATRIA,) id est Hebraica, ait Iosephus. Melius Salianus vocem patriam interpretatur generosam et virilem, qualis solet esse vox patris, q. d. Hortabatur voce non materna et fæminea, sed patria et virili; unde τὸ *patrius* non a patria, sed a patre deducitur, idemque est quod *paternus:* hoc enim significat Græcum πατρίδος q. d. loquebatur viriliter, ut pater, non fæminee ut mater. Quocirca explicans subdit: FORTITER (Græce *generose*) REPLETA SAPIENTIA, ET FÆMINEÆ COGITATIONI MASCULINUM ANIMUM, vocemque INSERENS.) Audi Naz. Orat. 22. affectus et gestus huius heroinæ graphice depingentem: *Strenua mater, et vere illorum tali virtute præditorum parens; illa, inquam, præclara et magnanima legis alumna, prius quam gaudio, simul ac timore afficiebatur, atque in duorum affectum confinio posita erat; nam ut ex eorum fortitudine, iisque quæ videbat lætitiam capiebat; sic rursus cum incertum pugnæ eventum, incredibilemque tormentorum magnitudinem secum reputaret, timore angebatur: ac proinde illos non secus atque avicula, pullos suos arripiente angue, aut alia quapiam insidiosa fera, circumvolabat, stridebat, obsecrabat, una cum ipsis certabat, nihil denique non dicebat ac faciebat, quo illos ad victoriam paratiores alacrioresque redderet. Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat, hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat, omnibus acclamabat: Euge, filii mei, euge strenui mei milites, euge in corporibus ferme incorporei, euge legis, canæque senectutis meæ, atque civitatis quæ vos aluit, et ad eam virtutis magnitudinem evexit, præsidium ac propugnaculum. Paulum adhuc et vicimus, defatigantur carnifices: hoc unum extimesco. Paulum adhuc, et ego inter mulieres beata, et vos inter adolescentes beati. At fortasse matris vos desiderium angit? nequaquam vos deseram. Hoc vobis polliceor, non tam liberos meos odi.*

ANTIOCHUS AUTEM.) Cruciabatur rex constantia tanta martyrum, quod eos expugnare non posset, sed a singulis vinceretur; ideoque pudefactus et indignans se a pueris despici, septimum fortissime aggreditur, ut eum vincens cæteros vicisse videatur, sed ab eo magis quam ab aliis victus cum acrius præ aliis ipse regi insultaret, rex desperans actusque in furorem in eum præ cæteris desævit: quare minimus hic natu frater cæteros fratres suos ætate maiores tam cruciatibus, quam animositate et tolerantia heroica superavit. Vers. 24.

ET RES NECESSARIAS EI PRÆBITURUM.) Ex Græco verti potest se ei *crediturum negotia sua*, hoc est eum amicum intimum et secretum habiturum, cui regni sui negotia et regimen credat et committat, quemque provinciis suis quasi præsidem præficiat.

VOCAVIT REX MATREM.) Ut mater filio suaderet obedire regi. Vers. 25.

ITAQUE INCLINATA AD ILLUM (filium natu minimum,) IRRIDENS CRUDELEM TYRANNUM (nota animos plusquam masculos in fæmina) AIT PATRIA VOCE (loquens sermone Hebraico, non Græco, quali loquebatur Antiochus, ut secretius et intimius intimum filii cor pungeret et feriret. Ita Iosephus aut potius *patria*, id est virili *voce*. Sic v. 8. secundus patria, id est virili voce dixit: *Non faciam*. Vide dicta v. 21. q. d. Loquebatur forti voce et generosa, non quasi fæmina et mater, sed quasi pater et vir:) FILI MI, MISERERE MEI.) Ne tu solus turpi apostasia me matrem tuam contristes et excrucies, sed potius sollicitam de te solo tua constantia lætifices; valde enim me affliget, si tu a fratribus tuis degener, tyranno consentias, animamque tuam perdas, ac me fratresque tuos æterno dedecore afficias. Audi S. Greg. Nazianz. Orat. 22. de Machabæis: *Mater omnium matrum sacratissima effecta sum, nihil mundo reliqui feci; omnia Deo tradidi; thesaurum meum, spes meas, senectutis altrices. Quam magnifice honorata sum! Quam excellenter senectus mea curata atque tractata est! Habeo educationis vestræ præmia, o filii, quoniam omnes virtutis causa decertantes vidi, omnes victores aspexi: mihi vero carissimi filii, nequaquam mortui atque extincti; sed Deo oblati estis, nec lacerati, sed compacti et coagmentati, non fera vos abripuit, non fluctus obruit, non latro iugulavit, non hostis oppressit, non vis belli sustulit, non denique ullus humanus casus.* Vers. 27.

ET LAC TRIENNIO DEDI.) Hoc multæ matres fecerant per triennium, idque medicis rationibus probat et laudat Franc. Vales. sacræ philos. c. 83. Si quis infans ultra triennium matris lac sugat vulgari scommate Manotreptus vocatur, ait S. August. in Psalm. 30.

PETO, NATE, UT ASPICIAS AD CÆLUM ET TERRAM, ET AD OMNIA QUÆ IN EIS SUNT, ET INTELLIGAS QUIA EX NIHILO FECIT ILLA DEUS.) Ac proinde cogites te quoque ex nihilo a Deo creatum, et eum solum quasi creatorem timeas, ames, colas, eique obedias; nec timeas tyrannum, quem pariter Deus creavit, eique limites sæviendi præfixit, ut non plura nec maiora tibi possit inferre tormenta, quam Deus permiserit, qui scit quantum commode pati possis, quamque copiosam gratiam et robur ad ea sustinendum sit tibi daturus ut te in terra victorem, in cælo triumphantem præmiet, et corpus a tyranno laceratum, sanum et gloriosum tibi in resurrectione restituat. Audi S. Amb. lib. 2. de Iacob. cap. 11. et 12. paraphrastice hæc illustrantem: *Miserere mei, quæ te in utero tot mensium curriculo portavi, ne uno momento confundas senectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorum trophæa, ne sacrum eorum comitatum relinquas, ne* Vers. 28.

consortium deseras. Te adhuc isti expectant triumphi. Aspice in cælum, unde hausisti spiritum, ad Patrem omnium: aspice in terram, quæ tibi ante alimoniam ministravit: aspice ad fratres, qui collegam requirunt: aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit: redde mercedem pii sanguinis, noli a fratribus, noli a matre divelli. Temporales opes sunt, quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona quæ a Deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus, sextum iam diem plausi, et omnium opera bona valde. Debes mihi, fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te requiescam septimo, tamquam a sæculi operibus iam feriata.

Simili robore et ardore S. Symphorosa e capillis suspensa filios ad sui imitationem et martyrii æmulationem incitabat, teste Usuardo, Beda et aliis. *Eia*, inquit, *o mea non tam pignora, quam viscera! Attendite ad petram unde excisi estis. Patrem habuistis Getulium Christi martyrem: matrem habetis Symphorosam ad martyrium festinantem, et exultantem. Quid dubitatis vestros sequi, o boni filii, parentes, et quæ vobis pro Christo infligentur, non tormenta, sed blandimenta reputare? Hos patior fæmina imbecilla cruciatus: patimini et vos constantes viri. Meo nutriti lacte, vestro me sanguine recreate. Porrexi ubera, reddite vulnera. Hoc beneficio maternum obsequium rependite. Nullum mihi charius vestræ in me charitatis argumentum. Vivam, si vos pro Christo mori sensero. Felicissima erit vita vestra, si felicissima pro Christo morte coronetur.*

Pari fortitudine mater S. Melitonis qui iunior erat 40. Martyrum (quorum festum Ecclesia celebrat die 9. Martii) cum ei adhuc spiranti carnifex parcere vellet, tum impulit ad martyrium: *Nam ut vidit,* inquit Nyssen. Orat. de 40. Martyr. *humanitatem carnificis erga virum fortem, contumeliam non tulit; sed illum quidem increpabat, quod a commilitonibus et collegis Athletam segregasset.* Et mox ad filium conversa: *Non meus*, inquit, *filius es tu; non mei partus germen: quoniam Deum recepisti, secundum Deum natus es: Accepisti potestatem, ut filius fieres: curre ad Patrem tuum; ne relinquaris a tuis coævis: ne secundus ad coronam venias; ne irritum facias votum maternum: non offendes matrem, si victor, si triumphator evaseris.* Et S. Basil. hom. de iisdem 40. Mart. *Non enim*, inquit, *lacrymam indecoram effundere, aut aliquid humile loqui, vel indignum agere visa est. Sed, o nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne a chorea deseraris, neve inferior aliis appareas.* Et statim ad matris laudem regressus: *O matrem*, ait, *felicem! o bonæ radicis bonum germen! ostendit generosa parens, quemadmodum pietatis institutis eum magis quam lacte educaverat.* Quocirca ipsa Melitone in humeros sublato, vehicula martyrum corporibus onusta strenue prosequebatur: in cuius amplexu Meliton spiritum Deo reddidit, eiusque corpus in eumdem illum cæterorum martyrum rogum pia mater iniecit, ut qui fide et virtute fuerant coniunctissimi, funeris etiam societate copulati, una in cælum evolarent.

Suppar hisce extitit mater S. Symphoriani martyris, qui, dum ad supplicium duceretur, matrem clamantem audiens: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cælum suspice et ibi regnantem intuere; tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius,* fortiter Iesu Christi causa collum carnifici præbuit, cuius triumphum recolit Ecclesia die 22. August.

Æmula harum nuper in Iapone extitit heroina Thecla, quæ ut Phœnix inter odores, sic inter filios flagravit: *Ite, o filii,* ait, *ad rogum quasi ad regnum. Ambulabimus inter prunas, ut inter gemmas: recumbemus inter flammas, ut inter plumas; quiescemus inter accensas pyras, ut inter maternas ulnas: spiritus oris nostri Christus Dominus. Cum noster a nobis spiritus recesserit, Christus subibit. Ille reget melius nostras animas, quam ipsæ nostros artus animabant. Macte animo, o filii, pro Christo qui est vita vestra, vestram libentes vitam profundite. Hic rogus vobis uterus erit non maternus, sed divinus, ex quo*
A *non in hanc vitam morti similem, sed in veram et æternam exeatis. Pergite, gaudium meum et corona mea. Vestra me tormenta exilarant, vestra incendia coronant. Quidquid lactis ex me suxistis, mihi abunde compensabitis, si vestrum pro Christo sanguinem profundatis, generosam me appello vitem, quam tam generosi pampini circumdant. Pergite, filii, ad tormentum quasi ad trophæum.*

Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Vers. 30.
Quem sustinetis?) Id est, qualem me fore expectatis? An ut Antiocho obediam? minime gentium: Deo enim et matri divina consilia suggerenti parebo, ac fratribus meis me similem experiemini, uti hactenus experti estis. Sic *sustine* v. 17. sumitur pro *expecta*. Porro Gorionides ait septimum dixisse: *Quid me tardas, et pergere non sinis una cum sanctis fratribus meis? mihi haud persuaseris ut vanitates tuas complectar. Non recedam a Domino et sancta eius ac immaculata lege, quam Moysis servi sui opera dedit Israeli populo suo, et filiis servorum suorum.*
B *Et tu, o Belial pessime, malorum inventor, Antioche, homo iniuriose, osor veritatis, quam blasphemas et calumniaris, quo ibis, et quo fugies a facie Domini nostri, cuius est terra, et plenitudo orbis, et qui habitant in ea? Adhuc vivificabit nos et exaltabit, et magnificabit præ omnibus, vel super omnem gentem.*

Nam fratres mei modico nunc dolore sustenta- Vers. 36.
to (fortiter tolerato) sub testamento æternæ vitæ effecti sunt.) Id est vita æterna fruuntur in limbo, exspectantes beatam Dei visionem in cælis post mortem Christi, quæ vita eis a Deo promissa est per testamentum, id est fœdus et pactum quod cum Hebræis iniit, et per Mosen, Exodi 24. et passim in Deuter. conscripsit. Audi S. Ambr. *Itaque proripiens se iuvenis, ait: Quid sustinetis? Et multa vociferans, quod nequaquam divelli posset a fratrum consortiis, quorum multo beatiora essent funera quam regis imperia; dum argueret conviciis regem, et ipse acerbis excruciatus tormentorum generi-*
C *bus, vitæ huius munus absolvit.* Porro Iosephus, cap. 12. hæc aliter enarrat; sic enim ait: *Solvite me, inquit* (erat enim septimus hic filius catenis vinctus quasi reus) *ut regem et eius amicos omnes alloquar. Hoc illi pueri promisso supra modum gavisi protinus eum solvunt. Et ille, cum ad propinquam quamdam cucurrisset sartaginem: O impie, inquit, et omnium improborum sceleratissime tyranne, non veritus es, cum a Deo tum bona cætera, tum regnum acceperis, et eius servos interficere, et pietatis cultores excruciare, pro quibus te reservat Fas, et densiori et eidem æterno igni, atque tormentis nulla umquam sæculorum serie intermittendis. Non veritus es, homo belluine, eiusdem tecum generis hominum, et ex iisdem ortorum elementis linguas præcidere, eosque in hunc modum vexatos torquere. Enimvero illi fortiter occumbentes sua in Deum pietate perfuncti sunt: at tu, misere, plorabis, qui virtutis propugnatores insontes interemeris. Itaque ipse moriturus a fratrum meorum virtute non aufugio. Hæc fatus seipsum in sartagines deiicit atque ita ani-*
D *mam ponit.* At hoc non consentit cum eo quod subdit S. Scriptura, dicens:

In me vero et in fratribus meis desinet omni- Vers. 38.
potentis ira.) Quasi in victima pro peccatis totius Israelis. Id factum est anno sequenti, ut audiemus c. 8. 1. fuit ergo hæc cygnea vox pueri et innocentis Iacob, qua ipse quasi verus propheta moriens promeruit, et prædixit salutem Israeli.

Tunc rex accensus ira in hunc super omnes cru- Vers. 39.
delius desæviit, indigne ferens se derisum.) Tam a matre quam a filio.

Et hic itaque mundus (ab esu carnis porcinæ, ab Vers. 40.
apostasia, a violatione legis) obiit per omnia in Domino confidens.) Quod ab eo membra eius amore laniata reciperet gloriosa in beata resurrectione. Porro horum septem Machabæorum martyria fuere totidem miracula, inter quæ uti atrocius, ita generosius et illustrius fuit hoc septimi, et omnium minimi. Nec enim puer tot

tamque horrenda tormenta continuo viribus naturæ ferre et superare potuisset, multo minus tantam alacritatem et animositatem qua tyranno insultavit, ostendere. Hoc ergo fuit opus gratiæ Dei per merita prævisa Christi, cuius hi septem martyres fuere typi, ideoque plagis cæsi, ad palos distenti, et igne frixi fuere, uti Christus flagellatus, in cruce distentus, et igne tum doloris, tum amoris pro nobis assus frixusque fuit.

Sic post Christum pueri et puellæ, ut S. Agnes, S. Vitus, S. Celsus, S. Pancratius, tum tormentorum acerbitate et varietate, tum animi robore et alacritate superarunt martyres viros; nimirum

Maior in exiguo regnavit corpore virtus:

Et *virtus* divina *in infirmitate* humana *perficitur.* In parvis enim magnus vincit et triumphat Christus ideoque ipse *infirma mundi eligit, ut confundat fortia;* ut *qui gloriatur* non in se, sed *in Domino glorietur.* 1. Cor. 1.

Vers. 41. Novissime autem post filios et mater consumpta est.) Græce ἐτελεύτησε, id est *mortua est.* At quo genere mortis? Primo aliqui putant eam mortuam ex ingenti gaudio, quod videret omnes filios tam gloriose de tyranno triumphasse. Ita Marius Victorinus in carm. de Machabæis 1.

Dum puer, inquit, *ista gerit, solverunt gaudia matrem.*
Iamque ut erat laxata malis iam voce negata
Suspirans, interque manus collapsa suorum
Concidit exanimis, resolutaque membra quierunt,
Sic ipsa et mater Sanctorum in parte recepta est.

Sic nonnullæ Romanæ matres gaudio exanimatæ sunt, cum subito viderunt filios, quos in pugna contra Hannibalem cecidisse audierant, teste Livio, lib. 22. et Valer. lib. 9. cap. 12. Secundo Gorionides ait eam a Deo postulasse mortem, et impetrasse. *Hæc,* inquit, *mulier fortis stans super eorum cadaveribus, palmas suas in cœlum expandit, et dixit: O Deus excelse, Deus sæculi abeam, quæso, cum filiis meis, ego ancilla tua, in locum quem parasti eis. Et cum hæc dixisset, reddidit animam suam, et exiit spiritus eius, et cecidit ipsa super filios, et cum ipsis obiit, sicque fidelissimis filiis felicissima tandem mater adiuncta est.* Tertio verisimilius est eam frixam fuisse in sartagine instar filiorum, hoc enim significat τὸ *consumpta est,* et hoc exigebat, tum eius magnanimitas et magnanima tyranni irrisio, tum ipsius tyranni in eam indignatio et furor. Addit Iosephus eam seipsam in ignem sibi paratum iniecisse, uti fecit S. Apollonia ex Dei instinctu. Audi Iosephum ex Græco eius textu. *Novissime filiis omnibus consumptis, admirabilis tantorum athletarum parens in cruenta pœnarum carnificina flexis repente genibus, corporis a Deo dissolutionem efflagitabat. Non enim vivendi cupiditate, sed filiorum causa tantum tempus protraxisse. Septem igitur triumphos mater pientissima suscepit. Antiochus faucibus stridet, matrem generosam affligere iubet, tyrannice rapitur, teneris nudatur artubus. in altum manus alligantur, sævius illuditur flagellis, læsis mœret uberibus, ac flammivomæ adiecta sartagini ambustos ultro filios concomitatur in pœnas.* Merito S. Ambros. lib 2. de Iacob, cap. 11. *Quis,* inquit, *hanc beatam neget, quæ quasi septem vallata mœnibus, inter corpora filiorum nullum sensit mortis incursum? Quis, inquam, dubitet de eius beatitudine, quæ septem turribus circumdata, in paradisi sedem caput extulit: quæ septem filiis cincta, sacratissimum Deo chorum, non solum canorum vocibus, sed etiam passionibus ad concinendas Domini laudes cœlestibus invexit altaribus? Quam bonus fidei partus, quam tutus portus iste pietatis, quam splendida lucerna Ecclesiæ septeno fulgens lumine, et octavo utero cunctis luminibus oleum subministrans!* Quocirca S. Augustin. de ea ait serm. 109. de diversis, cap. 6. *Discant fœminæ de matris illius tanta patientia, ineffabili virtute, quæ noverat conservare filios suos. Habere noverat, quæ perdere non timebat. Isti in se singuli sentiendo, illa vivendo in omnibus passa est. Facta mater septem martyrum septies martyr. a filiis non separata spectando et filiis addita moriendo.* Et cap 7. ait eam dixisse filio: *Ibi te mihi servabit Christus, unde non tollet Antiochus.* Rursum S. Ambros. lib. 7. de Iacob, cap. 12. *Non sic luna,* inquit, *inter stellas refulget, ut inter filios mater: et cum eos ad martyrium illuminatura deduceret refulgebat, et cum amplexata victores in medio filiorum iaceret. O vere mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior! o indissolubile pietatis vinculum! o vere valida charitas sicut mors dura, sicut inferi zelus devotionis ac fidei! Nulla tantarum diluvia passionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluvio totius orbis spatiis innocua ferebatur, ita et tu adversus fluctus tam gravium passionum pietate immobilis restitisti, et cum posses salutem filiorum eligere noluisti.*

Simili prorsus huic septem Machabæorum matri fuit S. Felicitas septem filiorum totidemque martyrum mater, quæ eosdem peperit cælo quos genuerat terræ. Cum enim sub Antonino Imperat. Publius Præses ei diceret: *Miserere filiis tuis, iuvenibus bonis, et flore primæ iuventutis florentibus;* respondit Felicitas: *Misericordia tua impietas est, et exhortatio tua crudelitas est.* Et conversa ad filios suos dixit: *Videte, filii, cœlum, et sursum aspicite: ibi vos exspectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, et fideles vos in amore Christi exhibete.* Nec tantum dixit, sed et fecit; nam et ipsa gloriosum obiit martyrii agonem; unde S. August. serm. 110. de diversis, de ea ait: *Fœcundior virtutibus quam fœtibus; videns certantes in quibus et ipsa certabat, et in omnibus vincentibus etiam ipsa vincebat.* Et S. Gregor. homil. 3. in Evang. *Non ergo,* inquit, *hanc fœminam martyrem dixerim, sed plus quam martyrem, quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, toties ante se mortua ad pœnas prima venit, sed pervenit octava. Aspexit mater, et cruciata, et imperterrita, filiorum mortem, spei gaudium tribuit, adhibuit dolorem naturæ. Timuit viventibus, gavisa est morientibus. Optavit nullum post se relinquere, ne si quem haberet superstitem, non posset habere consortem.*

Similis eidem fuit S. Symphorosa, quæ septem filiis uti magistra fidei, ita et dux ad martyrium exstitit, cuius triumphum septemplicem, imo octuplicem quotannis recolit Ecclesia die 18. Iulii.

Hic ergo gloriosus fuit septem Machabæorum duce matre martyrii triumphus, quem passim Patres miris encomiis celebrant, ut S. Greg. Nazianz. Orat. 22. quæ tota est de Machabæis; S. Ambr. locis citatis. S. August. in epist. 1. S. Ioannis, tract. 8. serm. 109. de diversis; S. Cypr. l. 4. epist. 6. S. Chrisost. hom. de nativit. septem Machab. Prudent. hymno de Romano mart. Gaudentius Brixianus, tract. de Machabæis; S. Leo, serm. in nativit. 7. Machab. S. Ephrem serm. de morte; Victorinus Afer, in carm. de Machabæis; S. Prosper. p. 2. præced. cap. 40. S. Bernard. epist. 98. Theophilus Alexan. epist. 3. Paschali. quem audi: *Quid memorem insignes Machabæorum victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, et communes tangerent cibos, corpora obtulere cruciatibus, totiusque orbis in Ecclesiis Christi laudibus prædicantur, fortiores pœnis, ardentiores, quibus comburebantur, ignibus? Victa sunt in eis omnia crudelitatis ingenia, et quidquid ira persecutoris invenerat, patientium fortitudo superavit; inter pœnas, magis paternæ legis, quam dolorum memores. Lacerabantur viscera; tabo et sanie artus diffluebant, et tamen sententia perseverabat immobilis: liber erat animus, et mala præsentia futurorum spe despiciebant. Lassabantur tortores, et non lassabatur fides: frangebantur ossa, et volubili rota omnis compago nervorum atque artuum solvebatur, et in immensum spirantia mortem incendia consurgebant; plenæ erant ferventis olei sartagines, et ad frigenda sanctorum corpora terrore incredibili personabant, et tamen inter hæc omnia paradisum animo deambulantes, non sentiebant quid patiebantur, sed quod videre cupiebant. Mens enim Dei timore vallata flammas superat, varios tormentorum spernit dolores; cumque semel virtuti se tradiderit, quidquid*

adversi evenerit, calcat et despicit. Qualis fuit Paulus scribens: In iis omnibus superamus per eum qui nos dilexit. Audi rursum S. Ambr. l. 2. de Iacob et vita beata c. 12. *Talis hæc pugna est, ut ille gloriosius vicerit, qui crudelius occisus fuerit. Itaque nemo timuit, nemo trepidavit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit, sed omnes tamquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba supplicia cucurrerunt. Et mater consona cernens filiorum agmina tamquam pia anima sui membra corporis in filiis offerebat et per artus proprios videbatur sibi subire tormenta.* Et lib. 11. epist. 7. *Haud degener Abrahamidarum et Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant, alii cum exurerentur, non rogabant ut parceretur, sed invehebantur ut amplius persecutor inflammaretur.* Porro S. Cyprian. de exhort. mart. ad Fortunatum, Machabæorum fortitudinem exaggerat ex eo quod tam generose Antiocho tyranno insultarint. *Quale*, inquit, *illud levamentum fuit martyri, quam grande solatium! in cruciatibus suis non tormenta propria cogitare, sed tortoris sui supplicia prædicare!* De matre vero ista subiungit: *Admirabilis quoque mater, quæ nec sexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos spectavit libenter, nec pœnas illas pignorum, sed et glorias computavit, tam grande martyrium Deo præbens virtute oculorum suorum, quam præbuerant filii eius tormentis et passione membrorum.*

Tropol. S. Chrys. hom. de Machab. docet nos imitari debere Machabæos in robore, ut cum aliqua tentatio nos invadit, cum eis dicamus resolute: *Non faciam, non violabo legem, non offendam Deum meum: Quantam illi*, inquit, *patientiam in periculis corporalibus ostenderunt, tantam nos in passionibus irrationalibus continentiam demonstremus: id est contra iram, et avaritiam, vel inanis gloriæ concupiscentiam divino timore moniti sensibus repugnantes, et consilia diaboli destruentes in nobis. Si enim cupiditatum ignes vicerimus: sicut illi tyrannidis ignem vicerunt, poterimus iuxta ipsos et matrem eorum, pari gloria constituti similes haberi.*

Denique singuli hi Machabæi martyres minitantes et prædicentes imminens Antiocho Dei iudicium et supplicium, veri fuere vates. Nam Antiochus post triennium gravibus pudendisque morbis afflictus interiit, ut audiemus c. 9. ac filius eius Eupator vix biennium regnavit interfectus a Demetrio consobrino suo, qui quasi Seleuci filius regnum iure sibi debitum occupavit; itaque omnis Antiochi familia extincta fuit.

Porro Machabæi hi Sanctorum catalogo adscripti sunt in Romano martyrologio ad diem primum Augusti, ubi sic legimus: *Antiochiæ passio sanctorum septem fratrum Machabæorum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiocho Epiphane rege; horum reliquiæ Romam translatæ in Ecclesia S. Petri ad vincula conditæ fuerunt.* Quare mirum est nonnullos apud Serarium contendere eas Coloniam Agrippinam esse translatas, ubi et horum Machabæorum Ecclesia extat, quam cum ibi degerem sæpius vidi et visitavi. Nisi quis dicat partem earum esse Romæ, partem Coloniæ; multorum enim Sanctorum facta est hæc reliquiarum distributio.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudas Machabæus cum sex millibus invocato Deo gentiles mire exagitat. Mox v. 16. acri oratione suos paucos exhortatur, ut animose cum Nicanore confligant, certamque a Deo victoriam sperent. Animati ergo confligunt, et Nicanorem prosternunt, qui fugiens Antiochiam Dei Israelis fortitudinem ubique celebrat. Pari robore v. 30. sternit Timotheum, et Bacchidem, impiumque Callisthenem concremat.

1. IUDAS vero Machabæus, et qui cum illo erant, introibant latenter in castella: et convocantes cognatos et amicos, et eos qui permanserunt in iudaismo, assumentes, eduxerunt ad se sex millia virorum. 2. Et invocabant Dominum, ut respiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: et misereretur templo, quod contaminabatur ab impiis: 3. Misereretur etiam exterminio civitatis, quæ esset illico complananda, et vocem sanguinis ad se clamantis audiret: 4. Memoraretur quoque iniquissimas mortes parvulorum innocentium, et blasphemias nomini suo illatas, et indignaretur super his. 5. At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur; ira enim Domini in misericordiam conversa est. 6. Et superveniens castellis et civitatibus improvisus, succendebat eas: et opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat: 7. Maxime autem noctibus ad huiuscemodi excursus ferebatur, et fama virtutis eius ubique diffundebatur. 8. Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac frequentius res ei cedere prospere, ad Ptolemæum ducem Cælesyriæ et Phœnicis scripsit ut auxilium ferret regis negotiis. 9. At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus, armatis non minus viginti millibus, ut universum Iudæorum genus deleret, adiuncto ei et Gorgia viro militari, et in bellicis rebus experientissimo. 10. Constituit autem Nicanor, ut regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum, de captivitate Iudæorum suppleret: 11. Statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad coemptionem Iudaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura. 12. Iudas autem ubi comperit, indicavit his qui secum erant Iudæis Nicanoris adventum. 13. Ex quibus quidam formidantes, et non credentes Dei iustitiæ, in fugam vertebantur: 14. Alii vero si quid eis supererat vendebant, simulque Dominum deprecabantur ut eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos, prius quam cominus veniret, vendiderat: 15. Et si non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, et propter invocationem sancti et magnifici nominis eius super ipsos: 16. Convocatis autem Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent inique venientium adversum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent, 17. Ante oculos habentes contumeliam, quæ loco sancto ab his iniuste esset illata, itemque et ludibrio habitæ civitatis iniuriam, adhuc etiam veterum instituta convulsa. 18. Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul et audacia: nos autem in omnipotente Domino, qui potest et venientes adversum nos, et universum mundum uno nutu delere, confidimus. 19. Admonuit autem eos et de auxiliis Dei, quæ facta

sunt erga parentes: et quod sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt: 20. Et de prælio, quod eis adversus Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia, soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo, et beneficia pro his plurima consecuti sunt. 21. His verbis constantes effecti sunt, et pro legibus et patria mori parati. 22. Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, Simonem, et Iosephum, et Ionathan, subiectis unicuique millenis et quingentenis. 23. Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, et dato signo adiutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore. 24. Et facto sibi adiutore Omnipotente, interfecerunt super novem millia hominum: maiorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. 25. Pecuniis vero eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos usquequaque persecuti sunt, 26. Sed reversi sunt hora conclusi, nam erat ante sabbatum: quam ob causam non perseveraverunt insequentes. 27. Arma autem ipsorum et spolia congregantes, sabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberavit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos. 28. Post sabbatum vero debilibus, et orphanis, et viduis diviserunt spolia: et residua ipsi cum suis habuere. 29. His itaque gestis, et communiter ab omnibus facta obsecratione misericordem Dominum postulabant, ut in finem servis suis reconciliaretur. 30. Et ex his, qui cum Timotheo et Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt, et munitiones excelsas obtinuerunt: et plures prædas diviserunt, æquam portionem debilibus, pupillis, et viduis, sed et senioribus facientes. 31. Et cum arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua vero spolia Ierosolymam detulerunt: 32. Et Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum scelestum, qui in multis Iudæos afflixerat. 33. Et cum epinicia agerent Ierosolymis, eum qui sacras ianuas incenderat, id est, Callisthenem, cum in quoddam domicilium refugisset, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita. 34. Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat, 35. Humiliatus auxilio Domini ab his quos nullos existimaverat, deposita veste gloriæ, per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus. 36. Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captivitate Ierosolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Iudæos, et ob ipsum invulnerabiles esse, eo quod sequerentur leges ab ipso constitutas.

PRIORES.) Septem huius cap. versus ordine temporis et rei gestæ subiungendi sunt versui 1. cap. 3. l. 1. cæteri deinde ad finem capitis inserendi videntur inter v. 37. et 38. eiusdem c. 3.

Hucusque audivimus fortitudinem passivam Iudæorum martyrum, nunc usque ad finem libri audiemus fortitudinem activam Iudæorum militum, puta Iudæ Machabæi, et fratrum eius. *Romanum est*, inquiebat ille, *fortia agere*, at Machabæum *æque ac Christianum est tam dura pati quam fortia agere.*

Vers. 1. IUDAS VERO MACHABÆUS, etc., EDUXERUNT AD SE SEX MILLIA VIRORUM) Hisce paucis copiis maximos Antiochi Epiphanis prostravit exercitus, tum quia hi erant quasi desperati, qui pro aris et focis pugnabant, tum quia magna in Deum spe et invocatione prælia inibant: quare Deus eis animos viresque addebat, hostibus vero adimebat.

Vers. 3. ET VOCEM SANGUINIS (Iudæorum innocentium ab Antiocho occisorum, uti audivimus c. 7. et præced.) AD SE (muta voce instar Abel contra parricidam Cainum) CLAMANTIS AUDIRET.)

Vers. 5. AT MACHABÆUS, CONGREGATA MULTITUDINE, INTOLERABILIS (Græce ἀνυπόστατος, impatibilis, intolerandus, quem nemo tolerare, cuius arma et vires nemo sufferre posset, sed omnes iis cederent et succumberent) GENTIBUS EFFICIEBATUR; IRA ENIM DOMINI (qua Iudæorum peccatum hucusque per Antiochum castigarat) IN MISERICORDIAM CONVERSA EST.) Ut per Iudam Iudæos ante victos calcatosque ab Antiocho faceret eius victores et calcatores. Hoc est quod anno præcedenti ultimus Machabæus excruciatus quasi vates prædixerat Antiocho, c. 7. v. 38. *In me*, inquit, *et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira.* Hoc enim ut fieret, ipse cum fratribus sua tam heroica martyrii tolerantia meruere, qua et Iudæorum peccata apud Deum expiarunt, eiusque iram in misericordiam et gratiam converterunt; qua factum est ut Deus excitaret Iudam Machabæum, eique animos et vires adderet, quibus Antiochi copias ubique profligaret.

Vers. 6. ET SUPERVENIENS CASTELLIS ET CIVITATIBUS IMPROVISUS, SUCCENDEBAT EAS.) Hoc enim stratagema est insignium belli ducum, ut ex improviso; ideoque noctu in hostes inermes et imparatos, imo somno vinoque sepultos irruant, itaque eos quasi pecora mactent, uti fecit hic Iudas. Idem Romanis faciebat Hannibal, ac vicissim Romani Hannibali, teste Livio, Iustin. Plut. et aliis.

Vers. 8. VIDENS AUTEM PHILIPPUS.) Qui ab Antiocho Ierosolymæ gubernator constitutus fuerat, cap. 5. 22. paulatim virum ad profectum venire, scilicet Iudam in dies victoriis æque ac animis, viribus, et copiis ad eum quasi victorem confluentibus augeri, et proficere metuens sibi suisque auxilium petiit a Ptolomæo Præfecto Cælesyriæ.

Vers. 9. AT ILLE (Ptolomæus) VELOCITER MISIT NICANOREM PATROCLI (filium) etc. DATIS EI DE PERMISTIS GENTIBUS, ARMATIS NON MINUS VIGINTI MILLIBUS.) Sed postea ad hos longe plures accessere, ut patet lib. 1. c. 3. v. 38. et 42.

Vers. 10. CONSTITUIT AUTEM NICANOR (tantis copiis elatus, et certa spe victoriæ Iudæos omnes quasi devorans) UT REGI (Antiocho) TRIBUTUM QUOD ROMANIS ERAT DANDUM (eo quod Romani eius patrem Antiochum Magnum bello vicissent, et ad tributum damnassent; summa autem huius tributi Romanis danda erat) DUO MILLIA TALENTORUM (ut hoc tributum) DE CAPTIVITATE IUDÆORUM SUPPLERET.) Ut nimirum totam hanc summam magna ex parte conflaret ex venditione Iudæorum a se captivandorum. Unde incolas Tyri, Sidonis, aliarumque vicinarum convocavit ad Iudaica mancipia vilissimo pretio coemenda; nimirum

Vers. 11. PROMITTENS SE NONAGINTA MANCIPIA TALENTO (argenti) DISTRACTURUM.) Hoc est 500. aureis venditurum, ita ut quodque mancipium non staret nisi quinque aureis cum dimidio; cum alioqui paulo ante Hyrcanus unum iuvenem talento, id est 500. aureis, vendidisset, teste Iosepho, lib. 12. c. 4. Hæc indignitas et vilipendium pupugit Iudæos, ut ad castra Iudæ agminatim confluerent usque ad necem pro lege et libertate pugnaturi. Quare imprudenter id fecit Nicanor irritans Iudæos, ut quasi desperati pugnarent, ideoque ab eis victus cæsusque est.

Vers. 13. NON CREDENTES DEI IUSTITIÆ.) Quod scilicet Deus patronus et vindex foret iustæ et innocentis Iudæorum causæ, et iniustum Nicanorem per eos prosterneret.

Vers. 14. ALII VERO SI QUID EIS SUPERERAT VENDEBANT) Indeque arma et annonam comparabant, ut ad Iudæ castra accedentes, pro patria et fide usque ad mortem animose contra Nicanorem depugnarent.

Vers. 15. ET SI NON PROPTER EOS, PROPTER TESTAMENTUM TAMEN, QUOD ERAT AD PATRES EORUM.) q. d. Dominum deprecabantur ut vos eriperet a Nicanore, non propter sua merita, sed Patrum, puta Abrahæ, Isaac, Iacob,

etc. quibuscum Deus testamentum, id est pactum inierat, promittens se eis eorumque posteris fore Deum, id est tutorem, et protectorem, si ipsi eum vicissim ut Deum suum colerent.

Vers. 16. CONVOCATIS AUTEM MACHABÆUS SEPTEM MILLIBUS.) Græce *sex millibus*; tot enim nominantur v. 1. et 22. sed septimum millenarium ducebat ipse Iudas, reliqua sex mille eius fratres quasi duces. Ita Salianus.

ROGABAT NE HOSTIBUS RECONCILIARENTUR.) Sed cum eis gererent ἄσπονδον πόλεμον, id est irreconciliabile bellum, ideoque hostibus metuendum et formidabile, quale cum Romanis gessit Hannibal, qui cum admodum esset puer; ab Hamilcare patre sacrificante ad aras iureiurando obstrictus fuit, se, cum primum per ætatem liceret, Romanorum fore inimicum, teste Plutar. in eius vita. Sic Numantini in Hispania a Romanis per 14. annos obsessi noluerunt eis reconciliari, ideoque 40. millia Romanorum deleverunt: sed tandem a Scipione fame pressi omnia sua et seipsos igne in foro excitato concremarunt. Ita Florus, lib. 2. Asdrubal Carthaginis a Scipione obsessæ Præfectus Romanos captivos in mœnibus, oculis, vel linguis, vel digitis, vel plantis mutilavit, itaque vivos præcipitavit per rupes, ne Charthaginensibus ullam spem veniæ a Romanis impetrandæ relinqueret, sed in solis armis salutem reponerent, ait Appianus. Cum obstinatis enim durum et periculosum est bellum. Tale bellum fidelis quilibet per totam vitam gerere debet cum lucifero, cum carne et mundo, cum superbia, ira, gula, luxuria, ut nullas pacis conditiones admittat, sed internecino prælio cum eis assidue confligat.

Vers. 20. ET DE PRÆLIO, QUOD EIS ADVERSUS GALATAS FUIT IN BABYLONIA, UBI AD REM VENTUM EST, MACEDONIBUS SOCIIS HÆSITANTIBUS, IPSI SEX MILLIA SOLI PEREMERUNT 120. MILLIA.) Videtur hoc contigisse sub Antiocho primo, qui Seleuci primi post Alexandrum Asiæ et Syriæ regis filius et successor cognominatus est Soter. Hic enim, ut narrat Appianus in Syriacis, Galatas ex Europa Asiam invadentes repulit, idque ope Iudæorum, quibus proinde tam ipse quam eius filius Antiochus cognomento Θεὸς summas dignitates et privilegia in gratiarum actionem contulerunt, uti narrant Iosephus, l. 12. c. 3. Iustinus, l. 24. et 25. Plutar. in Demetrio et alii. Ita Serar. Mariana et alii.

Vers. 22. CONSTITUIT ITAQUE FRATRES SUOS DUCES UTRIQUE ORDINI SIMONEM ET IOSEPHUM.) Iosephus hic alio nomine Ioannes vocatus est lib. 1. cap. 2. vers. 2. Ita Serarius.

Vers. 23. AD HOC ETIAM AB ESDRA LECTO ILLIS SANCTO LIBRO.) Esdras hic non fuit verus celebrisque ille scriba qui librum Esdræ conscripsit, sed longe eo posterior, nimirum sacerdos, vel legis doctor insignis, qui ut militibus ituris ad bellum animos, spemque victoriæ adderet, legit eis ex Deuter. cap. 28. 7. ubi Deus Iudæis se rite colentibus certum de hostibus promittit triumphum. Atque id ipsum fieri iusserat Deus ante pugnam, Deuter. 20. dicens: *Appropinquante prælio stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur: Audi, Israel, noli timere, quia Dominus Deus vester in medio vestri est.* Porro Græca habent: *Adhuc etiam Eleazarum*, scilicet quartum fratrem suum, *constituit Iudas belli ducem attributis ei pariter* 1500. *militibus*; sic enim sex millia militum in quatuor fratres quasi duces distribuit, attributa cuique quarta parte, scilicet 1500. militibus. Deinde aliam sententiam subiungunt, quod scilicet Iudas quasi Pontifex, et supremus belli dux, uti præcessit, legerit militibus librum Deuteron.

ET DATO SIGNO.) Id est tessera militari adiutorii Dei, q. d. Iudas suis dedit hanc belli tesseram, quo socii ab hostibus dignoscerentur: *Adiutor suis est Deus.* Hoc fuit omen et causa victoriarum omnium, quod scilicet Iudas non in suis, sed in Dei viribus omnem victoriæ spem reponeret: sic Gentiles sæpe hanc belli tesseram dabant:

A *Nobiscum Deus*, ait Vegetius lib. 3. cap. 3. Sic Cyri in bello tessera erat: *Iuppiter belli socius et dux*, ait Xenophon, libr. 3. Pompeii vero in acie Pharsalica hæc: *Hercules invictus*; Iulii Cæsaris autem hæc: *Victrix Venus*, teste Appiano lib. 2. de bellis civilibus. Ita Sanchez, Serar. Salian. et alii.

IPSE DUX (Iudas) COMMISIT (prælium) CUM NICANORE.

ET FACTO SIBI ADIUTORE OMNIPOTENTE, INTERFECERUNT SUPER NOVEM MILLIA HOMINUM.) Reliquis in fugam actis, vel captis. Vers. 24.

SED REVERSI SUNT HORA CONCLUSI.) q. d. Hora vespertina, quæ præit sabbatum, ingruente, arctati et prohibiti sunt insequi hostes fugientes: sabbato enim ex lege eis indicta erat quies; sabbatum autem incipiebat a pridiana hora vespertina. Vers. 26.

DEBILIBUS, ET ORPHANIS, ET VIDUIS DIVISERUNT SPOLIA.) Vide hic Iudæ et militum charitatem et liberalitatem, qua in gratiarum actionem de victoria a Deo ob- Vers. 28.
B tenta spolia in egenos distribuunt, ideoque novas a Deo, qui in gratos est gratior, et in liberales liberalior, victorias obtinuerunt: nam v. 30. e castris Timothei *super viginti millia interfecerunt, et munitiones excelsas obtinuerunt, et plures prædas diviserunt.* Hoc Iudæorum exemplum narrent ducibus et militibus Christianis eorum confessarii et concionatores, ut illud imitantes simili modo a Deo benedici, et victoriis cumulari mereantur. Sane Turca cum insignem aliquam de hostibus victoriam obtinuit, solet in gratiarum actionem erigere hospitale quodpiam ad alendos pauperes, illudque dotare.

ET COMMUNITER AB OMNIBUS FACTA OBSECRATIONE (hanc quoque communem litaniam imitentur nostri milites) MISERICORDEM DOMINUM POSTULABANT UT IN FINEM SERVIS SUIS RECONCILIARETUR.) Ut scilicet hucusque peccatis Iudæorum offensus, ideoque eos per Antiochum castigans tandem aliquando precibus communibus placatus flagellum hoc amoveret, eosque ab omni hostium incursu plene planeque liberaret. Vers. 29.

C ÆQUAM PORTIONEM DEBILIBUS, PUPILLIS ET VIDUIS, SED ET SENIORIBUS FACIENTES.) Græce ἰσομοίρους, id est *æquales portione se cum debilibus, pupillis et viduis, sed et sacerdotibus facientes.* q. d. Spolia diviserunt in duas æquales portiones, quarum unam milites sibi servarunt, alteram in debiles præsertim, qui in prælio vulnerati, mutilati, debilitati fuerant; item in orphanos et viduas, quarum parentes et mariti in acie ceciderant, distribuerunt. Hoc enim pietas, ac parentum et maritorum merita exigebant. Ad hæc sacerdotibus, utpote qui erant Deo consecrati, ac pro militibus pugnantibus Deum deprecati fuerant, ut eis victoriam largiretur. Vers. 30.

ET PHILARCHEN QUI CUM TIMOTHEO ERAT INTERFECERUNT.) Philarches non est nomen proprium, sed nomen officii et dignitatis; φύλαρχος enim est tribunus tribuum præfectus, estque nomen magistratus in exercitu: φυλὴ enim est tribus, familia, cohors; ἄρχος est præfectus, princeps. Ita Salianus. Vers. 32.

ET CUM EPINICIA AGERENT IEROSOLYMIS.) Epinicia Vers. 33.
D vocat publica festa, plausus et ovationes ob adeptam victoriam. Tunc pariter in signum triumphi Callisthenem, qui valvas templi igne combusserat, simili igne concremarunt. Iusta fuit hæc talionis pœna.

PRÆDICABAT (Nicanor victus et cæsus a Iuda) PROTECTOREM DEUM HABERE IUDÆOS, ET OB IPSUM INVULNERABILES (Vatabl. *invictos*) ESSE, EO QUOD SEQUERENTUR LEGES AB IPSO CONSTITUTAS.) Magnum est hoc ab hoste testimonium. Vers. 36.

Disce hic, Christiane, te in quavis tentatione, persecutione, conflictu, ærumna invulnerabilem et invictum fore, si leges Dei custodias. Deus enim erit protector tuus, et te vel illa liberabit, vel per patientiam et magnanimitatem te eamdem fortiter sustinere et vincere efficiet, ut maiorem tibi certanti et vincenti in cælo coronam paret.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur fuse morbus, et mors Ant. Epiphanis, quæ breviter descripta fuit lib. 1. cap. 6. Impius ergo a vermibus corrosus cum fœtore intollerabili in montibus expiravit.

1. EODEM tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside. 2. Intraverat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, et tentavit expoliare templum, et civitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt; et ita contigit ut Antiochus post fugam turpiter rediret. 3. Et cum venisset circa Ecbatanam, recognovit quæ erga Nicanorem et Timotheum gesta sunt. 4. Elatus autem in ira, arbitrabatur se, iniuriam illorum qui se fugaverant, posse in Iudæos retorquere: ideoque iussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cælesti eum iudicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est se venturum Ierosolymam, et congeriem sepulcri Iudæorum eam facturum. 5. Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili et invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta: 6. Et quidem satis iuste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret. 7. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, et præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. 8. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: 9. Ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius et fœtore exercitus gravaretur: 10. Et qui paulo ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. 11. Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus; 12. Et cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. 13. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. 14. Et civitatem, ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulcrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere: 15. Et Iudæos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, et cum parvulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Atheniensibus facturum pollicetur: 16. Templum etiam sanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum, et pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum: 17. Super hæc, et Iudæum se futurum, et omnem locum terræ perambulaturum, et prædicaturum Dei potestatem. 18. Sed non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum iustum Dei iudicium) desperans scripsit ad Iudæos in modum deprecationis epistolam hæc continentem: 19. OPTIMIS civibus Iudæis plurimam salutem, et bene valere, et esse felices, rex et princeps Antiochus. 20. Si bene valetis, et filii vestri, et ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias. 21. Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benigne, reversus de Persidis locis, et infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi pro communi utilitate curam habere: 22. Non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem. 23. Respiciens autem quod et pater meus, quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum: 24. Ut si quid contrarium accideret, aut difficile nuntiaretur, scientes hi qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur. 25. Ad hæc considerans de proximo potentes quosque, et vicinos temporibus insidiantes, et eventum expectantes, designavi filium meum Antiochum regem, quem sæpe recurrens in superiora regna multis vestrum commendabam: et scripsi ad eum quæ subiecta sunt. 26. Oro itaque vos et peto, memores beneficiorum publice et privatim, ut unusquisque conservet fidem ad me et ad filium meum. 27. Confido enim, eum modeste et humane acturum, et sequentem propositum meum, et communem vobis fore. 28. Igitur homicida et blasphemus pessime percussus, et ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est. 29. Transferebat autem corpus Philippus collactaneus eius, qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.

MORS hæc Antiochi breviter narrata fuit lib. 1 c. 6. sed hic fusius recensetur ad Iudæorum ab eo afflictorum consolationem, et ad perpetuum vindictæ divinæ in impios et sacrilegos exemplum.

Vers. 2. INTRAVERAT ENIM IN EAM (provinciam sive regionem et ditionem Persidis) QUÆ (a primaria eius urbe sive metropoli) DICITUR PERSEPOLIS (Græce; nam Heb. dicitur Elam sive Elymais, ut patet cap. 6. l. 1. v. 1. quam Perer. l. 9. in Daniel. ad illa: *Et sine manu conteretur,* arbitratur fuisse Susan.) q. d. Antiochus ingressus est ditionem Persepolis cum exercitu ipsamque primariam eius urbem, quæ pariter Persepolis sive Elymais dicebatur, oppugnare aggressus est; sed a civibus ad mœnia concurrentibus repulsus fuit, imo magna suorum clade affectus: *Cives enim recedentem persecuti sunt, ita ut plurimis desideratis fugientis more Babylonem se reciperet,* ait Iosephus lib. 12. cap. 13.

ET TENTAVIT EXPOLIARE TEMPLUM.) Dianæ, quod est illis regionibus augustissimum, ait Plinius l. 6. c. 26. 27. Ita Iosephus, Polybius, et S. Hieronymus in cap. 11. Daniel. v. 36. ex Diodoro: licet Appianus in Syriacis dicat fuisse templum Veneris.

ET CUM VENISSET CIRCA ECBATANAM (celeberrimam Vers. 3.
Persidis civitatem) RECOGNOVIT (ex nuntiis et litteris ad se missis) QUÆ ERGA NICANOREM ET TIMOTHEUM (duces suos) GESTA SUNT.) A Iuda Machabæo, quod scilicet ipse eos prostraverit, ceciderit et fugarit.

SE VENTURUM IEROSOLYMAM ET CONGERIEM SEPULCRI Vers. 4.
IUDÆORUM EAM FACTURUM.) Græce quod eam faceret πολυάνδριον, id est cœmeterium in quod multorum viro-

rum cadavera congeri solent. q. d. Antiochus iactavit se suorum cladem a Iudæis acceptam ulturum, ac Ierusalem ita funditus eversurum, ut tota urbs futura sit funerum et cadaverum Iudaicorum sepulcrum.

Vers. 5. et 6. DEUS ISRAEL PERCUSSIT EUM INSANABILI ET INVISIBILI PLAGA, scilicet acerbissimis viscerum doloribus, eo quod NOVIS CRUCIATIBUS ALIORUM (Machabæorum) TORSERAT VISCERA.) Ut sequitur, ac gravissima melancholia et cholera. Addit S. Hieron. loco citato ex Diodoro, eum *quibusdam phantasiis et terroribus versum in amentiam.* Exterius autem percussit eum morbo pediculari, profluvio carnium, fœtore intolerabili, ut dicitur vers. 9.

Vers. 7. PRÆCIPIENS ACCELERARI NEGOTIUM (in agitando curru ut cito perveniret Ierosolymam) CONTIGIT ILLUM IMPETU EUNTEM DE CURRU CADERE ET GRAVI CORPORIS COLLISIONE MEMBRA VEXARI.) Rem fusius probabiliter narrat Gorionides, l. 3. c. 22. *Contigit autem*, inquit, *cum iam veheretur, et comitaretur exercitum suum, ut currus eius transiret contra elephantem quemdam, et elephas vociferari inciperet, atque ex barritu eius equi terrerentur, calcitrarent et subverterent currum, caderetque Antiochus de curru, et confringerentur omnia ossa eius siquidem erat homo gravis et crassus.*

Vers. 9. ITA UT DE CORPORE IMPII VERMES (pediculi) SCATURIRENT.) Hic morbus a medicis vocatur phtiriasis, id est morbus pedicularis, quo vermes hi e corpore ebulliunt, illudque fœdo horrore et intoleranda prurigine erodunt et consumunt. Oritur subinde naturaliter ex delicata dulcique corporis complexione, vel nutritione, aut ex sordibus et putredine, uti fit in pauperibus; sed sæpe supernaturaliter Deus eum infligit superbis, blasphemis, sacrilegis, ac persecutoribus et tortoribus fidelium et sanctorum, uti eum inflixit Herodi Ascalonitæ, qui fuit Christi persecutor et infanticida, teste Iosepho lib. 17. c. 8. et eius nepoti Herodi Agrippæ, eo quod populo sibi acclamanti *vox Dei et non hominis*, applausisset, ac Iacobum Apostolum occidisset, occisurus et Petrum ni Angelus eum liberasset, Actorum 12. 23. et Maximiano Imperatori acri Christianorum tortori, teste Eusebio, l. 8. 18. et Iuliano apostatæ, teste Sozomeno, l. 5. c. 8. et Hunerico Wandalorum regi Ariano, cuius truculentam in Orthodoxos sævitiam, indeque Dei vindictam et phtiriasim fuse enarrat Victor Uticensis, libris tribus, quos de Wandalica persecutione conscripsit; item Ioanni Calvino, utpote heresiarchæ in Deum, Christum, et Sanctos blasphemo, uti scribit Bolsecus, nec diffitetur Beza in eius Vita, qui et plura maioraque addit: *Tam variis*, inquit, *eum et multiplicibus morbis, cruciatum fuisse, ut plane sit incredibile; hemicrania scilicet, hæmorroidibus ulcerosis, sanguine excrementitio, quartana, podagra, calculo et colica.* Ita

Sequitur superbos ultor a tergo Deus,

ut canit tragœdus, et sæpe occinit S. Scriptura.

Vers. 12. ET CUM NEC IPSE IAM FOETOREM SUUM FERRE POSSET, ITA AIT: IUSTUM EST SUBDITUM ESSE DEO, ET MORTALEM NON PARIA DEO SENTIRE.) Morbis hisce excruciatus superbus Antiochus in se rediit, et seipsum agnovit, quod scilicet stulte se Deum æstimasset, ac Deo vero æquare voluisset, utpote homo Deo, mortalis immortali, infirmus omnipotenti, temporarius æterno, ideoque Deus percussit eum phtiriasi, ut disceret, diceretque cum Iob. c. 17. *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, et soror mea vermibus.* Et cum Davide: *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis*, Ps. 21. Et illud alterius sancti: *Vermis vermem quærit.* Sic ostendit Deus se exaudisse orationem septimi Machabæi martyris, cuius hæc ante triennium in cruciatibus ultima fuit vox, c. 7. v. 37. *Invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis et verberibus confiteri, quod ipse est Deus solus.* Martyrium enim Machabæorum contigit anno Græcorum 145. Antiochi nono; mors vero eiusdem contigit anno Græcorum 149. ut dictum est l. 1. c. 6. 16. qui fuit Antiochi decimus tertius et ultimus.

A ORABAT AUTEM HIC SCELESTUS DOMINUM A QUO NON ESSET MISERICORDIAM CONSECUTURUS.) Quia hæc eius confessio, pœnitentia et oratio fuit tormentis coacta et extorta, nec ex amore, sed ex servili timore procedebat. Tantum enim orabat Deum ad hoc, ut cruciatibus ab eo immissis liberaretur, non autem eo fine ut vitam mutaret, Deoque vere et sincere serviret. Similis fuit pœnitentia Pharaonis sentientis plagas a Mose inflictas, Exodi 10. 16. et Saulis, 1. Reg. 15. 24. et 30. et Achab Regis Israel, 3. Reg. 21. 29. et Nabuchodonosor, Daniel. 4. 31. licet de ultimo hoc dubitare liceat. Rursum esto Antiochum sincere pœnituisset, et actum veræ contritionis ex amore Dei elicuisset, itaque animam suam salvasset; tamen misericordiam quam petebat, puta liberationem a cruciatibus, non fuisset consecutus. Iam enim fixum decretumque erat Deo ipsum ob immania scelera hisce cruciatibus usque ad mortem punire. Simili modo Esau licet pœnitens, patris benedictionem et ius primogenituræ deperditum recuperare non potuit; nam ut dicitur Hebr.
B 12. 17. *Postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Vers. 13.

ÆQUALES NUNC ATHENIENSIBUS FACTURUM POLLICETUR.) Nimirum αὐτονόμους, ait Iosephus, id est suis legibus propriisque institutis libere viventes, ut faciebant Athenienses, licet iam Antiocho et Antiochenis subiecti. Hoc enim summe optare Iudæos sciebat Antiochus. Vers. 15.

SUPER HÆC ET IUDÆUM SE FUTURUM, ET OMNEM LOCUM TERRÆ PERAMBULATURUM, ET PRÆDICATURUM DEI POTESTATEM.) Dixit hæc Antiochus ficte et simulate, quia coactus Dei flagellis: quare, si ea subduxisset Deus, ipse ad ingenium rediisset iuxta illud vulgi: Vers. 17.

Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat,
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.

Illudere ergo voluit impius Deo, sed ab eo illusus fuit. Non enim intendebat illa præstare quæ hic dicit et promittit.

C SED NON CESSANTIBUS DOLORIBUS (SUPERVENERAT ENIM IN EUM IUSTUM DEI IUDICIUM) q. d. Deus iusto suo iudicio plane decreverat eum ob sacrilegia cruciare usque ad mortem, DESPERANS (de dolorum levamine, et sanitate recuperanda æque ac Dei gratia et salute æterna) SCRIPSIT AD IUDÆOS.) Ut iis viventibus filium suum unicum Antiochum Eupatorem sibi successorem relinqueret, eique regnum assecuraret. Sciebat enim se illud eripuisse Demetrio Seleuci senioris fratris sui filio, ac proinde Demetrium, qui loco sui obses Romæ detinebatur, audita sua morte illico in Asiam advolaturum, ut regnum iure sibi debitum occuparet, ac Eupatorem puerum, ad quem non pertinebat, ab eo excluderet, uti et factum est; nam Demetrius Eupatorem cum Lysia occidit, et regnum sibi vindicavit. Quocirca Antiochus hisce litteris id impedire volens nihil effecit, sed tam ipse quam filius iusto Dei iudicio regnum cum vita perdiderunt. Vers. 18.

Vide hic magnificentiam, magnificamque potentiam Dei nostri, qua tumidum et indomabilem Antiochum, qui videbatur sibi, terræ, mari et cælo imperare, uno viscerum dolore ita sternit, uti non tantum sibi, sed et Iudæis, quos plane despexerat, supplex fiat. Sic Pharaonem supplicem fecit Mosi, Saulem Samueli, Nabuchodonosorem Danieli.

MAXIMAS AGIMUS GRATIAS.) Græca habent: *Deo ago maximas gratias in cælo spem habens, et ego languide iacens vestri honoris benevole recordatus sum.* Vers. 20.

RESPICIENS AUTEM QUOD ET PATER MEUS.) etc. q. d. Sicut pater meus Antiochus Magnus rex prudentissimus, et in vos summe benevolus, teste Iosepho, l. 12. c. 3. peregre proficiscens, declaravit hæredem suum, ut si quid humanitus ei contigisset, ille ipsi succederet, sic ego patris exemplum secutus vobis declaro hæredem regni mei meum filium Antiochum Eupatorem, peloque ut in eo fovendo tuendoque vestrum auxilium conferatis. Vers. 23.

CONSIDERANS POTENTES QUOSQUE, ET VICINOS TEMPORIBUS INSIDIANTES.) Ut si videant regem mortuum putent tempus esse opportunum ad regnum occupandum. Vers. 25.

Notat suum ex fratre Seleuco nepotem Demetrium, cui iure regnum debebatur, ut dixi v. 18.

Vers. 26 MEMORES BENEFICIORUM.) Hic patet fictio et adulatio Antiochi. Splendide enim mentitur iactans sua in Iudæos beneficia, cum in eos omne maleficii genus exercuerit.

Vers. 27. SEQUENTEM PROPOSITUM MEUM.) Ut in vos sit benevolus, sicut ego deinceps esse propono. Fingit et simulat benevolentiam, cum fuerit malevolus in Iudæos et hanc patris malevolentiam in Iudæos secutus fuit filius Eupator.

ET COMMUNEM (id est comem, familiarem, affabilem, benignum, benevolum) VOBIS FORE.

Vers. 28. PEREGRE IN MONTIBUS.) Circa Ecbatanam, ut dictum est v. 3. in oppido Tabes, ait S. Hieronymus in c. 11. Danielis. Ibi ergo in montibus Persidis et Mediæ mortuus est Antiochus. Licet enim ipse pergeret Babylonem, ut dictum est l. 1. c. 6. vers. 4. tamen cruciatu crescente, eo pervenire non potuit; sed in montibus obiit. Hic fuit funestissimus exitus Antiochi Epiphanis impii, blasphemi, A sacrilegi, athei, et deorum omnium contemptoris, qui proinde expressus fuit Antichristi typus et prodromus.

Porro cavendus est hic error Iosephi. Ipse enim l. 14. c. 17. citans Polybium dicentem Antiochum ob hoc periisse, quod conatus sit Dianæ templum expilare, eum redarguit: *Voluisse enim tantum*, inquit, *ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio.* Erras, o Iosephe; nam omnis virtus æque ac vitium, indeque meritum et demeritum in voluntate consistit: actus enim externus in se non est liber, ideoque omnem suam libertatem, ac bonitatem, vel malitiam trahit, et sugit ab interno voluntatis actu bono vel malo. Bonus autem actus quilibet dignus est laude et præmio, malus vero vituperio et supplicio. Verum, si Antiochus periit quod voluerit expilare templum Dianæ, multo magis periit eo quod reipsa expoliarit templum Dei veri Ierosolymæ, ibique tot et tantas strages ediderit, quot et quantas hucusque audivimus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudas Machabæus templum ab Antiocho pollutum expurgat. Inde v. 9. Ant. Epiphani vita functo succedit filius Ant. Eupator, sub quo Ptolomæus Macer iusti tenax, et Iudæorum amicus veneno occiditur. Adhæc v. 14. Gorgias a Iudæis profligatur æque ac Idumæi, et proditores. Denique v. 24. Machabæus Angelorum ductu prosternit, occiditque Thimotheum, Chæream, et Apollonium, Deoque Epinicium concinit.

1. MACHABÆUS autem, et qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem, et civitatem recepit: 2. Aras autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demolitus est; 3. Et purgato templo, aliud altare fecerunt: et de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium, et incensum, et lucernas, et panes propositionis posuerunt. 4. Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent: sed et, si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, et non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. 5. Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu. 6. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis, diem solemnem tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerant. 7. Propter quod thyrsos, et ramos virides, et palmas præferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum. 8. Et decreverunt communi præcepto, et decreto, universæ genti Iudæorum, omnibus annis agere dies istos. 9. Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit. 10. Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio, quæ gesta sunt narrabimus, breviantes mala, quæ in bellis gesta sunt. 11. Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quemdam, Phœnicis et Syriæ militiæ principem. 12. Nam Ptolemæus qui dicebatur Macer, iusti tenax erga Iudæos esse constituit, et præcipue propter iniquitatem quæ facta erat in eos, et pacifice agere cum eis. 13. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi a Philometore deseruisset, et ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit. 14. Gorgias autem, cum esset dux locorum, assumptis advenis, frequenter Iudæos debellabat. 15. Iudæi vero, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Ierosolymis suscipiebant, et bellare tentabant. 16. Hi vero qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes ut esset sibi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum: 17. Multaque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, et omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt. 18. Quidam autem, cum confugissent in duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes, 19. Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone, et Iosepho, itemque Zachæo, eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas quæ amplius perurgebant, pugnas conversus est. 20. Hi vero qui cum Simone erant, cupiditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia: et septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere. 21. Cum autem Machabæo nuntiatum esset quod factum est, principibus populi congregatis, accusavit, quod pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis. 22. Hos igitur proditores factos interfecit, et confestim duas turres occupavit. 23. Armis autem ac manibus omnia prospere agendo in duabus munitionibus plus quam viginti millia peremit. 24. At Timotheus, qui prius a Iudæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, et congregato equitatu Asiano advenit quasi armis Iudæam capturus. 25. Machabæus autem, et qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, 26. Ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, et adversariis adversaretur, sicut lex dicit. 27. Et ita post orationem, sumptis armis, longius de civitate procedentes, et proximi hostibus effecti, resederunt. 28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ et prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: 30. Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum in-

columem conservabant: in adversarios autem tela et fulmina iaciebant, ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant. 31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, et equites sexcenti. 32. Timotheus vero confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, et qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, et sermones nefandos iactabant. 35. Sed cum dies quinta illucesceret, viginti iuvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, et feroci animo incedentes ascendebant: 36. Sed et alii similiter ascendentes, turres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. 37. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt: et fratrem illius Chæream et Apollophanem occiderunt. 38. Quibus gestis, in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, et victoriam dedit illis.

PRIOR pars purgati templi, a versu 1. ad 9. ordine temporis collocanda est, lib. 1. cap. 4. post vers. 35. Cætera huius capitis, imo et capitis 11. ac 12. inserenda sunt lib. 1. cap. 16. ante vers. 18. Purgatio enim templi facta a Iuda, licet hic post mortem Antiochi Epiphanis narretur, tamen ante eam contigit, nimirum anno Græcorum 148. ut patet l. 1. cap. 4. v. 52. Antiochus vero mortuus est anno 149. Græcorum, ut dictum est l. 1. c. 16. v. 16.

Vers. 3. ET DE IGNITIS LAPIDIBUS IGNE CONCEPTO SACRIFICIA OBTULERUNT.) Per ignitos lapides Salian. et Mariana intelligunt silices et similes, ex quibus inter se collisis facile ignis excutitur in subiectum fomitem, exceptusque accenditur, uti naturaliter quotidie facimus. Verum Græce est πυρωσαντες λιθους id est, *ignientes lapides, et ex iis ignem excipientes.* Silices autem collisi non igniuntur, sed scintillas ignis dumtaxat emittunt. Quare verius videtur precibus Iudæ et sacerdotum ignem e cælo evocatum ignivisse lapides; indeque sacerdotes ignem accepisse, quo sacrificia cremarentur. Sic enim ante Iudam fecerat Nehemias et sic statuerat Deus, Levit. 6. 12. ut igne non communi, sed cælesti, et divino hostiæ cremarentur, atque hac de causa Iudas festum dati, vel potius redditi a Deo ignis instituit, ut audivimus cap. 1. v. 19. et seq. Ita Serar. Sanchez et alii. Sic et Gorionides l. 3. cap. 13. *Cum*, inquit, *composuissent ligna non invenerunt ignem sanctum, sed clamaverunt ad Dominum, et exsiliit ignis e lapide, qui erat altari suppositus, adiicientes ei ligna. Duravit ille ignis ad captivitatem tertiam*, quæ facta est a Tito, et Vespasiano cum templum fuit combustum.

POST BIENNIUM.) Inchoandum non a profanatione templi, ut volunt nonnulli (ab hac enim fluxerat triennium) sed a principatu Iudæ, ut dixi lib. 1. cap. 4. v. 54. Ita Serarius, Salianus, et alii. Mirum est nonnullos viros doctos hoc biennium computare a morte Antiochi: nam Antiochus post templi purgationem et sacrificationem mortuus est, ut dixi in synopsi capitis.

Vers. 6. ET CUM LÆTITIA DIEBUS OCTO EGERUNT IN MODUM TABERNACULORUM.) q. d. Celebrarunt festum Encæniorum per octo dies eodem ritu, et plausu quo iuxta legem celebrant quotannis festum Tabernaculorum die 15. mensis Tisri, idque in gratiarum actionem, eo quod Deus eos urbi Ierosolymæ, suisque domibus restituisset, cum ipsi paulo ante fugientes persecutionem Antiochi in sylvis, et montibus delituissent, ibique sibi tuguria et tabernacula e ramis arborum construxissent.

Vers. 7. PROPTER QUOD THYRSOS, ET RAMOS.) Tyrsi erant frondes et virgulta, quibus milites parta victoria, se suasque hastas et arma vestiebant. Hinc apud Gentiles thyrsus erat hasta aculeata hederis obtecta quam in Orgiis (sacris) Bacchi quatiebant: unde Bacchus dictus est thyrsigerus.

Vers. 11. HIC (Antiochus Eupator filius Epiphanis) etc. CONSTITUIT SUPER NEGOTIA REGNI (id est, constituit suum in regimine Vicarium et proregem; sive, ut Græca habent, Protarchum) LYSIAM.

Vers. 12. NAM PTOLEMÆUS, QUI DICEBATUR MACER.) To *nam* innuit Ptolomæum ante Lysiam negotia regni administrasse; sed per calumniam accusatum de proditione apud Eupatorem gradu suo excidisse. Hic Ptolomæus videtur esse ille idem qui c. 8. v. 8. vocatur dux Cælesyriæ, et Phœnicis, misitque Nicanorem contra Iudam, et Iudæos; sed mox videns eorum innocentiam, Deumque pro eis pugnare cœpit Iudæis favere, et patrocinari; ideoque accusatus fuit apud Eupatorem quasi proditor, quod ab eo ad Iudæos defecisse videretur, eo quod eorum causam tueretur.

VENENO VITAM FINIVIT.) In quibusdam Græcis additur Ptolomæum præ infirmitate animi ultro ad venenum confugisse, sponteque illud hausisse eo quod calumniam et infamiam proditionis sibi impactam audire et sustinere non posset. Non enim firmi magnique, sed infirmi pusillique est animi frangi hominum dicteriis, ideoque se occidere: fortis enim est hæc omnia viriliter sustinere, et magnanimitate virili superare, iuxta illud Martialis: Vers. 13.

Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Narrat hunc casum Ptolomæi S. Scriptura, ut significet Iudæos tanto amico, et patrono orbatos fuisse, ideoque novis cum Eupatore bellis implicitos fuisse.

GORGIAS AUTEM, etc. ASSUMPTIS ADVENIS.) Advenas vocat milites ex Thracia, Ægypto, Africa, aliisque exteris regionibus conscriptos. Unde vers. 24. vocantur *exercitus peregrinæ multitudinis.* Indigenæ enim erant Asiatici et Syri. Vers. 14.

IUDÆI VERO QUI TENEBANT OPPORTUNAS MUNITIONES FUGATOS AB IEROSOLYMIS SUSCIPIEBANT, ET BELLARE TENTABANT.) q. d. Iudæi aliquot munitiones Gorgiæ, et Antiochianis eripuerunt, in easque admittebant socios suos Iudæos, qui Ierosolyma e suis sedibus ab hoste pellebantur: ex quibus multi ad Iudam confluentes eius copias augebant, ut audacter Antiochianos invaderet, et feliciter sterneret, sicut paulo post viginti millia eorumdem prostravit. Ita Sanchez. Vers. 15.

Verum pro *Iudæi* legendum videtur *Idumæi,* uti legunt Codices Græci: Idumæorum enim munitiones hæ vocantur v. seq. vult enim significare duos Iudæorum hostes, Gorgiam scilicet, et Idumæos. Sensus ergo est, q. d. Idumæi perpetui Iudæorum inimici occuparunt aliquot Iudæorum munitiones, in quas suscipiebant Iudæorum apostatas et transfugas, nimirum eos, qui a Ierosolymis ob apostasiam et scelera ad se profugiebant, atque cum iis *bellare*, et bellum Ierosolymæ, et Iudæis inferre *tentabant.* Sed Iudas Deo invocato in has Idumæorum munitiones armata manu irrupit, et viginti millia interemit, ut sequitur: Ita Serarius, Salianus et alii.

VIGINTI MILLIBUS.) Græcus habet *novem millia.* Vers. 17.

IOSEPHO.) Hic est Iosephus Iudæ, Ionathæ, et Simonis frater, de quo c. 8. 22. Vers. 19.

HI VERO QUI CUM SIMONE ERANT CUPIDITATE (avaritia) DUCTI, etc. 70. MILLIBUS DIDRACHMIS (argenti, quæ si Atticæ fuerunt, faciunt aureos 5833. sin hebraicæ, duplo plus) ACCEPTIS DIMISERUNT QUOSDAM (hostium in turribus conclusorum) EFFUGERE. Vers. 20.

CUM AUTEM MACHABÆO NUNTIATUM ESSET, etc. ACCUSAVIT, QUOD PECUNIA FRATRES VENDIDISSENT ADVERSARIIS EORUM DIMISSIS.) Salutem enim civium prodit qui hostes eorum captos vel iamiam capiendos dimittit: dimissi enim rursum cives invadent, spoliabunt et occident, præsertim ut lytrum, quod pro se solverunt, recuperent. Vers. 21.

PRIMO AUTEM SOLIS ORTU UTRIQUE COMMISERUNT (prælium) ISTI (qui erant cum Iuda) QUIDEM VICTORIÆ ET PROSPERITATIS SPONSOREM CUM VIRTUTE DOMINUM HABENTES.) Deus enim Iudæ cum suis oranti indebat Vers. 28.

certam victoriæ spem: quam augebat virtus, id est probitas, fortitudo, et generositas Iudæ et sociorum, qui parati erant pro Dei lege et cultu dimicare usque ad mortem, statuerantque non nisi victores e prælio discedere, sed vel vincere vel occumbere. Græce est: *Sponsorem victoriæ et prosperitatis cum virtute habentes refugium ad Dominum:* hæc enim duo, scilicet Dei invocatio, et propria virtus, generosusque animi ad pugnam, aliamve rem perficiendam conatus, sunt efficacissima remedia, quæ quasi spondent certam victoriam, et felicem rei eventum.

ILLI (Timotheani Iudæorum hostes) AUTEM DUCEM BELLI ANIMUM (Græce θυμὸν, id est animositatem, iram, superbiam) HABEBANT. Quia numero suorum militum præfisi despiciebant paucitatem Iudæorum, putabantque se eos ut bolum panis devoraturos, sed Deus stravit eorum animositatem et superbiam, ostenditque victoriam non a numero, sed a favore Dei pendere, ac dari.

Vers. 29. APPARUERUNT ADVERSARIIS VIRI QUINQUE IN EQUIS, FRENIS AUREIS DECORI, DUCATUM IUDÆIS PRÆSTANTES.

Vers. 30. EX QUIBUS DUO MACHABÆUM MEDIUM HABENTES, ARMIS SUIS CIRCUMSEPTUM INCOLUMEM CONSERVABANT: IN ADVERSARIOS AUTEM TELA, ET FULMINA IACIEBANT, EX QUO ET CÆCITATE CONFUSI, ET REPLETI PERTURBATIONE CADEBANT.) Erant hi quinque Angeli pro Iuda et populo fideli iussu Dei dimicantes. Sic Angeli pugnarunt pro Theodosio contra Eugenium, dum militum eius tela in ipsosmet iacientes retorserunt, teste Theodoreto, lib. 5. c. 24. Sic pro S. Wenceslao, ut habet eius Vita, duellante cum Radislao Duce Curimense pugnavit Angelus, Ducemque perculit, ut prostratus veniam, vitamque peteret. Sic pro Constantino Magno certarunt Angeli, qui, ut ait Panegyr. 6. *flagrabant verendum nescio quid umbone coru-* A *sci, et cælestium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio.* Plura exempla recenset Serar. hic p. 676.

TIMOTHEUS VERO CONFUGIT IN GAZARAM.) Gorionides censet esse *Gazam,* sed alii cum Serario hæc duo distinguunt. Vide hic assiduas Iudæ victorias illi a Deo concessas, præsertim quibus occidit 20. millia Timotheanorum, sicut paulo ante occiderat viginti millia Idumæorum, ac tandem ipsum Timotheum cum Chærea, et Apollophane interemit. Vers. 32.

VIGINTI IUVENES ACCENSI ANIMIS OB BLASPHEMIAM.) Vide hic quid efficiat iuvenum animus, et ardor. Vide rursum quam stultum et periculosum sit hostium animos et iras subsannando et blasphemando irritare, et accendere. Vers. 35.

Sic Alexander Magnus, uti narrat Curtius sub finem l. 7. obsidens petram abscissam, et abruptam quam Arimazes Sogdianus cum triginta millibus armatorum insi- B debat, petensque ut se dederet ab eo irrisus fuit, rogatusque volarene posset? quo scommate ictus Alexander: Ostendam, inquit, proxima nocte Macedones etiam volare: quare trecentos iuvenes maximis præmiis, promissis accendit, ut a tergo per loca inaccessa noctu in petram scanderent, cum ipse a fronte, qua via patebat petram invaderet. Iuvenes accensi in petram maximis laboribus penetrarunt memores istius dicti Alexandri*: nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti.* Quare perculsus Arimazes se cum propinquis Alexandro dedidit, qui omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus petræ crucibus iussit affigi.

IN QUODAM REPERTUM LOCO.) Græce *lacu.* Vers. 37.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudas, et Iudæi Duce Angelo sternunt ingentem Lysiæ exercitum. Quare Lysias cum eis pacem init. Hinc. v. 46. et seq. recensentur tam Lysiæ, quam Antiochi Eupatoris æque ac Romanorum literæ ad Iudæos hac de re datæ.

1. SED parvo post tempore, Lysias procurator regis, et propinquus, ac negotiorum præpositus, graviter ferens de his quæ acciderant, 2. Congregatis octoginta millibus, et equitatu universo, veniebat adversus Iudæos, existimans se civitatem quidem captam gentibus habitaculum facturum, 3. Templum vero in pecuniæ quæstum, sicut cetera delubra gentium, habiturum, et per singulos annos venale sacerdotium: 4. Nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrenatus, in multitudine peditum, et in millibus equitum, et in octoginta elephantis confidebat. 5. Ingressus autem Iudæam, et appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco, ab Ierosolyma intervallo quinque stadiorum, illud præsidium expugnabat. 6. Ut autem Machabæus, et qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, et omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israel. 7. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, ceteros adhortatus est simul secum periculum subire, et ferre auxilium fratribus suis. 8. Cumque pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. 9. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis: non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare. 10. Ibant igitur prompti, de cælo habentes adiutorem, et miserantem super eos Dominum. 11. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, et equitum mille sexcentos: 12. Universos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed et ipse Lysias turpiter fugiens evasit. 13. Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans, factam erga se diminutionem, et intelligens invictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, misit ad eos: 14. Promisitque se consensurum omnibus quæ iusta sunt, et regem compulsurum amicum fieri. 15. Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ, in omnibus utilitati consulens: et quæcumque Machabæus scripsit Lysiæ de Iudæis, ea rex concessit. 16. Nam erant scriptæ Iudæis epistolæ a Lysia quidem hunc modum continentes:

LYSIAS populo Iudæorum salutem. 17. Ioannes et Abesalom, qui missi fuerant a vobis, tradentes scripta, postulabant ut ea, quæ per illos significabantur, implerem. 18. Quæcumque igitur regi potuerunt perferri, exposui: et quæ res permittebat, concessit. 19. Si igitur in negotiis fidem conservaveritis, et deinceps bonorum vobis causa esse tentabo. 20. De ceteris autem per singula verbo mandavi et istis, et his qui a me missi sunt, colloqui vobiscum. 21. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo mensis Dioscori, die vigesima et quarta.

22. Regis autem epistola ista continebat :

Rex Antiochus Lysiæ fratri salutem. 23. Patre nostro inter deos translato, nos volentes eos qui sunt in regno nostro sine tumultu agere, et rebus suis adhibere diligentiam, 24. Audivimus Iudæos non consensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare a nobis concedi sibi legitima sua. 25. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes iudicavimus templum restitui illis, ut agerent secundum suorum maiorum consuetudinem. 26. Bene igitur feceris, si miseris ad eos, et dextram dederis: ut cognita nostra voluntate, bono animo sint, et utilitatibus propriis deserviant.

27. Ad Iudæos vero regis epistola talis erat:

Rex Antiochus senatui Iudæorum, et ceteris Iudæis salutem. 28. Si valetis, sic estis ut volumus: sed et ipsi bene valemus. 29. Adiit nos Menelaus, dicens velle vos descendere ad vestros, qui sunt apud nos. 30. His igitur, qui commeant usque ad diem trigesimum mensis Xanthici, damus dextras securitatis, 31. Ut Iudæi utantur cibis et legibus suis, sicut et prius: et nemo eorum ullo modo molestiam patiatur de his, quæ per ignorantiam gesta sunt. 32. Misimus autem et Menelaum, qui vos alloquatur. 33. Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, Xanthici mensis quinta decima die.

34. Miserunt autem etiam Romani epistolam, ita se habentem:

Quintus Memmius et Titus Manilius, legati Romanorum, populo Iudæorum salutem. 35. De his, quæ Lysias cognatus regis concessit vobis, et nos concessimus. 36. De quibus autem ad regem iudicavit referendum, confestim aliquem mittite, diligentius inter vos conferentes, ut decernamus, sicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus. 37. Ideoque festinate rescribere, ut nos quoque sciamus cuius estis voluntatis. 38. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, quinta decima die mensis Xanthici.

Vers. 1. Lysias procurator regis (Ant. Eupatoris, qui patri Ant. Epiphani iam mortuo puer successerat, et a Lysia educabatur regebaturque) et propinquus.) Id est consanguineus sive *cognatus*, ut dicitur v. 35. Lysias audiens a Iuda cæsa esse castra, tam Gorgiæ quam Timothei, novum conscripsit exercitum 80. millium peditum cum equitatu universo et 80. elephantis, quibus se Iudæos et Iudæam devoraturum sperabat. Sed Iudas Deum invocans Angelum impetravit, quo duce tota Lysiæ castra cecidit.

Vers. 3. Templum vero in pecuniæ quæstum.) Destinabat Lysias magnum vectigal templo imponere, ac dona templo oblata, vel tota vel magna ex parte fisco regio addicere, et in suos usus convertere, uti delubris Gentilium a tyrannis fieri solet. Hæc autem, et plurima et pretiosissima erant, templum enim erat opulentissimum.

Venale sacerdotium.) Se scilicet Pontificatum quotannis magno pretio Iudæis venditurum.

Vers. 6. Cum fletu et lacrymis rogabant Dominum; etc. ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel.) Uti miserat Mosi, Gedeoni, Manue. Hoc enim Mosi promiserat, Exodi 23. 20. dicens: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat.* Vide ibi dicta: ibi enim omnes Angelorum visiones et opitulationes Hebræis præstitas recensui.

Vers. 8. Apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans.) Fuit hic S. Michael Israelis protector, aut certe Angelus inferioris ordinis a Michaele missus ad Iudæorum auxilium, ut quasi dux castra præiret, ac Iudæ et Iudæis animos adderet, hostes vero metu et formidine percelleret, uti reipsa fecit. Hinc præcessit specie equitis cataphracti aureis armis hastam vibrans vestitus candidis. Candor enim Angelorum puritatem, splendorem, lætitiam, immortalitatem, victoriam et gloriam significat, ut dixi Ecclesiast. 9. 8. ad illa: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.*

Vers. 9. Convaluerunt animis (ingentes validosque sumpsere animos, videntes Angelum armatum quasi ducem suum præire. Sciebant enim Angelum esse invincibilem, et ab Angelo solo tota castra hostium posse prosterni, uti ab eo prostrata fuerunt 185. millia militum Sennacherib sub Ezechia. Quare ductu Angeli certi de victoria animose processerunt ad prælium) non solum homines, sed et bestias ferocissimas (elephantes) et muros ferreos parati penetrare.) Angelo enim nil est impenetrabile, nil invincibile, nil impossibile; imo nil arduum et difficile. Angelus ergo hos animos et ardores Iudæ et Iudæis iniecit, quibus ipsi accensi castra Lysiæ numerosissima, et fortissima illico ut paleas disiecerunt et dissiparunt. Nil enim est tam arduum quod militum

A ardor non perfringat. Quocirca Vegetius docet duces debere vel maxime hos ardores in militibus excitare et accendere; inde enim certa existit spes omenque victoriæ. Additque duci solerter investigandum esse quid de prælii successu sentiant milites pugnaturi, ut si felicem fore augurentur, pugnet; si infelicem, cesset a pugna. Audi Vegetium, lib. 3. cap. 12. *Ipsa die qua certaturi sunt milites, quid sentiant, diligenter convenit explorare. Nam fiducia vel formido ex vultu, verbis, incessu, motibusque cernitur. Nec confidas, si tyro prælium cupit; inexperto enim dulcis est pugna, et noveris te oportere differre, si exercitati bellatores metuerint dimicare. Monitis tamen et oratione ducis exercitui virtus crescit et animus: præcipue si futuri certaminis talem acceperint rationem, qua sperent se facile ad victoriam perventuros. Tunc inimicorum iqnavia, vel error ostendendus est: vel si ante a nobis superati sunt, commemorandum. Dicendum etiam quibus militum mentes in odium adversariorum, ira et indignatione moveantur.*

B Leonum autem more impetu irruentes in hostes prostraverunt ex eis undecim millia, et equitum 1600) Vers. 11.
Prælium hoc aliud et diversum est ab eo quod narratum est lib. 1. cap. 4. unde ibidem alius cæsorum numerus recensetur. Leones enim sunt impavidi et terribiles: unde teste Plinio clausis oculis in venabula, enses et hastas irruunt, omniaque disiiciunt et rumpunt. Tales fuere hic Iudas et Iudæi iuxta illud Iacobi vaticinium, Genes. 49. 9. *Catulus Leonis Iuda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna quis suscitabit eum?* Licet enim Iudas non esset de tribu Iuda cui a patre Iacobo hoc oraculum datum est, sed ex tribu Levi; tamen ipse loco Iudæ erat dux omnium Iudæorum, ad quos hoc oraculum pertinet.

Tropolog. Cum te invadit Lysias, id est diabolus, suggeritque motus iræ, superbiæ, libidinis, etc. resiste et occurre illi ut leo, statimque eum fugabis. Diabolus enim coram animosis et resolutis est pavidus ut formica; timi-
C dis vero et hæsitantibus terribilis est ut leo. Unde S. Gregorius, lib. 4. mor. c. 17. illud Iob. 4. *Tigris periit eo quod non haberet prædam*, explicans iuxta Septuag. qui pro *Tigris* vertunt *Mirmicolion*, id est formica-leo, *quod*, inquit, *est animal adversum formicis, easque frumenta gestantes interficit, interfectasque consumit*, hoc ipsum mystice applicans diabolo: *Recte*, inquit, *mirmicolion, id est leo et formica dicitur: formicis enim, ut diximus, leo est; volatilibus formica, quia nimirum antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formica;*

quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spiritales vero infirmitatem illius pede virtutis calcant.

Vers. 13. ET QUIA NON INSENSATUS ERAT.) Sed sensatus et prudens Lysias, hinc facile ex tanta clade suorum cognovit Deum per Angelum pro Iudæis pugnare, ideoque eos esse insuperabiles. Quocirca ab eis pacem petiit et obtinuit.

Vers. 19. SI FIDEM (id est fidelitatem tum huius fœderis, tum subiectionis quam regibus Antiochis quasi regibus Asiæ et Syriæ promisistis, et alias præstitistis) CONSERVAVERITIS, ET DEINCEPS BONORUM VOBIS CAUSA ESSE TENTABO.) Id est ego pariter vestris commodis studebo, vobisque multa bona et beneficia mea commendatione apud regem Eupatorem procurabo.

Vers. 20. DE CETERIS AUTEM (articulis a vobis propositis) PER SINGULA VERBO MANDAVI, ET ISTIS (scilicet Ioanni et Abesalomo a vobis missis) ET HIS QUI A ME MISSI SUNT (id est meis legatis, quos cum vestris ad vos mitto) COLLOQUI VOBISCUM.) Ut vobiscum de singulis transigant et per omnia satisfaciant.

Vers. 21. ANNO 148.) Dices: Hoc anno 148. Græcorum vivebat et regnabat adhuc Ant. Epiphanes; quomodo ergo hæ litteræ ab Ant. Eupatore eius filio, quasi iam post mortem patris regnante, datæ scribuntur? mortuus est enim Epiphanes anno 149. Græcorum, ut dictum est lib. 1. c. 6. 16.

Resp. annos Græc. dupliciter computari: primo ab anno duodecimo post mortem Alexandri Magni, idque a mense Martio, quia illo anno, qui fuit conditæ Romæ 442. et Olympiadis 117. teste Eusebio, Ptolom. S. Hieron. Iosepho, Dione, Appiano et aliis, illoque mense Martio Seleucus victo Antigono minoris Asiæ rege, totius Asiæ sibi diadema imposuit.

Hoc computu annos Græcorum, sive Seleucidarum, numerant Iudæi, ideoque liber primus Machabæorum eodem usus est æque ac Ægyptii, eaque de causa hi anni Græcorum vocantur, nunc *Iudaici*, nunc *Macedonici* nunc *Alexandrini*.

Secundo, anni Græcorum sesquianno tardius inchoantur, forte quod eo tempore Seleucus ex Asia minore triumphans redierit in Asiam maiorem sive Syriam, unde hic annorum computus vocatur *Syriacus, Chaldaicus* et *Antiochenus*. Hoc ergo secundo computu incipiunt hi anni anno 13. a morte Alexandri mense septimo Tisri, qui nostro Septembri respondet, id est sesquianno serius quam priores Iudaici sive Alexandrini. Hoc computu utitur liber secundus Machab. Unde hoc loco annum 149. Græc. quo lib. 1. cap. 6. 16. dicitur obiisse Antiochus, vocat 148. Græc. quia annus, qui computu Iudaico et Alexandrino erat 149. idem ille computu Antiocheno, sive Chaldaico erat 148. Ita Salianus, Serarius et alii. Aliter respondet Scaliger, scilicet fuisse annum 148. si annum inchoes a Nisan, id est Martio: rursum eumdem annum fuisse 149. Græc. si annum inchoes a Tisri, id est Septembri.

MENSIS DIOSCORI.) Græce *Διος Κορινθιου*, id est Iovis Corinthii. Hic mensis inter ordinarios Græcorum menses non reperitur, unde Scaliger et Salianus putant eum fuisse embolimæum, sive intercalarem. Verum id recte confutat Serarius, qui censet *Dioscorum* esse Dysrium, qui respondet nostro Martio, quo solent reges ad bella procedere.

Vers. 22. REX ANTIOCHUS LYSIÆ FRATRI SALUTEM.) Lysias erat tutor regis. Mirum ergo quod rex, qui ut ait Appian. puer novennis erat, eum non vocat patrem potius quam fratrem; sed id studio fecit rex, vel potius regis scriba, ut apud Iudæos regis pueritiam dissimularet, ne ob eam ab ipsis despiceretur: quasi ergo iam grandior et maturior Lysiam vocat fratrem non patrem. Adde: Lysiam non vocat patrem, quia mox Ant. Epiphanem vocat patrem suum, unde subdit:

Vers. 23. PATRE NOSTRO INTER DEOS (Gorionides *inter Angelos*) TRANSLATO.) Fingebant Gentiles regum adulatores, eos post mortem in deorum numerum referri. Hinc in funere regum et imperatorum fiebat eorum apotheosis, sive inter deos relatio, quæ quibus ceremoniis apud Romanos fieret, eleganter describit Herodian. initio libr. 4. ubi inter alia, ait, aquilam ex rogo evolare solitam, quæ animam Cæsaris in cælum ad deos veheret. Verum impius Ant. Epiphanes ob sua scelera et sacrilegia inter deos non cæli, sed inferni, puta inter dæmones, translatus est.

Vers. 24. IUDÆOS etc. POSTULARE A NOBIS CONCEDI SIBI LEGITIMA SUA.) Ut scilicet eis liceat vivere suis legibus et ritibus in sua fide, et cultu unius Dei, ne cogantur more gentium vivere et colere earumdem deos et idola.

Vers. 25. IUDICAVIMUS TEMPLUM RESTITUI ILLIS.) Iam Iudas et Iudæi armis recuperarant templum, illudque expurgarant. Rex tamen illud sibi hic arrogat, ut suam in Iudæos potestatem æque ac liberalitatem ostendat, cum revera templum iis non restituat, sed restitutionem iam factam probet et confirmet.

Vers. 26. DEXTERAM DEDERIS.) Id est, si data Iudæis dextera (hic enim est ritus ineundi fœderis) cum eis fœdus sanxeris. Porro aliud est hoc fœdus ab eo quod cum iisdem Iudæis iniit Lysias et Antiochus, cap. 13. v. 23. et seq. et lib. 1. cap. 6. ubi occasione Philippi rebellantis et Antiochiam occupantis, ut eum debellet, Lysias nomine regis pacem a Iudæis petiit et obtinuit. Unde colligas hoc fœdus non diu durasse, sed mox renovato bello ruptum fuisse, ut patebit cap. sequenti.

Sic Turca cum Christianis facile init pacem, dum urgetur bello Persico, aliove simili; at eo sopito, facile occasionem pacis rumpendæ invenit, si bellum sibi pace utilius arbitretur.

Vers. 29. ADIIT NOS MENELAUS (non ille pseudopontifex et Iudæorum proditor, de quo cap. 4. vers. 34. et seq. ut volunt nonnulli, sed alius Iudæorum ad regem et Lysiam legatus. Ita Salianus et alii) DICENS VELLE VOS DESCENDERE AD VESTROS QUI SUNT APUD NOS.) Ut scilicet visitetis Iudæos vestros cognatos et amicos, qui apud me in Syria degunt.

Vers. 30. HIS IGITUR QUI COMMEANT USQUE AD DIEM 30. MENSIS XANTHICI (qui Tysrium proxime sequitur, et respondet nostro Aprili) DAMUS DEXTRAS SECURITATIS.) Dat ergo rex Iudæis 15. dies securitatis (nam die 15. eiusdem Xanthici scriptæ sunt hæ regis litteræ, ut patet v. 33.) quibus libere in Syriam descendant; quia necdum pax inter eum et Iudæos erat conclusa, sed de ea per legatos cum Iudæis tractabatur: ea vero conclusa, liberum erat Iudæis quovis tempore in Syriam commeare.

Vers. 31. NEMO EORUM ULLO MODO MOLESTIAM PATIATUR DE HIS QUÆ PER IGNORANTIAM GESTA SUNT.) *Ἀμνηστίαν*, sancit rex eorum, quæ hucusque inter suos et Iudæos hostiliter gesta fuerant, ut ea quasi per ignorantiam admissa excusata, imo obliterata haberentur.

Vers. 32. MISIMUS (id est remisimus) AUTEM ET MENELAUM (a vobis ad me missum) QUI VOS ALLOQUATUR.) Referatque ea, quæ mecum tractavit, meaque sensa et dicta vobis renuntiet.

Vers. 34. MISERUNT AUTEM ETIAM ROMANI EPISTOLAM.) Puta legati qui a Romanis ad Antiochum mittebantur, qui illi præciperent, ut naves, quas supra numerum a Senatu Romano præscriptum habebat, succenderet, et elephantes interficeret, ut Romanis novi belli metum vel suspicionem adimeret, uti narrat Appianus, et ex eo Sigonius ad annum urbis 591. Hi ergo Romanorum legati miserunt pariter ad Iudæos epistolam, qua significabant, ut si quas alias iustas pacis cum Antiocho conditiones cuperent, eas ad se perscriberent: se enim curaturos ut Antiochus eis subscribat. Romani enim, ut recte observat Salianus, facile supplicibus omnibus iniuste vexatis aderant; quæ fuit prima origo potentiæ ipsorum, et incrementi in Sicilia, in Hispania, in Grecia, in Asia, in Africa et ubique gentium, ut hactenus Romanæ Historiæ decursus ostendit. Cum ergo Iudæi ad Romanorum legatos, qui per id tempus in Syria erant, se contulissent, et fortasse iam tum amicitiam eorum ac societatem ambire se ostendissent, petierunt ut quæ a Lysia concedebantur, confirmarent, aliaque nonnulla in suæ gentis gratiam cum rege transigerent.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duces Antiochi Eupatoris non obstante pace Iudæos exagitant; Ioppenses ducentos in mare mergunt; Iamnienses similia destinant, sed Iudas utrosque trucidat, et succendit, Arabes superat, Timotheum profligat, urbes Casphin, et Ephron expugnat, Gorgiam fugat, ac tandem v. 39. pro suis, qui in acie ceciderant, curat sacrificari offerendo duodecim millia drachmarum.

1. His factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Iudæi autem agriculturæ operam dabant. 2. Sed hi qui resederant, Timotheus, et Apollonius Gennæi filius, sed et Hieronymus, et Demophon super hos, et Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere, et quiete. 3. Ioppitæ vero tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogaverunt Iudæos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas paraverant, cum uxoribus et filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subiacentibus. 4. Secundum commune itaque decretum civitatis, et ipsis acquiescentibus, pacisque causa nihil suspectum habentibus: cum in altum processissent, submerserunt non minus ducentos. 5. Quam crudelitatem Iudas in suæ gentis homines factam ut cognovit, præcepit viris qui erant cum ipso: et invocato iusto iudice Deo, 6. Venit adversus interfectores fratrum, et portum quidem noctu succendit, scaphas exussit, eos autem qui ab igne refugerant, gladio peremit. 7. Et cum hæc ita egisset, discessit quasi iterum reversurus, et universos Ioppitas eradicaturus. 8. Sed cum cognovisset et eos, qui erant Iamniæ, velle pari modo facere habitantibus secum Iudæis, 9. Iamnitis quoque nocte supervenit, et portum cum navibus succendit: ita ut lumen ignis appareret Ierosolymis a stadiis ducentis quadraginta. 10. Inde cum iam abiissent novem stadiis, et iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes quinque millia viri, et equites quingenti. 11. Cumque pugna valida fieret, et auxilio Dei prospere cessisset, residui Arabes victi, petebant a Iuda dextram sibi dari, promittentes se pascua daturos, et in ceteris profuturos. 12. Iudas autem, arbitratus vere in multis eos utiles, promisit pacem: dextrisque acceptis, discessere ad tabernacula sua. 13. Aggressus est autem et civitatem quamdam firmam pontibus murisque circumseptam, quæ a turbis habitabatur gentium promiscuarum, cui nomen Casphin. 14. Hi vero qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum, et apparatu alimoniarum, remissius agebant, maledictis lacessentes Iudam, et blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est. 15. Machabæus autem invocato magno mundi Principe, qui sine arietibus et machinis temporibus Iesu præcipitavit Iericho, irruit ferociter muris: 16. Et capta civitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita ut adiacens stagnum stadiorum duorum latitudinis, sanguine interfectorum fluere videretur. 17. Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta, et venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Iudæos: 18. Et Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, nulloque negotio perfecto regressus est, relicto in quodam loco firmissimo præsidio. 19. Dositheus autem et Sosipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt a Timotheo relictos in præsidio, decem millia viros. 20. At Machabæus, ordinatis circum se sex millibus, et constitutis per cohortes, adversus Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos. 21. Cognito autem Iudæ adventu, Timotheus præmisit mulieres et filios, et reliquum apparatum, in præsidium, quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, et accessu difficile propter locorum angustias. 22. Cumque cohors Iudæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est, ex præsentia Dei, qui universa conspicit, et in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis a suis deiicerentur, et gladiorum suorum ictibus debilitarentur. 23. Iudas autem vehementer instabat puniens profanos, et prostravit ex eis triginta millia virorum. 24. Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosithei et Sosipatris: et multis precibus postulabat ut vivus dimitteretur, eo quod multorum ex Iudæis parentes haberet, ac fratres, quos morte eius decipi eveniret. 25. Et cum fidem dedisset restituturum se eos secundum constitutum, illæsum eum dimiserunt propter fratrum salutem. 26. Iudas autem egressus est ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus. 27. Post horum fugam et necem, movit exercitum ad Ephron civitatem munitam, in qua multitudo diversarum gentium habitabat: et robusti iuvenes pro muris consistentes fortiter repugnabant: in hac autem machinæ multæ, et telorum erat apparatus. 28. Sed, cum Omnipotentem invocassent, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt civitatem: et ex eis qui intus erant, viginti quinque millia prostraverunt. 29. Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Ierosolymis sexcentis stadiis aberat. 30. Contestantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Iudæis, quod benigne ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quod modeste secum egerint: 31. Gratias agentes eis, et exhortati etiam de cetero erga genus suum benignos esse, venerunt Ierosolymam die solemni septimanarum instante. 32. Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam præpositum Idumææ. 33. Exivit autem cum peditibus tribus millibus, et equitibus quadringentis. 34. Quibus congressis, contigit paucos ruere Iudæorum. 35. Dositheus vero quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: et, cum vellet illum capere vivum, eques quidam de Thracibus irruit in eum, humerumque eius amputavit: atque ita Gorgias effugit in Maresa. 36. At illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus et fatigatis, invocavit Iudas Dominum adiutorem et ducem belli fieri: 37. Incipiens voce patria, et cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit. 38. Iudas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam: et, cum septima dies superveniret, secundum consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt. 39. Et sequenti die venit cum suis Iudas, ut corpora prostratorum tolleret, et cum parentibus poneret in sepulcris paternis. 40. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. 41. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. 42. Atque ita ad

preces conversi, rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At vero fortissimus Iudas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. 43. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. 44. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret: superfluum videretur et vanum orare pro mortuis). 45. Et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. 46. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

Vers. 1. IUDÆI AUTEM AGRICULTURÆ OPERAM DABANT) Addit Gorionides, lib. 3. cap. 17. pacem et quietem Iudæorum durasse per octo menses: interea Iudam Machabæum in quosdam perduelles Iudæos animadvertisse: Iudæos et Macedones in pluribus Iudææ urbibus, maxime ad littus maris, simul habitasse et negotia exercuisse; sed *Ioppitas et Iamnienses* ea occasione perfide usos, in exitium et excidium Iudæorum.

Vers. 2. SED HI QUI RESEDERANT (in Iudæa) TIMOTHEUS ET APOLLONIUS, SED ET HIERONYMUS ET DEMOPHON SUPER HOS (ita legendum cum Romanis et Græcis, non *superbus*, ut legunt Dionysius et Em. Sa) ET NICANOR CYPRIARCHES NON SINEBANT EOS IN SILENTIO AGERE ET QUIETE.) Quinque hi duces Antiochi occupabant multas Iudææ urbes, ut Ioppen et Iamniam, de quibus v. 3. et seq. ac Iudæos, non obstante pace cum Lysia iam inita, infestare pergebant: tum quia huic rei assueverant, et ad hoc ab Antiocho collocati iam pridem erant in Iudæa, ut eam vel attererent, vel totam sibi subiicerent, ideoque semper Iudæis fuere infensi et infesti; tum quia ex præ- B dis Iudæorum vivebant. Denique miles pacem non amat, utpote qui in bello spoliis et rapinis se ditet: quare cum post bellum initur pax, Duces summe laborare debent, ut militem contineant, aliove bello, vel labore occupent, ne in seditionem versus, præsertim si stipendia ei plene non sint persoluta, ipsas Ducis regiones expilet et vastet, aut ad hostem transfugiat, aut novum sibi principem creet, ut in historiis sæpe factum legimus, et hoc ævo reipsa vidimus. Quocirca Veget. libr. 2. de Re mil. cap. 23. docet assiduo labore, vel dimicandi vel sagittas iaciendi, vel fodiendi, vel currendi vel castra muniendi, etc. occupandum et exercitandum esse militem, ne murmuret et rebellet, aut prædas agat, aut iners et imbellis fiat; *atque ab hac exercitatione,* inquit, *exercitus nomen accepit.* Additque: *Iuniores quidem et novi milites mane et post meridiem ad omne genus exercebantur armorum. Veteres autem et eruditi sine intermissione semel in die exercebantur in armis. Neque enim longitudo ætatis, aut* C *annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio: post quanta volueris stipendia inexercitatus miles semper est tyro* Causam subiicit: *Nam et velocitas usu ipso acquiritur corporis et scientia feriendi hostem, seque protegendi, præsertim si gladiis comminus dimicatur. Illud vero maius est, ut servare ordines discant.* Subdit deinde alia militum exercitia: *Ad palum quoque, vel sudes iuniores exerceri percommodum est, cum latera, vel pedes, aut caput petere punctim cæsimque condiscunt. Saltus quoque et ictus facere pariter assuescant, insurgere tripudiantes in clypeum, rursusque subsidere, nunc gestiendo provolare cum saltu, nunc cedentes in terga resilire. Missilibus etiam palos ipsos procul ferire meditentur, ut et ars dirigendi, et dextræ virtus possit accrescere.* Et sub finem hæc addit: *Cæteris autem diebus, si nives tantum pluviæque cessarent, exerceri cogebantur in campo; ne intermissa consuetudine animi militum debilitarentur et corpora. Sylvam cædere, portare onera, transilire fossas, natare in mari sive fluminibus, gradu pleno ambulare, vel currere etiam armatos cum sarcinis suis, frequentissime convenit, ut quotidiani laboris usus in pace, difficilis non videatur in bello. Sive ergo legio, sive auxilia fuerint, exerceantur assidue.*

Vers. 3. ASCENDERE SCAPHAS.) Quasi in mari piscaturi, vel lusuri, vel in insulam aliquam vicinam recreationis ergo traiecturi.

A SECUNDUM COMMUNE ITAQUE DECRETUM CIVITATIS.) Vers. 4.
Tota ergo civitas decreverat hac fraude mergere Iudæos: quare tota ut rea a Iuda Machabæo vers. 7. exitio fuit addicta.

PRÆCEPIT VIRIS.) Ut arma caperent, et fratrum cæ- Vers. 5.
dem ulciscerentur.

DISCESSIT QUASI ITERUM REVERSURUS ET UNIVERSOS Vers. 7.
IOPPITAS ERADICATURUS.) Græca addunt Iudam hoc repentino impetu urbem utpote munitam occupare non potuisse; quare portum invasisse, scaphas exussisse, et quotquot aderant interfecisse; itaque abiisse cum voluntate redeundi cum arietibus et balistis, ad urbem expugnandam et exterminandam.

IAMNITIS QUOQUE NOCTE SUPERVENIT, ET PORTUM CUM Vers. 9.
NAVIBUS SUCCENDIT, ITA UT LUMEN IGNIS APPARERET IEROSOLYMIS A STADIIS 240.) Iamnia enim distabat a Ierosolymis stadiis 240. id est decem leucis Gallicis, sive triginta milliaribus Italicis: stadium enim est octava pars milliaris Italici, sive mille passuum, nimirum continens 125. passus: hæc enim est octava pars mille passuum.

Porro milites Iudæ in vicinis Iamniæ locis delubra idolorum expilarunt, indeque donaria suffurati sunt, quod lege erat vetitum, ut audiemus vers. 30.

COMMISERUNT (prælium) CUM EO ARABES.) Qui Græ- Vers. 10.
ce vocantur *Nomades*, id est pascendis gregibus occupati: eorum enim opes sunt pecudes et pecora, quibus omnes provincias successive depascuntur: νεμειν enim est pascere.

CASPHIN.) Urbs est quam Adrichom. collocat in tribu Vers. 13.
Dan iuxta Iamniam; sed hic locus indicat eam longe ulterius ad meridiem versus Arabiam sitam fuisse. Ita Salianus.

REMISSIUS AGEBANT.) Græce αναλωλοτερον ερχωντο, Vers. 14.
quod Vatabl. vertit: *Pervicaciores se exibebant.* Αναλωλος enim est contumax, pervicax, indomitus, intractabilis, indoctus, qui disciplina caruit, ac remisse et laxe educatus est; ideoque petulantior, dissolutior, intemperantior, procacior evasit. Remissa enim et mollis educatio facit contumaces, iuxta illud Eccl. 30. 8. *Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet præceps. Remissius* ergo *agebant*, id est voluptatibus suis dediti negligebant et despiciebant Iudam, eique petulanter insultabant, eo quod muris suis præfiderent, putarentque se esse inexpugnabiles.

IRRUIT FEROCITER MURIS.) Eos quatiens, et sternens Vers. 15.
per incussum arietem vel balistam. Gorionides tamen asserit Iudam portas oblinivisse pice, ac spinas e deserto ad easdem aggessisse, itaque incensa porta in urbem, penetrasse, ac tandem in urbe stragem edidisse tantam, ut stagnum latum quaqua versus per duo stadia fluxerit sanguine, quasi aqua.

INDE DISCESSERUNT STADIA 750.) Quæ faciunt 93. Vers. 17.
milliaria Italica cum sex stadiis, hoc est leucas Gallicas fere triginta.

ET VENERUNT IN CHARACA AD EOS QUI DICUNTUR TUBIANÆI, IUDÆOS.) Salianus censet locum hunc Cha- D raca dictum, eo quod naturali, aut arte facto insigni vallo munitus esset: Χαραξ enim est vallum.

Tubianæi dicti sunt a loco *Tubin* quem incolebant, de quo lib. 1. c. 5. 13. Quare impertinens est quod scribit Rabanus, et ex eo D. Thom. (si tamen huius commentarii in Machab. est auctor) *Audivi,* inquit, *quemdam Hebræum disserentem Tubianæos Iudæos illos nuncupari, qui ex alienigenis convocati in adiutorium Iudæ venerunt, et dictos Tubianæos, quasi alienis tubis conductos.* Tubia-

næi enim erant Hebræi, non Latini: quare non a *tubis*, A sed a *Tubin* dicti, forte ab Hebr. טוב *tob*, id est bonus, quasi Timotheus Iudæos, qui ab egregia bonitate nomen acceperunt, sit persecutus; ideoque a Iuda repressus. Ita Sanchez.

Vers. 20. Equitumque 2500.) Græca habent 1500. sed viginti millia peditum facile requirebant 2500. equites. Ita Vatabl. Salianus et alii.

Vers. 21. Præsidium (arx sive locus munitus) quod Carnion dicitur, ac proinde diversum ab urbe quæ *Carnaim*, id est duorum cornuum, sive bicornis dicitur, de qua l. 1. c. 5. Aliud ergo est prælium, quod hic, aliud, quod ibi narratur. Si quis tamen idem esse velit, contentiosum funem cum eo non traham, imo omnibus rite consideratis hæc sententia mihi æque ac Saliano videtur probabilior.

Vers. 22. Timor hostibus incussus est ex præsentia Dei.) Ex iis quæ dicta sunt cap. 10. 29. et 30. et c. 11. 8. suspicari licet S. Michaelem Synagogæ, hoc est Iudæ et Iudæorum protectorem vel per se, vel per Angelos sibi subditos et Iudæ, ac Iudæorum custodes Timotheanis ho- B stibus Iudæorum visibiliter terribili et minaci vultu apparuisse: imo in eos horrifico impetu irruisse, itaque eis terrorem, fugam, amentiam et interitum attulisse. Ita Salianus: unde mox Iudas Angeli ope occidit 30. millia, ut dicitur v. 23. ipsum vero Timotheum vivum cepit v. 24.

Vers. 24. Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosithei et Sosipatris (qui erant duces Iudæ Machabæi cum eo et pro eo pugnantes) et multis precibus postulabat ut vivus dimitteretur, eo quod multorum ex Iudæis parentes haberet ac fratres (captivos et in potestate sua) quos morte eius decipi (forte legendum *despici*, Græce enim est ἀλογηθῆναι, id est negligi, vertit Vatabl.) eveniret. q. d. Si me despicitis et occiditis, mei pariter Iudæos vestros, quos captivos detinent, despicient, et in mei sanguinis vindictam eos occident.

Vers. 25. Et cum fidem dedisset restituturum se eos secundum constitutum.) Id est iuxta promissum et pa- C ctum.

Vers. 26. Iudas autem egressus est ad Carnion.) Græca addunt: *et Atergaτειον*, quod erat fanum Deæ Syrorum dictæ Atargate, ad quod proinde quasi ad asylum multi hostium profugerant; ideoque Iudas eo contendit, ac fanum profanavit et profugos occidit ad 25. millia. Audi de hac Dea veteres. Plin. l. 5. c. 23. *Hieropolis*, inquit, *Syris vocatur Magog, ibi prodigiosa Atargatis; Græcis autem Derceto dicta, colitur.* Strabo, l. 16. in fine, ait Atargatam corrupto a barbaris vocabulo dici Atharam, quam Ctesias, inquit, Derceto vocavit. Athenagoras in Apologia ait, hanc Derceto matrem fuisse Semiramidis, lascivam mulierem et homicidam, quæ, ut scribit Diodorus in lib. 3. filiam ex lascivo adolescente susceperit, Venere matre sua lenocinante, filiam columbis nutriendam dederit, ipsa se pudore flagitii in stagnum abiecerit, ubi in piscem versa fuerit, et filia in columbam. Quare inquit, Syri piscibus abstinent, et templum in stagni littore constituerunt: Derceto facie quidem formosæ mulieris, reli- D qua parte piscis simulacrum coluerunt.

Vers. 27. Movit exercitum ad Ephron.) Græca addunt: *in qua habitabat* (habitare solebat, nam iam erat absens) *Lysias* tutor Ant. Eupatoris; ideoque ad eam magnus fuit variarum Gentium confluxus: qua de causa in eam sæviit Iudas. Hanc primo expugnavit Iudas anno Græc. 148. vivente adhuc Ant. Epiph. l. 1. c. 5. deinde vero eamdem reflorescentem cepit anno Græc. 149. vel 150. sub Ant. Eupatore; imo Salianus contendit eamdem esse expugnationem hanc huius capitis cum illa quæ recensita est, l. 1. c. 5. Nam ibi quoque contra Timotheum pugnatur contra Carnaim, a Carnaim pergitur ad Ephron, inde ad Bethsan, quæ a Græcis dicta est Scythopolis. Quare ea quæ lib. 1. c. 5. dicuntur usque ad v. 8. gesta esse sub Ant. Epiphane; quæ vero a v. 8. ad finem narrantur gesta esse sub Ant. Eupatore, licet Script. brevitatis studio hæc non distinguat, nec tempora duorum regum assignet, idque satis est verisimile.

Inde ad civitatem Scytharum (quæ inde dicta est *Scythopolis*) quæ ab Ierosolymis sexcentis stadiis aberat.) Quæ faciunt 75. milliaria Italica, quorum quodque continet mille passus; huius enim milliaris octava pars est stadium, utpote continens 125. passus, ut dixi superius. Porro Scythæ hanc urbem restaurarunt et inhabitarunt. Sita est cis Iordanem in tribu Manasse, eratque Decapoleos maxima. Vide Adrich. Vers. 29.

Venerunt Ierosolymam die solemni septimanarum instante.) Intelligit festum Pentecostes, quod dicitur *septimanarum*, quia post septem septimanas, sive post 49. dies a Paschate celebratur proximo die quinquagesimo, Lev. 23. 18. Vers. 31.

Vide hic celeritatem Iudæ Machabæi, qui instar fulminis omnia pervasit. Nam unius circiter mensis spatio (scilicet a mense Xanthico, hoc est Aprili de quo 11. v. ult. usque ad finem Maii, quo Pentecosten illo anno celebrabant) variis in locis cecidit supra centum millia hostium; nimirum ex castris Timoth. v. 23. cecidit triginta millia, ex incolis Carnion vers. 26. millia 25. ex Ephron v. 28. totidem. Adde innumeros Ioppitas et Iamnienses ab eo cæsos vers. 6. et 9. et Arabes v. 10. et incolas Casphin v. 16. quos ita trucidavit, ut stagnum duorum stadiorum sanguine fluere videretur.

Exivit autem cum peditibus tribus millibus, et equitibus 400.) *Exivit* nimirum Iudas contra Gorgiam: huius enim longe numerosior erat exercitus. Ita Vatab. Salianus et alii. Unde colligas subinde Iudam præter pedites habuisse equites, sed paucos. Vers. 33.

Dositheus vero quidam de Bacenoris.) Scilicet castris, qui nimirum ad Bacenoris militiæ Ducis castra pertinebat, eumque ut miles sequebatur. Patet ex Græco, licet Gorionides et ex eo Serarius censeant hunc Dositheum fuisse Ducem exercitus, de quo v. 19. qui Bacenoris fuerit filius, vel nepos. Vers. 35.

At illis qui cum Esdrin erant diutius pugnantibus.) *Esdrin* fuit unus e Iudæ ducibus, qui cum diuturna pugna fatigarentur, Iudas ardenti animo et voce invocans Deum, hostes fudit et pugnæ finem imposuit. Male ergo codex Basil. pro *Esdrin* ponit *Gorgiam* hostem Iudæ. Vers. 36.

Incipiens voce patria.) Non quasi Iudas alias Græce sit locutus; hic vero Hebraice, quæ lingua ipsi erat patria, sed patria, id est animosa, confidenti, forti, excelsa, generosa, clamosa, ut verum decebat Iudam, et Iudæum, invocans Deum, robur ab eo impetravit, quo hostes illico prosterneret: unde explicans subdit: Et cum hymnis clamorem extollens fugam Gorgiæ militibus incussit. Vide quæ de voce *patria* dixi cap. 7. vers. 8. et 27. Vers. 37.

Purificati.) A sanguinis hostium effusione et cadaverum contactu. Vers. 38.

Sequenti die (scilicet prima post sabbatum, quæ nobis est Dominica) venit cum suis Iudas ut corpora prostratorum (inter quos erant nonnulli e fortissimis Assamonæis, ait Gorionides) tolleret, et cum parentibus poneret in sepulcris paternis.) Hic enim est honor, qui militibus cæsis debetur; hoc ultimum est pietatis officium, nimirum ut corpora eorum religiose sepeliantur, adeo ut apud Romanos aliosque Gentiles sepulturam negligere, vel negare etiam hosti ingens fuerit ignominia, inhumanitas et barbaries. Unde Q. Curtius l. 5. *Vix ullum*, inquit, *tam solemne munus in bello, quam humandi suos.* Vers. 39.

Invenerunt autem sub tunicis (Græca addunt: ἑκάστου, id est *uniuscuiusque*) interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt (ut dixi v. 9.) a quibus lex prohibet, iubens ea comburi ad abominationem idolorum et idololatriæ. Sic enim sancit Deut. 7. 25. *Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum et aurum de quibus facta sunt: neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quod abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidpiam ex ido-* Vers. 40

lo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est; quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationis habebis, quia anathema est.

Omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse.) Quia soli illi corruerant, qui hæc donaria abstulerant, ut patet ex Græco; cæteri vero illæsi et vivi erant. Hinc collige admirandas et cælestes fuisse Iudæ victorias, utpote incruentas, in quibus nemo suorum cæderetur, nisi ipse per furtum, aliudve scelus culpam suæ cædis dedisset, Deique offensi custodiam et protectionem a se avertisset. Unde hactenus non legimus Iudam post prælium cæsorum corpora sepelivisse, quia scilicet nemo eorum occubuerat. Discant hic milites a rapinis et criminibus abstinere. Sic enim Deus eos conservabit, imo victores efficiet; victoriam enim subinde aufert unius vel paucorum scelus, uti abstulit furtum Achan, Iosue cap. 7.

Vers. 42. Rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur.) Græce, *perfecte deleretur*: Supponebant ergo cæsos ante mortem de furto pœnituisse, eiusque partem præcipuam scilicet culpam per contritionem delevisse: quare alteram partem scilicet reatum pœnæ post hanc vitam in Purgatorio luendæ tantum restare, qui per sacrificia expiandus erat, ut peccatum perfecte deleretur, itaque ipsorum animæ a pœnis Purgatorii exemptæ ad limbum patrum sive ad sinum Abrahæ transferrentur.

Adde nonnullorum peccatum hic non fuisse mortale, sed veniale, tum quia aliqui, utpote rudes et milites, ignorabant legem vetantem hæc idolorum furta, aut certe putabant eam tantum obligare sub veniali; tum quia nonnulli erant in gravi, vel extrema necessitate, in quibus sibi putabant licitum furari ad vitam servandam, tum quia aliqui parum admodum rapuerant, quos materiæ levitas a mortali excusabat. Nam expresse v. 45. ait eos *cum pietate* obdormitionem (id est mortem) accepisse. Erant ergo in statu gratiæ. Denique iustum et pium erat ut Iudas cum suis æstimaret, et speraret nonnullos ex eis, vel venialiter tantum peccasse, vel si mortaliter, pœnituisse, antequam expirarent; ideoque preces et suffragia pro defunctis fieri solita eis adhibuisse, ut etiamnum peccatoribus ea adhibet Ecclesia. Omni enim ratione, et modo quo potest fidelium animas adiuvare, et pœnis eximere satagit. Hoc enim exigit pietas, et charitas, ipsaque communio Sanctorum.

At vero fortissimus (Græce γενναῖος, id est generosus) Iudas hortabatur populum conservare se sine peccato.) Eo quod fortitudo eorum consisteret in innocentia et iustitia; Deus enim innocentes et iustos conservabat in præliis, faciebatque victores; nocentes vero et rapaces sinebat vinci et occidi, uti hic factum esse ipsimet oculis suis videbant, ut sequitur.

Vers. 43. Duodecim millia drachmas argenti (quæ faciunt *mille aureos*, si drachmæ fuerunt Atticæ; sin Hebraicæ, faciunt *bis mille aureos*, quibus multæ hostiæ pro peccato coemi et offerri poterant) misit (Iudas quasi pontifex) Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum.) Hinc ergo liquet Iudam Pontificem credidisse Purgatorium, in quo animæ post hanc vitam a culpis expientur. Hæc enim fuit fides Synagogæ et priscorum Iudæorum æque ac modernorum, ut patet ex eorum Ritualibus, Commentariis et scriptis, quæ citant Serarius hic, Genebr. Bellar. et alii scribentes de Purgatorio. Idipsum clare patet ex illo Tobiæ, 4. 18. *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam iusti constitue.* Vide ibi dicta.

Bene et religiose (Græce ἀστείως, id est urbane, eleganter, pulchre, scite, probe) de resurrectione cogitans.) Urbanum enim, civile, honestum et probum est suos cives vita functos precibus iuvare, ut ad beatam resurrectionem, quæ omnis elegantiæ, pulchritudinis et gloriæ plenissima est, resurgant.

Vers. 44. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis.) Dices: Non foret vanum hoc, quia anima, quæ est immortalis, a pœnis liberaretur per preces; esto corpus non resurgeret. Resp. quia anima est immortalis, hinc exigit corporis resurrectionem. Anima enim naturaliter ad corpus propendet, sicut forma ad materiam. Quare violentus foret status animæ, si in æternum duraret sine corpore. Quocirca hæc duo, scilicet animæ immortalitas et corporis resurrectio, ita connexa sunt, ut qui ponit creditque unum, ponat credatque et alterum; ac qui tollit negatque unum, tollat negetque et alterum.

Vers. 45. Qui cum pietate (id est in statu gratiæ certantes, et dimicantes pro vera fide, pietate et cultu Dei) dormitionem acceperant.) Id est occubuerant. Mors enim in Script. vocatur somnus per analogiam et similitudinem; mors enim est quasi longus somnus, somnus vero est quasi brevis mors; sed maxime mors vocatur somnus ob spem resurrectionis, in qua quasi e somno evigilabimus ad vitam æternam.

Vers. 46. Sancta ergo et salubris (Græce εὐσεβής, id est pia) est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis (id est a pœnis peccatorum) solvantur.) Hoc est epiphonema Scriptoris Canonici, quod fidem Synagogæ priscæ de Purgatorio et suffragiis pro animabus in eo detentis clare astruit. Hæc ergo fuit fides Ecclesiæ ab omni ævo certa et indubitata.

Sanctum ergo est sacrificium pro defunctis, quia sancte Deo sancto immolatur. Idem est pium, tum in animas, quas horrendis Purgatorii cruciatibus, ignibusque liberat; tum in cælites beatosque, quorum numerum, indeque lætitiam et gloriam adauget: tum in Ecclesiam, cui novos apud Deum patronos et advocatos conciliat; tum in ipsummet sacrificantem, cui animæ ab ipso liberatæ vicariam gratiam rependent, orantes Deum assidue pro eius salute. Quare valde pium et utile est crebro orare pro defunctis, idque oranti multa conciliat bona: uti docte ostendit noster Mart. de Roa, libello hac de re edito.

Audi S. August. lib. 1. *In Machabæorum,* inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium; sed et si nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo, ad eius altare funduntur, locum suum habet, etiam commendatio mortuorum.* Et Damascenus Orat. pro defunctis: *Animadvertite,* inquit, *quid Scriptura sacra de Iuda Machabæo memoriæ prodiderit, nimirum eum, in Sion regis magni civitate, cum populum, cui præerat, ab exteris hostibus cæsum et truncatum vidisset, sinusque eorum excutiens, condita in ipsis idola comperisset, statim expiandi huiusce sceleris causa, Domino ad misericordiam prompto atque propenso, pro unoquoque eorum munera obtulisse, in eaque re summæ pietatis et charitatis munere perfunctum esse. Unde etiam factum est ut divina Scriptura, quemadmodum omnibus aliis nominibus; ita hoc quoque nomine summis eum laudibus evexerit, ac mirifice commendarit.*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ant. Eupator Duce Lysia bellum contra Iudam instaurat cum 110. millibus peditum, et quinque millibus equitum, ac Menelaum Pseudopontificem ex alto præcipitat. Eupatori v. 10. Iudas sese opponit, ac invocato Deo noctu castra eius ingressus multos cecidit. Inde v. 18. Eupator Bethsuram obsidet, et deditione occupat. Denique v. 22. confligens cum Iuda victus est: unde audiens rebellare Philippum, pacem a Iuda poposcit, et obtinuit.

1. ANNO centesimo quadragesimo nono, cognovit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adversus Iudæam. 2. Et cum eo Lysiam procuratorem et præpositum negotiorum, secum habentem peditum centum decem millia, et equitum quinque millia, et elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos. 3. Commiscuit autem se illis et Menelaus: et cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ salute, sed sperans se constitui in principatum. 4. Sed Rex regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem: et suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, iussit (ut eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari. 5. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris: hæc prospectum habebat in præceps: 6. Inde in cinerem deiici iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. 7. Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. 8. Et quidem satis iuste; nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cuius ignis et cinis erat sanctus: ipse in cineris morte damnatus est. 9. Sed rex mente effrenatus veniebat, nequiorem se patre suo Iudæis ostensurus. 10. Quibus Iudas cognitis, præcepit populo ut die ac nocte Dominum invocarent, quo, sicut semper, et nunc adiuvaret eos: 11. Quippe qui lege, et patria, sanctoque templo privari vererentur: ac populum, qui nuper paululum respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi. 12. Omnibus itaque simul id facientibus, et petentibus a Domino misericordiam cum fletu et ieiuniis, per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Iudas ut se præpararent. 13. Ipse vero cum senioribus cogitavit, prius quam rex admoveret exercitum ad Iudæam, et obtineret civitatem, exire, et Domini iudicio committere exitum rei. 14. Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, et exhortatus suos ut fortiter dimicarent, et usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria et civibus starent, circa Modin exercitum constituit. 15. Et dato signo suis Dei victoriæ, iuvenibus fortissimis electis, nocte aggressus aulam regiam, in castris interfecit viros quatuor millia, et maximum elephantorum cum his qui superpositi fuerant: 16. Summoque metu ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prospere gestis, abierunt. 17. Hoc autem factum est die illucescente, adiuvante eum Domini protectione. 18. Sed rex, accepto gustu audaciæ Iudæorum, arte difficultatem locorum tentabat: 19. Et Bethsuræ, quæ erat Iudæorum præsidium munitum, castra admovebat: sed fugabatur, impingebat, minorabatur. 20. His autem, qui intus erant, Iudas necessaria mittebat. 21. Enuntiavit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Iudaico exercitu, qui requisitus comprehensus est, et conclusus. 22. Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsuris: dextram dedit, accepit, abiit. 23. Commisit cum Iuda, superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Iudæos deprecans, subditusque eis, iurat de omnibus quibus iustum visum est: et reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, et munera posuit. 24. Machabæum amplexatus est, et fecit eum a Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem et principem. 25. Ut autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiæ conventionem, indignantes ne forte fœdus irrumperent. 26. Tunc ascendit Lysias tribunal, et exposuit rationem, et populum sedavit, regressusque est Antiochiam: et hoc modo regis profectio et reditus processit.

HOC caput collocandum est lib. 1. cap. 6. vers. 28. ibi enim usque ad finem capitis fuse narrantur eadem, quæ hic. Unde colligas alium huius libri secundi, alium libri primi fuisse auctorem, ut liquet ex diversitate narrandi.

Vers. 2. PEDITUM 110. MILLIA, EQUITUM 5. MILLIA, ET ELEPHANTOS 22.) Dices: lib. 1. cap. 6. vers. 30. numerantur centum millia peditum et 20. equitum, ac 32. elephanti. Resp. variis diebus varius fuit copiarum numerus; nunc enim aliæ accedebant, nunc veteres missæ alio abscedebant.

Vers. 3. COMMISCUIT AUTEM SE ILLIS ET MENELAUS.) Qui ab Ant. Epiphane constitutus erat Iudæorum pseudopontifex, petens ab Eupatore Epiphanis filio, ut hunc Pontificatum et consequenter Principatum (tunc enim Pontifex simul erat princeps) sibi confirmaret. Vide dicta cap. 4. vers. 23. et ult.

Vers. 4. SED REX REGUM (Deus) SUSCITAVIT ANIMOS ANTIOCHI IN PECCATOREM (id est in apostatam et patriæ proditorem Menelaum, ut indignans eum pro meritis castigaret) SUGGERENTE LYSIA HUNC ESSE CAUSAM OMNIUM MALORUM.) Id est, omnium seditionum et bellorum, quæ A Iudæi movebant Antiocho, eo quod Menelaum pseudopontificem insolentem et sacrilegum pati non possent. Ita Iosephus.

IUSSIT (UT EIS EST CONSUETUDO) APPREHENSUM IN EODEM LOCO NECARI.) Puta ex alta turri præcipitari. Sic enim Syri solebant proditores, sacrilegos et scelestos plectere, de quo plura v. seq.

ERAT AUTEM IN EODEM LOCO TURRIS 50. CUBITORUM AGGESTUM UNDIQUE HABENS CINERIS.) Videtur interpres noster aliud habuisse Græcum exemplar; nam modernum sic habet: *Est autem eo in loco turris* 50. *cubitorum, plena cinere, aggestam habens in fundo cineris copiam. Hæc autem instrumentum habebat rotundum undique præceps in cinerem; hic sacrilegii reum et quorumdam aliorum malorum principem, sive excessum habentem, omnes protrudunt in interitum.* Tigurina sic: *Eo in loco plena pulvere* 50. *cubitorum turris erat, quæ machinam habebat circumversatilem, in pulverem undique declivem. Ibi eum, qui damnatus esset sacrilegii, aut qui aliud quodcumque malum insigne patrasset, omnes protrudebant ad interitum.* Vers. 5.

Hoc supplicii genus adinvenit Darius Ochus rex Persa-

rum, ut plecteret coniurationis auctores quos se ferro non occisurum iuraverat. Nam ut ait Valer. Max. l. 9. cap. 2. *Septum altis parietibus locum cinere complevit, suppositoque ligno prominente benigno cibo et potione, exceptos in eo collocabat, ex qua somno sopiti in illam insidiosam congeriem decidebant.* Idem docet Ovidius in Ibin.

Utque necatorum Darei fraude secundi,
Sic tua subsidens devoret ossa cinis

Vers. 6. INDE IN CINEREM DEIICI IUSSIT SACRILEGUM.) Vide hic iustam congruamque talionis pœnam a Deo vindice Menelao inflictam; fecit enim eum cineribus profanis obrui et sepeliri, eo quod ipse cineres altaris Dei dispersisset, et suis sacrilegiis contaminasset, uti expresse dicitur v. 8.

Vers. 9. SED REX (Ant. Eupator) MENTE EFFRÆNATUS (indignans et furens in Iudæos sibi rebellantes) VENIEBAT, NEQUIOREM (truculentiorem) SE PATRE SUO (Ant. Epiphane crudelissimo) IUDÆIS OSTENSURUS.

Vers. 10. QUIBUS IUDAS COGNITIS PRÆCEPIT POPULO UT DIE AC NOCTE DOMINUM INVOCARENT.) Per triduum ut sequitur. Ecce hic est præludium, et quasi origo litaniæ publicæ, sive orationis continuæ, tam noctu quam diu per 40. imo 72. horas. Hæc fuere arma spiritualia Iudæ, quibus semper de hostibus triumphavit.

Vers. 14. DANS ITAQUE POTESTATEM OMNIUM DEO.) q. d. Iudas se suosque committens, et resignans Dei quasi omnium Domini beneplacito, noctu invasit castra Antiochi, ut vel vinceret vel pro Deo et patria occumberet, prout Deus voluisset.

Vers. 15. ET DATO SIGNO SUIS DEI VICTORIÆ.) q. d. Iudas suis hoc dedit militare signum, sive tesseram, nimirum *Deus victor* vel *Dei victoria*, vel *Deus adiutor*. Hoc enim signum quasi omen victoriæ suis dare solebat, ut patet cap. 8. v. 23. Unde Iudas Deo duce mox cecidit quatuor millia hostium, cæterosque perculit, ut de abitu cogitarent.

Vers. 18. SED REX ACCEPTO GUSTU AUDACIÆ IUDÆORUM, cum scilicet gustasset, id est sensisset, et reipsa expertus esset Iudæ audaciam, qua cum paucis in castra sua irrumpere, et quatuor millia trucidare ausus fuerat, veritus ne plura et maiora auderet, a vi conversus ad astum ARTE DIFFICULTATEM LOCORUM TENTABAT.) Id est per solertiam, dolum et proditionem difficiliora ad expugnandum Iudææ loca occupare tentabat. Quocirca

Vers. 19. BETHSURÆ, etc., CASTRA ADMOVEBAT, SED FUGABATUR, IMPINGEBAT, MINORABATUR.) Vatabl. *atterebatur*, tum fame, tum morbis, tum ab armis obsessorum æque ac Iudæ in eum ex improviso irruentium. Bethsura erat arx munitissima in petra et rupe sita (*Bethsur* enim Hebr. idem est quod *domus petræ*) unde Ioseph. l. 13. 9. Bethsuram ait fuisse locum totius Iudææ munitissimum. Erat ad meridiem Ierosolymæ ab ea distans quinque stadiis, hoc est 624. passibus, ut eam contra Idumæorum aliorumque hostium incursiones defenderet. Quare Antiochus Bethsuram vi expugnare non potuit, præsertim cum Iudas adesset, et obsessis assidue alimenta et subsidia submitteret, ut sequitur.

Vers. 21. ENUNTIAVIT AUTEM MYSTERIA (hoc est arcana, sive secreta) HOSTIBUS RHODOCUS.) Probabiliter Salianus opinatur mysteria hæc fuisse secretas quasdam vias et modos quibus alimenta Bethsuræis suggerebantur, quæ perfidus Rhodocus hostibus patefecerit, transfugere ad eos destinans; sed re patefacta, inquisitus inventusque, in carcerem coniectus est. Id ita esse colligitur ex sequenti versu.

ITERUM REX SERMONEM HABUIT AD EOS QUI ERANT IN BETHSURIS: DEXTRAM DEDIT, ACCEPIT, ABIIT.) q. d. Rex primo allocutus milites Bethsuræ, ut se dederent, ab eis repulsus fuit, eo quod Iudas per occultas vias obsessis alimenta subministraret. At ubi has vias per Rhodocum proditorem Antiochus agnovit, et obstruxit, iterum milites allocutus eos iam fame laborantes ad deditionem inflexit. Vers. 22.

COMMISIT (prælium) CUM IUDA: SUPERATUS EST) q. d. Antiochus, capta Bethsura, perrexit ad vicinam Ierosolymam; sed ibi a Iuda repulsus et superatus est, vide dicta lib. 1. c. 6. v. 51. Ita Sanchez, licet Salianus hæc referat ad quatuor millia in castris Antiochi a Iuda v. 15. cæsa, antequam caperetur Bethsura. Vers. 23.

UT AUTEM COGNOVIT REBELLARE PHILIPPUM.) Cui Ant. Epiphanes moriens annulum et diadema tradiderat, filiumque Eupatorem cum regno commiserat. Hic audiens Lysiam tutorem esse Eupatoris, et regnum administrare, utrique rebellavit, et Antiochiam occupavit. Quare Lysias ut eum Antiochiæ obsideret, caperetque et occideret, pacem cum Iuda et Iudæis petiit, et impetravit. Vide dicta lib. 1. cap. 6. v. 14. et 55.

IUDÆOS DEPRECANS SUBDITUSQUE EIS.) Vatabl. liberalius rem exaggerans sic vertit: *Perturbatus suppliciter se submisit Iudæis; iuravit in quascumque conditiones, pacem iniit, sacrificium fecit, honorem detulit templo, locum benignitate prosecutus est, et Machabæum amplexatus est*, etc.

ET FECIT EUM (Iudam) A PTOLEMAIDE USQUE AD GERRENOS (id est Gerrasenos) DUCEM ET PRINCIPEM.) Græce: *Reliquit Iudam belli ducem a Ptolemaide usque ad Gerrhenorum principatum*, ut nomine Antiochi quasi prorex illas regiones administraret. Vers. 24.

UT AUTEM VENIT PTOLEMAIDAM, GRAVITER FEREBANT PTOLEMENSES AMICITIÆ CONIUNCTIONEM, INDIGNANTES NE FORTE FŒDUS IRRUMPERENT.) Græce: *Indignabantur pro eo quod irrita facere voluerant fœdera*; quod nonnulli sic exponunt; q. d. Ptolemenses indigne ferebant quædam ab Antiocho concessa Iudæis, ob quæ ipsi Ptolemenses voluerant fœdera pacis irrita facere. Sed hic sensus non consentit cum Latina vulgata, quæ plane metum rumpendi fœderis Iudæis attribuit, q. d. Ptolemenses indignabantur hoc fœdus ab Antiocho cum Iudæis initum, ac præsertim Iudæ Machabæo, quasi proregi se ab eo subiectos fuisse, eo quod metuerent ne Iudas et Iudæi iam potentiores facti insolescerent, ac fœdus cum rege initum abrumperent, atque sese quoque et vicinas regiones, utpote iam Iudæ subditas, secum eidem rebellare compellerent. Erant enim Ptolemenses Iudæorum hostes, ut patet ex eo quod ipsi Ionathan Iudæ fratrem per proditionem captum cum suis occiderint, ut dictum est libr. 1. cap. 12. 48. Vers. 25.

TUNC ASCENDIT LYSIAS TRIBUNAL (quasi suggestum altum et elevatum, ex quo ab omnibus videri et audiri posset) ET EXPOSUIT RATIONEM, cur hoc fœdus initum esset, scilicet quod expediret, tam regi, quam ipsis, cum Iuda et Iudæis, utpote viris fortissimis, felicissimis, iustissimis et fidelissimis pacem colere, itaque POPULUM tumultuantem SEDAVIT. Vers. 26.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Demetrius occiso Lysia et Ant. Eupatore, suadente Alcimo proditore, mittit Nicanorem cum magno exercitu contra Iudam, et Iudæos; sed is fœdus cum Iuda init: ægre id fert Demetrius, iubetque ut Iudam vinctum ad se mittat. Iudas id præsentiens in locum tutum sese recipit; mox Nicanor iram in Iudam conceptam in Raziam magni nominis virum evomit. Sed Razias trina ratione mortem violentam sibi infert, ne in eius manus incidat.

1. Sed post triennii tempus cognovit Iudas, et qui cum eo erant, Demetrium Seleuci, cum multitudine valida, et navibus, per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna; 2. Et tenuisse regiones adversus Antiochum, et ducem eius Lysiam. 3. Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntarie coinquinatus est temporibus commistionis, considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare, 4. Venit ad regem Demetrium centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream, et palmam super hæc et thallos, qui templi esse videbantur. Et ipsa quidem die siluit. 5. Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, convocatus a Demetrio ad consilium, et interrogatus quibus rebus et consiliis Iudæi niterentur. 6. Respondit: Ipsi qui dicuntur Assidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, et seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum; 7. Nam et ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni: 8. Primo quidem utilitatibus regis fidem servans, secundo autem etiam civibus consulens: nam illorum pravitate universum genus nostrum non minime vexatur. 9. Sed oro his singulis, o rex, cognitis, et regioni et generi, secundum humanitatem tuam pervulgatam omnibus, prospice: 10. Nam, quamdiu superest Iudas, impossibile est pacem esse negotiis. 11. Talibus autem ab hoc dictis, et ceteri amici hostiliter se habentes adversus Iudam, inflammaverunt Demetrium. 12. Qui statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Iudæam: 13. Datis mandatis ut ipsum quidem Iudam caperet, eos vero qui cum illo erant dispergeret, et constitueret Alcimum maximi templi summum sacerdotem. 14. Tunc gentes, quæ de Iudæa fugerant Iudam, gregatim se Nicanori miscebant, miserias et clades Iudæorum prosperitates rerum suarum existimantes. 15. Audito itaque Iudæi Nicanoris adventu et conventu nationum, conspersi terra rogabant eum qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit. 16. Imperante autem duce, statim inde moverunt, conveneruntque ad castellum Dessau. 17. Simon vero frater Iudæ commiserat cum Nicanore: sed conterritus est repentino adventu adversariorum. 18. Nicanor tamen audiens virtutem comitum Iudæ, et animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant, sanguine iudicium facere metuebat. 19. Quam ob rem præmisit Posidonium, et Theodotium, et Matthiam, ut darent dextras atque acciperent. 20. Et cum diu de his consilium ageretur, et ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium una fuit sententia amicitiis annuere. 21. Itaque diem constituerunt, qua secreto inter se agerent: et singulis sellæ prolatæ sunt, et positæ. 22. Præcepit autem Iudas armatos esse locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur: et congruum colloquium fecerunt. 23. Morabatur autem Nicanor Ierosolymis, nihilque inique agebat, gregesque turbarum quæ congregatæ fuerant, dimisit. 24. Habebat autem Iudam semper charum ex animo, et erat viro inclinatus. 25. Rogavitque eum ducere uxorem, filiosque procreare. Nuptias fecit: quiete egit, communiterque vivebant. 26. Alcimus autem, videns charitatem illorum ad invicem, et conventiones, venit ad Demetrium, et dicebat Nicanorem rebus alienis assentire, Iudamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse. 27. Itaque rex exasperatus, et pessimis huius criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens graviter quidem se ferre de amicitiæ conventione, iubere tamen Machabæum citius vinctum mittere Antiochiam. 28. Quibus cognitis, Nicanor consternabatur, et graviter ferebat, si ea, quæ convenerant, irrita faceret, nihil læsus a viro; 29. Sed, quia regi resistere non poterat, opportunitatem observabat, qua præceptum perficeret. 30. At Machabæus, videns secum austerius agere Nicanorem, et consuetum occursum ferocius exhibentem, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorum congregatis, occultavit se a Nicanore. 31. Quod cum ille cognovit fortiter se a viro præventum, venit ad maximum et sanctissimum templum: et sacerdotibus solitas hostias offerentibus, iussit sibi tradi virum: 32. Quibus cum iuramento dicentibus nescire se ubi esset qui quærebatur, extendens manum ad templum. 33. Iuravit, dicens. Nisi Iudam mihi vinctum tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, et altare effodiam, et templum hoc Libero patri consecrabo. 34. Et his dictis, abiit. Sacerdotes autem protendentes manus in cælum, invocabant eum qui semper propugnator esset gentis ipsorum, hæc dicentes: 35. Tu Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis. 36. Et nunc, sancte sanctorum, omnium Domine, conserva in æternum impollutam domum istam, quæ nuper mundata est. 37. Razias autem quidam de senioribus ab Ierosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis, et bene audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. 38. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in iudaismo, corpusque et animam tradere contentus pro perseverantia. 39. Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Iudæos, misit milites quingentos, ut eum comprehenderent; 40. Putabat enim, si illum decepisset, se cladem Iudæis maximam illaturum. 41. Turbis autem irruere in domum eius, et ianuam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio se petiit: 42. Eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis iniuriis agi. 43. Sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, et turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas: 44. Quibus velociter locum dantibus casui eius venit per mediam cervicem: 45. Et cum adhuc spiraret, accensus animo, surrexit: et cum sanguis eius magno fluxu deflueret, et gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit: 46. Et stans supra quamdam petram præruptam, et iam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus proiecit super turbas invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.

Hoc caput et sequens connexum est cum cap. 7 libri. 1.

Vers. 1. Sed post triennii tempus.) Id est tertio anno a morte Ant. Epiphanis, puta anno 150. Græcorum, ut dicitur vers. 4. Supponit enim Auctor huius libri 2. Ant. Epiphanem defunctum esse anno 148. Græc. licet enim mortuus sit anno 149. iuxta computum Iudaicum, tamen annus hic 149. erat 148. iuxta computum Antiochenum, ut dixi superius; ac consequenter annus hic 150. Græc. iuxta computum Antiochenum erat 151. iuxta computum Iudaicum.

Demetrium Seleuci.) Seleucus hic erat senior Antiochi Magni filius; iunior vero filius eiusdem erat Ant. Epiphanes. Quare Demetrio, utpote senioris fratris filio, debebatur regnum Asiæ et Syriæ. Demetrius ergo Romæ obses, audiens patruum suum Ant. Epiphanem vita functum, petiit a Romanis licentiam redeundi ad suos, regnumque iure sibi debitum occupandi. Verum Romani illam ei negarunt, eo quod eum magis metuerent, quam Eupatorem Epiphanis filium, utpote puerum. Quare Demetrius clam Roma aufugiens venit in Syriam, ubi a suis in regem coronatus, occisis Eupatore et Lysia, regnum occupavit, uti dixi l. 1. cap. 7.

Vers. 3. Alcimus autem. De hoc Alcimo pseudopontifice et proditore dixi l. 1. cap. 7. vers. 7. Sed voluntarie coinquinatus est temporibus commistionis; cum scilicet Ant. Epiphanes iuberet Iudæos misceri Gentilibus, et a Iudaismo ad Gentilismum apostatare, tunc apostatavit et Alcimus: quare considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare.) Tum quia Iudæi eum ut apostatam a templo exclusissent, tum quia Iudas Machabæus iam fungens Pontificatu et Principatu, nullo modo Alcimum quasi æmulum passus fuisset; quocirca Alcimus rogavit Demetrium ut Nicanorem contra Iudam mitteret, itaque sibi Pontificatum conferret.

Vers. 4. Offerens ei coronam auream (qua novo regi Demetrio novum regnum gratulabatur) et palmam, qua eidem victoriam contra Iudam cæterosque hostes apprecabatur, et thallos, id est, ramos ex olea arbore, quibus pacem flagitabat: olea enim symbolum est pacis, sed hæc sacrilegus abstulerat e templo. Unde sequitur: Qui templi esse videbantur.) Porro hi rami et palmæ, æque ac corona, erant ex auro fabrefactæ.

Vers. 6. Ipsi qui dicuntur Assidæi, (quinam hi fuerint dixi l. 1. cap. 7. v. 13.) quibus præest Iudas Machabæus.) Hinc patet Iudam religione et pietate fuisse Assidæum, imo Assidæorum primatem et principem.

Vers. 18. Nicanor tamen audiens virtutem comitum Iudæ, etc. sanguine iudicium facere metuebat.) Id est prælio decertare, litemque armis definire metuebat; timebat enim a Iuda vinci et cædi; quare legatos ad eum pacis causa misit, pacemque cum eo iniit.

Vers. 24. Habebat autem Iudam semper charum ex animo.) Græce εν προσωπον, id est *in facie*, q. d. Nicanor semper habebat Iudam præ oculis quasi sibi amicum et familiarem.

Et erat viro inclinatus.) Id est propensus et benevolus in Iudam. Aliqui contrarie explicant τό *in facie*, q. d. Nicanor exterius simulabat se amicum Iudæ; sed interius eum ut Ducem belli fortissimum, cui æquari non posset, oderat, ideoque suadebat ei uxorem ducere, ut per eam effœminaretur, et spiritus bellicos deponeret; sicut Samson per suam Dalilam effœminatus est, et fortitudine spoliatus. Verum hic sensus repugnat Vulgatæ, quæ ait, *Habebat charum Iudam ex animo.*

Vers. 25. Rogavitque eum (Iudam) uxorem ducere, filiosque procreare.) Ut prolem sibi similem procrearet, in eamque suam fortitudinem et virtutem bellicam transfunderet; nam ut ait Lyricus:

Fortes creantur fortibus et bonis.
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Ita Horat. lib. 4. carm. ode 3. Gorionides addit Iudam ex A uxore filium masculum genuisse; sed ille videtur mox interiisse æque ac Iudas, qui sequenti anno in prælio occubuit; nam nulla filii eius in Scriptura fit mentio.

Communiterque vivebant.) Scilicet Iudas et Nicanor sibi mutuo erant familiares. Aliter Serarius Græcum εγαμησεν, ευσταθησεν, εκοινωνησε βιου vertit: *Communem egit vitam*, sive *communiter vivebat*, scilicet Iudas, q. d. Iudas nil habebat proprium; sed quasi Assidæus sive Essenus, cum sociis vivebat in communi, uti nunc vivunt religiosi.

Vers. 26. Alcimus autem, etc., q. d. Alcimus Iudæ æmulus apud Demetrium regem accusavit Nicanorem, quod cum hoste suo Iuda fœdus iniisset, eumque regni insidiatorem successorem (Græce διαδοχον id est vicarium) sibi (qui scilicet loco suo castris præesset) destinasset.) Unde iratus Demetrius iussit Nicanori ut Iudam caperet, captumque ad se mitteret; Iudam enim regno suo insidiari.

Vers. 31. Fortiter (Græce *generose*) se a viro (Iuda) præventum.) Generosi enim est prudenter prævidere insidias futuras et pericula, eaque præcavere, ac se suaque B in tuto collocare, uti fecit hic Iudas.

Vers. 37. Razias autem quidam de senioribus (id est, unus e Senatoribus et Primoribus Ierosolymitanis,) qui pro affectu (pro amore in suos cives et patriam) pater Iudæorum appellabatur.)

Vers. 38. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Iudaismo.) *Continentiæ*, scilicet ab uxore, id est castitatis, aut cælibatus: ita aliqui. Aut potius continentiæ, scilicet in vera Dei fide et cultu, q. d. Razias semper etiam in persecutione continuit se in Iudaismo et avita religione, nec se cum multis ab ea ad Gentilismum sub Epiphane apostatantibus commiscuit: hoc enim significat Græcum αμιξιας, id est incommistionis; et hoc notat τὸ *propositum continentiæ tenuit in Iudaismo*, nimirum perseverantiam constantem usque ad mortem in Iudaismo; unde idipsum mox explicans subdit: Corpusque et animam tradere contentus pro perseverantia in avita Iudæorum religione. Addit Gorionides Raziam professio- C ne fuisse Assidæum.

Vers. 40. Putabat enim, si illum decepisset.) Salianus censet legendum *cepisset*; Græce enim est συλλαβων, id est, *si illum comprehendisset.*

Vers. 42. Eligens nobiliter (Græce γενναιως, id est generose) mori potius quam subditus fieri peccatoribus et contra natales suos (natus ergo fuit Razias nobilibus parentibus) indignis iniuriis agi.) Græce: *Et propria nobilitate indigne contumeliis affici.* Hic fuit sensus Raziæ, uti fuit aliorum nobilium huius sæculi, qui generosum putant mori potius, quam ludibria indigna pati. Verum alius est sensus fidelium et Christianorum, præsertim Apostolorum et martyrum, de quibus proinde dicitur Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Vers. 44. Venit per mediam cervicem.) Græce per medium ventrem, q. d. Cecidit in terram non prono capite, sed in ventrem, ita ut mediam cervicem ad humum allideret. D Razias ergo trina morte se confecit: primo enim gladio se confodit; secundo, ex muro se præcipitavit; tertio, ambabus manibus viscera in turbam proiecit.

Quæres, an Razias occidendo se peccarit? Suppono ex communi sententia S. Augustini, Lactantii, S. Thomæ, cæterorumque Ecclesiæ Doctorum non licere homini se occidere ad vitandam infamiam, violationem pudicitiæ, peccandi periculum, aliamve ob causam. Ratio a priori est quod Deus solus sit vitæ nostræ dominus, qui ut eam dedit, sic et repetit, recipitque quando ei libuerit. Quare iniuriam Deo facit, qui se occidit; quia rem Deo propriam, puta vitam suam, illi eripit. Vide S. Aug. lib. 1. de Civit. a cap. 20. usque ad 24.

Hoc quoad thesin; nunc ad hypotesin descendamus, et disquiramus an Razias hic et nunc se occidendo peccarit, an non.

Primo, S. Aug. lib. 1. contra epist. Gaudentii cap. 23. magis propendet eo, ut censeat eum peccasse, præsertim

ob Circumcelliones, qui Raziæ exemplum imitantes se ipsos necabant, quasi hoc esset honestum, imo quoddam martyrium. Quare laudari quidem hic Raziam a probitate, continentia, auctoritate et amore patriæ, non tamen a sui occisione: *Humilitatem*, inquit, *inter manus inimicorum non valens ferre non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum*. Et inferius: *Unde illi tamquam homini subrepsit humilitatis impatientia, ut prius mori vellet, quam hostibus subiici. Dictum est quod elegerit nobiliter mori; melius vellet humiliter, sic enim utiliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consuevit, sed viros fortes huius sæculi, non martyres Christi. Dictum est quod se viriliter de muro præcipitavit in turbas nec nos dicimus eum hoc fecisse muliebriter, quamquam vos qui multum exemplo isto profecistis, etiam fœminas vestras hoc facere docuistis. Sed fatemur etiam ipsas hoc non facere muliebriter*, *sed viriliter; non tamen salubriter, quia non fideliter*. Secundo, Franc. de Victoria Relect. de Homicidio et S. Thom. respondent Raziam non B peccasse, eo quod ex Spiritus sancti instinctu voluntariam sibi mortem consciverit. Sed huius instinctus nulla hic apparet scintilla, præsertim quia non solet Spiritus sanctus inspirare, ut quis se occidat ad vitandam ludibrii infamiam, uti fecit hic Razias; hoc enim in se inhonestum et illicitum est.

Tertio ergo dico Raziam hic a peccato excusari per ignorantiam inculpatam, qua ignorabat sui occisionem tali casu esse illicitam, imo ipse eam licitam, honestam, nobilem et generosam esse arbitrabatur, ut dicitur v. 42. Sicut enim olim multi veterum tam philosophorum, quam Doctorum Ecclesiæ, putarunt mendacium quandoque esse licitum, sic idem censuerunt de sui occisione. Hæc enim fuit sententia Stoicorum quam sæpius inculcat Seneca, epist. 12. 17. 24. 58. 59. 71. 78. Eamdem indicat Cicero lib. 1. epistol. 12. et 22. ac Plinius. Eadem fuit sententia aliquorum Hebræorum apud Ioseph. l. 12. cap. 5. et lib. 15. cap. 4. Eadem fuit S. Hier. in cap. 1. Ionæ versus finem, ubi sic ait: *Unde in persecutionibus non licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur;* ubi plane indicat quod in periculo castitatis liceat seipsum occidere. Sic S. Ambr. lib. 3. de Virgin. ante medium, et Euseb. l. 8. histor. cap. 12. et 17. et Palladius in Lausiaca cap. 160. laudant fœminas, quæ se occiderunt ne violarentur. Neque id tribuunt divinæ inspirationi, sed laudant factum tamquam honestum ob talem finem. Simili modo D. Soto excusat S. Apolloniam l. 5. de Iustitia, quæst. 1. art. 5. in fine: Nam se occidere ob patriæ salutem, aut pudicitiæ custodiam non est ita evidens esse malum, quin inculpate possit ignorari, et putari esse licitum, uti putarunt viri doctissimi iam citati, quos secutus Cato Romanorum sapientissimus seipsum occidit, ne Cæsari victori se dedens foret ludibrio. Sic ergo et Razias per ignorantiam excusandus videtur a peccato, præsertim quia ipse erat quasi caput senatus, et princeps Israelis; unde ludibria illi ab Antiocho irroganda senatui et toti Israeli irrogata fuissent; maluit ergo mori, quam se totumque Israelem iniuriis, et ludibrio regis idololatræ exponere. Adde potuisse regem fingere Raziam a Iudaismo apostatasse, et ad suam idololatriam apostatasse: quæ res multos Iudæorum commovisset, ut eius exemplum sequerentur, et apostatarent. Insuper poterat metuere Razias ne

A acerbitate tormentorum victus cederet Antiocho, et vere a fide apostataret, quod ingens fuisset toti Israeli scandalum. Quare prudenter videbatur sibi facturus, si hæc omnia pericula et damna voluntaria morte abscinderet. Sic in Historiis indicis apud Hieron. Osorium lib. 8. de gestis Eman. post initium legimus Ioannem Machiadum Lusitanum virum fidelem duos filiolos suos ex pietate occidisse, ut eos periculo Mahometismi, indeque damnationis æternæ eriperet. Iam enim capiendi erant a Mahometanis, et ab eis in perfidia sua educandi. Ita Raziam per ignorantiam excusat Lessius lib. 2. de iustitia c. 9. dubio 6. num. 23. Idque confirmatur ex eo quod Razias hic a virtute et probitate eximia commendetur, qui utique non se occidisset, nisi id putasset esse licitum, imo honestum et generosum. Unde et expirans v. 46. actum fidei et spei in Deum elicuit, *invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet* in beata resurrectione.

Supposita hac Raziæ ignorantia heroicus fuit hic eius B actus fortitudinis quo se pro honore patriæ, et avita religione conservanda occidit, ideoque v. 42. de eo dicitur: *Eligens nobiliter mori.* Longe enim difficilius est seipsum occidere, quam necem ab alio illatam sustinere; quare posita ignorantia quod eo casu liceat seipsum occidere, Razias summum fortitudinis actum se non semel, sed tertio feriendo et interimendo elicuit. Natura enim summe amat se suamque vitam; quare generosissimæ fortitudinis est hunc naturæ affectum transcendere, ac sponte pro Deo vitam ponere.

Hinc discant fideles quam fortiter tormenta et mortem pro fide et pietate inflicta sustinere debeant. Si enim Razias Iudæus, obscuram habens resurrectionis fidem et spem, seipsum pro ea occidit, cur non Christianus post Christi aliorumque resurgentium exempla necem pro illo irrogatam ultro amplectatur, cum certus sit se per illam ad beatam et æternam vitam transmitti? Fixum enim est illud Christi oraculum, pariter et promissum: *Qui perdiderit animam* (vitam) *suam propter me, inveniet eam*, C Matth. 10. 39. Rursum cur non concupiscentiam et carnem suam mortificet, qua per mortificationem credit vivificandam et liberandam in cælis? mortificatio enim est quasi viva quædam mors, qua homo carnales appetitus in se vivos per serium voluntatis contrariæ propositum abdicat et resecat. Unde hanc resecationem ad vivum sentit, doletque perinde ac si dens sibi evelleretur. Audi S. Ambr. lib. 3. de virgin. miris elogiis celebrantem S. Pelagiam virginem quindecim annorum, quæ se cum matre et sororibus in flumen iniecit, mersitque ne violaretur: *Consertis manibus, tamquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum, ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius, illo vestigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit ubi gressum figeret; anxiæ cum terra occurreret, offensæ vado, lætæ profundo. Videres piam matrem stringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de casu; ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsides virginitatis, duces castitatis, comites passionis.* D Porro Ecclesia has fœminas, quæ se pro castitate tuenda occiderunt, colit ut martyres, quia ipsæ ad hoc quasi compulsæ fuerant. Unde cum ipsæ in eo facto non peccaverint secundum moralem æstimationem censentur ab ipsis persecutoribus occisæ, et sic sunt martyres. Si quis idem dicere velit de Razia, non repugnabo.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nicanor superbe contemnens Deum, invadit Iudam, et Iudæos: Iudas visione Oniæ, et Ieremiæ dantis sibi gladium animatus, animat milites; quare Nicanorem prosternit, eiusque caput et manum muro ex adverso templi suspendit, ac linguam blasphemam dissectam avibus vorandam proiicit. Denique Iudæi Deo canunt Epinicion, et festum quotannis pro gratiarum actione die 13. Adar celebrandum instituunt.

1. NICANOR autem, ut comperit Iudam esse in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die sabbati committere bellum. 2. Iudæis vero, qui illum per necessitatem sequebantur, dicentibus: Ne ita securiter et barbare feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis, et honora eum, qui universa conspicit: 3. Ille infelix interrogavit, si est potens in cælo qui imperavit agi diem sabbatorum. 4. Et respondentibus illis: Est Dominus vivus ipse in cælo potens, qui iussit agi septimam diem: 5. At ille ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. Tamen non obtinuit ut consilium perficeret. 6. Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Iuda. 7. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum: 8. Et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adiutoria sibi facta de cælo, et nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. 9. Et allocutus eos de lege et prophetis, admonens etiam certamina quæ fecerant prius, promptiores constituit eos: 10. Et ita animis eorum erectis, simul ostendebat gentium fallaciam, et iuramentorum prævaricationem. 11. Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis, et exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit. 12. Erat autem huiuscemodi visus: Oniam qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. 13. Post hoc apparuisse et alium virum, ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum. 14. Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei. 15. Extendisse autem Ieremiam dextram, et dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: 16. Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel. 17. Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, et animi iuvenum confortari, statuerunt dimicare et confligere fortiter: ut virtus de negotiis iudicaret, eo quod civitas sancta et templum periclitarentur. 18. Erat enim pro uxoribus, et filiis, itemque pro fratribus et cognatis, minor sollicitudo: maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi. 19. Sed et eos qui in civitate erant, non minima sollicitudo habebat pro his qui congressuri erant. 20. Et cum iam omnes sperarent iudicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ equitesque opportuno in loco compositi, 21. Considerans Machabæus adventum multitudinis, et apparatum varium armorum, et ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. 22. Dixit autem invocans hoc modo: Tu Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Iuda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: 23. Et nunc dominator cælorum mitte angelum tuum bonum ante nos, in timore et tremore magnitudinis brachii tui, 24. Ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit. 25. Nicanor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et canticis admovebant. 26. Iudas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: 27. Manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. 28. Cumque cessassent, et cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. 29. Facto itaque clamore, et perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. 30. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore et animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris, et manum cum humero abscissam Ierosolymam perferri. 31. Quo cum pervenisset, convocatis contribulibus, et sacerdotibus ad altare, accersiit et eos qui in arce erant. 32. Et ostenso capite Nicanoris, et manu nefaria quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnifice gloriatus est. 33. Linguam etiam impii Nicanoris præcisam iussit particulatim avibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi. 34. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum servavit. 35. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset et manifestum signum auxilii Dei. 36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire: 37. Habere autem celebritatem tertia decima die mensis Adar, quod dicitur voce syriaca, pridie Mardochæi diei. 38. Igitur his erga Nicanorem gestis, et ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis. 39. Et si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi. 40. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est: alternis autem uti, delectabile: ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus,

Vers. 1 NICANOR etc. COGITAVIT CUM OMNI IMPETU DIE SABBATI COMMITTERE BELLUM.) Quia præsumebat Iudæos ob quietem religiosam sabbati a Deo præceptam eo die non pugnaturos, sed permissuros se occidi.

A

AT ILLE AIT: ET EGO POTENS SUM SUPER TERRAM QUI IMPERO SUMI ARMA.) In sabbato. Vide hic Nicanoris blasphemum factum, quo se Deo æquat, q. d. Deus in suo cælo imperet; sed ego impero in terra, iubeoque vos, o Vers. 5.

Iudæi, quos ego coegi mea castra sequi die sabbati pugnare contra Iudam et Iudæos contribules vestros; qua blasphemia Iudæorum se sequentium iram accendit, ut illi obedire nollent, ac Dei indignationem in se concitavit, ut a Iuda cæderetur, truncaretur et suspenderetur. Videbatur enim Deum e cælo ad duellandum secum in terra provocasse.

Athei Duces sua arma faciunt numina.

Simili fastu Mezentius Atheus apud Virgil. 10. Æneid. detonat:

Dextra mihi Deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint.

Exempla. Quod de Capaneo Statius lib. 2. Thebaidos:

Virtus mihi numen et ensis.

Et iterum de Capaneo lib. 10.

Ades mihi dextera tantum:
Tu præses bellis, et inevitabile numen.
Te voco, te solum superum contemptor adoro.

Cæneus hastam suam inter Deos numerari iussit, et per illam iuramentum concipi; unde proverbium: *Cænei hasta:* et apud Plutarchum in Pelopida Alexander tyrannus hastam, qua Poliphronem occidit, sacram esse voluit, coronis ornavit, et quasi Deum sacrificiis, id est, divinis honoribus prosecutus est. Sic de Nabuchodonosore ait Habacuc c. 1. 16. *Propterea immolavit sagenæ suæ, et sacrificavit reti suo,* ubi sagenam et rete vocat eius vires, arma et exercitus. Hæc enim ipse colebat ut sua numina, quasi quæ ipsi tot gentes subegerant.

Tamen non obtinuit.) Eo quod Iudæi ipsi resisterent, nollentque sabbato contra Iudam et Iudæos pugnare.

Vers. 9. Et allocutus eos de Lege et Prophetis.) q. d. Proferens sententias ex S. Script. quibus Deus Iudæis rite se colentibus et invocantibus victoriam promittit, Deuter. 28. et alibi.

Vers. 11. Singulos autem illorum armavit non clypei et hastæ munitione (utpote quibus iam erant armati et muniti) sed sermonibus optimis et exhortationibus.) Certum enim est eos non inermes, sed armatos prodiisse in prælium.

Exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit.) Pro υπερ τι, id est *per quod* Romana habent υπαρτι, id est *vera visio,* quæ non tam somnium quam ipsa veritas erat. Sic Homerus Iliad. ρ. ait: ουδε οναρ, αλλ'υπαρ, id est non somnium inane et falsum, sed solidum et verum. Ex quo quis opinari posset vere Iudam oculis suis vidisse Oniam et Ieremiam ac ab eo realiter accepisse gladium aureum. Verius tamen est contrarium, scilicet hæc omnia per visionem tantum imaginariam obiecta fuisse menti Iudæ; hoc enim significat vox ονειρον, id est somnium. Deinde quia si vere accepisset gladium, utique eum commilitonibus suis ad eos animandos ostendisset; quod tamen fecisse non legitur. Ita Sanchez.

Vers. 12. Oniam qui fuerat summus sacerdos.) Onias hic, cognomento Sanctus, notus fuerat Iudæ; unde eum ex facie et visu Iudas agnovit. Nam Onias ante undecim annos pontifex fuerat, sed a fratre suo Iasone emente Pontificatum ab Ant. Epiphane extrusus, ac deinde ab Andronico suasu Menelai occisus fuerat anno Græc. 140. ut dictum est c. 4. 34. Visus est ergo Iudas in somnio sibi videre Oniam sanctum et zelosum Pontificem orantem pro se totoque Israele.

Quæres, an sicut animæ patrum in limbo, sic et animæ in Purgatorio orent pro nobis? Affirmant Richar. in 4. dist. 45. art. 7. q. 3. ad 3. Gabriel in Canonem lectione 58. circa finem. Ioannes de Medina Cod. de Pœnit. tr. de Orat. in quæst. speciali. Negant S. Thomas in 4. dist. 45. q. 4. art. 5. q. 2. et in 2. 2. q. 83. a. 4. ad 3. et art. 9 ad 2. et art. 11. ad 3. Alensis 4. p. q. 92. mem. 1. art. 3. Abulensis in Matthæum c. 6. q. 87. S. Antoninus 4. p. tit. 5. c. 8. §. 2. Sylvester verbo *Oratio,* §. 3. Navarr. super cap. *Quando.* Ratio est, quod animæ illæ non cognoscant orationes nostras, quodque sint in carcere ad patiendum pro suis culpis, non ad orandum pro aliis; unde otiosum et inordinatum videtur eas invocare. Quare Franc. Victoria Relect. de Magia num. 17. improbat morem quorumdam, qui

A in angustiis invocant animas Purgatorii. Sed Alphonsus Mendoza quæst. 6. scholast. pag. 846. censet sanctum ac utile esse eas invocare. Nam, inquit, sive quamdiu sunt in Purgatorio orare pro nobis valeant, sive non valeant, certe cum inde exeunt, et in cælum perveniunt, tunc preces fundunt, ac orant pro iis qui se eis commendaverunt, ac eas suffragiis et precibus iuverunt. Adde Angelos, qui animas in Purgatorio visitant et solantur, posse eis preces viventium nuntiare; nec passio pœnæ eas ab oratione impedit, quia pœnas has magna patientia, humilitate et resignatione sufferunt, Deumque assidue amant et laudant. Utilius tamen certiusque est invocare sanctos in cælo cum Deo regnantes; tum quia ipsi preces ad se fusas, Deo revelante, certo cognoscunt; hoc enim ad eorum statum pertinet: tum quia Deum vident, illique sunt in amore et honore, unde ab eo impetrant quæ volunt: tum quia sunt in statu beatitudinis, ac regno et gloria cælesti triumphantes: unde ad eorum decus pertinet, ut a nobis invocentur, nostrisque ærumnis opitulentur. Vide Franc.
B Suarez. lib. 1. de Orat. in communi cap. 10. in fine, ubi ait probabile esse Angelos custodes preces nostras perferre ad animas Purgatorii. Quare si quis eas invocat, inquit, pie credens ab illis audiri, nihil peccabit; quia operatur ex pia credulitate et affectione, et nulli periculo se exponit; quia licet fortasse non ita sit, neque animæ illæ huiusmodi orationes percipiant, nihilominus oratio eius in sinum convertatur. Et fortasse etiam verum est animas illas, saltem cum beatæ fiunt, cognoscere orationes omnes, toto illo tempore ad eas fusas, et eis moveri ad intercedendum in patria pro oratoribus suis. Quapropter, qui in hoc mundo orandi fructum et devotionem senserit, non videtur ab illo revocandus.

Post hoc apparuisse et alium virum ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum.) Legi etiam potest habitudinem, quia in Græco est μεγαλοπρεπεςατην υπεροχην, excellenti magnificentia undique adornatum, quæ gloria index meritorum erat Vers. 13.
C sanctissimi prophetæ, et gloriæ quæ illi in cælo debebatur.

Respondentem vero Oniam. Hinc videtur quod Iudas non agnoverit Ieremiam, utpote ante quadringentos annos vita functum; ideoque rogavit Oniam sibi notum quisnam esset ille vir adeo augustus et venerabilis, ac Oniam respondisse: Hic est fratrum amator (Græce φιλαδελφος) et populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei.) Præ Isaia, Amos, Iona cæterisque prophetis apparuit Iudæ Ieremias; quia ipse ingenti zelo per 45 annos prophetans laboravit pro salute Israelis ad impediendum gentis suæ excidium: quod tamen ob scelerum eius enormitatem, et eo quod suis oraculis sanisque consiliis auscultare nollet, impedire non potuit quin Ierusalem cum templo a Chaldæis caperetur et cremaretur. Quocirca dura et acerba plurima a Iudæis passus fuit Ieremias, quæ in ipsa eius prophetia explicui. Vers. 14.

Accipe sanctum gladium (a sancto Deo, et a me benedictum ut pro sancta eius Ecclesia, fide, religione, sancta fortitudine depugnes) munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.) Non vere et realiter Ieremias dedit Iudæ gladium, ut dixi. Fuit enim hoc somnium, et symbolica visio in qua videbatur Iudæ, quod a Ieremia acciperet gladium, ut per eam Iudas cum sociis ad pugnam animarentur, et conciperent certam victoriæ spem, eo quod Deus cum illis et per illos pugnaret contra impium infidelem et blasphemum Nicanorem. Sic et gladius hic fuit non ferreus, quo in bello homines utuntur; sed aureus utpote cælestis et divinus. Quæ enim Dei sunt, aurea sunt; aurum enim pretiosissimum et splendidissimum repræsentat nobis Deum, Deique dona augustissima. Vers. 16.
D

Nota τὸ *gladium sanctum,* id est benedictum. Hic enim mos invaluit, ut duces et milites curent ab Episcopis et sacerdotibus sua vexilla et arma benedici; tum ut per Ecclesiæ preces, et benedictionem efficaciora sint ad victoriam; tum ad abigendas magicas artes, quibus sæpe ho-

stes ope dæmonis se faciunt invulnerabiles, uti nunc in bello Germanico experti sumus. Sic S. Ludovicus, castra ducturus in terram sanctam, vexillum ab Episcopo Parisiensi benedictum accepit. Idem fecere cæteri duces illius expeditionis asseclæ. Sic Italicus, equis curruque suo a S. Hilarione benedictis, in Circensi certamine vicit adversarium suum magicis Marnæ Dei sui artibus utentem. Audi S. Hier. in eius Vita: *Rogatus* (S. Hilar.) *a fratribus scyphum fictilem quo bibere consueverat, aqua iussit impleri, eique tradi; quem cum accepisset Italicus et stabulum, et equos, et aurigas suos, rhedam, carcerumque repagula aspersit. Mira vulgi expectatio; nam et adversarius hoc ipsum irridens diffamaverat, et fautores Italici, sibi certam victoriam pollicentes, exultabant. Igitur dato signo hi advolant, isti præpediuntur; sub horum curru rotæ fervent, illi prætervolantium terga vix cernunt; clamor fit vulgi nimius, ita ut ethnici quoque ipsi concreparent, Marnas victus a Christo est.*

In Romano Ceremoniali extat benedictio ensis et militis. Habebant etiam Angli olim ritum consecrandi militem: cuius formam Ingulphus in sua historia describens, ait: *Anglorum erat consuetudo, quod qui militiæ legitime consecrandus esset, vespera præcedente diem suæ consecrationis, ad Episcopum, vel abbatem, vel monachum, vel sacerdotem aliquem contritus et compunctus de omnibus suis peccatis confessionem faceret, et absolutus orationibus, et devotionibus, et affectionibus deditus, in Ecclesia pernoctaret. In crastino quoque Missam auditurus, gladium super altare offerret, et post Evangelium sacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret, et communicatus ad eamdem Missam sacris Christi mysteriis denuo miles legitimus permaneret.*

Idem recenset noster Gretserus, l. de benedictionibus cap. 49. ubi et ex Baronio recenset Alexandrum II. Pont. misisse vexilla benedicta ad Hermibaldum et ad Wilhelmum comitem Aquitaniæ, quibus ipsi hæreticos et Haraldum Angliæ invasorem profligarunt. Vide eumdem Gretserum, lib. 2. de Cruce cap. 58. ubi ostendit olim integros exercitus in terram sanctam proficiscentes solere a Pontificibus benedici, et cruce signari, indeque expeditiones illas nuncupatas fuisse Cruciatas sive Cruce signatorum. Multæ, inquit, olim expeditiones susceptæ sunt in Palestinam pro asserenda terra sancta ex Mahometanorum tyrannide, hortatu potissimum et impulsu Summorum Pontificum Urbani II. Paschalis II. Lucii II. Eugenii III. Clementis III. Cœlestini III. Honorii III. Gregorii IX. ducibus Godefrido Bullionio, Conrado Cæsare, S. Ludov. Galliarum rege, Friderico imperatore, Philippo rege Franciæ, Richardo rege Angliæ, Andrea rege Hungariæ, aliisque fortissimis lectissimisque Principibus et Heroibus, qui instructissimos exercitus ducebant.

Omnes isti cruce insigniebantur, ut eo fidentius adversus crucis hostes dimicarent, et ad omnia pericula crucis et crucifixi amore promptiores essent. Exstat in Romano Rituali precatio de benedictione crucis dari solita proficiscentibus in Palestinam defendendæ fidei Christianæ et terræ sanctæ recuperandæ gratia. Quin et Constantinus Magnus, signo Crucis e cælis accepto cum hoc lemmate; *In hoc signo vinces*, in labaro crucem insculpi, eamque totis castris præferri iussit, ut iis quasi cælitus a Deo per crucem benedictis certam daret spem, omenque victoriæ, uti narrat Eusebius et alii in vita Constantini.

Trop. Nota hic Deum, dum aliquem ad quodpiam officium seligit, eidem dare symbola et instrumenta ad officium illud necessaria et opportuna. Sic sanctus Paulus per visum apparuit S. Ioanni Chrysostomo, eique tradidit librum Evangelii, ut hoc symbolo ipsum eiusdem prædicatorem post se eximium constitueret. Sic S. Ioannes Apostolus, volumen oraculorum accipiens ab Angelo, creatus est propheta, ut futura sub Antichristo prædiceret Apoc. 10. 9. Sic Moses Exodi 4. 17. per virgam accepit a Deo potestatem faciendi miracula et decem plagas, quibus percussit Pharaonem et Ægyptios. Simili ratione et modo Deus hic Iudæ tradidit gladium, ut Nicanorem et

A impios mactaret. Hinc et regibus, cum inaugurantur, datur gladius, ut Ecclesiam, religionem et iustitiam propugnent et sceleratos plectant. Hac de causa Iosue invadenti Chananæam, Angelus, ut eum animaret, apparuit evaginatum tenens gladium quasi illo Chananæos occisurus, Iosue 5. 13. Sic Ieremias et Ezechiel sæpe minantur Iudæis gladium a Deo dandum Nabuchodonosori, ut eorum scelera plectat. Sic Christus Rex regum dicitur habere gladium utraque parte acutum, Apoc. 1. 16. Quin et Traianus Imper. præfecto urbis a se creato tradens gladium: *Hoc*, inquit, *utere pro me, si mea potestate rite fungar; sin autem, eodem utere contra me.*

Alleg. Rabanus per Ieremiam accipit Christum, per gladium aureum S. Script. qua Christus diabolum, cum ab eo tentaretur in deserto, prostravit, ac etiamnum Hæreticos eius asseclas per doctores Ecclesiæ sternit et profligat. Rursum gladius sanctus est mortificatio, qua concupiscentias et vitia carnis, ac spiritus a nobis resecamus iuxta illud Christi: *Non veni pacem mittere, sed gladium,*
B Matth. 10. 34. Quocirca Ieremias cap. 48. versu 10. *Maledictus*, inquit, *qui prohibet gladium suum a sanguine.* Ieremias ergo, id est Christus, cuique fideli porrigit hunc mortificationis gladium Dei amore aureum, ut eo trucidet omnes eius hostes, id est passiones et appetitus naturæ corruptæ, Deo eiusque legi repugnantes.

Prostraverunt non minus 35. millia.) Errat ergo Vers. 27.
Iosephus qui numerat tantum novem millia, ac Gorionides, qui 30. millia dumtaxat assignat.

Cognoverunt Nicanorem ruisse.) Gorionides rem Vers. 28.
paulo aliter narrat lib. 3. cap. 22. *Vidit Iudas*, inquit, *in ipsa pugna Nicanorem habentem in manu sua gladium evaginatum, clamansque, ait: Contra te, o Nicanor. Et cum curreret contra illum in fervoris sui virtute, avertit Nicanor humerum suum, et fugit a facie Iudæ, et Iudas apprehendit eum, percussitque gladio suo et dissecuit in duas partes, deiiciens ipsum in terram.*

Porro Iudas iussit caput Nicanoris, æque ac manum
C quam contra templum minabundus extenderat, quasi trophæum, non ex arce Sion (quia hanc tenebant hostes) sed ex adverso templi suspendi; linguam vero eius blasphemam minutim concisam avibus glutiendam obiici.

Facto itaque clamore et perturbatione (Græce Vers. 29.
ταραχως, id est strepitu, tumultu, plausu) excitata, patria *voce*, (id est Hebræa lingua canentes Psalmos Davidicos epinicio et gratiarum actioni deputatos, aut *patria*, id est generosa; viris fortibus et victoribus congruente voce, ait Salianus,) Dominum benedicebant.

Omnes igitur cæli (id est cælites, puta Angeli et homines sancti cælestem vitam in terra agentes) benedixerunt Dominum.) Potius τὸ *cæli* refer ad *Dominum*, q. d. Omnes Iudæi benedixerunt Deum, qui cæli est Dominus; unde Græca habent: *Benedixerunt Dominum in cælum*, scilicet alta voce clamantes in cælum. Vers. 34.

Habere autem celebritatem 13. die mensis Adar Vers. 37.
D (id est Februarii. Illa ergo die quotannis celebratum est festum in gratiarum actionem ob cæsum Nicanorem) quod dicitur voce Syriaca pridie Mardochæi.) Id est pridie festi sortium quod Mardochæus cum Esther instituit celebrandum die 14. et 15. Adar ob memoriam liberati Israelis a nece ei ab Aman per sortes decreta, Esther 9. 17. et 31. Quare ieiunium quod pridie festi sortium Iudæis indictum erat per hoc triumphale ob cæsum Nicanorem festum, vel abolitum fuit, vel in aliam diem translatum.

Porro locus hic, ait Ribera lib. 5. de templo c. 18. depravatus est in Latinis; ita enim legendum est: *Habere autem celebritatem tertia decima die mensis (Adar dicitur voce Syriaca) pridie Mardochæi diei.* Hoc verum esse constat ex Græcis codicibus emendatissimis atque inter eos ex Pontificio et ex veritate Latinorum; deinde ex sensu ipso, nullam enim vocem Syriacam posuit Auctor huius libri, nisi Adar, et propterea parenthesi usus dixit: *Adar dicitur voce Syriaca;* quod imitatus Iosephus similiter addidit: *Mensis Adar, ut nostri nominant.* Non ergo

nomen festi indicavit, cum dixit: *Pridie Mardochæi diei,* sed tempus. Sic et Salianus, Vatablus et alii.

Ego quoque in his faciam finem sermonis.) Quia Iudæ Esseno qui fuit Auctor huius libri propositum fuit scribere dumtaxat gesta heroica Iudæ Machabæi, usque ad gloriosam eius victoriam de Nicanore, et institutum hac de re festum, ut Iudæi in Ægypto (ad quos hunc librum scripsit, ut patet ex eius initio) idem festum ibidem celebrent. Hac de causa in eo librum suum hic finit. Ita S. Thom.

Sin autem minus digne, concedendum est mihi.) Tacite petit Auctor libri veniam non alicuius lapsus, erroris, vel mendacii (quod absit a scriptore hagiographo, qui fuit organum et instrumentum Spiritus S.) sed styli et phrasis, si ea cuipiam minus videatur elegans et concinna. Spiritus S. enim ita scriptoribus hagiographis assistebat, itaque eos dirigebat ut nusquam a veritate aberrarent, utque veram omnino sententiam mente conciperent, sed tamen sinebat eos suis verbis, suaque phrasi, et stylo eam conscribere. Quare elegantior et pulchrior est stylus Isaiæ, quam sit cæterorum prophetarum; quia ipse utpote vir nobilis, doctus et elegans studendo elegantiorem stylum imbiberat. Spiritus S. enim in phrasi Scriptori suo quasi instrumento sese accommodat. Auctor ergò hic, licet sit elegans et facundus, ex modestia tamen petit sibi ignosci, *si minus digne* (Græce si *exiliter et tenuiter*) id est minus digno, gravi et eleganti stylo, quam historiæ divinæ dignitas, aut eruditæ legentium aures desiderabunt, scripserit. Sic S. Paulus vocat se *imperitum sermone, sed non scientia,* 1. Corinth. 2. præsertim quia ipse se studio hoc stylo mediocri et mixto usum asserit ob causam quam subdit, dicens:

Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam contrarium est (appetitui, stomacho et sanitati) alternis autem uti delectabile; ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus.) Gaudet enim natura hominum varietate iuxta illud:

Amant alterna Camœnæ:

Quare gaudent lectores scriptoris varietate in stylo, ut subinde eum attollat, gravemque et cultum efficiat, subinde eum deprimat levemque et minus cultum politumque exhibeat. Græce est: *Sicut enim vinum solum bibere, similiter autem et aquam rursum, contrarium est; vinum autem aquæ mixtum dulcem et delectabilem gratiam perficit* (id est gratam affert gustanti delectationem) *ita et præparatio sermonis* (ut grata quadam temperie et moderatione commixtus sit et concinnus) *delectat auditum legentium,* si ab alio legi audiatur, et oculos, si ab ipsismet legatur, q. d. Sicut vinum meracum semper bibere aut semper aquam puram molestum est, et male sanum; vinum enim nimis calefacit, et inflammat caput et corpus; aqua vero nimis illud frigefacit et phlegmata creat: miscere autem aquam vino, mistamque bibere suave est et delectabile æque ac sanum, et utile; quia aqua vini calorem et acrimoniam, et vicissim vinum aquæ frigus et cruditatem refrangit et temperat, ac ad gratam quamdam moderationem redigit: sic pariter sermo aut nimis gravis, aut nimis exilis lectoribus ingratus est, affertque tædium; ex utroque vero moderatus et ad temperiem congruam redactus gratus est et iucundus. Sic ergo simili de causa in hoc libro mediocri stylo qui gravitatem lenitate temperet usus sum; varietas enim æque ac mediocritas in omnibus rebus cunctis est grata, sapida et delectabilis; alioquin enim omnium in mundo rerum obrepit satietas et fastidium, uti ait Cicero, et experientia quotidiana docet.

Hic ergo erit consummatus.) Græce: *Erit finis sive consummatio* tam huius libri, quam totius veteris Testamenti, ut lampada tradamus Christo brevi successuro, qui est finis et scopus, ac perfectio et consummatio Legis et Prophetarum totiusque Testamenti utriusque tam novi, quam veteris.

DE LIBRO TERTIO MACHABÆORUM.

Hic liber non est Canonicus; suam tamen habet auctoritatem et veritatem parem, imo maiorem, quam habeant Livius, Curtius, Florus, Salustius similesque historici. Extat Græce in Bibliis Complut. et Regiis. Per catachresin vocatur tertius Machab. quia proprie non tractat gesta Machabæorum, puta Iudæ, Ionathæ et Simonis fratrum, sed ea quæ triginta annis ante eos contigerunt: quare ordine chronologico temporis ante librum primum Machabæorum ponendus foret, adeoque ipse non tertius, sed primus vocandus esset.

Narrat enim gesta ab Antiocho Magno (qui fuit pater Ant. Epiphanis, cum quo Machabæi decertarunt) et Ptolemæo Philopatore, qui post Alexandrum Magnum quartus fuit rex Ægypti, fuitque filius Ptolemæi Evergetis fratris Ptolem. Philadelphi. Dictus est Philopator, id est, amator patris per antiphrasin: quia ipse occidit patrem, matrem, fratrem, sororem et uxorem, captus illecebris Agathocleæ meretricis; ideoque noctes in stupris, dies in conviviis absumebat, ait Iustinus l. 29. et 30. Hic Philopator fuit pater Ptolemæi Epiphanis et avus Ptolemæi Philometoris.

Argumentum ergo huius libri tertii est narrare gesta Ptol. Philopatoris cum Antiocho Magno et cum Iudæis. Initio enim recenset famosum illud prælium Antiochi cum Philopatore apud Raphiam peractum anno tertio Olympiadis 140. nimirum eodem anno quo Annibal Romanos apud Thrasymenum lacum memorabili victoria superavit. Cum enim Philopator intellexisset ademptam sibi esse ab Antiocho Syriam, coactis omnibus suis copiis tam equestribus, quam pedestribus, assumpta secum Arsinoe sorore, contendit ad vicinas usque Raphiæ regiones, ubi erant copiæ Antiochi. Commisso acri prælio, cum fortius pugnaretur ab Antiocho, Arsinoe copias obambulans, capillis solutis, cum lacrymis obsecrabat milites, ut sibi opem audacter ferrent, binas victoribus auri minas daturam se singulis promittens. Itaque hostes prælio vinci, multosque capi contigit. Post hæc narratur quemadmo-
A dum rex venerit Hierosolymam, cumque intrare Sancta sanctorum obsistentibus Iudæis conaretur, ingenti divinæ potentiæ miraculo castigatus, ab eius loci ingressu deterritus sit. Deus enim, inquit Auctor l. 3. Machab. *eum audacia elatum flagellavit hinc et inde vibrans eum, ut arundinem a vento, adeoque in solo inutilem, adhuc et membris solutum, nec loqui potentem iusto implicatum iudicio afflixit: unde et amici timentes ne et vitam desereret, cito eum eduxerunt maximo perculsi timore; ille autem nequaquam resipuit; cum minis autem acerbis recessit. Perveniens vero in Ægyptum non solum in infinitis libidinibus perseverans, sed et blasphemias in templum evomens,* Iudæos miris modis exagitavit: nam primum ignominia notari Iudæos in Alexandria curavit: deinde cunctos censeri, et in servitutem redigi. Mox diro contra eos promulgato edicto, diligenter in tota Ægypto conquiri, mirisque modis vexatos in Alexandriam perduci, una die ab elephantis, ipsomet rege populoque inspectantibus interficiendos. Verumtamen præsto eis affuit divina protectio,
B et non solum ab atrocissimo illo interitu mirabiliter a Deo erepta gens Iudæorum est, sed etiam verso regis furore in benevolentiam ab eodem deinceps iucundata, et novo decreto ad favorem ipsorum edito in statum pristinum restituta fuit.

Hæc est summa rerum quæ toto libro 3. Machabæorum fuse enarrantur, eaque consentanea sunt iis, quæ de iisdem narrat Iosephus, Pausanias, Iustinus, Appianus et alii, imo iis quæ de iisdem ante trecentos annos prædixit Daniel, cap. 11. v. 10. Quocirca huius libri meminit S. Athanas. in Synopsi, et Euseb. in Chron. imo S. Clemens, in l. Apostol. Canonum canone 84. eum inter libros Canonicos numerat; sed large sumit nomen *Canonicus*, ut complectatur omnes libros qui in Bibliis continentur, quales sunt tertius et quartus Esdræ, ac Oratio Manassis.

Porro liber hic tertius sic orditur: *At Philopator cognoscens ex his, qui redierant loca quæ ipse tenuerat, Antiochum abstulisse.*

DE LIBRO QUARTO MACHABÆORUM.

Quartus Machabæorum, inquit Sixtus Senensis, l. 1. Biblioth. non longe a fine, quem Synopsis sancti Athanasii inter apocrypha scripta recenset, historiam continet unius ac triginta annorum, hoc est gesta Ioannis Machabæi, qui a devicto Hyrcano cognomen Hyrcani accepit. Hic post Simonem patrem fraude Ptolemæi obtruncatum, gentis suæ Pontificatum una cum principatu obtinuit, statimque adversus patris percussorem eduxit exercitum; deinde cum Antiocho rege Syriæ fœdus iunxit: quo defuncto, multas Syriæ urbes vi cepit. Primus omnium Iudæorum ducum stipendiis suis militem externum conduxit: tria millia talenta ex Davidis sepulcro effodit: cum Romanis fœdus iam a patre initum renovavit: Antiochum Cyzicenum, Syriæ regem, bello victum fugavit: Samariam Hierosolymitanæ urbis æmulam, post integrum oppugnationis annum captam, solo æquavit, inductisque in ea torrentibus, ipsas quoque deletæ urbis ruinas et vestigia cuncta aquarum alluvione sustulit, muros Hierosolymitanos vetustate collapsos instauravit. Qui-
C bus rebus feliciter exactis, moritur imperii sui anno trigesimo primo, vir triplici nomine, hoc est sacerdotio, principatu et prophetia clarissimus, anno scilicet ante Christi ortum centesimo, in quo quartus et ultimus Machabæorum desinit liber. Huic libro suffragatur et consentit Iosephus, l. 13. Antiq. unde nonnulli suspicati Iosephum eius esse auctorem. Sed repugnat stylus, qui in Iosepho est Græcanicus: in hoc autem l. 4. Machab. est Hebraicus, et Hebraismis abundat. Verisimile est eum ab incerto auctore ex libro dierum sacerdotii Ioannis, de quo in calce primi Machabæorum ita scriptum est: *Cætera sermonum Ioannis et bellorum eius, et bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, et ædificii murorum quos extruxit, et rerum gestarum eius, ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii eius, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.* Extat Græce, indeque in Latinum traductus est; eius initium est hoc: *Et postquam occisus est Simeon, factus est Ioannes filius eius summus sacerdos pro eo.* Hebr. hic liber IV. æque ac III. incognitus est.

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
QUÆ
IN HOC OPERE EXPLICANTUR, VEL ELUCIDANTUR

Prior numerus paginam, secundus columnam designat: literæ additæ eas, quæ columnis interiectæ sunt, denotant.

EX GENESI.

CAP. 27. v. 29. Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. 321 d 2
33. 10. Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei. 292 b 2
49. 10. Non auferetur sceptrum de Iuda. 231 b 1
15. Vidit requiem quod esset bona. 526 a 2

EX EXODO.

CAP. 3. v. 14. Ego sum qui sum. 685 b 2
12. 40. Habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum. 78 b 1
32. 6. Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. 648 b 1

EX LEVITICO.

CAP. 19. v. 14. Non maledices surdo, sed timebis Dominum Deum tuum. 21 a 1

EX NUMERIS.

CAP. 24. v. 17. Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. 713 b 1

EX DEUTERONOMIO.

CAP. 30. v. 4. Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet. 615 c 2
33. 18. Et Issachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem. 538 c 2

EX LIBRO IUDICUM.

CAP. 11. v. 3. Congregatique sunt ad eum (Iephte) viri inopes et latrocinantes. 305 b 1

EX LIBRO RUTH.

CAP. 3. v. 9. Expande pallium tuum super famulam tuam. 451 b 1

EX LIBRO III. REGUM.

CAP. 4. v. 5. Zabud filius Nathan sacerdos amicus regis. 322 b 2
11. 1. Rex Salomon amavit mulieres alienigenas, et filiam Pharaonis. 12 a 2

EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

CAP. 3. v. 5. Nati sunt ei filii Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabee. 527 c 1
15. 20. In nablis arcana cantabant; et v. 21. In citharis pro octava canebant epinicion; et v. 22. Chonenias autem princeps Levitarum prophetiæ præerat; et v. 26. Cumque adiuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri et septem arietes. 313 b 1 et seq.
17. 18. Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum. 318 d 2
19. 18. Et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia equitum. 324 c 2
20. 1. Percussit Ioab Rabba. 332 d 2
2. Tulit David coronam Melchom de capite eius, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque inde sibi diadema. 333 d 1
21. 1. Consurrexit Satan contra Israel, et concitavit David, ut numeraret Israel. 365 b 1
5. Omnis numerus Israel mille millia et centum millia virorum. 365 b 2
16. Et ceciderunt tam ipse, quam maiores natu vestiti ciliciis, proni in terram. 367 c 2
25. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos. 368 d 1
29. 24. Sed et universi principes, et potentes, et cuncti filii regis David dederunt manum, et subiecti fuerunt Salomoni regi. 375 a 2

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

CAP. 2. v. 8. Ligna arceuthina. 389 c 1
13. Hiram patrem meum. 405 a 2
3. 3. Longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta. 392 b 2
4. Porro altitudo centum viginti cubitorum erat. 392 c 2
16. Nec non et quasi catenulas in oraculo. 401 c 1
4. 5. Capiebatque (mare) tria millia metretas. 403 b 2
6. 41. Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem, Domine Deus, ne averteris faciem Christi tui: memento misericordiarum David servi tui. 409 c 1
13. 2. Nomenque matris eius Michaia, filia Uriel de Gabaa. 339 a 2

EX LIBRO IOB.

CAP. 4. v. 11. Tigris periit eo quod non haberet prædam. 827 c 2
7. 5. Induta est caro mea putredine. 106 d 2
19. 9. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite. 728 a 1
31. 26. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum; et osculatus sum manum meam ore meo. 451 a 1
34. 30. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. 421 d 1
38. 7. Ubi eras, cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei? 653 e 1

EX LIBRO PSALMORUM.

Psal. 3. v. 8. Percussisti omnes adversantes mihi sine causa. 142 d 2
6. 1. In finem in carminibus Psalmus David pro octava. 313 b 1

Psal. 6. 7. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. 331 a 1
11. 1. In finem pro octava Psalmus David. 313 b 1
13. 5. 6. Trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Quoniam Dominus in generatione iusta est. 611 c 1
17. 1. Eripuit eum de manu hostium et de manu Saul. 12 a 2
32. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum. 698 a 2
34. 26. Induantur confusione, et reverentia qui magna loquuntur super me. 106 d 2 et seq.
36. 19. Non confundentur in tempore malo. .quia peccatores peribunt. 611 c 1
59. 10. Moab olla spei meæ. 321 b 1
In Idumæam extendam calceamentum meum. 321 d 2
69. 1. Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuvandum me festina. 600 b 1
71. 10. Reges Arabum et Saba dona adducent. 413 b 1
88. 5. In æternum præparabo semen tuum. 231 b 1
89. 10. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. 592 c 2
113. 2. Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius. 600 b 1
117. 22. Factus est in caput anguli. 157 a 2
118. 109. Anima mea in manibus meis. 726 a 2
125. 1. In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. 601 b 2
2. Tunc repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra exsultatione. ibidem
131. 9. Sacerdotes tui induantur iustitiam. 560 a 2
17. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. 337 a 2
132. 1. Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. 617 b 1
133. 2. In noctibus extollite manus vestras in sancta 409 b 1

EX ECCLESIASTE.

Cap. 1. v. 1. Ego Ecclesiastes fui rex. 647 b 1
12. 3. Tenebrescunt videntes per foramina, et obsurdescunt omnes filiæ carminis, et dissipatur capparis. 352 d 2

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 7. v. 8. Calumnia conturbat sapientem. 646 a 1
30. 8. Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet præceps. 830 c 2
39. 18. Quasi Libanus odorem suavitatis habete, etc. 8 b 2
48. 8. Qui ungis reges ad pœnitentiam. 450 a 2

14. Et mortuum prophetavit corpus eius. 498 c 2

EX ISAIA.

Cap. 14. v. 29. De radice enim colubri egredietur regulus, 581 a 2
19. 13. Deceperunt Ægyptum angulum populorum. 157 a 2
21. 5. Surgite, principes, arripite clypeum. 299 d 2
26. 1. Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, in ea ponetur murus, et antemurale. 361 c 1
60. 13. Gloria Libani data est ei: decor Carmeli et Saron. 8 b 2
48. 1. Audite hæc, domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Iuda existis. 600 a 2
66. 8. Numquid parturiet terra in die una?...quia parturivit et peperit Sion. 611 c 1

EX IEREMIA.

Cap. 9. v. 20. Docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum. 298 d 2
14. 2. et seq. Luxit Iudæa, et afflicti operuerunt capita sua. 341 b 2

EX EZECHIELE.

Cap. 13. v. 23. Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. 366 a 2
16. 8. Expandi amictum meum super te. 451 b 1

EX DANIELE.

Cap. 11. v. 35. Et de eruditis ruent ut conflentur et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum. 739 d 2
13. 23. Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. 366 a 2

EX AMOS.

Cap. 7. v. 11. In gladio morietur Ieroboam. 500 d 2

EX IONA.

Cap. 1. v. 3. Fugeret in Tharsis. 416 a 2

EX MICHÆA.

Cap. 1. v. 10. In domo pulveris, pulvere vos conspergite. 527 b 2

EX HABACUC.

Cap. 1. v. 16. Propterea immolavit sagenæ suæ, et sacrificavit reti suo. 839 b 1

EX ZACHARIA.

Cap. 10. v. 4. Ex ipso angulus. 157 a 1

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. 6. v. 34. Sufficit diei malitia sua. 284 c 1 - 617 b 1
11. 12. Regnum Cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. 361 c 1
16. 23. Vade post me, Satana. 352 b 1
19. 7. Moyses mandavit dare libellum repudii. 343 c 2

EX S. MARCO.

Cap. 16. v. 7. Dicite discipulis eius et Petro. 12 a 2

EX S. LUCA.

Cap. 1. 17. Ipse præibit in Spiritu, et virtute Eliæ. 135 c 2
2. 1. Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. 598 b 2
4. 25. Cum facta esset fames magna in omni terra. 439 a 1
22. 25. Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. 688 b 1

EX S. IOANNE.

Cap. 4. v. 17. Bene dixisti, quia non habeo virum. 611 b 1
8. 44. Ille (diabolus) in veritate non stetit. 14 d 1
13. 27. Quod facis, fac citius. 459 c 1

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 12. v. 19. Non vosmetipsos defendentes, charissimi. 673 d 2

EX EPISTOLA II. AD TIMOTHEUM.

Cap. 2. v. 19. Cognovit Dominus qui sunt eius. 318 d 2

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 9. v. 4. In qua urna habens manna. 63 b 2
11. 30. Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem. 27 c 1
34. Alii autem distenti sunt. 811 a 1

EX EPISTOLA I. S. PETRI.

Cap 2. v. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium. 322 b 2

EX APOCALYPSI S. IOANNIS.

Cap. 5. v. 10. Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes. ibidem

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM

QUÆ IN HOC COMMENTARIO CONTINENTUR.

Abbir idem est quod potens, fortis. 741 a 2
Abbreviatoris historiæ officium. 800 c 2
Abela oraculum sapientiæ. 354 d 2
Erat academia. 355 a 1
Aber vocabatur secundus septem fratrum Machabæorum. 813 a 1
Vide verbo Fratrum Machabæorum.
Abias rex Iuda, quomodo tribus annis regnavit. 432 a 1
Colit idola. 432 b 2
Vincit Ieroboam in bello. 432 d 2
Abiathar indirecte amotus a pontificatu per Salomonem. 379 b 1
Est nomen familiæ. 322 c 1
Abimelech filius legitimus Gedeonis. 117 b 1
Regnum ambit malis artibus. 119 a 1
Auspicatur a sacrilegio et fratricidio. 119 c 1
Non fuit verus Princeps, nec a toto Israel receptus. 119 a 2
Inglorla morte iuste punitus. 123 c 2
Abimelech Sichimorum tyrannus, a fœmina occisus. 78 a 1 ib.
Abisag cur data Davidi. 372 a 1
Fuit uxor Davidis. 373 b 2
Significat sapientiam. 373 b 1
Abner non peccavit procurando Isbosetho regnum. 301 b 2
Sed peccavit provocando milites Ioab ad duellum. 302 b 1
Occasione contumeliæ acceptæ ab Isboseth, eius regnum transfert ad Davidem. 304 d 1
Iuste occidit Asaelem. 377 c 1
Abra est nomen commune significans ancillam, non autem proprium ancillæ Iudith. 684 b 1
Eius etymon. ibidem
Abraham numquam coluit idola. 74 a 1
Abraham eo quod nollet adorare ignem, multas afflictiones passus est a Chaldæis. 629 c 1
Unde probetur fuisse minorem Melchisedecho. 634 c 2
Abrahæ actus obedientiæ et oblationis Isaac æstimatus est a Deo esse actus magnæ iustitiæ. 743 c 2
Absalom filius Davidis ex Maacha filia Regis Gessur, sed proselyta. 303 a 1
Quare David cor suum verterit ad Absalom. 337 a 1
Fuit in periculo idololatriæ in Gessur. 338 a 1
Non debuit occidi propter necem fratris Amnon. 338 d 1
Semel in anno tondebatur. 338 c 2
Non tamen erat Nazaræus, sed comæ studiosus, ideoque ex ea suspensus. 338 d 2
Ducenti sicli pondus sunt, non pretium comæ Absalomi. ibidem
Eius unica filia Thamar fuit uxor Roboam, vel mater uxoris eius. 339 a 2
Eius ambitio et parricidium. 340 a 1
Tyrannidem suam tyrannide patris excusat. 340 a 2
Cur populus eum fuerit secutus. 340 c 2
Per ingressum ad concubinas patris intendit excludere reconciliationem. 344 b 2
Ingressus ille fuit publicus, sed non ipse actus turpis. 344 d 2
Publicus ingressus aggravavit incestum. ibidem
Plectitur in capite, quod contra patrem extulerat. 348 a 2
Eius pœna congrua culpæ. 349 a 1
Eius cor congrue transfixum. 349 b 1
Est damnatus. 349 a 2
Eius monimentum exsecrabile. 350 a 1
Fuit typus Iudæ. 341 c 1
Abstinentiæ commoda: 133 d 2
Abstinentia est funis, quo ligatur dæmon, ne nobis noceat. 660 b 2
Abstinentia a carnibus servata. 811 b 1
Vide Ieiunium.
Abulensis opinio de Deo movente ad peccatum veniale, reprobatur. 13 d 1
Item docens Iehu licite invitasse Baalitas ad idololatriam. 492 c 2
Abundii et Abundantii (SS.) martyrum sacra lipsana sub Gregor. XIII. Pont. ad domum professam Soc. Iesu Romæ translata. 741 c 1
Academia prima orbis fuit Cariath Sepher in Chananæa. 60 a 2
Accubitus veterum forma. 702 b 2
Accusatoribus et accusationibus non facile credendum. 729 b 1
Achab rex Israel inducit cultum Iovis Beli. 435 d 1
Eius tempore homines scelestissimi. 435 d 2
Ipse est causa famis in Israel. 443 b 1
Subditum habuit Benadad. 453 d 1
Invadit vineam Naboth occisis omnibus filiis. 455 b 2
Et prætenso iure fisci. 455 c 2
Servus peccati et uxoris. 456 b 1
Eius pœnitentia fuit attritio tantum. 456 c 2
Mortem ei prædicit Michæas. 458 b 2
Punitur mendaciis pseudo-prophetarum. 459 c 1
Mutat vestem territus prophetia Michææ. 459 b 2
Sagitta casu iacta ab homine dirigitur a Deo ad eum feriendum. 459 c 2
Achan alii damnatum putant, alii salvum; dubitat Augustinus. 34 c 1
Eius furtum. 34 b 2
Primo lapidatus fuit, deinde combustus. 35 a 1
Achas, nomen quinti e fratribus Mach. 813 a 1
Vide verbo Fratrum Machab.
Achatii cuiusdam patientia. 282 a 2
Achaz rex Iuda omnes filios suos consecravit idolo Moloch. 504 a 1
Peccavit diffidens Deo et confidens in homine. 504 a 2
Idolis Damasci erexit altare in templo Hierosolymitano. 504 b 2
Contemnit Deum et eius altare. 505 b 1
Diruit septum quod laicos dividebat a sacerdotibus ex contemptu. 505 c 2
Anno 14. ætatis genuit Ezechiam. 509 a 1
Combussit libros legis. 515 a 2
Impius sine exemplo. 582 a 2
Achiacharus nepos Tobiæ senioris. 642 b 2
Ab Amano quodam in famæ et vitæ discrimen coniectus. 669 a 1
Achior quis. 642 b 2
Magnificans potentiam Dei Israel bilem movet Holoferni, ab eoque morti destinatur. 679 a 1
Cur eum Hebræi non adhibuerint suis consiliis. 680 b 1
Ob factum Iudith relicto gentilismo fit Iudæus. 694 c 1
Achitophelis prudentia, sed diabolica. 345 a 1
Typus Iudæ proditoris. 346 c 2
Acies instructæ dum ad congressum veniunt quid observandum. 767 a 1
Acies in cælo visæ imminentis belli prognosticæ. 808 a 1
Acquiescentes Romanis ad magnos honores et opes evehebantur. 763 b 2
Actus externus in se non est liber, sed libertatem

suam trahit ab interno actu bono vel malo. 824 a 2
Adad Idumææ rex fugit in Ægyptum. 420 a 1
Recuperat regnum suum. 420 b 1
Adam protoplastus non fuit gigas. 57 b 1 et seq.
Adam cur rebus indiderit nomina naturæ earum opposita. 599 b 2
Adar mensis duodecimus et ultimus Hebræorum respondet nostro partim Februario, partim Martio. 607 a 2 — 719 a 1
Addus civitas ubi sita. 783 a 1
Adeodatus qui Goliath percussit, non est David. 256 b 1
Admonitiones acerbæ charitate dulcorantur. 476 a 2
Adolescentum coniunctio licet improba ad filiorum procreationem, non tamen est differenda usque ad ætatem virilem. 641 c 1
Adolescentes sobrietati studeant. 683 d 1
Adonias ambit regnum. 378 b 1
Idque ex consilio Ioab. ibidem
Contra legem petit Abisag uxorem, ideoque potuit occidi a Salomone. 378 c 1
Iuste occisus est a Salomone. 379 a 1
Adonibezec 70. regulis pollices amputarat. 80 c 2
Punitus pœna talionis. 80 d 2
Videtur pœnituisse. 81 a 1
Ador Phœniciæ urbs a Ptolomæo Dor vel Dora dicta. 783 c 1
Adorari pro diis multi reges voluere. 710 a 1
Adorationis Persicæ ritus. 710 c 1
Adrianus male permittit simulationem extrinsecam idololatriæ. 478 a 2 — 491 d 2
Adrichomius male ponit Sarthan iuxta Bethabara. 18 b 1
Item Cariathiarim male ponit in tribu Dan. 153 a 2
Item Bethsames in tribu Dan. 203 b 1
Item male distinguit mare æneum a Lutere. 403 a 1
Adulatio aulici Henrici VIII. Angliæ regis. 378 b 2
Eius mala. 423 c 2
Adulatorum atque hirundinum comparatio. 643 b 2
Adversarii præcipui Iudæorum in reædificanda Ierusalem. 618 a 2
Adversarius humilitate placatur. 114 b 1
Adversis et prosperis bene utendum. 90 a 1
Adversis (in) Deo gratias agere est actus heroicæ patientiæ et perfectionis. 644 b 1
Adversa non movent virum fortem. 665 a 2
Ostendunt in colluctatione virtutem. 743 d 2
Ædificare aliquando idem quod ornare, augere, amplificare. 797 a 1
Ægritudo mentis ægritudinem parit carnis. 646 a 1
Ægrorum præses est S. Raphael Archangelus. 649 b 1
Ægyptus olim abundabat Iudæis, cur. 793 a 1
Æmilius Paulus quando Macedoniam Epirumque Romanis subiecerit. 763 c 1
Æquanimitas Tobiæ senioris erga uxorem sibi multa improperantem. 650 b 1
Aer pellucidus et luce splendidus apparet candidus. 702 a 2
In aere equites visi et armorum sonitus aliaque signa belli prognostica. 808 a 1
Ætas hominum vix decrevit post tempora Davidis. 372 a 1
Ætas virilis apta coniugio. 641 c 1
Sed ob certas rationes ea non est exspectanda. ibidem
Æternum quandoque non absolutam perpetuitatem, sed respectivam et limitatam significat. 744 b 1
Ætoli primi e Græcis cum Romanis bellarunt. 763 a 2
Affectio animi per sympathiam in corpus sese diffundit. 646 a 1
Affectus excæcat rationem. ibidem
Affinitas in primo gradu lineæ rectæ impedimentum matrimonii in quo hactenus non dispensatum. 378 c 1
Agapen instruendi ritus et ratio sepulturæ defunctorum. 652 a 1
Eius descriptio prout post Eucharistiam fieri solebat. 680 a 2
Agathocles Syracusas obsidens quomodo in urbe cœnaverit, uti comminatus fuerat. 689 a 2
Agesilaus rex Spartæ rogatus quæ dos ducem belli maxime exornaret, quid responderit. 754 b 2
Item interrogatus qua ratione duci pararetur gloria. 767 d 1
Agnos (per) benedictos qua ratione fugetur dæmon. 659 a 2
Agon quinquennalis, quis. 805 a 2
Celebrabatur in honorem Herculis. 805 c 2
Agricolæ vacant studiis. 538 a 2
Agriculturæ laus. 220 a 2
Ain tam oculum quam fontem significat. 722 b 1
Ἀλαλάζειν significatio duplex. 30 b 1
Alberici Gentilis impia sententia, quod Turca iuste possideat regna quæ Christianis eripuit. 127 d 2
Alberti Ducis Austriæ de duce exercitus dictum. 754 d 2
Albugo oculorum Tobiæ senioris quid mystice significet. 664 a 1
Quis eam in oculis suis habere dicatur. ibidem
Alcimus pseudopontifex fuit apostata et proditor Israelis. 760 b 2
Hic invidens Iudæ pontificatum, eumdem petiit et obtinuit a Demetrio. ibidem
Accusat Nicanorem apud regem. 836 a 2
Ierusalem frustra obsidet. 766 a 1
Murum interiacentem inter atrium sacerdotum et laicorum cur destruxerit. 769 a 2
Et alia Prophetarum opera. 769 c 2
Sed Deus eum punivit Paralysi. ibidem
Cur mutaverit nomen suum, cum prius vocaretur Ioacim. ibidem
Quo anno mortuus. 770 a 1
Alexander II. Pontifex vexilla benedicta misit ad Hermibaldum, et Wilhelmum Comitem Aquitaniæ. 840 b 1
Alexander Magnus muros novæ Alexandriæ ad Tanaim per longitudinem stadiorum sexaginta erexit spatio septemdecim dierum. 624 b 2
Variæ de eodem gnomæ Philosophorum ad funus ipsius accurrentium. 737 d 2
Cur noluerit videre uxorem Darii a se cæsi. 704 b 2
Eius superbia. 710 b 1
Alexander Magnus anno sexto regni sui occiso Dario, Monarchiam Persarum transtulit ad Græcos. 737 b 1
Cur Darium regno privaverit. ibidem
Voluit haberi Iovis filius. 737 d 1
An provincias suis distribuerit. 737 a 2
Fuit speculum vanitatis. 737 c 2
Cur Apelles eum pinxerit quasi fulmen manu tenentem. 737 d 2
Eius cadaver mansit insepultum ad triginta dies. 738 a 1
Quadraginta millibus veteranorum prostravit Darium multis centenis millibus militum instructum. 746 c 2
Quantis beneficiis Persas a se victos affecerit. 778 c 1
Non inulte irrisus fuit ab Arimaze Petram abscissam insidente. 826 a 2
Alexander Severus ne quid irremuneratum relinqueret, munera quæcumque contulisset scriptis diligenter mandabat. 714 b 1
Alexander Veles fratris sui Antiochi Eupatoris necem ulturus Ptolemaidam occupat. 772 a 1
Cuius filius fuerit. ibidem
Regiis insignibus ornat Ionatham ob auxilium ipsi præstitum. 774 c 1
Alexandria ad Tanaim spatio septemdecim dierum muro sexaginta stadiorum cincta. 624 b 2
Alexandria urbs sic dicta ab Alexandro. 759 a 2
Alienigenis cum in urbem vel aulam asciscerentur, solebant Hebræi, Chaldæi et Persæ mutare nomina, et patria suæ gentis indere. 591 b 2 — 707 b 1
Allegoria quæsita in adulterio Davidis non est propria. 327 c 1
Alleluia vox laudis exsultationis et iubili, idem est quod laudate Dominum. 667 b 2
Altare extra tabernaculum licebat ædificare, dummodo non fieret ad sacrificandum. 706 b 2 — 106 b 1
Altare incensi non fuit repertum cum igne sacro sub Nehemia. 796 c 1
Amalec ter iussus e Deo deleri. 242 a 1
Nepos Esau. 242 b 2
Iussus deleri, quia Hebræos recenter Deo copulatos voluit ab eo avertere. 243 a 1
Non omnes Amalecitæ interfecti a Saule. 245 c 1
Amalecites mentitur dicens se occidisse Saulem. 298 b 1
Detulit tamen diadema Saulis ad Davidem. ibidem
Licite occisus est a Davide. 298 a 2
Amalthea quænam fingatur a Poetis. 698 b 1
Aman quidam in Achiacharum et Manassem impius, de quo Græca in libro Tobiæ, quis. 669 a 1
Aman et Vasthi dæmonem, carnem et mundum re-

præsentant. 700 a 1
Aman erat Amalecita de stirpe Agag, et patria Macedo. 248 b 1 - 709 a 1 - 729 b 2
Eum quasi minorem Deum in terra ab omnibus voluit Assuerus adorari. 709 b 1
Eius superbia et crudelitas. 710 c 2
Sortem adhibuit ex superstitione gentilium quæ eum decepit. 710 d 2
Cur crucem potius quam aliud tormentum parari iusserit. 713 c 2
Omnem eius vindictam in ipsummet retorsit Deus. 714 b 2
Dolores maximos habuit in exaltatione Mardochæi. 715 a 2
Cur operuerint faciem eius. 716 a 2
Ubi suspensus sit, et quomodo. 716 b 2
Eius septuplex catastrophe. 718 a 2
Cur vocetur Bugæus. 724 b 1
Amantes cur maxime oderint amatas post copulam, ratio naturalis. 335 d 1
Ratio providentiæ divinæ. 335 a 2
Amantium duorum in continentia et castitate viventium exemplum. 650 c 1
Amasa cur sollicitatus a Davide per promissa. 351 a 2
Dat pœnas perfidiæ. 354 b 2
Amasias rex Iuda bonus initio regni. 499 b 1
Permisit tamen subditis idololatriam. ibidem
In senio in eamdem incidit. 499 a 2
Idque post victos Idumæos. ibidem
Vincit auxilio Dei Idumæos. ibidem
Quod non agnoscit, sed victoria elatus provocat Ioam regem Israel ad bellum. 500 a 1
Iuste a Deo punitus, probabiliter tamen post pœnitentiam. 500 a 2
Amathites regio pars est Syriæ et confinis Iudææ. 781 b 1
Ambidextri fortes, sed viri tantum, numquam fœminæ. 89 d 2
Ambitio insatiabilis. 51 a 1
Ambitio excæcat etiam Prælatos. 340 a 1
Item ambitio regnandi. 434 a 1
Ambitio Athaliæ punita. 495 a 2
Ambitio regnandi nihil non molitur. 708 c 2
Ambitio est ambientium crux. 713 b 2
Ambitiosorum cum pueris papilionem sequentibus comparatio. ibidem
Ambitione interna post in externam erupta respub. Romanorum pessumiit. 764 a 1
Ambitio regnandi quam inhumana. 119 d 1 - 776 a 1
Ambitionis vis. 806 d 1
Ea punita in Timotheo et suis. 826 a 1
Ambrosius (S.) citat et probat librum quartum Esdræ. 637 d 1
Scripsit librum de Tobia contra fœneratores. 639 b 1
Cur sustulerit ritum veterem parentandi defunctis. 652 a 1
Iussit Ticinensi Ecclesiæ servare depositum contra Imperatoris rescriptum. 802 d 1
Ambrosius Spinola Ostendam obsidens, per septem integros menses, dormiens vestes numquam exuit. 621 b 2
Amestris uxor Xerxis, adeoque Persica, non fuit Esther. 700 c 1
Eius crudelitas. ibidem
Amico (ab) cruciari et affligi durius est quam ab inimico. 622 a 1
Ab amicis etiam intimis maleficia et maledicta toleranda. 645 b 1
Amicis etiam secreta consilia celanda. 665 a 1
Amicitia gratuitam opem amico egenti præstandam postulat. 764 c 2
Ammonitæ et Moabitæ quomodo non possent introire in ecclesiam Dei. 635 a 1
Et in cœtum populi Israel, nisi cum dispensatione. 694 b 2
Ammoniticæ partem, quam bello eis ademerat rex Basan, Hebræi occuparunt et licite possederunt. 54 b 2 — 128 a 1
Amnon quare post copulam, exosam habuerit sororem Thamar quam oppressit. 335 c 1
Quomodo plus peccarit eiiciendo Thamar quam opprimendo. 335 c 2
Debebat eum castigare David, sed non necessario morte. 336 a 1
Amon mortuus est sine pœnitentia ob præfidentiam. 514 c 2
Amor divinus quid possit. 315 a 1
Amor plus trahit quam timor. 450 a 1
Amorem debent superiores subditis. 441 b 2
Amor amore pellitur ut clavus clavo. 706 a 1
Amoris sedes est iecur. 741 c 2
Amphibologia in casu licita, numquam mendacium. 90 d 2
Amphoræ ne ad convivia importarentur apud veteres Persas lege cautum fuit. 703 d 1
Ampulla olei cælitus delata ad ungendum Clodovæum. 215 c 1
Amri rex Israel quinque annis pugnavit cum æmulo Thebni. 435 a 1
Transfert regiam ex Thersa in Samariam. 435 b 1
Anacharsis quatuor haustus assignans, quomodo eos distinguat. 703 a 2
Anael frater Tobiæ senioris quos filios habuerit. 640 a 1
Analogiæ fontis et solis. 722 b 1
Ananiam (per) cuius filium se nominat Raphael angelus quid intelligatur: varia significat. 654 c 1
Fuit vere unus ævo Tobiæ vir fidelis et pius Israelita Tobiæ cognitus. 654 d 2
Anathemata in templis Deo dicanda. 272 a 1
Anchises Veneris se maritum iactavit. 795 b 1
Ancillarum convicia dominis obiecta quantum has excrucient. 647 b 2
Ancillas honoratas vocant Itali *Cameriere*. 684 b 1
Ancillæ quibus comitata Esther ad Darium iratum accessit, mystice quæ. 728 c 2
Andreas Masius in Iosue caute legendus. 5 c 1
Probat Iosue non esse libri sui auctorem. 50 a 1
Andronicus prorex Antiochiæ circumductus per urbem eodem in hoc loco occiditur ubi occisus fuerat Onias. 806 c 2
Angari dicebantur Persici cursores; unde *angariare*. 711 b 2
Ange montes, qui. 675 a 2
Angeli custodes præsunt exercitibus fidelium. 25 c 2
Angelo viso, hominem moriturum, vulgi opinio apud Hebræos male fundata et falsa. 105 d 2
Angeli percellunt Philisthæos et iuvant Davidem in prælio. 310 c 1
Et alios multos. 310 b 2
Angelorum ope nitantur duces in bello et periculis. 347 a 1
Angelus bonus fuit qui pestem populo Israel inflixit. 367 a 1
Quomodo eam inflixerit. ibidem
Angeli milites Dei. 482 b 1
Angelorum nomina, an sint plura, quam illa tria Michael, Gabriel, Raphael. 637 b 1
Angeli sunt celerrimi. 648 d 2
Eorum variæ hierarchiæ et ordines ac munia. ibidem
Angeli custodes sunt ex infimo ordine. 649 c 1
Mira eorum dignatio qua dignantur hominum curam gerere. 649 b 2
Sunt creaturæ et quasi filii Dei. 653 c 1 654 b 1
In se non habent nomina, sed ea sortiuntur ratione ministerii quod inter homines obeunt. 654 a 1
Angelos custodes esse singulis hominibus deputatos etiam creditum fuit ævo Tobiæ. 655 a 1
Angelorum proprium est extricare. 656 c 2
Quo sensu nobis concives et contribules dici queant. 658 a 1
Angelus custos cuilibet homini ea beneficia præstat quæ Raphael Tobiæ. 664 b 2
Angeli astant Deo septupliciter. 665 d 2
Distinguuntur in assistentes et ministrantes. 666 b 1
Angeli boni signum est, si post se relinquat quietem; mali, si horrorem. 666 c 1
Angelorum cibus est Deus. 666 b 2
Multis sanctis apparuere et eos direxere, præsertim virgines. 693 a 1
Quisnam angelus ille qui direxit Iudith ad tantum facinus perpetrandum. 693 c 1
Præsunt et adsunt Angeli sanctis et castis heroica destinantibus. ibidem
Accinuerunt B. Virgini Romæ: *Regina cœli, lætare*. 713 c 1
Angeli pro populo Dei dimicare consueverunt. 746 c 2
Pro Theodosio Iun. contra Saracenos. 746 d 2
Ædem B. Virginis ex Palæstina transtulerunt Lauretum. 798 c 1
Apparuerunt Iudæ Machabæo. 800 b 1
Et sub specie equi et equitis, ac duorum iuvenum Heliodoro. 802 c 2
Pro Iuda et populo fideli dimicarunt. 826 b 1

Probabile est eos preces nostras perferre ad animas in Purgatorio existentes. 839 b 2
Angelus est invincibilis. 827 c 1
Ei nil est impenetrabile, nil impossibile, etc. ibidem
Angli olim ritum habebant consecrandi militem. 840 b 1
Anguli porta urbis Ierusalem, quæ. 619 b 2
Anima similis igni. 337 a 2
Sit pura instar templi. 405 d 2
Eius immortalitas. 442 b 2
Animas sanctorum detineri in inferno in promptuariis, donec impleatur numerus electorum Dei, est error Vigilantii et Calvini, falsoque impingitur lib. quarto Esdræ. 636 b 2
Animæ quanta sit dignitas. 649 b 2
Animas defunctorum vocabant gentiles deos præsides. 652 a 1
Quid de anima in morte senserit Plato. 668 b 1
Animæ exituræ de corpore aliquando futura cognoscunt. 668 c 1
Anima naturaliter ad corpus propendet. 832 a 2
Est immortalis: hinc exigit corporis resurrectionem. ibidem
Animæ in purgatorio an orent pro nobis. 839 d 1
An sint invocandæ. 839 a 2
Anna uxor Tobiæ senioris maritum irridet, cur. 645 a 1
Annæ interpretatio. 176 c 2
Significat Ecclesiam et vitam contemplativam. 176 d 2
Annæ votum fuit de filii Nazareatu si ei daretur. 178 a 1
Quia flens inconditos gestus edebat, ebria reputabatur. 178 d 1
Eius modestia. 178 a 2
Samuelis mater et pater. 178 b 2
Iram omnem, quam contra Phenennam conceperat, coram Deo effudit. 178 b 2
Accipit fiduciam preces suas exauditas esse. 178 d 2
Non tenebatur lege puerperii de primogenito redimendo, quia Levita. 179 b 2
Donum prophetiæ accepit. 182 a 1 185 c 1
Prima nomen Christi expressit. 188 b 1
Annales suos exacte conscripsere Iudæi. 633 c 2
Item Persæ. 714 a 2
Anni vitæ computandi qui bene exacti. 227 d 1
Annum (ante) trigesimum ætatis nulli Hebræo licebat prophetare. 466 b 1
Anni Græcorum iuxta quos singula Machabæorum acta consignantur, unde initium sumant. 732 b 2 738 c 1
Dupliciter computantur: ac proinde vocantur nunc Iudaici, Macedonici, etc., nunc Syriaci, Chaldaici, etc. 828 b 1 - 828 c 1 - 836 a 1
Annus primus Cyri regis Persarum quis hic intelligendus. 597 a 1
Anni septuaginta captivitatis Babylonicæ diversimode computantur. 636 c 1
Annona quæ. 622 b 2
Annulo donari a rege apud Persas signum amicitiæ erat 717 b 2
Annulus a S. Arnulpho in Mosellam proiectus, ei redditus in signum remissionis peccatorum. 108 d 2
Antagonistas opponit Deus hæreticis. 436 b 1
Antichristi typus fuit Antiochus Epiphanes. 738 c 1
Antigonus rex Macedoniæ filio roganti quando castra moveret, quid responderit. 665 a 1
Antiochi a factis et victoriis cognominati sunt Soteres, Epiphanes, Ceraunii, etc. 741 a 2
Eorum successio et punitio. 783 c 2 - 788 a 1
Antiochi Magni filii et nepotes per ducentos annos de Asiæ imperio inter se certarunt. 732 b 2 - 732 d 2
Is victus a Scipione Asiatico, obsidem dedit filium suum Antiochum Epiphanem. 738 c 1 - 760 a 1
Contra Romanos in aciem eduxit centum viginti elephantes. 763 c 1
Factus est eis tributarius. 763 d 1
Antiochia, metropolis Syriæ, a Iustiniano dicta Theopolis, sic appellata ab Antiocho, a quo condita. 759 a 2
In ea primum sedit S. Petrus, ibique primum fideles appellati sunt Christiani. ibidem
Antiochis meretrix Antiochi, cuius causa tumultus. 806 a 2
Antiochistæ collocarunt idolum Iovis Olympii in altari holocaustorum. 751 d 1
Antiochus Seleuci filius amans Stratonicem novercam eam a patre obtinet. 335 b 1
Antiochus Epiphanes, id est illustris; verius Epimanes, id est insanus, cur ita dictus. 738 b 1 - 800 a 1
Fuit expressus typus et præcursor Antichristi. 738 c 1 - 824 a 2
Hic obses datus Romanis, clam Roma elapsus quando regnare cœperit. 738 c 1
Bis intravit Ægyptum, cur et quando. 738 b 2
Iussus est per Romanos ex Ægypto recedere. 738 c 2
Quare in Iudæos vicinos castra movit. 739 a 1
Voluit coli ut Deus. 739 d 1
Quibus de causis Iudæos, sibi suspectos habuerit, et ex illis occiderit octoginta millia. 809 a 1
Morbis corripitur. 823 c 1
Sero pœnitet, sed simulate. 823 a 2
Licet vere pœnituisset, non tamen fuisset exauditus. ibidem
Fit supplex Iudæis. 732 d 2
Ubi et quando mortuus. 757 a 1 - 828 b 1 - 823 d 1
Totam eius stirpem Deus sustulit. 783 d 2
Cur vocet Lysiam tutorem suum, fratrem. 828 d 1
Cur a Lysia vocetur pater. ibidem
Antiochus Eupator pacem cum Iudæis iniit, eamque cito ruptam iterum renovat. 758 d 2
Vix biennium regnavit. 760 a 2
Occisus est a Demetrio. ibidem
Bethsuram deditione capit. 834 a 2
Superatus bello a Iuda cum eo pacem init et honoribus auget. 834 b 2
Antiochus Gryphus Lunæ se maritum iactavit. 795 b 1
Antiochus Sedetes unde ita cognominatus. 788 a 2
Propter incestum fuit punitus. ibidem
Pacem cum Simone et Iudæis inire postulat, eisque ampla privilegia concedit. 789 a 1
Secundo obsidet Tryphonem in Doram. 789 c 2
Multa Simoni Mach. concessa repetit. 789 d 2
Quomodo Deus fecerit eum ebullire de Perside. 794 b 2
De eius nece variæ sententiæ. 794 c 2
Fuit occisus in templo Naneæ. 795 a 1
Quo prætextu templum expilare cogitaverit. 795 b 1
Antipathia inter sanctitatem et iniquitatem. 441 b 2
Antipatrida olim urbs in tribu Manasse, nunc villa est Assur dicta. 761 b 1
Antistrophæ virtutes Tobiæ et Iob. 645 b 2
Item Beatæ Virginis Mariæ et Iudith. 692 d 1
Antoninus Caracalla Getam fratrem quem occidit, inter divos retulit. 386 a 2
Antonius (S.) Patavinus a Pontifice vocatus fuit Arca testamenti, eo quod totam S. Scripturam calluerit. 312 d 1 - 595 b 1
Antonius (S.) solus dæmonum conflictum non fugiebat, sed omnes ad duellum provocabat. 766 b 2
Antropomorphitæ censuerunt Deum habere corpus. 605 a 1
Aod secundus Israelis Iudex. 89 b 2
Fuit ambidexter. ibidem
Eius gladius duas habebat acies. 90 b 1
Dei instinctu Eglon occidit. 91 c 1
Evasit per posticum. 91 d 1
Apes libenter mellificant in ore animalium. 137 d 2
Apum et ursorum pugna. 238 c 1
Apollo Delphicus quomodo illuserit Pyrrho eum de victoria consulenti. 688 b 1
Apollinis fanum in Daphne. 806 b 2
Apollonius dux Cœlesyriæ a Demetrio constitutus, cognominatus est Daus. 774 a 2
Eius nominis fuerunt varii. ibidem
Cæsus est a Ionatha et Simone. 774 d 2
Prodidit Seleuco thesauros templi. 802 c 1
Apollonius missus ab Ant. Epiph. ad affligendum Iudæos, quis. 809 b 1
Apologus primo propositus a Ioatham Sichimitis ante omnes gentium apologos. 119 d 2
Eius explicatio. ibidem
Apostoli significati per duas columnas. 402 b 1
Per boves maris Æneï. 403 c 1
Apostolorum Principes cur permiserit Deus indigne a Nerone occidi. 768 c 1
Apotheosis, sive inter deos relatio, fiebat olim in funere Regum et Imperatorum. 828 d 1

Aquarum porta urbis Ierusalem versus Orientem a collectione aquarum sic dicta. 619 a 2
Per aquam lustralem quomodo fugetur dæmon. 659 b 1
Aquam et terram præbere est servire. 675 a 1
Per aquam significatur tribulatio, unde paradoxum illud, Ex aquis sol. 722 c 1
Aqua salsuginosa in areis lacubusque collecta durescit. 778 a 1
Aqua crassa tempore Nehemiæ in ignem versa. 696 a 2 - 796 d 2
Aquam vino mistam bibere, cur sanum. 841 a 2
Aquilinus (S.) pontifex Ebroicensis petivit ab æterna luce ut sibi mortalia oculorum lumina clauderet. 644 d 1
Arabes, licet feri et barbari, etiam tuentur sepulcra patrum et ducum suorum. 617 a 2
Apium hortense (petroselinum) vocant *carfs*, quod idem est cum Hebr. *carpas.* 702 b 2
Etiamnum reges ipsorum magnam turbam uxorum habent. 708 b 2
Arabes græce vocantur Nomades, quare. 830 b 2
Aræ et templa idolorum a Christianis usque ad tempora S. Gregorii diruebantur; post expiabantur. 751 d 1
Arbaces Mediæ præfectus cur rebellarit Sardanapalo regi suo. 671 a 2
Ab Arbace primo Mediæ rege cæteri nomen suum acceperunt et cognominati Arbacidæ. 672 b 1
Arca fœderis ordinarie portabatur a Caathitis: ac in re gravi a Sacerdotibus. 16 c 1
Arca mystice significat Christi humanitatem 16 b 2
Arca stetit in medio Iordane, non in ripa, dum Iosue cum suis transiret. 17 a 1
Reverentia Hebræorum erga Arcam. 16 d 1
Significat Sanctos. 17 b 2
Arca cur capta a Philisthæis. 197 b 1
Arca ponitur iuxta Dagon tamquam ab eo debellata. 198 b 1
Illam iniuriam vindicat Deus. 199 a 2
Arcam nudarunt Bethsamitæ, et ideo sunt percussi. 203 b 2
Arca Dei transfertur e Gabaa ad arcem Sion. 311 a 1
Vehebatur plaustro errore Davidis, vel Levitarum peccato. ibidem
Solis sacerdotibus licebat eam tangere, idque sub pœna mortis, et ideo percussus Oza. 311 b 2
Est symbolum sacræ Scripturæ et viri in ea eruditi. 312 d 1
Et B. Virginis. 312 a 2
Ponitur in domo Obededom. 312 b 2
Quæ domus ideo benedicitur. 312 c 2
Unde eam adduxit David in Sion. ibidem
Non tamen iterum in plaustro, sed in humeris Levitarum. 312 d 2
Significat Ecclesiam militantem. 314 d 1
Et Ecclesiam triumphantem. 314 a 2
Item humanitatem Christi et B. Virginem. ibidem
Arca fuit in castris Ioab obsidentis Rabba. 327 b 2
David fugiens eam remittit Ierosolymam, ne secum exsulet. 341 d 1
Arcam posuit Salomon in Sancto sanctorum. 395 b 2
Solam arcam posuit in templo, cætera vasa templi innovavit Salomon. 405 b 2
Arca quare vocetur Arca fortitudinis. 409 c 1
Non erat in templo tempore Esdræ. 559 a 1
Translata sub Manasse vel Amon e templo in domum Sellum propter idola. 590 a 1
Postea in locum restituta a Iosia. ibidem
Arca testamenti an fuerit in secundo templo reædificato post reditum e Babylone. 751 c 2—799 a 1
Hanc ex templo abstulit et abscondit Ieremias. ibidem
Eius depositio in monte Nebo. 798 c 1
An fuerit inventa cum igne sacro. 799 a 1
Apparebit in fine mundi. 799 b 1
Architecti cum historico comparatio. 800 c 2
Arcturum per dæmonem incubum ferunt progenitum. 657 d 1
Arcus quem docuit David filios Iuda est planctus incipiens a nomine arcus 298 b 2
Ardor in militibus a ducibus excitandus. 827 a 2
Arduis (in) consulendus Deus et viri docti. 42 b 1
In arduis Deo parendum. 237 d 1
Areth dictus sextus fratrum Machabæorum. 813 a 1
Vide in verbo Fratrum Machabæorum.
Areuna rex Iebusæorum factus proselytus. 368 a 1
Eius arca cur electa ad sacrificium pro peste avertenda. 368 a 1
Est symbolum Ecclesiæ gentium. 368 b 1
Argentifodinæ fuere olim in Hispania feracissimæ, et etiamnum esse testantur aliqui. 763 a 1
Argentum a bello victis per iter spargi solitum, cur. 750 d 1
Argumentum libri primi et secundi Machabæorum. 731 a 1
Item tertii et quarti. 842 a b c
Argumenta omnium horum librorum quasi in synopsi collecta. 593 a 2
Argumentum libri Tobiæ. 638 a b c et seq.
Libri Iudith. 670 a b c et seq.
Ariarathes rex Cappadociæ. 789 b 2
Arias non bene affirmat Salmon et Salomon esse idem nomen. 171 b 1
Arimazes Sogdianus irridens Alexandrum Magnum quomodo ab eo tractatus. 826 a 2
Ariopharnis iudicium suspectæ fidei. 385 c 2
Aristobulus Ioannis Hyrcani filius, eiusque posteri an fuerint veri reges. 732 a 2
Hic nomen regis primus assumpsit. 791 b 2 794 a 1
Matrem et fratrem occidit. 794 a 1
Aristobulus magister Ptolemæi regis, quis. 794 c 1
Aristotelis sententia de Pygmæis reiicitur. 565 a 2
Arma Dei sunt fulgura, tonitrua, etc. 94 c 1
Arma priscorum, brachia, ungues, etc. 229 b 1
Et instrumenta ruralia. 233 b 2
Arma ab atheis ducibus inter deos relata. 839 a 1
Arma iustitiæ quibus quemlibet fidelem communit Apostolus. 621 b 1
Arma et vexilla benedicendi mos.
Arma christianorum quæ. 677 b 2
Arma spiritualia Iudith quibus obtruncavit Holofernem. 684 a 2
Arphaxad rex Medorum qua occasione excusserit iugum Xerxis et Persarum. 671 a 1
Eius etymon. 672 a 1
An ipse ædificaverit Ecbatanam, et quomodo. 672 c 1
Expugnatur et iaculis confoditur a Nabuchodonosore. 673 d 1
Arrianus thronum S. Athanasii confringens, e fragmento eius occisus. 201 b 1
Arsaces rex Parthorum Demetrium cecidit et cepit. 786 b 1
Arsinoe sororis Philopatoris in prælio insigne factum. 842 b 1
Artabanus monet Xerxem in tot copiis suis exultantem. 673 a 2—685 c 2
Artaxerxes, de quo primi Esdræ, cap. 6. v. 14. et cap. 7, quis. 606 b 2
Artaxerxes erat nomen commune regum Persarum. 723 b 2
Eius etyma. 702 a 1
Ab Artaxerxe Longimano incipiunt septuaginta hebdomades Danielis. 596 b 1—616 a 1
Cur tam benevolus fuerit Iudæis. 616 b 1
Cur voluerit Nehemiam esse suum pincernam. ibidem
Quas pœnas ducibus qui deliquissent statuerit. 700 b 2
Sub eo non contigit historia Esther. 706 a 2
Arx Sion quando a Iuda Machab. obsessa, quando capta. 751 c 1—758 c 2
Asa rex Iuda pius ex impia matre. 433 a 1
Eam amovet a sacerdotio Priapi. 433 b 1
Eius pietatem remuneratur Deus. 433 a 2
Fuit in fide perfectus, sed in multis aliis peccavit. 433 b 2
Regnavit 41. annis propter pietatem. 435 b 1
Asar erat nomen commune regum Assyriorum. 673 c 1
Asaramel (per) quid significetur. 787 b 1
Asarhaddon, quis. 672 b 2
Asciam idem est quod peccatum. 647 a 2
Ascopera vox græca, quid significet et unde derivetur. 686 b 2
Asdrubalis præfecti Carthaginis a Scipione obsessæ factum. 821 b 1
Asmodæus quis. 647 b 1
Est dæmon exagitans homines ad libidinem, et liberatos mulctans. 647 c 1
Cur vocetur Asmodæus. 647 a 2
Est rex dæmonum et præses luxuriæ. 649 a 2
Quibus modis et quamdiu religatus fuerit in deserto. 660 c 1
Aspectus mulierum quam sit periculosus et perniciosus. 687 a 2
Aspectus virorum mulieribus interdictus. 704 b 2
Aspicere tranquille est quiescere. 800 b 1

Assamonæo (ab) avo vel abavo Mathathiæ, Machabæi dicti sunt Assamonæi. 732 d 1
Assamonæi idem est quod Optimates. ibidem
Quando et in quo desierit Assamonæorum stirps. 791 c 1
Assessor iuris olim et etiamnum iudicibus et prætoribus adiungi solitus. 632 a 2
Assidæi qui. 742 d 2
An ita dicti ab assiduitate, quasi assidui in Dei cultu. ibidem
An sint iidem qui Esseni. ibidem
Fuere addicti bello, non choro. 743 a 1
Fuerunt milites belli sacri. ibidem
Et præcipui sub Iuda Machabæo. 743 b 1
Unde vocentur Assidæi. ibidem
Est vox Hebræa. ibidem
Fuerunt viri honorati et primarii in Israel. ibidem
Cæsi sunt ab Alcimo pseudopontifice. 760 c 2
De his vaticinatus est David Psalm. 18. v. 2. ibidem
Assuerus nomen commune regum Persarum et Babyloniorum. 603 a 2
Eius etymon. 669 a 2
Hebraice et Chald. idem est quod magnum caput. 703 d 2
Assuerus qui cum Nabuchodonosor Niniven destruxit quis. 669 a 2
Assuerus maritus Esther mystice designat Christum. 700 a 1—703 d 2
Quis ille fuerit. 700 b 1
Probabiliter fuit Darius Hystaspis. 700 b 2
Suspicatur Amanum velle Estherem opprimere, cur. 716 a 2
Erat in tributa propensus. 721 b 1
Ferox ac cholericus. 728 c 1
Sed mansuefactus ad aspectum collabentis reginæ. 728 a 2
Vide Darius Hystaspis.
Assumptio B. Virginis in cælum mystice repræsentata per assumptionem Estheris ad cubiculum Assueri. 708 b 1
Assyria quomodo sita respectu Iudææ. 697 b 1
Assyriorum regnum deficit. 512 a 1
Assyriorum corruptissimi et impurissimi mores. 690 d 1
Eorum principes in quantum suam gravitatem servarent. 694 c 2
Astare Deo septupliciter potest intelligi. 665 d 2
Non solum significat esse in cælis, sed insuper in ministerio quamdam principalitatem. 666 b 1
Astaroth Philisthinorum est Venus. 84 b 2
Astarte sive Venus, dea Syrorum 804 a 2
Astra quando et unde dicantur egredi. 621 c 1
Asyli origo. 558 a 2
Atergate fuit dea Syrorum, alio nomine Derceto vocata. 831 c 1
Athas Hebræorum est alphabetaria revolutio. 224 b 1
Athalia nepotes suos ex ambitione occidit. 494 a 1
Occiditur circa palatium. 495 a 1
Ei similis Brunichildis. 495 a 2
Athei duces sua arma faciunt numina. 839 a 1
Atheismi causa. 189 b 1
Athenienses capite mulctarunt Themagoram, cur. 710 c 1
Athenis pepercit Sylla, ob idque semper gavisus. 355 b 1
Athersata idem est quod pincerna regis; eius etymon. 601 b 1
Ita vocatus est Nehemias, unde. 627 d 1
Non est nomen Hebræum, sed Chaldæum. 627 a 2
Athletæ in Olympicis certaturi castos se servabant, cur. 696 a 1
Atossa uxor Darii Hystaspis eadem videtur cum Hadasa, quæ est Esther, 701 a 1
Atria tria Sacerdotum, laicorum et immundorum. 397 a 1
Atrium Hebraice *Azara*, id est Adiutorium. 558 a 2
Atrium sacerdotum et atrium laicorum quomodo distinguebantur. 769 a 2
Attalus Pergami rex moriens populum Rom. scripsit hæredem. 789 b 2
Attila rex Hunnorum S. Lupo quærenti quis esset, respondit se esse flagellum Dei. 743 b 2 689 a 1
Spe totius orbis obtinendi devorabat imperium; sed tandem a Deo per fœminam occisus est. 692 a 1
Attributum Dei nobilissimum sanctitas. 182 b 2
Auctor libri primi et secundi Esdræ quis. 594 a 1
Auctor libri Tobiæ est ipse Tobias. 638 c 2
Libri Esther Mardochæus. 720 d 1
Auctor libri 1. et 2. Machabæorum. 731 b 1
Alius est primi, alius secundi. 787 b 2—800 c 1—800 b 2
Auctor Canonicus citans dicta alicuius auctoris profani facit ea canonica 800 c 1
Audacia adversus hostes dos maxime exornans belli ducem. 754 c 2
Audomarus (S.) ægre tulit sibi visum diu amissum per S. Vedastum esse restitutum. 644 c 1
Augusti Imp. frugalitas. 703 b 1
Augustini (S.) aureum dogma de senectute et pueritia. 640 c 2
Aula (ab) se tempestive ante casum abducendum. 717 a 2
Aulici respiciunt semper ad solem orientem ut vulgo dicitur. 774 a 2
Aureliani Imper. ira mitigata. 285 a 1
Auri fodinæ olim in Hispania fuere feracissimæ; et etiamnum esse multi testantur. 763 a 1
Aurum per iter spargi solitum a bello victis, cur. 750 c 1
Aurum reges Persarum voluerunt sibi esse proprium. 778 b 2
Auri libra valet centum aureos. 786 b 2
Auro iudices corrupti 807 a 1
Aurum pretiosissimum repræsentat nobis Deum. 839 d 2
Auxilia hæreticorum non quærenda in bello. 579 b 1
Avaritia difficulter prohibetur. 34 c 2
Avaritia ficus. 120 d 1
Ex avaritia Hiel ædificavit Iericho. 435 d 2
Avaritiæ insatiabilitas. 454 b 1
Eius typus Iezabel. 455 a 2
Avaritia iudicum pecuniis se currumpi sinentium. 807 a 1
Aves fuerunt primum vivens animal creatum a Deo. 636 c 2
Quælibet aves subinde a Latinis nominantur passeres. 643 d 1
Axioma ducis cuiusdam de generoso milite. 767 d 2
Azarias quem se vocat S. Raphael angelus, quis. 654 a 1
Variæ nominis versiones. 654 c 1
Azarias fuit Iesus Christus et Apostoli. 654 d 1
Apud Hebræos fuit nomen magnum, ideoque magnorum regum, principum, pontificum, etc. 654 a 2
Est nomen non tam proprium quam appellativum. 654 c 2
Vere ævo Tobiæ fuit Azarias filius Ananiæ. 654 d 2

B

B. littera subinde commutatur cum *G.* 724 c 1
Baal est Iupiter Belus sive Nemrod. 435 d 1
Eius cultus inducitur per Achab in Israel. ibidem
Baaras radix a Salomone ostensa an habeat virtutem expellendi dæmonem, et quomodo. 659 b 2
Olet magiam. 660 a 1
Varia de ea commenta. ibidem
Babylas (S.) martyr sepultus in Daphne. 806 b 2
Babylonica captivitas cur 70. annis duravit. 592 c 1
Babyloniorum regnum incipit a Baladan. 512 a 1
Bacchanalia festa quomodo celebrari solita. 810 c 1
Bacchides a Demetrio cum copiis missus contra Iudam. 760 c 2
Ierusalem frustra obsidet. 766 a 1
Ipsi contra Iudam Mach. victoria cessit, sed cruenta et pudenda. 767 b 1
Caute ictum Ionathæ declinavit. 769 c 1
Bethbessen frustra obsedit cæso Odare duce suo. 770 b 1
Hinc iram vertit in apostatas Iudæos. 770 b 2
Pacem cum Ionatha facit. ibidem et seq.
Bacchum coluit Salomon. 419 a 1
Bacchus cur dictus liber. 810 c 1
Hunc Græci fingebant e femore Iovis natum. ibidem
Cur dictus thirsigerus. 696 b 2
Bagao nomen commune Persis significans eunuchum. 690 c 1
Bagaos eunuchus nequissimum Alexandri Magni. ibidem
Bahes symbolum et omen est victoriæ. 784 b 1
Eius etymon. 784 d 1
Balista quod genus armorum. 758 d 2
Baptismus est professio Christianismi et legis evangelicæ. 694 a 2
Barac non fuit consanguineus Debboræ, sed exterus. 93 c 2
Barbarorum omnium vitium commune misceri cum matre, filia, sorore, etc. 690 a 2
Barlaami morientis pulcherrimum monitum datum Iosaphato. 377 a 1
Basceman (ad) occiditur Ionathas cum filiis a Tryphone 783 a 2
Basilica Græce est domus regis. 713 a 1

Basilii Imp. ad Leonem filium insigne monitum. 661 b 1
Basilius (S.) laudatus quod corruptos academiæ Atheniensis mores devitarit. 641 a 1
Bean est civitas Amorrhæorum. 754 a 1
Beata Virgo eius typus Iahel. 95 b 2
Item Debbora. 97 a 2
Et vellus Gedeonis. 107 d 2
Titulus matris Admirabilis ei gratissimus. 134 c 2
Ad eam confugiendum in periculis. 237 a 2
Abigail eius typus. 286 b 2
Beata Virgo est arca testamenti. 312 a 2 - 313 c 2 - 314 a 2
Exempla varie punitorum, quod eam inhonorarint. 312 a 2
Est cisterna Bethlehem. 362 d 1
Eius festum Purificationis quomodo institutum. 367 d 1
Debemus eam orare, quia Christus ei nihil negat. 378 d 2
Ipsam libere amasse Deum in somnis est probabile. 383 a 1
Eius puritas significatur per lilium impositum columnis. 402 b 2
Significatur per thronum Salomonis. 416 b 1
Beatitudo cælestis per ecclesiam triumphantem ex sapphiro et smaragdo fabricandam significata. 667 b 2
Beelteem an sit nomen officii significans præfectum rationis. 604 b 1
Beelzebub Deus musca. 462 b 1
Belgio (in) nuper portenta in cælo ostensa, quid præsignificarint. 808 d 1
Bellatores aliquot eximii, quia procero et valido corpore æque ac animo. 746 a 1
Belli Belgici origo et occasio. 354 d 1
Eo durante, viginti duæ militum regiorum rebelliones ob tardata stipendia. ibidem
Belli duces specie honoris amovendi. 354 b 2
Belli duces periti, si delicati, non ponendi. 453 b 1
Bellum pœna peccati. 432 c 2
In bello celeritas valet plurimum. 346 a 1
Bello victi spargunt aurum ut effugiant, hostemque insequentem morentur. 750 d 1
Belli sacri contra Turcas et hæreticos quanta vis. 768 a 1
Belli ducum magnanimorum aliquot exempla. 779 a 2
Belli prognostica. 808 a 1
Bellum irreconciliabile gesserunt aliqui. 821 a 1
Tale unusquisque gerat cum Lucifero, carne et mundo. 821 b 1
Belli causa, superbia et dominandi libido multis exstitit. 672 a 2
Belma urbs ad radices montis in quo sita Bethulia. 681 a 1
Benadad rex Syriæ filius Adad rebellis. 452 a 1
Quo iure petierit aurum, etc., Samariæ. ibidem
Est typus diaboli. 453 a 2
Subdit se Achabo. 453 d 1
Reus mortis. 453 d 2
Benedicti (S.) virga formidabilis dæmoni. 660 b 1
In Regula sua quid de hospitibus statuat. 663 b 1
Benedictio portarum et murorum urbium a priscis fieri solita. 619 a 1
Benedictionis armorum et vexillorum mos et ritus. 839 d 2
Item Crucis et exercituum. 840 c 1
Et militum. 840 b 1
Beneficia ingentia duodecim promittit Demetrius Ionathæ, si suas partes sequi velit. 773 b 2
Beneficiorum in reges collatorum memoria exacte servata. 714 a 2
Beneficia septem a Raphaele Archangelo Tobiæ filio præstita. 664 b 1
Beniamin tribus minima numero et infamis 213 d 7
Beniamin vocabatur una e portis urbis Ierusalem Aquilonem versus. 619 a 2
Bernardus (S) sedens meditabatur. 318 b 1
Mulierem dæmone incubo liberat. 657 a 2
Berzellai sacerdos cur a sacerdotio reiectus. 601 b 1
Prohibetur comedere de victimis oblatis. 601 c 1
Beth littera hebraica sæpe commutatur cum *mem*, et contra. 606 b 1
Bethbesse civitas tribus Beniamin frustra obsidetur a Bacchide. 770 b 1
Bethdagon cum omnibus idololatris concrematum. 775 a 1
Bethel et Bethaven sunt loca distincta. 32 a 2
Unica fuit Bethel eaque in tribu Ephraim. 82 a 1
Est limes regni Israel. 425 a 1
Bethsabee neptis fuit Achitophel. 326 d 1
Post pœnitentiam fit prophetissa. 326 a 2
Eliam eius pater unus ex fortibus David. 363 c 2
Bethsan postea dicta est Scythopolis. 781 d 1
Bethsura fuit munitio exstructa a Iuda Machab. contra Idumæos. 752 b 2
Hebraice idem est quod domus rupis. ibidem 834 c 1
Capitur ab Antiocho. 758 c 2
Quantum distet a Ierusalem. 834 c 1
Bethulia urbs Galilææ ubi sita : 679 b 2
Licet esset propria tribus Zabulon, tamen tribus Iuda eam sibi vindicavit. ibidem
Bethulia Hebr. significat virginitatem. 679 b 2 - 699 c 1
Bias circumsessus ab Iphicrate, rogatus quid eo articulo agendum foret, quid responderit. 767 a 2
Bibendum (ad) aliquem cogere est contra naturam, et tyrannicum. 703 a 2
Biblia regia male vertunt verbum Chaldæum challetha. 299 c 2
Bibliothecæ variæ erectæ. 799 b 2
Bidentalia quæ nominarent Romani. 797 a 2
Blanca (S.) quid filio suo S. Ludovico crebro inculcaret. 641 d 1
Blasphemia peccatum horrendum. 455 a 2
Iudæi ne nominabant quidem. 455 b 2
Blasphemia punita. 587 a 2
Blasphemia Nittekeri dicentis Angelum Raphaelem fuisse mentitum. 654 a 1
Blasphemia punita in Nicanore. 761 a 2
Boleslaus II. triplici tumens victoria a Friderico rege victus. 750 c 1
Bona huius vitæ vana sunt et malis permista. 338 a 2
Bona temporalia cur data Salomoni. 417 a 2
Fuerunt ipsi causa lapsus. 419 a 1
Bonum significat tam bonitatem et honestatem virtutis quam iucunditatem et felicitatem. 617 b 1
Bona matrimonii tria. 657 d 2
Bonum esse inter malos immensi est præconii. 640 a 2
Booz castitas. 168 c 2
Eius laudes. 168 d 2
Bosor erat urbs Moab ultra Iordanem sita in tribu Ruben. 754 c 1
Boum capita in mari æneo fusa, præter boves quibus sustentabatur. 558 a 1
Breviloquentia a multis commendata. 800 a 2
Brunichildis peccata et pœna. 495 a 2
Bruno (S.) secessit in montes Carthusiæ, ibique Carthusianorum ordinem instituit. 809 a 2
Bugæus nomen potest sumi velut proprium et patronymicum, vel ut appellativum. 724 b 2
Burgundiones unde dicti. 570 a 2

C

Cadaver Alexandri Magni mansit insepultum ad triginta dies ob Principum dissidia. 738 a 1
Cæciliam (S.) cum S. Valeriano sponso ad castitatem direxit Angelus. 693 a 1
Cæcilius Poeta coævus Iudæ, Ionathæ et Simoni Machabæis. 732 b 2
Cæcitas a viris sanctis expetita et amata. 644 c 1
Illa non turbavit Tobiam seniorem. 646 a 1
Fuit curata naturaliter per fel in Tobia. 663 b 2
Cæcorum Deum laudantium exempla. 644 c 1
Cæcos et claudos quare Iebusæi constituerint in arce Sion, et qui illi cæci et claudi. 308 c 1
Occisi a Davide quia eum odiebant. 308 d 2
Sunt figura Scribarum, et Pharisæorum, et infidelium, hæreticorum, et fidelium male viventium. 309 a 1
Cæli extrema quænam dicantur. 615 b 2
Cælum fortitudinis expugnandum 361 c 1
Significatum per templum. 394 d 1
Et per cochleam templi. 394 c 2
Et per Sanctum sanctorum. 395 d 2
Cæli gaudia. 414 a 1

*

Cæli idea, gloria Salomonis. 417 a 2
Cælibatus commendatur exemplo Iudith. 698 d 2
Cæneus hastam suam inter deos numerari iussit. 839 a 1
Cæsar erat nomen commune regum Romanorum. 603 a 2
Caietani sententia de mendis Scripturæ reiicitur. 356 d 2
Eius sententia de duobus Eliis refutatur. 574 b 1
Caius Caligula voluit coli ut Deus. 710 c 1
Calabria dicta est magna Græcia. 724 c 2
Calamitate (in) publica publice orandum ac pœnitendum. 677 a 2
Ob calamitates olim totus populus pervigilabat in templo. 680 b 2
Doloris signa varia in calamitate fieri solita. 726 a 1
Calebi senectus præmium virtutis. 56 c 1
Eius pietas. 56 d 2
Calendæ unde dictæ. 739 c 2
Calepinus male confundit scruta et scrutra. 405 b 1
Callionymi piscis descriptio. 655 b 2
Abundat felle quod valet ad albugines ex oculis extergendas alioque nomine vocatur uranoscopos. ibidem
Est vorax et stolidus. 656 b 1
An cor ipsius fuget dæmones et qua vi. ibidem
Calumnia redit ad calumniantem, et quid operetur in calumniato. 343 c 1
Quomodo in calumnia considerandum quid intendat Deus. 343 d 2
Et in memoriam revocanda propria peccata. ibidem
Calumnia uxoris turbavit Tobiam seniorem. 646 a 1
Et ancillæ Saram filiam Raguelis, ac S. Monicam. 647 c 2
Calumniatoribus non facile credant Principes. 343 a 1
Calvi dicuntur lunulæ. 468 a 2
Calvini error blasphemus de Deo vitium non imputante ad culpam. 13 c 1
Alius eius error de obduratione. 50 c 1
Calvities capitis deformitas. 467 d 1
Libido eius causa. 467 b 2
Sed non in omnibus. 467 c 2
Aliqui eam habent ex hæreditate, alii aliunde. ibidem
Secundum alios est decus senii. 467 d 2
Cambyses Cyri filius fabricam templi a patre permissam impedivit. 596 a 1 - 603 b 1 - 700 a 2
Patre apud Lydos et Massagetas occupato, domi rebus imperii præerat. 603 a 2
Chaldaice vocabatur Assuerus; Persice vero Artaxerxes. 603 b 2
Fuit Iudæorum hostis et parricida; quomodo a Deo punitus. 604 a 1
Monitus a Prexaspe uno e charissimis ut parcius biberet quam ingratus fuerit monitori. 716 a 1
Campanæ ab Ecclesia benedictæ qua vi fugent dæmonem, procellas et tempestates excitantem. 659 a 2
Candaules rex Sardorum quo pacto occisus a Gyge. 704 a 2
Candelabri aurei effigies cernitur Romæ in arcu triumphali Titi. 799 b 1
Candidas vestes olim induebant in diebus festis et lætis. 718 b 1
Candor cum quo Angeli apparent quid significaret. 827 b 1
Canis Tobiæ præcurrens Doctores exprimit Ecclesiæ. 663 b 1
Cannensis cladis Romanorum quæ causa. 763 d 2
Canonicus auctor citans dicta alicuius profani facit ea canonica. 800 c 1
Cantare non decet magnates. 315 c 2
Sed omnino decet in divinis. ibidem
Cantatrices adhibebantur templo ad laicas cantiones. 601 b 2
Cantores templo adhibebantur ad canendos psalmos. ibidem
Cantus Ecclesiastici fructus. 217 a 1
Capaneus ensem suum numen fecit. 839 a 1
Capilli capitis ornamentum. 467 a 2
Capillos alicui evellere magnæ est ignominiæ. 635 b 2
Hos sibi ipsis lacerabant veteres in calamitate constituti. 726 a 1
Capite duci exercitus amputato percelluntur milites, probatur exemplis. 694 c 1
Caput nonnullæ hodie ita ornant et attollunt ut turrigeræ videantur. 727 b 1
Capitella tria ponunt architecti in columnis. 401 b 2
Caporioni qui sunt præfecti regionum urbis Romæ, quod munus et auctoritas. 619 c 2
Capræ iecur palpitat ipsa occisa. 265 b 2
Captivitas prima quinque tribuum Israelis in Assyriam sub Theglathphalasar. 503 b 1
Secunda reliqui Israelis sub Salmanasar. 507 b 1
Multi eam evaserunt. 507 b 2
Prædicta fuit a Prophetis. 507 c 2
Captivitas Babylonica tribus Iudæ a quo anno incipiat 520 a 1
Secunda captivitas. 520 b 2
Tertia captivitas. ibidem
Captivitas Hebræorum duplex. 594 a 1
De posteriori agitur hic in lib. Esdræ. ibidem
Captivitas Babylonica fuit celeberrima et universalis. 678 b 2
Capuanæ deliciæ perdiderunt Hannibalem. 778 b 1
Caput Nicanoris in prælio amputatum, uti et aliorum, contra Ierusalem suspensum. 761 c 2
Carbasinus color est candidus a carbaso. 702 a 2
Carbasinus color est viridis. ibidem
Carbasum est linum miræ tenuitatis et candicans. 702 b 2
Cardamas currit ad opera charitatis. 302 a 2
Cardines terræ qui sint. 186 d 1
Carfs Arabice est idem quod Hebraicum carpas sive apium hortense. 702 a 2
Carmeli duo in Palæstina. 284 a 1
Carmelitarum Ordo ortus ex Elia. 445 a 2
Eius laus. ibidem
Patroni Elias et Eliseus. ibidem
Adhuc hodie speluncam Eliæ in Carmelo inhabitant. 445 d 2
Carnem porcinam qui comedere recusant excarnificantur. 811 b 1
Carnifex unius regis, rex alter. 434 a 1
Carnion locus munitus ad quem egressus est Iudas, quis. 831 a 1
Carolus V. Imper. fructum summum cepit ex lectione librorum Regum. 172 c 2
Cur toties victor. 320 a 2
Omnium nationum hominibus æqualis. 354 c 1
Carolus Magnus quater Romam adiit, cur. 615 a 1
Quando creatus et coronatus sit Imperator. ibidem
Carolus Magnus vasto validoque fuit corpore æque ac animo. 746 a 1
Carpas sonat idem quod viridis. 702 a 2
Carthusiani ex voto abstinentes carnibus mori malunt quam iis vesci. 742 b 2 - 811 a 2
Casimirus (S.) mori maluit quam virginitatem perdere. 811 b 2
Casleu mensis Hebræorum respondebat nostro Novembri. 739 b 2 - 751 c 2
Casleu mensis Hebræorum respondet nostro partim Novembri, partim Decembri. 615 b 1
Casphin urbs ubi sita. 830 b 2
Cassidula est parva pera, vel parva cassis. 659 a 1
Cassinenses alunt progenies corvi qui S. Benedicto obedivit. 439 c 1
Castitatem (ob) ius primogenituræ datum Iosepho, ablatum ob incestum a Ruben. 55 c 1
Castitas Booz. 168 c 2
Castitatis studioso, quid facto opus. 326 a 1
Ob castitatem occisa S. Dymna a patre. 378 a 2
Castitatis præses est Raphael Archangelus. 649 a 2
Castitatis coniugium reservatæ exemplum. 650 c 1
Castitas etiam in coniugio servanda. 658 a 2
Castitas est funis quo ligatur dæmon ne nobis noceat. 660 b 2
Castitas morti prælata. 683 a 1
Est causa fortitudinis. 696 a 1
Castitas Iudith quam fuerit eximia. 696 c 1
Castitas veræ religionis comes. 738 a 2
Ea exacte servata. 811 b 2
Castor quo pacto e venatorum manibus elapsus. 750 a 2
Castorum præses est sanctus Raphael Arcangelus. 649 a 2
Castra figendi modus. 41 d 1
Iuxta etymon sint casta. 196 a 1
Castra sine duce quasi populus sine rege. 695 a 1
Catalogus populi redeuntis e Babylone descriptus ab Esdra quomodo diversus ab eo quem descripsit Nehemias. 626 b 1
Est catalogus donariorum ad fabricam oblatorum. 626 b 2
Catastrophe septuplex in tragœdia Amani. 718 a 2 et seqq.
Catholici in Anglia, Scotia et Saxonia in quo imitentur Tobiam seniorem. 640 a 2
Cato arenas Lybicas primus ingrediens milites ad se

sequendum animavit. 754 c 2
Cato Romanorum sapientissimus quo pacto seipsum occiderit. 837 c 1
Catuli leonum latrante stomacho rugiunt. 746 d 1
Cauda canis Tobiæ finem bonæ operationis insinuat. 663 a 2
Caudati in Anglia ob amputationem caudæ equi quo vehebatur S. Thomas Cantuariensis. 201 b 2
Cavare terram quid tropologice. 7 b 2
Cedreni error de Schamane Iudice post Samsonem. 151 a 1
Celeritas necessaria in belli duce. 46 b 1
Celeritas dos una ducis. 722 d 2
Cendebæus dux maritimus. 790 b 2
Cæditur a Ioanne Simonis Mach. filio. 791 b 1
Centesima usura quæ. 622 b 1
Cereos (per) benedictos quomodo fugetur dæmon. 659 a 2
Cerethi et Phelethi erant milites prætoriani. 322 a 2
Cethim est Cyprus et Macedonia. 737 a 1
Chalal multa significat. 695 b 1
Chaldæa cur hic vocetur Persia. 795 a 2
Chaldæi milites utebantur purpura ad tegendum vulnera. 750 b 2
An omnes libros veteris testamenti cum templo exusserint. 594 b 2
Solebant alienigenis ac præsertim Hebræis cum in urbem vel aulam asciscerentur mutare nomina. 707 b 1
Chaldæus paraphrastes fabulosus. 533 a 2
Chamos est Bacchus. 419 a 1
Chananæa iure hæreditario erat Hebræorum. 10 b 2
Ideoque per Iubilæi buccinas expugnata Iericho. 27 b 1
Chananæa non omnino tota a Iosue subacta. 50 c 2
Eius longitudo et latitudo, fuitque minor Belgio. 51 b 2
Satrapiæ Philisthiim ad Chananæam pertinent; nec eos Hebræi possederunt, nisi forte exiguo tempore. 60 d 1
Tyrus et Sidon ad eam quoque pertinent quas Hebræi numquam possederunt. 53 c 2
Tota Chananæa Hebræis data quoad dominium. 69 a 2
Chananæorum lingua affinis Hebraicæ. 14 a 1
Multi eius incolæ patriam deferentes ob timorem Iosue, varias mundi partes habitarunt. 49 b 2
Cur a Deo non totaliter eiecti e terra. 85 c 2 - 87 a 1
Tempore Salomonis non debebant occidi. 411 d 1
Characa locus quidam in Iudæa munitus, sic dictus a Χαραξ. 830 d 2
Charan sive Haran urbs sita in Mesopotamia. 663 a 1
Charitas primo sibi providet, mox aliis. 109 a 2
Ea vincuntur inimici. 281 c 2
Ad omnes se extendit. 473 a 2
Quæ amara erant, reddit dulcia. 476 a 2
Charitas Nehemiæ aliorumque ducum et præsidum in cives suos. 623 a 1
Item Tobiæ senioris in suos. 641 c 2
Charitas Christi in nos repræsentata per carnem piscis Tobiæ. 664 a 2
Charitas per catachresin subinde accipitur pro amore illicito. 685 a 2
Et Estheris in populum suum. 712 a 2
Charitas Iudæ Machabæi. 755 b 2
Chasida est ciconia vel milvus. 743 c 1
Chasidim vocis interpretatio et significatio varia. ibidem
Chasphia pagus vel vicus in Babylone. 609 a 1
Chelidonia herba qua hirundines pullorum suorum oculis medentur. 643 a 2
Chelmon urbs quæ, et ubi sita. 681 a 1
Cherem interpretatio varia. 698 b 2 - 754 a 1
Cherubini Mosaici et Salomonis quales essent, et qualiter collocati. 395 c 2
Erant in altari thymiamatis, sed duo tantum. 553 a 2
Chesed, id est, pietas, misericordia. 743 c 1
Chirotheca proiiciebatur a Regibus obsidentibus in urbem obsessam. 322 a 1
Cholerici quia celeris ingenii velocisque consilii bello utiles. 741 a 2
Chorea quid sit. 648 c 1
Chramnus propter affectatum regnum cum uxore et filiis a patre Clothario exustus. 349 b 2
Christi passio adumbrata per funiculum coccineum. 14 c 2
Crucifixus in cruce visibiliter, diabolus invisibiliter. 39 b 2
Typus Christi Iudices Israelis. 87 c 2
Item Othoniel. 88 d 1
Clavorum Christi typus, clavus ferreus quo percussus Sisara. 101 c 1
Christi typus, petra Gedeonis. 105 d 2
Item vellus eiusdem. 107 d 2
Item filia Iephte. 129 d 1
Item ipse Iephte. 129 c 2
In Christo omnia sunt mirabilia. 134 b 2
Eius typus Leo a Samsone occisus. 139 d 1
Et ipse Samson.
Vide verbo Samson.
Christus primatim cultus ab Alexandro Severo cum aliis idolis. 151 b 2
Maleficia Iudæorum beneficiis superavit. 265 a 1
Vide verbo David typus Christi. Ter unctus. 307 a 2
Rex fuit triplici iure. 308 a 1
Eius crux designatur per Geth. 312 c 2
Eius iudicium adumbratum per David. 320 c 2
Regnat in carnalibus gentium cordibus. 322 a 1
Contemptos eligit et exaltat. 323 b 2
Illusos a diabolo per peccata ad pœnitentiam adducit. 324 b 1
Eius corona quæ. 333 d 1
Christi typus Iesbaam. 361 d 2
Eius passio et resurrectio per labrum maris Ænei. 403 d 1
Est rex Israelis et totius mundi. 421 c 1
Eius crux significata per Eliam. 440 a 1
Vide verbo Elias.
Crux Christi significata per iuniperum. 447 b 2
Christi typus Eliseus. 467 c 1
Et Isaias. 513 b 1
Et Iosias. *Vide verbo* Iesus Christi. 518 d 2
Christiana lex vetat ieiunium in Dominica ob festi lætitiam. 627 a 2
Christiani omnes sunt sacerdotes. 192 a 2
Numquam sine armis incedant. 474 c 1
Christiani ad Evangelium assurgunt reverentiæ causa. 627 b 1
Quid eis imitandum in afflictione positis. 644 c 2 - 677 a 2
Primorum Christianorum frugalitas in conviviis. 680 b 2
Et puritas corporalis. 690 d 1
Accepto aliquo insigni beneficio in gratiarum actionem canunt: *Te Deum laudamus.* 693 a 2
In triduo passionis Christi strepitus edunt. 720 d 2
Christiani in angustiis et periculis constituti Dei opem implorent. 768 b 1
Spolia terrena relinquant. 750 a 2
Christiano homini quid discendum a septem fratribus Mach. Iudæis. 815 c 2
Quid faciendum in tentatione constituto. 821 d 2
Mortem pro fide sustinere discant Christiani exemplo Raziæ. 837 b 2
Chronologia gestorum Iosue. 56 a 1
Chronologia Iudicum annorum. 77 c 2
Anni servitutis Hebræorum, includendi annis quibus Iudices præfuerunt. 88 d 2
Canon pro chronologia sacræ Scripturæ. 78 b 1
Chronologia Israelis ex Ægypto ad templi ædificationem 480. annorum, singulis principibus partitæ. 89 a 1
In chronologia maxima sententiarum diversitas. 497 b 1
Chronologiæ canones. 512 b 2
Chronotaxis Seleucidarum post Alexandrum Magnum in Syria regnantium. 732 c 2
Ptolomæorum in Ægypto. 733 d 1
Item Machabæorum qui populo præfuere ut Pontifices, et ut Principes. 734 b 1
Item Pontificum ab Alexandro Magno usque ad Christum. 735 a 1
Chronotaxis Tobiæ Senioris et iunioris. 639 c 1
Cibus Angelorum est Deus. 666 b 2
Cibus a sitienti humectari nequit et comedi. 688 c 1
Cidarim sive coronam quam gestabat Esther vocat signum superbiæ. 727 b 1
Cilicio usi pœnitentes. 463 b 2
Cilicium sive saccus tertium symbolum pœnitentis. 629 a 1
Domat stimulos voluptatis turpis. 683 a 1
Cinæi unde. 527 a 1
Cinis et cilicium humilitatem et pœnitentiam designat. 32 b 1
Cinere caput aspergere, symbolum est pœnitentis. 629 a 1

Cinis cum melle oculis inspersus eorum caliginem dispellit. 643 b 2
Cinis est signum mortis. 685 b 2
In cineres ex alta turri præcipitatio quod genus supplicii. 833 a 2
Cinyra instrumentum musicum quomodo distinguatur a cithara. 752 b 1
Circumcisio in deserto omissa ob incertitudinem quando castra movenda erant. 23 a 2
Circumcisio erat professio Iudaismi et legis Mosaicæ. 694 a 2
Citharæ vis supernaturalis. 253 b 2
Fuit typus Christi. 253 c 2
Cithara sola magnitudine distinguitur a cinyra. 752 b 1
Civium commodis studeant duces et præsides exemplo Nehemiæ et aliorum. 623 a 1
Civium salutem prodit qui hostes captos vel capiendos dimittit. 825 c 2
Cives vita functos precibus iuvare honestum et probum. 832 a 2
Clamor utilis in bello. 27 a 2
Clamandi mos in magnis calamitatibus apud Persas. 712 a 1
Et apud Iudæos precum tempore. 720 c 2
Clemens V. instigante Philippo Pulchro Franciæ Rege Templarios exstinguit. 752 b 2
Clementiæ laus. 423 b 1
Clementia erga hostes captivos. 582 a 1
Clementia Dei in Iudæos legis prævaricatores. 611 a 2
Iustitia temperata. 611 b 2
Cleopatra, devicto M. Antonio ab Augusto Cæsare, ne in manus victoris veniret, aspidum morsu se necavit. 734 a 2
Cleopatra Græce, idem est quod decus et gloria patris et patriæ. 773 d 2
Cleopatrarum series et origo. ibidem
Cleopatra Demetrii senioris uxor marito capto Antiochum ad regnum et coniugium suum invitat. 788 a 1
Habuit itaque simul duos fratres viventes maritos. 788 a 2
Veneno quod filio propinarat necata est. ibidem
Trium Syriæ regum fuit uxor. 789 a 1
Climactericus annus. 326 c 1
Clodovæus rex Franciæ unctus oleo cælitus misso. 215 c 1
Clypeus regum ungi solebat et quo fine. 299 c 2
Coævi quinam fuerint Esdræ et Nehemiæ. 595 c 2 - 596 b 2
Item Estheri et Mardochæo. 701 a 2
Coævi tam e Philosophis quam Poetis, aliisque qui fuerint Iudæ, Ionathæ et Simoni Machabæis. 732 b 2
Codrus rex sua morte Atheniensibus victoriam sancivit. 767 d 1
Cogere ad bibendum est contra naturam. 703 a 2
Et tyrannicum. ibidem
Est libertatem adimere, sanitatem lædere, etc. ibidem
Collinghammense monasterium a Danis concrematum. 686 c 1
Collyrida quid sit. 314 c 2
Colocyntis est cucurbita agrestis. 475 c 2
Coloniæ Agrippinæ extat Ecclesia septem fratrum Mach. 819 b 2
An etiam eorum reliquiæ. ibidem
Color viridis mire oculos recreat. 702 a 2
Color ruber Elephantos summopere proritat ad prælium. 757 a 2
Columna nubis quæ solebat castra præcedere evanuit. 16 a 2
Columnæ duæ erant in Porticu. 401 d 2
Eorum nomina Bootii et Iachin quid significent. ibidem
Commiseratio levat misero miseriam. 650 b 2
Communio hæreticorum fugienda exemplo Iudæorum. 603 a 1
Communitas tota ob unius peccatum punitur. 239 c 1
Compendia facere magni laboris est et industriæ. 800 d 1
Compendiatoris historiæ cum pictore fabricam constructam pingente comparatio. 800 c 2
Compunctionem (per) et lacrymas a Deo exauditi. 646 a 1
Computus annorum Græcorum dupliciter fit. 828 b 1
Conciliantur diversa tempora tribus modis in Scriptura. 432 a 1
Concionator loquax fructu carebit. 185 c 2
Vanus. 233 d 1
Qualis esse debeat. 317 b 1
Opere et non sola voce præeat. 497 c 2
Sit illuminatus et perseverans. ibidem
Concionator ante concionem quid a Deo flagitare debeat. 727 a 1
Conclusæ virgines ad Oniam sanctum concurrentes quæ. 802 b 2
Concubinarii impœnitentia in Italia. 419 a 2
Concubinarius in complexu concubinæ fulgure sideratus. 659 a 1
Concupiscentia exstinguitur passione Christi. 657 c 2
Concupiscentiam carnis dum sentis, invoca B. Virginem. 699 a 2
Conditionalium scientia in Deo probatur ex Scriptura. 277 c 1
Conditiones fœderis Iudæorum cum Romanis initi. 764 b 2
Confessio peccatorum Deum glorificat. 34 a 1
Confessores obtinent cælum consilio. 763 b 1
Coniugium puellarum portus, ne castitatis faciant naufragium. 167 b 1
An coniugium Nurus cum Socero sit iure naturæ irritum. 378 c 1
Coniugia cum Chananæis, Iudæis vetita, cur; quo pacto permissa. 610 a 1
Coniugium requirit virilem ætatem, cur. 641 c 1
Coniuges in eodem sepulcro conditi. 650 b 1
Duorum in continentia et castitate viventium exemplum. 650 c 1
Coniuges Christiani sequantur exemplum Tobiæ et Saræ. 657 d 2
Quem finem intendere debeant in copula. ibidem
Caste vivant. 658 b 2
A mensa ebrietatem, detractionem, etc., arceant. 661 a 2
Sobrii sint maxime cum generationi vacant. ibidem
Subinde se mutuo vocant fratres et sorores, cur. 728 b 2
Conopeum quid. 687 c 2
Consanguinei in beneficiis postponendi extraneis aptioribus 7 a 2
Conscientia urgente pœnam menti culpam in memoriam revocat. 757 b 1
Conscientia militarium scelerum milites facit timidos. 766 b 1
Consilia senum bona, non iuvenum. 423 a 2
Consilia politica perniciosa. 424 c 1
Consilio (sine) sapientis nil faciendum. 652 c 1
Consiliarii plures audiendi. 729 b 1
Consilium et constantia omnia edomant. 763 b 1
Consilium malum consultori pessimum. 770 b 2
Constans vultus index animi constantis. 179 a 1
Constantia Nehemiæ in amando, et populi in fabricando. 620 b 2
Constantia a Deo petenda est. 685 b 2
Constantia Mardochæi in resistendo Amano scelestissimo. 713 b 2
Constantia superandi hostes tam corporis quam animæ. 763 b 1
Constantia ducis quantum in bellis rebusque arduis valeat. 779 a 2
Constantiæ mirum exemplum in Eleazaro. 811 b 1
Constantinopolis a triennali Saracenorum obsidione per B Virginem liberata. 699 b 1
Constantinopolis urbs sic dicta a fundatore Constantino. 759 a 2
Constantinopolitani cuiusdam viri clarissimi filius pauper divinitus uxorem divitem nactus est. 646 c 2
Constantinus Copronymus punitus ob inhonoratam B. Virginem. 312 a 2
Constantinus Imp. fuit vasto validoque corpore æque ac animo. 746 a 1
Dei auxilio sæpe vicit in bellis. 746 d 2
Convocavit omnes Episcopos ad dedicationem templi Ierosolymitani. 752 b 1
Ab ipso nomen mutuavit Constantinopolis. 759 a 2
Cur in labaro crucem insculpi iusserit. 840 d 1
Pro eo certarunt Angeli. 826 b 1
Constantinus Magnus totas sæpe noctes sine somno traduxit. 714 b 1
Constantius Imp. de tribus in morte doluit. 424 a 2
Consulere diabolum gravissimum peccatum. 462 b 2
Contemplatio imperfectiones absumit. 47 b 1
Ea omissa labitur homo in peccata carnis. 147 a 2
Contemptus mundi. 8 c 1
Contentio de principatu causa fuit subactionis Iudææ. 763 d 2
Conti sunt lanceæ oblongæ et hastæ. 685 c 1
Continentia et puritas Saræ Raguelis filiæ. 648 b 1
Eiusdem a duobus amantibus exacte servatæ exemplum. 650 c 1

Continentia per quid melior matrimoniali concubitu. 658 a 1
Contritio delet omnia peccata. 331 c 1
Magna debet esse in peccatore. 403 a 1
Contumelia illata Abner ab Isbosetho occasio translati ab eo regni ad Davidem. 304 d 1
Contumelia illata Achitophel a David vitiante eius neptem Bethsabee per adulterium, fuit ratio quare coniuraverit cum Absalomo. 326 d 1 - 341 d 2
Contumelia iuvat nos, ideoque ei gratia debetur. 344 b 1
Conversationis malæ incommoda. 190 b 1
Conversio omnium gentium ad Christum prædicta a Tobia seniore. 667 a 2
Convicia (ad) surdescendum. 219 c 1
Convicia etiam iustis obiecta eos excruciant. 647 c 2
Convivæ arceant a mensis ebrietatem, iurgia, detractiones, etc. 661 a 2
More veterum. 703 b 1
Olim in mensa sapientes miscebant sermones. 703 c 1
Non sunt cogendi ad bibendum. 703 d 1
Convivii funebris antiquitas. 304 d 2
Copulæ coniugalis finis quis. 657 d 2
Convivia sint frugalia more primorum Christianorum. 680 c 1
Et more primorum Persarum aliarumque gentium. 703 a 1
Convivium Assueri ad litteram vanæ voluptatis aucupium mystice fuit S. Eucharistiæ simulacrum. 703 d 2
Conviviorum postridianus dies doloris et pœnitentiæ. 705 a 2
Cor in homine primum vivens, et ultimum moriens. 298 d 1
Cor regis in manu Domini esse, impletum in Cyro. 598 a 2
Item in Assuero. 728 a 2
Cor est sedes animositatis et audaciæ. 741 c 2
Cor piscis an fugat dæmones, et qua vi. 656 b 1
Cornelius (R. P.) auctor horum Commentariorum, filius agricolæ. 538 c 2
Cornua (per) altaris quid significetur. 685 c 1
Cornua superbis æque ac tauris cornupetis resecanda. 743 a 2
Corona est insigne proprium regis. 676 a 1 - 715 a 1
Qualis esset regum Persarum. ibidem
Corpora Sanctorum sunt curæ Deo. 428 a 1
Sunt vivifica. 441 a 2
Corpus labore fatigatum melius reficitur iacendo quam sedendo. 702 c 2
Corporis resurrectio cum immortalitate animæ necessario connexa. 832 a 2
Correctio sit mixta severitate et lenitate. 190 d 1
Eius necessitas. 233 c 1
Corvi attulerunt cibum Sanctis. 439 b 1
Cosroæ regis Persarum fastus et superbia. 728 c 2
Crapula quam sit improvida. 691 a 1
Et insana. 703 c 2
Crassus (M.) e templo trabem auream sustulit. 802 d 1
Credendum (non) temere neque facile. 729 b 1
Crines solebant veteres lacerare in magna calamitate constituti. 726 a 1
Crocodilus ex Nilo egrediens hominis in terra insequitur et devorat; estque amphibius. 655 b 1
Crotoniensium 100,000 cæsi a 15,000 Locrensium, eiusque causa. 302 d 2
Crucis Christi hamo aduncatus est diabolus. 660 d 1
Eius seria meditatio est funis quo dæmon ligetur. 660 b 2
Crux apud Persas erat usitata et ignominiosissima. 713 c 2
Crux parata Mardochæo data fuit paranti Amano. 716 c 2
Cruce cur insignirentur proficiscentes in Palæstinam pro recuperanda Terra Santa. 840 c 1
Crudelitas et superbia Amani in Mardochæum et Iudæos. 710 c 2
Item Darii Hystaspis et Xerxis filii ipsius. 728 c 1
Chrystallus quid sit. 722 b 1
Cudere monetam est summæ potestatis. 789 b 1
Χυδίω quid significet, ignoratur. 640 b 1
Culpa (de) superata non superbiendum. 758 c 2
Cupidi pro puncto voluptatis se efficiunt mancipia diaboli. 681 b 2
Cupiditatis in homine per peccatum corrupto quanta vis. 806 d 1
Curatio tota Tobiæ cæci mystice explicata. 664 a 1
Currum Eliæ transformarunt Gentiles in quadrigam solis. 747 c 2
Cyprianus, primum magus, sed postea fidelis et martyr, suis incantationibus dæmonem excivit, cur. 647 c 1
Cyrus primus rex Persarum Iudæos Babylone liberavit. 596 a 1
Quo anno factus sit monarcha. ibidem
Quo anno cœperit regnare, et Babylonem expugnarit. 597 b 1
An ut monarcha regnaverit septem annis. 597 c 1
Erat bellicosissimus et quietis impatiens. 597 a 2
Varia eius etyma. 597 c 2
Unde emanaverit eum a cane esse educatum. 597 b 2
Eum ut numen suum colebant Persæ. 597 c 2
Exemplum fuit omnium regiarum virtutum. ibidem
Quid de sole sibi in somnis astante somniarit. ibidem
Ex se erat pauper, sed a Deo factus dives. 598 a 1
Quid significet Hebraice. ibidem
Quid Græce. ibidem
Etymon eius genuinum est Persicum. 598 b 1
Fuit typus Christi. 598 c 1
Cur Deus excitaverit affectum eius et voluntatem. ibidem
De eo Isaiæ oraculum. 598 d 1
Deum verum agnovit. 598 a 2
Laborem suadebat, nec cibum sumebat, nisi prius corpus exercuisset. 598 c 2
Eius somnium quo invitabatur ut ad deos ascenderet. 598 d 2
Eius edictum ut Iudæi se invicem iuvent in reædificando templo. 599 b 1
Cur vetuerit secundum templum tam alte exstrui, ut prius. 606 b 1
Sua manu agros et hortos excoluit. 702 d 1
Eius frugalitas. 703 a 1
Cyrus rex Persarum a Tomyri cæsus, quo astu. 750 c 1
Eius tessera belli, quæ. 821 d 1

D

Dacha Syriace est mundare, purificare, iustificare. 706 c 1
Dæmonis etyma. 646 c 2
Dæmones, eorum quos deceperint sunt carnifices. 647 c 1
Dæmon obsidens puellam ab adolescente mago incantatam interrogatus a sancto Hilarione, quid responderit. 647 d 1
Item se provolvens ad genua S. Antonii. ibidem
Alii sunt Persici, Medi, Africi: alii australes, meridionales, etc. 647 a 2
Dæmon an fugetur per fumum iecoris callionymi, et qua vi. 656 b 1
Agit per causas naturales et humores melancholicos. 656 a 2
Quomodo per magos et sagas noceat bestiis et pueris. 656 b 2
Fuit figuratus per piscem a Tobia occisum. ibidem
Dæmonis proprium est intricare corpus et animam variis doloribus, scrupulis, etc. 656 c 2
Quomodo dæmon incubus prolem generet. 657 d 1
Proprie non amat fœminas, sed amorem simulat, cur. 657 a 2
Dæmones fugantur pulsu campanarum ab Ecclesia benedictarum. 659 a 2
An etiam per radicem baraas a Salomone ostensam. 660 a 1
Eis formidabilis est virga S. Benedicti. 660 b 1
Quibus modis potuerit dæmon religari in deserto. 660 c 1
Quo pacto ligentur in inferno ut egredi nequeant. ibidem
Per Christum qualiter ligatus sit. 660 d 1
Quibus virtutibus tamquam funibus ligetur. 660 b 2
Dæmonis apparentis signum est si post se relinquat horrorem. 666 c 1
Timent vocabulum, patrocinium et exemplum Mariæ. 692 b 2
Vide Diabolus.
Dagon Philisthinorum est Venus. 199 c 1
Fatetur se victum ab Arca. 199 c 2
Damascus urbs pulcherrima describitur. 477 d 1
Damascus caput est Syriæ stricte sumptæ. 675 c 2
Daniel cur librum suum conscripserit partim Hebraice, partim Chaldaice. 595 b 2
Fuit familiaris Cyro regi Persarum eiusque conviva. 598 a 2
Daphne locus a copia laurorum ita dictus, quis. 806 b 2
Hic sepultus fuit S. Babylas, S. Ignatius Antioch. et Onias sanctus occisus. ibidem
Darii stirps duravit ab imperio Persico usque ad Darium Ochum. 633 b 2

Darii etyma. 702 a 1
Darius rex Persarum, prius dictus Codomannus, exercuit cauponam Susis. 737 b 1
Non fuit ex stirpe regia, ideoque ab Alexandro regno privatus. 737 c 1
Darius Ochus inventor certi supplicii, quo rei in cineres præcipitabantur. 833 a 2
Darius Codomannus ultimus Persarum rex victus ab Alexandro. 633 c 2 - 737 b 1
Quot equitum et peditum millia in aciem eduxerit contra Alexandrum. 675 b 1
Darius Hystaspis dedit Iudæis facultatem perficiendi templi. 596 a 1
Vovit fabricare templum. 604 a 2
Ad eius annum secundum intermissa fuit fabrica templi. 604 b 2
Anno eius sexto pars interior templi perfecta fuit; nono vero tam interiores quam exteriores. 607 a 2
Cur dicatur rex *Assur*. 607 b 2
Solebat aquam et terram petere ab eis quos sibi subigere satagebat. 675 a 1
Ipse fuit Assuerus maritus Esther. 700 b 1
Erat rex Persarum atque Medorum. 702 a 1
Fuit vini bibax. 715 c 1
Ferox et crudelis. 728 c 1
Vocat se fratrem uxoris suæ Esther. 728 b 2
Voluit festum Phurim etiam a Persis gentilibus celebrari. 730 b 2
Vide Assuerus.
Daus rex Cœlesyriæ *Vide* Apollonius. 774 d 1
Davide (de) historia.
David immediate a Deo ius regum accepit. 210 c 2
Vir secundum cor Dei. 231 a 2
Unctus secreto a Samuele coram patre et fratribus. 250 a 1
Habuit septem fratres. 250 c 1
Unctus vigesimo ætatis anno. 250 a 2
Ex lætitia vultus agnitus. 250 d 2
Fuit ter unctus. 251 b 1
In unctione accepit spiritum fortitudinis bellicæ, animi regii, poeticæ et musicæ, prudentiæ, et spiritum prophetiæ, idque stabiliter et subito. 251 d 1
Etymon Davidis ab amore. 251 b 2
Cithara eius partim naturaliter, partim supernaturaliter curavit Saulem. 253 b 1
Fuit procerus corpore. 257 d 1 - 272 a 1
Instinctu Dei iniit certamen cum Goliath. 258 c 1
Fuit peritus fundibularius. 258 a 2
Goliath, suo ipsius gladio occidit. 259 a 1
Caput per urbes circumtulit. 259 b 1
Gladium Deo sacravit. 259 c 1
Percussit totum exercitum Philisthinorum, percutiendo Goliath. 260 a 2
Non potuit psallendo Saulem curare, quia invidus manebat Saul. 261 a 2
Septies eum persecutus est Saul. 261 b 2
Ex omni persecutione gloriosior evasit. 261 d 2
Amovetur ab aula. 262 b 1
Fit Chiliarcha. ibidem
Duo quæ præstitit ut fieret gener regis sunt cædes Goliæ et 100 Præputia Philisthinorum. 263 b 1
Optime instruxit ad se convenientes. 274 c 1
Quindecim eius fugæ. 274 b 2
Non fuit causa occisionis sacerdotum, sed occasio. 276 a 1
Meretur coronam civicam ob liberationem Ceilæ. 277 a 1
Numquam absolute voluit occidere Saulem. 279 a 1
Conscientia eum mordet propter abscissionem chlamydis Saulis. 279 b 1
Gloriosior fuit eius victoria de Saule, quam de Goliath. 279 a 2
Regius eius animus. 279 c 2
Saulem occidere ei non licebat secundum quosdam. 279 d 2
Secundum alios licebat. 280 a 1
Dicendum non decuisse. ibidem
Appellat Saulem ad iudicium Dei. 280 a 2
Saul se ei submittit, et filiorum suorum facit tutorem. 281 c 2
Plura præstat quam promiserat. 281 d 2
Non poterat iuste occidere Nabal. 285 a 1
David non erat omnino certus de regni possessione. 288 d 1
Exit cum suis aulam regis Geth propter periculum idololatriæ. 289 b 1
Ut eum tueatur Deus, inadvertentiam immittit regi Achis. 289 c 2
Numquam intendit pugnare contra Israelem. 290 a 1
Dei erga Davidem providentia. 287 b 2 - 293 a 1
David, regnante Saul, plus rexit populum quam ipse Saul. 307 a 1
Ter est unctus in regem. 307 a 2
Fuit iunior Ionatha. 308 a 1
Capit arcem Sion anno 38. ætatis. 308 b 2
Adiuvatur a Deo in prælio contra Philisthæos. 310 c 2
Erravit David vel Levitæ, dum arca Dei imponitur plaustro. 311 a 1
Illectus benedictione Obededom per arcam, eam ex eius domo adduxit in Sion. 312 c 2
Fecit tabernaculum novum pro arca. 314 a 2
Occupat Geth, et per hoc frænavit Philisthæos. 320 b 1
Per omnes mundi plagas victricia arma circumfert. 320 c 1
Debellat Moabitas. 320 c 2
Iuste invasit Sobam. 321 a 2
Fit famosus per illam victoriam. 321 c 2
Victor possidet Idumæam. 321 d 2
Eius filii quo sensu sacerdotes. 322 a 2
Rependit Hanon misericordiam quam a patre eius Naas rege Ammon acceperat; Hanon contra legatos Davidis contumelia afficit. 324 a 1
Quare David eum bello aggressus, cecidit eum ad octoginta septem millia. 325 a 2
Chronotaxis gestorum eius. 332 b 2
Ex corona Melchom quomodo sibi fecerit diadema. 333 d 1
Cur fugerit Absalomum. 341 c 1
Fames triennalis eius temporis quare immissa. 356 a 1
Quatuor eius prælia contra Philisthæos, quando contigerint. 357 d 1
Eius vires deficiunt: in senio, quare ei succurrit Abisai. 357 a 2
David non est Adeodatus. 357 b 2
Domus eius illustris et fœcunda. 360 a 2
Omnia ad votum Davidi procedunt. 360 c 2
Cur recuset bibere aquam de cisterna Bethlehem. 362 a 2
Eligit pestem. 366 c 1
Ex visione Angeli et dolore populi percussi incurrit morbum incurabilem. 367 b 2
Cur ei data Abisag. 372 a 1
Prima et secunda unctio Davidis non est facta oleo sacro, sed sola tertia. 374 d 1
Transfert adhuc vivens regnum in Salomonem. 375 a 1
Non tamen omne ius regium. 375 a 1
Cur non occiderit Ioab, sed id mandarit Salomoni. 377 d 1
Eius elogium apud Iosephum. 377 c 2
Infelix in filiis. 379 b 1
Idque in pœnam adulterii. ibidem
Relinquitur ei lucerna. 421 a 1
Per contemptum vocatur filius Isai. 424 a 1
Promissio de regno in eius posteris continuando fuit conditionata. 543 a 1
In aurem ei Deus loquitur uti amicus amico. 543 a 2
Summa quam pro templi fabrica reliquit 2400. milliones. 546 a 1
David non ut rex, sed ut propheta constituit ordines Sacerdotum et Levitarum. 547 a 2
Eius prudens politia in re militari. 551 b 2
Davidis virtutes. Modestia. 252 a 2
Humilitas. 262 d 2
Eius patientia. 264 a 2
Pietas. 277 a 1
In Deum fiducia. 277 b 2
Eius clementia et reverentia erga Saulem. 279 a 2 et seqq.
Martyrium. 280 d 1
Charitate fregit duritiem Saulis. 280 d 2
David iniuriarum immemor inimicum suum honoravit. 300 b 2
Et etiam ultus est. 306 b 2
Humilitas eius coram arca saltantis. 313 a 2
Eam pulchre ponderat S. Gregorius. 313 b 2—315 a 1
Vovit ædificare templum. 316 a 1
Placuit id votum Deo quoad rem, non quoad personam. 317 a 1

Cur non permissus id implere. 317 a 1
Amicitiam amico exhibet post mortem. 323 a 1
Eius resignatio. 341 d 1
Eius humilitas et ad Deum recursus. 341 b 2
Gratiam habet Deo in fuga. 341 c 1
Eius oratio in monte Oliveti. 341 a 2
Patienter fert calumniam Semei. 343 d 1
Eius pietas erga Absalom parricidam. 348 a 1
Flet æternam eius mortem. 350 a 2
Per clementiam non statim occidit Semei, per iustitiam autem iussit a Salomone occidi propter maledicentiam. 352 c 1
Imitatur exemplum Resphæ. 357 c 1
Eius heroica charitas erga inimicum Saul. 357 d 1
Eius mortificatio et aliæ virtutes in effusione aquæ de cisterna Bethlehem. 362 b 2
Eius humilitas, pœnitentia et charitas post numeratum populum. 367 b 2
Recta intentio. 554 a 2
David excusatus a peccato.
Non peccavit fingendo stultitiam in Geth. 273 a 1
Nec recipiendo oppressos ære alieno. 274 b 1
Nec abscindendo partem chlamydis Saulis. 279 c 1
Petens vindictam Saulis. 280 b 2
Occidens Gessuritas, Gerzitàs et Amalecitas, dum esset apud Achis. 289 a 2
David qua auctoritate occiderit Amalecitam. 298 a 2
Non peccavit ducendo in uxorem Maacham filiam regis Gessur. 303 a 1
Quo sensu maledixerit Ioab ob interfectum Abner. 304 a 2
Quare non occiderit Ioab. 304 d 2
Acerbe puniens Ammonitas, excusatur a peccato. 333 d 2
Non peccavit in iudicio Thecuitis deprecantis, ne filius suus fratricida occideretur. 337 b 2
Nec peccavit parcendo Absalomo fratricidæ. 338 d 1
Nec mandando Salomoni ut occidat Semei. 352 c 1
Non peccavit tradendo posteros Saul Gabaonitis ad crucifigendum. 356 c 2
Nec mandando ut corpora remanerent insepulta usque dum plueret. 357 b 1
David peccans, et punitus.
Mendacium officiosum. 271 a 1
Peccat iurando se occisurum Nabal cum tota domo. 284 d 2
Aliud mendacium. 289 c 2
David adulter primo, quia otiosus. 325 b 1
Secundo, quia aspexit mulierem seminudam. 326 b 1
Tertio, quia nimis prosper. 326 c 1
Quarto, quia præsumptuosus. 326 c 2
Peccavit peccato iniustitiæ, dum vult, suam prolem supponere Uriæ. 327 c 2
Et inebriando Uriam. 327 d 2
Et homicidii curando occidi Uriam. 328 c 1
Proditorie occidit Uriam. 327 d 2
Consummat homicidium. 328 c 1
Causæ lapsus. ibidem
Peccavit ducendo Bethsabee quam polluerat per adulterium. 328 c 2
Fuit novem mensibus in peccatis sine pœnitentia. 329 a 1
Eius peccata Deus publicavit. 330 a 2
Peccatum quomodo punitum. 331 a 2
Mors infantis ex adulterio concepti fuit pœna temperata clementia. 331 c 2
Fuit punitus per gravem morbum. 331 d 2
Punitur eius adulterium per stuprum illatum Thamar ab Amnon. 335 c 1
Peccavit non puniendo Amnon propter stuprum. 336 a 1
Fuit punitus per rebellionem Absalomi. 340 a 1 - 340 c 2
David peccavit temere spoliando Miphiboseth suis bonis. 343 a 1
Davidis peccata punita per maledicentiam Semei. 343 a 2
Adulterium Davidis per violationem concubinarum. 344 b 2
Auferendo Miphiboset dimidium bonorum peccavit iniustitia, et violavit amicitiam Ionathæ. 352 b 2
Id factum ex verecundia. 352 c 2
Peccatum David punitum per seditionem Sebæ. 353 a 2
Numerans populum peccavit superbia. 365 d 1
Mordet eum conscientia. 366 b 1
David pœnitens.
Pœnitentia Davidis. 330 b 2
Fuit continua. 330 c 2
Magna fuisse probatur ex secuta statim remissione. 331 c 1
Per eam invasit pœna talionis. 331 a 2
Eius satisfactio pro peccatis. 362 b 2
Eius pœnitentia ob numeratum populum. 367 b 2
David typus Christi.
David typus Christi patientis in colore rufo. 251 a 1
Eius cithara typus Crucis Christi. 253 c 2
Eius pugna cum Goliath, pugna Christi contra diabolum. 257 a 2
Persecutiones eius a Saule, typus persecutionum Christi a Iudæis. 262 a 1
Benefaciens Sauli. 264 a 2
Recipiens oppressos ære alieno. 274 b 1
Fugiens David. 274 c 2
Ducens Abigail uxorem. 286 a 2
David typus est Christi in trina unctione. 307 a 2
Et in regno quod trigesimo anno auspicatus est, et quadraginta administravit. 308 b 1
In translatione regni ad arcem Sion. 309 b 1
Transferens arcam significat Christum transferentem Evangelium. 315 a 1
Christum iudicem. 321 a 1
Christum regnantem in carnalibus cordibus. 322 a 1
Christum contemptibilia mundi eligentem ut confundat fortia. 323 b 2
Christum inducentem peccatorem ad pœnitentiam. 324 c 1
Christum auferentem regnum diaboli. 333 a 2
Christum transeuntem torrentem Cedron. 341 c 1
Christum orantem in monte Olivarum. 341 a 2
Christum se immolantem pro peccatis nostris. 368 c 1
Christum reiicientem synagogam, et desponsantem sibi Ecclesiam. 373 a 2
Davidis regia stirps defecit in Iechonia in Babylonem abducto. 732 d 1
Davidis Chytræi commentum de etymo Palladis. 134 c 2
Debbora uxor Lapidoth, non Barac. 93 d 1
Non fuit iudex; lites tamen composuit ex dono prophetiæ, non vi iurisdictionis. 93 a 2
Debellatis civitatibus parcentes laudantur. 354 d 2
Decem tribus licite elegerunt alium regem. 424 a 1
Idque ex decreto Dei 424 b 1
Decemviri Romæ habebant ius imperandi alternis diebus. 763 d 2
Decimæ laborum et operum solvendæ. 630 a 2
Decimam decimarum dabant Levitæ sacerdotibus. ibidem
Cur a laicis dentur sacerdotibus. 634 c 2
Dedicatione (in) templi Salomonis quæ miracula. 409 c 2
Dedicatio solemnis muri Ierusalem quando et quo ritu peracta. 633 d 2
Dedicationis Ecclesiæ dignitas et solemnitas. 752 b 1
Defendere sumitur pro *vindicare*. 673 d 2
Defunctis (pro) orare, pium et honestum est. 832 b 2
Deioces Medorum rex potentissimus. 670 b 1
Ipse ædificavit Echatanam. ibidem
Deliciæ unguentorum et odorum cavendæ. 209 d 2
Deliciarum postridianus est dies doloris et pœnitentiæ. 705 a 2
Deliciosi sæpe crudeles. 248 a 2
Deliquium animi quod passa est Esther an fuerit verum vel fictum. 728 d 1
Demetrius Seleuci filius Romanis obses datus, quomodo Roma fugiens regnum Syriæ adierit. 760 a 1
Cognominatus fuit Soter. 760 c 1
Cur noluerit videre Eupatorem et Lysiam. 760 a 2
Iudæis quæ et qualia indulserit. 772 b 2
Occiditur ab Alexandro Veles per auxilium Ionathæ. 773 c 2
Demetrius iunior pacifice in Syria regnans se otio dedit, et regno expulsus fuit. 778 b 1
Exosum eum habebant milites patrii, cur. 778 c 1
Fidem Ionathæ datam fefellit. 778 a 2
Vincitur a Tryphone capta Antiochia. 778 b 2
Quo anno captus ab Arsace Parthorum rege fuerit. 793 a 2
Depositio Arcæ Tabernaculi in monte Nebo per Ieremiam. 798 a 2
Depositum non solum Iudæis et Christianis, sed etiam ethnicis familiare. 802 c 1
Derceto dea Syrorum quæ et qualis, de eadem fabula. 831 c 1

δεσσ α δεασθαι, id est videre. 183 b 2
Derelinquit Deus se derelinquentes. 9 a 1
Deror est avis libera, puta hirundo. 643 d 1
Descriptiones Ieremiæ prophetæ quænam sint, et an fuerint canonicæ. 798 a 1
Desperati milites acerrime pugnant. 302 b 2
Confirmatur exemplis. 302 c 2
Desperato humano auxilio, adest divinum. 573 b 1
Desperatis (cum) pugnare periculosissimum. 751 a 1 - 781 a 2
Deus fidelis in promissis servandis. 6 b 1 - 7 b 2
In veteri lege semper per angelos, numquam per se hominibus apparuit. 7 b 1
Angelus vice Dei apparens repræsentabat Filium, non Patrem aut Spiritum sanctum. 9 a 1
Exigit memoriam beneficiorum. 19 b 1
Non deest in necessariis, nec redundat in superfluis. 24 a 2
Deus manifeste Ierichuntem expugnavit, non autem homines. 27 c 1
Vult homines sibi cooperari. 28 b 1
Omnia a Deo pendent in sui conservatione. 30 d 1
Deus numquam iubet occidi filios ob peccata parentum mortuorum. 35 d 1
Deo duce quævis superamus. 56 a 2
Deus pœnam in gloriam convertit. 68 a 1
Eius liberalitas in pios, vindicta in impios. 77 b 1
Peccata permittit, non intendit. 83 b 2
Tyrannos permittit tamquam lictores ut malos castiget. 87 a 2
Quomodo confortet tyrannos adversus populum Hebræorum. 88 a 2
Audit imprecationes iustorum contra impios. 122 b 1
Quomodo immittat spiritum discordiæ. 122 c 1
Ad eum confugiendum in periculis. 166 d 1 - 183 a 1
Sanctitas eius nobilissimum attributum. 182 b 2
Semper habendus in memoria, 189 a 1
In Deum Scriptura omnia refert, et quare. 190 d 2
In solo Deo quies. 205 a 2
Concedit quod male petitur in vindictam petentium. 210 a 2
Eius omnipotentia ad omnia se extendit. 236 a 2
Peccata servat in memoria. 242 c 1
Eius pœnitentia non propria, sed antropopathos. 244 c 1
Est cardiagnostes. 250 c 1
Deus invocatus a Davide, eum iuvat in prælio. 310 c 1
Ædificat David domum, et quam. 316 a 1
Dilexit Salomonem et ardenter. 317 d 2
Dei scientia qualis. 318 d 2
Permittit homines labi in peccata, et quare. 328 c 1
Permisit violari Thamar ab Amnon fratre, in pœnam adulterii Davidis. 335 c 1
Statuit ut peccator sibi ipsi sit pœna. 335 a 2
Partitur sua bona, dans singulis aliquid, non omnibus omnia. 338 b 2
Deo expugnato, exarmatus erat Absalom. 341 b 2
Variis modis infatuat Deus consilia prudentum. 341 d 2
Quomodo præcepit Semei ut malediceret David. 343 a 2
Utitur impiis ad punienda peccata iustorum. 343 b 2
Propter peccata regis punit populum. 356 a 1
Deus potest punire patres nocentes in filiis innocentibus. 356 a 2
Quare voluerit occidi posteros Saulis. 356 b 2
Honoratur Deus executione iustitiæ. 357 a 1
Quomodo commovit David ut numeraret populum. 365 a 1
Ignem mittit in signum quod sacrificium ei sit gratum. 368 b 2
Designat locum templi. 368 c 2
Ad Deum caligat omnis creatura. 383 b 1-393 b 2-408 b 1
Deus in spatiis vacui. 408 c 2
Deus poscit totum cor. 410 a 2
Deus per se locutus Salomoni. 419 c 2
Solebat in igne apparere. 443 a 2
Deus in sibilo auræ tenuis repræsentat suam longanimitatem. 449 b 1
Eius clementia. 449 b 2
Decipere alienum a Deo. 459 c 1
Permittit mala. 459 d 1
Adest in desperatis. 573 b 1
Deus non vere et proprie, sed methaphorice habet oculos, aures, etc. 605 a 1
Cur præceperit Iudæis ne ducerent uxores Chananæas. 601 a 1
Prohibet Iudæos quærere prosperitatem gentium vicinarum. 610 c 2
Eius clementia in Iudæos prævaricatores. 611 a 2
Est amandus super omne amabile. 612 a 2
Cum parcit peccatoribus, dicitur tegere peccata; cum punit, ea aperire et aspicere. 621 a 1
Gaudet et delectatur nostra fortitudine in adversis. 627 b 2
Gaudet diebus festis, quod illis a fidelibus magis colatur, pariterque cupit ut fideles die festo gaudeant. ibidem
Vult a nobis sibi serviri in lætitia. 627 c 2
Aquas in ignem convertit. 634 b 1
Cur permittat iustos affligi. 643 d 2
Hominis audit linguam, si mundam habeat conscientiam. 665 d 1 - 646 b 1
Dei opera sunt misericordia, vera ac iusta. 646 c 1
Cupit in omnibus actionibus nostris inesse misericordiam, veritatem et iudicium. ibidem
Deus cur vocetur *rophe.* 648 a 2
Est decus et gloria omnium angelorum et hominum. 648 c 2
Eius erga homines dignatio mira. 649 b 2
Deus semper in memoria, intellectu et voluntate habendus. 650 c 1
Semper benedicendus. 652 a 2
Est invisibilis et per gloriam incomprehensibilis. 654 d 1
Dei gratia indignus est qui solum in prosperis ei servit. 665 a 2
Deus est cibus angelorum. ibidem
Deo serviendum in veritate. 669 a 1
Eius providentia erga Tobiam patrem. 669 c 1
Deus non adiuvat desides, sed laborantes et pugnantes. 677 c 2
Ei serviant urbes et regna. 678 a 2
Deus dominatur tam cælo quam terræ. 679 a 2
Ipse iratus certo irrogat quod comminatur. 683 c 2
In publica et gravi causa est invocandus. 684 a 2
Simeoni ad vindicandum Dinæ stuprum dedit fortitudinem, et obstetricibus mentientibus domos, cur. 685 b 1
Est per essentiam constans, fons omnis essentiæ. 685 b 2
Mentiri nequit. 689 b 2
Superbos humiliat. 692 a 1
Est spiritus purissimus, ideoque amator castitatis et castorum. 696 b 1
Quam liberalis fuerit erga B. Virginem. 713 c 1
Est iustus superbiæ ac iniustitiæ iudex et vindex. 714 b 2
Quos vult exaltare prius humiliat. 722 a 2
Gentes infideles exclusit a gratia et gloria, sic tamen ut communem providentiæ suæ cursum et gratiam non denegarit. 723 a 2
In eo solo, qui verum est cordis gaudium, lætandum. 727 b 2
Deus tam facile potest suam potentiam, opem et victoriam applicare paucis quam multis militibus. 746 b 2
Cur sæpe paucos selegerit, ut multos prosternerent. ibidem
Non iuvat nisi conantes et collaborantes. 748 b 1
Cur vetuerit Iudæis copiam equorum. 749 b 2
Dei vocatio est expectanda et sequenda. 755 a 2
Permittit causas secundas suo cursui. 767 d 2
Et unumquemque mori in suo opere et exercitio. ibidem
Est invocandus in periculis. 768 b 1
Quomodo ei fidendum. 768 d 1
Cur permittat viros sanctos in aliqua minora peccata labi. 768 c 1
Et occidi. 768 d 1
Eius providentia. 713 c 1
Eius symbolum est ignis. 797 a 1
Subinde castigat peccatores per angelos bonos. 802 d 2
Suas iniurias lente, sed acriter punit. 805 d 1
Propter Iudæos fideles et sanctos elegit locum Iudææ. 809 a 1
Superbos humiliat et sternit. 768 c 1
Eius invocatio remedium ad victoriam obtinendam. 826 a 1
Iudæ Mach. in angustiis præsto adfuit. ibidem
Iustos conservabat in præliis, nocentes sinebat occidi. 832 c 1
Dei quæ sunt, aurea sunt. 839 d 2
Deus cum quempiam ad officium seligit, dat ei symbola ad illud necessaria. 840 d 1
Deo (pro) coli voluit Alexander Magnus. 737 d 1

Et Antiochus Epiphanes. 739 d 1
Deo se æquat Nicanor. 838 a 2
Inter deos relatio fieri solita quando. 828 d 1
Deuteronomium dabatur regi in inauguratione. 494 b 2
Dexteram dare est ritus ineundi fœderis. 828 a 2
Diabolus superbus multos capit. 81 b 1
Est tyrannus suorum cultorum. 85 b 1
Ei traditur homo ut humilietur. 87 d 1
Significatur per Madian. 103 a 1
Est fur. 116 c 2
Diabolus generosis formica est, non leo. 137 b 2
Multos vincit continuando tentationem. 145 c 2
Vult excæcare homines ne spiritualia aspiciant. 220 b 1
Aufert bonos concionatores, dum procurat ut vana concionentur. 233 d 1
Utitur melancholia ad homines tentandos. 253 b 1
Invidia ei propria. 261 a 2
Vulneratur hominum clementia. 280 d 1
Turpia facta quæ suasit, postea revelat. 324 c 1
Eius invidia. 444 b 1
Non permittitur ignem mittere ad bovem paratum, a prophetis Baal. 444 d 1
Cum eo pax nulla facienda. 453 a 2
Decipit pseudoprophetas. 458 c 1
Eius officium est decipere. 459 b 1
Nil potest nisi Deo permittente. 459 d 1
Diabolus musca. 462 b 1
Significatur per Benadad. 484 b 1
Per contemptum vocatur Beelzebub. 489 b 2
Festum diaboli in exsequiis Lutheri. 492 a 2
Diabolos omnes ad duellum provocabat S. Antonius. 766 b 2
Cum diabolo irreconciliabile bellum gerendum. 821 a 1
Diabolus coram animosis est pavidus ut formica; timidis vero terribilis est ut leo. 827 b 2
Recte myrmicolion dicitur. 827 c 2
Vide Dæmon.
Diadema quid. 715 a 1
Diaria sua exacte conscripsere Iudæi. 633 c 2
Item Persæ. 714 a 2
Dictator Romæ quando crearetur. 763 d 2
Dictatura non erat annua. ibidem
Dicteriis hominum frangi pusilli est animi; fortis autem ea sustinere. 825 a 2
Didrachma argenti sunt duo regales. 805 b 2
Didrachma auri sunt duo aurei. 805 c 2
Didymus S. Hieronymi præceptor fuit cæcus. 644 c 1
Dies Iosuanus 28. horarum. 47 a 1
Longior Ezechiano. 47 c 1
Dies sortium sive phurim Persis, fuere Iudæis dies phrurim. 720 b 1
Mystice dies phurim fuere dies passionis Christi, eritque dies iudicii. 720 b 2
Digitum elevandi mos unde profluxerit. 784 a 2
Dignatio mira Dei et Angelorum erga genus humanum. 649 b 2
Et nominatim S. Raphaelis. 653 b 2
Dignitatem quisque sibi optat potius quam fratri. 806 d 1
Dii gentium colebantur sub figura utriusque sexus. 199 c 1
Omnibus rebus præficiebantur. 462 c 1
Dilectio uxoris erga maritum quid præstet. 662 a 2
Diluvium Noe transformatum a gentilibus in diluvium Ogygis. 747 c 2
Dionysii (S.) ecclesiam Parisiis dedicavit Christus ipse. 752 c 1
Dionysius Tyrannus irrisor idolorum. 225 a 2
Dioscorus mensis quis. 828 c 1
Disci exercitia quæ. 738 a 2
Discus solebat per palæstram circumferri. 805 c 1
Divinant subinde morituri. 668 b 1
Divinitatis symbolum est ignis. 797 a 2
Divitiæ sunt postponendæ virtuti. 652 b 2
Docendo (in) quis ordo servandus. 608 a 2
Doctores Ecclesiæ repræsentati per duas columnas. 402 b 1
Dolor animi creat dolorem corporis. 616 a 1
Doloris varia signa externa. 726 a 1
Dolus ex natura sua est indifferens, et ex fine ad quem refertur, malitiam accipit aut bonitatem. 687 b 1
Dominandi libido multis exstitit causa belli. 672 a 2
Dominica (in) lex Christiana vetat ieiunium, cur. 627 a 2
Dominus vobiscum primus usurpavit Booz pro salutatione. 166 a 1
Domus saltus Libani. 399 b 1
Non in Libano. 399 b 2
Domus Hebræis significat quemvis locum qui aliquod corpus ambit. 617 c 1
Domus fortium in urbe Ierosolymitana, quæ. 619 c 2
Dona Dei occultanda. 464 a 1
Donatistæ schismatici instar Ieroboam. 424 a 2
Dor vel Dora Phœniciæ urbs. 783 c 1
Dotes viduarum et pupillorum etiam apud ethnicos deponi solitæ. 802 c 1
Drachma argenti est iulius sive regalis Hispanicus. 805 b 2
Drachma auri est unus aureus. 805 c 2
Drachmæ mille argenti ad quantam summam excrescant. 832 c 1
Drachmæ auri et argenti valor. 655 a 1
Dracones sunt insignia et stemmata militum et ducum. 722 d 2
Dicti sunt a videndo. ibidem
Eorum dotes et symbola. ibidem
Dracones etiamnum vocantur milites fortissimi, qui, etc. 723 a 1
Draconarii olim vocabantur qui nunc vocantur vexilliferi. ibidem
Dux belli uni Deo nitatur. 11 a 1
Præeat in periculis. 20 d 1
Habere curet a tergo ventum et solem. 47 b 1
Quomodo hostes fugientes insequi debeat. 47 c 2
Victoria utatur. 48 c 1
Præeat exemplo. 262 c 1
Duces abstinentes a potu, exercitu sitiente. 362 a 2
Ducem numquam decet cessare aut prodesse sibi, aut nocere hostibus. 598 b 2
Eius vigilantia quantum prosit. 621 b 2
Duces multi subditos expilant ut se ditent. 623 a 1
Duce fugiente, fugiet totus populus. 624 b 1
Ad duces dogma insigne. 714 b 1
Ducum dotes præcipuæ tres. 722 d 2
Duces belli præstantes, paucos, sed veteranos milites seligunt ad res magnas. 746 b 2
Milites a præda cohibent, et in acie armatos continent. 750 d 1
Duces bello victi, aurum et argentum spargunt ut hostem ipsos insequentem morentur. ibidem
Cum fortitudine bellica Dei timorem, cultum et pietatem coniungant. 751 a 1
Explorant hostium animos, an sint meticulosi. 754 b 2
Ducis audacia hostes percellit. 754 c 2
Quis sit verus exercitus dux. 754 d 2
Ducum inobedientia punita. 755 a 2
Duci generoso turpe est fugere. 766 c 1
Pulchrum pro patria fortiter pugnando occumbere. 767 a 2-768 a 1
Talium aliquot exempla. ibidem
Impossibile est ut ita semper pugnent et vincant, ut numquam vincantur. 768 a 2
Ducum constantia quantum in bellis rebusque arduis valeat. 779 a 2
Declaratur exemplis. ibidem
Ducum insignium stratagema ut ex improviso in hostes irruant. 820 c 1
Obtenta victoria, duces belli spolia in egenos distribuant, exemplo Iudæ Machabæi. 821 a 2
Milites suos ad ardorem accendant, et eorum mentem explorent. 827 b 1
Pace inita, summe laborare debent ut militem contineant. 830 b 1
Duces Antiochi Iudæam infestant. ibidem
Duces athei sua arma fecere numina. 839 a 1
Vide verbum Principes.
Duellum aliquando licitum. 256 c 1
Duo summi Pontifices Sadoc et Abiathar tempore Davidis, et unde. 322 b 1
Ita tamen ut Sadoc esset primarius. ibidem

E

Ebbæ Abbatissæ ut suam suarumque castitatem servaret factum egregium. 686 c 1
Ebriosi sunt filii Belial, 178 c 2

Ebrietatis mala. 327 c 2
Ebrietas a mensis arcenda. 661 a 2
Est mater malitiæ virtutisque inimica, fortem virum reddit ignavum, etc. 690 d 2
Ebrii pravos procreant filios. 661 a 2
A generatione abstineant. ibidem
Sunt quasi, imo plus quam porci. 703 c 2
Ebullire de Perside quid sit. 794 b 2
Ebullire tria significat. 794 c 2
Ecbatana, nomen indeclinabile urbis Medorum. 653 a 2
Quando vastata. 669 c 1
A quo et quando ædificata. 672 b 1
Ecclesia est specula, et quare. 309 d 1
Ecclesia ex gentibus colligenda significatur per aream Areuna Iebusæi. 368 b 1
Ecclesiæ sapientia et firmitas significata per duas columnas. 402 b 1
Ecclesiam veterem reædificavit Nehemias; novam ædificavit Christus. 614 c 2
Pro huius salute ac tutela nil reformidandum. 615 a 2
Per Ecclesiam quid significetur, dum dicitur Ammonitas non posse introire Ecclesiam. 635 a 1
Ecclesia Catholica an nulla agnoscat nomina Angelorum præter tria. 637 c 1
Utitur quarto libro Esdræ in introitu Missæ, et in officio de martyre. 637 b 2
Ecclesia Christiana cœpit Ierosolymis in Sion, de qua vaticinatus est Tobias. 667 b 1
Repræsentatur per hortum in quo habitum fuit convivium ab Assuero. 704 b 1
Ecclesiæ Catholicæ typus fuit Esther. 712 b 2
Ecclesia cur præ sanctis veteris testamenti celebret festum septem fratrum Machabæorum. 815 b 2
Quomodo peccatoribus defunctis adhibeat suffragia. 832 c 1
Omni ratione satagit adiuvare animas fidelium defunctorum. ibidem
Ecdiciam reprehendit S. Augustinus, quod inscio marito habitum monachæ assumeret. 727 b 1
Edictum Cyri regis Persarum ut Iudæi se invicem iuvent in reædificando templo. 599 a 1
Edissa sive Hadasa eadem est quæ Esther. 707 b 1
Vide Esther.
Educatio prolium. 133 a 2 - 190 a 2
Permittantur religionem intrare. 181 a 2
Educatio mollis facit contumaces. 830 b 2
Effeminato Salomone, Idumæam suam recuperat Adad rex. 420 a 1
Effeminati, id est, scorta mascula in Iudæa sub Roboam. 430 d 2
Eglon roboratus a Deo ad bellum Israeli inferendum. 88 a 2
Eleazar pontifex dignior Iosue. 55 a 1
Eleazar Abaron an fuerit frater Iudæ Machabæi. 758 c 1
Cur sit vocatus filius Saura. ibidem
Quo fine pugnavit cum elephante. 758 d 1
Directe intendebat mortem regis, indirecte suam. 758 a 2
Eius elogium. ibidem
Sub elephante quem prostraverat occumbit. 758 b 2
Eleazarus et septem fratres Mach. quod carnem porcinam edere noluerint, excruciati. 739 d 2
Magister erat horum septem fratrum. 810 c 2
Eius etymon. ibidem
Hic distentus in tympano typus fuit Christi in cruce distenti. 811 a 1
Eius constantia pro observanda Dei lege. 811 b 1
Et fortitudo in tolerandis tormentis. ibidem
Peccasset mortaliter si porcinam comedisset. 811 b 2
Quomodo fuerit primitiæ martyrum veteris testamenti. 811 d 2
Eius elogia. ibidem
Eleemosynæ sex fructus. 650 a 2
Liberat a morte æterna et sæpe a præsenti, qua ratione. 650 c 2
Est quasi baptismus. 650 c 2
Claudit et oppilat quasi os gehennæ. 651 a 1
Habitu reginæ in somnis apparuit S. Ioanni Eleemosynario. 651 b 1
Eleemosynæ quomodo olim fieri solerent in sepultura defunctorum, et qua ratione. 651 d 2
Et nunc 652 a 1
Prosunt animabus in Purgatorio detentis. 652 c 1
Eleemosyna quanti sit meriti. 653 c 2
Est funis quo ligatur dæmon. 659 a 2
Solvit debitum proximo. 665 b 1
Liberat a morte, et purgat peccata. 665 d 1
Eleemosynarius quæ in pauperes confert, in sinum Dei custodienda deponit. 650 b 2
Eleemosynarii, licet impii, raro in hac vita castigantur. 650 c 2
Elementa saluti hominum et Dei gloriæ libenter inserviunt. 438 b 2
Elephantes Indici sunt maximi et robustissimi, longeque Lybicos superant. 757 b 2
Cur iis ostendatur sanguis, vel liquor rubeus instar sanguinis. 757 a 2
Cur iis prisci usi in prælio. 757 b 2
Sunt fœtidi. 757 c 2
Præ cæteris animalibus sunt dociles. ibidem
Cur detur eis vinum ad potandum. 757 d 2
Elephantes Africani vix sex vel septem armatos portant. 758 a 1
Eliachim et Ioachim idem significant, scilicet *Dei stator.* 677 c 1
Elias missus ad Achab ut impediret idololatriam. 436 b 1
Eius elogia. 436 b 2
Eius etymon. 437 a 1
Elias græce sonat solem. 437 d 1
Eius virtutes. 437 a 2
Fuit typus Christi. 437 c 2 - 439 a 2 - 446 b 1
Igne vestiri videtur. 438 a 1
Non videtur fuisse sacerdos. 438 b 1
Habet Deum sibi præsentem. 438 b 2
Factus dominus æris. ibidem
Fugit Achabum. 438 d 2
Pascitur a corvis pane et carnibus. 439 b 1
Propter eius gloriam ægrotat filius Sarephtanæ. 440 d 2
Cur incubuerit mortuo filio variæ causæ. 441 c 1
Primus mortuum resuscitavit. 442 b 2
Eius libertas in arguendo Achab. 443 b 1 - 456 c 1
Ædificavit altare in Carmelo. 444 c 1
Prædicit Achabo pluviam. 445 c 1
Ponit faciem inter genua ex humilitate et attentione. ibidem
Ex eo ortus Ordo Carmelitarum. 445 a 2
Est cum Eliseo patronus Carmelitarum. 445 b 2
Ipsius castitas et paupertas. 445 d 2
Honorat regem suum Achab. 446 b 2
Permittitur timere Iezabelem ad custodiam humilitatis. 447 b 2
Mortem fugiens a Iezabele infligendam, optat mortem a Deo ut finem miseriarum, et ne occisus a Iezabele, victa putetur Dei religio. 448 b 1
Zelotypia eius. 449 a 1
Morte punit Ochoziam ob consultum dæmonem. 462 b 2
Eius habitus. 462 c 2
Ignem e cælo evocat in vindictam iniuriæ Deo et sibi illatæ. 463 a 1
Vult occultare suum raptum. 464 a 1
Eius triumphus in curru igneo. 464 a 2
Quomodo in cælum vectus. 464 c 2
Incertum ubi sit. 465 a 1
Eius vita iam qualis. 465 c 1
An mereatur nec ne est problema. 465 d 1
Quo anno et die raptus. 465 d 2
E paradiso scribit litteras ad Ioram. 574 b 1
Eliasib pontifex et filius Ioachim. 612 b 2
Tobiam Ammonitem contra legem gazophylacio præfecit. 635 a 1
Eliseus oriundus ex Manasse. 450 c 2
In nativitate mugiit vitulus aureus. ibidem
Affecit Idololatras morte corporali. 450 d 2
Erat dives agricola. 451 b 1
Fuit cælebs. 451 a 2
Est exemplar religiosorum. ibidem
Prophetavit per annos 60. mortuusque est anno ætatis 106. 466 b 1
Luget Eliam. 466 c 1
Pallium Eliæ ei relinquitur in solatium. ibidem

Aquæ Iordanis prima vice non divisæ ne superbiret. 466 d 1
Est typus Christi. 467 c 1 - 468 b 1 - 468 d 2 - 474 d 2 - 475 c 2 476 a 2 - 482 d 2 - 498 c 2
Fuit Nazareus. 468 b 1
Nazareatum ei exprobrant pueri idololatræ in Bethel. 468 d 1
Ideo pueris maledixit. 468 b 2
Eius libertas. 470 d 1
Recolligit se dum Psaltes psallit. 470 a 2
Erat necessariis contentus et superflua spernebat. 473 d 2
Gestabat baculum. 474 c 1
Eius paupertas. 475 d 2
Non communicat immundis. 477 b 1
Ab aula abstrahitur ut Deo vacet. ibidem
Contemptor terrenorum. ibidem
Contemnit munera. 477 d 2
Idque cum fructu. 478 c 1
Absens videt peccata Giezi. 479 b 2
Syros percutit cæcitate. 482 a 2
Excusatur a mendacio. 482 b 2
Charitas eius erga inimicos. 482 d 2
Consilium dedit de Samaria obsessa non tradenda. 483 d 2
Non acceptavit munera Benadad. 486 b 1
Pater Israelis. 497 a 2
Significat se vita functum, etiam auxiliaturum Israel. 497 b 2
Orat et prædicit Ioas victoriam contra Syros. 497 c 2
Fuit 80. annis religiosus. 498 b 2
Eius sepulcrum horrent dæmones. ibidem
Eius ossa mixta ossibus brutorum per Iulianum. 498 c 2
Quomodo responderit Benadad regem ægrotantem fore sanandum et moriturum. 688 b 2
Elogium Simonis Machabæi. 732 d 1 - 744 c 1
Elogium Eleazari Abaron. 758 b 2
Et Oniæ sancti. 806 c 2
Et S Pelagiæ se in flumen iniicientis cum matre et sororibus. 837 c 2
Elul mensis sextus Hebræorum nostro partim Augusto, partim Septembri respondet. 787 a 1 - 624 a 2
Elymais alio nomine dicta est Persepolis. 756 a 1
Emath alia maior, alia minor. 321 b 2
Embryonis situs in ventre matris. 441 d 1
Emmanuel (P.) Paz Soc. Ies. convertit Imperatorem Æthiopiæ. 414 c 2
Emmaus ubi Christus duobus discipulis apparuit, postmodum dicta Nicopolis, quantum distet a Ierusalem. 747 d 1
Alia est Emmaus iuxta Tiberiadem. 747 a 2
Empedocles convivio præfectus, postridie reus fuit in iudicio, cur. 703 a 2
Encæniorum festum quando et quomodo celebrent Iudæi. 751 d 2 - 793 b 2 - 825 c 1
Quid mystice per id significetur. 752 a 1
Vocabantur Scenopegiæ Casleu. 793 b 2
Energumeni quomodo exorcizandi. 656 c 1
Eis olim ab Anachoretis dabatur panis vel oleum a se benedictum. 659 a 2
Ennius Pœta coævus Iudæ, Ionathæ et Simoni Machabæis. 732 b 2
Ensis. *Vide* Gladius.
Epaminondas laudatur ob vigilias. 306 a 1
Excusat se ob occisum vigilem dormientem. ibidem
Epaminondæ in prælio hasta traiecti responsum. 767 a 2
Ephebia est prostibulum pulcherrimorum iuvenum, item ganea et popina ad comessandum. 804 b 1
Ephraim, porta una e duodecim urbis Ierusalem, cur sic nominata. 619 b 2
Ephraim, Ephrem et Ephron quomodo distinguantur. 755 a 1
Ephron fuit triplex. 755 b 1
Ephron cur expugnata a Iuda Mach. et quando. ibidem
Epimanes idem est quod insanus. 738 b 1
Epinicia vocantur publica festa ob adeptam victoriam. 821 d 2
Epiphanes cur vocetur radix peccatrix. 738 b 1
Græce idem est quod illustris. 800 a 1
Vide Antiochus Epiph.
Episcopi qui se immiscent sæcularibus, similes rhamno. 121 b 1
Episcopus Græce idem est quod superintendens. 632 a 1
Circumeat, visitet et instruat populum sibi commissum. 677 c 2
Epistatæ Athenis habebant ius imperandi alternis diebus. 763 d 2
Epistola Mardochæi quando scripta. 723 b 1
Epistola sive liber secundus Machabæorum a Iudæis in Iudæa, ad alios in Ægypto degentes quando scripta. 793 a 1
Et cur. 793 b 1
Quis eius auctor. 794 b 1
An fuerit una vel duæ. ibidem
An habeat auctoritatem S. Scripturæ. 794 a 2
Epiikia exploratores interpretantur legem Dei de delendis omnibus Chananæis, ut Rahab eximant. 14 d 1
Epulandi mos ad sepulcra et memorias martyrum. 651 d 2
Item in sepultura defunctorum quorum dubia erat salus vel gloria. ibidem
Sublatus per SS. Ambrosium et Augustinum. 652 a 1
Equites dracones hodie qui. 723 a 1
Equiti olim pro stipendio dabatur drachma. 747 b 1
Equites Ierosolymitani, quando et quare instituti. 752 a 2
Equites habuisse non leguntur Iudæi, nisi tempore Ioannis, Simonis filii. 791 a 1
Equitis et equi speciem assumpsit angelus. 802 c 2
Equites discurrentes per aera cladem Iudææ imminentem portenderunt. ibidem
Eques apparens Iudæ et Iudæis an fuerit S. Michael. 827 b 1
Cur apparuerit in veste candida ibidem
Equitius (S.) liberavit quandam monialem ab impuro amore diaboli se monachum simulantis. 335 b 1
Equorum porta urbis Ierosolymitanæ unde ita dicta. 619 a 2
Equus animal luxuriosum. 657 b 2
Eremitæ particulariter sunt Deo curæ. 439 d 1
Ερως morbus ex amoris vehementia. 335 b 1
Error in numeris non spectat ad fidem vel bonos mores. 575 c 2
Error Pauli Fagii, dicentis librum Tobiæ non esse veram historiam. 638 b 1
Et Lutheri docentis, quod si uxor se difficiliorem præbeat ad opus coniugale, vocanda sit ancilla. 705 a 1
Esdras ex memoria non restituit S. Scripturam. 589 a 2
Esdras totius Scripturæ sacræ deperditæ in vastitate Babylonica restaurator vel corrector cum omni turba populi redeuntis in patriam, quid mystice significet. 593 a 1
Cuius filius fuerit. 594 b 1
Non fuit Malachias propheta, et quæ fuerit occasio hoc aliquibus suspicandi. 594 a 2
An fuerit Propheta. ibidem
Instinctu divino scripsit librum primum Esdræ et alia. ibidem
An Sacram Scripturam restaurarit. 594 b 2
Eam digessit, et correxit, et quæ in singulis libris deerant supplevit. 595 d 1
Inventor est litterarum Hebraicarum, quibus etiamnum utimur. 595 a 2
Quamdiu vixerit. 595 c 2
Esdræ quinam Prophetæ coævi fuerint et quinam sub eodem floruerint tam ex Historicis et Poetis, quam e Philosophis. ibidem
Legis Mosaicæ erat peritissimus, et inter scribas eminebat. 608 a 1
Constitutus est visitator Iudæorum. 608 b 2
Et potestatem habuit necis in prævaricatores. 608 c 2
Admiratur immensam Dei clementiam in Iudæos. 611 a 2
Eius pro iisdem ad Deum oratio. 611 b 2
Confitetur et deflet peccatum populi, eiusque personam et peccatum in se suscipit: in quo fuit typus Christi. 612 a 1
Pro Israelis bono bis Babylonem adiit, bis in Ierusalem rediit. 614 c 2
Interpretatur legem populo. 627 b 1
An Esdras auctor libri primi, sit idem cum eo de quo lib. secundo cap. duodecimo. 633 a 1
Esdrin unus e Iudæ ducibus. 831 c 2
Esseni. *Vide* Assidæi.
Esther quid mystice significet. 593 a 2 - 700 a 1
Quo tempore eius historia contigerit. 700 b 1 - 706 a 2
Est oriunda ex tribu Beniamin et stirpe regia Saulis. 706 c 1 - 707 a 2
Dicta est Hadasa, id est myrtea, cur. 706 c 2
Fuit typus B. Virginis. 706 c 2 - 707 d 1
Estheris etyma. 707 b 1
An rite nupserit regi infideli. 708 a 1

Rara eius iam reginæ obedientia. 708 b 2
Item fortitudo, pietas et caritas. 712 a 2
Est typus Ecclesiæ. 712 b 2
Ex primo aspectu regis deliquium animæ passa corruit. 713 a 1
Prudenter regem secundo vocavit ad convivium. 713 a 2
Eius magnanimitas in accusando Amanum præsentem. 716 c 1
Qua methodo usa ut flecteret regem ad irritandas litteras de Iudæis occidendis scriptas. 717 b 2
Apte comparatur fonti. 722 a 1 - 724 a 1
Et soli. ibidem
Magna eius animæ puritas, sanctitas, sinceritas, etc. 727 b 2
An vere sit deliquium animi passa. 728 d 1
Ipsa adiens cum duabus ancillis iratum Assuerum repræsentat B. Virginem. 728 b 2
Ethnici etiam sua in templo quasi asylo deponebant. 802 c 1
Evangelium (ad) assurgunt Christiani reverentiæ causa. 627 b 1
Evangeliis (in) multa a Iudæis dicuntur de Christo quæ fuere falsissima. 762 a 2
Ἐκβράζειν significat eiicere, ebullire, etc. 794 c 2
Eucharistia quam pure accipienda. 312 a 1
Quam reverenter colenda. 313 a 2
Significata per farinam quam Elias multiplicavit. 440 d 2
Eucharistia significata per panem Eliæ. 448 b 2
In Eucharistia substantia panis et vini consumitur. 463 b 2
Eucharistiæ symbolum dedit Eliseus. 475 c 1
Eucharistia tamquam fune ligatur diabolus ne nobis noceat. 660 b 2
Minuit acerbos iracundiæ, invidiæ, luxuriæ, etc. motus. 660 c 2
Eucharistiæ typus fuit convivium ab Assuero institutum. 704 a 1
Hæc suscepta puritatem et castitatem valde adauget. ibidem
In ea Christus ut cibus apponitur. 704 c 1
Eucherius et S. Eucherius Lugdunensis non sunt iidem. 306 c 1
Eumeni regi Pergami optimæ regiones Antiochi per Romanos datæ. 763 b 2
Eunuchorum vilitas et vitia. 210 b 1
Eunuchi sunt aulæ præfecti. 553 a 1
Eunuchi olim erant primi in aula apud reges, imo eorum cubicularii et secretorum conscii. 690 c 1 - 706 b 1
Cur duo voluerint insurgere in regem Assuerum. 708 b 2
Eupator dicitur bono et felici patre natus. 757 c 1
Vel idem est quod bonus pater. ibidem
Vide Antiochus Eupator.
Εὐπατεια vocatur generosa filia. ibidem
Εὐπάδριδως quinam dicti. ibidem
Euphemia (S.) toto corpore frixa fuit in sartagine. 813 b 2
Euphratem (cis) usque ad Iudæam omnes fere gentes erant æmulæ Iudæorum. 617 b 2
Hunc olim Deus dederat Iudæis limitem. ibidem
Exaltatio humilis Mardochæi. 715 b 1
Examen quotidianum conscientiæ. 223 c 2
Excalceatio duplex: alia in pœnam, alia in signum cessionis iuris. 170 b 1
Excæcatio mentis et eius mala. 147 d 1
Excæcatio Salomonis. 421 d 1
Ieroboam regis Israel. 420 d 2 - 426 b 2
Hielis qui Iericho reædificavit. 436 a 1
Regum Israel. 434 a 1
Et Iehu. 493 b 1
Ioas regis. 498 c 1
Excedere clementiam quando dicatur iustitia. 611 b 2
Excelsa in Scripturis quid significent. 381 a 1
Erant duplicia. 381 a 2
Excusantur pii reges qui excelsa tolerarunt. ibidem et seqq.
Fuere illicita post templum ædificatum. 381 c 2
Excelsa sunt templa ab Hebræis dicata Deo, contra suum præceptum. 433 a 2
Excidium urbis Ierusalem prædictum a Tobia seniore. 667 a 1
Et Ninives. 668 c 1
Quanto hoc posterius acciderit. 669 b 2
Excommunicationis figura. 427 a 1
Excusatio peccati Deo exosa. 230 c 2
Exedræ, gazophylacia et pastophorea idem. 397 a 2
Exemplum punitorum superstitum plus movet quam non vivorum. 80 b 2
Exemplorum vis maior quam verborum. 112 a 2
Exemplo Saul in posteris puniti discant patres non peccare. 356 b 2
Exempla maiorum animant in rebus arduis. 744 c 1
Et multorum Gentilium pro gloria dimicantium. 767 c 1
Et militum ex desperatione pugnantium. 781 a 2
Exempla aliquot fœminarum martyrum, filios ad martyrium incitantium. 817 a 1
Exercitatio militibus necessaria. 830 b 1
Exercitus Theodosii Imp. ab Angelo Raphaele Ravennam ductus Ioannem tyrannum profligavit. 653 b 1
Exercitus cervorum duce leone est fortior exercitu leonum duce cervo. 779 a 2
Exercitus ab exercitatione nomen accepit. 830 b 1
Exercitus in Terram Sanctam missi olim a Pontifice benedici soliti. 840 c 1
Exhortationes aliquot matrum filios ad martyrium incitantium. 816 c 2
Exorcistæ cur energumenis colaphos impingant, ridiculaque simulacra e collo suspendant. 656 c 1
Expeditiones pro Terra Sancta recuperanda a Christianis cur Cruciatæ dicerentur. 840 c 1
Expiatio templi facta per Iudam Machabæum. 751 a 1
Expilatores templi puniti. 803 a 1
Exploratoribus utatur dux militiæ. 12 c 1
Ars detegendi exploratores hostium. 12 a 2
Exsequi, pro absolvere et perficere aliquid, adeoque illud accurate agere. 800 d 2
Extrema cæli quæ dicantur. 615 b 2
Extrema gaudii quomodo luctus occupet, ostenditur in Holoferne. 690 c 2
Item in convivio Assueri. 705 a 2
Extricare proprium est Angelorum, uti intricare dæmonum. 656 c 2
Ezechias tollit materiam superstitionis. 509 b 1
Contemptim serpentem æneum appellat Nohestan, id est æunlum. 509 a 2
Secundum Anastasium Nicen. abstulit libros Salomonis de plantis. ibidem
Nullus rex Iuda ei similis, et in quo. 509 b 2
Fisus Deo, rebellat contra Assyrium. 510 a 1
Cur vetuerit responderi Rabsaci. 510 b 2
Cur aquas fontis Siloe derivarit in puteos urbis Ierusalem. 618 a 1

F

Fabius Max. a cunctatione laudatur. 346 c 1
Fabrica exhaurit opes regias. 411 c 1
Fabrica templi per novem annos intermissa, quando resumpta. 604 b 2
Ea perfecta est sub Dario; urbis vero Ierusalem sub Artaxerxe. 606 b 2
Fabrica spiritualis meritorum in anima, ex quibus construatur. 621 b 1
Fabula Rabbinica de Phinees et Caleb exploratoribus Ierichuntis refutata. 13 b 1
Alia de invisibilitate Sacerdotum. 13 c 1
Alia de Borea, qui non flarit 40. annis peregrinationis Hebræorum in deserto. 23 c 1
Alia quod Iudæis non licuerit expugnare Ierusalem. 62 a 2
Alia quod Luza non habuerit portas. 82 b 1
Fabula argonautarum occasione velleris Gedeonis. 109 a 1
Error eorum de filia Iephte non immolata, sed facta religiosa. 130 a 2
Fabula obscœna de Samsone molente apud Philisthæos. 147 d 2
Sacra vulpinalia Romanorum a vulpibus Samsonis. 141 a 2
Fabula de coma Nisi ex coma Samsonis. 147 b 1
Fabula Herculis ex historia Samsonis. 136 a 2 - 149 b 1
Uti pleræque gentilium fabulæ. 149 b 1
Alia de statione solis impetrata ab Elimelech. 162 c 1
Alia de nomine Samuelis. 179 c 2
Alia de duobus ultimis filiis Annæ exoratis a Phenenna. 185 c 1
Fabulæ Æaci ex historia Samuelis. 225 a 1

Alia de Davide in senio non calefacto vestibus, ob abscissionem oræ chlamydis Saul. 279 c 1 - 372 a 1
Alia de castitate Phalti et Michol. 286 d 2
Alia quod Saul seipsum non interfecerit. 294 b 1
De occisore Saulis. 298 a 1
De excalceatione Abner. 304 a 2
De fræno Isaac. 320 a 1
Alia de libello repudii dato uxoribus a militibus ad bellum euntibus. 326 d 2
Alia de Amnon. 335 b 2
Alia de Sara. 355 a 2
Item fabulæ de Heroibus ex historia fortium David. 364 a 2
De frigore Davidis. 372 a 1
Alia de Salomone intelligente voces brutorum. 383 d 2
Alia de sanguine Ianni vermiculi, secante lapides templi. 394 d 1
Alia de apertis et clausis portis templi. 409 c 2
Alia de bove Baalitarum fugiente ad Eliam. 443 b 2
Alia de aqua manante e manibus Eliæ. 444 b 2
Alia de zona Eliæ. 462 c 2
Alia de Ezechia volente occidere filium Manassen. 514 a 2
Alia de floribus natis in sepulcro prophetæ Dei in in Bethel. 518 b 2
Alia de Elimelech sistente solem. 529 a 2
Alia de portantibus arcam. 540 c 2
Alia de anima Naboth. 571 a 1
Fabula Talmudicorum de piscibus, mare et fœmina, ac bove mactandis in adventu Messiæ. 636 c 2
Item Poetarum de Titanibus. 697 a 2
Fabularum vocabula Hebræa, cur subinde ab interpretibus in linguam Græcam et Latinam transferuntur in S. Scriptura. 698 b 1
Hæc facta et ficta est ex historia gigantum Genesis sexto. 698 b 1
Fabula de solio Salomonis. 702 c 1
Item Rabbinorum de regina Vasthi. 704 a 2
Fac multa, dic pauca. 121 d 1
Facies illius, cui olim rex offensus erat, cur veleretur. 716 a 2
Item reorum ad mortem damnatorum ac hodie capite mulctandorum. ibidem
Facinorum funestus exitus. 147 c 1
Fama sæpe maior est veritate. 762 a 1
Fames est sævior ferro. 677 b 1
Familiæ etiam regiæ, ob peccata eversæ. 428 c 2
Fastus hominis quo aliquando assurgat. 676 a 2
Vide Superbia.
Fel valet ad dispellendam caliginem oculorum. 643 b 2
Et nominatim piscis Callionymi qui eo abundat. 655 b 2
An illud illuminarit oculos Tobiæ. 656 d 2
Fel mystice est amarities tribulationis quæ oculos mentis melle voluptatis excæcatos aperit. 657 c 1
Curavit Tobiam a cæcitate naturaliter. 663 b 2
Fel est sedes iræ et furoris. 741 c 2
Felicitas (S.) septem filiorum martyrum mater similis matri septem fratrum Machabæorum. 818 a 2
Eiusdem præconia. 818 b 2
Fenestræ templi quales. 393 d 1
Significant Doctores. 393 b 2
Nullæ erant in Sancto sanctorum et quare. ibidem
Ferdinandi II. Imp. resignatio. 341 d 1
Fervor necessarius ad docendos subditos legem Dei. 9 b 2
Fervidi exsiliunt ad bona opera. 314 a 1
Festa corroborant hominem. 407 a 1
Festis diebus gaudet Deus et fideles, cur. 627 b 2
Festum Dati Ignis cur instituerint Iudæi. 634 b 1 - 796 a 1
Festum Phurim quod, et unde sic appellatum. 720 a 1
Festum illud mystice agunt Sancti, quando. 720 c 1
Festa Persarum. 730 b 2
Festum *Pridie Mardochæi* quod. 761 c 2 - 840 d 2
Festum Scenopegiæ et Encæniorum quomodo et quando celebrandum. 751 d 2
Fibula aurea fuit ornamentum militare. 775 a 2
Fictilis porta urbis Ierusalem ab arte figulina quam circa eam exercebant sic dicta. 619 a 2
Fictio non semper est peccatum. 273 a 1
Fideles zelosi pro salute animarum nullum laborem detrectent, exemplo Christi. 614 c 2
Fideli nil mali obvenit, nisi ex certa Dei præscientia et voluntate. 643 d 2
Quid ei in angustiis posito imitandum. 644 c 2
Olim sepulcris martyrum panes imponebant, cur. 651 d 2
Fidendum est Deo, sic tamen ut humana auxilia non negligantur. 768 d 1
Fides hostibus servanda. 43 b 2
Fides vera Reip. fundamentum, eius neglectus excidium. 77 b 1 - 172 b 2
Fiducia in Deo habenda. 49 b 1
Filii sæpe parentibus degeneres. 208 b 1
Vanum in iis gloriari. 341 a 1
Filius Magistratum gerens, privatum patri, non publicum honorem debet. 378 c 2
Filius pius Asa ex impia matre. 433 b 1
Filii provinciæ quinam dicantur. 600 a 1
Quo pacto illos abiecerint Iudæi quos ex uxoribus alienigenis susceperant. 612 b 1
Filii sunt viva imago parentum. 612 a 2
Filiorum decus ac dedecus redundat in parentes. 661 b 1
Filii sunt baculus senectutis parentum. 662 a 1
Filii Titan qui. 697 a 2
Quid Scriptura S. per eos intelligat. 698 b 1
Flagellatio per angelos Heliodoro deposita e templo auferre conanti facta, acrior fuit omni flagellatione hominum. 803 a 1
Flagellum Dei fuit Attila Hunnorum rex, et alii. 743 b 2
Florentius pater S. Gregorii Turon. simili modo fuit curatus quo Tobias senior. 664 a 1
Flumina ab exercitu Xerxis fuere siccata. 697 b 1
Fluxus maris cessavit in solstitio Iosuano. 46 d 2
Fœdera cum impiis toti regno perniciosa. 458 a 1 - 460 b 2
Fœdus a Iuda Machabæo cum Romanis initum an causa subactionis Iudææ. 764 a 2
Fuit prudenter initum. 768 d 1
Fœdus iniit Ionathas cum Bacchide. 770 c 2
Illud inire cum idololatris quando licitum, quando non. 764 c 1
Vide Pax.
Fœminæ cavendæ. 419 a 1
Propagant idololatriam et hæresim. 430 c 2
Fœminarum aspectus quam sit periculosus, et perniciosus. 687 b 2
Per fœminas multi superbi occisi. 692 a 1
Ipsis Parthopersæ convivia et virorum aspectum interdicebant. 704 c 2
Fœmina formosa illicique nihil illecebrosius. 704 d 2
Fœminæ Iudææ et Persicæ cur ungi solitæ. 707 c 2
Fœminæ sunt philocosmæ. 707 d 2
Fœminarum martyrum filios ad sui imitationem incitantium exempla. 818 c 2
Vide Mulier.
Fœmoralibus non utebantur Iudæi laici, sed soli Sacerdotes. 324 b 1
Fœtor in elephantis quam gravis. 757 c 2
Fons draconis in urbe Ierusalem cur ita dictus. 617 d 2
Fontis porta eiusdem quæ. ibidem - 619 b 2
Fons iuxta Bethuliam in quo se lavit Iudith, adhuc extat. 690 b 1
Fontis et solis analogiæ. 722 b 1
Fons est quasi oculus terræ. ibidem
Fons solis mystice repræsentat B. Virginem. 722 b 2
Fornicationis tentatio laboribus vincenda. 257 c 1
Fornicatio iuvenum punitur per uxores molestas. 330 d 1
Fornicatio cur nominatim vetita ab Apostolis, gentibus ad Christum conversis. 651 c 1
Fortitudo bellica gratis data. 88 c 1
Fortitudinis virtus deest peccatori. 299 a 1
Tentatus eam a Deo petat. ibidem
Ea cælum expugnandum. 361 c 1
Fortitudo et prudentia omnibus necessaria. 402 b 2
Fortitudo est una ex præcipuis dotibus ducis. 722 d 2
Fortitudine (cum) bellica timor Dei, cultus et pietas coniungenda. 751 a 1
Fortitudo Iudæ Machab. 766 c 1 - 767 a 1
Eam imitati sunt primi gentilium duces. 767 c 1
Fortitudo passiva fratrum Machabæorum. 813 d 1
Et Eleazari. 811 a 2
Fortitudo militum consistit in innocentia et iustitia. 832 c 1

Fortuna contraria utilior prospera. 419 c 1
Forum statui solet in media civitate, cur. 712 a 1
Francisci (S.) documentum contra præsumptionem. 326 d 2
Franciscus (S.) spe gloriæ futuræ omni pœna delectabatur. 645 a 1
Franciscus (S.) Xaverius moliens Sinarum conversionem mortem obiit. 768 d 1
Fratre (a) affligi durius est quam ab extero. 622 a 1
Frater subinde usurpatur pro marito. 728 b 2
Frater fratrem odit et supplantat, dum agitur de honore et ambitu. 806 d 1
Fratres pro imperio certantes. 732 b 2
Fratricidarum exempla. 119 a 2
Fratrum septem Machabæorum historia quando contigerit; singulorum nomina et genus. 813 a 1
Unde dicti sint Machabæi. ibidem
Qua ætate passi. 813 b 1
Excitant sese mutuo ad constanter et fortiter patiendum. 814 b 1
Habuerunt spem vivam resurrectionis et gloriæ æternæ. 815 a 1
Acre et illustre fuit horum martyrium, ideoque præ aliis sanctis veteris testamenti eorum festum celebratur. 815 b 2
Ad similia toleranda quæ eos stimularint. 815 d 2
Fuere typus Christi. 818 a 1
Horum triumphum miris encomiis celebrant multi Patres. 818 c 2
Quomodo imitandi. 819 b 1
Singuli fuere veri vates ascripti Sanctorum catalogo. 819 b 2
Extat eorum Ecclesia Coloniæ Agrippinæ. ibidem
Primus Fratrum Machabæorum nomine *Machabæus* constanter Antiocho respondet, eiusque minas parvipendit. 813 a 1
Duriter cruciatus Antiocho maledicit. 814 a 1
Secundus nomine *Aber* martyr efficitur. 814 c 1
Tertius qui *Machir* dictus erat, ad pœnam postulatus multa tyranno exprobravit. 814 b 2
Quartus Iudas appellatus, et *Quintus Achas* nomine, cur plus passi quam priores. 814 d 2 - 815 c 1
Sextus Areth dictus magnitudine animi par, sed humilior cæteris. 815 d 1
Septimus Iacob regem alloquitur eique insultat. 817 a 2
Prædixit salutem Israeli. 817 d 2
Eius martyrium cur atrocius quam cæterorum. ibidem
Fridericus Bohemiæ rex a Boleslao II. triplici prælio victus, quo pacto eumdem vicerit. 750 c 1
Fructus sex eleemosynæ. 650 a 2 et seqq.
Frugalitas priscorum. 166 b 2 - 213 d 2
Frugalitas primorum Christianorum in conviviis. 680 b 2
Item primorum Persarum, Cyri et Augusti. 703 a 1
Frumentariæ rei præfecti sunt Romæ et alibi. 682 b 2
Frumentum et pabula antequam inchoetur bellum congreganda. 677 b 1
Fugere sæpe idem est quod celeriter abire. 766 b 1
Fugere turpe est generoso duci. 766 c 1
Fugere dum non potest miles, acer est stimulus ad pugnandum. 769 b 1
Fugiunt dignitates devoti, studiosi S. Scripturæ et vere humiles. 121 a 1
Fulmina (per) contrivit Deus varios exercitus. 206 c 2
Fumus cordis piscis callionymi quomodo expulerit dæmonem. 656 b 1
Aliquid physice efficiebant quo fugabatur dæmon. 659 b 2
Mystice, est oratio nostra valori meritorum Christi subnixa. 664 a 2
Funes quibus ligandus est diabolus. 660 b 2
Funiculus coæquans terræ quis. 320 b 2
Furtum idolorum olim Iudæis vestitum. 831 d 2
Illud committentes milites Iudæ, fuerit peccatum mortale an veniale. 832 b 1

G

Gabaa Hebraice significat terram clivosam et montosam. 676 a 2
Gabaonitæ postulantes omnes posteros Saul ad crucem non excusantur ab iniustitia, nisi forte per instinctum Dei. 356 c 1
Gabriel (S.) Archangelus hominum præliis præfectus est. 649 b 1
Hebraice idem est quod fortitudo Dei. 654 b 1 - 693 b 1
Fuit Incarnationis Verbi nuntius, et custodiæ B. Virginis deputatus. ibidem
Gaddis, id est acervus vel cumulus frugum. 741 c 1
Galatia sub quod tempus a Romanis subacta. 762 a 2
Galilæa superior quæ, et cur dicatur etiam Galilæa gentium. 640 c 1
Galli olim sapientes suos vocabant Druydas. 608 a 1
Galli cum Attalo pugnantes per iter aurum et argentum sparserunt. 750 d 1
Garizitanum templum Iovi hospitali dedicatum. 810 a 1
Gaspar (P.) Barzeus, Armuzii Samson. 147 d 2
Gaudium Domini accipitur et active et passive. 627 b 2
Gaudentibus de Deo, novam gratiam, vires ac robur suggerit Deus. 627 c 2
Gaudium spiritus vitales et animales multiplicat, excitat et acuit. 627 c 2
Gaudiis sæpe vicina sunt tristia. 690 c 2 - 705 a 2
Gaudium beatorum in cælo repræsentatum per festum Phurim. 720 b 2
Gaudium impiorum breve est. 770 a 1
Gaza a Iosue capta, mox occupata a gigantibus. 48 c 1
Gazabar dicitur a gaza, idemque est quod thesaurarius. 599 c 1
Gazara urbs ubi sita. 784 d 2
Per eam non intelligitur Gazer. 790 b 1
Gedeonis fortitudo. 104 b 1
Licite petit signum ab Angelo. 104 b 2
Non sacrificavit dum carnes Angelo obtulit. 105 a 1
A Deo factus est Sacerdos. 106 d 1
Accipit donum fortitudinis. 106 d 2
Non peccavit petendo signum roris in solo vellere. 107 a 1
Qui instar canum biberunt, manu aquam iniicientes, a Gedeone electi in milites. 110 b 1
Apposite significatus per panem hordeaceum. 111 b 1
Eius fides promerita est victoriam contra Madian. 113 a 2
Typus Christi. 113 b 2
Placavit Ephraimitas humiliando se. 114 b 1
Eius peritia in bello. 114 a 2
Offertur ei monarchia post debellatum Madian quam non habebat. 115 c 2
Sed eam recusat. 115 d 2
Ephod quod fecit fuit vestis Pontificalis. 116 c 1
Serarius opinatur eum etiam post victoriam per se sacrificasse. 116 a 2
Non peccavit faciendo Ephod. ibidem
Nisi forte venialiter ob eamque culpam punitus est deletione posterorum. 116 c 2
Mortuus in senectute bona. 117 c 1
Gedor quæ et Gador civitas, ubi sita. 790 b 2
Postea vocata est Cedro. ibidem
Gehenna significatur per arborem Absalom. 349 d 1
Geiza dux Hungariæ non permittitur a Deo ædificare Ecclesiam. 317 c 1
Gelboe montes ubi siti. 299 c 1
Eis videtur maledicere David. ibidem
Sed non serio maledixit. 299 d 1
Sunt multis locis steriles. 299 a 2
Sed super eos aliquando pluit. ibidem
Significant superba Iudæorum corda. ibidem
Item tepidos et irreligiosos. 299 b 2
Genealogia Tobiæ senioris. 640 a 1
Genealogiis (in) Scriptura aliquorum generantium nomina sæpe tacet. 171 b 2
Generosi est insidias et pericula præcavere. 836 a 2
Gentilium regum pietas. 608 b 2
In ædificatione urbis sacrificabant gentiles Libero patri, cur. 619 c 1
Apud eosdem portæ et muri sacri erant. ibidem
Gentiles quomodo manibus suis parentarent. 652 a 1
Gentilium matronarum castitatis exempla. 683 b 1
Gentiles thyrsos dicabant Baccho. 696 b 2
Sorte quasi divinatione utebantur ad scrutanda occulta et periculosa. 710 d 2
Gentiles olim per Iudæos bello capti an recte iussi sint circumcidi. 743 d 1
Solebant libris sacris Iudæorum abuti ad superstitiones suas et ritus gentilitios. 747 c 2

Profanant sacras historias traducendo eas ad deorum suorum fabulas. 747 c 2
Variæ eorum transformationes. ibidem
Multorum pro gloria dimicantium exempla. 767 d 1
Etiam pretiosa sua in templo deponebant. 802 c 1
Fingebant reges post mortem in deorum numerum referri. 828 d 1
Genu utrumque flectendum in oratione. 409 b 1
Germani (S.) miræ confidentiæ in Deum exemplum. 680 b 1
Germani auspicia observabant olim ex duellis. 302 b 1
Germani, cum multa Turcarum millia cecidissent, præpropere ad spolia dilapsi ab iisdem cæsi. 750 c 1
Germania superior et inferior unde ita nominata. 640 c 1
Geth, id est torcular, significat crucem Christi. 312 c 2
Gethæi Davidis milites sic dicti non a loco nativitatis, sed a loco habitationis. 341 b 1
Iudæi erant non Philisthæi. ibidem
Giezi non suscitavit mortuum, quia inobediens, honoris cupidus et irrisor. 474 b 2
Non fuit proprie simoniacus munera petens a Naaman. 479 b 2
Peccavit simonia mentali. 479 c 2
Dat ei Eliseus quæ suo nomine a Naaman acceperat. 480 a 1
Lepra punitur, et ab Eliseo dimittitur. 480 a 2
Gigas symbolum rari roboris et fortitudinis. 746 b 1
Gigantes olim fuere vastissimi et robustissimi. ibidem
Gigantes a gentilibus transformati in Titanes. 747 c 2
Gladius in Scriptura quid significet. 367 b 1
Gladius mortificationis adhibendus dum orationi aliisque piis virtutum actibus insistimus, cur. 621 b 1
Gladium suum Capaneus numen fecit. 839 a 1
Gladius quem Ieremias Propheta Iudæ Machab. præsentavit, qualis. 839 d 2
Datur regibus cum inaugurantur, cur. 840 a 2
Per gladium aureum intelligitur S. Scriptura. ibidem
Gloria bonorum operum debetur Deo. 333 b 1
Gloria huius mundi exilis est et brevis, cælestis immensa et æterna. 743 b 2
Gloriam Dei veram captavit Iudas Mach. 766 b 2
Vanam et stolidam primi gentilium duces. 767 c 1
Gloriatio superba multis exstitit causa belli. 672 a 2
Ob quam punitur Arphaxad. 673 d 1
Gnidus est Asia extrema prope Halicarnassum. 774 d 1
Gnomæ Philosophorum ad funus Alexandri Magni accurrentium. 738 a 1
Et Græciæ sapientum de breviloquentia. 800 a 2
Godefridus Bullonius fuit vasto validoque corpore æque ac animo. 746 a 1
Gorgias unus ex tribus ducibus Antiochi et Lysiæ, noctu invadit castra Iudæ. 749 a 1
Sed ipsemet a Iuda oppressus est. 749 b 1
Græcanicæ deliciæ perdiderunt Romanos. 778 b 1
Græci olim vocabant suos sapientes Philosophos. 608 a 1
Græci suis pergræcationibus colebant Bacchum, quem e femore Iovis natum fingebant. 810 c 1
Græcorum anni dupliciter computantur. 828 b 1
Grammatici olim nuncupabantur, qui litteras versabant et obscuras poetarum sententias explicabant. 608 b 1
Gratiæ agendæ Deo in ærumnis. 341 c 2
Gravissimum in Scriptura aliquando ponitur pro plurimo. 738 b 2
Gregis porta urbis Ierusalem cur ita dicta. 619 a 1
Hæc erat versus Orientem. 619 a 2
Gregorii II. Pontificis Max. ad S. Germanum Patriarcham Constantinop. epistola. 699 b 1
Gregorius de Valentia male sentit Naaman ob idololatriam ab Eliseo recessisse. 478 d 1
Gregorius (S.) Turonensis in somnis accepit quomodo patrem suum ægrum curaret. 664 a 1
Gregorius (S). aras et templa idolorum a Christianis dirui solita, expianda decernit. 751 d 1
Suo tempore acies in cælo visæ belli Longobardici prognosticæ. 808 b 1
Gulæ incommoda. 90 a 2
Mater aliorum peccatorum. 189 c 1
Destruit virtutes animæ. 522 a 1
Gula quam sit improvida. 691 a 1
Et insana. 703 c 2
Ordinarie est libidini unita. 704 c 2
Gyges per annulum magicum faciens se invisibilem occidit Candaulem regem Sardorum. 704 a 2
Gymnasium quid, quale olim Iudæi a vera religione apostatantes Ierosolymis ædificarint. 738 a 2 - 805 b 1
Gysium vocat Iosephus murum interiacentem inter atrium sacerdotum et laicorum. 769 b 2

H

Hadasa, sive Esther, idem est quod myrtus. 701 a 1 - 706 c 2
Videtur esse Atossa mater Xerxis. 706 d 2
Hæredes quatuor primarii inter duodecim Alexandri magni. 737 c 2
Hæreditaria bona posteris transmittenda. 455 c 1
Hæresis incipit a vilibus ministris. 425 a 2
Hæresis comes est impuritas et libido. 738 a 2
Hæretici designati per vulpes Samsonis. 141 b 2
Inter eos periculosum habitare. 164 a 1
Hæretica uxor periculosa. 418 a 1
Hæretici multi fiunt athei. 425 a 2
Opponit illis Deus suos antagonistas. 436 b 1
Cum Hæreticis communicatio fugienda. 603 a 1
Hæretici sunt hirundines cur. 643 c 2
Hai tempore Esdræ reædificata. 39 a 2
Infideliter eius excidium narrat Iosephus. 39 c 2
Hamda magna urbs primaria Medorum. 721 c 1
Hamula est vas infusorium. 405 d 1
Hanani cognatus Nehemiæ custos urbis Ierusalem constitutus. 626 a 1
Hananias præfectus palatii regii in monte Sion. 625 a 2
Hannibal quo stratagemate ceciderit Romanos. 749 a 1
Hic in Africa copiosos elephantes eduxit. 757 c 2
Eum Capuanæ enervarunt et perdiderunt deliciæ. 778 b 1
Harbona eunuchus Assueri. 716 b 2
Hasdrubal cæsus a Romanis quo stratagemate. 749 a 1
Hebe uxor Herculis unde dicta. 805 b 1
Hebræi aliqui in deserto manna contenti non fuerunt, sed emptis carnibus vescebantur. 10 a 1
Præ ignavia neglexerunt occupare aliqua loca sibi debita. 40 a 1
Hebræorum verba sæpe actum inchoatum tantum significant, non perfectum. 74 b 1
Eorum prima servitus sub Chusan propter idololatriam. 87 d 1
Variis servierunt tyrannis 111. annis. 89 d 1
Inermes armatissimos milites Sisaræ debellarunt. 97 d 2
Virgines eorum poterant viris alterius tribus nubere. 127 b 1
Iuramentum. 164 d 1
Tota gens, magnus Propheta. 173 b 1
Filii eorum triennio lactabantur. 179 d 2
Vix habebant equites in exercitu, sed pedites. 197 b 1
Ob quatuor causas petierunt regem. 208 a 2
Sed peccarunt petendo. 208 b 2
Prisci assidebant mensæ, non accumbebant. 213 a 2
Ceremoniæ eorum in unctione regis. 215 a 2
Comburebant regum suorum cadavera. 295 c 2
Hebræa uxor septem diebus plangebat maritum mortuum, post quod tempus poterat alii nubere. 328 b 2
Hebræa poesis periit. 388 a 2
Hebræa nomina multa significant. 405 b 1
Hebræorum error quod Semei fuerit pater Ieroboam. 420 d 1
Eorum gnomæ de quatuor bonis. 423 a 2
Eorum reditus in Ierusalem fuit lætissimus, 601 b 2
Nepotes quoslibet vocant filios. 605 a 1
Hebræi in Babylone linguam hebraicam corruperunt. 595 b 2 - 603 c 1 - 627 c 1
Tecta domorum eorum erant plana. 628 a 1
Cur instituerint festum dati Ignis. 634 b 1
Quot annis habitarint in Ægypto. 678 a 2
Accepto aliquo insigni beneficio solebant canere psalmum *Confitemini*, etc. 693 a 2
Ieiunium vocant humiliationem. 726 a 1

Hebræi omnes regiones transmarinas vocant insulas. 737 b 1
Utebantur mensibus lunaribus. 602 a 1 - 751 d 2
Erant polyonomi. 758 d 1
Eorum error dicentium ignem sacrum defuisse in secundo templo. 796 d 1
Hebraicas literas, quibus etiamnum utimur, invenit Esdras. 595 a 2
An etiam puncta quæ Hebræis sunt loco vocalium? ibidem
Hebron a Iosue expugnata, mox recuperata a gigantibus. 48 c 1
Est locus sanctissimus. 340 b 2
Hedera cur dicata Baccho. 810 c 1
Helenus Priami filius Troia eversa novam urbem condens vocavit eam Troiam. 600 b 2
Heli primus pontifex ex stirpe Ithamar. 177 a 1
Fuit simul princeps ecclesiasticus et sæcularis. ibidem
Interpretatio nominis quadrat eius moribus. ibidem
Peccavit non corripiendo suos filios. 189 c 1
Promisit Deus successionem pontificatus eius filiis, sed conditionate. 192 a 2
Punitur propter peccata filiorum 194 b 2
Resignat se in manus Dei punituri. 194 d 2
Maiorem habebat curam arcæ quam filiorum. 197 a 2
Aliqui asserunt damnatum. 197 c 2
Melius alii salvatum. 197 d 2
In principatu ei succedit Samuel, in pontificatu Achitob. 198 a 2
Heliocallide perungebantur magi et Persarum reges; unde confecta. 707 c 2
Heliodoro e Seleuco ad expilandum templum misso apparuerunt Angeli. 802 c 2
Eumque flagellarunt. 802 d 2
Fit supplex Oniæ. 803 a 2
Regem se fecit. ibidem
Heliopolis Ægypti urbs sic dicta a cultu solis. 629 b 1
Heliopolitanum templum a quo constructum. 793 b 1
Henricus VIII. rex Angliæ, punitus ob incestum cum Bolena. 378 b 2
Heraclius Imperator, victo Cosroa Persarum rege, Ignis ædem combussit. 728 c 2
Heraclius, quia procero validoque corpore æque ac animo, eximius fuit bellator. 746 a 1
Hercules Syrorum ac proprius Tyriorum Deus: unde dictus Tyrius. 805 c 2
In eius honorem celebrabatur agon quinquennalis. ibidem
Herodes Ascalonita et nepos eius Agrippa morbo pediculari afflicti. 823 b 1
Herodotus depravat res iudaicas. 200 c 1
Item historiam de cæsis Assyriis sub Sennacherib. 587 a 1
Item de Pharaone Necao. 590 a 2
Heroica opera, calumniis exposita. 115 a 1
Heroinæ aliquot quæ Iudithæ nomen, et cum nomine virtutis imitationem ambivere. 699 a 2
Hethæi viri pugnacissimi. 8 c 2
Hiberni aliqui currunt celerius quam equi. 302 d 1
Hieronymi (P.) Prado sententia de Cherubinis arcæ refutata. 553 c 1
Hieronymus (S.) non temere addidit aliqua verba Iud. 90 c 1
Dum videtur destruere sensum litteralem S. Scripturæ, quomodo explicandus. 372 a 2
Hilaria (S.) mater S. Afræ martyris, martyr efficitur. 707 d 1
Hilaria (S.) Claudii tribuni et martyris uxor, capta a Paganis hilaris emisit spiritum. ibidem
Hilarion (S). recusat acceptare munera in pauperes distribuenda. 478 a 1
Hiram rex Tyri cognovit Deum verum. 389 b 1
Fuit usufructuarius urbium Galilææ. 411 a 1
Secundum Iosephum urbes non acceptavit. 411 b 1
Hirundines (per) denotantur garruli et susurrones. 643 d 1
Cur dicantur aves liberæ. ibidem
Earum stercus, quia siccum, calidum et urens, naturaliter excæcat. 643 a 2
Pulli earum excæcati oculantur chelidonia. ibidem
Mira de iisdem. 643 b 2
Mystice sunt adulatores, hæretici ac dæmones. ibidem
Hispani rustici iusta de causa incedunt gladiati. 91 c 2
Hispani in Peru et Mexico urbibus suis indunt nomina urbium Hispaniæ. 600 b 2
Olim cum orarent, gladium ad manus habebant ut hostes propellerent, et nunc etiam rustici gladiati incedunt. 621 a 1
Apud Hispanos Mauri non admittuntur ad Magistratus. 635 a 1
In Hispania olim fuere auri et argenti fodinæ feracissimæ. 763 a 1
Et etiamnum ibi esse testantur multi. ibidem
Hanc quomodo subegerint Romani. ibidem
In ea præclara gessere Scipio Africanus et alii. 763 b 1
Historiæ sacræ et profanæ differentia. 172 b 2
Historia Esdræ et Nehemiæ quando contigerit. 595 b 2
Item historia Iudith. 670 b 1
Et Estheris. 700 b 1 - 706 d 1
Historia Estheris etiamnum legitur a Iudæis decima tertia die mensis Adar. 719 a 1
Historia Antiochi et Demetrii. 788 a 1
Historia septem fratrum Machabæorum quando contigerit. 813 a 1
Historici gentiles imperfecte res Iudaicas tractant. 439 a 1
Historici, cuius est historiæ fabricam construere cum architecto comparatio. 800 c 2
Quod sit eius officium. ibidem
Hoda idem est quod confiteri, laudare, celebrare. 682 a 1
Hollandi urbes vastas obsidentes quo pacto eas ita vallo cingant ut illis succurri nequeat. 624 b 2
Holocaustum proprie sacrificium quo tota victima cremabatur; latius sumitur pro qualibet hostia. 609 a 2
Holofernes, quis, qualis ac quantus. 674 a 1
Eius etymon. 674 b 1
Captus est amore Iudith. 687 b 2
Amoribus ebrius ac vino immersus obtruncatur. 690 b 2
Fuit natione Persa. 691 a 2
Holofernes noster est gula, superbia, avaritia, etc. 692 d 1
Est typus diaboli cuius caput B. Virgo contrivit. ibidem
Homerus poeta sapientissimus quando natus. 421 c 2
Græcorum Salomon, Salomoni coævus. 523 a 1
Homeri Ilias ita minutis litteris scripta fuit ut tota cortici nucis includeretur. 800 d 1
Homicidium sui ipsius quando licitum. 837 b 1
Homilia de Absalomo inter opera Chrysostomi non videtur eius, sed Latini auctoris. 340 b 2
Homo a natura inclinatur ad amorem filiorum, ut eos gloriosos post se relinquat. 318 c 2
Homines ad Deum dirigere finis templi. 408 d 1
Homo mortuus per peccatum. 441 d 2
Hominis summum opus sacrificium. 443 b 1
Non ad hominem, sed ad Deum confugiat. 448 d 1
Non ponit legem Deo, sed accipit. ibidem
Cum hominibus perversis non conversandum. 652 b 1
Hominis proprium est mente cælum contemplari, quæ infra se posita sunt despicere. 656 a 1
Homini inter peccata undique constricto ita ut nullus omnino sine peccato evadendi aditus pateat, quid agendum. 656 d 2
Homo sibi ipsi apparens iustus et candidus per Tobiam cæcum adumbratus. 664 a 1
Hominis fastus quo aliquando assurgat. 676 a 2
Homines Christiani in angustiis et periculis constituti Dei opem implorent. 768 b 1
Vide Christiani.
Honestas in Scriptura sæpe significat divitias. 695 c 1
Honor parentibus debitus commendatur. 650 b 1
Honor huius mundi papilioni comparatur. 713 b 2
Numquam certam tenet viam. 713 c 2
Honorum et dignitatum pericula. 208 c 1
Mutant mores. 486 c 1
Honorius Imp. cur sustulerit ritum Iudæorum, crucem ligneam in contumeliam Amani circumferentium. 720 d 2
Horeb est mons Sinai. 448 c 2
Hortus in quo Assuerus convivium suum instituit, repræsentat Ecclesiam. 704 b 1
Hospitalis Iuppiter unde sic dictus. 810 b 1
Eidem templum dedicatum in monte Garizim. ibidem
Hospitalitas laudata. 440 c 1
Hostes meticulosi facile vincuntur. 754 b 2
Hosti danda est fugæ potestas ne clausus ex despe-

ratione pugnet; probatur exemplis. 781 a 2
Hostes captos vel capiendos dimittens civium salutem prodit. 825 c 2
Hostium animos blasphemando irritare quam stultum. 826 a 2
Humanæ vitæ brevitas. 268 a 1
Humatio cæsorum militum. *Vide* Sepelire, Sepultura.
Humiliatio superborum ac exaltatio humilium est argumentum libri Esther. 700 a 1
Exaltatur humilis Mardochæus, humiliatur superbus Aman. 715 b 1
Humilitatis exempla. 67 a 2
Humilitas vera gloria. 315 b 1
Humilitas Miphiboseth coram David. 323 c 1
Humilitas Iesbaam et Sanctorum. 361 c 2
Humilitas B. Iuniperi Franciscani. 447 b 1
Humilitas conservatur in Sanctis a Deo, obiiciendo illis timores ac tentationes. ibidem
Humilitas et resignatio Mosis. 547 b 2
Humores melancholicos quæ minuunt, infringunt actionem et vexationem dæmonis. 656 a 2
Hunericus Wandalorum rex morbo pediculari fuit punitus. 823 c 1
Hungari ab aratro prosiliunt ad arma. 621 a 1
Hungarorum laus ob invocatum nomen Iesu ante conflictum. 112 c 2
Hymnum, *Regina cæli*, *lætare*, accinuerunt Angeli B. Virgini Romæ. 713 c 1
Hypericon infringit actionem et vexationem dæmonis. 656 a 2

I

Iabin rex Asor princeps aliorum Chananææ regulorum. 49 a 2
Erat nomen commune omnis regibus Asor. 49 b 2
Iacob, nomen septimi Machab. fratrum. 813 a 1
Vide in v. Fratrum Machabæorum.
Iactar quid significat. 598 c 1
Iaddo pontificalibus indutus occurrit Alexandro Magno. 633 b 1
Fuit Pontifex sub Dario Codomanno et Alexandro. 633 c 1
Iagello Polonos docuit legem Christi. 9 b 2
Iahel non obstante pace potuit Sisaram occidere. 94 b 2
Fecit id instinctu Dei. 94 c 2
Typus fuit Ecclesiæ et B. Virginis. 95 b 1 - 95 b 2
Iamnia a Iuda Machab. exusta quantum distet a Ierusalem. 830 a 2
Hic milites Iudæ delubra idolorum expilarunt. 830 b 2
Ianitorum templi magna dignitas. 550 b 2
Ianuarius (S.) qua ratione coronam martyrii adeptus sit. 642 a 1
Iaso eadem est quæ Ioppe. 786 c 1
Iason filius Eleazari, quem Iudas Romam misit quis. 764 c 1
Iason Cyrenensis fuse scripsit historias libri secundi Machabæorum. 731 a 2
Fuit Iudæus. 800 c 1
Et verus Dei cultor. ibidem
Iason pseudopontifex frater Oniæ sancti.
Vide. Iesus sive Iason.
Idololatria maximum peccatum. 103 a 1
Idololatris (cum) fœdus inire quando licitum, quando non. 764 c 1
Idolorum vanitas. 225 a 2
Idolum Iovis Olympii collocarunt Antiochistæ in altari holocaustorum. 751 d 1
Idolorum furtum olim Iudæis vetitum. 831 d 2
Idumæi primo habuere duces, mox reges, deinde iterum duces. 525 b 2
Regnum Idumææ non fuit hæreditarium. ibidem
Iob secundus rex Idumææ. ibidem
Idumæi transfigurati in Ammonitas oppugnant Iudam. 573 a 1
Idumæi invadere volentes fratres suos Iudæos, vocabant se Ammonitas, cur. 678 a 1 - 681 b 1
Idumæi perpetui Iudæorum hostes a Iuda Machab. cæduntur. 825 b 2
Iecur piscis callionymi an vere fugarit dæmonem ex domo Raguelis. 656 b 1 - et seqq.
In iecore est sedes amoris et concupiscentiæ. 657 c 2 - 741 c 2
Ieddoa. *Vide* Iaddo.
Iehova transformarunt gentiles in Iovem; a qua radice deductum. 747 c 2
Iehu bis unctus in regem Israel. 488 a 1
Dissimulat se unctum ne periculum vitæ incurrat. 488 a 2
Est vindex Dei. 489 c 1
Iubens occidi 70. filios Achab non peccavit. 491 a 1
Fuit probus ante regnum. 491 b 2
Excusatur a peccato eius mendacium de colendo Baal. 491 c 2
Eius mira cæcitas. 493 b 1
Præmium occisionis Baalitarum a Deo ei datur per Elisæum, non per Ionam. 493 a 2
Punitur propter idololatriam vitulorum. ibidem
Iehu propheta et martyr. 434 a 2
Iehu liber continet chronica regum Israel. 573 b 2
Ieiunii commoda. 206 a 1
Parit victoriam de hostibus. 238 b 1
Ieiunio armata oratio quam potens apud Deum. 609 a 2
Ieiunium in Dominica vetat lex Christiana, cur. 627 a 2
Publicum et solemne est symbolum pœnitentis. 629 a 1
Est funis quo ligatur dæmon, ne nobis noceat. 660 b 2
Solvit debitum sibi. 665 c 1
Melius quam murus tuetur. 677 b 2
Etiam a Iudæis et Turcis observatum. 683 b 1
Ieiunium unius fœminæ innumeros stravit exercitus Assyriorum. 690 d 2
Ieiunio Esther sibi decorem, populo liberationem, Amano crucem comparavit. 712 a 2
Quantæ fuerit efficaciæ. 716 c 2
Ieiunium vocant Hebræi humiliationem. 726 a 1
Iephte spurius. 127 a 1
Filius Galaad. ibidem
Accipit donum fortitudinis. 128 d 1
Vovet immolare primum animal vivens e domo sua sibi occursum. 128 a 2
Votum illud multi censent impium. 128 b 2
Alii pium. 128 d 2
Alii votum damnant, sed intentionem excusant. 129 b 1
Mysteria latent in filiæ Iephte immolatione. 129 d 1
Animositas filiæ eius. 129 c 2
Iephte typus Christi. 130 c 2
Ieremiæ Prophetæ descriptiones quænam dicantur. 798 a 1
Multi eius libri periere. 798 b 1
An ipse tulerit arcam in montem Nebo. 798 c 1
Eius vaticinium de arca non revelanda quando impletum. 799 c 1
Cur ipse præ aliis Prophetis apparuerit Iudæ Mach. 839 c 2
Non vere et realiter tradidit Iudæ gladium. 839 d 2
Ieremiel nomen angeli interpretatur magnitudo Dei. 637 c 1
Iericho ob fœcunditatem ædificata ab Hiel. 435 d 2
Ieroboam non est filius Semei. 420 d 1
Peccavit rebellando Salomoni. 420 b 2
Est figura hæreticorum. 420 d 2
Mira eius infidelitas. 421 b 1
Quare Deus ei suum cultum sic inculcet. 421 c 1
Datus Israeli rex in pœnam peccatorum. ibidem
Eius consilium politicum de vitulis adorandis sibi et suis perniciosum. 424 c 1
Eius stoliditas et impietas. 424 d 1
Est exemplar Machiavellistarum. ibidem
Cur vitulos colendos proposuerit. 425 a 1
Eius idololatria et scandalum. 425 b 1
Viles constituit sacerdotes. 425 c 1
Se facit caput Ecclesiæ. 425 c 2
Eius obduratio. 426 b 2
Expellit sacerdotes Aaronicos. 428 c 2
Eius familia eversa ob idololatriam. ibidem
Et eius filius occisus ob idololatriam. 429 b 1
Fuit filii sui parricida. 429 b 2
Ierusalem urbis varia nomina. 45 a 1
Eius descriptio. 45 b 2
Pertinet ad tribum Beniamin, sed iure belli occupata est a tribu Iuda conniventibus Beniaminitis. 60 b 1 - 81 c 1
Aliqua eius pars vere pertinet ad tribum Iuda, sed

potior ad Beniamin. 60 d 1
Fuit expugnata a Iosue, sed non eius arx. 62 a 2
Combusta ob rebellionem, et ut purgetur de idololatria. 81 c 1
Est a Domino electa. 430 a 2
Capitur a Sesac. 431 a 1
Diripitur, sed non evertitur. ibidem
Cur Sesac eam invaserit. 565 a 1
Ierusalem olim vocabatur et erat urbs sancta, cur. 619 b 1
Duodecim habebat portas, ad singulas mundi plagas quatuor, et quænam illæ. 619 c 1
Erat in suos vicos distributa. 619 c 2
Ad eam incolendam decima pars plebis delecta. 631 b 1
De Ierusalem terrestri et cælesti vaticinatur Tobias. 667 b 1
Ierusalem frustra obsidetur a Bacchide et Alcimo. 766 a 1
Quomodo Demetrius velit eam esse sanctam. 773 b 1
Et Antiochus Sedetes. 789 a 1
Quomodo sancta. 801 a 2
Iesbaam filius Hacamoni princeps fortium David. 361 a 2
Eius sapientia. 361 b 2
Eius humilitas. 361 c 2
Typus Christi. 361 d 2
Iesse alio nomine vocatur Naas. 347 b 2
Numquam peccavit mortaliter contra Hebræos. ibidem
Iesu nomen quid possit. 225 c 2
A Patre missus in carnem ut Ecclesiam veterem labentem restauraret, et in novam transformaret, etc. 614 b 2
Fuit Sanctus Sanctorum, et Sapiens sapientium. 614 c 2
Nullum laborem, aut periculum pro Ecclesiæ et animarum salute detrectavit. 615 a 2
Spe futuræ resurrectionis et ascensionis gloriosæ sustinuit crucem. 644 d 2
Post fel, favos et mella gustavit. 648 d 1
Ipse est Azarias, id est adiutor Dei. 654 d 1
Ipsius figura fuit piscis qui ad Tobiam de flumine ascendit. 656 c 2 - 664 a 2
Item Tobias ipse patrem illuminans. 657 b 1
Qualiter Christus ligaverit diabolum. 660 d 1
Ei omnes gentes et reges servierunt. 669 a 1
Instituens Eucharistiam repræsentatus fuit per Asuerum instituentem magnum illud convivium. 704 a 1
Nil negare potest B. Virgini quasi matri suæ. 713 c 1
Passionis eius dies fuere dies phurim. 720 c 1
Cur montes conscenderet. 726 b 1
Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. 727 b 2
Iesus Christus dedicavit Ecclesiam S. Dionysii Parisiis. 752 c 1
Christus moriens vicit ipsam mortem, diabolum, etc. 767 c 1
Est vera arca novi testamenti. 799 c 1
Est consummatio legis et Prophetarum. 841 b 2
Iesus sive Iason, Onia sancto fratre eius eiecto, Pontificatum invasit. 738 d 1
Fuit dux Iudæorum ad gentilismum apostatantium. ibidem
Similiter Pontificatu extrusus fuit a Menelao. 802 a 1
Misit trecentas didrachmas pro sacrificio Herculis. 805 c 2
Sed mortuo Epiphane rediens ex Ammonitide, Ierosolymam invadit, sed expellitur. 808 a 2
Apud Spartanos tandem misere in exilio vitam finiit sepultus sepultura asini. 808 b 2
Iesus filius Iosedec populi e Babylone in Ierusalem reducis dux in Ecclesiasticis. 602 a 1
Ierichuntis descriptio, laus et etymon. 12 b 2
Iezabel impia est typus avaritiæ. 455 a 2
Eius vana animositas in morte. 489 b 2
Eius etymon a stercore. ibidem
Ignatius (S.) Episcopus Antiochen. sepultus secus Daphnem. 806 b 2
Ignatius (S.) cum novem sociis secedens Societatem Iesu instituit. 809 a 2
Ignis a Deo missus in signum quod sacrificium sit gratum. 368 b 2
Symbolum Deitatis. 443 a 2
Ignis per flammam sese agitans videtur vivere. 659 a 1
Præferri solebat regibus et principibus Assyriorum. 676 a 1 - 687 a 2
Ignes in castris excitantur ad fallendum hostes. 781 c 1
Ignis sacer a sacerdotibus in puteo absconditus, primitus a Deo fuit datus Aaroni. 795 b 2
Quando missus Nehemiæ fuerit de cælo. 795 d 2
Et cur Nehemiæ præ aliis suis coævis. 796 b 1
Non defuit in secundo templo. 796 d 1
Mystice repræsentat Spiritum sanctum. 796 a 2
Templum igni fecit rex Persarum. 796 d 2
Ignem Persæ celebrant ut Deum. ibidem
Ignis est symbolum Dei et divinitatis. 797 a 1
Ilias Homeri cortici unius nucis inclusa. 800 d 1
Illuminationes de cælo quænam dicantur. 800 b 1
Immortalitas animæ cum resurrectione corporis necessario connectitur. 832 a 2
Immunitas a tributis aliisque oneribus publicis a rege Persarum Sacerdotibus aliisque templi ministris concessa. 608 b 2
Imperator sedulus et non cessator quid efficiat. 598 c 2
Imperatores Romani olim sibi arrogabant et nominabant Romanum Pontificem. 772 a 2
Imperfectiones aliquæ manent in homine ad eius utilitatem. 85 a 2
Impii a sacris non defenduntur, sed puniuntur. 197 d 1
Sunt lictores Dei ad punienda peccata iustorum. 343 c 2
Pendent a providentia divina. ibidem
Eorum regna brevia. 435 b 1 - 435 a 2
Impiorum conversatio fugienda. 652 b 1
Impiorum gaudium breve est. 770 a 1
Impii miracula Dei ascribunt magiæ. 804 a 1
Impleri ab ore ad os quid significet. 610 b 2
Imprecationes piorum exaudit Deus. 122 a 1
Impuri sacerdotes gravissime puniendi. 199 a 2
Impuritas comes hæresis et falsæ religionis. 738 a 2
Incarnatio Verbi fuit opus maximum divinæ potentiæ et fortitudinis. 693 b 1
Incestus a Deo punitus. 789 b 2
Incipiendum a Deo. 23 c 2
Sed bene incipere non sufficit, nisi bene finiatur. 244 d 1-245 a 1
Inconstantia hominum. 265 b 1
Incubi dæmones, qui, et an tales dentur. 657 d 1
Indi aliqui celerius currunt equis. 302 d 1
Indi Brachmanes olim vocabant suos sapientes gymnosophistas. 608 a 1
Indorum reges etiamnum multas uxores habent. 708 b 2
Indi etiamnum in præliis utuntur elephantis, cur. 757 b 2
India Orientalis, quando et quomodo aperta sit Vasco Gamæ. 653 a 1
Indignatio indignantem non sinit quiescere. 714 b 2
Infatuat Deus consilia prudentum. 341 d 2
Inferno (in) probabile est esse vermes corporeos. 698 b 2
Infidelitas Regum. 421 b 1
Infidelibus (cum) perversisque hominibus non conversandum. 652 b 1
Infideles aulici eiecti a Constantio. 492 d 1
Infirmitas humana etiam strenuissimos et peritissimos artis suæ aberrare facit. 767 c 2
Ingloria morte mortui. 123 c 2
Ingratitudinem impiorum sanctis compensat Deus. 281 d 1
Inhospitalitas est crimen Sodomæ. 155 a 1
Inimici charitate expugnandi. 281 c 2
Initium dissensionis Iuda et Israel. 353 a 2
Iniuriæ condonatio, vera magnanimitas. 281 a 2
Quomodo ferendæ. 282 a 2 - 285 b 1
Sunt contemnendæ. 219 c 2
Iniustitiæ iustus iudex et vindex est Deus. 714 b 2
Inobedientiæ mala. 189 a 1
Inobediens similis ariolo. 246 c 1
Propria voluntas eius idolum. 246 d 1
Inobedientia similis idololatriæ et magiæ. 246 a 1
Eius mala. 246 a 2
Inobedientia punita. 427 d 1
Insignia illius quem rex honorare voluisset, quæ. 715 b 1
Inspirationibus obediendum. 194 c 1
Insulæ ab Hebræis vocantur omnes transmarinæ regiones. 737 b 1
Interpretes qui scripserunt in librum Esther. 701 b 2
Interrasile opus idem quod sculpturæ, coronulæ et plectæ. 404 c 1

Interregna fugienda in libris regum ut chronologia servetur. 502 a 1
Ponendum in Israele. 501 a 1
Intricare proprium est dæmonum, ut extricare sanctorum Angelorum. 656 c 2
Invidia est malum diabolicum. 261 a 2
Est comes virtutis. 264 a 1
Eius mala. 275 b 1
Ioab peccavit acceptando duellum quod eius militibus obtulit Abner. 302 b 1
Occidit Abner, ne David eum præficiat exercitui loco suo. 304 d 1
Pœna quam ideo meretur. 304 a 2
Primus intravit arcem Sion per scalas, omnesque occidit excepto Areuna; inde confirmatur in principatu militiæ. 308 c 2
Peritia belli. 324 a 2
Eius modestia et fidelitas. 333 b 1
Peccavit occidendo Absalom, licet aliqui excusent. 349 d 1
Erat suspectus Davidi. 351 a 2
Cur occiderit Amasam. 354 a 2
In eo tamen peccavit. 354 b 2
Cur non numeretur inter fortes Davidis. 363 b 1
Proditorie occidit Abner et Amasam. 377 c 1
Cur David non per se, sed per Salomonem, eum occiderit. 377 d 1
Ex eius consilio Adonias ambit regnum. 379 a 2
Licite occisus in tabernaculo. 379 b 2
Ioachaz rex Israel orans impetrat salutem Israeli dandam non suo, sed filii tempore. 497 c 1
Miser status Israelis eius tempore. 497 a 2
Eius fortitudo. ibidem
Ioakim maior licet natu, postponitur a populo fratri Ioachaz in regno Iudæ. 519 b 2
A Pharaone tamen rex constituitur amoto Ioachaz. ibidem
Eius scelera. 519 c 2
Differentia inter Ioakim, et Ioachin. 520 c 1
Ioakim a Chaldæis capitur, solvitur, rursumque rebellans occiditur. 591 a 1
Stigmata in honorem idolorum inventa in eius cadavere. ibidem
Ioanni (S.) Chrysostomo apparuit S. Paulus tradens ei librum Evangelii. 840 d 1
Idem S. Chrysost. improbabiliter arguit Eliam crudelitatis. 448 a 1
Item zeli nimii. 449 d 1
Ipse est martyr. 455 b 2
Ioannis Simplicis Belgæ lepida simplicitas. 427 c 1
Ioannes Lucidus male affirmat Adam fuisse gigantem. 57 c 1
Ioannes (S.) Apostolus volumen oraculorum ab Angelo accipiens, creatus est Propheta. 840 d 1
In Apocalypsi sæpe alludit ad librum quartum Esdræ. 637 c 2
Fuit custos B. Virginis. 693 b 1
Quomodo in ultima cœna Christi in eius pectore recubuerit. 702 d 2
Ioannes Calvinus quomodo a Deo punitus. 823 c 1
Ioannes Hyrcanus auctor libri primi Machabæorum. 731 c 1 - 787 b 2
Fuit Propheta. 731 c 1
Præfuit Israeli annis triginta et uno, pacemque cum vicinis coluit. 731 a 2 - 791 b 2
Fuit filius Simonis Machabæi, quem proinde miris elogiis exornat. 787 b 2
Dux et Pontifex Israelis constituitur.
Cendebæum cædit. 791 a 1
Quam feliciter auspicatus sit suum principatum. 791 b 1
Cur cognominatus sit Hyrcanus. 791 b 2
Eius gesta præclara. ibidem - 842 c 1
Ioannes Machiadus Lusitanus quo fine duos suos filiolos occiderit. 837 a 2
Ioannes (S.) Eleemosynarius quo plura erogabat, eo plura a Deo recipiebat. 651 b 1
Ei in somnis apparet Eleemosyna habitu virginis. ibidem
Ioas rex Iuda in auguratione accipit Deuteronomium. 494 c 2
Iuste privat sacerdotes receptura pecuniæ ob negligentiam et iniustitiam. 496 b 1
Ob idololatriam a Zacharia arguitur, quem ideo occidit. 496 a 2
Eius tempore Carthago conditur, Lycurgus fert leges, et Olympiades incipiunt. 497 a 1
Ioas regi Israel promittit Eliseus auxilium post mortem. 497 b 2
Ter tantum percussit terram propter peccata. 498 a 2
Coluit Deum et simul vitulos. 499 b 1
Iob secundus rex Idumææ. 525 b 2
Iob adhuc vivens cur vocetur beatus. 644 b 2
Amici eius Eliphaz, Baldad et Sophar fuere reges. 644 a 2
In quibus fuerit similis Tobiæ. 645 b 2
Erat rex, et corona regia coronabatur. 728 a 1
Ioel primus præfectus urbis Ierusalem reædificatæ. 631 b 2
Ioiada pontifex iuste amovit Athaliam, regnumque dedit Ioas suo nepoti. 494 d 2
Fuit summus sacerdos. 576 b 1
Eius elogium. 577 b 1
Ionas propheta non est filius Sareptanæ viduæ. 441 a 1
Prædixit Ieroboamo regi Israel victoriam de urbibus quas Syri abstulerant Israeli. 500 a 2
Sub quibus et cum quibus prophetaverit. 500 b 2 - 502 c 1
Ionathan unus ex fortibus David secundi ordinis. 362 c 1 - 362 d 2
Ionathan pater Ieddoæ. 633 c 1
Ionathas Philisthæos præsidiarios e Gaba eiecit. 229 a 1
Instinctu Dei cum armigero invasit castra Philisthiim. 235 a 1
Eodem instinctu capit omen. 236 b 2
Ipsius conspectus hostibus formidabilis. 237 a 1
Philisthæos unitos aggressus est. ibidem
Typus Christi. ibidem
Miraculoso terræmotu eos turbavit Deus. 237 b 1
Non peccavit comedendo mel, sed patris legem reprehendendo coram populo. 238 b 2
Voluit Deus eius comestionem manifestari, ut scandalum cesset et quia male patris legem reprehenderat. 239 c 1
Amor eius in Davidem fundatus in similitudine morum. 260 b 1
Patri dissimilis. ibidem
Plus dilexit Davidem quam impium patris mandatum. 264 a 1
Vaticinatur Davidi regnum. 268 b 2
Mentitur ut salvet Davidem. 269 c 2
Est salvatus. 295 d 1
Ionathas filius Mathathiæ cur dictus sit Apphus, sive ira consilii. 741 a 2
Mortuo Iuda Mach. principatum suscepit. 768 c 2
Cæso hoste Iordanem transnatat. 769 c 1
Tota Iudæa cum suis exclusus Bethbessem munit; obsidetur, et hoste cæso ab obsidione eam liberat. 770 b 1
Pacem cum Bacchide init. 770 c 2
Cur sedem sibi elegerit in Machmas. ibidem
Recepta Ierusalem, pontificalia vestimenta induit et munia pontificis exercet. 772 b 2
Licite adiuvit Alexandrum contra Demetrium. 773 d 2
Magnis donis gratiam Demetrii iniit. 777 a 2
Instructus copiis Syriacis varias urbes expugnat. 778 b 2
Solus aciem inclinatam restituit et victoriam deperditam recuperavit. 779 c 1
Occiditur cum filiis ad Bascaman a Triphone, cur. 783 a 2
Quo anno. 783 b 2
Ioppe hodie vocatur Iapha: Turcis, Zapha. 675 b 2
Ioppen totius Iudææ portum commodissimum capit Simon Machab. 786 c 1
Nunc Iaso dicitur. ibidem
Pro ea solvit centum talenta. 790 b 1
Ioram rex Israel, licet infidelis, cilicio vult placare Deum. 483 b 2
Iurat se occisurum Eliseum. 483 c 2
Statim eum pœnitet mandati de Elisei cæde. 483 d 2
Iordanis divisio miraculosa. 17 d 1
Mons ex aqua natus, visus ad viginti leucarum spatium. 18 a 1
Iordanes ordin. S. Dominici II. generalis cur a Deo in mari submergi permissus. 768 c 1
Iosaphat rex Iuda peccavit, eo quod amicitiam et fœdera, etc. fecerit cum impio Achab. 458 a 1
Ideoque punitur. ibidem
Non abstulit excelsa Deo dicata, sed idolorum tantum. 460 b 1

Mausoleum in valle. 460 c 2
Eius zelus, reformatio Iudicum, et victoria precibus obtenta. 460 a 2 - 569 c 1
Unicum eius peccatum. 571 a 1
Iosedec fuit frater senior Esdræ. 594 a 2
Huic pontifici in Babylone mortuo successit filius Iesus. ibidem
Ioseph Patriarcha habuit possessiones in Ægypto. 533 a 2
Iosephi error de altari a Iosue facto de lapidibus Iordanis. 21 a 1
Falso narrat excidium urbis Hai. 39 c 2
Error chronologicus. 89 b 1
Eius mendacium. 221 a 2
Aliud eius figmentum. 237 a 1
Ornat suorum gesta. 240 d 2
Aliud mendum. 243 b 2
Iosephus Scripturæ contrarius. 98 a 1 - 338 c 2
Alius error. 361 d 2
Iterum alius. 365 b 2
Male numerat annos ab egressu Israelis ad templum ædificatum. 392 c 1
Alius error in computu Iosephi. 392 d 1
Alius. 394 b 1
Alius. 420 b 1
Alius. 428 c 1
Ridicula sunt quæ narrat de fonte aquarum ab Eliseo sanatarum, si non impia. 467 a 1
Multa falsa suis historiis interserit. 791 b 1
Eius error dicentis, voluisse tantum, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio. 824 a 2
Iosephus a Constantino Magno comes creatus quod Scytopoli inter Arrianos solus orthodoxus esset. 641 a 1
Iosiæ nomen prædictum 327. annis ante nativitatem. 515 a 1
Sacerdotes qui idolis sacrificarant, prohibet Deo sacrificare. 517 c 1
Similis ei in extirpandis idolis nullus. 518 d 2
Eius temeritas in bello contra Pharaonem punita. 519 a 1
Pia nomina dat filiis, sed frustra. 521 a 1
Occisus a Pharaone tempore pacis publicæ. 589 a 2
Idque propter inobedientiam. 590 b 2
Perierunt threni de eius morte compositi. 591 a 2
Iosue exemplar optimi Imperatoris. 5 b 1
Conscripsit sua diaria. 5 a 2
Eius laudes. 5 b 2
Primus hominum servavit virginitatem. 5 c 2 - 76 c 1
Eius nomen miraculosum. 6 a 1
In nullo culpabilis, in omnibus laudabilis. 6 a 2
Septem annis debellavit Chananæam. 6 b 2
Electus immediate a Deo, non ab hominibus. 7 a 2
Iosue typus Christi. 9 b 1 - 47 c 1 67 b 1
Ob virtutes eligitur a Deo dux Israelis. 9 a 2
Eius vexillum, exemplum legis. 9 b 2
Ut Propheta, non ut Princeps, sacerdotibus imperavit. 16 d 2
Eius animositas. 25 b 1
Apparet ei Angelus Michael. ibidem
Eius religio erga Angelum. 26 a 2
Dei instinctu Ierichuntem combussit. 29 a 2
Licite inivit fœdus cum Gabaonitis. 42 c 1
Mandat soli in virtute Dei. 46 a 2
Quia solem stitit, sol eius sepulcro insculptus. 47 c 1
Quasi rex cælorum illis imperat. 47 a 2
Non ex insolentia iussit suos colla quinque regum calcare, sed ob iustas causas. 48 a 1
Sapienter usus victoria. 48 c 1
Eius victoriæ. 48 b 2
Non omnino totam Chananæam subegit. 50 c 2
Chronologia gestorum eius. 56 a 1
Nihil dedit carni et sanguini. 64 b 1
Eius modestia. 67 b 1
Exemplar principum. ibidem
Chronologia ætatis eius. 75 a 2
Miracula duo in eius memoriam. 76 a 1
Ira coram Deo effundenda. 178 b 2
Est cos virtutis. 221 a 1
Eam lepide mitigavit Aurelianus Imp. 285 a 1
Modi eam placandi 286 a 1
Ira non sinit iratum quiescere, donec vindictam sumat. 714 b 2
Irrisio uxoris turbavit Tobiam seniorem. 646 a 1
Irrisor Alexandri Magni punitus. 826 b 2
Isboseth rex Gessuri. 301 c 1
Non tenebatur regnum cedere Davidi. 301 b 2
Regnavit annis septem et dimidio. 301 c 2
Isaias propheta quo anno viderit visionem illam augustam SS. Trinitatis. 639 b 2
Israel ponitur pro Iuda et Beniamin; alias pro decem tribubus quæ a Iuda et Beniamin schisma fecerunt. 600 b 1
His dispersis, Israelis nomen remansit in Iuda. ibidem
Israel Hebr. idem est quod *dominabitur* Deus vel *dominans Deus.* 653 c 1
Israelitæ reliqui a captivitate iunxerunt se Iudæ. 519 b 1
Itali multas voces accipiunt a Græcis. 724 c 2
Italicus quo pacto in Circensi certamine adversarium suum vicerit. 840 a 1
Itaque qualis particula, et quid significet. 672 a 1
Itinerantium præses et patronus S. Raphael Archangelus. 649 c 1
Iudas, quartus septem fratrum Machabæorum. *Vide in v.* Fratrum Machabæorum.
Iuda regnum potius regno Israelis. 499 b 1
Iudæa est Syriæ pars vel appendix. 616 b 1
Eius clima est calidum et siccum, ita ut incolæ noctu in tectis frigidum aerem captent. 628 a 1
Iudæa Asiæ et Ægypti regibus fuit pomum discordiæ. 734 b 2
Iudææ regiones transmarinas vocant Iudæi Cethim. 737 a 1
Iudæa est montosa et prærupta, adeoque equitibus impervia. 750 a 1
Quomodo fuerit a Rom. subacta. 764 a 2
Iudæi Christo vellentes genas, repræsentantur per Hanon 324 b 1
Iudæi et Arabes ex complexione fœtent. 352 a 2
Iudæi poterant ducere gentiles uxores proselytas. 380 a 1
A Deo abiecti irrevocabiliter. 508 a 1
Iudæos remanentes in Babylone constituit Cyrus vectigales Iudæis redeuntibus in Ierusalem. 599 a 1
Quo anni tempore discesserint e Babylone. 602 a 1
Cur iactis templi fundamentis fleverint. 602 b 2
Nolunt cum Samaritis fabricare, cur. 603 a 1
Cur non accusarint Samaritas apud Cyrum sibi faventem, quod fabricam templi impedirent. 603 c 1
Licet e Babylone liberi, mansere tamen Cyro et Persis vectigales. 604 c 1 - 608 b 2
Cur vocarent suos doctores Sopherim. 608 a 1
Vetantur cum gentilibus amicitiam inire et coniugia. 610 c 2
Iurant se abiecturos uxores alienigenas, et ex iis natas proles, ut Deo et legi obsequantur. 612 b 1
Eorum matrimonia cum alienigenis an sint irrita. 612 a 2
Una manu operantur; altera gladium tenent. 621 a 1
Crebro totum corpus abluebant, imo vestes et lectos. 621 c 2
Apud eos frequens fuit usura centesima. 622 b 1
Prohibentur lugere et flere in festo Neomeniæ. 627 a 2
Decimas solverunt non solum agrorum, sed et laborum et operum suorum. 630 a 2
Scribebant olim exacte suos annales et diaria. 633 c 2
Quomodo recenter e captivitate reversi ausi fuerint resistere Holoferni. 676 c 2
Numerus redeuntium e captivitate Babylonica. 677 a 1
In singulis urbibus maioribus loco templi habebant synagogam. 680 b 2
Quomodo solerent ieiunare. 683 b 1
In quantum abhorrerent a consortio gentilium. 686 b 2
Quam essent puritatis corporalis amantes. 690 a 1
Utebantur mensibus lunaribus, non solaribus. 719 a 1
Etiamnum decima tertia die mensis Adar legunt historiam Esther. 719 a 1
Pridie festorum suorum solebant ieiunare. 720 d 2
Et clamores precibus miscere. ibidem
Et solaria conscendere. 726 b 1
Multi apostatæ cur impietati Antiochi Epiphan. se conformarint. 738 d 1
A quo potestatem acceperunt idololatriam sequendi,

et in Iudæam inducendi. ibidem
Iudæi malunt se morti offerre quam cultum et quietem sabbati violare. 742 c 2
Quot millia in excidio Ierusalem per Titum occisa, quot capta sint. 747 a 2
Quid per expansionem librorum legis vellent. 747 b 2
Contra præceptum Iudæ cum hoste confligentes cæduntur. 754 a 1 - 755 b 2
Eorum pacta cum Romanis inita. 764 a 2 et seqq.
Iudæi apostatæ mortuo Iuda erexerunt cornua. 768 b 2
Quanta beneficia contulerit Iudæis Demetrius rex. 772 b 2 et seqq.
Iudæorum origo false a Iustino descripta. 781 b 2
Equites non leguntur habuisse nisi tempore Ioannis filii Simonis. 791 a 1
Pro cavendo schismate monent se mutuo. 793 b 1
Sparsi sunt per totum orbem. 800 c 1
Quomodo in eos sævierit Antiochus Epiphan. 809 a 1
Quam vilipendantur a Nicanore. 820 b 2
Iis prohibitum erat pugnare in sabbato. 821 a 2
Iudas Essenus auctor libri secundi Machabæorum. 731 a 2
Qualis vir fuerit. 794 a 1
Est auctor canonicus, adeoque citans dicta a Iasone facit ea canonica. 800 d 1
Humiliter de se sentit. 841 a 1 - ibidem
Quod fuerit eius propositum. 841 a 1
Petit sibi ignosci, cur. ibidem
Iudas Machabæus unde sic dictus. 731 c 2 - 746 a 1 - 750 b 1
Fuit e tribu Levi, non Iuda. 732 c 1
Ipse et posteri eius a populo electi sunt duces et principes, non reges. 732 d 1
Quando ei inditum fuerit hoc cognomen Machabæus. 741 c 1
Et cur. 744 b 2 - 746 a 1
Fuit primogenitus patri suo. 744 a 2
Belli dux a patre morituro statuitur. 744 b 2
An oleo unctus in ducem, idque Ierosolymæ. 745 a 1
Fuit procero et vasto corpore, adeoque illo ævo fortissimus. 746 a 1
Fuit leo, Iudaque Iacob Patriarchæ filio victoriis, viribus ac robore superior. 746 c 1
Eius manus directa ad salutem Israelis. 746 d 1
Gladio, quem Apollonio duci Antiochi extorserat, cur eo usus sit. 746 a 2
Cum paucis ieiunio maceratis percussit et occidit Seron secundum Antiochi ducem. 746 b 2
Aciem instruens, eam dividit in quatuor ordines, ac cuilibet unum e fratribus præficit. 748 a 2
Eius fortitudo, ac resignatio in Dei voluntatem. 748 b 2
Invasit castra Gorgiæ et oppressit. 749 a 1 et seqq.
Cur pugnans nullos haberet equites. 749 b 2
Quo pacto semper victoriam obtinuerit excepto ultimo prælio. 750 b 1
Eius prudentia militaris in cohibendo milite a spoliis. 750 c 1
Eius pietas æque ac solertia. 751 a 1
Quando ceperit arcem Sion. 751 c 1
Cur non consuluerit Deum per oraculum Ephod. 751 b 2
Purgat ac dedicat templum ab idololatris pollutum. ibidem et seqq.
Festum Encæniorum celebrat. 751 d 2
Eius providentia et charitas. 755 b 1
Instar fulminis circumibat, debellando Iudæorum hostes. 755 b 2
Pugnat cum Nicanore et vincit. 761 b 1
An occiderit eum duellando. 761 a 2
In memoriam illius victoriæ anniversarium festum instituit. 761 c 2
Non omnia quæ de Romanis audiebat erant vera. 762 a 1
Prudenter cum Romanis fœdus iniit. 764 c 1
Et licite. 764 a 2
Fuit typus Christi. 766 b 1 - 767 c 1
Licet longe impar hosti, non tamen fugit. 766 b 1
Vel vincere vult, vel generose mori. 766 c 1
Sed pro Dei religione. 766 b 2
Instar leonis cum paucis plurimos invasit. 767 a 1
Causæ cædis Iudæ et sociorum fugæ. 767 c 2
Cecidit non tam ex vulnere, quam ex pugnandi cædendique labore. 767 b 1
Mors eius fuit ei gloriosa. 768 a 1
Sex dumtaxat annis præfuit dux Israeli. 768 d 1
Quo anno occubuerit. 768 a 2
Vocatur ab aliquibus sanctus, eumque catalogo adscribunt mense Octobri. 768 b 2
Quomodo decimus fuerit. 809 a 2
Cur secesserit in desertum. 809 b 2
Iudæ et militum suorum in egenos charitas. 821 a 2
Pro ipso pugnarunt Angeli. 826 b 1
Iamniam incendit, cur, 830 a 2
Timotheum vincit et capit. 831 b 1
Et multas civitates. 831 d 1
Eius celeritas in pervadendo civitates. 831 a 2
Subinde habuit etiam equites. 831 b 2
Purgatorium credidit; hinc sacrificari iubet pro peccatis mortuorum. 832 d 1
Armatus armis spiritualibus invadit castra Ant. Eupat. et cædit. 834 b 1
Contra Ant. Eupat. pugnaturus se suosque Dei beneplacito committit. ibidem
Fuit religione et pietate Assidæus. 836 c 1
An uxorem duxerit. 836 d 1
Nil habebat proprium. 836 a 2
Utrum ei vere apparuerint Onias et Ieremias. 839 c 1
Iudices Israelis populi vindices. 77 a 1
Eorum officia in bello præesse, et lites iudicare. 77 c 1
Regimen eorum erat monarchicum. 77 b 2
Præfuerunt quot annis. 77 c 2
Omnes sancti præter Abimelech. 78 a 1
Auctor libri incertus, sed tamen aliquis propheta 78 a 2
Durante eorum regimine, idololatria in Dan tolerata. 154 b 2
Typi Christi Salvatoris. 87 c 2 - 160 b 2
Eis necessaria vigilantia et fortitudo. 416 c 1
Iudices monentur iuste iudicare. 571 b 2
Iudicibus olim, uti etiamnum, adiungebatur Assessor iuris legumque peritus. 632 a 2
Iudices pecunia corrupti. 807 a 1
Iudicia Dei alia, alia hominum. 250 d 1
Iudicia varia quæ veritatem manifestarunt, ad exemplum iudicii Salomonis de infante meretricum. 385 b 2
Et abyssus multa. 519 c 1
Sunt iusta. ibidem
Iudiciaria porta urbis Ierusalem, quæ, et quare ita vocaretur. 619 a 2
Eadem vocabatur Vetus, cur. ibidem
Iudicium Dei cupit inesse omnibus actionibus nostris 646 c 1
Iudicii extremi dies erit dies sortium. 720 d 1
Iudith quid significet mystice. 593 b 1
Ipsa vincens Holofernem repræsentat divam Virginem vincentem diabolum. 670 b 1
Quando contigerit eius historia. ibidem
Qualis fuerit fœmina, quantisque elogiis celebrata a SS. Patribus. 671 b 2
Vocis Iudith etymon. 682 a 1
Eius genealogia. 682 b 1
Ex qua tribu oriunda. 682 a 2
Silentium amat et solitudinem. 682 b 2
Carnem ieiuniis et cilicio domat. 683 d 1 et seqq.
Fuit typus B. Virginis. 683 b 2
Prudenter suum secretum celat. 684 a 2
Arma eius spiritualia quibus obtruncavit Holofernem. ibidem
Fuit e tribu Simeon. 685 b 1
Laudat zelum Simeonis in vindicando Dinæ stupro, non modum. 685 c 1
An licite potuerit Holofernem illicere ad suum amorem. 685 a 2
Non est in facto suo libidinis accusanda. ibidem
Novo et insolito more castitatem suam et vitam civium suorum defendit se ornando. 686 c 1
Cur secum annonam detulerit. 686 b 2
An fuerit mentita Holoferni. 686 c 2
Ambiguitate verborum illudit Holoferni. 688 a 1
Quomodo excusetur a mendacio. 688 b 2
Quam potens fuerit eius peroratio coram Holoferne. 689 b 2
Quo fine petiit copiam egrediendi ad orationem quandocumque vellet. 690 a 1
Holofernem obtruncat. 692 a 1

Eius elogia. 692 b 1
Fuit directa ab Angelo ad tantum facinus perpetrandum. 693 a 1
Decus fortitudinis suæ et victoriæ ascribit Deo. 693 c 1
Fuit umbra ac typus B. Virginis. 693 a 2 - 695 a 2
Eius prudentia et solertia bellica. 694 b 1 et seqq.
Eius castitas quam eximia. 696 c 1
Fuit prophetissa et scriptrix sacræ Scripturæ. 697 a 1
Quanto tempore in viduitate permanserit. 698 d 2
A patribus habetur sancta, cuius festum Æthiopica Ecclesia celebrat quarta die mensis Elul. 699 a 1
Iudithæ nomen et cum nomine virtutis imitationem ambivere multæ heroinæ et reginæ. 699 a 2
Quomodo adorarit Holofernem. 710 a 2
Iudith Augusta Ludovici Pii Imp. uxor monasticum ipsa sibi velum imposuit. 699 a 2
Iudith filia Caroli Calvi Francorum regis nupsit Anglorum regi. ibidem
Iudith regina Poloniæ, coniux Boleslai regis. 699 b 2
Iudith regina Hungariæ, Henrici Imp. filia inique regno pulsa. ibidem
Iudith uxor Hermanni Comitis. ibidem
Iuditha Saxoniæ Ducis filia. ibidem
Iuditha famula S. Elisabethæ miraculis clara. ibidem
Iuditha Parthenia quando et quomodo diem extremum obierit. 699 c 2
Iulianus Apostata contemptibile reddidit imperium. 459 c 2
Occisus a S. Mercurio. ibidem
Iulius Cæsar fuit vasto validoque corpore æque ac animo. 746 a 1
Multos validosque hostes ambiebat. 766 b 1
Eius tessera belli. 821 a 2
Iuppiter Stator unde. 529 c 2
Iuppiter Hospitalis unde ita dictus. 810 b 1
Iovis Olympii idolum collocatum fuit in altari holocaustorum. 751 a 2
Eique dedicatum fuit templum. 810 a 1
Et Iovi Hospitali in Garizim. ibidem
Iuramentum Iudæorum valde arduum de abdicandis uxoribus et prolibus alienigenis. 612 a 2
Iurandi forma qua usus Elias. 438 a 2
Iurantes falsa ad S. Stephanum et S. Martinum a Deo puniti. 408 d 2
Ius alternis diebus imperandi habebant Strategi in Græcia, Epistatæ Athenis, Decemviri Romæ. 763 d 2
Ius nominandi Romanum Pontificem Imperatoribus ademptum, in Episcopos et Cardinales translatum. 772 a 2
Iusti patiuntur, ut in virtute perficiantur. 262 c 2
Iusti in adversis Deo gratias agunt: necessitate probantur. 644 b 1
Eorum oratio clavis est cæli. 646 a 1
Agunt dies phurim sive sortium; quando. 720 c 1
Iusto nil mali obvenit nisi ex certa Dei præscientia et voluntate ad eum, vel a vitiis purgandum, vel in virtute perficiendum. 643 d 2
Iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 768 d 1
Iustina (S.) quomodo Asmodæum se ad amorem allicientem superarit. 647 c 1
Iustinus (S.) prophetiam Ieremiæ citat quæ non exstat. 519 a 2
Iustinus (S.) sepeliendo corpus S. Laurentii martyrium adeptus est. 643 b 1
Iustitia locum cedendo clementiæ, eam in se commutat. 611 b 2
Iustitiæ exsecutione honoratur Deus. 357 a 1
Iutta, *Vide* Iuditha. ibidem
Iuvenes pro senio sibi comparent sapientiam. 373 c 1 et seqq.

K

Kadesim vocantur pueri spurci et scelerati. 804 b 1
Kepherim nomen loci ita dicti a copia villarum. 624 a 1
Ki particula apud Hebræos diversimode sumitur. 611 b 1
Kinnor et cinyram et citharam significat. 752 b 1
Ku Persice idem est quod Princeps. 598 b 1

L

Labor a Cyro rege Persarum commendatus. 598 c 2
Lacedæmones licet iussi noluerunt adorare Xerxem, cur. 710 a 1
Lacedæmonii quid iuventutem docerent. 767 d 1
Pro libertate omni ævo certarunt. 780 a 1
Etiamnum cum Turca certant, arcemque suam a Turcis liberam servant. ibidem
Lacæna clypeum filio imponendo quid intenderit. 767 a 2
Lacones. *Vide* Lacedæmonii.
Laconismus, sive breviloquentia, signum est animi silentis et meditabundi. 800 a 2
Lætitia facit hilares, magnanimos et celeres. 627 c 2
Lætandum in solo Deo. 727 b 2
Lampades accensæ sive ignes præferebantur regi. 676 a 1
Lapide (e) cultros acutissimos faciunt Arabes. 22 c 1
Lapides olim positi ut vias indicarent, et locorum distantiam. 269 d 1
Per lapides ignitos quid intelligatur. 825 a 1
Lapsus in peccatum non desperet, sed pœniteat. 328 d 1
Acrior ad currendum resurgat. 328 a 2
Laqueos Syri se profitentur meritos ab Achab. 453 d 1
Lasthenes tutor Demetrii iunioris Syriæ præfectus. 777 b 2
Latina lingua a Gothis cum Gothica commista peperit Hispanicam, Italicam, Francicam. 603 c 1
Latrocinantes videtur in textum irrepsisse. 127 c 1
Laudatus, defectus suos inspiciat. 164 c 2
Lectio sacræ Scripturæ est funis ad ligandum dæmonem ne nobis noceat. 660 b 2
Lectio fieri solebat post convivium 680 a 2
Lector styli varietate delectatur. 841 a 2
Leges Dei vocantur iustitiæ et iustificationes. 739 a 2
Lex de observando sabbato quo casu non obligaret. 742 d 2
Legum patriarum eversio concitat populos ad seditionem. 747 c 1
Legio fulminatrix. 94 d 1
Legio Thebæorum martyrum duce S. Mauritio cur non restiterit Maximiano Imp. 742 c 2
Leo insigne tribus Iuda et Christi. 416 c 1
Per leones thronum Salomonis stipantes quinam mystice intelligantur. 693 c 1
Ad leones potius quam ad lenones damnari optaverunt virgines. 699 c 1
Leoni comparatur Iudas Machabæus, cur. 746 c 1
Leonum catuli latrante stomacho rugiunt. 746 d 1
Leones quia impavidi, clausis oculis in venabula et enses irruunt. 827 b 2
Leonidas cum trecentis innumeras Xerxis copias cecidit. 746 c 2
Vincendo occumbere maluit quam fugiendo vitam servare. 767 d 1
Interrogatus a variis quid responderit. ibidem
Levitæ bis numerati a diversa ætate incipiendo. 548 a 1
Ex dispensatione Dei sacrificant. 584 a 2
Levitæ celebrant magnificentiam et beneficentiam Dei recensendo omnia quæ Deus pro Hebræis gessit in Ægypto et Chanaan. 629 a 2
Terram possidere non poterant, sed tantum ex ea fructuum decimas accipere. 630 a 2
Dabant decimam decimarum sacerdotibus. ibidem
Lex humana patitur epikeiam, non divina. 427 b 2
Lex Christiana vetat ieiunare die Dominica, cur. 627 a 2
Lex dicitur a ligando, et quomodo liget hominem. 660 c 1
Legis Persarum, ne quis non vocatus interius atrium regis ingrediatur, causa. 712 a 1
Libanus et Antilibanus idem mons. 8 a 2
Libani etymon. ibidem
Liber Iustorum intercidit. 46 d 2
Liber legis inventus tempore Iosiæ, quis? 589 a 1
Exemplaria legis exstabant multa apud Iudæos. ibidem
Liber primus Esdræ et Nehemiæ sunt protocanonici, cur. 593 b 2
Tobiæ vero, Esther, Iudith et Machabæorum deuterocanonici. ibidem
Tertius et quartus Esdræ sunt apocryphi. 594 a 1 - 636 b 1

Liber Nehemiæ cur dicatur secundus Esdræ. 594 a 1
Primi Esdræ auctor est Esdras, secundi Nehemias. ibidem
Liber quartus Esdræ a multis SS. Patribus subinde citatur quasi canonicus. 594 b 2 - 636 d 1
Nihilominus est apocryphus. 595 c 1
Liber primus Esdræ continet liberationem Iudæorum e Babylone per Cyrum : Nehemiæ reædificationem Ierusalem. 595 b 2
Liber tertius Esdræ maioris est auctoritatis quam historiæ Livii, Sallustii, etc. 636 c 1
Cur aliqui eum asserant canonicum tertii ordinis. 636 d 1
De quarto plus est difficultatis, variaque contra eius auctoritatem obiiciuntur. ibidem
Non est Thalmudicus. 637 d 1
Fuit scriptus in captivitate Babylonica. 637 a 2
Cur ei etiam sua videatur concedenda auctoritas. 637 b 2
Fuit scriptus ante Apocalypsim S. Ioannis, qui ad eum alludit. 637 c 2
Quis eius sit auctor, incertum. 637 d 2
Liber Tobiæ licet olim habitus sit ab aliquibus Patribus pro non canonico, iam tamen est canonicus. 638 a 1
Eius argumentum. 638 b 1
Est historia, non comœdia, Chaldaice scripta. ibidem
Idque in Assyria. 638 b 2
Quis sit eius auctor. 638 c 2
Quinam in hunc scripserint. 639 b 1
Liber Iudith est canonicus, Chaldaice scriptus. 670 a 1
Eius argumentum et partes. 670 b 1
Libri Esther argumentum et auctor. 700 b 1
Ultima libri septem capita sunt Scriptura canonica. 721 c 1
Liber primus et secundus Machabæorum apud Hebræos non sunt canonici, cur. 731 a 1
Neque tertius et quartus ut canonicos admittit Ecclesia. ibidem
Libri primi quis sit auctor. 731 b 1
Item secundi. 731 a 2 - 787 b 2 - 800 c 1 - 833 a 1 - 840 d 2
Utriusque idem est argumentum. 731 a 1
Liber primus complectitur gesta annorum circiter sexaginta. 731 b 1
Uterque exstitit Hebraice. 731 b 2
Librorum Machabæorum ordo et connexio. 735 c 1
Per librorum legis expansionem quid intenderent Iudæi. 747 b 2
Liber Deuteron. militibus ad bellum euntibus legi solitus. 821 c 1
Liber tertius non est canonicus, habet tamen suam auctoritatem. 842 a 1
Ordine chronologico ponendus foret ante primum. ibidem
Eius argumentum. 842 b 1
Quo sensu S. Clemens eum canonicum nominet. 842 b 2
Libri quarti argumentum. 842 c 1
Est incerti auctoris. 842 c 2
Liberalitas Nehemiæ in cives suos. 623 b 1
Et Tobiæ senioris. 641 c 2
Liberatione (in) Iudæorum facta per Cyrum significata fuit liberatio humani generis per Christum. 596 b 2
Et liberatio Christianorum ab Ethnicis oppressorum : item animæ fidelis. ibidem
Libertas arguendi regem in Sacerdotibus. 580 a 2
Libere arguuntur peccatores a Sanctis. 470 d 1-443 b 1
Libido acceleravit mortem Salomonis. 332 c 2
Libido varie punita. 335 d 1
Libido exsecrabilis Diogenis Cynici. 344 d 2
Libido fructus idololatriæ et hæresis. 430 d 2
Libido ubi ardet, abundant peccata. 647 a 2
Libidinosi sponsi Saræ puniti. 647 c 2
Idque propter effrœnem libidinem. 657 b 2
Libidinosum designabant veteres pingendo mulum, vel mulam. 657 c 2
Libidinosus miles fulgure sideratus. 659 a 1
Quantum grassaretur apud Persas et Assyrios. 690 d 1
Monstrum haberetur sine gula. 704 c 2
Est insatiabilis æque ac fastidiosa et curiosa. 708 b 2
Libido comes falsæ religionis et hæresis. 738 a 2
Vide verbo Luxuria.
Libra auri valet centum aureos. 786 b 2
Librarii apud Persas qui. 718 a 1
Librorum Regum ordo cum aliis Scripturis. 172 a 1
Utilissime leguntur a principibus. 172 b 2
Eorum auctor. 173 b 1
Lignum olei varie a variis interpretatum. 627 d 2
Lilium impositum columnis. 402 a 2
Quid significet. ibidem
Lilium puritatis et virginitatis symbolum. 704 a 1
Linguæ (ex) Hebrææ cum Chaldæa commistione orta est lingua Syro-Hebræa, vel Chaldæo-Hebræa. 603 c 1
Lingua Latina cum Gothica commista peperit Hispanicam, Italicam, Francicam. ibidem
Lipsana SS. Abundii et Abundantii ad domum professam Societatis Iesu Romæ translata. 741 c 1
SS. septem fratrum Machabæorum, requiescunt in templo S. Petri ad Vincula Romæ. 815 b 2 - 819 b 2
Et Coloniæ Agrippinæ. ibidem
Litaniæ antiquitas. 573 b 1
Litaniæ in libro Iudith astruuntur. 684 a 2
Litteræ Uriæ. 327 d 2
Fuerunt occasio fabulæ Bellerophontis. ibidem
Litteræ et decreta regum Persarum erant olim irrevocabilia. 717 b 2
Litteræ Hebraice *beth et mem* sunt labiales, adeoque sæpe una pro alia substituitur. 606 b 1
Litterati portant litteras mortis suæ, qui non faciunt quod docent. 328 b 1
Lobna rebellat regi suo Ioram. 574 a 1
Locus quartus Esdræ, cap. 4. v. 35. de animabus sanctorum in promptuariis detinendis, donec impleatur numerus electorum, explicatur. 636 b 2
Item capitis 6. v. 49. ubi dicitur Deus die quinto geneseos mundi conservasse duas animas, etc. ibidem
Item capitis septimi, etc. 636 c 2
Longanimitas Romanorum in domanda Hispania. 763 a 1
Ea superandi omnes hostes tam corporis quam animæ. 763 b 1
Longanimitatem Dei imitetur vir sanctus. 449 c 1
Loqui voce patria in his libb. quid sit. 831 c 2
Luci vetiti et quare. 430 c 1
Lucius consul Romanus quis hic intelligatur. 789 d 1
Lucius piscis quis. 655 b 2
Lucrum ex qualibet re. 415 a 2
Ludovicus (S.) dat prandium pauperibus priusquam sibi. 440 c 1
Eius morientis pietas. 519 a 2
Bis movit in Terram Sanctam, ibique moriens filiis ac posteris quale dederit monitum. 615 a 1
Castra ducturus in Terram Sanctam vexillum ab Episcopo Parisiensi benedictum accepit. 840 a 1
Ludovicus Pius imp. Caroli Magni filius et successor. 699 a 2
Ludus diaboli est saltatio et chorea. 648 b 1
Lunatio una, sive unus per zodiacum cursus, unum constituebat mensem apud Hebræos. 613 a 1
Lupo (S.) Trecensi Episcopo roganti Attilam Hunnorum Regem Italiam et Galliam vastantem quis esset ? responsum est, esse flagellum Dei. 689 a 1-743 b 2
Luteres decem. 404 a 1
Significant pœnitentiam. 405 a 1
Lutherus hoc sæculo primus negavit pœnitentiam. 405 b 1
Solemnes habuit exsequias ab omnibus diabolis. 492 a 2
Lutheri dogma, quod si uxor difficilior sit ad opus coniugale, vocetur ancilla. 705 a 1
Lux lætitiæ symbolum est et causa. 610 a 2
Luxui dediti regno privati. 778 b 1
Luxuria significatur per caput canis. 304 b 1
Per consuetudinem roborata pene insuperabilis. 419 a 2
Luxuriosi colunt Beelzebub. 462 a 2
Luxuriosum veteres designabant pingendo mulum vel mulam. 657 b 2
Luxuria spiritus nobilissimos, ideoque robur et vires effundit et exhaurit. 696 a 1
Vide Libido.
Lycurgus suis legibus ad miram politiam evexit Spartanos. 780 a 1
Docuit eos peritiam contracte ac presse loquendi. 800 a 2
Lysias tutor Antiochi Epiphan. vocatur frater a rege, cur. 828 d 1

Quantum exercitum paret contra Iudam. 827 a 1
Ptolemenses indignantes fœdus cum Iudæis initum sedat. 834 c 2
Lysias Eupatoris rector cur pacem cum Iudæis bellumque contra Philippum suadeat. 758 d 2
Lysimachus amoto fratre Menelao Pontifex creatus. 806 d 1
A populo occiditur. 806 d 2
Lysimachus rex Macedoniæ ob sitim se hostibus tradidit, haustaque aqua quid exclamarit. 681 b 2

M

Macario (S.) Romano Raphael Angelus specie viatoris se ducem obtulit. 653 b 1
Macchabi idem est quod percussor, occisor. 732 a 1
Macedonia quando et per quem a Romanis subacta. 763 c 1
Macha quid significat. 731 c 2
Machabæorum etymon 444 d 2
Machabæi unde sic dicti. 731 c 2
Varia vocis etyma. 732 a 1
Alio nomine vocati sunt Assamonæi et unde. 732 d 1
Prognati sunt ex tribu Levi et Phinees Pontificis. 743 d 2
Machabæus idem est quod extinctor et occisor hostium 746 a 1 - ibidem
Pugnabant pedites, nec habebant equites, quare. 749 b 2
Tempore Machabæorum nullus fuit Propheta in Israel. 751 a 2
Machabæorum martyrum acta. *Vide in verbo* Fratrum Machabæorum.
Machiavellistarum exemplar Ieroboam. 424 d 1
Machiavelli error. 478 a 2
Machir tertius fratrum Machabæorum. 813 a 1
Vide in verbo Fratrum Machabæorum.
Machmas oppidum in confinio tribuum Beniamin et Ephraim. 770 c 2
Madaba urbs ubi sita, et quid significet. 768 d 2
Huius cives occiderunt Ioannem Machab. sed non inulte. ibidem
Madrid in Hispania academia Maurorum. 60 b 2
Magi qua ratione per certas herbas et signa maleficii noceant pueris et bestiis. 656 b 2
Magna operatur Deus, per res viles. 143 a 2
Ad magna destinati prius exercentur. 287 a 1
Magnanimitas Nehemiæ. 624 b 1
Et Estheris in accusando Amanum præsentem. 716 c 1
Ducum in bellis rebusque arduis quantum valeat. 779 a 2
Magnanimitas Eleazari senis. 811 c 2
Magnates quomodo corripiendi. 337 c 1
Maharbal præfectus equitum quid Hannibali Romam pergere tardanti, improperaret. 694 b 1
Maiestas regia mire percellit accedentes ad eam. 728 a 2
Maiorum exempla animant in rebus arduis. 744 c 1
Μακετις, (id est Macedonia,) sic dicta a Cethim. 737 a 1
Malachiæ (S.) Hiberniæ Episcopi memorabile exemplum. 640 c 2
In quo fuerit æmulator Tobiæ senioris. 642 a 1
Maledicta et maleficia etiam ab intimis amicis patienter ferenda. 645 b 1
Multum cruciant dominas ab ancillis obiecta. 647 c 2
Malleus auditus in templo Salomonis dum clavi infigerentur, nisi fuerint tornatiles. 395 a 2
Mallus et Tharsus Ciliciæ civitates cur tumultuentur. 806 a 2
Malogranatum speciem habet regis. 235 a 2
Malos mores vincere debemus. 464 c 2
Malum diversimode sumitur. 617 a 1
Malum in auctorem recidit; probatur exemplis. 714 b 2-716 c 2
Mala huius vitæ contemnenda fiducia futurorum bonorum. 743 d 2
Manahem invadit regnum Israel. 502 d 2
Eius crudelitas. ibidem
Manasses idolum cum luco ponit in templo. 513 b 1
Occidit Isaiam. 513 b 1
Occidit arguentes suam impietatem. 514 c 1
Eius etymon factis quadrat. ibidem
Abducitur in Babylonem a Merodach Baladan 514 b 2
Eius tempore neglectus Dei cultus. 515 a 2
Manasses idem est quod oblivio. 698 c 2
Manasses quidam, de quo in libro Tobiæ Græca narrant quod ab impio Aman fuerit in discrimen vitæ coniectus, quis. 669 b 1
Sub Manasse rege Iuda an contigerit historia Iudith. 670 b 1
Manasses maritus Iudith, quis. 682 a 2
Mandata Nabuchodonosoris Holoferni data. 674 a 2
Manducatio est actio vitalis qua cibus ex ore in stomachum traiicitur. 666 b 2
Manoth vocantur fercula quæ unicuique apponuntur sigillatim. 707 b 2
Manotreptus quis vocetur. 816 c 2
Manus significat causam instrumentalem. 440 d 2
Eius osculatio genus adorationis idolorum. 451 a 1
Manus aliquando significat favorem et operationem. 608 b 1
Manu iuncta manui solet dari fides mutua. 610 b 1
Symbolum est opis et auxilii, item directionis et protectionis. 618 b 1
Manus multæ iunctæ illico opus ingens perficiunt. 624 c 2
In manibus periculum esse, quid sit. 726 b 1
Marcianus quomodo ad imperium et thorum S. Pulcheriæ sororis Theodosii pervenerit. 643 c 1
Mardochæi etymon. 706 c 1
Ex qua tribu et stirpe oriundus. ibidem
Eius ætas et ævum. 706 b 2
Quibus de causis noluerit adorare Aman. 709 b 2
An potuisset hic dissimulare. 710 d 1
Magna eius constantia et fiducia in Deum. 713 b 2
Prius vilis et abiectus, post factus est regi familiaris et palatinus. 715 a 2 - 717 b 1
Cur Deus eum voluerit evehi ad tantam dignitatem. 718 c 1
Est auctor libri Esther. 720 d 1
Fuit vicarius regis. 721 b 1
Somnium quod somniavit fuit ipsi a Deo immissum. 721 c 2
Eius explicationem ex rerum eventu ac Dei instinctu cognovit. 724 a 2
Mare Æneum quale. 402 c 2
Significat pœnitentiam. 403 a 1
Margaritæ in Lotharingia purificantur per columbas. 483 c 1
Maria (S.) mater Dei monuit Musam virginem ut a ludis et iocis abstineret. 648 c 1
Maria vincens diabolum figurata per Iudith vincentem Holofernem. 670 b 1 683 b 2 - 692 d 1
Innumeras dæmonum phalanges prostravit et in dies prosternit: est virgo et mater Dei, atque una trino cognomine gaudet. ibidem
Eius forma intuentes excitavit ad castitatem. 692 b 2
Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum timent dæmones. ibidem
Clausa in cubiculo ieiuniis obsecrans Deum pro mundi reconciliatione meruit Angelum pacis paranymphum excipere. 692 c 2
Figurata fuit per thronum Salomonis. 693 c 1
Quale sit nomen Mariæ. 693 a 2
Maria est decus, gloria et exultatio non tantum Ierusalem, sed totius orbis. 695 b 2
Constantinopolim a triennali Saracenorum obsidione liberavit. 699 b 1
Sed maxime quasi vera Iudith defendit Bethuliam. 699 c 1
Et omnes virgines, cum ipsa sit Virgo virginum, quasi clientes suos protegit. ibidem
Est vera Esther quæ sub alis suis protegit peccatores et afflictos ad se confugientes. 707 d 1
Est hilaritas Sanctorum. ibidem
Fuit Esther in assumptione sua et coronatione. 708 c 1
Item in pulchritudine, modestia, verecundia, etc. 708 d 1
Est virga aurea per quam Deus toti humano generi offensus reconciliatus est. 713 b 1
Illi quasi matri suæ Christus nil negare potest. 713 c 1
Est quasi stella Iacob radiis suis universum mundum illuminans. 718 a 2
Est fons solis 722 b 1
Est vera Esther quæ Assuerum, id est Deum iratum, cum duabus ancillis adiit. 728 c 2
Eius ædes ab Angelis ex Palestina Lauretum translata. 798 c 1
Maria in templo præsentata inter virgines conclusas

angelice vixit. 802 b 2
Maria (S.) Magdalena quomodo Christi ad mensam accumbentis pedes retro stans lavare potuerit. 702 d 2
Marisca ficus insipida et morbus ani. 200 a 1
Mariti olim debebant emere uxores. 263 c 1
Poterant primo anno ad bellum procedere, sed non poterant ad hoc cogi. 263 c 2
Marius (S.) et Martha quo pacto martyrii coronam adepti sint. 642 a 1
Marius (C.) quomodo Syllæ remp. Rom. invadenti se opponens copias collegerit. 742 a 2
Marnas Deus gentilium. 840 a 1
Martinum (ad S.) peierantes puniti. 408 d 2
Martyres fuere cives Nobe, propter Davidem occisi. 275 c 2
Martyrium sine sanguine est triplex. 642 a 2
Martyres quid excitarit ad tormenta omnia sustinenda et contemnenda. 644 d 2
Martyrium est actus nobilissimus, adeoque nobilior pugna et vita. 742 c 2
Martyres obtinent cælum patientia. 763 b 1
Martyrium Eleazari senis. 811 d 2
Et septem fratrum Machabæorum. 813 b 1
Ad martyrium varii excitati. 817 a 1
Maspha una in confinio tribus Beniamin et Iuda, alia in tribu Gad, alia in tribu Ruben. 747 a 2 - 754 a 2
Masphath quatuor in Iudæa. 206 d 1
Mater et pater Samuelis Anna. 178 b 2
Mater per se debet lactare prolem. 179 d 2
Ab ea pendet educatio prolium. 460 a 1
Mater septem fratrum Machabæorum a variis diversimode nominatur. 813 a 1 - 816 a 1
Miris elogiis celebratur a SS Patribus. ibidem - 818 b 1
Exhortatur filium natu minimum. 816 d 2
Quo genere mortis consumpta sit. 818 b 1
Matrum filios ad martyrium excitantium exempla. 817 a 1
Nonnullæ præ ingenti gaudio exanimatæ. 818 b 1
Maternus (S.) resuscitatus baculo S. Petri. 474 b 2
Mathathias fuit ex tribu Levi sacerdos primæ classis, ex stirpe Ioarib. 741 a 1 - 743 d 2
Factus est Pontifex et dux a Deo eum eligente. 741 a 1
Ad eum spectabat capessere Pontificatum et ducatum populi. 741 b 1
Tam ex designatione Dei, et electione populi, quam iure successionis et propinquitatis. ibidem
Successorem sibi designavit filium suum Iudam Machabæum. 741 c 1
Planctus eius de vastatione templi et Ierosolymæ processit ex zelo religionis. 741 a 2
Quo iure virum qui immolare cogebat occiderit. 742 c 1
Mira eius in hac cæde animositas et fortitudo. 742 d 1
Ipse heros inclytus quinque filios suos heroes effecit. ibidem
Interpretatus est legem sabbati certo casu non obligare. 742 d 2
Moriturus filios animat ad acria certamina, quæ eis cum Antiocho imminebant. 744 c 1
Quando mortuus sit. 744 b 2
An ex vulnere in bello accepto. ibidem
Eum fuisse sacerdotem consentiunt omnes; sed pontificem fuisse negant aliqui, affirmant alii. 744 c 2
Ei in pontificatu æque ac ducatu successit Iudas, deinde Ionathas, inde Simon. ibidem
Cur dictus sit Abaran, id est fortis eorum. 758 c 1
Deficientibus legitimis hæredibus ad eum devolvitur Pontificatus. 807 a 2
Matrimonia cum infidelibus noxia. 137 b 1
Matrimonia Iudæorum cum alienigenis an sint irrita. 612 a 2
Ea dissolvit Esdras, cur. 612 b 2
Cur non sint differenda usque ad ætatem virilem. 641 c 1
Matrimonii bona sunt tria, et quis finis. 657 d 2
Matrimonium Estheris cum Assuero an licitum. 708 a 1
Matris admirabilis, titulus B. Virgini gratissimus. 134 c 2
Matrum nomina cur semper addantur Regibus Iuda. 499 a 1
Matthaniæ nomen mutatur in Sedeciam. 520 c 2
Matthiæ (S.) gnome de exemplo bono dando proximis. 32 b 1
Mauri apud Hispanos non admittuntur ad Magistratus. 635 a 1
Maximilianus I. Imp. ab Angelo in viam reductus. 278 a 1
Media, sive regnum Medorum, Hebraice est *Madal*. 606 b 1
Meditatio crucis et passionis Christi est funis quo ligetur dæmon ne nobis noceat. 660 b 2
Melancholicorum varia phantasmata. 252 b 1
Melancholia utitur diabolus ad tentationes. 253 c 1
Melchior Canus omnes annos servitutis numerans ut chronologicos, impugnatur. 89 a 1
Melito (S.) quomodo a matre ad martyrium incitatus. 817 b 1
Melothi Hebraice idem est quod plenitudo. 675 a 2
Mem littera Hebraica sæpe substituitur pro *beth*, et contra. 606 b 1
Memnon conditor urbis Susan. 702 b 1
Mendacium subinde esse licitum quidam veteres opinati. 13 d 1
Sed probatur nullo casu licitum mentiri. ibidem
Mendum in libro Paralip. correctum. 575 c 2
Menelaus callide Iasonem herum suum inclusit sacerdotio. 806 c 1
Emit pontificatum, licet ad eumdem inhabilis. 806 b 1
Amotus est a sacerdotio per fratrem suum Lysimachum. 806 d 1
Iuridice contra eum proceditur; sed iudices pecunia corrupit. 806 d 2
Iussus est ex alta turri in cineres præcipitari. 833 a 2
Idque iusta talionis pœna. 834 a 1
Mensa (a) orandum. 177 c 2
Et ante iter. 179 b 1
In mensa veteres serios et sapientes miscebant sermones, ac sobrietati studebant. 703 c 1
Mensæ panum propositionis effigies cernitur Romæ in arcu triumphali Titi. 799 b 1
Mensium Hebræorum ordo et nomina. 613 a 1
Mensuræ rerum omnium in templo a Sacerdotibus asservatæ ad vitandam fraudem 548 a 2
Mentium bonarum est timere culpam ubi non est. 645 a 1
Mens quæ inter peccata ita constringitur ut sine peccato evadere nequeat, quid facere debeat. 656 d 2
Mentum inter animalia solus homo habet. 354 b 2
Illud tangendo olim salutabant. ibidem
Merces operariis statim danda. 651 b 2
Meretricum regina Maacha. 433 c 1
Cur aromatibus utantur. 569 b 1
Merlinum aiunt per dæmonem incubum esse progenitum. 657 d 1
Mesopotamia sic dicta quia in medio duorum fluminum sita. 760 c 2
Mesoromasdes Persis est sol. 714 a 1
Metamorphoses variæ a gentilibus factæ. 747 c 2
Metellus Macedonicus quam fuerit secreti sui tenax. 665 a 1
Metus iustus Tobiæ senioris de hœdo furtivo; et S. Sanctuli de pane sibi divinitus oblato. 645 a 1
Metus subitus parit in militibus inconstantiam, infidelitatem, etc. 766 a 1
Mezentius atheus arma sua numina fecit. 839 a 1
Michael (S.) est princeps exercitus Domini. 25 a 2
Precibus oblationibusque fidelium præest. 649 b 1
Nomen Michael sonat idem quod *quis ut Deus?* 654 b 1
Olim erat protector synagogæ, uti nunc Ecclesiæ. 693 b 1
Dedicavit Ecclesiam suam in monte Gargano. 752 b 1
Fuit Israelis protector. 827 b 1
Michol Davidem amat maritaliter. 265 c 1
Eius prudentia in procurando spatio ut fugiat David. 265 d 1
Mentitur ut salvet vitam mariti. 265 d 2
Propter superbiam sterilitatis damnata. 315 a 2
Repræsentat irrisores ceremoniarum Ecclesiæ. 315 b 2
Milites pugnæ præmittant confessionem. 110 a 1
Sint similes agnis. 243 b 2
Quo sensu dicantur latrones. 305 b 1
Miles quod facit, dux facit. 358 a 2
Milites pauci Dei robore instructi facile prosternunt multos tanto robore destitutos. 746 b 2
Milites præpropere ad spolia dilapsi cæduntur. 750 c 1
Milites Chaldæi et Persæ utebantur purpura ad tegendum vulnera. 750 b 2
Resolutio et desperatio facit milites imperterritos. 751 a 1
Militum templi origo. 752 c 1
Videntur fuisse Levitæ. 752 a 2
Ad horum similitudinem instituti sunt Ierosolymitani equites, et quando. ibidem
Eorum fiducia multum valet ad victoriam. 754 b 2

*

In acie primum locum ambiunt, cur. 758 a 2
Multi de castris se subtrahunt et Iudam deserunt, cur. 766 a 1
De milite generoso axioma. 767 c 1 et seqq.
Impossibile est ut semper vincant et numquam vincantur. 767 c 2
Miles generosus optat mori in prælio. 768 a 1
Militare præceptum est cum hoste confligendum esse in terra hostili. 781 b 1
Militum Iudæ charitas. 821 a 2
Milites parta victoria arma sua vestiebant thyrsis. 825 c 1
Militum animi ante certamen explorandi, et ad ardorem excitandi. 827 a 2
Pacem non amant, cur. 830 b 1
Quomodo exercitandi sint. ibidem et seqq.
A rapinis et criminibus abstineant. 832 a 1
Milliare italicum continet mille passum. 831 a 2
Milliarii lapides cur a Romanis constituti. 269 d 1
Minæ Dei certæ et efficaces sunt, hominum superbæ et vanæ. 683 c 2
Miphiboseth quia filius Ionathæ amici David, accipit ab eo agros patris. 323 a 1
Humiliat se coram David. ibidem
In qua mensa comederit. 323 c 1
Excusatur ab affectato regno, uti calumniabatur Siba. 342 b 2 - 352 b 2
Temere spoliatur a David omnibus suis bonis. 343 a 1
Iniuste spoliatur dimidia parte bonorum. 352 b 2
Non videtur contra Deum murmurasse. 352 d 2
Significat infirma mundi quæ verus David Christus eligit. 323 b 2
Orat David Gabaonitas ne occidant Miphiboseth cum suo filio. 356 c 1
Misericordia præit alia opera. 440 c 1
Varia exempla misericordiæ præstitæ. ibidem
Misericordiæ tam spiritualis quam corporalis opera. 642 a 1
Hanc cupit Deus inesse omnibus actionibus nostris. 646 c 1
Quam sit homini necessaria. 665 c 1 - 677 b 2
Missio ignis sacri de cælo facta Nehemiæ quando contigerit. 795 d 2
Mithra vox Persica solem significat. 686 b 1
Est fascia byssina gemmis et bracteolis aureis tremulisque collucens. 686 b 1
Mithram ut Deum colebant Persæ. 730 b 2
Mithri dicitur a Mither, id est maior. 598 c 1
Mithridatis etymon significatio. 599 a 2
Mithridates victus a Romanis aurum sparsit, obiectaque gaza regia insequentes effugit. 750 d 1
Mna est quasi libra auri. 786 b 2
Moab mancipium Davidis vilissimum. 321 c 1
Moabitæ sicuti non poterant introire in Ecclesiam Dei. 635 a 1
Ita neque in cœtum populi Israel, nisi cum dispensatione. 694 b 2
Modestiæ exempla. 67 a 2
Modestia Iudith devicto Holoferne. 693 a 2
Modin vicus iuxta Diospolim unde fuerunt Machabæi. 783 c 2
Modus quo pauci multos vincere possint. 767 a 1
Monachi veteris testamenti. 445 c 2
Monachus quem sæpe nigellus puer ab oratione abducebat virga S. Benedicti percussus, deinceps in oratione mansit immobilis. 660 b 1
Monetam cudere summæ est potestatis. 789 b 1
Monica (S.) ab ancilla vocata meribibula valde fuit afflicta 647 c 2
Monebat uxores ut se maritorum ancillas existimarent. 662 a 2
Monita duodecim Tobiæ patris ad filium. 650 a 1
Et aliorum Sanctorum moriturorum ad filios et posteros. ibidem
Item Basilii Imp. ad Leonem filium. 661 b 1
Et Raguelis ad Saram filiam. 662 b 2
Monita D. Hieron. ad viduam. 682 b 2
Monitis ducis exercitui virtus crescit et animus. 827 a 2
Mons Olivarum. 341 a 2
In montibus præruptis unus valet decem hostibus resistere. 677 a 1
Montes cur Christus ascenderet. 726 b 1
Morbo pediculari punitorum exempla. 825 b 1
Mori vel vincere militibus est acer stimulus ad pugnandum. 769 b 1
Mori in senectute bona, prospera ac pacifica extremum huius vitæ bonum, 669 d 1
Moritur homo sensim, et quo ordine. 298 d 1
Morituri subinde divinant. 668 b 1
Mors cita beneficium peccaturis. 242 c 2
Acceleratur propter peccata. 295 a 2
Eius memoria. 376 a 2
Est somnus 377 c 2
Iustis aliquando contingit mors mala. 428 a 1
Mors omni loco expectanda. 658 b 2
Mors gloriosa est, pugnando pro fide, lege et Deo occumbere. 748 a 2 - 768 a 1
Mors ducit ad veram vitam. 768 c 1
Mors est quasi longus somnus. 832 b 2
Ita vocatur maxime ob spem resurrectionis. ibidem
Mortariola quid. 405 d 2
Mortificatio religiosorum quorumdam. 282 b 1
Sanctorum. 402 d 1
Mortificationis gladius adhibendus, dum orationi, prædicationi, aliisque piis operibus insistitur. 621 b 1
Mortificatio est quasi viva quædam mors. 837 c 2
Est gladius sanctus. 840 a 2
Mortui ob scelera possunt puniri. 518 c 2
Moses in principatus successione prætulit extraneum Iosue propriis filiis. 7 a 2
Mosen transformarunt gentiles in Minoen. 747 c 2
Per virgam accepit potestatem faciendi miracula. 840 d 1
Muleasses rex Tunetanus coram Carolo V. humi sedens prandebat. 690 b 2
Mulier Sarephthana præfertur viris. 440 b 2
Mulier Holda consulitur in reprehensionem virorum. 515 b 2
Mulieres prophetissæ. 93 b 1
Aliquarum infidelitas. 139 a 1
Variæ formæ. 139 d 2
Malitia. 145 a 2
Epitheta malæ mulieris. 147 a 1
Origo idololatriæ in Israel, 151 c 1
Mulieris cuiusdam a petulante dæmone, incredibili libidine vexatæ per S. Bernardum liberatæ exemplum. 657 a 2
Mulierum aspectus quam sit periculosus et perniciosus. 687 a 2
Mulieres Persicæ sunt cæteris pulchriores. 704 b 2
Vide Fœmina.
Multa paucis complecti magni viri est, et ingenii. 800 a 2
Mulus, licet sterilis, tamen ardet libidine. 657 b 2
Mulorum aliud genus in Cappadocia et Syria quod parit et procreat. 657 c 2
Mundo (in) vivant Sancti ut in exilio. 668 a 1
Mundana quam sint instabilia et vana. 716 c 2
Mundi fallacia. 716 d 2
In mundo nulla re lætandum. 727 b 2
In mundo plausus sæpe vertitur in planctum. 769 a 1
Munera respuere sanctitatis indicium. 200 d 1 et seqq.
Munsteri hæretici testimonium pro suffragiis defunctorum. 285 d 2
Mures quas clades subinde intulerint. 200 d 1
Muri civitatis olim Gentilibus erant sacri. 619 c 1
Muri urbis Ierusalem quanto temporis spatio fuerint reædificati. 624 a 2
Quando et quo ritu dedicati. 634 a 1
Murus domus sanctæ interioris qui. 769 b 2
Musach sabbati est conopæum regium, cui rex insidebat, dum sacris intereràt. 505 c 2
Musam virginem quid monuerit B. Virgo. 648 c 1
Musica excitat animi affectus. 252 c 2
Lethargum ex tarantulæ morsu curat. ibidem
Musica instrumenta mentes Sanctorum in Deum elevant. 470 a 2
Musoritæ hæretici a muribus. 200 d 1
Myodes Muscarum Deus. 462 c 1
Myrmicolion quale animal. 827 c 2
Myrtus semper est myrtus etiamsi sit inter urticas. 640 a 2-706 d 2
Est herbarum pulcherrima. 706 c 2
Est symbolum lætitiæ et hilaritatis. 707 d 1

N

Naaman leprosus a Deo humiliatur. 477 d 1
Famulorum suorum pater. 477 a 2
Convertitur ad Deum per sanctitatem Elisei. 478 d 1
Excusatur ab idololatria. ibidem
Et a scandalo. 478 b 2
Fit fidelis, sed non Iudæus. 479 c 1
Naas fecit misericordiam cum David fugitivo. 324 a 1
Nabo erat nomen idoli Chaldæorum. 673 c 1
Nabo urbs nobilis sita in tribu Ruben, unde Nabuthæi. 768 c 2
Naboth fuit vir probus. 454 b 1
Typus Christi. 455 c 1 - 455 b 2
Lapidatur et ejus filii occiduntur. ibidem
Nabuchodonosor Magnus ille Chaldæorum quando se fecerit monarcham. 669 c 2
Non est hic qui misit Holofernem cum exercitu. 671 a 1
Nabuchodonosor nomen est Babylonium, sive Chaldæum. 671 a 1
Et commune fuit regibus Chaldæorum. 672 b 2
Quo sensu dicatur Babylonem condidisse. 672 c 1
Quid significat Hebraice. 673 c 1
Nabuchodonosor qui misit Holofernem, quis. 671 c 1-672 b 2
Videtur gente et origine fuisse Babylonius. 673 b 1
Vocatur Assyrius ut distinguatur ab altero. 673 c 1
Vincit Arphaxad et victoria tumet. 673 d 1
Non fuit Xerxes. 673 c 2
Eius mandata Holoferni data. 674 a 2 et seqq.
Quantus fuerit eius terror. 676 a 1
Deo ac divinitati bellum indicit, ipseque vult haberi et coli ut Deus. 676 a 2
Sed falso. 679 a 2
Voluit adorari in statua ut Deus. 710 b 1
Voluit solus ut Deus coli. ibidem
Nævius Poeta coævus Judæ, Ionathæ et Simoni Machabæis. 732 b 2
Nanea Dea Gentilium quæ. 795 b 1
Naphat est regio, provincia. 797 b 2
Naphta est genus bituminis liquidi. 797 a 2
Nathan erravit, quia Deum non consuluit. 316 a 2
Fuit ita amatus a Davide, ut filium suum eius nomine vocarit. 329 a 1
Est alius a Ionatha. 358 a 1
Nathinæi, templi servi, qui et quales fuerint. 601 a 1
Nationem nationi Princeps non præferat. 354 b 1
Natura hominum varietate gaudet. 841 a 2
Nazaræi sui ævi religiosi comam alebant, ac vino et sicera abstinebant. 748 a 1
Nebo mons ex quo Moses moriturus vidit Terram Sanctam. 798 c 1
In eodem fuit deposita Arca testamenti. ibidem
Nebula in templo Salomonis Deum tegit et repræsentat. 408 b 1
Qualis fuerit. 408 c 1
Necessitas probat iustum. 644 c 1
Nehemiæ quinam synchroni et coævi fuerint tam ex Prophetis, quam Philosophis, etc. 595 c 2
Cur multi putarint Nehemiam Esdræ socium esse alium ab eo qui est auctor libri secundi Esdræ. 601 c 1 - 614 c 1
Verius est fuisse eumdem. 614 a 2
Quis hic et qualis fuerit. 614 b 1
Fuit pincerna Artaxerxis. 614 a 1
Typus Christi. 614 b 2
Ter Babylonem vel Persidem adiit; ter in Ierusalem rediit; licet grandævus et senex, eamque ingenti labore et zelo reædificavit. 614 c 2
Est auctor libri secundi Esdræ. 614 b 2
Fuit e tribu Levi. 614 b 1
Cur Artaxerxi fuerit tam charus. 616 a 1
Deum orat ut regem sibi benevolum et postulationi suæ annuentem reddat. 617 a 2
Item ne pœnam impœnitentibus et in culpa persistentibus condonet. 620 a 2
Eius in patiendo lenitas, et in animando constantia. 621 a 1
Cur noluerit accipere annonam a civibus Ierosolymitanis quibus præerat. 622 b 2
Ab Artaxerxe fuit constitutus dux Ierusalem per annos duodecim. 622 c 2
Eius continentia, charitas ac liberalitas in cives suos. 623 a 1
Non mansit duodecim annis in Ierusalem. 623 a 2
Magnus et magnificus fuit dux. 623 b 2
Criminantur eum quod se velit regem facere. 624 a 1
Eius magnanimitas. 624 b 1
Quo pacto Deum oret ut inimicos suos castiget. 624 d 1
An potuerit videre Iaddo Pontificem. 633 b 1
Vidit eum puerum, sed non Pontificem. 633 a 2
Non vidit Darium Codomanum. 633 c 2
Nehemias ter missus fuit in Iudæam a rege Persidis. 795 d 2
Quando ei missus fuerit ignis de cælo. ibidem
Cur ei præ aliis coævis suis missio illa contigerit. 796 b 1
Bibliothecam exstruxit. 799 b 2
Neomagenses cives catholici deprehendentes heterodoxorum metum hæreticos urbe expulerunt. 754 b 2
Neomenia erat solemnitas primæ diei mensis apud Iudæos. 739 c 2
Nephthali (ex) urbe prognati fuere plures Christi discipuli et Apostoli. 640 b 1
In Græco vocatur Thesbe, estque patria Tobiæ et Eliæ. 640 c 1
Nephtar interpretatur purificatio, unde. 797 a 2
Nestorius blasphemans B. Virginem punitus. 312 a 2
Nicanor contra Iudam cum copiis missus pacem cum eo iniit, sed monitus a rege ut Iudam caperet, cæsus et capite truncatus est. 761 a 1
Blasphemat templum, legem et Deum. 761 c 1
Eius lingua blasphema minutim concisa. 761 d 1
Sui et suorum strages per Iudam facta, quanta. 761 c 2 - 840 b 2
Quam vilipendat Iudæos. 820 b 2
Quo animo erga Iudam Machabæum esset. 836 b 1
Cur suaserit Iudæ ut uxorem duceret. 836 d 1
Se Deo æquat. 838 a 2
Nicomedes (S.) sepeliendo corpus S. Feliculæ Mart. coronam martyrii adeptus est. 643 b 1
Nicopolis quænam sit, et quantum distet a Ierusalem. 747 a 2
Nilus fluvius turbidus. 53 b 1
Ratione cujusdam sui rivi est terminus terræ Promissæ. 53 c 1
Fœcundat Ægyptum. 53 d 1
Ninive metropolis Assyriorum. 668 a 1
Eius excidium prædicitur a Tobia. 668 c 1
Sæpius fuit vastata. 668 a 2
Quando contigerit excidium eius, de quo Tobias. 669 c 2
Erat vicina Babyloni. 673 c 1
Ninivitæ licet pœnitentes, tamen excidium non evaserunt, cur. 668 b 2
Nisan mensis Hebr. respondet nostro Martio. 828 c 1
Nittekeri blasphemia dicentis Angelum Raphaelem fuisse mentitum. 654 a 1
Noadia pseudoprophetissa subornata a Sanaballat contra Nehemiam. 624 d 1
Nobiles imitentur Salomonem orantem utroque genu flexo. 409 b 1
Nobilitas omnis ex vili initio. 212 b 2
Nocere olim regebat accusativum. 697 b 1
Nomades, qui et Arabes, unde sic dicti. 830 b 2
Nomina propria in Paralipomenis, differunt a nominibus quæ aliis in libris ponuntur. 525 a 1
Vertuntur etiam in significata latina. 529 c 1
Nomina sunt quasi omina rei naturam, virtutem aut proprietatem aliquam præsentem aut futuram significantia. 599 b 2
Nomina mensium Hebræorum. 613 a 1
Nomina septem fratrum Machabæorum ex Iosephi editione Græca. 813 a 1
Νωμοῦς quid proprie significet. 777 c 2
Novantibus, libros Machab. e canone expungentibus, quid respondendum. 762 a 1
Novitios a religione abstrahere, magnum scelus. 243 b 1
Novum altare thymiamatis, mensam propositionis, et candelabrum fecit Salomon pro templo. 395 d 1
Nox signum mali hominis. 383 b 1
Noxa caput sequitur, quam verum sit, liquet in Amano. 714 b 2
Nubes in Scriptura vocatur latibulum et quasi vesti-

mentum Dei. 654 d 1
Per nubem Deus passim apparebat Mosi, et Raphael Angelus Tobiæ. ibidem
Nudipedum religiosorum laus. 169 a 1
Numa Egeriæ se maritum iactavit. 795 c 1
Numantini in Hispania per quatuordecim annos obsessi noluerunt Romanis reconciliari. 821 a 1
Numenius legatus a Simone Machabæo ad Romanos. 789 c 1
Numerus rotundus assignatur in Scriptura, etiamsi ei aliquid desit vel supersit. 119 d 1
Numerus omnium filiorum Israel, qui cum Iesu et Zorobabel in Ierusalem redierunt 601 a 2
Nuph quam multa significat. 797 b 2
Nuptiæ sic peragantur ut Deus non offendatur. 661 a 2
Nuptiarum die ac nocte coniuges sobrietati studeant. 661 b 2

O

Obededom Gethæus fuit Levita. 312 b 2
Qua benedictione benedictus propter arcam. 312 c 2
Obediendum Deo statim etiam in arduis. 94 b 1
Et periculis. 98 a 1
Et ut caro nobis obediat. 231 d 1 - 465 d 2
Non obedire Deo stultissimum. 230 d 2
Obedientia, melior victimis. 245 d 1
Eius fructus. 47 d 1 - 477 c 2
Obedientia rara Estheris reginæ et imperatricis. 708 b 2
Obedientia Abraham quanti a Deo æstimata. 743 c 2
Obdurationis suæ causa Chananæi, non Deus. 50 c 1
Obiectio hæreticorum contra auctoritatem libri secundi Machabæorum. 800 b 1
Obiectiones variæ contra auctoritatem libri quarti Esdræ. 636 b 2
Obrizum aurum unde. 412 b 1
Observantia regularis potior est sanitate et vita. 742 e 2
Obsessis nil atrocius accidit, quam sitis. 681 a 2
Obstetrices mentientes acceperunt a Deo domos, sed non propter mendacium. 685 b 1
Occasiones lapsus cavendæ. 328 c 1
Occidere seipsum quam ob causam liceat, ob quam non. 836 d 2
Longe hoc est difficilius quam necem ab alio illatam sustinere. 837 b 2
Occisores sui ipsius aliquot laudantur, excusantur alii. 837 c 1
Occulta peccata hominis quo fine diabolus manifestet. 324 c 1
Deus autem ea manifestat congrua talione. 330 a 2
Ochozias rex Israel cadit. 462 a 1
Eius lapsus significat lapsum hæreticorum. 462 b 1
Percutitur morte ob consultum dæmonem. 462 b 2
Oculi ultimum vivens, primum moriens. 298 d 1
Sunt duces amoris, et custodiendi, aut castitas est impossibilis 326 b 1
Oculus benignus gratiæ et favoris signum est et symbolum. 605 a 2
Oculos quomodo Deo Scriptura sacra attribuat. ibidem
Ad oculorum caliginem dispellendam valet cinis cum melle; item fel et stercus frigidum. 643 b 2
Odares unus e ducibus Bacchidis a Ionatha Machab. cæsus. 770 c 1
Œconomia in aula regia prima dignitas. 641 b 2
Ogygis diluvium pro diluvio Noe. 747 c 2
Olea symbolum est pacis. 836 c 1
Oleo sacro ungebantur Reges Iuda. 374 c 1
Sed non sacerdotali. 374 a 2
Per oleum benedictum sancti Anachoretæ olim expellebant dæmones. 659 a 2
Olla in qua elixabantur carnes martyrum qualis. 813 c 2
Olympiadum initium. 502 b 2 - 512 d 2
Omnes historiæ ante Olympiades, incertæ. 502 c 2
Olympiades quo tempore inceperint. 597 b 1
Olympius Iupiter. *Vide in verbo* Iupiter.
Onias tertius cognomento sanctus interfectus est anno quinto Antiochi. 741 b 1
Immediate ante Mathathiam pontificatum gessit. 802 a 1
Reprehendit Menelaum de sacrilegio. 806 b 2
Ad Daphnem quasi ad asylum confugiens occiditur. 806 b 1
Eius elogium. ibidem
Apparet Iudæ Machab. in somnis. 839 c 1
Onias iunior profugiens Heliopolim ibi factus est Pontifex novi templi. 741 b 1 - 802 a 1 - 807 a 2
Onion templum unde sic dictum. 741 b 1
Ono campus in tribu Beniamin vulgo Vallis artificum dictus. 624 a 1
Opera Dei sunt misericordia, vera et iusta. 646 c 1
Ea revelare honorificum est, celare periculosum. 665 b 1
Operum bonorum tria genera. ibidem
Opera prophetarum destructa ab Alcimo pseudopont. quæ. 769 a 2
Operariis merces statim tribuenda. 651 b 2
Ophel describitur. 581 b 2
Ophir unde aurum habuit Salomon, est India Orientalis. 411 c 2
Inde aurum dicitur obrizum. 412 b 1
Orandum non certo aliquo situ corporis, sed eo qui aptus est ad excitandam devotionem. 318 a 2
Orantes qua de causa solerent solaria conscendere. 726 b 1
Orare pro defunctis pium est et utile. 832 c 2
Orationis vis. 47 a 2
Silens ex intimo corde. 178 b 1
Eius fructus. 179 a 1
Orandum a Prælato pro populo sibi subiecto. 225 c 2
Ut exaudiatur, nec inimici odio obfuscari potest. 226 a 2
Debet esse assidua. 233 a 1
In arduis sit fervens et assidua. 441 a 2
Oratione sua impetrat Anianus Episcopus liberationem Aureliæ obsessæ. 446 a 2
Oratio Ioachaz regis Israel exauditur pro salute Israel danda, non suo, sed filii tempore. 497 c 1
Orationis communis utilitas. 573 b 1
Oratio armata ieiunio quam potens apud Deum. 609 a 2
Orationi aliisque piis operibus dum insistimus, altera manu gladius mortificationis tenendus. 621 a 1
Oratio iusti clavis est cæli. 646 a 1
Orationis fructus. 648 a 1
Ab oratione dæmon abducit monachum. 660 b 1
Oratio est funis quo ligatur dæmon ne nobis noceat. 660 b 2
Oratio nostra aliquid potest apud Patrem, cur. 664 a 2
Solvit debitum Deo. 665 c 1
Debet armari duabus alis eleemosynæ et ieiunii. ibidem
Orationis et pœnitentiæ publicæ vis ac usus. 677 a 2
Longius vulnerat quam sagitta. 677 b 2
Oratio Iudith Holofernem prostravit. 684 a 2
Oratio ut constantiam obtineat, debet armari pœnitentia, labore et mortificatione carnis. 685 b2
Oratio Estheris et Mardochæi quantæ efficaciæ. 716 c 2
Ordo in docendo servandus. 608 a 2
Ordinum ductori olim pro stipendio dabantur quatuor oboli. 747 b 1
Ornatus modestus decet matronam honestam. 167 b 1
Ornatus exterior signum internæ deformitatis. 338 b 2
Ornatus mulierum viris est periculosus et perniciosus. 687 c 1
Ornatus mulieres sunt studiosæ. 707 d 2
Ornatus illius quem rex honorare voluisset, qualis. 715 b 1
Oron mons quantum distet ab Ecbatana. 672 c 1
Orontes fluvius interfluit Antiochiam. 759 a 2
Orthosias urbs in quam fugit Tryphon quæ, et ubi sita. 790 a 2
Hanc Antiochus Sedetes deditione cepit ac in ea Tryphonem interfecit. ibidem
Os mensuram denotat. 610 b 2
Ab ore usque ad os impleri quid sit. ibidem
Osee rex Israel permittit suos subditos ire ad templum Ierosolymitanum. 507 b 1
Othoniel fortitudine bellica donatur a Deo. 88 b 1
Primus princeps Israelis post Iosue. 88 d 1
Typus Christi. 88 a 2
Otium malum. 325 b 1
Otio dediti regno privantur. 778 b 1
Ottomanni nunc sunt flagellum Dei. 743 b 2
Ovum significat spem et fiduciam. 664 a 1
Oxiares idem est quod acer Mars. 603 b 2
Oza fuit Levita. 311 b 1
Quare a Deo percussus. 311 a 2
Censent aliqui eum mortem æternam evasisse. 312 a 1
Ozæ percussio et divisio quid. ibidem
Ozias princeps Bethuliæ quomodo vocetur princeps Iuda. 680 a 1

P

Pacta Iudæorum cum Romanis inita. 764 c 2
Palæstinam (in) pro recuperanda Terra Sancta quinam expeditionem susceperint. 840 c 1
Palathæ sunt massæ caricarum seu ficuum aridarum. 686 b 2
Palma natura sua sursum nititur contra deprimentis manum. 784 c 1
Palmiram munit Salomon. 411 d 1
Eam postea Hadrianus vocat Hadrianopolim. ibidem
Palmus et palma mensuræ sunt, et quomodo differant. 90 d 1
Panætius Philosophus coævus Iudæ aliisque Machabæis. 732 b 2
Panes sepulcris olim imponi solebant, cur. 651 d 2
Ii in Hispania etiamnum offeruntur in sepultura. 652 a 1
Olim per panem benedictum Sancti dæmone liberabant energumenos. 659 b 2
Panico tumultu Syri solvunt obsidionem Samariæ. 484 b 2
Pannus menstruatæ quis et qualis. 727 b 1
Paralipomenon libri sæpe maiorem numerum recensent quam libri Regum. 403 d 2
Continent acta regum Iuda, non Israel. 524 a 1
Auctor librorum, Esdras. 524 a 2
Mendum in iis correctum. 575 b 2
Parelius est quasi alter sol. 722 c 1 - 724 a 1
Parentandi ritus more veteri ferendo epulas ad sepulcra martyrum sublatus, cur. 652 a 1
Parentes permittant filios religionem intrare. 181 a 1
Eius fructus Dei benedictio. 189 c 2
Parentes incesti suo exemplo causa filiorum incestorum. 335 d 1
Parentum peccata morte filiorum puniunt Iapones. 356 a 2
Parentes qui filios Deum timere docuere. 641 d 1
Parentes sunt honorandi. 650 b 1
Quales filios educare debeant. 658 a 2
Parentum laus et honor, est filiorum. 661 b 1
Optant filios post se relinquere, quare. 662 a 1
Parius est marmor candidum ex insula Paro. 703 a 1
Parochiæ studiosus Thomas Morus. 315 c 2
Parricidiorum aliquot exempla ob incestum Cleopatræ. 788 a 2
Parthenim quale nomen. 702 c 1
Parthopersæ fœminis convivia et virorum aspectum interdicunt. 704 c 2
Parva mandata non contemnenda. 428 a 1
Passer subinde pro qualibet ave ponitur. 643 d 1
Passionis comes est gloria. 262 a 1
Passio animi per sympathiam redundat in corpus. 646 a 1
Passionis Christi seria meditatio est funis quo ligetur dæmon ne nobis noceat. 660 b 2
Passiones animi consilio et patientia debellandæ. 763 b 1
Pastophoria erant cubicula sacerdotum annexa templo. 751 b 1
Pastores Ecclesiæ solliciti sint pro filiis spiritualibus. 357 c 1
Pastores seduli curent salutem Ecclesiæ et animarum exemplo Christi et Nehemiæ. 614 c 2
Pathar Hebraice, Chaldaice, etc., quid significet. 797 b 1
Pastoritiæ vitæ laus. 250 c 2
Patientia 177 a 2
Patientia in convicio. 178 a 2
In adversis. 195 a 1
Exempla eius. ibidem
Acuitur persecutionibus. 262 c 2 - 274 d 2
Patientia in mortificationibus. 282 b 1
Patientia et pietas Respha. 357 d 1
Patientiæ speculum S. Liduina. 444 d 2
Patientiæ exempla duo sunt Tobias et Iob. 643 d 2
Patientiæ actus heroicus est in adversis Deo gratias agere. 644 b 1
Eius præmium est et coronis ut novam passionem provocet. 645 b 1
Patientiam probat tentatio et tribulatio. 665 a 2
Paterfamilias erat sacerdos in ordine ad immolationem agni paschalis. 585 a 1
Patri spes in filiis vana. 117 a 1 - 154 a 1
Patris affectus invincibilis. 350 b 2
Optat superari a filio in gloria. 375 a 2
Filii patribus degeneres. 423 c 1
Pater Hebræis multa significat. 405 a 2
Patres (SS.) dicentes Filium in veteri testamento apparuisse explicantur. 8 d 2
Patria voce loqui quomodo intelligendum, 816 c 1 - 840 c 2
Quænam dicatur patria vox. 831 c 2
Pauci si generosi, multa possunt. 236 a 1
Paucis multa complecti magni viri est et profundi ingenii. 800 a 2
Pauli Fagii Lutherani error, dicentis librum Tobiæ non esse veram historiam. 638 b 1
Paulus (S.) Apostolus fuit Azarias. 654 a 2
Paupertas spiritus, omnium est domina. 8 c 1
Pauperum oppressio displicet Deo. 356 b 2
Paupertas Elisei et Prophetarum. 475 d 2
Priscorum religiosorum. 481 a 1
Pauperes quomodo iuvandi. 650 b 2
In pauperes quæ conferuntur non pereunt danti. ibidem
In pauperes olim ad agapen convocatos quid erogaretur. 651 d 2
Pauperes in quo se solari queant. 652 c 2
Pavimento (in) prandebant et cœnabant Persæ. 702 c 2
Pax Hebræis omne beneficium omneque bonum significat. 750 c 2
Pacem cum Nicanore fecit Iudas Mach. 761 b 1
Et cum Romanis. 764 c 1
Et Ionathas cum Bacchide. 770 c 2
Simon cum Spartiatis. 786 a 2
Pacem plenam Iudææ contulit Simon Mach. ibidem
Pacem fecit Lysias cum Iudæis. 834 b 2
Et Nicanor cum Iuda. 836 c 1
Paxillum (per) intelligitur modica firmitas: symbolice principes et magistratus e gente Iudaica. 610 c 1
Peccata Hebræorum punita. 8 d 2
Iericho exusta propter peccata. 29 a 2
Peccatum Achan punitum. 32 a 1 - 32 a 2
Peccati gravitas. 35 a 2
Peccata Israelis punita per varias servitutes. 77 a 1
Eorum idololatria punita. 85 c 1
Eadem punita servitute. 87 d 1 - 103 a 1 - 116 c 2
Gedeonis Ephod fabricantis inadvertentia, deletione posterorum. ibidem
Ambitio Abimelech, morte ingloria. 123 c 2
Petulantia linguæ. 131 c 2
Samsonis concupiscentia excæcatione. 147 d 1
Heli. 191 a 2 - 194 c 2
Philisthinorum ponentium arcam tamquam debellatam iuxta Dagon. 198 b 1
Præcipitatio Saulis. 230 a 2
Eiusdem inobedientia. 231 d 1 - 232 a 1 - 246 c 2
Impietas. 280 c 2
Peccatum trahit ad peccatum. 327 c 2
Excæcat. 329 a 1
Vulnus peccati sentire signum bonæ mentis. 330 d 2
Peccatum Davidis punitum, et quomodo. 330 c 1
Mors infantis ex adulterio concepti fuit pœna temperata clementia. 331 c 2
Fuit punitus per morbum gravem. 331 d 2
Punitur libido varie per totum c. 13. lib. 2. Reg. 334
Comæ studiosus Absalom per comam punitur. 338 d 2
Peccatum regis luit populus. 356 a 1
Peccata patrum puniuntur in filiis. 356 a 2
Punitur peccatum in loco ubi perpetratum. 357 b 1
Peccata populi causæ lapsus Principum. 365 b 1
Peccatum Salomonis punitum. 419 c 2 - 420 b 1
Peccatum Ieroboam eversione familiæ et aliorum regum Israel. 428 c 2
Quatuor plagæ peccati Ieroboam. 430 d 1
Idololatria Roboam punita. 430 d 2 - 565 a 1
Peccata regum Israel punita. 435 a 2
Idololatria fame punita. 439 a 1
Peccatum mors hominis. 442 a 2
Peccatum Iosaphat punitum. 458 a 1
Peccata Achab punita. 459 a 1
Peccatum Ochoziæ morte punitum. 462 b 2
Peccatum duorum quinquagenariorum igne de cælo punitum. 462 d 2
Peccatum puerorum exprobrantium Eliseo calvitiem. 468 c 2
Idololatria regum Israel. 434 a 1 - 470 c 1
Peccatum Giezi, lepra. 480 a 1
Schisma Samariæ, fame. 483 a 2

Incredulitas ducis in Samaria, morte. 484 b 2
Peccata Benadad regis Syriæ, morte. 486 a 1 - 486 a 2
Achabi, morte filiorum. 491 a 1
Idque congrue in cophinis ad exemplum aliorum. 491 b 1
Iezabelis peccata. 489 c 2
Athaliæ parricidia et ambitio. 494 a 1
Ioas regis Iuda peccata. 496 a 2
Ioas regis Israel. 498 a 2
Amasiæ idololatria. 499 a 2 - 500 b 1 - 500 a 2
Confidentia in homine regis Achaz. 504 a 2
Idololatria tribus Iuda. 510 b 1
Perfidia Sennacherib. 510 a 2
Amon præfidentia. 514 c 2
Peccatum Ioas regis Iuda gravissime punitum. 578 a 1
Sacrilegium Oziæ multipliciter punitum. 580 a 2
Blasphemia Sennacherib. 587 b 1
Inobedientia Iosiæ. 590 b 2
Peccata nostra Deus punit citra condignum. 646 c 1
Peccata abundant ubi ardet libido. 647 a 2
Nulla sunt, nec fuerunt, nec esse poterunt sine superbia. 651 d 1
Inter peccata ita constricto ut nullus omnino sine peccato evadendi aditus pateat, quid agendum. 657 d 2
Ob peccata urbes et regna pereunt. 678 a 2
Peccatum non est peccato superandum, sed virtute. 705 a 2
Peccator ex homine fit quasi bestia. 231 a 1
Eius miseria. 299 b 2 - 327 a 2
Seipsum punit. 335 a 2
Eius scala est pœnitentia. 360 b 1
Peccatorum interitus. 360 d 1
Instar spinarum igne comburentur. ibidem
Peccator est cadaver mortuum. 442 a 2
Peccatorum preces parum valent apud Deum. 652 b 1
Cum iis non conversandum. ibidem
Peccatoribus Dei vindicta timenda. 678 a 2
Peccatores subinde castigat Deus per Angelos bonos. 802 d 2
Peccavi alio sensu dixit David, alio Saul et Iudas. 331 a 1
Peccandum potius contra homines quam contra Deum. 366 a 2
Pecuniæ summa 2400. millionum a Davide Salomoni relicta ad templum ædificandum. 546 a 1
Cui Salomon multa addidit. 546 b 2
Pecunia aulici corrupti. 807 a 1
Pedicularis morbus. *Vide* Phtiriasis.
Pediti pro stipendio olim dabantur duo oboli. 747 b 1
Pelagiæ (S.) se cum matre et sororibus in flumen iniicientis elogium. 686 a 2
Ne castitatis suæ pateretur dispendium factum memorabile. ibidem
Peleus iactavit se maritum Thetidis. 795 c 1
Pelopidas iturus ad conflictum, quid uxori ut vitæ suæ caveret obsecranti, responderit. 767 a 2
Pentecoste (in) præcipue vacandum est operibus charitatis, cur. 643 a 1
Penuria sæpius quam pugna consumit exercitum. 677 b 1
Peregrinis olim ab Hebræis, aliisque gentibus mutabatur nomen proprium in aliud gentis cui inserebantur. 599 b 2 - 707 b 1
Peregrinus ab hostibus invasus per S. Raphaelem liberatus. 649 c 1
Peregrini antequam peregrinentur, et post adeant templum, Deumque invocent exemplo Tobiæ et aliorum. 663 b 1
Perfectionem (ad) via incipit a timore iudicii, etc. perducens ad contemplationem. 450 b 1
Perfectus est qui in adversis Deo gratias agit. 644 b 1
Perillus in bovem æneum quem Phalaridi suggesserat, primus iniectus fuit. 716 c 2
Persæ solem ut numen suum colebant. 597 c 2
Terram et aquam a sibi subiugandis petebant in signum servitutis. 675 a 1
Fœdum apud eos habebatur fœminam aliquam intactam relinqui. 690 d 1
Etiam matribus et filiabus permiscentur. 690 a 2
Prolixam comam alunt. 691 a 2
Persarum principes quam essent gravitatis et maiestatis amantes. 694 c 2
Prandebant et cœnabant in pavimento. 702 c 2
Priscorum Persarum frugalitas. 703 b 1
Apud eos lege cautum erat ne amphoræ ad convivia importarentur. 703 d 1
Ipsorum leges permittebant regem semel in anno inebriari. 704 d 1
Persicæ mulieres sunt cæteris pulchriores. 704 b 2
Persæ sorores suas ducebant in uxores. 704 d 1
Sunt in uxores feri. 705 a 1
Solebant alienigenis, cum in urbem vel aulam adsciscerentur, mutare nomina. 707 b 1
Ipsis adscribitur unguenti et ungendi usus. 707 c 2
Persicæ mulieres plus æquo sunt ornatus studiosæ. 707 d 2
Nefas est apud Persas regem in convivio quicquam abnuere. 713 a 2
Egregium eorum institutum de excitando rege ad negotiis regni invigilandum. 714 a 1
Exacte in annalibus et diariis consignabant beneficia in reges suos collata. 714 a 2
Persæ milites utebantur purpura partim ad ornatum, partim ad tegendum vulnera. 750 b 2
Persæ ignem colebant ut Deum. 796 d 2
Plura templa igni exstruxerunt. 797 a 1
Persarum regum series. 596 a 1 - et seq.
Habebant septem summos principes et consiliarios. 608 a 2
Eorum pietas. 608 b 2
Bibebant vinum e Syria advectum. 616 a 2
Mira eorum superstitio de non bibenda alia aqua quam ex Choaspe fluvio. ibidem
Hyemem transigunt Babylone, ver Susis, æstatem Ecbatanis. 702 b 1
Ante cibum de modestia, ante potum de temperantia disputabant. 703 b 1
Sub specie maiestatis regis persona occulitur. 704 d 2
Reges Persarum voluerunt adorari ut dii. 709 b 1 - 710 a 1 - 714 a 2
Quidam ex ipsorum ministris appellabantur regis aures et oculi. ibidem
Regis litteræ et decreta erant irrevocabilia. 717 b 2
Magnam, imo divinam maiestatem præ se ferebant. 728 c 1
Annulo donari a rege signum erat amicitiæ 717 b 2
Persarum reges aurum voluerunt sibi esse proprium. 778 c 2
Quomodo singulis suis uxoribus civitates attribuerunt. 806 a 2
Persecutione (in) dolendum non propter seipsum, sed propter exitium persequentium. 344 d 1
Persepolis eadem est civitas quæ Ælam sive Elymais. 822 a 1
Perseus Macedonum rex a Romanis in triumphum ductus. 763 c 1
Pestem cur David elegerit. 366 c 1
Duravit ea triduo. 366 c 2
Pestis quomodo sedata a S. Gregorio Magno. 367 b 1
Pestis universalis a B. Virgine remedium. 367 d 1
Et a S. Sebastiano. 367 a 2
Quid contra pestem egerit S. Carolus Borr. 367 c 2
Petasus diversa significat. 804 a 2
Petroselinum unde sic dictum. 702 b 2
Melius nascitur inter petras. ibidem
Petrus (B.) Damiani Phineem putat esse Eliam. 71 c 1
Petrus (S.) sibi ecclesiam dedicavit Londini in Anglia. 752 c 1
Pharao fuit nomen comune Ægyptiorum. 603 a 2
Phathathias iurisperitus constitutus ab Artaxerxe ut cum Nehemia causas litesque populi decideret. 632 a 1
Philastrii locus restitutus. 200 d 1
Philippi II. Hispaniarum regis regia gravitas percellebat accedentes ad eum. 728 a 2
Philippi, patris Alexandri Magni, de duce belli sententia. 754 d 2
Philippus Pulcher rex Franciæ unde sic cognominatus. 706 c 2
Philippo Pulchro Franciæ rege instigante, exstincti sunt Templarii. 752 b 2
Philisthinorum quinque Satrapiæ pertinebant ad tribum Iuda. 60 d 1
Philo biblicus nugarum et errorum Bibulus. 88 b 1
Philonis error dicentis stirpem Salomonis defecisse in Ochozia. 494 c 1
Philosophi coævi Iudæ et Simoni Machabæis. 732 b 2
Plurium, qui audita Alexandri Magni morte ad funus accurrerant, gnomæ. 738 a 1
Philosophia, Mathesis, Poesis, etc., necessario subser-

viunt doctrinæ sacræ contra gentiles et hæreticos. 233 a 2
Phocas malus fit Imperator ob peccata plebis. 210 b 2
Phœnicia pertinet ad terram Promissam, sed numquam fuit subacta. 87 c 1
Phtiriasis, sive morbi pedicularis causa et effectus. 823 d 1
Quinam ea puniti. ibidem
Phul cum Arbace capit Niniven, et dividit monarchiam Assyriorum. 502 c 1
Vocatur in auxilium a Manahem. 503 b 1
Phur an sit vox Hebræa, an Persica. 710 d 2
Idem est quod sors, a qua dictum est festum Phurim. ibidem
Phurim dies Persis fuere Iudæis dies phrurim. 720 b 1
Mystice sunt dies passionis Christi, et dies iudicii. 720 d 1
Pietas regum gentilium. 608 b 2
Et primorum Christianorum. 680 b 2
Item Iudithæ. 693 a 2
Et Estheris. 712 a 2
Pietas Iudæ Machabæi. 751 a 1
Pigmenius (S.) in cæcitate Deo gratias agit. 644 c 1
Pii v. Pontificis laus. 570 a 1
Piorum regna prolongat Deus. 435 a 1
Aliquando pii principes frustrantur eventu, quia impiorum opera utuntur. 573 b 2
Pii in adversis constituti excitantur et roborantur, si cogitent Deum delectari nostra fortitudine et gaudio in adversis. 627 b 2
Pinedæ opinio de Tharsis improbatur. 416 c 2
Piscium porta Ierusalem quare sic appellaretur. 619 a 2
Piscis Tobiæ quis. 655 b 1
Pisces amant aquam dulcem, adeoque in fluviis sæpe reperiuntur marini. 656 b 1
Piscis per Tobiam occisus diabolum significat. 656 c 2
Et Christum. ibidem - 664 a 2
Plato quid censuerit de anima in morte corporis. 668 b 1
Plausus sæpe vertitur in planctum in hoc mundo. 769 a 1
Plautus poeta coævus Iudæ, Ionathæ et Simoni Machabæis. 732 b 2
Pœna ut auferatur a Deo, prius peccata auferenda per Principes a populo. 33 c 1
Pœnas immittit Deus, ut ad se recurratur. 103 a 2
Pœna peccati solvenda post remissam culpam et pœnam æternam. 331 c 1
Pœna huius vitæ parva respectu æternæ. 430 a 1
Pœnam peccatis debitam Deus etiam temporaliter imminuit. 592 a 2
Pœnitentiæ typus Iordanis. 21 c 1
Eius vis. 34 c 1
Non differenda in senium. 298 c 1
Pœnitentia etiam non stabili placatur Deus. 565 a 2
Pœnitentiæ definitio. 612 a 1
Includit spem remissionis peccati. ibidem
Seria Deum laudat et glorificat. 613 b 1
Pœnitentiæ publicæ vis et usus. 677 a 2
Pœnitentia Iudith qualis. 683 b 1
Pœnitentium qualis debeat esse sensus et oratio, pudor et contritio. 611 c 2
Non pœnitet qui non habet spem veniæ. 612 a 1
Pœnitentis tria symbola. 629 a 1
Pœnitentes, quia ficti, non exauditi. 823 a 2
Poetarum de Titanibus fabulæ. 697 a 2
Item de sole. 722 d 1
Poetæ coævi Iudæ et Ionathæ Machabæis. 732 b 2
Polenta est farina hordeacea. 686 b 2
Politia excæcavit Iehu. 493 b 1
Politica consilia perniciosa. 424 c 1
Politici consiliarii in aulis Principum. 345 a 1
Pollex, digitus sic dictus quod cæteris virtute polleat. 784 d 1
Eo elevato vel suppresso, solebant prisci victoriam alicui annuere vel abnuere. 784 a 2
Pollices amputati Adonibezec. 80 c 1
Polluto templo per necem Zachariæ, desinunt oracula. 578 a 2
Polonorum laus ob invocatum nomen Iesu ante conflictum. 112 c 2
Poltronis etymon. 80 d 1
Polygamia olim apud reges usitata; etiamnum Turcis, Arabibus, Indis familiaris est. 708 a 2
Pompeius quomodo Iudæam Romanis subiecerit. 764 a 2
Capta Ierosolyma nil de bis mille talentis in templo repertis sustulit. 763 d 1
Eius tessera belli, quæ. 821 a 2
Pontificum Synagogæ series. 191 d 1
Pontifices duo in Israel tempore Davidis. 548 b 1
Pontifices erant, 24. sive Principes Sacerdotum quibus unus summus Pontifex præerat. 548 b 1 et seq.
Pontifices in lege veteri erant milites. 746 b 1
Pontificatus Iudæorum deficientibus legitimis hæredibus devolutus est ad Mathatiam. 807 a 2
Popielus Poloniæ Princeps a muribus comestus. 200 a 2
Popilius (P.) legatus Romanus cur ad Antiochum Epiphanem missus. 738 d 2
Populus et rex quasi una persona. 226 a 2
Populos nil ita ad seditionem concitat ac legum patriarum et religionis avitæ eversio. 747 c 1
Populus fidelis et pius vilipenditur, ubi sacerdotes vilipenduntur. 748 b 1
Porcinam carnem edere recusantes excarnificantur. 811 b 1
Eam edere in lege veteri fuisset peccatum mortale. 811 a 2
Porta vallis duplex fuit in Ierusalem, 617 d 2 - 619 b 2
Erant in ea portæ duodecim. 619 c 1
Portæ gentilibus erant sacræ. ibidem
Portæ, quod per eam onera importentur et exportentur sic dictæ. 635 a 2
Aliud etymon. ibidem
Portenta in aere per angelos effecta tempore Antiochi Epiph. 808 a 1
Item cum Titus obsideret Ierosolymam, et Longobardi invaderent Italiam. 808 b 1
Item in Belgio quid portenderint. 808 d 1
An fiant naturaliter. ibidem
Porticu (de) sententia Abul. Titelm. et Iansenii impugnatur. 393 d 1
Possessio adibatur calcando rem possessam. 321 d 2 - et seq.
Possidonius Philosophus coævus Iudæ aliisque Machabæis. 732 b 2
Potestates angelicæ imperium suum in dæmones exercent. 649 a 1
Præceptum militare est confligere cum hoste in terra hostili. 781 b 1
Præcipitationis mala. 230 a 2
Prædicationi dum insistitur, altera manu gladius mortificationis tenendus, cur. 621 b 1
Prælatum spernens, Deum spernit. 209 b 1
Eius est orare pro populo. 225 d 2
Sit bonus licet subditi sint mali. 233 c 2
Prælatis quid in Christo et Nehemia imitandum sit. 614 c 2
Prælaturam nemo ambiat, sed exspectet donec cogatur. 231 d 2
Prælium est res periculosissima. 767 c 2
Præputii reductio cuius rei symbolum. 738 b 2
Præsentia viri magni, virtutis stimulus. 188 d 2
Præsentia Principis ad multa utilis in bello. 320 a 2
Confirmatur exemplo Caroli V. ibidem
Præsentia Dei quid operetur in nobis. 438 b 2
Præsidia (post) divina, adhibenda quoque sunt humana. 748 b 1
Præsumptionis mala. 326 c 2
Contra eam monita. 326 d 2
Ne quidem de virtute præsumendum. 428 c 1
Præsumptio sui ipsius nociva. 680 b 1
Prævaricari in Scriptura est rebellare et rebellionem concitare. 778 d 2
Presbyter vocatur senior, sive sacerdos, sive laicus. 680 a 1
Preto Iancs filius Salomonis. 414 d 1
Eius tituli. 415 a 1
Priapi Sacerdotissa Maacha. 430 c 2
Amovetur a sacerdotio. 433 b 1
Sacerdotium Priapi augustum. ibidem
Horrendus Priapus. ibidem
Pridie Mardochei festum apud Iudæos. 761 c 2 - 841 a 1
Primævus spiritus in Religiones et viros Ecclesiasticos revocandus. 108 c 2
Primis (in) statuit Deus exempla, ut sequentes sint cautiores. 232 a 1
Primitiæ martyrum novi testamenti fuit S. Stephanus; veteris Eleazarus. 811 d 2
Principes peculiariter tenentur servare legem Dei. 9 c 1
Et plebem docere Dei legem servare. 9 b 2
Soli Deo militantur. 11 a 1

Non stertant in multam lucem. 16 a 1
Principes politici sacris se non immisceant. 16 d 2 - 116 d 2
A Deo incipiant. 23 c 2
In bellis invocent angelos custodes. 25 c 2
Suos subditos laboribus exerceant. 27 a 2
Fidem hostibus servent. 30 c 2
Publicas calamitates deprecentur. 32 c 2
Scelera auferant e populo, ut Deus auferat scelerum pœnas. 33 c 1
Imitentur modestiam Iosue. 67 a 2
Fidem veram tueantur ut basim Reip. 77 b 1
Inconsulto Deo bellum non suscipiant. 80 a 1
Diu cum eodem hoste non pugnent, ne artem militarem hostis discat. 86 a 1
Quomodo debeant regere. 120 c 1
Utilissime legunt libros Regum. 172 b 2
Sunt bases Reip. 186 b 2
Puniuntur propter peccata subditorum. 194 c 2
Castra eorum sint casta. 196 a 1
Quomodo debeant Remp. administrare. 207 a 2
Quid iniuste usurpent et quid iuste eis competat. 209 a 2
Eminere debent in magnanimitate. 214 a 2
Eminere debent aliis. 218 c 2
Norint multa dissimulare. 219 c 1
Regnum inchoent in clementia. 221 d 1
Eorum potestas debet dirigi a sacerdotali. 230 a 2
Sciant a Deo dari victoriam. 239 b 1
Benignitas eorum virtus. 242 a 1
Pulchritudo arguit eos bene imperaturos, deformitas male. 258 a 1
Vehementissime desiderant regnare. 261 a 1
Dedecet eos vindicta. 285 a 2
Æmulationes Nationum sopire debent. 354 b 1
Omnibus sibi subiectis sint æquales. ibidem
Eorum lapsus propter peccata populorum. 365 b 1
Imitentur pietatem Salomonis. 408 b 2
Eorum dos lenitas. 423 b 1
Eorum officia. 465 c 2
Principes pii impiorum ope utentes sæpe fine suo frustrantur. 573 b 2
Principes patrum sunt principes familiarum. 599 c 1
Principes salutem Ecclesiæ sedulo curent. 615 a 2
Animum suum nemini, aut paucis aperiant. 665 a 1
Populos sibi commissos circumeant et visitent, exemplo Eliachim. 677 c 2
Principibus Assyriorum solebat præferri ignis. 676 a 1 - 687 a 2
Principes noctu vigilent, exemplo Assueri. 714 a 1
Magnorum potentiam et insolentiam non metuant, exemplo Estheris. 716 c 1
Accusatoribus non facile credant. 729 b 1
Princeps bonus subditos amat quasi filios. 757 c 1
Eis fidat potius quam externis, exemplo Alexandri Magni. 778 c 1
Privilegia tria quæ Tobias senior accepit a Salmanasar rege. 641 a 2
Privata persona sibi potest vivere, non publica. 120 c 1
Probi cur affligantur. 665 a 2
Proci rivales sæpe se mutuo occidunt. 657 b 2
Proficiscentes in Terram Sanctam cur cruce insigniuntur. 840 c 1 - et seq.
Propheta magnus tota gens Hebræorum. 173 b 1
Prophetæ aliqui erant quasi religiosi laudibus Dei vacantes, non futura prædicentes. 216 c 2
Subinde errant et quare. 317 a 1
Propheta missus in Bethel contra idola Ieroboam non est Iadon. 426 a 1
Verisimilius est Ioas. 426 b 1
Tria facit miracula. 426 b 2
Præceptum a Deo ei datum de non comedendo in Bethel, obligabat eum ad mortem. 427 a 1
Mors eius permissa in testimonium veritatis. 427 d 1
Peccavit comedendo, sed venialiter tantum. 427 b 2
Propheta in Bethel fuit fidelis. 427 b 1
Mentitur officiose, et venialiter tantum. 427 d 1
Sepelivit prophetam Dei. 428 c 1
Falso affirmat Iosephus eum impedivisse Ieroboami conversionem ad Deum. 428 a 2
Cur sepultus sit in sepulcro prophetæ Dei. 428 b 2
Habentur insani ab idololatris. 488 a 1
Prophetarum ultimi fuerunt Zacharias et Malachias: nulli fuerunt tempore Machabæorum. 751 a 2
Prophetiæ spiritus impiis etiam datur. 266 a 2
Prophetia est melodia et prophetare est laudare. 313 c 1
Prophetia de Iosia 300. annis ante eius nativitatem. 426 a 1
Prophetiæ donum maius est conscribere sacros libros ex Deo quam futura prædicere. 594 b 2
Προσευχη erat locus orationis et concionis apud Iudæos. 680 b 2
Prosperis et adversis bene utendum. 90 a 1
Prosperitas periculosa. 326 c 1 - 328 d 1 - 419 a 1
Prostratio signum est humilitatis, cur. 685 b 2
Providentia Dei quomodo Israeli consuluerit. 791 b 1
Providentia est prima dos regis ad rite gubernandum. 604 d 2
Providentia divina erga Iudæos in templi restauratione. 605 a 1
Item erga Tobiam et Saram. 646 b 2
Et erga Tobiam patrem fugientem excidium Ninives. 669 c 1
Providentia Dei erga Estherem. 722 a 2
Providentia Iudæ Machabæi. 755 b 1
Provinciæ filii quinam dicerentur. 600 a 1
Per Provinciam olim intelligebatur Babylonia, sicut nunc per Urbem, Roma. ibidem
Proximo non faciendum quod tibi fieri nolles. 651 b 2
Prudentia mater felicitatis. 9 c 2 - 377 b 1
Prudentia diabolica. 345 a 1
Prudentia omnibus necessaria. 402 b 2
Prudentia est prima dos regis ad rite gubernandum. 604 d 2
Prudentiæ propriæ non innitendum. 652 c 1
Prudentia bellica Iudithæ. 694 b 1 - 695 a 1
Prudentia militaris in cohibendo milite a spoliis. 750 c 1
Psalmus nonus quando compositus. 540 a 1
Item trigesimus tertius. 272 c 1
Item quinquagesimus primus. 275 b 2
Item quinquagesimus tertius. 277 a 2
Item quinquagesimus quintus. 272 c 1
Item quinquagesimus sextus. 280 b 1
Item quinquagesimus octavus. 265 c 2
Nonagesimus sub noctem recitatur contra dæmones. 46 c 1
Non omnes psalmos composuit David, sed Asaph etiam aliquos. 583 a 2
Eorum laus. 360 c 1
Ptisana quid? 346 b 2
Ptisanæ medicæ salubritas. ibidem
Ptolemæo (a) Lagi rege Ægypti cæteri vocati sunt Ptolemæi. 723 b 1
Ptolemæorum qui post Alexandrum Magnum in Ægypto regnarunt series. 733 d 1
Ptolemæus Abobi dux in campo Iericho, occisor Simonis Mach. 791 c 1
Ptolemæus Macer, quis: cur dignitate sua et vita spoliatur. 825 d 1
Ptolemæus Philometor rex Ægypti, Syriam Alexandro genero suo eripere satagit, cur. 776 a 1
Sed iusto Dei iudicio amisit Ægyptum. 777 b 1
Eius etymon. 777 d 1
Ptolemæus Philadelphus e Iudæa septuaginta Interpretes evocavit. 799 b 2
Ptolemæus Philopator quis, et unde ita cognominatus. 842 a 1
Ptolemæus Physcon vel Evergetes crudelis et incestus. 789 d 1
Dicebatur frater et maritus, et gener Cleopatræ. 789 a 2
Corpus filii sui in membra divisum matri inter epulas misit. 789 b 2
Fratri illiberi defuncto in regno successit. 794 d 1
Ptolemenses indigne ferentes Antiochum Eupat. cum Iuda pacem iniisse sedat Lysias. 834 c 2
Erant Iudæorum hostes. ibidem
Pudicitia a gentilibus matronis morti prælata. 683 b 1
Et a virginibus Christianis. 686 b 1
Pudicitia cum libidine duellans depicta. 696 b 1
Puellæ pro castitate servanda quantum sobrietati studere debeant. 683 a 1
Pueris papiliones insequentibus comparantur appetentes honorem huius mundi. 713 b 2
Pueri et puellæ quadam tormentorum acerbitate et varietate superarunt martyres viros. 818 a 1
Puerorum bona institutio, eorum salus et Reip. 170 d 2

A pueritia Deo serviendum. 181 a 2
Pueritia sit senilis, senectus puerilis. 640 c 2
Pugna cum resolutis et desperatis periculosissima. 751 a 1
Pulchritudo in rege indicat eum bene imperaturum, deformitas male. 257 d 2
Pulchritudo Iudithæ Holofernem excitavit ad luxuriam: B Virginis, eam intuentes ad castitatem. 692 a 2
Pulli hirundinum versantes inter parentum stercora oculantur chelidonia. 643 a 2
Pulsus campanæ ab Ecclesia benedictæ quomodo fuget dæmonem procellas excitantem. 659 a 2
Puniti in re qua excellebant. 80 b 2
Puniri a Deo satius quam ab hominibus. 366 a 2
Purgatio templi per Iudam Machabæum facta. 752 a 1 - 793 a 2
Contigit ante mortem Ant. Epiphanis. 825 a 1
Purgatorio (e) nuper liberatum Salomonem concionator Italus dixit ex revelatione facta mulieri. 419 c 2
Purgatorium astruitur. 652 c 1 - 832 b 2
Purgatorium credidit Iudas Machab. et Iudæi tam prisci quam moderni. 832 d 1
Ab eius cruciatibus liberat sacrificium. 832 b 2
In purgatorio existentes animæ an invocandæ. 839 d 1
Purificatio apud veteres fiebat per sulphur et ignem. 797 a 2
Puritas Saræ Raguelis filiæ. 648 b 1
Puritas corporis admonet puritatis animæ. 690 a 1
Puritas est comes veræ religionis. 738 a 2
Purpura marina fit ex succo conchiliorum marinorum. 750 b 2
Ea quæ fit ex violis aliisque herbis pallet. ibidem
Purpura Tyria est ardens et quasi ignea. ibidem
Purpura apud Rom. alia erat consularis, alia regia. 763 b 2
Πυρεια Persis dicebantur templa igni exstructa 797 a 1
Pusillanimitas est seipsum occidere. 295 b 1
Pyrrhus rex, primus contra Romanos in Lucania elephantes eduxit. 757 b 2

Q

Quadraginta annis quibus Hebræi peregrinati sunt in deserto defuerunt quinque dies. 26 c 2
Quadrati geometrici omnia latera sunt æqualia. 672 a 2
Qualitas quælibet, et gratia in Scriptura significatur per Spiritum. 88 c 1
Quatuor acceperunt nomen a Deo ante nativitatem. 332 b 1
Quia aliquando sumitur ut sit particula redundans: aliquando pro *tamen*. 611 b 1
Quies nusquam, nisi in Deo. 205 a 2

R

Ra, id est malum, tam pravitatem et malitiam, quam tristitiam et afflictionem significat. 617 b 1
Rabba a Philadelpho capta, dicta est Philadelphia. 325 b 2
Alio nomine vocatur Urbs Aquarum, et quare. 332 d 2
Rabbi Salomonis error quod tribus Simeon non habuerit sortem ut reliquæ tribus. 66 a 1
Est fabulator. 301 b 2
Rabbinorum de Vasthi obscœna commenta. 704 a 2
Item de Aman. 709 b 1 - 713 d 2 - 715 a 2
Rages civitas metropolis ac regia Medorum. 646 c 2
Ubi sita. 653 a 2
An fuerint duæ civitates appellatæ eodem nomine. 661 a 1
Quid significet Græce et Hebraice. ibidem
Raguel pater Saræ laudatus quod vitia filiæ suæ eam petenti non celarit. 659 a 1
Rahab fuit meretrix. 12 c 2
Eius etymon. 12 d 2
Fuit a Deo illuminata ut exploratores Hebræos reciperet, etc. 13 a 1
Eius mendacium fuit tantum veniale. 13 d 1
Eius fides et conversio. 13 a 2
Revelatio a Deo illi facta. 14 a 1
Illuminatur a Deo ut eius divinitatem cognoscat. 14 c 1
Cum illa liberati omnes cognati et affines. 15 a 1
Typus est Ecclesiæ. 15 b 2
Et exemplum peccatorum. ibidem
Eadem quæ in genealogia Christi. 30 c 2
Nupsit Salomoni. 30 d 2
Raphael Angelus quis et qualis: eius etymon. 648 a 2
Est Dei medentis vicarius et minister curationis. ibidem
De eo est Missa pro ægrotantibus et peregrinantibus in Rom. Missali. 648 b 2
Mystice est Iesus Christus. 648 d 2
Ex qua hierarchia sit. ibidem
Est præses ægrorum et itinerantium. 649 b 1
Non fuit custos Tobiæ. 649 c 1
Est præses castitatis et castorum tutelaris. 649 a 2 - 693 c 1
Item viarum et viatorum. 653 a 1
Multis se viæ ducem obtulit. ibidem
Quo sensu sit Israelita. 653 b 1
Mira eius dignatio ac demissio. 653 b 2
An dicendo se esse Azariam Ananiæ Magni filium verum dicat. 654 a 1
Fuit typus Christi et Apostolorum. 654 d 1
Est rex angelorum, et propheta. 654 c 2
Cur vocarit se Azariam, ac cum Tobia comederit et biberit. 656 b 2
Ipse fugavit dæmonem non solum ex domo Raguelis, sed ex tota Media. ibidem
An recte potuisset se vocare Nephtalitam. 658 a 1
Quomodo religarit Asmodæum in deserto. 660 c 1
Eius septem beneficia quæ præstitit Tobiæ. 664 b 1
Est unus e primis angelis qui proxime assistunt Deo. 665 d 2
Quomodo dicat se astare Deo. 666 b 1
Vere non comedit. 666 b 2
Ipsi ab aliquibus assignatur decus victoriæ Iudith. 693 c 1
Raphaim sunt gigantes vastissimi et robustissimi. 698 c 1
Rapinis abstineant milites. 832 a 1
Raptus Siluntinarum virginum licuit Beniaminitis. 160 b 1
Sabinarum. 160 a 2
Razias qualis vir. 836 b 2
Trina morte se confecit. 836 d 2
An occidendo se peccarit. 836 d 2 et seqq.
Excusatur a peccato per ignorantiam. 837 b 1
Hac supposita heroicus fuit eius actus. 837 b 2
Razon Rex Syriæ. 420 b 1
Rebellio præcavenda ne oriatur: si orta est, remora ei iniicienda. 346 b 1
In rebellione capita plectenda, multitudini parcendum. 349 c 2
Statim in ortu comprimenda. 354 d 1
In principiis ei obstandum. 452 a 1
Reditus Hebræorum e Babylone in Ierusalem fuit lætissimus. 601 b 2
Regillianus per lusum fit verus rex. 117 c 1
Reginæ aliquot quæ Iudithæ nomen et cum nomine virtutis imitationem ambivere. 699 a 2
Regiones Iudæorum hic vocantur provinciæ ultra Taurum montem sitæ quas Antiochus coactus fuit cedere Romanis. 763 a 2
Regni cupido vehementissima in regibus. 261 a 1
Terrena regna parvi pendenda. 519 a 2
Regnum Assyriorum deficit in Asarhaddon. 590 a 2
In Merodach incipit regnum Chaldæorum. 590 b 2
Regnandi libido nihil non molitur. 708 c 2
In regno aliquo expedit esse unam religionem sed veram et orthodoxam. 739 d 1
Si falsa sit expedit esse plures. ibidem
Relatio inter deos fiebat olim in funere Regum et Imperatorum. 828 d 1
Religionis status est holocaustum. 245 c 2
Religio vera fundamentum Reip. 424 b 2
Religionis status repræsentatus per Carmelum. 445 c 2
Religionis causa multi Israelitæ migrarunt in Ierusalem. 570 b 2
Religio observata felicia regna, neglecta facit infelicia. 579 b 2
Religio sepulcri quanta. 617 c 1
Religionis veræ comes est puritas et castitas: falsæ, impuritas et libido. 738 a 2
Religio si vera et orthodoxa, expedit ut sit una in regno aliquo: si falsa, expedit esse plures. 739 d 1
Religio potior est sanitate et vita. 742 c 2

*

Religionis avitæ eversio concitat populos ad seditionem. 747 c 1
Religiosi primi orbis sunt Prophetæ laudibus Dei vacantes, non semper futura prædicentes. 216 c 2
Religiosus magnæ virtutis potest versari in aula. 470 a 1
Religiosi prosunt exercitibus. ibidem
Religiosi mali et se et aulas perdunt. ibidem
Religiosus debet se omnibus accommodare. 475 a 2
Religiosi pro salute animarum sint solliciti exemplo Christi et Nehemiæ. 614 c 2
Antequam peregrinentur templum adeant. 663 b 1
Reliquiæ Sanctorum veneratione dignæ. 284 a 1
Reliquiæ. *Vide* Lipsana.
Remedia efficacissima victoriam obtinendi. 826 a 1
Remissius agere hic quid significet. 830 b 2
Remmon est Venus. 479 d 1
Renes sunt sedes concupiscentiæ. 741 c 2
Resolutio facit milites imperterritos, animosos, etc. 751 a 1
Cum resolutis hostibus pugnare periculosum. ibidem
Resurrectio corporis cum immortalitate animæ necessario connexa. 832 a 2
Plenissima est omnis elegantiæ, pulchritudinis et gloriæ. ibidem
Revelationes fœminis factæ examinandæ sunt, nec iis facile credendum. 419 c 2
Reum indicare superiori ut corrigatur, est actus sanctitatis. 240 a 1
Reis qui olim ad mortem ducebantur, velabantur oculi, cur. 716 a 2
Ac hodie capite mulctandis. ibidem
Rex Deus terrestris. 115 d 2
Reges Iuda typi Christi. 173 b 1
Regia potestas duplex finita et infinita. 209 a 1
Inter reges Saul et David immediate a Deo ius regium nacti, non posteri Davidis. 210 c 2
Rex et populus quasi una persona. 226 a 2
Sit pastor populorum. 307 b 1
Eius dignitas consistit in pompa 417 a 1
Aliquorum regum mira infidelitas. 420 c 2 et seqq.
Abundant omnibus, præterquam veritate. 423 c 2
Duo præcepta eis danda. 424 d 2
Regum Israel perversitas et excæcatio. 434 a 1-470 b 1-493 b 1
Reges non invadant sacra. 581 a 1
Reges qui multos habent æmulos omnia tuta timent. 617 b 1
Secretum suum et animum nullis aut paucis pandant. 665 a 1
Eorum consilia, præsertim de subiugandis aliis regibus, sint secreta. 674 a 1
Eis olim lampades accensæ sive ignes præferebantur. 676 a 1 - 8 7 a 2
Reges Persarum aliarumque gentium per cortinas loquuntur et dant responsa. 694 c 2
Neque se conspici sinunt. 705 a 1
Reges multi ut dii adorari voluere. 710 a 1
Reges noctu vigilent, maximisque reipublicæ negotiis invigilent. 714 a 1
Acta sua recognoscant et relegant. 714 b 1
Non metuant magnorum potentiam, sed premant et calcent. 716 c 1
Regum maiestas percellit accedentes ad eam. 728 a 2
Regum cor est in manu Domini. ibidem
Rex ille contra quem dimicarunt Iudæi quis intelligendus. 794 d 1
Reges prisci nonnulli volebant haberi quasi dii terrestres ac proinde cum deabus coniugia inire. 795 b 1
A gentilibus referebantur in numerum deorum. 828 d 1
Regibus, cum inaugurantur, datur gladius, cur. 840 a 2
Reliqua *vide verbo* Principes.
Rhodocus quidam hostibus arcana prodit. 834 d 1
Ritus parentalis ferendi epulas ad sepulcra defunctorum sublatus, cur. 652 a 1
Ritus adorationis Persicæ. 710 c 1
Ritus Iudæorum crucem ligneam in contumeliam Amani circumferentium cur sublatus. 720 d 2
Ritus consecrandi et benedicendi vexilla et arma Ducum. 839 d 2 et seqq.
Et consecrandi militem. 840 b 1
Romæ etymon. 364 a 1
Primitus vocabatur Valentia. 364 a 1
Romana fides via ad cælum. ibidem
Romam vocatus S Dunstanus, id est, in cælum. ibidem
Quando Roma condita. 503 b 2 - 512 d 2
Roma ab olim et nunc est in suos vicos distributa. 619 c 2
Romani multos habebant Sacerdotes. 322 c 2
Romani negarunt Iudæis potestatem necis in prævaricatores. 608 c 2
Eorum disciplina vetus de annona ad usum totius anni in plerisque oppidis condenda. 677 b 1
Romanorum Iudicum in reum feralis sententia. 716 a 2
Romani quo stratagemate victi ab Hannibale. 749 a 1
Cur Galatas bello appetivere. 762 a 2 et seqq.
Quomodo subegerint Hispaniam. 763 a 1
Et Carthaginem. 763 c 1
Et Macedoniam cum rege Perseo. ibidem
Item Antiochum Magnum. 763 d 1
Et Græcos. 763 a 2
In periculis creabant unum dictatorem, alias duos consules et quæ tunc essent illorum munia. 763 d 2
Eorum cladis Cannensis quæ causa. ibidem
Apud primos Romanos nulla erat invidia, sed in posteris. ibidem et seqq.
Quibus mediis remp. magnam fecerint. 764 a 1
Cur gentium iura et numina non mutarent. 764 c 1
Leges suas et fœdera scribebant in tabulis æreis. 764 b 2
Eos perdidere græcanicæ deliciæ. 778 b 1
Scribunt Ptolemæo Physconi ne crudelitatem suam in Iudæos exerat. 789 b 2
Et aliis. 789 c 2
Eorum nomen erat formidabile apud omnes. ibidem
Supplicibus facile aderant; quæ fuit causa eorum potentiæ. 828 d 2
Romulo (a) fundatore dicta est Roma. 759 a 2
Hic primo statuit centum Senatores. 763 c 2
Quo sensu dicatur condidisse Romam. 672 c 1
Rophe, id est medicus, etc. 648 a 2
Ros in vellere et in area Gedeonis litteraliter Dei opem significat. 107 b 2
Alleg. Christi humanitatem et B. Virginem. 107 d 2
Ros Hebraice et Chaldaice est caput. 598 b 1
Rudolphus Habspurgensis caste osculabatur virgines ob sanitatem. 372 a 2
Ruforum laus. 251 a 1
Rupertus visione cælesti invitatur ad sacerdotium. 475 d 1
Rustici bello utiles. 91 c 2
Rustici Hispani non erant nisi gladio accincti. 621 a 1
Ruth historia contigit tempore Abimelech. 162 b 1
Eius conversio ad Iudaismum. 164 a 1
Amor erga Noemi. 164 b 1
Humilitas. 166 a 2
Officiositas. 166 c 2
Proiiciens se ad pedes Booz ab aliquibus accusatur, ab aliis excusatur. 167 b 2
Eius elogia. 168 d 1
Typus Ecclesiæ gentium. 164 a 2 - 171 b 1

S

Saba duplex, alia in Arabia, alia in Æthiopia. 413 a 1
Hæc postea vocata est Meroe. ibidem
Saba regina venit ex Æthiopia. 413 b 1
Eius nomen proprium varium secundum varios. 413 a 2
Fuit longo tempore apud Salomonem, ex quo filium concepit. 414 c 1
Fuit legitima uxor Salomonis. 414 d 2
Filius nascitur in Æthiopia. 414 a 2
Ad Salomonem vadit ab eoque in regem inauguratur. 414 b 2
Sabbati violatio punita per captivitatem Babylonicam. 592 c 1
Sabbati summa veneratio. 635 a 2
Sabbati summa apud Iudæos religio. 742 c 2
Eo die pugnare Iudæis illicitum. 821 a 2
Sacchari in tota Scriptura nulla mentio. 139 b 2
Sacerdotes Iudæorum dispersi per omnes tribus, ut

omnes legem docerent et cultum Dei. 68 a 1
Sacerdotes impuri gravissime puniendi. 199 a 2
Sacerdotum peccatum gravius ratione scandali. 189 d 1
Difficulter remissibile si sit contra res sacras. 190 b 2
Sacerdotes quomodo fuerint filii David qui erant ex Iuda oriundi. 322 b 2
Sacerdotes nudis pedibus ministrabant in templo. 402 c 2
Sacerdotes viles non sunt constituendi. 425 a 2
Liberati a cura temporalium, ut toti vacent Deo. 586 a 1 et seqq.
Sacerdos Urim et Tummim indutus mystice repræsentabat Christum. 601 c 1
Sacerdotes in cura Ecclesiæ et animarum imitentur Christum et Nehemiam. 614 c 2 et seqq.
Sacerdotium in lege veteri erat rude et carnale. 746 b 1
Novæ legis est longe sublimius et sanctius. 746 c 1
Sacerdotes in lege veteri erant milites. 746 b 1
Cur eis additus fuerit et pontificatus. ibidem
Erant quasi laniones in mactandis ovibus et bobus Deo immolandis. ibidem
Sacerdotes, avidi gloriæ et Iudæ æmuli, cæduntur. 755 b 2
Cur exciso per Chaldæos altari ignem sacrum absconderint. 795 b 2
Sacerdotum erant viginti quatuor classes. 810 b 2 et seqq.
Sacerdotes novæ legis versantur circa corpus Christi in Eucharistia consecrandum. 746 c 1
Decet eos esse mansuetos et pios. ibidem
Ubi sacerdotes vilipenduntur, ibi pariter vilipenduntur sacrificia, lex, pietas, etc. 748 b 1
Sacra vasa quando liceat distrahere. 496 b 2
Sacræ res sacrilegos non tuentur, sed puniunt. 197 a 2
Sacrificare licebat Hebræis extra tabernaculum, sanctum locum Angelo indicante. 84 c 1
Sacrificium pro defunctis sanctum est ac pium quadrupliciter. 832 b 2 et seqq.
Sacrilegia punita. 35 b 2
Sagæ quomodo per certas herbas et signa maleficii pueros et bestias occidant. 656 b 2
Sal notat convivium, cur. 604 c 1
Sal olim seminabant cum locum aliquem desolare vellent. ibidem
Salaria via Romæ a sale nomen accepit. 778 a 1
Salarium dictum est a sale. 604 c 1
Salarium et stipendium militare dictum a sale. 778 a 1
Salii Sacerdotes Martis. 314 a 1
Salisburgi princeps opes suas ex sale colligit. 773 a 1
Salmanasar quando decem tribus duxerit in Assyriam 639 a 2 et seq. 640 a 2
Salomonis thronus quomodo sempiternus. 317 b 2
Salomon, id est pacificus, et quare. 332 a 1
Alio nomine vocatur Iedidia. 332 b 1
Conceptus est statim post mortem infantis ex adulterio nati. 332 c 1
Non tam diu vixit quam cæteri propter libidinem. 332 c 2
Anno vigesimo ætatis creatur rex. 374 c 2
Regnat vivente patre. 375 a 1
Salomonis pacifici nomen a variis principibus, sua lingua mutuatum. 375 b 1
Salomon bis unctus. 375 c 1
Parcit Adoniæ conditionate. 375 b 2
Iuste eum postea occidit. 379 a 1
Salomon auctoritate non sua, sed Dei, amovit Abiathar a pontificatu. 379 c 1
Cur duxerit filiam Pharaonis. 380 a 2
In eo non peccavit. ibidem
Quando eam duxerit. 381 a 1
Eius pietas auspicantis regnum. 382 a 1
Somnium, in quo sapientiam accepit, probabiliter fuit naturale. ibidem
Sed divinum fuisse et ecstasin etiam est probabile. 382 c 1 et seqq.
Est immissum Salomoni per Angelum. 383 a 1
Quare id factum de nocte. 383 b 1
Sapientia Salomonis comprehendit scientias naturales, mysteria fidei, donum prophetiæ etc. 383 b 2
Sapientior fuit Adamo, David, etc. 383 d 2
Non tamen B. Virgine et Apostolis in mysteriis fidei. 384 b 1
Superavit Salomon omnes omnino reges gloria et divitiis. 384 c 1
Simulate, non serio mandavit dividi infantem. 385 d 1
Termini regni Salomonis. 387 c 1
Eius equorum copia excusatur a peccato. 388 c 1
Salomon poeta. 388 a 2
Eius scripta de iumentis cur perierint. 388 b 2 et seqq.
Ex Salomone docti omnes gentium sapientes. 388 c 2
Docuit publice physicam. ibidem
Salomon rex magnus. 389 a 1
Fecit novum altare thymiamatis, mensam propositionum et candelabrum pro templo. 395 d 1
Salomon omnia vasa tabernaculi reposuit, et nova alia fecit pro templo præter arcam. 405 b 2
Quinque candelabra fabricavit pro templo. 405 c 2
Orat facie versa ad templum. 408 a 2
Eius pietas imitanda a principibus. 408 b 2
Flexit utrumque genu in oratione. 409 c 1
Excusatur a peccato fabricans plura altaria in templo. 409 b 2
Dedit Hiram urbium Galilææ usumfructum, dominium autem dare non poterat. 411 a 1
Omnes opes expendit in fabricam. 411 c 1
Munit Palmiram. 411 d 1
Fecit omnes Chananæos tributarios, nec peccavit non occidendo. ibidem
Quando instruxerit classem pro colligendo auro. 411 a 2 et seqq.
Ex Ophir, id est India Orientale, habuit aurum. 411 c 2
Concepit ex eo filium regina Saba. 414 c 1 et seqq.
Aurum ei allatum. 415 b 1 et seqq.
Eius divitiæ. 415 a 2
Eius thronus eburneus. 416 a 1
Gloria tanta ei data ob virtutem, ut eam alii æmularentur. 417 a 2
Eius fama versa in infamiam. 417 b 2
Peccavit ducendo mulieres Chananæas, et gentiles non proselytas. 418 a 1
Lapsus eius in sex scelera. 418 b 1
Vere coluit idola ut suis concubinis morem gereret. 418 a 2
Moloch filium immolavit secundum aliquos. 419 a 1
Coluit Bacchum. ibidem
Salomonem damnatum alii aiunt, alii negant. 319 b 2-419 d 1
Nuper e Purgatorio liberatum dixit Romæ quidam concionator ex revelatione mulieri facta. 419 c 2
Salomonis excæcatio. 421 d 1
Eius forma. 421 a 2
Eius epitaphium. 421 d 2
Eius libri de plantis, etc. sublati per Ezechiam secundum Anastasium Nicæn. 509 a 2
Secunda Salomonis unctio fuit publica. 554 a 2
Salomon quando potuerit instituere piam aliquam formulam eiiciendi dæmones, quando non. 660 a 1
An ei vere ascribantur exorcismi dæmonum per radicem baraas. 660 b 1
Eius thronus duobus leonibus stipatus mystice explicatur. 693 c 1
De solio eius fabula. 702 c 1
Salomon sapientissime imitatus est Mosen. 799 d 1

Salomon typus Christi.

Salomon pacificus ædificans templum typus est Christi exstruentis Ecclesiam fidelium. 317 a 1 - 332 a 1
Unctus in Gihon significat Christum pacem nostram. 375 b 1
Ducens Ægyptiam significat Christum desponsantem sibi Ecclesiam. 381 a 1
Eius regni felicitas typus Ecclesiæ. 387 b 1
Sedens in throno significat Christum iudicem. 416 a 1
Gloria Salomonis idæa æternæ. 417 a 2
Saltant Christiani in Syria, in solemnitatibus. 314 a 1
Item Hispani et Indi coram Ven. Sacramento. ibidem
Saltus inconditus Baalitarum instar amentium. 444 a 1
Salus metonymice capitur pro victoria. 746 d 1
Hebræis significat omne beneficium et bonum. 750 c 2
Salus Israeli prædicta. 817 d 2
Salutem civium prodit, qui hostes captos vel capiendos dimittit. 825 c 2 et seqq.
Salvius (S.) quid dixerit redivivus. 421 d 2 et seqq.
Salvum conductum petit Nehemias ab Artaxerxe et impetrat, cur. 617 c 2
Samaria fit urbs regia Israelis, per Amri. 435 b 1

Samaritarum stolida et stulta idololatria. 508 c 1
Eorum inconstantia. 508 a 2 et seqq.
Samaritas perpetuos Iudæorum hostes cur Iudæi noluerint habere socios in reædificatione templi. 603 a 1
Corruperunt consiliarios Cambysis ut templi fabricam impedirent. 603 a 2
Samgar tertius Israelis iudex. 91 a 2 et seqq.
Per se solus 600. percussit. 91 b 2
Typus Christi. 92 a 2
Samson Danita. 133 c 1
Destinatus a Deo liberator Israelis. 133 a 2 et seqq.
Fuit Nazaræus tripliciter, non autem in utero sanctificatus. 133 d 2
Non plene liberavit Israel nisi forte in morte. 134 a 1
Nomen instinctu Dei accepit, eiusque etymon. 135 a 2
Dispensante Deo duxit Philisthinam. 137 b 1
Primus actus fortitudinis fuit occisio leonis. 137 c 2
Iuste occidit 30. Ascalonitas. 140 b 1
Tangendo mortuorum corpora non peccavit contra leges Nazaræatus. 140 a 2
Eius calliditas. 141 a 1 et seqq.
Binis vulpibus singulas faces alligavit. 141 c 1
Ab hoc eius facto vulpinalia Gentilium. 141 a 2
Illustre dedit exemplum iustitiæ legalis. 142 a 2
A Deo fuit confortatus dum occidit mille Philisthæos, uti et maxilla. 142 d 2
Non arroganter, sed gratias Deo agens cecinit carmen. 143 b 1
Per fornicationem non perdidit fortitudinem, quæ erat gratia gratis data. 145 a 1
Dalila eius uxor secundum quosdam. 145 c 1
Verius concubina. 145 d 1
Fortitudo ei data cum pacto Nazaræatus. 145 d 2 - 146 a 2
Inebriatum a Dalila multi affirmant, alii negant. 146 b 2 et seqq.
Iuste punitus in oculis, quibus peccaverat. 147 d 1
Domus in qua Philisthæos oppressit, erat templum Dagon. 148 d 1
Non peccavit se occidendo. 148 b 2
Nec physice nec moraliter se occidit. 148 c 2
Indirecte se occidendo fortiter egit et pro culpis satisfecit. 148 d 2
Non tamen fuit martyr. 149 a 1
Est gentilium Hercules. 149 b 1
Eius elogia. 149 d 2
Figura Christi. 135 b 2 - 142 c 2 - 148 d 1
Resurrectionis. 145 b 1
Velationis in passione. 147 d 1
Christi morientis. 148 d 1 - 149 b 2
Samsonem transformarunt gentiles in Herculem. 747 c 2
Concussis columnis cur domum everterit. 758 a 2
Per suam Dalilam effœminatus fuit et spoliatus fortitudine. 836 d 1
Samuel oriundus ex tribu Levi, non ex Ephraim. 176 c 1
Ex Dei dispensatione sacrificavit. 176 d 1 - 206 b 2
Est ex posteris impii Core. 176 d 1
Etyma eius nominis. 179 c 1
Tota vita servivit in templo. 181 b 1
Non tenebatur voto matris. 181 b 2
Eius Ephod lineum vestis Levitica, non Sacerdotalis. 189 b 2
Eius sanctitas inter improbos. 190 b 1
Non fuit summus pontifex. 189 b 2 - 236 b 1
Per obedientiam meruit prophetiam. 193 b 2
Crescit in virtutibus. 195 b 1 et seqq.
Omnia eveniunt quæ prædicit. 195 c 1
Sæpius ei apparuit Dominus in Silo. 195 b 2
Dispensante Deo sacrificavit extra tabernaculum. 206 b 2
Idea perfecti iudicis. 207 c 1
Retinuit iudiciariam potestatem regnante Saule. ibidem
Vixit ad annum 77. ætatis. 208 a 1
Filios suos fecit iudices, sed non ex carnali affectu. ibidem
Non punitus propter peccata filiorum ut Heli. 208 b 1
Adest Sauli pugnaturo contra Naas. 221 c 1
Quasi se abdicat principatu. 222 a 1
Eius senectus laboribus accelerata. 223 b 1
Integritatis exemplum dat populo. ibidem
Ipse et Moses ex omnibus sanctis veteris legis pro inimicis orarunt. 225 c 1
Charitatis speculum pro inimicis orans 225 d 2
Separat se a Saule, ut eum ad pœnitentiam flectat. 232 a 2
Ex zelo occidit Agag. 248 b 2
Post hæc non amplius invisit Saulem; vidit tamen. 248 c 2
Luget Saulem quem timet vita æterna privandum. ibidem
Eius charitas. 248 d 2
Præest prophetantibus in Naioth. 266 a 1
Quando mortuus incertum. 283 a 1
Populi erga eum amor. 283 a 2
Ossium translatio sub Arcadio Imp. ibidem
Vere suscitatus fuit. 291 b 1
Non tamen per pythonissam, sed per Deum eam prævenientem. 291 c 1
Mortem Sauli prædicit, non eumdem statum post mortem. 291 b 2 et seqq.
Typus Christi. 135 a 2
Sanaballat Horonites alius a Sanaballat socero Manassis primi Pontificis Samaritanorum. 618 a 2 - 636 a 1
Sanchez suspicio improbatur. 347 b 1
Sancti cur in bello iusto aliquando cædantur ab impiis et iniustis. 158 b 1
Tentari permittuntur ne superbiant. 185 d 2
Sanctorum humilitas et fortitudo. 361 d 2
Sanctorum ordines significati per fortes David. 363 b 1
Inter eos I. Apostoli, II. Martyres, III. Confessores. 363 b 2
Sanctorum Doctorum laus. 402 b 1
Sanctorum felicitas significatur per lilium. 402 a 2
Refutant munera. 477 d 2
Vident absentia. 479 d 2
Etiam mortui nos iuvant. 497 b 2
Sancti cur permittantur a Deo affligi. 643 d 2 - 665 a 2
Hi in adversis Deo gratias agunt. 644 b 1
Spes gloriæ futuræ eis est stimulus ad virtutem. 644 d 2
Pro beneficiis maleficia accipiunt ab amicis. 645 b 1
Olim per panem aut oleum a se benedictum ab energumenis expellebant dæmones. 659 a 2
In mundo tamquam in exsilio vivant et moriantur. 668 a 1
Sanctis quibusdam eximiis Deus lucem et fulgorem afflavit. 686 b 1
Eorum gaudium in cælo est festum Phurim. 720 b 2
In die iudicii inimicos suos gladiis punient. ibidem
Sancti pro piis pugnant. 746 d 2
Possident cælum consilio; terram patientia. 763 b 1
Eos invocare, tutius est quam animas in purgatorio. 839 a 2
Sanctificare, pro rem sanctam offerre sumitur; vel etiam pro rem sanctam ostendere. 634 a 2 et seqq.
Sanctimonialis quædam oculos sibi erutos misit ad adolescentem specie oculorum suorum captum. 644 d 1
Sanctiones et leges Dei vocantur iustitiæ et iustificationes, cur. 739 a 2
Sanctitas nobilissimum Dei attributum. 182 b 2 et seqq.
Sanctitas antipathiam habet cum iniquitate. 441 b 1
Sancto (in) et Sancto Sanctorum quænam collocata fuerint. 751 c 2
Sanctum Sanctorum vocatur ædes. ibidem
Sanctum et Sanctum sanctorum. *Vide* Templum.
Sanguinis esus et potus Iudæis sub pœna mortis vetitus. 688 c 1
Sanguis cur ostenderetur elephantis in prælio hominum. 757 b 2
Sanitas corporis a paucitate ferculorum. 214 a 1 et seqq.
Ad sanitatem bibere et ad id cogere tyrannicum est. 703 a 2
Et insania. 703 c 2
Sapientia quantum Dei donum. 384 c 1
Sapiens qui cupit esse, paret se ut rideatur. 641 a 1
Sapientes etiam in propriis cæcutiunt. 652 c 1
Sapientia dant consilia. ibidem
Sara Hebr. idem est quod dominans et domina. 647 b 1
Quam ægre tulerit convicia ei ab ancilla obiecta. 647 c 2
Oratione triduana quid impetrarit a Deo. 648 a 1
Eius continentia et puritas. 648 b 1
An habuerit Asmodæum incubum. 657 d 1
Cur eam tot sponsi ambierint, nec posteriores sapuerint exemplo priorum. 658 a 2
Saraias pater Esdræ, occisus in excidio Ierusalem. 594 b 1 - 596 c 1
Sardanapalus ab Arbace Mediæ præfecto obsessus, cur. 672 a 1
Filios suos misit in Paphlagoniam ut hostem effuge-

rent. 672 c 2
Sarephthana vidua gentilis erat, sed pia. 440 a 1
Duo ligna quæ collegit significant crucem Christi. ibidem
Panis subcinericius quem coxit, significat satisfactionem pœnitentium. 440 b 1
Eius laudes. 440 c 1
Meretur farinæ additionem. 440 d 1
Eius filius permittitur ægrotare ad gloriam Eliæ. 440 d 2
Eius humilitas et spiritus pœnitentiæ. 441 b 1
Eius filius est primus resuscitatus. 442 b 2
Sartago in qua olim martyrum corpora frigebantur qualis. 813 c 2
Sassabasar idem est qui Zorobabel. 599 a 2
Satar est recipere, etc. 707 c 1
Saturus (S) procurator Hunnerici regis Arriani, ab uxore sollicitatus ad Arrianismum quid responderit. 645 a 2
Saul immediate a Deo ius regium accepit. 210 c 2
Fuit insigni corporis forma et vir probus. 212 b 1
Melior singulis e populo. 212 d 1
Miserandi eius lapsus causa. ibidem
Nihil umquam de regno cogitarat. 213 c 1
Eius humilitas meruit regnum. 213 d 1 et seqq.
Mutatur in alium virum. 217 b 1
In periculis belli monetur se recipere in Galgala. 217 d 1
Silet de regno præ modestia ut secretum servet, et ne sibi invidiam conciliet. 218 c 1
Non ex humano affectu a Samuele constitutus rex. 218 b 2
Præ humilitate fugit regnum. 218 c 2
Fuit procerus et quasi gigas. ibidem
Publice unctus et rex declaratus. 219 b 1
Rex et arator. 220 c 1
Quamdiu Samuelis monita secutus est, bonus fuit, eis neglectis reprobus. 221 d 1
Dignior Samuele non sanctior. ibidem
Boves minatur se occisurum, non homines, ut regnum auspicetur a clementia. ibidem
Eius prudentia et celeritas. 221 b 2
Pro tertia vice unctus in regem in Galgalis. 222 a 1 et seqq.
Peccavit non expectando Samuelem usque ad finem diei septimæ. 230 c 1
Eius præcipitatio 230 a 2
Auxit peccatum excusando. 230 c 2
Ipse et posteri fuissent reges, si fuissent Deo obedientes. 231 b 1
Mansit rex tota vita sua. 231 c 1 - 246 d 2
Propter inobedientiam privatur regno. 231 d 1 - 231 d 2
Ieiunii lex dum Philisthæos insequitur, ab aliquibus laudatur. 237 c 2
Ab aliis damnatur severitatis et stultitiæ. 237 d 2
Sed licet fuerit dura, fuit tamen iusta. ibidem
Hactenus vir pius et bonus, posthac graviter peccavit inobedientia. 238 c 1
Iuramentum eius de occidendo eo qui causa fuit silentii Dei, arguitur ab aliquibus. 239 a 2
Ab aliis laudatur. 239 b 2
Dicendum est fuisse incautum. ibidem
Morti addicens Ionatham, excusatur a peccato. 240 d 2
Eius felicitas bellica. 241 a 2
Pepercit regi Agag, vel ex superbia, vel ex avaritia, vel ex humana commiseratione. 243 d 2
Eius secunda inobedientia. 244 a 1
Miserandus lapsus. 244 b 1
Si pœnituisset, gratia ei fuisset reddita, non tamen regnum. 244 a 2
Adulatur Samueli. 244 d 2
Avaritiam suam velat specie religionis. ibidem
Tenacia iudicii eum perdidit. 245 b 1
Auget inobedientiam, excusando. 245 c 1
Privatur regno propter inobedientiam. 246 c 2
Pœnitentia eius non fuit seria. 247 a 1
Sed humana. 247 b 2
Probabiliter anno septimo regni lapsus est. 247 d 2
Spiritus fortitudinis ab eo recedit. 251 d 2
Possidetur a dæmone corporaliter. 252 c 1 et seqq.
Cithara Davidis partim naturaliter, partim supernaturaliter curatur. 253 b 1
Liberatus fuit a dæmone per citharizationem David, sed mox iterum possessus. 251 a 2
Timet sibi a Davide de regno. 261 a 1
Prophetat ut solent energumeni. 261 c 1
Non curatur per psalterium Davidis, quia permaneus in peccato invidiæ. 261 a 2
Eius ingratitudo in Davidem. 262 b 2
Septies eum est persecutus. 261 c 2
Amovet Davidem ab aula. 262 b 1
Creat eum Chiliarcham, sperans in bello occidendum. ibidem
Proficit in peius. 262 a 2
Insidiose despondet filiam David pro centum præputiis. 263 c 1
Quia per se non potuit, nititur per alios occidere Davidem. 264 a 1
Eius inconstantia. 265 b 1
Vult Davidem coram se occidi, idque per sententiam iudicis. 265 c 1
Prophetans non omnino omnibus vestibus nudavit se, sed tantum regiis. 266 b 1
Cecidit in terram Deum adorando. 266 d 1
Eius crudelitas maior aliis peccatis. 275 d 1
Suam ipsius damnat malitiam et ingratitudinem. 281 c 1
Colligit Davidem regnaturum, quod videat eum Deo esse curæ. 281 b 2
Submittit se Davidi. 281 c 2
Immittit ei Deus soporem. 287 b 2
Seipsum occidit. 294 b 1
Idque iusto Dei iudicio. 294 c 1
Laudant hoc Rabbini. 294 b 2
Sed hoc damnat fides orthodoxa. 294 c 2
Ipse Saul est damnatus. 295 d 1
Potissima ratio occisionis et mortis accelerationis est consuluisse Pythonissam. ibidem
Pro anima eius ieiunarunt septem diebus viri Iabes Galaad. 296 a 1 et seqq.
Typus Christi. 212 c 2 - 218 d 2
Scaligeri sententia fabricam templi intermissam fuisse usque ad secundum annum Darii Nothi refutatur. 604 d 1
Scandali gravitas. 331 b 2
Scandalosa peccata punit Deus. 432 c 2
Scelera auferenda, ut pœnæ auferantur. 33 c 1
Scenopegiæ festum quomodo dictum festum Encæniorum. 793 b 2
Proprie erat festum Tabernaculorum. ibidem
Vide Festum.
Sceptrum (per) Assueri mystice repræsentata B. Virgo. 713 b 1
Schismate (pro) tollendo et cavendo scribunt Iudæi epistolam. 793 b 1
Sciabats quid significet. 298 b 1
Sciabbiton sonat idem quod cui est fortitudo. 758 d 1
Sciachan idem sonat quod habitare. 648 c 2
Scientia sine praxi parum prodest. 388 a 2
Scipio Rom. cur ita appellatus. 662 a 1
Scipio Africanus eiusque pater et patruus præclara gessere in Hispania. 763 b 1
Scipionis Asiatici contra Antiochum Magnum victoria quanta. 763 c 1 et seqq.
Scissio vestium in luctu usitata et ob sceleris detestationem. 32 b 2
Scorpiones quibus flagellati Martyres, erant virgæ ex spinis. 115 b 1
Scribæ quinam olim dicerentur, et quod eorum officium. 608 a 1
Scripturæ S. divisio secundum Hebræos. 5 b 1
Numeri perfecti ponuntur in Scriptura, licet aliquid supersit vel desit. 119 d 1
In Scripturæ libris aliquæ particulæ compositis libris additæ. 173 c 1
S. Scriptura omnia refert in Deum, ut manifestetur eius providentia. 190 d 2
Est arca testamenti. 312 d 1
Mendo defenditur contra aliquos doctores Catholicos. 568 a 1
Scriptura sacra quomodo Deo det oculos, aures, etc. 605 a 1
Subinde se conformat sensui vulgi. 615 b 2
Eius lectio est funis quo dæmon ligatur ne nobis noceat. 660 b 2
Quid ei sufficiat in recensendo alicuius genealogiam. 682 b 1
Sæpe lumen et flumen combinat. 722 c 1
Cur in his lib. narret casum Ptolemæi Macri. 825 a 2
Scriptura S. per gladium aureum denotata. 840 a 2

Scrutarii quales. 405 b 1
Scutra est vas profundum circulare. ibidem
Scythopolis, quæ et Bethsan, ubi sita. 781 d 1
Sebastianus (S.) Patronus pestis. 367 a 2
Sebastianus (S.) quo dilemmate S. Marcum et Marcellianum vacillantes in fide corroboraverit. 815 d 2
Secreto (a) pendet felix rei executio. 665 a 1 - 684 a 2
Secretum nulli fidendum. 137 d 2
Sedecias nomen suum accepit a Nabuchodonosor, qui antea vocabatur Matthanias. 520 c 2
Iuste ab eodem damnatur. 522 b 2
Sedens orare quomodo quis possit. 318 b 1
Sedendo anima fit sapiens. 318 d 1
Seditionem (ad) nihil ita concitat populos ac legum patriarum et religionis avitæ eversio. 747 c 1
Seleucidarum post Alexandrum Magnum in Syria regnantium series. 732 c 2
Seleucus anno duodecimo a morte Alexandri regem Asiæ se fecit. ibidem - 738 c 1
Condidit Antiochiam. 759 a 2
Seleucus Philopator dolo Heliodori occisus. 738 b 2
Fuit filius Antiochi Magni et frater senior Epiphanis. 802 a 1
Beneficus in templum Ierosol. 802 b 1
Sella est quasi sedile sedentis in equo. 715 a 1
Semaia sacerdos de vico Dalaiæ. 624 b 1
Pretio subornatus a Sanaballat ut Nehemiam populo exosum redderet. ibidem
Semei non est idem qui Nabath. 343 b 1
Convicia quinque coniecit in Davidem. 343 c 1
Eius stultitia. ibidem
Quomodo Deus ei præcepit ut malediceret David. 343 b 2
Occisus a Salomone propter maledicentiam in Davidem, prætexuit tamen transitum Iordanis. 352 c 1
Quinque eius convicia in Davidem secundum Hebræos. 377 b 2
Eius maledicentia non fuit absolute remissa a Davide. 377 c 2
Senatores Romani purpurea toga ornabantur. 763 b 2
Senatorum numerus varius. 763 c 2
Senatus olim erat concilium senum. 810 a 1
Senectus Caleb virtutis præmium. 56 c 1
Senectus bona. 117 a 2
Senectutis mala. 352 d 2
Senectus debet esse puerilis et pueritia senilis. 640 c 2
In senectute plena, pia ac honorata mori extremum est huius vitæ bonum. 669 d 1
Senum est sapientia et prudentia. 810 a 1
Senectus portus, non naufragium vitæ superioris esse debet. 811 a 2
Sennacherib perfidia punita. 510 a 2
Cum exercitu non periit, quia servatus ad maiores plagas. 587 b 1
Cur a filiis interfectus. 587 a 2
Sepeliri debent cæsorum corpora. 831 d 2
Sepeliendo corpora mortuorum protestamur fidem et spem resurrectionis, virtutique sanctorum et martyrum magnus defertur honos. 643 b 1
Sepher idem est quod liber. 739 d 1
Septenarius numerus sacer ob quietem sabbati. 28 a 1
Septuaginta (in) mendum 23 c 2 - 41 b 1 - 71 d 2 - 73 a 1
Aliter legunt quam Vulgata. 81 b 2
Aliud mendum. 97 d 2 - 198 a 1
Addunt aliquid. 238 c 1
Aliud mendum in Complut. 241 b 1
Aliud mendum. 243 a 2
Aliud mendum. 270 a 1
Aliud mendum. 275 a 2
Septuaginta interpretes nequeunt esse auctores Græcæ editionis in lib. Machabæorum. 731 b 2
Septuaginta annis cur duravit captivitas Babylonica. 592 c 1
Sepulcris carent superbi quæ sibi exstruxerunt. 350 b 1 et seqq.
Sepulcrorum religio et cura quanta. 617 c 1
Eorum violatio apud omnes gentes gravis iniuria et infamia habita fuit. 617 d 1
Ea etiam tuentur Arabes, licet feri et barbari. 617 a 2
Sepulcro in eodem sepulti coniuges. 650 b 1
Sepulcra duorum coniugum ab invicem separata divinitus coniuncta. 650 c 1
Sepulcris veteres panes imponebant, cur 651 d 2
Sepulcrum a Simone Machab. in Modin ædificatum quale. 783 b 2
Duravit usque ad tempora S. Hier. 783 c 2
Sepultura est ultimum misericordiæ officium naturæ debitum. 643 a 1
Per eam protestamur fidem et spem resurrectionis, ac virtuti sanctorum et martyrum magnus defertur honos. 643 b 1
Ei insistendo aliqui martyres effecti. ibidem
Sepultura humana caruit Iason Oniæ sancti frater. 808 b 2
Eam negligere vel negare etiam hosti apud gentiles erat ignominia. 831 d 2
Seraphini proxime assistunt Deo. 649 a 1
Serarius male numerat annos ab egressu Israel ad templum ædificatum. 392 c 1
Verbum ex margine in textum irrepsisse docet. 529 a 2
Series priscorum regum Persarum. 596 a 1
Et Pontificum Iudæorum a captivitate Babylonica ad Alexandrum Magnum. 596 c 1
Et aliquot regum Medorum. 672 a 1
Series Seleucidarum in Syria. 732 c 2
Ptolemæorum in Ægypto. 733 d 1
Item Machabæorum qui populo præfuere ut Pontifices et ut Principes. 734 c 1
Item Pontificum ab Alexandro Magno usque ad Christum. 735 a 1
Et Cleopatrarum. 773 d 2
Sermo ex gravi et exili moderatus, lectoribus gratus est. 841 b 2
Servi sive mancipia cur dicantur corpora. 662 b 1
Servientes Deo sunt inexpugnabiles. 678 a 2
Servitutes Hebræorum variæ simul ascendunt ad 111. annos. 89 a 2
Servitutis Dei et hominis differentia. 431 a 2
In servitutis signum petebant Persæ aquam et terram. 675 a 1
Severi Sulpitii error historiam Iudith ad tempora Artaxerxis Ochi referentis. 690 d 1
Sextus Tarquinius primores Gabinorum occidit. 349 c 2
Siba calumniator. 342 b 2 - 352 b 2
Sicli quadraginta faciunt quadraginta florenos Brabanticos sive francos Gallicos. 623 a 1
Siclus valet quatuor iulios vel quatuor regales Hispanicos. 773 b 2
Sidon magna cognomine, non relative ad aliam minorem. 49 d 1
Eius etymon. ibidem
Signa in aere belli imminentis prognostica. 808 a 1
Vide Portenta. *Signorum* tubæ cur ita dictæ. 751 c 1
Silentii vis et exempla. 665 a 1
Silentium a S. Hieron. viduis commendatum. 682 b 2
Simeonem quomodo laudet Iudith quod vindicarit stuprum Dinæ sororis. 685 b 1
Similitudo inter adulatores et hirundines. 643 c 2
Item inter papilionem et honorem huius mundi. 713 b 2
Simitarræ vocantur gladii breves et recurvi Turcarum. 691 a 2
Simonis Mathathiæ filii elogium. 744 a 2
Fuit ei quarto genitus. ibidem
Eius nepotum Hyrcani et Aristobuli contentio de principatu causa fuit subactionis Iudææ. 764 a 2
Dux creatur et pontifex, fuitque per septem annos. 783 a 1
Redimit Ionatham fratrem captum a Triphone. 783 b 1
In Modin ædificavit sepulcrum patri et fratribus. 783 b 2
Arcem montis Sion cepit et communivit. 784 c 2
Ioppen portum commodissimum constituit. 786 c 1
Sub eo fuere aurea Israelis sæcula. 786 b 2
Eius progenies præfuit Israeli usque ad Herodem sub quo natus est Christus. 787 c 1
Summa eius potestas in Israelem. 787 a 2
Cur tam magnifice laudetur in his lib. præ Iuda et Ionatha. ibidem
Filios suos loco suo constituit. 791 b 1
Occisus est a Ptolemæo Abobi. 791 c 1
Quo anno, et quot præfuerit Israeli. 791 a 2
Simulare fugam in bello licet. 37 c 1
Sinarum reges etiamnum per cortinas loquuntur et responsa dant. 694 c 2
Neque se conspici sinunt. 704 d 2
Sion figura Ecclesiæ. 509 c 1
Sion arx quando a Iuda Machab. obsideri cœpta, quando capta. 751 c 1
Sitis acrius cruciat quam fames. 681 a 2

Siti ubi laboratur, laboratur et fame. 688 c 1
Soba ubi sita. 321 d 1
Iure divino erat Iudæorum, ideoque iuste eam invasit David. 321 a 2
Sobrietas convivis ac coniugibus maxime nuptiarum die ac alias, dum generationi vacant, commendata. 661 a 2
Per hanc Iudith obtruncavit caput Holoferni. 690 c 2 - 696 c 2
Societatis bonæ utilitas. 217 d 2 - 266 c 1
Solaria conscendere olim solebant orantes, cur. 726 b 1
Solem tacuisse, id est, Pythagorice non cecinisse in solstitio Iosuano fabulatur R. Salomon. 46 a 2
Sole stante, steterunt reliqui cælestes orbes. 46 c 2
Tempus tunc non fuit, sed duratio. 46 d 2
Solis equi qui et quales. 517 a 2
Ablati a Iosia. 518 c 1
Bis miraculose stetit, non ter. 529 c 2
Solem ut numen colebant Persæ. 597 c 2
Sol, ita dictus eo quod solus luceat. 641 a 1
Sol radiis suis quasi mitra coronatur. 686 b 1
Cur vocetur cæli et terræ filius. 697 b 2
Solis et fontis analogiæ. 722 b 1
Est quasi oculus cæli. 722 b 1
De eodem Poetarum figmenta. 722 d 1
Est signum gaudii et prosperitatis. ibidem
Ad solem orientem respiciunt aulici. 774 a 2
Soldurioram laus. 300 a 1
Solio (de) Salomonis fabula. 702 c 1
Solitudo viduarum dos, eisque commendatur. 682 b 2
Sollicitudo Dei et Angelorum pro homine. 649 b 2
Solymani ambitio. 128 c 1
Somnium Salomonis fuit divinum et ecstaticum. 382 d 1
Potest per Deum homo in somniis uti ratione. 382 c 2
Somnia multa vera in Scripturis. 384 a 2
Omnium Cyri regis Persarum de sole sibi in somnis astante. 597 c 2
Aliud quo invitabatur ut ad deos ascenderet. 598 d 2
Aliud de Dario. 604 d 2
Somnium Mardochæi fuit ei a Deo immissum, quale illud sit. 721 c 2
Somnium Olympiadis matris Alexandri Magni de dracone. 723 a 1
Somnii Mardochæi explicatio. 724 a 2
Somnium Iudæ Mach. de Onia et Ieremia sibi apparentibus. 839 c 1
Somnus matutinus castis periculosus. 325 b 2
Somnus est quasi brevis mors. 832 b 2
Sopher idem est quod Rabbi. 608 b 1
Sopherim vocabant Iudæi suos doctores, etc. 608 a 1
Sors triplex, aliquæ licitæ, una illicita. 33 d 2
Sors quid sit. 711 a 1
Sortium festum sive Phurim mystice et ad literam. 720 b 1
Per sortes duas Mardochæi et Aman accipitur populus fidelis et infidelis. 723 a 2
Spaca Medis est canis. 597 b 2
Spartani quomodo legatos Darii Hystaspis terram et aquam petentes exceperint. 675 a 1
Spartiatæ, qui et quales. 780 a 1
An sint prognati ex Abraham per Ceturam. 780 a 2
Vide Lacedæmonii.
Spectra audacter invadenda. 25 d 1 et seq.
Spei Abbatis per quatuor annos cæci morientis anima specie columbæ evolavit in cælum. 644 d 1
Spei efficacia. 46 a 2 - 8 b 1
Facit nos contemnere inferiora. 393 a 1
Sperandum in Deo in rebus maxime desperatis. 483 a 2
Spes veniæ est necessaria in pœnitentibus. 612 a 1
Spes gloriæ futuræ est stimulus ad virtutem. 644 d 2
Sperare subinde pro *timere* accipitur. 692 d 2
Spiritualia pluris facienda quam temporalia. 220 b 1
Spiritus in Scriptura quamlibet qualitatem significat. 88 c 1
Spiritus oris, hoc est, dictum et iussum. 698 a 2
Spiritus S. est secena, cur. 648 c 2
Spiritus S. in die Pentecostes super Apostolos sedens, per ignem sacrum Nehemiæ missum repræsentatus. 796 a 2
Quomodo assisteret scriptoribus Hagiographis. 841 a 1
Spirituum (de) apparitionibus multa narrantur fabulosa. 106 a 1
Spoliis devicti hostis inhiare multis damnosum fuit. 750 c 1
Spolia terrena relinquere debent Christiani. 750 a 2
Stadium continet centum viginti quinque passus. 752 b 2 - 831 a 2
Est octava pars milliaris Italici. ibidem
Stellæ pugnarunt contra Sisaram per ventos, fulgetra, etc. 99 c 2
Stephanus (S.) protomartyr apparens Giezæ, vult eius filium suo nomine nominari, qui fit Hungarorum Apostolus et primus Rex. 317 c 1
Ad S. Stephanum peierantes puniti. 408 d 2
Stercus hirundinis an habeat vim excæcandi. 643 a 2
Stercus frigidum valet ad caliginem oculorum dispellendam; secus calidum. 643 b 2
Sterilibus (ex) multi viri magni sunt nati. 133 d 1
Sterilium quæ ex voto conceperunt exempla. 179 a 2
Sterquilinii porta urbis Ierusalem cur sic nominata. 617 d 2 - 619 b 2
Stigmata inusta in honorem idolorum inventa in cadavere Ioakim. 591 a 2
Stipendium unde dictum. 747 b 1
Pro stipendio olim dabantur pediti duo oboli, equiti drachma, ordinum ductori quatuor oboli. ibidem
Stirps Antiochi Epiph. funditus excisa. 784 a 1
Stratagemata militaria Hannibalis et aliorum. 112 d 2 - 111 b 2
Stratagema natura sua indifferens, et ex fine ad quem refertur, malitiam accipit aut bonitatem. 687 b 1
Strategi in Græcia habebant ius imperandi alternis diebus. 763 d 2
Stratodes adulator Athenis quid promulgarit. 805 b 2
Strepitus solebant Iudæi precibus miscere, et etiamnum Christiani in triduo passionis Christi. 720 d 2
Striæ quid. 403 c 1
Stuprum Lucretiæ Tarquinium regno privavit. 337 a 1
Subditi boni malos Prælatos non contemnunt. 279 a 2
Sed reverentur. 280 b 1
Patiuntur asperitatem Superiorum. 281 d 2
Et improbitatem. 287 a 1
Subterranea loca plurima sub templo. 397 b 2
Suffitus ab exorcista adhibendi energumeno. 656 c 1
Suffitu iecoris callionymi fugavit Raphael dæmonem. 656 a 2
Suillæ non comedendæ præceptum exacte servatum. 641 a 2
Vide Porcina caro.
Sulpitii error de Iudice Simmichar post Samsonem. 151 a 1
Summus Pontifex solus intrabat in Sanctum sanctorum semel in anno in festo Expiationis. 396 d 2
Superbia nascitur ex nimia potentia. 580 b 1
Superbia est initium omnis peccati. 651 d 1
Hominem indecorum reddit et ignobilem. 651 b 2
Multis fuit causa belli. 672 a 2
Punita fuit in Arphaxad. 673 d 1
Est mera insania quæ hominem facit quasi titanem. 676 a 2
Superbi humiliantur a Deo. 692 a 1
Superbum quiescere non sinit. 714 b 2
Sternuntur et fulminantur. 714 b 2
Declaratur exemplo Amani. 715 a 1
Superbia Cosroæ regis Persarum. 728 c 2
Superbiens de culpa quam superat, quasi sub hoste quem prosternit, moritur 758 c 2
Superbia punita. 823 d 1
Superiores puniuntur propter peccata subditorum. 194 b 2
Superiores mali dantur in vindictam peccatorum populi. 210 a 2
Superiorum ira a Deo est, quando corrigunt subditos. 221 a 1
Superiori reum iudicare ut corrigatur, est actus sanctitatis. 240 a 1
Eorum præcepta etiam rigida a subditis debent servari. 240 b 2
Deo sint obedientes, ut subditi illis obediant. 242 b 1
Superiores a subditis non sunt reprehendendi. 312 c 1
Superioribus debetur obedientia ab inferioribus, ipsi illis debent charitatem. 441 c 2
Supplices olim tenebant genua eius cui supplicabant. 716 d 1
Supplicibus iniuste vexatis facile aderant Romani. 828 d 2
Susa urbs regia regum Persarum ita dicta a liliorum copia, cur vocetur Castrum. 615 b 1
Ubi sita, et quis eam condiderit et auxerit. 702 b 1
Susan Hebraice est lilium. 615 b 1 - 702 b 1 - 704 a 1
Suscitatio seminis fratri defuncto fuit in usu ante legem Mosis et post eum observata a Gentilibus. 163 b 2

Symphorianus (S.) audiens matrem clamantem martyr efficitur. 817 d 1
Symphorosa (S.) e capillis suspensa filios ad sui imitationem et martyrii æmulationem incitat. 817 a 1
Fuit similis matri Machab. fratrum. ibidem
Synagogam habebant Iudæi loco templi in urbibus maioribus. 680 b 2
Hæc habitantibus extra Ierusalem erat instar templi. 698 c 2
Syriæ pars vel appendix est Iudæa. 616 b 1
Syriæ stricte sumptæ caput est Damascus, quas provincias complectatur. 675 c 2
Syrorum dea Astarte sive Venus. 804 a 2
Deus eorum erat Hercules Tyrius. 805 c 2
Illorum reges singulis uxoribus suis quomodo civitates attribuerent. 806 a 2
Syri piscibus abstinent, cur. 831 d 1
Quomodo solerent proditores sacrilegos et scelestos plectere. 833 a 2
Syrus textus ex Græco Septuaginta translatus est, non ex Hebræo. 76 d 2

T

Taam idem est quod sapor, etc. 604 b 1
Tabernaculum Mosis et Davidis, et omnia vasa eo spectantia a Salomone reposita in tabulato templi. 408 a 1
Tabernaculi depositio in monte Nebo per Ieremiam facta. 798 c 1
An fuerit repertum cum igne sacro sub Nehemia. 799 a 1
Talenti Hebræi valor. 435 c 1
Talenta centum auri, si Attica, faciunt sexcenta millia aureorum; si Hebræa, duplo amplius. 711 b 1
Talentorum decem millium valor. ibidem
Talionis pœnæ exempla. 80 c 2
Talionis pœna punitus Tryphon rex Syriæ. 790 b 2
Item Iason Oniæ frater. 806 c 1
Et Menelaus pseudopontifex. 834 a 1
Tamerlanes cur Baiazetum in ferrea cavea incluserit. 80 c 2
Tamerlanes fuit flagellum Dei. 743 b 2
Tannium dracones, etc., significat. 698 c 1
Tarantulæ morsus sola musica curabilis. 252 d 2
Tarquinius rex Rom. quo astu Gabinos sibi subegerit. 695 a 1
Tecta apud Hebræos erant plana, ut in iis sub dio ambulare possent. 628 a 1
Temperantia convivis, atque coniugibus, præsertim dum generationi vacant, commendatur. 661 a 2
Est virtus fœminarum. 690 b 1
De ebrietate triumphavit in Iudith. 692 b 1
Temperantia priscorum Persarum, item Cyri et Augusti. 703 a 1
Hodie apud nonnullos in plusquam porcinam ingluviem abiit. 703 d 1
Temperantiæ observatæ exempla. 811 b 1
Templorum suorum limina gentiles osculabantur. 199 d 2
Templum Deo ædificare vovit David. 316 a 1
Placuit id votum quoad rem, non quoad personam. 317 a 1
Quare David prohibitus illud ædificare. ibidem
Cur Iosue aut quis alius iudex id non ædificarit. 317 c 1
Cur Salomon iussus ædificare. 317 b 1
Significat Ecclesiam triumphantem. 317 c 1
Quo fine fuerit ædificatum. 381 c 2 - 408 d 1
Numerus operariorum templi. 389 b 2
Idea templi. 391 a 1
Atria templi. 391 b 1
Templi mensuræ. 391 c 1
Quid significet mystice. 391 b 2
Templi magnificentia ex variis capitibus. 391 c 2
Decem miracula in templo secundum Hebræos. 392 b 1
Templi ædificatio duravit septem annis et septem mensibus. 392 d 1 - 397 d 2
Ædificatum est in monte Moria, in tribu Beniamin. 392 a 2
Altitudo templi ad primam contignationem 30. cubitorum, ad summam 120. 392 c 2
Templum secundum a Iudæis reædificatum habuit tantum 60. cubitos altitudinis. 392 d 2 et seqq.
Templum erat conversum ad Orientem, ut sol oriens æquinoctialis arcam posset perfundere. 393 c 1
Cellæ circa templum. 393 c 2
Malleus in templo non auditus, quia lapides dolati in monte. 394 c 1
Significat cælum. 394 d 1
Cochlea templi. 394 a 2
Parietes templi vestiti cedro. 394 d 2
Fornix cedrina Sancti sanctorum. 395 b 1
Pavimentum templi tectum auro. 396 a 2
Ostia Sancti sanctorum pentagona. 396 b 2
Tres partes templi descriptæ. 396 d 2
Atria tria templi. 397 a 1
Exedræ, gazophylacia, pastophoria sunt idem. 397 b 2
Sub templo subterranea loca plurima ad varios usus ibidem
Occulta receptacula aquarum in templo, et eorum usus et magnitudo. 405 a 1
Multa millia vasorum recenset Iosephus præter ea quorum meminit Scriptura. 405 a 2
Præter arcam Salomon omnia nova fecit pro templo. 405 b 2
In templo sola pretiosa videri poterant. 405 d 2
Templum perfectum mense octavo, et dedicatum mense septimo. 407 b 1
Templum Dei postulat severam castimoniam. 430 c 1
Idea templi a Deo Davidi data et explicata. 553 c 2
A templi reædificatione Iudæi arcent Samaritas, cur. 603 a 1
Ab ea supersedetur. 603 b 1
Prius templum erat hoc secundo duplo altius. 606 b 1
Templa idolorum olim usque ad tempora S. Gregorii diruebantur; post expiabantur. 751 d 1
Templa varia a Christo et Sanctis dedicata. 752 b 1
Templum Heliopolitanum in Ægypto constructum. 793 b 1
Templum ignis a Rege Persiæ ædificatum. 796 d 2
Templorum expilatores puniti. 803 a 1
Templum Ierosolym. Iovi Olympio, Garizitanum Iovi Hospitali dicatum. 810 a 1
Templarii erant milites sacri. 570 a 2
Templi militum origo. 752 c 1
Templariorum institutio, munus et extinctio. 752 a 2
Temporalium bonorum vanitas. 225 b 2
Tenacia proprii iudicii causa lapsus in Saule. 245 b 1
Tenebræ tristitiæ sunt causa et symbolum. 610 a 2
Tentationum omnium remedium, nomen Michaelis. 134 d 2
Consolatio post eas superatas. 138 a 2
Semper durant ut sint occasio præmii. 229 c 2
Tentatio patientiam probat et virtutem. 665 d 1
Tentationem carnis dum sentis, invoca B. Virginem. 699 a 2
Tentatione ingruente quid agendum Christiano. 819 b 1 - 821 d 2
Terræ Promissæ termini secundum omnes mundi plagas. 8 d 1
Tota Hebræis non fuit data propter eorum peccata. 8 d 2
Comprehendit Phœniciam, quæ numquam fuit subacta. 87 c 1
Terra Sancta cur capta a Turcis. 197 c 1
In Terram Sanctam proficiscentes olim cruce signabantur. 840 c 1
Terram et aquam præbere, est servire. 675 a 1
Terra varia habet nomina. 697 b 2
Tertulliani locus explicatus. 20 b 1
Tessera belli variorum ducum. 821 d 1
Testamenti veteris spiritus vindictam, novi veniam precatur occisoribus. 578 a 1
Thais est hircus, etc. 741 c 1
Thales præceptor Anaximandri floruit sub Cyro rege Persarum. 598 b 1
Thallus est ramus ex olea arbore. 836 c 1
Thalmudicorum fabulæ de piscibus, mare et fœmina, et bove mactandis in adventu Messiæ. 636 c 2
Tharsis est mare Mediterraneum, et unde. 416 a 2
Tharsis nepos Iaphet: unde quodvis mare vocatum est Tharsis. 675 b 2
Tharsus et Mallus Ciliciæ civitates rebellant Antiocho. 806 a 2
Theatrum vitæ humanæ narrat iudicium Ariopharnis sine auctore. 385 d 2
Thebæi martyres duce S. Mauritio cur Maximian Imper. non restiterint. 742 c 2
Thebais regio superioris Ægypti, quæ. 660 a 2
Thecla nuper in Iapone heroina, quomodo filios ad martyrium excitarit. 817 d 1

Themagoras ab Atheniensibus capite mulctatus, cur. 710 c 1
Theodoretus sic vocatus, quia a Deo datus. 179 d 1
Pene exanimis, sanatus per baculum S. Macedonii. 474 b 2
Theodosio (pro) Iun. pugnarunt Angeli contra Saracenos. ibidem
Et contra Eugenium. 826 b 1
Theodosius Imp. explevit pœnitentiam a S. Ambrosio impositam. 331 d 1
Theodosii Imp. exercitus ab Angelo Raphaele Ravennam ductus. 653 b 1
Cur sustulerit ritum Iudæorum crucem ligneam in contumeliam Amani circumferentium. 720 d 2
Cum Theodosio Imp. palam contra hostes pugnarunt SS. Ioannes et Philippus Apostoli. 746 d 2
Theopolis metropolis Syriæ eadem est quæ Antiochia. 759 a 2 *Vide* Antiochia.
Τεωροι quinam dicti fuerint. 805 a 2
Theraphim erant idola domestica. 151 b 2
Thesbe sive Nephthali patria Tobiæ et Eliæ. 640 c 1
Thomas Morus, Cancellarius Angliæ, cantat et crucem præfert in processionibus suæ parochiæ. 315 c 2
Cum per plures annos Cancellarium Angliæ egisset, rem tamen suam et annuum censum non auxit ad aureos ducentos. 623 b 1
Thomas (S.) calvus et castus. 467 d 2
Thrasones gloriosi multa mentiuntur. 724 b 2
Thrasus suggerens Busiridi ut hospites suos immolaret Iovi, primus immolatus fuit. 716 d 2
Threni Ieremiæ de morte Iosiæ perierunt. 591 a 2
Thronus Salomonis duobus leonibus stipatus, mystice explicatus. 693 c 1
Thus vino immistum sensus hebetat. 757 d 2
Thyina ligna quæ. 414 b 1
Thyrsis vestiebant milites arma sua parta victoria. 825 c 1
Thyrsus est ramus palmarum, vel hasta ex frondibus, præsertim ex vite vestita, quam gentiles in sacris Bacchi quatiebant. 696 b 2
Tiberius Cæsar rogatus cur sua consilia cum amicis non communicaret, quid responderit. 665 a 1
Tigris fluvius e quo prodiit piscis Tobiam invadens. 655 b 1
Timidos a se reiicit Christus. 110 b 1
Timor Dei in veteri testamento significat omnem Dei cultum. 21 a 1
Timoris Dei fructus. 224 c 1
Habere debet admixtam spem. 225 c 1
Timothei et suorum 20 millium cædes. 826 a 2
In potestatem Iudæ venit. 831 b 1
Timotheus dux Ammonitarum et Iudæorum hostis. 754 a 1
Tisri mensis Hebræorum respondet nostro partim Septembri partim Octobri. 828 c 1 - 602 a 1
Titanis et filiorum eius fabulæ. 697 a 2
Titanes unde dicti. 697 b 2
Titan est epithetum solis, cur. ibidem
Multi derivant a Tit, id est lutum, vel a τιταινω. ibidem
Titanes erant gigantes robustissimi. 698 a 1
Titia est terra ex qua prodiisse solem et lunam fabulantur poetæ. 697 b 2
Tob id est bonus. 831 a 1
Tobias quid significet mystice. 593 a 1
Hebraice significat bonitatem Dei. 624 d 2
Vel *bonum meum Deus*. 639 b 1
Tobias senior quo anno ætatis captivus ductus sit in Assyriam, quando excæcatus, et quot annis vixerit. 639 c 1 - 663 b 2 - 668 a 1
Natus est anno quinquagesimo Oziæ, mortuus quadragesimo Manassis. 639 b 2
Eius genealogia. 640 a 1
Est auctor libri Tobiæ, eumque bis scripsit. 640 b 1
Eius patria. 640 c 1
Quando captus. ibidem
Eius constantia et virtus inter idololatras. 640 a 2
Virtutes eius septem ante coniugium. 641 b 1
Ac totidem post illud. ibidem
Fuit quasi sol Israelis. 641 a 1
Tria eius privilegia a Salmanasar rege accepta. 641 a 2
Eius opulentia et liberalitas. 641 c 2
Fuit confessor et voto martyr. 642 b 1
Quinque eius honores. 642 b 2
An fuerit vere excæcatus. 643 a 2
Est patientiæ exemplum. 643 d 2
In adversis non murmurat, sed Deo gratias agit. 644 b 1
Metus eius de hœdo furtivo iustus. 645 a 1
In quibus fuerit similis Iobo. 645 b 2
Turbatur irrisione, non cæcitate. 646 a 1
Monita duodecim ad filium. 650 a 1
Eius æquanimitas. 650 b 1
Illius ævo credidere fideles singulis hominibus esse Angelos custodes deputatos. 655 a 1
An fuerit excæcatus planeque cæcus. 657 b 1
Tobias cæcus quid mystice significet. 663 a 2
Prophetat de excidio Ierusalem per Nabuchodonosor faciendo, et de Ecclesia Christiana per Christum erigenda. 667 b 1
Item de conversione gentium ad Christum. 667 a 2
An naturaliter futura prædixerit. 668 c 1
De qua Ninives perditione loquatur, incertum. 669 d 2
Tobias iunior quo anno natus, quo mortuus. 639 b 2
Quomodo uxorem suam vocet sororem. 660 c 2
Quantum temporis insumpserit eundo in Rages et redeundo. 663 a 1
Fugit ex Ninive in Mediam. 669 c 1
Quando mortuus ubique sepultus. 669 d 1
An viderit excidium Ninives. 669 a 2
Tobias gener Secheniæ hostis Nehemiæ. 624 c 2
Tobias servus Ammonites quis. 618 a 2
Fuit gazophylacio præfectus, sed præfectura expulsus, cur. 635 a 1
Tomyris regina Scytarum quo stratagemate Cyrum ceciderit. 750 c 1
Tonsura Religiosorum a Nazaræis. 468 b 1
Tormenta enumerantur summatim a septem fratribus Machab. tolerata. 815 c 2
Torniellus impugnatur scribens Iosue transisse Iordanem nona die mensis primi. 20 c 2
Trabem auream e templo sustulit Marcus Crassus. 802 d 1
Tranquille aspicere est quiescere. 800 b 1
Transformationes variæ Gentilium. 747 c 2
Transfugarum suspecta est fides, adeoque non sunt consiliis adhibendi. 680 b 1
Transmontanos Itali vocant qui trans Alpes habitant. 737 a 1
Transylvani cum prius Turcas cecidissent, spoliis onusti ab iisdem cæsi. 750 c 1
Tribulationis amarities per amaritiem fellis denotata quid præstet. 657 c 1
Tribulatio patientiam et virtutem probat, conservat, auget et perficit. 665 a 2
Tribus Israel omnes inter se consanguineæ. 307 a 1
Tribus Iudæ fuit omnium nobilissima, imo regia. 600 b 1
Quo iure sibi vindicaret multas urbes aliarum tribuum. 679 b 2
Tributorum gravitas causa defectionis Israeli. 411 c 1
Tributa nimia noxia populo et regi. 423 a 1
Occasio sunt seditionis. 424 b 1
Triclinium quid significet. 702 d 2
Tripudii et choreæ definitio. 648 c 1
Tristitia facit homines mœstos, pusillanimes et tardos. 627 c 2
Attenuat spiritus vitales, arctat et gravat. ibidem
Sæpe vicina est gaudiis. 690 c 2
Triumphus non canendus ante victoriam. 452 b 2
Τρωγλη quid. 565 a 2
Troglodytæ sunt Æthiopes vicini Ægypto. 565 a 1
De illis scribens Aristoteles fallitur. 565 a 2
Tryphon rex Siriæ victus ab Antiocho, fugiens aurum et argentum dispersit. 750 d 1
Hic existens tutor Antiochi filii Alexandri Velis, factus est eius tortor. 778 d 1
Eius perfidia, dolus et insidiæ. 781 d 1 - 783 b 1
Cur et quo anno occiderit Ionathan cum filiis. 783 a 2
Solus hic exstitit qui intrusit se in seriem Seleucidarum Asiæ regum. 784 a 1
Occiditur ab Alexandro Sedete. ibidem
In urbe Orthosiade. 790 b 2
Tsara est tribulata ac misera. 647 c 2
Tubæ *signorum* quare sic dictæ. 751 b 1
Tubæ et armorum sonitus e cælo auditus. 808 c 1

Tubianæi populi, qui et unde dicti. 830 d 2
Tummim Hebraice significat perfectiones; quid mystice. 601 a 2
Turcam iuste possidere regna Christianorum, est impia sententia Alberici Gentilis. 127 d 2
Turca cum filios habet, fratres occidit. 336 a 2
Turca, Constantinopoli capta, ibi sedem regni sui fixit. 672 b 2
Turcæ quomodo etiamnum ieiunent. 683 b 1
Magnam habent turbam uxorum. 708 b 2
Turca obtenta insigni de hostibus victoria, in pauperes liberalis. 821 b 2
Cum Christianis facile init pacem, et facile rumpit. 828 b 2
Turris centum cubitorum, sive Meah, quæ. 619 c 1
Tympanum quod genus tormenti. 810 c 2 - 811 c 2
Typus Christi in quo fuerit Esdras. 612 a 1
Et Nehemias. 614 b 2
Et Tobias iunior illuminans patrem. 657 b 1
Typus B. Virginis fuit Iudith. 670 b 1 - 683 b 2 - 692 a 2 - 695 b 2
Typus Christi fuit Assuerus instituens magnum illud convivium in Susan. 703 d 2
Typus B. Virginis fuit Esther. 706 c 2 - 707 d 1 - 708 c 1 - 718 a 2
Item typus B. Virginis est virga seu sceptrum Assueri. 713 b 1
Typus Christi fuit Iudas Machabæus. 766 b 1 - 767 c 1
Et Eleazarus in tympano distentus. 811 a 1
Et septem fratres Machabæi. 818 a 1
Typus Antichristi fuit Antiochus Epiphan. 824 a 2
Tyranni lictores Dei. 87 a 2
Raro senescunt. 435 b 2
Sunt similes suibus. 435 c 2
Tyrus insula obsessa a Nabuchodonosor per 13. annos fit peninsula. 389 b 2
Tyrus Hebraice dicitur *sor*. 750 b 2
In Tyro fit purpura ex succo conchyliorum marinorum. ibidem
In Tyro celebrabatur Hercules: unde dictus Tyrius. 805 c 2

U

Unctionis regum antiquitas et causæ. 215 a 1
Ungendi et unguenti usus Persis ascribitur. 707 c 2
Ungulæ priores equis sunt loco manuum armatarum. 802 c 2
Unius ob peccatum, tota punitur communitas. 239 c 1
Ur sive Ura potest capi ut nomen proprium urbis, vel ut appellativum. 629 b 1
Urbes fundandæ ubi aer bonus et aquæ salubres. 466 a 2
Urbes, earumque portæ et muri, a priscis benedici solitæ. 619 b 1
Unde mos profluxerit eas dedicandi. 634 a 1
Urbibus propter peccata infertur excidium. 678 a 2
Urias Hethæus non erat Chananæus, sed ex Heth in regione Hebron. 326 a 2
Eius laus. 327 b 2
Uriel nomen Angeli idem sonat quod ignis, aut lux Dei. 637 c 1
Urim Hebraice significat illuminationes, aliaque mystice. 601 a 2
Usura centesima quæ. 622 b 1
Fuit illa frequens apud Iudæos. ibidem
Usuræ semisses, trientariæ et unciales. 622 c 1
Usura est contra iustitiam commutativam, ideoque restituenda eamdem pro mutuo danti. 622 a 2
Usurarii et meretrices non possunt degere in Rep. nisi habeant eius placet. 343 c 2
Uxores olim emebantur. 263 c 1
Uxor hæretica periculosa. 418 a 1
Uxor molesta est pœna peccati. 330 d 1
Uxores Salomonem fecerunt idololatram. ibidem
Uxor infidelis perniciosa. 430 b 2
Uxor infidelis quantum malum. 487 b 2
Uxores et proles abdicandæ ut Deo eiusque legi obsequaris. 612 a 2
Uxor prudens datur a Deo. 646 b 2
Cum viro suo est una caro. 650 c 1
Uxor quomodo sit mariti sui soror. 660 c 2
Ad uxorem monita. 662 b 1
Quomodo in coniugio se gerere debeat. 662 a 2

V

Vagao vel Bagao non tam est nomen proprium quam commune, Persis significans eunuchum. 690 c 1
Eius etymon. ibidem
Valens Imperator a subditis quos Arrianos fecerat, combustus est. 121 c 2
Filii sui parricida per hæresim. 429 b 2
Valentinianus punitus quia S. Martino non assurrexit. 91 b 1
Vanitas bonorum huius vitæ ex gloria Salomonis. 417 b 2
Vanitas omnium terrenorum. 421 d 2 - 489 d 2
Vanitatis speculum Alexander Magnus. 738 b 1
Varietas in scribendo delectat. 841 a 2
Vasa quæ Nabuchonosor abstulerat e templo, quæque restituit Cyrus, fuere quinque millia quadringenta. 599 c 1
Vasorum millia multa in templo secundum Iosephum. 405 a 2
Vasco Gamæ qua ratione aperta sit India orientalis. 653 a 1
Vasthi regina, quæ; eius etymon. 704 d 1
An teneretur obedire iussioni regis Assueri. 704 a 2
Honeste et pudice detrectavit mariti temulenti inhonestam sui coram principibus ostentationem. 704 b 2
Vaticinium Tobiæ de Ierusalem terrestri et cælesti. 667 b 1
Vaticinium Ieremiæ de arca fœderis et aliis non revelandis quando impletum. 799 c 1
Vellus Gedeonis occasio fabulæ Argonautarum. 109 a 1
Item institutionis ordinis Velleris aurei a Philippo Burgundo factæ. 109 b 1
Velum templi scissum in passione. 395 d 1
Velum habebant Sanctum, et Sanctum sanctorum, porticus non habebat. 396 c 2
Veneno vitam finivit Cleopatra Demetrii Soteris uxor. 788 a 2
Et Ptolomæus Macer. 825 a 2
Veneris stimuli qui. 325 b 2
Sibi blanda, aliis crudelis. 328 a 1
Venus in Syria tam Deus quam Dea. 479 d 1
Venialia peccata morte punita. 427 c 2
Veritas alia iustitiæ, alia loquelæ. 14 d 1
Est sanctitas. 239 d 2
Veritas insit omnibus nostris actionibus. 646 c 1
In veritate Domino servire quid sit. 669 a 1
Vermis conscientiæ damnatorum. 122 a 2
Vermes corporeos qui carnes damnatorum rodant esse in inferno probabiliter astruitur. 698 b 2
Versiones variæ loci cuiusdam obscuri ex Nehemiæ cap. v. vers. xviii. 623 a 2
Vespertinum et matutinum tempus optime ordinanda. 244 b 2
Veteres olim existimabant numina adversus hostes arma tulisse. 746 d 2
Vexilla et arma ducum benedici solita, cur. 839 d 2
Vexilliferi in bello olim vocabantur Draconarii. 723 a 1
Viæ Dei sunt Dei ordinationes, consilia, decreta, etc. 646 c 1
Viarum præses est S. Raphael Archangelus. 653 a 1
Viatorum præses et dux est S. Raphael. ibidem
Victi spargunt aurum ut effugiant, et hostem insequentem morentur. 750 d 1
Victorem decet iustitia. 321 a 1
Victoria utendum. 48 c 1
Victoriæ variæ a Deo et Sanctis concessæ fidelibus contra infideles. 99 b 2
Victoria a Deo. 239 a 1 - 247 a 2
Victoria maior seipsum vincere quam hostem. 279 a 2
Victoria Iudith de Holoferne allegorice repræsentat victoriam B. Mariæ de diabolo. 670 b 1
Victoria a Deo postulanda. 677 c 2
Victoria non est nisi præcesserit pugna. 743 d 2
Victoriam sæpe obtinent pauci de multis. 746 b 2
Est donum Dei. 750 c 2
Ea parta, Christiani canunt: *Te Deum laudamus*. ibidem
Ad victoriam multum valet militum fiducia et hostium diffidentia. 754 b 2
Non a numero militum, sed a favore Dei pendet. 826 a 1
Victoriæ Iudæ Mach. admirandæ et cælestes. 832 a 1
Victoriam subinde aufert unius vel paucorum scelus. ibidem
Viduæ silentii et solitudinis sint amantes. 682 b 2
Carnem cilicio obarment. 683 a 1
Pudicitiam suam quomodo servare debeant. 683 c 1

Vigilantia in belli duce requisita. 621 b 2 - 722 d 2
Apud Persas et alios in pretio habita. 714 a 1
Vigiliarum nocturnarum antiquitas. 680 b 2
Vilalpandi coniectura de gladio idoli ab Achan sublato levis est et incerta. 34 c 2
Vincere semper in bello ut numquam vincaris est impossibile. 767 c 2
Vindicta divina in milites Absalom. 348 a 2
Vindicta sumenda, non de propria, sed de Dei iniuria. 426 a 2
Non ex ira, sed ex amore iustitiæ capienda. 449 a 2
Vindicta in auctorem suum retorta. 714 b 2
Vindicta numinis celer in perfidos, exemplo Ptol. Philometoris. 777 b 1
Et impiissimæ stirpis Antiochi Epiphanis. 783 d 2
Et in incestos. 788 a 2
Item in Tryphonem homicidam. 790 b 2
Et Iasonem pseudopontificem. 806 c 1
Vinum datur elephantis ad potandum, cur. 757 d 2
Epotum a tauris aliisque animalibus facit eos feroces et furiosos. ibidem
Vinum meracum semper bibere molestum est et male sanum. 841 a 2
Miscendum est aqua. ibidem
Violatio sepulcrorum apud omnes gentes fuit gravis iniuria et infamia. 617 c 1
Virga S. Benedicti formidabilis dæmoni. 660 b 1
Virga aurea Assueri repræsentat B. Virginem. 713 b 1
Virginitas olim dedecori, nunc decori. 130 b 1
Virgo est arca spiritualis Christi. 312 b 1
Figurata per rhamnum. 447 c 1
Virgines sunt quasi soles quidam mithrati. 686 b 1
Suam pudicitiam tueri solent sese deturpando. 686 c 1
Virgines quasi clientes suos protegit B. Virgo. 699 c 1
Virgines utriusque sexus votam Deo castitatem servantes non nisi in orthodoxa fide reperibiles. 738 a 2
Virgines conclusæ ad Oniam sanctum concurrentes, quales. 802 b 2
Virginitas exacte servata ac præ morte electa. 811 b 2
Virginius laudatur a gentilibus eo quod filiam occiderit ne violaretur. 337 a 1
Viri sancti labuntur et reprobantur. 212 d 1
Vir et uxor sunt una caro. 650 c 1
Virum bonum et probum cur sinat Deus affligi. 665 a 2
Viri fortes cur gloriosam mortem ingloriæ vitæ anteponant. 767 d 1
Viridis color mire recreat oculos. 702 a 2
Virili ætati congruit coniugium, cur. 641 c 1
Virtus usque ad finem perseverat. 245 a 1
Virtutis iter laboriosum. 394 d 2
Ad cælum ducit. 465 b 2
Virtutes septem Tobiæ senioris ante coniugium. 640 b 2
Totidemque post illud. 641 b 1
Virtutes antistrophæ Iob et Tobiæ. 645 b 2
Virtus pluris æstimanda quam divitiæ. 652 b 2
Virtutes septem quibus tamquam funibus ligandus dæmon. 660 b 2
Virtus sine adversario marcet. 665 b 2
Virtus omnis est a Deo petenda. 685 b 2
Virtus extulit priscos Iudæos, alias gentilibus invisos. 706 b 1
Virtus in adversis resplendet. 744 c 1
Per virtutem in lib. Mach. intelligitur validus exercitus. 758 c 2
Virtus propria, efficacissimum remedium victoriam obtinendi. 826 a 1
Vitæ brevitas in Principibus. 91 b 2
Vita hominis fluxa instar aquæ. 338 b 1
Vita Sanctorum qualis. 437 c 1
Vita in mœrore non est vita, sed mors. 646 a 2
Vita longa in ærumnis potius mors est quam vita. 741 b 2
Vitia in nobis supprimi possunt, non tamen moriuntur. 81 d 2
Vitia hominem enervantia. 418 a 2
De vitiis superatis superbientes, sub hoste prostrato succumbunt. 758 c 2
Vitulum aureum mugiisse in nativitate Elisei affirmant S. Epiphanius et Isidorus. 450 c 2
Vivere in mœrore mors potius est quam vita. 741 b 2 - 610 a 2
Vocatio Dei exspectanda et sequenda. 755 a 2
Volsæus gratiam Dei perdidit et sui Regis. 345 a 2
Volso (M.) missus a Romanis Galatas vicit. 763 a 1
Voluntas propria est Deus inobedientis. 246 d 1
Voluptas mundi amara in fine. 238 d 1
Voluptas omnis, etiam coniugii, quam sit anceps et instabilis. 658 a 2
Cupidos efficit mancipia diaboli. 681 b 2
Voluptates huius mundi spernendæ, exemplo Estheris. 727 b 2
Vox patria quæ. 816 c 1 - 816 b 2 - 840 c 2
Vulgata (in) mendum esse nonnulli suspicantur. 159 a 2
Vulgata defenditur. 180 c 1
Vulgata versio propugnata. 417 a 2
Vulgus censet astra per diem in suis latibulis abscondi, e quibus per noctem prodeant. 621 c 1
Vultus. *Vide* Facies. 180 c 1
Wenceslaus (S.) Bohemiæ rex hosti in duello parcit. 256 d 1
Pro eo cum Radislao duellante pugnavit Angelus. 826 b 1

X

Xanticus mensis Hebræorum respondet nostro Aprili. 828 c 2
Xenophontis error de Cyro inventore falcatorum curruum. 64 a 2
Xerxes contra Græcos duxit in aciem undecies centena millia militum, a quibus victus pene solus fugere coactus est. 607 a 1
Optime fuit affectus in Iudæos. ibidem
Ut vitæ suæ consulat aquam putridam bibit. 616 a 2
Sub eo probabilius videtur contigisse historia Iudith. 670 b 1
Etiam suis contemptui fuit. 670 c 2
Cur tantopere benevolus fuerit Iudæis. 671 a 1
Quantum intumuerit copiis suis. 673 a 1
Admonetur superbiæ ab Artabano rege. 673 a 2
Eius tempore Holofernes in Iudæam missus est. 677 c 1
Tantas copias in Græciam induxit, ut vix ad potum flumina satis fuisse dicantur. 697 b 1
Eius etymon. 702 a 1
Ipse contemplans suas copias cur lacrymatus sit. 707 a 1
Eius crudelitas. 728 c 1

Z

Zabdiel Arabs obtruncat Alexandrum Veles. 777 a 1
Zambri, invasor regni Israel se occidit, ne veniret in potestatem hostium. 434 a 2
Zelosus quid facere debeat. 442 b 1 - 447 a 1
Zelotypia (ex) proci eamdem sponsam ambientes sæpe se mutuo interimunt. 657 b 2
Zelotypia est suspicax mali et rivalium. 716 a 2
Zelus unius religionis avitæ servandæ inter Iudæos. 70 b 2
Zelus Saulis stultus. 356 b 1
Zelus Eliæ. 437 b 2 - 438 c 1
Iosaphat. 460 a 2
Elisei. 468 b 2
Zelus Iosaphat pro religione et aliorum regum Christianorum. 570 a 1
Zelus indiscretus in Ecdicia reprehensus. 727 b 1
Zelus quam sit efficax, ut instar ignis omnia superet et consumat. 742 a 1
Zelus purgat facinus illudque sanctificat et sacrificat. 742 c 1
Zorobabel, cur ita vocatus; ac postea appellatus Sassabasar: horum etyma. 599 a 2
Fuit dux populi in Ierusalem reducis e Babylone in politicis. 602 a 1
Exstitit Dario causa reædificationis templi. 604 b 2
Ad quæstionem: *Quid esset omnium fortissimum?* respondet esse *veritatem*. 604 c 2 - 703 c 2

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

QUÆ

IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTUR,

Et quæ Evangeliorum Dominicarum, ac Festorum, et Feriarum nonnullarum per annum accommodatarum verba in usum et gratiam Concionatorum adaptantur.

DOMINICA I. ADVENTUS.

ERUNT SIGNA IN SOLE, ET LUNA, ET STELLIS. Signa tempore Iosue. 46 b 2
Signa tempore Iudæ Machabæi et Antiochi Epiphanis. 808 a 1-808 a 2
VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM. Veniens Iesus mundum vincit. 27 b 2
In secundo adventu se ulciscetur de suis adversariis. 47 b 1
Et de iis qui neglexerunt pœnitentiam. 242 c 1
Figura adventus Christi. 310 c 2
Christus in secundo adventu sortes impiorum in hac vita exultantium commutabit. 720 d 1
Iudicii extremi dies erit dies phurim, id est sortium. ibidem
CÆLUM ET TERRA TRANSIBUNT. Vanitas gloriæ mundi. 28 d 1
Mundana quam sint instabilia, vana et fallacia. 716 c 2 - 737 c 2 - 767 a 1
Itaque in nulla re mundi lætandum. 727 b 2

DOMINICA II. ADVENTUS.

IOANNES IN VINCULIS. In ea coniectus erat, quod Herodem incestus arguisset. Incestus Cleopatræ et Antiochi Sedetis multorum parricidiorum causa. 789 a 1
Porro potentia et insolentia magnorum non est metuenda, sed premenda et calcanda. 716 c 1
PAUPERES EVANGELIZANTUR. Pauperes quomodo iuvandi, et in quo se solari queant. 650 a 2 - 652 c 2
Paupertas præstat divitiis. ibidem
ECCE QUI MOLLIBUS VESTIUNTUR IN DOMIBUS REGUM SUNT. Patet in aula Assueri Persarum regis, in cuius conspectum antequam mulieres admitterentur, integro anno ornari, excoli, oleo myrrhino ungi, variisque pigmentis et aromatibus uti debebant. 707 c 2
Porro aulici tempestive ante casum se ab aula abducant. 717 a 2
Mollis educatio et remissa facit contumaces. 830 c 2

DOMINICA III. ADVENTUS.

TU QUIS ES? Hæc verba sæpe dicenda ab iis quos Deus ex vilibus assumpsit ad magna. 318 a 2
EGO VOX. Quam potens sit vox piorum. 280 d 2

IN NATIVITATE DOMINI.

NATUS EST VOBIS HODIE SALVATOR. Elias adumbravit Christum se homini commensurantem et eum vivificantem. 441 c 2
PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS. Nos ab illa plenitudine gratiæ multum distare significatum per arcam. 16 b 2
ET ECCE ANGELUS DOMINI STETIT IUXTA ILLOS. Angelorum mira dignatio erga genus humanum 649 b 2
Sunt creaturæ et quasi filii Dei. 653 c 1 - 654 b 1
Sunt nobis concives et contribules. 658 a 1
Astant Deo septupliciter, et distinguuntur in assistentes et ministrantes. 665 d 2
NOLITE TIMERE: ECCE ENIM EVANGELIZO VOBIS GAUDIUM MAGNUM. Angeli boni apparentis signum est si primo horror incutiatur, deinde consolatio et lætitia ingeratur; mali, si contrarium eveniat. 666 b 1
Vide v. Angelus.
ERAT LUX VERA. Christus per quem lux et veritas facta est, adumbratus per Pontificem pontificalibus, in quibus erat Urim et Tummim, indutum. 601 a 2
VERBUM CARO FACTUM EST. Christus a Patre fuit missus in carnem, ut consolaretur lugentes in Sion. 614 b 2
Incarnatio Verbi fuit opus maximum divinæ potentiæ et fortitudinis. 693 b 1

IN FESTO S. STEPHANI.

QUOTIES VOLUI CONGREGARE FILIOS TUOS, QUEMADMODUM GALLINA CONGREGAT PULLOS SUOS SUB ALAS. Ad alas divinæ protectionis confugiendum. 166 d 1 - 448 d 1
ECCE RELINQUETUR VOBIS DOMUS VESTRA DESERTA. De excidio Ierusalem per Nabuchodonosor faciendo vaticinatus est Tobias senior. 667 b 1

IN FESTO S. IOANNIS APOSTOLI.

QUI ET RECUBUIT IN COENA SUPER PECTUS EIUS. Quomodo S. Ioannes in ultima cœna Christi in eius pectore quasi in sinu recubuerit, patet ex accubitus forma, qua olim convivæ mensæ accumbebant. 702 d 2
Porro S. Ioannes fuit custos B. Virginis Deiparæ. 693 c 1

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

ET HÆC VIDUA ERAT. Viduarum monita præclara et dotes. 682 a 1
Porro viduarum typus et exemplum fuit Iudith. 671 a 2 - 682 b 2
REVERSI SUNT IN GALILÆAM. Galilæa alia inferior, alia superior; hæc quoque dicitur Galilæa gentium, et Samaria. 640 c 1

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

UT CIRCUMCIDERETUR PUER. Mens a vitiis circumcidenda. 22 a 2
In Religione est scientia circumcisionis. 445 c 2
VOCATUM EST NOMEN EIUS. Deus dans alicui nomen, dat simul rem nomine significatam. 104 b 1
Pia nomina filiis danda ut admoneantur pietatis. 521 a 1
Nomina sunt quasi omina rei, naturam, virtutem aut proprietatem aliquam præsentem aut futuram significantia 599 b 2

Deus dans alicui nomen simul dat rem eodem nomine significatam, ut in nominibus Angelorum patet. 654 a 1 et seqq.
Iesus. Nomen Iesus est formidabile dæmonibus. 87 c 2
Iesus est nomen magnum. 225 c 2
Iesus est mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. 727 b 2
Vide notata in Indice, *v.* Iesus Christus.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Obtulerunt ei munera. Sancti refutant munera hominum, et ambiunt divina. 477 d 2
Ecce magi ab oriente venerunt. Christo servierunt omnes Reges et gentes terræ. 669 a 1
Magi quomodo per certas herbas et signa maleficii noceant bestiis et infantibus. 656 b 2
Audiens autem Herodes rex turbatus est. Reges qui sibi suoque apici formidant multosque habent æmulos, omnia tuta timent. 617 b 1
Ac præsertim peccatores urgente mala furtorum, libidinum, aliorumque scelerum conscientia. 757 b 1 - 766 a 1
Porro Herodes hic et nepos eius Ascalonita morbo pediculari afflicti fuere. 823 b 1
Sciscitabatur ab eis. Sapiens consilia a sapiente perquirat, neque sine consilio aliquid temere audendum. 652 c 1
Clam vocatis. A secreto pendet felix rei executio. 665 a 1 - 684 a 2
Porro Principis animus nemini aut paucis cognitus esse debet. 665 a 1 - 674 a 1
Didicit ab eis. Reges et principes non nimis uni consiliario confidant, sed plures audiant, si veritatem scire velint, nec faciles sint in credendo, quod multis damnosum fuit. 729 b 1
Ut et ego veniens. Fraudulenter mentitur Herodes. Amico ficto non credendum, exemplo Holofernis et Iudith, aliorumque. 688 a 1
Porro dolosi sæpe cadunt in laqueos quos aliis pararunt, malumque recidit in auctorem, uti contigit Amano et aliis. 716 c 2
Aurum, Thus. Aurum reges Persarum voluerunt sibi esse proprium. 778 c 2
Aurum pretiosissimum et splendidissimum repræsentat nobis Deum, ejusque dona augustissima. 839 d 2
Vide notata in indice rerum v. Aurum.
Thus vino immistum cur olim daretur elephantis ad bibendum. 757 d 2
Ne redirent. Cor regum est in manu Dei. 598 a 2-728 a 2
Per aliam viam. Viæ Dei sunt Dei ordinationes, consilia, decreta, actiones et opera. 646 c 1
Viarum præses est S. Raphael Archangelus. 653 a 1

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Cum factus esset annorum duodecim secundum consuetudinem diei festi. Agi potest de educatione prolium, de qua vide. 170 d 2 - 181 b 1 - 468 b 2
Vide Indicem rerum, *verbo* Educatio.
Et erat subditus illis. Sic Deus obedivit Iosue. 47 d 1
Subditus. Qui Deo obediens est, obedientes habet subditos. 465 d 2
Inobedientiæ mala et pœnæ. 190 c 1 - 231 d 1
Vide verbo. Obedientia *et* inobedientia.
Iosue electus in ducem Israel propter obedientiam. 9 a 2
Hebræi propter inobedientiam exclusi a Terra Promissa. 10 d 2

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Cum factus esset Iesus annorum duodecim. Pueritia sit senilis, et senectus puerilis. 640 c 2
Qualiter pueri a parentibus educandi, et ab infantia instituendi. 657 d 2 et seqq.
Filiorum laus et honor, est honor et laus parentum. 661 b 1
Adolescentes sobrietati studeant. 683 d 1
In medio doctorum. Doctores Ecclesiæ exprimit canis Tobiæ iuniori ex Media domum redeunti præcurrens. 663 b 1
Doctoris perfecti munia implevit Esdras. 608 a 2
Pater tuus et ego dolentes. Parentes solliciti pro salute filiorum. 641 d 1 - 661 b 1 - 650 a 1
Filii sunt baculus senectutis parentum. 662 a 1
In his quæ patris mei sunt oportet me esse. Dei vocatio exspectanda, ac deinde sequenda est. 755 a 2
Subditus. Obedientia quam sit Deo grata. 743 c 2 - 708 b 2
Inobedientia a Deo punita. 427 d 1
Conservabat omnia in corde suo. Secretum, utpote a quo pendet felix rei exsecutio, celandum. 665 a 1 - 684 a 2

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Vocatus est Iesus ad nuptias. Nuptiæ Catholici cum hæretica periculosæ. 137 b 1
Nuptiæ factæ sunt. Nuptiæ Estheris, utpote fidelis cum Assuero infideli, an fuerint licitæ. 708 a 1
Nuptiæ sic peragantur ut Deus non offendatur. 661 a 2
Nuptiæ conversæ in luctum. 769 a 1
Uxor prudens datur a Deo. 646 b 2
Quomodo sit mariti sui soror. 660 c 2
Coniuges quem finem intendere debeant in copula. 657 d 2
Sobrii sint, maxime dum generationi vacant. 661 a 2
Vide notata in Indice rerum, *v.* Coniuges, Uxor.
Vinum non habent. Ut hic Deipara e benignitate est sponsorum miserta, sic et ipsa erga nos est mire clemens et misericors, protegitque et recipit peccatores ac iustos afflictos ad se confugientes. 707 d 1
Est virga aurea per quam Deus toti genere humano offensus reconciliatus est. 713 b 1
Illi quasi matri suæ Christus nil negare potest. 713 c 1
Vide Indicem rerum, *v.* S. Maria mater Dei.
Aquam vinum factam. Ex aqua olim tempore Nehemiæ factus est ignis. 796 a 2 - 796 d 2
Porro aqua est tribulationis, adversitatis et mœroris signum. 722 d 1
Vinum ponit. Vinum meracum semper bibere quia nimis calefacit et inflammat corpus, male sanum est, ideoque miscendum aqua. 841 a 2
Olim illud ad potandum dabatur elephantis 757 d 2
Et cum inebriati Ebrietas a mensis arcenda. 661 a 2
Est mater malitiæ, virtutisque inimica, fortem virum reddit ignavum. 690 d 2
Ebrii sunt quasi, imo plus quam porci. 703 c 2

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Vide nemini dixeris. Dona Dei quæ pertinent ad excellentiam personæ, occultanda sunt. 464 a 1
Domine, puer meus. Herus paterno affectu sit erga famulos, exemplo Naaman Syri. 477 a 2
Servi cur dicantur corpora. 662 b 1
In servitutis signum petebant Persæ aquam et terram. 675 a 1
Tantum dic verbo. Quid possit vox Christi. 30 a 2
Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Reprobationis Iudæorum figura in vellere Gedeonis. 108 c 1
In tenebras exteriores. Tenebræ sunt tristitiæ causa et symbolum. 610 a 2
In inferno probabile est esse vermes corporeos qui carnes damnatorum rodant. 698 b 2

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Domine, salva nos, perimus. Deus immittit hominibus tribulationes ut ad se redeant. 89 a 2
Imperavit ventis et mari. Similia facit Deus in gratiam Sanctorum. 19 c 2
Ipse vero dormiebat. Quasi de tempestate nihil sciret. Sic iustus in tribulationibus et adversis manet immobilis et constans; imo Deo gratias agit et laudat. 644 b 1
Nihil ei accidit mali, nisi disponente Domino. 643 d 2
Porro adversa non movent virum fortem. 665 a 2
Sed ostendunt in colluctatione virtutem. 743 d 2

Itaque in arctis et periculis constituti illico Dei gratiam et opem imploremus. 766 b 1 - 768 b 1
Domine, salva nos, perimus. Deus cur immittat hominibus etiam iustis et sanctis tribulationes et afflictiones. 643 d 2 - 665 a 2 - 768 c 1
Quid timidi estis? Bonarum mentium est timere culpam, ubi non est culpa. 645 a 1
At conscientia mala scelestos timidos facit, castigat et pulsat. 757 b 1 - 766 b 1
Facta est tranquillitas. Nempe post tempestatem; post nubila phœbus. 648 d 1

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Cum autem dormirent homines. Superiores quando possint dormire, quando non. 306 a 1
Sinite utraque crescere. Potest Deus omnes impios perdere, sed id non sinunt regulæ æternæ providentiæ. 449 c 1
Venit inimicus eius. Satan quomodo per magos et sagas mediantibus certis herbis et maleficii signis noceat bestiis et infantibus. 656 b 2
Eius proprium est intricare corpus et animam variis scrupulis, concupiscentiis et peccatis, ut fiat eius et gehennæ præda. 656 c 2

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Exiit primo mane. Tempus matutinum optime ordinandum. 244 b 2
In vineam suam. Vinea designat humiles. 121 b 1
An oculus tuus nequam est? Invidia est scelus diabolicum. 261 a 2
Invidia multorum malorum mater. 275 b 1
Quid hic statis otiosi? Otio dediti regno privantur. 778 b 1
Deus non iuvat desides, sed conantes et collaborantes. 677 c 2 - 748 b 1
Voca operarios. Operariis statim sua merces danda. 651 b 2
An oculus tuus. Oculi fœminarum quam sint illecebrosi. Iudith. 687 a 2
Oculus benignus, gratiæ et favoris est symbolum. 605 b 1
Ad oculorum caliginem dispellendam valet cinis cum felle. 643 b 2
Multi sunt vocati. Vocatio Dei est expectanda et sequenda. 755 a 2
Pauci vero electi. Iudæos quasi fideles Deus elegit ad gratiam et gloriam, a quibus infideles excludit, ita tamen ut communem providentiæ suæ cursum et gratiam eis non denegarit. 723 a 2

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Aliud cecidit supra petram. Terra dura cordis nostri scindenda vomere pœnitentiæ. 92 a 1
Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum. Huius rei figura est Madian devastans segetes Israelis. 103 b 1
Et a voluptatibus vitæ. Voluptas omnis huius mundi quam sit anceps et instabilis. 658 a 2
Eius damna. 681 b 2
Sunt spernendæ exemplo Estheris. 727 b 2
Cupiditatis quanta vis. 806 d 1
Deliciarum postridianus dies, est dies doloris. 705 a 2 - 769 a 1
In tempore tentationis recedunt. Tentatio patientiam et virtutem probat. 665 a 2

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Cæcus quidam sedebat secus viam. Samson excæcatus typus excæcationis Iudæorum, item de mentis excæcatione. 147 d 1
Cæcorum cæcitatem amantium et expectantium, Deumque laudantium exempla. 644 c 1
Cæcitas curata. 663 b 2
Cæcitatem mentis sustinent Iudæi sub spe stultissima nascituri Christi, quorum typus est Tobias excæcatus. 664 a 1
Clamabat. Clamandi mos in calamitatibus apud Persas. 712 a 1
Item apud Iudæos tempore precum. 720 d 2

FERIA IV. CINERUM.

Cinis assumitur in signum luctus et pœnitentiæ. 32 b 2
Cum ieiunatis. Ieiunis parcunt belluæ, devorant non ieiunantes 427 c 1
Ieiunium parit victoriam de hostibus. 238 a 1
Stricte debet servari. 241 a 1
Ieiunio armata oratio quam potens apud Deum. 609 a 2
Illud vetat lex christiana in Dominica. 627 a 2
Est funis quo ligatur dæmon. 660 b 2
Melius quam murus tuetur. 677 b 2
Vide Indicem rerum v. Ieiunium.
Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Divitum huius sæculi inexplebilis cupiditas. 454 b 1
A terrenis cupiditatibus cor evacuandum, ut gratia impleatur. 473 b 1
Cinere caput aspergere symbolum pœnitentiæ. 629 a 1
Est signum mortis. 685 b 2
In cineres præcipitatio certum genus supplicii. 834 a 1
Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Quæ divitiæ nobis sint consectandæ. 650 b 2 - 652 b 2

FERIA V. POST CINERES.

Vide notata Dominica III. post Epiphaniam.

FERIA VI. POST CINERES.

Diligite inimicos vestros. Exemplo Samuelis Prophetæ. 225 d 2
Et Elisei Syris epulum apponenti. 482 d 2
Te autem faciente eleemosynam, etc. Eleemosyna ob amorem Dei facienda. 473 d 1
Benefacite his qui oderunt vos. Exemplum Tobiæ patris. 645 b 1 - 650 b 1
Estote ergo perfecti. Perfectus est qui in adversis Deo gratias agit. 644 b 1
Cum ergo facis eleemosynam. Eleemosyna liberat a morte æterna et sæpe a præsenti; oppilat quasi os gehennæ; est quasi baptismus. 650 c 2
Habitu reginæ apparuit S. Ioanni Eleemosynario. 651 b 1
Est funis quo ligatur dæmon. 660 c 2
Solvit debitum proximo. 665 c 1
Eleemosynarius quæ in pauperes confert, in sinum Dei custodienda deponit. 650 b 2
Eleemosynarii impii raro a Deo in hac vita castigantur. 650 c 2
Vide Indicem rerum, v. Eleemosyna.

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

Ut tentaretur a diabolo. Sancti permittuntur tentari ut cognoscant se non suis viribus, sed divina gratia stetisse. 447 c 2
Homo sæpe tentatur et quare. 229 c 2
Tentatio virtutem probat et patientiam. 665 d 1 et seqq.
Tentationes carnis cum sentis, invoca B. Virginem. 699 a 2
Tentatione ingruente quid agendum christiano. 819 b 1 et seqq.
Cum ieiunasset. Ieiunium assumendum ad corpus domandum. 49 b 1
Reddit hominem inexpugnabilem. 146 c 2
Eius commoda. 206 a 1
Accedens tentator. Intrepidus sit homo adversus tentationem. 25 d 1
Nam Deo duce quævis superamus. 56 b 2
Vide plura verbo Diabolus.
Illi soli servies. Deus suos servos ditat. 431 a 2
Diabolus suorum est tyrannus. 85 b 1
Ecce angeli accesserunt et ministrabant ei. Post tentationes consolatio. 138 a 2
Ductus est Iesus in desertum. Solitudinis laus et commendatio. 682 b 2
Silentii vis et exempla. 665 a 1
Postea esuriit. Sobrietatis commendatio. 661 a 2
Per hanc Iudith obtruncavit Holofernem. 690 c 2
Sobrietas priscorum tam Persarum quam Romanorum. 703 b 1
Hodie in plusquam porcinam ingluviem abiit. 703 c 2
Est funis quo ligatur dæmon ne nobis noceat. 660 b 2

Ebrietas quam damnosa et insana. 703 c 2
Tentator. Diabolus per piscem a Tobia occisum repræsentatur. 656 c 2
Eius proprium est intricare corpus et animam variis scrupulis. ibidem
Per Christum quomodo ligatus sit. 660 d 1
Coram animosis est pavidus ut formica; timidis vero terribilis est ut leo. 827 b 2
Vide notata in Indice rerum, v. Dæmon.
Angeli ministrabant ei. Angeli distinguuntur in ministrantes et assistentes. 666 b 1
Sunt celerrimi, et instar fulguris e cælo in terram dilabuntur. 648 d 2
Nil illis impenetrabile aut impossibile. 827 c 1
Post tentationem consolatio. 648 d 1

FERIA II.

Esurivi enim, etc. In operibus misericordiæ tam corporalis quam spiritualis vires et opes suas exhausit Tobias senior, aliique. 642 a 1
Misericordiam Deus vult inesse omnibus actionibus nostris. 646 c 1
Quam sit homini necessaria. 665 c 1-677 b 2
Uni ex fratribus meis minimis. *Vide notata feria IV. post Cineres, et Indicem rerum, v.* Eleemosyna, Pauper. In pauperes quæ conferuntur non pereunt danti. 650 b 2
Pauperum curator est Deus. 650 a 2

FERIA III.

Eiiciebat omnes vendentes, etc. Christi Iudæos eiicientis typus fuit Ionathas cædens Philisthæos. 237 a 1

FERIA IV.

Regina Austri surget in iudicio. De Regina Austri. 413 b 2

FERIA VI.

Sabbatum est. Sabbati apud Iudæos summa veneratio. 635 a 2 - 742 c 2 - 821 a 2

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

Apparuerunt illis Moyses et Elias. De Elia. 436 b 1 - 574 b 1
Vide Indicem rerum, v. Elias.
Ecce nubes lucida. Christus in lege nova apertam attulit veritatem, non umbra, vel nube velatam. 16 a 2
Et ecce vox de nube. Nubes est quasi vestimentum Dei, quod in nube se absconderet et loqueretur, responsa dans ex propitiatorio. 654 d 1

FERIA III.

Super cathedram Moysis. Prælati honorandi. 209 b 1
Qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur. Exempla sunt Mardochæus vilis et abiectus exaltatus, et Aman superbus humiliatus. 715 a 1

FERIA IV.

Dic ut sedeant. Honores huius mundi appetentes comparantur pueris papiliones insequentibus. 713 b 2
In regno tuo. Ambitio regnandi nihil non molitur. 708 c 2
Est ambientium crux. 713 b 2
Eius vis. 806 d 1
Vide Indicem rerum v. Ambitio.

FERIA V.

Epulabatur quotidie splendide. Pœna ventri deditorum. 200 a 1
Mors in olla gulæ. 475 d 2
Convivæ arceant a mensa ebrietatem. 661 a 2
Sint frugales more veterum. 703 a 1
Non sunt cogendi bibere ad sanitatem, quod est tyrannicum. 703 a 2
Vide Indicem rerum, v. Convivæ.
Epulandi mos ad sepulcra et memorias martyrum; item in sepultura defunctorum, quorum dubia erat salus, per SS. Ambrosium et Augustinum sublatus. 652 a 1
Habent Moysen et prophetas, audiant illos. Homo docendus per hominem. 193 b 2
Neque si quis ex mortuis resurrexerit credent. *Vide verbo* Excæcatio.
Induebatur purpura. Purpura apud Romanos, alia erat consularis, alia regia. 763 b 2
Et nemo illi dabat. A paupere qui faciem suam avertit, ab eo etiam suam avertet Deus. 650 a 2

FERIA VI.

Hic est heres, etc. Huius rei typus Naboth, propter vineam occisus. 455 c 2

SABBATO.

Vivendo luxuriose. Luxuriosus per mulum designatur 657 c 2
Libido ubi ardet, abundant peccata. 647 a 2
Est insatiabilis, fastidiosa ac curiosa. 708 b 2
Quantum sit unita cum gula. 704 c 2
Comes est falsæ religionis. 738 a 2
Vide Indicem rerum, v. Libido, Luxuria.

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.

In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Consulere diabolum, crimen est gravissimum. 462 c 2
Impii miracula Dei ascribunt magiæ. 804 a 1
Cum fortis armatus, etc. Fortitudine opus contra tentationes. 299 a 1
Erat Iesus eiiciens dæmonium. Dæmon quomodo fugandus ab energumenis. 656 d 1
Dæmonis etyma. 646 c 2
Ligatur virtutibus septem. 660 b 2
Regnum divisum desolabitur. Ad seditionem populos concitat legum patriarum et religionis avitæ eversio. 747 c 1
Regna et urbes ob peccata pereunt. 678 a 2
In regno expedit esse unam religionem. 739 d 1

FERIA II.

Sareptha Sidoniæ ad mulierem viduam. Historia de ea. 439 c 2

FERIA III.

Corripe eum inter te et ipsum solum. Correptionis fraternæ figura. 233 c 1
Reum Superiori indicare ut corrigatur, est actus sanctitatis. 240 a 1

FERIA IV.

Honora patrem tuum et matrem tuam. Honor parentibus debitus commendatur. 650 b 1
Parentum laus et honor, est laus filiorum. 661 b 1
Fornicationes. Fornicatio ab Apostolis nominatim fuit vetita gentibus ad Christum conversis. 651 c 1
Fornicarii in ipso amplexu concubinæ a Deo fulgure siderati exemplum. 659 a 1
Blasphemiæ. Blasphemia punita in Nicanore. 761 c 1-761 a 2
Porro convicia et contumeliæ etiam turbant iustos et sanctos. 646 a 1-647 c 2

FERIA V.

Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare. Christus nullum laborem pro animarum salute detrectavit, uti olim Nehemias et Esdras pro Israelis bono. 614 c 2
Item Eliachim sacerdos circuivit omnem Israel. Quod imitentur Episcopi, Prælati, Principes et alii fideles zelosi. 677 b 2-ibidem

FERIA VI.

Erat autem ibi fons. Fontis et solis analogiæ. 722 b 1
Fons est quasi oculus terræ. ibidem
Da mihi bibere. Ab bibendum aliquem cogere est contra naturam et tyrannicum. 703 a 2
Adorabunt Patrem in veritate. Deo serviendum est in veritate. 669 a 1
Hanc Deus cupit inesse omnibus nostris actionibus. 646 c 1
Spiritus est Deus. Deus est spiritus purissimus. 696 b 1

SABBATO.

Mulierem deprehensam in adulterio. Mulierum aspectus quam sit periculosus et perniciosus. 687 a 2
Muliere formosa illiceque nihil illecebrosius. 704 d 2
Fœminæ sunt philocosmæ. 707 d 2
Vide Indicem rerum, *v.* Mulier, Fœmina.

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

Quinque panes hordeaceos. De pane hordeaceo Gedeonis. 111 b 1
De frugalitate primorum Christianorum. 680 b 2 - 213 d 2
Item primorum Persarum, ac Cyri et Augusti. 703 a 1
Ut raperent eum et facerent eum regem. Quis vere dicendus rex. 96 b 1
Gedeon etiam recusat regnum Israelis sibi oblatum. 115 d 2
Contra Abimelech eius filius regnum non oblatum invasit. 119 a 1
Regnum Christi quale. 308 a 1
Fugit iterum in montem ipse solus. De solitudine. 682 b 2
Christus cur montes conscenderet. 726 b 1

FERIA II.

Zelus domus tuæ. Zelus quam sit efficax, ut instar ignis omnia consumat. 742 a 1

FERIA III.

Iustum iudicium iudicate. Iudicium cupit Deus inesse omnibus actionibus nostris. 646 c 1
Iudices pecunia corrupti. 807 a 1

FERIA IV.

Et linivit lutum super oculos eius. Christus saliva sua et luto liniens oculos cæci nati figuratus per Tobiam filium illuminantem Tobiam patrem per fel. 657 b 1

FERIA VI.

Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.
Sic mors filii matrisfamilias tempore Eliæ. 440 d 2
Lazarus amicus noster dormit. Mors in Scriptura vocatur somnus ob spem resurrectionis. 832 b 2
Resurget. De resurrectione corporis. 832 a 2

DOMINICA PASSIONIS.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, etc. Iniuriæ æquanimiter ferendæ. 282 a 2 et seqq.
Idque exemplo B. Iuniperi Franciscani. 447 b 1
Contumeliæ patienter ferendæ exemplo Iob et Tobiæ. 644 b 2
Iesus autem abscondit se. Sic Christianus tentatus abscondat se in Christi vulneribus. 230 a 1
Quis arguet me de peccato. Inter peccata ita constricto ut nullus omnino absque peccato evadendi aditus pateat quid agendum. 656 d 2
Vide Indicem rerum, *v.* Peccatum.

FERIA II.

Facta sunt encænia. Festum Encæniorum quando et quomodo celebrarent Iudæi: illud mystice agunt Sancti in cælo. 720 c 1 - 751 d 2 - 793 b 2 - 825 c 1
Ut manifestentur opera Dei. Opera Dei revelare honorificum est; celare periculosum. 665 b 1
Peccatores Deus non audit. Peccatorum preces parum valent apud Deum. 652 b 1

FERIA III.

Festus Iudæorum Scenopégia. Festum Scenopegiæ apud Iudæos quale. 793 b 1

DOMINICA PALMARUM.

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Mansuetudo Deo propria et Christo. 449 c 2
Passionis Christi dies fuerunt dies phurim. 720 c 1
Passionis Christi seria meditatio est funis quo ligetur dæmon. 660 b 2
Christus patiens per piscem Tobiæ adumbratur. 656 c 2
Spe futuræ resurrectionis et ascensionis gloriosæ sustinuit crucem. 645 a 1
Christus moriens vicit ipsam mortem, cuius typus fuit Iudas Machabæus. 767 b 2
Et super vestimenta mea miserunt sortem. Sors quid sit. 710 d 2
Per sortes duas Mardochæi et Aman accipitur populus fidelis et infidelis. 723 a 2
Vide Indicem rerum, *v.* Sors.
Crucifixerunt eum. Christi in cruce distenti typus fuit Eleazarus. 811 a 1
Et septem fratres Machabæi. 818 a 1
Consummatum est. Christus est consummatio legis et Prophetarum. 841 b 2
Vinum cum felle mistum. Per fel quid denotetur, et ad quid valeat. 656 d 2
Christus post fel gustavit mella et favos. 648 d 1
Et velaverunt eum. De velanda facie cui rex offensus erat, reisque ad mortem damnatis olim, ac etiamnum capite mulctandis. 716 a 2

FERIA VI. IN PASSIONE DOMINI.

Passionis typus, Coccineus funiculus Rahab. 14 d 2
Iesus autem tacebat. Ad contumelias tacendum. 177 a 2
Et ad blasphemias. 510 b 2
Accessit ad eum una ancilla. Sic timor in Sanctis a Deo permittitur et quare. 447 b 2
Iudas, etc. dicens: Peccavi. Pœnitentiam non seriam, sed humanam vide in Saule. 247 a 1 - 247 b 2
Coronam de spinis posuerunt super caput eius. Christus qua coronandus corona. 333 a 2
Crucifixerunt eum. Christus visibiliter crucifixus, diabolus invisibiliter. 39 b 2
Cum tetigisset auriculam eius, sanavit eum. Christus Iudæorum maleficia beneficiis superavit. 265 a 1
Quid est veritas? Veritas est sanctitas quam Christus docet. 239 d 2
Pater, ignosce illis. Spiritus novi testamenti orare pro inimicis. 578 a 1

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Surrexit non est hic. Samson figura Christi resurgentis. 145 a 1
Christus nos coæquabit suæ gloriæ in resurrectione. 441 c 2
Resurrectionis figura. 482 a 1
Resurrexit. Resurrectionem corporis exigit anima immortalis. 832 a 2

FERIA II.

Loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. Colloquia spiritualia commendantur. 195 d 1
Castellum nomine Emmaus. Hoc postea a victoria Titi ob captam Ierusalem dictum est Nicopolis. 747 a 2
Tu solus peregrinus. Itinerantium præses et patronus est S. Raphael Archangelus. 649 c 1
Antequam peregrinentur Deum invocent ut iter ipsorum prosperet. 663 b 1
Nos autem sperabamus. Spes gloriæ futuræ est stimulus ad virtutem. 644 d 2
Aperiret nobis Scripturas. Lectio S. Scripturæ est funis quo ligetur dæmon ne nobis noceat. 660 b 2

Olim etiam fiebat post convivium. 680 a 2

FERIA III.

FAVUM MELLIS. Favus mellis Samsonis. 139 b 1 et seqq.

DOMINICA II. POST PASCHA.

EGO SUM PASTOR BONUS. Vigilantia in belli duce requisita exemplo Nehemiæ et aliorum. 621 a 2
Huius symbolum sunt dracones. 722 d 2
Porro Princeps bonus subditos amat ut filios. 757 c 1
Et noctu vigilat, ac publicis negotiis invigilat. 714 a 1
PONIT ANIMAM PRO OVIBUS. Christus pro Ecclesiæ et animarum salute nullum laborem aut periculum, nec ipsam mortem detrectavit, quod notent Episcopi, Prælati, Principes, etc. Argumento in Nehem. 614 c 2
Vide Indicem rerum, v. Dux, Princeps.
Pro castitate tuenda morti se opposuerunt etiam matronæ gentiles. 683 b 1
Et aliæ virgines Christianæ. 686 c 1
Item Religioni et voto licet postponere vitam. 811 b 2

DOMINICA III. POST PASCHA.

MUNDUS AUTEM GAUDEBIT. Mundi gaudia quam sint instabilia et vana. 716 c 2
Gaudium impiorum breve. 770 a 1
Extrema gaudii luctus occupat. 690 c 2 - 705 a 2
TRISTITIA VESTRA VERTETUR IN GAUDIUM. Id contigit Mardochæo, Estheri, totique populo Iudæorum. 718 c 2
Porro lætandum in solo Deo. 627 b 2 - 727 b 2
Gaudium Domini duplex. 627 b 2
Tristitia facit homines mœstos, pusillanimes et tardos. 627 c 2
Gaudium in solo Christo. 182 a 2

IN LITANIIS.

ELIAS HOMO ERAT SIMILIS NOBIS PASSIBILIS. *Vide Indicem, rerum verbo* Elias.
PROPTER IMPROBITATEM. Deus non semper prima vice dat quod petitur, sed vult sæpius rogari. 466 d 1

IN FESTO PENTECOSTES.

Spiritus Sanctus non statim post resurrectionem datus Apostolis, sed eum expectarunt; huiusque mysterii figura. 464 a 2
FACTUS EST REPENTE DE CÆLO SONUS. Huius soni figura. 450 b 1
LINGUÆ TAMQUAM IGNIS. Solet Deus in igne apparere. 443 a 2
SICUT MANDATUM DEDIT MIHI PATER, SIC FACIO. Stultissimum est Deo non obedire 230 d 2
In Pentecoste vacandum operibus charitatis. 643 a 1
S. Spiritus in specie ignis super Apostolos sedens repræsentatus per ignem sacrum Nehemiæ missum. 796 a 2
Quomodo astiterit scriptoribus hagiographis, ita ut nusquam a veritate aberrarent. 841 a 1

DOMINICA SS. TRINITATIS.

ECCE EGO VOBISCUM SUM. Deus non derelinquit iustificatos, nisi se prius derelinquentes. 9 a 1
Deo duce nihil timendum. 9 d 2
Deo duce omnia superamus. 56 a 2
Idque quamvis numero impares 104 a 2
Nihil homini deest, cum quo est Deus. 195 c 2
Adiutore Deo inermis vincit armatum. 281 b 2
Dei mira erga homines dignatio. 649 b 2
Deo duce facile est concludi multos in manu paucorum. 746 b 2
Iudæ Machabæo præsto adfuit. 802 a 1 - 834 b 1
DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS Deus dominatur tam cælo quam terræ. 679 a 2

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

EADEM QUIPPE MENSURA, QUA MENSI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS. Probatur exemplo Zambri. 434 a 2
Item exemplo Achab possidentis vineam Naboth. 455 c 2
EIICE PRIMUM TRABEM DE OCULO TUO, ETC. Mundus sit a crimine, qui alios corrigit. 223 d 2
ESTOTE MISERICORDES. Misericordiæ tam spiritualis quam corporalis opera. 642 a 1
Quam sit homini necessaria. 665 c 1 - 677 b 2
Vide Indicem rerum, v. Misericordia, Eleemosyna.

FESTUM CORPORIS CHRISTI.

IN ME MANET, ET EGO IN ILLO. Huius commixtionis symbolum dedit Eliseus. 475 c 1
Eucharistia sumenda contra tentationes. 108 a 2
Digne sumenda. 203 c 2
Eucharistiæ typus fuit convivium ab Assuero institutum. 704 a 1
In ea Christus ut cibus apponitur. 704 c 1
Est funis quo ligatur diabolus, minuitque iracundiæ, luxuriæ, etc. motus. 660 c 2
Consule Indicem rerum, v. Eucharistia.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

IUGA BOUM EMI QUINQUE. Eliseus secutus Eliam duodecim iuga boum reliquit: quinque ergo non sint Christianis impedimento. 451 b 1
UXOREM DUXI. Qui Deum propter uxorem deserit servus eius est, instar Achab. 456 b 1
Uxores et filii sunt abdicandi ut Deo obsequamur. 612 a 2

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

GAUDIUM ERIT IN CÆLO SUPER UNO PECCATORE. Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum. 84 b 1
Angeli et sancti in cælo festum agunt Encæniorum de peccatore pœnitente. 752 a 1

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

IN VERBO AUTEM TUO LAXABO RETE. In arduis Deo parendum. 237 d 1

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

NON OCCIDES. Exemplum S. Wenceslai. 256 d 1
Sancti inimicis parcunt. 281 d 1
Deus punit homicidium. 302 b 1 - 304 a 2
Punivit etiam David. 306 c 2
Occisio sui ipsius quando licita, quando non. 837 b 1
Exempla aliquot eorum qui seipsos occiderunt, quorum aliqui laudantur, excusantur alii. 837 c 1
OMNIS QUI IRASCITUR FRATRI SUO. Ira coram Deo effundenda. 178 b 2
Ira cos virtutis. 221 a 1
Ira mitiganda. 285 a 1
Ira bonarum actionum ministra. 445 b 1
Iustam vindictam Reges non negligant. 453 d 2
Ira non sinit iratum quiescere donec vindictam sumat. 714 b 2
Frater fratrem odit et supplantat dum agitur de honore et ambitu. 806 d 1
FRATER TUUS HABET ALIQUID ADVERSUM TE. Adversarius humilitate placatur. 114 b 1 - 281 b 1
Iniuriarum memoria deponenda. 300 b 1 et seqq.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

MANDUCAVERUNT ET SATURATI SUNT. Sic Elias multiplicavit farinam viduæ. 440 c 1

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

NON OMNIS QUI DICIT MIHI: DOMINE, DOMINE, ETC. Ne quidem si in nomine Domini prophetaverit. 266 a 2

*

Scire Deum non iuvat, nisi scientia sit practica. 189 a 1
Qui facit voluntatem, etc. Obedientia Deo grata.
Attendite a falsis prophetis. Hæreticorum communicatio fugienda. 603 a 1
Sunt hirundines. 643 d 1
Quid hoc audio de te. Fama sæpe maior est veritate, ac rem plus iusto adauget vel detorquet. 762 a 1

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Redde rationem, etc. Peccata venialia Deus punit morte. 427 c 2
Filii huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Excæcatio filiorum huius sæculi. 421 d 1
Consilium politici prudens, revera imprudens. 424 c 1
Prudentia huius sæculi excæcat. 493 b 1

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Domus mea domus orationis est. Templum hoc fine ædificatum, et eius sanctitas, 3. Reg. per totum caput octavum. 408 a 1
Non relinquent lapidem super lapidem. Similiter de excidio Ierusalem per Nabuchodonosor vaticinatus est Tobias. 667 b 1

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Pharisæus stans hæc apud se orabat, etc. Excusatio peccatum auget. 230 c 2
Pœnitentia debet esse humilis et seria. 247 a 1
Falsa pœnitentia Deus non movetur. 247 b 2
Publicanus a longe stans. Peccatores sibi appropinquantes Deus adurit. 18 d 2
Percutiebat pectus suum. Corde fervido orandum. 178 a 1
Qui in se confidebant. Qui sibi ipsi magnus, candidus et iustus apparet, habet albuginem in oculis suis. 664 a 1
Propitius esto mihi peccatori. Confessio ac pœnitentia quæ ex amore servili procedit non exauditur a Deo. 823 a 2
Oratio iusti clavis est cæli. 646 a 1
Orationis fructus. 179 a 1 - 647 d 2 - 665 c 1
Qui se exaltat humiliabitur. Idque exemplo Amani. 715 a 1
Et Antiochi Epiphanis. 822 a 1
Et Arphaxad. 673 d 1
Qui se humiliat exaltabitur. Exaltatur humilis Mardochæus. 715 b 1 - 718 b 1

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Adducunt ei surdum. Surditas aliquando laudabiliter simulatur. 219 c 1

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Homo debet cor suum conformare cordi divino. 231 a 2
Et proximum tuum sicut teipsum. Currendum ad opera charitatis. 302 a 2
Infundens oleum et vinum. Oleum et vinum significant modum corripiendi proximum. 190 a 2
Oleum charitatis erogando non minuitur. 473 b 2

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Non est inventus qui rediret, etc. Deus rigide exigit memoriam suorum beneficiorum. 19 b 1
Beneficia Dei assidue cogitanda. 218 a 2

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus dominis servire. Deliciæ carnis et spiritus se non compatiuntur. 24 b 2
Virtutes et vitia se non compatiuntur. 199 b 2
Ne solliciti sitis animæ vestræ, etc. Avaritia insatiabilis. 34 c 2
Deus pro suis sollicitus, per corvos aluit. 439 b 1
Nonne anima plus est quam esca. Anima pluris facienda quam corpus, idque per figuram pulchre explicatur. 113 b 1
Animæ quanta sit dignitas. 640 b 2
Quid de ea censuerit Plato. 668 b 1
Est immortalis. 832 a 2
Vide Indicem rerum, v. Animæ.
Nec Salomon in omni gloria sua, etc. Gloria mundi fluxa. 21 b 2
Vanitas gloriæ mundi demonstrata in gloria Salomonis. 417 a 2
Admonitiones pro eis qui sunt gloriosi in mundo. 419 b 1
Quanto magis vos. Stupenda facit Deus in gratiam suorum. 19 c 2
His omnibus indigetis. Deus in necessariis non deest. 24 a 2
Regnum Dei, etc. Regnum terrenum etiamsi debitum sit, non est præripiendum, sed exspectandum. 300 b 2
Regnum cæleste desiderandum. 451 b 2
Regna terræ parvi pendenda. 519 a 2

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Defunctus efferebatur. Mortis memoria salubris. 376 a 2
Misericordia motus. Sic Elias motus misericordia erga viduam, eius filium resuscitavit. 441 d 1
Adolescens. Caducitas vitæ humanæ. 268 a 1
Surge. Humiliantes se iubet Deus surgere. 33 b 1

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Omnis qui se exaltat. Tyranni qui se exaltarant, humiliati. 80 c 2
Angeli se exaltantes detrusi ad tartara. 184 d 1 et seqq.
Saul superbus misere cecidit. 212 d 1
Vide notata Dominica X. post Pentecosten.
Qui se humiliat exaltabitur. Exempla pauperum quos Deus ditavit. 186 b 1
Saul electus in regem propter humilitatem. 244 d 2
Primos accubitus. Accubitus veterum forma. 702 c 2

FERIA IV. QUATUOR TEMP. SEPT.

Hoc genus non eiicitur nisi in oratione et ieiunio. His mediis Tobias et Sara liberati sunt ab Asmodæo. 660 d 1

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum, etc. *Vide Dominicam duodecimam post Pentecosten.*
Deus est amandus super omne amabile. 612 a 2
Semper in memoria, intellectu et voluntate habendus. 650 c 1
Et benedicendus. 652 a 2

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Confide, Fili. Deus voluit equos ab Hebræis subnervari, ut in solo Deo fiderent. 49 b 1
Dei viribus, non vero humanis vincitur inimicus. 258 d 1
Cum vidisset Iesus cogitationes eorum. Deus omnia novit, adeoque omni loco timendus. 183 a 2
Præsentia viri magni stimulus virtutis. 188 d 2

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Ecce prandium meum paravi. Convivium Assueri mystice fuit S. Eucharistiæ simulacrum. 703 d 2

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Misertus autem Dominus. Clementia Dei in Iudæos legis prævaricatores. 611 a 1 - 611 b 2
Oportuit misereri conservi tui. Commiseratio levat misero miseriam. 650 b 2

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Non est tibi cura de aliquo. Nihil dandum carni et sanguini, sed iustitiæ. 64 b 1

Maior cura habenda de rebus sacris quam de propriis filiis. 197 a 2
Libertas Sanctorum. 443 b 1
Pietas facit humana non curare. 570 a 1
Sacerdotes opponentes se Oziæ Regi volenti sacrificare, laudati. 580 a 2
Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Regibus cura murorum incumbit, non sacrorum. 16 d 2
Impium regem honoravit Elias. 447 b 2
Et quæ sunt Dei Deo. Filii quos Deus dedit, volentes ipsi servire, non sunt impediendi. 133 d 2

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

In medicos erogaverat omnem substantiam suam. Deus iuvat in desperatis. 483 a 2
Potest quis peccare confidendo medicis. 568 b 2
Et ipsi deridebant eum. David irrisus typus Christi irrisi, et irrisorum pœna. 315 a 1

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Surgent, etc. pseudoprophetæ. Pseudoprophetæ puniti ab Elia. 443 b 1
Diabolus decipit pseudoprophetas. 458 c 1
Videbant filium hominis. Iudicii extremi dies, erit dies Sortium. 720 a 1

CONCEPTIO B. MARIÆ.

Pro omnibus festis, *vide Indicem rerum verbo* B. Virgo.
Salomon autem genuit Booz de Rahab. Quare solæ meretrices fœminæ nominentur in Christi genealogia. 12 d 2
Genuit Obed ex Ruth. Ruth ignobilis a Deo nobilitata, a quo omnis vera nobilitas. 161 a 1
Vide Indicem rerum, *verbo*, Ruth. De sequentibus Christi progenitoribus, *vide Indicem rerum ad eorum nomina.*
Genuit Manassen. Manasses occidit arguentes suam impietatem. 514 c 1

CONVERSIO S. PAULI.

Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Huius virtutis exemplum habemus in Eliseo sequente Eliam. 451 a 2
Iudicantes duodecim tribus Israel. Monentur iudices ut iuste iudicent. 571 b 2
Centuplum accipiet. Sic Valentinianus imperium accepit propter confessionem Christi. 479 b 1

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Tu es Petrus. Deus dans alicui nomen, simul dat rem eodem nomine significatam, ut patet in nominibus Angelorum. 654 b 1
Ædificabo Ecclesiam meam. Ecclesiam tam militantem quam triumphantem ædificavit Christus. 614 c 2
Ecclesia Catholica an nulla agnoscat nomina Angelorum præter tria. 637 c 1
Cœpit in Ierusalem in Sion de qua vaticinium Tobiæ. 667 b 1
Eius typus fuit hortus in quo habitum fuit convivium Assueri. 704 b 1
Et ipsa Esther. 712 b 2
Cur præ Sanctis veteris testamenti celebret festum septem fratrum Machabæorum. 815 b 2
Vide Indicem rerum, *v.* Ecclesia.

IN FESTO S. MATHIÆ.

Venite ad me omnes qui laboratis. David recipiens afflictos typus Christi recipientis laborantes. 274 c 1
In solo Christo salus. 447 a 2
Christus est Azarias, id est adiutor Dei ad illuminandum et salvandum homines cæcos, cuius typus fuit Raphael Archangelus ad Tobiam cæcum illuminandum missus. 654 d 1
Discite a me. Exemplorum vis. 112 a 2
Exempla animant in rebus arduis. 744 c 1-817 d 1
Sors cecidit super Mathiam. De sorte eiusque significatione et definitione. 710 d 2

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Missus est Angelus Gabriel. Fuit hic nuntius Incarnationis Verbi et custodiæ B. Virginis deputatus, habetque nomen a fortitudine. 693 b 1
Hominum præliis præfectus est. 649 b 1
Et nomen Virginis Maria. Quale sit nomen Maria. 693 a 2
Illud timent dæmones. 692 b 2
Ave, gratia plena. Quanta fuerit gratia et pulchritudo B. Virginis. 692 a 2
Huius typus fuit Esther ob pulchritudinem adamata super omnes mulieres. 708 d 1
Porro clausa in cubiculo, orationibus, ieiuniis ac gemitibus pro reconciliatione mundi obsecrans Deum, meruit Angelum pacis paranymphum excipere. 692 c 2
Ecce concipies. B. Virgo est virga aurea per quam Deus offensus humano generi reconciliatus est. 713 b 1
Est stella Iacob. 718 a 2
Et fons solis. 722 b 2
Vide indicem rerum, *v.* S. Maria.

IN FESTO S. MARCI.

Misit illos binos. Cœtus electorum charitate constringitur. 285 b 2
Nolite portare sacculum, neque peram. Mundani e contra, nulla re satiabiles. 51 b 1
Eliseus solis necessariis contentus. 473 d 2
Neminem per viam salutaveritis. Sic Giezi iussus nullum salutare per viam, et quare. 474 d 1

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Non erat ei filius, eo quod esset Elisabeth sterilis. Viri magni ex sterilibus nati. 133 d 1
Proles sterilibus datæ, donum Dei. 179 d 1
Ipse præcedet, etc. In spiritu et virtute Eliæ. Quantus fuerit Elias. 436 b 2 et seqq.
Vide Indicem rerum, *verbo* Elias.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Tu es Petrus. Deus dans alicui nomen, simul dat rem nomine significatam. 104 b 1

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Mulier, quæ erat in civitate peccatrix. Peccati libidinis stimuli, et quomodo cavendi. 325 b 2
Crudelitas libidinis. 328 a 1
Varia de amore impuro, et quomodo vertatur in odium. 335 b 1 et seqq.
Vanitas mulierum stibio se pingentium. 489 a 2
Mulieres seducunt corda virorum. 418 a 2
Unguentis ad delicias non utendum. 209 d 2
Libido ubi ardet, abundant peccata. 647 a 2
Quantum grassaretur apud Assyrios et Persas. 690 d 1
Est insatiabilis. 708 b 2
Muliere formosa illiceque nihil illecebrosius. 704 d 2
Pedes eius. Conscientia quam calcat pes Iesu efficitur eius possessio. 8 a 1
Oleo caput meum non unxisti. Ungendi et unguenti usus Persis ascribitur. 707 c 2

IN FESTO S. IACOBI

Dic ut sedeant hi duo filii mei. Beneficia Ecclesiastica non danda carni et sanguini, nec ad instantiam magnatum, sed merentibus. 7 a 2
Filii mei. Filii sæpe parentibus degeneres. 208 c 1

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

Assumptio B. Virginis cum gaudio in cælum figurata per exaltationem Arcæ testamenti. 314 a 2
Assumptio B. Virginis in cælum. Eiusdemque coronatio figurata per ductionem Estheris ad cubiculum regis Assueri. 708 c 1

IN FESTO DECOLLATIONIS S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Alii modi corripiendi magnates, quam per manifestam exprobrationem. 337 c 1
Libertas Eliæ et Sanctorum in arguendis magnatibus. 443 b 1

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

Christus extensus in cruce, figuratus per elevationem clypei Iosue. 39 a 1
Christi in cruce extensi typus fuit Eleazarus in tympano distentus. 811 a 1
Et septem fratres Machabæi. 818 a 1
Crucis Christi hamo aduncatus est diabolus. 660 d 1
Mox cruce signandi proficiscentes in Terram Sanctam. 840 d 1

IN FESTO S. MATTHÆI.

Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. De medicis animarum. 438 d 1

IN FESTO S. MICHAELIS.

S. Michael præest Ecclesiæ Dei. 25 c 2
Homines Angelorum vitam debent imitari. 108 c 2
S. Michaelis nomen mire valet contra omnes tentationes. 134 d 2
Nisi efficiamini sicut parvuli. Parvi magnificantur in conspectu Dei. 189 c 2
Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis. Deus gravissime punit scandalizantes pusillos. 243 b 1
Peccatum sacerdotis gravius ratione scandali. 189 d 1
Angeli eorum in cælis. Societas inter homines angelicam vitam ducentes, et inter Angelos. 482 d 1
S. Michael precibus fidelium præest. 649 b 1
Pugnans pro fidelibus cum dracone assumit nomen humilitatis, nempe: *Quis ut Deus?* 654 b 1
Dedicavit ecclesiam suam in monte Gargano. 752 b 1
Fuit Israelis protector. 827 b 1 - 831 b 1
Angeli eorum semper vident faciem Patris. *Vide notata in Nativitate Domini, et Indicem rerum*, v. Angelus.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Sancti sunt arca continens Deum, adeoque aquæ deliciarum ab eis fugiunt. 17 b 2
Sancti sunt cardines mundi. 186 b 2
Beati pauperes spiritu. Paupertas spiritus omnium domina. 8 c 1
Sancti possident cælum consilio, terram patientia. 763 b 1
Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, etc. Sanctos hic ieiunantes satiat Deus deliciis æternis in cælo. 184 d 2
Beati misericordes, etc. Eleemosynarum merces. 473 a 1
Vide Indicem rerum, v. Misericors, Eleemosyna.
Beati estis, etc. cum persecuti vos fuerint. Ex passionibus fit homo gloriosior. 262 a 1
Per viam persecutionis et crucis eundum ad culmen sanctitatis. 274 d 2
Sancti in cælo agunt festum Encæniorum de peccatore pœnitentiam agente. 751 d 2
Pro piis pugnant. 746 d 2
Eos invocare tutius est et utilius quam animas in Purgatorio existentes. 839 a 2
Quando agunt festum Phurim. 720 d 1
Vide Indicem rerum, v. Sancti.
Beati qui persecutionem patiuntur. Sancti cur permittantur a Deo affligi. 643 d 2 - 665 a 2 - 767 d 2
In adversis Deo gratias agunt. 644 b 1
Beati cum maledixerint vobis. Sancti pro beneficiis maleficia recipiunt, etiam ab amicis. 645 b 1
Maledicta patienter ferenda. 647 c 2
Patientiæ exempla duo Iob et Tobias. 643 d 2
Patientia passiones animi debellandæ. 763 b 1
Iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 768 d 1

IN FESTO S. CATARINÆ.

Prudentes vero acceperunt oleum, etc. Felicitas sequitur prudentiam, ut filia matrem. 9 c 2
Sapientia magnum Dei donum. 384 c 1
Sed sine praxi parum prodest. 388 a 2

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostoli sunt salvatores. 88 b 1
Eorum typus milites Gedeonis, non suis, sed Dei viribus pugnantes. 110 a 1
Illuserunt mundo. 315 d 1
Habiti insani, uti olim Prophetæ Dei habebantur stulti. 488 a 1

IN COMMUNI MARTYRUM.

Virtutis iter laboriosum, sed ad cælum ducit. 394 d 2
Discipulus Christi non flectit se ad terrenorum situm 110 a 2
Animæ detrimentum patiatur. Anima est tota hæreditas nostra, ideoque nullo pretio vendenda. 455 c 1
Vide Indicem rerum, v. Martyrium, Martyres.

IN COMMUNI CONFESSORIS PONTIFICIS.

Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Nocte maxime vigilandum contra hostes corporis et animæ. 46 c 1

IN COMMUNI DOCTORUM.

Doctor aliis utilis per doctrinam, sibi per conversationem. 212 c 1
Debet esse vitæ excelsæ, et infirmis compati. 213 a 1
Non sapientia verbi, sed operibus debet præire peccatorem. 236 d 2
Est arca testamenti. 312 d 1
Est currus et auriga. 465 b 2
Vos estis sal terræ. Sale sapientiæ conditur et fœcundatur orbis terrarum. 467 b 1
Sic luceat lux vestra coram hominibus. Debent electi ita se gerere, ut propter eorum bonam vitam, alii abstrahantur a peccando. 32 b 1
Milites Christi pugnare debent luce suorum operum. 112 c 1
Doctores debent esse boni, etiamsi omnes subditi sint mali. 233 c 2

IN COMMUNI CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Nolite timere, pusillus grex. Magna operatur Deus per res viles. 143 a 2

IN COMMUNI VIRGINUM.

Puritas mentis meretur gratiam prophetiæ. 93 c 1
Inventa una pretiosa. Unum pretiosum præstat multis vilibus. 9 b 1

IN DEDICATIONE TEMPLI.

Reverentia locis sanctis debita. 26 a 2
Deus acriter vindicat sacrilegia. 35 b 2
Templi Salomonis magnificentia. 391 c 2
In eo sola pretiosa videbantur. 405 d 2
Ecce nova facio omnia. Renovatio viris Ecclesiasticis necessaria. 108 c 2
Ingressus Iesus perambulabat Iericho. Ierichuntis descriptio, etymon et quid symbolice significet. 12 b 2

De solemnitate et dignitate Dedicationis Ecclesiæ. 752 b 1
Christus ipse, aliique Sancti varias Ecclesias dedicarunt. 752 c 1
Ritus dedicandi muros et portas urbium. 633 d 2

IN TEMPORE BELLI.

Deo adiuvante, etiam fortissimi debellantur. 8 c 2
Exercitus fidelium habent suum Angelum custodem, quem dux et milites continuo invocent. 25 c 2
Iuvat Deus suos per grandines, fulmina, etc. 46 d 1
Item per apes. 93 b 1
Victoriæ variæ a Deo Sanctis datæ contra hostes fidei. 99 d 1
Voluit Deus suos in se confidere tempore belli. 197 b 1
Angeli pro Davide pugnant contra Philisthæos. 310 c 1
Bellum pœna peccatorum. 432 c 2
Aurelia obsessa precibus S. Aniani Episcopi liberatur. 446 a 2
Iosaphat precibus victoriam insignem impetrat. 460 a 2
Angeli milites Dei, fortissimi et innumeri. 482 b 1
Syri ab Eliseo cæcitate percussi. 482 a 2
Potest Deus mille modis hostes perdere. 484 b 2
Deus auxiliatur in re desperata. 573 b 1

FINIS TOMI SECUNDI.